This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

N.N. VII. 29


Catalog

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I. E. V. 2



Digitized by Google




Digitized by Google

DAVIDIS HOLLAZII, A. M.

PASTORIS QVONDAM IACOBSHAGENSIS ET VICINAE SYNODI PRAEPOSITI

# EXAMEN THEOLOGICVM ACROAMATICVM

VNIVERSAM THEOLOGIAM THETICO-POLEMICAM COMPLECTENS.

VNA CVM PRAEFATIONIBVS VIRORVM CELEBERRIMORVM

DENVO EDIDIT PLVRIMISQVE ANIMADVERSIONIBVS AVXIT

IMMATVRA NVPER MORTE EXTINCTVS

MAGNI NOMINIS THEOLOGVS

D. ROMANVS TELLERVS

THEOLOGIAE IN ACADEMIA LIPSIENSI PROF. PVBL. ORDINAR. CAPITVLI CIZENSIS CANONICVS, SENATVS ECCLESIAST. LIPSIENSIS ASSESSOR, PASTOR THOMANVS, ORDINISQVE THEOLOGORVM, CVM VITA DECEDERET, DECANVS.

CVM PRIVILEGIO SERENISS. REGIS POLON. ET ELECT. SAXON.

*HOLMIAE ET LIPSIAE*

IMPENSIS GODOFREDI KIESEWETTERI.

M DCC L.

Digitized by Google

BIBL. PUBL. BASILEENSIS

Digitized by Google

# DEO TRIVNI,

## DEO PATRI,

CONDITORI COELI ET TERRAE OPTIMO MAXIMO,

## DEO FILIO,

REDEMTORI GENERIS HVMANI IN PECCATVM
PROLAPSI VNICO ET CATHOLICO,

## DEO SPIRITVI SANCTO,

SANCTIFICATORI ANIMARVM OBSEQVENTIVM,
ET PARACLETO EFFICACISSIMO,

TENVEM HVNC INGENII SVI PAVPERRIMI FOETVM
ANIMO DEVOTISSIMO
OFFERT, DEDICAT, CONSECRAT
AVTOR.



Digitized by Google

A*d pedes* Tuos, TRIVNVM NVMEN, *prouolutus*, æternam Maieſtatem Tuam *ſupplex veneror, gratiasque ago* Tibi *tantas, quantas mente capere poſſum maximas pro donis* Tuis *in me, ſeruorum* Tuorum *minimum, benigne collatis. Me totum* Tibi, DEVS ſanctiſſime, *debeo. Debeo* Tibi vires, *quibus fragile meum corpus firmaſti: debeo lumen* gratiæ, *quo mentem meam illuſtraſti: debeo* amorem veritatis, *quo pectus meum inflammaſti.* Te Auctore & Auſpice, *libellum hunc inchoaui:* Te Duce & Præſide *conſummaui. Quare eundem coram* Facie Tua glorioſiſſima *quam ſubmiſſiſſime depono. Sit hoc opuſculum* Tibi, Sator rerum, PATER AETERNE, & Tibi Seruator orbis, FILI AETERNE, *nec non* Tibi, Sanctificator *animarum fidelium*, SPIRITVS AETERNE, *dicatum & conſecratum. Seruiat immortali* gloriæ Nominis Tui! *Ancilletur afflictæ eccleſiæ Tuæ! Sit vſui miniſtris tuis! Ceterum nutui, & manui Tuæ cuncta moderanti me permitto. Sis maneasque aduerſus tela inuidiæ* clypeus meus, columen meum, præſidium meum!

AD

Digitized by Google

AD

# CANDIDATVM THEOLOGIAE BENEVOLVM

## B. AVCTORIS

# PRAEFATIO.

Paucis Te conuenio, *candidate ornatiſſime*, vt tum inſtituti mei ratio Tibi conſtet liquidius, tum ſpectata a me in hoc opere vtilitas capiatur a Te vberius. Scias velim, me prima huius examinis Theologici lineamenta duxiſſe, atque tradidiſſe ſtudioſæ pubi, cum benignitate diuina ſubnixus Colbergenſis Lycei Rectorem egi. Iuuit me id temporis circumfuſam lectiſſimorum iuuenum coronam cernere incenſam, flagrantemque ſiti doctrinæ cœleſtis. Idcirco eandem ad fluenta ſapientiæ diuinæ deductam præceptis ſaluberrimis imbuere, curæ mihi cordique fuit. Iam vero plerique eorum, qui ab ore meo pependerunt attenti & dociles, publicis muneribus admoti, memorique recolentes mente laborem & induſtriam meam, qua veram DEI notitiam ipſis inſtillatum iui, ingenue fatentur, ſe ex eadem haud exiguos fructus collegiſſe. Quin iidem etiam aſſiduis me fatigarunt precibus, & repugnantem tandem expugnarunt, vt, quicquid hoc eſt libelli, typis imprimendum curarem, rati, ex eodem cum in vniuerſam eccleſiam CHRISTI, tum præſertim in candidatos theologiæ plurimum vtilitatis redundaturum eſſe. Quorum petitis cum aſſurgendum ducerem, implorato æterni Numinis auxilio, & adhibitis curis ſecundis, opus hoc ſacrum reuiſum, limatum, & acceſſione plurimarum quæſtionum locupletatum, in publicam eruditi orbis lucem prodire paſſus ſum. Ceterum conſueueram, per quæſtiones ſæpe repetitas, per certas aſſertiones, validasque probationes concreditam fidei meæ

 iuuen-

Digitized by Google

iuuentutem informare, & profectus auditorum meorum ſubinde explorare. Omnium namque recte ſentientium calculo comprobatur illa docendi ratio, quæ fit per erotemata, ordine lucido, & quaſi concatenata ſerie cohærentia, ideo quod animum penetrat altius, ſtringit validius, hæret firmius. Sed inutiles ſpinoſasque quæſtiones, quibus Theologia Scholaſtica ſcatet atque turget, reſecandas putaui; propterea quod tempus, quo nihil in vita humana neque pretioſius, neque fugacius eſt, problematibus frugis expertibus non conterendum, ſed certis, claris & ſalutiferis dogmatibus impendendum eſt. Quamobrem id potiſſimum ſpectaui, vt, quæ in Theologia prima fronte apparent ambigua, obſcura, inuoluta & difficultatibus obſtructa, tam dilucide euoluantur, quo plana, aperta, viuidisque ingeniis prona & peruia deprehendantur. Ad quem præfixum ſcopum ex voto attingendum requiruntur accuratæ rerum diuinarum definitiones, ſolidæ diſtinctiones, luculentæ cauſarum & proprietatum declarationes, cum annexis vrgentium rationum momentis, e limpidiſſimo S. Scripturæ fonte hauſtis: quippe quibus poſitis inanis opinionis vmbra euaneſcit, ſol autem veritatis ſplendidius refulget. Præterea experimento non vno diſcimus, hoſtes veritatis cœleſtis ſpiſſas ſæpe tenebras veræ Theologiæ cultoribus offundere, excogitatis argumentis ſubtilibus, verique ſpeciem mentientibus, quibus ſubleſtas opiniones ſuas incruſtatum eunt. Quocirca ipſa neceſſitas ſtimulos nobis ſubdit, vt ſolicita mentis indagine ſententiam aduerſariorum perquiramus, argumentis nobis obiectis colorem & fucum, quo pinguntur, detrahamus, neruosque eorundem penitus incidamus. An autem in arduo hoc ſegregandæ veritatis a falſitate negotio ſemper rem acu, quod aiunt, tetigerim, penes lectorem beneuolum arbitrium & poteſtas iudicandi eſto. Scio, me eſſe hominem, a quo nil humani alienum. Hoc tamen pro certo affirmo, me τῆς ὀρθοδοξίας eſſe ſtudioſiſſimum. Id quod vel luculentiſſime patet ex ſingulis aſſertionibus meis; quippe quas perſpicuis & claſſicis literarum diuinarum dictis firmaui, addito frequenter Eccleſiæ noſtræ conſenſu, quem Libri noſtri Symbolici exhibent. Quæ cum ita ſint, examen Theologicum Tibi, *candidate humaniſſime*, commendatum volo. Faue huic labori, conuerte ipſum in vſum ſalutarem, & inter blanda fortunæ obſequia ſoſpes age.

PRAE-

Digitized by Google

# PRAEFATIO B. ALBERTI IOACHIMI DE KRAKEWITZ,

THEOL. D. ET PROF. PRIM. IN ACAD. GRYPHISWALDENSI,

SECVNDAE EDITIONI PRAEMISSA.

## L. B. S.

Viginti & octo effluxerunt anni, cum auctoritate B. Parentis mei, ſuaſu hortatuque Præceptoris, optime de me meriti, Dn. IAC. TRAMNITZII, qui hodie per Dei gratiam eccleſiæ Wuſtrouienſi, officio ſuo paſtorali, laudatiſſime inſeruit, Colbergam conceſſi, vbi DAVIDIS HOLLAZII, qui illo tempore Lyceo iſtius loci, ſumma cum nominis ſui celebritate, præerat, & ex regionibus adiacentibus vndiquaque iuuenum ſibi conciliabat animos, informatione frui ſumma mihi erat voluptas. Singulis diebus dominicis audiebam *Rectorem* meum in æde ſacra publice concionantem, & de rebus, ad finem vitamque Chriſtianorum ſpectantibus, tanto cum ſucceſſu diſſerentem, vt fructus redundarent ad omnes, quotquot præſentes erant, copioſiſſimi; reliquis autem diebus profeſtis, ad pedes viri, omnigena doctrina refertiſſimi, ſedere conceſſum erat, & quantum ætas mea permittebat, *philologica*, *philoſophica*, & quæ maximum conſtituunt momentum, *theologica*, mira cum facilitate & iucunditate mihi inſtillabantur. Quantum itaque præceptori huic meo debeam, verbis haud ſatis teſtari poſſum. Vtinam diutius ab ore viri diſertiſſimi non minus, quam eruditiſſimi pendere datum fuiſſet, & infirmior adhuc ætas ſuam illius temporis felicitatem rectius penſitare valuiſſet! Interim, quæ intra annum, & quod excurrit, fideliſſime inculcata retinui, per omnem vitam meam beneficiorum acceptorum me haud ſinent eſſe immemorem. Et hæc quoque fuit ratio, quæ me potiſſimum mouit, vt *examini* huic *theologico*, quod nulla alias commendatione indiget, ab hæredibus & bibliopola rogatus, *præfationem* præmittere nullatenus dubitauerim. Siquidem hac occaſione erga virum, de vniuerſa eccleſia orthodoxa & præprimis de me egregie ſatis meritum, pium publice teſtari licet affectum. An vero hæc ipſa præfatio parem habitura ſit ſortem cum illis, quæ primo epiſtolarum DIONYSII PETAVII reperiuntur libro, qui ex meris conſtat præfationibus, non modo dubito, ſed confidenter nego; ſiquidem eiusmodi præfationes profundæ eruditionis ſtilique floridi viros omnino requirunt: vtriusque autem defectum in me abunde cognoſco.



Digitized by Google

Ne tamen plane ἀσύμβολος hanc præfandi ſpartam deſeruiſſe videar, in mentem mihi venit quæſtio de *reſponſis academicis*, nuper reſuſcitata. De qua hic quædam præfari, tanto minus a ſcopo meo alienum iudicari poterit, quo certius eſt, theologorum præfationes ſuo modo *academicis* etiam annumerandas eſſe *reſponſis*; ſiquidem in illis iure meritoque cordatum ac ſincerum lector expectat iudicium, quid de libris, quibus præmittuntur præfationes, ſtatuendum ſit, an lectionem & emtionem mereantur vel minus? Similiter, qui præfationem libro cuidam præmittendam deſiderat, is, ſi recte velit incedere, nullum alium habeat finem, quam vt iuſtum libro iſti ſtatuatur pretium. Præfator itaque reſpondere tenetur pro ingenii non ſolum viribus, ſed & iuxta conſcientiam, omnique affectu ſepoſito, exponere, quid de opere ipſo ſentiat, cuius gratia præfationem ſcribit. Haud equidem me latet, quid hodie nonnulli de *academicorum* ſentiant *reſponſis theologicis*. Sunt, qui plus quam *papalem auctoritatem* ſibi arrogare theologos, quauis occaſione clamitant. Sunt qui reſponſa academica pro *ſuffragiis humanis* habenda eſſe, ediſſerunt. Sunt, qui inter *facultates theologicas meris ex regenitis theologis conſtantes, & inter collegia impiorum doctorum callide diſtinguendo*, fucum faciunt. Sunt, qui neſcio quas comminiſcuntur artes, vt pondus & vim reſponſorum academicorum effugiant. Nimis forem prolixus, ſi vel aduerſariorum ipſiſſima hic adducturus eſſem verba, vel ad ſingula attendendo, examinare intenderem, quæ infrunito hic obiiciuntur auſu. Sufficiat, hac vice, ſi paucis ingenue, quod ſentiam, expoſuero. Si fuerint theologi, qui *papalem* affectant *auctoritatem*, intolerabilem illorum faſtum nullus cordatus libertatis euangelicæ adſertor approbabit vnquam: aſt vix vnum alterumue aut fere nullum cum fundamento afferri poterit exemplum, quo academicorum reſponſorum hoſtes ſuum verificare poſſint aſſertum. Quod ſi paria paribus referre liceret, potior certe iure *papalis auctoritatis* reos illos pronunciare poſſemus, qui omnes ſententiis ſuis ſubſcribere retractantes, pro *impiis*, *irregenitis*, *barbaris*, *carnalibus*, *ſecularibus* &, vt multa paucis complectar, *diabolicis* habent theologis. Nouimus & in hunc vsque diem conſtanter defendimus, quod nullius hominis, ſed ſolius Dei verbum norma atque regula ſit, iuxta quam omnes controuerſiæ æque de rebus fidei ac morum ſunt diiudicandæ: iuxta hanc normam, hanc iuxta regulam, omnia theologorum effata ac reſponſa diiudicanda veniunt. Et hæc quoque ratio eſt, cur in reſponſis academicis aſſertionum fundamenta ex immoto verbo prophetico & apoſtolico, quod ipſum Deum auctorem habet, petantur, inque hos omnis decidendi ratio vnice reſoluatur. Quodſi dictorum biblicorum incongrua ſit applicatio, quæ probationem infirmam, imo nullam reddit, haud obligant academicorum reſponſa, ſed fragilitatis humanæ apertiſſima ſunt indicia; vnde & quandoque plurium facultatum peti ſolent reſponſa, quo, cuiuslibet rationibus examinatis, firmioribus aſſenſus præberi queat. Quodſi vero cœca veneratione quiſpiam prudentum admiſerit pronunciata, non theologos, ſed ſemetipſum redarguendi cuiuis ſubminiſtrabit occaſionem. Interim



Digitized by Google

terim, quando theologi de veritate diuina, deque efficacia argumentorum ſuorum in conſcientia conuicti, aduerſariis nullam demonſtrationem admittentibus, cedere detrectant: imo duriores quandoque neceſſitate ipſa ſic efflagitante, in hos ſententias, ad exemplum Chriſti & apoſtolorum, pronunciant, haud papali vtuntur affectata auctoritate, ſed munere funguntur ſuo, a Spiritu Sancto ſibi demandato, cui ſi ſatisfacere recuſarent, æternam iuſtiſſimi iudicis, Chriſti, incurrerent pœnam. Recte omnino *doctorum* & *profeſſorum academicorum* officium delineauit B. IO. BENED. CARPZOV. in diſp. th. de iure decidendi controuerſias theologicas p. 67. quando ſcripſit: *profeſſoribus & doctoribus academicis pars poteſtatis ſpiritualis & internæ committitur, tractatio nempe verbi, non popularis tamen illa, & vt ſic loqui liceat, exoterica, verum acroamatica, quæ in accuratiori ſcripturæ exegeſi, in dogmatum inde eruendorum ſolidiori euolutione & vindicatione, in librorum ſymbolicorum enucleatione, & fideli cuſtodia analogiæ fidei atque formæ ſanorum verborum, in opinionum erronearum & hæreticarum quarumcunque elencho & refutatione, in librorum patriſticorum, veterum conciliorum totiusque hiſtoriæ eccleſiæ diligenti ſcrutinio, in caſuum dubiorum ſolutione & in aliis id genus altioris indaginis curis conſiſtit, vt non tantum futuros eccleſiæ paſtores informatione ſua ad munus paſtorale dextre obeundum præparent, ſed & in officio conſtitutis, immo quibusuis aliis, atque ipſi magiſtratui in rebus ecleſiaſticis, tanquam iuris diuini conſulti, reſponſis & conſiliis ſubueniant.* Quæ ſacris litteris conformia eſſe, ipſemet in ſequentibus probat ex Eph. IV, 11. 12. 1 Cor. XII, 28. 29. Act. XVIII, 24. ſeq. 1 Cor. III, 5. 6. Tit. III, 13. Solide quoque commentatus eſt in Prou. I, 5. B. GEIERVS, quando circa verba ונבון תחבלות יקנה obſeruat: *Ebræum* נבון *notat virum prouidum & perſpicacem, qui rerum cauſas probe penetrat, indeque & ſibi & aliis poteſt proſpicere. Verbum* קנה *vtrumque notat, & acquirere & poſſidere rem acquiſitam. Senſus igitur h. l. eſt, eiusmodi prudens lector hac ratione lucrabitur, ſuisque ſtudiis (ceu pretio), non parabit quidem aurum, ſed rem auro præſtantiorem, immo omnibus opibus redimendam, hoc eſt, prudentiam, quam etiam vt theſaurum conſtantiſſimum contra omnes iniurias tuto poſſidebit.* תחבלות *dicuntur a Kimchio ap. Munſt. eſſe ratiocinationes & preſſæ conſiderationes ſublimium cogitationum: qua voce præter Salomonem in Prou. nemo ſacrorum ſcriptorum vſus eſt, niſi* Iobus c. XXXVII, 12. *vbi exprimit ſummam Dei ſolertiam in miranda nubium gubernatione. Extat autem* Prou. XI, 14. *quod absque his concidat populus*, c. XX, 18. XXIV, 6. *quod iis inchoandum ſit bellum. & quod in conſiliariorum multitudine ſalus*, c. XXII, 5. *quod impiorum conſilia fraudulenta. Adeoque eleganter hæc vox (a* חבל *nauclero deducta) innuit eiusmodi peritiam ac promptitudinem, qua quis & ſe & alios in domo, republica, eccleſia, ſchola, dextre regit & gubernat, vt ſciat officii ſui varia vela funesque dextre ac expedite, modo huc, modo illuc dirigere, vt inſtar periti naucleri e variis eluctetur ſcopulis,*

 *portum-*

*portumque contingat optatum.* Hæc ſi ad theologos in academiis viuentes applicata fuerint, reſponſa ipſorum neutiquam reiicienda vel contemnenda eſſe, quilibet facile largietur, qui hæreticis aut ſchiſmaticis haud corruptus eſt prauitatibus, nulliſque faſcinatus eſt præiudiciis. Probe tamen obſeruatum volo, me hoc loqui de theologo נבון, qui prouidus, qui perſpicax eſt, qui verbum veritatis inde a pueritia vel ipſa ſua didicit infantia, inque eodem habet ſenſus probe exercitatos, vt ſit ἀνὴρ λόγιος καὶ δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, conf. Actor. XVIII, 24. Talis etenim vir, qui theſaurum verbi cœleſtis habet in corde ſuo, vt ex eodem proferre valeat antiqua pariter & noua, quoties de rebus grauioris vel leuioris momenti ſua proferre debet, ſiue conſilia ſiue reſponſa, omnia accurate iuxta formam ſanorum verborum penſitat ac ponderat, nihilque aliud reſpondet, quam quod, in timore Dei, firmum rectumque eſſe, ex infallibili oraculorum diuinorum codice cognouit. Quis itaque non in pretio haberet academicorum theologorum reſponſa? Certe non video, quid impediat, quo minus comprobari poſſint ea, quæ haud ita pridem celeberrimus in Holſatia theologus, *Dn.* DASSOVIVS, in iuſta animadverſione in *cordati Euangelici*, ſic dicti, inanem loquacitatem temere effuſam p. 12. profeſſus eſt: *Academica*, inquit, *reſponſa ſuum pretium & dignitatem ſuam retinent*, *quicquid inaniter obiiciatur*, *iure meritoque illa appello aurea*, *ſicut Nazianzenus Athenas vocabat aureas. Licet autem academiæ non dictatorie in rebus fidei aliquid decidant*, *tamen niti iis tutiſſime poſſumus*, *quia verbo diuino reſponſa ſua confirmant*, *& veritatem doctrinæ publicæ in præcipuis cathedris ſonantem præclare oſtendunt.* Siquidem hoc effatum de illis vnice intelligendum eſſe reſponſis, quæ verbo diuino communita ſunt, haud temere autumo, quia ipſe pientiſſimus theologus hanc cauſſam tanquam præcipuam allegat, quare in tanto penes ipſum ſint pretio academicorum reſponſa. Et hoc præſuppoſito, non apparet, quomodo *humanorum ſuffragiorum* titulo inſigniri mereantur. Forte diceret aſſerti huius patronus vel auctor, ſe de iis loqui tantum reſponſis, quæ *nullis plane rationibus argumentorumue gaudent ponderibus:* an vero ſalua & illæſa veritate hoc de reſponſis, ad quæ digitum intendit, affirmare queat, ægre probabit. Rectius omnino cauſſam ſuam egiſſet, qui meritiſſimorum theologorum conſilia & reſponſa dictatorie non dicam arrodere, ſed plane ſuffocare voluit, vt, ipſis potius reſponſorum argumentis ſolide refutatis, fidem lectori feciſſet, quam nudis ſuis verbis cœcum ab ipſo deſideraſſet aſſenſum. Sed ea proh! hominum in hac mortalitate adhuc conſtitutorum conditio eſt, vt omne id, quod a ſuis hypotheſibus alienum eſſe animaduertunt, plerumque ſiniſtro tantum contemplentur oculo, cum alias recte omnino velint, quod *procul amore & odio res penſius æſtimandæ incorrupteque ſint iudicandæ.* Scire omnino cuperem, quid reſponſuri eſſent ſic ſentientes, ſi quiſpiam, de reſponſis & conſiliis, ipſorum ex parte editis, mero verborum ſtrepitu pronuntiaret: illa eſſe *auctoritat s & ſuffragia nullis rationibus argumentorumue ponderibus ſuffulta.* Me equidem

Digitized by Google

equidem iudice, lectori relinquendum eſt, quid de reſponſis, ab vtraque parte circa nuperrime diſputata editis, pronuntiandum ſit, de ineditis autem eo vsque iudicium differendum erit, donec luci fuerint expoſita, & videntium oculi verum a falſo diſcernere valeant. Interea hæc mihi firma, imo firmiſsima ſtat ſententia, quod academica reſponſa, quæ immotis ſcripturæ fundamentis, omnia & ſingula ſua firmant aſſerta, non pro meris humanis habenda ſint ſuffragiis, quia propter verbum diuinum, auctoritatemque ſupremi Numinis fidem ſibi haberi omni iure flagitare poſſunt. Hæc autem ratio, ſi inualida, ſi minus apta, tunc certe omnes ſacrorum antiſtitum conciones, omnia theologorum ſcripta, quocunque etiam verbo diuino communita fuerint, meram humanam habebunt auctoritatem, mera humana erunt ſuffragia. Aſt ſacram adhuc habent ancoram, ad quam confugere, ſeſeque recipere, artificioſiſſime didicerunt recentiores academicorum reſponſorum contemtores. Si oblatum ipſis fuerit reſponſum cauſſæ ſuæ fauens, vel patrocinium aliquod promittens, illud deoſculantur ſubito, illud laudant, illud commendant. Talis reſponſi auctor pro illuminato, regenito, pio ac religioſo theologo habendus. Quodſi vero ipſorum dogmatibus academicorum reſponſa maſcule, & intrepide ſunt oppoſita, ſatis cauſſæ, cur ea admittere non poſſint, ſe adduxiſſe autumant, ſi auctores tanquam *irregenitos*, *impios*, *&* *carnales*, conuitiis proſcindant. Sed poſito, auctores reſponſorum academicorum nullo flagrare pietatis zelo, an propterea falſa ſunt, quæcunque pronuntiant? Nonne diabolus ipſe veritatem profitetur, quando Chriſtum *Filium DEI* eſſe pronuntiat? Num propterea, quia diabolus dixit, hoc effatum pro falſo reputandum? Verum quam inane ſit hoc effatum, a pluribus tam copioſe, tam ſolide iamiam probatum eſt, vt ſuprauacaneum exiſtimem, poſt tot Homeros Iliada ſcribere. Perſuaſiſſimus profecto ſum, ſi theologi iſti, qui hactenus *fanaticiſmo*, *enthuſiaſmo*, *indifferentiſmo*, *pietiſmo*, aliisque nociuis ſeſe oppoſuerunt nouitatibus, eatenus ſuam mutarent mentem, vt hypotheſes aduerſarum nobis partium ore aut calamo proponerent atque defenderent, quod tunc omnis *carnaliſmi* aut *impietiſmi* ſuſpicio mox ceſſatura ſit, eaque reſponſa magno futura ſint in pretio, quæ nunc, quibuscunque etiam rationibus ſtipata incedant, ſordent omnino, nullaque lectione digna iudicantur. Interim certiſſime confido, ſinceros theologos & ſuum facturos eſſe effatum *Chryſoſtomi*, quod reperitur homil. XXV. in Matth. *Proditor eſt veritatis, qui non libere pronuntiat, aut non libere defendit eam.* Expedit magis eccleſiæ, *veritatem ſeruare* integram & intemeratam, quam cum eiusdem detrimento *connectendis amicitiis* operam impendere. *Illa* præcipue, *illa* ſedulo curanda eſt. Vtinam diſſentientes idem obſeruarent! Sic nullæ amplius de *concuſſa quiete & irritatis fratribus* proferendæ eſſent querelæ, quæ nos tamdiu mouere haud poſſunt, quamdiu cum veritatis diſpendio pacem obtinere contra pietatem officiorumque noſtrorum rationem eſſe perſuaſi ſumus. Ceterum in quantum reſponſa academica vim decidendi controuerſias

 habeant,

Digitized by Google

habeant, egregie expoſuit ſupra allegatus CARPZOVIVS p. 70. hunc in modum differens: Accurate & exquiſite hic diſtinguendum eſt inter veritatis propugnationem „& inter controuerſiæ deciſionem. Etſi enim ortis controuerſiis, cum veritatem contra „heterodoxos theologi defendunt, controuerſia materialiter ab ipſis deciditur, ſen-„tentiam pronuntiante ſupremo iudice Spiritu ſancto, cuius vocem deciſiuam e „ſcriptura depromunt; formaliter tamen nequit ſic deciſa dici, quia ius decidendi „toti eccleſiæ delegatum eſt, ad cuius exercitium ſupremi magiſtratus, ſi chriſtia-„nus eſt, auctoritas, vt concurrat, requiritur. In quantum ergo ſoli doctores „aduerſariis reſiſtunt & veritatem propugnant, pro vna tantum controuertentium „parte hactenus ſunt habendi, ſed quatenus cum magiſtratu ad formandam contra „illos ſententiam pro veritate concurrunt, non amplius pro parte controuertentium „habendi ſunt, ſed ſimul cum magiſtratu perſonam iudicis ſuſtinent, licet vtro-„bique agant pro poteſtate interna & ſpirituali. Ad prius ſemper officii ratione „obſtringuntur, etiamſi nec magiſtratus, nec quisquam hominum requirat, quo-„rum quoque nemo inhibere poteſt, ne officium faciant. Act. V, 29. Ad poſte-„rius autem non habent poteſtatem, niſi cum magiſtratu concurrentem, vti vicis-„ſim nec magiſtratus poteſtatem habet ſolitarie decidendi, ſi vel maxime controuer-„ſiam optime ex vero diiudicare nouit: qui ſi internam deciſionem a miniſterio, „hoc eſt vel theologis academicis, vel paſtoribus, vel vtrisque requirat, hi ſubtrahere „ſe officio nunquam poſſunt; ſi non requirat, tenentur ad momenta cauſſæ ma-„giſtratui vltro exponenda, & ad exhortandum eum, vt de controuerſiis legitime „decidendis & componendis litibus, remouendisque ab eccleſia ſcandalis in tem-„pore cogitet.„ Et hoc eſt, quod omnes ſaniores in eccleſia Lutherana theologi, de reſponſis iudicant academicis, eum in finem hic a me repetitum, vt publice declararem, qualis & mea ſit ſententia. De cetero, ſi quiſpiam theologorum reſponſa aut conſilia nolit habere pro *deciſionibus in conſcientia obligantibus*, für verbindliche Ausſprüche, ſed tantum pro *informatoriis*, quæ probanda omnino ſint, & cum cynoſura omnis doctrinæ, Script. Sacr. prius conferenda, is me non habebit contradicentem, ſi hæc intellecta velit de reſponſis, quatenus ab hominibus, in maxima licet auctoritate conſtitutis, proueniunt. Nunquam enim recedet animus meus ab ea, quam pie & erudite quondam in coll. fundament. MSS. inculcauit B. FECHTIVS, ſententia: *Abiicienda nobis eſt de alio quocunque homine opinio, qualiscunque ille & quantuscunque fuerit, deque illius doctrina, iudicio, ſpiritu, ſapientia & ſanctitate. Non intuendum in eorum, qui nobiscum ſentiunt, multitudinem, famam, auctoritatem; non in ſententiarum diuturnitatem qua inuolutæ illæ aut impugnandæ ſunt. Non ſunt aures porrigendæ iis, qui vel nos vel ſcripta noſtra, vel feruorem noſtrum laudant, mirantur, in cœlum euehunt. Contineri ab iis omnibus debent affectus haud aliter, ac ſi nihil extaret huiusmodi. Tandem abiecta quacunque alia ſpe fiduciaque, in vnum DEVM eiusque verbum mentes noſtræ ſunt defigendæ, & ab vno illo pendendum nobis*

Digitized by Google

*nobis eſt.* Quodſi vero reſponſorum argumenta & pondera diuina fuerint agnita, tunc erunt omnino *obligatoria*, & quisquis iisdem aſſenſum dare recuſat, æque grauiter DEVM offendit, ac ſi verbum ipſius ſpreuerit atque contemſerit. Vbicunque enim verbum DEI incorruptum reperitur, itidem vt diuinum attendendum eſt & venerandum.

Ne vero præfationis metas tranſiliam, præcipuus iam attendendus erit ſcriptionis meæ ſcopus, adeoque iam libere & ingenue a me enuntiandum: quid de *examine theol. acroamat.* præſenti, *viri quondam admodum reuerendi atque præcellentiſſimi* DN. M. DAVIDIS HOLLAZII, *Paſtoris Iacobshagiani & vicinæ ſynodi Præpoſiti, optime meriti*, ſentiam. Superfluum quidem hoc omne iudico, cum prima huius operis editio, anno MDCCVII. facta, adeo grata & accepta fuerit, vt intra decennium omnia eius exemplaria diſtracta videamus. Conſtat quoque inter eruditos, quid de hoc viro ipſiusque laboribus theologicis iudicauerint *Auctores der vnſchuld. Nachr.* Anno 1717. pag. 466. & celeberrimum illud academiæ Wittenbergenſis ſidus, DN. D. WERNSDORFFIVS, in præf. *Scrutinio veritatis* B. noſtri *Auctoris* præmiſſa. In gratiam autem ſtudioſæ iuuentutis paulo ſpecialius hic mihi enarrandum eſſe cenſui capita ſiue momenta, quæ librum hunc commendabilem reddunt. Atque ſic

I. placet *ſynopſis methodica totius operis*, quæ confeſtim in fronte libri apparet. Qui iſtam memoriæ ſuæ firmiter imprimere ſtudebunt, actu experientur, quantum in theologicis vſum habeat, totius compendii vel ſyſtematis nexum ſibi reddidiſſe familiariſſimum. Quoties enim vel ipſæ ſacræ Bibliorum euoluuntur paginæ, aut aliorum theologorum conferuntur ſcripta, toties tractator theologiæ noſſe poterit, ad quam partem theologiæ, ad quem articulum lecta ſint referenda, qua ratione compendium non tantum ſuum aut ſyſtema auctius, ſed internum quoque animi ſui theſaurum quotidie locupletiorem efficere poteſt.

II. Placet, quod *B. Auctor* in quolibet articulo *definitionem* præmiſerit, & deinceps earundem ſufficientem ſubiecerit explicationem, quod permagni æſtimauit conſummatiſſimus quondam theologus, DN. D. IOH. AD. SCHERZERVS, lectorem ſuum in ſyſtemate ſic alloquens: *Cuilibet cæleſtis diſciplinæ parti vel articulo, omnium dicendorum ſummam, definitionem, præmittere, eamque in membra, & quæ ambiuntur, quibusue turget, viſcera ſingula, diſſoluere iuſta ratione libuit. Vnde enim rerum cognitionem, veritatis inuentionem, ac memoriæ panacæam certius tibi promittas, quam ab eiusmodi methodo, quæ rebus ſine imperio inſeruiens, ex definitione, quaſi centro, omnes lineas ducit & eandem vltima analyſi ſuauiter reducit? vt velut in ſpecula conſiſtens totius cauſſæ faciem, receſſus, latifundia, fines, ambitum & exitus, vno intuitu contemplari poſſis. Quæ per ſubiunctam exegeſin euoluta, domeſticisque præcipue, i. e. ex ſcriptura petitis fundamentis, contra ſecus opinantium antitheſin, rotunde demonſtrata, legentis animum omni dubio liberum,* ἀμετάπτωτον καὶ ἀμετακίνητον *omnino reddunt.*

III. Placet

Digitized by Google

III. Placet, quod *B. Auctor*, ea, quæ in definitione ſummariter contraxit, per *quæſtiones* claras & perſpicuas vbiuis enodauerit. Si qua methodus tractandis inculcandiſque diſciplinis commoda & apta eſt, hæc omnium commodiſſima aptiſſimaque, me equidem iudice, cenſeri meretur. Quot enim rerum præcipua notanda veniunt momenta, tot formantur quæſtiones, quæ lectorem attentum reddunt, vt ea obſeruet, quæ alias, in vna ſerie propoſita, haud ita facile a quolibet animaduertentur.

IV. Placet, quod *B. Auctor* dicta claſſica, ſiue *præcipua dicta probantia*, non ſolum cum cura & ſtudio ſingulari ſelegerit & citauerit, verum etiam, *verbotenus exprimi* curauerit; quod non moleſtiam tantum leuat inquirendi, ſed memoriam quoque diſcentium multum iuuat ac firmat. Vnde etiam B. SEBASTIANVS SCHMIDIVS *in compendio theologiæ* eodem modo ſe lectoribus gratum exhibere voluit, prouti ocularis docet libri eruditiſſimi vtiliſſimique inſpectio.

V. Placet, quod *B. Auctor* non modo *theſin*, ſed *antitheſin* quoque tractauerit, atque ſic candidatum theologiæ ita inſtruere allaborauerit, vt reſponderet regulæ Paullinæ in ep. ad Tit. I, 9. quæ vult, vt *tenax eius, qui ſecundum doctrinam fidelis ſermonis, potens ſit, & exhortari in doctrina ſana, & contradicentes arguere.* Hunc vt obtineret finem, potiores aduerſariorum ſollicite conquiſiuit in hoc examine obiectiones easque ſic excuſſit, vt ſemotis omnibus dubiis atque obſcuritatibus, ſplendidiſſimus ſemper maneat veritatum cœleſtium radius idemque efficaciſſimus. Haud quidem diſſimulare poſſum, quod quandoque in hoc examine *nominalis* deficiat *elenchus;* ſiquidem eo in loco vixit HOLLAZIVS, vbi *Caluinianos* aut *Pietiſtas* nominetenus perſtringere aut refutare periculoſum erat. Forte quoque præuidit, nominalem elenchum contra *Caluinianos* aut *Pietiſtas* adhibitum totum ſuum opus impediturum eſſe, quo minus quiete lucem adſpiceret publicam. Interim ipſa huius *examinis* perlectio ad oculum demonſtrabit, *B. Auctorem* a partibus nominatorum aduerſariorum nequaquam ſtetiſſe, ſed errores ipſorum maſcule & ſolide refutaſſe. Quodſi forte fuerint, quibus hoc ipſo HOLLAZIVS noſter ſe minus comendat, illos, vt conſiderent, amice moneo, quod *B. Auctor* aliquoties *Caluinianos* ſub titulo *Reformatorum*, imo & nominetenus ZWINGLIVM, MACCOVIVM, PAREVM, aliosque adduxerit & refutauerit. Accedit, quod quandoque *realis elenchus* idem obtineat, quod *nominalis*, præprimis apud eos, quos haud latet, quinam illi ſint aduerſarii, quorum conuelluntur dubia, quorumque nomina facile ex aliorum addiſcere poſſunt libris. Interim lubentiſſime fateor, quod & nominalis aduerſariorum redargutio nequaquam omni tempore ab omnibus & ſingulis ſit omittenda theologis.

VI. Placet, Quod *B. Auctor* ſingulis fidei articulis optimos adiecerit vſus practicos, ſiquidem hac ratione lectorem ſuum non modo *eruditum*, ſed & *pium* efficere ſtuduit. Id itaque præſtitit egregie ſatis, quod olim BERNHARDVS occaſione

Digitized by Google

occaſione 1 Cor. VIII, 1.2. inculcauit: *Vides, quod Apoſtolus non probet multum ſcientes, ſi modum ſciendi neſcierunt, vides, quomodo fructum & vtilitatem ſcientiæ in modo ſcientiæ conſtituit. Quid ergo dicit? niſi vt ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine vnumquodque ſcire oporteat: quo ordine, vt illud prius, quod maturius mouet ad ſalutem; quo ſtudio, vt illud ardentius, quod vehementius ad amorem* DEI *et proximi: quo fine, vt non ad inanem gloriam & oſtentationem, ſed ad tuam & aliorum ſalutem.*

VII. Placet, quod lectoribus, proprio ſuo exemplo in ſubiectis circa finem cuiusuis articuli *ſuſpiriis*, *B. Auctor* oſtenderit, quomodo quilibet doctrinam cœleſtem ad ſe in indiuiduo applicare ſibique appropriare debeat.

VIII. Placet, quod *B. Auctor ſtilum haud æſtimauerit ambitioſum*, ſed *verbis* vbiuis vtatur *planis*, perſpicuis, ad docendum quam maxime idoneis. *Terminos* quidem adhibuit in theologia noſtra receptos, minime tamen *barbaros* aut *inutiles*, ſed illos tantum, quibus hodie theologia noſtra propter aduerſarios carere non poteſt, quorum intelligentiam rectumque vſum in formando theologiæ Candidato omnino præſupponit. Eſt itaque hoc *examen theologicum* ita comparatum, vt ſtudioſi theologiæ in eodem abunde inueniant, quod deſideriis ipſorum ſatisfacere poſſit. Neque omittendum hic, quod celeberrimus noſter quondam FECHTIVS in disquiſitione de vera rerum ſacrarum notitia pag. 113. & 114. de præſenti HOLLAZII mei opere peregregie iudicauerit, ſic verba faciens: *Recentiſſima hac ætate in manus meas diuenerunt plurium theologorum ſcripta, quibus vniuerſa theologia vel in breui compendio vel in maiore deductione repræſentatur, quæ more antea inſueto locum de gratia in particularibus ſuis circumſtantiis longe fuſius curatiusque expoſuerunt. Quos inter nunc tantum nomino* DAVIDIS HOLLAZII, *viri equidem excellenter eruditi, examen theologicum, ob tractationis perſpicuitatem, facilitatem ordinis, & ſcripturarum teſtimonia innumera, breuiter dilucideque expoſita laudem equidem omnem & encomium meretur. Qui, quam ſobrie ſolideque poſt* DANNHAVERVM, OSIANDRVM, QVENSTEDIVM *aliosque in proponenda de illuminatione & conuerſione doctrina, eiusque dilucidandis gradibus & naturalibus a ſpiritualibus, horum differentia ſolicite expoſita, diſcernendis verſetur, liber examinis tertius abunde demonſtrat.* Præprimis autem hic iudicandum, quod altera hæc editio priori multo *nitidior* & *perfectior* appareat. *Nitidior*, dum, qui impenſas libro huic excudendo præbet, I. H. RVSWORMIVS, bibliopola famigeratiſſimus, pro charta & typis eam egit curam, vt ipſo aſpectu, ad legendum ſeduloque euoluendum hunc librum, inuitarentur theologiæ ſtudioſi. *Nitidior* quoque comparet hæc editio, dum, omni diligentia adhibita, quæcunque in priorem irrepſerunt vitia, expuncta ſunt. *Perfectius* autem ſiſtitur hoc examen, dum neceſſariis *indicibus* iamiam ornatum conſpicitur, & *ſcrutinium veritatis*, anno MDCCX. ſeorſim editum, nunc in ipſo hoc continetur ſyſtemate, ita vti quælibet quæſtio ſuo loco inſerta legi & reperiri queat. Confido L. B. me hic nil quidquam ſcripſiſſe ab ipſa rei veritate alienum, nil dedi affectibus, licet HOLLAZII mei nomen filiali venerer affectu. Si cordatus, ſi ingenuus

 donorum

Digitized by Google

donorum diuinorum fueris æſtimator, ipſemet mecum ſenties: Quodſi vero quidquam in hoc libro tibi obuenerit, quod non æque ad tuum ſit palatum, memineris, nec tua omnibus placere. Ceterum, quæ S. CYPRIANVS lib. III. epiſt. XIII. ad STEPHANVM reliquit, nobis omnibus dicta ſunto: „Idcirco, „frater chariſſime, copioſum corpus eſt ſacerdotum, concordiæ mutuæ glutine „atque vnitatis vinculo copulatum, vt ſi quis ex collegio noſtro hæreſin facere, „& gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentauerit, ſubueniant ceteri & quaſi pa-„ſtores vtiles & miſericordes, oues dominicas in gregem colligant. Cum ergo „paſtoribus talibus, per quos dominicæ oues negliguntur & pereunt, ſic com-„minetur Dominus, quid nos aliud facere oportet, frater cariſſime, quam col-„ligendis & referendis Chriſti ouibus exhibere diligentiam plenam, & curandis „lapſorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam.„ Dabam Roſtochii d. XI. Sept. Anno MDCCXVII.

ALB. IOACH. DE KRAKEWITZ,
SS. Theol. D. & Prof. Prim. Fac. Theol. Sen. Conſiſt. Duc. Conſil. & Diſtr. Meckl. Superint.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# PRAEFATIO
# B. GOTTLIEB WERNSDORFII,
## SCRVTINIO VERITATIS B. AVCTORIS PRAEMISSA.

QVanquam nec in ſe laudabile, nec mihi ipſi ſolenne ſit, prolixas aliorum ſententias deſcribendo, neſcio quam inanem gloriolam venari; temperare tamen mihi non poſſum, quin, quæ theologus ſuo tempore celebris, multisque, ob veritatis defenſionem, difficultatibus, periculisque perfunctus, D. SIMON MVSAEVS, *in ſententia ſua de peccato originis*, Ienæ, annis abhinc centum, octo & triginta, de *tribus* hominum generibus, qui controuerſias in eccleſia exortas otioſi ſpectant, recte ac ſapienter exiſtimauit, huc afferam. „Inualeſcentibus, inquit, controuerſiis & certaminibus, in eccleſia, „triplex potiſſimum hominum genus inter ſpectatores ſolet exoriri, qui eis ad ſu-„am ipſorum perniciem abutuntur, & iuſtam reprehenſionem commerentur. Pri-„mum genus eſt *Neutralium*, qui contra articulum Symboli: *credo communio-„nem ſanctorum*, quaſi reſecta, & mortua membra corporis eccleſiæ, certamina „alibi exorta nihil ad ſe pertinere putant, neque excuſſis accurate, & collatis „ſcriptis, ſe alterutri parti coniungunt, ſed tanquam choro ſaltantium aſſidentes, „otioſi, & ſecuri rident, & exagitant dimicantes, fingunt inanes λογομαχίας, et-„iamſi contentio ſit de grauiſſimis fidei articulis. Talibus tergiuerſatoribus, & „deſertoribus laborantis veritatis paſſim horribiliter Spiritus S. minatur, vtpote „Iud. V. *maledicite terræ Meros*, & Amos VI. *Væ illis, qui non compatiuntur „ſub contritione Ioſeph.* Et Ebr. X. *Ne deſeramus cœtum ſanctorum* &c. Se-„cundum genus eſt *Proſopoleptarum*, qui vsque adeo in admirationem celebri-„um, & illuſtrium perſonarum, quæ errorum accuſantur, & conuincuntur, de-

„fixi

Digitized by Google

„fixi ſunt, vt certo præſumant, maiora eſſe ipſorum dona, & præterita in eccle-„ſiam merita, quam vt labi, atque errare queant. Ideo variis modis eos excu-„ſant, & iniuriam eis inferri vociferantur. Hos reuocat Spiritus S. a reſpectu „& faſcino perſonarum ad fundamentum ſcripturæ, tam teſtimoniis, quam ex-„emplis ſcripturæ, vt non quis, ſed quid dicatur, attendamus. Tertium genus „eſt *Donatiſtarum* turba, imaginans ſibi eccleſiam, ſine vllis næuis & turbis tran-„quillam & florentem. Ideo, quando audiunt vocem Filii Dei prædicantis ſuam „ſponſam: *Tota pulchra es*, *non eſt macula in te*: intuentur autem externum „eccleſiæ ſtatum, quam deformis cruce, contemta paucitate, oppreſſa vi & „fraude tyrannorum, & hæreticorum, obſcurata ſplendore mundi, ſqualida zi-„zaniis, & turbulenta inteſtinis diſſidiis ſit: acerbiſſimum dolorem concipiunt, „& fluctibus dubitationum concutiuntur, an iuxta III. art. Symboli exiſtat vllus „cœtus in terris, qui prædictæ voci Filii Dei reſpondeat, ſaluificum Deum vere „colat, & ab eo viciſſim præ omnibus ſectis diligatur, gubernetur, & ad æter-„nam beatitudinem conſeruetur. At Spiritus Sanctus docet, ſanctitatem Eccle-„ſiæ perfectam fulſuram eſſe in regno gloriæ &c.„ Hæc ille vir bonus ac ſapi-ens, de *tribus claſſibus*, ad quas reuocandi ſunt homines, in æſtimandis exami-nandisque de religione controuerſiis, occupati. Quæ vtut in ſequentibus ad certa-men, quod inter Doctores noſtros, & Flacium, de Peccato Originis agitatum fuit, ac-commodet, tam præclare tamen, egregieque ſunt diſputata, vt non tam ſui, quam no-ſtri ſeculi mores ſpectaſſe videatur. Nam vt de *tertio*, eodemque poſtremo, genere primum dicam, quam multi ſunt hoc tempore potiſſimum inter eos, qui ciuilibus ſeſe negotiis dederunt, qui controuerſias omnes, quotquot incidunt, ſi vel maxime de gra-vis momenti rebus naſcantur, velut inane quoddam, ac ſuperuacuum rixandi ſtudi-um, & probroſam contendendi libidinem, intuentur? Qui ſi piis precibus pacem ec-cleſiæ Numini commendarent, ac ne quid detrimenti doctrina ſalutaris caperet vi-derent, veritatisque cuſtodes ac vindices, ne vel in imputandis, vel in caſti-gandis erroribus, modum excederent, admonerent, ac denique in rixarum po-tius auctores, & eos, qui veritatem quoquo modo corrumpunt, quam eos, qui eandem aſſerunt ac propugnant, inueherentur; tum vero conſeruandæ inter ſocios concordiæ, & felicitati eccleſiæ purioris, non parum fuerant conſulturi. At vero quod nonnulli ſuper doctrinæ ſalutaris capitibus cum quoquam contro-vertere a pietate alienum putant, & neceſſaria etiam certamina ferre non poſ-ſunt, ac illos, qui aliorum errores liberius notant, φιλονεικίας, & hæretificii poſtulant, ſeminaque diſcordiarum non *tolli*, ſed *tolerari*, volunt, omnes de-nique controuerſias, velut inanes, aut de tribus capellis liticulas intuentur, nec obſcure quidlibet de quolibet ſentiendi, ſtatuendique licentiam permittunt, id vero eſt, quod hinc a recrudeſcente in animis hominum *Donatiſmo*, hinc cor-ruptis ſeculi moribus, merito deriuamus. Nam quum nemo ſit tam negligens reipublicæ ciuis, quin vel modicam patriæ finibus particulam detrahi ægre ferat; num fas fuerit, conniuere, ſi nunc hæc, nunc illa veritatis diuinæ non conte-mnenda portio cœtui credentium velut e manibus extorqueatur? Et vero, atten-

 damus

Digitized by Google

damus hoc loco, quam peruerſe omnia tractentur in ſeculo. Nam quod lites in foro ſine modo ac fine, per tres, pluresue annos, ſuper caducis inanibusque fortunis, aſperſis non raro iniuriis, calumniis, artibus, nec ſine manifeſto litigantium incommodo, extrahuntur, id vero non modo non improbant nonnulli rerum ciuilium ſtudioſi, ſed & aliquando ad litis conteſtationem inuitos compellunt. At enim vero, quod huic, vel illi, ob corruptum doctrinæ caput, controuerſiam mouemus, cum eoque nunc publice, nunc priuatim, expoſtulamus, quod ſcapham ſcapham dicimus, quod veritatem in tuto collocare ſtudemus, ac vel minimam ei particulam detrahendam eſſe negamus, quod denique pertinaces ac refractarios, aliquando ſeuerius compellamus, id vero ſtudio pacis, ac morum ſanctitati, eccleſiæque rationibus inimicum eſſe exiſtimant. Quam recte; alii iudicent. Id memini, Apoſtolum non omnes quidem litigationes damnare, auctorem tamen eſſe Corinthiis, vt acceptas potius iniurias concoquant, quam vt de iis experiantur in foro: elenchum vero aduerſus quosuis veritatis hoſtes, ἀκαίρως, εὐκαίρως inſtituendum, ſemel, iterumque, ac ſæpius commendare, præſcribere, vrgere. Nam ſi quis fortunas ſuas alia ratione habere ſaluas non poteſt, licitum eſt, nobiliſſimum magiſtratus officium implorare: vbi vero doctrina ſalutaris, quæ, velut inæſtimabile bonum, omnium fidei eſt concredita, quoquo modo corrumpitur, non tum modo integrum, ſed & *neceſſarium* eſt, eandem a corruptelis aſſerere ac propugnare. Iam nec *Proſopoleptæ* deficiunt, qui de propoſitis quæſtionibus iudicaturi non ſententiam, ſed ſententiæ auctorem, reſpiciunt, dignitatemque doctrinæ non ſuo, ſed doctoris, pretio metiuntur, qui prout vel acceptus fuerit, vel inuiſus, ſic illius quoque opinio vel recipitur, vel damnatur. Itaque nullus eſt tam exploratus, imo abſurdus error, qui non applauſores ſuos inueniat, dummodo a magnæ auctoritatis famæ viro proficiſcatur. Cum PHILIPPVS olim fatali omnium gratia floreret, nonnulli dicere non dubitarunt, malle ſe cum MELANCHTHONE apud inferos, quam cum LVTHERO in cœlis commorari, natoque deinceps de peccato originis certamine, multi ſola Flaciani nominis reuerentia, putidiſſimum errorem defendere mordicus, quam MVSAEO, HESHVSIO, & aliis, ſaniora docentibus, cedere maluerunt. Quin & hoc tempore multi Chiliaſticis, Myſticis, Terminiſticis, aliisque id genus maleſanis opinionibus indulgent, non quod de illorum veritate conuicti ſunt e ſcripturis, ſed quia fotæ quondam, ac diſſeminatæ ab hodegis Pietiſtarum fuerunt, a quibus nihil tam imprudenter prolatum, tam meticuloſe aſſertum, tam ieiune leuiterque probatum fuit, quin illorum ab admiratoribus velut ex tripode dictum, fallique neſcium, adoretur, ita vt nunc demum mihi ſatis capere videar, quid ſibi velit Apoſtolus, quum Galatas Pſeudo - Apoſtolorum perſuaſionibus *faſcinatos* ſcribit. Nam qui videri volunt auctoritati hominum nihil tribuere, & ad rauim vsque abſtinendum eſſe a præiudiciis clamant; hi eo vsque præiudiciis indulgent, vt ſuis cum hodegis errare, quam cum aliis recte ſentire malint, non raro improbantes ſententias, quas ne cognouerunt quidem ſatis, nedum

explo-

Digitized by Google

explorarunt. Poſtremo his temporibus & *Medii* occurrunt, qui *neutri* parti addicti, otioſi velut, mutique ſpectatores controuerſiis aſſident, & quæ vltro citroque ſcribuntur, nec inſpicere nec examinare dignantur, quin potius omnia in medio relinquunt, ac diſputantibus pari humanitate, & amoris teſtificatione occurrunt, iudicium ſibi de rebus in controuerſiam vocatis nec ſumunt, nec ſumere ſuſtinent, ſufficere arbitrati, ſi rerum ſuarum ſatagant, ipſique ab erroribus abſtineant, de alienis parum ſolliciti. Tribus iſtis claſſibus *quartam* merito ſuo adieceris, *Colluſorum* nimirum, qui vtut palam moliri quicquam, vel ſui, vel cauſæ diffidentia, non audeant, aduerſariis tamen intra ſe fauent, opportuna ipſis conſilia ſubminiſtrant, procerum, vbi res poſtulat, voluntates conciliant, &, quibus modo cunque poſſunt, rationibus ſuccurrunt. Neque tamen, quid animo voluant, temere aperiunt, aut aliis innoteſcere patiuntur, quin magno id ſtudio cauent, ne qua in re illorum fauere opinionibus videantur. Itaque non ſolum abſtinent a ſcribendo, ſed & ab aliis rogati ſententias, muſſitant, ac deprecantur iudicium, aut, ſi omnino male diſſimulatus fauor diutius occultari non poteſt, ſub aliena perſona errorem propalam & bilem longo tempore collectam in Viros innocentiſſimos euomunt, quieturi deinceps, donec noua emergat occaſio, iis, quibus male cupiunt, inſultandi. Quo genere hominum vti vix quicquam eſt nocentius, quod mala occulta peiora ſunt manifeſtis; ſic tanto vehementius probo cordatorum virorum pro tuenda religione ſtudium, qui non ſolum, ſuo quisque loco, creditum ſibi gregem, vt ab imminentibus lupis ſibi caueant, grauiter enixeque monent, ſed & de aliorum ſalute ſolliciti, ſcriptis publicis inſidias hoſtium detegunt, &, qua eædem ratione vitari poſſint, oſtendunt. Ac hos quidem inter non poſtremo mihi loco nominandus eſt vir, ætate, doctrina, & meritis in eccleſiam grauiſſimus, Dn. M. DAVID HOLLAZIVS, Eccleſiæ Iacobshagenſis Paſtor, vicinæque Synodo Præpoſitus, qui magno defendendæ veritatis ardore incenſus, ſatis non habuit, ſuas de rebus diuinis ſententias peculiari, quod extat, ſyſtemate, tribus ab hinc annis, comprehendiſſe, ſed id quoque operam dedit, vt easdem peculiari libro non ſolum hinc inde declararet, ſed & ab aduerſariorum cauillationibus tutas præſtaret. Habita igitur temporis ratione, Fanaticorum & Enthuſiaſtarum corruptelas ita detexit, vt vna fidelia duos dealbaret parietes, & veteres notando, modernos ſimul ac recentiores ſolide confutaret. Nec enim hi ab illis diſſentiunt: ſed potius nihil hoc tempore a nouatoribus dicitur, quin a Myſticis, Schwenckfeldianis, Weigelianis, Anabaptiſtis, & aliis, dictum ſit prius. Dum igitur in veteres illos repetuntur cenſuræ, recentiores ſimul, qui non noua inueniunt, ſed vetera recoquunt ac incruſtant, notantur. Quod ipſum venerandus HOLLAZIVS ita præſtitit, vt palmam omnibus ambiguam feciſſe in hoc ſcripturæ genere videatur. Quapropter hoc vnum precor, vt DEVS, huic quidem operi benigniſſime faueat. Auctori vero, corporis, animique vires integras ac inconcuſſas præſtet, quo meritorum ſuorum amplitudine religioni veræ lucrari plurimum poſſit! Vitemb. in Saxon. Id. Aug. A. R. S. cIↃ IↃ cc X.



Digitized by Google

# LECTVRIS
## S. D.
## ROMANVS TELLER, R. F.

Noſti procul dubio, Lector amice, neque enim obſcura acerbiſſimi luctus fama eſt, Parentem meum exoptatiſſimum, cuius ſtudio noua huius libri editio prodit, mihi bonis que omnibus immatura pro dolor! morte nuper ereptum eſſe. Haut igitur miraberis, librum, ab ipſo diligentiſſime curatum, nouis que acceſſionibus auctum, ſine vlla tui compellatione, quae quidem ab Ipſo proficiſceretur, in lucem proferri. Cum enim iam in eo eſſet, cuius deſiderium vix ferre poſſum, Parens optimus, vt, animaduerſionibus ſuis confectis, praefationi conſcribendae ſuam impenderet operam, ingraueſcentis morbi atrocitate aliquantum temporis impeditus, tandem vero pertinacia eius victus, occubuit.

Dabis autem veniam, vt hoc loco, quem celebre Patris, ſi viueret, nomen occupaſſet, meum per aetatem ignobile adhuc nullis que meritis clarum appareat? Dabis profecto, neque haec iuſtiſſimo dolori qualiacunque ſolatii fomenta inuidebis. Equidem hoc certe ſcio, neque contra Parentis amantiſſimi voluntatem fieri, neque viris auctoritate morum que grauitate conſpicuis improbari, ſi & occaſionem, quae fuerit B. Patri edendi operis, & quae eum ſaepenumero ſuper huius libri animaduerſionum que, quas libro adiecit, ratione memorantem audiui, praefationis loco paucis expediam.

Aliquot iam anni effluxere, ex quo Godofr. Kieſewetter, bibliopola Holmienſis, vir in primis honeſtus, ſanctioris doctrinae opus perpetuum a B. HOLLAZIO olim conſcriptum, & aliquoties iam typis excuſum, in Suecia maxime deſiderari B. Parenti litteris ſignificauit, ipſum que rogauit, vt eius denuo edendi curam in ſe reciperet, & de ſuo, ſi per tempus id liceret, aliquid adderet. Ille vero, etſi hunc librum non omni ex parte probaret: incultum enim atque inelegans loquendi genus & perturbatum ſubinde rerum & argumentorum ordinem ſaepius reprehendere ſolebat; quoniam tamen in plerisque ſatis clarum & perſpicuum eam que ob cauſſam illis, qui rerum ſacrarum ſtudio operam impendunt, erudiendis quam maxime aptum iudicabat, facile ſe exorari paſſus, operam ſuam bibliopolae condixit, cum que aliis antea diſtentus eſſet occupationibus, anno tandem ſuperiore magna cum alacritate, velut ipſi in more poſitum erat, rem aggreſſus eſt.

Et

Digitized by Google

Et primo quidem id eum ſtudioſe agere memini, vt ipſum libri contextum ab infinitis operarum erroribus, ipſam dictorum ſententiam haut raro conturbantibus, quibus refertae erant priores libri editiones, purgaret, rem multum moleſtiae, iucunditatis parum habentem ipſe ſuſcipiens. Vt vero & digniore perſona ſua perfungeretur opera, & rerum ſacrarum ſtudioſis quam vtiliſſimum hunc librum redderet, plurimis eum animaduerſionibus inſtruxit, in quibus vel paulo obſcurius, vel iuſto breuius, vel etiam quodam modo inſolentius ab Auctore dicta, illuſtrauit, amplificauit, emendauit. Praeterea etiam multa a B. Auctore prorſus omiſſa adiecit, & in primis, quae habentur de *reſeruatis diuinis*, de *nominibus Optimi Seruatoris*, & de *gratiae diuinae natura* atque *generibus* doctrinae Chriſtianae capita tam copioſe atque accurate expoſuit, vt non tam animaduerſionum, quam iuſti libri formam exhibere videatur. Plura quoque procul dubio adieciſſet, immo alio habitu atque ordine propoſuiſſet, in illis maxime, quae B. Auctor, vel in Scholaſticorum dumeta deductus, contortius atque ſpinoſius, quam elegans noſtri ſaeculi ratio ferat, diſputauit, vel Reformatorum, inter quos vixit, ſubueritus iracundiam, diſſimulauit, vel denique profligandis aduerſariis magis, quam inſtruendae aciei intentus, nulla certe lege adſtrictus propoſuit, haec, inquam, omnia lubenter, quod dicere ipſum memini, immutaſſet, niſi alienum laborem inuertere religioni ſibi duxiſſet. Ne tandem aliquo modo Eius deſiderarentur partes, nouos etiam indices conficiendos curauit, quorum vtilitatem vſu, quam commendatione mea, cognoſci malo.

Ceterum vnicuique librum hunc perlegenti facile erit videre, neque enim in re tam clara atque manifeſta Patris vt manibus blandiar, amor illorum me commouere poteſt, B. Parentem vti in omni vita, ita etiam in his animaduerſionibus ſuis, animum purioris doctrinae, a maioribus traditae, obſeruantiſſimum, in ea que defendenda inſignem fortitudinem atque conſtantiam ſumma humanitate temperatam prodidiſſe; iamque tandem pudebit, niſi fallor, ſecundum ea, quae in ſe paſſim perſpicuis verbis dicta inuenient, qui vulgo dicuntur, Herrnhuthiani fratres, pudebit, inquam, eos rumoris, in B. Parentem olim confictì, cuius ipſe quidem, dum viueret, iniuriam magno animo contemnere, quam publice, quamuis potuiſſet, vindicare maluit.

Haec fere ſunt, quae in praeſens, triſtiſſimo officio perfunctus, dicere habui. Tu vero, Lector amice, Parenti ad beatiſſimorum animorum domicilia euocato bene precare, mihi vero, fauorem Tuum imploranti, donec ipſe, Patris deſideratiſſimi exemplo excitatus, de litteris bene mereri incipiam, memoriam eius praeſidio eſſe, patere. Scrib. Lipſiae,

a. d. XIII. Kal. Mai. A. C. cIↃ IↃ c c L.

Con-

# CONSPECTVS OPERIS.

PROPAEDIA THEOLOGICA *tribus abſoluitur capitibus, quibus prolegomena expediuntur.*

*Cap. I. agit de theologiæ conſtitutione. II. De religione & articulis fidei. III. De ſcriptura ſacra.*

PAEDIA *Theologica in quatuor diſpeſcitur partes.*

PARS PRIMA

*conſiderat capite I. Deum, tanquam finem theologiæ obiectiuum. II. Myſterium SS. Trinitatis. III. Actiones diuinas generatim, & ſpeciatim creationem. IV. Angelos. V. Hominem. VI. Prouidentiam diuinam. VII. Viſionem & fruitionem Dei beatificam, tanquam finem theologiæ formalem.*

PARS SECVNDA

*expendit ſubiectum theologiæ, quod eſt homo in peccatum prolapſus. Idcirco agitur capite I. de imagine Dei, tanquam, termino, a quo homo excidit. II. De peccato, in quod incidit. III. De peccato originali. IV. De peccato actuali. V. De defectu liberi arbitrii in ſpiritualibus.*

PARS TERTIA

*exhibet tum principia, tum media ſalutis, & ſubdiuiditur in duas ſectiones.*

SECTIO PRIMA *conſiderat principia ſalutis: ideoque agitur*

*capite I. De beneuolentia Dei generali. II. De beneuolentia Dei ſpeciali, & de prædeſtinatione. III. De fraterna Chriſti redemtione. IV. De gratia Spiritus S. applicatrice, & ſpeciatim de vocatione ad eccleſiam. V. De illuminatione. VI. De conuerſione. VII. De regeneratione. VIII. De iuſtificatione. IX. De vnione myſtica. X. De renouatione. XI. De conſeruatione fidei & ſanctitatis. XII. De glorificatione.*

SECTIO SECVNDA *ponderat media ſalutis tam cauſalia, quam exſecutiua.*

*Proinde tractatur capite I. de mediis ſalutis in genere, & in ſpecie de verbo legis. II. De verbo euangelii. III. De ſacramentis. IV. De baptiſmo. V. De euchariſtia. VI. De pœnitentia in genere, & de contritione in ſpecie. VII. De fide ſaluifica. VIII. De bonis operibus. IX. De mediis ſalutis exſecutiuis generatim, & ſpeciatim de morte atque reſurrectione mortuorum. X. De iudicio extremo, & conſummatione ſeculi.*

PARS QVARTA

*ſiſtit homines collectiue, prout ſunt membra eccleſiæ.*

*Agitur itaque capite I. de eccleſia. II. De miniſterio eccleſiaſtico. III. De magiſtratu politico. IV. De ſtatu œconomico.*

PROPAE-

Digitized by Google

# PROPAEDIAE THEOLOGICAE
## CAPVT I.
EXHIBENS
# PROLEGOMENON GENERALE
DE
# THEOLOGIAE CONSTITVTIONE.

Quæſtio I. *Quid eſt theologia?*

THEOLOGIA eſt *ſapientia* eminens *practica, e verbo Dei reuelato* docens omnia, quæ ad *veram in Chriſtum fidem* cognitu, & *ad ſanctimoniam vitæ* factu neceſſaria ſunt *homini peccatori, æternam ſalutem adepturo.* (*). **Definitio theologiæ.**

Theologia,

* Quum euidens ſit, hac definitione explicari *ſpeciatim* theologiam 1) *εκτυπον*, a qua diſtinguitur *αρχετυπος*, 2) *hominum*, quorum alia eſt, ac angelorum theologia, 3) *peccantium*, poſt triſtiſſimam illorum a Deo defectionem, qua ratione ei opponitur theologia, vt vulgo nominari ſolet, paradiſiaca, in ſtatu integritatis, 4) *viatorum*, quorum theologia differt ab ea, quæ dicitur conſummatorum, 5) *reuelatam*, quæ diſcernitur a naturali: idcirco ordini rerum fuiſſet conueniens, ſi placuiſſet b. Auctori præmittere definitionem quamdam *generalem*, omnesque eas diuiſiones, de quibus deinceps ipſe expoſuit, quæſt. 7. vsque ad 11. Id quod vir beatus ipſe profiteri videtur infra, quæſt. 12. Deinde, quod ad ipſam definitionem attinet, 1) multis de cauſis mihi videtur theologia rectius dici *cognitio* efficax, ſiue *practica*, quam *ſapientia*, certe non opus erat hoc additamento, *practica*, ſi quidem nulla poteſt eſſe, niſi practica, ſapientia, *cognitio* autem, ſiue *ſcientia*, recte diuiditur in *theoreticam*, & *practicam* (vid. quæ b. A. ipſe diſſeret deinceps, ad quæſt. 13. inſt. II. & IV.): 2) quantum ad hoc, *ex verbo Dei reuelato*, planius equidem certiusque dictum fore arbitror: *litteris conſignato*, ſeu, *ſcriptura diuina*. Quo pacto omnem euitamus, quæ in verbis latet, ambiguitatem. Ita nimirum poſtulat adcuratæ definitionis proprietas vna ex præcipuis, vt ne quidquam in ea ſit ambigue dictum. Conſtat inter omnes, (α) FANATICOS quidem homines, ſcripturæ contemtores, *verbum Dei reuelatum* interpretari aut de *lumine*, quod illi comminiſcuntur, *interno*, aut de *immediata*, quam paucis quibusdam & ſelectis Dei amicis contingere fabulantur, *illuminatione;* (β) ROMANO-CATHOLICOS autem, præter *ſcriptum* Dei *verbum*, aliud quoddam fingere, æque diuinitus *reuelatum*, quippe, vt ajunt, *ore traditum*. Pauci hodie neſciunt, etiam JUDÆOS ſtatuere *duplex* Dei *verbum*, partim *ſcripturas* Vatum diuinorum, partim *traditiones*, quas vocant *Moſaicas*, eumdem fere ad modum, quo Romano-Catholici *traditiones* comminiſcuntur *Apoſtolicas*.



Digitized by Google

Quæſt. II. *Quid ſignificat theologia?*

*Etymologia.* Theologia, vi vocis, notat λόγον περὶ τȣ̃ Θεȣ̃, cum ſermonem, tum in primis ſcientiam de Deo, vel habitum de Deo diſſerendi.

Probatur aſſertum: Theologia eſt nomen abſtractum, a concreto θεολόγος deductum. Vox, λόγος, quæ alteram concreti partem conſtituit, *extra compoſitionem* ſignificat tum *externum ſermonem oris*, nempe orationem, vel diſſertationem; tum *internum conceptum mentis*, ſiue rationem, aut rationis dictamen: *at intra compoſitionem* notat *cognitionem, ſiue ſcientiam*, vt theologus dicatur, cui ὁ λόγος περὶ τȣ̃ Θεȣ̃ per modum habitus ſcientifici ineſt, ſicut aſtrologus appellatur, qui ſcientiam de motu aſtrorum ſibi parauit, & habitu diſſerendi de aſtris pollet. Quamuis ἔτυμον τῆς θεολογίας exponi poſſit per λόγον τȣ̃ Θεȣ̃, ſermonem, ſiue ſcientiam Dei, quia eſt *a Deo tanquam cauſſa efficiente;* vel per λόγον πρὸς τὸν Θεὸν, per ſermonem ducentem *ad Deum, vt finem ultimum:* Rectius tamen heic explicatur *per ſcientiam de Deo, velut obiecto primario conſiderationis theologicæ.* Quemadmodum enim aſtrologia eſt ſcientia de aſtris, coſmologia de mundo, chronologia de tempore, anthropologia de homine; ita theologia eſt ſcientia de Deo.

Quæſt. III. *Eſtne vox, theologia, ἔγγραφος, ſiue in Codice ſacro expreſſa?*

Vox, theologia, κατὰ τὸ ῥητὸν, qua litteram, non extat in ſacra ſcriptura. Concretum θεολόγος cernitur quidem in epigraphe apocalypſeos Ioannis; at eandem vocem immediate a ſpiritu ſancto eſſe inſpiratam, improbabile eſt.

Prob. Euoluentibus ſacrorum oraculorum codicem conſtat, vocem theologia in eodem non extare. Concretum θεολόγος legitur in epigraphe apocalypſeos Ioanneæ his verbis conceptæ: Ἀποκάλυψις Ἰωάννȣ τȣ̃ θεολόγȣ. Rationem denominationis reddit AVGVSTINVS *tractat. 36. in Ioannem*, quia hic apoſtolus diuinitatem Chriſti tanta cum emphaſi, quanta ante eum nemo aſſeruit. Ex quo THEOPHYLACTVS eum vocat θεολογικώτατον. Exemplar Complutenſe hanc habet inſcriptionem: Ἀποκάλυψις τȣ̃ ἁγίȣ Ἀποςόλȣ καὶ Εὐαγγελιςȣ̃ Ἰωάννȣ τȣ̃ θεολόγȣ. Quæ variatio inſcriptionis nos inducit, vt coniiciamus iſthanc epigraphen non eſſe θεόπνευςον; neque vero conſentaneum eſt, Ioannem perquam modeſtum, ſeipſum apoſtoli ſancti nomine inſigniuiſſe, vt habetur in exemplari Complutenſi.

Quæſt. IV. *Quinam primi voce, theologia, vſi ſunt?*

Gentiles dudum ante natum Chriſtum hac voce vſi ſunt, quam antiſtites primitiuæ eccleſiæ ad exprimendam veram de Deo ſcientiam tranſtulerunt.

Prob. Extat vox, theologia, apud PLATONEM *lib. 2. de republ.* & ARISTOTELEM *lib. 3. Metaph.* cap. 4. CICERO *lib. 3. de natura Deorum*: Theologi, *ait*, tres Ioues numerant. CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 4. Stromat.* vocat ἐπιδρομὴν τῆς θεολογίας, quam latini *curſum theologicum* dicerent.

Quæſt. V. *Daturne in ſacris litteris vox, theologiæ æquipollens?*

Vox, theologiæ abſolute æquipollens, in ſacra ſcriptura non legitur, dantur tamen in eadem periphraſes ſynonymicæ.

Prob. Vocatur theologia ſapientia Dei in myſterio, 1. Cor. II, 7. Hinc a nonnullis appellatur θεοσοφία. Dicitur ἔκθεσις τῆς τȣ̃ Θεȣ̃ ὁδȣ̃, expoſitio viæ domini, Act. XVIII, 26. Exinde a B. DANNHAVERO appellatur ὁδοσοφία. Theologi audiunt θεοδίδακτοι,

Digitized by Google

δακτοι, 1. Theſſ. IV, 9. Proinde nuncupari poteſt θεοδιδασκαλία. Vocatur agnitio veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem, Tit. I, 1. Poteſt itaque nominari θεογνωσία καὶ θεοσέβεια, latiori ſenſu his vocibus acceptis. Confer D. CALOV. in *ſyſtemat. theol. Tom. I. p. 2.*

Quæſt. VI. *Quotuplici ſenſu vox, theologia, accipitur?*

Senſu quadruplici. (a) *Generaliſſime*, pro *quauis* de Deo *doctrina*, licet falſa, aut erroribus mixta ſit. (b) *Generaliter*, pro theologia *vera*, ſiue ea originalis, ſiue participata, ſiue viatorum, ſiue beatorum, ſiue naturalis, ſiue reuelata ſit. (c) *Specialiter*, pro theologia *reuelata*, hominem viatorem ad æternam ſalutem perducente. (d) *Specialiſſime*, pro doctrina de *Deo vno & trino*. ***Homonymia.***

Prob. a. Solemne fuit *ethnicis*, ſuam longe falſiſſimam de Deo opinionem diſtinguere in theologiam *mythicam, politicam & phyſicam*, de qua prolixe agit D. HILDEBRAND in *theol. dogmat. p. 2. 3.* Sed *falſa theologia* καταχρηστικῶς & abuſiue dicitur theologia, vocanda potius *matæologia* ex Tit. I, 10. aut *Pſeudologia* ex 1. Tim. IV, 2. Quamobrem nos eandem oppoſitis veræ theologiæ accenſebimus.

Prob. b. Haud pauci auctores diſtinxerunt theologiam in *archetypam*, & *ectypam*, *viæ* & *patriæ*, *naturalem* & *reuelatam*, qui reſpexerunt *etymon & vim vocis theologiæ*, ſecundum quam eſt ſcientia de Deo & rebus diuinis. At, ſi *vſum vocis* penſitemus, neque Deus, neque angeli, aut beati in cœlo, neque naturam ducem ſequentes homines, theologi audiunt. Quare laxa illa theologiæ ſignificatio non tam nititur communi vſu loquendi, quam deriuatione vocis, theologia.

Prob. c. Theologia *reuelata* accurate & *ſtricte* nuncupatur *theologia*, quam qui hauſerunt *ex verbo Dei ſcripto*, omnium conſenſu theologi appellitantur.

Prob. d. Patres primitiuæ eccleſiæ diſtinxerunt inter *theologiam*, & *œconomiam*. Sic GREGORIVS NAZIANZENVS inquit: Ἄλλος ἐστὶ λόγος τῆς θεολογίας, ἢ τῆς φύσεως, ἄλλος τῆς οἰκονομίας, alia eſt ratio theologiæ, aut naturæ, alia œconomiæ, apud B. CHEMNITIVM de *duab. nat. in Chriſto fol. m. 44.* Per *theologiam* antiſtites primæ eccleſiæ intellexerunt notitiam de Deo vno & trino, per *œconomiam*, myſterium incarnationis, ex Hebr. III, 6. Quos imitatus eſſe videtur D. WILHELM. LYSERVS, qui in *ſyſtem. theolog. p. 22.* diuidit theologiam in *theologiam* ſtricte dictam, *anthropologiam & chriſtologiam*.

Quæſt. VII. *Quomodo vera theologia diſtinguitur?*

In *archetypam*, ſeu originalem, & *ectypam*, ſeu participatam. *Archetypa* eſt cognitio, quam Deus de ſeipſo habet, & quæ in ipſo eſt exemplar alterius, cum creaturis intelligentibus communicandæ, theologiæ. *Ectypa* dicitur ſcientia de Deo & rebus diuinis cum creaturis intelligentibus a Deo ad imitationem theologiæ ſuæ, velut cauſſæ exemplaris, communicata.

Obſ. 1. *Archetypum* proprie eſt primum exemplar effectus ad ſui imitationem producti, & vi vocis importat duo: 1. Exemplar, ſiue formam, quam effectus aliquis ex intentione agentis imitetur: 2. Negationem dependentiæ ab alia exemplari cauſſa; vt theologia archetypa vi vocis ſit, quæ alterius theologiæ cauſſa exemplaris eſt, & ab alia, velut a cauſſa exemplari, ipſa non dependet.

Obſ. 2. Nonnulli theologi paulo aliter theologiam archetypam & ectypam explicant. D. DANNHAV. in *hodoſ. p. m. 12.* inquit: *Diſtinctio theologiæ in* ἀρχέτυπον *&*



Digitized by Google

*ἔκτυπον, in ſcholis recepta, non eſt vsque quaque accurata. Neque enim ſublimiſſima theologia, qua Deus ſeipſum naturaliter cognoſcit, noſtræ theologiæ poteſt eſſe exemplar imitabile: Potius idea illa, quam concepit mens diuina, vt in verbo externo exprimeretur certa & libera reuelationis menſura eſt archetypa theologia.* Suffragatur ipſi D. SCHERZER. in *ſyſtem. p. 2.*

Probamus aſſertionem noſtram. (1) Homo integer conditus erat ad imaginem Dei. Imago autem ipſius conſiſtebat in cognitione Dei, ſapientiæ diuinæ conformi. E. eius ἀρχέτυπον fuit infinita Dei ſapientia. (2) Homo lapſus renouatur in *cognitionem ſecundum imaginem Dei*, Col. III, 10. E. illius πρωτότυπον eſt theoſophia diuina. Nam cognitio Dei rerumque diuinarum, quam in hominum viatorum intellectu reuelatio diuina generat, dicitur ab apoſtolo agnitio iuxta *imaginem Dei*, non alia de cauſſa, quam quod ad imitationem cognitionis, quam Deus de ſe, omnibusque rebus diuinis habet, expreſſa eſt.

Dicis: (1) Theologia noſtra non ad infinitam theoſophiam, qua Deus ſeipſum cognoſcit, ſed ad ideam mentis, in verbo ſcripto relucentem, conformatur: E. eius πρωτότυπον non eſt infinita theoſophia, qua Deus ab æterno ſeipſum cognoſcit, ſed idea mentis diuinæ, in verbo ſcripto expreſſa. Reſp. Theologia *archetypa*, conſiderata *formaliter*, ideam illam, in verbo ſcripto expreſſam, non excludit, ſed includit. Nam theologia archetypa eſt cognitio, quam Deus de ſeipſo habet, concepta vt idea communicandæ cum creaturis intelligentibus theologiæ; quæ idea intra ſinum deitatis eſt *originaliter*, in ſacra ſcriptura eſt *repræſentatiue.* Quare, mediante ſacra ſcriptura, noſtra theologia ad archetypam Dei theologiam conformatur.

Dicis: (2) Deus ad imitationem ſuæ non communicauit cum creaturis intelligentibus theologiam. Sequeretur enim, theologiam, quæ eſt in homine poſt lapſum, infinitæ eſſe perfectionis, ſicut cognitio Dei de ſeipſo infinite perfecta eſt. Reſp. Neg. Conſequ. Neque enim neceſſe eſt, vt ἔκτυπον cum ἀρχετύπῳ eiusdem ſit perfectionis, ſed ſufficit, ſi hoc certo modo pro captu ſuo repræſentet. Patet hoc exemplo hominis integri, cuius ſanctitas expreſſa erat ad ſanctitatis diuinæ exemplar, neque tamen eiusdem erat perfectionis cum ſanctitate Dei.

Quæſt. VIII. *Num theologia ἀρχέτυπος competit etiam Chriſto θεανθρώπῳ?*

Theologia *archetypa* competit Chriſto *eſſentialiter* & *per naturam*, quatenus æternus *Deus* eſt: competit eidem *perſonaliter* & per *communicationem idiomatum*, vi vnionis perſonalis, ſecundum *humanam* naturam. Ex quo etiam *theologia vnionis* dicitur.

Prob. (1) Quia *in Chriſto habitat tota plenitudo deitatis*, Col. II, 9. in eodem etiam habitat tota plenitudo theologiæ archetypæ.

(2) Quia in Chriſto abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, Col. II, 3. valide colligitur, theoſophiam illam, quæ originalis & ἀρχέτυπος eſt, ipſi eſſe communicatam.

Dicis: Theologia archetypa creaturæ eſt incommunicabilis. Humana Chriſti natura eſt creatura. E. *Maior* liquet, quoniam theologia archetypa eſt infinita & immenſa ſcientia Dei, qua Deus ſeipſum cognoſcit, cuius creatura minime capax eſt. Reſp. Diſt. inter *creaturam meram*, exſiſtentem extra Deum, & θεωθεῖσαν, ſiue *hypoſtatice vnitam cum deitate.* Illi eſt incommunicabilis, huic ad poſſeſſionem & vſurpationem vere communicata eſt.

Quæſt. IX.

Digitized by Google

Quæſt. IX. *Quotuplex eſt theologia ἔκτυπος hominum poſt lapſum?*

Theologia hominum poſt lapſum alia eſt *viæ*, ſiue viatorum, alia eſt *patriæ*, ſiue comprehenſorum. *Illa* eſt hominum, in hoc mundo a domino peregrinantium, & Deum per certa media imperfecte cognoſcentium (a). *Hæc* eſt beatorum, Deum immediate & perfecte cognoſcentium (b).

Obſerv. Nil attinet hic conſiderare theologiam ἔκτυπον humanæ Chriſti naturæ, angelorum, & hominum integrorum ante lapſum; eo, quod doctrina iſta partim ad locum de Chriſto, partim ad locum de angelis, partim ad locum de imagine Dei pertinet.

Prob. a. 2. Cor. V, 6. 7. *Confidentes igitur (ſumus) & ſcientes, quod dum habitamus in corpore, peregrinemur a Domino, per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem.* Mens apoſtoli eſt: quoniam ſpiritus ſanctus, qui eſt arrhabo vitæ cœleſtis, nobis datus eſt, non deſpondemus animum, licet via huius vitæ, calamitatum quaſi ſpinis obſepta, nobis non ſine multis moleſtiis ſit decurrenda, ſed bono animo ſumus, quamdiu in tentorio huius corporis habitamus, a domino peregrinantes, i. e. a viſione Dei beatifica alieni, & quaſi peregre abſentes. Etenim nos ſpirituales viatores dirigimus curſum vitæ & actionum noſtrarum per oculum fidei, quæ eſt τῶν μὴ βλεπομένων, Hebr. XI, 1. In regno autem gloriæ ambulabimus cum Chriſto ſecundum ſpeciem, hoc eſt, viſibiliter præſentem Ieſum noſtrum habebimus, de facie ad faciem ipſum viſuri, 1. Cor. XIII, 12. 1. Io. III, 2.

Prob. b. ex 1. Cor. XIII, 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc vero a facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc vero cogniturus ſum, ſicut cognitus ſum.* Innuit apoſtolus, theologiam hominum viatorum, comparatam cum theologia beatorum, eſſe imperfectam, ineuidentem, & cum difficultate diſcendi coniunctam. Quemadmodum enim res corporeas imperfecte aſpiciunt, qui earum imagines in ſpeculo intuentur: ita in hac vita tenuem quandam de Deo & rebus diuinis cognitionem, ex verbo reuelato hauſtam, ſi ad longe perfectiorem vitæ æternæ theoſophiam conferatur. Et vt omne ænigma eſt ſermo obſcurus, nodoſus, inuolutus, intellectu difficilis: ita noſtra theologia ratione obiecti eſt ineuidens, complectens myſteria profundiſſima, & in hac mortalitate cognitu difficillima. Theologia patriæ, contra, erit perfecta, immediata & intuitiua. Sicut Deus nos cognoſcit perfectiſſime; ita in cœleſti patria nos viciſſim Deum perfecte cognoſcemus: ille quidem perfectione diuina & infinita; nos vero non infinita, ſed finita, atque nihilominus in ſuo genere completa, quanta quidem in creaturam rationalem cadere poteſt.

Quæſt. X. *Quare theologia beatorum vocatur comprehenſorum?*

Theologia beatorum vocatur theologia *comprehenſorum*, quoniam beati deſideratam perfectæ cognitionis de Deo metam conſecuti ſunt.

Prob. Occaſionem huic denominationi dederunt verba Paullina, Phil. III, 12. *Non quod iam apprehenderim, aut iam conſummatus ſim: perſequor tamen, ſi etiam apprehendam* (*vulgata habet:* comprehendam) *in quo apprehenſus a Chriſto ſum.* Sermo eſt apoſtolo de ſalutifera Chriſti cognitione. Pſeudo-apoſtoli plenam Chriſti cognitionem ſibi arrogabant, contendentes, ſatis eſſe, Chriſtum cognitum, cum nemo neſciat Chriſtum eſſe verum Meſſiam, præteritorum peccatorum expiatorem. Quibus aduerſam Paullus tenet ſententiam, qui licet egregie cognouiſſet Ieſum, negat tamen ſe eam perfectæ notitiæ metam attigiſſe, vt profectu nullo indigeat; ſed potius ſe ſumma ope nixurum dicit apoſtolus, vt Ieſum, pro ſe mortuum & reſuſcitatum, tota mente complectatur, ſicut a



Digitized by Google

Chriſto in via Damaſcena comprehenſus, id eſt, agnitus, vocatus, conuerſus & in viam ſalutis pertractus erat. Ex quibus palam eſt, S. Paullum directe non locutum eſſe de θεογνωσίᾳ beatorum: quoniam tamen aſſeruerat, ſe contendere, vt Chriſtum comprehendat, i. e. perfecte cognoſcat, doctores ſcholaſtici theologiam patriæ vocarunt theologiam comprehenſorum, eo quod beati Deum perfecte cognoſcunt.

Obſerv. (1) *Comprehenſiua Dei ſcientia* modo latiori, modo ſtrictiori ſenſu accipitur. *Latius dicta comprehenſiua Dei ſcientia* eſt, qua Deus & quidquid in Deo eſt, formaliter ad eſſentiam & attributa eius intrinſece pertinens, clare, diſtincte & immediate cognoſcitur. Dicitur etiam *theologia viſionis*, quod eius vi beati Deum, vt in ſe eſt, tam clare & diſtincte cognoſcant, quam clare & diſtincte cognoſcuntur res corporeæ, cum in oculos incurrunt & videntur, denominatione deſumta ex verbis Chriſti: *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt, Matth. V, 8. Strictius dicta comprehenſiua Dei ſcientia* eſt, qua adæquate cognoſcitur Deus & quidquid non tantum in Deo eſt formaliter, ſed etiam ab eo eſt virtualiter aut eminenter, ſiue quidquid a Deo produci, aut vllo modo dependere poteſt. Sic nulla creatura comprehendit Deum, plane incomprehenſibilem.

Obſerv. (2) Sicut theologia beatorum vocatur *intuitiua*, quoniam Deum immediate, vt in ſe eſt, cognoſcunt: ita theologia viatorum appellatur *abſtractiua*, quia Deum non immediate in ſe cognoſcunt, ſed mediate in alio, nempe vel in effectu, vel in verbo reuelato, tanquam ſpeculo.

Quæſt. XI. *Quotuplex eſt theologia viatorum?*

Theologia *viatorum* eſt duplex, *naturalis*, & *revelata*. *Illa* eſt, qua Deus tum ex notitiis inſitis, tum ex intuitu rerum creatarum innoteſcit. *Hæc* eſt notitia de Deo & rebus diuinis, quam Deus vel per immediatam reuelationem, ſiue inſpirationem (a); vel per reuelationem mediatam, ſeu verbum diuinum, litteris conſignatum, hominibus viatoribus communicat (b).

Obſ. (1) De theologia naturali infra in loco de Deo accuratius agetur.

Obſ. (2) Theologia reuelata dicitur, non a *reuelatione generali*, ſeu qualicunque manifeſtatione, per effecta Dei in regno naturæ conſpicua, de qua Paullus Rom. I, 19. inquit: Τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, *quod de Deo cognoſcitur, manifeſtum eſt in ipſis. Deus enim ipſis manifeſtauit;* ſed a *reuelatione ſpeciali*, qua res vel ductu naturæ non cognoſcibiles manifeſtantur, vel naturaliter cognoſcibiles ſupernaturali modo declarantur. De hac inquit ſaluator: Matth. XI, 27. *Nemo cognoſcit filium, niſi pater, neque patrem quisquam cognoſcit, niſi filius, & cui filius voluerit reuelare.*

Prob. a. Prophetis in veteri, & apoſtolis in nouo teſtamento Deus theologiam immediate reuelauit, ſiue inſpirauit. Nam teſte S. Petro 2. Ep. c. I, 21. *a ſpiritu S. impulſi (φερόμενοι) locuti ſunt ſancti Dei viri.* Vbi notes, (1) quod verbum φέρειν loco citato non ſignificet portare, ſed agere, mouere, impellere, moderari. Nam φερόμενα Græcis dicuntur, quæ impetu quodam aguntur. Vnde φορὰ impetum notat. Confer CRAVSERI *Phoſphorum p. 432.* Complectitur autem illa φορὰ tum illuminationem mentis internam & ſuggeſtionem eorum, quæ dicenda vel ſcribenda ſunt, tum externam motionem, vt non minus lingua vel calamus, quam animus impulſu iſto egerit, quidquid egit; neque materia tantum vel res ſuggeſtæ ſint, ſed etiam verba in os poſita, vel dictata in calamum ſint prophetis & apoſtolis a ſpiritu ſancto. Vid. D. CALOVII in *bibl. illuſtratis in h. l. f. 1547.*

Prob. b.

Digitized by Google

Prob. b. Quia tota ſcriptura eſt θεόπνευςος, diuinitus inſpirata 2. Tim. III, 16. eadem mediante, Deus & res diuinæ ad ſalutarem notitiam, cultum & vſum nobis reuelantur.

Quæſt. XII. *Quot modis conſideratur theologia reuelata.*

Conſideratur theologia reuelata (1) *ſyſtematice*, prout eſt doctrina, per quam fiunt theologi: (2) *habitualiter*, quatenus eſt habitus, a quo theologi denominantur. Theologia, *ſyſtematice* & ſecundario *ſpectata*, eſt doctrina de Deo, hominem viatorem, e verbo diuino, de vero Dei per Chriſtum cultu, ad vitam æternam informans. Theologia, *habitualiter* & primario conſiderata, ſupra in reſponſione ad quæſt. 1. eſt definita, nunc exactius ponderanda.

Quæſt. XIII. *Quare definis theologiam per ſapientiam eminentem practicam?*

Theologia eſt *ſapientia*, quia eſt præcellens ſcientia de Deo & rebus diuinis cognitu digniſſimis difficillimisque (a). Eſt ſapientia *eminens*, quoniam omni humana ſapientia eſt longe ſuperior (b). Eſt ſapientia *practica*, quia omnes eius concluſiones *ſi non formaliter*, certe *virtualiter* & vltimato ad praxin tendunt. *Theologiæ genus.*

Prob. a. *Sapientia*, generatim conſiderata, eſt præcellens ſcientia, quæ cum agat de rebus abſtruſis, arduis atque præſtantiſſimis, prima & ſumma ſui fori principia enixiſſime rimatur, definiente D. LEICHNERO de *veræ philoſophiæ bono p. 16.* Addere etiam licet definitionem ſapientiæ, quam tradit D. CALOV. in *metaphyſica diuina p. m. 147.* Sapientia in communi, præciſe & abſtracte conſiderata, eſt habitus diſcurſiuus cum notitia principiorum ſimul coniungens notitiam concluſionum, quæcunque ea ſint principia, quæcunque concluſiones (*). (Addit quidem τὸ θεωρητικὸν, inquiens: modo in iſta cognitione vltimato ſiſtatur. Sed τὸ θεωρεῖν, ſiue in cognitione vltimato conquieſcere, nos cenſemus pertinere ad rationes ſapientiæ materiales, non ad eius rationem formalem.) Atqui theologia eſt habitus diſcurſiuus, qui prima ſui fori principia enixiſſime rimatur, & ex iis concluſiones ſuas accurate demonſtrat, atque de ſublimibus & arduis fidei myſteriis agit. E. Theologia eſt ſapientia.

Prob. b. Theologia eſt ſapientia *eminens*, quia eius principium non eſt per ſe & naturaliter euidens, ſed ſphæram naturæ & rationis excedens, nempe reuelatio diuina. Reſpectu cuius principii theologia reuelata dicitur habitus θεόσδοτος, diuinitus datus, non quaſi ſit immediate infuſus, ſed quia principium eius non eſt humana ratio, verum diuina reuelatio. Idcirco theologia reuelata vocatur *ſapientia, ſuperne veniens*, Iac. III, 15. Sapientia

(*) Ea vero definitio eſt *ſcientiæ*. Hæc nimirum eſt adcurata rerum inter ſe connexarum cognitio, qua valet intellectus humanus a certis atque euidentibus principiis certa ducere conſectaria, horumque cum illis neceſſariam coniunctionem diſtincte percipere, perceptamque cum aliis communicare. Itaque *ſcientia*, quoad ea quidem in rerum natura ac proprietatibus cognoſcendis ac demonſtrandis verſatur, dici ſolet *theoretica*: quatenus autem rerum fines rectosque vſus ponderat, adpellatur *practica*. Et hæc practica rerum ſcientia nomine *ſapientiæ* deſignatur. *Sapientia* igitur eſt cognitio bonorum finium, iuſtorumque mediorum, illis finibus efficiendis aptiſſimorum. Quæ practica cognitio, ſi non probabili opinione ac perſuaſione, ſed neceſſaria argumentatione & conſequutione ex certis principiis, perficiatur, tum demum dicitur *ſcientia*, & ea quidem *practica*. Conf. adnotata ad §. 1.

Digitized by Google

tia Dei in myſterio, & abſcondita, 1. Cor. II, 7. quia myſteriis arduis eſt plena, & rationi, ſibi relictæ, abſcondita.

Prob. c. Theologiam eſſe ſapientiam *practicam*, patet: (1) Quia *finis* theologiæ *intermedius eſt vera in Chriſtum fides*, cuius duplex eſt ἐνέργεια: *interna*, qua Chriſtum cum ipſius beneficiis apprehendit; *externa*, qua bona opera, fructus iuſtitiæ, parit. *Finis* theologiæ *vltimus* eſt æterna beatitudo, quæ non tantum in intuitiua Dei cognitione, ſed etiam in eiusdem fruitione conſiſtit.

(2) Quia theologia verſatur circa hominem non *theoretice*, quatenus eſt ſubiectum demonſtrationis: quemadmodum in phyſicis affectiones de homine demonſtrantur; ſed quatenus eſt *ſubiectum operationis*, ſeu in quantum peccator a miſeria ſua liberandus, & in ſtatum beatiſſimum transferendus eſt.

(3) Quia theologia vtitur efficaciſſimis ſalutis mediis, verbo & ſacramentis, quæ ad praxin fidei & pietatis promouendam diuinitus ordinata ſunt.

(4) Quia omnia munia theologi ſpirituali praxi expediuntur, ſiue verbum diuinum doceat, ſiue ſacramenta diſpenſet, ſiue ad virtutum exercitia cohortetur, ſiue a vitiorum turpitudine auocet, ſiue pauidas conſcientias diuino ſolatio permulceat.

(5) Quia ipſe S. Paullus theologiam definit per cognitionem veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem, Tit. I, 1.

*Antitheſis* eſt (1) *antiquorum Scholaſticorum*, (2) *hodiernorum Pontificiorum*, quorum quidam per doctrinam, quidam per habitum theoreticum, quidam per habitum mixtum, theologiam definiunt, quorum argumenta expendemus.

(1) Theologia docetur & diſcitur. E. Theologia eſt doctrina vel diſciplina. Reſp. Theologia, ſyſtematice & ſecundario conſiderata, docetur & diſcitur. E. ſyſtematice & ſecundario conſiderata, eſt doctrina, vel diſciplina: concedo. At quæſtio eſt de theologia habitualiter & ſenſu primario conſiderata.

(2) Non omnia requiſita ſapientiæ conueniunt theologiæ. Nam ſapientiæ eſt, verſari circa omnia, eſſe ad docendum aptiſſimam, inferioribus diſciplinis imperare, concluſiones e primis cognoſcendi principiis confirmare, ac certos rerum ordines conſtituere. Reſp. (1) *generatim* diſt. inter ſapientiam eminentem, & vulgarem. Quamuis non omnia requiſita vulgaris ſapientiæ theologiæ abſolute & ſimpliciter conueniant, ſufficit, quod theologiæ, tanquam ſapientiæ eminenti, conueniant analogice. (2) *Speciatim* (a) theologia omnia docet in hemiſphærio ſuperiori, vti metaphyſica in hemiſphærio inferiori: docet omnia, quæ in lege & euangelio continentur: docet omnia, quia generatim conſiderat creatorem & creaturas. (b) Theologia aptiſſima eſt ad docendum. Docet enim, ex quibus principiis ſalus peccatoris fluat, & per quæ media ſalutis compos fieri queat. (c) Theologia velut regina inferioribus diſciplinis imperat, redigens easdem vna cum intellectu hominis ſub obſequium fidei & captiuans πᾶν νόημα, 2. Cor. X, 5. Ex quo fit, vt vera philoſophia ſeſe contineat intra naturæ luminis, obiectique proprii ſphæram; theologiæ autem demiſſe obſeruans, fidelisque ancilla ſit. (d) Theologia ſuas concluſiones ad primum reuocat principium: Quidquid veritas prima reuelauit, illud infallibiliter certum eſt. (e) Quos ordines in humili caſa metaphyſices deprehendis, eosdem etiam, ſed longe ſublimiores reperies in latiſſimo regno theologiæ. Metaphyſica tradit ordinem ſubſtantiarum & accidentium: Theologia iuſto ordine tradit diſcrimen legis & euangelii, fidei & bonorum operum. Conf. D. SCHERZERI *breu. theol. p. 5. 6. 7.*

(3) Sapientia eſt habitus theoreticus. Theologia non eſt habitus theoreticus. E. Theologia non eſt ſapientia. *Maior* conſtat, quoniam ſapientia, intelligentia & ſcien-

tia

Digitized by Google

tia vulgo cenſentur eſſe habitus theoretici. R. Neg. mai. Nam ſapientia in communi & abſtractiue conſiderata eſt ſcientia eximia de rebus præſtantisſimis, concluſiones ſuas reuocans ad prima fori ſui principia, ſiue illa principia ſint theoretica, ſiue practica. Datur σοφία, vel φιλοσοφία moralis, quæ citra dubium practica eſt. Quam enim σοφίαν Græci priſci vocarunt, Pythagoras Italicæ ſectæ auctor φιλοσοφίαν appellauit. Vid. LEICHN. de *v. philoſoph. bono. p. 30.*

Inſtantia I. Si theologia eſt *ſcientia*, vtique non eſt *ſapientia*, cum ſint diſtincti habitus. R. Datur diſcrimen inter ſapientiam, & ſcientiam non reale, ſed formale, quoniam ſapientia eſt ſcientiæ ſpecies, vt homo animalis. (*)

Inſtantia II. *Sapientia practica* videtur eſſe formula loquendi inſolens. Reſpondeo verbis D. WILHELMI LYSERI, accurati theologi, in *Syſtem. p. 12.* inquientis: *Quod ſi theologiam ad habitus Ariſtotelicos accommodare velimus, ibi diuerſæ occurrunt ſententiæ. Alii enim ſcientiam propter certitudinem; alii ſapientiam propter dignitatem; alii intelligentiam propter notitiam principiorum; alii & plerique ſapientiam practicam dicunt, quia ita hominem reddit ſapientem, vt aliis etiam eam communicare poſſit.* Eſt ergo illa loquendi ratio non inſolens, ſed iudice b. Lyſero a plerisque theologis vſurpata. Confer. D. IAC. MARTINI de *conſtit. theolog. p. 81. & ſeqq.* & D. GERHARD. in *proœmio exeg. theolog. præfixo, p. 2.*

Inſtantia III. Poteſt theologia generice definiri per prudentiam, quæ omnium conceſſu eſt habitus practicus. R. Prudentia verſatur circa ſingularia & contingentia, teſte Ariſtotele Libr. I. Eth. c. VI. At theologia verſatur circa vniuerſalia & neceſſaria. Conſiderat enim, peccatorem quemcunque in genere, quatenus per media vniuerſalia & neceſſaria in eundem æterna ſalus conferenda eſt.

Inſtantia IV. Ad euitandum omnes difficultates, theologia per *habitum practicum* definiri poteſt. R. Per habitum practicum natura theologiæ non pro eo, ac ſatis eſt, declaratur. Nam interdum per habitum practicum ex vſu loquendi intelligitur, qui praxeos ſiue operationis principium propinquum eſt, & voluntati præuia deliberatione in particulari, quæ hic & nunc agere conueniat, aut non conueniat, præſcribit: interdum per habitum practicum intelligitur, qui principium praxeos remotum eſt, & mediantibus concluſionibus vniuerſalibus in genere, quæ agere aut non agere conueniat, præſcribit. Quo poſteriori ſenſu theologia quidem habitus practicus eſt; at habitus practicus eſt genus remotum, quo dignitas theologiæ non pro eo, ac decet, exprimitur. Sed ſi definiueris theologiam per ſapientiam practicam, confeſtim innuis, eam de rebus ſublimibus & arduis agere, adeoque habitum longe præſtantisſimum eſſe.

4. Quæcunque diſciplina occupata eſt in cognitione Dei, illa non eſt practica. Atqui theologia &c. E. *Maior* conſtat, quia Deus ſub praxin humanam non cadit, ſed ab homine ſpeculatiue tantum cognoſcitur. R. (a) Diſt. inter *obiectum generale conſiderationis theologiæ*, & inter *obiectum ſpeciale operationis.* Illud & quidem inadæquatum ac primarium eſt Deus; hoc eſt peccator ſaluandus. (b) Diſt. inter γνῶσιν, ſeu cognitionem, & θεωρίαν, ſeu ſpeculationem. Γνῶσις partim *theoretica*, partim *practica* eſt. Cognoſcimus nos Deum non ſpeculatiue, ſed practice, vt fiduciam omnem in eo defigamus, & in amorem cultumque eius toti feramur.

5. In

(*) Neutiquam inter ſe confundenda ſunt hæc duo: *ſapientia*, ac *ſcientia*, cuius quippe nomen latius patet. vid. not. antec.



Digitized by Google

5. In ſcientia practica omnes concluſiones ſunt practicæ. In theologia non &c. E. *Minor* probatur, quia in theologia dantur concluſiones contemplabiles v. gr. Deus eſt bonus, omnipotens &c. Mundus eſt creatus. Dantur angeli boni & mali. R. Concluſiones theologicæ ſunt vel *formaliter*, vel *virtualiter practicæ*. Illæ ſunt, quæ formaliter ac directe præſcribunt operationem aliquam ad cultum Dei pertinentem, ad quam exercendam homo obligatur. v. gr. Deus eſt inuocandus, proximus egenus eſt ſublevandus. Hæ ſunt, quæ formaliter quidem non præſcribunt actionem ad cultum Dei pertinentem; multum tamen faciunt intra ambitum theologiæ ad inferendas concluſiones practicas. v. gr. Deus eſt bonus. E. Eſt amandus. Mundus eſt creatus. E creator eſt celebrandus. Dantur angeli boni hominum cuſtodes. E. illis præſentibus nil mali perpetrandum eſt. Scite inquit GERHARD. in *exeg. p. 2. Omnia, quæ in theologia tractantur, ad praxin ſpectant, ſi non immediate, directe, tamen mediate & indirecte.*

6. Theologia ἀρχέτυπος eſt ſpeculatiua. E. & theologia ἔκτυπος. Ratio conſequentiæ eſt, quia hæc cum illa conuenit, vt imago cum exemplari. R. Theologia ἀρχέτυπος formaliter conſiderata eſt practica; importat enim actum intellectus practicum, quo cognitionem ſui *Deus* concipit, vt formam alterius cum creaturis communicandæ theologiæ.

7. Diſciplina practica conſiderat, quæ ſunt ἐφ' ἡμῖν, in noſtra poteſtate. Theologia non &c. E. *Maior* patet ex ARISTOT. *Lib.* I. *ad Nicomach.* c. 6. *Minor* liquet, quia tota theologia pendet ab illuminatione ſpiritus ſancti. Eph. I, 17. R. Diſt. inter diſciplinam practicam humanam ſeu vulgarem, & diuinam ſeu eminentem. Illius obiectum ſunt τὰ ἐφ' ἡμῖν, huius ſunt τὰ θεῖα, Deus & res diuinæ.

8. Theologiæ finis vltimus formalis, nempe viſio Dei beatifica non eſt praxis: Theologia igitur reuelata non videtur eſſe practica, cum omnis habitus hanc appellationem, quod practicus dicitur, habeat a fine. R. Theologiæ finis vltimus non eſt tantum *viſio* intellectus, ſed *& fruitio*, qua voluntas bonitatem Dei pleniſſime percipit, & abundantiſſime ſatiatur. Sed illa fruitio eſt praxis.

9. Theologia verſatur circa credenda & agenda. E. eſt habitus mixtus partim theoreticus, partim practicus. R. credere non ſignificat ſpeculari, ſed gratiam Dei merito Chriſti conciliatam ſibi applicare. *Datur igitur duplex praxis, fidei & pietatis.* Illa eſt fiducialis gratiæ Dei in merito Chriſti fundatæ, & in euangelio promiſſæ applicatio. Hæc eſt ſtudium bonorum operum, & fluit ex illa, vt radius e ſole & riuulus e fonte.

Quæſt. XIV. *Eſtne theologia habitus infuſus, an acquiſitus?*

Theologia non eſt habitus immediate infuſus (a), ſed eſt habitus comparatus, noſtris actibus quidem, ſed illuminatione ſpiritus ſancti elicitus (b).

Prob. a. Habitus immediate infuſi in momento toti ſimul conferuntur. Sic apoſtoli in momento effecti ſunt theologi ad loquendum variis linguis magnalia Dei, cum in feſto pentecoſtes Spiritus S. in eos effunderetur. Act. II, 11. Sed hoc donum erat extraordinarium, exigente ſic illorum temporum ſtatu, quo euangelium per totum terrarum orbem promulgandum erat.

Prob. b. Hodie doctrina, meditatione & aſſiduo labore opus eſt, vt habitus theologiæ acquiratur. Cum autem ille non hauriatur ex principiis rationis, ſed totus reuelationi diuinæ innitatur, intellectus noſter ad ſpiritualia caligans illuminatione diuina indiget, vt Deum & res diuinas cognoſcat. Id propter theologia dicitur habitus θεόσδοτος,

non

Digitized by Google

non quaſi citra omne noſtrum ſtudium a Deo immediate nobis conferatur, ſed quia tum principium eius diuinitus nobis datum eſt, tum theologia gratioſa ſpiritus S. illuminatione comparatur.

Quæſt. XV. *Quis eſt auctor theologiæ?*

Auctor theologiæ eſt Deus (a) pater (b), filius (c) & ſpiritus ſanctus (d). *Cauſſa efficiens?*

Prob. a. Theologia eſt *ſapientia ſuperne veniens.* Iac. III, 15. Dicitur ſuperne veniens, quia deſcendit a patre luminum, i. e. omnis luminis, ſiue ſit lumen naturæ, ſiue lumen gratiæ, ſiue lumen gloriæ, Iac. I, 17.

Prob. b. *Deus* Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, pater gloriæ dat nobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis ad agnitionem ſui. Eph. I, 17. *Deus* pater eo fine mittit in corda noſtra ſpiritum S. vt imprimat mentibus noſtris ſapientiam reuelatam, qua *Deus* cognoſcitur, i. e. theologiam.

Prob. c. *Patrem nemo cognoſcit, niſi filius & cui voluerit filius reuelare.* Matth. XI, 27. Nemo comprehenſiue cognoſcit patrem, niſi filius Dei ob ὁμουσίαν, & ad θεογνωσίαν reuelatam nemo adſpirat, niſi reuelatione filii Dei mens eius illuſtretur.

Prob. d. Chriſtum nemo poteſt dominum dicere ſine ſpiritu ſancto, 1 Cor. XII, 3. Chriſtum dominum, totius theologiæ fundamentum nemo agnoſcit, & rite colit, niſi doceatur a ſpiritu ſancto.

Quæſt. XVI. *Ex quibus conſtat totum theologiæ ſyſtema?*

Tota theologia, ſyſtematice conſiderata, conſtat ex veritatibus theologicis, hoc eſt, ex principiis, aut concluſionibus, ex ſupernaturali Dei reuelatione cognitis, aut deducendis. *Materia ex qua.*

Prob. *Omnis veritas theologica vel eſt demonſtrans, vel demonſtranda.* Veritas demonſtrans eſt propoſitio notior & certior, e qua alia minus nota & dubia notificatur & euincitur, atque vocatur in analyticis principium: veritas demonſtranda eſt quæſtio, ſiue concluſio, quæ cum vel non ſatis liquido conſtet, vel in dubium vocetur, per argumentum demonſtratiuum notificanda & euincenda eſt. Iam vero quidquid in theologia proponitur vel quæſtio eſt, & conſequenter concluſio, vel principium demonſtrandi.

Quæſt. XVII. *Quid conſiderat & docet theologia?*

Theologia *generatim* conſiderat Deum, & res diuinas, quatenus a prima veritate reuelatæ ſunt homini peccatori ad credendum, & agendum (a). *Speciatim* docet, quibus principiis & mediis homo viator, peccato corruptus, ad æternam ſalutem ſit perducendus (b). *Materia circa quam.*

Prob. a. Quæcunque vniuerſus theologiæ ambitus complectitur, vel ſunt *credenda*, vt articuli fidei: vel ſunt *agenda*, vt bona opera, quibus mala opera, ſiue peccata, vt *fugienda*, opponuntur. Quæ agenda & credenda ſunt, ſunt obiectum theologiæ materiale, ſiue obiectum conſiderationis; ideo quod tota theologia in iis conſiderandis, explicandis, aſſerendis occupatur, & vno *religionis chriſtianæ* nomine comprehenduntur. Obiectum formale petitur a reuelatione veritatis primæ, ſiue *Dei* veraciſſimi. Quamobrem credenda & agenda in theologia expenduntur, quatenus a Deo veraciſſimo ſunt reuelata, ſiue manifeſta ſupernaturalis reuelationis lumine, quod pro hodierno eccleſiæ ſtatu eſt



Digitized by Google

ſcriptura θεόπνευςος, ſiue diuinitus inſpirata, quippe quæ de ſeipſa, concurrente ſpiritu ſancto, per inſitam efficaciam ſuam teſtatur, & ex qua omnes aſſertiones theologicæ deducuntur, & confirmantur.

Prob. b. *Obiectum ſpeciale theologiæ* (quod in diſciplinis practicis etiam dicitur ſubiectum operationis) *eſt homo peccator*, *quatenus æternum ſaluandus*. Etenim (1) in habitibus practicis, e quorum cenſu etiam eſt theologia, ſubiectum operationis eſt, in quod per certa principia & media vltimus ipſius diſciplinæ practicæ finis introducendus eſt. Atqui homo peccato obnoxius per certa principia & media ad æternam ſalutem perducendus eſt.

(2) Ad hominem peccatorem ſaluandum omnia, quæ in theologia tractantur, reuocari poſſunt. Nam vel conſtituunt hominem peccatorem, vel ad eius finem, ſiue æternam ſalutem pertinent, vt principia ſalutis & media, aut horum conſequentia.

(3) Diſtinguit hoc obiectum ſpeciale theologiam nobis peccatoribus diuinitus reuelatam (a) a *theologia paradiſiaca*, cuius obiectum erat homo integer, ſiue a peccato immunis. (b) A *philoſophia contemplatiua*, in qua ſpectatur natura hominis ſecundum principia naturalia & affectiones inſitas. (c) A *philoſophia practica*, in qua conſideratur homo ciuiliter beandus. Sola theologia reuelata conſiderat hominem peccatorem, per principia & media ſupernaturalia ad æternam beatitudinem perducendum.

Quæſt. XVIII. *Quis eſt finis theologiæ, cuius gratia theologus operatur?*

*Finis theologiæ.* *Finis* theologiæ *vltimus obiectiuus* eſt Deus, infinite perfectus & ſumme bonus (a). Finis *vltimus formalis* eſt beatifica Dei viſio & fruitio (b). Finis *intermedius internus* eſt perductio peccatoris ad fidem ſaluificam (c). Finis *intermedius externus* eſt vera in Chriſtum fides (d). Quam indiuulſo nexu ſequitur ſanctimonia vitæ (e).

Prob. a. Deus infinite perfectus, & ſumme bonus appetitum hominis pleniſſime ſatiat; ſiquidem *coram ipſius facie eſt ſatietas gaudiorum*, *& amœnitates ad dextram eius.* Pſ. XVI, 11. Adeoque Deus eſt finis theologiæ obiectiuus; quoniam eſt obiectum illud, ad quod a theologo perducendus eſt peccator.

Prob. b. ex Pſ. XVII, 15. *Ego vero iuſtitia videbo facies tuas: ſaturabor, cum euigilauero imagine tua.* Coniungit hieropſaltes cum viſione Dei ſatietatem; quia appetitus noſter in patria cœleſti ſolidiſſima percipiet gaudia ex intuitu maieſtatis diuinæ glorioſiſſimæ, atque adeo ex voto perfruetur ſummo bono. Quæ viſio & fruitio Dei beatifica vocatur finis formalis, quia per eam Deo, ceu ſummo bono, fruimur, ſatiamur & acquieſcimus.

Prob. c. Finis *internus* theologiæ petitur ab operatione theologi, quæ eſt perductio peccatoris ad fidem ſaluificam: a quo fine interno ſumitur differentia ſpeciatim theologiæ.

Prob. d. (1) Qui finis *intermedius* eſt ſacræ *ſcripturæ*, idem eſt finis *intermedius theologiæ*. Quemadmodum enim ſacra ſcriptura & theologia idem habent obiectum materiale & formale: ita & finis vtriusque vnus & idem eſt. Quippe quæ ſub diuina reuelatione docet S. ſcriptura: ea docet, explicat & defendit theologia ſub reuelatione diuina, nec fine alio, quam quo res ipſæ, deo reuelante, in litteras relatæ ſunt, & ad quem ipſæmet ſuapte natura, ſiue ex Dei reuelantis beneuola voluntate tendunt. At finis intermedius S. ſcripturæ eſt fides merito Chriſti innixa. Id quod docent duo apoſtoli, Ioannes & Paullus: ille quidem in hiſtoria euangelica cap. XX, 31. *Hæc* inquiens, *ſcripta*

*ſunt*,

Digitized by Google

*ſunt, vt credatis, Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen ipſius.* Hic vero in 2 Tim. II, 15. vbi Timotheo ſuo teſtimonium perhibet, quod *ab infantia litteras nouerit*, & ſubiungit: *quæ te poſſunt ſapientem reddere in ſalutem per fidem, quæ in Chriſto Ieſu eſt.* Ambo viri θεόπνευϛοι ſalutem æternam & fidem in Chriſtum, tanquam duos fines ſubordinatos, coniungunt, & huic intermedii, illi vltimi finis rationem tribuunt.

(2) Per finem theologiæ *intermedium* intelligitur illud ſalutis medium, quo finem vltimum, ſeu æternam beatitudinem conſequimur. Atqui conſequimur eam per fidem, quod ſic oſtendo: Quo medio nos miſeri peccatores Deo reconciliamur, & remiſſionem peccatorum accipimus, vt Deum habeamus propitium, eo medio æternam beatitudinem conſequimur. Atqui vera fide, innixa merito Chriſti, Deo reconciliamur &c. Ergo. Maiorem confirmant Pſaltes regius & Paullus Pſ. XXXII, 1. 2. Rom. IV, 7. 8. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum occultata ſunt peccata. Beatus, cui non imputat Deus peccatum.* Minorem ſtabiliunt Petrus & Paullus apoſtoli: ille Act. X, 43. *De Chriſto teſtimonium perhibent omnes prophetæ, quod remiſſionem peccatorum accipiat per nomen ipſius omnis, qui credit in ipſum:* hic Rom. III, 24. 25. *Iuſtificamur gratis gratia ipſius per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine.* E quibus conficitur, fidem ſaluificam eſſe medium reconciliationis cum Deo, ſtricte dictum finem intermedium theologiæ, velut cauſſam organicam conſequendæ æternæ beatitudinis.

Prob. e. Fidem, quæ iuſtificauit, ſe exſerere per conſequentem charitatem, ſtudiumque bonorum operum, docet Paullus Gal. V, 6. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio quidquam valet, neque præputium, ſed fides dilectionem operans.* Fides defixa in Chriſti merito, quæ ad iuſtificandum peccatorem valuit, non manet ſterilis aut otioſa, ſed operatur per dilectionem, ſanctificat hominem iuſtificatum, atque in eodem imaginem Dei inſtaurat. Vnde dilectio in Deum & proximum, vitæ ſanctimonia & inſtauratio imaginis diuinæ fidem in *Chriſtum* indiuiduo nexu ſequuntur, atque adeo ad conſequentia finis intermedii theologiæ pertinent, ſed non ſunt cauſſæ conſequendæ æternæ beatitudinis. Sunt nonnulli auctores, qui *ſanctitatem vitæ* vocant theologiæ finem intermedium *concomitantem* cum D. IO. MVSAEO in *introduct. theol. p. 135.* vel *finem ſecundarium* cum D. HILDEBRANDO in *theolog. dogmat. p. 21.* vel finem intermedium *non cauſſalem* cum D. BAIERO in *compend. theol. p. 39.* Cum quibus non litigabimus, cum illi fateantur, ſe finem theologiæ in ſenſu latiori accipere.

Quæſt. XIX. *Quis eſt theologus?*

Theologus ſenſu *generali* dicitur homo inſtructus habitu theologico, quo promtus redditur ad veritatem cæleſtem explicandam & defendendam (a). Senſu *ſpeciali & excellentiori* (*) theologus dicitur homo renatus, veritati primæ, myſteria fidei reuelanti, immotum præbens aſſenſum, eique ſpeciali fiducia innitens, aptus ad docendum alios, & ad redarguendum contradicentes (b). *Subiectum denominationis.*

Prob. a. (1) Ab habitu theologico dicitur theologus, ſicut ab habitu logico nominatur logicus. Confirmat hoc noſtrum aſſertum apoſtolus Hebr. V, 4. deſcribens theologum, quod *per habitum exercitatos ſenſus habeat ad diiudicationem boni & mali.*

 (2) Theo-

(*) Quam falſo hoc interpretatus ſit M. LVDOV GERARDVS, commemorat S. V. IO. GEORG. WALCHIVS, in libro eximio: *Einleit. in die Streitigk. in der Ev. Kirche*, P. III. p. 263.

Digitized by Google

(2) Theologus *ſenſu laxiori* dicitur, qui munus theologi rite obit, veritates theologicas explicando, confirmando & defendendo, quamuis ſincera voluntatis ſanctitate deſtituatur.

Prob. b. (1) Eminentiori ſenſu theologus dicitur, qui re vera talem ſe præſtat, qualis ex intentione ſpiritus ſancti eſſe debet. Quod ſi enim *orator ciuilis* vulgo deſcribitur, quod ſit *vir bonus apte ornateque dicendi peritus*, cuius virtutes morales recenſet doctiſſ. Dn. KIRCHMAIER. in *ſynopſi orator. p. 36.* quidni theologus definiatur *per virum a ſpiritu S. regenitum, atque renouatum, aptum ad docendum, & ad redarguendum contradicentes.* Nam in definitione ideam *boni & perfecti* theologi exprimere fas eſt.

(2) Sicut epiſcopum, ita & theologum oportet *eſſe irreprehenſibilem.* Tit. I, 7.

(3) Theologus renatus promtius & ſolidius primæ veritati reuelanti aſſentitur, quam theologus priuatiue irregenitus. Nam licet hic haud raro inſigniori imbutus ſit notitia rerum theologicarum, quam ille: attamen regenitus aſſenſum ſpecialem & fiducialem verbo Dei veraciſſimi præbet, vt eodem prorſus acquieſcat: at hypocrita verbo diuino præſtat aſſenſum generalem, non ſpecialem ac fiducialem. Confer D. QVENSTED. *theol. didacticopolem. part. IV. fol. 284.*

Obſ. *Irregenitus eſt homo veræ in Chriſtum fidei expers, eſtque vel negatiue, vel priuatiue irregenitus. Negatiue & ſimpliciter* irregenitus eſt, qui nunquam ad fidem in Chriſtum concipiendam, neque per baptiſmum, neque per prædicationem euangelii perductus eſt, qualis eſt Ethnicus, Turca, Tartarus, Iudæus nec baptizatus, nec per propoſitionem & explicationem verbi diuini renatus. *Priuatiue* & *ſecundum quid* irregenitus eſt, qui fuit vere regeneratus, & ſalutifera fide donatus, per peccata autem proæretica fidei naufragium fecit: qui ſimulando ſe eſſe vere renatum, hypocritam agit: *confitetur ſe Deum noſſe, ſed factis abnegat* Tit. I, 16. Confer D. SONTAGII *Fanaticiſm. pag. 37.*

Quæſt. XX. *Eſtne theologo pietas ſummo ſtudio colenda?*

*Pietas neceſſarium theologi perfecti requiſitum.*

Verus theologus toto pectore colat pietatem ſine fuco ſinceram.

Prob. Præclare ait D. HÜLSEMANN. in *methodo ſtudii theologici methodo concionandi annexa p. 254. Neceſſaria eſt ante omnia in futuro theologo pietas erga Deum & proximum,* 1 Tim. IV, 7. 8. *Hæc enim eſt fundamentum, cui tota ſtructura imponenda eſt. Si quis voluerit facere voluntatem patris mei, is cognoſcet de doctrina mea, an ſit ex Deo,* ſunt verba Chriſti Io. VIII, 17. Conf. 1 Io. II, 3. Sir. XXXII, 20. Nec enim putandum, *theologiam eſſe tantum mentis habitum, ſeu apprehenſionem rerum ſcibilium, qualem diaboli habent; ſed eſſe habitum practicum, qui debeat a ſciente ad ſuæ & aliarum animarum emolumentum adhiberi. Eiusmodi non ingreditur animam malignam, & corpus peccato ſubiectum.* Sap. I, 4. *Sacra tractaturos oportet corde & corpore a ſorde peccatorum ablutos eſſe.* Exod. XL, 12, 31. 32. *Eſt enim verbum Dei ignis conſumens eos, qui peregrino cupiditatum igne æſtuantes accedunt.* Leu. X, 1. 2. *Atque eiusmodi tintinnabula aliis, non ſibi ipſis ſonantia,* 1. Cor. XIII, 1. *iam olim a Deo maledicta ſunt.* Pſ L, 16. ſeqq. Gemina his tradit D. QVENSTED. in *theolog. didact. tom. I. fol. 16. Qui re & nomine theologi ſunt, i. e. qui non tantum habitu theologico, vt ſic, inſtructi, ſed ſimul renati ſunt, ſiue fideles & pii, in illis theologia non tantum a ſpiritu S. ſed etiam cum ſpiritu S. eſt, & cum gratioſa eius inhabitatione coniuncta.*

Quæſt. XXI. *Qualis eſt notitia theologica fidelis atque pii theologi?*

*Diſcrimen notitiæ theologiæ littera-*

Theologi vere *renati atque renouati* theologica notitia *non* eſt *mere litteralis*, qualis eſt *hominis irregeniti*, qui per peccata voluntaria & regnantia e ſtatu gratiæ

Digitized by Google

gratiæ excidit (a); ſed eſt *ſpiritualis*, ad vſum ſpiritualem applicata, & cum ſpiritualibus, piisque cordis motibus coniuncta (b). *lis & ſpiritualis.*

Obſ. Diſtinctio notitiæ theologicæ in *litteralem*, & *ſpiritualem*, haud exigui eſt momenti, modo dextre explicetur. Abſit, vt ſtatuamus cum fanaticis, notitiam theologicam ſpiritualem aut ex immediata ſpiritus S. illuminatione, aut ex interna animæ luce, vel reminiſcentia, per introuerſionem in penetralia animæ proficiſci, aut eandem tantum ſenſum myſticum cognoſcere! Nouimus, ſenſum dictorum biblicorum litteralem (logice ita dictum) verbis θεοπνεύστοις a ſpiritu S. proxime & immediate intendi. Quam ob rem *notitia theologica* litteralis *dicitur, quæ in inueſtigatione, euolutione & cognitione non ad vſum a ſpiritu S. intentum transfertur. Notitia theologica ſpiritualis eſt, quo ſenſus dictorum biblicorum litteralis ad vſum a ſpiritu S. intentum transfertur, & ſpirituales pioſque cordis motus parit.*

Prob. a. Chriſtus ait: *diligite inimicos veſtros* Matth. V, 44. Theologus odio flagrans inimici ſui, ſenſum litteralem verborum ſaluatoris perſpicit, ſed ipſius notitia ad viuam praxin a Chriſto intentam non traducitur, neque cor ipſius dilectione inimici (quæ eſt pius cordis motus, vel affectus) afficitur. Eſt itaque eiusdem notitia mere litteralis, de qua Chriſtus inquit Luc. XII, 41. *Seruus* &c.

Prob. b. Notitia rerum diuinarum *ſpiritualis* dicitur (1) *ratione originis;* quia e S. ſcriptura per *illuminationem* ſpiritus S. plenam perfectamque (pro ſtatu huius vitæ) elicitur. (2) *Ratione obiecti*, quia τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ, *quæ ſunt Spiritus Dei*, ſuſcepit. 1 Cor. II, 14. (3) *Ratione ſubiecti*, quia eſt in anima per ſpiritum S. *renata*. (4) *Ratione finis, a ſpiritu S. intenti & obtenti*, ideo, quod ad vſum a ſpiritu S. ordinatum traducitur. (5) *Ratione ſpiritualium & piorum cordis motuum, quorum fœcunda eſt.*

Dicis: Notitia theologica *litteralis* etiam eſt *ſpiritualis*, quoniam (1) eius principium cognoſcendi (verbum diuinum) ſpirituale eſt. (2) Ex illuminatione ſpiritus S. imperfecta proficiſcitur, cum lumen ſpiritus S. indiuiduo nexu cum S. ſcriptura coniunctum ſit. Ex quo SEB. SCHMIDIVS in *colleg. bibl. poſter.* inquit *p. 164. Homo animalis abſolute conſideratus talis eſt, vt nihil ſuſcipiat, vel capiat eorum, quæ ſunt Spiritus Dei: interim* ψυχικὸς *ſubiectiue poteſt eſſe ſpiritualis, qui aliquid intelligit eorum, quæ ſunt ſpiritus Dei, non quidem qua talis, ſed qua iam a ſpiritu Dei imperfecte illuminatus.* (3) Ex intentione ſpiritus S. ad vſum ſalutarem deſtinata, vel ordinata eſt. Reſp. Notitia theologica *ſpiritualis*, notitiæ *litterali contradiſtincta*, ſenſu *ſtrictiori* hic ſumitur, ſicut luculenter oſtendimus. Quod ſi quis, ob adductas rationes, notitiam S. ſcripturæ *litteralem* ſenſu *latiori*, & κατά τι, ſecundum quid, vel certo reſpectu *ſpiritualem* appellare velit, cum illo nobis lis nulla erit. At *notitia* rerum diuinarum *ſtricte* & *ſimpliciter ſpiritualis* dicitur, quæ non tantum hauritur ex verbo Dei, ſed etiam ex plena perfectaque ſpiritus S. illuminatione, ad fidem in Chriſtum ſufficiente, oritur, & ad vſum ſalutarem non tantum deſtinata eſt, ſed & actu ipſo applicatur & traducitur. Hæc coniuncta eſt cum *ſpiritualibus* & piis cordis motibus, v. gr. cum fiducia in Chriſtum, amore & timore Dei, charitate proximi, deſiderio bonorum cœleſtium; fuga peccatorum, contemtu vanitatum huius ſeculi &c. Dicitur a S. Paullo σοφία καὶ σύνεσις πνευματική, *ſapientia & intelligentia ſpiritualis* Col. I, 9. Ad quam candidatus theologiæ, a ſpiritu S. præuentus, ſumma animi contentione adſpiret & connitatur: hæc enim eſt θεογνωσία *viua*, Chriſtum, vitam animæ, apprehendens, & in *praxi* ſe *viuam* oſtendens: hæc eſt *ſalutaris actu ſecundo completo*, quia animæ anxie de peccatis ſuis, & gratiam diuinam anhelanti ſalutem affert: vnde γνῶσις τῆς σωτηρίας dicitur Luc. I, 77. quæ coram Deo omnes credentes θεοδιδάκτους,

& non

& non tantum ſapientes, ſed etiam *iuſtos* facit. Vid. Eſ. LIII, 11. Ier. IX, 23. 1. Cor. I, 30. Io. VI, 44. 47. Hæc eſt notitia *practica, & effectiua,* magis in affectu, quam cognitione conſiſtens, de qua Paullus ait; 1 Cor. VIII, 2. 3. *Si quis videtur ſibi ſcire aliquid, nondum quidquam ſcit, ſicut decet cognoſcere: ſed ſi quis amat Deum, ab ipſo cognitus eſt.* Conf. 1 Io. II, 4.

Quæſt. XXII. *Qualis eſt notitia Dei, rerumque diuinarum in intellectu hominis irregeniti, qui a ſpiritu ſancto per ſcripturam ſacram imperfecte illuminatus eſt?*

Notitia Dei, & myſteriorum diuinorum in intellectu hominis *irregeniti*, a ſpiritu ſancto per ſacram ſcripturam imperfecte & quaſi pædagogice illuminati, *non* eſt *abſolute ſpiritualis*, ſed *litteralis* (a). Quæ notitia *litteralis non* eſt *naturalis*, aut *carnalis*, ſed *ſupernaturalis* (b), & ſecundum quid, certoque reſpectu *ſpiritualis* , cenſeri dicique poteſt (c).

*Antitheſis* eſt (1) *Schwenckfeldianorum* & *Weigelianorum*, ſtatuentium, omnem de Deo, rebusque diuinis e ſacris litteris tam ab homine renato, quam irregenito, hauſtam notitiam eſſe *litteralem, naturalem, & carnalem.* Sic enim ſcribit SCHWENCKFELDIVS in *tractatu de ſacra ſcriptura fol. 7.* Es wird niemand aus den todten Buchſtaben den Geiſt, noch geiſtliche Weisheit ſchöpfen, es wird niemand aus der Schrift das himmliſche Licht erlangen, noch aus dem Bilde die lebendige Wahrheit faſſen, gleichwie auch niemand aus der Erden kann den Himmel holen. WEIGELIVS in *poſtilla P. I. p. 130.* inquit: Chriſti Erkenntniß, oder ſeligmachender Glaube iſt nicht eine ſchriftliche menſchliche Wiſſenſchaft, da ſie ihren Glauben von den Menſchen lernen, ſo er doch von Gott muß erlernet werden. (2) *Aliorum myſticorum.* Nam HOBVRGIVS in *poſtilla myſtica P. II. p 287.* ait: Aus der äußern Ueberzeugung durchs äußere Wort folget nur ein äußerlicher Glaube, quam externam fidem vocat naturalem *P. I. p. 430.* Siehe, daß der Pfingſt-Geiſt über dich komme, daß er dein fleiſchlich Herz tingire, dich wiedergebähre, der kann deinen natürlichen Glauben zu einem übernatürlichen Glauben und Vertrauen machen. (3) *Quackerorum*, negantium, ſpiritualem Dei cognitionem e S. ſcripturæ meditatione obtineri. BARCLAIVS in *apol. ad Th. II. n. 1. p. 4.* inquit: *Diſtinguimus inter certam cognitionem Dei, & incertam: inter ſpiritualem ſcientiam, & litteralem: inter ſalutiferam cordis ſcientiam & inanem aëreamque cerebri cognitionem. Hanc plurimis modis acquiri poſſe, confitemur; illam non niſi interna, & immediata manifeſtatione, & reuelatione diuini ſpiritus lucentis in corde, & intellectum illuminantis conſequi aliquem poſſe.* (4) *Socinianorum* & *Arminianorum*, aſſerentium S. ſcripturam ſine illuminatione ſpiritus ſancti ſalutariter poſſe intelligi. Ita OSTORODVS *inſtitut. Germ. c. I. fol. 3. & 4.* Wir halten dafür, daß alle die ſehr gröblich und gefährlich irren, welche dafür halten, daß die heilige Schrift ohne vorhergehende innerliche Erleuchtung und ſonderbare Offenbarung des heiligen Geiſtes auf keine Wege den Glauben und Gehorſam in den Menſchen wirken könne. EPISCOPIVS de *perſpicuit. ſcripturæ §. 3.* ait: *Non poteſt non etiam irregenitus quilibet ſcripturæ ſenſum percipere.*

Ἔκθεσις.

Obſ. I. Homo irregenitus dicitur etiam ψυχικὸς, ſiue *animalis*, 1 Cor. II, 14. & deſcribitur a D. SEB. SCHMIDIO in *colleg. bibl. poſteriori p. 176.* quod ſit is, *qui ſibi & naturæ relictus eſt: Spiritualis* autem, *qui naturæ ſuæ relictus non eſt, ſed ſpiritus ſancti habet auxilium & gratiam.*

Obſ. II.

Digitized by Google

Obſ. II. *Homo irregenitus, vel animalis,* cenſente eodem SCHMIDIO, *conſideratur vel abſolute & in genere, vel in particulari & ſubiectiue. Homo irregenitus, vel animalis, abſolute conſideratus, nihil eorum capit, quae ſunt Spiritus Dei: interim poteſt eſſe ſubiectiue animalis, qui aliquid intelligit eorum, quae ſunt Spiritus Dei; non quidem qua talis, ſed qua iam a Spiritu S. imperfecte illuminatus eſt.* Non loquimur impraeſentiarum de homine irregenito, quatenus tali, ſiue ſecundum vires naturales ſpectato, ſed conſiderato ſecundum ſupernaturalem gratiam Spiritus ſancti, qua imperfecte & quaſi paedagogice illuminatus eſt. Per *gratiam* autem Spiritus ſancti non intelligimus hic *gratiam inhabitantem,* ſed *aſſiſtentem, praeuenientem, praeparantem, & excitantem.*

Obſ. III. Homo irregenitus vel fuit in ſtatu gratiae & regenerationis; per peccata autem proaeretica eodem excidit, diciturque *priuatiue* irregenitus; vel nunquam per baptiſmum, & verbum diuinum renatus eſt. Hic vel contemnit & faſtidit eccleſiam Chriſti, diciturque *negatiue* & abſolute irregenitus: vel a Spiritu ſancto praeuentus, ad eccleſiam vocatus, & ſub diſpenſatione gratiae aſſiſtentis, pulſuque diuino conſtitutus eſt. Hic tendit ad regenerationem. In praeſenti quaeritur partim de irregenito priuatiue tali, partim de eo, qui nunquam quidem renatus fuit, ad regenerationem tamen tendit.

Obſ. IV. *Diſtinctio notitiae theologicae in litteralem, & ſpiritualem,* in eccleſia orthodoxa vſitata eſt. Vſus eſt eadem D. LVTHERVS *tom. III. Altenburg. f. 167.* PHILIPPVS MELANCHTHON in *locis commun.* & ex eo HEMMING. in *enchir. theol. Claſſe II. c. 9.* D. HOEPFNERVS *LL. theol. loco III. p. 73.* D. HVNNIVS in *1 Cor. II, 24.* D. FEVERBORN. in *Anti-Oſtorodo diſp. II. p. 18.* D. BALDVIN. in *1 Cor. II, 14.* D. GERHARD. in *exegeſi LL. CC. de ſcriptura ſacra c. 20. §. 434* & alii.

Obſ. V. Diſtinctio notitiae credendorum in *litteralem,* & *ſpiritualem,* dextre intelligenda eſt. Neque enim ſpiritualis nobis dicitur notitia, quae habetur ex immediata illuminatione Spiritus ſancti, vel ex lumine interno immediate reuelante, quod fingunt fanatici, vel e ſenſu myſtico, quem nonnulli ſpiritualem appellant; ſed quae de myſteriis divinis e ſacra ſcriptura hauſta iuxta intentionem Spiritus S. recte applicatur. Eſt itaque *notitia theologica* litteralis, *qua homo Deum & myſteria diuina e dictis ſacrae ſcripturae, ſecundum verum eorum ſenſum recte intellectis, cognoſcit, vtut hanc cognitionem ad ſalutarem vſum a Spiritu ſancto intentum non ſemper applicet:* ſpiritualis *autem notitia eſt cognitio Dei & rerum diuinarum e ſacris litteris hauſta, ad vſum a Spiritu ſancto intentum applicata, & cum ſpiritualibus, piisque cordis motibus coniuncta.* Illa a nonnullis *theoretica,* haec *practica* appellatur.

Obſ. VI. Notitia theologica litteralis eſt vel *externa,* qua quis verba ſcripturae, quatenus analogiam habent cum verbis humanis, iuxta praecepta grammaticae & rhetoricae conſiderat, atque ſenſum aliquem eorundem ex his inueſtigat & eruit: vel *interna,* qua quis verba ſcripturae tanquam vere diuina, & myſteriorum fidei δοχεῖα, receptacula, vel vehicula, rite expendit, & eorum ſenſum litteralem verum, mentique Spiritus S. conformem ſolido certoque conceptu apprehendit. Non ad externam, ſed ad internam notitiam litteralem obtinendam ſupernaturali gratia opus eſſe, aſſerimus. Audiamus D. CALOVIUM *tom. X. ſyſtem. theol. p. 131.* praeclare, vt ſolet, diſſerentem: *Diſtinguendum eſt inter ipſa nuda verba in ſe, extra contextum, & inter eadem in contextu ſpectata: inter verba diuina, in quantum vere diuina, & δοχεῖα ſunt rerum ſpiritualium, ſenſusque diuini θεοπνεύϛȣ: item inter aliquem verborum ſenſum, & inter verum, mentique Spiritus S. conformem ſenſum, vel vt b.* HVNNIVS *loquitur, ſolidum atque certum verborum Spiritus S. conceptum, quem intellectui tenebricoſo & excaecato, qualis non renatorum extra Spiritus*



Digitized by Google

*S. gratiam eſt, adſcribere velle, quid aliud eſt, quam cæco viſionem colorum tribuere?* Notitiam dictorum ſcripturæ litteralem externam viribus rationis irregenitæ naturalibus comparari poſſe, non imus infitias, adeoque nil attinet, de eadem prolixe diſputare.

Obſ. VII. Loquimur non tantum de *notitia litterali ſimplici*, ſed etiam de *notitia approbatiua*, ſiue de aſſenſu hiſtorico & litterali, quem homo irregenitus a Spiritu S. imperfecte illuminatus verbis S. ſcripturæ præbet, & quidem non de aſſenſu humano, ſed diuinitus perſuaſo. Conf. D. HÜLSEMANN. de *auxiliis gratiæ p. 206.*

Obſ. VIII. Cardo controuerſiæ in hoc vertitur: (a) vtrum homo irregenitus, non quatenus talis, ſed quatenus a Spiritu S. imperfecte illuminatus eſt, habeat notitiam myſteriorum diuinorum ſpiritualem: (b) Vtrum notitia litteralis interna ſit naturalis, an ſupernaturalis: (c) An eadem certo reſpectu ſpiritualis cenſeri dicique poſſit?

Βεβαίωσις.

Prob. a. Notitiam credendorum *litteralem in intellectu hominis impii non eſſe abſolute & ſimpliciter ſpiritualem*, probatur: (1) quia a theologis accuratiſſimis notitia credendorum ſpiritualis litterali opponitur; oppoſita autem de ſe affirmari nequeunt. (2) Notitia Dei rerumque diuinarum litteralis a ſpirituali haud parum differt. (a) Quia illa ex imperfecta, hæc ex perfecta, & ad fidem ſufficiente illuminatione Spiritus S. proficiſcitur: illa eſt in anima a Spiritu S. quidem præuenta, ſed nondum perfecte regenita: hæc eſt in anima plene renata, quæ viuit in fide Chriſti, Gal. II, 20. (b) Illa ad vſum ſalutarem quidem diuinitus eſt ordinata, ſed nondum actu ſecundo ad eum traducta: hæc ad vſum a Spiritu S. intentum applicata. (c) Illa ſpirituales nonnullos cordis motus (v. gr. compunctionem animi, deteſtationem peccati, dolorem de admiſſis &c.) ſed nondum pios motus, (cuiusmodi in homine irregenito, cum ſit fidei expers, non dantur,) parit: Hæc coniuncta eſt cum vberioribus motibus, tum ſpiritualibus, tum vere piis, v. gr. cum fiducia, in Chriſtum, amore & timore Dei, charitate proximi, pace conſcientiæ, gaudio ſpirituali, ſpe diuini auxilii, deſiderio bonorum cœleſtium &c. Ex quo etiam dicitur notitia *affectiua*, quia ſanctis affectibus fœcunda eſt: item *viua*, quia Chriſtum vitam animæ apprehendit, & in ipſa praxi ſe viuam oſtendit: nec non *ſalutaris* actu ſecundo completo; quia animæ anxiæ de peccatis ſuis, & gratiam diuinam anhelanti ſalutem affert. Vnde γνῶσις τῆς σωτηρίας dicitur, Luc. I, 77. quæ coram Deo omnes credentes θεοδιδάκτους, & non tantum ſapientes, ſed & iuſtos facit. Eſ. LIII, 11. Ier. IX, 23. 1 Cor. I, 30.

Diſcrimen notitiæ credendorum litteralis, & ſpiritualis, e dicto quodam biblico luculente perſpicere licet. Paullus inquit Gal. V, 6. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides per charitatem operans.* Homo irregenitus non ex ſe, ſed ex illuminatione Spiritus S. hoc oraculum, cum illud attente legit & meditatur, eiusque verum atque menti Spiritus S. conformem ſenſum certo ſolidoque conceptu cognoſcere poteſt; verum quia illud non applicat ad vſum a Spiritu S. intentum, vt vere credat, & Deum proximumque diligat, notitia eius non ſpiritualis, ſed litteralis eſt. Ceterum ſi ſub directione & ſpeciali concurſu Spiritus S. applicatio ad debitum vſum accederet, ex irregenito vere renatus fieret.

Prob. b. *Notitia litteralis interna* (de externa non eſt quæſtio) *non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis.*

(1) *Ratione originis.* Nam cuius notitiæ principium cognoſcendi non eſt lumen naturale, ſed lumen ſupernaturalis reuelationis, illa, ratione *originis*, ſupernaturalis eſt. Atqui notitia litteralis Dei & rerum diuinarum in irregenito &c. Ergo. Maior liquet; quia cognitio ſecundum principia cognoſcendi recte diſtinguitur. Nam notitia *naturalis* dicitur,

Digitized by Google

dicitur, quæ ex *lumine naturæ* accenditur: notitia vero *ſupernaturalis* eſt, quæ ex *lumine ſupernaturalis reuelationis* obtinetur. Quod ſi homo irregenitus ex principiis rationis myſteria fidei cognoſceret, vtique eiusmodi notitia foret naturalis. Si Keckermannus ex principiis logicis & metaphyſicis myſterium Trinitatis demonſtrare potuiſſet, quod quidem conabatur, tam ſtupendi myſterii cognitio naturalis cenſenda foret. At irritum fuiſſe eius conatum, oſtendit D. IO. MVSAEVS in Diſput. I. adiuncta tractatui *de vſu principiorum rationis*.

(2) *Ratione obiecti*. Quæcunque notitia habet *obiectum*, tam *materiale*, quam *formale*, principiis rationis longe ſuperius, aut ſublimius, illa naturalibus intellectus viribus non poteſt obtineri. Atqui notitia litteralis interna &c. Ergo. Maior conſtat; quia inter potentiam cognoſcendi, & eius obiectum certa quædam eſſe debet proportio aut congruentia, vt hoc ab illa attingi poſſit. Cur oculus meus nequit videre ſpiritum? Ratio eſt; quia naturalem inter facultatem videndi, & obiectum immateriale, nulla datur proportio. Minor probatur: quia obiectum notitiæ litteralis ſunt myſteria fidei. Sed quid eſt myſterium, niſi dogma, captum rationis ſibi relictæ tranſcendens? Obiectum formale eſt reuelatio diuina ſpecialis. Etenim *Deum nemo vidit vnquam: niſi vnigenitus filius, qui in ſinu patris eſt, ille expoſuit nobis.* Io. I, 18. *Patrem nemo cognoſcit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Matth. XI, 27. *Caro & ſanguis non tibi reuelauit hoc, ſed pater meus, qui eſt in cœlis.* Matth. XVI, 17.

Excipis: Diſtinguendum eſt inter intelligentiam *verborum*, & *rerum*. Notitia *litteralis*, immediate & proxime verſatur circa *verba* ſcripturæ, ex conſueto vſu loquendi deſumta; quæ proinde homo animalis ex vſu citra gratiam ſupernaturalem addiſcere poteſt. Reſp. *Notitia litteralis externa* verſatur circa verba ſcripturæ, quatenus analogiam habent cum verbis humanis, ad quam ſupernaturalis gratia non neceſſario requiritur; at *notitia litteralis interna* cognoſcit verba ſcripturæ, quatenus ſunt vere diuina, & δοχεῖα, ſiue vehicula rerum diuinarum. Proinde qui has non intelligit, nec illorum verum ſenſum capit.

(3) Supernaturalem eſſe notitiam litteralem internam *ob ἀδυναμίαν*, ſiue *impotentiam ſubiecti intelligentis*, probamus (a) ex effato Paullino 1 Cor. II, 14. *Animalis homo non ſuſcipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim illi ſunt, & non poteſt ſcire, quia ſpiritualiter diiudicantur.* Docet apoſtolus, hominem ψυχικὸν, qui iudicium rationis ſuæ tantum ſequitur, τὰ τȣ̃ πνεύματος, myſteria diuina, ſiue res fidei, quæ a Spiritu S. per prophetas & apoſtolos tradita ſunt, ȣ̓ δέχεσθαι, non ſuſcipere aſſenſu, ſiue iudicando non approbare, cum ne ea quidem poſſit γνῶναι, ſiue intelligere, & quidem ob duas rationes. Prior ſumitur a naturæ humanæ corruptione; quia homo irregenitus, quatenus talis, myſteria diuina ridet velut μωρίαν, i. e. tanquam abſurdiſſima. Poſterior deſumitur a myſteriorum diuinorum conditione, quæ captum hominis animalis longe tranſcendunt, & iudicem ψυχικὸν non admittunt, quia πνευματικῶς ἀνακρίνεται, ſpiritualiter diiudicantur i. e. per virtutem ſpiritus, ſiue ab intellectu per Spiritum S. illuminato, & ex principiis a Spiritu S. dictatis diiudicantur. (b) Confirmari hæc poſſunt inductione dictorum biblicorum, myſteria diuina complectentium. Ioannes dicit in euangelio ſuo c. I, 14. *Verbum caro factum eſt.* Poteſtne homo irregenitus, ſibi relictus, genuinum horum verborum ſenſum a Spiritu S. intentum perſpicere, & aſſenſu hiſtorico approbare? Neutiquam. Paullus ait Act. XX, 28. *Deus eccleſiam acquiſiuit, per proprium ſanguinem.* An homo animalis rationis non illuminatæ viribus hoc myſterium ſtupendum, quod apoſtolus nobis inculcat, apprehendere valet? Profecto μωρία ἀυτῷ ἐςι. Quid? quod ne diſcipuli quidem Chriſti, præconcepta opinione de terreno Meſſiæ regno occupati, verba

Chriſti perquam luculenta de paſſione & morte redemtoris, iamiam imminente, intellige- bant. Luc. XVIII, 31. Idcirco Chriſtus e mortuis reſuſcitatus aperuit eorum mentem, vt ſcripturas intelligerent. Luc. XXIV, 45. Non obſcura eſt ſententia Chriſti (verba ſunt D. HÜLSEMANNI de *auxil. grat. p. 205.*) Io. III, 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed vitam æternam habeat.* Sed quod notitia certa, & ad ſaluificam fidem requiſita, quilibet paganus inde colligat, per Deum intelligendum eſſe Deum patrem, per filium vnigenitum filium ex eſ- ſentia patris genitum ab æterno, per mundum omnes omnino mortales, per credere, fidu- cialem certitudinem in eius meritum &c. idque ex euidentia obiecti neceſſario cogatur intelligere, ἀνακόλουθον eſt. Quum autem gentilis deinceps legit, meditatur, locos pa- rallelos confert, in hac lectione, meditatione, collatione, & per hanc efficax eſt Spiritus S. & natiuam huius ſententiæ indolem legenti inprimit. (c) Hominum irregenitorum oculis mentis velamen ignorantiæ & præiudicatæ opinionis eſt impoſitum, quod, niſi a Chriſto remoueatur, impedit, quo minus ſenſus oraculorum cœleſtium diuinus intelliga- tur. Docet id Paullus 2 Cor. III, 14. *Obdurati ſunt ſenſus eorum: vsque enim hodier- num diem velamen ſuper lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum* (quod in Chriſto abrogatur). Colligimus: Quorum oculis mentis velamen eſt impoſitum, illi ſenſum lit- teralem vel clariſſimorum ſcripturæ verborum non perſpiciunt absque ſupernaturali gratia Chriſti. Atqui tam Iudæorum, quam gentilium oculis mentis &c. E. Maior probatur, quia ſicut ad viſionem requiritur tum perſpicuitas obiecti, tum remotio velaminis: ita ad intelligentiam ſacrarum litterarum non ſufficit perſpicuitas obiecti, ſed ſimul requiritur præiudiciorum, & ignorantiæ remotio, facta vi quadam diuina & gratia ſupernaturali.

(4) Notitia litteralis eſt ſupernaturalis, *ob indiuiduam coniunctionem Spiritus S. & ſcripturæ.* Hinc arg. Si notitia credendorum litteralis interna non eſt ſupernaturalis, Spiritus S. cum ſcriptura ſacra non erit perpetuo & indiuulſe vnitus. At Spiritus S. per- petuo & indiuulſe cum ſcriptura S. eſt vnitus. E. notitia credendorum litteralis interna eſt ſupernaturalis. Conſequentia eſt euidens; quia Spiritus S. cum verbo diuino indiuulſe vnitus effectum ſupernaturalem producit. Certo autem certius eſt, Spiritum S. inſepara- biliter coniunctum eſſe cum ſcriptura S. Nam Chriſtus inquit: *Verba mea, quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt,* Io. VI, 63. quia ſpiritu & vita animata ſunt. At verba, quæ Chriſtus locutus eſt, in ſcriptura exſtant. Apoſtolus cum, quæ nunc in ſcripturis legun- tur, ſuis proponeret, profitebatur, ſe afferre, *quæ Spiritus S. docet,* 1 Cor. II, 13. Si au- tem, apoſtolo ſcripturam docente, Spiritus S. docebat, oportet arctam vnionem inter Spi- ritum S. & ſcripturam intercedere. Proinde cum homo irregenitus ſcripturam ſacram attente legit & meditatur, Spiritus ſanctus ſupernaturalem credendorum notitiam in intel- lectu eius accendit.

(5) Litteralis myſteriorum diuinorum notitia eſt, ſupernaturalis, *ratione finis,* ad quem diuinitus ordinata eſt. Nam omnis notitia ſacrarum litterarum poteſt hominem ſa- pientem reddere in ſalutem per fidem, quæ in Chriſto Ieſu eſt, 2 Tim. III, 15. qui finis haud dubie ſupernaturalis eſt.

Prob. c. Quamuis notitia Dei, rerumque diuinarum non ſit *abſolute ſpiritualis* (prout ſupra oſtenſum eſt) *ſecundum quid tamen & certo reſpectu ſpiritualis* dici poteſt (a) *ratione principii cognoſcendi,* quia fluit e ſcriptura θεοπνεύστῳ, 2 Tim. III, 16. (b) *Ratione gratiæ illuminatricis* Spiritus ſancti, quæ cum ſcriptura indiuulſe coniuncta eſt. (c) *Ra- tione obiecti,* quia verſatur circa τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, 1 Cor. II, 14. (d) *Ratione finis,* quia ad fidem ſpiritualem diuinitus ordinatur, vt homo conuertatur, regeneretur, iuſti- fice-

Digitized by Google

ficetur, renouetur, & ſaluetur, Io. XX, 13. E quibus naſcitur argumentum: Quæ notitia e principio cognoſcendi ſpirituali fluit, ex illuminatione Spiritus S. obtinetur, circa obiectum ſpirituale verſatur, & ad finem ſpiritualem diuinitus ordinatur; illa ſecundum quid & certo reſpectu eſt omnino ſpiritualis. Atqui notitia credendorum litteralis &c. Ergo. Album, quod aiunt, calculum nobis adiicit D. IO. ADAM OSIANDER, theologus pie eruditus, qui *in collegio theol. ſyſtem. part. IV. p. 335.* ſcribit: *Quanquam vires gratiæ aſſiſtentis* (cuius effectus eſt litteralis credendorum notitia) *ſint nouæ & ſpirituales; non ſunt tamen tales, niſi reſpectu efficientis cauſſæ, intentionis diuinæ, & finis conſequendi, quatenus ſcilicet a Spiritu S. proficiſcuntur, & ad ſpiritualem finem diriguntur: quanquam nondum hominem ſpiritualiter viuum conſtituunt.* Quia notitia litteralis hominem peccatorem nondum ſpiritualiter viuum conſtituit, non abſolute & ſimpliciter ſpiritualis appellatur. Eandem fouet ſententiam D. FECHTIVS, cuius verba memoratu digniſſima leguntur in collegio manuſcripto: *Spirituale aliquid dicitur dupliciter* (1) quod eſt a *ſpiritu agente*, quanquam non omne id, quod per actionem intendit, obtinente. Et ita omnis ſenſus ſcripturæ, eiusque notitiá eſt ſpiritualis. Ita ſumitur Io. VI, 63. vbi dicuntur etiam illa verba Chriſti eſſe *ſpiritus & vita*, quæ in irregenitum cadunt, v. 64. quæ nimirum, quanquam ab eo intelligantur, & aſſenſu etiam comprobentur, tamen ad vſum veræ conuerſionis & pietatis non transferuntur. Deinde ſpirituale dicitur, quod Spiritus S. operationem, ſecundum omnem intentionem ipſius, plane admiſit, adeoque a Spiritu S. eſt & *operatiue & applicatiue.* Et ita quandam notitiam litteralem, h. e. in ſenſu litteræ conſiſtentem, neque ad vſum eius, & applicationem tendentem, aliam vero ſpiritualem, quæ nempe Spiritui operanti vbique locum reliquit, admiſerunt theologi, ſenſu, vt ex ipſa deſcriptione pateſcit, a fanaticorum opinione plane diuerſo.

Διάλυσις.

Obiiciunt diſſidentes I. Notitia litteralis a principio cognoſcendi ſupernaturali non poteſt dici ſupernaturalis; quia illud principium (S. ſcriptura) eſt extra hominem. Sed a principio, quod eſt extra hominem, notitia, quæ eſt in homine, denominationem ſortiri nequit. Reſp. Omne principium cognoſcendi formaliter conſideratum, quatenus actu adhibetur, eſt in intellectu, adeoque in homine. Nam *principium cognoſcendi eſt propoſitio vniuerſalis, prior & notior demonſtrandæ theſi idonea*, definiente LEICHNERO *in ſynopſi verit. apodicticæ p. 391.* Sed quicquid homini eſt notum, illud eſt in eius intellectu, adeoque in ipſo homine. Et quomodo e dicto biblico eliciet concluſionem certam, qui illud mente non comprehendit?

II. Ab obiecto ſupernaturali, notitia, quæ circa illud occupatur, ſupernaturalis dici nequit. Nam ab obiecto non fit denominatio; ceteroqui ſcientia, quæ verſatur circa argentum, argentea; quæ occupatur circa aurum, aurea dicenda foret, quod eſt abſurdum. Reſp. *In denominatione ſcientiæ reſpiciendum eſt non tantum obiectum materiale, ſed formale.* Sicut itaque cognitio argenti, quatenus hoc ſenſibus obuium eſt, dicitur ſenſualis: ita cognitio Dei, quatenus e ſupernaturali reuelatione innoteſcit, recte dicitur ſupernaturalis.

III. Quæcunque ſcriptura eſt perſpicua, illa abſque ſupernaturali lumine gratiæ diuinæ facile intelligi poteſt. Atqui ſcriptura S. &c. Ergo. Reſp. Neg. Maior. & eadem ratione argumentor: Quodcunque ſidus eſt fulgidiſſimum, illud ab omni oculo poteſt videri. Atqui ſol &c. E. Sol ab omni oculo cæco, clauſo, velamine obtecto videri poteſt. Quod cum ſit ἄτοπον, diſtinguendum eſt inter *perſpicuitatem obiecti & capacitatem ſubiecti.* Sacra ſcriptura in ſe eſt perſpicua; at per eam Spiritus S. remouet velamen igno-



Digitized by Google

ignorantiæ, quando lector, vel auditor, malitioſe & moroſe non obnititur, ſed gratiam illuminantem admittit.

IV. Hypocritæ ſine ſupernaturali gratia ſenſum S. ſcripturæ litteralem cognoſcunt. Reſp. Hypocritæ non ex ſe, aut naturalibus ſui intellectus viribus, ſed ex gratia Spiritus S. præueniente, præparante & excitante ſenſum ſcripturæ perceperunt, non vt hypocritæ (quia hypocriſis ſupponit notitiam eius rei, quam quis ſimulat, ſe probare, vel diſſimulat improbare), ſed *vt dociles auditores, vel lectores verbi diuini: ſub qua lectione, vel auditu Spiritus S. ſemper efficax eſt, vt verbi ſui verum ſenſum inſtillet.* Vid. HÜLSEMANN. *de auxiliis grat. p. 234.*

V. Hæretici, qui non illuminantur a Spiritu S. ſcripturam intelligunt. Reſp. *Hæretici* conſiderantur vel *reduplicatiue*, quatenus ſunt hæretici, vel errantes in fundamento fidei: hactenus ſenſum ſcripturæ inferunt, non ex ea efferunt; non capiunt ſenſum, quem verba ſcripturæ ex ſe fundunt, ſed alienum, non analogum, textui biblico affingunt: vel iidem ſpectantur *ſpecificatiue;* quatenus ſunt dociles, & verum ſenſum ſcripturæ aliquando eruunt: ita Spiritus S. gratiam quaſi pædagogice illuminantem ipſis non denegat.

VI. Teſtatur experientia, eandem eſſe ſermonis ſacri rationem, quæ eſt rationis communis, ſiquidem plane eodem modo addiſcitur, intelligitur, & tractatur ab hominibus humane. E. Homo irregenitus citra aſſiſtentem gratiam ſupernaturalem, viribus ingenii ſui naturalibus ſenſum ſcripturæ litteralem intelligere poteſt. Reſp. Diſt. inter *notitiam credendorum litteralem externam, & internam.* Non quæritur hic loci, an ſermo ſacer, quatenus analogiam, aut conuenientiam habet cum ſermonibus aliis, citra gratiam diuinam aſſiſtentem intelligi poſſit: hoc enim largimur faciles, & agimus Deo ter optimo gratias immortales, quod articulos fidei ſermone perſpicuo, qui communem cum aliis ſermonibus habitum refert, nobis tradiderit; ceteroqui is hominibus irregenitis conuertendis nulli eſſet vſui. At hoc quæritur: an homo irregenitus ex ſermone ſacro ipſa myſteria fidei citra aſſiſtentem Spiritus S. gratiam intelligere, & aſſenſu ſolido comprobare poſſit? Hoc eſt, quod negamus & pernegamus. Id quod exemplis probamus. *Virgo concipiet & pariet filium.* Eſ. VII, 14. Eſt ſermo perſpicuus aliiſque ſermonibus vulgaribus analogus. Nam quid ſignificet vox, *virgo*, quid *concipere & parere*, prope omnes norunt. At connexionem illius propoſitionis, qua ſummum continetur myſterium, nemo conceptu ſolido cognoſcit, firmoque aſſenſu comprobat, niſi Spiritus S., gratia illuminatrice, intellectum ipſius colluſtrauerit, & ſupra vires naturales eleuauerit. Item: *Deus eſt manifeſtatus in carne.* 1 Tim. III, 16. Quid denotent voces, *Deus, manifeſtatus eſt, caro*, neminem fugit, ſiquidem ex vulgari ſermone deſumtæ ſunt. At ὁμολογȣμένως μέγα μυςήριον, quod iis vocibus exhibetur, nemo intelligit, niſi lector docilis, cuius intellectum luce ſupernaturali perfundit Spiritus S., qui indiuulſe coniunctus eſt cum verbo diuino, & huius verum ſenſum lectoribus malitioſe non obſiſtentibus inſtillat.

Inſtantia. Homo perſpicaci pollens ingenio, humanioribus imbutus litteris, & debitam nauans operam in omnibus diſciplinis, philoſophia, medicina, iuriſque prudentia, citra gratiam Spiritus ſancti ſupernaturalem, difficillima quæque percipere poteſt. Quidni etiam in theologia? Reſp. Diſpar eſt ratio. Nam quæ in aliis diſciplinis traduntur prima fronte difficilia, non ſunt vltra ſphæram rationis ſibi relictæ: at in theologia proponuntur myſteria, quæ captum rationis non illuminatæ adeo tranſcendunt, vt videantur ipſi μωρία, i. e. ſtultitia, vel ſtolidiſſima & abſurdiſſima. Iuſtinus Martyr cenſuit myſterium SS. Trinitatis eſſe ὑπὲρ νȣ̃ν, ὑπὲρ λόγον, κ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν. Idem ego de omnibus myſteriis, quæ theologia reuelata docet, affirmauerim. Sed quicquid ſupra intel-

Digitized by Google

intellectus comprehenſionem eſt, id intellectus non percipit, niſi per gratiam diuinam vltra vires naturales eleuetur.

VII. Notitia apprehenſionis ſimplicis rerum, verbis ſcripturæ ſignificatarum, eſt naturalis, & cadit etiam in homines non renatos, gentiles & paganos, qui quidem linguæ, qua ſcriptura S. conſignata eſt, gnari ſunt, & vocum vim ſignificandi, conſtructionemque grammaticam cognitam habent. Dependet enim ex cauſis mere naturalibus, nempe ex vi vocum natiua, qua, vt in alia quauis oratione voce prolata, aut ſcripta, ita in ſcriptura S. lecta, aut docentis voce propoſita, modo connaturali, ſenſuum interuentu, penetrant ad intellectum; cognitæ autem in ſua vi ſignificandi, quam ex impoſitione habent, mouent intellectum ſua vi ſignificandi, rurſum modo connaturali, ad rerum, quarum ſigna ſunt, ſpecies præexiſtentes excitandas, & rite coordinandas. Quæ ſpecies hoc ipſo, quod ante verba ſcripturæ præcepta in intellectu præexiſtunt, naturales ſunt. Reſp. Non ſunt naturales ſpecies intelligibiles, quas verbum Dei reuelatum mentibus ingerit, ſed ſunt ſupernaturales, tum ratione originis a Spiritu S. per verbum ſupernaturale impreſſæ, vt ſint proportionatæ rebus ſpiritualibus, quas intellectui repræſentant, tum ratione veritatum cœleſtium, quas exprimunt, tum ratione finis, a Spiritu S. in impreſſione illarum intenti. Neque ſpecies intelligibiles de myſteriis diuinis ante verba ſcripturæ percepta in intellectu præexiſtunt. Quæ quæſo, ſpecies intelligibilis de partu virginis, de incarnatione τȣ λόγȣ, de vna eſſentia in tribus diuinis perſonis, ante percepta ſcripturæ verba in intellectu præexiſtit?

VIII. Doctiſſimi theologi, v. gr. HOEPFNERVS *LL. theol. loco III. p. 13.* DANNHAVER. *theol. conſcient. part. II. p. 438.* & alii aſſeruerunt, intelligentiam ſcripturæ litteralem poſſe ſine ſpeciali illuminatione obtineri. Reſp. Locuti ſunt theologi illi de *intelligentia ſcripturæ externa, & ſuperficiaria, non de notitia credendorum litterali ſolida & cum aſſenſu coniuncta.* Hanc gratiæ diuinæ aſſiſtenti tribuunt. Citamus teſtem D. IOANN. ADAM. OSIANDR. in *colleg. ſyſtem. part. IV. p. 335.* inquientem: *Gradus primus gratiæ præuenientis & aſſiſtentis eſt illuminatio obiectiua in verbi prædicatione, vel ſtricte ſic dicta, cum obiecti ſpecialis per gratiam reuelati ad indiuiduum applicatione. Alter gradus eiusdem eſt actualis & naturalis repugnantiæ inhibitio & refrænatio. Tertius denique eſt diſpenſatio litteralis notitiæ & hiſtorici aſſenſus in euangelium, non generalis fiducia in Deum, & mediante lege contritionis productio.* Nec præterimus D. DANNHAVERVM *phænom. IX.* præclare, vt ſolet, diſſerentem: *Omnis gratia actualis, alias auxilium gratiæ actuale, quod non eſt habitus infuſus, ſed motus, pulſus, tractus, apertio,* Apoc. III, 20. Act. XVI, 14. Io. VI, 44. *eſt* (1) *præueniens ac incipiens, trahens, excitans, inuitans, impellens, pulſans, quo intellectum illuminat ad agnitionem & deteſtationem peccati, repugnantiam originalem tollit*; Eph. V, 14. Apoc. III, 20. (2) *operans, aperiens, quæ præter excitationem, aſſenſum, deſiderium, vires credendi, propoſitum conuerſionis efficit,* Luc. VIII, 13. c. XIII, 17. Act. XIII, 48. c. II, 37. *ac cor aperit,* Act. XVI, 14. *cui, ſi homo non reſiſtit, ſequitur gratia;* (3) *perficiens* Phil. I, 16. Audiamus etiam D. KOENIGIVM in *theolog. poſitiua* ſic docentem: §. 503. ſeqq. *Conuerſio fit ſucceſſiue,* Marc. IV, 27. 28. *indeque habet ſuos gradus, in quibus numerandis & nominandis admodum variant doctores. Nobis primus gradus eſt & dicitur gratiæ incipientis &c. Dicitur alias hæc gratia præueniens, ſtrictius ſumto termino. Secundus gradus eſt gratiæ præparantis &c. Tertius gradus eſt gratiæ excitantis, quæ eſt vniuerſalis diuinæ affectionis diſpenſatio, qua Spiritus S. in homine litteralem credendorum notitiam cum aſſenſu hiſtorico, viresque ſupernaturales agnoſcendi peccatum ex lege, aſſentiendi ſalutariter verbo euangelii, & credendi in Chriſtum, mediante verbo, producit.* Fuſius

hæc

Digitized by Google

hæc exponit D. QVENSTED. *ſyſtem. theolog. part. III. c. VII. p. 45.* & addit: *Euangelii litteralis cognitio nullo modo abſque gratia haberi, multo minus ergo eidem hiſtorice quis aſſentiri poteſt.* Plures in præſenti non adducemus auctores, ſed concludemus verbis Formulæ concordiæ p. 657. *Etſi humana ratio, ſeu naturalis intellectus hominis obſcuram aliquam notitiæ illius ſcintillulam reliquam habet, quod ſit Deus, & particulam aliquam legis tenet: tamen adeo ignorans, cæca & peruerſa eſt ratio illa, vt etiamſi ingenioſiſſimi & doctiſſimi homines in hoc mundo euangelion de filio Dei, & promiſſiones diuinas de æterna ſalute legant, vel audiant: tamen ea propriis viribus percipere, intelligere, credere, & vera eſſe ſtatuere nequeunt.*

Inſtantia. Aſſenſus hiſtoricus videtur tantum eſſe humanus, cum aſſenſus diuinus ſit ſolum renatorum. Reſp. Aſſenſus hiſtoricus non eſt humanus, quia non teſtimonio hominum, ſed verbo diuinitus reuelato proxime innititur. Renatos tamen maiori certitudine verbo diuino aſſentiri, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt.

IX. Homo irregenitus ſenſum grammaticum & externum, ad quem diuina illuminatione non indiget, non autem ſpiritualem & internum percipit. Docet enim D. QVENSTED. *diſtinguendum eſſe inter ſenſum grammaticum & externum, & inter ſenſum verbi diuini ſpiritualem, internum & diuinum.* Ille *formale* eſt verbi Dei, quatenus *verbum* eſt; hic quatenus verbum *diuinum* eſt: Ille a *quouis etiam irregenito percipi poteſt; hic vero non niſi ab intellectu illuminato.* Reſp. D. QVENSTED. l. c. *verbum diuinum* conſiderat bifariam (a) *generatim, & in ſenſu ſpecificatiuo*, quatenus notat verbum, aut ſermonem, cum alio quocunque ſermone communem, cuius ſingulæ voces habent ſuas ſignificationes ex conſueto loquendi vſu diiudicandas: (b) *ſpeciatim & in ſenſu reduplicatiuo*, quatenus notat verbum diuinum, ſiue θεόπνευστον ſalutis medium, ratione eſſentiæ ſupernaturalę, vique ſupernaturali inſtructum. Verbi diuini generatim & ſpecificatiue conſiderati, prout eſt verbum cum quouis alio verbo commune, ſenſus eſt, quem voces in propria & natiua ſignificatione gignunt, licet intentioni Spiritus S. non conueniat. Dicitur alias ſenſus litteræ. Verbi autem diuini ſpeciatim & reduplicatiue ſpectati ſenſus eſt, quem Spiritus S. vocibus θεοπνεύστοις proxime intendit, diciturque logicus & internus, in oppoſitione ad grammaticum & externum; litteralis, in oppoſitione ad ſenſum myſticum; ſpiritualis & diuinus, quia a Spiritu S. proxime intenditur. Ad cognoſcendum ſenſum grammaticum & externum ſufficiunt vires naturales: ad percipiendum ſenſum litteralem internum, ſpiritualem & diuinum, opus eſt illuminatione Spiritus S. ſiue illa illuminatio ſit imperfecta, cuius capax eſt irregenitus, ſiue perfecta, qua gaudet renatus. Neque enim D. QVENSTED. per illuminatum hominem præciſe intelligit renatum, quamuis illum irregenito opponat: ſiquidem oppoſita non ſemper æqualis ſunt latitudinis. Caue autem putes, hunc auctorem l. c. per ſenſum ſpiritualem intelligere myſticum ſenſum; quia diſertis verbis docet, ſenſum myſticum ἀκύρως, & minus accurate ſenſum ſcripturæ dici fol. 130. Ceterum vnius dicti biblici vnum eſſe ſenſum genuinum litteralem, & diuinum a Spiritu S. intentum, plurimis argumentis condocefacit D. QVENSTED. fol. 132. Adiice, quod aliud ſit ſenſus verborum ſcripturæ, aliud notitia de illo ſenſu, animo lectoris impreſſa. Quamuis ſenſus litteralis (logice dictus) ſit ſpiritualis, i. e. Spiritus S. verbis θεοπνεύστοις intentus, notitia tamen de illo ſcripturæ ſenſu eſt vel litteralis, eaque tum externa, tum interna, vel ſpiritualis; quippe quæ diſtinguuntur vt actus mentis, & ipſius obiectum. Qui diſtinctiſſima hæc confundit, ille non perſpicue, ſed confuſe docet.

X. Homo irregenitus, ſub gratia diuina aſſiſtente & pulſante conſtitutus (v. gr. Iudæus vel gentilis conuertendus), non poteſt ſolido conceptu & aſſenſu verba ſcripturæ percipere



Digitized by Google

cipere & comprobare; quia non certo credit θεοπνευςίαν, ſiue diuinam originem ſcripturæ. Et licet hæc per κριτήρια quædam probetur, illa tamen opinionem & fidem humanam tantum gignunt. Reſp. Iudæus θεοπνευςίαν V. T. e quo conuinci poteſt, certo credit. Quod autem attinet ad hominem gentilem conuertendum, ille κριτηρίοις externis præparatur & permouetur ad ſcripturam ſacram cum ſtudio & deſiderio diſcendi legendam & meditandam. Quam cum attente legit & meditatur, κριτηρίοις internis, in primis inſita S. ſcripturæ efficacia conuincitur ad agnoſcendam diuinam eius originem. Hac præſuppoſita, & ſtudio legendi ac meditandi ſcripturam continuato, genuinum dictorum biblicorum ſenſum eruit, percipit, & ſolido aſſenſu comprobat.

XI. Lux notitiæ, per illuminationem diuinam accenſa, eſt lux ardens, & calefaciens voluntatem ad fiduciam in Chriſtum, & amorem in Deum & proximum. Atqui lux notitiæ litteralis non eſt ardens, neque calefaciens &c. Reſp. (1) ad maiorem. Lux notitiæ per illuminationem diuinam accenſa eſt ardens, & calefaciens voluntatem, niſi impedimentum aliquod ei obiiciatur. Haud infrequenter vſu venit, vt ardentis ignis efficacia impediatur, quo minus lignum confeſtim accendat, ideo, quod iuſto madidius eſt. (2) Ad minorem. Lux notitiæ litteralis non eſt tantum lucens, ſed etiam ardens & calefaciens, eo quod voluntatem proxime inflammat ad deſiderium & propoſitum conuerſionis, & conſequenter ad deteſtationem peccati, ad fidem in Chriſtum, ad amorem Dei & proximi.

Quæſt. XXIII. *Quomodo theologia, qua modum tractandi ſpectata, diuiditur?*

*Diuiſio ſpecialis theologiæ reuelatæ.*

Theologia reuelata, qua modum tractandi conſiderata, eſt vel *exegetica*, quæ in explicandis ſcripturæ dictis occupatur, vel *poſitiua*, quæ diſcentium cœtui certas theſes e ſcriptura ſumtas proponit; eſtque tum *didactica*, quæ articulos fidei decenti ordine propoſitos enucleat & confirmat, tum *moralis*, quæ præcepta morum tradit; vel eſt *hiſtorica*, quæ hiſtoriam eccleſiæ recenſet, & quomodo in ea doctrina euangelii ab orthodoxis propagata, ab hæreticis impugnata, & tam a conciliis, quam a fidelibus doctoribus voce & ſcriptis defenſa ſit, exponit.

Obſ. Ad theologiam *exegeticam* referri poteſt *homiletica*, vtpote quæ etiam textum biblicum explicat, addita ſpeciali applicatione, vt cœtus ſacer e textus biblici exegeſi ſalutarem fructum capiat. Ad theologiam *didacticam* reuocanda eſt theologia *catechetica*, cum etiam catechiſmus ſit paruum *ſyſtema* ſuccincte & perſpicue complectens credenda & agenda. Ad theologiam *moralem* pertinet theologia *caſualis*, quæ dubios conſcientiæ caſus circa mores hominum occurrentes enodat, & theologia *politico-eccleſiaſtica, ſiue regiminis eccleſiaſtici*, quæ verſatur circa diſciplinam eccleſiaſticam, viſitationem, ſynodos, conſiſtorialia &c.

Quæſt. XXIV. *Quid cenſes de theologia ſcholaſtica?*

Per theologiam ſcholaſticam intelligitur vel ſenſu generali theologia ſyſtematica e verbo Dei reuelato hauſta, & in ſcholis chriſtianorum tradi ſueta, in qua tum dogmata fidei cum præceptis morum methodice digeſta explicantur, tum exortæ controuerſiæ ventilantur, & deciduntur, quam in ſcholis ſuperioribus & inferioribus ſedulo docendam eſſe ſtatuo (a); vel per theologiam ſcholaſticam ſpeciatim intelligitur theologia eorum doctorum, qui non tam e litteris ſacris, quam ſententiis patrum, & ſcriptis philoſophorum, in primis, Ariſtotelis, dogmata



Digitized by Google

fidei explicare, & curioſas quæſtiones mouere conati ſunt, quam cultori theologiæ non neceſſariam eſſe cenſeo (b), quamuis vtilis eſſe queat ad confutationem errorum pontificiorum (c).

Prob. a. In ſyſtematibus theologicis homini viatori peccatis corrupto articuli fidei e litteris ſacris deducti concinno ordine proponuntur, quorum cognitio neceſſaria eſt homini æternam ſalutem adepturo. Propterea eccleſia chriſtiana iam dudum ſyſtematibus theologiæ vſa eſt. Symbolum apoſtolicum, Nicenum, Conſtantinopolitanum, Chalcedonenſe, Athanaſianum, ſunt breuia theologiæ ſyſtemata. Scripſit ſeculo II. IVSTINVS expoſitionem fidei, ſeculo III. Lactantius libros inſtitutionum diuinarum, ſeculo IV. ATHANASIVS ſynopſin totius ſcripturæ, CYRILLVS Hieroſolymitanus catecheſin, GREGORIVS Nazianzenus de theologia, item de fide Nicenæ ſynodi, ſeculo V. AVGVSTINVS enchiridion, ſeculo VI. FVLGENTIVS de fide ad Petrum Diaconum, ſeculo VIII. IOANNES DAMASCENVS de fide orthodoxa: alios ſilentio prætereo.

Prob. b. Theologiæ ſcholaſticæ e ſententiis patrum & ſcriptis philoſophorum congeſtæ fundamentum ſane quam ruinoſum iecit *Lanfrancus*, ſeculo XI. cui ſeculo XII. *Petrus Lombardus* & *Albertus magnus* ſuum docendi genus curioſum magis, quam fructuoſum ſuperſtruxerunt; quos denſo agmine certatim alii ſecuti ſunt. Eccleſiæ orthodoxæ ſcholaſtica iſthæc theologia iure meritoque improbatur, quia (1) relicto theologiæ principio οἰκείῳ, ſiue domeſtico, eoque infallibiliter certo (verbo diuino) e patribus colligit ſententias dubias, minimeque certas. (2) Theologiæ immiſcet ſcripta Ariſtotelis humana multisque erroribus referta. (3) Spinoſas affectat ſubtilitates, mouetque curioſas, ſtultas & ineruditas quæſtiones 2 Tim. III, 23. (4) In varias ſcinditur ſectas, quibus animus non ſtabilitur, ſed diſtrahitur. (5) Vocibus barbaris & ineptiſſimis facillima quæque reddit intellectu difficilia. (6) Dogmata creditu & præcepta obſeruatu neceſſaria omittit.

Prob. c. Cum in eccleſia romana doctores ſcholaſtici inſigni polleant auctoritate, ex iisdem errores pontificiorum confutare licet, quod opere ipſo præſtiterunt theologi accuratiſſimi HÜLSEMANNVS, DORSCHAEVS, DANNHAVERVS, MVSAEVS, SCHERZERVS & alii. Suggerit ſane *Scotus* argumenta contra transſubſtantiationem, *Occamus*, contra pontificis tyrannidem, *Durandus*, contra operum merita, *Nicolaus de Orbellis*, pro ſcripturæ maieſtate contra nouatores &c. Conf. D. IOAN. ADAM. OSIANDRI *theol. poſit. acroamat. part. I. p. 67.*

Quæſt. XXV. *Quid cenſes de theologia myſtica?*

Theologia myſtica *pura & orthodoxa* e limpidiſſimo verbi diuini fonte ſine admixtis ſordibus philoſophiæ gentilis hauſta, eccleſiæ chriſtianæ eſt vtiliſſima, & partim ſub theologia didactica, partim ſub theologia morali comprehenditur (a). Theologia autem myſtica *impura & heterodoxa* veritati cœleſti adſtruendæ non prodeſt, ſed obeſt (b). Falſitas tamen doctrinæ pontificiæ ex eadem quadantenus refelli poteſt (c).

Prob. a. *Theologia myſtica pura & orthodoxa eſt* biblica, quippe quæ vnice e verbo diuinitus reuelato & in litteras redacto pro hodierno ſtatu eccleſiæ eo fine petitur, vt mens humana a rebus terrenis abſtracta ſeipſam penitius cognoſcat, ſe cognitam abneget, omnem ſalutis fiduciam in Chriſto mediatore collocet, non propriorum operum meritis, ſed pretioſiſſimo merito Chriſti iuſtificetur, eidem deſpondeatur, S. S. Triadi vniatur, imagine Dei exornetur, amore Dei & proximi flagret, piis precibus ſe Deo ter optimo iugiter commendet, fide ac pietate creſcat, pace & gaudio Spiritus S. fruatur, & cœleſtis beatitudinis prægustum

Digitized by Google

guſtum capiat. Conf. D. SONTAGII *fanaticiſm. p. 88.* Theologiæ myſticæ orthodoxæ epitomen publicæ luci expoſuit D. VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS.

Prob. b. Theologia myſtica impura theologiæ biblicæ gentilem *Hermetis, Triſmegiſti, Pythagoræ,* & *Platonis* philoſophiam immiſcet. Haud ex vano inquit M. GÜNTHER. in diſſertat. *de quietiſtis §. 7. p. 14. Veniebant apoſtolus Paullus, & ceteri apoſtoli ad exemplum ſaluatoris non in ſapientia, ſed ſimplicitate verbi* 1 Cor. I, 17. *ne conuerſio eorum humanum cenſeretur opus. Aſt multis hæc ſimplicitas ſordebat, & reſpiciebant ad veteres gentilium ſapientes. Horum philoſophia, ſacris dogmatibus confuſa, ſimplici & ab ethniciſmo non adulteratæ theologiæ duas alias appoſuit,* myſticam, & ſcholaſticam, *quarum altera ſanctimonia quadam, quæ voluntatem peccatis; altera ſubtilitate, quæ intellectum inſcitia exuat, in amorem ſui rapuit incautos. Illa Platonicæ, hæc Ariſtotelicæ philoſophiæ tradux eſt.* (2) *Theologia myſtica eſt mater ſuperbiæ ſpiritualis.* Etenim myſtici contemplantes alios alto ſupercilio deſpiciunt, & eo perfectionis ſe progredi autumant, vt chriſtificentur & deificentur. Quam ſuperbiam deteſtatus LVTHERVS conſiderate ſcripſit *tom. II. Ien. latin. fol. 53. Paſſim circumferuntur tum ex Italia, tum Germania commentaria Dionyſii ſuper theologiam myſticam, hoc eſt, mera irritabula inflaturæ & ſeipſam oſtentaturæ ſcientiæ.* Et in Geneſin cap. XIX. fol. 134. *Gerſon ſcripſit de vita ſpeculatiua, ac ornat eam magnis titulis; ac imperiti cum legunt talia, amplectuntur ea pro diuinis oraculis. Sed reuera vt in prouerbio dicitur: theſaurus carbones. Igitur ſeu externum, ſeu ciuilem te appellant vani ſpeculatores iſti, nihil te moueat. Age tu Deo gratias pro verbo & externis iſtis, & relinque ampulloſas iſtas ſpeculationes aliis.*

Prob. c. Ex theologia myſtica etiam impura, qualis eſt monachorum in papatu, κατ' ἄνθρωπον argumentari licet adverſus operum merita, opus operatum, libertatem arbitrii in ſpiritualibus, & auctoritatem pontificis romani. Conf. D. LOESCHERI *appendicem I. theologiæ myſticæ p. 863. ſeqq.*

Quæſt. XXVI. *Quibus ſubleuatus mediis ſtudioſus theologiæ pertingit ad ſolidam rerum diuinarum cognitionem?*

*Media theologo vſurpanda.*

Tribus mediis, oratione (a), meditatione (b), tentatione (c). *Oratio* ſtudium theologicum inchoat, *meditatio* continuat, *tentatio* conſolidat.

Prob. a. ex Iac. I, 5. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, petito a Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, & non exprobrat: & dabitur ipſi.* Depromitur ſapientia cœleſtis ex fonte ſapientiæ, Deo, qui eam dat ἁπλῶς, i. e. candide, non inuidorum more exprobrans, ſed promtus ad dandum vera cum fiducia eam expetentibus.

Prob. b. Theologi eſt ἐρευνᾷν τὰς γραφὰς, Io. V, 39. Metallorum foſſores intimas terræ cauernas perueſtigant, vt deſiderato potiantur auro: ſtudioſus theologiæ diuites ſacræ ſcripturæ venas rimatur, vt pretioſum theoſophiæ aurum ſibi quærat. Conf. Pſ. I, 2.

Prob. c. ex Sir. XXXIV, 10. *Qui non tentatus eſt, pauca ſcit.* Nemo penitius expendit, & ſolidius nouit Dei potentiam, gratiam, ſapientiam & veritatem, quam crebro a ſatana & mundo diuexatus.

Quæſt. XXVII. *Quænam adminicula meditationem theologi promouent?*

*Adminicula meditationis.*

Duo adminicula meditationem theologi promouent (a) notitia hebrææ & græcæ linguarum (b), moderatumque philoſophiæ ſtudium.

Prob. a. *Potiſſimum theologi ſtudium eſt biblicum,* quia ſacer codex eſt quaſi gazophylacium, e quo theſaurus ſapientiæ cœleſtis petitur. Diuiditur totus codex in ſcripta

 veteris

Digitized by Google

veteris teſtamenti: quæ idiomate hebræo, & novi teſtamenti, quæ lingua græca conſignata ſunt. Ad indagandum ſenſum ſcriptorum V. T. conducit notitia linguæ hebrææ: ſicut ad intelligentiam N. T. requiritur peritia linguæ græcæ. Exſtant quidem variæ bibliorum verſiones, fontes tamen neceſſarii ſunt, (1) vt certior reddatur quilibet, præſertim litteratus, fontes ita habere, & non aliter; (2) vt de exortis controuerſiis firma conſcientia aliquis ſententiam ſuam pronunciare poſſit, quod nunquam fiet, niſi fontibus inſpectis; (3) quia nunquam vlla erit verſio omnibus numeris abſoluta; (4) quia ad dogmatum explicationem ſolidam neceſſe eſt cognoſci phraſes fontium.

Prob. b. Philoſophia eſt quaſi cultura quædam animi, hunc liberans a connata ruſticitate, eundemque præparans ad capiendum res ſubtiliores, & ad vindicandum vera dogmata a ſtrophis aduerſariorum. Vtilitatem inſignem præſtat philoſophia (1) *theologiæ exegeticæ*. Complectuntur enim quædam dicta biblica articulos fidei mixtos, qui non tantum e lumine ſupernaturalis reuelationis, ſed etiam quadantenus e lumine rationis innoteſcunt v. gr. articuli mixti ſunt de Deo abſolute conſiderato, de attributis diuinis, de creatione & prouidentia, de partibus hominis, de origine animæ, de peccato voluntario & inuoluntario &c. (*) (2) *Theologiæ polemicæ*. Nam hoſtes veritatis e principiis rationis deſtruere nituntur ſummos fidei articulos v. gr. myſterium Trinitatis, incarnationis, iuſtificationis per meritum Chriſti, S. cœnæ &c. Quas ratiunculas theologus philoſophicis diſciplinis præcultus haud difficulter diſcutit. Liceat nobis breuiter atque ſtrictim diſciplinas philoſophicas percurrere.

*Philoſophia modalis, ſiue logica* commonſtrat theologo modum argumentandi, demonſtrandi, definiendi, diuidendi, & methodice dogmata theologica proponendi.

*Phyſica* pandit librum naturæ, vt ex creaturis creatorem, ex ſerie rerum naturalium gubernatorem agnoſcamus. Tractat eadem haud pauca de loco, de anima, de intellectu humano, quorum notitia theologo proficua eſt.

*Metaphyſica* docet, quid ſit principium, cauſſa, effectus, neceſſarium, contingens, æternum, independens, infinitum, exemplar, imago, ſubſtantia, perſona, accidens; qui termini technici per omnes locos theologicos ſparguntur.

*Philoſophia moralis*, tum legem naturæ, tum principia actionum moralium enucleat, e quibus peccata proæretica & inuoluntaria dignoſcuntur.

*Mathematicas* etiam attingere *ſcientias* e re eſt cultoris theologiæ. Vtilis eſt aſtronomia ad cognoſcendas ſtellas, quarum memoriam ſacer codex iniicit: *Chronologia* ad ſupputanda tempora: *Geographia* ad obſeruanda itinera patriarcharum, Iſraëlitarum, prophetarum, *Chriſti* & apoſtolorum.

*Hiſtoriæ notitia* ſuis ſe fructibus in theologum redundantibus commendat. Nam vetus inſtrumentum maiori ex parte per modum alicuius ſcripti hiſtorici conſignatum eſt. Nouum

(*) Illæ quidem doctrinæ partes non tam ad *exegeticam* theologiam, quam ad *dogmaticam*, & *moralem* ſpectant. In primis vero ad *exegeticam* pertinent generales & communes regulæ legesque interpretationis, ex ea philoſophiæ parte, quæ *logica* dicitur, depromendæ, vt ſunt: Vera verborum ſententia conſilio auctoris, ſeu, vt vulgo loquuntur, ſcopo, conuenienter debet percipi: Ea, quæ apertam quamdam repugnantiam in ſe continet, non poteſt eſſe vera: In quovis dicto omnes res circumſtantes adcurate ſunt ponderandæ: Textus cum integro contextu, vt & cum aliis locis, in quibus eadem eſt ſententia, ſapienter diligenterque conferendus eſt: Talia non poſſunt non eſſe prædicata, qualia ſunt ſubiecta: Et quæ ſunt plures eiusmodi.

Digitized by Google

Nouum teſtamentum dicta & facta *Chriſti*, atque apoſtolorum recenſet. Quibus ſi accedat *hiſtoria ciuilis & eccleſiaſtica*, notitia veteris & noui teſtamenti erit vberior.

### Quæſt. XXVIII. *An philoſophia theologiæ contrariatur?*

Philoſophia non contrariatur aut contradicit theologiæ reuelatæ.

Prob. Philoſophia eſt ſcientia veritatis. At ſicut verum vero non contradicit: ita veritas philoſophica theologicam non impugnat.

Dicis I. Philoſophia theologiæ palam contradicit. Docet namque philoſophia tot eſſe eſſentias, quot ſunt perſonæ, ex nihilo nihil fieri, virginem non parere. Secus docet theologia. Reſp. Diſt. *inter contradictionem veram & apparentem.* Sequentes enunciationes non ſunt vere contradictoriæ: Quot ſunt perſonæ finitæ, tot ſunt eſſentiæ, docente philoſophia: tres perſonæ infinitæ ſunt in vna eſſentia, aſſerente theologia. Ex nihilo nihil fit, viribus naturæ: ex nihilo aliquid fit, immenſa virtute Dei. Virgo non parit ſecundum ordinarium naturæ curſum: Virgo Maria parit propter ἐπέλευσιν Spiritus S. ſupernaturalem & extraordinariam.

Dicis II. S. Paullus monet Col. II, 8. *Videte, ne quis ſit vos deprædans per philoſophiam & vanam fraudem.* Reſp. Non eſt ſermo apoſtolo de philoſophia *vera*, quæ eſt ſecundum *Chriſtum;* ſed de philoſophia *falſa*, quæ non eſt ſecundum *Chriſtum*, & *ſectaria*, ſuperſtite Paullo, in gentilium ſcholis, quæ in Græcia & Aſia frequentabantur, vſu trita: qualis erat Platonica, Ariſtotelica, Epicurea, Stoica, quam vanam & deceptricem apoſtolus appellat. Et quia Iudæi vna cum pſeudo-apoſtolis philoſophorum græcorum placita ſuis traditionibus immiſcebant, addit S. Paullus, iuxta traditionem hominum, iuxta elementa mundi, quæ ſunt externæ ceremoniæ, Gal. IV, 3. 9. IACOB. MART. *de conſtit. theol. p. m. 121.* ex contextu oſtendit, apoſtolum l. c. Phariſæorum, Eſſenorum, & Sadducæorum traditiones & falſas opiniones de lege Dei taxare.

### Quæſt. XXIX. *Quid opponitur veræ theologiæ?*

Veræ theologiæ opponitur theologia falſa, quæ rectius matæologia, quam theologia dicitur. Qualis eſt matæologia ethnica, turcica, iudaica, ſamaritana, hæretica, ſchiſmatica, ſyncretiſtica, ſceptica.

*Matæologia ethnica eſt notitia de Deo ex lumine naturæ inſita, & inſpectione creaturarum quidem hauſta, ſed ob defectum luminis reuelati horrendis mixta tenebris & in fabulas commutata,* Rom. I, 25. Fuit triplex: *mythica* poëtarum, *ciuilis* ſacerdotum, & *phyſica* in ſcholis philoſophorum. Hæc vltima propius abeſt a noſtra theologia naturali. Prout tamen apud gentiles philoſophos deprehenditur, grauibus fœdata eſt erroribus.

*Matæologia turcica ſeu mahometana eſt falſa doctrina de Deo & rebus diuinis a Mahomete conſcripta, in alcorano expoſita, & a turcis Chriſtum quodammodo agnoſcentibus, ſed eiusdem doctrinam blaſpheme deprauantibus, recepta.* Notes (1) auctorem alcorani fuiſſe Mahometem Iſmaëlitam, qui vixit ſeculo VII. cuius paraſtatæ fuerunt *Sergius* Arianus, *Ionnnes* Neſtorianus, & Iudaeus quidam. (2) Concedit *Mahometes* in alcorano Meſſiam veniſſe, e virgine natum eſſe, *Chriſtum* ſanctum hominem eſſe, & prophetam magnum. At negat deitatem *Chriſti*, inficiatur myſterium Trinitatis, Spiritum S. creaturam, *Chriſtum* animam *Dei* eſſe nugatur. Præterea vrget circumciſionem, concedit polygamiam, vitæ æternæ felicitatem voluptatibus carnis metitur.

*Matæologia iudaica eſt falſa de Deo doctrina, quæ in talmude præcipue continetur, aduentum Meſſiæ negat, ſcripta N. T. reprobat, variis commentis oracula V. T. inprimis quæ de SS.*



Digitized by Google

*Trinitate & Meſſia agunt, impie deprauat.* Diſtinguendum eſt inter priſcam iudæorum theologiam & hodiernam. Illa vtique fuit diuina, hæc execrandis blaſphemiis plena eſt.

*Matæologia ſamaritana eſt opinio erronea, doctrinam iudæorum cum infidelitate ethnicorum connectens.* Nomen habet a gentilibus Samariam traductis, qui & Deos ſuos colebant, & vero Deo Iſraëlis cultum eſſe præſtandum cenſebant, commiſcentes gentiliſſimum cum iudaica religione. 2 Reg. XVII, 32. 33.

*Matæologia hæretica eſt doctrina de Deo, erroribus, fundamentum fidei labefactantibus, contaminata.* Nota (a): αἵρεσις ab αἱρέω, eligo, deducitur, eſtque vi vocis electio quædam duos actus includens: (1) iudicium intellectus erroneum; nam ſine iudicio intellectus non datur electio: (2) actum voluntatis, quo vnum alteri anteponitur. In hæreſi enim vna ſententia, ſed erronea alteri, nempe veræ præfertur. Eſt igitur hæreſis voluntarius intellectus error, articulum fidei fundamentalem labefactans, aſſertus ab eo, qui profitetur, ſe eſſe chriſtianum. Nota (b): Non quilibet homo errans circa fundamentum fidei dicitur hæreticus, ſed contumax & converti neſcius. Nota (c): Sacris chriſtianorum nunquam initiatus, errans in fundamento fidei non vocatur *hæreticus*, ſed *infidelis.*

*Matæologia ſchiſmatica eſt falſa de Deo & rebus diuinis doctrina, qua non quidem articulus fidei conuellitur, in quæſtiones tamen fidei agnatas grauiter impingitur,* & vnitas eccleſiæ turbatur. Dicitur a σχίζω, quod ſignificat *ſcindo* vel *ſeparo*, adeoque ſchiſma vi vocis ſignificat ſciſſionem vel ſeparationem. Sumitur vox ſchiſma vel ſenſu generali, vel ſpeciali. Priori ſenſu etiam hæreſis poteſt dici ſchiſma, poſteriori ſenſu dicitur error circa fidem, non aduerſus fidem. Nota I. Separatio eſt vel cum infirmitate & ignorantia, vel cum ſuperbia coniuncta. Illa infirmum fratrem, hæc proprie ſchiſmaticum facit. II. Separatio fit vel ab vna aut altera perſona, vel ab integra eccleſia. Paullus & Barnabas ſe ſepararunt, Actor. XV, 39. non tamen fuerunt ſchiſmatici. III. Separatio eſt vel iuſta, vel iniuſta. Non illa, ſed hæc proprie facit ſchiſma. IV. Conſideratur ſchiſma vel ratione ætatis iuuenilis, vel ratione ætatis virilis ſiue ratione ortus & progreſſus. Priori modo h. l. conſideratur, poſteriori modo degenerat in hæreſin.

*Matæologia ſyncretiſtica eſt opinio erronea, ſuadens coalitionem partium in ipſa fidei & morum doctrina diſſidentium, vt fraternam & eccleſiaſticam ineant concordiam, non obſtante earum diſſenſu.* Deſcendit ſyncretiſmus a σὺν & κρητίζω. PLVTARCHVS περὶ τῆς φιλαδελφίας inquit: Cretenſes crebris ſeditionibus belliſque ciuilibus agitati, extrinſecus aduentantibus hoſtibus, pacem & ſocietatem iniuerunt. ERASMVS *chiliad. I. adag. centur. 1. p. 27.* ait: Syncretiſmus Cretico prouerbio dicebatur, quoties fiebat, vt qui modo videbantur hoſtes acerrimi, repente in ſummam concordiam redigerentur, id quod frequenter euenire ſolet, maxime ſi quod malum inciderit vtriſque commune. At male eiusmodi ſyncretiſmus in eccleſiam introducitur. Nam pax & concordia Cretenſium erat ſimulata, qua lites non tollebantur, ſed differebantur; neque proueniebat ex vera caritate, ſed tantum ex metu communis hoſtis & periculi. At vero nomen eccleſiaſticæ concordiæ non meretur, quæ non eſt ſincera ex amore fuci puro profecta, & quæ errores fundamentum fidei conuellentes non reſecat aut ſummouet, ſed alit & retinet.

*Matæologia ſceptica eſt neutralium ſiue libertinorum, qui in rebus fidei nihil certi conſtituunt aut definiunt, ſed vel ſententiam ſuam ſuſpendunt, vel modo hanc, modo illam amplectuntur, prout occaſio vel neceſſitas fert.* Inclinant in ſcepticiſmum Arminiani, qui de præcipuis fidei dogmatibus malunt ἐπέχειν, quam certi quidquam definire.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXX. *Quomodo theologia & fides conueniunt & differunt?*

*Conueniunt* (a) quia tam theologia, quam fides eſt θεόσδοτος ſiue diuinitus collata. Vid. ſupra pag. 11. (b) Vtraque ex verbo *Dei* reuelato hauritur, eidemque immote innititur. (c) Vtraque complectitur notitiam & aſſenſum intellectus. (d) Vtraque reſpicit æternam ſalutem, vt finem hominis vltimum. *Cognata theologia fides.*

*Differunt* ita: (a) theologia eſt habitus practicus intellectus; fides etiam in voluntate, ſi ſpectes fiduciam, reſidet. (*) (b) Theologia eſt totus habitus practicus, fidem, vt obiectum partiale, quin etiam vt finem intermedium, includens: (c) A fide homo denominatur fidelis, a theologia theologus. Longe amplior autem eſt numerus fidelium, quam theologorum.

Ad veram *conuenientiam* theologiæ, & fidei cognoſcendam, prob. a. Theologia eſt *ſapientia ſuperne veniens,* Iac. III, 15. deſcendens a patre luminum. Iac. I, 17. Fides itidem eſt a Deo, *cuius donum* dicitur. Eph. II, 8. Conuenit ergo vtraque ratione auctoris.

Prob. b. Sacræ litteræ reddunt hominem ſapientem, ſiue theologum. 2 Tim. III, 15. Eædem ſcriptæ ſunt, vt credamus. Io. XX, 31. E. theologia & fides fluunt ex vno principio cognoſcendi.

Prob. c. Theologia definitur per cognitionem veritatis. Tit. I, 1. Fidei primus gradus pari ratione eſt cognitio ſalutis. Luc. I, 77. E. vtriusque ſedes eſt intellectus.

Prob. d. Theologiæ non magis, quam fidei, vltimum finem eſſe æternam ſalutem, docet Paullus, cum ad Timotheum, epiſcopum Epheſinum, ſcribit 2 Ep. c. III, 15. *Quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ poſſunt te ſapientem reddere in ſalutem, per fidem, quæ in Chriſto Ieſu eſt.* Sapientia cœleſtis, i. e. theologia & fides in *Chriſtum* reſpiciunt vnum finem.

Ad obſeruandum *diſcrimen* fidei, & theologiæ, prob. a. theologia eſt ſapientia *Dei* in myſterio, 1 Cor. II, 7. Fides autem ratione vltimi gradus eſt hypoſtaſis ſeu fiducia. Hebr. XI, 1. Hæc eſt in voluntate, ſapientia in intellectu.

Prob. b. Theologia verſatur circa Deum & res diuinas, e quarum cenſu eſt fides: Quæ inſimul, ſi ſpectemus ſubiectum operationis theologicæ, eſt finis intermedius theologiæ. Idcirco, ſicut differt totum includens & pars incluſa, habitus & eius finis; ita differunt theologia & fides.

Prob. c. Ad theologiam maius lumen cognitionis requiritur, quam ad fidem. Ad fidem ſufficit ſimplex & plana veritatis cœleſtis cognitio: at theologia veritatem oppugnatam defendit, & ex ſcriptura canonica exortas controuerſias dirimit.

Quæſt. XXXI. *An cuiusuis ſtudioſi theologiæ eſt, controuerſias theologicas ſibi cognitas reddere?*

Studium controuerſiarum theologicarum maxime neceſſarium eſt ſtudioſis adſpirantibus ad ſublimiora eccleſiæ officia (a). Admouendi muneribus inferioribus aliqualem controuerſiarum notitiam ſibi comparent, par eſt (b).

Prob. a. Epiſcopum decet τὲς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, contradicentes redarguere. Tit. I, 9. Sed male ſtabit ignarus controuerſiarum theologicarum.

Prob.

(*) Nec vero vllus poteſt eſſe *habitus practicus*, quoad quidem eſt *practicus*, qui non ſua vi atque efficacitate in voluntate excitet motus, veritati ſatis cognitæ conuenientes. Et firmam animi fiduciam, cum vera & certa rerum diuinarum cognitione coniunctam, ad Theologum ſuo nomine omnino dignum requiri, b. A. ipſe profeſſus eſt ſupra, Quæſt. 19.

Digitized by Google

Prob. b. Cuilibet eccleſiæ miniſtro incumbit auditores dexteritati ſuæ concreditos cohortari, vt ſibi caueant a falſis prophetis. Matth. VII, 15. Quamobrem neceſſe eſt, vt eorum falſam doctrinam cognoſcat: cognoſcit autem ex controuerſiis theologicis. Ceterum in locis etiam contemtiſſimis ſæpe occaſio exiſtit, vt vel cum ſectario quodam, vel cum auditore ab aliis ſeducto in diſputationem ſit deſcendendum. Vbi ſeipſum & religionem ſuam proſtituet miniſter eccleſiæ, qui ne leui quidem brachio controuerſias theologicas attigit.

Obſ. I. Controuerſiarum theologicarum finis optandus ille quidem, ſed in hac militante eccleſia exſpectandus non eſt. *Oportet enim hæreſes inter vos (Chriſtianos) eſſe, vt, qui probati, manifeſti fiant inter vos*, inquit S. Paullus, 1 Cor. XI, 19. Loquitur apoſtolus non de neceſſitate fatali, abſoluta & conſequentis, ſed de neceſſitate hypothetica & conſequentiæ, ſuppoſita nimirum diaboli aſtutia, & hominum infirmitate, ignorantia rerum ſpiritualium, perverſitate, inconſtantia, ſuperbia & pronitate in nouitates. Quæ cauſſæ hæreſium exiſtent in eccleſia vsque ad conſummationem huius vniuerſi. Quare theologorum eſt, ſe duce Spiritu S. armare ad bella domini.

Obſ. II. Controuerſiæ inutiles, ſpinoſæ, & exortæ ex dominio prauorum affectuum, theologica diſquiſitione aut operoſa diſcuſſione indignæ ſunt.

*SVSPIRIVM.*

Te, *Deus pater*, ſator rerum & fons omnium bonorum, te, *Deus fili*, ſol gratiæ & iuſtitiæ, te, *Spiritus S.*, ſanctificator animarum fidelium, ſupplex veneror & obteſtor, vt mentes noſtras infirmas cœleſti gratiæ luce perfundas, tenebras errorum diſcutias, ad veritatem in rebus ſpiritualibus indagandam & inueniendam facem nobis præferas, quo noſtra theologia exemplari ſapientiæ tuæ, quoad eius in hac imbecillitate fieri poteſt, ſit conformis, validiſſimo ſacrarum litterarum præſidio ſubnixa, lux fidei, dux viæ ad cœlum, veræ pietatis magiſtra, vitiorum expultrix!

## CAPVT II.

EXHIBENS

# PROLEGOMENON II.

DE

# OBIECTO THEOLOGIAE GENERALI, CREDENDIS ET AGENDIS, RELIGIONIS CHRISTIANAE NOMINE COMPREHENSIS.

Quæſt. I. *Quid eſt religio chriſtiana?*

*Deſcriptio chriſtianæ religionis.* Religio chriſtiana eſt ratio colendi Deum, vera in Chriſtum fide, & ſincera in Deum, ſe, & proximum caritate, vt peccator, a Deo auulſus, cum Deo reconciliatus & redunitus, renouetur & æternum ſaluetur.

Quæſt. II. *Vox religio vnde deducitur?*

Religionem alii a religando (a), alii a relegendo dictam volunt (b).

Prob. a. LACTANTIVS *libr. IV. diuin. inſtitut. c. 28.* inquit: *Hoc vinculo pietatis obſtricti, Deo religati ſumus. Vnde ipſa religio nomen accepit.* Et ISIDOR. *origin. libr. VIII. c. 11.* ait: *Religio appellata, quod per eam vni Deo religamus animas noſtras ad cultum diuinum vinculo ſeruiendi.*

Dicis:

Digitized by Google

Dicis: A *religando* deſcendit *religatio*, non, *religio*, ſicut ab *obligando* deducitur *obligatio*. R. Cenſente BECHMANNO de *originib. lat. linguæ p. m. 609.* antiquis ligere, ligui, lictum idem fuit, quod hodie ligare; a quo obſoleto verbo eſt lictor.

Prob. b. CICERO *lib. II. de nat. deor. Qui omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi a relegendo: vt eligentes ex eligo, ex intelligendo intelligentes.* His enim verbis omnibus ineſt vis legendi eadem, quæ in religioſo. Album, quod aiunt, calculum CICERONI adiicit AVGVSTINVS *lib. X. de ciu. Dei c. 4. Ipſe fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Hunc eligantes, vel potius relegentes (amiſeramus enim negligentes); hunc ergo relegentes, vnde religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus.* Secundum priorem deriuationem *religio eſt ad verum Dei cultum obligatio*, ſeu ratio hominem obligans ad debitum atque officium. Vid. D. SCHERZERI *breuic. theol. p. 7.* Secundum poſteriorem etymologiam religio eſt diligens tractatio eorum, quæ ad cultum *Dei* pertinent. Prior deriuatio plerisque placet theologis.

Quæſt. III. *Quomodo religio græce appellatur?*

Græcis religio vocatur θρησκεία, εὐσέβεια, λατρεία.

Prob. Iac. I, 27. Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος, *religio pura & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt: viſitare orphanos & viduas in afflictione eorum, impollutum ſe ipſum ſeruare a mundo.* Nomen θρησκεία, *Plutarcho*, *Suida*, aliisque obſeruantibus, a Thracibus ortum eſt, ſiquidem *Orpheus* Thraces docuit ritus & ceremonias, quibus *Deum* coli cenſuit. Religionem Paullus vocat εὐσέβειαν, 1 Tim. IV, 8. ἡ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστι. Pietas (religio) *ad omnia vtilis eſt.* Ad quem locum Chryſoſtomus notat, εὐσέβειαν εἶναι πίστιν καθαρὰν καὶ βίον ὀρθὸν, homil. XII. in h. l. fol. 1581. Nominatur ab eodem apoſtolo λογικὴ λατρεία. Verſio vulgata latine reddidit per rationale obſequium, LVCAS OSIANDER per rationalem cultum, SEBAST. SCHMIDIVS per cultum ſecundum verbum. Auſcultemus D. CALOVIVM *in h. l. fol. 203.* commentantem: Nonnulli λογικὴν dici malunt, cum Syro interprete, a λόγῳ Θεοῦ, verbo *Dei*, quod non iuxta noſtræ rationis ductum & normam, ſed iuxta verbi *Dei* præſcriptum & formam inſtituenda ſit λατρεία, ſi Deo placere debeat, vti 1 Petr. II, 2. iuxta ipſos λογικὸν γάλα eſt lac verbale. Quod aduerſus Socinianos obſeruant, vtpote qui ex hac voce rationem humanam regulam cultus diuini & religionis conſtituunt. Sed quia alluditur ad ſacrificia leuitica, præſtat dici hoſtiam λογικὴν λατρείαν reſpectu materiæ, quod non per pecorum, ſed corporum noſtrorum oblationem fiat, quam ratione principii ſiue efficientis, ſiue dirigentis.

Quæſt. IV. *Quot modis ſumitur vox religio?*

*Diſtinctio religionis.*

Religio improprie notat falſam (a), proprie veram rationem colendi Deum: quam hodie chriſtianam appellamus, quia vera in Chriſtum fide cum Deo redunimur (b).

Prob. a. Paull. Col. II, 18. cultum angelorum vocat θρησκείαν τῶν ἀγγέλων. Sed apoſtolus religioſum angelorum cultum improbat.

Prob. b. Religio chriſtiana ſumitur vel μερικῶς, partialiter, vel ὁλικῶς, totaliter. Μερικῶς accepta deſignat πρώτως & primario cultum *Dei* immediatum ſecundum priorem tabulam legis, Deut. VI, 13. δευτέρως & ſecundario cultum *Dei* mediatum, quo officia caritatis proximo præſtantur. Iac. I, 27. Ὁλικῶς & adæquate tum fidem in *Chriſtum*, tum caritatem in *Deum*, *ſe*, & *proximum* complectitur.



Digitized by Google

Quæſt. V. *Quænam eſt vera religio?*

*Deſcriptio veræ religionis.*

Vera religio eſt, quæ verbo diuino eſt conformis (a). Antiquiſſima eſt, probata etiam patribus V. T. (b), gloriam Dei illuſtrat (c), fidem in Ieſum ſalutis auctorem recte docet (d), ſanctimoniam vitæ ſedulo inculcat (e), conſcientiam tranquillat (f), εὐθανασίαν procurat (g).

Prob. a. *Verbum Dei eſt veritas.* Io. XVII, 17. Quæ religio cœleſti veritati reſpondet, illa eſt vera.

Prob. b. Qua religione ſaluati ſunt patres V. T. eadem & nos ſaluamur, quia vnus Dominus, vna fides, Eph. IV, 5. *Per gratiam Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi*, ſcil. patres Act. XV, 11. (*)

Prob.

(*) Vereor equidem, vt ex iſto dicto firma efficiatur probatio. Vocabulum hoc, κἀκεῖνοι, rectius ad μαθητὰς, quam ad πατέρας, referri, luculenta nos docent argumenta: 1) *Scopus* orationis; nam de ſalute Patrum prorſus nulla erat dubitatio, ſed controuerſia tunc omnis agitabatur de differentia Iudæorum, & profanarum gentium ætate N. T. renouandarum, vtrum diuerſa eſſet, an vna eademque, ſalutis percipiendæ ratio, v. 1. 7. 9. 2) *Cohærentia* ſermonis, & vis argumentationis. Si hæc eſſet ſententia: Nos Iudæi confidimus, fore, vt eodem nos modo, quo maiores noſtri, beatitatem conſequamur: E. nolite diſcipulis peregrinis, nunc Chriſto addictis, jugum imponere illud, cui ſuſtinendo fere impares fuerunt Patres noſtri! Quæ, quæſo, connexio? Sed ad hunc modum: Gratia Ieſu Chriſti hodie eſt vna, & communis omnium via, qua itur ad ſalutem: Nos igitur, Iudaicis quidem parentibus orti, ea vna contenti ſumus, adeoque duro illo onere liberati, ad ſalutem adſpiramus: E. multo minus aliis tam graue jugum, quo illi nunquam fuerunt onerati, imponendum eſt, tanquam ad ſalutem neceſſarium. Ita demum valet & oppoſitio, & argumentatio. conf. concluſio v. 17. & 19. In concluſione autem nec plus, nec minus eſſe debet, nec aliud quidpiam, quam fuerat in præmiſſis ac probatione. 3) *Verborum conſideratio.* Χάρις in ſcriptura N. F. denotat gratiam antitypicam, quæ diſcernitur a lege rituali ac typica, vid. Ioan. I, 17. Et valde ſignificanter dicitur χάρις Ἰησοῦ Χριστοῦ. Per *Chriſtum*, eiusque promerita, nec aliter, aditus ad ſalutem ſemper patuit, in V. æque, ac in N. Fœdere. Sed per *Ieſum Chriſtum* nos hodie ſalutem adipiſcimur, quando quidem hæc veritas principalis eſt N. Fœderis propria, quæ chriſtianam doctrinam a iudaica diſtinguit: quod *Ieſus* Nazarenus, & nemo alius, ſit *Chriſtus*; quem ad modum intelligi debent etiam hæc ipſius verba, Ioann. XVI, 24. 4) *Res ipſa* loquitur. Patribus enim Iudæorum non licuit ſalutis fieri participes, niſi ſancte obſeruarent ſacras cærimonias, quatenus illæ erant vmbræ atque imagines, Chriſtum venturum deſignantes. Atqui decretum in iſto Apoſtolorum concilio prorſus eo ſpectabat, vt plane adpareret, cultum illum typicum nunc deſiiſſe, &, quæ prima eius pars fuerat, circumciſionem, nunc omnino abrogatam eſſe. Taceo plura.

Quamuis autem hoc effatum ad θέσιν confirmandam non pertinere videatur: ipſa tamen θέσις eſt profecto veriſſima, maximique momenti, & aduerſus SOCINIANOS conſtanter vindicanda. Sunt enim alia dicta probantia, inter quæ omnia vnum eminet illud, Hebr. IX, 26: *Alioqui debuiſſet Chriſtus ſæpe numero pati, inde a iactis mundi fundamentis.* Neruus probationis hic erit: Malorum perpeſſio & promerita Chriſti, θεανθρώπου, (Hebr. I. & II, 14.) infinitam habent vim atque efficacitatem: E. ratione virtutis ac poteſtatis ſuæ ſemper ſunt præſentia, ſemper valida: E. ſemel præſtita, tamquam ſemper præſtita habentur. Pertinent vero ea ad totam hominum vniuerſitatem; inde ab eo tempore, quo exſtiterunt homines, peccatores: E. valent non minus ante, quam poſt, quam præſtita fuerunt: E. non fuit neceſſe, Chriſtum ab initio mundi ſæpius pati: Id vero fuiſſet neceſſarium, niſi futura malorum perpeſſio, propter vim ſuam infinitam, tamquam præſens ſemper fuiſſet æſtimata: E fieri non potuit, vt quisquam mortalium, qui ante Chriſtum natum & paſſum vnquam vixerunt, aliter, ac per eius λύτρον ac promerita, ad ſalutem perueniret: E. in V. T. eadem fuit, quæ hodieque in N. T. eſt, via ad ſalutem, eadem vtrimque neceſſitas fiduciæ ſalutaris, in Chriſto vno poſitæ. Perſpicua etiam hæc ſunt, Act. XIII, 38. 39. Rom. IV, 6. 23. 24. 2 Cor. IV, 13.

Hæc

Digitized by Google

Prob. c. 1 Cor. X, 31. *Omnia in gloriam Dei facite.* Gloria Dei eſt meta vltima, quam vera reſpicit religio.

Prob. d. Animam religionis eſſe fidem in *Chriſtum*, patet partim ex eo, quod in ſolo *Chriſto* æterna ſalus inuenitur: *Neque enim eſt in vllo alio ſalus; neque aliud nomen datum eſt ſub cœlo hominibus, in quo oporteat nos ſeruari,* Act. IV, 12.; partim ex eo, quod fides *Chriſtum* cum ipſius beneficiis recipiens, ex parte noſtri, vnicum ſalutis medium eſt; ſiquidem *credens in Chriſtum non perit, ſed habet vitam æternam.* Io. III, 17.

Prob. e. Tit. II, 11. *Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens (παιδεύουσα) nos, vt abnegemus impietatem & mundanas concupiſcentias, ac ſobrie, iuſte & pie viuamus in præſenti ſeculo.* Scopus τῆς παιδείας diuinæ, & ex hac manantis religionis chriſtianæ eſt, vt ſanctimoniam vitæ, ſine qua nemo videbit dominum, Hebr. XIII, 14. peccatoribus ſaluandis inſtillet.

Prob. f. Rom. XV, 4. *Quæcunque præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Vt verbum Dei ſcriptum, ita religio, ex eo hauſta, viuo ſolatio perfundit conſcientiam, vt homo religioſus, adverſis rebus minime frangatur, ſed ſpe bonorum cœleſtium erigatur.

Prob. g. Io. VIII, 51. *Si quis verbum meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum.* Docet vera religio, chriſtianos, verbum Dei ſeruantes, acerbitatem mortis non deguſtaturos, ſed vitam temporalem miſeriæ plenam cum æterna quiete, gaudio & gloria commutaturos eſſe.

Quæſt. VI. *Eſtne religio euangelica, quæ a miniſterio Lutheri cognomen accepit, vera?*

Religio euangelica, miniſterio Lutheri repurgata, verbo diuino ad amuſſim eſt conſentanea, patriarchis, prophetis & apoſtolis probata, ad gloriam Dei illuſtrandam, veram in Chriſtum fidem, & ſanctitatem vitæ inſtillandam, conſcientiam tranquillandam, & εὐθανασίαν procurandam vniuerſim collineans: ergo eſt vera. *Veritas religionis euangelicæ Lutheranæ.*

Antecedens per omnia & ſingula theologiæ capita clariſſime probabitur. *Antitheſis* eſt omnium a religione Lutherana diſſidentium, quorum argumenta ſunt:

I. Religio Lutherana eſt noua. E. non eſt vera. R. Religio Lutherana eſt quidem renouata, ſed non noua; ſiquidem eadem eſt religio, quæ fuit prophetarum & apoſtolorum.

II. Religio Lutherana eſt diſcors. E. non eſt vera. R. Religio Lutherana eſt concors *in articulis fidei fundamentalibus*, licet quidam doctores *in quæſtionibus fidei iuxta enatis*, aut *circumſtantiis* quibusdam diſcrepent.

III. Lutherani ſunt ſchiſmatici, quia nomen diſtinctiuum a D. Luthero ſibi imponunt, ſicut Corinthii 1 Cor. III, 4. R. Lutherana religio dicitur a Luthero miniſtro & orga-

E 2 no

Hæc veritas, *dictis* Scr. S. confirmata, nititur etiam certis *principiis*, quorum præcipua ſunt: 1) communis omnium hominum natura, & naturæ corruptio: 2) communis omnium damnatio: 3) neceſſaria igitur, & communis omnium, ſi qua ſalutis deperditæ recuperatio ſperanda ſit, reconciliatio coniunctioque cum Deo, a quo omnes pariter deſciuerunt: 4) neceſſaria obedientia vicaria cuiusdam Sponſoris ac Reconciliatoris, cuius ſponſio, omnibus ſuis numeris ac partibus expleta, ad omnes æqualiter pertineret. Qui quum 5) non ſit, nec eſſe poſſit, præter vnum θεάνθρωπον (Rom. VIII, 3.): efficitur, vt nemini potuerit vnquam in V. T. æque ac in N. T. niſi per vnum illum θεάνθρωπον, aditus ad ſalutem patere. Vbi enim par eſt ratio, ibi par quoque non poteſt non eſſe conſequutio. Vid. Rom. III, 23. 24. V, 18. 19. 1 Timoth. II, 4. 5. 6.

Digitized by Google

no Dei, non magiſtro & cauſſa principali. Exemplum autem Corinthiorum impertinenter adducitur, quia Corinthii in fundamento fidei conſentiebant, & ſolo amore in doctores eccleſiæ adducti diſtinctiuis ſe nominibus inſigniuerunt. Lutherani a Pontificiis, & aliis in fundamento fidei diſſidentibus, nomine diſtinctiuo, a miniſterio Lutheri petito, ſe vocari patiuntur.

Quæſt. VII. *Poteſtne homo in omni religione ſaluari?*

*An in omni religione ſalus?*

Cum vnum ſit fundamentum religionis chriſtianæ (a), vnum euangelium (b), vna fides (c), caritatis in Deum & proximum genitrix (d), valide colligitur, vnam tantum eſſe religionem chriſtianam, in qua æterna ſalus quæritur & inuenitur. Tantum autem abeſt, vt religio falſa homini viatori ſit ſalutifera, vt potius eidem ſit peſtifera (e).

Prob. a. 1 Cor. III, 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter poſitum quod eſt, Ieſus Chriſtus.* Fundamentum totius religionis chriſtianæ eſt *Ieſus Chriſtus*, quæ religio huic vnico fundamento recte ſuperſtruitur, illa eſt vera & ſalutaris. Plures, eæque ſibi contradictorie oppoſitæ religiones huic vni pietatis baſi ſuperædificari nequeunt. Nam ſi conueniunt in fundamento, non ſunt plures, ſed vna religio.

Prob. b. Principium, ex quo hauritur germana religio, ſi ſpectes fidem in *Chriſtum*, eſt verbum euangelii, quod eſt vnum. Nam diſerte inquit S. Paullus Gal. I, 8. *Si nos, aut angelus e cœlo euangelizaret vobis, præter id, quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Non datur euangelium, præter id, quod a Paullo & ipſius fratribus, reliquis apoſtolis, eſt annunciatum, ex cuius auditu eſt fides, Rom. X, 17. Lex diuina, norma caritatis in Deum & proximum, etiam eſt vna eaque immutabilis, cum ſit expreſſio quædam iuſtitiæ diuinæ invariabilis. Quod ſi igitur religio ex vno vero principio depromitur, vtique vnam oportet eſſe veram religionem.

Prob. c. Eph. IV, 5. *Vnus Dominus, vna fides.* Sicut vnus eſt dominus redemtor generis humani & caput eccleſiæ, nempe *Ieſus Chriſtus*, qui eſt vnica in cœlum via, Io. XIV, 6.: ita vna eſt fides, quæ inſtar ſpiritualis vinculi membra myſtica cum capite *Chriſto* vnit. Dicitur itaque *vna fides, non ratione ſubiectorum*, ſiue hominum credentium, ſed *ratione obiecti apprehenſi*, quoniam in vnum ſalutis auctorem fertur fides hominum omnium ſaluandorum. Grauiter inquit Paullus Gal. III, 26. 27. *Quotquot in Chriſtum baptizati ſunt, Chriſtum induerunt. Non eſt Iudæus, neque Græcus; non eſt ſeruus, neque liber; non eſt mas, neque fœmina; omnes enim vos vnus eſtis in Chriſto.* Quicunque per fidem vniuntur in Chriſto, illorum vna eſt religio, cuius palmaria pars eſt fides.

Prob. d. Gal. V, 6. *Fides per caritatem operatur.* Præcedit fides, ſequitur caritas. Operatur fides per caritatem, vt anima per ſuas facultates. Quicunque igitur vniuntur in fide, illi vnum Deum in Chriſto amant. Quin illorum vnum eſt cor, & vna anima per amorem reciprocum. Act. IV, 32.

Prob. e. Niſi peſtifera eſſet religio, erronea & hæretica, ſaluator noſter non iuſſiſſet vitare falſos prophetas. Matth. VII, 15. Non monuiſſet Paullus, vt *circumſpiciamus eos, qui diſſidia & ſcandala contra doctrinam, quam nos* dicimus, faciunt, & declinemus ab iis. Rom. XVI, 17. Ioannes tam ſingulari ſtudio ab illorum conſortio nos non auocaſſet, inquiens: Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, ne ſuſcipite illum in domum, neque ſalutem illi dicite, 2 Io. V, 10. Fundamentalem in fide errorem apoſtolus vt noxiam gangrænam depingit. 1 Tim. II, 17. *Sermo eorum ſicut gangræna paſtum habebit.* Vt gangræna ſenſim latius ſerpit, donec calorem natiuum abſumat: ita error in fide paullatim inualeſcit, & propagatur, donec vitam ſpiritualem, qua in fide Chriſti viuimus, Gal. II, 20. exſtinguat. Quid? quod error

Digitized by Google

error fundamentalis ipſam fidem ſaluificam peſſundet. Ex quo fit, vt hæretici a *fide diſcedant*, 1. Tim. IV, 1. *huiusque faciant naufragium*, 1 Tim. I, 19.

*Antitheſis* eſt *Indifferentiſtarum*, *Libertinorum*, *Puccii*, *Weigelii*, *Arminii* & aliorum, quibus arbitris homo in omni religione ſaluari poteſt, modo ſanctimoniæ vitæ ſtudeat, addita tamen limitatione, quod peccator *ordinarie* in religione chriſtiana, *extraordinarie* in religione Iudaica, Mahometana, & ethnica ſeruari queat. Qui ſequentibus innituntur argumentis.

I. Sicut vna eſt eccleſia chriſtiana catholica, ita vna eſt religio chriſtiana, catholica & principalis: cuius ſectæ particulares ſunt Pontificia, Lutherana, Reformata, Sociniana &c. quæ licet participent de eccleſia catholica, particularibus tamen næuis ſunt contaminatæ, & non omni ex parte puræ. Reſp. 1. Eccleſia chriſtiana catholica eſt, quæ *eſt ſuperædificata ſuper fundamento apoſtolorum & prophetarum, cuius eſt angularis Ieſus Chriſtus, per quem totum ædificium coagmentatum probe creſcit in templum ſanctum in Domino*, Eph. II, 20. In quacunque religione illa dogmata fidei & præcepta morum traduntur atque inculcantur, quæ olim prophetæ in V. T. tradiderunt, illa eſt chriſtiana, catholica, & haud dubie vera, quæ non concipienda eſt in idea vniuerſali nullibi extra intellectum exiſtente, ſed conſideranda eſt, prout viget in certo cœtu hominum, veram religionem amplectentium, quem credentium cœtum vocamus eccleſiam. (2) Lutheranam religionem impuram eſſe, liquido demonſtrandum eſt.

Inſtantia I. Non neceſſe eſt, vt quis accedat ad eccleſiam viſibilem, ſufficit, quod ſit chriſtianus & membrum eccleſiæ inuiſibilis. Reſp. Eccleſia vera, diuerſo conſiderandi modo viſibilis, & inuiſibilis audit. *Viſibilis* dicitur conſiderata *materialiter & ſubiectiue* pro cœtu hominum, qui in oculos incurrit: *inuiſibilis* vocatur, ſpectata tum *formaliter*, ratione formæ internæ, ſiue vnionis myſticæ cum capite Chriſto, quæ ſpiritualis vnio fit per fidem, Eph. III, 17. tum *comparatiue*, in quantum eius ſplendor exortis perſecutionibus, vel hæreſibus obſcuratur; ſicut obfuſcata erat eccleſia Iſraëlitica temporibus Eliæ, vt propheta hic oculatiſſimus illius faciem vix conſpiceret, 1 Reg. XIX, 18. At non eſt *abſolute & ſimpliciter inuiſibilis*, vt ſtatuit WEIGELIVS *P. III. poſtill. fol. 91. 92.* Sed vbi eſt pura verbi prædicatio & legitima ſacramentorum adminiſtratio, ibi eſt vera eccleſia viſibilis, & in hac eccleſia inuiſibilis, i. e. *paruus grex* vere credentium & electorum, cui *regnum dare patri cœleſti complacuit*, Luc. XII, 32. *Extra illam eccleſiam Chriſti veram viſibilem temere neglectam non datur ſalus.* Etenim huic concredita ſunt τὰ λόγια τȣ̃ Θεȣ̃, Rom. III, 2. Verbum & ſacramenta efficacia gratiæ & ſalutis media, Io. III, 5. 1 Io. V, 8.

Inſtantia II. Si verus chriſtianus in Turcia captiuus teneretur, ſaluaretur, licet non viueret in pura eccleſia. E. Deductio aut acceſſus ad eccleſiam non eſt neceſſarius ad ſalutem. R. Verus chriſtianus a turcis captus, non eſt *corpore* quidem, attamen *animo* in eccleſia vera, propterea, quod veritatem cœleſtem, quam cuſtodit & propagat vera *Chriſti* eccleſia, ſincero animo amplectitur.

II. Si in religione pontificia dantur vera media ſalutis, non in vnica Lutheranorum religione æterna ſalus quæritur & inuenitur. Atqui prius verum eſt, concedente LVTHERO *tom. IV. & VI. Altenburg.* E. Et poſterius. R. Nulla religio adeo corrupta eſt, vt non quædam dogmata vera, per ſe bona & ſalutaria in ea tradantur. Contra in religione falſa multa erronea, noxia, ſpuria & peregrina continentur, v. gr. docentur in religione pontificia traditiones humanæ, verbo diuino difformes, auctoritas pontificis romani infallibilis, merita ſanctorum, & eorundem cultus religioſus, fiducia propriorum operum, ſacrificium miſſaticum, ſacramentum cœnæ ſub vna ſpecie, quibus dogmatibus falſis vera in *Chriſtum* fides nec generatur, nec alitur, ſed extinguitur. Quod ſi pontificius



Digitized by Google

ſaluatur, eiusdem ſalus accepta referenda eſt non religioni pontificiæ, quatenus tali, ſed veritati in papatu reſiduæ. Fieri enim poteſt, vt pontificius ſeductus, abiecta propriorum meritorum fiducia, vnice confugiat ad meritum *Chriſti*, & in eodem conquieſcat; hic ſaluatur, non vt pontificius, ſed vt fidelis chriſtianus.

Inſtantia III. At pontificius ille eccleſiam Lutheranorum non ingreditur. R. Non ingreditur *corpore* quidem, at *animo* amplectitur dogmata illa ſalutifera, quæ in religione Lutheranorum habentur. Non adit eorum *externam ſocietatem*, cum illis tamen facit, ſi ſpectes *internam animi conſenſionem.*

III. Religionis chriſtianæ fundamentum eſt pœnitentia & fides in Chriſtum, quæ docetur in omni religione illorum hominum, qui chriſtianos ſe eſſe profitentur. E. In omni religione eorum, qui nomine chriſtianorum inſigniuntur, datur ſalus. Antecedens probatur, quia ipſe ſaluator ſub initium N. T. hominibus ſaluandis hoc fundamentale dogma propoſuit & ſerio vrſit: *Pœniteat vos: appropinquauit enim regnum cœlorum.* Matth. IV, 17. *Pœnitentiam agite, & credite euangelio.* R. Largimur faciles, ſub initium N. T. monitos fuiſſe homines, vt pœnitentiam agerent, vt crederent euangelio. At vero multa condonantur *incipientibus*, quæ a *proſicientibus* exiguntur. Incipientibus ſufficit ſumma aut breuis epitome chriſtianæ doctrinæ, proficientibus diſtincta articulorum fidei fundamentalium notitia inſtillanda eſt. Quos Chriſtus gratia ſua præuenit, hos magis magisque præparauit, informauit & illuminauit. Id quod cum ex pluribus Chriſti & apoſtolorum concionibus, tum inprimis ex prolixo ſermone in monte ad populum habito colligere licet. Matth. V. VI. VII. capite.

IV. Apoſtolus Petrus indifferentiſmo patrocinari videtur, Act. X, 34. inquiens: *In veritate deprehendo, quod non ſit perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui timet ipſum & operatur iuſtitiam, acceptus illi eſt.* R. non dicit apoſtolus: *in omni religione*, ſed in *omni gente*, qui timet ipſum & operatur iuſtitiam, acceptus ipſi eſt. Quibus verbis innuit, nullam gentem ſub cœlo a gratia conuertente, & regenerante abſolute excluſam eſſe, ſiquidem ingenue fatetur, *Deum gentibus dediſſe pœnitentiam.* Act. X, 28. Non igitur loquitur Petrus de gentibus, qua talibus, ſiue cœcitate ethnica laborantibus, ſed de gentibus media gratiæ admittentibus & fidem in Chriſtum concipientibus, quam timore erga Deum & operibus iuſtitiæ teſtantur atque declarant.

V. Sine verbo Dei reuelato haud pauci conuerſi ſunt, quod patet exemplo centurionis Cornelii, Act. X, 2. qui licet gentilis eſſet, attamen religioſus, timens Deum cum tota domo ſua, beneficus erga egenos, aſſiduus in precibus erat. Liquet idem exemplo magorum orientalium, Matth. II, 1. qui ſine verbo prædicato ad Chriſtum perducti ſunt. Reſp. (1) Ad exemplum Cornelii. Erat hic vir religioſus non ratione *originis gentilis*, *ſed ratione ſtatus*, regenitus ex ſemine verbi, ex quo habuit notitiam generalem de Meſſia tanquam redemtore mundi, vid. Act. X, 36. ſpecialis ipſi deerat applicatio ad certum indiuiduum, nempe ad *Ieſum* Nazarenum, quem vt ſalutariter agnoſceret, a S. Petro vberius informandus erat. Reſp. (2) Ad exemplum magorum Perſicorum. Agnouerunt hi Meſſiam e ſcriptis Danielis, ad quem quærendum excitabantur per nouam ſtellam inuſitatæ magnitudinis & claritatis. Danielem in ſchola magorum educatum fuiſſe conſtat ex Dan. I, 6. Cuius familiaritatis occaſione ipſam de Meſſia doctrinam haud dubie aliquibus inſtillauit. Idem c. II, 44. Regi Babylonico nonnulla expoſuit de regno cœli futuro finis experte. His accedit, quod non omnes iudæi e Babyloniis remigrauerint Hieroſolymas, ſed multi remanſerint iis in locis, qui celebres illic ſcholas habuerunt. Confer. Act. II, 9. Addimus, ſacras litteras non ſine prouida æterni Numinis cura græce fuiſſe redditas, atque adeo familiari ſermone

mone

Digitized by Google

mone cum gentilibus communicatas. Hic multi erant viri boni, quos ſcriptura εὐλαβεῖς appellat, qui licet non eſſent circumciſi, libros tamen euoluebant propheticos, & venerabantur *Deum* Iſraëlis, quod de eunucho Aethiope legitur. Act. VIII, 28.

Quæſt. VIII. *Eſtne veritas chriſtianæ religionis diiudicanda ex ſanctitate externa hominum religioni addictorum?*

Expers fuci ſanctitas hominum religioni chriſtianæ addictorum perquam inſigne teſtimonium eſt veritatis & efficaciæ religionis chriſtianæ (a). At cum hypocriſis externæ ſanctitatis ſpeciem haud raro induat, externa ſanctitas non eſt principalis, perpetua & infallibilis veræ religionis nota (b). Sed veritas religionis principaliter & infallibiliter æſtimanda ex conformitate eiusdem cum verbo Dei reuelato (c). *An V. C. R. ex ſanctitate externa diiudicanda?*

Prob. a. Supra in prob. e. ad q. V. oſtendimus, τῆς παιδείας ſ. doctrinæ & religionis chriſtianæ ſcopum eſſe, vt inculcet nobis *modum ſobrie, pie, ac iuſte viuendi*, ex epiſtola Paulli ad Tit. II, 11. 12. Et quod idem apoſtolus ibid. v. 10. docuerat *in ſpecie, ſeruorum eſſe, doctrinam ſeruatoris noſtri Dei exornare in omnibus*: id generatim de omnibus chriſtianis dici poteſt, quod ipſorum ſit, vitæ ſanctitate doctrinam *Ieſu* exornare, vt non tam in dictis, quam in factis chriſtiana religio conſiſtat. Quæ enim religio in toto terrarum orbe exſiſtit, quæ homines vere pios reddat, a vitiis abſtrahat, terrena calcare doceat, virtutes imperet & ingeneret, præter chriſtianam? Vnde teſte D. IO. ADAMO OSIANDRO in *theol. poſitiua p. 76. Iulianus* apoſtata idolorum ſacerdotem iuſſit curare, vt pagani virtuti ſtuderent; ſic enim illorum cultum progreſſus habiturum, quemadmodum ea de cauſſa tantos religio habuerit chriſtiana. Adducit idem theologus celeberrimus *Iuſtinum* Martyrem in apologia ſecunda ita loquentem: Qui olim ſtupris delectabamur, nunc caſtitatem tantum amamus: qui magicis artibus vtebamur, bono & æterno Deo nos conſecramus; qui pecuniarum ac poſſeſſionum fructus atque prouentus præ rebus omnibus amabamus, nunc etiam ea, quæ habemus, in commune conferimus, & cum indigentibus quibusque communicamus: qui odiis & cædibus mutuis inter nos graſſabamur, & pro conſuetudine recepta cum iis, qui tribules noſtri erant, communem focum non habebamus, nunc poſt *Chriſti* apparitionem familiariter ſimul viuimus, & pro inimicis oramus.

Prob. b. Si vita extrinſecus bona infallibile ſignum veræ religionis eſſet, omnes hypocritæ veram haberent religionem; quia illi ſummopere annituntur, vt illorum ſanctitas externa oculos aureſque hominum incurrat. Phariſæi iactabant ſingularem ſanctitatem, teſte *Chriſto*, Matth. VI, 2. ſq. Luc. XVIII, 11. Quin & ſuperſtite Paullo, doctores falſi, qui ſe inſinuabant in domos, & captiuabant mulierculas oneratas peccatis, *ſpeciem pietatis habebant.* 2 Tim. III, 5. Et angelolatræ incedebant ἐν ταπεινοφροσύνῃ, Col. II, 18. Et pſeudoprophetarum veſtimenta ouina conſuta quaſi ſunt ex continentia, caſtitate ac ieiunio, iuxta expoſitionem *Hieronymi*. Vid. CALOVII *bibl. illuſtr. in h. l.* Hodienum *monachi* & *anabaptiſtæ* ſanctitatis externæ ſpeciem præ ſe ferunt, quorum religio falſa eſt.

Prob. c. Veritas religionis chriſtianæ principaliter & infallibiliter ex conformitate eiusdem cum reuelatione diuina æſtimanda eſt. Reuelatio autem diuina hodie habetur in ſcriptis prophetarum & apoſtolorum. Quæcunque igitur religio ſcripturam ſacram velut principium infallibile agnoſcit, obſeruat & perpetuo ſequitur, illa ſe ſubmittit reuelationi ſupernaturali, mentique Iehouæ congruit, adeoque vera & diuina eſt, referens naturam principii ſui.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. IX. *Eſtne religio Iſraëlitarum in veteri, & Chriſtianorum in nouo teſtamento vna?*

*Vnitas religionis in V. & N. T.* Religio Iſraëlitarum in veteri, & Chriſtianorum in nouo teſtamento, vna eſt, quoad ſubſtantiam.

Prob. (1) Generatim, quoniam Iſraëlitæ in V. T. per fidem in Chriſtum non minus, quam chriſtiani in N. T. iuſtificati & ſaluati ſunt. De *iuſtificatione* Iſraëlitarum per fidem in *Chriſtum* magna cum emphaſi loquitur S. Petrus Actor. X, 43. *Huic (Ieſu) teſtimonium perhibent omnes prophetæ, quod remiſſionem peccatorum accipiat per nomen ipſius omnis, qui credit in ipſum.* Dicis: Prophætæ loquuntur de futuro, non de ſuo tempore; de ſtatu veteris, ſed non noui teſtamenti. Reſp. Verba Petri illimitata & generalia ſunt. Innuit, Prophetas temporibus illis, quibus ſuperſtites fuerunt, non vaticinatos eſſe, ſed teſtimonium Ieſu perhibuiſſe, quod remiſſionem peccatorum accipiat omnis in ipſum credens. Non ergo loquitur de vaticinio futurorum temporum, ſed de teſtimonio præſenti Ieſu perhibito, qui præſens erat moraliter, ſi ſpectes promiſſiones diuinas, quæ venturum Ieſum cum omnibus eius beneficiis præſentem ſiſtebant & meriti ipſius efficaciam ob oculos ponebant. De *æterna ſalute* Iſraëlitarum per *Chriſtum* obtinenda præclare itidem diſſerit Petrus Act. XV, 10. 11. *Nunc ergo quid tentatis Deum, ad ponendum iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos valuimus portare? Sed per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti credimus (nos) ſaluari, quemadmodum etiam illi.* Obſ. 1. Per iugum ἀβάςακτον portatu impoſſibile, intelligitur non tantum lex ceremonialis, ſed & moralis, tanquam βαρυτέρα ſ. grauior. Matth. XXIII, 23. Agitur de circumciſione quidem, ſed tanquam obligante ad vniuerſalem obedientiam, Gal. V, 8. Obſ. 2. Quando apoſtolus dicit: καθ᾽ ὃν τρόπον κακεῖνοι, quemadmodum & illi, verbis iisdem reſpicit patres, quorum hoc verſu 11. mentionem fecerat, non diſcipulos, de quibus v. 10. ipſi ſermo erat. Id quod valide colligitur ex naturali verborum collocatione, qua ſeruata, vox relatiua ſubiectum proximum, non remotum ſpectat. (*)

Prob. (2) Speciatim exemplo Abrahami, quem fide iuſtificatum eſſe docet Rom. IV, 1. ſeqq. Ex quo argumentor: Abraham, Pater omnium credentium, tam præputiatorum, quam circumciſorum, non minus illorum, qui vixerunt ſub veteri, quam qui viuunt ſub nouo fœdere, fide in *Chriſtum* iuſtificatus & ſaluatus eſt. E. Omnes credentes omnium temporum fide in *Chriſtum* iuſtificantur & ſaluantur. Dicis: ab vno exemplo ad omnes homines concludere non licet. Reſp. Exemplum concludit vi paritatis ſiue conuenientiæ cum reliquis. Proinde ex propoſitione ſingulari valide infertur vniuerſalis, ob nexum pariter vbique neceſſarium. Iam vero omnes credentes cum Abrahamo ἰσότιμον, i. e. æque pretioſam fidem nacti ſunt, 2 Petr. I, 1. Ex quo *Pater omnium credentium*, præputiatorum & circumciſorum, nominatur, Rom. IV, 11. 12. Quibus ita præſtitutis, perfectum formamus ſyllogiſmum. Per quam fidem Abraham, omnium credentium, tam præputiatorum, quam circumciſorum, pater, iuſtificatus & ſaluatus eſt, per eandem fidem omnes credentes veteris & noui teſtamenti iuſtificantur & ſaluantur. Atqui, Abraham ſaluatus eſt per fidem in Chriſtum. E.

*Antitheſis* eſt quorundam ***Pontificiorum***, *Socinianorum*, *Anabaptiſtarum*, *Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, qui autumant in vet. teſtamento peccatori ſaluando non neceſſariam fuiſſe fidem in Chriſtum, neque ipſi creditu neceſſariam fuiſſe doctrinam de myſterio SS. Trinitatis: quorum ponderabimus argumenta. I. Chriſtus

(*) Sed vid. adnotata ad quæſt. V. Vocem vero relatiuam, vt dicitur, non ſemper ad propius, ſed interdum ad remotius referri, ſacris in litteris haud inuſitatum eſt. Plura exempla collegit b. GLASSIVS in phil. S. L. III. tr. II. can. 10.

Digitized by Google

I. Chriſtus mediator non exſtitit temporibus V. T. nec eius ſatisfactio tunc præſtita eſt. E. Iſraëlitæ non potuerunt in V. T. in Chriſtum mediatorem credere. Reſp. (1) Chriſtus, qua Deus, eſt æternus: eſt enim *pater æternitatis*, Eſ. IX, 5. (2) Crediderunt Iſraëlitæ temporibus V. T. Meſſiam incarnandum & pro peccatis mundi immolandum. Qui quamvis in V. T. præſens non fuerit reſpectu humanæ naturæ phyſice, præſens tamen fuit moraliter. Id propter dicitur *agnus occiſus a fundatione mundi*, Apoc. XIII, 8. Nimirum (1) ratione decreti, (2) ratione promiſſi, (3) ratione typicæ repræſentationis in ſacrificiis V. T. (4) ratione efficaciæ & fructus meriti, quod valet antrorſum & retrorſum.

II. Iſraëlitas in V. T. non crediſſe in Chriſtum, indicare videtur Paullus, Gal. III, 23. *Antequam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi ſub fidem, quæ reuelanda erat.* Reſp. Sunt, qui intelligunt l. c. fidem, quæ creditur, ſeu doctrinam fidei de Chriſto, quæ luculentius & vberius reuelata, latiusque propagata eſt in nouo, quam veteri teſtamento. B. tamen LVTHERVS in *comment. vlt. in Galat. fol. 91.* & cum eo D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. in h. l.* intelligunt verba Paulli *de oppoſito cuiuscunque hominis ſtatu* ſub lege & gratia, hoc ſenſu: Antequam homo credit, ipſi imponenda eſt lex, vt ſub illa velut carcere concludatur, coërceatur & contriſtetur; contriſtato autem inculcanda eſt doctrina euangelica, vt promiſſione gratuitæ miſericordiæ erectus confugiat ad Chriſtum, qui eſt finis legis ad iuſtitiam omni credenti. Rom. X, 4.

III. Iuſtitiam fidei, in merito Chriſti defixæ, incognitam fuiſſe Iſraëlitis in V. T. innuere videtur apoſtolus, Rom. III, 21. *Nunc ſine lege Dei manifeſtata eſt iuſtitia, teſtificata a lege & prophetis, iuſtitia autem per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt.* Reſp. Si apoſtolus ſcripſiſſet: *Nunc primum* ſine lege iuſtitia *Dei* manifeſtata eſt, neruus quidam argumento ineſſet: at, illa voce omiſſa, adeo enerue eſt, vt inuerti queat: Quæ iuſtitia *Dei* nunc ſine lege *Dei* manifeſtata eſt, teſtificata autem a lege & prophetis, illa Iſraëlitis non fuit incognita. Nam nunc quidem manifeſtata eſt clarius & vberius, teſtificata autem iamdudum eſt in pentateucho Moſaico & ſcriptis propheticis, quamuis minori claritatis gradu.

Quæſt. X. *Suntne homines ad amplectendam religionem cogendi?*

*An homines cogendi ad religionem?*

Ad capeſſendam religionem intellectus humanus, vi verbi diuini, & ex eo petitis argumentis ſtringentibus, *logice* atque *interne* cogi poteſt (a), ſed nec poteſt, nec debet *vi ferri* politice atque *externe* cogi ad approbandam & amplexandam religionem, quam falſam eſſe cenſet (b).

Prob. a. Intellectus eſt potentia neceſſaria, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, non poteſt non agere. Si enim veritas vel ipſa per ſe eſt clariſſima, qualis eſt principiorum certiſſimorum & euidentiſſimorum: vel per optimas conſequentias probata & perſpicue propoſita eſt intellectui humano, hic ita conſtringitur, vt aſſenſum internum denegare nequeat. Sicut enim, poſito obiecto viſibili, luce illuſtrato in debita diſtantia, ita vt nullum ſubſit vitium in organo viſiuo ſiue oculo, impoſſibile eſt, quin oculus videat album & diſtinguat a nigro, nec ſinat ſibi perſuaderi coruum eſſe album, cygnum eſſe nigrum: ita fieri non poteſt, ſi obiectum clare ſit propoſitum intellectui, vt hic aſſentiatur falſo, diſſentiat a vero. Iam vero ſacram ſcripturam eſſe verbum *Dei* infallibile, clariſſime demonſtrari poteſt, ex certis κριτηρίοις, in primis ex efficacia ſcripturæ. Quod ſi itaque intellectus hominis conuictus eſt, S. ſcripturam eſſe verbum *Dei*, non poteſt non omne, quod vel in ſacris litteris habetur αὐτολεξεὶ, terminis terminantibus, vel ex ea per pronam & manifeſtam conſequentiam deducitur, propter auctoritatem irrefragabilem Dei dicentis ratihabere.



Digitized by Google

Prob. b. (1) Quia ſolus Deus mentium rex eſt, ſolusque in conſcientias habet dominium, ſcite loquente GREGOR. M. *libr. II. epiſt. 52.* inuolant igitur in ius diuinum, quotquot religionem imperant conſcientiis.

(2) Religione ſpontanea, non coacta Deus delectatur. Qua de cauſſa propheta regius vaticinatur, religionem chriſtianorum ſub nouo fœdere libere ſuſceptum & exercitum iri, Pſ. CX, 3. *Populus tuus* (populus erit) *promtitudinum.* Totus Pſalmus CX, agit de Chriſto, citatus ab ipſo Chriſto Matth. XII, 44. a Petro Act. II, 34. a Paullo 1. Cor. XV, 25. Hebr. I, 13. Nempe prædicente hieropſalte, populus chriſtianus erit alacris & promtus ad colendum Meſſiam, cui ſacrificia ſpiritualia offeret non coactus ferro, fuſte, igne, ſed interno Spiritus ſancti impulſu inſtinctus.

(3) Vt voluntas, ita religio cogi nequit; quoniam nihil tam voluntarium eſt, quam religio, a qua ſi animus auerſus eſt, iam ſublata, iam nulla eſt, iudice *Lactantio* libr. V, c. 19.

(4) Fides, quæ religionis chriſtianæ pars præcipua eſt, naſcitur non ex coactione, ſed verbi prædicati auſcultatione, Rom. X, 17. Sic verbo diuino Ionas Niniuitas, Petrus die pentecoſtes ter mille animas, Act. II, 41. Paullus Romanos, Corinthios, Epheſios, &c. conuerterunt. Quorum arma non fuerunt carnalia, ſed ſpiritualia, 2 Cor. X, 4. Neque iidem fidei auditorum dominari vnquam intenderunt, 2 Cor. X, 4.

Antitheſis eſt *Pontificiorum*, & *Muhammedanorum*, ſtatuentium, homines ad amplectendam religionem ferro & flammis cogendos atque hæreticos occidendos eſſe. Qui ſuam ſententiam munire nituntur argumentis ſeqq.

I. Ipſe ſaluator inquit: *Compelle intrare*, Luc. XIV, 23. Reſp. Diſt. inter *compulſum logicum, ſiue internum, & politicum, ſiue externum, cumque violentum.* Loco cit. non poteſt intelligi compulſus politicus & violentus. Compellauit enim verbis adductis ſaluator apoſtolos inuitantes, quibus ἀναγκασμὸς, ſiue compulſus politicus denegatus eſt, Matth. XX, 26.: *Vos autem non ſic.* Quare miniſtri eccleſiæ hoſpites intrare compellunt, verbum Iehouæ luculenter proponendo, petitis ex eo argumentis ſuadendo & obſecrando, non ferrum aut rotam minitando.

II. Magiſtratus eſt cuſtos vtriusque tabulæ decalogi. Ergo eius quoque eſt homines adducere ad verum *Dei* cultum aut ſuadendo, aut adhibita vi cogendo. Reſp. Magiſtratus eſt adducere non vi, ſed argumentorum neruis ad externa media, non immediate ad ipſum *Dei* cultum. Id quod theologi & paſtoris potius, quam magiſtratus politici eſt. Ideo *Conſtantinus* imperator dicere ſolitus eſt: Vos eſtis epiſcopi intra eccleſiam, ego extra eccleſiam.

III. Magiſtratus eſt, ciues a cultu idololatrico, propoſitis ſuppliciis capitalibus, deterrere. Quod patet ex mandato diuino Deuter. XII, 7. 8. 9. & exemplo Iehu, qui gladio percuſſit Baalitas, 2 Reg. X, 35. Reſp. in V. T. exſtant *mandata expreſſa de idololatris occidendis*, quæ in N. T. *de hæreticis non habemus.* Mandata vet. teſtamenti de necandis idololatris erant *iudicialia*, non *moralia*. Morale eſt, ſinceritatem religionis ſummo ſtudio eſſe conſeruandam & a corruptelis falſorum prophetarum vindicandam. Iudiciale ac forenſe eſt, idololatris capitale ſupplicium eſſe irrogandum, ad quod in N. T. non obligamur. Ceſſarunt enim leges forenſes in N. T. Nobis autem dictum eſt: *Annon ſcitis, cuius Spiritus ſitis vos?* Filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum, ſed ad ſeruandum, Luc. IX. 55. 56. Adiice, quod ingens diſcrimen ſit inter idololatriam, & hæreſin. Ibi *malitia lumini naturali*, (quod agnoſcit vnum Deum eſſe colendum) aduerſa graſſatur; hic *cæcitas myſteria fidei ſupernaturalia* non capiens veniam meretur. Dicit enim ſaluator; Matth. XIII, 30. *Sinite vna creſcere vtraque* (zizania cum tritico) *vsque ad meſſem.* Zizania ſunt hæretici, de quibus dicit

Digitized by Google

dicit dominus: *Sinite creſcere* ob Fidei obiectum ſupernaturale, ob ſpiritus Sionii præ Sinaitico maiorem ſuauitatem & lenitatem, ob ſpem futuræ conuerſionis. Cauete modo, ne hæreticorum callidis machinamentis triticum pereat. Ad conuictionem hæreticorum per argumenta inuicta non perit triticum, ſed e lolio in triticum mutatur. Sane periiſſet Auguſtinus, ſi vi ac cæde in Manichæos animaduerſum fuiſſet. Confer. DANNHAV. *Hodom. Sp. Pap. phantaſm. VI. p. 1382.*

IV. *Magiſtratus gladium non gerit fruſtra*, Rom. VIII, 4. E. puniat hæreticos eccleſiæ & pacis publicæ turbatores ſtricto in eos gladio. Reſp. Magiſtratus gerit gladium aduerſus mala opera, quæ moraliter, ciuiliter & externe mala ſunt; hæreſis, quia theologice mala & error mentis circa ſpiritualia eſt, non *materiali*, ſed *ſpirituali gladio* verbi diuini opprimenda eſt. Quod ſi vero hæreticus ſit turbator pacis & manifeſte blaſphemus, pœna corporis afflictiua coërcendus eſt, non vt hæreticus ſimplex, ſed vt blaſphemus & ſeditioſus.

Quæſt. XI. *Quaenam comprehenduntur nomine religionis chriſtianæ?*

Nomine religionis chriſtianæ comprehenduntur credenda & agenda homini viatori, peccatis corrupto, æternam ſalutem adepturo. *Contenta religionis chriſtianæ.*

Prob. Sicut *Deus* religioſe colitur vera fide, & ſincero bonorum operum ſtudio: ita religio, quæ eſt forma aut ratio colendi *Deum*, ambitu ſuo complectitur credenda & agenda.

Dicis: Aſſertio illa, qua religio dicitur complecti credenda & agenda, non videtur eſſe accurata. Nam (1) agenda etiam ſunt credenda, eo quod diuinitus ſunt reuelata. Quicquid *Deus* reuelauit, credendum eſt. (2) Credenda etiam includunt praxin, cum fides non ſit nuda theoria mentis, ſed praxis cordis. (3) Omittitur tertium membrum, nempe fugienda, ſiue omittenda, qualia ſunt peccata. Reſp. ad I. Largimur haud inuiti, agenda ſenſu laxiori credenda eſſe ob reuelationem diuinam: Sed heic ſtricte ſumuntur agenda, in quantum ſunt opera, prælucente fide ad gloriam *Dei* dirigenda: at credenda ſunt myſteria aſſenſu fidei recipienda. Ad II. Reſp. *Praxis fidei differt a praxi operum.* Illa præcedit, ordine naturæ, hæc ſequitur; fides bona opera dirigit: Opera a præuiis fidei actibus, notitia & fiducia, diriguntur. Ad III. Reſp. Nomine agendorum comprehenduntur etiam fugienda. Nam in diſciplinis practicis quodammodo agere dicitur, qui peccata fugit.

Obſ. (1) *Credenda* trifariam dicuntur *I. ſenſu generali. II. ſpeciali. III. ſpecialiſſimo.* Senſu *generali* dicuntur credenda, quæ verbo *Dei* ſcripto reuelata ſunt v. gr. phyſica, hiſtorica, moralia, ſupernaturalia, ſiue reſpiciant hominum æternam ſalutem, ſiue minus. Senſu *ſpeciali* credenda vocantur, quæ ob ſalutem hominum verbo *Dei* ſunt reuelata, & creduntur ob reuelationem diuinam, quamuis ex principiis rationis quodam modo innoteſcant. Senſu *ſpecialiſſimo* credenda appellantur myſteria, captu rationis ſuperiora, & ex ſola reuelatione diuina ad ſalutem noſtram cognoſcenda.

Obſ. (2) Aſſertiones, enunciationes, vel theſes dogmaticæ de credendis e verbo *Dei* formatæ, recepto loquendi vſu appellantur *articuli fidei.*

Quæſt. XII. *Quid eſt articulus fidei?*

Articulus fidei eſt pars doctrinæ verbo Dei ſcripto reuelatæ, de Deo & rebus diuinis, peccatori ſaluando ad credendum propoſitis. *Definitio artic. fidei.*

Obſ. (1) *Articulus* dicitur ab artu & hic ab arctando. Proprie notat membra corporis arcte connexa, ſicut particulæ digitorum arcte cohærent. Per metaphoram vox articulus translata eſt ad partes doctrinæ fidei, arctiſſimo nexu coniunctas. *Etymologia.*



Digitized by Google

Obſ. (2) Per *fidem* hic intelligitur fides, *quæ* creditur, ſeu doctrina fidei, cum reſpectu tamen ad fidem, *qua* creditur, ſiue ipſam in merito *Chriſti* defixam fiduciam.

Quæſt. XIII. *Quot modis ſumitur articulus fidei?*

*Homonymia.* Articulus fidei accipitur vel collectiue, vel diſtributiue. *Collectiue* notat integrum doctrinæ chriſtianæ caput: *diſtributiue* deſignat quamlibet aſſertionem ſiue enunciationem, quæ partem doctrinæ chriſtianæ conſtituit.

Prob. Doctrina chriſtiana diſtribuitur in capita ſiue locos theologicos, capita in theſes certas diuiduntur. Tam capita doctrinæ fidei, quam capitum theſes appellantur articuli fidei, v.gr. locus theologicus de *Chriſto* dicitur articulus fidei: & hæc propoſitio: *Chriſtus* qua carnem, ſedet ad dextram *Dei*, itidem nominatur articulus fidei.

Quæſt. XIV. *Quæ ſunt requiſita articulorum fidei?*

*Requiſita veri articuli fidei.* Ad verum articulum fidei requiritur, vt *verbo Dei ſcripto* ſit reuelatus (a), vt *ſalutem hominis* reſpiciat (b), vt cum reliquis fidei dogmatibus *arcte* ſit *connexus* (c), vt ſit *ineuidens* (d).

Prob. a. Articulus fidei verus dicitur, qui reuelationi *diuinæ*, quæ hoc tempore habetur in *ſacris litteris*, conformis eſt; ſiquidem in iisdem vel diſerte exſtat, vel ex illis per inuictam conſequentiam elicitur.

Prob. b. Omnis genuinus fidei articulus æternam hominum *ſalutem reſpicit vel directe*, in quantum explicat principia & media ſalutis; vel *indirecte*, quatenus eſt dogma remouens impedimentum ſalutis, ne ſpe vitæ æternæ excidamus. Neque enim omnes & ſinguli articuli fidei æqualem important reſpectum ad ſalutem æternam; ſed quidam inferunt reſpectum ad ſalutem proximum, quidam remotum.

Prob. c. Articulorum fidei concinna eſt *harmonia* & ſuauis quaſi concentus. Proinde fides conſueuit dici *vna copulatiua* & comparatur cum catena ex multis anſulis connexa. Tolle anſulam, & rupiſti catenam: ſummoue vnum fidei articulum, & turbaſti harmoniam fidei. Per hanc harmoniam fieri non poteſt, vt vnus articulus fidei alteri ſit contradictorie oppoſitus.

Prob. d. Sicut *euidens* (ſenſu ſtrictiori) dicitur, quod ductu luminis naturæ cognoſcitur, aut inueſtigatur (*): ita *ineuidens* eſt, quod non ex lumine naturæ, ſed ex ſupernaturali lumine diuinæ reuelationis cognoſci aut inueſtigari poteſt (**). Quibus probe obſeruatis, ſtatuendum eſt, quosdam articulos fidei *eſſe ineuidentes ratione obiecti materialis & formalis, quosdam eſſe ineuidentes tantum ratione obiecti formalis.*

Quæſt. XV. *Quodnam eſt obiectum articulorum fidei?*

Obiectum articulorum fidei ſunt τὰ πιςὰ, ſiue credenda. Credenda autem ſunt Deus & res diuinæ, quatenus ad ſalutem hominum diuinitus ſunt reuelatæ.

Obſ.

(*) Et ita quidem, vt eius *modum rationemque* clare ac diſtincte percipiamus: Sunt enim in rebus etiam naturalibus multa arcana, quorum cauſas ac rationes non ſatis euidenter cognoſcimus, nec vero dubitamus de rei veritate, quamuis modum ignoremus, vid. Ioann. III, 8. coll. Cohel. XI, 5.

(**) Ita, vt *rem* quidem ſciamus, *modum* autem, quo res fieri poſſit, Deo vni cognitum, mente & cogitatione complecti nemo vnquam valeat; quare dicuntur *μυςήϱια*, ſupra mentem, nec humanam ſolum, ſed etiam angelicam, Phil. IV, 7. add. 1 Pet. I, 12. Idcirco probe obſeruanda eſt diſtinctio, paucis quidem incognita, quod *euidentia* alia ſit *rei*, cuius modum ignoramus, alia *reuelationis*, quam perſpicue cognoſcimus.

Digitized by Google

Obſ. Ex his pateſcit, obiectum *materiale* articulorum fidei eſſe Deum & res diuinas: cuius obiecti *formale* eſt reuelatio ſupernaturalis diuinitus facta & directa ad hominum ſalutem.

Quæſt. XVI. *Quomodo diuiduntur articuli fidei?*

Articuli fidei ratione *obiecti* diuiduntur in *puros* & *mixtos*: ratione habitudinis ſiue *reſpectus* ad fundamentum fidei ſalutisque diuiduntur in *fundamentales* & *non fundamentales*. *Diſtinctio articulorum fidei.*

Quæſt. XVII. *Quinam ſunt articuli fidei mixti, quinam puri?*

*Mixti* dicuntur articuli fidei partes doctrinæ chriſtianæ de illis rebus diuinis, quæ tum ex lumine naturæ quadantenus ſciuntur, tum ex ſupernaturali lumine reuelationis diuinæ creduntur (a). Articuli fidei *puri* ſunt partes doctrinæ chriſtianæ de myſteriis diuinis, captu rationis humanæ ſibi relictæ ſuperioribus, diuinitus tamen reuelatis (b).

Prob. a. Partes doctrinæ chriſtianæ de exiſtentia, potentia, bonitate *Dei*, item, de creatione, conſeruatione & gubernatione mundi ſunt veri articuli fidei. Id quod non tantum diſcimus ex articulo I. ſymboli apoſtolici, ſed & ex teſtimonio Paulli, Hebr. XI, 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere (Deo). Credere enim oportet accedentem ad Deum, quod ſit & quærentibus ipſum retributor mercedis fiat.* Nemo vera *Deum* fide colet, nemo plenus fiducia ad eum accedet, niſi credat & eſſe Numen æternum, omnipotens, omniſcium, & curam agere rerum humanarum, ita, vt ſe colentibus optima quæque reddere velit. Tamen & ductu luminis naturæ exiſtentia, omnipotentia, & prouida *Dei* cura innoteſcit, teſte Paullo Rom. I, 19. Act. XIV, 17. c. XVII, 24. Ex quo factum eſt, vt nonnulli auctores anſam ceperint diſtinguendi articulos fidei in *puros*, & *mixtos*.

Dicis: Non dantur articuli fidei mixti, quia, quæ ſunt luminis naturalis & ſupernaturalis, nobis miſcere haud licet, perinde ac minime integrum nobis eſt ſumma imis, cœlum terræ miſcere. Reſp. Diſtinctio articulorum fidei in puros & mixtos dextre intelligenda eſt. Nam *nullus articulus fidei formaliter conſideratus, quatenus eſt articulus fidei, mixtus eſt;* ſiquidem omnes articuli fidei pendentes a diuina reuelatione, adeoque ratione *obiecti formalis*, ineuidentes ſunt. Diſtinguuntur autem in puros & mixtos, ratione *obiecti materialis.* Nempe *res* illæ diuinæ, quæ articulis fidei, quos mixtos vocant, exponuntur, partim ex ratione, partim ex ſupernaturali reuelatione conſtant. Conſtant, inquam, ex principiis rationis minus bene, minusque tuto & plene, e verbo autem reuelato longe melius, certius & plenius innoteſcunt in ſalutem hominis. Adiice, quod quædam *circumſtantiæ* circa res, ex vtroque lumine cognoſcibiles, meræ fidei & reuelationis ſint. Exemplo ſit creatio huius vniuerſi, *intra hexaëmeron* conſummata. Haud abs re inquit apoſtolus: *πίϛει νοȣ̃μεν κατηρτίσθαι τȣ̀ς αἰῶνας ῥήματι θεȣ̃.* Hebr. XI, 3.

Prob. b. Articuli fidei *puri* occupantur in explicandis myſteriis fidei, captum rationis humanæ, ſibi relictæ, tranſcendentibus. Μυϛήριον eſt *ἀπὸ τȣ̃ μύειν*, quod ſignificat oculos habere clauſos, os comprimere, & conſequenter tacere. A *μύειν* eſt *μυέειν*, quod ſignificat, aliquem honeſta doctrina imbuere. Μυεῖσθαι idem eſt, ac ſacris initiari. Ὁ *μύϛης* eſt homo ſacris initiatus, qui vel cum ſilentio audit alios & ſacra *diſcit*: vel, qui ea ſacrorum notitia imbutus eſt, vt ſacra *doceat*, reuerenti cum ſilentio audiendus. Vid. Phoſphor. *Crauſeri* p. 906. Τὸ *μυϛήριον*, quod æque, ac *ὁ μύϛης*, *ἀπὸ τȣ̃ μύειν* deſcendit, apud profanos auctores cum rem omnem arcanam, ſermone non temere enunciandam, tum in primis ſa-



Digitized by Google

cra Cereris Eleuſinia, alto ſilentio incluſa, notat. De quibus conſule, ſi placet, *Alexandr. ab Alex.* L. VI. D. G. c. 19 p. m. 364. In ſacris litteris μυςήϱια notant res diuinas & ſupernaturales, quæ rationi ſibi relictæ ſunt ignotæ, ineuidentes, noſtræ tamen ſalutis cauſa diuinitus reuelatæ. Quomodo incarnatio filii Dei vocatur ὁμολογυμένως μέγα μυςήϱιον, in confeſſo magnum pietatis myſterium, 1 Tim. III, 16. Vnio ſpiritualis *Chriſti* cum eccleſia, Eph. V, 32. Vocatio gentium, Eph. III, 3. Conuerſio Iudæorum ad fidem *Chriſti*, Rom. XI, 29. Immutatio eorum, qui in die nouiſſimo ſuperſtites erunt, 1 Cor. XV, 51. Finalis liberatio eccleſiæ, Apoc. X, 7. myſteria appellantur. Græcis patribus ſpecialiter *myſteria* dicuntur. *ſacramenta*, quorum œconomi ſiue diſpenſatores ſunt præcones ſacri, 1 Cor. IV, 1. Quæ partes doctrinæ chriſtianæ myſteria illa explanant, audiunt articuli fidei puri.

Quæſt. XVIII. *Quinam articuli fidei ſunt fundamentales?*

*Articuli fidei fundamentales.*

Articuli fidei fundamentales ſunt partes doctrinæ chriſtianæ, adeo neceſſariæ cognitu, vt, iis ignoratis, ab homine ſalutariter non apprehendatur, aut retineatur fundamentum fidei, negatis vero ab eodem, quantum in ipſo, labefactetur.

Quæſt. XIX. *Quodnam eſt fundamentum fidei & ſalutis?*

Fundamentum fidei eſt vel reale ſiue *ſubſtantiale*: vel *dogmaticum*, ſiue doctrinale. Fundamentum fidei & ſalutis *ſubſtantiale* eſt Chriſtus, quatenus eſt cauſſa meritoria conſequendæ a Deo remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, promiſſæ in euangelio omnibus, per efficacem Spiritus Sancti influxum in ipſum credentibus (a). Fundamentum fidei & ſalutis *dogmaticum* eſt complexus dogmatum diuinitus reuelatorum, quibus Chriſtus fundamentum fidei ſubſtantiale, & cum eo neceſſario connexa principia mediaque ſalutis explicantur (b).

Obſ. I. Fundamentum eſt ex numero eorum, quæ inferunt reſpectum ad aliud. Reſpicit autem fundamentum rem, quam fundat, & cui ſuſtentando ſubſternitur. Definitur a D. NICOL. HVNNIO Διασκέψει *de fundam. diſſ. q 1. c. 1. p. 7.* Fundamentum eſt, quod in vnaquauis ſtructura eſt primum, & toti ſtructuræ ſubſtat, nec ab alio ſuſtentatur. A D. IO. MVSAEO in *introduct. theol. p. 166.* deſcribitur ſic: Fundamentum eſt, quod in vnaquaque re eſt primum, quodque ratio vel cauſſa eſt, cur id, quod fundat, ſit, aut eſſe poſſit. Vnde h. l. κατ' ἀναλογίαν fundamentum fidei & ſalutis dicitur id, quod in fide iuſtifica, hominumque ſalute primum eſt, eſtque ratio & cauſſa, cur fides ſaluifica & ſalus ipſa hominum ſit, aut eſſe poſſit.

Obſ. II. Quamuis fides, & ſalus hominis differant, vt duo fines theologiæ ſubordinati, ſiquidem fides eſt propter hominum ſalutem: attamen fundamentum vtriusque idem eſt. Nam cui ſalus, eidem fides ſaluifica hominum innititur; cum fides a ſuo fundamento habeat, quod ſaluifica eſt, & ab eodem ſalus hominum pendeat. Quare conſulto heic fidem & ſalutem hominum ſubinde coniungimus.

Obſ. III. Additur a nonnullis theologis *fundamentum fidei organicum*, per quod intelligitur ſacra ſcriptura, conſiderata, vt fundamentale principium cognoſcendi articulos fidei. De quo cap. ſequenti.

Prob. a. Ex 1 Cor. III, 11. *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter poſitum, quod eſt Chriſtus.* Loquitur S. Paullus de fundamento eccleſiæ, quam cum agro bene culto & cum eleganti ædificio comparauerat v. 9. Seipſum contulerat ſapienti architecto (miniſteriali

Digitized by Google

riali) v. 10. *Chriſtum* autem vocat fundamentum ædificii v. 10. Vniuerſa enim eccleſia, quæ eſt domus *Dei* viuentis, 1 Tim. III, 15. *Chriſto*, ceu petra immobili, nititur, vt ne eandem portæ inferorum ſubigere valeant. Matth. XVI, 18. Cum autem eccleſia ſit cœtus hominum fidelium & ſaluandorum, haud inualide colligitur, *Chriſtum* etiam eſſe fundamentum fidei & ſalutis. Fideles enim & ſaluandi fundamento *Chriſto* ſuperſtructi ſunt, quatenus ſunt fideles & ſaluandi, ſiue quod eodem redit, ratione fidei & ſalutis. Conſentit S. Petrus Act. IV, 11. 12. *Hic Ieſus Chriſtus Nazarenus eſt lapis reprobatus a vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Et non eſt in alio ſalus.* Perinde ac ſi dicat: In ſtructura ſalutis *Chriſtus* eſt primum illud, a quo ſalus oritur: eſt enim ratio & cauſſa, cur fides ſaluifica, remiſſio peccatorum, & æterna ſalus ſit, aut eſſe poſſit.

Prob. b. Ex Eph. II, 20. *Superædificati ſuper fundamento apoſtolorum & prophetarum, cuius lapis angularis eſt Ieſus Chriſtus.* Sermo eſt S. Paullo de fundamento fidei dogmatico. Nam per fundamentum apoſtolorum & prophetarum innuit doctrinam, ab apoſtolis & prophetis, qua viua voce, qua ſcriptis traditam, quippe quæ eſt baſis immobilis, a qua ſtructura fidei ſalutisque aſſurgit & ſtabilitur. Ceterum docet apoſtolus ἀκρογωνιαῖον, ſiue *lapidem angularem* eſſe *Chriſtum*, indigitaturus, doctrinam propheticam & apoſtolicam ita eſſe fundamentum, vt & ipſa *Ieſu Chriſto*, velut imo angulari lapide & fundamento vltimo nitatur, & ratio fundamenti vltimo in eum redeat. Vt enim lapis angularis duos coagmentans parietes omnibus obuius & conſpicuus prominet; ita *Chriſtus* doctrinam propheticam & apoſtolicam connectens inſigniter in eadem eminet. Indiuulſo interim nexu miſericordia *Dei* patris & gratia Spiritus S. applicatrix cum fundamento *Chriſto* cohæret. Nam *miſericordia Dei generalis atque vniuerſalis Chriſtum* fundamentum poſuit. Eſ. XXVIII, 16. Io. III, 16. Specialis autem *Dei* miſericordia credentibus peccata remittens in merito *Chriſti* fundatur. Quod enim *Deus* peccatoribus, ſalua ſua iuſtitia immutabili, peccata remittere poteſt, & eadem credentibus ſe remiſſurum promiſit, id omne eſt ex *Chriſti* merito & ſatisfactione, pro peccatis totius mundi præſtita. Quam ob rem *nos Deo reconciliati gloriamur quidem in Deo, ſed per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Rom. V, 11. *In quo omnes promiſſiones Dei ſunt, vel καὶ* Ἀμὴν, 2 Cor. I, 20. *Gratia Spiritus Sancti applicatrix* fidem ſaluificam, quam mediante verbo donat & ſtatuminat, *Chriſto* fundamento ſuperſtruit. Nam cum Eph. II, 20. docuiſſet apoſtolus, *Chriſtum* eſſe lapidem angularem fundamenti prophetici & apoſtolici v. 22. addit: *Per quem etiam vos vna ædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Mens apoſtoli eſt: Vos Epheſii, origine gentiles, vna cum iudæis ædificamini ſuper *Chriſto*, lapide angulari totius doctrinæ chriſtianæ, per efficacem operationem Spiritus S. per quem conuertimini & regeneramini, vt *Deus* præſentia ſua gratioſa in vobis habitet. E. quibus conficitur, fundamentum fidei dogmaticum eſſe catalogum, ſeriem & complexum omnium illorum dogmatum, quibus ſatisfactio & meritum *Chriſti*, miſericordia *Dei* patris, & gratioſa Spiritus S. operatio, homini ſaluando ad credendum proponuntur & explicantur.

Dicis: Vnius rei vnum tantum eſt fundamentum. E. non datur duplex fundamentum, nempe reale & doctrinale. R. Fundamentum fidei ſalutisque ſubſtantiale, & dogmaticum, non ſunt duo fundamenta adæquate contradiſtincta, neque differunt ſecundum rem, ſed ſecundum noſtrum concipiendi modum propter diuerſa connotata. Etenim *Chriſtus eſt fundamentum ex parte rei: doctrina de Chriſto eſt fundamentum ex parte noſtræ cognitionis. Doctrina autem de Chriſto nihil eſt aliud, quam Chriſtus intellectu cognitus, & aliis ad cognoſcendum verbo ſcripto aut prædicato propoſitus.* Non ergo differunt fundamentum dogmaticum, & ſubſtantiale, niſi vt doctrina, & doctrinæ obiectum, quæ demum iunctim

ſumta

Digitized by Google

ſumta conſtituunt fundamentum reapſe vnum, quamuis mens noſtra illud vt duplex concipiat. Neque etiam vnum ab altero poteſt diuelli, ſed fides noſtra ita fertur in doctrinam de *Chriſto*, vt per eandem creditam tendat in ipſum *Chriſtum*, per doctrinam ſignificatum aut repræſentatum, eidemque ſic apprehenſo & credito, velut imo lapidi angulari, innitatur.

Quæſt. XX. *Quomodo diuiduntur articuli fidei fundamentales?*

*Articuli fidei fundamentales primarii.*

Articuli fidei fundamentales diuiduntur in *primarios*, & *ſecundarios*. Articuli fidei *primarii* ſunt præcipuæ partes doctrinæ chriſtianæ, quarum diſtincta cognitio ad obtinendam fidem & ſalutem adeo neceſſaria eſt, vt iis ignoratis, nec fides generari aut conſeruari, nec æterna ſalus impetrari poſſit. Subdiuiduntur in articulos fidei *conſtituentes*, *antecedentes*, & *conſequentes*. Articuli fidei *conſtituentes*, ſiue formales, ſunt, qui proximas fidei ſalutisque cauſſas explicant, atque adeo ipſam cauſſalem fidei ſaluificæ definitionem ingrediuntur (a). *Antecedentes* fidei articuli ſunt, quibus exponuntur fidei ſaluificæ præſuppoſita adeo neceſſaria, vt, iis non præexiſtentibus, ipſum fidei fundamentum non exſiſtat (b). *Conſequentes* fidei articuli ſunt, qui explanant fidei ſaluificæ conſequentia, quibus poſitis, fides diuinitus collata confirmatur, conſeruatur, augeſcit & exſeritur: non poſitis, fides accenſa exſtinguitur & euaneſcit (c).

Prob. a. Definitio cauſſalis fidei ſaluificæ ſequentibus verbis concipi poteſt. Fides ſaluifica eſt medium diuinitus collatum, quo peccator, efficaci Spiritus S. operatione, mediante verbo diuino, conuerſus & renatus, gratiam Dei peccata remittentem, in merito Chriſti fundatam, & in euangelio promiſſam, acceptat, ſingularique cum fiducia ſibi applicat, vt iuſtificetur & æternum ſaluetur. Quicunque articuli fidei datam definitionem fidei ſaluificæ ingrediuntur, ſunt e cenſu articulorum fidei *conſtitutiuorum*, ſiue formalium. Quos ordine decenti percenſebimus. I. Eſt de *Deo triuno*, cauſſa efficiente fidei, iuſtitiæ & ſalutis: quamuis collatio virium credendi in ſacris litteris approprietur Spiritui ſancto, quem Paullus appellat Spiritum fidei, 2 Cor. IV, 13. II. Eſt de *peccato & peccatore*, vtpote qui eſt cauſſa remota materialis, in qua fides accenditur. III. Eſt de *verbo Dei*, *vt gratiæ & ſalutis medio*, quo mediante peccator malitioſe non obſiſtens conuertitur & regeneratur, iuxta atque obiectum fidei offertur. IV. Eſt de *conuerſione peccatoris*, quatenus in ſenſu ſtrictiſſimo notat actionem *Dei* gratioſam, qua voluntatem & cor hominis in medio peccati ſtatu per verbum legis inhibet, frangitque ac conterit, vt de peccatis ſerio doleat ac contriſtetur; cuius immediatus effectus eſt contritio. Peccator contritus eſt ſubiectum proximum, cui fides confertur. V. Eſt de *regeneratione*, quippe quæ eſt actio Spiritus S. gratioſa, qua peccatori contrito tum vires credendi, tum ipſa fides conferuntur. VI. Eſt de *gratia Dei iuſtificante*, cuius effectus eſt remiſſio peccatorum & iuſtitia *Chriſti* imputata. VII. Eſt de *Chriſto mediatore*, *eiusque ſatisfactione & merito*, in quo gratia *Dei* iuſtificans fundatur. Gratia autem *Dei* iuſtificans in merito *Chriſti* fundata, & in euangelio promiſſa, eſt obiectum fidei ſaluificæ. VIII. Eſt de ipſa *fide ſaluifica*, quatenus eſt ὄργανον ληπτικὸν, ſiue medium ex parte peccatoris conuerſi & renati, gratiam *Dei*, meritum *Chriſti* & promiſſionem euangelicam indubitata cum fiducia acceptans, & ſingulariter applicans: in qua acceptatione fiduciali conſiſtit forma fidei. IX. Eſt de *ſalute æterna*, tanquam fine vltimo fidei ſaluificæ.

Obſ. I. Recenſiti articuli fidei fundamentales conſtitutiui ſequenti theſi dogmatica comprehendi poſſunt:

*Deus*

Digitized by Google

*Deus, motus miſericordia in genus humanum lapſum propenſiſſima, omnes miſeros peccatores, malitioſe non obſiſtentes efficaci operatione Spiritus Sancti, mediante verbo ſuo efficaciſſimo, conuertit & regenerat, renatos, propter ſatisfactionem Chriſti mediatoris, euangelica promiſſione oblatam, & vera cordis fiducia acceptatam, atque ſingulariter applicatam, iuſtificat, iuſtificatos æternum vult ſaluare.*

Huic fundamento innititur homo viator peccato corruptus, remiſſionem peccatorum atque æternam ſalutem adepturus, & ſequenti ratione ſubſumit atque concludit. Ego ſum miſerrimus peccator, Spiritus Sancti operationi adeo non obſiſtens, vt lubens potius verbum eius admittam, deuotus audiam, aſſiduus mediter; peccata mea commiſſa ſerio agnoſco, doleo, deteſtor; fiducia indubitata, a Spiritu Sancto mihi donata, gratiam Dei, peccata, ob ſatisfactionem Chriſti, condonantem, & euangelica promiſſione oblatam, accepto & mihi in indiuiduo applico. Ergo certo credo, quod Deus mihi peccata mea remittat, iuſtitiam Chriſti imputet, & æternum me ſit ſaluaturus.

Maior continet ipſum fundamentum fidei & ſalutis. Minorem confirmat conſcientia, e verbo Dei illuminata. Concluſio itaque, fundamento fidei & ſalutis ſubnixa, eſt certiſſima.

Obſ. II. Quamuis commemorati fidei articuli proxime reſpiciant fundamentum fidei ſalutisque reale, nempe Chriſtum mediatorem; non tamen totale & adæquatum fundamentum fidei ſalutisque dogmaticum plene planeque abſoluunt, ſed ad id conſummandum & ex parte noſtræ cognitionis conſolidandum requiruntur etiam articuli fidei fundamentales *antecedentes*, & *conſequentes*. Id quod diſcimus ex Hebr. VI, 1. 2. vbi apoſtolus grauiter inquit: *Quapropter omittentes ſermonem initii Chriſti ad perfectionem feramur, non iterum fundamentum iacientes pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fide in Deum, baptiſmorum doctrinæ, impoſitionisque manuum, reſurrectionisque mortuorum & iudicii æterni.* E quibus verbis liquido innoteſcit, apoſtolum fundamento fidei doctrinali non tantum diuina dogmata de fide in Deum, de conuerſione peccatoris, verum etiam de baptiſmo, & ob paritatem rationis de S. euchariſtia, de miniſterio eccleſiaſtico, de reſurrectione mortuorum & extremo iudicio accenſere (*).

Prob. b. Priusquam peccator æternam ſalutem adepturus iuſtificam in Chriſtum concipiat fidem, dogmata quædam diuinitus ad ſalutem hominum reuelata præſupponat, neceſſe eſt. Præſuppoſitum I. eſt de *exiſtentia Dei* optimi, potentiſſimi, ſapientiſſimi & veriſſimi, creatoris, conſeruatoris & gubernatoris huius vniuerſi, benefactorum remuneratoris benigniſſimi, malefactorum vindicis iuſtiſſimi. Hoc præſuppoſitum inculcat apoſtolus Hebr. XI, 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quod ſit, & quærentibus ipſum retributor mercedis fiat.* Quod ſi non eſſet Deus, nullus eſſet mediator. *Nam Chriſtus eſt mediator Dei & hominum.* 1 Tim. II, 5. II. Ad fœdam peccati deformitatem & peccatoris miſeriam rite ponderandam, præcognoſcenda eſt *imago Dei*, quæ ſplendidiſſime refulſit in protoplaſtis hominibus, eaque per lapſum Adamiticum amiſſa, peccatum hominum immane quantum deformauit. III. Verbo Dei, conſiderato vt gratiæ & ſalutis medio, præſupponenda eſt eius *auctoritas diuina & veritas infallibilis:* qua niſi polleret, non vi præualida cor peccatoris percelleret, aut penetra-

(*) Aliam eſſe illius dicti ſententiam, nimirum illuſtres V. T. typos, Chriſtum futurum ſignificantes, qui profecto erant ὁ τῆς ἀρχῆς τȣ͂ χριςȣ͂ λόγος, & cuius nunc τελειότητα, complementum conſummationemque in Ieſu noſtro cernimus, illos igitur typos hiſce verbis indicari, luculentis equidem argumentis, præcipue autem ex ſcopo vniuerſæ huius epiſtolæ, vt & ex aliis locis, huic finitimis, demonſtratum iui in mea *dec. diſſert. S. cap. VII.*



Digitized by Google

traret ad deteſtandum peccata & concipiendam fidem in Chriſtum. IV. Dogmati de conuerſione peccatoris præſtituenda eſt pars doctrinæ chriſtianæ de *defectu liberi arbitrii in ſpiritualibus*, vt peccator obcæcatus & deprauatus, agnita miſeria connata & malitioſe contracta, ſe totum permittat gratiæ Spiritus Sancti, conuerſionem incipienti & perficienti. V. Regenerationem antecedit *vocatio ad eccleſiam & pænitentiam*, nec non *illuminatio per legem & euangelium*. VI. Gratiæ Dei iuſtificanti anteſtat doctrina cœleſtis de *beneuolentia Dei vniuerſali*, qua miſertus omnium & ſingulorum peccatorum deſtinauit mediatorem, cuius ſatisfactionem pro peccatis totius mundi gratioſe acceptare decreuit: quam vt ſuam facerent miſeri peccatores, omnibus malitioſe non obſiſtentibus conferre voluit fidem, ad quam obtinendam efficaciſſima ordinauit, omnibusque hominibus propoſuit, media. Quæ miſericordia Dei vniuerſalis niſi præexſiſteret, nec fides in Chriſtum, nec remiſſio peccatorum, nec æterna ſalus exſiſterent. VII. Ad cognoſcendum Chriſtum mediatorem prærequiritur doctrina *de deitate & humanitate Chriſti, atque vnione perſonali duarum naturarum in Chriſto*, quod ſit verus Deus & verus homo, & peccati, & potentiæ peccandi expers: qui niſi fuiſſet, peccata ſanguine ſuo expiare non potuiſſet. Satisfactioni autem & merito Chriſti immediate præſupponitur eius *ſufficientia & vniuerſalitas*, quoad intentionem applicandi ex parte Dei, quæ non eſt quidem proxima fiduciæ materia, ſed doctrina immediate ſubſtans: quemadmodum fidei in beneuolentiam diuinam ſubſtat huius vniuerſalitas, ex qua meriti vniuerſalitatem ſequi manifeſtum eſt. Fieri quidem non poteſt, vt, qui gratiam Dei propter Chriſti ſatisfactionem ſperat, non cogitet, an illa ſatisfactio tam vber ſit, vt ipſe ea potiri poſſit, an Deus etiam velit, vt ipſe ea fruatur? Sed eo ipſo, quando quis bonitati diuinæ ob meritum Chriſti confidit, non neceſſum eſt fieri, vt ſimul vno conceptu de vniuerſalitate vel ſufficientia ſollicitus ſit, modo firmiter & indubitato eam præſuppoſuerit; ſunt verba b. HÜLSEMANNI in diſſert. *de dogmatibus ad ſalutem creditu neceſſariis p. m. 491.* VIII. Fiduciali meriti Chriſti applicationi prælucet *cognitio Chriſti & aſſenſus promiſſioni euangelicæ præbitus.* IX. Peccator credens, ſe ex gratia Dei propter ſatisfactionem Chriſti vera fide apprehenſam æternæ ſalutis compotem fore, præſupponit dogmata diuina de *morte*, quatenus eſt tranſitus ad æternam vitam, de *reſurrectione mortuorum* & *iudicio extremo.* Quæ partes doctrinæ chriſtianæ iam recenſita fidei præſuppoſita exponunt, communiter vocantur articuli fidei *fundamentales antecedentes.*

Prob. c. *Articulis fidei fundamentalibus conſequentibus* explicantur ea credenda, quæ fidem iuſtificantem conſequuntur, firmant & a poſteriori certificant, ſeruant & augent, exſerunt & declarant. E quorum cenſu eſt I. *articulus fidei de verbo Dei, vt gratiæ & ſalutis medio.* Quamuis enim illud ſupra retulerimus inter cauſſas proximas generandæ fidei, crebra tamen eius meditatio, auſcultatio & lectio fidem ſtabilit & auget. Docet id apoſtolus Petrus, 1 Ep. c. II, 1. *Tanquam modo geniti infantes verbale ſincerum lac deſiderate, vt per illud creſcatis. Verbum Dei* non tantum eſt ſemen, quo fides generatur, 1 Petr. I, 23. ſed *& lac defecatum*, quo illa nutritur, augetur & roboratur. II. De *ſacramento baptiſmi*, poſſet forte quiſpiam doctrinam de baptiſmo articulis fidei fundamentalibus conſtitutiuis accenſere, quia infantes eodem *regenerantur*, Io. III, 5.; & Chriſtum induunt, Gal. III, 27. At *infantes efficaciam baptiſmi potius ſentiunt, quam vt notitiam de baptiſmi efficacia præſupponant*, cenſente D. KROMAYERO in *ſyſtem. proœmio p. 9.* Baptiſmus adultorum fidem ex verbo Dei hauſtam obſignat & auget, ſiquidem ad inſtar circumciſionis hodie *ſigillum eſt iuſtitiæ fidei.* Rom. IV, 11. III. De *ſacramento cœnæ.* Eſt enim illud a ſaluatore inſtitutum, vt in & cum pane ſumtum Chriſti verum & ſubſtantiale corpus quemvis ſumentem certificet, illud corpus, quod edit, pro ipſo eſſe in mortem traditum: quem bibit ſanguinem pro ipſo in ſingulari &

in

Digitized by Google

in indiuiduo fuſum eſſe, quo firma & indiuulſa fiducia Saluatori ſuo adhæreſcat. IV. De *vnione myſtica animæ renatæ cum Deo, ex qua oritur fidei confirmatio, & eiusdem ſenſus.* De ſenſu fidei loquitur apoſtolus, 2 Cor. XIII, 5.: *Vos ipſos tentate, num ſitis in fide, vos ipſos probate. Aut* (num) *non cognoſcitis vos ipſos, quod Ieſus Chriſtus in vobis ſit.* In quibus Ieſus Chriſtus gratioſe habitat, illi cognoſcunt, ſeipſos Chriſto per fidem eſſe inſitos, dum fidem ſuam tentant & probant ex propoſito pie viuendi, ex pace conſcientiæ, gaudio interno, & ſpe viua, ad quam renati ſunt, per reſurrectionem Chriſti ex mortuis. 1 Petr. I, 3. Qui autem accurato examine probat fidem ſuam, huius ſenſum & experimentum habet. De confirmatione fidei idem inquit apoſtolus, 2 Cor. I, 22.: *Deus obſignauit nos & dedit arrhabonem ſpiritus in cordibus noſtris.* Deus, miſſo ſuo Spiritu Sancto in corda noſtra, *fidem, iuſtitiam & ſpem futuræ hereditatis confirmauit.* V. De *renouatione, ſiue ſanctificatione, cuius effecta ſunt bona opera*, quibus viua fides profertur & oſtenditur: & quibus non ſequentibus fidem iuſtificam, hæc exſtinguitur & euaneſcit. De quo nos monet S. Iacobus, c. II, 18. 20.: *Oſtende mibi fidem tuam ex operibus tuis. - - Viſne vero ſcire, o homo vane! quod fides ſine operibus mortua ſit?* Vt præſentia operum a poſteriori præſentiam fidei iuſtificantis demonſtrat: ita abſentia B. O. fidei mortuæ eſt indicium. VI. De *eccleſia.* Cum enim Chriſtus ſit caput & rex eccleſiæ, defenſurus eandem, ne portæ inferorum ipſam opprimant, Matth. XVI, 18. fiducia renatorum maxime ſolidatur, quoniam confidunt, ſe tanquam viua eccleſiæ membra ſub regimine ac præſidio Chriſti, ac diaboli inſidiis, mundi illecebris non magis, quam fremitu, atque prædominio carnis defenſum iri. VII. De *miniſterio eccleſiaſtico*, cuius opera Spiritus S. vtitur ad applicandum homini ſaluando media gratiæ & ſalutis. Quapropter apoſtolus graphice depingit officium miniſtrorum eccleſiæ, 1 Cor. IV, 1.: *Sic nos reputet homo tanquam miniſtros Chriſti & œconomos myſteriorum Dei.* Qui habendus & reputandus eſt tanquam miniſter Dei, ille fide diuina æſtimandus eſt organum diuinum, quo ad excitandam & confirmandam fiduciam in Chriſtum Spiritus S. vtitur.

Quæſt. XXI. *Quinam articuli fidei ſunt fundamentales ſecundarii?*

*Articuli fidei fundamentales ſecundarii.*

Articuli fidei fundamentales ſecundarii ſunt, quorum ſimplex ignoratio non officit ſaluti; pertinax autem negatio vel impugnatio fundamentum fidei labefactat. Quales ſunt partes doctrinæ chriſtianæ de perſonarum diuinarum proprietatibus characteriſticis (a), de communicatione idiomatum in Chriſto (b), de peccato originis (c), de decreto electionis intuitu fidei finalis (d), de iuſtificatione peccatoris per ſolam fidem, excluſo bonorum operum merito (e), &c.

Obſ. I. *Articuli fidei ſecundarii non tam integra ſunt capita doctrinæ fidei*, quam illorum *partes & declarationes.* Dicuntur *articuli fidei* ſenſu diſtributiuo, quatenus ſunt dogmata diuinitus reuelata, cum fundamento fidei & ſalutis cohærentia. Merentur & retinent nomen articulorum *fundamentalium*, quia negatio alicuius articuli ſecundarii neceſſario & ſemper importat errorem, fundamento fidei & ſalutis indirecte aduerſantem, & quo per conſequentiam ipſum fundamentum, vel aliquid, absque quo id ſaluum eſſe non poteſt, deſtruitur.

Obſ. II. Quamuis ſimplex ignoratio articulorum fidei ſecundariorum non officiat ſaluti, omni tamen ope contendendum eſt doctoribus eccleſiæ & ſcholarum, vt chriſtiani incipientes ſubinde maiores in cognoſcendis ſalutaribus dogmatibus progreſſus faciant. Sic enim futurum eſt, vt articulis fundamentalibus primariis, quorum declarationes quædam ſunt articuli ſecundarii, proniorem & validiorem aſſenſum præbeant.



Digitized by Google

Prob. a. Homines rudiores, ſacris chriſtianorum initiati, fide ſimplici credunt in Deum vnum, qui eſt & vocatur Deus pater, filius & Spiritus S. Credunt alium eſſe Deum patrem, alium filium Dei, alium Spiritum ſanctum, neque tamen eſſe tres Deos, ſed vnum verum Deum, a quo ſunt, conſeruantur & gubernantur omnia. At haud raro contingit, vt iidem ignorent, quomodo differat perſona ab eſſentia? in quo differat perſonalitas Spiritus S. a perſonalitate filii Dei? ſeu quis & qualis ſit vtriusque character proprius & diſcretiuus? Quæ ſimpliciſſima ignorantia, oppoſiti erroris expers, per ſe non damnat. Sed vero ſi quis præfracte neget æternam generationem filii Dei a patre, & æternam proceſſionem Spiritus S. a patre & filio, is vel non eodem religioſo cultu venerabitur filium Dei & Spiritum S. quo colitur Deus pater: vel cum *Sabellianis* tres diuinitatis perſonas confundet, & conſequenter articulum fundamentalem de Deo vno & trino, quantum in ipſo, conuellet.

Prob. b. Credit homo renatus hebetioris ingenii in Chriſtum verum Deum, & verum hominem, vnum mediatorem Dei & hominum; ſed mente non aſſequitur, quomodo natura diuina ſuas proprietates communicauerit aſſumtæ humanæ naturæ, huiusque idiomata ſibi appropriauerit, illa ignorantia ſimplex non obeſt ſaluti. Si quis autem contumaciter infitietur communicationem idiomatum, fluentem ex vnione perſonali duarum Chriſti naturarum, conſequenter fundamentalem fidei doctrinam de vnione hypoſtatica duarum naturarum impugnabit.

Prob. c. Ad concipiendam fidem in Chriſtum non ſimpliciter requiritur notitia peccati originalis ab Adamo in poſteros deriuati; (poteſt enim peccator ſua peccata ſerio agnoſcere, lugere & deteſtari, qui labem originalem, præſertim acroamatice, non intelligit:) requiritur tamen ad præcauendam opinionem contrariam, quæ eſt perſuaſio perfectæ ſanctitatis, & facultatis diuina mandata plene ſeruandi: qua ſi quis fallitur, ad ſeriam agnitionem peccati, & veram contritionem non peruenit. Proximum autem ſubiectum, cui fides ſaluifica confertur, eſt cor contritum.

Prob. d. Inuenias in cœtu chriſtianorum idiotas, firme credentes, ſe a Deo ex gratia indebita, propter meritum Chriſti, remiſſionem peccatorum & æternam ſalutem conſecuturos eſſe, nil tamen cogitantes de æterno electionis decreto a Deo facto intuitu finalis in Chriſtum fidei: hos non damnabit ſimplex ignorantia electionis; ſed malitioſa negatio hanc importat conſequentiam, quod Deus in tempore homines non ſaluet intuitu fidei perſeuerantis in Chriſtum: propterea quod decretum & eius exſecutio ſibi accurate reſpondent.

Prob. e. Iuſtificatio peccatoris conuerſi per fidem in Chriſtum eſt articulus fidei fundamentalis conſtitutiuus. Sed contingit, vt peccator peccata agnoſcens & deteſtans omnem fiduciam collocet in Chriſto mediatore, cuius memoriam non ſubeat excluſio bonorum operum. Quis hunc condemnaret; negans vero peccatorem ſola in Chriſtum fide iuſtificari, is impingit in articulos fundamentales primarios de gratia Dei & merito Chriſti.

Obſ. *Negatio fit vel a ſeductore pertinaci*, vel *a ſeducto ex mera ignorantia & ſimplicitate*, aliquod dogma fidei infitiante. Prioris negatio deſtruit articulum fidei primarium, quem poſterioris inſcitia illæſum relinquit. Ratio eſt, quia negatio articuli fidei ſecundarii non adverſatur fundamento fidei, niſi per conſequentiam. Conſequentiam autem non capit, qui ex ſimplicitate illam negatiuam amplectitur. Ideo cum fundamento fidei illa negatio ſtare poteſt. Contra pertinax negatio comitem trahit errorem fundamento fidei contrarium.

Quæſt. XXII. *Num omnes articuli fidei fundamentales αὐτολεξεὶ ſiue verbotenus in ſacra ſcriptura comprehenduntur?*

Quidam articuli fidei fundamentales ῥητῶς, ſiue diſertis verbis in ſacris litteris leguntur (a). Quidam διανοητικῶς & ſecundum rem tantum in ſacra ſcriptura con-

Digitized by Google

continentur, qui per manifeſtam & immotam conſequentiam ex illa percipiuntur (b).

Prob. a. Expreſſe ſcriptum legimus, tres eſſe, qui teſtificantur in cælo, patrem, verbum & Spiritum ſanctum, & hos tres eſſe vnum: 1 Io. V, 7. Chriſtum verum eſſe hominem, 1 Tim. II, 5. eundem verum eſſe Deum, 1 Io. V, 21. vnum mediatorem Dei & hominum, 1. Tim. II, 5. filium Dei vnigenitum: Io. I, 14. Spiritum ſanctum a patre procedere: Io. XV, 26. Omnes gentes eſſe baptizandas. Matth. XXVIII, 19.

Prob. b. Per validam conſequentiam inferimus, Deum, vnum eſſentia, perſonis eſſe trinum, Deum ab æterno genuiſſe filium ὁμοȣ́σιον, Chriſtum eſſe vnam perſonam e duabus conſtantem naturis, Spiritum ſanctum etiam a filio Dei procedere, infantes eſſe baptizandos &c.

Quæſt. XXIII. *Quinam articuli fidei ſunt non-fundamentales?*

*Articuli fidei non-fundamentales.*

Articuli fidei non fundamentales ſunt partes doctrinæ chriſtianæ, quæ citra iacturam ſalutis ignorari & negari poſſunt.

Prob. exemplis. Conſtat, quædam dogmata diuinitus reuelata in vtramque partem ventilari. v. g. Sintne aquæ, diuinitus locatæ ſupra expanſum, nubes, an aquæ ſupra cœleſtes? Sitne mundus conditus tempore verno, an auctumnali? vtrum primum peccatum angelorum lapſorum fuerit inuidia, an ſuperbia? Sitne futurus mundi interitus ſubſtantialis, an accidentalis? Quod ſi peccator æternam ſalutem adepturus aquas ſupra cœleſtes ignorauerit, aut negauerit, nec ſpe ſalutis excidit, nec deſtruet fundamentum fidei, quippe quod eiusmodi quæſtiones aut aſſertiones non attingunt.

Obſeru. In his extrafundamentalibus dogmatibus caute verſemur, neque temere amplectemur errorem, ne in ipſam reuelationem Dei peccemus. In primis contra conſcientiam & cum ſeductione aliorum nil doceamus, neque in vllum articulum fidei fundamentalem impingamus.

Quæſtio XXIV. *Suntne omnes articuli fidei cognitu æque neceſſarii?*

*De neceſſitate artic. fidei.*

Omnes articuli fidei fundamentales ſunt cognitu neceſſarii, ſed diſpari neceſſitatis gradu. Nam qui articuli fidei tum ipſam ſaluificæ fidei definitionem ingrediuntur, tum generandæ fidei immediate ſubſtant, homini ſaluando creditu ſunt maxime neceſſarii (a). Reliquorum articulorum fidei quidam poſitiue & directe, quidam negatiue & indirecte creditu ſunt neceſſarii (b). Et ſi conſideremus homines credentes, non eadem cognitionis menſura ab omnibus & ſingulis exigitur (c).

Prob. a. Dogmata diuinitus reuelata, quibus cauſſæ proximæ fidei ſaluificæ explicantur, ſine æternæ ſalutis diſpendio neque ignorari, neque negari ab vllo homine æternam ſalutem adepturo poſſunt; quia complectuntur fundamentum fidei dogmaticum, cui tota fidei & ſalutis ſtructura innititur. Arctiſſimam cum fundamento fidei connexionem habent immediate præſupponenda: vniuerſalis Dei φιλανθρωπία & gratia, quæ mediatorem Chriſtum deſtinauit & dedit, atque cupida eſt conferendæ omnibus hominibus fidei; nec non vniuerſalitas meriti Chriſti, vt peccator, adepturus vitam æternam, ſub hac vniuerſalitate ad ſe deſcendere & de ſe in indiuiduo ſubſumere queat: *Deus vult mei miſereri, qui mihi dedit ordinaria media, vt mihi illa vſurpanti vera conferatur fides, quo nil hæſitans credam, Chriſtum pro me miſerrimo peccatore eſſe mortuum, ne peream, ſed vt per ipſum vitam æternam ingrediar.*



Digitized by Google

Prob. b. Reliqui articuli fidei vel ſunt *primarii*, haud parum facientes ad fidem in Chriſtum fulciendam & certificandam, qui *poſitiue* & *directe* creditu ſunt neceſſarii: vel ſunt *ſecundarii*, qui ſunt *negatiue* & *indirecte* cognitu neceſſarii, quoniam illorum negatio per conſequentiam fundamentum fidei labefactat.

Prob. c. Neceſſitas cognoſcendi articulos fidei quadantenus limitanda videtur ex parte ſubiectorum credentium, e quibus alii homines conuerſi ſunt *ſimpliciores*, alii *perſpicaciores*, alii *infantes*, alii *adulti*, alii *auditores*, alii *doctores & paſtores*. Ecquis exigat illum gradum notitiæ a ruſtico, qui inueniri debet in litterato? *Variant talenta*, cum ipſe Deus illa inæqualiter diſpenſet & diſtribuat, vni maiorem, alteri minorem gratiæ menſuram. *Variant etiam ſtatus*, vt homo nunc ſit in ſtatu pacato, in quo ipſi lac ſufficit ad fidei nutrimentum; nunc in ſtatu turbulento, vbi ringente diabolo, inualeſcente tyrannide, ſpargentibus venena hæreticis, ſolidiori cibo, maioribus præſidiis & pluribus medicamentis opus eſt. Huc accedit, quod quidam conuertantur ſtantes in extrema vitæ regula; quibusdam conuerſis maius viuendi cogitandique ſpatium relictum ſit. Illis doctrina fidei ſummatim proponenda eſt, vt pie in Chriſto mediatore obdormiſcant; his eadem latius diducenda & explananda eſt, *vt creſcant in gratia & cognitione domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti*, 2 Petr. III, 18.

Obſ. Sacræ litteræ habitudinem dogmatum ad ſalutem tradunt partim *ſub expreſſa neceſſitate credendi* ad ſalutem; partim *implicite & per conſequentiam*. Quando ſaluator, Io. XVII, 3. inquit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Pater, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, expreſſe ſignificat, dogma de vero Deo ita eſſe creditu ad ſalutem neceſſarium, vt vita æterna, hoc eſt, via & ratio conſequendæ vitæ æternæ, in eo cognito & credito conſiſtat. Implicite autem & per conſequentiam tradunt ſacræ ſcripturæ habitudinem dogmatum ad ſalutem, dum ea, licet non ſub expreſſa neceſſitate credendi, reuelent; ita tamen proponunt & declarant, vt nexu neceſſario cum fundamento ſalutis Ieſu Chriſto cohærere, ex ipſa penitiori illorum dogmatum conſideratione intelligi, & per conſequentiam concludi poſſit. Ex ipſa enim illorum conſideratione patebit, quod vltimo omnia collineant ad *fidem* in Chriſtum, & mediante fide ad *ſalutem* obtinendam, ſicut Io. XX, 31. expreſſe dicitur: *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quod Ieſus ſit Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius.*

Quæſt. XXV. *Quibus ſymbolis religionis chriſtianæ & articulorum fidei ſumma comprehenditur?*

*Symbola antiquiora.* Summa religionis & articulorum fidei continetur ſymbolis antiquioribus, & recentioribus. Antiquiora ſunt ſymbola œcumenica, ſiue vniuerſalia, nempe ſymbolum apoſtolicum (A), Nicenum (B), Conſtantinopolitanum (C), Epheſinum (D), Chalcedonenſe (E) & Athanaſianum (F).

Obſ. (1) Symbolum dicitur ἀπὸ τȣ͂ συμβάλλειν, a conferendo, quaſi dicas a multis collatum. Dicebantur autem Græcis ſymbola teſſeræ, vel ſigna, quibus vel milites in *bellis* dignoſcebantur ab hoſtibus (German. ein Feld-Zeichen, die Loſung, das Wort); vel quibus alii homines in *pactis* conuentisque, loco tabellarum, vel ſyngrapharum, vtebantur. Confer VOSS. de *ſymbolis, th. 9. 16. 17.* Apud chriſtianos igitur ſymbola ſunt confeſſiones, quibus iidem tum *militiam* ſuam ſpiritualem, quod ſub vexillo regis Chriſti aduerſus diabolum & eius ſocios militent, tum *pactum* cum Deo in baptiſmo initum, teſtatum eunt.

*Quid ſunt libri ſymbolici?* Obſ. (2) Prolixiora ſymbola decenti ordine comprehenſa vulgo appellantur libri ſymbolici, qui ſunt confeſſiones publicæ, nomine eccleſiæ ab orthodoxis viris de certis fidei articulis

Digitized by Google

ticulis grauiſſimo conſilio conſcriptæ, vt membra eccleſiæ orthodoxæ ab infidelium ignorantia, & hæretica prauitate ſeparentur, & in conſentiente fidei profeſſione contineantur.

A. *Symbolum apoſtolicum* ita dicitur materialiter ratione dogmatum, quæ iſthoc ſymbolo continentur, & cum doctrina apoſtolica ſacris litteris comprehenſa ad amuſſim conſpirant. Quod autem totidem verbis, quot hodie in eccleſia recitatur, ab ipſis apoſtolis conſignatum ſit, liquido probari nequit. Quod ſi enim ab ipſis apoſtolis poſt miraculoſam Spiritus S. effuſionem, antequam exiuerunt in terrarum orbem, prædicaturi euangelium Chriſti, grauiſſimo conſilio conſcriptum & vniuerſæ eccleſiæ traditum fuiſſet, ceu vniuerſalis credendorum epitome, vtique Lucas, actorum apoſtolicorum ſcriptor diligentiſſimus, rem tanti momenti, & præ cæteris narratione digniſſimam, ſilentio non inuoluiſſet. Ecquis credat, Spiritum ſanctum, qui hoc ſymbolum in vſum eccleſiæ catholicæ deſtinauerit, per totum ſcripturæ canonem ne minimam quidem ſymboli mentionem facturum fuiſſe? Haud inuiti interim ſymbolum illud, quod ob *dogmata*, quæ complectitur, *apoſtolicum* audit, & ab vniuerſa eccleſia chriſtiana comprobatur, recipimus. Recipimus, inquam, illud, non ideo, quod *omnia credenda explicite, adæquate & ſpecifice contineat.* Nam quidam articuli fidei fundamentales in ſymbolo apoſtolico ſilentio prætereuntur. Nil explicite in illo traditur de beneuolentia Dei vniuerſali, de ſatisfactione & merito Chriſti, de conuerſione & regeneratione, de vnione myſtica renatorum cum Deo, de renouatione, de peccato & pœnitentia, de verbo Dei & ſacramentis; cum tamen *apoſtolus catechumenos informando fundamentum iecerit pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptiſmorum doctrinæ, impoſitionisque manuum, reſurrectionisque mortuorum, & iudicii æterni.* Hebr. VI, 1. 2. Recipimus ergo, quia eſt epitome multorum, ſed non omnium articulorum fidei.

B. *Symbolum Nicenum* dicitur a Nicea, Bithyniæ oppido, vbi anno Chriſti CCCXXV. præſide Conſtantino M. Imperatore, ab epiſcopis CCCXVIII. aduerſus hæreſin *Arii,* veram Chriſti diuinitatem negantis, concilium œcumenicum I. habitum eſt. In hoc concilio congregati patres ſymbolum apoſtolicum paucis adiectis dogmatibus, repetitum declararunt.

C. *Symbolum Conſtantinopolitanum* nomen accepit a ſplendidiſſima Thraciæ, ſiue Romaniæ, vrbe Conſtantinopoli, vbi concilium II. œcumenicum aduerſus *Macedonium,* qui diuinitatem Spiritus S. impugnauerat, celebratum eſt, anno Chriſti CCCLXXXIII. Interfuerunt eidem epiſcopi CL. qui ſymbolo Niceno repetito, pauca de diuinitate Spiritus S. inſeruerunt.

D. *Symbolum Epheſinum,* anno Chriſti CCCCXXXI. ab epiſcopis CCXXX. approbatum, anathematiſmis XII. *Cyrilli* contra *Neſtorium* abſoluitur. Nomen obtinuit ab Epheſo, clariſſima Ioniæ vrbe.

E. *Symbolum Chalcedonenſe* dicitur a Chalcedone, vrbe Bithyniæ, eſtque anno Chriſti CCCCLIII. aduerſus errores *Eutychianos* ab epiſcopis DCXXX. ſubſcriptum.

F. *Symbolum Athanaſianum* vulgo ita nuncupatur, quamuis incertiſſimum ſit, an tot verbis, quot hodie in eccleſia legitur, ab ipſo *Athanaſio* conſcriptum ſit, cenſente D. CARPZOVIO in *iſagoge in libr. ſymbol. p. 72.* Hoc interim certum eſt, ſymbolum illud eſſe perantiquum, & fidem, quam *Athanaſius,* præſentiſſimis cinctus periculis, tot annorum decurſu aduerſus Arianos ſtrenue defendit, ſancte complecti ac tueri; vt vel ex hoc capite Athanaſianum omni iure nominari poſſit. Annumeratur a nonnullis ſymbolis vniuerſalibus ratione communis approbationis, quoniam magno conſenſu a Romana, Conſtantinopolitana, Alexandrina, Bulgarica & aliis eccleſiis receptum fuit, teſte BARON. *tom. III. annal. ad annum Chriſti CCCXC. DLIX. n. 11.*

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXVI. *Quænam ſymbola ſunt recentiora?*

*Symbola recentiora.* Recentiora noſtrarum eccleſiarum ſymbola ſunt Auguſtana confeſſio inuariata (a), Apologia Auguſtanæ confeſſionis (b), Articuli Smalcaldici (c), Catechiſmus Lutheri minor & maior (d), Epitome articulorum XI. nec non ſolida declaratio, quæ ſpeciatim Formula concordiæ appellatur (e).

a. *Auguſtana confeſſio inuariata anno Chriſti MDXXX.* Carolo V. Imperatori in ſolenniſſimis imperii Romani comitiis Auguſtæ Vindelicorum exhibita eſt. Cognominatur *inuariata*, vt diſcernatur a *variata*, quæ a *Philippo Melanchthone* proprio auſu interpolata, & anno MDXL. Witterbergæ in lucem edita eſt. Complectitur Auguſtana confeſſio articulos XXI. doctrinales, & capita VII. de abuſibus in eccleſiam inuectis.

b. *Apologia Auguſtanæ confeſſionis* eſt, qua ipſa aduerſus confutationem pontificiam, Auguſtæ adornatam, iuſſu Principum & Statuum, durantibus comitiis, auctore Philippo defenſa eſt. Oblata quidem eſt Cæſari, ſed ab eo non recepta. Typis impreſſa eſt Wittebergæ anno MDXXXI.

c. *Articuli Smalcaldici* a b. LVTHERO ſunt conſcripti anno *Chriſti MDXXXVII.* concilio, ſi quod futurum eſſet, nomine eccleſiæ euangelicæ exhibendi.

d. *Catechiſmus Lutheri minor & maior* capita doctrinæ chriſtianæ ſuccincte complectitur & neruoſe explicat: permagni æſtimandus, vt inſigne κειμήλιον ac theſaurus eccleſiæ noſtræ, quem quaſi biblia laicorum eſſe cenſemus.

e. *Formula concordiæ dupliciter* accipitur, (α) *generaliter* & ὁλικῶς, pro omnibus libris ſymbolicis eccleſiæ euangelicæ in vnum volumen congeſtis; (β) *ſpecialiter* & μερικῶς, pro *epitome XI. articulorum*, & *ſolida* eorum *declaratione*, de quibus inter theologos Auguſtanæ confeſſionis addictos controuerſiæ exortæ erant. Auctores fuerunt D. IACOBVS ANDREAE, D. MARTINVS CHEMNITIVS, D. ANDREAS MVSCVLVS, D. DAVID CHYTRAEVS, D. NICOLAVS SELNECCERVS, D. CHRISTOPHORVS CORNERVS. Prodiit in lucem anno MDLXXX.

Quæſt. XXVII. *Quale eſt diſcrimen inter ſacram ſcripturam, & libros ſymbolicos?*

*Diſcrimen inter ſacram ſcripturam & LL. ſymb.* Sacra ſcriptura & libri ſymbolici differunt (a). Quia 1) ſacra ſcriptura eſt *immediate* inſpirata a Deo ſanctis Dei hominibus, a Spiritu ſancto impulſis: Libri ſymbolici ſunt ſcripta ſacra, conſignata a viris orthodoxis, *mediatæ* illuminationis priuilegio diuinitus donatis (b). 2) Sacra ſcriptura eſt ἀυτόπιςος καὶ ἀναπόδεικτος, per ſe fide digna, neque indiga principii prioris, e quo demonſtretur: Libri ſymbolici ſunt ἑπομένως ἀξιόπιςοι, hoc eſt, conſequenter merentur fidem, quia verbo Dei reuelato ſunt conformes (c). 3) Sacra ſcriptura pollet diuina auctoritate canonica, vt ſit norma infallibilis, qua vera fidei dogmata a falſis diſcernuntur: Libri ſymbolici habent auctoritatem eccleſiaſticam, & reſpectiue dicuntur norma, nempe reſpectu externæ fidei profeſſionis, qua vnanimem eccleſiæ in doctrina fidei conſenſum teſtamur (d). 4) Sacra ſcriptura adæquate continet omnia credenda, & agenda: Nullus liber ſymbolicus omnia & ſingula dogmata fidei præceptaque morum perfecte complectitur.

Prob. a. Cum Paullus, 2 Tim. III, 16. inquit: πᾶσα γραφὴ θεόπνευςος, omnis ſcriptura a Deo eſt inſpirata, ſingulari cum emphaſi exprimit θεοπνοὴν, ſiue inſpirationem diuinam immediatam. Quam explicaturus D. QVENSTEDIVS in *ſyſtem. fol. 100.* ita ſcribit: θεοπνοὴ

Digitized by Google

*ϑεοπνοὴ non notat* h. l. *concurſum Dei generalem cum omnibus creaturis, neque ſpecialem ſeu gratioſum, quo adeſt Deus omnibus fidelibus, ſed ſpecialiſſimum plane & extraordinarium, ſolis ſacris ſcriptoribus proprium concurſum, qui complectitur* (1) ἔλλαμψιν ſ. *ſupernaturalem quandam & extraordinariam mentis illuminationem, quæ inſtar coruſcationis & irradiationis alicuius fiebat, & quidem non ad modum habitus permanentis, ſed actus tranſeuntis;* (2) *peculiarem modum, inſtinctum, afflatum, impulſum & dictamen Spiritus ſancti ad hoc & non aliud ſcribendum.* His adde, quod etiam ſingula verba textus primigenii hebræi in vetere, & græci in nouo teſtam. a Spiritu ſancto in calamum dictata ſint. Nam ſi verba ſingula non fuiſſent ſcriptoribus ſacris ſuggeſta per ϑεοπνευςίαν, *ſcriptura ſacra non proprie, non abſolute & ſimpliciter, ſed improprie & ſecundum quid, & quoad conceptus rerum ſignificatarum ſaltem eſſet, dicique poſſet* ϑεόπνευςος, *perinde vt ſcriptura humano ſtudio in aliam linguam translata proprie, abſolute & ſimpliciter* ϑεόπνευςος *dici non poteſt, quia ipſa verba formalia, quibus conſtat, a Spiritu ſancto per inſpirationem ſuggeſta non ſunt, licet ſecundum quid cum appoſito* ϑεόπνευςος *dici queat, nempe quoad conceptus rerum, ſcriptoribus ſacris olim inſpiratos, qui verbis verſionis ſignificantur,* vt recte docet D. MVSAEVS *introd. theol. p. 250.* Quo ſenſu ſtrictiſſimo nullum eccleſiæ ſymbolum vocari poteſt ϑεόπνευςον. Quamuis enim viri orthodoxi a Spiritu ſancto illuminati illud mente conceperint, & in litteras retulerint, non tamen ex ſpecialiſſima, extraordinaria & immediata inſpiratione Dei ſcripſerunt, ſed ordinaria & mediata illuminatione a Deo fuerunt donati & edocti. Neque iisdem ſingula verba librorum ſymbolicorum a Spiritu ſancto in calamum ſunt dictata, ſed aſſiſtente & dirigente Deo ipſi verba congrua inuenerunt, & dogmatibus diuinis applicarunt.

Prob. b. Verbum *Dei* reuelatum, & in litteras redactum, non eſt tantum verbum veritatis, Eph. I, 13. ſed etiam veritas ipſa, Io. XVII, 17. adeoque *per ſe* & *immediate* meretur fidem. Symbola Eccleſiæ ex verbo *Dei* ſcripto per conſequentiam deducuntur, & eidem conformantur, atque adeo ἑπομένως & conſequenter fidem ſibi conciliant. Non male ait D. LOBECH. in *A. Confeſſ. p. 16. Confeſſioni Auguſtanæ fidem habemus, propter ſcripturam, quia ex ea exſtructa eſt.*

Prob. c. Sacram ſcripturam eſſe adæquatam normam eorum omnium, quæ ad fidem & mores pertinent, liquido conſtat, quoniam diſerte dicitur קַוָּם linea vel regula eorum (apoſtolorum) Pſ. XIX, 5. κανὼν, Gal. VI, 16. Phil. III, 16. Nomen normæ aut canonis obtinuit tum ob *directionem,* quia ſecundum eam veritas fidei & honeſtas morum dirigitur, tum ob *correctionem,* quoniam dogmata fidei & præcepta morum ad eam accurate examinanda veniunt, vt quidquid cum ea conſentit, tanquam rectum & pium retineatur, quidquid ab ea diſſentit, velut erroneum aut impium reiiciatur. Nullum autem ſymbolum eccleſiæ *abſolute & ſimpliciter eſt norma fidei & morum,* ſed dicitur norma *ſecundum quid & reſpectiue,* habito reſpectu ad eccleſias certas, quæ veritatem & certitudinem ſymbolorum ex ſcriptura probatam præſupponunt. Nullus enim liber ſymbolicus fidem gignit aut præſcribit, quamuis fides iam genita ex ea poſſit roborari, & *profeſſio fidei externa per illum determinari* ad retinendum doctrinæ conſenſum & vitanda diſſidia. Conf. CARPZOV. *Iſagog.* in *libr. ſymbol. pag. 6.* D. QVENSTEDIO liber ſymbolicus vocatur *norma teſſeralis & teſtimonialis doctrinæ publicæ,* quam eccleſia magno conſenſu profitetur, in *ſyſtem. fol. 46.*

Prob. d. Nullus liber ſymbolicus eſt adæquatus catalogus omnium dogmatum fidei fundamentalium, ſed pro ratione temporis & occaſionis, qua libri ſymbolici ſcripti fuerunt, illorum dogmatum ratio fuit habita, quæ controuerſa erant & maxime impugnabantur. At S. ſcriptura perfecte complectitur, quidquid creditu factuque neceſſarium eſt homini æternam ſalutem adepturo. Id quod infra plenius & liquidius probabitur.



Digitized by Google

Dicis I. Etiam libri ſymbolici a theologis nominantur θεόπνευςοι. Nam D. GEORG. MYLIVS in *explicat. Aug. conf. p. 2.* inquit: *Quia Auguſt. confeſſio firmiſſimo ſcripturarum S. fundamento nititur, eam θεόπνευςον appellare iure optimo & poſſumus & debemus.* D. HVTTERVS in *explicat. libri concordiæ p. 1.* ſcribit: Auctorem libri concordiæ primarium, ſiue αἴτιον κύϱιον conſtituimus non hominem aliquem, ſiue theologum, ſiue politicum: ſed ipſum *Deum Spiritum ſanctum*, fontem & largitorem omnis boni; vsque adeo, vt θεόπνευςον, diuinitus inſpiratum, ipſum appellare minime dubitemus. Reſp. Paullus 2 Tim. III, 16. Scripturam nominat θεόπνευςον ſenſu ſtrictiſſimo, quia & conceptus rerum, & verba ſcripturæ, immediate a *Deo* ſunt inſpirata. Memorati autem theologi libros ſymbolicos ſenſu latiori vocant *mediate* θεοπνέυςȣς. Nam D. MYLIVS *mediatæ* θεοπνευςίας luculentam reddit rationem, quia *firmiſſimo ſcripturarum S. fundamento nititur:* & D. HVTTERVS l. c. addit: *eo tamen ſeruato diſcrimine, quod ſcripturis ſanctis, & ſcriptis ſymbolicis ſiue eccleſiaſticis intercedit.* Id quod diſcrimen explicat pag. 4. Nimirum, ſenſu latiori, libri ſymbolici ab auctoribus nonnullis vocantur θεόπνευςοι (1) *ratione obiecti*, quoniam continent & exponunt verbum *Dei* prophetis & apoſtolis olim immediate inſpiratum, & quidquid ex verbo *Dei* per manifeſtam conſequentiam elicitur. Auſcultemus magnum noſtrum CHEMNITIVM de *ſymbolis eccleſiæ egregie diſſerentem part. III. loc. theol. fol. m. 235. Confirmant quidem* (veteres) *interpretationes ſuas teſtimoniis ſymbolorum veteris eccleſiæ: ſed illa ſymbola non ſunt aliquid extra, aut contra ſcripturam, ſed ſunt ipſa medulla ſcripturæ.* (2) *Ratione mediatæ illuminationis;* neque enim dubitamus, quin *Deus* ſpeciali concurſu influxerit in mentes fidelium doctorum, qui ſymbola eccleſiæ conſcripſerunt, mentes eorum illuſtrauerit, & voluntates ipſorum flexerit, vt veriſſima ſaluberrimaque dogmata mente conceperint & calamo expreſſerint. Sicut & Iobus generatim inquit cap. XXXII, 8. Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. LXX. reddiderunt: πνοὴ παντοκϱάτωϱός ἐςιν ἡ διδάσκȣσα. Speciatim de confeſſione Nicena inquit ISIDORVS *Peluſiota lib. IV. ep. 99. Diuinitus inſpirata veritatem dogmatum tradidit.*

Dicis II. Scripta ſymbolica ſunt diuina. vid. CARPZOV. *iſagog. in libr. ſymbol. p. 3.* Ergo pollent diuina auctoritate canonica, & ſunt ſimpliciter norma credendorum & agendorum. Reſp. D. CARPZOV. l. c. diſerte vocat ſymbola *ſecundo diuina*, nempe *ob originem mediatam*, quam *Deo* debent. At inde non ſequitur: E. Symbola diuina auctoritate canonica eminent, & ſunt abſolute norma fidei & morum. Ad normam enim doctrinæ fidei & morum, requiritur etiam *ex parte verborum certitudo & infallibilitas abſoluta*, quæ omne erroris periculum excludat. Infallibilitas vero & certitudo abſoluta ex parte verborum non datur, niſi ex *immediata verborum dependentia a Deo inſpirata:* quæ vero non locum habet, niſi in primigenio ſcripturæ ſacræ textu hebræo & græco. Vid. D. MVSAEI *introduct. in theol. p. 540.* Non negamus interim, poſſe ſcripta ſymbolica ſano ſenſu vocari diuina, quoniam de *Deo* agunt, verbo diuino conformia, & inſtinctu Spiritus ſancti conſcripta ſunt, nec peculiaribus prouidentiæ diuinæ gubernatricis documentis deſtituuntur. Communi loquendi vſu diuinum appellamus, quidquid non tantum immediatæ, ſed & mediatæ originis a *Deo* eſt. Nam & Lactantium libros diuinarum inſtitutionum conſcripſiſſe nouimus.

Dicis III. Libri ſymbolici ſunt ſcripta humana. E. ne reſpectiue quidem norma ſunt, nempe ſub reſpectu externæ fidei profeſſionis in eccleſia conſentientis. Reſp. *Scriptum humanum dicitur vel ratione externæ formæ, vel ratione materiæ*, quam complectitur. Libri ſymbolici, ſi reſpicias externam formam & compoſitionem, non immediate a Deo, ſed ab hominibus ſunt: ſi materiam aut doctrinam attendas, quam libri ſymbolici continent, illa certe cœleſtis & diuina eſt: cuius intuitu *periculoſum eſt, ſine adiecta declaratione libros ſymbolicos*

Digitized by Google

*ſymbolicos humana ſcripta appellare*: cum nec vocationem ad miniſterium, ſi peculiaria diuini nutus ſigna appareant, humanam, ſed diuinam vocemus.

Quæſt. XXVIII. *Poteſtne homo iuramento adſtringi ad ſubſcribendum libris ſymbolicis?*

Ad doctrinam fidei, quæ ſymbolis continetur, nemo, qui non eſt membrum eccleſiæ illius, quæ libros ſymbolicos approbat, iuramento adſtringi poteſt (a). Sed qui viuum eccleſiæ membrum eſt, & in ea publico docendi munere perfungi cogitat, ad ſubſcriptionem librorum, ſymbolicorum etiam, iuratam a magiſtratu ſuperiori obligari poteſt (b). *De ſubſcriptione LL. ſymbolicorum.*

Prob. a. Iuramentum præſtatur ad confirmationem veritatis agnitæ & in conſcientia approbatæ. Ergo nemo ad capeſſendam doctrinam, quam non approbat, iureiurando obligandus eſt: cogeretur enim inuitus ad profitendum aliquod dogma ceu verum, quod interno mentis iudicio falſum eſſe cenſet.

Prob. b. Ad ius dirigendi externum exercitium religionis, quod penes magiſtratum eſt, pertinet exigere iuratam librorum ſymbolicorum approbationem & ſubſcriptionem, vt publice in eccleſia docturus eo magis obſtringatur ad conſentientem publicæ doctrinæ confeſſionem, explicationem & defenſionem. Nam & piiſſimos veteris teſtamenti principes legimus, ſub formula fœderis populum obligaſſe, vt in harmonica religionis Iſraëliticæ obſeruatione & propagatione amice conſpirarent. Nota ſunt exempla Moſis, Deut. XXXI, 10 & ſeqq. Ioſuæ, c. XXIV, 25. Ioſiæ, 2 Reg. XXIII, 3.

Dicis I. Eiuſmodi iuramentum libertatem conſcientiarum violat. Reſp. Violaretur libertas conſcientiarum, ſi homo non approbans doctrinam ſymbolis comprehenſam, atque adeo inuitus, ad iuratam librorum ſymbolicorum ſubſcriptionem cogeretur: at nos iurando tantum externe profitemur, quod interne ſcientes & volentes credimus.

Dicis II. Monet apoſtolus 1 Theſſ. V, 19. *Spiritum nolite exſtinguere.* Exſtinguitur autem, cum liberior donorum Spiritus ſancti vſus exacto iuramento impeditur. Reſp. Non vſus, ſed abuſus donorum eccleſiæ noxius, iurata ſymbolorum ſubſcriptione, impeditur.

Quæſt. XXIX. *Suntne libri ſymbolici neceſſarii?*

Libri ſymbolici neceſſarii ſunt non abſolute (a), ſed hypothetice, pro ſtatu eccleſiæ, grauiſſimis cauſſis ad edenda ſymbola permotæ (b). *Neceſſitas LL. ſymb.*

Prob. a. Fuit tempus, quo eccleſia ſtetit & viguit abſque conſcriptis ſymbolis. Vid. D. CALOV. *ſyſtem. tom. I. pag. 247.* & D. CARPZOV. *iſagoge in libr. ſymbol. p. 1136.*

Prob. b. Neceſſarii ſunt libri ſymbolici neceſſitate expedientiæ (1) ad ſolidam, diuturnam & firmam concordiam in eccleſia *Dei* conſtituendam, vt certa compendiaria forma, & quaſi typus vnanimi conſenſu approbatus exſtet: in quo communis doctrina, quam eccleſiæ ſincerioris doctrinæ profitentur, e verbo *Dei* collecta contineatur. Vid. *Præfat ſol. declar. F. Conc. p. 631.* (2) Ad reddendam rationem religionis chriſtianæ, ſi a magiſtratu exigatur. (3) Ad dignoſcendum vera eccleſiæ membra ab eius hoſtibus, hæreticis & ſchiſmaticis. Conſ. D. RECHENBERG. *App. ad libr. ſymbol. p. 3.*

Quæſt. XXX. *Cum religio chriſtiana non tantum conſtet credendis, ſed & agendis: haud abs re quæritur, quid per agenda intelligamus?*

Agenda ſunt opera renatorum, gratioſe concurrente Spiritu ſancto, ad præſcriptum legis diuinæ, ex vera in Chriſtum fide præſtanda, in gloriam Dei & eccleſiæ ædificationem.



Digitized by Google

Obſ. Agenda etiam definiri poſſunt, quod ſint officia chriſtianorum, ad normam legis diuinæ ex viribus gratiæ a Spiritu S. collatis, prælucente vera fide, facienda, in gloriam Dei & commodum proximi.

Quæſt. XXXI. *Quid opponitur veræ religioni?*

*Oppoſita veræ relig.* Veræ religioni opponitur tum falſa religio, tum atheiſmus, ſiue irreligioſitas. *Falſa religio* eſt, qua vel falſi coluntur Dii, vel verus Deus non vere colitur (a). *Irreligioſitas* eſt, qua homines impii religionem omnem deſpicatui ducunt, vt, abnegata prouidentia Dei & iuſtitia vindicatiua, nihil non impune ac ſecure perpetrare frontem ſumant (b).

Prob. a. Falſos Deos venerati ſunt gentiles, qui cum verum ignorent Deum, partim homines, memorandis factis inclytos, vt Deos coluerunt, partim cultum religioſum aliis creaturis tribuerunt. Quorum idololatriam adumbraturus Paullus Rom. I, 23. inquit: *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum & reptilium.* Verum Deum non vere colunt varii matæologi, qui ipſum non ea ratione, qua in verbo ſuo & ſe, & voluntatem ſuam patefecit, honorant: quorum matæologiam ſupra p. 32. 33. 34. delineatam vide.

Prob. b. Pſ. XIV, 1. *Dixit ſtultus corde ſuo: non* (eſt) *Deus.* Eo veſaniæ progreditur impius in ſtatu peccati perſiſtens, vt, ſi non exſiſtentiam, certe prouidentiam & iuſtitiam Dei abneget, optans ex animo, vt nullus exſiſtat Deus omnipræſens, omniſcius & iuſtiſſimus ſcelerum vindex.

*SVSPIRIVM.*

Te, Deus ter optime, ter maxime, ingenuis & nunquam deſituris votis rogamus & obſecramus, vt nos omnes, chriſtianæ religionis fœdere coniunctos, Spiritu tuo ſanctiſſimo impleas, virtute cœleſti munias, donis gratiæ inſtruas, vt toto te colamus pectore, amore tui ardeamus, & nos cunctos in perpetuum tibi obſequium addicamus pariter atque ſinceritatem religionis piis operibus exprimamus & teſtemur, dictis noſtris facta noſtra reſpondere. Ceterum tu, potentiſſime eccleſiæ gubernator, hoſtium veritatis cœleſtis petulantiam compeſce, improbos conatus infringe, machinas omnes diſſipa, vt vera religio ab iis non obteratur aut deleatur penitus, ſed præſidio tuo ſarta tecta perennet, & inter incrementa lætiſſima floreat, vigeat, triumphet!

## CAPVT III.

EXHIBENS

# PROLEGOMENON III.

DE

# PROPRIO ET ADAEQVATO THEOLOGIAE PRINCIPIO.

Quæſt. I. *Quid hic intelligis nomine principii?*

Nomine principii heic intelligitur *principium cognoſcendi*, idque *incomplexum*, quod eſt fons principiorum theologicorum complexorum, quibus vniuerſa noſtra nititur theologia.

Probatur.

Digitized by Google

Probatur. *Cum omnis veritas theologica vel ſit demonſtrans, vel demonſtranda; & quidem veritas demonſtrans principium, demonſtranda concluſio*, recepto loquendi vſu, appelletur: leges bonæ methodi exigunt, vt in lumine theologiæ præcognoſcatur principium incomplexum, ſiue fons & primordiale elementum, ex quo omnes rationes probandi in vniuerſa theologia petuntur.

Obſ. I. *Theophraſtus* apud *Alexandrum in proœm. ſuper I. topic.* principium incomplexum definiuit, quod ſit ἀρχή τις, ἢ ϛοιχεῖον ἀφ' ȣ̃ λαμβάνομεν τὰς περὶ ἕκαϛον ἀρχὰς, principium quoddam ſeu elementum, ex quo principia cuiusque rei ſumimus. Vocatur communiter fons principiorum apodicticorum.

Obſ. II. *Triplex datur fons principiorum apodicticorum. 1. Fons rationis. 2. Fons experientiæ. 3. Fons auctoritatis fide dignæ.* Principia philoſophica & medica deriuantur ex fonte rationis & experientiæ. Principia iuridica fluunt ex fonte auctoritatis imperatoriæ, regiæ, principalis, iuncto tamen ſubinde fonte rationis & experientiæ. Principia theologica manant e fonte auctoritatis diuinæ. Conf. D. LEICHNERI *ſynopſin veræ apodicticæ. p. 392.*

Obſ. III. *Principium complexum eſt* propoſitio prior & notior, ex qua alia, quæ minus nota eſt, & in quæſtionem venit, valide probatur. Quæ principia complexa diſtinguuntur in *prima* & *orta*. *Prima* dicuntur, quæ non habent principium prius aut ſuperius, e quo eorum veritas demonſtrari poſſit. Dicuntur ceteroquin principia κατ' ἐξοχὴν, quia nunquam fiunt concluſiones. Vocantur ab Ariſtotele, lib. 1. poſter. c. 2. ἄμεσα, immediata, quia medium terminum priorem non agnoſcunt: ἀναπόδεικτα, indemonſtrabilia, ſcil. a priori: ἀνυπεύθυνα, infallibilia: αὐτόπιϛα, per ſe fide digna: ἀναντίῤῥητα, extra controuerſiam poſita. v. gr. In metaphyſicis principium primum eſt: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. In phyſicis primum eſt: ex nihilo naturaliter nihil fit. In ethicis primum eſt: bonum morale eſt amandum, malum fugiendum. *Principia orta* dicuntur, quæ, reſpectu demonſtrandæ quæſtionis, ceu priora & notiora aſſumuntur, quamuis ex aliis principiis demonſtrari queant, & ab iis dependeant. Nuncupantur alias mediata, quia medium terminum ſuperiorem habent: cognominantur etiam ſenſu ſpeciali ἀποδεικτικὰ, i. e. demonſtrabilia, eo quod veritas eorum, ex principiis prioribus eſt demonſtrabilis, v. gr. Principium ethicum eſt: caſte eſt viuendum, quod demonſtratur ex hoc: temperanter eſt viuendum. Id ipſum probatur, quia honeſte eſt viuendum. Quod notificatur ex principio morali primo: Bonum eſt amandum, atque adeo ad primum principium ethicum fit progreſſus.

Quæſt. II. *Quo principio cognoſcendi nititur theologia?*

Theologia chriſtiana nititur principio cognoſcendi certiſſimo, nempe *reuelatione diuina* (a), & quidem, pro hodierno eccleſiæ ſtatu, reuelatione diuina *mediata*, ſcriptis prophetarum & apoſtolorum comprehenſa (b). Vnde principium theologiæ *complexum* abſolute *primum* eſt: Quidquid Deus reuelauit, infallibiliter verum eſt. Principium eiusdem ſecundum quid, & pro tempore præſenti, primum eſt: Quidquid ſacra ſcriptura docet, infallibiliter certum eſt (c). *Principium cognoſcendi theologiæ, reuelatio.*

Obſ. I. *Non hic ſermo eſt de reuelatione generali ſiue manifeſtatione naturali*, qua Deus ſe patefecit tum per lumen naturæ inſitum, tum per effecta in regno naturæ conſpicua. Vid. Rom. I, 19. c. II, 14. 15. Sed loquimur de *reuelatione ſpeciali* & *ſupernaturali*, quæ duplex eſt, *immediata* & *mediata*. Prophetas & apoſtolos Spiritus S. immediate illuminauit, iisdemque conceptus rerum & verborum de dogmatibus fidei & morum ſuggeſſit. Hodie *Deus*



Digitized by Google

ſe & voluntatem ſuam generi humano mediante verbo a prophetis & apoſtolis ſcripto reuelat.

Obſ. II. *Reuelatio diuina* interdum *ſenſu ſtrictiſſimo*, quem ipſa vis vocis importat, notat rerum occultarum & ſub quodam quaſi velamine latentium manifeſtationem. Interdum *ſenſu latiori* deſignat rerum quarumuis, etiam quæ ductu luminis naturæ cognoſci poſſunt, manifeſtationem a *Deo* modo ſupernaturali factam. Poſterior ſignificatio, ceu adæquata, hic locum obtinet.

Obſ. III. Reuelatio diuina πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως multis vicibus, multisque modis facta eſt. Alia enim facta eſt mediate, interueniente miniſterio angelorum & hominum: alia immediate, absque interuentu aliarum perſonarum. Sic *Deus* ſe reuelauit I. per *alloquium vocis articulatæ in aëre ſuper ordinem naturæ efformatæ.* Alloquium illud peragebatur voce ſenſibili a *Deo*, in conſpicua forma apparente, vel per aliud ſignum ſenſibile ſuam præſentiam teſtante. Ita patriarchis *Deus* apparuit in forma hominis Gen. XVIII, 2. c. XIX, 1. c. XXII, 24. Ad Moſem locutus eſt ex rubo ardente. Exod. III, 2. Ad populum Iſraëliticum ex nube denſa & igne fumante. Exod. XIX, 10. ſeqq. Cum Moſe locutus eſt admodum familiariter, ſiue vt ſcriptura ait, ore ad os, vt amicus cum amico coram loquitur. Num. XII, 6. II. *Per ſomnium*, cum ſpecies quædam dormientibus, ſenſibus externis ligatis, obiicerentur. Gen. XXVIII, 12. Dan. I, 1. III. Per ἔκστασιν, cum imagines rerum obiicerentur phantaſiæ hominum vigilantium, externa ſenſuum operatione ceſſante. Ezech. I, 4. c. XXXVII. 1. Dan. X, 5. IV. Sacerdotibus *Deus* nonnulla reuelabat per *Vrim & Thummim.* Exod. XXVIII, 30. Leu. VIII, 8. Num. XXVII, 21. Erant autem Vrim & Thummim gemmæ duodecim pectorali ſacerdotis inſertæ, quibus rite adhibitis, *Deus*, conuenienter a pontifice rogatus, de rebus occultis & incertis euentibus, reſponſa dabat. D. PFEIFFER. *dub. vexat. p. m. 276.* V. Per *internum afflatum*, quo Spiritus S. intellectui prophetarum & apoſtolorum, manente ſenſuum operatione, lumen aliquod cognitionis immediate infundebat. 2 Sam. XXIII, 2. 2 Tim. III, 16. 2 Petr. I, 20. 21. VI. *Illuſtriſſima reuelatio* diuina contigit in N. T. *per filium Dei*, qui αὐτοπροσώπως, i. e. in perſona propria manifeſtata in carne apparuit, & voluntatem *Dei* annuntiauit. Io. I, 18. Hebr. I, 1.

Prob. a. Theologiam Chriſtianam ex reuelatione diuina, velut fonte principiorum theologicorum, hauriri, patet ex eo, quod theologia ambitu ſuo complectitur myſteria ſublimiſſima ex principiis rationis minime demonſtrabilia aut cognoſcibilia, quæ non niſi ex ſupernaturali *Dei* reuelatione innoteſcunt. Ex quo gentium apoſtolus 1 Cor. II, 7. theologiam chriſtianam appellat *ſapientiam in myſterio: quam principes huius ſeculi non agnoſcunt* v. 8. *quam Deus reuelauit per ſpiritum ſuum.* v. 10. Theologia chriſtiana myſteriis profundiſſimis eſt plena, captu principum huius ſeculi ſuperior, a *Deo* per Spiritum S. reuelata. Ergo nititur reuelatione diuina tanquam certiſſimo cognoſcendi principio.

Prob. b. Pro tempore præſenti & hodierno eccleſiæ ſtatu, S. ſcripturam, in qua antiquæ reuelationes diuinæ, factæ prophetis & apoſtolis, habentur, eſſe proprium, fundamentale & adæquatum principium cognoſcendi *Deum* & res diuinas, liquido demonſtratur. I. Ex S. Ioannis verbis cap. XX, 31. *Hæc ſcripta ſunt*, vt credatis, *quod Ieſus ſit Chriſtus filius Dei; & vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius.* Quæcunque ſcriptura eum in finem diuinitus deſtinata eſt, vt omnes per eam credant in *Chriſtum* ad obtinendam vitam æternam, illam oportet eſſe principium credendi ſufficiens & ſalutiferum. Atqui ſcriptura S. &c. E.

II. Ex effato Paullino 2 Tim. III, 14. 15. *Tu vero mane in iis, quæ didiciſti, & concredita tibi ſunt, ſciens, a quo didiceris: Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ poſſunt te ſapientem reddere in ſalutem per fidem, quæ in Chriſto Ieſu eſt.* Ex quo argumentamur:

Quod

Digitized by Google

Quod poteſt hominem ſapientem reddere ad ſalutem per fidem in Chriſtum, ita ut propterea in eo permanendum ſit, illud eſt ſufficiens principium fidei & theologiæ. Atqui ſacra ſcriptura talis eſt. E.

III. Ex dicto S. Paulli Rom. XV, 4.: *Quæcunque namque præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Ex quo naſcitur argumentum: Quod datur ad doctrinam noſtram, eamque talem, qua ſpem futuræ ſalutis habeamus, id datum eſt, vt ſit ſufficiens doctrinæ theologicæ fideique ſaluificæ principium. Atqui ſcriptura S. &c. E.

IV. Ex eiusdem apoſtoli teſtimonio, 2 Tim. III, 16. 17.: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata & vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam, quæ (ſit) in iuſtitia, vt integer ſit homo Dei ad omne opus bonum probe inſtructus.* Quæcunque ſcriptura adeo vtilis eſt, vt theologum ad omnes docendi partes perfecte inſtruat, illa eſt principium fundamentale & adæquatum theologiæ. Atqui ſcriptura θεόπνευςος adeo vtilis eſt &c. Ergo. Maior conſtat, quoniam illud eſt principium theologiæ, ex quo theologus omnem ſalutarem notitiam ad partes muneris ſui obeundas haurit. Minor eſt Paulli, qui aperte aſſerit, quod homini Dei, ſiue doctori eccleſiæ, tantum vtilitatis præſtet S. ſcriptura, vt per eam ad omne opus docendi reddatur aptus & probe inſtructus: ſiue nitatur alios veritatem cœleſtem docere, ſiue errantes errorum conuincere, ſiue male moratos moribus chriſtiano dignis imbuere, ſiue currentibus in via iuſtitiæ calcar addere meditetur.

Prob. c. Quamuis S. ſcriptura, pro præſentis temporis ſtatu, ſit principium cognoſcendæ doctrinæ fidei primum, non tamen abſolute & ſimpliciter primum eſt principium, quod patet ex ſequenti ſyllogiſmo:

Quidquid Deus reuelauit, infallibiliter verum eſt.
Quidquid S. ſcriptura docet, illud Deus reuelauit (quia eſt θεόπνευςος, 2 Tim. III, 16.)
Ergo quidquid S. ſcriptura docet, infallibiliter verum eſt.

In quo ſyllogiſmo S. ſcriptura eſt principiata, eiusque infallibilis veritas ex alio medio termino eſt educta. Recte tamen ſecundum quid, & certo reſpectu, nempe pro hodierno eccleſiæ ſtatu, dicitur primum theologiæ principium, cui pro tempore præſenti nullum aliud par, nedum ſuperius ſaluificæ cognitionis principium cenſendum eſt. Poſtquam enim Deus ea, quæ de rebus reuelatis ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria, certis libris comprehendi voluit; deſinentibus nouis reuelationibus, theologiæ habitus antiquis illis, quæ ad prophetas & apoſtolos immediate factæ, in litteras relatæ ſunt, reuelationibus, tanquam principio vnico & adæquato nititur. Conf. D. HILDEBRANDVS *inſtitut. theolog. p. m. 48.* & D. BAIERVS *in compend. theolog. p. 70.*

Quæſt. III. *Eſtne reuelatio noua & immediata tempore præſenti principium theologiæ chriſtianæ ordinarium?*

Poſt completum ſcripturæ canonem nulla datur noua & immediata reuelatio diuina, quæ ſit fundamentale principium cognoſcendi doctrinam fidei. *De reuelationibus nouis.*

Prob. I. Quia abunde iam demonſtratum a nobis eſt, S. ſcripturam, pro hodierno eccleſiæ ſtatu, eſſe proprium & adæquatum ſalutiferæ cognitionis principium, cui nullum aliud par, nedum ſuperius, ſit quærendum vllibi, aut exſpectandum.

II. Grauiter monet S. Paullus 1 Cor. IV, 6. μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν. *Diſcatis non ſupra id, quod ſcriptum eſt, ſapere:* prorſus ac ſi dicat, nemo veſtrum præſumat, ſapere de rebus diuinis ſuper ea, quæ Deus in ſcripturis reuelauit; ſiquidem ipſe apoſto-

lus

Digitized by Google

lus ingenue aperteque profitetur, ſe nihil dixiſſe extra ea, quæ ſcripta ſunt in Moſe & prophetis. Act. XXVI, 22.

III. Non obtingere mortalibus, poſt conſtitutum ſcripturæ canonem, nouas, easque immediatas reuelationes, docet apoſtolus Hebr. I, 1. *Multis vicibus multisque modis olim Deus locutus patribus in prophetis: Vltimis hiſce diebus locutus eſt nobis in filio.* Reuelationes in Vet. Teſtam. prophetis contigerunt πολυμερῶς per vices, gradus & quaſi partes: nec non πολυτρόπως, diuerſimode, per alloquium vocis in aëre formatæ, per ſomnium, per viſionem ecſtaticam, per immediatam illuminationem: illuſtriſſima autem & perfectiſſima manifeſtatio Dei & voluntatis diuinæ facta eſt per filium Dei. Hic euangelium nobis ἐξηγήσατο, expoſuit, & velut exegeta doctiſſimus plane ac dilucide declarauit. Io. I, 18. Quæ doctrina euangelica ab his, qui dominum Ieſum audiuerant, propagata eſt, Hebr. II, 3. vt nullis reuelationibus nouis indigeamus.

IV. Principium theologicum oportet eſſe infallibiliter certum. Sed reuelationes nouæ ſunt fallaces, & præſtigiis ſatanæ obnoxiæ; ſiquidem hic tenebrarum princeps ſe in angelum lucis transformat, 2 Cor. XI, 14. & corrupta phantaſia enthuſiaſtis ea ſuggerit, quæ per errorem a Deo profecta eſſe credunt. Deut. XIII, 1. Ier. XIV, 14. c. XXIII, 25. ſq.

*Anthitheſis* eſt *Enthuſiaſtarum*, *Anabaptiſtarum*, *Schwenckfeldianorum*, *Weigelianorum*, *& Quakerorum*, ex immediata patris cœleſtis reuelatione, ex informatione interna Chriſti eſſentialiter cum ipſis vniti, ex magiſterio Spiritus S. intus loquentis & docentis, ex ſomniis & raptibus, ex colloquiis angelicis, ſapientiam cœleſtem petendam eſſe ſtatuentium, quorum argumenta ſunt:

I. S. Ioannes 1 Ep. c. II, 27. inquit: *Vnctio, quam accepiſtis ab illo, in vobis manet & non opus habetis, vt* (quis) *doceat vos.* Qui non indigent externa informatione, ſed ab vnctione intra animum manente plene docentur, illi immediate a Deo illuminantur & informantur. Atqui renati &c. E. Reſp. Vnctio illa a S. Ioanne commendata, eſt Spiritus ſanctus, cauſſa principalis fidei, qui nos informat non immediate, ſed mediante verbo. 1 Io. II, 14. 1 Theſſ. II, 13. Rom. X, 17. Neque opus habemus, vt quis nos doceat noua & diuerſa ab his, quæ prophetæ & apoſtoli docuerunt.

II. Ioel. II, 28. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri filiæque: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt.* Reſp. (1) S. Petrus impletionem illius promiſſionis expreſſe refert ad illud tempus, quo apoſtoli viſibiliter acceperunt Spiritum ſanctum. Act. II, 16. (2) B. Lutherus per prophetiam, viſionem & ſomnia ſimpliciter intelligit cognitionem Dei per Chriſtum, quam Spiritus ſanctus per verbum euangelii lucere facit. Loquitur autem propheta Ioel more prophetis vſitato, qui conſueuerant ſtatum noui teſtamenti verbis figuratis, aut ſtatui Vet. teſtamenti conuenientibus, adumbrare. Adeoque ſenſus eſt: Deus miſericordia ditiſſimus ſerio intendit, gratiam Spiritus ſancti in nouo teſtamento ſuper omnes effundere, vt cognoſcant ea certo & liquido, quæ olim per prophetias, ſomnia & viſiones viri Dei cognoſcebant.

III. Deus in N. T. inſtituit prophetas, immediatæ illuminationis priuilegio nobilitatos. Eph. IV, 11. 1 Cor. XII, 28. Reſp. Loquitur apoſtolus locis citatis de prophetis N. T. quibus diuinitus conceſſum erat *extraordinarium prophetandi donum in eccleſia conſtituenda*; quod cum eſſet temporale, non manſit perpetuum in eccleſia. Nam donum *prophetandi*, ſiue per ſpiritum immediate loquendi, æque ac donum *ſanationum* & *miraculorum* ideo erat temporarium, quod eccleſiæ, ſub initium & in prima quaſi infantia illius, neceſſarium erat partim ad myſteria fidei, quæ inde a ſeculis abſcondita erant, primum prædicanda; partim ad facilio-

Digitized by Google

liorem progreſſum prædicationis eiusdem doctrinæ, magis magisque per orbem terrarum promulgandæ, atque vbiuis locorum amplectendæ.

Inſtantia I. Paullus inquit: 1 Theſſ. V, 19. 20. *Spiritum ne exſtinguite; prophetias ne ſpernite*, indicans, nunquam prophetias eſſe contemnendas.

Reſp. Per *Spiritum* l. c. intelliguntur dona Spiritus ſancti, per *prophetiam* interpretatio ſacræ ſcripturæ. Sed Spiritus ſanctus donis ſanctificantibus & adminiſtrantibus opulentiſſimus datur ex auditu fidei, Gal. III, 2. Et ſcriptura per ſcripturam explicanda eſt. Immediatæ reuelationis, quæ hodienum fidelibus obtingat, apoſtolus nullam facit mentionem.

Inſtantia II. Si Deus hodie non mittit prophetas immediate a Spiritu ſancto illuminatos, certe in deteriori ſtatu erit eccleſia euangelica noſtris temporibus, quam eccleſia ſub veteri fœdere, cui permagno fuit decori non minus, quam commodo, quod Deus ſubinde excitauerit prophetas, immediatæ inſpirationis dono inſtructos.

Reſp. Eccleſiæ chriſtianæ felicitas æſtimanda non eſt vberi prouentu prophetarum immediate illuminatorum, ſed euangelio a Chriſto in carne exhibito prædicato, & ab apoſtolis quam latiſſime propagato, atque ob ἀσφάλειαν, ſiue certitudinem cognitionis, in litteras redacto.

Inſtantia III. Si Deus inde ab orbe condito ſe ſuamque voluntatem patriarchis & prophetis, euangeliſtis & apoſtolis immediate reuelauit, vtique hodienum ſe immediate ſanctis hominibus reuelat. Atqui prius eſt veriſſimum. E. & poſterius. Conſequentia eſt clara, quia nos cum patriarchis & prophetis, euangeliſtis & apoſtolis vnius religionis fœdere ſumus coniuncti, & æque pretioſam cum ipſis fidem nacti ſumus, 2 Petr. I, 1. Sed vbi eſt vna religio & vna fides, ibi vnum eſt obiectum formale, nempe reuelatio diuina immediata. Reſp. (1) Diſt. *inter tempora antegreſſa completum ſcripturæ canonem, & hunc ſecuta.* Priusquam abſolueretur ſcripturæ canon, Deus paucis hominibus ſanctis, nempe patriarchis & prophetis, euangeliſtis & apoſtolis ſe immediate patefecit, ingenti autem hominum multitudini interueniente virorum θεοπνεύςων miniſterio, ſe manifeſtauit. Ex quo *Noachus* vocatur *præco iuſtitiæ.* 2 Petr. II, 5. *Abrahamus præcipit liberis ſuis, vt cuſtodirent* viam domini, & facerent iuſtitiam & iudicium. Gen. XVIII, 19. *Iacobus docuit familiam ſuam.* Gen. XXXV, 2. (2) Vna eſt religio, vnaque fides, cuius obiectum formale eſt reuelatio diuina, ſiue illa fuerit mediata, ſiue immediata. *Præſcindit enim reuelatio ab ea, quæ immediata, & quæ mediata eſt:* ſiquidem reuelare dicitur, qui res aliquas, aut ſenſa animi ſui alteri manifeſtat; hoc autem non ſolum ille facit, qui immediate ad alium loquitur, ſed & qui mediate v. gr. per miniſtrum, nuntium, aut per amanuenſem alteri, quod ipſum ſcire vult, patefacit: iam vero Deus partim immediate, partim mediate, ſe & decreta voluntatis ſuæ patefecit. Id quod docet apoſtolus Hebr. I, 1. *Multis vicibus, multisque modis Deus olim locutus eſt patribus in prophetis.* Vbi duplex locutio, ſeu duplex reuelatio Dei occurrit, vna ad prophetas, quæ immediata; altera per prophetas ad patres, quæ mediata erat.

IV. Deus promiſit populo fideli in N. Teſt. immediatam illuminationem, Ier. XXXI, 33. *Dabo legem meam in interiora ipſorum, & ſuper corda ipſorum ſcribam eam.* Reſp. Quam legem Deus populo ſuo dedit legendam, atque audiendam, eam dedit atque inſcripſit in corda ipſius efficaci Spiritus ſancti operatione, a lectione & auſcultatione legis non ſeiuncta, ſed cum ea arctiſſime coniuncta.

V. Quicunque Spiritus in homine eſt, & manet, vt illum omnia doceat, omnia ipſi ſuggerat, in omnem veritatem eundem ducat, ille veritatem cœleſtem immediate homini reuelat. Atqui Spiritus ſanctus &c. Ergo. Minor liquet ex Io. XIV, 16. 17. 20. c. XVI, 13. Reſp. Ex intentione Chriſti loquentis, promiſſiones illæ primario & proxime reſpiciunt in-



Digitized by Google

ſtructionem apoſtolorum ad functionem muneris apoſtolici, quo omnibus gentibus prædicando euangelium inſeruire debuerunt. Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Idcirco diſcipuli Chriſti, cum eſſent rudes & illiterati, extraordinario immediatæ illuminationis beneficio aptandi erant ad docendas omnes gentes, & communicandas hominibus nouas reuelationes de exhibito in carne Meſſia, deque eius officio, & ceteris partibus doctrinæ chriſtianæ. Proinde ſicut non omnes fideles debebant eſſe apoſtoli, 1 Cor. XII, 28; ſic non eodem modo ad omnes pertinent, quæ apoſtolis factæ ſunt, promiſſiones: neque, ſi quid illis immediate conferendum a Chriſto fuit promiſſum, idem ſingulis fidelibus conferendum eſt.

VI. Spiritus S. nos certiores reddit ſtatus gratiæ teſtimonio immediato, de quo S. Paullus Rom. VIII, 6. *Ipſe Spiritus teſtatur cum ſpiritu noſtro, quod ſimus filii Dei.* Quod teſtimonium cum non reddatur externis corporalibus auribus, internum & immediatum eſt. Reſp. συμμαρτυρία Spiritus ſancti cum ſpiritu noſtro eſt quidem interna, ſed non immediata. Nam Spiritus ſanctus, mediante doctrina in ſacris litteris contenta, eaque vel per auſcultationem, vel per lectionem percepta, animoque retenta, hoc præſtat in animo hominis, vt non ſolum de veritate ipſius doctrinæ, verum etiam, cum animus hominis actu cognoſcendi ad ſe ipſum reflectitur, de vera ac ſalutari hominis fide ac ſtatu gratiæ, in quo viuat, teſtetur.

VII. Spiritus ſanctus hominem renatum interne & immediate docet; quod innuit Nehemias, inquiens cap. IX, 20. *Spiritum quoque tuum bonum dediſti ad dandum iis intellectum.* Reſp. Spiritus ſanctus interne hominem renatum docet, ſed non immediate, id quod indigitat Nehemias capite citato v. 30. *Protraxiſti* (iram) *ſuper iis annis multis, & teſtatus es contra eos per Spiritum tuum; per manum prophetarum tuorum.* Si Deus teſtatus eſt contra Iſraëlitas per Spiritum ſuum, miniſterio prophetarum, collectu procliue eſt, quod eos non immediate per Spiritum ſanctum, ſed mediante doctrina & informatione Moſis & prophetarum inſtruxerit.

VIII. In quocunque Spiritus Dei eſt, ſemper in ore eius verba ponens, illum Spiritus Dei docet immediate & perpetuo. Sed Spiritus Dei ſub nouo fœdere ſemper eſt in ſemine iuſtorum, & ponit in ore eorum verba, nec vnquam recedit. E. Spiritus Dei iuſtos docet immediate & perpetuo. *Minor* patet ex Eſ. LIX, 21. Inquit *Iehouah: Me autem quod attinet: Hoc* (*erit*) *fœdus meum cum illis, inquit Iehouah: Spiritus meus, qui ſuper te, & verba mea, quæ poſui in os tuum, non recedent ex ore tuo, & ex ore ſeminis tui, inquit Iehouah; & nunc & vsque in æternum.* Maior conſtat, quia Spiritus Dei habitans in homine iuſto, eumque ſic informans, vt verba in eius ore ponat, immediata reuelatione hominem docet. Reſp. Promiſit Iehouah ſe populum ſuum in nouo teſtamento illuminaturum eſſe, ſed modum, an immediate, an mediate ipſum informaturus ſit, non expreſſit. Quare ſtatuimus, Iehouam promiſiſſe, quod verba ſua in corde & ore apoſtolorum per immediatam illuminationem poſiturus, & mediante illorum ſermone prædicato, aut in literas relato, aliis diſcendi cupidis communicaturus ſit.

IX. Sacra ſcriptura non omnia, cognitu & factu neceſſaria peccatori ſaluando, continet. Ergo ſacra ſcriptura non eſt adæquatum credendorum & agendorum principium. Antecedens probatur, quia (I) ex ſacra ſcriptura nemo certo & infallibiliter cognoſcere poteſt, quod vere credat, & hæres vitæ æternæ ſit. (II) Miniſter eccleſiæ ex ſacris litteris non liquido perſpicit, vocationem ſuam ad miniſterium eſſe legitimam. (III) Circumſtantiæ actionum, hic & nunc in ſalutem proximi expediendarum, in ſcripturis non ſunt determinatæ. Quæ omnia homini fideli, ad certam notitiam adſpiranti, immediate a Spiritu ſancto reuelanda ſunt. Reſp. ad I. Omnis peccator conuerſus ex ſacris litteris certo cognoſcit, ſe vere credere. Poteſt hoc late deduci, ſed hac vice breuiter argumentamur:

Qui

Digitized by Google

Qui accipit Dei teſtimonium, is obſignat, quod Deus verax ſit, adeoque vere credit & in ſe reflectens ſcit, ſe vere credere. Atqui peccator conuerſus accipit teſtimonium Dei.

Ergo peccator conuerſus vere credit, & in ſeipſum reflectens, ſcit, ſe vere credere.

Maior verbo Dei ſcripto eſt reuelata: habetur enim Io. III, 33. Pertinet autem ad definitionem fidei, teſtimonium, ſiue promiſſionem Dei, acceptare: ad certitudinem cognitionis pertinet obſignare, quod Deus verax ſit. Nam obſignare ſignificat, aliquid certo ſtatuere & ratum habere. Obſignamus in actibus vitæ communis ea, quæ certa & rata eſſe volumus. Minor eſt certiſſimæ ſcientiæ, vt loquitur AVGVSTINVS *lib. 13. c. 1. Suam quisque fidem in ſeipſo videt, eamque tenet certiſſima ſcientia.* Confirmatur minor ſequenti modo. Quando peccator conuerſus audit vel legit teſtimonium Dei de gratuita peccatorum remiſſione, Eſ. XLIII, 25. *Ego, ego deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordor*; tunc illud ſolatiferum Dei teſtimonium auide acceptat, & obſignat, ſiue certo ſtatuit, hoc teſtimonium Dei, qui prima eſt veritas, eſſe veriſſimum. Quidni igitur peccator conuerſus ex ſacris litteris cognoſceret & crederet, ſe vere credere? Conf. DANNHAVER. in *hodoſoph. p. 1361. ſeq.*

Ad II. Certitudo vocationis ad miniſterium eccleſiaſticum non habetur ex noua, peculiari & immediata Spiritus S. reuelatione, ſed ex reuelatione mediata, ſacra ſcriptura comprehenſa. Docet enim ſcriptura, quibus donis inſtructus eſſe debeat idoneus eccleſiæ miniſter, 1 Tim. III, 1. ſeq. Docet itidem, eccleſiam habere poteſtatem clauium cœlorum, Matth. XVI, 18. adeoque & poteſtatem imponendi miniſterium ſacrum certis perſonis. Quod ſi itaque candidatus theologiæ ſciat (nouit ſpiritus hominis, quid ſit in homine, 1 Cor. II, 11.) ſe iis donis, quæ ſacra ſcriptura in miniſterio eccleſiæ requirit, diuinitus eſſe præditum, & litteras vocatorias ab eccleſia aliqua, ius vocandi habente, collatas, oculis ſuis videat præſentes, certus eſt legitimæ ſuæ ad miniſterium vocationis abſque noua & immediata Spiritus S. reuelatione.

Ad III. Manet S. ſcriptura adæquatum agendorum principium, tametſi præcepta ſua vniuerſalia de officiis chriſtianorum ad circumſtantias actionum non applicet aut determinet. Conſtat inter omnes, nullam regulam vniuerſalem ſe ipſam applicare. Applicationem itaque præceptorum ſcripturæ facit iudicium rationis, diuina gratia, quæ cum doctrina ſcripturæ ad animum demiſſa concurrit, illuminatum.

X. Quamuis pro ſtatu temporis præſentis noua dogmata a Spiritu S. non immediata reuelentur, interpretatio tamen ſcripturæ pendet a peculiari & immediata Spiritus ſancti illuminatione. Indicat id apoſtolus 1 Cor. II, 14. *Animalis homo non ſuſcipit ea, quæ* (ſunt) *Spiritus Dei: Stultitia enim illi ſunt, &* non poteſt ſcire, quia ſpiritualiter diiudicantur. Si doctrina ſcripturæ propria & præcipua captum rationis humanæ ſibi relictæ ſuperat, neceſſe eſt, vt præcedat peculiaris reuelatio diuina, qua eius ſenſus notificetur. Reſp. Spiritus ſanctus, cuius vis illuminatrix cum S. ſcriptura indiuiduo nexu coniuncta eſt, ſcripturam per ſcripturam interpretatur, & per eandem voluntatem Dei reuelat.

XI. Litteralis rerum diuinarum notitia petitur e ſacris litteris, ſed cognitionem Dei experimentalem & ſenſibilem Spiritus S. immediate homini infundit. Ex quo pax conſcientiæ & internum animæ gaudium Spiritui S. acceptum fertur, Rom. XIV, 17. Reſp. Immediata cognitio Dei, quæ ceteroquin intuitiua appellatur, non eſt huius, ſed futuræ vitæ. Scriptura autem ſacra, concurrente Spiritu ſancto, cor hominis illuminat, tranquillat, exhilarat. Præclare canit rex prophetarum Pſ. XIX, 8 *Lex Iehouæ* (eſt) *perfecta, recreans animam: teſtimonium Iehouæ firmum* (eſt), *ſapientem reddens ſimplicem. Mandata Iehouæ recta* (ſunt), *lætificantia cor: præceptum Iehouæ purum* (eſt), *illuminans oculos.*

XII. Reuelationes Dei immediatas non deſiiſſe cum apoſtolis in eccleſia, tum hiſtoria temporum teſtatur, tum orthodoxi theologi fatentur. B. LVTH. *Comment. in Ioel. tom. IV.*

 *Ien.*

Digitized by Google

*Ien. lat. p. 807.* D. DAVID RVNG. *in Gen. p. 1280.* D. BALDVIN. *in 1 Tim. IV. p. 251.* & alii. Reſp. Reuelationes diuinæ concernunt vel doctrinam fidei, vel caſus & euentus ſingulares in eccleſiaſticis, politicis aut aliis rebus. Doctrina fidei verbo Dei reuelato & in litteras relato in ſolidum nititur. Reuelationes autem de caſibus ſingularibus oriuntur, vel ex pleno lumine prophetico, vel ex ſcintillis quibusdam luminis prophetici. Concedunt theologi, poſt deceſſum apoſtolorum in quibusdam viris ſanctis ſtricturas aut ſcintillas quasdam luminis prophetici emicuiſſe. Quæ, quo rariores ſunt, eo accuratius ponderandæ, ne ſub ſpecie reuelationum diuinarum ſuggeſtiones diaboli, aut prauæ phantaſiæ, hominibus nouitatis auidis obrepant.

Quæſt. IV. *Eſtne ratio humana principium theologiæ?*

*An ratio principium theol.?*

*Ratio humana* vel notat *facultatem* hominis intellectiuam, quæ colluſtrata lumine verbi diuini eſt *ſubiectum* recipiens, ſeu cognoſcens veritates theologicas, ſed *non* eſt *principium* fundamentale, ex quo eædem cognoſcantur (a): vel deſignat *principia*, lumine naturæ nota, vna cum diſcurſu illis principiis ſubnixo: Quæ principia rationis vel ſunt organica, vel philoſophica. *Organica* rationis principia dogmatibus fidei & morum explicandis atque confirmandis recte adhibentur (b). Ex principiis *philoſophicis articuli* fidei *mixti* quadantenus innoteſcunt (c). Articuli autem fidei *puri* vnice ex ſacra ſcriptura, tanquam ex domeſtico, fundamentali & primordiali principio, demonſtrantur & cognoſcuntur (d). Principia interim philoſophica abſolute vniuerſalia diſcurſibus theologicis, velut principia communia, miniſterialia & ſubſeruientia ad integrandum ſyllogiſmum plene expreſſum, coadhibere licet (e).

Obſ. 1. *Principia organica* dicuntur, quæ ad diſciplinas inſtrumentales, grammaticam, rhetoricam & logicam pertinent.

Obſ. 2. *Principia philoſophica alia ſunt abſolute & illimitate vniuerſalia*, quæ conſtant nexu terminorum eſſentiali & ſimpliciter neceſſario, vt nulla inſtantia neque ex ſcriptura labefactari queant, v. gr. Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe. Quidquid eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Omnis ſpiritus eſt immaterialis &c. (*) Alia *ſunt limitate, & ſecundum quid vniuerſalia*, quæ in certo genere, ex hypotheſi, aut ſecundum naturalis cognitionis ſphæram, vera quidem ſunt, attamen limitationem admittunt, & inſtantia quadam, ſi non ex natura, certe ex ſcriptura petita, infringi poſſunt, (**) v. gr. Quot ſunt perſonæ, tot

(*) In plerisque tamen omnibus opus eſt recta interpretatione, atque etiam vniuerſalia principia certis quibusdam terminis circumſcripta ſunt, quibus neglectis non eſſent omni exceptione majora. V. g. Principium hoc, quod vulgo dicitur *contradictionis*, eſt profecto ſine vlla exceptione veriſſimum, dum modo omnem adhibeamus cautionem, ne quid prætermittamus in diſcernenda, quæ *aperte* ſit, ab ea, quæ *videatur* eſſe, repugnantia. Aliud proferam exemplum: *Finitum non eſt capax infiniti.* Hoc ſane certiſſimum eſt, ſi intelligatur de *comprehenſione* atque *exæquatione*, non item de arctiſſima *coniunctione* & *communione*, quaſi infinitum non poſſet finitum in ſe recipere, ſuasque cum illo perfectiones communicare.

(**) Nec poteſt aliter fieri. Eſſet enim manifeſta repugnantia, ſi quis Dei effectus ſupernaturalis, nec aliunde, quam ex diuina patefactione cognoſcendus, ex viribus naturæ rerum creatarum efficeretur, adeoque eius ratio ex principiis naturalibus explicari poſſet. Et ea, quæ *particularia* vocantur, principia philoſophica, ſunt quidem generalia, ac ſine vlla exceptione latiſſime patent; ſed duntaxat in eo rerum genere, ad quod illa pertinent. Namque inter omnes con-

Digitized by Google

tot ſunt eſſentiæ: Omne indiuiduum humanum per ſe eſt perſona: Omne genitum numerica eſſentia, diuerſum eſt a generante.

Prob. a. Sine vſu rationis dogmata theologica neque percipere, neque confirmare, neque a ſtrophis aduerſariorum vindicare poſſumus. Certe non brutis, ſed hominibus, ſana ratione vtentibus, Deus æternæ ſalutis ſapientiam in verbo ſuo reuelauit, & ſerio iis iniunxit mandato, vt verbum ſuum legerent, audirent, meditarentur. Deut. VI, 6. Io. V, 39. Requiritur itaque intellectus, vt ſubiectum recipiens, aut inſtrumentum apprehendens. Sicut enim ſine oculis nihil videmus, ſine auribus nihil audimus; ita ſine ratione nihil intelligimus. Interim tamen ratio humana non eſt fons aut primodiale elementum, ex quo propria & proxima fidei principia deriuentur.

Prob. b. Principia *organica* adhibentur, vt adminicula acquirendi habitus theologici, cum ſine illis nec ſenſus aut ſignificatio vocum erui (quod eſt *grammaticæ*), nec figuræ modique loquendi expendi (quod eſt *rhetoricæ*), nec connexiones & conſequentiæ percipi, nec diſcurſus formari (quod eſt *logicæ*) poſſint.

Prob. c. Articuli fidei *mixti* vocantur, qui non ſolum ex reuelatione, verum etiam ex lumine naturæ conſtant; qui primario & tutiſſime vsque ad πληροφορίαν fidei e ſcriptura S. probantur, ſecundario & minus tuto e principiis rationis deducuntur. Sic philoſophi exſiſtentiam & attributa Dei in metaphyſica & pneumatica ex principiis rationis probatum eunt.

Prob. d. De articulis fidei *puris* nihil nouit ratio ſibi relicta, ſed ad myſteria fidei cæcutit & caligat. Cuius cæcitatis ſpiritualis gentium apoſtolus hominem admonet, 1 Cor. II, 14. inquiens; *Animalis homo non ſuſcipit ea, quæ* (ſunt) *Spiritus Dei: ſtultitia enim illi ſunt; & non poteſt ſcire, quia ſpiritualiter diiudicantur.* Obſeruandum heic eſt genuinum apoſtoli argumentum. Prius a congenita intellectus humani poſt lapſum corruptione ſumitur. Quidquid homo animalis (e verbo Dei non illuminatus) non capit, ſed naturali quodam faſtidio tanquam abſurdum reſpuit, illud ex principiis rationis diiudicari

 cari

conſtat, alia eſſe principia ſcientiæ rerum naturalium, ſiue phyſica, alia philoſophiæ moralis, alia prudentiæ ciuilis, multa etiam matheſeos propria; quorum vnum quodque omnino quidem in ſuo genere vim ſuam obtinet, nec vero ad aliud rerum genus poteſt adcommodari. Quod vero longe ab alio diuerſum eſt, id illi non continuo eſt contrarium, & neutiquam repugnat. Quid igitur agunt doctrinæ reuelatæ aduerſarii? Semper illi faciunt μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, quando eam principiis quibusdam *philoſophicis*, & iis quidem *particularibus* impugnant. Itaque obuiam illis eundum eſt, tum *limitando* id principium, eiusque vim ac rationem explicando; tum *opponendo* aliud, eo ſuperius, nimirum prorſus *vniuerſale*, cuiusmodi ſunt logica, & metaphyſica. E g. qui negant, æternum Dei filium Patri omnino parem eſſe, illi abutuntur hoc principio: *O. generans non poteſt non ordine ac tempore prius eſſe generato.* Reſp. 1) explicatione huius principii, quod omnino phyſicum eſt, ita limitandi: *Omne generans, cuius natura finita eſt;* nam vbi prius, & poſterius eſt, ibi eſt ſucceſſio; vbi hæc, ibi initium, ordo ac ſeries. 2) Oppoſitione alius cuiusdam, multo maioris & certioris, quippe quod ipſam rei naturam ac definitionem continet: *O. generatio, proprie ſic dicta, eſt eiusdem naturæ communicatio*: E. qualis natura generantis eſt, talis non poteſt non eſſe eiusdem communicatio, & natura generati: Atqui Deus, & is quidem vnus, eſt ens infinitum, neceſſarium, atque æternum: E. generatio diuina, ſi qua eſt (eſſe autem eam, nos reuelatio edocet) non poteſt non eſſe æque infinita, neceſſaria, atque æterna: E. ex Deo genitus non poteſt non eſſe Patri æqualis, ideoque nec ordine, nec tempore, poſterior. SOCINI adſeclæ, omnesque illi, quibus dogmata reuelata videntur rationi contraria eſſe, vehementer errant quatuor modis. Falluntur in eo: quod *aut* rationem omnem cum ſua perceptione confundunt, *aut* falſas hypotheſes tamquam vera rationis principia adſumunt, *aut* principia rationis vera quidem, at nec recte intellecta, & male adcommodata, vſurpant, *aut* principia particularia ad aliud veritatum genus transferunt.

Digitized by Google

cari nequit. Atqui myſteria diuina &c. Ergo. Poſterius petitur a conditione myſteriorum. Quæcunque non niſi ſpiritualiter (per lumen Spiritus S.) diiudicantur, illa iudicio rationis non ſunt æſtimanda aut decidenda. Atqui myſteria fidei &c. Ergo.

Prob. e. In diſcurſibus theologicis principia philoſophica velut miniſterialia & ad integrandum ſyllogiſmum ſubſeruientia recte applicari poſſe, oſtenditur ſequenti diſcurſu theologico. Quod ſi veritas humanæ Chriſti naturæ contra *Marcionem* probanda ſit, ex S. ſcriptura fundamentale demonſtrationis theologicæ principium depromitur.

Chriſtus habet corpus & animam humanam. Matth. XXVI, 27. 28. Luc. XXIV, 39.
Ergo Chriſtus eſt verus homo.

Dicis: Probetur conſequentia ſiue connexio antecedentis & conſequentis.
Probo conſequentiam adhibito rationis principio:

Quicunque habet corpus & animam humanam, ille eſt verus homo.
Chriſtus habet corpus & animam humanam.
Ergo Chriſtus eſt verus homo.

In hoc diſcurſu nititur veritas concluſionis theologicæ propoſitione minori e verbo Dei reuelato petita, tanquam *proprio, fundamentali & primordiali demonſtrandi principio.* Maior propoſitio eſt principium rationis abſolute vniuerſale, & concurrit tantum *vt principium commune, ſecundarium & miniſteriale, ſponte ſua affluens, & ſuperadditum* ad integrandum ſyllogiſmum & oſtendendam δοκιμασίαν ſyllogiſticam. At non ſimpliciter neceſſarium eſt, ſemper & vbique demonſtrationem theologicam in ſyllogiſmum categoricum & plene expreſſum redigere. Syllogiſtica enim expreſſio, vbi altera præmiſſa ſumme euidens eſt, facilis quidem, attamen ſuperuacanea & tædioſa vere eſt. Quare nullum dubium eſt, quin argumentum demonſtratiuum enthymematica, hypothetica, diſiunctiua, vel dilemmatica etiam forma, proponi queat, iudice LEICHNERO in *ſynopſi veræ apodicticæ p. 365.*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, myſteria fidei decempeda rationis dimetientium, quorum argumenta ſunt.

I. Religio Chriſtiana eſt *cultus rationalis*, Rom. XII, 1. E. Ex principiis rationis diiudicanda eſt. Reſp. Religio chriſtiana dicitur cultus rationalis, non ratione *principii, ex quo*, velut fonte, haurienda eſt; ſed *ratione ſubiectorum*, ſiue hominum rationalium, qui religioni chriſtianæ ſunt addicti. Sicut enim in V. T. ζῶα ἄλογα, animalia rationis expertia, Deo immolabantur: Sic in N. T. homines rationis participes corpora ſua Deo conſecrant. Appellatur igitur ab apoſtolo cultus rationalis, non qui ex rationis fonte depromitur, ſed qui eſt cultus hominum rationalium.

II. Paullus Corinthiorum intellectui defert iudicium de doctrina fidei, 1 Cor. X, 15. *Intelligentibus loquor, iudicate.* Reſp. Intellectus Corinthiorum verbo diuino illuminatus erat Quamobrem permittit illis apoſtolus, vt iudicent non ex principiis rationis, quam captiuare iubet, 2 Cor. X, 5. ſed ex verbo Dei reuelato, & in litteras relato. Permittit, inquam, illis iudicium non αὐτοκρατορικὸν ſiue ſupremum, non κανονικὸν ſiue normale, ſed δοκιμαστικὸν diſcretiuum & miniſteriale. Confer D. IO. ADAM OSIANDER in *coll. ſyſtem. part. I. p. 143.*

III. Si ratio non capit myſteria fidei, quid ergo illa intelliget? Reſp. Ratio illuminata capit myſteria fidei vt *ſubiectum recipiens & organon cognoſcens*, ſed non eſt *principium primordiale & fundamentale*, ex quo ordiri & extruere liceat demonſtrationem theologicam.

IV. Chriſtus ipſe docuit rationabiliter, quotiescunque ſimilibus & parabolis ex ratione deſumtis in docendo vſus eſt. Reſp. Myſteria fidei ſaluator per ſenſibilia illuſtrauit, ſed ex Moſe & prophetis Luc. XXIV, 27. eadem probauit, ſolique ſcripturæ, Io. V, 39. non rationi iudicium normale detulit.

V. S.

Digitized by Google

V. S. Paullus exigit a nobis in rebus fidei prudentiam quandam, grauiter admonens. 1 Cor. XIV, 20. *Ne ſitis pueri, ſed adulti prudentia.* Prudentia autem eſt habitus cum recta ratione actiuus. Reſp. Loquitur apoſtolus non de prudentia mundana, depromta ex principiis philoſophicis; ſed ſpirituali, hauſta ex fonte Iſraëlis, ſcriptura ſacra.

VI. Sicut ratio iudicat de rebus philoſophicis, ita & de dogmatibus theologicis. Nam *verum philoſophicum non contrariatur vero theologico:* & licet in ſacra ſcriptura multa ſint ſupra rationem, nil tamen contra rationem. Quemadmodum enim inter verum & verum non poteſt eſſe pugna: ita nec, quæ recta ratio docet, contraria eſſe poſſunt. Reſp. (1) Quamuis myſteria fidei non contrarientur principiis rationis, non tamen ex his iudicandum eſt de illis. Medicina & iurisprudentia ſibi non contrariantur: neque tamen medicus ex proceſſu iuris oſtendit methodum curandi febrem, neque ICtus ex anatomia petit modum dirimendi lites forenſes. Ars pictoria, & ſutoria, non pugnant inter ſe, neque tamen ſutor vltra crepidam. (2) *Ratio recta,* continens ſe intra limites obiecti ſui, non contradicit myſteriis fidei; per accidens autem fit, vt ratio *corrupta,* ſphæram ſuam egreſſa, enormis & effrenata, reuelationi diuinæ obluctetur.

VII. Omnis diſcurſus vltimo reſoluitur in illud principium: *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe: quod principium eſt rationis.* Vt itaque vltima in id fit reſolutio; ita vltimum rationi defertur iudicium. Reſp. Principium illud duobus modis poteſt conſiderari, (1) vt *ſit commune contradictionis fundamentum.* (2) Vt *approprietur rebus diuinis,* & ad earum naturam coarctetur. Quamuis ratio *formale ferat iudicium,* de communi contradictionis fundamento: iudicium tamen *reale & normale* competit ſacræ ſcripturæ, quatenus illud contradictionis fundamentum rebus diuinis appropriatur.

VIII. Doctores euangelici haud raro vtuntur principiis rationis in ſyllogiſmis theologicis. Ergo Socinianos abuſus rationis non poſſunt accuſare. Reſp. (1) Euangelici in ſyllogiſmis theologicis vtuntur *principiis rationis abſolute vniuerſalibus,* aduerſarii *principiis particularibus,* aut ſaltem *limitate vniuerſalibus, & ad ſphæram naturæ aut entis finiti adſtrictis,* vtuntur. (2) Euangelici vtuntur principiis rationis, non vt theologiæ *propriis,* ſed multarum ſcientiarum *communibus;* non vt *miniſterialibus & quaſi inſtrumentalibus,* adiumentum intelligendi & deducendi concluſionem ſubminiſtrantibus; non vt *primordialibus,* a quibus capiendum ſit demonſtrandi principium, ſed vt *ſuperadditis* ad oſtendendam δοκιμασίαν ſyllogiſticam. Id quod non attendentes aduerſarii, myſteriis fidei diuinitus patefactis ſe præfracte opponunt. V. g. Myſterium Trinitatis impugnant hoc axiomate philoſophico: Quot ſunt perſonæ, tot ſunt eſſentiæ. Myſterium incarnationis adoriuntur hoc principio rationis: Omnis natura intelligens, & in eſſendo completa, eſt perſona. Subſtantialem corporis Chriſti præſentiam e ſacramento cœnæ, ſublatum eunt hoc lemmate: Omne corpus naturale eſt in vno determinato loco. Quæ principia rationis, cum adſtricta ſint ad naturæ & entium finitorum ſphæram, perperam venditantur pro abſolute vniuerſalibus, neque ſine μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος ad res meræ fidei applicantur. Eſt ratio non dux theologiæ, ſed pediſſequa. Seruiat ancilla Hagar dominæ, non imperet: imperium affectans æde ſacra eliminetur.

Quæſt. V. *Eſtne conſenſus patrum primitiuæ eccleſiæ principium theologiæ?*

Conſenſus patrum, qui prioribus quinque ſeculis in eccleſia Chriſti vixerunt, qualiscunque ille ex ſcriptis ipſorum pro tempore præſenti haberi poteſt, non eſt principium apodicticum & fundamentale theologiæ (a)? neque accurate dicitur principium fidei chriſtianæ ſecundarium (b): neque tamen parui ducendus, ſed *An conſenſus patrum ſit principium theol.*

magni

magni æſtimandus eſt, vt motiuum credibilitatis, principium quarundam theologicarum concluſionum topicum & probabile, atque inſigne teſtimonium, priſcos eccleſiæ catholicæ antiſtites, dicta S. ſcripturæ eodem ſenſu, quo hodierna eccleſia euangelica intelligit, intellexiſſe & expoſuiſſe (c).

Obſ. Principium probandi diuiditur (α) in *apodicticum*, & *topicum*. Illud ſcientiam, ſeu accuratam & certam notitiam, hoc opinionem ſeu notitiam veriſimilem parit. (β) In principium κατὰ πρᾶγμα, ſiue *ad rem* demonſtrandam per ſe validum, & κατ' ἄνθρωπον ſiue *ad hominem*, cuius reſpectu habetur validum, propterea, quod ab ipſo conceditur & approbatur.

Probatur a. I. Quia S. ſcriptura eſt principium theologiæ adæquatum. Vid. quæſt. II. prob. a.

II. Quia principium theologiæ oportet eſſe αὐτόπιστον & infallibiliter certum. At patres primitiuæ eccleſiæ fuerunt homines priuilegio infallibilitatis non præditi, qui ſicut ſinguli ab errandi periculo non fuerunt exemti; ita vniuerſi in tradenda doctrina fidei fallere & falli potuerunt. Errata patrum commonſtrat D. CHEMNIT. in *orat. de lectione patrum loc. theol. præfixa*, nec non D. GERHARD. in *confeſſ. cathol. libr. 1. part. II. cap. XIII. fol. 190.* Neque id diffitentur patres ipſi. Nam, citante *Gerhardo*, loco allegato, *Hieronymus* ſcribit *epiſt. 62. ad Theophyl.: Aliter habere debemus apoſtolos, aliter vero reliquos ſcripturæ tractatores. Illos ſciamus ſemper vera dicere, iſtos vt homines in quibusdam errare.*

III. *Vniuerſalis* patrum eccleſiæ conſenſus nullibi datur. Nam (a) multæ per orbem terrarum eccleſiæ ab apoſtolorum temporibus fuere, quarum tamen nec doctores nobis innotuerunt, neque de doctrina ab illis tradita vlla exſtant teſtimonia. (b) Ante mota certamina patres ſecurius & aſperius ſunt locuti. (c) In interpretandis dictis ſacræ ſcripturæ immane quantum diſcrepant. (d) Haud pauca patrum ſcripta a pontificiis ſunt interpolata, caſtrata & mutilata.

IV. Omne principium eſt prius principiato. At conſenſus patrum non eſt prior, ſed poſterior theologia chriſtiana. Nam poſt apoſtolos per integrum ſeculum, ne vnus quidem ſupereſt ſcriptor, qui de omnibus fidei dogmatibus ſcripſerit. Exſtant quidem quædam, quæ *Ignatio* tribuuntur, epiſtolæ, ſed earum nonnullæ ſummorum virorum iudicio ſuppoſititiæ; aliæ aduerſariorum improbo auſu corruptæ ac mutilatæ ſunt: quæ genuinæ eſſe exiſtimantur, de paucis fidei articulis lectorem informare poſſunt. Exſtant etiam quædam *Iuſtini* ſcripta, ſed pleraque ſpuria ſunt. Nulla enim habentur genuina, præter *orationem paræneticam adgentes, & colloquium cum Tryphone Iudæo.* Quæ autem præterea a *Iuſtino* vere ſcripta ſunt, perierunt, vt præter titulos ab *Hieronymo* & *Euſebio* memoratos nihil ſuperſit. Hosce ſequitur *Irenæus*, ſed de eius ſcriptis, quæ multa fuere, *Eraſmus* ſuperiori ſeculo vix quinque aduerſus Gnoſticos & Valentinianos conſcriptos libros ab interitu vindicauit, & publici iuris fecit, & quidem latino idiomate, in quod e græca lingua, in qua ab auctore ſcripti, incommode tranſlati ſunt. *Tertullianus* haud raro a regia deflectit via, & aliter, quam *eccleſia* credidit, docuit. Ex quo *Hieronymus*, cum ipſius auctoritate vrgeretur, dixit: *De Tertulliano aliud nihil reſpondeo, quam eccleſiæ hominem illum non fuiſſe.* Vid. *ſupra cit. orat.* CHEMNIT. *fol. 3.*

Prob. b. Quamuis conſenſus patrum primitiuæ eccleſiæ, qualiſcunque ille hodie in ipſorum ſcriptis habetur, vocari queat concluſionum nonnullarum theologicarum principium ſecundarium eodem ſenſu, quo alias appellatur principium topicum: non tamen accurate loquendo *principium eſt fidei chriſtianæ ſecundarium.* Nam fides chriſtiana eſt *fides diuina*

*& immota*

Digitized by Google

*& immota hypoſtaſis*, Hebr. XI, 1. Cuius principium, cui innititur, non niſi diuinum & ſupernaturale eſſe poteſt. At *conſenſus patrum*, qualiscunque pro ſtatu temporis præſentis datur, *humanus eſt*. Nam cuiuslibet patris teſtimonium humanum eſſe nemo diffitebitur. At ſingulorum teſtimonia in vnum collata non poſſunt eſſe alterius generis, quam cuius ſunt ſingula per ſe conſiderata. Quamuis enim gradus auctoritatis quadantenus creſcat propter multitudinem, non tamen mutatur auctoritatis ſpecies.

Prob. c. Conſenſus patrum primitiuæ eccleſiæ, qualis quidem hodie ſupereſt, multum confert ponderis ad interpretationem dictorum ſacræ ſcripturæ. Ecquis ſanæ mentis compos non moueatur ad comprobandam interpretationem ſcripturarum, quam perantiqui eccleſiæ primitiuæ doctores, apoſtolis vicini, rerum diuinarum ſcientia apprime inſtructi, vitæ ſanctimonia inclyti, ſcriptis ſuis poſteritati commendarunt?

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, conſenſum patrum primitiuæ eccleſiæ, vt infallibile theologiæ principium vrgentium, quorum ponderabimus argumenta.

I. Conſenſus patrum eorum, qui prioribus quinque ſeculis a partu virginis vixerunt & ſcripſerunt, eſt conſenſus eccleſiæ catholicæ, quæ ab errore immunis eſt, eo quod eccleſia Dei viuentis eſt *ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*, *columna & fundamentum veritatis*, 1 Tim. III, 15. Reſp. (α) Conſenſus paucorum eccleſiæ patrum non eſt conſenſus eccleſiæ catholicæ. (β) Conſenſus eccleſiæ verus eſt, quoniam conſentit cum ſacra ſcriptura. Ergo non eſt principium, aut norma, ſed principiatum aut normatum. (γ) Dicitur *ςύλος* ſiue *columna veritatis*, *non in ſenſu architectonico*, perinde ac ſi veritatem cœleſtem ſuffulciat, aut, ne præceps ruat, ſuſtentet, ſed in *ſenſu politico*. Vt enim in curiis & ante prætoria columnæ exſtant, ad quas leges & decreta magiſtratus appenduntur: ita eccleſia eſt *columna publica*, cui affixæ ſunt verbi diuini tabulæ. Vox *ἑδραίωμα* autem proprie notat ſedem, ſellam aut repoſitorium, quia eccleſia eſt quaſi ſedile aut repoſitorium, in quo veritas cœleſtis repoſita eſt. At quibus, quæſo, fidiculis extorqueri poteſt ex dicto Paullino, conſenſum patrum eſſe principium theologiæ? (*)

II. Patres eccleſiæ primitiuæ errare nequiuerunt, ideo quod vi promiſſionum diuinarum Spiritus ſanctus duxit patres in omnem veritatem, Io. XVI, 13. Manſit cum illis perpetuo, Io. XIV, 16. Reſp. *Promiſſiones Saluatoris πρώτως* & *primario reſpiciunt apoſtolos*, quorum mentes Spiritus ſanctus cognitione doctrinæ cœleſtis immediate illuſtrauit, vt in doctrina fidei non errarent. Id propter apoſtolus aſſerit, ſuper fundamentum apoſtolorum eccleſiam eſſe exſtructam, Eph. II, 20. *Δευτέρως* & ſecundario accommodari poſſunt ad omnes doctores eccleſiæ, quatenus vocem Spiritus ſancti ſequuntur. Sed exinde colligere non licet: Ergo doctores eccleſiæ ſimpliciter immunes ſunt ab errandi periculo.

III. Ex quo aliquid probatur & cognoſcitur, illud eſt principium cognoſcendi.
Ex conſenſu patrum probantur concluſiones theologicæ.
Ergo conſenſus patrum eſt principium concluſionum theologicarum.

Reſp. (1) Diſt. inter *principium apodicticum*, *& topicum*. Si maior intelligatur de principio *topico*, conceditur totum argumentum: ſin intelligatur de principio *apodictico*, negatur minor. Nam e conſenſu patrum argumentamur (α) *κατ᾽ ἄνθρωπον* aduerſus Pontificios, quos penes plurimum valet auctoritas patrum: (β) *κατὰ πρᾶγμα*, quoniam vniuerſalis patrum

(*) Rectiſſime ſentire videntur, qui verba hæc, *ςύλος καὶ ἑδραίωμα*, putant referenda eſſe non ad *ἐκκλησίαν*, ſed ad *μυςήριον*. De qua ſententia, firmis munita præſidiis, interpretes conſulendi ſunt. Quo pacto, tota corruit aduerſariorum argumentatio, omnesque eius nerui inciduntur.



Digitized by Google

patrum eccleſiæ primitiuæ conſenſus, qualis ille hodie dari poteſt, non inualidum eſt medium interpretandi ſcripturas. At validiſſime ſcriptura per ſcripturam explicatur.

## DE SACRA SCRIPTVRA, VT PROPRIO ET ADAEQVATO THEOLOGIAM COGNOSCENDI PRINCIPIO.

Quæſt. VI. *Quid eſt ſcriptura ſacra?*

*Definitio ſcripturæ ſacræ.* Sacra ſcriptura eſt verbum Dei, a prophetis & apoſtolis ex inſpiratione diuina litteris conſignatum, vt per illud peccator informetur ad æternam ſalutem.

*Vberius definitur.*

Sacra ſcriptura eſt verbum Dei, a prophetis in veteri teſtamento hebræo, & in nouo teſtamento ab apoſtolis græco idiomate, ex immediata Spiritus S. inſpiratione litteris conſignatum, peccatorem inſtruens, vt veram in Chriſtum fidem concipiat, Deoque reconciliatus ſancte viuat, ac tandem vitam æternam beneficio Dei adipiſcatur.

*Etymologia.* Obſ. 1. Dicitur *ſcriptura* ab externo ſcribendi actu, præſtito a ſacris amanuenſibus, dirigente Deo; qui litteras legis exarando in tabulis lapideis auguſtum ſcripturæ fecit initium, Exod. XXXII, 16.

Obſ. 2. *Sacra* dicitur, quoniam auctorem habet Deum, cuius *ſanctitatem* cum omnes creaturæ, tum inprimis angeli concelebrant, Eſ. VI, 3., a prophetis & apoſtolis, *ſanctis* Dei viris eſt conſcripta, 2 Petr. I, 21., *ſancta* fidei myſteria, *ſancta* morum præcepta, *ſancta* piorum hominum exempla complectitur, *ad ſanctitatem* peccatoris collineat, Io. XVII, 17. quin a diuina etiam prouidentia æternitati *conſecrata* eſt.

*Homonymia.* Obſ. 3. Sacra ſcriptura accipitur (α) γενικῶς & *improprie*, pro omnibus libris, in codice biblico exſtantibus, ſiue ſint canonici & θεόπνευςοι, ſiue apocryphi, ſtudio humano conſignati, continentes res ſacras & ad ædificationem eccleſiæ vtiles. (β) Ἐιδικῶς ſiue *ſpecialiter* & *proprie*, pro libris canonicis, immediato Spiritus S. influxu conſcriptis. Quo ſenſu ſpeciali notat (1) *formaliter ſenſum verbi diuini*, qui interna eius forma & quaſi anima eſt; (2) *materialiter* accipitur pro *litteris*, *vocibus*, *libris*; (3) ſumitur *complexe*, prout tum ſenſum θεόπνευςον, tum litteras & voces, e quibus conſtat, complectitur. Quo ſenſu complexiuo heic adhibetur.

*Synonymia.* Obſ. 4. Sacra ſcriptura vocatur alias κατ᾽ ἐξοχὴν, ἡ γραφὴ, ſcriptura, Io. II, 22. αἱ γραφαὶ, ſcripturæ, Matth. XXI, 42., αἱ γραφαὶ ἁγίαι, ſcripturæ ſanctæ, Rom. I, 2. τὰ λόγια τȣ̃ Θεȣ̃, oracula Dei, Rom. III, 2. ἱερὰ γράμματα, ſacræ litteræ, 2 Tim. III, 15. סֵפֶר יְהוָה liber domini, Eſ. XXXIV, 16. Patres eccleſiæ græcæ appellitarunt τὰ βιβλία, quaſi dicas libros, ſiue volumen librorum, qui multi diuerſis locis & temporibus ſcripti, vno codice continentur.

Obſ. 5. Spectatur hic verbum Dei vt *principium cognoſcendi*, ex quo omnia credenda & agenda innoteſcunt: infra parte III. conſiderabitur vt *principium operandi*, quatenus eſt medium conuertendi peccatorem, eundem regenerandi, iuſtificandi & ſaluandi.

Quæſt. VII. *Eſtne ſacra ſcriptura accurate definienda per verbum Dei, quod eſt viuum & efficax ad producendum effectus ſpirituales?*

Sacra ſcriptura accurate loquendo eſt verbum Dei, idque viuum & efficax ad producendum effectus ſpirituales.

*Antitheſis*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Quackerorum*, opinantium, S. ſcripturam non eſſe verum & viuum Dei verbum, ſed tantum teſtem de verbo Dei & litteram mortuam. Sic enim ſcriptum reliquit AMESIVS de *falſis prophetis* p. 9. *Baalitarum veſtigiis inſiſtunt, qui ſcripturam pro vero Dei verbo habent.* Sic etiam nugantur Quackeri in libro, qui inſcribitur: Der Stein, den die Bau-Leute verworfen haben. p. 2. Die Schrift war geſprochen von dem Licht, ſie iſt aber nicht das Licht, noch das Wort, noch das Leben, noch der Richter, noch die Regel, noch der Leits-Mann. & p. 4. Chriſtus iſt das Wort, die Schrift aber nicht: Er iſt das Licht, und nicht die Schrift: Er iſt der Lehrer und Richter, mit nichten aber die Schrift. Dieſelbe iſt nur eine Erzählung von ihm, und ein Mitzeuge unſerer Lehre. FOXVS in *XXVII. erroribus p. 30. n. 22.* ait: *Scriptura eſt manetque littera mortua.* PENNINGTON in *via vitæ & mortis* inquit *p. 14. Scriptura non eſt viuum verbum, quod a Deo pro regula chriſtianorum datum eſt.* His & alii theoſophi myſtici album calculum adiiciunt. WEIGELIVS in *poſtilla part. III. p. 84.* Die Schrift iſt ein todter Buchſtab, und unkräftiges Wort, das allein in die Luft ſchallet. CHRISTIANVS HOBVRGIVS in *poſtilla myſtica feria III. natiuit. p. 115.* Die Schrift iſt alt, kalt und todt Ding, das nur eitel Phariſäer machet.

Ἔκθεσις.

Obſ. I. S. ſcriptura ſumitur vel *materialiter*, pro apicibus, litteris & ſyllabis, e quibus conſtat, vel *formaliter*, pro ſenſu θεοπνεύστῳ, vel denique *complexe & complete*, prout tam litteras, ſyllabas & voces, quam ſenſum θεόπνευστον complectitur: poſtrema ſignificatio huius eſt loci.

Obſ. II. Non eſt quæſtio; an ſcriptura metonymice, aut improprie verbum Dei dici poſſit? ſed an accurate per verbum Dei definiatur?

Βεβαίωσις.

Probatur aſſertio noſtra (I) verbum diuinitus inſpiratum accurate definitur per verbum diuinum. Atqui S. ſcriptura eſt &c. 2 Tim. III, 16. Ergo.

Maior liquet: quia ſicut ſcriptura, quam homo alteri in calamum dictat, recte dicitur verbum humanum in litteras relatum; ita ſcriptura a Deo inſpirata veriſſime dicitur verbum Dei litteris conſignatum.

(II) Verbum propheticum accurate definitur per verbum Dei efficaciter illuminans. Atqui ſcriptura veteris teſtamenti &c. Ergo.

Maior probatur; quia Deus *locutus eſt per os ſanctorum prophetarum.* Luc. I. 70. *Spiritus Iehouæ locutus eſt in me, & ſermo eius fuit ſuper lingua mea,* inquit propheta regius 2 Sam. XXIII, 2. *Locutus eſt dominus per manum* Eſaiæ, c. XX, 2. *Factum eſt verbum domini ad me*, ait Ieremias c. I, 4.

Minor patet ex 2 Petr. I, 19. *Habemus firmius propheticum verbum, cui recte facitis, quod attenditis, tanquam lumini lucenti in loco tenebricoſo, vsque dum dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Chriſtiani ſuperſtite apoſtolo Petro, habebant verbum propheticum litteris conſignatum, adeoque ſcripturam veteris teſtamenti: hoc cum dicatur lumen lucens, non poteſt eſſe littera mortua.

(III) Eloquia Dei Iudæis concredita ἀκριβῶς dicuntur verba Dei. (Nam eloquia ſunt verba, quæ Deus elocutus eſt.) Scripturæ V. T. ſunt eloquia Iudæis concredita. Ergo. Minor claret effato Paullino, Rom. III, 11. 12. At viuente in his terris Paullo, eloquia Dei Iudæis concredita, ſcriptis propheticis erant comprehenſa.

(IV) Quod verbum apoſtoli prædicarunt, illud reuera eſt verbum Dei. Sed quod verbum apoſtoli ſcripſerunt, idem prædicarunt. E. Quod verbum apoſtoli ſcripſerunt, reuera eſt verbum Dei. *Maior* liquet ex 1 Theſſ. II, 13. *Cum accepiſtis verbum auditus Dei, ſuſcepiſtis non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt reuera verbum Dei. Minor* confirmatur



Digitized by Google

ex 1 Io. I, 3. 4. 5. *Quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, ideo hæc ſcribimus vobis.* Verbum diuinum prædicatum, & ſcriptum differunt accidentaliter, non eſſentialiter. Præclare inquit D. DANNHAV. in *hodoſ. phæn. I. p. 29. Vt Cæſar a ſeipſo non differt, repræſentetur licet a pictore in mappa, a chalcographo in ære: ita verbum ore annunciatum a verbo ſcripto non differt eſſentialiter.*

(V) Per quod verbum confertur homini fides ad æternam ſalutem, illud rectiſſime definitur per verbum Dei. Atqui S. ſcriptura eſt illud verbum &c. E. Maiorem confirmat Paullus Rom. X, 17. *Fides eſt ex auditu: auditus autem per verbum Dei.* Minoris veritas pateſcit ex dicto Ioannæo c. XX, 31. *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quod Ieſus ſit Chriſtus, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius.* Confer 2 Tim. III, 14. 15.

(VI) Sacra ſcriptura eſt verbum Dei *viuum*, Act. VII, 38. 1 Petr. I. 23. Hebr. IV, 12. eſt *verbum vitæ*, Act. V, 20. Phil. II, 16. imo *vita ipſa*, Io. VI, 63. E. Non eſt littera mortua.

(VII) Sacra ſcriptura hominem *regenerat & viuificat.* E. Eſt verbum Dei *viuum & efficax.* Ratio conſequentiæ eſt; quia littera mortua non poteſt viuificare; alias effectus præſtantior foret ſua cauſſa. Antecedens liquet ex Iac. I, 18. *Placuit Deo generare nos verbo veritatis.* Confer 1 Petr. I, 23.

Διάλυσις.

I. Contra nos diſſidentes arguunt: Chriſtus non eſt S. ſcriptura. Chriſtus eſt verbum Dei, Io. I, 1. E. Verbum Dei non eſt ſcriptura. Reſp. Diſt. inter verbum ὑποστατικὸν, ſiue perſonale, & προφορικὸν, ſiue enunciatiuum. De hoc nobis iam ſermo eſt, Ioannes autem loquitur de verbo perſonali, quod eſt Chriſtus.

II. Quidquid eſt teſtimonium de verbo Dei, eiusque declaratio, illud non eſt ipſum verbum Dei. Atqui S. ſcriptura &c. E. Minor probatur, quia ſcriptura teſtatur de Chriſto, tanquam verbo Dei. Reſp. (1) Neg. maior & minor. Nam verbum diuinum tantæ eſt auctoritatis & efficaciæ, vt de ſeipſo teſtetur. Ad hæc ſcriptura de Chriſto tanquam verbo perſonali quidem teſtatur, ipſa tamen eſt verbum Dei enuntiatiuum. (2) S. ſcriptura bifariam conſideratur, (a) vt teſtimonium, quatenus teſtatur, & declarat, quænam ſint ſalutifera religionis chriſtianæ dogmata, (b) vt efficax gratiæ ſalutisque medium, quo illuminamur, conuertimur &c. Crude nimis *Weigeliani* & *Quackeri* iudicant de S. ſcriptura, cenſentes, eam tantum teſtem eſſe.

III. Litteræ externæ in charta ſcriptæ non poſſunt agere in animam, eamque illuminare atque regenerare. S. ſcripturæ ſunt litteræ externæ &c. E.

Reſp. Litteræ externæ in charta ſcriptæ, & ſenſu θεοπνεύστῳ, atque efficacia diuina deſtitutæ, non poſſunt animam illuminare & regenerare: at S. ſcriptura eſt ſpiritus & vita, Io. VI, 63. eſt ſemen regenerationis, 1 Petr. I, 23. eſt lumen lucens, 2 Petr. I, 19.

IV. Verum & viuum Dei verbum eſt in nobis, Rom. X, 8. S. ſcriptura non eſt in nobis. E. cet. Reſp. neg. min. Nam S. ſcriptura eſt in nobis, quatenus a nobis recipitur: eſt extra nos, quatenus nobis proponitur.

V. Signum verbi diuini non eſt verbum Dei (nam ſignum & ſignatum differunt) Atqui S. ſcriptura &c. E. cet. *Minor* conſtat; quia S. ſcriptura litteris & ſyllabis conſtat, quæ ſunt ſigna verbi. Reſp. S. ſcriptura ſumta materialiter pro litteris & ſyllabis eſt ſignum verbi diuini, non σημαντικὸν, ſeu mere ſignans, ſed μεταδοτικὸν, exhibens ſenſum θεόπνευστον, qui eſt formale ſcripturæ: complexe eſt verbum Dei ſcriptum, i. e. ſenſus diuinis litteris a Spiritu S. amanuenſibus ſacris in calamum dictatis expreſſus.

VI. Illuminatur homo a Chriſto, Io. I, 9. E. non a ſcriptura. Reſp. Illuminatur homo a Chriſto, vt cauſſa principali: illuminatur a ſcriptura, vt cauſſa intermedia.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VIII. *Quid intelligitur nomine verbi Dei in definitione ſacræ ſcripturæ?*

In definitione ſacræ ſcripturæ verbum Dei formaliter notat ſententiam Dei, ſiue conceptum mentis diuinæ, de ſalute hominum immediate prophetis & apoſtolis, atque mediante eorum miniſterio, vniuerſo generi humano manifeſtatum.

Prob. 1. Quemadmodum *ſcripti humani materia & externus quaſi cortex* ſunt litteræ, ſyllabæ, voces & periodi, *forma interna & quaſi medulla* eſt ſenſus hominis ſcribentis aut dictantis: ita ſcripturæ θεοπνεύςȣ materia ex qua, ſunt litteræ & voces diuinitus dictatæ: *forma* eſt *ſenſus diuinus, qui eſt conceptus diuini intellectus, de myſteriis diuinis ſcriptione nobis communicatus, quantum ad ſalutem ſufficit,* definiente KOENIGIO *in theol. poſitiua p. 12.* Idcirco cum ſenſu iſthoc diuino verbum Dei in eſſe ſuo conſtituatur, & a verbo humano diſtinguatur, ipſe præcipue conſiderandus venit in definitione S. ſcripturæ.

2. S. Paullus 1 Cor. II, 16. verbum Dei diſerte appellat *mentem domini*, inquiens: *nos vero mentem Chriſti habemus.* Loquitur de mente Chriſti reuelata, quam homo animalis ex principiis rationis non capit. Quod innuit apoſtolus, cum verbis proxime præcedentibus interrogat: *Quis nouit mentem domini, qui confirmaturus ſit ipſum?* prorſus ac ſi dicat: Ecquis homo animalis, ſupernaturalis reuelationis lumine non colluſtratus, ita nouit mentem domini, vt hominem ſpiritualem docere, confirmare & diiudicare queat? Nobis vero apoſtolis per Spiritum ſanctum mens Chriſti eſt reuelata, dum euangelium Saluatoris nobis diuinitus eſt inſpiratum eo fine, vt noſtro miniſterio etiam aliis hominibus mens Saluatoris patefiat.

3. Sicut locutio diuina formaliter conſiſtit in manifeſtatione conceptus diuini (dicit enim Deus, cum mentem ſuam declarat. Vid. *prælect.* D. GEIERI *in Pſ. II. p. m. 34.*): ita verbum Dei eſt conceptus mentis diuinæ declaratus, & creaturis intelligentibus manifeſtatus.

*Antitheſis* eſt *Schwenckfeldianorum*, qui ſacram ſcripturam tantum ratione externorum ſignorum, litterarum, ſyllabarum & vocum, e quibus conſtat, conſiderant. Quorum argumenta ſunt:

I. Conceptus mentis diuinæ eſt λόγος Dei ἐνδιάθετος. Atqui S. ſcriptura non λόγος ἐνδιάθετος, ſed προφορικὸς eſt. E. S. ſcriptura non eſt conceptus mentis diuinæ. Reſp. Conceptus mentis diuinæ in Deo exſiſtens & manens eſt verbum Dei ἐνδιάθετον; at vero conceptus mentis diuinæ creaturis intelligentibus patefactus, & (quantum ad præſens) ſcriptis prophetarum & apoſtolorum expreſſus, eſt verbum Dei προφορικόν.

II. Verbum Dei προφορικὸν, litteris conſignatum, non eſt ipſe conceptus mentis diuinæ, ſed eſt eiusdem ſignum. Litteræ enim ſcriptæ ſunt ſigna vocum, voces vero conceptuum, & conceptus rerum, docente Ariſtotele περὶ ἑρμην. c. 1. Reſp. Sermo nobis eſt de *verbo Dei προφορικῷ conſiderato non materialiter*, reſpectu litterarum, ſyllabarum & vocum, quibus ſenſus diuinus ſignificatur; ſed *formaliter*, ratione ſenſus diuini vocibus ſcriptis, vel viua voce prolatis, ſignificati. Priori conſiderandi modo S. ſcriptura dicitur verbum Dei ſaltim σημαντικῶς, ſignificatiue & improprie: poſteriori vero ratione, κυρίως & proprie eſt verbum Dei, ſapientia Dei, mens Dei. Sicut enim miniſter regius de ſcripto regis ſui mandato vere & cum emphaſi quadam aſſerit: hæc eſt mens, ſententia & voluntas regis mei: iuſto autem exilius ſentiret ac diceret: hoc eſt ſignum ſententiæ regis mei: ita nos non de-

definimus S. ſcripturam per ſignum verbale, ſed per ſententiam Dei ſcriptis prophetarum & apoſtolorum patefactam. Conf. D. SCHERTZER. *in ſyſtem. p. 5. 6.*

III. Senſus diuinus eſt in S. ſcriptura: Ergo S. ſcriptura non eſt ipſe ſenſus diuinus. Reſp. Sicut recte dico: Deus eſt in Chriſto, 2 Cor. V, 19. Et Chriſtus eſt verus Deus, 1 Io. V, 20. Ita ſenſus diuinus eſt in S. ſcriptura, & nihilo tamen minus S. ſcriptura eſt ſenſus diuinus, de ſalute noſtra, ab amanuenſibus ſacris expreſſus & hominibus ſaluandis exhibitus.

Quæſt. IX. *Quænam eſt cauſſa principalis ſacræ ſcripturæ?*

*Cauſſa efficiens principalis S. S.*

Cauſſa principalis ſacræ ſcripturæ eſt Deus triunus (a), pater (b), filius Dei (c), & Spiritus ſanctus (d).

Prob. a. Deum eſſe auctorem ſacræ ſcripturæ, affatim liquet ex eo, quod non tantum auguſtum ſcribendi fecit initium, legem ſanctiſſimam in tabulis lapideis digito ſuo exarando, Exod. XXXI, 18. ſed & vniuerſam ſcripturam canonicam tam veteris, quam noui teſtamenti amanuenſibus ſacris inſpirauit. Id propter tota ſcriptura dicitur θεόπνευστος, ſiue diuinitus inſpirata, 2 Tim. III, 16.

Prob. b. Deum patrem eſſe fontem verbi diuini reuelati, nobis inculcat apoſtolus, Hebr. I, 1. 2. *Multis vicibus, multisque modis, olim Deus locutus eſt patribus in prophetis, vltimis hiſce diebus locutus nobis eſt in filio.* Obſ. (α) Per Deum apoſtolus intelligit Deum Patrem, quippe qui dicitur locutus eſſe in filio. (β) Differit idem de λόγῳ προφορικῷ, ſiue verbo Dei externo; nam dicitur Deus eſſe locutus patribus in prophetis. Idcirco notanda eſt *duplex locutio diuina, immediata & mediata. Immediate* Deus pater locutus eſt *in cordibus prophetarum*, in quibus, velut dedicatis templis, gratioſe habitauit, iisdemque conceptum mentis ſuæ de reparanda hominum ſalute reuelauit: *mediate* locutus eſt *patribus*, i. e. maioribus hebræorum, interueniente prophetarum opera. (γ) Innuit apoſtolus tum diuerſitatem temporum, quibus diuinæ factæ ſunt reuelationes, tum varios reuelandi modos, de quibus ſupra. In primis (δ) oſtendit, vltimis temporibus, ſcilicet temporibus noui teſtamenti, Deum patrem ſe manifeſtaſſe *in filio, prophetarum maximo*, Deut. XVIII, 5. Quemadmodum autem prophetæ partim præconio vocis, partim editis litterarum monumentis, populum docuerunt: ita Deus pater verbi externi, tam prædicati, quam ſcripti, auctor eſt.

Prob. c. Filium Dei eſſe cauſſam principalem verbi diuini, eiusque interpretem omniſcium, ipſemet ſaluator indicatum iuit, Io. I, 18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui in ſinu patris eſt, ille ἐξηγήσατο, expoſuit nobis.* Senſus eſt: Conſilia Dei patris altiſſima neque angelus, neque homo vllus peruidit æque, ac filius patris vnigenitus, qui cum ſit in ſinu eius, hoc eſt, coëſſentialis, chariſſimus & conſcius omnium arcanorum, quæ in ſinu Dei quaſi repoſita ſunt, ipſius decreta de procuranda ſalute noſtra, velut exegeta omnium longe doctiſſimus ſic expoſuit, vt nemo clarius.

Prob. d. Verbi diuini reuelationem Spiritui ſancto κατ' ἰδιοποίησιν, & per quandam *appropriationem* tribui, patet ex 2 Petr. I, 21. *Non voluntate hominum allata eſt olim prophetia, ſed a Spiritu ſancto φερόμενοι, impulſi, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Docet his verbis S. Petrus, prophetiam, id eſt, ſermonem propheticum v. 19. non eſſe inuentum humanum; quum ſancti Dei homines, nempe prophetæ, ad munus ſuum ſanctificati & conſecrati, pariter atque vitæ inculpatæ ſanctitate conſpicui, locuti ſint, non moti proprio arbitrio, vt ſolent, qui ſuis indulgent inuentis; ſed a Spiritu ſancto impulſi, illuminati, dono interpretandi, & priuilegio infallibilitatis nobilitati. Nam ἡ φορὰ tum *impulſum* ad loquendum & ſcribendum, tum *illuminationem* Spiritus ſancti notat: quam conſequitur δύναμις ἑρμηνευ-

τική

Digitized by Google

τικὴ, *facultas interpretandi*, qua myſteria ſublimiſſima perſpicue enuclearunt, nec non *donum infallibilitatis*, vt ab errandi periculo fuerint immunes. Quod de prophetis veteris teſtamenti S. Petrus, idem de apoſtolis noui teſtamenti S. Paullus aſſerit, 1 Cor. II, 12. 13. *Nos non accepimus ſpiritum mundi, ſed Spiritum, qui ex Deo* (eſt), *vt ſciamus ea, quæ a Deo donata ſunt nobis: quæ etiam loquimur non doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed doctis Spiritus ſancti, ſpiritualibus ſpiritualia componentes.* Non acceperunt apoſtoli fallacem mundi ſpiritum; ſiue intelligas dæmonem, quo agitabantur olim Pythonici; ſiue ſpiritum humanum in aſſequenda ſapientia mundana totum occupatum; ſed Spiritum ſanctiſſimum, veriſſimum, ſapientiſſimum, ex Deo patre & filio procedentem, vt liquidiſſime ſcirent beneficia merito Chriſti parta, & in vniuerſum humanum genus latiſſime diffuſa: quæ elocuti ſunt verbis non arte compoſitis, non rhetorum floſculis illigatis, ſed ſimplicibus, ſed grauibus, iisque a Spiritu ſancto immediate ſuggeſtis, vt dogmatibus ſpiritualibus explanandis ſpirituale dicendi genus accommodarent. Ceterum vt *verbum Dei prædicatum, ita & verbum ſcriptum, Spiritui ſancto ſuam debet originem.* Id quod non minus ex teſtimonio Petri, quam ſuffragio Paulli ſupra citato elucet. Nam ille loquitur de προφητείᾳ τῆς γραφῆς, de verbo prophetico in litteras relato, v. 21. Hic autem aperte ad ſcripturam prouocat, v. 9. Ratio eſt in promtu; quia *verbum Dei prædicatum & ſcriptum non differunt realiter, ſed quoad formale internum idem ſunt.*

Quæſt. X. *Quid impulit Deum ad inſtruendum homines ſacris litteris?*

Interne impulit Deum, ad impertiendum generi humano verbum ſcriptum, miſericordia intenſiſſima (a): externe, miſeria hominum extrema (b). *Cauſſa ſacræ ſcripturæ impulſiua.*

Prob. a. *Notum fecit nobis myſterium voluntatis ſuæ iuxta beneplacitum ſuum, quod propoſuit in ſeipſo*, inquit de euangelio nobis reuelato S. Paullus, Eph. I, 9. Euangelium nil aliud eſt, quam patefactio myſterii voluntatis diuinæ, de redemtione generis humani & gratuita remiſſione peccatorum per Chriſtum v. 7. Quæ ſalutifera tanti myſterii patefactio cum accepta referatur τῇ εὐδοκίᾳ, ſiue beneplacito diuino; haud inualide colligitur, Deum nulla neceſſitate adſtrictum, nullis operum noſtrorum meritis prouocatum, ſed mera beneuolentia & miſericordia adductum eſſe ad miniſterium de ſeruandis per Chriſtum hominibus reuelandum, eiusque ſcriptionem procurandam, vt credentes in Chriſtum vitam habeant in nomine ipſius, Io. XX, 31. Dicis: Deus euangelium quidem reuelauit, litterisque conſignari curauit ex gratia; ſed non eadem de cauſſa ſcribi iuſſit legem; quippe quæ eſt *littera occidens*, 2 Cor. III, 6. *iram operans*, Rom. IV, 15. Reſp. 1) Deus ex gratia dedit legem ſanctæ regulam vitæ. Commemorat enim pſaltes regius, Deum ſpecialem beneuolentiam teſtatum eſſe hoc perinſigni amoris pignore in populum Iſraëliticum, quod *verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & iudicia ſua Iſraëli annuntiauerit*; cum tamen gentes eodem fauoris gradu in V. T. non dignatus ſit, Pſ. CXLVII, 9. 2) *Lex dicitur littera occidens & iram operans, non per ſe*, ſed *per accidens, culpa hominum*, eam proterue transgredientium, quibus iram Dei mortemque denuntiat: per ſe autem lex bona & ſancta eſt. Rom. VII, 10.

Prob. b. Homo animalis, quamdiu in his terris peregrinatur, deſtitutus luce viali verbi diuini, *perambulat deſerta inuia, viam vero domini non cognoſcit*, Sap. V, 7. Quare Deus propitius, vicem peccatoris miſeratus, accendit *lucernam pedibus ipſius verbum ſuum, & lucem ſemitæ eius*, Pſ. CXIX, 105. Quod verbum ſuum Deus, viuæ vocis traditione, ſine ſcripturæ adminiculo, conſeruatum propagauit vltra 2500. annos. Vide chronologiam D. CALOVII *bibliis illuſtratis præfixam. fol. 38.* At inualeſcente innumerabili hominum multitudine, & imminuto vitæ humanæ ſpatio, Deus primaria diuinarum reuelationum capita ſcriptis compre-

Digitized by Google

prehendi iuſſit, vt memoriæ humanæ imbecillitati ſacræ ſcripturæ ſubſidio conſuleretur, perfidia hæreticorum reprimeretur, & corruptelæ, traditione viuæ vocis minus fida irrepentes, auerterentur. Conf. D. GERHARD. *in Exeg. fol.* 15.

Quæſt. XI. *Quæ eſt cauſſa minus principalis ſcripturæ ſacræ?*

*Cauſſa minus principalis S. ſcripturæ.*

Cauſſa efficiens minus principalis atque miniſterialis ſcripturæ ſacræ fuerunt ſancti Dei homines (a), prophetæ ſub veteri (b) & apoſtoli ſub nouo teſtamento (c), qui, Spiritu ſancto inſpirante, manum calamo admouerunt, ſcripturamque locis & temporibus diuerſis adornarunt.

Prob. a. Amanuenſes, quorum miniſterio Spiritus S. vſus eſt in conſignandis ſacris litteris, ab apoſtolo Petro ſingulari cum emphaſi appellantur *ſancti Dei homines*, 2 Ep. I, 21. Qui, ſicut alias ſancti fuerunt tum ſanctitate Chriſti imputata, tum ſanctitate morum inhærente: ita peculiariter atque immediate a Deo ad id vocati, ſegregati, conſecrati & donis Spiritus S. inſtructi fuerunt, vt reuelationes diuinas in litteras referrent.

Prob. b. Prophetæ fuerunt ſancti Dei homines, qui ante Meſſiam in carne exhibitum ſcripturam veteris teſtamenti concinnarunt: quorum plerique publico munere prophetico functi ſunt. Obſerues, quod in claſſe ſcriptorum veteris teſtamenti contineantur etiam *David, Salomon & Daniel*, qui publicum docendi munus in eccleſia Iſraelitica non obiuerunt. Quare vel dicendum eſt, *ſcriptores ſacros veteris teſtamenti denominari prophetas per ſynecdochen a parte potiori*, eo quod plerique eorum publicum docendi officium in eccleſia ſuſtinuerunt; vel *laxiori ſenſu per prophetam intelligendus eſt quilibet ſcriptor veteris teſtamenti θεόπνευςος.* De prophetis affirmat S. Petrus, quod locuti ſint (& ſcripſerint) impulſi a Spiritu S. 2 Ep. I, 21.

Prob. c. Quæ *apoſtoli viderunt, & audiuerunt, illa non tantum viua voce annuntiarunt, ſed & ſcripſerunt, vt gaudium noſtrum ſit completum*, 1 Io. 1, 4. Scripſerunt iidem *non doctis ſapientiæ humanæ verbis, ſed doctis Spiritus S.* 1 Cor. II, 13. Apoſtolorum autem nomine hic deſignantur ſancti Dei homines, qui poſt natum Chriſtum ſcripturam noui teſtamenti adornarunt: quamuis non omnes fuerint e collegio apoſtolorum, a Chriſto ante aſcenſionem ad docendum omnes gentes electorum; ſed poſt Chriſtum in cœlos euectum apoſtolis annumerati ſint, quales fuerunt Matthias (cuius tamen ſcripta non habemus) & Paullus. Quin & *apoſtoli ſenſu latiori hic nuncupantur viri apoſtolici*, apoſtolis munere ac dignitate proximi, quales fuerunt Marcus, & Lucas, euangeliſtæ. Quæ laxior ſignificatio vocis apoſtoli non eſt inſolita. Nam Paullus Rom. XVI. 7. *Andronicum & Iuniam inſignes inter apoſtolos*, & Phil. II, 25. *Epaphroditum Philippenſium apoſtolum* appellat.

Obſ. A nonnullis theologis ſcriptores noui teſtamenti in apoſtolos, & euangeliſtas diſtinguuntur. At vero diſtinctio illa non eſt adæquata, vt nullus euangeliſta ſit apoſtolus, nec vllus apoſtolus (ſtricte dictus) euangeliſta. Nam Matthæus, & Ioannes non ſolum euangeliſtæ, ſed & apoſtoli ſtricte dicti fuerunt.

Quæſt. XII. *An ex mandato Dei ſcripſerunt amanuenſes ſacri?*

Quibusdam amanuenſibus ſacris expreſſum mandatum ad ſcribendum diuinitus datum fuiſſe, aperte teſtatur ſcriptura (a): ex eadem valide colligimus, reliquos volente & iubente Deo ſcripſiſſe (b).

Prob. a. Expreſſo Dei mandato ad ſcribendum excitati ſunt Moſes, Exod. XVII, 14. Deut. XXXI, 19. Eſaias, VIII, 1. XXX, 2. Ieremias, XXXVI, 2. Habacuc, II, 2. Ioannes, Apoc. I, 11. &c.

Duo-

Digitized by Google

Duodecies in Apocalypſi legimus, ſpeciale ad ſcribendum mandatum, Ioanni a Deo datum eſſe.

Prob. b. (1) Ex mandato Chriſti generali, Matth. XXVIII, 19. *Euntes docete omnes gentes.* Docentur gentes non tantum viua voce, ſed & ſcriptis. Habuerunt igitur apoſtoli mandatum generale docendi aut præconio, aut ſcriptione verbi diuini. Habuerunt mandatum docendi omnes gentes etiam ſequentium temporum vsque ad extremam mundi ſenectam (prout conſtat ex annexa promiſſione v. 20.). Sed gentes ſequentium temporum apoſtoli viua voce absque ſcripto docere nequiuerunt. E. Sub mandato docendi generali etiam mandatum ſcribendi comprehenditur.

(2) Ex impulſu Spiritus ſancti, quem docet S. Petrus 2 Epiſt. I, 21. *Non voluntate hominum allata eſt prophetia, ſed a Spiritu S. impulſi locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quæcunque prophetia non eſt allata voluntate hominum, ſed impulſu Spiritus ſancti, illa volente & iubente Deo edita eſt. Atqui προφητεία τῆς γραφῆς, prophetia ſcripta (conf. v. 20.) non eſt allata voluntate hominum, ſed impulſu Spiritus S. Ergo.

Dicis: Aliud eſt internus Spiritus S. impulſus, aliud externum mandatum. Haud raro contingit, vt aliquis ad ſcribendum impellatur, qui non iubetur. Reſp. Internus Spiritus diuini impulſus eſt mandatum internum æquipollens mandato externo. *Impulſus domini inſtigantis miniſtrum ad ſcribendum eſt mandatum magni ponderis.* Atqui Spiritus S. eſt verus Deus & ſummus dominus.

(3) Ex diuina ſacrarum litterarum inſpiratione, quam inculcat S. Paullus 2 Tim. III, 16. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt.* Quicunque alicui dictat res & verba ſcribenda, ille amanuenſem, ſibi ſubiectum, directe iubet ſcribere. Atqui Deus tam prophetis, quam apoſtolis dictauit &c. Ergo.

(4) A munere apoſtolico, in quo ſancti illi viri fuerunt legati Dei, 2 Cor. V, 20. Legati ad mandatum principis adſtricti ſunt. Petrus legatus Dei absque mandato diuino euangelium prædicare gentibus non ſuſtinuit: Ergo minus epiſtolam conſcribere, a Deo non iuſſus, auſus eſt. Vid. Act. X, 19. 26.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, euangeliſtas & apoſtolos ex mandato diuino ſcripſiſſe; qui ſequentibus innituntur argumentis.

I. Si Chriſto & apoſtolis fuiſſet propoſitum verbum Dei coarctandi & reſtringendi ad ſcripturam, in primis rem tanti momenti Chriſtus præcepiſſet. Sed nullibi id præceptum legitur. Reſp. 1. Vtique præcepit generatim, quando apoſtolos iuſſit docere, Matth. XXVIII, 19. Docemur æque ſcriptura, ac viua voce. 2. Sicut apoſtolus Ioannes ſpeciali mandato ad ſcribendum inſtructus & excitatus eſt: ita coniectu procliue eſt, reliquos apoſtolos arduam ſcribendi prouinciam non ſubiiſſe ſine mandato diuino; cæteroquin idem incurriſſent crimen, quod ſecretarius iniuſſu principis ſui diploma ad ciues ſcribens admittit.

II. Si apoſtoli a Deo acceperunt generale ad ſcribendum mandatum, oportuit omnes apoſtolos ſcribere. Sed non omnes apoſtoli ſcripſerunt. E. non acceperunt generale ad ſcribendum mandatum. Reſp. *Mandatum docendi generale diuinitus datum eſt toti apoſtolorum collegio;* quorum quidam impellente Spiritu ſancto tam voce, quam ſcriptis; quidam tantum præconio viuæ vocis docuerunt, qui tamen aliorum ſcripta ſuffragiis ſuis comprobarunt, & ad eadem auditores ſuos remiſerunt.

III. Quicunque ſcripſerunt incidenter, oblata occaſione, aut particulari vrgente neceſſitate, illi non ſcripſerunt ex mandato diuino. Sed apoſtoli &c. E. Maior conſtat, quia miniſter iuſſus a domino ſcribere, non exarat litteras incidenter. Minor probatur: apoſtoli variis occaſionibus ad ſcribendum impulſi ſunt. S. Matthæus, teſte EVSEBIO *lib.* 3. *hiſtor.*



Digitized by Google

*cap. 24.* occaſionem ſcribendi euangelii ſumſit ex eo, quod poſt euangelium prædicatum gentibus, de diſceſſu cogitans, bonum & vtile iudicauit, aliquod doctrinæ ſuæ memoriale relinquere iis, a quibus diſcedebat, idque poſt multos annos a paſſione domini elapſos. Idem auctor *lib. II. cap. 15.* ait, S. Marcum non proprio motu, vel ex Petri mandato ad ſcribendum incitatum fuiſſe, ſed rogatu & ſollicitatione ſola Romanorum. De Luca agens *lib. 3. cap. 24.* teſtatur, vt calamo manum admoueret, ſtimulatum fuiſſe, quia non pauci ſe ingerebant ad ſcribendum multa, quæ neſciebant, vt ſenſim ſerpentibus incertis & dubiis veritatis ſplendorem opponeret. Adde, quod meliorem partem eorum, quæ ſcripſit, auditione & traditione didicerit. Ad Ioannem quod attinet, teſtatur idem, ipſum non ſcripſiſſe prius, quam extremæ ſenectutis annis grauaretur, idque cum vrgeretur ab Aſiæ epiſcopis ad refutandam Ebionitarum hæreſin. Reſp. *Occaſio & alia motiua ad ſcribendum non fuerunt fortuita, aut per accidens apoſtolis obiecta, ſed peculiari Dei prouidentia ipſis oblata*, quibus de voluntate Dei, qua ad ſcribendum inuitabantur, certiores reddebantur. Huc accedit, quod, quamuis ex occaſione, aut neceſſitate particulari, ad priuatos nonnulla ſcriberent, omnia tamen ad commune commodum eccleſiæ catholicæ diuinitus dirigerentur. Quamobrem manet voluntas ac mandatum Dei cauſſa impulſiua principalis; occaſio & neceſſitas ſunt motiua ſecundaria, quæ mandato diuino non ſunt opponenda, ſed ſubordinanda, & cum eo componenda.

IV. Si apoſtoli ad mandatum diuinum ex profeſſo ſuam doctrinam litteris mandare voluiſſent, vtique catechiſmum litteris conſignaſſent. Sed hunc non conſignarunt. Ergo. Conſequentia patet, quia catechiſmus eſt epitome credendorum & agendorum, peccatori ad ſalutem tendenti cognitu neceſſariorum. Reſp. Conſequentia nulla eſt. Neque enim neceſſe erat, vt apoſtoli catechiſmum conſignarent, quo credenda & agenda comprehenderentur. Comprehenſa enim illa ſunt *hiſtorica reuelatione* eorum, quæ Ieſus & apoſtoli docuerunt & fecerunt, nec non epiſtolis virorum ſanctorum, e quibus catechiſmum excerpere & methodice concinnare facile erat.

Quæſt. XIII. *Quæ eſt materia, ex qua, ſacræ ſcripturæ?*

*Materia ex qua ſacræ ſcripturæ.*

Materia, ex qua ſacra ſcriptura conſtat, ſunt litteræ, ſyllabæ, voces, phraſes, periodi & libri canonici tam veteris teſtamenti, qui ante Meſſiam in carne manifeſtatum ſcripti, quam noui teſtamenti, qui poſt natum Chriſtum conſignati ſunt.

Prob. Hoc commune eſt ſacræ ſcripturæ cum aliis ſcriptis, vt ex litteris, ſyllabis & verbis, velut materia, conſtare dicatur. Quamuis illi non competat materia *vniuoce aut proprie* dicta; nam hæc conuenit tantum ſubſtantiis ex materia & forma compoſitis; ſacra ſcriptura autem eſt vnum per aggregationem: attamen ei *materiam, ex qua, analogice* tribuimus.

Quæſt. XIV. *Quæ eſt materia, circa quam ſacra ſcriptura verſatur?*

*Obiectum ſacræ ſcripturæ.*

Materia, circa quam ſacra ſcriptura verſatur, eſt vel generalis, vel ſpecialis. Materia ſpecialis & primaria ſunt dogmata fidei & præcepta morum (a). Materia generalis ſunt res omnes, quæ in ſcriptis canonicis prophetarum & apoſtolorum continentur (b).

Prob. a. Dogmatibus fidei credenda, præceptis morum agenda peccatori ſaluando exponuntur, adeoque circa illa ſacra ſcriptura primario verſatur.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Continentur in S. ſcriptura res hiſtoricæ, chronologicæ, genealogicæ, aſtronomicæ, phyſicæ & politicæ; quæ licet cognitu ad ſalutem non ſint ſimpliciter neceſſariæ; ſunt tamen diuinitus reuelatæ, quia illarum notitia ad interpretandam ſacram ſcripturam & illuſtranda dogmata fidei morumque præcepta haud parum facit.

Quæſt. XV. *Quæ eſt forma ſacræ ſcripturæ?*

Forma ſacræ ſcripturæ interna eſt ſenſus (a) θεόπνευςος (b), vocibus a Spiritu ſancto dictatis expreſſus (c). *Forma ſacræ ſcripturæ interna.*

Prob. a. Omnis verbi tam ore prolati, quam in litteras relati, forma eſt ſenſus, ſiue vis ſignificandi. Quamobrem ſi ſcriptura ſacra conſideretur generatim, prout eſt verbum ſcriptum, forma eius interna, eaque generica eſt ſenſus, ſiue ſignificatio vocum & phraſium, quibus ſancti Dei homines in adornanda ſacra ſcriptura vſi ſunt.

Prob. b. Si ſacra ſcriptura ſpectetur ſpeciatim, vt verbum Dei, forma illius interna eſt ſenſus diuinus; propterea, quod per hunc, velut rationem a priori, ſcriptura ſacra in eſſe ſuo ſpecifico conſtituitur, & a quouis ſcripto humano diſtinguitur. Vid. ſupra quæſt. VII.

Prob. c. Quoniam τῇ θεοπνευςίᾳ, ſiue immediato Spiritus ſancti dictamine, conceptus tam rerum, quam vocum, amanuenſibus ſacris ſuggeſti ſunt: *formam internam adæquatam ſacræ ſcripturæ abſoluit ſenſus θεόπνευςος, verbis a Spiritu ſancto dictatis expreſſus.* Nam hoc προσδιορισμῷ, ſiue additamento, ſacra ſcriptura diſtinguitur non tantum a ſcriptis aliorum hominum, regum, principum, philoſophorum &c. ſed etiam a verſionibus ſacræ ſcripturæ ſtudio humano concinnatis; quippe quæ ſi conformes ſint textui originali, ſenſum quidem diuinum repræſentant, nobisque ingerunt: at a ſcriptura in textu primigenio ſpectata tanto diſtant interuallo, quanto diſtat ſcriptura αὐτόπιςος, cui per ſe debetur fides, a ſcriptura, cui per ſe non creditur, ſed tantum propter aliam primigeniam, cui exacte conformis eſt; vel ſcriptura normans, & normata; ſcriptura, cui repugnat ſubeſſe falſum, & ſcriptura, cui falſum ſubeſſe non repugnat. Confer. D. MVSAEVS in *introduct. in theol. p. 271.*

Quæſt. XVI. *Suntne conceptus omnium rerum, quæ in ſacris litteris habentur diuinitus inſpirati?*

Conceptus omnium rerum, quæ in ſacris litteris habentur, prophetis & apoſtolis a Spiritu ſancto immediate inſpirati ſunt.

Prob. 1. Ab effato Paullino 2 Tim. III, 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευςος, *omnis ſcriptura diuinitus eſt inſpirata.* Obſ. (α) Intelligitur non indeterminate quæuis ſcriptura, ſed ἱερὰ, ſancta, vt patet ex v. 15. (β) θεοπνοὴ ſiue θεοπνευςία *notat, tum antecedentem motum diuinum, ſiue peculiarem impulſum voluntatis ad ſcribendum, tum immediatam illuminationem, qua intellectus ſcriptoris ſacri ſupernaturali, eoque extraordinario, lumine gratiæ diuinæ colluſtratur, & conceptus rerum ſcribendarum ipſi a Spiritu ſancto immediate ſuggeruntur.* Differt hæc θεοπνευςία, ſiue *inſpiratio diuina*, a *gubernatione diuina.* Nam hac tantum cauetur, ne quidquam ſcribatur, quod non ſit ex vero, decoro, congruo; illa autem a dictante Spiritu ſancto conceptus rerum ſcribendarum ſuggeruntur. Illa præſtare poteſt ſcripturam ſacram infallibilem, ſed non θεόπνευςον. Ex quo argumentamur: Si tantum myſteria fidei, quæ in ſacris litteris habentur, a diuina inſpiratione, reliqua autem, ductu luminis naturæ cognoſcibilia, tantum a directione diuina pendent, tota ſacra ſcriptura non eſt θεόπνευςος. At, teſte

 Paul-

Digitized by Google

Paullo, tota ſacra ſcriptura eſt diuinitus inſpirata. E. non tantum myſteria fidei, ſed & reliqua ductu luminis naturæ cognoſcibilia, quæ in ſacris litteris habentur, diuinitus ſuggeſta & inſpirata ſunt.

II. A promiſſo *Chriſti* Io. XIV, 26. *Spiritus ſanctus docebit vos omnia & commonefaciet vos de omnibus, quæ dixi vobis.* Promittit ſaluator, iam iam abiturus ad patrem, apoſtolis Spiritum ſanctum, qui mentes ipſorum doctrina cœleſti pleniſſime imbuturus, & omnia audita a Chriſto, ſiue nondum ſatis intellecta, ſiue obliuioni tradita, ipſis in mentem ſit reuocaturus, vt, duce & præſide hoc interno doctore, omnia cognitu neceſſaria, vel viua voce traderent gentibus, vel ſcriptis conſignarent. Ex quo conſequitur, conceptus omnium rerum ab apoſtolis deſcriptarum, ipſis immediate a Spiritu ſancto fuiſſe inditos.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum*, & *Arminianorum*, ex quorum mente myſteria quidem fidei amanuenſibus ſacris diuinitus ſunt inſpirata; res autem leuioris momenti, e lumine naturæ cognoſcibiles, a gubernatione quidem diuina, cum ſcriberentur, fuerunt directæ, vt ex vero referrentur, ſed non diuinitus inſpiratæ. Quorum argumenta penſitabimus.

I. Quæcunque naturali ratione, vel experimentali notitia, ſciuerunt prophetæ & apoſtoli, ad ea cognoſcenda non indiguerunt reuelatione diuina. Sed hiſtorica, naturalia, moralia &c. Ergo. Maior conſtat, quia, quod quis cognoſcit e lumine rationis, ad illud ſciendum non indiget ſupernaturali lumine reuelationis. Reſp. 1. Sub nomine reuelationis latet quædam ambiguitas iam euoluenda. Sumitur *reuelatio modo anguſtius, modo latius. Senſu anguſtiori notat rerum latentium & occultarum manifeſtationem ſupernaturalem.* Reuelare enim, Græce ἀποκαλύπτειν, vi originis eſt occulta, & quaſi ſub velamine quodam latentia, retegere & manifeſtare. Vid. 1 Cor. II, 10. Gal. I, 12. Matth. XI, 25. *Latiori ſignificatu reuelatio ſumitur pro rerum quarumuis, etiam quæ ductu luminis naturæ cognoſci poſſunt, manifeſtatione, modo ſupernaturali facta.* Priori ſenſu conceditur totum argumentum, poſteriori negatur maior. 2. *Res, quæ ſcriptoribus ſacris fuerunt notæ, conſiderantur vel abſolute & in ſe*, vel *reſpectiue*, *quatenus ex voluntate Dei fuerunt ſcribendæ.* Priori modo iam ante ſcriptoribus ſacris fuerunt cognitæ, non vero poſteriori modo. Tametſi enim amanuenſes ſacri res quaſdam, quæ ab ipſis deſcriptæ ſunt, habuerint cognitas ante actum ſcriptionis, per ſe tamen ipſis non fuit cognitum, an res illæ ex voluntate Dei eſſent deſcribendæ, quibus circumſtantiis, quo ordine, & quibus verbis eſſent litteris mandandæ. Haud raro vſu venit, vt amanuenſi dictemus res & verba, ipſi minime ignota: neque tamen ipſius eſt, quidquam addere, aut detrahere, ſed ab ore dictantis in ſolidum pendere: ſic & amanuenſes ſacri nil, niſi a Spiritu ſancto ſuggeſtum, in litteras retulerunt.

II. Inueniuntur in ſcriptura res leuioris momenti vix dignæ, quæ reuelationi diuinæ acceptæ referantur, v. gr. baculus Iacobi, Gen. XXXII, 10. penula Paulli 2 Tim. IV, 13. Reſp. Quas res, vel minimas, Deus creatione dignas cenſuit, eas non indignas ſupernaturali reuelatione iudicauit. Nemo interim Deum reuerenter colens in ſcripturis pro leui aut vili habebit, quod ſapientiſſimo Dei conſilio ipſis eſt inſertum.

III. Multa facta impia in S. ſcriptura recenſentur, quæ non potuerunt diuinitus eſſe inſpirata. Reſp. *Facta illa impia referuntur ex vero, at non vt bona approbantur.* Hiſtorica eorum narratio diuinitus eſt inſpirata non ad imitationem, ſed ad euitationem.

IV. Quicunque fatetur, ſe, & non Dominum, aliquid aſſeuerare, ille hoc ipſo fatetur, non omnia a Domino eſſe inſpirata. Atqui gentium apoſtolus, 1 Cor. VII, 12. Reſp. Diſt. *inter aſſeuerationem generalem*, ſiue *implicitam*, & *ſpecialem*, *ſiue explicitam.* Fatetur Paullus, Dominum de perpetua cohabitatione mariti fidelis cum vxore infideli, & vi-

Digitized by Google

& vice verſa, nihil explicite aſſeueraſſe aut ſanxiſſe: ſed quod *generatim & implicite* in ea continetur, Gen. II, 24. Matth. XIX, 16, id ipſum apoſtolus *ſpeciatim & explicite* ad præſentem caſum dirigit & applicat; id indigitat, cum inquit: *reliquis vero ego dico, non Dominus.*

V. Quicunque amanuenſis res geſtas, quas deſcribit, accepit ab hominibus, tanquam teſtibus αὐτόπταις, ille non accepit easdem ex diuina inſpiratione. Atqui Lucas, amanuenſis ſacer &c. Luc. I, 3. Ergo. Reſp. Quas res geſtas Lucas *ante deſcriptionem* earundem accepit a teſtibus humanis, *in ipſo ſcriptionis actu* diuinitus ipſi ſunt inſpiratæ, vt decenti ordine conuenientibus verbis, & adiectis cognitu neceſſariis circumſtantiis ſine lapſu memoriæ aut errore vllo ſcriberet.

VI. Ioannes XIX, 35. *dicit, ſe ſcribere, quæ viderit,* non quæ ipſi reuelata fuerint. Prouocat ergo in ſuo de Ieſu teſtimonio ſcripto non ad inſpirationem diuinam, ſed ad ſenſum oculorum. Reſp. Prouocat Ioannes, vt oculatus teſtis ad viſum, non vt inſpirationem diuinam excludat, ſed vt eam ſtabiliat. Allegat enim verbum Dei reuelatum & in litteras relatum tum a Moſe Exod. XII, 46. tum a propheta Zacharia c. XII, 10. Concurrit hic teſtimonium Spiritus S. & apoſtolorum, de quo ſalutis noſtræ auctor inquit: *Spiritus veritatis, qui ex patre exit, ille teſtabitur de me. Etiam vos teſtabimini, quia ab initio mecum eſtis,* Io. XV, 26. 27. Teſtati ſunt apoſtoli acti a Spiritu ſancto, 2 Petr. I, 21.

VII. Vt res ab apoſtolis viſæ vere deſcriberentur, ſuffecit diuina aſſiſtentia & gubernatio, præſeruans amanuenſes ſacros ab errore, neque opus videtur fuiſſe diuina inſpiratione. Reſp. *S. ſcriptura eſt totum quoddam homogeneum,* adeoque non alia ex parte *diuina inſpiratione,* alia ex parte *diuina directione* conſignata eſt; ſed πᾶσα γραφὴ ἱερὰ, tota ſcriptura ſancta, quanta quanta eſt, ab apoſtolo vocatur θεόπνευστος. *Dicitur autem* θεόπνευστος, *non a mera aſſiſtentia, gubernatione aut directione, ſed a diuina dictatione, ſuggeſtione & inſpiratione.* Obſerues, quod loquamur de *mera gubernatione,* ceteroqui gubernationem diuinam non prorſus excludimus, ſed cum θεοπνευστίᾳ coniungimus. Vid. DANNHAV. in *hodoſ. p. 36.*

Quæſt. XVII. *Num etiam verba ſingula, e quibus ſacra ſcriptura conſtat, diuinitus inſpirata ſunt?*

Omnia & ſingula verba, quæ in ſacro codice leguntur, a Spiritu ſancto prophetis & apoſtolis inſpirata, & in calamum dictata ſunt.

Prob. I. Quæcunque ſcriptura tota eſt θεόπνευστος, illius non tantum ſenſus aut res ſignificatæ, ſed & voces tanquam ſigna rerum, diuinitus ſunt inſpiratæ.

Atqui ſcriptura ſacra, 2 Tim. III, 16. Ergo.

Maior conſtat, quia (1) apoſtolus non ſimpliciter dicit: Omne verbum Dei eſt θεόπνευστον, poſſet enim quiſpiam hac ratione verbum diuinum formaliter accipere pro ſenſu diuino: ſed dicit: πᾶσα γραφὴ omnis ſcriptura, quæ non præciſe ſenſum diuinum, ſed & voces ſcriptas notat. (2) Non ait apoſtolus πάντα γεγραμμένα θεόπνευστα, ſed πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, vt indicet non tantum res, in ſacra ſcriptura contentas, eſſe diuinitus reuelatas, ſed & ipſas voces a Spiritu S. in calamum eſſe dictatas. (3) De illa ſcriptura loquitur apoſtolus, quam Timotheus puer legerat, & quam epiſcopus creatus aſſidue voluebat, atque auditoribus ſuis explicabat. At legebat & explicabat ſcripturam S. prout conſtat non tantum rebus, ſed & vocibus ſcriptis. Ergo tota ſcriptura ſacra, prout conſtat, non tantum rebus, ſed & vocibus ſcriptis diuinitus inſpirata eſt.



Digitized by Google

II. Quidquid profectum eſt non ex voluntate humana, vt principio, ſed ſpeciali Spiritus ſancti impulſu, id totum, ex verbis & rebus conflatum, diuinæ eſt originis.

Atqui ſcriptura S. Hebræo & græco idiomate concepta &c. Ergo.

Maior liquet, quoniam id inuentum aut ſcriptum humanum vocatur, quod ex voluntate humana proficiſcitur.

Minor probatur ex 2 Petr. I, 20. 21. *Omnis prophetia ſcripturæ non eſt ἰδίας ἐπιλύσεως, propriæ interpretationis; non enim voluntate hominum allata eſt olim prophetia, ſed a Spiritu S. impulſi locuti ſunt ſancti Dei homines.* Obſ. (1) Negat apoſtolus Petrus prophetiam ſcripturæ eſſe propriæ interpretationis, ex hoc fundamento; quia non ex voluntate humana allata, aut profecta eſt, ſed ex impulſu Spiritus S. At interpretanda eſt ſacra ſcriptura, prout ex vocibus & rebus conflata eſt. Ergo nulla vox prophetiæ ſcriptæ ex humano prouenit arbitrio, ſed ex inſpiratione diuina. (2) Dicuntur ſancti Dei homines *eſſe locuti impulſi a Spiritu S.* Ergo non tantum res, ſed & ἡ λαλιά, loquela, ſiue verba apoſtolorum, vt ore prolata, ita quoque ſcripta, a Spiritu diuino ſunt profecta; nam per λαλιὰν indifferenter tum dictio, tum ſcriptio notatur (cum non differant realiter) vi dicti, Act. III, 24. (3) Quamuis S. Petrus primario loquatur de prophetia veteris teſtamenti, immediatæ origini diuinæ eam vindicando; per pronam tamen bonamque conſequentiam ex Petrino hoc effato elicitur, ſcripturam noui teſtamenti tam quoad voces, quam quoad res ipſas, ex inſpiratione diuina conſignatam eſſe. Quæ conſequentia eo luculentior erit, quo accuratius ſequens ponderabitur argumentum.

III. Quæ verba apoſtoli in munere apoſtolico viua voce protulerunt, litteriſque conſignarunt, ea ipſos docuit Spiritus ſanctus. Atqui verba exſtantia in codice noui teſtamenti apoſtoli in munere apoſtolico viua voce protulerunt, litteriſque conſignarunt. Ergo.

Maior eſt Paulli 1 Cor. II, 12. 13. *Nos non accepimus ſpiritum mundi, ſed Spiritum, qui ex Deo* (eſt) *vt ſciamus ea, quæ a Deo donata ſunt nobis: quæ etiam loquimur non doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed doctis Spiritus S.* Vid. ſupra quæſt. VIII. prob. c.

Minor per ſe clara eſt. v. gr. Verba exſtantia in epiſtola ad Romanos ſunt verba Paulli in litteras redacta, eaque plane conformia ſunt verbis, quæ in munere ſuo apoſtolico Paullus ore prolocutus eſt, ob exactiſſimam harmoniam verbi diuini ore prolati, & in litteras relati.

IV. Moſen verba ſcribenda Deus immediate docuit, Exod. XXXIV, 27. 28. *Poſt dixit Iehouah ad Moſen: ſcribe tibi verba hæc: quia ſuper ore (tenore) verborum horum pepigi tecum fœdus, & cum Iſraele.* Per verba hæc ſcribenda quidam interpretes intelligunt præciſe verba decalogi, alii vniuerſa præcepta legis Moſaicæ moralis, leuiticæ & forenſis. Vid. D. CALOV. in *ſyſtem. theolog. tom. I. p. 564.* Quæ verba autem Moſes ex mandato diuino ſcribere debebat, ipſum Deus immediate docuerat. Confer v. 10. &c. XIX, 3. ſequ. Quæ legis Moſaicæ, ea hac in parte aliorum ſcriptorum diuinorum eſt ratio. Ideo tam frequenter in ſcriptura inculcatur illud: *Verbum domini; hæc dixit dominus,* vt indicetur, hæc verba non humanæ, ſed diuinæ originis eſſe.

V. Si voces omnes & ſingulæ, quibus amanuenſes ſacri in ſcriptura vtuntur, diuinitus inſpiratæ non ſunt: (1) nullum erit diſcrimen textus originalis, & verſionum ſtudio humano adornatarum; modo hæ textui authentico ſint conformes, cum & hæ ſenſum exprimant θεόπνευστον, ſed non verbis θεοπνεύστοις; (2) neque emphaſis, vis aut valor vocum textus authentici, ſingulari adhibita cura enucleandus erit: Quæ ſunt ἀτοπώτατα, dictu non magis, quam cogitatu nefaria.

*Antitheſis*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Eraſmi*, *Suarezii*, *Epiſcopii*, *Bezæ*, *Vorſtii* & aliorum negantium, ſingula verba S. ſcripturæ prophetis atque apoſtolis diuinitus inſpirata eſſe: qui argumentantur: 1. Si omnia & ſingula verba ſacræ ſcripturæ ab vno Dei ſpiritu eſſent inſpirata, vnum eſſet omnium amanuenſium ſacrorum dicendi genus, vnus idemque ſtilus. At illorum ſtilus eſt longe diuerſiſſimus. Ergo non omnia & ſingula ſacræ ſcripturæ verba illis diuinitus ſunt inſpirata. Conſequentia maioris probatur, quia vnus auctor vnum efformat ſtilum. Antecedens patet; nam Eſaias illuſtri loco natus & in aula educatus nitidius, Amos bubulcus, humilius, Lucas græcis litteris perpolitus, elegantius ſcripſit. Reſp. (1) Contingit in humanis, vt *vnus auctor* profanus ingenii & eloquentiæ laude præclarus *varium fundat dicendi genus.* Certe Cicero grandem, mediocrem, humilem ſtilum dicendo ſcribendoque expreſſit & excoluit. Idem vſu venit in diuinis. S. Ioannes diuerſo dictionis genere euangelium, epiſtolas, & apocalypſin contexit, motus diuerſitate argumenti, cui ſtilus attemperandus erat. Etenim euangelium Ioannæum diuinitatem Chriſti verborum grauitate, epiſtolæ caritatis fomenta dictionis ſuauitate, apocalypſis fata eccleſiæ charactere prophetis familiari, exponit, nullibi absque inſigni τῆς θεοπνευςίας nota. *Spiritus ſanctus vnicuique dat eloqui, prout ipſe vult.* Act. II, 4. qui haud dubie indolem materiarum reſpexit, iisque ſtilum adaptauit. (3) *Stilus V. & N. T. vniformis eſt, qua ſubſtantiam*: quanquam, quoad *accidentalem ſtili conformationem*, ſingulari συγκαταβάσει Spiritus S. ſe demiſerit ad ingenia, ſtudia, nationesque virorum θεοπνεύςων; ſicut in organo muſico ſubſtantia cantici, harmoniæ, toni vna eſt; fiſtulis autem aliis acutioribus, aliis obtuſioribus, ſe ſpiritus, qui inflat tibias, accommodat. Conf. DANNHAV. in *hodoſoph. p. 58.*

II. Cuius notitiam ſcriptores ſacri quotidiano vſu & conſuetudine ſibi compararunt, illud diuinitus ipſis non eſt reuelatum. Atqui notitiam verborum & generis dicendi, quibus ſacra ſcriptura eſt conſignata, ſcriptores ſacri quotidiano vſu & conſuetudine ſibi compararunt. Ergo. Maior conſtat, quia *reuelatio eſt manifeſtatio ignoti, quod ſub quodam quaſi velamine latet.* Minor patet, quia amanuenſes ſacri vſi ſunt verbis ex vſitato loquendi modo aſſumtis, quæ familiariter verſando cum prudentibus hominibus condidicerunt. Reſp. 1. Latet ambiguitas ſub nomine *reuelationis*, quæſtione ſuperiori euoluta. Addo iam neceſſariam diſtinctionem inter *reuelationem & inſpirationem diuinam. Reuelatio, vi originis ſtricte dicta, eſt manifeſtatio ignoti; inſpiratio vero eſt actio Spiritus ſancti, qua actualis rerum cognitio intellectui creato infunditur, præſcindendo a præuia notitia & ignorantia.* (2) Non ſtatuimus verba omnia & ſingula prophetis atque apoſtolis diuinitus inſpirata eſſe ad *ſciendum*, ſed ad *ſcribendum.* Quædam enim verba prophetis & apoſtolis ante ſcriptionis actum ignota, Spiritus S. ipſis primum reuelauit: quædam vero ex communi loquendi vſu aſſumta ſibi appropriauit, & rebus diuinis applicauit. At omnia & ſingula verba amanuenſibus ſacris in calamum dictauit, ſiue antea ipſis fuerint nota, ſiue minus: ſicut quotidie contingit, vt qui epiſtolas amanuenſi in calamum dictitant, vtantur verbis deſumtis ex communi loquendi vſu, quorum vis ac ſignificatio ipſi dudum fuit nota.

Dicis: Verborum ex communi loquendi vſu notorum inſpiratio diuina non videtur fuiſſe neceſſaria, ſed ſuperflua. Reſp. *Fuit neceſſaria ad mentem Spiritus S. rite exprimendam.* Neque enim liberum fuit prophetis & apoſtolis, ſenſum diuinum in ea coniicere verba, quæ ipſi pro arbitratu ſuo eligerent; ſed ipſorum erat hærere & pendere ab ore dictantis Spiritus ſancti, vt huic grato & probato verborum ordine & contextu ſcripturam ſacram conſignarent, quo ea menti Spiritus ſancti euaderet prorſus conformis.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XVIII. *An inſpiratio diuina amanuenſes ſacros ab omni errore præſeruauit?*

Inſpiratio diuina, qua res & verba dicenda non minus, quam ſcribenda, prophetis atque apoſtolis a Spiritu ſancto immediate ſuggeſta ſunt, ipſos ab omni errore immunes præſtitit tam in prædicatione, quam in conſignatione verbi diuini.

Prob. I. Quidquid a Deo, prima veritate, immediate profectum eſt, illud oportet eſſe veriſſimum. Atqui tota ſcriptura ſacra &c. 2 Tim. III, 16. Ergo.

II. Verbum Dei, a prophetis prædicatum & litteris mandatum, vocatur λόγος βεβαιότερος, verbum firmius, 2 Petr. I, 19. Καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον. *Habemus etiam firmius propheticum verbum.* Confert apoſtolus ſcripturam vet. teſtamenti cum voce patris de cœlo delata, v. 17. 18. & illam hac firmiorem aſſerit *non ſimpliciter; nihil enim firmius eſſe poteſt voce patris de cœlo audita*: ſed *quatenus illa teſtimonio Petri confirmata erat.* Firmius itaque eſt verbum propheticum teſtimonio Petri, de voce patris cœleſtis perhibito, reſpectu Iudæorum ad Chriſtum conuerſorum. His firmius & certius erat verbum propheticum teſtimonio apoſtolico de voce patris, e cœlo audita (*). Nam verbi prophetici auctoritas temporis diuturnitate, maiorumque conſenſu corroborata erat: Auctoritas vero teſtimonii apoſtolici de voce patris cœleſtis erat recentior, nec dum tot Iudæorum calculo comprobata. Quare cum verbum propheticum firmius ſit voce patris cœleſtis, quatenus illa atteſtatione Petrina eſt aſſerta; conficitur, illud eſſe firmiſſimum & infallibile, prædicatum & ſcriptum a prophetis, fallere & falli neſciis.

III. *Apoſtolos Spiritus veritatis in omnem veritatem duxit*, vi promiſſionis Chriſti, Io. XVI, 12. Fuit Spiritus S. fideliſſimus apoſtolorum hodegeta, qui ipſos perinde ac mater puellum, aut χειραγωγὸς cœcum, iniecta manu, ducit, in viam veritatis perduxit, vt in doctrina fidei proponenda & explicanda nunquam errauerint.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, & *Arminianorum*, ſtatuentium, ſcriptores ſacros interdum memoria lapſos leuiter erraſſe; nec non philoſophorum *Copernicanorum*, & *Carteſianorum*, aſſerentium, ſcripturam ſacram ſe interdum accommodare ad erroneam vulgi opinionem: quorum potiora expendamus argumenta.

I. Errauit Petrus, non recto pede incedens iuxta veritatem euangelii, Gal. II, 14. Reſp. *Non errauit Petrus in doctrina fidei, ſed in ſpeciali quodam facto;* nam errauit οὐκ ὀρθοποδῶν

(*) Iudæi, Chriſto tunc addicti, Apoſtolorum auctoritatem non minoris faciebant, quam Vatum V. T. Nec dicit Petus, ἔχετε, ſed ἔχομεν, id quod indicio eſt, ipſum de firmitate verbi illius maiori in vniuerſum loqui, ſe, ſuisque ſociis non excluſis. Contulit autem Vatum divinorum effata non tam cum ſuo *teſtimonio*, quam cum ſuo *ſenſu*, & oculorum, & aurium. Itaque vox iſta, βεβαιότερον, comparationem eam indicat, quæ non ad illud, ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν pertinet, ſed ad hoc vtrumque, ἐπόπται γενηθέντες, et, ἡμεῖς ἠκούσαμεν. Senſus, quanquam rebus recte percipiendis apti ſunt, interdum tamen falluntur atque errant, poſſunt ſane in errorem rapi: Verbum autem illud omnino certiſſimum eſt, ſine vlla exceptione. E. verbum illud hisce ſenſibus certius erat putandum. Quod vero in ea Chriſti gloria, quam ſuis Petrus oculis conſpexerat, atque in ea voce, diuinitus pronunciata, quam ſuis ipſe auribus audierat, complementum quoddam vaticinationum de Chriſto plane adparuit, id demum fuit luculentiſſimum argumentum, quod perceptionem ſenſuum extra omnem poſuit dubitationem. Vaticinia enim, quibus euentus omnino reſpondit, ſunt firmiſſimum fundamentum, quo fides chriſtiana tota nititur, atque Apoſtoli etiam ipſi non potuiſſent non dubitare de veritate eorum, quæ ſenſerant, niſi in rebus Ieſu Nazareni illud ipſis cernere atque audire licuiſſet, quod dudum de Chriſto prædictum fuerat. Vid. 1 Petr. I, 11. & 12.

Digitized by Google

ὀρθοποδῶν non recte ambulans in via vitæ aut morum; adeoque peccatum Petri fuit vitium non prædicationis, ſed conuerſationis, iudice TERTVLLIANO.

II. Errauit Ioannes, angelum adoraturus Apoc. XIX, 10. Reſp. Errauit Ioannes in perſona, quam angelum increatum eſſe putauit; non errauit in prædicatione, aut conſignatione verbi diuini.

III. Errauit Matthæus c. XXVII, 9. allegans Ieremiam pro Zacharia; quæ verba ab ipſo citata de appendendis triginta nummis argenteis leguntur apud Zachariam c. XI, 12. Reſp. Verba Matthæi ſunt: *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam prophetam dicentem.* De ſcriptione Ieremiæ nihil habetur in textu. Quidquid igitur Ieremias dixit, Zacharias ipſius diſcipulis ſcripſit.

IV. Errauit Luc. c. III, 36. cum ſcripſit, quod *Sala fuerit filius Kainanis;* cum tamen teſte Moſe Gen. XI, 12. fuerit filius Arphachſadi. Reſp. Kainan ille ὑποβολιμαῖος ſuppoſititius aut irreptitius eſt; ſiquidem a ſcriptore aliquo libri, vnde multa exemplaria fluxerunt, ex penultimo huius capitis commate nomen Kainanis hoc v. 36. errore quodam repoſitum eſt, perperam inſpecto archetypo, aut dictantis hallucinatione. In antiquiſſimis exemplaribus Kainan v. 36. non legitur. Vid. HVG. GROT. in *b. l.* & conf. D. CALOV. *bibl. illuſtr. fol. 571.*

V. Errauit Paullus Hebr. XI, 21. citando verſionem LXX. interpretum erroneam: προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *adorauit* (Iacobus) *ſuper ſummo baculo ipſius;* cum tamen Moſes teſtetur Gen. XLVII, 31. quod adorauit ſuper caput lecti. Reſp. Paullus Moſi non contradicit; nam vterque aſſerit, quod Iſrael ſe inclinauerit, reuerentiam politicam Ioſepho exhibiturus (aut ex aliorum interpretum mente Deum ipſum humillime adoraturus) Moſes locum, Paullus inſtrumentum, quo ſe infirmum ſuſtentauerit, nempe ſcipionem Ioſephi, indigitat.

Dicis: Paullus ſecutus eſt LXX. interpretes, qui, hallucinati in translatione vocis מִטָּה, cum legerint מַטֶּה, baculum pro lecto tranſtulerunt. Reſp. Paullus non licentiam LXX. interpretum in vertendo, ſed rem ipſam vere factam approbauit & expreſſit, quod Iacobus ſe inclinauerit ſuper caput lecti, ſubnixus ſcipione Ioſephi (ſi cum nonnullis legatur αὑτοῦ cum ſpiritu aſpero, proprio innixus fuit baculo). Vid. D. PFEIFF. *dub. vexat. p. 221.* confer D. CALOV. *bibl. illuſtr.* in locum citatum ad Hebræos c. XI, 21. *fol. 1360.* adde D. VAREN. in *Gen. decad. XII. loc. V. p. 569.*

VI. Bis erraſſe videtur Stephanus I. cum recenſet, Ioſephum tranſtuliſſe Iacobum in Ægyptum, & totam cognationem ipſius *in animabus 75.* (conſiſtentem) Act. VII, 14. cum tamen Moſes tantum numeret 70. Gen. XLVI, 27. II. Cum idem aſſerit, quod Abraham pretio argenti emerit ſepulcrum a filiis Emor (filii) Sichem Act. VII, 16. quod non Abraham, ſed eius nepos Iacobus coëmit, Gen. XXXIII, 19. Reſp. ad I. alium Stephanus init numerum, alium catalogum texit Moſes. Nam hic vxores Iacobi non connumerat; diſerte enim ſcribit Gen. XLVI, 26. 27. *Omnis anima veniens cum Iacobo in Ægyptum egreſſi femur eius præter vxores filiorum Iacobi: omnis (inquam) anima ſunt ſexaginta & ſex. Filii autem Ioſephi, qui nati ipſi ſunt in Ægypto animæ duæ:* (vnde) *omnis anima domus Iacobi, qui venit in Ægyptum, ſeptuaginta* (ſi nempe Iacobus ſtirps familiæ & Ioſephus addantur). Stephanus autem enumerat omnes, qui a Ioſepho accerſiti ſunt cum Iacobo in Ægyptum, quibus vtique vxores Iacobi accenſendæ ſunt; quibus ſi ex famulitio addas ancillas aut ſeruos, facile completur numerus 75. Moſes igitur poſteros Iacobi, Stephanus huius comitatum recenſet. Ad II. vulgatus interpres latinus verba græca Stephani male vertit, quæ accuratius reddidit D. SEBAST. SCHMIDIVS in *bibl. latin.* (partim) & (partim) *poſiti ſunt in monumento,*



Digitized by Google

*quod emerat Abrahamus pretio argenti, præter* (illud) *filiorum Emor,* (quod *Sichemi* (eſt). Aſſerit Stephanus, quosdam patres cum Iacobo in agro Ephronis, emto ab Abrahamo, Gen. XXIII, 17. quosdam cum Ioſepho Sichemi, Ioſ. XXV, 32. ſepultos eſſe. Confer GLASSIVS in *philolog. ſacr. libr. III. tract. 2. can. 2. p. m. 503.*

VII. Ieſaias propheta iubetur ſcribere *ſtilo hominis,* i. e. populariter ad opinionem hominum erroneam, propterea quod plerique homines ſecundum externas tantum apparentias iudicant. Eſ. VIII, 1. Reſp. Iubetur Ieſaias ſcribere *ſtilo hominis non præciſe per contemperationem ad vulgarem loquendi conſuetudinem, in primis erroneam,* aut difformitatem a ſenſu diuino; ſed *per accommodationem ad vſum publicum,* adeoque iubetur ſcribere ſtilo hominis, i. e. vt homines ſolent, in charta aliqua vel folio patenti, perſpicue, inſignibus characteribus, vt quilibet poſſit legere & intelligere.

VIII. Si ipſi apoſtoli opinioni Iudæorum nouiter conuerſorum ſe accommodauerunt, iisque obſeruationem conceſſerunt circumciſionis; quæ tamen per Chriſtum in N. T. eſt abrogata (vid. Act. XVI. Gal. V, 2. 3): ſequitur multo magis Spiritum ſanctum in iis, in quibus error cum periculo ſalutis non coniunctus eſt, opinioni vulgarium ſe attemperaſſe hominum, donec mundus hic, in quo cognoſcimus tantum ex parte, per ſpeculum & ænigma, ſepeliatur. At prius eſt verum: E. & poſterius. Reſp. 1. Circumciſio abrogata, & ad tempus permiſſa, male comparatur cum locutione erronea. Nam circumciſio eſt ritus, abſolute, citra mandatum aut interdictum diuinum conſideratus, adiaphorus, intrinſece nullam nec bonitatis, nec fœditatis rationem includens: accedente autem mandato diuino, factus eſt moraliter bonus; accedente interdicto diuino, moraliter malus. At locutio erronea intrinſece includit turpitudinem, & a Deo, qui prima veritas eſt, nullo modo prouenire poteſt. 2. Concedere circumciſionem ad tempus dicit ſolum actum permiſſiuum; permiſſione ritus circumciſionis nec bonus, nec malus redditur, nec appropriatur permittenti. At tradere aliquid ſecundum opinionem vulgi erroneam eſt actus poſitiuus, qui, in Deum reductus, eum ipſius erroris cauſſam eſſe manifeſto arguit. Conf. D. IO. ADAM. OSIANDR. *colleg. ſyſtemat. part. 1. p. 75.*

Quæſt. XIX. *Quotuplex eſt ſenſus alicuius dicti biblici?*

*Senſus dicti biblici.*

Vnius dicti biblici ſimplicis ſenſus litteralis, isque formalis, vnus eſt, quem Spiritus S. verbis θεοπνεύστοις immediate exprimere intendit.

Obſ. I. *Vnum dictum biblicum ſimplex dicitur vna propoſitio, conſtans vno ſubiecto & prædicato.* Quod ſi dictis biblicis conglomeratis & connexis diuerſa ſubiecta & prædicata adſint, duplex emergit ſenſus, ideo, quod non vnum, ſed duplex dictum biblicum eſt. v. gr. Propheta Ioël cap. II, 13. grauiter cohortatur: Scindite corda, & ne ſcindite veſtes. Hic duplex adeſt dictum biblicum: Peccatores reſipiſcentes ſcindant corda ſua. Peccatores reſipiſcentes non ſcindant veſtes ſuas. Prior intelligitur ſenſu metaphorico, poſterior ſenſu proprio.

Obſ. II. *Senſus litteralis vel grammatice, vel logice ita dicitur. Senſus litteralis grammaticus eſt,* quem verba in propria & natiua ſua ſignificatione gignunt, etiamſi intentioni dicentis minime congruat. Dicitur rectius ſenſus *litteræ,* quam *litteralis. Logice ſenſus litteralis S. ſcripturæ dicitur,* quem Spititus S. ipſe verbis θεοπνεύστοις, ſiue ea propria ſint, ſiue tropo aliquo affecta, proxime intendit. Vid. KOENIG. in *theolog. poſitiu. p. 12.* Quomodo ſenſus litteræ, & litteralis (logice ſumtus) diſcrepent, e ſequentibus dictis biblicis facile pateſcit. Luc. XIII, 32. *Herodes vocatur vulpes.* Matth. V, 29. 30. iubet ſaluator *dextrum eruere oculum, dextramque amputare manum, ſi hæc membra nos ſcandalizauerint.* Pſ. XCI, 13. inquit

Digitized by Google

inquit Spiritus S. per hieropſalten: *Super leonem & aſpidem calcabis: conculcabis leonem iuvenem & draconem.* Quæ oracula cœleſtia ſecundum ſenſum litteræ male, ſecundum ſenſum litteralem optime cohærent.

Obſ. III. Senſus *litteralis* diuiditur in ſenſum *proprium, & figuratum, ſeu tropicum. Senſus proprius* eſt, quem verbis ſumtis in natiua ſua ſignificatione Spiritus S. intendit. v. gr. Deus eſt Spiritus, Io. IV, 24. *Senſus figuratus, ſiue tropicus* eſt, qui proxime intenditur a Spiritu S. verbis tropo aliquo affectis. v. gr. *Deus eſt clypeus noſter, & merces noſtra multa valde.* Gen. XV, 1.

Obſ. IV. Senſus dicti biblici alius *formalis, ſiue immediatus*, alius *virtualis, ſiue mediatus eſt. Ille eſt*, qui a Spiritu S. immediate intenditur verbis θεοπνεύςοις, & ex illis per ſe citra vllam conſequentiam cognoſcitur. v. gr. Non erit tibi Deus alius ante facies meas. Exod. XX, 3. Senſus *formalis* eſt: Ego verus Deus ſolus a te, o homo, religioſe colendus ſum. *Virtualis*, qui e ſenſu formali per conſequentiam elicitur. v. gr. Ex dicto biblico iam citato varios elicio ſenſus mediatos: Angeli non ſunt religioſe colendi: S. Maria non eſt adoranda: Sculptilia & imagines non ſunt inuocandæ: Nullus homo, Princeps, Rex, Cæſar, peræque amandus ac timendus eſt, ac verus Deus: Mammonæ non eſt ſeruiendum: Fiducia noſtra non eſt defigenda in noſtra ſapientia, iuſtitia, robore, armis: Venter noſter non ſit Deus noſter. Statuimus vnius dicti biblici vnum eſſe ſenſum formalem, e quo per conſequentiam varii ſenſus virtuales & mediati deduci poſſunt.

Obſ. V. Diuiditur vulgo ſenſus dicti biblici in *litteralem*, & *myſticum*. Senſus litteralis logice dictus ſupra Obſ. II. definitus eſt. *Senſus myſticus dicitur, qui non ſignificatur proxime per verba θεόπνευςα, ſed qui ex re, verbis θεοπνεύςοις ſignificata, fluit atque deducitur. Dicitur autem ἀκύρως, παχυλῶς*, improprie & abuſiue ſenſus dicti biblici, cum non ſit immediatus ſenſus verborum θεοπνεύςων; ſed quia Deus per rem, aut factum, verbis iisdem deſcriptum, aliam rem, aut aliud factum, oculis mentibusque hominum conſiderandum ſiſtere voluit. Accuratius itaque vocatur ſenſus litteralis *accommodatio*, ſiue applicatio myſtica, quam *ſenſus* ſcripturæ myſticus (*), v. gr. Ionæ II, 1. propheta Ionas dicitur fuiſſe tribus diebus & noctibus in ventre ceti: ibi ſenſus litteralis a Deo proxime intentus eſt, quem verba præ ſe ferunt & immediate gignunt; quando vero integra hæc hiſtoria ſiue res geſta transfertur ad ſignificandam Chriſti per tres dies & noctes manſionem in ſepulcro, Matth. XII, 30. non oritur inde nouus ſenſus, ſed tantum illius hiſtoriæ accommodatio & applicatio ad ſignificandum Chriſtum tot dies & noctes (licet non fuerint completi dies ac noctes, ſed earum initium & finis intelligatur) in ſepulcro futurum eſſe. Confer. D. QVENSTED. in *ſyſtemat. theol. fol. 134.*

Obſ. VI. Παχυλῶς dictus ſenſus myſticus a *pontificiis* diuiditur in ſenſum *allegoricum, tropologicum & anagogicum. Senſus allegoricus eſt*, cum verba ſcripturæ præter litteralem ſenſum ſignificant aliquid in N. T. quod ad Chriſtum, vel eccleſiam Chriſti pertinet. *Tropologicus*, ſiue *moralis*, eſt, cum verba, aut facta, referuntur ad ſignificandum aliquid, quod



(*) Sed cautio adhibenda eſt, ne talem putes eſſe adcommodationem, qualem opinantur SOCINIANI, vt & REMONSTRANTES, nimirum a ſcriptoribus N. F. demum excogitatam Quando Theologi quidam, recte ſentientes, ſicut b. Auctor, *ſenſum* eum, quem plerique adpellant *myſticum*, malunt *adcommodationem* dicere, ſemper illi intelligunt eam adcommodationem, quam Vates A. F. voluerunt ſignificare, & quam ſcriptores N. F. ita protulerunt, vt ea menti & conſilio Spiritus S. cuius inſtinctu adflatuque & Vatum oracula fuſa ſunt, & Apoſtolorum libri ſcripti, omnino reſpondeat.

Digitized by Google

quod pertinet ad mores. *Anagogicus* eſt, cum verba, aut facta, referuntur ad ſignificandam vitam æternam. v. gr. Hieroſolyma ſenſu *litterali* notat vrbem Palæſtinæ, ſenſu *allegorico* eccleſiam militantem in terris, ſenſu *anagogico* eccleſiam triumphantem in cœlis. Comprehenduntur hi diuerſi ſacræ ſcripturæ ſenſus ſequenti diſticho:

*Littera* geſta docet; quod credas *allegoria*:
*Moralis*, quid agas: quid ſperes *anagogia*.

At vero papiſtica ſenſus myſtici diſtinctio non vsque adeo accurata eſt. (1) Quia omnes tres ſpecies ſenſus myſtici, a pontificiis recenſitæ, ſub allegoria comprehenduntur. (2) Senſus moralis male dicitur tropologicus, quia mores non vocantur τρόποι, ſed ἤθη. (3) Eleuatio græce non vocatur ἀναγωγία (quæ vox notat defectum diſciplinæ, vel vitam diſſolutam) ſed ἀναγωγή.

Obſ. VII. Theologi orthodoxi diſtinguunt ſenſum myſticum *in typicum, allegoricum & parabolicum. Senſus typicus* (definiente D. GLASSIO *lib. II. part. I. tract. II. Sect. II. p. 289.*) eſt, *quando ſub externis factis ſeu propheticis viſionibus, res occultæ, ſiue præſentes, ſiue futuræ figurantur, & præſertim quando res geſtæ V. T. præſignificant ſeu adumbrant res geſtas N. T.* Subdiſtinguitur ſenſus *typicus* a D. GLASSIO *l. c.* in *propheticum, & hiſtoricum. Typus prophetiæ ſeu propheticus eſt, quo prophetæ diuinitus inſpirati ſuis in concionibus partim commonitoriis, partim vaticinatoriis crebro vtuntur.* Quando videlicet ſymbolis externis res occultas, ſiue præſentes, ſiue futuras, per Spiritum S. figurant & ſignificant. Conſiſtit autem in propheticis ac typicis, *1. actionibus, 2. viſionibus. Actiones prophetiarum typicæ ſunt*, quando iis, quæ exterius diuino mandato prophetæ peragebant, myſticum aliquod & occultum adumbrabatur, v. gr. Eſaias c. XX, 2. nudus, i. e. veſte ſua prophetica exutus incedit, ad adumbrandam cladem Ægyptiorum & Æthiopum. Viſiones *oblatæ ſunt vel dormientibus, vel vigilantibus. Viſiones typicæ dormientibus oblatæ ſunt per ſomnia* diuinitus immiſſa, quatenus figuris & typis ſunt inuoluta. e. g. Somnium Iacobi de ſcala, a terra ad cœlum pertingente. Gen. XXVIII, 12. Applicationem eius typicam vid. Io. I, 15. *Viſiones typicæ, vigilantibus oblatæ, quædam habent additam interpretationem typi, quarum explicatio ex συναφείᾳ & circumſtantiis textus eruenda eſt*, v. gr. propheta Ieremias vidit duas corbes ficuum bonarum & malarum. Prior corbis plena bonis ficubus præfigurauit eccleſiæ Iſraëliticæ inſtaurationem; poſterior ſignificauit Zedekiæ & populi iudaici deportationem: quæ interpretatio habetur Ier. XXIV. v. 5. 6. 7. 8. *Typus hiſtoriæ, ſeu hiſtoricus, eſt* ſenſus ſcripturæ myſticus, quo res geſtæ V. T. præfigurant res geſtas aut gerendas N. T. v. gr. Agnus paſchalis erat typus Chriſti. De agno paſchali inquit Iehouah, Exod. XII, 46. *Os ne frangetis in eo.* Quæ verba ſenſu litterali vnice de agno paſchali, ab Iſraëlitis mactando & comedendo, intelliguntur: typica accommodatione ad Chriſtum, agno paſchali præfiguratum, applicantur, Io. XIX, 36. *Senſus allegoricus eſt, quando hiſtoria ſcripturæ, vere geſta, ad myſterium quoddam, ſiue ſpiritualem doctrinam, ex intentione Spiritus S. refertur.* v. gr. Sæuitiam in bruta, in primis in boues laborantes, ſeuere vetuit creator: cuius interdictum legere licet, Deut. XXV, 4. *Non obturabis os bouis, cum triturat.* Senſu litterali hoc dictum biblicum de nullo alio, quam de boue triturante intelligitur: allegorice idem applicatur ad miniſtrum eccleſiæ, in ſalutem hominum impenſe laborantem. 1 Cor. IX, 9. *Senſus parabolicus eſt, quando res aliqua, vt geſta, apposite fingitur & narratur, atque ad aliud ſpirituale deſignandum refertur.* Sic nemini non chriſtianorum ſacris initiato conſtat parabola de patrefamilias, qui exiuit ſummo diluculo ad conducendum operarios in vineam ſuam, Matth. XX, 1. ſqq.

Obſ. VIII. *Accommodatio myſtica eſt* vel *innata*, vel *illata. Illa* eſt, quam ipſa ſacra ſcriptura vel expreſſe oſtendit, vel quadantenus inſinuat; *Hæc* eſt, quam ipſa ſacra ſcriptura

non

Digitized by Google

non oſtendit, ſed quæ a doctoribus eccleſiæ excogitata eſt. Quæ ſi *fuerit oblata, non ſine probabili fundamento e ſenſu litterali petita, fideique analoga*, *a nobis haud inuitis acceptatur; ſin fuerit extorta, probabili fundamento deſtituta, & ab analogia fidei deflectens, repudiatur.*

Vniuscuiusque dicti biblici ſimplicis ſenſum litteralem formalem a Spiritu S. intentum, non duplicem, ſed vnum eſſe, probatur,

I. *A cauſſa S. ſcripturæ efficiente, Deo*, qui cum ſit veraciſſimus, optimus, & ſapientiſſimus, non ludit amphiboliis, vt ſpiritus ille λοξίας, qui conſultus a Pyrrho, Romanis inſidias molienti, ambigue reſpondit:

Aio te, Aeacida, Romanos vincere poſſe.

Illuſit impoſtor gemino oraculi ſenſu; at quodlibet dictum biblicum vnicum exhibet ſenſum litteralem diuinum.

II. *A natura ſenſus & ſignificationis.* Forma ſacræ ſcriptæ eſt vna. Atqui ſenſus litteralis eſt forma ſacræ ſcripturæ, & eius quaſi anima. Ergo ſenſus litteralis ſacræ ſcripturæ eſt vnus.

III. *A S. ſcripturæ veritate.* Quidquid eſt verum, eſt vnum. (Plus vno verum eſſe nequit.) Atqui ſenſus S. ſcripturæ eſt verus. Ergo eſt vnus.

IV. *A S. ſcripturæ perſpicuitate*, quæ adeo lucida eſt, vt vel infans eius ſenſum aſſequatur. Exemplo nobis eſt Timotheus, commendatus a S. Paullo, quod ab infantia ſacras litteras nouerit. 2 Tim. III, 15. At ſcriptura, variis implicita ſenſibus, ſua ſe obſcuritate inuoluit, legentisque animum diſtrahit.

V. *A S. ſcripturæ fine*, qui eſt σοφίσαι, ſeu imperitos & paruulos ſapientes reddere, Pſ. XIX, 8. 2 Tim. III, 15. Senſus alicuius dicti multiplex non reddit hominem ſapientem, ſed errantem: parit enim æquiuocationem, fœcundam errorum genetricem.

VI. *Ab abſurdo.* Si S. ſcriptura multos, eosque in vno loco, in vna propoſitione, diuerſos ſuſtineret ſenſus; nullum firmum ex ea peteretur argumentum; eſſet tuba, incertum reddens ſonum, adeoque inutilis, 1 Cor. XIV, 7. non foret conſtans fidei morumque regula.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, & *Socinianorum*, ſtatuentium, vnius dicti biblici plures poſſe eſſe ſenſus litterales; qui, ſuam munituri opinionem, haud pauca adducunt dicta biblica, quæ ex eorum mente duplici pollent ſenſu, diuinitus intento.

I. Ioelis II, 13. *Scindite cor veſtrum, & non veſtimenta veſtra.* Reſp. Dictum hoc biblicum non vna propoſitio, ſed virtute duplex. Nobis ſermo eſt de vno dicto biblico ſimplici. Vid. Obſ. 1.

II. Dictum illud: Exod. XX, 3. *Non habebis Deos alienos coram me*, multos gignit ſenſus. Reſp. Gignit *vnum ſenſum formalem ſiue immediatum*, ex quo ſenſus virtuales & mediati per conſequentiam eliciuntur.

III. Dantur dicta biblica, in quibus tam ſenſus litteralis, quam myſticus, a Deo intentus eſt. v. gr. Exod. XII, 46. Os non confringetis in eo. Deut. XXV, 4. Quæ ab ipſo Spiritu ſancto ſenſu myſtico explicantur, Io. XIX, 36. 1 Cor. IX, 9. Reſp. *Senſus myſticus rectius vocatur accommodatio, ſiue applicatio* dicti biblici, quam eius ſenſus; ſiquidem a Spiritu ſancto non per verba θεόπνευστα intenditur, ſed per rem aut factum, verbis θεοπνεύστοις indigitatum ad aliam rem, aut aliud factum ob analogiam, aut qualemcunque conuenientiam a Spiritu ſancto applicatur. Nos loquimur de ſenſu per verba diuina intento, non de accommodatione rerum, aut factorum myſtica.

IV. Verba Hoſeæ c. XI, 1. *Quum puer* (eſſet) *Iſraël, tum dilexi eum: & ex Aegypto vocaui filium meum*, duplici ſenſu accipienda ſunt. 1. Litterali ſenſu de populo Iſraëlitico,



Digitized by Google

e ſeruitute Aegyptiaca liberato. 2. Senſu myſtico de Chriſto in Aegyptum ſecedente & redeunte. Reſp. 1) Nihil noſtræ ſententiæ decederet, ſi diceremus, verba illa ſenſu *litterali* intelligi de populo Iſraëlitico, cuius ex Aegypto remigratio, ad reditum Chriſti ex Aegypto *myſtice* applicetur. 2) Verba Hoſeæ: *Ex Aegypto vocaui filium meum*, non myſtice, ſed ad litteram & immediate, de Chriſto accipienda ſunt hoc modo: Cum Iſraël נַעַר puer i. e. rudis, præcipitans in actionibus ſuis, & excutiens iugum eſſet; adeo tamen ipſum dilexi, vt illius gratia filium meum Ieſum euocauerim ex Aegypto, quo inſcium erudiat, petulantem corrigat, præcipitantem doctrina cœleſti emendet ac firmet.

V. Verba Pſ. II, 7. *Ego hodie genui te*, triplicem habent ſenſum; explicantur enim de æterna filii Dei generatione, Hebr. I, 5. de reſurrectione Chriſti, Actor. XIII, 33. De ſacerdotio ipſius, Hebr. V, 5. Reſp. Verba Pſ. II, 7. citata recte exponuntur de æterna filii Dei generatione, Hebr. I. Neque Act. XIII, 33. de Chriſti reſuſcitatione a mortuis agitur, ſed græcum illud: ἀναςήσας idem eſt, quod excitans, exhibens, adducens. Senſus igitur eſt: Deus pater, memor promiſſionis ſuæ, excitauit, miſit & exhibuit Iudæis filium ſuum ab æterno genitum, quem compellauerat Pſ. II. Filius meus es tu: Ego hodie genui te. De reſurrectione Chriſti a mortuis agitur v. 34. Hebr. V, 5. *Deſcribitur perſona*, a qua Chriſtus ad ſacerdotium vocatus eſt. Perſona illa eſt Deus pater, fons & origo filii, a quo, vt eſſentiam per æternam generationem, ita honorem ſacerdotii magni, tempore conſtituto accepit. Ex quibus elucet, quod verba Pſalmi II. *Ego hodie genui te*, non niſi vnam habeant ſignificationem, eamque vbique retineant.

VI. Verba Eſ. LIII, 4. *Languores noſtros portauit*, 1 Petr. II, 25. de peccatis, Matth. VIII, 17. de morbis corporis exponuntur. Reſp. *Chriſtus portauit generatim omnes morbos, corporis & animæ; portauit enim peccata, & eorum pœnas, e quorum cenſu ſunt morbi.* Summouendo igitur morbos, ceu pœnas, a poſteriori demonſtrauit, ſe portare & expiare peccata mundi.

VII. Memorabile illud vaticinium Iehouæ, 2 Sam. VII, 14. *Cum complebuntur dies tui, & cubueris cum patribus tuis, erigam ſemen tuum poſt te, quod exibit ex viſceribus tuis, & firmum faciam regnum eius. Ego ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium:* tam de Salomone, quam de Chriſto intelligitur. Reſp. *Totum hoc vaticinium ſenſu litterali intelligendum eſt de Meſſia*; quia I. hic agitur de ſemine excitando ex viſceribus Dauidis, poſt Dauidis tempora: non ergo de Salomone, qui poſt Dauidem fato functum neque natus, neque in ſolio regio collocatus eſt. II. Neque Salomoni thronus regni eius ſtabilitus eſt in æternum, ſed Meſſiæ v. 13. III. Dauid reſpondet: *Hæc eſt lex hominis, qui eſt Dominus Deus*; deſignans Chriſtum θεάνθρωπον. IV. S. Paullus hoc oraculum de Chriſto editum eſſe teſtatur, Hebr. I, 5.

Dicis I. Non omnia prædicata huius vaticinii competunt Meſſiæ. Nam de conditore domus domini agitur, qui eſt Salomon. Reſp. Domus domini non notat templum materiale Salomoneum, ſed domum ſpiritualem, nempe eccleſiam, cuius architectus eſt Chriſtus. Ratio eſt, quia intelligitur domus æque perpetua, ac regnum huius ſeminis Dauidis æternum.

Dicis II. De illius templi ædificatione agitur in reſponſo diuino, de quo in conſilio Dauidis actum erat, quod ſine dubio ex mente Dauidis fuit materiale. Reſp. Diuina reſponſio eſt partim negatiua, partim affirmatiua. Negatiue reſpondet Dominus: Num tu ædificabis domum, vt habitem? Non ergo deſiderat dominus templum materiale. Affirmatiue reſpondet idem per inuerſionem: *Annuntiauit tibi Iehouah (Deus pater)*, quod tibi domum facturus ſit Iehouah (*Deus filius*, quia Dominus loquitur de Domino). Quæ verba continent πρότασιν & ſum-

Digitized by Google

& ſummam eorum, quæ ſequuntur; vtpote quibus indicatur, quod non Dauid domino domum exſtruere debebat, ſed dominus Dauidi domum ſpiritualem & regnum æternum conditurus erat: quæ domus ſpiritualis, & quod regnum æternum eſt eccleſia, domus Dei viuentis, 1 Tim. III, 15. quam Chriſtus condidit, Matth. XVI, 18. regnum Chriſti, cuius non erit finis. Luc. I, 33.

Dicis III. De ea perſona loquitur dominus, quæ a procliuitate ad peccandum non fuit immunis. Nam inquit v. 14. *Qui quum prauum quid fecerit, caſtigabo eum baculo hominum, & plagis filiorum hominis.* Reſp. Loquitur dominus (α) non *de peccato inhærente*; quippe quo Meſſias nunquam fuit infectus, ſed *de peccato imputato;* ideo quod peccata totius mundi expianda lubens in ſe ſuſcepit, 1 Io. II, 2. Quæ graphice delineatura ſacra ſcriptura perinde loquitur de Chriſto, ac ſi ipſe peccauerit. Pſ. XL, 13. Pſ. XXXI, 15. Pſ. LXIX, 6. (β) De paſſione Chriſti ſatisfactoria.

Dicis IV. Hoc vaticinium cum dulciſſima promiſſione coniunctum exponitur de Salomone ab ipſo Dauide, 1 Paral. XXII, 9. nec non a Salomone ſibi ipſi applicatur, 1 Reg. V, 5. c. VIII, 17. 2 Paral. VI, 7. Reſp. Loca citata non ſunt parallela vaticinio, de quo iam egimus. *Nam iſta promiſſio* 1 Paral. XXII, 9. *quam cetera loca reſpiciunt, tempore eſt poſterior noſtro vaticinio. Illa* de filio Dauidi naſcituro; *hoc* de ſemine excitando longe poſt fata Dauidis: *illa* de domo materiali & templo Hieroſolymitano: *hoc* de domo ſpirituali & regno æterno agit, atque repetitur. 1 Paral. XVII, 11. ſeqq.

VIII. Verba Ierem. XXXI, 15. *Vox in Rama* (quidem) *audita eſt, planctus, fletus amaritudinum: Rachel eſt deplorans ſuper filiis ſuis*, intelliguntur de Beniaminitis in captiuitatem adducendis. Sed Matth. II, 18. exponuntur de infanticidio Herodis, & lamentatione matrum Bethlehemiticarum. Reſp. Non intelligitur l. c. planctus Beniaminitarum (quorum nomine etiam deſignantur Iudæi, inde a ſciſſione regni Iſraëlitici cum illis coniuncti. 1 Reg. XXII, 20.) auditus ob abductionem in captiuitatem, de qua Spiritus S. illum planctum nunquam exponit; ſed ob *infanticidium Herodianum Rachel plorans* introducitur per proſopopœiam; quo deſignetur, vsque in fines Beniamin tyrannidem Herodis ſæuituram, & in illis confiniis, vbi Rachel oculos clauſit & ſepulta eſt, poſteritatem eiusdem deteſtabili truculentia interemtum iri. Rachelis autem ſepulcrum exſtabat in agro Bethlehemitico, Gen. XXXV, 19. Non ergo geminus l. c. datur ſenſus.

IX. Io. VI, 50. Caiphas inquit: *Expedit nobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens intereat. Hoc autem a ſe ipſo non dixit; ſed cum ſacerdos magnus illius anni eſſet, prophetauit, quod Ieſus moriturus eſſet pro gente* (iſta). Reſp. Dicti biblici iam citati vnus eſt ſenſus litteralis, a Spiritu S. intentus; nempe e re fore vniuerſi generis humani, ſi ad huius interitum æternum auertendum Chriſtus mortem oppeteret, non obſtante, quod Caiphas alium ſenſum mente ſua conceperit. Neque enim ſermo nobis eſt *de ſenſu dicti biblici humano*, ſed *diuino*, quem Caiphas non intellexit, ſed in edendo vaticinio os tantum Spiritui S. præbuit, vt aſina Bileami, & ſine prophetiæ intellectu vaticinatus eſt.

X. Quando Moſes Deut. XXXII, 1. exclamat: *Auſcultate cœli; loquar enim, audiatque terra ſermones oris mei*, per cœlos, cenſente *Cocceio*, intelligi poſſunt angeli, cœli aërii & ætherii; quia ſcriptura vocem, *cælum*, in omnibus illis ſignificationibus vſurpat. Reſp. α) Diſt. inter vocabula ſumta *ſeorſim*, & *coniunctim in tota phraſi*. Si vocabula ſumantur ſeorſim, ſenſu vario poſſunt exponi; ſi ſumantur coniunctim, ſcopus dicentis reſpiciendus, & antecedentia cum conſequentibus accurate ſunt conferenda: qua ratione vnum pariunt ſenſum. β) *Aliud eſt, vocabulum poſſe ſenſu differenti exponi, & aliud, ſenſu variante explicandum eſſe. Lutherus:* Ein anders iſt: es kan alſo heiſſen; Ein anders: es muß alſo heiſſen.

γ) Lo-

Digitized by Google

γ) Loco citato metonymice *per cœlos*, *angelos*, teſtes factorum diuinorum in cœlo gloriæ, *per terram*, *homines*, orbem terrarum incolentes, intelligimus.

XI. Quidquid eſt verbum Dei, illud multis ſenſibus eſt fœcundum.

Atqui ſacra ſcriptura &c. Ergo. Maior patet, quia verbum Dei eſt conceptus mentis diuinæ. Deus autem vno conceptu mentali infinita exprimere poteſt. Reſp. neg. maiorem. Ad probationem dicimus, quod Deus ſacram ſcripturam adornauerit, *non ſecundum menſuram intellectus ſui*, *ſed ſecundum voluntatem ſuam benigniſſimam*, adeoque quantitate ſibi complacente, vt commoda συγκαταβάσει ad captum intellectus noſtri condeſcenderet. Cum enim *Deus in ſacra ſcriptura loquatur non ſui*, *ſed noſtri gratia*, i. e. ad iuuandos dirigendosque intellectus noſtri conceptus, ſingulis locis non expreſſit ſenſus plures: ceteroqui non iuuaret intellectum noſtrum, ſed obrueret.

XII. Interpretes ſacræ ſcripturæ ſæpe numero ex vno dicto biblico multiplicem eruunt ſenſum, v. gr. Quando Spiritus ſanctus per hieropſalten cohortatur, Pſ. II, 12.: נַשְּׁקוּ־בַר, verba illa quadruplici ſenſu, fidei analogo, exponi poſſunt. 1) *adorate filium.* 2) *adorate pure.* 3) *oſculamini triticum.* 4) *apprehendite diſciplinam.* Reſp. α) Diſt. inter ſenſum ſacræ ſcripturæ *illatum* & *innatum.* Interpretes, cum mentem Domini non aſſequantur ſemper, varios ſenſus vni dicto biblico inferunt: quamuis ipſi vnus tantum ſit quaſi innatus & a Spiritu ſancto intentus. β) Quamuis vox hebræa בַּר notet filium, triticum, purum (at nunquam doctrinam aut inſtitutionem) *ſi ſumatur ſeorſim;* hic tamen *coniunctim ſumta in tota phraſi*, ſecundum ſcopum dicentis, atque collationem antecedentium & conſequentium explicanda eſt. *Scopus Pſalmi ſecundi eſt religioſa veneratio Meſſiæ.* Rationes prægnantiſſimæ ſunt, quia eſt rex vnctus a Deo patre, & conſtitutus ſuper montem ſanctiſſimum Sionem, i. e. eccleſiam, v. 6. rex catholicus, v. 8. rex omnipotens, v. 9. religioſæ Meſſiæ venerationi obſtat hoſtilis aduerſus eum conſpiratio, v. 1. 2. & eius religionis contemtus, v. 3. quæ obſtacula remouenda ſunt. Modus colendi Meſſiam inculcatur in proxime præcedenti v. 11. nimirum, quod ei ſeruiendum ſit in timore, cum ſpirituali gaudio coniuncto: in conſequentibus commendatur fiducia in hoc rege diuino, catholico & omnipotente, collocanda. Quibus penſitatis, nullum eſt dubium, quin verba hebræa: נַשְּׁקוּ־בַר, reddenda ſint: *oſculamini filium*, i. e. Chriſtum vnigenitum Dei filium, regum maximum, pleni fiduciæ, amoris, gaudii, timoris & obſequii ſubmiſſe colite, ritu eorum, qui reges potentiſſimos venerantur, ipſorum manus oſculantur. Senſus alii huic dicto biblico ab interpretibus illati quamuis ſint *analogi fidei*, *non tamen ſunt analogi textui.*

### Quæſt. XX. *Quæ eſt forma S. ſcripturæ externa?*

*Forma S. ſcripturæ externa?*

Forma S. ſcripturæ externa eſt ſtilus, ſermonis character & idioma; idque hebræum in veteri teſtamento (a), exceptis paucis quibusdam particulis, quæ, occaſione ſic ferente, chaldaico idiomate conſignatæ ſunt (b): græcum vero in nouo teſtamento (c).

Prob. a. Vetus teſtamentum conſcriptum eſt idiomate hebræo; (1) quia lingua hebraica eſt *primæua*, *adeoque antiquiſſima.* Etenim omnia nomina, hominibus ante cataclyſmum vniuerſalem & γλωττοσύγχυσιν, ſiue confuſionem linguarum, indita, ex lingua hebræa deſumta ſunt. Vid. D. PFEIFF. *Diſſ. philol. de lingua protoplaſtorum aſſert. III.* (2) Lingua hebræa familiaris fuit cum omnibus Iſraëlitis, quorum commodo ſcriptura veteris teſtamenti præcipue erat deſtinata: tum maxime prophetis, quorum miniſterio ſcripta V. T. conſignata ſunt.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Inuenitur in codice veteris teſtamenti pericope chaldaica, Ierem. X, 11. Iudæorum ad Chaldæos reſponſum continens: & integra pene capita in libris poſt captiuitatem Babylonicam ſcriptis; nempe in libro Eſdræ a c. IV, 8. vsque ad c. VI, 19. & c. VII, 10. vsque ad verſum 27.; litteræ a Chaldæis & ad Chaldæos ſcriptæ commemorantur: nec non in libro Danielis a cap. II. vsque ad cap. VIII. vbi regis Babylonici relatio ſomnii, conſultatio, acta, viſiones & ſcripta nonnulla ſtilo chaldaico contexta ſunt.

Prob. c. Nou. Teſtam. idiomate græco conſignatum eſt. Cum enim præter Iudæos, etiam gentiles, linguis & dialectis differentes, per prædicationem euangelii ad fidem chriſtianam alliciendi eſſent, congrue admodum lingua græca ſcriptum eſt nouum teſtamentum; quia hæc non ſolum Iudæis illo tempore, verum gentilibus etiam vndiquaque erat notiſſima, adeoque ad propagationem doctrinæ euangelicæ conuenientiſſima.

Quæſt. XXI. *Eſtne ſtilus ſacræ ſcripturæ, inprimis noui teſtamenti, idioticus, refertus barbariſmis & ſolœciſmis?*

Stilus ſacræ ſcripturæ, tam veteris, quam N. T. eſt grauis & dignus maieſtate divina, nullo vitio grammatico, nullo barbariſmo aut ſolœciſmo fœdatus.

Obſ. 1. Stilus idioticus eſt rudis, agreſtis, accurata connexione & omni ornamento deſtitutus.

Obſ. 2. *Barbariſmum* Stoici apud *Diogenem Laërtium* lib. VIII. & ex eo *Suidas* definiunt, quod ſit ἐκ τῶν κακῶν λέξις παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμέντων ἑλλήνων, vitioſa dictio præter conſuetudinem clarorum græcorum. *Solœciſmus* vero eidem Suidæ eſt ὁ λόγος ἀκαταλλήλως συντεταγμένος, oratio incongrue conſtructa. *Donato* ſolœciſmus eſt vitium in contextu partium orationis contra regulam artis commiſſum.

Prob. I. Stilus Dei ſapientiſſimi neque idioticus, neque barbariſmis aut ſolœciſmis obſitus dicendus eſt. Atqui ſtilus ſacræ ſcripturæ eſt ſtilus Dei ſapientiſſimi. Ergo. Maior patet, quia Deo, linguarum datori, ſermoniſque artifici ſapientiſſimo, non ſine grandi blaſphemiæ atque impietatis nota vitium ſermonis imputari poteſt. Minor probatur ex Matth. X, 19. 20. *Ne ſolliciti eſtote, quomodo & quid locuturi ſitis: dabitur enim vobis illa hora, quid loqui debeatis. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus patris* (eſt), *qui loquitur in vobis.* Quod ſi Spiritus S. apoſtolis in apologiis extemporalibus non ſolum τὸ τί, rem ipſam, ſed etiam τὸ πῶς, modum loquendi, inſpirauit: multo magis ipſis ſuggeſſit modum ſcribendi verba decora & rebus exprimendis conuenientia; vtpote quæ ex voluntate Dei multis ſeculis perennare debebant.

II. Stilum vitioſum ſcribunt rudes & ignorantes. Sed prophetæ non fuerunt rudes & ignorantes. Ergo. Maior liquet; quia, cenſente *Quinctiliano*, ſolœciſmus eſt nomen ignorantiæ & ruditatis. Minor patet, quoniam prophetæ & apoſtoli fuerunt viri a Spiritu S. agitati & illuminati, 2 Petr. I, 21. quibus Spiritus & res & verba ſcribenda inſpirauit, 2 Tim. III, 16.

*Antitheſis* eſt *Eraſmi, Vorſtii, Salmaſii*, & aliorum, nimis abiecte de ſtilo ſacræ ſcripturæ ſentientium, eumque idioticum, barbariſmis & ſolœciſmis obſitum eſſe, aſſerentium: quorum potiora ſunt argumenta.

I. Apoſtoli fuerunt viri ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται, *indocti & rudes*, Act. IV, 13. Ergo ſcripſerunt ſtilum idioticum & rudem. R. *Apoſtoli* l. c. dicuntur *indocti & idiotæ antecedenter*, i. e. priusquam virtute ex alto induti fuerunt, Luc. XXIV, 49. quoniam nec philoſophorum, nec phariſæorum diſciplinis exculti erant; at non erant *indocti & idiotæ conſequenter*, i. e. poſtquam



Digitized by Google

ruditas linguæ per ignem Spiritus S. fuit ſublata, adeo, vt locuti fuerint ἰδίᾳ διαλέκτῳ ad diuerſiſſimarum linguarum homines præſentes, Act. II, 6.

Inſtantia: Apoſtolus Paullus, a Spiritu S. illuminatus, ſe idiotam appellat, 2 Cor. XI, 6. Ἐι δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ᾽ ȣ̓ τῇ γνώσει. *Quod ſi vero etiam idiota* (imperitus, rudis) *ſum ſermone, non tamen notitia.* Reſp. α) Diſcurrit apoſtolus l. c. κατ᾽ ἄνθρωπον; neque enim loquitur *categorice*, ſed *hypothetice ſ. ad conceſſionem hypotheticam* ex opinione pſeudoapoſtolorum & Corinthiorum iis adhæreſcentium; quaſi dicat: Eſto, quod iudicibus thraſonibus λογοδαιδάλοις ſim idiota, ſiue rudis ſermone; ſimplicis tamen meæ orationis defectum compenſat digna prophetis & apoſtolis myſteriorum diuinorum ſcientia. β) *Derogat ſibi apoſtolus gloriam orationis fucatæ*, calamiſtratæ, e ſcholis rhetorum petitæ, quæ ſæpe mollis & effœminata eſt; non tamen ipſi defuit *eloquentia maſcula*, ſententiarum pondere grauis, plena diuina ἐνεργείᾳ, vt vi ſpiritus animos hominum ad *Chriſtum* raperet, non adulatorum ritu ſermonis blanditiis alliceret.

II. Quicunque in ſcriptis græcis vtuntur hebraiſmis, illorum ſcripta ſunt barbara. Atqui &c. Ergo. Maior conſtat; quia vocabula peregrina, qualia ſunt hebræa, vſurpata in lingua græca, nec non hebræorum idiotiſmi aſperſi linguæ atticæ, hanc efficiunt barbaram. Minor patet tum ex vocibus hebræis, & chaldæo-ſyriacis: Korban, Thalita, Racha, Manna, Halleluia, Hoſianna, Mammona &c. tum ex formulis orationem conſtruendi, hebræorum propriis, quibus ſcriptura N. T. abundat. Reſp. (α) Maior non eſt vniuerſalis; nam eadem retenta argumentandi forma quiſpiam concluderet:

Quicunque in ſcriptis latinis vtuntur græciſmis, illorum ſcripta ſunt barbara.

Atqui CICERO, VIRGILIVS, HORATIVS &c. Ergo.

(β) *Voce peregrina vſu recepta, modo vrgente neceſſitate, modo ſuadente venuſtate, ſine vitio barbariſmis vtimur.* (γ) Non inducitur barbariſmus, quando lingua inferior a ſuperiori, præſtantiori & antiquiori (qualis eſt hebræa) formulas loquendi mutuo accipit, & in vſum ſuum transfert. (δ) Placuit Spiritui S. *ad oſtendendam harmoniam* V. & N. T. *eodem ſtilo ſiloque ſermonis myſteria fidei propagare.* Quare nil mirum, quod proprietas linguæ hebrææ, tanquam primæ, ſe tam per V. quam N. T. diffundat, & in græciſmum biblicum dimanet. Vnde barbarum habendum non eſt in lingua biblica, hebræo-græca, quidquid barbarum cenſetur in lingua græca Atticorum.

III. Datur in N. T. oratio incongrue ſcripta: Ergo ſolœciſmus. Antecedens patet ex Luc. XXII, 26. ἐν τῷ αἵματι ἐκχυνόμενον: congrue dicendum erat: ἐκχυνομένῳ. Reſp. Verba græca explicanda ſunt per ellipſin: ὃ ἐςὶν ἐκχυνόμενον. Præclare monet D. DANNHAV. *in Hodoſ. Phœn. I. p. 42. Quem ſolœciſmum vocaret profanus, hanc figuram chriſtianus rectius dixerit grammaticam, ſyllepſin, ellipſin, enallagen; abſit enim, vt Spiritui ſancto κακίαν, aut fœditatem, vt appellat Fabius, imputemus.*

IV. Obiicit SALMASIVS *comm. de lingua helleniſt. p. 260.* Patres quosdam eccleſiæ appellaſſe apoſtolos ἰδιώτας, ἀγροίκȣς, ἀμαθεῖς, ἀγραμμάτȣς, idiotas, ruſticos, dicendi imperitos, illitteratos, quorum dictio ſit ἀγροικιτομένη, σολοικίζȣσα, βαρβαρίζȣσα & ἰδιωτική. Reſp. (1) Non omnes patres tam abiecte ſentiunt de ſtilo apoſtolico, ſed illius gravitatem ingenue aperteque fatentur. (2) Quidam patres locuti ſunt ex *hypotheſi gentilium ſophiſtarum*, quos redarguere quoad hoc ipſum punctum noluerunt, ſed conceſſo hoc, quod ſtilus apoſtolicus ſit idioticus & impolitus, alia ratione obiectionem hanc confutarunt, partim ſimplicitatem eloquentiæ biblicæ verborum pompæ, lenociniis rhetorum, & ſophiſtarum affectato dicendi generi præferendo; partim indole ſtili relicta ad ipſam maieſtatem rerum in ſcriptura ſacra contentarum prouocando, & hoc ipſo argumento, vt fortiori ariete, ipſos debel-



Digitized by Google

bellando. Hinc ORIGENES *L. IV. περὶ ἀρχῶν. c. I.* Si vel arte rhetorica, vel philoſophica calliditate conſcripti libri noui teſtamenti ad credendum illicerent homines: ſine dubio *fides noſtra putaretur in verborum arte conſiſtere atque in ſapientia humana, & non in virtute Dei.* AMBROSIVS *epiſt. LXIV.* ſcriptores diuinorum librorum quamuis *non ſecundum artem ſcripſerint, ſed ſecundum gratiam,* quæ ſuper omnem artem eſt; ii tamen, qui de arte ſcripſerunt, de eorum ſcriptis artem invenerunt. AVGVSTINVS *lib. IV. de doctr. chriſt. c. VI.* Sicut eſt quædam *eloquentia, quæ magis ætatem iuuenilem decet; eſt, quæ ſenilem:* nec iam dicenda eſt eloquentia, ſi perſonæ non congruat eloquentis: ita eſt quædam, quæ viros ſumma auctoritate digniſſimos, planeque diuinos decet. Hac illi (apoſtoli) locuti ſunt: nec ipſos decet alia, nec alios ipſa: ipſis enim congruit: *aliis autem quanto videtur humilior, tanto altius non ventoſitate, ſed ſoliditate tranſcendit.* De eloquentia Paulli magnifice ſentit CHRYSOSTOMVS *L. IV. de ſacerdot.* Non requirenda in S. Paullo leuitas Socratis, tumor Demoſthenis, dignitas Thucydidis, Platonis altitudo, eloquentiæ peregrinæ ornatus: *non deeſt autem in ipſo nuda ac ſimplex oratio, quæ ſententiam habet rerum maximarum, omniaque robuſtiſſime confirmat:* quo ornatu ſuo maximo & laude ſumma ſpoliandus non eſt.

### Quæſt. XXII. *Quorum hominum commodo deſtinatæ & conſcriptæ ſunt ſacræ litteræ?*

Omnium hominum, pleno rationis vſu pollentium, & verbi externi capacium, ſaluti diuinitus deſtinatæ & conſcriptæ ſunt ſacræ litteræ (a), vt eas attente legere, deuoteque meditari liceat & expediat clericis & laicis, doctis & indoctis, viris & foeminis (b). *S. ſcripturæ finis cui.*

Prob. a. S. ſcripturæ *finis cui*, ſiue ſubiectum, cuius ſaluti procurandæ *Deus* miſericordiſſimus verbum ſuum reuelatum, litterisque mandatum deſtinauit, *eſt omnis homo, peccato coruptus, ex ſeria intentione diuina ſaluandus. Hanc enim legem Deus ipſe in tabulis lapideis litteris exarauit*, Moſi tradidit, non vt eam in ciſta concluſam, velut depoſitum diuinum ſibi proprium aſſeruaret, ſed vt eam populo Dei communicaret, & velut magnus propheta declararet. Id quod colligimus ex Exod. XXIV, 12. *Poſt dixit Iehouah ad Moſen, aſcende ad me in montem, & eſto ibi: dabo enim tibi tabulas lapidis, & legem & præceptum, quæ ſcribam ad docendum eos.* Neque tantum Moſes, aut alius propheta, ſcriptam a *Iehouah* legem docere alios, ſed & paterfamilias eandem liberis atque domeſticis ſuis inculcare tenebatur; quod ſerio ipſi *Iehouah*, iniunxit, Deut. VI, 6. ſeq. *Sint omnia verba hæc, quæ ego* (ſum) *præcipiens tibi hodie, ſuper corde tuo: & acuas ea filiis tuis, loquariſque de iis, quum ſederis in domo tua, & quum ieris in via, & quum cubueris, & quum ſurrexeris. Immo alliges ea in ſignum ſuper manum tuam, ac ſint infrontalia inter oculos tuos, ſcribaſque ea ſuper poſtes domus tuæ & in portis tuis.* Iudæi craſſiores verba citata ſingula ad litteram intelligunt: ideo ſibi *phylacteria capitis & manuum* conficiunt, eaque tempore precum fronti & ſiniſtro brachio alligant, putantes ſe hoc modo mandato diuino belle ſatisfeciſſe. Vid. D. PFEIFF. *antiquit. ſacr. decad. II. poſit. I. p. 29.* At vero nonnulla ex iis rectius per metaphoram explicantur. Nimirum commendat his verbis Deus Iſraëlitis fidelem legis cuſtodiam, vt eam aſſidue habeant *in corde, ore, & opere.* In *corde*, vt pretioſiſſimum theſaurum nunquam obliuione ſepeliendum: *in ore*, vt præcipuum argumentum quotidiani colloquii cum filiis inſtituendi: *in opere*, vt normam obſequii Deo præſtandi. Hinc HIERONYMVS *in cap. 23. Matth. Præcepta erunt in manu tua*, vt *compleantur: ante oculos tuos*, vt *die ac nocte mediteris in iis.* Fuit itaque lex a Deo ſcripta deſtinata doctoribus, patribusfamilias, horum liberis, domeſticis & conſequenter omnibus hominibus,



Digitized by Google

Deo, cuncta diſpenſanti, ſubiectis. *Verbum euangelii itidem ſcriptum eſt omnibus in Chriſtum credituris ad conſequendam vitam æternam.* Io. XX, 31. Apoſtoli epiſtolas ſuas ſcripſerunt integris eccleſiis & omnibus vocatis, Rom. I, 7. omnibus fratribus ſanctis, 1 Theſſ. V, 2. patribus, adoleſcentibus, puerulis, 1 Io. II, 13. *vt verbum Dei inter omnes cum omni ſapientia opulenter habitet.* Col. III, 16.

Prob. b. I. *A deſtinatione ſcripturæ.* Quorum ſaluti procurandæ S. ſcriptura diuinitus eſt deſtinata, illis eſt legenda. Atqui omnium ſaluti procurandæ S. ſcriptura diuinitus eſt deſtinata, vt iam luculenter oſtendimus. Ergo.

II. *A mandato diuino generali,* quo lectio S. ſcripturæ omnibus hominibus iniungitur tam in veteri, quam in nouo teſtamento. Clare loquitur Spiritus S. per os prophetæ Ieſaiæ c. XXXIV, 16. *Quærite deſuper libro Iehouæ & legite.* Per *librum Iehouæ* intelligitur *ſcriptura Moſaica,* quæ ob antiquitatem κατ' ἐξοχὴν dicitur liber domini. Ad hunc librum domini legendum promiſcuam multitudinem cohortatur propheta indicaturus, S. ſcripturam eſſe fontem nemini clauſum, ſed omnibus ad ſalutarem hauſtum patentem. Neque minus clarum eſt mandatum Saluatoris, Io. V, 39. *Scrutamini ſcripturas, quia vos exiſtimatis, quod in iis vitam æternam habeatis. Atqui illæ teſtantur de me.* Obſ. α) Verbum ἐρευνᾶτε, *ſcrutamini,* vel a venatoribus feras in ſiluis ſummo ſtudio indagantibus, vel a foſſoribus metallorum, in cauernis terræ aurum cura intenſiſſima quærentibus, transſumtum, non eſt indicatiui, ſed imperatiui modi; neque enim Chriſtus hic laudat Iudæos, vt ſedulos ſacri codicis lectores, ſed eos reprehendit, quod ſcripturas non eo, quo debebant modo, legerint, adeoque hortatur, vt maiorem diligentiam adhibeant. β) Verbum δοκεῖτε, *exiſtimatis,* non notat opinionem incertam fluctuantis animi, ſed certum & bene fundatum dogma, certa fide credendum. γ) Habemus vitam æternam in ſacra ſcriptura tanquam reuelatione & teſtimonio, quia de vita æterna, eiusque cauſſis & conſequendi modo teſtatur, nosque erudit. Quare hic emergit ſenſus: Rimamini ſolertius, quam adhuc feciſtis, aurifodinam S. ſcripturarum; quia certa fide creditis, quod in illis habeatis auro potiorem doctrinam de vita æterna, eiusque obtinendæ cauſſis & mediis. Atqui illæ teſtantur de me, vt cauſſa ſalutis meritoria. Quare debebatis ad me venire, vt per me vitam æternam conſequamini. At cum recuſetis, quæ veſtra eſt cæcitas, ad me venire; id luculentiſſimo indicio eſt, vos non ea, qua debebatis, induſtria ſcripturas legiſſe.

*Quid liber Iehouæ.*

III. *A mandato ſpeciali,* quo imperatum eſt regibus V. T. ſcripturam legere, Deut. XVII, 18. 19. Reges autem ex *pontificiorum* mente laicis accenſentur.

IV. *A diuina commendatione. Commendantur generatim* omnes Lectores S. ſcripturæ, Pſ. I, 2. Apoc. I, 3. *Speciatim laudatur Timotheus,* quod ab infantia ad notitiam ſacrarum litterarum adſpirauerit, 2 Tim. III, 15. *Berrhoënſes,* Iudæi, εὐγενέστεροι, generoſiores Iudæis Theſſalonicenſibus: qui *acceperunt verbum cum omni promtitudine, quotidie ſcrutantes ſcripturas, num ſe haberent hæc ita,* quæ Paullus docuerat. Act. XVII, 11.

V. *A fine & effectu S. ſcripturæ,* qui eſt informatio ad ſalutem, 2 Tim. III, 16. Ergo omnis ad ſalutem informandus eam ſedulo legat, deuoteque meditetur.

*Antitheſis* eſt *pontificiorum,* qui pleroſque laicos a lectione ſacrarum litterarum arcent, pauciſſimis lectione earum permiſſa; qui ſequentibus innituntur argumentis. I. Quæcunque lectio eſt periculoſa & incommoda, illa eſt prohibenda. (*)

At-

(*) Notatione dignum eſt hoc in primis: quod hæc oppoſitio, ſi quid valeret illa, plus profecto efficeret, quam ipſi volunt aduerſarii. Hæc nimirum eſt omnium validiſſima refutatio, ſi cui opponenti eamdem nos argumentationem opponere poſſimus, vt conſequutionis infirmitatem fate-

Digitized by Google

Atqui lectio bibliorum, quæ fit a laicis &c. Ergo.

Minor probatur, quia laico legenti biblia pericula fidei & morum imminent. Ex lectione bibliorum tam vber hæreſium ſeges pullulauit: iuxta atque lapſus & vitia, in bibliis commemorata, laicos facile ad imitationem prouocant. Nam ſi laicus in ſcriptura legit de inceſtu Thamaris, 2 Sam. XIII, 14. de vxore fornicaria ducta a propheta Hoſea, c. I, 2. de Iſraëlitis per furtum bona Ægyptiorum auferentibus, Exod. XII, 36. & eiusmodi plura in ſcripturis contenta; in eam prolabitur opinionem, & ſibi licere ſimilia patrare facinora. Reſp. (1) Minor adeo falſa eſt, vt inuerti queat: nempe ex omiſſione attentæ lectionis & deuotæ meditationis S. ſcripturæ hæreſes & vitia naſcuntur. Eximie inquit CHRYSOSTOMVS in *præfat. ad roman. Infinita mala germinarunt ab ignorantia ſcripturarum*: *hinc magna hæreſium peſtis exorta eſt; hinc vita negligenter acta.* (2) Quæcunque lectio *per ſe eſt periculoſa & incommoda*, illa eſt prohibenda. At lectio librorum *per ſe eſt ſalutaris; per accidens & vitio legentium eſt incommoda*, dum illi ſcriptura non recte vtuntur, ſed turpiter abutuntur; neque enim occaſio errandi legentibus ſcripturam præbetur, ſed ab ipſis ſumitur; ſcandalum non datur, ſed accipitur. Si lectoribus ſcripturæ ſcandalum daretur, non recte feciſſet Deus, quod talia ſcribi iuſſiſſet, adeoque per ſe foret auctor mali; quod dictu blaſphemum eſt. (3) Legentes biblia attendant ſcopum Spiritus ſancti, nimirum quod vitia in ſcripturis recenſeantur *ad cautionem, euitationem, vitæque emendationem, non ad imitationem.* Raro quippe atrocia commemorantur in iisdem ſcelera, quin inſecuta ſupplicia delinquentibus diuinitus irrogata ſubiungantur. Quam ob rem lectores bibliorum non apprehendant *factum Thamaris, vt legitimum;* quippe a Deo eſt improbatum: neque *factum Hoſeæ vt malum*, cum illud fuerit bonum; ſiquidem non fornicatus eſt propheta ipſe, ſed ex voluntate *Iehouæ* ſcortatricem duxit vxorem, ad adumbrandam ſcortationem populi ſpiritualem; neque *factum Iſraëlitarum, vt furtum*; cum tulerint ſecum mercedem debitam, a Deo, ſupremo omnium bonorum domino, pro tot laboribus in Ægypto exantlatis Iſraëlitarum genti iuſte adiudicatam.

II. Quæcunque lectio laicis nullum parit fructum, iisdem eſt prohibenda.

Atqui lectio blibliorum &c. Ergo. Minor probatur; quia S. ſcriptura eſt intellectu difficilis; hinc cum a laicis non intelligatur, ſine fructu ab illis legitur.

Reſp. (1) ad *maiorem.* Quæcunque lectio omnibus legentibus eſt infructuoſa, illa ipſis eſt prohibenda. At lectio ſacrarum litterarum adeo non expers eſt frugis omnibus laicis, vt *ſapientes reddat ſimplices.* Pſ. XIX, 8. Quemadmodum igitur ſparſio ſeminis in agrum non prohibenda eſt: tametſi ſemen ſparſum in agrum petroſum, & ſpinis obſitum, nullum ferat fructum: ita lectio S. ſcripturæ nemini eſt interdicenda; vtut mens occæcata, obſti-



fateri ipſe tandem coactus ſit, &, quod nobis reſpondeat, id idem ſibi habeat reſponſum. Nihil nobis mali vnquam metuendum erit a Laicis, in ſcriptura legenda adſiduis, quin idem illud periculum, & multo quidem magis, timendum eſſet ab hominibus, qui ex ſacro ſunt ordine. Periculum eſt, inquis, ne peruerſe interpretentur diuinas literas, eisque ad propugnationem pro ſuis erroribus male vtantur. Cogita, quæſo, hæretici plerique omnes, atque adeo eorum principes, qui vocantur hæreſiarchæ, qui & quales fuerint? Non laici certe, ſed *Clerici*, nec infimi cenſus, immo vero Epiſcopi, nec pauci inter ſummos Pontifices. At, σκάνδαλον forſitan ingens capient ex quorumdam dictorum lectione? Salua res eſt. Si pio animo acceſſerint, nihil eos vſquam offendet. Sin aliter; laſciuia ac proteruitas multorum, qui ſacro ordini ſunt maculæ ac dedecori, ſane non minor eſt, quam aliorum hominum, quacunque demum ſint conditione. Putasne igitur, ipſos etiam *Clericos* a lectione ſacrarum litterarum arcendos eſſe, ac prohibendos?

Digitized by Google

nata & præconceptis opinionibus prauis imbuta, e lectione ſacri codicis nullum capiat fructum. Quin prædicatio etiam verbi diuini, eiusque auſcultatio haud paucis auditoribus parum frugifera eſt. Ergone & illa prohibenda eſt? (2) ad *minorem*. S. ſcriptura in tradendis articulis fidei, morumque præceptis non obſcura, ſed *lux eſt illuminans oculos*. Pſ. XIX, 9.

III. Laicorum eſt, *legem ex ore ſacerdotis requirere*. Mal. II, 7. Ergo eorundem non eſt, legem diuinam manibus terere. Reſp. *Legem diuinam legere, & ex ore ſacerdotis requirere, non ſunt oppoſita, ſed ſubordinata & compoſſibilia*. Promtius interim, lætius & excitatius deſcendimus in aſſenſum eorum, quæ nos ipſi legimus.

IV. Iudicium de rebus fidei, verbo Dei ſcripto reuelatis, pertinet ad clericos. Laici obſeruent tritum illud: ne ſutor vltra crepidam. Reſp. Diſt. inter iudicium προφητικὸν, *ſiue exegeticum*, quod competit publicis ſacrarum litterarum interpretibus; & δοκιμαστικὸν, *ſiue diſcretiuum*, quo omnia probantur & bonum tenetur. Hoc ſuo modo competit laicis; horum eſt probare ſpiritus, num ex Deo ſint, 1 Ioh. IV, 1. cauere ſibi a pſeudoprophetis, Matth. VII, 15. omnia probare, & bonum tenere. 1 Theſſ. V, 21. Quare ipſis opus eſt iudicio diſcretiuo.

V. Quicunque ſunt canes & porci, illis ſanctum Dei verbum non eſt communicandum. Matth. VII, 6. Atqui laici &c. Ergo. Reſp. Per canes & porcos non intelliguntur omnes laici; ſed empectæ, epicuræi, blaſphemi, præfracte impii, qui in cœna carnalium voluptatum, more porcorum, volutantur; & ad inſtar canum omnem pudorem exuerunt. His ſacramenta non ſunt offerenda, quamdiu beſtiæ, canes & porci manent. Dantur contra laici dociles, peccata ſua lugentes & deteſtantes, gratiam Dei & iuſtitiam Chriſti anhelantes: his fluenta ſacrarum litterarum patent.

VI. Laicis ſufficit catecheſis: ſufficiunt imagines, quæ ſunt laicorum biblia. Reſp. Laicorum catecheſis e ſacris litteris concinnata eſt, quam vbi didicerint, legendis bibliis *creſcant in cognitione Ieſu Chriſti*, 2 Petr. III, 18. Id propter operam nauent, vt *verbum Chriſti in ipſis habitet opulenter*. Col. III, 16, Imagines cum non ſint tolerandæ in templis, niſi fundamentum habeant in ſcripturis, has non excludunt, ſed laicos ad lectionem ſacri codicis permouent.

VII. Inuenias haud paucos laicos, quibus nec legere, nec intelligere S. ſcripturam datum eſt, quales ſunt infantes & cœci. Non igitur omnibus hominibus permiſſum eſt ſacrum perlegere codicem. Reſp. *Finis, cui deſtinata eſt ſcriptura S. eſt omnis homo pleno rationis vſu pollens & verbi diuini in litteras redacti capax*. Cum infantes ad plenum rationis vſum nondum pertigerunt, gratia Dei fœderati perfruuntur, & progreſſu temporis præceptis catecheticis imbuuntur: Cæci, quo minus legere poſſunt, hoc diligentius & crebrius verbum diuinum auſcultent.

Quæſt. XXIII. *Quis eſt finis, cuius gratia ſcriptura ſacra inſpirante Deo eſt adornata?*

*S. Scripturæ finis cuius.*

Finis, cuius gratia verbum Dei in litteras eſt relatum, obſeruandus eſt tum reſpectu Dei, tum reſpectu *hominum*. Reſpectu Dei finis ſacræ ſcripturæ eſt ſalutifera agnitio & veneratio maieſtatis diuinæ (a). Finis *vltimus* reſpectu *hominum* eſt vita æterna. Finis *intermedius generalis* eſt vera in Chriſtum fides (b), quam comitatur ſanctimonia vitæ (c). Finis *intermedius ſpecialis* ſcripturæ, reſpectu miniſtrorum eccleſiæ, eſt informatio didaſcalica, elenchtica, epanorthotica, pædeutica, & paracletica (d).

Prob. a.

Digitized by Google

Prob. a. Sine prælucente ſacræ ſcripturæ face non pro eo, ac ſalutis noſtræ intereſt, Deum cognoſcimus. Solem abſque lumine ſolis oculus hominis haud intuetur: nec Deum abſque lumine verbi diuini mens humana ſalutariter agnoſcit. Innuit hoc ipſum rex prophetarum, Pſ. CXIX, 18. *Reuela oculos meos; vt videam mirabilia e lege tua:* quaſi dicturus; Detrahe, obſecro, Deus miſericordiſſime, connatum mentis meæ oculis velamen ignorantiæ, vt relucentem in ſpeculo verbi tui ſapientiam tuam admirandam, bonitatem inexhauſtam, amorem ardentiſſimum, veritatem conſtantiſſimam, potentiam immenſam, opera ſtupenda, myſteria tua tremenda ſalutari cum effectu cognoſcam, maximi æſtimem, plenoque ore collaudem.

Prob. b. *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quod Ieſus ſit Chriſtus filius Dei; & vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius,* Io. XX, 31. Quibus aureis verbis theologus Ioannes mentibus noſtris ſubiicit conſiderandum finem ſcripturarum *intermedium,* qui eſt *fides in Chriſtum;* & *vltimum,* qui eſt *vita æterna:* proinde aſſerit, omnia hæc, quæ Chriſtus docuit & fecit, eum in finem eſſe ſcripta, vt homines viatores, peccatis corupti, per fidem in Chriſtum, hauſtam ex ſcripturis, reconcilientur cum Deo, & *vitam æternam* conſequantur.

Prob. c. Fidem in Chriſtum indiuulſo nexu ſequitur ſanctimonia vitæ, qua Spiritus S. peccatorem, cum Deo reconciliatum, exornat, mediante S. ſcriptura. Docet hoc Saluator Io. XVII, 17. *Sanctifica illos in veritate tua: verbum tuum veritas eſt.* Verbum veritatis, per Spiritum S. impreſſum ac inſitum cordi peccatoris, eundem ſanctificat, a dominio maculiſque peccati liberat, & imaginem Dei in ipſo inſtaurat. Quare *ſanctitas vitæ eſt finis S. ſcripturæ concomitans fidem in Chriſtum.*

Prob. d. Fines S. ſcripturæ ſpeciatim conſiderati in ordine ad miniſterium eccleſiæ recenſentur, 2 Tim. III, 16. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, etiam vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam, quæ (ſit) in iuſtitia, vt integer ſit homo Dei, ad omne bonum opus probe inſtructus.* Miniſtri eccleſiæ per ſcripturam S. redduntur apti & idonei ad docendam veritatem, ad redarguendam falſitatem, ad corrigendum mores diſtortos, ad dirigendum mores honeſtos, vt qui bene viuere cœpere, tramitem vitæ iuſtæ atque piæ ſtrenue decurrant. Quæ eo ſpectant, vt doctor eccleſiæ, qui nomine Dei populo præeſt, ſacris litteris perfecte inſtruatur ad omnia opera miniſterii ſacri rite peragenda.

Obſ. Quamuis gentium apoſtolus l. c. nullam iniecerit mentionem informationis paracleticæ, cuius cauſſa ſcriptura conſignata dicitur, Rom. XV, 3. παράκλησις tamen quodammodo ſub διδασκαλίᾳ ſiue doctrina comprehendi poteſt (*); quatenus S. ſcriptura docet, crucem chriſtianorum tum originem ducere a Deo propitio, tum ad finem optimum ab eodem dirigi.

Quæſt.

(*) Quadam etiam ratione ad παιδείαν, atque etiam ad ἐπανόρθωσιν, referenda eſt. Conſolatio enim nihil eſt aliud, quam cohortatio ad eam virtutem, quæ vulgo dicitur patientia, & eſt conſtantia fiduciæ in Deo poſitæ, animique fortitudo, in perferendis calamitatibus rebuſque aduerſis. In cohortatione ſemper ineſt reprehenſio vitii, huic virtuti contrarii. Omnis autem virtus & hortatio haud dubie ad παιδείαν pertinet, ſicut omne vitium eiuſque reprehenſio genere ἐπανορθωτικῷ continetur. Quod deinde ad argumenta ac fundamenta conſolationis attinet, ea vniuerſa depromenda ſunt ex doctrina ſalutari, ſiue εὐαγγελίᾳ, ſtricte ſic appellato. Atqui εὐαγγέλιον, omneſque huius doctrinæ partes, ad διδασκαλίαν ſpectare, neminem præterit. Illuſtrationi ſufficiet hoc exemplum παρακλήσεως, vnum inſtar omnium, Matth IX, 2. Θάρσει τέκνον, en! conſolatio ipſa, quæ eſt adhortatio quædam, ſiue παιδεία. Porro: ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, en! conſolationis argumentum ac firmamentum, quo illa nititur, pars præcipua doctrinæ ſalutaris, adeoque διδασκαλία.

Digitized by Google

Quæſt. XXIV. *Quæ ſunt affectiones ſiue proprietates S. ſcripturæ?*

*Affectiones S. ſcript.* Affectiones S. ſcripturæ potiores ſunt: I. Eius auctoritas, II. Perſpicuitas, III. Perfectio ſiue ſufficientia, IV. Efficacia.

Quæſt. XXV. *Quæ eſt auctoritas S. ſcripturæ?*

*Auctoritas S. ſcript.* Auctoritas S. ſcripturæ eſt eminens illius dignitas, a Deo auctore veraciſſimo & omnipotente ipſi communicata, luculenter cognita tantique æſtimata ab hominibus, vt horum intellectum ad aſſenſum, voluntatem ad obſequium permoveat, verum a falſo, bonum a malo diſcernat, & exortas fidei controuerſias diiudicet.

Obſ. I. Auctoritas in genere eſt dignitas auctoris, rem aliquam recte & ſine defectu perficientis, ab aliis cognita, & pro eo, ac decet, æſtimata. *Duo igitur requiruntur ad auctoritatem* (1) *perfectio auctoris,* (2) *aliorum cognitio & æſtimatio.* Neque enim dignitas auctoris vocatur *auctoritas*, niſi aliis ad decentem æſtimationem innoteſcat. v. gr. Rex incognitus eminet regia maieſtate, ſed ſtipatus ſatellitio, & coram ſibi ſubiectis cum ſceptro & corona apparens, pollet auctoritate.

Obſ. II. Quæ *auctoritas competit auctori ex ſe, primo & originaliter: illa ſcripto ab auctore edito conuenit dependenter, participatiue & per communicationem.* Hinc quo perfectior, veracior & potentior auctor ab aliis habetur, eo inſignior eſt auctoritas ſcripti ab eo adornati.

Obſ. III. Auctoritas Dei, per ſcripturam ad fidem & obſequium nos permouentis, atque obligantis, conſiſtit tum in *veracitate* eius, qua ob *infinitam ſapientiam & bonitatem* nec fallere, nec falli vult, aut poteſt; tum in *ſummo iure dominandique poteſtate*, qua hominibus normam credendi & agendi præſcribit. Quare cum eadem auctoritate, qua Deus refulget *independenter & originaliter, S. ſcriptura reſplendeſcat dependenter & participatiue*, ex facili intelligitur, quod *auctoritas S. ſcripturæ fundetur* (1) in *veritate eius infallibili*, qua intellectum hominis mouet ad aſſenſum dictis biblicis præbendum; quam Græci vocant *ἀξιοπιστίαν*; (2) in *poteſtate obligandi* voluntates hominum ad obſequium, mandatis in ſacro codice contentis præſtandum, cui reſpondet vox græca ἐξουσία ſiue poteſtas imperandi. Generatim autem auctoritas ſcripturæ tam ad aſſenſum mouens, quam ad obſequium obligans, græce αὐθεντία dicitur: prout apud ICtos authentica inſtrumenta & ſcripta dicuntur, quæ certam & iuſtam habent auctoritatem, vt ad aſſenſum, vel etiam ad obſequium obligare poſſint.

Obſ. IV. *Cognitio & æſtimatio hominum*, qua authentia ſcripturæ vere agnoſcitur & decenter æſtimatur, non eſt *pars conſtitutiua auctoritatis* ſacræ ſcripturæ, neque eius *fundamentum*; ſed tantum *conditio neceſſaria* ex parte hominum, quorum animi per dignitatem ſcripturæ, cognitam & æſtimatam, ad fidem & obſequium mouendi ſunt. Patet ergo, quod *auctoritas ſcripturæ* non ſit *proprietas eius abſoluta*, ſed *reſpectiua*, ad homines, eandem agnoſcentes & magni æſtimantes, relata. Dignitas ſcripturæ, abſolute conſiderata, vocatur eius *maieſtas*, ſed relatiue ſpectata, quatenus ab omnibus hominibus agnoſcitur, &, prout par eſt, æſtimatur, appellatur eius *auctoritas*.

Quæſt. XXVI. *Quotuplex eſt auctoritas ſacræ ſcripturæ?*

*Diuiſio auctoritatis S. S.* Auctoritas ſacræ ſcripturæ, quoad rem, vna eſt (a): ſecundum noſtrum concipiendi modum, diſtinguitur in *cauſſatiuam fidei* & *canonicam*. *Illa* eſt, qua ſcriptura aſſenſum credendorum in intellectu hominis generat & confirmat: *hæc* eſt

Digitized by Google

eſt, qua tum ſcriptura authentica ab aliis ſcripturis, & verſionibus, tum verum a falſo dignoſcitur (b).

Prob. a. Vna eſt auctoritas ſcripturæ, ratione originis & formæ internæ; ab vno quippe Deo veraciſſimo per immediatam Spiritus S. inſpirationem profecta, dignitatem & vim accepit pariter eliciendi fidem, ac diſcernendi verum a falſo.

Prob. b. Conſideratur ſacra ſcriptura partim vt *principium cognoſcendi, & obiectum formale ſidei ac theologiæ reuelatæ, partim* vt *norma diſcernendi ſcripta*, *quæ verba rerumque conceptus* θεόπνευςα, a ſcriptis aliis, atque dignoſcendi verum a falſo. Priori modo adhibetur in quacunque lingua ad fidem in intellectu hominis infidelis generandam, & in animo hominis fidelis confirmandam; quo reſpectu vocatur *cauſſatiua*, aut *motiua fidei*: poſteriori modo adhibetur tantum in textu primigenio ad dignoſcendum a ſcriptura θεοπνεύςῳ verſiones hebræi & græci fontium, libros ſymbolicos, ſcriptaque omnia, quæ de rebus fidei ac morum agunt. Confer. D. MVSAEVS in *introduct. in theol. p. 295.*

Quæſt. XXVII. *Vnde ſacra ſcriptura ſuam habet auctoritatem?*

S. ſcriptura ſuam auctoritatem debet auctori Deo (a). Cognoſcitur & æqua animorum penſitatione æſtimatur ab hominibus, ſequentia duo principia certiſſima probe conſiderantibus, quorum prius eſt: Quæcunque ſcriptura, inſpirante Deo, conſignata eſt, illa certo & infallibiliter vera eſt (b): poſterius eſt: Scriptura ſacra, Deo inſpirante, conſignata eſt (c). *Origo auctoritatis S. S.*

Prob. a. Sicut vniuſcuiuſque ſcripti auctoritas pendet a perfectione, veracitate & poteſtate auctoris, quo litteras exarante, aut dictante concinnatum eſt: ita ſacra ſcriptura ſuam auctoritatem, tam cauſſatiuam fidei, quam canonicam, nacta eſt a ſolo Deo, auctore ſuo ſapientiſſimo, optimo, veraciſſimo & potentiſſimo.

Prob. b. Principium hoc: *Quæcunque, ſcriptura inſpirante Deo, conſignata eſt, illa certo & infallibiliter vera eſt*, euidens eſt, omnique ſano intellectui peruium & ex ipſis terminis apprehenſis notum. Vt enim a ſole nullæ tenebræ, ita a Deo, veritate prima, nulla mendacia proficiſcuntur: ſed quidquid Deus, fallere & falli neſcius dicit, reuelat, ſuisque amanuenſibus quaſi in calamum dictat: id abſolute verum eſt, cui ſubeſſe falſum ſimpliciter repugnat.

Prob. c. Hoc principium: *Sacra ſcriptura tam veteris, quam noui teſtamenti, Deo inſpirante, conſignata eſt*, veris chriſtianis eſt principium primum, αὐτόπιςον, per ſe fide dignum, liquidiſſimum, firmiſſimum, ἀναπόδεικτον, demonſtrationis a priori haud indigens, cui fide immota adhæreſcunt: at reiicitur illud ab atheis & epicuræis, vocatur in dubium a chriſtianis tentatis, fide humana recipitur ab hypocritis & chriſtianis incipientibus, qui e caſtris gentilium tranſeunt in caſtra chriſtianorum. Quare theologum decet & oportet principium illud haud inualidis a poſteriori conſolidare argumentis, vt athei confundantur, chriſtianis tentatis ſcrupuli de auctoritate ſcripturæ, a diabolo propriaque carne iniecti, euellantur, hypocritæ & incipientes chriſtiani ita conuincantur, vt illud firmiter ſuſcipiant. Fatemur interim, quædam argumenta, originem diuinam ſcripturarum probantia, tantum gignere fidem humanam, vt gentiles conuertendi quadantenus præparentur; quædam argumenta parere fidem diuinam. Exinde fit, vt argumenta hæc probantia diuidantur in *topica*, & *apodictica*. *Topica* ſunt inducentia, mouentia, ſuadentia, quorum effectus eſt opinio, quæ probabilis & cum formidine oppoſiti coniuncta eſt: *apodictica* ſunt cogentia, ſtringentia, & permouentia, quorum effectus eſt ſcientia, quæ certa & formidinis oppoſiti expers eſt.



Digitized by Google

Quæſt. XXVIII. *Quibus argumentis diuina ſacrarum litterarum origo probatur?*

*Argumenta originis diuinæ S. S.*

Argumenta, quibus diuinitas ſacræ ſcripturæ probatur, naſcuntur ex κϱιτηϱίοις ſiue luculentis indiciis diuinæ originis, qua ſacræ litteræ eminent: quæ κϱιτήϱια communiter diſtinguuntur in *externa*, & *interna*. *Illa* extra ſcripturam aliunde aſſumuntur: *hæc* ex intrinſeca ſcripturæ ſacræ natura, eiusque proprietatibus petuntur.

Quæſt. XXIX. *Quibus κϱιτηϱίοις externis diuina ſcripturarum origo notificatur?*

*Externa.*

Κϱιτήϱια externa, ſacrarum litterarum immediatam a Deo dependentiam notificantia, ſunt (a) ſcripturæ antiquitas; (b) Amanuenſium ſacrorum ſingulare lumen, notitiæ veritatisque ſtudium; (c) Miraculorum, quibus doctrina cœleſtis ſcripturarum firmatur, claritas; (d) Eccleſiæ, per vniuerſum terrarum orbem diffuſæ, conſentiens teſtimonium de diuinitate ſacræ ſcripturæ; (e) Martyrum conſtantia; (f) Teſtimonia reliquorum populorum perhibita doctrinæ in ſacro codice contentæ; (g) Doctrinæ chriſtianæ felix & ſubita per totum terrarum orbem propagatio, eiusque admiranda inter tot perſecutiones conſeruatio; (h) Inflictæ contemtoribus & perſecutoribus verbi diuini pœnæ grauiſſimæ.

Prob. a. S. ſcripturæ diuinam originem arguit (1) *Antiquitas doctrinæ;* eo quod ſacræ litteræ originem huius vniuerſi, initia temporum, eorumque continuatam ſeriem, primordia eccleſiæ, politiæ, œconomiæ, prima rudimenta artium, peccati incunabula, proteuangelium, legis ſcriptæ a Deo factum exordium, accurate exponunt. (2) *Antiquitas cauſſæ miniſterialis.* Moſes enim, antiquiſſimus ſcriptor, omnes gentilium hiſtoricos, philoſophos, oratores & poëtas anteuertit. Priusquam vllus inclareſceret liber, exſiſtit ſapientiæ oceanus, pentateuchus. (3) *Antiquitas formæ externæ;* concepta quippe eſt ſcriptura veteris teſtamenti lingua hebræa; quæ vt ſimpliciſſima, ita prima eſt. At quo quid antiquius, eo verius, præſtabilius & diuinius eſt. Argumentamur: *Quæ ſcriptura antiquiſſima eſt, illa eſt veriſſima atque diuiniſſima.* Atqui ſcriptura S. eſt antiquiſſima. Ergo ſcriptura S. eſt veriſſima atque diuiniſſima.

Prob. b. Duo ſunt, quæ amanuenſes ſacros ἀξιοπίϛȣς reddunt, eorumque ſcripta, vt diuina, commendant 1) *Scientia rerum tradendarum eximia.* 2) *Amor veritatis ſine affectuum partiumque ſtudio ſincerus. Incomparabilis eorum ſcientia* partim ex eo effulgeſcit, quod myſteria fidei, captum rationis ſibi relictæ excedentia, viua voce & ſcriptis docuerunt; quæ ipſis non, niſi ex inſpiratione diuina, innoteſcere potuerunt; partim quod dogmata e lumine naturæ cognoſcibilia plenius certiusque, quam philoſophi ex rationis principiis propoſuerunt; cum tamen ante extraordinariam illuminationem plerique eorum fuerint diſciplinarum rudes. *Amorem veritatis* aperte teſtati ſunt; quoniam prædicarunt & ſcripſerunt verbum diuinum, affectibus exorbitantibus vacui. Neque enim præſentiſſimis periculis ſunt exanimati, neque cupiditate lucri inflammati, neque vmbram vanæ gloriæ ſectati, neque auram popularem aucupati, neque vlli mortalium aſſentati. Sua ſuorumque vitia non texerunt ſilentio aut palliarunt, vt ſolent ſcriptores gentiles, ſed ingenue faſſi ſunt. Sic Moſes neque ſuam ad aquas contradictionis diffidentiam, neque impium ſororis murmur, neque horribilem fratris Aaronis idolomaniam ſuppreſſit. Ionas ſuam inobedientiam, iniquum deſiderium exitii Niniuitarum, quantumuis reſipiſcentium, immoderatam impatientiam non diſſimulauit. Rex Dauid autem ſua crimina adeo propalauit, vt ea aliis etiam cantanda dederit, quæ haud obſcura

Digitized by Google

obſcura ſunt animi ſine fuco candidi indicia. Argumentamur: *Quæcunque ſcriptura adornata eſt a viris diuinitus illuminatis & integerrimis, illa diuinæ eſt originis.* Atqui ſcriptura S. &c. Ergo.

Prob. c. *Miracula ſunt effectus infinitæ potentiæ diuinæ, rari & inſoliti, ſupra ordinem totius naturæ creatæ producti. Facit ea Deus ſolus.* Pſ. LXXI, 18. CXXXVI, 4. Quæ miracula rerum ſator & arbiter legatorum ſuorum miſſioni & doctrinæ confirmandæ deſtinavit. Quam ob rem Deus Moſen, extra ordinem cum ad populum Iſraëliticum, tum ad Pharaonem, Ægyptiorum regem, mittendum, miraculis prius inſtruebat, quibus diuinam ſuam miſſionem probaret, verbisque ſuis Dei nomine faciendis fidem ſibi, conciliaret, quam eundem mitteret. Exod. IV, 3. c. VII, 9. Chriſtus ipſe quæſitus a diſcipulis Ioannis, an verus patribus promiſſus, multisque ſuſpiriis expetitus Meſſias eſſet, prouocauit ad miracula a ſe edita. Matth. XI, 5. Apoſtoli exeuntes prædicarunt vbique, domino cooperante & verbum confirmante per ſubſequentia ſigna. Marc. XVI, 20.

Dicis: Etiam pſeudoprophetæ dicuntur facere ſigna & prodigia. Deut. XIII, 4. Magi Ægyptiaci Moſen in edendis ſignis & portentis æmulati ſunt, Exod. VII, 11. Reſp. Diſt. inter *mirabilia, & vera miracula.* Fecerunt pſeudoprophetæ אֹתוֹת, ſigna, & מוֹפְתִים, prodigia, ſiue portenta, quæ admirationem quandam imperitis hominibus pepererunt, ſed non fecerunt נִפְלָאוֹת miracula, proprie & ſtricte ſic dicta. Quamuis enim omnia miracula ſint ſigna & prodigia, non tamen omnia ſigna & prodigia ſunt vera miracula. Conueniunt hoc ipſo, quod ſint effectus rari & inſoliti; differunt, quod miracula ſtricte dicta ſint effectus infinitæ potentiæ diuinæ rari & inſoliti, ſupra ordinem totius naturæ creatæ producti; at *ſigna & prodigia facta a pſeudoprophetis,* vel *ſunt præſtigiæ & deluſiones diabolicæ,* vel *reales quidem effectus, ſed ope diaboli per cauſſas naturales, modo in natura inuſitato diſpoſitas, celerrimeque agitatas.* Magi æmulati ſunt Moſen thaumaturgum, ſed ſucceſſu infelici; coacti enim tandem ſunt fateri, miracula Moſis patrari *digito Dei* i. e. *virtute diuina,* Exod. VIII, 18. 19. Quare argumentamur: *Cuiusque ſcripturæ doctrina miraculis digito Dei patratis confirmata eſt, illa non nudos homines,* ſed *ipſum Deum habet auctorem.* Atqui S. ſcripturæ doctrina &c. Ergo.

Prob. d. *Eccleſia Iſraëlitica veteris,* pariter atque *chriſtiana noui teſtamenti;* tam *coæua* prophetis atque apoſtolis, quæ hos ſanctos Dei homines vidit, & αὐτόγραφα eorum crebro oculis vſurpauit, quam *ſuccedanea,* per totum terrarum orbem longe lateque diffuſa, complexa florem hominum doctrina excultiſſimorum, vitæque honeſtate ornatiſſimorum, miro conſenſu teſtatur, ſcripta prophetica & apoſtolica ipſum Deum habere auctorem optimum, maximum, ſapientiſſimum, veraciſſimum. Ecquis credat tot millia hominum latiſſime diſperſorum conſpiraſſe in vnum mendacium aut errorem, quo ſcriptum humanum habeatur diuinum? Qui tam ingenti teſtium nubi ſe opponeret, perinde abſurdus foret, ac qui omnium in vniuerſum ſcriptorum ac litterarum fidem in dubium vocaturus ambigeret, an vixerit Cicero aliquis, aut Ariſtoteles: an exſtet in mundo Roma, aut America. Proinde firmum manet hoc argumentum: *De cuius ſcripturæ origine diuina teſtatur innumerabilis copia hominum in gremio eccleſiæ catholicæ viuentium; illi ſcripturæ fides eſt habenda.* Atqui de origine diuina ſcripturæ ſacræ teſtatur &c. Ergo.

Prob. e. Immediatam ſacrarum litterarum dependentiam a Deo martyres non verbis tantum teſtati ſunt, ſed & teſtimonium ſuum fuſo ſanguine quaſi obſignarunt. Tam inuſitatum enim animi robur diuinitus ipſis fuit collatum, vt exquiſitiſſimos ſuſtinere cruciatus, mortemque acerbiſſimam alacri obire animo, quam vel latum vnguem a doctrina illa, quam S. ſcriptura tradit, recedere maluerint. Pro hac dolores immaniſſimos pertulerunt martyres

 piiſſimi

Digitized by Google

piiſſimi vtriusque ſexus, omnium ætatum, vbiuis locorum, quotiescunque permiſſu Dei perſecutionum procellæ in eccleſia Chriſti excitatæ ſunt. Non ſine ſtupore legimus apud NICEPHORVM *lib. VIII. hiſtor. c. VI.* quod exorta perſecutione ſub Diocletiano & Maximiano, tyrannis diriſſimis, Nicomediæ, inter vicies mille & plures omnium ſexuum, ætatum & ſtatuum chriſtianos, qui in templo ad celebrandum natalem domini conuenerant, ne vnus quidem inuentus ſit, qui mortem veritus ad præconis vocem, vt qui viuere vellet, e templo exiret, & in proxima ara Iouis thura adoleret, alioqui, niſi hoc feciſſet, vna cum domo ipſa conflagraturus, vitam ſuam morti prætulerit, & templo egreſſus ſit. Quin potius omnium vna vox fuit: *Omnes chriſtiani ſumus, vnum eumque ſolum Deum & regem credimus eſſe Chriſtum, & ipſi patrique eius & Spiritui ſancto ſacrificare, atque nos omnes vna offerre parati ſumus.* Id quod memorabili eſt exemplo, martyres, per Spiritum S. in cordibus ipſorum habitantem, de veritate doctrinæ ſacris litteris comprehenſæ fuiſſe maxime perſuaſos, & ad intrepidam eiusdem confeſſionem excitatos atque erectos. Vnde naſcitur argumentum: *Pro qua doctrina martyres religioſiſſimi omnis ſexus, omnis ætatis, vbiuis locorum coortis perſecutionibus, cruciatus acerbiſſimos, mortemque ignominioſiſſimam alacres & læte ſubiverunt,* illam *non verbis tantum,* ſed & *opere ipſo teſtati ſunt iidem, a Deo veritate primo eſſe profectam.* Atqui *pro doctrina in S. ſcriptura martyres religioſiſſimi* &c. Ergo (*).

Prob. f. *Populi alieni a ſacris chriſtianorum, eorumque hoſtes capitales, perquam honorificum ſacræ ſcripturæ teſtimonium perhibuerunt.* Nil dicam de *Iudæis,* quos Auguſtinus in Pſ. XL. noſtros appellat *capſarios,* qui nobis ſtudentibus codicem portant; cum hi τὴν θεοπνευςίαν veteris teſtamenti agnoſcant, & ex eodem conuinci poſſint, nouum inſtrumentum, ob vtriusque harmoniam, inſpirante Deo eſſe conſignatum. *Turcæ* multa e ſacris litteris excerpſerunt, & in alcoranum ſuum tranſtulerunt. *Gentiles monumenta virorum* θεοπνεύςων *partim commendarunt:* Vt *Longinus,* Porphyrii philoſophi præceptor, qui libro περὶ

(*) Multum quidem roboris in hac argumentatione ineſt: Sed duo ſunt probe obſeruanda. Primum in *hiſtoria* Martyrum res vere geſtæ adcurate diſcernendæ ſunt a fictis & commentitiis fabellis, quando quidem multi numerantur Martyres, qui ne homines quidem vnquam fuerunt. Dum vero cauendum nobis eſt, ne eorum numerum augeamus, non minus eſt prouidendum, ne eum minuamus, quem ad modum DODWELLVS errauit, in ſua de paucitate Martyrum commentatione. Deinde, quod ad *definitionem* attinet, exploranda eſt natura atque indoles eorum, qui ſuo merito Martyres prædicandi ſunt, quum multi fuerint ψευδομάρτυρες. Scilicet Martyr, vere ac proprie ita dictus, eſt homo integer vitæ ſcelerisque purus, qui *veritatem diuinitus patefactam,* quam ipſe *ſatis cognitam ac firmiſſima adſenſione* comprobavit, ita profitetur, vt *propter eam* omnes ipſe iniurias grauiſſimasque vexationes *forti & conſtante animo ſuſtineat.* Sunt igitur *quatuor* proprietates, quibus Martyr, ſuo nomine dignus, a quouis Pſeudomartyre diſtinguitur: 1) *Confeſſio veritatis,* & eius quidem, quæ ex *diuina revelatione* diſcenda eſt, Ioann. XV, 27. & XVI, 13. Qui in errore verſatur, eumque pertinaciſſimo ſtudio ad mortem vsque tueri audet, is nomine Μαρτύρος plane indignus eſt iudicandus, vt ſunt ψευδομάρτυρες permulti inter omnes gentes, ſuperſtitione obcæcatas. 2) *Sufficiens & certa* illius veritatis *cognitio,* vt interrogatus valeat cuique rationem reddere doctrinæ, quam conſtans ipſe profitetur, 1 Petr. III, 15. 3) Sincerum *propoſitum,* vt pro veritate omnes ipſe calamitates perferat; fieri enim poteſt, vt quis veritatem quidem profiteatur, at non *propter* veritatem, immo vero longe alia mente, non tam veritatis propagandæ ſtudio, quam ſuæ gloriæ aucupio, Phil. I, 12-15. 4) *Conſtantia, ac fortitudo animi,* quæ longisſimo ſane interuallo diſtat a *temeraria audacia.* In pericula, quæ, ſalua quidem veritate, euitari poterant, ſe ipſum præcipitare, temeritatis eſt; ea vero pericula, quæ non aliter, quam veritatis aut negatione, aut diſſimulatione, ſubterfugere queamus, ſubire ac ſuſtinere (ὑπομενεῖν), ea demum vera conſtantia eſt. Matth. X, 16. 17. coll. cum v. 32.

Digitized by Google

*περὶ ὕψους* Moſen cum Homero comparandum inquit: Moſes Iudæorum legislator fuit haud vulgaris; quandoquidem Numinis potentiam pro dignitate notam fecerit, declaraueritque ſtatim initio procemii legum ſuarum, ſcribens: *Dixit Deus: Fiat Lux! & facta eſt: Fiat terra! & facta eſt:* nec non *Amelius*, Platonicus philoſophus, qui euangelii Ioannæi exordium vt conſonum Platonis principiis recipit: *partim hiſtorias ſacras in ſcripta ſua tranſtulerunt.* Fuſe hæc proſequentem vide IO. ADAM. OSIANDR. *in theol. poſit. acroamat. p. 294.* & conf. GROTIVM *de verit. relig. chriſt. lib. IV.* Hinc nobis datur anſa argumentandi: *Quam ſcripturam capitales eccleſiæ chriſtianæ hoſtes tanti æſtimarunt, vt Iudæi ſcripta prophetarum, quibuscum monumenta apoſtolorum amiciſſime conſpirant, tanquam θεόπνευστα receperint, Turcæ ex iis multa ſublecta alcorano ſuo inſeruerint, gentiles eadem commendarint, & ex ipſis hiſtorias ſuas ſuppleuerint, illam ſcripturam diuinæ eſſe originis, vero conſentaneum eſt. Atqui ſcripturam ſacram capitales eccleſiæ hoſtes tanti æſtimarunt &c.* Ergo.

Prob. g. Doctrina chriſtiam, diuinitus communicata, ſua efficacia ritu fulminis multas hominum myriadas derepente in ſui aſſenſum pertraxit. Ad vnam concionem Petri converſæ ſunt ter mille animæ, Act. II, 42. ad alteram huius apoſtoli concionem credentium numerus ad quinquies mille excreuit, Act. IV, 4. Doctrina apoſtolica, limites terræ Palæſtinæ egreſſa, celeriter plurimas peruaſit regiones, vt S. Paullus teſtetur, ſuis eam temporibus *exiiſſe in omnem terram, & in fines orbis terrarum.* Rom. X, 18. Cui irrito conatu obluctati ſunt *Iudæi*, inueterato errore de regno Meſſiæ terreno occæcati: *pagani*, idolomania faſcinati: *tyranni*, ferrum, rotam, ignem minitati ſinceris verbi diuini propagatoribus, neque armis, neque fucata eloquentia, neque apparatu doctrinæ humanæ inſtructis. *Quam ſubitam doctrinæ apoſtolicæ propagationem ſecuta eſt illius inter immanes perſecutiones admiranda conſeruatio.* Conſpirarunt aduerſus euangelium Chriſti orbis & orcus, fremuerunt homines & dæmones; ſed nullo ſucceſſu. Sacra enim ſcriptura, inſtar palmæ, ſemper euaſit ſuperior, & perſtitit inexpugnabilis, vt dicere liceat: *Si ex hominibus eſſet conſilium hoc, aut opus, diſſolueretur: quia autem ex Deo eſt, diſſolui non poteſt.* Act. V, 38. Argumentamur: *Quæcunque doctrina, fulminis inſtar, derepente mentes humanas in ſui aſſenſum pertraxit, plurimas prouincias ſubito peruaſit, aduerſus machinas diaboli & mundi perſtitit inexpugnabilis; illa non ab hominibus inventa, ſed a Deo ipſo profecta eſt. Atqui, doctrina ſacris litteris comprehenſa &c.* Ergo.

Prob. h. Deus iuſtiſſimus verbi ſui vindex pœnas longe grauiſſimas bibliorum hoſtibus irrogauit. *Antiochus*, combuſtis plurimis ſacri codicis exemplaribus, 1 Maccab. I, 56. plaga inſanabili diuinitus percuſſus eſt. 2 Maccab. IX, 5. *Theopompus* orator, & *Theodectes* tragœdus, cum impuris manibus ſacra biblia contrectaſſent; ille quod quædam ad ludibrium excerpere voluerit, mente captus; hic vero quod ad drama adhibuiſſet, oculorum lumine orbatus eſt. IOSEPH. *libr. XII. antiqu. Iudaic.* *Herodes Aſcalonita*, hoſtis euangelii Chriſti truculentiſſimus, a vermibus eroſus eſt. IOSEPH. *libr. XV. antiqu. Iudaic. c. 16.* *Iulianus apoſtata*, oſor maximus ſacræ ſcripturæ, bello Perſico circumuentus & ſagitta vulneratus, cum erumpentem ſanguinem in aërem ſparſiſſet, addita impia voce: Viciſti Galilæe! impuram animam efflauit. THEODORET. *lib. III. c. 20.* Cum *Diocletianus*, & *Maximianus*, vi extortas a chriſtianis ſcripturas flammis addixiſſent, ignis ſubito extinctus eſt, & grando copioſa de cœlo decidit, vt omnia elementa pro ſacrorum librorum auctoritate conſpirare velut coniurata viderentur, V. BONFRERIVS *in præloqu. pentat. fol. 20.* Naſcitur ex his argumentum: *Cuius ſcripturæ contemtus immiſſis a Deo pœnis aſperrimis vindicatus eſt, illa non eſt inuentum humanum, ſed donum diuinum.* Atqui, ſcriptura ſacra &c. Ergo.

Obſ. Κριτήρια *externa* præmiſimus ideo, quod animi hominum infidelium conuertendorum iisdem præparantur ad ſcripturam ſacram, cum ſtudio & deſiderio diſcendi legendam atque me-



Digitized by Google

meditandam. Cum enim vniuerſa *gentilium*, *atheorum*, & *epicuræorum* gens non credat ſacram ſcripturam a Deo eſſe profectam, eam legere vix dignatur. Quare neceſſe eſt, vt primo omnium per adducta externa κϱιτήϱια, ſiue, vt alii vocant, *ſigna & motiua credibilitatis*, *infideles* moueantur, vt non improbabile eſſe cenſeant, ſacram ſcripturam a Deo ducere originem, atque adeo eam æſtimare, legere & meditari incipiant. Sic enim per κϱιτήϱια ſcripturæ diuinitus inſpiratæ *interna* ad fidem eidem adhibendam magis magisque permouebuntur, & per internum Spiritus ſancti teſtimonium immota πληϱοφοϱία ſiue aſſenſus fiducialis, quo ſcripturæ adhæreſcimus, accendetur, fouebitur, confirmabitur.

Quæſt. XXX. *Quænam ſunt κϱιτήϱια interna, e quibus diuina ſacrarum litterarum origo innoteſcit?*

*Interna.* Κϱιτήϱια ſiue indicia interna, e quibus ſacrarum litterarum θεοπνευςία pateſcit, ſunt (a) Dei de ſe ipſo in ſacro codice teſtantis maieſtas; (b) Stili biblici ſimplicitas & grauitas; (c) Myſteriorum diuinorum, quæ ſcriptura pandit, ſublimitas; (d) Omnium aſſertionum biblicarum veritas; (e) Præceptorum ſacris litteris comprehenſorum ſanctitas; (f) Sacræ ſcripturæ ad ſalutem ſufficientia.

Obſ. Κϱιτήϱια hæc *interna* in vnum faſciculum collecta, & coniunctim ſumta validius ſuppeditant argumentum (ſicut vis vnita ſemper fortior eſt), quam ſi ſumantur ſeorſim & ſigillatim: idcirco eadem poſtea in vnum conglobaturi ſumus ſyllogiſmum.

Prob. a. Amanuenſes ſacri grauiter aſſeuerant, ſe ipſius Dei verbum e dictamine illius proferre & eloqui. Id quod patet e formulis propheticis; *Sic dicit Dominus*, Eſ. I, 2. *Factum eſt verbum Iehouæ ad me*, Ier. II, 4. Quid? quod Deum ipſum loquentem introducunt haud raro, v. gr. Exod. XX, 1. 2. 3. *Deinde locutus eſt Deus omnia verba hæc dicendo: ego ſum Iehovah Deus tuus* &c. Cum igitur Deus in ſacris litteris de ſe ipſo teſtetur, teſtimonium illud divinum prono aſſenſu comprobandum eſt.

Dicis: In alcorano aliquoties Deus, & angelus Gabriel, introducuntur loquentes & teſtificantes ea, quæ traduntur in iſto libro, eſſe vera & diuina. Reſp. κϱιτήϱια interna coniunctim ſumta valide concludunt. (α) Coniunge maieſtatem Dei, de ſe ipſo in ſcriptura teſtantis, cum veritate omnium aſſertionum biblicarum, & firmum habebis τῆς θεοπνευςίας S. ſcripturæ argumentum. (β) *Quis non animaduertat in alcorano vngues diaboli, per mendacia & acinacem latrocinantem apparentes? Quis non ſpiritum vertiginis lymphaticum in paradoxis?* argute inquit DANNHAV. *in hodoſoph. phænom. I. p. 45.*

Prob. b. *Stilus biblicus maieſtate diuina dignus eſt, cum ſit ſimplex grauis. Simplex eſt*, quia non fuco eloquentiæ humanæ illitus, non verborum calamiſtris inuſtus ad captandum animos vulgi, ſed caſtus, virtutisque plenus eſt. Concinne inquit gentium apoſtolus: *Sermo meus & præconium meum non fuit in perſuaſoriis ſapientiæ humanæ verbis: ſed in demonſtratione ſpiritus & virtutis*, 1 Cor. II, 4. *Grauis eſt*, quia eodem a Spiritu S. credenda vel ſublimiſſima ſine demonſtratione proponuntur; agenda autem & omittenda ſummis & imis inſigni cum auctoritate præcipiuntur, & prohibentur. Sic Deus omni homini, cuiuscunque ſtatus aut ſexus ſit, fert leges: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Qui ſtilus ſimplex & grauis ſummo rerum arbitro perquam dignus eſt.

Obnititur nobis atheus quidam perfrictæ frontis, ex cuius mente ſtilus S. ſcripturæ ne bono quidem ſcriptore humano, nedum Deo ſapientiſſimo dignus ſit. Fucum nobis facere nititur, dum ſcribit 1) *Sacram ſcripturam eſſe confuſam & commixtam*, quod pateat inſpicienti prouerbia Salomonis, in quibus, dicit, non inſolens eſſe, in vno etiam capite omnis gene-

Digitized by Google

generis res ad inſtar farraginis commiſceri & confundi. Reſp. 1) Argumentatur atheus a particulari ad vniuerſale, adeoque perperam: Sine certa methodo commiſcentur variæ res in prouerbiis. Ergo tota S. ſcriptura eſt confuſa. 2) Liber ille Salomonis non occupatur in determinata aliqua materia explicanda, ſed continet omnis generis gnomas, breuesque ac rotundas de rebus variis ſententias, in quibus recenſendis certa methodus non requiritur.

2) Scribit, ſcripturam poſitam eſſe *ſine connexione*, v. gr. c. II. Habacuci, & quidem v. 1. non cohærere cum verſ. vltimo capitis I. Reſp. Rurſus argumentatur atheus a particulari, & præ ſtupore mentis non animaduertit connexionem c. I. & II. Habacuci. Nam in capite I. propheta vaticinatus erat de Chaldæorum tyrannide, qua ſæuituri eſſent in populum Iſraëliticum, Deumque precibus ardentiſſimis ſollicitauerat, vt hoſtem compeſceret, pœnasque auerteret a populo ſuo, aut certe mitigaret. Cap. II. indicat ſe exſpectare ad preces & querelas ſuas reſponſum diuinum: exſpectanti datur promiſſio de venturo Meſſia ad recreandum populum afflictum. Quæ luculenter cohærent, modo inſeratur cum SEBAST. SCHMIDIO v. 1. c. II. Habacuci particula (*veruntamen*).

3) Scribit, codicem ſacrum conſcriptum eſſe ſine *omni verborum colore*. Adducit cap. V. & VIII. Apocal. vbi ait, omnes verſus a particula *Et* incipere. Reſp. (1) Stilus *Spiritus S. non eſt verborum colore pictus*, qualis eſt rhetoris alicuius; ſed eſt *ſententiarum pondere grauis*, qualis eſt domini auctoritate eminentis. (2) Particula *Et* repetitur multoties in vulgata verſione latina, non in translatione latina SEBAST. SCHMIDII, quæ accuratior eſt. Græcum καὶ varias ſuſtinet ſignificationes.

4) Scribit bibliomaſtix, *ſententiarum ordinem in bibliis ſæpe inuerti*, v. gr. Luc. XX, 35. vbi vita æterna reſurrectioni mortuorum præponitur, quem tamen ordinem ipſi chriſtiani reiiciunt. Reſp. (1) Si de veritate reſurrectionis mortuorum & vitæ æternæ conſtet, parum refert, hac an illa præponatur; ſiquidem in populari loquendi vſu ad ordinem rerum præciſe non adſtringimur. (2) Loco citato rerum ordo non eſt inuerſus. Nam verba textus ſunt: *Qui vero digni habebuntur, vt ſeculum alterum conſequantur, & reſurrectionem ex mortuis.* Dignum haberi ſeculo altero latius patet, quam dignum haberi reſurrectione ex mortuis. Nam in numero eorum, qui habentur digni ſeculo altero, comprehenduntur etiam pii, quos extrema dies viuos deprehendet: qui vt non morientur, ita non reſurgent. *Sed ordine naturæ præcedunt generaliora, ſequuntur ſpecialiora.*

5) Scribit idem, nonnulla in S. ſcriptura *poſita eſſe ſine ſenſu*, v. gr. Eph. II, 1. *Atque vos, qui eratis mortui in lapſibus & peccatis:* item Io. VIII, 25. *principium, quia vobis dico:* Reſp. Eph. II, 1. verbum *ſuſcitauit* per ellipſin omiſſum eſt, quod ſi e verſu 20. capitis I. repetatur, ſenſus planus eſt: Atque vos etiam (ſuſcitauit) cum eſſetis mortui in lapſibus & peccatis, Io. VIII, 25. ſenſum commode expreſſiſſe videtur HVGO GROTIVS: primum hoc ſum, quod & dico vobis: hoc ipſum, quod me hoc ipſo tempore eſſe dixi, id eſt lux mundi. Nam v. 26. inquit Saluator: *Multa habeo de vobis loqui & iudicare:* perinde ac ſi dicat: De me hoc tantum dico, quod dixi: de vobis autem multa poſſem dicere ad vos notandos.

6) Scribit auctor, quædam in ſcripturis *dici ſine ratione*, vt Ex. XX, 18. vbi populus dicitur *vidiſſe ſonitum tubarum*, quem tamen audiuerunt, & Iob. XXII, 6. vbi Iobus dicitur *nudis exuiſſe veſtes:* Reſp. Verbum hebræum רָאָה non ſemper ad viſum refertur, ſed ſæpe in genere notat cognitionem ſenſualem, qua aliquid ſenſu percipitur. Obſeruauit c. l. BVXTORFF. *in lexico hebr. p. m. 785.* quod verbum רָאָה, vidit, ſit etiam *animi & aliorum ſenſuum*, atque ſignificet experiri, animaduertere, percipere, frui. Verba apud Iobum intelligenda ſunt

Digitized by Google

ſunt in ſenſu diuiſo: Tu illis, qui antea veſtibus erant induti & iam nudi incedunt, veſtimenta exuiſti.

Prob. c. Sacra ſcriptura paſſim locorum tradit dogmata, humanæ rationi, ſibi relictæ, imperuia & abſcondita, quæ myſteria vocantur. Qualia ſunt dogmata de trinitate perſonarum diuinarum in vna eſſentia diuina, de duabus naturis & vnitate perſonæ Chriſti, de redemtione generis humani per paſſionem & mortem Chriſti, de iuſtificatione peccatoris per fidem in Chriſtum, de reſurrectione mortuorum, de beatitudine ex parte animæ in viſione & fruitione Dei beatifica, ex parte corporis vero in illius clarificatione conſiſtente &c. Quæ omnia cum humanæ rationis captum ſublimitate ſua longiſſime excedant, non potuerunt ab hominibus excogitari, ſed ex ſupernaturali Dei reuelatione innotuerunt. Id quod aperte fatetur S. Paullus, quando 1 Cor. II, 7. ſqq. de myſteriis diuinis agens, inquit v. 10. *Nobis vero Deus reuelauit per Spiritum ſuum. Quæcunque ſcriptura autem continet ea ſublimia myſteria, quæ non niſi reuelante Deo hominibus innoteſcere, & ab iis in litteras referri potuerunt, illa inſpirante Deo conſignata eſt.* Non eſt, quod doctrinæ chriſtianæ hoſtes, qui articulos fidei rationis decempeda dimetiri conantur, obuertant, cum recta ratione eadem dogmata aut myſteria pugnare; infra enim ſuo loco, Deo auſpice & præſide, demonſtraturi ſumus, eadem myſteria lumine rationis eſſe quidem ſuperiora, ſed eidem non repugnare, neque contradictionem inuoluere.

Prob. d. Veritas aſſertionum biblicarum oſtendi poteſt. I. Per *inductionem omnium articulorum fidei* in ſacris litteris reuelatorum, & homini æternam ſalutem adepturo propoſitorum; quorum quidam *mixti*, quidam *puri* ſunt. *Articulos fidei mixtos ſacra ſcriptura tradit, ſi rem propoſitam ſpectes, principiis rationis conuenienter; ſin modum reſpicias proponendi, multo ſimplicius, certius & perfectius*, quam eadem dogmata ratio humana e ſuis principiis inueſtigata inculcat. Vide ſupra prolegom. II. p. 50. Articulos fidei *puros*, vt ratio humana e ſuis principiis cognoſcere nequit; ita ex ipſis falſitatis conuincere non poteſt. II. *Ex mira harmonia veteris cum nouo teſtamento, Moſis & prophetarum cum Chriſto & apoſtolis.* Conſpirant omnia in corpore biblico: concinunt cuncta longe ſuauius, quam in quocunque organo muſico ſoni diuerſi. Quem admirandum ſacrarum litterarum conceptum reſpiciens Zacharias dicit, Deum locutum eſſe per *os*, non *ora*, prophetarum, Luc. I, 79. *Paullus ſcripturam V. T. ſub ratione vnius*, non *plurium* librorum, exhibuit, Hebr. V, 7. Quæ prætenditur *contradictio, apparens eſt, non vera.* At vero ſcriptores tam multos, ingenio moribusque diſſimillimos, locorum & temporum interuallis longiſſime ſeiunctos, occaſione conferendi ſenſa animi deſtitutos, in materia tam graui & ſublimi, religionem & ſalutem omnium hominum concernente, in vnam ſententiam tam egregie conſpiraſſe, id luculento argumento eſt, ſacram ſcripturam immediate a Deo auctore vno, eoque veraciſſimo dependere. III. *Ex complemento vaticiniorum in ſacra ſcriptura contentorum.* Abundat ſcriptura vaticiniis de futuris contingentibus, poſt multa ſecula ex libera Dei hominumque voluntate euenturis; quorum nonnulla recenſebimus. Leguntur in V. T. vaticinia de Meſſia redemtore generis humani, Gen. III, 15. & aliis locis longe plurimis: de Iſraëlitarum ſeruitute in Aegypto, eorumque liberatione, Gen. XV, 13. 14: de populi Iudaici captiuitate Babylonica, & Solymorum reſtauratione, Eſ. XXXIX, 6. ſequ. Ier. XVI, 13. ſeq.: de altero excidio vrbis Hieroſolymæ nunquam reparandæ, Dan. IX, 26.: de excæcatione & reiectione populi Iudaici, Eſ. VI, 9: de ſummis mundi imperiis, eorumque viciſſitudinibus, Dan. II, 38. ſqq. c. VII, 4. c. VIII, 3.: de vocatione gentium ad eccleſiam, Eſ. LX, 3. & de rebus aliis innumeris, quas præter Deum & ſanctos Dei viros, quibus eas Deus reuelauit, nemo præſcire aut prædicere potuit. De complementis iſtorum vaticiniorum tam ſcriptura N. T. vniuerſa, quam ipſa expe-

pe-

Digitized by Google

perientia ſatis ſuperque teſtatur. At nonne hinc colligere licet, *ſcripturam plenam vaticiniis de futuris contingentibus, poſt multa ſecula ex libera Dei hominumque voluntate eventuris, ipſo euentu comprobatis, auctore Deo, eam amanuenſibus ſacris dictante, eſſe concinnatam?*

Prob. e. Omnium hominum recte ſentientium calculo ſancta habetur ſcriptura, cuius præcepta æternæ Dei legi ad amuſſim ſunt conformia. Etenim *omnis ſanctitatis regula infallibilis eſt lex Dei æterna & immutabilis, duabus conſtans tabulis.* Prior ordinat hominem ad veram agnitionem & ſincerum cultum Dei. Poſterior dirigit hominem ad vitam erga ſe, & proximum, ſobrie iuſteque traducendam. Ex vtraque parte ſcriptura prophetica & apoſtolica ſancta eſt; quia præſcribit homini exactiſſimam motuum animi internorum & externorum conformitatem cum lege Dei, qualem nullus ſcripturæ codex, quo alicuius gentis religio delineata contineatur, præſcribit. *Ex parte tabulæ primæ* dirigit hominem ad cultum Dei, vndiquaque perfectum, iuxta illud: *Diliges Iehouam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Deut. VI, 5. *Ex parte tabulæ ſecundæ* præſcribit & exigit caritatem in proximum ſine næuo puriſſimam, iuxta illud: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*, Leuit. XIX, 18. vbi ſub nomine proximi etiam inimicus comprehenditur, Matth. V, 44. Contra prohibet omnes inordinatos concupiſcentiæ motus, etiam indeliberatos, qui rationis iudicium ac voluntatis conſenſum anteuertunt, Exod. XX, 14. Rom. VII, 7. Quam ob rem maiorem requirit S. ſcriptura ſanctitatem in homine, quam pro hoc naturæ corruptæ ſtatu ratio humana vi legis inſitæ ab eodem exigit. Hæc enim ſubſiſtit in qualibuscunque actibus externis, nec non internis virtutum ad primam & ſecundam legis tabulam pertinentium actibus deliberatis, indeliberatos vero concupiſcentiæ, diffidentiæ, odii, motus non excludit, aut prohibet. *At illa ſcriptura, quæ perfectiorem & ſanctiorem docet religionem, quam ratio humana vi legis ſibi inſitæ, pro hoc naturæ corruptæ ſtatu, ea non homines, ſed Deum habet auctorem.*

Prob. f. Illa doctrina plene & liquido commonſtrat viam ſalutis, quæ accurate tradit, quomodo peccator Deo offenſo reconciliandus ſit. At nulla ſub cœlo datur doctrina, quæ modum reconciliationis peccatoris cum Deo, peccatis offenſo, tam certo & liquido tradat, quam quæ ſacris litteris comprehenſa eſt. Hæc aſſerit, *nos reconciliatos eſſe Deo per mortem Chriſti, cum inimici eſſemus, & ſanguine illius iuſtificatos ſeruari ab ira.* Rom. V, 9. Ex quo conſequitur, *doctrinam ſacris litteris comprehenſam non rationi humanæ, ſed reuelationi diuinæ acceptam referendam eſſe.*

Κριτήρια *interna* inſpirationem diuinam ſacrarum litterarum liquido notificantia in vnum compingemus ſyllogiſmum:

Quæcunque ſcriptura maieſtate Dei, de ſeipſo in illa loquentis, eſt conſpicua, ſtilo ſimplici, graui, adeoque ſummo rerum arbitro digno, adornata, myſteriis captum rationis longiſſime excedentibus plena, perpetua amanuenſium multis temporibus & locis longiſſime ſeiunctorum harmonia munita, qua dogmata fidei & vaticinia veriſſima, qua præcepta morum ſanctiſſima, & ad commonſtrandam ſalutis viam ſufficiens, illam a Deo immediate profectam eſſe, certum eſt.

Atqui ſcriptura prophetica, & apoſtolica &c. Ergo.

Maior eſt certa, quia in ſcripta, ab hominibus excogitata, tot diuinitatis indicia nunquam cadunt. Minorem ſupra demonſtrauimus.

*Antitheſis* eſt *pontificiorum*, adductis criteriis diuinam ſcripturæ originem firmiter probari negantium; quorum argumenta ad veritatis lancem expendemus.

I. Quæcunque κριτήρια opinionem & fidem humanam pariunt, illa non firmiter probant originem diuinam S. ſcripturæ. Atqui adducta a Lutheranis κριτήρια &c. Ergo. Maior



Digitized by Google

ior conſtat, quia opinio & fides humana eſt notitia infirma, aſſenſus debilis, cum formidine oppoſiti coniunctus. Minorem concedunt nonnulli Lutherani, nominatim D. MVSAEVS *in introd. in theol. p. 305.* D. QVENSTED. *in ſyſtem. theol. part. I. c. IV. fol. 98.* Reſp. Diſt. inter κριτήρια *externa, & interna.* Κριτήρια *externa* de θεοπνευςία S. ſcripturæ gignere tantum opinionem aut fidem humanam, conſenſu quodam docent Lutherani doctores. Vtrum autem κριτήρια *interna* humanam, an diuinam generent fidem, iidem in diuerſum abeunt. Etenim D. IO. AD. OSIANDER *in colleg. theol. ſyſtem. P. p. 106.* acriter contendit, κριτήρια interna parere fidem diuinam. Argumentatur theologus celeberrimus: *Quod eſt idem cum verbo diuino, illud eandem fidem generat, quam verbum diuinum. Atqui contenta dogmata abſtruſa, vaticinia diuina, præcepta ſanctiſſima identificantur verbo diuino.* Ergo. Et quomodo dogma abſtruſum cum aliquo ſummo myſterio religionis non gignat fidem maiorem, quam humanam? Quomodo vaticinia & oracula non generent fidem diuinam? Quomodo præcepta ſanctiſſima non depoſcant mentem ſanctiſſimam? Κριτήρια interna adhibentur vel ad *confirmandam fidem languidam fratris tentati*, vel *ad conuertendum hominem infidelem.* Non diffitentur theologi, quin chriſtiano tentato κριτήρια interna applicari poſſint ad conſolidandam fidem infirmam. Haud male ſcribit doctiſſimus MVSAEVS *in introduct. theol. p. 456. Quædam ſigna & motiua ita comparata ſunt, vt vbi animo diſcendi probe expendantur, per attentam ſui conſiderationem ac meditationem intellectum hominis in aſſenſum ſupernaturalem permouere poſſint: cuiusmodi ſunt v. gr. veritas ſcripturæ doctrinæque chriſtianæ ab omni errore pura: eius harmonia & exacta conſenſio in omnibus ſuis partibus: veritas vaticiniorum ipſo euentu comprobata &c. quæ vt ab ipſa ſcriptura S. & contenta in illa doctrina realiter non differunt. (Nam veritas ſcripturæ a ſcriptura vera realiter non differt; & conſenſio doctrinæ chriſtianæ aut ſcripturæ S. in omnibus ſuis partibus, quoad rem nihil aliud eſt, quam partes ſcripturæ aut doctrinæ inter ſe conſentientes): ita dum per lectionem aut meditationem ſcripturæ ipſius, vel per prædicationem & explicationem doctrinæ in ea comprehenſæ auditu perceptam in actu conſtituuntur, hominisque intellectui ad diuinam ſcripturæ S. originem manifeſtandam applicantur, ſimul ſeſe exſerere poſſunt, exſeruntque ſeſe ſua diuina, qua pollent, virtute ad ſui aſſenſum ſupernaturalem fidemque diuinam accendendam; niſi ab homine forſan gratiæ Spiritus S. interius ponatur obex, eiusque operatio ſufflaminetur.* In ordine vero ad conuertendos infideles ſigna & motiua credibilitatis ſe aliter non habent, quam vt motiua fidem humanam, aut opinionem de diuina ſcripturæ doctrinæque ſacræ origine generantia. Quæ *ſingulatim ſpectata*, licet forſan vnum altero maiori polleat vi hominum animos commouendi, *iunctim tamen ſumta*, cum vndique in diuinam ſcripturæ S. religionisque chriſtianæ originem conſpirent, eamque non ab hominibus inuentam, ſed ab ipſomet Deo mortalium generi patefactam eſſe, vno quaſi ore clament, *generant cognitionem certam, omnique alia, ſiue humana fide, ſiue opinione ſuperiorem.* At his ambagibus non opus eſt, ſi cum D. OSIANDRO ſimpliciter ſtatuamus, κριτήρια interna S. ſcripturæ conciliare aſſenſum certum & fidem diuinam; quamuis dentur gradus certitudinis, ſiquidem alia eſt abſoluta & ſumma, alia media, alia ima. Vid. LEICHN. *ſynopſ. veræ apodict. pag. 415.* Summam aſſenſus certitudinem S. ſcripturæ conciliat internum Spiritus S. teſtimonium.

II. Κριτήρια aut ſunt eadem cum S. ſcriptura, aut ab ea diuerſa. Si eadem, non poſſunt eiusdem θεοπνευςίαν probare, ceteroqui idem per idem probaretur: Sin diuerſa, non gignent fidem diuinam; cum vnicum concipiendæ fidei principium ſit S. ſcriptura. Ergo κριτήρια non ſunt idonea ad probandam diuinam ſcripturæ originem. Reſp. Κριτήρια cum S. ſcriptura ſunt *eadem realiter*, ſiue ex parte rei, *differunt ab ea formaliter, ſiue ex parte conceptus.* Fidem diuinam gignunt, quia realiter cum S. ſcriptura coincidunt: probant diuinam

vinam ſcripturæ originem, qui ab ea formaliter differunt: ſicut attributa diuina ex parte rei cum diuinitate ſunt eadem, differunt ex parte conceptus, & hinc diuinitatem τȣ λόγȣ notificant.

III. Credere propter argumentum, eſt fides ſaltem humana, non diuina: acquiſita, non infuſa. E. Criteria non gignunt fidem diuinam. Reſp. *Credere propter argumentum topicum*, a teſtimonio hominis petitum, eſt fides humana; concedo. Credere propter argumentum, a criteriis internis petitum, eſt credere propter argumentum topicum; nego. Eſt enim illud apodicticum, non fidem humanam, quæ incerta & lubrica eſt, ſed ſolidum certumque aſſenſum gignens. Certe apoſtoli paſſim argumenta proponunt huius vel illius concluſionis, quam fide diuina amplectitur chriſtianus. Vide 1 Cor. XV, 13. ſeq. Obiter obſeruamus, *quod propter ambiguitatem præſtet a termino fidei infuſæ abſtinere*, & fidem, quæ ex auditu eſt, ſimpliciter *fidem diuinitus collatam, diuinam, ſupernaturalem* dicere, cenſente D. MVSAEO *in intr. in theol. c. II. p. 63.*

IV. Si accurate ponderentur ſingula κϱιτήϱια interna, non videntur eſſe adeo valida, vt hominem ad aſſenſum ſolidum ſacris litteris præbendum permoueant.

Nam I. Atteſtatio diuina externa, adducta a propheta aut apoſtolo his, ſimilibusque verbis: *Verbum Dei factum eſt ad me: A domino accepi*, conſiſtit in phraſibus & formulis loquendi, quæ non niſi argumentum probabile præbere, & opinionem, vel fidem humanam generare poſſunt. II. Stilus S. ſcripturæ non eſt vniformis, ſed modo humilior, modo ſublimior. Ergo ab illo certum diuinitatis ſcripturæ indicium ſumi nequit. III. Myſteria captum rationis excedentia neque leguntur vbiuis in omnibus libris biblicis; cum inſerta ſint paſſim hiſtorica & moralia ex oculari inſpectione & ductu luminis naturæ cognoſcibilia; neque in ſolis deprehenduntur libris biblicis, ſed etiam Ioſepho, Philone, Auguſtana confeſſione. Quid? quod eadem conuerſionem paganorum retardant hoc ſæpius, quo magis a ratione recedunt. IV. Veritas dogmatum & vaticiniorum non certo arguit diuinam ſcripturæ originem; nam vera docent etiam ſcriptores gentiles & chriſtiani. Vaticinia & oracula leguntur paſſim in ſcriptis gentilium v. gr. Sibyllarum. Præterea non eſt inſolens, auctorem quendam ſibi vbique conſtare, & harmoniam dogmatum obſeruare. V. Præcepta ſancta dederunt etiam Plato, Cicero, Seneca. VI. Viam ad perennem ſalutem commonſtrant quoque Naturaliſtæ, quorum ſcripta non ſunt θεόπνευςα. Ergo adducta κϱιτήϱια non conciliant ſacræ ſcripturæ immotum aſſenſum, cum eius diuinam originem non demonſtrent.

Reſp. ad I. Atteſtatio externa Dei de ſeipſo in ſcriptura loquentis conſtat quidem phraſibus, ſed dictatis a Spiritu ſancto, quibus rerum pondera ſubſunt; & coniuncta eſt cum veritate dogmatum atque vaticiniorum. Proinde non parit fidem humanam, ſed diuinam. Omnium confeſſione teſtimonii diuini effectus aut conſequens eſt fides diuina. Ad II. *Stilus biblicus vniformis eſt, quoad ſubſtantiam*, in vtroque teſtamenti corpore, vt vnum os omnium virorum θεοπνεύςων habeatur, Luc. I, 70. quanquam *quoad accidentalem ſtili conformationem*, tum attemperatus ſit variarum materiarum, de quibus ſcribendum erat, indoli, tum liberrima Spiritus ſancti συγκαταβάσει accommodatus amanuenſium ingeniis, ſtudiis, familiari dicendi generi. Conf. DANNHAV. *hodoſ. phænom. I. p. 58.* Cautum tamen eſt, ne maieſtati diuinæ quidquam decederet. Dignus quippe vbique eſt ſtilus ſimplex & grauis ſcripturæ maieſtate Dei. Neque enim hominis, ſed ſolius Dei eſt obligare homines ſine exceptione omnes ad fidem ſibi, ſine demonſtratione aſſerenti, habendam, vel ad obſequium ſibi, absque rationibus perſuaſoriis præcipienti, aut probibenti, præſtandum. Ad III. Quamuis non in omnibus, in plerisque tamen libris biblicis leguntur myſteria captu rationis ſuperiora, quæ interdum etiam hiſtoricis innexa ſunt. Habentur myſteria in ſacro codice *originaliter*, in aliis



Digitized by Google

ſcriptis *deriuatiue.* Deriuarunt ex fonte bibliorum *Ioſephus*, & *Philo*, Iudæi, at ductu turbido: in primis *Philo* a veritate myſteriorum ad placita philoſophiæ Platonicæ aliquoties deflexit. Quo ſublimiora ſunt myſteria, eo magis a paganis in admirationem rapiuntur. Ex quo fit, vt mirando inducantur ad ſcripturam legendam, & illuminante Spiritu S. intelligendam, quo progreſſu temporis conuertantur. Ad IV. Scripta auctorum gentilium ſcatent erroribus; chriſtianorum in tantum ſunt vera, in quantum ſacræ ſcripturæ veritatis normæ conformia ſunt. *Vaticinia de rebus futuris contingentibus, ex libera Dei hominumque voluntate pendentibus, euentu atque complemento comprobata*, extra verbum Dei reuelatum & litteris mandatum nullibi leguntur. Futura enim contingentia, ex libera Dei hominumque voluntate pendentia, multis elapſis ſeculis, demum complementum ſuum nactura, ſolus nouit Deus, Eſ. XLVI, 9. & cui Deus reuelauit, Ier. XXVIII, 9. *Quæ vaticinia in ſcriptis gentilium leguntur, vel fuerunt dubia, verbis plerumque obſcuris, ambiguis, & ad diuerſos ſenſus reddendos conformatis, concepta, vel per meras coniecturas e cauſſis proſpecta.* Præterea vſu venit, vt vnus auctor in ſcribendo ſibi conſtet: at quod auctores tam multi, tam differentes ingeniis, locis, temporibus, de rebus fidei, de myſteriis captu rationis ſuperioribus, tanto conſenſu ſcripſerint, vt alter alteri nunquam contradixerit, id vni & ſoli Spiritui ſancto, verba & rerum conceptus ſuggerenti, tribuendum eſt. Ad V. tantum abeſt, vt *Plato*, *Cicero*, *Seneca* & alii auctores *ethnici*, ſancta dederint præcepta de vero cultu *Dei*, *vt*, *cum cognoſcerent Deum, non vt Deum glorificauerint, aut gratias egerint, ſed vani facti ſint in cogitationibus ſuis, & obſcuratum ſit inſipiens cor eorum; atque dum dixerunt ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſint.* Rom. I, 21. 22. Etenim coli vult Deus non pro arbitratu hominum, ſed ex præſcripto voluntatis ſuæ, quam in verbo ſuo patefecit. Huc accedit, quod, cum *ſcriptores ethnici peccatum originis ignorauerint*, prauos motus animi indeliberatos, qui iudicium intellectus & conſenſum voluntatis anteuertunt, non prohibuerint, atque adeo perfectam ſanctitatem non docuerint. Ad VI. *Naturaliſtæ* ex principiis rationis non aſſequuntur *rationem reconciliandi peccatoris cum Deo, peccatis offenſo.* A Deo offenſo, nec reconciliato, nulla ſalus exſpectanda eſt. Vnicus reconciliator, vnica ad cælum via Chriſtus eſt. Deflectentes ab hac via ſalutis Naturaliſtæ viam ad orcum aperiunt, apertam ingrediuntur. Quare fixum & immotum manet, κϱιτήϱια, ſupra memorata, ſoli ſacræ ſcripturæ eſſe propria, eiusque immediatam a Deo dependentiam valide probare.

Quæſt. XXXI. *Quæ eſt ratio præcipua & vltima cognoſcendi, diuinaque fide credendi diuinam ſacræ ſcripturæ originem?*

Teſtimonium internum Spiritus ſancti, cor humanum de θεοπνευςία ſacrarum litterarum certificans & obſignans, eſt præcipua & vltima ratio cognoſcendi diuinaque fide credendi diuinam S. ſcripturæ originem.

Quæſt. XXXII. *Quid hic intelligitur per internum Spiritus ſancti teſtimonium?*

*Internum Spiritus S. teſtimonium.*

Per internum Spiritus ſancti teſtimonium hic intelligitur actus ſupernaturalis Spiritus ſancti, per verbum Dei attente lectum, vel auditu perceptum, virtute ſua diuina, ſcripturæ ſacræ communicata, cor hominis pulſantis, aperientis, illuminantis, & ad obſequium fidei flectentis, vt homo illuminatus ex internis motibus ſpiritualibus vere ſentiat, verbum ſibi propoſitum a Deo ipſo eſſe profectum, atque adeo immotum ipſi aſſenſum præbeat.

Obſ. I. *Principalis & vltima ratio* (in quam reliqua credibilitatis motiua tandem reſoluuntur, quæque vnice & vltimate, vt in ea acquieſcamus, mouet) ad diuina fide credendum

Digitized by Google

dum, quod hoc verbum ſcriptum, & id, quod ex bibliis legimus, audimus, credimus, ſit verum ac diuinum, eſt ſola *auctoritas Dei tum externe reuelantis, tum interne, ſiue in cordibus noſtris obſignantis & conſcientiam conuincentis: non veracitas, vel præſumtio de veracitate cauſſæ miniſterialis,* præſentis eccleſiæ, vel præſentis doctoris, hic & nunc illud nobis proponentis: *neque conformitas cum intellectu aut ſenſu humano: neque conſenſus notorius eccleſiæ.* Conf. D. HÜLSEM. in *breu. theol. enucl. p. m. 20.*

Obſ. II. Internum Spiritus ſancti teſtimonium de authentia ſacræ ſcripturæ coincidit, quoad rem, cum *efficacia ſacræ ſcripturæ in actu ſecundo ſpectata;* quatenus nempe ſacra ſcriptura attente lecta, & intime penſitata, intellectum hominis illuminat, vt θεοπνευςίαν ſcripturarum clare cognoſcat, & voluntatem eius in conſenſum trahit & allicit: Idem operatur Spiritus ſanctus per verbum Dei decenter vſurpatum. Etenim *vis effectiua,* quam verbo Dei in producendo effectu illuminationis, conuerſionis, renouationis & confirmationis tribuimus, vere diuina eſt, Rom. I, 16. nec *differt, quoad rem,* a virtute, quæ Spiritus ſancti operantis in cordibus hominum eſt, *quanquam diſparitas ſit in modo habendi hanc vim, vtpote quæ ſpiritui ſancto ex ſe, & a ſe, ceu cauſſæ principali: verbo autem participatiue, vt cauſſæ organicæ, competit.* Conf. KOENIGIVS in *theol. poſit. p. 195.* Quam ob rem ſacra ſcriptura lecta, vel voce docentis propoſita, explicata, audituque percepta, efficacia diuinitus ſibi communicata, mouet hominis intellectum ad aſſenſum ſupernaturalem ſuæ a Deo reuelante dependentiæ, *per ſe immediate quidem,* citra aliam reuelationem, aut vllum motiuum credibilitatis, *ſed cum concurſu ſupernaturali Spiritus S.* E quibus conficitur, quod immotus & fiducialis aſſenſus, quo diuina ſcripturarum creditur origo, dependeat & ab ipſa ſcriptura, & ab ipſo Spiritu Sancto, cum ea concurrente, velut motiuo formali, atque adeo ab *vtroque ſimul & coniunctim, a neutro autem ſeorſim & ſeparatim.*

Obſ. III. *De authentia ſacræ ſcripturæ potentiſſime teſtatur tota ſacroſancta Trinitas; terminatiue Spiritus ſanctus.* Exinde fit, vt fides, qua diuina ſcripturarum creditur inſpiratio, in ſacris litteris interdum *potentiæ Dei,* a theologis concurſui Dei ſupernaturali tribuatur.

Prob. I. ex 1 Io. V, 6. *Spiritus teſtatur, quod Spiritus veritas eſt.* Per vocem Spiritus in ſubiecto poſitam intelligimus Spiritum S. tertiam Trinitatis perſonam; tum quia hæc vox, abſolute poſita, citra conditionem reſtringentem, tanquam analoga, merito accipitur in ſignificatu ſuo famoſiori; tum quia confeſtim in ſequenti verſiculo 7. ſiſtitur ſub ratione perſonæ, & quidem tertiæ in Trinitate, addito epitheto, cum dicitur τὸ πνεῦμα ἅγιον, cui haud ſecus, ac patri & filio, teſtimonium cœleſte ibidem adſcribitur: per Spiritum autem in prædicato intelligimus verbum Dei, ſiue ſcripturam, vocabulo Spiritus metonymice accepto; quia alias verbum Dei quoque dicitur *Spiritus & vita,* Io. VI, 63. Particula ὅτι non eſt cauſſalis, ſed determinatiua, vt ſenſus ſit: Spiritus S. teſtatur, quod doctrina Spiritus ſit veritas, h. e. veriſſima, quando interius per doctrinam, a ſe patefactam, in hominum cordibus operatur, ea pulſat, trahit & mouet, vt eam a Deo profectam, ſiue vere diuinam eſſe credant. Hinc v. 10. ſubiungit Ioannes: *Qui credit in filium, habet teſtimonium in ſeipſo: qui non credit Deo, mendacem fecit illum: quia non credidit teſtimonio, quod Deus teſtificatus eſt de filio ſuo.* Dicitur teſtimonium Dei habere in ſeipſo, qui credit; quia fides, qua creditur in filium Dei, eſt effectus Spiritus ſancti, qui per doctrinam, a ſe patefactam, in corde credentis operatur, & fidei aſſenſum efficit. *A quo ergo homo habet, vt fide diuina credat, doctrinam a Spiritu S. patefactam eſſe veritatem,* i. e. *veriſſimam, illud eſt ratio principalis & vltima cognoſcendi diuinaque virtute credendi ſcripturæ S. auctoritatem. Sed a Spiritus S. teſtimonio,* quo teſtificatur in hominum cordibus, doctrinam Spiritus eſſe veriſſi-



Digitized by Google

mam, habet homo, quod credit fide diuina, doctrinam a Deo patefactam eſſe veritatem, h. e. veriſſimam. Ergo teſtimonium Spiritus ſancti, quo teſtificatur in cordibus hominum, doctrinam a ſe patefactam eſſe veritatem, h. e. veriſſimam, eſt ratio principalis & vltima cognoſcendi diuinaque fide credendi auctoritatem S. ſcripturæ.

II. Ex 1 Theſſ. I, 5. 6. *Euangelium noſtrum non tantum fuit apud vos in verbo, ſed etiam cum virtute & in Spiritu S. & in confidentia loquendi multa, ſicut ſcitis, quales fuerimus apud vos propter vos. Vos vero imitatores noſtri fuiſtis, & Domini, dum accepiſtis verbum in afflictione multa cum gaudio Spiritus S.* Quod euangelium Paullus Theſſalonicæ ſingulari animi præſentia prædicauerat, id Theſſalonicenſes inter afflictiones grauiſſimas, vitæque diſcrimina receperant magno cum gaudio, in animis eorum a Spiritu S. excitato, propterea quod euangelium Paulli non erat ſermo nudus, inanis, frugisque expers, ſed ſermo coniunctus cum virtute Spiritus ſancti, qui ipſos illuminauerat, conuerterat, & fide donauerat. Quare præcipua ratio mouens hominem ad recipiendum euangelium Chriſti, vt vere diuinum, eſt virtus Spiritus ſancti, cum verbo Dei lecto vel audito indiuiduo nexu vnita.

III. Subiungimus inſigne effatum eiusdem apoſtoli ex 1 Theſſ. II, 13. *Propterea etiam nos gratias agimus Deo indeſinenter, quod quum accepiſtis a nobis verbum auditus, Dei* (nimirum), *ſuſcepiſtis, non* (vt) *verbum hominum, ſed, ſicut eſt reuera,* (vt) *verbum Dei, qui & operatus eſt in vobis credentibus.* Hic Paullus diſerte adſcribit Deo in Theſſalonicenſibus operanti, quod acceperint apoſtolorum ſermonem, non vt verbum hominum, ſed vt verbum Dei. Accipere autem verbum ex ore apoſtolorum, vt verbum Dei, eſt, id accipere verbum a Deo profectum, ſiue ex Dei ſuggeſtione, aut inſpiratione, prædicatum. Eſt autem par ratio ſcripturæ diuinitus inſpiratæ, & doctrinæ ab apoſtolis ex diuina inſpiratione prædicatæ. Quamuis enim accidentalis intercedat differentia; in quantum illa vocibus ſcripto conſignatis, hæc ore prolatis conſtat; attamen vna eademque eſt vis mouens intellectum ad aſſenſum. Quam ob rem ſicut Theſſalonicenſes ex ſupernaturali Dei operatione mouebantur ad credendum, ſermonem apoſtolorum non eſſe hominum, ſed auctoris Dei: ita etiamnum hominum corda mouentur ex ſupernaturali Dei operatione ad credendum, ſcripturam S. eſſe vere diuinam, ſiue a Deo profectam. Argumentamur: *Quo motiuo Theſſalonicenſes mouebantur ad credendum, verbum apoſtolorum eſſe vere verbum Dei, eodem etiamnum homines mouentur ad credendum, S. ſcripturam eſſe a Deo profectam atque vere diuinam.* Atqui Theſſalonicenſes mouebantur ad credendum, verbum apoſtolorum eſſe verbum Dei ab ipſomet Deo per ipſum verbum prædicatum in ipſis agente, & de diuinitate verbi teſtificante. Ergo etiamnum credentes mouentur ad credendum, ſcripturam S. eſſe a Deo profectam, & vere diuinam, ab ipſomet Deo per ipſam in hominum cordibus teſtificante.

IV. Quotiescunque attente legitur, vel auſcultatur diuinum legis & euangelii verbum, huius vim verticordiam homo docilis vere ſentit, & Deum ſecum loqui colligit ex *internis cordis actibus & motibus ſupernaturalibus.* Sunt illi actus *ex parte intellectus*, oborta lux cognitionis ſupernaturalis, & inſpirata cogitatio ſancta: *ex parte voluntatis*, ſpirituales motus ſunt; dolor de peccatis, deſiderium diſcendi & proficiendi, pia affectio erga Deum reuelantem, ſuauis inclinatio ad imperandum intellectui, iam luce aliqua ſpirituali colluſtrato, immotum aſſenſum credendorum, gaudium ſpirituale. Qui actus intellectus motusque voluntatis, a Spiritu S. per verbum legis & euangelii in cordibus legentium, vel auſcultantium, excitati, luculentius cognoſcuntur e quibusdam exemplis biblicis. Ad *primam apoſtoli Petri concionem*, quam habuit in feſto pentecoſtes Iudæis crucifixoribus Chriſti, *auditores*, referente Luca Act. II, 37. κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ, *compuncti ſunt corde.* Quæ *compunctio cordis*

*dis* citra dubium inferebat ex parte intellectus agnitionem peccati, nec non cogitationem ſanctam, mediante verbo Dei inſpiratam, de morte & reſurrectione Chriſti: ex parte autem voluntatis *compunctio* illa *cordis* haud dubie importabat dolorem acerbiſſimum de atrociſſimo peccato, in Chriſtum perpetrato, cum voluntatis quadam inclinatione in Chriſtum, & deſiderio æternam ſalutem obtinendi, coniunctum. Idcirco dicebant ad Petrum & ceteros apoſtolos: *Quid faciemus, viri fratres? Eunucho* Candacis, reginæ Æthiopum, ex loco Eſ. LIII, 7. 8. quem legebat, a *Philippo* ex aliis ſcripturæ locis ipſi vberius declarato, ex parte intellectus tantum affulgebat lucis notitiæ ſalutaris, & ex parte voluntatis tanta oboriebatur affectio & promtitudo, vt prona voluntate & ſuam fidem in Chriſtum profiteretur, & baptiſmum ſibi adminiſtrare peteret: *Ecce aqua*, inquiens ad Philippum, *quid prohibet me baptizari?* Dicenti autem Philippo: *Si credis ex toto corde, licet;* reſpondebat: *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum*, & baptizatus eſt, Act. VIII, 36. 37. *Lydiæ*, purpurarum venditrici, per verbum a Paullo prædicatum ſimul & cogitatio ſancta & pium deſiderium, (vtrumque apertione cordis eius indicatur) a Deo inſpiratum eſt, vt deſiderio diſcendi ducta attenderet his, quæ dicebantur a Paullo, & conuerſa baptiſmum ſuſciperet, Act. XVI, 14. ſeq. *Theſſalonicenſes* verbum Dei ſuſceperunt in afflictione multa *cum gaudio* Spiritus ſancti, 1 Theſſ. I, 6. Qui actus intellectus motusque voluntatis ſupernaturales, vi ſuæ a Deo dependentiæ, intellectum ad aſſenſum verbo diuino præbendum inclinant validius, quam viua vox viri fide digni, rem creditu difficilem commemorantis, intellectum in aſſenſum rei geſtæ mouet. Sicut enim a Spiritu S. per verbum legis & euangelii ſunt excitati: ita Deum ſui arguunt auctorem; ſicut alias omnis effectus teſtatur de ſua cauſſa.

*Antitheſis* eſt 1. *Pontificiorum*, quorum nonnulli Spiritum illum, cuius infallibili teſtimonio ſcripturæ diuinam auctoritatem nobis conſtare dicimus, priuati Spiritus nomine traducunt, atque adeo internum Spiritus S. teſtimonium, vt hominum commentum, rident. 2. *Socinianorum*, qui cum ſtatuant, diuinam S. ſcripturæ originem infallibiliter non poſſe demonſtrari, atteſtationem Spiritus S. tacite prætereunt. 3. *Arminianorum* negantium, teſtimonium Spiritus S. ad id neceſſarium eſſe, vt ſcripturam diuinæ eſſe originis intelligatur. Quorum argumenta ponderabimus.

1. Quæcunque ſententia enthuſiaſmum inuehit in eccleſiam, illa non eſt approbanda. Atqui ſententia Lutheranorum, ſtatuentium, auctoritatem diuinam ſacrarum litterarum innoteſcere per internum Spiritus S. teſtimonium inuehit enthuſiaſmum in eccleſiam. Ergo &c. Reſp. Diſt. *inter atteſtationem Spiritus S. de diuinitate ſacrarum litterarum, quæ fit per illuminationem immediatam; & quæ fit per illuminationem mediatam.* Immediatas illuminationes Spiritus S. iactant enthuſiaſtæ; at Lutheranorum conſtans ſententia eſt, Spiritum S. teſtari de diuinitate ſcripturæ per illuminationem mentis mediatam, quæ pro ſtatu temporis præſentis fit *verbo Dei ſcripto.*

*Inſtantia:* Lutherani dicunt, ſe non accipere illuminationem a cœtu hominum, qualis eſt eccleſia. Ergo immediate accipiunt illuminationem a Spiritu ſancto. Reſp. Lutherani excludunt *medium perſonale cœtus humani, non medium reale verbi diuini in litteras redacti.*

2. Quo poſito, committitur circulus ſophiſticus illud non eſt argumentum efficax. Atqui, poſita obſignatione Spiritus ſancti, vt medio demonſtratiuo diuinitatis ſcripturæ, committitur circulus ſophiſticus. E. *Maior* extra controuerſiam poſita eſt, quia circulus ſophiſticus eſt petitio principii retrocurrens. *Minor* conſtat ex natura circuli. Si enim quæram: vnde ſcis, ſcripturam eſſe diuinam? Reſpondent Lutherani: quia Spiritus S. in vnoquoque per ſcripturam hoc teſtatur & obſignat. Si autem quæram: vnde probas, Spiritum illum eſſe diuinum? Reſpondent iidem: quia ſcriptura teſtatur, illum eſſe diuinum, & obſignatio-

Digitized by Google

ſignationem illius eſſe infallibilem. Reſp. 1). *Lutherani non prouocant ad ſpiritum priuatum;* verum Spiritus, qui obſignat verbi diuini auctoritatem, eſt Spiritus S. communis omnibus fidelibus. 2) Diſt. *inter circulum ſophiſticum, & regreſſum demonſtratiuum.* In circulo ſophiſtico probatur ignotum per æque ignotum; in regreſſu vero demonſtratiuo a cognitione confuſa ad diſtinctam procedimus. Nempe ſcripturæ dignitas diuina probatur per effectum ſupernaturalem Spiritus ſancti, per ſcripturam efficaciter operantis, illuminantis, conuertentis, regenerantis, renouantis. Si autem quæras: Eſtne ille Spiritus diuinus, an malignus? Tunc ab effectu, qui eſt diuinus & ſalutaris, regredimur ad probandum, Spiritum interius teſtantem de diuina ſcripturæ origine, eſſe diuinum, ſanctiſſimum & optimum.

3. Quodcunque teſtimonium nemo in ſe habet, niſi ſit conuerſus & renatus, illud non gignit aſſenſum ſolidum ſcripturæ, vt vere diuinæ, præbendum. Atqui teſtimonium Spiritus S. nemo in ſe habet, niſi ſit conuerſus & renatus. E. Maior probatur, quia teſtimonium, gignens aſſenſum, fidem præcedat neceſſe eſt. At homo conuerſus & renatus fidem iam habet; ideoque teſtimonium Spiritus S. fidem eius ſequitur & obſignat. Minor patet ex 1 Io. V, 10. *Qui credit in filium, habet teſtimonium in ſeipſo.* Reſp. Atteſtatio Spiritus S. conſideratur *vel in ordine ad homines conuerſos & renatos, vel in ordine* ad illos homines, *qui ſunt in via ad conuerſionem & regenerationem.* Conuerſorum & renatorum hominum fidem de diuinitate ſcripturæ teſtimonium internum Spiritus S. obſignat, confirmat & locupletat. Sed corda hominum, qui ſunt in via ad conuerſionem, efficax Spiritus S. atteſtatio & operatio per verbum Dei lectum vel auditum pulſat, aperit, illuminat, fidemque in illis accendit. Exemplo nobis eſto Lydia, purpurarum venditrix, Act. XV, 4. quæ cum inciperet auſcultare verbum Paulli, nondum erat conuerſa & renata, erat autem in via ad conuerſionem: huic Spiritus S. cor pulſabat, aperiebat, omnes ſeras ignorantiæ, omnia repagula connatæ malitiæ ſummouebat, vt *attenderet iis,* quæ a Paullo dicebantur, & maiores progreſſus in cognitione rerum ſpiritualium faceret, vsque dum aſſenſus fidei plenus obtineretur.

4. Teſtimonium internum Spiritus S. non videtur eſſe valida ratio mouens hominem infidelem, vt credat, ſcripta prophetica & apoſtolica immediate a Deo dependere. Nam ſi tu dicas: Spiritus S. teſtatur in corde meo, hæc ſcripta, inſpirante Deo, eſſe conſignata: negabit infidelis, Spiritum S. hoc in corde tuo teſtari, adeoque hoc motiuo ipſum non conuinces. Reſpondet appoſite ad hanc obiectionem D. KROMAYER. in *theol. poſitiuo-polem. p. 20. Hoc teſtimonium internum licet non valeat* πρὸς ἕτερον, i. e. *ad conuincendum alium* v. gr. (Tu credere debes, hoc ſcriptum eſſe θεόπνευστον, quia ego in corde meo conuictus ſum, rem aliter ſe non habere) *valet tamen* πρὸς ἑαυτὸν, i. e. *ad conuincendum ipſum, qui Spiritus S. teſtimonium hac de re ſentit in corde ſuo. Vt enim dum viuimus, nos viuere; dum credimus, nos credere actu ipſo experimur: ita dum Spiritus S. veritatem cæleſtem in nobis confirmat, dum per verbum operatur, & de verbo intus teſtificatur, tum eum operari & teſtificari ſimiliter actu ipſo experimur.*

Quæſt. XXXIII. *Dependetne auctoritas S. ſcripturæ ab auctoritate eccleſiæ?*

*Auctoritas S. S. num dependeat ab auctoritate eccl.?*

Auctoritas S. ſcripturæ neque ratione diuinæ & eminentiſſimæ dignitatis, qua pollet, ab eccleſia dependet (a), neque ratione cognitionis indiget teſtimonio eccleſiæ, vt ratione præcipua & vltima cognoſcendi diuinam ſcripturæ auctoritatem (b), neque vt argumento vnico & abſolute neceſſario (c).

Prob. a. (1) Omnis auctoritas alicuius ſcripturæ dependet ab auctore. Eccleſia non eſt auctor S. ſcripturæ. Ergo ab eccleſia auctoritas S. ſcripturæ non dependet.

(2) Quid-

(2) Quidquid naturali & neceſſario ordine ſubiectum eſt verbo diuinitus inſpirato, illud minori pollet auctoritate, quam verbum diuinitus inſpiratum, atque adeo non poteſt illi conferre auctoritatem. Atqui eccleſia &c. Ergo.

Maior apprehenſis terminis clara eſt. Minor probatur, quia vt lex principis maiori fulget auctoritate, quam ſubditi illi legi adſtricti: ita verbi diuini dignitas dignitati eccleſiæ præponderat. Iſraëlitis male ceſſiſſet tempore Moſis, ſi voluiſſent eſſe ſuperiores verbo θεοπνεύςῳ aut lege diuina: aut ſi voluiſſent dicere, ſacerdotes & leuitas legi diuinæ auctoritatem contuliſſe, cum potius lex, vt ſacerdotes conſtituit, ita ipſis auctoritatem conciliauit.

Prob. b. Præcipuam & vltimam rationem cognoſcendi, diuinaque fide credendi diuinam auctoritatem ſacrarum litterarum, eſſe internum Spiritus S. teſtimonium, ſiue, quod idem eſt, efficaciam S. ſcripturæ, concurrente Spiritu S. in animis noſtris, operoſam, præcedente quæſtione oſtenſum eſt. Confirmatur idem, ſi naturam eccleſiæ accurate expendamus. Eccleſia enim vel ſpectatur vt *hominum multitudo* longe lateque per terrarum orbem diffuſa, in cultu diuino conſentiens: vel ſpectatur *vt multitudo fidelium* a Chriſto ædificata, & conſtituta columna & ſtabilimentum veritatis. Hoc poſteriori modo ſpectata *eccleſiæ auctoritas dependet ab ipſa ſcripturæ S. auctoritate, eſtque ea poſterior.* Repugnat autem, auctoritatem ſcripturæ dependere, quoad nos, ab auctoritate eccleſiæ, & tamen auctoritatem eccleſiæ non innoteſcere nobis, niſi ex auctoritate ſcripturæ, iam prius cognita. Priori modo ſpectata *eccleſiæ auctoritas eſt mere humana,* in eo poſita, quod probabile non ſit, tantam hominum multitudinem de auctoritate ſcripturæ, quod vere & immediate a Deo profecta ſit, teſtificantem, in vnum mendacium conſpirare, & in teſtificando falli aut fallere potuiſſe. Probe hic obſeruandum eſt, quod vis teſtimonii, perhibiti diuinæ auctoritati ſcripturæ ab eccleſia, non ſit *magiſterialis, ſed miniſterialis,* propterea, quod eccleſia non eſt *magiſtra, ſed miniſtra ſcripturæ, non mater, ſed filia; non auctor, ſed cuſtos, teſtis & interpres; non iudex, ſed index & vindex.* Illuſtrari hoc poteſt exemplo mulieris Samaritanæ, cuius mentio fit Io. IV, 7. Hæc, collocuta cum Ieſu, ex verbis eius efficaciſſimis, & miranda rerum diuinarum & occultarum ſcientia, cuius radios Saluator id temporis clariſſime ex ſe fundebat, colligebat, Ieſum eſſe prophetam haud tantum, ſed & ipſum Meſſiam, vid. v. 19. 20. Quare gaudii plena ingreſſa vrbem Samariam, eius ciues inuitabat, & manu quaſi ducebat ad videndum & audiendum Chriſtum. v. 29. Quorum multi crediderunt in Ieſum *propter verbum mulieris, confirmantis Ieſum eſſe Chriſtum.* v. 39. At cum iidem Ieſum non oculis minus conſpexiſſent, quam pronis auribus ſermonem ipſius accepiſſent, eorum multo *plures crediderunt propter verbum ipſius,* mulierique dixerunt: *quia non amplius propter loquelam tuam credimus: ipſi enim audiuimus & ſcimus, quod hic ſit vere ſaluator mundi Chriſtus,* v. 42. Prior Samaritanorum fides, orta ex verbo mulieris, erat opinio: poſterior, nata ex verbo Chriſti, erat ſcientia, i. e. accurata & certa notitia. Pari ratione eccleſia de auctoritate ſcripturæ teſtatur, hanc proponit, & ad ipſam legendam homines allicit atque inducit. Qui vbi attente legerunt, vel voce docentis explicatam audiuerunt ſcripturam, non credunt ſcripturæ propter teſtimonium eccleſiæ, ſed credunt ſcripturæ fide diuina propter ipſam ſcripturam, quatenus illa concurrente Spiritu ſancto vim ſuam verticordiam exſerit, intellectum legentis vel auſcultantis illuminat, & voluntatem in obſequium fidei flectit, vt plenus & indubitatus ſcripturæ aſſenſus præbeatur.

Prob. c. Teſtimonium eccleſiæ eſt quidem inſigne motiuum credibilitatis, quo inducimur ad cognoſcendam humanaque fide credendam diuinitatem ſcripturæ ſed non eſt *moti-*

*vum vnicum, neque abſolute neceſſarium. Vnicum non eſt,* quia dantur plura κϱιτήϱια καὶ γνωϱίσματα, ſigna & motiua, quorum eadem eſt vis mouens, quæ eſt eccleſiæ: qualia ſunt ſcripturæ antiquitas, miraculorum, quibus confirmata eſt, claritas: martyrum, qui pro auctoritate ſcripturæ ſanguinem ſuum fuderunt, conſtantia: ſubita doctrinæ, quam ſcriptura tradit, propagatio, & admiranda eius inter tot perſecutiones conſeruatio: hoſtium eccleſiæ confeſſio, & pœnæ diuinitus immiſſæ perſecutoribus & contemtoribus ſcripturæ. Quid? quod κϱιτήϱια diuinitatis ſcripturæ interna, qualia ſunt Dei de ſeipſo in ſacro codice teſtantis maieſtas, ſtili ſingularitas, dogmatum & vaticiniorum veritas, præceptorumque ſanctitas, maiori pollent vi mouente, quam eccleſiæ teſtimonium. *Abſolute neceſſarium non eſt teſtimonium eccleſiæ ad credendam ſcripturæ S. auctoritatem diuinam,* quia ſine teſtificatione eccleſiæ ſcripturæ auctoritas agnoſci poteſt, & ſæpe agnita eſt. Etenim verbum Dei, qua prædicatum, qua ſcriptum, diuina ſua efficacia, quam concurrente Spiritu S. in conuertendis hominibus exſerit, diuinam ſuam prodit originem, non accedente teſtimonio eccleſiæ. Id quod exempla, tum biblica, tum alia, comprobant. Cum vir Dei Schemaia exercitui Rehabeami, cum Ieroboamo de regno Iſraëlitico decertaturo, ex inſtinctu & illuminatione Dei diceret: *Sic dixit Iehouah: non aſcendetis, neque pugnabitis cum fratribus veſtris, filiis Iſraëlis: reuertimini vir in domum ſuam; quia a me factum eſt verbum hoc: obediuerunt itaque verbo Iehouæ, & reuerſi ſunt ad abeundum iuxta verbum Iehouæ.* 1 Reg. XII, 24. Cum propheta Ionas concionaretur in vrbe Niniue, & diceret; *Adhuc quadraginta dies* (ſunt), *poſt Niniue euertetur : crediderant viri Niniues in Deum; ideoque proclamarunt ieiunium, indueruntque ſaccos a maximo eorum, vsque ad minimum.* Ion. III, 4. 5. En ſtupendam efficaciam verbi diuini! quo, velut fulmine penetrantiſſimo, ſancti Dei viri, Schemaia & Ionas, nullo teſtimonio eccleſiæ inſtructi, ingentem hominum multitudinem perculerunt, & ad obedientiam fidei permouerunt. Exempla plura ex hiſtoriis ſacris & profanis adduci poſſent, ſi opus foret. Exemplum Chriſtiani Gerſonis, Iudæi conuerſi, memoratu dignum eſt. Hic occaſionem & modum conuerſionis ſuæ apud D. CALIXTVM in tract. *de auctoritate ſcripturæ p. 36.* ſequentibus, verbis deſcribit: *Paupercula quædam chriſtiana fœmina, vicina mea, tradebat pignori mihi codicem noui teſtamenti germanici a Luthero conuerſi: cui ego mutuos dabam octo ſolidos, vt vſuram meo more lucrarer, & librum interim euoluerem; non quidem quod de veritate iudaicæ religionis dubitarem, aut vllum chriſtianæ fidei articulum rectum crederem, ſed vt cognoſcerem, quisnam ille tantopere efficax error, qui tot animarum myriadas ſeduceret, & in exitium præcipites daret. Præſentibus igitur meis duobus affinibus, Lazaro, & Simeone, totum perlegi non ſine blaſphemiis. Interim vero cor meum percellebatur; & cum animaduertiſſem, euangeliſtas, & apoſtolos, & Chriſtum ipſum toties ad vetus teſtamentum prouocare, & ſubinde loca ex eo alia poſt alia adducere: illectus fui, vt denuo legerem, & clanculum quidem, nemine conſcio, ne quidem vxore mea, & vt loca adducta cum ipſo veteris teſtamenti textu contenderem. Quod vbi feci, tanta mihi lux illuxit, vt eo nomine æternas Deo debeam gratias.* Plura exempla eorum, qui caſu quodam in ſacrarum litterarum lectionem delapſi incredibilem animi motum perſenſerunt, & de diuinitate illarum pleniſſime perſuaſi fuerunt, recenſet D. DORSCHEVS in *theol. Zachar. part. II. diſp. I. §. 53.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum,* quorum *quidam* ſtatuunt, auctoritatem S. ſcripturæ, quoad rem, ſecundum ſe ab eccleſiæ auctoritate dependere; *alii* aſſerunt, auctoritatem ſcripturæ nobis e teſtimonio eccleſiæ, ceu argumento aut vnico, aut præcipuo innoteſcere, qui ſequentibus argumentis innituntur.

I. A

Digitized by Google

I. A quocunque, velut ſolida columna, veritas ſcripturæ ſuffulcitur & firmatur, ab eo auctoritas eius dependet. Sed ab eccleſia, velut ſolida columna, veritas ſcripturæ ſuffulcitur & firmatur. Ergo.

Maior patet: Sicut enim ædificii robur pendet a columnis: ita valida ſcripturæ auctoritas pendet a columna & firmamento veritatis.

Minor liquet ex 1 Tim. III, 15. vbi eccleſia ab apoſtolo vocatur *ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, columna & ſtabilimentum veritatis.* Reſp. 1) Verba Paulli percommode exponit D. SEBAST. SCHMID. in *colleg. bibl. poſt. p. 301.* cuius ſententia eſt, quod 1. nomine ςύλȣ καὶ ἑδραιώματος reſpiciatur ad columnas, quæ in templo Salomonæo fuerunt, 1 Reg. VII. Ier. LII. quemadmodum nomine οἴκȣ reſpici templum Salomonæum communiter ſtatuunt. Iſtarum autem columnarum officium non erat, vt aliquid ſuſtentarent, ſed per ſe inſigne opus fuerunt & templi ornamentum. Vnde non opus, vt eccleſiam columnam dicamus appellari, quod aliquid portet ac ſuſtentet. Quod 2) *columna & firmamentum veritatis dicatur eccleſia paſſiue:* partim quod a veritate cœleſti exſtructa & erecta ſit; partim quod eadem veritas in illa habitet, eamque eccleſia credat & profiteatur, quatenus quidem vera eſt. Probat laudatus auctor interpretationem ſuam a *ſcopo,* quia hortatur apoſtolus Timotheum, vt in eccleſia Epheſina ſecundum verbum diuinum conuerſetur, argumento hoc, quod eccleſia ſit columna *veritatis, ab ea exſtructa, & per eam porro exædificanda.* Vnde eccleſia non conſideratur ratione *officii,* quod præſtat veritati, ſed ratione *ædificationis* per miniſterium eccleſiaſticum, adeoque *paſſiue* vt exædificanda in columnam & firmamentum veritatis, vt exſtructa per veritatem, hanc firmiter teneat. Confirmatur hæc interpretatio a *ſimili in contextu appellatione.* Quemadmodum hoc ipſo loco eccleſia dicitur οἶκος Θεȣ̃ ζῶντος, *domus Dei viui,* quod a Deo exſtructa ſit, & Deus in ea firmiter coagmentata habitet: ſic columna & firmamentum veritatis vocatur, quod a veritate exſtruatur, & veritatem in ſe habitantem teneat. 3) Diſtinguunt nonnulli theologi inter columnam veritatis dictam in ſenſu *architectonico, & politico.* Vt enim in curiis & ante prætoria columnæ exſtant, ad quas leges & decreta magiſtratus appenduntur: ſic eccleſia vocatur ςύλος, quatenus ad illam ceu columnam publicam appenſæ & affixæ ſunt verbi diuini tabulæ. Vox ἑδραίωμα vero non firmamentum primo denotat, vti vulgata reddidit, vel fundamentum (quod θεμέλιον vocant græci) ſed ſedem, ſellam, repoſitorium, quod eccleſia ſit quaſi ſedile aut repoſitorium ſacrum, in quo depoſita ſit veritas. *In ſenſu vero architectonico eccleſia abſolute & primario non vocatur columna & firmamentum veritatis;* perinde, ac ſi veritatem cœleſtem ita firmet & fulciat, ſicut columna ædificium ſuſtentat; ſiquidem hæc ipſa columna a veritate cœleſti ſuſtentatur & firmatur, vtpote quæ huius columnæ & fulcimenti baſis eſt & fundamentum; ſed tantum *reſpectiue, ſecundario & organice,* quatenus ſtabilit, vel ſuffulcit veritatem, eam teſtando, proponendo, profitendo, interpretando, cuſtodiendo, defendendo, non auctoritatem veritati cœleſti conferendo, vel fidem diuinam gignendo. Confer. D. GERHARD. in *loc. de eccleſ. p. 804.* D. CALOV. in *ſyſtem. theol. tom. I. p. 418.* (*).

II. Quodcunque teſtimonium eſt diuinum & infallibile, illud generat fidem diuinam. Atqui teſtimonium eccleſiæ de θεοπνευςίᾳ ſacræ ſcripturæ eſt &c. Ergo. Minor probatur, quia eccleſia ducitur a Spiritu ſancto in omnem veritatem, Io. XVI, 13. Quare teſtimonium eccleſiæ de authentia ſacrarum litterarum, vt a Spiritu veritatis proficiſcitur, ita fide diuina creden-



(*) Sed aliam habemus explanationem, quem ad modum ſupra ad quæſt. 5. pag. 73. adnotauimus.

Digitized by Google

credendum eſt. Reſp. *Ex intentione Chriſti loquentis promiſſio illa primario & proxime reſpicit inſtructionem apoſtolorum ad functionem muneris apoſtolici,* quo omnibus gentibus, prædicando verbum veritatis, inſeruire debuerunt. Impleta eſt promiſſio in die pentecoſtes, vbi Spiritus ſanctus corda apoſtolorum cognitione doctrinæ cœleſtis immediate illuminauit, vt in doctrina fidei ne errarent. *Secundario illa promiſſio accommodari poteſt ad vniverſam eccleſiam,* quæ, in quantum Spiritus ſancti ductum ſequitur, non errat, ſed infallibilis eſt. Sed ita infallibilitas principaliter ſeſe refundet in ipſum Spiritum ſanctum inhabitantem & dirigentem.

III. Eccleſia eſt antiquior ſcriptura. Ergo ſcriptura, quoad nos, ab eccleſia habet auctoritatem. Reſp. Diſt. inter *materiale, & formale* ſacræ ſcripturæ. *Materiale* ſunt verba a prophetis & apoſtolis litteris mandata: *Formale* eſt ſenſus complectens dogmata diuinitus reuelata. Eccleſia ſcriptura antiquior eſt, ſi huius *materiale* ſpectes; non eſt antiquior, ſi penſites *formale* ſcripturæ, ideo, quod per dogmata diuinitus reuelata collecta & exſtructa eſt.

*Inſtantia*: Communicauit Deus verbum ſuum protoplaſtis, cum eccleſia iam conſtituta eſſet. Ergo eccleſia verbo diuino, etiam qua *formale* ipſius, antiquior eſt. Reſp. Sermo nobis eſt non de hominibus primis in ſtatu innocentiæ (quamuis nondum euictum ſit, quod Adamus & Eua in ſtatu integritatis fuerint eccleſia, proprie dicta; conf. IO. ADAMI OSIANDRI *colleg. ſyſtem. theol. part. I. p. 90.*) ſed de eccleſia chriſtiana, quæ per proteuangelium primum exſtructa, & per verbum a prophetis & apoſtolis prædicatum, inque litteras redactum, propagata eſt.

IV. Obiiciunt nobis *Pontificii* tritum illud AVGVSTINI: *Evangelio non crederem, niſi eccleſiæ me moueret auctoritas.* Reſp. 1. Auguſtinus loquitur *de ſe in indiuiduo, non autem præſcribit omnibus regulam credendi auctoritatem ſcripturæ.* Quare male infertur: Auguſtinus non credidit euangelio, niſi interueniente eccleſiæ teſtimonio. Ergo omnium credentium par eſt ratio. 2. Loquitur de ſe, non qualis tum erat chriſtianus & epiſcopus, ſed qualis fuerat, *cum a Manichæiſmo ad orthodoxam religionem deduceretur,* ſe nempe haud crediturum fuiſſe (*crederem,* dicit, phraſi Africana ſibi familiari vſus, pro *credidiſſem*) niſi primum eccleſiæ auctoritate commotus fuiſſet. 3. Poteſt eccleſiæ teſtimonium *ordinis ratione primum* eſſe credendi medium, licet *probandi efficacia non ſit primum, nedum vnicum.* Quam ob rem mens Auguſtini non eſt, quod ob auctoritatem eccleſiæ *fide diuina* & immoto aſſenſu crediderit, ſcripturam ſacram eſſe a Deo profectam, ſed loquitur *de motiuo credibilitatis,* quo motus & inductus fuerit ad legendam ſcripturam ſacram, quaſi dicturus: Si eccleſiæ auctoritate & teſtimonio non inductus fuiſſem ad legendam ſcripturam, non credidiſſem, id eſt, nec legiſſem ſcripturam, nec ipſa in me aſſenſum operata fuiſſet: poſtquam vero ſcripturam attente legi, ipſa, concurrente Spiritu ſancto, vi ſua illuminatrice de ſe teſtata eſt in corde meo, vt certo credam, eam immediate a Deo dependere.

V. Quicunque non poſſunt credere ſine prædicante, illi non poſſunt credere ſine eccleſia teſtificante: Atqui, homines non poſſunt &c. Ergo. Maior patet, quia omnis prædicans eſt membrum eccleſiæ. Minor probatur ex Rom. X, 14. Reſp. Diſt. inter *præconium verbi diuini, & teſtimonium eccleſiæ de verbo diuino.* Illud generat fidem diuinam, hoc parit fidem humanam. Et licet neceſſarius ſit prædicans, non tamen creditur propter auctoritatem prædicantis aut proponentis, ſed propter auctoritatem verbi prædicati.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXXIV. *Quæ eſt auctoritas ſacræ ſcriptnræ canonica, ſiue normatiua fidei & morum?*

Auctoritas ſacræ ſcripturæ canonica eſt eminentiſſima ſcripturæ dignitas, qua illa tam ratione ſenſus, quam idiomatis diuinitus inſpirati, infallibilis & adæquata norma eſt, ad quam omnia, homini æternam ſalutem adepturo credenda & agenda, ſunt exigenda, omnes controuerſiæ fidei dirimendæ, & omnia alia ſcripta diiudicanda. *Auctoritas canonica S. S.*

Obſ. I. Auctoritas *cauſſatiua* fidei ab auctoritate ſacræ ſcripturæ *canonica* differt (a) *quod ſcriptura fidem diuinam generat per ſenſum* θεόπνευςον, *ſiue doctrinam cœleſtem*, qui *ſenſus* ſcripturæ vnus & idem eſt, ac manet, ſiue idiomate ſcripturæ primigenio, ſiue verſione aliqua, textui originali conformi, exprimatur. Ideo vis illuminatrix, ſcripturæ *ſenſui* coniuncta, ad generandam fidem non tantum per ſcripturam primigeniam, ſed & per verſionem ſcripturæ ſe efficaciter exſerit, modo verſio perſpicua ſit & textui authentico conformis: qualis eſt verſio biblica B. Lutheri, qua vtuntur homines fideles in noſtris eccleſiis; quæ lecta, vel auditu percepta, tam efficax eſt ad *cauſſandum* aſſenſum fidei, quam ſi textum hebræum veteris & græcum N. T. legiſſent, vel voce docentis propoſitum & explicatum audiviſſent, quamuis verba illius verſionis a Deo immediate non ſint inſpirata. At vero vt ſcriptura valeat auctoritate *canonica*, non tantum ſenſum, ſed & verba a Deo immediate profecta eſſe oportet. Ad canonem enim, ſiue normam doctrinæ & morum, requiritur etiam ex parte verborum certitudo & infallibilitas abſoluta, quæ non datur niſi in primigenio ſcripturæ ſacræ textu, quippe qui a Deo inſpirante immediate dependet. Verſiones concinnatæ ſunt ſtudio hominum, qui in transferenda ſcriptura aliquid humani pati & errare potuerunt. (b) Sacra ſcriptura ſuam potiſſimum exſerit *auctoritatem canonicam*, quando de veritate doctrinæ exoritur controuerſia & veritas confirmanda, falſitas vero confutanda eſt: *auctoritatem vero motiuam fidei* exſerit ſcriptura, quotiescunque vel infideles ad fidem chriſtianam conuertendi ſunt, vel fidelium infirma fides confirmanda eſt.

Obſ. II. Vox canon notat regulam, vel normam, & definitur a *Varino:* Κανών ἐςι μέτρον ἀδιάψευςον πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον. Norma eſt menſura infallibilis, nullam additionem vel detractionem admittens. *Proprie* eſt inſtrumentum menſurandæ quantitatis. *Analogice* vox *canon*, vel *norma*, translata eſt ad leges, quæ dicuntur norma vitæ; & diſciplinarum principia, quæ norma dogmatum ſunt; & ad principium theologiæ, ſcripturam, quæ norma credendorum & agendorum ſalutatur. Conf. D. CALOV. *metaphyſ. diuin. p. m. 655.*

Obſ. III. Norma cognitionis duplici fungitur munere, *directiuo*, & *correctiuo*. Dirigit enim cognitionem humanæ mentis, vt intra metas veritatis ſe contineat, & corrigit errores, ſiquidem rectum eſt norma ſui & obliqui. Dicitur itaque ſcriptura ſacra canon, ſiue norma, partim ob *directionem;* quia ſecundum eam veritas fidei & honeſtas morum dirigitur: partim ob *correctionem:* quoniam controuerſiæ fidei ad eam examinantur, & quidquid rectum piumque eſt, retinetur: quidquid erroneum impiumque eſt, reiicitur.

Obſ. IV. Accipitur autem hic vox, *canon*, a ſcriptoribus chriſtianis tribus modis: 1) *generaliter* pro omni ſcripto aut libro, qui vim aliquam regulæ habet. Quo generali ſenſu decreta pontificum, & ius ipſum pontificium, certo ordine digeſtum, dicitur canonicum, ſiue regulare; propterea, quod ob auctoritatem pontificis illud velut regulam ſequi tenentur, qui eius iurisdictioni ſubiecti ſunt. 2) *Specialiter* pro omni libro, qui in codice biblico continetur; ideo quod ad legentium ædificationem facit, & hoc intuitu quædam regula eſt,



Digitized by Google

quam fideles ad ſui ædificationem ſequuntur. Quo ſenſu *Auguſtinus* libr. XVIII. de C. D. c. 36. libros Maccabæorum, Tobiæ, Sapientiæ, & alios, canonicis accenſet; tametſi eos eccleſia Iudaica in canone nunquam habuerit. 3) *Specialiſſime* pro regula fidei & morum diuina, prorſus certa & infallibili, cui falſum ſubeſſe plane repugnat: quo ſenſu ſpecialiſſimo auctoritas ſcripturæ dicitur canonica; quia ſcriptura ſacra eſt infallibilis credendorum & agendorum regula, a Deo immediate dependens & ab eodem hominibus communicata, vt, quæ illi congruunt, admittantur, quæ diſcrepant, reiiciantur.

Sacram ſcripturam eſſe regulam fidei & morum, probatur, quia diſerte appellatur קָו linea, regula, amuſſis, Pſ. XIX. vbi vox hebræa קַוָּם habetur. Eſt autem קָו vel *funis menſorius opificum aut geometrarum.* Ier. XXXI, 38. Thren. II, 8. 2 Paral. IV, 2. vel *amuſſis architectorum*, Iob. XXXVIII, 5. Eſ. XLIV, 13. vel *linea ſcripturæ*, Eſ. XXVIII, 10. annotante GEIERO in Pſ. XIX. p. 317. Vox græca *κανὼν* legitur Gal. VI, 16. *ϗ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ᾽ αὐτοὺς ϗ ἔλεος*, *& quotquot canone hoc incedunt*, *pax* (erit) *ſuper eos & miſericordia.* Per canonem l. c. ex intentione Paulli primo & proxime intelligitur doctrina cœleſtis, quam epiſtola ad Galatas apoſtolus complexus eſt, de iuſtificatione, de libertate ſpirituali, de noua creatura. At cum ſcriptorum *θεοπνεύστων* eadem ſit ratio, ex vero colligimus, totam ſcripturam *θεόπνευστον* eſſe infallibilem canonem, ſiue regulam vere credendi & pie viuendi. Confer. Phil. III, 16. Certe ſcriptura percommode canon appellatur. Nam eccleſia eſt ædificium myſticum, cuius lapis angularis eſt Chriſtus: Architecti ſunt doctores, qui vtuntur ſcriptura, velut norma, ad domum ſpiritualem erigendam, & doctrinam exſtruendam. Exinde BASILIVS *lib. 1. contra Eunom.* ſcripturam appellat canonem recti & normam veritatis. CYRILL. *lib. IV. dial.* canonem fidei rectum & perfectum vocat. CHRYSOST. *homil. 13. in 2 Corinth.* „Habemus exactiſſimam trutinam & gnomonem ac regulam diuina„rum legum aſſertionem. Ideoque oro & obſecro vos, vt relinquatis, quid huic aut illi vi„deatur, deque his a ſcripturis omnia inquiratis. AVGVSTIN. *l. 11. c. donatiſt. c. 6.* Afferamus ad examen non ſtateras doloſas, vbi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, „pro arbitrio noſtro dicentes: hoc graue, hoc leue eſt; ſed afferamus diuinam ſtateram de ſcri„pturis ſacris tanquam de dominicis teſtamentis, & in illa quid ſit grauius, appendamus, immo „non appendamus, ſed a domino appenſa recognoſcamus. Conf. D. CALOV. *in ſyſtem. theolog. tom. I. p. 475.*„

Quæſt. XXXV. *Vnde innoteſcit nobis auctoritas ſacræ ſcripturæ canonica?*

Ad auctoritatem ſacræ ſcripturæ canonicam requiritur infallibilis certitudo tam doctrinæ, quam verborum ſcripturæ diuinitus inſpiratæ: certitudo abſoluta verborum non datur, niſi in idiomate primigenio. Auctoritas ſcripturæ canonica conſiderata ratione *doctrinæ*, cum ex *κριτηρίοις* externis & internis, tum præſertim ex interno teſtimonio Spiritus ſancti, per ſcripturam attente lectam, vel ex ore docentis auditu perceptam, mentes hominum illuminantis innoteſcit (a). At conſiderata ſcripturæ auctoritas canonica ratione *idiomatis* primigenii, ſiue textus authentici hebræi in veteri, & græci in nouo teſtamento, teſtimonio quidem eccleſiæ primitiuæ (b), ſed non ſolo (c), diſtincte cognoſcitur.

Prob. a. Quibus indiciis & argumentis diuina ſacrarum litterarum origo, iisdem auctoritas ſcripturæ canonica, ratione *doctrinæ* ſpectata, nobis notificatur. Nam ideo S. ſcriptura infallibilis fidei morumque canon, ſiue norma eſt, quia a Deo immediatam ducit ori-

Digitized by Google

originem, & ab eodem in vſum canonicum deſtinata eſt. Quare cum ſupra adducta κριτήρια nos certificent, ſenſum, vel doctrinam S. ſcripturæ immediate a Deo eſſe profectam, canonicam ſcripturæ auctoritatem hic prolixe probare nil attinet, ſi ſpectes doctrinam canonis. At cum *idiomate* primigenio veteris & noui teſtamenti aliter comparatum eſt. Nam Spiritus S. attente meditantibus doctrinam cœleſtem, verſione quadam, latina, an germanica ſit, enuntiatam, teſtimonium internum perhibet, illam eſſe a Deo, cum tamen verba verſionis ſint ab hominibus, qui falli & fallere potuerunt. Sic & pleraque κριτήρια tam externa, quam interna, *ſenſum*, non *idioma* ſcripturæ diſtincte notificant.

Prob. b. Quando quæritur: *Eſtne euangelium Matthæi græce, an hebraice primum ſcriptum?, quæſtio illa non dogmatica, ſed hiſtorica eſt.* Eſt enim quæſtio facti, in ſenſus incurrentis, de quo & ſcriptores canonici ipſi ore, ſubſcriptione manus, & traditione autographorum; & ipſa autographa eccleſiæ tradita, inque ea ſummo ſtudio aſſeruata, ad ſenſum teſtabantur. Huius facti ſenſibilis teſtis eſt eccleſia primitiua, quæ ſcriptoribus in carne viuentibus ſub vexillo Chriſti in terris militauit, eorumque ἀυτόγραφα ab illorum manibus accepit; nec non eccleſia ſubſequens, quæ temporibus proxime ſequentibus, cum ipſa librorum canonicorum ἀυτόγραφα adhuc ſupereſſent, manibus tererentur, oculisque legentium, quo eſſent idiomate conſignata, conſpicerentur, floruit. Eccleſia autem recentior de canonica ſcripturæ S. auctoritate teſtari per ſe non poteſt; ſed ſi teſtari velit, neceſſe eſt, vt ad eccleſiam primitiuam atque ſubſequentem recurrat, & ab ea teſtimonium textus authentici mutuo ſumat. Sic ab eccleſia iudaica hebræi idiomatis in veteri, & ab eccleſia chriſtiana primitiua textus originalis græci in nouo teſtamento teſtimonium petimus.

Prob. c. *Lubentes acceptamus teſtimonium eccleſiæ primitiuæ, ſed non ſolum illud. Adiungimus ei teſtimonium ſcripturæ, diuturnam conſeruationem in vſum hominum ſalutarem, & ſtili qualitatem.* (1) Vetus teſtamentum ſtilo hebraico conſignatum eſſe, colligimus ex Rom. III, 2. vbi Paullus diſerte ſcribit: Iudæis oracula Dei concredita eſſe. Ex quo effato Paullino argumentamur: *Quæcunque oracula Iudæis concredita ſunt, vt per ea ſapientes redderentur in ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, illa ipſis concredita ſunt idiomate hebræo.* Atqui, oracula Dei in ſacro codice veteris teſtamenti comprehenſa &c. Ergo. Maior conſtat, quia per nulla oracula, nulla dicta, homo, aut tota natio ſapiens reddi poteſt in ſalutem, niſi verba vel oracula proponantur homini, vel nationi, idiomate familiari & vernaculo, quod illa natio intelligit, atque adeo ſibi ad ſalutarem vſum applicare poteſt.

Minor liquet ex citato dicto Paullino, Rom. III, 2. collato cum effato eiusdem apoſtoli, 2 Tim. III, 15.

Applicamus teſtimonium Paulli ad linguam græcam noui teſtamenti, & probabiliter colligimus: Quæcunque oracula concredita ſunt omnibus gentibus, vt per ea ſapientes redderentur in ſalutem per fidem, quæ eſt in *Chriſto Ieſu*, ea lingua græca illis concredita ſunt. Atqui, oracula *Chriſti* & apoſtolorum in ſacro codice noui teſtamenti comprehenſa &c. Ergo. Maioris connexio oſtenditur. Quemadmodum Deus & prophetæ oracula ſua concrediderunt Iudæis lingua ipſis vernacula, quam omnes Iudæi intelligebant, nempe hebræa: ita *Chriſtus* & apoſtoli ſua oracula concrediderunt omnibus gentibus per totum terrarum orbem latiſſime diffuſis lingua vulgatiſſima, omnibusque gentibus notiſſima, nempe græca, vt per eam omnes gentes ſapientes redderentur ad ſalutem. Grauiter inquit CICERO *in Orat. pro Archia poëta: Græca leguntur in omnibus fere gentibus, latina ſuis finibus, exiguis ſane, continentur.*

(2) Si controuerſia exoriatur de idiomate primigenio alicuius amanuenſis ſacri, illa non ſemper ſolide dirimi poteſt citra coadhibita alia argumenta. Id quod pateſcit ex quæſtione de

Digitized by Google

de primitiuo euangelii Matthæi idiomate ventilata: ſitne illud primitus hebraice, an græce conſignatum? Nam HVGO GROTIVS in præloquio in euangelium Matthæi refert, piam antiquitatem maxima conſenſione docere πρωτότυπον euangelii Matthæi fuiſſe hebraicum. In quam ſententiam adducit PAPIAM, IRENAEVM, ORIGENEM, PANTAENVM, HIERONYMVM, & EPIPHANIVM. Nihilominus collaudat GROTIVS verſionem græcam, quæ hodie frequentatur, inquiens: *De verſionis græcæ ab ipſo chriſtianiſmi initio receptæ auctoritate ac fide dubitare, nefas arbitror.* D. CALOVIVS contra dimicans pro authentia textus græci HVG. GROTIVM refutatum it argumento petito *a prouidentia diuina*, in *bibl. illuſtrat. tom. I. in nouum teſtamentum fol. 140.* „GROTIVS non dubitandum eſſe dicit de verſionis græcæ „Matthæi auctoritate & fide: ſed ſi non habemus ipſum πρωτότυπον diuina prouidentia con„ſeruatum, quod *in vſum canonicum* eccleſiæ deſtinatum erat diuinitus, quomodo certi eſſe „poterimus, ſiue *de fide & auctoritate translationis*, ſiue *de conſeruatione eiusdem perenni & „intemerata*? Verbum Dei non periturum credimus, ac ne iota, vel apicem eius interire „poſſe, verbo Chriſti ſecure fidem adhibemus, ſed de translationum conſeruatione nullam promiſſionem habemus.„ Quin etiam HOTTINGERVS *ſyſtemat. theol. lib. 1. loc. 3.* citante CALOVIO, vrget hoc, quod nuſpiam exſtet hebraicum euangelium Matthæi authenticum: *Periiſſe autem ipſum textum originalem prouidentiæ diuinæ repugnet.*

(3) Quod ſi quis ea polleat ingenii acie, eaque cognitione hebrææ & græcæ linguarum imbutus ſit, vt textum hebræum veteris, & græcum noui inſtrumenti penitus inſpicere & meditari ſciat, absque vlla hæſitatione crediturus eſt, vtrumque idioma eſſe originale, authenticum, immediate a Deo inſpirante profectum. Fidem ipſi faciet vtriusque ſtili conformitas, ſimplicitas, grauitas, & ſingularis verborum emphaſis.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* aſſerentium, auctoritatem S. ſcripturæ canonicam quoad nos vnice dependere ab auctoritate & teſtimonio eccleſiæ; quorum argumenta ſunt:

1. Eccleſia habet poteſtatem conſtituendi canonem. E. Canon ſcripturæ ab eccleſia dependet. Reſp. *Canon ſcripturæ vel notat libros canonicos, vel catalogum ſiue numerum librorum canonicorum.* Hunc eccleſia hiſtorice recenſet. Sed catalogus librorum canonicorum non eſt articulus fidei. Multi vera ſunt imbuti fide & ſaluati, qui catalogum ſiue numerum librorum canonicorum hunc ignorarunt.

2. Nullibi exſtat in ſacra ſcriptura, quinam libri ſint canonici. Ergo eccleſiæ teſtimonium eſt conditio, ſine qua non cognoſci poteſt canonica librorum biblicorum auctoritas. Reſp. Libri canonici ſunt ipſa S. ſcriptura, quæ teſtatur de ſua auctoritate inſita ſua efficacia, concurrente Spiritu ſancto, in cordibus noſtris operoſa, haud ſecus ac ſol radiis ſuis, ignis calore ſuo de ſeipſo teſtatur.

3. De idiomate primitiuo S. ſcripturæ ſola teſtatur eccleſia. Ergo canonica S. ſcripturæ auctoritas ratione idiomatis primitiui ab eccleſia quoad nos dependet. Reſp. De idiomate primitiuo S. ſcripturæ teſtatur eccleſia non qualislibet, ſed primitiua; at non ſola. Vid. probat. c.

4. Nullibi in ſacro codice exſtat: Hic liber vere eſt euangelium Matthæi: hæc epiſtola vere eſt Paulli. Fortean contingeret, vt mihi quiſpiam falſam proponeret epiſtolam, & aſſereret, hanc ipſam eſſe epiſtolam Paullinam. Quare ne decipiar, teſtimonio eccleſiæ mihi opus eſt. Reſp. Diſt. inter *quæſtionem hiſtoricam* & *dogmaticam.* Quæſtio: An euangelium Matthæi ſit Matthæi? eſt hiſtorica; ad quam reſoluendam teſtimonium eccleſiæ omnino admittendum eſt: ſed quæſtio: an euangelium Matthæi ſit ſcriptum canonicum? eſt quæſtio dogmatica decidenda ex internis & externis κριτηρίοις ſcriptorum canonicorum.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXXVI. *Quomodo diuiduntur libri biblici?*

Libri biblici diuiduntur in *canonicos* & *apocryphos* (*). Libri *canonici* ſunt, quorum & doctrina & verba ſingula ex immediata Spiritus ſancti inſpiratione a prophetis & apoſtolis ſunt conſignata, quique eccleſiæ a Deo ſunt communicati & ab ea recepti, vt eſſent homini ſaluando infallibilis regula fidei & morum. *Diuiſio librorum biblicorum.*

Quæſt. XXXVII. *Quomodo diuiduntur libri canonici?*

Libri canonici alii ſunt veteris, alii noui teſtamenti. Illi ſunt, qui ex immediata Spiritus ſancti inſpiratione ante Chriſtum natum a prophetis lingua hebræa conſcripti, eccleſiæ Iſraëliticæ commendati, & ab ea recepti ſunt, vt eſſent infallibilis norma credendorum & agendorum. Hi ſunt, qui ex immediata Spiritus ſancti inſpiratione ab apoſtolis ſermone græco conſignati eccleſiæ chriſtianæ commendati & ab ea recepti ſunt, vt perpetua ſint regula fidei & vitæ.

Obſ. I. Poſſunt libri biblici (α) *ratione cauſſæ miniſterialis* diuidi in propheticos & apoſtolicos, ex Eph. II, 20. (β) *ratione temporis in libros veteris & noui teſtamenti*, (γ) *ratione formæ & vſus normalis in canonicos & apocryphos.* Vltima diſtinctio notatu digniſſima eſt.

Obſ. II. Conueniunt libri canonici vet. teſtamenti cum libris canonicis noui teſtamenti (α) *ratione cauſſæ principalis Dei, a quo profecti*, 2 Petr. I, 21. 2 Tim. III, 16. (β) *ratione obiecti primarii*, quod eſt Chriſtus Io. V, 39. Act. X, 43. (γ) *ratione vſus canonici.* Luc. XVI, 29. 2 Tim. III, 15. 16.

Obſ. III. Differunt libri canonici veteris & noui teſtamenti (α) *ratione cauſſæ miniſterialis.* Nam libri vet. teſtam. conſcripti ſunt a *prophetis* venturum Meſſiam prædicentibus: libri N. T. conſignati ſunt ab *apoſtolis* de Chriſto in carne exhibito teſtantibus. (β) *Ratione ſubiecti*, quod illos recepit. Libri V. T. concrediti ſunt *eccleſiæ Iſraëliticæ*, Rom. III, 2.: libri N. T. commendati ſunt *eccleſiæ chriſtianæ* ex omnibus gentibus collectæ, Io. XX, 31. Recepit tamen etiam eccleſia chriſtiana libros canonicos V. T. ob pulcherrimam harmoniam ſcriptorum propheticorum & apoſtolicorum, inſignem eorum vtilitatem, & inprimis ob mandatum Chriſti, Io. V, 39. (γ) *Ratione idiomatis*; quia libri V. T. ſcripti ſunt *lingua hebraica* (& in particulis quibusdam *chaldaica*, quæ illius eſt dialectus), quam ceu vernaculam Iudæi intelligebant: libri N. T. ſcripti ſunt *lingua græca*, ceu notiſſima & vſitatiſſima ea ætate. (δ) *Ratione perſpicuitatis*; eo quod N. T. *clarius eſt* veteri teſtamento. Eſt *diſparitas quoad gradus perſpicuitatis*; non autem *diuerſitas quoad obiectum reuelationis*, quaſi

(*) Non nulli quidem recte ſentientium malunt tripartitam facere diſtinctionem librorum, nimirum *canonicorum, eccleſiaſticorum, apocryphorum*, qua ratione eos diſtinxerunt antiquiſſimi quidam doctores, nominatim *Ruffinus* & *Athanaſius.* Sed, quantum ad rem, diſſenſio nulla erit, dum modo *apocryphorum* duæ conſtituantur claſſes, quarum in vna ſint hi ipſi, quos alii adpellant eccleſiaſticos; in altera illi, quos eccleſia ne lectione quidem dignos vnquam iudicauit. Mihi etiam videntur generales partes non plures, quam duæ, legibus adcuratæ diuiſionis conuenientes eſſe. Quot enim genera, tot membra diuiſionis generalis. *Eccleſiaſtici*, qui dicuntur libri, & *apocryphi*, ſunt duæ ſpecies, quæ in vno genere continentur, quoad hoc diſcernitur ab illo *canonicorum.* Omnes igitur libri, vniuerſo ambitu ſacræ ſcripturæ comprehenſi, recte diuiduntur in *canonicos*, & *non canonicos*, βιβλία κανονικὰ, καὶ ἀκανόνιστα, vti ſcriptum exſtat in *Concil. Laod.* can. LIX.



Digitized by Google

quaſi hic alia creditu neceſſaria explicite tradita eſſent, quam illic; quum fides vtrobique eadem ſit. Eph. IV, 16.

Quæſt. XXXVIII. *Quotuplices ſunt libri canonici veteris teſtamenti?*

*Libri canonici vet. teſt.* Librorum canonicorum veteris teſtamenti alii ſunt *legales*, alii *hiſtorici*, alii *dogmatici*, alii *prophetici*. *Legales* ſunt pentateuchus, ſiue quinque libri Moſis, nempe Geneſis, habens capita L. Exodus, cap. XL. Leuiticus, cap. XXVII. Numeri, cap. XXXVI. & Deuteronomium, cap. XXXIV.

*Hiſtorici* ſunt liber Ioſuæ, habens capita XXIV. Iudicum, cap. XXI. Ruth, cap. IV. prior Samuelis, cap. XXXI. poſterior Samuelis, cap. XXIV. prior Regum, cap. XXII. poſterior Regum, cap. XXV. prior Paralipomenon, ſiue Chronicorum, cap. XXX. poſterior Paralipomenon, cap. XXXVI. Liber Eſdræ, cap. X. Nehemiæ, cap. XIII. Eſther, cap. X.

*Dogmatici* (qui etiam poëtici dicuntur) ſunt liber Iobi, cap. XLII. Liber Pſalmorum, CL. Tres libri Salomonis: Prouerbia, cap. XXXI. Eccleſiaſtes, cap. XII. Canticum canticorum, cap. XII.

*Prophetici* ſunt prophetarum, quorum quidam dicuntur maiores, qui prolixiora ediderunt opera; quidam minores, qui arctiora ediderunt. Maiores ſunt quatuor: Eſaias, habens capita LXVI. Ieremias, cap. LII. cuius etiam ſunt Threni, cap. V. Ezechiel, cap. LXIIX. Daniel, cap. XII. Minores ſunt duodecim: Hoſeas, cap. XIV. Ioël, cap. III. Amos, cap. IX. Obadias, cap. I. Ionas, cap. IV. Micheas, cap. VII. Nahum, cap. III. Habacuc, cap. IV. Zephanias, cap. III. Haggæus, cap. II. Zacharias, cap. XIV. Malachias, cap. IV.

Quæſt. XXXIX. *Quomodo diuiduntur libri canonici noui teſtamenti?*

*Libri canonici N. T.* Libri canonici noui teſtamenti diſtinguuntur in *hiſtoricos*, *dogmaticos* & *propheticum*. Libri *hiſtorici* deſcribunt vel vitam & res geſtas Chriſti, vtpote quatuor euangeliſtæ: Matthæus, conſtans ex capitibus XXVIII. Marcus, cap. XVI. Lucas, c. XXIV. Ioannes, cap. XXI. vel vitam & res geſtas apoſtolorum, nempe Acta apoſtolica, cap. XXVIII. *Dogmatici*, ſiue doctrinales, ſunt epiſtolæ ab apoſtolis ſcriptæ. Epiſtolæ Paulli ſunt XIV. ad Romanos, cap. XVI. prior ad Corinthios, cap. XVI. poſterior ad Corinthios, cap. XIII. ad Galatas, cap. VI. ad Epheſios, cap. VI. ad Philippenſes, cap. IV. ad Coloſſenſes, cap. IV. prior ad Theſſalonicenſes, cap. V. poſterior ad Theſſ. cap. III. prior ad Tim. cap. VI. poſterior ad Timotheum, cap. IV. vna ad Titum, cap. III. vna ad Philemonem, cap. I. ad Hebræos, cap. XIII. Epiſtolæ Petri ſunt duæ: prior habens cap. V. poſterior, cap. III. Epiſtolæ Ioannis ſunt tres: prima habens cap. V. altera cap. I. tertia cap. I. vna eſt epiſtola Iacobi, habens cap. V. vna eſt epiſtola Iudæ, cap. I. Liber denique *propheticus* eſt apocalypſis Ioannis, quæ capitibus XXII. abſoluitur.

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. Libri noui teſtamenti a nonnullis diſtinguuntur in πρωτοκανονικȣ̀ς, de quorum auctoritate nunquam eſt dubitatum, & δευτεροκανονικȣ̀ς, quorum auctoritas a nonnullis eccleſiis particularibus in dubium vocata eſt. Huius ordinis ſunt poſterior epiſtola Petri, ſecunda & tertia Ioannis, epiſtola ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, Apocalypſis. Sunt, qui ſtatuunt, pios veteres non tam de canonica eorum auctoritate, quam de illorum auctoribus ſecundariis dubitaſſe. Vid. D. HILDEBRAND. *in inſtitut. theol. p. 68.* At cum hodie euangelici doctores omnes deuterocanonicis iſtis diuinam auctoritatem aſſignent, diſtinctione iſthac minime opus eſſe videtur.

Quæſt. XL. *Quinam libri ſunt apocryphi?*

Libri *apocryphi* ſunt, qui in codice quidem, ſed non in canone biblico exſtant, neque immediato Dei afflatu ſcripti ſunt; adeoque non ad articulorum fidei probationem, ſed ad morum ædificationem in eccleſia publice & vtiliter leguntur; ſuntque vel libri integri, vel partes & appendices librorum ſacrorum. Libri integri vel ſunt hiſtorici, vel didactici. Hiſtorici ſunt Tobias habens capita XIV. Iudith, cap. XVI. Baruch, cap. V. primus Maccabæorum, cap. XVI. ſecundus Maccabæorum, cap. XV. tertius Maccabæorum, cap. VII. Liber tertius Eſdræ, cap. IX. Liber IV. Eſdræ, cap. XVI. Didactici ſunt liber ſapientiæ, habens capita XIX. Eccleſiaſticus vel Siracides, cap. LI. Appendices librorum ſunt epiſtola Ieremiæ Baruch annexa cap. I. additamenta ad Danielem, cap. III. Supplementum Eſther, cap. VII. Oratio Manaſſis, cap. I. *Libri apocryphi.*

Obſ. I. Libri apocryphi dicuntur ἀπὸ τȣ̃ ἀποκρύπτειν ab occultando, vel abſcondendo, propterea quod *occulta eorum origo non claruit illis, quorum teſtificatione verarum ſcripturarum auctoritas ad nos peruenit*, AVGVSTIN. *libr. II. contr. Fauſt. cap. 1.* Occulta eorum dicitur origo, quia nullo κριτηρίῳ, nullo luculento indicio aut certo argumento probari poteſt, illos immediate a Spiritu S. inſpiratos eſſe. Quin potius oſtendi poteſt, eos non eſſe originis diuinæ immediatæ, quia 1) libri canonici veteris teſtamenti hebræo idiomate ſunt ſcripti: at libri apocryphi prodierunt ſermone græco. 2) Libri canonici vet. teſtam. venturo Meſſiæ teſtimonium perhibent, Act. X, 43.: at librorum apocryphorum nullus quidquam de Meſſia venturo teſtatur. 3) Auctores θεόπνευστοι ab errore adeo immunes fuerunt, vt etiam errandi periculo fuerint exemti.: contra ſcriptores librorum apocryphorum metuerunt ſibi ab erratis, eorumque veniam precantur. Facit hoc Siracides in prologo, & auctor libr. 2 Maccab. c. XV, 39. Quin haud exigui in iis errores notantur. In *libro Tobiæ* habetur mendacium angeli c. V, 18. c. XI, 3. ſuperſtitio c. VI, 8. *Liber ſapientiæ* plane tractat ea, quæ ſunt ex philoſophia Platonica. Et licet habeat titulum Salomonis, tamen eſt Philonis. Vtitur dicendi genere tali, quod Platonis ſapit philoſophiam, cenſente IO. ADAM. OSIANDR. *in collect. ſyſtem. theol. part. I. p. 119.* Notatur in ipſo error c. XVI, 21. collat. cum Exod. XVI, 31. Num. XI, 8. In libro *Iudith c. IX, 2.* factum Simeonis tanquam laudabile approbatur, quod tamen ipſe Iacobus moribundus probri incuſauit, Gen. XLIX, 5. Liber II *Maccab.* c. XIV, 42. 43. 46. commendat αὐτοχειρίαν Rhaziæ &c. 4) *Canon* vet. teſtam. libros XXII. teſte IOSEPHO libr. 1. *contra Appionem* continet, *quot ſunt alphabeti Hebræorum litteræ.* Tripartito eſt hic canon, in legem, prophetas & hagiographa diuiſus: quæ partitio vti iam tum Chriſti tempore nota, ſic & ab eodem approbata fuit, Luc. XIV, 44. In qua



Digitized by Google

Iudæorum tripartitione non inueniuntur libri Tobiæ, Sapientiæ, Iudithæ &c. (*) 5) Primitiua eccleſia chriſtiana canonem biblicum vet. teſtam. eodem modo, ordine & numero, quo noſtra eccleſia, recenſet & approbat. Etenim ſynodus Laodicena, circa annum Chriſti 364. ex diuerſis Aſiæ prouinciis collecta, canonem biblicum, quem nos tenemus, per omnia tuetur. Ex antiquiſſimis patribus MELITO Sardicenſis Epiſcopus circa annum Chriſti 150. huius rei ſciſcitandæ cauſſa in orientem profectus, alium a noſtro canonem indagare non potuit, referente EUSEBIO *lib. IV. H. E. cap. XXV.* Subſcribunt Melitoni ORIGENES *in proœm. Pſalm.* & HIERONYMUS *in prologo galeato*, nec non alii græci & latini patres. Conf. HILDEBRAND. *in inſtit. theol. p. 65.*

Obſ.

(*) Nondum idoneis teſtimoniis confirmatum eſt, quod tam antiqua ſit ea diuiſio, quam hodieque vſitatam habemus. Equidem haud abnuo, Chriſtum ad tripartitam quamdam diſtinctionem reſpexiſſe; ſed ad illam, arbitror, de qua IOSEPHUS mentionem fecit L. I. *contra Ap. Moſes, Prophetæ, & hymni*, quorum nomine, vt contextus docet, indicat hos quatuor: Pſalmos, Prouerbia, Coheleth, Canticum. Verum tamen etiam in illa diuiſione nullus numeratur eorum librorum, quos merito putamus apocryphos. Multum audent *Romano-Catholici*, cum canonem V. T. *iudaicum* diuerſum a *chriſtiano* eſſe volunt. Itaque 1) non poſſunt non fateri, libros hosce, de quibus tanta nobis cum illis intercedit controuerſia, nunquam fuiſſe in numero eorum, quos Iudaica eccleſia venerata eſt diuinos & canonicos. 2) Vnde, quæſumus, Chriſtiani acceperunt ſcripturam V. T.? Nonne a Iudæis? quippe quibus credita fuerunt τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, Rom. III, 2. Aut adfirmandum eſt, aut negandum, hæc ſcripta ſub auſpicium N. T. in canone fuiſſe. Id ſi ita eſt; certe fuerunt in Iudaico canone, nam nullus tunc fuit, præter Iudaicum. Sin aliter; quo iure licuerit Chriſtianis, nunc demum eam illis auctoritatem tribuere, qua ſemper caruerint? At non fuerunt in canone Iudaico. Id quod nobis dant aduerſarii. Si quis fortaſſe ſuſpicetur, Iudæos ætate Chriſti & Apoſtolorum, aut paullo ante, expunxiſſe hos libros ex canone; primum id probandum eſſet. Non poſſet autem probari, niſi locupletiſſimis auctoribus, Chriſto, eiusque Legatis, qui profecto tantam hominum perfidiam non ſine graui reprehenſione prætermiſiſſent. Deinde proferendus eſſet antiquus canon, integritate ſua conſpicuus. Denique prorſus nullam huius ſuſpicionis cauſam coniectura adſequi quisquam valebit. Quare id illis in mentem venire poterat? Quid lucri ex eo feciſſent? Quo conſilio cogitare poterant de his libris, qui opinioni Iudæorum, in falſis quibusdam ſignis Meſſiæ vehementer errantibus, aliquid præſidii ferunt (e. g. Sirac. XLVIII, 10. 11. 12.) de his igitur a canone remouendis, non item de aliis, in quibus clariſſimæ exſtant de Ieſu Nazareno vaticinationes? Videtur quidem ipſe AUGUSTINUS eamdem diſtinctionem adprobaſſe, ſi quidem is *de Ciu. Dei* L. XVIII. c. 36. ita pronuntiat: *Libros Maccabæorum non Iudæi, ſed eccleſia pro canonicis habet.* Eum vero, plane adparet, libri *canonici* nomen latiore ambitu vſurpaſſe, nimirum de libro *eccleſiaſtico*, qui ſacris in conuentibus prælegi ſolet, nec regulam doctrinæ auditoribus præbet, ad certam cognitionem, ſed exemplum vitæ ad imitationem. Diſerte addit: *propter Martyrum paſſiones.* Alibi aperte palamque profitetur ſummus ille Doctor, ſe canonem V. T. habere non alium, quam Iudaicum, L. XVII. de C D. c. 20: *Ea minus firma eſſe*, ait, *quæ non ſunt ſcripta in canone Iudæorum.* Ibidem manifeſto diſcernit eam *auctoritatem*, quam *eccleſia*, præſertim occidentalis, tribuerit libro Sapientiæ, vt & Siracidis, ab *auctoritate canonica*, qua tres iſti libri, Prouerbia, Eccleſiaſtes, & Canticum, ab eccleſia ſint recepti. Alio in loco, L. XII. *contra Fauſt. Man.* c. 23. hæc ſunt eius verba: *Quid eſt aliud hodieque gens Iudæorum, niſi ſcriniaria chriſtianorum, baiulans legem & Prophetas, ad teſtimonium aſſertionis euangelicæ.* Ac ne illud quidem ſilentio transeundum eſt, quod veterum Doctorum conſuetudine libri apocryphi interdum dicti ſint *ſacri*, immo & *diuini.* Id vero non ea ratione intellexerunt, qua ſacri ac diuini diſcernuntur ab *humanis;* ſed eo prorſus modo, quo illis *profani* opponuntur. Propterea vocati ſunt *ſacri*, atque etiam *diuini*, quod ad ſacros vſus adhiberentur, eo quoque tempore, quo cultui diuino publice exercendo darent operam. Eum ad modum HIERONYMUS *in præf. in Prouerb.* de libris V. T. apocryphis hanc tulit ſententiam: *vtiles eos eſſe ad ædificationem eccleſiæ, non ad confirmandam dogmatum auctoritatem.*

Digitized by Google

Obſ. II. Sunt & alia *ſcripta apocrypha*, quæ hoc nomine veniunt, quod prorſus ſunt abſcondenda, nec in eccleſia populo prælegenda, cum ſint fabuloſa, abſurda, impia; qualia ſunt euangelium Petri, Thomæ, Nicodemi, apocalypſis Petri, acta Paulli, paſtor Hermæ &c. Vid. EVSEB. *lib. III. H. E. cap. III.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* ſtatuentium, librum Tobiæ, Sapientiæ, Siracidæ &c. libris canonicis annumerandos eſſe; qui ſuam opinionem ſequentibus munitam volunt argumentis:

I. Libri Maccabæorum ab ipſis Iudæis recipiuntur. Ergo ſunt canonici. Reſp. Libri Maccabæorum recipiuntur a Iudæis vt *hiſtorici*, non vt θεόπνευϛοι.

II. Ex quibus libris dogmata fidei probantur, illi ſunt canonici.

Ex libro Sapientiæ &c. Ergo. Minor liquet; quia immortalitas primi hominis probatur ex Sap. II, 24. *Inuidia diaboli mors intrauit in mundum.* Reſp. Diſt. inter probationem *apodicticam & topicam.* Hæc ex libris apocryphis peti poteſt, quæ argumentis apodicticis ex abundanti illuſtrationis ergo adiicitur. Apodictice primi hominis immortalitas probatur ex Gen. II, 17. Rom. V, 12.

III. Liber ſapientiæ citatur in Nou. Teſt. a Paullo Rom. XI, 34. 1 Cor. II, 16. *Quis mentem domini cognouit? Aut quis illi fuit a conſiliis?* Quæ verba leguntur Sap. IX, 13. Ergo liber ſapientiæ eſt canonicus. Reſp. 1) Nuda allegatio non facit librum canonicum. Citantur ſcripta Arati Act. XVII, 18. Menandri 1 Cor. XV, 33. Epimenidis Tit. I, 12. Ecquis auſit illa appellare canonica? 2) Verba Paulli depromta ſunt ex Eſ. XL, 7. 8.

IV. Quicunque ſcriptor veteris teſtamenti teſtatus eſt de Ieſu, ille ſpiritu prophetico fuit donatus, illiusque ſcriptum eſt canonicum.

Atqui Siracides &c. Ergo. Maior conſtat ex Act. X, 43. Minor patet ex c. XLIII, 25. Siracidæ, vbi hic auctor ſequentibus vtitur verbis: *In ſermone eius ſiluit ventus, & cogitatione ſua placauit abyſſum, & plantauit illam dominus Ieſus.* Reſp. Haud leuis commiſſus eſt error in vulgata verſione latina; De quo HVGO GROTIVS in hunc locum citatum: *quantum peccent ſcribæ per ignorantiam aut ſtudium peruerſum religionis, ex hoc loco intelligas. Quidam enim ſcripſere:* καὶ ἐφύτευσεν αὐτὴν Ἰησοῦς, *quod & in quædam exemplaria latina irrepſit: & plantauit illam dominus Ieſus.* Verba textus græci hæc ſunt: Sir. XLIII, 27. Ἐν λογισμῷ αὐτοῦ ἐκόπασεν ἄβυσσον, καὶ ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους, oratione ſua quieſcere fecit abyſſum, & plantauit in ea inſulas. Patet ergo, pro νήσους inſulas ſcriptum eſſe ab aliquibus per errorem: Ἰησοῦς.

V. Obiiciunt *Pontificii*, canonem biblicum librorum V. T. ab eccleſia Romana receptum eſſe antiquiſſimum. Nam hic canon habetur in concilio Tridentino Seſſ. IV., & patres illius concilii acceperunt illum per traditionem ab *Eugenio* Papa, in concilio Florentino, vt videre eſt apud BARTH. CARANZAM *in ſumma conciliorum.* Rurſum Eugenius accepit illum a *Gelaſio* Papa in concilio Romano, vt patet ex II. tom. concil. in decr. Gelaſ. circa finem. Iterum Gelaſius ab *Auguſtino* lib. II. de doctrin. chriſt. cap. VIII. & Auguſtinus a concilio Carthag. III. quod alii quintum, alii ſextum vocant. Denique patres huius concilii ab *Innocentio* epiſt. III. ad Exup. cap. VII. Vixit autem Innocentius anno C. 402. Ab illo igitur tempore primitiuæ eccleſiæ ad nos vsque per continuam traditionem perſeuerat idem ille ſcripturæ canon, quem pontificii nunc tenent & amplectuntur. Reſp. Ex hoc diſcurſu pontificiorum colligitur, ipſos non poſſe ex prioribus ſeculis IV. primitiuæ eccleſiæ vllum teſtem ſuæ ſententiæ producere, cum conſtet, Innocentium I. pontificem vixiſſe ſeculo V. At vero ſi ex antiquitate probaturi eſſent pontificii canonem ſuum, repetendus ille foret ab eccleſia Iſraëlitica prophetis coæua, quæ illorum vidit autographa, eaque vt θεόπνευϛα approbauit & recepit. Huc accedit, quod in illo diſcurſu pontificiorum multa ſint partim incerta, partim falſa. Reiicimus enim decretum concilii Tridentini; quippe in quo pontifex Romanus actor, reus & iu-



Digitized by Google

dex fuit; neque concilium Florentinum auctoritate pollet; vtpote quod ſeculo demum XV. celebratum eſt ab Eugenio, qui decreto concilii Baſileenſis a pontificali auctoritate deiectus erat. Concilium Romanum ſub Gelaſio nimis diſtat a concilio Florentino, decem ſcil. prope ſeculis, vt continuatio iſtius canonis aperte videatur hiulca. Concilium Carthaginenſe antiquius habet, nempe Laodicenum, quod pro noſtro militat canone. Falſum eſt inſuper in concilio Florentino definitum eſſe canonem pontificium. Solus *Bartholomaeus Caranza* hoc affirmat; non habet *Surius*, non *Carolinus*, non tomi conciliorum; ipſe *Antonius*, Archiepiſcopus Florentinus, concilio illi σύγχρονος, noſtrum canonem probat.

VI. Diſtinguunt *Pontificii* inter canonem Iudaeorum & chriſtianorum, praetendentes, libros controuerſos non quidem eſſe in canone Iudaeorum, attamen chriſtianorum, qui propter aſſiſtentiam Spiritus ſancti, quae promiſſa eſt eccleſiae, eos addere canonicis potuit. *Reſp.* Chriſtiani nec poſſunt, nec debent alios libros propheticos acceptare, quam quos acceperunt a Iudaeis, quibus illi ſunt concrediti, Rom. III, 2. Eccleſia chriſtiana libros canonicos non facit, ſed tantum de iis teſtatur. Aſſiſtentia Spiritus ſancti promiſſa eſt eccleſiae non *abſolute*, ſed *hypothetice*, quatenus a mediis, per quae Spiritus ſanctus operatur, non deflectit.

Quaeſt. XLI. *Eſtne canon biblicus ſine defectu adeo perfectus, vt nullus liber canonicus interierit?*

*Integritas canonis biblici.* Canon biblicus adeo integer & illaeſus in hunc vsque diem perſiſtit, vt ne vnicus quidem liber in vſum normalem fidei & morum diuinitus deſtinatus, & ab eccleſia primitiua receptus perierit.

Prob. I. Prouidentia diuina adeo aduigilauit libris θεοπνεύςοις & canonicis, vt ne apicem legis interire paſſa ſit, Matth. V, 17. Ergo multo minus permiſit, vt integri libri perirent.

II. Ioannes theologus canonem vniuerſum clauſit atque obſignauit, ita vt ſub aeterna damnationis poena nil addi aut diminui poſſit. Apoc. XXII, 19.

III. Eccleſia non fuiſſet ſedula atque fidelis theſauraria & cuſtos depoſiti ſibi concrediti, ſi non caute accuraſſet, vt omnes libri canonici illaeſi & integri ad poſteros propagarentur.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* aſſerentium, quosdam libros canonicos interiiſſe. Nam ex mente illorum periit I. *Liber Henochi*, cuius mentionem iniicit S. Iudas epiſtola ſua v. 14. II. *Liber bellorum domini.* Num. XXI, 14. III. *Liber iuſtorum.* Ioſ. X, 13. 2 Sam. I, 18. IV. *Liber iudicii regni.* 1 Sam. X, 25. V. *Liber Salomonis.* 1 Reg. IV, 32. VI. *Liber verborum dierum Salomonis.* 1 Reg. XI, 41. item *Liber ſermonum dierum Iudae & Iſraëlis.* 1 Reg. XIV, 19. VII. *Libri prophetarum Nathanis & Gath.* 1 Paral. XXIX, 26. VIII. *Lamentationes Ieremiae propter Ioſiam regem.* 2 Par. XXXV, 25. IX. *Epiſtola ad Corinthios prima.* 1 Cor. V, 9. Dicit enim apoſtolus: *ſcripſi verbis in epiſtola*, ne commiſceamini *cum ſcortatoribus.* X. *Epiſtola Laodicenſium.* Col. IV, 16. Reſp. a) In genere diſtinguendo inter libros *ſacros & canonicos.* Non omnes libri ſacri eum in finem ſcripti fuerunt, vt perpetuum fidei morumque canonem conſtituerent, qui permittente Deo perire potuerunt: libri autem canonici in perpetuum credendorum & agendorum canonem diuinitus deſtinati & eccleſiae commendati fuerunt, qui per prouidentiam diuinam intercidere nequiuerunt. Quos libros deperditos eſſe autumant pontificii, illi *vel* non fuerunt canonici, *vel*, ſi fuerint in canone, eos periiſſe negamus, ſed in canone biblico ſub aliis nominibus hodienum exſtare arbitramur. Reſp. b) In ſpecie ad I. S. Iudas mentionem iniicit *prophetiae Henochi*, ſed non aſſerit, eam fuiſſe in litteras relatam. Innotuit igitur apoſtolo huic ex immediata Spiritus S. inſpiratione. Ad II. Liber *bellorum domini* non fuit liber propheticus aut canonicus, ſed politicus, quo bella domini ab Iſraëlitis geſta deſcripta fuerunt;

qui

Digitized by Google

qui ſine imminutione canonis biblici interiit. Ad III. Per סֵפֶר הַיָּשָׁר, *librum recti*, nonnulli librum politicum de iure & officio; nonnulli librum annalium forenſium intelligunt, qui interiit ſaluo canone biblico. Ad IV. Liber *iudicii regni* habetur 1 Sam. VIII. Quod ſi diuerſus ab hoc fuerit, nunquam fuit in canone. Ad V. Salomo dicitur elocutus fuiſſe 3000. ſententias. Per has ſententias intelliguntur prouerbia Salomonis, quæ vel omnia, vel pars potior hodienum exſtant. Si quis contenderit, fuiſſe alias ab his, quæ ſuperſunt, ſententias; dicimus, eas nunquam fuiſſe in canone: ſicut ſententiæ Salomonis de rebus phyſicis canoni biblico nunquam fuerunt inſertæ. Ad VI. Liber *ſermonum dierum Iudæ & Iſraëlis* aut fuit liber chronicorum, aut nunquam in canonem fuit receptus (*). Ad VII. *Nathan & Gath* conſignarunt libros Samuelis & Regum. Ad VIII. Loco citato mentio fit *lamentationis Ieremiæ propter regem Ioſiam;* ſed eam litteris mandatam fuiſſe, non aſſeritur. Ad IX. Dicit apoſtolus: Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, ſcripſi vobis in *hac* epiſtola; intelligitur itaque ipſa hæc prior epiſtola. Ad X. Non dicitur ſcripta ac miſſa πρὸς τοὺς ἐν Λαοδικείᾳ, ſed ſcripta ἐκ Λαοδικείας, quæ eſt prior ad Tim. cuius ſubſcriptio eſt: Ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας (**).

Quæſt. XLII. *Eſtne canon biblicus, ſiue textus authenticus hebræus in veteri, & græcus in nouo teſtamento, purus & incorruptus conſeruatus?*

Aduigilante prouida Dei cura canon biblicus in verbis omnibus & ſingulis adeo illibatus & purus conſeruatus eſt (a), vt neque Iudæorum malitia textus hebraicus V. T. ſit deprauatus (b), neque textus græcus N. T. hæreticorum perfidia falſatus (c), neque deſcriptorum incuria, aut inſcitia textus originalis in omnibus exemplis corruptus ſit (d). *Puritas & incorruptio canonis bibl.*

Prob. a. Ex verbis Chriſti Matth. V, 18. *Amen enim dico vobis, vsque dum prætereat cælum & terra, iota vnum, aut vnum corniculum non præteribit de lege, donec omnia fiant.* Circa verba Saluatoris obſeruamus 1) *occaſionem.* Iudæi Chriſtum arguebant, quaſi legem tolleret: Chriſtus vero proteſtatur, ſe non veniſſe ad ſoluendum, ſed implendum legem. Quam certum igitur eſt, legem a Chriſto non eſſe ſublatam, tam illæſa perſtat ſcripturæ integritas. 2) Chriſti *aſſertionem*; qui grauiter aſſeuerat, quod nullus apex, nullum iota perire queat. Ergo nec litteræ, quarum minima apud hebræos eſt iota, neque puncta vocalia, quæ κεραῖαι ſiue cornicula dicuntur, perire poſſunt. Confer. D. CALOV. in *bibl. illuſtr. in h. l. fol.* 187. 3) *Comparationem ſcripturæ cum cælo & terra.* Prius diſſoluetur ingens cœli terræque compages, quam vniuerſali corruptelæ ſacrarum litterarum locus ſit futurus.

(*) Quod vero ad illum attinet locum, 1 Reg. XI, 41. probe obſeruandum eſt, in hebr. codice non ſcriptum exſtare, ספר דברי הימים verum ita: ספר דברי שלמה. Hoc autem nomine ſine illo additamento, הימים, numquam denotari ſolent *Chronica*, vt vulgo dicuntur. Veri eſt ſimillimum, ſignificari librum *Coheleth*, quippe cuius initium hoc eſt: דברי. Scilicet, more antiquisſimo Hebræi ſoliti ſunt libri cuiusque indicem arceſſere a prima eius voce, velut Geneſin nominant ספר בראשית. Res profecto ipſa loquitur. In hoc nimirum libro Coheleth Salomo res geſtas ſuas copioſe commemorauit, ſimul ſapientiæ ſuæ illuſtre documentum edidit. Is igitur liber eſt, cui optime conuenit verborum ſententia in iſto loco 1 Reg. XI, 41.

(**) Quamquam ſubſcriptioni, vtpote cuius auctor incertus eſt, non tuto fides eſt habenda: tamen ea non temere ſolicitanda eſt. Confirmat eam cohærentia verborum Coloſſ. IV, 16 & 17., quæ nos dubitare non ſinit, quin Paullus ſignificet eiusmodi litteras, quarum argumentum eſſet paſtorale. Talis autem omnino eſt prior ad Timoth. epiſtola. Dubitatio quidem haud leuis oritur ex Coloſſ. II, 1. Sed quid obſtat, quo minus exiſtimemus, Paullum in ea vrbe hoſpitem aliquando commoratum latere voluiſſe?

Digitized by Google

turus. 4) *Impletionis vniuerſæ ſcripturæ certitudinem.* E qua ſequens petitur argumentum: Si conſtare nobis non poteſt de impletione verbi diuini, niſi S. ſcriptura ſit integra, neceſſe eſt eam integram ſeruari. Atqui verum eſt prius. Ergo & poſterius. 5) *Diuinæ prouidentiæ rationem;* quæ fundamentum aſſertionis Chriſti eſt, ſi enim verbum Dei non conſeruaretur integrum, nèc eccleſia ſtare poſſet, quæ fundamento prophetarum & apoſtolorum nititur, Eph. II, 20.

Prob. b. *Iudæi textum hebræum corrumpere nec potuerunt, nec voluerunt. Quod non potuerint,* colligitur tum ex Iudæorum per totum orbem diſperſione, tum ex ingenti multitudine codicum biblicorum variis locis deſcriptorum, & latiſſime per plurimas prouincias transportatorum. Quomodo enim Iudæi, per remotiſſima terrarum interualla diſperſi, conuenire & conſpirare potuerunt ad deprauandum tot millia exemplarium biblicorum in hac rerum vniuerſitate vbique obuiorum? *Nec voluerunt Iudæi textum hebræum corrumpere, ſiue ſpectes tempora ante natum Chriſtum, ſiue numeres ſecula poſt Chriſtum in carne exhibitum.* Quod *noluerint* eſſe falſarii ſcripturarum *ante* Chriſtum natum, liquet ex eo, quod commendantur vt bonæ fidei depoſitarii, quibus τὰ λόγια τȢ Θεȣ concredita fuerint, Rom. III, 2. Exinde factum eſt, vt Chriſtus & apoſtoli ad aſſiduum ſcripturæ propheticæ ſcrutinium nos exſtimulauerint, Io. V, 39. Luc. XVI, 29. Act. XV, 21. 1 Tim. IV, 13, & ex ea doctrinam cœleſtem probauerint: qui ſane falſationem textus hebræi ſuſceptam a Iudæis nunquam reticuiſſent. Neque voluerunt Iudæi *poſt* Chriſtum natum codices hebræos corrumpere. Id quod patet ex oraculis de Meſſia in V. T. editis, hodienum illæſis. Si Iudæi cepiſſent conſilium falſandi codicem hebræum, vtique præcipiti impetu adorti fuiſſent vaticinia de Chriſto, eaque ex codice hebræo vel ſurripuiſſent, vel ſaltem interpolaſſent. Atqui vaticinia de Chriſto vſque adhuc in codice hebræo iisdem verbis leguntur, quibus a Chriſto & apoſtolis citantur. Ergo Iudæi nunquam animis intenderunt, textum hebræum veteris teſtamenti deprauare. Teſtantur PHILO libro *de egreſſu filiorum Iſraëlis ex Ægypto,* & ex eo EVSEBIVS *lib. 3. H. E. cap. X.* vſque ad ſua tempora per ſpatium amplius, quam duorum millium annorum, ne verbum quidem fuiſſe vnquam in lege Hebræorum mutatum, & quemlibet Iudæum centies potius moriturum, quam vt pateretur legem in aliquo mutari.

Prob. c. 1) Textum græcum noui teſtamenti perfidia hæreticorum non eſſe corruptum conſtat ex eo, quod eccleſia peræque ſuper fundamentum apoſtolorum, ac ſuper fundamentum prophetarum exſtructa eſt, ad Eph. II, 20. at ſicut fundamentum prophetarum ita & apoſtolorum firmum & ſolidum eſt. Non eſſet autem firmum, ſi ſcripta apoſtolica eſſent corrupta; neque ſcriptura græca noui teſtamenti foret infallibilis fidei norma, ſi eſſet falſata. 2) Quia perfidiæ hæreticorum obſtitit doctorum catholicorum induſtria, textus ſacri corruptionem nunquam permiſſura.

Prob. d. Non potuerunt amanuenſes, deſcriptores aut librarii vniuerſali corruptione omnia exemplaria *hebraica* deprauare, auertente corruptelam vniuerſalem *Maſora,* quæ definiente BVXTORFIO in *Tiberiade cap. II. p. 6.* eſt *doctrina critica a priſcis hebræorum ſapientibus circa textum hebræum S. ſcripturæ ingenioſe inuenta, qua verſus, voces & litteræ eius numeratæ, omnisque ipſarum varietas notata, & ſuis locis cum ſingulorum verſuum recitatione indicata eſt, vt conſtans & genuina eius lectio conſeruetur, & ab omni mutatione aut corruptione æternum præſeruetur, valideque præmuniatur.* Neque potuerunt deſcriptores omnia exemplaria *græca* adulterare. Etenim eccleſia chriſtiana, quæ eſt ϛύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, columna & ſedes veritatis, 1 Tim. III, 15. viros græce doctiſſimos in ſinu ſuo vsque & vsque fouit & aluit, qui in textu diuino ab irrepentibus mendis aut corruptelis vindicando omnem curam & operam fixerunt.

*Antithesis*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, quibuscum ex parte faciunt *Sociniani*, *Arminiani & Anabaptiſtæ*, aſſerentium, textum hebræum & græcum varias eſſe paſſum corruptelas, atque id propter nobis minime prouocandum eſſe ad fontes turbide fluentes; qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Videntur quædam deeſſe in textu hebræo, v. g. Exod. II, 22. Omiſſa eſt enim hiſtorica relatio de altero filio Moſis, quæ in LXX. Interpretum, vulgataque verſione, nec non verſione germanica Lutheri habetur his verbis: *Alium quoque genuit, & vocauit nomen eius Eliezer, dicens: Deus patris mei auxiliatus eſt mihi, & liberauit me de manu Pharaonis.* Reſp. α) *Caietanus* fatetur, hunc verſum eſſe ſuperuacuum, *Louanienſes* eum aſteriſco notant, *Robertus Stephanus* ipſum reiicit, *D. Lutherus* per parentheſin tantum inſeruit. β) Græca & latina verſiones non ſunt regula authenticæ veritatis in textu hebræo. Ex riuulis enim non eſt faciendum iudicium de fonte, ſed contra ex fonte potius iudicandum eſt de riuulis. γ) Hebræus textus verſum illum habet competente loco, Exod. XVIII, 4. Gerſon enim Moſis filius multis annis præceſſerat Eliezerem fratrem; quibus annis Iſraëlitæ reſpexerunt ad Deum, & ad illos viciſſim Deus, Eliezer vero ſub finem annorum illorum natus eſt, & adhuc fuit ἀπερίτμητος, incircumciſus, cum ſeſe Moſes ad reuerſionem in Ægyptum accingeret. Vid. GERH. in *exeg. §. 332.* & conf. D. GLASS. in *Phil. S. libr. I. tract. I. p. m. 54.*

II. Iudæi Pſ. XXII, 17. legunt כָּאֲרִי, *ſicut leo*, cum tamen LXX. interpretes græci habeant verbum ὤρυξαν, latina vulgata: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Iudæos hunc textum ideo deprauaſſe veriſimile eſt, ne exſtaret in V. T. vaticinium de crucifixione Chriſti. Reſp. Vox כָּאֲרִי *eſt genuina & ab omni mendo immunis, atque commodiſſime exponi poteſt per participium:* fodientes, vti reddidit D. Sebaſt. Schmid. in latina bibliorum translatione. Eſt enim a radice כּוּר (quæ quidem in ſacro codice non inuenitur, attamen facile reſtitui poteſt tum e radicibus collectaneis כָּרָה & קוּר, tum e radice Arab. כּוּר vel כָּאַר, (vnde in coni. 2. apud *Golium*: deturbauit fodiens haſta) tum e voce coniugata כּוּר, quæ notat catinum vel fornacem metallicam, quæ ab effodiendo non incommode dici poteſt. Porro e כּוּר analogice in participio Benoni fit כָּר plural. כָּרִים per epentheſin כָּאֲרִים, conf. Ezech. XXVIII, 24. Zach. XIV, 10. Vnde per apocopen כָּאֲרִי, vti dicitur לְכָרִי pro לְכָרִים 2 Reg. II, 4. 19. Itaque כָּאֲרִי eſt participium Benoni plurale, pro כָּרִים facta epentheſi א & apocope ם, exponendum: *fodientes*, Confer. D. PFEIFFER in *dub. vex. p. m. 673.*

III. Pſalm. XIX, 5. habetur, קַוָּם *linea eorum*, cum tamen S. Paullus Rom. X, 18. LXX. viralem ſecutus habeat, φθόγγος αὐτῶν, *ſonus eorum.* Reſp. Hieropſaltes per lineam intelligit lineam ſonoram, ſiue tractum illum, per quem ſonus auditur. Nam v. 4. expreſſe dicitur קוֹלָם vox eorum, & hoc verſu ἐπεξηγητικῶς additur מִלֵּיהֶם *verba eorum.* Proinde linea intelligitur, per quam vox concipitur tranſire, deferri & audiri; quæ quaſi vehiculum vocis eſt ad aures. Quam ob rem in ſenſu idem eſt, ſiue dicatur vox ipſa tranſire, ſiue linea vocem deferens extendi. Reſpexit S. Paullus ſenſum, & citauit LXX. viralem verſionem non vt authenticam, ſed quia tunc vſitatiſſima & receptiſſima erat.

IV. Eſ. IX, 6. legitur in textu hebræo, יִקְרָא *vocabit*, ſed vulgata habet: *vocabitur*; quaſi olim in fonte fuerit: יִקָּרֵא *vocabitur.* Reſp. Vox וַיִּקְרָא imperſonaliter reddenda eſt: und man wird nennen. Poteſt etiam addi nominatiuus conueniens, h. m. *Vocabit fidelis quisque.* Confer. GLASSIVS in *philol. S. lib. III. tract. III. can. XXIII. p. m. 594.*

V. Ier. XXIII. 6. legitur: יִקְרְאוֹ *vocabit eum*, quod in vulgata redditur: *vocabunt eum*, quaſi in fonte eſſet: יִקְרָאוּהוּ *vocabunt eum.* Reſp. Reddi itidem debet imperſonaliter: man wird ihn nennen. Addi poteſt nominatiuus conueniens: *fidelis quisque vocabit eum.*



Digitized by Google

VI. In conflagratione templi & vrbis Hieroſolymæ a Chaldæis excita, libri biblici omnes igne abſumti ſunt; quos diuino Spiritu afflatus Eſdra reſtituit, & in calamum dictauit viris quinque; a quibus ſæpius erratum eſt, celerrime dictante Eſdra. vid. libr. IV. Eſdræ cap. XIV, 14. ſeqq. Reſp. Liber Eſdræ, e quo probatio petitur, in ſummo gradu apocryphus eſt. Non igitur ipſius teſtimonio adducimur, vt credamus, omnia exemplaria biblica igne periiſſe. Obſtat enim α) peruigil æterni numinis cura, quæ ſapientiſſime cauit, ne iota vel apex vnus de verbo diuino periret, Matth. V, 18. β) Exemplarium biblicorum multitudo. γ) Teſtimonium Danielis, qui ſub captiuitate Babylonica ſcripturas legit. Dan. IX, 2. δ) Codicis hebræi puritas. Dictaſſet vtique Eſdras codicem lingua tunc in populo Dei vſitata, ſcil. chaldaica, vel mixta ex Chaldæorum & Hebræorum idiomate: cum tamen lingua puriſſima hebraica conſcriptus codex exſtet. Conſeruatus eſt canon hebræus, ſæuiente Antiocho, qui enixe allaborauit, vt libri Hebræorum omnes comburerentur, 1 Maccab. I, 56. Quanto magis in captiuitate Babylonica? cum Chaldæi non eo ſæuitiæ, quo abreptus erat Antiochus, progreſſi ſint.

VII. 1 Cor. XV, 47. in textu græco legitur: Ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ Κύριος ἐξ ȣ̓ρανȣ̃: In vulgata autem legitur: *Secundus homo de cœlo cœleſtis.* Textus græcus a Marcionitis deprauatus videtur, qui humanam Chriſti naturam negarunt. Reſp. Latina verſio magis, quam textus græcus Marcionitis fauere videtur. Certe fortior eſt antitheſis *terreni & domini,* quam terreni & cœleſtis; cum multæ ſint res cœleſtes creatæ; dominus autem dicatur, qui ſummum in omnes imperium obtinet. Conſentiunt cum textu græco ſyriaca & arabica verſiones.

VIII. Rom. XII, 11. in textu græco legitur: Καιρῷ δȣλεύοντες, cum tamen in verſione latina legatur: *Domino ſeruientes,* perinde, ac ſi ſcriptum ſit: Κυρίῳ δȣλεύοντες. Reſp. Vtraque lectio eſt analoga fidei; attamen connexio textus oſtendit, legendum eſſe: Καιρῷ δȣλεύοντες, quia iudice Paullo cum gaudentibus gaudendum, cum flentibus flendum, adeoque temporis ratio habenda eſt.

IX. In codice græco non habetur cœleſte illud oraculum de tribus diuinitatis perſonis. 1 Io. V, 7. *Tres ſunt, qui teſtantur in cœlo &c.* Reſp. Quod hoc oraculum cœleſte de tribus deitatis perſonis in antiquiſſimis codicibus græcis exſtet, luculenter demonſtrat D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. in h. l. fol. 1664.*

X. Orationi dominicæ velut appendix adiicitur clauſula illa, Matth. VI, 13. σȣ̃ ἐςιν ἡ βαςιλεία &c. quæ non habetur in verſione latina. Reſp. α) inuenitur illa δοξολογία in vetuſtiſſimis græcis codicibus. Legitur in ſyriaca, arabica, perſica & æthiopica verſionibus. β) Latini omiſerunt, vt apparet, ex errore, quia apud Lucam non habetur. Non poteſt autem verſio latina canoni græco præiudicare.

Quæſt. XLIII. *Suntne puncta vocalia litteris Hebræorum coæua?*

*De punctis vocalibus Hebr.*

Puncta vocalia in codice biblico veteris teſtamenti conſonantibus hebraicis ſunt coæua.

Prob. 1. *Quia nulla lingua vocalibus poteſt carere.* Ergo nec lingua hebræa.

Antecedens manifeſtum eſt. Nam vocales a voce dicuntur, quod hanc viuificent & quaſi animent. Ex quo vocales dicuntur animæ vocum. Quis vero credet prophetas ſcripturam nobis tradidiſſe vita deſtitutam?

Dicis: Vocales ſemper litteris Hebræorum exſtiterunt coæuæ quoad valorem, ſed non quoad figuras; vtpote quæ a Maſoretis textui ſacro adiectæ ſint. Reſp. Loquimur nos de ſermone *ſcripto*; quidquid in hoc non exſiſtit, non valet. Valor vocalium ſine figuris adeo nil

Digitized by Google

nil iuuat interpretes, vt propter abſentiam punctorum tam ambigua lectio exſtiterit interpretibus, vt alius ſic, alius aliter legerit, prout vnusquisque coniectura aſſequi potuit.

Prob. 2. *E teſtimonio Chriſti*, aſſerentis Matth. V, 18. *non periturum de lege iota vnum, nec apicem vnum.* Quibus verbis & litteram & punctum minutiſſimum coniungit. Ergo tempore Chriſti viſibiliter præſentis puncta vocalia exſtiterunt litteris adſcripta.

3. *A ſcripturæ perfectione*, quæ adeo abſoluta eſt, vt non diminutionem magis, quam augmentum reſpuat, Deut. IV, 2. At iuxta hypotheſin de punctis, a Rabbinis adiectis, neceſſario ſtatuendum erit, aliquod augmentum humanum ſcripturæ diuinitus inſpiratæ acceſſiſſe.

4. *A notis Maſoreticis.* Maſoretæ vocales exſtantes ponderarunt, & de illis iudicium tulerunt. Ergo Maſoretæ puncta vocalia non inuenerunt aut excogitarunt.

5. *A conſequentibus abſurdis.* Si puncta vocalia litteris Hebræorum non fuerunt coæua, per multa ſecula ſcriptura veteris teſtamenti fuit flexiloqua & obſcura. Abſentibus enim punctis litteræ vario poſſunt legi modo. Grauiter errarunt LXX. interpretes in transferendo textu hebræo, quia codice punctato ex multorum ſententia deſtituti fuerunt.

*Antitheſis* eſt tum *Pontificiorum*, tum *Criticorum*, Rabbi Eliæ Leuitæ, Grotii, Erpenii, Ludouici Capelli, Waltoni, & aliorum: quorum potiora ſunt argumenta:

I. Quo non ſunt vſi LXX. interpretes, id tunc temporis non exſtitit. Atqui, codice punctato LXX. interpretes vſi non ſunt. Ergo codex punctatus tunc non exſtitit. *Maior* probatur, quia *LXX. interpretes erant viri honeſtate vitæ, ſenio & prudentia legum præſtantes*, teſte *Ariſtea* p. m. 31. ampliſſimis muneribus ad *accuratam & conſentientem* legis diuinæ interpretationem a rege Ptolemæo inuitati; qui haud dubie punctato vſi fuiſſent codice, eoque accuratiſſimo, ſi tunc temporis puncta vocalia litteris adſcripta fuiſſent. *Minor* prolixe probari poteſt; ſed hac vice tantum adducemus Gen. XLVII, 31. vbi textus hebræus habet: וַיִּשְׁתַּחוּ יִשְׂרָאֵל עַל־רֹאשׁ הַמִּטָּה LXX. reddiderunt: Καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῦ ῥάβδȣ αὐτȣ̃. Verba hebræa latine redduntur: *tum incuruauit ſe Iſrael ſuper caput lecti.* Verba græca, quæ citauit Paullus Hebr. XI, 21. latine exprimuntur: *& adorauit ſuper ſummo baculi ipſius.* Hæc translatio LXX. interpretum haud obſcuro eſt indicio, ipſos caruiſſe codice punctato. Nam vox Hebræa מטה pro diuerſo punctorum vocalium poſitu & lectum & baculum notat; lectum, ſi ſcribas, מִטָּה: baculum, ſi ſcribas, מַטֶּה. Cum autem in omnibus codicibus punctatis conſtanter legatur מִטָּה ad deſignandum lectum, & nihilominus LXX. tranſtulerint hanc vocem hebræam per ῥάβδον, procliue collectu eſt, illos manibus triuiſſe codicem hebræum nullis punctis inſignitum. Reſp. 1) A verſione LXX. græcorum interpretum inualidum petitur argumentum. Sunt enim auctores graues, qui ſtatuunt antiquam verſionem LXX. interpretum penitus interiiſſe, e quorum cenſu ſunt *Pagninus*, *Vſſerius*, *Druſius*, & alii: alii cenſent, ſupereſſe quidem antiquam verſionem LXX. ſed non pure fluentem, verum multis modis turbatam. Memoratu digna ſunt verba Cardinalis BELLARMINI *l. II. de verbo Dei cap. VI. fol. m. 82. Probabile cenſeo, illam verſionem LXX. interpretum ſupereſſe, ſed adeo corruptam & vitiatam, vt omnino alia eſſe videatur.* Addo noſtrum D. PFEIFFERVM, in *dubiis vexatis*, grauiter ſcribentem *p. 41: Quod non ita accipiendum, quaſi LXX. interpretum ætate nulla punctata exemplaria exſtiterint, vel illi talia non habuerint; ſed quia nonnunquam puncta præſentia ſtudio neglexerunt, quod & Talmudici faciunt e praua hypotheſi de variis ſenſibus litteralibus in ipſo textu (mutatis paullulum punctis) nidulantibus.* Quid? ſi dicamus iſtam verſionem profectam eſſe ab hominibus ἀνεβραίοις, non tamen a LXX. interpretibus, cum verſio, quæ ſub ipſorum nomine circumfertur, adeo ſit interpolata, vt ægre iam pronuntiare queas, quid indubitato ab iis ſit, quid minus.

 2) D.

2) D. WASMVTHVS alias affert cauſſas diſcrepantiæ illius verſionis a textu hebræo; nempe quod LXX. vſi libertate paraphraſtica, de verbis parum ſolliciti, ſenſum tantum commodum exprimere annixi ſint: quod translatio illorum potiſſimum facta ſit e codice ſamaritano: quod rariores tunc exſtiterint punctati codices ob maiorem ſcriptionis difficultatem; vel etiamſi haberi forte potuerint punctati codices, nihilominus illam punctorum & accentuum abſtruſiorem doctrinam habuerint tunc quaſi partem legis oralis a Moſe acceptæ, quam exteris & gentibus propalare nefas duxere. Vid. WASMVTH. in *vindic. hebr. L. p. 116.*

II. Hodiernum volumen legis non punctatum apud Iudæos in ſummo eſt pretio, quod ſumma religione in ſuis aſſeruant ſynagogis, nec ſine ſacro horrore populo conſpiciendum præbent. Quo adumbratum ipſi volunt primæuum Moſis pentateuchum vocalibus item deſtitutum. Reſpondeo verbis WASMVTHI *l. c. p. 135.* Introducta eſt hæc conſuetudo apud Iudæos ab eo demum tempore, ex quo per repertas צירופים, ſeu multiplices combinationes cabaliſticas, cabalæ abuſus ac peruerſum ſtudium detorquendi ſcripturam in varios ſenſus exſtitit. id quod manifeſto deprehenditur ex his R. *Bechai* ad Num. XI, 5. *Hac de cauſſa iuſſi ſumus non punctare librum legis.* A quo iuſſi ſint, non addit: cauſſam vero ſubiicit, (non hanc, quod Moſes quoque legem ſic ſcripſerit, ſed) *quia non niſi vnicum vox punctata admittit ſenſum; voce vero non punctata poteſt homo intelligere & inuenire multos, eosque admirandos & eximios ſenſus.*

III. Puncta vocalia non abſolute neceſſaria ſunt codicem hebræum legentibus, modo accurate obſeruent conſtructionem & litteras ſeruiles. In aliis linguis coniugandi & declinandi variatio principaliter in vocalibus hæret, ſed in lingua hebræa pendet a litteris ſeruilibus. Quare vero conſentaneum eſt, Iſraelitas ſcripta prophetica ſine punctis legiſſe. Reſp. i. quamuis puncta vocalia non abſolute neceſſaria ſint ad legendum ſcriptum aliquod hebræum, haud parum tamen faciunt ad certitudinem & perſpicuitatem S. ſcripturæ. Sublatis enim punctis, textus hebræus ambiguitati & obſcuritati obnoxius redditur. v. gr. Si ſcribatur דברי per hanc vocem hebræam intelligi poteſt: *peſtis mea, verbum meum, verba mea,* & in regimine, *verba.* Sed ſi adduntur puncta vocalia, illa ambiguitas protinus exſpirat.

Quæſt. XLIV. *Competitne S. ſcripturæ poteſtas iudicandi?*

*Poteſtas iudicandi S. ſcript.* Poteſtas iudicandi competit S. ſcripturæ, *tum* quatenus eſt vox ſummi iudicis Spiritus ſancti, qui per ſcripturam loquitur, per eam omnes controuerſias diiudicat & ſententiam ſuam pronuntiat (a) *tum* quatenus eſt norma primaria & adæquata, quam iudex inferior in diſcernendo vero a falſo, bono a malo, reſpicere & attente obſeruare tenetur (b).

Obſ. 1. Diſtinguunt theologi inter iudicem iudicantem *αὐτοκρατορικῶς, κανονικῶς, καὶ διακονικῶς.* Iudex *αὐτοκρατορικὸς ſummus, abſolutus & independens* omnium controverſiarum fidei eſt Deus *triunus pater, filius, & ἰδιοποιητικῶς,* ſiue *per appropriationem, Spiritus S.* Iudex *κανονικὸς,* vel *ὀργανικὸς, directiuus & inſtrumentalis* eſt *S. ſcriptura.* *Iudex διακονικὸς,* ſiue *miniſterialis,* eſt vel *publicus* nempe *miniſterium eccleſiaſticum,* cui competit iudicium *προφητικὸν,* ſiue *exegeticum* S. ſcripturam interpretandi: vel *priuatus,* nempe quilibet homo per verbum Dei illuminatus & renatus, cui competit iudicium *δοκιμαστικὸν,* ſiue diſcretiuum. 1 Cor. X, 15. 1 Theſſ. V, 19.

Obſ. 2. Vox *iudex* in ſenſu ſtrictiori notat perſonam iudicantem, ſenſu latiori accepta etiam vocem iudicis, & normam, quam in iudicando reſpicit, complectitur. Quo ſenſu dixit ARISTOTELES *L. 5. ad Nicomach. c. IV.* *Adire ad iudicem eſt adire ad ius. Iudex enim nihil videtur aliud eſſe, quam ius animatum.* Et CICERO *libr. III. de legibus: Lex eſt*

*mutus*

Digitized by Google

*mutus magiſtratus, ſicut magiſtratus eſt lex loquens.* Hinc D. DORSCHEVS *in Thoma confeſſore veritatis p. 29.* inquit: *S. ſcriptura iudicat tanquam iudex canonicus, & per eam Spiritus S. tanquam iudex hypoſtaticus.*

Obſ. 3. S. ſcriptura iudicat (α) *directiue*, tanquam *canon & norma*, quam iudex inferior reſpicere, eique in iudicando ſententiam ſuam, quam de exorta controuerſia fidei pronuntiat, confirmare tenetur. Hoc ſenſu S. ſcriptura dicitur iudex canonicus, normalis & directivus, quia iudicem inferiorem nempe miniſtrum eccleſiæ & quemlibet hominem renatum, ne in iudicando aberret, inſtar normæ & amuſſis dirigit. (β) *Definitiue*, quia tanquam *vox ſupremi iudicis* litigantes partes componit, dubia religionis definit & controuerſias dirimit. (γ) *Effectiue*, quatenus *S. ſcriptura eſt efficaciſſimum* ὄργανον, *medium & gladius Spiritus ſancti*, quo cor hominis penetrat, animum ferocientem ſubigit, & partium litigantium conſcientias conuincit.

Obſ. 4. Quamuis ſupra luculenter probata ſit canonica S. ſcripturæ auctoritas: hic tamen nobis incumbit debitum demonſtrandi, S. ſcripturam eſſe normam decidendarum controverſiarum primariam & adæquatam. Quamuis enim οἱ ἐξ ἐναντίας concedant, S. ſcripturam eſſe normam credendorum & agendorum, negant tamen S. ſcripturam eſſe normam vniuerſalem, totalem & primariam.

Prob. a. (1) Quicunque eſt auctor ſcripturæ ſacræ, is de illius ſenſu omnibusque in ea contentis dogmatibus omnium optime iudicat. Atqui Deus &c. 2 Tim. III, 16. Ergo.

(2) Quicunque arguit mundum de peccato, de iuſtitia & iudicio, ille eſt ſummus iudex in rebus ſpiritualibus. Atqui Spiritus S. &c. Io. XVI, 8. Ergo.

(3) Quicunque fuit iudex controuerſiarum tempore naſcentis eccleſiæ chriſtianæ in concilio apoſtolico, ille hodiernum in omnibus conciliis eſt ſummus iudex. Atqui Spiritus S. per ſcripturas loquens &c. Ergo. Minor prob. ex Act. XV, 28. vbi ſententiam deciſiuam concilii apoſtolici, ſequentibus verbis pronuntiant apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Iudices miniſteriales in concilio apoſtolico erant apoſtoli & presbyteri eccleſiæ Hieroſolymitanæ, aliique pii viri. Act. XV, 6. 22. 23. Supremus iudex erat Spiritus S. loquens per ſcripturas. Nam Iacobus Petri ſuffragium comprobabat ex ſolis oraculis propheticis, dicens: *Et huic conſentiunt verba prophetarum: ſicut ſcriptum eſt* (Amos IX, 11.) Iudicauit ergo Spiritus S. in concilio apoſtolico per ſcripturam propheticam; hæc erat vox ſupremi iudicis Spiritus S.

(4) Si Deus ſupremus iudex per ſcripturam homines concludit ſub peccato, vtique ſcriptura vox eſt ſummi iudicis, per quam homines peccati conuincantur. Atqui prius indubitato verum eſt. Ergo & poſterius. Antecedens patet ex collatione dictorum Paullinorum. Rom. XI, 32. & Gal. III, 22. *Deus enim dicitur omnes concludere homines in infidelitatem, vt omnium miſereatur.* Rom. XI, 32. *De ſcriptura itidem affirmatur, quod omnia concludat ſub peccatum; vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus.* Gal. III, 22. Audiamus interpretem CALOVIVM *in bibl. illuſtr. ad Rom. XI, 32. fol. 201. Concluſit Deus omnes ſub* ἀπειθείᾳ, *non* ἐνεργητικῶς, *operando ſeu efficiendo incredulitatem; ſed* ἐλεγκτικῶς, *arguendo conuincendo & condemnando: non* αἰτιατῶς, *ſeu cauſſaliter, ſed* δικαστικῶς *& iudicialiter, qua voce legis, ſeu legalis ac iudiciariæ ſententiæ, rei arguuntur omnes homines, conuincuntur de peccato, & condemnantur ob peccatum, ac velut in carcerem compinguntur, captiuique detinentur æternæ condemnationis mancipia.* Deut. XXVII, 26.

(5) Chriſtus ipſe verbo ſuo partes iudicis aſſignat, Io. XII, 48. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet ipſum: verbum, quod locutus ſum, illud iudicabit illum in extremo die.* Qua ratione verbum Chriſti iudicabit in extremo die, eadem iudicat in hoc ſe-



Digitized by Google

culo. Sed iudicabit in extremo die conſcientias peccatorum conuincendo: Ergo eandem poteſtatem iudicialem in hoc ſeculo obtinet.

Prob. b. S. ſcripturam eſſe normam adæquatam & primariam, iuxta quam omnia fidei dogmata morumque præcepta ſint diiudicanda, patet

1. Ex effato Paullino, Gal. VI, 16. *Quotquot canone hoc incedunt, pax (erit) ſuper eos, & miſericordia, & ſuper Iſraëlem Dei.* Supra oſtenſum eſt, hoc dictum apoſtolicum recte intelligi de ſcriptura ſacra, cuius compendium nobis exhibet hæc ad Galatas ſcripta epiſtola. Iam argumentamur: Quodcunque verbum ſufficit ad gratiam a Deo ac pacem obtinendam omnibus, rectam viam fidei pietatiſque decurrentibus, illud eſt norma adæquata credendorum & agendorum. Atqui verbum Dei reuelatum, & a prophetis atque apoſtolis in litteras relatum, eſt &c. Ergo.

2. Ex oraculo prophetico Eſ. IIX, 19. 20. *Quando vero dixerint ad vos: quærite pythones & hariolos ſibilantes & muſſitantes:* (reſpondeo) *Annon populus Deum ſuum quæret? pro viviſne mortuos?* (Quare) *legem & teſtimonium* (quæret): *quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc: profecto non* (erit) *vlli aurora.* Obſ. (1) Scopus prophetæ erat, præmunire pios a ſuperſtitione & idololatria illorum, qui de rebus dubiis conſultum ibant pythones & hariolos. Serio dehortatur propheta populum Dei ab hac ſuperſtitione, petito argumento a iure & æquo: *Annon populus Deum ſuum quæret?* quaſi dicat: Annon æquum eſt, vt quisque populus conſulat Deum ſuum, quem futura prænoſſe perſuaſus eſt. Illuſtrat propheta argumentum ſuum contrario, dicens: *Num pro viuis ad mortuos?* q. d. Nonne iniquum & abſurdum eſt, pro ſalute viuorum conſulere mortuos (ſiue intelligas idola, ſiue manes defunctorum) qui nil ſciunt, nil iuuare poſſunt? (2) Concludit propheta: *Quare legem & teſtimonium quæret.* Lex & teſtimonium eſt lex Moſaica & vniuerſa ſcriptura, in qua Deus conſuli potuit, vt ſenſus ſit: Si vultis certi eſſe de caſibus dubiis, & incertis euentibus futuris, nolite abire ad pythones & diuinatores, ſed ad legem & teſtimonium, in quibus clare habetis, quid facere, quid omittere debeatis, vt ſalutares euentus exſpectare certo poſſitis. (3) Subiungit propheta comminationem: *Si non dixerint verbum hoc*, i. e. ſi doctores, vel patres veſtri, non ablegauerint populum ad legem & teſtimonium Dei, & populus non obediuerit: tum non erit populo illi *aurora*, ſiue lux illius ſapientiæ ſalutaris, & inde prouenientis boni atque felicitatis, ſiue temporalis, ſiue ſpiritualis. Ex verbis prophetæ ſic explicatis argumentamur: Ad quodcunque ſolum ablegatur vniuerſus populus & obligatur in ſoluendis dubiis circa ſalutem, illud eſt vnica & adæquata norma, iuxta quam omnia de ſalute hominis mota dubia examinanda & ſoluenda ſunt. Atqui ad legem Moſaicam & teſtimonium ſcripturæ &c. Ergo. Minor vberius confirmari poteſt verbis Abrahami, quibus inſtruebat diuitem epulonem: *Habent Moſes & prophetas, audiant illos*, Luc. XVI, 29.; prorſus ac ſi diceret: adæquata pœnitentiæ rite agendæ regula eſt ſcriptura Moſaica & prophetica.

3. E teſtimonio apoſtolico, quo ornatur Timotheus 2 Tim. III, 15. 16. quod explicatum vid. ſuperius. Ad normam enim credendorum & agendorum facile applicatur, modo loco principii theologiæ adæquati ſubſtituatur norma fidei & morum adæquata.

4. Quod ſolum a Chriſto, apoſtolis, aliisque ſanctis pro norma controuerſiarum fidei fuit habitum, id etiamnum ſolum eſt norma fidei, eaque primaria. Atqui ſacra ſcriptura eſt id, &c. Ergo. Maior clara eſt, quia non alia, quam quæ a Chriſto, apoſtolis, & aliis ſanctis norma controuerſiarum fuit adhibita, hodie adhiberi poteſt. Sicut enim tempore Chriſti & apoſtolorum & noſtro tempore eadem ſunt credenda & agenda: ita quoque eadem norma eſt adhibenda. Minor probatur exemplo Chriſti, cum Phariſæis & Saducæis ex ſcriptura diſputantis, Matth. XIX. & Iudæos ad ſcripturam remittentis. Io. V, 39. Idem patet exemplo apoſtolorum

Act.

Digitized by Google

Act. XXV, 22. vbi Paullus *extra prophetas & Moſen ſe nihil dixiſſe aſſerit.* Similiter Stephanus Act. VI. vnice ex ſcripturis diſputat. Beroënſes quotidie ſcrutati ſunt ſcripturas, num ſe haberent hæc ita, quæ Paullus docebat. Act. XVII, 11.

*Antitheſis* eſt 1. *Pontificiorum* opinantium, ſacram ſcripturam eſſe normam controuerſiarum fidei partialem, ſed non iudicem. 2. *Socinianorum* negantium, ſacram ſcripturam eſſe vnicam regulam fidei. 3. *Arminianorum* concedentium, S. ſcripturam eſſe normam controuerſiarum fidei, ſed non iudicem effectiue iudicantem. 4. *Quakerorum*, infitiantium, S. ſcripturam eſſe normam fidei & morum primariam & vniuerſalem; quippe quam ſtatuunt eſſe dictamen ſpiritus immediate loquentis aut reuelantis cuique hominum internum; quamuis concedant, ſacram ſcripturam eſſe normam partialem, ſubordinatam, ſecundariam & declaratoriam. Potiora eorum argumenta ſunt ſequentia.

1. Norma fidei non eſt eius iudex. Atqui S. ſcriptura eſt norma fidei. Ergo. Reſp. (1) Norma fidei non eſt iudex eius αὐτοκρατορικὸς & perſonalis; concedo: at vero eſt iudex fidei κανονικὸς & directiuus. (2) Sacra ſcriptura non tantum eſt norma, quam iudex inferior reſpicit, ſed eſt etiam vox iudicis ſuperioris Spiritus ſancti, qua per ſcripturam S. controuerſias de religione exortas dirimit.

2. Si S. ſcriptura non eſt iudex perſonalis, non erit iudex proprie talis. Sed ſi non eſt iudex proprie talis, non proprie & vere iudicabit. Reſp. Si ſenſu ſtrictiori iudex dicatur perſona iudicans, fatemur ſacram ſcripturam non eſſe iudicem proprie, ſed improprie talem (improprietate grammatica, non rhetorica). Neque tamen hac de cauſſa dicendum eſt, quod S. ſcriptura non vere iudicet. Etenim quæ poteſtas iudicandi Spiritui ſancto competit *originaliter*, illa conuenit S. ſcripturæ *participatiue;* ideo, quod vox ſummi iudicis eſt conſcientiam conuincens, dum Spiritus ſancti ſententiam tam clare & perſpicue exhibet, quam certo ſententia pro tribunali, viſibili iudice ſcripta & partibus litigantibus tradita, iudicis viſibilis vox eſt.

3. Quicunque vere iudicat, immorigeros cogere poteſt ad obedientiam. (Ceteroqui iudicium ſine exſecutione latæ ſententiæ erit campana ſine piſtillo.) Atqui S. ſcriptura non poteſt cogere immorigeros ad obedientiam (quia plurimi iudicium S. ſcripturæ aſpernantur). Ergo S. ſcriptura non vere iudicat. Reſp. Diſtinguendo inter *coactionem externam corporum, & internam mentium, ſiue conſcientiarum.* Scriptura non cogit corpora, ſed conuincit mentes & conſcientias, vt veritati cœleſti ſe ſubmittant; quod nullis impetrabis machinis politicis, facilius hypocritam facturus, quam fidelem. Neque eſt, quod obuertas, haud paucos iudicium S. ſcripturæ aſpernari; quod non facerent, ſi ſcriptura iudicaret coactiue. Etenim conſtat, plurimos empæctas iudicium Chriſti ſumma cum vi & poteſtate iudicantis contemtim habere. Cogit S. ſcriptura *non violenter*, ſed *ſupernaturaliter*, non *per vim irreſiſtibilem*, ſed *reſiſtibilem.*

4. Quicunque eſt iudex controuerſiarum fidei, ille condemnat hæreticos, vt fateantur ſententiam contra ſe eſſe latam. Atqui Spiritus S. per ſcripturam S. loquens non ita condemnat hæreticos. Ergo Spiritus S. per ſcripturam S. loquens non eſt iudex controuerſiarum fidei. Reſpondeo negando maiorem, & diſtinguendo inter λόγον ἔσω καὶ ἔξω, *inter ſenſum internum cordis, & confeſſionem externam oris.* Spiritus S. per ſcripturas loquens condemnat hæreticos, vt in corde ſentiant ſententiam contra ſe eſſe latam; licet ore non fateantur, ſe eſſe conuictos. Adiice, quod *Spiritus S. hæreticos condemnet non nominatim & indiuidualiter*, ſed *generatim & fundamentaliter*, generale fundamentum ſententiæ condemnatoriæ ſuppeditando, iuxta illud Io. III, 18: Qui non credit, iam iudicatus eſt.

5. Iu-

Digitized by Google

5. Iudex proprie dictus debet eſſe viſibilis, qui ab omnibus iudicandis videri & audiri queat. Spiritus S. per ſcripturas loquens non eſt viſibilis. Ergo. Reſp. Neg. maior, quia *viſibilitas non eſt iudicis requiſitum eſſentiale & vniuerſale, ſed accidentale & particulare.* Neque enim iudicat iudex, quatenus eſt *viſibilis*, ſed quatenus eſt *intelligibilis*, ſiue quatenus ſententiam edit, quæ percipi poteſt. Viſibilitas magis ab inferiori, quam ſuperiori iudice requiritur. Sic pontifex Romanus ſuum iudicium publicat non immediate, ſed mediate per præcones, legatos, bullas vbi tamen ipſe papa non videtur.

6. Quæcunque norma eſt vniuerſalis credendorum & agendorum, illa omni exſtitit tempore. Sed S. ſcriptura non exſtitit omni tempore. Ergo. Maior conſtat, quia norma non omni, ſed quodam tantum tempore dirigens fidem moresque non omnium, ſed quorundam tantum hominum, non eſt vniuerſalis, ſed ſaltim particularis. Minor clara eſt, quia S. ſcriptura temporibus patriarcharum non exſtitit. Reſp. *S. ſcriptura dicitur norma vniuerſalis non ratione temporis, neque ratione ſubiecti, ſiue hominum, ea norma vtentium, ſed ratione obiecti, quia omnia dogmata fidei intra veritatis limites, omnia præcepta morum intra ſanctitatis cancellos dirigit, & ab omnibus falſis dogmatibus, omnibusque inquinatis & imperfectis morum præceptis diſcernit.*

Inſtantia. Sicut vna eſt fides patriarcharum & noſtra: ita oportet eſſe vnum fidei principium, vnam credendorum normam. Reſp. *Sicut fides patriarcharum & noſtra eſt vna: ita vnum eſt generandæ fidei principium, vnaque norma, nempe verbum Dei reuelatum, ſed modus adminiſtrandæ reuelationis diuinæ diuerſus eſt.* Nam patriarchis Deus verbum ſuum immediate inſpirauit, iisque priuilegium longæuitatis conceſſit, vt doctrinam cœleſtem, viua voce, ſine ſcripto, quaſi per manus traderent poſteris; ſed quia figmentum cordis humani malum eſt, puritas verbi per traditiones viuæ vocis non fideliter fuit conſeruata, ſed corrupta & adulterata, imo tandem plane amiſſa. Quamobrem Deus tempore Moſis aliam docendi rationem conſtituit & oſtendit, vt ſcilicet *ſcriptis diuina auctoritate & teſtimonio approbatis & confirmatis puritas doctrinæ cœleſtis propagaretur, & conſeruaretur: ne quæſtionibus, aut controuerſiis, de veteri genuina & pura patriarcharum doctrina exortis, ſemper & quærendæ, & exſpectandæ eſſent nouæ & peculiares reuelationes:* vti egregie monet noſter CHEMNIT. *in exam. concil. Trid. de origine & vſu verbi diuini fol. m. 8.*

7. Canon vniuerſalis credendorum & agendorum eſt infallibilis. Canon ſacræ ſcripturæ non eſt infallibilis. Ergo canon ſacræ ſcripturæ non eſt vniuerſalis credendorum & agendorum canon. Maior ſua radiat luce. Minor probatur, quia 1. canonem ſcripturarum conſtituit eccleſia, cuius teſtimonium eſt humanum & fallibile. 2. Canonem biblicum quædam concilia, nimirum Carthaginenſe III. Florentinum & Tridentinum laxarunt, pluresque libros, vtpote librum Sapientiæ, Tobiæ, Maccabæorum, canoni biblico inſeruerunt: quædam concilia canonem ſcripturæ coarctarunt, memoratosque libros in canonem non receperunt, nempe concilium Laodicenum & Conſtantinopolitanum VI. Quæ omnia fallibilitatem canonis ſcripturæ arguunt. Reſp. α) *Canon biblicus notat 1) regulam fidei & morum. 2) Catalogum ſiue ſeriem librorum canonicorum. Eccleſia non vt magiſtra aut iudex canonem fidei conſtituit, ſed vt miniſtra, index, interpres, catalogum librorum canonicorum hiſtorice recenſuit, & teſtimonio ſuo declarauit.* Quod teſtimonium quamuis humanum ſit, infallibilitati canonis biblici perinde non derogat, ac teſtimonium humanum mulieris Samaritanæ Chriſto perhibitum diuinæ ipſius maieſtati & infallibili veritati nil detrahebat. (β) *Diſſenſus conciliorum de numero librorum canonicorum magis verbalis*, quam *realis* eſt. Diſtinguendum enim eſt inter canonem παχυλῶς & *late* ſumtum, pro *canone eccleſiaſticæ lectionis*, ob qualemcunque morum ædificationem; & canonem *ſtricte & proprie* acceptum, pro *canone fidei confirmationis.* *Auguſtinus* con-

Digitized by Google

concilium Carthaginenſe tertium, item *Gelaſius* & *Innocentius*, Pontifices Romani, laxiore ſignificatione omnes libros, qui vtiliter ad emendationem morum in eccleſia leguntur, vocarunt canonicos, quibus contradiſtinxerunt illos libros apocryphos, qui nugis & mendaciis pleni abſcondendi & reiiciendi ſunt. Contra concilium Laodicenum, & Conſtantinopolitanum VI. iuxta atque antiquiſſimi patres, *Melito, Origenes, Euſebius, Hieronymus* in prologo galeato, & alii, ſenſu ſtrictiori illos libros vocarunt canonicos, qui immediate, qua verba & rerum conceptus, prophetis & apoſtolis ſunt inſpirati a Spiritu S. atque adeo infallibili pollent auctoritate canonica, verum a falſo, pium ab impio ſegregandi.

8. Si S. ſcriptura infallibilis norma eſt fidei & morum, vel in autographis, vel in apographis illam vim normandi habebit. At non in autographis prophetarum & apoſtolorum; cum illa hodie in eccleſia non ſuperſint. Nec in apographis; cum certo nobis non conſtet, an illa per omnia conſentiant autographis, ſiquidem plurimæ dantur lectiones variantes. Reſp. *Quæ auctoritas diuina eſt in autographis prophetarum & apoſtolorum originaliter;* eadem *radicaliter eſt in apographis fideliter ex illis transſcriptis;* eo quod continent non tantum ſenſum diuinum, ſed etiam illa ipſa verba, quæ Spiritus S. Moſi, prophetis & apoſtolis inſpirauit atque dictauit: ſicut autographa conſtitutionum ac receſſuum imperii Romano-Germanici, conſtitutionis Carolinæ, inſtrumenti pacis &c. quæ aſſeruantur in tabulario archi-cancellarii imperii Germanici, electoris Moguntini, a nobis, imo etiam a plurimis imperii ſtatibus nunquam ſunt viſa; apographorum tamen, ex voluntate & mandato imperatoris typis impreſſorum, tanta eſt auctoritas, vt ea pro ipſis Imperii Germanici decretis habeantur, & exortæ in imperio lites ex illis decidantur. Αὐτόγραφα καὶ πρωτότυπα prophetarum non exſtabant tempore Chriſti & apoſtolorum, qui tamen ad illorum apographa prouocarunt, eorumque lectionem nobis commendarunt, nunquam id facturi, niſi infallibilem eorum veritatem agnouiſſent. Neque variantes lectiones dubiam reddere poſſunt auctoritatem canonicam ſcripturæ; propterea quod genuinam lectionem e cohærentia textus indagare & colligere procliue eſt.

9. Omnis norma eſt perſpicua & ſufficiens dogmatibus probandis. Atqui, S. ſcriptura non eſt perſpicua, ſed multis locis obſcura; neque ſufficiens eſt dogmatibus fidei probandis; ceteroqui tot libri de caſibus conſcientiæ non eſſent conſcripti. Reſp. Sacram ſcripturam in his, quæ ad fidei & vitæ informationem neceſſaria ſunt homini ad ſalutem tendenti, eſſe perſpicuam, & ſumma religionis chriſtianæ capita ſufficienter tradere, infra probabitur.

10. Omnis norma eſt continua. S. ſcriptura non eſt continua. Ergo S. ſcriptura non eſt norma. Minor probatur, quia S. ſcriptura non perpetuo occupata eſt in explicandis aut confirmandis dogmatibus fidei & præceptis morum, verum inſerit iisdem chronologica, genealogica, aſtronomica, phyſica &c. Reſp. *Omnis norma architectonica eſt continua*; concedo. Ad *normam dogmaticam* ſufficit, quod omnia, quæ tradit, referat ad vnum finem, vel *per modum definitionis & confirmationis*, vel *per modum illuſtrationis.* Quæ in ſacris litteris habentur chronologica, genealogica, aſtronomica, phyſica, & ad interpretandam ipſam ſcripturam, & illuſtranda fidei morumque præcepta haud parum faciunt.

11. Quamuis S. ſcriptura dici poſſit norma fidei, non tamen primaria, ſed ſecundaria, ſubordinata & declaratoria eſt norma; ſiquidem norma principalis eſt immediatum lumen aut dictamen Spiritus S. in corde hominis renati loquentis, ipſum docentis, & cognitu factuque neceſſaria ipſi ſuggerentis. Reſp. S. ſcripturam, quæ eſt verbum non hominum, ſed ipſius Dei, 1 Theſſ. II, 13. potentia Dei, Rom. I, 16. mens Chriſti, 1 Cor. 2, 16. Spiritus & vita, Io. VI, 63. ſemen noſtræ regenerationis, 1 Petr. I, 23. normam credendorum & agendorum appellare ſecundariam, ſubordinatam & tantum declaratoriam, nobis eſt religio. Contra immedia-

diatum lumen aut dictamen Spiritus S. poſt completum ſcripturæ canonem fingi quidem, ſed reuera non dari, ſupra luculenter oſtenſum eſt.

Quæſt. XLV. *Daturne in eccleſia iudex viſibilis controuerſiarum fidei?*

*De iudice controuerſiarum viſibili.*

Iudex viſibilis dicitur *generaliter* omnis iudex diſcretiuus, qui adhibito iudicio intellectus verum a falſo dignoſcit. Quo ſenſu generali omnes laici adminiculis ad explicandas S. ſcripturas & tractandas controuerſias theologicas inſtructi (a), in primis omnes doctores eccleſiæ, quorum eſt puritatem fidei a corruptelis vindicare & contradicentes redarguere (b), omnes ſynodi & concilia, quæ ex epiſcopis & eccleſiarum doctoribus maximam partem congregantur, iudices controuerſiarum fidei ſunt (c). Sed iudex viſibilis *ſpecialiter* & *ſtricte* dictus, nempe auctoritatiuus & deciſiuus, qui pro auctoritate ferat ſententiam, & vi auctoritatis, qua polleat, litigantes obliget, vt in lata a ſe ſententia citra vlteriorem inquiſitionem acquieſcant, poſt conſtitutum ſcripturarum canonem in eccleſia non datur (d).

Prob. a. Iudicium diſcretiuum dogmaticum fidei eſſe penes omnem hominem renatum pro menſura ſpiritus, liquet 1) *ex honorifico teſtimonio S. Paulli*, quo hominem fidelem ornat, 1 Cor. II, 15. *Spiritualis diiudicat quidem omnia; ipſe vero a nemine diiudicatur.* Per hominem *ſpiritualem* non intelligitur Pontifex Romanus, quippe qui viuo Paullo nondum erat, neque ſoli eccleſiarum paſtores, ſed omnis homo a Spiritu S. illuminatus, conuerſus & renatus, qui mentem Chriſti habet & ſenſum S. ſcripturæ intelligit. Ille omnia, quæ Chriſtus in euangelio ſuo patefecit, & quæ ad cultum Dei æternamque ſalutem cognitu neceſſaria ſunt, diiudicat, i. e. per lumen fidei perſpicit, eaque ab hominum commentis diſcernit. Renatus autem ab homine animali, ſacrarum litterarum rudi, non diiudicatur, hoc eſt, erroris conuinci non poteſt. Etenim homo animalis principiis rationis innititur; ſpiritualis autem ducem ſcripturam ſequitur. At ratio in ſacris, quid, niſi deliratio, rebus?

2) Patet idem *ex adhortatione generali* Paulli compellantis omnes Corinthios, 1 Cor. X, 15. *Iudicate vos, quod dico;* nec non Theſſalonicenſes, 1 Theſſ. V, 21. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.*

3) Colligitur idem ex *ſcrutinio ſacræ ſcripturæ*, omnibus hominibus ſaluandis commendato. Saluator enim Io. V, 39. omnes promiſcue inuitat ad ſedulam lectionem ſcripturæ, cum ait: *ſcrutamini ſcripturas.* Quibus permiſſum non tantum, ſed & ſerio iniunctum eſt, legere & ſcrutari ſcripturas, illorum eſt, accurata mentis lance expendere omnia dogmata fidei & præcepta morum, ſint ne conſentanea, an diſſentanea ſacræ ſcripturæ. Atqui non tantum clericis, ſed laicis etiam illud ſcrutinium ſcripturarum iniunctum eſt. Exemplo ſuo id comprobarunt Beroënſes, ſingulis diebus ſcrutati ſcripturas, num haberent hæc ita, quæ Paullus de paſſione, morte & reſurrectione Ieſu prædicauerat. Act. XVII, 11.

Prob. b. *Omnem eccleſiæ doctorem oportet recte ſecare verbum veritatis 2 Tim. II. 15. Oportet ipſum tenacem eſſe eius, qui (eſt) ſecundum doctrinam, fidelis ſermonis, vt potens ſit etiam adhortari in doctrina ſana, & contradicentes arguere.* Argumentamur: Cuius eſt, verbum veritatis recte ſecare, imperitos in ſana doctrina adhortari, & contradicentes redarguere, illi competit iudicium dogmatum fidei tum δοκιμαςικὸν ſiue *diſcretiuum*, tum ἐξηγητικὸν ſiue *interpretatiuum*, tum ἐλεγχτικὸν ſiue *vindicatiuum.*

Prob.

Digitized by Google

Prob. c. Ex actis concilii Hieroſolymitani Act. XV. In quo concilio iudex ἀνυπεύϑυνος & infallibilis fuit Spiritus ſanctus. *Viſum eſt Spiritui ſancto*, inquiunt apoſtoli Actor. XV, 28. Iudicii diuini interpretes fuerunt apoſtoli ϑεόπνευςοι, in omnem veritatem a Spiritu ſancto ducti. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, aiunt apoſtoli. Presbyteri eccleſiæ Hieroſolymitanæ, aliique pii viri non teſtes ſolum fuerunt negotii apoſtolica auctoritate tractati, ſed etiam cognitores cauſſæ Antiochenæ & iudices miniſteriales. *Tunc viſum eſt apoſtolis & presbyteris cum tota eccleſia*, Act. XV, 22. 23. qui vnanimiter conſultarunt, ſuffragia tulerunt & deciderunt, v. 25.: *Viſum eſt nobis vnanimiter congregatis*. Sunt itaque conciliorum deciſiones, quoad conſenſum doctrinæ & externum ordinem, magnæ vtilitatis; at non obligant conſcientiam, niſi conformes ſint normæ verbi diuini. Neque enim ſunt edicta prætoria, ſed ſapientum conſilia & prudentum reſponſa, æquis rerum ſpiritualium æſtimatoribus magnifacienda.

Prob. d. (1) Poſt completum S. ſcripturæ canonem non dantur viri ϑεόπνευςοι, ſiue priuilegio immediatæ diuinæ inſpirationis inſtructi. Ergo poſt completum S. ſcripturæ canonem non datur in eccleſia viſibilis iudex ab errandi periculo immunis.

(2) Auctoritatem dictatoriam in rebus fidei neque Deus, neque eccleſia vlli mortalium conceſſit. Si enim conceſſerit Deus, ſcriptura de tanto dignitatis faſtigio teſtaretur; aut ad vnum epiſcopum αὐτόπιςον nos ablegaret. Sed neque de eo teſtatur, neque ad vniuerſalem in eccleſia iudicem viſibilem nos amandat. Quod eccleſia vni epiſcopo conceſſerit auctoritatem decidendi omnes controuerſias fidei, ex antiquitate eccleſiaſtica non conſtat: neque eccleſia iis pollet viribus, vt donum infallibilitatis in vnum epiſcopum transferre queat.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, Papam Romanum, ſpectatum vt vniuerſalem eccleſiæ doctorem & pronuntiantem ſententiam ſuam ex cathedra, eſſe iudicem controuerſiarum fidei infallibilem; licet ex mente illorum Pontifex Romanus errare poſſit, vt perſona priuata & doctor particularis. Ex cathedra autem Papam pronuntiare ſententiam cenſent, ſi (α) cum generali concilio eam pronuntiet; (β) ſi extra concilium generale, præuia debita diligentia, ſententiam pronuntiet, adhibitis in ſubſidium regulis fidei communibus, quas conſtituunt in ſcripturis ſacris, traditionibus apoſtolicis, conciliis approbatis, & conſenſu patrum. Argumenta potiora Pontificiorum ſunt ſequentia:

I. In V. T. omnes controuerſiæ legales, quæ erant maioris momenti, a ſummo ſacerdote definitæ & diremtæ ſunt, & quidem auctoritate irrefragabili, Deut. XVII, 8. Ergo in N. T. etiam omnes fidei controuerſiæ a Pontifice Romano auctoritate irrefragabili dirimendæ & definiendæ ſunt. Reſp. Vacillat conſequentia. Nam (1) in vet. teſtam. ſummus ſacerdos erat a Deo inſtitutus, & poteſtas, qua in iudicando vtebatur, erat ipſi & leuitis ac ſacerdotibus a Deo expreſſe collata. Sed Pontifex Romanus non eſt a Deo conſtitutus ſummus eccleſiæ vniuerſæ ſacerdos, nec poteſtas iudiciaria, quam ſibi præ aliis epiſcopis arrogat, a Deo ipſi conceſſa eſt. (2) Controuerſiæ, quarum iudex Deut. XVII, 8. conſtitutus eſt, *non erant controuerſiæ fidei*, ſed controuerſiæ inter fratres ortæ, & *caſus practici difficiliores*, eratque iudicium illud inter ſanguinem & ſanguinem, lepram & lepram, cauſſam & cauſſam, vt Deut. XVII, 8. clare dicitur. Sed a controuerſiis legalibus Iſraëlitarum ad controuerſias fidei in eccleſia N. T. argumentari non licet. (3) Antecedens etiam falſum eſt. *Nam iudiciaria poteſtas* Deut. XVII, 8. *non præciſe ſacerdoti ſummo collata*, ſed *toti collegio, ex pluribus perſonis conſtituto, conceſſa erat*. Conſtabat illud iudicum collegium tum ex leuitis & ſacerdotibus, quibus præſidebat ſummus ſacerdos, tum ex iudice politico & ſenioribus populi. Iudex ille politicus, eo tempore, quo populus Iſraëliticus non per reges, ſed per iudices regebatur, erat



Digitized by Google

ſummus populi Iſraëlitici magiſtratus: tempore regum vero is, quem rex deſignauerat, vt velut iudex politicus ſuo nomine & loco iudicio intereſſet. (4) Sacerdos ſummus non erat in iudicando infallibilis. Etenim dirigendus erat a norma legis Deut. XVII, 11. Sed omnis norma normat eum, qui eſt fallibilis. Et ſummus pontifex Chriſtum innocentiſſimum condemnando grauiſſime errauit.

II. Ad quæſtiones ciuiles decidendas neceſſarius eſt iudex viſibilis auctoritatiuus. Ergo & ad quæſtiones fidei. Reſp. Perperam concludunt pontificii a *iudicio politico* ad *iudicium eccleſiaſticum*, a *deciſione quæſtionum ciuilium* ad *deciſionem controuerſiarum fidei*. In ciuilibus voluntas principis eſt ſuprema decidendi ratio, in cuius ſententia partes litigantes acquieſcere tenentur ob ſummam auctoritatem & poteſtatem, qua in republica eminet. In rebus fidei autem nemo mortalium datur, cuius voluntati & arbitrio illæ ſubſint; dependent enim res fidei a ſolo Deo reuelante eiusque reuelatione in ſacris litteris comprehenſa. Vaniſſimus igitur eſt, qui diuinam ſibi poteſtatem arrogat.

III. Si non datur iudex viſibilis in eccleſia, qui auctoritate publica & infallibili controuerſias fidei decidat, nullus controuertendi finis erit. Reſp. *Controuerſiæ theologicæ vel concernunt articulos fidei fundamentales, vel non fundamentales.* Articuli fidei *fundamentales* vel αὐτολεξεὶ & conceptis verbis, iisque non ambiguis in ſcriptura continentur, vel per bonam proximamque conſequentiam e claris ſcripturæ dictis deducuntur. De his exortæ controuerſiæ facile poſſunt finiri, modo ſtatus controuerſiæ accurate formetur & obſeruetur, iuxta atque argumenta vtriusque partis a viris piis, doctis & veritatis amantibus ad normam ſcripturæ expendantur. Quod nondum finiantur, fit ex accidente, & prouenit, vel ex præconceptis opinionibus, vel ex ſtudio partium & malitia voluntatis. Controuerſiæ vero de articulis fidei *non fundamentalibus* citra diſpendium ſalutis ἄνω καὶ κάτω, vltro citroque ventilari poſſunt, modo ſollicite caueamus, ne temere errorem amplectentes in ipſam reuelationem diuinam peccemus. Conf. ſupra quæſt. XXIII. prob. II.

IV. Petrus primus Romanus Pontifex fuit infallibilis. E. & ſucceſſores eius ſunt infallibiles. Antecedens probatur 1) ex Matth. XVI, 18. *Tu es Petrus: & ſuper hanc eandem petram ædificabo eccleſiam meam.* Hinc naſcitur argumentum. Super quem ædificata eſt eccleſia, illum oportet eſſe infallibilem. Atqui ſuper Petrum ædificata eſt eccleſia. E. Petrum oportet eſſe infallibilem. 2) Ex Luc. XXII, 32. vbi Chriſtus Petrum his compellat verbis: *Ego vero oraui* (in primis) *pro te, vt non deſinat fides tua.* Reſp. ad 1) negando conſequentiam. Neque enim argumentari licet: Petrus fuit infallibilis. Ergo Pontifices Romani ſunt infallibiles. Incertum enim eſt, Petrum fuiſſe Pontificem Romanum: incertius, pontifices Romanos eſſe legitimos Petri ſucceſſores: incertiſſimum, infallibilitatem Petri neceſſario transferri & quaſi deriuari in ſucceſſores. Nam priuilegium perſonale non neceſſario in poſteros tranſit; alioqui omnes reges, qui Dauidi ſucceſſerunt, fuiſſent immediate a Deo illuminati, ſicut rex Dauid immediato Spiritus ſancti afflatu perculſus erat. De cetero verba citata Chriſti non de Petri perſona, primatu aut priuilegio infallibilitatis, ſed de confeſſione & doctrina Petri intelligenda ſunt. Etenim hic apoſtolus perquam inſignem confeſſionem de Chriſto ediderat, cum dixiſſet: *Tu es Chriſtus ille, filius Dei viuentis*, Matth. XVI, 16. Reſpondebat Salvator: *Beatus es Simon, fili Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi* (hoc) *ſed pater meus, qui eſt in cœlis. Quin immo vero ego tibi dico; tu es Petrus: & ſuper hanc eandem petram ædificabo eccleſiam meam.* Non dicit Chriſtus: Tu es Petrus, & ſuper te Petro ædificabo eccleſiam meam, ſed mutato nomine inquit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo. Aliud igitur eſt Petrus, aliud petra. Antiquiſſimorum patrum nonnulli per petram intelligunt apoſto-

Digitized by Google

ſtolicam Petri doctrinam de Chriſto (*), nonnulli ipſum Chriſtum, doctrina Petri (vt aliorum apoſtolorum) prædicatum aut celebratum. Vtraque expoſitio prope eodem recidit. Nam doctrina apoſtolica de Chriſto, & Chriſtus apoſtolica doctrina prædicatus, non differunt ſecundum rem, ſed ſecundum noſtrum concipiendi modum. Chriſtus eſt fundamentum eccleſiæ ſubſtantiale, doctrina de Chriſto eſt fundamentum eccleſiæ dogmaticum. Vid. ſupra pag. 47. Quæſt. XIX. Prob. II. Reſp. ad 2) verba Chriſti *oraui pro te, ne fides tua deficiat!* non intelligenda ſunt abſolute *de immunitate ab omni defectu fidei;* amiſit enim Petrus fidem, ter Chriſtum abnegando; ſed de immunitate *a finali fidei amiſſione*, vt ſenſus ſit: pro te, Simon Petre, rogaui, ne finaliter fidem amittas, ne in finali incredulitate perſiſtas, & æterna ſalute excidas.

Inſtantia I. Cum Chriſtus Io. XXI, 17. ad Petrum dixit: *paſce oues meas*, infallibilitatem & regimen eccleſiæ ſine errore Petro, eiusque ſucceſſoribus, nempe pontificibus Romanis conceſſit. Reſp. Neg. conſeq. Nam paſcere oues Chriſti eſt omnium paſtorum eccleſiæ. Grauiter gentium apoſtolus omnes eccleſiæ Epheſinæ presbyteros alloquitur: *Spiritus ſanctus vos poſuit epiſcopos ad paſcendum eccleſiam Dei.* Actor. XX, 28.

Inſtantia II. Sicut vnus erat paſtor ſummus vet. teſtam. Eccleſ. XII, 11.; ita debet eſſe vnus paſtor ſummus noui teſtamenti. Reſp. Paſtor vnus, isque ſummus, eſt Deus triunus, & per appropriationem filius Dei, qui dicitur Ἀρχιποιμὴν, 1 Petr. II, 25.

Quæſt. XLVI. *Eſtne ſacra ſcriptura principium theologiæ chriſtianæ euidens & perſpicuum?*

Sacra ſcriptura dogmata fidei morumque præcepta, cognitu factuque hominibus æternam ſalutem adepturis neceſſaria, modo luculento verbisque adeo perſpicuis proponit, vt ab homine docili, attento, præconceptis opinionibus vacuo, & idiomatis, quo ſcripturam legit, gnaro, facile intelligi queat. *Perſpicuitas S. S.*

Obſ. I. Diſtinguendum eſt *inter perſpicuitatem verborum, & euidentiam* (ſtricte dictam) *rerum.* Res præcipuæ, in ſacris litteris comprehenſæ, ſunt ineuidentes; ſunt enim myſteria, quæ nec immediate apprehenſis terminis, nec ex aliis naturaliter euidentibus principiis cognoſci poſſunt. Proinde clara dicitur ſcriptura ſacra non ratione *rerum*, ſed *verborum;* quia res ineuidentes etiam claris & perſpicuis verbis proponi poſſunt.

Obſ. II. *Perſpicuitas S. ſcripturæ eſt gradualis;* quippe quæ maior in N. quam V. T. eſt: & in N. T. quædam dicta ſunt clariora, quædam minus clara, quæ ex clarioribus explicanda & illuſtranda ſunt. In iis autem, quæ hominibus ſaluandis creditu factuque neceſſaria ſunt, ſatis liquida & perſpicua eſt S. ſcriptura.

Obſ. III. *Perſpicuitas S. ſcripturæ non eſt abſoluta, ſed ordinata;* ſiquidem ad eam intelligendam ordo diuinitus inſtitutus accurate obſeruandus eſt. Requiritur enim 1) inuocatio Dei, patris luminum. 2) Notitia idiomatis, quo S. ſcriptura legitur, ſiue in fonte, ſiue in verſione. 3) Attenta conſideratio phraſium, ſcopi, antecedentium & conſequentium. 4) Depulſio præconceptarum opinionum & prauorum affectuum, ambitionis, odii, inuidiæ, audaciæ &c.

T 3 Quo-

(*) Doctores antiquiſſimos pleroſque omnes ita ſenſiſſe, commemorant etiam libri noſtri Symb. in *art. Smalc. tr. de poteſt. Papæ, p. 345.* Et rectam eſſe hanc ſententiam, multis vincitur argumentis, in primisque Epheſ. II, 20. 21.; quo in loco 1) Petro nulla tribuitur præſtantia ac prærogatiua præ reliquis Apoſtolis, 2) id, quo totum velut ædificium nititur, vnus dicitur Chriſtus. Conf. 1. ad Corinth. III, 11. 12.

Digitized by Google

Quotusquiſque neque auxilium Dei illuminantis implorat, neque attentus, neque liber a præconceptis opinionibus & inordinatis affectibus, neque gnarus eſt idiomatis, quo ſcriptura legenda proponitur, ille non eſt ſubiectum idoneum, aut diſpoſitum ad indagandum & capiendum ſenſum verbi diuini.

Aſſertio noſtra prob. I. a ſapientia & bonitate auctoris S. ſcripturæ, qui eſt Deus. Hic cum ſapientiſſimus ſit, potuit; & cum optimus ſit, voluit ſenſa mentis ſuæ perſpicue enuntiare. Hinc ipſe inquit: Deut. XXX, 11. *Præceptum, hoc, quod ego* (ſum) *præcipiens tibi hodie, non eſt mirabile præ te, neque longinquum illud. Non in cœlo illud* (vt dicas) *dicendo: quis aſcendet nobis in cœlum, & accipiet illud nobis, facietque audire nos illud, vt faciamus illud? Neque eſt trans mare,* (vt dicas) *dicendo: quis tranſibit nobis ad trans-mare, & accipiet nobis illud, & audire nos faciet illud? Sed propinquum apud te eſt valde verbum in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud.* Circa hoc oraculum cœleſte obſerues 1) quod per præceptum diuinum, a Moſe populo Iſraëlitico datum, non intelligatur præciſe verbum legis, ſed & verbum euangelii, docente Paullo, Rom. X, 6. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.* 2) *Quod non tantum ſignificetur propinquitas loci,* quum dicitur: non eſt longinquum, ſed eſt propinquum apud te. Nam cum Moſes eo die, quo hæc dixit, præceperit illis præceptum hoc, & coram propoſuerit, manifeſtum fuit, quod ratione loci propinquum eſſet, nec opus erat dicere: *non eſt longinquum, propinquum eſt tibi valde.* Sed intelligitur *etiam longinquitas & propinquitas cognitionis & euangelicæ impletionis*: vbi *longinquitas* eſt impoſſibilitas cognoſcendi & implendi; ac ſi diceretur: Non eſt mirabile præ te, ſeu adeo difficile, vt non poſſis intelligere & implere: *propinquitas* autem eſt facilitas cognoſcendi & implendi. 3) Cognitio & impletio hæc conſiſtit in confeſſione oris, & fide cordis: quod manifeſtum facit Paullus Rom. X, 8. 9. 10. Vbi ſane 4) Confeſſio oris requirit notitiam verborum & ſenſus: nulla enim eſt confeſſio vera eius, quod non intelligitur. Ita de pſittaco, qui ſymbolum apoſtolicum garriendo proferat, nemo dixerit, quod confeſſionem chriſtianæ fidei edat. Fides autem cordis 5) addit confeſſioni externæ notitiam internam, aſſenſum & fiduciam. Itaque 6) tum notitia & ſenſus præcepti facilis eſt, tum aſſenſus & fiducia cordis non minus facilis eſt: non quod 7) omnia iſthæc poſſit homo facere ex viribus naturæ, ſed ex viribus promiſſionis: promiſſio autem hic eſt euangelica, Rom. X, 6., clare facta, non e cœlo demum aut locis transmarinis deſideranda & exſpectanda.

II. *A deſcriptione ſacræ ſcripturæ.* Hæc enim deſcribitur a Petro per λύχνον ſiue lumen lucens in loco caliginoſo, 2 Petr. I, 19. confer. Pſ. CXIX, 105. Quod ſi autem ſacra ſcriptura lumen eſt lucens in loco caliginoſo, neceſſe eſt, eam inſita claritate reſplendeſcere. Non eſt, quod dicas, ſacram ſcripturam dici lumen, non quia intellectu facilis eſt, ſed quia intellecta mentem illuſtrat. Nam hoc perinde eſt, ac ſi diceres: Sol eſt lucidus non ideo, quod lucem ex ſe fundit, ſed quia, cum viſus eſt, oculos illuminat.

III. *A fine, cui ſacra ſcriptura proponenda.* Proponenda autem illa eſt doctis & indoctis, adultis & paruulis, lectionis ſcripturæ capacibus. Scripſerunt apoſtoli ſuas epiſtolas omnibus vocatis ſanctis, Rom. I, 9. patribus, paruulis, adoleſcentibus, 1 Io. II, 13. Scite inquit HIERONYMVS in Pſ. LXXXVI.: *Apoſtoli & prophetæ non paucis, ſed vniuerſo populo ſcripſerunt, vt omnes intelligerent.* Sed illam ſcripturam, quæ omnibus obuia & expoſita eſt, oportet eſſe adeo dilucidam, vt ſapientiam etiam afferat paruulis. Pſ. XIX, 8.

IV. *A fine, cuius gratia ſacræ litteræ ſunt conſignatæ.* Quem finem egregie inculcat gentium apoſtolus, 2 Tim. III, 15. 16. *Quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ poſſunt te ſapientem reddere in ſalutem per fidem, quæ in Chriſto Ieſu eſt.* (Nam) *omnis ſcriptura diuinitus*

Digitized by Google

*nitus inſpirata etiam vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem ad diſciplinam, quæ* (ſit) *in iuſtitia: vt integer ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Sacræ litteræ, docente Paullo, ea fini adornatæ ſunt, vt hominem Dei, ſiue miniſtrum eccleſiæ abunde inſtruant, quo cœleſtem doctrinam & ipſe liquido cognoſcat, & aliis commode inſtillet, falſam doctrinam redarguat, diſtortos mores corrigat, hominesque de iuſtitia tum inchoata, tum conſummata, erudiat, vt ſapientes reddantur in ſalutem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. At nihil horum rite proſpereque expediri poteſt, niſi ſcriptura perſpicuis vtatur verbis, vt miniſter eccleſiæ euidenter cognoſcat, quæ ad doctrinam, redargutionem, correctionem, momentum quoddam conferant. Addit apoſtolus vſum paracleticum Rom. XV, 4. *Quæcunque præſcripta ſunt, in noſtram ſalutem præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* At niſi fons ſcripturæ ſit liquidus, nemo ex eo viuum hauriet ſolamen.

V. *A præcipuis ſcripturæ partibus, lege & euangelio.* Lex diuina Exod. XX. & euangelium, Io III, 16. luculentis verbis proponitur. Ergo ſcriptura eſt perſpicua; nam a potiori fit denominatio.

VI. *Ab abſurdis ſententiam contrariam concomitantibus.* Si ſacra ſcriptura non eſt perſpicua: α) oracula cœleſtia non diſcrepabunt ab oraculis Apollinis; cum vtraque ſint æquiuoca, & perplexis ſenſibus inuoluta, vt non tam doceant, quam animum diſtrahant, aut ſuſpenſum reddant. β) Sacra ſcriptura erit inutilis; haud ſecus, ac epiſtola nulli eſt vſui, quæ verbis adeo intricatis eſt conſignata, vt aciem intellectus fallat. γ) Infidelibus non defutura eſt apologia contra extremum iudicium conqueſturis, ſe e ſcriptura adeo obſcura non potuiſſe voluntatem Dei aſſequi. δ) Spiritus S. non erit bonus doctor. Nam boni doctoris eſt, ſua dogmata clare & diſtincte tradere, & prudenti attemperatione ad captum diſcentium condeſcendere.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum, Weigelianorum & Socinianorum*, perſpicuitatem ſcripturæ negantium; qui ſeqq. innituntur argumentis (*):

I. Quid-

(*) Ad ſtatum controuerſiæ, probe obſeruandum, pertinent quinque diſtinctiones. 1) *Obſcuritas* adcurate diſtinguenda eſt a *difficultate.* Etenim *obſcurum* dicitur, ad quod perueſtigandum nulla nobis ſunt media ſufficientia, vt nemo valeat mentem auctoris adſequi, etiam ſi quis maximam adhibuerit diligentiam (id quod eſt ἄδηλον, 1 Corinth. XIV, 8.). *Difficile* autem intellectu vocatur, quod poſſumus percipere explorateque ſcire, dum modo velimus cogitationem curamque in id conferre, ac mediis ſubſidiisque ſat idoneis recte vti (δυσνόητον, 2 Pet. III, 16.). 2) *Obſcuritas* alia eſt *rerum*, alia *verborum.* Diuinæ *res*, quæ adpellantur myſteria, finitæ rationis terminos longe omnes ſuperant, ideoque modum, quo illæ peragantur, nemo vnquam poterit perſpicere, Phil. IV, 7. At *verba* tamen, quibus arcanæ illæ veritates ſignificantur, ſatis ſunt perſpicua. Quotus quisque non intelligit hoc dictum, Ioan. III, 16? Quis vero eſt, qui rem tantam atque immenſam omni cogitatione percontetur? 3) Obſcuritatem *verborum* concedimus, non item *textus.* Verba, ſeorſum & extra cohærentiam ſpectata, ſæpe multumque obſcura ſunt, quando quidem ſunt ambigua, immo plures obtinent ſignificationes. Omnis autem tollitur ambiguitas, ſi in contextu conſiderentur, locis etiam, vere parallelis, diligenter comparatis. V. g. Zachar. III, 9. quæritur, quid ſit עינים. Vox עין denotat alicubi oculum, alibi fontem deſignat. Verum tamen primum contextus ipſe determinat vocis hoc in loco poteſtatem; nam dualis nunquam de fontibus, ſemper de oculis vſurpatur. Deinde in alio dicto, huic ſimillimo, cap. IV, 10. additur, משוטטים, vtpote quod non fontibus, ſed oculis conuenit, vid. & Apoc. V, 6. 4) Obſcuritatem, ſiue potius difficultatem *ſcripturæ*, negamus; *partium* quarumdam, adfirmamus. Quod enim vno in loco latet, id in altero patet. 5) Obſcuritas *obiectiua* in verbis nulla ineſt, ſed, ſi qua eſt, certe eſt *ſubiectiua* in mente interpretis. Quam differentiam ſcriptura ipſa indicat 2 Corinth. IV, 3. 4. 2 Pet. III, 16. Luc. XVIII. 31. 32. 33. XXIV, 32. coll. cum. v. 45. ex cuius vtriusque verſus

Digitized by Google

I. Quidquid continet res abſtruſiſſimas, & ab omni ratione remotas, id procul dubio eſt obſcurum. Atqui, ſacra ſcriptura continet &c. Ergo. Maior conſtat, quia id perſpicuum eſt, quod conueniens & proportionatum eſt intellectui: contra obſcurum eſt, quod ab intellectu valde remotum eſt. Reſp. *Quidquid continet res abſtruſiſſimas, illud eſt obſcurum, quoad obiectum reale; concedo: quoad obiecti propoſitionem per verba, nego.* Sicut enim res intellectu facillimæ verbis poſſunt obſcurari: ita res difficillimæ verbis liquidiſſimis proponi queunt. Et propterea vtitur Deus medio litterarum, vt quidquid natura duce inueſtigando non conſequimur, id ſcriptura reuelante clare cognoſcamus. Io. XX, 31.

II. Si ſacra ſcriptura ſine interprete poſſet intelligi, non eſſent neceſſarii commentarii. Atqui neceſſarii ſunt commentarii ad intelligentiam ſcripturæ (ceteroqui tot ingentia commentariorum volumina labore maximo in ſacrum codicem non ſcriberentur). Ergo ſacra ſcriptura ſine interprete non poteſt intelligi. Reſp. *Commentarii ſunt neceſſarii non neceſſitate abſoluta, ad eſſe ſimpliciter, ſed neceſſitate hypothetica, ad bene eſſe.* Primi chriſtiani intellexerunt ſcripturam ante vllos conſcriptos commentarios, ſola ſcripturæ luce irradiante animos, & Spiritu ſancto operante in illorum cordibus. Non itaque commentarii neceſſarii ſunt omnibus & ſingulis hominibus ad ſimplicem ſcripturæ intelligentiam, ſed partim ad cognitionem faciliorem, intenſiorem & accuratiorem: partim ad applicationem & vſum ſalutarem oſtendendum, atque ædificationem fidelium animarum in maius prouehendam. Sed inde non ſequitur: Ergo ſacra ſcriptura eſt obſcura. Nam catechiſmus aliaque ſcripta clariſſima commentariis diducuntur, & ad viuam praxin applicantur.

III. Diſcipuli Emauntici non potuerunt intelligere Moſen & prophetas de Chriſto vaticinantes, ſed indiguere explicatione Chriſti, Luc. XXIV, 25. Ergo ſacra ſcriptura eſt obſcura. Reſp. α) Indiguerant diſcipuli Emauntici explicatione Chriſti non ob ſcripturæ obſcuritatem, ſed ob amentiam & tarditatem cordis, præconcepta opinione de regno Meſſiæ terreno occupati. Sicut autem ſol lucidus manet, licet verſpertiliones & noctuæ ad eius ſplendorem caligent, & homines cœci eum plane non videant: ita ſcriptura ſacra manet perſpicua, tametſi homo, faſcino præiudicii occæcatus, eius claritatem non animaduertat. β) Diſcipuli Emauntici clara verba Moſis & prophetarum intellexerunt, ſed de qua re ſubſtrata, aut perſona concepta eſſent, ignorarunt. Applicauit itaque Chriſtus verba Moſis & prophetarum ad ſemetipſum. Propterea inquit euangeliſta v. 27.: *Incipiens porro a Moſe & omnibus prophetis, interpretatus eſt illis in omnibus ſcripturis, quæ ad ipſum pertinebant.* γ) Interpretatio arguit intellectus humani infirmitatem & myſteriorum profunditatem, non ſacræ ſcripturæ obſcuritatem. Petitur enim interpretatio ex ipſa ſcriptura; quippe quæ ea fulget claritate, vt ipſa per ſe ipſam ſenſum verborum conſignatorum pandat.

*Inſtantia:* Vniuerſorum diſcipulorum Chriſti collegium non aſſequebatur ſenſum verborum Chriſti de prope inſtanti paſſione & morte. Luc. XVIII, 34. Ergo ſacra ſcriptura ſine interprete intelligi nequit. Reſp. Diſcipuli infatuati præiudicio regni terreſtris, & occupati affectibus vehementioribus, nempe metu & triſtitia, natis e prænuntiata Ieſu morte, paſſionis Chriſti cauſſam finalem, & hinc capiendum ſalutarem fructum oculis mentis non peruidebant: verba autem Chriſti adeo liquida erant, vt vel ſeptennis puer eorum ſenſum capere potuiſſet.

IV. Eunu-

verſus comparatione plane adparet, cauſam obſcuritatis omnem non in dictis fuiſſe, ſed in hominum animis, quos præiudicata opinio prohibebat, quo minus poſſent aperte planeque dicta intelligere.

Digitized by Google

IV. Eunuchus ille Act. VIII, 32. non intellexit vaticinium Ieſaiæ de Chriſto, donec a Philippo ipſi explanaretur. Ergo ſcriptura, niſi explicetur a doctoribus, obſcura eſt. Reſp. Eunuchus ille erat religionis chriſtianæ imperitus, rudis & proſelytus, a cuius ruditate ad obſcuritatem S. ſcripturæ perperam colligitur; perinde, ac ſi quis concluderet: Infans verba catechiſmi nec legere, nec intelligere poteſt: Ergo verba catechiſmi ſunt obſcura. 2) Verba Ieſaiæ intelligebat Eunuchus, ſed quam perſonam notarent, quomodo & quando reapſe impleta eſſent, ignorabat. Idcirco res in vaticinio contentæ erant ipſi ineuidentes, verba autem ſatis clara. 3) Quæſtio de perſpicuitate ſacræ ſcripturæ nos inter, & pontificios, ventilatur pro tempore præſenti, in quantum ſcriptura ex veteris & noui teſt. libris completo canone conſtat. Eunucho lux noui teſtamenti non affulſerat, vnde vaticinii prophetici rem ſubſtratam & complementum non capiebat. Enucleatur autem prophetia Ieſaiæ Ioh. I, 29. 2 Petr. II, 24. 25.

V. Rex Dauid Pſalm CXIX, 18. rogauit Deum: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Ergo ſine concurſu Dei ſpeciali ſcripturam non intellexit. Reſp. 1. *Statuimus nos perſpicuitatem ſacræ ſcripturæ ordinatam, non abſolutam.* 2. *Diſtinguimus inter notitiam Dei litteralem & ſalutarem.* Hunc ordinem Deus conſtituit, vt homo ſalutari cum fructu ſacram ſcripturam intellecturus, auxilium diuinum imploret. 3. Precatio Dauidis non ſcripturæ obſcuritatem, ſed myſteriorum diuinorum profunditatem, & humani intellectus imbecillitatem arguit: neque enim petit, legi diuinæ, ſed ſibi lucem a Deo affundi.

VI. Teſtatur S. Petrus 2 Epiſt. c. III, 16. quod in Epiſtolis S. Paulli ſint quædam δυσνόητα, intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles detorquent. Reſp. α) Non male LORINVS, pontificius, inquit: *Non refertur illud: ἐν οἷς, in quibus, ad epiſtolas, ſed ad ea, de quibus in epiſtolis tractatur. Nam pronomen οἷς non eſt pronomen fœminini generis, cuius eſt nomen ἐπιςολῶν.* Non ergo notatur hic epiſtolarum Paullinarum obſcuritas, ſed rerum in iis contentarum ineuidentia. β) Si quædam in epiſtolis Paullinis ſunt δυσνόητα, ſiue intellectu difficilia, reliqua erunt εὐνόητα, intellectu facilia. γ) Sunt δυσνόητα indoctis, inſtabilibus, verbi diuini tortoribus: intelliguntur tamen pro ſtatu viæ a docilibus, attentis & ſenſum ſcripturæ modeſte ſcrutantibus lectoribus.

VII. Ex quo principio hauritur cognitio Dei ænigmatica, illud principium oportet eſſe obſcurum. Atqui ex ſcriptura velut principio theologiæ hauritur cognitio Dei ænigmatica. Ergo ſacram ſcripturam oportet eſſe obſcuram. Maior conſtat; quia quale eſt principiatum, tale eſt principium: cognitio ænigmatica fluit ex principio obſcuro. Minor probatur ex 1 Cor. XIII, 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc vero a facie ad faciem.* Reſp. *Verba Apoſtoli intelligenda ſunt comparate, quia ab eodem inſtituitur collatio ſtatus gratiæ & gloriæ.* Nam hominum viatorum notitia theologica, comparata cum viſione Dei beatifica, qua gaudent beati in patria cœleſti, eſt imperfecta, atque adeo comparate ænigmatica, ſpecularis & obſcura. Sed quæ notitia Dei comparata eſt imperfecta & obſcura, pro ſtatu huius vitæ eſt ſatis claræ; cum ad obtinendum ſalutem ſufficiat. Quam ob rem vti non ſequitur: obſcurius video imaginem rei in ſpeculo, quam, cum intueor, qualis eſt in ſeipſa: Ergo ſpeculum eſt obſcurum; ita non ſequitur: Non tam clara eſt cognitio Dei & rerum diuinarum hic per ſcripturam, quam futura eſt in cœlo, vbi videbimus Deum a facie ad faciem: ergo ſcriptura ſacra eſt obſcura.

VIII. S. ſcriptura eſt velut liber clauſus & ſignatus. Ergo ſine claue interpretationis non poteſt intelligi. Antecedens probatur ex Dan. XII, 4. *Tu vero Daniel occlude verba, & obſigna librum vſque ad tempus finis.* Reſp. 1. *Prophetia Danielis eſt pars ſcripturæ, non ſcriptura tota.* Concedimus S. ſcripturam in quibusdam eſſe locis minus claram, ſed in tra-



Digitized by Google

dendis dogmatibus fidei morumque præceptis eandem pro ſtatu viæ ſatis eſſe perſpicuam aſſerimus. 2. Pro tempore præſenti nos inter & Pontificios ventilatur quæſtio: *An ſcriptura ſacra, prout nunc conſtat ex libris vet. & noui teſtamenti, canone completo, ſit clara & perſpicua.* Sic nec prophetia Danielis obſcura eſt. Iubetur enim ab angelo Daniel occludere verba & obſignare librum *vſque ad tempus finis, percurrent* (enim) *multi, & multiplicabitur ſcientia.* Innuit igitur angelus, prophetiam Danielis eſſe obſignandam non ſimpliciter & omnibus temporibus, ſed vsque ad tempus diuinitus ſtatutum, quo multi experientia edocti ex euentu eam intellecturi ſint.

IX. Omne credible ſecundum Lutheranos debet eſſe perſpicuum. Atqui tota ſcriptura vsque ad minimum apicem eſt credibilis. Ergo tota ſcriptura vsque ad minimum apicem ſecundum Lutheranos debet eſſe perſpicua. Reſp. 1) *Credibile bifariam dicitur α) generatim ob auctoritatem dicentis; β) ſpeciatim, quia eſt dogma fidei & præceptum morum homini ſaluando cognitu factuque neceſſarium.* Dantur in S. ſcriptura chronologica, onomaſtica, aſtronomica &c. quæ citra diſpendium ſalutis tuto ignorantur. Quare limitamus maiorem: omne credibile dogma fidei, morumque præceptum, ſecundum Lutheranos debet eſſe perſpicuum; concedo: atqui tota ſcriptura vsque ad minimum apicem eſt credibile dogma fidei morumque præceptum; nego. 2) Aſſerunt Lutherani, claritatem S. ſcripturæ eſſe gradualem, & dicta biblica minus clara ex clarioribus eſſe illuſtranda.

X. Si verba S. ſcripturæ eſſent perſpicua, lis grauiſſima de genuino ſenſu verborum ſacræ cœnæ: *hoc eſt corpus meum*, iamdudum eſſet ſopita. Atqui, lis illa nondum eſt ſopita. Ergo verba ſcripturæ non ſunt perſpicua. Reſp. *Verba ſacræ cœnæ ſunt clariſſima, ſed res ſubſtrata eſt ſublimiſſima;* quam cum ratione aſſequi nequeant diſſidentes, ad tropos confugiunt. Ex quo factum eſt, vt lis illa non ſine grandi eccleſiæ euangelicæ detrimento tot annos ſit protracta.

XI. Verba S. ſcripturæ non poſſunt eſſe perſpicua (1) quia dantur multæ in ſcriptura S. amphiboliæ, (2) multæ hyſterologiæ, (3) multi tropi & figuræ, (4) multæ antilogiæ ſiue contradictiones apparentes, (5) multæ parabolæ, (6) in textu primigenio hebræo & græco voces monadicæ, diuerſis interpretationibus obnoxiæ. E quibus non poteſt non obſcurum dicendi genus ſubnaſci. Reſp. (α) *Generatim.* Non diffitemur, in quibusdam locis ſacræ ſcripturæ minorem claritatem deprehendi, *ſed hoc vrgemus, in his, quæ creditu factuque neceſſaria ſunt homini viatori ad æternam ſalutem adſpiranti, ſacram ſcripturam ſatis eſſe perſpicuam.* (β) *Speciatim* ad (1): Amphiboliæ abeunt in ſermonem perſpicuum, ſi & ſcopus dicentis & dicta parallela accurate penſitentur. Ad (2): quamuis in ſcriptura interdum committatur ὕστερον πρότερον, verus tamen hiſtoriarum biblicarum ordo partim ex circumſtantiis textus, partim ex inſpectione locorum parallelorum, vt præſertim fieri ſolet in concinnanda euangeliſtarum harmonia, eruitur. Ad (3): tropi & figuræ non ſunt tenebræ, ſed lumina orationis. Ad (4): contradictiones apparentes e locorum, in ſpeciem pugnantium, prudenti collatione, obſeruatis contradictionis legibus, facile conciliantur. Ad (5): parabolæ pleræque expoſitæ ſunt a Chriſto: quando autem easdem Saluator non explanauit, animos audientium & legentium ad maiorem indagationem nuclei latentis excitatos voluit. Ad (6): voces monadicæ occurrentes in ſacro codice, exſtantibus tot verſionibus, tot commentariis iamdudum ſunt explicatæ. Ceterum cauſſam, cur Deus non omnia & ſingula dicta biblica pari claritatis gradu expreſſa voluerit, redditurus AVGVSTINVS, *de doctrina Chriſt. lib. II. cap. VII.* inquit: *Magnifice & ſalubriter Spiritus S. ita Scripturas S. modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret.* Nihil enim fere de obſcurioribus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XLVII. *Eſtne S. ſcriptura adeo perſpicua, vt eiusdem verum ſenſum homo irregenitus ſine illuminatione Spiritus S. capere queat?*

Homo irregenitus, gratiæ Spiritus ſancti illuminanti impedimentum obiiciens, verum ſacrarum litterarum ſenſum non capit (a). At hominem irregenitum docilem, attente legentem ſcripturam ſacram, vel hanc voce docentis propoſitam audientem, Spiritus ſanctus per ipſam ſcripturam illuminat, vt genuinum verbi diuini ſenſum percipiat, perceptumque ad ſalutares effectus recte applicet (b).

Obſ. 1. Perſpicua dicitur S. ſcriptura (1) *in ſe, ſiue obiectiue,* (2) *in ordine ad lectores, ſiue ſubiectiue.* In *ſe* S. ſcriptura eſt dilucida, ſi vel maxime nemo mortalium eam legat aut intelligat; ſicut ſol in ſe lucidus eſt, licet nullus oculus eum intueatur. In ordine vero ad *lectores* vel *auditores*, eius perſpicuitas non eſt *abſoluta*, aut *irreſiſtibilis*, vt nullum ei impedimentum obiici queat, ſed *ordinata*, requirens ſubiectum capax & non repugnans. Sol illuſtrat omnem oculum, ſed non cœcum, non clauſum, non velamine obtectum, non latentem in carcere vel ima cella: Ita ſacra ſcriptura ea pollet claritate, vt omnem intellectum humanum illuminare poſſit; at non illuminat intellectum hominis obſiſtentem, aut velamine præiudicii obductum.

Obſ. 2. *Homo irregenitus vel eſt docilis & corrigibilis, vel indocilis & incorrigibilis.* Homo irregenitus docilis eſt, qui S. ſcripturam non reiicit, ſed admittit, attente legit, meditatur, neque præiudicio, neque affectibus inordinatis, aut curis huius ſeculi occupatus eſt, & mediocri pollet iudicio. Homo irregenitus indocilis eſt, qui vel S. ſcripturam legere, aut docentis voce propoſitam audire recuſat; vel ſi legit, non attente meditatur, ad illuminantem Spiritus S. gratiam oculos mentis malitioſe occludit, præconceptis opinionibus pertinaciter inhæret, & prauis affectibus mancipatus, aut per ætatem ad legendam & intelligendam ſcripturam inidoneus eſt.

Obſ. 3. Gratia Spiritus S. illuminans, quæ etiam præparans vocatur, gratiam Dei conuertentem & regenerantem, ordine naturæ præcedit, eſtque actio Spiritus S. non inſtantanea ſiue momentanea, ſed ſucceſſiua & gradualis; quam accurate explicat excell. D. FECHTIVS in *diſſertat. theol. de ordine modoque gratiæ diuinæ, aphoriſmo IX.* inquiens: *Gratia illuminans ſiue mentem, ſiue voluntatem hominis, non immediate in hominem illabitur, non vno momento illuminationem abſoluit, non irreſiſtibiliter in homine operatur, ſed agit per gradus, per vices, & plures & repetitos actus, hominemque adeo temporis ſucceſſu diſponit & præparat ad maiorem ſubinde veritatis lucem admittendam; adeo, vt, ſi primum illuminationis gradum repellat, alterum ipſi deneget; quippe qui ſine primo locum habere non poteſt.*

Obſ. 4. *Diſt. inter ſenſum S. ſcripturæ in ſe & formaliter conſideratum: & inter ſenſum ſcripturæ iuxta intentionem Spiritus S. recte applicatum.* Homo irregenitus docilis ſenſum S. ſcripturæ formaliter conſideratum capit ex gratia Spiritus S. præueniente & præparante; at niſi accedat gratia Spiritus ſancti conuertens & regenerans, ſenſum S. ſcripturæ iuxta intentionem Spiritus S. non recte applicat ad capiendum dolorem de peccatis & concipiendam fidem in Chriſtum. Prope eodem recidit aliorum theologorum diſtinctio inter *notitiam S. ſcripturæ externam, ſiue litteralem,* cum quis ex verbis ſcripturæ ſenſum eius percipit: & *internam ſiue ſalutarem,* cum quis ea, quæ ſcriptura tradit, intelligit, vt ad ſalutares effectus eadem transferat. Homo irregenitus docilis, gratia Spiritus S. illuminanti præparatus pertingere poteſt ad notitiam S. ſcripturæ externam & litteralem; at niſi à Spiritu S. conuertatur & regeneretur, non aſſequitur notitiam S. ſcripturæ internam & ſalutarem.



Digitized by Google

Dicis: I. Homo illuminatus a Spiritu ſancto eſt renatus, non autem irregenitus. Reſp. Homo irregenitus ad ſtatum regenerationis tendens, a Spiritu ſancto per ſcripturam in pluri-mis vere illuminatur, antequam fidem plene & ſalutariter concipiat. Eph. III, 9.

Dicis: II. Notitia ſcripturæ litteralis eſt etiam ſalutaris, quia e verbo ſalutis hauſta & ad ſalutares operationes diuinitus ordinata eſt. Reſp. Notitia ſcripturæ litteralis ſecundum quid & certo reſpectu ſalutaris eſt, nempe ratione principii & intentionis diuinæ; at ſimpliciter ſalutaris dicitur notitia, quæ cum ſalutaribus operationibus & ſpiritualibus cordis motibus coniuncta eſt.

Prob. a. Ex effato Paullino 1 Cor. II, 13. 14. *Loquimur non doctis ſapientiæ humanæ verbis, ſed doctis Spiritus ſancti, ſpiritualibus ſpiritualia componentes. Animalis autem homo non ſuſcipit ea, quæ (ſunt) Spiritus Dei: ſtultitia enim illi ſunt; & non poteſt ſcire, quia ſpiritualiter diiudicantur.* Obſ. (a) Apoſtolus *tam verba, quam res ſacræ ſcripturæ inſigni hoc eloquio complectitur. Verba ſcripturæ* a Spiritu S. docta & prophetis atque apoſtolis dictata eſſe aſſerit, vt rebus diuinis & ſpiritualibus diuinum ac ſpirituale dicendi genus accommodaretur. *Res ſcripturæ* ſunt τὰ τȣ̃ πνεύματος τȣ̃ Θεȣ̃ omnia a Spiritu S. reuelata, tam parua, quam magna, tam ſublimia, quam minus ſublimia, ſpeciatim diuina myſteria captum rationis tranſcendentia, quatenus verbis ſpiritualibus proponuntur. Conf. D. SEB. SCHMID. in *colleg. bibl. poſt. p. 167.* (b) Homo ψυχικὸς ſ. animalis ab apoſtolo opponitur πνευματικῷ ſ. ſpirituali. Vtrumque definit D. AEGID. HVNNIVS in h. l. *Animalis homo eſt, qui tantum ducitur ac nititur iudicio rationis, quæ animæ humanæ ſuprema facultas eſt: Spiritualis autem, qui Spiritu S. regitur per verbum.* D. SEB. SCHMID. vtrumque l. c. deſcribit: *Homo animalis eſt, qui ſibi & naturæ ſuæ relictus eſt: Spiritualis autem, qui ſuæ naturæ relictus non eſt, ſed Spiritus S. habet auxilium & gratiam.* Obſeruauit D. SCHMID. quod *homo animalis conſideretur vel abſolute & in genere, vel in particulari & ſubiectiue.* Homo animalis *abſolute* conſideratus nihil eorum capit, quæ ſunt Spiritus Dei: interim poteſt eſſe *ſubiectiue* animalis, qui aliquid intelligit eorum, quæ ſunt Spiritus Dei; non quidem qua talis, ſed qua iam a Spiritu ſancto imperfecte illuminatus eſt. (c) Negat apoſtolus hominem animalem δέχεσθαι, ſuſcipere, γνῶναι, cognoſcere, διακρίνεσθαι, diiudicare myſteria diuina. Δέχεσθαι, *ſuſcipere, alias vſurpatur de hoſpite,* qui non repellitur, ſed admittitur; cui ianua aperitur, qui intra domum ducitur & bene tractatur. Matth. X, 14. 40. 41. *Ita ſuſceptio rerum ſpiritualium eſt,* quando intellectus apprehendit & aſſentitur, voluntas eligit & approbat, & affectus intra ſe concipiunt. Cuius ſuſceptionis legitimo modo factæ initium fit ab intellectu; ita vt quando intellectus non capit, voluntas & affectus etiam non poſſint rite admittere. Vnde optime argumentatur apoſtolus: Animalis homo non acceptat, ſeu admittit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: quia ſtultitia illi ſunt, & non poteſt γνῶναι, intelligere. Quod ſi non poteſt intelligere: multo minus voluntas & affectus admittent. (d) Apoſtolus geminam aſſertioni ſuæ annectit rationem. Priorem ſumit a *naturali faſtidio cœcæ rationis diuina myſteria repudiantis,* inquiens: μωρία γὰρ αὐτῷ ἐςι καὶ ȣ̓ δύναται γνῶναι, ſtultitia illi ſunt, & non poteſt intelligere, perinde ac ſi dicat: Homo animalis, rationis tantum præſidio nitens, diuina dogmata faſtidit, auerſatur & ridet, vt falſa, abſurda, ſtolida: ideoque ex viribus naturalibus & principiis rationis, ſibi relictæ, ea cognoſcere nequit. Poſteriorem ſumit a *conditione myſteriorum diuinorum;* quæ adeo ſublimia ſunt, vt nemo, niſi illuminatus, a Spiritu S. diiudicare queat. Dicit itaque apoſtolus: ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται, quia ſpiritualiter diiudicantur, indigitaturus, neminem, deſtitutum ſupernaturali lumine Spiritus ſancti, de rebus fidei incorruptum ferre iudicium. Effato Paullino luculenter expoſito argumentamur:

I. Quæcun-

Digitized by Google

I. Quæcunque verba docuit Spiritus S. illa nemo recte intelligit, qui doctorem cœleſtem Spiritum S. in ſcripturis loquentem nunquam auſcultauit. Atqui, verba S. ſcripturæ docuit Spiritus S. Ergo. Maior illuſtratur ex loco comparatorum. Sicut verba humana nemo intelligit, qui homines nunquam audiuit: ita verba Spiritus S. nemo capit, qui huius ſcholam nunquam intrauit. Comprobatur ab experientia: Ecquis gentilium irregenitorum, & extra primum aſſiſtentis gratiæ pulſum poſitorum, poterit hoc dictum ex ſe intelligere, Io. I. *In principio erat verbum: & verbum caro factum eſt?* Si quæram e gentili: quid intelligit apoſtolus per verbum? quid ſignificat: caro factum? Hærebit attonitus, & tandem ſuam ignorantiam profitebitur.

Argumentamur II. Quicunque tantum præſidio rationis nititur, ille myſteria diuina neque ſuſcipit, neque intelligit, neque recte diiudicat, ſed vt abſurda repudiat. Atqui homo irregenitus omni lumine Spiritus S. deſtitutus &c. Ergo. Maior eſt ipſius Paulli, & comprobatur exemplis (1) *antiquiorum Iſraëlitarum*, de quorum excœcatione conqueritur Moſes Deut. XXIX, 3. 4. *Viderunt oculi tui ſigna & prodigia magna illa: non tamen dedit Iehouah vobis cor ad cognoſcendum.* Reuelatum erat Iſraëlitis verbum diuinum ſtupendis miraculis ſtipatum; at non cognoſcebant illud, quia ſumma malitia & obſtinatione ſupernaturalem Iehouæ illuminationem impediuerant.

(2) *Iudæorum temporibus N. T. ſuperſtitum*, de quibus S. Paullus inquit 2 Cor. III, 15. *Vsque hodie, quando legitur Moſes, velamen ſuper corde eorum iacet.* Iudæi aſſidue legunt ſcripta Moſis, ſed ea non intelligunt, velamine malitioſæ cœcitatis cordibus ipſorum impoſito, quod nemo niſi Spiritus ſanctus tollere poteſt; cuius gratiæ illuminanti obſtaculum ponunt.

(3) *Phariſæorum & ſcribarum in ſynagoga Iudaica.* His moris erat aſſidua manu verſare oraculorum cœleſtium codicem, Act. XV. erantque ex profeſſo legis doctores ac ſcripturarum magiſtri, Matth. XXIII, 2. Rom. II, 19. cœci tamen & cœcorum duces a Chriſto pronuntiantur, Matth. XV, 14.

(4) *Diſcipulorum* Chriſti *præconcepta opinione de terreno Meſſiæ regno occupatorum;* quibus Chriſtus verbis ſane quam luculentis de paſſione & morte ſua iamiam imminente prædicauerat, Luc. XVIII, 31. *Sed illi nihil horum intellexerunt, eratque verbum hoc abſconditum illis, vt neſcirent, quæ dicebantur.* Diſcipuli ſimplicia verba, *paſſio, mors*, quid notarent, percipiebant, ſed integras propoſitiones, & quomodo prædicata eiusmodi ſubiecto conuenirent, pleno mentis conceptu, ſolidoque aſſenſu non complectebantur.

Prob. b. (1) Homini irregenito docili, verbum Dei admittenti & recte adhibenti, Spiritus S. oculos mentis aperit, diuina luce colluſtrat. Id quod diſcimus ex ingenuo S. Paulli voto, Eph. I, 17. quo precatur, vt *Deus domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ, det nobis Spiritum ſapientiæ, & reuelationis in cognitionem ſui, illuminatos oculos mentis.* Spiritus ſanctus appellatur apoſtolo *Spiritus ſapientiæ*, quia omnibus, ſcripturas attente legentibus intimeque meditantibus, cognitionem Dei rerumque diuinarum donat & auget: dicitur idem *Spiritus reuelationis* non tantum ideo, quod voluntatem diuinam verbo Dei reuelauit, ſed etiam propterea, quod connatum cordibus velamen detrahit, ad aſſequendum ſenſum ſcripturæ: quo fine Spiritus S. etiam *illuminatos dat oculos mentis.* Vt enim ad cernendum lumen ſolis vegeti, puri & aperti requiruntur oculi: ita ad intelligendam S. ſcripturam opus eſt oculis a Spiritu S. illuminatis.

(2) Rex propheta Deum ſupplex veneratur: *reuela oculos meos, vt videam mirabilia tua e lege tua,* Pſ. CXIX, 18. Iam dudum ille litteralem verbi diuini notitiam ſibi legendis ſcripturis parauerat; at vero conceptis votis ſeriis exoptat vberius Spiritus S. lumen & plenioris cognitionis augmentum, vt facie reuelata ſtupenda Dei opera & myſteria ſublimiſſima

 intueatur,

Digitized by Google

intueatur, penitiusque cognoſcat, atque eandem cognitionem ad ſalutares effectus, ad pœnitentiam, ad fidem, ad ſtudium bonorum operum magis magisque applicet.

(3) Comprobant idem exempla (α) *diſcipulorum* Chriſti, quibus ipſe Dominus Ieſus aperuit mentem, vt intelligerent ſcripturas, Luc. XXIV, 45. Obſtructæ erant mentes apoſtolorum repagulis præconceptarum opinionum de regno Meſſiæ terreno: proinde verba Saluatoris, de paſſione & morte ipſius, diſcipulos, omnia alia de Chriſto cogitantes, præteribant. At dominus *externe proponens*, quæ ſcripta erant de ipſo in lege Moſis, prophetis & pſalmis, *interna operatione ſupernaturali* repagula præiudicii de regno mundano remouebat, mentem diſcipulorum lumine ſpirituali irradiabat, & dono τῆς ἑρμηνείας inſtruebat. (β) *Lydiæ purpuræ venditricis* in ciuitate Thyatirorum, Act. XVI, 14. *cuius dominus aperuit cor, vt attenderet iis, quæ a Paullo dicebantur.* Occluſum erat cor Lydiæ cœcitatis & ignorantiæ quaſi ſeris; quas, prædicante verbum Dei Paullo, concurrens Spiritus S. reuellebat, cogitationem ſanctam cordi Lydiæ immittendo, & excitando in voluntate illius ſpirituale deſiderium, quo ad maiorem attentionem, & aſſequendam e prædicatione Paulli ſalutarem rerum diuinarum cognitionem ſtimulabatur. E quibus diſpaleſcit, ſpeciale Spiritus S. lumen, & diuinam vim perſuadendi ad ſolidam ſacrarum litterarum notitiam, firmumque iis præſtandum aſſenſum requiri.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum & Arminianorum* aſſerentium, S. ſcripturam adeo claram eſſe, vt ad eius intelligentiam ſpeciali gratiæ diuinæ lumine opus non ſit; quorum potiora argumenta ſunt ſequentia.

I. Quæcunque ſcriptura eſt perſpicua, illa ſine ſupernaturali gratiæ diuinæ lumine facile intelligi poteſt. Atqui S. ſcriptura &c. Ergo. Reſp. *S. ſcriptura in ſe eſt dilucida & clara, ſed hæc claritas eſt ordinata ad hanc gratiam, quæ præterea non eſt irreſiſtibilis aut irrefragabilis;* ſiquidem oculis mentis malitioſus obex aut velamen obiici poteſt, vt ne claritatem ſcripturæ videant. Quamobrem ſicut perperam concluderetur: Sol eſt fulgidiſſimus: ergo illuminat oculum cœcum, clauſum, velo obtectum; ita male concludunt aduerſarii: S. ſcriptura eſt clariſſima: ergo eius ſenſum percipit homo irregenitus indocilis, empæcta, hoſtis gratiæ, oſor & contemtor veritatis cœleſtis. Conſiderate inquit gentium apoſtolus, 2 Cor. IV, 3. 4. *Si abſconditum eſt euangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt abſconditum; in quibus Deus ſeculi huius excæcauit ſenſus infidelium, vt non ſplendeat illis illuminatio euangelii gloriæ Chriſti.* Docet apoſtolus, *euangelium, per ſe perſpicuum,* eſſe κεκαλυμμένον, *tectum vel opertum per accidens, culpa hominum laborantium cæcitate, non tantum connata, quæ omnibus communis eſt, ſed etiam adſcititia & voluntarie contracta,* ac permiſſa iudicio Dei, cum accedit pertinacia, a Satana corroborata. 2 Petr. I, 9. 1 Io. II, 9.

II. Verba prophetarum & apoſtolorum ex conſueto loquendi vſu deſumta ſunt, quorum vim ſignificandi homo animalis citra gratiam ſupernaturalem addiſcere poteſt. Reſp. Verba prophetarum & apoſtolorum conſiderantur vel *extra contextum*, vel *in contextu propoſitionis biblicæ.* Priori modo analogiam habent cum verbis humanis, & ab irregenito citra ſupernaturalem Spiritus S. gratiam intelligi poſſunt: at ſi ſpectentur in contextu, quatenus accommodantur myſteriis fidei, & eorum quaſi δοχεῖα, receptacula aut vehicula, & verba vere diuina ſunt, citra præuenientem & præparantem Spiritus S. gratiam, ſolidus de ipſis conceptus, conformis menti Spiritus ſancti, formari nequit. Illuſtratur exemplo. Quid ſit exaltare, quid trahere, nouit omnis homo irregenitus gentilis, Turca, Tartarus, Iudæus. At vero ſi proponerem ipſi conſiderandum oraculum Chriſti, Io. XII, 32. *Ego vero ſi exaltatus fuero e terra, omnes traham ad me ipſum,* effatum Saluatoris non intelliget, niſi intellectus eius a Spiritu S. præcultus illuſtretur.

III. Hy-

Digitized by Google

III. Hypocritæ deſtituti lumine Spiritus S. ſacram ſcripturam intelligunt. Reſp. (1) *Notitia hypocritarum*, quam e lectione ſacrarum litterarum quæſiuerunt, eſt *externa & litteralis*, *non interna effectiue ſalutaris*, *&* (ſtricte loquendo) *ſpiritualis*, i. e. cum ſpiritualibus motibus, contritione, fide, amore Dei coniuncta. Ratio eſt, quia hypocritæ ſenſum ſcripturæ litteralem ad viuam praxin & ſalutarem vſum non applicant. (2) Notitia litteralis hypocritarum eſt ab illuminatione Spiritus ſancti imperfecta & pædagogica.

IV. Hæretici ſine illuminatione Spiritus S. ſenſum ſcripturæ aſſequuntur, & ex illa aduerſus orthodoxos diſputant. Hæretici cum *conſiderantur reduplicatiue*, quatenus ſunt hæretici, i. e. errantes in fundamento fidei, ſenſum ſcripturæ inferunt, non ex ea efferunt, non capiunt ſenſum, quem verba ſcripturæ ex ſe fundunt, ſed alienum, non analogum textui ipſi affingunt.

V. Diabolus non capax luminis ſupernaturalis intelligit ſcripturam, quippe cuius verba citauit Matth. IV, 6. Reſp. Diabolus non eſt ſubiectum, cuius commodo ſcriptura S. eſt conſignata; ideoque gratia Spiritus S. præueniens ipſi non aſſiſtit, vtpote quæ ſalutem hominis intendit. Quidquid cacodæmon de rebus diuinis e ſacris litteris arripuit, id omne velut ex alienis ſcriniis, ad ſe non pertinentibus, furatus eſt. Neque tamen aſſecutus eſt ſenſum genuinum ſcripturæ loco citato, ſed illius verba nefarie peruertit & in peregrinum ſenſum detorſit.

VI. Si homo irregenitus ſacram ſcripturam ſine lumine ſupernaturali intelligere nequit, ob incredulitatem non eſt puniendus. Sed ob incredulitatem puniendus eſt. Ergo homo irregenitus ſine lumine ſupernaturali Spiritus S. ſcripturam intelligere poteſt. Conſequentia maioris probatur, quia Spiritus S. homini irregenito lumen ſupernaturale, ſine quo fidem concipere nequit, denegauit. Reſp. Spiritus S. lumen ſupernaturale nemini denegat abſolute, ſed omni lectori vel auditori verbi diuini impertitur, modo eius operationi moroſe non obſiſtat, aut ſupernaturalem illuminationem obiecto velamine cœcitatis voluntarie contractæ non impediat. Punitur igitur irregenitus ob lumen Spiritus S. non admiſſum, ſed petulanter reiectum.

VII. Gratia Spiritus S. illuminans aut perpetuo coniuncta eſt cum ſcriptura ſacra, aut ab ea ſeparata eſt. Si perpetuo coniuncta eſt, omnes homines ſcripturam legentes pariter illuminantur, conuertuntur, regenerantur. Si ſeparata eſſe dicitur, enthuſiaſmus in eccleſiam plenis quaſi velis inuehitur. Reſp. 1) Gratia Spiritus S. illuminans quidem perpetuo coniuncta eſt cum ſcriptura ſacra, ſed non illuminat irregenitos indociles & perſeueranter obluctantes. Neque illuminat in momento, ſed per vices & gradus. Qui primum illuminationis gradum repellit, alterum eumque ſuperiorem non accipit. Vt homo conuertatur & regeneretur, requiritur præuia illuminatio Spiritus S. per multos actus repetitos continuata, quam ordine naturæ gratia diuina conuertens, quæ contritionem operatur, & regenerans, quæ vires credendi confert, ſubſequitur. Appoſite inquit D. SCHERZER *in breuiar. Hulſem. enucleato p.* 57. *Supernaturalis gratia Spiritus S. verbo diuino, cuius auditus fidem accendit*, Rom. X, 17. *eſt coniuncta, nequaquam vero ab eo ſeparanda: cui aliam gratioſam Spiritus ſancti, qui iam mediante verbo in cor illapſus eſt, operationem ad eum finem accedere non negamus.* 2) Enthuſiaſmum in eccleſiam non introducimus, eo quod aſſerimus Spiritum S. pro ſtatu præſentis temporis illuminare mentes hominum, non ἀμέσως, immediate, ſed ἐμμέσως, mediate per ipſammet ſcripturam S.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XLVIII. *Eſtne ſcriptura per ſcripturam explicanda?*

*De interpretatione ſcripturæ.*

Sacra ſcriptura eſt principium fundamentale (a), ex quo illuminatus a Spiritu S. ſummo & infallibili ſacrarum litterarum interprete (b), interpres inferior, publicus (c), an priuatus fuerit (d), genuinum dictorum biblicorum ſenſum per legitima interpretandi media (e) accurate inueſtigare, certe eruere, & perſpicue declarare poteſt.

Obſ. I. Πρώτως & primario dicitur *interpretatio ſcripturæ actus analyticus, quo alicuius dicti biblici minus clari & intellectu difficilioris genuinus ſenſus accurate inueſtigatur, demonſtratiue eruitur, & ad liquidum redigitur.* Δευτέρως ſecundario dicitur interpretatio ſcripturæ veri ſenſus, *in dicto biblico clariſſimo & intellectu facillimo* comprehenſi, demonſtratio, qua is vel a detorſionibus heterodoxorum vindicatur, vel ad ſalutarem vſum accommodatur.

Obſ. II. Quando aſſerimus *ſcripturam per ſcripturam* eſſe explicandam, tunc in *ſubiecto*, per *ſcripturam* intelligitur aliquod effatum propheticum, aut apoſtolicum, minus clarum, aut controuerſum, interpretatione explanandum: in *prædicato*, per *ſcripturam* intelliguntur eloquia prophetarum & apoſtolorum clariora; quippe quæ ſolent explicare ſcripturam ex parte illa, quæ primo intuitu obſcurior videtur.

Obſ. III. Quando docemus ſcripturam per ſcripturam eſſe explicandam remotum imus (a) *immediatam reuelationem diuinam*, qua in exponendis ſacris litteris non nitimur, cum illa poſt conſtitutum ſcripturæ canonem in eccleſia non detur. (b) *Rationem humanam.* Quamuis enim hæc ſit ſubiectum recipiens & organon cognoſcens ſenſum ſcripturæ, non tamen eſt principium fundamentale, ex quo velut fonte haurienda ſolida expoſitio ſcripturæ, neque infallibilis regula, ad quam interpretatio ſacrarum litterarum dirigenda, examinanda & a ψευδερμηνείᾳ diſcernenda ſit. Fallunt & falluntur, qui ea, quæ ſupra rationem ſunt, rationi ſubiiciunt. Neque enim fides ſub obſequium rationis, ſed ratio ſub obſequium fidei captiuanda eſt. 2 Cor. X, 5. (c) *Omnia ſcripta humana, omnes commentarios doctorum eccleſiæ tam antiquiorum* (qui venerando Patrum nomine veniunt), *quam recentiorum: quorum ſcriptis vtimur, vt adminiculis interpretandi externis, probabilibus, non contemnendis; at non nitimur iisdem, vt principio fundamentali*, aut *infallibili exponendi ſcripturas norma.*

Obſ. IV. Scriptura ſeipſam *explicat vel actu, vel potentia.* Semet ipſam *actu* explicat, cum ſtatim dictis explicationem ſubiungit, vtpote cum Io. II, 21. confeſtim addit, de quo templo Chriſtus fuerit locutus, nempe de templo corporis ſui. *Potentia* ſeipſam explicat, cum ſuppeditat media ſcripturas interpretandi, textum originalem, antecedentia & conſequentia, ſcopum dicentis, loca parallela, fidei analogiam.

Prob. a. I. a *perſpicuitate ſacræ ſcripturæ.* Omnis ſcriptura perſpicua ſuum de ſe fundit ſenſum, eundemque attentis lectoribus impertit atque notificat. Atqui ſacra ſcriptura eſt perſpicua. Ergo. Maior conſtat. Vt enim epiſtola, non obſcuris, aut ambiguis verbis contexta, ſenſum de ſe fundit certum, lectorique attento inſtillat; vt decretum principis per verba perſpicua ipſius voluntatem intimat; vt teſtamentum patris ſenſa animi paterni exponit: ita cum ſcriptura nihil aliud ſit, quam epiſtola omnipotentis ad ſuam creaturam, promulgatio legalis & euangelicæ voluntatis, teſtamentum quoddam, 2 Cor. III, 6. 14. ſenſum vtique liquidum ingerit lectoribus, & voluntatem teſtatoris aperte intimat. Minor liquet ex ſupra demonſtrata perſpicuitate ſcripturæ.

II. A

II. *A fine ſacrarum litterarum*, qui eſt σοφίσαι, *ſapientes reddere homines ad ſalutem per fidem*, quæ in Chriſto Ieſu eſt. 2 Tim. III, 15. Quæcunque ſcriptura eo fine eſt conſignata, vt hominem ſapientem reddat ad ſalutem per fidem, defixam in Chriſto Ieſu, illa ſenſum ſub verbis comprehenſum aperit, & mentibus legentium prompte inſinuat. Atqui ſacra ſcriptura &c. Maior patet, quia ſcriptura, ex qua, attente conſiderata, certus erui nequit ſenſus, lectorem non tam ſapientem, quam dubitantem errantemque reddit.

III. *A proprietate interpretationis ſcripturæ.* Omnis interpretatio *fidei analoga*, ſiue conſentanea, ex ipſa ſcriptura ſacra eſt petenda. Omnis ſolida ſacrarum litterarum interpretatio &c. Ergo. Maior liquet, quoniam definiente *D. Io. Adam. Oſiandro in Theolog. poſit. p. 334. Analogia fidei* eſt *harmonia dictorum biblicorum*, *ſiue eſt typus doctrinæ*, *claris & perſpicuis teſtimoniis ſcripturæ ſuperſtructus;* quæ diſſentire nequeunt, eo quod prophetarum & virorum θεοπνεύστων *vnum eſt os* citra vllam diſſonantiam, Luc. I, 70: quæ in eccleſiis latinis tempore TERTVLLIANI vocata fuit *regula fidei.* Secundum definitionem D. CALOVII *analogia fidei* eſt *conformitas doctrinæ fidei*, *ſcripturis ſacris luculenter expoſitæ;* quod in iis inprimis locis, vbi quæque doctrina propriam habet ſedem, factum eſt, *in Bibl. illuſtr. in Rom. XII. fol. 207.* Quod ſi igitur doctrina fidei ex perſpicuis ſcripturæ teſtimoniis collecta & exſtructa eſt, certe omnis interpretatio, fidei conſentanea, ſcripturæ ſacræ fundamento inniti debet. Minor eſt Paulli Rom. XII, 6. *Habentes prophetiam*, *ſecundum analogiam fidei* (habeant). Per prophetas, ſcripturæ interpretes, & per prophetiam, ſcripturæ interpretatio intelliguntur. Conf. 1 Cor. XV, 1-3. 1 Theſſ. V, 20. 1 Tim. IV, 14. (*) Senſus itaque apoſtoli eſt:

(*) Equidem me eis adiungo, quibus alia videtur eſſe huius dicti ſententia. Scilicet 1) quod ad προφητείαν attinet, hæc ſunt conſideranda: Primum luculento exemplo vix vllo demonſtrari poterit, eo nomine deſignari interpretationem ſacrarum litterarum. Deinde, nulla nos vrgente neceſſitate, non licet nobis deflectere a ſignificatione vocis, ſi non perpetua, certe vſitatiſſima. Pleriſque in locis, & contendere auſim, in omnibus, προφήτης perſonam extraordinariam denotat, nimirum eius Doctoris, qui diuino inſtinctu adflatuque arcanas res patefacit, & ſigillatim futuros euentus prænuntiat. Denique conſtat, προφητείαν, proprie vſitateque ita dictam, ad auſpicium eccleſiæ N. T. neceſſariam, non ſolum cœtui Apoſtolico diuinitus datam fuiſſe, verum etiam in aliis locis, huic finitimis, 1 Corinth. XII, 28. XIV, 1. ſqq diſerte in donis extraordinariis ac miraculoſis numerari. 2) Quantum ad ἀναλογίαν, tota verborum ſeries nos docet, PAVLLVM eo nomine intelligere id idem, quod paullo ante, v. 3. dixerat μέτρον πίστεως. Cæteroquin certum eſt, 1) complexionem, conſenſum concentumque fundamentalium fidei doctrinarum recte omnino vocari poſſe ἀναλογίαν πίστεως. Etenim ἀναλογία generatim eſt proportio, quæ ſpeciatim cernitur ſiue in *menſura rerum* comparatarum apteque coniunctarum, ſiue in *cohærentia veritatum*, omnium inter ſe connexarum atque aptarum. Perſpicuum eſt etiam 2) principalium fidei dogmatum cohærentiam, ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, eſſe vnicum principium interpretationis ſcripturæ diuinæ, illudque ita adſumendum, vt nihil, ab eo prorſus alienum, aut plane ei contrarium, vnquam putandum ſit pro vera interpretatione. Id profecto recta ratio ita poſtulat. An ne falſo interpretaretur, ſi quis Philoſophi cuiusdam verba multo aliter explicaret, ac principiis, quæ ipſe poſuit, conuenienter? Et plurimum ſane valet, quæ a minori ad maius procedit, argumentatio: Si in ſcriptis humanis prudens auctor nullus vnquam creditur aliquid ſenſiſſe, doctrinæ ſuæ principalibus partibus, inter ſe connexis, aduerſarium: multo minus in diuinas litteras tam iniuſta cadit ſuſpicio. Fieri poteſt, & ſæpe vſu venit, vt homo, quamuis ſapiens, tamen mutabilis, aut ſui aliquando immemor, ſibi ipſe repugnet. Deus, contra, ſemper idem eſt, nunquam non ſibi conſtans, omnis & mutationis, & erroris expers. Non poteſt igitur vnquam fieri, vt vel vnius verbi diuini vera ſit ea ſententia, quæ non optime congruat cum præcipuis partibus doctrinæ, diuinitus reuelatæ. Addo hoc vnum: Principalia fidei dogmata exſtant in locis vt multis aliis, ſic potiſſimum claſſicis, in quibus maxima ineſt verborum perſpicuitas. E. Analogiæ fidei congruen-



Digitized by Google

eſt: Qui ſunt interpretes ſcripturæ, operam dent, vt interpretatio ſit analoga fidei, h. e. congruat cum fundamentalibus fidei articulis, ſiue cum principalibus chriſtianæ fidei capitibus, ex luculentiſſimis ſcripturæ teſtimoniis collectis.

IV. *A contrario.* Quæcunque ſcriptura ideo non eſt ἰδίας ἐπιλύσεως, propriæ interpretationis, quia voluntate hominum non eſt allata, illius ſcripturæ interpretatio non arbitrio hominum ex principiis rationis, ſed ex ipſa ſcriptura, tanquam principio diuino deſumenda eſt. Atqui, ſcriptura prophetica &c. Ergo. Maior & minor patet ex effato Petrino 2 Epiſt. c. I, 20. 21. *Omnis prophetia ſcripturæ non propriæ interpretationis ſit; non enim voluntate hominum allata eſt olim prophetia.* Per *prophetiam* l. c. nonnulli intelligunt per hypallagen ſcripturam propheticam, nonnulli interpretationem ſcripturæ; qui tantum modo loquendi differunt; quia materialiter idem ſunt ſcriptura prophetica, eiusque ſenſus & interpretatio. Vid. D. CALOVIVS *in bibl. illuſtr. fol. 1546.* Argumentaturus eſt apoſtolus: Quæcunque ſcriptura non ab arbitrio humano aut principio rationis dependet, ſed ab impulſu & illuminatione Spiritus S., illa non pro arbitrio humano ex principio ſupernaturalis reuelationis explicanda eſt. (Nam quæ ſunt ſupra rationem & vires liberi arbitrii, illa ex ratione nequeunt diiudicari, aut exponi). Atqui ſcriptura prophetica non ab arbitrio humanæ rationis, ſed ab impulſu & illuminatione Spiritus ſancti dependet. Ergo.

Dicis: Locus Petrinus militat pro *Pontificiis* contra Proteſtantes: *Quod ſi enim ſcriptura ſacra non eſt* ἰδίας ἐπιλύσεως, *propriæ, ſiue priuatæ interpretationis, conſequens eſt, eam eſſe interpretationis publicæ & eccleſiaſticæ, eandemque explicandam eſſe a ſpiritu eccleſiæ non a ſpiritu priuato.* Reſp. Propria *interpretatio hic non opponitur interpretationi hominum* publicæ, *ſed interpretationi* diuinæ, *ſiue dictamini & menti Spiritus S. in ſcriptura & per ſcripturam loquentis.* Proinde omnis interpretatio S. ſcripturæ non hauſta ex fonte ſcripturæ, ſed ſumta ex proprio ſinu, profecta ex proprio cerebro, conficta pro arbitratu humano, difformis menti Spiritus ſancti, eſt ἰδία ἐπίλυσις, ſiue propria interpretatio. Scite inquit noſter D. WILHELMVS LYSERVS *in ſyſtem. p. 95. Sint patres, ſint concilia, ſint pontifices; ſi non ex ſcriptura interpretationem efferunt, ſed in eam per præconceptas opiniones inferunt,* ἰδία ἐπίλυσις, *ſeu priuata interpretatio eſt.* Quæ de *ſpiritu priuato* obiiciuntur, nos minime tangunt; eo quod nos gratia diuina adiuti nitimur, vt noſtra interpretatio ſcripturæ conformis ſit menti Spiritus ſancti, qui non ſpiritus priuatus, ſed omnibus renatis communis eſt. Contra quidquid in articulis fidei extra ſcripturam profertur, illud proficiſcitur a ſpiritu priuato.

V. *Ab inſeparabili vnione ſenſus interni cum externa ſcripturæ littera. Duo enim ſunt in ſcriptura, voces ſcriptæ, & ſenſus in eis incluſus. Voces ſunt quaſi vagina, ſenſus eſt ipſe gladius ſpiritus,* fatente BELLARM. *lib. IV. de verbo Dei cap. IV. §. 7. fol. 171.* Cui adſtipulatur *Gordonus Huntlæus* citante D. GERHARD. *in confeſſ. cathol. libr. II. art. I. c. III. fol. 420. Sola littera ſine vero ſenſu proprie & vere verbum Dei dici non poteſt, ſicut neque corpus ſine anima vere ac proprie dicitur homo. Illi igitur, qui litteram vero ſenſu ſpoliant, perinde faciunt, ac illi,* *qui*

gruenter explanare ſcripturam ſacram, hoc eſt, loca difficiliora interpretari conuenienter locis clariſſimis, & quidem dogmaticis ac præcipuis. Atqui id itidem rationi maxime conſentaneum eſt. E. patet, quam inique nobiſcum agant aduerſarii, quando illi quidem hanc regulam, *ſcriptura per ſcripturam explicanda eſt*, poſtulant *circuli*, quo nullum turpius eſt vitium in argumentatione. De cætero, pauci neſciunt diſtinctionem, ſed & coniunctionem, vtriusque *analogiæ*, tum *fidei*, tum *ſcripturæ*. *Illa* exſtat in quibusdam ſcripturæ locis, quippe dogmaticis ac principalibus; *hæc* in omnibus, cuiuscunque ſint argumenti, atque hæc nomine tum *contextus*, tum *paralleliſmi* ſignificari ſolet. *Illa* conſtituit principium vnicum idoneæ interpretationis; *hæc* ad regulas ac media pertinet.

Digitized by Google

*qui hominem anima & vita priuant.* Quod ſi igitur ſenſus θεόπνευστος in litteris & vocibus S. ſcripturæ eſt, vt gladius in vagina, anima in corpore; nullibi niſi in litteris & vocibus ſcripturæ eiusdem genuinus ſenſus quærendus & inueniendus eſt.

VI. *Ex abſurdo.* Si ſcripturæ verus ſenſus non poteſt ex ipſa ſcriptura erui, ſed aliunde debet inferri, ſcriptura erit a) *inanime ſceleton, aut ſtatua muta*, per eccleſiæ vocem animanda; cum tamen *ſermo Dei ſit viuus & efficax.* Hebr. IV, 12. b) *Non erit clara & dilucida*, ſed tenebris impleta; cum tamen ſcriptura S. *ſit lumen lucens in loco tenebricoſo, vsque dum dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris.* 2 Petr. I, 19. c) *Erit inferioris conditionis, quam ſcripta humana;* nam omnes principes, ICti, philoſophi, oratores, ſcriptis ſuis mentem ſuam declarant: at ex ſententia diſſidentium conſequitur, Deum ſcripturam ſuam, per quam homines ad ſalutem informatos voluit, ſic inuoluiſſe, vt, fuſis piis precibus omnique expromta diligentia, germanum eius ſenſum indagando aſſequi nequeamus. d) *Erit inutilis.* Nam quod ſcriptum non poteſt intelligi, vt frugis expers negligitur. e) *Nihil ſolidum erit in theologia;* quippe cuius penitiſſimum omne momentum in demonſtratione veri ſcripturæ ſenſus reſidet.

Prob. b. Quicunque eſt auctor ſcripturæ, ille eiusdem optimus & authenticus eſt interpres. Atqui Spiritus S. &c. Ergo. Maior liquet; quoniam vnusquisque optimus eſt interpres verborum ſuorum. Minor conſtat 2 Petr. I, 21. *a Spiritu S. impulſi locuti ſunt ſancti Dei homines.* Argumentamur porro: Si Spiritus S. ſcripturam optime interpretatur, eandem vel per reuelationem immediatam, vel per mediatam exponit. Non per reuelationem immediatam; vtpote quæ poſt completum ſcripturæ canonem in eccleſia locum non habet. Ergo per reuelationem mediatam in S. ſcriptura comprehenſam.

Prob. c. *Publicus hermeneuta eſt, qui ſufficientibus donis inſtructus & legitime vocatus eſt, vt in ædificationem illorum in ſolemni fidelium cœtu vel viua voce, vel editis in lucem ſcriptis ſenſum ſcripturæ accurata inueſtigatione erutum exponat.* Publica iſthæc ſcripturæ interpretatio miniſterio eccleſiaſtico diuinitus eſt commiſſa. Epiſcopum enim decet eſſe διδακτικὸν, aptum ad docendum, 1 Tim. III, 2. καὶ ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, & contradicentes arguere. Tit. I, 9. Complectitur autem publicum docendi munus tum ſcripturarum explicationem, tum earum ad ſalutarem vſum applicationem. Vtraque ex ipſa ſcriptura, velut ταμείῳ, aut locupletiſſimo ærario, petitur. *Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam, vt integer ſit homo Dei, ad omne opus bonum probe inſtructus.* 2 Tim. III, 16. 17.

Prob. d. *Interpres priuatus eſt omnis homo rudimentorum doctrinæ cæleſtis præcognitione imbutus, mediocri pollens iudicio, & idiomatis, in quo ſcripturam legit, gnarus; qui ad propriæ fidei confirmationem, vel etiam aliorum ædificationem, ſenſum oraculorum cæleſtium inueſtigat, & in ædibus priuatis declarat.* Huic diuinitus permiſſam eſſe ſacrarum litterarum interpretationem, patet: 1) Quia Chriſtus omnibus hominibus viatoribus ad vitam æternam tendentibus commendat τὸ ἐρευνᾷν, *ſcrutari ſcripturas.* Io. V, 39. Non iuberentur homines priuati ſcrutari ſacram ſcripturam, tanquam diuitem aurifodinam, niſi aurum effodere, vel tanquam mare profundum, niſi margaritam extrahere, vel tanquam ſyluam ampliſſimam, niſi ceruam matutinam indagare, aut vt clarius dicam, niſi ſenſum Spiritus ſancti inquirere, ipſis diuinitus datum foret. 2) Quia hominibus priuatis permittitur diſcretiuum de rebus fidei iudicium. *Tanquam intelligentibus loquor: vos ipſi iudicate, quod dico.* 1 Cor. X, 15. Qui verba apoſtolorum adeo accurate intelligunt, vt de iisdem, quod vere diuina ſint, iudicium ferre queant, illis non denegata eſt facultas verbi diuini ſententiam aſſequendi & enuntiandi. 3) Fruſtra Beroënſes ſingulis diebus ſcrutati fuiſſent *ſcripturas, an ea, quæ Paullus prædicabat,*



Digitized by Google

*cabat, ita ſe haberent*, niſi Deus donum διακρίσεως καὶ δοκιμασίας, diſcretionis & probationis, ipſis indulſiſſet, ad diſcernendum ſcripturæ ſenſum genuinum a peregrino & forinſecus illato.

Prob. e. Scriptura ſacra ſeipſam interpretatur, certa interpretandi media ſuppeditando. Quæ media hermeneutica a nonnullis theologis breuitatis cauſa duobus comprehenduntur præceptis. 1) *Vocum, phraſiumque biblicarum habitus & conſtructio iuxta conſuetudinem linguæ ſanctæ diligenter ſunt conſideranda.* 2) *Ex antecedentibus & conſequentibus, ex occaſione, ſcopo, cauſſa impulſiua & circumſtantiis mens loquentis eſt inueſtiganda.* Has interpretandi leges fuſius diduxit & illuſtrauit D. FRANZIVS *in tract. de interpret. ſcript. p. 5. 6. ſqq.* D. GLASSIVS *in philol. ſacra L. II. P. II. p. 352. ſeqq.* Conf. D. BAYER *in comp. theol. p. 271.* Ab aliis autem theologis media interpretandi ſcripturas ea latitudine ſumuntur; vt ambitu ſuo complectantur etiam requiſitas in interprete ſcripturæ conditiones & adminicula externa, quibus inuentus ſenſus litteralis ſecundario confirmatur, & ad ſalutares fructus applicatur. Quamobrem facilioris doctrinæ cauſa *media hermeneutica* diſtinguemus in *antecedentia, formalia, & conſequentia.*

Media hermeneutica *antecedentia ſunt requiſita in interprete ſacrarum litterarum, præſertim doctiori, ſubſidia, quibus ille inſtruitur & idoneus redditur ad verum ſacrarum litterarum ſenſum inquirendum, eliciendum & explanandum* I. *Palmarium ſubſidium hermeneuticum eſt illuminatio Spiritus ſancti, piis precibus a Deo expetenda.* Prophetia enim datur per Spiritum ſanctum, 1 Cor. XII, 10. ab eodem donantur oculi mentis illuminati, Eph. I, 18. Dat autem Deus Spiritum S. petentibus, Luc. XI, 3. ac ſapientiam confert per preces ipſam poſtulantibus, Iac. I, 5. Quare interpretationi ſcripturæ vsque & vsque præmittenda eſt ardens precatio, vt Spiritus S. nos ipſe doceat; non per immediatam illuminationem, quæ non amplius exſpectanda; ſed mediate per ſcripturam, vbi Spir. S. ſenſum ſuum depoſuit. II. *Præuia articulorum fidei fundamentalium cognitio*, quippe quorum vniformis concentus eſt commendata a S. Paullo, analogia ſc. fidei, hermeneutæ ſacro nunquam non obſeruanda. Rom. XII, 6. III. *Solida hebrææ & græcæ linguarum notitia.* His namque linguis locutus eſt Spiritus S. per prophetas & apoſtolos: his linguis ſcriptura canonica adornata & prouida Dei cura ad nos conſeruata peruenit. Rudis harum linguarum originalium interpres alienis oculis videre, alienis auribus audire, alterius cerebrum conſulere & ſequi cogitur. Quocirca interpreti, ſolide, vtiliter & perfecte (pro ſtatu viæ) ſacras litteras intellecturo, aliisque expoſituro, ad plenam efficaciæ & δεινότητος in verborum cortice latentis apprehenſionem, nec non ad vindicandum verum ſcripturæ ſenſum ab heterodoxorum detorſionibus, perquam neceſſarium eſt græcæ & hebrææ linguarum ſtudium. IV. *Apparatus ancillaris artium liberalium tam inſtrumentalium, quam principalium.* Idiotiſmos hebræorum & græcorum docet grammatica hebræa & græca: modum explicandi tropicas & figuratas locutiones inculcat rhetorica: modum eliciendi conſequens ex antecedente commonſtrat logica. Diſciplinæ philoſophicæ inprimis conducunt ad diſtinctam explicationem tum articulorum fidei mixtorum, tum rerum phyſicarum & moralium, quarum in ſacris litteris fit mentio. Quin & ad vberiorem rerum meræ fidei, quas ſcriptura tradit, illuſtrationem (a ſimili, contrario &c.) hermeneutæ ſacro inſeruiunt: inſeruiunt, inquam, non normæ inſtar ipſum dirigunt. V. *Flagrans veritatis amor, iuxta atque deſiderium propoſitum & ſtudium genuinum alicuius textus biblici ſenſum exquirendi & perſpicue enarrandi.* Verſare enim eloquia ſcripturæ absque ingenuo veritatis, e fonte ſuo hauriendæ, ſtudio & deſiderio, plus ſatis ſæpe eſt verſare eadem absque intellectu, & conatu ſuam aliorumque conſcientiam tranquillandi. Experimento interim diſcimus, veritatis ſtudium, iniecto quaſi ſufflamine, remorari præconceptas opiniones erroneas. Etenim his indul-

Digitized by Google

dulgens, ſcripturæ alienum ſenſum infert, non ſenſum diuinum ex ea effert. Belliſſime inquit HILARIVS *in libr. I. de trin. Optimus lector eſt, qui dictorum intelligentiam exſpectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumſerit intelligendum.* VI. *Sedula & crebro repetita lectio S. ſcripturæ, illiusque intima meditatio, iunctis interdum ſolide doctis interpretibus.* Nam lector, iterum iterumque voluens ſacrorum oraculorum codicem, progreſſu temporis phraſibus ſcripturæ prompte intelligendis aſſueſcit, ſtilumque Spiritus S. ſibi familiarem reddit. Exegeſis interpretum ante ἐξεργασίαν, ſiue actum interpretationis, cum ſcripturæ lectione coniuncta, & æqua animi lance expenſa, χειραγωγία ſiue manuductio eſt, ad ſenſum ſcripturæ ſagaci indagine inquirendum.

Media hermeneutica *formalia ſunt interna & proxima interpretationis dextre perficiendæ ſubſidia, ab ipſa ſcriptura S. ſuppeditata, quibus intima textus biblici viſcera perquiruntur, vt internus ipſius ſenſus menti Spiritus S. conformis inueſtigetur, eruatur, & ad liquidum redigatur.* Qualia media interpretandi interna & proxima ſunt: I. *Sollicitum vocum ſingularum, phraſiumque coniunctarum, quæ habentur in textu originali, ſcrutinium.* Cum enim voces ſint rerum ſymbola, & interni ſenſus quaſi cubilia, ſingularum vocum vis ſignificandi & emphaſis ponderanda, atque ſignificatio natiua a tropica, ſiue translata, diſcernenda eſt. Tropos in ſacris occurrentes enucleat rhetorica ſacra D. GLASSII. Natiuam ſignificationem docent lexica & concordantiæ. Si vox πολύσημος, ſiue diuerſæ fuerit ſignificationis, determinatam & textui analogam ſignificationem ſuppeditabit tum connexio textus tum loca parallela: quibus adiumentum præſtabunt lexica, concordantiæ, paraphraſes & verſiones. Phraſes coniunctæ ſecundum idiotiſmos græcorum & hebræorum explicandæ ſunt, facem præferente grammatica D. GLASSII. II. *Attenta ſcopi, quem Spiritus ſanctus in textu biblico intendit, conſideratio.* De ſeductoribus populi grauiter inquit Paullus 1 Tim. 1, 6. 7. *A quibus nonnulli ἀστοχήσαντες, aberrantes, auerſi ſunt ad vaniloquium, dum volunt eſſe legis doctores, quum tamen non intelligant, neque quæ dicunt, neque circa quæ aſſeuerant.* In voce ἀστοχήσαντες, aberrantes, metaphoram ſumtam eſſe ab imperitis ſagittariis, ſagittas emittendo ſcopum præfixum non attingentibus, notarunt CHRYSOSTOMVS, OECVMENIVS, & alii. Sagittantibus certus præfinitus eſt ſcopus; a quo ſi deflectant, aërem feriunt, omniumque ludibriis ſe exponunt: ita qui volunt eſſe doctores legis, & mentes ſuas auertunt a caritate eiusque comite, aut duce, intemerata fide, a ſcopo legis, turpiter aberrant. Ne idem interpreti ſacræ ſcripturæ obtingat, par eſt, vt ille expoſiturus textum biblicum, ſcopum intentum a Spiritu ſancto irretortis oculis intueatur. *Scopus principalis ſacræ ſcripturæ eſt gloria Dei, Pſal. CXIX, 18.* Scopus *intermedius* eſt hominis informatio didactica, elenchtica, epanorthotica, pædeutica & paracletica ad ſalutem 2 Tim III. 16. Proinde non eſt legitima ſcripturæ interpretatio, quæ Deo laudem ſanctitatis, bonitatis, iuſtitiæ & potentiæ derogat, iuxta atque ſtudium pietatis labefactat, & fontes ſolatii obſtruit. III. *Diligens & circumſpecta totius contextus, antecedentium & conſequentium penſitatio.* Penſitandus eſt in textu orationis tum ordo, tum circumſtantiæ. Interdum membra orationis propheticæ & apoſtolicæ ordine lucido, quaſi concatenata ſerie, cohærent, vt vnum ex alio fluat, aut deduci poſſit. Quam συνάφειαν & connexionem textus biblici ſolerter attendenti interpreti patet via compendiaria ad verum ipſius ſenſum enucleandum. Docet id HIERONYMVS in Matth. XXV. c. *Prudentem ſemper admoneo lectorem, vt non ſuperſtitioſis acquieſcat interpretationibus, & quæ comatice dicuntur pro fingentium arbitrio, ſed conſideret priora, media & ſequentia, & nectat ſibi vniuerſa, quæ ſcripta ſunt: ex antecedentibus enim & conſequentibus verus ſenſus colligitur.* Cui album calculum adiicit AVGVSTINVS *tract. 70. in Io. Verba euangelii recte intelliguntur, ſi cum ſuperioribus reperiuntur habere concordiam;*

 con-

Digitized by Google

*conuenire enim debent praecedentia conſequentibus, quando veritas loquitur.* CLEMENS ALEXANDR. *Strom.* 7. conqueritur, *haereticos e ſacris litteris decerpere quaedam,* Οὐχ ὡς τὸ ὕφος καὶ τὸ σῶμα τῆς προφητείας ὑπαγορεύει, *non vt contextus* (tela orationis) *& corpus prophetiae requirit.* Easdem querelas de *Valentinianis* ſcripturas detorquentibus effundit IRENAEVS libr. I. cap. 2. *Tranſiliunt* καὶ τὸν εἱρμὸν τῶν γραφῶν *& ſeriem ſcripturarum, & quantum in ipſis, diſſoluunt membra orationis. Transferunt enim & transformant: &, dum aliud ex alio faciunt, multos fallunt ſapientia male compacta ex dictis Domini, quae errori ſuo accommodant. Inſertae contextui circumſtantiae perſonarum, occaſionis & cauſſae mouentis, temporis & loci, haud parum lucis dictis biblicis affundunt.* LYRANVS in *cap. XVIII. Deuter.* allegat dictum HILARII: *intelligentia dictorum ex cauſſis ſumenda eſt dicentis.* De circumſtantia temporis inquit AVGVSTINVS *ſermon. XVI. de verbis Domini. Diſtribue tempora, & concordabit ſcriptura.* IV. *Perpetuae analogiae fidei obſeruatio.* Supra oſtendimus, analogiam fidei eſſe conformitatem doctrinae fidei, ſeu vniformem concentum articulorum fidei fundamentalium claris ſcripturae dictis traditorum. Habent enim dogmata fidei morumque praecepta in ſacris litteris proprias ſedes, in quibus non incidenter aut obiter, ſed directe, accurate & ex profeſſo tractantur, verbisque proponuntur perſpicuis; quae fidei dogmata eccleſia chriſtiana in ſuis ſymbolis ſummatim comprehendit. Subleſtam igitur oportet eſſe omnem interpretationem dicti biblici, quadantenus obſcuri, repugnantem claro ſcripturae eloquio, aut articulo fidei fundamentali in libris ſymbolicis eccleſiae chriſtianae contento. V. *Aſſidua locorum ſcripturae parallelorum collatio.* Requirit enim iam memorata analogia fidei, vt obſcuriora & pauciora explicentur ex clarioribus & pluribus, e quibus lucem aliquam ſortiuntur. Commendat locorum parallelorum collationem AVGVSTINVS *lib. II. doctr. chriſt. cap. 9. Ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quaedam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant.* Dicta parallela, quae de eadem materia, ſiue de eodem fidei dogmate agunt, alia *parallela ſunt, quoad phraſin, alia, quoad ſententiam, ſeu rem ipſam.* Eandem phraſin, qua Spiritus ſanctus vtitur Ieſ. VI, 10. *Impingua cor populi huius, & aures eius aggraua, ac oculos eius obline, ne forte videat oculis ſuis & auribus ſuis audiat, & cor eius intelligat conuertaturque, vt ſanetur ſibi,* ſexies repetitam videbis in N. T. Matth. XIII, 14. Marc. IV, 12. Luc. VIII, 10. Io. XII, 40. Act. XXVIII, 26. Rom. XI, 8. Quamuis in illa repetitione vel exegeſeos, vel breuitatis cauſſa, quaedam variatio occurrat. Quoad rem, ſiue ſententiam, dicta parallela ſunt Gen. III, 15. *Semen mulieris conteret caput ſerpentis, & 1 Io. III, 8: In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* Sedulo itaque conſideret hermeneuta: 1) ſintne dicta parallela, qua phraſin, an qua ſententiam; 2) caueat, ne pro locis parallelis, ſiue homogeneis, venditentur heterogenea; 3) prouideat, ne dictis ſcripturae clarioribus e minus claris offundantur tenebrae. Boni namque interpretis eſt ſenſum dicti obſcurioris redigere ad liquidum, ex aduerſo dictum liquidum contorta explicatione reddere obſcurum, malitioſi calumniatoris eſt. VI. Conſtanter retinenda vocum phraſiumque biblicarum propria & natiua ſignificatio, niſi ſumma interpretem premat neceſſitas deſcendendi ad ſenſum verborum figuratum. Obſeruandus heic eſt canon theologicus: *in propria & vſitata ſignificatione verborum perſiſtendum eſt, quamdiu neque analogia fidei, neque loca ſcripturae parallela clariora, neque antecedentia & conſequentia in contextu, ſcopusue dicentis, aut aliae circumſtantiae propriae vocum ſignificationi apertiſſime repugnant.* Fundatur haec regula in naturali ratione intelligendi, qua iubemur ad eum attendere ſenſum, quem ſecundum communem verborum vſum & ſignificationem omnes concipiunt; alioqui enim nulla dabitur intelligentiae noſtrae certitudo. Rectiſſime inquit B. LVTHER. in *libr. de captiu. Babyl. p. 277. Verbis diuinis non eſt vlla vis facienda, neque per hominem, neque per angelum;*

Digitized by Google

*gelum; ſed quantum fieri poteſt, in ſimpliciſſima ſignificatione ſeruanda ſunt, & niſi manifeſta circumſtantia cogat, extra grammaticam accipienda non ſunt, ne detur aduerſariis occaſio eludendi totam ſcripturam.*

Media hermeneutica *conſequentia* ſunt interpretandi *ſubſidia, quibus hermeneuta ſacer poſt actum interpretationis vtitur ad ſenſum ſcripturæ litteralem ſecundario confirmandum, vel ad ſalutarem ſcripturæ notitiam acquirendam.* Sunt hæc duo: I. Commentarii veterum & recentium eccleſiæ doctorum, *quorum labore exegetico vtimur, vt adminiculo interpretandi externo, non nitimur vt principio diuino.* Præclare ait noſter B. GERHARD. in *exeg. L. de ſcriptura S. fol. m. 204: non fruſtra prioris antiquitatis teſtimonia nobis conſeruaſſe exiſtimandus eſt Deus, ſed vt eſſent quoddam adminiculum ad ſcripturæ ſententiam inueſtigandam, & vt perſpecta vera ſententia ex ſacris litteris piorum animi magis confirmentur.* Quocirca *vtitur interpres ſcripturæ commentariis doctorum eccleſiæ* 1) *ante actum interpretationis*, quatenus ad verum dicti biblici ſenſum eliciendium ipſum manuducunt. 2) *poſt ἐξεργασίαν interpretationis*, ad confirmandam ſententiam huius vel illius oraculi prophetici, aut apoſtolici, iam ante ex ipſo ſcripturæ fonte hauſtam. II. Seria ſenſus litteralis ad vſum ſalutarem, eumque multiplicem, applicatio. *Publicus ſcripturæ interpres*, ductu Paulli, 2 Tim. III, 16. ſenſum litteralem eloquiorum diuinorum transfert a) ad διδασκαλίαν, ad veram doctrinam conſolidandam, b) ad ἔλεγχον, ad falſa hæreticorum dogmata confutanda, c) ad ἐπανόρθωσιν, ad prauitatem morum corrigendam, d) ad παιδείαν, ad ſtudium pietatis promouendum, e) ad παράκλησιν, ad præſentiſſima quæque ſolatia, anxiis mentibus inſtillanda. *Priuatus ſcripturæ interpres* ſenſum litteralem oraculorum cœleſtium aſſidua lectione inueſtigatum & inuentum applicat ad propriam proximique ædificationem, atque adeo ad exercitia pœnitentiæ, fidei & pietatis, vt legendis ſacris litteris peccata ſua penitius agnoſcre, acerbius lugere, grauius deteſtari, fidem in Chriſtum conceptam diligentius conſeruare, augere, ſtabilire, Deum impenſius amare, timere, venerari, ſeipſum abnegare, ſobriam caſtamque ſeruare mentem, proximum validius diligere diſcat & conſueſcat. Quæ applicatio parit ſalutarem ſcripturæ ſacræ notitiam.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum* ſtatuentium, veram ſcripturæ intelligentiam petendam eſſe e conſenſu patrum, e conciliis, inprimis a Pontifice Romano, cuius in ſcripturis explicandis ſumma & infallibilis ſit auctoritas. 2) *Socinianorum*, qui rationem, ſiue principia & axiomata philoſophica innata & exculta putant vel maxime facere ad interpretationem ſcripturæ. 3) *Quackerorum & Enthuſiaſtarum*, qui ad ἑρμηνείαν dicti biblici obſcurioris nouam & immediatam deſiderant Spiritus S. reuelationem: quorum argumenta ponderabimus.

I. Si ſcriptura per ſcripturam explicaretur, idem explicaretur per idem, quod videtur eſſe abſurdum. Reſp. 1) Idem per idem, diuerſo conſideratum modo, aut reſpectu, explicare, non eſt abſurdum. Sane diploma principis per idem diploma, teſtamentum patris per idem teſtamentum exponitur: ſicut lumen ſolis ſeipſum notificat, & conſpiciendum præbet. 2) Diuerſus conſiderandi modus conſiſtit in hoc, quod dictum biblicum explanetur ſecundum antecedentia & conſequentia, quæ ab ipſo quadantenus differunt: vel ſi proponatur in lingua vernacula, ſenſus eius eruitur e lingua originali. 3) Quando aſſerimus, ſcripturam per ſcripturam eſſe explicandam, tunc in *ſubiecto*, per *ſcripturam* intelligitur eloquium diuinum minus clarum; in *prædicato*, effatum Spiritus S. clarius. Requirit autem naturalis intelligendi ratio, vt obſcuriora explicentur per clariora.

II. Quæcunque ſcriptura ſeipſam interpretatur, illa a doctoribus eccleſiæ non eſt interpretanda: Atqui ex mente doctorum proteſtantium ſcriptura ſacra ſeipſam interpretatur. Ergo. Reſp. 1) Quæcunque ſcriptura ſeipſam interpretatur, illa a doctoribus eccleſiæ non neceſſario

Digitized by Google

neceſſario eſt interpretanda; concedo. Nam ſacra ſcriptura dogmata fidei morumque præcepta homini ſaluando cognitu neceſſaria adeo clare & perſpicue tradit, vt *interpretamenta doctorum eccleſiæ non ſimpliciter ſint neceſſaria. Sunt autem illa vtilia* ad intelligentiam ſcripturæ faciliorem & vberiorem, nec non ad oſtendendam applicationem ſenſus litteralis ad praxin & vſum ſalutarem, atque adeo ad ædificationem fidelium. 2) *Scriptura ſeipſam interpretatur non ſemper actu, ſed potentia,* ſuppeditando certa interpretandi media, quæ doctores eccleſiæ adhibent, vt, quæ videntur intellectu difficiliora, ex facilioribus & planioribus lucem aliquam ſortiantur.

III. Media hermeneutica, ſupra adducta, ſunt humana & probabilia. Ergo per ea ſenſus ſcripturæ non certo & infallibiliter elicitur. Reſp. Media hermeneutica formalia non ſunt humana, neque probabilia, ſed certiſſima. Nam dicta clariora, ex quibus minus clara dilucidantur, ſunt dicta diuina: Antecedentia & conſequentia ſunt pronunciata Spiritus ſancti: Voces hebrææ & græcæ ſunt δοχεῖα, receptacula, & quaſi cubilia ſenſus diuini: Analogia fidei auctorem habet Spiritum S.: Ergo media hermeneutica ſunt ſubſidia interpretandi non humana, ſed diuina, ſcripturæ non extrinſeca, ſed intrinſeca, quamuis eorum vſus forinſecus ab hominibus accedat.

IV. Quæcunque ſcriptura profecta eſt a Spiritu ſancto, illa interpretanda eſt a Spiritu ſancto, & non a doctoribus eccleſiæ. Atqui ſcriptura S. &c. Ergo. Reſp. Diſtinguendo inter *interpretem S. ſcripturæ principalem, & miniſterialem.* Ille eſt Spiritus ſanctus, hic eſt doctor eccleſiæ, ductum Spiritus S., in ſcriptura & per ſcripturam loquentis, ſequens. Huius miniſterium in declarandis ſcripturis Spiritum S. adeo non excludit, vt potius ab eo τὸ ἐρευνᾶν, ſcrutari ſcripturas, Io. V, 39. τὸ προσέχειν attendere verbo prophetico, 2 Petr. I, 19. τὸ διδάσκειν, docere ſacras litteras, 1 Tim. III, 2. requirat.

V. Quæcunque media interpretandi communia ſunt hæreticis falſa docentibus, per illa verus ſcripturæ ſenſus erui nequit. Atqui media interpretandi ſupra adducta communia ſunt hæreticis. Ergo. Reſp. 1) Concludunt *Pontificii* aduerſus ſeipſos. Nam interpretes ſcripturæ, Pontificiæ religioni addicti, ſupra memoratis mediis vtuntur. Ergo neque illi verum ſcripturæ ſenſum eruere queunt. 2) Negamus maiorem. Conſtat enim, *ipſam Scripturam S. communem eſſe orthodoxis & heterodoxis, veris Chriſtianis & hypocritis:* quæ nihilo tamen minus manet verum medium homines peccato corruptos illuminandi, conuertendi, regenerandi & renouandi. 3) Nihil mirum eſt, media hermeneutica hæreticis eſſe communia. Nam ex illis, velut communibus & vtrinque conceſſis interpretandi mediis, errorum ſuorum conuinci & tandem concurrente Spiritu S. conuerti poſſunt. 4) Diſt. inter *abuſum*, & legitimum *vſum* mediorum hermeneuticorum. Hæretici abutuntur mediis hermeneuticis ad palliandum præconceptas opiniones, quas ſcripturæ inferunt.

VI. Media hermeneutica, ſupra recenſita, non vbique poſſunt adhiberi. Ergo per eadem ſenſus ſcripturæ non ſemper & vbique inueſtigari & inueniri poteſt. Nam collatio antecedentium & conſequentium locum non inuenit, vbi datur oratio non continua, vt in prouerbiis Salomonis, vel vbi per ὑστερολογίαν ordo inuerſus eſt. Collatio locorum parallelorum nil vtilitatis confert ad exponenda vocabula monadica, quæ ſemel in ſcriptura tantum leguntur. Neque ſcrutinium vocum, phraſium & ſtili medium interpretandi ſcripturas catholicum eſt; cum ſtilus biblicus diuerſus ſit. Aliter quippe loquuntur in aula nati, vt Ieſaias: aliter, qui prodierunt e caula, vt Amoſus. Reſp. 1) *Media hermeneutica non diuiſim, ſed coniunctim adhibenda ſunt.* Si vnum applicari nequit, vtamur alio. 2) Quando oratio non continua eſt; inſpiciantur fontes, perueſtigetur vox quælibet & tota phraſis conſideretur, conferantur loca parallela, obſeruetur analogia fidei, neque ſine vrgentiſſima cauſſa rece-

Digitized by Google

recedatur a ſenſu litterali ac proprio: & patebit via ad inueniendum orationis non continuæ ſenſum. Significatio vocabulorum monadicorum ex deriuatione vocis, aliorum paraphraſi & lexicis petenda eſt. Ὑςερολογίαι rediguntur in ordinem, modo circumſtantiæ accurate expendantur. *Stilus denique biblicus vniformis eſt, qua ſubſtantiam, diuerſus, qua accidentalem conformationem.* Vid. ſupra qu. XVII. in antith.

VII. Tutiſſimum ſcripturas interpretandi medium eſt conſenſus Patrum, qui iisdem interpretandi mediis innixi ſunt. Reſp. *Conſenſum Patrum,* ſacrum codicem interpretantium, qualis & quantus ille hodie in eccleſia datur, grata mente veneramur, grata manu recipimus, vt *medium interpretandi ſcripturas externum, manuducens, atteſtans, confirmans; at non recipimus vt principium diuinum, fundamentale & infallibile,* ex quo velut fonte limpidiſſimo verus oraculorum cœleſtium ſenſus hauriendus ſit. Videmus enim pleroſque in exponendis eloquiis diuinis quam maxime diſſentire, haud raro a ſeipſis abire, ſenſum ἀσύμφωνον, ſiue incongruum, ſcripturis inferre, dicendique genere adeo obſcuro & perplexo vti, vt ſcripta eorum noua luce, nouo interprete indigeant. Quid? quod pauciſſimi ex antiquiſſimis hebraice, ex latinis græce ſciuerint, adeoque neceſſario quodam medio hermeneutico deſtituti fuerint.

VIII. Male conſulunt eccleſiæ proteſtantes, permittendo interpretationem ſacræ ſcripturæ hominibus plebeiis & idiotis vtriusque ſexus, quorum interpretatio eſt ἰδία ἐπίλυσις, propria ſiue priuata expoſitio, improbata ab apoſtolo Petro 2 Epiſt. c. I, 20. Reſp. Diſtinguendo inter *interpretationem priuatam, & inter interpretationem hominis priuati.* Quando homo priuatus ad ſuam proximique ædificationem ſacram ſcripturam pie meditatur, eiusque internum ſenſum, collatis antecedentibus & conſequentibus, obſeruatoque ſcopo dicentis inueſtigat & enucleat, illa interpretatio non priuata aut propria eſt, cum e principio diuino omnibus obuio expoſitoque petita ſit. Contra cum centum epiſcopi, & centum concilia, ex principiis rationis, auctoritate humana, & præconceptis opinionibus, ſcripturæ ſenſum difformem intentioni Spiritus S. inferunt, tunc ἰδία ἐπίλυσις, propria & priuata expoſitio eſt, cum pro lubitu humano ingenio conficta ſit. Ceterum non permittimus hominibus plebeiis, in ſolenni fidelium cœtu ſcripturas interpretari. Sufficit hominibus plebeiis, attente & deuote ſacrum codicem voluentibus, quod ſcriptura per ſeipſam ſenſum Spiritus ſancti pandat & exhibeat, vt eundem apprehendere & ad ſalutem applicare ipſis liceat. Inſtantia: Interpretatio ſcripturæ numeratur inter dona Spiritus S. ſingularia, quæ non omnibus plebeiis conceſſa ſunt, 1 Cor. XII, 10. & XIV, 26. Reſp. 1 Cor. XII, 10. commemorat apoſtolus *dona extraordinaria, ſub exordium naſcentis eccleſiæ chriſtianæ peculiari modo & menſura in doctores eccleſiæ primitiuæ collata,* quorum alii his, alii aliis donis claruere. Scribit enim apoſtolus: *alii vero genera linguarum, alii vero interpretatio linguarum* (data ſunt.). In quæ verba D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. fol. 380.* ita commentatur: *Fuere, qui linguis loquebantur, nec tamen ea, quæ dicerent, interpretari commode poterant. Et viciſſim fuerunt, qui donum habebant interpretandi ea, quæ alii lingua peregrina proferebant, nec tam ad docendum inſtructi erant, quam ad interpretandum ea, quæ ab aliis docebantur. Cui interpetationis dono poſterioribus ſeculis officium eorum, qui profeſſores linguarum vocantur, ſucceſſit.* 1 Cor. XIV, 26. Paullus *de publica interpretatione, quæ fit in ſolemni fidelium cœtu,* agit. Verba apoſtoli ſunt, v. 27. 28: *Vnus autem interpretetur: ſi vero non ſit interpres, taceto in eccleſia, ſibi ipſi vero loquatur & Deo.* Non ſtatuimus, extraordinaria interpretandi ſcripturas dona a Spiritu S. data eſſe hominibus plebeiis, neque publicam interpretationem in eccleſia ipſis permittimus, ſed ex vero aſſerimus, omnibus hominibus vel infimæ conditionis ſacras litteras attente legentibus, gnaris idiomatis, in quo eas legunt, contextum ſedulo conſiderantibus, diuinitus



Digitized by Google

nitus datum eſſe, propoſiti dicti biblici ſenſum genuinum aſſequi, & occaſione ferente, aliis in priuatis ædibus ad ſalutarem ædificationem exponere.

Quæſt. XLIX. *Num licet & expedit, linguam hebræam veteris, & græcam noui teſtamenti in linguas vernaculas vertere?*

*De verſionibus S. S.* Sanctiſſimum Dei verbum e fonte hebræo veteris, & græco noui teſtamenti, in linguas vernaculas & vulgo notas ad ſalutarem laicorum notitiam transferre, non licet tantum (a), ſed magnopere etiam expedit (b).

Obſ. 1. Lingua vernacula dicitur, quæ cuiuis nationi eſt familiaris, materna, & vulgo nota.

Obſ. 2. Non tantum quæritur de iure vertendi linguas originales veteris & noui teſtamenti in vernaculas, ſed etiam de verſionum vtilitate, & neceſſitate hypothetica.

Prob. a. I. Quæcunque prædicantur linguis omnibus nationibus familiaribus, illa linguis vernaculis & vulgo notis ſcribi nihil prohibet. Atqui magnalia Dei prædicantur linguis omnibus nationibus familiaribus. Ergo. *Maior* conſtat; quia verbum prædicatum, & ſcriptum, non differunt realiter. Quod ſi igitur maieſtati verbi diuini nihil detraxit eiusdem prædicatio variis linguis vulgo notis facta: quid detrahet ſcriptio πολύγλωττος, ſeu variis adornata linguis vernaculis? *Minor* patet ex Act. II, 11. vbi euangeliſta Lucas commemorat, apoſtolos in die pentecoſtes locutos eſſe variis linguis magnalia Dei. In quo auguſtiſſimo pentecoſtes feſto Spiritus S. omnium gentium linguas dedicauit, & propagandæ gloriæ Dei ſalutique hominum conſecrauit, vt eſſent liquidi quaſi canales, per quos ex ſacris fontibus fluentes riui gratiæ diuinæ ad obtinendam æternam ſalutem in hominum animos decurrerent. Impugnat maiorem propoſitionem BELLARMIN. *libr. 11. de verbo Dei, cap. 16. fol. 123.* ratus, a prædicatione verbi diuini ad eius ſcriptionem perperam concludi. Verba Cardinalis ſunt: *Si bona eſt conſequentia a prædicatione ad ſcripturam, cur apoſtoli ſolum ſcripſerunt græce, cum prædicauerint tam multis linguis? Ideo verbum Dei recte prædicatur lingua vulgari, quia prædicatio explicationem continet, quam omnes facile capiunt: At cum ſcribitur, nudum ſcribitur, nec ab omnibus capitur.* Reſp. (1) Mutat BELLARM. ſtatum controuerſiæ. Nam nos loquimur de *verſionibus*, ille de *canone primigenio*, qui cum græcus fuerit, poterat ab eccleſiis, ad quas ſermo apoſtolicus peruenit, in linguas cuilibet eccleſiæ vernaculas transfundi. Ratio autem, cur apoſtoli omnia græce ſcripſerint, hæc eſt, quia tunc lingua græca erat omnium communiſſima, vt M. TVLLIVS teſtatur in *orat. pro Archia Poëta*, inquiens: *Græca leguntur in omnibus gentibus: Latina ſuis finibus exiguis ſane continentur.* (2) S. ſcriptura ſeipſam explicat vel actu, vel potentia, certa interpretandi media ſuppeditando.

II. Confirmat idem perpetua eccleſiæ praxis. Nam (a) Moſes & prophetæ ſcripſerunt libros ſuos lingua Iſraëlitis vernacula, Deut. XXXI, 11. (b) Cum poſt reditum ex captiuitate Babylonica pura lingua hebræa non amplius eſſet Iſraëlitis vernacula, ſed chaldaico idiomate permixta, chaldaica paraphraſis opem tulit. Vnde triplex Targum prodiit Babylonicum, Onkeloſi, & Hieroſolymitanum. (c) Cum ſub imperio græcorum lingua græca omnibus fere gentibus innoteſceret, auſpiciis Ptolemæi, regis Ægyptii a LXXII. ſenioribus ex Iudæa miſſis libri vet. teſtamenti in græcum ſermonem fuerunt tranſlati. (*). (d) Euangeliſtæ & apoſtoli libros N. T. ſcripſerunt lingua græca, quæ fuit omnibus fere gentibus eo tempore

(*) Quæ ad num. b. & c. adnotanda eſſent, te docebunt, qui in Critica S. V. T. eximie elaborarunt, quorum haud dubie princeps eſt S. V. IO. GOTTLOB CARPZOVIVS.

Digitized by Google

pore communis. (e) Cum propter Romani imperii amplitudinem lingua latina multis gentibus inciperet eſſe familiaris, ſecutæ ſunt variæ verſiones latinæ. (f) Cum euangelium ad omnes gentes propagaretur, & omnis lingua inciperet laudare dominum, lucem euangelicam comitatæ ſunt translationes vernaculæ quam plurimæ. Id quod teſtatur THEODORETVS *libr. V. de curand. græc. affect. tom. II. Hebraici libri non modo in græcum idioma conuerſi ſunt, ſed in romanam quoque linguam, ægyptiacam, perſicam, indicam, armeniacam, ſcythicam, atque adeo ſauromaticam, ſemelque vt dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes vtuntur.* Conſentit AVGVSTINVS *libr. II. de doctrin. chriſt. c. V. Scriptura diuina, ab vna lingua profecta, per varias interpretum linguas longe lateque diffuſa gentibus innotuit ad ſalutem.*

Prob. b. ex 1 Cor. XIV, 6. 7. 8. 9. 14. *Iam vero, fratres, ſi veniam ad vos linguis loquens, quid vobis proſum, niſi vobis loquar vel per reuelationem, vel per prophetiam, vel per doctrinam? Vtique* (quod ad) *inanimata ſonum edentia, ſiue fiſtula* (fuerit) *ſiue cithara: niſi diſcrimen ſonis reddatur, quomodo cognoſcetur, quid fiſtula canatur, quid cithara? Etiamſi namque obſcuram etiam vocem tuba dederit, quis parabit ſe ad bellum? Sic etiam vos, niſi per linguam ſignificantem ſermonem edideritis, quomodo cognoſcetur, quod dicitur? Eritis enim in aërem loquentes. - - - Si namque orauero lingua, Spiritus meus orat, mens vero mea infrugifera eſt.* Oſtendit apoſtolus, I. omnia officia diuina (ad quæ pertinent prædicatio, lectio & meditatio verbi diuini, piæ preces, cantica ſpiritualia, diſpenſatio ſacramentorum) peracta lingua peregrina, quam cœtus animarum fidelium haud intelligit, ſalutari carere fructu. Sicut enim inſtrumenta muſica, citharæ fuerint, an tubæ, quæ diſtinctum non edunt ſonum, nulli ſunt vſui: ita omnis prædicatio & lectio verbi diuini, qui fit lingua exotica, omnes preces publicæ, quæ in eccleſia recitantur lingua, promiſcuæ plebi ignota, ſalutifero vacant fructu. Vnde argumentamur: Quamcunque linguam populus callet, in ea ſalutari cum fructu officia diuina peragit. Atqui non linguam hebræam, græcam, aut latinam, ſed vernaculam callet. Ergo non in lingua hebræa, græca, aut latina, ſed in lingua vernacula officia diuina (ad quæ pertinet lectio ſcripturæ ſacræ) populus ſalutari cum fructu peragit.

II. Quicunque iubentur ſcrutari ſcripturas, illis ſcripturæ lingua vernacula ſunt proponendæ. Atqui omnes homines viatores ad vitam æternam tendentes iubentur a Chriſto ſcrutari ſcripturas, Io. V, 39. Ergo. Maior conſtat; quia vanum & irritum eſt ſcrutinium ſcripturæ ignotæ, cuius ſenſus inueſtigari, aut capi nequit.

III. Digniſſima eſt, quæ memori imprimatur menti, adhortatio Paulli Col. III, 16. inquientis: *Verbum Chriſti habitet in vobis opulenter in omni ſapientia: docentes & admonentes vos ipſos & hymnis & canticis ſpiritualibus, cum gratia canentes in cordibus veſtris domino.* Excitat apoſtolus laicos ad lectionem & meditationem verbi diuini in litteras relati, eosque admonet, vt fixam ipſi concedant ſedem in eccleſia, intimisque animi penetralibus, quo, inſtar hoſpitis exoptatiſſimi in ædes comiter recepti, ipſis reddatur domeſticum, familiare & notiſſimum. Neque ſine emphaſi addit apoſtolus: habitet πλουσίως, *opulenter in omni ſapientia;* Perinde, ac ſi dicat: non modo particula ſcripturæ, ſed tota etiam repetitis vicibus voluenda, meditanda, mentique infigenda eſt; quo ſine tractetur prudenter, pie recteque intelligatur, & ad viuam praxin accommodetur, vt vos mutuo commonefaciatis & ædificetis per pſalmos; adeo familiare vobis ſit verbum Dei, vt ex eo componatis hymnos & cantica ſpiritualia ad recinendum non ore tantum, aut ſonora voce, ſed & lætiſſimo cordis affectu, Deo immortali pro collatis in vos beneficiis laudes. At quomodo habitabit verbum Chriſti in laicorum animis affluenter; quomodo tractabitur ab ipſis prudenter; aut quam materiam mutuæ ædificationis per pſalmos præbebit, niſi legatur in lingua vernacula omnibus notiſſima?



Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, quorum quidam omnem translationem in linguas vulgares improbant; quidam eam concedunt, ſed acriter contendunt, non eſſe e re eccleſiæ, vt laici in lingua vernacula ſcripturam legant, & in eadem ſacra peragant. Quorum potiora ſunt argumenta: I. Temporibus Eſdræ lingua vernacula Iſraëlitis S. ſcriptura non eſt prælecta. Ergo nec hodie lingua vernacula prælegenda eſt. Antecedens probatur, quia Iſraëlitæ elapſis LXX. annis, quibus fuerunt Babyloniæ inter Chaldæos, obliti erant linguam propriam ſiue hebræam, & chaldaicam didicerant, quæ ipſis tunc familiaris aut vulgaris erat, quod patet ex Nehem. VIII, 8. cum legeretur populo liber legis domini hebraice ſcriptus, Nehemias, Eſdras & Leuitæ eum interpretabantur, alioqui populus eum non intellexiſſet. Reſp. (1) Adverſarii non diffitentur, ante Eſdram longo temporum tractu biblia lingua vulgo nota, nempe hebræa, populo fuiſſe prælecta. Quare noſtrum eſt, ſequi potius conſuetudinem eccleſiæ Iſraëliticæ florentis, quam inclinantis. (2) Non inducimur, vt credamus, Iſraëlitas intra decurſum LXX. annorum linguam hebræam, cuius dialectus eſt chaldaica, penitus dediciſſe, cum multi patres eſſent ſuperſtites. Si eam obliti fuiſſent, quo fructu Haggæus, Zacharias & Malachias, prophetarum vltimi, potuiſſent hebraice concionari aut ſcribere? (3) Solemne eſt exegetis, dicta biblica vel clariſſima interpretari fuſius ea diducendo, & ad vſum applicando, vt mentes lectorum, vel auditorum, ſalutifera eorum notitia imbuantur.

II. Vsque ad hanc diem in ſynagogis Iudæi ſcripturas hebraice legunt, cum tamen nulli nationi hoc tempore lingua hebraica ſit vulgaris. Reſp. Iudæi a pueris hebraicam linguam ſibi reddunt familiarem, adeoque adhuc ipſis quodammodo vernacula eſt. Legunt igitur Iudæi hebraice, quia hebraice intelligunt, & linguam originalem honorant: non lecturi, ſi non intelligerent.

III. Apoſtoli ſcripſerunt epiſtolas ſuas populis non ea lingua, quæ ipſis erat vernacula, ſed lingua græca. Paullus ſcripſit ad Romanos non idiomate romano, ſiue latino: Petrus & Iacobus ſcripſerunt Hebræis per terrarum orbem diſperſis non hebraica, ſed græca lingua. Ergo nec hodie biblia in linguam vernaculam transferenda ſunt. Reſp. (1) Apoſtoli ſcripſerunt græce, quia id temporis lingua græca erat communiſſima. Ergo, quia in Germania lingua germanica eſt omnium communiſſima, ſcriptura germanice eſt legenda. (2) Scripſit Paullus ad Romanos non ſolos Romæ natos, aut Romana ciuitate donatos, ſed omnes Romæ habitantes, ſiue fuerint Græci, ſiue Itali, ſiue Iudæi ad Chriſtum conuerſi, qui græce ſciebant.

IV. Seruanda eſt eccleſiæ vnitas: Ergo per vnam linguam, quam omnes intelligunt. Reſp. Seruanda igitur eſt eccleſiæ germanicæ vnitas per linguam germanicam, quam omnes Germani intelligunt. Inſtantia I. Sermo eſt de eccleſia catholica, cuius vnitas conſeruanda eſt per linguam latinam, quam omnes gentes intelligunt. Reſp. Neque eccleſia Romana catholica eſt, quia non per totum terrarum orbem diffuſa: Neque latinam linguam omnes gentes intelligunt; quippe quæ ignoratur in Græcia, hoſpitatur in Aſia, ab ingentibus Africæ regnis exulat; et quota pars occidentis, atque ſeptentrionis eam callet? Inſtantia II. Omnes tamen viri eruditi linguam latinam intelligunt. Reſp. Non virorum tantum eruditorum, ſed etiam quorumuis hominum plebeiorum eſt, ſcrutari ſcripturas, Io. V, 39. quas ſcrutarentur fruſtra in lingua exotica. Inſtantia III. Sed concilia non poſſunt inſtitui, niſi lingua communi, quia non omnes patres habent donum linguarum. Reſp. (1) Concilia ſunt conuentus extraordinarii, & rari, quibus non debent conuentus fidelium ordinarii, frequentes & pene quotidiani accommodari. (2) Vocentur ad concilia patres, qui habent donum linguarum: vel detur locus interpretibus, quorum in concilio Epheſino vſus fuit, in quo litteræ Cœleſtini latinæ in græcum idioma translatæ ſunt. Conf. D. DANNHAV. *Hodomor. pap. parte prior pag. 209.*

V. Quæ-

V. Quæcunque lingua ſingulis ſeculis mutatur, in illam S. ſcriptura non eſt transferenda. Lingua vernacula ſingulis ſeculis mutatur. Ergo. Reſp. Neque ſingulis ſeculis mutatur tota lingua, neque leui mutatione intelligentia ſcripturæ turbatur. Quod ſi autem contingeret, vt vertentibus pluribus ſeculis lingua vernacula variaretur, etiam translatio citra periculum doctrinæ fidei poſſet variari: ſicut monimenta vetera, monaſticis litteris exarata, recenti ac vſitata ſcribendi forma interpolata ſunt citra vllum fidei periculum.

VI. Simus contenti tribus linguis præſtantiſſimis, hebræa, græca, latina, quas crux Chriſti honorauit. Reſp. Pilatus titulum crucis Chriſti tribus linguis exprimi iuſſit, vt populi, qui aderant Hieroſolymis, Iudæi, Græci & Latini eum legerent: ſcripturus, ſi adfuiſſent germani, etiam germanice. Præſtantia autem linguæ hic non aliunde, quam ex vſu, quoad nos, æſtimanda eſt; ſunt enim omnes linguæ a ſpiritu diuino ſanctificatæ, Actor. II, 11. Præſtantior eſt gladius aureus ferreo; hoc tamen vti mauult miles in acie.

VII. Non datur verſio perfecta, ab omnibus erroribus immunis. Ergo non recurrendum eſt ad verſiones. Reſp. (1) Ergo nec Pontificii confugiant ad verſionem vulgatam latinam, plurimis ſcatentem mendis, ſed inſpiciant ipſos fontes, nempe textum hebræum & græcum. (2) Sapientiſſime aduigilauit prouidentia diuina verſionibus ſacræ ſcripturæ, ne ſic corrumperentur, vt non inde haurias, quod ſatis eſt ad ſalutiferam informationem.

Quæſt. L. *Eſtne ſacra ſcriptura adeo perfecta, vt omnia fidei dogmata morumque præcepta plene & ſufficienter contineat?*

Sacra ſcriptura perfecta eſt perfectione finali, vt nulla dentur fidei dogmata morumque præcepta, homini viatori ad æternam ſalutem tendenti creditu factuque neceſſaria, quæ in ipſa non contineantur vel ῥητῶς, explicite, qua litteram, vel διανοητικῶς, implicite, qua rem & ſententiam. *De perfectione finali ſacræ ſcripturæ.*

Obſ. I. *Sacra ſcriptura perfecta eſt* (α) *ratione materiæ*; quoniam nullus liber θεόπνευστος, relatus in perpetuum fidei canonem, intercidit. β) *Ratione formæ*, eo quod nullus error in textum authenticum negligentia aut perfidia amanuenſium irrepſit. γ) *Ratione finis;* quoniam omnia fidei dogmata, morumque præcepta, homini æternam ſalutem adepturo ſufficienter tradit. Ex quo hæc perfectio finalis a nonnullis theologis *ſufficientia ſacræ ſcripturæ* appellatur. Vid. D. CALOV. *in ſyſtem. theol. tom. I. p. 609.* Scite de hac ſufficientia ſcripturæ loquitur AVGVSTINVS *tract. XLIX. in Io. c. 11. Electa ſunt, quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur* (*).

 Obſ.

(*) Omnino *quadruplex* eſt Scripturæ S. perfectio. 1) Ratione *librorum*, quod eorum nullus vnquam fuerit deperditus: 2) rat. *verborum* & ſingularum libri cuiusque partium, quod nimirum nullo in loco textus authenticus corruptelam vel minimam ita in vniuerſum paſſus ſit, vt, inter tot tamque variantes lectiones, vera ac genuina in probatis codicibus non ſit ſemper ſeruata, quare hæc duo, corruptio textus, & corruptio codicis, non ſunt inter ſe confundenda: 3) rat. *rerum*, quod ne quidquam falſi, Deoque indigni, in ſacris litteris contineatur: 4) rat. *finis*, quod omnia fidei morumque dogmata, quæ ad vniuerſum ordinem ſalutis pertineant, ſine vllo defectu, monimentis mandata ſint, nihil vt deſiderari queat amplius. Prima, vt & ſecunda, ſigillatim adpellatur *integritas* ſcripturæ. Tertia vſitate, tametſi minus latine, dicitur *certitudo*, ſiue etiam infallibilitas. Quarta vocatur, vt moris eſt, *ſufficientia*, vel vt alii eloquuntur, plenitudo.

Digitized by Google

Obſ. II. Quando aſſerimus, ſacram ſcripturam ad ſalutem ſufficere, (1) remotum imus omne comprincipium, ad obtinendam æternam ſalutem correquiſitum, ſiue illud vocetur traditio, ſiue conſenſus antiquitatis eccleſiaſticæ, ſiue decretum Pontificis Romani; (2) innuimus, ſacram ſcripturam ſufficere tum ad probanda dogmata fidei, tum ad confutanda falſa dogmata hæreticorum.

Obſ. III. Quidam articuli fidei fundamentales continentur in ſacris litteris ῥητῶς, αὐτολεξεὶ, explicite, qua litteram, diſertis verbis & terminis terminantibus: quidam autem articuli fidei habentur in ſacra ſcriptura διανοητικῶς, κατὰ τὸ πρᾶγμα, qua rem & ſententiam, vt per conſequentiam pronam, proximam, manifeſtam & neceſſariam e ſacra ſcriptura deduci poſſint. Sic totum ſymbolum apoſtolicum, quoad rem, in ſcripturis continetur, licet non iisdem verbis, aut eadem articulorum ſerie (*).

Sacram ſcripturam perfectam eſſe perfectione *finali*, prob. I. ex loco claſſico Deut. IV, 2. *Non addetis ad verbum hoc, quod ego* (ſum) *præcipiens vobis: neque diminuetis de eo, vt obſeruetis præcepta* Iehouæ Dei *veſtri, quæ ego* (ſum) *præcipiens vobis.* Prohibet Deus per Moſen *additionem nouorum dogmatum*, a pentateucho Moſaico *diuerſorum:* prohibet idem *diminutionem doctrinæ Moſaicæ*, qua quis auſit quidquam demere de illa, quaſi non ſit (α) *a Deo per Moſen profectum*, (β) *quaſi non ſit canonicum* ad normam eccleſiæ pertinens. Conferre nobis liceat cum hoc oraculo Moſaico effatum apoſtoli Ioannis parallelum Apoc. XXII, 18. 19. *Conteſtor enim omni, qui audit verba prophetiæ libri huius, ſi quis addiderit ad hæc, addet Deus*

(*) Ad conſtitutionem cauſæ, cum de *perfectione ſcripturæ ſacræ*, ratione *finis*, diſputamus, hæc tria pertinent, arcte tenenda: 1) De *ſacra ſcriptura* diſputamus, & ea quidem *vniuerſa*, nec vero de ſingulis libris, ſeorſum ſpectatis. Concedimus, in vno alteroue libro non contineri omnia, fini noſtro ſufficientia. Quid enim opus fuiſſet pluribus? Diſerte PAVLLVS, 2 Tim. III, 16. πᾶσα, inquit, γραφὴ, tota ſcriptura, eiusque partes vniuerſæ. Quod enim ante dixerat v. 15. numero multitudinis, τὰ ἱερὰ γράμματα, id nunc effert numero vnitatis & nomine collectiuo, πᾶσα γραφὴ, vt ſignificet, omnes ſcripturæ partes non ſeparatim, ſed coniunctim conſideratas, miniſtrum Dei efficere πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν doctrina inſtructiſſimum. 2) Quæ ad *finem* ſcripturæ ſufficiunt, prorſus ſunt ea, quæ partim ad *medium*, quo vno ſalutem conſequimur, partim ad *ordinem* ſalutis ſpectant, nimirum & *credenda*, & *agenda.* Ad illa pertinet διδασκαλία καὶ ἔλεγχος, ad hæc παιδεία καὶ ἐπανόρθωσις. 3) Quod ad *perfectionem* attinet, duo ſunt adcurate perpendenda. (α) Diſtingue *tempora.* Pentateuchus, quum nullus eſſet alius liber θεόπνευστος, erat omnino ſufficiens, adeoque perfectus, pro illa conditione temporum ac hominum. Erant in eo deſcripta certa quædam ſigna futuri Meſſiæ, ſed ea dumtaxat, quorum cognitione contenti eſſe poterant homines ante, quam exſiſterent eæ res, quæ deinceps occaſionem præbuerunt pluribus indiciis, v. g. quod Meſſias oriundus eſſet ex familia Dauidis, nondum diruto templo ſecundo, completis 70. hebdomadibus, a Daniele demum determinatis. Quis ignorat differentiam V. & N. F. Atqui nobis in N. T. ſcitu neceſſarium eſt, Meſſiam iam veniſſe, eumque non alium eſſe, quam Ieſum Nazarenum. Eadem eſt ratio huius veritatis: quod noſtra ætate non ſimus obligati legibus ritualibus. Sacræ cerimoniæ a Iudæis quidem in V. T. ſancte obſeruandæ erant, nobis autem in N. T. non ſolum non neceſſariæ ſunt, verum etiam pernicioſæ, quoniam totus ille cultus fuerat imago, futurum ſponſorem, quod erat futurus, ſignificans: E. ſi quis illi cultui adhuc eſſet deditus, is eo ipſo negaret præſentem ſponſorem, quem nos profiteri oportet, Gal. III, 23. 25. V, 2. 4. (β) Perfectum ac fini ſufficiens nihil eſſe poteſt, niſi *clarum* ac *certum.* Id vero non poteſt non eſſe ſignificatum vel clariſſimis verbis, vel certiſſimis principiis, ex quibus aperta ac neceſſaria efficitur conſequutio. His ita poſitis, hoc eſt, quod omni adſeueratione adfirmamus: Scriptura ſacra, & ea quidem *vniuerſa* (propoſ. I) in omnibus tam *credendis*, quam *agendis* (propoſ. 2.) pro conditione *noſtrorum* N. T. *temporum* (propoſ. 3. (α)) ita eſt *perfecta* ac ſufficiens, vt omnia contineat *perſpicue certeque* expoſita, ſiue κατὰ τὸ ῥητὸν, ſiue κατὰ τὴν διάνοιαν (propoſ. 3 (β)).

Digitized by Google

*Deus ſuper eum plagas ſcriptas in libro hoc. Et ſi quis abſtulerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ & ex vrbe ſancta, & eorum, quæ ſcripta ſunt in libro hoc.* Verba Ioannis iure meritoque ad vniuerſam ſcripturam S. referimus; quia apoſtolus memorabili hoc dicto vniuerſum ſacrum codicem velut ſigillo communiuit, luculentiſſime teſtatus, vniuerſam ſacram ſcripturam adeo conſummatam & perfectam eſſe, vt ei nihil addendum, vel demendum ſit. Argumentamur: Cui ſcripturæ nihil eſt addendum, vel detrahendum, illa eſt perfecta. Atqui ſcripturæ S. &c. Ergo. Maior liquet, quia illud eſt perfectum, cui nihil deeſt, & cui nihil addi debet. Excipiunt *Pontificii* (1) loqui Moſen de verbo Dei viua voce tradito; (2) de pentateucho Moſis, qui additionem multorum librorum admiſit; (3) de additione dogmatum contrariorum doctrinæ Moſaicæ repugnantium; (4) Apoſtolum Ioannem prohibere corruptionem libri apocalyptici, non autem prohibere, ne alii libri ſcribantur, aut alia dogmata tradantur. Reſp. ad I. Ad omne verbum, quod Moſes præcipit, nihil vult addi, nihil ipſi adimi. Atqui ſcriptum verbum Moſis eſt omne verbum, quod ille præcepit. Ergo. Ad II. In pentateucho Moſis ſumma doctrinæ fidei & morum continetur; cui prophetæ & apoſtoli non addiderunt noua & diuerſa dogmata, ſed eadem dogmata pluribus verbis explicarunt, eorumque complementum oſtenderunt. Ad III. Additio non eſt contrariorum, quippe quibus prius aboletur & deſtruitur, ſed diuerſorum, quibus priori locus conceditur, ſed ei velut imperfecto aliquid ſuperadditur. Ad IV. Verba Ioannis tam de vniuerſa ſcriptura canonica, quam de apocalypſi accipienda ſunt; ſiquidem omnes libri canonici, ab eodem ſpiritu dictati, eadem auctoritate pollent, & omnes ad eundem finem, æternam ſalutem, directi ſunt, quem finem non niſi diuina manifeſtatione conſequi datur: ad hunc obtinendum ſufficit ſola ſcriptura ſacra, adeoque nulla additione indiget, nulla detractione imminuenda eſt.

II. Ex *effato S. Paulli clariſſimo 2 Tim III, 15. 16. Quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ poſſunt te ſapientem reddere in ſalutem per fidem, quæ in Chriſto Ieſu eſt.* (Nam) *omnis ſcriptura diuinitus inſpirata etiam vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam, quæ (ſit) in iuſtitia: vt integer ſit homo Dei ad omne bonum opus probe inſtructus.* Naſcitur ex hoc dicto apoſtolico triplex argumentum: I. Quæcunque ſcriptura hominem poteſt ſapientem reddere in ſalutem per fidem in Chriſtum, illa finaliter eſt perfecta. Atqui ſcriptura diuinitus inſpirata &c. Ergo. II. Quæcunque ſcriptura vtilis eſt ad omnes functiones eccleſiaſticas, illa eſt perfecta. Atqui ſcriptura diuinitus inſpirata &c. Ergo. III. Quæcunque ſcriptura miniſterium eccleſiæ, cui plura incumbunt ἐν γνώσει καὶ τάξει, in cognitione & officii adminiſtratione, quam auditori fideli, perfectum reddit, illa abundat perfectione finali. Atqui ſcriptura ſacra &c. Ergo.

Excipiunt *Pontificii*: (1) Vocem πᾶσα γραφὴ dici non collectiue, ſed diſtributiue, quia ſingulæ partes ſcripturæ ſunt θεόπνευστοι, quæ tamen non ſunt adeo perfectæ, vt additionem reſpuant. (2) Loqui apoſtolum de ſcriptura vet. teſtam. quod admiſit additionem N. T. (3) Agere hoc dictum non de perfectione, ſed de vtilitate. Reſp. ad I. Loquitur apoſtolus de vniuerſa ſcriptura, quæ tum ratione totius canonis biblici, tum ratione partium eſt θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, diuinitus inſpirata & vtilis, faciens ad quatuor ab apoſtolo memoratos vſus: neque vlla pars ſcripturæ eſt, quæ ſi non ad omnes iſtos vſus, ad aliquem tamen vſum conducit, & additionem, quæ fit auctoritate humana, reſpuit. Ad II. Si ſcriptura vet. teſtam. multum momenti confert ad pariendos quatuor illos vſus: certe plus conferet ſcriptura N. T. quæ addita eſt non per modum normæ partialis, ſed per modum lucis clarioris. Ad III. Agit hoc dictum de illa vtilitate ſacræ ſcripturæ, quæ hominem Dei reddit perfectum.

*Antitheſis*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* ſtatuentium, verbum Dei non eſſe perfectum perfectione finali, ſed ei addendas eſſe traditiones non ſcriptas. Nituntur I. teſtimonio Ioannis, Io. XXI, 25. *Sunt & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcriberentur omnia, mundus non caperet.* Reſp. Diſt. inter dicta & facta Chriſti, & inter neceſſaria doctrinæ chriſtianæ capita. Non illa omnia, ſed hæc ſacris litteris conſignata ſunt.

II. Adducunt teſtimonium Chriſti Io. XVI, 12. *Adhuc multa habeo dicere vobis; ſed non poteſtis ferre nunc.* Reſp. Non loquitur ſaluator *de dogmatibus nouis & diuerſis ab his, quæ ipſis tradiderat*, ſed *de vberiori explicatione & pleniori cognitione doctrinæ Chriſti.* Addit enim v. 13. *Quum venerit ſpiritus veritatis*, ὁδηγήσει ὑμᾶς, *ducet vos in omnem veritatem.* Senſus eſt: Sunt mihi plura vobis dicenda, ſed vos illa tum ob præconceptas opiniones, tum ob nimium animi mœrorem hac vice non capitis. Quare reſeruabo illa ad futuram effuſionem miraculoſam Spiritus S. qui omnia a me tradita dogmata plenius illuſtrabit, & luculentius vobis exponet. (*)

III. Quod S. ſcriptura non omnia creditu neceſſaria contineat, demonſtratum eunt Pontificii, adductis quibusdam credendis, in ſacris litteris non comprehenſis. I. Ex mente illorum non indicatur in veteri teſtamento remedium pro fœmellis, quo a peccato originali ſint liberatæ. II. Nuſpiam in S. ſcriptura deſignatur canon biblicus. III. Nil habetur in ſcriptura de pædobaptiſmo. IV. Arduus de SS. Trinitate articulus in S. ſcriptura perſpicue non traditur. V. Non inuenitur in ea numerus ſacramentorum. VI. Nil legitur in ipſa de ſacrificiis vet. teſtam. expiantibus peccata, virtute paſſionis & mortis Chriſti. VII. Nuſquam definit ſcriptura Mariam Deiparam ſemper manſiſſe virginem. Reſp. ad I. Remedium corporale & externum fœmellis in vet. teſtam. non fuit neceſſarium. Sufficit, quod a patribus circumciſis natæ fuerint. Quod ipſis defuit ſacramentum circumciſionis, id compenſavit fides amplexa promiſſionem diuinam: Ero Deus ſeminis tui, Gen. XVII, 7. Quæ promiſſio per preces parentum, per ſacrificia & oblationes fœmineo ſexui fuit applicata. (**) Ad II. canon biblicus vel formaliter notat catalogum librorum biblicorum, vel materialiter deſignat ipſos libros canonicos. Catalogus librorum biblicorum, cum ſit hiſtorica recenſio, non eſt articulus fidei ad ſalutem cognitu neceſſarius. Diuinitas autem librorum canonicorum cognoſcitur ex eorum efficaci & corda flectente vi, a concurrente Spiritu S. ipſis communicata. Ad III. licet non ῥητῶς exſtet in ſcriptura hæc propoſitio: infantes ſunt baptizandi, per validam tamen conſequentiam ex illa: Omnes gentes ſunt baptizandæ, Matth. XXVIII, 29. elicitur. Ad IV. myſterium SS. Trinitatis ſacris perſpicue traditur in ſcripturis, 1 Io. V, 7. (***) Ad

(*) Hæc Chriſti verba nec de credendis, nec de faciendis, ſed prorſus de perferendis intelligenda eſſe, tum ex verbo βαστάζειν, tum ex cohærentia verborum cum antecedentibus, v. 1. 3. 4. atque ex aliis argumentis demonſtratum iui in *mea dec. diſſertt. S. num. VI.* Itaque πᾶσαν ἀλήθειαν Chriſtus eam ſignificat, quæ dicitur paracletica, quæ ad perturbatos animos, tanto calamitatum onere preſſos, diuino ſolatio reficiendos confirmandosque pertineret, quippe qua doctrina Spiritus ſanctus, tamquam παράκλητος (v. 7.) hoc ipſo munere ſuo fungeretur. Quo pacto, argumentationis, quam Romano-Catholici ex hoc Chriſti effato extorquere conantur, omnes nerui inciduntur.

(**) Sed nec valent aduerſarii aliquam proferre traditionem, ex qua ipſi cognouerint hoc, quod in ſcriptura deficere opinantur.

(***) Ad III. & IV. argumentamur etiam κατ' ἄνθρωπον. Si traditiones, propter ſcripturæ defectum, eſſent neceſſariæ: ſcriptura ſacra nullam nobis præberet probationem ſat idoneam. Atqui conſueuerunt aduerſarii ipſi, tum παιδοβάπτισμα, tum SS. Trinitatem, argumentis ex ſcriptura depromtis demonſtrare. E. aut impudenter audeant dicere, ſe infirmis vti argumentis, aut non pudeat eos ingenue profiteri, traditione non opus eſſe.

Digitized by Google

Ad V. numerus ſeptenarius ſacramentorum auctorem habet *Petrum Lombardum*, non Spiritum ſanctum: ideoque fruſtra in ſcripturis quæritur. Numerus binarius ſacramentorum a nobis infra ex ſacris litteris luculenter probabitur. Ad VI. ſacrificia Iudæorum ſignificaſſe mortem Chriſti, clare legimus in ſcriptura noui teſtamenti, Gal. III, 24. Hebr. VIII, 5. c. IX, 9. Ad VII. perpetua virginitas Mariæ, poſtquam ea Chriſtum peperit, non eſt articulus fidei, creditu præciſe neceſſarius ad ſalutem: colligitur tamen probabiliter e ſcriptura, quia eius cura a Chriſto demandata eſt Ioanni, Io. XIX, 26. Si plures præter Ieſum habuiſſet filios: hi matris rationem duxiſſent. Plura argumenta e ſacro codice collegit *Epiphanius*, Hæreſ. LXXVIII.

Quæſt. LI. *Num verbo Dei ſcripto traditiones non ſcriptæ addendæ, parique pietatis affectu ſuſcipiendæ ſunt?*

Traditiones non ſcriptæ neque verbo diuino addendæ (a), neque cum eodem pari pietatis affectu ſuſcipiendæ ſunt (b).

Obſ. I. Vox traditio, a tradendo deducta, *ſenſu latiſſimo notat quemuis actum, quo quippiam ad alterum transfertur & de manu ad manum quaſi datur.* In præſenti vero *ſenſu ſtrictiori notat actum informandi*, quo *doctrina* quædam alicui traditur & inculcatur.

Obſ. II. Quemadmodum alias nomina actionum ſæpe ad obiecta transferuntur: ita hic *vox traditio ſumitur vel actiue*, vel *paſſiue* ſiue *obiectiue*. *Actiue* ſumta ſignificat *inſtitutionem actiuam* & pædagogicam, qua doctrinæ aliqua pars, ad fidem, mores aut externam diſciplinam pertinens, alicui inſtillatur. Confer. DANNHAV. *hodom. prior. Pap. phantaſm. I. p. 224. Paſſiue* accepta deſignat *doctrinam traditam.*

Obſ. III. Traditio, *paſſiue* ſumta pro doctrina tradita, notat vel *generatim doctrinam quamlibet a Chriſto & apoſtolis traditam*, ſiue *ſcripto* poſtea comprehenſa fuerit, ſiue *minus.* Quo ſignificatu vulgatus interpres traditionis voce vſus eſt, Actor. VI, 14. pro lege Moſis, quæ ſcripto comprehenſa erat, & 2. Theſſ. II, 15. Paullus παραδόσιν traditionem vocat doctrinam cum *ſermone*, tum *ſcripto* a ſe traditam; *vel* ſpeciatim, *prout doctrinæ per ſcripturam traditæ contradiſtinguitur*, & idem eſt, quod doctrina *voce tantum tradita, non ſcripta.* Quæ poſterior ſignificatio huius loci eſt.

Obſ. IV. Cum vero in ſcripturis aliquid contineri dicatur vel expreſſe & ῥητῶς, vel implicite, διανοητικῶς & per conſequentiam: traditio etiam, ſcripturæ contradiſtincta, accipi poteſt *vel pro doctrina, quæ expreſſe & totidem verbis a prophetis & apoſtolis ſcripta non eſt*, ſed voce tradita & propagata, quamuis *implicite & quoad rem* in ſcripturis contineatur: vel pro *doctrina, quæ nec verbis expreſſis, nec quoad rem* in ſcripturis continetur, ſed *voce tantum* tradita, & continua ſucceſſione in eccleſia conſeruata eſt. Priori ſenſu ſymbolum apoſtolicum a patribus quandoque *traditionis* nomine appellatur. Confer. D. CHEMNITIVS *in exam. conc. Trident. de traditionibus fol. 63.* vbi allegat *Iræneum* & *Tertullianum*, qui recitantes ad verbum ferme illos articulos fidei, quos ſymbolum apoſtolicum complectitur, ad traditionem apoſtolicam prouocant propter hæreticos quosdam, qui ſcripturas vel reiiciebant, vel deprauabant, vel conquerebantur, inſufficientes eſſe; cum tamen ſymbolum apoſtolicum totum, quoad *rem*, contineatur in ſcripturis, licet non iisdem verbis & eadem articulorum ſerie. Nam & ipſe IRENÆVS *lib. III. IV. V.* illos fidei articulos ex ſcriptura prolixe probat & confirmat. Sic ORIGENES & AVGVSTINVS *pædobaptiſmum* vocarunt *traditionem apoſtolicam.* Conf. CHEMNITIVM *l. c. fol. 69.* quem tamen idem probant & ſtabiliunt manifeſtis ſcripturæ teſtimoniis. In præſenti controuerſia nobis intercedit cum *Pontificiis* de traditionibus in poſteriori ſignificatu ac-



Digitized by Google

acceptis, nempe de doctrina a Chriſto & apoſtolis *oretenus* tradita, quæ *nec* quoad *rem*, *nec* quoad ipſa *verba*, in ſcripturis contineatur, continua autem ſucceſſione in eccleſia conſervata ſit.

Obſ. V. Diſtinguunt theologi orthodoxi traditiones eccleſiæ *in rituales*, *hiſtoricas*, *exegeticas*, *teſtificatorias & dogmaticas.* Vid. D. KROMAIERVS *in theol. poſitiuo-polem. p. 52.* & confer. D. CHEMNIT. *exam. conc. Trident. fol. 62. ſq.* *Traditiones rituales* concernunt cærimonias & ritus, in eccleſia obſeruandos, v. g. de diebus feſtis, de trina immerſione vel aſperſione in actu baptiſmali &c. *Traditionibus hiſtoricis* recenſentur libri canonici S. ſcripturæ, non interrupta ſerie temporum & certa connexionis ſucceſſione ab eccleſia cuſtoditi, & fideliter ad poſteros transmiſſi; commemorantur etiam fata eccleſiæ mitiora & aſperiora, nec non certamina de quibusdam articulis fidei in eccleſia mota. *Traditionibus exegeticis* oſtenditur, quo *ſenſu* doctores primitiuæ eccleſiæ hoc vel illud dictum biblicum expoſuerint. *Traditionibus teſtificatoriis* exhibetur conſenſus antiquitatis eccleſiaſticæ, quæ veritati articulorum fidei luculentum perhibet teſtimonium. *Traditiones dogmaticæ* ſunt dogmata fidei & morum; quæ nec expreſſis verbis, nec implicite & quoad rem in ſcripturis continentur, viua tamen voce a Chriſto & apoſtolis tradita, & continua ſucceſſione in eccleſia conſeruata ab aduerſariis dicuntur. Eiusmodi traditiones dogmaticæ ſunt dogmata de inuocatione ſanctorum, cultu imaginum, cœlibatu ſacerdotum, delectu ciborum, ſacrificio miſſæ, de ſacramentis pœnitentiæ, confirmationis, ordinis, matrimonii & extremæ vnctionis, communione ſub vna ſpecie, purgatorio & indulgentiis. Controuertitur nos inter, & Pontificios, de traditionibus *dogmaticis*. Neque enim improbamus omnes traditiones eccleſiæ *rituales*, modo obſeruetur regula theologica, obſeruata a D. CHEMNITIO *in exam. conc. Trid. fol. 75.* *Cærimoniæ in eccleſia ſint genere indifferentes, numero paucæ, ſint piæ & vtiles ad ædificationem, ordinem & decorum: habeant extra caſum ſcandali liberas obſeruationes,* vt pro ratione ædificationis, temporis, loci, & perſonarum, inſtitui, mutari & abrogari poſſint. Admittimus traditionem *hiſtoricam* de canone ſcripturæ, vt argumentum, non infallibile, ſed probabile. Traditiones *exegeticas* grata mente recipimus, ſi nempe interpretatio patrum a ſcripturæ phraſi, verborum proprietate, contextu & analogia fidei non diſcrepet. Traditionem *teſtificatoriam* magni facimus, & fatemur cum CHEMNITIO *l. c. fol. 71.* nos ab illis diſſentire, qui fingunt opiniones, quæ nulla habent teſtimonia vllius temporis in eccleſia: ſicut fecerunt SERVETVS, CAMPANVS, ANABAPTISTÆ & alii. *Sentimus etiam, nullum dogma in eccleſia nouum, & cum tota antiquitate pugnans recipiendum.* Ventilatur quæſtio de traditionibus *dogmaticis*, concernentibus ipſa fidei dogmata morumque præcepta, quæ neque diſertis *verbis* in S. ſcriptura proponuntur, neque per inuictam *conſequentiam* ex eadem deduci & adſtrui poſſunt.

Obſ. VI. Vt mentem Pontificiorum penitius inſpiciamus, probe obſeruandum eſt, quod illi traditiones non ſcriptas diſtinguant 1) *ratione auctorum*, 2) *ratione materiæ.* *Ratione* auctorum *diuiduntur traditiones veteris teſtamenti in* Moſaicas & Phariſaicas. Illæ a Moſe & prophetis, hæ a Phariſæis originem ducere dicuntur. Traditiones N. T. a Pontificiis diuiduntur in *diuinas, apoſtolicas & eccleſiaſticas.* *Diuinæ* ab ipſis dicuntur, quæ acceptæ ſunt ab ipſo Chriſto, apoſtolos docente, & nusquam in diuinis litteris inueniuntur. Tales ſunt, quæ ad materiam & formam ſacramentorum pertinent. Pauca enim de his habemus in diuinis litteris, & tamen certum eſt, ſacramentorum eſſentiam non potuiſſe, niſi a Chriſto inſtitui. Propterea enim apoſtolus 1 Cor. XI, 23. loquens de ſacramento euchariſtiæ dicebat: *Ego enim accepi a domino, quod etiam tradidi vobis.* *Apoſtolicæ traditiones* dicuntur illæ, quæ ab apoſtolis inſtitutæ ſunt, non tamen ſine aſſiſtentia Spiritus ſancti, & nihilominus non extant ſcriptæ in eorum epiſtolis: quale eſt ieiunium quadrageſimæ, & quatuor tem-

Digitized by Google

temporum, & multa alia. *Eccleſiaſticæ traditiones* dicuntur conſuetudines quædam antiquæ, vel a prælatis, vel a populis inchoatæ, quæ paulatim tacito conſenſu populorum vim legis obtinuerunt. *Ratione* materiæ *diuiduntur traditiones a Pontificiis in traditiones de* fide, *&* *traditiones de* moribus; *quæ rurſum aut ſunt* perpetuæ, *aut* temporales, *& vel* vniuerſales, *vel* particulares, neceſſariæ, *vel* liberæ. *Traditio de fide* eſt, quod B. Maria ſemper fuerit virgo, quod quatuor ſint tantum euangelia &c. *Traditio ad mores pertinens* eſt, quod ſignum crucis in fronte pingendum ſit, quod certis diebus ieiunia aut feſta celebranda &c. *traditio perpetua* eſt, quæ inſtituitur, vt ſemper ſeruetur; vt in exemplis poſitis: *Temporalis* eſt, quæ inſtituitur ad certum tempus, vt obſeruatio legalium quarundam cærimoniarum: quæ ſeruandæ erant vsque ad plenam euangelii promulgationem, vt facilius eccleſia ex Iudæis & gentibus coaleſceret. *Traditio vniuerſalis* eſt, quæ toti eccleſiæ ſeruanda traditur, qualis eſt paſchatis, pentecoſtes & ſimilium magnorum feſtorum obſeruatio: *particularis* eſt, quæ traditur vni tantum aut pluribus eccleſiis, qualis erat tempore *Auguſtini* ieiunium ſabbati, quod Petrus Romanæ eccleſiæ tradiderat, & ab ea ſola, & quibusdam aliis ſeruabatur, vt *Auguſtinus* docet epiſt. 86. ad Calu. *Traditio neceſſaria* eſt, quæ traditur in forma præcepti, vt celebratio paſchæ poſt decimam quartam lunam Martii: *libera* eſt, quæ traditur in forma conſilii, vt aſperſio aquæ luſtralis & ſimilia. De his vide BELLARM. *libr. de verbo Dei cap. II. fol. 163.*

Prob. a. Traditionem non-ſcriptam *dogmaticam* S. ſcripturæ non eſſe addendam, vt principium fidei, ad ſalutem creditu neceſſarium, patet

I. *ex perfectione & ſufficientia ſcripturæ.* Verbum enim Dei, litteris conſignatum, adeo perfectum & ad ſalutem ſufficiens eſt, vt humana auctoritate nullum nouum, heterogeneum, ſiue diuerſum ab his, quæ ſcripta ſunt, dogma addendum ſit, teſte Moſe Deut. IV, 2. c. XIII, 1. & Ioanne Apoc. XXII, 18. Conf. quæſt. præcedentem. Conſequentia eſt manifeſta; quia illud perfectum eſt, quod nullo ſubſtantiali ſupplemento indiget (*).

II. *Ab interdicto diuino a S. Paullo ſanctiſſime obſeruato: Diſcatis, non ſupra id, quod ſcriptum eſt, ſapere.* 1 Cor. IV, 6. Vnde factum, vt Paullus *nihil præter ea dixerit, quæ Moſes &* *pro-*

(*) In loco præcipuo, 2 ad Tim. III, 16. plures inſunt nerui probationis. Conſiderandum eſt, 1) quod verbum *ſcriptum* commendatur, & quidem vt *mediam* ad ſalutem obtinendam, idque *vnicum*, vtpote quod *ſolum* PAVLLVS laudat, in quo etiam totum *manere* Timotheum ſuum iubet, v. 14. Id vero, in quo permanendum eſt, ac perſiſtendum, non poteſt non tam perfectum ac ſufficiens eſſe, vt in eo acquieſcamus, ne quid vltra requiramus. O. medium, *vnice* commendatum, neceſſe eſt, vt ſit ſufficiens: Si ſufficiens, ergo perfectum. 2) Quod ſcriptura dicitur, *perfectum efficere* hominem, in primisque *miniſtrum eccleſiæ.* Nomen enim illud, ἄνθρωπος θεοῦ, quem ad modum hebraicum, איש אלהים, eum denotat, qui munere docendi diuinitus ſibi mandato fungitur, conf. 2 Pet. I, 21. Ex quo duplicata efficitur argumentatio. Vna: *Effectus* non poteſt eſſe nobilior ſua *cauſa*, *vnice* nominata, & quantus eſt *finis*, propter quem res ita, nec aliter eſt, tanta quoque non poteſt non eſſe ipſa *rei* conſtitutio. E. ſcriptura S. eſt perfecta atque omnino ſufficiens. Altera: Si ſcriptura S. ita perfecta ac ſufficiens eſt, vt miniſtro eccleſiæ ſuppeditet omnia, ad functionem muneris ſui vtilia, quidni ea multo magis ſufficiat membris eccleſiæ? 3) Quod *res* illæ, quarum perfecta cognitio ex ſcriptis diuinis haurienda eſt, dicuntur doctrinæ, tum de *credendis*, & his oppoſitis erroribus refutandis (διδασκαλία καὶ ἔλεγχος), tum de *agendis* (παιδεία καὶ ἐπανόρθωσις). Atqui præter ea nihil eſt, quod ad *finem* ſcripturæ pertineat: E. ſcriptura ad finem propoſitum omnino eſt ſufficiens. 4) Quod non modo *genera* veritatum ſalutarium omnia numerantur, πρὸς διδασκαλίαν, κ. τ. λ. v. 17. ſed etiam *ſpeciatim* adſeueratio adiungitur de vno quoque opere bono, v. 17. E. ſcriptura S. perfecta ac ſufficiens eſt non ſolum in *genere*, verum etiam in *ſpecie*, vt ſingulas veritates, ad quoduis genus referendas, nulla demta, nos edoceat.



Digitized by Google

*prophetæ locuti ſunt.* Act. XXVI, 22. Sicut Petrus ἐδὲν ἄτερ γραφῶν teſte CLEMENTE ALEXANDR. *Stromat. libr. VI.* dicere voluit.

III. *A commendatione diuina. Si nos aut angelus e cælo euangelizaret vobis, præter id, quod euangelizauimus vobis, anathema ſit,* Gal. I, 8. Cum Spiritus S. anathematis fulmen interminetur prædicanti euangelium præter id, quod prædicatum eſt a Paullo & reliquis apoſtolis, ſumma cautione prouidendum eſt, ne euangelio ab apoſtolis prædicato & ſcripto vllum principium fidei addatur, quod ſcriptis apoſtolicis non eſt comprehenſum.

Dicis: I. Non loquitur apoſtolus de ſolo verbo *ſcripto*, ſed de omni verbo, ſiue *ſcripto*, ſiue *tradito*. Neque enim inquit: *Si quis euangelizauerit, præter id, quod ſcripſimus, ſed præter id, quod euangelizauimus.* Reſp. Loquitur Paullus in genere de verbo a ſe prædicato. At nihil prædicauit extra id, quod a Moſe & prophetis ſcriptum eſt. Act. XXVI, 22. Quidquid prædicauit, id etiam ſcripſit. 2 Cor. I, 13. c. XIII, 2. Scripſit illud euangelium, quod Galatis prædicauerat.

Dicis: II. Particula græca παρὰ ſignificat, *contra*, Act. XVIII, 13. Prohibet itaque apoſtolus non dogmata noua aut diuerſa, ſed contraria euangelio prædicato. Reſp. Particula παρὰ ſæpe ſignificat, *præter.* Confer locum inſignem 1 Cor. III, 11. In vulgata verſione, quæ Pontificiis eſt authentica, habetur hic latinum, *præter.* Quin ipſe etiam apoſtolus reddit per ἕτερον, aliud, diuerſum v. 6. Quam ob rem ſicut non ſolum is peccat miniſter, qui nomine principis diploma edit, quod repugnat eius ſtatutis, ſed & qui præter illa ſtatuta aliquid promulgat, quod a ſapientia & conſilio principis diuerſum atque alienum eſt: ita non ſolum ille peccat miniſter eccleſiæ, qui proponit dogmata fidei euangelio Chriſti ab apoſtolis prædicato repugnantia, ſed & qui proponit dogmata ab euangelio Chriſti diverſa & aliena.

Prob. b. Quidquid eo pietatis affectu ſuſcipiendum eſt, quo ſuſcipitur verbum Dei ſcriptum, illud oportet eſſe certiſſimum ac infallibile, vt fidem diuinam gignere poſſit, ac fide divina credatur. Rom. XV, 4. Scripſit Lucas ἀκριβῶς καὶ δι' ἀσφάλειαν. c. I, 3. 4. Scripſit Paulus δι' ἀσφαλὲς, ob maiorem certitudinem. Phil. III, 1.

Vnde vero de traditionibus non ſcriptis infallibiliter certi eſſe poſſumus, quod illæ ſint a Deo? Num e ſcriptura? At non ſunt ſcriptæ. Num ex teſtimonio eccleſiæ? At hoc ipſum infallibile non eſt, quippe cuius auctoritas cum ſit humana, fidem diuinam gignere nequit. Quinimmo ne quidem ex antiquioris eccleſiæ teſtimonio aduerſarii ſuas traditiones vnquam probarunt. Quod ſi altius rimemur originem traditionum non ſcriptarum, manarunt illæ e Phariſaiſmo. De Phariſæis conſtat partim e ſcriptura, partim ex *Ioſepho* & aliis, quod præter verbum ſcriptum multas habuerint traditiones a verbo Dei alienas, & ab ipſo Chriſto reiectas. Math. XV, 2. 3. & ſeqq. IOSEPHVS *libr. XIII. antiquit. Iud. c. 18. Nunc*, inquit, *indicandum eſt, quod multas conſtitutiones a maioribus per manus acceptas Phariſæi tradiderint populo, quæ non ſunt ſcriptæ inter leges Moſaicas. Et ideo Sadducæi his auctoritatem derogarunt dicentes, oportere eas tantum ſeruari, quæ ſcripto continentur; atque hinc magna inter vtrosque exorta eſt controuerſia.*

Diſtinguunt Pontificii inter traditiones Moſaicas, & Phariſaicas, opinantes, Chriſtum phariſaicas quidem, ſed non Moſaicas traditiones reieciſſe; at fruſtra. Nam probare nequeunt, Moſen tradidiſſe dogmata, quæ litteris non ſint conſignata, ſed fideli poſterorum memoria conſeruata. Chriſtus nos nunquam remittit ad traditiones Moſaicas, ſed ad ſcripturas. Io. V, 39.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* ſtatuentium, traditiones non ſcriptas diuinas & apoſtolicas pari pietatis affectu cum verbo Dei ſcripto ſuſcipiendas eſſe. Nituntur ſequentibus argumentis:

I. Tra-

Digitized by Google

I. Traditiones paſſim in ſacris litteris commendantur, Exod. XIII, 8. Deuter. XXXII, 7. Iudic. V, 13. Reſp. In locis citatis intelligitur traditio *actiua*, ſiue actus tradendi, informandi, catechizandi; vocatur communiter *inſtitutio*, quæ fit viua voce, cuius *fundamentum* eſt *ſacra ſcriptura*. De hac nulla eſt controuerſia: ſed controuertitur de traditione *paſſiue*, ſiue *obiectiue* ſumta, quatenus per illam intelligitur dogma oretenus traditum & *ſacris litteris non comprehenſum*, neque ex illis per neceſſariam *conſequentiam* deducibile.

II. Doctores primitiuæ eccleſiæ ſymbolum apoſtolicum & pædobaptiſmum vocarunt traditiones, fatente CHEMNITIO in *exam. conc. Trid. fol.* 63. & 69. Sed retinemus ſymbolum apoſtolicum & pædobaptiſmum. Ergo retinemus traditiones non ſcriptas. Reſp. Doctores primitiuæ eccleſiæ ſenſu laxiori traditionis nomine vſi ſunt; quia per eam intellexerunt omnem doctrinam de Deo & rebus diuinis, quæ κατὰ τὸ ῥητὸν qua litteram & expreſſa verba in ſcripturis non continetur: ventilatur hodie controuerſia de traditionibus *non ſcriptis* ſenſu *ſtrictiori* ita dictis, quæ neque qua ipſa *verba*, neque qua *rem* & ſententiam in diuinis litteris habentur.

III. Paullus nos remittit ad traditiones, 2 Theſſ. II, 15. *State, fratres, & tenete traditiones, quas edocti eſtis, ſiue per verbum, ſiue per epiſtolam noſtram.* Reſp. Apoſtolus loquitur de *doctrina, ratione ſubſtantiæ eadem, ſed diuerſimode tradita;* vtpote quæ tum viua voce, tum ſcriptis, membris eccleſiæ proponebatur. Particula diſiunctiua εἴτε non diſiungit dogmata tradita, ſed diuerſos tradendi modos. Priusquam enim canon ſcripturæ abſolueretur, viri θεόπνευστοι, multa tradebant voce, quæ poſtea in litteras referebant. Hodie, completo canone biblico, ad traditiones non ſcriptas confugere non eſt integrum.

IV. Paullus commendat Timotheo traditiones, 1 Tim. VI, 20. O Timothee, *depoſitum* (doctrinam viua voce traditam) *cuſtodi*. Per depoſitum non intelligunt Pontificii verbum ſcriptum, quod anxia cuſtodia non videtur indigere, cum illud in thecis ſuis facile retineatur. Reſp. Depoſiti nomine intelligitur non traditio, ſed tota doctrina cœleſtis, Timomotheo diſcipulo a doctore Paullo primum viua voce tradita ex Moſe & prophetis, Act. XXVI, 22. & in litteras poſtea relata. Depoſitum enim doctrinæ a Paullo non opponitur ſcript. S. vt ei opponuntur traditiones, ſed (vt patet e v. 21.) profanis vocum inanitatibus & falſo nominatæ ſcientiæ. Quare mens apoſtoli eſt: O Timothee, doctrinam cœleſtem, & viua voce, & ſcriptis tibi traditam, cuſtodi: contra ſummo ſtudio vita diſputationes ſophiſticas, quibus doctrina euangelica ſimplicioribus redditur dubia.

V. Paullus multum tribuit traditionibus non ſcriptis, 1 Cor. XI, 23. *Ego accepi a domino, quæ tradidi vobis.* Concludit idem caput his verbis: *cætera, cum venero, diſponam.* Reſp. Paullus in capite citato v. 23. intelligit traditionem ſcriptam, agit namque de *inſtitutione cœnæ dominicæ*, quæ non tantum hic a Paullo, ſed & a tribus euangeliſtis ſcripta fuit. *Diſpoſitio autem apoſtolica*, cuius fit mentio v. 34. *pertinet ad cærimonias & ritus, ad ædificationem in eccleſia vtiles.* At vero nobis hic ſermo eſt non de cærimoniis, quæ ex traditionibus ritualibus condiſci poſſunt, ſed de dogmatibus fidei morumque præceptis, homini ſaluando creditu factuque neceſſariis, quæ vnice e verbo ſcripto addiſcuntur.

VI. Dari in eccleſia traditiones non ſcriptas innuit Ioannes cap. XXI, 25. *Sunt vero etiam alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcriberentur ſingula; nec ipſum arbitror mundum capturum eos, qui ſcriberentur, libros.* Reſp. Concedimus, non eſſe omnia, quæ Chriſtus dixit aut fecit, ab euangeliſtis ſcripta, ſed negamus aliquid eorum, quæ ad fidem & mores ſunt neceſſaria, eſſe ab illis prætermiſſum. Præclare inquit CYRILLVS *libr. XII.* in *Ioann. cap. vlt. Non omnia, quæ dominus fecit, conſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes, tam ad mores,*



Digitized by Google

*quam ad dogmata putarunt ſufficere.* Nec minus ſcite ait AVGVSTINVS *Tract. XLIX.* in *Ioann. c. 11. Electa ſunt, quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.* (*)

VII. Comprobat Ioannes traditiones non ſcriptas Ep. II, 12. 13. & Ep. III, 13. 14. *Cum multa habeam, quæ vobis ſcriberem: non volui per chartam & atramentum* (ſcribere). *Sed ſpero, venturum me ad vos, & ore ad os locuturum, vt gaudium noſtrum ſi impletum.*

1) Non loquitur Ioannes de *vniuerſa ſcriptura*, ſed de hac ipſa ſua epiſtola, in qua electæ fœminæ non omnia ſcripſit. 2) Cuiusmodi ſint illa, quæ negat Ioannes ſe per litteras ſcribere voluiſſe, nemo facile diuinabit. 3) Si aduerſarii perſpicue oſtendent, ea, quæ Ioannes oretenus electæ fœminæ tradidit, fuiſſe dogmata fidei morumque præcepta, omnibus ſaluandis creditu factuque neceſſaria, recipiemus in nos, ſingula ex verbo ſcripto demonſtrare.

VIII. Traditio eccleſiæ neceſſaria videtur tum ad probandam ſacræ ſcripturæ diuinam originem, tum ad genuinum eius ſenſum eruendum. Reſp. Diuina ſcripturæ origo cum ex κριτηρίοις externis & internis, tum præcipue ex interno teſtimonio Spiritus S. innoteſcit. Teſtimonium eccleſiæ de diuinitate ſcripturæ lubentes acceptamus, vt argumentum inſigne, ſed non vnicum, præcipuum & abſolute neceſſarium. Verum ſcripturæ ſenſum quærimus & inuenimus in ipſa ſcriptura, ſicut gladius in vagina, margarita in concha, anima in corpore inuenitur. Conſentiens patrum, dictum aliquod biblicum interpretantium, expoſitio a nobis recipitur vt adminiculum hermeneuticum externum, manuducens & ſecundario confirmans, non vt principium fundamentale, neque vt infallibilis interpretandi norma. (**).

Quæſt.

(*) Addere mihi liceat hæc duo: 1) Si hæc verba, Io. XXI, 25. conferamus cum illis, quorum eadem eſt ſententia, XX, 30. & 31. aperte palamque Ioannes profitetur, ea, quæ *ſcripta* ſunt, ſufficere ad fidem & ſalutem: 2) Habent ne Romano-Catholici res Chriſti geſtas omnes, quas eius Legati memoriæ non prodiderunt, a Maioribus acceptas? Quantam, quæſo, & quam plenam miraculorum oportet eſſe traditionem eiusmodi, quæ ſuo ambitu complectitur eas res ad vnam omnes, quas, ſi litteris fuiſſent conſignatæ, ne mundus quidem comprehenſurus fuiſſet!

(**) Ad conficiendum hoc negotium haud parum conferet argumentatio κατ' ἄνθρωπον, & ea quidem duplex. 1) Dicunt diſſentientes, in *Concil. Trid. ſeſſ. IV. decr.* 1. ſe recipere traditiones *continua ſucceſſione* in eccleſia catholica conſeruatas. Vbinam vero terrarum eſt illa ſucceſſio *continua* in iis cauſis, in quibus eccleſia Romana manifeſto deſciuit ab *antiqua* inſtitutione, eaque *perpetua*, non interrupta ſerie? Exempla ſunt, ſole clariora, hæc duo potiſſimum: interdictum de lectione Sc. S. & de calice in ſanctiſſimo epulo. Proferant igitur traditionem, & quidem *continua* ſucceſſione conſeruatam, quum ne vnum quidem producere valeant teſtem locupletem ex tota antiquitate, per priora XII. ſæcula. En! ipſorum confeſſionem, l. c. *ſeſſ.* XXI. *cap.* 1. & 2. 2) Græca atque orientalis eccleſia ſimiliter traditiones valde ſuſcipit, velut normam credendorum atque agendorum. Earum in numero ſunt quædam, multum diuerſæ ab his, quas Romanenſes venerantur, nimirum in illis controuerſiis, in quibus græca eccleſia longe a romana diſcedit. Vtra igitur eſt *vera* traditio? Illa ne, quæ in græca eccleſia ſervatur? an hæc, quam Romano-catholici ſumma obſeruantia colendam arbitrantur? Quænam adeo *continua* ſucceſſio, de qua tantopere ſe iactant Romanenſes? Quid tandem? Non verentur, hoc præ ſe ferre: Scripturam S. admodum *incertam* eſſe, ambiguam valdeque dubiam. Quare autem? Propterea, inquiunt, quod hæretici ad ſcripturam confugiunt, eamque ad ſua animi ſenſa detorquent. Eſtne igitur hoc incertum, ad quod errantes non minus, quam recte ſentientes, prouocant? Si hæc valet conſequentia: efficitur, vt *traditiones* itidem ſint *incertæ*, ſi quidem hæretici, quibus ipſi Græcos adnumerant, ad Apoſtolicas traditiones provocare ſolent. Quod nobis reſpondebunt, id idem ſibi redditum habebunt.

Digitized by Google

Quæſt. LII. *Quæ eſt efficacia ſacræ ſcripturæ?*

Efficacia ſacræ ſcripturæ eſt vis ſupernaturalis, ipſi a Deo communicata, qua illa non tantum reuelat & exhibet voluntatem Dei, atque huic præſtandum obſequium ſuadet, ſed etiam ex ordinatione diuina vt medium validiſſimum homines peccatis corruptos, concurrente Spiritu ſancto, conuertit, regenerat, renouat & ſaluat. *De efficacia Sacræ Scripturæ.*

Obſ. Ardua & ſalutifera de efficacia ſacræ ſcripturæ doctrina ex profeſſo tradenda eſt parte III. Theol. vbi agendum eſt *de mediis gratiæ & ſalutis*, e quorum cenſu eſt verbum Dei: hic eam prælibaſſe ſufficiat.

Quæſt. LIII. *Eſtne ſacra ſcriptura omnibus ad æternam ſalutem adſpirantibus cognitu neceſſaria?*

Sacra ſcriptura eſt principium fidei & morum neceſſarium, neceſſitate non *abſoluta* (a), ſed *hypothetica* (b). Neceſſaria eſt ſacra ſcriptura neceſſitate non ſolum *mandati* (c), ſed & *medii* (d), adeoque ſcriptura tam *veteris* (e), quam *noui teſtamenti* attente legenda, vel ſaltim voce docentis propoſita deuote auſcultanda, penitiſſimeque penſitanda eſt omnibus hominibus æternam vitam adepturis, quibus inuincibile non obiicitur impedimentum.

Prob. a. Quod S. ſcriptura *non* ſit neceſſaria neceſſitate *abſoluta*, patet, quia fuit tempus, quo ſacræ litteræ non fuerunt, nempe ab Adamo ad Moſen. Contingit, vt earum legendarum non ſit copia, ſi ſcilicet chriſtianus abripiatur in captiuitatem Turcarum, Tartarorum, aut aliorum barbarorum. Poteſt fieri, vt, ſæuiente Marte, nullæ ſint ſcholæ, nullæ occaſiones, quibus puer, aut puella, notitia lectionis imbuatur. Quinimmo accidit haud raro, vt homo per naturam ſit impotens, vtpote cœcus, infans &c. cui hic lex nulla eſt poſita, quia regnum gratiæ ſupponit regnum potentiæ. Conf. DANNHAV. *hodoſ. phænom. I. p. 87.*

Prob. b. *Hypothetica* S. ſcripturæ neceſſitas *tum* ex ordinatione diuina, *tum* ex indigentia hominum eluceſcit. Beneficio namque ſcripturæ eccleſia latiſſime patens ad conſummationem ſeculi eſt conſeruanda: corruptelarum illecebræ & errores ſunt auertendi, infirmitas memoriæ humanæ ſubleuanda, fideique certitudo ſtabilienda eſt. Scriptum quippe eſt verbum Dei δἰ ἀσφάλειαν, propter maiorem certitudinem. Luc. I, 3.

Prob. c. *Mandato* diuino *externo*, & *interno*, conſignatas eſſe ſacras litteras, perſpicue oſtendimus ſupra quæſt. XII. p. 80. 81.

Prob. d. ex Io. XX, 31. *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quod Ieſus ſit Chriſtus, filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius.* Docet S. Ioannes, S. ſcripturam eſſe *medium*, diuinitus ordinatum, ad accendendam fidem in Chriſtum, & conſequendam vitam æternam.

Prob. e. Ex mandato Chriſti Io. V, 39. *Scrutamini ſcripturas; quia vos exiſtimatis, quod in iis vitam æternam habeatis: atqui illæ ſunt, quæ teſtantur de me.* Loquitur dominus Ieſus de ſcriptura *veteris* teſtamenti, (neque enim eo tempore ſcripta apoſtolorum extabant) & præcipit, vt homines, ad æternam ſalutem tendentes, ſcripta Moſis & prophetarum ſedulo ſcrutentur. Quam ob rem legenda eſt ſcriptura *vet. teſtam.* 1) Ob mandatum Chriſti: 2) Ob chriſtianæ fidei fundamentum, quod eſt, Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam, & æternæ ſalutis cauſſam meritoriam: (*). 3) Ob planiorem intelligentiam ſcriptorum noui teſtamenti, in

(*) Quum enim 1) Ieſus noſter ſit ὁ ἐρχόμενος, & ſigna Chriſti certiſſima, ex quibus efficitur, Ieſum eſſe Chriſtum, vniuerſa a Vatibus V. T. prædicta ſint, Matth. XI, 3. ſeqq. 2) N. T. a veteri

Digitized by Google

in quibus ſcripta veteris teſtamenti frequentiſſime adducuntur: 4) Ob elenchum Iudæorum, Act. XVIII, 28: 5) Ob ſolidam ſpem & ſolatium noſtrum, Rom. XV, 4.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, ſtatuentium, S. ſcripturam non adeo neceſſariam eſſe, quin ea carere poſſit eccleſia. 2) *Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, quibus S. ſcriptura eſt littera mortua; hinc ad verbum internum naturale & ad immediatas reuelationes diſcipulos ſuos remittunt. 3) *Socinianorum*, neceſſitatem S. ſcripturæ V. T. infitiantium; quorum potiora ſunt argumenta:

I. Vetus eccleſia ab Adamo ad Moſen conſeruata eſt, ſine verbo Dei ſcripto. Ergo ſine eodem eccleſia hodierna propagari poteſt. Reſp. Diſpar eſt ratio temporum illorum, quibus floruit eccleſia patriarchalis, & ſequentium temporum. Patriarchæ enim erant μακρόβιοι, i. e. longæui, vt ad mille propemodum annos vitam produxerint. Homines etiam tunc erant pauciores, & crebræ fiebant diuinæ reuelationes immediatæ. Proinde id temporis doctrina cœleſtis a longæuis patribus, immediate illuminatis, ad cœtum credentium, non adeo magnum, viua voce transmitti commode potuit. At vero aucto mortalium genere, & imminuto vitæ humanæ curriculo, Deus ipſe auguſtum ſcribendi fecit initium, verbumque ſuum conſignare iuſſit διὰ τὸ ἀσφαλὲς, ad ſtabiliendam fidei noſtræ certitudinem. Phil. III. 1.

II. A Moſe vsque ad Chriſtum per duo annorum millia exſtiterunt quidem ſcripturæ, eæ tamen ſolæ erant Iudæorum, reliquæ autem gentes, in quibus haud paucis vera erat religio, ſola traditione non ſcripta vtebantur. Vere enim in Deum credidiſſe, præter Iſraëlitas, homines bene multos, teſtantur Iobus & eius amici. Reſp. Falſum eſt, religioſos extra caſtra Iſraëlis conſtitutos caruiſſe verbo ſcripto; contrarium liquet exemplo Eunuchi, Act. VIII. Adde captiuitatem Babylonicam, & diſperſionem Iſraëlitarum, ſcripturas ſecum aduehentium. Penitius etiam conſidera verſionem bibliorum græcam, inter gentes plurimas latiſſime propagatam.

III. In ipſo populo Dei etſi ſcripturæ extarent, magis tamen vtebantur Iudæi traditione, quam ſcriptura, vt patet, ex Exod. XIII, 8. Reſp. Loco citato intelligitur *traditio actiua*, i. e. actus tradendi, prædicandi & catechizandi, cum dependentia a lege ſcripta, tanquam norma.

IV. Vſque ad tempus Eſdræ ſcripturæ non redactæ fuerunt in ordinem, vt commode legi potuerint, ſed diſperſæ in variis chartis habebantur, & aliquando ex negligentia ſacerdotum longo tempore non inuentæ, 2 Reg. XXII, 8. Reſp. Libros Moſis & prophetarum Eſdras redegit quidem in ordinem vnumque ſyſtema; ſed ipſos libros ſucceſſiue conſcriptos habuerunt Iſraëlitæ. Et licet publicum exemplar negligentius aſſeruatum ſit a ſacerdotibus, laici tamen, priuatos inter parietes, peculiaria ſua legerunt exemplaria. Præterea perperam colligitur: Ante Eſdram non idem ordo fuit ſcriptorum propheticorum, qui hodie eſt: Ergo ſcriptura non eſt neceſſaria. Neque enim ita confuſæ & conturbatæ fuerunt ſacræ litteræ, vt legi nequiuerint.

V. Ex

veteri in eo differat, quod in V. ſint vaticinia, in N. eorundem complementa, quæ, ſi ad vnam ſummam referantur, omnia in Ieſu Nazareno coniuncta adpareant, 2 Corinth. I. 20. vt adeo ne quid minimum in tota religione Chriſtiana contineatur, quod non fuerit in V. T. prænuntiatum, Act. XXVI, 22. quum denique certum ſit, 3) complementum ſine vaticinatione, cui illud omnino reſpondeat, neque intelligi poſſe, neque pro vero haberi: perſpicuum eſt, quam ſit neceſſe, vt nouum Teſt cum antiquo perpetue conferatur.

Digitized by Google

V. Ex S. ſcriptura variæ exortæ ſunt hæreſes: Ergo ſatius fuiſſet, ſi non exſtaret. Reſp. Hæreſes oriuntur non ex ſcriptura, ſed e detorſione ſcripturæ. Quin potius S. ſcriptura medium eſt repellendarum hæreſium. 2 Tim. III, 16. Tit. I, 19.

VI. Nouum teſtamentum non tam chartæ, quam cordi inſcribendum eſt, 2 Cor. III, 13. *Eſtis epiſtola Chriſti ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui.* Reſp. Hæc non ſunt oppoſita, ſed conſentanea. Ideo enim ſcriptura eſt neceſſaria, vt illa attente lecta, probe cognita, & recte applicata nouum teſtamentum cordibus noſtris inſcribatur, cum illa inſcriptio non fiat immediate, ſed mediate.

VII. Lectio veteris teſtamenti hodie non videtur neceſſaria, quia in eo non habentur promiſſiones vitæ æternæ. Ea de cauſſa Chriſtus *dicitur melioris teſtamenti mediator, quod ſuper melioribus promiſſionibus ſancitum eſt.* Hebr. VIII, 6. Reſp. Loco citato vetus & nouum teſtamentum non accipitur pro libris V. & N. T. ſed pro *fœdere legali, quod vetus, & euangelico, quod nouum teſtamentum appellatur. Huius promiſſiones meliores dicuntur non ratione boni promiſſi, ſed ratione conditionis requiſitæ.* Nam vetus teſtamentum, ſiue fœdus legale, promittit quidem vitam æternam, Leu. XVIII, 5. Gal. III, 12. ſed *ſub conditione perfectæ obedientiæ*, quæ poſt lapſum nobis impoſſibilis eſt, Rom. VIII, 3. Nouum vero teſtamentum, ſiue fœdus euangelicum promittit vitam æternam *ſub conditione fidei*, Gal. III, 11. quæ omnibus media gratiæ admittentibus confertur. Adiice, quod promiſſiones euangelicæ præſtent legalibus *ratione efficaciæ*; quia lex ſolum promittit obedientibus vitam, ſed vires obediendi non confert. Euangelium vero non ſolum credentibus vitam æternam pollicetur, ſed etiam vires credendi largitur.

Quæſt. LIV. *Ad quos vſus practicos applicanda eſt meditatio ſcripturæ?*

*Vſus & caſus practici.*

*Vſus practici*, ad quos transferenda eſt lectio & meditatio ſcripturæ, concernunt *tum fidem, tum vitam*, ſiue mores hominum. Fides diuerſimode conſideratur, prout nempe *vel generanda, vel conſeruanda, vel defendenda eſt.* Fides generanda eſt in animis infidelium; quibus attente legentibus ſacram ſcripturam, hæc ipſa eſt *ſemen regenerationis & accendendæ fidei*, 1 Petr. I, 23. Fidelibus in ſtatu tranquillo conſeruanda fides verbo Dei ſcripto, velut puriſſimo *lacte nutritur, velut cibo ſolido corroboratur*, Hebr. IV, 12. In ſtatu turbulento, ſiue afflicto, ab inſultu diaboli, hæreticorum perfidia, afflictionibus mundi, carniſque illecebris defendenda eſt ſcriptura ſacra, *tanquam gladio Spiritus ſancti*, Eph. VI, 7. quo, inſtar Chriſti, diabolum eiuſque ſatellites profligamus. Matth. IV. Quid? quod chriſtianis afflictis ſacra ſcriptura eſt promptuarium omnis conſolationis viuificæ. *Quæcunque præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Rom. XV, 4. Vita chriſtianis digna dirigenda & conformanda eſt ad regulam ſacræ ſcripturæ, vt viuant εὐσεβῶς, *pie*, erga Deum, σωφρόνως, *temperanter*, erga ſeipſos, δικαίως, *iuſte*, erga proximum. Tit. II, 12. Quocirca lecturus ſalutari cum fructu ſacras litteras, probe attendat, quæ eloquia Spiritus S. ad fidem fulciendam, quæ ad vitam pie, ſobrie & iuſte tranſigendam faciant, eaque tabulis cordis ſui penitiſſime inſcribat.



Digitized by Google

Quæſt. LV. *Quomodo legenda eſt ſcriptura ſacra, vt iam memoratos vſus aſſequamur?*

Transferuntur ſacræ litteræ ad ſalutares vſus, ſi eas legamus (1) *pie* & cum imploratione auxilii diuini, vt *Deus domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ, det nobis Spiritum ſapientiæ & reuelationis in cognitionem ſui & illuminatos oculos mentis,* Eph. I, 17. 18. (2) *Attente* & ſingulari cum reuerentia, vt non tantum *theoretice* cognoſcamus, ſacram ſcripturam eſſe verbum Dei, ſed & *practice,* & ſolido fidei aſſenſu, verum hoc verbum Dei recipiamus. Eſt enim ſacra ſcriptura *epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam, in qua verba Dei ſonant, & cor Dei diſcitur,* dicente *Gregorio M.* L. IV, ep. 84. (3) *Accurate,* vt ſolicita indagine *ſcrutemur ſcripturas,* Io. V, 39. earumque genuinum ſenſum inueſtigemus. (4) *Aſſidue,* vt diu noctuque in lege Dei meditemur, Pſ. I, 2. (5) *Obedienter,* vt non tantum lectores vel auditores, ſed etiam *factores verbi ſimus.* Iac. II, 22.

Quæſt. LVI. *Quomodo confirmandus eſt animus hominis diuinitate ſcripturæ?*

Fratri infirmo, de diuina ſcripturarum origine dubitanti, proponenda ſunt argumenta petita a κριτηρίοις externis, ſiue motiuis credibilitatis, vt inducatur ad ſcripturam ſacram pie, attente, accurateque legendam. Quod ſi fecerit, cum κριτηρίοις internis, tum inprimis teſtimonio Spiritus S. interno, permouebitur ad credendam immediatam ſacrarum litterarum a Deo dependentiam.

Quæſt. LVII. *Quomodo erigendi ſunt, qui dolent & lugent, quod fructum ſacræ ſcripturæ, ſæpius perlectæ, exiguum, aut nullum ceperint?*

Sunt illi (1) excitandi ad pias preces, quibus copioſior Spiritus S. gratia impetratur. Prælucet nobis perquam laudabili exemplo hieropſaltes, Pſ. CXIX, 18. 34. ſuſpirans: *Reuela oculos meos, vt videam mirabilia e lege tua. Intelligere fac me, vt cuſtodiam legem tuam, & obſeruem eam toto corde.* (2) Admonendi ſunt, vt inquirant in vitam moresque ſuos, & peccatis grauioribus, ſi quibus indulgent, nuntium remittant, curisque huius ſeculi, quibus irretiti fuerunt, ſe expediant. *Hæ ſunt ſpinæ, quibus ſemen verbi diuini ſuffocatur.* Luc. VIII, 14. (3) Meditationibus ſacris intenti expectent horam ſuauitatis diuinæ, donec hanc ex diſpenſatione Dei liberrima deguſtent. *Quid incuruas te, anima mea, & quid tumultuaris ſuper me? Expecta Deum, quia adhuc confitebor illi; ſalutes facierum mearum* (ille) *& Deus meus,* inquit Rex propheta, Pſ. XLII, 12.

Quæſt. LVIII. *Quomodo exſuſcitandi ſunt, qui inuiti ſacra biblia legunt?*

(1) Inculcandum eſt illis mandatum diuinum, Deut. VI, 7. 8. Io. V, 39. (2) Vrgendum eſt exemplum Marthæ & Mariæ, Luc. X, 40. ſeqq. (3) Oſtendendum illis eſt, bonitatem & ſapientiam Dei in ſacra ſcriptura, velut ſpeculo limpidiſſimo, relucere, Matth. XI, 25. 26. (4) Commendanda illis eſt vtilitas ſcripturæ vberrima, 2 Tim. III, 16. Quibus bonis priuantur, qui tam ſupinæ indormiſcunt ignauiæ, vt vel nunquam, vel inuiti ſacrum codicem manibus terant. Contra iidem fœdiſſimis erroribus plurimisque malis implicantur. Matth. XXII, 29. *Erratis neſcientes ſcripturas.*

SVSPIRIVM.

Digitized by Google

*SVSPIRIVM.*

Calidiſſimis precibus a te, Deus, pater domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ, efflagito, vt des nobis ex gratia, nullis noſtris meritis prouocata, Spiritum ſapientiæ & reuelationis in cognitionem tui, & illuminatos oculos mentis ad ſalutarem intelligentiam verbi tui, ſcriptis propheticis & apoſtolicis comprehenſi! Exoſculamur ſcripturam, te inſpirante conſignatam. Eſt illa noſter amor, noſtræ deliciæ, noſtrum ſpirituale ærarium, noſtrum penu, plenum omnis ſolatii. Scriptura tua eſt epiſtola luculentiſſima, de cœlo ad nos miſſa, in qua verba tua ſonant, ex qua cor tuum diſcitur. Flagrans amore cor tuum aperuiſti, ſumme rerum arbiter, in diuinis tuis litteris patefeciſti mentem tuam, reuelaſti conſilium tuum de peccatore lapſo erigendo, & in patriam cœleſtem perducendo, ſi ſubſidia gratiæ tuæ non inuitus admittat. Suffice, o Deus miſericordiſſime, nobis vires ſpirituales, vt conſilium tuum ſequamur promti, ad nutum voluntatis tuæ ſimus intenti, verbum tuum & tabulis cordium imprimamus, & bonis factis exprimamus, atque tandem aliquando per te ad te trahamur!

# THEOLOGIAE PARTIS PRIMAE

## CAPVT I.

# DE DEO.

Quæſt. I. *Quo conſiderandi modo hic de Deo agitur?*

*Ratio methodi.*

Agitur hic de Deo vt fine obiectiuo theologiæ.

Prob. Cum theologia ſit ſcientia practica, primo omnium de eius fine agendum eſt. Cum autem *finis theologiæ ſit duplex*, vnus quidem *obiectiuus*, qui eſt Deus infinite perfectus & ſumme bonus, alter vero *formalis*, qui eſt viſio & fruitio Dei beatifica; ideo finis theologiæ obiectiuus, nempe Deus, appetitum hominis pleniſſime ſatians, primum conſiderandus eſt.

Quæſt. II. *Quid intelligitur nomine Dei?*

*Definitio Dei nominalis.*

Nomine Dei intelligitur ens primum, quod a ſe & ceterorum cauſſa eſt; quodque omnia conſeruat & gubernat.

Prob. Experiuntur in ſe homines viatores omnes, quod Deum non aliter concipiant, aut concipere poſſint, quam in ordine ad res creatas, vt ens primum, quod a ſe & ceterorum entium omnium cauſſa eſt, & omnia conſeruat ac gubernat; vel ut ens omnium excellentiſſimum, quo nihil melius, nihil perfectius eſſe, aut cogitari poteſt. Preſſi calamitate gentiles implorarunt opem Dei, eumque nominarunt optimum maximum: male ſibi conſcii reformidarunt ipſum, vt iudicem iuſtisſimum & potentiſſimum: rati Deo nihil eſſe prius, nihil præſtantius.

Quæſt. III. *Num hominem ſumma ope niti decet, vt Deum cognoſcat?*

*Theognoſiæ dignitas.*

Oportet hominem aſſequendæ notitiæ Dei plurimum operæ impendere (1) ob τῆς θεογνωσίας dignitatem (a). Ob maximam eiusdem vtilitatem (b).

Prob a. Ex oraculo diuino Ier. IX, 22. 23. *Sic dixit* Iehouah: *ne glorietur ſapiens de ſapientia ſua, neque glorietur fortis de fortitudine ſua, neque glorietur diues de diuitiis ſuis; ſed de hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere & noſſe me, quod ego* (ſim) Iehouah, *faciens miſericordiam, iuſtitiam & iudicium in terra.* Quanto æterna natiuis, immortalia caducis antecellunt: tanto vera Dei cognitio omnibus aliis ſcientiis eſt anteponenda. Scite inquit



Digitized by Google

HIERONYM. in *epitaph. nepot. Abſque notitia ſui creatoris omnis homo pecus eſt.* Et præclare HILARIVS, *libr. IIX. de Trinit. Neſcit ſapere, qui Deum neſcit.*

Prob. b. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti,* Ieſum Chriſtum, inquit ipſa veritas, Io. XVII, 3. Cum vera veri Dei cognitio, teſte Chriſto, ſit cauſſa vitæ æternæ, & quaſi mater ſempiternam ſalutem pariens, eadem nobis omnibus ſit commendatiſſima.

Quæſt. IV. *Vnde petitur θεογνωσία, ſiue notitia Dei?*

Notitia Dei petitur tum ex lumine naturæ, ſiue *rationis,* tum ex lumine *reuelationis.* Ex quo θεογνωσία in *naturalem* & *reuelatam* communiter diſtinguitur. Illa *pædagogica,* hæc *ſalutifera eſt.*

Quæſt. V. *Quæ eſt notitia Dei naturalis?*

*Notitia Dei naturalis.* Notitia Dei *naturalis* eſt, qua homo ex principiis, natura notis, exſiſtentiam, eſſentiam, attributa & actiones Dei quadantenus cognoſcit: Diuiditur in *inſitam,* & *acquiſitam.* Notitia Dei *naturalis inſita* eſt perfectio, homini viatori congenita & habitu analoga, qua intellectus humanus adiutus veritatem euidentium de Deo propoſitionum, apprehenſis earum terminis, citra diſcurſum perſpicit, iisdemque indubitatum aſſenſum præbet (a). Notitia Dei *naturalis acquiſita* eſt, quæ tum ex aliorum teſtificatione, tum ex creaturarum intuitu per diſcurſum comparatur (b).

*Lumen naturæ.* Obſ. I. Per *lumen naturæ heic intelliguntur principia naturæ & rationis,* quibus notitia Dei naturalis, velut rationi cognoſcendi innititur; quæ *luminis* appellationem ſortita ſunt, quod intellectui ſunt ratio cognoſcendi res alias, & ad eum ſe habent, vt lumen, quod coloribus coniunctum potentiæ viſiuæ eſt ratio videndi & cognoſcendi colores, ad potentiam viſiuam ſe habet. Scite inquit PHIL. MELANCHTHON in *erot. dial. p. m. 234. vt lumen in oculis conditum eſt ad cernenda corpora: ita lumen in mente ſunt notitiæ innatæ, quibus prouehimur ad qualemcunque notitiam Dei.*

Obſ. II. Principia naturæ & rationis, e quibus Deus quadantenus cognoſcitur, dicuntur alias notitiæ innatæ, item communes de Deo notiones, & ſunt quædam quaſi rudera aut reliquiæ imaginis diuinæ, de quibus præclare diſſerit AVGVSTINVS *libr. I. de ſpirit. & lit. c. XXIIX. Non vsque adeo in anima humana imago* Dei *terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint; vnde merito dici poſſit, impios etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere.*

Obſ. III. *Principia naturæ,* e quibus Deus quodammodo innoteſcit, ſunt vel *theoretica,* vel *practica. Theoretica* ſunt: Deus eſt, Deus eſt vnus, verus, bonus, omnipotens, iuſtiſſimus &c. Deus eſt conſeruator & gubernator huius vniuerſi. Principium *practicum* eſt: Deus eſt colendus.

*Notitia Dei naturalis inſita.* Prob. a. (1) Notitia Dei *inſita* colligitur ex effato apoſtolico, Rom. II, 14. *Quando namque gentes, quæ legem* (Moſis ſcriptam) *non habent, natura ea, quæ legis ſunt, faciunt: hi licet legem* (iſtam) *non habeant, ſibi ipſis ſunt lex.* (Quippe) *qui demonſtrant opus legis* (non litteram) *ſcriptum in cordibus ſuis, dum illis teſtimonium perhibet conſcientia illorum, & inter ſeſe cogitationes accuſant, vel etiam excuſant.*

Argumentamur: Quicunque naturaliter faciunt ea, quæ ſunt legis, & hoc ipſo oſtendunt, opus legis inſcriptum eſſe cordibus ſuis conuincente eos conſcientia, illi hoc ipſo teſtantur, notitiam de Deo, tanquam boni remuneratore & mali vindice, naturaliter eſſe inſitam. Atqui, gentiles legem externam non habentes &c. Ergo.

Maior

Digitized by Google

Maior conſtat, quia (α) qui naturaliter faciunt ea, quæ ſunt legis, illis lex natura ineſt, quam velut normam in agendo obſeruant. (β) Si iſta lex ſcripta eſt in cordibus hominum, quum non per regenerationem inſcripta ſit, oportet eam per creationem inſcriptam, atque adhuc e creatione ſuperſtitem atque connatam eſſe. Pertinet autem ad legem inſcriptam notitia & cultus Dei, tanquam pars legis naturalis præcipua. Neque enim tantum præceptum de diligendo proximo, ſed etiam de colendo Deo ad legem naturæ ſpectat. (γ) Qui conuincitur a conſcientia de bene vel male actis, is neceſſario ſupponit primum iudicem dominium habentem in conſcientias, & legislatorem ſummum mala vetantem & punientem, bona præcipientem & remunerantem.

(2) *Accedit gentilium omnium conſenſus.* Neque enim, iudice M. TVLLIO *libr. I. Tuſculan. quæſt. vlla gens tam fera, nemo omnium tam immanis eſt, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Deis praua ſentiunt; id enim vitioſo more effici ſolet. Omnes tamen eſſe vim & naturam diuinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut conſenſus efficit: non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt.* Et *libr. II. de natur. Deor. orator* inquit: *omnibus innatum eſt, & animo quaſi inſculptum eſſe Deos.*

Conſtat itaque τὸ εἰ ἐστι ſiue, exſiſtentia vera notitiæ de Deo innatæ; at τὸ τί ἐστι ſiue eius definitiua ratio, non adeo liquida eſt. Ex quo fit, vt a theologis etiam orthodoxis diuerſimode definiatur. Alii enim eam per *facultatem propinquam*, alii per *diſpoſitionem*, alii per *habitum*, alii per *perfectionem*, aut lucem intellectui humano congenitam & *habitui analogam*, definitam volunt. Auſcultemus D. MVSAEVM de notitia Dei inſita accurate diſſerentem in *introduct. in theol. p. 80. Non aſſerunt theologi moderni, ante rationis vſum homini ineſſe cognitionem Dei actualem, ſiue eius ſpeciem impreſſam.* Quin inueniuntur, qui id diſerte negant. Neque deſunt, qui eius ſpeciem impreſſam inficiantur. Quicquid ergo eſt, quod ex illorum mente intellectui natura ineſſe, ſiue ei connatum dici poſſit, neceſſe eſt, vt redeat ad *ingenitam quandam perfectionem, ſiue lucem intellectus*, qua adiutus veritatem communium de Deo notionum, apprehenſis terminis, ſtatim citra diſcurſum perſpiciat. Atque in hoc fere conueniunt; licet *perfectionem illam innatam alii habitum, alii quidpiam habitui analogum, nonnulli habitum imperfectum & diſpoſitionem* appellent. Cui qui addiderit inculcatum a *Patribus* priſcis *inſtinctum, natura homini inſitum*, qui intellectui pondus ſuperaddat, eumque vna cum illa ipſi innata perfectione qualicunque ad aſſenſum, tum aliarum communium de Deo notionum, cum eius inprimis, quæ eſt de exſiſtentia ipſius, immediate & citra diſcurſum præbendum determinet, a vero nihil, noſtro quidem iudicio, aberrauerit.

Nos, ſaluis aliorum iudiciis, cenſemus, notitiam Dei inſitam non eſſe habitum exquiſite dictum; quippe qui conſiſtit in ſpeciebus impreſſis inter ſe bene coordinatis ac diſpoſitis. At nec creationis, nec creaturarum ſpecies proprie nobis ſunt natura impreſſæ. Sane experientia teſte Deum non aliter concipimus, quam in ordine ad res creatas, vt ens primum, quod a ſe, & ceterorum cauſſa eſt, omnes creaturas conſeruans & gubernans. Non tamen diffitemur, *notitiam Dei inſitam eſſe perfectionem quandam, homini viatori congenitam & habitui analogam.* Quæ analogia conſiſtit in ſequentibus. (1) Sicut imago Dei in hominibus protoplaſtis fuit habitus: ita reliquiæ eiusdem, ad quas pertinet lex naturæ, Deum colendum eſſe dictitans, ad ipſius naturam quodammodo accedunt; cum partes homogeneæ ſint eiusdem naturæ cum toto. (2) Sicut habitus eſt quædam perfectio ſuperaddita naturæ, eam facilitans ad operationem: ita quoque notitia Dei naturalis ſuperaddita eſt facultati cognoſcitiuæ, illam inclinans ad apprehendendum quocunque modo Deum. (3) Sicut habitus eſt difficulter mo-

mobilis: ita profunde inhæret iſta notitia naturalis animæ, nec penitus eradicari poteſt. Quam ob rem nobis non contradicit HENR. NICOLAI, *tract. de notit. natural. cap. II. p. 26.* inquiens: *Vox habitus ſumitur vel in rigore philoſophico, pro firma & ſtabili qualitate potentiæ ſuperiecta*, facile & promtum reddente ſubiectum ad operandum; vel *vox habitus generalius accipitur* pro *qualicunque diſpoſitione*, ex qua, ſi elaborando perficiatur, habitus fieri & exſurgere queat; & ſic generaliter *per modum habitus* notitiæ naturales ineſſe dici poſſunt; quia iſta *diſpoſitio luminoſa* in intellectu ſupereſt, qua veritatem duce natura quis videre, & ſi eam dextre inueſtiget, in habitum eam ſucceſſu temporis protollere poſſit. Neque plane diſſentit LEICHNER. *in ſynopſi veræ apod. pag. 398. Naturales notitiæ terminorum ignaro intellectui non quidem actu expreſſo, nedum habitualiter, ſecundum diſpoſitionem tamen naturalemque procliuitatem inſunt.*

*Notitia Dei naturalis acquiſita.* Prob. b. (1) *Notitiam* Dei *naturalem acquiri ex aliorum teſtificatione*, ipſa experientia toto velut die loquitur. Nam parentes chriſtiani, turcæ, tartari, gentiles, liberis ſuis a teneris vnguiculis nomen ac notitiam Dei inſtillant: Deum quotidie & magni & parui inuocant: per Deum iurant: prouocant ad Deum tanquam teſtem & iudicem &c. Qua crebriori nominis diuini mentione in vita quotidiana notitia Dei naturalis acquiritur, acquiſita confirmatur.

(2) *Creaturas adhibita cura intuentibus triplex patet via ad notitiam Dei acquirendam:* (a) *Via cauſſalitatis*, qua ex effectis cauſam efficientem primam, e creaturis creatorem, ex ornatiſſima ſapientiſſimaque huius vniuerſi gubernatione conſeruatorem & gubernatorem optimum, potentiſſimum & ſapientiſſimum cognoſcimus. Argumentum hic petitur ab axiomate euidentiſſimo: *Effectus teſtatur de cauſſa, eiusque perfectione.* (b) *Via eminentiæ*, qua, quidquid in creaturis maxime perfectum deprehendimus, Deo modo eminentiſſimo tribuimus vi principii natura notiſſimi: *Quidquid eſt in effectu, præexiſtit in cauſſa.* Ex quo colligimus, omnes perfectiones, quæ ſunt in creaturis, eſſe in creatore vel formaliter, vel eminenter. (*) Nem-

(*) Id vero non ſine cautione ac diſtinctione intelligendum eſt, ſed ita arctis limitibus circumſcribendum, vt & principium, quod adſumitur, & eius ad propoſitum adcommodatio, recte percipiatur. I. Hoc principium, *quidquid in effectu eſt, id non poteſt non ante eſſe in cauſa*, eſt quidem veriſſimum, ſed accipiendum dumtaxat 1) de cauſa *vnica*, certe *principali*, ſocias omnes omnino gubernante, 2) de cauſa *vniuoca*, vt dici ſolet, cuius quippe effectus eſt eiusdem naturæ particeps, non item de *æquiuoca*, quæ aliquid longe a ſua natura alienum efficit. Et in *illa* quidem, neceſſe eſt, naturam, proprietates perfectionesque easdem, quæ ſunt in effectu excellenter ineſſe; in *hac* autem non ipſa effectus natura, proprietates, perfectionesque inſunt, ſed earundem ratio continetur. Atqui Deus eſt *vnica* quidem omnium rerum cauſa, ea vero non vniuoce ſic dicta, per generationem, ſed *æquiuoce*, per creationem. II. O. rei *perfectionem* cum ipſa eius *natura* ac *finibus* omnino congruere oportet. Perfectum enim id demum dicitur, in quo ſunt omnes partes proprietatesque, naturæ ac finibus eius conuenientes, pro eo, ac par eſt, ſatis apte compoſitæ & connexæ. Ex quo efficitur, vt, quod in vna re perfectum eſt, id, ſi in alia eſſet, aut imperfectum eſſet putandum, aut plane alienum: velut corporis bona ac firma conſtitutio, & membrorum partiumque vniuerſarum apta collocatio, certe eſt perfectio rerum corporearum, quatenus ſunt corporeæ, ea vero debet procul a Spiritibus puris abeſſe. Ipſa ſane definitio ac determinatio neceſſario pertinet ad *perfectionem* omnium rerum finitarum, & creatarum, quoad ſunt *finitæ* & creatæ; aliter non *finita* eſſet earum *natura*, ſed prorſus infinita. Rerum creatarum omnium *natura* aut omnino a natura Creatoris *diuerſa* eſt, aut quodam modo ei *ſimilis* facta. In *illis*, quarum prorſus alia eſt natura, ne vna quidem ineſſe poteſt earum perfectionum, quæ diuinæ naturæ conueniunt, quamvis in vniuerſis ac ſingulis eluceant ſummæ Creatoris perfectiones, vt ſunt, infinita potentia, bonitas, ſcientia, ſapientia. In *his* autem, quas ſui ſimiles creare Deo placuit, *perfectiones* mora-

Digitized by Google

Nempe relucent in creaturis quædam perfectiones abſolute & ſimpliciter tales, quæ in ſuo conceptu formali nullam inuoluunt imperfectionem, ſed ſunt meliores, quam creaturæ ipſæ. Sic animaduertimus in hominibus, creaturarum viſibilium præſtantiſſimis, potentiam intelligendi & volendi, ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam, &c. Quæ perfectiones Deo formaliter, & quidem modo excellentiſſimo inſunt. (c) *Via negationis*, qua a Deo remouemus, quidquid in creaturis imperfectionem implicat, eique oppoſitam perfectionem attribuimus, iuxta principium naturæ omnibus obuium: *Quod ſumme perfectum eſt, ei nullus ineſt defectus.* Hoc principio naturæ ſubnixi Deum vocamus independentem, infinitum, incorporeum, immenſum, immortalem, incomprehenſibilem. Nam dependere ab alio, certis includi finibus, corpoream gerere molem, commenſurato terminari ſpatio, mortalitati ſubiacere, & ab humano intellectu adæquate comprehendi, ſunt imperfectiones creaturarum, infinitæ creatoris perfectioni repugnantes, adeoque ab eodem longiſſime remouendæ.

Ad triplicem hanc viam, cognoſcendi Deum e contemplatione creaturarum, prophetæ & apoſtoli in ſcriptis ſuis θεοπνεύστοις paſſim locorum, vbi de naturali Dei cognitione loquuntur, digitum quaſi intendunt.

*Viam cauſſalitatis* premit rex propheta, Pſ. XIX, 2. canens: *Cæli enumerant gloriam Dei, & opus manuum eius annuntiat firmamentum.* Quibus verbis rex piiſſimus ſcholam naturæ aperit, in qua omnes homines inſtruuntur de gloria opificis naturæ. *Cæli enumerant gloriam Dei,* non vocis articulatæ præconio, ſed operis artificio: ſicut omne opus laudat artificem, & omnis effectus teſtatur de cauſſa, eiusque perfectione. Haud male commentatur D. GEIER. *in Pſ. XIX, 2. Per proſopopœiam cælis tribuitur ſermo, quatenus nimirum obiectiue idem præſtant, quod alias præſtat loquens verba articulata: informant enim ac conuincunt intuentem,* quod ipſorum architectus ſit optimus, ſapientiſſimus, potentiſſimus. Eandem cauſſalitatis viam nobis commonſtrat S. Paullus Rom. I, 19. 20. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, *quod notum* Dei, *manifeſtum eſt in ipſis:* Deus *enim ipſis manifeſtauit. Nam inuiſibilia ipſius* (etiam) *a creatione mundi operibus intellecta perſpiciuntur, æternaque ipſius potentia & deitas: adeo vt ſint inexcuſabiles.* Circa hoc eloquium apoſtolicum obſerues: (1) quod apoſtolus loquatur generatim de omnibus hominibus, ob impietatem & iniuſtitiam iræ diuinæ obnoxiis, vt patet e v. 18. (2) quod idem per inuiſibilia non intelligat abſcondita illa myſteria, de quibus Chriſtus loquitur Matth. XIII, 35. ſed, docente contextu, inuiſibilem potentiam & diuinitatem, quæ e contemplatione creaturarum innoteſcunt. (3) Per ποιήματα miracula Chriſti intellecta vult *Socinus;* ſed fallit & fallitur. Nam τὰ ποιήματα in ſacris litteris nunquam notant actiones miraculoſas; neque miracula ab origine mundi a Chriſto ſunt facta; neque exprimitur ab apoſtolo medium cognoſcendi Deum ſpeciale, quale ſunt miracula Chriſti, ſed medium cognoſcendi generale, quod etiam gentes idololatriæ deditas ad notitiam Dei adducere potuit, quale ſunt opera a creatore effecta. (4) Ἀπὸ κτίσεως τοῦ κόσμου, plurimorum ex ſententia idem eſt, quod ἐκ κτίσεως, adeoque non notat initium temporis, ſed medium cognoſcendi: ſicut Matth. VII, 16. Saluator inquit: ἀπὸ τῶν καρπῶν, ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Fac tamen, intelligi initium temporis, tum ſenſus erit: Inde ab initio creaturarum Deus ex operibus potuit cognoſci. Diſcimus ex hoc dicto claſſico, naturali rationis lumine cognoſci poſſe (a) exiſtentiam Dei, (b) potentiam Dei æternam, (c) eius inuiſibilitatem & ſpiritualitatem, (d) creationem huius vniuerſi, (e) gloriam Dei perpetuo deprædicandam. Eidem viæ inſiſtit apoſtolus in concione Lyſtrenſi, Act. XIV, 17. *Deus non ſine teſtimoniis ſeipſum reliquit,*

*morales,* at *finitas* tamen, vtpote quæ ad *naturam ſpirituum intelligentium*, ſed & creatorum ac *finitorum*, neceſſario requiruntur, in Deo, vno omnium perfectiſſimo Spiritu, vno Creatore atque infinito, ſummas omnino infinitasque ineſſe, recte concludimus.

Digitized by Google

*liquit, benefaciens, cœlitus nobis pluuias dans, & tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda noſtra.* Inculcat apoſtolus α) catholicum diuinitatis teſtimonium; quia etiam gentibus, deſtitutis teſtimonio verbi reuelati, Deus ſe non reliquit ἀμάρτυρον, nullo teſtimonio declaratum: β) Teſtificationis modum, quod Deus bonitatem ſuam collatis in omnes gentes beneficiis teſtatam reddiderit, pluuias de cœlo mittendo, & tempora frugifera largiendo in ſuſtentationem & recreationem hominis. Quam ob rem, vt fructus de nobilitate arboris teſtantur; ita beneficia Dei ſunt luculentiſſima teſtimonia, e quorum cognitione aſſurgimus ad notitiam bonitatis diuinæ exuberantiſſimæ.

*Viam eminentiæ* indigitat hieropſaltes, Pſ. XCIV, 9. *Qui plantat aurem, nonne audiet? Si* (eſt) *formans oculum, num non ſpectabit?* Concludit vir Dei: Deus plantauit in homine aurem ad audiendum, & formauit in eo oculum ad videndum. Ergo ipſe etiam audit & videt. Ratio conſequentiæ alia dari nequit, quam quod perfectiones effectuum, ſi non formaliter, tamen eminenter, & per aliquid perfectius in cauſſa præexiſtere oporteat. Imitaturi pſalmorum auctorem concludimus: Deus homini dedit intellectum, donauit ſapientiam, indulſit libertatem arbitrii, contulit vim agendi. Ergo Deus modo perfectiſſimo intelligit, ſapit, liberrime potentiſſimeque agit.

*Viam negationis cum via cauſſalitatis & eminentiæ* coniungit S. Paullus in concione Areopagitica, Act. XVII, 22. 23. 24. 25. Conſtitutus in medio Areopago apoſtolus dixit: *Viri Athenienſes! per omnia ſuperſtitioſiores vos video. Tranſiens enim & circumſpiciens cultus veſtros, inueni etiam altare, in quo inſcriptum eſt:* Ignoto Deo. *Quem ergo ignorantes colitis; eum ego annuntio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in illo, hic cum cœli & terræ dominus ſit, non in manu factis templis habitat; neque a manibus hominum colitur, quaſi vllius rei indigeat: quia ipſe dat omnibus vitam, & ſpiritum & omnia.* Apoſtolus Areopagitas, qui θεῷ ἀγνώςῳ, Deo ignoto, altare exſtruxerant, eundemque in templo manu facto colebant, ad veri Dei notitiam perducturus, eosdem conuincit, ab effectu ad cauſſam, a fabrica mundi ad eius dominum concludendo, & oſtendendo, auctorem vitæ viuere beatiſſime, & datorem omnium bonorum nullius boni defectu laborare, perinde ac ſi dixiſſet: Colendus eſt vobis, o Athenienſes nimis quam ſuperſtitioſi, verus & viuus Deus. Verus Deus eſt, qui fabricando cœlum & terram, ſe optimum, potentiſſimum, atque ſapientiſſimum dominum huius vniuerſi eſſe, abunde teſtatus eſt. Viuus eſt, qui, omnibus animantibus vitam, halitum, omniaque vitæ ſubſidia concedendo, ſe vitam ſane quam beatiſſimam omnisque defectus expertem agere, non obſcure oſtendit. At dominus huius vniuerſi nullo loco circumſcriptus, nullo templo neceſſario alligatus eſt, cum ſit immenſus, infinitus & incomprehenſibilis. Et auctor vitæ omniumque bonorum, nullius miniſterii, quod ipſi ſit vſui, eſt indigus, cum ipſe ſuis pollens opibus ſit αὐταρκέςατος.

*Antitheſis* eſt 1) *Scholaſticorum* quorundam, negantium hanc propoſitionem: Deus eſt, per ſe nobis eſſe notam. 2) *Socinianorum*, quorum nonnulli notitiam Dei *naturalem* tam *acquiſitam*, quam *inſitam*, nonnulli *tantum inſitam* notitiam Dei, infitiantur. 3) *Carteſianorum* ſtatuentium, ideam Dei, exſiſtentiam ipſius repræſentantem, nobis ingenitam eſſe. Qui ſequentibus innituntur argumentis.

I. Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Ergo non datur notitia Dei naturalis inſita. Ratio conſequentiæ eſt, quia Deus, qui ſpiritus puriſſimus eſt, ſub nullum cadit ſenſum. Reſp. Πολυθρύλλητον illud non eſſe vniuerſale. Nam in intellectu Adami integri erat habitus ſapientiæ concreatæ, non ex ſenſuali obſeruatione hauſtæ. Poſt lapſum remanſerunt reliquiæ imaginis diuinæ, quæ non pendent a ſenſibus. Quamobrem axioma illud intelligendum eſt *de ſpeciebus intelligibilibus incomplexis*, quæ poſt lapſum intellectui natura impreſſæ

Digitized by Google

preſſæ non ſunt, ſed habentur beneficio abſtractionis, non autem *de habitibus concreatis & connatis*, qui ante abſtractionem intellectui inſunt. Proinde ante ſenſualem perceptionem nihil eſt in intellectu, quoad idealem rerum repræſentationem; eſt tamen aliquid in intellectu, quoad notitiam habitualem.

Inſtantia I. Hæc ſententia videtur ſeipſam euertere. Nam nullus habitus, nulla habitualis notitia datur, ante ſpecies rerum impreſſas, cum, experientia teſte, habitum conſtituunt ſpecies rerum firmiter intellectui impreſſæ, & bene coordinatæ, atque diſpoſitæ. v. gr. Phyſicus rerum naturalium ſpecies interuentu ſenſuum ab obiectis transmiſit ad intellectum ſuum, eique firmiter impreſſit, atque adeo habitualem rerum naturalium notitiam ſibi comparauit. Reſp. Vox *habitus* ſumitur vel *ſpecialiter*, & in rigore philoſophico, pro qualitate potentiæ naturali firma impreſſione ſuperaddita, ad actus promtitudinem; ad hunc habitum ſtricte dictum ſpecies requiri impreſſas, non diffitemur: vel ſumitur *analogice*, *pro perfectione quadam potentiæ hominis cognoſcitiuæ ſuperaddita, per modum habitus profunde intellectui inhærente: eundemque ad veritatem agnoſcendam inclinante.* Non datur quidem poſt lapſum in intellectu humano ſpecies vel idea congenita eſſentiam Dei repræſentans: datur tamen in eodem lux quædam connata, qua veritas communium de Deo notionum citra diſcurſum perſpicitur: datur inſita humano intellectui procliuitas, qua ad aſſenſum, euidentibus de Deo propoſitionibus promte præbendum, inclinatur. Adſtipulatur nobis D. CALOVIVS *tom. II. ſyſtem. theol. p. 80.* ita ſcribens: *Naturalis Dei notitia non proprie habitualis, aut habitus dicitur,* ſed κατ' ἀναλογίαν, *adeoque imperfectus habitus, vel diſpoſitio* agnoſcitur, quæ via eſt ad habitum. Quanquam ergo non inſit homini notitia de Deo ante rationis vſum & exercitium, quantum ad ſpeciem expreſſam & ideam aliquam mente conceptam; non tamen negandum arbitramur, in homine dari ſiue diſpoſitionem aliquam ſiue quoddam analogum habitui, aliquam nempe τελείωσιν potentiæ intellectualis in homine, poſt lapſum reliquam, cuius beneficio homo Deum quadantenus cognoſcere poſſit ſine magiſtro.

Inſtantia II. Communiſſimarum de Deo propoſitionum veritatem homo natura non intelligit prius, quam ipſi termini earum explicentur. Ergo communiſſimæ de Deo propoſitiones homini natura non ſunt notæ. Ratio conſequentiæ eſt, quia cognitio propoſitionum pendet a cognitione terminorum. His ignoratis ipſæ propoſitiones ignorantur. Antecedens liquet, quoniam harum propoſitionum: *Deus eſt;* Deus eſt *optimus*, *maximus*, Deus *eſt creator mundi*, termini natura non ſunt noti. Reſp. Si termini communium de Deo notionum natura homini noti eſſent, citra vllum diſcurſum, aut aliorum informationem, notitia Dei inſita eſſet *actualis*, non *habitualis*. Hæc enim nihil aliud infert, quam perfectionem, lucem & procliuitatem quandam, intellectui humano ingenitam, qua intellectus adiutus veritatem euidentium de Deo propoſitionum, ſimulatque termini earum explicati & apprehenſi ſunt, cernit, easque prono aſſenſu approbat.

II. Diuinitatis opinio eſt ex fide. Hebr. XI, 6. E. non eſt naturalis. Reſp. Hæc non ſunt oppoſita. *Deus ex natura ſcitur: ex ſcriptura ſacra ſalutariter creditur:* ſicut diſcrimen iuſti & iniuſti tam ex natura, quam ex ſcriptura conſtat.

III. *Mundus Deum in ſapientia ſua non cognouit. 1 Cor. I, 21.* Reſp. Mundus Deum non cognouit *notitia ſpeciali & ſalutari*, cognouit tamen eundem *notitia generali & pædagogica.*

IV. *Animalis homo non ſuſcipit ea, quæ* (ſunt) *Spiritus Dei: ſtultitia enim illi ſunt; & non poteſt ſcire, quia ſpiritualiter diiudicantur, 1 Cor. II, 14.* Reſp. Loquitur apoſtolus de myſteriis fidei captum rationis ſibi relictæ tranſcendentibus, & ſupernaturali Dei reuelatione ad ſalutem noſtram nobis manifeſtatis; quæ tantum e lumine ſcripturæ nobis innoteſcere ingenue fatemur.



Digitized by Google

V. Gentiles ſeruierunt iis, qui natura non ſunt Dii. Gal. IV, 8. Ergo verum Deum non cognouerunt. Reſp. Diſt. inter *cognitionem ſimplicem*, qua homo gentilis *Deum* cognoſcit: *& inter cognitionem applicatam ad certum obiectum*, ſiue *verum* Deum. Omnes gentiles formarunt ſibi hunc conceptum de Deo, quod ſit ens primum & excellentiſſimum, a quo omnia creata conſeruantur & gubernantur; ſed illum conceptum non rite applicarunt. Hanc propoſitionem maiorem ductu luminis naturæ cognouerunt: Verus Deus eſt religioſe colendus. Sed male formarunt propoſitionem minorem: cœlum, ſol, Iupiter &c. eſt verus Deus, Ergo Cœlum, ſol, Iupiter &c. eſt religioſe colendus.

VI. Quicunque dicunt in corde ſuo: non eſt Deus; in illis non eſt notitia Dei naturalis. Atqui impii &c. Pſ. XIV, 1. Ergo. Reſp. 1) Loquitur hieropſaltes de malitioſi cordis affectu. Optat impius, vult & deſiderat, ne ſit Deus, qui facta nefanda videat & vindicet. Diſtinguendum itaque eſt inter *ſimplicem Dei ignorationem & malitioſam eius abnegationem*. Vtut enim ſint, qui concitati malitioſi cordis affectu Deum eſſe negent, non tamen penitus ignorant, eſſe Deum. Abnegauit Petrus Chriſtum, quem non ignorauit. 2) Loquitur de illis, qui *prouidentiam* Dei magis, quam ipſius *exiſtentiam* negant. Ita enim ſe gerunt in vita & moribus homines impii, perinde ac ſi morum inſpector Deus nullibi eſſet. Tit. I, 10.

VII. Si notitia Dei naturalis homini viatori eſſet inſita, non darentur athei. Sed dantur athei, teſte Paullo Eph. II, 12. Conſequentia maioris patet; quia quidquid naturaliter inſitum eſt, neceſſario & immutabiliter inhæret. Reſp. 1) Homines dicuntur athei vel *abſolute & ſimpliciter ob defectum generalis notitiæ Dei*; vel *comparate & ſecundum quid, ob defectum notitiæ Dei ſpecialis & ſaluificæ*. Gentiles ante prædicationem euangelii fuerunt athei comparate & ſecundum quid, ideo quod Deum in Chriſto ſalutariter non cognouerunt. Fuit tamen in illis notitia Dei generalis, quæ ex intentione diuina ipſis debebat eſſe manuductio ad vlteriorem inquiſitionem & cognitionem Dei, quæ habetur in eccleſia. 2) Quidam athei non ſpeculatiue, ſed practice tales ſunt, qui factis ſuis Deum abnegant.

VIII. Experientia teſtatur, non ſolum fuiſſe, qui exiſtentiam Dei abnegauerint, ſed & qui argumentis illam impugnauerint; quorum agmen ducit *Iulius Cæſar Vaninus*, atheorum Cæſar, cum XII. diſcipulis, per Galliam atheiſmum ſpargentibus, natione Italus, Toloſæ combuſtus. Ergo dantur athei non tantum *practice*, ſed & *ſpeculatiue* tales. Reſp. *Poſſunt dari athei ſpeculatiue tales non per naturam, ſed per iuſtam Dei deſertionem & diaboli excæcationem; non per totalem eradicationem luminis naturæ, quoad habitum, ſed per ſuffocationem, quoad actum & exercitium: non per totum vitæ ſpatium & permanenter, ſed tantum per quendam paroxyſmum tranſeuntem, ad aliquod tempus.* Neque enim lex naturæ patitur, vt rata & firma ſententia alicui inhæreat, non eſſe Deum. Quanquam enim mens hominis impii lethargo quaſi ſopiatur, vt de Deo non cogitet: nullus tamen poteſt dari, in quo tandem conſcientia ſe non vindicet & vel ipſa morte neglecti Dei ipſum accuſet. Conf. HÜLSEM. *breuiar. enucl. cap. II, p. 87.* (*)

IX. Si

(*) Notatione in primis dignum eſt hoc verbum, *νοούμενα*, Rom. I, 20. E. fieri poteſt, vt homo ſit ἄθεος, ſi is quidem oculis res creatas intueatur, *mentem* vero non adhibeat ad rerum naturam, copulationem, ordinem, curſumque, vt conſideratione contemplationeque cauſam omnium primam ex effectibus cognoſcat. Adnotandum eſt etiam, quid interſit inter *ignorationem* Dei, & *negationem*. Duo ſunt Atheorum genera, quorum in vno ſunt, Deum ignorantes, in altero, eum negantes. *Ignorantia* oritur ex defectu contemplationis, attento animo inſtituendæ. *Negatio* proficiſcitur a repugnantia aduerſus apertam veritatem, cum voluntas eo eſt obſtinatior, quo maior vitioſitas eſt animi, voluptatibus dediti; ſecundum hoc axioma philoſophiæ moralis: *Quod & quale quis optat eſſe, id ac tale putat eſſe.* Impius homo vehemen-

Digitized by Google

IX. Si notitia Dei hominibus eſſet inſita, vtique apud omnes homines eadem inueniretur. At multi reperiuntur homines, qui nullum penitus ſenſum diuinitatis habent, vt in nouo orbe, Braſilia &c. Reſp. 1) Haud a vero aberrat CRELLIVS *L. I. de Deo c. V. p. 47* inquiens: *Licet reperti ſint populi, in quorum aliquibus nulla propemodum videatur exſtitiſſe de diuinitate opinio; tamen longe plures fuerunt reperti, in quibus diuinitatis opinio exſtitit, licet alias barbari eſſent, & ab humanitatis cultu alieni. Deinde teſtantur hiſtoriæ, eas nihilo minus gentes, in quibus diuinitatis opinio videatur exſtitiſſe nulla, dæmonem habere aliquem, quem metuant, & ne noceat, reuereantur.* Id quod nobis hic plusquam ſatis eſt. Eſt enim & hoc diuinitatis ac religionis, quanquam in contrarium detortum veſtigium. Vidit id dudum M. T. CICERO *lib. I. de legib.* præclare ſcribens: *Nulla gens eſt neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum putet.* Apud Indos & Braſilianos haud obſcura cernuntur veſtigia agniti Numinis. Animæ enim immortalitatem admittunt, ad tonitrua, quæ tubam vocant, pallent, ſacerdotes habent, & conuentus annuos celebrant. Quidam cacodæmoni, quidam ſoli & lunæ ſacrificant, docente *Lerio de navig. Braſil. c. XVI.* Probe autem hic diſtinguendum eſt *inter notitiam Dei naturalem, & eius applicationem ad debitum obiectum.* Grauiter quidem errant barbari, deferentes cultum diuinum ſoli, lunæ, dæmonibus: eo ipſo tamen produnt inſitum naturæ inſtinctum & propenſionem ad colendum Deum.

X. *Carteſiani* argumentantur: Si nulla idea aut imago eſſentiam Dei repræſentans intellectui humano eſſet ingenita, Deus ab homine nullo modo ex lumine naturæ cognoſci poſſet. Sed cognoſcitur Deus ab homine ex lumine naturæ. Ergo idea aut imago eſſentiam Dei repræſentans homini eſt ingenita. Conſequentia maioris probatur, quia Deus eſt Spiritus infinitus, omnis materiæ expers, qui ex intuitu & contemplatione creaturarum cognoſci nequit. Nam finiti ad infinitum, & ſpiritus ad corpus ſenſibile, nulla datur proportio, nulla conuenientia. Quando autem vnum ex altero cognoſcendum eſt, inter vtrumque conuenientia quædam intercedat, neceſſe eſt. Reſp. 1) Poſt concreatæ hominibus protoplaſtis ſapientiæ iacturam non dantur in intellectu humano ideæ, imagines aut ſpecies intelligibiles ſimplices, cognoſcendarum rerum eſſentiam repræſentantes, congenitæ, ſed ſpecies rerum impreſſæ transmittuntur ab obiectis per ſenſus & phantaſma ad intellectum. Quo collineat tritum illud: Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Quare idea eſſentiam Dei repræſentans, intellectui humano congenita, ſuaue eſt Carteſianorum ſomnium. 2) Quamuis Deus, in ſe & eſſentia ſua conſideratus, ſit ſpiritus infinitus, omnis materiæ ſenſibus obuiæ expers, effectus tamen Dei ſenſibus expoſiti ſunt. Quocirca intellectus noſter per ſpecies effectuum ſenſibilium, a Deo productorum, interuentu ſenſuum & phantaſmatum ad ſe transmiſſas, determinatur ad actus cognoſcendi eliciendos, qui Deum eiusque perfectiones quadantenus repræſentant, mediante diſcurſu & per conſequentiam, nixam hoc principio, natura notiſſimo: Effectus teſtatur de cauſa, eiusque perfectione. 3) Finiti ad infinitum non datur proportio ratione mathematicæ commenſurationis, datur tamen qualiscunque conuenientia inter creatorem & creaturam, qualis eſt inter *cauſſam* & *effectum*, inter *ſignatum & ſignum.* Nam effectus a Deo producti ſunt ſigna & quaſi veſtigia, bonitatem, potentiam & ſapientiam Dei repræſentantia.



mentiſſime exoptat nullum eſſe Deum, vitiorum inueſtigatorem atque vltorem: proinde & facillime ſibi perſuadet, nullum eſſe. Id quod eſt, *corde dicere*, Pſ. XIV, 1. *Cordis* enim nomine ſcriptura non cogitationes ſolum, ſed & vel maxime voluptates ac deſideria nuncupat, atque ea etiam in hoc ipſo loco ſignificari, ex integra verborum ſerie adparet.

Digitized by Google

Quæſt. VI. *Eſtne notitia Dei naturalis vera?*

*Veritas theologiæ naturalis.*

Notitia Dei naturalis in ſe ſpectata eſt vera (a), tam quoad principia (b), quam quoad concluſiones, quæ e principiis per manifeſtam conſequentiam deducuntur (c).

Prob. a. Paullus diſerte teſtatur Rom. I, 18. quod omnes homines extra Chriſtum conſiderati, e quorum cenſu etiam ſunt gentiles, *veritatem iniuſtitia detineant.* Reddit apoſtolus cauſſam, cur ira Dei ſuper hominum quorumuis impietatem & iniuſtitiam reueletur, quia omnibus nota eſt veritas, ſi non e ſcripturæ, certe naturæ libro, quam vero in iniuſtitia detinent. Detinent, quaſi captiuam, veram de Deo notitiam, ne vim ſuam exſerat. Detinent veritatem in iniuſtitia; quia ius Dei requirit, vt recte vſurpentur innatæ de Deo notitiæ. Ideo enim a Deo ſunt inditæ, vt Deum quærere non negligamus, neque in impietate aut iniuſtitia permaneamus. Act. XVII, 27.

Prob. b. Principia veriſſima & certiſſima ſunt: Deus eſt, Deus eſt vnus, verus, bonus, ſapientiſſimus, potentiſſimus. Deus eſt creator, conſeruator & gubernator huius vniuerſi.

Prob. c. Concluſiones practicæ e communibus de Deo notionibus vltro fluunt per diſcurſum. v. gr. Deus eſt bonus, & omnis boni auctor: Ergo Deus maxime amandus eſt. Deus eſt ſapientiſſimus: Ergo eſt venerandus. Eſt iuſtiſſimus: Ergo timendus. Eſt optimus & potentiſſimus: Ergo fiducia in eo eſt collocanda, eiusque auxilium in omnibus caſibus aſperis eſt implorandum.

*Antitheſis* fuit olim *Matthiæ Flacii*, *Danielis Hofmanni* & aliorum, ex quorum ſententia notitia Dei naturalis eſt fallax & multorum plena errorum, quorum potiora ſunt argumenta:

I. Quacunque notitia non agnoſcitur verus Deus, illa eſt falſa. Sed notitia naturali non cognoſcitur verus Deus. Ergo notitia Dei naturalis eſt falſa. Maior conſtat; quia vera cognitio obiecto cognoſcendo conformetur, par eſt. Minor patet, quia verus Deus eſt vnus in eſſentia, & trinus in perſonis, quem nemo e principiis naturæ cognoſcit. Reſp. Quacunque notitia neque verus Deus, neque aliquid de vero Deo cognoſcitur, illa eſt falſa; concedo. At notitia Dei naturali licet non diſtincte cognoſcatur verus Deus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, aliquid tamen de vero Deo, nempe eius exiſtentia, bonitas, ſapientia, iuſtitia &c. apprehenditur, quæ cognitio licet ſit inadæquata & confuſa, non tamen eſt falſa.

Inſtantia: Iudæi & Mahometani ideo dicuntur non agnoſcere & inuocare verum Deum, quia non agnoſcunt & inuocant Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. Reſp. Iudæi & Mahometani non tantum ignorant, ſed & negant S. S. Trinitatem; neque tantum concipiunt Deum ſub eſſe confuſo vt omnipotentem & ſapientem, verum etiam poſitiue addunt conceptum contrarium, reſtringentem eſſentiam Dei confuſe conceptam ad vnam perſonam, atque adeo idolum, ſiue figmentum cordis ſui adorant.

II. Quia omnes homines natura ſunt ſtulti, Deum negant. Pſ. XIV, 1. Rom. III, 10. E. naturalis eorum notitia de Deo eſt errorum plena. Reſp. Notitia Dei naturalis ſpectata in ſe eſt vera, cui imperfectio & procliuitas ad errores per accidens adhæreſcit, neque eius veritatem tollit; quippe quam etiam gentiles in iniuſtitia detinent, Rom. I, 18.

Quæſt. VII. *Eſtne θεογνωσία naturalis vtilis?*

*Vtilitas theol. naturalis.*

Θεογνωσία naturalis *triplicem* pollicetur vtilitatem, nempe *pædagogicam*, quatenus inducit hominem ad quærendum cœtum illum, in quo verus Deus Iſraelis ſe

ſe

Digitized by Google

ſe manifeſtauit (a): *didacticam*, quia ad notitiam Dei reuelatam illuſtrandam haud parum facit, ſi ſobrie adhibeatur (b); *pædeuticam*, ad dirigendos mores & externam diſciplinam in eccleſia, & extra eandem (c).

Prob. a. Paullus in concione Areopagitica Act. XVII, 24. monet gentiles, *vt quærant dominum, ſi omnino palpent & inueniant.* Sicut *palpatio* eſt cognitio obſcura (palpare ſolent manibus cœci, conf. Ieſ. LIX, 10.): ita *inuentio* eſt cognitio plena, & pro conditione viatorum perfecta, quæ non niſi ex ſupernaturali lumine habetur. Quærant ergo gentiles Deum, vt non tantum palpent, aut ex operibus in ſenſus incurrentibus Deum confuſe cognoſcant, ſed in ſupernaturali reuelatione, quam gratia diuina nemini denegat, plene inueniant.

Prob. b. Quidquid theologia naturalis de attributis diuinis, infinitate, independentia, æternitate, ſimplicitate &c. docet, in theologia reuelata non reiicitur, ſed ſobrie adhibetur, vt rationi iudicium minime deferatur.

Prob. c. Facit notitia Dei naturalis ad celebrationem Dei, teſte Dauide, Pſ. XIX, 1. ac Paullo, Rom. I, 21. Lex naturæ præſcribit quædam de cultu Dei & amore proximi, Rom. II, 15.

Quæſt. VIII. *Eſtne notitia Dei naturalis adeo perfecta, vt ad obtinendam æternam ſalutem ſufficiat?*

Non aſſequitur notitia Dei naturalis eum perfectionis apicem, vt homini viatori ad obtinendam ſalutem æternam ſufficiat, ſed manca, mutila & ad ſalutem nulla eſt. *Imperfectio theol. natural.*

Prob. I. Notitia Dei naturali non apprehenditur Chriſtus, extra quem non eſt ſalus. Act. IV, 12.

II. Non natura, ſed ſcriptura S. eſt principium fidei ſaluificæ, Rom. X, 14. At, qui non credit, damnatur. Marc. XVI, 16.

III. Per legem Moſis nemini æterna ſalus obtingit, Gal. III, 11. Ergo multo minus per legem naturæ, quæ lege Moſaica eſt longe inferior & infirmior.

IV. Gentiles, ſuppoſita etiam notitia Dei naturali, dicuntur alienati a vita, quæ eſt in Deo, Eph. IV, 18., Deum non cognoſcere (ſalutariter), Gal. IV, 8. immo abſque Deo eſſe. Eph. II, 12.

*Antitheſis* eſt *Puccii, Zwinglii, Herberti, Curcellæi, Pelagii, & quorundam ſcholaſticorum,* opinantium, naturalem Dei notitiam ad ſalutem eſſe ſufficientem. *Eduardus Herbert de Cherbury,* Baro Anglus, putat ea, quæ hominibus ad ſalutem ſunt neceſſaria, quinque articulis e communi prouidentia Dei petitis contineri. Nempe credendum eſt *I. Eſſe aliquod ſupremum Numen. II. Supremum illud Numen eſſe colendum. III. Virtutem, cum pietate coniunctam, præcipuam eſſe partem cultus diuini. IV. Reſipiſcendum eſſe a peccatis. V. Dari præmium & pœnam, tum in hac vita, tum poſt hanc vitam.*

Reſp. Etſi ductu luminis naturæ cognoſci poſſit, eſſe aliquod Numen, quod maxime colendum ſit, modus tamen colendi e principiis naturæ non innoteſcit in hoc ſtatu peccati, quo Deum ſæpe offendimus. Niſi itaque præſtita ſit ſatisfactio pro peccatis, qua Deus iratus reconcilietur, neque fiduciam in Deo collocare, neque eundem ſincere amare, neque opera ipſi probata præſtare poſſumus. Neque expiantur peccata pœnitentia, quia hæc concernit quidem peccantem, qui commiſſa peccata deteſtatur & quaſi retractat; ſed eadem non ſatisfit Deo, ſummo iudici offenſo. Ne in foro quidem ciuili reus per ſolum dolorem, quo



Digitized by Google

vellet, peccata nunquam eſſe perpetrata, magiſtratui, cuius legem violauit, ſatisfacit. Quum itaque θεογνωσία naturalis non doceat modum, quo Deo irato ſatisfieri queat, eius doctrina inſufficiens, & ad ſalutem nulla eſt. Adiice, quod duce natura non conſtet homini pietas fuci pura; quippe quæ auctorem habet Spiritum S. corda inhabitantem, proficiſcitur ex fide in ſatisfactorem Chriſtum, atque dirigenda eſt in gloriam veri Dei.

Dicis: Tanta eſt bonitas Dei, vt pœnitentiam adſpectet, ſine interuentu ſatisfactionis, quæ bonitas Dei ex lumine naturæ innoteſcit. Reſp. Licet Deus ſit maxime bonus, eſt tamen etiam ſumme iuſtus, & peccatorum ſanctiſſimæ legi ſuæ aduerſantium vindex grauiſſimus, idque ex vi immutabilis ſuæ iuſtitiæ. Quam ob rem niſi læſæ iuſtitiæ diuinæ fiat ſatis, bonitas Dei, quæ iuſtitiam diuinam non tollit, e lumine naturæ ita cognoſci non poteſt, vt ab ea expectari queat remiſſio peccatorum & ſalus æterna.

Quæſt. IX. *Daturne in anima humana aliquod lumen internum, vniuerſale, ſubſtantiale, & ſalutiferum, omnes res ad ſalutem neceſſarias immediate & obiectiue reuelans, vt omnis homo, ſe ad illud conuertens, eodem illuminari & ſaluari queat?*

*Ceſſantibus* poſt completum ſcripturæ ſanctæ canonem *reuelationibus immediatis* (a), non datur in anima humana *lumen internum vniuerſale* (b), *ſubſtantiale* (c), & *ſalutiferum* (d), *omnes res ad ſalutem neceſſarias immediate & obiectiue reuelans* (e), vt *omnis homo per illud illuminari & ſaluari queat* (f). Fruſtra itaque fictitium illud lumen variis titulis honorariis inſignitur (g).

*Antitheſis* eſt 1) *Philoſophorum Platonicorum*, ſtatuentium, animabus hominum primum creatis infuſum eſſe aliquod lumen, quo illuſtratæ Deum & res diuinas cognoſcere potuerint. Perſpicue illud docet MARSILIVS FICINVS, *Platonicus* in *comm. in conuiu. Platon. orat. 4. c. 2. Homines i. e. hominum animæ quondam, i. e. quando a Deo creantur, integræ ſunt, duobus ſunt ornatæ luminibus, ingenito & infuſo: vt ingenito æqualia & inferiora, infuſo ſuperiora conſpicerent. Deo æquare ſe voluerunt, ad vnicum lumen ingenitum ſe reflexerunt. Hic diviſæ ſunt. Splendorem infuſum amiſerunt, quando ad ſolum ingenitum ſunt conuerſæ, ſtatimque in corpora cecidere.* Ceterum addunt Platonici, lumen illud hactenus eſſe amiſſum, vt quidem offuſcatum, non autem penitus extinctum ſit; ſiquidem eius detur *reminiſcentia*, modo mens purgata, ſiue abſtracta a ſenſibus & affectibus, ſe conuertat in intimum ſuum centrum, & collectis in ſe viribus ſurſum feratur, cœleſtia diuinaque petat, & ad ipſum principium ſuum reuerti ſtudeat. Tria ergo requiruntur ad recipiendum lumen, κάθαρσις, ἐπιστροφὴ εἰς ἑαυτὸν, καὶ ἄνοδος, de quibus vid. SCHEFF. in *phil. Ital. c. IX. p. 75. ſeqq.* & confer. MARSIL. FICIN. *Comm. in conuiu. Platonis*, inquientem: *Ad ea vero, quæ ſupra naturam ſunt, ſublimiore lumine opus eſſe putantes, exactiſſima quadam animæ purgatione ita ſe præparant, vt diuina lux iterum illis effulgeat.* 2) *Myſticorum*, veſtigiis Platonicorum inſiſtentium. Auſcultemus WEIGELIVM *part. II. poſtillæ p. 61.* ita diſſerentem: Das iſt gewiß, wir müſſen von dem heiligen Geiſt, von der Salbung in uns (ita vocat lumen internum) gelehret werden, ſonſt iſt alles umſonſt, was man auswendig lehrt, und ſchreibet: wir müſſen alle von GOtt gelehrt werden: von innen muß heraus quellen die Erkenntniß in den Gegenwurf, und nicht vom Buch hinein getragen werden; denn daſſelbige hält nicht den Stich: wir ſehen wohl, was ſelbe ausrichten in der Theologia, die da leugnen die innere Gezeugniſſe des heiligen Geiſtes in einem jedweden. Wir ſind alle begabet mit dieſem Geiſt, mit dieſer Salbung, allein daß wir einkehren, und von ihm lernen: ſo werden wir mit dem David gelehrter, denn alle unſere Lehrer: wer ihm viel zuhören kann, der kann auch viel erfahren. In einer

Stunde

Digitized by Google

Stunde promoviret dieſer Geiſt einen Bauren zu einem Doctor. Huic dictamini Spiritus S. immediate in corde loquentis, quod etiam *lumen internum* vocant, *Quackeri* totam ſuam matæologiam ſuperſtruxerunt. Aſſerunt enim, Deum ſe & voluntatem ſuam reuelare per lumen aliquod internum, quod ſit vehiculum Dei, eiusque cœleſte ac inuiſibile organum. De quo ſcribit BARCLAIVS in *apol. th. 6. p. 86. Illud lumen eſt Dei vehiculum, in quo Deus & Chriſtus ſemper habitant, & a quo ſeparari nequeunt, & quod prout locum in corde obtinet, cumque eo coniungitur, Chriſtus formatur & oritur.*

## Ε Κ Θ Ε Σ Ι Σ.

Obſ. I. Accurate hic diſtinguendum eſt *inter lumen naturale, & ſupernaturale.* Non imus infitias, dari in anima hominis lumen internum *naturale,* quo eſſentia, attributa & actiones Dei quadantenus cognoſcuntur, de quo agit gentium apoſtolus Rom. II, 14. At iſtud lumen naturæ eſt mancum, mutilum, & ad ſalutem nullum, cum notitia Dei naturali non apprehendatur Chriſtus, extra quem non eſt ſalus, Act. IV, 12. At Quackeri opinantur, præter lumen naturale dari etiam in omni homine lumen aliquod *ſupernaturale,* de quo ROBERTVS BARCLAIVS diſſerit *apol. ad theſ. 5. & 6. n. 16. p. 88. Sicut Deus duo magna luminaria creauit ad externum orbem gubernandum, ſolem & lunam, maius lumen ad diem, minus ad noctem regendam: ita hominibus dedit lumen filii ſui ſpirituale & diuinum lumen ad gubernandum in rebus ſpiritualibus: & lumen rationis ad gubernandum illum in rebus naturalibus.*

Obſ. II. Docent eccleſiæ noſtræ, dari in hominibus renatis *lumen fidei,* mediante *verbo diuino* in *litteras* redacto accenſum, ex Matth. V, 16. Act. XXVI, 18. At Quackeri cenſent, non tantum in renatis, ſed & irregenitis exſiſtere lumen ſpirituale, a Spiritu S. omnibus hominibus *immediate* infuſum, quamuis in vno homine clarius, in altero minus clare luceat. *Deus vnicuique dedit menſuram aliquam ſalutiferi, ſufficientis, & ſupernaturalis luminis,* ait BARCLAIVS *l. c. p. 97.* Lumen fidei eſt accidens; at Quackeri credunt, *lumen internum eſſe realem & ſpiritualem ſubſtantiam, quam anima hominis ſentire & apprehendere poteſt,* iudice BARCLAIO *l. c. p. 84.*

Obſ. III. Non heic ſermo eſt de *reuelatione generali, ſeu manifeſtatione naturali,* qua Deus ſe patefecit tum per lumen naturæ inſitum, tum per effecta in regno naturæ conſpicua. Vid. Rom. I, 19. c. II, 14. 15. Sed loquimur de *reuelatione ſpeciali & ſupernaturali,* quæ eſt *vel mediata, vel immediata.* Hæc eſt, qua Deus abſque verbo externo ſcripto aut prædicato ſe patefecit: illa eſt, qua Deus ſe, & voluntatem ſuam declarat per verbum externum ſcriptum, aut prædicatum. Lumen *internum* dicitur *immediate* reuelans, vel immediate docens.

Obſ. IV. Lumen internum dicitur *obiectiue reuelare,* in oppoſitione ad *illuminationem ſubiectiuam.* Ita enim BARCLAIVS in *apol. p. 22.* ſcribit: *Spiritus ſanctus hodie non ſolum afflat, & ducit ex parte ſubiecti, illuminando intellectum ad credendam veritatem, in ſcriptura obiectiue declaratam, ſed etiam præſentando eam veritatem obiectiue, ſiue tanquam obiectum.* Vbi probe diſtinguendum eſt inter *obiectum fidei materiale, & formale.* Obiectum *materiale* eſt res, quæ creditur: Obiectum *formale* eſt cauſſa, aut ratio formalis credendi, ſiue eſt id, cui primo, & propter hoc aliis creditur, v. gr. Verus chriſtianus credit in Deum triunum, quatenus mediante verbo externo ſe reuelauit. Ex quo patet, vero chriſtiano obiectum fidei materiale eſſe Deum triunum, obiectum formale eſſe reuelationem mediatam. Quackerus autem credit in Deum, quatenus per lumen internum immediate, i. e. non concurrente S. ſcriptura, ſe reuelauit. Quackero itaque obiectum fidei materiale eſt Deus, obiectum

Digitized by Google

iectum formale eſt reuelatio immediata. Quam ob rem Quackerorum de ſententia lumen internum Deum immediate & obiectiue reuelat, quia ſine medio externo, ſine S. ſcriptura, Deum, tanquam obiectum fidei, manifeſtat, repræſentat, & mentibus hominum obiicit.

Obſ. V. Quackeri *lumen internum* variis titulis honorariis, vel vocibus æquipollentibus inſigniunt. Appellatur enim ab ipſis *Chriſtus in nobis*, *Chriſtus internus*, *Spiritus S. immediate* in corde loquens, vel *dictamen Spiritus* in *corde* loquentis, *ſemen regni*, *ſemen regenerationis*, *communio Spiritus*, *manifeſtatio Spiritus*, *lumen immediate docens*, *lux omnes homines illuminans*, *vnctio omnia docens*, *lumen conſcientiæ*, *myſterium magnum*, *lumen euangelii*, *agnus Dei*, *aura diuina*, *tinctura diuina*, &c. Statuunt, iſta nomina idem ſignificare, operationibus & manifeſtationibus tantum diſtingui.

## Β Ε Β Α Ι Ω Σ Ι Σ.

Prob. a. Poſtquam *ceſſauerunt reuelationes diuinæ immediatæ*, non datur in omnibus hominibus lumen internum, Deum, & res diuinas immediate reuelans, quo homini ſaluando opus ſit ad ſalutarem cognitionem, ſeu ad fidem ſaluificam. Atqui poſt completum ſcripturæ canonem ceſſarunt &c. Ergo. Maior liquet; quia ceſſante fine, (reuelatione immediata), ceſſat medium, quo is obtineri debeat (lumen internum immediate reuelans).

Minor prob. (1) ex oraculo apoſtolico, Hebr. I, 1. *Multis vicibus, multisque modis olim Deus locutus patribus in prophetis; vltimis hiſce diebus locutus eſt nobis in filio.* Ex hoc eloquio apoſtolico geminum nobis naſcitur argumentum: Prius eſt: Quicunque omnes reuelationum immediatarum modos (πολυτρόπως factos) ſua reuelatione clauſit & obſignauit, poſt eius tempora reuelationes immediatæ omnino deſierunt. At filius Dei vltimis his temporibus id præſtitit, vt textus habet. Ergo.

Poſterius eſt: Quicunque omnibus reuelationum vicibus & interuallis (πολυμερῶς factis) vltimum reuelationis immediatæ terminum adiecit, ille reuelationes immediatas finiuit, clauſit, & obſignauit. Atqui filius Dei, docente apoſtolo in citato textu, omnibus &c. Ergo.

(2) E diuino Chriſti mandato: quippe qui iamiam in cœlum ſubuecturus, & apoſtolos communes mundi doctores inſtructurus, dicebat, Matth. XXVIII, 20: *Docete eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Si darentur poſt completam ſcripturam reuelationes immediatæ, vtique has Saluator ante aſcenſionem in cœlum apoſtolis commendaſſet. At has non commendauit, ſed præcepit illis, ſic informare homines ſaluandos, vt ſeruarent omnia, quæ Chriſtus ipſis mandauit: quæ mandata Chriſti in litteras ſacras relata ſunt, Io. XX, 31. Quodſi Chriſtus dixiſſet: *docete homines ſeruare omnia, quæcunque intrinſecus immediate vobis reuelabuntur*: vtique apoſtoli hac docendi methodo vſi fuiſſent: conuertite vos, o homines, æternam ſalutem adepturi, in corda veſtra, eaque applicate ad lumen internum immediate docens. At vero hoc docendi methodo nunquam & nusquam vſi ſunt. Quam ob rem tempore præſenti non dantur reuelationes immediatæ, atque adeo lumen internum, immediate reuelans, fingitur quidem, ſed nulla ratione probatur.

(3) Ex oraculo prophetico Danielis, cap. IX, 24. *Obſignabitur viſio & prophetia, cum vngetur ſanctus ſanctorum.* Ex quo colligimus: Cuiuscunque officium erat, obſignare viſionem & prophetiam, omnia ad ſalutem cognitu neceſſaria reuelando, is reuelationes immediatas ad ſalutem noſtram pertinentes conſummauit & obſignauit. At Meſſiæ vltimis temporibus loquentis officium erat, &c. Ergo. Maior claret; quia viſio & prophetia eſt reuelatio immediata, quam qui implet, obſignare dicitur. Minor patet ex oraculo prophetico citato, cui adde teſtimonium mulieris Samaritanæ ex communi Iudæorum ſententia loquentis:

Digitized by Google

loquentis: Io. IV, 25. *Quando Meſſias venerit, nobis annuntiabit omnia.* Quod Chriſtus reapſe præſtitit. Nam *omnia*, inquit, *quæ audiui a patre meo*, *nota feci vobis.* Io. XV, 15.

(4) E teſtimonio Paullino, 1 Cor. IV, 6. μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, *diſcatis non ſupra id, quod ſcriptum eſt, ſapere.* Qui non debent de rebus diuinis ſapere ſupra id, quod ſcriptum eſt, illorum non eſt immediatas exſpectare reuelationes. Atqui homines æternam ſalutem adepturi &c. Ergo.

Dicis: Verba Paulli intelligenda ſunt de vitanda ambitione, vt ſenſus ſit: diſcatis, ne quis ſupra id, quod ſcriptum eſt, de ſe ſentiat ambitioſius. Reſp. (a) Verba Paulli indeterminate & generatim poſita ſunt, quibus monentur falſi doctores, ne ſapere præſumant ſupra ea, quæ Deus in ſcripturis reuelauit. (b) Falſi doctores, qui hodie iactant reuelationes immediatas, ſunt omnium ambitioſiſſimi.

(5) Si daretur hodienum immediata reuelatio, Chriſtus & apoſtoli, quin & prophetæ, ad obſeruandum, exſpectandum & recipiendum lumen internum, immediate reuelans nos ablegaſſent. At vero nunquam ad hoc nos ablegant, ſed frequenter nobis commendant lectionem & meditationem ſacræ ſcripturæ. Quam grauiter nos adhortatur Chriſtus, Io. V, 39. *Scrutamini ſcripturas, quia vos exiſtimatis, quod in iis vitam æternam habeatis. Atqui illæ teſtantur de me.* Quod ſi exſiſteret lumen internum cordibus noſtris infuſum, & immediate docens, haud dubie Chriſtus dixiſſet: *Scrutamini lumen in intimis veſtrorum cordium penetralibus exiſtens, quia exiſtimatis, quod in eo vitam æternam habeatis. Atqui illud teſtatur de me.* At hoc ſalutis noſtræ aſſertor nec loco citato, nec vllibi dixit. Quare lumen omnium hominum mentibus infuſum, & myſteria fidei immediate docens, eſt chimæra, ens rationis & figmentum cerebrinum.

Excipiunt Quackeri, quibus hoc oraculum Chriſti ſudes in oculis eſt: (1) Chriſtum non in imperatiuo loqui, quaſi ſcripturam iubeat ſcrutari, ſed in indicatiuo, reprehendendo Iudæos, quod ſcrutentur. (2) Opinionem Phariſæorum, quod vitam æternam in ſcriptura habeant, fuiſſe erroneam. Vnde Chriſtus dixerit: ὑμεῖς δοκεῖτε, vos putatis, opinionem hanc non approbando, ſed ſimpliciter referendo. (3) Scrutinium ſcripturæ Iudæos impediuiſſe, quo minus ad Chriſtum venerint. Reſp. ad (1): Tam indoles græcæ linguæ, quam contextus docet, imperatiuum omnino nunc obtinere: ceteroqui Chriſtus dixiſſet: ὑμεῖς ἐρευνᾶτε καὶ δοκεῖτε. Neque enim idiotiſmus græcæ linguæ patitur, vt cum duo verba indicatiui modi coniunguntur, poſteriori, non autem priori, pronomen ὑμεῖς præfigatur. Id obſeruarunt doctiſſimi interpretes, *Chryſoſtomus*, *Auguſtinus*, *Theophylactus*, *Euthymius*, *Lyranus*, *Carthuſianus*, *Maldonatus*, & alii, quibus ſuffragatur verſio Syriaca, quæ reddidit, בצו, ſcrutamini, inquirite. Deinde, quanquam non plane peruertatur ſenſus & vſus loci, ſi in indicatiuo legatur; ſine dubio tamen maior emphaſis eſt in imperatiuo. Inſuper non eſt credibile, quod vulgus Iudæorum, cum quo hic Chriſtus agit, tantam in legenda ſcriptura diligentiam adhibuerit, vt in vniuerſum de illis dici potuerit, ἐρευνᾶτε, perueſtigatis ſcripturas. Ipſi fere Phariſæi & ſcribæ, vt ex multis ſcripturæ locis patere poteſt, homines fuerunt ſupinæ negligentiæ in inueſtigandis, & non obiter legendis ſcripturis, nedum vulgus. Merebantur itaque Iudæi increpari potius, quod non legerent ſcripturam, quam quod nimium legerent. Et quomodo reprehenderentur ſcripturæ lectores, qui alibi ab hoc ſtudio commendantur. 2 Petr. I, 19. Ad (2): verbum δοκεῖτε non notat incertam & male fundatam opinionem, ſed certum & bene fundatum dogma: δοκεῖτε, h. e. tanquam dogma tenetis, pro dogmate diuino habetis, certa fide creditis. Sic Paullus, cum dicit: δοκῶ δὲ κἀγώ, exiſtimo etiam ego, quod ſpiritum Dei habeam, vtique non incertam dicit opinionem, ſed animi certitudinem, ſeu id, quod certa fide ſciebat & tenebat. Ad (3): Non ſcrutinium ſcripturarum, ſed vel

omiſſio, vel neglectus ſcrutinii debiti, i. e. diligentioris, accuratioris, & perſpicacioris, quo ſcripturæ ſcopus perſpiciendus erat, Iudæos impediuit, quo minus ad Chriſtum venirent, ſiue in ipſum crederent.

Ad externum S. ſcripturæ lumen nos ablegant apoſtoli, Petrus 2 Ep. c. I, 19. *Habemus firmius propheticum verbum: cui recte facitis, quod attenditis, tanquam lumini lucenti in loco tenebroſo.* Loquitur Petrus de verbo prophetico, quod ex afflatu Spiritus S. locuti ſunt ſancti Dei homines, v. 21. & quod in ſcriptura ad perpetuum vſum aſſeruatur, 2 Tim. II, 16, idque firmius eſſe reuelatione immediata dicit, non abſolute, ſed reſpectiue, reſpectu teſtimonii apoſtolici de voce patris cœlitus delata, & reſpectu lectorum, vel auditorum. Iam apoſtolus nos adhortatur ad attentam verbi prophetici meditationem. Nam προσέχειν ſignificat ſcripturam legere, & attente meditari. Quam meditationem verbi diuini, in litteras redacti, vrget etiam Paulus 1 Theſſ. V, 27. *Adiuro vos per dominum, legi epiſtolam omnibus ſanctis fratribus.* Confer 2 Tim. II, 14. 15.

Quin etiam prophetæ ad aſſiduam S. ſcripturæ meditationem Iſraëlitas ablegarunt. Sic Deus per Moſen præcipit regi Iſraëlitico, vt *ſcribat ſibi exemplar legis, vt ſit cum ipſo, legatque in eo omnibus diebus vitæ ſuæ*, Deut. XVII, 18. Idem duci Iſraëlitico Ioſuæ præcipitur, Ioſ. I, 7. Sic & Deus iuſſit, legem ſcriptam vniuerſo populo prælegere Deut. XXXI, 11. *Quum venerit omnis Iſraël ad comparendum coram Iehouah, Deo tuo, in loco, quem elegerit, præleges legem hanc coram omni Iſraële in auribus eorum.* Ioſua compellat Iſraëlitas c. XXIII, 6. *Confirmate modo vos valde, ad cuſtodiendum & faciendum omne, quod ſcriptum eſt in libro legis Moſis.* Ieſaias ſerio cohortatur c. XXXIV, 16. *Quærite deſuper libro Iehouæ, & legite.* Abrahamus fratres diuitis epulonis remittit ad Moſen & prophetas. *Habent Moſen & Prophetas; audiunto illos.* Luc. XVI, 29. Non dicit: habent lumen internum, immediate docens; ad illud ſe applicando.

(6) Homini viatori, ad æternam ſalutem tendenti, non opus eſt lumine interno immediate reuelante; quia Deum & res diuinas S. ſcriptura ſatis plene & perſpicue manifeſtat, atque adeo principium fidei ſaluificæ ſufficiens eſt. Id quod liquido demonſtratur:

(a) E verbis S. Ioannis c. XX, 31. *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quod Ieſus ſit Chriſtus, filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius.* Quæcunque ſcriptura eum in finem diuinitus deſtinata eſt, vt omnes per eam credant in Ieſum, ad obtinendam vitam æternam, illa viam ſalutis adeo plene & plane reuelat, vt homo viator reuelatione immediata non indigeat. Atqui ſcriptura S. &c. Ergo.

(b) Ex effato Paullino Rom. XV, 4. *Quæcunque præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Quod verbum diuinum datum eſt ad doctrinam noſtram, eamque talem, ex qua ſpem ſalutis habeamus, id eo fine datum eſt, vt ex eo tantum notitiæ ſalutaris hauriamus, quantum ad ſalutem obtinendam ſatis eſt. Atqui ſcriptura S. &c. Ergo.

(c) E teſtimonio eiusdem apoſtoli 2 Tim. III, 14. 15. 16. *Mane in iis, quæ didiciſti, & concredita tibi ſunt, ſciens, a quo didiceris. Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ poſſunt te ſapientem reddere in ſalutem per fidem, quæ in Chriſto Ieſu eſt. Nam omnis ſcriptura diuinitus inſpirata etiam vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in iuſtitia.* Ex hoc dicto claſſico duo colligimus: (1) S. ſcriptura generatim omnem hominem ſapientem reddere poteſt ad ſalutem per fidem, quæ in Chriſto Ieſu eſt, vt in doctrina ipſius ſalutifera perſiſtendum ſit: (2) Eadem ſpeciatim theologum ad omnes docendi partes perfecte inſtruit. E. S. ſcriptura ſatis plene & perſpicue res ad ſalutem cognitu neceſſarias reuelat, vt homini viatori lumine interno, immediate reuelante, minime opus ſit.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Quod non detur internum lumen *vniuerſale*, manifeſtum eſt, quia gentiles, quibus verbum Dei externum haud innotuit, a Paullo deſcribuntur, quod ſint *tenebræ*, Eph. V, 8. i. e. tenebricoſiſſimi, vel denſiſſimis ignorantiæ & vitiorum tenebris immerſi; quos apoſtolus cap. IV, 18. graphice depingit, quod ſint *obſcurati mente, exſiſtentes abalienati a vita Dei, propter ignorantiam, quæ in illis, propter obdurationem cordis; nec non in peccatis mortui*, Eph. II, 1. *ſine Chriſto, abalienati a politia Iſraëlis, & peregrini teſtamentorum, promiſſionis nullam ſpem habentes, & athei in mundo.* Eph. II, 12. Arguimus:

(1) Quicunque homines ſunt denſiſſimis ignorantiæ tenebris immerſi, mente obſcurati, abalienati a vita Dei propter ignorantiam, quæ in illis eſt, ſine Chriſto, nullam ſpem promiſſionis habentes, athei, & in peccatis mortui, in illis non datur lumen ſupernaturale, quod Deum & res diuinas ipſis immediate & obiectiue reuelat. Maior ſole clarior eſt. Nam tenebræ opponuntur luci ab apoſtolo l. c.: obſcurati mente deſtituuntur lumine: abalienati a vita Dei non habent Spiritum S. in corde loquentem; qui ſunt ſine Chriſto, in illis non eſt lumen internum, quod dicitur vehiculum Chriſti: athei carent vnctione omnia docente: in mortuis ne ſcintilla lucis eſt. Proinde exoſculor verba FORM. CONCORD. p. 662. *Antequam homo per Spiritum S. illuminatur, conuertitur, regeneratur & trahitur, ex ſeſe, & propriis naturalibus ſuis viribus in rebus ſpiritualibus, & ad conuerſionem aut regenerationem ſuam nihil inchoare, operari, aut cooperari poteſt: nec plus, quam lapis, truncus aut limus.* Et p. 670. *Viſum eſt Deo per hoc medium, & non alio modo, nimirum per ſanctum verbum ſuum, cum id vel prædicari auditur, vel legitur, & per ſacramentorum legitimum vſum, homines ad æternam ſalutem vocare, ad ſe trahere, conuertere, regenerare & ſanctificare.*

Excipiunt *Quackeri:* Teſtatur Paullus Rom. II, 14. 15. *gentes habere legem natura inſcriptam;* quia *demonſtrant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Atqui lex natura inſcripta eſt lumen internum immediate reuelans. Reſp. Lex cordibus natura inſcripta ratione proximæ originis eſt naturalis, quæ myſteria fidei non reuelat; ceteroqui non forent myſteria. Iam nobis patefcit, lumen internum Quackerorum non eſſe ſpirituale, aut ſupernaturale, ſed naturale. Quare haud ex vano cenſet D. BAIERVS *in diſſert. V. de norma doctrinæ §. 19. Naturaliſmum in Quackeriſmo latere.* Pergimus itaque argumentando:

(2) Quodcunque lumen omnibus hominibus a natiuitate ineſt, illud eſt naturale. Atqui lumen internum Myſticorum & Quackerorum omnibus hominibus a natiuitate ineſt. E. Maior adeo firma eſt, vt nulla inſtantia infringi queat, & confirmatur ex eo, quod opus generationis naturaliſſimum eſt, quo nullum donum ſupernaturale propagatur, aut in poſteros diffunditur. Nam proprie loquendo donum ſupernaturale dicitur, quod naturæ a prima ipſius origine non ineſt, ſed ad imperfectionem eius ſupplendam a Deo ex ſpeciali gratia ſuperadditur.

(3) In cordibus hominum illorum, qui ſunt ſine Chriſto, nullum lumen, niſi naturale, lucet. Sed gentiles, quibus verbum Dei externum non innotuit, ſunt ſine Chriſto. Eph. II, 13. E.

(4) Quodcunque lumen poſt completum ſcripturæ S. canonem in cordibus hominum non accenditur per verbum Dei externum, illud eſt aut lumen naturale, aut ignis diaboli fatuus. Atqui lumen Quackerorum &c. E.

Prob. c. (1) Lumen internum, immediate reuelans, non poteſt eſſe *ſubſtantia.* Nam foret ſubſtantia vel completa, vel incompleta. At non eſt ſubſtantia completa, quia non eſt totus homo, neque eſt pars hominis, quia neque corpus, neque anima hominis eſt.



Digitized by Google

(2) Quidquid eſt in alio, tanquam in ſubiecto, illud non eſt ſubſtantia. Atqui lumen internum &c. E. Minor prob. quia lumen internum eſt in homine non tanquam eius pars, neque ſine illo eſſe poteſt.

Excipiunt Quackeri: hoc lumen poſſe etiam extra hominem ſubſiſtere. Reſp. Monſtrent igitur, vbi extra hominem ſubſiſtat, in cælo, ſub cœlo, aut ſupra cœlum.

(3) Lumen internum recipit magis & minus, non diffitente *Barclaio* in *apol.* p. 35. E. non eſt ſubſtantia.

Prob. d. Lumen internum immediate reuelans *non* eſſe *ſalutiferum*, vnico argumento, ſed inuicto, demonſtratum imus. Quodcunque lumen nobis non manifeſtat Ieſum Chriſtum, ſalutis auctorem, aſſertorem aut vindicem, illud non eſt ſalutiferum. Atqui lumen internum immediatum Myſticorum & Quackerorum non manifeſtat nobis Ieſum Chriſtum, ſalutis noſtræ auctorem, aſſertorem & vindicem. E. non eſt ſalutiferum.

Maior pollet robore inuicto, quia extra Chriſtum non eſt ſalus. Act. IV, 12. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Io. XVII, 12. *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui vero non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo.* Minor claret; quia gentiles quibus verbum Dei externum non innotuit, ſunt ſine Chriſto, Eph. II, 13. i. e. Chriſtum non agnoſcunt.

Ad hoc argumentum, quo velut fulmine percutiuntur Quackeri, diuerſimode reſpondent. Alii contendunt, explicitam Ieſu Chriſti, pro nobis paſſi & mortui, notitiam ad ſalutem non eſſe neceſſariam: Alii aſſerunt, multos homines cognouiſſe Chriſtum, quibus verbum Dei externum nunquam innotuit, quos inter recenſent non tantum patriarchas, Enochum, Noachum, Abrahamum &c. ſed etiam Sibyllas & Hermetem Triſmegiſtum, quibus abſque ſcriptura Chriſtus ſit reuelatus. Reſp. (1) Explicitam Chriſti pro nobis paſſi & mortui notitiam ad æternam ſalutem conſequendam eſſe quam maxime neceſſariam, adducta dicta biblica luculenter oſtendunt. Deteſtamur itaque dogma Quackerorum, ad quod nunquam fuiſſent delapſi, ſi per lumen ſuum, abſque ſcriptura, Chriſtum reuelari crederent, iudice D. SCHELWIGIO in *Quackeriſmo confutato*, Artic. I. §. 26. p. 167. (2) Diſt. *inter tempora ante greſſa completum ſcripturæ canonem, & hunc ſecuta.* Priusquam abſolueretur ſcripturæ canon, Deus paucis hominibus ſanctis, nempe patriarchis & prophetis ſe immediate quandoque patefecit, ingenti autem hominum multitudini, interueniente virorum θεοπνεύςων miniſterio, ſe manifeſtauit. Ex quo *Noachus* vocatur *præco iuſtitiæ*, 2 Petr. II, 5. *Abrahamus* præcepit liberis ſuis, vt cuſtodirent viam domini, & facerent iuſtitiam & iudicium. Gen. XIIX, 19. *Iacobus* docuit familiam ſuam. Gen. XXXV, 2. Neque tamen patriarchæ ad ſalutarem Dei ſcientiam pertigerunt ſola interna reuelatione, abſque externis modis. Nam verbum euangelii de ſemine mulieris, caput ſerpentis contrituro, ea de cauſſa protoplaſtorum non animis tantum, ſed & auribus reuelebatur, vt ad poſteros docendo propagarent. Conf. Gen. III, 15. & IV, 26. Abrahamus quoque a Deo informabatur verbo externo de ſemine, in quo ipſi non magis, quam reliquis gentilibus benedicendum erat, Gen. XII, 3. quod verbum ad filios transmittebat. Gen. XIIX. (3) Scripta Sibyllarum & Hermetis Triſmegiſti ſuppoſita eſſe, & ab hæreticis congeſta, commonſtrat M. COLBERG. *in chriſtianiſmo Platonico Hermetico Part. I. c. I. p. 100. & c. V. p. 208.*

Prob. e. Lumen internum, immediate reuelans, *non omnia ad ſalutem cognitu neceſſaria manifeſtare*, prob. (1) quia non reuelat Chriſtum ſalutis auctorem, quod iam oſtendimus.

(2) Non notificat myſteria fidei; quippe quæ ſunt dogmata recondita: & adeo ſublimia, vt ſphæram luminis naturalis longiſſime tranſcendant, nec niſi ex ſpeciali reuelatione diuina innoteſcant

Digitized by Google

teſcant, quæ, completo ſcripturæ canone, ordinarie mediata eſt. Lumen internum autem in iis, quæ vere manifeſtat, lumen naturale, in iis autem, quæ falſo reuelare videtur, ignem diaboli fatuum eſſe, ſupra probatum dedimus.

(3) Quod ſi ex lumine interno, omnia ad ſalutem cognitu neceſſaria immediate docente, tota œconomia ſalutis condiſci poſſet, enixe rogamus diſſidentes, vt luculentas reddant cauſſas, cur Deus patriarchis prædicationem verbi externam mandauerit? cur Deus prophetas miſerit ad docendum populum Iſraëliticum? cur ſuſcitauerit prophetam magnum, & verbum ſuum in os ipſius poſuerit? cur Chriſtus e ſinu patris euangelium protulerit, & ore ſuo melliſluo ipſemet prædicauerit? cur apoſtoli iuerint in vniuerſum orbem ad euangelium Chriſti, qua voce, qua ſcriptis, longe lateque propagandum? cur hodienum diuinitus dentur paſtores & doctores ad ædificationem corporis Chriſti? cur ipſi in conuentibus ſuis doceant? cur libros catecheticos, & alia ſcripta in lucem emiſerint, ſi lumen internum omnia ad ſalutem neceſſaria immediate docet? Excipiunt aduerſarii, prædicationem verbi externi teſtari de lumine interno, idque declarare ac manifeſtare. Reſp. Si lumen internum eſt verum lumen, ſeipſum declarabit & manifeſtabit: ſi hoc autem præſtare nequit, profecto miſerum eſt lumen, plus caliginis, quam ſplendoris habens. Ceterum reddenda erit aliquando Quackeris ratio coram tribunali diuino, quod de ſcriptura diuina tam abiecte atque contemtim ſenſerint; quippe quam nouimus eſſe θεόπνευςον, 2 Tim. III, 16. ſpiritum & vitam, Io. VI, 36. potentiam Dei ad ſalutem omni credenti, Rom. I, 16.

Prob. f. (1) Non lumen internum, ſed *verbum Dei externum eſt efficax medium, quo ad eccleſiam vocamur*, 2 Tim. II, 14. *illuminamur*, 2 Petr. I, 19. *conuertimur*, Ier. XXIII, 29. *regeneramur*, 1 Petr. I, 23. *iuſtificamur*, 2 Cor. III, 9. *renouamur*, Io. XVII, 17. *conſeruamur*, Pſ. CXIX, 11. *ſaluamur*, Iac. I, 12.

(2) Lumen internum non eſt verum ſalutis medium, ſed ignis diaboli fatuus; quippe quo Quackeri enormiter decepti, tot falſa dogmata ſpargunt. Nam falſum eſt, in gentilibus eſſe lumen ſupernaturale: falſum eſt, hominem peccatorem ſine explicita Chriſti notitia ſaluari: falſum eſt, in vnica Dei eſſentia non eſſe tres perſonas: falſum eſt, Chriſtum carnem ſuam non ex Maria, eiusdemque ſanguine aſſumſiſſe, ſed ex cœlo attuliſſe: falſum eſt, peccatorem conuerſum abſque imputata Chriſti iuſtitia iuſtificari &c. *Quare in hoc nobis eſt conſtanter perſeuerandum, quod Deus non velit nobiſcum aliter agere, niſi per vocale verbum & ſacramenta, & quod quicquid ſine verbo & ſacramentis iactatur vt ſpiritus, ſit ipſe diabolus*, recte ait b. LVTHERVS *artic. VIII. Smalcald. pag. 333.*

Prob. g. *Fruſtra* lumen internum a Quackeris *magnis titulis ornatur;* quia liquidiſſime demonſtrauimus, illud eſſe non-ens. At non-ens titulis honorariis inſignire, perineptum eſt.

Fruſtra (1) vocatur Chriſtus *in nobis*, ex Col. I, 27. Nam l. c. agit Paullus de Chriſto pro nobis paſſo & crucifixo, in cuius ſanguine habemus remiſſionem peccatorum v. 14. An hæc dici poſſint de lumine interno, iudicent Quackeri, ſi qua mica ſalis in ipſis eſt.

(2) *Spiritus S. omnia docens.* Io. XIV, 16. Nam is eſt tertia perſona diuinitatis, quæ certe non eſt lumen internum. Nam illa eſt æterna, hoc cum homine incipit.

(3) *Semen regni*, ex Matth. XIII, 18. Per quod intelligitur verbum Dei externum, quod auditur, adeoque vt audiri queat, prædicatur.

(4) *Semen regenerationis*, ex 1 Petr. I, 23. Nam illud ſemen eſt verbum externum, quod eſt euangelizatum inter nos, v. 25.

(5) *Communio ſpiritus*, ex Phil. II, 1. Nam l. c. Paullus docet, chriſtianos vnum eundemq; accepiſſe ſpiritum Chriſti, quæ communio ſpiritus eos ad alendam concordiam incitare de-

 bet.

Digitized by Google

ber. Acceperunt autem Spiritum S. ex communione in euangelio, cuius mentionem ſupra iniecerat apoſtolus c. I, 5.

(6) *Manifeſtatio ſpiritus, quæ cuique datur ad commodum*, 1 Cor. XII, 7. Nam manifeſtatio ſpiritus, quæ ad commodum eccleſiæ pertinet, fit per γραφὴν θεόπνευστον, quæ vtilis eſt ad doctrinam &c. 2 Tim. III, 16.

(7) *Vnctio omnia docens*, 1 Io. II, 20. Per hanc enim intelligitur Spiritus ſanctus, qui verus Deus eſt. At lumen internum non eſt Deus, adeoque l. c. intelligi nequit.

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Diſſidentes lumen internum immediate docens probare nituntur I. ex Io. I, 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Arbitrantur, l. c. non intelligi Chriſtum pro nobis, ſed Chriſtum in nobis. Nam ille non omnes illuminauit, hic autem reperitur in omnibus, adeoque omnes illuminat, qui in ſeipſos introuertuntur, illuminationem immediatam cum ſilentio exſpectant, obſeruant, & recipiunt. Reſp. 1) Vnus tantum eſt Chriſtus, vnus mediator Dei & hominum. 1 Tim. II, 4. 2) Verba citata intelliguntur de perſona Chriſti, qui ſe ipſum vocat *lucem mundi*, Io. VIII, 12. ratione muneris prophetici, quo functus eſt, verbum diuinum prædicando, & hodienum fungitur, paſtores atque doctores in eccleſiam mittendo. 3) Diſtinguimus cum noſtro D. HÜLSEMANNO *inter illuminationem intentionalem, & actualem.* CHRYSOSTOMVS verba Euangeliſtæ exponit de illuminatione *intentionali.* Chriſtus per prædicationem verbi illuminat omnem hominem, quantum in ipſo eſt. Si qui autem ad huius lucis radios, mentis oculos dirigere noluerint, non ex luminis natura, ſed ex malitia ſua in tenebris perſtiterunt. CYRILLVS vero, & AVGVSTINVS intellectam volunt illuminationem *actualem* in ſenſu reduplicatiuo: Chriſtus prædicatione verbi omnem hominem illuminat, qui illuminatur. At nemo interpretum dictum Ioannæum de lumine *interno ſupernaturali* expoſuit. Conf. D. HÜLSEMANN. *de auxiliis gratiæ p. 89. & 118.*

II. Adducunt aduerſarii effatum Chriſti Io. XII, 35. *Adhuc breue tempus vobiscum eſt: ambulate, quousque lucem habetis: ne tenebræ vos apprehendant.* Hic perſonam Chriſti notari negant Quackeri, nixi ſequenti argumento. Quo remoto Iudæi tempus credendi amiſerunt, illud non eſt perſona Chriſti. Sed lumine, cuius Ioannes meminit, remoto, Iudæi &c. E. Maior patet, quia potuerint in Chriſtum credere, & multi ad ſalutem in ipſum crediderunt, ſicut hodie omnes veri chriſtiani in ipſum credunt, licet ipſius perſona ſit remota. Reſp. 1) Omnino intelligitur perſona Chriſti, & indicatur, Iudæos Chriſto viſibiliter præſente, docente, & miraculis doctrinam ſuam confirmante, commodiſſimam credendi occaſionem habere; quo in crucem ſublato, & in cœlum euecto, neminem tam inſigni amoris, candorisque gradu eos docturum eſſe. 2) Notamus craſſum Quackerorum errorem, ſtatuentium, remota viſibili præſentia, Chriſti perſonam remotam eſſe. Quæ ſubleſta opinio repugnat tum veritati cœleſti, Matth. XXVIII, 20. tum propriæ Quackerorum hypotheſi, aſſerentium, lumen internum nunquam ſeparari a Deo & Chriſto, ſed vbi illud eſt, ibi etiam Deum & Chriſtum in illo inuolutum & velatum eſſe.

III. Λόγος ἔμφυτος poteſt hominem ſaluare, Iac. I, 21. Lumen internum immediate docens eſt λόγος ἔμφυτος, i. e. verbum inſitum. E. Reſp. Λόγος ἔμφυτος eſt verbum externum, prædicatum vel lectum, quod dicitur λόγος ἔμφυτος, quia per externam prædicationem cordibus hominum inſeritur, ſicut ſemen naturale externum ſulcis terræ iniicitur.

IV. Quod verbum in ipſo eſt homine, illud eſt internum. Atqui verbum illuminans & regenerans in ipſo eſt homine. Ergo. Maior patet; quia ſicut verbum externum eſt, quod eſt extra hominem: ita verbum internum eſt, quod eſt in homine. Minor probatur ex Rom.

X, 8.

Digitized by Google

X, 8. *Prope tibi eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo:* it. Col. III, 16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter.* Reſp. 1) Verbum externum fit internum, cum a corde auditoris, vel lectoris recipitur. Etenim verbum diuinum eſt externum, ratione ſcriptionis & prædicationis: idem tamen etiam eſt internum, ratione ſubiectiuæ inhæſionis, quatenus a corde recipitur, eidemque inhæret. Sicut doctrina philoſophica eſt externa, quatenus a præceptore diſcipulo proponitur: eadem tamen interna eſt, quatenus a diſcipulo recipitur. 2) Paullus Rom. X, 8. expreſſe addit: *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*, indigitaturus, ſe de verbo externo loqui.

V. In quibus Chriſtus eſt, in illis eſt lumen internum immediate docens. Atqui in hominibus &c. E. Maior per ſe patet, quia Chriſtus eſt verum lumen, Io. VIII, 12. Minor liquet ex Col. I, 27. *Chriſtus eſt in vobis.* Conf. 2 Cor. XIII, 5. Gal. IV, 19. Reſp. 1) Chriſtus, qua præſentiam gratioſam, non eſt in omnibus hominibus; at lumen internum immediate reuelans, ab aduerſariis dicitur eſſe in omnibus. 2) Chriſtus eſt in iis, qui verbum eius ſeruant, Io. XIV, 23. adeoque non immediate, ſed mediate hominem docet.

VI. In quibus eſt regnum Chriſti, in illis eſt lumen ſupernaturale. Atqui in hominibus &c. E. Maior conſtat; quia ad cognoſcendum regnum Chriſti lumen ſupernaturale requiritur. Minor claret ex Luc. XVII, 21. Regnum Dei ἐντὸς ὑμῶν ἐςι, intra vos eſt. Ex quo colligit WEIGELIVS *in libro γνῶθι σεαυτόν p. 52. Regnum gratiæ omnibus hominibus ineſſe per naturam; nec demum per verbi prædicationem in eos venire; ſiquidem illud iamdudum fuerit in Phariſæis, licet infidelibus.* Reſp. Docet Saluator, regnum Dei non eſſe aliunde extra Iudæam exſpectandum, Eſ. II, 3. ſed iam eſſe in ſinu gentis iudaicæ. Nam Chriſtus & diſcipuli eius prædicabant regnum Dei, Matth. IV, 17. licet non eſſet in ſingulis Iudæis: quia Phariſæi hic conſiderantur non in ſe, ac per ſe ſoli, ſed in vnum quaſi corpus cum reliquis collecti. 2) Fac, regnum Dei fuiſſe intra corda Phariſæorum, ratione cognitionis, non tamen illam notitiam regni gratiæ ex lumine interno naturali, vel ſupernaturali, ſed ex verbo externo intra Iudæos prædicato conſecuti erant.

VII. In quorum cordibus manifeſtatur Deus, in illis eſt lumen internum. Atqui in cordibus gentilium &c. E. Maior conſtat, quia lumen dicitur, quod aliquid manifeſtat. Minor prob. ex Rom. I, 19. τὸ γνωςὸν τῦ Θεῦ φανερόν ἐςιν ἐν αὐτοῖς, quidquid de Deo cognoſcitur, manifeſtum eſt in ipſis: Deus enim ipſis manifeſtauit. Reſp. In quorum cordibus manifeſtatur Deus, in illis eſt lumen internum ſupernaturale; nego. Nam datur etiam lumen naturale, e quo Deus & res diuinæ quadantenus cognoſcuntur. De notitia Dei naturali Paullum l. c. loqui, docet contextus. At illa ad ſalutem non ſufficit.

VIII. Dantur reuelationes immediatæ. E. Hodienum datur lumen internum immediate reuelans. Antecedens probatur hoc argumento: Qui etiamnum accipiunt Spiritum Dei, vt ſciant, quæ ſunt Dei, illi etiamnum accipiunt reuelationes immediatas. Atqui omnes fideles chriſtiani &c. E. Maior conſtat, quia Spiritus S. eſt *ſpiritus ſapientiæ & reuelationis.* Eph. I, 17. Minor liquet ex 1 Cor. II, 11. Reſp. Neg. maior. Nam vbi eſt ſpiritus ſapientiæ & reuelationis, ibi eſt reuelatio diuina, vel mediata, vel immediata. Immediata olim contigit prophetis & apoſtolis, mediata hodie gaudent omnes veri chriſtiani, qui Spiritum Dei ordinarie per baptiſmum, Io. III, 5. & per verbum ſcriptum, aut prædicatum Io. VI, 63. Act. X, 44. accipiunt. Ceterum ad reliqua argumenta, quibus οἱ ἐξ ἐναντίας reuelationes immediatas ſtabilire nituntur, reſponſum eſt ſupra, proleg. III. qu. 3.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. X. *Quæ eſt notitia Dei reuelata?*

*Notitia Dei reuelata.*

Notitia Dei reuelata eſt, quæ ex ſupernaturali reuelatione diuina, verbo ſcripto comprehenſa, de Deo vnitrino in eccleſia hauritur, & ad æternam ſalutem ſufficit.

Obſ. *Notitia Dei reuelata differt a notitia naturali* 1) *ratione principii*, quod hic non eſt natura, vel creatura, ſed S. ſcriptura. 2) *Ratione obiecti;* quia etſi nonnulla etiam lumine naturæ ſint nota; quæ reuelata θεογνωσία complectitur; hæc tamen multa continet natura ignota, vtpote de perſonis diuinis, de voluntate euangelica. 3) *Ratione ſubiecti cognoſcentis.* Notitia Dei reuelata eccleſiæ eſt propria, naturalis omnibus hominibus eſt communis. 4) *Ratione finis. Notitia Dei reuelata* eſt *ſalutifera*, Io. XVII, 3. At *notitia Dei naturalis* non eſt ad ſalutem ſufficiens, ſed tantum *pædagogica;* quia eius finis per ſe intentus a creatore eſt χειραγωγία, inducens hominem ad cogitandum & inquirendum de cœtu, in quo verus Deus Iſraëlis habitat. Act. XVII, 27. Accidentalis autem eius finis, ſiue euentus, ex abuſu notitiarum innatarum reſultans, eſt ἀναπολόγησις, inexcuſabilitas, Rom. I, 20.

Quæſt. XI. *Eſtne contemplatio Dei, & rerum diuinarum, quæ vel absque ſpecie & diſcurſu, vel per nouas ſpecies, diuinitus immiſſas, fieri dicitur, præferenda meditationi verbi diuini?*

Contemplatio Dei, rerumque diuinarum, pro ſtatu huius vitæ, neque fit ſine ſpecie (a), neque ſine diſcurſu (b), neque per nouas ſpecies diuinitus immiſſas (c), neque eadem meditationi verbi diuini præferenda eſt (d).

*Antitheſis* eſt 1) *Myſticorum*, inſiſtentium veſtigiis PLATONIS, qui ſummum bonum in contemplatione Dei & rerum diuinarum collocauit. Vid. *Theol. Myſt.* BALTHAS. KOEPKENII *Part. I. c. I. p. 46.* Diſtinguunt autem Myſtici inter *meditationem*, & *contemplationem*, quam diſtinctionem exponit & inculcat D. MICHAEL DE MOLINOS *in procemio manuduct. ſpirit. monito I. & II p. 19. & ſeqq.* Meditatio *proprie vocatur, quando intellectus myſteria ſanctæ noſtræ fidei cum attentione conſiderat, vt veritatem eorum cognoſcat, differendo de particularibus eorundem capitibus, ac ponderando circumſtantias, ad ciendos in voluntate affectus.* Contemplatio *autem*, definiente THOMA, *eſt intuitio ſincera, ſuauis, & quieta æternæ veritatis, ſine diſcurſu, aut reflexione. Vocatur alias oratio fidei, oratio quietis, recollectio interior. Contemplationem diſtinguunt in* acquiſitam, *&* infuſam. *Contemplatio* acquiſita *dicitur alias* actiua *&* imperfecta, *& eſt illa, quæ noſtra obtineri diligentia poteſt, adiuuante tamen nos gratia diuina, dum potentias ſeu facultates noſtras, ſenſusque recolligimus, nosque ad omne id, quod Deus voluerit, præparamus. Contemplatio* infuſa *eſt* paſſiua *&* perfecta, *in qua* (dicente S. Thereſia) *Deus ad hominem loquitur, ſuſpendens ipſius intellectum, interrumpens eius cogitationem, verbumque* (vt dicitur) *ex ore depromit, vt ſi vel maxime velit, tamen vix, ac ne vix quidem, loqui valeat. Intelligit absque ſtrepitu verborum, inſtruit ipſum diuinus magiſter ſuſpendens ipſius potentias, quod tunc nocerent potius, quam iuuarent, ſi operarentur. Gaudent ipſæ, ſed quomodo gaudeant, non intelligunt. Ardet anima amore, ſed quomodo ardeat, non percipit. Cognoſcit, quod fruatur eo, quem amat, ſed quomodo eo fruatur, neſcit: ſatis percipit, quod ea fruitio non ſit, ad quam intellectus aſpiret. Voluntas illum amplectitur, nec intelligit, quomodo. p. 33.* Adducit idem teſtim. Bonauenturæ his verbis: *Docet S. Bonauentura nullam rem cogitandam eſſe, ne quidem de ipſo Deo, cum imperfectio ſit, tenere formas, imagines ac ſpecies, quam etiam ſint ſubtiles, tam voluntatis, quam bonitatis, trinitatis & vnitatis, ipſius etiam eſſentiæ diuinæ: quando-*

*doquidem omnes illæ ſpecies ac imagines, quanquam Deiformes videantur, ipſæ tamen non ſunt Deus, qui non admittit imaginem, aut formam vllam. Non ibi*, dicit Sanctus, *oportet cogitare res de creaturis, nec de angelis, nec de trinitate, quia hæc ſapientia per affectus deſideriorum, non per meditationem præuiam habet conſurgere. Refert hic plane nihil cogitare de creaturis, nec de angelis, nec de ipſo Deo, quia iſta ſapientia & perfectio non generatur per ſubtilem meditationem, ſed per deſiderium & affectum voluntatis. p. 56.* Notitiam Dei & rerum diuinarum requirit MOLINOSIVS in contemplatore myſtico non diſtinctam, ſed confuſam: *Recollectio interior eſt fides & ſilentium in præſentia Dei. Inde debes habitum acquirere, recolligendi te in eius præſentia, amantiſſima quadam attentione, vt qui ſe Deo dedat, & cùm eo vniat cum reuerentia, humilitate ac ſubmiſſione, intuens ipſum intra te, in intimo animæ tuæ ſine forma, ſpecie, modo aut figura, intuitione ac generali notitia fidei amoris plenæ & obſcuræ, absque vlla diſtinctione perfectionis, aut attributi. p. 93. & p. 95. Fidem oportet eſſe puram, absque imaginibus ac ſpecie, ſimplicem absque diſcurſibus, & vniuerſalem, absque reflexione rerum diſtinctarum.* Quamobrem arbitratur, contemplationem non fieri per ſecundam mentis operationem, quæ eſt iudicium; nec per tertiam, quæ eſt diſcurſus; ſed per *primam ac principem intellectus operationem, nempe per ſimplicem apprehenſionem, ſancta fide illuminatam, & adiutam Spiritus S. donis.* Huic Molinoſio aliorum Myſticorum de contemplatione ſententias adiiciemus. BARTHOLOMÆVS DE MARTYRIBVS *in compendio ſpiritualis doctrinæ* ſcribit: *Si quæras, quid ſit caligo illa, quam contemplantes aſſerunt eſſe ſupremam ac vltimam metam, ad quam intellectus noſter in via peruenire poteſt in contemplatione Domini (intellige tamen absque ſpeciali lumine infuſo), ſcito*, tres *eſſe* gradus *diuinæ cognitionis.* Primus *dicitur diſcurſus aut meditatio, cum diuinas perfectiones quilibet contemplatur, ſeu domini attributa, vt potentiam, ſapientiam & bonitatem, & ex vna in ceteras progreditur.* Secundus *gradus dicitur ſimplex intelligentia, cum intellectus noſter ita ſimpliciter in Deo, & diuina eſſentia figitur, vt nihil aliud præter Deum conſideret; ſed cum hæc intellectio, quamuis ſimplex, ſecum afferat conceptum de Deo poſitiuum, licet non reſpiciat aliquod ſpeciale eius attributum, ac id ab omnibus pro certo habeatur, conceptus omnes poſitiuos, quos de Deo fingere intellectus noſtri fragilitas poteſt, eſſe imperfectos, nec plene poſſe ad veram Dei cognitionem ſufficere, at ſunt media quædam inter Deum & intellectum noſtrum: ideo* tertius *ſublimior adhuc reperitur cognitionis diuinæ gradus, ad quem tunc peruenimus, cum intellectus noſter omnino ſuſpendit tam actus, quam conceptus, quos de Deo in meditatione formauit; vel quos in ſimplici diuinæ eſſentiæ intellectione recipit, & tunc in quadam ignoratione demergitur, in qua fatetur, ſe non ſatis intelligere poſſe, quid ſit Dominus: & dicitur manere in caligine, quæ eſt altiſſima meta omnium, ad quas intellectus noſter, dum viuimus, aſcendere poteſt. Vnde ſcribit Dionyſius, optimam de Deo ſcientiam eſſe hanc ignorantiam. Quapropter merito deploranda eſt huius vitæ calamitas, cuius ſumma felicitas in ipſa ignorantia atque Dei caligine conſiſtit, cum tamen ſola Domini clara cognitio ſumma exſiſtat beatitudo.* Quid per illam caliginem denotetur, ipſe auctor l. c. exponit: *Intellectus, in ea exiſtens caligine, non omnino manet otioſus, ſed cum expellat omnes poſitiuos conceptus, manet in quodam negatiuo conceptu longe illis perfectiori, videlicet incomprehenſibili, inconceptibili, intelligibili. Felicem igitur* cenſet *eum, qui cum Moſe caliginem intrat.* Præcipuis theologiæ myſticæ cultoribus accenſetur Cardinalis RICHELIEV, qui in *tractatu de perfectione Chriſtiani* ſequenti ratione diſſerit: *Vt illæ* (ſpecies orationis mentalis) *melius intelligantur, diuerſa quatuor media, quibus Dei notitiam conſequi poſſunt homines, proponenda mihi videntur.* I.) *Primum philoſophis atque chriſtianis eſt commune, & a ſenſibus ac viſione creaturarum pendet, ex quarum exſiſtentia, prima cauſſa, quæ Deus eſt, neceſſario infertur. Hoc medio omnium rerum vnum reuera primum principum dari, cernitur; ſed quale ſit, ignoratur, atque eo pacto, certi de eius exſiſtentia,*



Digitized by Google

*tia, remanemus ignari de eſſentia.* II.) *Alterum chriſtianis particulare eſt, qui ſide multa aſſequuntur, & credunt, quæ non in ſenſum cadunt, & quæ etiam prima fronte rationi repugnant, nec non quæ eorum iudicio penitus impoſſibilia videntur, vnde ſides ab apoſtolo vocatur argumentum non apparentium. Hoc ſecundo medio non ſolum Deus eſſe cognoſcitur, ſed etiam qualis ſit: quamuis illius eſſentia, perfectiones quales ſint, euidenter concipere minime valeamus.* III.) *Tertium quibusdam animabus ſpeciale eſt, quas ad peculiarem gradum ſublimitatis Deus efferre cupit, felicitatem beatorum cœleſtem eis quadantenus prægustandam tribuendo, licet non eadem ratione ac via, qua illi iſta perfruuntur. Quod bifariam contingit: Primo per infuſionem ſpecierum intelligibilium, quæ a ſenſibus non exprimuntur, ſed a Deo expreſſe in hominis mente formantur, vt hic agens independenter a ſenſibilibus ſpeciebus, quas ab oculis, auribus, aliisque ſenſibus mutuatur, perfectius agnoſcat creatorem ſuum, quam ſoleat per ideas, reuelatione ad creata facta productas, quas imperfectas eſſe, neceſſe eſt, ob diſtantiam inter creatum & increatum, defectum ac limites vnius, & perfectionem atque infinitatem alterius. Eiusmodi a Deo infuſæ ſpecies vocantur a contemplatiuis Deiformes & Deificæ, quod magis conueniant cum notitia ſanctorum, qui Deo per Deum ipſum in cœlis vniuntur, quam cum hominum cognitione, qui ad Deum in terris communiter non feruntur, niſi per ſpecies a rebus ſenſibilibus eductas. Alter modus, quo producitur iſte effectus, conſiſtit non in creatione nouæ formæ, ſpeciei vel imaginis, ſed tantum in infuſione luminis extraordinarii a Deo collati animæ, vt ſolito melius eam cognoſcat, adeo efficacis, vt eius eſſentia eadem, ante concepta imperfecte ob defectum claritatis, tunc melius perſpiciatur, licet per easmet ſpecies, per quas mens humana prius circa ipſum cognoſcendum verſabatur. Veritas eiusmodi apprehendi poteſt eius exemplo, qui ex vnica face luminis ſatis non habens, vt in obſcuro latentem imaginem perſpiciat, multo perfectius eam conſpicit, cum tribus, aut quatuor facibus circumluſtratur.* IV.) *Quartum Deum cognoſcendi medium eo rarius ac ſingularius eſt, quo non ſolum beatorum felicitatem etiam hic prælibandum concedit, ſed & illa frui eadem via, qua illi in cœlo ipſa perfruuntur, h. e. Deum intueri, per lumen gloriæ, cum hoc duntaxat diſcrimine, quod in cœlo felicitas, modusque ea fruendi perpetua ſint, in his vero inferioribus vtraque tranſeuntia & momentanea. Tales Moſis & diui Paulli fuere viſiones; illius primi Iudæorum doctoris, alterius chriſtianorum.* Infuſam & paſſiuam contemplationem MAXIMILIANVS SANDAEVS, myſticorum haud poſtremus, in *theol. myſt. L. I. commentat. XIV. exercit.* 1. *diſq.* 1. & 3. appellat *ſupereminentem*, qua gaudet myſticus, *cum Deus* pleniorem luminis intellectualis influxum communicat, ſiue per immiſſionem, aut infuſionem nouarum quarundam ſpecierum, ad notitiam Dei excellentiſſimam idonearum, vt Deum clariſſime accuratiſſimeque repræſentent, ſiue per peculiarem quandam & accommodatiſſimam diſpoſitionem, connexionem, complicationem, ſeu ordinationem ſpecierum præ - habitarum. Siquidem rapiuntur nonnunquam admirando quodam modo ad interiora quaſi caliginis, ibique tanquam in conſpectu Dei, qui eſſentialiter lux eſt, illuminationes nouas & inuſitatas recipiunt: voluntas quoque ita ardet & exæſtuat, vt impetu quodam exilire videatur & transformari & deificari. Modum, quo eiusmodi contemplatio ſupereminens fiat, ſequenti ratione SANDAEVS delineat: *Myſtici ſat obſcure depromunt, dicam tamen, quam poſſum, ipſorum ſenſu, meis verbis clariſſime. Admiſſa anima contemplatiua ad caliginem diuinam, cum in ea ſit pars intellectiua & affectiua: illa, quæ & intelligentia, intuetur quodammodo dilectum, ſed eſt intuitus tam obſcurus, vt intuendo non intueatur. Itaque iacere cenſetur ante domicilii tenebroſi ianuam vel adyta, ibique clamore, gemitu & ſuſpiriis, votis & repetita ſupplicatione poſtulare, manifeſtari ſibi deſideratam toties faciem. Ad quam videndam dum anhelat, rapitur pars affectiua, quæ & voluntas, ad inhabitantis caliginem, familiariſſimum congreſſum, foris conſiſtente intelligentia. Quocirca eleuatur per charitatiuam*

Digitized by Google

*tatiuam Dei ſubleuationem ſupra intelligentiam. Ibi conſtituta voluntas incipit nouo quodam pacto per incitatiſſimum affectum in Deum ferri, ab illo amari, vt ſponſa, illum amare, vt dilectum, ab illo vlnis ſtringi, oſculo dignari, ineffabili ratione Deo coniungi, in eum transfundi, diffluere, transformari, vnico verbo, deificari, non ſubſtantiæ immutatione, ſed affectus & amoris intenſiſſimi conuerſione, ſic dilectum ſuum concipit, guſtat, eoque fruitur voluntas vnita Deo. Tum vero & intelligentia ipſa ad ſuprema vocatur adyta, ac veluti ſancta ſanctorum caliginoſi templi ingreditur, per denſiſſimam incomprehenſibilitatis nubem enititur, ad ipſum maieſtatis thronum ducitur, nouis ſplendoribus illuſtratur, & quamuis velum omne a diuinitatis vultu non ſubducatur: tamen ita irretorto in Deum, luce inacceſſibili circumdatum, obtutu fertur, vt non niſi tenuiſſima ex carbaſo translucente, aut lucernali papyro cortina inter ipſam & dilecti faciem intercadere videatur.* Hæc eſt illa altiſſimi gradus contemplatio, tot myſticorum votis expetita, tot celebrata encomiis, tot nominum ignotiſſimorum obuoluta inuolucris, tot rerum variarum deſignata ſymbolis, tot expreſſa vel adumbrata imaginibus, toties deſcripta, toties affectu, voce, lacrimis aduocata. Plures auctores myſticos adducere nil attinet, cum ex quatuor citatis, ſententiam myſticorum de contemplatione liquido perſpicere nobis liceat.

## Ε Κ Θ Ε Σ Ι Σ.

Obſ. I. Per *contemplationem* (Germanice die Beſchauung oder Beſchaulichkeit) non intelligunt myſtici *ſpeculationem*, in mera cognitione obiecti conſiſtentem & acquieſcentem. *Duæ* enim *viæ* ſunt, cenſente MOLINOSIO *libr.* III. *manuduct. ſpirit.* c. XVIII. p. 373. quæ ad cognitionem Dei deducunt: vna eſt remota, altera proxima. Prima vocatur *ſpeculatio*; ſecunda, *contemplatio*. Docti, qui ſequuntur ſcientificam ſpeculationem ac dulcedinem ſenſibilium diſcurſuum, aſcendunt hoc modo, quoad poſſunt, ad Deum, vt hoc adminiculo amare ipſum poſſint; ſed nemo eorum, qui hanc viam ſequuntur, quæ vocatur ſcholaſtica, peruenit ea ſola ad viam myſticam, neque ad excellentiam vnionis, transformationis, ſimplicitatis, lucis, pacis, tranquillitatis, & amoris, vti peruenit ad eius experientiam is, qui deducitur diuina gratia per viam myſticam ad contemplationem.

Obſ. II. Doctores euangelici non omnem contemplationem Dei, & rerum ſpiritualium reiectam volunt. Nam homines renati, qui ex verbis ſcripturæ veram de Deo ac rebus diuinis ſententiam didicerunt, eique aſſenſum commodarunt, ſtante hac notitia & aſſenſu, retentisque adeo in mente ſua ſpeciebus intelligibilibus, deinde res ipſas reſpiciunt, quas, his ſuppoſitis, prout intellectui per ſpecies intelligibiles ſunt exhibitæ, intuentur, & abſtinentes a carnalibus deſideriis in profundam rerum ſpiritualium contemplationem, & admirationem ſe demittunt, & quæ in ſcripturis generaliter continentur, ipſi ſub iſtis ad ſe deſcendentes, ſenſum aliquem ſpiritualem bonitatis diuinæ percipiunt, quo animus ſuauiter afficitur & acquieſcit. Conf. D. BAIERVS in *diſſertat. de præguſtu vitæ æternæ* §. 58. p. 52.

Obſ. III. Quæritur impræſentiarum: an contemplatio Dei fiat 1) ſine omni ſpecie, vel a rebus creatis deſumta, vel ex lectione & auditu verbi diuini externi menti impreſſis, 2) ſine diſcurſu, 3) per nouas ſpecies diuinitus immiſſas, aut per extraordinarium lumen? 4) an contemplatio meditationi diuinæ præferenda ſit?

## Β Ε Β Α Ι Ω Σ Ι Σ.

Prob. a. Contemplationem Dei rerumque diuinarum in hac vita mortali non fieri ſine ſpecie impreſſa, luculenter demonſtramus:



Digitized by Google

1) Ex aſſertione Paullina 1 Cor. XIII, 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc vero cognoſcam, quemadmodum & cognitus ſum.* Opponit apoſtolus τὸ βλέπειν δι' ἐσόπτρȣ, videre per ſpeculum, τῷ βλέπειν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, videre facie ad faciem: quorum illud, deſumtum a ſpeculo, quod non rem ipſam, ſed imaginem eius intuentibus obiicit, ad cognitionem Dei & rerum diuinarum deſignandam translatum, idem eſt, ac cognoſcere Deum, & ea, quæ ſunt Dei, non in ſe, ſed velut in imagine, mediantibus ſignis ac ſpeciebus impreſſis: quæ quidem vel a rebus creatis deſumtæ ſunt, vel per inſpirationem internam, vel per verbum externum, ſeu viuæ vocis, ſeu ſcripti, quo Deus & res diuinæ intellectui hominis repræſentantur, obtingunt, & intellectui inhærent; poſterius autem, ſeu τὸ *videre a facie ad faciem*, ſicut proprie loquendo idem eſt, ac rem ipſam, non intercedente aliqua eius imagine, quæ vicem rei ipſius ſuſtinens, oculo noſtro obiiciatur, cernere; ita ad cognitionem Dei translatum, idem eſt, ac Deum per ſe immediate, & abſque ſpecie impreſſa cognoſcere. Itaque vi oppoſitionis inter id, quod nunc eſt, atque aliquando abolebitur; & id, quod nunc non eſt, ſed tunc demum poſt hanc vitam, abolita imperfectione huius vitæ, futurum eſt, neceſſario colligitur, contemplationem Dei immediatam & intuitiuam, qua Deus ſine imagine ſui cernitur, ita reſeruatam eſſe futuræ vitæ, vt prorſus locum non habeat in hac vita. Cumque apoſtolus ſeipſum etiam eorum numero comprehendat, qui non de facie ad faciem, ſed per ſpeculum in ænigmate cognoſcunt: qua fronte fidelibus quibuslibet ſublimior in hac vita cognitio Dei tribuitur? *An quiſquam eſt mortalium, qui ad eam ſublimitatem efferri poſſit, vt ad Paulli menſuram perueniat?* ait GREGORIVS NAZIANZENVS, Orat. 29. Ex his præſtitutis nectimus argumentum: Quæcunque contemplatio ſic reſeruata eſt futuræ vitæ, vt ne apoſtoli quidem illius fuerint in hac vita capaces, illam nemo mortalium ſine inſigni temeritatis & impietatis nota ſibi tribuit. Atqui contemplatio Dei immediata & intuitiua, quæ ſine omni ſit impreſſa ſpecie, ſic reſeruata eſt futuræ vitæ &c. Ergo.

Dicis: Contemplatio ſupereminens eſt media inter cognitionem Dei abſtractiuam, & intuitiuam; quia fit per lumen ſupernaturale, actualiter infuſum, & nouas ſpecies diuinitus immiſſas. Reſp. Paullus negat, dari mediam cognitionem Dei inter abſtractiuam, quæ fit per impreſſam ſpeciem, & intuitiuam, quæ fit ſine ſpecie. Suffragatur ipſi S. Ioannes, 1 Ep. c. III, 2. *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, ſed nondum apparuit, quid futuri ſimus; ſcimus autem, quod cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicut eſt.* Videre Deum, ſicut eſt, notat cognitionem Dei intuitiuam, quæ fit ſine intercedente imagine, aut ſpecie. Quando autem apoſtolus dicit, hoc nunc nondum apparuiſſe, ſimul dicit, contemplationem, quæ fit ſine ſpecie, nondum in hac vita cuiquam obtigiſſe.

(2) Quæcunque cognitio Dei eſt confuſa & obſcura, illam veri chriſtiani iure meritoque contemnunt. Atqui contemplatio myſticorum, quæ fit ſine impreſſa ſpecie, eſt confuſa & obſcura. Ergo veri chriſtiani eam iure meritoque contemnunt.

Maior conſtat; quia θεογνωσία verorum chriſtianorum eſt liquida & diſtincta, eſt ἐπίγνωσις, ſolida cognitio, Col. I, 9. eſt πληροφορία τῆς συνέσεως, firma perſuaſio intelligentiæ, Col. II, 2. Verorum chriſtianorum eſt, *creſcere in gratia & cognitione domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti,* 2 Tim. III, 18.

Minor claret; quia MOLINOSIVS fatetur, quod, *etiamſi intellectus contemplatoris non cognoſcat diſtincte per diſcurſum, imagines & conſiderationes, intelligat nihilominus & cognoſcat per fidem obſcuram, generalem & confuſam,* in *proœm. manuduct. ſpirit.* p. 17. Contemplatio myſticorum adeo caliginoſa eſt, vt DIONYSIVS ſcribat, optimam de Deo ſcientiam eſſe hanc ignorantiam, teſte PETRO A MARTYRIBVS, in *compendio ſpiritualis doctrinæ*, P. II, c. 11. In ſacris litteris autem ἄγνοια, ſeu ignorantia, veræ fidei opponitur, Act. XVII, 30. Eph. IV,

Digitized by Google

IV, 10. Profecto auſim dicere, contemplationem pſeudo-myſticorum vniuerſæ chriſtianæ religioni ſummæ eſſe perniciei. Etenim obſcure, confuſe & indiſtincte Deum cognoſcunt non tantum hæretici, ſed & Turcæ, Tartari, gentiles. Quam ob rem confuſa illa θεογνωσία ſummouet diſcrimen inter religionem veram, & falſam, & pandit viam ad ſcepticiſmum, & vniuerſalem ſyncretiſmum cum hæreticis, Iudæis, Turcis & gentilibus, Conf. D. ANDREAS KÜHNIVS de *myſticorum Quietiſmo contemplatiuo c. II. p. 89.*

(3) Omnis vera intellectus humani contemplatio, quoad anima in hoc mortali corpore degit, fit per conuerſionem intellectus ad phantaſmata, ſiue ad ſpecies ſenſibiles, a quibus intellectus humanus abſtrahit, elicit, & depurat ſpecies intelligibiles. Ex quo colligit FRANCISCVS SVAREZ, *Tom.* II. *de Relig.* l. 2. c. 14. naturaliter fieri non poſſe, vt homo in hac vita rapiatur ad veram Dei contemplationem per intellectum, nihil omnino cooperando per ſenſum, neque externum, neque internum. Non itaque contemplatur intellectus humanus Deum ſine ſpeciebus ſenſibilibus, aut intelligibilibus, niſi vel per mortem ſeparetur a corpore, vel per ecſtaſin ab vſu ſenſuum externorum abſtrahatur. Myſticorum peritiſſimi id agnouiſſe mihi videntur. BARTHOLOMAEVS DE MARTYRIBVS in *comp. doctrinæ ſpiritualis* inquit: *Theologia myſtica nihil aliud eſt, quam amor ecſtaticus, conſecutus puram ſpiritus intelligentiam, a nubibus phantaſmatum depuratam.* MICHAEL DE MOLINOS gradibus contemplationis accenſet ecſtaſin, raptum, liquefactionem, deliquium &c. p. 358. Cardinalis RICHELIEV de *perfect. chriſt.* c. XXXII. ait: *Primus atque inſignior effectus excelſæ huius contemplationis ecſtaſis eſt.* Quin immo ſupereminentem contemplationem hic Cardinalis raptum vocat, cap. XXXIV. *Raptus eſt cuiuſuis rei translatio ad ſtatum, vel naturæ ſuæ contrarium, vel ſaltem eo ſuperiorem. Sic lapis ſurſum eleuatus &c. Vnde cum Deus animam a modo ſolito operandi per imaginationem educens, eam ad maieſtatem ſuam conſpiciendam ſine reflexione, & ſine diſcurſu, vel in ſpeciebus intelligibilibus, quas figit ex induſtria, vel in propria eſſentia diuina extollit, rapta illa cenſeri debet, quatenus ſupra ſe, & modo naturæ ſuæ minime proprio agit.* Ex his conficitur, contemplationem pſeudo-myſticorum, quam ſibi ſine omni phantaſmate obtingere dicunt, non pluris eſſe æſtimandam, quam ecſtaſin, per quam anima humana e ſtatu naturali in præternaturalem transfertur. Nam *ecſtaſis*, definiente RICHELIEV, *eſt ſtatus animæ operantis, modo excedente functiones ordinarias ſenſibiles & intellectuales.*

(4) Intellectus humanus Deum melius cognoſcere nequit, quam per imagines in S. ſcriptura Deum nobis repræſentantes, vt dominum & regem potentiſſimum, iudicem iuſtiſſimum, patrem benigniſſimum, redemtorem generis humani miſericordiſſimum, ſanctificatorem & paracletum efficaciſſimum &c. Per has imagines aut ſpecies Deus rectius, clarius & perfectius, quam ſine illis cognoſcitur.

*Dicis:* Perfectius (cenſente DIONYSIO) Deum cognoſcimus per negationes, quam per affirmationes. Altius de Deo ſentimus, cognoſcentes, quod ſit incomprehenſibilis, & omni noſtro captu ſuperior, quam ſub imagine quadam eum concipientes ſecundum rudem noſtrum intellectum. Itaque maior æſtimatio & amor gignetur ex iſto modo confuſo, obſcuro & negatiuo, quam ex omni alio ſenſibili & diſtincto; quia ille Deo proprius, hic creaturis communis, adeoque imperfectus eſt. Reſp. (I) Deum incomprehenſibilem agnoſcimus, admiramur, maximique æſtimamus. At amor Dei non fundatur in ipſius incomprehenſibilitate, tanquam termino negatiuo, ſed in bonitate, tanquam termino poſitiuo; quia nihil eſt appetibile, & amabile, niſi ſit bonum. (II) Deus eſt dominus, rex, Pater, redemtor, ſanctificator, idem eſt iuſtus, bonus, ſapiens, miſericors proprie, & dicuntur hæc prædicata de Deo magis proprie, quam de hominibus, ſiquidem Deo πρώτως ſiue primario, creaturis vero tantum δευτέρως, ſecundario competunt.



Digitized by Google

(5) Haud exigua abſurda infert contemplatio myſticorum. Cum enim dicatur ſine omni impreſſa ſpecie fieri, BONAVENTVRA ſtatuit, *nullam rem cogitandam eſſe, ne quidem de ipſo Deo, cum imperfectio ſit, tenere formas, imagines ac ſpecies, quam etiam ſint ſubtiles tam voluntatis, quam bonitatis, trinitatis & vnitatis, ipſius etiam eſſentiæ diuinæ: quandoquidem omnes illæ ſpecies ac imagines, quanquam deiformes videantur, ipſæ tamen non ſunt Deus, qui non admittit imaginem, aut formam vllam.* Ex hoc abſurdo aſſerto conſequitur, Deum oratione dominica non eſſe inuocandum, vt patrem cœleſtem, non timendum, vt dominum & iudicem, non amandum, vt ſummum bonum. Quæ imagines aut conceptus poſitiui licet Deum non repræſentent adæquate & plene, attamen inadæquate & vere; ſiquidem non totum Deum, aliquid Dei tamen repræſentant. Inſolentibus autem, & plane monſtroſis loquendi rationibus vtitur DIONYSIVS c. V. *theol. myſt.* inquiens: *Deus non eſt vnus, neque ſapiens, neque ſapientia, nec virtus, nec omnipotens &c.* Ecquis illas ineptias, dicam, an blaſphemias, non deteſtetur?

(6) Paullus Timotheum ſerio cohortatur: ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, *formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiuiſti, in fide & caritate, quæ eſt in Chriſto Ieſu,* 2 Tim. I, 13. Ὑποτύπωσιν vulgatus formam, HVGO GROTIVS exemplar in animo fixum, alii imaginem & delineationem reddiderunt. Quorum eſt, formam ſanorum verborum in fide & caritate nunquam non habere, illorum eſt, non abſque omni ſpecie, aut imagine, Deum contemplari. Atqui, fidelium doctorum eccleſiæ eſt, formam ſanorum verborum in fide & caritate nunquam non habere. Ergo.

Prob. b. (1) Vera & ſalutaris contemplatio Dei, rerumque diuinarum, dirigitur ad praxin voluntatis, adeoque fit per diſcurſum & ſyllogiſmum practicum, ſi non formalem & plene expreſſum, certe virtualem & implicitum, ſi non verbalem, certe mentalem. Nam verus contemplator fixis mentis oculis intuetur atque expendit eſſentiam Dei independentem, infinitam & immenſam, atque ſecum colligit: Ergo maieſtas Dei eſt admiranda; contemplatur bonitatem Dei exuberantiſſimam, & concludit: Ergo Deus eſt amandus; quin & ſpecialiorem addit concluſionem practicam: Ergo & mihi Deus eſt amandus; contemplatur ſapientiam & potentiam Dei, & ratiocinatur: Ergo & Deus eſt venerandus. Verus contemplator, ſi quis alius, fuit Ioannes apoſtolus, qui cum oculos mentis conuertiſſet in dilectionem Dei, qua nos mortales complectitur, concludit: *Nos diligamus eum, quia ipſe prior dilexit nos,* 1 Io. IV, 19. Eiusmodi diſcurſus virtuales longe plurimos in monumentis prophetarum & apoſtolorum inuenias. Eccui bono forent contemplationes Dei ter optimi, ter maximi, niſi ſpirituales pioſque motus in animis noſtris elicerent per diſcurſum?

(2) Myſtici contemplatiui arbitrantes, contemplationem fieri per primam mentis operationem, ſiue ſimplicem apprehenſionem, ſecum non reputant, quanta ægritudine laboret intellectus noſter, ſi ſpectes ſimplicem apprehenſionem, ad intuendas rerum eſſentias neceſſariam, de qua accurate diſſerentem audiamus philoſophum limatiſſimi iudicii, D. LEICHNERVM *lib. I. de veræ philoſophiæ bono, cap. XIV. p. 150.* *Quæ quidem originalis labes, ſi philoſophice conſideretur, in eo conſiſtit, quod iam intellectus hominis natura ſua prorſus NVDA* (iuxta Ariſtotelem, reſpectuque actualis omnis notitiæ), *vel* (ad mentem Platonis, reſpectuque notitiarum, quas innatas vocant) *RASA TABVLA eſt, cui nihil ſcientiæ actu inſcriptum, ſed nec inſcribi quidquam poteſt, niſi ſenſuali perceptione, & hinc porro ratiocinatione mediante. Qua vtraque ſane via, prima mentis operatio* (ſimplex eſſentiarum apprehenſio) *in ſeſe, ſiue intrinſecus, haudquaquam perfici, nec vllis vnquam imbui poteſt intellectualibus ſpeciebus, quæ ipſas rerum eſſentias repræſentent, quales etiam cunque interim vicariæ ſpecies ſenſibiles, mutuatique conceptus complexi,* (prædicatiue & argumentatiue) *ſuppetias ferant; ſecus vtique, ac*

*res*

Digitized by Google

*res habuit cum innocente adhuc primo homine, quippe cuius animus haud ita nuda, vel raſa fuit tabula, quæ nihil tenuerit inſcriptum, niſi quod prævio ſenſu, vel rationis diſcurſu primum acceperit, ſed ex concreato lumine impreſſis (velut vivum ſpeculum) ſplenduit eſſentiarum ideis & imaginibus, ita vt hinc ſimplici quoque intuitu* (citra affirmationem & negationem, citraque diſcurſum) *easdem vere pernoſceret, ſeu contemplaretur; alioqui namque æque profecto cæcus atque miſer fuiſſet, ac nos hodieque. Vniverſa igitur ingenii noſtri virtus, ſciendique facultas, ac vigor omnis reſidet in compoſitione & diviſione* (affirmatione & negatione), *itemque argumentatione, partim primis & κατ᾽ αὐτὸ notiſſimis cuiuslibet ſcientiæ principiis, partim ſingularium inductioni & experientiæ innitentibus, & quousque vtrumque id lumen patet, complexam rerum veritatem pro re nata ἐπιστημονικῶς penetrantibus.* Quibus præſtitutis, nego, contemplationem Dei rerumque divinarum vnice fieri per primam mentis operationem; nego, eam eſſe ſimplicem Dei intuitum ſine iudicio & diſcurſu.

Prob. c. Contemplationem autem myſticorum paſſivam, infuſam & ſupereminentem, quæ fit per immiſſionem novarum ſpecierum (quæ non ſunt revelatæ), aut infuſionem luminis extraordinarii penitus improbamus & averſamur.

Nam (1) Paullus nos adhortatur 1 Cor. IV, 6. *μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται, φρονεῖν, diſcatis, non ſupra id, quod ſcriptum eſt, ſapere.* At myſtici præſumunt ſapere, ſupra id, quod ſcriptum eſt. Non contenti ſunt ſpeciebus in verbo Dei revelatis, ſed novas exſpectant. Lumen S. ſcripturæ illis impurum, nimisque exile videtur, ideoque flagrant deſiderio luminis extraordinarii: at eo ipſo in enthuſiaſmum prolabuntur. Sic namque enthuſiaſtæ artic. VIII. Smalcaldico p. 351. delineantur: *In his, quæ vocale & externum verbum concernunt, conſtanter tenendum eſt, Deum nemini ſpiritum vel gratiam ſuam largiri, niſi per verbum & cum verbo externo & præcedente, vt ita præmuniamus nos adverſum enthuſiaſtas, id eſt, Spiritus, qui iactitant, ſe ante verbum, & ſine verbo, ſpiritum habere.*

(2) Doctoribus veritatis, ſinceræque pietatis ſatagentibus, ſufficiens lumen verbi prophetici & apoſtolici prælucet, quod commendat apoſtolus Petrus 2 Ep. I, 19. Quin ipſe etiam ſalutis auctor graviter monet, Io. VIII, 31. Ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, ἀληθῶς μαθηταί μȣ ἐστέ. *Si vos manſeritis in ſermone meo, veri diſcipuli mei eſtis.* Contra, *ſi quis aliter docet, & non accedit ſanis ſermonibus domini noſtri Ieſu Chriſti, & doctrinæ, quæ ſecundum pietatem eſt, is inflatus eſt, nihil ſciens.* 1 Tim. VI, 3. 4.

(3) Myſtici contemplatione ſupereminente, quam iactant, pervertunt ordinem facultatum animæ, ſc. intellectus & facultatis, arbitrantes, voluntatem contemplatoris rapi ad Dei inhabitantis caliginem, familiarem congreſſum, foris conſiſtente intelligentia, atque adeo elevari per caritativam Dei ſublevationem ſupra intelligentiam. At vero nemini non conſtat tritum illud axioma: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Et illud AVGVSTINI pronuntiatum: *Quantum cognoſcis, tantum diligis,* quam maxime conforme eſt veritati.

(4) Aſſertioni Cardinalis RICHELIEV, dicentis, nonnullos renatos, Deo eximie caros, ſingulari gratia divina ad peculiarem ſublimitatis gradum efferri, vt Deum intueantur per lumen gloriæ in terra, perinde ac beati in cœlo, cum hoc duntaxat diſcrimine, quod in cœlo felicitas modusque ea fruendi perpetua ſint, in his vero inferioribus vtraque tranſeuntia & momentanea, album calculum minime adiicimus. Hac quippe aſſertione ſtatus viatorum & beatorum confunditur. Nam illi *nunc vident Deum per ſpeculum in ænigmate: hi vero a facie ad faciem: Illi cognoſcunt ex parte, hi vero perfecte.* 1 Cor. XIII, 12. *Illis nondum manifeſtatum eſt, quid futuri ſint: hi autem Deo ſunt ſimiles, & vident eum, ſicut eſt,* 1 Ioh. III, 3. *Illi, dum habitant in corpore, peregrinantur a domino; quia per fidem ambulant, non per ſpeciem.*

Digitized by Google

*ſpeciem. Hi, dum peregrinantur e corpore, habitant apud Deum,* 2 Cor. V, 6. 7. 8. In hoc regno gratiæ *beati cenſentur, qui non vident, & tamen credunt.* Io. XX, 29.

Prob. d. (1) Meditatio verbi diuini parit notitiam Dei, rerumque diuinarum ſalutiferam & beatificam. E. Contemplatio meditatione perfectiorem θεογνωσίαν gignere nequit. Conſequentia eſt ſolida; quia in hac vita maior & perfectior Dei, rerumque diuinarum notitia dari nequit, quam quæ ad æternam beatitudinem nos perducit. Antecedens e plurimis dictis biblicis pateſcit. Rex Dauid eum *beatum* prædicat, *qui in lege Dei meditatur diu noctuque,* Pſ. I, 2. Chriſtus beatos pronuntiat, qui *verbum Dei audiunt & cuſtodiunt,* Luc. XI, 28. Iacobus hortatur c. I, 21. *In manſuetudine recipite implantatum verbum, quod poteſt ſaluas facere animas veſtras.*

(2) Ex aſſidua & attenta verbi diuini meditatione naſcitur cognitio diſtincta Dei, perſonarumque diuinarum, attributorum & actionum Dei, principiorum & mediorum ſalutis. E contemplatione autem proficiſcitur cognitio confuſa, obſcura & generalis, teſte MOLINOSIO, *monit. I. n. 7. p. 17.* At cognitio, quo magis eſt diſtincta, eo perfectior eſt. Confuſio enim in quacunque re imperfectionis eſt, diſtinctio perfectionis, in cognitione præcipue. Quam ob rem doctores proteſtantes grauibus moti cauſſis, meditationem verbi diuini contemplatione myſticorum potiorem ducunt, quamuis non omnem reiiciant contemplationem.

## Δ Ι Α Λ Υ Σ Ι Σ.

Myſtici opinantur I. Notitiam experimentalem, quam Paullus vocat αἴσθησιν, ſenſum ſiue experientiam, & diſtinguit ab ἐπιγνώσει, ſiue cognitione, Phil. I, 9. e contemplatione fluere & hauriri. Reſp. (1) Αἴσθησιν ſenſum ſiue experientiam internam gratiæ, amoris & bonitatis diuinæ denotare, nemini non apertum eſt. Vocatur hic ſenſus gratiæ diuinæ etiam guſtus bonitatis. Pſ. XXXIV, 9. ait Pſalmiſta: *Guſtate & videte, quam bonus ſit Iehouah.* Vbi tam guſtare, quam videre, notat experimentalem & ſenſibilem cognitionem bonitatis diuinæ. Subſcribimus D. GEIERO, verba Dauidica concinne interpretanti: טעמו guſtate, i. e. *ſingulari cum oblectatione perpendite ac experimini. Metaphora ducitur ab externo animali ſenſu ad internum hominis intellectum, adeoque guſtare idem eſt, quod intelligere, experiri, frui, ceu Prouerb. XXXI, 15.* וראו & videte, h. e. *abunde & multifariam cognoſcite. Iterum a cognitione ſenſuali transfertur metaphora ad cognitionem intellectualem, ita quidem, vt viſio deſignet cognitionem alicuius rei accuratiorem; nam etiam viſus præ reliquis ſenſibus eſt accuratior. Immo videre idem quandoque eſt, ac frui ſimul re cognita.* Confer Cohel. I, 16. Pſ. IV, 7. XXVII, 13. Quamobrem tam guſtare, quam videre denotat notitiam experimentalem, eo quod in vita ciuili experimentum alicuius rei capimus non magis per guſtum linguæ, quam viſum oculorum. Notamus inſimul errorem myſticorum ſtatuentium, *guſtare,* praxin; *videre,* theoriam deſignare, atque ex hoc colligentium, praxin in theologia myſtica præcedere theoriam. At profecto cœca eſt praxis voluntatis, quam non diſtincta præcedit cognitio intellectus. (2) Non tantum notitia de Deo & rebus diuinis litteralis, ſed etiam experimentalis, e verbo Dei in litteras redacto hauritur. Id quod diſcimus (a) ex effato Petrino, 1 Ep. c. II, 2. 3. *Tanquam modo geniti infantes, verbale ſincerum lac deſiderate, vt per illud creſcatis; ſiquidem guſtaſtis, quod benignus ſit Dominus.* Innuit Petrus, nos guſtare & ſentire bonitatem Dei in dulciſſimo lacte euangelii; quippe quod ſuauitatem domini deguſtandam nobis exhibet. (b) Ex eloquio Paullino; ſiquidem apoſtolus Paullus guſtum verbi diuini, & guſtum virtutum futuri ſeculi arctiſſime coniungit, Hebr. VI, 5. inquiens: *Bonum guſtarunt Dei verbum, virtutesque futuri ſæculi:* ideo quod verbum euangelicum non tantum gaudia cœleſtia

Digitized by Google

ſtia nobis obiectiue reuelat, ſed etiam effectiue in nobis operatur iuſtitiam, *pacem & gaudium in Spiritu S.* Rom. XIV, 17. (3) Genuinam contemplationem, qua homines renati iuxta ſpecies intelligibiles gratiam Dei fixis mentis oculis intuentur, eamque ſingulari fiducia amplectuntur, nonnihil momenti afferre ad notitiam Dei experimentalem, non negamus. Certum tamen eſt, τὴν ἀισθησιν, non fieri ſine ſpeciebus intelligibilibus, mediante verbo externo intellectui impreſſis.

II. Quicunque Deum in cordibus ſuis habitantem guſtant, illi ipſum immediate (absque concurrente verbo Dei externo) cognoſcunt. Atqui veri contemplatores &c. E. Maior eſt euidens; quia homo omne id, quod in corde ſuo eſt, modo in ſe deſcendat, citra externum medium, adeoque immediate, perſpicere poteſt. Nam *quæ ſunt hominis, nouit Spiritus hominis, qui in ipſo eſt,* 1 Cor. II, 11. Minor probatur, quia Deus (1) in renatis habitat, 1 Cor. III, 16.; (2) iidem bonitatem Dei deguſtant, Pſ. XXXIV, 9. Reſp. Quicunque Deum in cordibus ſuis habitantem guſtant, & *lumine gloriæ* colluſtrantur, illi immediate Deum cognoſcunt; concedo. At in hac vita Spiritus S. gratia illuminatrix nos informat & illuminat per verbum propheticum & apoſtolicum, 2 Pet. I, 19. 2 Cor. IV, 6. adeoque guſtamus Deum non immediate, ſed in lacte euangelii.

III. Quicunque guſtant virtutes futuri ſæculi, illos oportet lumine gloriæ colluſtratos eſſe, vt Deum immediate intueri queant. At pii contemplatores &c. E. Maior patet; quia virtutes *futuri ſæculi* ſunt gaudia, quæ in his terris nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis deſcenderunt. 1 Cor. II, 7. Quare ad earum perceptionem requiritur lumen gloriæ. Minor claret ex Hebr. VI, 5. Reſp. Per *virtutes* futuri ſæculi, præeunte D. SEBAST. SCHMIDIO, *comm. in h. l. p. 605.* intelligimus *iuſtitiam, pacem & gaudium in Spiritu S.* in quibus regnum Dei conſiſtit. Rom. XIV, 17. dicuntur δυνάμεις virtutes, propterea quod ſingulariter Deus quoque in his ſuam virtutem intra nos exercet; quæ δυνάμεις regno gratiæ & gloriæ communes ſunt, licet gradus perceptionis in altera vita longe excellentior futurus ſit. Sane pax, gaudiumque, quin & iuſtitia inchoata, veriſſima bona ſunt, nec ratione ſubſtantiæ alia, in hac, quam in futura vita ſunt. Sed quare, inquis, apoſtolus non potius dixit virtutes huius ſæculi, quam futuri ſæculi? Reſp. Potiſſima ratio eſt, quia apoſtolus docturus fuit, quædam chariſmata, ſiue bona vitæ æternæ, etiam in hac vita conferri in certo gradu iis, qui ſunt illuminati, & euangelium Chriſti guſtarunt vera fide: gradum perfectiſſimum iisdem licuiſſet conſequi, ſi in fide perſeueraſſent. Ad hunc guſtum fidei non requiritur lumen gloriæ, ſed ſufficit lumen gratiæ. (*).

*Inſtantia* I. Per iſtam ſententiam beatitudo gratiæ & gloriæ tantum gradu differt; quod falſum eſſe conſtat, quia γνῶσις *huius vitæ in cœlo abolebitur,* 1 Cor. XIII, 8. Iam vero cognitio perfecta, gradibus tantum differens ab imperfectione, hanc non abolet, ſed perficit: ſicut maius lumen minus non tollit, ſed auget. Reſp. Beatitudo gratiæ & gloriæ differt gradu reſpectu quorundam chariſmatum, ſiue donorum huic & futuræ vitæ communium: differt autem

(*) Ex ſcopo huius epiſtolæ, & vniuerſa eius ſententia, haud difficulter poterit intelligi, nomine μέλλοντος αἰῶνος indicari ætatem *noui fœderis*, quam vir diuus c. IX. 26. adpellat συντέλειαν τῶν αἰώνων, variarum periodorum V. T. conſummationem, quem ad modum Iudæorum Magiſtri antiquitus ſoliti ſunt hanc facere oppoſitionem ætatum, vnius quidem præſentis, ante Chriſti aduentum, alterius autem futuræ poſt, quam exſpectatus aduenerit, עולם הזה, & עולם הבא. Ergo καλὸν Θεȣ̃ ῥῆμα eſt Euangelium, ſtrictius ita dictum, quo optatiſſimum accipimus nuntium, Chriſtum iam veniſſe. Δυνάμεις igitur ſunt miracula, quibus veritas auctoritasque diuina Euangelii declarata fuit, & confirmata, interprete ipſo Paullo, in his ipſis litteris, c. II. 1. 4. & 5. Add. Marc. XVI. 20.



Digitized by Google

autem beatitudo gloriæ a beatitudine gratiæ etiam *ſpecie*, inprimis ratione viſionis beatificæ quæ vitæ æternæ baſis & præſtantiſſimum bonum eſt. *Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem a facie ad faciem*, 1 Cor. XIII. At cognitio ſpecularis, abſtractiua & mediata, a faciali, intuitiua & immediata, non gradu, ſed ſpecie differt.

*Inſtantia* II. Præter communem vitæ æternæ prægustum, qui eſt fidei in euangelio bonitatem Dei deguſtantis, datur etiam proprius & rarior prægustus futuræ beatitudinis, quem veteres vocarunt *raram horulam & breuem morulam;* quique ſit quaſi oſculum diuinum, momento illatum, aut ſuauiſſimus odor cito afficiens, cito deficiens, & conſiſtat in gaudio quodam ſublimiore, de quo agit B. ISRAEL MVRSCHELIVS in *aurora ſiue prægustu vitæ æternæ p. 72.* Conf. Miniſterii Tripolitani *ſcript. apol. part. I. p. 333.* & D. BAIERI Diſſert. *de prægustu vitæ æternæ* §. *60.* Qui prægustus rarior videtur inferre immediatam & intuitiuam Dei cognitionem. Reſp. Prægustus vitæ æternæ certos habet gradus, ſecundum quos diſtingui poteſt *in maiorem & minorem.* Et quamuis nonnulli homines, inprimis moribundi, abundantiorem quorundam donorum vitæ æternæ ſenſum aut guſtum habeant; non tamen negandum eſt, eum fieri per fidem, quæ ſuam originem debet euangelio, Rom. X, 17. At guſtus fidei non infert immediatam Dei cognitionem.

IV. Deus immediate operatur & concurrit cum cauſſis ſecundis in regno naturæ; quidni etiam immediate operetur in piis contemplatoribus, qui ſunt in regno gratiæ? Reſp. *Alia immediatio eſt ſubiecti operantis, alia eſt excluſi medii operatiui.* Sicut Deus in regno naturæ cum parentibus generantibus immediate, ſiue proxime concurrit, non autem excluſo parentum confluxu, eorumque fœcundo ſemine: ita Deus in regno gratiæ immediate & proxime operatur in piis contemplantibus, non excluſo verbo externo, tanquam ordinario gratiæ ſalutisque medio.

V. Rex Dauid contemplans bonitatem diuinam, dicit Pſalm. LXXXV, 9. *Audiam, quid Deus in me loquatur.* E. Homo pius in contemplatione audit Deum in ſe immediate loquentem. Reſp. Verba textus originalis in vulgata verſione male reddita ſunt, cum ſic eſſent vertenda: *Audiam, quod locuturus ſit Iehouah: nam loquetur pacem ad populum ſuum, & ad ſanctos ſuos.* Vbi non agitur de interno & immediato alloquio Dei, ſed de externo verbo promiſſionis, quo Deus per conciones prophetarum populo ſuo pacem, i. e. proſpera quæque, promittit.

VI. Quicunque ſponſus ſolus cum ſponſa ſola loquitur, is immediate cum ea colloquitur. Atqui Deus, tanquam ſponſus, ſolus cum anima renata, ſpirituali ſponſa, ſola loquitur. E. Minor probatur ex Hoſ. II, 14. *Propterea ecce, ego perſuadens illi, & deducam illam in deſertum, & loquar ſuper (ad) cor illius.* Quibus verbis Deus indicat, ſe ducturum eſſe animam piam in ſolitudinem, vt ſolus cum ſola loquatur, & ſe eidem immediate reuelet. Reſp. Agitur l. c. de collectione eccleſiæ in N. T. cui erranti Deus vult perſuadere, vt redeat in viam: vult eam deducere in ſolitudinem, i. e. ſegregare ab impiis mundi amatoribus: vult ſuper eius cor (alii reddunt: ad cor illius) loqui, i. e. vult eam comiter alloqui & conſolari per euangelium, quod eſt plenum ſolatii. Nam loqui ad cor, vel ſuper cor, ſignificat per verba blanda aliquem ſolari, vid. Gen. XXXIV, 2. Quare nec maior, nec minor argumenti firmo ſtat talo. Nam (a) ſponſus ſolus cum ſola ſponſa loquens, non ſemper cum ea loquitur immediate (excluſo medio externo), ſed interdum per epiſtolam. Ita Deus hodie loquitur cum anima per ſcripturam. Paullus Hebr. I, 1. dicit: *Multis vicibus, multisque modis olim Deus locutus patribus in prophetis, vltimis diebus hiſce locutus eſt nobis in filio.* Ex quo arguimus: Quam locutionem cum anima filius Dei vltimis temporibus finiuit, conſummauit, & obſignauit, illa non amplius eſt exſpectanda. Atqui locutionem immediatam &c.

Ergo

Digitized by Google

Ergo. (b) Deus deducens eccleſiam in deſertum, loquitur ſuper cor, ſiue ad cor illius non ſemper ſolus, ſed & per miniſtros ſuos.

VII. Chriſtus cum contemplatrice Maria Bethanienſi immediate locutus eſt. Luc. X, 39. E. hodienum Chriſtus cum piis contemplatoribus immediate loquitur. R. Maria Bethanienſis non tam contemplatrix, quam meditatrix fuit: audiuit enim verbum Chriſti, qui viſibiliter verſatus in his terris, αὐτοπροσώπως collocutus eſt cum hominibus; at euectus in cœlum vſque ad diem extremum cum renatis loquitur per os prophetarum & apoſtolorum, Luc. I, 10. c. X, 16.

VIII. De intuitiua Dei cognitione agere videtur Paullus 2 Cor. III, 15. inquiens: *Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini introſpicientes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a domini Spiritu.* E quibus verbis colligunt Myſtici & Quackeri: Qui reuelata facie gloriam domini introſpiciunt, illi cognoſcunt Deum immediate & intuitiue. Atqui renati &c. Ergo. Maior patet; quia reuelata facie gloriam Dei introſpicere idem eſt, quod eſſentiam Dei intueri. Reſp. 1) Neg. maior. Nam in fonte habetur græcum verbum κατοπτρίζεσθαι, quod proprie ſignificat aliquid in ſpeculo videre, adeoque notat cognitionem ſpecularem, ſeu abſtractiuam, non facialem, ſeu intuitiuam. 2) Non dicit apoſtolus, quod reuelatam Dei faciem intueamur, ſed quod reuelata facie gloriam Dei velut in ſpeculo introſpiciamus. Nimirum opponit fideles chriſtianos occæcatis Iudæis, quibus velamen ignorantiæ impoſitum eſt, vt ne intelligant finem legis & complementum typorum ac vaticiniorum eſſe Chriſtum; de ſe autem & hominibus fidelibus N. T. aſſerit, quod facie retecta introſpiciant in gloriam Chriſti in ſpeculo euangelii relucentem; quæ cognitio vtique mediata eſt.

IX. In ſacris litteris proſtant exempla eorum, qui Deum immediate viderunt. Nam Paullus raptus in cœlum tertium, vidit Dominum, Act. XXII, 18. 1 Cor. XV, 8. Quæ viſio non poteſt eſſe mediata; quia Paullus raptus eſt in cœlum tertium, vbi angeli Deum immediate intuentur. Sic & Stephanus, intuens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem a dextris Dei, Act. VII, 55. Reſp. 1) generatim. Nulli hominum in hac vita contigit, immediate intueri Deum, niſi Chriſto θεανθρώπῳ. *Nemo vidit patrem, niſi qui apud patrem eſt: hic vidit ipſum,* Io. VI, 46. Conf. Io. I, 18. 1 Tim. VI, 16. 2) Speciatim. Non vidit Paulus in raptu ſuo ecſtatico eſſentiam Dei; ceteroqui non dixiſſet: *Deum vidit nullus hominum,* 1 Tim. VI, 16. (ſcripta autem eſt epiſtola ad Timotheum poſt epiſt. ad Corinthios) ſed vidit Chriſtum in corpore ipſius glorioſo, qui modo extraordinario ſe ipſi reuelauit. Idem dicendum eſt de Stephano, qui vidit gloriam Dei, i. e. fulgorem quendam, quo maieſtas Dei repræſentabatur: prout gloria Dei accipitur, Exod. XXIV, 17. Luc. II, 9. Vidit Ieſum in corpore immortali formaque auguſta apparentem.

X. *Myſtici*, probaturi caliginoſam ſuam contemplationem, aſſerunt, ſe cum Moſe intrare in caliginem, Exod. XX, 18. quando expulſis conceptibus poſitiuis, manent in conceptu negatiuo, videlicet incomprehenſibili, inconceptibili, & intelligibili. Reſp. Haud leuiter deſipiunt myſtici. Etenim mons Sinai fumo circumdatus & obtectus erat, qui ſpiſſæ caliginis cauſſa erat, Exod. XIX, 18. Myſtici autem caliginem illam allegorice exponentes intelligunt per eam incomprehenſibilitatem Dei. At vero conſtat inter omnes, allegoriam non eſſe argumentatiuam, nec conceptum negatiuum per ſe eſſe quietificum, cum nec adſpirationi intellectus, nec deſiderio voluntatis ſatisfaciat. Nam pura negatio eſt non-ens, mixta autem negatio fundatur ſuper affirmatione, eamque præſupponit, dicente VICTORE GELENIO *P. I. dec. 8. art. 6. p. 8.* Conquieſcit itaque intellectus non in negatione, ſed in affirmatione. Voluntas autem fertur in bonum, quod eſt poſitiuum. Valeant igitur myſtici cum caliginoſa ſua con-



Digitized by Google

contemplatione! Veri Chriſti diſcipuli, meditando verbum Dei reuelatum, ſcientiam ſaluti quærunt & inueniunt.

Quæſt. XII. *Quænam complectitur notitia Dei reuelata?*

Notitia Dei reuelata complectitur, 1. exſiſtentiam Dei, 2. eſſentiam & attributa Dei, 3. perſonas diuinas, 4. actiones & opera diuina.

Quæſt. XIII. *An exſiſtentia Dei hic ſupponenda eſt, vt nota e lumine naturæ?*

*Exiſtentia Dei.* Cum hauſta e fonte rationis notitia Dei ſit confuſa, debilis & languida; ad indubitatæ fidei generationem (a), ſolidamque atheorum confutationem (b), ex ſupernaturali reuelatione, in ſacris litteris comprehenſa, exſiſtentia Dei plenius & liquidius hic demonſtranda eſt (c).

Prob. a. Princeps fidei articulus eſt, *eſſe Deum;* vtpote cui, ceu fundamento ceteri omnes innituntur. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quod ſit, & quærentibus ipſum retributor mercedis fiat*, docente apoſtolo, Hebr. XI, 6. Indubitata autem fides e ſemine verbi diuini generatur. Io. XVII, 20.

Prob. b. Quamuis athei ex principiis naturæ & rationis confutari queant: attamen *vt fide credant, eſſe Deum*, in ſubſidium vocari omnino meretur verbum Dei in litteras redactum. Neque enim accenditur fides, niſi ex lumine verbi diuinitus reuelati. Rom. X, 14.

Prob. c. Ex fonte S. ſcripturæ, per quam ſolida hauritur demonſtratio, qua exſiſtentia Dei euincitur. Nam 1) *generatim* omnes & ſingulæ verbi diuini ſcripti litteræ loquuntur eſſe Deum; ſiquidem tota ſcriptura eſt θεόπνευστος, inſpirante Deo conſignata, 2 Tim. III, 16. Sed quæ ſcriptura diuinitus eſt inſpirata, illa Deum arguit auctorem. 2) *Speciatim* colligitur exſiſtentia Dei a) *ex nominibus*, quæ Deo in authenticis prophetarum & apoſtolorum ſcriptis tribuuntur; b) *ex attributis diuinis*, quæ cum ſoli Deo per ſe conueniant, eſſe nequeunt, niſi ſit ipſe Deus; c) *ex operibus Dei*, quæ ſunt creatio, conſeruatio totius mundi, in primis eccleſiæ gubernatio in ſacris litteris deſcripta, miracula ſtupenda, beneficia in pios collata, ſupplicia impiis irrogata, vaticinia euentibus comprobata. Quæ omnia, cum de exſiſtentia Dei ſane quam luculenter teſtentur, mentibus noſtris penitiſſime infigenda ſunt, & dubitationibus de Deo noſtris non minus, quam atheorum, Deum negantium, impietati opponenda; cum contingat, vt etiam piis, æſtu tentationum iactatis, oboriatur dubitatio, an ſit Deus.

Quæſt. XIV. *Quibus nominibus Deus a prophetis in V. T. inſignitur?*

*Nomina diuina hebraica.* Nomina, quibus Deus a prophetis in vet. teſtamento inſignitur, quædam ipſam exprimunt eſſentiam Dei, vt יהוה (a), יה (b), אהיה (c); quædam Deum a potentia, vt אל (d), & שדי (e); quædam a dominio, vt ארון (f) & ארני (g); quædam a cultu religioſo, vt אלה (h), & אלהים (i) denominant.

Prob. a. Sacroſanctum nomen יהוה immediate deſcendit a verbo היה fuit, exſtitit. Exprimitur græce a S. Ioanne ὁ ὢν, ϗ ὁ ἦν, ϗ ὁ ἐρχόμενος, qui eſt, & qui fuit, & qui venturus eſt. Apoc. I, 8. Redditur a IVNIO αὐτοών, a SCALIGERO, αὐταυτὸς, a b. WALTHERO αὐταυτότατος, latine, eſſentiator, vel vt reddit D. VARENIVS, eſſentians. Vid. *Decad. V. in Exod. p. 99.* Notatur hoc nomine 1) *eſſentiæ diuinæ independentia*, quia Deus eſt a ſe & non ab alio; 2) *eſſentiæ diuinæ immutabilitas & æternitas:* Quod mutabile eſt, non neceſſario exſiſtit: Deus autem eſt ens æternum & neceſſarium, quod non poteſt non eſſe; 3) *eſſentiæ di-*

*vi-*

Digitized by Google

*vinæ eminentia.* Creaturæ, iudice PLATONE, habent plus non entis, quam entis. v. gr. Homo habet vnum eſſe, nempe humanum; deſunt ei infinita eſſe alia, vt eſſe angelicum, lapideum, ſidereum &c. Deus autem ſicut omnis eſſentiæ fons & origo eſt: ita omnia eſſe in ſe continet vel eminenter, vel virtualiter & effectiue. Ex quo a DAMASCENO *libr. I. orthod. fid. c. 11.* vocatur πέλαγος τῆς ȣσίας ἄπειρον ϗ ἀόριςον, mare eſſentiæ infinitum ac interminabile. 4) *Promiſſionum diuinarum conſtantia.* Huc referri poteſt locus Exod. VI, 3. vbi Deus dicit: Innotui Abrahamo, Iſaaco & Iacobo באל שדי, in Deo omnipotente, ſed in nomine meo *Iehouah* ipſis non innotui. Verba hæc abſolute intelligi nequeunt; nam Abraham inuocauit nomen Iehouah: Gen. XIII, 4. Sed intelligenda ſunt reſpectiue, nempe reſpectu complementi, quo promiſſio ſuam exiſtentiam accipit. Abrahamo, Iſaaco & Iacobo declarauit Deus potentiam ſuam, quod poſſet ſtare promiſſis (promiſerat autem ipſis hæreditariam terræ Canaan poſſeſſionem plenumque dominium); ſed illi promiſſionis complementum, quo Deus verbis ſuis dat eſſe, nondum erant experti. Id indicaturus Deus dicit, quod ipſis in nomine Iehovah nondum innotuerit.

Nomen hoc τετραγράμματον, quatuor conſtans litteris, eſt nomen Dei *proprium grammatice & logice. Grammatice*, quia omnia requiſita nominis proprii ipſi ex aſſe conueniunt. Nam a) ab initio habet iod initiale, litteram præformatiuam nominis proprii. b) Deſtituitur numero plurali. c) Nunquam ab initio aſſumit ה emphaticum. d) Nullum recipit ſuffixum. e) Nunquam ponitur in regimine. Huic vltimo nominis proprii κριτηρίῳ obſtare videtur Pſ. XXIV, 10. יהוה צבאות vbi nomen יְהוָה poſt ſe regit nomen, adeoque in regimine ponitur. Reſp. Ante hoc nomen Zebaoth ſupplendum eſt ex aliis locis אלהי Deus; Sic integra habetur hæc locutio Pſ. XXXIX, 9. Ier. XV, 16. Hoſ. XII, 6. Amos III, 13. Quamobrem in hac elliptica formula loquendi non nomen יהוה ponitur in regimine, ſed illa vox, quæ inter nomen Iehouah & Zebaoth ſubintelligitur. (*)

*Logice nomen* יהוה *proprium* eſt, quia in caſu recto ſolitarie, extra compoſitionem & ſine addito reſtringente poſitum nemini competit, niſi ſoli Deo æterno adeoque creaturis incommunicabile eſt. Id quod patet a) ex *etymologia.* Deſcendit enim ab היה fuit ad repræſentandam independentem, immutabilem & æternam eſſentiam Dei. b) Quia a participatione huius nominis omnes creaturæ, omnia idola excluduntur. Eſ. XLII, 8. *Ego ſum Iehouah; illud eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Pſ. LXXXIII, 19. *Agnoſcant, quod tu (ſis) nomine tuo Iehouah ſolus; altiſſimus ſupra omnem terram.*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, contendentium nomen יהוה in ſacris litteris etiam creaturis tribui. Opinionem ſuam firmaturi argumentantur:

1. Quodcunque nomen tribuitur idolis, illud non eſt nomen Dei proprium. Sed nomen יהוה &c. Ergo. Minor probatur ex Exod. XXXII. 5. Cras erit ſolemnitas Iehouæ, i. e. vituli aurei. Reſp. Diſtingu. *inter conceptum de Deo, qui dicitur Iehouah, generalem, & illius conceptus applicationem ſpecialem.* Habuit Aaron conceptum de Iehouah verum, ſed eundem male applicauit. Senſus Aaronis erat, per idolum illud cultum diuinum vltimo referri poſſe ad ſupremum numen.

2. Nomen יהוה tribuitur angelis, Gen. XVI, 8. 9. Exod. III, 2. Mal. III, 1. Reſp. Loca citata, & iis gemina alia, intelligenda ſunt non de angelis creatis, ſed de angelo increato, filio Dei. Id quod patet ex prædicatis, quæ de angelo illo in textu affirmantur. Per angelum,

 qui

(*) Id ita eſſe, etiam grammatice demonſtratur eo, quod ſtatus constructus mutationem litteræ ה in ת poſtulat, ideoque non יהוה, ſed יהות fuiſſet ſcribendum, ſi id quidem in eo ſtatu poſitum deberet exiſtimari.

Digitized by Google

qui Hagari apparuit Gen. XVI. non poteſt intelligi angelus creatus, quia v. 10. ita alloquitur Hagarem: *Multiplicabo ſemen tuum, vt non poſſit numerari præ multitudine.* Sane hæc multiplicatio ſeminis & poſterorum præſupponit omnipotentiam, & angelo creato tribui nullo modo poteſt. Neque angelus, qui Moſi apparuit in rubo ardente, fuit angelus creatus, quia ſe diſerte vocat Deum Abrahami, Iſaaci & Iacobi. v. 6. Quæ denominatio ſoli Deo competit. Per angelum fœderis autem Mal. III, 1. intelligi nemo, niſi Chriſtus, poteſt; quippe qui ſanguine ſuo nouum fœdus confirmaturus erat.

Dicis: Angelo creato nomen Iehouah tribui poteſt, quatenus munere legati perfungitur. Nam legato legantis nomen aſſumere licet. Reſp. Ioannes Baptiſta erat legatus Chriſti, & tamen negabat, ſe eſſe Chriſtum. Legatus Cæſaris non audet dicere: Ego Leopoldus Romanorum imperator.

3. Nomen יהוה tribuitur hominibus, Deuter. XIX, 17. Stabunt ante Iehouam, ante ſacerdotes & iudices. Reſp. Per Iehouam non intelliguntur ſacerdotes & iudices, ſed hi tanquam cauſſæ inſtrumentales ſubordinantur Deo, vt cauſſæ principali. Conf. 2 Paral. XIX, 6.

4. Nomine Iehouah honorantur quædam creaturæ inanimatæ. 1) Altare a Moſe erectum, Exod. XVII, 15. 2) Arca fœderis, Num. X, 35. 3) Mons Moria, Gen. XXII, 24. 4) Hieroſolyma, Ezech. XLVIII, 35. Reſp. α) in genere. A compoſitis ad diuiſa non valet conſequentia. Nam aliud ſignificat vox ingreſſa compoſitionem, aliud poſita extra compoſitionem. Sic aliud eſt Conſtantinus, aliud Conſtantinopolis, aliud Deus, aliud Theophilus. Nomen יהוה poſitum ſolitarie, ſine addito, ſiue extra compoſitionem, ſemper notat eſſentiam diuinam. Locis citatis ponitur nomen τετραγράμματον cum addito nomine, verbo aut aduerbio. Reſp. β) in ſpecie ad 1) Nomen יהוה coniunctum cum nomine נסי Ex. XVII, 15. notat protectionem Dei, cuius perpetuum memoriale erat erectum altare. Ad 2) Nihil nerui ineſt conſequentiæ: Proficiſcente arca, dixit Moſes: Surge Iehouah: E. arcam vocauit Iehouam. Proficiſcente exercitu, dicere poteſt imperator: Surge Iehouah, & diſperge inimicos noſtros. Ecquis, niſi mentis impos, colligeret? Imperator exercitum vocauit Iehouam. Ad 3) Mons Moria non abſolute dicitur Iehouah, ſed *Dominus prouidebit.* Debebat mons Moria eſſe ſignum memoriale prouidentiæ diuinæ, non ipſe Iehouah. Ad 4) Nulla eſt ſequela. Dominus eſt ibi. E. vrbs Hieroſolyma vocatur dominus aut Iehouah. Perinde ac ſi colligas: Lycurgus eſt Spartæ. Ergo Sparta eſt Lycurgus.

Inſtantia. Hieroſolyma vocatur: יהוה צדקנו dominus iuſtitia noſtra. Ierem. XXXIII, 16. Reſp. Verba textus ſunt: *In diebus illis ſeruabitur* Iuda, & *Hieroſolyma habitabit ſecura: hoc autem eſt* (nomen eius) *quod vocabunt illi: Iehouah iuſtitia noſtra.* Patet e textu, quod vocaturi ſint non illam Hieroſolymam, ſed לה illi ſcil. Hieroſolymæ. Senſus eſt: Hoc eſt nomen germinis Dauidis, quod vocabunt i. e. nuncupabunt, annunciabunt, prædicabunt Hieroſolymæ: Iehouah iuſtitia noſtra. Eſt hic titulus Meſſiæ, non Hieroſolymæ. Conf. Ier. XXIII, 6.

5. Si nomen Iehouah eſt incommunicabile, non poteſt filio Dei & Spiritui S. communicari. Sed communicatur &c. E. Reſp. Dicitur nomen Iehouah incommunicabile creaturis extra Deum exſiſtentibus, non perſonis diuinis.

Inſtantia. Ergo nomen Iehouah non poteſt humanæ Chriſti naturæ tribui. Reſp. Humana Chriſti natura non exiſtit extra Deum, ſed in thronum deitatis euecta eſt.

Prob. b. Nomen diuinum יָהּ conuenit cum nomine יְהוָה & eſt ſignificatiuum eſſentiæ diuinæ independentis & immutabilis. Redditur a LXX. κύριος, a THEODOT. per τὸ ὄν, ſiue ens. Occurrit potiſſimum in hymnis, & adhibetur vt nomen Dei proprium. Pſ. LXVIII, 5.

Can-

Digitized by Google

*Cantate Deo, laudate nomen eius, extollite equitantem ſuper nubibus, per Iah nomen ipſius.* Quibusdam videtur hoc nomen contractum ex nomine Iehouah, per ſyncopen eiectis duabus litteris mediis: aliis habetur decurtatum retentis duabus litteris anterioribus, cum prius He in tetragrammato mappikatum ſiue mobile ſit, non poſterius. At præferenda hic videtur illorum ſententia, qui primitiuum id eſſe cenſent, quia cum nomine Iehouah coniungitur Eſ. XII, 2. c. XXVI, 4.

Prob. c. Nomen אֶהְיֶה eſt nomen diuinum peculiare a Iehouah non tam ſenſu, quam forma & ſignandi modo diuerſum. Deus ipſe hoc nomine ſe inſigniuit Exod. III, 14. cum Moſen in Aegyptum mittere vellet, iubebat, vt diceret Iſraëlitis: *Eieh miſit me ad vos.* Vox hæc alias primæ perſonæ eſt futuri ab הָיָה fuit. Sed migrauit illud futurum in nomen; conſtruitur enim vt nomen nominatiui caſus, præcedens verbum & conſtituens ſubiectum orationis. Græce redditur a LXX. interpretibus, ὤν, ab Hieronymo latine, *Eriturus.* Poteſt concipi vt nomen eſſentialiſſimum & propriiſſimum Dei, non modo ab aliis denominati (quod peculiariter importare videtur יהוה); ſed & *vt denominantis ſeipſum, ſub notione radicali ſummi & in actus ſpecialiſſimi complemento operantis entis*, cenſentibus D. VARENIO *Decad. Exod. V*, p. 98. & D. PFEIFFERO *in dub. vexat.* p. 245. Deſignat eſſentiæ diuinæ independentem immutabilitatem, indiuiſibilem æternitatem, fœderis ac gratiæ firmitatem, promiſſionum diuinarum certiſſimam veritatem.

Prob. d. Nomen אֵל *notat eſſentiam diuinam cum connotatione potentiæ infinitæ.* Nam אֵל eſt ab אַיִל quod ſignificat robur aut fortitudinem. *Adhibetur de vero & viuo Deo, cum in ſingulari occurrit, & abſolute ſine conditione diminuente vel alienante & quidem ſubſtantiue ac concretiue ſumitur. Quis eſt* אֵל, *præter* Iehouam? 2 Sam. XXII, 32. *Sociniani* putant eſſe nomen commune, & obiiciunt

1) Daniel. XI. 36. Deus eſt אֵל אֵלִים Reſp. אֵלִים eſt plurale, quod de hominibus fortibus & diis gentium vſurpatur; ſed אֵל in ſingulari poſitum notat ſupremum Numen.

2) אֵל in ſingulari poſitum Ezechiel. XXI, 11. non notat ſupremum Numen. Reſp. Loco citato אֵל ponitur cum addito & ſumitur adiectiue pro robuſtiſſimo inter gentes.

Prob. e. שַׁדַּי itidem notat *eſſentiam diuinam cum connotatione potentiæ infinitæ.* Deriuatur enim doctiſſimorum philologorum de ſententia a radice שדד vaſtauit, & ritu fulminis permeauit aut penetrauit. Tribuitur Deo Ierem. XXV, 36. c. XLVII, 4. adeo, vt hoc nomine exprimatur diuina omnipotentia, qua res cunctas permeat, & ſolus pro lubitu omnia, quæ fecit, deſtruere & in nihilum redigere poteſt. Quo ſenſu a LXX. interpretibus Iob. V, 17. redditur παντοκράτωρ, c. VIII, 3. ὁ ποιήσας τὰ πάντα; ab AQVILA, ἄλκιμος, ab ABEN ESRA תַּקִּיף, a SEB. SCHMIDIO fulminator explicatur; a D. LVTHERO & Iudæis in translatione germanica allmächtig vertitur. Neque hæc originatio rationibus deſtituitur. Nam α) Dages in media littera ד haud obſcure indicat, vocem hanc a verbo geminato Aiin originem ducere. β) In lingua cognata Arabica שדיד eſt validus. γ) Ad exprimendam potentiam Dei infinitam additur אֵל ἐξηγητικόν. δ) Hanc vocis originem reſpicere videntur prophetæ Eſ. XIII, 6. 7. Ioel. I, 15. Sunt tamen, qui hoc nomen diuinum deducunt a שַׁד, mamma, perquam piam addentes etymi rationem, quod non ſecus ac mater infantem ſuum, Deus nos gratioſe alat & ſuſtentet. Sunt alii, qui hoc nomen diuinum deriuatum volunt a שׁ pronomine relatiuo & דַּי, quæ vox ſufficientiam notat, quia Deus eſt ſibi ſufficiens, & nullius indiget. Hinc græce αὐταρκής, vel phraſi Platonica ἀνενδεής vocatur. Nos data prima deriuatione acquieſcimus. Conf. D. PFEIFF. *diſſ. Philolog. VIII. de nominibus diuinis.*

Prob.

Prob. f. אדון notat *eſſentiam diuinam cum connotatione ſuſtentationis & dominii diuini.* Deriuatur enim ab אדן fundamento, adeoque vi vocis notat ſuſtentatorem, conſeruatorem & omnium rerum dominum. Adhibetur de Deo independente & æterno, quando 1) abſolute ponitur, & nullo reſtringente limitatur. 2) Quando effertur cum ה demonſtratiuo. 3) Quando poſitum eſt cum additamento dilatante, ampliante & ad vniuerſale ſubiectum extendente. 4) Quando geminatum occurrit, vt Adon Adonim Deuter. X, 17. 5) Quando in caſu eodem inuenitur coniunctum cum Iehouah, Elohim, aut alio nomine diuino. 6) Quando ei talia conneſtuntur attributa, quæ nemini, niſi Iehouæ, conuenire poſſunt. Conf. D. DORSCHEI *pentadec. diſſert.* theolog. diſp. XII. §. 34.

Prob. g. Nomen אדני, eandem cum אדון, cum eiusdem ſit originis, ſuſtinet ſignificationem, & notat *ſuſtentatorem & rectorem huius vniuerſi.* Eſt hoc nomen cum Kamez in fine, eoque natiuo, non ex pauſa oriundo, Deo proprium. Neque enim vnquam ponitur in regimine, nuſpiam ה emphaticum præfixum habet, ſuffixa nulla admittit, ac ſemper eadem ratione cum verbo vel adiectiuo ſingulari effertur; quæ ſunt κριτήρια nominis proprii. Sunt, qui eius formam volunt eſſe pluralem cum ſuffixo primæ perſonæ: alii malunt eſſe ſimpliciter pluralem ad formam גובי, locuſtæ Nah. III, 17. שרי principes Iud. V, 15. חלוני feneſtræ Ier. XXI, 14. Quamobrem cum hoc nomen diuinum pluralis ſit numeri, ab eodem argumentum pluralitatis perſonarum diuinarum deſumi poteſt. Conf. D. CALOV. *in ſyſtem. theol.* tom II. p. 125.

Prob. h. Nomen diuinum אלה nonnulli deducunt a radice Hebraica אלה iurauit, exſecratus eſt; vel quod per ſolius Dei nomen ſit iurandum, vel quod ſolus Deus poſſit effectiue benedicere & maledicere. At huic originationi obſtare videtur ה mappikatum; eadem de cauſſa deriuationem ab אל non recipimus; cum ה mappikatum nunquam poſſit eſſe ſeruile, aut Heemanticum. Philologorum principes ERPENIVS, AMAMA, LVDOVICVS DE DIEV, GLASSIVS, PFEIFFERVS, radicem eius conſtituunt אלה, hodie inuſitatam apud Hebræos, ſed vſitatiſſimam apud Arabes, quibus אָלַה eſt ſeruire colere, &, pro ratione obiecti, adorare. Proinde deſignat auguſtiſſimum hoc nomen Deum *religioſe colendum & adorandum*, ſiue vt plenius explicat D. VARENIVS, notat *ſummum* Deum infinitæ maieſtatis, angelis, hominibus, omnibusque omnino creaturis tremendæ & venerandæ. Vid. Dec. I. in Gen. p. 10. Abſolute poſitum ſoli vero Deo vindicatur, nunquam vel creaturis, vel idolis, niſi expreſſa fiat limitatio, vt Dan. XI, 39. vbi ſit mentio אלה נכר Dei alieni. Ceteroqui manet nomen Deo independenti & æterno proprium. *Quis* אלה, *præter* Iehouam? Pſ. XVIII, 32. vbi interrogatio affirmatiua infert enunciationem categoricam negantem.

Prob. i. Nomen perſonale אלהים ortum a ſingulari אלה itidem eſt *ſignificatiuum maieſtatis diuinæ religioſe venerandæ, pluralitatem perſonarum inferens.* Eſt hoc primum Dei in ſacris litteris nomen, legiturque in ipſo ſcripturæ exordio, Gen. I, 1. cui demum c. II, 4. nomen Iehouah iungitur. Equidem Iudæi auctores ſunt paſſim, quaſi vox Elohim iudicem denotet, & ſequuntur eos multi ex chriſtianis veteres & recentiores: nullo ſane prorſus fundamento; niſi quod Iudæi effugium quærunt, ne myſterium plurium in Deo perſonarum concedere cogantur. Nam vocem Elohim ſenſu proprio deſignare iudicem, neque ex origine vocis, neque ex vſu linguæ valide probare poſſunt. Nullus quippe vsquam locus ſcripturæ monſtrari poteſt, in quo de iudice aut iudicibus creatis ex inſtituto agitur, & nomen Eloah vel Elohim illis tribuitur ſimpliciter. Inepta eſt conſequentia: Elohim ad iudices per tropum transfertur. Ergo proprie iudicem ſignificat. Nam & nomen Achillis viro forti tropice tribuitur, neque tamen ſequitur: Ergo per ſe virum fortem denotat. Conf. D. SCHMID. *colleg. bibl. prius p.* 115. Nos origine vocis, quam ſupra dedimus, & vſu linguæ freti ſtatuimus, vocem אלהים *proprie, & perpetuo ſine conditione alienante aut diminuente poſitam*

de-

Digitized by Google

deſignare Deum religioſe colendum & adorandum, ſub notione pluralitatis perſonarum. Id quod innuit Moſes, Deut. IV, 35. *Scias, quod Iehouah ipſe ſit Elohim, nec amplius* (quispiam) *præter ipſum*, q. d. ſolus Iehouah eſt Deus religioſe venerandus. Metaphorice & κατ' ἀναλογίαν ob quandam honoris ſimilitudinem cum Deo, angeli, Pſ. VIII, 6. collat. Hebr. I, 6. nec non magiſtratus, Pſ. LXXXII, 6. Elohim appellantur. Μιμητικῶς & κατὰ δόξαν falſi ethnicorum dii ſiue deaſtri, quia gentiles eos loco veri Dei colebant, nomine Elohim exprimuntur. Exod. XXIII, 24. c. XXXII, 4.

Fixum interim ratumque manet, nomen diuinum אלהים non tantum formatione & terminatione, ſed etiam ſenſu & ſignificatione eſſe plurale, atque adeo pluralitatem perſonarum indefinite talem, non præciſe trinitatem, inferre, aut certe ad eandem reſpectum quendam importare. Aſſertioni fidem damus, quia 1) vox Elohim ſingularem ſuum numerum regularem eiusdem ſignificationis, frequentisque vſus habet. At omnis vox numeri pluralis, cuius ſingularis eiusdem rei ſignificatiuus in vſu eſt, extra enallagen ſignificat quandam pluralitatem. 2) Quia nomen Elohim & cum nomine & cum verbo plurali conſtruitur. Vid. Gen. XX, 13. cap. XXV, 7. Ioſ. XXIV, 19. 2 Sam. VII, 33. Pſ. LVIII, 12. 3) Quia plures Elohim conſultantes aut colloquentes introducuntur, Gen. I, 26. *Faciamus hominem in imagine noſtra.* Qua ratione nemo in hebræa lingua de ſe vt vna perſona loquitur.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, voce Elohim pluralitatem perſonarum diuinarum inferri, quibus e *Pontificiis* nonnulli accedunt, quorum argumenta ſunt:

I. Nomen Elohim conſtruitur cum verbo numeri ſingularis in ipſo frontiſpicio ſcripturæ ברא אלהים. Ergo non infert pluralitatem perſonarum.

Reſp. 1) Conſtruitur etiam cum verbo plurali ad exprimendam pluralitatem. 2) Non eſt Iudæus, qui non inſolitam huius nominis conſtructionem miretur, teſte HORNBECK. *Diſp. V. antiqu. Iudaic. Niſi hic ſermo fuiſſet ſcriptus, non licuiſſet dicere: Bara Elohim*, inquit R. *Hunna* apud GERHARD. *in exegeſ. loc. III. ſ. 115.* 3) Conſtruitur nomen Elohim cum verbo ſingulari ad ſignificandum eſſentiæ diuinæ *vnitatem* & perſonarum *pluralitatem*; ceteroqui ratio dari nequit, cur Moſes nomine plurali Elohim in opere creationis ſit vſus, cum illud numero ſingulari non deſtituatur. Percommode exponi poteſt: *Vnaquæque perſonarum creauit in vna & tribus perſonis communi deitate.* Confer VAREN. *decad. I. in Gen. p. 15.*

Dicis: I. Nomen Elohim eſt nomen dominii, adeoque ad amplificandum honorem Dei in numero quidem plurali, ſenſu tamen ſingulari adhibetur. Reſp. *Nomen Eloah non eſt nomen dominii, ſed gloriæ*, per ſe ſummum adorationis honorem exprimens. Ergo numerum eius pluralem ad amplificandum honorem Dei adhibere, nil attinet.

Dicis: II. Deus de ſe magnatum more in numero multitudinis loquitur, Gen. I, 26. Reſp. 1) Stilus magnatum de ſe in numero multitudinis ſingulari cum auctoritate loquentium a ſtilo hebræo ſimpliciſſimo alienus eſt. Exſtant in ſacris litteris reſcripta & mandata regum de ſe in numero ſingulari loquentium. Vid. Eſræ VII, 13. Dan. IV, 3. c. VI, 20. 2) Magnates de ſe in numero multitudinis loquuntur, vt ſignificent, ſe conſiliariorum & optimatum ſuffragiis aut adminiculis aliquid decernere. At Deo nemo eſt a conſiliis Eſ. XL, 13. 3) Principes, qui de ſe in plurali loquuntur, nunquam tamen nomen ſuum proprium aut appellatiuum in plurali exprimunt. Neque enim dicunt: Nos Leopoldi, Imperatores Romanorum, mandamus; ſed: Nos, Leopoldus, Imperator. At Deus quoque ſuum nomen in plurali exprimit, vbi dicitur: Iehouah Elohim. 4) Si Deo placuiſſet ad declarandam maieſtatem ſuam de ſe in plurali loqui, vel ſemper, vel vt plurimum, vel certe in promulgatione legis Sinaiticæ in plu-



Digitized by Google

plurali locutus eſſet. At contrarium patet ex Exod. XX, 2. Quin potius Deus eſſentiæ vnitatem ſibi ſummæ laudi ducit. Eſ. XLIV, 6. & alibi paſſim.

Dicis: III. Verba Gen. I, 1. ברא אלהים, ex idiotiſmo linguæ hebrææ, & quidem ex analogia Adon, Baal &c. per enallagen numeri, vbi pluralis pro ſingulari vſurpatur, explicanda ſunt. Seruus ille ſenior Gen. XXIV, 9. Abrahamum vocat אדני. Potiphar dicitur Ioſephi, אדני Gen. XXXIX, 20. Ioſephus dicitur אדני terræ, Gen. XLII, 30. Schemer vocatur אדני montis Schomronis. 1 Reg. XVI, 24. Reſp. 1) A nomine אדון, quod notat dominum, ad אלה, quod cultum religioſum deſignat, inualidum petitur argumentum. 2) Ipſi Iudæi in locis citatis reſpectum quendam pluralitatis inferri, non negant, cuius fundamentum in pluralitate virtutum & honorum ponunt. (3) Quamuis in locis citatis diſerte vnus, qui primo reſpicitur, nominetur, plures tamen intelliguntur. Gen. XXIV, 9. connotatur Iſaac, filius Abrahami. Gen. XXXIX, 20. non intelligitur ſolus Potiphar, ſed ſimul etiam Pharao, cuius Eunuchus fuit Potiphar. Gen. XLII, 30. connotantur Ioſephi officiales, vel ipſe etiam Pharao: *Locutus eſt vir, domini terræ* i. e. vnusquisque ex dominis terræ. 1 Reg. XVI, 24. mons Schomron non vnum, ſed multos ordine habuit dominos, & forſitan illos ipſos, qui Schemeri faciebant familiam, vnde monti nomen: nec proinde ſine relatione vel ad anteceſſores, vel ad cognatos, parique iure naſcendi, montis Schomronis domini dicuntur.

II. Nomen Elohim dicitur de *vno* Deo, Deut. VI, 4. Ergo nullam infert pluralitatem. Reſp. Nomen Elohim dicitur de Deo, *qui* vnus eſt, ſed non *quatenus* vnus eſt, verum quatenus pluribus conſtat perſonis. Loco citato יהוה אחד eſſentiæ diuinæ vnitatem, אלהינו perſonarum diuinarum pluralitatem denotat.

III. Si plures ſunt Elohim, plures ſunt dii. Sed non ſunt plures dii. Ergo. Conſequentia patet, quia Elohim latine redditur Deus. Reſp. Nomen latinum, *Deus*, eſt nomen diuinum eſſentiale: at hebræum, *Elohim*, eſt nomen diuinum perſonale. A nomine perſonali ad eſſentiale perperam concluditur. Nullum datur nomen latinum, quod hebræo Elohim ex aſſe reſpondeat.

IV. Moſes dicitur Aaronis Elohim Exod. IV, 16. Reſp. Moſes non dicitur abſolute & in caſu recto Aaronis Elohim, ſed לאלהים loco Dei, vel pro Deo, quia Aaroni voluntatem Dei veri & triunius interpretabatur.

V. Nomen Elohim non ſemper infert pluralitatem quia vſurpatur (1) de vno idolo, Iud. XVI, 23. Exod. XXXII, 4.; (2) de vno angelo, Iud. XIII, 22.; (3) de ſola Dei patris perſona, Pſ. XLV, 8. Reſp. Ad (1): Idolum non dicitur Elohim, niſi in confuſa relatione conceptus idololatrici ad id, quod reuera eſt plures. Perinde enim colunt idololatræ ſuum idolum, ac ſi ſit verus Deus, qui vnus eſt eſſentia, trinus perſonis. v. gr. Dagon Philiſtæis κατὰ δόξαν & μιμητικῶς idem fuit, qui Iſraëlitis Deus triunus. Quæ etiam cauſſa eſt, quod plurali numero de vitulo dixerint Iſraëlitæ: Hi ſunt Elohim tui! Exod. XXXII, 4. quod repræſentarint eodem Elohim, qui Iſraëlitas liberarant ex Aegypto. Ad (2): Angelus, quem vidit Manoah, non fuit angelus creatus, ſed increatus, nempe filius Dei, quia vocatur Jehovah, qui holocauſtum ſuſcepit, v. 23. Ad (3); Quando vox Elohim de vna perſona diuina vſurpatur; ſignificatur, quod vna illa perſona ſit ex numero plurium, ſiue quod illa perſona diuina non ſit ſolitarie Deus, ſed vna cum reliquis duabus perſonis, ad quas perpetuum obtinet reſpectum. Conf. D. GERHARD. *exeg. loc. III. p. 365.*

VI. Si Elohim vi numeri pluralitatem mentibus inſinuat, Spiritus S. ſui ipſius ſpiritus eſt. Sed Spiritus S. non eſt ſui ipſius ſpiritus. Ergo Elohim vi numeri pluralitatem mentibus non in-

Digitized by Google

inſinuat. Conſequentia maioris probatur; quia pluralitas illa eſt trinitas, quam vna cum Deo patre & filio conſtituit Spiritus S. Reſp. *Ex voce Elohim probamus pluralitatem perſonarum indefinite, non præciſe, aut determinate trinitatem.* Sufficit nomen plurale Elohim plures ſignificare, idque formaliter: quod autem illa pluralitas ſit trinitas, quod ſit perſonarum in vna numero eſſentia, id nominis Elohim ſignificationi accedit materialiter. Neque neceſſe eſt, vt vox plures ſignificans ſemper pro pluribus coniunctim ſumatur; maxime vbi vna ex iſtis pluribus perſona reliquis contradiſtinguitur. Quocirca firmiſſime aſſerimus, Spiritum S. non ſui ipſius, ſed patris & filii ſpiritum eſſe.

Quæſt. XV. *Quibus nominibus ab apoſtolis in nouo teſtamento inſignitur?*

Nomina græca, quibus Deus ab apoſtolis in N. T. inſignitur, ſunt Θεός (a) Κύριος (b), Δεσπότης. (c) *Nomina diu. græca.*

Obſ. I. Nomen ϑεός deriuatum volunt alii a ϑέω curro, quod omnia permeet aut penetret: alii ab αἴϑω vro, quod ſit quaſi ignis conſumens (vitia), Deut. IV, 24: alii a ϑεάομαι, contemplor, quod Deus omnia videat & contempletur: alii a ϑέω pono, quia Deus omnia poſuit, fecit, parauit, fundauit: alii ἀπὸ τȣ̃ δέος a metu, quia Deus ſuper omnia timendus eſt: alii ab Hebræo די ſufficientia, quia Deus eſt ἀυταρκέστατος, nullius indigus, ſed ſibi ipſi perfectiſſime ſufficiens: quas deriuationes alluſiuas admittimus quidem, vocem autem ipſam potius *primitiuam* eſſe cenſemus, haud ſecus ac vocem latinam, Deus. *Alluſiones facilius dari poſſunt, quam veræ denominationis rationes.*

Obſ. II. Tribus modis, docente BASILIO *M. ep. 141. ad Cæſar.* nomen *Deus* vſurpatur. (1) Κατ' ȣ̓σίαν ſecundum eſſentiam dicitur ſummus & æternus, *Deus.* (2) Κατὰ χάριν ſecundum gratiam vocantur dii, quibus diuinum aliquod officium commiſſum eſt, vt magiſtratus, Pſ. LXXXII, 1. 6. (3) Κατὰ ψεῦδος ſecundum mendacium, qui ſe pro Deo venditant aut venditari cupiunt, vt idola & Deus huius mundi, 2 Cor. IV, 4. Nempe vox *Deus* κυρίως & proprie notat *Deum* independentem, qui eſt a ſe, & a quo ſunt omnia alia: μεταφορικῶς & ob ſimilitudinem quandam cum *Deo* natura tali, dicitur de diis dignitate & officio talibus. Μιμητικῶς & per catachreſin, ob vanam & erroneam hominum opinionem, idola & diabolus appellationem Dei ſortita ſunt.

Prob. a. Nomen ϑεός vel abſolute poſitum, vel inſignitum attributis & operationibus diuinis, eſſe ſignificatiuum eſſentiæ diuinæ independentis, patet (1) *ex communi conceptu gentium omnium;* quippe quæ audita voce, *Deus*, protinus concipiunt ens primum, quod eſt a ſe, & ceterorum omnium cauſſa. (2) Θεότης, Col. II, 9. & ϑειότης, Rom. I, 20. primo deſignat naturam & eſſentiam diuinam. Ergo ϑεός primo notat eum, qui naturam diuinam independentem habet. (3) Scriptura S. diſtinguit inter ϑεὸν φύσει, ſeu natura, & ϑεȣ̀ς λεγομένȣς, Deos nomine, non re, aut natura, tales. 1 Cor. VIII, 5. Gal. IV, 8. Ergo nomen ϑεός primo notat Deum natura talem.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, qui, vt eludant argumenta petita a nominibus diuinis, quibus Chriſtus in ſacris litteris inſignitur, ſtatuunt nomen ϑεός poteſtatis, aut dignitatis potius, quam eſſentiæ diuinæ eſſe ſignificatiuum, qui ſuam aſſertionem munituri arguunt:

1. Moſes dicitur Deus Aaronis ob conceſſam poteſtatem, Exod. IV, 16. E. nomen Deus non eſt nomen eſſentiæ, ſed poteſtatis. Reſp. Deus Moſen ita compellat: *Tu ſis illi* (Aaroni) pro Deo. Sicut pro-rex nunquam ſimpliciter vocatur rex: ita qui pro Deo eſt, non abſolute appellatur Deus. Nos aſſerimus vocem, *Deus*, abſolute & ſine conditione imminuente poſitam, deſignare Deum ſummum & independentem.



Digitized by Google

2. Angeli Pſ. VIII, 6. nec non iudices aut magiſtratus Pſ. LXXXII, v. 1. 6. nomen Dei ſuſtinent, qui natura non ſunt dii. Ergo Deus non ſemper eſt nomen naturæ, ſed etiam poteſtatis. Reſp. (1) Angeli & magiſtratus in numero quidem multitudinis dicuntur Elohim; cum multi ſint θεοὶ λεγόμενοι, dii nuncupatiui; ſed nullus iudex aut magiſtratus, nullus angelus creatus in numero ſingulari abſolute appellatur Eloah, aut Deus. (2) Magiſtratus & angeli vocantur dii metaphorice; proprie Deus vocatur, qui habet eſſentiam independentem.

3. Magiſtratus nomen Dei obtinet aut vere, aut falſo. Non falſo; quia ſic idola, Act. VII, 43. diabolus, 2 Cor. IV, 4. venter, Phil. III, 19. ex falſa hominum opinione nomen Dei ſortita ſunt. Ergo magiſtratus nomine Dei vere honoratur ob ſimilitudinem cum Deo non fictam, ſed veram. Reſpondeo verbis GERHARDI *in exeg. loc. III. fol. 228.* Diſt. inter has phraſes, *eſſe verum Deum, & vere dici Deum.* Eſſe verum *Deum* competit ſolum vni & æterno *Deo*, qui per naturam & eſſentiam talis eſt; quia vnaquæque res dicitur vera, a ſua natura & eſſentia. Sic verum aurum, verus homo dicitur, a vera auri & hominis eſſentia. CYRILLVS *lib. XII. theſaur. cap. 13. Si Chriſtus verus Deus eſt; ſubſtantialiter, non participatione, hoc ipſum eſt, ſicut creatura. Qui autem verus Deus eſt, natura Deus eſt.* Sed vere dici *Deum* competit etiam hominibus, qui propter ſimilitudinem & participationem quandam diuinitatis eo nomine improprie appellantur; ibi enim agitur duntaxat de veritate vocum metaphorice acceptarum. Sic apoſtoli vere dicuntur *lux mundi, ſal terræ;* quia etſi improprie & metaphorice dicantur lux: tamen, quia vere illud præſtant ſpiritualiter quod lux, ſal &c. faciunt corporaliter, ideo vere ſic dicuntur. Pari ratione magiſtratus, iudices &c. dicuntur dii, & vere ſic dicuntur, quia propter participationem diuini officii ſic dicuntur; interim non ſunt verus ille *Deus*, qui natura & eſſentia talis eſt.

4. Ideo *Deus* dicitur El Elohim, Pſ. L, 1. Elohe Elohim, Deut. X, 17. quia vox Deus etiam ſignificat eum, qui ſublimem potentiam ab vno *Deo* habet. Reſp. (1) Græca vox, θεὸς, & hebræa nomina אֵל & אֱלֹהִים, non ſunt omni ex parte ſynonymica & æquipollentia. Nam El notat *Deum fortem*, Elohim *Deum* colendum ſub notione *pluralitatis perſonarum.* Græcum θεὸς ſimpliciter deſignat eum, qui habet naturam diuinam. Proinde a nominibus diuinis hebræis, El & Elohim, ad græcum θεὸς inualide concluditur. (2) *Deus* æternus & independens vocatur *Deus deorum*, tam metaphorice, quam catachreſtice dictorum, non tantum ob maiorem poteſtatem, ſed etiam propter independentiam & æternitatem; quia *Deus* prior eſt omnibus *diis nuncupatiuis* (quales ſunt magiſtratus), & *putatiuis* (quales ſunt idola gentium), nec non ob maiorem ſapientiam, bonitatem, veritatem &c.

Inſtantia I. Negari nequit, magiſtratus metaphorice dici Deos ob dignitatem & poteſtatem. E. Etiam Deus proprie ita dicitur ob dignitatem & poteſtatem; ceteroqui nullum foret metaphoræ fundamentum. Reſp. A ſignificatione metaphorica ad propriam male concluditur. Metaphora enim oritur e ſimilitudine non abſoluta, ſed reſpectiua. Quamobrem licet magiſtratus metaphorice dicantur dii, reſpectu poteſtatis a Deo communicatæ, verus tamen & ſummus *Deus* proprie & primo *Deus* dicitur, ob naturam & eſſentiam diuinam, cuius conſequens noſtro concipiendi modo eſt poteſtas diuina.

Prob. b. Nomen diuinum κύριος deducitur ἀπὸ τȣ͂ κύρεος, quæ vox auctoritatem, ius aut dominium deſignat. Adhibetur in N. T. de vero *Deo*, loco nominum diuinorum vet. teſtam. Iehouah, El, Adonai. Sic Saluator ex Deut. VI, 4. repetit memorabile illud dictum: *Audi Iſrael, Dominus, Deus noſter*, κύριος εἷς ἐςὶ, *Dominus vnus eſt*, Marc. XII, 29. Probe itaque obſeruandum eſt, quod nomen κύριος in N. T. poſitum abſolute ſine conditionibus reſtringentibus eminentiſſimum & abſolutiſſimum importet dominium, ſoli *Deo* conueniens.

Prob.

Digitized by Google

Prob. c. Nomen Δεσπότης proprie herum ſignificat, (*) & vſurpatur in N. T. de Deo Luc. II, 29. Act. IV, 24. 2 Tim. II, 21. 2 Petr. II, 1. Iud. v. 4. Ratio denominationis eſt, quia Deus mundo, quem condidit, potentiſſime ſapientiſſimeque præeſt, & eundem velut domum ampliſſimam ſumma munitus auctoritate gubernat.

Quæſt. XVI. *Quid eſt Deus?*

Deus eſt Spiritus independens.

*Deſcriptio Dei.*

*Vberius definitur.*

Deus eſt eſſentia ſpiritualis independens trium perſonarum, Patris, Filii, & Spiritus ſancti.

Obſ. 1. Data deſcriptio Dei non eſt logice perfecta definitio. Nam (1) definitio logica rigoroſe dicta conſtat genere & differentia. At in Deo nihil inuenitur, quod *generis* & *differentiæ* rationem habeat. *Genus* quippe ſe habet per modum potentiæ paſſiuæ, quæ perfici poteſt. Sed nullum perfectibile in Deum perfectiſſimum cadit. *Differentia* neque includit ſpeciem, quam conſtituit, neque genus illius ſpeciei: quemadmodum exemplo rationalitatis illuſtrari poteſt; ea enim nec homo, nec animal eſt. At nihil eſt in Deo, quod non ſit ipſe Deus. (2) Definitio logica perfecta eſt earum rerum, quæ ſunt in prædicamentis. Atqui Deus in nullo eſt prædicamento. Neque enim eſt genus; quoniam non dicitur de multis ſpeciebus Deorum: Neque enim ſpecies; quia ſpecies eſt multiplicabilis per plura indiuidua, repugnat autem plures eſſe Deos: Neque eſt indiuiduum, quia hoc immediate ſubiacet ſpeciei ſpecialiſſimæ. At de Deo immediate prædicatur Spiritus, qui ſpecies ſpecialiſſima non eſt; cum ſub ſe habeat aliquam ſpeciem, nempe Spiritum finitum. Patet ergo, quod Deus directe in nullo ſit prædicamento.

Obſ. 2. Deſcriptione imperfecta, quæ conſtat conceptu *communi* & *proprio*, atque cum definito ſuo reciprocatur, Deus definiri poteſt. *Conuenit* enim Deus cum *creaturis* in hoc, quod eſt eſſentia per ſe ſubſiſtens immaterialis, quam vocamus *Spiritum*. *Differt* a creaturis; quia eſſe ſuum non ab alio accepit, vt creaturæ, ſed *a ſe habet*, adeoque *independens* eſt.

Obſ. 3. In theologia naturali Deus definitur per *Spiritum independentem*, ſiue a ſe ſubſiſtentem. Deum *Spiritum* eſſe, e lumine *naturæ* quadantenus innoteſcit. Nam (1) Ens primum a ſe exiſtens, quod eſt cauſſa ceterorum omnium, non poteſt eſſe corpus, conſtans ex materia & forma. Nam vt materia & forma ad vnum corpus vniantur & componantur, prærequiritur cauſſa efficiens materiam & formam componens. At Deo nulla datur cauſſa efficiens prior. (2) Materia ſe habet per modum potentiæ paſſiuæ perfectibilis: forma per modum actus perficientis. At in Deum, qui eſt puriſſimus actus & ipſa perfectio, nulla potentia paſſiua perfectibilis cadit. (3) Si Deus corporeus eſſet, non foret infinitus. Neque enim corpus infinitum eſſe poteſt. (4) Cum Deus & inuiſibilis, & ſapientiſſimus, rerum omnium conſeruator & gubernator ſit, ratio colligit, Deum eſſe Spiritum. Quod Deus independens ſit, etiam quodammodo conſtat ductu luminis naturæ. Adſpicientes enim admi-

 randam

(*) Et eum quidem, qui *ſummus* eſt, qui ex nullius poteſtate ac voluntate pendet, ſed ſuo ipſe arbitrio cuncta moderatur ac gubernat. Quum vero plures ſint Imperantes, qui ſingulari poteſtate pollent, verum tamen ita, vt ſummi Imperantes omnes vnius Dei imperio parere debeant: idcirco Deus dicitur δεσπότης, cum hac adiectione, μόνος, Iudæ v. 4. ſicut ipſe eamdem ob cauſſam adpellatur εἷς ὁνομοθέτης, Iac. IV, 12.

Digitized by Google

randam huius vniuerſi ſtructuram, facile colligimus, mundum non eſſe a ſeipſo, ſed a cauſſa aliqua prima, cum in cauſſis efficientibus non detur progreſſus in infinitum. Illa autem cauſſa prima, a nulla priori cauſſa dependens, eſt Deus.

Obſ. 4. Theologia *reuelata* e reuelatione diuina, in ſacris litteris comprehenſa longe *ſolidius* probat, Deum eſſe Spiritum independentem; *addit* autem mentionem *trium perſonarum* diuinitatis; ſine qua non eſt completa definitio veri Dei; propterea quod verus Deus non eſt, qui non eſt vnus eſſentia & trinus perſonis. Grauiter inquit D. CALOV. in *tom. II. ſyſtem. theol. p. 182*: Qui non addunt mentionem trium perſonarum in deſcriptione Dei, eam nequaquam genuinam aut completam ſiſtunt; quum ſine iiſdem nondum conſtet, quisnam ſit verus Deus. Non habent verum Deum ethnici & pagani, Deum in perſonis trinum haud agnoſcentes; non Mahometani, S. S. Trinitatis myſterium infitiantes; non Iudæi moderni, non Samoſateniani, Ariani, Photiniani, aliique Anti-Trinitarii, tres perſonas in eſſentia diuina negantes.

Obſ. 5. Quod Deus ſit *eſſentia*, clariſſimum habemus teſtimonium Exod. III, 14. vbi quærenti Moſi de nomine Dei, ipſe reſpondit his verbis: *Ego ſum, qui ſum.* Similiter Apocal. I, 8. Deus appellatur ὁ ὢν, qui eſt, qui erat, & qui futurus eſt. Cum igitur Deus ſibi ipſi ab eſſendo nomen tribuat, valide infertur, eſſentiam Dei eſſe perfectiſſimam, ſimpliciſſimam & puriſſimam; propter quam eſſentiæ puritatem & ſimplicitatem Deus eſt ipſa ſua deitas & eſſentia.

Quæſt. XVII. *Eſtne Deus Spiritus omnis corporeæ molis expers?*

Deus eſt Spiritus *puriſſimus* & *ſimpliciſſimus*, omnis materiæ, omnis corporeæ molis expers.

Prob. 1. Quia diſertiſſima ſacra ſcripturæ ſententia eſt: *Spiritus* (eſt) Deus. *Ideo eos, qui adorant ipſum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Io. IV, 24. Obſ. In propoſitione illa: πνεῦμα ὁ θεὸς, Deus eſt ſubiectum, & Spiritus prædicatum; Quia (1) Articulus non prædicato, ſed ſubiecto ſolet præponi, adeoque poni ab initio propoſitionis. (2) Quia πνεῦμα latius patet, quam θεὸς. Nam omne quidem, quod Deus eſt, Spiritus eſt, ſed non omnis Spiritus eſt Deus; cum angeli & anima humana ſint Spiritus, nec tamen Deus. Illud autem, quod latius eſt, ſuſtinet rationem prædicati: quod anguſtius, rationem ſubiecti. Ex quo conſequitur, Deum corporeæ molis expertem eſſe. Nam *Spiritus carnem & oſſa non habet.* Luc. XXIV, 39.

2. Quia Deus eſt inuiſibilis, Deut. IV, 12. idemque ſapientiſſimus, Prou. III, 19. colligitur, eum eſſe Spiritum, omni concretione corporea liberum.

3. Quia idololatriæ arguuntur, qui ſimilitudinem corruptibilis hominis Deo tribuerunt. Rom. I, 23.

*Antitheſis* eſt *Audæanorum*, ſiue *Anthropomorphitarum*, qui Deo corpus humanum tribuerunt; nec non *Crellii*, *Vorſtii* & *aliorum*, ſtatuentium, Deum dici Spiritum, non modo vti angeli & animæ, ſed etiam vt aër, ac alia corpora, huic ſimilia, ſpiritus dicuntur. Innituntur ſequentibus argumentis:

1. Deo in ſacra ſcriptura paſſim locorum tribuuntur membra corporea, manus, brachia, oculi, aures, pedes &c. Ergo Deus eſt corporeus. Reſp. Dicuntur hæc de Deo ἀνθρωποπαθῶς, more humano, & intelligenda ſunt θεοπρεπῶς, i. e. conuenienter Deo. Per *brachia* Dei omnipotentia, per *manus* operatio, per *oculos* omniſcientia, per *pedes* omnipræſentia Dei intelligitur.

2. Deus eſt viſus. Ergo Deus non eſt Spiritus. Ratio conſequentiæ eſt; quia Spiritus eſt inuiſibilis. Antecedens liquet ex Exod. XXXIV, 5. Eſ. VI, 1. Reſp. Deus viſus eſt

non

Digitized by Google

non in eſſentia ſua, ſed in externo ſymbolo, ſiue aſſumta forma corporea. Scite inquit AVGVSTINVS *Ep. CXII: Deus, qui per propriam deitatis naturam inuiſibilis eſt, videri potuit, atque apparuit per aſſumtam creaturam, vel diſpoſitione alicuius materiæ conſpicabilis aſſumtæ.*

3. Ad cuius imaginem homo eſt conditus, ille eſt corporeus. Ad imaginem Dei homo eſt conditus. Ergo Deus eſt corporeus. Maior conſtat; quia imago cum ſuo exemplari, ſiue prototypo conuenit. Minor patet ex Gen. I, 26. Reſp. Imago Dei πρώτως ſiue primario ſita fuit in anima, nempe in cognitione intellectus & ſanctitate voluntatis. Col. III, 19. Δευτέρως & ſecundario in immortalitate corporis. Non autem ratione corporeæ molis aut figuræ externæ Deo ſimilis fuit homo integer, ſed ratione immortalitatis.

4. Patres quidam, e quorum cenſu eſt TERTVLL. *libr. de incarnat. c. XI.* Deo corpus quoddam tribuerunt. Reſp. Sancti patres *corpus* intellexerunt non in ſenſu proprio, quo notat ſubſtantiam materialem, quantam, diuiſibilem, ſed ſumſerunt τὸ corpus in ſenſu catachreſtico, quatenus deſignat ſubſtantiam veram & ſolidam, inani phantaſmati, itemque vmbratili accidenti oppoſitam.

Quæſt. XVIII. *Quomodo Spiritus, ſubſtantia, ens & eſſentia, de Deo & creaturis prædicantur?*

Quando *Spiritus*, *ſubſtantia*, *ens* & *eſſentia*, de Deo & creaturis prædicantur, prædicatio illa *non* eſt impropria & *æquiuoca* (a), ſed propria, *neque* tamen *vniuoca*, ſed *analogica*, iuxta analogiam attributionis intrinſecæ (b).

Prob. a. Quæcunque *æquiuoce* tantum dicuntur, eorum ſolum nomen commune eſt, ratio autem nominis diuerſa. At creatori & creaturis non tantum nomen entis, eſſentiæ, ſubſtantiæ & Spiritus, ſed res ipſa, nomine ſignificata, conuenit. Ergo.

Maior ex definitione æquiuocorum liquet; Minor oſtenditur inductiue v. g. Homo vere eſt, lapis ſuam habet eſſentiam, leo per ſe exſiſtit, omnis angelus eſt Spiritus. Accurate colligit THOMAS AQVINAS P. I. q. 13. art. 5, Si æquiuoce iſta prædicarentur de Deo, & creaturis, nihil poſſet de Deo ex creaturis cognoſci, ſed ſemper incideret fallacia æquiuocationis. Et hoc eſt tam contra philoſophum, qui multa demonſtratiue de Deo probat, quam etiam contra apoſtolum, Rom. I, 17.

Prob. b. Quæcunque nomina pluribus quidem ſunt communia, ita tamen, vt vnum eorum, de quibus dicuntur, participet ea per prius & independenter, cetera autem participent ea per poſterius, propter dependentiam; illa prædicantur analogice & inæqualiter. Sed ens & eſſentia, ſubſtantia & Spiritus, ſunt communia creatori & creaturæ, ita tamen, vt Deus ea participet per prius & independenter, creaturæ ea participent per poſterius propter dependentiam.

Maior eſt clara e definitione analogorum. Minor conſtat; quia Deus eſt ens, ſubſtantia, Spiritus independens; creaturæ autem omnes a Deo dependent.

*Antitheſis* eſt (1) *Platonicorum* & nonnullorum *Sholaſticorum* aſſerentium, ens & eſſentiam, ſubſtantiam & Spiritum de Deo & creaturis æquiuoce prædicari; (2) *Scotiſtarum* ſtatuentium, prædicata illa de Deo atque creaturis vniuoce & æqualiter dici. Illorum potiora ſunt argumenta:

1. Inter quæ infinita datur diſtantia, de illis conceptus communis formari nequit. Atqui inter Deum & creaturas &c. Ergo. Reſp. Limit. maior. Inter quæ datur *diſtantia infinita negatiua*, vt plane inter ea nulla intercedat conuenientia, (qualis eſt inter ens, & nihil) de illis conceptus communis formari nequit, concedo. At inter Deum & creaturas datur *diſtantia infinita poſitiua*; quia Deus perfectione eminentiſſima creaturas infinities exſuperat

Digitized by Google

ſuperat. Exinde autem colligere non licet, quod nulla perfectione, nulloque conceptu communi conueniant; cum enim Deus, ſumme bonus & perfectus, ſui ſit communicatiuus, nonnullos riuulos ſuæ bonitatis, nonnullos radios ſuæ perfectionis creaturis communicauit, vt quadam perfectione, modo licet inæquali, conueniant.

*Inſtantia:* Spiritus S. in ſacris litteris teſtatur, creaturas, cum Deo comparatas, eſſe inſtar nihili, Eſ. XL, 17. *Omnes gentes* (ſunt) *ſicut nihil erga ipſum* (Deum) *minus, quam nihil, & inane reputantur illi.* Reſp. *Comparatiuæ illæ locutiones non ſunt deſtructiuæ, ſed extenuatiuæ.* Non tollitur illis perfectio eſſentialis, ſed eminentiſſima creatoris præ creaturis prærogatiua & maieſtas indicatur.

2. Quicunque ſtatuunt, nomen יהוה eſſe incommunicabile creaturis, illos oportet etiam ſtatuere, ens eſſe creaturis incommunicabile. Nam יהוה, quod ab eſſendo ducit originem, cum ente pari paſſu ambulat. Atqui Lutherani &c. Ergo. Reſp. Nomen יהוה notat *eſſentiam Dei independentem & immutabilem;* quæ cum eſſentia generatim conſiderata pari paſſu non ambulat.

3. Quidquid aliquando non fuit, & aliquando eſſe non poteſt, illud non-entibus potius, quam entibus anumerandum eſt. Atqui omnis creatura &c. Ergo. Reſp. Diſting. inter præterita, præſentia, & futura. Tempore præterito aliquando non fuit creatura, tempore futuro etiam aliquando eſſe non poteſt; cum abſoluta Dei omnipotentia annihilari queat. At tempore præſenti, quo exſiſtit, neceſſario eſt ens. Dantur quædam creaturæ, quæ tempore præſenti mouentur, viuunt, laudant Deum, quædam in cœlo gloriæ faciem eius intuentur. Ecquis rationis compos eas non-entia appellaret?

4. Ab ente primo non poteſt abſtrahi ens prius, commune Deo & creaturis. Sed Deus eſt ens primum. Reſp. Diſt. inter prioritatem prædicationis, ſeu conceptuum noſtrorum, & prioritatem realem. Ens, a Deo & creaturis abſtractum, prius dicitur non realiter, ſed ſecundum noſtrum concipiendi modum.

5. *Scotiſtæ* argumentantur; Quemcunque conceptum inferiora participant æqualiter, ille eſt vniuocus. Atqui conceptum entis inferiora participant æqualiter, Ergo. Maior per ſe manifeſta eſt. Minor probatur; quia concipimus ens vniuerſaliter, vt reuera exſiſtens. Sed Deus reuera exſiſtit: & creatura reuera exſiſtit. In hoc conceptu abſtractiſſimo non deprehenditur vlla inæqualitas, ſed inæqualitas datur in inferioribus, non in ente vniverſaliter conſiderato. Reſp. Inæqualitas, quæ fundat analogiam, non intelligenda eſt ratione conceptus communis & abſtracti, ſed ratione *modi* participandi illum conceptum communem; qui modus participandi inæqualis ex *dependentia* oritur. Nempe creaturæ per poſterius & ſequiori ratione de natura entis participant, quia tota earum eſſentia, omnisque perperfectio a creatore dependet. Deus autem eminentiſſima ratione eſt ens, ſubſtantia & Spiritus, quippe qui non tantum eſt a ſe exſiſtens, ſed etiam ceterorum entium cauſſa prima & auctor, conſeruator & gubernator.

Quæſt. XIX. *Eſtne independentia conceptus Dei quidditatiuus, contrahens, & quaſi differentialis?*

## Conceptus Dei differentialis eſt independentia.

Prob. I. Ille conceptus Dei contrahens & differentialis eſt, qui primo Deo competit, & radix eſt omnium attributorum, quæ de Deo dicuntur. Atqui independentia primo Deo competit, & radix eſt omnium attributorum, quæ de Deo dicuntur. Ergo. Maior conſtat; quia omnis differentia primo rei, quam conſtituit, competit, & radix eſt omnium proprietatum. Minor ſua radiat luce; quoniam attributa Dei omnia independentiam Dei quaſi radicem, noſtro concipiendi modo, agnoſcunt, v. gr. Deus ideo eſt infinitus, quia eius eſſentia



Digitized by Google

tia non dependet ab alio, a quo finiri poſſit. Deus eſt æternus, quia independens eſt, conſequenter ab alio neque principium habet, neque deſtrui poteſt &c.

2. Per quod creatura in eſſe creaturæ primo conſtituitur, per eius oppoſitum Deus eſſe in primo deitatis conſtituitur. Atqui creatura per dependentiam in eſſe creaturæ primo conſtituitur. Ergo Deus per independentiam in eſſe deitatis primo conſtituitur.

*Antitheſis* eſt quorundam *Theologorum*, quibus conceptus Dei primus contrahens videtur eſſe vel infinitudo, vel vita intellectualis, quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Per quod diuina natura ſecundum propriam rationem formalem conſtituitur primo in eſſe proprio, & a natura quauis finita diſtinguitur, illud eſt conceptus primus quidditatiuus Dei. Atqui per infinitudinem &c. E. Reſp. Neg. minorem; quia independentia infinitudine prior eſt. Nam independentia *originem* eſſentiæ diuinæ, infinitudo eius *finem negat.* Sicut autem *origo prior* eſt *fine:* ita ſecundum noſtrum concipiendi modum *independentia prior* eſt *infinitate.*

II. Quidquid complectitur omnem aliam rationem in Deo; qua poſita nihil deeſt diuinitatis perfectioni, illud habet rationem conceptus, quidditatiue determinantis. Atqui infinitudo &c. E. Reſp. Limit. maiorem. *Quidquid primo concipiendi modo complectitur omnem aliam rationem in Deo,* qua poſita nihil deeſt diuinitatis perfectioni, illud habet rationem conceptus quidditatiue determinantis. Sic negatur minor. Nam qui Deum concipit, primo conſiderandi momento, eum concipit, vt ens a ſe exſiſtens; ſecundo momento animaduertit, quoniam Deus eſt a ſe, ipſi limites aut fines a nemine poni poſſe.

III. Si omnes attributales Dei perfectiones infinitæ ſunt, ratione identitatis, quam habent cum eſſentia diuina, eſſentia Dei erit formaliter infinita, & Deus in eſſe deitatis formaliter conſtituetur per infinitudinem. Atqui prius verum eſt. Ergo & poſterius. Reſp. Neg. Conſequentiam maioris. Nam idem argumentum formari poteſt de æternitate, ſimplicitate &c. Si omnes attributales Dei perfectiones ſunt æternæ, ratione identitatis, quam habent cum eſſentia diuina, eſſentia Dei formaliter erit æterna, & Deus in eſſe deitatis formaliter conſtituetur per æternitatem.

IV. Quidquid eſt modus eſſentiæ diuinæ, non eſt eius conceptus differentialis. Sed independentia &c. E. Maior conſtat; quoniam modus rem quidem afficit, ſed non primo diſtinguit. Minor patet; quia in metaphyſicis independens, & dependens, modis entis connumeratur. Reſp. diſt. inter *modum afficientem, & contrahentem.* Independentia eſt modus *contrahens;* quia conceptum communem, nempe ſpiritualem Dei eſſentiam, contrahit, primo conſtituit, a creaturis diſtinguit, & reliquas Dei perfectiones ex ſe fundit.

*Inſtantia*: Sed independentia eſt terminus negatiuus, nullam ponens aut importans perfectionem. Reſp. Independentia formaliter & qua modum ſignificandi eſt terminus negatiuus, materialiter & qua modum eſſendi, notat ſummam Dei perfectionem.

V. Independentia ſe priorem agnoſcit perfectionem in Deo. E. Non eſt primus Dei conceptus quidditatiuus. Antecedens probatur; quia independentia præſupponit vitam Dei intellectualem. Reſp. Independentia non ſupponit vitam, niſi qua ſupponit ſpiritualem eſſentiam: quæ ad conceptum Dei *communem* pertinet. Si autem per vitam intelligatur *vita æterna* Dei, vtique hæc independentiam Dei ſupponit; quum Deus independens prius concipiatur, quam æternum viuens.

Quæſt. XX. *Vnde probatur independentia Dei?*

Independentia Dei tum ex ſcriptura (a), tum ex natura (b) probari poteſt.



Digitized by Google

Prob. a. 1) Eſ. XLIV, 6, Sic dixit Iehouah: *Ego primus & ego nouiſſimus & præter me non eſt Deus.* Conf. Eſ. XLI, 4. Apoc. I, 17. Qui autem primus eſt, non agnoſcit priorem, a quo velut cauſſa dependeat.

2) Cum Deus dicit: Exod. III, 14. *Sum, qui ſum,* indicat, ſe non exſiſtere ab alio, verum a ſe ipſo, atque ita, vt eius natura exſiſtentiam neceſſariam & immutabilem inuoluat. (*).

Prob. b. In natura omnia entia dependentia ad ens primum & independens reuocantur, ne detur progreſſus in infinitum, a quo natura adhorret.

# DE ATTRIBVTIS DIVINIS.

Quæſt. XXI. *Quid ſunt attributa Dei?*

*Attributa diuina.* *Attributa Dei ſunt perfectiones Dei,* quæ eſſentiam diuinam noſtro concipiendi modo per ſe conſequuntur, & de Deo paronymice prædicantur.

Obſ. 1. Attributa Dei dicuntur *perfectiones,* quia eſſentiam Dei perfectiſſime declarant. (**).

Obſ. 2. *Eſſentia* alias dicitur *primus* rei conceptus, quo nullus eſt prior, ſed qui radix eſt ceterorum conceptuum. Sic v. gr. Deus primo concipitur eſſe ens independens. *Attributa*

(*) Inter plura argumenta, ex ſacris litteris depromenda, hoc eminet Ioan. V, 26. Loquutio iſta, ἔχειν ζωὴν ἐν ἑαυτῷ. nihil poſſe aliud, quam independentiam, denotare, efficitur 1) ex coniunctione *prædicati* cum *ſubiecto*; oportet enim ſignificari aliquid prorſus ſingulare atque eximium, quo Deus ab omnibus rebus, vita præditis, diſcernitur. Vitam in ſe habere *ſubiectiue,* hoc profecto neque ſingulare aliquid eſt, neque præcipuum: vita enim Spiritus cuiusque, immo & animalis, non externa eſt, ſed interna, & quidquid viuit, id ſuam intus in ſe habet vitam: E. id, quod Deo vni adſeritur, non poteſt non intelligi, vt ita dicam, *principiatiue,* quod vitam ipſe habeat, non aliunde ſibi datam, adeoque independentem. Adparet 2) ex *ſcopo* verborum: Ita nimirum ratio redditur, quare non ſit dubium, quin Deus vitam largiatur hominibus, iam diu exanimatis, quibus demum cunque ipſe voluerit, v. 21. & 25. Argumentationis tota vis poſita eſt in eo: Qui vitam ita in ſe habet, vt eam a nullo alio acceperit, vt ex nullius arbitrio pendeat, vt adeo ipſe ſit vnica cauſſa omnis vitæ, is valet etiam vitam impertire, cuicunque & quandoque ipſi placuerit. Cognoſcitur etiam 3) ex *oppoſito,* ſi cum his verbis conferamus illa, Act. XVII, 28: ἐν αὐτῷ ζῶμεν. Vitam habere *in alio,* hoc eſt, eam ab alio acceptam habere, add. v. 24. 26. E. vitam habere *in ſe ipſo,* eſt, a nullo alio eam accepiſſe. Quod quis ab alio accepit, in eo is alterius illius indiget, atque ex illius arbitrio pendet: E. is, qui vitam aliis omnibus libera voluntate dedit, ſuam autem ipſe a nullo accepit, nullius quoque indiget, v. 25. Nullius vnquam indigere, eſt, quod dicitur *independentia.* Itaque cum *oppoſitione*, tum *interpretatione* declaratur, quid ſit illud, ὁ ἔχων ζωὴν ἐν ἑαυτῷ. Id nimirum Paullus ita interpretatur: οὐ προσδεόμενός τινος, αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν, καὶ πνοὴν, καὶ τὰ πάντα.

(**) Eſt quædam diſtinctio *perfectionum* diuinarum, ac *proprietatum.* Scilicet *perfectiones* ſunt ea attributa, quæ poſſunt quidem cum rebus creatis ac finitis determinata quadam menſura communicari, Deo autem vni omni modo ſummoque gradu conueniunt, vt ſunt: intellectus, voluntas, ſcientia, ſapientia, iuſtitia, potentia, beatitas. *Proprietates* dico ea attributa, quæ Deo *vni omnino* ſunt adſerenda, nulloque modo cadunt in vllam rerum creatarum. Harum proprietatum aliæ quidem ſunt *naturales,* trium perſonarum diuinitatis æque communes, nimirum independentia, æternitas abſoluta, infinitas, immenſitas, immutabilitas; aliæ autem *perſonales,* quippe quibus aut ſingulæ perſonæ inter ſe differunt, aut vna atque altera a tertia diſcernitur, nimirum æterna generatio & ſpiratio, vtraque vel actiua, vel paſſiua.

Digitized by Google

*tributa* Dei vocantur conceptus *ſecundi*, quia primum Dei conceptum per ſe conſequuntur, & ex eo vltro quaſi fluunt. Appellantur etiam conceptus *inadæquati*: quia totam eſſentiam Dei, ob infinitam eius perfectionem, non exprimunt, ſed aliquid Dei exponunt.

Obſ. 3. Attributa de Deo prædicantur paronymice & in concreto, quatenus *formaliter* conſiderantur. Sic v. gr. Deus dicitur immenſus, æternus in concreto. *In ſenſu autem identico* Deus poteſt dici immenſitas, æternitas &c. quoniam attributa ab eſſentia diuina non differunt realiter; ſed tantum noſtro concipiendi ordine.

Obſ. 4. *Perfectiones aliæ ſunt ſimpliciter, aliæ ſecundum quid tales. Illæ* nullam implicant imperfectionem, vt eſſe ſapientem, verum, bonum &c. quæ ſunt formaliter in Deo; ceteroqui Deus non foret abſolute perfectus; nam abſolute perfecto nihil perfectionis deeſt. *Hæ* quasdam inuoluunt imperfectiones, & eminenter aut virtualiter Deo conueniunt; quatenus habet aliquid iis excellentius, & virtute easdem complectitur, actusque earum per ſe ipſum excercere poteſt, v. gr. ratiocinari, audire, videre &c.

Quæſt. XXII. *Suntne attributa diuina accidentia?*

## Attributa diuina non ſunt accidentia.

Prob. I. Quia Deus eſt perfectiſſimus, in quem vt nulla imperfectio, ita nullum cadit accidens. Hoc enim ſine imperfectione ne quidem concipi poteſt; cum omne accidens dependenter a ſubſtantia exſiſtat.

II. Si Deo tanquam ſubiecto accidens inhæreret, foret compoſitus ex ſubiecto & accidente. At Deus nullo modo eſt compoſitus, ſed ſimpliciſſimus.

Dicis: 1. Omne *proprium* eſt *accidens*. Attributa diuina ſunt propria Dei. E. Reſp. Omne proprium prædicamentale, & in rigore dictum, eſt accidens. At diuina attributa non ſunt propria prædicamentalia, ſed tranſcendentalia, cum eminentia ſua claſſes prædicamentorum tranſcendant, neque ab eſſentia diuina realiter, ſed formaliter tantum differant. Dicuntur *propria* analogice; quoniam eſſentiam Dei iuxta noſtrum rationis conceptum conſequuntur, de eadem paronymice prædicantur, & cum illa reciprocantur.

Dicis: 2 Quædam attributa diuina ſunt affectus, v. gr. amor, miſericordia &c. Sed affectus ſunt accidentia. Reſp. Quidam affectus dicuntur de Deo figurate, improprie, & ἀνθρωποπαθῶς, v. gr. deſiderium, triſtitia, pœnitentia &c. Quidam prædicantur primo de Deo, ſecundo de creaturis: qui licet in creaturis ſint accidentia, non tamen in Deo. Repurganda enim ſunt nomina affectuum ab imperfectionibus, & id, quod remanet purum ac perfectum, Deo tribuendum.

Quæſt. XXIII. *Quomodo attributa diuina ab eſſentia diuina & a ſe inuicem diſtinguuntur?*

## Attributa diuina ab eſſentia diuina, & a ſe inuicem, diſtinguuntur non nominaliter, (a) neque realiter, (b) ſed formaliter, ſecundum noſtrum concipiendi modum, non ſine certo diſtinctionis fundamento (c).

Prob. a. Attributa diuina diſtinctos inferunt conceptus. Ergo plus, quam nominaliter differunt. Argute inquit GREGOR. NYSSENVS *lib. XII. contra Eunomium*, hunc ad abſurdum deducturus: *Si interrogeris, quid iudicis nomine ſignificetur, ingenium interpretare reſpondendo: aut ſi iuſtitiæ rationem reddere oporteat, in promtu tibi ſit ad reſpondendum incorporei nomen. Quid autem incorruptibilitas ſignificat? Idem quod miſericordia, omnino dices, aut quod iudicis notio præ ſe fert. Ad eundem modum etiam ſigillatim omnia in ſe inuicem tranſeant; Sicut nulla peculiaris ſignificatio alterum ab altero ſecernat. Quod ſi hæc Eunomius tanquam legiſlator aliquis edicit: cur ſcripturæ fruſtra diuinam naturam variis nominibus appellant cum Deum iudicem, iuſtum, fortem, patientem, verum, miſericordem & id genus alia nominant?*



Digitized by Google

*nant? Si nullum nomen in propria aliqua notione intelligitur, ſed omnia ſignificationum confuſione miſcentur, inanis eſt labor, multas de eodem apellationes vſurpare, cum nulla ſignificationis differentia a ſe inuicem nomina diſtinguat.*

Prob. b. I. Eſſentia diuina eſt ſimpliciſſima, omnis realis compoſitionis expers. At non foret ſimpliciſſima, ſi attributa diuina ab eſſentia Dei, & a ſe inuicem realiter differrent. Componeretur enim eſſentia Dei ex multis illis prædicatis eſſentialibus, ſiue conceptibus illis poſitiuis, ex natura rei inter ſe diſtinctis.

II. Eſſentia Dei independens & infinita eſt ſumme perfecta omnes perfectiones ſimpliciter in ſe continens. At ſi eſſentia diuina ab attributis diuinis realiter differret, per hæc illa perficeretur, adeoque ſumme perfecta non foret.

III. In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio. Sed attributa diuina neque eſſentiæ diuinæ, neque ſibi inuicem relatiue opponuntur. Ergo attributa diuina cum eſſentia diuina ſunt eadem: quia ſingula attributa implicant ipſam eſſentiam diuinam, eamque inadæquato conceptu repræſentant.

Prob. c. *Fundamentum diſtinctionis*, qua attributa diuina ab eſſentia Dei, & a ſe inuicem, diſtinguuntur, intellectui noſtro præbent diuerſa connotata extrinſeca. 1) *Diuerſi effectus*, v. gr. miſericordia diuina ſaluat, iuſtitia diuina damnat. E. Differunt: 2) *Conuenientia perfectionum creaturarum cum perfectionibus diuinis;* quæ primo ſunt in creatore, ſecundo in creaturis. v. gr. Bonitas, ſapientia, potentia vt in creaturis realiter, ita in creatore formaliter differunt. 3) *Negationes imperfectionum, quæ deprehenduntur in creaturis.* v. gr. Dependentia & mors in creaturis differunt ex parte rei: independentia & immortalitas differunt in Deo ex parte noſtri conceptus. Quando autem aſſerimus, miſericordiam & iuſtitiam, ſapientiam & bonitatem Dei non perinde in creatore, ac in creaturis, differre realiter, ſed tantum formaliter, aſſertionis noſtræ *fundamentum eſt ſumma Dei ſimplicitas & perfectio*, per quam attributa diuina ab eſſentia diuina & a ſe inuicem realiter diſtinguere non licet. Quamuis enim quædam attributa diuina realiter diſtinctas edant operationes, diuerſosque producant effectus: ipſa tamen attributa ſimpliciter vnum manent; quia etiam a ſimplici virtute, reſpectu diſtinctorum ſubiectorum, diuerſa procedit operatio, nec ſemper vnus prouenit effectus. Id quod liquido conſtat e calore ſolis, lutum indurante, & butyrum liquefaciente. Deinde quamuis per quædam attributa diuina realiter diſtinctæ imperfectiones negentur: tamen quia id fit ſolum propter imperfectionem intellectus noſtri, realiter ob id diſtinctæ perfectiones in Deo non affirmantur. Præterea licet quædam attributa & Creatori, & creaturis conueniant: non tamen illa conuenientia reale infert diſcrimen; quia non eodem modo ſunt in Creatore, & in creaturis. In illo ſunt eminenter, in his imperfecte. Deus quippe per eſſentiam ſuam eſt miſericors & iuſtus, bonus & ſapiens: creaturæ ſunt miſericordes & iuſtæ, bonæ & ſapientes, per qualitates, ab eſſentia realiter differentes.

*Antitheſis* eſt nonnullorum *Scholaſticorum*, in primis *Scotiſtarum*, ſtatuentium, attributa diuina ex natura rei diſtingui: qui ſuam opinionem ſequentibus muniunt argumentis:

1. Quæcunque contrarios habent effectus, differunt realiter. Quædam attributa diuina habent contrarios effectus. E. Reſp. 1) Maior non eſt vniuerſalis. Nam vna cauſſa diuerſos haud raro producit effectus. 2) Diuerſi effectus plerumque diuerſa agnoſcunt principia in creaturis, in quibus ſubſtantia a qualitatibus, & vna qualitas ab altera differt; ſed non in Deo, qui per vnam & ſimpliciſſimam eſſentiam non ſolum eſt, quidquid eſt, ſed omnia etiam efficit, quæ agit.

2. Quæcunque differunt definitionibus, realiter differunt. Attributa diuina differunt definitionibus. E. Maior ſua radiat luce; quia vnius rei vna datur definitio; diuerſæ autem definitio-

definitiones de rebus differentibus formantur. Minor eſt clara; quia aliter ſapientia, aliter omnipotentia Dei definitur. Reſp. *Definitiones ſunt vel rerum, prout in ſe ſunt, vel prout a nobis concipiuntur.* Si definiantur, prout in ſe ſunt, ſapientia & omnipotentia Dei, non habent diuerſas definitiones, ſed ſunt ipſe Deus ſapiens, & omnipotens; aliud tamen dicendum eſt, ſi definiantur, prout a nobis concipiuntur.

3. Quæcunque non poſſunt de ſe inuicem prædicari, illa ſunt realiter diſtincta. Sed attributa diuina non poſſunt &c. Ergo. Maior conſtat; quia, quæ inter ſe conueniunt, de ſe mutuo affirmantur: vt Petrus & homo, homo & animal. Minor liquet; quia miſericordia Dei non eſt ipſius iuſtitia; neque iuſtitia Dei eſt ipſa eſſentia diuina. Reſp. Diſt. *inter ſenſum formalem, & identicum.* Si miſericordia & iuſtitia Dei conſiderentur in ſenſu *identico*, prout in Deo ταὐτὸ, vnum idemque ſunt, propoſitio illa vera eſt: *Miſericordia Dei eſt iuſtitia Dei.* At ſi ſpectentur in ſenſu *formali*, prout in noſtris ſunt conceptibus, falſa eſt propoſitio illa: miſericordia Dei eſt iuſtitia Dei. Nam miſericordia & iuſtitia Dei, ob diſtinctos, quos edunt effectus, diſtinctis conceptibus inadæquatis repræſentantur. Prædicatio autem ſequitur conceptum mentis; vt enim intelligimus, ſic nominamus & prædicamus; cum nomina ſint ſymbola conceptuum.

Inſtantia: Si attributa diuina non ita ſunt in Deo, vt nos ea concipimus, ſed alio modo, falſo illa Deo tribuuntur: quando enim cum imperfectione concipitur, quod perfectiſſimum eſt, oportet errorem in conceptu illo eſſe. Reſp. Dupliciter aliquid dicitur concipi cum imperfectione: 1) quoad *obiectum*, cum res ipſa concipitur vt imperfecta. Et ſic errat, quisquis cum vlla imperfectione Deum concipit; imperfectionis enim ille expers eſt: 2) Quoad *modum*, cum modus tantum concipiendi imperfectus eſt, ſiue cum non concipitur res vt imperfecta, ſed tantum modo imperfecte: & hoc pacto Deus, qui perfectiſſimus eſt, cum imperfectione concipitur; idque ſine vllo errore.

4. Quæcunque poſſunt ſeparari, ſunt realiter diſtincta. Sed attributa diuina &c. E. Maior per ſe clara eſt; quia luculentiſſimum indicium diſtinctionis realis eſt ſeparatio vnius ab alio. Minor probatur; quia humana Chriſti natura recte dicitur omniſcia, ſed non æterna. Separari itaque poteſt æternitas a ſcientia diuina. Reſp. *Communicatio attributorum diuinorum conſideratur, vel quoad poſſeſſionem.* (Sic carni Chriſti omnia attributa diuina ſunt communicata; *cum tota plenitudo diuinitatis in Chriſto velut proprio templo habitet* Col. II, 9.) *vel conſideratur quoad denominationem & vſurpationem.* (Sic non omnia attributa diuina, ſed ea tantum carni Chriſti communicata ſunt, quæ requiruntur ad obeundum officium mediatorium, nempe ἐνεργητικὰ, ſiue operantia.)

## Quæſt. XXIV. *Quomodo diuiduntur attributa diuina?*

*Diuiſio attributorum diuinorum.*

Attributa diuina diuiduntur (1) in *negatiua*, & *poſitiua*. *Illa* ſunt, quibus a Deo imperfectiones, quæ reperiuntur in creaturis, remouentur. *Hæc* ſunt, quibus perfectiones ſimpliciter de Deo affirmantur. (2) In ἀνενέργητα, *quieſcentia, ſeu immanentia*, quæ eſſentiam diuinam deſcribunt abſolute & in ſe, citra reſpectum ad operationem, atque adeo ad nullum actum ordinantur: ἐνεργητικὰ, ſeu *operantia & ad extra ſe exſerentia*, quæ eſſentiam diuinam deſcribunt reſpectiue, reſpectu operationis, atque adeo ad certos actus ordinata eſſe cognoſcuntur.

Obſ. 1. *Attributa diuina negatiua* ſunt infinitas, immenſitas, immortalitas, immutabilitas, incomprehenſibilitas, inuiſibilitas; *quæ conſiderantur, partim formaliter, partim materialiter, ſeu*



*ſun-*

Digitized by Google

*fundamentaliter*. Priori modo tantum negant & remouent imperfectionem quandam a Deo: poſteriori modo poſitiuam quandam perfectionem Dei connotant. Sic cum dico: Deus eſt immutabilis; nego quidem Deum eſſe vlli mutationi obnoxium, ſed ita, vt connotem, illum eſſe tam in eſſendo, quam volendo conſtantiſſimum.

Obſ. 2. *Attributa Dei quieſcentia, ſiue immanentia, dicuntur etiam abſoluta;* quia eſſentiam diuinam declarant abſolute, citra reſpectum ad operationem, & ſunt: *Vnitas, ſimplicitas, veritas, bonitas, infinitas, æternitas, immutabilitas, immortalitas, immenſitas, incomprehenſibilitas, inuiſibilitas, beatitudo, & maieſtas Dei.*

Obſ. 3. *Attributa Dei operatiua vocantur etiam reſpectiua;* eo quod reſpectum inferunt ad ἐνέργειαν, aut actum diuinum, & ſunt *vita, omniſcientia, omniſapientia, omnipotentia, gratia, iuſtitia, veracitas, omnipræſentia Dei.*

# DE ATTRIBVTIS DEI ABSOLVTIS, SIVE IMMANENTIBVS.

### Quæſt. XXV. *Quæ eſt vnitas Dei?*

*Vnitas Dei.* Vnitas Dei eſt attributum Dei, quo eſſentiam diuinam ſingulariſſimam non indiuiſam tantum ſed, & indiuiſibilem, atque per quandam ſui multiplicationem incommunicabilem, concipimus.

Obſ. *Vnus* dicitur Deus, *non ſpecie, ſed numero;* quia eſt ens ſingulariſſimum, non tantum in ſe indiuiſum, ſed & indiuiſibile, ob ſummam eſſentiæ diuinæ ſimplicitatem; quia in Deo nulla datur compoſitio. Patres nonnulli malunt Deum dicere *vnum*, exiſtentiæ ſimplicitate, aut *perfectione*, quam *numero*, quos citatos vide a D. CALOV. *ſyſt. tom. II. p. 278.* Sed diſtinguendum eſt *inter numerum prædicamentalem, & tranſcendentalem.* Numerus prædicamentalis eſt quantitas diſcreta, non conueniens Deo; ſed numerus tranſcendentalis eſt differentia rerum ſingularium. Vnus dicitur Deus non tantum *abſolute* & *interne*, ſed etiam *excluſiue* & *externe*, quia eſt Deus *vnicus*. Vnicus eſt non tantum actu, vt ſpecies monadicæ, ſol, luna &c. quæ dicuntur ſpecies propterea, quod licet non plura actu dentur indiuidua, non tamen repugnat, plures dari ſoles, vel lunas: at eſſentiæ diuinæ ſimpliciter repugnat, plura eiusdem dari indiuidua, quibus communicetur per ſui multiplicationem, cum nihil æque pugnet cum deitate, quam eſſentiæ pluralitas.

*Vnitas Dei probatur tum ex natura, tum ex ſcriptura. Hæc* docet vnitatem Dei, 1) *aſſertiue*, Deut. VI, 4. *Audi Iſraël, Iehouah Deus noſter* (eſt) *Iehouah vnus.* Cohortaturus Moſes Iſraëlitas ad amandum Deum toto corde, tota anima, & ex omnibus viribus, rationem reddit, quia vnus eſt Deus, vnicus cordis theſaurus, vnicus animæ ſponſus, vna cauſſa omnium virium humanarum, cui iure æquiſſimo cor, anima, omnesque vires deuouendæ ſunt. 2) *Negatiue. Scias, quod Iehouah ipſe ſit Deus, nec amplius* (quisquam) *præter illum.* Deut. IV, 35. 3) *Excluſiue. Cognoſcant omnia regna terræ, quod tu ſis Iehouah Deus ſolus.* 2 Reg. XIX, 19. *Ductum luminis naturæ* ſequentes vnitatem Dei colligimus 1) ex *independentia;* quia omnia entia dependentia reuocantur ad vnum, quod eſt a ſe, & a quo ſunt omnia. 2) *Ex infinitate;* quia duo entia infinita ſine contradictione ſtatui nequeunt. Duo enim entia vt certo numero circumſcribuntur, ita certo eſſentiæ limite differunt. 3) *Ex eminentiſſima Dei perfectione.* Duo perfectiſſima eſſe nequeunt; quia vni adeſſet perfectio, quæ alteri deeſſet; ceteroqui non differrent. 4) Ab *omnipotenti regimine huius vniuerſi.* Si plures eſſent dii, nul-

Digitized by Google

nullus ex iis foret omnipotens. Quod ſi enim vnus aliquid crearet, creatumque conſeruare niteretur, alter vel poſſet opus eius deſtruere, vel non poſſet. Si poſſet, alter foret impotens & imbecillis; neque enim ea polleret vi, vt opus, quod condiderat, conſeruare & protegere valeret. Si non poſſet alterius opus deſtruere, non eſſet omnipotens, adeoque nec verus Deus. Quare nullo pacto fieri poteſt, vt duo ſint omnipotentes mundi rectores. Ὀυκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔςω. 5) *Ex amore Dei pluribus incommunicabili.* Verus Deus ſuper omnia diligendus eſt. At non poteſt ſuper omnia diligi, qui non eſt vnus. (*)

*Antitheſis* eſt 1) *Gentilium*, qui a via ſalutis foediſſime aberrarunt multos colendo Deos. 2) *Priſcorum hæreticorum*, quos inter ſæculo I. fuerunt *Valentiniani*, qui triginta αἰῶνας, ſiue ſæcula generationis, in Deo ſtatuerunt, & Deos generantes, naſcentes, nubentesque commenti ſunt. Sæculo II. & III. *Cerdoniani* & *Marcionitæ*, Deum alium V. T. mundi creatorem, alium Deum N. T. patrem Chriſti; illum iuſtum & ſæuum, hunc autem miſericordem, clementem & bonum eſſe, blaſpheme aſſeruerunt. Sæculo III. *Manichæi*, qui duo rerum omnium principia prima ſtatuerunt coæterna, ſed inter ſe diuerſa, nempe bonum, quod vocarunt Deum, lucem, & malum, quod vocarunt diabolum, tenebras, de quibus EPIPHANIVS *Hæreſ. LXVI.* (**) 3) *Sociniani* opinantes, Deum verum alium, ſummum, alium ſubor-

(*) Cum naturam ducem ſequimur, ea nos docet, plures vno Deo nec *eſſe* nec *eſſe poſſe.* I. Non *eſſe* niſi *vnum* Deum, vel, ſi adcurate loqui velimus, *vnicum*, ex hoc elucet argumento: Deum eſſe naturaliter cognoſcimus non aliunde, quam ex eius effectibus: Effectus Dei, & is quidem, quem natura nobis oſtendit, eſt mundus: Mundi partes ſunt, & variæ, & multæ atque innumerabiles; omnes tamen arctiſſimo quaſi vinculo & mirabili ordine inter ſe aptæ & connexæ: Hæc continua omnium partium ſeries & copulatio totam conſtituit rerum vniuerſitatem: Vnicus igitur eſt mundus: E. vnicus etiam Deus. Dixeris fortaſſe: Vnius rei plures poſſunt eſſe cauſſæ ſociæ, in vnum conſentientes: itaque limitanda erit argumentatio: Vbi vnicus eſt effectus, in vniuerſum conſideratus, ibi neceſſe eſt, vt vel vna cauſſa ſit, vel plures conſociatæ, communi conſilio rem ſuam peragentes. Concedo equidem. Sed, cum cauſſa non aliter, niſi ex effectibus ſuis, cognoſcenda eſt, in his autem ne quidquam deprehenditur, quod non poſſit vni eidemque cauſſæ efficienti tribui: tunc nulla eſt ratio, quam ob rem plures cauſſas efficientes ſtatuamus: E naturalis Dei cognitio non eſt, niſi vnici Dei. II At ne *poſſe* quidem *plures vno* Deos *eſſe*, per vim princip. contrad. ita demonſtramus: *Deus*, ſi quis eſt, non poteſt non eſſe ens neceſſarium, *ſummum*, atque *independens.* Id nimirum eſt, quod primum de Deo cogitamus, & quo eum ab omnibus rebus, quæ vnquam exſtiterunt, diſcernimus, neque id infitiantur, quicunque Deum eſſe fatentur. Qui negare audet, is Deum prorſus negat, itaque nec de eius vnitate diſceptare, pluresque Deos fingere poterit. Atqui 1) *Summum* non poteſt eſſe, niſi *vnum.* Vbi duo adſunt omnia æqualia, ibi neutrum eorum eſt ſummum. 2) *Independens* eſt, quod a nullo alio effectum vnquam fuit determinatumque, & quod, nemine prohibente, valet efficere, quidquid velit. Id igitur nullum habere poteſt aliud, nec ſe *ſuperius*, ad efficiendum determinandumque id ipſum, nec ſibi *par*, ad cohibendos eius effectus, & ad reſiſtendum eius voluntati E. ſi duo, pluresue eſſent dii, nullus eſſet *independens:* Nullus ergo *Deus.* E. hoc ſibi repugnat: plures vno Deos eſſe. Hanc argumentationem Ieſaias haud obſcure indicat, cap. XLV, 5. 6. vbi teſtatur ipſe, Iehouah vnum eſſe, nullumque alium, adiungit hanc rationem; v. 7.: quoniam Deus eſt ens independens, hoc eſt, liberrima voluntate agens, in efficiendis rebus vniuerſis.

(**) Conſtat inter omnes, *Manichæos*, multosque philoſophos, longe eis antiquiores, hoc potiſſimum præſidio fretos fultosque fuiſſe: quod in tota rerum vniuerſitate ſint bona mixta malis. Hinc opinati ſunt, *duo* eſſe Numina æterna, & ita quidem, vt eorum alterum alteri ſit *contrarium*, & alterum quidem *boni* omnis effectorem, alterum vero *mali* auctorem. Quod quamvis PETRO BAELIO, cæteroquin acutiſſimo viro, tam probabile viſum fuerit, vt originem mali, ratus ſit, commode non poſſe, niſi ſumto hoc principio, explicari; re tamen vera abſurdiſſimum

Digitized by Google

ordinatum; alium independentem, alium dependentem eſſe. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Deus eſt nomen poteſtatis. Ergo veram habens poteſtatem (v. gr. angelus, magiſtratus) verus Deus eſt. Reſp. Nomen Deus formaliter deſignat eum, qui habet naturam diuinam, cuius conſequens eſt poteſtas & imperium, vt ſupra demonſtrauimus. Sane ſi neque græcum nomen, θεός, neque latinum, *Deus*, eſſentiam ac naturam diuinam denotaret, neque in græca, neque in latina lingua nomen diuinum ſignificatiuum naturæ diuinæ daretur, quod perquam abſurdum videtur.

II. Magiſtratus aut vere, aut falſo dicitur Deus. Non falſo; nam idola gentium & diabolus falſo dicuntur dii ob erroneam hominum opinionem. Ergo vere, ob veram & non fictam ſimilitudinem cum Deo. Sed qui vere vocatur Deus, ille eſt verus Deus. Reſp. 1) Magiſtratus non in numero ſingulari vocatur Deus, ſed iudices & magiſtratus in numero multitudinis nominantur dii. Pſ. LXXXII, 1. 6. Multi enim ſunt dii λεγόμενοι, nuncupatiui, ſola nominis, non eſſentiæ diuinæ participatione tales, 1 Cor. VIII, 6. 2) Aliud eſt vere dici Deum ſenſu figurato & metaphorico, aliud eſt vere eſſe Deum ſignificatione propria & natiua. Senſu metaphorico magiſtratus vere dicuntur dii, ſed verus Deus eſt, qui habet naturam independentem & infinitam.

III. Chriſtus eſt verus Deus 1 Io. V, 20. & tamen ſimul Deus factus, Act. II, 36. Ergo alius Deus verus eſt independens, qui non eſt factus, alius verus Deus dependens, qui eſt factus. Reſp. S. Petrus non dicit, quod Deus pater Chriſtum fecerit Deum, ſed quod Ieſum filium Mariæ fecerit dominum & Chriſtum, i. e. quod ad vſum pleniſſimi dominii & regiæ poteſtatis eum euexerit per exaltationem ad dextram ſuam. Quamuis enim Chriſtus τὴν κτῆσιν, ſiue poſſeſſionem dignitatis regiæ, ſecundum humanam naturam acceperit ex vnione hypoſtatica, per euectionem tamen ad dextram Dei factus eſt dominus & Chriſtus, qua χρῆσιν, ſeu pleniſſimam & inceſſantem vſurpationem diuinæ omnipotentiæ in gubernando hoc vniuerſo, inprimis in colligenda & defendenda eccleſia tanquam regno gratiæ. Etenim vox χριςὸς hic notat regem populi Dei, obſeruante HVG. GROTIO *in h. l.* Conf. 1 Sam. XII, 3. Pſ. XX, 7. Eſ. XLV, 1.

Quæſt. XXVI. *Quæ eſt ſimplicitas Dei?*

*Simplicitas Dei.* Simplicitas Dei eſt attributum diuinum, quo eſſentia Dei omnis compoſitionis expers eſt.

Prob. I. Ex *nominibus diuinis* Iehouah, Eieh Aſcher Eieh, Exod. III, 14. Quæ nomina diuina, vt ab eſſendo trahunt originem, ita abſolutiſſimam eſſentiæ diuinæ ſimplicitatem inferunt atque ſignificant, quod nihil in Deo ſit, niſi eſſe, & quod Deus ſit ipſe *eſſe ſuum.*

II. *Ex prædicatis abſtractiuis.* Illud eſt ens ſimpliciſſimum, de quo verificantur prædicata in abſtracto: quia hoc ſimplicem habet ſignificandi modum. Atqui de Deo &c. E.

Mi-

mum eſſe, & manifeſtam in ſe repugnantiam continere, facile intelligimus, cum ita ratiocinamur: Bono malum admiſtum eſt in *vno* mundo atque adeo in *vno quoque* homine. E. aut duo dii *contrarii*, æternis conſiliis ac decretis in *vnum conſenſerunt*, & coniunctis viribus operati ſunt in *vno effectu* creando; aut alteruter eorum, & *bonus* quidem ille, non valuit *prohibere alterum*, quo minus hic illius effectum, in ipſa eius natura & conſtitutione perficienda, deprauatum mutilatumque efficeret. Vtrumque ſane eſt eiusmodi, quo nihil cogitari queat abſurdius. Hoc eſt, tollere omnem Dei *independentiam ac ſummam perfectionem*, atque adeo ipſum *Deum.*

Digitized by Google

Minor probatur, quia Deus non tantum in ſe ipſo habet vitam, ſed eſt etiam ipſa vita. Io. V, 26. c. XIV, 6. Eſt in luce & ipſa lux, 1 Io. I, 5. 7. Ita diligit Deus, vt ſit ipſa caritas. 1 Io. IV, 16.

Dicis: Abſtractiuæ locutiones non ſemper inferunt ſimplicitatem eſſentiæ; nam & Epheſios compellat Paullus, quod ſint *lux in domino*, Eph. V, 8. R. Abſtractiuæ locutiones vel ſunt abſolutæ, vel per conditiones reſtringentes & diminuentes limitatæ. Deus abſolute dicitur lux, ſed Epheſii cum addita reſtrictione vocantur lux in domino, adeoque dependenter a gratia Dei illuminante.

III. *Ex ſpiritualitate Dei.* Quicunque eſt ſpiritus ſummus & perfectiſſimus, illius eſſentia eſt ſimplex. Atqui Deus &c. Ergo. Maior patet; quia ſpiritus contradiſtinguitur corpori, quod eſt compoſitum. Minor liquet ex Io. IV, 24.

Dicis: Angeli ſunt ſpiritus, & nihilominus compoſiti ex eſſentia & accidentibus. Reſp. 1) Ex ſpiritualitate Dei colligimus, ipſum non eſſe compoſitum ex materia & forma, partibusque integrantibus. 2) Diſpar eſt ratio Dei & angelorum. Ille eſt ſpiritus ſummus & perfectiſſimus, in quem non cadit accidens: Angeli ſunt ſpiritus inferiores & imperfectiores.

IV. *Ex independentia Dei.* Vbi datur compoſitio, ibi datur aliquid prius, quod componenda coniungit & componit. At Deus eſt ens primum & independens, non agnoſcens cauſſam priorem, a qua componi queat.

V. *Ex perfectione Dei.* Nam quo quid ſimplicius, eo perfectius.

VI. *Ex immutabilitate Dei.* In omni compoſitione ſunt diuerſa principia, quæ vti coëunt, ita viciſſim diuidi poſſunt, adeoque mutationem inferunt. At Deus nulli mutationi eſt obnoxius.

VII. *Per inductionem, omnes & ſingulas compoſitiones a Deo remouendo.* Aliena eſt a *Deo compoſitio phyſica* ex materia & forma, partibusque quantitatiuis. Eſt enim compoſitio illa corporum naturalium; at *Deus* eſt ſpiritus puriſſimus. Neque attribuenda eſt *Deo compoſitio logica* ex genere & ſpecie, ex ſubiecto & accidente. Nam genus ſe habet inſtar potentiæ, differentia inſtar actus; at *Deus* puriſſimus eſt actus. Genus eſt multiplicabile in plures ſpecies, ſpecies multiplicabilis eſt in plura indiuidua; *Deo* autem nihil peræque repugnat, ac pluralitas; cum ſit ſingulariſſime vnus. Accidentalis autem compoſitio imperfectionem infert. Neque conuenit *Deo compoſitio metaphyſica* (1) *ex eſſentia & exſiſtentia.* Nam intellectus noſter concipit per eſſentiam, rem actu quidem exſiſtentem, ſed quæ aliquando fuit poſſibilis: per exſiſtentiam autem, actum exſiſtendi eſſentiæ ſuperadditum. At *Deum* vt poſſibilem concipere non licet; quia eſt ens neceſſarium, de cuius eſſentia eſt, neceſſario exſiſtere. (2) *Neque ex natura & ſuppoſito, ſiue eſſentia & ſubſiſtentia.* Nam omnis compoſitio ſuo modo fundatur in ratione actus & potentiæ, aut ſi partes non reſpiciant ſe inuicem vt actus & potentia, tendunt tamen ad integritatem, augmentum & perfectionem totius. Sed in Deo vterque actus eſſentiæ & ſubſiſtentiæ ab omnipotentia independens & puriſſimus eſt, cum neuter exiſtat in potentia ad alterum. Ergo actus eſſentiæ & ſubſiſtentiæ nullam in Deo facit compoſitionem.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, *Vorſtii*, *Burgersdicii & aliorum* ſtatuentium, *Deum* non omnis compoſitionis eſſe expertem; qui ſequentibus argumentis ſuam opinionem firmatum eunt.

I. In quo locum habet diſtinctio rationis, in eo compoſitio rationis locum inuenit. Atqui in Deo &c. Ergo. Maior conſtat; quia diſtinctio compoſitionem ſupponit. Minor patet; quia attributa ab eſſentia diuina ratione diſtinguuntur. Reſp. neg. maiorem. Quod enim dentur multi conceptus de Deo: quod diſtinctio rationis admitti poſſit: quod ipſa eſ-

ſentia diuina fundamentum præbeat: id omne eſt non a præuia compoſitione, ſed ab eminentiſſima Dei perfectione. Quia enim Deus eſt pelagus innumerabilium perfectionum, ideo præbet ille fundamentum nunc ſub hac, nunc ſub illa perfectione, Deum inadæquate conſiderandi, vnamque perfectionem ab alia diſtinguendi. Sed longe aliter comparatum eſt cum compoſitione; quippe quæ ſemper inuoluit imperfectionem. Conf. D. OSIANDER, *coll. ſyſtem. P. I. p. 272.*

II. Quæcunque eſſentia conſtat tribus perſonis, illa eſt compoſita. Eſſentia diuina &c. Ergo.

Reſp. Quæcunque eſſentia conſtat tribus perſonis *eſſentialiter diſtinctis*, illa eſt compoſita; concedo. Eſſentia diuina conſtat tribus perſonis eſſentialiter diſtinctis; nego. Tres perſonæ diuinitatis differunt quidem *realiter*, propter reales oppoſitiones, non tamen differunt *eſſentialiter*, quia non habent eſſentiam diuerſam, ſed eandem.

Inſtantia I. Sed quia perſonæ differunt realiter, realiter componuntur. Reſp. Aliud eſt *diſtinctio*, aliud *compoſitio*. Illa eſt ſignum perfectionis, hæc eſt ſignum imperfectionis. Illa notat extremorum diuerſitatem, hæc eorundem vnionem.

Inſtantia II. Vnio competit etiam tribus perſonis deitatis; quia vniuntur in vna eſſentia. Reſp. Non vniuntur ſtricte loquendo; quia ad veram vnionem diuerſæ requiruntur ſubſtantiæ. Sed tres perſonæ diuinæ vnam habent eſſentiam, ſiue ſubſtantiam. Deinde in vera vnione vnum vnitorum ſe habet per modum potentiæ, alterum per modum actus. Sic in homine, realiter compoſito, anima habet rationem actus perficientis, materia eſt inſtar potentiæ perfectibilis. Quæ cum dici nequeant de perſonis diuinis, ex vero colligitur, illas non eſſe ſtricte loquendo vnitas.

Inſtantia III. Tres perſonæ diuinæ aut ſunt vnitæ, aut non. Si prius; dabitur compoſitio, quia vnio. Si poſterius; perſonæ diuinæ ratione eſſentiæ erunt diuerſæ, adeoque triplex admittenda erit eſſentia. Reſp. Perſonæ diuinæ neque ſunt vnitæ, neque ratione eſſentiæ diuerſæ, ſed ratione eſſentiæ ſunt vnum. 1 Io. V, 7.

III. In quo datur eſſentia & relatio realis, in illo datur compoſitio realis.

Atqui in Deo &c. Ergo. Maior conſtat, quia relatio eſſentiæ addit peculiarem reſpectum, cum quo illa componitur. Minor liquet, quia in diuinis, ſcriptura teſte, datur, qui realiter eſt pater, & qui realiter dicitur filius. Dari ergo oportet in Deo realem paternitatem & realem filiationem, quæ ſunt relationes. Reſp. *Relatio hypoſtatica in Deo non inhæret, vt accidens eſſentiæ diuinæ, neque ab hac realiter differt.* Ergo realem non facit compoſitionem: diſtinguit quidem vnam perſonam ab altera, ſed non componit.

IV. In quo dantur accidentia, ille eſt compoſitus.

Atqui in Deo dantur accidentia. Ergo. Minor probatur, quia in Deo ſunt decreta, quæ ſunt accidentia. Reſp. neg. minorem; quia *decreta in Deo non ſunt imperfectiori modo, ſed eminenter*, i.e. decreta diuina non ſunt accidentia, ſed ipſa eſſentia diuina decernens.

Inſtantia: I. Eſſentia diuina eſt vna. Decreta Dei non ſunt vna, ſed multa. Ergo decreta Dei non ſunt ipſa eſſentia diuina. Reſp. Decreta Dei, conſiderata *in ſe, ſine ordine ad obiecta, ſiue connotata*, ſunt ipſa eſſentia diuina decernens; *ſpectata in ordine ad diuerſa connotata, ſiue obiecta*, ſunt multa extra Deum. Datur itaque multitudo decretorum diuinorum, non ex parte Dei, aut in Deo, ſed ex parte connotatorum, aut obiectorum.

Inſtant. II. Decreta ſunt effectus voluntatis diuinæ. Ergo non ſunt ipſa eſſentia diuina. Reſp. Decreta diuina non *ſunt effectus, ſed actus immanentes voluntatis diuinæ*, qui, intra ſinum deitatis exſiſtentes, ſunt ipſa eſſentia diuina perpetuo actuoſa. Nam intra Deum eſſe, & poſſe operari, non differunt.

In-

Digitized by Google

Inſtant. III. Eſſentia diuina eſt neceſſaria. Decretum diuinum non eſt neceſſarium. Ergo. Reſp. Decretum diuinum conſideratur, vel *ratione principii ſecundum exſiſtentiam in Deo, vel ratione termini, quatenus terminatur ad creaturas. Libera* ſunt decreta diuina, quoad liberam terminationem ad *obiecta* creata: *neceſſaria* ſunt, in quantum intrinſeca ſunt Deo; quippe qui non per accidens aliquod, ſed immediate per ſuammet eſſentiam decernit. (*)

Inſtant. IV. Decreta diuina includunt reſpectum ad creaturas. Eſſentia diuina non &c. Ergo. Reſp. (α) Omnipotentia diuina etiam includit reſpectum ad creaturas, & hoc non obſtante eadem eſt cum eſſentia diuina. (β) Diſting. *inter reſpectum realem, & rationis.* Quo ſenſu decretum diuinum ad extra reſpectum rationis includit, eodem ſenſu eiusmodi reſpectum includit eſſentia diuina decernens; quamuis certum ſit, quod creaturæ magis referantur ad Deum, quam Deus ad creaturas.

V. Deus iurat per animam ſuam. Ierem. LI, 14. Amos VI, 8. Ergo Deus eſt compoſitus. Reſp. Deus proprie loquendo non habet animam; ideoque iurare dicitur per animam, dum iurat per ſeipſum.

VI. BVRGERSDICIVS, philoſophus Batauus, argumentatur: Vbicunque ex iis, quæ diſtincta ſunt, fit vnum, ibi oritur aliqua compoſitio. In Deo ex diſtinctis perſonis fit vnum. Ergo in Deo datur aliqua compoſitio. Reſp. Sacra ſcriptura non dicit, quod tres perſonæ diuinæ *fiant* vnum, ſed quod *ſint* vnum. 1 Io. V, 7. Sunt autem vnum non compoſitum, ſed ſimpliciſſimum; cum vna perſona diuina ad alteram ſe non habeat per modum potentiæ paſſivæ & perfectibilis. Ad veram compoſitionem autem requiritur, vt partes componentes ſe inuicem reſpiciant, vt potentia perfectibilis, & actus perficiens.

Inſtantia: Filio Dei tribuitur *generatio paſſiua.* Ergo in illum cadit *potentia paſſiua.* Reſp. Generatio filii Dei appellatur *paſſiua*, non quod *potentia* paſſiua, aut paſſio *proprie dicta*, realis, aut phyſica, in filium Dei cadat, ſed quod in defectu alius vocis commodæ hanc in tam ſublimi myſterio vſurpare neceſſitas nos iubeat. Vocatur *generatio paſſiua grammatice*, quia non generare, ſed generari dicitur; quamuis ſit actus puriſſimus, nullam inferens compoſitionem, nempe puriſſima emanatio τȣ λόγȣ ex patre.

## Quæſt. XXVII. *Quæ eſt veritas Dei?*

Veritas Dei eſt conformitas eſſentiæ diuinæ cum intellectu diuino. *Veritas Dei.*

Obſ. I. Senſus definitionis eſt: Veritas Dei eſt, qua reuera talis eſt, qualis in ſua natura & eſſentia eſſe a ſeipſo cognoſcitur.

Obſ. II. Verus eſt Deus tum κατ' ἔσω, ſiue ſimpliciter & in ſe, quia ipſe per *eſſentiam* verus Deus & prima veritas eſt: tum κατ' ἔξω, quia in *verbis*, promiſſionibus & minis verus eſt. Proinde competit *Deo tam eſſentialis, quam moralis veritas.* De *veritate Dei eſſentiali* hic nobis ſermo eſt. (**)

Obſ.

(*) Hoc eſt, non poteſt Deus aliquid vnquam aliter decernere, ac ſuis perfectionibus vniuerſis conuenienter congruenterque. 2 Tim. II, 13.

(**) *Veritas, generatim* dicta, eſt *conuenientia* rerum, quæ, quales, & quatenus ſunt, aut eſſe poſſunt. *Speciatim* omnino *quintuplex* eſt veritas: 1) in *eſſendo*, vt moris eſt loqui, atque hæc dicitur *metaphyſica* veritas; 2) in *intelligendo*, quæ eſt *logica;* 3) in *volendo*, ſ. decernendo, 4) in *agendo*, 5) in *dicendo:* hæ tres ſpecies vno comprehenduntur nomine veritatis *ethicæ*, ſ. moralis. Definiamus ſingulas, quæ omnes in Deo inſunt perfectiſſimæ. I. *Veritas Dei* in *eſſentia*, eſt *conuenientia omnium* eorum, quæ ad *naturam perfectiſſimi* pertinent, eamque totam conſtituunt; qua ratione Deus *verus* opponitur fictis & commentitiis, Ierem. X, 8. 10. 11. 1 Ioann. V,

 20. &

Obſ. III. Veritas *alia eſt prima & independens, alia orta & dependens.* Illa eſt conformitas eſſentiæ diuinæ cum intellectu Dei ſpeculatiuo & cognoſcente: hæc eſt, qua ens creatum congruit cum intellectu Dei practico & menſurante. Verus itaque Deus eſt tum *entitatiue & independenter;* quin immo Deus eſt αὐταλήθεια, prima, ſumma & independens veritas: tum *exemplariter*, quatenus ipſe *archetypum*, idea & norma omnis veri eſt, quod datur in creaturis. Res igitur creatæ hactenus ſunt veræ, quatenus cum idea in mente diuina congruunt.

Veritas Dei eſſentialis prob. I. *ex oraculo prophetico*, Ier. X, 10. יהוה אלהים אמת Vulgata reddidit: Dominus Deus eſt verus: *Pagninus*: Dominus Deus eſt veritas. *Seb. Schmidius:* Iehouah (eſt) Deus (in) veritate. Obſerues igitur, quod Deus a propheta non modo *verus*, ſed & *ipſa veritas* vocetur, non reſpectu fidelitatis, quod Deus fallere nequit, ſed reſpectu ipſius eſſentiæ, eo quod non eſt Deus fictus, ſicut idola gentium mera ſunt figmenta, ſed eſt Deus verus per eſſentiam independentem, æternum viuentem, & omnia gubernantem. Quapropter propheta verum Deum diſcernit ab idolis v. 8. 9. & v. 10. addit: *Ille Deus viuus & rex ſeculi* (ſempiternus).

II. Ex *effato apoſtolico*. 1 Io. V, 20. 21. *Scimus vero, quod filius Dei venerit, & dederit nobis mentem, vt cognoſcamus verum: & ſimus in vero, in filio ipſius Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus & vita æterna. Filioli, cauete vobis ab idolis, Amen.* Quod hic agatur de Deo ſummo qui veram eſſentiam diuinam & independentem habet, e contextu liquet, quia (1) abſolute & in caſu recto dicitur ὁ ἀληθινὸς θεὸς, verus ille Deus. At verus Deus non eſt, niſi qui vera deitate, adeoque vera diuina eſſentia gaudet; vt verus homo non eſt, niſi qui vera humanitate, hoc eſt, vera humana natura conſtat. (2) Quia *verus* hic *Deus* opponitur *idolis*. At idolis & τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, his, qui natura dii non ſunt, non opponitur vt verus *Deus*, niſi qui τῇ φύσει natura *Deus* eſt, adeoque vnus ille ſummus *Deus*. (3) Quia verus ille Deus vocatur vita æterna, i. e. auctor vitæ æternæ. Patet ex hoc eloquio apoſtolico, tam patrem æternum, quam filium coæternum, verum eſſe Deum. Nam quando S. Ioannes aſſerit, quod *filius Dei venerit, & dederit nobis mentem, vt cognoſcamus verum* (Deum), indigitat, Deum patrem eſſe verum Deum, quia confeſtim addit: *Et ſumus in vero, in filio ipſius Ieſu Chriſto*, vt diſtinguat perſonam patris, qui eſt verus Deus, & ſimul indicet, filium Dei quoque eſſe verum Deum. Id propter verba memoratu digniſſima annectit: *Hic eſt verus Deus & vita æterna.* Quæ verba haud dubie de Chriſto intelligenda ſunt. Nam (a) pronomen demonſtratiuum οὗτος ordinarie reſpicit & demonſtrat nomen proxime præcedens, quod hic eſt Ieſus Chriſtus. (b) Peculiare eſt Ioanni, *Chriſtum* vocare *vitam æternam*, partim in hac eadem epiſtola, cap. I, 1. cap. V, 12. 13. partim in euangelio, cap. I, 4. cap. XI, 25. cap. 14, 6. (c) Si pronomen demonſtratiuum οὗτος dicatur reſpicere remotius nomen, τὸν ἀληθινὸν, perquam inepta emergeret tau-

to-

20. & 21. II. *Veritas Dei* in *intellectu*, eſt *conuenientia cogitationum* cum *obiecto*, ſiue vere exſiſtente, ſiue vere poſſibili, quoad eſt poſſibile. Non cadit in Deum, errare, neque ignorare. Iob. XI, 7. Act. XV, 18. Sirac XXIII, 28. III. *Veritas Dei in voluntate* eſt *conuenientia decreti ac propoſiti* efficacis cuiusque, *cum rationibus in intellectu* probe cognitis ac iudicatis, Rom. XI, 33. IV. *Veritas Dei* in *factis*, eſt *conuenientia actionum* cum *propoſito ac decreto*, rectis principiis argumentisque mouentibus conſentaneo, Pſ. XXV, 10. quo in loco viæ Domini prædicantur, quod ſint bonitas ac veritas; viæ autem ſunt opera, ſiue actiones, tamquam media, ad propoſitum aptisſima. Conf. Pſ. XXXIII, 4. in font & Epheſ. I, 11. V. *Veritas Dei* in *dictis*, quæ ſingulatim vocari ſolet *veracitas*, eſt *conuenientia verborum* omnium, cum *recta cogitatione* animique ſententia, & efficaci voluntatis decreto ac propoſito, Num. XXIII, 19. 1 Sam. XV, 29. Tit. I, 2. Hebr. VI, 18. Hæc cernitur 1) in *doctrinis*, Io. XVII, 17. 2) in *prædictionibus*, *promiſſionibus*, vt & *comminationibus*. Num. XXIII, 19.

tologia: Hic verus ille Deus eſt verus Deus. Ratum igitur fixumque manet, tam Deum patrem, quam filium Dei, eſſe verum natura Deum. Spiritum S. non excluſit apoſtolus, quia eodem c. V, 7. aſſeruerat, *patrem, verbum & Spiritum S. eſſe vnum.*

Quæſt. XXVIII. *Quæ eſt bonitas Dei?*

Bonitas Dei eſt conformitas eſſentiæ diuinæ cum voluntate diuina. *Bonitas Dei.*

Obſ. I. Senſus definitionis eſt: Bonitas Dei eſt, qua eſſentia diuina voluntati Dei adeo complacet, vt ipſam, tanquam perfectiſſimum & maxime amabile bonum, modo ineffabili amet, eademque ſuauiſſime delectetur & acquieſcat.

Obſ. II. Bonitas *Dei* alia eſt *eſſentialis*, quam iam definiuimus; alia eſt *moralis*, qua Deus omnis vitii moralis expers eſt, & vocatur ſanctitas Dei.

Obſ. III. *Bonitas tranſcendentalis alia eſt originalis, alia participata.* Illa eſt, qua Deus independenter & per eſſentiam bonus eſt: Hæc eſt, qua creaturæ dependenter & per participationem bonæ ſunt.

Bonitas Dei probatur ex eloquio Chriſti, Phariſæum quendam, qui ipſum bonum vocauerat magiſtrum, ita alloquentis: *cur me dicis bonum? nullus bonus eſt, niſi vnus Deus.* Matth. XIX, 17. Quibus verbis Saluator iuuenem in ſcholis Phariſaicis informatum, credentem, Chriſtum eſſe merum hominem, & de ratione conſequendi vitam æternam quidem quærentem, ſed peruerſa opinione, quod ποιήσει ſua, ſiue propriis operibus eam conſequi poſſet, faſcinatum, erroris conuincere nitebatur, ſequenti ratione argumentaturus: Quem non credis verum eſſe Deum, auctorem vitæ æternæ, illum non potes æquo iure vocare ſingulariſſime bonum. Atqui non credis, me eſſe verum Deum: Ergo nullo iure me potes vocare ſingulariſſime bonum. Dicitur autem Deus ſingulariſſime bonus, quia (1) *originaliter & independenter bonus eſt: creaturæ bonæ ſunt dependenter & participatiue*, in quantum per modum aſſimilationis cuiusdam de bonitate Dei participant. (2) *Efficienter*, quia Deus omnis boni fons & origo eſt. (3) *Exemplariter*, quia bonitas Dei idea & menſura eſt omnis bonitatis, quæ eſt in creaturis. (4) *Finaliter*, quia eſt bonum ſimpliciter ſummum, ad quod tanquam finem vltimum, quidquid boni eſt, tendit. Pulcre Græci Deum ἀγαθὸν, αὐταγαθὸν, πανάριστον, latini ter optimum, Germani GOtt, quaſi Gut, appellarunt. Cum itaque Deus ſit primum & ſummum bonum, conſequitur: (a) *Deum eſſe bonum omnium maxime communicatiuum. Communicatio autem bonitatis diuinæ eſt vel libera, vel neceſſaria. Poſterior* locum habet in actionibus perſonalibus. Sic Deus pater filio totam eſſentiam gignendo communicat, Io. V, 26. et pater & filius eandem numero eſſentiam ſpirando communicant Spiritui ſancto, Io. XVI, 14. *Prior* reſpicit creaturas, quibus Deus ſeſe communicat libere, vel per creationem, conſeruationem, concurſum & præſentiam vniuerſalem, Act. XIV, 17. vel per gratiam, 1 Io. III, 1. vel per gloriam, 1 Petr. V, 10. Rom. VIII, 30. vel per incarnationem filii, Io. III, 16. (b) *Deum eſſe bonum fruibile*, cui propter ipſum amore inhæremus; mundo & aliis rebus non fruimur, ſed vtimur, earumque vſum ad Deum ceu vltimum finem referimus.

Quæſt. XXIX. *Quæ eſt ſanctitas Dei?*

Sanctitas Dei eſt attributum diuinum, quo eſſentia Dei puriſſima, rectiſſima & omnis vitii moralis expers eſt. (*) *Sanctitas Dei.*

Prob.

(*) Si quæramus in vniuerſum: quid ſit *ſanctitas?* Eſt ſeparatio rei cuiusdam, a reliquis diſtinctæ, cum inſigni præſtantia atque excellentia. Ea nimirum eſt poteſtas verborum, קדש & ἁγι-



Digitized by Google

Prob. Ex cantico piiſſimæ Hannæ 1 Sam. II, 2. *Non eſt ſanctus, ſicut Iehouah.* Nulla creatura intelligens, nullus angelus, nullus homo renatus in regno gratiæ, nulla anima beata in regno gloriæ, eum aſſequitur ſanctitatis apicem, quo eminet Deus ter ſanctiſſimus. Nam (1) Deus ſanctus eſt *independenter & per eſſentiam:* creaturæ dependenter, & per qualitatem eſſentiæ ſuperadditam: (2) *Immutabiliter*, ſiquidem ſanctitas Dei haud perinde, ac creaturæ, deficere, aut viciſſitudinem ſubire poteſt. *Nam apud patrem luminum non eſt transmutatio, aut conuerſionis* (vel) *vmbra.* Iac. I, 17. Sol naturalis oritur, occidit, recidit, ſuasque habet παραλλάξεις: at Deus, ſol ſanctitatis, eſt ἀπαράλλακτος, ſemper idem, omni conuerſione lucis & tenebrarum ſuperior, incommutabili refulgens ſanctitate. (3) *Efficienter*, quia omnis ſanctitatis auctor eſt, 1 Theſſ. V, 23. (4) *Exemplariter*, quoniam ſanctitas Dei eſt exemplar omnis ſanctitatis, quod ſancti Dei filii perpetuo intueantur & imitentur. Quam imitationem pater cœleſtis ab ipſis exigit, Leu. XI, 44. *Ego Iehouah Deus veſter: Ideo ſanctificabitis vos, eritisque ſancti, quia ego ſanctus.* Conf. Leu. XIX, 2. 1 Petr. I, 16. Renatorum ſanctitas reſpondet ſanctitati diuinæ *ſimilitudine*, non *æqualitate.* (5) *Obiectiue*, quia ſanctitas Dei ſancte a nobis eſt agnoſcenda & celebranda. Precum noſtrarum caput eſt: *Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum!* Suauiſſime concinit angelorum chorus: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Iehouah Zebaoth!* Eſ. VI, 3.

Quæſt. XXX. *Quæ eſt infinitas Dei:*

*Infinitas Dei.*

Infinitas eſt attributum diuinum, per quod eſſentia & perfectiones Dei nullos habent terminos.

Prob. I. e Pſ. CXLV, 3. *Magnus* (eſt) Iehouah, *& laudabilis valde, & magnitudinis eius non* (eſt) *inueſtigatio.* Vulgata quidem reddidit: *magnitudinis eius non eſt finis:* at vox hebræa חקר proprie ſcrutationem, aut perueſtigationem notat. Magnitudinem Dei deprædicat rex prophetarum, & intelligit non *magnitudinem molis*; quæ cum radicem habeat materiam, in Deum non cadit; *ſed magnitudinem perfectionis.* Proinde ſenſus eſt: Fruſtra inſumitur omnis labor, qui circumſcribendæ eſſentiæ Dei, figendisque perfectioni diuinæ limitibus impenditur. Nemo quippe ſcrutando inueniet finem, vbi deſinat deficiatque maieſtas Iehouæ. Eſt itaque eſſentia & perfectio Dei abſolute infinita, quia magnitudo eius eſt imperueſtigabilis.

II. *Ex independentia Dei.* Quæcunque eſſentia eſt independens, illa nullam agnoſcit cauſſam, a qua finibus includi queat. Atqui eſſentia diuina eſt independens. Ergo.

III. *Ex abſoluta Dei perfectione.* Quicunque tantæ perfectionis eſt, vt puriſſimus ſit actus, omnem excludens potentiam paſſiuam, ille non patitur, vt eſſentiæ & perfectioni ſuæ ponantur limites. Atqui Deus &c. Ergo.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum & Arminianorum*, quorum nonnulli de infinitate Dei dubitant, nonnulli eandem negant, quibus accedit *Vorſtius.* Potiora eorundem argumenta conſiderabimus.

I. A

ἁγιάζομαι. Vid. in primis Leuit. XX, 26. 1 Pet. II, 9. & 2 Corinth. VI, 17. *Sanctitas* igitur *Dei*, & ea quidem *generaliter* ſpectata, eſt ipſa diuinitas omnesque eius proprietates ac perfectiones, quibus ipſe vnus ab omnibus rebus diſcernitur. Ad eam pertinet etiam voluntas in Deo neceſſaria, qua ſemper ipſe decernit, ſummis perfectionibus ſuis omnibus conuenienter congruenterque agere. Ita Ieſaias c. VI, 3. interpretatur, quod *ſanctitas Dei* ſit eius *gloria.* Gloria autem diuina ſunt omnes Dei proprietates perfectionesque, effectibus, ſibi conuenientibus declaratæ. Ioan. XVII, 4 & 6. Dicitur & *decorum diuinum*, ad Hebr. II. 10. *Speciatim* vero *ſanctitas moralis* nihil eſt aliud, quam *bonitas moralis.* 1 Pet. I, 15. 16.

Digitized by Google

I. A quo abhorret natura, illud nullibi datur. Atqui ab infinito abhorret natura: Ergo infinitum nullibi datur, & conſequenter nec Deus eſt infinitus. Reſp. Natura abhorret ab infinito, quod tale eſt ratione quantitatiuæ extenſionis, non ab eo, quod eſt infinitum ratione eſſentiæ & perfectionis.

II. Quicunque poteſt videri, ille non eſt infinitus quia terminatur viſu.: Atqui Deus &c. Ergo. Minor probatur, quia Deus ab hominibus viatoribus ſæpe eſt viſus, Eſ. VI, 1. Dan. VII, 13. In patria cœleſti Deum a facie ad faciem viſuri ſumus. 1 Cor. XIII, 12. Reſp. Viſus eſt Deus ab hominibus viatoribus non in eſſentia, ſed in manifeſtationis œconomia; quomodo autem in patria ipſum viſuri ſimus, ſchola cœleſtis docebit.

III. Quicunque abſolute infinitus eſt, ille non eſt cognoſcibilis. Deus eſt cognoſcibilis. Ergo Deus non eſt infinitus. *Maior* probatur, quia inter facultatem cognoſcentem & obiectum cognoſcibile debet quidem eſſe proportio; quæ inter infinitum, & finitum non datur. Reſp. diſt. *inter proportionem mathematicam in eſſendo, & intentionalem in cognoſcendo.* Quamuis inter intellectum finitum, & Deum infinitum non detur proportio mathematica in eſſendo, datur tamen proportio intentionalis in cognoſcendo; quæ licet non ſit adæquata, ſufficit tamen, quod in tantum Deum infinitum cognoſcamus, in quantum ſe nobis manifeſtauit.

IV. Potentia Dei non eſt infinita: Ergo nec eſſentia Dei. Antecedens probatur, quia potentia Dei ſe non extendit ad impoſſibilia. Reſp. Ad infinitatem potentiæ diuinæ non requiritur, vt ſe extendat ad impoſſibilia: ſufficit enim, quod ſe ad infinita poſſibilia extendat. Circa impoſſibile non verſatur vlla potentia, cum hæc poſſibile tantum reſpiciat.

V. Si Deus eſt bonum infinitum, nullum erit malum in rerum natura. Conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens. Conſequentia maioris probatur; quia ſi vnum oppoſitorum eſt infinitum, alterum oppoſitum penitus deſtruet, ob infinitatem ſuam. Reſp. neg. conſequentiam. Hoc enim ſolum ſequitur, quod ſicut Deus infinite bonus eſt: ita in Deo non ſit vllum malum. Infinita quippe bonitas in Deo omne ab ipſo malum excludit.

VI. Si Deus infinitæ eſt perfectionis, omnes creaturæ erunt æqualiter perfectæ. Conſequens eſt falſum. E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur, quia creatura dicitur magis vel minus perfecta, prout magis vel minus diſtat a perfectione Dei. Sed ſi perfectio Dei eſt infinita, omnes perfectiones creaturarum ab ea diſtabunt infinite, atque adeo æqualiter. Iam vero ſi omnes perfectiones creaturarum æqualiter diſtant a perfectione creatoris, erunt æquales. Reſp. Perfectiones creaturarum non tantum diiudicantur ex generali diſtantia ab infinita perfectione Dei, ſed etiam e pluribus vel paucioribus gradibus perfectionis, quos quælibet creatura a Deo accepit: quorum graduum reſpectu vna creatura propius ad Deum accedit, quam altera.

VII. Deus eſt hoc aliquid. Ergo non eſt actu infinitus. Ratio conſequentiæ eſt, quia τό τὶ, hoc aliquid, eſt ſingulare, peculiari quadam perfectione, quæ non datur in aliis, diſtinctum. At quidquid eſt infinitæ perfectionis, omnes in ſe continet perfectiones, adeoque ab aliis diſtingui nequit. Reſp. Non repugnat, eſſe hoc aliquid, & tamen omnes in ſe continere perfectiones. Nam per ipſam infinitudinem Deus diſtinguitur a creaturis, earumque perfectiones nonnullas formaliter, nonnullas eminenter, ſeu virtualiter, in ſe continet.

VIII. Deus definitur. Ergo non eſt infinitus. Conſequentia probatur, quia definitio a finiendo deriuatur, adeoque fines eſſentiæ notat. Reſp. Negatur conſequ. Aliud enim eſt definitio, ſeu deſcriptio logica, quæ ὁρισμὸς τῆς ὀυσίας dicitur, quod ſiſtat naturam rei menti noſtræ; aliud vero eſſentiæ certis finibus & limitibus facta deſcriptio, qua ens finitum dicitur phyſice,

Digitized by Google

phyſice, aut metaphyſice, & enti infinito opponitur. Deus logice quidem deſcribitur, ſed phyſice non definitur.

Quæſt. XXXI. *Quæ eſt æternitas Dei?*

*Æternitas Dei.* Æternitas eſt interminabilis & permanens eſſentiæ diuinæ duratio.

Obſ. Vox *æternitas* eſt πολύσημος, diuerſas ſuſtinens ſignificationes. (1) Notat temporariam durationem, multorum annorum decurſu non interruptam, quæ etiam vocatur *æternitas periodica.* Sic circumciſio appellatur fœdus æternum, Gen. XVII, 13. (2) Deſignat vox æternitas durationem, quæ quidem *initium, non autem finem* habet, quomodo beatorum vita & damnatorum mors æterna dicitur; quæ æternitas non *abſoluta, ſed reſtricta & limitata eſt.* (3) Notat æternitatem abſolutam, i. e. *durationem interminabilem, principii & finis expertem, iuxta atque permanentem, ſiue continuam, quæ omnem omnino ſucceſſionem præſentis, præteriti, & futuri excludit.* Tria itaque probanda ſunt: (a) Deum eſſe æternum: (b) Aeternitatis diuinæ *neque initium, neque finem* eſſe: (c) Æternitatem abſolutam *omnem ſucceſſionem* aut viciſſitudinem temporis *excludere.* (*).

Prob. a. (1) Quia Deus in ſcriptura vocatur אֵל עוֹלָם, Deus æternitatis, Gen. XXI, 33. conf. Eſ. XL, 28. æternum habitans, Eſ. LVII, 15. αἰώνιος Θεός, Rom. XVI, 26. βασιλεὺς τῶν αἰώνων, rex ſæculorum incorruptibilis, 1 Tim. I, 17.

(2) Quicunque non eſt æternus, aliquando non fuit. Atqui Deus non aliquando non fuit. Ergo Deus eſt æternus. Minor patet; quia qui aliquando non fuit, ab alio eſt productus. Sed Deus ab alio non eſt productus, quia eſt ens primum & independens.

Prob. b. (1) Deus vocatur primus & nouiſſimus, Eſ. LXI, 4. principium & finis, Apoc. XXI, 6. A & Ω, Apoc. I, 8. Miſericordia Dei dicitur durare ab æterno in æternum. Pſ. CIII, 17. (2) Quod Deus, a parte ante, ſit interminabilis, docet Moſes Pſ. XC, 2. *Antequam montes nati ſunt, & formata eſt terra & orbis; & ab æterno vsque in æternum tu* (es) Deus. Quod careat fine, aſſerit hieropſaltes Pſ. CII, 28. *Anni tui non conſumentur.*

Prob. c. Æternitatem abſolutam eſſe permanentem, ſiue continuam, liquido conſtat (1) quia æternitas, cum ſit attributum diuinum, ex parte rei eſt ipſe Deus, qui non mutatur, Mal. III, 6. apud quem non eſt transmutationis aut conuerſionis vmbra, Iac. I, 17. Ergo æternitas temporum mutationi non eſt obnoxia.

(2) Mille anni non poſſent eſſe inſtar vnius diei, Pſ. XC, 5. 2 Petr. III, 8. ſi æternitas Dei foret ſucceſſiua.

(3) Tota Dei duratio, eſt perpetuum הַיּוֹם, hodie, ſiue νῦν ac inſtans immobile & immutabile, Pſ. II, 7. Ex quo BOETIVS *libr. V. de conſol. philoſoph. proſ. VI.* definiuit æternitatem, quod ſit *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.* Dicitur æternitas *tota ſimul,* non ratione partium, quippe quas non habet, ſed ad negandam *ſucceſſionem* momentorum.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum,* quibus in pleriſque adſtipulatur *Vorſtius,* ſtatuentium, 1) *non ſolum* Deum æternum eſſe, 2) æternitatem eſſe *ſucceſſiuam,* atque adeo conſtare fluxu prioris & poſterioris: qui ſequentibus innituntur argumentis:

Quicun-

(*) Vt eamdem rem paullo planius eloquar: *Aeternitas,* vſu ſermonis ſacri, denotat 1) *durationem longam et continuam,* ita nimirum, vt res diu continuetur (α) *non interrupta ſerie,* (β) permaneat *ſola, nulla ſuccedente alia, eiusdem generis,* eiusdemque *naturæ:* 2) *perpetuam,* ſine *fine:* 3) *infinitam,* omnisque mutationis expertem, in qua (α) *nullum* eſt initium, (β) *nullus* item *finis,* (γ) *nulla* quoque *ſucceſſio.* Hæc Deo vni, præter quem nihil eſt infinitum, omnino tribuenda eſt.

Digitized by Google

I. Quicunque æternum habitat, ille habet coæternum domicilium. Atqui Deus &c. Eſ. LVII, 5. Ergo. Reſpondeo verbis AVGVSTINI in *Pſ. CXXII. Dicit aliquis: Antequam Deus faceret ſanctos, vbi habitabat? In ſe habitabat Deus, apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus.*

*Inſtantia:* Deus dicitur *inhabitare lucem inacceſſibilem.* 1 Tim. VI, 26. Ergo lux quædam, circumfuſa Deo, coæterna ipſi fuit. Reſp. Lux inacceſſibilis eſt incomprehenſibilis Dei maieſtas. At maieſtas Dei eſt ipſe Deus. Ex quo Deus ipſe lux dicitur. 1 Io. I, 6.

II. Quodcunque non eſt factum, illud eſt æternum. Tempus non eſt factum. Ergo tempus eſt æternum. Maior patet; quia quidquid non eſt factum, illud eſt increatum. Sed ens increatum eſt æternum. Minor probatur; quia ſi tempus eſſet factum, etiam præſens eſſet factum. Si autem præſens fuiſſet factum, factum fuiſſet in præſenti, & ſic fuiſſet tempus ante tempus, fieretque proceſſus in infinitum. Reſp. *Creatio ratione termini eſt actio ſubſtantialis,* adeoque terminatur ad creationem ſubſtantiæ, non accidentis, quale eſt tempus. Tempus interim præſens cum primo corpore concreatum eſt, & cum eodem eſſe incepit.

III. Omnis duratio habet prius & poſterius, adeoque partes ſibi ſuccedentes. Atqui æternitas eſt duratio. Ergo. Reſp. Diſtingu. inter *durationem defectibilem,* quæ partes ſibi ſuccedentes habet, & *indefectibilem,* quæ, qua rem ipſam, eſt ipſa eſſentia diuina, omnium partium expers.

IV. Quæcunque duratio non eſt inſtar momenti, illa non eſt indiuiſibilis in temporum differentias. Atqui æternitas non eſt inſtar momenti. Ergo. Maior conſtat, quoniam ſolum momentum eſt indiuiſibile in temporum differentias. Reſp. diſt. *inter momentum fixum, & fluxum,* ſiue *ſtans,* & *fluens.* Concipitur æternitas vt momentum; quoniam eſt indiuiſibilis, & tota ſimul concipitur vt momentum ſtans, ſiue fixum; quia non habet partes, ſibi ſuccedentes. Dicis: quidquid momento durat, non eſt conſtans. Reſp. Æternitas non vno, ſed omni momento durat.

V. Quæcunque duratio omnes temporis differentias in ſe continet, illa non eſt permanens. Atqui æternitas &c. Ergo. Minor prob. quia æternus Deus deſcribitur, quod ſit ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, Apoc. I, 4. Reſp. 1) Æternitas omnia tempora in ſe continet *non formaliter,* ſucceſſionem prioris & poſterioris in ſe admittendo, ſed *eminenter,* ſiue per exceſſum; quia ex temporibus non conſtituitur, ſed ea excedit & ſupergreditur, quamuis iisdem coëxiſtat. 2) S. Ioannes deſcribit quidem æternum Deum per temporis differentias, ἀνθρωποπαθῶς, more humano, propterea, quod Spiritus S. ſe accommodat ad captum hominum, qui vix poſſunt vllam concipere durationem, ſine partibus, ſibi ſuccedentibus: intelligenda autem ſunt verba ſcripturæ θεοπρεπῶς, modo Deo conuenienti. Confer. Pſ. XC, 5. 2 Petr. III, 8. 3) Si deſcriptæ a Ioanne temporis differentiæ ſumantur collectiue, continuitas, ſiue permanentia durationis diuinæ, ea ſcripturæ phraſi delineatur. Nam quodcunque ens totum ſimul eſt in præſenti, præterito & futuro, illud habet durationem continuam.

VI. Si æternitas eſt tota ſimul, & coëxſiſtit omnibus temporum differentiis, nempe præſenti, præterito & futuro, omnes hæ temporum differentiæ ſibi coëxſiſtent, neque vllum temporis diſcrimen erit. Poſterius eſt falſum. Ergo & prius. Conſequentia maioris probatur; quia ſi æternitas tota ſimul coëxiſtit omnibus temporis differentiis, & hæ toti æternitati coëxſiſtunt, vtique in puncto æternitatis coëunt, adeoque coæternæ ſunt & perpetuo coëxſiſtunt. Reſp. Neg. conſequ. *Nam tota æternitas coëxſiſtit omnibus temporum differentiis non coniunctim, ſed diuiſim, ſiue ſeorſim ſumtis,* v. gr. Æternitas tota ſimul coëxſiſtit hodierno

dierno die, & coëxſiſtet craſtino. At exinde inferre non licet, hodiernum & craſtinum diem coëxſiſtere. Nam ſicut totum cœlum coëxſtitit Abrahamo, totum itidem Iſaaco, totum quoque Iacobo, totum eorum poſteris; neque tamen ex eo ſequitur, Abrahamum, Iſaacum & Iacobum ſibi coëxſtitiſſe: ita non ſequitur, quia temporum differentiæ in puncto æternitatis coëunt; ergo inuicem coëunt. Certe lineæ coëunt in centro, & tamen differunt in peripheria: centrum quieſcit, lineis ſucceſſiue ductis.

VII. Si æternitas Dei quouis momento tota exſiſtit, omne, quod non momento exſiſtit, æternum erit. Conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens. Ratio conſequentiæ eſt, quia hac in parte cum æternitate conuenit, quod in momento exſiſtat. Reſp. Diſt. *inter id, quod adæquate & commenſurabiliter æternitati coëxſiſtit, & quod coëxiſtit inadæquate & imperfectiori modo.* Quidquid exſiſtit vno momento, illud coëxſiſtit æternitati, ſed inadæquate; hæc enim tota ſimul exſiſtit omni momento.

VIII. Si in æternitate non datur prius aut poſterius, eodem momento, quo Deus mundum condidit, eundem deſtruet. Poſterius eſt abſurdum. Ergo eſt prius. Reſp. Deus condidit mundum non in æternitate, ſed in tempore, in quo datur fluxus prioris & poſterioris.

*Inſtantia:* Cum mundus primum conderetur, non erat tempus, ſed æternitas. Reſp. Cum mundus conderetur, non præexſiſtebat, ſed coëxſiſtebat tempus, ſiquidem cum mundo eſt concreatum, & cum prima mundi origine eſſe incepit.

IX. Quo temporis ſpatio Deus æternus durauit, illud præteriit: & quo durabit, illud nondum venit. Ergo datur in æternitate Dei prius & poſterius. Reſp. Illæ viciſſitudines prioris temporis ſunt in noſtro intellectu, qui æternitatem ſecundum coëxſiſtentiam ad temporis differentias conſideramus, ſed non ſunt in Deo, omnis viciſſitudinis, aut mutationis experte (*).

Quæſt.

(*) Quum de eo diſputetur: vtrum in æternitate Dei *ſucceſſio* nulla ſit, ac ne poſſit quidem vlla eſſe? et quum SOCINI ſectatores nobis concedant hæc tria poſtulata: 1) Quod Deus *nullum* habuerit *initium*, neque vllum vnquam habiturus ſit *finem*; 2) quod Deus ſit ens *neceſſarium infinitum*, et, quantum ad ipſius *naturam*, *immutabile*; 3) Quod *regreſſui in infinitum* ratio penitus aduerſetur: ex his igitur præmiſſis efficimus triplicem noſtræ ſententiæ probationem: 1) Vbi *ſucceſſio*, ibi *prius* & *poſterius*: E. in longa ſucceſſione non poteſt non quoddam omnium *primum* temporis punctum aliquando fuiſſe: E. quod habet ſucceſſionem durationis, id *initium* eius aliquando *habuiſſe*, neceſſe eſt. At enim in Deo *nullum* vnquam fuit *initium* per *poſtul.* 1): E. nihil prius, nihil & poſterius: E. nulla in Deum cadit ſucceſſio. 2) In omni *ſucceſſione* non poſſunt non eſſe tria: *præteritum, præſens, & futurum*: E. Oportet fuiſſe aliquid, quod iam eſſe deſiit, etiam aliquid fieri, quod nondum fuit: E. & decrementum eſt, & incrementum, ſiue additamentum: E. id, cuius duratio eſt ſucceſſiua, nunquam permanet tantum, quantum iam fuit, nec tantum, quantum adhuc futurum eſt: E. eſt *contingens, finitum, et mutabile.* Atqui Deus eſt ens *neceſſarium, infinitum*, et, in ſua natura, *immutabile* (per *poſtul.* 2.): E. nullum in Deo eſt tempus, nulla temporum viciſſitudo, nulla igitur ſucceſſio. Denique 3) Omnis temporis ſucceſſio eſt continuatio durationis rei cuiusdam finitæ ac determinatæ. Et nulla poteſt eſſe *ſucceſſio*, ſine continua *progreſſione* ab vno temporis puncto, ad aliud. Quantus autem eſt *progreſſus* ab antecedente temporis puncto ad conſequens, tantus quoque *regreſſus* a conſequente ad antecedens ſit, neceſſe eſt. E. ſi qua eſſet *ſucceſſio* in eo ente, quod *nullum* vnquam cepit *initium*: conſequens foret, vt quidam *regreſſus* eſſet *in infinitum*, cui omnis repugnat ratio (per *poſtul.* 3) Euidens eſt igitur, non noſtram, ſed aduerſariorum ſententiam, principiis rationis contrariam eſſe, quum illi tamen ſuæ rationi, h. e. ſuæ perceptioni, nimium confidant. Πρῶτον illorum ψεῦδος eſt, quod proprietates rerum *finitarum* cum proprietatibus entis *infiniti* comparant, atque hoc infinitum mentis humanæ captu metiuntur, id quod longe ab omni ratione alieniſſimum eſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXXII. *Quæ eſt immenſitas Dei?*

Immenſitas eſt attributum diuinum, ſecundum quod eſſentia Dei nullis locorum terminis circumſcribi poteſt, ſed vbique exſiſtere intelligitur. *Immenſitas Dei.*

Obſ. I. *Immenſus* dicitur Deus *non localiter*, quia nullis locorum ſpatiis continetur: ſed *illocaliter*, vt ſit intra omnia, ſed non incluſus, extra omnia, ſed non excluſus, dicente ISIDORO *libr. I. ſent. de S. B. cap. II.* Immenſus dicitur Deus non *extenſiue*, vt aër latiſſime extenditur: non *incluſiue*, vt cœlum corpora ſublunaria includit: non *commixtiue*, vt in atmoſphæra effluuia aëri ſunt commixta: non *diffuſiue*, per diffuſionem corpori conformem, ſicut mare latiſſime diffunditur (quamuis a nonnullis theologis explicetur *per diffuſionem eſſentiæ diuinæ, ſpiritui conformem.* Vid. OSIANDER in *colleg. ſyſtem. part. I. p. 329.*) ſed per *vbietatem interminabilem.*

Obſ. II. *Conſequens immediatum immenſitatis diuinæ eſt potentia illocaliter adeſſendi omnibus omnino vbi;* quæ Deo competit per modum attributi eſſentialis ab æterno. *Conſequens vero remotum eſt actualis omnipræſentia*, qua Deus omnibus creaturis actu adeſt.

Obſ. III. Differunt *immenſitas* diuina, & *potentia adeſſendi* (quæ etiam *maieſtas omnipræſentiæ* vocatur): 1) Vt antecedens & conſequens: 2) Immenſitas Dei eſt attributum negatiuum, maieſtas omnipræſentiæ eſt attributum affirmatiuum. 3) Immenſitas eſt attributum ἀνενέργητον, maieſtas omnipræſentiæ eſt attributum ἐνεργητικόν. 4) Immenſitas ex ſpiritualitate & infinitate Dei ſecundum noſtrum concipiendi modum fluit: potentia vbique adeſſendi ex immenſitate & omnipotentia Dei emanat.

Obſ. IV. *Immenſitas* diuina, & *actualis omnipræſentia*, differunt. 1) Immenſitas eſt attributum diuinum: actualis omnipræſentia eſt certorum attributorum diuinorum (Immenſitatis, potentiæ adeſſendi, omnipotentiæ, liberrimæque voluntatis diuinæ) effectus. 2) Immenſitas eſt proprietas abſoluta: omnipræſentia vero inuoluit reſpectum ad creaturas, quibus Deus præſto eſt. 3) Immenſitas formaliter nullam infert operationem: omnipræſentia autem ſemper eſt operoſa. 4) Immenſitas eſt æterna, omnipræſentia actualis cœpit eo tempore, quo cœlum & terra primitus ſunt condita. 5) Immenſitas eſt vna: omnipræſentiæ autem plures ſunt gradus & modi. 6) Immenſitas eſt abſolute neceſſaria: omnipræſentia eſt libera, & nonniſi ex hypotheſi, ſcil. poſitis iam creaturis, neceſſaria, quarum ſingulis Deus adeſt, quamdiu vult. Nam ſi Deus iuberet creaturas recidere in nihilum, illis non eſſet præſens. 7) Omnipræſentia reſtringitur ad creaturas, quæ huius mundi complexu continentur: Immenſitas vltra mundum, vltra ſupremum cœlum & infinitum ſeſe porrigit. Conf. D. CALOV. *ſyſtem. tom. II. p. 613.*

Prob. Immenſitas Dei 1) *ex effato regio Salomonis*, 1 Reg. VIII, 27. *Num enim reuera habitabit Deus ſuper terra? En! cœli & cœli cœlorum non comprehendunt te: multo minus domus hæc, quam ædificaui.* Ex quo argumentamur: Quem neque terra, neque cœli cœlorum comprehendunt, ille eſt abſolute immenſus. Atqui Deum &c. Ergo. Maior patet, quia phraſi ſcripturæ terra & cœlum, quotiescunque coniunguntur, deſignant vniuerſam mundi machinam. Quidquid reuera exiſtit, neque mundi machina continetur, ſed ambitum cœli excedit, illud abſolute immenſum eſt.

Excipit VORSTIUS 1) Dictum hoc non valide confirmare immenſitatem Dei; propterea, quod rex Salomo interrogat: *Num reuera Deus habitabit ſuper terram?* Quæ interrogatio habet vim negandi, adeoque negat Salomo, Deum habitare ſuper terram. Sed ſi Deus non habitat ſuper terram, non eſt vbique, & ſi non eſt vbique, non eſt abſolute immenſus. 2) Vox hebræa יכלכלו non ſignificat: *continent aut comprehendunt*, *ſed ſuſtentabunt.* Ipſe Lutherus germanice reddidit:



Digitized by Google

didit: verſorgen, adeoque non immenſitas, ſed omniſufficientia, aut beatitudo Dei, ea voce exprimitur. Reſp. ad I. Deus non habitat ſuper terram localiter, vt ab ea comprehendatur. Ad II. Primaria ſignificatio radicis כול eſt continere, aut comprehendere. Conf. 1 Reg. VII, 26. quam eadem vox heic retinet, quoniam ex antecedentibus & conſequentibus pateſcit, quod de incolatu aut habitatione Dei ſermo ſit. Idcirco regum ſapientiſſimus indigitatum iuit, ne vaſtam quidem mundi compagem comprehendendo Deo parem eſſe.

2) Ex *ſpiritualitate & infinitate Dei.* Nullus ſpiritus infinitus *locorum*, aut vllius vbi terminis definiri poteſt. Atqui Deus eſt ſpiritus, Io. IV, 24. infinitus, Pſ. CXLV, 3. *Maior* probatur, quia 1) locorum terminis ſolum corpus quantum, nullus autem ſpiritus neque creatus, neque increatus, circumſcribitur. 2) Spiritus creati ſunt in vbi determinabili; eoque definitiuo ob eſſentiæ finitudinem. At cum eſſentia Dei ſpiritualis ſit infinita, & interminabilis, etiam vbietas eius eſt interminabilis; quippe quæ cum eſſentia diuina, quoad rem, eadem eſt.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, quorum quidam immenſitatem Dei penitus infitiantur, quidam de ea dubitant. Cum argumenta eorum ita comparata ſint, vt proprie & directe omnipræſentiam diuinam impugnent; eadem infra, vbi de præſentia Dei acturi ſumus, conſiderabimus.

## Quæſt. XXXIII. *Quæ eſt immutabilitas Dei?*

*Immutabilitas Dei.* Immutabilitas eſt attributum Dei, per quod ille nulli, neque phyſicæ (a), neque morali (b) mutationi obnoxius eſt.

Obſ. I. *Mutatio phyſica*, cenſente Ariſtotele, *eſt quadruplex:* a) *Fit ea ſecundum ſubſtantiam*, vt generatio, quæ fit a non eſſe ad eſſe, & corruptio, quæ fit ab eſſe ad non eſſe. b) *Secundum quantitatem*, vt augmentatio, qua corpus redditur maius, & diminutio, qua illud fit minus. c) *Secundum qualitatem*, vt alteratio, qua qualitas introducitur & corrumpitur, v. gr. frigefactio. d) *Secundum locum*, vt motus localis.

Obſ. II. *Mutatio moralis* eſt, qua voluntas in decretis ſuis exſequendis, omittendis, aut inuertendis mutatur.

Prob. a. Deus *phyſice* non mutatur, qua *ſubſtantiam*, quia eſt a ſeipſo, & ab alio deſtrui nequit. *Tu idem es, & anni tui non deficiunt*, inquit hieropſaltes Pſ. CII, 28. nec qua *quantitatem*, quippe cuius radix eſt materia. At Deus eſt ſpiritus omnis materiæ expers. Io. IV, 24. Nec qua qualitatem; hæc enim cum ſit accidens, in Deum perfectiſſimum non cadit. Scite ait S. Iacobus: c. I, 17. *Apud patrem luminum non eſt transmutatio, aut conuerſionis* (vel) *vmbra.* Nec qua *motum localem;* quia Deus immenſus nullis locorum terminis includitur, ſed præſentia ſua cœlum & terram implet. Ier. XXIII, 24.

Prob. b. *Moraliter* Deus non mutatur; quia mutatio voluntatis vel ex inconſtantia, vel ex ignorantia, vel ex agendi impotentia prouenit. At vero a Deo perfectiſſimo omnis inconſtantia, ab omniſcio omnis ignorantia, ab omnipotente omnis agendi impotentia longiſſime abeſt. Manet ergo propoſitum voluntatis diuinæ ratum, fixum & inuariabile: *Ego Iehouah*, (ſum) *nec mutor*, inquit Deus veriſſimus. Mal. III, 6.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, mutabilitatem *voluntatis* diuinæ aſſerentium, fretorum ſequentibus argumentis.

I. Quem pœnitet facti, ille mutatur. Atqui Deum pœnitet facti. Ergo. *Maior* conſtat; quia pœnitentia prius voluntatis decretum retractatur: *Minor* prob. ex Gen. VI, 6. 1 Sam. XV, 11. Reſp. Pœnitentia de Deo non dicitur proprie, quatenus eſt dolor animi de factis, ex defectu ſcientiæ aut potentiæ commiſſis; ſed ἀνθρωποπαθῶς, improprie & reſpectu noſtri; quia

Digitized by Google

quia pœnitentia, Deo attributa, deſignat vel denuntiationem & exſecutionem iudicii diuini, quæ obtingit impiis, vel declarationem miſericordiæ erga peccatores conſeruos. Proinde contingit mutatio non in *Deo*, ſe in *obiectis*, nempe in creaturis extra Deum poſitis, in peccatoribus conuerſis, aut non conuerſis.

Inſtantia: Deus decretum voluntatis retractat, Ionæ III, 10. Ergo poenitentia de Deo dicitur non ἀνθρωποπαθῶς, figurate aut improprie, ſed vere & proprie. Reſp. Deus decretum voluntatis non retractat aut reuocat, ſed ſtabilit & confirmat. Ratio eſt: quia ſententia decreti eſt conditionata, non abſoluta, licet externa forma, ſiue modus, quo decretum conceptum eſt, prima fronte abſolutus videatur. Dicitur itaque Deus pœnitentia duci, quando comminationem aut promiſſionem conditionatam non exſequitur, eo quod annexa conditio non eſt adimpleta.

II. Omnis voluntas libera eſt mutabilis. Voluntas Dei eſt libera. Ergo. *Maior* prob. quia voluntas libera eſt vertibilis ad oppoſita. Reſp. Neg. mai. Aliud enim eſt libertas; aliud mutabilitas. Illa neceſſitati, hæc conſtantiæ opponitur. Illa eſt perfectio, hæc imperfectio, cum arguat inconſtantiam voluntatis. Dicitur voluntas Dei libera, non quia eſt vertibilis ad oppoſita, ſed quia libere ad obiecta terminatur.

III. Deus aut poteſt ſuſpendere liberum actum, aut non. Si prius; tunc actus ille erit mutabilis. Si poſterius; Deus erit ens non libere, ſed neceſſario agens. Conſequentia *maioris* probatur; quia inter contradictoria non datur tertium. *Prius* membrum probatur; quia quando actus quidam ſuſpenditur, & poſtea perficitur, datur aliqua mora, ſecundum quam dicere licet, illum actum non eſſe. *Poſterius* membrum probatur; quia quicunque actus non poteſt ſuſpendi, ille eſt neceſſarius. Reſp. Falſo opponitur, vnum actum poſt alium in Deo elici, eo quod in Deo ratione temporis non datur prius, aut poſterius. Quod enim actus aliquis ſuſpendatur, id fit cum connotatione ad creaturam, adeoque de actu extrinſeco tantum admitti poteſt. Actus autem Dei intrinſecus nec ſuſpenditur, nec ſuſpendi poteſt, adeoque manet immutabilitas in actibus diuinis, in quantum eſſentiæ diuinæ identificantur.

IV. Deus, iuſtificans peccatorem, ex irato fit propitius. Ergo mutatur. Reſp. Deus in ſe non mutatur, peccatorem pœnitentem iuſtificando, ſed mutatio eſt in *obiectis* & *effectis*: ſicut ſol idem manet, quamuis oculo ſano ſit amabilis, oculo ſauciato aſper & moleſtus.

V. Quicunque fit ex non creante creans, ille mutatur. Sed Deus factus eſt ex non creante creans. E. Deus mutatus eſt. *Maior* probatur; quia mutatio verſatur inter actum, & eius negationem. Reſp. Neg. maiorem, quia omnis mutatio fit in creatura, non in creatore. Dicitur itaque creatio de Deo per denominationem extrinſecam; licet enim ſit a Creatore, non tamen in Creatore, ſed creaturis terminatur.

VI. Quicunque ſibi intrinſece vniuit creaturam, ille mutatus eſt. Atqui filius Dei &c. Ergo. *Maior* patet; quia mutari idem eſt, ac aliter ſe habere. *Minor* conſtat: quia ὁ λόγος ἄσαρκος per incarnationem ſibi intrinſece vniuit humanam naturam, vt fieret ἔνσαρκος. Reſp. Quicunque ſibi intrinſece vniuit creaturam, per modum ſubiecti, illam paſſiue recipientis, ille mutatur. Sic limitata maiori negatur minor. Ὁ λόγος non vniuit ſibi humanam naturam, vt ſubiectum patiens, ſed eandem tantum terminat, non quidem per nudam ſuſtentationem, ſed per hypoſtaſis infinitæ communicationem. Non mutatur, qui rem terminat, ſed qui patitur.

Quæſt. XXXIV. *Quæ eſt immortalitas Dei?*

*Immortalitas Dei.*

Imortalitas eſt attributum diuinum, quo Deo ſimpliciter repugnat mori.

Prob. ex 1 Tim. VI, 16. *Solus Deus habet immortalitatem.* Solus Deus immortalis dicitur, quia 1) non alterius voluntate aut gratia, ſed *ſuapte natura*, omnis corruptionis experte, immortalis eſt. Enochus & Elias non ſunt mortui, ex ſpeciali Dei gratia; quamuis cæteroqui vi naturæ ſuæ fuerint mortales. 2) Solus Deus eſt immortalis *independenter*, & per eſſentiam, angeli & animæ noſtræ ſunt immortales dependenter & per participationem, cum immortalitatem ſuam Deo acceptam referant.

Quæſt. XXXV. *Quæ eſt incomprehenſibilitas Dei?*

*Incomprehenſibilitas Dei.*

Incomprehenſibilitas eſt attributum diuinum, quo eſſentia Dei a nulla creatura adæquate cognoſci poteſt.

Prob. 1) Ex *teſtimonio ſcripturæ*, Pſ. CXLV, 3. *Magnus eſt Iehouah, & laudabilis valde; & magnitudinis eius non* (eſt) inueſtigatio. Cum magnitudo Dei ſit imperueſtigabilis, eſſentiam eius incomprehenſibilem eſſe, colligimus.

2) Ex *lumine rationis.* Ad cognitionem comprehenſiuam tam exacta requiritur proportio facultatis cognoſcentis ad obiectum cognoſcibile, vt tanta ſit perfectio in intellectu cognoſcente, quanta eſt in obiecto cognoſcibili. Sed intellectus finiti ad Deum infinitum nulla datur proportio, cum intellectus creaturarum (angelorum, hominum) infinities a perfectione Dei ſuperetur.

Dicis: Beati dicuntur comprehenſores, Phil. III, 12. Ergo illorum θεωγνωσία eſt comprehenſiua. Conf. KÖNIG. *theol. poſitiu. p. 3.* Reſp. Beatorum notitia Dei intuitiua vocatur etiam comprehenſiua, latius ſumta hac voce. Vid. ſupra p. 6. qu. 5. prol. I.

Quæſt. XXXVI. *Quæ eſt inuiſibilitas Dei?*

*Inuiſibilitas Dei.*

Inuiſibilitas eſt attributum diuinum, ſecundum quod eſſentia diuina naturali oculorum corporeorum facultate conſpici nequit.

Prob. Ex oraculo cœleſti Exod. XXXIII, 20. *Non poteris videre facies meas; quia non videbit me homo, viuetque* - - v. 23. *videbis poſteriora mea.* Quibus verbis Deus aperte denunciat, eſſentiam & maieſtatem ſuam (quæ nomine faciei indicatur) corporeis non poſſe cerni oculis. Ratio addita indigitat, non poſſe hominem, quamdiu in hac eſt vita, quæ materialibus ſubdita eſt mutationibus, eſſentiam Dei intueri. An vero in vita cœleſti eſſentiam diuinam *oculis* corporis *glorificatis* viſuri ſimus, nec præfracte negamus, nec vt apodicticum aſſerimus, ſed futuræ potius experientiæ reſeruandum cenſemus. Videmus interim poſteriora eius, dum opera & beneficia Dei quotidie oculis noſtris ſunt obuia.

Dicis: Deus ſæpe eſt viſus, Exod. XXXIV, 5. Eſ. VI, 1. Reſp. Cum AVGVSTINO ep. XI. *Viſus eſt Deus patribus alicuius conſpicabilis materiæ diſpoſitione aſſumta, ſalua ſua inuiſibilitate.*

Quæſt. XXXVII. *Quæ eſt beatitudo Dei?*

*Beatitudo Dei.*

Beatitudo eſt attributum diuinum, per quod Deus non tantum ab omnibus malis liber eſt, ſed etiam omnibus bonis cumulatiſſime affluit, ſibique ipſi pleniſſime ſufficit.

Prob.

Digitized by Google

Prob. S. Paullus Deum appellat μακάριον beatum, 1 Tim. I, 11. c. VI, 15. Conſiſtit beatitudo Dei 1) in omnium malorum carentia, 2) in bonorum omnium affluentia, 3) in iucundiſſimo ſui ipſius ſenſu. E quibus redundat communicatio beatitudinis, quam Deus in fideles copioſe effundit. Eſt quippe Deus & ipſa eſſentialis beatitudo, & omnis beatitudinis fons & ſcaturigo.

Quæſt. XXXVIII. *Quæ eſt maieſtas Dei?*

Maieſtas Dei eſt attributum diuinum, ex quo Deus non tantum dicitur glorioſus, ſed etiam ipſi ſoli cultus religioſus debetur. *Maieſtas Dei.*

Prob. Ob maieſtatem eminentiſſimam a S. Stephano vocatur *Deus gloriæ* Act. VII, 2. a propheta regio *altiſſimus*, Pſ. VII, 18. a Moſe Deus *magnus & formidabilis*, Deut. VII, 21. *cuius gloria omnis terra plena eſt.* Eſ. VI, 3. Glorioſus itaque eſt Deus, non tantum propter beneficia, quibus nos cumulat, ſed & ob incomparabilem naturæ diuinæ perfectionem, ſapientiam, potentiam, bonitatem. Etenim ſana ratio dictitat, cuilibet competere honorem ſecundum excellentiam naturæ. Glorioſus eſt Deus, non tantum propter gloriam maximam, ſed & incommunicabilem. *Gloriam meam alteri non dabo*, inquit Iehouah, Eſ. XLII, 8.

# DE ATTRIBVTIS DIVINIS OPERATIVIS, QVAE TVM AGENDI ORIGINEM, TVM AGENDI MODVM INSINVANT.

Obſ. Secundum noſtrum concipiendi modum, *vita Dei* eſt principium inſinuans *agendi originem*: reliqua attributa diuina, quæ ad ἐνέργειαν referunt, *modum agendi* diuinum deſignant.

Quæſt. XXXIX. *Quæ eſt vita Dei?*

Vita eſt proprietas Deo eſſentialis, per quam eſſentia Dei ſe ſemper actuoſam demonſtrat. *Vita Dei.*

Obſ. I. Viuit Deus vitam non vegetabilem, vt plantæ: nec ſenſitiuam, vt bruta; ſed intellectualem, eamque non imperfectam, vt homines viatores, neque finitam, vt angeli, ſed infinitam & perfectiſſimam.

Obſ. II. Vita Dei intellectualis ſpectatur vel in actu primo, vel in actu ſecundo. In *actu primo* eſt ipſe intellectus & voluntas: in *actu ſecundo* eſt intellectio & volitio, quæ tamen in Deo non ſunt actiones realiter productæ, ſed tantum per modum actionum concipiuntur.

Probatur vita Dei, quia 1) Deus in S. ſcriptura dicitur viuus, Ier. X, 10: dominus Deus veritas eſt, Deus viuus. 2) Deus dicitur iurare per vitam ſuam, Ezech. XXXIII, 1. 3) Deus vocatur ipſa vita, Io. XIV, 16. Et vita æterna, 1 Io. V, 20. 4) Eſt Deus fons vitæ, Pſ. XXXVI, 10. Act. XVII, 28.

Quæſt. XL. *Quid eſt intellectus Dei?*

Intellectus Dei eſt ipſa eſſentia Dei, quatenus a nobis concipitur per modum potentiæ intellectiuæ. *Intellectus Dei.*

Obſ. I. Intellectus Dei dicitur ipſa eſſentia diuina; ſicut enim Deus eſt ens ſimpliciſſimum, nec componitur ex pluribus: ita intellectus eius ab eſſentia realiter non differt.

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. II. In creaturis intelligentibus *intellectus* & *intellectio* differunt ex parte rei vt potentia & actio. In Deo intellectus & intellectio non ex parte rei, ſed ex parte conceptus noſtri diſtinguuntur: Concipimus quippe intellectum Dei, vt actum primum, intellectionem ſiue cognitionem Dei, vt actum ſecundum.

Probatur intellectus diuinus ex *omniſcientia*, & *omniſapientia* diuina.

Quæſt. XLI. *Quæ eſt omniſcientia Dei?*

*Omniſcientia Dei.* Omniſcientia eſt attributum diuinum ἐνεργητικὸν, quo Deus omnia, quæ ſunt, fuerunt, erunt, aut vlla ratione eſſe poſſunt, vno ſimplici actu immediate & perfectiſſime cognoſcit.

Prob. I. Quia Iehouah eſt Deus ſcientiarum, 1 Sam. II, 3. id eſt, omnem ſcientiam poſſidens. Deus *cognoſcit omnia*, 1 Io. III, 20. *Nulla creatura eſt inuiſibilis* (non apparens) *coram ipſo: omnia vero nuda, & circumcirca nudata.* Hebr. IV, 13.

II. *Deus ſolus nouit cor omnium filiorum hominis*, 1 Reg. VIII, 39. *Ipſe probat corda & renes*, Pſ. VII, 10. Hinc dicitur καρδιογνώστης, Act. XV, 7.

III. Deum cognoſcere etiam *futura contingentia*, probatur (1) ex effato regio Dauidis: Pſ. CXXXIX, 2. *Intellexiſti cogitationem meam e longinquo*, i. e. antequam in corde meo exoriatur. (2) Quia hoc ipſo verus *Deus* ab idolis diſtinguitur, quod futura etiam contingentia præſcit & prædicit, Eſ. XLI, 21. *Adferte* (gentiles) *litem veſtram, dicit Iehouah; adducite robora* (idola) *veſtra, dicit rex Iacobi. Adducant & annuntient vobis ea, quæ contingunt; priora, quæ fuerint illa, indicate, vt ponamus ad cor noſtrum, & ſciamus poſteritatem eorum, aut ventura audire facite nos: indicate ſigna in futurum, vt ſciamus, quod Dii vos* (ſitis). Ex hoc eloquio diuino diſcimus, illum non eſſe verum Deum, qui futura contingentia nec præſcit, nec prædicit. (3) Confirmant idem plurima exempla. Tyriorum ac Sidoniorum pœnitentia, pariter atque traditio Dauidis, futuribilia tantum erant, neque tamen Deus illa ignorabat, Matth. XI, 21. 1 Sam XXIII, 12. Prædixit Deus multa futura contingentia determinate, etiam mala, quæ ipſe effecturus non erat, ſed ſaltem permiſſurus, v. gr. Indurationem Pharaonis, Exod. III, 19. Proditionem Iudæ, Pſ. XLI, 10. Io. XIII, 8. Paſſionem Chriſti, Pſ. XXII. Eſ. LIII. Lapſum Petri, Matth. XXVI, 34. Impietatem hominum ſub finem mundi, Luc. XXI, 20. Aduentum & durationem Anti-Chriſti, 2 Theſſ. II, 7.

Obſ. I. *Obiectum ſcientiæ diuinæ primarium* eſt Deus ipſe, qui adæquate, atque adeo comprehenſiue cognoſcit ſuam eſſentiam, ſuas perfectiones, hypoſtaſes, actiones, Io. III, 11. 1 Cor. II, 10. *Obiectum ſecundarium* ſunt omnia, quæ extra Deum ſunt, fuerunt aut vlla ratione eſſe poſſunt, ſiue ſint bona, ſiue mala.

Obſ. II. *Ratione modi ſcientia Dei eſt* (1) *continua & æterna*, non autem ſucceſſiua, aut variabilis; quia Deus vno ſimplicique intuitu cognoſcit omnia; neque enim diſcurrit aut ratiocinatur colligendo ex notis ignotum, ſiquidem Deo ſunt omnia notiſſima, Hebr. IV, 13. (2) *Immediata*, quia Deus ſpeciebus intelligibilibus non indiget. Nos homines intelligimus per ſpecies, ſiue imagines, quæ a rebus ſenſu perceptis abſtractæ imprimuntur animo, tanquam ſigilla ceræ. Per eiusmodi ſpecies Deus non intelligit; quia eſt ſimpliciſſimum ens absque ulla potentia paſſiua: proinde non poteſt recipere imagines, vt quiddam patiens, & habere ſcientiam ab extrinſeco principio ortam. Nos indigemus ſpeciebus intelligibilibus, vt obiectum abſens intellectui cognoſcenti vniant & approximent: Deo autem omnia ſunt præſentiſſima; quapropter non indiget ſpeciebus repræſentatiuis.

Obſ. III. Scientia Dei diſtinguitur (1) *in generalem & ſpecialem.* *Generalis* ſe extendit ad omnes res, rerumque cauſſas, etiam ad peccata. Scientia *ſpeciali* cognoſcuntur tantum

tum

Digitized by Google

tum electi. Nouit enim *Deus* ab æterno, qui finaliter in Chriſtum ſint credituri, & quos ad vitam elegerit. *Quos præcognouit, hos prædeſtinauit*, Rom. VIII, 29. (2) Diſtinguitur ſcientia Dei in *ſcientiam ſimplicem, approbatiuam & permiſſiuam.* Scientia ſimplex, ſiue nudæ notitiæ, eſt, qua Deus omnia ſpeculatiue cognoſcit. Scientia *approbatiua* eſt, qua bona; *permiſſiua*, qua mala cognoſcit. (3) Diſtinguitur ſcientia Dei in *naturalem, liberam & mediam.* Scientia *naturalis*, quæ etiam ſcientia ſimplicis intelligentiæ audit, eſt, qua Deus res poſſibiles, vt ſunt poſſibiles, cognoſcit. Scientia Dei *libera*, quæ etiam ſcientia viſionis appellatur, eſt, qua *Deus* cognoſcit omnia, quæ ſunt, fuerunt aut abſolute futura ſunt, ſiue illa ſint neceſſaria, ſiue contingentia. *Scientia media* dicitur, qua *Deus* cognoſcit ea, quæ ſub conditione futura ſunt, i. e. quæ abſolute futura non ſunt, eſſent tamen futura, ſi hæc vel iſta conditio adimpleretur; quamuis ob defectum iſtius conditionis ſæpe non eueniant. Ad hanc diſtinctionem, in ſcholis vſu tritiſſimam, ſolidius intelligendam, neceſſaria eſt cognitio terminorum. Nempe *naturalis ſcientia* dicitur, quia eſt neceſſaria: *Naturale* quippe hic opponitur *libero.* Nam ſicut res poſſibiles neceſſario ſunt tales: Ita ſcientia Dei, qua ipſe res, vt poſſibiles, cognoſcit, neceſſaria ſiue naturalis eſt, vt non poſſit non *Deus* poſſibilia, vt ſunt poſſibilia, cognoſcere. Vocatur eadem *ſcientia ſimplicis intelligentiæ*, quia omne decretum voluntatis divinæ antecedit. Appellatur etiam *ſcientia abſtractiua*, quod ſit a rebus creatis quaſi abſtracta. At vero ſcientia Dei, qua quæ ſunt, fuerunt, & abſolute futura ſunt, cognoſcit, *libera* nuncupatur, quia ratione creaturarum non eſt abſolute neceſſaria, ſed ſolum ex poſitione obiecti præſentis, aut futuri. Dicitur eadem *ſcientia viſionis, ſiue intuitiua*, quia *Deus* intuetur actualem rerum exſiſtentiam. *Scientia* autem *media*, qua *Deus* conditionate futura cognoſcit, per rationem formalem obiecti diſtinguitur a ſcientia Dei *naturali & libera*: nam illa *poſſibilia*, hæc *abſolute futura*, ſcientia media *ſub conditione futura* cognoſcit; ex quo eadem ratione obiecti *hypothetica*, ſiue *conditionata* appellatur.

Quibus præmiſſis, ſcientiam *Dei mediam* ſequenti argumento probamus. *Deus* præter poſſibilia, & abſolute futura, cognoſcit etiam ea, quæ ſub conditione futura ſunt. Ergo in *Deo* præter ſcientiam naturalem & liberam etiam eſt media, ſiue conditionata. Ratio conſequentiæ eſt, quia ſcientia media, peculiari obiecto formali, a ſcientia *Dei* naturali & libera diſtinguitur. Antecedens probatur e quibusdam exemplis, petitis e ſacra ſcriptura. (1) Ex 1 Sam. XXIII, 5. ſqq. vbi Dauid conſuluit dominum, an, ſi maneret in ciuitate Kegila, venturus eſſet Saul: & ſi obſideret Saul ciuitatem, an Kegilitæ eſſent ipſum tradituri? ad vtrumque reſpondit dominus: *Et Saul veniet, & hi tradent te.* Cum autem Dauid e ciuitate iſta profugeret, nec Saul venit, nec Kegilitæ Dauidem tradiderunt. Prædixit igitur, atque adeo præſciuit *Deus* id, quod non abſolute, ſed ex hypotheſi futurum erat. (2) Ex Matth. XI, 21. Vbi Saluator inquit: *Si in Tyro & Sidone facta fuiſſent miracula, quæ edita ſunt in vobis* (Coracæis), *olim in ſacco & cinere pœnitentiam egiſſent.* Præſciuit Chriſtus, tanquam verus *Deus*, Sidoniorum & Tyriorum pœnitentiam futuram ſub conditione, ſi ſcilicet tam ſtupenda miracula eorum ſenſus incurriſſent. (3) Sine præſuppoſita ſcientia *Dei* media, electio ex præuiſa fide commode explicari nequit; cum *Deus* homines non abſolute, ſed ſub conditione perſeuerantis fidei, velit ſaluos fieri.

*Antitheſis* eſt (1) *Socinianorum* negantium, *Deum futura contingentia certo* cognoſcere. (2) *Quorundam e reformatis & noſtratibus theologis*, ſcientiam *Dei* mediam infitiantium. Argumenta *Socinianorum* ſunt:

(1) Quicunque cognoſcit res, vt ſunt, ille non habet rerum *contingentium certam* ſcientiam. Atqui *Deus* &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia vera cognitio obiecto eſt analoga. Exinde fit, vt rei *contingenter* futuræ nulla reſpondeat *certa* & determinata notitia.



Digitized by Google

Reſp. Futura contingentia bifariam ſpectari poſſunt: (1) quatenus a cauſſa ſua poſſunt produci, & non produci, eſſe, & non eſſe; quo reſpectu vocantur contingentia: (2) quatenus a cauſſa ſua, ad productionem libere ſe determinatura, *certo* producentur; quo ſenſu dicuntur *futura.* Futura contingentia ab æterno infinitæ Dei ſcientiæ cognoſcenda obiiciuntur, prout illa per ſuas cauſſas liberas determinate exſtitura, aut non exſtitura ſunt.

Inſtantia: Futura contingentia non ſunt ab æterno. Ergo non potuerunt ab æterno a Deo cognoſci. Reſp. Futura contingentia non ſunt ab æterno, quoad eſſe reale, ſiue actuale: ſunt tamen ab æterno, quoad eſſe obiectiuum, ſiue intelligibile reſpectu intellectus diuini. Ad determinatam futurorum contingentium veritatem non requiritur, vt vel ipſa contingentia actu & reipſa exſiſtant; ſic enim non eſſent futura, ſed præſentia; vel vt eorum cauſſæ actu ſint in rerum natura: ſed ſufficit, quod ipſa, vna cum cauſſis ſuis, infinitæ Dei ſcientiæ ita ab æterno fuerint obiecta, vt in tempore per ſuas cauſſas determinate exſtitura erant.

(2) Quo poſito, tollitur rerum contingentia, aut libertas humani arbitrii, illud de Deo non eſt affirmandum. Sed poſita determinata futurorum contingentium ſcientia, tollitur omnis rerum contingentia, libertasque arbitrii humani. E. *Minor.* probatur; quia ſi Deus omnia infallibiliter præſcit, omnia euenient neceſſario: ſi aliter euenirent, ſcientia Dei falleretur. R. *Præſcientia Dei non imponit rebus neceſſitatem exſiſtendi; quia non eſt cauſſa rerum, neque proxima, neque remota. Non proxima;* quia ceteroqui res omnes præſcitæ forent neceſſariæ, & ipſum peccatum Deum haberet auctorem. Non *remota;* neque enim ideo res futuræ ſunt, quia Deus præſcit; ſed quia futuræ ſunt, fieri non poteſt, quin Deus eas præſciat. Præſcientiæ diuinæ effectus eſt, non vt res ita fiat; ſed videre, quod ita fiat. Proinde ſicut medicus ægroto, quem breui moriturum præuidet, non imponit neceſſitatem moriendi: ita Deus, præuidens futura contingentia, non imponit illis neceſſitatem exſiſtendi. Diſtinguimus interim inter *neceſſitatem conſequentis, & conſequentiæ,* ſiue *abſolutam, & hypotheticam.* Quia Deus futura contingentia infallibiliter prænouit, illa non neceſſario futura ſunt neceſſitate *conſequentis* & *abſoluta,* quæ cum contingentia rerum conſiſtere nequit; quamuis neceſſario futura ſint neceſſitate *conſequentiæ* & *hypothetica,* quæ contingentiam rerum & libertatem non tollit: perinde ac Sempronius libere currit, etiamſi neceſſe ſit illum currere, poſito quod tu illum currentem videas, nec tuus te viſus fallat.

(3) Admiſſa in Deo determinata futurorum contingentium notitia, multa ſacræ ſcripturæ loca nec ſolide intelligi, nec dextre intelligi poſſunt; qualia ſunt (a) Gen. VI, 6. vbi Moſes aſſerit, *Deum pœnituiſſe, quod homines fecerit.* Ergo futuram hominum impietatem non præſciuit. (b) Gen. XXII, 12. *Nunc cognoui, quod timeas dominum.* Ergo videtur Deus antea pietatem Abrahami non penitus cognouiſſe. (c) Num. XIV, 23. vbi Deus ait, *ſe iuraſſe, quod Iſraëlitas in terram Canaan introducturus eſſet, & tamen propter peccata ſe id facturum non eſſe.* Sed nemo iurat ſe aliquid facturum eſſe, quod præſciuit, ſe non eſſe facturum. (d) Gen. XIIX, 21. vbi Deus inquit: *Deſcendam & videbo, num fecerint homines ſecundum clamorem, qui ad me venit.* Ergo Deus illum clamorem non prænouit. Reſp. ad (a): Pœnitentia cum tribuitur hominibus, duo importat: primum internum animi motum, ſiue dolorem: deinde decretum de deſtruendo eo, quod factum eſt, aut de eo non amplius committendo. Tribuitur pœnitentia Deo non ratione prioris; quia in Deum ob immutabilitatem nullus dolor, nullus animi modus cadit. Competit igitur pœnitentia Deo ratione poſterioris, nempe ratione decreti de deſtruendo eo, quod factum eſt. Eiusmodi decretum non tollit præſcientiam. Nihil enim obſtat, quo minus aliquis præſciuerit aliquid, quod decreuit de-

Digitized by Google

deſtruere. Ad (b): Scientia Dei duplici ratione conſideratur: iam vt notitia futuri, iam vt probatio facti. Priori modo Deus omnia nouit ab æterno, Act. XV, 18. Poſteriori modo facta quædam Deus approbat, eaque ſibi probari luculenter declarat. Ita Deus ad Abrahamum ait: Nunc cognoui, i. e. nunc, cum filium tuum immolare voluiſti, ex indicio atque experimento pietatis maximo cognoui, atque probaui, te dominum timere. Ceterum pietas Abrahami iam ante Deo erat notiſſima. Vid. Gen. XIIX, 19. Ad (c): Promiſſio de introductione Iſraëlitarum in terram Canaan non fuit abſoluta, ſed conditionata, ſi mandatis diuinis obedientiam præſtarent. At immorigeris introductionem in terram Canaan nunquam Deus promiſerat, aut iurauerat. Ad (d): Cum dominus deſcendiſſe dicitur ad ſciendum, id figurate & *ἀνθρωποπαθῶς* dicitur, explicandum iudicialiter & exemplariter, ad exemplum iudicum, quos cognoſcere prius oportet, quam decernere. Conf. DANNH. *Hodoſ. p. 223.*

Scientia Dei *media* ſequentibus oppugnatur argumentis.

I. Si ſcientia Dei adæquate & ſufficienter diſtinguitur in ſcientiam *naturalem*, & *liberam*, nulla nos vrget neceſſitas conſtituendi ſcientiam Dei *tertiam*, quæ vocetur *media*. At prius verum eſt. E. & poſterius. Probatur antecedens: quia ſicut inter ens, & non ens, nullum datur medium: ita inter ſcientiam Dei naturalem, & liberam, non interiacet ſcientia media. Nam obiectum ſcientiæ Dei *naturalis* eſt omne *poſſibile*, ſub quo comprehenditur etiam *non ens*, i. e. actu non exſiſtens. Obiectum ſcientiæ Dei *liberæ* eſt omne ens *actu exſiſtens* in aliqua temporis differentia. Quare nullum manet obiectum reſiduum, ſcientia Dei media cognoſcendum. Reſp. negando, diſtinctionem ſcientiæ diuinæ in naturalem, & liberam, eſſe adæquatam. Nam illa circa poſſibilia, quatenus talia, hæc circa abſolute futura verſatur. Reſidua manent futura, conditionate talia. Recte igitur *vocatur ſcientia media, propterea, quod obiectum eius inter res, ſub ratione poſſibilitatis præciſe ſpectatas, & res abſolute futuras, interiacet.*

Inſtantia: 1. Conditiones appoſitæ ſcientiæ Dei mediæ, vel ſunt futuræ, vel non futuræ. Si *non* ſunt *futuræ*, ſpectant ad obiectum ſcientiæ Dei *naturalis*. Hæc enim complectitur *omnia poſſibilia*, etiam ea, quæ nunquam futura ſunt. Si ſunt *futuræ*; pertinent ad obiectum ſcientiæ diuinæ *liberæ*; hæc enim conſiderat *omnia*, quæ *ſunt*, *fuerunt*, *erunt*. Reſp. Conditiones appoſitæ ſcientiæ Dei mediæ neque abſolute futuræ, neque ſimpliciter non futuræ, ſed indifferentes ſunt ad futuram exſiſtentiam, & non exſiſtentiam. Nonnunquam enim implentur, nonnunquam deficiunt. Ratio eſt, quia connexionem habent cum effectu non neceſſariam, ſed contingentem, adeoque eſſe, & non eſſe poſſunt.

Inſtantia 2. Conditionate futura, deficiente conditione, manent in ſphæra poſſibilium, adeoque cognoſcuntur a *Deo* ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Reſp. Haud exiguum diſcrimen eſt inter poſſibilia, & conditionate futura, vti vel ex traditione Dauidis futura ſub hac conditione, ſi in ciuitate Kegila maneret, pateſcit, 1 Sam. XXIII. Plus ſane important verba domini, dum dixit: *Et Saul veniet, & hi tradent te;* quam ſi dixiſſet: Fieri poteſt, vt Saul veniat, & Kegilitæ te ipſi tradant. Traditio Dauidis tum erat (vt ita dicam) futuribilis, non mere poſſibilis. Saul quippe ceperat conſilium Dauidem inopinantem opprimendi: Kegilitæ præuia deliberatione conſpirauerant in traditionem Dauidis: *Deus* decreuerat traditionem & oppreſſionem Dauidis permittere, ſi commoraretur in ciuitate Kegila. At de poſſibilibus nunquam exſtitutis neque Deus format decretum, neque prudentes conſultant homines. Quamuis igitur conditionate futura, quæ nunquam in actum traducuntur, cum poſſibilibus conueniant materialiter & ex parte: non tamen formaliter & per omnia conueniunt.



Digitized by Google

II. Scientia, quæ vocatur media, eſt conditionata. At nulla ſcientia *Dei* eſt conditionata. E. nulla ſcientia *Dei* eſt media. *Maior* eſt clara; quia recepto loquendi vſu ſcientia media appellatur conditionata. Vid. HILDEBRANDI *inſtitut. theol. p. 105.* *Minor* probatur; quia Deus omnia cognoſcit abſolute. Vti enim nouit ſucceſſiua absque ſucceſſione ſuæ cognitionis: ita quoque nouit conditionata absque conditione, quæ afficiat intellectum diuinum. Reſp. Scientia *Dei* media dicitur *conditionata non ſubiectiue*, quaſi Deus aliquid conditionaliter cognoſcat, ſed eſt *conditionata obiectiue*, quia eſt ſcientia futurorum conditionatorum.

III. Quæcunque ſcientia nititur decreto prædeterminante, illa de Deo non eſt affirmanda. Atqui ſcientia media &c. Ergo. *Maior* probatur; quia decretum prædeterminans conuellit libertatem voluntatis humanæ. *Minor* conſtat; quia Deus ſcientia media præſcit ea, quæ ſub conditione futura ſunt. Cum autem conditio illa cum effectu connexionem habeat contingentem, eſſe, & non eſſe poteſt. Quare vt impleatur, efficaci Dei decreto prædeterminanda eſt. Reſp. *Scientia Dei media non nititur decreto prædeterminante, ſed coniuncta eſt cum decreto Dei hypothetico*, quod cum non ſit irreſiſtibile, cauſſas in agendo liberas non prædeterminat.

IV. Quæcunque a Deo præſciuntur, ab ipſo determinate cognoſcuntur. Atqui ſub conditione futura determinate non cognoſcuntur. E. *Minor* probatur; quia conditionate futura non ſunt determinatæ veritatis, ſed ſunt indifferentia ad futuram exiſtentiam & non exſiſtentiam. Reſp. neg. minor. Ad probationem dicimus, quod conditionate futura, perinde ac futura contingentia, bifariam conſiderentur: (1) quatenus eorum cauſſa ſe indifferenter habet ad vtrumque oppoſitorum, nempe ad impletionem, & non-impletionem conditionis. (2) Quatenus eorum cauſſa ad vnum oppoſitorum ſe determinatura eſt. Præſcit Deus, quorſum voluntas humana inclinatura & ſe determinatura ſit. Huc ſpectat reſponſio D. CALOVII: Indifferens quidem eſt obiectum ſcientiæ mediæ, ſed non qua obiectum ſeu formaliter, ſed tantum materialiter. Nam quod obiicitur ſcientiæ diuinæ, certum eſt ac determinatum, cum ſcientia Dei non ſit dubia & indeterminata. Conf. D. CALOV. *tom. II. ſyſt. p. 523.* & *ſynopſ. contr. p. 107.*

Quæſt. XLII. *Quæ eſt ſapientia Dei?*

*Sapientia Dei.* Sapientia eſt attributum diuinum ἐνεργητικὸν, per quod Deus altiſſimo conſilio omnia condidit, conſeruat, diſponit, & ad certos fines ordinat, vt gloria diuina illuſtretur, & ſalus hominum promoueatur.

Obſ. *Sapientia* Dei, licet, quoad rem, idem ſit, ac *ſcientia* Dei, plus tamen importat, quam ſcientia. Nam *præter ſcientiam importat etiam conſilium Dei exquiſitiſſimum, & admirandam rerum omnium diſpoſitionem*, inquit D. FRIDEM. BECHMAN. in *inſtit. theol. p. 120.* Conf. D. BAYERI *comp. theol. p. 212.* (*)

Prob.

(*) Vt תבונה, & חכמה, ſic γνῶσις, & σοφία, diſtincte prædicantur, Iobi XII, 13. Rom. XI, 33. Γνῶσις, *ſcientia*, eſt cognitio, qua mens naturam ac proprietates rerum perſpicit. Σοφία, *ſapientia*, eſt ea cognitio, quæ verſatur in finibus ac mediis, in bono a malo diſcernendo, & vtriusque gradibus comparandis ac diiudicandis. Ad *ſapientiam*, cui & *ſtultitia temeritasque*, & *aſtutia* opponitur, quinque actus mentis requiruntur: 1) vt conſtituantur *fines*, &, ſi *plures* ad rem pertineant, omnes illi arcte copulati iuſto ordine collocentur: 2) vt iudicio ponderentur, an, & quoad, *boni* ſint fines: 3) vt *reperiantur media*, atque etiam *delectus*, & electorum *rectus* denique *vſus* adhibeatur: 4) vt ea ſint *bona* & iuſta: 5) vt ſint *ſatis apta* ad finem obtinendum. *Deus* omnino valet *ſapientia*, & ea quidem (α) *perfectiſſima*, ſine vllo defe-

Digitized by Google

Prob. I. *E ſacris litteris.* S. Paullus 1 Tim. I, 17. *ſolum Deum* vocat *ſapientem.* Solus Deus eſt ſapiens per eſſentiam a ſeipſo, immutabiliter & perfectiſſime. Apoſtolus abyſſum ſapientiæ diuinæ miratur Rom. XI, 33. Eluceſcit inprimis ſapientia Dei ex opere redemtionis, in quo Deus, magnus conſilio, Ier. XXIII, 19. admirandum iuſtitiæ & miſericordiæ temperamentum adinuenit, vt excelſiſſime laudanda ſit ſapientia Dei, a ſæculis abſcondita. 1 Cor. II, 7.

II. Innoteſcit ſapientia Dei e *lumine naturæ* (a) per viam cauſſalitatis, ordinatiſſimum mundi ſyſtema intuentibus. Ex quo canit regum piiſſimus: *Quam multa ſunt opera tua,* Iehouah; (quæ) *omnia in ſapientia feciſti.* Pſ. CIV, 24. (b) Per viam eminentiæ. Sapientes ſunt angeli & homines: Deus eſt omniſapiens & ſapientia ipſa.

### Quæſt. XLIII. *Quid eſt voluntas Dei?*

Voluntas Dei eſt ipſa eſſentia diuina, quatenus concipitur per modum potentiæ, bonum, ab intellectu cognitum, appetentis, & malum auerſantis. *Voluntas Dei.*

Obſ. 1. *Voluntas* dicitur *tribus* modis: (α) notat τὸ θελητικὸν, *potentiam* volendi. Sic vſurpatur Eph. I, 11. *Deus omnia operatur, ſecundum decretum voluntatis ſuæ.* (β) τὴν θέλησιν, *actum* volendi ſeu volitionem, quam exprimit hieropſaltes Pſ. CXV, 3. Deus *noſter, qui in cœlis,* (eſt) *omnia, quæ vult, facit.* (γ) τὸ θελητὸν *obiectum* volitum. Ita accipit Paullus 1 Theſſ. IV, 3. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Poſtrema ſignificatio huc non pertinet: duæ priores ſunt huius loci.

Obſ. 2. Eſſentia Dei, ipſiusque voluntas, & actus volendi, ſeu volitio, in Deo non differunt realiter, ſed tantum formaliter, ſiue ſecundum noſtrum concipiendi modum. Neque enim Deus aliqud vult per facultatem eſſentiæ diuinæ ſuperadditam, aut per actum realiter productum; hæc enim ſunt accidentia, a perfectione & ſimplicitate Dei alieniſſima; ſed per ſuam eſſentiam. Eſt itaque voluntas Dei eſſentia diuina, concepta cum connotatione inclinationis ad bonum.

Obſ. 3. Obiectum voluntatis diuinæ eſt tantum *bonum,* idque non φαινομένως, ſed ἀληθῶς, non *apparenter,* ſed *vere* tale; quia Deus malum non vult, nec velle poteſt, quippe *ſumme bonus.* Pſal. V, 5. Eſt autem *bonum,* circa quod verſatur voluntas Dei, aliud *ſummum,* quod eſt Deus ipſe: aliud *ortum:* quod ſunt res creatæ. Ex quo conſequitur, Deum ipſum voluntatis ſuæ eſſe *obiectum primarium,* creaturas *obiectum ſecundarium.* Deus ſe vult primario, vt finem vltimum, reliqua omnia propter ſe ipſum. Prou. XVI, 4. (*).



Suam

defectu, (β) *certiſſima,* ſine vllo erroris periculo, (γ) *immenſa atque infinita,* ſine cogitationum ſucceſſione, deliberatione, ratiocinatione, quæ eſt finiti intellectus conditio, (δ) *liberrima,* ſine neceſsitate mediorum, vtpote quibus homo quidem nunquam non indiget, quum Deus ſemper valeat, ſi velit, nullo vſurpato medio, rem ſuam agere ac perficere. Conſpiciendam ſe nobis præbet hæc, quæ in Deo ineſt, ſumma ſapientia, 1) conſtitutione *finium,* ſimul admirabili *ordine,* coniunctione ac ſuccesſione continua *plurium,* inter ſe connexorum: 2) electione *mediorum* (quem ad modum inter ſe differunt hæc duo, מחשבות, propoſiti *fines,* & דרכים, ſelecta *media,* ad illos fines rectisſime adcommodata, Ieſ. LV, 8. add. Geneſ. L, 20. Ierem. XXIX, 11. Eadem eſt differentia verborum, κριματα, & ὁδοὶ, Rom. XI. 33.): 3) *bonitate finium,* ſemper εἰς ἀγαθὸν, Rom VIII, 28: 4) *bonitate,* immo & *præſtantia mediorum,* ex quibus vbique elucet חסד Domini, Pſ. CXXXVI, 5. ſeqq: 5) ex *conuenientia mediorum,* cum propoſito congruentium, ſemper & *efficacium,* & *ſufficientium,* tum in regno *naturæ,* Pſ. CIV, 24. tum in regno *gratiæ,* 1 Corinth. I, 20.--24.

(*) In iſto quidem loco, cum grammatica ratione vocis, למענהו, tum cohærentia verborum docemur, ſententiam hanc eſſe: Deus efficit, vt omnia, apte connexa, *ſibi optime reſpondeant,*

Digitized by Google

Suam ipſius eſſentiam & bonitatem appetit & amat Deus, non *appetitu deſiderii*, qui eſt affectus habendi id, quod nondum adeſt: ſed *appetitu complacentiæ*, qui notat acquieſcentiam in bono, quod habetur.

Prob. Voluntas Dei (1) e *teſtimoniis ſcripturæ*, obſeru. I. ſupra adductis. (2) Ex *lumine rationis*. Nam intellectum ſequitur voluntas, cum hæ duæ facultates nunquam ſeorſim exſiſtant. In homine voluntas eſt perfectio, qua brutis antecellit: Ergo voluntas in Deo eſt modo eminentiſſimo. Condidit Deus creaturas libere; libertas autem eſt attributum voluntatis.

Quæſt. XLIV. *Quomodo diſtinguitur voluntas Dei?*

*Voluntatis diu. diſtinctio.* Voluntas Dei diſtinguitur (a) in *naturalem, & liberam*. Illa eſt, qua Deus ſeipſum, ceu ſummum bonum, per naturam ita vult & amat, vt non poſſit non ſeipſum velle & amare: hæc eſt, qua Deus omnia extra ſe ita vult, vt poſſit eadem non velle. (b) In *arcanam, & reuelatam*. Illa eſt, qua Deus multa vult, quæ, quia ſcitu nobis non ſunt neceſſaria, reuelare noluit: hæc eſt, qua verbo ſuo candide exponere nobis voluit ea, quæ ad noſtram ſalutem faciunt. (c) In *abſolutam, & conditionatam*. Illa eſt, qua Deus aliquid vult ſine conditione: hæc eſt, qua Deus aliquid vult ſub certa conditione. (d) In *abſolutam, & ordinatam*. Illa eſt, qua Deus vult aliquid efficiendum potentia ſua abſoluta, ſeu ad cauſſas ſecundas non alligata: hæc eſt, qua Deus vult aliquid efficiendum potentia ordinata, ad cauſſas ſecundas certumque mediorum ordinem, a ſe inſtitutum, alligata. (e) In *antecedentem, & conſequentem*. Illa eſt, qua Deus aliquid vult, non habita ratione cauſſæ vel conditionis ex parte creaturarum præuiſæ: hæc eſt, qua Deus aliquid vult, habita ratione conditionis, quam ipſe ex parte creaturarum requirit. (f) Occurrit etiam diſtinctio voluntatis diuinæ in *voluntatem ſigni, & beneplaciti*. Illa eſt, cum Deus certo ſigno oſtendit, ſe aliquid velle, aut nolle: hæc eſt internus actus voluntatis, quo Deus bonum vult, & malum auerſatur.

Prob. a. Deus ſeipſum vult & amat neceſſario; quia in ipſo omnis ratio boni, ſine vllo defectu, apparet. Quando voluntas aliquid ita amat, vt illud poſſit non amare, vel etiam odio proſequi: id ideo fit, quia voluntati in obiecto illo vel malum aliquod, vel aliqua imperfectio proponitur, propter quam voluntas ceſſat ab amore, & ad oppoſitum actum, odium ſcilicet, mouetur. At vero in Deum nullum malum, nulla imperfectio cadit, adeoque nulla poteſt reddi cauſſa, cur Deus ſeipſum non diligere, vel odio proſequi velit, aut poſſit. Creaturas autem Deus vult libere, vt etiam poſſit eas non velle. Neque enim indiget conſortio creaturarum, cum ſit αὐταρκέστατος, ſibi ipſi pleniſſime ſufficiens. Ex quo *Deus omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ operari*, Eph. I, 11. & *dona ſua, prout vult, diſtribuere* dicitur, 1 Cor. XII, 11.

Dicis: 1. Neceſſitas volendi & amandi ſeipſum, videtur quædam in Deo, eſſe imperfectio, tum quia ſimilis eſt modo operandi agentium naturalium, qui imperfectus eſt, tum etiam,

*deant*, etiam infelix dies, improbo homini paratus. Sunt vero alia, quæ huc pertinent, dicta probantia, nimirum omnia eiuſmodi, quæ teſtantur, Deum vniuerſas res vertere ac dirigere ad *ſuam gloriam*, e. g. Pſ. XIX, 2. IX, 17. XI, 36. Col. I, 16.

Digitized by Google

etiam, quia libertas eſt maior perfectio, quam neceſſitas. Reſp. *Triplex* eſt *neceſſitas* in agendo. Vna *violenta*, quæ eſt ab extrinſeco. Altera *naturalis*, quæ quidem eſt ab intrinſeco, *ſed inanimata*, vel ſaltim irrationalis. Vtraque eſt imperfecta. Tertia eſt naturalis, *vitalis* & ſumme *voluntaria*. Hæc magna perfectio eſt. Et talis neceſſitas volendi atque amandi eſt in Deo reſpectu ſummi & infiniti boni. Immo hæc neceſſitas eſt perfectior, quam libertas oppoſita.

Dicis: 2. Voluntas naturalis eo ipſo, quod eſt *neceſſaria*, non eſt voluntas proprie dicta; nam voluntas debet eſſe *libera*. Reſp. *Voluntas Dei in ſe & radicaliter* ſpectata eſt ipſa eſſentia diuina. Sicut autem hæc eſt neceſſaria, ita & voluntas Dei. At ſi conſideretur *obiectiue ratione obiecti extrinſeci*, nempe creaturarum, liberrima eſt. (*).

Dicis: 3. Si Deus ſeipſum neceſſario vult & amat, neceſſario etiam vult creaturas; quia ipſe eſt finis creaturarum; qui autem neceſſario vult finem, neceſſario vult etiam media ad finem ducentia. Reſp. Neg. conſequ. Creaturæ enim non habent rationem mediorum, ad finem vltimum *ſimpliciter* neceſſariorum. Deus quippe non exſiſtente creatura foret beatiſſimus.

Dicis: 4. Libertas arbitrii infert quandam mutabilitatem, aut flexibilitatem voluntatis, cum conſiſtat in differentia ad vtrumque oppoſitorum, adeoque Deo immutabili tribui nequit. Reſp. Libertas arbitrii non infert mutabilitatem voluntatis, *ſed electionem rerum diverſarum, cum præuio lumine ſcientiæ dirigentis:* quæ Deo modo perfectiſſimo competit.

Prob. b. Dari in Deo voluntatem *arcanam*, & *reuelatam*, docet ſcriptura: *Illam* quidem, Prou. XXV, 2. *Gloria Dei eſt occultare verbum: ſed gloria regum inueſtigare verbum*, & Rom. XI, 33. vbi Paullus exclamat: *O profunditatem diuitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei! quam imperſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius! quis enim cognouit mentem domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Hanc* vero, dum propheta rex inquit, Pſ. CXLVII, 19. 20. *Annuntiat verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & iudicia Iſraëli. Non facit ſic vlli genti, nec iudicia eius nouerunt.* Suffragatur apoſtolus, Eph. I, 9. *Notum fecit nobis myſterium voluntatis ſuæ iuxta beneplacitum ſuum, quod propoſuit in ſeipſo.* Probe hic

(*) *Libertas*, vere ſic dicta, quæ multum ſane diſtat a *licentia* ac *libidine*, quum illa ſit proprietas quædam ac perfectio Spiritus, *ratione* vtentis, eſt igitur *facultas voluntatis* decernendi, *rationi conuenienter, ſine vllo impedimento præualente*, ſiue *interno*, quod eſt defectus quidam rationis, ſiue *externo*, nimirum violento coactu, quo quidem non tam *actus* voluntatis, quam *effectus*, prohiberi poteſt. Itaque *vera libertas* opponitur 1) *neceſſitati internæ* & *morali* quidem, ſed *malo* ſenſu ſic dictæ, quæ eſt corruptio ac defectio mentis, ratione vti non valentis, neceſſarium enim eſt conſequens, vt animus, ita penitus corruptus, ac deficiens, non poſſit non aut nihil, aut malum, vt cogitare ac percipere, ſic velle ac decernere: 2) *coactui* ac vi *impedimentorum externorum*, ſi quis alterum a conatu ſuo prohibere valeat. Non item contraria eſt *neceſſitati internæ* ac *morali*, ſed *bono* ſenſu ita nominatæ, quæ nimirum eſt perfectio ac recta operatio mentis, quæ in vſu rationis probe verſatur, quatenus ex recta illa operatione intellectus recta quoque determinatio voluntatis exoritur. Eſt enim neceſſaria intellectus cum voluntate coniunctio, ex qua deinceps neceſſaria conſequutione efficitur, vt, quem ad modum intellectus cognouerit iudicaritque, ita pariter voluntas eligat ac decernat. In Deo *perfectiſſima* ineſt *intelligentia*, cum ſcientia rerum, tum ſapientia, vsque eo, vt nunquam fallatur deficiatque, ac ne poſſit quidem vnquam falli ac deficere. E. *ſumma* in Deo eſt *neceſſitas moralis*, qua non poteſt non fieri, vt Deus ſemper bonum, immo optimum, eligat ac decernat, quando quidem Deus ne quidquam poteſt agere, ſibi ſuisque perfectionibus non conſentaneum. 2 Tim. II, 13. At nullum vnquam poteſt Deo obſtare *impedimentum* validum, quo minus ſua ipſe conſilia ac decreta exſequatur, Rom. IX, 19. E. Deus *ſumma* quoque *libertate* gaudet.

Digitized by Google

heic obſeruandum eſt voluntatem Dei arcanam, & reuelatam, non verſari circa idem, ſed circa diuerſum obiectum. Quidquid enim reconditum eſt in arcana Dei voluntate, id qua tale reuelatæ voluntatis obiectum non eſt. Ideoque nulla pugna heic fingenda eſt, quaſi aliud Deus velit arcana voluntate, aliud reuelata. Sic enim contrariæ eſſent Dei voluntates, nec reuelata Dei voluntas indubia & infallibilis foret.

Prob. c. *Abſoluta Dei* voluntas nobis oſtenditur a rege piiſſimo, Pſ. CXV, 3. *Deus noſter, qui in cœlis* (eſt), *omnia, quæ vult, facit.* Et ipſe Iehouah inquit: *Conſilium meum ſtabit, & voluntatem meam faciam.* Eſ. XLVI, 10. Voluntate *conditionata Deus* nos plurimis bonis vult cumulatos. Exinde promittit benedictionem ſuam, ſub conditione ſinceræ obedientiæ, Deut. XXVIII, 1. ſqq. *Si obedieris voci Iehouah, Dei tui, benedictus tu in vrbe* (eris), *& benedictus tu in agro.* Sic Deus omnes homines vult ſaluos fieri ſub conditione perſeuerantis in Chriſtum fidei, 1 Tim. II, 4. Io. III, 36.

Dicis: I. Si Deus omnes homines vult ſaluos fieri, ſub conditione perſeuerantis fidei, vel vult eam conditionem euenire, vel non vult. Si non vult, fruſtrabitur fine ſuo, quod a ſapientia diuina eſt alienum: ſi vult, omnes homines credent. Nam quæ Deus vult, facit, Pſ. CXV, 3. Reſp. Deus vult illam conditionem euenire, *ſed non voluntate præciſa, peremtoria & irreſiſtibili, verum ordinata,* qua certe diſpenſauit media: quicunque his rite vtuntur, illis diuinitus ſuggeruntur vires ad conditionem illam implendam.

Dicis: II. Voluntas inefficax Deo non eſt tribuenda. Voluntas conditionata eſt inefficax. Ergo. *Maior* probatur; quia voluntas Dei eſt omnipotens. *Minor* conſtat, quoniam voluntas conditionata non ſemper impletur. Reſp. *Voluntas conditionata eſt efficax ratione intentionis: quamuis illi non ſemper reſpondeat euentus.* Serio quippe Deus intendit finem (v. gr. ſalutem hominum) per validiſſima media, quæ ordinauit, obtinendum. Semper etiam impletur voluntas conditionata, poſita conditione. Nam eo ipſo, quod conditionata dicitur, non tendit in finem, niſi per conditionis poſitionem.

*Inſtantia:* Sic Deus fruſtrabitur fine ſuo, cum illa conditio non ſemper impletur. Reſp. Finem *generalem,* nempe gloriam bonitatis & oblatæ gratiæ, Deus ſemper obtinet: finem *ſpecialem,* qui in commodum hominis cedit, ipſe homo impedit, oblata media, quibus præfixa conditio in actum traducitur, petulanter reiiciendo.

Dicis: III. Quæcunque voluntas præſupponit conditionem in homine, illa ab hominis voluntate dependet, aut determinatur. At voluntas Dei ab hominis voluntate non dependet, neque teterminatur. Ergo voluntas Dei in homine nullam conditionem præſupponit. Reſp. Neg. maiorem; quia dependentia eſt a cauſſis. Conditio præſuppoſita non eſt cauſſa, neque norma voluntatis diuinæ, ſed pertinet ad ordinem, a Deo libere conſtitutum.

Dicis: IV. Voluntate diuina nil prius eſt. Ergo illa nullam in homine conditionem præſupponit. Reſp. Voluntate diuina *nil prius eſt, ratione realis exſiſtentiæ;* quamuis conditionem illam Deus ſapientiſſime præſtituerit, eamque rationem a priori in effectu conferendo ex mera gratia reſpiciat.

Prob. d. Quando voluntas Dei diſtinguitur in *abſolutam,* & *ordinatam,* tunc voluntas abſoluta *dicitur a lege, ordine aut curſu naturæ, ſeu cauſſarum ſecundarum.* Sic voluit Deus, confligente Ioſua cum hoſtibus impiis, ſolem ſtare in medio cœli, Ioſ. X, 13. Voluntas autem *ordinata* nomen accipit ab *ordine,* quem cum Deus ex imperſcrutabili ſapientia conſtituerit, eidem in agendo ex mera gratia ſe applicat. Sic Deus in *regno naturæ* vitam hominum vult conſeruatam per certos cibos & alimenta: in *regno gratiæ* homines ſaluare vult per verbum & ſacramenta, tanquam efficaciſſima gratiæ ſalutiſque media. Vnde ſimul patet, *voluntatem*

Digitized by Google

*voluntatem conditionatam, & ordinatam, non omnino coincidere*, licet primo intuitu ita videri poſſit. Voluntate *conditionata* Deus homines vult ſaluare, *ſi credant;* voluntate *ordinata* vult, *vt credant*, i. e. vt ex mediis gratiæ, recte vſurpatis, fidem concipiant & ſtabiliant (*).

Prob. e. Diſtinctionem voluntatis diuinæ in *antecedentem*, & *conſequentem* infra confirmabimus & ab obiectionibus vindicabimus.

Prob. f. Diſtinctio voluntatis diuinæ in voluntatem *ſigni*, & *beneplaciti*, inuenitur tum apud ſcholaſticos, tum apud noſtrates theologos. Vſurpauit eandem LOMBARDVS *I. ſent. diſt. XLV. cap. III. ſeqq.* THOMAS in *I. quæſt. XIX. artic. XII.* b. BALTHAS. MEISNERVS *anthropol. diſp. XII. quæſt. I.* GERHARD *exeg. libr. de Deo. §. 269.* & alii. Circa quam diſtinctionem obſeruabis a) quod voluntas *ſigni, formaliter & abſtractiue* ſumta, proprie non ſit voluntas, ſed tantum per extrinſecam denominationem ita dicatur, propter habitudinem ad voluntatem *beneplaciti*, cuius *ſignum* eſt (**). Voluntas autem *beneplaciti* denotat actum ipſum diuinæ voluntatis, quo aliquid vult. Vnde patet, hanc diſtinctionem tantum eſſe analogicam, cum voluntas ſigni improprie, voluntas beneplaciti proprie voluntas dicatur. b) *Scholaſtici* nomine voluntatis *beneplaciti* complectuntur non tantum voluntatem benefaciendi, ſed & permiſſionem reprobationis infidelium & eorum damnationis decretum. Cum autem vox εὐδοκία, ſiue *beneplacitum*, iuſto latius hoc ſignificandi modo extendatur, D. HENR. MVLLERVS in *theol. ſcholaſt. p. 137.* voluntatem diuinam diſtinguit in voluntatem *ſigni* & *placiti*. Voluntatem *placiti* ſubdiſtinguit in voluntatem *beneplaciti, permiſſionis & punitionis*. *Iſta* eſt, qua Deus ad benefaciendum piis propendet: *illa* eſt, qua Deus permittit, vt infideles in peccata prolabantur, & tandem in ſenſum reprobum tradantur: *hæc* eſt, qua Deus impios vult punitos. Voluntas autem *ſigni* eſt, cum Deus certo ſigno oſtendit, ſe aliquid velle, aut nolle: quale *ſignum quintuplex* faciunt: præceptum, prohibitum, conſilium, permiſſionem, & operationem, ſecundum decantatiſſimum DVRANDI verſiculum: Præcipit ac prohibet, permittit, conſulit, implet. c) *Perpetuam eſſe harmoniam voluntatis ſigni, & voluntatis beneplaciti, probamus* 1) *a natura ſigni & ſignati*. Voluntas *ſigni* nihil aliud

(*) Vt breuiter ac perſpicue definiam: *Ordo* eſt diuina præceptio mediorum, cum tota ſerie antecedentium & conſequentium. *Conditio* eſt humana vſurpatio mediorum, quem ad modum decet, non neglictis antecedentibus & conſequentibus, ſicut in regno gratiæ ſalutarem fiduciam, in Chriſti promeritis poſitam, quæ vna nos iuſtos ſaluosque efficit, non poteſt non precedere vera peccatorum cognitio ac deteſtatio, ſequi morum correctio ac virtutis omnis exercitatio. *Ordo* igitur eſt a *Deo* conſtitutus: *Conditio* eſt *hominis*, qui in illo ordine obſeruando recte peragit, quod ſui eſt officii.

(**) Rectius dicitur, *ſignum voluntatis*, nec in ſacris litteris adpellatur *voluntas εὐδοκίας*, ſeu, vt barbare loquuntur, *beneplaciti*, ſed ita ſcriptum exſtat: *εὐδοκία voluntatis*, Epheſ. I, 5. Variis autem modis hanc diſtinctionem applicant noſtri doctores. 1) Voluntatem *ſigni* quidem dicunt *tentationem* diuinam: *beneplaciti* autem, *vocationem*. Ita HILDEBRANDVS in ſua *theol. dogm. c. 3. 8. 40.* 2) Voluntatem *ſigni* referunt ad ea, quæ *nobis facienda* Deus iniunxit; *beneplaciti*, pertinere aiunt ad opera eiusmodi, quæ *Deus ipſe facere* decreuit. Eum ad modum interpretatus eſt CARPZOVIVS in *Iſag. in Libros ſymb.* p. 1053. 3) Plerique noſtratium voluntatem *ſigni* intelligunt eſſe *patefactam reuelatamque*. Eph. I, 9: *beneplaciti* nomine id nuncupant *arcana* Dei conſilia, quæ a nemine peruestiganda ſibi Deus reſeruauit, Rom. XI, 33. Act. I, 7. Vtramque coniunctam cernimus Eph. III, 9. 10. Col. I. 26. Ita vero recte ſentientes, cum hac vtuntur diſtinctione, longiſſime abſunt ab illis ex coetu REFORMATORVM, qui ipſam *reuelatam* Dei voluntatem opinantur aliam eſſe *ſigni*, aliam *beneplaciti*, tamquam duo eſſent actus *contrarii*, quaſi Deus aliud decreuerit, & prorſus aliud ſignificarit.



Digitized by Google

aliud eſt, quam externum ſignum voluntatis internæ. Sicut igitur omne verum *ſignum* refertur ad ſuum *ſignatum*, idque repræſentat, non autem diuerſum ab hoc, aut oppoſitum indicat: ita voluntas ſigni vere notificat voluntatem beneplaciti diuini, non autem huic contrarium manifeſtat. 2) *A veracitate & ſanctitate Dei.* Qui aliud ore promit, aliud corde premit, hypocritam agit. Non hominem veracem, non virum honeſtum id decet: multo minus Deum veraciſſimum. 3) *A diuinæ voluntatis vnitate.* Non dantur in Deo voluntates contrariæ, aut contradictoriæ. Si autem Deus verbo ſuo præciperet omnibus hominibus pœnitentiam agere, in Chriſtum credere, pietatem vitæ ſectari; neque tamen arcano beneplacito vellet ea ab omnibus fieri: voluntas ſigni interno beneplacito contraria, aut contradictorie oppoſita foret. 4) *A conſequente abſurdo.* Si, quæ voluntate ſigni Deus ſe velle teſtatur, non ſemper vult, actum eſt de veritate ſcripturæ. Nam quamuis S. ſcriptura liquido aſſerat, quid Deus a nobis fieri velit: ſemper tamen dubitandum nobis erit, an aſſertiones S. ſcripturæ cum interno voluntatis diuinæ beneplacito vere conſentiant.

Harmoniam voluntatis *ſigni* & voluntatis *beneplaciti* diuini BEZA, ZANCHIVS, PISCATOR, & alii, ſequentibus innixi argumentis impugnant.

I. Deus verbo ſuo ſignificauit Abrahamo, vt mactaret filium ſuum, neque tamen illam mactationem interno voluit affectu, Gen. XXII, 11. Ergo voluntas *ſigni* non ſemper conſentit cum voluntate *beneplaciti* diuini. Reſp. Deus Abrahamo non aliud ore dicebat, aliud intra mentem ſentiebat, ſed tantum hoc volebat, vt filium ſuum offerret in holocauſtum. Cum hoc præſtitit Abrahamus, præceptum exploratiuum fuit expletum. Quod autem Deus alia ratione ſacrificium compenſaturus eſſet, Abrahamo erat ignotum. Erat enim actio πειρασικὴ, in qua tota Dei voluntas non e veſtigio illuceſcit. Sed viam ſalutis Deus apertiſſime manifeſtauit.

II. Deus annuntiauit mortem Hiskiæ, Eſ. XXXVIII, 1. ſeqq. quam tamen noluit. Reſp. Sicut Deus Hiskiæ mortem denuntiauerat: ita ipſi omnino moriendum erat, ſi attendas *decretum Dei ordinatum, curſui naturæ conforme:* conſeruabatur vita precanti Hiskiæ XV. annos, *decreto priuilegii extraordinarii.* Deus quidem ordinem naturæ conſtituit, reſeruauit tamen ſibi libertatem agendi, extra, vel ſupra hunc ordinem conſtitutum.

III. Deus comminatus eſt Niniuitis internecionem. Ion. III, 2. Neque tamen illam comminationem exſecutioni dedit. Ergo voluntas *ſigni* non concordauit cum voluntate *beneplaciti.* Reſp. diſt. inter voluntatem *abſolutam & conditionatam:* hæc complectitur *ſi,* & *niſi.* Voluit Deus perdere Niniuitas, niſi reſipiſcerent. Comminatio intelligitur cum exceptione pœnitentiæ.

IV. Præcepit Deus Pharaoni dimiſſionem populi Iſraelitici, & tamen cor ipſius indurauit. Exod. VII, 2. 3. Ergo voluntas *ſigni* non fuit conformis voluntati *beneplaciti* diuini. Reſp. Præceptum Pharaoni datum de dimittendo populo maxime fuit ſerium. Ex animo enim volebat Deus, vt Pharao populum dimitteret. At cum hic voluntati diuinæ reluctaretur, *Deus in pœnam antegreſſorum peccatorum eum iuſto iudicio indurauit permittendo, vt ille, qui ſe emolliri non patiebatur, ſibi permiſſus durus maneret in propriam perniciem.*

Quæſt. XLV. *Quæ eſt gratia Dei?*

*Gratia Dei.* Gratia Dei eſt attributum diuinum ἐνεργητικὸν, quo Deus cum creaturas omnes, tum in primis creaturas intelligentes, angelos & homines, amat, & ad benefaciendum iisdem propendet.

Obſ. I. Affectus Dei, in creaturas beneuole propenſus, pro ratione diuerſorum connotatorum diuerſis inſignitur nominibus. Nam quatenus nullo prouocatus eſt merito, vocatur

Digitized by Google

catur *gratia*; quippe quæ *meritis* opponitur, Rom. XI, 6. (*); quatenus creaturis vult *bonum* aliquod *communicatum*, dicitur *amor*, *caritas*, *dilectio*, Io. III, 16. nam *amare* ſignificat *velle alicui bonum*, cenſente THOMA P. I. Q. 20. art. 2. quatenus *collatis beneficiis commoda* creaturarum *promouet*, nuncupatur *benignitas*, græce χρηϛότης, ἀπὸ τȣ̃ χρηϛȣ̃, ab vtili. Tit. III, 4. quatenus intuitu *miſeriæ* mouetur ad eam depellendam, appellatur *miſericordia*. Tit. III, 5. Sunt hæc in Deo ταυτὸ, diſtinguuntur a nobis ratione *obiectorum*, & *effectorum*.

Obſ. II. Probatur *gratia Dei*, in omnes creaturas beneuole propenſa, e Pſ. XXXIII, 5. *Gratia Dei plena eſt terra.* In fonte eſt חֶסֶד, quæ redditur: *benignitas*, *gratia*, *miſericordia*. D. GEIERVS reddidit per gratiam, qua Deus omnibus creaturis, quæ ſunt in vniuerſo terrarum orbe, beneficia impertitur. Quam ob rem hic ſenſu generaliſſimo intelligitur omnis gratia creationis, conſeruationis, cooperationis, redemtionis, ſanctificationis, ſaluationis.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, miſericordiam eſſe attributum Dei eſſentiale, qui nituntur ſequentibus argumentis:

I. Quidquid Deo non perpetuo competit, non eſt attributum Dei eſſentiale. Atqui miſericordia Deo perpetuo non competit. Ergo. Minor probatur; quia miſericordiæ non eſt locus, vbi nulla eſt miſeria. Sed hæc in ſtatu innocentiæ hominem non affligebat. Reſp. diſt. *inter actum primum & ſecundum miſericordiæ*, *ſiue inter attributum miſericordiæ*, *& eius exercitium*. *Attributum* miſericordiæ Deo ſemper competit; exercitio miſericordiæ occaſionem præbet hominis miſeria.

II. Si Deus natura miſericors eſſet, nullum peccatum puniret. At Deus punit peccatum. E. Deus natura non eſt miſericors. Conſequ. maioris probatur; quia contra ea, quæ naturaliter Deo inſunt, ipſe nihil agit, v. gr. nihil agit contra ſapientiam, ſanctitatem, veracitatem ſuam. Sed ſi Deus peccatum puniret, contra naturalem miſericordiam ageret. Reſp. diſt. *inter miſericordiam abſolutam*, *& ordinatam*, *ſiue iuſtitia temperatam*. Miſericordia Dei non eſt abſoluta, omnem ſatisfactionem excludens, ſed iuſtitiam velut indiuiduam comitem ſemper reſpicit. Propterea Deus peccatum puniendo contra eſſentialem ſuam miſericordiam nil quidquam agit, ſiquidem nec immiſericorditer punit (**), nec iniuſte condonat: ſed ſapienter iuſtitiam cum miſericordia temperat.

III. In quem non cadit cordis compaſſio, in illum non cadit miſericordia. Atqui in Deum non &c. E. *Maior* conſtat; quia miſericordia eſt alienæ miſeriæ in corde noſtro compaſſio, definiente AVGVSTINO *libr. XIX. de ciu. Dei*, *c. V.* *Minor* probatur; quia Deus eſt actus puriſſimus, omnis paſſionis expers. Reſp. diſt. inter *rationem præciſam*, *ſeu formalem miſericordiæ*, *& inter rationes eius materiales*, *ſeu determinatas*. Miſericordia præciſe & formaliter ſpectata notat gratiam erga egenum, ſeu fauorem erga miſerum. Hac ratione miſericordia Deo vere & realiter ineſt; quamuis in eo ſit eminenter, i. e. modo excellentiſſimo & perfectiſſimo. Materialiter & determinate ſpectata miſericordia nonnullas inuoluit imperfectiones, quia 1) in homine eſt accidens; 2) includit compaſſionem cordis & quandam triſtitiam. Hoc modo imperfectiori miſericordia non eſt in Deo.

Ll 2 Quæſt.

(*) *Gratia*, qua Deus ad hominem *peccati reum* reſpicit, non ſolum *meritis hominum* opponitur, ſed etiam ab *ira diuina*, ſeu iuſtitia vindicante, diſcernitur. *Vtraque* oppoſitio ſcripta exſtat Eph. II. 3. 8.

(**) Poſt autem, quam regnum gratiæ omnino conſummatum erit (1 Corinth. XV. 24.), homo improbus & contumax ditiſſimæ miſerationis, lenitudinis, tarditatisque iræ contemtor, tandem igitur æternæ damnationi adiudicatus, iuſtiſſimum Dei iudicium, ſine vlla miſericordia denuo expectanda, experietur. Iac. II. 13. add. Rom. II. 4. 5. Id quod arcte tenendum eſt, aduerſus eos, qui finem poenarum tandem aliquando futurum comminiſcuntur.

Digitized by Google

Quæſt. XLVI. *Quæ eſt iuſtitia Dei?*

*Iuſtitia Dei.* Iuſtitia Dei eſt attributum diuinum ἐνεϱγητικόν, vi cuius Deus omnia, quæ æternæ ſuæ legi ſunt conformia, vult & agit, (a) creaturis conuenientes leges præſcribit, (b) promiſſa facta hominibus implet, (c) bonos remuneratur (d) & impios punit (e).

Obſ. I. Per iuſtitiam Dei heic non intelligitur *iuſtitia a Deo*, qua nos iuſtificat; quæ duplex eſt (*), *euangelica*, conſiſtens in remiſſione peccatorum & imputatione iuſtitiæ Chriſti, Rom. III, 22: Et *legalis*, conſiſtens in conformitate cum lege, quæ in hac vita eſt inchoata, in futura demum vita erit conſummata: ſed hic iuſtitia prædicatur de Deo, quatenus eſt *proprietas in Deo eſſentialis*.

Obſ. II. *Iuſtitia Dei alia eſt vniuerſalis*, quæ eſt immutabilis voluntatis diuinæ rectitudo, qua Deus omnia, quæ bona & recta ſunt, æternæ ſuæ legi conformiter vult, approbat & agit; quæ cum *ſanctitate Dei* coincidit: alia *eſt particularis*, quæ exercetur erga creaturas rectiſſima earum gubernatione, & boni atque mali retributione.

Obſ. III. Iuſtitia Dei, quæ excercetur erga creaturas, alia eſt *diſpoſitiua*, alia *compenſatiua*. *Illa* eſt, qua Deus vitam creaturarum intelligentium (angelorum & hominum) convenientibus ipſis datis legibus gubernat. *Hæc* eſt vel *remuneratiua*, qua Deus mouetur ad præmia piis conferenda; vel *vindicatiua*, qua Deus mouetur ad pœnas impiis infligendas.

Obſ. IV. *Iuſtitia commutatiua* (qua res rei, meum tuo, bonum bono, damnum damno æquat) *inter Deum, & hominem lapſum, ſiue extra, ſiue intra ſtatum gratiæ poſitum, intercedere non poteſt.* Ratio eſt; quia homo lapſus nil mereri poteſt, quod cum præmio diuino & relaxatione pœnæ permutari ex iuſtitia queat. *Inter Deum autem, & hominem integrum, ex ſpeciali diuino fœdere iuſtitia commutatiua intercedere potuit.* Tantum enim homo perſiſtens in ſtatu integritatis præſtare potuit, quantum diuina iuſtitia in ordine ad obligationem dandi, non adæquate promerendi, requiſiuit. At ſecluſo fœdere & ſpeciali obligatione Dei, inter nullum actum creatum, & bonitatem increatam, intercedere poteſt iuſtitia commutatiua; quia nulla per ſe poteſt eſſe æqualitas, aut proportio aut obligatio; ſed ex parte Dei ſemper datur infinitus exceſſus, & creaturæ actus nobiliſſimus non niſi finitus eſt. Inter Deum, & Chriſtum ſatisfactorem, datur perfecta iuſtitia commutatiua, quia meritum & ſatisfactio Chriſti pro peccatis totius mundi eſt infiniti valoris & pretioſitatis. *Iuſtitia diſtributiua inter Deum, & hominem, locum inueniſſet, in ſtatu integritatis*, ſi ſuppoſita æqualitate imaginis diuinæ, & inæqualitate operationum, ſine peccato, interueniſſet promiſſio Dei, quod velit gradus gloriæ iuxta proportionem operationum inter homines diſtribuere. *Quanto autem poſt lapſum fidelibus gradus gloriæ inæquales in vita æterna dantur, ſecundum menſuram operum, illud ſit proprie & ſtricte loquendo non ex iuſtitia diſtributiua, etiam ſuppoſita promiſſione diuina, ſed ex gratia & miſericordia.* Nam in iuſtitia diſtributiua labores non ſunt *menſura*

(*) *Iuſtificatio*, quæ vocari ſolet, conſuetudine ſermonis ſacri tribuitur ſoli fiduciæ, in Chriſti promeritis collocatæ, Rom. III, 28. IV, 6; adeoque *tantum euangelica* eſt, & opponitur *iuſtitiæ legis*, quippe quæ obedientiam non modo veram, ſed & perfectam poſtulat. Rom. X, 4. 5. 6. 10. Quod ad cauſſam efficientem attinet; peccatorum remiſſio, qua Deus nos culpa pœnaque omni liberatos iuſtosque pronuntiat, intuitu *Chriſti* quidem eſt effectus *iuſtitiæ* diuinæ, iniuſtum enim foret, ſi Deus ſatisfactionem vicariam, omnino præſtitam, atque etiam acceptam, nobisque tributam, vellet a nobis denuo exigere, vid. 1 Ioan. I, 9. add. v. 7: ratione *hominum* autem eſt effectus *gratiæ & miſericordiæ*, Rom. III, 24.

Digitized by Google

*menſura* tantum, quæ reſpicitur in diſtributione, ſed *ſimul cauſſa & ratio, ſua dignitate mouens* ad taliter, & non aliter diſtribuendum. At labores piorum ſancti talis cauſſa & ratio eſſe nequeunt; quia non aſſequuntur perfectionem legi diuinæ ex aſſe conformem, immo ex iuſtitia diuina ſunt reprobabiles ob peccaminoſam, quæ ἐυπερίστατος eſt, contaminationem. Abſolute igitur loquendo inter Deum, & homines lapſos, neque *commutatiua*, neque *diſtributiua* datur iuſtitia, quia plus præmii accipit homo, quam laborauit, ſiue actiue, ſiue paſſiue. Rom. VIII, 18. 2 Cor. IV, 17. Conf. D. DORCSH. *theol. Zachar. part. II. fol. 163.* & D. SCHERZ. *in ſyſt. p. 50.*

Prob. a. Pſ. XCII, 16. *Rectus eſt Iehouah petra mea, & peruerſitas non eſt in eo.* Regius propheta verbis affirmatiuis & negatiuis deſcribit rectitudinem voluntatis diuinæ, indicaturus, ne veſtigium quidem iniuſtitiæ in Deo deprehendi.

Prob. b. Cum Deus ſit legiſlator iuſtiſſimus, cuius lex eſt perfecta, & mandata ſunt recta. Pſ. XIX, 8. vi iuſtitiæ ſuæ diſpoſitiuæ, creaturas intelligentes conuenientibus inſtruit legibus.

Prob. c. Eſ. XLV, 23. inquit Iehouah: *Exuit ex ore meo iuſtitia, verbum, quod non reuocabitur.* Implere promiſſa, veracitatis quidem ac fidelitatis eſt; At cum veracitas ſub iuſtitia *vniuerſali* contineatur, & iuſtitiæ *particularis* fundamentum ſit, in ſacris litteris iuſtitiæ nomine venit. Vocatur a theologis *iuſtitia promiſſionis.* Vid. GERH. *exeg. loc. III. fol. 299.*

Prob. d. Rom. II, 5. 6. 7. Ad δικαιοκρισίαν ſeu iuſtum iudicium refertur, quod *Deus redditurus eſt vnicuique, ſecundum opera ipſius: iis quidem, qui iuxta patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptibilitatem quærunt, vitam æternam.* Et 2 Theſſ. I, 6. 7. *Iuſtum eſſe dicitur apud Deum, reddere his, qui affliguntur, relaxationem.* Quibus verbis indigitatur iuſtitia remuneratiua, fundata in bonitate & promiſſionibus Dei. Vnde homini, in ordine ad Deum, nullum ius competit; cuius vi dominus homini aliquid boni debeat, ſed ſua in nobis bona Deus coronat. Quidquid enim boni in nobis eſt, ex Dei gratia eſt, Dan. IX, 18. Quam ob rem iuſtitia remuneratiua proprie loquendo non eſt iuſtitia commutatiua aut diſtributiua, ſed tantum per quandam analogiam iuſtitia appellatur.

Prob. e. Iuſtitiam Dei *vindicatiuam* clariſſime docet S. ſcriptura. Nam 1) *Deus* iudicat impios ſecundum iuſtitiam ſuam. *Iuſtus* (es) *tu Iehouah; & recta iudicia tua.* Pſ. CXIX, 137. Δικαίωμα iuſtum Dei iudicium eſt, quod qui eiusmodi faciunt, digni morte ſint, Rom. I, 32. τῇ δικαιοκρισίᾳ, iuſto iudicio tribuitur, reddere vnicuique ſecundum opera ipſius, afflictionem & anguſtiam animæ, malum operanti. Rom. II, 5. 6. 9. Dies extremi Iudicii fiet in iuſtitia, Act. XVII, 31. 2) Irrogatio pœnarum iuſtitiæ diuinæ ἀνταποδοτικῇ, ſ. retributiuæ, adſcribitur 2 Theſſ. I, 6. *Iuſtum eſt apud Deum, retribuere affligentibus afflictionem.* 3) Impiorum condemnatio dicitur iuſta. Rom. III, 8. 4) Pœnam peccatorum noſtrorum, quam Deus a Chriſto ſumſit, ſecundum prophetam Ieſaiam c. LIII, 5. documentum iuſtitiæ diuinæ eſſe, teſtatur Paullus Rom. III, 25: *Chriſtum Ieſum propoſuit Deus propitiatorium, per fidem in ipſius ſanguine, in demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ.* Ex quo oraculo apoſtolico argumentamur: Quicunque infligendo pœnam mortis cruentæ, iuſtitiam ſuam demonſtrat, in illo iuſtitia vindicatiua locum habet. Atqui Deus infligendo Chriſto pœnam mortis cruentæ &c. Ergo. Maior probatur: vbi aliquis per iuſtitiam eo vsque procedit, vt ad ſanguinem affligat, ibi ſane locum habet iuſtitia vindicatiua; vt patet exemplo magiſtratus, qui morte punit malos. Quam iuſtitiam vindicatiuam in Deo *eſſentialem ac neceſſariam,* non arbitrariam eſſe, patet: α) quia Deus naturali eminet ſanctitate, vt peccata non velit, ſed oderit, Pſ. V, 5. Ergo datur in Deo iuſtitia: quædam vindicatiua, per eſſentiam ipſi competens: β) quia citra

 ſatis-

Digitized by Google

ſatisfactionem nocentem nunquam abſoluit, Exod. XXXIV, 7. & homines impium iuſtificantes abominatur, Prou. XVII, 15. Ergo naturali iuſtitia mouetur ad puniendum peccata: γ) Δικαίωμα Dei, quod mala facientes digni ſint morte, natura notum eſt, Rom. I, 32. Ergo ius iſtud Dei non voluntarium, ſed naturale eſt. Quæ enim liberæ voluntatis diuinæ ſunt, ex natura non innoteſcunt. (*)

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, iuſtitiam vindicatiuam eſſe attributum Dei *eſſentiale;* (**) quorum potiora ſunt argumenta: I. Omne attributum Dei eſſentiale competit Deo ab æterno. Iuſtitia vindicatiua non competit Deo ab æterno. Ergo. Minor prob. quoniam ab æterno non extiterunt creaturæ, in quas Deus iuſtitiam exercere potuit. Reſp. diſt. *inter iuſtitiam Dei radicaliter, & formaliter conſideratam.* Iuſtitia Dei *radicaliter* conſiderata eſt voluntas puniendi peccata, Deo ab æterno competens. *Formaliter* eſt aliquid relatiuum, atque *actus ſuos* exercet non niſi in tempore, non niſi ex hypotheſi creaturæ rationalis.

II. Nulla proprietas Dei habet in Deo contrariam proprietatem. Iuſtitia Dei habet in Deo contrariam proprietatem. Ergo. Minor liquet; quoniam iuſtitiæ punitiuæ contrariatur miſericordia, peccata condonans. Reſp. 1) Iuſtitia & miſericordia Dei ſibi non contrariantur, licet effectus horum attributorum diuinorum differant. Nam oppoſiti effectus ab vno principio poſſunt proficiſci. Sic idem ſol butyrum liquefacit, & lutum indurat. 2) Oppoſita intelliguntur de eodem ſubiecto & obiecto, quatenus eſt idem. Miſericordia, & iuſtitia diuina, non verſatur circa obiectum idem, quatenus eſt idem. Nam *iuſtitia* verſatur circa peccatorem, qua talem, qui ſpectatur ratione peccatorum, quibus læſus eſt Deus, ſine reſpectu ad ſatisfactionem. *Miſericordia* vero verſatur circa peccatorem ſub ratione ſatisfactionis, ſeu quatenus pro peccatis ſuis habet ſatisfactionem Chriſti, qua Deus ad miſericordiam mouetur. Hinc miſericordia condonat peccata fidelibus; iuſtitia autem damnat infideles, quod iram peccatis promeritam non auerterint apprehenſione ſatisfactionis Chriſti.

III. Quid-

(*) Immo δ) validiſſimum nobis argumentum præbent hæc Chriſti verba, Matth. XXVI, 39. Calix ille non tam perpeſſio malorum erat, quam ſenſus *iræ* diuinæ. Hæc enim, vt alibi eo nomine denotari ſolet, e. g. Ieſ. LI, 17. Ezech. XXIII, 31. Apoc. XIV, 10. XVI, 19. ita hoc in loco ſignificata intelligitur ex Rom. V, 8. 9. 10. Ira in Deo nihil eſt aliud, quam ille voluntatis actus, quo Deus vult ſuam iuſtitiam vindicantem declarare. Declarat autem eam, aut ſontem pœna, qua par eſt, adficiendo, aut ſponſorem poſtulando, qui ſatis pro eo faciat. *Punire*, eſt, non parcere aut ſonti, aut ſponſori, Rom. VIII, 32. Ac ne poſſe quidem parcere, eſt *neceſſario punire:* Neceſſarium enim eſt id, quod aliter fieri non poteſt. Atqui non poterat fieri, vt calice illo Chriſtus liberaretur. E. ne quidquam valebat alia quadam ratione irati Numinis vindictam ab hominibus auertere, Deumque reddere propitium. E. iuſtitia vindicans in Deo ineſt *naturalis ac neceſſaria.* Neceſſaria etiam conſequutione id efficitur ex amore boni, haud dubie naturali ac principali quadam Dei perfectione, ex qua non poteſt non exoriri æque naturale odium oppoſiti mali.

(**) Iuuabit notaſſe apertam in *Socinianorum* erroribus repugnantiam. Fatentur illi (in *Catech. Racov. Sect. III. c. 1. qu. 6.*): Ad *naturam* Dei illud pertinere, quod ſit *perfecte iuſtus.* Deinde dicunt, tametſi falſo, *naturam Dei* diſcernendam eſſe ab eius *voluntate liberrima* (ibid. qu. 23.) Itaque argumentor: *Iuſtitia*, & ea quidem *perfecta*, pertinet ad ipſam *naturam* diuinam, (id quod nobis dant aduerſarii): Iuſtitia *puniens* etiam eſt quædam *iuſtitia*: Ergo ea pertinet ad *perfectam iuſtitiam.* Atqui *natura Dei*, (quod illi quidem ſibi volunt) *differt a voluntate liberrima.* Ergo, ſi κατ' ἄνθρωπον diſputationem inſtituamus, *iuſtitia puniens* in Deo *non arbitraria* eſt, ſed omnino *naturalis* ac neceſſaria.

Digitized by Google

III. Quidquid eſt attributum Dei naturale, ab alio attributo diuino non vincitur: Iuſtitia diuina vincitur a miſericordia Dei. E. *Maior* conſtat, quia omne attributum diuinum ex parte rei eſt ipſa eſſentia diuina. Sicut hæc a ſeipſa non vincitur: ita nec vnum attributum eſſentiale ab altero ſuperatur. *Minor* prob. quia Deus ſæpius & celerius miſeretur, quam punit; eſt enim tardus ad iram, Exod. XXX, 6. Miſereri eſt ipſius proprium, affligere alienum opus. Eſ. XXVIII, 21. Reſp. Vnum attributum non vincitur ab altero, ſi ſpectetur intrinſece, quatenus eſt in Deo: effectus tamen externi vnius attributi diuini plures, quam alterius attributi conſpiciuntur. Sæpius & celerius Deus miſeretur, quam punit; quia mundus Deo per Chriſtum reconciliatus eſt, & voluntate antecedente omnes vult ſaluos fieri, omnium miſereri: repudiantes autem hanc in Chriſto oblatam gratiam punit demum voluntate conſequente.

IV. Si Deo naturaliter ineſſet iuſtitia vindicatiua, ſemper peccatum puniret. Atqui peccatum non ſemper punit. Ergo. Reſp. Deus ſemper puniret peccatum, niſi interueniſſet ſufficientiſſimum Chriſti meritum, quo Deus ad condonandum peccata permouetur. *Punit enim Deus peccatum vel in ipſo peccante, vel in peccantis ſponſore, Chriſto;* cuius paſſionem ſatisfactoriam qui vera ſibi fide applicat, pœnas peccatorum promeritas amolitur.

V. Deus punit, quando & vbi vult. Ergo iuſtitia ipſius punitiua non eſt naturalis, ſed libera. Reſp. Punit Deus, quando vult; ſed non ſequitur: Ergo non punit ſecundum iuſtitiam naturalem. A libertate enim actus, pro hic & nunc, ad libertatem principii non valet conſequentia. Actus & exercitium, pro hic & nunc, ſunt liberæ voluntatis Dei; ex quo Deus pœnas pro lubitu differre poteſt. Sed principium, naturalis Dei iuſtitia, eſt neceſſarium. Ita creatio eſt libera, potentia autem creandi in Deo naturalis & neceſſaria eſt.

VI. Punire peccata, in ſacris litteris non iuſtitiæ, ſed iræ, vel ſeueritati tribuitur. Rom. II, 5. cap. XI, 22. Immo iuſtitiæ attribuitur, cum Deus peccata condonat. 1 Io. I, 9. Rom. III, 26. Reſp. 1) Ad δικαιοκρισίαν, ſiue iuſtum Dei iudicium, refertur irrogatio pœnarum. Rom. II, 5-9. Quando vero ſeueritas, ira, indignatio, furor, vindicta, miſericordiæ diuinæ opponuntur, per metonymiam ſigni pro iuſtitia Dei vindicatiua ponuntur, eamque præſupponunt. 2) Δίκαιος, 1 Io. I, 9. per πιςὸς exponitur, atque adeo notat, Deum promiſſa ſua fideliſſime implere. At hic controuertitur de iuſtitia Dei punitiua. 3) Rom. III, 25. Paullus agit de iuſtitia fundata in ſanguine, ſeu quæ exigit mortem cruentam. Quæ ſane eſt iuſtitia vindicatiua, quam exercet iudex mortis cruentæ pœnam ſontibus irrogans. Non eſt, quod obuertas, Lutherum hæc verba reddidiſſe: Damit er darbiete die Gerechtigkeit, die vor GOtt gilt. Lutherus reddit conſequens pro antecedente, quia illa iuſtitia imputatiua nulla alia eſt, quam quæ exacta fuit in Chriſto per iuſtitiam vindicatiuam.

VII. Si Deus iuſtus eſt, cur malis bene, & bonis male eſt? Reſp. Reſpice finem, ſiquidem malis quidem bene, & bonis male eſt ad tempus, ſed non finaliter. Bonis enim tandem bene, & malis male erit, ſi non in hac, tamen in altera vita. Adiice, quod perfecte bonis nunquam debeat eſſe male; ſed nos non ſumus perfecte boni.

### Quæſt. XLVII. *Quæ eſt veracitas Dei?*

Veracitas eſt attributum diuinum ἐνεργητικὸν, quo Deus dicendo vero in ſeruandis promiſſis & implendis comminationibus ſuis conſtans eſt. *Veracitas Dei.*

Obſ. 1. Veritas Dei in eſſendo a veritate in dicendo differt. Illa eſt attributum abſolutum, ſiue quieſcens, hæc attributum reſpectiuum, ſiue operans.

Obſ

Obſ. 2. Hoc attributo remouetur a Deo *tum* hypocriſis, *tum* omne falſiloquium.

Prob. 1. Num. XXIII, 19. inquit Bileamus: *Non vir* (eſt) *Deus, vt mentiatur: aut filius hominis, vt pœniteat: num ille dixerit, & non fecerit? aut locutus fuerit, & non ſtabiliuerit illud?* Verba hæc Deus in os Bileami poſuerat, vt iisdem veracitatem Dei quam luculentiſſime exprimeret. Confertur autem Deus veraciſſimus cum hominibus fallacibus. Homines ad mendacium ſunt procliues, propterea, quod non tantum ob intellectus infirmitatem ſæpe falluntur, ſed ob voluntatis etiam inconſtantiam frequentiſſime fallunt. Deus vero, quia infinita ſcientia pollet, nunquam fallitur: & quia infinita voluntatis conſtantia eminet, nunquam fallit.

2. Hebr. VI, 18. inquit apoſtolus: *Impoſſibile* eſt, Deum *mentiri*. Deus omnia poteſt efficiendo, nil autem deficiendo. Mendacium cum ſit enormis defectus, obiecto potentiæ diuinæ inferius eſt.

### Quæſt. XLVIII. *Quæ eſt potentia Dei?*

*Potentia Dei.* Potentia, ſiue omnipotentia Dei, eſt attributum diuinum ἐνεργητικὸν, quo Deus efficere poteſt omne, quod fieri poſſibile eſt, & in Deo nullam importat imperfectionem. (*)

Obſ. I. Deus dicitur omnipotens a potentia *actiua*. Cum enim Deus ſit actus puriſſimus & perfectiſſimus, omnipotentia *paſſiua* expers eſt.

Obſ.

(*) Sacris in litteris hæc exſtat deſcriptio: quod Deus efficere *poſſit*, quodcunque *velit*. Pſ. CXV, 3. Matth. VIII, 2. XXVI, 39. 42. Scilicet omne poſſibile conſiderandum eſt ratione aut *rei*, aut *effectoris*. Multa quidem fieri poſſunt, quæ tamen ab hoc auctore proficiſci non queant, velut in bonum virum non cadit, mentiri ac fallere. Sic rerum natura nulla quidem vnquam exſiſtere vnquam poteſt, quam Deus non poſſit, modo velit, efficere. Velle autem Deus nihil poteſt, niſi id omne, quod ipſius ſapientiæ, bonitati, omnibusque perfectionibus omnino ſit conſentaneum, nec nolle quidpiam, quod cum omnibus ipſius perfectionibus omnino congruat, & ſapientiſſimo ipſius conſilio bonum, quin immo optimum, iudicetur. Alias in Dei aut potentia, aut voluntate, eſſet defectus & quædam repugnantia: Omne vero repugnans plane non eſt ex genere poſſibilium. Adſumamus hæc duo principia: 1) *Deus eſt ens perfectiſſimum:* E Deus poteſt omnia ea efficere, quæcunque eius perfectionibus, nulla demta, optime conueniunt; at nihil poteſt eorum, quæ aliquam imperfectionem, Deo contrariam, in ſe continent, 2 Tim. II, 13. Hebr. VI, 18. E. Voluntas Dei etiam eſt perfectiſſima, vt nec nolle ipſe poſſit optimum, nec velle quidquam, ſuæ ſapientiæ non omnino conueniens. 2) *Deus eſt ens infinitum, nec vlla in Deo eſt compoſitio, nihil maius, minusue.* E. vna quæque diuinarum perfectionum *æque infinita eſt*, ac reliquæ omnes. E. non eſt exiſtimandum, *potentiam* diuinam (non de phyſica loquor, ratione *rei*, ſed de morali, ratione *Dei*), latius patere, quam *voluntatem* diuinam. Id enim ſi ita eſſet; conſequens foret, aut *perfectiones* in Deo non omnes pariter infinitas eſſe (quod repugnat naturæ *Dei*); aut *infinitum* vnum altero amplius & maius eſſe (quod contrarium eſt *infinitati*). Dicta hæc, Hoſ. XI, 9. Matth. III, 9. & quæ plura ſunt huiusmodi, haud dubie debent intelligi hac lege: Si Deus *velit*. Hominis longe alia eſt ratio, quoniam homo eſt ens *finitum*, atque etiam *deprauatum*, multis magnisque laborans *defectibus*. Eſt in eo defectus ingens, aut potentiæ, aut bonæ voluntatis, ſi non vtriusque ſimul. Homines nec volunt omne bonum, quod quidem poſſunt ac debent: nec poſſunt omne, quod volunt. E in homine quidem modo potentia amplior eſt voluntate, modo voluntas laudanda eſt, tametſi vires deſint. In Deo autem nihil eſt, nihil eſſe poteſt, vllo modo deficiens. Deus & vult optimum quodque, & valet omne, quod vult, efficere. Ad *potentiam* vero, quæ in Deo ineſt perfectiſſima, etiam *poteſtatem* ſummumque ius pertinere, extra omnem poſitum eſt controuerſiam. Vtramque, & δύναμιν, & ἐξουσίαν, coniunctim prædicat Legatus Chriſti, Rom. IX, 21. 22.

Digitized by Google

Obſ. II. Attributum omnipotentiæ competit Deo non accidentaliter, ſed *eſſentialiter*, non dependenter, ſed *independenter*, non mutabiliter, ſed *immutabiliter*, non ſecundum quid, ſed *abſolute*, vt *potentia eius non ſit finita aut dimenſa, ſed infinita ac immenſa* α) *reſpectu obiectorum*; quia infinita ſunt, quæ Deus præſtare poteſt. (β) *Ratione modi agendi;* cum Deus nunquam tam intenſe & efficaciter agat, quin poſſit intenſius & efficacius operari.

Obſ. III. Diſtinguendum eſt inter potentiam *Dei ordinatam, & abſolutam. Ordinata eſt, qua Deus agit conuenienter ſuo decreto, & ordini a ſemet conſtituto. Ordo ille duplex eſt, naturæ & gratiæ. Ille* eſt, quo Deus ſecundum leges naturæ, a ſe poſitas, operatur v. gr. Deus poteſt vitam hominis naturalem conſeruare per alimenta corporalia. *Hic* eſt, quo Deus per media ſupernaturalia, a ſemet conſtituta, hominem peccatorem illuminare, conuertere, regenerare, iuſtificare, renouare, ſaluare poteſt. *Potentia Dei abſoluta eſt, qua Deo ſecundum ſe conuenit, nec prauio aliquo decreto aut lege determinata eſt.* Pontentiæ diuinæ *ordinatæ* reſiſti poteſt, cum cauſſarum ſecundarum, quibuscum Deus concurrit, & mediorum, per quæ operatur, influxus impediri queat. Potentiæ autem diuinæ *abſolutæ* obſiſti nequit; alias enim potentia creaturæ finita infinitæ Dei potentiæ præualeret. Potentia abſoluta Deus facere poteſt, vt virgo pariat, ſol ſtet, ferrum natet &c.

Obſ. IV. *Poſſibilia dicuntur, quæ, ſi fiant, nullam innoluunt contradictionem, neque ex parte agentis Dei, neque ex parte rei productæ.* v. gr. Si fieri poſſet, vt Deus mentiretur, aut vlla ratione peccaret, non foret Deus ſanctiſſimus. Nam eſſe ſanctiſſimum, & tamen peccare, contradictionem implicat. Si autem Deus ex heſterno hodiernum faceret diem, inuolveretur contradictio ex parte rei productæ. Nam eſſe ſimul heſternum & hodiernum diem, contradictionem infert.

Obſ. V. Norma diiudicandæ contradictionis non eſt intellectus humanus, ſed diuinus. Nobis *contradictoria* ſæpe *videntur*, quæ non ſunt. Vnde Deus poteſt ὑπερεκπερισσȣ ſuperabundanter facere vltra ea, quæ intelligimus, Eph. III, 20. Generatim quidem plerique aſſerunt, *Deum non poſſe facere contradictoria* (quanquam THOMAS *P. I. quæſt. 25. art. 3.* putet, magis theologice dici, *talia non poſſe fieri*, quam *Deum ea facere non poſſe;* quum non arguant defectum potentiæ in Deo, ſed in genere poſſibilium non ſint ob defectum entitatis; quippe quæ nullo pacto eſſe queunt): non licet autem nobis omnia illa *vere* contradictoria in *particulari* determinare, eo, quod non perfecte cognoſcimus, quæ cuiusque rei ſit eſſentia. Sicut ſtultus non diiudicat, quid omnes præſtare valeant ſapientes: Neque brutum capit omnia, quæ ſunt penes hominem: Neque homo aſſequitur, quibus polleant viribus angeli: Ita multo minus intellectus noſter cognoſcit, quid ſit Deo impoſſibile. Hoc interim certum eſt, non inferre contradictionem, quæ (α), Deus in verbo ſuo aſſeruit, ſe facturum eſſe (β), quæ eſſentiam rei a nobis liquido cognitam non euertunt.

Obſ. VI. Diſtinguendum eſt *inter poſſibilia naturæ & natura.* Impoſſibilia *naturæ* ſunt, quæ vſitatum naturæ curſum ſuperant. Sic natura efficere nequit, vt aſina loquatur, aqua in vinum abeat. Impoſſibilia *natura* ſunt, quæ manifeſtam, ſi fiant, contradictionem inuoluunt. Hæc, quia ſimpliciter ſunt impoſſibilia, ſub nullam, adeoque nec ipſius Dei potentiam cadunt: Sicut ſimpliciter inuiſibile ſub nullam cadit potentiam viſiuam.

Prob. Omnipotentia *Dei* I. *Ex lumine reuelationis.* In ſacris enim litteris 1) Deus diſerte vocatur omnipotens, Gen. XVII, 1. אל שדי q. d. *Deus vaſtator*, qui omnia vaſtare & in nihilum redigere poteſt, ſicut ex nihilo omnia condidit. Dicitur κύριος παντοκράτωρ Dominus omnipotens 2 Cor. VI, 18. 2) Spiritus S. affirmat, apud Deum omnia eſſe poſſibilia, Matth. XIX, 26. 3) Negat idem ſpiritus diuinus, apud Deum impoſſibile eſſe vllum verbum (vllam rem) Luc. I, 37.



Digitized by Google

II. *Ex lumine rationis*, & quidem 1) a *perfectione Dei.* Omnis perfectio *Deo* modo excellentiſſimo competit. Atqui potentia in operando eſt perfectio. Ergo. 2) Ab *effectis.* Quicunque mundum creauit, creatum conſeruat & gubernat, ille eſt omnipotens. Atqui Deus &c. Ergo.

*Antitheſis* fuit I. *Gentilium*, quos inter eſt PLINIVS *libr. II. nat. hiſt. c. VII.* GALENVS *lib. II. de vſu part. c. XIV.* qui negarunt, Deum omnia facere poſſe. II. *Socinianorum*, (quibus accedit *Vorſtius*) infinitatem potentiæ diuinæ infitiantium. Conantur illi fucum nobis facere ſequentibus argumentis.

I. Deus non poteſt peccare, mentiri, falli, mori, vinci, innocentem damnare, peccatorem ſine ſatisfactione dimittere impunitum. Ergo Deus non eſt omnipotens. Reſp. Hæc prædicata inferunt contradictionem ex parte Dei agentis; quippe cuius eminentiſſimæ perfectioni repugnant. Si illa Deus poſſet, non foret Deus, non ens perfectiſſimum. Non poteſt Deus peccare, quia eſt ſanctiſſimus: non falli, quia ſapientiſſimus: non mentiri, quia veraciſſimus: non mori, quia æternus: non vinci, quia infinite potens: non damnare innocentem, aut nocentem dimittere impunitum, quia eſt iuſtiſſimus.

II. Deus non poteſt ambulare, edere, dormire &c. quod præſtare poſſunt creaturæ. Ergo Deus non poteſt facere omnia abſolute poſſibilia. Reſp. (1) vtique Deus facit immenſa ſua potentia, vt creaturæ ambulent, edant, dormiant, atque adeo creaturarum motus, eſus, ſomnus a potentia Dei proficiſcitur. (2) Actus illos Deus immediate in ſeipſo non exercet, quia cum multiplici imperfectione ſunt coniuncti. Ambulatio fit pedibus corporis, & infert potentiam *paſſiuam* atque mutationem loci. Manducatio cibi requirit membra corporea, & arguit creaturarum indigentiam atque potentiam paſſiuam. Somnus autem oritur ex laſſitudine, & imbecillitatem quandam indicat. Proinde patet, hæc prædicata ſpiritualitati, immutabilitati, beatitudini, & omnipotentiæ diuinæ repugnare.

III. Deus non poteſt contradictoria vera efficere, non poteſt factum infectum, heſternum diem hodiernum reddere, ſtupratam puram caſtamque efficere virginem. E. Deus non eſt omnipotens. Reſp. (1) Simpliciter non poſſibile eſt, vt vtraque contradictoria propoſitio ſit vera. Sed quidquid ſimpliciter impoſſibile eſt, ſub nullam cadit potentiam. Eximie inquit ARMANDVS DE BELLO VISV: *Quod Deus non poteſt facere, dicitur impoſſibile, non propter defectum diuinæ potentiæ, ſed propter defectum rei factibilis, quæ non eſt capax.* Doctor theologiæ poteſt docere theologiam; ſed quod non poſſit docere aſinum, non eſt defectus potentiæ in theologo, ſed eſt defectus aſini, qui non eſt capax doctrinæ. (2) Vt factum ſit ſimul infectum, dies hodiernus heſternus, ſtuprata virgo pura, euidentem infert contradictionem, adeoque nullius potentiæ obiectum eſt. Potuit tamen Deus facere, vt non eſſet, quod præteriit, adeoque nunquam præteriret: Potuit facere, vt nunquam exſiſteret virgo, quæ poſtea ſtuprata eſt.

Inſtantia. Si Deus non poteſt facere vllum impoſſibile, potentia eius erit limitata, non abſoluta. Reſp. Deus poteſt facere impoſſibilia *naturæ*, ſed non impoſſibilia *natura.* Hæc cum ſint ſimpliciter impoſſibilia, omnipotentia actiua ſunt inferiora, atque adeo omnipotentiæ diuinæ nullos ponunt limites.

IV. Deus non poteſt facere creaturam infinite perfectiorem aut meliorem, quam fecit. Ergo non eſt omnipotens. Reſp. (1) diſt. *inter creaturam conſideratam ratione eſſentialis, & accidentalis bonitatis, ſeu perfectionis.* (2) Diſt. *inter rem, quæ manet eadem numero, & quæ mutatur, vt fiat alia numero eſſentia.* Deus non poteſt facere rem bonitate aut perfectione eſſentiali infinite meliorem, ſi debeat manere eadem numero. Nam eſſentiæ rerum ſunt ſicut numeri, quibus, ſi iidem manere debeant, nihil addi aut demi poteſt. v. gr.

Ar-

Arbor, quamdiu manet arbor, non poteſt fieri homo; quamuis ex arbore, ſi non amplius maneret arbor, Deus facere poſſit hominem. Accidentaliter tamen, & quidem infinities, meliorem aut perfectiorem Deus rem facere poteſt; ſiquidem ipſi gradum magnitudinis, & huic gradum multitudinis, & alium huic gradum perfectionis accidentalis in infinitum addere poteſt.

V. Deus non poteſt facere Deum. Reſp. Contradictionem implicat, eſſe Deum, & tamen factum. Verus enim Deus eſt ens primum, independens, a ſe exſiſtens, non factum ab alio.

VI. Effectus potentiæ diuinæ (nempe creaturæ) ſunt finiti. Ergo & potentia diuina eſt finita; nam qualis eſt effectus, talis eſt cauſſa. Reſp. Diſt. *inter effectum vniuocum, & æquiuocum.* Effectus diuini ſunt æquiuoci; ideo quod non ſunt eiuſdem naturæ cum Deo. At a qualitate effectus æquiuoci ad qualitatem cauſſæ argumentari non licet. *Potentia diuina eſt infinita,* (1) quatenus conſideratur *in ſe*; ſic enim eſt ipſa eſſentia infinita Dei: (2) quatenus ſpectatur *in ordine ad obiecta & modum agendi.* Vid. ſupra obſeru. II.

VII. Quicunque non omnia poſſibilia poteſt in actum traducere, ille non eſt omnipotens. Atqui Deus non poteſt &c. Ergo. *Min.* prob. quia ſic nullum remaneret poſſibile. Reſp. Deus omnia poſſibilia in actum producit *diuiſim, ſiue ſigillatim, non collectiue & ſimul,* vt nullum poſſibile remaneat. Neque enim in hoc conſiſtit infinitas potentiæ diuinæ, vt *ſimul* & *ſemel* faciat quamcunque rem poſſibilem. Sufficit, quod nullum poſſibile nominari queat, quod Deus producere non valeat.

VIII. Quidquid exceditur ab aliquo attributo diuino, id non poteſt eſſe infinitum. Atqui potentia diuina exceditur ab aliquo attributo diuino, nempe a ſcientia diuina. Ergo. *Maior* conſtat; quia in infinitate ratio excedentis & exceſſi locum non habet, ſed mera dominatur paritas. *Minor* liquet; quia Deus plura ſcit, nempe peccata, defectus naturales, & alia, quæ facere non poteſt. Reſp. *Potentia Dei* dupliciter conſideratur (α) κατ᾽ ἔσω, ſiue *intrinſece*, ſecundum ſuam entitatem; in quantum cum ipſa eſſentia Dei identificatur; ſic non exceditur a ſcientia Dei, ſed perinde, ac illa, infinita eſt. (β) κατ᾽ ἔξω, *extrinſece*, quoad obiecta; ſic exceditur potentia a ſcientia Dei, quoad numerum obiectorum; quia plura ſub ſcientiam, quam potentiam *Dei* cadunt: non quoad proportionem obiectorum; quia vt ſe extendit ſcientia *Dei* ad omnia ſcibilia, ita potentia diuina ſe extendit ad omnia poſſibilia.

IX. Chriſtus, verus Deus, non potuit in patria ſua miracula facere, Marc. VI, 5. Ergo potentia diuina non eſt immenſa. Reſp. *Poterat Chriſtus in patria ſua miracula facere potentia abſoluta, ſed non ordinata, vim miraculoſam retardante, non* ἀδυναμίᾳ, *ſiue defectu potentiæ in ſe ipſo, ſed* ἀπιστίᾳ, *ſiue defectu fidei in hominibus.*

Quæſt. XLIX. *Quæ eſt omnipræſentia Dei?*

Omnipræſentia Dei eſt attributum diuinum ἐνεργητικὸν, vi cuius Deus non tantum ſubſtantiæ propinquitate (a), ſed etiam efficaci operatione omnibus creaturis adeſt (b). *Omnipræſentia Dei.*

Obſ. I. *Præſentia Dei alia eſt vniuerſalis, alia ſpecialis, alia ſingularis.* Præſentia *vniuerſali*, quæ etiam vocatur *præſentia potentiæ*, Deus omnibus creaturis adeſt. Præſentia *ſpecialis* duplex eſt, *præſentia gratiæ & gloriæ.* Præſentia *gratiæ* Deus adeſt credentibus in hac vita. Præſentia *gloriæ* Deus adeſt angelis & beatis hominibus in cœlo. Præſentia *ſingularis* & *hypoſtatica* eſt, per quam tota plenitudo deitatis habitat in Chriſto corporaliter, Col. II, 9.



Digitized by Google

Obſ. II. *Gradus* præſentiæ diuinæ ſe mutuo conſequuntur, vt poſteriores ſemper præſupponant ac prærequirant priores gradus, non autem vice verſa. Sic præſentia *gratiæ* præſupponit diuinam omnipræſentiam: præſentia *gloriæ* includit certa ratione, vel prærequirit gratiæ præſentiam. Ac denique præſentia *vnionis hypoſtaticæ* ſupponit ac prærequirit ſuo modo præſentiam gloriæ, vt & præſentiam gratiæ, immo & præſentiam vniuerſalem ſeu potentiæ. Conf. D. CALOV. *ſyſtem. tom. II. p. 613.*

Obſ. III. Præſentia diuina ſtylo biblico, & ſenſu complexo, duo infert (1) *ἀδιαςασίαν ſiue ſubſtantialem adeſſentiam Dei ad creaturas.* (2) Ἐνέργειαν, *ſiue efficacem operationem.* Duo itaque probanda hic ſunt: (a) *Deum* ratione ſubſtantiæ vbique adeſſe. (b) Ad plenam & accuratam præſentiæ diuinæ definitionem etiam efficacem *Dei* operationem, ceu partem definitiuam, prælucente S. ſcriptura requiri.

Prob. a. (1) Ex Ierem. XXIII, 23. 24. *Num Deus eius, quod e propinquo eſt, ego ſum, inquit Iehouah; & non Deus eius, quod e longinquo eſt? Num abſcondetur vir in latibulis, & ego non videbo eum? inquit Iehouah. Nonne cœlum & terram ego impleo? inquit Iehouah.* Circa hoc oraculum propheticum obſerues (a) præfixum מ in nominibus מקרב & מרחק efficere conſtructionem ſubſtantiuorum latine per genitiuum exprimendam, obſeruantibus BUXTORF. *in theſauro lib. II. cap. III. p. 365.* & SEB. SCHMID. *in colleg. bibl. priori p. 97.* Et cum elliptica ſit locutio, Buxtorff ſupplet nomen מקם *loci* q. d. Num Deus loci propinqui ego ſum? Et ſic etiam: Num Deus loci longinqui ego ſum? Recte ſane. Ita enim Deus etiam dicitur *Deus* cœli & terræ, Gen. XXIV, 3. Niſi malueris ſubaudire דבר *rei.* q. d. Num *Deus* ego eius rei, quæ prope eſt &c. Obſ. (b) *Loca propinqua & remota*, aut res propinquæ & remotæ, dicuntur tales, reſpectu habito ad certum diuinæ præſentiæ modum, iuxta quem *Deus* alicubi eſſe dicitur. Nec videtur hic dubitandum de hoc, quod Dominus reſpiciat *cœlum*, quod alias in ſcriptura dicitur, & ab omnibus populis ſemper habitum eſt *habitaculum Dei.* Ab iis falſis prophetis, contra quos Dominus hic agit, pro eodem quoque habebatur. Reſpectu cœli itaque & reſpectu modi præſentiæ, quo *Deus* in cœlis eſt, loca propinqua & remota appellantur. Cum autem *Deus* in cœlo ſit ratione ſubſtantiæ, etiam locis cœlo propinquis & ab eo remotis ſubſtantialiter adeſt. Obſ. (c) Quando Dominus dicit: *Nonne cœlum & terram ego impleo?* propria ſignificatio verbi, *implere*, retinenda eſt. Dicitur aliquid ab aliquo impleri, quando ita omnia illius penetrat & poſſidet, vt nihil remaneat vacuum, nihil, in quo non ſit res, quæ implet. Argumentamur: Quicunque eſt Deus non tantum loci proximi, ſed etiam remotiſſimi, implens cœlum & terram, ille eſt omnipræſens ratione ſubſtantiæ ſuæ. Atqui Deus &c. Ergo.

(2) Ex Pſ. CXXXIX, 7. 8. *Quo abiuero a ſpiritu tuo? & quo a facie tua auolauero? Si aſcendero in cœlos, ibi tu:* aut ſternam (in) *inferno, ecce tu* (hic). Obſ. Per *ſpiritum Dei* intelligendus eſt Spiritus ſanctus; *Per faciem Dei*, maieſtas *Dei* tremenda, vel vt D. GEIERUS cenſet, *commentar. in h. l. p. 1208.* Filius *Dei*, qui eſt imago patris & character ſubſtantiæ eius, Col. I, 15. Hebr. I, 3. intelligitur. Naſcitur nobis argumentum: Quicunque ita in cœlis & in inferno eſt, vt ſpiritum & faciem eius nemo effugere queat, ille ſubſtantialiter omnipræſens eſt. Atqui Deus &c. Ergo.

Prob. b. Omnipræſentiam diuinam complexe per adeſſentiam operoſam definiendam eſſe, ſequenti argumento oſtendimus: Quacunque ratione ſacra ſcriptura omnipræſentiam diuinam definit, eadem ratione nobis definienda eſt. Atqui ſacra ſcriptura omnipræſentiam diuinam complexe definit per adeſſentiam Dei ad creaturas ſubſtantialem, & operationem ſimul efficaciſſimam. Ergo. *Minor* probatur; quia in ſcriptura ſacra non reperitur vllus præſentiæ diuinæ modus, ſine incluſa operatione definitus. Nam (1) *Præſentia vniuerſalis,*

qua

qua Deus cœlum & terram implet, phraſi ſcripturæ non nudám Dei adeſſentiam, ſed potentiſſimam creaturarum conſeruationem & gubernationem notat: quippe quam S. Paullus delineaturus, ait Act. XVII, 27: *Dominus non procul ab vnoquoque noſtrum exſiſtit. In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.* *Viuimus* in Deo, vt infans in vtero materno, in quo viuificatur: *mouemur* in ipſo, vt naues in oceano, a quo ſuſtentantur: *ſumus* in ipſo, vt lux in aëre, cum quo vnitur. (2) *Præſentia gratioſa Deus* fideles inhabitat, eos renouando, conſolando, protegendo. Leu. XXVI, 12. 2 Cor. VI, 16. Pſ. XCI, 15. (3) *Præſentia glorioſa Deus* angelis & beatis adeſt, eos glorificando & exhilarando. Pſ. XVI, 11. Apoc. XXI, 3. Quam ob rem cum omnis præſentia diuina cum operatione quadam connexa ſit, eandem complexe per adeſſentiam operoſam definimus.

*Antitheſis* eſt (1) *Socinianorum* (quibus adſtipulatur VORSTIVS) negantium omnipræſentiam Dei *ſubſtantialem.* (2) *Quorundam theologorum*, e quibus etiam ſunt *Tubingenſes*, inficiantium, efficacem Dei *operationem præſentiæ diuinæ definitionem ingredi.* Sociniani ſequentibus noſtram aſſertionem argumentis impugnant.

I. Si Deus ratione ſubſtantiæ cœlum & terram impleret, eſſet in locis ſordidiſſimis. Sed poſterius videtur eſſe abſurdum. Ergo & prius. Reſp. Loca ſordida non maculant Deum; quia corpora quidem, non autem ſpiritus rebus ſordidis contaminantur. Spiritus creati, nempe angeli & animæ, nec non lumen ſolis rebus phyſice ſordidis adſunt neque tamen fœdantur. Deus rebus moraliter turpibus (flagitiis hominum) non phyſice ſordidis offenditur.

Inſtantia: Præcepit Deus, vt ex caſtris Iſraëlitarum omne ſordidum amoueretur. Num. V, 28. Deut. XXII, 10. R. Non præcepit illud Deus, propter inquinationis eſſentiæ diuinæ metum, ſed vt *tum* per viam ſymbolicæ obſeruationis Iſraëlitis accuratiſſimum moralis puritatis ſtudium commendaret, *tum* ſanitati Iſraëlitarum conſuleret.

II. Si Deus ſubſtantialiter eſſet omnipræſens, adeſſet diabolis. Poſterius eſt abſurdum. Ergo & prius. Reſp. Deus præſentia generali, ſiue præſentia potentiæ diabolis adeſt; alioqui non præſto foret angelis bonis luctantibus cum diabolis, Iud. v. 9. immo ne Chriſto quidem Deus fuiſſet præſens, cum tentatus & portatus eſt a diabolo. Matth. IV. Fatentibus aduerſariis Deus adeſt diabolis ratione potentiæ, ſcientiæ & prouidentiæ: quidni ergo ratione ſubſtantiæ; quæ ab attributis diuinis realiter non differt.

III. Quicunque immenſus & nullo loco excluſus eſt, ille cum rebus creatis eſt permixtus. Atqui Deus cum rebus creatis non eſt permixtus. Reſp. Præſentia formaliter non dicit permixtionem, ſed indiſtantiam. Angeli præſentes ſunt leonibus, neque tamen iis permiſcentur. Deus, actus puriſſimus, omnem potentiam paſſiuam excludens, non eſt permiſcibilis.

IV. Quicunque habitat in cœlo, non habitat in terra. Deus &c. Ergo. *Minor* conſtat e Pſ. II, 4. Reſp. Deus habitat in cœlo non tantum, non excluſiue, ſed etiam terram implet, Ier. XXIII, 24. Habitat in nobis. Io. XIV, 17. Deus eſt in cœlo præſentia *gloriæ*, quia angelis & beatis hominibus in cœlo ſuam gloriam lucidiſſime manifeſtat: Eſt tamen etiam in terris præſentia *gratiæ*, & *potentiæ*: vbique per *eſſentiam*. (*)

 V. Pre-

(*) Sunt potiſſimum quatuor argumenta, ex quibus elucet, non proprie dictum eſſe, cum Deus dicitur *in cœlo eſſe*, immo *habitare*. Nam 1) Determinationem loci & *habitationem nullam* Deo tribuendam eſſe, aperte ſcriptum exſtat 1 Reg. VIII, 27.: 2) *ſuperior cœlis omnibus* Deus dicitur, Iobi XI, 8. 3) *in cœlo & terra ſimul* eſſe, Ieſaiæ LVII, 15. 4) *cœlum & terram implere*, hoc eſt, nullis locorum terminis circumſcriptus eſſe, Ierem. XXIII, 24. Nec tam *præſen-*

Digitized by Google

V. Precantes manus ſuas in cœlum tendunt, & oculos atque corda ſua ſurſum attollunt. 1 Reg. VIII, 22. Quod faciunt ideo, quod Deus ſubſtantialiter tantum eſt in cœlo. Reſp. Precantes manus noſtras ad cœlum tendimus (1) vt maieſtatem Dei venerantes, non niſi ſublimia cogitemus, atque adeo mentem a terrenis ad cœleſtia eleuemus. (2) Vt cœleſtia bona quæramus, teſtantes πολίτευμα noſtrum, cuius deſiderio tenemur, eſſe in cœlo, Phil. III, 20.

VI. Quicunque locum mutat, adſcendendo & deſcendendo, ille non eſt immenſus aut ſubſtantialiter omnipræſens. Atqui Deus &c. Gen. XI, 7. Reſp. Deus deſcendit non ratione eſſentiæ, ſed ratione manifeſtationis (*). Locum autem non mutat, quia localiter, aut circumſcriptiue non eſt in loco.

VII. Si Deus totus eſſet in vniuerſo mundo, & totus in quolibet puluiſculo, ſequeretur, quod ſimul finitus & infinitus, eidem rei æqualis & inæqualis, ſeipſo maior & minor eſſet. Poſterius eſt abſurdum. Ergo & prius. Reſp. neg. conſequ. Quia (1) Deus non eſt aliquod totum phyſicum eſſentiale, aut integrale, ex partibus compoſitum, ſed eſt totum perfectionale, quod, ſummam habens perfectionem ſine partibus, totum eſſe dicitur. Confer. CALOVII *metaph. diu. part. gen. p. 520.* Deus vbique totus adeſt, quia ἀμέριστος, ſiue ſpiritus ſimpliciſſimus, omnium partium expers, vbique adeſt, non circumſcriptiue aut occupatiue, ſed repletiue. Totus ergo eſt in puluiſculo, ſine incluſione ab intra, ſine excluſione ab extra. Si tota anima eſt in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis: quidni Deus, ſpiritus, & actus ſimpliciſſimus, totus foret in toto mundo, & totus in qualibet parte mundi? (2) Deus infinitus eſt, non ratione quantitatiuæ extenſionis, ſed ratione eſſentiæ & perfectionis. Dum rebus finitis adeſt, eſſentia eius finita non redditur: ſicut eſſentia eius non fit temporaria rebus temporalibus coëxiſtendo. (3) Aequalitas eſt affectio quantitatis, non angelis, nedum Deo, ſpiritui puriſſimo, conueniens. (4) Nemo ſe ipſo maior aut minor dicitur, ſed maior dicitur aliis, quatenus cum iis ratione quantitatis comparatur.

VIII. Si *Deus* omnibus mundi partibus eſſet omnipræſens, extra & intra, ſupra & infra, ante & poſt, ad dextram & ſiniſtram, ſequeretur, quod omnes partes mundi ſeiunctiſſimæ, etiam forent coniunctiſſimæ. Poſterius eſt abſurdum. Ergo & prius. Conſequ. mai. probatur; quia quæ eidem ſecundum idem iunguntur, etiam inter ſe coniunguntur. Reſp. Quæcunque iuncta ſunt vni tertio, etiam inter ſe iuncta ſunt reſpectu illius tertii, ſiue in ordine ad illud tertium, non autem abſolute. India non minus atque Germania *Deum* præſentem habet; ſed ideo non abſolute coniunctæ ſunt regiones illæ longiſſime diſſitæ.

Quæſt. L. *Quos vſus practicos e deſcriptione Dei & attributis excerpes?*

*Vſus practici.* E deſcriptione Dei & attributis diuinis vſus vberrimos, tum paræneticos, quibus

*ſentia*, quam *maieſtas* Dei deſignatur hac dicendi ratione: *in cœlo eſſe, habitare, ſedere.* Cœlum enim in ſacris litteris, improprie dictum, eſt ſignum altitudinis, vt terra humilitatis. vid. notiones connexæ Pſ. CIII, 19. CXV, 3.

(*) Illam quidem loquutionem, *deſcendere* & *adſcendere*, de ſingulari quodam modo *patefactionis* eiusque *termino* intelligendam eſſe, dilucide adparet ex Geneſ. XVII, 22. coll. cum v. 1. XXXV, 13. compar. cum v. 7. & 9. Hanc vero dictionem, *accedere & recedere*, ſiue *adeſſe* & *abeſſe*, nihil denotare aliud, quam hoc, adiuuante ac bene dicente gratia ac *beneuolentia* diuina aut *frui*, aut *carere*, diſcimus ex Numer. XIV, 42. 43. Pſ. XCI, 15. Hoſ. IX, 12.

Digitized by Google

bus ad exercitia pietatis exſtimulamur; tum paracleticos, qui ad tranquillitatem animi haud parum momenti conferunt, excerpere licet.

I. *Deus eſt Spiritus.* Ioh. IV, 24. Ergo a) in Spiritu & veritate eum adoremus; ambulemus ſecundum Spiritum. Rom. VIII, 7. b) Cum anima noſtra ſit Spiritus, rebus in adverſis non niſi ſolatio ſpirituali tranquillatur. *Tantummodo erga Deum ſilentium* (eſto tibi) *anima mea: ab illo enim* (erit) *ſalus mea.* Pſ. LXII, 2.

II. *Deus eſt ens primum & independens,* a quo omnes creaturæ dependent. Pendeamus ergo toti a) a voluntate diuina ſacris litteris expreſſa. *Adhæſi teſtimoniis tuis,* inquit propheta regius Pſ. CXIX, 31. b) Qui a Deo pendent, ab ipſo, ne peſſum eant, ſuffulciuntur. *Adhæret tibi anima mea; me autem ſuſtentat dextra tua.* Pſ. LXIII, 9.

III. *Vnus eſt Deus.* a) Vnum igitur hunc dominum Deum noſtrum adoremus, & ipſi ſoli ſeruiamus. Matth. IV, 10. b) Vnus hic cordis noſtri theſaurus eſt omnibus mundi theſauris potior. Calcemus diuitias huius ſæculi; ſufficit vnicus cordis theſaurus.

IV. *Simplex eſt Deus*; ideo a) amemus ſimplicitatem, omnem dolum & hypocriſin cane peius & angue fugientes. Precemur cum Dauide: Simplicitas rectumque tuum me, Chriſte, gubernet. Pſ. XXV, 21. b) *Simplices cuſtodit Iehouah: quum atteruntur, tum illos ſeruat.* Pſ. CXVI, 6.

V. *Verus eſt Deus.* Hunc igitur a) e verbo veritatis vere agnoſcamus & colamus. b) In vno illo vero Deo vitam æternam ſitam eſſe, ſubinde nobiſcum reputemus. Io. XVII, 3.

VI. *Bonus eſt Deus.* Ergo a) amandus. Quod ſi amamus bonum deriuatum, imperfectum, fragile: quanto magis bonum originale, archetypum, æternum? *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Matth. XIX, 17. b) Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum Rom. IIX, 28. Hinc mori non timemus (cum S. AMBROSIO loquor), quia bonum Dominum habemus.

VII. *Sanctus eſt Deus.* Quare a) imitemur patrem ſanctiſſimum. *Eſtote ſancti, quia ego ſanctus, dominus Deus veſter.* Leuit. XIX. b) Sanctis Dei filiis nil boni deeſt, modo Deum ſancte colere ſtrenue pergant. *Timete Iehouam ſancti illius; quia non eſt defectus timentibus ipſum.* Pſ. XXXIV, 10.

VIII. *Infinitus eſt Deus.* Humillime igitur a) noſtram agnoſcamus imperfectionem, qui, cum Deo, infinite perfecto, comparati, nil ſumus, nil valemus. *Omnes gentes ſunt ſicut nihil erga ipſum, minus quam nihil, & inane reputantur illi,* Eſ. XL, 17. b) Vt infinita eſt eſſentia Dei: ita miſericordia eius nullo fine terminatur. *Hoc reuocabo ad cor meum: ideo ſperabo: miſericordiæ Iehouæ quod non finitæ ſint; quod non conſumtæ miſerationes eius.* Thren. III, 21. 22.

IX. *Æternus eſt Deus.* Contemtis igitur bonis fluxis & caducis deſiderio flagrantiſſimo a) adſpiremus ad eum, qui ſolus habitat in æternum. Eſ. LVII, 15. Adſcendamus a terra in cœlum, ab vmbra ad veritatem, a tempore ad æternitatem, a creaturis ad Deum, ſæculorum conditorem & regem. 1 Tim. I, 17. b) Fremente diabolo, & premente nos mundo, erigamus mentes noſtras ſpe æternæ gloriæ. Nam *momentanea leuitas afflictionis noſtræ iuxta excellentiam in excellentiam æternum pondus gloriæ operatur nobis; eo, quod nos non ſpectamus ad ea, quæ videntur, ſed ad ea, quæ non videntur: quæ enim videntur, temporaria ſunt; quæ vero non videntur, æterna.* 2 Cor. IV, 17. 18.

X. *Immenſus eſt Deus,* vbique ſubſtantialiter præſens. Sollicite igitur caueamus a) ne opera tenebrarum in abſtruſis committamus angulis. *Num occultabitur* (a me) *vir in latibulis, vt ego non videam eum, dictum Iehouæ,* Ierem. XXIII, 24. Scite inquit AVGVSTIN. in *Pſal. I, 6. Deus totus oculus eſt, quia omnia videt: totus auris eſt, quia omnia audit: totus manus eſt, quia omnia operatur: totus pes eſt, quia vbique præſens eſt.* b) Ambulantes

per

Digitized by Google

per obſcuram mortis vallem, dicamus cum Dauide: *Cum ambulauero in valle vmbroſitatis: non timebo mihi malum: quoniam tu, Iehouah, mecum eris.* Pſ. XXIII, 15.

XI. *Immutabilis eſt Deus.* a) Mutabilis itaque voluntas noſtra immutabili bonitati ac voluntati diuinæ adhæreat, vt in bono ſolidetur & confirmetur. b) Cum ἀμεταμέλητα ſine pœnitentia ſint dona & vocatio Dei, Rom. XI, 28. firmiſſime ſtatuamus, Deum pronum ſuum in nos affectum nunquam mutaturum eſſe, modo ipſi nos a cupiditatibus carnis vinci, & a Deo auelli non patiamur.

XII. *Immortalis eſt Deus,* Quam ob rem a) in Deo immortali omnem fiduciam, omnem ſpem noſtram defigamus. Qui tranſitoria amat, cum tranſitoriis interit. At ſpes, confiſa Deo immortali, immobili nititur fundamento. b) Anima noſtra immortalis non ſatiatur, non quieſcit, niſi in Deo immortali. Pſ. XVIII, 15.

XIII. *Inuiſibilis & incomprehenſibilis eſt Deus.* Ergo a) grato corde & ore cognoſcamus atque celebremus, quod ex arcana ſuæ maieſtatis ſede prodierit, & tum per mundi creationem, tum per verbi prædicationem ſe nobis reuelauerit. b) Hoc nobis viatoribus efficaciſſimo ſit ſolatio, quod licet nunc pro ſtatu vitæ in ænigmate Deum videamus: in patria cœleſti *a facie ad faciem ipſum viſuri ſimus.* 1 Cor. XV, 28.

XIV. *Glorioſiſſimus eſt Deus.* Quocirca a) omnia noſtra cœpta, dicta, facta ad gloriam Dei, ceu ſcopum vltimum, referamus, 1 Cor. X, 31. b) Afflicti Dei filii glorientur in domino Ier. IX, 23. exſpectantes ab ipſo diuitias cœleſtis gloriæ, Eph. I.

XV. *Beatiſſimus eſt Deus.* Quæramus igitur a) perennem beatitudinem non in creaturis, ſed in creatore, ſolidæ beatitudinis fonte & auctore. Perquam eleganter AVGVSTIN. *de ſpir. & anim. c. LXIII. Deus eſt ſummum bonum, ſibi ad omnia ſufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent, vt ſint & bene ſint.* Afflicti in hoc mundo chriſtiani mentes ſuas permulceant prægustu cœleſtis beatitudinis; diuinitus quippe ipſis datur, *guſtare virtutes futuri ſæculi.* Hebr. VI, 5.

XVI. *Viuit Deus vitam intellectualem intellectu perſpicaciſſimo omnia peruidendo & dirigendo; voluntate liberrima omnia imperando.* Viuamus igitur a) & nos vitam diuinam exemplo Enochi. Gen. IV, 24. Viuamus voluntate Dei, non cupiditatibus hominum, 1 Petr. IV, 2. b) Solatio nobis præſentiſſimo ſit, quod Deus non delectetur morte peccatoris, ſed velit, vt reſipiſcens æternum cum ipſo viuat. Ezech. XXXIII, 11.

XVII. *Omniſcius & omniſapiens eſt Deus.* Ideoque a) omnem hypocriſin fugiamus; ſiquidem Deus non facta tantum externa intuetur, ſed corda etiam & renes ſcrutatur. Pſ. VII, 10. b) Non deſpondeamus animum, ope humana deſtituti. *Scit enim pater cæleſtis omnia, quibus indigemus,* Matth. VI, 32. *Videt afflictionem populi ſui.* Exod. III, 7.

XVIII. *Benignus & miſericors eſt Deus.* Ergo a) etiam nos tangat cura miſerorum. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt,* ait Chriſtus Luc. VI, 36. b) Peccatorum vel grauiſſimorum conſcii cum Cain & Iuda ne deſperemus, ſed contritis cordibus ad thronum miſericordiæ diuinæ appellemus, ingeminantes Dauidicum illud: *Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam* Pſ. LI, 1. Quin & afflictis omnibus miſericordia Dei eſt dulcis portus animæ & ancora ſpei, Eſ. LIV, 7.

XIX. *Iuſtiſſimus eſt Deus.* Viuamus igitur a) & nos iuſte, Tit. II, 12. Leges diuinas obſeruando, neminem lædendo, vnicuique ſuum tribuendo, promiſſis & pactis ſtando. b) Iniquis aliorum cenſuris, aut iudiciis oppreſſi, ſubinde nobiſcum reputemus, quod Deus iuſtam cauſſam in lucem ſit protracturus. Mich. VII, 9.

XX. *Veraciſſimus eſt Deus.* Proinde a) exemplo patris cœleſtis ſectemur veritatem. *Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo ſuo,* Inquit propheta Zacharias cap. VIII, 16.

b) Viuo

Digitized by Google

b) Viuo nos ſolatio perfundant promiſſiones diuinæ. *Ne timeas: ego clypeus tibi & merces tua multa valde*, Gen. XV, 1, *Non te deſeram, neque te derelinquam*, Ioſ. I, 5. Hebr. XIII, 5. Quin Deus veraciſſimus promiſſiones ſuas opere ipſo impleturus ſit, nulli dubitemus.

XXI. *Omnipotens eſt Deus.* Abſit igitur, vt a) rationis noſtræ decempeda infinitam Dei potentiam dimetiri conemur! *Poteſt enim Deus plus, quam abundanter facere ſuper ea, quæ nos intelligimus*, Eph. III, 20. Quin potius humillimi obſequii gloriam nobis relictam eſſe agnoſcamus, 1 Petr. V, 6. b) In omni neceſſitate omnipotens *Dei manus, quæ omnia mutare valet*, Pſ. LXXVII, 11. nos ſuſtentat & recreat. *Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.* Marc. XIV, 36.

XXII. *Omnipræſens eſt Deus.* Ergo a) mundemus ab omni ſorde animas noſtras, vt Deus in nobis habitet. *Abſtergat ſordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis*, inquit GREGOR. M. in *homil. XXX. in euang.* b) Ancipiti circumſepti periculo, præſentiſſimo Dei auxilio nos ſolemur. Promiſit enim Deus nobis præſentiam ſuam auxiliatricem. Eſ. XLIII, 2. 3. Pſ. XCI, 14. 15. (*).

*SVSPIRIVM.*

(*) Prius vero, quam hinc diſcedamus, magna animi attentione conſideranda ſunt *reſeruata diuina.* In iis enim *perfectionibus* Dei, quæ cum rebus finitis, præſertim intelligentibus, aliquo modo ſunt communicatæ, infinitæ Dei naturæ multa conueniunt, quæ ſibi Deus propria reſeruauit. Vt a principio exordiamur: In omni re, quod *ſummum* eſt, & quod omnino ad *infinitatem* atque *independentiam* pertinet, id non poteſt non ſemper *Dei vnius proprium* eſſe. Sunt igitur *Reſeruata*

I. *Scientiæ diuinæ*, quæ *generatim* nomine *Omniſcientiæ* comprehenduntur, *ſpeciatim* 1) perfectiſſima *Dei ipſius* omniumque *arcanorum* conſiliorum cognitio, Iob. XV, 8. Ieſ. XL, 13. Matth. XI, 27. Rom. XI, 34. 1 Cor. II, 10. 11. 2) *Naturæ vniuerſæ* cognitio, eſt enim ipſe vnus rerum omnium effector & moderator. Pſ. CXXXIX, 1. - 5. Hebr. IV, 13. 3) Omnium, quæ *viribus naturæ omnibus ſuperiora* ſunt, cognitio; ſolus enim Deus efficere valet miracula. 4) *Animorum* cognitio, 1 Reg. VIII, 39. & ea quidem (α) *immediata*, vt dici ſolet, nulla intercedente patefactione ac declaratione per ſigna, Pſ. CXXXIX, 1. 3. 4. Ioan. II, 25. (β) *certa* non probabilis, quam vim obtinet verbum ידע, (γ) *vniuerſa* ac *perpetua*, ſine vlla exceptione aut *hominum*, 1 Reg. VIII, 39. Act. I, 24. aut *cogitationum* motuumque animi, latebrarum ac receſſuum in animis, conſiliorum vel maxime clandeſtinorum & quorum homo ipſe non eſt conſcius, Pſ. CXXXIX, 2. 4. 23. Denique 5) *præſcientia*, & eorum quidem omnium, quæ ſunt (α) *remotiſſima*, vnde tot prædictiones de futuris euentibus, poſt multa demum ſæcula exſpectandis, (β) *minutiſſima*, temporis non modo periodi, ſed & punctum ac momentum, Act. I, 7. (γ) *Futura contingentia.* Ieſ. XLI, 22. 23. XLIII, 8. 9. XLIV, 7. 1 Sam. XXIII, 11.

II. *Sapientiæ diuinæ:* 1) Nunquam fallax electio *optimi* ex pluribus bonis, Geneſ. I, 31. טוב מאד, 2) infinita *amplitudo, varietasque, finium* ac *mediorum* innumerabilium, Pſ. XL, 6. LXXI, 15. CIV, 24. quæ eſt πολυποίκιλος σοφία, Eph. III, 10. 3) ſumma *auctoritas* conſiliorum omnium, Ieſ. XL, 13. Rom. XI, 34. 4) immenſa *profunditas*, quam perueſtigare nemo vnquam valebit, βάθος τῦ πλύτυ τῆς σοφίας, Rom. XI, 33. 34.; cuius tria ſunt maxime illuſtria documenta: (α) admirabilis copulatio rerum, & quaſi conſentiens ad noſtram incolumitatem coagmentatio, Rom. VIII, 28: (β) ſalutares euentus, omnem hominum ſpem atque opinionem ſuperantes, Geneſ. L. 20. Ieſ. XXVIII, 29: (γ) delectus mediorum eius modi, quæ videntur quidem fini prorſus contraria & plane abſurda, re tamen vera ſunt aptiſſima, & conuenientiſſima, 1 Corinth. I, 25. 27. 28. Quod enim in regno gratiæ nos reuelatio edocet, id iam in regno naturæ ratio atque experientia demonſtrat, quippe hoc: In rebus minimis maxima virtus ineſt.

III. *Bonitatis diuinæ.* Præter Deum enim nemo bonus eſt, Matth. XIX, 17. nimirum, vt vocibus vſu receptis vtar, 1) *independenter*, 2) *excellenter*, vtpote ſummum bonum, atque vnum omnium excellentiſſimum, 3) *cauſſaliter*, quum bona omnia ab vno Deo proficiſcantur, Iac. I, 17. 4) *conſtanter*, ſine vlla mutabilitate, ibid.

 IV. *Veri-*

Digitized by Google

*SVSPIRIVM.*

Immortales tibi, o Deus æterne, agimus gratias, quod ex arcana maieſtatis tuæ ſede prodiens cum ſtupendis in regno naturæ operibus, tum præcipue verbo tuo reuelato te nobis patefeceris. Præuenti igitur & colluſtrati lumine gratiæ tuæ, agnoſcimus te Spiritum ſanctiſſimum, & in Spiritu atque veritate adoramus. Agnoſcimus te perpetuo viuentem, & tibi iam viuere ardenter deſideramus. Te omniſcium, & vindicem oculum tuum omnia videntem reformidamus. Tibi omniſapienti, & conſilio atque arbitrio tuo nos totos permittimus. Agnoſcimus te benigniſſimum, & beneficia tua vt grata memoria recolimus, ita grato ore deprædicamus. Te miſericordiſſimum imploramus, & peccatorum noſtrorum recordatione turbati, ad ſacram miſericordiæ tuæ aram ſupplices confugimus. Agnoſcimus te potentiſſimum, & dextræ tuæ, cuncta diſpenſanti, nos humillime ſubiicimus. Te præſentisſimum reueremur, & templa cordium noſtrorum ad gratioſam inhabitationem tibi dedicamus. Mane in nobis, domine, vt æternum in te maneamus!

## CAPVT II.

# DE SVMMO S.S. TRINITATIS MYSTERIO.

Quæſt. I. *Quomodo rudi plebi myſterium Trinitatis ſimpliciſſime & planiſſime proponendum & inculcandum eſt?*

Auguſtiſſimum venerandæ Trinitatis myſterium modo ſimpliciſſimo & planiſſimo idiotis traditurus, oſtendat 1) quod Deus ſit vnus. 2) Quod vnus Deus ſit Pater,

IV. *Veritatis diuinæ*, & ſigillatim eius, quæ dici ſolet *veracitas:* 1) *Vniuerſitas*, ſine vlla exceptione, Ioſ. XXIII, 14. 2 Reg. X, 10. Luc. XVIII, 31. Act. III, 21: 2) *Neceſſitas*, vt Deus ne poſſit quidem vnquam fallere, Num. XXIII, 19. 1 Sam. XV, 29. Hebr. VI, 18.

V. *Potentiæ diuinæ*, vt & *poteſtatis*, quum Deus ſit *omnia valens*, παντοκράτωρ, 2 Corinth. VI, 18. Apoc. IV, 8. μόνος δυνάστης, Pſ. LXII, 12. 1 Timoth. VI, 15. Huius igitur propria ac reſeruata conſideranda ſunt

(א) ratione *rerum*, ſiue *Obiectorum:* In poteſtate vnius Dei eſt 1) *animus* hominis cuiusque, Matth. X, 28. quorſum ſpectat ius (α) obligandi *conſcientiam*, Rom II, 15. XIII, 5. 1 Pet. II, 19. (β) *remittendi peccata*, & ſua quidem auctoritate, Marc. II, 7: 2) *fortuna* vtraque, vtpote ſummum atque extremum in quauis actione, Gen. XXXIX, 3. Deut. XXX 9 Pſ CXXVII. 1. 2. Cohel. IX, 11: 3) *cælum* non minus, quam *terra vniuerſa*, Pſ. CXV, 16. CXXXV, 6. Dan. IV, 32: 4) *eccleſia*, Eph. I, 22: 5) *Magiſtratus* quisque, ſummorum quoque Imperantium nullo excepto, Dan. II, 21. Rom XIII. 1. 2. 1 Tim. VI, 15: 6) *vita & mors* mortalium, ad vnum omnium, Pſ. XC, 3. Ieſ. XXXVIII, 1. 5: 7) *iudicium*, idque *ſupremum*, atque adeo *commune*, Geneſ. XVIII, 25. Pſ. LIX, 14: 8) *vniuerſa* rerum *natura*, Pſ. LXXXIII, 19. vt Deus etiam *ſolus* valeat *miracula*, naturæ viribus multo maiora, efficere. Ex. XV, 11. Pſ. LXXII, 18.

(ב) Ratione *modi:* Deus, & is quidem vnus, valet omnia agere 1) ſuo arbitrio, ſeu, vt vulgo dicitur, *independenter*, ita nimirum, (α) vt potentiam omnem poteſtatemque in ſe ipſe habeat, non ſibi datam ab alio, (β) vt nemo vnquam poſſit Deo repugnare, (γ) vt rationem factorum nemini vnquam reddere ipſe teneatur (omnes hæ tres notiones continentur in vno dicto, Daniel. IV, 32.): 2) *immediate*, dum modo velit & iubeat, Pſ. XXXIII, 9. Apoc. IV, 11. vt adeo poſſit efficere omnia, vbi nihil fuit antea, Rom. IV, 17: 3) *infinite*, vt nullum fuerit potentiæ initium, nullus etiam ſit terminus, Dan. IV, 31. VI, 26: 4) *perfecte*, vt ne quid minimum deſit, Geneſ. I, 31. Ieſ. XL, 26.

Hanc de *reſeruatis* diuinis doctrinam, vnam ex præcipuis eſſe arbitror. Hæc enim deinceps permagno vſui erit, quin immo maximum momentum adferet ad probandam & Chriſti, & Spiritus ſancti, *ſummam* diuinitatem. Quod ſi enim demonſtrare potuerimus, ſcripturam ſacram ea, quæ *Dei propria* ſunt, *omnia*, ſine vlla exceptione, Chriſto ac Spiritui ſancto *non minus*, quam Patri, adſerere: conſequens erit, vt non dubitemus, quin & Chriſtus, & Spiritus S. Patri *omnino æqualis* ſit, atque adeo *ſummus* Deus. Id quod ex infra dicendis conſtabit.

Digitized by Google

Pater, Filius & Spiritus S. 3) Quod alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus S. 4) Quod Pater in æternum generet Filium, Filius ab æterno a Patre ſit genitus, Spiritus S. a Patre & Filio procedat.

Quæſt. II. *Quare vtitur eccleſia in explicando myſterio Trinitatis vocibus, in ſacra ſcriptura qua litteram, non exſtantibus?*

Eccleſia in tradendo ſublimi & arduo articulo fidei de ſacroſancta Trinitate vtitur vocibus quibusdam, quæ ῥητῶς, ſiue qua litteram, non exſtant in ſacra ſcriptura, per bonam tamen & pronam conſequentiam ex eadem deducuntur, & adhibentur tum ad confutandam ἑτεροδοξίαν, ſiue falſam doctrinam, (a) tum ad declarandam ὀρθοδοξίαν, ſeu veritatem cœleſtem (b).

Prob. a. Hoſtes veritatis cœleſtis cum eccleſia catholica idem loquebantur, ſed non idem ſentiebant, teſte IRENAEO in *præfat. libr. I.* Quare coacta eſt eccleſia ad detegendum aduerſariorum fucum vſurpare terminos, qua litteram in ſacra ſcriptura non exſtantes, neque tamen ab ea qua ſenſum diſcrepantes. Cum enim eccleſia doceret, tres eſſe, in quorum nomine baptizamur, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum; *Sabellius* dogma eccleſiæ ψευδερμηνείᾳ, falſa interpretatione, deprauaturus dicebat, *tres illos non eſſe reali diſcrimine diſtinctos, ſed vnam eandemque perſonam modo vocari Patrem, modo Filium, modo Spiritum S.* Proinde vt orthodoxia huius articuli illibata maneret, eccleſia illos tres vocare cœpit *tres diſtinctas perſonas.* Cum eccleſia doceret, Patrem & Filium eſſe vnum Io. X, 30.; *Arius* dicebat, Patrem & Filium eſſe vnum *conſenſu & voluntate,* ſicut credentium dicitur vnum cor, Act. IV, 32. Quare vt orthodoxia ſtaret inconcuſſa, eccleſia docere cœpit Filium eſſe ὁμοούσιον Patri. Conf. D. GERHARD. *exeg. libr. III. fol. 334.*

Prob. b. Sublimiſſimum myſterium Trinitatis breuiter proponitur, & neruoſe explicatur vocibus ab eccleſia receptis: quippe quæ non poſſunt in peregrinum ſenſum ab hoſtibus veritatis cœleſtis detorqueri.

Quæſt. III. *Quænam ſunt voces illæ, quibus myſterium Trinitatis ab eccleſia breuiter proponitur, & neruoſe explicatur?*

Voces eccleſiaſticæ, quibus myſterium Trinitatis breuiter & neruoſe proponitur, ſunt *trinitas, eſſentia, perſona, hypoſtaſis, character hypoſtaticus, notio perſonalis, actus perſonalis,* ὁμοούσιος, περιχώρησις; quarum ſignificatio hic enucleanda, earumque fundamenta e ſacris litteris oſtendenda ſunt prius, quam ſublimem hunc fidei articulum probatum eamus.

Quæſt. IV. *Quid notat vox, Trinitas?*

*Trinitas,* eccleſiaſtica loquendi conſuetudine, hic notat ternarium perſonarum diuinarum numerum. *Deſcriptio Trinitatis.*

Obſ. I. Sunt qui *Trinitatem* dictam volunt, quaſi *trium vnitatem*; at male. Recte enim, cum ATHANASIO, *vnitatem in Trinitate & Trinitatem in vnitate veneramur.* At quis vnquam dixit: *Trium vnitatem in vnitate veneramur?*

Obſ. II. Magnum eſt diſcrimen inter *trinum,* & *triplex.* *Trinum eſt,* quod, in eſſentia vnum, tres habet ſubſiſtendi modos: *Triplex eſt,* quod e tribus eſt compoſitum. *Trinum* Deum dicimus, ſed *triplicem* dicere chriſtiana religione prohibemur. Rectius Germanice vocatur die Dreyeinigkeit, quam die Dreyfaltigkeit.



Digitized by Google

Prob. Hauſta eſt vox, *Trinitas*, e fontibus Iſraëlis; ſiquidem eius concretum legitur, 1 Ioh. V, 7. *Hi tres vnum ſunt*. Cum ergo S. ſcriptura vſurpet concretum: quidni exinde colligere liceat abſtractum, perinde ac ex vno colligimus vnitatem?

Quæſt. V. *Quid intelligis per eſſentiam Dei?*

*Eſſentia Dei.*

*Eſſentia* Dei eſt natura Dei ſpiritualis & independens, tribus perſonis diuinis, Patri, Filio, & Spiritui ſancto, communis.

Prob. 1) In genere definiunt *eſſentiam, quod ſit id, quod primo in re concipitur, ſine quo res eſſe non poteſt, eſtque fundamentum & cauſſa ceterorum, quæ ſunt in eadem re*, ex THOMA *de ente & eſſentia c. 1. & 7. metaphyſ. ſect. 5.* Cum itaque in Deo primo concipiamus ſpiritualitatem & independentiam; quippe quæ noſtro intelligendi modo eſt principium & fundamentum, e quo attributa diuina fluunt: conſulto deſcribimus eſſentiam Dei per naturam Dei ſpiritualem & independentem: Attributa autem diuina ſunt ταυτὸ, pariter tribus diuinitatis perſonis communia. Nam *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus: Et tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens*, inquit in ſymbolo ſuo ATHANASIVS. 2) Vox ὀσία eſſentia non quidem expreſſis litteris habetur in ſacra ſcriptura; attamen per facilem conſequentiam ex illa elicitur. Etenim a) Deus in V. T. appellatur יהוה eſſentiator: ergo habet eſſentiam, eamque independentem, infinitam & immutabilem. b) In N. T. Deus nominatur ὁ ὢν, Apoc. I, 8. A quo eſt ὀσία ſiue eſſentia. c) Synonymum eſſentiæ diuinæ eſt φύσις θεία, natura diuina, cuius meminit S. Petrus 2 epiſt. c. I, 4. *Eſſentia, natura, & forma* Dei, iuxta ſanctos patres, idem eſt, ait DAMASCENVS *Iſagog. cap. I.*

Quæſt. VI. *Quid eſt perſona?*

*Perſona.*

*Perſona, materialiter ſ. concretiue* ſpectata, eſt ſuppoſitum intelligens. Suppoſitum vero eſt ὑφιςάμενον ſ. ſubſiſtens ſingulare, incommunicabile, non ſuſtentatum ab alio. At *formaliter*, ſiue *abſtractiue*, conſiderata perſona eſt ſubſtantiæ ſingularis, completæ, & intelligentis independens & incommunicabilis ſubſiſtentia.

Obſ. Definimus 1) *perſonam, concretiue* ſpectatam, per *ſuppoſitum*, i. e. *ſubſiſtens ſingulare*. Sunt, qui eam definiunt per *ſubſtantiam ſingularem*; at minus accurate. Nam perſona, ſenſu concretiuo conſiderata, non eſt ſubſtantia, ſed ὑφιςάμενον, ſubſiſtens ſingulare, quod ſubſtantia & vltimo ſubſiſtendi modo conſtat. Cum CRELLIVS, Socinianus perſonam definiret per *ſubſtantiam*, reſpondebat D. SCHERZERVS: *Falſo definis perſonam. Subſtantiæ loco ſubſiſtens ſubſtituendum eſt*, in *colleg. Anti-Sociniano p. 264.* Et confeſſores Auguſtani articulo I. dicunt: Nomine *perſonæ* vtimur ea ſignificatione, qua vſi ſunt in hac cauſſa ſcriptores eccleſiaſtici, vt ſignificet non partem aut qualitatem in alio, ſed *quod proprie ſubſiſtit*. Cum autem ſubſiſtere ſubſtantiarum ſit, conſequitur, nullum accidens eſſe perſonam. 2) Omnis perſona eſt *ſubſiſtens ſingulare*. Proinde *vniuerſalia* non ſunt perſonæ, cum formaliter conſiderata non ſint extra intellectum. Vocamus perſonam ὑφιςάμενον *ſingulare*, non *indiuiduum*; quia hoc importat reſpectum logicum ad ſpeciem ſpecialiſſimam, quæ de indiuiduo prædicatur. At Deus non prædicatur per modum ſpeciei de perſonis diuinis, neque hæ eſſentiis numero diuerſis, perinde, ac indiuidua, differunt. 3) Omnis perſona eſt *ſuppoſitum intelligens*. Hic lapis, hæc arbor, hic equus, dicuntur quidem *ſuppoſita*, ſed non *perſonæ*, quia *intellectu* deſtituuntur. 4) Omnis perſona *ſubſiſtit incommunicabiliter*, i. e. vnius perſonæ ſubſiſtentia non poteſt alii perſonæ communicari, eo, quod vnaquæque perſona proprium & vltimatum ſubſiſtendi actum obtinet, vt ab alia perſona vlterius termi-

nari

Digitized by Google

nari nequeat. 5) Omnis perſona *ſubſiſtit independenter ab alio vnito, tanquam ſuſtentante.* Quam ob rem humana Chriſti natura non appellatur perſona, quia vnita eſt cum τῷ λόγῳ, a quo in ſubſiſtendo terminatur.

Quæſt. VII. *Quid intelligis per hypoſtaſin?*

Ὑπόςασις haud ſecus, ac perſona, *abſtractiue* notat ſubſtantiæ ſingularis completæ incommunicabilem ſubſiſtendi rationem: *concretiue* idem eſt, quod ὑφιςάμενον ſiue ſuppoſitum. *Hypoſtaſis.*

Obſ. I. Sancti Patres, teſte DAMASCENO *dial. cap. XXVI. hypoſtaſin,* & *perſonam,* idem vocarunt. Differt tamen perſona ab hypoſtaſi hoc ipſo, quod hypoſtaſis communis eſt naturæ intellectuali, & rationis experti: perſona tantum de natura intellectuali dicitur.

Obſ. II. *Formalis* & *abſtractiua* tam perſonæ, quam hypoſtaſis, ſignificatio tum locum habet, cum tres perſonæ, aut hypoſtaſes, in vna eſſentia diuina aſſeruntur. Nam iſthac aſſertione eccleſiæ catholicæ, tres ſubſiſtendi rationes relatiuæ, eæque incommunicabiles, vnius eſſentiæ diuinæ indigitantur, & a Græcis τρόποι ὑπάρξεως, modi ſubſiſtendi appellantur: cum cuiuis perſonæ proprius ſubſiſtendi modus conueniat; ſubſiſtit quippe Pater ἀγεννήτως, Filius γεννητῶς, Spiritus S. ἐκπορεύτως.

Prob. Quamuis vox *perſona* ea ſignificatione, qua hic ab eccleſia vſurpatur, non legatur, attamen cum græci patres *hypoſtaſin* appellitarint, quam latini *perſonam* vocarunt; nomen ὑποςάσεως e ſacris litteris deducere nobis incumbit. Inuenitur vox ὑπόςασις Hebr. I, 3. vbi filius Dei dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως τȣ̃ πατρὸς, imago hypoſtaſis patris. Sunt, qui negant hypoſtaſin ſenſu eccleſiaſtico ab apoſtolo vſurpari, vt patris perſonam denotet. Sed recte monet noſter GERHARDVS, nomen perſonæ ſumi vel *materialiter & concretiue,* pro ſuppoſito eſſentiam habente, vel *formaliter & præciſe,* vt diſtinguatur ab eſſentia, & idem ſit, quod perſonalitas. Priori ſenſu filius Dei dicitur imago perſonæ patris, non autem ſenſu poſteriori. Imago immediate reſpicit perſonam; quia imago, qua talis, eſt vocabulum relatiuum, mediate reſpicit eſſentiam; eo quod filius Dei non modo imperfectiori, ſed perfectiſſimo eſt ſubſtantialis imago patris. Correlatum imaginis quidem eſt perſona; ſed fundamentum, ratione cuius filius dicitur imago patris, eſt eſſentia Patris per æternam generationem filio communicata. Quo reſpexit LVTHERVS, cum reddidit germanice das Ebenbild ſeines Weſens. Indigitauit enim eſſentiam charactere hypoſtatico patris inſignitam. Eſſentia diuina, abſolute ſpectata, in hoc loco apoſtolico per ὑπόςασιν intelligi nequit: quia eadem eſſentia in patre & filio eſt. Imago autem non eſt ſui ipſius imago, ſed alterius. Vid. AVGVSTINVS *lib. VII. de trinit. c. 1.* Conf. GERHARDI *exeg. loc. III. fol. 342.* & D. CALOVII *ſyſtema tom. III. p. 98.*

Quæſt. VIII. *Quid notatur nomine characteris hypoſtatici?*

*Character hypoſtaticus,* ſiue *proprietas perſonalis,* eſt relatio in actu perſonali fundata, perſonam in eſſe certæ perſonæ conſtituens, & per oppoſitionem relatiuam realem ab alia perſona diſtinctionem inferens. *Characteres hypoſtatici.*

Quæſt. IX. *Quot ſunt characteres hypoſtatici ſiue proprietates perſonales?*

Characteres hypoſtatici perſonarum diuinarum ſunt tres, *paternitas, filiatio* & *ſpiratio paſſiua,* ſiue proceſſio, ſtricte dicta.

Prob. *Paternitas* eſt relatio fundata in *generatione actiua,* Deum patrem in eſſe patris conſtituens, & per oppoſitionem relatiuam, quæ inter paternitatem & filiationem intercedit, realem diſtinctionem inter Deum patrem, & filium inferens. Idem formetur iudicium



Digitized by Google

cium de *filiatione*, & *ſpiratione paſſiua.* Vox, *character hypoſtaticus*, dubio procul originem trahit ex Hebr. I, 3. vbi filius Dei dicitur, vt ſupra indicauimus, *character*, *ſiue imago hypoſtaſis patris*, eo, quod perſonam patris, quoad eſſentiam, refert. Exinde factum, vt indiuiſim omnis relatio, qua vna perſona diuina aliam refert, aut reſpicit, vocetur character hypoſtaticus, aut proprietas perſonalis.

Obſ. Fundamentum proximum relationis hypoſtaticæ eſt actus perſonalis; qui cum relationem fundet, nec ab ea realiter differat, haud raro a theologis character hypoſtaticus, aut proprietas perſonalis appellatur. Sic generatio actiua Dei patris, generatio paſſiua filii Dei character hypoſtaticus eſt. Certe omnium conſenſu nomine ſpirationis paſſiuæ, aut proceſſionis proprietas perſonalis Spiritus S. exprimitur. Conf. D. CALOV. *in ſyſtem. tom. III. p. 193. & 535.* D. SCHERZ. *in ſyſtem. p. 65.*

Quæſt. X. *Quid ſunt notiones perſonales?*

*Notiones perſonales.* *Notiones perſonales* ſunt rationes cognoſcendi perſonas diuinas, easque ad intra diſtinguendi; quarum quædam ſunt συςατικαὶ, ſeu *conſtitutiuæ* cuiuslibet perſonæ, in eſſe talis perſonæ; quædam ſunt σημαντικαὶ, ſeu *ſignificatiuæ*, quæ perſonas diuinas quidem notificant, earumque diſtinctionem indicant, ſed nullam perſonam in eſſe talis perſonæ conſtituunt.

Obſ. Notiones perſonales *conſtitutiuæ* cum characteribus hypoſtaticis, ſeu proprietatibus perſonalibus, coincidunt; quæ, ſi connumerentur notionibus perſonalibus, *numerantur notiones perſonales quinque*, *innaſcibilitas & paternitas in patre*, *ſpiratio in patre & filio*, *filiatio in filio*, *proceſſio in Spiritu S.* At vero quatenus notiones perſonales *ſtrictius ſumtæ*, tantum ſunt σημαντικαὶ ἢ θεωρ[illegible]ςικαὶ, i. e. tantum *ſignificatiuæ* & notificatiuæ, a proprietatibus perſonalibus diſtinctæ, *duæ tantum ſunt notiones perſonales*, *innaſcibilitas & ſpiratio actiua.* Nam ἀγεννησία ſeu *innaſcibilitas* notificat quidem Deum patrem & indicat, ipſum a nulla alia perſona ducere originem; at non conſtituit illum in eſſe patris, adeoque non ipſius character hypoſtaticus, ſed notio perſonalis eſt. Spiratio actiua, cum communis ſit Deo patri & filio, non proprietas, ſed notio perſonalis eſt. De notionibus perſonalibus accurate egerunt, D. IO. ADAM. OSIAND. *in colleg. ſyſtem. part. I. p. 408.* D. BAYER *in compend. theol. p. 251.* D. BREITHAVPT. *in inſtit. theol. p. 35.*

Quæſt. XI. *Quinam ſunt actus perſonales?*

*Actus perſonales.* *Actus perſonales* ſunt, qui intra eſſentiam diuinam terminantur ad certam perſonam, & quorum principium agendi non eſſentia diuina tribus perſonis communis, ſed vna, vel duæ ſunt perſonæ; ſuntque duo, *generatio* & *ſpiratio.*

Obſ. I. Actus perſonales vocantur etiam *opera ad intra*, de quibus tritum illud axioma theologicum verum eſt: *opera ad intra perſonalia ſunt diuiſa*, i. e. non omnibus perſonis diuinitatis communia; ſi quidem opus, vni perſonæ proprium, alteri, relatiue oppoſitæ, non conuenit.

Obſ. II. Generatio non minus, ac ſpiratio, ſpectata *ratione principii*, a quo emanat, *actiua*, ratione termini, quem producit, *paſſiua* appellatur, grammatice loquendo; quamuis ex parte Dei natiuitas τȣ λόγȣ æterna, puriſſima, omnisque paſſionis expers, ſit emanatio a patre, proceſſio autem Spiritus S. emanatio eiusdem a patre & filio ſit; cum in Deum non cadat potentia paſſiua.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XII. *Quid ſignificat vox ὁμοέσιος?*

Vox græca ὁμοέσιος latine redditur *coeſſentialis*, vel *conſubſtantialis*, & denotat, tres diuinitatis perſonas eſſe vnius eiusdemque eſſentiæ. ὁμοέσιος.

Prob. Deriuatur vox Græca ὁμοέσιος ab ὁμῶς, vna, vel ſimul, & ἐσία eſſentia, atque indicat, filium Dei & Spiritum S. cum Deo patre eſſe eiusdem eſſentiæ & coæternum. Deducitur ex illis dictis ſcripturæ, quæ duas, tresue perſonas, nominatim expreſſas, vnum eſſe teſtantur. Chriſtus ait Io. X, 30. *Ego & pater vnum ſumus.* S. Ioannes inquit: *Hi tres vnum ſunt*, 1 ep. V, 7. Appoſite inquit AVGVSTINVS *tractat. 97. in Ioan.* Aduerſus impietatem Arianorum hæreticorum nouum nomen patres ὁμοέσιον condiderunt, ſed non rem nouam tali nomine ſignauerunt; hoc enim vocatur homouſion, quod eſt: *Ego & pater vnum ſumus*, videlicet vnius eiusdemque ſubſtantiæ. *Deus pater & filius vnum ſunt, non vnitate quidem perſonæ, nec ſolius voluntatis & concordiæ, ſed eſſentiæ, non ſpecifice, ſed ſingulariſſime vnius.* Id quod colligitur 1) *ex ſcopo.* Probat Chriſtus, neminem poſſe oues e manu ſua rapere, quod ipſe & pater vnum ſint; quod quam potentiam habeat pater, eandem & filius. Finge, de vnitate concordiæ ſolum eſſe ſermonem, eadem conſequentia poſſes inferre, nec e manu Ioannis, aut Petri, aliquem poſſe eripi. 2) Ex modo loquendi θεοπρεπῶς de diuinis. Ex quo hunc in modum concludimus: Vna voluntas patris eſt vna eſſentia patris (ſunt enim attributa diuina cum eſſentia Dei ταυτό). Atqui Chriſti voluntas eſt illa vna patris voluntas. E. Chriſti voluntas eſt ipſa eſſentia patris. Quibus probe conſideratis, concilium Nicænum τὴν ὁμοεσίαν, i. e. vnitatem eſſentiæ ſingulariſſimam, in tribus perſonis diuinis aſſeruit, & defendit aduerſus Arianos. His adeo exoſa fuit ὁμοεσία, vt ſuum ὁμοιέσιον eccleſiæ obtruſum mallent. Exinde factum, vt vniuerſus chriſtianus orbis vnica tantum littera diſtraheretur. Neque tamen vnica illa littera leue, ſed grande diſcrimen dogmatis catholici, & Ariani repræſentauit; quum per ὁμοεσίαν filius Dei independens, æternus & ſummus cum patre Deus a catholicis, per ὁμοιεσίαν creatura creatori ſimilis, ſed eſſentiæ ratione infinitum a creatore diſtans, ab Arianis deſignaretur. Ceterum monet EPIPHANIVS in *Ancorato*, aliud eſſe συνέσιον, aliud ἀυτοέσιον, aliud ὁμοέσιον. Συνέσιον notat vnitatem eſſentiæ ſpecificam, prout omnium hominum vna eſt communis eſſentia: ἀυτοέσιον ſignificat in vna eſſentia vnam perſonam, diuerſis proprietatibus & operationibus ſe exſerentem: Ὁμοέσιον vero denotat vnitatem eſſentiæ numericam, cum diſtinctione perſonarum. Præclare inquit AMBROSIVS *Libr. III. de fide c. VII. Recte homouſion patri filium Dei dicimus; quia verbo illo & perſonarum diſtinctio, & naturæ vnitas ſignificatur.* Conf. D. CHEMNIT. *in loc. theol. de tribus perſon. diuin. fol. m. 46.*

Quæſt. XIII. *Quid ſignificat vox περιχώρησις?*

Περιχώρησις latine redditur *immeatio*, *circuminceſſio*, *immanentia*, & notat æternam atque intimam vnius perſonæ diuinæ in alia immanentiam. περιχώρησις.

Obſ. I. Vox περιχώρησις non eſt biblica, ſed eccleſiaſtica, vſurpata a DAMASCENO *libr. I. orth. fid. c. 19.* Diſtinguitur a theologis *in eſſentialem, & perſonalem. Illa* eſt ſingulariſſima immanentia vnius perſonæ diuinæ in alia: *Hæc* eſt intima eaque ineffabilis immeatio, qua divinitas τε̃ λόγε aſſumtam humanam intime permeat, inhabitat, & perficit. De *eſſentiali* περιχωρήσει perſonarum diuinarum in præſenti nobis ſermo eſt; quæ fundatur in verbis Chriſti Io. XIV, 11. *Credite mihi, quod ego in patre, & pater in me ſit.* Conf. Io. XVII, 21. Nimirum περιχώρησις eſſentialis perſonarum diuinarum facit, vt Pater ſit in Filio, Filius in Patre, & Spiritus S. in vtroque.

Obſ.

Digitized by Google

*Pragmatologia.*

Obſ. II. Enucleatis vocibus eccleſiaſticis, quibus auguſtiſſimum myſterium S. S. Trinitatis in eccleſia communiter proponitur, iam demonſtranda eſt myſterii huius veritas. Cum itaque ſingulariſſima eſſentiæ diuinæ vnitas ſupra luculenter probata ſit: inpræſentiarum operæ pretium erit, vt tum indefinite *pluralitatem* perſonarum diuinarum, tum determinate earum *trinitatem* a Spiritu S. in diuinis litteris apertiſſime doceri, liquido oſtendamus.

Quæſt. XIV. *Quot modis ſacra ſcriptura veteris, & noui teſtamenti, numerum perſonarum diuinarum proponit?*

*Probatio Trinitatis ex ſcripturis.*

Sacra ſcriptura numerum perſonarum diuinarum duobus modis proponit. (1) Indefinite ſiue indeterminate earum *pluralitatem* docet. (2) Definite ſeu determinate perſonarum diuinarum *trinitatem* exprimit.

Obſ. I. Rudioribus, doctrina catechetica imbuendis, a fideli catecheta non indefinita perſonarum diuinarum pluralitas, ſed determinata earum trinitas e veſtigio proponenda & inculcanda eſt, vi mandati diuini Matth. XXVIII, 19. quo iubentur antiſtites eccleſiæ gentes docere & baptizare in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti: in diſputatione vero cum aduerſariis reſpondentis vices gerens, contra obiectam vnitatem vnius perſonæ in eſſentia diuina in conflictu primo (cuius finis eſt aduerſarium & confundere, ipſius antitheſin falſitatis conuincere) defendere poteſt indefinitam perſonarum diuinarum *pluralitatem*: in actione altera, ſeu diſputationis progreſſu confirmet veritatem catholicam, ſcilicet non plures, nec pauciores perſonas diuinas, quam *tres* eſſe, easque vnum illum verum ac ſummum eſſe Deum. Vid. in HÜLSEMANN. *breuiar. enucleat. p. 128.*

Obſ. II. Indefinita perſonarum diuinarum *pluralitas* in *veteri* teſtamento frequentius propoſita eſt; etiamſi neque determinata earum *trinitas* ibi tacite aut obſcure ſolum inſinuata ſit; in *nouo* autem teſtamento rariora indefinitæ *pluralitatis* perſonarum diuinarum, frequentiora vero & clariora, quam in vet. teſtamento S. S. *Trinitatis* occurrunt teſtimonia.

Quæſt. XV. *Quibus argumentis indefinitam perſonarum diuinarum pluralitatem demonſtrabis?*

Argumenta, quibus indefinita perſonarum diuinarum *pluralitas* probatur, petuntur a luculentis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis; quorum *alia* diſtinctas actiones diuinas diſtinctis perſonis vindicant (a), *alia* communia colloquia & communia opera pluribus perſonis diuinis in numero multitudinis attribuunt (b), *alia* manifeſtam plurium perſonarum diuinarum mentionem faciunt (c), *alia* pluralitatem perſonarum diuinarum nominibus pluralis numeri exprimunt (d).

Prob. a. *Filius Dei a Deo gignitur* Pſ. II, 7. *Deus a Deo vngitur* Pſ. XLV, 8. *Iehouah a Iehouah mittitur.* Eſ. XLVIII, 16. *Dominus a Domino ad dextram exaltatur.* Pſ. CX, 1. Argumentamur: Vbicunque introducitur Deus gignens, & genitus, vngens, & vnctus, mittens, & miſſus, exaltans, & exaltatus: ibi introducuntur plures perſonæ diuinæ. Atqui in ſacris litteris introducitur Deus gignens & Deus genitus &c. Ergo.

Prob. b. (1) Ex Gen. I, 26. *Et dixit Elohim* (per diſtributionem, vnusquisque ex Elohim, aut perſonæ diuinæ dixerunt ad ſe inuicem, ſe excitando & conſultando): *Faciamus hominem ad imaginem noſtram & ad ſimilitudinem noſtram.* Arguimus: vbi ſunt plures collo-

Digitized by Google

loquentes & conſultantes, ibi ſunt plures perſonæ. Atqui, in diuinitate ſunt plures colloquentes & conſultantes. Ergo in diuinitate ſunt plures perſonæ.

Dicis: I. Deus de ſe more principum in numero multitudinis loquitur honoris cauſſa. Reſp. Nullus rex aut princeps de ſe ſolo in ſacris litteris lingua hebræa ſimpliciſſima, omnisque fuci experte, loquitur in numero multitudinis. In aliis quidem linguis principes de ſe loquentes numero plurali vtuntur, ſed ſignificant, ſe conſiliariorum ac procerum adminiculis aliquid decernere; quod de Deo omniſapiente dici nequit.

Dicis: II. Deus collocutus eſt, aut conſultauit cum angelis. Reſp. Angeli nunquam adhibiti ſunt in conſilium Dei: Eſ. XL, 13. neque iidem ad opus creationis, quod infinitæ virtutis eſt, concurrere potuerunt: neque homines ad imaginem angelorum, ſed ad imaginem Dei conditi ſunt.

Prob. Idem (2) Ex Gen. XI, 7. Dixit Iehouah: agite! *deſcendamus & confundamus ibi labia.* Excipiunt aduerſarii, Deum in confuſione linguarum angelos ſibi adiunxiſſe; ſed fruſtra. Nam confuſio linguarum ſolius eſt Dei, qui ea pollet vi incomparabili, vt immediate in hominum animos agere, illis alios conceptus, alias cogitationes inſerere & linguæ prius notiſſimæ memoriam oblitterare queat (*).

Prob. c. (1) Ex Gen. III, 22. *Dixit Iehouah Deus* (apud ſe:) *Ecce homo fuit ſicut vnus ex nobis* (perſonis diuinis) *ſciendo bonum & malum* (& tamen peccauit). Quicunque vnum pluribus ſui ordinis ratione ſcientiæ confert, ille plures deſignat perſonas. Atqui Deus, de ſe loquens, vnum hominem pluribus ſui ordinis ratione ſcientiæ confert. Ergo Deus plures deſignat perſonas (**). (2) Illuſtris eſt locus Eſ. VI, 8. vbi Adonai inquit: *Quem mittam, & quis iturus eſt nobis?* Qui dicit: *nobis*, ille ſe non vnum (perſona) ſed ſecum alios, adeoque plures innuit.

Prob. d. אלהים nomen diuinum non tantum terminatione, ſed & ſignificatione plurale eſſe, ſupra demonſtrauimus. Conſtruitur hoc nomen diuinum (1) *cum verbo plurali* Gen. XX, 13. vbi Abrahamus ait: *Factum vero eſt, quum diſcedere me facerent Elohim a domo patris mei.* Cum vnus tantum ſit Deus, per Elohim conſtructum cum verbo plurali non poſſumus non plures perſonas diuinas intelligere. Conf. Gen. XXXV, 7. 2 Sam. VII, 23. (2) Conſtruitur *cum adiectiuo plurali.* Sic a Ioſua c. XXIV, 19. dicuntur אלהים קדשים, perſonæ diuinæ ſanctæ.

Dicis: conſtruitur Elohim etiam cum verbo ſingulari. Gen. I, 1. ברא אלהים. Reſp. Conſtruitur cum verbo ſingulari, ad indicandum myſterium plurium in vna Dei eſſentia perſonarum.

Quæſt. XVI. *Quomodo determinatam perſonarum diuinarum Trinitatem probabis?*

Determinata perſonarum diuinarum *Trinitas* probatur indubitatis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis; quorum quædam *coniunctim* exhibent omnes *tres* diuinitatis perſonas: quædam *diſtincte* docent, non æternum tantum *Patrem*, ſed etiam *Filium* æterni Patris, vt & *Spiritum S.* eſſe *verum* & *ſummum* Deum. Vtraque teſti-

(*) Accedit, quod v. 8. numerus ſingularis adhibetur. Hic igitur, cum illo numero plurium v. 7. conferendus, nos dubitare non ſinit, quin hi plures, qui ſint vnus Iehouah, ſignificentur.

(**) Præter hoc, quod non ad angelorum, ſed ad Dei imaginem conditus homo dicitur, notandum eſt etiam, quod homo in ſtatu integritatis, non *ſimilis*, ſed *æqualis* angelis fuerit, quem ad modum ἰσάγγελοι, non ὁμοιάγγελοι erimus tum; cum ad conſummatam beatitatem peruenerimus. Luc. XX, 36.



Digitized by Google

teſtimoniorum de ſacroſancta Trinitate claſſis tum e ſcriptis apoſtolicis novi teſt. tum e monumentis propheticis vet. teſt. deſumitur.

Obſ. Diſtinguendum hic eſt inter ordinem *patefactionis diuinæ, & methodum demonſtrationis. Hæc* ita procedit, vt a clarioribus ordiamur, & ad minus clara progrediamur: *ille* ſeriem temporum obſeruat. Quum hic nobis aduerſus hoſtes veritatis cœleſtis demonſtranda ſit perſonarum diuinarum *trinitas*, methodum demonſtrandi attendentes teſtimonia N. T. vt clariora, præmittimus teſtimoniis V. T. in quibus gradus claritatis minor animaduertitur.

Quæſt. XVII. *Quænam ſunt teſtimonia nou. teſtamenti, quibus coniunctim exhibetur perſonarum diuinarum trinitas?*

Teſtimonia N. T. quibus perſonarum diuinarum trinitas coniunctim proponitur, noſtram per baptiſmum regenerationem (a), θεοφάνειαν ſiue apparitionem perſonarum diuinarum (b), incarnationem Filii Dei (c), miſſionem Spiritus S. (d), gratioſam Dei in nobis inhabitationem (e), diuinam in eccleſia eiusque miniſterio operationem (f), religioſam Dei venerationem (g), apoſtolicam de ὁμουσίᾳ perſonarum diuinarum aſſertionem (h) perſpicue exponunt, vt ſalutari ſacroſanctæ Trinitatis notitia imbuamur.

Prob. a. Chriſtus, iam iam in cœlum aſcenſurus, ſolemnem adminiſtrandi baptiſmi formam diſcipulis ſuis præſcripſit, Matth. XXIIX, 19. *Euntes ergo μαθητεύσατε, diſcipulos facite* (mihi) *omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Ex hoc dicto claſſico demonſtramus (1) *Deitatem* Patris, Filii & Spiritus ſancti. (2) Eorum *diſtinctionem* perſonalem. (3) Perſonarum diuinarum ὁμουσίαν, ſ. *vnam eſſentiam.* Argumentamur: In cuius nomen baptizamur, ille eſt verus & ſummus Deus. In nomen Dei Patris & Filii, & Spiritus ſancti baptizamur. E. Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus eſt *verus & ſummus Deus. Maior* conſtat; quia in illius nomen baptizamur, qui baptiſmum, gratiæ ſalutisque medium, inſtituit. At ſolus Deus, fons gratiæ & auctor ſalutis, baptiſmum inſtituit. Adiice, quod in illius nomen baptizemur, in quem credere & quem inuocare tenemur; nam ſacramento baptiſmi ad fidei profeſſionem, cultum & obſequium illius, qui auctor eſt baptiſmi, adſtringimur. Ideo baptiſmus dicitur *interrogatio bonæ conſcientiæ ad Deum* 1 Petr. III, 21. *Oportet nos credere, vt baptizati ſumus, adorare, vt credimus,* ait BASIL. M. ep. LXXIIX. Deinde, qui baptizantur in nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti, illos oportet credere, *tres* eſſe *perſonas* diuinas. Atqui omnes gentes baptizantur in nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti. Ergo. *Maior* liquet; quia citra omne dubium Pater & Filius differunt, vt diſtinctæ perſonæ. At quomodo diſtinguitur Filius a Patre in verbis inſtitutionis baptiſmi: eodem modo diſtinguitur Spiritus ſanctus a Patre & Filio, vt oſtendit textus ſeries. Atqui Filius a Patre diſtinguitur, vt perſona. Ergo etiam Spiritus ſanctus a Patre & Filio, vt perſona diſtinguitur. Præterea Spiritus ſanctus non tantum hoc loco proponitur vt alius a Patre & Filio, ſed etiam cum his perſonis diuinis in adminiſtratione baptiſmi ita *coniungitur*, vt idem nomen, eadem auctoritas baptiſmum inſtituendi, eadem maieſtas adorationis, eadem vis regenerandi, quæ Patri & Filio competit, ipſi tribuatur. E. Spiritus S. eſt perſona diuina. Certe abſurdum & vſui loquendi aduerſum eſt, idem nomen apponi perſonis, & non-perſonæ. Ὁμουσίαν denique perſonarum diuinarum probamus; quia non baptizamur in *nomina*, ſed in *nomen* Patris, Filii & Spiritus S. vt obligemur ad agnoſcendum & ve-

Digitized by Google

venerandum idem nomen, eandem auctoritatem, maieſtatem, ſanctitatem, gratiam & potentiam, atque adeo eandem eſſentiam Patris, Filii & Spiritus S.

Excipiunt *Sociniani* (1): In nomen alicuius baptizari non eſſe indicium *deitatis*, cum etiam in hominem aliquis poſſit baptizari; ſic Iſraëlitas baptizatos eſſe in Moſen teſte Paullo 1 Cor. X, 1. Reſp. (a) *Aliud eſt baptizari in aliquem, aliud baptizari in nomen alicuius.* Illud *miniſterialiter*, hoc non niſi *auctoritatiue* exponi poteſt. (b) Diſtinguendum eſt inter *baptiſmum proprie ſic dictum*, qui eſt lauacrum regenerationis & ſacramentum N. T. & inter *baptiſmum typicum, ſeu metaphoricum.* Baptiſmus, proprie dictus, in nullius hominis nomen poteſt adminiſtrari: Iſraëlitarum autem baptiſmus in Moſen erat typicus, quo obligabantur ad fidem & obſequium Moſi, ſeruo Dei, præſtandum, vt ſub nube promti tranſirent mare rubrum, Moſe præeunte: ſicut nos baptiſmo regenerationis obligamur ad fiduciam in Deo Patre, Filio & Spiritu S. collocandam.

Excipiunt (2): Non eſſe nouum, in rebus non minoris momenti, quam eſt baptiſmus, coniungi Deo res & perſonas, non pertinentes ad eius eſſentiam. Sic 1 Sam. XII, 18. populus dicitur *timuiſſe* Iehouam & *Samuelem.* Exod. XIV, 31. vbi Iſraëlitæ dicuntur *credidiſſe Deo & Moſi.* Eph. VI, 10. dicit Paullus: *confortamini in Domino & in robore potentiæ illius*, vbi Paullus cum domino, qui eſt perſona, coniungit potentiam Dei, quæ non eſt perſona, ſed attributum diuinum. Reſp. (1) Exempla adducta ſunt diſſimilia & inconuenientia. Nam Deus & Moſes coniunguntur vt dominus & ſeruus, cauſſa principalis & inſtrumentalis, ratione concurſus ad certum aliquod tertium, quod Deo & creaturæ (non æqualiter, ſed diuerſa ratione) conuenit. At diſpenſare baptiſmum in nomen alicuius, nulli creaturæ competit. 1 Cor. I, 13. Proferant aduerſarii ex ſacris litteris exemplum, quod Deus & homo vnico, eoque ſimultaneo mandato, & æquali auctoritate, nouum ſacramentum inſtituerint, & porrigemus illis herbam. (2) Nunquam perſonis coniungitur non-perſona in communione auctoritatiua (quod h. l. fit, vbi vnum nomen tribus tribuitur,) diuinitus ordinati medii ſalutis. Dicit quidem Paullus: *confortamini in Domino & robore potentiæ illius*, ſed non vnum nomen Domino & eius potentiæ attribuit. In nomen attributi diuini, vel etiam halitus diuini, baptizari, inauditum in ſacris & inconueniens eſt.

Prob. b. Illuſtriſſima θεοφάνεια ſeu apparitio diuina contigit in baptiſmi, Chriſto collati, adminiſtratione, quæ deſcribitur Matth. III, 16. Marc. I, 10. Luc. III, 22. Circa hanc θεοφάνειαν obſeruamus (1) *tria nomina.* Is enim, cuius vox e cœlo auditur, vocatur *Pater.* 2 Petr. I, 17. Qui in ripa Iordanis ſtat, vocatur *Filius* Matth. III, 17. Qui in ſpecie columbæ deſcendit, appellatur *Spiritus S.* Luc. III, 22. (2) *Tria diſtincta manifeſtationis ſymbola*, dum apparet *Pater voce, Natus corpore, Flamen aue.* (3) *Tres diſtinctos actus*, Patris de cœlo clamantis, Filii in Iordane ſtantis, Spiritus S. in ſpecie columbæ deſcendentis. (4) *Communem trium perſonarum deitatem.* Nam Pater, de cœlo clamans, haud dubie eſt verus Deus; cui Filius coëſſentialis eſt, cum non ſit adoptiuus, ſed naturalis Dei filius; quippe qui geminato articulo græco emphatice dicitur ὁ υἱός ὁ ἀγαπητός, ille filius, ille dilectus, in quo omnis εὐδοκία, complacentia Dei reſidet & acquieſcit. Sed omnis filius naturalis cum patre habet eſſentiam eandem; eandem, inquam, ſpecie in humanis, numero eandem in diuinis. Spiritus, qui in ſpecie columbæ deſcendit, non poteſt eſſe creatura; quippe qui ideo venit ſuper Chriſtum, vt eundem, qua homo eſt, donis impleret & vngeret, quo captiuis libertatem, & vinctis dimiſſionem prædicaret, Eſ. LXI, 3. qui etiam poſtea Chriſtum in deſertum egit. Matth. IV, 1. Ergo Spiritus ille verus eſt Deus. Quibus præmiſſis argumentamur: *Quot nominibus, externis ſymbolis, atque diſtinctis actibus, Deus in baptiſmo Chriſti ſe manifeſtauit, tot ſunt in di-*



Digitized by Google

*vinitate perſonæ. Atqui tribus nominibus, tribus externis ſymbolis, tribus diſtinctis actibus, Deus in baptiſmo Chriſti ſe manifeſtauit.* Ergo *tres ſunt in diuinitate perſonæ.*

*Sociniani*, neruum huius argumenti inciſuri, excipiunt (1) nullam contigiſſe θεοφάνειαν in baptiſmo Chriſti, cum præter Chriſtum & Spiritum S. nihil conſpectum, ſed tantum diuina vox audita fuerit: (2) Spiritum S. non apparuiſſe in ſpecie columbæ, ſed tantum ad inſtar columbæ ex alto in Chriſtum cum impetu ſonituque deſcendiſſe: (3) Speciem columbæ non magis arguere, Spiritum S. eſſe perſonam, quam linguas igneas, quæ multæ fuerunt, perſonas fuiſſe multas: (4) Symbola externa, cum ſeparata fuerint, inferre tres perſonas non realiter tantum, ſed etiam eſſentialiter diſtinctas: nam quæ loco diſtant, diſtinctas habent eſſentias. Reſp. ad 1) Deum Patrem voce audibili ſe manifeſtaſſe, patet (a) ex correlato, quod eſt filius; clamauit enim: *Hic eſt filius meus dilectus.* (b) Ex aſſertione Petri 2. Epiſt. c. I, 17. vbi de Chriſto ait: *Accepit a Deo patre honorem & gloriam, ita vt vox delata ſit a magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* Ad 2): Aduerbium ὡσεὶ non modum deſcendendi ſimilem volatui columbino, ſed formam columbinam notat; viſa eſt enim columba & manſit ſuper ipſo, Io. I, 32. *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, quaſi columba, teſte* Luc. III, 22. Ad 3): Perſonalitatem Spiritus S. ex hac θεοφανείᾳ ſtabilimus: *Quicunque formam corpoream aſſumſit, in ea apparuit, viſibiliterque deſcendit, ille eſt* ὑφιςάμενον *ſuppoſitum, &, cum intellectualis ſit naturæ, perſona.* Atqui Spiritus S. &c. E. Quod diſtincta ſit a Patre & Filio perſona, liquet ex eo, quod non Pater, non Filius, ſed ſolus Spiritus S. formam columbinam aſſumſit. Exemplum petitum a multitudine linguarum ignearum, ex Act. II. diſpar eſt. Nam multas illas linguas Spiritus S. eadem forma ignis occupauit. Quare ibi non diuerſum, ſed vnum ſymbolum eiusdem Spiritus; fuit diſperſum per multas linguas. At vero Matth. III. diſtincte nominatur Pater, Filius & Spiritus S. Alio ſymbolo externo Pater, alio Filius, alio Spiritus S. ſe manifeſtat, & pro diuerſitate ſymboli ab iisdem diuerſi eduntur actus. Ad 4): A ſeparatione ſignorum externorum, ad ſeparationem ſignati, non valet conſequentia. Quamuis ſymbola externa ſeparentur & eſſentialiter diſtinguantur; perſonæ tamen diuinæ nec ſeparantur, nec eſſentialiter diſtinguuntur; quippe quæ vnum ſunt. 1 Io. V, 7. Symbolica Trinitatis manifeſtatio perſonale, non eſſentiale diſcrimen infert.

Prob. c. Ad agnitionem S. S. Trinitatis nos perducit *incarnatio filii Dei;* quam angelus annuntiat S. Mariæ, & declarat Luc. I, 35. *Spiritus S. veniet ſuper te, & virtus altiſſimi adumbrabit te: ideo etiam, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Incarnatio τȣ λόγȣ fluit a communi quaſi Trinitatis manu, ſi ſpectes eius principium; terminatur autem ad ſolam perſonam filii Dei (perinde, ac tres virgines vni ex numero ſuo imponunt coronam). Conf. D. DANNH. *in hodoſ. phæn. II. p. 185.* Quare angelus omnes tres diuinitatis perſonas commemorat, Deum Patrem vocat altiſſimum, qui Filium in carnem miſit Gal. IV, 4. Filium Dei appellat virtutem altiſſimi, qui obumbrauit Mariam arcano & ineffabili modo, in vtero Mariæ templum corporis ſui omni diuinitatis plenitudine implendo: ſicut olim Deus templum Salomonæum 1 Reg. IIX, 11. per ἐπισκιασμόν, ſiue obumbrationem repleuit. Spiritus S. autem, prædicente angelo, veniet ſuper Mariam, guttulas ſanguineas excitando, ſanctificando, & ex iis corpus Chriſti efformando. Idcirco pia antiquitas ex incarnatione τȣ λόγȣ documentum Trinitatis deſumſit. Pulchre inquit RVFFINVS *in expoſ. ſymboli: Vide cooperantem ſimplicem trinitatem! Spiritus S. venire dicitur, & virtus Altiſſimi obrumbrare. Qui eſt autem virtus altiſſimi, niſi ipſe Chriſtus, qui eſt Dei virtus & potentia? Cuius hæc eſt virtus? Altiſſimi. Adeſt ergo Altiſſimus, adeſt virtus Altiſſimi, adeſt Spiritus S.* Nos argumentamur: *Quicunque ex verbo Dei reuelato agnoſcunt, incarnationem filii Dei eſſe opus Patris,*

Digitized by Google

*tris, Filii, & Spiritus S. illi non poſſunt non credere perſonarum diuinarum Trinitatem. Atqui omnes chriſtiani &c.* Ergo.

Excipiunt *Sociniani:* (1) Solum Deum Patrem ab angelo vocari altiſſimum: (2) Chriſtum dici filium Dei ob ſingularem conceptionem e Spiritu S. (3) Spiritum S. nuncupari virtutem Altiſſimi, adeoque non eſſe ipſum Deum altiſſimum, ac ne perſonam quidem, cum virtus non ſit perſona. Reſp. ad 1): Deus Pater dicitur quidem altiſſimus, ſed non excluſiue, cum nomine altiſſimi etiam Chriſtus inſigniatur. Luc. I, 76. Ad 2): Angelus non dicit, Chriſtum vocari filium Dei ob ſingularem eius conceptionem a Spiritu S. ſed propter *obumbrationem virtutis Altiſſimi.* Nam coniunctio concluſiua διὸ, *ideo*, immediate reſpicit verba proxime antegreſſa: *virtus Altiſſimi obumbrabit te*, vt ſenſus ſit: quia Filius Dei, virtus Patris conſubſtantialis, obumbrauit Mariam, in vtero eius carnem aſſumendo, ſibique vniendo: ideo, quod naſcetur ex Maria, vocabitur filius Dei. Certe ſi Chriſtus propterea vocatur filius Dei, quod a Spiritu S. conceptus eſt, ſequetur, ipſum Spiritum S. eſſe patrem Chriſti; quod dicere religione chriſtiana prohibemur. Ad 3): Non Spiritus S. ſed Filius Dei vocatur virtus Altiſſimi, cum & Paullus Chriſtum appellet virtutem Dei. 1 Cor. I, 24. Non eſt, quod obuertas, virtutem non eſſe perſonam; nam & Ruben dicebatur virtus patris ſui; Gen. XLIX, 3. qui vera erat perſona.

Prob. d. Documentum S. S. Trinitatis haud inualidum petimus *a miſſione Spiritus S.* quae deſcribitur Io. XIV, 16. *Ego rogabo patrem, vt alium paracletum det vobis, vt maneat vobiſcum in aeternum.* Eodem capite v. 26. *Paracletus autem Spiritus S. quem mittit Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia* Io. XV, 26. *Quando vero venerit paracletus, quem ego miſſurus ſum vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui ex Patre* ἐκπορεύεται, *exit* (procedit) *ille teſtabitur de me.* Conf. Gal. IV, 6. Obſ. Vtimur his teſtimoniis cum ad deitatem filii Dei, tum inprimis ad perſonalitatem Spiritus S. demonſtrandam; quum vtraque ab aduerſariis magno conatu impugnetur. Quem in finem argumentamur: (1) Qui non eſt verus cum Patre Deus, eſſentiae vnitate eidem aequalis, ille non habet ius mittendi Spiritum ſanctum. At Filius Dei habet ius mittendi Spiritum S. Ergo Filius eſt verus cum Patre Deus, eſſentiae vnitate eidem aequalis. *Maior* conſtat; quia ex mente aduerſariorum Spiritus S. eſt virtus & efficacia Dei. At virtutem & efficaciam Dei nemo poteſt mittere, niſi ipſe ſit Deus. (2) Spiritus S. deſcribitur a Chriſto, *vt paracletus, vt paracletus alius, vt ſpiritus veritatis, omnia docens, qui a Patre procedit, & in nomine Filii mittitur: quem mittit etiam a Patre Filius.* Ergo Spiritus S. eſt perſona diuina a Patre & Filio Dei diſtincta. Ratio conſequentiae minime obſcura eſt; cum omnia illa praedicata non niſi verae perſonae conueniant, pariter atque perſonalem diſtinctionem inferant.

Excipiunt *Sociniani:* (1) Chriſtum precibus impetrare a Patre, vt Spiritum S. mittere queat; neque eſſe eius fontem aut ſcaturiginem, adeoque non aequalem illi, a quo deriuatur. (2) Neque Spiritum S. poſſe aequari illi, a quo proficiſcitur & donatur. Reſp. ad 1): Interceſſio perſonae inaequalitatem per ſe non arguit; cum aequalis apud aequalem, immo maior apud minorem, princeps apud comitem, pro tertio quodam intercedere queat. Chriſtus autem, qua homo, rogat Patrem pro mittendo Spiritu S. cum quidem, qua Deus, ius mittendi natura obtineat. Neque vero fons & ſcaturigo Spiritus S. ſolus eſt Pater, ſed etiam Filius Dei; quippe a quo, vt ſapientiam, ſic eſſentiam Spiritus S. accipit. Io. XVI, 14. 15. Ad 2): Non licet inferre inaequalitatem ex eo, quod Spiritus S. a Patre & Filio proficiſcitur atque donatur, ſed tantum originem & ordinem in S. S. Trinitate ex eodem colligere eſt.

Prob. e. Innoteſcit myſterium Trinitatis ex *gratioſa Dei triuniuus in fidelibus inhabitatione*, quam promittit Saluator Io. XIV, 23. *Si quis dilexerit me, verbum meum ſeruabit, & pater meus diliget illum, & ad illum veniemus*, & manſionem apud illum faciemus. Docet

 ean-

Digitized by Google

eandem Paullus 1 Cor. III, 6. *Nonne ſcitis, quod templum Dei ſitis, & ſpiritus Dei habitet in vobis?* Ex his eloquiis diuinis arguimus: *Quicunque in fidelibus, velut conſecratis templis, habitat, ille eſt verus Deus. Atqui Pater, Filius & Spiritus S. in fidelibus, velut conſecratis templis, habitat.* Ergo. *Maior* ſua radiat luce. *Vos templum Dei viuentis*, inquit Paullus 2 Cor. VI, 16. Conf. Leuit. XXVI, 22. Præclare ait CYRILLVS *L. XXXIV. theſaur. Nulla creatura, neque factum aliquod, tanquam Deus in templo habitare dicitur.*

Excipiunt diſſidentes: (1) Ex ſententia Lutheranorum, Chriſtum etiam ſecundum aſſumtam humanam naturam, quæ non eſt *Deus*, in piis habitare: (2) Ex inhabitatione Spiritus S. in fidelibus non ſequi, Spiritum S. eſſe perſonam diuinam; cum *Deus* in ſanctis habitet per Spiritum ſuum, tanquam per virtutem ſuam. Reſp. ad I. Humana natura Chriſti ſpectata *non in ſe, ſed in vnione perſonali*, quatenus aſſumta eſt in hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ, in conſortium S.S. Trinitatis euecta eſt. Ad II. Deitas Spiritus S. ex inhabitatione eius gratioſa in piis inuicte aſſeritur. Nam ille ipſe, cuius templum dicuntur Corinthii, diſerte vocatur *Deus*, is vero, teſte Paullo, Spiritus Dei eſt. Neque vllibi in ſacris litteris ſcriptum legimus, Deum habitare in nobis per Spiritum S. tanquam per virtutem ſuam, ſed ſicut *Deus* Pater & Filius, tanquam perſonæ diuinæ, habitant in piis: Ita & Spiritum S. in ipſis habitantem, perſonam diuinam eſſe, recte concludimus.

Prob. f. Cognoſcitur perſonarum diuinarum Trinitas *ex operatione diuina Patris, Filii & Spiritus S. in eccleſia;* quam docet apoſtolus 1 Cor. XII, 3. 4. 5. 6. *Notum vobis facio, quod nemo, in Spiritu Dei loquens, dicat anathema Ieſum: Et nemo poſſit dicere dominum Ieſum, niſi in Spiritu S. Diuiſiones tamen donorum ſunt; idem tamen ſpiritus. Et diuiſiones miniſteriorum ſunt: vnus tamen eſt Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Sunt, qui v. 4-6. de perſona Spiritus S. accipiunt, & hunc nomine vnius Spiritus, vnius Domini, vnius Dei venire cenſent. At vero cum apoſtolus Corinthios ad adæquatum cultus & fidei chriſtianæ obiectum, quod eſt trinunus Deus Pater, Filius & Spiritus S. reuocatos velit, & per vnum dominum eundem, quem v. 3. κύριον Ἰησȣ̃ν appellauerat, intelligat, atque per vnum Deum eundem, de quo v. 3. itidem nominato Spiritu Dei, locutus erat, deſignet: Omnes tres diuinitatis perſonas ab apoſtolo coniunctim l. c. exhiberi, nulli dubitamus. Nempe Spiritui S. χαρίσματα, dona ſpiritualia, cum miniſtrantia, tum ſanctificantia, ſecundum tertium ſymboli apoſtolici articulum aſſignantur: διακονίαι, miniſteria, in eccleſia Chriſto, domino & archiepiſcopo eccleſiæ, tribuuntur: ἐνεργήματα, operationes, Dei Patri, a quo originaliter eſt omnis operandi facultas, vindicantur. Conf. D. CALOV. *in bibl. illuſtrat. in h. l. fol. 378.* Nos argumentamur: *A quo omnia dona, omnia miniſteria, omnes operationes in eccleſia dependent, ille eſt verus Deus. Atqui a Deo Patre, Filio & Spiritu S.* &c. Ergo.

Excipiunt *Sociniani:* (1) Licet Patri, Filio & Spiritui S. diuina dona & operationes adſcribantur, inferri tamen non poſſe, quod ſint eiusdem eſſentiæ: (2) Dominum & Spiritum hic clare a Deo vno diſcerni, ita, vt nomen Domini aliquid minus, quam nomen Dei ſignificet; Spiritus S. autem, cum a Deo diſtinguatur, virtutem ſolum Dei denotet. Reſp. ad (1): Omnia dona & opera diuina proficiſcuntur a Deo, cuius vna tantum eſt eſſentia. Ad (2): Pater cœleſtis dicitur Deus quidem, ſed non excluſiue. Sicut enim Chriſtus dominus, & Spiritus S. non excludunt Deum Patrem a dominio & communione ſpiritualis naturæ: ita nec Deus Pater excludit Chriſtum & Spiritum S. ab vnitate eſſentiæ diuinæ. Neque Chriſtus eſt dominus ſubordinatus, ſed dominus ſummus, dominus dominorum, Apoc. XIX, 16. Neque Spiritus S. eſt virtus Dei ἀνυπόςατος, propria perſonalitate deſtituta, ſed αὐθυπόςατος, ſuppoſitum intelligens, ſeu vera perſona diuina; ſiquidem idem Spiritus ope-

Digitized by Google

operatur & diſtribuit vnicuique, ſicut vult, 1 Cor. XII, 11. At operationes ſunt ſuppoſitorum (*).

Prob. g. Pateſcit perſonarum diuinarum trinitas ex voto apoſtolico 2 Cor. XIII, 13. *Gratia Domini Ieſu Chriſti, & amor Dei, & communicatio ſancti Spiritus* (ſit) cum omnibus vobis! Amen! Obſ. Apoſtolus in hoc voto finali *primo loco poſuit gratiam domini Ieſu Chriſti*, non vt ordinem inter perſonas diuinas inuerteret, ſed vt *præſtitueret fundamentum fidei ſalutisque ſubſtantiale*, quod eſt Chriſtus, 1 Cor. III, 11. dux & conſummator fidei, Hebr. XII, 2. cuius merito & caritas Patris & communicatio Spiritus S. lapſo generi humano parta eſt. Quare intelligit Apoſtolus *caritatem Patris ſpecialem, & actiuam Spiritus S. communicationem*; quippe qui nos participes facit gratiæ Chriſti & caritatis Patris. Ex hoc voto apoſtolico naſcitur argumentum: *Cuius caritatem, gratiam & communicationem piis votis atque ſuſpiriis nobis & aliis precamur, ille eſt vnus & verus Deus. Atqui caritatem Patris, gratiam domini Ieſu Chriſti, & comunicationem Spiritus S. nobis & aliis precamur. Ergo Pater cæleſtis, dominus Ieſus Chriſtus, & Spiritus S. ſunt vnus & verus Deus* (**).

Excipiunt aduerſarii: 1) Aliud eſſe, optare, vt communicatio Spiritus S. ſit cum omnibus, aliud Spiritum S. inuocare: 2) Nomen κοινωνίας, communicationis, non accipi actiue, ſed paſſiue, vt intelligatur de donis Spiritus S. nobiſcum communicatis, quæ nomen perſonæ non ſuſtinent: 3) Solum Patrem κατ' ἐξοχὴν Dei nomine deſignari. Reſp. ad I. Votum apoſtolicum eſt votiua inuocatio SS. Trinitatis. Coniunguntur Spiritui S. Pater & Filius. Ergo ſicut hos, ita illum etiam inuocamus. Ad II. Quo pacto a Patre amorem, a Chriſto gratiam, eodem a Spiritu S. κοινωνίαν precamur. At amorem & gratiam Ieſu Chriſti actiuam precamur. Ergo & actiuam communicationem Spiritus S. expetimus. Communicat Spiritus S. ſeipſum nobis cum donis ſuis, quæ diſtribuit, vt perſona diuina, ſicut vult, 1 Cor. XII, 11. Ad III. Pater cœleſtis in voto apoſtolico nomine Dei deſignatur: Quia eſt fons diuinitatis: Quo ipſo origo & ordo perſonarum diuinarum, non eminentia aut prærogatiua patris infertur, cum perſonarum diuinarum vna eademque ſit eſſentia, vna eademque maieſtas & gloria.

Prob. h. Apoſtolica de ὁμουσίᾳ perſonarum diuinarum aſſertio legitur 1 Io. V, 7. *Tres ſunt, qui teſtificantur in cælo, Pater, verbum & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt.* Scopus S. Ioannis erat in cap. V, 1. epiſtolæ docere: Ieſum Nazarenum, ex Maria virgine natum, eſſe

(*) Neruus probationis vtique hic eſt: Is, qui dicitur ἐνεργῶν τὰ πάντα, eſt vnus Deus (v. 6.): Atqui ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα, & ſuo quidem arbitrio, καθὼς βούλεται, eſt etiam Spiritus S. (v. 11.), atque etiam Chriſtus (Rom. XV, 18.): E. & Chriſtus, & Spiritus S æque, ac Pater, eſt vnus Deus. Quod autem Pater ſingulatim adpellatur Θεὸς, cauſſa hæc ſubeſt: quoniam Filius & Spiritus S. ex Patris natura habent æternam diuinitatem, qua ratione dicitur ille quidem υἱὸς τοῦ Θεοῦ, hic autem πνεῦμα Θεοῦ. E. quoad quidem ſunt perſonæ æquales in vna natura, omnes tres ſunt vnus Deus: Quatenus vero *filius Dei* conſideratur, vt *Filius*, ex Patre *genitus*, & *Spiritus Dei*, vt *Spiritus*, ex Patre Filioque *procedens*, Θεὸς (ὁ πατὴρ) a Filio & Spiritu S. diſcernitur.

(**) Rationes ita colligo: Votum eſt precatio quædam: Id, quod Paullus in votis habet, ſine controuerſia eſt ſalus eccleſiæ, quippe ad quam ſpectat vniuerſa & huius epiſtolæ, & reliquarum, ſententia: Precatio, præſertim in cauſis eiusmodi, quæ ad ſalutem animorum pertinent, eſt pars quædam cultus religioſi: Religio tota ad vnum Deum debet referri: E. hi tres ſunt vnus Deus. Hæc demonſtratio, per ſe quidem ſatis euidens, maxime illuſtratur eo, quod ante dixerat Apoſtolus v. 11: ὁ Θεὸς ἔσται μεθ' ὑμῶν, & quidem ὁ Θεὸς τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης; vtramque vero, ἀγάπην καὶ εἰρήνην, cum Chriſti promeritis, tum Spiritus ſancti fructibus adnumerari, neminem præterit. E. tres illi, quos nunc adpellat ac precatur, vt ſint μετὰ πάντων, ſunt ὁ Θεός.

Digitized by Google

eſſe Chriſtum, ſiue Meſſiam, in V. T. promiſſum, & in N. T. exhibitum v. 1. verum Dei Filium v. 5. & ſaluatorem mundi, qui perfectiſſima obedientia & ſatisfactione pleniſſima victoriam mundi v. 4. & vitam æternam v. 11. nobis peccatoribus acquiſiuit. Doctrinam hanc maximi momenti apoſtolus confirmaturus, adducit tres teſtes cœleſtes, pariter atque tres teſtes terreſtres. De teſtibus cœleſtibus inquit: v. 7. *Tres ſunt, qui teſtificantur in cœlo, Pater, & verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt.* Circa hoc dictum claſſicum obſeruemus: 1) *Teſtium cœleſtium diuinam maieſtatem.* Nam dicuntur tres illi teſtes eſſe in cœleſti diuinaque gloria: Sicut Pater noſter, quem quotidie adoramus, eſt in cœlis, Matth. VI, 9. Sunt igitur tres teſtes cœleſtes, teſtes diuini. 2) *Eſſentiæ diuinæ vnitatem.* Dicit enim Ioannes: *et hi tres vnum ſunt.* Non dicit: Vnum *ſentiunt*, ſed vnum ſunt. Innuit igitur vnitatem eſſentiæ, ſeu ὁμοȣσίαν, cuius conſequens eſt vnitas conſenſus. 3) *Perſonarum diuinarum trinitatem;* nam dicit apoſtolus: Hi tres vnum ſunt. Habetur ergo hic trinitas, non in abſtracto, ſed in concreto. Ex facili enim colligimus: Si tres teſtes diuini ſunt vnum, in vna diuinitate perſonarum datur trinitas. Intelligit quippe apoſtolus teſtes proprie dictos, viuos, intelligentes, per ſe ſubſiſtentes, quales ſunt Pater & Filius; quibus teſtibus perſonalibus cum adiungatur Spiritus S. vt teſtis tertius, non poteſt non vera eſſe perſona. 4) *Cuiusque perſonæ nomen & proprietatem perſonalem.* S. Ioannes primum teſtem appellat *Patrem*, cuius character hypoſtaticus eſt *paternitas*, fundata in æterna generatione filii. Secundum teſtem vocat λόγον, ſeu verbum, propter æternam a patre *generationem*. Sicut enim verbum internum in mente generatur, ſine reali mutatione concipientis: ita etiam Filius Dei a Patre genitus eſt immutabiliter, intra eſſentiam diuinam. Tertium teſtem nuncupat Spiritum S. cuius proprietas perſonalis eſt *ſpiratio paſſiua*, a qua *Spiritus* denominatur. 5) *Ordinem perſonarum diuinarum, fundatum in origine modi habendi eſſentiam diuinam.* Nam primus teſtis eſt Pater, quia eſt a nullo neque genitus, neque procedens. Secundus teſtis ὁ λόγος, ſiue Filius Dei, quia eſt a Patre genitus: tertius teſtis eſt Spiritus ſanctus, quia a Patre & Filio procedit. Quibus præmiſſis concludimus: *Quicunque aſſerit, tres teſtes diuinos eſſe vnum, ille docet in vna eſſentia diuina eſſe tres diſtinctas perſonas. Atqui S. Ioannes aſſerit* &c. Ergo.

Excipiunt *Sociniani:* 1) hunc textum eſſe ſuppoſititium, cum non legatur in verſione Syriaca, neque in verſionibus antiquis latinis, neque in verſione prima germanica Lutheri 2) Non ſequi; quot ſunt teſtes, tot ſunt perſonæ. Nam verſu ſequenti Spiritus, aqua & ſanguis dicuntur tres teſtes, neque tamen tres ſunt perſonæ. 3) Apoſtolum agere de vnitate non eſſentiæ, ſed conſenſus; quia alias ſecuturum ſit, ſpiritum in miniſterio, aquam in baptiſmo, ſanguinem in cœna, conuenire in vna eſſentia; cum & illis vnitas ab apoſtolo tribuatur. Reſp. ad 1): Non eſt hic textus ſuppoſititius. Quamuis enim in quibusdam bibliorum codicibus ab Arianis expunctus aut eraſus ſit; legitur tamen in exemplaribus græcis probatiſſimis, in codice Britannico vetuſtiſſimo, in editione Complutenſi, Baſileenſi, Antwerpiana, in exemplari Vaticano, in bibliis Roberti Stephani, & aliis, longe plurimis. Adductus eſt ab ATHANASIO in diſputatione contra Arium, nec ab hoc reiectus, aut in dubium vocatus: Allegatus eſt a patribus Ante-Nicænis; inuentus eſt in omnibus codicibus græcis tempore Hieronymi, qui translatores latinos infidelitatis accuſauit, quod Patris, Verbique, ac Spiritus S. teſtimonium omiſerint, quo maxime fides catholica roboratur, & Patris & Filii & Spiritus S. vna diuinitatis eſſentia comprobatur. Conf. D. GERHARD. *in diſp. acad. p. 1293. ſqq.* D. CALOV. *in bibl. illuſtrat. in h. l. fol. 1664.* D. SCHERZ. *in colleg. Anti-Socin. p. 162 ſqq.* Neque omitti poteſt ſine hiatu huius capitis V. Ioannæi. Probaturus enim Ioannes, Ieſum Nazarenum eſſe Chriſtum, Filium Dei & Saluatorem mundi, teſtes adducit partim cœleſtes, par-

Digitized by Google

partim terreſtres, eosque per coniunctionem copulatiuam *καὶ* v. 8. connectit. Omiſſis vero tribus cœleſtibus, prætermitterentur primarii, & cohæſio textus turbaretur. Ad 2): Diſtingu. inter teſtem *proprie & figurate ſic dictum.* Cum Ioannes aſſerit, tres eſſe teſtes in cœlo, loquitur de teſtibus proprie ſic dictis; quod patet ex eo, quia vtique Pater eſt perſona teſtans, Filius eſt perſona teſtans, agnoſcentibus ipſis Socinianis. Quid igitur obſtat, quo minus Spiritus S. quoque ſit perſona teſtans? Quod ſi Spiritus S. ſolum eſſet virtus, non tres, ſed duo tantum emergerent teſtes in cœlis. At in ſequenti v. 8. de teſtibus improprie & figurate dictis ſermo eſt; quia totus ille verſiculus de rebus, non de perſonis loquitur. Ad 3): Teſtes terreſtres *εἰς τὸ ἕν εἰσι ſunt in vnum*, i. e. in vnum tendunt ſcopum, vt concors perhibeant teſtimonium Chriſto ſaluatori mundi, pariter atque ad ſalutem, merito Chriſti partam, offerendam, conferendam & obſignandam, diuinitus ordinata ſunt, vt media & ſigilla gratiæ. At vero teſtes cœleſtes *ἕν εἰσι, vnum ſunt*, i. e. vnius ſunt eſſentiæ. Id quod probamus a) quia hi teſtes ſunt diuini: ſunt enim in cœlo, i. e. in cœleſti & diuina gloria; teſtimonium eorum vocatur diuinum v. 9. Verbum (ſubſtantiale) & Spiritus S. cum Deo Patre in teſtando immediate coniunguntur, & cum illo vnum eſſe dicuntur. Ergo ſicut Pater eſt verus Deus: ita & ὁ λόγος eſt verus Deus, & Spiritus S. eſt verus Deus. At cum non ſint tres dii, non tres eſſentiæ diuinæ; neceſſario infertur, tres teſtes diuinos conuenire in vna eſſentia, diſtingui autem diſtinctione perſonali. b) Prouocamus ad locum parallelum, Io. X. 30. Ea vnitas hic vrgetur a S. Ioanne, quæ intimatur ab ipſo Chriſto Io. X, 30. dicente: *Ego & Pater vnum ſumus.* At Pater & Filius in iſto loco ita vnum eſſe dicuntur, vt non tantum conſenſus, ſed eſſentiæ vnitas euidenter concludatur. Ponit enim Chriſtus iſtam vnitatem pro fundamento inſuperabilis ſuæ potentiæ, & impoſſibilis ereptionis ouium ex manu ſua. At niſi concedatur vnitas potentiæ, & conſequenter eſſentiæ, nulla vis probandi in argumento erit. Nam etiam apoſtoli fuerunt vnum quid, vnitate conſenſus cum Patre: Quis autem diceret neminem ex manu illorum rapere potuiſſe oues Chriſti? c) Vti Spiritus S. quem plerique Sociniani virtutem Dei eſſentialem eſſe ſtatuunt, non differt eſſentialiter a Patre: ita nec ὁ λόγος, ſiue Filius Dei, qui cum Patre & Spiritu S. vnum eſt. d) Si a Ioanne tantum vnitas conſenſus indicata fuiſſet, longe plures in cœlo teſtes adducere potuiſſet. Nam angeli, Moſes & Elias conſentientia Chriſto teſtimonia perhibuerunt, vt ex apparitionibus angelicis & transfiguratione Chriſti conſtat. e) Si Verbum & Spiritus S. vnum ſunt cum Patre ratione conſenſus & voluntatis: Vnum quoque cum ipſo ſunt in eſſentia; quia voluntas Dei ab eſſentia diuina non differt realiter. Quam ob rem ſicut noſtro concipiendi modo eſſentiam Dei ſequitur voluntas: ita vnitatem eſſentiæ diuinæ conſequitur vnitas conſenſus.

Quæſt. XVIII. *Quæ ſunt teſtimonia V. T. quibus perſonarum diuinarum Trinitas coniunctim exhibetur?*

Teſtimonia V. T. quibus perſonarum diuinarum Trinitas coniunctim docetur, deſumuntur a creatione mundi (a), eductione Iſraëlitarum ex Aegypto (b), prædicta miſſione & vnctione Meſſiæ (c), benedictione ſacerdotum ſolemni (d), & triſagio angelico (e).

Prob. a. Ex Gen. I, 1. 2. 3. *In principio creauit Elohim cœlum & terram. Terra nimirum facta eſt vaſta & inanis, & tenebræ fuerunt ſuper faciem abyſſi. Tum vero Spiritus Dei mouebat ſe ſuper faciebus aquarum: & dixit Deus: Fiat lux! & facta lux.* Hunc locum eſſe inter præcipuos V. T. qui de myſterio SS. Trinitatis agunt, vel inde apparet, quia procul du-



Digitized by Google

dubio phraſis Pſ. XXXIII, 6. inde deducta eſt: *Verbo Iehouæ cæli facti ſunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Quis vero etiam negauerit, Ioannem c. I, 1. 2. 3. huc reſpexiſſe ſuis hiſce verbis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt,*

Obſ. 1) Deſcripturus Moſes primum Dei opus inquit: Creauit אלהים, quod nomen plurale non tantum terminatione, ſed & ſignificatione, cum verbo ſingulari ברא conſtructum, plurium commune opus, ſeu actionem ſignificat, q. d. *creauit, qui Deus ſunt.* Vid. annotat. D. SEB. SCHMID. in *Gen. p. 2.* 2) Deus creaturus lumen *dixit: fiat lux.* Deus dicens, eſt Deus *Pater*, vi contradiſtinctionis *Verbi*, per quod dixit, & *Spiritus* S. in quo ſe cum Verbo, per quod dicturus erat, ſuper aquis mouit. 3) Dixit Deus Pater præcipiendo, iuxta Pſ. XXXIII, 9. *Ille dixit, & factum eſt: Ipſe præcepit, & adſtitit.* Notat igitur *dicere Dei* verbum mandati, vt tamen 4) verbum ὑποςατικὸν, ſiue *ſubſtantiale, connotet, aut prænotet.* Id quod probamus a) ex infallibili interpretatione Ioannis c. I, 1. 2. 3. Ex quo loco ita concludimus: Illud verbum erat in principio creationis apud Deum Patrem, per quod omnia facta ſunt. Atqui Verbum per ſe ſubſiſtens, quod verus Deus eſt, erat in principio creationis apud Deum patrem. Ergo verbum, per ſe ſubſiſtens, eſt illud verbum, per quod omnia facta ſunt. b) E teſtimonio Salomonis, qui ſapientiæ Dei (hypoſtaticæ, æterno Dei filio, ſapientiæ omnis auctori atque ſcaturigini) eadem tribuit, quæ hic Moſes verbo Dei, Prou. VIII, 22. ſqq. c) Ex ipſius rei conſideratione. Sicut enim in homine verbum externum oris ſupponit verbum internum mentis, internamque ſapientiam: ita verbum mandati diuini non fit ſine verbo hypoſtatico, non ſine ſapientia ſubſtantiali, æterno Dei Filio, cum Pater non operetur abſque Filio, Io. V, 17. d) Quando Moſes verſu 2. inquit: Tum vero Spirirus Dei mouebat ſe ſuper faciebus aquarum, per Spiritum Dei indigitatur tertia diuinitatis perſona, quam rex Dauid vocat Spiritum oris diuini, Pſ. XXXIII, 6. Per motum Spiritus Dei intelligimus ipſius motum eminentiſſimum ad creandum lucem, cum verſu 2. hemiſtichium poſterius in codice Hebræo arctiſſime cum inſequenti verſu 3. cohæreat, vt hic emergat ſenſus: *Et in hoc Spiritu ſuo, ſe ſuper aquis mouente, dixit Deus Pater per verbum ſuum internum, Filium, dictum hoc πϱοφοϱικὸν: Fiat lux.* Conf. annotat. D. SCHMID. in *Gen. p. 4.* Quibus præmiſſis argumentamur: *Quodcunque opus commune eſt plurium perſonarum diuinarum, & perficitur a Deo dicente per Verbum ſuum internum, in Spiritu oris ſui, ex illo opere innoteſcit perſonarum diuinarum trinitas. Atqui opus creationis eſt commune pluribus perſonis diuinis, & perficitur* &c. Ergo.

Excipiunt *Sociniani:* 1) Verbum Dei in opere creationis notare mandatum diuinum. 2) Spiritum Dei, qui ſe mouit ſuper faciebus aquarum, deſignare aërem, aut ventum. 3) Nec verbum, nec Spiritum Dei, eſſe perſonas. Reſp. ad I. Non cogitandum hic eſt verbum mandati diuini, ſine verbo hypoſtatico; quippe ſine quo nihil factum eſt. Io. I, 3. Ad II. Nec aër, nec ventus, primo creationis die erat; neque Deus ad creationem lucis adhibuit ventum, aut vllam adſciuit creaturam. Et cur ventus Dei potius dicitur, quam cœlum Dei, terra Dei &c. Ad III. Cum creatio, actio nobiliſſima, adſcribatur verbo & ſpiritui Dei, perſonalitas ipſis denegari nequit; ſunt enim actiones ſuppoſitorum.

Prob. b. De perſonarum diuinarum trinitate teſtatur *eductio Iſraëlitarum ex Ægypto.* Eduxit Deus Pater Iſraëlitas ex Ægypto per angelum ὁδηγὸν, ſiue ductorem, Exod. XIV, 19. quem veteres Rabbini appellauerunt מטטרון Metatron, metatorem aut ducem viæ. Ille non eſt angelus creatus, ſed increatus, nempe Filius Dei. Dicitur enim 1) diſerte יהוה, quod eſt nomen Dei proprium, & creaturis incommunicabile. Ex. XIV, 24. 2) Vocatur *angelus faciei,*

*qui*

Digitized by Google

*qui ſaluat populum.* Eſ. LXIII, 9. 3) De hoc angelo dicit Deus: *nomen meum eſt in illo*, quo gloria, maieſtas, eſſentia ſeu natura diuina denotatur. 4) Tribuitur huic angelo poteſtas iudiciaria animaduertendi in inobedientes. *Caueto tibi a faciebus eius, & audi vocem eius; nec exacerba eum: quia non ſuſtinebit præuaricationem veſtram.* Exod. XXIII, 21. 5) Aſſignantur ipſi opera diuina, quæ ſunt cuſtodia ſingularis in via, præceſſio, nec non introductio Iſraëlitarum in terram Canaan, Exod. XXIII, 20. 23. 6) Exhibenda eſt huic angelo religioſa, ſolique Deo debita veneratio. *Audi vocem eius*, inquit Iehouah, Exod. XXIII, 21. qualis honor nuſpiam angelo vlli creato delatus legitur. Quam ob rem per angelum ductorem populi Iſraëlitici intelligimus Filium Dei, qui duxit Iſraëlitas, & ab iis tentatus fuit. 1 Cor. X, 9. His accedit, quod Deus pater duxerit populum ſuum ex Ægypto per *Spiritum S.* Nam dicuntur Iſraëlitæ in deſerto *rebellaſſe & exacerbaſſe Spiritum ſanctitatis Iehouah.* Eſ. LXIII, 10. Ex his naſcitur argumentum: *Qui Iſraëlitas eduxit ex Ægypto, ille eſt verus, æternus & ſummus Deus. Atqui Deus Pater, Filius, & Spiritus S. &c.* Ergo.

Prob. c. Trinitatem perſonarum diuinarum colligimus *ex miſſione & vnctione Meſſiæ*, de qua notari in primis merentur verba illa, perenni memoria digna, Eſ. XLIIX, 16. *Nunc Dominus miſit me, & Spiritus eius.* Qui hic loquitur, non eſt propheta Ieſaias, vt volunt *Iudæi & Photiniani*, ſed Meſſias: ſiquidem Chriſtus ipſe verba proxime præcedentia: *ab initio non in occulto locutus ſum*, ſua fecit. Io. XVIII, 20. Qui hic loquitur, vocatur *primus & nouiſſimus* v. 12. *fundator terræ* v. 13. *redemtor* v. 17. Exprimitur itaque in hoc oraculo prophetico Dominus miſſus, Chriſtus redemtor; Dominus mittens, Deus Pater, cui in ſacris litteris paſſim locorum miſſio Filii tribuitur; & Spiritus Domini, qui Chriſtum ſecundum carnem vnxit & miſit, Eſ. LXI, 1. *Spiritus Adonai Iehouah* (eſt) *ſuper me: vnxit Iehouah me, ad euangelizandum pauperibus miſit me.* Conf. Luc. IV, 18. Ex vero igitur arguimus: *Vbicunque introducuntur Deus miſſus, Deus mittens, & Spiritus eius, ibi exprimuntur tres diuinitatis perſonæ. Atqui in oraculo prophetico Ieſaiæ &c.* Ergo.

Prob. d. Illuceſcit myſterium Trinitatis ex *benedictione ſacerdotali.* Num. VI, 24. *Benedicet tibi Iehouah, & cuſtodiet te: illuminabit Iehouah facies ſuas ſuper te & miſerebitur tui: tollet Iehouah facies ſuas ſuper te, & ponet tibi pacem.* Colligitur ex hac ſolemni benedictione diuinarum perſonarum Trinitas: (1) Quia nomen Iehouah non bis, non quater aut pluries, ſed *ter* in hac benedictione recitandum fuit. Quæ trina nominis Iehouah repetitio, quum myſterio non careat, neque ſolida eiusdem ratio, ſi a myſterio S. S. Trinitatis abeas, e ſcriptura adduci queat, dubitandum non eſt, perſonarum diuinarum Trinitatem hic deſignatam fuiſſe: ſiquidem nullus apex in eiusmodi ſuccincta & neruoſa benedictione ſuperuacaneus ſit. (2) Quia bis tria beneficia exoptantur & populo Dei vouentur. Inuocatur (a) Deus *Pater*, vt fons benedictionis, & auctor cuſtodiæ animæ corporisque. Cuſtodia illa notat conſeruationem & protectionem diuinam; quæ beneficia ad primum fidei apoſtolicæ articulum pertinent. (b) Inuocatur *filius Dei*, vt lux gentium, Eſ. XLII, 6. & thronus gratiæ. Rom. III, 25. (c) Inuocatur Spiritus S. atollens ſuper nos faciem ſuam, per verbum & ſacramenta nos vocans, illuminans, conuertens, regenerans, iuſtificans, renouans & interna pace conſcientiæ nos donans. Eſt enim *Spiritus S. paracletus*, Io. XIV, 16. conſcientiam tranquillans. Cui benedictioni ſacerdotali annectimus benedictionem regiam Dauidis, Pſalm. LXVII, 7. *Benedicat nobis Deus: Deus noſter; benedicat nobis Deus, vt timeant ipſum omnes fines terræ.* Vox Deus ter repetitur non fruſtra, ſed ad notificandum Deum eſſentia vnum, perſonis trinum. Colligimus: *Quemcunque in ſolemni benedictione antiſtites eccleſiæ inuocant, vt auctorem omnium corporalium & ſpiritualium beneficiorum, quæ cœtui ſacro ap-*



Digitized by Google

*precantur, ille eſt vnus & verus Deus. Atqui Deum in perſonis trinum antiſtites eccleſiæ inuocant, &c.* Ergo.

Prob. e. Trinitatem perſonarum diuinarum nos docet *triſagium angelicum*, ſiue δοξολογία Seraphica, quæ legitur Eſ. VI, 3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus Iehouah Zebaoth: plenitudo omnis terræ* (eſt) *gloria eius.* Quem concelebrarunt Seraphim, non eſt vna perſona, ſed plures. Concinentibus enim Seraphim mox audiuit propheta vocem Adonai dicentis: *Quem mittam, & quis iturus eſt nobis?* Cui dixit propheta: *Ecce me! mitte me.* Loquitur Deus de ſeipſo *pluraliter*, ad docendam pluralitatem perſonarum diuinarum. Quod plures illæ perſonæ determinate tres ſint, colligimus ex eo, quod chorus Seraphicus ter τὸ *ſanctus* repetit; cuius trinæ repetitionis idonea cauſſa nulla alia dari poteſt, quam determinata plurium perſonarum diuinarum trinitas. Cui noſtræ aſſertioni haud parum roboris accedit ex infallibili expoſitione N. T. ſiquidem præſens locus propheticus in nouo teſtamento de diſtinctis diuinitatis perſonis exponitur. *Vidit enim Ieſaias gloriam filii Dei, & de ipſo locutus eſt*, teſte S. Ioanne, cap. XII, 41. *Spiritus S. ibi locutus eſt per Ieſaiam prophetam ad patres*, teſte Paullo, Act. XXIIX, 25. Quibus præſuppoſitis argumentamur: *In quocunque ſcripturæ loco Deus ipſe pluralitatem perſonarum diuinarum reuelauit, eodem loco, cum Deus ter ſanctus a choro angelico nuncupatur, perſonarum diuinarum Trinitas indigitatur hoc certius, quo clarius ille locus alibi in ſacris litteris de diſtinctis diuinitatis perſonis exponitur. Atqui in præſenti loco vel capite Ieſaiæ Deus ipſe pluralitatem perſonarum diuinarum reuelauit, eodemque loco Deus ter ſanctus a choro angelico nuncupatur. Ergo in hoc loco, vel capite Ieſaiæ, perſonarum diuinarum Trinitas indigitatur hoc certius, quo clarius hic locus alibi in ſacris litteris de diſtinctis diuinitatis perſonis exponitur.*

Excipiunt *Iudæi* & *Sociniani*: 1) Deum deliberaſſe cum angelis de mittendo nuntio, cum dixit v. 8. *Quis ibit nobis?* 2) Sæpe ter appellari rem aliquam, etſi reuera vna tantum ſit, non trina. Sic clamant hypocritæ: *Hic eſt templum domini, hic eſt templum domini, hic eſt templum domini.* Ier. VII, 4. Confer. Ier. XXII, 29. Ezech. XXI, 27. 3) Trinam repetitionem τοῦ *ſanctus* vel ad perfectionem ſanctitatis diuinæ demonſtrandam, vel ob aſſeuerationis conſtantiam fieri. Reſp. ad I. Deus omniſapiens cum angelis nunquam deliberat. *Quis Deo eſt a conſiliis?* Eſ. XL, 13. Ad II. Nos non ex nuda repetitione trina τοῦ *ſanctus* argumentamur, ſed obſeruamus, Deum ipſummet cap. VI, 8. Ieſaiæ pluralitatem perſonarum diuinarum reuelaſſe, adeoque cum Seraphim clamando ter repetunt: *ſanctus, ſanctus, ſanctus Iehouah Zebaoth*, determinatam plurium perſonarum diuinarum Trinitatem indigitari aſſerimus. Aſſertionis noſtræ præuios duces, aut irrefragabiles teſtes citauimus, Ioannem, cap. XII, 41. & Paullum, Act. XXVIII, 25. Ad III. Trina repetitio perfectionis index eſt, eo quod ens perfectiſſimum trinum eſt. Primum enim in vnoquoque genere eſt menſura reliquorum. Ceterum nil cauſſæ erat, cur Seraphim conſtanti aſſeueratione ſanctitatem Dei confirmatum irent, cum de ea nullum ſit dubium. Conſtans aſſeueratio motis dubiis opponi conſueuit.

Quæſt. XIX. *Quibus argumentis diſtincte diuinitas Patris, Filii & Spiritus S. probatur?*

Argumenta, quibus diſtincte diuinitas Patris, Filii & Spiritus S. ſolide confirmatur, petuntur a diuinis nominibus, attributis, actionibus, & cultu religioſo ſoli Deo debito.

Obſ. Argumentum generale idque inuictum eſt: *Si eadem nomina, attributa, opera, & gloria vere diuina, quæ Deo Patri, quatenus abſolute vt verus Deus conſideratur, competunt, in ſacris litteris Filio Dei & Spiritui S attribuuntur, neceſſe eſt, Filium Dei & Spiritum ſanctum cum Deo Patre vnum, verum & ſummum Deum eſſe, ſiue vt eccleſia loquitur, in vna eſſentia*

Digitized by Google

*eſſentia diuina tres eſſe diſtinctas perſonas, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.* Antecedens eſt verum. Ergo & conſequens. Vt *antecedentis* veritatem valide muniamus, de tribus diuinitatis perſonis diſtincte in præſenti nobis agendum eſt. (*).

# DE DEO PATRE.

Quæſt. XX. *Quis eſt Deus Pater?*

*Deus Pater* eſt prima diuinitatis perſona, nec genita, nec procedens, ſed ab æterno gignens Filium ſubſtantialem, ſui imaginem, & cum Filio ab æterno ſpirans Spiritum ſanctum. *Deſcriptio Dei Patris.*

*Vberius deſcribitur.*

*Deus Pater* eſt prima diuinitatis perſona, nec genita, nec procedens, ſed ab æterno gignens Filium ſubſtantialem, ſui imaginem, & cum Filio ab æterno ſpirans Spiritum S., creans, conſeruans & gubernans omnia, mittens Filium redemtorem & Spiritum S. ſanctificatorem generis humani.

Obſ. *Priori deſcriptione* ſuccincta & neruoſa Deus Pater deſcribitur 1) *ab ordine*, quod ſit prima diuinitatis perſona; 2) *a notione perſonali*, quod Deus Pater ſit ἀγέννητος, inoriginatus, nec genitus, nec procedens ab alio. 3) *Ab actibus perſonalibus*, æterna generatione Filii, & æterna ſpiratione Spiritus S. In generatione actiua Filii fundatur paternitas, proprietas Patris perſonalis. Per ſpirationem actiuam Pater & Filius, licet non inter ſe, a Spiritu S. tamen diſtinguuntur. *Poſterior definitio* vberior notioni & proprietati Dei Patris perſonali annectit ipſius *opera* ad extra, & *beneficia* relatiue ad *eccleſiam*. Vid. D. CHEMNIT. *loc. theol. fol. m. 44.*

Quæſt. XXI. *Quomodo nomen Patris hic accipitur?*

Nomen *Patris* hic non accipitur ὀυσιωδῶς, ſeu eſſentialiter, ſed ὑποςατικῶς ſeu *perſonaliter*.

Prob. Nomen Patris, *eſſentialiter* ſumtum, non ſoli primæ perſonæ diuinitatis, ſed omnibus perſonis diuinis ex æquo conuenit; ſiquidem hoc ſenſu acceptum, reſpectum infert ad creaturas, quarum Deus Pater dicitur *tum ob creationem*; quomodo angeli audiunt Filii Dei, Iob. XXXVIII, 7.; tum ob *regenerationem* & *adoptionem;* quomodo homines conuerſi & renati ex merito Chriſti, fide apprehenſo, hanc ἐξουσίαν, poteſtatem, vel dignitatem nacti ſunt, vt fiant filii Dei, Io. I, 12. At *perſonaliter* acceptum nomen Patris proprium eſt

 primæ

(*) Quum 1) omnes aduerſarii contra *maiorem* propoſitionem varias proferant exceptiones, 2) non nulli eorum Chriſto diuinitatem *veram* quidem adſerant, *ſummam* autem denegent (quamvis id ſibi repugnet); idcirco, vt omnes eorum vias præcludamus, pondus ſane maximum noſtræ argumentationis hoc modo erit perficiendum: Cuius ſunt 1) *Nomina* diuina, & quidem ſummi Dei *propria*, ipſiusque *naturæ diuinæ* indicia, 2) *Attributa* ad vnum *omnia*, tum *proprietates*, tum *perfectiones* (p. 234. **), et, quantum ad has, etiam *reſeruata*, nullo demto (p. 281. *), 3) *Opera* Dei, et *omni modo*, videlicet *eo* quoque, que Deus *ipſe*, nullo adhibito miniſtro, atque adeo *ſolus ipſe*, efficere poteſt, immo etiam *eo modo*, qui Deum *vnice* decet, 4) *cultus*, Deo *vni* conueniens, quippe *religioſus*, eiusque *partes vniuerſæ;* is profecto eſt *verus Deus*, idemque *ſummus*. Ita vero determinata propoſitio *maior* valet ſine vlla exceptione, ac probatio tota pertinet ad *minorem*, in lucem ponendam; de qua deinceps videbimus.

Digitized by Google

primæ perſonæ diuinæ, & infert reſpectum ad Filium conſubſtantialem, quem ex eſſentia ſua genuit imaginem ſui, cuius ἴδιος πατὴρ, *proprius Pater*, perhibetur. Io. V, 18.

Quæſt. XXII. *Quare Deus Pater dicitur prima diuinitatis perſona?*

Deus Pater dicitur *prima* perſona deitatis non ratione eſſentiæ diuinæ, neque reſpectu temporis, neque ob dignitatis prærogatiuam; ſed ratione originis & ordinis.

Prob. Deus Pater nuncupatur *prima perſona diuinitatis non ratione eſſentiæ naturæ;* quia eandem eſſentiam habet Filius & Spiritus S. quam habet Pater: *neque ratione temporis;* quoniam tres perſonæ diuinæ ſunt coæternæ: *neque ratione dignitatis*; quia in Trinitate nihil maius aut minus eſt, docente Athanaſio in ſymbolo ſuo; *ſed ratione originis & ordinis.* Ratione *originis* Deus Pater eſt prima perſona diuina; quia eſt inoriginatus, nec genitus, nec procedens ab alio. Filius & Spiritus S. a Deo Patre oriuntur, & Filius quidem vt ſecunda perſona a Patre ſolum, Spiritus S. vero vt tertia perſona a Patre ſimul & a Filio. Ex quo Deus Pater ab Athanaſio contra *Sabell.* appellatur ῥίζα καὶ πηγὴ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος, radix & fons Filii & Spiritus, citante DANHAV. in *hodoſ. phæn. III. p. 230.* Eſt etiam Deus Pater *prima* diuinitatis perſona ratione *ordinis*, ſeu naturalis enumerationis, fundatæ in origine, ſeu emanatione vnius perſonæ ab alia, & obſeruatæ in ſolemni formula baptiſmi, Matth. XXVIII, 19. atque repetitæ a Ioanne, 1 epiſt. c. V, 7.

Quæſt. XXIII. *Quibus argumentis probatur diuinitas Dei Patris?*

Diuinitatem æterni Patris demonſtrant (1) Nomina diuina: (2) Attributa ſoli vero Deo propria: (3) Opera vere & mere diuina, cum ad intra, tum ad extra: (4) Cultus religioſus ſoli Deo competens.

Obſ. Poteſt demonſtratio diuinitatis Patris cœleſtis ex innumeris S. ſcripturæ dictis fuſiſſime deduci: At cum de eadem nemo, qui ſacras litteras vt infallibiles recipit, dubitet, prolixiori demonſtratione ſuperſedebimus, & vnum tantum dictum apoſtolicum, complectens quatuor iam memoratas argumentorum claſſes, adducemus ex 1 Petr. I, 3. *Benedictus Deus & Pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui iuxta multam ſuam miſericordiam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.* Exhibet nobis hoc oraculum apoſtolicum (1) argumentum ὀνομαστικὸν, petitum a nominibus diuinis. Nam Deus Pater ab apoſtolo Petro diſerte dicitur Deus, dicitur Pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui non niſi ſummus Deus eſſe poteſt. (2) Continet hoc effatum apoſtolicum argumentum ἰδιωματικὸν, ſumtum ab attributo diuino. Attribuitur Deo Patri *multa miſericordia*, quæ eſt proprietas veri Dei. (3) Complectitur argumentum ἐνεργητικὸν, depromtum ab actione diuina. Deus enim Pater dicitur nos *regenerare.* Regeneratio eſt actio diuina. (4) Comprehendit hoc dictum claſſicum argumentum λατρευτικὸν, ſumtum a cultu religioſo. Dicit enim apoſtolus: *Benedictus ſit Deus Pater!* Colitur & celebratur Deus Pater ab apoſtolo, vt fons & ſcaturigo omnis benedictionis, regenerationis & æternæ hæreditatis. Ergo Deus Pater eſt verus & ſummus Deus. Sed hic probandi ambitus ſuperuacaneus forte videri queat. Nam ſi Deus Pater non eſt Deus, nullus erit Deus in mundo, cum ſit fons diuinitatis.

Quæſt. XXIV. *Vnde diſtincta Dei Patris perſonalitas innoteſcit?*

Deum patrem *diſtinctam* a Filio Dei & Spiritu S. *perſonam* eſſe, conſtat ex denominatione atque proprietate perſonali (a); ex actibus ad intra perſonalibus, eorumque manifeſtatione (b); ex actione ad extra, Deo Patri appropriata (c).

Prob. a.

Prob. a. Deus Pater nominatur *proprius Filii Pater* Io. V, 18. adeoque ob proprie dictam paternitatem in vera & eſſentiali generatione fundatam. Sed Pater, de ſubſtantia ſua generans Filium, ab hoc diſtincta perſona eſt.

Prob. b. Sicut Deus Pater per actiuam generationem a Filio: ita per ſpirationem actiuam a Spiritu S. perſonaliter diſtinguitur. Quæ diſtinctio perſonalis ex miſſione Filii ad opus redemtionis, & miſſione Spiritus S. ad opus ſanctificationis, etiam pateſcit. Mittens enim & miſſus differunt vt diſtinctæ perſonæ.

Prob. c. Cum Deus Pater hoc vniuerſum per Filium ſuum, tanquam ſapientiam ſubſtantialem, Prou. VIII, 30. & verbum hypoſtaticum, Io. I, 3. in Spiritu oris ſui, Pſ. XXXIII, 6. condiderit, eundem eſſe perſonam veram, eamque diſtinctam a Filio & Spiritu S., colligitur.

Quæſt. XXV. *Quæ eſt proprietas Dei Patris perſonalis?*

Character hypoſtaticus, ſiue *proprietas perſonalis* Dei *Patris* eſt paternitas, fundata in generatione actiua Filii vnigeniti.

Prob. *Paternitate* Deus Pater non tantum a reliquis perſonis diuinis diſtinguitur, ſed etiam in *eſſe Patris* conſtituitur. Ergo paternitas eſt character hypoſtaticus Patris.

Obſ. Cum paternitatis fundamentum proximum ſit *generatio actiua* Filii, propter quam Deus Pater proprie Pater dicitur, a nonnullis theologis *character hypoſtaticus Patris perhibetur eſſe generatio activa*, vel maxime ideo, quod hæc a paternitate reapſe non differt. Con. DANNHAV. *hodoſ. phæn. III. p. 186.*

Quæſt. XXVI. *Quæ ſunt notiones perſonales Dei Patris?*

*Notiones perſonales* Dei Patris ſunt ἀγεννησία (a), & ſpiratio actiua Spiritus S. (b).

Prob. a. *Notio perſonalis*, ſtricte dicta, quatenus characteri hypoſtatico contradiſtinguitur, notificat perſonam, eamque ab alia perſona diſtinguit, ſed non in *eſſe* talis perſonæ conſtituit. Atqui ἀγεννησία non formaliter conſtituit Patrem in *eſſe Patris;* quippe qui Pater dicitur propter æternam generationem Filii, quem ceu correlatum ſuum reſpicit. Ἀγεννησία autem per ſe non infert eiusmodi relationem, adeoque non eſt *proprietas χαρακτηριστική*, ſed tantum *notio γνωριστική, mere notificans.* Cum enim ἀγεννησία, vt plerumque fieri aſſolet, ſic exponitur, vt denotet negationem omnis originis, Deus Pater vocatur ἀγέννητος, i. e. inoriginatus, eo quod neque per generationem, neque per ſpirationem, originem ab alio habet. Spiritus S. autem quandoque denominatur ἀγέννητος, quia non per generationem, ſed per ſpirationem, originem a Patre & Filio ducit. Probe eodem ſenſu dicitur Deus Pater eſſe *a ſeipſo*, quia eſt a nullo alio; item αὐτόθεος, non quod ſolus Pater ſit a *ſeipſo*, vel αὐτουσίαν, i. e. eſſentiam independentem & increatam ſolus obtineat; ſed quod ſolus ſit a *ſeipſo Deus*, ac αὐτουσίαν eſſentiam independentem, per quam *Iehouah* eſt, non habeat ab alio, vt Filius & Spiritus S. Conf. D. CALOV. in *ſyſtem. theol. tom. III. p. 192.*

Prob. b. Spiratio actiua Spiritus S. pro diuerſo conſiderandi modo, *actus, & notio perſonalis* vocatur. *Actus perſonalis* dicitur, quia per eam Spiritus S. producitur. *Notio perſonalis* appellatur, quoniam per eandem Deus Pater, vt diſtincta a Spiritu S. perſona cognoſcitur. Neque tamen proprietas Dei Patris perſonalis eſt; cum communis ſit Patri & Flio; neque Deus Pater ob ſpirationem Spiritus S. ſed ob generationem Filii Pater ſit.

Quæſt. XXVII. *Qui ſunt actus perſonales Dei Patris?*

*Actus perſonalis* Dei *Patris* ſunt generatio Filii, & ſpiratio Spiritus S. actiua.

Quæſt. XXVIII. *Quid eſt generatio Dei Patris actiua?*

*Generatio* Dei Patris *actiua* eſt actus diuinus ad intra perſonalis, quo Deus Pater vnius eiusdemque numero eſſentiæ communicatione Filium, imaginem

ſui,

Digitized by Google

ſui, ab æterno vere proprieque, modo tamen hyperphyſico ac imperueſtigabili gignit.

Obſ. Hyperphyſica hæc generatio probabitur infra, vbi generatio τȣ̃ λόγȣ paſſiua conſideranda veniet.

Quæſt. XXIX. *Quid eſt ſpiratio actiua?*

*Spiratio actiua* eſt actus diuinus ad intra perſonalis, quo Deus Pater æternus cum Filio æterno, vnius eiusdemque numero eſſentiæ communicatione, Spiritum ſanctum, commune vtriusque ſpiraculum, vno actu indiuiſibili & æterno, modo hyperphyſico & ineffabili, producit.

Quæſt. XXX. *Quodnam eſt generationis & ſpirationis actiuæ conſequens, quo illa manifeſtatur?*

Actiuam generationem & ſpirationem conſequitur *miſſio actiua*, qua Deus Pater Filium redemtorem, (a) & vna cum Filio Spiritum S. ſanctificatorem generis humani in tempore miſit (b).

Prob. a. Io. III, 17. *Miſit Deus Filium ſuum in mundum, non, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Quibus verbis *ſcopus miſſionis Filii Dei* deſignatur (1) *remotiue;* non vt iudicet, i. e. condemnet mundum: (2) *poſitiue*, vt mundus per ipſum ſaluetur, hoc eſt, per media diuinitus ordinata a tenebris ad lucem, a peccato ad iuſtitiam, a morte ad vitam prouehatur.

Prob. b. Io. XV, 26. *Quando venerit paracletus, quem ego miſſurus ſum vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtabitur de me.* Spiritum S. mittunt Deus Pater & Flius. *Pater;* quia ab illo procedit. Miſſio temporalis eſt nota & argumentum a poſteriori proceſſionis æternæ. *Mittit Pater Spiritum S. in nomine Chriſti* i. e. ob meritum & interceſſionem ſaluatoris, Io. XIV, 26. *Filius Dei* mittit Spiritum S. a Patre; quoniam vt eſſentiam, ita potentiam a Patre habet, vt Spiritum S. mittat.

Obſ. Miſſio hæc actiua non eſt *localis aut ſeparatiua*, cum ſeparatio localis intimæ perſonarum diuinæ identitati & infinitæ præſentiæ repugnet; *ſed illocalis & manifeſtatiua: neque eſt illatiua inæqualitatis, quia fit per voluntarium conſenſum, non per imperium.*

Quæſt. XXXI. *Quænam actio diuina ad extra Deo Patri peculiariter vindicatur?*

In ſacris litteris, & ſymbolo apoſtolico, Deo Patri, vt primæ diuinitatis perſonæ, creatio, quæ eſt prima operatio diuina ad extra, per ſingularem quandam appropriationem adſcribitur.

Prob. *Hoc vniuerſum Deus Pater dicendo per Verbum ſubſtantiale in Spiritu oris ſui creauit*, Gen. I, 1. 2. Pſ. XXXIII, 6. Io. I, 3. Vindicatur itaque opus creationis Deo Patri non *excluſiue*, quaſi Filius Dei & Spiritus S. a prima iſta actione penitus fuerint excluſi: neque ἐξοχικῶς, *modo excellentiori*, vt Deus Pater *cauſſa principalis*, Filius autem *inſtrumentum* ſit creationis; quia repugnat vnitas eſſentiæ, quæ principium eſt operationum ad extra: ſed *appropriatiue* & *relatiue* Deus Pater per Filium in Spiritu Sancto creaſſe dicitur, ad deſignandum perſonarum diuinarum ordinem, ſalua actionis & virtutis agendi vnitate. Idem formetur iudicium de conſeruatione, quæ eſt continua creatio, & gubernatio huius vniuerſi.

DE

Digitized by Google

# DE DEO FILIO.

Quæſt. XXXII. *Quis eſt Filius Dei?*

*Filius Dei* eſt ſecunda diuinitatis perſona, ex eſſentia Patris ab æterno genita, quæ cum Deo Patre ab æterno ſpirat Spiritum ſanctum. *Deſcriptio filii Dei.*

*Vberius deſcribitur.*

*Filius Dei* eſt ſecunda diuinitatis perſona, ab æterno a Patre genita, eiusdem cum Patre eſſentiæ & maieſtatis; quæ cum Patre ab æterno ſpirat Spiritum S. & in plenitudine temporis humanam naturam in propriam hypoſtaſin aſſumſit, vt humanum genus redimeret & ſaluaret.

Obſ. *Priori deſcriptione* breui quidem, ſed neruoſa, deſcribitur Filius Dei (1) *ab ordine*, quod ſit ſecunda perſona diuinitatis; quia non eſt a ſeipſo, ſed a Patre. (2) *Ab origine*, quam ducit a patre per æternam generationem, in qua, paſſiue ſeu terminatiue ſpectata, fundatur filiatio, character hypoſtaticus *Filii Dei*. (3) *A notione perſonali*, nempe actiua ſpiratione Spiritus S. vt diſtinguatur *Filius Dei* non a Patre ſolum, ſed etiam a Spiritu ſancto; quippe quem ipſe cum Patre ſpirat. *Poſterior deſcriptio*, aliquanto prolixior, priori addit (a) *incarnationem Filii Dei*, qua ſe externe manifeſtauit. *Deus manifeſtatus eſt in carne*, inquit Paullus 1 Tim. III, 16. Cuius mentio hic fit, ideo quod humana natura iam ad integritatem perſonæ *Filii Dei* ſpectat, poſtquam is eandem in ſuæ perſonæ vnitatem aſſumſit. (b) *Operationem externam*, quæ *Filio Dei* appropriatur, eſtque *redemtio* generis humani, cuius finis eſt æterna hominum ſalus.

Quæſt. XXXIII. *Quomodo nomen Filii Dei hic accipitur?*

Nomen *Filii Dei* hic non ſumitur improprie, ſed proprie, vt deſignet filium de ſubſtantia patris genitum.

Prob. Improprie Filii Dei dicuntur (1) *angeli, ob ſimilitudinem* quandam ſapientiæ & ſanctitatis diuinæ, quæ in iisdem relucet, Iob. XXXVIII, 7. Ex quo ipſos, vt filios, Deus ſingulari amore complectitur. (2) *Magiſtratus, ob analogiam* aut conuenientiam quandam cum Deo, ratione officii, Pſ. LXXXII, 6. (3) *Fideles, ob ſpiritualem regenerationem*, Io. I, 13. & adoptionem ad hæreditatem vitæ æternæ, Rom. VIII, 16. Gal. IV, 5. (4) *Beati, ob glorioſam adoptionis fruitionem*, Luc. XX, 36. At *ſecunda SS. Trinitatis perſona* vocatur *Filius Dei* ob veram, propriamque, ac eſſentialem generationem, qua ipſa eſſentia, quæ eſt Patris generantis, Filio genito perfecte eſt communicata, vt ſit Filius Deo Patri conſubſtantialis. Exinde Filius *Dei proprius* Rom. VIII. 32. & *vnigenitus*, Io. I, 14. *exiſtens in ſinu Patris*, Io. I, 18. *imago Dei inuiſibilis & primogenitus omnis creaturæ*, Col. I, 15. *ſplendor gloriæ & character perſonæ patris*, Hebr. I, 3. appellatur.

Quæſt. XXXIV. *Quibus argumentis vera & æterna diuinitas Filii Dei probatur?*

Vera & æterna diuinitas Filii Dei firmatur argumentis ὀνομαςικοῖς, depromtis a nominibus diuinis (a); ἰδιωματικοῖς, hauſtis ex attributis ſoli vero Deo propriis (b); ἐνεργητικοῖς, ſumtis ab actibus Dei perſonalibus & eſſentialibus (c); λατρευτικοῖς, petitis



Digitized by Google

titis a cultu religioſo ſoli Deo debito (d). Quibus adde accuratam V. & N. T. collationem (e).

Prob. a. Plurima ſunt S. ſcripturæ loca, in quibus Filius Dei nominibus diuinis, tam eſſentialibus, quam perſonalibus inſignitur, e quibus nos pauca, eaque clariora, ſeligemus. Oſtenditur itaque diuinitas Filii Dei

I. E nominibus diuinis *eſſentialibus.*

In V. T. Chriſtus, germen Dauidis, appellatur *Iehouah*, *iuſtitia noſtra*, Ierem. XXIII, 6. Vocatur Iehouah, quem vnxit Iehouah, ſuper quo eſt Spiritus Domini, Eſ. LXI, 1. 8. Dicitur *Adonai*, ſedens ſuper throno alto & elato, a Seraphim *religioſe honoratus*, Eſ. VI, 1. 2. 3. coll. cum Io. XII, 41. Nulla creatura dicitur *Iehouah* & *Adonai.* In N. T. *Filius Dei* (1) *abſolute, ſine vlla conditione limitante, aut alienante appellatur Deus. Deus erat verbum*, inquit Io. cap. I, 1. Quem Thomas, ſinceram editurus confeſſionem, magna cum fiducia compellat: *Domine mi, & Deus mi*, Io. XX, 28. Quæ verba non ad Deum Patrem, ſed ad Dominum Ieſum directa fuerunt. Nam Thomas *reſpondit & dixit ipſi* (Ieſu, qui oſtenſis cicatricibus manuum & lateris dixerat: non eſto incredulus, ſed credulus): *Domine mi, & Deus mi.* Neque ſunt hæc verba tantum exclamantis, aut admirantis, ſed confitentis Thomæ; confeſtim enim ſubiicit Chriſtus: *Quia vidiſti me, credidiſti.* (2) *Nominibus diuinis adduntur verba, quibus Filius Dei incarnatus deſignatur.* Sic Paullus Act. XX, 28. inquit: *Deus eccleſiam acquiſiuit per proprium ſanguinem.* Vbi per Deum, qui ſanguine proprio eccleſiam acquiſiuit, non niſi Filius Dei intelligitur. Idem apoſtolus ait 1 Tim. III, 16. Deus in carne manifeſtatus eſt Filius Dei; vtpote qui caro factus Io. I, 14. carnis & ſanguinis particeps factus eſt. Hebr. II, 14. & in carne venit. 1 Io. IV, 2. 3. (3) *Nominibus diuinis annectuntur epitheta, quibus ſummus Deus indigitatur.* Nam (a) Chriſtus a S. Joanne nominatur *verus Deus & vita æterna.* 1 Jo. V, 20-22. *Scimus vero, quod Filius Dei venerit, & dederit nobis mentem, vt cognoſcamus verum: Et ſimus in vero, in Filio illius Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus & vita æterna.* Vbi (α) ſitus vocum (quia pronomen demonſtratiuum ὗτος, hic ordinarie reſpicit & demonſtrat nomen immediate antecedens) (β) ſcopus apoſtoli, de Chriſto, vt principali huius epiſtolæ themate agendi. Vid. 1 Jo. I, 2. (γ) Tautologiæ (ſi ad patrem referatur) abſurditas, (δ) epitheton vitæ æternæ, Chriſto ſic proprium, vt nulli alii perſonæ facile tributum legas, adeoque omnia clamant, veritatem deitatis Chriſto adſeri. Conf. DANNH. *hodoſ. phæn. III. p. 233.* (b) A S. Paullo Filius Dei vocatur *magnus Deus.* Tit. II, 13. *Exſpectantes beatam ſpem, & apparitionem gloriæ magni Dei.* Circa hoc effatum apoſtolicum obſeruamus: (α) Nomen magni Dei vni & ſoli ſummo Deo vindicari. Quod docet propheta Daniel cap. II, 45. Deus magnus *notum fecit regi id, quod futurum eſt poſthac.* (β) Vocibus, τῦ μεγάλυ θεῦ ϰ̀ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ, vnum idemque ſubiectum, nimirum Ieſum Chriſtum deſignari; cum vnicus tantum adhibeatur articulus græcus, qui non niſi vnum ſubiectum denotat, ſecundum græcæ linguæ proprietatem; iuxta atque de illo Deo agat apoſtolus, cuius ἐπιφάνεια, apparitio ad iudicium exſpectatur; quæ apparitio ad iudicium ſoli Filio Dei tribuitur. 2 Theſſ. II, 8. 1 Tim. VI, 14. 2 Tim. IV, 1. Neque obſtat interpoſita coniunctio ϰ̀, &; ſiquidem illa ſæpe duo nomina ad vnum ſubiectum copulat. Conf. 1 Petr. I, 3. (c) Ab eodem apoſtolo Chriſtus nuncupatur Deus *ſuper omnia benedictus in ſæcula.* Rom. IX, 5. *Quorum ſunt Patres, & ex quibus eſt Chriſtus, quantum ad carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen!* Ex his liquet, Chriſtum eſſe ſummum Deum; cum illa verba apoſtoli periphraſin ſummi Dei exprimant. Conf. Rom. I, 25. Illuſtre hoc dictum eluſuri *Sociniani* excipiunt (1): verba

Digitized by Google

verba illa, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς, non referenda eſſe ad Chriſtum, ſed eſſe exclamationem δοξολογικὴν, qua celebretur Deus Pater: Et ideo poſt voces, κατὰ σάρκα, ſcribendum eſſe punctum, a multis librariis omitti ſolitum. (2) Ἐπὶ πάντων, ſignificare, ſuper omnes, ſcil. homines, non ſuper omnia. Reſp. Ad 1): Interpunctioni Socinianæ aduerſantur (a) omnia exemplaria græca: (b) Scopus apoſtoli, qui eſt gentis Iudaicæ dignitatem euehere; quod vt feliciter præſtet, docet, Chriſtum ex Iudæorum patribus ortum non tantum hominem, ſed & Deum, ſuper omnia benedictum eſſe: (c) Limitatio adiecta, *ſecundum carnem;* qua non opus foret, ſi Chriſtus tantum homo eſſet: (d) Contextus: Exclamatio δοξολογικὴ, quæ ab aduerſariis fingitur, neque cum verbis antecedentibus, neque cum ſequentibus cohæret. *Non cum antecedentibus;* quia apoſtolus conteſtatus erat ſuam συμπάθειαν erga Iudæos, v. 2. & optauerat anathema eſſe pro fratribus, v. 3. quorum deſcripturus gloriam, v. 4. inter alia commemorat, quod ex eorum patribus ſit Chriſtus ſecundum carnem. Qui igitur apoſtolus ex abrupto ad δοξολογίαν tranſiliret? Dolet, optat, non gratulatur. Euehit Iudæorum dignitatem, non, vt Deum celebret, ſed doloris ſui cauſſas exaggeret. *Neque cum ſequentibus;* quomodo enim illa cohærent? *Optabam eſſe anathema pro fratribus &c. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem. Qui eſt ſuper omnia Deus, ſit benedictus in ſæcula, Amen! Non ita tamen, quod exciderit verbum Dei?* Certe nulla συνάφεια, aut cohæſio textus apparet. Ad 2): Si vel maxime verba, ἐπὶ πάντων, redderentur, *ſuper omnes*, non tamen imminueretur diuinitas Chriſti; eſt enim non tantum ſuper omnes homines, ſed cunctas etiam creaturas. Eſt Iehouah *altus ſuper omnem terram, valde exaltatus ſuper omnes Deos: quem omnes angeli Dei adoranto.* Pſal. XCVII, 9. Conf. Hebr. I, 6. Quibus præmiſſis argumentamur: *Quicunque in V. T. Iehouah & Adonai, in N. T. non ſolum abſolute Deus, ſed etiam verus, magnus, ſuper omnia benedictus Deus appellatur, ille eſt ſummus & natura Deus. Atqui Filius* &c. Ergo.

Neque nomen Κύριος, Dominus, ſæpe reſpondens in N. T. nomini יהוה, quod in V. T. ſoli vero Deo vindicatur, inualidum pro diuinitate Chriſti nobis ſuppeditat argumentum.

Vocatur enim (1) Κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *Dominus e cælo.* 1 Cor. XV, 47. Quod cum ratione humanæ naturæ de ipſo dici nequeat; ſublimiorem in illo, & diuinam naturam eſſe oportet, iuxta quam ſit dominus e cœlo.

(2) Dicitur *omnium Dominus*, Act. X, 36. adeoque Dominus cœli & terræ, quæ eſt deſcriptio veri Dei. Matth. XI, 25.

(3) *Dominus dominorum & Rex regum*, Apoc. XVII, 14. cap. XIX, 16. quam denominationem ſoli vero Deo propriam eſſe ex 1 Tim. VI, 15. liquet. Colligere itaque nobis licet: Dominus e cœlo, Dominus dominorum, & Rex regum *eſt ſummus Deus.* Atqui Chriſtus &c. Ergo (*).

II. E nominibus diuinis *perſonalibus.*

Vocatur Chriſtus in ſacris litteris (1) *Filius Dei proprius*, Rom. VIII, 32. habens *Deum Patrem proprium.* Io. V, 18. At proprius Dei Filius non eſſet, ſi diuerſæ a patre eſſet naturæ. Eſt enim de ratione formali proprie dicti filii, vt ſit eiusdem cum Patre eſſentiæ.



(*) In primis vero nomen *Iehouah* Chriſto non minus, quam Patri, tribuitur, Exod. III, 7. Pſ. CII, 13. interprete Paullo, Hebr. I, 10. 11. 12. Ieſ. XLV, 24. 25. add. Rom. XIV, 10. 11. Apoc. I, 8. Nec ſolum illud, ſed etiam hæc quinque nomina, haud dubie ſummi Dei propria: 1) *Iehouah Zebaoth*, Ieſ. VI, 3. ſqq. add. Ioan. XII, 41: 2) *Iehouah Elohim*, Exod. III, 2-6: 3) *Iehouah iuſtitia noſtra*, Ier. XXIII, 6: 4) *Deus Iſraelis*, Ex III, 2. 6. & Luc. I, 16. 17: 5) *Dominus Deus ſanctorum Vatum*, Apoc. XXII, 6. coll. cum v. 16.

Digitized by Google

(2) *Filius vnigenitus a Patre* Io. I, 14. Nomen filii vnigeniti in vniuerſo ſacro codice nunquam alium, quam qui ſolus e ſubſtantia Patris natus eſt, denotat (*).

(3) *Filius exſiſtens in ſinu Patris*, Io. I, 18. quod de ipſo metaphorice quidem & ἀνθρωποπαθῶς dicitur: inſinuatur tamen *intimum paternæ caritatis & naturæ ſecretum*, in quo ſemper eſt Filius, vt habet AMBROSIVS lib *de bened. Patriarch. ſerm. 17. Subſtantiæ cognatio, propinquitas, par patri cognitio & poteſtas*, vt habet CHRYSOST. in h. l. *quod ſit patri conſubſtantialis, intime dilectus, paterni pectoris & arcanorum omnium conſcius, a Patre ἀχώριϛος*, vt Auguſtinus & alii exponunt; quos vide citatos a D. CALOVIO *in ſyſtem. theol. tom. III. p. 554.*

(4) *Filius primogenitus*, Hebr. I, 6. *Primogenitus omnis creaturæ; quia in ipſo creata ſunt omnia*, Coloſſ. I, 15. 16. Non vocatur πρωτόκτιϛος primo creatus; quaſi & ipſe e cenſu creaturarum ſit, ſed πρωτότοκος primogenitus omnium creaturarum, earumque creator; *quia in ipſo creata ſunt omnia, viſibilia & inuiſibilia quæ in cœlis, & quæ ſuper terra:* v. 16. Innuit igitur apoſtolus, Filium Dei ab æterno, antequam quidquam crearetur, eſſe genitum.

(5) *Filius angelis ſuperior*, Hebr. I, 5. Cui enim dixit angelorum: *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Apoſtolus adducto Pſalm. II, 7. teſtimonio docet, Chriſtum eſſe Filium Dei non per creationem, nec propter poteſtatis conceſſionem, vt angeli audiunt Filii Dei Iob. XXXVIII, 7. ſed longe eminentiori ratione, quæ conditionem & ſortem omnium angelorum longiſſime excedit. Quum vero ſupra angelos nihil eminentius ſit, præter Deum, quantum ad naturam, vel eſſentiam, Filium Dei diuinæ naturæ eſſe oportet, adeoque cum non niſi vnus ſit natura Deus, eiusdem naturæ & eſſentiæ cum Deo Patre.

(6) *Filius Deo Patri æqualis.* Io. XV, 17. 18. Ieſus *reſpondit illis: Pater meus vsque nunc operatur: ideo etiam ego operor. Propterea itaque quærebant magis Ieſum Iudæi interficere, quod non tantum ſabbatum ſoluiſſet ſed etiam Patrem proprium dixiſſet Deum, æqualem ſe ipſum faciens Deo.* Iudæi ex illis verbis Chriſti: Pater meus nunc operatur, ideo etiam ego operor, concludebant, Chriſtum ſeipſum Deo *æqualem* facere. Tantum aberat, vt Chriſtus illum concludendi modum improbaret, vt potius eundem firmaret, inquiens: *quæ Pater facit, hæc etiam Filius* ὁμοίως *ſimiliter facit*, indicaturus, ſe vna eademque, vt eſſentia, ita virtute, cum Patre eadem opera expedire. Quibus præſtitutis concludimus: *Filius Dei proprius, vnigenitus a Patre, in huius ſinu exiſtens, primogenitus omnis creaturæ, angelis ſuperior & Deo æqualis, eſt Deus natura verus & ſummus, Deo Patri* ὁμοέσιος *ſiue conſubſtantialis. Atqui Chriſtus eſt Filius Dei proprius &c.* Ergo.

Prob.

(*) Huius argumenti maximam vim eſſe, adparet 1) ex *ſignificatione vocis*, μονογενής. Scilicet duo ſunt modi, quibus aliquis dici poteſt a Deo genitus, vel proprie, ex *natura*, vel improprie, ex *gratia*. Tertius modus nullus vnquam cogitari poterit. Atqui ex *gratia* ſunt homines a Deo generati, Iac. I, 18. quo in loco exſtant duo verba διακριτικὰ (α) βουληθεὶς, (β) λόγῳ, quippe quibus noſtra generatio diuina diſcernitur ab alia quadam, quæ eſt (α) neceſſaria (β) ex ipſa Dei natura. E Chriſtus vocatur μονογενὴς Dei Filius, quoniam ipſe vnus neceſſitate naturæ ex Patre genitus eſt. Adparet etiam 2) ex *cohærentia verborum*. Is nimirum μονογενὴς adpellatur, (α) qui eſt λόγος, v. 1. (β) qui in principio rerum omnium iam fuit, ibid. & (γ) fuit apud Deum iam ab initio, v. 1. 2. (δ) qui eſt ipſe Deus, v. 1. (ε) per quem omnia creata ſunt, vt ſine eo nihil vnquam exſtiterit, v. 3. (ζ) qui vitam in ſe habet, ſemperque habuit, v. 4. add. V, 26. &, vbi eſt oppoſitum, Act. XVII, 25. & 28. (η) qui nobis poteſtatem fecit, in ſocietatem filiorum Dei veniendi, v. 12. (θ) qui iam fuit ante, quam homo factus eſt, 1. 2. coll. cum v. 14. 15. E. nomen hoc, ὁ υἱὸς μονογενὴς, plane non ad humanam Chriſti naturam, ſed prorſus ad diuinam debet referri.

Digitized by Google

Prob. b. Diuinitas Filii Dei ex *attributis diuinis*, quæ ipſi haud ſecus, ac Deo patri, in ſacris litteris aſſignantur, valide euincitur.

Eſt enim Filius Dei I. *AETERNVS*; cuius æternitatem indigitatum iuit Paullus, inquiens, Col. I, 17. *Filius Dei eſt* πρὸ πάντων, *ante omnia*, *&* *omnia in ipſo conſiſtunt.* Qui prior eſt omnibus creaturis viſibilibus & inuiſibilibus, quæ ipſius prouidentia conſeruantur, is æternus & independens Deus eſt. Teſte eodem apoſtolo, Ieſus Chriſtus *eſt heri*, *hodie*, *idem & in ſæcula*, Hebr. XIII, 8. Quibus vocibus, omnes temporis differentias complectentibus, non finita, ſed infinita duratio, non tempus, ſed æternitas, quæ omnes durationes eminenter complectitur, deſcribitur. Suffragatur S. Ioannes, qui grauiter inquit cap. I, 1. *In principio erat verbum*, intelligens verbum hypoſtaticum, nempe filium vnigenitum a Patre. v. 14. Hic in principio, quo rerum vniuerſitas creari cœpit, iam tum erat. Non dicit Ioannes: In principio verbum factum eſt, aut eſſe cœpit, ſed *erat*, q. d. omni principio prius erat. Neque enim præciſe hic principium creationis, aut reſtaurationis hominum determinatur, ſed abſolute & ſimpliciter dicitur principium. Quodcunque enim ponas principium, non eodem demum eſſe cœpit, ſed iam tum erat ὁ λόγος: omne principium temporum, quod mente concipi poteſt, omne principium operum diuinorum anteuertebat. Idcirco quamuis recte conferantur hæc cum verbis Moſaicis: *In principio creauit Deus cœlum & terram*; hic tamen abſolutius τὸ ἐν ἀρχῇ ſumitur, & idem valet, atque *ante omnia.* Quod indicaturus apoſtolus ait: *Verbum erat apud Deum*, cum nil, niſi Deus, nil, niſi mera æternitas eſſet. Neque erat apud Deum vt creatura, ante omnes alias creaturas condita, ſed vt Deus. Ille λόγος, Deus, in principio erat apud Deum (Patrem), vt neque hic exſtiterit ante λόγον, ſed λόγος ei ab æterno coëxſtiterit. Omnia per τὸν λόγον facta ſunt v. 3. Ergo fuit ante omnia, quæ facta ſunt; opifex enim, per quem res fiunt, rebus factis prior eſt. Mundus per ipſum factus eſt v. 10. Ergo fuit ante creationem mundi. Sæcula per hunc λόγον Deus condidit, Ebr. I, 2. Ergo fuit ante ſæcula, atque adeo ab æterno. Neque minus graphice æternitatem Filii Dei delineat S. Ioannes Apoc. I, 8. vbi ipſum loquentem introducit: *Ego ſum Alpha & Omega*, *principium & finis*, *inquit Dominus*, *is*, *qui eſt*, *& qui fuit*, *& qui venturus eſt.* Sicut græci alphabeti prima littera eſt Alpha, vltima Omega: ita Chriſtus eſt principium, ſine principio temporis, & finis, ſine fine: eſt primus, quia ante ipſum nihil: eſt nouiſſimus, quia poſt ipſum nihil: a parte ante, & a parte poſt interminabilis eſt. Conf. Eſ. XLI, 4. cap. XLIV, 6. cap. XLVIII, 12. Hic Dominus *eſt*, *fuit & venturus eſt*, quia ipſius æternitas omnibus temporis differentiis coëxſiſtit, ipſa in ſe indiuiſibilis manens (*).

*II. IMMENSVS & OMNIPRAESENS. Immenſus* eſt; *quia in ſinu Patris immenſo eſt* Io. I, 18. (**). *Omnipræſens* eſt; *quia, vbi duo aut tres congregati ſunt in nomine ipſius, ibi*

(*) Clariſſima ſunt etiam hæc teſtimonia: Ieſ. IX, 5. אבי־עד, Mich. V, 1. Ioan I, 27. 30. VIII, 58. XVII 5.

(**) Præcipuum vero argumentum depromtum eſt ex Eph. IV, 10. Quamquam enim ille adſcenſus proprie tribuendus eſt humanæ in Chriſto naturæ: tamen ratio eius poſita eſt in eo: quod humana Chriſti natura cum ſumma eiusdem diuinitate arctiſſimo vinculo eſt coniuncta. Etenim 1) loquutio hæc, *cœlis omnibus ſuperiorem eſſe*, immenſam denotat magnitudinem, Deo vni adſerendam, 1 Reg. VIII, 27. & probe obſeruanda eſt differentia verborum: *in cœlum* adſcendere; & *ſupra cœlos*, & *omnes* quidem eos. Hoc profecto non poteſt non ſummum eſſe, atque adeo immenſum. 2) Hæc dicendi ratio, *omnia implere*, non aliter, quam de immenſitate Dei vſurpatur, Ierem. XXIII, 24. 3) Aperte planeque Chriſtus adſeuerauit, ſe *eo reuerſurum eſſe*, *vnde deſcendiſſet*, Io. VI, 62. E. Chriſtus *ante*, quam deſcendit tandemque adſcendit ſupra



Digitized by Google

*ibi eſt in medio ipſorum.* Matth. XVIII, 20. *Eſt nobiſcum omnibus diebus vsque ad conſummationem ſeculi.* Matth. XXVIII, 20.

*III. IMMVTABILIS. Tu idem es, & anni tui non conſumentur.* Pſ. CII, 28. Quæ verba intelligenda eſſe de Filio Dei, docet Paullus Hebr. I, 12.

*IV. SANCTISSIMVS;* quippe quem propheta Daniel *ſanctum ſanctorum* appellat cap. IX, 24.

*V. OMNIPOTENS.* Ipſe Filius Dei ait: *Ego ſum* παντοκράτωρ *omnipotens.* Apoc. I, 8. *Oues meas nemo rapiet e manu mea*, Io. X, 28. Ergo potentia Chriſti omnem finitam ſuperat potentiam.

*VI. OMNISCIVS. Domine tu noſti omnia*, inquit Petrus Io. XXI, 17. *Cognoſcit Chriſtus, quid ſit in homine.* Io. II, 25.

*VII. BEATISSIMVS* & αὐταρκέστατος; *habet enim omnia, quæ pater habet* Io. XVI, 15.

*VIII. GLORIOSISSIMVS;* eſt enim *dominus gloriæ* 1 Cor. VIII, 8. *Habuit gloriam apud Patrem, antequam mundus eſſet*, Io. XVII, 5.

Ex his colligimus: *Quicunque eſt æternus, immenſus, omnipræſens, immutabilis, ſanctiſſimus, omnipotens, omniſcius, beatiſſimus & glorioſiſſimus, ille eſt ſummus & verus natura Deus. Atqui Chriſtus &c. Ergo.* Maior conſtat; quia cui competunt attributa diuina, illi competit ipſa eſſentia diuina; cum illa ab hac reapſe non differant. (*)

Prob.

ſupra omnes cœlos, *fuit cœlis omnibus ſuperior*, & *impleuit omnia*: E. ſecundum diuinam naturam, quum humana nondum exſtitiſſet. Eo ſpectant plura dicta eiusmodi, quæ teſtantur, (α) Chriſtum *deſuper veniſſe*, ob eamque cauſam *longe omnibus ſuperiorem* eſſe, Ioan. III, 31. (β) Chriſtum *apud Deum fuiſſe*, ante iacta mundi fundamenta, Io. I, 2. (γ) Chriſtum *de cœlo deſcendiſſe*, verum tamen ita, vt ſemper ipſe *adbuc ſit in cœlo*, Io. III, 13. (δ) ipſum *a Patre exiiſſe*, Io. XVI, 28; at nihilo tamen minus perpetuo *in Patre eſſe*, Io. XIV, 10. 11. Quem enim ad modum *Deus*, qui *cœlum terramque implet*, aliquando *deſcendiſſe* dicitur, tum nimirum cum ſingulari quadam ratione ſe *manifeſtauit*: eumdem ad modum Chriſtus, æternus immenſusque, ipſe Deus, *deſcendens* de cœlis ſe nobis exhibuit, in *carne manifeſtatus.* Perficiam argumentationem 4) comparatione horum dictorum, Eph. IV, 10. Io. III, 13. cum illo, Iobi XI, 8. vbi vir diuus *altitudines cœlorum* Deo *vni* adſignat, inde vero argumentum arceſſit *immenſæ*, quæ in Deo eſt, *ſcientiæ* rerum omnium, v. 7. Ita pariter Chriſtus, Nicodemum certiorem facturus, ſe τὰ ἐπουράνια *ſcire*, hanc adfert rationem: quod ipſe *ſemper fuerit in cœlo*, immo etiam *altior cœlis omnibus*, Eph. IV, 10. Hebr. VII. 26. Collectis hiſce rationibus, omni præſidio nudus eſt ille Chriſti in cœlum raptus, quem ita barbare dicunt *Sociniani*, & quem illi quidem comminiſci coacti ſunt, præiudicatæ opinioni ſuæ ſeruientes.

(*) Declarandum nunc mihi erit, in quo potiſſimum huius probationis robur conſiſtit, ipſa quoque *reſeruata*, ſingularum *perfectionum* diuinarum propria, eaque *omnia*, ne vno quidem excepto, de Chriſto *æque*, ac de Patre, prædicari (pag. 281. * & pag. 301. *). Tribuuntur ipſi *reſeruata*

I. *Scientiæ* diuinæ, ſigillatim 1) perfectiſſima *Dei ipſius* cognitio, eodem enim modo, quo Pater Filium, Filius viciſſim Patrem nouit, Matth. XI, 27. Io. I, 18. & VI, 46. quo quidem in loco triplex ineſt neruus probandi, ſi quidem hæc, quam ſibi Chriſtus vindicat, Dei Patris cognitio (α) denegatur omnibus aliis, add. 1 Tim. VI, 16.: (β) opponitur illi notitiæ, quæ doctrina atque inſtitutione diuina adquiritur, v. 45.: (γ) deriuatur ex intima Filii cum Patre coniunctione, ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ. 2) Cognitio *naturæ vniuerſæ*, Io. XXI, 17. Hebr. IV, 13 vocabulum, αὐτοῦ, pertinet ad ſequentia, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, at enim non Pater eſt, ſed Filius, de quo ſermonem in his litteris exponere Paullo erat conſtitutum, v. 14. 3) Cognitio rerum *ſupernaturalium*, vt dicuntur, Io. XVI, 30. & hoc conferendum eſt cum eis, quæ deinceps diſputabimus de poteſtate, qua Chriſtus pollet ſumma, quælibet miracula efficiendi. 4) *Animorum* cognitio, & ea quidem (α) *immediata*, ſine vllo teſtimonio, aut ſigno, Io. II, 24. & 26. (β)

Digitized by Google

Prob. c. Veram diuinitatem Chriſti demonſtrant *actus diuini*, tum *perſonales*, tum *eſſentiales*, qui ipſi in diuinis litteris tribuuntur. *Actus perſonales* Filii Dei ſunt æterna ſpiratio & temporalis miſſio Spiritus S.

E qui-

26. (β) *certa*, non probabilis, quæ eſt poteſtas verbi, εἰδω, Io. I, 47. 48. (γ) *vniuerſa ac perpetua*, Io. XXI, 17. Petrus ab vniuerſali concludit ad ſingulare, in primisque Apoc. II, 23. vbi numerus multitudinis, πᾶσαι ἐκκλησίαι, copulatur cum numero vnitatis, ἕκαστος, hoc eſt, omnium ac ſingulorum cogitationes explorate ſcire. Chriſtum ita de ſe loqui, abunde patet ex v. 18. vt & ex continuatione ſermonis vsque ad v. 28. Ipſa vero loquutio omnino eſt ea, quæ vnum Deum decet, 1 Reg. VIII, 39. add. Ier. XI, 20. vbi itidem poteſtas iudicandi arcte coniungitur cum perueſtigatione renum & cordium. Denique 5) *Præſcientia*, & quidem (α) *remotiſſimorum* euentuum, Luc. XXI, 25. ſqq. & ſæpius in patefactione Ioannis, (β) *minutiſſimorum*, quorum ex numero eſt & punctum temporis, atque etiam opportunitas (quæ quidem magis ad ſapientiam, quam ad ſcientiam pertinet) Io. XIII, 1. XVII, 1. (γ) *futurorum contingentium*, Io. XVIII, 4. etiam eorum, quæ euentura fuiſſent, poſita quadam conditione (id quod dixere *mediam* in Deo *ſcientiam*) Io. VI, 15.

II. *Sapientiæ* diuinæ: 1) Electio ſemper *optimi*, quare Chriſtus non minus, quam Pater, nominatur & κατ' ἐξοχὴν, & in abſtracto, ipſa ſapientia Dei, Luc. VII, 34. 35. XI, 29. coll. cum Matth. XXIII, 34. 2) *infinita amplitudo*, ſine vlla exceptione πάντες θησαυροὶ τῆς σοφίας, Col. II, 3. 3) *ſumma auctoritas*, ſeu, vt vulgo dicitur, *independentia*, Chriſtus enim ea pollet ſapientia, (α) quam *nemo eum docuit*, 1 Cor. II, 16. add. Rom. XI, 34. (β) quam *ipſe in alios confert*, & (γ) cui *nemo valet reſiſtere*, Luc. XXI, 15. 4) *immenſa profunditas*, 1 Cor. II, 16. coll. cum Rom. XI, 34. Eph. III, 8. add. Rom. XI, 33.

III. *Bonitatis* diuinæ: 1) *independenter*, Io. III, 31. XVI, 15.: 2) *excellenter*, qua ratione Chriſtus κατ' ἐξοχὴν, adpellatur bonus, Io X, 11.: 3) *cauſſaliter*, Ioan. X, 10. add. Pſ. XXIII, 1. 6. & præſertim notabile eſt illud, de Chriſto dictum, 2 Cor. XII, 9. 4) *conſtanter*, vt nec mutatio vlla, nec mutabilitas in eum cadat, Hebr. I, 11. 12. ita nimirum de Filio Dei Paullus Dauidis verba interpretatur. In illo autem loco, Matth. XIX, 16. 17. Chriſtus diſputationem inſtituit κατ' ἄνθρωπον, aduerſus eum, qui gloriam diuinitatis ipſi denegabat. Quo iure, inquit, aut quo animo, tu quidem me adpellas bonum, cum nolis fateri, me Deum eſſe? Exemplum, huic ſimillimum, cernimus Matth. XXII, 43. 45. Quis putarit, Chriſtum negaſſe ſe Dauidis eſſe Dominum? Sed hoc ſibi volebat, vt aduerſarii explicarent, quo pacto id poſſent conciliare cum falſa opinione ſua.

IV. *Veritatis* diuinæ, quæ dici ſolet *veracitas*: 1) *Vniuerſitas*, ſine vlla exceptione, Io. III, 31. 32. 33. 2) *Neceſſitas*, vt Chriſtus ſit fallere neſcius. Ita enim ſuis ipſe verbis immutabilitatem tribuit, Luc. XXI, 33. add. Pſ CXIX, 96. Quam ob rem ipſe κατ' ἐξοχὴν nominatur, ὁ Ἀμὴν, καὶ ὁ ἀληθινὸς, Apoc. III, 7. 14. & ipſa veritas. Io. XIV, 6. Idcirco & Chriſtus per ſe ipſum iurat, & Paullus ſua effata iure iurando per Chriſtum confirmat; de quo argumento diſſerendum erit infra.

V. *Potentiæ* diuinæ, atque adeo *poteſtatis*. Dicta *generalia* exſtant Io. XVI, 15 Phil. III, 21. Pſ. VIII, 7. vt nihil ſit exceptum, præter Deum, 1 Cor XV, 27. *Speciatim* (א) ratione *rerum*, ſiue *obiectorum*; In Chriſti æque ac Patris, poteſtate ſunt: 1) *animus* hominis vnius cuiusque, & eius imperii duæ partes ſunt, (α) ius obligandi *conſcientiam*, Rom. XIV, 1. & 10. (β) ius *remittendi peccata*, & ſuo quidem nomine, Matth. IX, 6. quem ad modum & Legati Chriſti nomine ipſius pariter, ac Patris, munere ſibi mandato functi ſunt, tum in remittendis peccatis, 2 Cor. II, 10. tum in retinendis, 1 Cor. V, 4. 5. 2) *fortuna* dirigenda, Marc. XVI, 20. Rom. XV, 18.: 3) *cœlum ac terra*, resque creatæ *omnes*, Apoc. V, 13.: 4) *Eccleſia*, Col. I, 18. cuius ſummæ poteſtatis fundamentum eſt non ſolum liberatio, v. 14. ſed etiam creatio & conſeruatio, v. 16 17 Hebr. III, 3. 4. atque eo ſpectat ius inſtituendi *ſacramenta*: 5) *Magiſtratus*, atque adeo *ſummi Imperantes*, Pſ. II, 9. CX, 1. ideoque nomen hoc, *Rex regum*, *Dominus dominorum*, quod ſane ſummi Numinis proprium eſt (1 Tim. VI, 15. 16.) Chriſto non minus, quam Patri tributum eſt Apoc. XVII, 14. XIX, 16. compar. cum antec. v. 11-15. & ſeq. v. 17. 6) ius *vitæ & necis*, nullis coarctatum terminis, Rom. XIV, 7. 8. 9. quo in loco quatuor ſunt notatu dignis-

Digitized by Google

E quibus argumentatur : *Qui vna cum Deo Patre ab æterno ſpirat , & in tempore mittit Spiritum S. is eſt verus Deus, Deo Patri* ὁμοούσιος *ſiue coëſſentialis. Atqui filius Dei &c. Ergo. Maior* liquet ; quia Spiritus S. qui æternus Deus eſt, non niſi a vero & æterno Deo ſpirari atque mitti poteſt. *Minori* infra fidem faciemus.

*Actus* diuini *eſſentiales*, qui Filio Dei in ſacris litteris vindicantur , generatim ſpectati, ſunt iidem, qui Dei Patris ; ſpeciatim conſiderati ſunt actus diuinæ potentiæ, omniſcientiæ, miſericordiæ & iuſtitiæ (**).

*Identitas operationum eſſentialium Dei Patris & Filii* pateſcit ex Io. V, 19. *Quæ Pater facit, hæc etiam Filius ſimiliter facit.* Quibus verbis Chriſtus & abſolute *omnia*, quæ Pater facit, ſua eſſe opera docet & tum operum identitatem, tum eundem operandi modum ſibi vindicat. His adde Io. X, 37. 38. *Si non facio opera Patris mei, ne credite mihi. Si vero facio, ſi vtique mihi non credatis, operibus* (tamen) *credite, vt cognoſcatis, & credatis, quod Pater in me, &* ego

gniſſima: (α) nomen, κύριος, quo Chriſtum ſignificari, perſpicuum eſt, v. 9.; (β) ſignum vniverſitatis, οὐδεὶς ἡμῶν· (γ) loquutio prorſus eadem, quæ de Deo Patre vſurpatur, Luc. XX, 38. πάντες αὐτῷ ζῶσιν· (δ) coniunctio huius prædicati cum aliis, ſummæ diuinitatis indiciis, v. 10. 11. add. Ieſ. XLV, 21-24. ad quam vaticinationem manifeſto reſpexit Apoſtolus. Sed & hoc dicere attinet, quod de *ſua vita* Chriſtus pronuntiat, Io II, 19. X, 18. 7) Ius orbem terrarum *vniuerſum iudicandi*, Rom. XIV, 10. 11. 8) Ius *in vniuerſam rerum naturam*, vt poſſit ipſe miracula, viribus naturæ omnibus ſuperiora, quæcunque & quocunque modo velit, efficere; de quo paullo poſt exponam. (ב) Ratione *modi*, nimirum 1) *independenter;* Chriſtus enim, (α) vt vitam in ſe ipſe habet, Io. V, 26. (vid. pag. 234.*) ſic omnem quoque poteſtatem agendi, ſi velit, & quidquid velit, Io. V, 21. Matth. VIII, 2. 3. (omnes vero eos, qui Deo inferiores ſunt, multo aliter decet loqui, Iac. IV, 15.); (β) nemo ipſi valet reſiſtere, 1 Cor. XV, 25.; (γ) nemini rationem reddere debet, ipſe ſummus omnium iudex: 2) *immediate*, vno verbo, & ſua voluntate ſufficiente, Matth. VIII, 8. 3) *infinite*, Apoc. V, 12. 13. quo in loco triplex ineſt neruus probationis, (α) ἰσχὺς καὶ κράτος, ſine vlla determinatione, (β) æterna potentia, eaque (γ) Filio æque, ac Patri tributa, v. 13. Add. Dan VII, 13. 14. Luc. I, 33. conf. cum Dan. IV, 31. vbi id idem, iisdem verbis, de *Deo altiſſimo* prædicatur: 4) *perfecte*, Matth. XXVIII, 18. Phil. III 21. IV, 13.

(*) *Opera* prorſus diuina, ſcilicet tum *ea, omnia*, quæ *Deus ipſe*, nec per miniſtrum quemdam, peragit, tum *omni eo modo*, qui Deo vni eſt conueniens (pag. 301.*) En ! dictum *generale*, Io. V, 19. *Speciatim* (א) Illæ actiones, & *omnes* quidem illæ, quas Deus *ipſe ſolus*, nemine miniſtrante, perficit, ſunt 1) *Creatio* mundi vniuerſi, vt & *conſeruatio*, quæ vtraque Chriſto adſeritur, Col. I, 16. & 17. Io. I, 3. (voculam, διὰ, hoc in loco, vt alibi interdum, cauſſam efficientem denotare, diſcimus ex Hebr. I, 10. III, 3. 4.): 2) *Creatio noua*, Hebr. III, 1-4. 3) *Miſſio miniſtrorum eccleſiæ*, Io. XX, 21. & plane ita, vt Patri ea tribuitur, Gal. I, 1.: 4) *Efficacitas mediorum gratiæ*, Rom. XV, 18. Hebr. IV, 12. (quis enim eſt ille, ex cuius ore profertur verbum tamquam gladius anceps? quippe Chriſtus, Apoc. I, 16. II, 12. 16.): 5) *Mortuorum omnium ad vitam reuocatio*, Io. V, 21. (ב) *Eo* prorſus *modo*, qui Deum vnice decet, 1) Agere *ſuo arbitrio*, ſuo nomine, ſuaque auctoritate, quem ad modum Pater, Ioan V, 21. Luc. IV, 36. VII, 14. Matth. VIII, 3. 4. Id nemo diuinitus miſſus, ac ne angelus quidem, vnquam auſus eſt. Omnes ſi quid moliti ſunt, fecerunt illud auſpiciis diuinis, ſemper ad Dei arbitrium atque auctoritatem prouocantes. Vates vnus omnium maximus, Moſes, ſemper Deum tantarum rerum effectorem adpellat, Deum, ait, hoc effeciſſe, ſe autem Deo manus ſuas commodaſſe, Ex. IV, 22. 23. VII, 16. XIV. 21. 24. Nunquam auſus eſt dicere: Ego hoc faciam, ſic volo, ſic iubeo, quem ad modum Chriſtus, & is quidem vnus, loqui non dubitauit. 2) Poteſtatem, res *diuinas*, omniumque *maximas* peragendi, *in alios conferre*, Matth. XVI, 19. Luc. IX, 1. Io. XX, 21. Eph IV, 10. 11. vt eius Legati *ipſius nomine* rem ſuam gererent, *ipſius arbitrio* atque auctoritate niterentur, Luc. IX, 54. Marc. XVI, 17. Act. III, 6. coll. cum v. 12. 3) Miracula facere *ea mente*, vt *ſuam* ipſe *gloriam pateſaceret*, Io. II, 11. V, 11. V, 23. Atqui omnia ad gloriam ſummi Numinis tantum referenda ſunt, ac dirigenda.

Digitized by Google

*ego in Patre* (ſim). Haud obſcure oſtendit Saluator, ex communione operum, communionem eſſentiæ eſſe colligendam. Quare concludimus: *Qui eadem opera diuina, quæ æternus Pater, facit, eodemque agendi modo cum ipſo operatur, is vnius cum Patre cœleſti eſſentiæ eſt. Atqui Chriſtus &c. Ergo.*

*Actus potentiæ diuinæ ſunt* 1) Creatio huius vniuerſi, ποίησις τῶν πάντων, Io. I, 3. Col. I, 16. ita vt non ſolum *per ipſum* omnia producta dicantur (prout *per* Patrem, non certe vt cauſſam minus principalem, ſed principalem, Paullus ſe vocatum eſſe dicit Gal. I, 1.), verum etiam in caſu recto *ipſe* creaſſe omnia dicatur, Hebr. I, 10. ex Pſalm. CII, 26. *Tu in principiis, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.* 2) Conſeruatio & gubernatio huius vniuerſi. Etenim Filius Dei *omnia portat verbo potentiæ ſuæ.* Hebr. I, 3. portat omnia conſeruando & gubernando: portat omnia verbo potentiæ ſuæ, i. e. iuſſu atque imperio ſuo potentiſſimo. Ex quo Paullus aſſerit *omnia in ipſo conſiſtere*, Col. I, 17. ſcilicet ne diffluant aut concidant. 3) Miraculorum effectio. Vera miracula αὐτοκρατορικῶς, propria virtute, ſolus Deus patrat. Pſ. LXXII, 18. Pſ. CXXXVI, 4. *Sunt enim vera miracula effectus rari & inſoliti, præter ordinem totius naturæ creatæ, a Deo producti.* Edidit Chriſtus a) vera miracula, ad quæ velut teſtes ſuæ miſſionis diuinæ omni exceptione maiores prouocauit. Matth. XI, 5.; b) ſingularia & ἀμίμητα, quorum tria commemorat AVGVSTINVS *tom. II. epiſt. III. Naſci de virgine, a mortuis reſurgere, in cœlum aſcendere: hoc Deo qui parum putat, quid plus exſpectet, ignoro.* c) αὐτοκρατορικῶς virtute non aduentitia aut precaria, ſed primitiua & independenter fluente, ex qua velut fonte gratia miraculorum in alios thaumaturgos dimanauit. Matth. X, 1. Act. III, 6.; d) in ſuimet gloriam, Io. II, 11.

*Actus gratiæ diuinæ ſunt*, 1) Redemtio, quæ ſane actio vere diuina eſt. Nam Deus *eccleſiam acquiſiuit per proprium ſanguinem.* Act. XX, 28. 2) Eccleſiæ collectio, conſeruatio, gubernatio & defenſio; quippe quam velut *rex Sionis* Pſ. II, 6. congregauit per verbum & ſacramenta. Marc. XVI, 15. Matth. XXVIII, 19. cap. XXVI, 26. quam etiam aduerſus *portas inferorum* protegit. Matth. XVI, 18. Portæ inferorum ſunt vitia, hæreſes, perſecutiones a diabolo aduerſus eccleſiam concitatæ. 3) Saluatio, quæ ſane diuinum opus eſt. *Ego* (ſum) Iehouah, *& præter me non eſt ſaluator.* Eſ. XLIII, 11. At Ieſus eſt Saluator, *qui ſaluat populum ſuum a peccatis eorum.* Matth. I, 21.

*Actus omniſcientiæ ſunt* 1) futurorum prædictio. Futura contingentia, quæ a voluntate Dei aut hominum dependent, ſolus Deus certo & infallibiliter prænouit & prædicit. Eſ. XLIII, 9. Chriſtus futura prædixit. Matth. XXIV, 15. Io. II, 18. Prædixerunt quidem etiam prophetæ futura, ſed illuſtrati a Spiritu Chriſti 1 Petr. II, 11. 2) Καρδιογνωσία, ſcrutinium cordium humanorum, quod ſolius Dei eſt, 1 Reg. VIII, 29. Ier. XVII, 10. competit Chriſto, qui de ſeipſo inquit Apoc. II, 23. *Ego ſum, qui ſcrutatur renes & corda.*

*Actus iuſtitiæ diuinæ ſunt* 1) mortuorum reſuſcitatio, quæ actio vere diuina eſt, Rom. IV, 17. 2 Cor. I, 9. & tribuitur Chriſto, Iob. XIX, 26. Io. VI, 39. 2) Vniuerſale iudicium, Io. V, 22. ad quod infinita ſcientia, potentia & maieſtas requiritur, ideoque vindicatur vni Deo, Gen. XVIII, 25. Ex actionibus diuinis ſimul ſumtis naſcitur argumentum: *Quicunque hoc vniuerſum creauit, creatum conſeruat & gubernat: vera miracula propria virtute in ſuimet gloriam patrat; vniuerſum genus humanum lapſum redemit: eccleſiam per verbum & ſacramenta collegit, protegit & ſaluat: futura contingentia infallibiliter prænouit & prædicit, cordaque hominum ſcrutatur: mortuos reſuſcitat, & vniuerſale iudicium in omnes homines exercet, is eſt ſummus & verus natura Deus. Atqui Chriſtus &c.* Ergo.

Prob. d. E *cultu* etiam *diuino* ſolide adſtruitur diuinitas Chriſti. Negat Deus ſe gloriam ſuam alteri daturum, Eſ. XLII, 8. Chriſto autem vindicatur 1) in *genere* cultus diuinus. Iu-



Digitized by Google

bentur enim *omnes honorare Filium*, καθὼς *ſicut honorant patrem*, Io V, 23. 2) In *ſpecie* iubentur omnes homines a) in nomen Filii Dei, peræque, ac in nomen Dei Patris & Spiritus S. *baptizari*, Matth. XXVIII, 19. b) In Chriſtum perinde, ac in Deum Patrem *credere*. *Credite in Deum, & credite in me*, Io. XIV, 1. c) Chriſtum *religioſe adorare*, Pſ. XLV, 12. Eſ. XLV, 24. Rom. XIV, 11. Phil. II, 10. d) *Aequali honore celebrare Deum Patrem & Filium*. *Sedenti ſuper throno & agno* (ſit) *benedictio, & honor & gloria, & robur* in ſæcula ſæculorum, Apoc. V, 13. Argumentum hoc erit: *Quemcunque honorare iubentur homines, ſicut Patrem honorant, in ipſum baptizari & credere, eundem religioſe adorare, & æque, ac Patrem celebrare, ille eſt ſummus Deus, eiusdem cum Patre cœleſti eſſentiæ & maieſtatis. Atqui Filium Dei &c.* Ergo (*).

Prob.

(*) *Cultus religioſus* eſt ille, quo *ad proprietates Dei perfectionesque ſummas* reſpicitur. Is Chriſto deferendus, atque adeo *omnes* eius *partes*, vt nihil ſuperſit, Patris proprium ac præcipuum.

1) *Fiducia ſalutaris*, quam Maiores noſtri in Apol. Aug. Conf. p. 69. 88. recte adpellant λατρείαν & ſummum Dei cultum, cuius conſideremus (α) *obiectum*, quod ſunt promerita Chriſti (quæ & quanta? Tanta certe, vt Deum mundo vniuerſo, & mundum viciſſim Deo, reconciliare valeant, 2 Cor. V, 19. 20. id quod infinitam vim meritorum Chriſti declarat; vnius animi liberatio, nedum omnium, conſtat pretio, quod pluris faciendum eſt, quam rerum vniuerſitas, Matth. XVI, 26.); (β) *modum*, veramque rationem, qua fieri oportet, vt Chriſtum, ſumme bonum, rebus omnibus anteferamus, Phil. III, 8. 9.; (γ) *effectum*, nempe iuſtitiam coram Deo valituram, omniumque peccatorum veniam, Act X, 43. 1 Tim. I, 15. 16. immo æternam ſalutem, Ioan. III, 16; (δ) *fundamentum*, quo ea nititur, quod eſt verbum Chriſti, vtpote falli ac fallere neſcii, Ioan. VIII, 51.; (ε) *adiunctum*, nempe hoc, quod fiducia, in Chriſto collocanda, arcte copulatur cum ea, quam in Patre ponere debemus, Ioan. XIV, 1.

2) *Spes*, certiſſima exſpectatio futurorum bonorum *omnium*, Ioan. X, 11. XIV, 13. 14. *ſempiternæ* tandem beatitatis, Ioan. X, 28. & ita quidem, vt huius ſpei *fundamentum* ſit immenſa Chriſti potentia, Phil. III, 20. 21. vt etiam *effectus* ſit αὐτάρκεια, 2 Cor. XII, 9. 10. Phil. IV, 11. 12. 13.

3) *Amor* vincens *omnia*, tam *bona* expetenda, Luc. XIV, 26. coll. cum Matth. X, 37. 39. XIX, 29. quam *mala* pertimeſcenda, 2 Corinth. XII, 10. De *vtroque* genere agitur Rom. VIII, 37. 38. 39. quo in loco ὕψωμα ſunt honores ac voluptates, βάθος ſunt pericula & calamitates.

4) *Obedientia*, & ea quidem omnino *perfectiſſima*, ſine vlla exceptione aut *officiorum*, Ioan. XV, 10. aut *hominum*, Pſ. II, 8. 10. Admonemur de euitanda repugnantia aduerſus Chriſtum ac *tentatione*, prorſus *eadem*, qua *Deus* quondam violatus fuit, 1 Cor. X, 9. add. Exod. XVII, 2. 7. Num. XXI, 5. 6. Deut VI, 16.

5) *Pactio*, & *ea* quidem, qua noſtram Deo *conſcientiam* obſtrictam deuinctamque profitemur, 1 Pet. III, 21. Math. XXVIII, 19.

6) *Iuriſiurandi* maxima profecto religio, vtpote qua profitemur *ſummam*, qua Deus valet, & *ſcientiam*, in primisque καρδιογνώστην, & *iuſtitiam*, & *poteſtatem*, Deut. VI, 13. X, 20. Hebr. VI, 13. 16. Notanda ſunt igitur tria hæc documenta: (α) Paullus *iurat* per *Chriſtum* non minus, quam per Patrem, Rom. IX, 1. 2 Cor. XI, 10. 2 Tim. IV, 1. (β) Paullus *adiurat* Timotheum per *Chriſtum* æque, ac per Patrem, 1 Tim. VI, 13. (γ) *Chriſtus per ſe* ipſe *iurat*, id quod indicio eſt, nullum eſſe ipſo ſuperiorem, Hebr VI, 16. Iurat autem eo modo, Ieſ. XLV, 23. Hæc Chriſti verba eſſe, tum ex tota orationis ſerie adparet, tum ex interpretatione Rom. XIV, 10. 11. Phil. II, 10. Nec prætermittendum eſt illud, Ieſ LXV, 16. אלהי אמן eſt Chriſtus, Apoc. III, 14. Ratio eſt in promtu, 2 Cor. I, 20. & Io. I, 17. Ex quo intelligitur, (α) quare Chriſtus, & ſolus, & ſæpe numero, hanc vſurpauerit dicendi formulam, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ita nimirum per ſe ipſe iurans, (β) qua de cauſſa geminatam plerumque adhibuerit iſtam adſeuerationem, ἀμὴν, ἀμὴν namque in illa vaticinatione, vt eſt apud Ieſaiam, & iteratio vocis, אמן, exſtat, & ſignificatio duarum rerum, quarum quidem vna eſt, iusiurandum, altera vero, benedi-

Digitized by Google

Prob. e. Accurata *collatio dictorum V. & N. T.* certiſſima nobis ſuppeditat argumenta ad firmandam diuinitatem Chriſti. v. gr. Sit argumentum: Quem Iſraëlitæ præter Moſen in deſerto tentarunt, eſt verus atque æternus Deus, Num. XXI, 5. 6. Atqui Chriſtus eſt is, quem Iſraëlitæ &c. 1 Cor. X, 9. E. Chriſtus eſt verus Deus. Similiter: Qui aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, accepit dona pro homine, eſt Deus, Pſ. LXVIII, 19. Atqui Chriſtus &c. Eph. IV, 8. Ergo. Pari ratione confer. Pſ. CX, 1. & Hebr. I, 10. Mal. III, 1. cum Matth. XI, 10. Eſ. XL, 3. cum Matth. III, 3.

*Antitheſis* eſt omnium *Antitrinitariorum*, quos inter hodie infenſiſſimi diuinitatis Chriſti hoſtes ſunt *Sociniani*; *Arminiani* autem negant, Chriſtum vere dici αὐτόθεον. Argumenta eorum duplicis ſunt ordinis. 1) Probatum eunt, *ſolum Patrem* cœleſtem eſſe *ſummum* Deum. Vnde colligunt, *Chriſtum non ſummum*, ſed *ſubordinatum* eſſe *Deum*. 2) Directe ſummam Chriſti diuinitatem impugnant. Argumenta prioris claſſis ſunt.

I. Quicunque a Chriſto ſolus verus Deus dicitur, præter eum non datur ſummus Deus. Atqui Deus Pater &c. E. *Maior* liquet; quia particula excluſiua ſubiecti omnia alia ſubiecta a participatione eiusdem prædicati excludit. *Minor* patet ex Jo. XVII, 2. vbi Saluator inquit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, &, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Vbi *ſolus Pater* verus Deus dicitur. Reſp. Particula, *ſolus*, non eſt addita *ſubiecto*, quod (qua ſententiam) eſt *Pater*, ſed *prædicato*, quod eſt *verus ille Deus*: adeoque verba Chriſti non hoc important, quod *ſolus Pater* ſit *verus ille Deus*, ſed quod *Pater* ſit *ille ſolus verus Deus*, ſiue ille, qui ſolus verus Deus eſt. Quo non obſtante filius Dei etiam verus Deus eſt, ſicut expreſſe dicitur 1 Jo. V, 20. *Hic* (Filius) *eſt verus ille Deus.* Videtur enim verbum, ἔιναι, per ellipſin eſſe omiſſum, aut per articulum, τὸν, inſinuatum, vt ſenſus completus hic ſit: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant, te, Pater, eſſe illum verum Deum,

 & cum

nedictio Itaque Chriſtus dicens, ἀμὴν λέγω, atque iterum ἀμὴν λέγω, primum *iurat per ſe* ipſe, deinde & *bene* nobis *dicit*, *per ſe* itidem ipſe.

7) *Precatio*, & eius quidem vtrumque genus: a) *Adoratio*, qua maieſtatem Dei infinitamque excellentiam veneramur. Conf. Rom XIV, 11. cum illo Ieſ. XLV, 23. 24. vbi Chriſtus conſideratur vt יהוה. Plurimum ſane ponderis in hoc ineſt dicto, Apoc. V, 13. 14. in quo neruus probationis eſt quadruplex: (α) *æterna laudis continuatio*, quæ eſt pars quædam ſummæ religionis, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, (β) *Commune omnium rerum creatarum officium*, πᾶν κτίσμα, ὅ ἐστιν ἐν τῷ οὐρανῷ κ. τ. λ. vt ne angeli quidem excepti ſint, Hebr. I, 6. quorum tamen nullus Chriſtum veneratur vt ſuum liberatorem, Hebr. II, 16. E vt Creatorem ſuum, & Conſeruatorem, Hebr. I, 10. (γ) *Coagmentatio verborum maxime ſignificans*, ἡ εὐλογία, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος, vt nihil ſit reliquum, quod ad ſummam venerationem pertineat, (δ) *Coniunctio Filii cum Patre*, vtpote pari honore digni, τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ τῷ ἀρνίῳ. Quid ſupereſt, ſoli Patri reſeruatum? Omnino nihil. b) *Supplicatio*, ſiue, vt vulgo dicitur, *Inuocatio*, qua benignitatem Dei imploramus, ac beneficia, diuinitus in nos conferenda, expetimus. Ea autem, quæ *ſummo* Deo *vni* decernenda eſt, ſupplicatio debet eſſe *communis* ac *perpetua*, Rom. X, 13. 14. Communis, &, quæ dici ſolet *vniuerſalis*, nominatur quadruplici ratione, qua ſemper ad *proprietates perfectionesque diuinas reſpicitur*, ideoque eſt *cultus religioſus* (per definit.) Eſt nimirum *vniuerſitas* (α) *locorum*, cuius ratio eſt *immenſa* Dei *præſentia* ac *ſcientia*, (β) *temporum*, ad hanc pertinet *æternitas* Dei atque *immutabilitas* (γ) *ſupplicantium*, huius fundamentum eſt cognitio *ſummi* Dei *imperii*, quod omnes ex Dei vnius arbitrio pendeant, (δ) *Rerum expetendarum*, hæc nititur conſideratione *infinitæ* in Deo & *potentiæ*, *poteſtatisque*, & *bonitatis*, Eph. III, 20. Atqui *Chriſto* non minus, quam Patri, tribuitur hæc ſupplicationis *vniuerſitas*, ratione (α) *Locorum omnium*, Matth. XVIII, 20. 1 Cor. I, 2. (β) *temporum omnium*, 2 Theſſ. I, 11. & 12. (γ) *ſupplicantium omnium*, Rom. X, 13. 14. coll. cum v. 9. 10. 11. 12. (δ) *Rerum ac beneficiorum*, partim largitio *omnis boni*, Io. XIV, 13. add. Pſ. XXXVII, 5. vbi hoc dicitur Dei proprium, הוא יעשה partim liberatio vacuitasque *omnis mali*, 2 Tim. IV, 18. κύριον eſſe Chriſtum, tum contextus declarat, v. 1. 8. 22. tum perpetua Paulli conſuetudo ſermonnis, vid. 1 Cor. VIII, 6.

Digitized by Google

& cum additur: &, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum, prædicatum ex præcedentibus repetendum eſt hoc modo: Et, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum, eſſe illum ſolum verum Deum; vt ita *Pater* & *Filius* dicantur eſſe *ille ſolus verus Deus.*

II. 1 Cor. VIII, 6. inquit Paullus: *Nobis tamen vnus* (tantum verus) Deus eſt, *pater ex quo omnia, & nos in ipſum: Et vnus* (verus) *Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Vbi Paullus ſolum Patrem Deum appellat. Reſp. 1) Non dicit apoſtolus: *Solus Pater* eſt *Deus;* ſed ita: nobis *vnus eſt Deus, Pater,* ex quo omnia. *Vnus Deus* opponitur non perſonis diuinis, ſed θεοῖς λεγομένοις, v. 5. qui ita dicuntur vel metaphorice & κατ' ἀναλογίαν, vt angeli & magiſtratus, vel catachreſtice, & κατὰ δόξαν, vt idola gentium. 2) Si ex eo, quod *Pater* dicitur *vnus Deus,* colligere liceret, *Chriſtum non* eſſe *vnum Deum:* pari ratione ex eo, quod *Chriſtus* dicitur *vnus dominus,* inferendum eſſet, *Deum Patrem non* eſſe *vnum Dominum.* Foret itaque Pater Deus, qui non eſſet omnium Dominus, & Chriſtus foret Dominus, qui tantum θεὸς λεγόμενος, nomine, non natura eſſet Deus. Quæ a religione chriſtiana ſunt alieniſſima. Nam *Pater* eſt *Dominus cœli & terræ,* Matth. XI, 25. & *Chriſtus* eſt *verus Deus,* 1 Io. V, 20.

Inſtantia: Chriſtus Deo ab apoſtolo ſubordinatur: quia *ex* Deo omnia, *per* Chriſtum omnia eſſe dicuntur. *Ex,* cauſſam principalem, *per,* cauſſam minus principalem deſignant. Reſp. Particulæ, *ex,* & *per,* non inæqualitatem, ſed ordinem perſonarum diuinarum deſignant. Neque particula, *per,* ſemper cauſſam minus principalem notat. Nam ex Deo, & *per* Deum ſunt omnia, Rom. XI, 36. *Per Patrem* ſunt omnia. Hebr. II, 10. (*)

III. Eph. IV, 6. inquit Paullus: *Vnus Deus & Pater omnium.* Vbi *Deus vnus,* & *Pater,* idem ſubiectum ſignificant. Ergo alterum altero latius non patet, nec quiſquam alius eſt Deus ille vnus, quam Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Reſp. 1) Si *Pater,* & *Deus,* æque late hic patent; nomen patris hic non ſumitur *perſonaliter,* ſed *eſſentialiter.* Quæ ſignificatio ſtabilitur ex eo, quod dicitur *Pater omnium.* Perſonaliter cum accipitur, præciſe importat relationem ad Filium vnigenitum Chriſtum. At Deus vnus, prout eſt pater omnium, eſt tota SS. Trinitas. Vnde *Deum vnum,* & *Patrem omnium,* patere hic æque late, concedi poteſt. 2) Si vel maxime ponatur, nomen *Patris* hic ſumi *perſonaliter,* non tamen *vnus Deus* opponitur *Filio Dei;* quippe qui *verus Deus* eſt. 1 Io. V, 20. ſed opponitur *creaturis, falſisque diis.*

Inſtantia: Sed *vnus Deus* aperte diſtinguitur ab *vno Domino,* & *vno Spiritu,* v. 4. 5. Ergo Pater Deus, Chriſtus Dominus, & Sanctificator noſter Spiritus eſt. Reſp. Aduerſarii male opponunt vnum Deum, vnum Dominum, vnum Spiritum ratione *eſſentiæ:* idque præter mentem Paulli, qui eos diſtinguit ratione *perſonæ,* & *actionum,* quæ ipſis appropriantur: Alias ſequeretur, *Patrem non eſſe Spiritum,* quia *vnus* eſt *Spiritus* v. 4. nec ipſum eſſe *Dominum,*

(*) Diſtinctionem quamdam neceſſariam duco. Chriſtus conſiderandus eſt vel vt *Deus,* vel vt *Mediator,* inter Deum hominesque intercedens, qua quidem ratione a *Deo* ipſe diſcernitur. Cum *prius* illud intuemur, tunc διὰ idem valere, ac ἀπὸ, ſiue ἐκ, adeoque efficientem cauſſam denotare, patet triplici argumento: 1) quod vocabulum, διὰ, de Patre æque, ac de Chriſto vſurpatur, & quidem in coniunctione vtriusque, Gal I, 1. 2) quod vocula, ἀπὸ, eumdem ad modum de vtroque adhibetur, Rom I, 7. 3) quod filius Dei, non modo is dicitur, per quem omnia creata ſunt, ſed ipſe etiam Creator Effectorque huius vniuerſi, Io. I, 3. coll. cum Hebr II, 10. ſi & contextum, & ſcopum huius capitis comtemplemur. Vbi vero hoc *alterum;* ibi διὰ non quidem efficientem cauſſam deſignat, nec vero miniſterialem, vt dicitur, ſed meritoriam, v. gr. 1 Cor. VIII, 6. At ratio tamen continetur in eo: quod Sponſor noſter eſt θεάνθρωπος, & humana ipſius natura cum diuina perſona arctiſſimo vinculo coniuncta.

Digitized by Google

*num*, quia *vnus* eſt *Dominus* v. 5. At falſum eſt illud, vid. Io. IV, 24. Falſum & iſtud, vid. Matth. XI, 25.

IV. Solus Pater nouit diem & horam extremam. Ergo ſolus Pater eſt verus Deus. Ratio conſequentiæ eſt euidens: Quia omniſcientia, ad quam pertinet notitia diei extremi, eſt attributum veri Dei. Antecedens pateſcit ex Marc. XIII, 32. *De die illo ac hora nemo ſcit*, ne angeli quidem, qui in cœlo ſunt, nec ipſe filius, ſed ſolus pater. Reſp. Particula *ſolus* hic a participatione præſcientiæ extremi diei excludit creaturas, & ipſum Filium, qua *hominem* in ſtatu exinanitionis, in quo vniuerſali & inceſſanti exercitio omniſcientiæ diuinæ ſe ſponte abdicauerat; non autem excludit Spiritum S. & Filium, qua *Deum*; quippe qui *nouit omnia*, Io. XXI, 17.

V. Quicunque nomine *Dei* a *Filio* & *Spiritu S.* diſtinguitur, is ſolus eſt ſummus Deus. Atqui Deus Pater &c. Ergo. *Minor* liquet ex 1 Cor. XII, 6. *Vnus eſt Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Filius vocatur dominus v. 5. Spiritus S. abſolute dicitur ſpiritus v. 4. Sed ſolus Pater appellatur Deus. Reſp. Loco citato nomen *Dei* accipitur ὑποστατικῶς, *perſonaliter*, & διακριτικῶς, *diſcretiue*, quod diſtinguatur a *Filio* & *Spiritu S.* tanquam prima diuinitatis perſona, vt nihilominus οὐσιωδῶς, *eſſentialiter*, Filius, vt & Spiritus S. etiam ſint idem ille Deus, operans omnia in omnibus.

VI. Quicunque eſt Deus ille, inter quem & homines Chriſtus mediator eſt; ille ſolus eſt ſummus Deus. Atqui inter Deum Patrem & homines Chriſtus mediator eſt. E. *Minor* conſtat ex 1 Tim. II, 5. Reſp. Per Deum l. c. intelligitur Deus triunus, Pater, Filius & Spiritus S.

Inſtantia: Si l. c. per *Deum* intelligitur *Deus triunus*, Chriſtus ſui ipſius mediator erit, cum tamen mediator a Deo manifeſto diſtinguatur. Reſp. 1) Chriſtus non eſt tota SS. Trinitas, quamuis vnus ſit e SS. Trinitate. 2) Chriſtus non eſt mediator ſui ipſius, quatenus eſt vnus cum Patre & Spiritu S. Deus offenſus, ſed quatenus eſt θεάνθρωπος offenſam ſoluens, iuxta illud: Deus *erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans illis peccata*, 2 Cor. V, 19. 3) Diſtinguitur mediator a Deo ratione perſonæ & officii, non ratione eſſentiæ diuinæ.

VII. Si ſolus Pater ſedet in throno maieſtatis diuinæ, ipſe ſolus ſummus Deus eſt. Antecedens eſt verum. Ergo & conſequens. Ratio conſequentiæ eſt; quia ſummus Deus celſiſſimum maieſtatis diuinæ thronum obtinet. Antecedens probatur ex Dan. VII, 9. Apoc. IV, 5. Reſp. a) In *genere*: Theologia parabolica non eſt argumentatiua. b) In *ſpecie*: A ſolius Patris viſione in throno ad negationem diuinitatis Filii non v. c. Apparitio enim liberæ eſt terminationis, adeoque vnius pluriumue perſonarum eſſe poteſt. Quamuis Deus in perſonis trinus ſit, poteſt tamen in aliqua viſione non vt trinus, ſed tanquam vnus repræſentari ob vnitatem eſſentiæ, potentiæ, gloriæ & maieſtatis. Chriſtus de ſeipſo dicit: *Conſedi cum Patre meo in throno ipſius*, Apoc. III, 21. (*)

VIII. Quicunque ſolus eſt αὐτόθεος, is ſolus eſt ſummus Deus. Atqui Deus Pater &c. Ergo. Maior conſtat; quia αὐτόθεος eſt, qui a ſeipſo Deus eſt. Eſſe a ſe ipſo ſummi Dei proprium eſt. Minor liquet, quia Deus Pater a nullo eſſentiam ſuam accepit, vere dicitur αὐτόθεος i. e. Deus a ſe ipſo exiſtens. Reſp. Vox græca αὐτόθεος non eſt biblica, ſed eccleſiaſtica, ſurpata primum ab ORIGENE *tom. II. in Ioan. fol. 272.* citante HÜLSEMANNO in *breu. enucl.*



(*) Sed & illa verba, quorum eadem eſt ſententia, Ieſ. VI, 1. non de ſolo Patre, ſed etiam de Filio Dei, nec non de Spiritu S. intelligenda eſſe, patebit luculenter, ſi continuatio verborum v. 3. 8. 9. conferatur cum Ioan. XII, 40. 41. & Act. XXVIII, 25. 26.

Digitized by Google

*enucl. p. 137.* Poſſemus ab hac voce tuto abſtinere. At vero cum diſſidentes ex hac voce eccleſiaſtica deitatem Chriſti impugnent, eius vis ſignificandi accurate penſitanda eſt. Cum αὐτὸς *ipſum*, Θεὸς *Deum* ſignificet, terminus eccleſiaſticus αὐτόθεος bifariam exponi poteſt, vt notet a) eum, *qui ſeipſo, aut in ſeipſo Deus eſt.* Sic Filius Dei (vt & Spiritus S.) eſt αὐτόθεος *ſeipſo, aut in ſeipſo Deus. Sicut enim Pater vitam habet in ſeipſo: ita & Filio dedit vitam habere in ſeipſo,* Io. V, 26. b) Vt deſignet eum, qui *a ſeipſo* Deus eſt. Sicut autem *eſſe a ſeipſo, vel dicit negationem dependentiæ ab alio, tanquam cauſſa efficiente, vel negationem omnis originis & proceſſionis perſonalis*: ita αὐτόθεος Deus *a ſeipſo* dicitur 1) Deus *independens.* Quo ſenſu Filius Dei recte dicitur αὐτόθεος; quia ens eſt, æque ac Pater, independens. Dependere enim ſignificat eſſe ab alio, tanquam cauſſa efficiente, in diuerſitate naturæ. At Pater in diuinis non eſt cauſſa Filii, ſed tantum principium non cauſſale per æternam generationem: nec inter Patrem & Filium eſt diuerſitas naturæ, ſed vnitas ſingulariſſima. 2) Ἀυτόθεος vocatur *Deus inoriginatus.* Sic ſolus Pater eſt αὐτόθεος Deus *a ſeipſo,* i. e. a nullo habens originem. Filius per generationem, a Patre, Spiritus S. per proceſſionem, a Patre & Filio communicatam eſſentiam diuinam habet. Neque tamen ex eo recte impugnatur ſumma diuinitas Filii aut Spiritus S. *Nam eſſe a ſeipſo* eſt proprium ſummi Dei, quatenus negat *dependentiam cauſſalem* ab alio; at quatenus negat omnem originem aut proceſſionem perſonalem, notio γνωριστική primæ perſonæ diuinæ eſt. Ratum igitur fixumque manet, Filium Dei eſſe αὐτόθεον, qui a *ſeipſo* & *in ſeipſo* Deus eſt, quia Iehouah *independens & æternus* eſt. Neque falſus fuit EPIPHANIVS, cum Filium Dei appellauit αὐτοτέλειον καὶ αὐτόθεον. Hæreſ. LXIX.

Inſtantia I: Patres concilii Niceni vocarunt Filium Deum de Deo, adeoque negarunt, illum eſſe αὐτόθεον, Deum a ſe ipſo. Reſp. Eo ipſo, quo Patres concilii Niceni Filium dixerunt Deum de Deo, indigitarunt, illum eſſe a Patre non per modum dependentiæ, vt ſunt creaturæ, ſed per modum originis, & ὁμουσίας, alias non vocaſſent eum Deum de Deo. Acceperunt iidem vocem, *Deus,* non *eſſentialiter,* ſed *perſonaliter.* Conf. 2 Cor. XIII, 13. 1 Tim. III, 16.

Inſtantia II: Deus Pater videtur eſſe Deus κατ᾽ ἐξοχήν, quia eſt a) fons deitatis: b) Quia potior eſt ratio dantis, quam accipientis; veluti, ſi rex parem ſibi poteſtatem in regno det filio. Reſp. Fons & principium præ principiato habet ἐξοχήν excellentiam, aut prærogatiuam, ſi ab hoc eſſentialiter diſtinguatur. At tres perſonæ diuinæ ſunt vnius eſſentiæ ſingularis, adeoque vnius excellentiæ & maieſtatis.

Inſtantia III: Haud incongrue diſtingui poſſet inter *axioma* ὑποστατικὸν, ſiue *perſonale,* & φυσικὸν ſiue naturale. Quamuis Filius Dei cum Patre cœleſti eadem polleat maieſtate, ſi ſpectes eandem naturam diuinam; attamen ratione perſonæ prior, dignior & eminentior Deus Pater videtur. Quam eminentiam perſonalem Patris aſſeruerunt nonnulli doctores primitiuæ eccleſiæ apud DIONYS. PETAV. L. II. *de trinitat. cap.* II. §. XI. Reſp. Ἐξοχή, excellentia & maieſtas Dei eſt attributum diuinum *eſſentiale,* non *perſonale.* Hinc vbi diuerſitas ἐξοχῆς, ἀξιώματος & dignitatis aſſeritur; ibi diuerſitas eſſentiæ creditur. Et vbi prærogatiua eſt, ibi eſt inæqualitas. At Filius (idem ſentiendum de Spiritu S.) eſt Patri ὁμούσιος Io. X, 30. æqualis Io. V, 18. habens omnia, quæ Pater habet, Io. XVI, 15. Ἀκυρολογίαν Patrum non imitamur. *Argumenta poſterioris claſſis, quibus ſummam diuinitatem Filii Dei directe impugnant, ſunt ſequentia:*

I. Quicunque a ſummo Deo diſtinguitur, is non eſt ſummus Deus. Atqui Chriſtus &c. E. *Minor* prob. ex Io. I, 2. Vbi Verbum hypoſtaticum, quod eſt Chriſtus dicitur fuiſſe apud Deum. Reſp. Chriſtus a Deo Patre diſtinguitur ratione perſonæ, & officii, non ratione eſſentiæ diuinæ.

Inſtantia

Digitized by Google

Inſtantia I: Neceſſe eſt, vt alia ſit ſubſtantia Patris, alia Filii. Reſp. Sufficit, quod duæ ſint perſonæ.

Inſtantia II: Filius eſt Patre poſterior tempore, adeoque diuerſæ ab hoc eſſentiæ. Reſp. Filius in humanis, non in diuinis, Patre poſterior eſt tempore. In humanis enim Filius natus eſt in tempore, aliamque numero habet naturam, quam Pater. At Filius Dei genitus eſt ab æterno, eandemque numero eſſentiam cum Patre habet.

II. Summus Deus poteſt omnia a ſeipſo facere. Filius Dei non poteſt &c. Ergo. *Maior* eſt euidens; quia ſummus Deus vt a ſeipſo eſt: ita a ſe ipſo habet vim & poteſtatem liberrimam agendi. *Minor* prob. ex Io. V, 19. *Non poteſt Filius facere a ſe quidquam, niſi quod viderit Patrem facere.* Reſp. 1) Phraſis illa: *a ſe ipſo facere*, poteſt duplici ſenſu accipi, *vno*, vt importet ſimpliciter *negationem omnis plane originis*, ita vt ſenſus ſit: Deus ille ſummus omnia a ſe facere poteſt, vt nullam prorſus agnoſcat originem, vnde potentiam & ſcientiam operandi habeat. *Altero*, vt a ſe facere importet *negationem dependentiæ in operando ab alia ſuperiori cauſſa*, & ſenſus ſit: Deus ille ſummus omnia a ſe ipſo, id eſt, independenter ab alia ſuperiori cauſſa, facere poteſt. *Priori* ſenſu *maior* propoſitio non eſt vniuerſaliter vera, ſed de ſolo Patre procedit. *Poſteriori* ſenſu negatur *minor.* Quando itaque Chriſtus dicit: *Num poteſt a ſe Filius quidquam facere, niſi quod viderit Patrem facere?* tum in *priori* ſenſu accipienda ſunt illius verba, non in *poſteriori*, eſtque illorum mens: Filius, vt per æternam generationem a Patre eſt, & eandem operandi potentiam & ſcientiam, quam Pater habet, a Patre accepit; ita nihil facere poteſt a ſe, & ſeorſim a Patre, ſed quidquid facit, ſimul cum Patre facit. 2) Neque ex Verbis Chriſti: *niſi quod viderit Patrem facere*, ſumma illius diuinitas recte impugnatur. Non enim Filius nihil poteſt facere, niſi viderit Patrem facientem, *vt diſcipulus, ſed vt Filius*; Si autem vt Filius, ſane habet illam operationis concurrentiam non per informationem, ſed per æternam generationem. Cum itaque eſſentia & ſcientia diuina identificentur; conſequitur, vt qui eſſentiam accipit a Patre per generationem, ab eodem quoque accipiat ſcientiam. *Proinde Filius nihil poteſt facere a ſeipſo ob vnitatem tum potentiæ, tum ſcientiæ, cum Patre:* quæ vnitas ὁμοϐσίας diuinæ argumentum eſt.

III. Quicunque miſſus eſt a Deo, is non eſt ſummus Deus. At Filius Dei &c. E. *Maior* patet; quia ſuperior mittit inferiorem. *Minor* probatur ex Ioh. III, 17. Reſp. Miſſus eſt Filius Dei a Patre non per imperium, ſed cum conſenſu. At miſſio, quæ fit cum conſenſu, non infert ius ſuperioris. Amicus enim amicum eiusdem dignitatis mittere poteſt.

IV. Quicunque a ſe ipſo non venit, ſummus Deus non eſt. Chriſtus a ſe ipſo non venit. Ergo. *Maior* eſt euidens; ideo, quod aduentus illius, qui a ſeipſo non venit, ab alio dependet. *Minor* prob. ex Io. VII, 28. c. VIII, 42. Reſp. Locis citatis loquitur Chriſtus θεάνθρωπος de aduentu ſuo ad officium propheticum, ad quod non venit a ſeipſo, contra voluntatem Patris munus prophetæ ſibi arrogando, aut in officium ſe ingerendo, ſed miſſus eſt a Patre miſſione illa, quæ fit cum conſenſu.

Inſtantia I: Summus Deus nihil facit voluntate aliena. Reſp. Nec Filius Dei quidquam facit voluntate aliena; voluntas enim Patris eſt voluntas Filii.

Inſtantia II: Chriſtus negat, ſe veniſſe, vt voluntatem ſuam faceret, Io. V, 30. Reſp. Verba Chriſti intelligenda ſunt non in ſenſu *oppoſito*, ſed *compoſito* ſubintellecta particula excluſiua, *tantum.* Chriſtus venit, non vt tantum ſuam, ſed vt ſuam patrisque voluntatem faceret, cum vtriusque eadem ſit voluntas.

Inſtantia III: Chriſtus voluntatem ſuam Patri ſubiecit. Matth. XXVI, 39. Reſp. Chriſtus ſubiecit patri voluntatem ſuam humanam, quæ quidem non eſt contraria voluntati diuinæ, ab eadem tamen diuerſa.

V. Si

Digitized by Google

V. Si Chriſtus eſſet ſummus Deus, ſuam poſſet quærere gloriam. At non quæſiuit gloriam ſuam. E. *Maioris* conſequentia eſt clara; quia Deo ſummus honor, ſumma gloria competit. *Minor* prob. ex Io. VIII, 50. Reſp. 1) Chriſtus l. c. loquitur non ex ſuo, ſed aduerſariorum ſuorum ſenſu. Iudæi enim calumniabantur, eum ex arrogantia quadam quærere gloriam. At negat Chriſtus, ſe vana ſtimulatum ambitione aucupari gloriam. 2) Poſſunt verba Chriſti etiam accipi ſenſu compoſito, vel coniunctiuo, ſubintellecta particula excluſiua, *ſolus* q. d. Ego non quæro gloriam meam ſolus, ſed & Pater meus quærit eam, cum vtriusque vna & communis ſit gloria.

VI. Supremus Deus eſt κατ᾽ ἐξοχὴν bonus. Chriſtus non eſt &c. E. *Minor* probatur ex verbis Chriſti, Matth. XIX, 17. *Cur me dicis bonum? nullus bonus eſt*, niſi vnus Deus. Reſp. Verba Chriſti continent reſponſionem κατ᾽ ἄνθρωπον, qua Chriſtus reſpondet ſecundum mentem interrogantis iuuenis, qui Chriſtum non alio ſenſu bonum appellauerat, quam appellaſſet quemuis alium magiſtrum. Hunc correcturus Chriſtus reſpondet: Cur me vocas bonum, quem nec Deum, nec a Deo miſſum eſſe credis? Nullus bonus eſt per eſſentiam, niſi vnus Deus: nec dici meretur magiſter, qui a Deo non eſt miſſus. Quare aut deſine me vocare bonum, aut crede, me eſſe θεάνθρωπον, verum Deum, & verum doctorem a Deo miſſum.

VII. Chriſtus non eſt primus doctrinæ ſuæ auctor. Ergo non eſt ſupremus Deus. Antecedens conſtat ex Io. VII, 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me.* Reſp. Senſus verborum Chriſti eſt: Doctrina mea non eſt *tantum* mea, ſed & Patris; quem Iudæi a Filio ſeparabant, Chriſtumque nudum hominem eſſe, qui inſtar aliorum litteras diſcere debuiſſet, arbitrabantur. His reſponſurus, oſtendit doctrinam ſuam eſſe plane diuinam, non hauſtam ex informatione præceptorum.

VIII. Deus ſummus eſt vltimus fidei ſcopus, eiusque obiectum principale. Sed Chriſtus non eſt &c. E. *Minor* probatur ex verbis Chriſti, Io. XII, 44. *Qui in me credit, non in me credit, ſed in eum, qui miſit me.* Reſp. Senſus eſt: *Qui in me credit, non tantum in me credit, ſed etiam in eum, qui miſit me.*

IX. Pater Chriſto maior eſt, Io. XIV, 28. Ergo Chriſtus non eſt Deus maximus. Reſp. Pater Chriſto homine exinanito, ſiue in ſtatu exinanitionis ſpectato maior eſt. At Chriſtus, qua Deus, Patri æqualis, Io. V, 18. & ὁμοούσιος eſt, Io. X, 30.

X. Deus Pater dicitur Deus & caput Chriſti, Io. XX, 17. 1 Cor. XI, 3. E. Chriſtus non eſt ſummus Deus. Reſp. In locis citatis agitur de Chriſto, qua *homine*.

XI. Chriſtus eſt Dei, 1 Cor. III, 23. Ergo Deus minor eſt. Reſp. Chriſtus dicitur eſſe *Dei*, vel qua homo; vel ſi abſolute & ſimpliciter Dei eſſe dicatur, ratione generationis, miſſionis & deſtinationis ad officium id accipiendum erit; quæ conueniunt etiam Chriſto, vt ſecundæ perſonæ, ob eius originem a Patre. Vtro modo dicatur Dei eſſe, æternæ ipſius deitati nihil inde decedet.

XII. In cuius poteſtate & arbitrio non ſunt omnia, ille non eſt ſummus Deus. In poteſtate Chriſti non ſunt omnia. E. *Minor* probatur ex Matth. XX, 23. *Sedere ad dextram meam, & ſiniſtram meam, non meum eſt dare, niſi iis, quibus datum eſt a Patre.* Reſp. Verbis citatis non derogat Chriſtus ſibi potentiam dandi prærogatiuam in regno gratiæ, aut gloriæ, ſed obiectum tantum limitat. Senſus enim genuinus eſt: Sedere ad dextram & ſiniſtram non eſt meum dare (aliis), niſi iis, quibus id paratum eſt. At ſic nec Pater aliis, quam quibus ab æterno dare decreuit, vllam prærogatiuam in regno ſuo largitur.

Inſtantia: Sed Chriſtus ad Patris ſui arbitrium ſe daturum eſſe, dicit. Reſp. Arbitrium Patris & Chriſti, eſt vnum. *Quemadmodum enim Pater ſuſcitat mortuos & viuificat: ita etiam Filius, quos vult, viuificat.* Io. V, 21.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Omnia Chriſto a Patre ſunt data. Ergo non eſt ſummus Deus, cui dari nihil poteſt, antecedens prob. ex Io. III, 35. c. V, 22. Reſp. Datione κατ' ἔσω, ſiue per æternam generationem, diuinitas Chriſti non imminuitur: Datio autem κατ' ἔξω, ſiue temporalis Chriſto ſecundum humanitatem competit.

XIV. Chriſtus mandata a Patre accepit, Io. X, 18. c. XII, 49. & obediuit Deo, Rom. V, 19. Phil. II, 8. Ergo non eſt ſummus Deus. Reſp. Chriſtus non qua Deus, ſed qua homo, aſſumta forma ſerui, mandata a Patre accepit, & eidem obediuit.

XV. Si Chriſtus ſummus Deus eſſet, vtique ſeipſum glorificaſſet, vt pontifex fieret. Sed ſe ipſum non glorificauit, Hebr. V, 5. E. Reſp. A dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter non v. c. In loco citato non negatur ſimpliciter, Chriſtum ſe ipſum glorificaſſe, ſed negatur tantum, Chriſtum ſe glorificaſſe eo modo, quo ſe glorificant αὐτόκλητοι, qui non miſſi a Deo, ſeſe in officia ingerunt, & muneris honorem proprio auſu ſibi ſumunt: cum Chriſtus vtique a Patre vocatus & glorificatus ſit, vt pontifex fieret, licet glorificatio ſui, quæ a Patre ipſius erat, eſſet etiam ab ipſomet, vt Deo.

XVI. Deus ſummus alteri regnum non tradit, id deponendo & iure ad imperandum ſe abdicando. Chriſtus Patri tradet regnum, id deponendo & iure ſe abdicando. Ergo Chriſtus non eſt ſummus Deus. *Minor* liquet ex 1 Cor. XV, 24. Reſp. Deum ſummum, qua talem, regnum ſuum nemini tradere, verum eſt. At θεάνθρωπος, ſiue Deus ſummus, in carne manifeſtatus, tradet Patri regnum, *ceſſando a certa regiminis per Verbum & ſacramenta adminiſtrati forma, non poteſtatem regiam deponendo*; cum conſtet e ſcripturis regnum Chriſti eſſe æternum, Dan. VII, 14. Luc. I, 33.

### Quæſt. XXXV. *Vnde vera & diſtincta Filii Dei perſonalitas innoteſcit?*

Filium Dei veram, eamque diſtinctam a Deo Patre & Spiritu S. perſonam eſſe, conſtat ex denominatione atque proprietate perſonali (a), ex actu ad intra perſonali, eiusque nota manifeſtatiua (b), & ex actione ad extra, Filio Dei appropriata (c).

Prob. a. Chriſtus vocatur Filius Dei proprius, Rom. VIII, 32. adeoque ob proprie dictam filiationem, fundatam in generatione paſſiua, quæ miſſione paſſiua ad opus redemtionis manifeſtatur. Iam autem Filium genitum e ſubſtantia Patris, & ab hoc ad certum munus miſſum, veram atque diſtinctam a Patre perſonam eſſe, euidens eſt.

Prob. b. Sicut Filius Dei a Patre per generationem paſſiuam, ita per ſpirationem activam a Spiritu S. perſonaliter diſtinguitur: quæ diſtinctio perſonalis ex miſſione Spiritus S. vberius inclareſcit. Sane ſpirans & ſpiratus, mittens & miſſus, differunt, vt diſtinctæ perſonæ.

Prob. c. Appropriatur Filio *Dei redemtio generis humani:* quæ licet *ratione principii, ordinationis & applicationis toti SS. Trinitati communis ſit*: *terminatiue tamen, ratione meriti & acquiſitionis, propria eſt Filio Dei*: vbi aliquid ſingulare occurrit. Etenim Filius Dei hoc opus ad extra non tantum *externe* ſibi appropriauit, ſed etiam *interne*, in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumſit humanam naturam, & huic ſubſiſtentiam ſuam communicauit, vt in & cum humana natura opus redemtionis abſolueret; quod de aliis diuinitatis perſonis dici nequit. Nec enim vel Pater, vel Spiritus S. ſuam ſubſiſtentiam humanæ Chriſti naturæ communicarunt; nec ita propriam carnem & ſanguinem habent, vt per illam generis humani redemtionem perficere potuerint.



Digitized by Google

Quæſt. XXXVI. *Quis eſt character hypoſtaticus Filii Dei?*

Character hypoſtaticus, ſeu proprietas perſonalis Filii Dei, eſt filiatio, fundata in æterna generatione, paſſiue, ſeu terminatiue ſpectata, quæ etiam æterna natiuitas vocatur.

Prob. Diuina, eaque propria, filiatio competit æterno Filio Dei, per quam non tantum a Deo Patre & Spiritu S. diſtinguitur, ſed etiam in *eſſe Filii* conſtituitur.

Obſ. Cum fundamentum proximum diuinæ filiationis ſit æterna natiuitas, hæc a nonnullis theologis character hypoſtaticus Filii Dei appellatur, vel maxime ideo, quod filiatio, & æterna Dei natiuitas, ex parte rei non differunt.

Quæſt. XXXVII. *Quid eſt generatio Filii Dei paſſiua?*

*Generatio paſſiua*, ſeu æterna natiuitas eſt, qua Filius Dei a Patre æterno, vt ſubſtantialis ipſius imago, vnius eiusdemque eſſentiæ communicatione vere & proprie, modo tamen hyperphyſico & imperueſtigabili producitur.

Obſ. Generatio *actiua* Patris, & *paſſiua* Filii Dei, non ſunt duæ generationes, ſed vna generatio, quæ ratione *principii*, *actiua*; ratione *termini*, *paſſiua* vocatur grammatice, quoniam Filius Dei non generare, ſed generari dicitur; *non* autem *paſſiua* eſt *realiter & phyſice*, quaſi realis paſſio in Filium Dei cadat; hanc non admittit ſumma ipſius perfectio, ſimplicitas & immutabilitas.

Quæſt. XXXVIII. *Qualis eſt generatio Filii Dei?*

Generatio Filii Dei non eſt impropria, metaphorica aut accidentalis, ſed *propria, vera & ſubſtantialis* (a); non phyſica, ſed *hyperphyſica* eſt (b); non temporalis, ſed *æterna* (c); non externa, ſed *intima* (d); non voluntaria, ſed *naturalis & neceſſaria* (e) eſt.

Prob. a. Generationem *Filii Dei* non metaphoricam, aut accidentalem (qualis eſt hominum peccatorum regeneratio), ſed *propriam & ſubſtantialem* eſſe, diſcimus ex Pſ. II, 7. vbi *Deus Pater* Filium ſuum verbis compellat dulciſſimis: *Filius meus* (es) *tu: ego hodie genui te.* E quibus verbis formamus argumentum. *Ad quemcunque dixit* Iehouah: *Filius meus es tu, ego hodie genui te, is vera, propria & ſubſtantiali generatione a Patre Iehouah eſt productus. Atqui ad ſecundam perſonam diuinitatis dixit* Iehouah &c. Ergo. *Maior* probatur (1) *ex vera ratione Filii.* Filius, proprie dictus eſt, qui e ſubſtantia Patris prognatus eſt, & vel ſpecie eandem (vt in humanis), vel numero eandem (vt in diuinis) cum Patre eſſentiam habet. *Chriſtus* autem eſt *Filius Dei proprius*, Rom. VIII, 32. At non foret *Filius Dei proprius*, ſi eius generatio impropria, aut metaphorica eſſet: *Filius vnigenitus* eſt a Patre, Io. I, 14. Filii vnigeniti nomen in vniuerſa ſcriptura canonica nunquam notat alium, quam eum, qui ſolus e ſubſtantia Patris natus eſt. Excipiunt *Sociniani*, vnigenitum dici filium dilectiſſimum, ſicut Salomo יָחִיד, vnicus, Prou. IV, 3. vt & Iſaac non tantum יחיד Gen. XXII, 22. ſed & μονογενὴς, vnigenitus, Hebr. XI, 17. appellatur, cui tamen fuit frater Iſmaël. Reſp. Salomo dicitur quidem vnicus, ſed non vnigenitus; Iſaac autem proprie fuit vnigenitus. Licet enim fratrem habuerit Iſmaëlem, vnigenitus tamen fuit reſpectu illius coniugii, quod fuit inter Abrahamum & Saram. (2) *Ex vera ratione generationis. Generatio formaliter eſt actio, qua generans producendo generatum, huic ſuam communicat eſſentiam, vt ſit ipſius imago.* Atqui Deus Pater, producendo Filium ſuum, huic ſuam communicauit eſſentiam, vt ſit ipſius imago. Nam (a) *Verbum* ילד, quod habetur Pſ. II, 7. *quotiescunque in ſacris litteris de perſona, producente perſonam, abſolute & ſine additamento diminuente vſurpatur, ſubſtantialem deſignat produ-*

*productionem.* (b) Chriſtus ipſe inquit: *Quemadmodum Pater vitam habet in ſeipſo: ita etiam Filio dedit vitam habere in ſeipſo.* Deus Pater per æternam generationem dedit Filio ſuam vitam: Ergo & ſuam eſſentiam; cum hæc ab illa realiter non differat. (c) *Filius Dei eſt imago Dei inuiſibilis*, Col. I, 15. Omnis imago importat tum originem & expreſſionem ab exemplari, tum conuenientiam cum eodem, vt illud repræſentet. Eſt itaque Filius Dei imago Patris ſubſtantialis; quia a Deo Patre originem per æternam generationem habet, & cum eodem ratione eſſentiæ ſingulariſſimæ conuenit, perſonaliter ab ipſo diſtinctus. Idem plenius docet apoſtolus, cum Filius Dei Hebr. I, 3. ab eodem appellatur ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτȣ̃, *ſplendor gloriæ, & character perſonæ ipſius* (Dei Patris). Ἀπαύγασμα proprie ſignificat *effulgentiam, relucentiam*, aut reſplendeſcentiam a luce editam, & in N. T. non niſi in h. l. vſurpatur. Auctor libri Sap. c. VII, 26. vocat ſapientiam ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίȣ, ſplendorem lucis æternæ. Gloria Patris autem eſt eſſentia Dei Patris glorioſiſſima & adorabilis. Innuit igitur apoſtolus hac phraſi, Filium Dei a Patre glorioſiſſimo gigni non libere, aut voluntate conſilioque, ſed naturaliter, neceſſario, continuo, ab æterno, ſine vlla gignentis genitique mutatione, eundemque Patri inſeparabiliter coëxſiſtere; ſicut lumen ſolis naturaliter, neceſſario, continuo, & ſoli coæuum, atque ab ipſo inſeparabile, ſine vlla mutatione, e ſole emanat: Filiumque tamen a Patre diſtinctum eſſe, vt radius a ſole diſtinctus eſt. Quo reſpexerunt Patres concilii Nicæni, cum vocarunt Filium Dei *lumen de lumine.* Ceterum, vt omnis Filius eſt imago ſui Patris: Ita Filius Dei eſt *character hypoſtaſeos, concretiue acceptæ,* nempe perſonæ Patris, ſeu eſſentiæ diuinæ, ſubſiſtentia Patris determinatæ. Notat autem χαρακτὴρ imaginem non vmbraticam, fugacem aut euanidam, ſed expreſſam, conſtantem & perfectam. Quare hac voce apoſtolus aſſerit, Filium Dei eſſe imaginem Dei expreſſam, perfectiſſimam & æternam, qua ad viuum repræſentatur Pater, vt *viſo Filio videatur Pater*, Io. XIV, 9. *Minor* huius argumenti patet; quia totus Pſ. II. manifeſtiſſimam continet prophetiam de regno Chriſti, expoſitam & applicatam ab apoſtolis, Petro, Actor. IV, 25. Paullo, Actor. XIII, 33. Hebr. I, 5. c. V, 5. Ioanne, Apoc. II, 27. c. XIX, 15.

Prob. b. Generationem Filii Dei non eſſe *phyſicam, aut vulgarem, ſed hyperphyſicam & eminentiſſimam*, conſtat ex eo, quod hæc generatio conciliat Filio Dei maieſtatem, eminentia angelica longe ſuperiorem, docente apoſtolo, Hebr. I, 5.: *Cui dixit vnquam angelorum: Filius meus es tu: Ego hodie genui te?* Maieſtas, eminentia angelica ſuperior, vere diuina eſt. Eſt igitur generatio Filii Dei vere diuina, reſecanda ab omnibus imperfectionibus, generationi phyſicæ adhærentibus, quales ſunt: dependentia generati a generante, prioritas & poſterioritas durationis, mutatio & tranſitus a non eſſe ad eſſe, multiplicatio eſſentiæ numericæ, propagatio per traducem, &c.

Prob. c. Æternitas generationis Filii Dei probatur (I) e Pſ. II. 6. 7. in quo actus generatiuus, noſtro concipiendi modo, prior deſcribitur decreto diuino de inauguratione huius regis Meſſiæ. At decretum diuinum vtique æternum eſt. Ergo actus generationis, decreto illo conceptibiliter prior, eſt æternus. Deinde actus ille generationis producit perſonam infinitam, omnipotentem, omnipræſentem & adorabilem, v. 9. ſeqq. At talis actus non temporalis, ſed æternus eſt. Deſcribitur denique actus ille generationis per τὸ *hodie*, quod vſurpatum de actu diuino interno, qualis generatio non niſi *diuinum hodie* eſt, adeoque excludit fluxum temporis, præſcindit a præterito & futuro, atque notat perpetuum νῦν, ſiue diem immutabilis æternitatis. *Vbi enim dies nec heſterni fine inchoatur, nec initio craſtini terminatur, ſemper hodiernus eſt, i. e. ipſa eſt æternitas*, iudice AVGVSTINO *tom. III. in enchirid. ad Laurent. cap. 49.*



Digitized by Google

Excipiunt aduerſarii: (1) *τὸ hodie* certum intimare diem, quod æternitati plane contrarium eſt: (2) Deum Patrem alloqui in præterito Filium: *Ego genui* te, vt indicet, illam generationem iam præteriiſſe. Reſp. Ad I. *τὸ hodie* non ſemper in ſacris litteris deſignat diem determinatum, ſed *tempus continuum*, vt Pſalm XCV, 7. *Hodie ſi vocem Domini audiueritis* i. e. ſemper, *quamdiu hodie vocatur*, Hebr. III, 13.; aut longum temporis decurſum, vt Gen. XXII, 14. *Vnde dicitur hodie, in monte Iehouah videbitur.* Quin & יום *dies* ipſam notat æternitatem, Eſ. XLIII, 13. *Etiam ex quo dies eſt: Ego ſum*, i. e. ab æterno; *quia vna dies apud Dominum, ſicut mille anni.* 2. Petr. III, 8. & 18. Ad II. Generatio Filii Dei exprimitur in præterito, non quaſi præterierit, aut deſierit, ſed quia Filius Dei ante ſæcula certiſſime non minus, quam perfectiſſime genitus eſt. Præclare ait GREGOR. NAZIANZEN. *orat. III. de theol. Nec Deus Pater ita generat, vt nondum perfecte generarit; neque ita generauit Filium, vt generare deſierit. Illa enim locum habent in iis duntaxat, quæ temporum mutationibus ſunt obnoxia: vera in Deo eſt natiuitas, ſed perfecta; ſemper enim Filius naſcitur, ſed perfectus.*

(II) E Prou. IIX, 22-24. *Iehouah poſſedit me, principium viæ ſuæ; ante opera eius, ex quo* (eſt) *ab æterno inuncta* (*effuſa*) *ſum a principio, ab antiquitatibus terræ. Cum nondum eſſent abyſſi, genita ſum.* Hunc locum non de ſapientia Dei eſſentiali, aut attributo diuino, ſed de ſapientia Dei hypoſtatica ſeu perſonali, nempe Flio Dei exponendum eſſe, prolixe oſtendit D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. in h. l. fol. 1147. ſeqq.* Nos breuitati ſtudentes, obſeruamus (1) Filium Dei etiam in N. T. ſapientiam Dei vocari. *Prædicamus Chriſtum, Dei virtutem & Dei ſapientiam*, 1 Cor. I, 24. Conf. Matth. XI, 19. Luc. VII, 35. (2) Sapientiam apud Salomonem de ſe ipſa teſtari: הוללתי *genita ſum* (הול actum conceptionis & generationis, ſignificare, liquet e Pſ. LI, 7. Iob. XV, 7. Eſ. LI, 2.) qua voce character hypoſtaticus Filii Dei exprimitur: *Genita ſum*, inquit, a *principio, ab antiquitatibus terræ, cum nondum eſſent abyſſi:* quibus verbis eius præexſiſtentia ante-ſecularis & æterna inſinuatur; quæ clarius indigitatur, cum *ſapientia hypoſtatica* de ſeipſa inquit: *Iehouah poſſedit me* (per genetationem, conf. Gen. IV, 1) *principium viæ ſuæ*; *ante opera eius ex quo* (eſt); vbi intelligimus *principium non materiale, ſed effectiuum & architectonicum.* Quibus præſtitutis argumentamur: *Quæ ſapientia eſt genita & poſſeſſa a Deo ante omnia eius opera, ex quo ipſe eſt, illius generatio eſt æterna. Atqui Filius Dei eſt illa ſapientia &c. Ergo.*

(III.) Ex Mich. V, 2. *Eius egreſſiones ſunt ab antiquo, a diebus æternitatis.* Loquitur propheta de dominatore Iſraëlis, ſiue de *Chriſto*, conf. Matth. III, 7. Io. VII, 42. *Egreſſiones* autem deſignantur non *nude patefactiuæ*, quatenus Filius Dei ad ſanctos Patres Adamum, Noachum &c. egreſſus, ſe illis familiari ſermone patefecit; ſed *generatiue*; quemadmodum illa vox aliquoties accipitur, Gen. XVII, 6. c. XXV, 26. Iud. VIII, 30. *Egreſſiones* dicuntur in *plurali*, non quod duplex natiuitas, æterna, & temporalis inſinuetur; obſtat enim & æternitatis determinatio, & abſurdum otioſæ repetitionis; cum de egreſſione temporali in priori membro ſit actum; ſed ad *notandam æternæ natiuitatis eminentiam*; Hebræis enim, quæ ſublimia ſunt, pluraliter enunciare ſolemne eſt, & *iugem emanationem:* ſicut fontis emanationem vocamus ſcaturigines, quia iugiter aqua ſcaturit. Ex his colligimus: *Cuius egreſſiones generatiuæ ſunt ab antiquo, a diebus æternitatis, ille ab æterno genitus eſt. Atqui dominatoris Iſraëlis &c. Ergo.*

Prob. d. Generationem Filii Dei non eſſe *externam, aut tranſeuntem, ſed intimam & immanentem*, patet: quia Deus Pater Filium ſuum non ad extra produxit, ſed intra eſſentiam ſuam genuit: nec a Patre ſeparatur Filius, vt alias fit, ſed in ſinu Patris manet, Io. I, 18.: nec Filius tantum in Patre eſt, ſed Pater etiam in Filio eſt, per intimam communionem, mutuam-

Digitized by Google

mutuamque περιχώρησιν. *Non credis, quod ego in Patre & Pater in me eſt.* Io. XIV, 10. Illuſtratur immanens hæc generatio ex eo, quod Filius Dei ſapientia, Prou. IIX, 24. & ὁ λόγος, ſiue Verbum, quod initio erat apud Deum Io. I, 1. appellatur. Nam vt verbum internum & ſapientia a mente velut principio redundat, & in mente manet, vt proles quædam & filia mentis: ita Filius Dei a Patre gignitur, & in Patre manet.

Prob. e. Quod ſi generatio Fili Dei, per actum voluntatis elicita & libera, non autem neceſſaria aut naturalis eſſet, non foret Filius Patri æqualis & ὁμοούσιος; nam hic exſiſtit neceſſario, & non poteſt non eſſe. Concinne ait DAMASC. *L. I. O. F. c. 8.* γέννησίς ἐστιν ἔργον φύσεως, κτίσις ἔργον θελήσεως. Probe hic obſeruandum, quod Deus Pater non coactus, nec tamen conſilio liberæ voluntatis generationem præcedentis, ſed neceſſitate naturæ, ab omni tamen coactione penitus remota, generatione perfectiſſima Filium genuerit.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum* (1) æternam Filii Dei generationem negantium; (2) alia filiationis diuinæ fundamenta conquirentium. Argumenta, quibus æternam & ſubſtantialem Filii Dei generationem impugnant, ſunt ſequentia:

I. Deus Pater genuit Filium aut exſiſtentem, aut non exſiſtentem. Si ſemper Filius exſtitit, gigni non potuit; eo quod generatio progreditur a non eſſe, ad eſſe. Si autem non exſtitit, Filius Dei non eſt æternus. Reſp. Gignit Deus Pater Filium ſemper exſiſtentem, ſemper emanantem a Patre, ſicut radius ſemper fluit ex ſole. *Phyſica & temporalis generatio* progreditur a non eſſe ad eſſe, cum ſit corporum naturalium mutationi obnoxiorum, non autem generatio *hyperphyſica & æterna*, quippe quæ eſt entis neceſſarii, omni mutatione ſuperioris. (*).

Inſtantia: Eſſe ab æterno, & genitum eſſe ab æterno, ſunt contradictoria, quæ ſimul ſtare nequeunt. Reſp. Non ſunt contradictoria. Nam contradictio verſatur inter eosdem terminos. At hic inſignis terminorum diſtinctio apparet. Nam eſſe ab æterno notat ipſam eſſentiam: genitum eſſe ab æterno, notat modum habendi eſſentiam ab æterno. Hinc contradictio exſpirat. (**).

II. Quidquid eſt æternum, in illo prius & poſterius locum non habet. In omni generatione prius & poſterius locum habet. Ergo nulla generatio eſt æterna. *Maior* conſtat, quia æternitas eſt perpetuum νῦν, omnem ſucceſſionem prioris & poſterioris excludens. *Minor* probatur: quia omnis generatus eſt poſterior generante. Reſp. Omnis phyſice generatus poſterior eſt generante; concedo. At Filius Dei ſupernaturaliter genitus eſt.

Inſtantia: Generatio ſupernaturalis videtur eſſe impropria, quia rationem formalem veræ generationis deſtruit. Reſp. Formalis ratio generationis conſiſtit in communicatione eiusdem eſſentiæ; quam ſupernaturalis generatio non deſtruit. Dicitur hyperphyſica, quia eſt eminentiſſima, omnes imperfectiones generationis phyſicæ longiſſime tranſcendens.

III. Filius Dei aut ſemper gignitur, aut aliquando deſinit gigni. Si ſemper gignitur, nunquam perfectionem aſſequitur: quia quod adhuc generatur, id nondum generationis terminum



(*) Principium erroris hoc eſt: quod aduerſarii *temporalem originem* rei, quæ tum demum exſiſtit, cum ea generatur, ponunt in natura *generationis*, quum ea tamen poſita ſit in natura *rei finitæ*, tum gignentis, tum genitæ, quatenus *finita* eſt vtraque: nam in eo, quod finitum eſt, atque adeo in ſingulis eius actionibus atque effectibus, non poteſt non initium aliquando eſſe. E. a *generatione* rerum *finitarum* ad *generationem* entis *infiniti* N. V. C.

(**) Immo vero hoc foret aperta quædam repugnantia, ſi quid *infinitum* generaret aliquid *finitum*. Quum enim omnis *generatio*, proprie ſic dicta, ſit *communicatio eiusdem naturæ*; neceſſe eſt, *naturam* eius, qui ex *infinito* atque *æterno*, genitus eſt, *æque infinitam* atque *æternam* eſſe.

Digitized by Google

minum eſt aſſecutum. Si autem deſinit gigni, erit aliqua mutatio in Deo ab eſſe, ad non eſſe. Reſp. *Semper gignitur, ſed ſine tempore.* Ex quo nulla oritur imperfectio. Quæ in tempore adhuc gignuntur, perfectionis terminum nondum obtinuerunt. At generatio æterna non eſt æſtimanda ex generatione temporali. Deus Pater ſemper generat perfecte, Filius Dei ſemper generatur perfectus.

IV. Quicunque natura & neceſſario ſimpliciſſimus eſt, ille non poteſt alium ſibi ſimilem generare. Atqui Deus &c. Ergo. Maior probatur; quia Deus eſt perfectiſſimus; perfectiſſimus autem non niſi vnus eſſe poteſt. Reſp. Diſt. inter *generationem immanentem, ſeu* κατ᾽ ἔσω, & *tranſeuntem,* ſeu κατ᾽ ἔξω. In generatione *tranſeunte* quidem ſemper alia eſt eſſentia gignentis, alia geniti. Longe aliter autem comparatum eſt cum generatione *immanente*, in qua locum non habet eſſentiæ multiplicatio; quoniam *generatio immanens* diuina eſt *eiusdem eſſentiæ ſingularis communicatio.*

Inſtantia I. Generatio illa immanens vel fit ſine eſſentia, vel cum eſſentia. Si ſine eſſentia; non erit communicatio eſſentiæ. Si cum eſſentia; alia erit eſſentia gignentis, alia geniti. Reſp. Non fit ſine eſſentia, neque tamen cum multiplicatione eſſentiæ; quia eſt communicatio *eiusdem numero eſſentiæ.*

Inſtant. II. Si eſt communicatio eiusdem ſingularis eſſentiæ, idem ſeipſum generabit. Reſp. Neg. conſeq. Quia vna quidem *eſſentia* eſt, ſed ſunt diſtinctæ generantis & geniti *perſonæ.*

Inſtant. III. Deus Pater generat vel eſſentiam Filii, vel eiusdem perſonam. Si generat eſſentiam Filii, alia erit eſſentia Patris, alia Filii. Si perſonam tantum generat, perſona poterit eſſe ſine eſſentia, quod eſt abſurdum. Reſp. Generatio eſt *perſonæ,* quoad *terminum,* quia actiones ſunt ſuppoſitorum. Interim cum generatio formaliter nihil aliud ſit, quam eiusdem eſſentiæ communicatio; recte Deus Pater ex eſſentia ſua generare dicitur; nec tamen genitoris, & geniti eſſentia diuerſa neceſſario infertur.

V. Si Chriſtus ex eſſentia Patris genitus eſt, aut ex parte eius, aut ex tota eſſentia genitus eſt. Non ex parte eius; quia eſt indiuiſibilis. Neque ex tota eſſentia; quia ceteroqui Pater deſineret eſſe Pater. Reſp. Hoc argumentum adeo inualidum eſt, vt ne in naturalibus quidem ſemper valeat. Nam anima tota filii propagatur a tota anima patris, & hæc tamen tota manet. Lychnus a lychno accenditur, ſine huius diminutione.

VI. Deus Pater aut neceſſario generat, aut libere. Non neceſſario; quoniam Deus a nemine cogi poteſt. Nec libere; quia ſic Filius Dei poſſet non eſſe. E. Deus Pater Filium plane non generat. Reſp. Committitur fallacia æquiuocationis. Alia namque eſt *neceſſitas coactionis, alia eſt neceſſitas immutabilitatis* & *naturæ.* Deus Pater libere genuit Filium, ſi reſpicias libertatem a coactione; genuit tamen neceſſario, ſi ſpectes neceſſitatem immutabilitatis & naturæ.

VII. Si Chriſtus ex eſſentia Patris eſt genitus, ex ſua eſſentia & conſequenter ex ſeipſo erit genitus, quia eiusdem numero eſſentiæ cum Patre eſt. At non poteſt quiſquam a ſeipſo gigni. Ergo Flius Dei non ex eſſentia Patris genitus eſt. Reſp. Filius Dei dicitur ex *eſſentia* Patris genitus, quia Deus Pater Filio ſuam eſſentiam communicauit. At exinde perperam infertur: Ergo Filius Dei ex ſeipſo genitus eſt. Nam quamuis eadem ſit eſſentia diuina toti Trinitati communis, ſi ſpectetur abſolute: attamen fundamentum generationis non eſt eſſentia diuina abſolute, ſed relatiue conſiderata, quatenus charactere hypoſtatico Patris eſt inſignita.

VIII. Si Deus Pater generando Filium eandem numero eſſentiam ipſi communicauit, non poteſt hic Dei Patris dici imago. At dicitur Filius imago Dei Patris. Ergo Deus Pater, generando

Digitized by Google

generando Filium, eandem numero eſſentiam ipſi non communicauit. Conſequentia maioris eſt manifeſta; quia nulla imago eſt eiusdem numero eſſentiæ cum eo, cuius eſt imago. Reſp. In ordine creaturarum nulla imago eſt eiusdem numero eſſentiæ cum eo, cuius eſt imago. At propter infinitatem eſſentiæ diuinæ fit, vt vna perſona diuina ſit imago alterius; & tamen eiusdem eſſentiæ cum ea.

Inſtantia: Sic idem ſui ipſius erit imago. Reſp. Neg. conſequ. Quia Filius Dei a Patre perſonaliter diſtinguitur.

Argumenta, quibus aduerſarii alia fundamenta filiationis diuinæ adſtruere nituntur, ſunt ſequentia. I. Statuunt Chriſtum dici Filium *Dei ob miraculoſam a Spiritu S. conceptionem*, de qua angelus Luc. I, 35. *Spiritus S. veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit te: ideo etiam, quod naſcitur ex te, vocabitur Filius Dei.* Reſp. Non aſſerit angelus, Chriſtum dici Filium Dei ob ſingularem eius conceptionem e Spiritu S. ſed propter obumbrationem virtutis altiſſimi, quæ eſt Chriſtus 1 Cor. I, 24. Proinde ſenſus eſt; quia Filius Dei vterum Mariæ præſentia ſingulari & modo imperueſtigabili implebit, carnemque a Spiritu S. formatam in eo ſibi vniet, ideo & quod naſcetur ex Maria, vocabitur Filius Dei.

Inſtantia: Sic erunt duo Filii Dei, vnus propter æternam generationem a Patre, alter ob incarnationem τȣ λόγȣ. Reſp. Quia hypoſtaſis Filii Dei eſt numero vna, ideo etiam vnus eſt Filius Dei & licet diſtinctæ ſint rationes filiationis, non tamen duos conſtituunt Filios Dei; quia duas non conficiunt perſonas.

II. Opinantur, Chriſtum eſſe Filium *Dei ob ſanctificationem & miſſionem in mundum;* quia ipſe Saluator hanc filiationis ſuæ rationem reddit Io. X, 34-36. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: Ego dixi: Dii eſtis?* (Pſ. LXXXII, 6.) *Si eos dixit Deos, ad quos verbum Dei factum eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura: quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum vosne dicitis: blaſphemas; quod dixi: Filius Dei ſum!* Reſp. *Per ſanctificationem* l. c. intelligitur *eſſentialis diuinæ ſanctitatis communicatio per æternam generationem.* Quemadmodum enim illi, ad quos verbum Dei factum eſt, ſunt dii & filii Dei non per diuinæ naturæ communicationem, ſed per collationem dignitatis extra Deum, *Deique* eſſentiam, adeoque filii Dei adoptiui & dii nominales: ita is, quem Pater ſanctificauit eſt Deus & Filius Dei per eſſentiæ diuinæ communicationem, ita vt ſufficiens eſſet per communicatam diuinam ſanctitatem, qui in mundum mitteretur ad redimendum & ſanctificandum homines. Meminit Chriſtus huius ſanctificationis, ſeu communicatæ per æternam generationem ſanctitatis, quia principium noſtræ ſanctitatis indicare voluit. Conf. D. SCHMID. in *coll. bibl. poſt. p. 55.*

III. Cenſent, Chriſtum eſſe Filium Dei *ob reſuſcitationem ad vitam immortalem.* Nam Paullus inquit Rom. I, 2-4. *Quod euangelium prius promiſit --- de Filio ſuo, nato ex ſemine Dauidis ſecundum carnem, demonſtrato autem, quod Filius Dei in potentia* (omnipotens) *ſecundum Spiritum ſanctitatis ex reſurrectione mortuorum.* Reſp. Dicitur ab apoſtolo Chriſtus ὁρισθεὶς, demonſtratus ſeu declaratus omnipotens Filius Dei, quia ſeipſum per Spiritum ſanctificationis, hoc eſt, per naturam ſuam diuinam ex mortuis reſuſcitauit; *quæ reſuſcitatio eſt argumentum a poſteriori efficaciter demonſtrans filiationem diuinam Ieſu Chriſti.* Addunt dictum Paulli Act. XIII, 32. 33. *Nos vobis euangelizamus promiſſionem ad Patres factam, quod hanc Deus impleuerit filiis eorum nobis excitans Ieſum: Sicut etiam in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es* tu, *ego hodie genui te.* R. Non loquitur hic apoſtolus de reſuſcitatione Chriſti ex mortuis, ſed de excitatione Meſſiæ e ſemine Dauidis, cuius perſonam eminentiſſimam deſcripturus, adducit verba Pſ. II. vt oſtendat, Meſſiam non eſſe nudum hominem, ſed vnigenitum & æternum Filium Dei. De reſuſcitatione ex mortuis agit apoſtolus v. 35.



Digitized by Google

Inſtantia: Sed quare dicitur Chriſtus *primogenitus ex mortuis*, Col. I, 18. Apoc. I, 5. niſi quia Filius Dei eſt ob reſurrectionem? Reſp. Chriſtus dicitur primogenitus ex mortuis, quia illius reſurrectio noſtræ reſurrectionis, (quæ eſt quædam quaſi παλιγγενεσία, regeneratio,) cauſſa & conſecratrix fuit.

IV. Autumant, Chriſtum eſſe Filium Dei ob *exaltationem ad imperium & ſummum ſacerdotium.* Nituntur dicto apoſtolico Hebr. V, 5. *Sic & Chriſtus non ſeipſum glorificauit, vt fieret ſacerdos princeps, ſed is, qui dixit ad ipſum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* R. Verbis apoſtoli *non cauſſa filiationis diuinæ*, ſed *legitima & diuina Chriſti vocatio ad ſacerdotium* exprimitur. Non erat Chriſtus ex familia Aaronis, ac ne quidem e tribu Leui, quæ ſola ſacerdotalis erat, ſed ex regia Iudæ familia. Poterat itaque Hebræorum animis de auctoritate ſacerdotii Chriſti ſcrupulus iniici. Cui ne relinqueretur locus, inquit apoſtolus: Chriſtus non ſeipſum glorificauit, vt fieret ſacerdos princeps, ſed is, qui dixit ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. q. d. Chriſto nemo dignior eſt munere ſacerdotali; eo quod vnigenitus a Patre Filius eſt; a quo vt eſſentiam per æternam generationem, ita ſacerdotium per vocationem accepit. Certe Filius primogenitus iure natiuitatis in domo Patris ſui ſacerdos eſt. Quare auctoritas ſacerdotii Chriſti eſt maxima, vtpote cuius auctor eſt æternus Ieſu Chriſti Pater. (*).

Quæſt. XXXIX. *Quodnam eſt conſequens natiuitatis æternæ?*

Miſſio paſſiua Filii Dei in carnem.

Obſ. Probationem & explicationem huius paſſiuæ miſſionis Filii Dei dabimus infra.

Quæſt. XL. *Quis eſt actus perſonalis Filii Dei?*

*Actus perſonalis* Filii Dei eſt ſpiratio Spiritus ſancti, qua Filius Dei vna cum Patre tertiam diuinitatis perſonam, commune vtriusque ſpiraculum, eiusdem numero eſſentiæ communicatione modo ineffabili producit.

Obſ. Hic actus τȣ̃ λόγȣ ſimul eiusdem *notio perſonalis* eſt; quippe quæ ſecundam divinitatis perſonam notificat, eandem a tertia perſona diſtinguit, & ad hanc relationem infert: at *non* eſt *proprietas Filii Dei perſonalis*, quia communis eſt Patri & Filio, neque hunc in *eſſe Filii* conſtituit.

Quæſt. XLI. *Quodnam eſt conſequens ſpirationis actiuæ?*

Miſſio actiua Spiritus ſancti, qua Filius Dei vna cum Deo Patre Spiritum S. ad opus ſanctificationis mittit.

Prob. e Io. XV, 26. *Quando vero venerit paracletus, quem ego miſſurus vobis ſum a Patre.* Confictandum eſt chriſtianis cum miſeria non exigua, ſed magna, cui Chriſtus maius ſolamen Spiritus S. quem paracletum, i. e. conſolatorem vocat, opponit. Hunc miſſurus eſt Chriſtus miſſione non per imperium, ſed liberrimum conſenſum. Miſſurus eſt eundem a Patre, non tantum conſentiente & ſimul mittente, ſed & facultatem mittendi Spiritum S. Filio per æternam generationem communicante.

Quæſt.

(*) Nec minori confidentia prouocant ad hoc dictum, Hebr. I, 3. & 5. Sed facilis eſt reſponſio. In v. 3. variæ continentur propoſitiones, quarum prima hæc eſt, ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτȣ̃ ſecunda, φέρων τὰ πάντα κ. τ. λ. tertia, δι' ἑαυτȣ̃ καθαρισμὸν κ. τ. λ. quarta denique, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ κ. τ. λ. Harum vna quæque confirmatur effatis Vatum diuinorum. Ad primam pertinet v. 5 & 6. Ad ſecundam, v. 10. 11. 12. Ad tertiam, v. 8. & 9. Ad quartam, v. 13. Itaque hoc dictum, υἱός μȣ εἶ σὺ, non ad poſtremam adſeuerationem, ſed ad primam debet referri.

Digitized by Google

Quæſt. XLII. *Quæ actio externa Filio Dei appropriatur?*

Redemtio generis humani.

Prob. ex Gal. IV, 4. *Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum Dei acciperemus.* Vbi obſ. a) Redemtorem noſtrum eſſe Filium Dei & Filium hominis, adeoque θεάνθρωπον, b) miſſum a Patre; quæ miſſio eſt aliquod conſequens ſubſtantialis generationis, non illatiua inæqualitatis, non localis, non ſeparatiua, ſed manifeſtatiua & liberrima. c) Redemtos eſſe homines, qui ſub lege erant: per quos non tantum intelliguntur Iudæi, qui ſub lege cæremoniali viuebant, ſed omnes homines, qui fuerunt, ſunt, aut erunt, omnes debitores legis. d) Redemtionem Chriſti vocari ἐξαγορασμόν; qua voce notatur redemtio non metaphorica, ſed vera, ſatisfactoria & meritoria, quæ fit perſoluto pretio. e) Cauſſam finalem redemtionis eſſe geminam, nempe 1) liberationem a lege, quatenus illa maledicit, cogit, & onere cæremoniarum premit. Liberauit nos redemtor a lege, dum ſeipſum legi ſubmiſit, cuius Dominus erat. 2) Adoptionem in filios Dei, cum omni iure & priuilegio, quod adoptionem comitatur.

# DE SPIRITV SANCTO.

Quæſt. XLIII. *Quis eſt Spiritus ſanctus?*

*Spiritus ſanctus* eſt tertia diuinitatis perſona, non genita, ſed ab æterno procedens a Patre & Filio. *Deſcriptio Spiritus S.*

*Vberius definitur.*

*Spiritus S.* eſt tertia diuinitatis perſona, eiusdem cum Patre & Filio eſſentiæ, quæ ab æterno procedit a Patre & Filio, & ab vtroque in tempore mittitur ad ſanctificandum corda hominum ſaluandorum.

Quæſt. XLIV. *Quare dicitur Spiritus?*

*Spiritus* vocatur non tam a *ſpiritualitate*, quam a *ſpirando.*

Prob. Eſſentia ſpiritualis communis eſt omnibus tribus diuinitatis perſonis; at ſpiratio paſſiua propria eſt Spiritus S. Vocatur itaque Spiritus, quia a Patre & Filio modo ineffabili ab æterno ſpiratur, ceu ſpiraculum omnipotens. Iob. XXXIII, 4.

Quæſt. XLV. *Quare denominatur ſanctus?*

*Sancta* dicitur tertia diuinitatis perſona non tantum ob ſanctitatem eſſentiæ, ſed & ob opus ſanctificationis, quod ipſi appropriatur.

Prob. Diuinam eſſentiam ſanctiſſimam Spiritus S. cum Deo Patre & Filio communem habet; opus autem ſanctificationis ſcriptura ſacra & ſymbolum apoſtolicum Spiritui S. appropriant. *Ego ſum miniſter Ieſu Chriſti inter gentes, ſacrificans euangelium Dei, vt ſit oblatio gentium peraccepta, ſanctificata in Spiritu S.* inquit Paullus Rom. XV, 16.

Quæſt. XLVI. *Quomodo probas Spiritum S. eſſe veram, & diſtinctam a Patre & Filio perſonam?*

Vera perſonalitas Spiritus S. ex definitione perſonæ (a) & actibus veræ perſonæ propriis (b) probatur. Quod autem Spiritus S. diſtincta a Patre & Filio ſit perſona, ex ordine perſonarum diuinarum (c), charactere hypoſtatico, eiusque nota manifeſtatiua (d), actione ad extra Spiritui S. appropriata (e), & θεοφανεία Iordanica (f) innoteſcit.



Digitized by Google

Prob. a. *Perſona* definitur, quod ſit ὑφιςάμενον, ſiue *ſuppoſitum intelligens & libera voluntate præditum.* Spiritus S. *per ſe ſubſiſtit;* quia eſt paracletus, Joann. XIV, 16. qui ſine ſubſiſtentia vltimata ne mente quidem concipi poteſt. Eſt *intelligens*; dicitur quippe ſpiritus intelligentiæ, Eſ. XI, 2. ſcrutans profunda Dei, 1 Cor. II, 10. Eſt *libera voluntate præditus;* quoniam dona vnicuique diſtribuit, ſicut vult, 1 Cor. XII, 11. Ergo eſt vera perſona.

Prob. b. Prædicantur de Spiritu S. actiones perſonarum propriæ. Nam Spiritus S. loquitur per os ſanctorum virorum, 2 Petr. I, 21. Matth. X, 20. Arguit, docet, annuntiat, Jo. XVI, 8-13. Conſolatur & teſtatur, Jo. XIV, 26. Præficit eccleſiæ epiſcopos, Act. XX, 28. Jubet miniſtros ſibi ſegregari, Act. XIII, 2. Quæ actiones non niſi veræ perſonæ conuenire poſſunt.

Prob. c. Spiritus S. in negotio ſalutis cum Deo Patre coniungitur, & vt tertia perſona enumeratur. Baptizamur enim in nomen Patris, Filii & Spiritus S. Matth. XXVIII, 19. Conf. 1 Jo. V, 7. Vbi tertius teſtis cœleſtis appellatur. Ergo Spiritus S. & vera & diſtincta a Patre filioque perſona eſt.

Prob. d. Spiritus S. a Patre & Filio ſpiratur, ſiue procedit, Jo. XV, 26. & mittitur, Jo. XIV, 26. At ſpirans & ſpiratus, mittens & miſſus, ſunt diſtinctæ perſonæ.

Prob. e. Appropriatur Spiritui S. opus ſanctificationis, ad quod pertinet etiam conſolatio afflictorum. At Spiritus S. eſt paracletus, ſiue conſolator a Chriſto diſtinctus. *Rogabo Patrem, vt alium paracletum det vobis.* Jo. XIV, 16.

Prob. f. Cum Chriſtus baptizaretur in Jordane, apparuit Pater voce, Natus corpore. Flamen aue. Matth. III, 16. Formam viſibilem & corporalem ad tempus aſſumere, in eadem de cœlo deſcendere, ſpecie columbina apparere, ſuper Chriſtum venire & manere, vti perſonam arguunt, ita accidenti, qualitati & flatui nullo modo applicari poſſunt. Cæterum cum Spiritus S. aſſumto manifeſtationis ſymbolo diſtincto, diſtinctos ediderit actus, eundem diſtinctam a Patre & Filio eſſe perſonam, ex vero colligimus.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, ſtatuentium, Spiritum S. non eſſe *perſonam*, ſed *virtutem Dei*, nos ſanctificantem, eamque ἀνυπόςατον, i. e. quæ propria ſubſiſtentia careat, exſiſtat autem in Deo eum in modum, quo miſericordia, iuſtitia, & alia attributa ſunt in Deo: quorum potiora ſunt argumenta:

I. Virtus Dei non eſt perſona; quia eſt attributum Dei eſſentiale. Spiritus S. eſt virtus Dei, Luc. XXIV, 49. Ergo. Reſp. 1) Spiritus S. nullibi in ſacris litteris vocatur virtus. Loco citato efficacia, ſeu efficax operatio Spiritus S. intelligitur. 2) Diſt. inter virtutem ἀνυπόςατον, ſubſiſtentia carentem, & ἐνυπόςατον, propria ſubſiſtentia gaudentem, per quam perſona agilis & viuida intelligitur. Chriſtus eſt virtus Dei, & tamen vera perſona 1 Cor. I, 24. Ruben erat Jacobi prima virtus, Gen. XLIX, 3. (*)

II. Spi-

(*) Omnino tria ſunt genera dictorum, quibus pugnamus & vincimus, Spiritum S. *non eſſe virtutem Dei.* 1) Sunt effata eiusmodi, quibus Spiritus S. *diſcernitur a virtute Dei,* 2 Corinth. VI, 6. 7. etiam *interna* Dei in animo hominis efficacitate, Eph. III, 16. 20. 2) Sunt alia, quibus ille diſtinguitur *a ſua ipſius virtute atque efficacitate,* Act. I, 8. 1 Cor. XII, 11: πάντα (χαρίσματα, v. 4.) ſunt *effectus,* ἐνέργεια, hos effectus gignens, eſt virtus atque *efficacitas.* Quid igitur erit τὸ πνεῦμα? Quis ſenſus: Virtus diuina ſuam exercet virtutem, ſiue efficacitatem in hisce effectibus? vid. etiam Rom. XV, 13. & 19. 3) Sunt enunciata, quibus Spiritui S. vires tribuuntur ita excellentes, vt *non poſſint in homines manare,* aut cum re creata vlla vnquam *communicari,* nimirum intelligentia profundiſſima, 1 Cor. II, 10. 11. & mens arcana, quam percipere valet ne quisquam, præter vnum Deum, Rom. VIII, 26. 27.

Digitized by Google

II. Spiritus S. eſt donum Luc. XI. 13. E. non eſt perſona. Reſp. Liberi ſunt dona Pſ. CXXVII, 3. & tamen perſonæ.

III. Spiritus S. eſt pignus & ſigillum 2 Cor. I, 22. Eph. I, 13. E. non eſt perſona. Reſp. Spiritus S. metaphorice dicitur pignus & ſigillum, ſicut liberi pignora vulgo appellantur. Serubabel dicitur annulus ſignatorius, Hagg. II, 23. Et tamen fuit perſona.

IV. Perſona eſt incommunicabilis. Spiritus S. non eſt incommunicabilis. 2 Cor. XII, 13. Ergo Spiritus S. non eſt perſona. Reſp. Spiritus S. eſt incommunicabilis, ratione ſubſiſtentiæ vltimatæ; communicabilis autem eſt ratione gratioſæ præſentiæ & ſalutaris efficaciæ.

V. Nulla perſona eſt in alia. Spiritus S. eſt in *Deo* Patre. Ergo non eſt perſona. Reſp. Infans eſt in matre grauida, nihilo tamen minus eſt vera perſona. *Deus* pater eſt in Filio, & Filius in Patre, ſalua vtriusque perſonalitate, Jo. XIV, 10.

VI. Si Spiritus S. perſona eſſet, Chriſtus rectius diceretur Filius Spiritus ſancti, quam Filius Dei Patris. Poſterius eſt abſurdum. Ergo & prius. Conſequentia maioris probatur; quia Chriſtus dicitur conceptus non a Patre, ſed a Spiritu S. Reſp. Negatur conſequentia. Conceptus eſt Chriſtus a Spiritu S. non tanquam principio generante, ſed excitante & ſanctificante, vnde nulla oritur filiatio.

VII. Nulla perſona exſtinguitur. Sed Spiritus S. exſtinguitur, 1 Theſſ. V, 19. Reſp. Loco citato nomen Spiritus S. non ſumitur ὑποστατικῶς perſonaliter, pro perſona Spiritus ſancti, ſed ἐνεργητικῶς, metonymice & effectiue pro donis Spiritus S.

Quæſt. XLVII. *Quibus argumentis diuinitas Spiritus S. demonſtratur?*

*Diuinitas* Spiritus ſancti demonſtratur argumentis ὀνομαστικοῖς, petitis a nominibus diuinis (a), ἰδιωματικοῖς, hauſtis ex attributis diuinis (b), ἐνεργητικοῖς, depromtis ab operationibus Deo ſoli conuenientibus (c), λατρευτικοῖς, ſumtis a cultu ſummo Deo debito (d). Quibus adde accuratam dictorum V. & N. T. collationem (e).

Prob. a. 1) Petrus Act. V, 3. eum, cui Ananias præter apoſtolos, atque in primis mentitus, ſeu mendacium ſuum pro vero obtrudere auſus fuerat, Spiritum S. eſſe dicit: mox autem v. 4. Deum ipſum appellat. Ex quo argumentamur: Cui præter apoſtolos atque in primis mentitus eſt Ananias, is eſt verus Deus. Atqui Spiritus S. &c. Ergo. 2) Paullus 1 Cor. III, 16. Fideles dicit eſſe templum *Dei* per hoc, quod Spiritus Dei in ipſis, tanquam in templis, habitet. Indicat ergo Spiritum S. eſſe Deum. 3) Rex Dauid 2 Sam. XXIII, 2. 3. inquit: *Spiritus Iehouæ locutus eſt in me, & ſermo eius* (fuit) *ſuper lingua mea. Dixit Deus Iſraelis, mihi locuta eſt petra Iſraelis.* Quem antea rex Dauid vocauerat *ſpiritum Iehouæ*, poſtea *Deum Iſraelis* appellat (*).

Prob. b. Prædicantur de Spiritu S. *idiomata diuina.* Dicitur enim 1) *æternus.* De quo Eſaias c. XL, 13. inquit: *Quis adiuuit ſpiritum domini, cum appendit molem terræ?* Ergo Spiritus S, cum terra primum crearetur, iam tum erat: Id quod Moſes etiam teſtimonio ſuo

 com-

(*) *Nomina* diuina, etiam *ea*, quæ ſummi Dei *propria* ſunt (pag. 301. *) Spiritui S. tribuuntur: יהוה, vt & עליון, Num. XIV, 11. 12. Pſ. LXXVIII, 17. add. Ieſ. LXIII, 10. Hebr. III, 7.-10. יהוה צבאות, Ieſ. VI, 3. ſeqq. coll. cum Act. XXVIII, 26. אלהי ישראל, 2 Sam. XXIII, 2. & 3. De nomine, ὁ θεός, vid. quoque Luc. II, 28. 29. coll. cum. v. 26. & cum ſcriptura dicitur θεόπνευστος, 2 Tim. III, 16. Spiritus S. ſignificatur, 2 Petr. I, 21.

Digitized by Google

comprobat, Gen. I, 2. Eſt autem omne antemundanum ſtilo ſcripturæ æternum. Pſ. XC, 2. Prou. VIII, 24. 2) *Omnipræſens. Quo ibo a ſpiritu tuo?* Interrogat hieropſaltes Pſ. CXXXIX. 7. q. d. Quocunque iuero, ſpiritus tuus immenſus mihi erit obuius. 3) *Omniſcius. Spiritus enim Dei ſcrutatur etiam profunda Dei* 1 Cor. II, 10. i. e. penetrat arcana Dei nulli creaturæ perueſtigabilia. 4) *Omnipotens.* Vocatur enim ſpiritus potentiæ, Eſ. XI, 2. de quo dicitur virtus ex alto, ſi non ſynonymice; attamen paronymice, Luc. XXIV, 49. *Vos induemini virtute ex alto.* Quæ verba Chriſtus ipſe exponit Act. I, 8. *accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus S. ſuper vos.* 5) Ἐξοχικῶς ſeu excellenter *bonus. Spiritus tuus bonus ducat me in terra rectitudinis*, Pſ. CXLIII, 10. 6) *Veriſſimus.* Eſt quippe *ſpiritus veritatis ducens nos in omnem veritatem*, Jo. XVI, 13. 7) *Glorioſiſſimus;* quia eſt *ſpiritus gloriæ, ſuper nobis requieſcens.* 1 Petr. IV, 14. 8) *Deo Patri & Filio* ὁμοέσιος, *ſiue coeſſentialis.* Tres teſtes cœleſtes, Pater, verbum & Spiritus S. ſunt vnum, 1 Jo. V, 7. Quibus præmiſſis argumentamur: *Quicunque eſt æternus, omnipræſens, omniſcius, omnipotens, optimus, veriſſimus, glorioſiſſimus, Deo Patri & Filio conſubſtantialis, ille eſt verus & ſummus Deus. Atqui Spiritus S. &c.* Ergo (*).

Prob. c. Confirmatur diuinitas Spiritus S. ex *operibus diuinis*, quæ in ſacris litteris Spiritui S. tribuuntur. Nempe 1) *opera potentiæ*, qualia ſunt *creatio*, Gen. I, 2. Pſ. XXXIII, 6. *Con-*

(*) Quum in *proprietatibus* Dei *naturalibus* haud dubie numeranda ſit *immutabilitas* (pag. 234.**), etiam hæc eſt in Spiritu S. 1 Cor. XII, 11. Vocabulum, ἀυτὸ, hic nihil poteſt deſignare aliud, quam perpetuitatem, omnis mutabilitatis expertem; namque 1) diſcernitur ab illa voce, ἓν, 2) opponitur varietati, ſicut τὸ ἓν multitudini, v. 11. & 4. E. denotat id, quod variationi ac mutationi contrarium eſt; 3) tribuitur Spiritui S. æque, ac Patri, v. 6; 4) explicatur Hebr. I, 12. quod ſignificet oppoſitum mutabilitati, & reſpondeat hebraico, הוא, ſemper idem, Pſ. CII, 28.

Sed quod ad *perfectiones* diuinas attinet, ex harum *propriis reſeruatis*, & quidem *vniuerſis*, nullo demto, luce clarius elucet Spiritus ſancti *ſumma* diuinitas (pag. 301.*). Ipſius enim non minus, quam Dei Patris, ſunt *reſeruata*

I. *Scientiæ* diuinæ: 1) perfectiſſima *Dei ipſius*, omniumque arcanorum Dei conſiliorum, cognitio, 1 Cor. II, 10. 11. 2) *Naturæ* rerum *vniuerſæ*, atque etiam 3) eorum, quæ *naturæ vires* longe omnes *ſuperant*, ſcientia, 1 Cor. II, 10. ideoque miracula ipſi adſignantur: 4) *Animorum* cognitio, Act. V, 3. 4. immo & illud, Act. I, 24. præſertim ad Spiritum S. pertinere, adparet ex eo, quod poteſtas conſtituendi miniſtros eccleſiæ ipſi tribuitur, Act. XX, 28. 5) *Præſcientia* futurorum euentuum, & *contingentium*, & *remotiſſimorum*, & *minimorum*, ipſius enim ſunt prædictiones & vaticinationes de rebus, *longe poſt* futuris, atque etiam de *temporibus* definitis, 1 Petr. I, 11.

II. *Sapientiæ* diuinæ: 1) Electio nunquam non *optimi*; quocirca dicitur κατ' ἐξοχὴν Spiritus ſapientiæ atque intelligentiæ: 2) *Amplitudo*, ſine vlla exceptione, Ioan. XVI, 13: 3) *Independentia*; ea enim ipſe valet ſapientia, (α) quam *nemo eum docuit*, Ieſ. XL, 13. 14. (β) quam & *ipſe nos docet*, & (γ) cui *nemo poteſt reſiſtere*, Act. VI, 10: 4) *Profunditas* immenſa, 1 Cor. II, 14. vbi μωρία τῶν τȣ̃ πνεύματος dicitur plane ſic, vt μωρία τȣ̃ Θεȣ̃, c. I, 21. 25. Valde etiam notabile eſt hoc dictum, Rom. VIII, 26. 27. E. Spiritus S. plus valet, quam renouati homines & petere a Deo poſſunt, & intelligere, id quod eſt Dei proprium, Eph. III, 20.

III. *Veritatis* diuinæ: 1) *Vniuerſitas*, Io. XIV, 26 XVI, 13; eamque ob cauſam dicitur κατ' ἐξοχὴν Spiritus veritatis: 2) *Neceſſitas*, vt certiſſimum ſit ipſius teſtimonium, quo *tota* nititur *fides* noſtra, in rebus diuinis, & ad noſtram *ſalutem æternam* ſpectantibus, Rom. VIII, 16. 1 Ioann. V, 6. 7.

IV. *Potentiæ* diuinæ, ac *poteſtatis*; namque Spiritus S. 1) *vnus* poteſt efficere 2) *omnia*, & quidem 3) *independenter*, vtcumque ipſi placuerit, 4) *immediate*, nimirum miracula, 5) *perfecte*, vt nihil deſit, quod ad communem hominum ſalutem, præcipue vero animorum, pertineat. Hæc vniuerſa continentur in vno hoc dicto, 1 Cor. XII, 11. compar. cum v. 7.

Digitized by Google

*Conſeruatio*, Job. XXXIII, 4. Pſ. CIV, 30. *Miraculorum patratio*, Luc. I, 35. Matth. XII, 28. Act. X, 38. 2) *Opera gratiæ*, quæ vel ad *redemtionem*, vel ad *ſanctificationem* generis humani ſpectant. Ad redemtionem pertinent *redemtoris quoad humanitatem miſſio*. Eſ. XLVIII, 16. *Vnctio*, Pſ. XLV, 8. Eſ. LXI, 1. 1 Jo. III, 34. Act. X, 38. *Inſtructio*, Eſ. XI, 2. *Directio*, Matth. IV, 1. Ad *ſanctificationem* (late ſumtam) pertinent *vocatio & prædicatio verbi*, quæ dicitur miniſterium Spiritus, 2 Cor. III, 6. (Spiritus S. vocat & ordinat epiſcopos verbum diuinum prædicantes, Act. XX, 28. Loquitur per eos, Matth. X, 20.) *Illuminatio*, 2 Cor. III, 28. *Regeneratio*, Jo. III, 5. *Iuſtificatio*, 1 Cor. VI, 35. *Gratioſa inhabitatio*, 1 Cor. III, 16. *Renouatio*, Tit. III, 5. Gal. V, 22. *Glorificatio*, Eph. I, 14. 3) *Opera iuſtitiæ*, nempe, *mundi redargutio*, Jo. XVI, 8. *Verbi ſubtractio* ex iuſto iudicio facta, Act. XVI, 6. *Mortuorum reſuſcitatio*, Rom. VIII, 11. Naſcitur ex his argumentum: *Qui opera vere diuina efficit, is eſt verus Deus. Atqui Spiritus S. &c.* Ergo.

Prob. d. Stabilitur diuinitas Spiritus S. e *cultu religioſo*, qui illi debetur. Nam 1) in nomen Spiritus S. æque ac in nomen Patris & Filii baptizamur. Matth. XXIII, 19. Baptiſmus autem infert cultum fidei & inuocationis. Quod præclare docet BASIL. *in epiſt. 78. Baptizari nos oportet, ſicut accepimus: Credere autem ſicut baptizamur: Glorificare autem, ſicut credimus, Patrem, Filium & Spiritum S.* 2) Corda noſtra ſunt templa Spiritus S. 1 Cor. VI, 19. Quicunque habitat in cordibus piis tanquam templis ſuis, ille eſt Deus a nobis glorificandus (1 Cor. VI, 19. 20.) Atqui Spiritus S. habitat &c. Ergo. 3) Spiritum S. adorant angeli Eſ. VI, 3. collat. cum Act. XXVII, 26. 29. Inuocarunt rex Dauid Pſ. CXLIII, 10. Paullus 2 Cor. XIII, 13. Ioannes Apoc. I, 4. (*)

Prob. e. Accurata *collatio dictorum ſcripturæ V. & N. T.* firmiſſima pro deitate Spiritus S. nobis ſuppeditat argumenta ſequenti modo: Qui locutus eſt ad Eſaiam, & iuſſit eum ire ad populum &c. Eſ. VI, 9. Is eſt verus ac ſummus Deus. Sed Spiritus S. eſt is, qui locutus eſt ad Eſaiam iuxta Act. XXVIII, 25. Ergo Spiritus S. eſt verus Deus. Qui locutus eſt per prophetas, eſt Jehouah, Eſ. I, 2. Ezech. I, 3. Sed Spiritus S. locutus eſt per prophetas, 1 Pet. I, 11. 2 Petr. I, 21. Sic conf. 2 Sam. XXIII, 2. cum Act. I, 16.

*Antitheſis* olim fuit *Macedonianorum*, hodie autem eſt *Socinianorum*, negantium Spiritum S. eſſe ſummum Deum, quorum argumenta potiora ſunt ſequentia:

I. Spiritus ſanctus nullibi in ſacris litteris dicitur Deus. Ergo non eſt verus Deus. Reſp. Spiritus S. vtique Deus dicitur. Act. V, 3. 4. 1 Cor. III, 16. 17. 2 Sam. XXIII, 2. 3.



(*) *Cultus religioſi omnes partes* (p. 314. *) quem ad modum Deo Patri conueniunt, etiam Spiritui ſancto tribuuntur: 1) *Fiducia* ſalutaris, eaque *maxima*, 1 Pet. I, 2. Rom. VIII, 15. 16. 1 Cor. VI, 11. & Spiritus S. eſt noſter παράκλητος, a quo *omnis* proficiſcitur *conſolatio*, fiduciæ omnis fundamentum; id quod prorſus diuinum eſt, 2 Cor. I, 3: 2) *Spes* firmiſſima, Ioann. XVI, 13. Rom VIII, 11. 13. Eph. IV, 30: 3) *Amor* vincens omnia irritamenta malorum, & excitans ſtudium omnis virtutis, Eph. IV, 30. 31 32: 4) *Obedientia*, ſine vlla exceptione, vel *hominum*, vel *officiorum*, Rom. VIII, 14. Act. VII, 51. ita, vt peccatum in Spiritum S. non poſſit remitti: 5) *Pactio*, & ea quidem, qua *conſcientia* Deo noſtra deuincta eſt, 1 Pet. III, 21. coll. cum Matth. XXVIII, 19; 6) *Iusiurandum*, Rom IX, 1. quibus verbis Paullus ſignificat, ſuam conſcientiam eſſe teſtem inferiorem, cuius fides tota nitatur auctoritate teſtis, quem adpellat, ſuperioris, *conſcientiam* gubernantis & confirmantis, & quidem quod attinet ad arcanas *animi* cogitationes, v. 2: 7) *Precatio*, vtriusque generis: (α) *Adoratio*, prædicatioque, Ieſ. VI, 3. coll. cum Act. XXVIII, 25. 1 Pet IV, 14. (β) *Supplicatio*, 2 Cor XIII, 13. Luc. II, 29. coll. cum v. 26. Eum enim, cuius promiſſione fretus erat, nunc ſupplex precatur Simeon *moriens*, eique commendat *animum*, e corpore emigrantem, quo ipſo eum profitetur Dominum & *vitæ*, & *animæ*.

Digitized by Google

Inſtantia 1. Sed hæc propoſitio: *Spiritus S. eſt Deus*, quam aſſerunt Euangelici, in ſacris litteris diſerte non exſtat. Reſp. 1) Neque iſta propoſitio: *Spiritus S. eſt virtus Dei*, quam defendere conatur SOCINVS; neque illa theſis: *Spiritus S. eſt qualitas intermedia inter virtutem Dei, & effectus in homine productos*, quam tueri nititur CRELLIVS, expreſſe in ſcriptura S. legitur. 2) Spiritum S. in ſacris litteris expreſſe vocari Deum, per conſequentiam facilem & manifeſtam oſtendimus. Quando 1 Cor. III, 16. 17. credentes dicuntur templum Dei, ideo, quod Spiritus Dei in illis habitat; neceſſario ſequitur, quod Spiritus S. ſit ipſe Deus, a quo credentes hoc habent, quod templum Dei vocentur. Argumentum hoc erit: *A quo, tanquam inhabitantes, credentes dicuntur templa Dei, is expreſſe vocatur Deus*, (confer cum hoc dicto 2 Cor. VI, 16.): *Atqui a Spiritu S. inhabitante credentes dicuntur templa Dei* (conf. 1 Cor. VI, 19. 20.) *Ergo Spiritus S. expreſſe vocatur Deus.* Pia antiquitas contra Pneumatomachos hoc argumentum quam maxime vrſit. Hinc THEOPHYLACTVS *in 1 Cor. III, 16. Si Dei templum nos ſumus, quia in nobis inhabitat Spiritus S. Ergo Spiritus S. eſt Deus.* Et ATHANASIVS *in dialogo III. de Trinitat. tom. II. Oper. Omne templum Dei templum Spiritus S. eſt.*

Inſtantia 2. Sed Spiritus S. l. c. vt & alibi in S. ſcriptura, Eſ. LXIII, 10. Joel. II, 28. Matth. III, 16. *a Deo diſtinguitur* (dicitur enim *ſpiritus Dei*): Ergo non eſt ipſe Deus. Nam quæ diſtinguuntur, non ſunt idem. Reſp. *Spiritus diſtinguitur a Deo non eſſentialiter, ſed perſonaliter.* Nam quando dicitur ſpiritus Dei, tunc vox Dei non ſumitur ὀσιωδῶς, ſeu eſſentialiter, ſed ὑποστατικῶς, ſeu perſonaliter; & ex diſtinctione Spiritus S. a Deo, ſic accepto, minus recte infertur, eum non eſſe Deum, ſed hoc ſaltim ſequitur, eum eſſe perſonam aliam ab illa perſona diuina, a qua diſtinguitur.

II. Summus Deus eſt æternus. Spiritus S. *non eſt æternus.* Ergo. *Minor* prob. 1) Io. VII, 39. *Nondum erat Spiritus ſanctus, quia Ieſus nondum glorificatus erat.* 2) Ex Act. XIX, 2. Baptizati a Ioanne neſciuerunt eſſe Spiritum S. Reſp. ad I. Verba textus intelligenda ſunt de *miranda miſſione & viſibili effuſione* Spiritus ſancti, qua apoſtoli in die pentecoſtes donis extraordinariis inſtructi ſunt, vt ſenſus ſit: *nondum erat Spiritus S. viſibiliter effuſus ſuper apoſtolos*, quia Chriſtus in cœlum nondum euectus erat. Ad II. Loco citato ſermo eſt non *de ipſa Spiritus S. eſſentia*, ſed *de miraculoſis Spiritus S. donis*, quæ initio naſcentis eccleſiæ vigebant: de his enim Paullus quæſiuerat v. 2. & hæc per manuum impoſitionem contulerat v. 6. Quomodo alias Iudæis, vel proſelytis ignotus potuit eſſe Spiritus S. qui toties in ſcripturis V. T. inculcatur, Gen. I, 2. Pſ. XXXIII, 6. &c. Quin ipſe etiam baptiſta doctrinam de Spiritu S. publice profitetur Matth. III, 11. Io. I, 32.

III. Quicunque *eſſentiam accepit a Deo*, is non eſt ſummus Deus. Atqui Spiritus S. &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia ſummus Deus eſt Jehouah, ſiue eſſentiator. At, qui ab alio eſſentiam accipit, eſt eſſentiatus, adeoque non Jehouah. *Minor* liquet ex Jo. XV, 16. Reſp. Quicunque eſſentiam accipit a Deo a) *dependenter, tanquam a cauſſa efficiente*, b) *numero diuerſam*, is non eſt ſummus Deus. Spiritus S. procedit quidem a Patre & Filio vt principio originis, non vt a cauſſa efficiente, neque numero diuerſam, ſed eandem eſſentiam accipit.

IV. Qui *a Patre & Filio Dei mittitur*, is non eſt ſummus Deus. Atqui Spiritus S. Jo. XV, 26. c. XIV, 26. c. XVI, 7. Ergo. Reſp. Quicunque a Patre & Filio mittitur *miſſione imperioſa*, is non eſt ſummus Deus, concedo. At Spiritus S. mittitur cum *liberrimo conſenſu, eiusque miſſio nihil aliud eſt, quam temporalis manifeſtatio originis, ſiue proceſſionis æternæ a Patre & Filio.*

V. Deus

Digitized by Google

V. Deus ſummus, quidquid loquitur, *a ſe ipſo loquitur.* Spiritus S. *non* &c. Jo. XVI, 13. Ergo. Reſp. Phraſis: *a ſe ipſo loqui,* duplici poteſt ſenſu accipi. *Vno: vt importet ſimpliciter negationem omnis originis*, ita vt ſenſus ſit: Deus ſummus omnia a ſe ipſo loquitur, vt nullam prorſus agnoſcat originem, vnde potentiam & ſcientiam loquendi habeat. *Altero: vt a ſe loqui, importet negationem dependentiæ in loquendo ab alia & ſuperiori cauſſa*, vt ſenſus ſit: Deus ſummus quidquid loquitur, a ſe ipſo loquitur, i. e. independenter ab alia ſuperiori cauſſa loquitur. *Priori* ſenſu maior propoſitio non eſt vniuerſalis, ſed de ſolo Deo Patre vera eſt; ſolus enim Pater vti non ab alio eſt; ita non audit, vel accipit ab alio, quid loquatur, ſed a ſe ipſo loquitur. Sin *poſteriori* ſenſu maior accipiatur, illa quidem vniverſaliter vera erit, ſed minor a nobis negabitur. Quando enim Chriſtus dicit: Spiritus veritatis *non loquetur a ſe ipſo*, ſed quæcunque audiuerit, loquitur, tum in *priori*, non in *poſteriori* ſenſu verba illa accipienda ſunt, vt eorum mens ſit: Spiritus S. vt per proceſſionem a Patre & Filio eſſentiam, ita loquendi potentiam & ſcientiam accepit, vt nihil loquatur a ſe ipſo; ſed quidquid loquitur, ſimul cum Deo Patre & Filio loquitur. Facit nobiſcum venerabilis BEDA, qui, citante D. CALOVIO *in bibl. illuſtrat. in h. l. fol. 801.* verba Chriſti ita exponit: *Non loquitur ſpiritus a ſemet ipſo, hoc eſt ſine Patris & Filii communione: neque enim diuerſus, ac a ſe partitus eſt ſpiritus; ſed quæcunque audiet, loquetur; audiet videlicet per vnitatem ſubſtantiæ & proprietatem ſcientiæ: a quo illi eſſentia, ab illo vtique & ſcientia, ab illo igitur audientia, quæ nihil aliud eſt, quam ſcientia.* Quam ob rem verba Chriſti non ignorantiam aut dependentiam, ſed doctrinæ & eſſentiæ identitatem, ordinemque æternæ proceſſionis denotant.

VI. Summus Deus eſt *omniſcius.* Spiritus S. *non* &c. Ergo. *Minor* prob. ex 1 Cor. XI, 10. Spiritus S. *ſcrutatur τὰ βάθη*, ſ. profunda Dei. *Scrutari* ſignificat inquirere in ea, quæ ſunt incognita. Reſp. *A ſcrutinio diuino, ſiue omniſcientiæ, ad ſcrutinium humanum, ſiue ignorantiæ*, non valet conſequentia. Nam ſcrutatur Spiritus S. non, vt homines, ignota e notis per diſcurſum ſucceſſiue colligendo, ſed intima ſecretiſſimaque conſilia & decreta Dei ſimplici intuitu penetrando & inſpiciendo. Sic ſcrutatur, vt *nouerit ea, quæ ſunt Dei*, 1 Cor. II, 11. Sic Deus dicitur *ſcrutari renes & corda*, Pſ. VII, 10. Ier. XI, 20. ea peniτiſſime cognoſcendo.

VII. Summus Deus *nemini donatur*, a nemine *precibus impetratur*, a nemine *poſſidetur.* At Spiritus S. *hominibus donatur*, ab illis precibus *impetratur*, ab iisdem *poſſidetur.* E. Spiritus S. non eſt ſummus Deus. Maior patet; quia quidquid donatur, precibusque impetratur, eſt in poteſtate donantis: quidquid autem poſſidetur, eſt in poteſtate poſſidentis. Vtrumque a maieſtate ſummi Dei alieniſſimum eſt. *Minor* prob. ex Luc. XI, 13. Jo. VII, 39. c. XIV, 16. 17. Act. V, 32. c. XV, 8. &c. Reſp. (1) Per inſtantiam: *Filius Dei eſt verus Deus, & tamen nobis datur.* Eſ. IX, 6. Jo. III, 16. Deum Patrem, vt habitantem in nobis (Jo. XIV, 23.) habemus, precibusque impetramus. (2) Ad donum non requiritur, vt ſit *in poteſtate ſuperioritatis eius, qui donat; ſufficit enim poteſtas originis.* Et poteſt quis ſe ipſum donare alteri. Filius enim Dei ſe ipſum donauit, Galat. II, 20. Eph. V, 25. ſe ipſo non factus ſuperior. (3) Poſſidetur a nobis Deus non quidem *poſſeſſione auctoritatiua*, quæ ius & poteſtatem poſſidentis infert; attamen *poſſeſſione communicatiua*, qua Deum ipſum gratioſe præſentem & inhabitantem habemus. Vnde noſtra merces, Gen. XV, 1. noſtra portio, Pſal. LXXIII, 26. appellatur. (4) Circa loca allegata obſeruandum, quod ſignificatio primaria, qua ὑποςατικῶς, ſiue pro perſona ſumitur, a ſignificatione ſecundaria, qua ἐνεργητικῶς, ſeu pro donis accipitur nomen Spiritus ſancti, diſtinguendum ſit. Nam Luc. XI, 13. dona, vt ex Matth. VII, 11. patet, Jo. VII, 39. effuſio viſibilis, Act. XV, 8. donum viſibile intelliguntur. Jo. XIV, 16. Act. V, 32.

de

Digitized by Google

de perſona Spiritus S. agitur quidem, ſed neque interceſſione Chriſti, neque datione patris, deitati Spiritus S. quidquam derogatur. Nam datur a Patre & Filio; quia ab vtroque procedit ab æterno, & in tempore mittitur.

VIII. Quicunque *non iubetur in S. ſcriptura adorari*, is non eſt verus Deus. Atqui *Spiritus S. non iubetur in S. ſcriptura adorari.* E. Reſp. (1) Nihil roboris ineſt *maiori* propoſitioni. Nam quia euicimus, Spiritum S. eſſe Deum ſummum, vltro & per ſe patet, Spiritum S. eſſe adorandum, licet de religioſa ipſius veneratione nullum præceptum, aut exemplum in ſacris litteris expreſſum eſſet. Etenim qui iubetur adorare Deum, iubetur adorare Spiritum ſanctum. (2) *Minorem* falſam eſſe, patet ex prob. d.

IX. Si Spiritus S. eſſet Deus, Patri & Filio ὁμοούσιος, *& Patrem & Filium noſſet.* Sed *neque Patrem, neque filium nouit.* Ergo. Antecedens prob. ex Matth. XI, 27. *Nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem nouit quiſquam, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Vbi Spiritus S. a cognitione Patris & Filii excluditur. Reſp. *Particulæ excluſiuæ & exceptiuæ, vni perſonæ diuinæ additæ, non excludunt alias perſonas diuinas, ſed creaturas.* Spiritum S. vero noſſe Patrem & Filium ſine reuelatione alterius, patet ex 1 Cor. II, 11. Jo. XIV, 26.

X. Deus ſummus *non eſt partibilis.* *Spiritus S. eſt partibilis* (conf. 1 Jo. IV, 13. Act. II, 18. Hebr. II, 4. Num. XI, 17. &c.) Ergo. Reſp. Locis citatis nomen Spiritus S. ſumitur metonymice & effectiue, pro donis Spiritus S. Sed a diuiſione *donorum* ad diuiſionem *eſſentiæ* Spiritus S. non valet conſequentia. *Vnus* eſt Spiritus S. & impartibilis, diuiſiones autem & partitiones chariſmatum ſunt. 1 Cor. XII, 4. 7.

XI. Spiritus S. *eſt virtus Dei*, ea nimirum, quæ a Deo procedit, atque in homines manans eos ſanctificat, conſecrat, & varias atque admirabiles in iis effectus parit, quæ afflatus diuinus appellari ſolet. Luc. XXIV, 49. 1 Cor. II, 4. 5. Dei autem virtus ſummus Deus aut perſona diuina eſſe nequit. Reſp. (1) Supra infirmitatem huius argumenti oſtendimus. (2) Nulla virtus Dei ἀνυπόστατος, quæ per modum attributi diuini ſe habeat, eſt paracletus, a *Chriſto* alius, teſtis cœleſtis tertius, a Patre & Filio diſtinctus: nulla virtus Dei a Patre & Filio procedere, & ab vtroque mitti dicitur. Quæ prædicata conueniunt Spiritui S. Jo. XIV, 16. c. XVI, 7. 1 Jo. V, 7. Ergo eſt perſona diuina, Deo Patri & Filio ὁμοούσιος.

XII. Summus Deus *non effunditur.* *Spiritus S. effunditur.* Ergo. *Maior* liquet. Quis enim dixerit, perſonam aliquam, nedum ſummum Deum in homines effundi? *Minor* prob. ex Eſ. XLIV, 3. Ez. XXXIX, 29. Joel. II, 28. 29. Reſp. *Intima Spiritus S. communicatio ad effectus gratioſos producendos nomine effuſionis metaphorice ſignificatur.* Quid in hoc ſignificatu eſt, quod Deo ſummo tribui nequeat? Nonne ſummum bonum eſt ſui communicatiuum & quaſi diffuſiuum? Nonne Deus pater, cum ſit fons viuus, ſe effundere poteſt, vt ipſius gratia irrigemur? Jer. II, 13. Rom. V, 5. Dicis: Spir. S. *non ſe effundit*, ſed paſſiue *effunditur*, quod infra maieſtatem ſummi Dei eſt. Reſp. *Actiua* Spir. S. communicatio a Paullo exoptatur, 2 Cor. XIII, 13. Et ab eodem apoſtolo, 1 Cor. XII, 4. 11. Spir. S. proponitur non tantum vt *effuſus*, ſed & vt *effundens* tum ſeipſum, tum diuiſiones donorum. Effundi autem dicitur a Patre & Filio, quia ab vtroque procedit ab æterno, & in tempore mittitur.

XIII. Quicunque *commemorato Patre & Filio* in plurimis locis ſcripturæ, vbi de ſanctificatione & ſaluatione hominis agitur, *omittitur*, is non eſt ſummus Deus. Atqui Spir. S. &c. E. *Minor* prob. ex ep. Iudæ v. 2. 1 Cor. VIII, 6. 7. R. Neg. *mai.* quæ, ſi ſolida foret, ſic formanda eſſet: Quicunque nullibi in ſacra ſcriptura dicitur Deus, nec cum perſonis diuinis vnquam commemoratur, aut in negotio ſalutis coniungitur, non eſt ſummus Deus. At Spir. S. ſæpe in ſacris litteris dicitur Deus, & memoratis perſonis diuinis ſæpe commemoratur Luc. III, 22. Matth. XXIIX, 19. 1 Jo. V, 7. 1 Pet. I, 2. & locis aliis.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XLVIII. *Quis eſt character hypoſtaticus Spiritus ſancti?*

*Character hypoſtaticus*, ſeu *proprietas perſonalis* Spiritus S. eſt ſpiratio paſſiua, ſeu proceſſio Spiritus S. a Patre & Filio.

Prob. Spiratio paſſiua ſoli competit Spiritui ſancto, hunc a Patre & Filio diſtinguit, & in *eſſe* ſpiritus conſtituit. Ergo eſt proprietas perſonalis Spiritus ſancti.

Quæſt. XL X. *Quid eſt ſpiratio paſſiua, ſeu proceſſio Spiritus ſancti?*

*Proceſſio*, ſiue *ſpiratio paſſiua*, eſt æterna Spiritus S. origo, qua ipſe intra ſinum deitatis a Patre & Filio, vnius eiusdemque numero eſſentiæ communicatione, vt commune vtriusque ſpiraculum producitur.

Obſ. 1. Dicitur *ſpiratio paſſiua, non phyſice*, quaſi inferat potentiam paſſiuam, aut imperfectionem; ſed *grammatice*, quia Spiritus S. non ſpirare, ſed ſpirari dicitur. Neque ſpiratio actiua & paſſiua ſunt duæ ſpirationes, ſed eſt vna eademque ſpiratio, quæ ratione principii ſpirantis & producentis, ſpiratio actiua, ratione termini producti, paſſiua vocatur. Ceteroqui *puriſſima eſt emanatio Spiritus S. a Patre & Filio.*

Obſ. 2. Intelligitur hic *ſpiratio* non *externa*, qualis erat inſufflatio *Chriſti* ad diſcipulos Jo. XX, 20. ſed *interna & immanens*, cum fiat intra ipſum deitatis ſinum; non *tranſitoria & euaneſcens*, qualis eſt hominum ſpirantium, ſed *æterna* & *permanens;* quia Spiritus S. ab æterno procedit, ceu *ſpiraculum omnipotentis* Job. XXXIII, 4. & Spiritus oris Domini Pſ. XXXIII, 16; non *ſpiratio accidentalis*, ſed *ſubſtantialis:* in Deum enim non cadit accidens, neque Spiritus S. ceu perſona & ſubſtantia diuina, actu accidentali produci poteſt.

Quæſt. L. *Quomodo probabis Spiritum S. & a Patre & a Filio procedere?*

Spiritum ſanctum a Deo Patre procedere, ἀυτολεξεὶ & diſertis verbis docet ſacra ſcriptura (a). Eundem procedere a Filio Dei, ex denominatione Spiritus Filii (b), ὁμοȣσίᾳ Patris & Filii (c), acceptione omniſcientiæ a Filio (d), viſione apocalyptica fluuii de throno agni procedentis (e), miſſione Spiritus S. a Filio (f), inſufflatione Chriſti ad diſcipulos facta (g), ordine & diſtinctione perſonarum diuinarum (h), valide colligitur.

Prob. a. Perſpicua ſunt verba Chriſti, Jo. XV, 26. *Quando venerit paracletus, quem ego miſſurus ſum vobis a Patre, ſpiritus veritatis, qui ex Patre* ἐκπορεύεται *procedit, ille teſtabitur de me.* Loquitur Saluator de proceſſione Spiritus S. *æterna & interna*, qua ipſe eſſentiam a patre accipit, non de miſſione temporali & externa ad opus ſanctificationis, de qua hunc locum claſſicum intellectum volunt *Sociniani*, ſed male. Nam (1) miſſio a proceſſione aperte diſtinguitur. *Quem ego miſſurus vobis ſum a Patre, qui ex patre procedit.* (2) Miſſio tempore futuro, proceſſio tempore præſenti fieri dicitur, vt non de temporali miſſione, ſed de æterna emanatione Spiritus S. ſermonem eſſe intelligamus. Nam æternitas eſt νῦν præſentiſſimum & immobile. (3) Scopus Chriſti erat, adſerere cœleſtis teſtis auctoritatem, nempe teſtimonium Spiritus S. eſſe irrefragabile & omni exceptione maius, cum ex ipſo patre procedat, eiusque τὰ βάθη, ſeu profunda ſcrutetur & introſpiciat. (4) Deſignatur origo Spiritus S. in locis parallelis per verbum ἐκπορεύεσθαι, Dan. VII, 10. Apoc. XXII, 1.

Obſ. Huic diſertæ aſſertioni S. ſcripturæ de proceſſione Spiritus S. a *Patre* addi poſſunt alia argumenta, nempe (1) *quod Spiritus S. ſit ex Deo*, 1 Cor. II, 12. (2) Quod ſit *Spiritus*



Digitized by Google

*Patris*, Matth. X, 20. *Spiritus oris Domini.* Pſ. XXXIII, 6. *Spiraculum omnipotentis* Job. XXXIII, 4. ideo, quod a Patre ſpiratur, atque ex ore ipſius ceu ſpiraculum eiusdem procedit, modo tamen diuino & ineffabili. (3) Quia a Patre mittitur, Jo. XIV, 26. Miſſio temporalis eſt nota proceſſionis æternæ. Solus pater non legitur miſſus, quia a nullo habet originem.

Prob. b. Quo modo Spiritus S. dicitur *ſpiritus Patris*, Matth. X, 20. eodem modo dicitur *ſpiritus Filii*, Gal. IV, 6. *ſpiritus Chriſti*, Rom. VIII, 9. *ſpiritus labiorum Chriſti*, Eſ. XI, 4. *ſpiritus oris Chriſti*, 2 Theſſ. II, 8. quia vt a Patre, ita a Filio Dei modo ineffabili ſpiratus, & ex ore ipſius velut halitus diuinus procedit.

Prob. c. *Omnia, quæcunque Pater habet, mea ſunt: Propter hoc dixi; quod de meo accepturus ſit, & vobis annuntiaturus*, Jo. XVI, 15. Ex quibus verbis *Chriſti* non tantum ὁμοȣσία Patris & Filii, ſed originatio Spiritus S. a Filio colligitur. *Quidquid enim de Patre dicitur, hoc omnino de Filio dici debet, præter hoc ipſum, quod eſt Pater*, inquit CYRILL. *in theſaur.* Nos argumentamur: Quicunque omnia habet, quæ *Deus* Pater, excepta ſola paternitate, ille habet vim ſpirandi Spiritum S. Atqui Filius Dei &c. Ergo.

Prob. d. Jo. XVI, 13. 14. *Quando venerit ille ſpiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a ſeipſo, ſed quæcunque audiuerit, loquetur, etiamque futura annuntiabit vobis. Ille me glorificabit: quia ex meo accipiet, & annuntiabit vobis.* A quo ſpiritus veritatis accipit ſcientiam loquendi & annuntiandi futura, ab eodem accipit eſſentiam. Atqui a Filio Dei &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia in Spiritu S. eſſentia & ſcientia idem ſunt. Notitia rerum futurarum eſt diuina & æterna, quæ ex parte rei eſt ipſa eſſentia diuina. Dicis: Si de acceptione ſcientiæ per æternam proceſſionem Chriſto fuiſſet ſermo, non adhibuiſſet verbum futuri temporis, ſed præſentis, vel præteriti. Reſpondeo verbis AVGVSTINI *in tract. XCIX. in Ioan. Nec moueat, quod verbum futuri temporis poſitum eſt: Non enim dictum eſt, quæcunque audiuit, aut quæcunque audit, ſed quæcunque audiet, loquetur; illa quippe audientia ſempiterna eſt, quia ſempiterna eſt ſcientia. In eo autem, quod ſempiternum eſt, ſine initio & ſine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur, ſiue præteriti, ſiue præſentis, ſiue futuri, non mendaciter ponitur.* Adhibuit autem Chriſtus verbum futuri temporis, quia loquebatur de acceptione ſub relatione annuntiationis, quæ tunc temporis adhuc futura erat, vt patet ex verſ. 14.

Prob. e. Apoc. XXII, 1. *Præterea oſtendit mihi purum fluuium aquæ vitæ, ſplendidum ſicut cryſtallum,* ἐκποϱευόμενον ἐκ τȣ̃ θϱόνȣ θεȣ̃ ϗ ἀϱνίȣ, *exeuntem e throno Dei & agni.* Vbi obſ. (1) Quod per thronum Dei & agni intelligatur eſſentia Dei Patris & Filii, charactere hypoſtatico inſignita, quatenus illa glorioſiſſima & maieſtatica eſt. (2) Per fluuium intelligi Spiritum S. docet phraſis ſcripturæ, quæ ſolet Spiritum S. ita deſcribere per aquam, qua reficimur, Eſ. XLIV, 2. Jo. IV, 10. c. VII, 38. 39. (3) Verbum ἐκποϱεύεϑαι procedere vel exire, a Joanne appropriatur ſpiritui S. Jo. XV, 26. (4) Cum hic fluuius dicatur exire a throno Dei & agni, proceſſio ſpiritus S. a Patre & Filio indigitatur. Quibus præmiſſis, argumentamur: Quicunque inſtar fluminis procedit a throno non tantum patris, ſed & agni, h. e. Filii Dei, is procedit ab vtroque. Atqui ſpiritus S. &c. Ergo.

Prob. f. Spiritus S. æque a Filio, ac a patre mittitur, Jo. XV, 26. & c. XVI, 7. Miſſio autem temporalis, cum ſit perſonæ diuinæ, præſupponit æternam originem & proceſſionem ab illa perſona, a qua mittitur. Non mittitur perſona diuina in tempore, niſi ab ea, a qua æternum procedit. Vnde argumentum: *Principium miſſionis perſonæ diuinæ in tempore, eſt principium originis eiusdem in æternitate. Atqui Filius Dei eſt vna cum Deo Patre principium*

*mis-*

Digitized by Google

*miſſionis Spiritus S. in tempore.* E. *Filius Dei eſt, vna cum Deo Patre, principium originis Spiritus S. in æternitate.*

Dicis: Spiritus S. reſpectu Filii Dei eſt principium miſſionis in tempore, Eſ. LXI, 1. neque tamen principium originis eiusdem in æternitate. Reſp. *Chriſtus* miſſus eſt a ſpiritu S. qua *homo*, non qua *Deus*. Nos loquimur de miſſione perſonarum diuinarum, quatenus ſunt diuinæ.

Prob. g. Jo. XX, 22. *Hoc dicens inſpirauit, & dixit illis: accipite Spiritum S.* Ex quibus verbis AVGVSTIN. *L. IV. de trin. c. 19.* proceſſionem Spiritus S. a Filio Dei colligit: *Non poſſumus dicere, quod Spiritus S. a Filio non procedat, neque fruſtra idem Spiritus & Patris & Filii ſpiritus dicitur. Nec video, quid aliud ſignificare voluerit, cum ſufflans in faciem diſcipulorum ait: Accipite Spiritum S. Neque enim flatus ille corporeus, cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corpore, ſubſtantia Spiritus S. fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem non tantum a Patre, ſed & a Filio procedere Spiritum S.*

Prob. h. Si Spiritus S. non procederet quoque a Filio, tum ab eo realiter non diſtingueretur. Omnis enim diſtinctio in Deo oritur ex relationibus fundatis in origine. Quin ratio etiam ordinis perſonarum in SS. Trinitate exſpiraret. Neque enim reddi poterit ratio, cur Filius ſecunda, & Spiritus ſ. tertia ſit Trinitatis perſona, ſi ordo originis nullus. Sequeretur denique hoc abſurdum, Filium Dei non habere proprium ſpiritum.

*Antitheſis* eſt (1) *Neſtorianorum*, (2) *Recentiorum Græcorum*, negantium Spiritum S. a Filio Dei procedere, (3) *Socinianorum*, ſtatuentium, proceſſionem ſpiritus ſancti eſſe eiusdem miſſionem temporalem, (4) *Weigelianorum*, aſſerentium, Spiritum S. *ante natiuitatem Chriſti* a ſolo patre proceſſiſſe, *poſt aſcenſionem vero Chriſti* etiam a Filio procedere; qui ſequentibus orthodoxam ſententiam impugnant argumentis.

I. Scriptura ſacra teſtatur, Spiritum S. procedere a Patre, Jo. XV, 26. idem non aſſerit de Filio Dei. Reſp. Non excluſiue verba *Chriſti* loco citato intelligenda ſunt. Neque enim dicit, ſpiritum veritatis *a ſolo Patre* procedere; ſed dum ait Saluator: *Quem ego mittam vobis a Patre*, Spiritum S. quoque ex ſe procedere innuit. Non enim mittitur perſona diuina in tempore, niſi ab ea, a qua æternum procedit. Adiice hoc argumentum: *Procedit ſpiritus S. a Patre, aut qua tali, aut quatenus Filium habet coeſſentialem. Si prius, ſpiritus S. erit Filius; quia qui a Patre, quatenus tali procedit, ille procedit ad imaginem eius, a quo procedit. Si poſterius; ergo ab vtroque procedit.*

II. Quicunque alicui communicat eſſentiam, is eundem generat. Filius Dei Spiritum S. non generat. E. Filius Dei ſpiritui S. eſſentiam non communicat. *Maior* conſtat; quia generatio formaliter eſt communicatio eſſentiæ. Reſp. Neg. mai. Nam generationis ratio formalis non abſoluitur ſola communicatione eſſentiæ, *ſed communicatione eſſentiæ ad imaginem producentis.* Proceſſio ſpiritus S. notat quidem commmunicationem eſſentiæ; verum non ad imaginem producentis, ſed vt ſit *patris filiique commune ſpiraculum.*

III. Deus Pater aut eſt ſufficiens ſpirationis principium, aut non. Si prius; non indigebit auxilio Filii: ſin poſterius; imperfectio cadet in Deum patrem. Reſp. 1) Per inſtantiam: Deus pater aut eſt ſufficiens creationis principium, aut non. Si prius; non indiget auxilio Filii Dei & ſpiritus S. ſin poſterius, cadet imperfectio in Deum Patrem creatorem. (2) Vna eſt vis ſpirandi in Patre & Filio. Quare Deus Pater in ſpiratione Spiritus S. non indiget auxilio Filii Dei ob imperfectionem, ſed Filius Dei concurrit ad ſpirationem ſpiritus ſancti ob identitatem virtutis ſpiratiuæ.

IV. Quicunque non eſt fons & radix deitatis, ab eo ſpiritus ſanctus non emanat. (Fluvius enim emanat e fonte ſuo.) Atqui Filius Dei non &c. Ergo. *Minor* prob. quia ſolus



Digitized by Google

Deus Pater eſt fons & radix deitatis, dicente ATHANASIO apud DANNH. *in hodoſ. p. 230.* Reſp. Fons deitatis dicitur pater, quia eſt inoriginatus, & quia tam Filius, quam Spiritus ſanctus ab eo ducit originem. Quo ſenſu ſtrictiſſimo Filium Dei non eſſe fontem deitatis, in aprico eſt. At ſi per fontem intelligatur principium originis, nil vetat filium Dei vocare fontem proceſſionis ſpiritus ſancti.

V. Si Spiritus ſanctus procederet a Filio, ſequeretur, Filium eſſe ſimiliorem patri, quam ſpiritum ſanctum. Poſterius eſt abſurdum. E. & prius. Conſequentia *maioris* probatur; quia, ſi Filius ſpiraret Spiritum ſanctum cum Patre, non tantum ratione eſſentiæ, ſed & ratione virtutis ſpiratiuæ, Patri foret ſimilis; qua virtute Spiritus ſanctus deſtituitur. Poſterioris abſurditas patet; quia perſonæ diuinæ eiusdem, vt eſſentiæ, ita maieſtatis ſunt. Reſp. *Similitudo in divinis attenditur non ſecundum relationes, ſed ſecundum eſſentiam,* adeoque conſequentia maioris eſt nulla.

VI. Si Spiritus ſanctus ab vtroque nempe a Patre & Filio procedit, aut procedit proceſſione vna & ſimplici, aut proceſſione duplici. Si vna; ſequitur perſonarum contractio; contrahentur enim Pater & Filius ad vnam perſonam ſpirantem, & Spiritus ſanctus erit perſona altera, nempe ſpirata, atque adeo conuelletur SS. Trinitas. Si duplici; ſpiritus ſanctus duplicabitur, aut componetur; duplex enim actio duplicem infert terminum. Reſp. (a) Spiritus ſanctus procedit a Patre & Filio vna proceſſione; neque tamen ſequitur vtriusque contractio ad vnam perſonam; quia Pater & Filius conueniunt eadem eſſentia, diſtinguuntur autem diſtincto charactere hypoſtatico: At ſpiratio non eſt character perſonæ conſtitutiuus, ſed notio perſonalis γνωριστική, ſeu tantum notificatiua Deo Patri & Filio communis ob communem vim ſpirandi. (b) Tres perſonæ diuinitatis crearunt mundum citra vllam perſonarum contractionem.

Inſtantia: A duabus perſonis vnus ſpiritus prodire nequit, cum ſingulæ perſonæ proprium habeant ſpiritum. Reſp. A duabus perſonis, eſſentialiter diuerſis, non prodit vnus ſpiritus. At Deus Pater & Filius habent eandem eſſentiam, eandemque virtutem ſpirandi, & ſtant pro principio vno.

VII. Veteres doctores aſſeruerunt, Spiritum ſanctum eſſe a Patre *per* Filium. *Vid.* CHEMNIT. *loc. theol. f. m. 102.* Reſp. Præpoſitio, *per*, ab antiquis patribus *ordinis tantum cauſſa, non inæqualitatis aut diuerſitatis principii ergo adhibetur.* Nempe docuerunt, ſpiritum ſanctum eſſe a Patre per Filium, vt cuiusque perſonæ proprietas ſeruetur; quia Filius naſcendo a Patre hoc habet, quod de ipſo Spiritus procedat: Pater vero id a nullo, ſed a ſeipſo habet. At non negarunt veteres, filium Dei eſſe principium proceſſionis Spiritus ſancti.

Inſtantia: Si Spiritus ſanctus a Patre per Filium procedit, vt hic peræque, ac ille ſit principium originis; Spiritus ſanctus a Deo Patre mediate, a Filio Dei immediate procedet, adeoque Spiritus ſanctus coniunctior & familiarior erit Filio, quam Patri. Reſp. Spiritus ſanctus non procedit a Patre ἐμμέσως, ſeu mediate, interuentu ſcilicet Filii; hac ratione vtique vni perſonæ eſſet propinquior, quam alteri: ſed procedit ἀμέσως, *immediate*, ab vtroque velut ex vno fonte eſſentiali. Vt enim eſſentia ſunt vnum Pater & Filius: ita in producendo vno eodemque ſpiritu conſubſtantiali ſunt vnum principium eſſentiale: ita tamen, vt Pater illam facultatem ſpiratiuam a ſeipſo habeat, Filius autem per ineffabilem a Patre generationem accipiat.

Quæſt.

Quæſt. LI. *Num generatio Filii Dei ſit per intellectum diuinum, & proceſſio ſpiritus ſancti per voluntatem diuinam?*

Neque generatio Filii Dei fit per intellectum diuinum, neque proceſſio Spiritus S. per voluntatem diuinam, ſed per eminentiſſimam fœcunditatem naturæ divinæ, certo charactere hypoſtatico notatæ.

Prob. I. Quia intellectus & voluntas diuina ſunt communes tribus diuinitatis perſonis. Quare ſi generatio Filii Dei per intellectum, & ſpiratio per voluntatem fieret, ſequeretur hoc abſurdum, quod filius intelligendo, aut cogitando, alium filium generaret, & Spiritus ſanctus volendo alium ſpiritum ſanctum produceret. Dicis: Non de intellectione diuina abſoluta, ſed de intellectione Patris, & volitione Patris & Filii relatiua ſermo eſt. Reſp. Hac diſtinctione noui labyrinthi aperiuntur. Nam vnde fit, vt Patris intellectio ſit fœcunda, non item intellectio Filii Dei? Vnde fit, vt volitio Patris in productione Spiritus ſancti ſit communis Filio Dei, non item intellectio?

II. Vera & propria filiatio pro principio non agnoſcit intellectus diffuſionem, ſed fœcunditatem, ſeu communicabilitatem naturæ. Cum itaque ὁ λόγος ſit Filius Dei proprius, Rom. IIX, 32. illius origo tribuenda eſt non intellectui, ſed fœcunditati eſſentiæ diuinæ, quæ eſt in Patre & Filio.

III. Si Deus Pater & Filius ſpirant Spiritum ſanctum volendo, vtique ſpirant libere, & poſſunt non ſpirare, atque adeo ſpiratio Spiritus ſancti erit actio libera, & non neceſſaria, aut naturalis. Si autem Spiritus ſanctus non ſpiratur neceſſario ex ipſa natura diuina, non eſt Deus, Patri & Filio ὁμοȣ́σιος. Nam verus Deus exſiſtit neceſſario & non poteſt non eſſe.

IV. Si Spiritus ſanctus procedat per volitionem, Filius Dei autem generetur per intellectionem, Spiritus ſanctus Filio Dei non erit æqualis. Poſterius eſt abſurdum. E. & prius. Conſequentia maioris probatur; quia volitio ſemper ignobilior eſt intellectione.

*Antitheſis* eſt *Scholaſticorum* & *Ieſuitarum*, quorum de ſententia Filius Dei per intellectum Dei Patris generatur, & ſpiritus ſanctus per voluntatem Patris & Filii ſpiratur. Horum argumenta potiora ſunt:

I. Quicunque filius eſt *verbum patris*, ille per *intellectum* patris eſt genitus. Atqui filius Dei eſt λόγος, ſeu verbum patris, Jo. I, 1. Ergo. *Maior* probatur; quia *verbum internum* reſpicit *intellectum*, a quo gignitur. Reſp. (1) Neg. maiorem. Nam filius poteſt vocari verbum, ideo, quod voluntatem patris exponit. (2) Diſt. inter λόγον *creatum*, & *increatum*. Λόγος *creatus quidem reſpicit intellectum, tanquam principium proximum & formale;* quia homo non poteſt producere verbum, niſi interueniente intellectu, tanquam facultate intermedia; id quod imperfectionis humanæ eſt. At λόγος *increatus immediate a natura diuina patris producitur.* (3) Filius Dei dicitur verbum patris ad *indicandam generationis diuinæ ſpiritualitatem, non ad exprimendam principii formalitatem.* Vt conceptus a mente, ſic filius Dei a patre producitur immaterialiter & ἀπαθῶς (dicente BASIL. *Homil. XVI.*) ſine paſſione & corruptione. Conceptus mentis ita a mente eſt, vt in mente maneat: ſic filius a patre eſt, & nunquam non in patre permanet. Ex quo non ſequitur, Deum patrem genuiſſe filium, quatenus ſeſe intuens & conſiderans, imaginem ſui conceperit ac genuerit. Sane filiatio in communicatione eiusdem naturæ, non in cogitatione intellectus fundatur.

II. Quicunque in ſacra ſcriptura dicitur *amor Patris & Filii*, is procedit a voluntate diuina; Atqui Spiritus ſanctus. &c. Ergo. *Maior* patet; quia principium amoris eſt voluntas. *Minor* liquet ex Rom. V, 5. 1 Jo. IV, 6. Reſp. Locis citatis ſpiritus ſanctus non vocatur amor

 patris;

Digitized by Google

patris; ſed Rom. V, 5. dicitur dilectio Dei (qua Deus nos diligit) effuſa, i. e. vberrime declarata eſſe per Spiritum ſanctum. Deus triunus nuncupatur caritas, 1 Jo. IV, 16. Sed quis exinde colligeret, Spiritum ſanctum eſſe amorem Patris & Filii?

III. Actio productiua Filii & Spiritus ſancti aut eſt tranſiens, aut immanens. Non *tranſiens;* ceteroqui terminus eius foret extra Deum, & eſſet vel creatio, vel conſeruatio, vel cooperatio. Si autem eſt *immanens;* erit per intellectum & voluntatem. Nulla enim actio immanens in natura ſpirituali eſt præter intellectionem & volitionem, vt patet ex anima & natura angelica. Reſp. Actio productiua filii Dei & Spiritus S. eſt quidem *immanens, ſed perſonalis, quæ immediate fundatur in eſſentia diuina, certo charactere hypoſtatico notata.*

IV. Si filius Dei non generatur per *intellectum* patris, nec Spiritus S. ſpiratur per *voluntatem* patris & filii, nullum erit diſcrimen *generationis* filii, & *proceſſionis* Spiritus ſancti. At eſt diſcrimen generationis, & proceſſionis. E. Illa fit per intellectum, hæc per voluntatem. Reſp. Ingenue fatemur, diſcrimen æternæ generationis τȢ λόγȢ & proceſſionis Spiritus ſancti in hac vitæ infirmitate a nobis neque exacte poſſe cognoſci, neque plene explicari. Differt autem *generatio* a *proceſſione*, non eo, quod illa per intellectum, hæc per voluntatem diuinam fiat: Sed (a) generatur filius Dei a ſolo patre; procedit Spiritus S. a Patre & Filio. (b) Generatur Filius a Patre, vt eiusdem imago; procedit Spiritus S. a Patre & Filio, vt commune vtriusque ſpiraculum. (c) Productio filii Dei eſt productio diuina prima, vlteriori fœcunditate ſe in aliam perſonam diffundens: productio Spiritus S. eſt productio diuina vltima (immanens), in qua communicabilitas naturæ diuinæ intra ſinum deitatis conquieſcit. Conf. D. OSIANDER *in colleg. ſyſtem. theol. part. I. p. 430.*

Quæſt. LII. *Quodnam eſt conſequens proceſſionis Spiritus ſancti, quo illa a poſteriori manifeſtatur?*

*Proceſſio Spiritus S.* æterna *manifeſtatur miſſione* Spiritus S. *temporali*, quæ fit a Patre & Filio.

Prob. Deus Pater mittit Spiritum S. in nomine Filii Jo. XIV, 26. Filius autem mittit Spiritum ſanctum a Patre Jo. XV, 26. Eſt igitur poteſtas mittendi Spiritum ſanctum Deo Patri & Filio communis; quam Deus pater habet a ſeipſo, filius a patre per æternam generationem accepit. Ceterum miſſio Spiritus S. eſt vel *viſibilis, vel inuiſibilis. Viſibilis* eſt, qua *Spiritus S. ita datur & communicatur, vt per ſymbolum aliquod, ſenſibus humanis obuium, præſentiam ſuam manifeſtet.* Quo viſibili modo facta eſt miſſio Spiritus S. in baptiſmo Chriſti, cum deſcendit in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum, Matth. III, 16. nec non in feſto pentecoſtes, cum in forma linguarum ignearum ſuper apoſtolos venit, Act. II, 3. Dicitur præterea quandoque effuſio viſibilis Spiritus S. *qua is per effectus raros & inſolitos ſuam præſentiam ſubito prodit;* qualis contigit conuerſis gentibus in ædibus Cornelii centurionis, Act. X, 45. Cœperunt enim illico variis linguis loqui, & Deum concelebrare. Eſt autem miſſio viſibilis Spiritus S. extraordinaria, & fit per ſingularem quandam οἰκονομίαν, ſeu diſpenſationem diuinam. *Inviſibilis miſſio Spiritus S. eſt, qua is ordinarie per verbum & ſacramenta in corda pœnitentium peccatorum mittitur, & ipſius dona iisdem communicantur.* Gal. IV, 6. 1 Cor. XII, 2. Ceterum ſunt dona Spiritus S. *alia ſanctificantia, alia miniſtrantia. Sanctificantia ſunt, quæ homini peccatori, vt iuſtus & ſanctus fiat & maneat, conferuntur;* qualia ſunt: *illuminatio* Eph. I, 18. *Conuerſio*, Ezech. XXXVI, 27. *Regeneratio*, Jo. III, 16. *Iuſtificatio*, 1 Cor. VI, 11. *Adoptio*, Rom. VIII, 15. *Vnio myſtica*, 1 Cor. III, 16. *Renouatio*, Tit. III, 4. *Virtutes chriſtiano dignæ*, quæ ſunt fructus Spiritus S. Gal. V, 22. *Aeternæ ſalutis certificatio*, Eph. I, 14. *Miniſtrantia* ſunt,

quæ

Digitized by Google

quæ ad officii publici in eccleſia obeundi adminiſtrationem ſecundum menſuram gratiæ diuinæ diſtribuuntur, 1 Cor. XII, 8-10.

Quæſt. LIII. *Mittiturne Spiritus S. tantum quoad dona & gratioſam operationem, an vero etiam qua hypoſtaſin?*

Non tantum dona Spiritus S. fidelibus communicantur, ſed & ipſa Spiritus S. perſona in corda ipſorum a Deo Patre & Filio mittitur, vt tam ratione ſubſtantiæ, quam ratione ἐνεργείας ſiue gratioſæ operationis propius adſit piis, quam impiis.

Prob. I. ex Gal. IV, 6. *Emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem: Abba Pater!* Hic apoſtolus operationem Spiritus ſancti qua in nobis preces, e filiali fiducia manantes, excitat, ab ipſa perſona Spiritus ſancti diſtinguit quidem, at non diuellit. Docet enim Deum Patrem Spiritum Filii ſui in corda noſtra miſiſſe, qui pias in nobis preces efficit.

II. E concione προαγωνίῳ Chriſti Io. XIV, 16. *Ego rogabo Patrem, vt alium paracletum det vobis, vt maneat vobiſcum in æternum; Spiritum veritatis.* Et v. 26. *Paracletus autem Spiritus S. quem mittit Pater in nomine meo, (ἐκεῖνος) ille vos docebit omnia & commonefaciet vos de omnibus, quæ dixi vobis.* Quæ verba Chriſti de ſolis donis Spiritus S. explicari nequeunt. Nam Spiritus S. diſtincta habet nomina perſonalia. Vocatur enim paracletus, quod nomen perſonale eſt. 1 Io. II, 1. Vocatur ἄλλος παράκλητος. Dona non diſtinguuntur a Patre & Filio, vt ἄλλος. Deſcribitur vt doctor veritatis catholicus: Nam appellatur Spiritus veritatis, qui docturus ſit omnia. Id quod de ſolis donis Spiritus S. aſſeri nequit.

III. E. 1 Cor. VII, 19. *Annon ſcitis, quod corpus veſtrum templum ſancti Spiritus, qui in nobis eſt?* Et 1 Cor. III, 16. *Spiritus Dei habitat in vobis.* Templum dicatur Deo, & inhabitatio eſt perſonæ, non donorum, quæ non dicuntur inhabitare, ſed ineſſe.

Dicis I. Spiritus S. eſt omnipræſens: quomodo igitur per miſſionem ſit præſens; Reſp. Spiritus S. *eſt omnipræſens præſentia vniuerſali.* Pſ. CXXXIX, 7. *At præſentia ſpeciali dignatur fideles. Quæ præſentia ſpecialis eſt intimior & ſecretior Spiritus S. coniunctio cum fidelibus ad effectus ſingulares gratioſos.*

Dicis II. Infinitas & immenſitas Spiritus S. huic intimiori coniunctioni Spiritus ſancti cum fidelibus obſtare videtur. Nam qui infinitus & immenſus eſt, is a nullo loco, a nulla creatura abeſt, ſed ei præſentiſſimus eſt. Reſp. Infinitas & immenſitas Spiritus S. non obſtabat, quo minus is propius iungeretur columbæ illi, in qua deſcendebat viſibiliter ſuper Chriſtum in huius baptiſmo, quam aliis creaturis. Quin ὁ λόγος etiam infinitus & immenſus, proximius habitat in aſſumta carne propria & quidem σωματικῶς, Col. II, 9. quam in aliis hominibus piis. E. immenſitate Spiritus S. intimior illa coniunctio non impeditur.

Quæſt. LIV. *Quæ actio diuina ad extra Spiritui S. propria eſt?*

Sanctificatio hominis peccatoris.

Prob. Eſt quidem ſanctificatio actio diuina ad extra, adeoque indiuiſa ſeu communis omnibus tribus diuinitatis perſonis, ex quo etiam Deo Patri, Io. XVII, 17: & Filio Dei, Hebr. IX, 14. tribuitur: at *Spiritui S. in ſacris litteris & ſymbolo apoſtolico, velut externa diſcretionis nota appropriatur, vt ipſe nos terminatiue ſanctificare dicatur.* Nimirum ſanctificat nos Deus Pater, per Filium, in Spiritu S. Id quod docet Paullus Rom. XV, 16. *Ego ſum miniſter Ieſu Chriſti inter gentes ſacrificans euangelium Dei, vt ſit oblatio gentium peraccepta, ſanctificata in Spiritu S.* Paullus, prædicando euangelium, oſtendebat omnibus illud vnicum agni

Digitized by Google

agni Dei ſacrificium ἱλαςικὸν, ſeu propitiatorium, quod totius mundi peccata pleniſſime expiauit, in quem agnum Dei credentes gentes, prius immundæ, per fidem operante Spiritu S. mundatæ, ſanctificatæ, & Deo peracceptæ hoſtiæ oblatæ ſunt. Sanctificat itaque Spiritus S. *non inſtrumentaliter, aut miniſterialiter, ſed principaliter*; ſiquidem aperte a miniſtro Paullo diſtinguitur. Sanctificat per miniſterium verbi, quod διακονία, ſeu miniſterium Spiritus appellatur, 2 Cor. III, 8. homines lapſos vocando, illuminando, conuertendo, regenerando, iuſtificando, inhabitando, renouando, ſtabiliendo, ſaluando.

Quæſt. LV. *Poteſtne myſterium Trinitatis ex principiis rationis demonſtrari, aut refutari?*

Veritas ſummi myſterii Trinitatis ex piincipiis rationis neque adſtrui, neque deſtrui poteſt.

Prob. Myſterium Trinitatis in ſolidum e verbo diuinitus reuelato, velut οἰκείῳ ſeu proprio principio, cognoſci, omnique adeo naturali rationis captu, lumine, ſphæra prorſus ſublimius eſſe, docet ipſe Saluator, Matth. XI, 27. *Nemo cognoſcit Filium, niſi Pater, neque Patrem quiſquam cognoſcit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quod ſi neque Filium Dei ſine reuelantis Patris benignitate, neque Deum Patrem ſine reuelatione Filii cognoſcimus; conſequitur, cognitionem SS. Trinitatis, dicente IVSTINO Martyre, eſſe ὑπὲρ νȣν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν, i. e. principia rationis longiſſime tranſcendere, & a ſupernaturali reuelatione vnice pendere. Quare ex ratione neque demonſtrari, neque impugnari poteſt, ac debet.

Dicis: Sine ratione myſterium SS. Trinitatis cognoſci nequit. E. rationis dictamen hic attendendum eſt. Reſp. Sine ratione, vt *ſubiecto* recipiente, & *organo* cognoſcente, myſterium Trinitatis non apprehendimus: Cognoſcimus illud ſine ratione, conſiderata, vt *norma & iudice*: Sicut ſine lingua non loquimur, ea tamen vt iudice ſermonis non vtimur.

*Antitheſis* eſt 1) *Scholaſticorum*, & *Keckermanni*, quorum de ſententia myſterium Trinitatis ex principiis rationis demonſtrari poteſt. 2) *Socinianorum*, qui argumentis, e lumine rationis petitis, veritatem ſummi fidei articuli de vnitate eſſentiæ diuinæ & Trinitate perſonarum diuinarum impugnare conantur.

*Scholaſticorum* ratiunculæ ſunt ſequentes: I. Quicunque ab æterno bonus eſt, ab æterno ſuam bonitatem communicauit. (Nam omne bonum eſt ſui communicatiuum.) Atqui Deus &c. Ergo. Porro: Si Deus ab æterno ſuam bonitatem communicauit; aut creaturis eam communicauit, aut perſonis diuinis. Non creaturis; quia hæ ab æterno non exſtiterunt. Ergo perſonis diuinis. Reſp. Si hoc argumentum obiiceretur philoſopho gentili, nullo negotio illud reſolueret. Nimirum: Bonum eſt ſui communicatiuum, non vt mater, fœcunda prolis, per generationem huic naturam communicat, ſed vt ſol mundo ſe communicat, non nouum pariendo ſolem, ſed radios ſuos mundo impertiendo.

II. Summa beatitudo ſocietatem & amicitiam requirere videtur. Atqui Deus hanc habet ſine indigentia creaturarum; quippe quæ Deo non ſunt coæternæ. Amicitia autem ſine diſtinctione perſonarum conſiſtere nequit. Reſp. Philoſophus gentilis reponet, Deum αὐταρκέςατον, ſeipſo maxime contentum, amico non indigere.

III. In qua eſſentia eſt intellectus perfectus, reflexus in ſeipſum, & perfecta voluntas, in ſeipſam propenſa, in illa eſſentia eſt imago genita, & ſpiritus impetu voluntatis procedens. Atqui in eſſentia diuina &c. E. Reſp. Neque intellectio, neque volitio eſt productiva perſonæ. Angeli pollent intellectu in ſeipſum reflexo, & voluntate in ſeipſam propenſa, neque tamen perſonas producunt. Adiice, quod Deus omnia cognoſcat per eſſentiam ſuam, non autem per ſpecies aut imagines. Vid. ſupra p. 258.

IV. Myſte-

Digitized by Google

IV. Myſterium Trinitatis aut eſt conforme, aut difforme rationi. Si eſt difforme rationi, falſum eſt. Quidquid enim contra rationem eſt, ideo non poteſt eſſe verum, quod ratio auctorem habet Deum, a quo non niſi verum prouenire poteſt. Ergo eſt conforme rationi, adeoque ex ipſius principiis demonſtrabile. Reſp. Myſterium Trinitatis eſt rationi, ſibi relictæ, difforme, non vt ſit contra rationem, ſed ſupra rationem.

V. Theologi veritatem myſterii Trinitatis oſtendunt per ſimilia e natura petita, vid. DANNHAV. *hodoſoph. p. 276.* Reſp. Similia illa non ſunt adæquata, ſed inadæquata, quibus ſublimiſſimum illud myſterium quodammodo adumbratur, ſed non probatur.

VI. Philoſophi quidam, inprimis *Platonici*, Trinitatem perſonarum diuinarum agnouerunt. Reſp. Philoſophi illi in ſcripta ſua nonnulla tranſtulerunt ex monumentis eccleſiæ Iſraëliticæ, ſed vaniſſimis commentis interpolata & corrupta.

*Socinianorum* argumenta ex principiis rationis hauſta, quibus myſterium Trinitatis impugnant, ſunt ſequentia: I. Quot ſunt perſonæ, tot ſunt eſſentiæ. Sed tres ſunt perſonæ diuinæ. Ergo & tres ſunt eſſentiæ diuinæ. Concluſio eſt abſurda, cuius abſurditas prouenit non ex *maiori* propoſitione, quippe quæ e lumine naturæ innoteſcit: Ergo ex *minori*. Reſp. 1) Abſurditas concluſionis oritur ex maiori propoſitione, quæ vniuerſaliter vera non eſt. Nam multiplicatis perſonis non eſt neceſſe multiplicari eſſentias. Ratio eſt in promtu: quia perſona abſtractiue & formaliter conſiderata eſt modus eſſentiæ; at plures poſſe vnius eſſentiæ eſſe modos, dubium nullum eſt. v. gr. Notamus in Petro modum ſubſiſtentiæ, præſentiæ, durationis, ſitus, habitus, ſalua manente vnitate eſſentiæ Petri. 2) Quot ſunt perſonæ *finitæ* & *ſeparatæ*, tot ſunt eſſentiæ; concedo. At perſonæ diuinæ tum *infinitæ*, tum *vnum* ſunt, 1 Io. V, 7. ita vt vna perſona ſit in alia, Io. XIV, 11. Proinde *infinitæ* Dei *perfectioni* tribuendum eſt, quod in vna eſſentia diuina ſint tres diſtinctæ perſonæ, mutua gaudentes περιχωρήσει; quam infinitam perfectionem diuinam regulis, a creaturis deſumtis, metiri, nefas eſt.

II. Quodcunque dogma manifeſtam implicat contradictionem, id vero non eſt conſentaneum. Atqui dogma de Trinitate perſonarum in vnitate eſſentiæ diuinæ manifeſtam implicat contradictionem. Ergo. *Maior* conſtat; quia duo contradictoria ſimul vera eſſe nequeunt. *Minor* probatur; quia dogma de Trinitate infert, Deum eſſe vnum, & non vnum, trinum, & non trinum; quo ipſo manifeſta inuoluitur contradictio. Reſp. Contradictio eſt affirmatio & negatio eiusdem de eodem, quatenus idem. Quando autem dicimus, Deum eſſe vnum & non vnum, trinum & non trinum, tunc idem de eodem non affirmatur & negatur *ſecundum idem*; ſed *vnitas* de Deo affirmatur ſecundum *eſſentiam*, negatur de eodem ſecundum *modos ſubſiſtendi*, ſeu perſonalitates: *trinitas* affirmatur de Deo ſecundum *perſonalitates*, negatur de eodem ſecundum *eſſentiam*.

Dicis: Perſona diuina eſt ipſa eſſentia diuina. Reſp. Perſona diuina ambigue dicitur eſſentia diuina. Poteſt enim 1) *ſenſus eſſe, perſonam diuinam in caſu recto eſſe eſſentiam diuinam*, 2) *perſonam diuinam in caſu obliquo eſſentiam diuinam connotare.* Priori ſenſu aſſertio eſt falſa. Nam perſona ſumta *concretiue & materialiter eſt* ὑφιστάμενον ſiue *ſuppoſitum intelligens*, quod ex eſſentia & ſubſiſtentia conſtat: eadem, ſumta *abſtractiue & formaliter*, eſt *eſſentiæ modus*, qui græce, ἀυθυπαρξία, latine, ſubſiſtentia incommunicabilis, vocatur. In ſenſu poſteriori aſſertio quidem vera eſt: At ſicut perſonam Ioannis non vocamus ipſius humanitatem; ita nec perſona diuina in caſu recto accurate dicitur ipſa eſſentia diuina.

III. Si perſona formaliter eſt ſubſiſtendi modus, Deus Pater, Filius & Spiritus S. erunt tres modi. Conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Abſurditas conſequentis patet; quia modus eſt non ens. At quis Deum Patrem, Filium & Spiritum S. non entia ap-



Digitized by Google

pellare conaretur? Reſp. Negat. conſequ. *maioris;* quia Deus Pater, Filius & Spiritus S. ſunt concreta, quæ præter perſonalitatem ipſam eſſentiam diuinam connotant: at perſona formaliter conſiderata eſt modus ſubſiſtendi, ſeu ſubſiſtentia vltimata. Neque modus ſubſiſtendi *non ens* eſt; cum enim *ens* modificet ac determinet, oportet eum aliquid *entis* eſſe, eſſentiam ipſam materialiter implicans.

IV. Nullum ſingulare pluribus eſt communicabile. Eſſentia diuina eſt ſingularis. E. pluribus perſonis non eſt communicabilis. Reſp. Nullum ſingulare pluribus inferioribus numero differentibus eſt communicabile; concedo. Nam ſic vniuerſalia, nempe genera & ſpecies, communicantur inferioribus, vt in iisdem eſſentialiter multiplicentur. Poteſt tamen ſingulare alia ratione pluribus eſſe communicabile. Sic vnus idemque numero princeps pluribus ciuibus, vnus paſtor pluribus auditoribus diuinitus communicatur.

Inſtantia: Sed vna eſſentia ſingularis pluribus perſonis non poteſt eſſe communis. Reſp. Vna eſſentia ſingularis non poteſt eſſe communis pluribus perſonis *finitis & ſeorſim exſiſtentibus.* At longe aliter comparatum eſt cum perſonis infinitis, quarum vna eſt in alia; hæ, docente ſcriptura S. vnum ſunt, 1 Io. V, 7.

V. Quæcunque ſunt eadem vni tertio, inter ſe ſunt eadem. Atqui tres perſonæ diuinæ ſunt eædem vni tertio, nempe, eſſentiæ diuinæ. Ergo tres perſonæ diuinæ inter ſe ſunt eædem, neque vlla ratione differunt. Reſp. *Quæcunque ſunt eadem vni tertio incommunicabili, ea inter ſe ſimpliciter & adæquate eadem ſunt,* v. gr. Meſſias promiſſus, & Ieſus Nazarenus; gentium apoſtolus, & Paullus. At *quæcunque ſunt eadem vni tertio communicabili,* iis non intercedit identitas, niſi ratione illius *tertii communis.* v. gr. Equus & homo conueniunt in conceptu communi generico, qui eſt animal, ſalua differentia ſpecifica. Ioannes & Iacobus conueniunt in conceptu communi ſpecifico, qui eſt homo, ſalua differentia numerica. Cum itaque eſſentia diuina tribus perſonis communicabilis ſit, perſonæ illæ in vna eſſentia communi quidem conueniunt, ſed ſalua manente diſtinctione perſonali.

VI. Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus S. eſt Deus. Ergo tres ſunt Dii. Reſp. Nihil neruorum ineſt conſequentiæ; quia dicere non licet: Pater eſt Deus, qua eſſentiam, ab alio, qui ſummus Deus eſt, diſtinctus. Perperam ergo concluditur *ex medio termino indeterminato & communi,* in quo tres perſonæ diuinæ conueniunt. Simili ratione quiſpiam forte colligeret: Salomo rex eſt homo, Salomo maritus eſt homo, Salomo pater eſt homo: Ergo Salomo rex, maritus, & pater, ſunt tres homines.

Inſtantia: Quare igitur defenſores Trinitatis ſic concludunt: Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus S. eſt perſona. E. tres ſunt perſonæ? Recte illi ſic colligunt; quia concludunt *e medio termino determinato & diſtinctiuo.* Qua perſonalitatem enim, diſtinguuntur Pater, Filius & Spiritus S.

VII. Sunt tres perſonæ infinitæ: Ergo ſunt tria entia infinita, quod ἄτοπον. Reſp. Neg. conſequ. Nam perſona formaliter & in caſu recto non notat ipſum ens, ſed aliquid *entis,* nempe eius quendam modum exſiſtendi, qui *ſubſiſtentia vltimata* dicitur.

VIII. Deus vnus eſt trinus in perſonis: Quælibet perſona diuina eſt Deus: Ergo quælibet perſona diuina eſt trina in perſonis. Reſp. 1) *Maior* non eſt *diſtributiue vniuerſalis,* quia dicere non licet: Omnis ille, qui eſt vnus Deus, eſt trinus in perſonis. 2) Sunt quatuor termini in hoc ſophiſmate ob variatam ſuppoſitionem, quæ in maiori ſimplex, in minori perſonalis eſt. Simile ſophiſma eſt: Animal eſt tum rationale, tum irrationale: Omnis Socinianus eſt animal: Ergo omnis Socinianus tum rationalis, tum irrationalis eſt.

IX. Tres perſonæ diuinæ realiter diſtinctæ ſunt tres Dii. Atqui Deus Pater, Filius & Spiritus S. ſunt tres perſonæ diuinæ realiter diſtinctæ. E. Deus Pater, Filius & Spiritus S.

ſunt

Digitized by Google

ſunt tres Dii. Reſp. Tres perſonæ diuinæ, *realiter & eſſentialiter diſtinctæ*, ſunt tres Dii, concedo. At Deus Pater, Filius & Spiritus S. ſunt quidem tres perſonæ, ob relatiuas oppoſitiones realiter diſtinctæ, non autem diſtinguuntur ratione eſſentiæ; quippe quam communem habent.

X. In quocunque eſt tota eſſentia Dei, in illo tota eſt Trinitas. Atqui in qualibet perſona diuina &c. E. Reſp. In quo eſt tota eſſentia Dei ſub omnibus tribus ſubſiſtendi modis, in illo eſt tota Trinitas, concedo. At vna perſona diuina habet eſſentiam Dei non ſub tribus, ſed vno ſubſiſtendi modo. Subſiſtit enim Deus Pater ἀγεννήτως, Filius Dei γεννήτως, Spiritus S. ἐκποǫευτως.

XI. Verus Deus eſt inuocandus per mediatorem. Vnus in eſſentia, & trinus in perſonis Deus, non eſt inuocandus per mediatorem. Ergo. Reſp. *Maior* eſt particularis in ſecunda figura. Non enim quicunque verus Deus eſt, inuocandus eſt per mediatorem; ſiquidem & ipſe mediator verus Deus eſt, qui per mediatorem, ceu diuerſum abs ſe (vti aduerſarii intelligunt) non inuocatur. Quanquam neque *minor* concedenda ſit; quia per mediatorem inuocare, eſt propter meritum mediatoris exauditionem petere: Quod vtique allegari poſſe in SS. Trinitatis inuocatione, certum eſt. Vid. D. CALOV. *ſyſtem. tom. III. qu. III. p. 114.*

XII. Eſſentia diuina eſt Pater: Eſſentia diuina eſt Filius: Ergo Filius eſt Pater. Reſp. 1) Neque *maior*, neque *minor* vniuerſalis eſt; quia non poſſum dicere: Omne id, quod eſt eſſentia diuina, eſt Pater. 2) Concluſio ita inferenda eſt: Ergo quidam, qui eſt Filius, eſt Pater (ſcil. diuerſo reſpectu.)

XIII. Si eſſentia diuina a perſonis diuinis diſtinguitur, erit in Deo quaternitas (nempe 1. Eſſentia 2. Pater 3. Filius 4. Spiritus S.) Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. Reſp. Si eſſentia diuina a perſonis *diſtinguitur realiter*, erit in Deo quaternitas, concedo. At eſſentia diuina a perſonis diuinis non diſtinguitur *realiter*, *ſed tantum ratione eminente, ſeu ratiocinata.*

XIV. Quicunque conſtat e tribus perſonis, is eſt compoſitus. Deus non eſt compoſitus. Ergo. Reſp. Huic argumento ſatisfecimus ſupra.

Quæſt. LVI. *Eſtne myſterium Trinitatis omnibus ſaluandis creditu neceſſarium?*

Myſterium SS. Trinitatis omnibus hominibus ſaluandis in veteri (a) & nouo teſtamento (b) creditu neceſſarium eſt, tam neceſſitate præcepti diuini, quam neceſſitate medii, ad ſalutem conſequendam diuinitus ordinati (c).

Prob. a. Cum Deus decalogum promulgaret, hoc præceptum Iſraëlitis inculcabat. Exod. XX, 2. *Ego ſum Iehouah Deus tuus; qui eduxi te e terra Ægypti e domo ſeruorum: non erit tibi Deus alius ante facies meas.* At Deum trinum Iſraëlitas ex Ægypto eduxiſſe, ſupra liquido oſtendimus. Præterea dicebat Deus ibidem, v. 10. 11: *Dies ſeptimus ſabbathum eſto* Iehouæ, Deo *tuo --- Quia ſex diebus fecit Iehouah cœlum & terram.* Creator cœli & terræ eſt Deus Pater, Filius & Spiritus S. Gen. I, 1. 2. Pſ. XXXIII, 6.

Prob. b. In N. T. iubentur omnes ſaluandi baptizari in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Matth. XXVIII, 9. Ergo præcepto diuino obligantur omnes ſaluandi ad agnoſcendum & colendum Deum Patrem, Filium & Spiritum S.

Prob. c. 1) Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, &, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum Io. XVII, 3. Vt in SS. Trinitatis viſione & fruitione ſempiterna conſiſtit vita æterna: ita medium & via conſequendi vitam æternam eſt ſalutifera cognitio Dei Patris, Filii & Spiritus S.

2) Nullus atheus ſaluatur: Deum trinunum non honorans eſt atheus: Ergo. *Minor* probatur tum ex Io. V, 32. *Qui Filium non honorat, non honorat Patrem:* tum ex 1 Io. II, 23.

 *Omnis,*

Digitized by Google

*Omnis, qui negat Filium, neque Patrem habet.* At qui neque Deum Patrem, neque Filium Dei agnoſcit, is atheus eſt. Ex quo ATHANASIVS in *ſymbolo* ſuo grauiter inquit: *Quicunque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, vt teneat catholicam fidem; quam niſi quisque integram, inuiolatamque ſeruauerit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hæc eſt, vt vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate veneremur.*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum, Arminianorum, & quorundam Pontificiorum,* negantium, myſterium Trinitatis omnibus ſaluandis creditu eſſe neceſſarium, quorum argumenta ſunt:

I. Non exſtat SS. Trinitas in ſcriptura ſacra. Ergo non omnibus neceſſario credenda eſt. Reſp. Habemus in ſacris litteris tres teſtes, qui vnum ſunt, 1 Io. V, 7. Licet abſtractum, *Trinitas*, non exſtet in ſacra ſcriptura ῥητῶς, ſufficit, τὸ πρᾶγμα, ſiue rem ipſam, ex oraculis cœleſtibus clare innoteſcere.

II. Quibuscunque myſterium Trinitatis eſt cognitu neceſſarium, illis cognoſcendum eſt diſcrimen inter eſſentiam & perſonam. Atqui non omnes homines cognoſcunt illud diſcrimen. Ergo. Reſp. Summum fidei Chriſtianæ dogma de tribus perſonis in vna eſſentia diuina omnibus cognitu neceſſarium eſt, non quatenus terminis eccleſiaſticis, ſed phraſibus ſcripturæ ſimpliciter proponitur. Ceterum idiotis diſcrimen eſſentiæ & perſonæ planiſſime tradimus; quod videlicet eſſentia ſit communis omnibus tribus diuinitatis perſonis: perſona autem incommunicabilis ſit alteri perſonæ.

III. Infantes non credunt SS. Trinitatem, quia diſcrimen eſſentiæ & perſonarum diuinarum penitus ignorant, & tamen ſaluantur. Ergo myſterium Trinitatis non omnibus creditu eſt neceſſarium. Reſp. Infantes baptizantur in Deum Patrem, Filium & Spiritum S., ideoque illuminante Spiritu S. in Deum triunum credunt, fide non quidem diſcurſiua, aut reflexa, attamen ſimplici & directa, modo nobis inexplicabili.

IV. Si myſterium Trinit. in V. T. cognitum fuit, vel *implicite* vel *explicite*, fuit cognitum. Si *prius*; Iudæi non habuerunt diſtinctam notitiam perſonarum diuinarum, adeoque e locis V. T. probari hoc myſterium nequit. Si *poſterius*; tolletur diſcrimen V. & N. T. cum tamen conſtet, myſterium Trinitatis clarius in N. quam V. T. eſſe propoſitum. Reſp. Iudæi V. T. *explicite* cognouerunt Deum triunum, ſed *explicita* cognitio ſuos habet *gradus*; clarior enim eſt ſub nouo fœdere, minus clara ſub veteri fuit.

V. Quicunque cuſtoditi fuerunt ſub lege in futuram fidem, illi fidem explicitam in SS. Trinitatem non habuerunt. Atqui Iſraëlitæ in V. T. &c. Gal. III, 23. Reſp. 1) Per fidem l. c. nonnulli intelligunt doctrinam de Chriſto exhibito, quæ in N. Teſt. erat reuelanda. Habuerunt interim Patres ſub V. T. fidem in Meſſiam venturum. 2) B. Lutherus intelligit fidem ſaluificam, & diſtinguit non inter tempora V. & N. Teſt., ſed inter diuerſos ſtatus hominis, qui viuit vel in ſtatu anxietatis ſub lege, vel in ſtatu gratiæ, ſeu fidei. Nos omnes cuſtodimur & coërcemur ſub lege in agnitionem peccatorum, donec fide in Chriſtum erigamur & reficiamur.

VI. Iſraëlitæ in V. T. non adorauerunt Patrem in nomine Chriſti. E. myſterium Trinitatis explicite non cognouerunt. Reſp. Neg. anteced. Daniel expetiit exaudiri a Domino propter Dominum, c. IX, 17. i. e. propter Chriſtum.

Inſtantia. Sed Chriſtus dicit: Hactenus in nomine meo non petiiſtis. Io. XVI, 24. Reſp. Per nomen Chriſti l. c. explicante LVTHERO, intelligitur omne illud, quod Chriſtus in officio ſuo mediatorio pro nobis præſtitit, quo pertinet paſſio, mors, ſepultura, reſurrectio &c. quæ id temporis, quo Chriſtus verbis citatis vtebatur, nondum erant peracta, ſed propediem peragenda.

VII. Ho-

Digitized by Google

VII. Hodierni Iudæi myſterium SS. Trinitatis non agnoſcunt. Reſp. Hodierni Iudæi ſunt excœcati & indurati, Iudæi V. T. erant dociles. Ab illis ad hos argumentari, nefas eſt.

Quæſt. LVII. *An etiam humana Chriſti natura ad SS. Trinitatem pertinet?*

Humana Chriſti natura, mediante perſonali cum τῷ λόγῳ vnione, ad SS. Trinitatem pertinet.

Prob. Qua ratione humana Chriſti natura pertinet ad τὸν λόγον, eadem ratione pertinet ad SS. Trinitatem. At mediante vnione perſonali pertinet ad τὸν λόγον. E. mediante vnione perſonali pertinet ad SS. Trinitatem. Minor conſtat e Io. I, 14. 1 Tim. III, 16.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, humanam Chriſti naturam in conſortium SS. Trinitatis eue&tam eſſe. Nituntur ſequentibus argumentis: I. In SS. Trinitate eſt Pater, Filius Dei & Spiritus S. Atqui humana Chriſti natura non eſt Pater, Filius Dei & Spiritus S. Ergo. Reſp. Filius Dei in carne manifeſtatus conſtat ex natura diuina & humana.

II. Si natura humana ad Trinitatem pertinet, fiet exæquatio naturæ diuinæ & humanæ. Conſequens eſt abſurdum. E. & antecedens. Reſp. Non fit exæquatio naturarum. Neque enim humana Chriſti natura eſſentialiter, immediate & per ſe, ſed tantum *mediate* & per *vnionis perſonalis gratiam* ad Trinitatem pertinet.

Quæſt. LVIII. *Quomodo informandi ſunt, qui doctrinam de SS. Trinitate capere nequeunt?*

His myſterium Trinitatis phraſibus ſcripturæ ſimpliciſſime explicandum eſt.

Prob. Sacra ſcriptura planiſſime docet, Deum eſſe vnum, Deut. VI, 4. Deum illum vnum, in cuius nomen baptizamur, eſſe Patrem, Filium & Spiritum S. Matth. XXIIX, 19. Alium eſſe Patrem, alium Filium Dei, alium Spiritum S. Io. XIV, 16. Filium Dei eſſe a Patre genitum. Pſ. II, 7. Spiritum S. a Deo Patre & Filio ab æterno procedere, Io. XV, 26. De cetero rationem captiuandam eſſe ſub obſequium Chriſti, monet apoſtolus 2 Cor. X, 5.

Quæſt. LIX. *An adorans vnam diuinitatis perſonam ipſam SS. Trinitatem adorat?*

Adorata vna diuinitatis perſona tota SS. Trinitas adoratur.

Prob. Tres diuinitatis perſonæ ſunt ὁμοούσιοι ſiue conſubſtantiales, Io. XIV, 10. 1 Io. V, 7. Non igitur precibus ad vnam perſonam directis, reliquas excludimus, ſed abſtrahimus mentem a creaturis & omni eo, quod non eſt Deus, diſtinctioris autem conceptus cauſſa preces noſtras ad perſonas diuinas dirigimus.

Quæſt. LX. *Quos vſus practicos e doctrina de SS. Trinitate excerpes?*

Vſus practici e myſterio Trinitatis deriuandi concernunt partim fiduciam cordis noſtri (a), partim caritatem noſtram erga Deum & proximum declarandam (b).

Prob. a. Nihil peræque fiduciam cordis noſtri erigit & fulcit, atque caritas Dei Patris, Filii & Spiritus S. Amauit quippe nos peccatores, æternæ mortis reos, Deus Pater, Filium mediatorem in carnem mittendo, & ipſius pro noſtris peccatis præſtitam ſatisfactionem beneuole acceptando. Amauit nos Filius Dei carnem noſtram induendo, in ea pœnas peccatorum noſtrorum luendo, æternamque ſalutem nobis pariendo. Amauit nos Spiritus S., partam a Filio Dei ſalutem per verbum & ſacramenta nobis offerendo & conferendo. O caritas ſine exemplo! O gratia ſine menſura! Hac ſubnixi, preces fiduciæ plenas ad *Deum trinunum* fundimus, & ſaluberrima quæque ab eodem nobis promittimus.

Prob. b. Præclare inquit AVGVSTINVS *in manuali c. XIX. Deus Pater caritas eſt: Deus Filius dilectio eſt: Spiritus S. amor Patris & Filii eſt: hæc caritas & hæc dilectio aliquid ſimile in nobis requirit, ſcil. caritatem, qua velut quadam affinitate conſanguinitatis ei ſociemur & coniungamur.*



Digitized by Google

*SVSPIRIVM.*

Te, fons diuinitatis & conditor orbis, *Pater æterne*; te, nec poſterior, nec minor Patre, ſeruator generis humani & ſoſpitator, *æterne Fili;* te, qui ab vtroque procedis, neutro maieſtate inferior, ſanctificator animarum fidelium, *Spiritus æterne,* quam deuotiſſime fieri poteſt, oro, veneror & obteſtor, vt qua gratia nos miſeros peccatores præueniſti, eadem comiteris perpetuo & proſequaris, quo in lumine reuelationis tuæ te, lumen & ſolem noſtrum, clare videamus, ſincere amemus, conſtanter colamus. Condones, *o Pater!* liberis tuis reſipiſcentibus peccata: ornes, *o Deus Fili!* ipſos veſte iuſtitiæ tuæ; incolas eosdem & impleas, *o Spiritus Sancte!* donis tuis, quo ſobrie, iuſte & pie viuant in præſenti ſæculo, exſpectantes vitam beatam in regno gloriæ.

## CAPVT III.

# DE ACTIONIBVS DIVINIS IN GENERE, IN SPECIE DE CREATIONE.

Quæſt. I. *Quid ſunt actiones diuinæ?*

Sunt actus ſecundi infinitæ Dei potentiæ.

Quæſt. II. *Quomodo diſtinguuntur actiones diuinæ?*

*Diſtinctio actionum diuinarum.*

Actiones diuinæ diſtinguuntur in eas, quæ ſunt *intra* Deum, & quæ ſunt *extra* Deum. actiones diuinæ *ad intra* ſunt, quæ tendunt ab obiectum, quod eſt ipſe Deus: Actiones *ad extra* ſunt, quarum obiectum ſunt res creatæ.

Prob. Omnis actio relationem inuoluit tranſcendentalem ad certum obiectum. Eſt itaque obiectum actionum diuinarum vel ipſe Deus, vel creaturæ.

Quæſt. III. *Quomodo diſtinguuntur actiones diuinæ ad intra?*

*Actiones diuinæ ad intra.*

Actiones diuinæ *ad intra* vel ſunt *eſſentiales*, vel *perſonales*. *Illæ* ſunt, quæ reſpiciunt Deum, velut obiectum, & quarum principium agens eſt eſſentia diuina indeterminate conſiderata, prout communis eſt omnibus tribus diuinitatis perſonis (a): *Hæc* eſt, quæ terminatur ad perſonam diuinam, & cuius principium agens eſt eſſentia diuina determinate ſpectata, prout certo charactere hypoſtatico inſignita eſt (b).

Prob. a. Quædam actiones diuinæ fluunt ex eſſentia Dei indeterminate conſiderata, v. gr. actus intellectus & voluntatis diuinæ. Deus enim ſeipſum cognoſcit, ſeipſum amat, in bonitate ſua acquieſcit; ſunt hæ actiones *ad intra eſſentiales.*

Prob. b. Generatio Filii Dei & ſpiratio Spiritus S. ſunt actiones diuinæ *ad intra perſonales*: terminantur enim ad producendam perſonam diuinam, earumque principium agens eſt eſſentia diuina, certo charactere hypoſtatico notata. De his valet tritum illud: *Opera diuina ad intra perſonalia ſunt diuiſa*, i. e. non communia omnibus tribus diuinitatis perſonis.

Quæſt. IV. *Quomodo diſtinguuntur actiones diuinæ ad extra?*

*Actiones diuinæ ad extra.*

Actiones diuinæ *ad extra* diſtinguuntur in *immanentes* & *tranſeuntes*. *Illæ* ſunt, quæ ad creaturas quidem terminantur, intra eſſentiam vero Dei perficiuntur

Digitized by Google

tur (a). *Hæ* dicuntur, quæ & extra eſſentiam diuinam perficiuntur, & obiectum a Deo diſtinctum reſpiciunt (b).

Prob. a. Deus creaturas cognoſcit, amat, ad certos fines deſtinat: quæ actiones intra Deum quidem perficiuntur, ad creaturas autem terminantur. Pertinent huc *decreta* diuina creationis, conſeruationis, prædeſtinationis, reprobationis.

Prob. b. *Actiones tranſeuntes diſtinguuntur in perſonales, & eſſentiales.* Illæ *ſunt, quæ extra deitatis ſinum perficiuntur, & vni certæ perſonæ per appropriationem* οἰκονομικὴν *competunt.* Hæ *ſunt, quæ extra eſſentiam diuinam perficiuntur, & omnibus tribus diuinitatis perſonis communes ſunt, ſeruato tamen earum ordine.* Circa hanc diſtinctionem probe obſervandum eſt:

(1) Quod actiones *ad extra perſonales* bifariam conſiderentur: (a) *incboatiue, ſeu ratione principii*; ſic enim communes ſunt omnibus tribus diuinitatis perſonis: (b) *terminatiue, ſeu ratione termini;* ita vni perſonæ diuinæ competunt, & in eadem terminantur. v. gr. *Incarnatio* eſt opus diuinum *ad extra perſonale*, quod *inchoatiue* commune eſt omnibus tribus diuinitatis perſonis, ſc. quoad carnis Chriſti productionem, nec non quoad copulationem aut vnitionem duarum naturarum in Chriſto; at ſi *terminatiue* ſpectetur, ſoli λόγῳ, ſiue Filio Dei, competit, in cuius hypoſtaſin caro Chriſti aſſumta eſt. Similiter apparitio Spiritus ſancti in viſibili ſpecie columbæ, Matth. III, 16. communis eſt omnibus tribus perſonis diuinis *inchoatiue*, ſc. qua ſpeciei columbinæ productionem, & productæ ſpeciei exhibitionem; *terminatiue* vero, ratione induitionis, externæ apparitionis & deſcenſionis ſoli competit Spiritui ſancto.

(2) Actiones *ad extra eſſentiales ſunt indiuiſæ*, i. e. communes omnibus tribus diuinitatis perſonis, ſeruato tamen earum ordine, v. gr. Creatio mundi eſt opus externum eſſentiale, commune Deo Patri, Filio & Spiritui ſancto, ſeruato tamen perſonarum diuinarum ordine. Sicut enim Pater eſt a ſeipſo, Filius autem Dei a Patre, & Spiritus S. a Patre & Filio: ita Deus Pater per Filium in Spiritu S. mundum creaſſe dicitur.

### Quæſt. V. *Quid eſt creatio?*

Creatio eſt actio diuina ad extra, qua Deus Pater per Filium ſuum in Spiritu ſancto tum ſubſtantias immateriales & corpora ſimplicia ex nihilo, tum corpora mixta ex materia inhabili & indiſpoſita intra ſextiduum ſolo voluntatis imperio omnipotenter condidit, ad ſapientiæ, potentiæ & bonitatis ſuæ gloriam, atque hominum vtilitatem. *Definitio creationis.*

Obſ. *Creatio* ſumitur vel proprie, vel improprie. *Proprie* ſignificat, tum ſenſu ſtrictiori, productionem rei ſubſiſtentis *vel* ex nihilo, *vel* ex materia inhabili; tum ſenſu latiori productionem entis dependentis a creatore in fieri: quo latiori ſenſu a metaphyſicis ens in creatum & increatum diſtinguitur, & Deus, parentibus generantibus, creare dicitur. Improprie ſignificat (a) *renouationem* Pſ. LI, 12. (b) *immiſſionem iuſtiſſimorum Dei iudiciorum*, Eſ. XLV, 7. (c) *rerum mirabilium effectionem*, Num. XVI, 20.

### Quæſt. VI. *Quis creauit mundum?*

Solus Deus (a) Pater (b), Filius (c), & Spiritus ſanctus (d). *Cauſſa efficiens creationis.*

Prob. a. (1) Quia Iehouam creaſſe cœlum & terram, Moſes in hiſtorica deſcriptione creationis luculenter teſtatur, Gen. II, 4.

(2) Per

Digitized by Google

(2) Per particulam excluſiuam, omnis, qui non eſt Deus, ab opere creationis remouetur. Nam *ſolus Deus cœlos expandiſſe* dicitur, Iob. IX, 8. Eſ. XLIV, 24.

(3) Creatio eſt γνώρισμα veri Dei, quo is a falſis diis diſcernitur. Pſ. XCVI, 5. Eſ. XLV, 5. 6. 7.

Prob. b. 1 Cor. IIX, 6. *Nobis vnus eſt Deus, Pater, ex quo omnia.* Opus creationis Deo *Patri* in ſacris litteris & ſymbolo apoſtolico peculiariter tribuitur (a) propter *ordinem operandi;* eo, quod Pater a ſe habet, quod agat & creet, Filius Dei & Spiritus S. a Patre. (b) Quia Deus Pater omnipotentiam ſuam efficaciſſimo verbo mandati in opere creationis manifeſtauit, Gen. I, 3. (c) Creatio eſt opus diuinum *ad extra primum,* adeoque de *prima* diuinitatis *perſona* per quandam appropriationem dicitur.

Prob. c. Jo. I, 3. *Omnia per ipſum* (λόγον, ſeu Filium Dei) *facta ſunt.* Obſ. quod per *omnia* intelligantur non tantum ea, quæ ad ſalutis & religionis negotium ſub N. T. pertinent, vt volunt *Sociniani;* ſed omnia, quæ ambitu cœli & terræ continentur. Nam ſic τὰ πάντα, omnia, per Filium Dei facta, exponit S. Paullus, Col. I, 16: *Per Filium Dei condita ſunt omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra, viſibilia & inuiſibilia.*

Prob. d. Pſ. XXXIII, 6. *Verbo Iehouæ cœli facti ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Per ſpiritum oris diuini innuitur Spiritus ſanctus, de quo Moſes Gen. I, 2. 3. *Tum vero Spiritus Dei mouebat ſe ſuper faciebus aquarum; & dixit Deus: Fiat lux! & facta eſt lux.* Quæ verba concinne explicat D. SEB. SCHMID. *in annotat. in Gen. p. 4. Tum in hoc ſpiritu ſuo, ſe ſuper aquis mouente, dixit Deus Pater per verbum ſuum internum, Filium, dictum hoc προφορικὸν: Fiat lux.*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum,* ſtatuentium, ſolum Deum Patrem eſſe cauſſam primam creationis; quorum argumenta ſunt: I. Deus Pater dicitur creator in ſymbolo apoſtolico. Ergo creatio non eſt opus commune omnibus tribus perſonis diuinitatis. Reſp. Deus Pater in ſymbolo apoſtolico dicitur quidem creator *appropriatiue,* ſed non *excluſiue,* cum etiam Filius Dei & Spiritus S. ſint idem creator.

II. Quicunque nihil poteſt a ſeipſo facere, is non eſt creator mundi. Atqui Filius Dei &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia creator eſt independens, vt in eſſendo, ita in operando. *Minor* patet ex Jo. V, 19. *Filius nihil poteſt a ſeipſo facere.* Reſp. Filius nihil poteſt a ſeipſo facere *non ob defectum virtutis, ſed ob identitatem naturæ,* quam habet a Patre, non per dependentiam, ſed per æternam natiuitatem, adeoque ſenſus verborum citatorum eſt: Filius, vt per æternam generationem e Patre eſt, & eandem operandi potentiam, quam Pater habet, a Patre accepit; ita nihil poteſt facere a ſe, & ſeorſim a Patre, ſed quidquid facit, ſimul cum Patre facit.

III. *Per quem* omnia facta ſunt, ille non eſt cauſſa *principalis,* ſed *inſtrumentalis* creationis. Atqui *per* Filium Dei &c. Jo. I, 2. E. *Maior* conſtat; quia particula, διὰ, *per,* notat inſtrumentum. Reſp. (1) Particula, *per,* non ſemper eſt index cauſſæ inſtrumentalis; vſurpatur enim de Deo Patre 1 Cor. I, 9. Eph. I, 1. Rom. VI, 4. Hebr. II, 10. (2) Deus Pater creauit omnia *per Filium,* non tanquam per inſtrumentum, ſed vt per ſuam ſapientiam, & virtutem ὑποστατικὴν, Prou. VIII, 30. 1 Cor. I, 24.

IV. Quicunque ſpiritus, materia prima producta, cœpit operari, is non eſt creator mundi. Atqui Spiritus Dei &c. E. *Maior* probatur; quia Elohim in principio creauit cœlum & terram. *Minor* liquet e Gen. I, 2. vbi de Spiritu *Dei* teſtatur Moſes, quod, cum cœlum & terra eſſent creata, Spiritus *Dei* ſe mouerit ſuper aquis. Reſp. Motio Spiritus ſancti ſuper faciebus aquarum non eſt intelligenda cum excluſione præuiæ operationis, ſed cum incluſione & relatione ad opera ſequentia; ceteroqui eadem ratione quiſpiam forte argumen-

ta-

Digitized by Google

taretur: Deus Pater ſexto die condidit hominem e limo terræ. Ergo non eſt creator cœli & terræ.

Quæſt. VII. *Suntne tres perſonæ diuinitatis tres cauſſæ ſociæ creationis?*

Tres diuinitatis perſonæ *non* ſunt tres cauſſæ *ſociæ*, non tres auctores creationis, ſed vna cauſſa, vnus auctor creationis, vnus creator.

Prob. Ad *cauſſas ſocias* requiritur (1) diuerſitas eſſentiæ, (2) diuerſitas potentiæ, (3) partialis influxus. At vero tres diuinitatis perſonæ eandem habent eſſentiam, eandemque creandi potentiam; & alienum eſt a maieſtate diuina ſtatuere, quod perſonæ S. Trinitatis partialiter influant. Nam Pater condidit omnia, Filius omnia, Spiritus ſanctus omnia. Sicut vna & indiuiſibilis eſt eſſentia diuina: ita vnus & indiuiſibilis actus creandi eſt (*).

Dicis: Si Deus *Pater*, vt *talis*, *Filius Dei*, vt *talis*, *Spiritus S.* vt *talis*, mundum creauit, ſequitur, tres eſſe cauſſas ſocias creationis. Antecedens eſt verum. Ergo & conſequens. Conſequentia *maioris* probatur; quia, ſi Pater in contradiſtinctione ad Filium eſt creator, vtique erit principium & cauſſa formaliter creationis, & ſic etiam de Filio Dei & Spiritu ſancto iudicandum. Sed Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vt formaliter accipiuntur, non ſunt vnum quid, ſed ſunt tres, nempe tres cauſſæ creationis non ſubordinatæ; quia ſic Deus Filius & Spiritus ſanctus forent cauſſæ inſtrumentales: Ergo coordinatæ, ſiue ſociæ. Reſp. Neg. conſequentia maioris. Nam licet tres diſtinctæ ſint perſonæ, *vna* tamen *virtute* influunt in opus creationis. Si *diuerſa* operandi *virtute* influerent, forent *cauſſæ ſociæ*.

Quæſt. VIII. *Poteſtne vis creandi etiam creaturæ communicari?*

Vis creandi, creaturæ, per ſe & vltimate ſubſiſtenti, eſt incommunicabilis.

Prob. Ad creationem requiritur vis infinita, ſoli Deo propria. Proinde *dixit* Iehouah *redemtor tuus & formator tuus ab vtero: Ego (ſum) Iehouah, faciens omnia, expandens cœlos ſolus, extendens terram a me ipſo*, Conf. Job. IX, 8.

*Antitheſis* eſt *Scholaſticorum* veterum & recentiorum, ſtatuentium, vim creandi potuiſſe creaturæ communicari, ſi non vt cauſſæ principali, tamen vt cauſſæ inſtrumentali; quorum argumenta ſunt:

I. Quidquid poteſt regenerare, idem poteſt creare. Atqui quædam creatura poteſt regenerare. Ergo. *Maior* prob. quia tantæ virtutis eſt, regenerare, quantæ eſt, creare. Quinimmo ipſa ſcriptura regenerationem & renouationem creationis nomine inſigniuit, Pſ. LI, 12. 2 Cor. V, 12. *Minor* prob. quia ad regenerationem inſtrumentaliter concurrit aqua in baptiſmo, & miniſter eccleſiæ baptizans. Reſp. Creatio eſt ſubſtantiarum; regeneratio & renouatio accidentium. Licet itaque a cauſſa prima adhibeatur cauſſa intermedia ad producendum accidens;

(*) Cauſſæ *ſociæ* dicuntur cooperantes, quarum *quæque aliquid* ad opus perficiendum confert, nulla integrum illud abſoluit. Et quatenus earum vna defectum virium in altera ſupplet, vocatur cauſſa *auxiliatrix*. Atqui tres perſonæ ſacroſanctæ ſunt omnino inter ſe æquales: E. & omnes tres in mundo efficiendo æqualem ac prorſus infinitam vim ſuam demonſtrarunt. E. non putandæ ſunt cauſſæ ſociæ Clariſſimum effatum exſtat Ieſ. XLIV, 24. vbi & illud, לבדי, & hoc מי אתי, rem ſatis confirmat.



Digitized by Google

dens; cum effectus non ſit abſolute nobilior cauſſa intermedia: non tamen in creatione adhiberi poteſt inſtrumentum vi illius proportionis; quia effectus ille vim cauſſæ intermediæ longiſſime excedit.

II. Quidquid poteſt eſſe inſtrumentum miraculoſæ operationis, illud quoque poteſt eſſe inſtrumentum creationis. Atqui creatura &c. E. *Maior* conſtat; quia pariter infinita requiritur vis ad producendum effectum miraculoſum, atque ad creationem perficiendam. Reſp. Diſpar eſt ratio creationis, & miraculoſæ productionis. *Illa* aut nullum, aut certe inhabile, ſupponit ſubiectum. *Hæc* non fit, niſi ordine iam conſtituto, & conſequenter præſupponit ſubiectum, circa quod contingit miraculoſa operatio. Excedit igitur creatio miraculoſam operationem, vt ab hac colligere non liceat, creaturam eo vsque eleuari poſſe, vt ſit inſtrumentum creationis.

III. Qui poteſt annihilare, poteſt etiam creare. Natura poteſt annihilare. Ergo. *Maior* conſtat; quia creatio progreditur a non eſſe ad eſſe, annihilatio ab eſſe ad non eſſe. Vtrobique infinita eſt diſtantia. *Minor* probatur; quia per naturam non tantum corpora animalium & plantarum, ſed etiam formæ ſeu animæ eorumdem tandem annihilantur. Reſp. 1) Ad *maiorem:* Facilius eſt, perfectum deſtruere, quam id, quod nondum perfectum eſt, exſtruere. 2) Ad *minorem:* Per naturam corpora animalium non annihilantur, ſed in atomos, ſiue particulas reſoluuntur, e quibus conſtant: Quomodo autem formæ eorum pereant, aut annihilentur, vix demonſtrabile, aut explicabile eſt.

IV. Communicata eſt vis creatrix humanæ *Chriſti* naturæ, Matth. XXVIII, 18. Ergo creaturæ vis creatrix eſt communicabilis. Reſp. Diſt. inter creaturam *meram*, *vltimate per ſe ſubſiſtentem*, & inter creaturam *veram quidem*, ſed *aſſumtam in hypoſtaſin* τȣ λόγȣ. Huic omnis potentia, adeoque etiam potentia creandi, κατὰ συνδύασιν, propter vnionis perſonalis gratiam, eſt communicata; creaturæ autem meræ, κατὰ μετέκβασιν, ſecundum externam egreſſionem, eſt incommunicabilis.

Quæſt. IX. *Vtrum mundus, & omnia, quæ in eo ſunt, ex nihilo, an ex præexiſtente materia ſunt condita?*

*Materia creationis.* Mundus, & omnia, quæ in illo ſunt, partim ex nihilo, partim ex materia inhabili condita ſunt. Ex nihilo creati ſunt angeli, anima Adami, cælum & elementa a). Reliqua corpora producta ſunt ex materia inhabili & indiſpoſita, ex qua opus producendum, citra actionem virtutis omnipotentis, non emerſiſſet b).

Obſ. Diſt. *Inter creationem primam, ſiue immediatam*, quæ eſt ex nihilo abſolute, & hæc nullam habet præiacentem materiam; & *creationem ſecundam, ſiue mediatam*, quæ eſt ex materia præiacente quidem, ſed inidonea & inhabili, in qua tantum datur potentia obedientialis in ordine ad cauſſam primam, infinita virtute agentem. Opera primi diei ex *nihilo pure negatiuo* creata ſunt: opera reliquorum dierum (excepta anima humana) ex operibus primi diei, ſed *indiſpoſitis & indigeſtis* producta ſunt. Poſſunt & hæc certo reſpectu dici condita ex *nihilo*, partim *mediate*, quia originem debent materiæ ex nihilo productæ; partim ideo, quod *materia indiſpoſita* reſpectu operum, quæ ex ea emerſerunt, pro nihilo habetur.

Prob. a. 1) Quia Moſes in hiſtorica creationis deſcriptione nullam facit mentionem materiæ, ſed ſimpliciter dicit: In principio creauit Deus cœlum & terram. Gen. I, 1. 2) Deus creaturus vocauit (ſeu adeſſe iuſſit) omnia τὰ μὴ ὄντα, quæ nullo modo erant, ὡς ὄντα, ac ſi re-

Digitized by Google

ſi reuera eſſent, (vt ſcil. per creationem reuera exſiſterent). Rom. IV, 17. 3) Fide intelligimus, coagmentata eſſe ſecula verbo Dei, ita vt ex non apparentibus ea, quæ videntur, facta ſint, Hebr. XI, 3. Vbi per τὰ μὴ φαινόμενα, non apparentia, apoſtolus τὰ μὴ ὄντα indicat, ſicut 2 Maccab. VII, 4. ἐξ ὀυκ ὄντων, e non exſiſtentibus, Deus cœlum & terram feciſſe dicitur. 4) Sex dierum interuallo condidit Deus cœlum & terram, mare & omnia, quæ in illis ſunt, Exod. XX, v. 11. E quibus colligimus: Quæcunque materia vere exſiſtit, illa eſt creata intra primum ſextiduum. Quæ materia dicitur præexſiſtens creationi, non eſt creata intra primum ſextiduum. Ergo materia præexſiſtens creationi vere non exſiſtit.

Prob. b. Rudis & indigeſta moles primo condita die dicitur תהו ובהו, vaſta, inanis, adeoque indiſpoſita, vt nullarum ſecundarum cauſſarum vi plantæ & animalia ex ea prodire potuerint. Ergo reſpectu horum habetur pro nihilo.

*Antitheſis* eſt *Materiariorum* (qui etiam *Hermogeniani* dicuntur) qui coæternam Deo materiam ſtatuerunt, quibus nonnulli e *Socinianis* accedunt, quorum argumenta ſunt:

I. Ex nihilo nihil fit. Ergo ex nihilo nihil creatur. Reſp. Ex nihilo nihil per vires naturæ generatur: At per vim Dei infinitam mundus, & omnia, quæ in illo ſunt, creata ſunt ex *nihilo*, vel immediate, vel mediate.

II. Quæcunque actio eſt nobiliſſima, illa non eſt productio rei ex nihilo. Creatio eſt actio nobiliſſima. Ergo. *Maior* prob. quia illa actio, quæ tendit a bono ad bonum, ab ente ad ens, longe nobilior eſt ea, quæ a non ente ad ens, a non bono ad bonum tendit. Reſp. Neg. conſequ. maioris. Ad probationem dicimus, quod nobilitas actionis æſtimanda ſit non a termino a quo, ſed a termino ad quem. Longe ergo nobilior eſt creatio reliquis productionum ſpeciebus, eo ipſo, quod eſt productio a non ente ad iſtum infinite diſtantem terminum entis.

III. Si creatio eſt productio ex nihilo, tunc aut medium quid erit inter creatorem & creaturam, aut erit vel ipſe creator, vel creatura. Si eſt medium quid; dabitur medium inter terminos immediate oppoſitos. Si eſt creator, erit æterna. Si creatura eſt; per aliam creationem producta eſt; quia omnis creatura talis eſt per creationem. De illa creatione iterum quæro: Vtrum ſit ens creatum, an increatum: Et ſic proceſſus fit in infinitum. Reſp. Hoc argumentum præſupponit, creationem eſſe ens proprie dictum; cum tamen ſit modus tantum *entis* infiniti, ſiue creatoris. *Ens*, ſtricte dictum, diuiditur in creatorem & creaturam; non autem eadem ratione diuiduntur *modi entium*.

IV. Productio rei, quæ fit ex nihilo, eſt creatio. Productio ſpecierum intelligibilium fit ex nihilo. Ergo productio ſpecierum intelligibilium eſt creatio. Minor patet; quia ſpecies intelligibiles ſunt immateriales, adeoque earum productio non fit ex materia, ſed ex nihilo. Reſp. Creatio fit ex nihilo, i. e. ſine materia, tum ingrediente, tum præiacente. Species intelligibiles producuntur quidem ſine materia ingrediente, habent tamen dependentiam naturalem ad materiam præiacentem.

V. Omnis creatura facta ex nihilo eſt. Homo non &c. E. Reſp. Omnis creatura facta eſt ex nihilo vel mediate, vel immediate. Homo mediate creatus eſt ex nihilo; quia originem ducit a materia ex nihilo condita.

Quæſt. X. *Eſtne creatio ex nihilo cognoſcibilis e lumine naturæ?*

Creatio ex nihilo, *generatim* & abſtractiue ſumta, non ſolum ex lumine reuelationis, ſed & ex lumine naturæ innoteſcit a). At *ſpeciatim*, ſecundum



Digitized by Google

*ordinem & modum* conſiderata, non niſi ex lumine reuelationis cognoſcitur b).

Prob. a. 1) Ratio colligit: Mundus creatus eſt vel ex nihilo, vel ex præiacente materia. Si ex nihilo; habeo intentum. Si ex præiacente materia; illa præexſiſtens materia vel eſt creata, vel increata. Si eſt creata; eadem redit quæſtio: ſi increata; eadem erit æterna, adeoque vel Deus ipſe, vel Deo coæterna. Atqui duo æterna, infinita & independentia principia ſimul exſiſtere nequeunt.

2) Teſtantur luculenta ſcripturæ dicta creationem mundi natura eſſe cognoſcibilem. Rom. I,20. Act. XIV,17. Job. XII,7. Eſ. XL, 26.

Prob. b. Ex Hebr. XI, 3. Πίςει νοȣ̃μεν κατηρτίσθαι τȣ̀ς αἰῶνας ῥήματι Θεȣ̃. *Fide intelligimus, coagmentata eſſe ſæcula verbo Dei.* Duo hic obſerues: 1) quod verbum κατηρτίσθαι ſignificet aptare, coagmentare, concinnare, vt eodem concinnus creationis ordo indicetur. 2) Quod ῥῆμα Θεȣ̃ notet verbum mandati; quo ipſo non excluditur λόγος ὑποςατικὸς, quia Deus dixit: Fiat lux. Dixit id iubendo non ſine verbo, ſed per verbum hypoſtaticum, per quod facta ſunt omnia. Io. I, 3. Argumentamur: Quicunque ordinem creationis, factum verbo mandati diuini, tantum cognoſcit fide, ille non cognoſcit eundem notitia naturali. Atqui homo illuminatus &c. Ergo.

*Antitheſis* eſt quorundam *Scholaſticorum*, ſtatuentium, creationem eſſe articulum fidei purum; quorum argumenta ſunt:

I. Doctrina de creatione comprehenditur ſymbolo apoſtolico. E. eſt articulus fidei purus. Reſp. Doctrina de creatione eſt articulus fidei mixtus, qui in quantum cognoſcitur ex lumine reuelationis, creditur: in quantum innoteſcit ex lumine rationis, euidenter ſcitur.

II. Paullus teſtatur, Hebr. XI, 3. quod fide intelligamus, coagmentata eſſe ſæcula. Reſp. Apoſtolus loquitur de creatione non generatim, ſed ſpeciatim conſiderata ſecundum modum & ordinem. *Quod*, non *quomodo*, conditus ſit mundus ex nihilo, ratio cognoſcit.

III. Ratio dictitat, ex nihilo nihil fieri. Ergo ignorat creationem. Reſp. Ratio dictitat, viribus naturæ ex nihilo nihil fieri; agnoſcit tamen omnipotentiam Dei, penes quem eſt poteſtas condendi hoc vniuerſum ex nihilo.

Quæſt. XI. *Num Deus mundum hunc aſpectabilem ex eſſentia ſua creauit?*

Deus mundum hunc aſpectabilem non creauit ex eſſentia ſua, neque hanc in partes quaſi diffudit, vt quælibet creatura deitatis particula dici poſſit.

Prob. I. Quia creatio formaliter non productionem ex ſubſtantia Dei, ſed ex nihilo notat, Gen. I, 1. Rom. IV, 17. II. Deus eſt ſpiritus, Io. IV, 24. Proinde eſſentia Dei in partes diffundi nequit. III. Creaturæ indies mutantur & intereunt: Deus autem immmutabilis eſt, Mal. III, 6. IV. Blaſphemum dictu eſt, diabolum & homines peccatores eſſe partes diuinæ eſſentiæ.

Quæſt. XII. *Quæ eſt forma creationis?*

*Forma creationis.* *Forma* creationis, *generatim* ſpectata, conſiſtit in hoc, quod creatio actio eſt non ad intra, ſed ad extra: non neceſſaria, ſed libera: non ſucceſſiua, ſed ratione ſingulorum entium creatorum inſtantanea a). *Speciatim* conſiderata tribus abſoluitur gradibus. I. Productione indigeſtæ molis ex nihilo pure negati-

vo.

Digitized by Google

vo. II. Diſtinctione ac diſpoſitione earum rerum, quæ ex nulla præexſiſtente materia conditæ ſunt. III. Exornatione & conſummatione huius vniuerſi b).

Prob. a. *Creatio eſt actio diuina ad extra;* ideo, quod terminatur non in Deo, ſed in creaturis, quæ non ex ipſa eſſentia Dei emanarunt, ſed factæ ſunt dicendo, ſeu iubendo, dum Deus imperio voluntatis ſuæ, intellectus ſcientia practica directæ, potentiam ſuam effectiuam ad creandum applicauit. Deinde creatio eſt *actio diuina libera;* propterea, quod Deus hoc vniuerſum condidit, non adductus neceſſitate, prorſus ac ſi famulitio creaturarum indiguerit, cum ſit αὐταρκέστατος; ſed libere, vt potuerit creare & non creare, citius, aut ſerius, hoc, vel alio modo, condere. Eſt denique creatio, ratione ſingulorum entium creatorum, *actio diuina inſtantanea;* neque enim motu, aut operoſa molitione, Deus ſingula condidit, ſed cum dixit: *fiat lux;* ſubito facta eſt. Idem formetur iudicium de reliquorum operum effectione. Quamuis, ſi collectim ſpectentur entia creata, per ſex νυχθήμερα abſoluta ſit creatio; non quod totos illos ſex dies Deus creationi impenderit, ſed quod ſingulorum dierum momentis aliquid creauerit.

Prob. b. *Primo* creationis *die* condidit Deus O. M. rudem & indiſtinctam maſſam cœli, terræ & aquæ, eodemque die primo lucem a tenebris, *altero* aquas inferiores a ſuperioribus, interpoſito firmamento, diuiſit; *tertio* die terram, ab aquis ſeparatam, gramine, herbis, arboribusque inſtruxit; *quarto* die cœlum luminaribus, *quinto* aquam piſcibus, aërem volatilibus, *ſexto* terram animalibus, tandemque homine, omnium animantium principe, ornauit & impleuit. Ordo obſeruatus eſt a ſapientiſſimo creatore accuratiſſimus. Creauit enim primum corpora inanimata & ſimplicia, tum mixta, viuentia, poſt ſenſitiua, poſtremo animal intelligens, hominem.

*Antitheſis* eſt *Philonis, Procopii, Caietani & aliorum,* arbitrantium, Deum omnia ſimul & vno momento creaſſe, non vero ſex dierum interuallo; qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Scribit Moſes Gen. II, 4. *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Deus cœlum, & terram & omne virgultum agri.* Si cœlum, & terra, & virgultum agri, eodem die condita ſunt, vtique non facta ſunt intra ſextiduum. Reſp. Dies ſenſu generali haud raro ſignificat tempus; illud vero templus plures dies complectitur.

II. Siracides cap. XVIII, 1. inquit: *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Reſp. 1) Deus creauit omnia ſimul eodem *tempore communi,* non interrupta creationis ſerie, licet non eodem ſingulari temporis momento: ſicut tota claſſis dicitur ſimul ſoluta e portu, licet vna prius, & altera poſterius ſit ſoluta nauis, modo non longum intercedat interuallum. 2) In græco textu eſt aduerbium, κοινῶ, quod ſignificat communiter, adeoque non præciſe συγκαιρίαν, communitatem temporis, ſed συλλογήν, ſiue communitatem originis & dependentiæ notat; quia hoc commune eſt omnibus creaturis, quod a Deo in fieri & eſſe dependent, & nihil extra Deum exſiſtit, quod a Deo non ſit creatum.

III. Deus eſt omnipotens, non tardo molimine aliquid efficiens. Nullam igitur cauſſam comminiſci licet, cur tam lento gradu in creando ſit progreſſus. Reſp. Quia Deus eſt omnipotens, potuit hoc vniuerſum in inſtanti, potuit etiam ſex dierum interuallo producere. Quod autem non in vno inſtanti produxerit, liberæ eius voluntati tribuendum eſt. Cauſſæ tamen protractæ per *ſextiduum* creationis ab auctoribus redduntur ſequentes. 1) Placuit ita ſapientiæ diuinæ, tum vt euidentius mundum non eſſe ab æterno conſtaret, tum vt diſtinctius & attentius ſingula opera Dei meditemur: quin & ſubinde penſitemus nobiſcum ſtatum triplicem mundi conditi, nempe ſtatum creationis ex nihilo, diſtinctionis & exornationis. 2) Voluit



Digitized by Google

creator hoc exemplo nos admonere, qualia ſint plerumque initia operum diuinorum, quod primum tenue aliquod rudimentum ponat, deinde incrementa ſenſim largiatur, donec ad perfectionem rem perducat. 3) Cenſente AMBROSIO, Deus voluit nos ſui eſſe imitatores, vt primo faciamus aliqua, poſtea venuſtemus, ne, dum ſimul vtrumque adorimur, neutrum poſſimus implere. 4) Docere voluit Deus, ſex dies ad labores eſſe aſſignatos, ſeptimum vero impendendum eſſe diuinis laudibus, & memoriæ beneficiorum diuinorum, in primis vero creationis. 5) Sunt denique nonnulli, qui exiſtimant, ideo mundum ſex dierum ſpatio a Deo conditum eſſe, quod ſex annorum millibus duraturus ſit; quæ tamen res incerta eſt (*).

### Quæſt. XIII. *Potuitne mundus creari ab æterno?*

Mundus ab æterno creari non potuit.

Prob. I. Quidquid non poteſt fieri ſine initio eſſendi, illud non poteſt creari ab æterno. Atqui mundus &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia quidquid habet initium eſſendi, non eſt æternum. *Minor* probatur; quia, quando creatura fit, eſſe incipit: habet enim eſſe poſt non eſſe, adeoque initium eſſendi.

II. Aeternitas eſt attributum ſolius Dei: ex quo vocatur Deus æternitatis, Gen. XXI, 33. Aeternus Deus, Rom. XVI, 26. Rex ſæculorum incorruptibilis, 1 Tim. 1, 17.

III. Omne æternum eſt infinitum & interminabile. Atqui mundus non eſt infinitus, aut interminabilis. Ergo mundus non eſt æternus. *Maior* patet: quia æternitas eſt infinita & interminabilis duratio. *Minor* liquet: quia mundus eſt compages multorum corporum. At nullum corpus, cum determinatam habeat quantitatem, poteſt eſſe infinitum.

IV. Sicut non poteſt aliquid redigi in nihilum, & permanere æternum: ita non poteſt aliquid creari ex nihilo, & eſſe ab æterno. Par enim vtrobique eſt ratio.

*Antitheſis* eſt quorundam *Scholaſticorum & Pontificiorum*, ſtatuentium, mundum potuiſſe creari ab æterno; quorum argumenta ſunt:

I. Quidquid non inuoluit contradictionem, illud a Deo poteſt fieri. Atqui creatio mundi æterna &c. Ergo. *Minor* probatur; quia creatio ab æterno, neque ex parte creatoris, neque ex parte creaturæ, inuoluit contradictionem. Non ex parte *creatoris;* quia ille *eſt omni*-potens

(*) Quamuis ad hanc quæſtionem: quare *ſex dierum* interuallo conſummata fuerit creatio vniuerſa? ſatis eſſe queat, reſpondiſſe: Quis cognouit mentem Domini? Ecquis ei fuit a conſiliis? laudabilis tamen eſt inquiſitio indagatioque veræ rationis, & eius quidem, quam Deus ipſe patefecit. Scilicet Creator huius vniuerſitatis in tota rerum natura conſtituenda egit dupliciter, primum quidem vires eius *efficiendo*, deinde vero eas penitus *perficiendo*. Indidit Deus primæ materiæ, ſimul atque ea exſtitit, *vires* quasdam, illi conuenientes, per *motum primum*, a Spiritu diuino impreſſum, Geneſ. I, 2. Hæ igitur vires continuo fuerunt *efficaces*, vt clare ſignificatum eſt hiſce verbis: יהי, v. 3. תדשא הארץ, v. 11. ישרצו המים, v. 20. תוצא הארץ v. 24. *Nec* vero erant *ſufficientes* ad integram conſtitutionem omnium rerum, præſertim animatarum. Idcirco additur: ויאמר אלהים, & ויברא אלהים. Ea de cauſſa etiam Deus dicitur poſt, quam particulæ lucidæ ab aliis ſeiungi, atque inter ſe coniungi, vi motus in natura excitati coepiſſent, ipſe *diſtinxiſſe* lucem a caligine, vtrique *nomen* imponens. Vt enim nomen eſt ſignum, quo rem quamdam ab aliis diſcernimus: ſic perfecta rei conſtitutio, quæ tota ad eius diſtinctionem pertinet, ſignificatur impropria iſta dictione: Deus nominavit. Id igitur, quod vires naturæ iam valebant, ad diuerſas *partes* variorum corporum, vehementiſſima motione ab aliis ſeparandas & congregandas, certo quodam ſpatio dierum horarumque peractum fuit. Quod vero attinet ad perfectam rerum diſtinctarum naturam & conſtitutionem, quam dixere *formam*, hanc Deus ipſe ſingulis diebus perfecit vno momento.

Digitized by Google

potens atque æternus, adeoque ab æterno potuit creare. Non ex parte *creaturæ*; quia ſicut recte concludimus: Deus potuit ab æterno mundum facere; ita quoque recte concludimus: Deus potuit ab æterno velle mundum fieri, & conſequenter mundus ab æterno fieri potuit. Reſp. 1) Manifeſta inuoluitur contradictio ex parte creaturæ; quippe quæ, vt minime capax eſt infinitatis, ita non eſt capax æternitatis; cum æternitas ſit duratio infinita. Scite inquit ATHANAS. *orat. II. contra Arianos: Tametſi Deo poſſibile fuerit, ab æterno opera facere, non tamen potuerunt ea, quæ facta ſunt, ab æterno fuiſſe: ſiquidem ex non entibus emerſerunt, nec erant, priusquam fierent. Quæ autem non erant, antequam fierent, quomodo illa coëxſiſtere poterant cum Deo ſemper exſiſtente?*

I. Inſtantia: Neque ex parte Dei creantis, neque ex parte rei, quæ producitur, contradictio inuolui videtur, ſi creatio mundi æterna ſtatuatur. *Non ex parte Dei creantis;* quia non minor eſt virtus Dei ad creandum, quam virtus ſolis ad illuminandum; at hic ſi æternus eſſet, ab æterno poſſet illuminare. Ergo Deus, qui reuera æternus eſt, ab æterno mundum poteſt creare. *Neque ex parte rei, quæ producitur;* nam Filius ab æterno a Patre generatur, ipſique exſiſtit coæternus. Reſp. Exempla adducta ſunt aliena. Nam 1) creatio mundi facta eſt ex nihilo: Filius Dei ex eſſentia Patris, radii ex eſſentia ſolis emanant. 2) Creatio eſt actio libera & voluntaria: Generatio Filii Dei, & illuminatio ſolis, ſunt actus neceſſarii. Etenim ὁ λόγος, ſiue verbum Dei hypoſtaticum, τῇ φύσει, natura, non τῇ βουλήσει, voluntate, Filius Dei eſt, inquit BASILIVS M. L. IV. contra *Eunom.* citante D. CALOV. *tom. III. p. 595.* Et ſol neceſſitate naturæ radios ex ſe fundit.

II. Si mundus non eſt æternus, Deus creando mundum, factus eſt mutabilis, Sed Deus, creando mundum, non factus eſt mutabilis. Ergo mundus eſt æternus. Conſequ. *mai.* eſt clara; nam Deus ex non creante factus eſt creans. R. Diſt. inter actiones diuinas *ad intra*, & *ad extra.* Creatio eſt actio diuina ad extra. Actiones autem diuinæ ad extra terminantur in creaturis, non in creatore. Inde fit, vt creatio Deum non intrinſece, ſed extrinſece denominet; quæ extrinſeca denominatio non efficit mutationem.

III. Si motus ſolis æternus eſt, ipſe ſol vna cum cœlo, in quo mouetur, æternus eſt. Sed antecedens eſt verum. Ergo & conſequens. Conſequentia *maioris* patet; quia motus ſolis eſt eius affectio: quales autem ſunt affectiones alicuius entis, tale eſt ens ipſum. *Antecedens* liquet; quia motus ſolis eſt in perpetuo fluxu, neque poteſt dari primus motus; nam & ille a priori eſſet motu, adeoque non primus. Reſp. Primus motus poteſt eſſe ab actione, quæ fit ſine motu. Creauit Deus mundum, neque tamen ipſe motus eſt.

IV. Omne ens, ab æterno bonum, eſt ab æterno ſui communicatiuum. Atqui Deus &c. Ergo. Reſp. Diſt. inter communicationem *neceſſariam*, & *liberam.* Deus communicat ſuam bonitatem creaturis libere, quando & vbi vult.

V. Deus potuit mundum creare ante centena millia annorum, & rurſus ante centies centena millia. Ergo ab æterno. Reſp. Non quæritur, an Deus mundum prius creare, ſed an infinities prius eundem creare potuerit. Poſterius negamus.

VI. Quidquid non eſt creatum in tempore, illud eſt creatum ab æterno. Atqui mundus &c. E. *Minor* patet; quia nullum aderat tempus, cum mundus crearetur. Reſp. Mundus creatus eſt in tempore non præexiſtente, ſed coëxiſtente. (*).

Quæſt.

(*) Non *in* tempore, ſed *cum* tempore mundus exſtitit, ſiue potius, ſi adcurate velimus loqui, *tempus cum mundo.* Nam quid eſt *tempus?* Nihil profecto aliud, quam *rerum finitarum determinatio*, ratione *durationis, per continuam momentorum ſucceſſionem.* E. tempus eſt proprietas

Digitized by Google

Quæſt. XIV. *Quis eſt finis creationis?*

*Finis creationis.* *Finis* creationis *vltimus* eſt gloria bonitatis, potentiæ & ſapientiæ diuinæ, a creaturis agnoſcenda & deprædicanda a). Finis *intermedius* eſt hominum vtilitas b).

Prob. a. E Pſ. XIX, 2. *Cœli enumerant gloriam Dei, & opus manuum eius annuntiat firmamentum.* Obſ. 1. Quod pſaltes regius præcipue de cœlo gratiæ & prædicatione euangelii, teſte Paullo Rom. X, 18. agat; totam tamen loquendi rationem ſumſerit ex libro naturæ, tropica mutatione, vt prædicatio euangelii, & prædicatio naturæ, inter ſe comparentur, & vna alteram illuſtret. Subſternit & ſupponit itaque rex Dauid hoc pſalmo veritatem notitiæ naturalis, quemadmodnm omnis tropus ſupponit propriam ſignificationem, & rei, a qua fit translatio, veritatem. Enumerant itaque cœli gloriam Dei, non *effectiue*, ſiue articulatæ vocis præconio, ſed *obiectiue*, ſiue exhibendo materiam & argumentum agnoſcendi & deprædicandi maieſtatem Dei; ideo, quod ita ſe ſiſtunt & obiiciunt animis humanis, vt iis perpetuo inculcent, ſe eſſe *theatrum gloriæ diuinæ, aut lucidisſimum ſpeculum*, ex quo gloria diuinæ bonitatis, quam creaturis communicauit, potentiæ, quam producendo omnia ex nihilo exeruit, ſapientiæ, qua omnia in hoc vniuerſo artificioſiſſime diſpoſuit, clariſſime effulgeſcit. Ceterum enumerant cœli gloriam Dei non excluſiue, ac ſi reliquæ creaturæ excludantur; ſed innuit hieropſaltes, omnes creaturas creatorem ſuum dilaudare. Nam quæ eſt ratio, cur cœli laudare debeant Deum, ea quoque eſt ratio, cur reliquæ creaturæ encomia diuina concelebrent.

Prob. b. Cum Deus homini dominium in creaturas ſublunares Gen. I, 26. conceſſit, easdem in hominis vtilitatem conditas eſſe indicauit. Neque enim concipi poteſt dominium, a creatore in creaturas homini conceſſum, per modum ſimplicis poteſtatis, ſed ſub ratione vſus, in quem creatura homini, vi ſubiectionis ſuæ, inſeruire tenetur.

Dicis: I. Homo non habet dominium in cœlum & aſtra. E. non omnia propter hominem condita ſunt. Reſp. Non habet homo dominium directum in cœlum & aſtra: obtinet tamen in eadem dominium indirectum; quatenus eorum influxum in ſuam vtilitatem conuertit.

Dicis: II. Sed dominium in creaturas per lapſum amiſſum eſt. Reſp. Dominium plenum, ſuaue, & facile, per lapſum amiſſum eſt: manſerunt tamen poſt lapſum reliquiæ & veſtigia illius dominii, non ſine moleſtia & difficultate exercendi.

Quæſt. XV. *Quis eſt effectus creationis?*

Effectus creationis eſt ſubſtantia tam viſibilis, quam inuiſibilis.

Prob. I. Quia accidentia, quæ ſunt entia entis, non tam creari, quam concreari dicuntur.

II. Sicut generatio terminatur ad producendam ſubſtantiam: ita & creatio, tanquam actio nobiliſſima, debet habere terminum nobiliſſimum. Nobiliorem eſſe ſubſtantiam accidente, neminem fugit: accidens autem cum ſubſtantia concreatum eſt.

DE

tas quædam rerum finitarum, adeoque mundi vniuerſi, vtpote adiunctum aliquid, ſiue accidens, & quidem inſeparabile, quoniam determinata ſucceſſio non poteſt ab ipſa natura rerum finitarum, quatenus ſunt finitæ, ſeparari. Omne autem accidens, ſiue adiunctum, non poteſt eſſe *ſine* ſubiecto, nec eo *prius* eſſe. E. manifeſta eſt repugnantia, ſi quis dicat, tempus ante fuiſſe, quam mundus exſtiterit. Id eſſet æque abſurdum, ac ſiquis auſit dicere, adiunctum aut ſine ſubiecto, aut ante illud fuiſſe.

Digitized by Google

# DE OPERIBVS HEXAEMERI.

Quæſt. XVI. *Quænam ſunt opera prima diei?*

Opera primæ diei creationis ſunt: (a) ſubſtantia cœli, terræ & aquæ indigeſta & informis: (b) lux πρωτόκτιστος, ſiue primæua. (c) Probabiliter operibus primæ diei accenſentur angeli. *Opera primæ diei.*

Prob. a. Diſerte ſcribit Moſes Gen. I, 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Obſ. Sunt, qui verſu primo ἐπιτομικῶς totius hiſtoriæ creationis ſummam comprehendi, ſibi perſuadent. Sunt contra, qui ſtatuunt, Moſen nomine cœli & terræ rudem materiam futuri operis indigitare. Poſterior ſententia nobis probatur. 1) Quia cum conderetur cœlum & terra, nulla erat diſtinctio diei & noctis, nulla tenebrarum & lucis, quæ demum accedebat, v. 3. 2) Quia creata prima luce nondum erat diſtinctio expanſi & aquarum, quippe quæ facta eſt ſecundo creationis die, v. 6. 3) Nec fuit diſtinctio terræ & aquarum, quæ demum tertio die inſecuta eſt, v. 9. 4) Quia ante incubationem Spiritus S. ſuper faciebus aquarum, terra erat vaſta & inanis; quibus verbis horribilis vaſtitas & confuſio ſignificatur. Idcirco a LXX. interpret. verba hebræa: תהו ובהו græce redduntur: Ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, *terra vero erat inuiſibilis* (quia aquis tecta) *& indiſpoſita.* Conf. Deut. XXXII, 10. Iob. XII, 24. Eſ. XXXIV, 11. Ier. IV, 23. 5) Auctor libri ſapientiæ alloquitur Deum ſequentibus verbis, c. XI, 17. *Manus tua creauit mundum ex informi materia.* Non eſt quidem liber iſte in canone, teſtatur tamen olim Iſraëlitas credidiſſe, Deum primum creaſſe molem quandam indigeſtam & forma completa carentem, e qua cetera corpora infinita Dei virtute creata ſunt.

Prob. b. Gen. I, 3. *Et dixit Deus: Fiat lux! & facta eſt.* Per lucem intelligimus candidiſſimam, eamque igneam ſubſtantiam, mobilem circa indigeſtam molem, quæ acceſſu ſuo diem, receſſu vero noctem, intra 24. horarum ſpatium induxerit. Quod lux primæua fuerit ſubſtantia, colligitur 1) ex eo, quod peculiari actione fuit creata; creationis autem terminus eſt ſubſtantia. 2) Quia mobilitas, quæ ipſi competiit, eſt affectio ſubſtantiarum corporearum. Quod autem lux illa πρωτόκτιστος ignea fuerit ſubſtantia, liquet ex hoc, quod omnes proprietates ignis ipſi conuenerint; obiuit enim munia ſolis, & volente Deo in ipſius ſubſtantiam migrauit. At vero ſolem eſſe igneum, formaliterque calidum, infra probabimus.

Prob. c. E collatione Gen. I, 1. vbi dicitur Deus in principio creaſſe cœlum & terram, cum Iob. XXXVIII, 4. 7. *Vbi fuiſti, cum fundarem terram? - - - Quum canerent ſimul ſtellæ matutinæ*, & *clangerent omnes filii Dei?* Sermo eſt Iobo de ſtellis, quæ ſunt filii Dei. Non igitur intelligit ſidera cœli; cum hæc nunquam in ſcriptura dicantur filii Dei, neque vlla creatura inanimata excellens hoc nomen gerat. Quin potius angelos indigitat Iobus, quos eodem nomine inſigniuit c. I, 6. Nos heic obſeruamus 1) *angelos creatos eſſe ante homines.* Dicit enim Iehouah: Vbi fuiſti, cum canerent ſimul ſtellæ matutinæ &c. Potuiſſet Iobus excipere: Etſi ego tum nondum fuerim, fuit tamen primus meus pater, Adamus. Huic obiectioni occurrit Deus: Vbi fuiſti, cum terram fundarem? cum canerent ſimul ſtellæ matutinæ? At cum terra fundaretur, nondum creatus erat Adamus. Notamus 2) angelos conditos eſſe primo creationis die; propterea, quod non ſolum ſtellæ matutinæ vocantur, ſed etiam ceciniſſe dicuntur laudes Dei, cum terra ab ipſo fundaretur. Fundata autem eſt terra primo creationis die. Notatu digniſſima ſunt verba D. CALOVII *tom. III. ſyſtem. p. 905. Crea-*



Digitized by Google

*ti ſtatuuntur angeli non ante principium creationis, ſed in ipſo principio, tamen* ὡς ἐν πλάτει *& cum latitudine aliqua, vt quamuis primo illo principio conditæ primum ſint creaturæ inuiſibiles & immateriales, recte tamen in principio illo cœlum & terra condita dicantur; quia actutum in illo ipſo principio creauit Deus quoque cœlum & terram. Nam ſi vel altero ſaltim momento iſtius principii hæc condita dicantur, angelorum tamen creatio prior erit.*

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, negantium, Deum primum indigeſtam cœli, terræ & aquæ molem creaſſe. 2) *Socinianorum & Arminianorum*, aſſerentium, angelos multis ſæculis ante rerum corporalium originem fuiſſe.

Contra indigeſtam cœli & terræ molem argumentantur: I. Quicunque hiſtorice commemorat, in principio cœlum & terram eſſe creata, is non intelligit rudem & indigeſtam molem, ſed cœlum & terram proprie dictam. Atqui Moſes hiſtorice commemorat &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia in hiſtoria a clara littera non eſt recedendum. *Minor* patet ex Gen. I, 1. Reſp. Neg. maior. Nam indigeſta cœli terræque maſſa eſt cœlum & terra vera, ratione ſubſtantiæ, licet differentia quædam accidentalis obtingat ratione ſtatus diſtincti & complementi. Neque nos cœlum, aut terram metaphoricam intelligimus.

Inſtantia I. He emphaticum hebræum indicat, hoc cœlum, hanc terram, qualis nunc eſt, quæ pedibus teritur, intelligi. Reſp. 1) He demonſtratiuum quandoque infinite ſumitur, Deut. VIII, 3. Leuit. XVIII, 5. 2) Terra illa, quæ dicitur תוהו ובהו habet He præfixum, neque tamen terra plene diſtincta, aut exornata intelligitur.

Inſtantia II. Cœlum & terra informis non eſt verum cœlum, aut vera terra, quia caret forma, per quam cœlum & terra eſt id, quod eſt. Reſp. Diſt. inter formam ſubſtantialem, & accidentalem. Cœlum & terra, primitus condita, non caruerunt forma ſubſtantiali & interna; caruerunt tamen forma accidentali & externa: ſiquidem diſtinctio & exornatio cœli, terræ & aquæ ſequentibus diebus acceſſit.

II. Quicunque ordinatiſſime omnia creauit, is non creauit confuſum chaos. Atqui Deus &c. Ergo. *Minor* probatur; quia Deus eſt auctor non confuſionis, ſed ordinis, & creatio prima & nobiliſſima Dei O. M. actio ad extra haud dubie ordinatiſſima eſt. Ex quo auctor ſapientiæ cap. XI, 22. inquit: *Deus omnia creauit in numero, pondere & menſura.* Reſp. 1) Quidquid de confuſo chao poëtæ ſomniarunt, noſtrum non facimus, ſed cum B. LVTHERO aſſerimus, Deum in principio operum ſuorum condidiſſe rudem & indigeſtam cœli, terræ & aquæ molem, in qua veram ſubſtantiam cœli, terræ & aquæ, ſed inornatam & impolitam agnoſcimus. 2) Negat. mai. Quia hic ordo eſt maxime concinnus, quando progreſſus fit a non eſſe ad eſſe, ab imperfecto ad perfectum, ab impolito ad politum & exornatum. Non itaque creatio dicenda eſt confuſa, licet aliquod opus in principio creationis fuerit indigeſtum, ſequentibus diebus magis magisque digerendum & diſtinguendum. 3) Dicuntur omnia creata in numero, pondere & menſura, quatenus ſunt in eſſe completo, non quatenus citra exornationem die primo indiſtincte creata ſunt.

III. Si die primo chaos creatum eſt, nusquam in hiſtoria creationis fit mentio creati cœli & terræ. Conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Reſp. Negat. conſequ. maior. Nam fit mentio creati cœli & terræ, quatenus cœlum & terra commemorantur primo die indiſtincte creata, diſtincte autem cœlum altero, terra tertio die facta & exornata.

Contra igneam lucis primææ ſubſtantiam argumentantur:

I. Quidquid penetrat corpus, illud non eſt corporea ſubſtantia. Atqui lux primigenia &c. E. *Minor* prob. quia omnis lux, adeoque etiam primigenia, habet vim penetrandi vitrum, cryſtallum &c. Reſp. diſt. *inter penetrationem veram & apparentem.* Luminoſa ſubſtantia ſe inſinuat in poros vitri cedente aëre, adeoque vitrum accurate loquendo non penetrat.

Digitized by Google

penetrat. Neque igni apparens illa penetratio deneganda eſt, licet corporea ſit ſubſtantia.

II. Nulla ſubſtantia eſt immediate ſenſibilis. Lux primigenia fuit immediate ſenſibilis. Ergo lux primigenia non fuit ſubſtantia. *Maior* eſt euidens; quia ſenſuum obiectum immediatum ſunt ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt qualitates. Reſp. in maiori lux ſumitur abſtractiue, in minori concretiue. Neque enim per lucem primæuam in præciſione philoſophica intelligenda eſt ſpecies intentionalis, aut accidens, quod non poteſt eſſe terminus creationis, ſed ſubſtantia luminoſa, quæ mediante lumine ſentitur.

III. Illa lux Gen. I, 2. intelligitur, quæ coincidit cum die. At ignis non coincidit cum die. Ergo lux illa non fuit ignis. *Maior* conſtat; quia Deus lucem illam vocauit diem, & tenebras noctem, Gen. I, 5. *Minor* prob. quia nemo vnquam dixit, diem eſſe ignem vel ſubſtantiam, cum ſit mera quantitas. Reſp. 1) Lux primæua dicitur dies cauſſaliter, quia motu ſuo diem & noctem interſtinxit, non formaliter. 2) Dies, cum ſit quantitas, formaliter lux eſſe nequit.

IV. Si lux primæua fuit ignis, aut elementaris, aut culinaris ignis fuit. At non fuit ignis elementaris, quia ille non lucet: neque culinaris, quia ille toti mundo illuminando non ſufficit. Ergo plane non fuit ignis. Reſp. Lux primæua fuit ſubſtantia ignea inſtar flammæ collecta, atque adeo lucida. Vtrum autem elementari, an culinari igni ſimilis fuerit, anxie rimari nil attinet. Datur enim ignis, qui neque culinaris, neque mere elementaris ſit, nimirum ignis cœleſtis, qualis eſt in ſole.

Inſtantia: Non omnis lux eſt ignea. Reſp. Omnis lux de igne aliquid participat, licet, quo rarior & magis diſperſa eſt, eo minus calefaciat. Sicut vapor eſt aqua rarefacta, quæ nihil, aut parum, propter raritatem, humectat: ita lux interdum eſt ſicut flamma rarefacta, quæ parum calefacit propter raritatem; tanto plus autem calefacit, quanto facta fuerit collectior. Conf. D. IO. ADAMI OSIANDRI in *colleg. ſyſtem. part. II. p. 88.*

Quæſt. XVII. *Eſtne prima die a Deo creatum cœlum empyreum?*

E ſcripturis liquido demonſtrari nequit, ſub auſpicium creationis mundi conditum eſſe cœlum aliquod ſupra firmamentum diuinitus conſtitutum eo fine, vt ſit palatium Dei, domicilium angelorum, animarumque beatarum, quod vocandum ſit empyreum vel empyræum.

Prob. I. Quia Moſi propoſitum erat, creaturarum viſibilium originem & ſedem exponere. Si ipſi deliberatum fuiſſet, creaturarum inuiſibilium, ſiue angelorum domicilium deſcribere, vtique angelorum mentionem in hiſtoria creationis inieciſſet. At hos diſerte non commemorauit: Ergo nec eorum domicilium expreſſit (*).



(*) Originem creationemque rerum *omnium*, nec ſolum earum, quæ ſub adſpectum cadunt, commemorare Moſes voluit, quem ad modum Ioannes ראשית interpretatur τὰ πάντα, Ioan. I, 1. & 3. Apoc. IV, 11. immo etiam diſerte Paullus τὰ πάντα diuidit in τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα, ac nomine τῶν πάντων complectitur ipſe vniuerſa, quæ cælis terraque continentur, Col. I, 16. manifeſto reſpiciens ad verba Moſis, Geneſ. II, 1. nec eſt dubium, quin angeli, vt alibi in ſacris litteris, ita & iſto in loco, ad exercitus cœlorum referantur. In ipſa autem creationis hiſtoria videtur Moſes angelos ſapientiſſimo ſane conſilio tacendo præteriiſſe, vt ne minimam quidem vlli præberet occaſionem huius, tametſi falſiſſimæ atque abſurdiſſimæ, ſuſpicionis, Deum cap. I, 26. cum angelis conſilium iniiſſe, & plurium numero illos ſpiritus ſignificari, quando quidem in antecedentibus plane nulla de vllo ſubiecto intelligente, præter Deum, facta erat mentio. Cæteroquin vtique valet illa argumentatio: Si Moſes ne ipſos qui-

Digitized by Google

II. Cœlum Dei non poteſt eſſe creatum, quia eſt æternum. Quin potius per cœlum Dei maieſtaticum intelligenda eſt æterna & infinita maieſtas ſiue gloria, quam Deus in ſe habuit ab æterno, & in æternum habiturus eſt, atque diuinum, cœleſte, omnipræſens ac omnipotens dominium ſuper omnia, Pſ. II, 4. CII, 20. Appoſite ait TERTVLLIANVS *contra Prax. Ante omnia Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus, & locus.*

III. Cœlum Dei & angelorum vnum eſſe nequit vbi. Nam πȣ̃ angelorum eſt definitiuum, πȣ̃ Dei eſt repletiuum. Filius ille prodigus Luc. XV, 18. inquit: Pater peccaui in cœlum, i. e. in diuinam maieſtatem, in cœlum angelorum nemo peccat.

IV. Cœlum angelorum non poteſt eſſe determinatus locus, ſupra cœlum ſidereum conſtitutus; quia cæteroqui in terris angeli, cuſtodientes paruulos, in cœlis eſſe, & faciem Dei Patris videre nequirent διὰ παντὸς, ſiue continuo, Matth. XVIII, 10.

V. Cœlum deſcriptum a Moſe in die nouiſſimo conflagrabit & peribit. 2 Petr. III, 7. Luc. XXI, 33. At cœlum angelicum non peribit. E. illud a Moſe Gen. I, 1. non eſt commemoratum.

VI. Barbare cœlum dicitur *empyreum*, vel *empyræum;* quia id, quod igneum eſt, non dicitur græce ἐμπύρεον vel ἐμπυρεαῖον, ſed ἔμπυρον.

*Antitheſis* eſt plerorumque *Scholaſticorum & Pontificiorum*, ſtatuentium, ſub auſpicium creationis mundi a Deo creatum eſſe cœlum empyreum, ampliſſimum, lucidiſſimum, ſupra hunc mundum adſpectabilem conſtitutum. Quorum argumenta ſunt:

I. Cœlum aëreum & ſidereum, conditum ſecundo die, eſt in medio aquarum ſub-& ſupracœleſtium. Cœlum, creatum primo die, non eſt in medio aquarum ſub-& ſupracœleſtium. E. cœlum creatum primo die neque aëreum, neque ſidereum eſt, ſed longe ſublimius. Reſp. Cœlum primi diei a cœlo ſecundi diei differt, non qua ſubſtantiam, ſed qua ſtatum diſtinctiorem, & formam externam magis completam & perpolitam.

II. Angeli aut ſunt vbique, aut nullibi, aut alicubi. Non ſunt vbique, quia vbiquitas eſt ſolius Dei. Neque ſunt nullibi; quia vere exſiſtunt. Ergo ſunt alicubi. Si angeli ſunt alicubi, *vbi* illorum vel eſt creatum, vel increatum. Non increatum; quod ſoli competit Deo: Ergo creatum, nimirum primo creationis die, quo ipſi angeli creati ſunt: *Vbi* autem angelicum, primo die creatum, eſt cœlum empyreum. Reſp. Ens reale, proprie loquendo, diuiditur in creatum, & increatum. *Vbi* non tam ens, quam modus entis eſt. Quod ſi dicatur *vbi definitiuum* angelis concreatum, non tamen liquido demonſtrari poteſt, illud a Moſe Gen. I, 1. eſſe expreſſum. Sicut enim Moſes diſerte non meminit angelorum, ita nec cœli angelici.

III. Datur cœlum tertium 2 Cor, XII, 2. Ergo datur cœlum empyreum. Ratio conſequentiæ eſt; quia ſicut cœlum aëreum eſt infimum, æthereum medium, ita cœlum empyreum eſt tertium & ſublimiſſimum. Reſp. Ductu ſcripturæ diuiditur cœlum in cœlum naturæ, gratiæ, & gloriæ, non ratione ſitus aut *loci*, ſed ratione *ſtatus*. Inde fit, vt *angeli in terris* ſint *in cœlo*, quia cœlum ſuum, ſiue beatitudinem ſuam ſecum paſſim circumferunt: cœlum autem locale ipſis non competit, quia non ſunt in loco, ſed in *vbi* definitiuo. Plura non addimus; quia *noſtræ fragibilitatis non eſt cœlorum ſecreta diſcutere*, iudice AVGVSTINO *de fid. & ſymbol. cap. 17.*

Quæſt.

dem angelos commemorauit, multo minus cogitandum eſt, domicilium, eis paratum a ſcriptore ſacro indicatum fuiſſe. Et ſacra hæc loquutio, *in cœlis eſſe*, non tam *locum*, quam *ſtatum* denotat, nimirum ſummam dignitatem, perfectamque beatitatem.

Digitized by Google

Quæſt. XVIII. *Quænam ſunt opera ſecundæ diei?*

Opera ſecundæ creationis diei ſunt tum רָקִיעַ, tum diſtinctio aquarum ſuperiorum, & inferiorum (a), רקיע rectius latine redditur per *expanſum*, quam per *firmamentum* (b), & in hiſtorica creationis deſcriptione notat continuum illum tractum, qui ex aëre & æthere conſtat, & a globo terraqueo vsque ad aquas ſupra-cœleſtes extenditur (c). *Opera ſecundæ diei.*

Prob. a. Gen. I, 6. 7. 8. *Poſtea dixit Deus: Fiat expanſum in medio aquarum: & ſit diuidens inter aquas & aquas. Et fecit Deus expanſum, & diſtinxit inter aquas, quæ eſſent ſupra expanſum; factumque eſt ita. Vocauit autem Deus expanſum cœlum.*

Prob. b. רָקִיעַ eſt a radice רקע, quæ ſignificat, *expandit*, vel *diduxit*, & in ſcripturis de terra firmiter expanſa, Eſ. XLII, 5. de lamina auri, argenti, æris, malleo diducta, vſurpatur. Expandimus autem aliquid (1) per *dilatationem*; ſicut auri maſſa in tenuiſſimas laminas diducta expanditur: (2) per *rarefactionem*; quemadmodum aqua, ſubiecto igne feruescens, in ampliorem molem extenditur: (3) Per *explicationem*, cum, quod erat conuolutum & complicatum, euoluitur atque explicatur, quod in aulæis & cortinis fieri conſueuit. Quæ ἀναλογικῶς ad creationem cœli accommodari, poſſunt; ſiquidem Deus extendit cœlum, ſicut cortinam Pſ. CIV, 2. Extendit, ſicut tenue, cœlos, & expandit eos ſicut tentorium ad habitandum, Eſ. XL, 22. Quam ob rem cœlum primo die in ſtatu confuſo creatum erat inſtar aulæi complicati, quod altero die explicabatur & expandebatur; vnde expanſum vocatur. Vid. D. GERHARD. in *diſput. iſagog. pag. 451.* Quamuis autem *nomen expanſi, præualeat firmamento*; hoc nomine tamen etiam inſigniri poteſt cœlum, tum propter *incorruptibilitatem*, qua, vt corpus ſimpliciſſimum, nulli corruptioni eſt obnoxium; tum *propter immobilitatem*, qua totum in orbem nunquam mouetur (neque enim ex motu ſtellarum ſequitur motus circularis cœli); tum *propter maximam capacitatem, & in illa fluiditate ſtabilem firmamque rotunditatem*; tum *propter ſtellarum velut corporum ſolidorum, quæ in cœlo mouentur, ſtupendam quantitatem.* Conf. D. VAREN. in *Gen. p. 48.*

Prob. c. (1) Vox רקיע *aut nude ponitur pro cœlo aëreo, aut pro ſolo æthereo, aut pro vtroque. Non pro ſolo aëreo;* quia ſic (a) excluderetur id, cui ſignificatio רקיע eminenter competit, ſcil. expanſum æthereum; (b) excluderetur id, cui excellenter competit denominatio, *Schamaim*; (c) nulla eſſet huius diei ſecundi & v. 6. 7. 8. ad opus diei quarti & v. 15. 16. 17. relatio, cum tamen id רקיע ſidereum omnino ſit includendum, & quidem principaliter in illo, quod eſt ſecundo die creatum. (2) *Non pro ſolo æthereo*; quia ſic omiſſa eſſet aëris, qui etiam expanſum creatum eſt, & nomine *Schamaim* ſæpius in ſcripturis exprimitur, creatio, & ſolum cœlum æthereum diſtingueret inter aquas & aquas, inciperetque inferius ab elemento aquæ, quod eſt abſurdum. Ergo ponitur pro vtroque, atque adeo quidquid in ſcripturis venit nomine *Rakia* & *Schamaim* creati, hic illo nomine venit, totum ſcilicet illud expanſum aëris & ætheris, ab elemento aquæ & terræ, ad vltimam vsque cœli ſuperficiem, attingentem aquas ſupracœleſtes. Confer D. VAREN. in *Gen. p. 45.* (3) Æther & aër eiusdem ſunt ſubſtantiæ, & differunt tantum qualitatibus, cum tam æther, quam aër, ſit corpus non ſolidum, aut craſſum, ſed tenue, peruium & fluidum, de quo teſtatur motus ſtellarum. Planetæ enim modo aſcendunt, modo deſcendunt. Id quod fieri haud poſſet, ſi cœlum craſſæ ac duræ ſubſtantiæ foret. Commode igitur vna voce רקיע comprehendi poſſunt. Vid. SPERLINGII *inſtitut. phyſ. p. 424.*



Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Scholaſticorum & Pontificiorum*, ſtatuentium, ætherem non eſſe aëri, qua materiam, homogeneum, ſed inſtar cryſtalli ſolidum & durum, adeoque cum æthere non idem conſtituere *Rakia*. Quorum argumenta ſunt:

I. Creatio cœli deſcripta eſt primo die creationis. Ergo expanſum ſecundo die creatum non eſt æther, ſed aër. Reſp. Cœlum, inſtar aulæi complicatum & indiſtinctum, creatum eſt primo die: Sed *explicatum* & *diſtinctum*, conditum eſt die ſecundo, vnde *expanſum* dicitur. Quemadmodum autem cœlum primi diei rudem ſubſtantiam ætheris & aëris notat: ita expanſum ſecundi diei tam æthereum, quam aëreum eſt.

II. Aër nullibi in S. ſcriptura dicitur רקיע. Ergo expanſum ſecundi diei non eſt æthereo-aëreum. Reſp. (1) Fac, per expanſum in aliis ſcripturæ locis non notari aërem, non tamen ex eo ſequitur, hoc loco per expanſum non poſſe intelligi aërem; cum circumſtantiæ textus hanc ſignificationem aperte probent eo ipſo, quod cœlum notat, ætherem connotare aërem, propterea, quod æther & aër non differunt, niſi quibusdam qualitatibus, & illud expanſum deſignatur, quod diſtinguit aquas ſuperiores ab inferioribus. Atqui non ſolum æther, ſed & aër, easdem aquas diſtinguit. Sicut enim æther ex parte aquarum ſuperiorum, ita aër ex parte aquarum inferiorum eandem diſtinctionem facit. (2) Gen. I, 20. diſerte dicitur, quod aues volitent ſuper faciebus expanſi cœlorum. Sed non volitant aues ſuper cœlum aëreum. Ergo loco citato intelligitur cœlum aëreum.

Dicis: particula על ſignificat ad, verſus, e regione, vt ſenſus ſit: Die Vögel fliegen gegen die Veſte des Himmels. Reſp. Illa expoſitio non eſt ſolida. Textus enim integer eſt; *& auis volitet ſuper terram, & ſuper faciebus expanſi cœlorum.* Sicut autem auis vere volitat ſuper terram, non neceſſario verſus terram; ita vere volitat ſuper quasdam aëris partes. Adde, quod v. 2. de Spiritu Dei eadem adhibeatur phraſis, dum dicitur, quod ſe moverit ſuper faciebus abyſſi, vbi על־פני infert ſuperioritatem, ſiue præſentiam ſuper faciebus abyſſi: ita etiam præſentiam, ſiue volatum auium, ſuper faciebus, non expanſiætherei (quod impoſſibile), ſed aerei.

III. Aer ſecundo die nondum fuit, ſed emerſit demum, quum aquæ ab arida ſegregatæ ſunt tertio die. Reſp. Quo die productum eſt expanſum, eodem factus eſt aer, qui ſecundum rudimenta iam exſtitit primo die, ſignificatus nomine cœli, & locatus inter aquas ſuperiores & inferiores, vna cum æthere, vna indiuiſa actione.

IV. In quo aſtrorum poſitus eſt exercitus, illud eſt æther. In expanſo ſecundi diei &c. Ergo. *Maior* liquet; quia aſtra non ſunt in aere, ſed æthere. *Minor* patet ex Gen. I, 14. 15. Reſp. Limit. maior. In quo aſtrorum poſitus eſt exercitus, illud eſt cœlum æthereum, ſcil. reſpectu illius partis, in qua eſt exercitus aſtrorum, ſed ſupereſt alia pars, nempe aerea, ab exercitu aſtrorum non occupata. Ceteroqui eadem ratione argumentari liceret: Illa eſt vera Germania, in qua Galli exercitum ſuum locarunt. Atqui in Germania inferiori Galli exercitum ſuum non locarunt. Ergo Germania inferior non eſt vera Germania.

### Quæſt. XIX. *Quid intelligis per aquas ſuperiores?*

Per aquas ſuperiores non intelliguntur nubes (a), ſed aquæ ſupracœleſtes, aquis inferioribus homogeneæ (b).

Prob. a. (1) Nubes & aquæ pluuiæ die ſecundo nondum exſtiterunt: Id quod patet e Gen. II. 5. 6. vbi dicitur nondum pluiſſe, cum die tertio germinaret herba, & tum demum e terra aſcendiſſe vaporem. Sed cum non aſcendit vapor in mediam aeris regionem, nondum eſt nubes.

(2) Nubes

Digitized by Google

(2) Nubes vel aquæ pluuiales non ſunt ſupra Rakia, neque æthereum, quod conceditur, neque aëreum, quia ſunt in expanſo aëreo, adeoque non ſupra illud: ſicut homo immerſus mari non dicitur ſuper illud eſſe: neque nubes vocari poſſunt aquæ ſuperiores, quia non ſunt in ſuprema aëris regione.

(3) Expanſum aquis interiectum debet vtriusque terminum ponere, adeoque eſſe mediatorium quoddam, ſeu diuerſorium, ne rurſus confunderentur. v. 6. At ſolus aër inter aquas inferiores, & aquas pluuiales, vel nubes, non conſtanter mediat; quoniam non tantum aër ſæpiſſime nubibus & aquis pluuialibus plenus eſt, ſed & vapores aſcendentes vi ſolis in guttulas reſoluti creberrime deſcendunt, iisque permiſcentur.

(4) Aquæ ſupra cœleſtes ſunt fixæ & perpetuæ, aquis ſubcœleſtibus homogeneæ: Nubes autem non ſunt fixæ, nec loco perpetuæ. Inde fit, vt nubes in caſu recto nunquam vocentur aquæ in ſacro codice, obſeruante HOTTINGER, *in hiſtor. creat. p. 85.*

Prob. b. Ex Gen. I, 7. *Fecit Deus expanſum*, & diſtinxit inter aquas, quæ eſſent ſub *expanſo, & inter aquas, quæ eſſent ſupra expanſum.* Vnde argumentamur: Quidquid in prima creatione locatum eſt ſuperius, reſpectu interiecti Rakia, id poſitum eſt ſupra cœlum ſidereum. Aqua proprie dicta &c. Ergo. *Maior* patet; quia Rakia totum tractum conſtantem ex aëre & æthere notat.

Dicis I. In textu non eſt עַל ſupra, ſed מֵעַל deſuper, vt indicetur, in ſuperiori parte expanſi eſſe aquas deſuper, es ſeyn Waſſer von oben her, quod commode de nubibus ſeſe in pluvias reſoluentibus, & deſuper ſtillantibus exponi poteſt. Reſp. Vocabulum מֵעַל verſum eſt a PAGNINO, ARIA MONTANO & SEBAST. SCHMIDIO *ſupra*, *a LXX.* ἐπάνω. Si itaque ſignificaret, *deſuper*, qui non deprehenſus eſſet error ab Aria Montano in verſione Pagnini? Aut quare errorem Aria Montani non correxiſſet Schmidius? Præfixum autem מ ſequente ל non inflectere vocis ſignificationem, indicio eſt, quia illud etiam occurrit in altera voce מתחת ſine inflexione ſignificationis. Quam vere igitur aquæ iſtæ ſunt ſubter expanſum, non obſtante præfixo מ: tam vere, non obſtante illo, ſuperioritas aquarum, phraſi Moſaica notatur. Finge, מעל ſignificare *deſuper* nubes; tamen ratione expanſi totius non poſſunt dici deſuper eſſe, quoniam vltra tria milliaria Batauica non eleuantur.

Dicis: II. Sicut aues dicuntur volitare ſuper faciebus expanſi cœlorum, i. e. ſuper aërem: ita aquæ ſunt ſupra expanſum i. e. aërem. Reſp. Aues dicuntur volitare ſuper faciebus, i. e. partibus aëris; ſed aquæ dicuntur eſſe ſupra expanſum, reſpectu aquarum infra expanſum; vnde illæ ſupra totum expanſum ſunt, quia hæ ſub expanſo æthereo aëreo ſunt. Sane ſi per Rakia, ſupra quod aquæ ſuperiores ſunt, intelligeretur aer, Rakia minutiſſima ſui parte foret in medio aquarum, & maxima ſui parte non in medio aquarum; nempe totum æthereum expanſum, & ſuprema aëris regio; atque adeo non eſſet diuidens inter aquas & aquas. (2) Ex loco parallelo Pſ. CXLVIII, 4. *Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ* (ſunt) *ſupra cœlos.* Vbi per cœlos cœlorum intelligitur cœlum ſummum, ſuper quod dicuntur eſſe aquæ, quæ ſane ſupracœleſtes ſunt. Fruſtra ſunt, qui has aquas de nubibus intellectas volunt; ſiquidem meteora, e quorum numero ſunt nubes, v. 8. a pſalte regio recenſentur.

III. E teſtimonio eccleſiæ priſtinæ Iudaicæ, quod patet e cantico puerorum Dan. III, 60. Benedicite Deo aquæ omnes, quæ ſuper cœlum. Quanquam canticum illud ἀπόκρυφον ſit, de fide tamen Iudæorum teaſtur, quod antiqui Iudæi crediderint nobiscum aquas ſupracœleſtes.

*Antitheſis* eſt quorundam *Theologorum & Philoſophorum*, aquas ſupracœleſtes negantium, & ſtatuentium, per aquas ſupra expanſum locatas a Moſe intelligi nubes: quorum argumenta ſunt:

I. Mo-

Digitized by Google

I. Moſes non deſcripſit populo rudi res inuiſibiles, quales ſunt aquæ ſupracœleſtes. E. per aquas locatas ſupra expanſum intelligit nubes. Reſp. 1) Ipſe æther inuiſibilis eſt, & tamen a Moſe deſcribitur. 2) Aquæ ſupracœleſtes, ratione proprietatis natiuæ, ſunt viſibiles, licet ob diſtantiam actu non videantur.

II. Supra cœlum non poteſt eſſe naturalis locus aquarum: Ergo non dantur aquæ ſupracœleſtes. *Antecedens* patet: quia aqua eſt elementum graue, tendens naturaliter ad medium mundi centrum: ſtatuendum igitur, admiſſis illis aquis, aut easdem eſſe ibi violenter, aut ſupernaturaliter & miraculoſe; quod vtrumque abſurdum. Nam Deus cuilibet creaturæ aſſignauit locum, in quo illa eſt naturaliter. Reſp. Concinne inquit BONAVENTVRA: Illud ſpatium naturale eſt, quod cuique aſſignauit Deus in prima creatione. Non itaque reſpicienda eſt grauitas aquarum, ſed creatoris voluntas & dominium. In loco naturali elementa nec gravitant, nec leuitant.

III. Si creatæ fuiſſent aquæ ſupracœleſtes, forent corruptibiles; ſiquidem a radiis ſolaribus imminuerentur & corrumperentur. Reſp. Radii ſolares non proiiciuntur ſupra firmamentum. Eſto, quod eo pertingant, non tamen corrumpunt aquas ſupracœleſtes, ſicut non exhauriunt aquas ſubcæleſtes. Præſeruat eas a corruptione creator ſapientiſſimus.

IV. Si ſtatuerentur aquæ ſupracœleſtes, non duplices, ſed triplices forent aquæ: 1. aquæ ſupracœleſtes; 2. aquæ pluuiales in nubibus; 3. aquæ ſubcœleſtes fluentes per terræ meatus. Reſp. 1) Aquæ pluuiæ in nubibus accenſendæ ſunt aquis inferioribus, ſiue ſubcœleſtibus; quia vltra montes altiſſimos non eleuantur, & in comparatione ad totum expanſum ſunt ſicut vapor, ex olla feruente aſcendens, qui aquæ ſubſiſtenti merito accenſetur. 2) Si nubes eſſent aquæ ſuperiores, vtique triplices forent aquæ; quia ſæpe nubes craſſior in infima aeris regione eſt infra ſubtiliorem in media aëris regione.

V. Nullus eſt vſus aquarum ſupracœleſtium. E. Non dantur. Reſp. Faciunt ad gloriam Dei, & huius vniuerſi complementum atque ornamentum.

Quæſt. XX. *Quænam ſunt opera tertiæ diei?*

*Opera tertiæ diei.* Opera tertiæ diei ſunt a) congregatio aquarum in certum locum. b) Segregatio & exſiccatio terræ. c) Procreatio plantarum.

Prob. a. Gen. I, 9. Poſtea dixit Deus: *Congregentur aquæ ſub cælo ad locum vnum.* Obſ. (1) Facta eſt congregatio aquarum omnipotente Dei verbo, quo etiamnum aquæ tenentur, ne terram obruant. Iob. XXVIII, 8. 2) Congregatæ ſunt aquæ in locum quæque ſuum, vt, etſi plures ſint collectiones, aqua tamen omnis certo & præfinito loco conſiſtat.

Prob. b. Gen. I, 9. Dixit Deus: *appareat arida.* Terra primo quidem creationis die condita eſt, ſed aquis cooperta. At cum ad tonitru vocis diuinæ: *Congregentur aquæ*, hæ lapſu præcipiti in præfinitum confugerent locum, exſiccata apparuit terra, vegetabilibus originem, animantibus hoſpitium præbitura.

Prob. c. Gen. I, 11. *Tum dixit Deus: progerminet terra gramen, herbam ſeminiſicantem ſemen, ſecundum ſpeciem ſuam; & lignum faciens fructum ſecundum ſpeciem ſuam, cuius ſemen ſit in eo ſuper terra; & factum eſt ſic.* Terra produxit plantas, *non vt principium actiuum, aut effectum, ſed vt materiale & paſſiuum*, in quantum ſuppeditauit materiam, e qua iubente Deo herbæ progerminarunt. Cæterum lapides & metalla, ipſumque hortum Eden hoc tertio creationis die productum eſſe, non temere creditur. Idem de mineralibus dicendum videtur.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXI. *An terra creata eſt mobilis, vt in gyrum moueatur, & motu ſuo tempora definiat?*

Condidit creator ſapientiſſimus terram, vt ordinarie & vniuerſaliter non moveatur, ſed quieſcat. a) Luminaribus autem cœleſtibus id muneris dedit, vt motu ſuo tempora definiant b).

Prob. a. 1) Quia S. ſcriptura terræ motum denegat. Pſ. CIV, 5. *Fundauit terram ſuper baſes ſuas, non mouebitur æternum vnquam.* Sicut architectus ædificium ſolidæ baſi ſuperſtruit, vt aduerſus tempeſtates immotum perſiſtat: ita hanc terræ machinam cœleſtis opifex ſolidiſſime fundauit, vt nullo vnquam tempore vsque ad diem nouiſſimum tota loco ſuo moueri queat.

2) Quia terræ tribuitur ſtatus, ſiue quies. Eccl. I, 4. *Terra ſtat in æternum.* Pſ. CXIX, 90. *Firmaſti terram & ſtat.*

Prob. b. 1) Quia luminaribus cœleſtibus motus tribuitur. Eccl. I, 5. 6. *Oritur ſol & occidit ſol: & ad locum ſuum dum anhelans eſt; iterum oriens ille eſt ibi. Abit ad meridiem, & circumit ad ſeptentrionem.*

2) Chriſtus cum ſole currente comparatur. Pſ. XIX, 6. *Sol eſt ſicut ſponſus exiens e conclaui ſuo: gaudet, ſicut heros, ad currendum viam ſuam. A fine cœlorum eſt exitus eius, & circuitio eius ad fines eorum.* Sunt quidem verba Pſ. XIX. intelligenda de ſole myſtico, Chriſto, quod patet e citatione Paulli, Rom. X, 18. At ſumta ſunt e regno naturæ, & comparatur Chriſtus cum ſole phyſico; quod nempe Chriſtus non ſecus alacrem ad curſum ſuum abſolvendum ſe præbeat, ac ſol naturalis; quæ certe comparatio nulla foret, ſi ſol immotus ſtaret, & terra, planetæ inſtar, circa ſolem moueretur.

3) Statio ſolis, quæ contigit belligerante Ioſua, ſtupendum habetur miraculum, Ioſ. X, 12. 13. 14. Si ſol non mouetur, ſed ordinarie ſtet immobilis; ecquid Joſua præcepit: *Sol extra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon?*

*Antitheſis* eſt nonnullorum *Aſtronomorum*, quos inter eminet NICOLAVS COPERNICVS, ſtatuentium, ſolem quieſcere, & terram moueri, qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Omne corpus naturale mouetur. Ergo & terra. Reſp. Neg. *antecedens*, quia motus & quies eſt affectio disiuncta corporum naturalium, quorum quædam mouentur, quædam quieſcunt. Vid. SPERLINGII *inſtit. phyſic. p. 370.*

II. Terra ad motum maxime apta eſt. Ergo probabile eſt, eam moueri. *Antecedens* probatur, quia 1) eſt rotunda, 2) habet aërem circumfuſum, 3) eſt in loco. Ergo habet motum localem. Reſp. 1) Si ideo aliquid mouetur, quod rotundum eſt, vtique ſol mouetur. 2) Non a circumfuſo aëre, ſed ab ordinatione diuina motus alicuius corporis diiudicandus eſt. Quia Deus iuſſit terram ſtare in aëre, conſiſtit immobilis. 3) Lapis eſt in loco, neque mouetur. Motum terræ impedit tum inſita grauitas, tum ſtatus centri.

III. Terra abundat fibris magneticis. E. mouetur circa polos, ad quos magnes ſe convertit. Reſp. 1) De abundantia fibrarum magneticarum ambigimus. 2) Dubitamus, an tanta ſit vis fibrarum magneticarum, vt graue & craſſum terræ corpus poſſint ad polos convertere. Quidquid de fibris magneticis aſſeritur, incertum eſt.

IV. Quidquid mouetur de loco in locum cum columnis trementibus, illud vere & realiter mouetur. Atqui terra &c. E. Min. prob. e. Iob. IX, 6. Reſp. Diſt. *inter motum natura-*

*ralem, ordinarium & vniuerſalem: & inter motum violentum, extraordinarium & particularem.* Loquitur Iobus de motu violento & extraordinario, qui concitatur a furore Dei.

V. Si ſolum cœlum cum aſtris mouetur, ſequitur, ſtellas circa æquatorem ſingulis horæ ſcrupulis ſecundis vel vnico arteriæ pulſu, ſecundum TYCHONIS diaſtemata mundi, 876. milliaria germanica decurrere; quod eſt improbabile. At ſi terra ab occaſu in ortum ſe rotat, motuique cœli ex parte occurrit, horæ ſpatio tantum 225. milliaria germanica, pulſu arteriæ 250. paſſus procedet; quod longe probabilius. Reſp. Cum ſcriptura clare teſtetur, ſolem moueri, argumentum potentiæ & ſapientiæ diuinæ petendum eſt e motu ſolis rapidiſſimo. Quam ſubito lux ſolaris ſuos diffundit radios! Quam repente fulmen & ventus mouentur! Ecquis eiusmodi ſubitum motum dimetiri poteſt? (*)

Quæſt. XXII. *Quæ ſunt opera quartæ diei?*

*Opera quartæ diei.*

Opera quartæ diei ſunt ſol, luna & ceteræ ſtellæ.

Prob. Gen. I, 14. 15. *Poſt dixit Deus: fiant luminaria in expanſo cœli ad diſtinguendum inter diem & inter noctem: & ſint in ſigna, & in ſtata tempora, & in dies & in annos. Et ſint luminaria in expanſo cœli ad dandum lucem ſuper terram.* Quibus verbis Moſes docet, Deum quarto creationis die condidiſſe ſolem, lunam & ceteras ſtellas, ob triplicem finem: (1) ob *finem illuminatiuum;* vt luceant ſuper terra; (2) *diſtinctiuum*, vt ſint in tempora, dies & annos i. e. vt annos, eorumque partes menſurent; (3) *ſignificatiuum*, vt ſint ſigna euentuum naturalium, pluviæ, ſiccitatis, ventorum, ſementis, meſſis.

Quæſt. XXIII. *Quæ eſt materia, ex qua ſol, luna & ſtellæ conditæ ſunt?*

Solis, lunæ & ſtellarum materiam eſſe lucem primigeniam, haud ex vano colligitur.

Prob. (1) *Ex officii identitate.* Nam ſicut lux πρωτόκτιςος diſtinxit diem & noctem, Gen. I, 5: ita deinceps ſol & luna. Gen. I, 14.

(2) *Ex euidenti contrariæ ſententiæ abſurditate.* Si lux primigenia non facta eſt materia ſtellarum, ſequeretur illam eſſe deſtructam, aut annihilatam. At in exordio mundi quidquam deſtructum, aut annihilatum eſſe, quod Deus vidit eſſe bonum, perquam abſurdum eſt.

Quæſt. XXIV. *Eſtne ſol formaliter calidus?*

Sol totus igneus, adeoque formaliter calidus eſt.

Prob. (1) Sol vt lucidiſſima flamma apparet, lucet, illuminat & calefacit. Ergo ſol inſtar facis ardentis formaliter calidus eſt. *Antecedens* patet; quia ſol viſui noſtro haud aliter apparet, ac flamma ardens, & oculus eruditus per teleſcopia animaduertit, ſolem eſſe globum igneum. Solem autem calefacere, conſtat tum ex ſenſu, tum ex pyroptris, in quibus radii ſo-

(*) Fac autem, ſyſtema Copernicanum veritati maxime conſentaneum eſſe: minime tamen conſequens foret, vt viri, diuino inſtinctu adflatuque ſcribentes, aut erraſſe putandi ſint, aut errorem vulgi confirmare voluiſſe. Ne vnum quidem Philoſophorum vnquam audiuimus ita dicentem: terra oritur, terra occidit. Omnes vtuntur vſitata ſermonis conſuetudine, omnibus in ore verſatur ſolis ortus atque occaſus. Nec erroris arguendi ſunt, nec ſe ad falſam vulgi opinionem adcommodaſſe ipſos exiſtimamus, cum ita loquuntur, vt moris eſt loqui. Multum quoque iuuabit legiſſe, quæ S. V. DEYLINGIVS noſter de differentia veritatis phyſicæ, & opticæ, egregie commentatus eſt, in ſuis *Obſ. S. T. I. pag. 398.*

Digitized by Google

ſolares collecti vim combuſtiuam exſerunt. (2) Siracides ſolem vt globum igneum, vrendi vi præditum, deſcribit c. XLIII, 3. 4. *Sol in meridie ſuo exſiccat regionem, & contra ardorem eius quis conſiſtet? Caminum inflat in operibus æſtus; tripliciter ſol exurit montes, (ſcil.) vapores ignitos inſpirans; & illuminans radiis hebetat oculos.*

*Antitheſis* eſt quorundam *Philoſophorum*, aſſerentium, ſolem non eſſe formaliter calidum, quorum argumenta ſunt:

I. Fax ardens exſtinguitur. Sol non exſtinguitur. E. Sol non eſt fax ardens. Reſp. Limit. *maior.* Fax ardens deficiente pabulo exſtinguitur. At pabulum ſolis eſt perenne, nec vnquam deficiens.

II. Si ſol igneus eſt: mundus ſublunaris eius ardore comburetur, & media aeris regio calidior erit infima aëris regione: Conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur, quia ſol eſt maior terra. Si igitur ſol eſſet igneus; totam terram combureret, & media aëris regio intenſiori repleta eſſet calore, quam infima regio. Reſp. Neg. conſequ. Ad probationem dicimus, quod ſolem a mundo ſublunari ſeparet ingens pars expanſi ætherei & aërei; hoc cum ſit rarum, comburi nequit. Infima autem aëris regio calidior eſt media, tum ob repercuſſionem radiorum ſolarium, tum ob congregationem atomorum igneorum, ex poris terræ erumpentium, qui, cum calore radiorum ſolarium coeuntes, maiorem efficiunt.

III. Flamma ardens directo vultu poteſt conſpici: Sed ſol non poteſt directo vultu conſpici: Ergo. Reſp. Flamma exigua, & non intenſiue lucida, directo vultu poteſt aſpici; concedo. At ſol eſt globus igneus longe maximus, & intenſiſſime lucidus, lædens viſum, vt excellens ſenſile conſueuit ſenſui quandam vim inferre.

### Quæſt. XXV. *Qualem ſignandi vſum habent aſtra?*

Aſtra habent vſum ſignandi *naturalem* & *ciuilem* a): non tamen præſignificant actiones hominum voluntarias b).

Prob. a. Vſum ſignandi *naturalem*, quem habent aſtra, calculo ſuo comprobat ipſe Saluator, Matth. XVI, 3. Signant enim tempeſtates, pluuias, ſiccitates, fœcunditates agrorum. Habent vſum ſignandi etiam *ciuilem*, quatenus ſignificant tempora, quæ rebus gerendis præ reliquis apta ſunt, nimirum, quando nauigandum, piſcandum, ſeminandum, ligna cædenda.

Prob. b. 1) Actiones hominum voluntariæ proficiſcuntur a voluntate, quæ eſt inſignis facultas animæ rationalis: At hæc aſtris eſt longe ſuperior & nobilior. 2) Actiones voluntariæ ſunt liberæ, quæ ab aſtris non determinantur.

*Antitheſis* eſt *Aſtrologorum*, qui ex aſtrorum poſitu, ſiue themate genethliaco, cuiusque hominis naturam, voluntatem, affectionem, conditionem, fortunam, ipſum denique mortis genus, præcognoſcere & prædicere nituntur. Quorum argumenta ſunt:

I. Aſtra ſunt in ſigna, reſpectu omnium rerum ſublunarium, Gen. I, 14. Ergo etiam reſpectu hominis, qui ſub luna eſt. Reſp. Præclare inquit SENECA: *Sapientis animus ſupra lunam eſt, ſemper ibi ſerenum.* Quamuis enim animus hominis ſit *ſub luna*, ſi ſpectes *localem conditionem*; non tamen eſt *ſub luna*, ratione *gubernationis.*

II. Victoria & clades pendent ab aſtris, Iudic. V, 20. E. actiones voluntariæ ab aſtris ad felicem, aut infelicem exitum diriguntur. Reſp. Stellæ pugnarunt contra Siſſeram & ſocios, non ordinarie & naturaliter, ſed extraordinarie & miraculoſa directione diuina; neque immediate, per influxum in voluntates, ſed mediate, per influxum in aërem, concitando me-



Digitized by Google

teora, fulmina, tonitrua, grandines, & tempeſtatem ingentem, teſte IOSEPHO *libr. V. Iudaic. antiqu. c. IV.*

Quæſt. XXVI. *Quænam ſunt opera quintæ diei?*

*Opera quintæ diei.*

Opera quintæ diei ſunt aquatilia, quæ ex aqua a), & volatilia, quæ e terra producta ſunt b).

Prob. a. Gen. I, 20. *Porro dixit Deus: Repere faciant aquæ reptile, animam viuentem.* Obſ. 1) per *reptile* indigitatur hic *piſcis*, iuxta verſ. ſequentem 21. 2) Aqua fuit principium materiale & paſſiuum, e quo, iubente Deo, piſces emerſerunt: Eſt præterea piſcibus accommodatus locus habitationis.

Prob. b. Gen. II, 19. *Quum formaſſet Iehouah, Deus, e terra omnem beſtiam agri & omnem auem cœli.* Hic ſatis clare dicuntur aues conditæ eſſe e terra. Vnde non putandum eſt cum aliis, quaſi cum piſcibus ex aqua formatæ fuerint.

*Antitheſis* eſt quorundam *Patrum* & interpretum, aſſerentium, tam aues, quam piſces ex aquis prodiiſſe. Quorum argumenta ſunt:

I. Productio piſcium & auium coniungitur, quippe quæ facta eſt quinto die. Gen. I, 20. Sed ſicut illi ex aqua, ita & hi ex aqua emerſerunt. Reſp. Coniungitur productio piſcium & auium, *non ob identitatem principii materialis, ſed ob communem diem productionis.* Cum enim Moſes dixiſſet: Repere faciant aquæ reptile, animam viuentem; facit magnum ſegmentum ſenſuale per Atnach, & addit: *Et auis volitet ſuper terram*; vbi ſtilus mutatur, vt עוף non ſit obiectum verbi præcendentis ישרצו ſed ſubiectum prædicati ſequentis יעופף, adeoque exponendum in nominatiuo, non in accuſatiuo, vt recte vertas: Das Waſſer rege ſich mit webenden und lebendigen Thieren; und das Gevögel fliege auf der Erden. E quibus liquet, quod aues & piſces l. c. non ex eadem materia prodierint.

Inſtantia. Quod ſi hæc verba ita exponantur: Et volatile volet ſuper terram, non docebitur iisdem, aues eſſe creatas, ſed tantum volare iuſſas ſuper terram. Reſp. Vtique creatio indicatur auium. Neque enim auis volitare poteſt, niſi ſit creata. Materia autem creationis implicite innuitur, dum iubetur auis volitare ſuper terram, quæ non tantum naturalem commorandi locum, ſed productionis etiam materiam deſignat.

II. Magna eſt analogia inter piſces & aues; dantur enim piſces volatiles & aues aquatiles. E. ex vna prodierunt materia. Reſp. Ex analogia illa materia productionis non valide probatur. Maior datur analogia inter aues & animalia terreſtria. Viuunt enim in eodem elemento, conueniunt gradatione, carne ſicca, ſtructura partium corporis, & putreſcentes in terram reſoluuntur. E. aues e terrra productæ ſunt.

III. Piſces & aues ſunt corpora mixta: E. ex omnibus quatuor elementis materialem habent originem. Reſp. Productio corporum mixtorum æſtimanda eſt ſecundum elementum prædominans. Sic in piſcium ſubſtantia prædominatur elementum aquæ; at aues principaliter ex terra, minus principaliter ex ceteris elementis conditæ ſunt.

Quæſt. XXVII. *Quænam ſunt opera ſextæ diei?*

*Opera ſextæ diei.*

Opera ſextæ diei ſunt animantia, bruta terreſtria a), & homo, præcipuus huius mundi aſpectabilis incola b).

Prob. a. Gen. I, 24. Poſt dixit Deus: *Producat terra animam viuentem, ſecundum ſpeciem* (quamque) *ſuam, & beſtiam ſecundum ſpeciem* (quamque) *ſuam, & omne reptile terræ, ſe-*

*cun-*

Digitized by Google

*cundum ſpeciem* (quodque) *ſuam.* Obſ. 1. Terræ tribuitur productio animantium, tanquam materiæ ex qua, & ſubiecto patienti, e quo Deus bruta creando prodire fecit. 2) Anima viuens notat animal, & quidem hic terreſtre, cuius recenſentur ſpecies: 1) בהמה, beſtia manſueta & domeſtica: 2) רמש, reptile, complectens ſerpentum & vermium varia genera: 3) חיתו ארץ, beſtia fera, quæ vel nunquam, vel difficulter manſueſcit.

Prob. b. Poſtremum inter opera hexaëmeri locum obtinet homo: De quo AMBROSIVS epiſt. XXXII. præclare diſſerit: *Recte nouiſſime conditus eſt homo, quaſi totius ſumma operis, quaſi cauſſa mundi, propter quam facta ſunt omnia, quaſi omnium habitator elementorum, inter feras viuit, cum piſcibus natat, ſuper aues volat, conuerſatur cum angelis, terram inhabitat, & cœlo militat, ſulcat mare, aëre paſcitur, cultor ſoli, viator profundi, piſcator in fluctibus, in aëre auceps, in cœlo hæres, cohæres Chriſti.* Sed originem & productionem hominis infra penitius conſideraturi ſumus.

Quæſt. XXVIII. *Quos vſus practicos e doctrina de creatione vniuerſi excerpes?*

Accurata & ſeria meditatio creationis huius vniuerſi in nobis excitat a) fiduciam, in Deo potentiſſimo, optimo & ſapientiſſimo collocandam, b) ſincerum amorem Dei, c) filialem timorem Dei, d) promtam obedientiam Deo præſtandam, e) inuocationem, & f) celebrationem nominis diuini. *Vſus practici.*

Prob. a. Non in creaturis, ſed in creatore omnem noſtram fiduciam defigimus. Omnipotens enim creator e mille periculis nos poteſt eripere: Idemque pater optimus nil auxilii, ſolatii aut commodi nobis denegabit; quippe qui noſtri gratia omnia e nihilo creare dignatus eſt. Et qui ſapientiam ſuam in prima creatione abunde teſtatus eſt, curſum vitæ noſtræ in nominis ſui gloriam, & noſtrum emolumentum ſapientiſſime diriget.

Prob. b. Amamus creaturas, eo, quod ſunt bonæ; quanto magis diligendus eſt creator, ex quo velut fonte riuuli bonitatis in creaturas emanarunt.

Prob. c. Ipſe Deus ex creatione argumentum deſumſit, cum ad reuerentiam & timorem ſui nos adhortatur, Ier. V, 22. *Num me non timebitis? dictum Iehouæ. Num coram me non trepidabitis, qui poſui arenam terminum maris?*

Prob. d. Creatio eſt primum fundamentum & vinculum obligans creaturam, rationis participem, ad colendum creatorem. Rom. I, 18. ſqq.

Prob. e. *Venite, incuruabimus nos, & humiliabimus nos, & genua flectemus coram Iehouah, factore noſtro; quia ille eſt Deus noſter, & nos populus paſcui eius, & grex manus eius,* inquit rex propheta, Pſ. XCV, 6. 7.

Prob. f. Si articulus de creatione quotidie exerceatur, menti infigatur, & in memoriam probe reuocetur, incaleſcet certe pectus, & ad gratiarum actionem promte agendam mirifice inflammabitur, vt omnibus rebus ad Dei gloriam & laudem vtamur, ait b. LVTHER. *in catechiſm. maior. p. 492.*

### *SVSPIRIVM.*

Non poſſum, quin tuam, o alme Parens & Opifex huius vniuerſi, potentiam & ſapientiam mirer tacitus, gratusque venerer. Ecquis regum aut principum tecum conferendus eſt! Etenim tu, cum innumerabilibus ſæculi anteceſſiſſes, quo temporis puncto tibi placuit, hunc mundum, & omnia, quæ ipſius ambitu continentur, ſine vllis vectibus, ſine vllis ferramentis, ſine vlla materia ex nihilo architectatus es. Condidiſti & me Creator Optime, Maxime, ſeruorum tuorum minimum. Nihil boni eſt in me, quod non a te collatum. Et fragile hoc corpuſculum, & ſpiritum, qui hos regit artus, mihi dediſti. Ne deſere me, opus manuum tuarum. Totus enim pendeo a te, vt palmes a vite, radius a ſole. Tu auctor vitæ meæ, ſemper mihi es in corde, ſemper in ore, corde pio æſtimandus, ore pleno laudandus.



Digitized by Google

# THEOLOGIAE PARTIS PRIMAE,

## CAPVT IV.

# DE ANGELIS.

Quæſt. I. *Quid ſunt angeli?*

*Angelorum definitio.* Angeli ſunt ſpiritus finiti, completi, conditi a Deo, intelligentes, voluntate liberi, & ordinati ad obeundum grata Deo miniſteria.

Obſ. I. Nomen, *angelus*, ſi vim vocis ſpectes, notat nuntium; deſcendit enim ab ἀγγέλλειν annuntiare. Apud Hebræos מלאך ſignificat miſſum, legatum, nuntium. Quamuis enim radix לאך apud Hebræos obſoleuerit, inuenitur tamen hodienum in cognata Aethiopum lingua, & mittendi ſignificationem habet. Et vſu, & ſtilo ſcripturæ ſæpe vt nomen naturæ adhibetur, nec niſi de perſonis occurrit.

Obſ. II. Adhibetur vox, angelus, 1) *de angelo increato*, Filio Dei, omnium angelorum finitorum creatore & domino. Vocatur autem Filius Dei angelus, tum ante incarnationem quidem, ſed cum reſpectu ad eandem, tum poſt incarnationem. Ante incarnationem dicitur Angelus faciei Dei, Eſ. LXIII, 7. Angelus fœderis, Mal. III, 2. Angelus redemtor, Gen. XLVIII, 16. &c. Poſt incarnationem, Apoc. VII, 30. 35. c. VIII, 2. c. X, 1. c. XIX, 1. 2) Vſurpatur vox, angelus, de creaturis viſibilibus, & quidem tum de doctoribus eccleſiæ in genere, Mal. II, 7. Apoc. I, 20. tum de Ioanne baptiſta in ſpecie, Mal. III, 1. Marc. I, 2. Matth. XI, 10. Luc. VII, 27. 3) De creaturis inuiſibilibus & incorporeis, ſiue ſpiritibus finitis & completis, Hebr. I, 14. Pſal. CIV, 4. &c.

Quæſt. II. *Vnde innoteſcit exſiſtentia angelorum?*

*Exiſtentia angelorum.* Exſiſtentia angelorum certo innoteſcit e ſcriptura ſacra, & creditur fide diuina a): ex principiis rationis topice & probabiliter b), non apodictice & irrefragabiliter c) colligitur.

Prob. a. Exſiſtentiam angelorum docent tum aſſertiones S. ſcripturæ, de quibus infra, tum multæ & variæ angelorum apparitiones, quas inter eminet illa, quæ Abrahamo facta eſt, Gen. XVIII, 2. vbi Filius Dei, & cum eo duo angeli in forma trium virorum patri credentium apparuerunt; nec non apparitio angelica, quæ contigit Lotho, Gen. XIX, 1. quem duo angeli ab incendio Sodomitico vindicatum iuerunt.

Prob. b. Colligit ratio: 1) Vbi datur vnum oppoſitorum, ibi & alterum detur, neceſſe eſt, vt vnum ab altero luculentiſſime diſcernatur; nam oppoſita, iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt: At dantur ſubſtantiæ corporeæ: Ergo & ſpirituales. 2) Si cognitu neceſſarium eſt, hoc vniuerſum quodammodo creatori ſuo aſſimilari; cognoſcendum & hoc eſt, quod dentur creaturæ, ratione ſpiritualitatis, intellectus & voluntatis ſimiles creatori: Antecedens eſt verum: Ergo & conſequens (*). 3) Homines energumeni & arreptitii ſæpe patrarunt admiranda, viri-

(*) Haud exiguam nobis probabilitatem adfert hoc argumentum, tum præcipue, cum adſumimus *tria* principia rationis: I. *Sunt diuerſi gradus, perfectionum in rebus creatis, diſtinctiſque earum gene-*

Digitized by Google

viribus & notitia hominum longe ſublimiora. Locuti enim ſunt linguis peregrinis, quas nunquam didicerunt, locuti ſunt verba blaſphema, quæ nec ab anima ſeparata, nec a Deo prouenire potuerunt, oſtentarunt robur multorum hominum robore firmius, portarunt onera immania, perfregerunt ſeras & catenas; quæ a principio quodam extrinſeco, homine valentiore, oriantur, neceſſe eſt (*). 4) Philoſophi gentiles agnouerunt angelos, ſiue δαιμόνια,

*generibus.* Semper a minori ad maius cogitatione noſtra perducimur. Ita v. g. maior eſt perfectio herbæ, quam graminis; maior floris, quam herbæ; maior arboris, quam floris; maior metallorum, quam lapidum, & in ipſis quoque metallis vnum præſtat altero. Conſtructio corporis eſt perfectior in quodam genere animantium, quam in aliis. Vires etiam, diuerſis rebus naturaliter inſitæ, variis perfectionibus multum inter ſe differunt. In quibusdam ineſt vis creſcendi, nempe in plantis, in gramine, in herba: in aliis, præter illam, vis quoque fructum ferendi, nimirum in frugibus atque arboribus: rurſus in aliis, vna cum illa vi duplicata, vis etiam ſentiendi, quippe in brutis animalibus, ac vel minutis beſtiolis: In vno denique rerum genere non ſolum triplex illa vis ineſt, ſed & excellentiſſima vis cogitandi, ac rationis vſu gaudendi; videlicet in homine; qui tamen ſenſibus indiget externis, menti multas res obiectas miniſtrantibus. Quum vero ex iis multæ perceptiones cogitationesque exoriantur imperfectæ: efficitur, vt perfectiſſima omnium rerum creatarum ſit ea intelligens, quæ nullius egeat miniſterii ſenſuum corporeorum. II. *In vniuerſa rerum natura nullus ſaltus eſt, ſed gradus ſunt ſenſim paullatimque diſtincti.* Ne duo quidem genera intuemur, tanto interuallo ſeiuncta, ac ne duas quidem ſpecies vnius eiusdemque generis, quin tertium genus aliquod *medium*, aut ſpecies quædam media intercedat, ex vtroque genere, aut ex vtraque ſpecie conſtans, & vtriusque naturæ quædam ſaltem modo particeps. E. g. Inter corpus animatum, atque inanimum, eſt medium quidpiam, ζωόφυτον, vrtica marina vid. PLINIVS in *hiſt. anim.* c. 9. & DAMASCENVS in *dial.* c. 47. Aliud quoddam genus medium conſtituunt animalia teſtacea, concha, pinna, oſtrea, limax, teſtudo. Inter animalia terrena, & aquatilia, eſt medium quoddam, nimirum ἀμφίβιον, atque etiam huius non vna eſt ſpecies. Inter terrena, aquatilia, & volatilia, ſunt media animalia, vt anſer & anas. Inter ſpiritum rationis compotem, & corpus, nihil eſſet medium, niſi homo eſſet, qui habet naturam ex vtroque compoſitam. Is vero non poſſet eſſe medius, niſi ſpiritus quidam eſſent, ratione quidem præditi, corpore autem prorſus vacui. III. *Inter omnes res creatas nulla eſt, quæ ad ſummas perfectiones Creatoris optimi tam prope accedit, quam ea, cuius natura eſt ſpiritualis,* intellectu ac libero arbitrio prædita. Talis eſt quidem homo; ſed non tota hominis natura, pars dumtaxat eius altera. Nec vero eſt dubium, quin multo maiores poſſint eſſe perfectiones ſpirituum, homine præſtantiorum. Atqui ex variis gradibus perfectionum in rebus creatis admodum probabile efficitur: Deum non modo potuiſſe, verum etiam voluiſſe, ſpiritus creare eiusmodi, quibus tantam ipſe perfectionem tribueret, quantæ quidem capax eſſet res quædam, creatarum omnium excellentisſima. E. veri ſit ſimillimum, inter creatorem, & hominem, intereſſe ſubſtantias quasdam, quarum perfectiones ſint humanis ſuperiores, ac diuinis propiores, quarum adeo natura proxime conueniat cum humana quidem, quatenus in ea eſt *ſpiritus*, ratione præditus; ſed etiam cum diuina, quatenus nimirum Deus eſt *ſpiritus completus* ac ſimplicisſimus, in quo nihil eſt admixtum & concretum, nihil cum eo copulatum, quod corporeum atque ex terra natum ſit. Eſt quidem hoc profecto verisſimum: Quum Deus ſit ſpiritus immenſus, infinitus, neceſſarius, independens, certe infinita ſemper eſt, nec poteſt non eſſe, diſtantia inter Deum, ac ſpiritus creatos, nullo demto. At enim, quum Deus ſit *ſpiritus completus*, idemque *infinitus*; homo autem ſit *ſpiritus* non ſolum *finitus*, ſed etiam *incompletus*, vtpote cum corpore arctisſimo velut vinculo coniunctus: hinc res creatæ, inter Creatorem & hominem mediæ, ſunt *ſpiritus completi* quidem omnisque corporis expertes, quatenus ſunt rerum creatarum omnium *perfectiſſimæ*: at *finiti* tamen ſuisque terminis circumſcripti, quatenus ſunt res *creatæ*, cum infinito immenſoque Creatore neutiquam comparandæ.

(*) Quod ſi ad *morales* improborum hominum actiones animum aduertamus, de quibus ſcriptura diuina Eph. II, 2. certiores nos facit, homines illos eſſe in poteſtate τῦ πνεύματος τῦ ἐνεργῦντος

δαιμόνιους, nempe Socrates, Plato, Ariſtoteles & alii. Vid. D. HILDEBRANDI *inſtit. theol. p. m. 262.*

Prob. c. Rationes adductæ probabilitate quadam nobis abblandiuntur quidem, at non ſunt exceptione maiores. Nam reſponderi poteſt ad I. : Penes liberrimum Dei arbitrium fuit, corporibus adiungere ſpiritus. Neque enim neceſſe eſt, vt vni ſpeciei ſemper iungatur ſpecies oppoſita. Ad II. Hoc vniuerſum aſſimilatur Deo generaliter, prout effectus teſtatur de potentia, ſapientia & bonitate architecti, non ſpecialiter, vt ipſæ creaturæ ſint participes ſpiritualitatis, intellectus & voluntatis. Ad III. Effecta obſeſſorum ſunt quidem admiranda: At vero anima quædam ſeparata, aut vis aliqua ſuperior, qualiſcunque illa ſit, corporis ſubtilis, aut ſpiritus, illos effectus producere poteſt. Conſiſtit ergo hoc argumentum intra ſphæram probabilitatis; at animum non conuincit. Ad IV. Si quid cognitum habuerunt gentiles de geniis

ἐνεργῦντος ἐν αὐτοῖς, vnde dicitur *ſpiritualis obſeſſio*, ſi naturam atque experientiam teſtem audiamus, duo ſe nobis offerunt probabilitatis argumenta. *Vnum* nobis præbent *cogitationes* omnino *inopinatæ*, quæ mentem ſubeunt, & quarum ne minima quidem cum præcedentibus cohærentia percipitur. Adſumamus hæc duo axiomata, ſane certiſſima: 1) *Eſt naturalis quædam connexio idearum & cogitationum*, qua fit, vt cogitationes antecedentes rationem ſubſequentium in ſe contineant, niſi aliunde interueniat quidpiam, quo animus ad alias res cogitandas ſubito auocetur. 2) *Eſt proprietas* quædam *mentis humanæ*, quoad ea *rationis vſu* gaudet, *ſui conſcium eſſe*. Ergo homo quisque, ſuarum cogitationum ipſe conſcius, facile poterit indagando cognoſcere, quo modo cogitationes poſteriores cum prioribus cohæreant, ac mentis operatio alia ex alia ſequuta ſit. At enim vero ſecum habitans animaduertit non nunquam in ſua mente aliquid, omnino inſperatum, minimeque cohærens, vt plane neſciat, qua demum ratione id ſibi in mentem venerit. Quid? quod inopinatæ illæ celerrimæque cogitationes ſunt aliquando antecedentibus prorſus contrariæ. Accidit interdum, vt homo probus, ſemper peccatis inimicus, nunc etiam ſanctiſſimo quodam negotio ita totus occupatus atque implicitus, vt cogitationes ipſius omnes in hoc vno defixæ hæreant, præter omnem opinionem ad cogitationes peſſimas, vel maxime inuitus, non ſine horrore abripiatur. Vnde, quæſo, illæ? Nonne magis eſt probabile, ex inſtinctu alius cuiusdam ſpiritus, inſidias ipſi parantis, quam ex ſuo motu ſuæque mentis agitatione, exortas eſſe? *Alterum* nobis argumentum ſuppeditant *cogitationes* omnino *inhumanæ*, ac penitus naturæ repugnantes; *naturæ*, inquam, 1) *propriæ* huius hominis, quando quidem fieri ſolet, vt homo leniſſimus, & natura, & diſciplina, mitiſſimus, manſuetiſſimus, quæ eſt temperamenti ſanguinei indoles, truculentis maximeque ferocibus ac vehementiſſimis animi motibus turbetur, vt in ſua ſæuiat viſcera; 2) *communi* omnium hominum. Sunt peccata quædam, tam immania, deteſtabilia, nec ſine tremore cogitanda, atque adeo vniuerſæ naturæ humanæ ita penitus aduerſaria, vt, qui ad eiusmodi facinora animum adplicuerit, is omnem humanitatem exuiſſe, omnemque στοργὴν exſtinxiſſe atque exſtirpaſſe videatur, cuiusmodi eſt, ſuam prolem interficere, mortem ſibi voluntariam conſciſcere. Illudne documentum eſt malitiæ qua homo impellitur, longe maioris, quam humanæ? Exemplo eſt Iudas proditor, cuius ſceleratiſſimam perfidiam ſi quis adcurate contempletur, omnesque res circumſtantes perpendat, nihil in ea deprehendet, quod naturæ humanæ, tametſi maxime deprauatæ, fuerit conſentaneum. Hoc igitur ſcelus erat plus, quam humanum; proinde diabolicum, Ioann. XIII, 2. Itaque experientia ac ratio id nobis valde probabile eſſe perſuadent, quod ſcriptura ſacra veriſſimum eſſe, nos edocet. Qui in contrariam partem abeunt, nihil habent, quo ſe tueantur, præter hoc vnum: mente concipi non poſſe, quo pacto ſpiritus in alio ſpiritu actionem quamdam exercere valeat. Sed, definiant primum naturam ſpiritus, intime cognitam ac perſpectam! Explicent porro, quo vinculo ſpiritus hominis cum ipſius corpore adeo arcte copulatus ſit, qui certe cum alio ſpiritu, itidem in corpore habitante, cogitationes ſuas communicare quotidie & poteſt, & ſolet! Arrogent tandem temere ſibi ipſi infinitam rerum omnium ſcientiam, & quæuis arcana nobis patefaciant! aut fateantur ingenue, falſiſſimam eſſe hanc conſequutionem: id fieri non poſſe, quod, quo modo fiat, ipſi non intelligunt.

Digitized by Google

geniis aut dæmoniis, hauſerunt id ex traditione Iudaica, & quidem cognitione ſaltim confuſa. Adiice, quod ſcripſerint de geniis non vt ſpiritibus, ſed vt corporibus ſubtilioribus, & robuſtioribus. Nam & fortiſſimos heroas geniis annumerarunt.

Quæſt. 3. *Suntne angeli ſpiritus, omnis corporeæ molis expertes?*

Angeli ſunt ſpiritus, omnis materiæ, tam craſſioris, quam ſubtilioris expertes.

Prob. 1) Paullus angelos deſcribit per πνεύματα λειτουργικὰ, ſpiritus adminiſtratorios, Hebr. I, 7.

2) Suffragatur hieropſaltes canens Pſ. CIV, 4. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus.*

Dicis: Per רוחות intelliguntur venti. Nam ita germanice vertit Lutherus: Du macheſt deine Engel zu Winden. Reſp. 1) Non adeſt vlla comparationis nota. Non enim dicitur: Qui facit angelos ſuos כרוחות, *ſicut* ventos. 2) Potiori ſignificatione רוח notat ſpiritum, quæ ſignificatio potior obtinere locum primo debet, vbicunque poteſt.

Inſtantia. Sed additur: *Miniſtros ſuos ignem flammantem.* Angelos igneæ eſſe naturæ, nemo aſſeruerit. Quare ſicut angeli metaphorice dicuntur flammæ, ita & venti. Reſp. 1) Nomen אש, ignis, non tantum de igne corporeo inuenitur; ſed etiam ignem incorporeum in ſcripturis habemus, adeo, vt Deus *ignis ardens* appelletur, non ſane propter ſolum attributum iuſtitiæ, quo punit ſeueriſſime, ſed & propter ſubſtantiam ſubtiliſſimam, puriſſimam, incorpoream; quia alias non opus foret, addere epitheton, *ardens*. 2) Eſto, quod in membro poſteriori verſus citati angeli metaphorice dicantur flammæ ardentes; in membro tamen priori proprie appellantur ſpiritus. Nam apoſtolus hunc ſpectauit locum, cum angelos vocauit πνεύματα λειτουργικὰ, ſpiritus miniſtratorios, Hebr. I, v. 7. Conf. D. SEB. SCHMIDII *colleg. bibl.* poſter. *p.* 195.

3) Angeli mali nuncupantur ſpiritus, Matth. VIII, 16. Eph. II, 2. c. VI, 12.

4) Angeli lapides, ianuas, aliaque corpora ſolida penetrare queunt, Act. XII, 7. integræ legiones vnum incolere poſſunt hominem, Marc. V, 9, Luc. VIII, 30.

5) Angeli ſunt natura inuiſibiles. Col. I, 16. qui aſſumtis corporibus apparuerunt, & rurſus pro lubitu diſparuerunt.

*Antitheſis* eſt quorundam *Patrum*, *Scholaſticorum*, *Socinianorum & Arminianorum*, quibus adde HVGONEM GROTIVM & ERNESTVM SOHNERVM, olim Profeſſ. Altdorfinum qui angelis ſubtiliſſima tribuunt corpora, & ſequentibus innituntur argumentis:

I. Angeli poſſunt videri, Gen. XVIII, 2: Ergo non ſunt ſpiritus. Reſp. Viſi ſunt angeli, non in ſe, ſed in aſſumtis corporibus, non in eſſentia ſua, ſed in apparitionis οἰκονομίᾳ & officio, quod obiuerunt.

II. Angeli comederunt, Gen. XVIII, 8: Ergo non ſunt ſpiritus. Reſp. Angeli comederunt, cibum in os ſumendo, non vitali corporis operatione digerendo, ſed vi ſuperiori conſumendo. Sicut terra arida aliter conſumit aquam, aliter ſol eandem abſumit. Illa per indigentiam, hic per virtutem & potentiam.

III. Angeli moti ſunt de loco in locum, Eſ. VI, 2: Ergo habent corpora. Nam motus localis eſt affectio corporis naturalis. Reſp. Angeli moti ſunt de loco in locum, non in ſe, ſed in corporibus aſſumtis, quæ non aſſumſerunt περιχωρητικῶς, ſiue per vnionem eſſentialem, ſed παραστατικῶς, ſiue per vnionem accidentalem. Neque enim angelus eſt forma informans corporis aſſumti, ſed forma aſſiſtens: Sicut auriga aſſiſtit & præeſt currui, gubernator naui, dux belli exercitui.



Digitized by Google

IV. Quidquid eſt mutabile, illud habet materiam: Atqui angeli ſunt mutabiles: Ergo. *Maior* prob. quia mutabilitatis radix eſt materia. Ratione materiæ aliquid generatur & corrumpitur, alteratur, de loco in locum mutatur. *Minor* conſtat: quia angeli non tantum mutant *vbi* ſuum, ſed & quidam angeli per lapſum corrupti ſunt. R. 1) Diſtingu. *inter mutationem ſubſtantialem, & accidentalem.* Mutationis *ſubſtantialis* radix eſt materia; at mutatio *accidentalis* cadit etiam in Spiritus materiæ expertes (*). 2) Angeli variant quidem ſuum *vbi*, ſed proprie loquendo non mutant locum; cum ſint in *vbi* definitiuo, non circumſcriptiuo, aut occupatiuo. Angeli lapſi corrupti ſunt accidentaliter, non ſubſtantialiter.

V. Quorum datur certus numerus, illi habent materiam. Angelorum datur certus numerus. Ergo. *Maior* conſtat; quia numerus eſt quantitas diſcreta. At poſita quantitate ponitur materia. Reſp. Poſita quantitate *molis*, ponitur materia, concedo. At quantitas *diſcreta* eſt etiam rerum immaterialium, cum *improprie* dicatur *quantitas.*

VI. Quicunque canunt & laudant Deum, illi non ſunt Spiritus puri, omnis materiæ expertes. Atqui angeli &c. Ergo: *Maior* patet; quia ſine ore, lingua & pulmonibus nemo formare vocem, canere & laudare poteſt. *Minor* probatur ex Eſ. VI, 3. Reſp. Quicunque canunt & laudant Deum organis corporeis, illi non ſunt Spiritus puri, concedo. At Angeli laudant Deum modo ſpirituali, nobis in hac vita imperueſtigabili & inexplicabili.

VII. ORIGENES, *περὶ ἀρχῶν* cap. II. TERTVLLIANVS, libro *de carne Chriſti*, & alii patres primitiuæ eccleſiæ, ſubtilia angelis tribuerunt corpora. Reſp. 1) Scripta patrum non ſunt norma theologiæ. 2) Quidam, ſed non omnes patres cenſuerunt angelos eſſe corporeos. 3) Patres vel intellexerunt per *σώματα* perſonas, vel corpus oppoſuerunt phantaſmati, & nihilo, vel ſumſerunt materiam pro ſubiecto accidentium, & quidem in comparatione cum Deo, qui adeo purus eſt Spiritus & actus, vt ne accidens quidem in illum cadat.

Inſtantia: Patres primitiuæ eccleſiæ non ſine ratione angelis tribuerunt corpora: Sed 1) quia Filii Dei, per quos intellexerunt angelos, filias hominum ſibi duxerunt vxores, Gen. VI, 2. 2) Quia ignis paratus dicitur diabolo, & angelis eius, Matth. XXV, 41. Reſp. ad I. Per Filios Dei l. c. intelliguntur filii a piis patriarchis nati, & in eccleſia educati: hi viderunt filias hominum adſpectu inordinato, quod eſſent pulchræ, & duxerunt vxores ex omnibus, quas elegerunt pro lubitu ſuo, contra voluntatem & verbum Dei. Ineptum autem eſt, cogitare hic de ſpiritibus angelicis, quibus matrimonium inſtitutum non eſt; & ipſi nec generant, nec generantur. Ad II. Ignis infernalis non eſt elementaris, qui tantum corpora vrit, ſed ſingularis, a Deo ſingulariter vna cum inferno paratus, Matth. XXV, 41. vt in æternum ſpiritus & homines damnatos vrat. Quis enim dubitet, Deum poſſe eiusmodi ignem, qui angelos malos vſtione quoque cruciet, condere?

*Angelorum differentia.*

Quæſt. IV. *Quomodo differunt angeli a Deo, anima humana & reliquis creaturis?*

Differunt angeli a *Deo*, quod eorum eſſentia ſpiritualis dependens & finita eſt a), ab *anima ſeparata*, quod eorum ſubſtantia completa eſt, b) a *reliquis creaturis*, quod intellectu & voluntate libera gaudent c).

Prob. a. Deus eſt ſpiritus independens & infinitus; angeli, cum eſſe ſuum non a ſe, ſed a Deo habeant, ſunt ſpiritus dependentes & finiti.

Prob. b. Anima humana eſt ſpiritus incompletus, per ſe & natura ſua ordinatus ad totius hominis compoſitionem. Hinc etiam anima ſeparata naturalem propenſionem & inclinationem

(*) Liceat mihi hoc addere: O. mutabilitatis ratio continetur in natura rei finitæ, determinatæ, & contingentis, quatenus eſt talis, ac tota pendet ex Creatoris ſui arbitrio. Nihil enim eſt per ſe prorſus immutabile, niſi infinitum, immenſum, ac neceſſarium, quod non poteſt aliter eſſe.

Digitized by Google

nem habet ad corpus, cum quo velut parte componente completum conſtituit hominem: at angeli naturaliter ordinati non ſunt ad conſtituendum vnum, per ſe, cum parte quadam componente, ſed habent eſſentiam in ſe terminatam. Proinde *anima eſt Spiritus incompletus, angeli ſunt Spiritus completi.*

Prob. c. Creaturæ viſibiles, ab homine ſi diſceſſeris, carent intellectu & voluntate. At angeli intellectu & voluntate libera ſunt præditi. Etenim angeli Dei ſunt ſapientes, 2 Sam. XIV, 20. Angeli mali cognoſcunt Ieſum Filium Dei, Marc. V, 7. Ergo angeli tam boni, quam mali, ſunt participes intellectus. Voluntatem angelorum probant a) Angelorum bonorum obedientia, quam Deo præſtant, Pſalm. CIII, 20. & malorum apoſtaſia, 2 Petr. II, 4. b) Angelorum bonorum pium deſiderium introſpiciendi myſterium de Chriſto, 1 Petr. I, 12. Angelorum malorum impium deſiderium abſorbendi homines, 1 Petr. V, 8. c) Præmia in bonos angelos collata, & ſupplicia impiis irrogata. Ceterum intellectus & voluntas angelorum concipiuntur quidem a nobis, vt facultates, ab anima, & inter ſe diſtinctæ: at ex parte rei neque ab eſſentia angelica, neque inter ſe differunt. Id quod probatur: 1) quia angeli viuunt vitam ſpiritualem, quæ formaliter conſiſtit in intellectu & voluntate. Sicut autem vita eſt de eſſentia angeli, ita & intellectus atque voluntas. 2) Intellectus eſt de eſſentia hominis. Ergo multo magis de eſſentia angeli. *Antecedens* patet: quia intellectus, vel ratio, eſt differentia conſtitutiua hominis. *Conſequentia* probatur: quia angeli promtius & perfectius intelligunt, quam homines; quum appetitu ſenſitiuo ab intelligendo non adeo auertantur vt homines. Ex quo *intelligentiæ* & *dæmones* vocantur, propterea quod eorum eſſe in facultate intelligendi conſiſtit. 3) Si intellectus & voluntas non ingreditur eſſentialem conſtitutionem angelorum, per abſolutam Dei potentiam ab iis poteſt ſeparari. At poſterius eſt ἄτοπον. Ergo & prius. *Conſequentia* probatur: quia accidentia propria per diuinam potentiam ſeparabilia ſunt a ſubiectis ſuis. Poſterius eſt abſurditas manifeſta; nam ſi intellectus & voluntas ſeparаretur ab angelis, poſſet dari angelus intellectus expers, vel irrationalis, omnique agendi libertate deſtitutus, atque adeo plane otioſus. 4) Angelus omnium creaturarum proxime accedit ad Deum. Ergo ad perfectionem eius pertinet, immediate, citra potentiam realiter diſtinctam, (licet aliquando cum ſpecie impreſſa) cognoſcere. Et ſane negari non poteſt, actiones morales immediate ab angelo proficiſci; ceteroqui ipſis imputari non poſſent. Cum autem principium actionum moralium debeat eſſe formaliter liberum, ſola vero voluntas ſit libera: ſequitur, voluntatem angelicam eſſe ipſam eſſentiam angelicam.

*Antitheſis* eſt quorundam *Scholaſticorum*, negantium, intellectum & voluntatem eſſe de eſſentia angelorum. Quorum argumenta ſunt:

I. Nulla creatura ſine ſuperadditis accidentibus immediate operari poteſt. Ergo nec angelus. *Antecedens* probatur: quia immediate operari ſolius eſt Dei. Reſp. Neg. antecedens; quia ſubſtantiæ creatæ immediate producunt ſuas naturales proprietates per actionem emanatiuam, v. gr. ignis calorem, aqua humiditatem &c.

Inſtantia: Solus Deus agit per eſſentiam. Ergo ſolus Deus agit ſine ſuperadditis qualitatibus. Reſp. Per eſſentiam agere, vel ſignificat *independenter* agere, vel *propriam* agere *naturam*, ſiue interuentu ſuperadditæ qualitatis. Deus intelligit independenter: Angelorum intellectus a Deo dependet. Dicitur tamen angelus per eſſentiam intelligere, quatenus intellectus non eſt ſuperaddita eſſentiæ angelicæ qualitas, ſed eſſentialem angeli conſtitutionem ingreditur.

II. Si angelus per eſſentiam intelligeret, non indigeret ad cognoſcendum ſpeciebus intelligibilibus: Conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens. Reſp. 1) Angelus ſeipſum cognoſcit

gnoſcit per eſſentiam ſuam eo, quod intellectui ſuo ſatis proportionatus eſt, neque a ſeipſo diſtat: Ergo ad ſui ipſius cognitionem non indiget ſpecie intelligibili. 2) Obiecta externa cognoſcunt quidem angeli per ſpecies intelligibiles, propter diſtantiam; at inde non ſequitur, intellectum realiter ab eſſentia angelica eſſe diſtinctum, cum vel ipſi eſſentiæ angelicæ concreatæ ſint ſpecies intelligibiles, quod volunt nonnulli, vel ab eadem formentur & ab obiectis deſumantur.

III. Angelus non perpetuo intelligit & vult: Ergo non intelligit & vult immediate. *Antecedens* patet, quia intellectus & voluntas angelica impediri poteſt, *Conſequentia* eſt clara; quia operans immediate (v. gr. Deus) perpetuo operatur. Reſp. 1) *Diſt. inter cauſſam efficientem immediatam increatam*, quæ eſt actus puriſſimus: & *creatam*, quæ eſt actus ſecundum quid purus. Illa eſt ſolus Deus, qui agit per eſſentiam longe aliter, quam angelus, qui creatus, & tantum ſecundum quid actus purus eſt. Deus vno ſimplici & æterno intelligendi actu omnia cognoſcit: At angeli neque omnia, neque ſimul cognoſcunt, ſed diſtincte & per diuerſos conceptus, non tamen ſimpliciter apprehendendo, ſed etiam componendo & diſcurrendo. 2) Non abſurdum eſt, angelum ſeipſum ſemper cognoſcere, cum intellectio ſit actio angelorum maxime vitalis, a qua nunquam ceſſare videntur.

IV. Si intellectus & voluntas realiter non differunt ab eſſentia angelica, intellectus angelicus erit voluntas angelica: Conſequens eſt abſurdum: Ergo & antecedens. *Conſequentia* maioris liquet e tritiſſimo axiomate: Quæ non conueniunt in vno tertio, illa inter ſe conueniunt. Reſp. Diſt. *inter ſenſum identicum, & formalem.* Si intellectus & voluntas angelorum conſiderentur in ſenſu *identico*, prout in angelica natura ſunt vnum & idem; propoſitio illa vera eſt: intellectus angeli eſt voluntas angeli. At ſi ſpectentur in ſenſu *formali*, prout in noſtris ſunt conceptibus; propoſitio illa: intellectus angelicus eſt voluntas angelica, eſt falſa; nam intellectus & voluntas angelorum ob diſtinctos, quos exercent actus, diſtinctis conceptibus inadæquatis repræſentantur, & virtualiter differre dicuntur. Conf. D. BECHMANNI *inſtitut. theolog. p. 248.* & D. BAYERI *comp. theol. p. 285.*

Quæſt. V. *Quis creauit angelos?*

*Cauſſa efficiens angelorum.*

Angelos creauit Deus Pater a), Filius Dei b), & Spiritus ſanctus c).

Prob. a. Deus Pater fecit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammam. Hebr. I, 7. Conf. Pſ. CIV, 4.

Prob. b. *Per Filium Dei creata ſunt omnia, quæ in cœlis, & quæ ſuper terra viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates*, Col. I, 16. Inuiſibiles throni, dominationes, principatus & poteſtates ſunt angeli, ob inſignem excellentiam & potentiam, ipſis a creatore collatam, ita denominati.

Prob. c. *Per Spiritum oris Dei cœli facta ſunt, & omnis exercitus eorum.* Pſ. XXXIII, 6. Comprehendi autem ſub omni exercitu cœlorum etiam angelos, diſcimus ex 1 Reg. XXII, 19. *Vide Iehouam ſedentem ſuper throno ſuo, & vniuerſum exercitum cœlorum ſtantem iuxta eum, a dextra eius, & a ſiniſtra eius.* Conf. Nehem. IX, 6.

Quæſt. VI. *Suntne angeli ante fabricationem mundi conditi?*

*Quo tempore ſint conditi?*

Angeli non longe ante fabricationem mundi, ſed intra hexaëmeron creationis a Moſe deſcriptum ſunt conditi.

Prob. I. Quia Moſes principium omnium rerum creatarum ſiſtit. Gen. I, 1.

II. Idem aperte teſtatur, Deum omnem creationem ſex dierum ſpatio abſoluiſſe; & die ſeptimo quieuiſſe Gen. II, 1. 2.

III. Ante hexaëmeron creationis nil fuit, niſi creator Deus, teſte Ioanne: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ioann. I, 1. 2.

IV. Stilo

Digitized by Google

IV. Stilo ſcripturæ omne antemundannm æternum eſt. Pſ. XC, 2. Eſ. XLVIII, 13. Prou. IIX, 22.

V. Angeli operibus hexaëmeri accenſentur, Pſ. CIV, 3. ſqq.

*Antitheſis* eſt quorundam *Patrum*, *Socinianorum*, *Arminianorum*, *Conradi Vorſtii*, *Genebrardi & aliorum*, opinantium, angelos multis ſæculis ante hunc mundum conditum exſtitiſſe. Qui ſuam opinionem ſequentibus firmant argumentis:

I. Moſes, cum deſcribit creationem huius vniuerſi, non meminit angelorum. Ergo angeli cum hoc vniuerſo non ſunt conditi. Reſp. 1) Ex ſacra ſcriptura in hiſtoricis relationibus negatiue argumentari haud licet. Reticuit Moſes in hiſtoria creationis productionem metallorum & mineralium, quæ tamen omnium confeſſione intra ſextiduum creationis producta ſunt. 2) Moſes originem rerum in ſenſus incurrentium luculenter quidem deſcripſit, originem autem angelorum inſinuauit Gen. II, 1. cum inquit: *abſoluti itaque ſunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum.* Ad exercitum cœlorum pertinere angelos, ſupra oſtendimus ex 1 Reg. XII, 19. Nehem. IX, 6.

II. Quicunque, cum fundaretur terra, Deum laudarunt, illi fuerunt ante fundationem terræ: Atqui angeli &c. Iob. XXXVIII, 8. Ergo. Reſp. Neg. *maior.* Nam qui laudarunt Deum in fundatione terræ, cum terra ſimul eſſe potuernnt, licet non ante eam exſtiterint. Diſt. itaque eſt inter *exſiſtentiam antecedaneam*, & *ſimultaneam.*

III. Qui ſemper vident faciem Dei, illi ſunt ab æterno: Atqui angeli &c. Matth. XVIII, 10. Ergo. Reſp. Angeli ſemper vident faciem Dei, poſtquam ſunt creati & in ſtatum glorioſum tranſlati. Illud διὰ παντὸς Matth. VIII, 10. notat durationem, ſine fine perennem, at non initii expertem.

IV. Quibus beata ſpes ante tempora ſæcularia eſt promiſſa, illi ab æterno exſtiterunt: Atqui angelis &c. Ergo. *Minor* patet ex Tit. I, 2. vbi apoſtolus inquit: *quam beatam ſpem promiſit Deus ante tempora ſæcularia.* Non promiſit autem Deus beatam ſpem ab æterno hominibus, quia palam eſt, illos ſexto creationis die conditos eſſe: E. angelis. Reſp. Loco citato apoſtolo ſermo eſt non de angelis, ſed de hominibus electis, v. 1. quibus *promiſſa eſt beatitudo* ſperanda, ante tempora ſæcularia, *ratione decreti diuini*, & reuelata per euangelium diuinitus ſtatuto tempore. At promiſſio diuina, concepta æterno decreto, non requirit creaturas ab æterno exſiſtentes. Homines ante iacta mundi fundamenta ſunt electi, Eph. I, 4. neque tamen ab æterno exſtiterunt.

V. Ex qua ſententia infertur ſubitus angelorum a primordio creationis lapſus, illa non eſt probabilis: Ex ſententia illa, qua ſtatuuntur angeli conditi intra hexaëmeron, infertur &c. Ergo. *Maior* probatur; quia improbabile eſt, creaturas, eximia ſanctitate diuinitus præditas, confeſtim a concreata ſanctitate deſciuiſſe. *Minor* patet; quia angelos ſeductores protoplaſtorum hominum intra ſextiduum, in quo putantur eſſe conditi, defeciſſe colligitur. Reſp. Neg. minor. Neque enim aſſerimus, angelos eſſe lapſos intra creationis hexaëmeron; quoniam Deus intuitus opera hexaëmeri, ea valde bona eſſe, ex vero æſtimauit. Gen. I, 31. Neque valido argumento docere queunt diſſidentes, diabolum diu in veritate ſtetiſſe.

### Quæſt. VII. *Quæ ſunt attributa omnibus angelis communia?*

Attributa, angelis bonis & malis *communia*, alia ſunt affirmatiua, alia negatiua. *Negatiua* ſunt indiuiſibilitas a), inuiſibilitas b), immutabilitas c), immortalitas d), illocalitas e). *Attributa angelorum.*

 Prob.

Digitized by Google

Prob. a. *Indiuiſibiles* ſunt angeli in partes quantitatiuas; eo, quod materiæ ſunt expertes: quantitatis enim & diuiſibilitatis radix eſt materia.

Prob. b. *Inuiſibiles* ſunt angeli, quia ſunt ſpiritus. Sunt *inuiſibiles per naturam*, *viſi ſunt per œconomiam*, ſiue per peculiarem diſpenſationem diuinam. *Inuiſibiles ſunt in ſe & natura ſua, viſi ſunt in aſſumtis corporibus:* quæ adſciuerunt, ſibique vniuerunt, vnione non eſſentiali, aut perſonali, ſed mere accidentali.

Prob. c. *Immutabiles ſunt angeli non abſolute & ſimpliciter, ſed comparate & reſpectiue.* Solus Deus ſimpliciter immutabilis eſt, angeli ſunt immutabiles ſecundum quid; quia non ſubiacent mutationibus phyſicis, quæ corporibus naturalibus ſunt propriæ. Neque enim angeli generant, nec generantur; nec creſcunt, nec minuuntur: nec ſeneſcunt, nec corrumpuntur: nec progrediuntur pedibus (quippe quos non habent) de loco in locum. Neque tamen omni mutatione ſuperiores ſunt; variant enim ſuum *vbi*, lætantur, triſtantur, amant, auerſantur; quæ ſunt mutationes morales.

Prob. d. *Immortales & incorruptibiles ſunt angeli non independenter, originaliter, & per eſſentiam æternam;* nam ſic ſolus Deus eſt immortalis, 1 Tim. VI, 6. ſed ſunt *immortales dependenter, participatiue*, & per Dei creantis atque conſeruantis gratiam. Pari ratione dicuntur *incorruptibiles phyſice ab intra, & ab extra.* Ab *intra* ſunt incorruptibiles: quia non habent internum in ſeipſis mutationis, aut corruptionis principium, quod eſt materia. Neque vllum corpus phyſicum tantæ eſt virtutis, vt ſpiritum, aut angelum ab *extra* corrumpere valeat. At ſi *metaphyſice dicatur corruptibile*, quod in nihilum redigi poteſt a potentia diuina abſoluta, angeli non ſunt incorruptibiles; quia iubente Deo in illud recidere queunt nihilum, e quo emerſerunt. Quo ſenſu D. SCHERZER. *ſyſtem. theol. p. 102.* angelos mauult appellare *annihilabiles*, quam *corruptibiles.*

Prob. e. *Illocales* ſunt angeli; quia non ſunt materiales, neque habent partes extra partes. Localitas enim eſt affectio corporis naturalis, quod occupat certum ſpatium ſibi commenſuratum.

Quæſt. VIII. *Quæ ſunt attributa affirmatiua omnibus angelis communia?*

Attributa *affirmatiua* angelis bonis & malis communia ſunt a) ſcientia, b) voluntatis libertas, c) potentia, d) duratio æuiterna, e) vbietas definitiua, f) agilitas.

Prob. a. Cum angeli boni haud tantum, ſed & mali intellectu polleant, multarum rerum ſcientia illis non eſt deneganda. At quæ, & qualis ſit bonorum & malorum angelorum cognitio, ex vtrorumque ſtatu originali, & hunc inſecuto vel gloriæ, vel miſeriæa certius & liquidius innoteſcit.

Prob. b. Intellectum voluntas, voluntatem libertas comitatur. *Libera* autem eſt *voluntas* angelica, tum ratione actuum *immanentium*, volitionis aut nolitionis huius vel illius obiecti, tum ratione diuerſorum effectuum *externorum*, dum modo hoc, modo aliud facit libere.

Prob. c. *Potentia angelorum magna, ſed finita eſt. Magna* eſt; dicuntur quippe fortes robore, Pſ. CIII, 20. fortes armati, Luc. XI, 21. Poſſunt enim a) corpora mouere de loco in locum transferendo, Matth. IV, 5. 8. Act. VIII, 39. b) Corpora proſternere, 2 Reg. XIX, 35. c) Corpora aſſumere, eaque non quidem eſſentialiter aut perſonaliter, ſed accidentaliter ſibi vnire, iisque aſſiſtere, vti aſſiſtit gubernator naui, d) loqui cum Deo, angelis & hominibus. Cum Deo loquuntur, cogitationes ſuas ad Deum dirigendo, dum ipſum adorant

Digitized by Google

rant & laudant: cum angelis loquuntur, dum ſpecies intelligibiles ſibi libere imprimunt: cum hominibus loquuntur, voce ſenſibili & diſtincta, ad vocis humanæ imitationem efformata in aëre. *Finita*, non autem infinita eſt potentia angelica; infinita enim potentia cum creatori ſit propria, creaturæ meræ eſt incommunicabilis. Inde fit, *vt angeli nequeant*, (a) *creare;* cum creatio ſit opus infinitæ virtutis, qua carent angeli: (b) *generare.* Nam ſi angelus generat, generat vel vt ſpiritus, vel vt corpore veſtitus. Non vt ſpiritus: quia generatio eſt actus vegetatiuus, i. e. principium vegetatiuum, quale non eſt angelus, ſupponens: Non vt corpore veſtitus; nam corpus aſſumtum vel eſt viuum, vel mortuum. Si viuum eſt, generatio non prouenit ab angelo, ſed a corpore, anima viuente prædito: Si eſt expers vitæ, non eſt principium actionis vitalis. Ergo angeli non poſſunt generare. Dicis: Dantur campſores (Wechſelbälge) qui adeo monſtroſi ſunt, vt nullum alium niſi diabolum, patrem habeant. Reſp. Partus monſtroſi ſunt a natura in generando aberrante, vel deficiente. Quidam campſores non ſunt veri homines, ſed ſpectra diabolica. Quidam campſores geniti ſunt ab hominibus obſeſſis, vel correptitiis, quorum phantaſiam diabolus turbauit, vt deficerent in generando, quorum fœtus loco legitimorum liberorum diabolus poteſt ſubſtituere. Nec poſſunt angeli (c) *ſubſtantias immutare.* Naturæ quippe curſum nemo conuertere poteſt, niſi naturæ auctor Deus. Idcirco immutatio creaturarum glorioſiſſimæ potentiæ diuinæ habetur κϱιτήϱιον, ſeu certiſſimum indicium, Jo. II, 9. Fruſtra obiiciunt nonnulli: 1) quod magi Aegyptiaci ope diaboli mutauerint baculos in ſerpentes; 2) quod experientia teſtetur, dari λυκανθϱώπȣς, i. e. homines, qui in lupos per diabolum ſint conuerſi. Reſp. ad 1. Baculi magorum Aegyptiacorum ſunt mutati in ſerpentes non vere aut realiter, ſed apparenter, per præſtigias cacodæmonis, qui glaucoma aſpectantium oculis offudit, ſerpentesque celerrime e lacubus vicinis in medium proiecit. Ad 2. qui videntur eſſe λυκάνθϱωποι, reuera ſunt homines. (d) *Vera miracula facere. Miracula enim ſunt effectus rari & inſoliti, præter ordinem totius naturæ creatæ, a Deo producti.* Hinc ſolus Jehouah miracula facere dicitur. Pſ. LXXII, 18. Facere tamen poſſunt angeli *mirabilia* quædam, oculos præſtringendo, & medium turbando, vel actiua paſſiuis celerrime applicando; quæ celeritas animos ſpectantium in admirationem rapit. (e) *Morbos omnes depellere.* Sunt enim morbi diuinitus immiſſi vel τιμωϱίαι, pœnæ peccatorum, vel παιδείαι, paternæ caſtigationes, Amoſ. III, 6. quas nulla creatura, nullus angelus auertere poteſt. At quos morbos diabolus infligit, hos amoliri valet; quamuis nullum ab eo expetendum ſit auxilium. Sanat quippe cacodæmon corpus, vt perdat animam. (f) *Mortuos reſuſcitare;* his enim reddere vitam nemo, niſi arbiter vitæ, poteſt. Agnouit id Abraham, qui credidit Deo, viuificanti mortuos, Rom. IV, 17. Dicis: Diabolus prophetam Samulem ex mortuis excitauit, 1 Sam. XXVIII, 7. Reſp. Diſt. inter *Samuelem verum, & perſonatum, ſeu laruatum.* Qui per præſtigias diaboli ſub habitu Samuelis Sauli repræſentabatur, non erat verus Samuel, ſed externam tantum ſpeciem Samuelis induerat, re autem vera ſpectrum diabolicum erat.

Prob. d. *Duratio* angelorum habet quidem initium, ſed *caret fine*, ideoque communiter vocatur *æuum;* hoc enim agnoſcit initium, ſed neſcit finem. Recte autem angelis æuum adſcribi, liquet ex eo, quod angeli nullum ab intra principium corruptionis habent, adeoque naturaliter deſtrui nequeunt, ſed ſuam viuendi durationem ſine periculo corruptionis ſemper continuant.

Prob. e. Sunt angeli in *vbi definitiuo;* quoniam pro lubitu certum ſibi definiunt ſpatium, in quo toto ſunt toti, & toti in qualibet ſpatii parte; propterea quod eſſentia illorum eſt indiuiſibilis. Obſ. Deus dicitur eſſe *in vbi repletiuo;* quoniam omnia in omnibus implet. Corpora phyſica ſunt *in vbi circumſcriptiuo, ſeu occupatiuo;* ideo, quod commenſuratum ſibi ſpa-

Digitized by Google

ſpatium occupant, & ab ambiente aëre circumſcribuntur. At angeli non ſunt in *vbi repletivo;* quia non ſunt vbique, ſicut Deus: neque in *vbi occupatiuo;* quoniam iuxta indolem ſpiritualis ſuæ naturæ commenſuratum non occupant ſpatium. Menſura enim ſequitur quantitatem, cuius expers eſt angelus.

Prob. f. *Mira eſt angelorum agilitas & velocitas*, vt ſine motu locali, qualis eſt corporum, atque adeo ſine ſucceſſione partium, quas non habent, *vbi* ſuum celerrime variare queant. Neque tamen omnis motus angelis denegandus videtur, cum modo hic, modo alibi adſint. Et quamuis angelorum motus ſit rapidiſſimus, non tamen eſt inſtantaneus, propterea, quod ſpatium, in quo mouentur, extenſum atque continuum eſt, quod nulla creatura in inſtanti tranſire poteſt.

Quæſt. IX. *Quantus eſt numerus angelorum?*

*Numerus angelorum.* Numerus angelorum eſt quidem admodum magnus, ſed nobis hominibus innumerabilis.

Prob. Ingentem tam bonorum, quam malorum angelorum eſſe numerum, docent ſacræ litteræ. Etenim dicuntur mille millia miniſtrare Deo, & myrias myriadum coram eo ſtare, Dan. VII, 10. Quin & Chriſtus ipſe aſſerit, ſibi roganti facile plures, quam duodecim legiones angelorum a patre miſſum iri. Impurorum autem ſpirituum integra legio vnum incoluiſſe hominem dicitur, Marc. V, 8. Legio apud Romanos communiter ſex millium militum multitudo erat.

Quæſt. X. *Quotuplex eſt angelorum ſtatus?*

*Angelorum duplex ſtatus.* Status angelorum eſt vel originalis, vel originalem ſecutus. Status *originalis* eſt ſtatus gratiæ, quem in prima creatione per gratiam creatoris O. M. omnes angeli ſunt nacti, & in eodem æqualiter ſapientes ſanctique conditi, atque in via ad æternam beatitudinem collocati ſunt a). Status, *originalem ſecutus*, eſt vel *gloriæ*, vel *miſeriæ*. Status *gloriæ* eſt, in quo angeli, qui in concreta ſapientia & ſanctitate perſtiterunt, admiſſi ad clarum intuitum Dei, huius exuberantiſſima bonitate perpetuo fruuntur b). Satus *miſeriæ* eſt conditio triſtiſſima illorum angelorum, qui ſponte ſua a Deo defecerunt c).

Obſ. In ſtatu *gratiæ* angeli fuerunt viatores. Vid. GERHARDI *diſput. iſagog. p. 557.* In ſtatu *gloriæ* ſunt boni, in ſtatu *miſeriæ* mali.

Prob. a. 1) Omnia, quæ Deus fecit, fuerunt initio valde bona, Gen. I, 31. E. & angeli. Dicis: Intelligitur loco citato bonitas naturalis, qualis eſt corporum ſimplicium & mixtorum. Reſp. Intelligitur bonitas, cuique naturæ rerum creatarum attemperata: at agentibus liberis, e quorum cenſu ſunt angeli, attemperata & conueniens bonitas eſt moralis; hac enim deficiente ſunt mali. 2) Diabolus in veritate non ſtetit, Jo. VIII, 44. E. ante lapſum vera ſapientia & iuſtitia fuit inſtructus. Ratio conſequentiæ eſt; quia priuatio præſupponit habitum: nec poteſt recte quispiam dici non perſiſtere in re, niſi præſupponatur conceſſio rei, in qua perſeuerare debuit.

Prob. b. Angeli boni διὰ παντὸς, *ſemper vident faciem Dei*, Matth. XVIII, 10. Qui ad ſempiternum Dei intuitum ſunt admiſſi, non poſſunt non bonitate Dei perpetuo frui & pleniſſime ſatiari; ſiquidem *coram facie Dei eſt ſatietas gaudiorum, & amœnitates ad dextram eius.* Pſ. XVI, 11.

Prob.

Digitized by Google

Prob. c. Triſtiſſimam eſſe conditionem angelorum lapſorum, docet S. Petrus 2 Epiſt. c. II, 4. *Deus angelis, qui peccarunt, non pepercit, ſed catenis tenebrarum detrudens tradidit in iudicium aſſeruatos.*

*Antitheſis* fuit olim (1) *Manichæorum*, qui ſtatuerunt, non omnes angelos in prima creatione bonos, ſed quosdam malos eſſe conditos; (2) quorundam *Pontificiorum*, negantium, angelos fuiſſe creatos in iuſtitia & ſanctitate, ſed in ſtatu purorum naturalium, i. e. nec iuſtos, nec iniuſtos. Quorum argumenta ſunt:

I. Quicunque ſtatim ab initio fuit homicida, is non eſt bonus creatus. Atqui diabolus &c. E. *Minor* prob. ex Jo. VIII, 44. Reſp. Loc. cit. non intelligitur primordium creationis, ſed defectionis, vt ſenſus ſit: Simulatque diabolus a regula recti deſciuit, hominum mortem intendit. Illexit magno promiſſorum hiatu homines protoplaſtos in peccatum, quod mors ſecuta eſt. Qua de cauſſa inquit auctor Sapientiæ cap. II, 24. *Inuidia diaboli mors in mundum intrauit.*

Inſtantia: Diabolus ab initio peccaſſe dicitur, 1 Jo. III, 8. Ergo ab initio creationis. Reſp. (1) Docet Joannes, diabolum eſſe auctorem peccati. (2) Non dicit Joannes: Diabolus ab initio peccauit, ſed ab initio peccat, q. d. Ex quo primum diabolus peccauit, peccare non deſiit: Eſt ipſi proprium & perpetuum, male agere.

II. Si omnia bona a Deo creata ſunt, Deus non erit creator diaboli; nam hic omnis bonitatis hoſtis eſt: At Deus eſt creator diaboli: E. Reſp. Diabolus conſideratur vel vt *creatura*, vel vt *diabolus*, calumniator ſummi boni. Conditus eſt a Deo, vt creatura, non vt calumniator.

Quæſt. XI. *Quibus dotibus & viribus Deus angelos in ſtatu gratiæ inſtruxit?*

Angeli in ſtatu gratiæ a Deo eximia ſapientia & ſanctitate perfecta exornati erant.

Prob. (1) Quia angeli omnes creati ſunt ad æternam beatitudinem; æquales enim conditione & eadem natura creati ſunt. Nonnullos, extra intuitum lapſus, creatos eſſe ad æternam damnationem, iuſtitiæ diuinæ repugnat. Omnes ergo ad æternam beatitudinem conditos eſſe oportet. Quapropter etiam ſufficientibus viribus & gratia neceſſaria inſtructi fuerunt, qua finem, ad quem conditi ſunt, conſequi potuerunt. Gratia illa importabat (1) ex parte intellectus *lucem quandam habitualem intellectus, ſeu concreatam ſcientiam,* ad cognoſcendum Deum, eiusque voluntatem, (2) *ſanctitatem habitualem voluntatis*, qua poterant angeli in ſtatu viæ actiones omnes æternæ Dei legi conformiter inſtituere & perficere.

(2) Diabolus non ſtetit in veritate, Jo. VIII, 44. h. e. concreatam intellectus ſapientiam, & ſanctitatem voluntatis veram non retinuit, qua velut imagine diuina angeli in prima creatione ornati fuerunt. Confer. D. DANNHAV. *hodoſ. phænom. III. p. 284.*

Dicis: Si angeli in ſapientia eximia & iuſtitia perfecta primitus conditi fuerunt, a Deo deſciſcere nequiuerunt. Reſp. *Concreata erat angelis iuſtitia perfecta, ſed non immutabilis aut inamiſſibilis.* Neque enim voluntas angelorum in ſtatu gratiæ determinata erat ad perpetuo amandum & eligendum bonum, ſed conceſſerat Deus angelis libertatem arbitrii cum concreata propenſione ad bonum, vt non proxima, ſed remotiſſima in ipſis eſſet potentia ad peccandum, conſiſtens in negatione impoſſibilitatis ad peccandum, & inamiſſibilitatis donorum concreatorum. At angeli libertate arbitrii abuſi ſponte ſua a Deo ſummo bono deſciuerunt.



Digitized by Google

# DE ANGELIS BONIS.

Quæſt. XII. *Quinam ſunt angeli boni?*

*Definitio angelorum bonorum,* Angeli *boni* ſunt, qui in concreata vera ſapientia & ſanctitate perſtiterunt, & a Deo lumine gloriæ illuſtrati, atque adeo in bono confirmati ſunt, vt a periculo peccandi immunes Deum clare intueantur, eiusque bonitate perpetuo fruantur.

Obſ. I. Angeli boni tum in bono confirmati ſunt, quando *lumen gloriæ ipſis* a Deo infuſum eſt, vt confirmatio eorum in bono, quoad rem, nihil aliud ſit, quam infuſio luminis gloriæ, quo Deum intuitiue cognoſcunt.

Obſ. II. In ſtatu viæ angeli poterant non peccare, i. e. non erat in ipſis potentia proxima, aut propenſio ad peccandum, erat tamen in illis potentia remota ad delinquendum: in ſtatu gloriæ angeli non poſſunt peccare, i. e. in ipſis nec proxima, nec remota ad delinquendum eſt potentia, ſed ἀναμαρτησία, ſeu impeccabilitas eorumdem eſt immutabilis, ſanctitasque inamiſſibilis.

Prob. 1) *Ex electione angelorum.* Angeli boni dicuntur *electi*, 1 Tim. V, 21. quia æterno Dei decreto ad beatitudinem ſine fine perennem deſtinati ſunt. Præuidit enim Deus quorundam angelorum *perſeuerantem obedientiam, non quidem vt cauſſam meritoriam;* ſiquidem obedientia angelorum debita & temporaria vim meriti apud Deum, aut vim impellendi voluntatem eius ad decernendum aut dandum beatitudinis æternæ bonum non habet; *ſed vt conditionem quandam decreto ſuo annexam*, quam beneuole reſpexit, & præmium confirmationis liberaliſſima motus bonitate angelis indulſit. Non electi quidem ſunt a Deo, vt homines peccatores, ob meritum Chriſti perſeuerante fide apprehenſum, electi dicuntur: Segregati tamen ſunt ab angelis lapſis, & ad æternam gloriam tranſlati.

2) *Ex viſione Dei beatifica*, ad quam angeli boni ſunt admiſſi; quia διὰ παντὸς ſemper vident faciem Dei, Matth. XVIII, 10. At qui Deum ſummum bonum clare intuetur, non poteſt non perpetuo ipſius amore flagrare, cum nihil niſi bonum & amabile in eo cernatur: qui autem perpetuo Deum amat, non poteſt peccare.

3) *E ſanctitate angelorum exemplari.* Sanctitatem angelicam noſtræ ſanctitatis eſſe normam & exemplar, docet Chriſtus Matth. VI, 10. E. quam voluntatem Dei nos facere conſtanter debemus ad imitationem angelorum, illam angeli indeſinenter exſequuntur. Qua de cauſſa Deum ſine fine celebrare, Eſ. VI, 3. perpetuo ipſi miniſtrare, Dan. VII, 10. nec aliis, niſi ſanctis actionibus vacare, Pſ. CIII, 20. dicuntur.

4) *Ex æterna beatitate hominum*, qui in vita æterna dicuntur futuri ἰσάγγελοι, Luc. XX, 36. At hominum beatorum ſanctitas erit inamiſſibilis: Ergo & angelorum.

*Antitheſis* eſt 1) *Arminianorum*, negantium, confirmationem bonorum angelorum ſolido argumento probari poſſe; 2) *Iudæorum*, ſtatuentium, ſæpius accidiſſe, vt ex angelis bonis fiant mali. Quorum argumenta ſunt:

I. Jobus inquit: Ecce in ſeruis ſuis non fidit, & in angelis ſuis ponet ſtultitiam. Job. IV, 19. & XV, 15. Ecce in ſanctis ſuis non fidit, & cœli non ſunt puri in oculis eius. Reſp. Verba Iobi intelligenda ſunt comparate, quod ſanctitas angelorum, cum diuina comparata, multis gradibus imperfectior ſit. Illa eſt independens & originalis, quippe quam Deus habet ex ſe ab æterno: hæc eſt dependens & participata, vtpote quam angeli habent ex gratia, nullis me-

ritis

Digitized by Google

ritis prouocata: quæ imperfectio angelorum comparatiua coram puriſſimis Dei oculis quædam impuritas eſt.

II. Omne præmium eſt reiicibile: donum confirmationis eſt præmium: Ergo. Reſp. Omne præmium in ſtatu viæ eſt reiicibile; at præmia collata in ſtatu gloriæ ſunt æterna & irreiicibilia.

III. Si angeli electi ita confirmati ſunt in bono, vt peccare nequeant, non habebunt perfectam libertatem arbitrii: Poſterius eſt abſurdum: E. & prius. Reſp. Libertas arbitrii ad bonum & malum non infert perfectionem ſimpliciter talem. Nam perfectiſſima libertas eſt, non poſſe peccare, qua perfectione in gradu ſummo eminet Deus in agendo liberrimus.

Quæſt. XIII. *Eſtne gloria angelorum in bono confirmatorum abſoluto diuino decreto, aut merito angelorum proprio accepta referenda?*

Gloria angelorum, in bono confirmatorum, neque abſoluto diuino decreto a), neque merito Chriſti b), neque merito angelico c), ſed liberaliſſimæ bonitati Dei, perſeuerantem angelorum obedientiam vltra condignum remunerantis, tribuenda eſt.

Prob. a. Decretum Dei abſolutum omnem præuiſam conditionem in ſubiecto eligendo implendam excludit: At decretum Dei eligentis angelos non omnem conditionem in ipſis implendam excludit: Ergo. *Minor* prob. 1) *Ex harmonia decreti & exſecutionis.* Sicut enim Deus in tempore beatitudinem non niſi illis contulit angelis, qui in bono perſeuerarunt: ita decretum æternum de angelis aliquando ſaluandis nitebatur præuiſione illius conditionis in tempore implendæ. 2) *Ex oppoſito.* Sicut diaboli non ex abſoluto Dei decreto reprobati ſunt, ſed quia non ſteterunt in veritate, Jo. VIII, 44: Ita angeli boni ad gloriam electi & euecti ſunt, quia ſteterunt in veritate & principatum ſuum non deſeruerunt, Jud. V, 6. 2 Petr. II, 4.

Prob. b. 1) Chriſtus dicitur *mediator Dei & hominum*, 1 Tim. II, 5. non angelorum; quorum naturam nunquam intra hypoſtaſin ſuam aſſumſit, Hebr. II, 16. Requiritur autem ad mediatorem vnio naturæ vtriusque, cui tanquam mediator intercedere debet. Quare cum non ex angelica, ſed ex humana & diuina natura conſtet Chriſtus, non angelorum, ſed hominum & Dei tantum mediator eſt. 2) *Venit Filius hominis ſaluare, quod perierat*, Matth. XVIII, 11. Sed angeli nunquam perierant, i. e. nunquam in ſtatu corruptionis fuerant. Non venit igitur Chriſtus ad ſaluandum angelos.

Prob. c. Quia *meritum eſt præſtatio operis indebiti, in alterius commodum directi, ad obtinendam mercedem operi proportionatam.* At vero quidquid boni operis angeli viatores expediuerunt, id fuit omnino *debitum*; eo, quod ad illud præſtandum iure creationis, conſeruationis & gubernationis fuerunt obligati: *neque ceſſit in commodum creatoris*; quippe qui beatiſſimus nullo commodo augeri poteſt: *neque* datur *proportio* vlla inter *obſequium* angelicum *temporale*, & *æternam gloriam*, qua angeli ſunt coronati.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, quorum quidam coronam angelicæ confirmationis *merito Chriſti*, quidam *merito angelico* acceptam referunt. Qui ſuam opinionem ſequentibus muniunt argumentis:

I. Quicunque dicuntur electi, illi ob meritum Chriſti ad gloriam ſuam ſunt euecti: Quidam angeli dicuntur electi, 1 Tim. V, 21: Ergo. *Maior* liquet ex pari hominum exemplo, qui electi dicuntur in Chriſto, Eph. I, 4. Reſp. Neg. maior. Ad probationem dicimus, quod



Digitized by Google

exemplum hominum & angelorum plane diſpar ſit. Nam homines electi ſunt ex perditione, Matth. XVIII, 11. Fuerunt ægroti, miſeri, indigi medicinæ, ſcil. ſanguinis Chriſti: ideoque illorum cauſſa ſaluator in mundum venit. Matth. IX, 12. At vero angeli boni nunquam fuerunt in ſtatu perditionis, miſeriæ aut ægritudinis; ſed dicuntur electi, quoniam ex gratia creatoris laudabilem eorum in veritate conſtantiam vltra condignum remunerantis ab angelis lapſis ſunt ſegregati, Deo peculiariter dilecti, in bono confirmati, & ad gloriam cœleſtem translati.

II. Chriſtus dicitur *caput angelorum*, Eph. I, 22. E. angeli a Chriſto tanquam mediatore ſunt redemti, & in illo electi. R. Chriſtus dicitur angelorum caput, non ob internum gratiæ mediatoriæ influxum in angelos velut membra, ſed ob excellentiam, poteſtatem, directionem & dominium externum, quod Chriſto in angelos competit.

III. Deus propoſuit inſtaurare (ad vnum caput reducere, interprete CHRYSOSTOMO, omnia in Chriſto, quæ ſunt in cœlo & in terra, Eph. I, 10. Col. I, 20. Reſp. Per ἀνακεφαλαίωσιν illam non reconciliati ſunt angeli Deo, vtpote quem nunquam offenderant; ſed redintegrata eſt concordia inter angelos & homines; hos enim velut inimicos deſeruerant angeli, ipſorum inobedientia in creatorem exacerbati: at hominibus per Chriſtum cum Deo reconciliatis angeli, velut amici, ſe aſſociarunt.

Inſtantia: Redundauit igitur fructus quidam in angelos ex merito Chriſti. Reſp. Ex inſtauratione concordiæ angelicæ & humanæ nihil commodi, nihil perfectionis in angelos redit, ceteroqui toties proficerent in melius, quoties peccator in viam redit.

IV. Angeli electi ſunt aut abſoluto Dei decreto, aut ob præuiſa operum merita: At non electi ſunt abſoluto Dei decreto. Ergo. Reſp. Datur tertium: Angeli electi ſunt neque abſoluto Dei decreto, neque ob merita operum, ſed intuitu perſeuerantis obedientiæ; quæ quidem ad meriti dignitatem aut valorem non aſſurgit; attamen conditio fuit in angelis eligendis implenda. Illa in veritate conſtantia fuit *via* regni, non *cauſſa* regnandi. Ergo electi ſunt angeli *decreto reſpectiuo*.

## Quæſt. XIV. *An attributa angelorum beneficio confirmationis reddita ſunt eminentiora?*

Nacti ſunt angeli beneficio confirmationis ſcientiam excellentiorem a), ſanctitatem perfectiorem b), libertatem præſtantiorem c), potentiam maiorem d), concordiam arctiorem e).

Prob. a. *Eminent angeli boni ſcientia excellentiſſima, & quidem* 1) *naturali*, quæ per creationem angelico intellectui eſt inſita. Hanc non amiſerunt, quia in veritate perſtiterunt. Jo. VIII, 44. 2) *Experimentali*, hauſta ex multorum annorum obſeruatione. *Innoteſcit principatibus & poteſtatibus in ſupracœleſtibus per eccleſiam multiuaria ſapientia Dei*, Epheſ. III, 10. 3) *Reuelata*, quam conſequuntur tum ex ordinaria verbi diuini reuelatione, tum ex reuelatione peculiari & extraordinaria, 1 Petr. I, 12. 4) *Intuitiua*, quoniam ſemper vident faciem Dei, Matth. XVIII, 10. *Videre faciem Dei* non præciſe notat exſpectationem mandati diuini, vt perperam exponit *Arminius* (quamuis eandem connotet), ſed beatificam Dei viſionem. Quam ob rem cognoſcunt angeli boni a) *Deum intuitiue & immediate*. Nam *lumen gloriæ*, quo diuinitus perfunduntur, eſſentiam diuinam angelis intime præſentem exhibet, intellectum ipſorum ſplendidiſſime illuminat, & ad Deum clare videndum eleuat. Ex quo angeli boni vocantur *angeli lucis*, 2 Cor. XI, 14. b) *Seipſos cognoſcunt angeli etiam intuitiue, ſine ſpecie intelligibili*. Angelus quippe ab intellectu ſuo non diſtat, vt ſpecie intelligibili indi-



Digitized by Google

digeat, ſed potius intellectus angelicus eſſentialem conſtitutionem angelorum ingreditur. c) *Cognoſcunt angeli alios angelos & res materiales abſtractiue, ſeu per ſpecies intelligibiles, tanquam imagines.* Nam quamuis angelus cognoſcens cum alio angelo proportionem habeat, ratione ſpiritualis naturæ; non tamen angelus, qui cognoſcitur, angeli cognoſcentis intellectui ſatis præſens eſt, vt eſſentiam eius immediate intueri queat. Opus igitur eſt angelis ſpeciebus intelligibilibus, alios repræſentantibus. *De rebus materialibus* id facilius probatur, quoniam illæ neque proportionem habent cum intellectu angelico, neque eidem ſatis præſentes, ſiue intime coniunctæ ſunt; quas vtique cognoſcunt per ſpecies intelligibiles, quæ, multorum auctorum ſententia, illis ſunt concreatæ, ſiue in prima productione a Deo ipſis impreſſæ. Quam ob rem, cum angeli res creatas non immediate & intuitiue, ſed abſtractiue per ſpecies intelligibiles cognoſcant; colligimus, angelicam cognitionem non fieri tantum *per apprehenſionem ſimplicem, ſed & per compoſitionem, iuxta atque diſcurſum demonſtratiuum aut probabilem tum a priori, tum a poſteriori.* Ceterum quamuis angeli ſint *multiſcii*, non tamen ſunt *omniſcii*, quia eorum ſcientia non eſt infinita. Neque enim cognoſcunt 1) *citra reuelationem diuinam futura contingentia, notitia certa & infallibili.* Ratio eſt in promtu; quia nullus intellectus creatus, ſeu finitus, poteſt aliquod futurum cognoſcere, niſi ex eiusdem cauſſis. At vero ex cauſſis libere agentibus non poteſt inferri, effectum neceſſario eſſe futurum, cum eiusmodi cauſſæ eo ipſo, quod libere agunt, poſſint effectum producere, & non producere. Exinde fit, vt ſolus Deus charactere ſcientiæ futurorum contingentium ſeipſum deſignet, Eſ. XLI, 12. *Coniecturalis tamen notitia futurorum contingentium*, e quibusdam exterioribus ſignis ſubnaſcens, angelis non eſt deneganda. Quod ſi enim vir prudens auguratur futura: quidni angeli, quorum tota vita eſt intellectualis? 2) *Angeli non cognoſcunt certo & infallibiliter ſecretas cordium humanorum cogitationes.* Nam καρδιογνωσία, ſiue ſcrutinium cordium, eſt axioma ſolius Dei omniſcii. *Tu Iehouah ſolus noſti cor filiorum hominis*, inquit rex Salomo, 1 Reg. VIII, 39. Faciles largimur interim, quod ex ſignis exterioribus angeli ſibi comparare queant probabilem cogitationum humanarum notitiam.

Dicis: I. Angeli ſemper vident faciem Dei: Matth. XVIII, 10. Ergo vident omnia, quæ ſunt in Deo, conſequenter etiam omnia obiecta intellectus & voluntatis diuinæ; adeoque omnia vident, quæ Deus ſcit & vult. Reſp. Angeli vident omnia, quæ ſunt *formaliter in* Deo; ſed non cognoſcunt omnia, quæ ſunt *a* Deo *virtualiter*, ſeu quæ a Deo libere effici queunt; ceteroqui *non intuitiue*, ſed *comprehenſiue* Deum cognoſcerent.

Dicis: II. Quicunque ſpiritus intelligentes poſſunt ſe proxime præſentes ſiſtere animæ humanæ, illi poſſunt cogitationes humanas perſpicere: Atqui angeli &c. Ergo. *Maior* probatur; quia, vbi eſt ſpiritus intelligens, obiectum proportionatum, & propinqua præſentia, ibi eſt intellectio. *Minor* patet: quia angeli poſſunt ingredi corpus humanum; neque enim craſſities corporis obſtat ſpiritui: atque adeo animæ humanæ ſe præſentes ſiſtere, eiusque cogitationes perſpicere. Reſp. Illa approximatio ad animam non infert cognitionem cogitationum humanarum, eo, quod hæ ſunt liberæ, non neceſſariæ. Beati in cœlo Deo proxime adſtant, neque tamen libera eius decreta cognoſcunt: Ita licet angeli proxime adſint animæ, liberos tamen eius conceptus non penetrant.

Prob. b. In *ſtatu gratiæ* angeli erant *extra potentiam* ſaltem *remotam* peccandi poſiti: At in *ſtatu gloriæ* angelorum ſanctitas adeo ſtabilis & radicata eſt, vt vel *remotiſſimam ad peccandum potentiam excludat.* Viſio quippe beatifica impeccabilitatem introducit, Matth. XVIII, 10.

Prob. c. Competit angelis beatis 1) *libertas a coactione.* Neque enim coacte, ſed libere colunt Deum. 2) *Libertas a neceſſitate interna;* quia voluntas eorum libera atque indifferens

 eſt

Digitized by Google

eſt in ordine ad bona creata, ita, vt quodlibet eorum, quod vult, poſſit etiam non velle (quæ dicitur libertas *contradictionis*, ſeu exercitii), vel pro vno velle alterum (quæ eſt libertas *contrarietatis*, ſeu ſpecificationis), niſi vnum illud propter mandatum Dei ſit neceſſario expetendum. Ad mandatum & nutum Dei angeli boni perpetuo ſunt intenti. (3) *Libertas a miſeria*, miſeriæque radice, peccato, quin & peccandi potentia remotiſſima. Quæ ſane libertas præſtantiſſima eſt: Hac enim angeli boni accedunt quadantenus ad ſimilitudinem Dei, qui in agendo liberrimus a regula rectitudinis deflectere nequit.

Prob. d. *Potentiam* angeli boni per *creationem* adepti ſunt *magnam*, *maiorem* per *glorificationem*. Specimen ſtupendæ potentiæ edidit angelus ille bonus, qui in exercitu Aſſyriaco percuſſit 185. militum millia, 2 Reg. XIX, 25. Neque vllum eſt dubium, quin angeli boni malos ſuperent viribus; ſiquidem hominibus fidelibus aduerſus cacodæmones præſto ſunt, Pſ. XXXIV, 8. Apoc. XII, 7. Eſt tamen potentia angelorum *finita*, non infinita; vtpote quos penes haud eſt, hominem peccatorem conuertere, regenerare, iuſtificare, ex mortuis in vitam reuocare, æternum beare.

Prob. e. In *ſtatu viæ* eo temporis puncto, quo angelorum contingebat lapſus, vniuerſus angelorum chorus in diuerſa ſtudia ſcindebatur: alii retinebant originem ſuam, alii domicilium proprium deſerebant. At vero angeli in *ſtatu beatitudinis* ſibi nequeunt aduerſari. Neque enim plena ibi viget beatitas, vbi diſcordia gliſcit, & aduerſitas.

Quæſt. XV. *Quibus operibus & officiis angeli boni perfunguntur?*

*Officia angelorum bonorum.* Angeli beati opera & officia ſua expediunt coram Deo *conſiſtendo* a), hominibus piis *aſſiſtendo* b), atque diabolis & hominibus malis *reſiſtendo* c).

Prob. a. *Conſiſtunt* angeli beati *coram Deo*, vt 1) ψαλμωδίᾳ lætiſſima laudes Jehouæ decantent, Pſ. CXLVIII, 2. Eſ. VI, 2. 2) λατρείᾳ humillima Deum venerentur & adorent, Pſ. XCVII, 7. Hebr. I, 7. 3) λειτουργίᾳ promtiſſima voluntatem Dei exſequantur. Pſ. CIII, 20. Dan. VII, 10.

Prob. b. *Aſſiſtunt* angeli boni piis hominibus, partim *ſingulis*, partim *in ſocietate*, *ſiue hierarchia* quadam conſtitutis. *Singulis* hominibus adſunt in vitæ *ingreſſu*, *progreſſu* & *egreſſu*. In *vitæ ingreſſu* infantum rationibus proſpiciunt, Matth. XVIII, 10. In *vitæ progreſſu* adultiores cuſtodiunt, Pſ. XXXIV, 8. XCI, 11. 12. In *vitæ egreſſu* animas morientium comitantur, Luc. XVI, 22.

Prob. c. *Statui eccleſiaſtico* aſſiſtunt, miniſterium verbi diuini promouendo. Nam affuerunt, velut miniſtri, promulgationi legis Moſaicæ, Deut. XXXIII, 2. Gal. III, 19. aduentum Chriſti in carnem annuntiarunt, Luc. I, 26. c. II, 9. idololatriam, quando ſerpat in eccleſiam, profligant, Jud. ep. v. 9. cœtibus ſacris hodienum interſunt, 1 Cor. XI, 10. 1 Tim. V, 21. *Statui politico* ferunt ſuppetitas, pro religione & iuſtitia vigilando, Dan. X, 13. & magiſtratum defendendo, Dan. VI, 22. *Statui œconomico præſto ſunt*, coniugia piorum promouendo, Gen. XXIV, 7. rem familiarem cuſtodiendo, Job. I, 10. liberos a periculis vindicando, Matth. XVIII, 10.

Quæſt. XVI. *An cuiuis homini peculiaris angelus cuſtos aſſignatus eſt?*

Vnicuique homini peculiarem angelum tutelarem, qui eum ordinarie vbiuis locorum & quocunque tempore comitetur, a Deo eſſe aſſignatum, pro certo affirmare haud licet.



Digitized by Google

Prob. 1) Quia teſte ſcriptura S. pluribus angelis vnius hominis fidelis cuſtodia commendata eſt. Mandauit ſuis angelis de te, Pſ. XCI, 11. 2) Plures angelos comitatu ſuo vnum ſtipaſſe hominem, docent exempla Iacobi, Gen. XXXII, 2. Eliſæi, 2 Reg. VI, 10. Ioſuæ, Zach. III, 7, Lazari, Luc. XVI, 22. 3) Plures angeli de vnius peccatoris pœnitentia gaudent, Luc. XV, 20.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, aſſerentium, vnicuique homini peculiarem angelum tutelarem diuinitus eſſe deputatum (*), qui ſuam opinionem munire nituntur ſequentibus argumentis:

I. Iacobus vnius angeli mentionem iniicit, cuius ope redemtus ſit ab omni malo, Gen. XLVIII, 16. Reſp. Angelus redemtor non eſt angelus creatus, ſed increatus, nempe Filius Dei, cuius eſt ab omni malo redimere.

II. Angelus vnus, qui vocatur Raphaël, Tobiam deduxit, Tob. II, 27. Reſp. Vnus angelus forma viſibili deduxit Tobiam; potuerunt tamen plures adeſſe præſentia inuiſibili. Neque ex hoc exemplo conuinci poteſt, in omni caſu vnum tantum nos comitari angelum. Lothum duo angeli Sodoma educunt, Gen. XIX, 12. Iacobum duo exercitus Seraphici præſidio ſuo cinxerunt, Gen. XXXII, 2.

III. Dixerunt congregati chriſtiani: *Angelus ipſius eſt*, Act. XII, 15. Reſp. Hæc verba fuerunt non Spiritus S. ſed quorundam chriſtianorum loquentium ex opinione vulgi, ſiue Iudaica perſuaſione. Iudæi enim opinabantur angelum hominis breui ante, vel paulo poſt deceſſum hominis viſibili ſpecie comparere? (**).

Quæſt. XVII. *Num cuique regioni peculiaris præfectus eſt angelus tutelaris?*

Vnicuique prouinciæ peculiarem præpoſitum eſſe angelum tutelarem, pro certo definire nequimus.

Prob. 1) Ciuitatem Dothan cingebant integri exercitus angelorum, 2 Reg. VI, 17. quidni ergo regnis integris plures adſint angeli? 2) Vnum hominem ſtipant & circumuallant caſtra integra, Gen. XXXII, 2. quidni integram prouinciam?

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ex quorum mente vnicuique regioni peculiaris præpoſitus eſt angelus cuſtos; quorum argumentum præcipuum eſt, quod Dan. X, 12. mentio fit principis regni Perſarum, qui Gabrieli reſtitit. R. Per principem regni Perſarum loc. cit. non intelligitur angelus bonus regno Perſarum præfectus, ſed potius cacodæmon quidam aulicus, qui regem Perſarum, eiusque conſiliarios aduerſus populum Domini, ne dimitteretur ex captiuitate, inſtigare nitebatur. Vid. D. CALOV. *bibl. illuſtr. in h. l. fol. 674.*

Quæſt.

(*) Peruetuſta eſt illa opinio geniorum tutelarium ac domeſticorum, quos profanarum gentium ſuperſtitio venerata eſt. Eam, vt plures alios ingenii humani fœtus, extra eccleſiam natos, adoptarunt IVDAEI ab eo tempore, quo illi ab antiqua fide deſciuerunt, deinde & ROMANO-CATHOLICI, quamquam non eſt diſſimulandum, PATRES quosdam, non eos tamen inde ab vltima antiquitate, ab eadem ſententia haud fuiſſe alienos.

(**) Tria adhuc ſunt conſideranda. 1) Quæritur: vtrum vox, ἄγγελος, hoc in loco ſpiritum denotet, an nuntium? vt alibi, v. g. Luc. VII, 24. Iac II, 25. 2) Sumto etiam hoc: quod ſpiritus familiaris, ſiue tutelaris, debeat intelligi; quid inde? Vnius adfirmatio non eſt plurium negatio. 3) Arcte tenenda eſt cauſæ conſtitutio, quæ vulgo dicitur ſtatus controuerſiæ. Qui angelum tutelarem comminiſcuntur, illi eum opinantur non modo *vnum* eſſe, verum etiam *certum* quemdam, ſemperque eumdem, qui, inde vsque a teneris vnguiculis, per vniuerſum vitæ curſum homini ſit præſidio. Id quod profecto his ex verbis effici cogique minime poterit.

Digitized by Google

Quæſt. XVIII. *Daturne certus inter angelos ordo?*

*Ordo angelorum bonorum.* Dari inter angelos bonos certum ordinem, nullum eſt dubium a), ſed qui & qualis ſit iſte ordo angelicus, in hac vita arbitramur, ſcire neminem b).

Prob. a. *Ex regula generali,* qua Deus in eccleſia militante omnia vult fieri *decore & ſecundum ordinem,* 1 Cor. XIV, 40. Nullum igitur eſt dubium, quin certus ordo ſit in eccleſia triumphante inter angelos beatos, isque tanto perfectior, quanto ſplendidior eſt eccleſia triumphans militante. 2) *A diuerſis ſpirituum cæleſtium denominationibus.* S. Paullus Eph. I, 21. inquit: *Collocauit* (Deus Pater Chriſtum) *ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem.* Item Col. I, 16. *In ipſo condita ſunt viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates,* 1 Theſſ. IV, 16. & Iudæ Ep. v. 9. ſit mentio *archangelorum* (*). Diuerſa nomina diſcrimen angelorum inferunt. 3) *A pari.* Datur ordo inter angelos malos. E. & inter bonos. *Anteced.* liquet ex Luc. XI, 25. vbi Beelzebul princeps dæmoniorum dicitur: & Matth. XXV, 41. mentio fit diaboli, & angelorum eius.

Prob. b. Ex diuerſis angelorum denominationibus neque valide colligi, neque certo definiri poteſt, in quo conſiſtat angelorum diſcrimen, & quam late ſeſe extendat.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* ex PSEVDO-DIONYSIO *lib. I. de cæleſti hierarchia cap. 6.* angelos in nouem ordines, & hos iterum in tres hierarchias diſtinguentium, ita, vt in ſuprema ſint Seraphim, Cherubim & throni; in media dominationes, virtutes & poteſtates; in infima principatus, archangeli. Opinionem ſuam firmare nituntur I. ex Dan. VII, 10. *Mille millia miniſtrabant ei, & myrias myriadum coram eo ſtabant:* vbi angeli in miniſtrantes & aſſiſtentes diſtinguuntur. R. Angelos miniſtrantes ab aſſiſtentibus differre, ſolide probari nequit. Nam omnes angeli ſunt ſpiritus adminiſtratorii, Hebr. I, 14. Miniſtrant angeli aſſiſtendo, & aſſiſtunt miniſtrando: ſicut miniſter ſtat coram principe, huius iuſſa exſecuturus. II. Diuerſa angelorum nomina diuerſos ordines indicant. Reſp. Ex ſola nominum diuerſitate, ſine aliis notis diſtinctiuis, angelorum determinatos enumerare ordines, temerarium eſt.

Quæſt. XIX. *Suntne angeli religioſo adorationis cultu proſequendi?*

Angeli religioſe non adorandi, neque inuocandi ſunt.

Prob. 1) Solus Deus religioſe adorandus eſt, Deut. VI, 13. Matth. IV, 10. Ergo non angeli. Except. Solus Deus adorandus eſt, vt ens primum, & largitor principalis omnis boni. Angeli adorandi ſunt, vt amici Dei. Reſp. Adoratio religioſa fluit ex vera fide, & pertinet ad primam tabulam decalogi, cui amicos Dei inſerere haud licet. Idcirco Paullus θρησκείαν τῶν ἀγγέλων, cultum angelorum, Col. II, 18. 23. ταῖς ἐθελοθρησκείαις cultibus voluntariis & ſuperſtitioſis accenſet.

2) Quicunque non eſt omnipotens, omniſcius, omnimiſericors, omnipræſens, is non eſt inuocandus. Atqui angeli non ſunt omnipotentes, omniſcii, omnimiſericordes & omnipræſentes. Ergo. *Maior* conſtat, quia indubitata cordis fiducia illius imploramus opem, qui eſt omnipotens, vt nos iuuare queat: omniſcius, vt intima noſtra deſideria perſpecta habeat: omnimiſericors, vt in cunctos homines beneuole propendeat: omnipræſens, vt nobis laborantibus vbique præſto ſit.

3) Quicunque ſunt miniſtri Dei, illi non ſunt religioſe venerandi. Atqui angeli &c. Hebr. I, 14. Ergo.

4) Quid-

(*) Non plures Archangelos, ſed vnum prædicant diuini ſcriptores, & nomine Michaël Angelum non creatum deſignant. vid. Apoc. XII, 7. & 10.

Digitized by Google

4) Quidquid ab angelis recuſatur, id ipſis non eſt deferendum. Atqui adoratio religioſa &c. Ergo. *Minor* conſtat ex Apoc. XIX, 10. c. XXII, 8.

Dicis: I. Ioannes exiſtimauit, illum, quem adoraturus erat, non eſſe angelum creatum, ſed Chriſtum. Reſp. Fac, Ioannem ignoraſſe, creatus, an increatus fuerit angelus; audiuit tamen, angelum creatum cultum religioſum repudiare.

Dicis: II. Repudiauit angelus τὴν λατρείαν, cultum religioſum ſummum, ſoli Deo debitum: non recuſauit τὴν δυλείαν, cultum religioſum ſummo inferiorem, vel ſubordinatum. Reſp. Diſtinctio inter λατρείαν, & δυλείαν conficta eſt; ſiquidem ſcriptura S. has voces promiſcue vſurpat. Certe tenemur δυλεύειν etiam æterno Deo. Matth. VI, 24. 1 Theſſ. I, 9. Rom. XVI, 18.

Dicis: III. Angelus recuſauit cultum religioſum ex modeſtia; quamuis ſciuerit, eundem ſibi æquiſſimo iure competere. Reſp. Recuſauit non ex modeſtia, ſed ſerio affectu, adductis grauiſſimis non admiſſi cultus delati cauſſis, a) quia ſit conſeruus, b) frater, c) non Deus, qui ſolus adorandus (*).

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, qui ſibi perſuadent, angelos poſſe religioſe coli, non quidem cultu λατρείας, quem ſoli tribuunt Deo, ſed δυλείας, quæ mediam obtineat ſedem inter cultum Dei & hominum. Adducunt

I. Exempla Abrahami, Gen. XVIII. Lothi, Gen. XIX. Iacobi, Gen. XLVIII. Ioſuæ, c. V. qui angelos adorarunt. Reſp. Diſt. inter angelum creatum, & increatum: Hunc adorarunt; angelos aſſiſtentes cultu ciuili proſecuti ſunt.

II. Angeli ob excellentiam ſuam colendi ſunt aut cultu ciuili, aut religioſo. Non cultu ciuili; quia non ſunt ciues aut homines, ſed maiores & eminentiores hominibus in dignitate ciuili poſitis: Ergo cultu religioſo. Reſp. Per cultum ciuilem aut ſtricte intelligitur cultus hominibus competens, aut late omnis cultus non religioſus, vel moralis reuerentia. Dantur autem gradus cultus non-religioſi ſecundum excellentiam maiorem, vel minorem creaturarum. At gradus non variat ſpeciem; neque cultus religioſus in excellentia finita Dei fundatur.

III. Cultus angelicus nobis præcipitur, Iob. V, 1. *Voca, age, num eſt reſpondens? & ad quem ſanctorum reſpicies?* Reſp. Per ſanctos l. c. non intelliguntur angeli, ſed homines ſancti. Indicat Eliphaz, neminem inter ſanctos reperiri, quem Deus tam grauibus, quam Iobum miſeriis obruerit. Propterea dicit: Voca, ſeu nomina, quæſo, num atteſtatur quiſpiam, quod ſit tui ſimilis. Ad quem ſanctorum reſpicies? Cuius viri pii exemplum producere poteris? (**)

IV. Angeli

(*) Contemplatione dignum eſt hoc in primis: quod in illis ſcripturæ locis, in quibus tutela quidem angelorum aut præſtanda promittitur, aut iam præſtita prædicatur, altum tamen eſt ſilentium de vniuerſis ac ſingulis cultus religioſi partibus, quæ ad eos pertinerent. Immo vero tantum abeſt, vt de iis religioſe colendis aliquid ſcriptum exſtet, vt in iis ipſis locis religio omnis ad Deum vnum referatur, ſigillatim *fiducia*, Pſ. XXXIV, 8. add. v. 9. XCI. 1. 9. 10. 11. Dan. VI, 22. add. V, 23. *precatio* vtraque, tum *adoratio* laudatioque, Dan. VI, 22. 26. 27. Act. XII. 11. tum *ſupplicatio*, ſiue vulgo ſic dicta inuocatio, Pſ. XCI, 11. coll. cum. v. 14. 15. Nonne vero in his potiſſimum locis, in quibus ex inſtituto diſſeritur de angelorum beneficio diuinitus nobis dato, tamquam in ſede propria, præcipiendum aliquid fuerat, aut commemorandum, de cultu quodam religioſo, angelis deferendo, ſi quid eiuſmodi illis eſſet conveniens? Sed nec imperatum quoddam, nec exemplum alicubi cernimus.

(**) Perpendenda ſunt quatuor momenta: 1) Hæc verba ſunt Eliphazi, aduerſus Iobum diſputantis, non Dei iubentis. 2) De *ſanctis* ſermo inſtituitur. Ergo de *angelis* ſanctis? aut de *beatis* hominibus? quæ? qualis? quanta? ſancti adpellantur homines, qui adhuc mortales in viuis ſunt: 3) Quod ad prædicatum attinet: *reſpice*, vel *conuerte te!* itane ad adorandum eos,



Digitized by Google

IV. Angeli preces noſtras Deo deferunt, Apoc. VIII, 3. Tob. XII, 12. E. angelis preces noſtræ commendari poſſunt, vt ab ipſis Deo deferantur. R. Angelus, cuius meminit Ioannes, Apoc. VIII, 3. eſt increatus, ſiue Filius Dei; vtpote cui actus ſacerdotalis, quo non perfunguntur angeli creati, tribuitur. Angelus autem Tobiæ in libro apocrypho non meretur fidem, commiſit enim mendacium, Tob. V, 12. & ſuggeſſit Tobiæ conſilium ſuperſtitioſum ac profanum. c. VI, 4. Solus Chriſtus eſt aduocatus noſter preces noſtras Deo deferens, 1 Io. II, 2.| & ſacerdos vnicus, interceſſione ſua exauditionem nobis impetrans, Heb. VII, 25. Ceterum poſito, ſed non conceſſo, angelos preces noſtras Deo offerre, non tamen ea de cauſſa religioſe venerandi ſunt.

V. Angeli ſunt noſtri interceſſores. Ergo inuocari poſſunt. *Antecedens* probatur ex Job. XXXIII, 23. *Si fuerit apud illum angelus interpres, vnus ille ex millibus; ad annuntiandum homini rectitudinem ſuam.* Reſp. (1) Non omnes interceſſores religioſe inuocandi ſunt. (2) De interceſſione angeli nihil habetur in textu; ſed deſcribitur officium angeli, quod annuntiet homini rectitudinem, ſiue iuſtitiam, per quam liberari, vel ſaluari debet. Angelus ille Chriſtus eſt. Vid. D. SEB. SCHMID. in *commentar. in Iob. ad h. l. p. 162. ſequ. VI.* Apoſtolus Joannes *gratiam & pacem precatur a ſeptem ſpiritibus, qui ſunt coram throno Dei.* Apocal. I, 4. Septem illi Spiritus ſunt ſeptem angeli ex mente Pontificiorum, qui ſequenti rationi arguunt: A quibus apoſtolus Joannes gratiam & pacem precatur, illos inuocare licet & decet. Atqui ab angelis &c. Ergo. Reſp. Per ſeptem Spiritus apocalypticos non intelliguntur angeli. Repugnat enim (1) Analogiæ fidei, ab angelis creatis expetere gratiam & pacem ſpiritualem, cuius fons & largitor ſolus Deus eſt, Rom. XI, 36. Jacob. I, 17. (2) Septem ſpiritus apocalyptici ponuntur inter duas perſonas diuinas & increatas. Proinde per illos non deſignantur ſpiritus creati. In ordine quippe ſanctæ benedictionis nulla creatura inter duas perſonas diuinas collocanda eſt. (3) Septem ſpiritus eodem cultu, quo Deus Pater & Filius honorantur: qui cultus eſt λατρεία ſoli æterno Deo debita. Quam ob rem per ſeptem ſpiritus intelligimus Spiritum S. qui ratione eſſentiæ & perſonæ quidem vnus eſt, per numerum tamen ſeptenarium a Joanne metonymice deſcribitur, propter multitudinem & perfectionem chariſmatum, quæ Spiritus S. in ſeptem illas eccleſias Aſiaticas, quarum in apocalypſi fit mentio, large cumulateque exſerebat, perinde, ac ſi totidem eſſent Spiritus, in ſua quisque eccleſia perfecte operantes. Hunc Spiritum S. vnum natura, & ſeptiformem munere, cum Deo Patre & Filio inuocant omnes pii, qui gratiam & pacem a Deo triuno precantur. Conf. 2 Cor. XIII, 13.

VI. Compellare licet homines, vt apud Deum pro nobis intercedant: Ergo & angelos. Reſp. Defunctorum hominum poſcere interceſſionem, non docent nos ſacræ litteræ. Viuorum quidem preces pro nobis expetimus, ſed inde concludere nefas eſt: Ergo angeli poſſunt inuocari, vt pro nobis intercedant. Nam (1) de mutuis viuentium ſuffragiis expetendis diuinum habemus mandatum, Jacob. V, 14. De angelorum patrocinio implorando nullum exſtat mandatum. (2) Imploratio ſuffragiorum fidelium in eccleſia eſt officioſa inuitatio & opus caritatis: at angelorum inuocatio ex mente diſſidentium eſt δουλεία religioſa. (3) Mutua fidelium interceſſio non eſt ἱλαστική, ſatisfactoria aut expiatoria; ſed συναγωνιστική membrorum

eos, aut eis ſupplicandum? minime gentium; ſed ad perueſtigandum & cognoſcendum, num quis ſanctorum adeo perfecta ſanctitate ſit conſpicuus, vt habeat, de quo ipſe coram Deo gloriari queat? vid. contextus integer, præſertim vero antec. cap. IV, 18. 4) Notandus eſt error vulgati interpretis. In fontibus prorſus contraria eſt verborum ſententia: אל־מי מקדשים תפנה, ad quemnam ſanctorum conuerteris? Hoc eſt, omnino ad nullum. Eſt enim notiſſima regula hermeneutica: Interrogatio adfirmans maxime negat. Vberius de hoc argumento expoſuit S. V. DEYLINGIVS, *obſ. S.* T. I. 28.

Digitized by Google

membrorum eccleſiæ militantis, pro ſe inuicem precibus quaſi concertantium. Hanc interceſſionem quaſi commilitantem docet Paullus Rom. XV, 30. *Adhortor vos, Fratres, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per dilectionem Spiritus, συναγωνίσαϑαί μοι, vt concertetis mecum in precibus pro me ad Deum.* At angeli in precibus nobiscum non concertant, cum non ſint membra eccleſiæ militantis; neque cum iisdem hoſtibus ac miſeriis, a quibus chriſtiani laceſſuntur, conflictantur.

Quæſt. XX. *Vtrum angelus in V. T. patrum oculis conſpectus, & vt Deus paſſim locorum deſcriptus, creatus fuit, an increatus?*

Angelus ſub viſibili forma in V. T. a patribus conſpectus, vocatus Iehouah, deſcriptus ab attributis & operibus ſoli Deo propriis, cultuque diuino honoratus, fuit angelus increatus, nimirum Filius Dei, futuræ ſuæ incarnationi præludens.

Probatur ſyllogiſmo generali: Cui angelo tribuuntur nomina Deo propria, attributa Dei eſſentialia, opera vere diuina, & cultus religioſæ adorationis atque inuocationis, is non fuit angelus creatus, ſed increatus, nimirum Filius Dei. Atqui angelo in V. T. a patribus conſpecto tribuuntur nomina &c. E. *Min.* patet, quia Angelus fugitiuæ Hagaris monitor, Gen. XVI, 7. Abrahami hoſpes principalis, duobus angelis miniſtris ſtipatus Gen. XVIII, 1. Lothi ſoſpitator, Gen. XIX, 18. Hagaris conſolator, Gen. XXI, 7. Iacobi colluctator, Gen. XXXII, 24. Iacobi redemtor, Gen. XLVIII, 16. Rubi habitator, Exod. III, 2. Ductor Iſraëlis ex Ægypto per deſertum in terram Canaan, Exod. XIII, 21. c. XIV, 19. c. XXIII, 20. Bileami moderator, Num. XXII, 28. Princeps exercitus domini & Ioſuæ imperator, Ioſ. V, 11. Manoæi informator, Iud. XIII, 18. nominibus diuinis inſignitur, ab attributis Dei eſſentialibus deſcribitur, opera vere diuina patraſſe dicitur, cultu religioſo honoratur. Inſpice vbiuis locorum contextum biblicum, & conf. D. CALOV. *ſyſt. t. IV. a p. 211. vsque ad p. 283.* & cum eo D. QVENSTED. *p. I. theol. did. pol. a f. 494. vsque ad f. 509.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* & *Socinianorum*, negantium, Filium Dei in forma viſibili tali, in quali conſpici conſueuere angeli, in V. T. apparuiſſe. Quorum argumenta ſunt:

I. Quicunque vltimis temporibus locutus eſt cum hominibus, ille non locutus eſt ad patres in V. T. Atqui Chriſtus &c. Hebr. I, 2. E. Reſp. Diſt. inter prophetam viſibilem ordinarium, & extraordinarium. Chriſtus in N. T. vt ordinarius propheta, in carne ὑποστατικῶς aſſumta, viſus & locutus eſt. In V. T. Filius Dei per œconomiam ad certum tempus locutus eſt patribus extraordinarie, paucisque ſe conſpiciendum præbuit.

II. Si Filius Dei apparuit ſecundum perſonam propriam, vt angelus in V. T. vel apparuit in forma angelica, vel humana. Non in forma angelica; quippe quæ videri nequit: neque in forma humana; ab hac enim non poteſt dici angelus. Ergo plane non apparuit ſecundum propriam perſonam, vt angelus, in V. T. R. Filius Dei in V. T. apparuit *in forma alicuius viri viſibili tali, in quali alias conſpici conſueuerunt angeli: & dicitur angelus, ob miſſionem a patre ad actum propheticum extraordinarium.*

III. Quicunque ideo dicitur angelus, quia a Deo miſſus eſt, is non eſt ſummus Deus: Atqui per doctores euangelicos ὁ λόγος ideo dicitur angelus, quia a Deo miſſus eſt: Ergo ὁ λόγος non eſt ſummus Deus. R. Diſt. *inter miſſionem factam per imperium: & factam conſenſu voluntario.* Quicunque ob miſſionem a Deo factam *per imperium* dicitur angelus, is non eſt ſummus Deus, concedo. At Filius Dei miſſus eſt a Patre cum *conſenſu liberrimo.* Conſtat autem inter omnes, quod æqualis poſſit mittere æqualem conſentientem.

IV. Si Filius Dei apparuit in forma angelica, etiam Deus Pater in eadem apparuit: Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur; quia apparitio in forma viſibili eſt opus Dei ad extra. Sed opera diuina ad extra ſunt indiuiſa, i. e.

Ddd 2 com-

Digitized by Google

communia omnibus tribus diuinitatis perſonis. Reſp. Apparitio illa fuit quidem opus diuinum *ad extra*, verum non eſſentiale, ſed *perſonale*. Opera autem ad extra *perſonalia*, ratione *principii*, ſunt *communia*, ratione *termini* vero vni diuinitatis perſonæ *appropriantur*. Par eſt exemplum Spiritus S. qui ſub forma viſibili columbæ apparuit.

V. Iehouah in V. T. noſtrâ quidem ſententia, apparuit, vt angelus: Deus Pater eſt Iehouah: E. Deus Pater, noſtra ſententia, apparuit, vt angelus. Reſp. Iehouah in *maiori* ſumitur relate, & notat Filium Dei. Proinde in *minori* male ſubſumitur de Deo Patre.

VI. Apparuit Filius Dei in V. T. vel in hypoſtaſi propria, vel per legatum, ſiue angelum: Non in hypoſtaſi propria, quia illa eſt inuiſibilis: E. Per angelum. Reſp. Apparuit Chriſtus in hypoſtaſi propria, ſed veſtita forma viſibili, quam angelicam appellamus; quoniam in tali ſymbolo viſibili angeli conſueuerunt comparere.

VII. Quicunque docent, Filium Dei aſſumendo formam angelicam in propria perſona apparuiſſe, illos oportet docere, formam angelicam fuiſſe propriam hypoſtaſin Filii Dei. At doctores orthodoxos non oportet id docere; quia Filius Dei intra hypoſtaſin ſuam non aſſumſit angelos, ſed ſemen Abrahæ, Hebr. II, 16. *Maior* probatur, quia Filius Dei illam formam angelicam terminat, vt ſibi perſonaliter vnitam. Reſp. Negatur maior. Ad probationem dicimus, quod ὁ λόγος terminet angelicam formam, non vt perſonaliter vnitam, ſed vt accidentaliter & extrinſecus adſcitam, quatenus eadem ſe veſtiuit, & οἰκονομικῶς in illa ſe conſpiciendum præbuit: ſicut Spiritus S. formam columbæ ſibi copulabat non ὑποστατικῶς, ſed παραστατικῶς.

VIII. Angelus eſt nuntius & legatus, ac ſubiicitur ei, a quo legatur: Chriſtus ergo ἄσαρκος, & extra incarnationis ac redemtionis negotium, non eſt dicendus angelus, niſi velimus concedere *Arianis*, Chriſtum eſſe inferiorem Deo Patre. Reſp. (1) Vox *angelus* miſſionem deſignat, ſed non includit neceſſario miniſterium & inferioritatem. (2) Nomen angeli tribuitur Filio Dei quidem extra negotium incarnationis & redemtionis; at non extra reſpectum ad eandem.

IX. Angelus creatus, ſuſtinens perſonam Dei, nomen illius aſſumere, iisdem attributis ornari, eodemque, quo Deus, cultu honorari poteſt: E. Ex nomine Dei proprio, attributis diuinis, cultuque humillimo in apparitionibus valide colligi nequit, angelum conſpectum patribus in V. T. fuiſſe Filium Dei. Reſp. Nomen Dei proprium non aſſumunt angeli, neque cultum diuinum ſibi tribui patiuntur. Illa arrogantia procul eſt a modeſtia angelorum, procul a λειτουργίᾳ; qua Deo miniſtrant. Conf. Apoc. XIX. 10.

# DE ANGELIS MALIS.

Quæſt. XXI. *Quinam ſunt angeli mali?*

*Definitio angelorum malorum.*

Angeli *mali* ſunt, qui in concreata ſapientia & iuſtitia non perſeuerarunt, ſed ſponte ſua a Deo & regula recti auerſi, perpetui facti ſunt Dei hominumque hoſtes, æternis cruciatibus torquendi.

Quæſt. XXII. *Quare quidam angeli vocantur mali?*

Quidam angeli *mali* dicuntur non ob eſſentiam, quam habent a Deo, ſed ob ſpontaneam apoſtaſin, ſiue liberam voluntatis auerſionem a Deo ſummo bono, & regula recti, quam tamen ex creationis gratia ſeruare poterant.

Prob.

Digitized by Google

Prob. (1) Diabolus *in veritate non ſtetit*, inquit Saluator Io. VIII, 44. Per veritatem h. l. intelligitur concreata perfectio ſapientiæ ac iuſtitiæ, qua, vt diuina imagine, angeli in prima creatione ornati fuerunt: Non ſtetit, i. e. non perſeuerauit. Igitur antequam laberetur, habuit veritatem actu impreſſam & concreatam, ad fidem Deo præſtandam & conſequendam (non id quidem meritorie) confirmationis coronam, & declinandum lapſum vires, arma, auxilia. Conf. DANNHAV. in *hodoſoph. phæn. III. p. 284.*

(2) Apoſtaſiam angelorum quorundam verbis memoratu digniſſimis deſcribit apoſtolus Iudas ep. v. 6. *Angelos eos, qui non retinuerunt ſuam originem, ſed reliquerunt proprium domicilium in iudicium magni diei, vinculis perpetuis ſub tenebris reſeruauit.* Obſ. (a) Per ἀρχὴν intelligimus ſtatum originalem angelorum, qui tum internam perfectionem intellectus & voluntatis angelicæ, tum externam angelorum dignitatem complectitur. Ex quo nonnulli interpretes ἀρχὴν reddiderunt, latine per principatum, D. LVTHERVS, ihr Fürſtenthum. (b) Ὀικητήριον deſignat manſionem angelorum felicem & ſuo modo beatam, nondum tamen perfecte glorioſam, quam viſio beatifica, & confirmationis donum ſerenat. Conf. DANNHAV. *l. c. p. 285.* Poterant angeli retinere principatum & domicilium ſuum: At illi ſponte ſua vtroque ſe priuarunt.

(3) Apoſtolus Petrus lapſus angelici mentionem facit, 2 Ep. II, 4. inquiens: *Deus angelis, qui peccarunt, non pepercit.* Ἁμαρτάνειν proprie ſignificat a regula aberrare. Exinde ἁμαρτία, dicitur ἀνομία, 1 Io. III, 4. Innuit igitur S. Petrus, quosdam angelos aduerſus voluntatem diuinam, omnis iuſtitiæ regulam, præuaricatos eſſe.

Quæſt. XXIII. *Quomodo labi potuerunt angeli, creati ſapientes & ſancti?*

Non impoſſibilis fuit lapſus angelorum, concreata intellectus & voluntatis perfectione exornatorum; quia inſita ipſis ſanctitas in ſtatu gratiæ non fuit immutabilis.

Prob. Quamuis Deus angelos omnes condiderit bonos & ſanctos: Non tamen voluntatem angelorum in prima creatione ad bonum ſemper & vbique eligendum determinauerat; ſed conceſſerat ipſis libertatem arbitrii ad bonum & malum, ita vt ipſis ineſſet vi concreatæ imaginis diuinæ propenſio ad bonum, & potentia remotiſſima ad malum. Inde factum, vt haud pauci angelorum, voluntario liberi arbitrii abuſu a bono auerſi, ad malum ſe conuerterint.

Quæſt. XXIV. *Quodnam primum fuit peccatum angelorum lapſorum?*

*Primum peccatum angelorum lapſorum.*

Angelos peccaſſe, generatim docent ſacræ litteræ; ſed eædem non diſerte exprimunt, quodnam ſpeciale fuerit angelorum peccatum *primum*, e quo velut fonte cetera angelorum peccata manauerint a). Probabiliter colligimus, *ſuperbiam* fuiſſe primum angelorum peccatum b).

Prob. a. Apoſtolus Petrus 2 ep. II, 4. generatim deſcribit angelos lapſos, vt peccatores venia indignos; at non determinat ſpeciem peccati primi, in quod prolapſi ſint.

Prob. b. Angelum quendam ſupremi ordinis excellentiorem deiformitatem aut concreata eminentiorem perfectionem ac dignitatem affectaſſe, aliosque angelos aut exemplo, aut ſuaſione quadam ſeduxiſſe, probabiliter colligitur. 1) Ex *tentatione*, qua ſatan protoplaſtos noſtros adgreſſus debellauit, Gen. III, 5. Quippe quibus cupidinem eminentioris concreata imagine diuina perfectionis inſtillauit. Ad quod peccatum perpetrandum diabolus primos homines inſtigauit, idem commiſiſſe videtur. 2) *Ex vſitatis Satanæ machinamentis*, quibus gloriam Dei ſibi arrogatum it, Matth. IV, 9. 3) Quia initium peccati dicitur ſuperbia.

Dicis: *Inuidia* videtur primum fuiſſe diaboli peccatum. Dicitur enim pater mendacii & homicida ab initio, Io. VIII, 44. Sed qui ab initio fuit mendax & homicida, is ab initio fuit inuidus. Ex quo colligere licet, inuidiam erga genus humanum cœleſti gloria

 bean-

Digitized by Google

beandum fuiſſe primum diaboli peccatum. *Reſp.* Diabolus non ſimpliciter & abſolute ab initio mendax, aut homicida fuit, ſed relate, ex quo correlatum, ſiue obiectum inuidiæ, nempe homo, exſtitit: Eſt autem inuidia ſuperbiæ proles. Vero igitur conſentaneum eſt, primum angelorum peccatum fuiſſe ſuperbiam (*); quam comitata ſunt plura peccata, contemtus æterni Numinis, obſequii detrectatio, mendacium, inuidia, & id genus alia.

Quæſt. XXV. *Fuitne peccatum angelorum admodum graue?*

## Peccatum angelorum fuit longe grauiſſimum & atrociſſimum.

Prob. Atrocitas peccati angelici æſtimatur 1) *ex obiecto læſo*, quod eſt Deus, angelorum creator optimus, maximus: 2) *Ex præſidiis*, quibus malum declinare poterant. Angelorum quippe intellectus eximia ſapientiæ luce reſplendeſcebat. Voluntas ſanctitate perfecta eminebat: 3) *Ex modo peccandi.* Peccarunt enim angeli non ex infirmitate, aut inaduertentia, ſed ex pleno intellectu, deliberato conſilio & voluntario liberi arbitrii abuſu, nemine inſtigante.

Quæſt.

(*) Vt plane adpareat, non ſolum valde probabilem eſſe hanc ſententiam, ſed & facile conciliandam cum ea, qua non nulli inuidiam rati ſunt peccatum omnium primum fuiſſe, principio definiamus, quid ſit ſuperbia, ſiue potius arrogantia. Ea nimirum eſt vitium animi, quo quis ſua ſorte non contentus inſolenter ſe effert, ac ſibi plus tribuit, quam par eſt, ac voluntati diuinæ conſentaneum. Sortem autem ſuam cuiusque conſideramus triplici ratione, 1) ſui officii erga ſuperiorem atque imperantem, 2) ſuæ conditionis, dignitatis ac felicitatis, 3) ſuæ coniunctionis cum aliis, quorum aut æqualis, aut inferior eſt conditio. E. arrogantiæ peccatum tribus modis committitur: 1) officium, ſuperiori, & quidem imperanti, debitum, deſerendo, 2) dignitatem felicitatemque maiorem, ac decet, adpetendo, 3) alios deſpiciendo, eisque inuidendo. Elatus enim arrogansque animus nec ſuperiorem ſe quempiam, nec ſibi parem ſuæque dignitatis ac felicitatis participem vult ferre atque admittere. E. inuidia eſt ſpecies quædam arrogantiæ. Ita vero definitum adcommodemus ad hanc cauſſam duplici argumentatione. I. Peccatum eſt ἀνομία, defectio a lege: Legis vniuerſæ ſumma eſt amor, ex quo vno virtutes & bonæ actiones omnes exoriuntur: E. vitia & peccata omnia originem ſuam ducunt ab amoris defectu atque odio. Amor eſt triplex: Amor erga Deum, cui opponitur rebellio, atque officii negatio: Amor in ſemet, cui opponitur neglectio felicitatis dignitatisque ſibi conuenientis, atque iniuſta adpetitio aut falſæ & ſpecioſæ felicitatis, aut maximæ dignitatis, quam temere adfectans ſibi plus obeſt, quam prodeſt: Amor erga alios, dignitatis felicitatisque, ſi non eiusdem, certe ſimilis cuiusdam ſocios, cui contraria eſt contemtio atque inuidia. Atqui ex tribus illis partibus tota conſtat arrogantia (per definit.): E. hoc peccatum fuit principium omnium. II. Veri ſimillimum eſt, malignum ſpiritum cum ſuo ſodalitio non prius a Deo deſciuiſſe, quam eo ipſo tempore, quo primos ipſe homines ad peccandum inſtigauit ac pellexit. Id quod coniicio ex verbis Chriſti, Ioann. VIII, 44. ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν. E. tunc diabolus in peccatum delapſus eſt, cum a veritate declinauit. Loquitur autem Liberator noſter de veritate ſpeciatim ſpectata non modo in agendo (verbis ante prolatis: θέλετε ποιεῖν); ſed maxime etiam in dicendo (vt adparet ex ſubſequentibus: οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ. ὅτι ψεύστης ἐστὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, & quidem ἀπ' ἀρχῆς, ab initio ſuæ defectionis, quam primum cœpit eſſe διάβολος, qui fuerat ἄγγελος). E peccare diabolus incepit tum demum, cum mendax ipſe factus hominibus verba dedit. In iſta autem, qua is quidem illis impoſuit, falſa ac fallaci perſuaſione, omnes tres arrogantiæ partes fuerunt conſociatæ: 1) Neglectio negatioque officii; quando quidem Deo, cui obtemperare omnino debebat, repugnauit eo, quod hominibus auctor ſuaſorque fuit, ne imperata facerent: 2) adfectatio ſummæ dignitatis ac felicitatis; namque & ſuis verbis maiorem, quam diuinis, fidem habendam poſtulauit, & beatitatem, rebus creatis, beatæque vitæ capacibus, conuenientem voluit eſſe diuinæ omnino æqualem, ac perfectiſſimam cum ipſius Dei beatitudine comparationem: 3) inuidia; quam ob rem nominatur ἀνθρωποκτόνος, Ioann. VIII, 44. quo ipſo confirmatur illud dictum, Sapient. II, 24.

Digitized by Google

Quæſt. XXVI. *Suntne angeli lapſi ſub certo quodam anteſignano?*

Probabile eſt, angelos malos lapſos eſſe ſub certo quodam duce aut principe, quem ſatanam & diabolum ſacra ſcriptura appellat a). Qui vel ſuaſione, vel exemplo, plures angelos ad ſocietatem eiusdem peccati pellexit b).

Prob. a. 1) Quia in ſingulari *diabolus* dicitur non ſtetiſſe in veritate, Jo. VIII, 44. 2) Quia idem ἄρχων τῶν δαιμονίων princeps dæmoniorum appellatur, Luc. XI, 15.

Prob. b. Apoc. XII, 4. mentio fit angelorum ſatanæ: Vbi *ſatanas* notat eum, qui Deo maxime aduerſatur, reliqui tantum dicuntur *angeli ſatanæ;* quia huius aduerſarii Dei ſuaſionem & exemplum in peccando ſecuti ſunt. Conf. Matth. XXV, 41.

Quæſt. XXVII. *Quo tempore angeli lapſi ſunt?*

Angeli lapſi ſunt non intra hexaëmeron creationis, ſed eo abſoluto a). Ante lapſum primorum hominum, ſecunda orbis conditi hebdomade, incertum, qua die b). *Tempus lapſus eorum.*

Prob. a. Conſummatis intra ſextiduum operibus, creator ſapientiſſimus bonitatis elogium adiecit: *Nam vidit Deus omne, quod fecit, & erat bonum valde*, Gen. I, 31. Quod ſi omnes intra hexaëmeron factæ creaturæ, arbitro Deo, bonæ fuerunt, quomodo intra illud ſextiduum angeli lapſi originalem bonitatem reliquiſſe cenſendi ſunt?

Prob. b. Lapſum hominis haud dubie anteceſſit lapſus angeli: ceteroqui, ſi perſtitiſſet in veritate, hominem ad peccandum non ſollicitaſſet. Neque tamen vltra alteram ſeptimanam orbis conditi tempus lapſus angelici ſe extendit. Eſt enim diabolus homicida ab initio, Jo. VIII, 44. adeoque non diu originem ſuam retinuit.

Quæſt. XXXVIII. *Eſtne angelis malis in ſtatu miſeriæ quædam ſcientia, agendi libertas, & potentia?*

Eſt angelis lapſis a) ſcientia quædam, ſed dubitationum & errorum tenebris circumfuſa. b) Voluntas eorum ad malum proiecta non gaudet libertate ea, quæ infert indifferentiam ad bonum & malum, vel ad plura bona; ſed verſatur libertas eorum circa mala particularia. c) Potentia illorum eſt quidem humana ſuperior, attamen virtute diuina ligata, vt absque permiſſione Dei nihil efficere valeant.

Prob. a. *Cognoſcunt angeli mali Deum, ſeipſos, ſtatum huius vniuerſi, & quædam futura.* Deum cognoſcunt quidem, ſed vt ad hanc θεογνωσίαν toti cohorreſcant. *Tu credis, quod Deus vnus ſit: bene facis. Atqui etiam dæmonia credunt, &* (tamen) *contremiſcunt*, Jac. II, 19. Cognoſcunt angeli mali ſeipſos. Nam *ſi ſpiritus hominis, qui eſt in homine, novit, quæ ſunt in homine*, 1 Cor. II, 11. Quidni idem de angelis malis ſtatuendum erit? Cognoſcunt angeli mali ſtatum huius vniuerſi. Id quod diſcimus ex Job. I, 6. vbi ſatan dicit, ſe terram peragraſſe. Conf. 1 Petr. V, 8. Cognoſcunt angeli mali quædam futura. Nimirum *certo & euidenter cognoſcunt futura, quæ a cauſſis determinatis & ſecundum ordinem naturæ ſemper eodem modo ſe habentibus proficiſcuntur*, v. gr. eclipſes ſolis & lunæ certo cognoſcunt ex ſuis cauſſis. *Futura autem contingentia, quæ a voluntate libera dependent, dæmonia vel certo cognoſcunt ex reuelatione diuina*, Job. I, 12. 1 Reg. XXII, 22. vel *ſagacitate naturali probabiliter præcognoſcunt* ex ingeniis hominum, temperamentis, moribus & rebus præſentibus, diligenter ſpe-

Digitized by Google

ſpectatis, ita tamen, vt illa præcognitio ſit incerta & fallax. Inde fit, vt prædictionibus diabolicis non ſemper reſpondeat euentus.

Prob. b. Circa mala particularia dæmonia habent quandam libertatem arbitrii, quatenus ex pluribus malis hoc eligere & non eligere (quæ eſt libertas exercitii vel contradictionis); item vnum præ alio eligere, (quæ eſt libertas contrarietatis, vel ſpecificationis) poſſint.

Prob. c. Potentiam angelorum malorum eſſe magnam, patet ex eo, quod diabolus a Chriſto vocatur ἰσχυρὸς, fortis armatus, Luc. XI, 22. & a Paullo ſpiritus maligni appellantur ἐξουσίαι κὴ κοσμοκράτορες, poteſtates & mundi potentes, Eph. VI, 12. At certis limitibus a Deo circumſcriptam eſſe dæmoniorum potentiam, liquet ex eo, quod tantum poſſunt, quantum ſecreto omnipotentis imperio illis permittitur, dicente AVGVSTINO *lib. II. de C. D. c. 23.* Conf. Exod. VIII, 18. Job. I, 12. Matth. VIII, 13.

Quæſt. XXIX. *Quæ ſunt operationes angelorum malorum?*

*Operationes malorum angelorum.*

Operationes angelorum malorum ſunt variæ quidem; at omnes directæ ad labefactationem gloriæ diuinæ a), & ad perniciem non temporalem minus, quam æternam tum hominum ſingulorum, tum ſtatuum hierarchicorum b).

Prob. a. Draco magnus inſtruit & obarmat angelos ſuos aduerſus Michaëlem, i. e. Chriſtum, regnum ipſius deſtructurus, Apoc. XII, 7.

Prob. b. Angeli mali flagrant cupiditate nocendi tum hominibus ſingulis, tum tribus hierarchiis. Etenim hominum corporibus ſæpe immittunt morbos, Luc. XIII, 11. Opibus hominum ſtruunt inſidias & vim inferunt, Job. I, 12. animas pariter atque corpora obſident, & ſpectris hominum ſenſibus illudunt, atque formidinem offundunt.

Quæſt. XXX. *Quotuplex eſt obſeſſio diabolica?*

Obſeſſio diabolica eſt duplex, ſpiritualis & corporalis. *Illa* eſt, qua diabolus animos hominum impiorum excæcat, peſſimis conſiliis inſtruit, ad nefanda peccata inſtigat, eosque, velut laqueis captos, ad voluntatem ſuam ducit a). *Hæc* eſt, qua ſpiritus impurus, permittente, & peccata antegreſſa vindicante Deo, corpora hominum ingreditur, intra eadem ſecundum ſubſtantiam ſuam habitat, & in illis operatur b).

Prob. a. (1) Deus huius ſæculi excæcauit ſenſus incredulorum, ne illuceſceret illis lumen euangelii, Eph. II, 2. (2) In cor Iudæ hoc immiſit conſilium, vt proderet Jeſum. Jo. XIII, 2. (3) Inueſtigauit Dauidem, vt numeraret populum, 1 Chron. XXI, 1. (4) Multos ζωγρεῖ, i. e. velut beſtias illaqueat, & ducit ad voluntatem ſuam. 2 Tim. II, 26.

Prob. b. Homines obſeſſos, qui etiam dæmoniaci, energumeni & arreptitii vocantur, a dæmonibus ſubſtantialiter præſentibus occupari, & horrendum in modum diuexari, tum ſacræ litteræ docent, Matth. VI, 24. c. VIII, 28. c. IX, 32. c. XII, 22. Luc. IV, 33. Act. VIII, 7. c. XIX, 12. tum experientia teſtatur (*).

Quæſt.

(*) Obſeſſionem corporis, vere ac proprie ita dictam, præſertim ea ætate, qua Chriſtus opera diaboli deſtructum iuit, in terra iudaica fuiſſe, ac δαίμονες, quorum mentio fit in ſacris litteris, non poſſe non eſſe malignos ſpiritus, aduerſus TH. HOBBESIVM, BALTH. BECKERVM, eiusque ſimiles, BERNARDVM LAMY aliosque, his vincimus argumentis: 1) Dæmones illi adpellantur διάβολος, Act. X, 38. itemque ὁ σατανᾶς, Matth. XII, 26. Luc. X, 18. 19. vtpote quod nomen vtrumque in tota Græcia nusquam vſitatum eſt, nec morbis, quibus corpora adfliguntur, nec vitiis, qui-

Digitized by Google

Quæſt. XXXI. *Quæ ſunt cauſſæ obſeſſionis corporalis?*

Cauſſa *efficiens* obſeſſionis eſt diabolus a); cauſſa *promerens* eſt peccatum b); cauſſa, corporali diaboli obſeſſione peccatum *vindicans*, aut *caſtigans* eſt Deus c); *finis intermedius* eſt pœna vel caſtigatio d); *vltimus* eſt iuſtitiæ, ſapientiæ & potentiæ diuinæ manifeſtatio e).

Prob. a. Diabolus eſt in obſeſſis κατ᾽ ὀυσίαν κ̀ ἐνέργειαν, qua ſubſtantialem & operoſam præſentiam. Habitat enim in iisdem ſecundum ſubſtantiam, vid. Luc. IV, 33. & adſciſcit ſocios plures ſpiritus immundos, Luc. XI, 26. Marc. IV, 6. & ſtupendas, turpiſſimasque in ipſis operationes perficit, Matth. VIII, 28. c. XV, 22. ob quas horrendas ἐνεργείας, ſiue operationes, ἐνεργούμενοι vocantur.

Prob. b. *Peccatum eſt vel originale, vel actuale, & hoc vel inuoluntarium, vel voluntarium ſiue proæreticum.* Plerumque cauſſæ obſeſſionis *corporalis* ſunt peccata *proæretica*, perſeueranter continuata; qualia ſunt contemtus verbi diuini, ſecuritas carnalis, diræ & blasphemiæ, ſtuprum & adulterium, ebrietas, auaritia, ſuperbia, deſideratum cum ſpiritibus malis pactum. S. Paullus hominem inceſtuoſum tradidit Satanæ, in perniciem carnis, 1 Cor. V, 5. Permittit tamen Deus interdum diabolo, vt corporaliter obſideat hominem, originali & inuoluntario quidem, ſed non proæretico peccato pollutum. Exemplum nobis eſto lunaticus ille, Marc. IX, 21. quem diabolus mutus & ſurdus inde a puero occupauerat.

Prob. c. Deus obſeſſione cacodæmonis corporali, vel vt iuſtiſſimus iudex, vindicat grandia impiorum peccata; vel vt pater optimus affligit plaga iſta pios, vt caſtigentur & probentur: Sicut permittente Deo Satanas vlcere malo percuſſit Jobum, eiusque angelus colaphos impegit Paullo, Job. II, 7. 2 Cor. XII, 7. (*) Quamuis probe obſeruandum ſit, afflictos eſſe Jobum & Paullum non per internam Satanæ inhabitationem, ſed externam aſſiſtentiam. Ad obſeſſionem diabolicam corporalem requiritur, vt dæmon ἀυτοπροσώπως corpus hominis occupet, idque cruciet.

Prob. d. & e. E iam dictis liquet, *finem intermedium* obſeſſionis diabolicæ, ex parte Dei, eſſe partim τιμωρίαν, *pœnam* inflictam a Deo irato; partim παιδείαν, *caſtigationem* ortam

quibus animi penitus deprauati ſunt, vnquam imponi ſolitum. 2) Diſcernuntur ab ægrotis, & quidem omnibus, Matth. IV, 24. X, 8. Luc. VIII, 2. Marc. XVI, 17. 18. Ad vitia quod attinet, hæc nominantur ἔργα τοῦ διαβόλου, 1 Io. III, 8. E. differunt ab ipſo malo dæmone, tamquam effectus a cauſſa. 3) Adſignatur illis princeps & præfectus quidam, Matth. XII, 24. 26. Luc. XI, 18. 4) Multitudo illorum in vno homine tanta dicitur, quanta non poteſt de morbis intelligi, Luc. VIII, 27. 30. 5) Effectus illis adſeruntur, quos minime poſſumus interpretari de vllo morbo, ſiue mentis, ſiue corporis; in primis duo: (α) incredibile obſeſſorum robur, Marc. V, 3. Matth. VIII, 28. (β) expulſorum ex homine migratio in corpora brutorum animantium, velut Matth. VIII, 31. 32. En! quam lepida interpretatio ſit exſpectanda, ſumta ὑποθέσει aut BECKERI, qui morbos corporis, præcipue vero eum, qui dicitur melancholia, vult intelligi, aut LAMII, cuius opinione δαίμονες fuerunt animi vitia. Quod ſi igitur δαίμονες nil, niſi morbi putandi ſunt, vel naturales, vel morales, nimirum vitia; quid fiet hoc pacto? Certe efficitur, porcos vno temporis momento omnes morbis adflictos fuiſſe omnino eisdem, quibus nunc liberati erant homines, adeoque illos forſitan melancholia correptos fuiſſe, aut ingente vitioſitate contaminatos!

(*) Ἄγγελον τοῦ σατᾶν, quo vexatum ſe vir diuus conqueritur, fuiſſe ψευδαποστόλους, & verbo, κολαφίζειν, deſignari quaslibet calamitates, cum ſumma ignominia coniunctas, illorumque fraudibus aduerſus eum inſontem concitatas, colligo ex comparatione huius dicti cum antec. c. XI, 13. 14. 15. vt & conſequ. c. XII, 10.

tam a Deo propitiato. *Finis*, ex parte Dei, *vltimus* eſt *manifeſtatio diuinæ iuſtitiæ*, qua peccata vindicantur; *ſapientiæ*, qua furori diabolico certa præfigitur meta: *potentiæ*, qua Satan expellitur. Ex parte diaboli quidem, corporalis obſeſſionis finis eſt pernicies hominis; quam tamen Deus, pro immenſa ſua bonitate, ſæpe in obſeſſorum ſalutem conuertit, vt reſipiſcant & ſaluentur. Conf. Matth. XV, 28. 1 Cor. V, 5.

Quæſt. XXXII. *Quænam ſunt ſigna obſeſſionis corporalis?*

Signa obſeſſionis corporalis recenſentur varia, quorum quædam obſeſſis ſunt propria; quædam melancholicis, ecſtaticis, & phreneticis communia, ideoque non diſiunctim, ſed coniunctim ſumenda & conſideranda ſunt, ne grauibus morbis afflictos pro obſeſſis habeamus.

Prob. Indicia corporalis obſeſſionis ſunt: 1) Linguarum peregrinarum atque diſciplinarum notitia, nullo ſtudio comparata: 2) Occultorum & futurorum ſcientia atque manifeſtatio: 3) Loquela, aperto ore, abſque debita organorum diſpoſitione facta: 4) Auicularum, ouium, boum, porcorum, vrſorum &c. repræſentatio: 5) Robur plus quam humanum in portandis oneribus immanibus: 6) Blaſphemiæ horrendæ in ſanctiſſimum numen eructatæ: 7) Agillima corporum diductio, ſine diſſolutione compagis corporis, Luc. IV, 35. 8) Geſtus & actus impuri, ſæui, terribiles, v. gr. ſpumant interdum ore, frendent dentibus, abiiciunt ſe in aquam, in ignem, & mortem ſibi conſciſcere nituntur: 9) Grauis vexatio intus in viſceribus & partibus corporis, ventrisque intumeſcentia: 10) Ceſſatio ſenſuum, tam internorum, quam externorum, & facultatis locomotiuæ, Matth. XV, 22. c. XVII, 16. Luc. VIII, 25-35. Marc. I, 24.

Quæſt. XXXIII. *Quænam ſunt antidota aduerſus obſeſſionem corporalem?*

Antidota præſentiſſima aduerſus obſeſſionem corporalem ſunt preces & ieiunium.

Prob. ex Matth. XVII, 21. *Hoc autem genus* (dæmoniorum) *non exit, niſi per preces & ieiunium.* Ex quo ſolenne fuit primitiuæ eccleſiæ, indicere dies ieiuniorum, inſtituere conventus publicos, introducere in eccleſiam dæmoniacum, & ſuper eo pias in cœlum mittere preces. AVGVSTIN. *lib. XXII. de C. D. c. 8.*

Quæſt. XXXIV. *Num etiam ſpectris illudunt hominibus dæmones?*

Cacodæmones hominibus illudere ſpectris, ſacræ docent litteræ.

Prob. 1) שעירים ſatyri vulgo dicti, hircorum ſpecie apparentes Eſ. XIII, 21. &c. XXXIV, 14. fuerunt ſpectra. 2) Auctor ſapientiæ de ſpectris inquit: c. XVII, 3. 4. Simulacris perturbati ſunt --- & phantaſmata flebilibus ſpeciebus apparebant. 3) In N. T. fit mentio ſpectrorum, Matth. XIV, 26. Luc. XXIV, 37.

Quæſt. XXXV. *Suntne ſpectra animæ defunctorum?*

Spectra non ſunt animæ defunctorum.

Prob. Animæ defunctorum impiorum non redeunt in hanc vitam, Luc. XVI, 26. Piorum vero animæ requieſcunt in manu Dei, Sap. III, 1.

Quæſt. XXXVI. *Quibus mediis ſpectra profligantur?*

Profligantur ſpectra a) fide inuicta, b) precibus ardentibus, c) ſeria vitæ emendatione, d) patientia conſtanti.

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. Reſiſtimus diabolo ſtabiles fide, 1 Petr. V, 9. Hæc eſt ſcutum, quo tela ignita diaboli excipimus. Eph. VI, 16.

Prob. b. Dæmones fugantur precatione & ieiunio. Matth. XVII, 21.

Prob. c. Infeſtati ſpectris vitia virtutibus emendent. Docet namque Chriſtus Luc. XI, 24. 25. 26. diabolum iſtis habitaculis vt plurimum delectari, quæ varia ſpurcitie contaminata ſunt.

Prob. d. *Ecce! beatos prædicamus, qui perpeſſi ſunt. Patientiam Iobi audiuiſtis, & finem domini vidiſtis; nam valde miſericors eſt dominus, & miſerator.* Jac. V, 11. Qui incurſiones dæmonum placido animo ſuſtinet, ſubinde recogitat, quod iis, qui diligunt Deum, omnia cooperentur in bonum, Rom. VIII, 28.

Quæſt. XXXVII. *Quibus operationibus occupantur dæmones circa ſtatus hierarchicos?*

Cacodæmones ſtatum eccleſiaſticum a), politicum b), & œconomicum c), turbare, conuellere, penitusque euertere aſſidue meditantur.

Prob. a. *Statui eccleſiaſtico* diabolus & ipſius angeli vehementer aduerſantur, 1) hæreſes ſpargendo: ſerit enim diabolus, hoſtis vaferrimus, zizania in agrum eccleſiæ, hominibus ſomno ſecuritatis ſepultis. Matth. XIII, 27. 2) Conatus piorum eccleſiæ miniſtrorum impediendo. Paullum profecturum ad Theſſalonicenſes Satanas impediuit. 1 Theſſ. II, 18. 3) Auditorum mentes a meditatione & praxi verbi diuini auocando: tollit enim diabolus ſemen verbi e corde audientium, Luc. VIII, 12. 4) Perſecutiones aduerſus regnum Chriſti excitando; dimicat quippe draco infernalis aduerſus Michaëlem. Apoc. XII, 7.

Prob. b. *Statum politicum* turbat diabolus, 1) harmoniam reipublicæ aut inteſtinis diſſidiis, aut externis bellis conuellendo. Sic ſpiritus malignus concitauit Achabum ad bellum ſuſcipiendum aduerſus Syros. 1 Reg. XXII, 21. 2) Iniqua & exitioſa conſilia imperantibus ſuggerendo; quale conſilium fuit de numerando populo, quod Dauidi ſupeditauit. 1 Chron. XXII, 1.

Prob. c. *Statum œconomicum* affligit diabolus, 1) mentes coniugum diſtrahendo: eſt enim homicida ab initio, qui litibus ſerendis delectatur, Jo. VIII, 44. 2) Coniugum liberis, bonisque inſidiando. Jobum piiſſimum diabolus & opibus, & liberis orbauit. Job. I, 13.

Quæſt. XXXVIII. *Quotuplex eſt pœna angelorum malorum?*

Pœna angelorum lapſorum eſt duplex, pœna *damni*, & *ſenſus*. Pœna *damni*, quam etiam *priuatiuam* vocant, eſt triſtiſſima iactura gratiæ & gloriæ a). Pœna *ſenſus*, ſeu *poſitiua*, ſunt cruciatus, quos perſentiſcunt dæmones inde a lapſu permagnos b), maiores ſubibunt in die extremi iudicii c). *Pœna angelorum malorum.*

Prob. a. Angeli lapſi peccato ſuo grauiſſimo ſeipſos ſtatu gratiæ & gloriæ priuarunt, atque adeo tum concreatam ſapientiam & iuſtitiam amiſerunt, tum ſpe viſionis Dei beatificæ exciderunt. Conf. Jo. VIII, 44. ep. Iud. v. 6.

Prob. b. Diabolo & angelis ipſius paratum eſſe ignem, docemur, Matth. XXV, 41. vbi haud dubie intelligit Saluator ignem ſingularem in ſpiritus agentem & dolores exquiſitiſſimos inferentem.

Prob. c. S. Petrus 2 ep. c. II, 4. aſſerit, *Deum angelis, qui peccarunt, non peperciſſe, ſed catenis tenebrarum in tartarum eos detruſiſſe, atque tradidiſſe in iudicium aſſeruatos*, conf. ep. Judæ v. 6. Per catenas tenebrarum notatur obligatio angelorum ad pœnam & ſtatum



Digitized by Google

ſqualore miſeriæ horridum ac triſtem. His catenis Deus angelos lapſos ita alligauit, vt eas nusquam & nunquam excutere, aut euadere valeant. Quamuis enim Deus vsque ad diem extremi iudicii, ipſis in hoc aëre verſari, hominesque tentare permittat: ſuam tamen pœnam miſeriamque, velut captiua mancipia catenam ſuam, vbique circumferunt. Ceterum dicit apoſtolus, angelos lapſos aſſeruari in iudicium, vt in die vniuerſalis iudicii palam a Chriſto iudice declarentur, vt violatores ſanctiſſimæ voluntatis diuinæ, & augmentum, vel complementum ſuppliciorum nanciſcantur.

Quæſt. XXXIX. *Eruntne pœnæ angelorum æternæ?*

## Angelorum malorum pœnæ æternæ & ſine fine perennes erunt.

Prob. 1) Matth. XXV, 41. *Diabolo & angelis eius paratus dicitur ignis æternus;* in quem etiam mittentur homines reprobi, de quibus Chriſtus v. 46. inquit: Ibunt iniuſti in ſupplicium æternum; pii vero in vitam æternam. Ex qua oppoſitione diſpaleſcit, æternitatem finis expertem deſignari. Nam vti æterna eſt vita, quam ingreſſuri ſunt electi: ita æternum eſt ſupplicium, quod luent dæmones & homines reprobi. 2) Apoſtolus Judas ep. v. 6. aſſerit, angelos, qui non retinuerunt originem ſuam, ſed deſeruerunt proprium domicilium, *æternis vinculis* ſub caligine aſſeruari. Atqui vinculis æternis, i. e. nunquam laxandis, ſub caligine, h. e. in tartaro, conf. 2 Petr. II, 4. e quo nulla redemtio, detinentur, illis nulla ſpes veniæ ſupereſt. 3) S. Jo. in Apoc. XX, 10. ait: *Diabolus, qui ſeducebat eos, coniectus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi beſtia & pſeudopropheta, & cruciabuntur dies & noctes in ſæcula ſæculorum.* 4) Angeli mali nec de ſuo habent, vnde irato Deo ſatisfaciant: nec ipſis deſtinatus eſt mediator, reconciliator, interceſſor: nec vlla iisdem conceſſa ſunt conuerſionis, iuſtificationis, renouationis ſubſidia. Ergo cum Deo in gratiam redire nequeunt.

*Antitheſis* tribuitur communiter *Origeni*, doctori Adamantio; quem tamen nonnulli excuſatum eunt, quod angelorum reſtitutionem in integrum non ſerio aſſeuerauerit, ſed de eadem tantum problematice diſputauerit, veritatis accuratius indagandæ cauſſa. Vid. D. CALOV. *in ſyſt. th. tom. IV. p. 374.* *Anabaptiſtæ* tamen Sec. XVI. audacter affirmarunt, dæmones tandem, impoſito cruciatibus ipſorum fine, ſaluatum iri. At *Sociniani* ſomniant, dæmones non æternum igne infernali torquendos, ſed penitus abolendos eſſe, qui ſuam opinionem ſequentibus argumentis firmant:

I. Quodcunque peccatum fuit finitum, illud ſalua æquitate æternis pœnis non poteſt affici. Atqui peccatum angelorum &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia inter delicta, & eorum poenas, intercedere debet proportio quædam, ceteroqui violaretur iuſtitia. Jam vero peccati finiti ad pœnam infinitam nulla datur proportio. Reſp. Peccatum angelicum non *quidem ratione actus tranſitorii*, attamen *ratione reatus*, *infinitum* cenſetur propter infinitam Dei maieſtatem, quæ peccato angelico læſa eſt. Finitas & infinitas in culpis non ex duratione, ſed obligatione morali æſtimanda eſt. Finiti ad infinitum non quidem phyſica aut mathematica, attamen moralis proportio datur. Sic rex ciuem, a quo ipſius maieſtas vno actu, vna hora commiſſo, læſa eſt, in perpetuum relegare, eiusque memoriam delere poteſt, illæſa iuſtitia.

II. Miſericordia Dei durat in perpetuum, Thren. III, 22. 31. E. angelos lapſos in æternum non proiicit. Reſp. Juſtitia Dei etiam durat in perpetuum. Sicut Deus miſericors, ita etiam iuſtus eſt. Juſte Deus vindicat peccatores auerſos, clementer recipit conuerſos. Inſtantia: Sed ſi homines poſſunt conuerti: quidni & diaboli? Reſp. Hominibus lapſis diuinitus ordinatus & miſſus eſt reparator integritatis amiſſæ, Jeſus Chriſtus; non autem angelis, a Deo auerſis. Hos enim Chriſtus non aſſumſit. Hebr. II, 16. Proinde etiam angelis, qui peccarunt, Deus non pepercit, 2 Petr. II, 4. Cauſſam perpetuo denegatæ dæmoni-

bus

Digitized by Google

bus gratiæ, tacente ſcriptura S. certo infallibiliter reddere nequimus: Sequentes autem rationes ſancti patres, citante D. CALOV. *tom. IV. ſyſt. p. 319.* adduxerunt. IRENAEVS *L. IV. 28: Diabolus ex malitia plena peccauit, homo ex negligentia.* GREGORIVS *M. l. IX. moral. c. 36: Homo a diabolo ſeductus, diabolus ſua ſponte defecit.* CHRYSOST. *homil. I. de Adam & Eua: In angelorum lapſu non tota angelica natura, vt homine primo peccante tota natura humana periiſſet.* Ceterum nos veneramur iudicium Dei iuſtiſſimum, quem penes eſt arbitrium, peccatorem in gratiam recipiendi, ac perpetuo deſerendi.

III. Chriſtus in die extremi iudicii deſtruet omnem principatum & omnem poteſtatem ac virtutem, 1 Cor. XV, 24: E. in nihilum rediget principatus, poteſtates, & mundi potentes tenebrarum huius ſæculi, Eph. VI, 11. i. e. ſpiritus malignos. Reſp. Verbum καταργεῖν, quod habetur in fonte, non ſignificat ſimpliciter annihilare, ſed vim, efficaciam & operationem alicui ſubtrahere, aut adimere. Conf. Luc. XIII, 7. Rom. III, 3. 31. 1 Cor. XIII, 8. 10. Gal. III, 17. cap. V, 4. 11. Eph. II, 14. Deſtruet igitur Chriſtus vim, poteſtatem & imperium dæmonum, non illos in nihilum rediget.

Quæſt. XL. *Quos vſus practicos ex doctrina de angelis excerpes?*

Confert doctrina de angelis nobis a) inſignem vſum *paræneticum*, ad fugienda peccata, agendam pœnitentiam & colendam virtutem b); vſum *paracleticum*, vt, de cuſtodia angelorum in omnibus periculis & caſibus aduerſis certi, animum erigamus. *Vſus practici.*

Prob. a. Sollicite 1) caueamus, ne aſpectantibus angelis quidquam præter decorum faciamus. Quo ſpectat illud monitum S. Paulli 1 Cor. XI, 10. *Mulier debet habere poteſtatem* (velamen, ſubiectionis erga maritum ſignum) *ſuper capite, propter angelos.* Idem inculcat BERNHARDVS *ſerm. XII. in Pſ. XCI. In quouis angulo angelo tuo reuerentiam habe; nec illo præſente facias, quod me præſente erubeſceres.* 2) Mature pœnitentiam agamus, tum vt porro angelorum cuſtodia fruamur, tum vt gaudium quoddam iisdem excitemus. *Gaudium erit coram angelis Dei, ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente.* Luc. XV, 10. 3) Virtutes angelorum imitemur. Angeli Deum reuerentur, ipſius laudes decantant, & imperata haud inuiti faciunt. Quare nos Deum timeamus. Caſtra metatur angelus Jehouæ circa timentes ipſum, Pſ. XXXIV, 8. Gratias agamus Deo, cum pro omnibus beneficiis, tum inprimis pro præſidio angelico. Præceptis denique diuinis promtiſſime obtemperemus; cum obſequium ſit ſacrificium Deo gratiſſimum.

Prob. b. Quod ſi in viis vocationis noſtræ ambulemus, angeli nos comitabuntur, protegent, a periculis tutos præſtabunt. Nam Deus *angelis ſuis præcepit de te, ad cuſtodiendum te in omnibus viis tuis; qui ſuper manibus portabunt te, ne forte impingas in lapidem pedem tuum,* inquit hieropſaltes, Pſ. XCI, 11. 12.

*SVSPIRIVM.*

Quibus verbis, o Deus miſericordiſſime, pronam tuam in me beneuolentiam deprædicem? Tu me condidiſti, conditum protexiſti. Et vitam, & vitæ ſecuritatem, tibi acceptam refero. Etenim qui genii puriſſimi coram tua maieſtate ſtant, vt miniſtri promtiſſimi, te iubente, mihi adſtant, vt cuſtodes fideliſſimi. Frendeat diabolus: Non ſuccumbo ſtipatus athletis cœleſtibus. Inſultet orbis: Non peſſundor, angelico præſidio fultus. Agnoſco grato pectore, o benigniſſimum Numen, tuam in me gratiam propenſisſimam, & ardentisſime precor, vt me euntem & redeuntem ſpiritu tuo perpetuo regas, quo viam vocationis meæ, viam pietatis inoffenſo pede ſtrenue decurram. Sic enim futurum eſſe credo, vt ſancti angeli circa me caſtra metentur, ab inſultibus hoſtium me tutum præſtent, & tandem animam meam, rebus humanis feſſam, in gremium Chriſti, vbi ſecura & iucundisſima manſio, transferant.



Digitized by Google

# THEOLOGIAE PARTIS PRIMAE,

## CAPVT V.

# DE HOMINE.

Quæſt. I. *Quid eſt homo?*

*Definitio hominis.* Homo eſt animal, conſtans anima rationali & corpore organico, a Deo conditum, ipſiusque imagine in prima creatione condecoratum, ad creatorem ſincere colendum, vitam pie traducendam, & æternam beatitatem conſequendam.

Obſeru. I. Agimus hic de homine, non quatenus eſt peccator; ſic enim eſt ſubiectum operationis theologicæ, cuius conſideratio pertinet ad ſecundam partem theologiæ: Sed quatenus homo eſt creaturarum nobiliſſimarum altera, creationis centrum, præcipuus mundi aſpectabilis incola, in quem vberrimi bonitatis diuinæ riuuli redundarunt.

Obſ. II. Philoſophi ſuccincte definiunt hominem per *animal rationale:* at theologi eſt, hominem per quatuor deſcribere cauſſas.

Quæſt. II. *Quis fuit primus homo?*

*Primus homo.* Primus omnium hominum fuit Adam, parens vniuerſi humani generis.

Prob. 1) Quia Adam diſertis verbis appellatur *primus homo.* 1 Cor. XV, 45. 47.

Non eſt, quod excipias, Adamum dici primum hominem reſpectiue, habito reſpectu ad vltimum Adamum, qui eſt Chriſtus. Vocatur enim primus homo abſolute; ſiquidem Adamus primus fuiſſet homo, licet Chriſtus nunquam veniſſet. Comparatur Adamus cum Chriſto non ratione prioritatis; ſed quatenus ille auctor peccati & mortis, hic iuſtitiæ & vitæ eſt. 2) Gen. II, 5. Moſes aperte ſcribit, nullum fuiſſe (ante Adamum) hominem ad colendam terram. Si nullus fuit ante Adamum homo, qui terram coleret: qua ſpecie veri aſſeri poteſt, quod ante Adamum producti ſint gentiles? 3) Quia, cum conderetur Adamus, non inuentum eſt adiutorium, ſiue fœmina adiutrix, Gen. I, 19. At vero, ſi gentiles diu ante Adamum fuiſſent conditi, vtique inuentum fuiſſet pro Adamo adiutorium. 4) Quia *Eua* dicitur *mater omnis viuentis*, Gen. III, 20. Si ante Euam vixiſſent fœminæ, illo titulo non fuiſſet ornata. 5) Apoſtolus teſtatur, Act. XVII, 26. *Deum feciſſe ex vno ſanguine omne genus humanum.* At vero ſi ante Adamum gentiles fuerunt creati, dici non poſſet, Deum *omne* genus hominum feciſſe ex vno ſanguine.

*Antitheſis* eſt *Iſaaci Peyrerii*, qui anno 1655. ſparſit opinionem monſtroſam de Præadamitis, cuius potiora ſunt argumenta:

I. Duplex hominum creatio deſcribitur in ſacris litteris. Prior Gen. I. vbi maſculus & fœmina vno actu, non abrupta ſerie, dicuntur conditi. Poſterior Gen. II. vbi ſeries creationis abrumpitur, & creatio Adami atque Euæ ſecundum actus diſtinctos delineatur, Gen. I. Gentilium origo, Gen. II. Judæorum creatio in Adamo deſcripta videtur. Reſp. 1) Creatio hominis deſcripta cap. I. & II. Geneſeos vna eſt, cuius circumſtantiæ cap. II. luculentius recenſentur, & quamuis Gen. I. creatio Adami & Euæ coniungatur, non tamen illa coniunctione vnus actus indicatur, ſed *generatim* tantum ibi proponitur, & c. II. *ſpeciatim* per diſtinctos actus explanatur. 2) Si alia eſt creatio hominis cap. II. Gen. deſcripta ab ea, quæ Gen. I. continetur,

Digitized by Google

tur, dicendum erit, quod cum Gen. II, 4. dicitur: *Hæ ſunt generationes cœli & terræ,* etiam aliud cœlum & alia terra intelligatur, quam Gen. I, 1.; item cum Gen. II, 5. dicitur, quod plantæ & herbæ fuerint productæ, aliæ intelligendæ ſint herba & plantæ, quam quæ Gen. I. dicuntur productæ, quod abſurdum. Sane ex ipſo textu patet, quod quæ opera Gen. I. creata commemorantur, Gen. II. adiectis quibusdam circumſtantiis repetantur. (*)

II. Quicunque homicida profecturus in terras peregrinas, extimeſcit hominum pœnas, ille plures ibi homines viuere præſupponit. At Cainus &c. E. *Maior* conſtat: Si homicida abiret in terram peregrinam, hominibus vacuam, nullum ibi hominem extimeſceret. *Minor* patet e Gen. IV. vbi Cainus Deum ita alloquitur: *Ecce eiecisti me de* (loco) *ſuper faciebus terræ huius, ita vt a faciebus tuis me abſcondere cogar: Vnde vagus & agitatus ero in terra* (*reliqua*) *vt quisquis offenderit me, occidat me.* At ſi præter Adamum & Euam non vixiſſent homines, Caino peregrinas petituro terras, nulla formido fuiſſet offuſa. R. 1) Homicida etiam tutiſſima loca timet, torquente intus conſcientia. 2) Timuit Cainus patrem Adamum vindicem, timuit vltores Habelis poſteros, timuit e liberis ſuis quendam fore Abſolonem.

III. Dantur homines, qui non peccarunt in ſimilitudine præuaricationis Adami. Rom. V, 14. E. non omnes homines ſanguine Adami creti ſunt. R. Præuaricatio Adami erat peccatum actuale proæreticum, cuius conſequens erat mors dominans non tantum in eos, qui ad inſtar Adami ἐκ τῆς προαιρέσεως peccarunt, ſed & in embryones, qui exſtinguuntur, & in infantes recens natos, non peccatis proæreticis contaminatos, ſed peccato originali, quod ex Adamo in poſteros dimanauit, infectos.

IV. Non omnes homines deſcendere ab Adamo, docet exemplum Melchiſedeci, qui ſi fuiſſet Adamigena, non diceretur ἀπάτωρ Hebr. VII, 3. Reſp. Melchiſedecus dicitur ἀπάτωρ, reſpectu noſtræ notitiæ; quoniam nobis diuinitus reuelatum non eſt, quis ipſius fuerit parens (**).

V. Si ante Adamum nulli conditi fuiſſent homines, multorum ſæculorum decurſu nemo fruitus eſſet fructibus arborum natarum in Germania, Polonia, Gallia &c. qui fructus millecupli fruſtra pependiſſent in arboribus, fruſtra cucurriſſent animalia cicura & fera in campis, montibus, ſyluis &c. At Deus & natura nihil faciunt fruſtra. Reſp. Diſt. *inter actum, & potentiam fruendi.* Iubente & operante Deo arbores proferunt fructus, vt homo iis poſſit frui; quamuis homo non ſemper actu iisdem fruatur. Intereunt multæ herbæ, multique fructus, quos nemo vertit in vſum ſuum, qui tamen in vſum hominum ſunt nati.

Quæſt. III. *Quis creauit hominem.*

Hominem creauit Deus triunus. *Cauſſa efficiens hominis.*

Prob. e Gen. I, 26. Dixit אלהים Deus; נעשה *faciamus* (faciemus) *hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram.* Obſ. 1) Oraculo hoc cœleſti pluralitas perſonarum diuinarum innuitur. Adhibetur enim a) nomen *Elohim,* quod non tantum terminatione,

(*) Quam aperte falſa ſit illa PEYRERII opinio, 3) vel ex eo patet, quod Iudæorum ac profanarum gentium differentia nulla fuit ante Abrahamum, quippe cuius poſteros ſanctam, ſeparatamque ab aliis gentem eſſe Deus voluit.

(**) Melchiſedecus, vt diſcernitur ab Aaroniticis ſacerdotibus, ex tribu Leui ortis; ſic ἀπάτωρ vocatur ipſe, vt eo etiam nomine diſtinguatur a genealogiis Leui, omniumque tribuum, in gente, Deo conſecrata, ſummo ſtudio adſeruatis, quem ad modum Paullus ipſe interpretatus eſt, v. 6: ὁ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν. Si ἀπάτωρ ita ſimpliciter dictus fuiſſet, vt patrem prorſus nullum habuerit; quo demum iure ad Præadamitarum propagines, vt PEYRERII quidem fert opinio, eſſet referendus?

Digitized by Google

tione, ſed & ſignificatione plurale eſſe, ſupra euicimus. b) Verbo plurali, *faciemus*, c) annectuntur ſuffixa pluralis numeri: *In imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram.* 2) Ex mente plurimorum theologorum Deus a Moſe introducitur conſultans de creando homine ad imaginem ſuam. At D. VAREN. *decad. I. Moſ. p. 115.* cenſet, non tam conſultationem, quam intentionem & decretum Dei deſignari, & verbum hebræum נעשה latine reddit: *faciemus;* quia a) propriiſſima ſignificatio futuri ſimpliciter exprimitur; b) harmonia decreti, et ipſius exſecutionis, quæ confeſtim additur v. 27., luculentius oſtenditur; c) ſtante iſthac expoſitione, nec ἀνθρωποπάθειαν in conſultando fingere opus eſt, nec conſultationem cum angelis comminiſci *Iudæis* & *Photinianis* licet. Addo annotationem SEB. SCHMIDII: *Et dixit apud ſe Deus (Pater, Filius, & Spiritus S. ſummo conſenſu). Ratio eſt? Quia verba; Faciamus hominem &c. non ſunt verba ad conſultandum inuitantis, ſed decernentis*; cuius decreti exſecutio immediate v. 27. ſequitur: Creauit itaque Deus hominem &c. Decreta vero Dei de rebus ad extra, ſicut & exſecutio decretorum, omnibus tribus perſonis deitatis ſunt communia.

Dicis: Deus more magnatum de ſe in numero multitudinis loquitur, adeoque pluralitas perſonarum diuinarum l. c. non indicatur. Reſp. Huic obiectioni ſupra ſatisfecimus.

Quæſt. IV. *Ex qua materia conditus eſt homo?*

*Materia hominis.* Corpus Adami ex terra a), corpus Euæ ex coſta Adami formatum eſt b).

Prob. a. Gen. II, 7. *Formauitque Deus hominem, puluerem de terra.* Obſ. 1) Principium materiale hominis dicitur אדמה, proprie terra rubra, ſiquidem in terra Babylonica terra paſſim rubeat; quamuis eadem vox generatim ſumta quamcunque terram ſignificet, & ex eadem materia formatæ ſint beſtiæ, Gen. II, 19. vt terra commune ortus principium ſit homini atque beſtiis, & commune vtriusque habitaculum. 2) Indicat Moſes, *elementum prædominans*, e quo productum eſt corpus Adami, eſſe terram; reliqua tamen elementa, aquam, aërem, & ignem, non ſimpliciter excludit. Ex qua namque materia corpus humanum conſtat, ex eadem productum eſt primitus: Conſtat autem ex quatuor elementis. 3) Formatus dicitur homo puluis de terra, vt ſignificetur, eum non ſolum de puluere terræ, ſed etiam nil, niſi terræ puluerem eſſe, ſi absque anima & concreata imagine Dei ex ortus ſui principiis æſtimetur. Vnde, hac amiſſa, audiebat hanc vocem; puluis es, & in puluerem reuerteris! Gen. III, 12.

Prob. b. Gen. II, 21. 22. *Tum* (denique) *cadere fecit Iehouah Deus ſomnum grauem ſuper hominem, vt obdormiret, ſumſitque vnam de coſtis eius, & incluſit carnem pro ea, ædificauitque Iehouah Deus coſtam, quam ſumſerat de homine in mulierem.*

Obſ. 1) Cum corpus Euæ ex Adamo exſtruendum eſſet, *iacuit hic ſopore merſus*, vt diuinæ architectonicæ non ſpectator, ſed admirator fœminæ ædificatæ eſſet. Vt enim medici narcotica adhibent in grauioribus curationibus, vt ægrotus, quid agatur, non ſentiat: ita Deus Adamum demiſit in ſoporem altiſſimum, vt fabrica Euæ ex coſta Adami nullum ipſi crearet dolorem. 2) Non fuit ille *ſomnus ſine illuſtribus reuelationibus diuinis*, ſed mens dormientis Adami ſic eleuata & diuinitus illuſtrata fuit, vt coſtam e corpore ſibi eximi intelligeret. Ex quo תרדמה a LXX. Interpr. redditur per ἔκστασιν: quamuis non perfecta ἔκστασις, ſed ſopor propheticus ecſtaſi analogus fuerit. Conf. D. VAREN. *dec. VII. Moſ. p. 183.* 3) *Coſta*, e qua exſtructum eſt corpus Euæ, *non fuit ſuperflua, ſed naturalis, & integrando corpori Adami debita.* Quam enim coſtam Deus abſtulerat, carne compenſauit, Gen. II, 22. Non autem poteſt fieri reſtitutio, niſi præſupponatur debitæ partis ablatio. Nec obſtat, quod non diſerte coſta dicatur reſtituta, ſed tantum caro. Nam vt Deus extrahendo ex corpore Adami coſtam vna extraxit carnem; quod niſi contigiſſet, Adamus de Eua dicere non potuiſſet,

Digitized by Google

tuiſſet, illam eſſe os de oſſibus ſuis, & carnem de carne ſua: ita reddendo carnem, ſubintelligitur, redditam etiam eſſe coſtam; etſi Moſes id diſerte non dicat. (4) Fuit *coſta Adami, e qua facta eſt Eua, non exanimis, ſed animata.* Nam (a) non dicitur inſpirata anima Euæ, vt Adamo. (b) Fuit pars corporis viui & animati. (c) 1 Cor. XI, 8. mulier dicitur ſumta eſſe ex viro. At mulier eſt nomen ſuppoſiti, quod ex corpore non tantum, ſed & anima conſtat. Sane eo modo mulier dicitur eſſe ex viro, quo vir non eſt ex muliere. Atqui vir non eſt ex muliere tam ratione corporis, quam ratione animæ, quia illam immediate inſpirauit Deus. Ergo ſecundum animam & corpus mulier eſt ex viro.

Quæſt. V. *Quomodo condidit Deus homines protoplaſtos?*

Modus, quem Deus in condendis primis hominibus adhibuit, conſiſtit a) in artificioſa effigiatione corporis Adami; b) in inſpiratione animæ; c) in ſingulari corporis Euæ ædificatione. *Modus creationis hominis.*

Prob. a. Modus productionis vocibus hebræis עשה & יצר exprimitur. עשה ſignificat ornate & decenter aliquid facere; יצר proprie notat fingere, & vſurpatur de figulis, qui argillæ, quam ſubigunt, elegantem inducunt figuram. Ita Deus hominem ornate & decenter formauit, concinnamque corpori hominis, atque debitam membris vniuerſis harmoniam induxit.

Prob. b. Gen. II, 7. *Inſpirauit Deus in nares hominis animam vitarum, & factus eſt homo in animam viuentem.* Obſ. 1) Corpori effigiato quidem, at iacenti inſtar trunci, experti motus, ſenſus, rationis, inſpirata & vnita eſt anima, velut ἐντελέχεια, ſiue forma, qua actuandum, mouendumque & perficiendum erat. 2) Vti corpori tribuitur πλάσις, ſiue formatio; ita animæ ἔμπνευσις, ſeu inſpiratio. Inſpiraſſe autem Deus dicitur ἀνθρωποπαθῶς, more humano, quod intelligendum eſt θεοπρεπῶς, modo Deo conuenienti. Neque enim notat halitus corporei emiſſionem; cum Deus ſit incorporeus: ſed (a) *modum actionis*, quo anima corpori Adami eſt communicata; quod communicatio illa facta ſit modo facili atque ſpirituali, ſiquidem eadem inſpiratione anima ſit producta, ſimul atque inſpirata dicitur: (b) *effectum actionis*, quod effectus productus ſit ſpiritus corpore atque materia omni diſtinctus. 3) *Anima inſpirata dicitur a Deo, ſed non ex Deo.* Neque enim de ſubſtantia ſua Deus animam homini inſpirauit, vti Stoici, Epictetus, Seneca, Cicero *animam diuinæ particulam auræ*, dixere, & *Manichæi* ac *Priſcillianiſtæ* animas humanas ex Dei ſubſtantia exſtitiſſe aſſeruere, in *concilio Bracarenſi* can.V. ideo damnati, quia ſubſtantia Dei & indiuiſibilis, & meræ creaturæ incommunicabilis eſt. 4) Deus animam homini *inſpirauit in nares;* quia in his maxime animam per reſpirationem & vitales actiones ſeſe prodere voluit ſapientiſſimus creator. 5) Animam vocat Moſes *ſpiraculum vitarum*, h. e. non tantum per ſe immortaliter viuentem, ſed & corpus viuificantem, & per nares ſpirantem. 6) Per hoc ſpiraculum vitarum homo factus eſt *in animam viuentem*, h. e. in perfectum animal viuens.

Dicis: Ex ſententia noſtra luculente expoſita ſequitur, primum corpus, deinde animam creatam eſſe; quod fieri non potuit, quia 1) creatio eſt actio inſtantanea, adeoque homo in inſtanti eſt creatus citra ſucceſſionem, aut moram temporis. 2) Corpus Adami ſimulatque creatum fuit, corpus fuit viuum, anima præditum, ceteroqui fuiſſet cadauer. 3) Fuit organicum, adeoque animatum. Reſp. ad 1) Creatio, vt ſic, eſt inſtantanea; at prout eſt plaſtica, formatiua & quaſi figulina, admittit moram, ita, vt vna pars poſt alteram creetur. Dici tamen poteſt creatio hominis inſtantanea ratione ſuppoſiti, quia in momento anima corpori eſt inſpirata, vt eſſet animal viuum. Ad 2) Ad veritatem corporis, e quo homo componendus eſt, non requiritur anima: nam corpus Chriſti verum erat corpus in triduo mortis,

 licet

Digitized by Google

licet phyſice non eſſet viuum. Ad 3) diſtingu. inter ordinem naturæ conſtituendum, & conſtitutum. Poſteriori modo nullum dicitur corpus organicum, niſi ſit animatum: At priori modo corpus organicum eſt, quod ipſius creatoris quaſi manibus effigiatum, & ad recipiendam animam idoneum factum eſt.

Prob. c. *Corpus Euæ, voce architectonica, ædificatum*, i.e. decore coagmentatum, dicitur, vt indicetur, mulierem non tantum fore ſedem virtutum, ſed & vterum eius futuram eſſe domum, in qua per generationem ædificandum atque propagandum ſit genus humanum.

Quæſt. VI. *Ex quot partibus conſtat homo?*

*Partes hominis.*

Homo conſtat e *duabus partibus*, anima rationali, & corpore organico.

Prob. I. *E creatione hominis.* Nam, teſte Moſe, Gen. II, 7. Corpus formatum eſt e terra, cui ſpiraculum vitæ, anima, eſt inſpiratum. Tertiam partem S. hiſtoriographus non addit.

Dicis: Tres partes expreſſe a Moſe ponuntur, terrenum corpus, ſpiraculum vitæ, anima viuens. Reſp. Trium quidem mentio fit a Moſe, ſed duorum, vt *partium* eſſentialium, tertii vero vt *compoſiti* ex iſta partium vnione reſultantis: quod compoſitum dicitur anima viuens, denominatione facta a priori.

2) *Ex aſſertione Chriſti:* Matth. X, 28. *Ne timete vobis ab iis, qui occidere corpus poſſunt; animam vero occidere nequeunt.* Vbi ipſe ſaluator duas hominis partes recenſet, animam ſcil. & corpus.

3) *Ex morte hominis.* Quando hic moritur, nonniſi in duas partes reſoluitur, Eccleſ. XII, 7. E. Non niſi ex duabus partibus componitur.

4) *Ex ſtatu poſt mortem.* Nullæ enim ſunt partes eſſentiales conſtituentes hominem præter eas, quæ vel in cœlo triumphabunt, vel in inferno cruciabuntur. At illæ ſunt tantum anima & corpus, Matth. XX, 28. Luc. XVI, 22. 1 Cor. V, 5. 2 Cor. V, 8. 10.

*Antitheſis* eſt *Paracelſi, Comenii, Weigelii & aliorum*, ex quorum mente *tres* ſunt *partes hominis*, ſpiritus, anima & corpus, quorum præcipuum argumentum petitur ex 1 Theſſ. V, 23. *Ipſe vero Deus pacis ſanctiſicet vos integros, & integer veſter ſpiritus, & anima & corpus irreprehenſibiliter in aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* S. Paullus hoc ſuo voto tres videtur homini aſſignare partes, integras & irreprehenſibiles ſeruandas. Reſp. Quid per *ſpiritum* l. c. intelligatur, non vno modo explicatur. Sunt, qui cum CHRYSOSTOMO per ſpiritum intelligunt dona & effecta Spiritus S. in homine renato, ita, vt ſpiritus opponatur carni, Rom. VI. Gal. V. Quo ſenſu ſpiritus non eſt peculiaris pars hominis, ſed donum ſpirituale, quo primario anima, ſecundario corpus ad exercitia pietatis inſtruitur. Sunt alii, qui cum AVGVSTINO & LVTHERO noſtro, per ſpiritum deſignari volunt ſuperiorem animæ facultatem, qua intelligimus & ratiocinamur, per animam inferiorem facultatem animæ, qua ſentimus & appetimus, per corpus intelligunt domicilium animæ, cuius membra velut organa ad praxin pietatis animæ inſeruiunt. Conſiderantur autem hic ſpiritus, anima & corpus non phyſice, ſed theologice, ſecundum ſtatum regenerationis & renouationis. Quæ poſterior ſententia voto Paulli conuenientior videtur. Do igitur, hanc paraphraſin voti Paullini: Id voueo ſincere & precor, vt Deus pacis *ſpiritum* (intellectum) veſtrum illuſtret, & immunem ab erroribus, *ſenſus & affectus* puros ab inordinatis actibus, *corpus* intactum a ſordibus præſtet, vt quæ vera & ſalutaria ſunt, cogitetis; quæ ſancta, appetatis; quæ pura & caſta ſunt, iiſdem viua praxi exercendis omnes corporis artus deuoueatis, ne coram Deo & hominibus in die vniuerſalis iudicii tremendam incurratis reprehenſionem. Eadem ratione verba S. Mariæ, Luc. I, 46. 47. *Magnificat anima mea dominum: Et exſultauit ſpiritus meus*, exponenda videntur, q. d. Quod de ſeruatore generis humani cepi gaudium, torrentis inſtar

Digitized by Google

ſtar omnes meos affectus, omnes ſenſus inundauit, vt mens mea luce cœleſti perfuſa celſiſſimam Dei gloriam pie æſtimet, & in ea concelebranda tota defixa ſit. Conf. D. CALOV. in *bibl. illuſtr. ad* 1 *Theſſ. V. fol.* 884.

II. 1 Cor. XIV, 14. Paullus inquit: *Si namque orauero lingua, Spiritus meus orat, mens vero infrugifera eſt.* Hoc loco Paullus *ſpiritum* a *mente* diſtinguit. Reſp. Hoc loco *per ſpiritum* intelligitur afflatus ille Dei, per quem dono linguarum ornatus fuit apoſtolus; vel etiam motus ſpiritus, ab illo flatu excitatus, qui per peregrinas linguas ſe exſerit. *Per mentem* denotatur ſenſus vel ſententia precationis, quæ dicitur ἄκαρπος, infrugifera, non reſpectu loquentis, ſed audientis, vt verborum Paullinorum ſenſus ſit: Si ego duce Spiritu S. ex animo fundam preces in cœtu ſacro lingua exotica, precum illarum ſenſus fugiet audientes linguæ peregrinæ ignaros, vt nihil vtilitatis ex oratione mea capiant.

Quæſt. VII. *Eſtne corpus vera pars hominis, an tantum eius inſtrumentum?*

Corpus eſt vera pars hominis, ſine quo non eſt verus & integer homo.

Prob. 1) Quia eſſentia hominis duabus abſoluitur partibus, anima & corpore organico; vti in præcedenti quæſtione demonſtrauimus.

2) Si ſola anima eſſentiam hominis abſolueret; homo nunquam moreretur, ſed quando anima ſepararetur a corpore, homo tantum inſtrumentum ſuum deponeret.

3) Si tota eſſentialis hominis perfectio conſiſtit in anima, non opus eſt reſurrectione; quia carne ſublata totum eſſe humanum perſiſteret.

*Antitheſis* eſt *Platonicorum, Socinianorum & Arminianorum*: quorum quidam aperte negant, corpus eſſe partem hominis; quidam dubitant, ſitne pars, an inſtrumentum hominis. Quorum argumenta ſunt ſequentia:

I. Corpus comparatur cum veſte & cum tentorio, 2 Cor. V, 3. 4. 5. Reſp. Similitudo illa non eſt extra tertium extendenda. Nam dicitur anima corpore veſtita, propter vnionem naturalem. Male igitur ex hac loquendi ratione metaphorica infertur, quod corpus non ſit pars hominis. Certe caro Chriſti etiam comparatur veſti & tabernaculo τȣ̃ λόγȣ, nihilo tamen minus pars Chriſti ϑεανϑρώπȣ eſt.

II. Pars hominis viuentis eadem numero perpetuo manet: Corpus non perpetuo idem numero manet: E. Corpus non eſt pars hominis viuentis. *Maior* conſtat; quia vera parte ſublata non manet totum. *Minor* liquet; quoniam ab infantia quilibet noſtrum multa corpora detriuit. Reſp. Neg. min. Quamuis enim ὄγκος, ſeu moles externa corporis creſcat, & decreſcat, augeatur & minuatur: manet tamen idem numero corpus, qua οἰκεῖαν ὕλην, materiam propriam & radicalem.

III. Paullus inquit 2 Cor. XII, 2. *Noui hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, non ſcio; ſiue extra corpus fuerit, non ſcio; Deus ſcit), raptum talem vsque in tertium cœlum.* Indicat apoſtolus, quod licet in ſuo raptu extra corpus fuerit, verus tamen homo manſerit. Ideo dicit: Noui hominem. Vnde naſcitur argumentum: Quicunque, extra corpus conſtitutus, manet verus ac integer homo, ad illius integritatem eſſentialem corpus non pertinet: Atqui quidam homo (Paullus) raptus in tertium cœlum, extra corpus conſtitutus, verus ac integer permanſit homo &c. Ergo. Reſp. Non dubitat apoſtolus, vtrum in ecſtaſi anima corpus informauerit, an ab eo ſeparata fuerit: nam ſi anima ſeparata fuiſſet, apoſtolus fuiſſet mortuus. Sed dubitat, vtrum anima vnita corpori, ſine cooperante corpore, an cum coadmiſſo & concurrente corpore, eleuata fuerit ad audiendum τὰ ῥήματα ἄῤῥητα τȣ̃ ϑεȣ̃, ſiue, vt clarius loquar: Dubitat apoſtolus, vtrum tantum interna mente ineffabilia verba Dei perceperit, an corporeis etiam auribus eadem audiuerit. Non ergo in raptu ſuo apoſtolus conſtitutus fuit extra corpus.



Digitized by Google

IV. Vera pars dat eſſe homini: Atqui corpus non &c. E. *Minor* patet ex axiomate philoſophico: Forma dat eſſe rei. Corpus non eſt forma: Ergo non dat eſſe rei. Reſp. *Forma dat eſſe rei non adæquatum & completum, ſed inadæquatum & incompletum. Forma dat eſſe vltimatum, determinatum & ſpecificum: Materia dat eſſe inchoatum, indeterminatum & genericum: Vtraque iuncta dat eſſe totale.*

V. Corpus humanum appellatur organicum a philoſophis, quia eſt inſtrumentum, non pars hominis. Reſp. Corpus vocatur organicum non reſpectu hominis, ſed reſpectu animæ; cuius quidem *compars eſt*, *ratione vnionis naturalis*, qua homo fit vnum per ſe: At eiusdem animæ *inſtrumentum eſt*, *ratione operationis*, quæ fit per membra corporea, velut organa. Probe autem obſerues, quod membra corporea excellenti ratione dicantur organa animæ; ſiquidem non ſeparata, ſed coniuncta, non inefficacia, ſed efficacia ſunt inſtrumenta.

Quæſt. VIII. *An anima humana a Deo in corpus tanquam in carcerem impurum detruſa eſt?*

Anima humana non eſt a Deo coniecta in corpus, tanquam in carcerem ſqualidum, quo impediatur, quo minus promte ſe eleuare, & ſubuolare poſſit ad Deum cognoſcendum, amandum & venerandum.

*Antitheſis* eſt 1) *Pythagoræ*, *Platonis & eorum diſcipulorum*, qui docuerunt προΰπαρξιν, ſiue præexiſtentiam animarum, quæ, cum faſtidio bonorum cœleſtium incepiſſent amare res terreſtres, in corpus velut carcerem lutulentum ſint detruſæ. Ex quo *Plato* diſerte corpus vocat, *animæ carcerem, in Cratyl. pag. 264. Sap. Aegypt. L. II. c. 5.* Qua de cauſſa hi philoſophi docebant κάθαρσιν, ſiue purgationem a feculentis corporis ſordibus, de qua vid. SCHEFFER. *in philoſoph. Ital. cap. VIII. p. 73.* qui adducit *Porphyrium* ita ſcribentem: *Purgatio eſt diuortium a corpore, & ab irrationali paſſionum motu.* Quam ob rem IO. SCHEFFERVS explicaturus mentem Pythagoræorum inquit: *Liquet ſatis ex his definitionibus, quid intellexerint Pythagoras, & eius ſectatores per purgationem. Corpus ſcil. materiale quid, craſſum, feculentum eſſe dicebant, quo prematur anima, & trahatur ad hæc inferiora, mortalia & vitiis malisque plena: & idcirco fœdetur atque inquinetur, haud ſecus ac in ſqualido & lutulento carcere. Igitur priusquam peruenire valeat ad veram ſapientiam, opus habere καθάρσει, hoc eſt purgatione quadam, qua ei ſordes abluantur.* 2) *Hermetis Triſmegiſti*, qui, filium ſuum modum regenerationis edocturus, ait: *Corporis ſenſus abroga, tum erit deitatis genitura: purga te a materiæ vinculis, ratione deſtitutis.* 3) *Myſticorum* auctorum, iuſto abiectius de corpore humano ſentientium. Præiuit ipſis ORIGENES, qui, teſte PRATEOLO, *in elencho hæreſ. l. 13. num. 5.* aſſeruit, animabus humanis, quia peccarunt, hanc diuinitus irrogatam eſſe pœnam, vt in corporibus velut carceribus detineantur. *Abrahamus a Franckenberg* corpus vocat externum hominem, animam autem internum hominem, atque ſequenti ratione philoſophatur in libro, qui inſcribitur: *Noſce teipſum: part. II. p. 89.* Der innere Menſch urſtändet aus dem einigen Centro des Lebens-Lichtes, aus dem heiligen Kraft-Weſen der Dreyheit GOttes: hergegen der äuſſerliche Menſch, oder der vergängliche flüchtige Leib iſt der irdiſche finſtere Trauer-Sack, die äuſſere irdiſche Schale, und ſchnöde nichtige Herberge, der angenommene Adams-Pelß, das Gehäuſe der Vergänglichkeit.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Tam anima, quam corpus humanum bifariam ſpectari poſſunt: 1) κατ' ȣσίαν, ſecundum ſe, vel eſſentiam ſuam: 2) καθ' ἁμαρτίαν, ſecundum ſtatum corruptionis, ſiue ſecundum peccatum, per accidens adhærens. Si conſiderentur ſecundum ſe, ſunt bonæ creaturæ,

Digitized by Google

turæ, ad gloriam Dei conditæ. *Glorificate* Deum *corpore veſtro, & ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei*, ait Paullus 1 Cor. VI, 20.

Obſ. II. Primaria ſedes peccati eſt anima humana cum ſuis facultatibus. Deflectunt enim a lege diuina intellectus per ignorantiam, opinionem, errorem; voluntas per electionem boni non veri, ſed apparentis; appetitus ſenſitiuus per cœcum impetum in bonum ſenſibus gratum, ſed lege diuina vetitum. Secundaria ſedes peccati eſt corpus hominis organicum, quatenus animæ peccatrici in delinquendo inſeruit.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Prob. 1) Quodcunque corpus a Deo eſt creatum, & affabre effigiatum, vt gratum eſſet animæ domicilium, & cum hac, velut pars naturalis, totum hominem conſtitueret, illud male cenſetur moleſtus animæ carcer: Atqui corpus humanum &c. E. *Minor* probatur ex Gen. I, 27. II, 7. Pulcerrimam corporis effigiationem inculcat Jobus, c. X, 10. & rex Dauid, Pſ. CXXXIX, 15. 2) Cauſſa phyſica, proxima & ſpecialis corporis formati eſt anima in & cum ſemine a generante communicata, ſeu traducta. E. Corpus non poteſt eius eſſe carcer. Ratio conſequentiæ eſt; quia nullus architectus ſibi ipſi fabricat carcerem, quem incolat. Antecedens cuiuis cordato patet. Nam α) opus formationis corporis eſt mire varium, & pro ratione cuiusque ſpeciei reſtrictum. Aliter v. gr. leonis, aliter vrſi, aliter hominis corpus, ſecundum magnitudinem, figuram, colorem, ſitum partium formatur. Vbiuis ergo cauſſa ſpecifica natura ſua ad hoc tale opus determinata adſit, neceſſe eſt: quæ vero illa, niſi ipſa cuiusuis corporis anima? β) Formatio corporis eſt opus ſemini naturale; immo naturaliſſimum. Ergo vi definitionis, quam naturæ omnes aſſignant, a cauſſa & principio intrinſeco: quod vero illud aliud, niſi anima? Eſt γ) opus vitale, ergo ab anima. Conf. D. SENNERTI *hypomnema phyſicum IV. c. IX: p. 251.* 3) Nullus carcer ſqualidus eſt templum Spiritus ſancti. Ecquis enim auſit affirmare, templum eſſe carcerem, & ſpiritum S. in vinculis detineri? Atqui corpus hominis renati eſt templum Spiritus S. 1 Cor. VI, 15. Ergo. 4) Corpus in reſurrectione iuſtorum redunietur cum anima. E. non eſt animæ carcer. Ratio conſequentiæ eſt: quia reſurrectio iuſtorum ingens eſt beneficium, merito Chriſti partum. At foret ingens ſupplicium, ſi anima, quæ fuit a corpore ſeparata, per reſurrectionem denuo in corpus, velut perpetuum carcerem, detruderetur. Sane ſorores Lazari Chriſto nullas egiſſent gratias, ſi animam defuncti fratris in carcerem reuocaſſet. 5) Aduerſam ſententiam ſequuntur duo abſurda: a) Deum non egiſſe iuſte, cum in diluuio Noachum, in conflagratione Sodomæ Lothum conſeruauit, & innumerabiles homines improbos peremit. Ecquid hoc fuiſſet aliud, quam viros improbos e carceribus dimittere, viros probos autem longius coërcere? b) Benedictionem illam: *creſcite & multiplicamini*, fuiſſe maledictionem; pertineret enim ad diuturnam detentionem animæ in corporis ergaſtulo. 6) Condemnata eſt ſententia diſſidentium in *concilio Bracarenſi, canone VI. Si quis animas humanas dicit prius in cœleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc in corpora humana in terram deiectas, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit.*

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiiciunt οἱ ἐξ ἐναντίας I. e Pſ. CXLII. 8. *Educ e carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.* Vbi per *carcerem* intelligunt *corpus mortale.* R. Per carcerem hieropſaltes intelligit ſpeluncam Adullam, cuius fit mentio 1 Sam. XXIV, 3. in qua Dauid ſenſit anguſtias tantas, quantas experitur homo maleficus in carcere detentus.

II. E Pſ. CXVI, 7. *Reuertere in requies tuas, anima mea!* Dicitur anima humana reuerti in requies ſuas, i. e. in manſiones cœleſtes tranquilliſſimas, in quibus dulciſſima quiete gauiſa

 eſt

Digitized by Google

eſt prius, quam in corpus, plurimis periculis & afflictionibus obnoxium, velut in ſqualidum carcerem detruſa eſt. R. Verbis citatis rex propheta ſemet ipſum excitauit, cum in ærumnis verſaretur, (ſecundum *Rabbi Kimchi*) vt anima, anguſtiis varie diuexata, ſe reciperet ad Deum, tanquam tranquillitatis omnis auctorem, atque ab eo ſolatium exſpectaret. Porro notandum, quod anima dicatur reuerti in requiem, non quod aliquando ante formatum corpus in requie exſtiterit, ſed quia illa requie, quam habere poterat in Adamo, per peccatum excidit.

III. Quocunque corpore anima rationalis premitur & grauatur, illud concinne appellatur eius carcer: Atqui corpore corruptibili &c. E. *Maior* conſtat; quia omnis carcer eſt locus moleſtus, vbi anima moerore opprimitur. *Minor* probatur e Sap. c. IX, 15. *Corruptibile corpus aggrauat animam, etiam deprimit terrenum tentorium mentem multa intelligentem.* Reſp. 1) *Liber ſapientiæ* non eſt canonicus, ſed, iudice LVDOVICO VIVES, *creditur Philonis Iudæi Alexandrini*, qui vixit temporibus apoſtolorum, quibus & amicus fuit. Tanta in ſermone græco eſt facundia, vt de illo Græci dixerint: ἢ Φίλων πλατονίζει, ἢ Πλάτων Φιλονίζει. 2) Quocunque corpore, per ſe conſiderato, anima grauatur, illud poteſt eius dici carcer. At, ſi anima & corpus forent integra, corpus animam non grauaret. At cum vtraque pars hominis per lapſum ſit vitiata, per accidens fit, vt anima nimia & inordinata corporis cura diſtrahatur, vt ne rebus diuinis contemplandis vacet.

IV. A quo corpore homo renatus liberari cupit, illud eſt ſqualidus eius carcer. Sed a corpore mortali &c. E. *Minor* prob. e. Rom. VII, 24. vbi apoſtolus ingemiſcit: *Miſer ego homo! quis me eripiet e corpore mortis huius.* Reſp. Per corpus mortis non intelligitur *corpus phyſice mortale*, ſed *concupiſcentia carnis praua & corrupta*, quæ inſtar alicuius corporis vniuerſam vitiorum velut membrorum compagem complectitur, atque adeo mortem infert, Col. III, 5. Ab hac carnis corruptione apoſtolus liberari exoptat. Fac, ab apoſtolo denotari corpus mortale, non tamen illud intelligitur κατ' οὐσίαν, ſecundum ſe, ſed καθ' ἁμαρτίαν, ſecundum peccatum inhærens, a quo Paullus liberari cupit.

V. Negari non poteſt, multas ſordes eſſe in corpore humano. Reſp. Sordibus corporis phyſicis non inquinatur anima, quia eſt ſpiritus: Sordium autem moralium primaria ſedes eſt anima peccatrix, cui corpus delinquendo inſeruit.

Quæſt. IX. *Vtrum anima humana hodie creatur, an per traducem propagatur?*

*Origo animæ.* Anima humana hodie non immediate creatur, ſed mediante ſemine fœcundo a parentibus generatur, & in liberos traducitur.

Obſ. I. Diſtinguendum eſt *inter creationis vocem ſumtam ſenſu generali, ſpeciali & ſpecialiſſimo.* Senſu *generali* creatio notat actum, quo Deus aliquid producit quocunque modo, ſiue immediate ex nihilo, ſiue ex præexſiſtente quadam materia, ſiue interueniente cauſſa ſecunda, ſiue ea abſente. Senſu *ſpeciali* creatio ſignificat actum, quo Deus, nulla interueniente cauſſa ſecunda, aliquid producit, ſiue fiat ex nihilo puro, ſiue ex materia inhabili. Senſu *ſpecialiſſimo* creatio deſignat actum, quo Deus immediate, ſine concurſu cauſſarum ſecundarum ex nihilo, nulla præiacente materia, aliquid producit.

Obſ. II. Diſtinguendum eſt *inter traducem dictam concretiue, & abſtractiue. Concretiue ſumitur vel ſenſu generali, vel ſpeciali. Speciatim* notat *idoneum alicuius arboris, vitis aut plantæ deciſum* (græce ἀπόσπασμα) ſiue auulſam plantæ particulam ad propagationem aptam. Germanice, ein abgeſchnittener Zweig, ein Sprößling, ein Pfropfreißlein, dadurch der Baum, oder die Pflantze, kan fortgezielet werden. *Generatim deſignat quoduis ſemen fœcundum* plantarum & animalium, & dicitur vulgo ſperma prolificum. *Abſtractiue tradux notat ipſam traductionem.*

Obſ.

Obſ. III. Diſt. *inter traductionem κατὰ μετέκβασιν, ſiue nudam transuectionem*, & *κατ' ἀλλοποίησιν*, ſiue *productiuam communicationem.* Traductio heic non ſignificat nudam transuectionem; nam eatenus etiam cauſſæ morali (v. gr. vinitori, vel inſitori) traductio naturalis competeret; ſed intelligitur traductio productiua, communicatiua & multiplicatiua, qua parentes animam ſuam multiplicant & in liberos quaſi diffundunt.

Obſ. IV. Non *generatur anima ex traduce*, ſiue ſemine fœcundo, tanquam principio materiali, ſed *per traducem*, ſeu mediante ſemine prolifico, tanquam vehiculo, propagatur.

Probatur aſſertum 1) *ex benedictione diuina*, Gen. I, 18. c. IX, 1. Omnis anima vi benedictionis diuinæ eſt ſui multiplicatiua: Ergo & anima humana. 2) *Ex definitione generationis. Generatio eſt communicatio eſſentiæ per ſemen foecundum ad imaginem generantis.* Ex qua definitione colligimus: Quicunque homini genito communicat eſſentiam, communicat illi animam. Atqui pater generans &c. Ergo. 3) *Ab effectu.* Quicunque generat hominem, ille non tantum corpus, ſed animam generat. Atqui parens &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia generans eſt cauſſa vniuoca, & iuxta decantatum axioma phyſicum: Omne generans generat ſibi ſimile. 4) *Ab indole vel proprietate animæ*, quæ eſt vis viuificandi. A quibus habemus vitam, ab illis habemus animam. At a parentibus &c. E. *Maior* patet; quia vita; ſumta in actu primo, eſt ipſa anima; vel, ſi pro actu ſecundo accipiatur, eſt aliquid ab anima emanans. 5) *A termino generationis, qui eſt imago parentis.* Quicunque generat filium ad imaginem ſuam, ille generat animam filii. Parens generat &c. Gen. V, 3. Certe imago patris ſine eius propagata anima eſſe nequit, cum hæc ſit πρῶτον δεκτικὸν, ſubiectum primum imaginis. 6) *A quiete diuina.* A quocunque opere faciendo Deus quieuit, illud rerum natura conſtituta Deus non creat. Atqui ab omnibus naturæ operibus condendis Deus quieuit, Gen. II, 2. E. Dicis: Acquieuit Deus a condendis nouis ſpeciebus, ſed non a creandis indiuiduis. Reſp. 1) Concurrit quidem Deus cum cauſſis ſecundis ad productionem indiuiduorum, ſed ea immediate & per ſe ſolus non creat. 2) Extraordinarie & miraculoſe Deus interdum noua indiuidua (v. gr. nouas ſtellas) immediate creat: At generatio eſt opus ordinarium & naturaliſſimum. 7) *A natura ſeminis fœcundi.* Quicunque ſemen viuum emittunt, illi propagant animam. Atqui parentes &c. Ergo. *Maior* probatur; quia ſine anima nullum corporeum viuit. *Minor* liquet; quia e ſemine non-viuo non poteſt prouenire homo viuus. 8) *A propagatione peccati originalis.* A quibus propagatur peccatum originis in liberos, ab illis propagatur anima. Atqui a parentibus &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia πρῶτον δεκτικὸν peccati originis eſt anima humana. Propagato eo, quod eſt in anima, neceſſe eſt ipſam animam propagari. 9) *A variis abſurdis, quæ ſententiam aduerſariorum premunt.* Nam a) qui ſtatuunt, animas immediate a Deo creari, illis vel negandum eſt peccatum originis, vel Deus iniuſtitiæ inſimulandus eſt. Creauit enim Deus animam vel impuram, vel puram. Si impuram; erit cauſſa peccati: Si puram; iuſtus non eſt, quia animam puram impuræ materiæ inſeruit. b) Sequetur, parentes non amplius generare homines; quia homo non poteſt dici a parentibus generari, cuius anima ab illis non generatur. c) Pater non erit cauſſa phyſica filii ſui, ſed tantum cauſſa moralis; quia ſubiectum paſſiuum, puta materiam tantum applicauit principio actiuo, nempe animæ a Deo creatæ. d) Sequetur, animam Chriſti non eſſe generatam & conſequenter animam noſtram non eſſe redemtam. Nam τὸ ἀπρόσληπτον ἀνθεράπευτον.

*Antitheſis* eſt plerorumque *Scholaſticorum & Pontificiorum*, creationem, vel infuſionem animarum, quæ immediate a Deo fiat, defendentium, quibus nonnulli philoſophi adſtipulantur. Munitam volunt opinionem ſuam ſequentibus argumentis:

I. Omne

Digitized by Google

I. Omne generabile eſt corruptibile: Per doctores euangelicos anima humana eſt generabilis: Ergo. *Maior* patet ex inductione: Oues, boues, aſini &c. generantur & moriuntur. E. omne generabile eſt corruptibile. Reſp. 1) *Maior* non eſt vniuerſalis; quia ſi homo in ſtatu integritatis manſiſſet, generabilis quidem fuiſſet, at non corruptibilis. 2) Omnis inductio debet fieri ex paribus. At aduerſarii formant inductionem ex imparibus, nempe ex corporibus, & illam male applicant ad humanam animam, quæ eſt ſpiritus.

II. Quæcunque anima non eſt diuiſibilis, ab illa anima liberorum prouenire nequit: At anima parentum &c. Ergo. *Maior* probatur; quia quidquid eſſentiale eſt parentibus, & tamen ab illis prouenit, ab iisdem quaſi deciditur. Reſp. Diſt. inter deciſionem, & deductionem. Anima liberorum ab anima parentum deducitur quidem, ſed non deciditur.

III. Si anima liberorum fit ab anima parentum, ab eadem fit vel *deciſiue;* vel *ſubiectiue*, vel *conſtitutiue.* At *non* fit *deciſiue;* quia eſt indiuiſibilis: *Non ſubiectiue;* ſic enim anima filii ſubiectiue exſiſteret in patre: *Non conſtitutiue;* ſic enim anima parentis eſſet pars eſſentialis & conſtituens filii. Reſp. Omittitur vnum membrum diuiſionis, nempe *multiplicatiue & propagatiue.* Nam omnis anima, vi benedictionis diuinæ, eſt ſui multiplicatiua.

IV. Anima filii vel vnice generatur ab anima patris, vel vnice ab anima matris, vel ab vtraque. Non vnice ab anima patris; quia ſic mater non generaret hominem; neque vnice ab anima matris; quia ſic pater non generaret filium; neque ab vtraque; quia ſic fieret compoſitio aut confuſio animarum: Ergo anima filii plane non prouenit ab anima parentum. Reſp. In generatione pater & mater ſtant pro cauſſa vna. Sunt enim cauſſæ ſociæ, a quibus vnus fluit effectus. Ergo ab vtroque prouenit anima filii. Neque tamen metuenda eſt animarum compoſitio, aut confuſio; quia anima eſt actus ſimplex non componens, aut confundens.

V. Si anima filii trahitur ex anima parentis; aut tota anima tranſit in filium, aut eius pars. At non tota anima, quia ſic parens animam non retineret: Non pars, quia anima eſt indiuiſibilis. Reſp. Hoc argumentum 1) nititur hypotheſi falſa; quaſi anima ſit aliquod totum diuiſibile in partes. Anima nec eſt tota, nec habet partes. A Scholaſticis quidem ſpiritus dicitur totus poteſtatiue; quia continet plures potentias, certo modo vnitas. Sed potentiæ, ſeu facultates rei, proprie loquendo non ſunt eius partes. 2) Cum flamma accendit flammam, neque tota flamma accendens tranſit in accenſam, neque pars eius in eam deſcendit. Ita anima parentum generat animam filii, vt ei nihil decedat.

VI. Anima humana vel fit ex nihilo, vel ex materia. Sed non fit ex materia. E. ex nihilo, & conſequenter creatur. Conſequentia *maioris* probatur; quia nihil vnquam factum eſt, quod non vel ex materia, vel ex nihilo factum ſit. Reſp. a) Syllogiſmus disiunctiuus non fit ex membris immediatis. Nam datur tertium; *ex praeexiſtente forma.* Fruſtra excipis, quod particula *ex* materiam notet: nam *latius ſumta etiam formam deſignat;* docent enim phyſici magno conſenſu, corpus naturale conſtare *ex* materia & forma. b) Reſpondemus ad probationem: Quodcunque *materiatum, aut corporeum ſit*, illud fit vel ex materia, vel ex nihilo: At anima non eſt materiata, aut corporea.

VII. Quicunque dicitur pater ſpirituum, ab illo anima habet originem. Atqui Deus &c. Hebr. XII, 9. Ergo. Reſp. 1) Limit. *maior.* Quicunque dicitur pater ſpirituum, ab illo anima habet *originem vel immediatam*, *vel mediatam.* Anima Adami immediatam, noſtra anima mediatam a Deo originem habet. 2) Deus l. c. dicitur, Pater Spirituum, non ob animarum creationem, ſed ſpiritualem regenerationem.

VIII. Deus animam humanam dat, Eccleſ. XII, 7. ſpiritumque humanum fingit, Zach. XII, 1. Ergo animam humanam creat. Ratio conſequentiæ eſt; quia quidquid Deus dat, aut

aut fingit, illud dat & fingit per creationem. Reſp. Eccleſ. XII. reſpicitur prima animæ origo. Nam quemadmodum, quando dicitur puluis reuerti in terram, vnde erat, reſpicitur ad primam creationem: Sic quando dicitur ſpiritus redire ad Deum, qui dedit illum, ad eandem reſpicitur, in qua ſpiritus immediate a Deo fuit creatus. Hodie Deus ſpiritum dat mediate, interuenientibus cauſſis ſecundis; ſicut etiam dat corpus, 1 Cor. XV, 38. Zacharias itidem primam originem animæ conſiderat; quemadmodum etiam creatio cœli & terræ in principio facta indigitatur.

Quæſt. X. *An anima humana ex eſſentia diuina emanauit, & in eandem per regenerationem atque vnionem myſticam redit, & quaſi refluit?*

Anima humana neque ex eſſentia diuina effluxit, neque per ſpiritualem regenerationem, atque myſticam cum Deo triuno vnionem, in eſſentiam diuinam redit, aut refluit.

*Antitheſis* eſt 1) *Platonis*, ſtatuentis, Deum eſſe centrum omnium rerum, e quo animæ humanæ prodierint, ſiue emanauerint, & in illud redeant. *Libr. 12. Myſt. Aeg. c. 9. l. 13. c. 8. l. 14. c. 1. 2.* Sententiam Platonis clarius exponit ipſius aſſecla, MARSILIVS FICINVS, *in Timæum c. 6. Omnia ex Deo ita ſunt, vt nusquam vel minima quæque deſerantur a Deo. Vtique enim diuina viget vnitas, per quam res quæque conſiſtunt: ac perpetuo quodam, intimoque circulo ad Deum ipſum, a quo & in quo ſunt, mirabiliter reuoluuntur, alioquin in nihilum repente proruerent. Ab vnitate diuina omnia prodeunt, prodeuntiaque vnitatem quandam ipſis impreſſam retinent diuinæ vnitatis imaginem, qua reuocantur in illam, & reuocata perficiuntur. Hæc ipſa animas rapit ad vota, quibus vnio cum Deo nobis penitus impleatur. Quod ſi natura ex Deo manans quasdam rebus quibusdam conuenientes cum ſuperis proprietates inſeruit, per quas quodammodo ad ſuperos ſeſe vertant, ceu ad ſolem ſolaria, ad lunam vero lunaria: multo magis animarum pater rapientes ad ſe vires eis impreſſit; quæ quidem in primis in diuina quadam vnitate, intellectu ſuperiore, nec non in ipſa actuali reflexione ſitæ videntur. Ipſam vero noſtram in Deum reſtitutionem adoratio ſupplex hinc orta abſolute conſummat.* 2) *Hermatis Triſmegiſti*, filium ſuum Tatium ita alloquentis, in *Pymandro, cap. XII. Mens, o Tati, ex propria eſſentia Dei eſt. Aliqua ſiquidem eſt eſſentia Dei, qualiscunque tamen illa ſit; hæc ipſum ſola abſolute nouit. Mens vtique ab eſſentia Dei non eſt præciſa; quia etiam velut diffuſi ſolis ſplendoris inſtar. Hæc autem mens in hominibus quidem Deus eſt: ea de cauſſa homines aliqui dii ſunt, ac ipſorum humanitas diuinitati eſt confinis.* 3) *Myſticorum.* Sic enim ſcribit IO. TAVLERVS in tr. von der Nachfolgung der Armuth Chriſti §. 3.: Etliche ſprächen, daß das die höchſte Armuth, und die nechſte Abgeſchiedenheit ſey, daß der Menſch alſo ſey, als er war, da er noch nicht war. Da verſtunde er nichts, da wolte er nichts, da war er Gott mit Gott. Audiamus etiam H. HARPHIVM *in theol. myſt. l. 5. collat. 2. p. 683.* inquientem: *Sic ſpiritus noſter in ſuam originem i. e. mentis apicem ſe conuertens, & vltra, in ſpiritum increatum ſe reclinans, feliciter meretur renouari. Quia dum increato ſpiritui ſe totum immergit, vt liqueſcat; & in illam abyſſum infinitam defluat denuo, ſemper illius imago renouatur, vt audire feliciter mereatur: Filius meus es tu, ego hodie te genui. p. 684. O anima mea, vnde profluxus tuus ſumſit exordium? Nonne ex illa abyſſo diuinitatis, velut eſſentia de eſſentia, vita de vita, intelligentia de intelligentia, lumen de lumine? ſed creaturaliter, non eſſentialiter: non Dea de Deo, ſed deificata a Deo.* Ita etiam GOTTFR. ARNOLD. *in theol. myſt. c. 6. p. 149.* Ich ſage, daß aus einem chriſtlichen Menſchen ein Gott werde. Rationem aſſertionis addit p. 152. Weil dieſe Lehre zum Endzweck aller ihrer geheimen Erkäntniß und Würckung GOtt ſelbſt hat; ſo drücket ſie deſſen Schönheit nach Vermögen aus, indem ſie ſolche beſchauet, und wer ihrer theilhaftig wird, den machet ſie gleichſam zu einem heiligen und hellen

Spiegel, daß er den Strahl der höchſten Gottheit, und des uhranfänglichen Lichtes faſſet, und wiederum in GOtt ſelbſt, daraus er gefloſſen, zurücke ſchieſſet. Huic hypotheſi innititur illa formula loquendi *Weigeliana in dialogo de chriſtianiſmo p. 13.*: Wir müſſen in ihm, mit ihm, und durch ihn neue Creaturen ſeyn, aus Gott ſelber geboren, weſentliche Kinder Gottes, und nicht imputatiuiſch.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Deum animam dediſſe, & homini inſpiraſſe, teſtatur S. ſcriptura, Eccleſ. XII, 7. Gen. II, 7. At nusquam dicit, hominis animam ex ipſa eſſentia diuina emanaſſe. Eſt igitur a Deo ἐνεργητικῶς, tanquam a cauſſa efficiente, non autem ὀυσιωδῶς, tanquam a principio conſtituente.

Obſ. II. Beneficio regenerationis confertur noua & ſpiritualis vita fidei, per quam reddimur, remiſſis peccatis, filii Dei adoptiui, Io. I, 12. non filii Dei naturales aut eſſentiales.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Probatur aſſertio noſtra: 1) Quicunque ex eſſentia diuina emanauit, is eſſentialiter Deus eſt. At animus humanus non eſt eſſentialiter Deus: E. *Maior* liquet; quia nemo ex eſſentia Dei emanare poteſt, quin ſit Deus. Ὁ λόγος, ſiue filius Dei ideo eſſentialiter Deus eſt; quia ex eſſentia Dei patris per æternam generationem emanat. *Minor* patet; quia ſi animus humanus eſſentialiter Deus eſſet, foret omnipotens, omnipræſens, omniſcius & adorandus: quod cogitatu impium, & dictu blaſphemum eſt.

2) Eſſentia diuina vnica, indiuiſibilis & ſimpliciſſima eſt: E. in animas prope innumerabiles diſpergi, aut diffundi nequit; alioqui tot forent dii, quot ſunt animæ humanæ. Vim huius argumenti ſenſit M. T. CICERO, haud vane ſcribens, *libr. I. de natura deorum: Pythagoras, qui cenſuit, Deum animum eſſe per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo animi noſtri caperentur, non vidit, diſtractione humanorum animorum diſcerpi & dilacerari Deum; & cum miſeri humani animi eſſent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt.*

3) Quidquid ex eſſentia diuina emanauit, illud eſt immutabile: nam eſſentia diuina eſt inuariabilis, Pſ. CII, 28. Mal. III, 6. At anima humana non eſt immutabilis: fit enim mala, per peccatum, & rurſus ex mala bona, per gratiam. Ergo.

4) Doctores myſtici, nefando ſuo dogmate de origine animæ humanæ ex eſſentia diuina, plurimum derogant maieſtati diuinæ, faciendo a) animam humanam æqualem Filio Dei, & Spiritui S. Nam ille ex eſſentia Dei Patris per æternam generationem, hic per æternam ſpirationem emanauit: cui anima, per dogma de profluxu ex abyſſo diuinitatis, æquiparatur. b) Conſtituendo eſſentiam Dei ſubiectum peccati & miſeriæ. Nam poſt lapſum corrupta, atque pœnis diuinis & afflictionibus ſubiecta eſt anima. Quod ſi itaque anima particula foret eſſentiæ diuinæ, huic non minus peccatum inhæreret, quam afflictio obtingeret; quod eſt ἄτοπον.

5) Sententia aduerſariorum iam dudum condemnata eſt ab antiqua eccleſia in *concilio Bracarenſi, canone V. Si quis animos humanos ex Dei credit ſubſtantia exſtitiſſe, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* Reiecerunt eandem opinionem, tanquam impiam, hæreticam & blaſphemam LEO I. *epiſt. 93. ad Turbium*, HIERONYMVS *epiſt. ad Marcellinum*, AVGVSTINVS *epiſt. 28. ad Hieronymum.*

6) Per

Digitized by Google

6) Per regenerationem animus humanus non fit Filius Dei naturalis; ceteroqui Chriſtus non foret Filius Dei vnigenitus, Jo. I, 14. E. per eandem non redit in naturam diuinam, tanquam principium ſuum conſtitutiuum.

7) Per vnionem myſticam Deus in anima renata habitat, tanquam in templo ſuo 1 Cor. III, 16. E. anima renata non transformatur, aut liqueſcit in eſſentiam Dei. Ecquis fando audiuit, domicilium in incolam, aut incolam in domicilium fuiſſe commutatum?

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiiciunt diſſidentes: I. Quæcunque anima homini primo a Deo eſt inſpirata, illa ex ſubſtantia Dei emanauit. Atqui anima intelligens &c. Ergo. *Maior* probatur: quia Deus reliquas creaturas dicendo, ſiue verbo mandati ſui, produxit, animam autem inſpirauit, luculento indicio, eandem ex eſſentia diuina ſic proceſſiſſe, quemadmodum halitus ex ore prouenit. Reſp. *Inſpirare*, ſignificat ſpiritum producere & communicare; quem Deus producit vel ex eſſentia ſua, vel ex nihilo. Ex ſubſtantia Dei ſpiratur & procedit Spiritus S. tertia diuinitatis perſona: ex nihilo producti ſunt ſpiritus finiti, ſcil. angeli, & anima humana. Hæc quippe a Deo quidem ἐνεϱγητικῶς, tanquam a cauſſa externa efficiente, non autem ȣσιωδῶς, velut ex interna cauſſa conſtituente, inſpirata eſt. Creauit Deus animam, vt ſpiritum finitum, & hunc immiſit corpori formato, non autem animam, vt particulam eſſentiæ ſuæ, corpori infudit.

Excipis: Sed ratio nulla dari poteſt, cur anima humana verbo omnipotenti non ſit condita, vt ceteræ creaturæ, ſed per inſpirationem homini communicata, niſi hæc vnica, quod ex ſubſtantia Dei deriuata, aut delibata ſit. Reſp. Ἔμπνευσις, ſiue inſpiratio notat 1) originem animæ, quod illa, ab extra condita a Deo, corpori ſit infuſa; 2) modum inſpirationis, quod hæc actio diuina facta ſit modo quidem ſingulari & eximio, tam facili tamen, quam procliue homini eſt, halitum oris emittere; 3) effectum inſpirationis, quod is non ſit corpus, ſed ſpiritus a corpore & materia omni non tantum diſtinctus, ſed & ſpiritualium motuum capax. At ſicut halitus oris non eſt particula animæ, ita nec anima particula eſſentiæ diuinæ.

II. Dicimur *genus Dei*, Act. XVII, 28. At fundatio generis in communicatione eſſentiæ conſiſtit. Vnde naſcitur argumentum: Quicunque ſunt genus Dei, illis Deus ſuammet eſſentiam communicauit: Atqui homines &c. Ergo. Reſp. Dicimur genus Dei, non propter eſſentiæ diuinæ participationem, ſed propter ſimilem ad illam, tanquam cauſſam exemplarem, productionem. Sic *Adamus* dicitur *Filius* Dei, Luc. III, 38. quia in imagine Dei creatus eſt.

III. Quæ anima *particeps eſt naturæ diuinæ*, illa ex eſſentia Dei emanauit. Atqui anima fidelis eſt *particeps naturæ diuinæ*, teſte Petro 2. ep. c. I, 4. E. Reſp. Neg. maior. Quia non omnis anima humana, ſed tantum renata & iuſtificata dicitur particeps naturæ diuinæ, non ob emanationem ex eſſentia Dei, ſed ob gratioſam Dei inhabitationem in anima fideli, quæ infert participationem naturæ diuinæ non eſſentialem, ſed accidentalem. Si anima humana fluxiſſet e ſubſtantia Dei, non tantum renata, ſed & irregenita anima ex Deo eſſet, quod eſt ἄγϱαφον & ἀντίγϱαφον; nam *qui peccat, ex diabolo eſt.* 1 Jo. III, 8.

### Quæſt. XI. *Quem in finem condidit Deus hominem?*

Deus condidit hominem a) in nominis ſui gloriam; b) ad æternam hominis ſalutem.

Prob. a) Rom. XI, 36. *Ex ipſo Deo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Ipſi gloria in ſæcula! Amen!*



Digitized by Google

Prob. b) Hominem conditum eſſe ad vitam æternam, docet lex præſcripta in paradiſo, Gen. II, 19. Quemadmodum illam transgredienti propoſita erat pœna æternæ mortis: ita e contrario colligitur, quod homini, legem illam ſancte obſeruanti, conſtitutum ſit præmium æternæ vitæ.

Quæſt. XII. *Quotuplex eſt ſtatus hominis?*

*Status hominis.*

Status hominis eſt quintuplex: *Primus* eſt *ſtatus innocentiæ*, quæ fuit primis hominibus concreata. *Secundus* eſt *ſtatus miſeriæ*, in quam, culpa protoplaſtorum, prolapſum eſt genus humanum. *Tertius* eſt *ſtatus gratiæ*, quam fideles per Chriſtum conſequuntur. *Quartus ſtatus* eſt *gloriæ*, in quam electi in die vniuerſalis iudicii transferentur. *Quintus ſtatus* eſt *ignominiæ*, qua reprobi iuſto Dei iudicio afficientur.

Obſ. Status ſunt accidentales hominum conditiones, ſecundum quas illi diuerſimode conſiderari poſſunt ac debent. Hi ſtatus diuerſi omnium hominum infra accuratius expendentur.

Quæſt. XIII. *Quos vſus practicos ſuppeditat ἀνθρωπολογία?*

*Vſus practici.*

Ἀνθρωπολογία, ſiue doctrina de homine, in animum penitius demiſſa, iure meritoque in nobis pariat a) decentem animi ſubmiſſionem; b) amorem Dei & proximi; c) vitæ æternæ deſiderium.

Prob. a) Creauit Deus hominem, puluerem de terra, Gen. II, 7. vt homo, primæuam recordatus originem, coram Deo ſe ſubmiſſe gerat. Quid puluere, quem pedibus proculcamus, vilius aut abiectius eſt? Ingenue hoc agnouit Abrahamus, qui, precari orſus, dixit: *Ecce, quæſo, auſus ſum loqui ad dominum, cum ego tamen puluis & cinis ſim!* Gen. XVIII, 27.

b) Inſpirauit Deus homini ſpiraculum vitæ, Gen. II, 7. Vt anima auctori vitæ viuat perpetuo, ipſi indiuulſe adhæreſcat, & in eo, velut portu, conquieſcat. *Domine, feciſti nos ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, niſi quieſcat in te.* AVGVSTIN. *lib. I. conf. c. I.* Euam condidit Deus de coſta Adami, *vt faceret ex vno ſanguine quoduis genus hominum habitare ſuper totam faciem terræ*, Act. XVII, 26. Cum igitur vno Adami ſanguine omnes, qui ſub cœlo viuunt homines, ſint creati: iure ſanguinis ad mutuum amorem obligantur.

c) Cum homo ad æternam vitam creatus ſit, æternorum bonorum amore teneatur, deſiderio flagret, memoria delectetur. *Illuc ſpiritus eſt dirigendus* (cum BERNHARDO loquor) *quo eſt iturus. Illuc feſtinare debemus, vbi ſemper viuamus, & vbi mori amplius non timeamus.*

*SVSPIRIVM.*

Quod ſi non præcipue te, o Sator generis humani benigniſſime, colerem, & aſſidue venerarer, ingrate impius, & impie ingratus forem. Etenim cum nihil eſſem, feciſti me, vt eſſem non beſtia mentis inops, non vermis venenatus, ſed homo rationis & orationis face colluſtratus. Feciſti me ex puluere, vt coram fatie tua in puluerem me abiicere non erubeſcam. Animam, vitæ ſpiraculum, mihi dediſti, vt omnes ſpirandi ſperandique rationes a te ſuſpenſas eſſe, agnoſcam. Pendeo a te, creator optime, vt apis a flore, vmbra a corpore. Te potiſſimum amo, te maxime æſtimo. Sis mihi pater indulgentiſſimus, ego ſum maneoque filiorum tuorum humillimus.

THEOL.

Digitized by Google

# THEOLOGIAE PARTIS PRIMAE.

## CAPVT VI.

# DE PROVIDENTIA DIVINA.

Quæſt. I. *Quid eſt prouidentia diuina?*

Prouidentia diuina eſt actio Dei vnitrini externa, qua is iuxta præſcientiam intellectus ſui infallibilem, & benignum voluntatis decretum, creaturas omnes potentiſſime conſeruat, cum operantibus efficaciſſime cooperatur, & omnia ſapientiſſime gubernat ad nominis ſui gloriam, & hominum, in primis piorum, vtilitatem. *Definitio prouidentiæ diuinæ.*

Quæſt. II. *Vnde vox prouidentia deducitur?*

Prouidentia deducitur a prouidendo; *pro,* in compoſitione idem valet, quod *præ,* vel *ante.*

Prob. *Auctor Lib. II. ad Herennium* inquit: *Prouidentia eſt, per quam futurum aliquod videtur, antequam ſit.* Plus tamen ex vſu loquendi infert *prouidere,* quam *præuidere.* Aſtrologus *præuidet* tempeſtatem aduerſam, nulla habita cura eorum, quos illa feriet; at *prouidere,* cum præuiſione *mentis* ſollicitam *voluntatis* curam notat. Sic & græca vox πρόνοια eſt a προνοέω, quod ſignificat, *mente præcipio, præuideo, procuro.*

Quæſt. III. *Num vox, πρόνοια, in libris canonicis legitur?*

Vox πρόνοια legitur quidem in libro apocrypho ſapientiæ a), at non in libris canonicis, in quibus prouidentia diuina vocatur *viſio Dei* b).

Prob. a) Auctor ſapientiæ, cap. XIV, 3. inquit: *Tua, pater, prouidentia omnia gubernat.* Verbum, διακυβερνᾶν, nauticum eſt. Vt enim nauclerus gubernat nauem, ne in ſcopulos præceps feratur: ita Deus regit prouida ſua cura homines, ne rebus aduerſis frangantur, aut penitus euertantur.

Prob. b) Abrahamus, prouidentiæ diuinæ rem omnem committens, inquit: יהוה יראה, Dominus videbit, Gen. XXII, 8. Prouidentia Dei dicitur *viſio,* non ſine emphaſi, quia Deus vno intuitu omnia videt. *Præuiſio & præſcientia Deo tantum tribuitur ἀνθρωποπαθῶς. Proprie loquendo Deus nil præuidet, nil præſcit,* cum ipſi nil ſit futurum, ſed omnia præſentiſſima, adeoque ab æterno omnia præſentiſſime videat & intueatur: Præuidere ſolum dicitur reſpectu noſtri, qui in tempore verſamur, & res, quæ in tempore fiunt, ſecundum prius & poſterius menſuramus.

Quæſt. IV. *Quot modis ſumitur vox prouidentia?*

Vox prouidentia duobus ſumitur modis: a) late, b) ſtricte.

Prob. a. *Late* ſumta prouidentia complectitur 1) πρόγνωσιν, ſeu *præſcientiam, quæ eſt actus intellectus, quo Deus præcognoſcit, quid creaturis ſit conducibile.* 2) Πρόθεσιν, *propoſitum, ſiue decretum, quod eſt actus voluntatis, quo Deus, quæ conducibilia creaturis præuidit, ordinare & diſponere vult.* 3) Διοίκησιν, *ipſam conſeruationem & gubernationem diuinam.* Prouidentia Dei, qua πρόγνωσιν καὶ πρόθεσιν, eſt actus intellectus & voluntatis diuinæ internus, qua διοίκησιν actio externa.



Digitized by Google

Prob. b. *Stricte* loquendo prouidentia Dei eſt actio diuina ad extra: verſatur enim circa creaturas, & extra ſinum deitatis terminatur. Quo ſenſu ſtrictiori actualis Dei prouidentia eſt ipſa conſeruatio, cooperatio & gubernatio creaturarum; præſcientia autem, & decretum de rebus conſeruandis & gubernandis præſupponuntur, vt actus intellectus diuini dirigentis, & voluntatis imperantis.

Quæſt. V. *Ex quo principio innoteſcit prouidentia Dei?*

Prouidentia Dei cognoſcitur partim ex lumine naturæ a), partim ex lumine ſcripturæ b).

Prob. a. 1) *E rerum creatione*, quia poſita creatione, neceſſario ponenda eſt prouidentia diuina; ſine qua res creatæ conſiſtere nequeunt. *Cur Deus res omnes procrearet, ſi curam earum nolit gerere?* inquit THEODORET. *lib. II. de prouid. Quis non ſentiat hunc mundum, tam mirabili ratione perfectum, aliqua prouidentia gubernari? Quandoquidem nihil eſt, quod poſſit ſine vllo moderatore conſiſtere. Si domus ab habitatore deſerta, delabitur, nauis ſine gubernatore abit peſſum, & corpus relictum ab anima defluit; nedum putemus, tantam illam molem aut conſtrui ſine artifice, aut ſtare tamdiu ſine rectore potuiſſe,* ſcite ait LACTANT. *lib. III. inſtitut. cap. 19.*

2) *E rerum creatarum conſtante ordine,* qui conſpicitur in fixo & perenni motu orbium cœleſtium, in certa viciſſitudine temporum & tempeſtatum, in fœcunditate terræ, perennitate fluminum, generatione diuerſarum ſpecierum: qui ordo non caſu & fortuna, ſed ab ipſo Deo conſeruatur. (*)

3) *Ex*

(*) Illuſtre hoc prouidentiæ diuinæ documentum adcurata contemplatione digniſſimum eſt. Conſiderandæ ſunt omnes, quas & ratio, & experientia nos edocet, *mundi* proprietates. I. *Contingentia* huius vniuerſi. Contingens vocatur id, quod poteſt eſſe, & non eſſe, aut aliter eſſe, quam eſt. E. non per ſe eſt, ſed per voluntatem auctoris ſui atque effectoris. E. etiam *continuatio* eius tota ex effectoris pendet arbitrio. Qualis *exſiſtentia* eſt, vt Philoſophi loquuntur, talis quoque eſt tota natura rei, ſiue *eſſentia.* Continuatio *exſiſtentiæ* nominatur *duratio*, continuationem *eſſentiæ* adpellamus *conſeruationem.* E. cuius *voluntate* res aliqua *exſiſtit*, eiusdem *voluntate* eadem & *durat*, & *conſeruatur.* E. etiam ea, quæcunque tum ad exſiſtentiam rei, tum ad eſſentiam ita pertinent, vt ab ea ſeparari nequeant, omnino pendent ex arbitrio eius auctoris, cuius liberrima voluntate res illa & durat, & conſeruatur. Ad *eſſentiam* corporis animati, ſimul *ratione præditi*, quatenus id quidem *animatum* eſt, pertinet vis ſe ipſum *mouendi;* quatenus vero *rationis* eſt particeps, vis *agendi*, ad certum aliquem finem, ſibi propoſitum. Vis ſemet *mouendi*, quoad ea quidem ex alterius arbitrio pendet, dicitur *ſuſtentari*, nec ſine ſapientiſſima determinatione. Vis *agendi*, quoad ea ex alterius arbitrio pendet, dicitur *gubernari.* E. mundus vniuerſus, & quidquid in eo animatum eſt, quidquid etiam rationis vſu pollet, id vnum quodque ab eo *auctore*, cuius liberrima *voluntate* primum *exſtitit*, ſemper *conſeruatur* in ſua *eſſentia*, ſemper *ſuſtentatur* ac determinatur in ſua *motione*, ſemper etiam *gubernatur* in ſua *actione*, ad certum quemdam finem dirigenda. Hæc autem tria, *conſeruatio*, *ſuſtentatio*, cum arbitraria ac ſapiente determinatione, & *gubernatio*, ſunt, quæ vno nomine *prouidentiæ* comprehendimus. II. *Harmonia* & conuenientia omnium mundi partium, inter tot ac tantas *viciſſitudines* ſemper eadem ac perpetua, ſimul *finium* ac *mediorum* aptisſimorum in rebus *ſingulis*, ac vel *minimis*, continua *copulatio* & *ſucceſſio.* Quæ profecto *ſapientiam* vnius & communis omnium auctoris ac moderatoris profundisſimam aperte indicat. III. *Multitudo* ac *varietas* rerum, præſertim vero *humanarum*, quæ vniuerſæ ac ſingulæ ad *vnum finem* generalem, nimirum ad vtilitatem ſocietatemque vniuerſi hominum generis, mire *conſentiunt.* Speciatim vero ſex ſunt indicia prouidentiæ diuinæ, maxima animi attentione perpendenda: 1) *Diuerſæ* animorum *propenſiones* ad varia vitæ genera atque munera, partim *viliſſima*, quæ homines plerique omnes, tametſi iniuria, deſpicatui ducunt, partim *ſordidiſſima*, quæ omnes alii faſtidiunt, partim *periculoſiſſima*, quæ omnes reliqui reformidant,

Digitized by Google

3) *Ex omniſcientia, omnipotentia, bonitate & omnipræſentia creatoris.* Si Deus, conditor orbis, rerum creatarum rationibus non proſpiceret, vel ideo non proſpiceret, quod eas non cognoſceret; vel quod iis proſpicere non poſſet; vel quod non vellet; vel quod ab iisdem longiſſime abeſſet. Primum detrahit *omniſcientiæ* diuinæ, ſecundum *omnipotentiæ*, tertium *bonitati*, quartum *omnipræſentiæ*. Quare validiſſime colligitur, quod creator huius vniuerſi omniſcius, omnipotens, optimus, & omnipræſens, rerum a ſe conditarum ſaluti optime & ſapientiſſime conſulat.

4) *E*

formidant, omnia tamen ad vitam ſocialem reique publicæ commodum *neceſſaria*, ad quæ eligenda quidam homines *naturali* quodam *inſtinctu*, immo & *impetu* feruntur, & cum ea quidem *differentia*, vt nullo in ſtatu, aut vitæ genere, vel defectus neceſſariorum hominum ſit, vel abundantia ſuperuacaneorum. Illam vero propenſionem, ac validisſimam voluntatis inclinationem, naturaliter homini inſitam atque innatam, non ſolis parentibus, tamquam cauſſæ, adſerendam eſſe, adparet ex eo: quod (α) ſæpe numero accidit, vt progenies & promtisſima ſit, & aptisſima ad illud munus ac vitæ genus, a quo longe alienisſimi fuerunt parentes eius, a quo etiam illi maxime abhorruerunt: quod (β) admirabilis proportio tot, tamque variarum propenſionum, earumque omnium & ordo, & coniunctio cum ſalute communi vniuerſi hominum generis, vnam & communem cauſſam demonſtrat. Ac ne illud quidem ſilentio tranſeundum eſt, quod multiplicatis hominibus multiplicatæ quoque fuerint artes, ac nouis repertis auctæ. 2) *Formarum ac facierum diſtinctio.* Quæ quantum ſit beneficium, & quam ſapiente conſilio nobis tributum, egregie docuit inter veteres NEMESIVS, cuius verba excerpta dedit b. BVDDEVS, in ſuis *inſtit. theol. dogm.* L. II. c. 2. §. 43. not. *. 3) *Facinorum clandeſtinorum*, & ſummo calliditatis aſtutiæque ſtudio occultatorum *patefactio* prorſus inopinata, nec ſine mira *rerum circumſtantium coniunctione.* Quod argumentum itidem laudatus NEMESIVS perſequutus eſt. Grauisſimum autem huic argumentationi pondus ac robur additur eo, quod ex illa delictorum patefactione *pœna talionis* elucet. Quæ res manifeſto documento eſt, *iuſtiſſimum* æque, ac *ſapientiſſimum* Numen rebus humanis præeſſe. Arguendi ſunt homines, quorum tam turpis ac veſana eſt leuitas animi, vt mentem ipſi aduertere nolint ad iudicia diuina cognoſcenda, Pſ. XXVIII, 5. 4) Eorum, quæ homini fauſta ac *fortunata* accidunt, arctisſima *cohærentia*, quando quidem omnia inter ſe connexa atque apta ſunt, vt experientia perpetuo illuſtret verisſimum hoc effatum: πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν. Rom. VIII, 28. 5) *Calamitatum* acerbisſimarum, atque etiam *actionum* peſſimarum, *ad euentum ſalutarem directio.* Geneſ. L, 20. 6) *Caſus noui*, nec ſolum *rariſſimi*, vt peſtis & annona, verum etiam plane *ſingulares*, qui, ſi a cauſſis tantum naturalibus, ſine prouido rectore ac moderatore, proficiſcerentur, non poſſent non ſæpius euenire atque in orbem redire. Luculentum nobis exemplum præbent conuerſiones atque euerſiones rerum publicarum, quæ a tenui initio mirandum in modum creuerunt, ſed quo maiora ceperunt incrementa, eo magis fuerunt inclinatæ, eoque propius ab interitu abfuerunt. Prorſus autem ſingulare eſt exitium terræ gentisque Iudaicæ. Fatum ſane inauditum, cui nullum vnquam fuit ſimile, nec erit in poſterum, quod cum illo conferri & comparari queat, Matth. XXIV, 21. Ex quo ſimul cognoſcitur, quam arcto vinculo res geſtæ in *regno naturæ* connexæ ſint cum iis rebus, quæ ad *regnum gratiæ* ſpectant; quoniam enim promiſſiones ac beneficia, prorſus ſingularia, atque eximia, quibus Iudaica gens ab omnibus aliis diſcernebatur, ad Chriſtum pertinebant venturum, atque ab ea gente repudiatum, & quoniam ſingulari quodam peccato Iudæi contaminati ſunt; idcirco etiam ſingularem ipſi calamitatem ſunt perpesſi. Hæc profecto ſunt euidentisſima documenta, ex quibus efficitur, *prouidentiam Dei* non modo *eſſe*, verum etiam rebus creatis omnibus nunquam non *adeſſe*, nec ſolum in prima earum conſtitutione occupatum fuiſſe. Deus operatur ἕως ἄρτι, Ioann. V, 17. Id Chriſtus pronuntiauit ea mente, vt doceret auditores, σάββατον, quietem Dei non ad omnia opera externa, ſed dumtaxat ad opera primæ creationis pertinere. Deſiit quidem Deus creare, hoc eſt, noua rerum genera nouasque ſpecies efficere: at nunquam deſinet, res creatas & propagatas conſeruare, ſuſtentare, gubernare, διδοὺς adhuc πᾶσι ζωὴν, καὶ πνοὴν, καὶ τὰ πάντα. Act. XVII, 25.

Digitized by Google

4) *E dictamine conſcientiæ*, quæ Deum ſiſtit vt ſeuerum iudicem, adeoque prouidentiam Dei exhibet reſpectu eorum, quæ ab hominibus fiunt. Vnde eſt, quod poſt commiſſa flagitia etiam illi in conſcientia terrores ſentiant, qui vel hominem conſcium ſuorum facinorum habent nullum, vel ſuperiorem in terris, quem metuant, non agnoſcunt. Teſtantur igitur verberibus conſcientiæ cæſi, ſuperiorem eſſe in cœlis Deum, qui curam gerat eorum, quæ ab ipſis fiunt.

Prob. b. Tota ſacra ſcriptura nihil aliud eſt, quam pellucidum ſpeculum, e quo, quocunque te vertas, promicat peruigil ille oculus prouidæ directionis; ſiquidem *cuſtos Iſraël nunquam dormit*, *Pſ. CXXI, 4.* (1) *De prouidentia Dei conſeruatrice* teſtatur hieropſaltes Pſ. XXXVI, 7. *Hominem & beſtiam ſeruas, o Iehouah!* Quibus verbis docet, pronœam diuinam occupari non tantum circa creaturas intellectu præditas, angelos & homines, ſed & rationis expertes, nempe beſtias, quas Deus ſeruat, noxia ab iis auertendo, & vtiliſſima quæque conferendo. (2) *Prouidentia Dei cooperatricem* aſſerit S. Paullus Act. XVII, 27. 28. *Non procul abeſt Deus ab vnoquoque noſtrum: In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus. Deus*, omnia in omnibus implens, cunctis adeſt creaturis præſentia *potentiæ*, hominibus fidelibus præſentia *gratiæ*, angelis & hominibus beatis præſentia *gloriæ;* ſed nulla præſentia Dei non eſt efficax, aut operoſa. Idcirco inquit apoſtolus: *in ipſo viuimus*, vt embryo in vtero matris, *in ipſo mouemur*, vt naues in mari, *in ipſo ſumus*, vt aues in aëre, piſces in flumine. At in quo viuimus, mouemur & ſumus, ille nobiſcum operantibus cooperatur. (3) *Prouidentiam Dei gubernatricem* docet Ieremias, c. X. 23. *Noui Iehouah, quod non* (ſit) *homini via eius, nec viro ambulare, aut firmare greſſum ſuum.* Innuit propheta, quod conſilia & actiones hominum proficiſcantur quidem a libertate voluntatis humanæ, ſubiaceant autem pronœæ diuinæ, ratione gubernationis & directionis ad certum finem.

*Antitheſis* eſt *Atheorum*, prouidentiam Dei negantium, quorum argumenta ſunt:

I. Deo boues non ſunt curæ, 1 Cor. IX, 9. Ergo pronœa diuina non omnium ſaluti conſulit. Reſp. Verba Paulli non ſunt accipienda *abſolute*, quaſi prorſus ſubtrahat boues a cura gubernationis diuinæ. Contrarium aſſerit ſcriptura, Pſ. XXXVI, 7. CXLVII, 9. *Sed comparate, quod cura primaria Deo non ſit de bobus, ſed de hominibus.* Adducit apoſtolus præceptum diuinum de non capiſtrandis bobus, ob generalem legis rationem, quæ eſt: *Laboranti vitæ ſubſidia non ſunt deneganda.* Ex qua, concludere nos docet: Si boui trituranti os obturandum non eſt: multo minus verbi diuini miniſtris, officium ſuum facientibus, alimenta vitæ ſubtrahenda ſunt. Neque enim boum curam Deus gerit tantum, aut præcipue, ſed potiſſimam ducit rationem hominum fidelium, quos inter haud poſtremi ſunt antiſtites eccleſiæ.

II. Si prouidentia Dei circa res omnes creatas occupata eſſet, non daretur defectus vllus in rebus naturalibus: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* patet; quia Deus perfectiſſimus modo perfectiſſimo agit. Proinde ſi Deus cum operantibus creaturis cooperatur, nullum imperfectum produci poteſt. Falſitas conſequentis manifeſta eſt: Quotidie enim generantur homines monſtroſi, cœci, ſurdi, claudi &c. Reſp. *Defectus rerum creatarum non Deo, ſed cauſſis particularibus ſunt adſcribendi*; quippe quæ vel viribus ſufficientibus deſtitutæ, vel obiecto quaſi ſufflamine impeditæ, opus perfectum non produxerunt. Neque tamen eiusmodi effectus, cum defectu producti, plane ſubducuntur prouidentiæ diuinæ, cum non fiant ſine concurſu Dei generali.

III. Deus *quieuit ab operibus ſuis*, Gen. II, 2. Ergo pro ipſis cura Dei nulla excubat. Reſp. *Quies* dicitur de Deo *non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & certo reſpectu. Quieuit Deus a condendo mundo, a creandis nouis ſpeciebus, non quieuit a conſeruatione & gubernatione rerum*

Digitized by Google

*rerum creatarum,* non ceſſauit a propagandis ſpecierum indiuiduis. Quin immo quies aliter de Deo, aliter de homine dicitur. Quieſcit homo vel feſſus laborando, vel deſidia indormiens. Deus agendo quieſcit, quieſcendo agit.

IV. Si Deo curæ eſſent omnes homines, vtique proſperiores ſucceſſus largiretur piis, quam impiis: At contrarium loquitur experientia. Reſp. (1) De proſperis rerum ſucceſſibus non ex cœcæ rationis dictamine, ſed verbo Dei iudicandum eſt. Quæ multis videtur eſſe præcipua pars felicitatis, haud raro ipſis expedita ad orcum eſt via. Contra calamitas huius ſæculi multis eſt mater precum, patientiæ, fortitudinis, conſtantiæ palæſtra, vitiorum expultrix. *Qui patitur carne, abſtinet a peccato.* 1 Petr. IV, 1. 2) Diſt. inter *ſucceſſus initium, medium, & finem.* Non initia, non decurſus ſucceſſuum æſtimemus, ſed eorum finem & exitum reſpiciamus. *In diem interitus reſeruatur malus: In diem irarum ducitur,* Iob. XXI, 30.

V. Si prouidentia Dei omnia regeret, nihil loci relictum foret caſui, aut fortunæ. Sed plurimum loci caſui & fortunæ relictum eſſe, ingenue fatetur Salomo, Eccleſ. IX, 11. *Tempus & caſus contingit omnibus.* Reſp. (1) *Prouidentia excludit caſum in ordine cauſſæ vniuerſalis;* quippe cuius præſcientiæ dirigenti, & voluntati imperanti, omnia ſunt ſubiecta: *Sed non in ordine cauſſæ particularis;* vtpote quam in agendo aliquid turbare aut inflectere poteſt, vt cœptis optatus non reſpondeat euentus, v. g. Cædes dicitur fortuita, reſpectu lignifiſſoris, cui ferrum excidit, Deut. XIX, 4. non autem reſpectu Dei, qui occurrere fecit virum occiſum in manum occidentis, Exod. XXI, 13. 2) In hebræo eſt vocabulum, פגע, quod proprie notat *occaſionem, vel occurſum,* adeoque ſenſus eſt: Non ſemper ad manum ſe nobis dat occaſio rei ex voto gerendæ, ſed illa nobis præbetur a Deo, in cuius manu & occaſio, & occaſionis euentus eſt.

VI. Abſurdum eſt, *ad hoc deducere Dei maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula, quot culices naſcantur, quotue moriantur, quota pulicum & muſcarum ſit multitudo, quotue piſces natent in aquis,* ait HIERONYM. *in Habacuci* cap. I. Reſp. (1) Excuſetur Hieronymus, pater doctiſſimus, quod loquatur *de ſucceſſiua & diſcurſiua notitia,* qua per ſingula momenta ſucceſſiue cognoſcatur id, quod erat antea ignotum, cum Deus vno actu omnia infallibiliter cognoſcat & penetret. (2) Quod ſi Hieronymus abſolute negauerit, prouidentiam Dei ad viliſſima quæque extendi, ab eius partibus non ſtamus. Subſunt ſane curæ diuinæ non tantum capilli capitis noſtri, Matth. X, 30. ſed & pediculi, Ex. IIX, 13. 14.

### Quæſt. VI. *Quis eſt dominus omnibus rebus creatis proſpiciens?*

Dominus, prouida ſua cura omnia creata conſeruans & gubernans, eſt Deus a), Pater b), Filius c), & Spiritus S. d).

Prob. a. Creator mundi, huius inſpector, conſeruator & gubernator eſt. Vt enim creatio eſt opus infinitæ potentiæ: ita mundum creatum conſeruare & gubernare, infinitæ virtutis, bonitatis & ſapientiæ eſt. Appoſite inquit ANSHELMVS, in *monolog. Sicut nihil factum eſt, niſi per eſſentiam Dei creatricem: ita nihil viget, niſi per potentiam ipſius ſeruatricem,* citante D. GERHARDO, in *diſput. iſagog. p. 647.*

Prob. b. Io. V, 17. *Pater meus vſque nunc operatur; ideo etiam ego operor.* Innuit Saluator, Deum Patrem inde a prima creatione in hunc vſque diem efficaciter & continuo operari, creaturas ſuſtentando, congruas ipſis vires ſufficiendo, & in ipſarum actiones influendo. Ideo cum ſit eadem eſſentia diuina, eadem vis Patris & Filii, etiam Filius Dei circa creaturarum, inprimis hominum commoda promouenda aſſidue occupatur.



Digitized by Google

Prob. c. *Filius Dei omnia portat verbo virtutis ſuæ*, Hebr. I, 3. Perſona diuina portans eſt Filius Dei, vt qui antea dicebatur ſplendor gloriæ & character perſonæ Patris; cui verbis proxime ſequentibus tribuitur mundatio peccatorum. Docet igitur contextus, Filium Dei omnia portare. Φέρειν apud Græcos tam *portare*, quam *agere*, *ſeu mouere* ſignificat. Quare hoc verbo emphatico tum ſuſtentatio, tum gubernatio rerum omnium creatarum indicatur. Addit apoſtolus, quod Filius Dei omnia portet, agat ac moueat, *verbo virtutis ſuæ*, i. e. nutu, iuſſu ac imperio ſuo, quo aluntur & viuunt omnia, Matth. IV, 4.

Prob. d. De Spiritu S. 1 Cor. XII, 11. dicitur, quod *diſtribuat dona ſpiritualia* ad conſeruationem & gubernationem eccleſiæ; quæ eſt prouidentia ſpecialis. De prouidentia generali intelligendum eſt illud effatum Dauidis: Pſ. CIV, 30. *Emittes ſpiritum tuum & creabuntur.* Spiritus creator, qui ſub primordium creationis ſeſe mouit ſuper faciebus aquarum, Gen. I, 2. continuo creat, i. e. conſeruat creaturas; cum conſeruatio ſit continua quædam creatio.

Quæſt. VII. *Quibus rebus Deus proſpicit?*

*Obiectum prouidentiæ diuinæ.* Proſpicit Deus omnibus creaturis a), maximis b), & minimis c).

Obſ. 1. Ad obiectum prouidentiæ diuinæ non pertinet Deus ipſe. Etenim prouidentia Dei eſt actio *ad extra*, quæ extra ſinum deitatis peragitur, & ad creaturas terminatur. Adiice, quod obiectum pronœæ diuinæ ſit omne conſeruabile & gubernabile. At Deus non eſt conſeruabilis; quia nec interire, nec a cauſſa ſuperiori conſeruante dependere poteſt: nec eſt gubernabilis; cauſſa enim gubernans eſt ſuperior & ſapientior, qualem Deus non agnoſcit.

Obſ. 2. *Obiectum prouidentiæ diuinæ diſtingui poteſt in generale, & ſpeciale. Obiectum generale* pronœæ diuinæ eſt *totum mundi ſyſtema*, & omnes in eo contentæ creaturæ, quæ temporalibus Dei beneficiis cumulantur. *Obiectum ſpeciale eſt eccleſia Dei* tam militans, ſiue cœtus hominum fidelium, quam triumphans, ſiue cœtus angelorum, & beatorum hominum, ſpiritualibus & æternis Dei beneficiis perfruens. Conf. D. GERHARDI *diſput. iſagog. p. 653.*

Prob. a. E Gen. I, 31. *Tum vidit Deus omne, quod fecit, & ecce bonum erat valde.* Quam late ſe extendit oculus diuinus, videns bonitatem creaturarum; tam late ſe porrigit prouidentia diuina. At ille ſe extendit ad vniuerſas & ſingulas creaturas: Ergo & hæc. Ratio conſequentiæ eſt, quia videre bonitatem creaturarum eſt actus pronœæ diuinæ.

Prob. b. *Creaturarum nobiliſſimæ & maximæ ſunt angeli & homines*, primitus ad exemplar ſapientiæ & ſanctitatis diuinæ conditi. Angelis bonis Deus mandat, Pſ. XCI, 11. eosque ad miniſteria ſua emittit, Hebr. I, 14. qui ipſi etiam miniſtrabunt in reſuſcitatione mortuorum, & citatione ad iudicium, 1 Theſſ. IV, 16. Ergo Deus illos prouidentia ſua gubernat. Angelis malis Deus fræna iniicit, Iob. I, 12. & laxat, Matth. VIII, 31. Ergo & angeli mali regimini diuino ſubiacent. Hominum tam bonorum, quam malorum rationem habet Deus benigniſſimus. Nam ſolem ſuum exoriri facit ſuper malos & bonos, et pluviam mittit ſuper iuſtos & iniuſtos, Matth. V, 45. Hominum tamen fidelium ſaluti inprimis conſulit. Eſt enim ſeruator omnium, maxime fidelium, 1 Tim. IV, 10. Eccleſia igitur, ſeu cœtus fidelium, ſpeciali ratione a Deo regitur, conſeruatur, & ſpiritualibus donis ornatur.

Prob. c. Sapientiſſima Dei ter optimi cura ne minimas quidem creaturas negligit. Proſpicit enim coruis, Pſ. CXLVII, 9. paſſeribus, Matth. X, 29. pediculis, Exod. VIII, 13. liliis & gramini, Matth. VI, 28. 30. moderatur aquas, pluuias, ventos & fulgura, Iob. XXVIII, 15.

producit

Digitized by Google

producit e terra frumentum, muſtum & oleum, Hoſ. II, 32. in numerato habet ſtellas, Pſ. CXLVII, 4. capillos, Matth. X, 30. & lacrymas noſtras, Pſ. LVI, 9.

Quæſt. VIII. *Quomodo prouidentia Dei moderatur vitam hominum?*

Prouidentia Dei moderatur vitæ humanæ ingreſſum a), progreſſum b), & egreſſum c).

Prob. a. *Vitæ humanæ ingreſſus complectitur tum formationem & conſeruationem in vtero matris, tum extractionem ex vtero.* Formationem embryonis & conſeruationem in vtero piiſſimus Iobus Deo vindicat, c. X, 8. 9. 10. 11. 12. *Manus tuæ formauerunt me & fecerunt me; & quidem ſimul circumquaque, & tamen abſorbes me. Memento, quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem me ſis redacturus. Nonne ſicut lac fudiſti me, & ſicut caſeum in formam infudiſti me? Cute & carne induiſti me, & oſſibus atque neruis compegiſti me. Vitam & benignitatem feciſti mecum: Et viſio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Obſ. (1) Deus dicitur formare hominem in vtero matris non *excluſiue*, quaſi excludantur vel vterus ipſe, vel vis plaſtica animæ, vel ſanguis menſtruus, vel aliæ cauſſæ; ſed cum Deo omnes cauſſæ naturales *ſubiaceant*, & *ipſe per has agat*, recte nos in vtero formare & conſeruare dicitur, (2) Scite delineat Iobus vitæ ſuæ ingreſſum. Hunc quippe acceptum refert Dei manibus per quas intelligit potentiam Dei creatricem; nam parentibus generantibus creat Deus. Suam in vtero formationem comparat iam cum effigiatione luti, iam cum coagulatione lactis, iam cum induitione veſtimenti, originem quidem ſuam humilem, at actionem Dei ſublimem expreſſurus. Quod vitam agit, ſpiritumque ducit, id totum a viſione Dei aſſidua, paternaque cura & tutela ſuſpenſum habet, Conf. Pſ. CXXXIX, 14. 15. 16. *De extractione ex vtero matris* teſtatur rex propheta, Pſ. XXXI, 6: *E viſceribus matris meæ tu eductor meus*, q. d. Tu obſtetricis quaſi vices geſſiſti, maternisque me vinculis exſoluiſti. Vel: Tu ipſemet obſtetricis manus ita gubernaſti, ne tenello mihi infantulo quidquam læderetur, ſed incolumis ego in has prodirem auras.

Prob. b. *Vitæ progreſſum* moderatur Deus alimenta vitæ largiendo, Pſ. CXLV, 6. greſſus noſtros dirigendo, i. e. conſilia, cœpta, factaque ad optatos exitus prouehendo, Pſ. XXXVII, 23. hoſtium inſidias, aut apertam vim a nobis propulſando, Pſ. III, 8. 9. ad certum vitæ genus nos aptando & vocando, Ierem. I, 5. 6. 7.

Prob. c. *Terminum, vel egreſſum vitæ Deus* (1) *infallibiliter præſcit.* Id quod indicat Pſaltes, Pſ. CXXXIX, 16. *Glomus meum viderunt oculi tui; & ſuper libro tuo omnes ſcripti ſunt dies, qui deſtinati ſunt, cum nec vnus eſſet de illis. Deus* infallibiliter cognoſcit *glomus noſtrum*, i. e. informem maſſam, e qua in vtero materno formati ſumus. Prænouit etiam omnes vitæ noſtræ dies futuros, ad huius lucis vſuram diuinitus nobis deſtinatos. At quem non prætereunt omnes vitæ noſtræ dies, illum nec vltima viuendi hora fallit. (2) *Deus terminum vitæ præordinauit & conſtituit.* Id quod docet Iobus, c. XIV, 5. *Si definiti ſunt dies eius; numerus menſium eius eſt apud te: Statuta eius feciſti, & non transgredietur.* Quibus verbis ſignificatur, definitos eſſe homini a Deo certos viuendi dies, numerumque menſium ratione præſcientiæ & decreti diuini conſtitutum, quem homo transgredi nequeat. *Præfixus autem eſt vitæ terminus decreto non abſoluto, omnes cauſſas ſecundas antecedente, aut excludente, ſed decreto hypothetico & ordinato*, in cauſſis ſecundis fundato, & pro illarum conditione formato. Nimirum *lege communi & ordinaria Deus* conſtituit homini terminum *vitæ phyſicum, ſiue naturalem*, pro natura cuiusque hominis & temperamento. *Probamus aſſertionem noſtram* (a) quia Deus, vt ab æterno præſcit, quam naturam quisque a parentibus ſuis vi naturalis generationis accepturus, & quousque iuxta naturæ ordinem cum ipſius generali concurſu vitam protracturus ſit: ita ab æterno etiam conſtituit, cauſſis ſecundis tantum præbere influxum, quantus quidem de lege naturæ ipſis debetur, vsque dum ad terminum a natura



Digitized by Google

determinatum pertingant, & vires naturales deficiant. Hæc enim prouidentiæ diuinæ ratio eſt, vt communem naturæ curſum & cauſſarum ſecundarum ordinem viresque agendi non euertat, ſed conſeruet, & ſuum ipſis influxum præbeat, viribus & naturæ cuiusque congruum & proportionatum. (b) Quotiescunque S. ſcriptura pietatis ſectatoribus prolongationem vitæ pollicetur, impiis vero eiusdem abbreuiationem comminatur: toties indicat, Deum homini pro natura & temperamento ipſius terminum vitæ præſtituiſſe. Nam prolongare vitam, eſt, eam vltra terminum præſtitutum extendere, & eandem abbreuiare, eſt, terminum præſtitutum anteuertere. Vbi per terminum præſtitutum alius intelligi non poteſt, quam is, quem ipſa natura cum Dei concurſu generali lege communi præſtituit. (c) Idem euincit exemplum regis Hiskiæ, cuius terminum vitæ tum, cum ægrotaret, adeſſe, Dei iuſſu denuntiabat propheta Ieſaias: *Diſpone*, inquiens, *domum tuam, quia morieris tu, & non viues*, Eſ. XXXVIII, 2. Vbi citra dubium mortem ei imminere prædicebatur intuitu termini, quem lege communi cauſſæ ſecundæ, cum generali cauſſæ primæ concurſu, præfixerant: quem poſtea Deus ad preces Hiskiæ, præter conſuetum naturæ curſum, adiectis annis quindecim prolongauit. (d) Si terminus vitæ abſolute fatalis eſſet, fruſtraneæ forent promiſſiones diuinæ de vita, piis proroganda, Exod. XXIII, 25. 26. Prou. III, 2. fruſtraneæ comminationes de vita, impiis abrumpenda & abbreuianda, Pſ. LV, 24. fruſtraneæ preces pro vita longiori, aut placido mortis genere, Eſ. XXXVIII, 2. Phil. II, 27. fruſtraneus vſus medicamentorum a Deo ordinatorum, Sir. XXXVIII, 1. fruſtranea declinatio periculorum.

Ceterum *prouidentia diuina non abſolute & ſimpliciter alligata eſt ad cauſſas ſecundas*: ſed vt alias præter naturæ ordinem & cauſſarum ſecundarum curſum pro ratione diuinæ ſapientiæ operatur: ita vitæ humanæ quandoque terminum alium, quam quem cauſſæ ſecundæ cum ipſius concurſu naturali præfigunt, eumque vel longiorem, vel breuiorem, certis de cauſſis præſtituit; quem *terminum hyperphyſicum, ſupernaturalem vel præternaturalem* communiter appellant. Conf. D. FEVERBORN. *faſcic. V. diſp. VI. p. 844. Hunc terminum vitæ præternaturalem præſtituit Deus vel poſitiue*, decernendo eum, & media, quibus attingatur, ordinando; vel *permiſſiue*, non impediendo, gratiam ſuam ſubtrahendo, atque ſic iuſto iudicio permittendo, vt citius, quam per curſum naturæ fieri debebat, homo morte præmatura abripiatur.

*Poſitiue Deus præſtituit terminum hyperphyſicum*, vi promiſſionum ſuarum, ſupra adductarum, in gratuitam pietatis remunerationem, vitam vltra & præter naturæ curſum prolongando, vt regi Hiskiæ contigit, Eſ. XXXVIII. vel etiam ad auertenda mala & pericula imminentia citius, quam per naturam fieri debuiſſet, ex hac mortalitate quempiam euocat, ſicut Sap. IV, 14. dicitur: *Grata erat domino anima ipſius: propterea feſtinauit e medio malitiæ.* Qui terminus vitæ hyperphyſicus breuior & longior, cum a benigno voluntatis diuinæ decreto, mediisque ab ipſo ordinatis peculiariter dependeat, ſpeciatim *terminus gratiæ* vocatur.

*Permiſſiue Deus terminum vitæ præternaturalem conſtituit*, quotiescunque homo vel ſua intemperantia, ebrietate, libidine, aliisque peccatis morbos ſibi accerſit, & mortem accelerat vel per imprudentiam, aut temeritatem periculis caput obiicit, & naufragio, vel bello, vel latronum manu perit, vel ob delicta in iudicis incidit poteſtatem, & capite plectitur, vel deſperabundus violentas ſibi ipſi manus infert, vitamque, quam alias in annos multos protrahere potuiſſet, abrumpit. Quem ad modum enim Deus prouidentia ſua hominis voluntati neceſſitatem non imponit: ita gratiæ ſuæ contemtores, qui voluntate libera peccant, aut periculis ſe exponunt, iuſto iudicio ſibi tandem relinquit, & vt prædictis aliisque modis morte præma-

Digitized by Google

præmatura pereant, permittit. *Hic terminus hyperphyſicus, permiſſiue conſtitutus, vulgo nominatur terminus iræ.* Conf. D. GERHARDI *diſp. iſag. p. 667.*

Quod ſi iam quæratur: ſitne terminus vitæ, modis tam diuerſis æterno Dei decreto præfixus, neceſſarius & immobilis? an contingens & mobilis? reſpondemus, *eundem eſſe neceſſarium, non neceſſitate conſequentis, aut abſoluta, ſed neceſſitate conſequentiæ, vel hypothetica: pari ratione eſſe terminum vitæ immobilem hypothetice, in ſenſu compoſito & complexo; eſſe vero eundem mobilem, in ſenſu diuiſo, per apocopen præfinitæ conditionis.* Terminus enim phyſicus anteuerti poteſt acceleratis per vitam inordinatam morbis, aliisue modis: proinde abſolute neceſſarium non eſt, quenquam ad eum pertingere vitæ terminum, ad quem per naturæ vires, & cauſſarum ſecundarum curſum, cum concurſu Dei generali pertingere poterat. Poſito autem, Deum præuidiſſe ab æterno, hominem ad eum terminum per cauſſas ſecundas & ſuum concurſum generalem peruenturum eſſe, & ab æterno conſtituiſſe, vt tum ex hac vita decedat, cum vires naturales iuxta conſuetum naturæ curſum deficiunt, neceſſarium eſt, eum termino illo adueniente mori. *Pari ratione terminus naturalis eſt immobilis hypothetice, in ſenſu compoſito,* v. gr. Ponamus, Deum ſequens formaſſe decretum: Rex Dauid, ſi temperamenti, quod bene diſpoſitum per naturalem parentum generationem nactus eſt, rationem habeat ſollicitam, abſtinendo a crapula, libidine, ira, & enormibus delictis, 70. annos viuendo expleat. Hic terminus vitæ, in *ſenſu compoſito*, eſt *immobilis, mobilis autem in ſenſu diuiſo, per apocopen annexæ conditionis.* Nam ſi Dauid ſecus fecerit, non terminum illum longiorem, ſed alium breuiorem attinget. Quod attinet ad *terminum hyperphyſicum, is ſemper eſt hypotheticus*, includens conditionem pietatis, vel impietatis, vel contemtum mediorum.

*Antitheſis* eſt (1) *Giſberti Voëtii, & aliorum*, qui ipſum ſequuntur, aſſerentium, homini cuique terminum vitæ eſſe *fatalem*, hoc eſt, *certum & immobilem*, Dei occulto & abſoluto decreto præfixum, vt alio tempore, alio modo, alioue mortis genere, quam quo a Deo decretum eſt, quenquam occumbere, abſolute & ſimpliciter impoſſibile ſit. (2) *Simonis Epiſcopii*, & aliorum, ipſi adhærentium, ex quorum mente omnis vitæ terminus immobilis eſt. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Quicunque vitæ terminus decreto diuino conſtitutus eſt, vt præteriri nequeat, ille eſt abſolute fatalis. Atqui naturalis vitæ terminus &c. Jo. XIV, 5. Ergo. Reſp. Quicunque vitæ terminus decreto diuino abſoluto conſtitutus eſt, ille ſimpliciter fatalis eſt; concedo. At decretum diuinum, quo conſtituitur vitæ terminus phyſicus, eſt *ordinatum & reſpectiuum*, quippe quo reſpicitur ordo cauſſarum ſecundarum, temperamentum naturale, vſus medicamentorum, cauta declinatio impedimentorum, quorum intuitu Deus a curſu naturæ recedere, & alium, quam ipſa natura determinat, terminum poſitiue, aut permiſſiue conſtituere poteſt.

II. Deus non alligatus eſt ad cauſſas phyſicas: Ergo illarum vires in conſtituendo vitæ termino non reſpicit. Reſp. Deus, *poteſtate abſoluta agens*, non alligatus eſt ad cauſſas ſecundas: At *agens potentia ordinata*, ordini, a ſe in ipſo regno naturæ conſtituto, ſe attemperat, & ſecundum cuiusque temperamentum, terminum vitæ naturalem conſtituit.

III. Omnia noſtra tempora ſunt in manu Dei, Pſ. XXXI, 16. Ergo & dies vitæ atque mortis. Reſp. Concedimus, omnia tempora noſtra, ipſumque diem mortis a manu diuina pendere; ſed negamus, hunc diem mortis adeo ſimpliciter fatalem eſſe, vt intemperantia, temeritate & αὐτοχειρίᾳ anteuerti nequeat.

IV. Deus toti primo mundo tempore diluuii, & omnibus in eo viuentibus terminum vitæ abſolute præfixit. Si his, cur non & aliis? Reſp. Terminus vitæ illis non abſolute, citra intuitum vllius cauſſæ impulſiuæ, præfixus erat: ſed reſpiciebat Deus inemendabilem hominum ferociſſimorum malitiam.



Digitized by Google

V. Si terminus vitæ decreto diuino ordinato præfixus eſt, longiorem vitam agent filii morigeri, quam immorigeri: At conſequens falſum eſſe, docet experientia: Ergo & antecedens. Reſp. *Terminus gratiæ duplex eſt, longior, & breuior.* Communis quidem regula eſt, filiis morigeris exſpectandam eſſe longæuitatem, Exod. XX, 12. At patitur hæc regula exceptionem, ſi nimirum Deus præuideat, quod ſucceſſu temporis malitia illorum intellectum ſit perverſura, & caſus aſperrimi eosdem ſint obruturi, Sap. IV, 8. 9. Hinc præmatura quandoque morte e medio malitiæ theatro diuinitus rapiuntur.

VI. Ipſi doctores euangelici nonnulli, quos inter DANNHAVERVS, concedunt, terminum *vitæ eſſe fatalem.* Reſp. Dannhauerus docet, terminum vitæ eſſe fatalem (i. e. certo Dei decreto definitum): (1) *fatalitate phyſica*, quæ vniuerſim LXX. annis definitur, Pſ. XC, 10. ac ſigillatim ex temperamenti indole æſtimari ſolet. *Quæ tamen fatalitas ſeorſim accepta mobilis eſt, atque vel dilatabilis* eſt temperantiæ diæta, cura medica, pietate in parentes, gratia Dei extraordinaria, qualis Hiskiæ contigit; vel *abbreuiabilis*, intemperantia, medicinæ neglectu, impietate Abſolonica, *αὐτοχειρίᾳ*, iuſta Dei iudicis ira, &c. (2) *Fatalitate complexa*, ſi totam choream cauſſarum naturalium, voluntariarum, fortuitarum, e cœlo extra ordinem porrectarum, intueare. *Non* autem (3) *fatalitate abſoluta*, omnes reſpectus, conditiones & cauſſas antecedente, ſed *conditionata*, reſpiciente ad cauſſarum naturalium, ſupernaturalium ac voluntariarum curſum. v. *Hodom.* S. C. p. 865. (*)

Quæſt. IX. *Quos actus complectitur prouidentia diuina?*

*Actus providentiæ diuinæ late ſumtæ.* Prouidentia diuina, *late* ſumta, *generali* ſuo complexu comprehendit a) πρόγνωσιν, præuiſionem, vel præſcientiam, b) πρόθεσιν, propoſitum, aut decretum Dei, c) διοίκησιν, actualem rerum creatarum conſeruationem & gubernationem.

Prob. a. (1) Vox, *prouidentia*, a *prouidendo* deriuata, vi natiua denotat futurorum, antequam fiant, cognitionem, ſeu viſionem. Ergo præſcientia ab actibus prouidentiæ diuinæ excludi nequit.

(2) Hebræi totum prouidentiæ complexum nomine *viſionis* deſignant, Gen XXII, 8.

(3) Negata præſcientia, tollitur exacta Dei prouidentia. Qui enim ſapienter regas curesque ignota? Qui declines non prouiſa?

(4) HVGO DE S. VICTORE monet, in prouidentia diuina tria eſſe conſideranda, *ſcientiam dirigentem, voluntatem imperantem, & potentiam exſequentem.* Tria hæc complecti videtur Paullus, Eph. I, 11: *Deus omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ operatur.* Vbi *conſilium* ſcientiam dirigentem, *voluntas* voluntatem imperantem, vox *operatur* potentiam exſequentem eleganter notat. Βουλή, ſiue conſilium diuinum, ſine præſcientia eſſe nequit.

*Antitheſis* eſt *Socini*, præſcientiam ab actibus prouidentiæ excludentis, cuius argumentum eſt: Præſcientia contingentium labefactat prouidentiam, & Deum reddit otioſum. Quid enim

(*) Neque inter ſe confundenda ſunt hæc duo: mutatio *termini* vitæ humanæ, & mutatio *decreti* diuini determinantis. Illam adfirmamus, hanc negamus. Vitæ terminus eſt mutabilis, pro ea, qua homo pollet, libertate voluntatis, vitæ ſuæ aut parcendi, aut nocendi, quæ eſt ſententia verborum, Exod. XX, 12. Deut. XXX, 20. 1 Reg. III, 14. Pſ. LV, 24. Ieſ. XXXVIII, 1. 5. At *decretum* diuinum eſt immutabile, propter æternam certiſſimamque, quæ in Deo ineſt, futurorum contingentium ſcientiam, eiusque coniunctionem neceſſariam cum Dei ſapientia, bonitate ac iuſtitia. Sic debent intelligi hæc dicta, Jobi XIV, 5. Pſ. XXXIX, 5.

Digitized by Google

enim attinet, Deum perpetuo contemplari, quæ ab hominibus fiunt, ſi ea iam ab æterno nouit? Reſp. Præſcientia prouidentiam non labefactat, ſed ſtabilit. Nihil enim tempore præſenti fit Deo non conſcio, quia Deus futurorum eſt præſcius. Hinc quæ neceſſitas ſcientiæ diuinæ eſt ad præſentia & præterita, eadem eſt ad futura.

Obſ. Vox, πρόγνωσις, ſumta ſenſu *ſpeciali*, notat præuiſionem fidei perſeuerantis electorum, iuxta quam eſt facta electio, Rom. VIII, 29. Hic autem ſumitur ſenſu *generali*, pro ſcientia vniuerſali omnium eorum, quæ ſunt, fuerunt, & erunt; qua non tantum bona, ſed & mala, quæ ex voluntate humana dependent, exacte cognoſcit Deus omniſcius; ſiquidem *omnia ab æterno nouit*, Act. XV, 18.

Prob. b. 1) *Deus noſter in cœlis; omnia, quæ vult, facit.* Pſ. CXV, 3. Docet pſaltes, omnia opera diuina a voluntate Dei, vt principio proxime mouente, dependere. Quod ipſum principium duplici modo ſe exſerit: volendo aliquid, *vel abſolute*, citra reſpectum vllius conditionis, a creaturis implendæ; vel *ordinate*, præſuppoſita aliqua conditione, qua impleta, vel non impleta, Deus aliquid facere, vel non facere vult.

2) *Deus omnia operatur iuxta conſilium voluntatis ſuæ*, Eph. I, 11. Obſ. Βουλή, ſiue conſilium, *ſtricte* ſumtum, eſt actus intellectus diuini æternus de his, quæ Deus fieri vult ad gloriam nominis ſui: aliquando tamen in ſcripturis vſurpatur de decreto Dei ſapientiſſimo. Conf. Act. II, 23. cap. IV, 28. Quo ſenſu l. c. accipi *conſilium* cenſet ESTIVS *in notis ad h. l.* ob certitudinem cognitionis diuinæ, quam decretum præſupponit.

3) *Non eſt Deus præter te, cui cura eſt de omnibus*, inquit auctor ſapientiæ, c. XII, 13. Dum Deus in tempore curam gerit rerum omnium a ſe conditarum, colligimus, quod ab æterno ſe iisdem proſpecturum eſſe decreuerit; propterea, quod nihil in tempore agit, quod non ab æterno ſe acturum eſſe decreuit, propter voluntatis diuinæ immutabilitatem. Scite ait AVGVSTINVS, & ex eo PROSPER, *ſentent. LVIII: Voluntas Dei eſt ſumma & prima cauſſa omnium corporalium, ſpiritualiumque motuum. Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inuiſibili & intelligibili ſummi imperatoris aula aut iubeatur aut permittatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum in ipſa totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica.*

Obſ. *Decretum diuinum* eſt actus voluntatis diuinæ, quo Deus, quidquid creaturis bonum eſt, efficere, malum vero interdum permittere, ſapientiſſimo conſilio, liberaque auctoritate vult; atque adeo 1) diſtinguitur *in effectiuum*, *& permiſſiuum*. *Decreto effectiuo* Deus bona efficere, *permiſſiuo* mala permittere conſtituit. 2) *In abſolutum, & non abſolutum. Abſolutum eſt, quod Deus concepit citra intuitum vllius conditionis, mediorum ad effectum producendum ordinatorum, aut cauſſarum impulſiuarum externarum. Non abſolutum*, pro diuerſa conſiderandi ratione, vocatur *conditionatum*, *ordinatum & reſpectiuum. Decretum non abſolutum dicitur conditionatum* ob conditionem, cuius intuitu factum eſt. v. gr. *Si conuerſa fuerit gens iſta a malitia ſua, propter quam locutus ſum contra eam: pœnitebit me mali, quod cogitaui facere ſuper illa.* Ier. XVIII, 7. 8. Decreuerat Deus iuſtiſſimus exſcindere populum malum, ſi peccatis nefandis pertinaciter indulgeat: ſublata hac conditione, eidem parcere conſtituerat. Idem *decretum non abſolutum adpellatur ordinatum* ob τάξιν, ſeu ordinem mediorum diuinitus conſtitutorum, quorum intuitu a Deo ſancitum eſt, v. gr. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluabitur*, Marc. XVI, 16. Decreuit Deus per ordinaria gratiæ ſalutisque media, nimirum baptiſmum & fidem, homines ſaluare. *Decretum* denique *non abſolutum* dicitur *reſpectiuum, ob reſpectum cauſſarum impulſiuarum externarum*, quarum intuitu a Deo formatum eſt, v. gr. *Deus elegit nos in Chriſto ante iacta mundi fundamenta*, Epheſ. I, 4. *Decretum electionis* factum eſt reſpectu meriti Chriſti, tanquam *cauſſæ impulſiuæ externæ.* Sunt nonnulli theologi

Digitized by Google

logi, qui non admittunt *decretum conditionatum*, (cum *decernere* proprie dicatur, qui conſideratis omnibus circumſtantiis aliquid ſimpliciter & ſine conditione vult); inculcant autem *decretum* cauſſarum impulſiuarum externarum *reſpectiuum:* quos inter eſt D. MVSAEVS *in diſſertatione de æterno electionis decreto p. 273.* ita diſſerens: Electionis decretum, licet intuitu fidei præuiſæ factum dicamus, *conditionatum* tamen, aut *ſub conditione fidei factum* minime dicimus, ſed ſi τὸ *abſolutum* dicatur in oppoſitione ad τὸ *conditionatum*, decretum electionis *abſolutum*, *ſiue inconditionatum* eſſe, intrepide ſtatuimus, nec alio ſenſu id *abſolutum* eſſe negamus, quam quo *abſolutum dicitur ad excludendum reſpectum cauſſæ impulſiuæ* extra Deum, ſiue *externæ.* Non autem ſtatim conditionatum eſt decretum, quod intuitu alicuius cauſſæ impulſiuæ ſit, ſed ſi *fiat intuitu cauſſæ impulſiuæ, iam in actu conſtitutæ, vel diſtincte præcognitæ, vt futuræ, tum abſolutum, ſiue inconditionatum eſt.* Conf. D. BREITHAVPT. *Inſtit. theol. p. 356.*

Prob. c. Διοίκησις *adminiſtrationem*, *diſpenſationem*, *gubernationem* notat. De hac inquit auctor Sapientiæ c. XII, 18. *μετὰ πολλῆς φειδοῦς διοικεῖς ἡμᾶς*, *cum magna parcitate* (indulgentia) *adminiſtras nos.* Quæ verba B. LVTHER. germanice reddidit: Du regiereſt uns mit viel Verſchonen. Διοίκησις ἀπὸ τοῦ οἴκου, a *domo* trahit originem. Sicut enim paterfamilias domeſticorum ſuorum rationibus conſulit: ita Deus ingentem mundi domum adminiſtrat, & omnium creaturarum rationem ducit. Hæc διοίκησις *proprie conſtituit & abſoluit actualem Dei prouidentiam; quippe quæ eſt actio Dei ad extra, & voluntatis diuinæ exſecutio, adeoque internum mentis & voluntatis diuinæ actum ſupponens, atque conſueto loquendi vſu, eccleſiæ approbato, complectens conſeruationem, cooperationem ſiue concurſum, & gubernationem;* quanquam nolimus negare, διοίκησιν ſenſu *ſtrictiori* deſignare tantum *directionem*, vel *gubernationem.*

Quæſt. X. *An præſcientia diuina præuio innititur decreto?*

*Præſcientia*, & decretum Dei conceptum de rebus futuris, æterna & ſimul ſunt ex parte Dei; noſtro autem concipiendi modo *præſcientia* Dei *decretum* diuinum *antecedit.*

Prob. 1) Licet re vera in Deo idem ſit, eſſe, intelligere, velle: effectu tamen diſcernitur voluntas diuina ab intellectu. Nam quod bonum intellectus cognouit, de illo voluntas decernit. Nemo ſapiens de rebus ignoratis format decretum; foret quippe hoc cœcum, vanum & irritum. Nihil eſt in voluntate, quin prius fuerit in intellectu, & ignoti nulla eſt cupido.

2) Ea eſt intellectus diuini perfectio, vt per ſe & immediate, absque vllo præuio decreto voluntatis, præſentia, præterita & futura perſpiciat, & infallibiliter cognoſcat. Omnia namque *oculis diuinis ſunt nuda & circumcirca denudata*, Hebr. IV, 13. omnia ipſi præſentia, ratione intuitus infallibilis.

3) Apoſtolus Paulus æterno electionis decreto præmittit πρόγνωσιν, ſiue præſcientiam, Rom. VIII, 29. *Quos præcognouit, etiam prædeſtinauit.* Et S. Petrus 1 Epiſt. I, 2. ſcribit electis ſecundum *præcognitionem* Dei.

4) Deus cognoſcit omnia poſſibilia, per infinitam ſuam ſcientiam, etiam ea, quæ nunquam ſunt exſtitura, de quibus nullum facit decretum. Ergo etiam per omniſcientiam ſuam eſſentialem futura contingentia præuidet absque præuio decreto. Nulla enim ratio eſt, cur Deus aliter poſſibilia, aliter futura contingentia cognoſcat: omnia quippe lumine intellectus ſui infiniti videt.

Di-

Digitized by Google

Dicis: Mere poſſibilia, nunquam exſtitura, Deus quidem cognoſcit ſine præuio decreto; at futura nulla ſunt, nec eſſe poſſunt, quæ Deus non decreuit efficere, aut permittere, & tandem efficiat, aut permittat. Nec enim res aliter præſciuntur futuræ, quam ſunt futuræ; alias falſo præſcirentur. Reſp. Licet nullum futurum ſit, quod Deus non decreuit efficere, aut permittere, non tamen ideo Deus præſcit futurum, quia decreuit, ſed quia omniſcius eſt. Antequam enim Deus futurum decernat, præuidet illius poſſibilitatem, & tranſitum ex poſſibilitate in exſiſtentiam, dum liberam præſcit voluntatis humanæ inclinationem, quod effectum ſit productura, *ſi concurſum ſuum neceſſarium ſit impertiturus.* Deinceps decernit concurſum ſuum impertiri, & cognoſcit, quomodo voluntas humana ſuo concurſu ad effectum producendum ſit vſura.

5) Deus cognoſcit peccata futura; quæ efficere non decreuit. Ergo præſcientia eius præuio decreto determinante non nititur.

Dicis: Deus peccata futura non quidem efficere, attamen permittere decreuit. Reſp. Decretum diuinum de permittendis malis ſupponit præſcientiam malorum, quod, *niſi diuinitus impediantur*, certo futura ſint. E. decretum permiſſiuum præſcientiam diuinam, ſecundum noſtrum concipiendi modum, non antecedit, ſed ſequitur.

6) Deus prænouit conditionate futura, de quibus nullum fecit decretum, v. gr. prænouit Chriſtus poenitentiam Tyriorum & Sidoniorum, ſi ea, quæ in oppidis Chorazin & Bethſaida, contigerunt miracula, apud eos patrata fuiſſent, Matth. XI, 22.

*Antitheſis* eſt quorundam *Scholaſticorum*, *Scotiſtarum & Dominicanorum*, quos alii ſequuntur. Horum de ſententia infallibilis ratio præſcientiæ diuinæ fundatur in prædefinitione Dei, ſeu decreto faciendi & permittendi futura. Firmare nituntur ſuam opinionem ſequentibus argumentis:

I. Si poſſibilia non poſſunt tranſire in conditionem futurorum, niſi decreto voluntatis diuinæ determinentur, ſine præuio decreto futura a Deo cognoſci nequeunt: Antecedens eſt verum: Ergo & conſequens. Conſequentia *maioris* patet; quia quod nulla ratione futurum eſt, Deus vt futurum non cognoſcit, cum vera ſcientia obiecto ſit conformis. *Antecedens* probatur; quia poſſibilia natura ſua indifferentia ſunt ad futuram exſiſtentiam, & non futuram exiſtentiam; adeoque cauſſa aliqua requiritur, quæ determinet indifferentiam iſtam, eaque ex pure poſſibilibus tranſire faciat in conditionem futurorum. Huiusmodi cauſſa non eſt quærenda extra Deum, propterea, quod tranſitus iſte e conditione poſſibilium in conditionem futurorum factus eſt ab æterno; nam ab æterno futura ſunt, quæcunque futura ſunt, alioqui, ne a Deo quidem, vt futura cognoſci potuiſſent, idque ab æterno. Quam ob rem, quia ab æterno nihil fuit, quod tranſitus illius cauſſa eſſe potuit extra Deum, valide colligitur, decretum voluntatis diuinæ determinare conditionem poſſibilium, vt migrent in conditionem futurorum. Reſp. 1) *Deus cognoſcit conditionate futura, quæ nunquam abſolute ſunt futura;* v. gr. Tyriorum & Sidoniorum reſipiſcentiam conditionate futuram: neque tamen eius præſcientia falſa eſt. Nam hæc propoſitio in ſenſu compoſito vera eſt: Tyrii & Sidonii veram egiſſent pœnitentiam, ſi eadem miracula, quæ apud Chorazinos facta ſunt, apud eosdem patrata fuiſſent. 2) *Non omnium poſſibilium tranſitus in ſtatum futuræ exſiſtentiæ eſt a voluntate Dei prædeterminante; ſed ab ipſa cauſſa libera, ad agendum ſeipſam determinante*, cuius inclinationem viresque Deus præuidit & præſciuit, quod effectum ſit productura, *ſi concurſum ſuum impertiretur*; poſtea decreuit ſufficientem præbere concurſum. Præcedit igitur præſcientia decretum. 3) *Neque tranſitus e conditione poſſibilium in conditionem futurorum factus eſt ab æterno, licet ab æterno ſit præuiſus.* Nam ea eſt vis & perfectio intellectus diuini, vt quæ in tempore futura ſunt, ſibi ab æterno præſentia ſiſtat.

Inſtantia: I. Futura non poſſunt eſſe præſentia ab æterno. Reſp. Futura ab æterno non poſſunt eſſe præſentia, *quoad eſſe reale & actuale*, licet, quoad eſſe *ideale obiectiuum*, intellectui diuino ad cognoſcendum præſentia ſiſtantur.

II. Si res futura eſt, & non decreta a Deo, erit independens: Conſequens eſt abſurdum: Ergo & antecedens. Reſp. Concedimus, entia futura a Deo eſſe decreta, & ab ipſo dependere; at hoc vrgemus, quod præſcientia quædam diuina, ſaltim conditionata, reſpectu obiecti, decretum diuinum præcedat, prout luculenter oſtendimus.

III. Quicunque cognoſcit obiectum ſine præuio decreto, illius ſcientia dependet ab obiecto: Atqui ſcientia diuina a nullo dependet obiecto; quia eſt independens: E. Deus non cognoſcit obiectum ſine præuio decreto. *Maior* patet; quia iuxta commune axioma: *Scientia a rebus, non res a ſcientia pendent.* Reſp. *Scientia diuina obiectum quidem reſpicit, ſed proprie ab eo non dependet.* Obiectiua dependentia non ἀκριβῶς & accurate, ſed ἀκύρως & improprie ita dicitur.

IV. Quicunque aliquid cognoſcit, quod prius non decreuit, illius intellectus mutatur: At intellectus diuinus non mutatur. E. Deus nihil cognoſcit, quod prius non decreuit. *Maior* conſtat; quia hac ratione intellectus traducitur in actum e potentia. Poterat enim actus liberos ſcire, antequam fierent; poſtquam facti ſunt, cœpit illos ſcire actu. Sed hæc eſt mutatio a potentia ad actum. Reſp. Diſt. *inter intellectum finitum, & infinitum.* Ille traducitur a potentia in actum; hic in æternitate & infinita claritate omnia perfectiſſime cognoſcit.

Quæſt. XI. *An prouidentia diuina imponit rebus creatis, cum primis voluntati humanæ, neceſſitatem?*

Quamuis omnia, quæ Deus præuidit, fiant neceſſario, *neceſſitate hypothetica*; non tamen prouidentia diuina imponit rebus omnibus creatis, inprimis voluntati humanæ, *neceſſitatem abſolutam.*

Obſ. I. Quæſtio propoſita intelligi poteſt de prouidentia Dei, prout tum *actus* Dei *immanens*, tum *tranſiens* eſt. Quando prouidentia Dei conſideratur vt actus Dei *immanens*, complectitur cum præſcientia intellectus decretum voluntatis diuinæ: ſpectata vt actus *tranſiens*, eſt conſeruatio & gubernatio creaturarum. Reſpicimus in hac quæſtione potiſſimum præſcientiam Dei cum decreto diuino coniunctam, an illa rebus creatis omnibus imponat neceſſitatem.

Obſ. II. *Neceſſitas alia eſt abſoluta, ſiue conſequentis,* quam nonnulli auctores etiam *antecedentem & cauſſalem* vocant; *alia hypothetica, & conſequentiæ,* quæ etiam ſequens & non cauſſalis dicitur. *Prior oritur ex indiſſolubili cohæſione cauſſæ cum effectu*, v. gr. Abſoluta neceſſitate, ſecundum ordinarium naturæ curſum, ſol illuminat, aqua humectat, rhabarbarum purgat, omne leue ſurſum, omne graue deorſum fertur. *Poſterior eſt, cum aliquid conuenit rei contingenter, ſi eius natura in ſe ſpectetur, facta tamen aliqua hypotheſi non poteſt ipſi non conuenire.* v. gr. Hominem progredi contingit; poſito tamen quod currat, neceſſe eſt ipſum progredi.

Prob. 1) Si omnia fiunt neceſſario, neceſſitate cauſſæ antecedentis, ſiue prouidentiæ, cauſſas ſecundas ad operationes ſuas neceſſitantis, tollitur contingentia in rebus humanis. Contingens enim proprie eſt, quod poteſt eſſe, & non eſſe. Sed quæ fiunt neceſſario ex antecedente cauſſa neceſſaria, & immutabili, nempe ex immutabili Dei decreto & hinc prouenienſte influxu diuino, cauſſas ſecundas ad effectum immutabiliter determinante, illa non poſ-

ſunt

Digitized by Google

ſunt non eſſe. Ergo contingentia non ſunt. Sed contingentiam tollere ex rebus humanis, abſurdum eſt. 2) Si prouidentia diuina omnibus rebus creatis imponit neceſſitatem, vt non aliter poſſint agere, quam Deus decreuit, tollitur libertas voluntatis humanæ in omnibus etiam externis & ciuilibus. Nam libertas importat indifferentiam ad vtrumlibet, & voluntas per hoc eſt & dicitur libera, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere, & non agere, agere hoc, & agere illud. Sed ſtante, quod per prouidentiam diuinam voluntas hominis determinetur ad agendum hoc, quod agit, vt neque id non agere, neque eius oppoſitum agere poſſit, non indifferens ad vtrumlibet, adeoque nec libera erit. Tollere autem libertatem voluntatis humanæ, abſurdum eſt.

Dicis: De ratione liberi arbitrii non eſt indifferentia ad vtrumque oppoſitorum; quia libere agunt etiam ii, qui non agunt coacte, licet aliter agere nequeant. Ita ſancti angeli liberrime Deum laudant & colunt, quem tamen non poſſunt non laudare & colere. Mali vero libere Deum oderunt: etiamſi non poſſint non odiſſe. Reſp. Vtique indifferentia ad vtrumque oppoſitorum eſt de ratione liberi arbitrii. Si ad libertatem arbitrii ſufficeret non coacte agere, bruta etiam eſſent libere agentia, quæ in multis non agunt coacte. Neque exempla in contrarium allegata nobis obſunt. Angeli ſancti enim, in quantum libere laudant & colunt Deum, in tantum ſunt indifferentes ad vtrumlibet oppoſitorum. Laudant vero & colunt Deum libere, non libertate contrarietatis, ſiue ſpecificationis: Sunt enim ad laudandum & colendum Deum ſua intrinſeca ſanctitate determinati; ſed libertate contradictionis, ſiue exercitii, ita, vt quem laudationis, vel cultus actum nunc exercent, poſſint pro hoc inſtanti non exercere. Idem ſentiendum eſt de angelis malis, qui ſunt determinati ad malum, & per hoc carent libertate contrarietatis ad bonum & malum; quos tamen actus malos libere exercent, eos ita exercent, vt poſſint non exercere, & ſic pollent adhuc libertate contradictionis, ſiue exercitii (*).

*Antitheſis* eſt *Scoti*, & qui eum ſequuntur. Quorum argumenta ſunt: I. Quidquid Deus præuidit, id fit neceſſario: Omne creatum Deus præuidit: E. omne creatum fit neceſſario. *Maior* probatur; quia, ſi non neceſſario fierent, quæ Deus futura præuidit, Deus in ſua præſcientia falleretur. Reſp. Quidquid Deus præuidit, id fit neceſſario vel neceſſitate abſoluta,

 vel

(*) Libertas, proprie ſic dicta, eſt facultas agendi, vel non agendi, hoc vel illud, ita vel aliter agendi, rationibus recte cognitis conuenienter congruenterque, ſine vllo impedimento prævalente. Eſt igitur proprietas voluntatis, cuius rationem intellectus, recte cognoſcens & iudicans, in ſe continet. E. quo perfectior vſus rationis eſt, quo maior certiorque ſcientia rerum ac ſapientia in intellectu, eo perfectior etiam eſt libertas in voluntate. Eſt autem neceſſaria voluntatis conſequentis coniunctio cum intelligentia antecedente: E. & neceſſaria conſequutio, vt voluntas decernat, quem ad modum intellectus iudicat. E. *neceſſitate* quadam *morali* voluntas non poteſt non recte agendum decernere, ſi intellectus non aliter, quam recte, res circumſtantes omnes cognouerit ac iudicarit: *libera* tamen eſt voluntas, quoniam nihil eſt, quod eam ab hoc decreto prohibere atque impedire valeat. Deus certe, omnia ſciens atque infinite ſapiens, *neceſſario* vult bene, immo optime agere; at *liberrime* tamen agit, quum ne quidquam ipſius voluntati, ſine vlla conditione decernenti, reſiſtere, ipſique impedimento eſſe queat. Damnati angeli, ſuo vitio ſuaque culpa, intellectum habent penitus corruptum, vt nihil poſſint recte ſapienterque cognoſcere ac iudicare. Semper in ignorantia atque errore verſantur, tamquam in denſa caligine. E. nullam quoque libertatem voluntatis habent, ſed ſunt æterna peccati mancipia, ſicut impii homines, quoad ſunt tales, nulla gaudent libertate, Joann. VIII, 34. 36. 2 Petr. II, 19. Beatis angelis, contra, eſt perfecta intelligentia ac ſapientia, vt ne poſſint quidem vnquam peccare, atque a veritate deflectere. E neceſſario volunt bene agere, & maius bonum minori anteferre: ſed libertate tamen gaudent perfecta, quum nihil illis vnquam ſit, ac ne poſſit quidem eſſe, impedimento.

Digitized by Google

vel hypothetica. *Abſoluta* neceſſitas oritur ex indiſſolubili cohæſione cauſſæ cum effectu. At præſcientia diuina non eſt cauſſa rerum. E. non omne, quod Deus præuidet, ſit neceſſario neceſſitate *abſoluta* & *cauſſali.* Conf. ſupra deducta, p. 273.

II. Deus non eſt otioſus ſpectator futurorum, ſed potens & ſapiens director, qui omnes cauſſas ſecundas in ſua habet manu, & non minus ſapienter, quam potenter dirigit, quo, quando & quomodo vult. Sic ergo futura non a ſimplici pendent præſcientia, ſed a voluntate & potentia, adeoque non præſciuntur, niſi ordine præeunte voluntate, a qua exſiſtentiam ſuam ſunt habitura per effectionem, aut permiſſionem. Reſp. 1) Manet Deus non otioſus ſpectator, ſed ſapiens & potens director, licet decreto *abſoluto* ea ſic non prædeterminet, vt aliter euenire nequeant. Nam teſte AVGVSTINO *lib. VII. de ciuit. Dei c. 30. Deus omnia, quæ creauit, ita adminiſtrat, vt ipſa proprios exercere motus ſinat.* 2) Præſcientiam decretum voluntatis diuinæ non ſequi, ſed præcedere ſuperiori quæſtione euicimus.

Inſtantia: Si decretum voluntatis diuinæ futura non prædeterminat, intellectus diuinus ea determinate non cognoſcit; poſſunt enim eſſe, & non eſſe, euenire & non euenire, ſi extra decretum Dei conſiderentur. Reſp. Futura contingentia a decreto diuino non prædeterminantur: ſic enim ne eſſent quidem contingentia; quia a cauſſis ſecundis non contingenter procederent, ſed neceſſario. Quam ob rem probe notandum, quod *contingentia futura* bifariam ſpectari poſſint: (1) quatenus a cauſſa particulari poſſunt produci, & non produci, eſſe, & non eſſe; quo reſpectu vocantur *contingentia:* (2) quatenus a cauſſa ſua ad productionem libere ſe determinatura producuntur; quo ſenſu dicuntur *futura.* Futura contingentia ab æterno infinitæ Dei ſcientiæ cognoſcenda obiiciuntur, prout illa per ſuas cauſſas liberas determinate exſtitura, aut non exſtitura ſunt: infinitam quippe ſcientiam Dei nihil certo futurum fugit.

III. Quidquid non poteſt impediri, illud fit neceſſario neceſſitate abſoluta: Quidquid Deus præuidit & decreuit, non poteſt impediri: Ergo. *Minor* probatur e Pſ. CXV, 3. *Deus noſter in cœlis eſt; omnia, quæ vult, facit*, Eſ. XLVI, 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Reſp. Quidquid Deus vult voluntate *abſoluta*, & decernit facere potentia *irreſiſtibili* (de qua loca citata intelligenda eſſe videntur), illud non poteſt impediri. At præter voluntatem Dei abſolutam datur etiam *conditionata*, qua Deus aliquid vult ſub conditione, quæ non ab omnibus impletur, v. gr. Io. XIV, 14. *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam*, Rom. IIX, 13. *Si ſpiritu actiones corporis mortificatis, viuetis.* Præter potentiam Dei irreſiſtibilem datur etiam *reſiſtibilis*, v. gr. Deus poteſt per verbum & ſacramenta omnes homines conuertere & ſaluare. At multi huic potentiæ Dei reſiſtunt. Conf. Luc. VII, 30. Matth. XXIII, 37.

Dicis: Non datur voluntas Dei conditionata & potentia reſiſtibilis: Nam ſi daretur voluntas Dei conditionata, illa a conditione dependeret: At voluntas Dei eſt independens: Et ſi creatura potentiæ diuinæ poſſet reſiſtere, perfectior & potentior eſſet ipſo creatore, quod eſt abſurdum. Reſp. Voluntas Dei conditionata a conditione non dependet, ſed eandem in diſtribuendis beneficiis & ſuppliciis reſpicit. Et creatura reſiſtendo potentiæ Dei ordinatæ non eſt perfectior, aut potentior creatore; quia non per quandam perfectionem & potentiam, ſed per turpem quandam imperfectionem reſiſtit, v. gr. per cæcitatem intellectus, peruerſitatem voluntatis, & ἀταξίαν cupiditatum; quæ ſunt imperfectiones. Quin etiam tum, cum Deus in actibus, quos potentia ordinata vult efficere, impeditur, ita poſſet agere, vt non impediretur, ſi nimirum agere vellet potentia irreſiſtibili.

IV. Omnis dominus ſapiens & potens neceſſario aſſequitur prouida ſua cura deſideratum finem: Deus eſt dominus ſapientiſſimus & potentiſſimus: Ergo prouida ſua cura neceſſario aſſe-

Digitized by Google

aſſequitur finem. Porro: Qui ſuum finem neceſſario aſſequitur, illius actus non poſſunt impediri: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* probatur, quia dominus ſapiens & potens ſuas actiones non in eum dirigit finem, quem ſe non aſſecuturum eſſe praenouit: Fruſtrantur homines fine ob defectum ſapientiae. Reſp. *Duplex eſt finis prouidentiae diuinae: Vnus communis, nempe manifeſtatio gloriae Dei: Alter particularis, qui eſt bonum creaturarum.* Finem communem Deus prouida ſua cura ſemper & vbique aſſequitur: Finem particularem non ſemper obtinet, propterea, quod eundem ſub certa conditione, potentia reſiſtibili aſſequi decreuerat. Neque hoc pugnat cum ſapientia & potentia Dei. Nam princeps ſapiens & potens praeſcriptis legibus omnium ciuium intendit ſalutem, licet plurimos legibus non obtemperaturos, ſed propria culpa perniciem ſibi attracturos eſſe, proſpiciat.

V. Firma eſt haec conſequentia: Deus ſecundum aeternum ſuum decretum hoc vult fieri: Ergo immutabiliter fiet eo modo, quo vult fieri. Ratio conſequentiae eſt; quia voluntas Dei eſt immutabilis. *Ego Iehouah, nec mutor*, Mal. III, 6. Reſp. Diſtinguendo conſequens: Ergo immutabiliter fiet eo modo, quo Deus vult fieri, *immutabilitate ſiue cauſſali, ſiue hypothetica*, prout Deus id voluit fieri vel abſolute, vel ſub certa conditione.

VI. Si per prouidentiam Dei non imponitur neceſſitas creaturis, inprimis voluntati humanae, haec erit regina & abſoluta domina concurſuum diuinorum, & omnium actuum liberorum: Dominium omnipotens Dei in actus liberos angelorum & hominum euacuabitur, fortunae autem dominatui omnia ſubiicientur. At haec omnia ſunt abſurda: E. per prouidentiam Dei imponitur neceſſitas rebus creatis, inprimis voluntati humanae, vt hoc & non alio modo agant. Reſp. Voluntas humana non eſt regina concurſuum diuinorum, neque abſoluta domina actuum liberorum, ſed ſubordinatur prouidentiae diuinae, a qua regitur, regimine non captiuante libertatem arbitrii, ſed ſuauiter diſponente & rebus creatis ordinarie attemperato. Omnipotens Dei dominium non euacuatur, aut imminuitur, licet Deus illud non ſemper exerceat potentia abſoluta & irreſiſtibili, ſed interdum potentia ordinata & reſiſtibili. Fortunae dominatui nihil committitur, quia prouidentia diuina inter Epicuraeorum caſum fortunamque, & Stoicorum fatum medium tenet, ſapientiſſime quidem omnia dirigendo, non vero omnem libertatem omnemque contingentiam prorſus tollendo.

Quaeſt. XII. *An admittendum eſt fatum in gubernatione rerum creatarum?*

Non aſſerendum eſt *fatum Stoicum*, quo omnia abſoluta & ineuitabili neceſſitate eueniant; neque *fatum aſtrologicum* rigidius, a quo etiam actus liberi voluntatis humanae ab influxu aſtrorum dependeant ac determinentur: ſed agnoſcendum eſt *fatum chriſtianum*, quod eſt connexio cauſſarum & effectuum neceſſaria, neceſſitate extrinſeca, quatenus a Deo infallibiliter praeſcita, decreto abſoluto vel conditionato conſtituta, & regimine diuino ſuauiter diſponente gubernata eſt. *Fatum.*

Obſ. 1. *Fatum* nomen habet a *fando*, ſicut, ſcitum a ſciendo. Fatum igitur eſt, quod quis fatus eſt, i. e. deſtinauit, decreuit: ſicut pactum eſt, quod quis pactus eſt.

Obſ. 2. *Fatum aliud mentale, ſiue actiuum, aliud reale, ſiue ſubiectiuum eſt.* Illud *eſt iuſſum & decretum Dei, quod ipſe ab aeterno fatus eſt*, i. e. decreuit, vt fiat. Hoc *eſt ordo cauſſarum ſecundarum prouidentiam diuinam exſequentium.* Vocatur *fatum* denominatione extrinſeca: ſicut pomum dicitur a me amatum, quia amor meus ad pomum terminatur. Vid. DANNHAV. *hodoſ. phaen. III. p. 321.*

Obſ. 3. Diuiditur *fatum* in *phyſicum, aſtrologicum, ſiue mathematicum, Stoicum, & chriſtianum. Fatum phyſicum* eſt cauſſarum naturalium ordo, effectus neceſſarios & infalli-



Digitized by Google

biles inferens, Deo naturæ auctori ſubiectus; v. gr. Si e nubibus pluuia decidit, hæc irrigat terram, ſol pluuiam reſorbet. *Fatum aſtrologicum* eſt aſtrorum in corpora inferiora influxus, varie iſta diſponens ac dirigens, eſtque vel *rigidius*, vel *mollius*, reſpectu aſtrologorum, illud diuerſimode explicantium. *Rigidius* eſt, quo omnes actus humani, etiam voluntarii, ab aſtrorum influxu dependere & determinari dicuntur. *Mollius eſt*, quod illæſa libertate humana procedit. *Fatum Stoicum* definitur a Gellio L. VI. N. A. c. 2. quod ſit *ſempiterna quædam indeclinabilis ſeries rerum, & catena voluens ſemetipſam, ſeſe & implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt.* Huius fati Stoici proprietas eſt abſoluta & ineuitabilis neceſſitas. Docet hanc SENECA *lib. II. Qu. natural. Q. 36. Quid intelligis per fatum? Exiſtimo neceſſitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat.*

Obſ. 4. *Fatum chriſtianum* definitur (a) per connexionem cauſſarum & effectuum, quam memorabile effatum Dei nos docet Hoſ. II, 21. *Exaudiam cælos, & hi exaudient terram, & terra exaudiet frumentum, muſtum & oleum, & hæc exaudient Iſraëlem.* Continetur in his verbis diuinis concatenata ſeries creaturarum a gubernatione cauſſæ primæ dependentium. (b) *Fatum Chriſtianum* dicitur connexio cauſſarum & effectuum neceſſaria: quia neceſſitas fati ſi non forma, certe inſeparabilis proprietas eſt. Nam ideo aliquid fatale dicitur; quia neceſſarium, immutabile & certum eſt. LIPSIVS *lib. I. phyſiol. Stoic. cap. 12.* vocat *neceſſitatem fati ſororem quaſi gemellam.* Accurate autem diſtinguendum eſt *inter neceſſitatem intrinſecam, abſolutam, conſequentis, ſiue cauſſalem: & inter neceſſitatem extrinſecam, hypotheticam, conſequentiæ, ſiue non cauſſalem.* Fatum dicitur connexio cauſſarum & effectuum, neceſſaria non neceſſitate intrinſeca, abſoluta & cauſſali, *ſiue ſpectes præſcientiam, ſiue decretum diuinum. Nam præſcientia extrinſece verſatur* circa ſuum ſcibile, neque huius cauſſa eſt. Præclare hoc docuerunt antiſtites primitiuæ eccleſiæ. ORIGENES *in Rom. IIX.* inquit: *Non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur a Deo, antequam fiat.* CHRYSOST. *homil. LX. in Matth. Non quia ſcandala futura prædixit ſaluator, idcirco eueniunt; ſed quoniam omnino futura erant, idcirco prædixit.* His ſuffragatur AVGVSTIN. *lib. III. de lib. arbitr. c. IV. Sicut memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt: Sic præſcientia ſua Deus non cogit facienda, quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædam, quæ feciſti, meminiſti, nec tamen omnia, quæ meminiſti, feciſti: Ita Deus omnia, quorum ipſe auctor eſt, præſcit; non tamen omnium, quæ præſcit, auctor eſt.* Vid. D. CALOV. in *ſyſtem. tom. II. p. 546.* Neque *ratione decreti diuini*, cui ſubiacet ordo & connexio cauſſarum atque effectuum, neceſſarium eſt fatum diuinum neceſſitate abſoluta & cauſſali; propterea quod decretum diuinum res futuras non prædeterminat, ſed ſuauiter & facile ſecundum indolem & capacitatem creaturarum diſponit, vt ne contingentia rerum, arbitriique humani libertas tollatur. (c) *Decretum diuinum*, connexionem cauſſarum & effectuum dirigens, aliud eſt *abſolutum*, aliud *conditionatum*, ſiue hypotheticum. *Illud* diuinitus factum eſt citra intuitum conditionis a creaturis implendæ, *hoc* conditionem, a creaturis implendam, includit.

Obſ. 5. Pari ratione diuiditur *fatum chriſtianum* (1) *in abſolutum, & conditionatum. Illud* eſt, quando ordo cauſſarum & effectuum regitur a decreto voluntatis diuinæ abſoluto, atque ſimpliciter immobile ac inuincibile eſt: *Hoc* eſt, quando connexio cauſſarum & effectuum fluit ſub decreto diuino hypothetico, adeoque non niſi cum ſupplemento hypotheſeos ſumtum immutabile eſt. (2) In *ordinarium, & extraordinarium.* Illud indoli & curſui ordinario creaturarum eſt attemperatum: Hoc ordinem naturæ tranſcendit.

Prob. 1) Fatum *chriſtianum abſolutum* (a) *ex iis dictis ſcripturæ,* in quibus de voluntate Dei, potentiaque ipſius irreſiſtibili agitur. Grauiter ait pſaltes regius, Pſ. CXV, 4. Deus *noſter*

Digitized by Google

*noſter in cœlis eſt; omnia, quæ vult, facit.* Idem aſſerit propheta Ieſaias, c. XIV, 27. *Iehovah Zebaoth decreuit; quis ergo irritum reddet? Et manus eius extenſa eſt; & quis reprimet eam?* Et c. XLIV, 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnem meam voluntatem faciam.* (b) *Exemplis clariſſimis.* Abſolute fatalis eſt mundi creatio & conſeruatio, Pſ. CIV, 5. eccleſiæ catholicæ (non particularis, Solymitanæ, vel Romanæ) duratio ad finem mundi, Matth. XVI, 8. omnibus hominibus incumbens moriendi neceſſitas, & extremum iudicium, Hebr. IX, 27. Abſolute fatalis erat hora paſſionis Chriſti, Io. VII, 30. abſolute fatalis hora, qua Chriſtus aquam conuertebat in vinum, Io. II, 4. abſolute fatale eſt, me in hac prouincia, hac hora & die natum eſſe. D. DANNHAVERVS *omnem horam diuinam vocat abſolute fatalem, in hodoſ. phæn. III. p. 325.* Abſolute fatalia ſunt, quæ eueniunt contra nixum, motum & conſilia creaturarum, v. gr. Eſauus Iacobo occurrens hunc opprimendi conſilium ceperat; omnia vero alia moderante Deo faciebat: nam Iacobum amice compellabat, blande amplexabatur, & ſuauiter oſculabatur, Gen. 33.

Prob. 2) Fatum *chriſtianum hypotheticum,* ſiue conditionatum. Conditionate fatalis eſt hominum temporalis proſperitas & dignitas. Id quod diſcimus ex Deut. XXVIII. 1. ſqq. *Si obediendo obedieris voci Iehouæ Dei tui, cuſtodiendo ad faciendum omnia præcepta eius, quæ ego ſum præcipiens tibi hodie: dabit te Iehouah Deus tuus excelſum ſuper omnes gentes terræ. Venient enim ſuper te omnes benedictiones hæ, & aſſequentur te; ſi obedieris voci Iehouæ Dei tui. Benedictus tu eris in vrbe, benedictus in agro.* Illuſtratur exemplo. Iuxta decretum Dei Ioſephus ingens erit lumen in regno Ægyptiaco, & ſol inter fratres; ſi patri Iacobo præſtabit obſequium, in domo Potipharis pie, prudenter & caſte ambulabit, ſomnia tum concaptiuis in carcere, tum regi Pharaoni interpretabitur, atque vtile huic conſilium ſuggeret. Sin ſecus fecerit, vel patri obluctando, vel libidinem ſectando, vel concaptiuos deſpiciendo, inglorius peribit. Conditionate fatalia ſunt connubia. Nam *domus & opes ſunt hereditas patrum: ſed a Iehouah eſt vxor intelligens.* Prou. XIX, 14. Fatalia ſunt, inquam, coniugia, non ratione *decreti inflexibilis,* quaſi ſimpliciter impoſſibile ſit, virum aliam ducere vxorem, quam ducit, vel mulierem alii nubere viro, quam cui nubit; ſed *ratione decreti hypothetici,* quo reſpicitur pietas viri vel mulieris, Pſ. CXXIIX, ſqq. Sir. XXVI, 3. Hypothetice fatalis eſt terminus vitæ. Vid. ſupra qu. VIII. Conditionate fatales ſunt occaſiones rerum oportune gerendarum, digito diuino monſtratæ; quas qui arripit, fatalis compos eſt felicitatis. Præda a Syriaco exercitu fugitiuo relicta Samaritanis diuina manu eſt oblata, quam cum ſunt amplexi, fato tenuerunt. 2 Reg. VII, 16.

Dicis: I. Doctrina de fato iamdudum ex eccleſia eliminata eſt. Argute enim inquit AVGVSTIN. *tr. 37. in Io. O! ſi cor tuum non eſſet fatuum, non crederes fatum.* Ergo doctrina de fato poſtliminio in eccleſiam non eſt introducenda. R. Fatum *Stoicum* & *aſtrologicum rigidius* iamdudum ex eccleſia eliminatum eſt. Sic enim AVGVSTIN. *L. V. de C. D. c. I. Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quod ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellet, ſententiam teneat, linguam corrigat. Cur enim hoc primum non dicit, quod poſtea dicturus eſt, cum ab illo quispiam quæſiuerit, quid dixerit fatum? Nam id homines quando audiunt, non intelligunt, niſi vim poſitionis ſiderum.* De fato autem *chriſtiano* longe aliter iudicat præſul Hipp. L. V. de C. D. c. 7. *At qui omnium connexionem ſeriemque cauſſarum, qua fit omne, quod fit, fati nomine appellant, non multum cum eis de verbi controuerſia certandum atque laborandum eſt; quandoquidem ipſum cauſſarum ordinem, & quandam connexionem ſummæ Dei tribuunt voluntati.* Neque inutilis eſt doctrina de fato; ſiquidem per eam, recte traditam, manet diuinæ pronoeæ, non ſane peregrinanti ac otioſe ſpectanti,

Digitized by Google

ſtanti, gloria præſcientiæ decretique, & homini libertas, ſeu natiua in ſphæra inferiori, ſeu datiua in ſuperiori, iudice DANNHAV. in *hodoſ. phænom. III. p. 328.*

Dicis: II. Quocunque tollitur contingentia rerum & libertas arbitrii humani, illud non eſt aſſerendum; Atqui fato tollitur &c: Ergo. Reſp. Si doceremus, *fatum eſſe catenam cauſſarum & effectuum, in vita humana neceſſariam neceſſitate intrinſeca, cælitus determinatam ac abſolute decretam,* iure meritoque accuſari poſſemus, quod doctrina de fato ſublatum iremus contingentiam rerum & libertatem arbitrii humani; ſed docemus & confitemur, *fatum eſſe connexionem cauſſarum & effectuum, in vita humana neceſſariam neceſſitate extrinſeca, quatenus infallibiliter a Deo præſcita, & decreto abſoluto, vel conditionato conſtituta, regimine diuino ſuauiter diſponente gubernatur.* Ex quo diſtinguimus inter fatum *abſolutum*, & *conditionatum.*

Dicis: III. Omne fatum, proprie dictum, eſt immobile, ſeu immutabile. Fatum hypotheticum non eſt immutabile. Ergo fatum hypotheticum non eſt fatum proprie dictum. *Maior* conſtat; quia id communiter appellamus fatale, quod eſt immutabile. Reſp. Fatum *abſolutum* eſt ſimpliciter immutabile & immobile; fatum autem *hypotheticum* eſt immutabile in ſenſu compoſito atque completo, ſi vna cum ſupplemento hypotheſeos ſumatur, v.gr. Si Noachus Deum conſtanter colet, & ad iuſſum ipſius arcam exſtruet, exſtructam intrabit, non peribit in diluuio, ſed ſeruabitur, fatum eſt immutabile: mutari tamen poteſt per apocopen hypotheſeos, ſiue non-impletionem annexæ conditionis.

Quæſt. XIII. *Daturne fortuna?*

*Fortuna.* *Fortuna*, quæ eſt euentus per accidens, effectum per ſe intentum cauſſæ libere agentis concomitans, non datur ratione Dei omniſcii, & ſapientiſſimi a); ſed reſpectu hominis ignorantis b).

Prob. a. Reſpectu Dei non datur aliquid fortuitum aut improuiſum; quia πρόνοια Dei cuncta gubernat, Sap. XIV, 3. Nullus igitur fortunæ in regno prouidentiæ diuinæ locus, ſed quod nos vocamus bonum fortuitum, offertur a manu Dei ſapientiſſimi. Gen. XXII, 8.

Prob. b. Agricola vomere proſcindens agrum ſuum, ex improuiſo inuenit theſaurum. Inuentionem theſauri vocat fortunam, ſeu effectum fortuitum. Theſaurum inuenire non intendebat; quippe quam in agro deliteſcere ignorabat. Quam ob rem *ſtultitia, & error, & ignoratio rerum & cauſſarum, nomen fortunæ induxit*, cenſente LACTANTIO *libr. III. inſtit. c. 29.*

Quæſt. XIV. *Quibus actibus abſoluitur* διοίκησις, *ſeu prouidentia Dei ſtricte dicta?*

*Actus prouidentiæ diuinæ ſtricte dictæ.* Διοίκησις, ſiue actualis Dei prouidentia, abſoluitur tribus actibus, *conſeruatione, cooperatione, & gubernatione.*

Obſ. I. Sunt hi actus prouidentiæ diuinæ *generales*, ſiue communes, omnes creaturas concernentes: Dantur autem actus etiam *ſpecialiores*, qui cum per totam theologiam ſe diffundant, hic conſiderari nequeunt, ſed in peculiaribus locis aut ſedibus ſuis explicanda ſunt.

Obſ. II. Ex mente nonnullorum theologorum actus, ad quos, circa creaturas exercendos, terminatur prouidentia diuina, ſunt duo, *conſeruatio* & *gubernatio*, quæ tum vniuerſalem cum cauſſis ſecundis concurſum, tum ſpecialem agentium creatorum directionem importare dicitur. Conf. D. BAIERI *compend. theol. p. 356.*

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XV. *Quid eſt conſeruatio?*

*Conſeruatio* eſt actus prouidentiæ diuinæ, quo Deus res omnes, a ſe creatas, ſuſtentat; vt in natura ſua, proprietatibus inſitis, & viribus in creatione acceptis, perſiſtere poſſint. *Conſeruatio.*

Obſ. I. *Creatio, & conſeruatio, ſunt actus diuini diſtincti non per ſe, ex parte rei, ſed per intellectum noſtrum, ex diuerſo connotato*; conſeruatio quippe eſt continuata creatio. Neque enim alia ratione Deus creaturam conſeruare dicitur, niſi quatenus actionem, qua creaturam produxerat, porro poſitiue continuat. Patet hoc vel maxime ex eo, quod ſicut duratio, ex parte rei, nihil aliud eſt, quam continuata exſiſtentia; ita conſeruatio nihil aliud eſt, quam continuata creatio. Illuſtratur ſimili: Qua actione emanatiua ſol radios primum ex ſe fudit, eadem perennem radiorum effluxum continuat: Ita Deus, qua actione primum creaturis contulit eſſe, eadem confert porro eſſe. Diſtinguuntur autem diuerſis connotatis. Nam creatio connotat, rem ante non fuiſſe; conſeruatio rem ante fuiſſe, ſupponit: creatio dat eſſendi initium; conſeruatio eſſendi continuationem.

Obſ. II. Conſeruatio diuina non eſt actus mere *negatiuus, aut indirectus;* neque enim in eo conſiſtit, quod Deus res conditas non velit deſtruere aut annihilare, ſed eas vigori ſuo relinquere, quoad vigere poſſunt ac durare, ex vi per creationem ipſis indita; ſed eſt actus *poſitiuus & directus*, quo Deus in genere in cauſſas efficientes rerum conſeruandas influxu vero & reali influit, vt in natura, proprietatibus & viribus ſuis perſiſtant ac permaneant.

Obſ. III. Conſeruat Deus *ſpecies & indiuidua. Species* conſeruat, eſſentias rerum ab interitu vindicando, & perſeuerantiam iis impertiendo. *Indiuidua* conſeruat, in locum intereuntium noua ſubſtituendo, vt eſſentia ſpecierum perſeueret.

Obſ. IV. Conſeruationi opponitur *annihilatio*, quæ eſt creaturarum per influxus diuini ſubtractionem deſtructio. Poteſt autem Deus, ſi velit, omnes creaturas tam ſpirituales, quam corporales annihilare. Vt enim omnes creaturæ a Deo in eſſe & operari dependent: ita ab eodem, per ſubtractionem manus conſeruatricis, annihilari poſſunt.

Obſ. V. Alias creaturas *Deus per ſe tantum conſeruat*, vt angelos, cœlum, & corpora ſimplicia: alias *conſeruat concurrentibus creaturis*, vt homines, plantas, &c. Probatur diuina creaturarum conſeruatio tum e *lumine ſcripturæ, tum e lumine naturæ.*

*Tota ſcriptura ſacra* de conſeruatione rerum creatarum per influxum diuinum abunde teſtatur. Nobis ſufficiat, ſequentia adduxiſſe. In V. T. hieropſaltes prouidentiam Dei, huius vniuerſi conſeruatricem, deprædicat Pſ. CXIX, 89. 90. 91. *In æternum es, Iehouah. Verbum tuum conſiſtit in cœlis. In generationem & generationem eſt fidelitas tua: Firmaſti terram & ſtat. At iudicia tua ſtant hodieque: quia omnia ſunt ſerui tui.* Senſus eſt: Cœlum terra, & quæcunque in iis ſunt, verbo mandati & veritate gubernationis tuæ, *o Domine*, perſiſtunt & permanent, tum ratione ſubſtantiæ, tum ratione virium agendi: nam omnes creaturæ reuera ſunt ſerui tui, vt, quidquid ſunt, tuum ſint, & quidquid agunt, ſub tuo imperio & gubernatione agant; cum ſeruorum inſtar ad omnia iuſſa tua tibi promtiſſime obediant. In N. T. Hebr. I, 3. adſcribitur Filio Dei (non tamen excluſo Deo Patre & Spir. S.) conſeruatio & ſuſtentatio omnium. Dicitur namque φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. *portans omnia verbo potentiæ ſuæ.* Obſ. τὸ φέρειν alii transferunt, *portare, ferre, ſuſtinere.* Alii reddunt, *agere, mouere, moderari.* Iudice SEB. SCHMIDIO in *Comm. in loc p.* 45. tam late verbum φέρειν hic accipi poteſt, vt vtrumque complectatur. Neque enim Deus tantum portat res quieſcentes, ſed etiam mobiles mouet. Per ῥῆμα intelligimus



Digitized by Google

actum Dei liberrimum & facillimum, per potentiam ipſam omnipotentiam diuinam. Πάντα comprehendunt omnia, præter portantem. Solus autem Deus, Pater & Spirit. S. cum Filio Dei omnia portant; adeoque τὰ πάντα ſunt omnia creata, ſiue ſint res, ſiue perſonæ, ſiue actiones. Quare hæc eſt verborum apoſtoli ſententia: Filius Dei vna cum Deo Patre & Spiritu S. omnia creata actu ſuæ infinitæ potentiæ liberrimo facillimoque ſuſtentat, fouet & moderatur.

*E lumine naturæ* diſcimus (1) Conſeruationem eſſe continuatam creationem. E. qui mundum, & quidquid in illo eſt, creauit, idem conſeruat. Sicut enim lumen ſolis non eſt, non lucet, non conſtanter manet, niſi emanet a ſole: Ita nulla creatura eſt, durat, aut agit, niſi conſeruetur a Deo. (2) Deum creaturis eſſe præſentiſſimum. Quocirca ſupremus inſpector & rector orbis, quibus creaturis præſentiſſime adeſt, easdem pro ſua omnipotentia *poteſt*, pro infinita ſapientia *nouit*, pro bonitate exuberantiſſima *vult* conſeruare. (3) Quod ſi res creatæ abſque influxu Dei conſiſterent, manere aliquid poſſet Deo repugnante, vel influxum ſuum ſubtrahente. At ſubtrahente Deo influxum ſuum, omnia collabaſcunt, & in nihilum recidunt.

Quæſt. XVI. *Quid eſt cooperatio, ſiue concurſus Dei?*

*Cooperatio ſiue concurſus.*

*Concurſus*, ſiue *cooperatio* Dei eſt actus prouidentiæ diuinæ, quo Deus cum cauſſis ſecundis in ipſarum actiones & effectus influxu generali & immediato, iuxta cuiuslibet creaturæ exigentiam & indolem, ſuauiter coinfluit.

Obſ. Deus creaturis non ſolum dat vires agendi, datasque perennare iubet, ſed & immediate in actionem & effectum creaturarum influit, ita, vt ille effectus nec a ſolo Deo, nec a ſola creatura, ſed vna eademque efficientia totali ſimul a Deo & creatura producatur; a *Deo* videlicet, tanquam cauſſa *prima & vniuerſali*, a *creatura*, vt cauſſa *ſecunda & particulari.*

Probatur *concurſus diuinus tum e lumine reuelationis, tum e lumine rationis. Lumen reuelationis* teſtatur (1) quod non tantum noſtræ vires mouendi agendique, ſed motus ipſe, ſiue actio a Deo dependeat. Notiſſima ſunt verba Paulli, Act. XVII, 27. 28. *Deus non procul ab vnoquoque noſtrum exſiſtit; in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* (2) Deo omnia opera noſtra, vt cauſſæ primæ & vniuerſali, tribuuntur, 1 Cor. XII, 6. *Et diuiſiones operationum ſunt: Vnus tamen eſt Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quicunque efficit omnia in omnibus, ille cum creaturis operantibus cooperatur: Atqui Deus &c: E. (3) Docent ſacræ litteræ, Deum, generantibus parentibus, hominem creare, Iob. X, 8. *Manus tuæ formauerunt me, & fecerunt me,* & quidem ſimul *circumquaque.* Quicunque, generantibus parentibus, manibus ſuis facit & format infantem in vtero matris, ille ad opus generationis immediate concurrit: Atqui Deus &c. E. (4) Colligitur cooperatio Dei ex præſentia diuina, quæ ſtylo biblico & ſenſu complexo tum ſubſtantialem adeſſentiam, tum efficacem operationem infert. Vid. ſupra cap. I. quæſt. 49. p. 275. ſqq.

*Lumen rationis* nobis oſtendit 1) quod omnes creaturæ Deo eſſentialiter ſubordinentur, vt in fieri, eſſe & operari ab ipſo dependeant. 2) Quidquid poſitiue extra Deum eſt & fit, eſt ens a creatore dependens. Actiones cauſſarum ſecundarum, earumque effecta, poſitiue extra Deum ſunt & fiunt. E. 3) Si eſſentia cuiuslibet creaturæ eſſet a Deo, non autem eiusdem actus & effectus; ſequeretur, actionem creaturæ eiusdem eſſentia, & effectum cauſſa ſua eſſe nobiliorem, immo actionem eſſe ens independens, atque adeo ipſum Deum, quod eſt abſurdiſſimum. 4) Ex ipſa conſeruatione eluceſcit cooperatio diuina. Nam conſeruat & ſuſtentat cauſſa prima ſecundam in eſſe & vigore ſuo, in quo primitus fuit condita. *Eſſe* vero creatu-

Digitized by Google

creaturarum & *vigor* non eſt otioſum quid, ſed vbiuis operoſum. E. & creaturarum vires, & harum exercitia ſunt a Deo. Si enim Deus omne ens ſuſtentat, vtique etiam actionem conſeruat per efficacem productionem, cum conſeruatio nihil aliud ſit, quam continua rei productio. 5) Deo cooperationem ſuam ſuſpendente, creatura iuxta vires inſitas non agit, quod agere conſueuit, v. gr. Sol non mouetur, Ioſ. X. ignis in fornace Babylonica non vrit, Dan. III. E quibus ratio colligit, cauſſas ſecundas non poſſe ſecundum ordinarium ſuum curſum operari, niſi cooperetur cauſſa prima.

Quæſt. XVII. *Qualis concurſus Dei hic intelligitur?*

Cum in præſenti de prouidentia Dei *generali* agamus, intelligitur hic a nobis *concurſus* Dei *generalis* atque indeterminatus a), *immediatus* b), & ad exigentiam atque indolem cuiuscunque cauſſæ *accommodatus* c).

Prob. a. Conſideratur hic cooperationis diuinæ influxus in omnium creaturarum actiones; qui haud dubie *generalis & indeterminatus* eſt. Si autem ſpectemus actiones humanas, illæ in duplici ſunt differentia. Quædam elici poſſunt ab homine viribus naturalibus, quædam vires naturales hominis tranſcendunt. Quæ *naturalibus* viribus ab homine poſſunt elici, ſunt vel *indifferentes, vel moraliter bonæ, vel moraliter malæ.* Si actiones ſunt *indifferentes*, qualis eſt actio edendi, bibendi, Deus ad easdem concurſu generali & indeterminato concurrit, voluntate humana pro obiecti & circumſtantiarum ratione ad agendum ſe libere determinante. Si *actiones ſunt moraliter bonæ*, Deus ad illas concurrit ſua prouidentia (1) *phyſice*, (2) *moraliter. Phyſice* generalem concurſum ad actiones morales præbet, *vires* animi & corporis ad agendum idoneas *ſuſtentando. Moraliter* concurrit *præcipiendo*, & *promittendo. Ad actionum moraliter malarum formale*, nimirum ἀνομίαν vel ἀταξίαν, *Deus poſitiuo influxu non concurrit*; quia malitia eſt defectus & priuatio, non proueniens a Deo perfectiſſimo, in quem nullus poteſt cadere defectus, ſed a voluntate humana in agendo deficiente. Concurrit autem Deus ad *actionum moraliter malarum materiale remotum, non proximum. Illud* eſt actus indeterminatus; *hoc* eſt actus determinatus & ad rem prohibitam applicatus V. gr. Quando Eua extendebat manum ad fructum vetitum, duo aderant actus (1) *extenſio manus*, (2) extenſio *applicata ad fructum vetitum.* Prior actus dicitur *materiale remotum*, poſterior *materiale proximum.* Ad hoc Deus non concurrit; quia eius concurſus eſt *generalis & indeterminatus*, adeoque *determinatio ad hoc vel illud obiectum* non eſt a Deo, tanquam a cauſſa prima & vniuerſali, ſed a cauſſa ſecunda & particulari. *Actiones autem ſupernaturales* conſiderantur vel *qua eſſe genericum*, vel *qua eſſe ſpecificum.* Qua *eſſe genericum* ſunt motus intellectus & voluntatis, ad quos Deus concurrit concurſu generali; qua *eſſe ſpecificum* illi motus excitati ſunt a Spiritu S. concurſu ſpeciali. Sed de actibus *ſupernaturalibus* hic nondum agitur. Ad actus *naturales* concurrit Deus quidem concurſu generali, ſed non *excluſiue;* nam extraordinarie ſub illo *influxu generali* continetur etiam *influxus peculiaris*, intenſiores agendi vires, validioremque motum vni creaturæ, quam alteri conferens.

Prob. b. Concurrit Deus ad actiones creaturarum *immediatione virtutis & ſuppoſiti.* Immediatione *ſuppoſiti* concurrit; quoniam Deus ſubſtantia ſua proxime adeſt creaturis operantibus; *ſiquidem omnia in omnibus implet*, Jer. XXIII, 24. Concurrit etiam immediatione *virtutis*, efficaci influxu actionem creaturæ, eiusque effectum immediate & proxime attingendo; eo, quod *omnia in omnibus operatur*, 1 Cor. XII, 6.

Dicis: Deus operatur per creaturas: Ergo non immediate. Reſp. *Immediate agere quis dicitur, vel excluſiue, vel incluſiue. Excluſiue;* cum quis ſolus agit: *Incluſiue;* cum quis-

 piam

Digitized by Google

piam vna cum aliis cooperantibus actionem & effectum *proxime* attingit. Immediate Deus influit in actiones creaturarum, non excluſiue; quaſi creaturæ ab actione excludantur, aut otioſæ ſint; ſed quælibet creatura agit, quod ſuum eſt; Deus autem vna cum creaturis operantibus actionem & effectum influxu ſuo immediate & *proxime* attingit. Id quod innuere videtur auctor Sap. c. VIII, 1. *Attingit a fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.*

Prob. c. Concurrit Deus ad actiones cauſſarum ſecundarum concurſu ſuaui, facili & *accommodato exigentiæ atque indoli creaturarum.* Nam cum *neceſſario* agentibus Deus concurrit *vniformiter*, v. gr. cum igne, vt vrat, cum ſole, vt luceat: Cum *libere* agentibus concurrit *multiformiter*, liberum ipſis arbitrium, liberamque hoc vel illud eligendi poteſtatem relinquens; quem enim Deus ordinem ſemel conſtituit, non facile mutat, Pſ. CXIX, 9. Scite inquit AVGVSTIN. *libr. VII. de C. D. c. 30. Deus adminiſtrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere atque agere motus ſinat.*

*Antitheſis* eſt *Pelagii, Durandi, & Arminianorum*, qui cooperationem diuinam vel negant penitus, vel ſaltim in dubium vocant. Innituntur ſequentibus argumentis:

I. Si Deus cooperando eandem actionem produceret, quam creatura, Deus edente homine, dicendus eſſet edere: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* eſt clara; quia qui idem agunt, ab eadem actione eandem denominationem accipiunt. Reſp. Conſequ. mai. neg. Ad probationem dicimus, quod denominationem ab actione nanciſcatur illa cauſſa agens, in qua effectus terminatur, ſeu a qua recipitur. Quando Deus ad manducationem hominis naturalem concurrit, cibus ab homine recipitur, adeoque non Deus, ſed homo edere dicitur.

II. Quicunque ad eandem actionem concurrunt, ſunt cauſſæ ſociæ. At Deus & natura non ſunt cauſſæ ſociæ. E. *Maior* per ſe clara eſt. *Minor* probatur: quia cauſſæ ſociæ influunt in actionem influxu partiali, qui imperfectionem infert. Reſp. Quæcunque cauſſæ *coordinatæ*, ſiue eiusdem ordinis ad eandem actionem concurrunt, illæ ſunt cauſſæ ſociæ. At Deus & natura non ſunt eiusdem ordinis. Nam Deus eſt cauſſa prima, independens & vniuerſalis, creatura eſt cauſſa *ſubordinata*, ſecunda, dependens & particularis.

III. A diuerſiſſimis agentibus vna actio proficiſci nequit. Deus & creatura ſunt agentia diuerſiſſima. Ergo. *Maior* patet; quia inter cauſſas cooperantes quædam eſt harmonia. Reſp. A diuerſiſſimis agentibus vna proficiſci nequit actio, niſi agens inferius ſuperiori ſubordinetur. At creatura Deo eſſentialiter ſubordinatur, eiusque gubernationi ſubeſt.

IV. Quicunque concurrit ad omnes hominum actiones, is concurrit etiam ad peccata: Atqui Deus concurrit &c. Ergo. Reſp. Diſt. inter actiones humanas, & earum ἀταξίαν, item inter effectus & defectus. Quia concurſus diuinus generalis, indifferens & indeterminatus eſt, ideo concurrit quidem Deus ad *actionis malæ materiale remotum*, quod eſt modus quidam phyſicus voluntatis, intellectus, oculorum, manus &c. *Non ad eiusdem materiale proximum*, quod eſt motus vel actio *applicata & determinata ad obiectum prohibitum*; quæ determinatio eſt a cauſſa particulari, non vniuerſali. Ad ἀταξίαν & *defectum Deus* non concurrit; quia defectus imputandus eſt cauſſæ ſecundæ aberranti, ſicut v. gr. anima influit in motum progreſſiuum hominis claudicantis; at claudicatio non animæ, ſed tibiæ fractæ imputanda eſt.

V. Creatura aut ſufficientes habet vires ad opus ſuum patrandum, aut non habet: Si illud, non indiget concurſu Dei: Si hoc; creatura nil aliud erit, quam inſtrumentum Dei. Reſp. *Habet creatura ad agendum vires ſufficientes in ſuo genere* (in genere entium dependentium) adeoque nil impedit, quo minus vt cauſſa principalis agat, aut agere poſſit, cum effe-

ctus

Digitized by Google

ctus illius vires non excedat; non tamen illæ *vires abſolute ſufficientes ſunt*, ſed ſemper includitur concurſus diuinus & dependentia a cauſſa prima.

VI. Actio concurſus diuini aut eſt mediata, aut immediata: Si eſt mediata; Deus agit per cauſſas ſecundas, non cum illis: Si eſt immediata; actio miraculoſa eſt: Sed miracula non fiunt quotidie, neque præter cauſſam fingenda ſunt. Reſp. *Concurſus diuinus dicitur actio immediata non in ſenſu excluſiuo*, perinde, ac ſi omnia media excludat; ſed *in ſenſu incluſiuo*, cum ſic concurrat cum cauſſis ſecundis, vt vna cum illis actionem & eius effectum immediate attingat.

VII. Quicunque concurſus eſt laborioſus, moleſtus & maieſtate diuina indignus, is Deo non eſt tribuendus: Atqui concurſus quotidianus & continuus ad omnes actiones omnium & ſingularum creaturarum eſt laborioſus &c. Ergo. *Maior* patet, 1) quia Deus conſummata creatione, quieuit ab operibus ſuis, Gen. II, 2. 2) Eſt numen perfectiſſimum, de quo nihil indecore eſt aſſerendum. *Minor* liquet; quia vno die multæ myriades actionum expediuntur, quas inter multæ ſunt longe ſordidiſſimæ. Reſp. Concurſus Dei non eſt moleſtus aut laborioſus: propterea, quod *Deus omnia moderatur verbo potentiæ ſuæ*, i. e. actu omnipotentiæ ſuæ liberrimo & facillimo, Hebr. I, 3. Nouit etiam *Deus quieſcens agere, & agens quieſcere*, dicente AVGVSTINO *de C. D. L. XII. c. 17.* Sordibus phyſicis Deus Spiritus puriſſimus non contaminatur, ad ſordes autem morales, i. e. peccata Deus non concurrit.

VIII. Si concurſus diuinus eſt generalis & indifferens, ſequentur hæc abſurda: 1) Quod vno anno non ſit maior annonæ copia, quam altero: 2) Quod Deus ad formationem hominis non plus conferat, quam ad formationem beſtiæ: 3) Quod creatura concurſum Dei indeterminatum determinet: 4) Quo dconcurſus ad actus naturales & ſupernaturales idem ſit. Reſp. a) *generatim:* Concurſus Dei generalis non penitus excludit peculiares & extraordinarios concurrendi modos, aut gradus: Siquidem Deus non alligatus eſt ad communem creaturarum legem, aut ordinem. Pater cœleſtis generali diſtributione largiens filiis ſuis cibum, copioſiorem eſcam vni, quam alteri filio impertiri valet. Sane Iacobi ouibus Deus maiorem indulſit fœcunditatem, quam ouibus Labani. b) *Speciatim:* ad 1) Quamuis ſingulis annis Deus concurrat cum creaturis, non tamen ita ſibi ligauit manus, vt eædem non vno anno plura dona, quam altero dilargiendi facultatem habeant. Agit quippe Deus ordinarie cum natura, & extraordinarie ſupra conſuetum naturæ curſum. Ad 2) Concurrit Deus influxu accommodato ad exigentiam, indolem & capacitatem creaturarum. Inde fit, vt nobilior ſit formatio hominis, quam beſtiæ. 3) Accurate loquendo creatura concurſum Dei generalem non determinat, ſed Deus, lumine omniſcientiæ proſpiciens, in quam partem libere agentia ſe determinatura ſint, iisdem concurſum ſuum attemperat. Ad 4) Actus ſupernaturales, qua eſſe *genericum* ſpectatos, prout ſunt *actus* mentis, & voluntatis, comitatur concurſus Dei generalis; ſed ſpectati qua eſſe *ſpecificum*, vt ſunt *ſpirituales*, diriguntur concurſu Dei ſpeciali.

Quæſt. XVIII. *Eſtne ſtatuendus concurſus Dei præuius, aut prædeterminatus?*

Concurrit Deus ad actiones & effecta creaturarum non concurſu præuio, ſed ſimultaneo, non prædeterminante, ſed ſuauiter diſponente.

Prob. 1) Qui docent concurſum præuium, committunt contradictionem in adiecto. Nam ſi Deus *concurrit*, non *præcurrit*, ſi *cooperatur*, *non præoperatur*. Præmotio eſt actus antecedens: concurſus vero non antecedit, ſed fit, cum actio ipſa producitur. 2) Præmotio, vel prædeterminatio, terminatur tantum ad cauſſam, non ad actionem, vel effectum iſtius cauſſæ.



Digitized by Google

cauſſæ. Non igitur ipſa actio, eiusque effectus dependet a Deo poſt iſtam præmotionem, ſed tantum cauſſa, quæ impellitur & mouetur; cum tamen cooperatio diuina ideo requiratur, quia cauſſæ ſecundæ actio & effectus a Deo dependet. 3) Agentia naturalia iam in creatione ſunt prædeterminata, vt ordinarie agant vniformiter, v. gr. vt aqua humectet, ignis calefaciat, ſol luceat; adeoque non indigent concurſu diuino prædeterminante. 4) Si concurſus diuinus prædeterminaret agentia libera ad actionem, neceſſario agerent, non libere. At concurſus diuinus non tollit libertatem voluntatis. *Concurrit enim Deus cum cauſſis ſecundis iuxta ipſarum naturam, cum liberis libere, cum neceſſariis neceſſario, cum debilibus debiliter, cum fortibus fortiter, pro ſua ſuauiſſima diſpoſitione vniuerſali operando,* ait TOLETVS *l. II. phyſ. c. 3. q. 8.* 5) Concurſus prædeterminans non habet locum in actionibus hominum bonis, neque malis. Si Deus concurſu ſuo prædeterminaret ad actiones bonas; non poſſent prædeterminationi diuinæ reſiſtere. At homines Deo ſæpe reſiſtunt, Act. VII, 51. Actiones hominum malas Deus quidem permittit, ineluctabile impedimentum non obiiciendo; at neminem determinat ad hoc illudue peccatum committendum; ceteroqui Deus cauſſa peccati foret.

*Antitheſis* eſt *Scotiſtarum & Dominicanorum,* cauſſas ſecundas, in primis voluntatem hominis, præuio motu diuino ad agendum prædeterminari aſſerentium. Quorum argumenta ſunt:

I. Quicunque cor hominis habet in manu ſua, vt illud flectat pro arbitratu ſuo, ille hominem ad agendum prædeterminat: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* probatur; quia flectere cor hominis ad agendum, idem eſt, quod prædeterminare. *Minor* patet ex Prou. XVI, 9. c. XXI, 1. Ier. X, 23. Reſp. diſt. inter *prædeterminationem ad agendum neceſſitantem, & inter flexionem ſuauiter diſponentem, atque vtiliter ad finem dirigentem.* Non prædeterminat Deus neceſſitatem imponendo cauſſis ſecundis, aut libertatem arbitrii humani captiuando, ſed ſuaviter diſponit ordinarie, rerum creatarum inſitis proprietatibus ſe accommodando. Vnde cum Deus inclinare dicitur voluntates humanas, morali id fit flexione per argumenta, promiſſa, minas: Sicut agricola dirigit riuos, non tamen neceſſitat eorum motum, quo ſponte fluunt. Sic Simſonis cor inclinatum eſt ad diligendam Timnathitem ex argumentorum, quibus eius intellectus perſuaſus eſt, ſuada; cui facile annuit Simſon, iam dum nemeſi in Philiſtæos ardens; alioqui tam neceſſario amaſſet, quam qui philtro propinato non poteſt non amare; quo quidem in caſu Simſon, dum deperiit Philiſtæam, miſerabilis fuiſſet. Ita Deus cum mentibus hominum illabitur, easque mollit, flectit, gyrat, agit, quodcunque ei placuerit; id non certo & fortiter, ſed ſuauiter & facile, relinquendo mentibus liberum arbitrium, liberamque electionem, facit, cenſente D. DANNHAV. *in hodoſ. p. 317.* Adiice, *quod actiones ciuiles ordinarie ſint a libero arbitrio; quorum ſucceſſus totus eſt a Deo;* nam homo proponit, Deus diſponit.

II. Concurrit Deus ad crucifixionem Chriſti concurſu prædeterminante: Ergo hic non eſt negandus. *Antecedens* probatur: 1) quia crucifixio Chriſti fuit actio phyſica, adeoque ab influxu diuino dependens: 2) Iudæi *definito conſilio & praeſcientia Dei deditum acceperunt per manus iniquorum, crucifixerunt & interfecerunt,* Act. II, 23. *atque adeo fecerunt, quæcunque manus Dei & conſilium ipſius præfinieurat fieri,* Act. IV, 28. Reſp. Crucifixio Chriſti fuit immane peccatum, circa quod tria obſeruanda ſunt: 1) *Materiale remotum,* quod fuit actio phyſica, indeterminate conſiderata, ad quam Deus concurrit actiuo & directo influxu, ob dependentiam cauſſæ ſecundæ a prima: 2) *Materiale proximum,* quod eſt actio determinata & applicata ad innocentiſſimum Ieſum; quæ non eſt tribuenda concurſui diuino, quippe qui generalis & indeterminatus eſt, ſed manibus iniquorum, Act. II, 23: 3) *Ἀνομία* vel *ἀταξία,* quæ

Digitized by Google

quæ non Deo ſanctiſſimo & perfectiſſimo, ſed Iudæis errantibus, & a regula recti deflectentibus imputanda eſt. Interim *conſilium Dei ſapientiſſimum atrox hoc peccatum permiſit, limites ei præſixit, & ad finem bonum, qui eſt redemtio generis humani, direxit.* Vnde Petrus ait, quod manus & conſilium Dei prædefiniuerint, *non vt facerent, ſed vt fierent:* Quod verbum reſpicit finem, ob quem Deus crucifixionem Chriſti permiſit.

III. Non agit cauſſa ſecunda, niſi moueatur a prima: Ergo non poteſt agere, niſi a Deo ad agendum prædeterminetur. *Conſequentia* probatur: quia prædeterminatio nil aliud eſt, quam motus præuius, ſeu antecedaneus. Reſp. 1) Inter cauſſam principalem & inſtrumentalem quidem eſt hic ordo, vt vna alteram moueat: At inter cauſſam primam & ſecundam non intercedit hic ordo, vt vna alteram moueat: cum cauſſa ſecunda proprie non ſit inſtrumentum; ſed vna altera ſit prior perfectione, illimitatione & neceſſitate. Sic voluntas humana, eo, quod libera eſt, virtutem habet in ſe, qua, monſtrato obiecto, ſemetipſam movere queat. 2) Quamuis non negemus, *Deum quandoque mouere ſpecialiter agentia, tam naturalia, quam libera, tum efficienter,* qualitatem imprimendo, aut bonam cogitationem inſerendo, *tum obiectiue,* præmonſtrando obiectum conueniens naturæ agentis, aut congruum præſenti diſpoſitioni voluntatis diuinæ; non tamen *ille motus præuius eſt prædeterminans, aut neceſſitatem imponens, ſed ſuauiter diſponens & facile flectens,* quo non tollitur agendi libertas.

IV. Ipſi doctores euangelici docent, Deum actiones creaturarum determinare. Vid. KOENIGII *th. poſit. p. 59.* Reſp. Doctores euangelici intelligunt *determinationem non neceſſitantem, ſed limitantem.* Illa imponit neceſſitatem, vt agens non poſſit non agere: Hæc limites ratione temporis & gradus ponit, quos intra agens ſe continet.

### Quæſt. XIX. *Quid eſt gubernatio Dei?*

*Gubernatio* Dei eſt actus prouidentiæ diuinæ, quo Deus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ omnes res creatas, earumque vires, actiones & paſſiones liberrime ordinat, moderatur & dirigit ad propoſitos fines, gloriam creatoris, huius vniuerſi bonum, & hominum, in primis piorum, ſalutem. *Gubernatio.*

Prob. Deus ſumma indulgentia nos gubernat, Sap. XII, 18. Eſt enim rex totius orbis, quia ipſius conditor, cuius πρόνοια cuncta gubernat, Sap. XIV, 3. Eſt rex regum, Dan. II, 47. 1 Tim. VI, 15. vniuerſorum dominus, Deut. X, 17. 1 Par. XXIX, 11. 12.

### Quæſt. XX. *Quis eſt finis prouidentiæ diuinæ?*

*Finis* prouidentiæ diuinæ *vltimus* eſt gloria Dei a): Finis *intermedius generalis* eſt huius vniuerſi bonum b), *ſpecialis* eſt hominum piorum temporalis & æterna ſalus c). *Finis prouidentiæ.*

Prob. a. *Deus omnia operatur iuxta conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus nos in laudem gloriæ ipſius.* Eph. I, 11. 12. Ex prouidentia Dei conſeruatrice, cooperatrice, & gubernatrice, gloria potentiæ, bonitatis, & ſapientiæ diuinæ effloreſcit. Conſeruat enim Deus macrocoſmum & microcoſmum (hominem) potentiſſime, cooperatur cum creaturis agentibus optime & ſuauiſſime, gubernat omnes actiones & paſſiones ſapientiſſime.

Prob. b. Sicut Deus omnia bona primitus condidit, Gen. I, 31. ita omnium bonum procurat. *Amat enim entia omnia, & nihil abominatur eorum, quæ fecit,* Sap. XI, 24. Quia Deus omnia, quæ fecit, amat, omnium bonum promotum & ſtabilitum cupit.

Prob.

Digitized by Google

Prob. c. Peruigil æterni numinis cura omnia dirigit in piorum hominum commodum; de quo egregie cecinit rex piiſſimus, Pſ. XXXIII, 18. *Ecce oculus Iehouæ* (eſt) *ſuper timentibus ipſum, exſpectantibus miſericordiam eius, ad eripiendum a morte animam eorum, & ad viuificandum eos in fame.* Inde fit, vt *Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum,* Rom. VIII, 28.

Quæſt. XXI. *Quomodo diſtinguitur prouidentia Dei?*

*Diſtinctio prouidentiæ.* Prouidentia Dei diſtinguitur a) in *generalem*, *& ſpecialem. Illa* eſt, qua Deus totum terrarum orbem, & quidquid eius ambitu continetur, conſeruat & gubernat: *Hæc* eſt, qua Deus eccleſiam, tam militantem, ſiue cœtum hominum fidelium, quam triumphantem, ſiue chorum angelorum & hominum electorum benigniſſime intuetur, clementiſſime fouet, & ſuauiſſime regit. b) In *ordinariam, & extraordinariam. Illa* eſt, qua Deus iuxta præfinitam naturæ legem agit: *Hæc* eſt, qua Deus ſupra conſtitutum naturæ ordinem operatur. c) In *eam, quæ circa bonum, & quæ circa malum morale occupatur. Illa* eſt, quæ bonum creaturarum conſeruando tuetur, cooperando promouet, & gubernando ad laudem gloriæ diuinæ dirigit: *Hæc* eſt, qua Deus circa malum morale verſatur non vt otioſus ſpectator, ſed vt iuſtiſſimus iudex, atque adeo iuſtitiam, gratia ſua temperatam, actibus peccatum antecedentibus, concomitantibus & conſequentibus exſerit.

Prob. a) Diſcrimen prouidentiæ diuinæ *generalis, & ſpecialis* docet & ipſe Chriſtus Matth. VI, 26. *Inſpicite volatilia cœli: Nam non ſerunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea: tamen pater veſter cœleſtis alit illa. Nonne vos magis præcellitis illa?* q. d. Gerit Deus curam auium generalem, hominum piorum, tanquam filiorum ſuorum, ſpecialem & eximiam.

b) Quamuis Deus prouidentiæ ſuæ actus naturæ & proprietatibus creaturarum vt plurimum accommodet: Non ita tamen ad vires creaturarum ſe alligauit, quin ſupra eas agere queat. Sic ad nutum Dei ſol ſtat, aſina loquitur, aqua in vinum abit. Omnia miracula ſunt effecta prouidentiæ Dei *extraordinariæ.*

c) Deum non eſſe otioſum peccatorum ſpectatorem; ſicut homines feriantes ſpectatum veniunt ludos ſcenicos, ſed iuſtiſſimum quidem, placabilem tamen iudicem eorundem, ex actibus prouidentiæ diuinæ, qui peccati conſummationem vel antecedunt, vel comitantur, vel conſequuntur, liquido pateſcit.

Quæſt. XXII. *Quinam actus prouidentiæ diuinæ peccatum antecedunt?*

Antecedunt peccati conſummationem a) *præuiſio*, ſiue præſcientia diuina, b) peccati præuiſi *auerſio*, c) *impeditio*.

Prob. a) Preuidiſſe Deum populi Iſraëlitici perfidiam & inobedientiam, perſpicimus ex Ieſ. XLVIII, 8. *Noui, quod perfide agendo perfide acturus eſſes; & præuaricatoris ab vtero vocatum eſt nomen tibi.* Quæ diuina peccatorum præuiſio infallibilis quidem, non abſolute autem neceſſitans eſt. Vnde fallit ſequens ſophiſma: Quidquid Deus præuidet, illud fit neceſſario: Atqui peccatum &c. Ergo. Reſp. Diſt. inter *neceſſitatem conſequentis, & conſequentiæ.* Quanquam peccata neceſſario eueniunt, vti a Deo ſunt præuiſa, ea tamen neceſſitas eſt conſequentiæ, non conſequentis, eſt hypothetica, non abſoluta. Ne-

Digitized by Google

Neque enim ideo peccata euenient, quia præuiſa ſunt; ſed ideo ſunt præuiſa, quia certo euenient.

b) *Non Deus approbans impietatem tu es; non manebit apud te malus.* Pſ. V, 5. Deus non tantum impietate non delectatur, ſed eandem maxime deteſtatur, ſcelerumque architectos ſpeciali gratia ſua haud dignatur.

Dicis: I. Deo ſimpliciter nolente, vel nullo modo volente, nihil fit: *nam Dei voluntati quis reſiſtet?* Rom. IX, 19. Reſp. *Peccata fiunt Deo non ſimpliciter nolente, ſeu inuito;* nemo enim voluntati & potentiæ Dei abſolutæ poteſt repugnare: *nec ſimpliciter volente;* quia Deus peccata nec approbat, nec iis delectatur: ſed *non volente*, hoc eſt, *permittente.* *Inter nolle, & non velle* hæc eſt differentia, quod illud notet *priuationem voluntatis cum repugnantia & actione contraria;* hoc autem notet *priuationem voluntatis, ſine violenta reluctatione.* Deus non vult malum, ſed tantum permiſſionem mali.

Dicis: II. Deus non quidem vult peccatum formaliter & per ſe, vt eſt ἀνομία: vult tamen illud, vt medium iuſtitiæ vindicatiuæ exercendæ. Reſp. Deus non vult peccatum, vt medium exercendæ iuſtitiæ vindicatiuæ, ſed præuiſo & ſuppoſito peccati actu non poteſt non Deus ſuam iuſtitiam vindicatiuam exercere.

Prob. c. *Impedit Deus tum voluntatem; tum facultatem peccatoris. Voluntatem impedit* 1) *verbo legis illud prohibendo*, Exod. XX. 2) *per homines id diſtrahendo*, Gen. XXXVII, 22. 3) *interne per Spiritum S. carni, ad illicitas voluptates procliui, obluctando*, Gal. V, 17. 4) *extraordinarie per ſomnia deterrendo*, Gen. XX, 3. *Facultatem impedit* 1) *vitæ ablatione*, v. gr. Pharaonis ſuffocatione, 2) *obiecti remotione*, v. gr. Achitophelis, per Chuſehaium, 3) *maioris potentiæ oppoſitione*, ſic viribus humanis obſtant angelicæ, 1 Reg. VI, 16. 4) *animi perturbatione*, 2 Reg. VII, 6. 5) *virium imminutione*, 1 Reg. XIII, 4.

Quæſt. XXIII. *Quinam actus prouidentiæ diuinæ peccatum comitantur?*

Actus prouidentiæ diuinæ peccatum comitantes ſunt: ſuſtentatio naturæ male agentis a), concurſus ad actionis vitioſæ materiale remotum b), ἀταξίας actioni peccaminoſæ adhærentis permiſſio c), determinatio peccati limitans d), directio ad bonum finem e).

Prob. a. Declarat Deus μακροθυμίαν, ſiue longanimitatem ſuam, quod membra peccatoris, quæ ſunt arma iniuſtitiæ, ſuſtentat, neque ſemper hominem maleficum in flagranti peccato perimit: *Quæ bonitas Dei peccatorem ad pœnitentiam ducit.* Rom. II, 4.

Prob. b. Peccati *materiale remotum* eſt *actio phyſica*, ad quam Deus coinfluit: Non autem concurrit ad actionem, *ad obiectum prohibitum applicatam*, vel determinatam (quæ eſt peccati *materiale proximum*), propterea, quod determinatio eſt a cauſſis ſecundis libere agentibus, non a concurſu Dei generali, indifferenti & indeterminato.

Prob. c. *Permiſſio diuina non eſt* 1) *blanda indulgentia*, quaſi Deus plane non curet, quando homines ſcelera committunt: Nec eſt 2) *relaxatio legis*, quaſi peccandi licentiam hominibus permittat: Neque 3) eſt *impotentia in Deo, vel defectus ſcientiæ*, quaſi malum velit, aut probet; vel *defectus potentiæ*, quaſi peccatum cohibere nequeat: Neque 4) Deum facit *otioſum peccatorum ſpectatorem*, qui nec vetet peccata, nec metam malitiæ ponat, neque flagitia pœnis coërceat: Sed eſt 5) *actus negatiuus, conſiſtens in negatione, vel ſuſpenſione impedimenti ineluctabilis.* Poſſet quidem Deus, obiecto impedimento violento, aut imperuincibili, peccatorem refrænare aut coërcere; at ſunt numini ſanctiſſimo cauſſæ permittendi peccatum iuſtiſſimæ. Cohibet interim hominis peccantis voluntatem impedimento legali & ſubinde peccatorem propoſitis pœnis & præmiis ad pœnitentiam inuitat.



Digitized by Google

Dicis: Permiſſionem diuinam ſequuntur peccata: Ergo. Deus, peccata permittens, eorundem eſt cauſſa indirecta & per accidens. Reſp. *Indirecta* cauſſa peccati eſt, quæ illud *impedire poteſt & debet.* Deus autem ad cohibendum impedimento violento peccatum nulla lege obligatur. Sequuntur quidem peccata permiſſionem diuinam euentualiter, non autem cauſſaliter.

Prob. d. Determinat Deus peccatum, tum *durationi*, tum *atrocitati* ſceleris *limites præfigendo.* Quam prouidentiam Dei determinatricem veneratur eccleſia Iſraëlitica Pſ. CXXIV, 2. *Niſi Iehouah fuiſſet pro nobis, quum inſurrexit contra nos homo; tunc viuos deglutiuiſſent nos, cum arderet ira eorum contra nos.* Permittit Deus, vt hoſtes veritatis cœleſtis in eccleſiam ſæuiant, ſed ſæuitiæ præfinit metas, ne omne acerbitatis virus euomat. Tyrannus Pharao Iſraëlitas ſpe deuorauerat; at eius immanem impetum ſtitit ſummus rerum arbiter.

Prob. e. Pronœæ diuinæ directionem ad propoſitum finem collaudat Ioſephus, Gen. L, 20. *Vos quidem cogitaſtis ſuper me malum: Deus autem cogitauit illud in bonum, vt faceret iuxta diem hunc ad viuificandum populum magnum.* Ioſephum vendiderant fratres, rati, illum fore mancipium longe miſerrimum. At miſeriam Deus conuertit in gloriam, ſeruitutis onus in honorem regio culmini proximum, fortunam aduerſam filii in fortunam ſecundam patris & fratrum.

Quæſt. XXIV. *Quinam actus prouidentiæ diuinæ peccatum conſequuntur?*

Peccatum conſequuntur pœnarum diuinarum irrogatio a), peccatorum remiſſio b).

Prob. a. Vindicat Deus iuſtiſſimus ſcelera pœna ſpirituali & corporali. Pœnæ ſpirituales ſunt deſertio, ſiue ſubtractio gratiæ, conſternatio, traditio in poteſtatem Satanæ, excœcatio, induratio. Pœna corporalis alia temporalis, alia æterna eſt. Temporalis eſt vel ſingularis, vel hereditaria, vel epidemica. Neque enim *nocentem Deus abſoluit, ſed viſitat iniquitatem patrum ſuper filios & ſuper filios filiorum, ſuper tertianos & quartanos.* Ex. XXXIV, 8.

Prob. b. Peccatoribus reſipiſcentibus Deus culpam & pœnam remittit. *Agite pænitentiam & conuertite vos, vt deleantur vobis peccata veſtra.* Act. III, 19.

Quæſt. XXV. *Quomodo doctrinam de prouidentia Dei ad praxin transferes?*

*Vſus practici.*

Penitior prouidentiæ diuinæ conſideratio excitet in animis noſtris indubitatam fiduciam a), ardentem amorem b), filialem timorem c), ſubmiſſamque venerationem Dei optimi, maximi d).

Prob. a. Firma fiducia Deo cuncta diſpenſanti adhæreamus, & totam curarum noſtrarum molem in ipſum deuoluamus. Id quod nos docet rex piiſſimus, Pſ. LV, 25. *Proiice ſuper Iehouam onus tuum; ille ſuſtentabit te.* Cui ſuffragatur S. Petrus, 1 Epiſt. c. V, 7. *Omnem curam veſtram iniicite in ipſum; quia ipſi cura eſt pro vobis.* Appoſite inquit AVGVSTIN. in Pſ. XXXIX. *Qui curam habuit tui, antequam eſſes, quomodo non habebit curam, cum iam hoc es, quod voluit, vt eſſes?*

Prob. b. Deus, inſpector & rector vitæ noſtræ, ardenti conſtantique amore longe digniſſimus eſt. Sicut enim nullum tranſit momentum, quo bonitate Dei non fruamur: Sic nullum effluat momentum, quo amore Dei cor noſtrum non incaleſcat, eique ſe penitus conſecret.

Prob.

Digitized by Google

Prob. c. Quocunque conſiſtimus loco, vereamur oculos Dei, ne hunc gubernatorem omnipotentem, & iudicem omnituentem peccatis offendamus, vitæque noſtræ filum abrumpamus; etenim *viri ſanguinum & doli non dimidiabunt dies ſuos*, Pſ. LV, 24.

Prob. d. Nulla prætermiſſa hora venerandus eſt Deus piis precibus & gratiarum actionibus. Precibus beneficiorum, quæ prouidentia Dei diſpenſat, compotes euadimus. *Propinquus enim eſt Iehouah omnibus inuocantibus ipſum; omnibus, qui inuocant ipſum in veritate.* Voluntatem timentium ipſum faciet, & clamorem ipſorum audiet, & ſeruabit eos, Pſ. CXLV, 18. 19. Preces ſunt quaſi canales, per quos fluenta diuinorum chariſmatum in nos deſcendunt: Per gratiarum actionem fluenta illa in ſcaturiginem ſuam, quæ eſt bonitas Dei exuberantiſſima, reducuntur. Quam ob rem *benedicite Deo omnes, qui magnifice facit omnia, exaltantem dies noſtros ex vtero, & facientem nobiſcum iuxta miſericordiam ſuam*. Sir. L, 21.

### *SVSPIRIVM.*

Prouidam tuam curam, ſupreme rerum Arbiter, cum omnes res creatas, tum in primis homines fideles complecti, ſuſtentare, fouere, moderari, & tacitus admiror, & gratus cognoſco, & lætus deprædico. Omnis piorum ſpes in prouidentia tua eſt collocata: omnis proſperitas a ſapientiſſimo tuo moderamine ſuſpenſa. Tu, Domine, prouidebis, quin & ab æterno prouidiſti. Tu me luce & vita donaſti: in primo vitæ limine altiſſimo tuo conſilio mirum in modum me duxiſti: aſperos iuuentæ labores ad optatos exitus prouexiſti. In ætate virili ſacram mihi ſtationem aſſignaſti, & vt eam deinde tuerer, vires adſpiraſti. Nutum tuum ſine murmure ſum ſecutus, & ſequar deinceps impiger in toto vitæ meæ curſu. Hoc potiſſimum humillime a te precor, vt Spiritu tuo ſanctiſſimo pectus meum impleas, vias rationesque recte eundi mihi commonſtres, ab anfractibus errorum & peccatorum mentem meam auoces, ac tandem, variis me exercitum laboribus, tranquillum æternæ beatitatis portum ingredi iubeas.

## THEOLOGIAE PARTIS PRIMAE
## CAPVT VII.
# DE FINE THEOLOGIAE FORMALI, VISIONE ET FRVITIONE DEI BEATIFICA.

Quæſt. I. *Quem vocas finem theologiæ formalem?*

*Finis formalis* theologiæ eſt adeptio ſummi boni a), eſtque operatio quædam animæ rationalis circa Deum, eaque perfecta, qua bonitatis ipſius ita redditur particeps, vt eadem pleniſſime ſatietur b). Vocatur alias *beatitudo* c), & *vita æterna* d). *Finis formalis theologiæ.*

Prob. a. *Finis formalis* in diſciplinis practicis eſt acquiſitio & poſſeſſio illius boni, cuius cauſſa ſcientia eſt. Ex quo THOMAS in I. II. q. 1. a. 8. inquit: *Beatitudo notat adeptionem vltimi finis* (*).

Prob.

(*) *Beatitudo*, & *beatitas*, non ſatis quidem latina ſunt nomina. CICERO *de nat. Deor.* L. I. c. 34. *Vtrumque*, ait, *omnino durum, ſed vſu nobis verba mollienda ſunt.* Quod ad *ſignificationem* nominis attinet, tantam illi poteſtatem ſubiecerunt ſcriptores veteres, vt deſignarint felicitatem non qualemcunque, non inchoatam atque imperfectam, ſed omnino conſummatam, omnibus



Digitized by Google

Prob. b. Adeptionem finis vltimi & boni ſummi *in operatione quadam animæ rationalis* conſiſtere, ipſe beatitudinis conceptus indicat. Beatitudinem enim & vitam beatam, beatum eſſe, beate viuere, vulgus pariter & ſapientes promiſcue accipiunt. Cum vero operationes vitales in homine triplices ſint, *vegetatiua*, *ſenſitiua*, *& rationalis*, adeptio *finis vltimi & boni ſummi* in nulla, quam in anima rationali conſtitui poteſt. Bonum *ſummum* enim eſt bonum *hominis proprium*, quod ei, qua homo eſt, conuenit. Ergo non niſi per operationem hominis propriam, & quæ ei vt homini conuenit, obtinetur. Operationes autem animæ ſenſitiuæ homini cum brutis, vegetatiuæ etiam cum plantis communes ſunt. Relinquitur ergo, quod *beatitudo hominis* formaliter conſiſtat *in ſola animæ rationalis operatione*.

Prob. c. *Beatitudo* tribuitur videnti *Deum*, Matth. V, 8. Ergo operatio animæ intelligentis, Deumque intuitiue cognoſcentis, recte dicitur *Beatitudo*.

Prob. d. Beatitudo vocatur *vita æterna*, Io. III, 15. Qua voce innuitur, operationem intellectus & voluntatis, qua homo Deo, tanquam vltimo ſuo fine, ſummoque bono potitur, & fruitur, vitalem, eamque feliciſſimam & conſtantiſſimam eſſe. Neque enim *vita* hic tantum ſecundum ſe ſpectatur, prout eſt *nuda viuentium exſiſtentia*; quippe quæ etiam damnatis competit in inferno, quorum ſtatus tamen in ſacris litteris *mors æterna*, nunquam *vita æterna* appellatur: ſed conſideratur in præſenti ſecundum *feliciſſimam viuentium conditionem & operationem*.

Obſ. Præcognoſcitur hic *vita æterna*, *vt finis formalis theologiæ*, ad quem media gratiæ ſalutiſque dirigenda ſunt. In parte tertia theologiæ, vbi actus gratiæ diuinæ applicatricis expenduntur, conſideratur vt *effectus gratiæ glorificantis*. Quam ob rem, licet æterna beatitudo, ſumta in tota ſua latitudine, complectatur omnia bona interna & externa, quibus electi in cœlo perficiuntur & exornantur: in præſenti tamen, ſecundum intrinſecam & formalem ſuam rationem conſiderata, notat animæ intellectualis operationem vitalem, qua homo electus, & ex hac vita egreſſus, Deo, ſummo bono ſuo, in patria cœleſti potitur & perfruitur.

Quæſt. II. *Ex quo principio æterna hominis beatitudo innoteſcit?*

*Exſiſtentia æternæ beatitudinis.*

Solida & liquida æternæ beatitudinis notitia hauritur ex ſcriptura veteris a), & noui teſtamenti b). Ex principiis autem rationis quadantenus cognoſcimus, Deum hominis eſſe ſummum bonum c), animam humanam eſſe immortalem d), poſt hanc vitam dari aliam vitam, in qua bonis bene, malis male futurum ſit e). Rationem autem formalem æternæ beatitudinis ratio ſibi relicta ignorat f).

Prob.

bus numeris ac partibus expletam. Ita CICERO, *quæſt. Tuſc.* L. V. c. 8: *Qui beatus eſt, non intelligo, quid requirat, vt ſit beatior.* c. 10: *Beati dicuntur, qui ſunt in bonis, nullo adiuncto malo.* In ſacris litteris interdum quidem hæc vox *latius* patet, & generatim denotat *bonam conditionem*, qua alter altero præſtat, Act. XX, 35. atque etiam is, qui infelix quidem eſt, at felicior tamen aliis, quos grauiora premunt incommoda, nominatur *beatus*, Luc. XXIII, 29. Plerumque vero *ſtrictiori* ſignificatione adhibetur 1) de ſumma atque infinita perfectione, cum *Deus*, & is quidem vnus, beatus dicitur, 1 Tim. I, 11. VI, 15. 2) De perfecto ſummi boni fructu, quantum quidem in naturam finitam cadit, & ſummi finis conſequutione, poſſeſſione atque vſurpatione, tam perfecta, nihil vt deſiderari poſſit amplius, immo etiam tam certa, vt nihil vnquam metuendum ſit mali; quæ eſt *hominum* beatitas, & *conſummata* quidem beatitas. Matth. V, 8.

Digitized by Google

Prob. a. Dari æternam beatitudinem, e ſcriptis propheticis V. T. liquido cognoſcimus. Nam 1) comminatur Deus: *Quacunque die comedes de arbore ſcientiæ boni & mali, morte morieris.* Gen. II, 17. Ergo ſignificat, æternum victurum, ſi non comederit. Nam Deus iuſtiſſimus, quibus hominibus, legem ſuam transgreſſuris, minatus eſt mortem, illis legem obſeruaturis (quia contrariorum contraria eſt ratio) pollicitus eſt vitam. At protoplaſtis & in illis omnibus minatus eſt mortem. E. 2) Poſt lapſum promiſit Deus ſemen mulieris, cauſſam æternæ ſalutis meritoriam. *Semen mulieris conteret caput ſerpentis,* Gen. III, 15. i. e. deſtruet regnum Satanæ, auferet mortem, reducet perfectam iuſtitiam & vitam æternam: 3) Cuſtodientibus legem præſcriptam Deus pollicitus eſt vitam æternam: *Cuſtodite leges meas; faciens enim homo viuet in eis,* Leu. XIIX, 5. i. e. obtinebit vitam æternam. Chriſtus namque ad quæſtionem: *Quomodo conſequar vitam æternam?* id vnum regeſſit: *Noſti præcepta.* Luc. XIIX, 20. alludens ad locum Leu. XIIX, 5. quem etiam apoſtolus Rom. X, 5. Gal. III, 11. de vita æterna exponit. 4) Homines finaliter credentes ex gratia Dei conſecuturos eſſe vitam æternam, docent prophetæ, Habac. II, 4. *Iuſtus in fide ſua viuet.* Notari hic vitam æternam, docet apoſtolus, Rom. I, 17. Gal. III, 13. Hebr. X, 38. & Dan. XII, 2. *Multi euigilabunt ad vitam æternam.* 5) Homines renati V. T. ſpe vitæ æternæ animum erexerunt & recrearunt. Iacobus morti vicinus dicit Gen. XLIX, 18. *Salutem tuam exſpecto, Iehouah.* Reſpiciebat patriarcha ſalutem non temporariam & tranſitoriam; aiebat enim Gen. XLIIX, 1. *En ego moriar:* ſed æternam, quam propter Meſſiam ſibi dandum firmiſſime credebat & exſpectabat. 6) Deus candidatos æternitatis, Enochum & Eliam, viuos in cœlum tranſtulit, vt certiſſima futuræ beatitatis ſpe niteremur. Nixus ea eſt Iobus, c. XIX, 26. *Videbo Deum meum in carne mea.*

Prob. b. *Scriptura noui teſtamenti,* luculentiſſime & quidem paſſim locorum inculcat, homines perſeueranter credentes in Ieſum, conſequi vitam æternam, Io. III, 16. hereditatem incorruptibilem, 1 Petr. I, 4. ſalutem æternam, Hebr. V, 9.

Prob. c. Ratio humana concipit Deum vt ens primum, quod a ſe & ceterorum cauſſa eſt; quodque omnia conſeruat & gubernat. Hoc ſane ens, vt primum, ita & vltimum, & propter ſe expetibile bonum eſt. Quare nec quæri, nec inueniri vera beatitudo poteſt, niſi in adeptione & poſſeſſione huius ſummi boni.

Prob. d. Lumen naturæ docet, vnamquamque rem tendere ad finem ſibi proportionatum, eoque obtento beatam eſſe. Docet porro, animam non eſſe caducam, ſed immortalem. Ergo tendit ad finem æternum, qui eius eſt beatitudo. Immortalis eſt anima humana; quia eſt ſpiritus. De ſpirituali animæ natura teſtantur eius inuiſibilitas, vis penetratrix corporum, & horum informatio perichoriſtica, nec non operationes a materia independentes, quæ formam ipſam a materia independentem, i. e. immaterialem, adeoque immortalem eſſe demonſtrant; cum cauſſa non ſit deterior aut ignobilior effectu ſuo. Sane actus animæ rationalis, v. gr. contemplari Deum, res æternas, ſpecies intelligibiles, a ſingularibus vniuerſalia abſtrahere, ſubinde in ſeipſam reflectere, ex præteritis colligere futura, de futuris prudenter deliberare, & quæ bona ſunt, libere eligere, ſunt a materia independentes, & ſine vlla corporis cooperatione producibiles, adeoque ſpirituales. Animam ergo ipſam ſpiritum eſſe oportet.

Prob. e. Ductu luminis naturæ cognoſcimus, prouidentiam diuinam omnia gubernare & ad congruos cuilibet rei fines dirigere. Cum ergo reapſe experiamur, in hac vita non raro læta omnia malos, triſtia omnia bonos comitari; haud ex vano colligimus, vi prouiden-



Digitized by Google

tiæ & iuſtitiæ diuinæ aliam ſupereſſe, vitam, vbi vice verſa bonis bene, malis male futurum ſit, de quo vnicuique tribunal domeſticum conſcientiæ ſententiam dicit (*).

Prob.

(*) Adferre quædam mihi liceat ad hæc argumenta, paullo vberius declaranda. Argumentor I. ex *natura hominis*, eiusque *proprietatibus*. Homo conſtat ex duabus partibus, animo, & corpore. Animus eſt nobilior pars humanæ naturæ. Animus eſt ſpiritus immortalis, cuius clariſſima documenta capimus 1) ex cogitatione, libera voluntate, ac præparatione ad futuros euentus, 2) ex deſiderio perpetuæ & nunquam terminandæ felicitatis, quo flagrant homines naturali quodam inſtinctu. Id vero, quod omnes ſentiunt, quo omnes incitantur, & quod eos non ad malum, ſed ad bonum, & ad perfectionem ſtatus ſui adſpirare iubet, id, inquam, non conſuetudini, nec arbitrio, ſed naturæ omnium communi, nec naturali corruptioni, ſed naturali conſtitutioni, vtique tribuendum eſt. Corruptio naturæ tota exorta eſt ex eo, quod animus a ſummo bono deflexit, & ſe ad bona tum falſa ac ſpecioſa, tum ſibi non conuenientia, nec ſufficientia, inclinauit. Animus, quum ſit ſpiritus immortalis, reperit ſane bonum ſibi conueniens, ac ſatiando ſufficiens, nullum aliud, niſi ſpirituale ac perpetuum. Sed ea nunc eſt peruerſitas deprauati animi, vt, quamuis perpetuæ felicitatis cupidus ſit, tamen nullum bonum, niſi terreſtre, caducum ac ſubito interiturum, anquirat & conſectetur, ex quo non poteſt non exſiſtere ſemper inſatiabilis cupiditas. Quod vero non minus obſeruatione dignum eſt: Ea facultate inſtructus eſt hominis animus, vt poſſit cogitatione præcipere futura. Hæc facultas permanet conſtans, ſuamque vim exercet ſemper, etiam tum, cum e corpore emigrare eum oportet. Nunc adſumamus hoc principium: Omne, quidquid eſt, certe eſt propter certum quemdam finem, neque alium, quam ſibi ſuæque naturæ conuenientem. Concludendo progrediamur a minori ad maius: Si ne minima quidem res ad nullum finem deſtinata eſt; prorſus non eſt credibile, animum, rerum omnium nobiliſſimam, aut aliquid in animo, omnium minime id, quod ipſius proprium ac præcipuum eſt, nempe prouidentiam & cogitationem de futuro, cum ſummo deſiderio perpetuæ vitæ ac perfectæ beatitatis, arcte copulatam, nullum habere finem ſibi propoſitum. Alius autem non poteſt eſſe finis ille, niſi conſequutio eius, ad quod vnice dirigitur iſta cogitatio ac deſideratio. E. eſt futurus quidam ſtatus animi, perfecte beatus, poſt ſuprema fata exſpectandus. Id vt magis illuſtretur, quæramus in vniuerſum: Quo conſilio homini data ſit facultas, prouidendi & cogitandi futura? Propter ea certe, vt bene ſibi conſulat ipſe, &, per hancce prouidentiam, ad futuram vitæ ſuæ ſecuritatem obtinendam perueniat, ſiue ad conſequutionem futuri, ſi bonum ſit cognitum, ſiue ad deuitationem, ſi malum fore iudicetur. Quod quum ita generatim veriſſimum ſit, & extra omnem dubitationem poſitum: quid igitur ſpeciatim pro fine habendum erit, quam ob rem illa mentis poteſtas, futura præſentiendi atque adpetendi non deſinat eſſe, ſed permaneat adhuc, immo magis confirmetur, vltimo illo momento, quo diſcedendum eſt ex hac vita? Quippe hoc, vt moriens, ſuperata mortalitate, vitam ſempiternam conſequatur. Argumentor

II. ex *præſtantia hominis*, qua inter omnia animalia ipſe vnus eminet. Principium omnium primum eſt: Quod ſibi repugnat, id omnino non poteſt fieri, & duo ſimul, quorum alterum alteri aperte repugnat, non poſſunt eſſe vera. Eſſet autem manifeſta repugnantia harum rerum: hominem præſtare brutis animantibus quibusque; at nihilo tamen minus ea parte, qua ipſe vnus longe omnibus præſtat, longe deterioris eſſe conditionis. Non ita ratiocinor: Si homo eſt præſtantior cæteris animalibus; ergo non eſt deterior. Hæc non valeret conſequentia. Quidni vtrumque poſſit eſſe verum, *diuerſa ratione*, alio atque alio modo? Neminem præterit, quid viri doctiſſimi, cum veteres, tum recentiores, diſputarint de eo: in quo bruta animalia hominibus antecellunt. At enim vero hæc eſt, qua nitor, argumentatio: Si homo *ea ipſa parte, eademque ratione*, qua ipſe *præſtat* animalibus ad vnum omnibus, *omnino inferior* omnibus eſt exiſtimandus; ſequitur, vt adfirmanda ſint duo, aperte inter ſe pugnantia. Conſequens eſt abſurdum: abſurdum igitur & antecedens. Perficiam argumentationem: Si nulla eſt hominis *ſalus*, nulla *perfectio* ſtatus ſui, *poſt mortem* exſpectanda: efficitur, vt homo *eadem parte, eademque ratione*, qua ipſe vnus *excellentior* eſt brutis animalibus omnibus, longe illis omnibus ſit *inferior*. Poſterius eſt falſum atque abſurdum:

Ergo

Digitized by Google

Prob. f. Quamuis lumen naturæ doceat, Deum eſſe ſummum æternumque bonum, & vltimum finem, ad cuius adeptionem adſpirare debet anima immortalis, aliamque poſt hanc

Ergo & prius. Atqui *excellentia* ac prærogatiua hominis, & ea quidem *præcipua*, haud dubie eſt *ratio*. Hic duo ſe nobis offerunt perpendenda: *Vſus* rationis, & *cultura* eiusdem.

1) Quo rectius homo *vſum* rationis exercet, eo maiorem ipſe confert cogitationem curamque in quasuis res, ſibi obuias, in quæuis negotia obeunda. Tanto autem cumulatius augetur occupatio, tanto plures & grauiores experitur ipſe difficultates laborum, tanto maior fit ſolicitudo de mediis reperiendis atque impedimentis vincendis, tanto plura, nec ſemper declinanda, videt homo pericula, & malorum onera perferenda, tanto magis incenduntur deſideria, & vota, iuſtisſima quidem illa, ſed plerumque irrita, atque euentu exoptato deſtituta; neque vsquam tamen in hac mortalitate peruenire valet eo, quo potisſimum ſtudere debet, nimirum ad conſummatam animi tranquillitatem. Semper cogitandum ipſi eſt: plus vltra. Semper in id incumbendum eſt, ſemper in eo elaborandum, vt incrementa in dies capiat ipſius conditio: E. ſummum finem, ſemper ſibi propoſitum, nunquam adſequitur. Explicabo paullo diſtinctius, quod ita generaliter dictum eſt. Rationis vſus *triplex* potisſimum cernitur: *Recordatio* præteritorum: *Contemplatio* conſideratioque præſentium, quantum ad ſingulas res circumſtantes, iudicio inueſtigandas: *Prouidentia* futurorum. Quod ad primum attinet: *Recordatio* eſt vel iucundarum rerum, vel triſtium. Vtroque modo renouantur perturbationes ac motus animi, ſecundum hoc axioma morale: redeuntibus ideis, cum adfectu quodam coniunctis, redit idem adfectus. Si iucundorum temporum imago mentem ſubit, denuo excitatur voluptas & cupiditas, cui ſatis fieri nunquam poteſt. Sin triſtium; recrudeſcunt vulnera animi, quibus vix obducta fuerat cicatrix. Dicam de altero: *Contemplatio* eorum, quæ nunc aguntur, res circumſtantes vniuerſas ſapienter ponderat. Quorſum iſta, quæſo? Ad bona fortunæ colligenda? Ecquid nobis proderunt illa, niſi bene illis vtamur, tamquam mediis, ad finem nobiliorem adhibendis? Nec eſt negandum, quod ingens facultatum atque honorum cumulus plurima ac maxima ſecum fert incommoda, non leuat, ſed auget grauisſimas aduerſitates, quibus premitur hæc ærumnoſa vita, curam, laborem, inuidiam, inſidias, pericula, metum, iacturam, rationis denique reddendæ difficultatem. Cupiditatem magis ſtimulat, quam ſatiat, eius enim ſitis nunquam expletur, quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Tandem homo, quo maiorem lætitiam percipit viuus ex omnium rerum adfluentia, eo acerbiores dolores ſentiet moriens ipſe, cum omnium rerum inopia laborabit. Nihil tam miſerum, quam ex beato miſer. Quorſum igitur? Ad bene beateque viuendum? Recte quidem, immo rectisſime. Ecquo autem modo? Cur virtuti damus operam? Quonam conſilio neruos omnes in rebus feliciter peragendis contendimus? Nonne propter ea laboramus, vt præmia virtutibus propoſita conſequamur? Ita eſt ſane. Sed vbi ſunt illa? quæ & quanta? quam rara ac tenuis eſſe ſolet virtutis maximæ remuneratio, inter homines, quorum vix paucisſimi ſunt meritorum æquisſimi æſtimatores ac iudices! Cum bonis viris male plerumque agitur in hoc ſæculo, cum malis bene. Quod tertium commemoraui: Sapientis eſt, *prouidere*, quid futurum ſit. Ex quo timor ac ſpes gignuntur. Timor eſt metus mali adpropinquantis, ægritudo de eo futuro, & ſæpe inanis opinio impendentis periculi. Spes eſt iucunda quidem boni futuri exſpectatio, ea vero plerumque incerta, fallax, & cum formidine oppoſiti coniuncta. Ex quo intelligitur, quam vere SIRACIDES, c. XL. 2. ſpem mortalium inter varias partes calamitatis, per hanc vitam ſuſtinendæ, numerauerit.

2) Quo plus ſtudii *culturæ* intellectus tribuerunt eruditi homines, qui vltra vulgus ſapiunt, eo magis perſpicit eorum quisque vanitatem ſæculi, quodam etiam modo vanitatem omnium ſcientiarum, quoad quidem earum fructum non, niſi in hac mortalitate, percipimus, in primisque peruerſitatem hominum, quibuscum prudenter verſari ipſum decet, immo etiam ſtatus ſui tam defectum multiplicem, quam mutabilitatem atque inconſtantiam. Iuuenes pariter, ac de infima plebe homines, multo minores ærumnas ac dolores ſentiunt, quam docti ac ſapientes viri, diſciplinis, ſtudiis, doctrina maxime exculti. Quanto plus homo expertus eſt, vt nihil fere intentatum reliquerit, & quanto acrius ipſe nactus eſt iudicium, tanto certius intelliget calamitoſam mundi conditionem, tantoque magis ipſum capiet tædium tam ærumnoſæ vitæ. Qui ſententiam diuini libri *Coheleth* probe ſcit, ſancteque tenet, næ is mecum

Digitized by Google

hanc dari vitam: Non tamen liquido commonſtrat; in quo ratio formalis æternæ beatitudinis conſiſtat; cum enim viſio Dei ſit actus ſupernaturalis, ſphæram luminis naturalis tranſcendit. Ex quo Paullus inquit, 1 Cor. II, 9: *Oculus non vidit, auris non audiuit, & ſuper cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt ipſum.*

Dicis: I. Æterna beatitudo eſt naturaliter appetibilis: Ergo eſt naturaliter cognoſcibilis. *Antecedens* patet; quia naturaliter omnes homines beati eſſe volunt. *Conſequentia* eſt euidens: quia appetitus naturalis præſupponit notitiam naturalem. Ignoti nulla cupido. Reſp. Æterna & ſumma beatitudo naturaliter non eſt appetibilis *appetitu efficaci*, cum captum hominis, ſibi relicti, tranſcendat; quamuis non negemus, homines naturaliter appetere *appetitu inefficaci, ſub conditione poſſibilitatis*, perennem quandam beatitudinem; an autem illa conſiſtat in clara Dei viſione, homo animalis ignorat.

Dicis: II. Conſtat ex lumine naturali, noſtram beatitudinem conſiſtere in operatione perfectiſſima. At perfectiſſima operatio intellectus noſtri eſt viſio Dei. Conſtat ergo ex lumine naturali, beatitudinem noſtram conſiſtere in viſione Dei. Reſp. Quamuis ex lumine naturæ conſtet, beatitudinem noſtram conſiſtere in operatione perfectiſſima; non tamen ex eodem innoteſcit, viſionem Dei eſſe poſſibilem. Quin potius ratio ſibi relicta iudicabit, beatitudinem noſtram conſiſtere in abſtractiua entis primi cognitione & contemplatione.

Quæſt. III. *In quo formaliter conſiſtit noſtra æterna beatitudo?*

*Forma æternæ beatitudinis.* Aeterna & ſumma noſtra beatitudo conſiſtit in *perfecta Dei viſione & fruitione.* Illa eſt operatio *intellectus*; hæc *voluntatis*: Illa Deo ſummo bono potimur; hac eodem perfruimur & acquieſcimus.

Obſ. *Fruitionem* ſenſu ſtrictiori hic ſumimus cum AVGVSTINO, qui *L. X. de Tr. c. X.* ſcribit: *Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipſis propter ſeipſa delectata conquieſcit. Hinc mundo quidem vtimur, Deo autem fruimur.*

Quæſt. IV. *Quid eſt viſio Dei beatifica?*

*Viſio Dei.* *Viſio Dei* beatifica eſt actus *intellectus*, lumine gloriæ colluſtrati, quo is Deum clare & immediate, vt in ſe eſt, cognoſcit.

Obſ. I. Cognitio Dei intuitiua dicitur *viſio beatifica*: *Viſio* quidem locutione metaphorica, quod ea tam diſtincte & clare Deum cognituri ſumus, quam diſtincte & clare cognoſcimus rem, quam oculis videmus: *Beatifica* autem, quod ſit formalis ratio, qua conſtituimur beati.

Obſ. II. *Cognitio alicuius rei duplex eſt: abſtractiua alia, alia intuitiua. Abſtractiua eſt*, qua res cognoſcitur *mediate*, in alio, per ſpeciem alterius rei, v. g. cum imperatorem ex imagine vel ex relatione aliorum, ignem ex fumo cognoſcis; *intuitiua*, cum obiectum *immediate* & per ſeipſum cognoſcis, v. gr. cum hominem coram intueris, & ex facie propria cognoſcis. *Abſtractiua* igitur *Dei cognitio* eſt, cum eum ex reflexione ad creaturas ſub lumine naturæ, vel ex reflexione ad verbum reuelatum ſub lumine gratiæ cognoſcimus.

*Intuitiua*

cum ſentiet, illum librum eo conſilio ſcriptum eſſe, vt hoc ipſum argumentum in luce poneretur. Quare autem ex lumine rationis non certam melioris vitæ cognitionem, ſed probabilem dumtaxat notitiam accipere queamus, cauſa hæc ſubeſt: quod 1) veritates, ex natura cognitæ, per corruptionem animi, nobis innatam, valde obſcuratæ ſunt, 2) veram rationem æternæ beatitatis, originem mali & communis hominum a Deo defectionis, maxime vero hominis cum Deo reconciliationem, ac viam ad recuperandam ſalutem deperditam, non natura, ſed ſcriptura ſola nos edocere poteſt.

Digitized by Google

*Intuitiua cognitio Dei* eſt, cum eum per ſuam ipſius eſſentiam, vti in ſe ipſo eſt, ſine interventu alius obiecti ſub lumine gloriæ cognoſcimus; & hæc alteri vitæ reſeruatur, eſtque longe perfectior, quam abſtractiua. 1 Cor. XIII, 12. 1 Ioann. III, 2.

Obſ. III. *Quamuis intuitiua Dei cognitio ſit perfecta, non tamen eſt comprehenſiua*, termino *ſtricte* ſumto, pro *adæquata* rei cognitione, quomodo ſolus Deus ſui comprehenſor eſt. *Cognoſcent beati totam Dei eſſentiam, verum non totaliter*, & modo *infinito*, ſed finitæ naturæ ſuæ conuenienti. *Comprehenſores* quidem vulgo dicuntur beati, non quod Deum adæquate cognoſcant; id enim per eſſentiæ diuinæ infinitatem & humanarum mentium anguſtiam fieri nequit, cum finiti ad infinitum nulla ſit proportio: ſed ideo eſſentiæ diuinæ *comprehenſores* dicuntur, quod nihil eorum, quæ formaliter ſunt in Deo, eos lateat, ſed illa omnia in *ſummo perfectionis gradu, quantum intellectus finitus, a lumine gloriæ eleuatus, capax eſt*, cognoſcant.

Obſ. IV. *Tria requiruntur ad viſionem Dei beatificam:* 1) *Intellectus*, tanquam principium & cauſſa intellectionis, Deo tanquam cauſſa prima concurrente. 2) *Lumen gloriæ, quod eſt donum cæleſte & ſupernaturale, quod eſſentiam diuinam intime præſentem monſtrabit, intellectum beatorum perfectiſſime illuminabit, corroborabit, & ad Deum clare videndum eleuabit.*

Probatur hoc *lumen gloriæ* (a) e Pſ. XXXVI, 10. *In lumine tuo videmus lumen.* E quibus verbis argumentamur: Quicunque viſuri ſunt in lumine Dei ipſum lumen obiectiuum Deum, illi lumine gloriæ intellectum illuſtrante & eleuante erunt inſtructi. Atqui beati in altera vita &c. E. Dicis: Sermo eſt pſaltæ regio de *lumine gratiæ*, non de *lumine gloriæ;* nempe in lumine gratiæ videbimus lumen, h. e. Deum. Reſp. V. 9. hieropſaltes recenſet beneficia poſitiua ſpiritualia, quorum inchoamentum in hac vita, complementum in futura vita datur. V. 10. fontem iſtorum beneficiorum deſcribit, aſſurgitque gradatione quadam ad vltimum beneficiorum ſpiritualium, quod eſt *viſio luminis æterni in lumine æterno.* (b) Sicut in hac vita nulla poteſt haberi cognitio Dei, niſi vel *luminis naturæ*, vel *luminis gratiæ* beneficio: ita in altera vita non poteſt eſſe clara & immediata Dei cognitio, niſi beneficio *luminis gloriæ.*

(3) Requiritur *eſſentia Dei* tanquam obiectum, ad quod beatifica viſio tendet, ac ſe terminabit.

Obſ. V. *Obiectum* intuitiuæ cognitionis eſt Deus, & omnia, quæ in ipſo *actu & formaliter* ſunt, vt eſſentia, attributa, perſonæ diuinæ, earumque proprietates. Quæ vero in Deo ſunt tantum *eminenter aut virtualiter*, vi intuitiuæ cognitionis non cognoſcuntur; quia actu, & quoad entitatem, non ſunt in Deo. Hinc beati, vi beatificæ viſionis, non cognoſcent creaturas omnes, vel res poſt diſceſſum ſuum in hac vita geſtas. Nam nec hæ, nec illæ formaliter, ſed virtualiter & eminenter tantum ſunt in Deo. *Voluntatem* quidem Dei, quatenus cum eſſentia eius identificatur, ſatis clare cognoſcent, ſed cum illa ad creaturas libere, hoc vel illud decernendo, ſe determinet, libera illa decreta in Deo non vident, aut norunt. Hinc eſt, quod angeli, quamuis ex clara Dei viſione beati, diem extremi iudicii a Deo libere determinatum ignorent. Matth. XXIV, 26. Non imus tamen inficias, beatos vel ex peculiari Dei reuelatione, vel ex relatione angelorum & animarum, quæ ex hac mortali ad illam immortalem vitam commigrarunt, multa, quæ in terris geruntur, cognoſcere poſſe: At illa non explorata habent vi intuitiuæ cognitionis.

In *intuitiua Dei cognitione formalem rationem æternæ beatitudinis* conſiſtere probatur:

(1) Ex Matth. V, 8. *Beati mundi corde; quia hi ipſi Deum videbunt.* Quibus verbis Saluator æternam beatitudinem per viſionem Dei deſcribit.



Digitized by Google

(2) Ex 1 Ioh. III, 1. *Dilecti, iam Filii Dei ſumus, ſed nondum manifeſtatum eſt, quid futuri ſimus. Scimus tamen, quod, ſi manifeſtabitur, ſimiles ipſi futuri ſimus, quia videbimus ipſum, ſicut eſt.* Apoſtolus vult dicere: Sumus in hac vita Filii Dei, & habemus aliquam ſimilitudinem cum Patre cœleſti in regno gratiæ; ſed nondum apparuit, quid futuri erimus: ſcimus autem, quod, cum apparuerit iſta gloria, nos perfecte Deo ſimiles, imaginem & ſimilitudinem iſtam Dei habituri ſimus, quam in Adamo decoximus; fundamentum autem & cauſſa imaginis diuinæ, plene reſtitutæ, erit viſio Dei, qua ipſum videbimus, ſicut eſt, i.e. in eſſentia ſua, citra ſpeciem impreſſam, eſſentiam diuinam repræſentantem. Argumentamur: Quidquid eſt apex futuræ noſtræ gloriæ, & cauſſa radicalis plene reſtauratæ imaginis diuinæ, in eo formaliter conſiſtit æterna noſtra beatitudo. Atqui viſio Dei beatifica &c. Ergo.

(3) Ex 1 Cor. XIII, 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc vero a facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte; tunc vero cogniturus ſum, ſicut etiam cognitus ſum.* Intellectus humanus lumine gratiæ perfuſus videt Deum in hac vita per ſpeculum verbi diuini in ænigmate, i. e. minus clare: Videbit autem ipſum longe clarius in vita æterna lumine gloriæ colluſtratus. Θεογνωσία huius ſæculi eſt imperfecta: θεογνωσία futuri ſæculi erit perfectiſſima, quanta quidem in creaturam rationalem cadere poteſt. At in theognoſia conſiſtere vitam æternam, docet Chriſtus Io. XVII, 3.

Quæſt. V. *An etiam beati in cœlo Deum oculis corporeis viſuri ſunt?*

Beatos in cœlo Deum oculis *corporeis* viſuros eſſe, non quidem apodictice certum a), probabile tamen eſt b).

Prob. a. 1) Quia *videre* ex vſu linguæ ſanctæ interdum idem ſignificat, quod *intellectu* aliquid cognoſcere, 1 Cor. XIII, 12. adeoque de *viſione mentali* exponi poteſt.

2) Angeli dicuntur in cœlo *videre* faciem Dei Patris, qui oculis corporeis deſtituti ſunt, Matth. XIIX, 10. Sicut igitur viſio angelorum eſt intellectualis: Ita beatis in futura vita ſperanda eſt viſio Dei intellectualis.

Prob. b. 1) Iobus in ſtatu afflictiſſimo efficaci ſe ſolamine ſuſtentans inquit: *Ex carne mea videbo Deum: Quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius.* c. XIX, 27. Confitetur Iobus, ſe viſurum eſſe Chriſtum, non tantum vt hominem, ſed etiam vt Deum, & quidem oculis corporeis. Certe nulla neceſſitas nos cogit, vt a proprietate vocis diſcedamus, & oculos mentis tropicos intelligamus.

2) Oculi beatorum corporei in futura vita erunt ſpirituales (non ratione ſubſtantiæ, ſed qualitatum), 1 Cor. XV, 22. E. probabile eſt, oculum ſpiritualem viſurum eſſe Deum.

3) Intellectus finitus lumine gloriæ eo vsque eleuari poteſt, vt immediate ſine ſpecie intelligibili eſſentiam Dei videat: Ergo pari ratione oculi corporei ſpiritualibus viribus inſtructi eo perfectionis euehi poſſunt, vt Deum clare intueantur. Conſequentia eſt euidens, quia Deo peræque poſſibile & facile eſt, oculos corporis eleuare ad videndum ipſum, quam poſſibile eidem eſt, intellectum finitum eleuare ad intuitiue cognoſcendam infinitam eſſentiam.

*Antitheſis* eſt plerorumque *Pontificiorum*, Deum oculis corporeis videri poſſe, negantium, quorum potiora ſunt argumenta:

I. Nullus ſpiritus oculis corporeis videri poteſt. Atqui Deus eſt ſpiritus, isque puriſſimus & ſubtiliſſimus, Io. IV, 24. Ergo. R. *Nullus ſpiritus oculis corporeis animalibus videri poteſt*, concedo. Vero tamen conſentaneum eſt, videri eundem poſſe *oculis corporeis ſpiritualibus.*

II. Deus

Digitized by Google

II. Deus eſt inuiſibilis, 1 Tim. I, 7. c. IV, 16. quem nemo videre poteſt. Reſp. Deus dicitur inuiſibilis, reſpectu *viſionis phyſicæ: non hyperphyſicæ;* adeoque nemo Deum videre poteſt in hac vita *oculis non glorificatis.* Ipſe Deus ita limitat, Exod. XXXIII, 20. Faciem meam (Moſen alloquitur Iehouah) videre non potes (oculis corporis): Cur? Quia homo (oculis ſuis) me videre non poteſt, & viuere (hanc vitam.)

III. Quo ſenſu angeli dicuntur faciem Dei videre, eodem ſenſu & homines beati dicuntur Deum intueri. Atqui angeli dicuntur Deum videre oculis mentis. E. & homines beati. *Maior* conſtat; quia beati angelis erunt ſimiles, Matth. XXII. Reſp. Diſt. inter *ſimilitudinem abſolutam & reſpectiuam.* Certo reſpectu erimus in futura vita angelis ſimiles, ſed non ἁπλῶς aut ſimpliciter. Sufficit, quod beati tum oculis mentis, tum oculis corporis, ratione qualitatum ſpiritualibus, Deum viſuri ſint, ſicut angeli ſpirituali modo Deum contuentur.

IV. Quacunque viſione oculus corporeus ſphæram obiecti ſui tranſcenderet, illa non eſt aſſerenda. Atqui viſione eſſentiæ diuinæ oculus corporeus &c. E. *Maior* patet; quia omnis ſenſus intra limites obiecti ſui ſe continet. *Minor* liquet; quia oculorum obiectum eſt corpus coloratum & lucidum. Reſp. Diſt. inter *oculum animalem, ſiue non glorificatum, & ſpiritualem.* Quacunque viſione oculus corporeus, *ſpiritualibus* dotibus inſtructus, excederet ſphæram obiecti ſui, illa non eſt aſſerenda; concedo. At oculus *ſpiritualis,* Deum ſpiritum videns, non excedit ſphæram obiecti, a Deo peculiariter ſtatutam. Poteſt Deus beatorum oculos vltra naturam ipſorum eleuare, vt ipſam deitatem videant. Effrons ſit, qui infinitam Dei potentiam rationibus phyſicis ex communi & ordinario naturæ curſu petitis dimetiri, aut limitare auſit.

### Quæſt. VI. *Quid eſt fruitio Dei?*

*Fruitio Dei* eſt actus *voluntatis,* quo beati in patria cœleſti Deum, ſummum bonum, auidiſſime complectuntur, ſuauiſſime percipiunt, & eodem pleniſſime ſatiantur. *Fruitio Dei.*

Prob. e Pſ. XVII, 15. *Ego in iuſtitia videbo facies tuas: Saturabor, cum euigilauero imagine tua.* Dauid machinis & iactantiæ hoſtium, quorum ventrem Deus bonis corporalibus ſaturauerat, opponit ſpem ſuam poſitam in futura Dei viſione & fruitione. Duo enim dicit: 1) ſe Deum viſurum, 2) ſe ſatiatum iri imagine Dei, i. e. ſe ſolida gaudia ex intuitu maieſtatis diuinæ percepturum eſſe. Per *imaginem Dei* l. c. nonnulli theologi intelligunt maieſtatem Dei, quæ, glorioſe ſe oſtendens, ſola appetitum ſatiare poteſt. Conf. D. IO. ADAM. OSIANDRI *coll. ſyſtem. Part. VI. p. 205.*

Dicis: Si æterna beatitudo, teſte ſcriptura ſacra, conſiſtit in viſione Dei, quæ eſt actus intellectus, non conſiſtit in fruitione Dei, quæ eſt actus voluntatis. Foret enim in duobus ſubiectis, cum tamen vna eademque res in vno tantum ſit ſubiecto. Reſp. Æterna beatitudo formalis eſt aliquid complexum aut aggregatum, conſtans ex diſtinctis actibus, ad idem obiectum beatificum (Deum) terminatis, & ordinem quendam tam inter ſe, quam ad idem obiectum beatificum habentibus: Vnde nil mirum eſt, quod in diuerſis ſit ſubiectis, ſiue potius potentiis vnius ſubiecti, nempe hominis. Vtraque enim potentia obiectum beatificum immediate attingit, intellectus viſione, voluntas fruitione. Radix beatitudinis eſt quidem in intellectu, nempe intuitiua Dei cognitio; ſed fruitio Dei in voluntate beatitudinem complet & perficit. Tolle a clara Dei viſione fruitionem eius in voluntate, quemadmodum hæc duo mente ſeorſim concipi poſſunt, certe animæ humanæ beatitudo valde mutila erit, & manca, iuxta illud: *Quid iuuat aſpectus* (viſio Dei), *ſi non conceditur vſus* (fruitio Dei in voluntate)?

 S. ſcri-

S. ſcriptura quidem deſcribit æternam beatitudinem per intuitiuam intellectus cognitionem, voluntatis autem fruitionem non excludit. Solemne quippe eſt Hebræis, verbis notitiæ affe-ctum connotare.

Quæſt. VII. *Quæ perfectiones animæ humanæ viſionem & fruitionem Dei beatificam indiuulſe comitabuntur?*

Viſionem & fruitionem Dei beatificam indiuulſe comitabuntur, amor Dei ardentiſſimus a), gaudium cumulatiſſimum b), ſempiterna nominis diuini celebratio c), ἀναμαρτησία, ſiue immunitas a peccandi periculo, & ſanctitas conſtantiſſima d).

Prob. a. Ea vis eſt boni, perfecte cogniti ab intellectu, & auidiſſime acceptati a voluntate, vt hanc ad amorem ſui moueat & pelliciat; cum nihil, niſi amabile, in eo deprehendatur. Quare cum Deus ſit ſumme bonus, ab intellectu clare cognitus, & a voluntate ſuauiſſime perceptus, in patria cœleſti non poteſt non a beatis ardentiſſime amari. Ex quo AVGVSTINVS fruitionem Dei per amorem Dei (a poſteriori) deſcribit, *libr. I. de doctrina Chriſti c. III. Frui bono, nihil eſt aliud, quam amore ei inhærere propter ipſum.*

Prob. b. Cum amore Dei in patria cœleſti connexum eſt gaudium cumulatiſſimum & puriſſimum; quippe quod donum clare cognoſcitur, ſuauiter guſtatur, & impenſe amatur, id ſolidum parit gaudium. *Intrabunt igitur ſerui fideles in gaudium domini*, Matth. XXV, 23. *& erit ſatietas gaudiorum coram facie Dei*, Pſ. XVI, 11.

Prob. c. Qui Deo ſummo bono perfruitur, non poteſt non eius laudes decantare. Quare homines beati, ad intuitum & complexum Dei intimum admiſſi, diu noctuque ſine intermiſſione cum ſanctis angelis concinent: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt*, Apoc. IV, 8.

Prob. d. Sanctitas tanta ornabit animas beatas, quanta in creaturam cadere poteſt (ſcil. finita & dependens). Cum enim Deum perpetuo intueantur, ardentiſſimeque ament, vt ab amore eius ceſſare nequeant, a peccato, peccandique periculo immunes ſunt, de quo S. Paullus aſſerit, eccleſiam triumphantem *non habituram eſſe maculam aut rugam*, Eph. V, 27. vbi de macula peccati loquitur. Et S. Ioannes deſcribit beatos, quod *induti ſint byſſino albo & mundo*, Apoc. XIX, 14. quo notatur iuſtitia ſanctorum v. 8.

Quæſt. VIII. *An Deus eſſentialem ſuam beatitudinem, ſanctitatem & gloriam beatis in cœlo impertietur?*

Deus beatos in patria cœleſti eſſentialis ſuæ beatitudinis, ſanctitatis & gloriæ non facit participes.

Prob. 1) *Deus eſſentialiter beatus* eſt; quia a ſeipſo, per ſeipſum, & in ſeipſo beatus eſt. At electi ſunt beati, ex gratia Dei glorificante. Deus *eſt ſanctus independenter, & per eſſentiam:* Electi ſunt ſancti dependenter & per ſuperadditas qualitates. Idcirco piiſſima Hanna inquit, 1 Sam. II, 2. *Non eſt ſanctus, ſicut Iehouah.* Gloria beatorum eſt finita; gloria autem Dei *infinita & creaturis* (præter eam, cui Deus ſe perſonaliter vniuit) *incommunicabilis. Gloriam meam alteri non dabo*, ait Iehouah, Eſ. XLII, 8.

2) Si beati in cœlo participes eſſent eſſentialis gloriæ diuinæ, eſſent Dii, & adorabiles: conſequens eſt falſum: E. & antecedens. *Conſequentis* falſitas vel clariſſime ex eo liquet, quod beati coronas ſuas ante thronum Dei proiiciunt, dicentes: *Dignus es, Domine, qui accipias glo-*

*riam*

Digitized by Google

*riam &c.* Apoc. IV, 11. & angeli, quibus beati ſunt ſimiles, adorationis cultum ſibi tribui nolunt, Apoc. XIX, 10.

*Antitheſis* eſt *Quakerorum*, aſſerentium, beatos eſſentialis beatitudinis diuinæ eſſe participes, quorum palmaria argumenta ſunt:

I. Deus *beatis erit omnia in omnibus*, 1 Cor. XV, 28. E. diuina beatitudo, ſanctitas & gloria erat beatitudo electorum. Reſp. Diſt. inter *beatitudinem obiectiuam*, *&* *moralem.* Illa eſt Deus, ſummum electorum bonum: Hæc eſt fruitio Dei. Non de illa, ſed de hac nobis ſermo eſt, quæ vtique dependens & finita eſt.

II. Beati in cœlo ſunt Dii: E. eſſentialis gloriæ diuinæ participes. *Antecedens* probatur; quia ſunt filii Dei, Io. I, 12. ex Deo, i. e. eſſentia diuina nati, Io. III, 6. naturæ diuinæ participes, 2 Petr. I, 4. Reſp. Sunt filii Dei, non naturales, ſed adoptiui; non ex eſſentia, ſed gratioſa operatione Dei nati. Sunt participes naturæ diuinæ, ob vnionem & communionem Dei cum electis ſpiritualem, non eſſentialem, nec perſonalem.

### *SVSPIRIVM.*

Feciſti nos, Deus ſanctiſſime, ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, niſi quieſcat in te. Tu illi omnia es in omnibus: Tu lumen menti, cibus voluntati, centrum es affectibus. Tu delectabilis es ad videndum, ſuauis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Semper libet te aſpicere, ſemper amare, ſemper delectari te, & perfrui. Quare da te mihi, & redde me tibi, vt in patria cœleſti videam te clariſſime, amem te perfectiſſime, læter de te, ſummo bono, perfectiſſime. Tibi ſit laus & gloria in ſempiterna ſæcula!

# PARTIS II. THEOLOGIAE.

## CAPVT I.

## DE

## SVBIECTO THEOLOGIAE,

## NEMPE DE HOMINE LAPSO, SEV PECCATORE, AD DEVM REDVCENDO.

Quæſt. I. *Quænam conſideranda ſunt circa lapſum hominis?*

Circa lapſum hominis conſiderandus eſt tum *terminus a quo*, tum terminus *ad quem.* Terminus *a quo*, eſt *ſtatus* innocentiæ, ſiue *integritatis.*

Prob. Miſeria hominis lapſi accurate expendi nequit, niſi exacte ponderetur eam antegreſſa felicitas, qua homo a Deo auerſus ſeipſum priuauit. Priuatio namque cognoſcitur ex oppoſito habitu, et grauitas mali digne æſtimatur ex amiſſo bono.

Quæſt. II. *Quis fuit ſtatus integritatis?*

*Status integritatis* fuit prima, eaque feliciſſima, hominis, *ad imaginem Dei* creati, conditio.



Digitized by Google

### Quæſt. III. *Quid eſt imago Dei?*

*Definitio imaginis diuinæ.*

*Imago Dei* eſt perfectio naturalis, in excellente conformitate cum Dei prototypo, ſapientia, iuſtitia, puritate, immortalitate, & maieſtate conſiſtens, primis hominibus concreata, vt creatorem vere agnoſcerent, pieque colerent, vitam ſanctam tranſigerent, & beatitatem glorioſam conſequerentur.

Obſ. I. Formalia requiſita *imaginis*, generatim conſideratæ, ſunt: 1) *Similitudo, ſiue conuenientia cum exemplari, vel prototypo*; quia imaginis eſt, repræſentare rem, cuius eſt imago. Hoc autem ſine ſimilitudine fieri nequit: 2) *Origo, vel proceſſio imaginis ab exemplari*, quia imago ad imitationem *prototypi*, repræſentationis ergo, expreſſa eſt (*).

Obſ. II. Diſtinguitur *veſtigium ab imagine*. *Imago* repræſentat manifeſte id, cuius eſt imago; *Veſtigium* obſcure refert id, cuius eſt veſtigium. In omnibus *creaturis* deprehenduntur *veſtigia* potentiæ, ſapientiæ & bonitatis diuinæ; at in *homine* integro pleno iubare effulgebat *imago* Dei. Conf. CALOVII *metaphyſ. diuin. p. 641.*

### Quæſt. IV. *Quotuplex eſt imago Dei?*

*Homonymia I. D.*

*Imago* Dei alia eſt *ſubſtantialis*, alia *accidentalis*. *Illa* eſt æternus Dei Filius; quia totam eſſentiam Patris in ſe exprimit, modo ſubſiſtendi ab eo diſtinctus a). *Hæc* eſt, cuius accidentales perfectiones infinitis Dei perfectionibus, ſecundum modum capacitatis humanæ, conformes ſunt b).

Prob. a. Chriſtus ab apoſtolo Paullo vocatur *imago* Dei, 2 Cor. IV, 4. *Imago* Dei *inviſibilis*, Col. I, 15. *Character perſonæ patris*, Hebr. I, 3. quia *perſonam patris*, concretiue ſumtam, quatenus *eſſentia & ſubſiſtentia* conſtat, repræſentat. Conf. SEB. SCHMID. *commentar. in Hebr. c. I, 3.*

Prob. b. Ob accidentales perfectiones, infinitis Dei perfectionibus quadantenus reſpondentes, homo in ſtatu primæuo *ad imaginem Dei conditus* eſſe dicitur, Gen. I, 26. 27. c. V, 1. Et homo conuerſus *renouatur ad imaginem Dei*, Col. III, 10. Quin & vir, reſpectu ad dominium, quod non tantum in bruta, ſed & in fœminam habet, in caſu recto *imago & gloria* Dei vocatur, 1 Cor. XI, 7. (**)

Quæſt.

(*) *Imago* proprie dicitur illud, in quo cernitur *conuenientia cum alio, a quo illud ſuam originem ita ducit, vt huius proprietates in illo expreſſæ adpareant.* Itaque omnino tria ſunt, quæ ad imaginem, proprie ſtricteque ſic dictam, requiruntur: 1) ἀρχέτυπον quoddam, 2) ἔκτυπον, 3) Conuenientia vtriusque. *Conuenientia* igitur ſola non ſufficit, ſed maxime neceſſaria eſt *origo*, & ita quidem, vt *expreſſæ proprietates* τοῦ ἀρχετύπου ſint conſpicuæ. Nam 1) O. conuenientia non poteſt non eſſe mutua ac reciproca. Quidquid enim cum altero conuenit, cum eo vicisſim conueniat alterum, neceſſe eſt. Quod ſi igitur conuenientia ſatis eſſet ad conſtituendam imaginem: conſequens foret, vt Deus etiam recte vocaretur imago hominis, id quod abſurdum eſt. 2) O. comparatio, ſiue metaphora, refert quidem conuenientiam cum ea re, vnde ducitur metaphora. Quoniam vero *origo* rei comparatæ neutiquam ab illa re deriuatur, idcirca non, niſi improprie, dici poteſt imago.

(**) Imago *generatim* quidem cernitur in *conuenientia* ἐκτύπου cuiusdam cum ſuo ἀρχετύπῳ. *Speciatim* vero aut *perfecta* conuenientia, quæ eſt *æqualitas*, ἰσότης, aut *imperfecta*, quæ eſt *ſimilitudo*, ὁμοιότης. In omni quidem *imagine*, proprie ita nominata, debent expreſſæ *perfectiones* ac *proprietates* eſſe, quibus ἀρχέτυπον ab omnibus aliis rebus *diſcernitur* (per definit.); illæ autem aut *omnes, eodem modo & gradu*, ſi ſit *æqualitas*; aut *quædam* dumtaxat, & *potiores* quidem, *diuerſo* tamen *modo*, atque etiam *minori gradu*, ſi ſit *ſimilitudo*. Aeternus Dei Filius eſt perfecte

Digitized by Google

### Quæſt. V. *Quot modis accidentalis imago Dei dicitur?*

*Imago* Dei *accidentalis* bifariam ſumitur : *generaliter*, ἀκύρως & abuſiue, pro generali quadam analogia, aut conuenientia cum Deo a): *Specialiter*, κυρίως & proprie, pro excellenti & ſimillima conformitate cum Deo archetypo b).

Prob. a. Ipſa ſubſtantia animæ humanæ quædam θεῖα, ſeu diuina exprimit, & exemplar diuinitatis refert. Nam Deus eſt ſpiritus immaterialis, intelligens, voluntate libera agens, inuiſibilis, indiuiſibilis, illocalis, immortalis. Quæ prædicata de anima humana certo modo affirmari poſſunt. At illa *conuenientia generalis* imagini diuinæ, proprie dictæ, *ſubiectiue* quidem ſubſternitur, ſed *formaliter* eam non conſtituit.

Prob. b. *Specialiter & proprie* accipitur imago diuina, cum Deus inquit, Gen. I, 26. *Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram.* In fonte duæ adhibentur voces צֶלֶם *imago* & דְּמוּת *ſimilitudo, non eo fine, vt diſtinctarum rerum ſymbola* ſint, & *imago* ipſam animæ humanæ ſubſtantiam, *ſimilitudo* ipſius perfectiones accidentales denotet (vt volunt nonnulli *Pontificii*); ſed vt poſterior prioris ſit *exegetica, & imago ſimillima, aut valde ſimilis* deſignetur. Firmamus aſſertionem noſtram. 1) Quia ſolemne eſt Hebræis duo ſubſtantiua, vel ſynonyma, vel diſparatæ ſignificationis coniungere, quorum alterum adiectiui vicem ſuſtinet, eiusque habet ſignificationem cum emphaſi. Quæ loquendi formula vocatur ἓν διὰ δυοῖν. Vid. GLASSII *philol. S. libr. III. tr. I. can. VI. p. 392.* 2) Idem patet e decreti diuini, eiusque exſecutionis comparatione. In decreto v. 26. vtraque vox, imago & ſimilitudo, coniungitur: At in exſecutione v. 27. tantum vox צלם, imago, legitur. Ex quo colligimus, per *imaginem* idem ſignificari in exſecutione, quod per *imaginem & ſimilitudinem* in decreto ſignificabatur, ob harmoniam exſecutionis & decreti. 3) Sub *ſimilitudine imago* Dei comprehenditur, Gen. V, 3. Iac. III, 9. 4) Duæ illæ voces in caſu obliquo coniunguntur, Sap. II, 23. Deus creauit hominem in incorruptione, *ad imaginem propriæ ſimilitudinis* (SEB. SCHMIDIVS *proprietatis*) fecit illum. 5) Vt Adam Sethum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam genuiſſe dicitur, Gen. V, 3: Ita Deus Adamum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit, Gen. I, 26. At ibi non ſignificantur res diuerſæ per duas illas voces צלם, & דמות. 6) Quod notat imago Dei in renouatione, idem ſignificat in creatione. At in renouatione non

fecte expreſſa Patris effigies, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, Hebr. I, 3. quando quidem *perfectiones* ac *proprietates* Dei *omnes*, ne vna quidem excepta, in Filio inſunt, *eodem modo*, nimirum naturaliter ac neceſſario, ſicut in Patre, *pari* etiam *gradu*, h. e. Summo atque infinito, vt Filius ſit ἴσος Patri, Io. V, 18. Creato homini tributæ quidem fuerunt *perfectiones* diuinæ, ſed *quædam* dumtaxat, *diuerſo* etiam *modo*, in Deo enim ſunt naturales, ſeu, vt vſitate loquar, eſſentiales, ac neceſſariæ; in homine non item fuerunt, ſed accidentales & contingentes: nec non longe *minori gradu*; finitæ enim non poterant non eſſe perfectiones, diuinitus homini impertitæ, quem ad modum ipſa hominis natura. Fuit igitur, & quandoque inſtauranda erit, ὁμοιότης, nequaquam ἰσότης, Iac. III, 9. 1 Ioan. III, 2. Dicitur autem *perfecta imago* quædam, aut *imperfecta*, ratione non ἐκτύπου, ſed ἀρχετύπου, nempe quod ea, quæ in ἀρχετύπῳ inſunt, aut omnia pariter, aut non omnia peræque, in ἐκτύπῳ expreſſa adpareant, quamuis ἔκτυπον habeat eas proprietates perfectionesque vniuerſas, quæ cum ipſius natura ac finibus congruunt, vt nihil deſit. Hæc, quæ in voce latet, ambiguitas adcurate obſeruanda eſt, ac tollenda, cum quæritur: Vtrum *imago* Dei in *homine* fuerit *perfecta*, nec ne? Scilicet ſententia quæſtionis aut illa eſt: Num *omnes*, quæ *in Deo* inſunt, *proprietates perfectionesque, eodem* prorſus *modo*, & *pari gradu*, cum homine fuerint communicatæ? Id negamus. Aut hæc: an *omnes*, quarum *homo capax* eſt, & quæ cum eius natura ac finibus congruunt, *perfectiones, diuinis conuenienter* ipſi tributæ fuerint? Hoc eſt, quod adfirmamus.

Digitized by Google

non ſubſtantiam, ſed qualitates deſignat, Col. III, 10. Eph. IV, 24. Ergo. Accurate interim obſeruauit D. VARENIVS *decad. I. Moſaic. p. 120.* צלם & דמות conuenire *materialiter*, ſed non *formaliter*. Nam צלם eſt *imago expreſſa ad exemplar*, Deum: דמות eſt *ſimilitudo, ſiue conuenientia inter archetypum, & imaginem.* דמות *eſt relationis fundamentum:* צלם *relationis terminus* (*).

Quæſt. VI. *Quot modis ſumitur imago Dei accidentalis proprie dicta?*

Imago Dei *accidentalis* ſumitur vel μερικῶς, ſ. *inadæquate*, vel ὁλικῶς, ſ. *adæquate*. Μερικῶς notat *cognitionem & iuſtitiam originalem* a): Ὁλικῶς *omnia* complectitur, quæ *imaginem Dei* abſoluunt, ſiue *principaliter*, ſiue *minus principaliter* ad imaginem Dei pertineant b).

*Iuſtitia originalis.* Prob. a. Deſcribitur imago Dei ab apoſtolo Paullo per cognitionem Dei, Col. III, 10. atque iuſtitiam & ſanctitatem veritatis, Eph. IV, 24. Quia potior imaginis diuinæ pars eſt *iuſtitia originalis, per quam ex vſu theologico complexus virtutum, tam intellectualium, quam moralium, homini primo concreatarum indigitatur.* Dicitur *originalis*, tum, vt diſcernatur *a iuſtitia acquiſita;* tum, quia homines protoplaſti eandem ab *ortu ipſo, per modum habitus concreati*, poſſidebant; tum denique, quia *per generationem in poſteros transmitti debebat*, vt & illi cum origine ſua naturalem hanc perfectionem conſequerentur in ſtatu innocentiæ, quem ad modum nunc, in ſtatu peccati, originale peccatum propagatur, & ab illa propagatione *originale* vocatur. Conf. D. CALOV. *in ſyſtem. theol. tom. IV. p. 598.*

Prob. b. Ὁλικῶς & *adæquate* ſumta imago Dei non tantum cognitionem & *iuſtitiam originalem*, ſed & *facultatem dominandi* creaturis ſublunaribus notat. Ideo, cum ad imaginem Dei factus dicitur homo, ſtatim additur, quod *conceſſum ei fuerit dominium*, Gen. I, 27. Conf. Sir. XVII, 3 4. Quin & ἀφθαρσίαν, ſeu *immortalitatem corporis* complectitur, Sap. II, 23.

Quæſt. VII. *Eſtne imago Dei ipſa ſubſtantia animæ humanæ, aut animæ rationalis facultas, intellectus vel voluntas?*

*Genus I. D. negatiue & aſſertiue traditum.* Imago & ſimilitudo Dei, in qua primus homo conditus eſſe dicitur, nec ipſa eſſentia animæ humanæ, nec intellectus, nec voluntas fuit, ſed *perfectio accidentalis*, eaque intima & eminentiſſima.

Prob. 1) Quia ſolus Filius Dei eſt eſſentialis Dei imago, Hebr. I, 3. Quod ſoli Filio Dei proprium eſt, nulli competit creaturæ.

2) Imago Dei per lapſum primorum hominum eſt amiſſa, Rom. III, 23. At nec ipſa ſubſtantia animæ humanæ, nec intellectus, nec voluntas eſt deperdita.

3) Imago

(*) Differentiam quamdam equidem agnoſco, ſed aliam eſſe exiſtimo. Hæc duo nomina, צלם & דמות, non coniunguntur per ו, ſed diſtinguuntur diuerſis litteris, particularum vim habentibus, ב, & כ. Vocula autem כ ſignificat id, ſecundum quod aliud quidquam formatum eſt atque expreſſum. Quonam igitur modo alterum ab altero erit diſcernendum? Quippe ita inter ſe differunt, vt ἀρχέτυπον, atque ἔκτυπον. דמות eſt ἀρχέτυπον, cui aliquid ſimile efficitur, id quod indicat præfixum כ. At צלם eſt ἔκτυπον, in quo illius ſimilitudo expreſſa cernitur. Proinde hæc eſt verborum ſententia: Faciamus hominem ea conditione, quæ ſecundum noſtras perfectiones ſit formata, noſtramque ſpeciem referat. Add. Dan. X, 16. Sed in alio loco, Geneſ. V, 3. דמות notat ἔκτυπον, & צלם ἀρχέτυπον, quoniam illud cum ב, hoc cum כ connectitur. Præfixo כ reſpondet græcum vocabulum, κατὰ, Eph. IV, 24 quo in loco κατὰ haud dubie denotat ἀρχέτυπον.

Digitized by Google

3) Imago Dei competit hominibus bonis, Gen. I, 31. & rectis, Eccl. VII, 29. At anima, intellectus & voluntas, piis impiisque eſt communis.

4) Teſte Paullo, conſiſtit imago Dei in cognitione Dei, Col. III, 10. atque iuſtitia & ſanctitate veritatis, Eph. IV, 24. Ergo non eſt ipſa *anima*, ſed *anima perfectio*, non ipſe intellectus, atque voluntas, ſed lux intellectus, & voluntatis rectitudo.

5) Si imago Dei fuiſſet ipſa eſſentia hominis integri, vtique is fuiſſet eſſentialiter ſanctus & abſolute impeccabilis: Conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens.

6) Peccatum originale, quod imagini Dei ſucceſſit, non eſt ipſa ſubſtantia hominis: Ergo nec imago Dei ſubſtantia hominis fuit. Oppoſitorum quippe eadem eſt ratio.

*Antitheſis* eſt 1) plerorumque *Pontificiorum*, quorum de ſententia imago Dei primario in ipſa ſubſtantia animæ humanæ, ſecundario in perfectionibus accidentalibus conſiſtit. 2) *Flacii & Flacianorum*, contendentium, imaginem Dei fuiſſe ipſam ſubſtantiam animæ rationalis (quamuis MATTHIAM FLACIVM, theologum profundæ eruditionis, nonnulli benignius explicent, quod non eſſentiam hominis, qua *homo* eſt, ſed qua *integer* fuit, reſpexerit. Vid. D. CALOVIVS *ſyſtem. tom. IV. p. 576.*). Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Illud eſt in homine imago Dei, quod in ipſo nobiliſſimum & præſtantiſſimum eſt: Atqui anima humana, &c. E. *Maior* conſtat; quia imagine Dei perfectio eminentiſſima deſignatur. *Minor* patet: quia ſubſtantia animæ præſtat qualitatibus. Reſp. Limit. maior: Quidquid in homine, tanquam ſubiecto inhæſionis, nobiliſſimum & præſtantiſſimum eſt, illud eſt imago Dei. At anima non eſt in homine, tanquam ſubiecto inhæſionis, cum hominis pars eſſentialis ſit. Quin potius anima hominis integri fuit ſubiectum, aut ſedes, in qua imago Dei eminuit.

II. Quidquid protoplaſtis fuit fons omnis motus recti, omnisque actionis bonæ, id ipſum fuit imago Dei. Sed ipſa anima humana &c. E. *Maior* liquet; quia imago Dei in primo homine fuit cauſſa bonarum actionum. *Minor* patet; quia anima dat operari bene, vel male: Bene, in ſtatu innocentiæ; male, in ſtatu miſeriæ. Reſp. Quidquid in protoplaſtis fuit fons, *vel cauſſa proxima & immediata bonarum actionum*, illud fuit in ipſis imago Dei; concedo. At anima humana eſt cauſſa remota & mediata, quæ, per imaginem Dei, hominem ad actiones bonas promtum reddidit.

III. Quidquid homini integro dedit eſſe, id fuit ipſius forma, atque adeo ſubſtantia: Atqui imago Dei &c. E. *Minor* liquet: quia per & propter imaginem Dei homo fuit integer & labis expers. Reſp. Diſt. inter *hominis eſſe abſolutum, & reſpectiuum*. Eſſe abſolutum, accepit homo a forma ſubſtantiali; *reſpectiuum*, a forma accidentali. Fuit *imago Dei* non de eſſentia *hominis*, abſolute conſiderati, ſed de eſſentia *hominis integri:* Sicut *doctrina* eſt de eſſentia *hominis docti*, non abſolute de eſſentia *hominis*.

IV. Natura recta fuit ſubſtantia hominis: Imago Dei fuit natura recta hominis. E. Reſp. Neg. minor. Nam imago Dei non fuit natura recta, ſed naturæ rectitudo.

V. Cui conueniunt requiſita formalia imaginis diuinæ, illud eſt imago Dei. At ſubſtantiæ hominis &c. E. *Minor* conſtat: quia ſubſtantia hominis 1) habet originem a Deo, 2) ſimilitudinem & conuenientiam cum Deo, vt eundem repræſentet. Reſp. Diſt. inter *ſimilitudinem, ſeu conuenientiam generalem, & ſpecialem*. Conuenientia *generalis* facit veſtigium Dei; ſed conuenientia *ſpecialis* imaginem Deo ſimillimam conſtituit.

VI. Quidquid in homine renato per renouationem Spiritus ſancti inſtauratur, illud eſt imago Dei; nam ad imaginem Dei renouamur: At mens ipſa &c.: Ergo. *Minor* probatur ex Eph. IV, 22. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* Reſp. Paullus loquitur *de ſubiecto imaginis Dei, non de parte eius conſtitutiua.*



Digitized by Google

VII. Imago Dei aut fuit extrinſecum accidens, aut ſubſtantia: At non fuit extrinſecum accidens, inſtar ſerti aut freni, quod extrinſece adiacet (vt volunt *Pontificii*) quoniam fuit naturalis, eaque intima perfectio: Ergo fuit ſubſtantia. Reſp. *Maior* non conſtat membris immediatis. Nam inter *ſubſtantiam* & *accidens extrinſecum* datur tertium, nempe interna qualitas, vel *intrinſeca* perfectio.

IIX. Si dicamus, in ſola iuſtitia originali conſiſtere Dei imaginem: ratio, quam affert Deus, Geneſ. IX. v. 6. cur homo nullus ſit impune occidendus, quia ad imaginem Dei creatus eſt, & Iacob. III. v. 9. cur proximo non debeamus maledicere, quia ad ſimilitudinem Dei factus eſt, hæc ratio, inquam, nulla eſſet, vbi ageretur de hominibus, qui regenerationis non ſunt participes. Si quis enim reſponderet, hæc intelligenda eſſe de prima hominis origine, nulla videretur eſſe conſequentia: Vindicabitur ſanguis hominis, qui effunditur, etiam eius, in quo imago Dei non eſt; quia Adam ad imaginem Dei initio creatus eſt. Certe uereri non poſſumus imaginem Dei in eo, in quo omni ex parte deleta eſt. Reſpondet ad hanc obiectionem D. DANNHAV. *in hodom. ſpirit. calu. p. 1086. Conſequentia non militat; quia poteſt* ἀσυλία (immunitas ab inferenda violentia) *alicui tribui, ac reuerentia ex reſpectu non præſentis habitus, ſed præteriti, ex reſpectu iuris ad rem reparandam, ex reſpectu ſanctorum lipſanorum, qualia ſunt lumen veri & ſemen boni adhuc reſidua: Ita veneratur apoſtolus Iudæos ſecundum carnem, etſi iam dum gratiam Dei decoxerint.* Rom. IX, 5. *Et nos hodiernis Apellis* ἀσυλίαν *permittimus, ex reſpectu antiquiſſimæ familiæ. Item homo factus eſt ad imaginem reſtaurandam.* 2) Ad Gen. IX, 6. reſpondet D. SEB. SCHMID. *in Commentar. in Gen. p. 101. In imagine Dei hic intenditur immortalitas, dum ad vitam æternam creatus eſt; quæ intentio diuina manet, non obſtante morte temporali, ex qua omnes reſuſcitabuntur ad iudicium, nec morientur amplius.* 3) Ad Iacob. III, 9. reſpondet D. CALOV. *in bibl. illuſtr. in h. l. fol. 1443. Ad imaginem Dei homo factus dicitur*, non qualis nunc eſt, ſed qualis *ante lapſum* erat; *ad quam tamen hic reparatur* per Chriſtum, Eph. IV, 24. Col. III, 10. 2 Cor. V, 17.

Quæſt. VIII. *Quæ eſt cauſſa efficiens imaginis Dei?*

Deus trinunus, Pater, Filius & Spiritus S. eſt tum *efficiens*, tum *exemplaris cauſſa* imaginis Dei.

Prob. e Gen. I, 6. *Tandem dixit Deus: Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram* -- v. 27. *Creauit itaque Deus hominem in imagine ſua.* Indigitatur his verbis 1) *pluralitas perſonarum* a) nomine אלהים, quod & terminatione & ſignificatione plurale eſt; b) Verbo נַעֲשֶׂה, quod ab aliis interpretibus: *faciamus*; ab aliis: *faciemus*, exponitur. *Poſteriori* modo hic eſſet expreſſio *intentionis*; *priori*, *conſultationis*. Poſterius mauult D. VAREN. *decad. I. Moſaic. p. 115.* Quod enim in omni æternitate Deus Pater per Filium in Spiritu S. decreuit, id nunc adimplendum dixit: *Faciemus hominem.* c) Gemino pronomine plurali צלמם & דמות affixo. E quibus manifeſtum eſt, plures perſonas diuinas a Moſe deſignari. 2) *Eſſentiæ diuinæ vnitas.* Hæc innuitur a) verbo ſingulari וַיֹּאמֶר, quod conſtruitur cum nomine plurali, *vt vnitatem in trinitate & trinitatem in vnitate veneremur;* b) verbo וַיִּבְרָא, vt indicetur vnitas actionis; c) Identitate imaginis. Nam dixit Deus (Pater, Filius & Spiritus S. ſummo conſenſu): faciemus (vel faciamus) hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram, vt vnitas tam archetypi, quam imaginis inſinuetur. E quibus valide colligitur, Deum *triunum* non tantum *efficientem*, ſed & *exemplarem* cauſſam eſſe imaginis Dei. Abſit igitur, vt ſtatuamus imaginem Dei in homine expreſſum eſſe ad exemplar naturæ angelicæ! Nam ille, qui fecit hominem, eſt exemplar imaginis in homine. Atqui

Digitized by Google

qui ille, qui fecit hominem, vnice eſt Elohim creator. Ergo vnice Elohim creator eſt exemplar imaginis in homine.

Quæſt. IX. *Num primus homo ad exemplar humanæ Chriſti naturæ conditus eſt?*

Ad ſimilitudinem humanæ Chriſti naturæ, in mente diuina præconceptæ, primus homo conditus non eſt.

Prob. 1) Quia dixit apud ſe Deus (Pater, Filius & Spiritus S.): *faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram*, Gen. I, 26. Ergo primus homo ad exemplar Dei, Patris, Filii & Spiritus S. conditus eſt. Vim huius conſequentiæ vrget AVGVSTIN. *ad lit. op. imperf.* citante D. CALOV. *tom. IV. ſyſtem p. 583. Non ait Deus Pater Filio loquens: Faciamus hominem ad imaginem* tuam, *aut ad imaginem* meam, *ſed pluraliter ait, ad imaginem & ſimilitudinem* noſtram, *a qua pluralitate Spiritum S. ſeparare quis audeat?*

2) Decretum de formando homine ad imaginem Dei in intellectu diuino prius fuit decreto de mittendo Filio Dei in carnem, ad reparandam imaginem amiſſam; quia decretum diuinum de incarnatione Filii Dei non, niſi reſpectu lapſus, & redemtionis a lapſu, formatum eſt, Matth. IX, 11. Luc. XIX, 10. 1 Tim. I, 16. Gal IV, 4. Ergo Filius Dei, incarnandus in decreto poſteriori, non poteſt eſſe exemplar imaginis diuinæ, homini concreandæ in decreto priori.

3) Imago Dei in cognitione Dei, iuſtitia & ſanctitate conſiſtit, Col. III, 10. Eph. IV, 24: Ergo non conſiſtit in membris aut ſtatura corporis.

*Antitheſis* eſt *Andreæ Oſiandri*, qui libello edito Regiomonti Anno 1550. de imagine Dei, contendit, imaginem Dei, ad quam conditus eſt homo, eſſe faciem, ſtaturam, adeoque totam ſubſtantiam humanæ Chriſti naturæ glorificatam, vtcunque in transfiguratione, Matth. XVII. perfecte autem nunc, cum ſedet ad dextram Dei Patris. Quia vero hæc imago ante incarnationem realiter non fuit in rerum natura, ideo autumat filium Dei ſeſe patribus V. T. conſpiciendum præbuiſſe in futuræ ſuæ humanæ naturæ idea, quæ ſit expreſſiſſima ſimilitudo Filii, atque ſecundum hanc ſimilitudinem creatum eſſe Adamum. Cuius præcipua ſunt argumenta:

I. Quicunque eſt ſubſtantialis imago Dei, ſecundum illius ſimilitudinem conditus eſt Adamus: Atqui Filius Dei incarnatus eſt ſubſtantialis Dei imago: Ergo ſecundum ſimilitudinem Filii Dei incarnati conditus eſt Adamus. *Maior* probatur: quia Deus non dixit: *faciamus hominem ad* exemplar *noſtri*, ſed dixit: *faciamus hominem in* imagine *noſtra*, i. e. qui eandem habeat imaginem, quam nos habemus. Imago autem Dei eſt Chriſtus, verus Deus & verus homo, Col. I, 15. Hebr. I, 3. Qui cum in principio nondum eſſet, dixit Deus, ſeſe hominem facturum eſſe ſecundum ſimilitudinem faciei & ſtaturæ, in qua Chriſtus ſeſe patribus ante incarnationem conſpiciendum præbuit. Reſp. Hoc argumentum enormi laborat ψευθερμηνείᾳ. Nam 1) imaginem & ſimilitudinem Dei materialiter idem ſignificare, ſupra oſtenſum eſt. 2) Ipſe textus docet, Adamum conditum eſſe in imagine Dei & ſecundum ſimilitudinem Dei triunius. At Filius Dei nec eſt, nec vllibi in ſcripturis dicitur imago SS. Trinitatis: ſic enim foret imago ſui ipſius & Spiritus S. quod eſt ἄτοπον; ſed eſt imago perſonæ Patris, Hebr. I, 3. ob æternam a Patre generationem. Proinde Moſes per imaginem Dei non præciſe intelligit Filium Dei. 3) Quamuis Filius Dei, & qua Deus, & qua homo, ob vnitatem perſonæ ſit imago Dei (qua *Deus*, imago Dei Patris *ſubſtantialis*; qua *homo*, imago *perſonalis*, dicente GERHARD. *in diſput. iſagog. p. 787.*): attamen cum Adamus crearetur, ὁ λόγος nondum incarnatus erat, nec decretum de incarnatione τῦ λόγυ decretum diuinum de creatione Adami præceſſerat: ſiquidem decretum de incarnatione τῦ λόγυ præſupponit lapſum ho-



Digitized by Google

hominis & liberationem a lapſu. Conſtat autem inter omnes, exemplar prius eſſe imagine. 4) De ſimilitudine faciei & ſtaturæ Chriſti, ſecundum quam Adamus conditus ſit, ne γρῦ quidem habetur in textu. 5) Vtrum per *imaginem* & *ſimilitudinem* Dei τὸ ἔκτυπον, imago proprie dicta, alias ſimulacrum, exemplatum, an τὸ ἀρχέτυπον, ſiue exemplar intelligatur, in dubium vocatur: ſimpliciſſime reſpondet D. CALOV. *in ſyſtem. tom. IV. p. 631.* Res vtique eodem redit, ſi explicentur verba, *ad imaginem noſtram*, vel ad noſtri exemplar, vel, vt ſit imago noſtri; ſenſus enim idem manet. D. VARENIVS autem docet, *decad. 1. Moſaic. p. 146.* quod ſimilitudo & imago phraſi ſcripturæ ſemper notet ἔκτυπον: atque adeo Gen. I, 26. 27. exemplar non deſignetur, niſi per affixum plurale. Probat aſſertum: 1) quia omne צלם biblicum eſt exemplari contradiſtinctum, & eius expreſſio in ἐκτύπῳ, nec vnquam צלם (eadem ratio eſt τῆς εἰκόνος) tribuitur πρωτοτύπῳ, vt ſic. 2) Ceteroqui non eſſet in homine, ſed Deo imago, atque adeo nec homo ad immaginem, vel in magine Dei conditus, nec imago Dei dici poſſet. 3) In Deo præter eſſentiam צלם eſſet, vel idem eadem ratione ſui ipſius exemplar & imago eſſet. Chriſtus quidem imago patris, imo perfectiſſime & intime exprimens character patris eſt: at nec idem eſt imago Trinitatis; nec creauit hominem vt nuda imago, ſed vt exemplar & principium: Et illud ipſum quidem, quod fuit imago in primo homine, fuit & in diuinitate; ſed nec ibi fuit eo modo, quo in primo homine, nec eadem relatione, ſed vt ſubſtantia & exemplar. His adiungimus haud inconcinnam expoſitionem D. SEB. SCHMIDII *in annotat. in Gen. p. 14.* Dixit Deus: *faciamus hominem in imagine noſtra ſecundum ſimilitudinem noſtram*, h. e. in imagine noſtra perfecta, iuxta noſtri intellectus perfectiſſimi conceptum & ideam. Apoſtolus vocat ἀλήθειαν, ſ. veritatem, cum Eph. IV, 24. inquit: ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, quaſi hebraice dictum: *in imagine veræ ſimilitudinis noſtræ.*

II. Paullus diſerte ait, Rom. VIII, 30. *Quos præcognouit, etiam prædeſtinauit, conformes* (fieri) *imaginis filii ſui, vt hic ſit primogenitus inter multos fratres.* Reſp. Loco citato imago Chriſti conſideratur *accidentaliter.* Loquitur enim Paullus de conformitate cum Chriſto *ratione humiliationis & exaltationis variante & ſucceſſiua.* Humiliatio autem & exaltatio non conſtituunt intrinſece imaginem Dei, ſed extrinſece ſolum & reſpectu certi ſtatus illam reſpiciunt.

III. Si homo ratione corporis etiam conformis fuit Deo prototypo; ſequitur, quod non tantum diuina eſſentia, ſed & humana Chriſti natura ſit exemplar, ad quod conditus eſt Adamus: Prius aſſerunt theologi: E. & poſterius. Conſequentia *maioris* patet; quia Deus eſt Spiritus, Io. IV, 24. Spiritus autem & corpus nullam habent proportionem, aut ſimilitudinem. Reſp. Aſſerunt quidem theologi, ſubiectum ſecundarium imaginis Dei fuiſſe corpus hominis integri; at *non ratione ſubſtantiæ, aut corporeæ molis, ſed ratione qualitatum, impaſſibilitatis & immortalitatis.*

Quæſt. X. *Quid impulit Deum, homines protoplaſtos imagine ſua condecorare?*

*Cauſſa impulſiua.* Vt Deus hominem imagine ſua perficeret, ipſum permouit bonitas liberaliſſima.

Prob. Omne bonum eſt ſui communicatiuum, & quaſi diffuſiuum. Proinde, quo quid eſt melius, eo longius latiusque bonitatis ſuæ radios diſpergit. Sic ſol lucet omnibus, aër ambit & recreat omnes, fontes, flumina & maria patent omnibus. Deus, omnis boni fons & origo, bonitates ſuæ diuinitatis diffundit in hominem, ſimul atque ipſum condidit, imaginem ſuam, dotem incomparabilem, in eundem conferendo. Quem ad modum enim princeps miniſtrum ſibi

Digitized by Google

ſibi in paucis earum, in ſignum inuſitatæ gratiæ, effigie ſua donat: ita Deus, adductus ſingulari amoris & fauoris affectu, homini primo imaginem ſuam impreſſit, non exterius appendendo, ſed interius inſerendo.

Quæſt. XI. *An Deus hominem vtriusque ſexus imagine ſua exornauit?*

Deus hominem vtriusque ſexus, marem & fœminam, imagine ſua perpoliuit. *Subiectum quod?*

Prob. 1) e Gen. I, 27. *Creauit itaque Deus hominem in imagine ſua; in imagine* (inquam) Dei *creauit eum, maſculum & fœminam creauit eos.* Moſes hic expreſſe dicit, hominem, quem Deus ad imaginem ſui condidit, non fuiſſe vnius ſexus maſculini indiuiduum, ſed marem & fœminam. Conf. Gen. V, 2.

2) Qui ad imaginem Dei renouandus eſt, is primum ad eandem conditus fuit. At non viri tantum, ſed etiam mulieres ad imaginem Dei renouari debent, Eph. IV, 24. Col. III, 10. Gal. III, 28. Ergo.

3) Vti non tantum mas, ſed etiam fœmina iure cernendi hereditatem vitæ æternæ gaudet: Ita vtrique imago Dei competiit. Nam expers veræ ſanctitatis & iuſtitiæ, quæ præcipua pars eſt imaginis Dei, exſors eſt hereditatis cœleſtis, 1 Petr. III, 7. Hebr. XII, 14.

*Antitheſis* fuit olim *Encratitarum*, qui ſexum muliebrem creaturam per ſe impuram eſſe iudicarunt; quos ſecuti ſunt nonnulli oſores ſexus fœminei, arbitrati, Euam non eſſe creatam ad imaginem Dei.

Obiiciunt: I. Dominium in bruta, quod eſt inſignis pars characteris diuini, non fuit conceſſum fœminæ, vt patet ex 1 Cor. XI, 7. Reſp. Non denegat apoſtolus dominium fœmineo ſexui in bruta ſimpliciter, ſed dominium in maritum. Contra aſſerit, competere in ſtatu coniugali marito prærogatiuam, ob dominium maritale in fœminam; quod quidem temperatiſſimum in vxorem exercere poterat, in ſtatu innocentiæ collocatus.

II. Teſtatur Moſes, Deum Adamo inſpiraſſe animam vitarum, Gen. II, 7. Ex qua inſpiratione imaginem Dei nactus eſt: Idem de fœmina non dicitur. Reſp. Anima Euæ aut immediate a Deo eſt creata, aut ab Adamo, mediante coſta, traducta. Si creata eſt; Eua immediate a Deo imaginem diuinam adepta eſt: Sin traducta eſt, quod haud pauci cenſent probabilius, ſimul character diuinus, qui fuit in anima, traductus eſt. Qua ratione in Eua fuit imago Dei non quidem *primitiua, orta tamen & deriuata ab Adamo.* Ex quo D. DANNHAV. *in hodoſ. phænom. V. p. 428.* arguit: *Imago Adami eſt imago Dei. Imago Euæ eſt imago Adami. E. imago Euæ eſt imago Dei.* Vid. 1 Cor. XI, 7. *Sic effigies apographa non minus eſt vera imago prototypi, licet non immediata.*

Quæſt. XII. *An etiam angeli ad imaginem Dei creati ſunt?*

Angelos imagine Dei refulgere, diſerte nec affirmant, nec negant ſacræ litteræ; ex iisdem tamen haud inualide colligitur, illos diuinitus donatos eſſe imagine Dei.

Prob. 1) Angeli vocantur Filii Dei, Iob. XXXVIII, 7. Ergo imaginem Dei gerunt. Ratio *conſequentiæ*, eſt manifeſta; quia omnis filius refert patrem, a quo ducit originem. Dicis: Angeli dicuntur filii Dei; quia Deus illos ſingulari amore proſequitur. Reſp. Si filiatio præciſe fundaretur in amore, etiam frater filius fratris dici poſſet; at plus requiritur ad filiationem, nempe vel generatio, vel adoptio, vel creatio ad imaginem. Iam vero angeli neque ſunt de ſubſtantia Dei geniti, neque ab eodem adoptati; cum adoptionis diuinæ fundamentum ſit meritum Chriſti, Eph. I, 5. cuius fructus in angelos non redit. E. ad imaginem Dei ſunt creati.

 2) Ad

Digitized by Google

2) Ad imaginem in ordine creaturarum requiritur ſimilitudo & dependentia a prototypo. Vtraque gaudent angeli. Sunt enim ſpiritus ſapientes & ſancti in primordio rerum conditi, Conf. 2 Sam. XIV, 20. 2 Cor. XI, 14. pendentque a Deo archetypo.

3) In perfecta reſtauratione imaginis Dei homines beati ἰσάγγελοι, ſimiles angelis erunt, Matth. XXII, 29. Luc. XX, 36. Ergo angeli, ſi non maioribus, certe non minoribus, quam homines beati, imaginis diuinæ radiis corruſcant.

*Antitheſis* eſt nonnullorum *Patrum & Theologorum*, qui negant, angelos ad imaginem Dei eſſe creatos. Palmarium iſtorum argumentum eſt; quia angeli non ad *dominium*, ſed *ad miniſterium* dicuntur miſſi, Hebr. I, 14. Reſp. 1) Angeli non tam noſtri, quam Dei miniſtri ſunt: Miniſtrant Deo, ſed pro nobis: Non noſtri ſerui, ſed conſerui Apoc. XIX, 10. & cuſtodes, Pſ. XCI, 11. ſunt. At cuſtos non ſemper miniſter eſt illius, quem cuſtodiuit. Capitaneus quiſpiam poteſt cuſtodire vel vltimum ruſticorum. 2) Facultas dominandi brutis ſaltim adiunctum eſt imaginis diuinæ: parte primaria, nempe ſanctitate & iuſtitia, angeli non deſtituuntur. Quid? quod non omnis vis imperandi beſtiis deneganda angelis videtur. Compeſcuiſſe illos ora leonum legimus, Dan. VI, 23.

Quæſt. XIII. *Quæ fuit ſedes imaginis Dei principalis? Quæ minus principalis?*

*Subiectum quo.*

*Sedes princeps*, & quaſi arx ſplendidiſſima, in qua imago Dei eminuit, fuit *anima* hominis integri, & in ea intellectus atque appetitus, tam rationalis (quæ vocatur voluntas), quam ſenſitiuus. *Sedes minus principalis* fuit *corpus* hominis protoplaſti, commodiſſimum animæ domicilium, viuumque organum.

Obſ. Terminis philoſophicis hæc doctrina ita proponitur: *Materia in qua, ſiue ſubiectum imaginis Dei eſt vel quod*, ſiue *totale*, vel *quo*, *ſiue partiale.* Subiectum *totale*, eſt totus homo, ratione vtriuſque ſexus. *Partiale* eſt vel *primarium*, vel *ſecundarium. Primarium* eſt hominis anima rationalis, cum ſuis facultatibus, intellectu ſcilicet, voluntate & appetitu ſenſitiuo. *Secundarium* eſt corpus, anima rationali informatum.

Quæſt. XIV. *In quo formaliter conſiſtebat imago Dei?*

*Forma imaginis.*

Conſiſtebat imago Dei in excellenti conformitate primi hominis cum ſapientia, iuſtitia, puritate, immortalitate & maieſtate Dei, archetypi a), ſecundum modum capacitatis, quæ datur in creatura intelligenti b).

Prob. a. Impertiuit benigniſſimum numen homines protoplaſtos iis perfectionibus, quæ neceſſario requirebantur ad obtinendum *finem*, cuius gratia creati erant: Nimirum, vt Deum rite colerent, vitam iuſte moderateque traducerent, & beatitatem glorioſam tandem aliquando conſequerentur.

Prob. b. Non ſemper requiritur *conformitas ectypi cum archetypo omnimoda & abſoluta*, ſed ſufficit interdum *accommoda & reſpectiua*, ſecundum *capacitatem* eius, qui prototypi ſuſtinet imaginem. Proinde ingens eſt diſcrimen inter perfectiones Dei, & hominis protoplaſti. Nam ſapientia & iuſtitia Dei eſt eſſentialis, infinita, æterna & immutabilis: Sapientia & iuſtitia primi hominis fuit accidentalis, finita, temporalis & mutabilis.

Quæſt. XV. *Quæ fuerunt perfectiones principales, quibus Deus homines protoplaſtos impertiuit?*

*Perfectiones formales I. D. primariæ.*

Perfectiones principales, imaginem Dei conſtituentes, fuerunt: excellens ſcientia intellectus, perfecta ſanctitas & libertas voluntatis, ſincera puritas appetitus ſenſitiui, & ſuauiſſimus quaſi concentus affectuum, cum dictamine intellectus

Digitized by Google

ctus & regimine voluntatis, ſapientiæ, ſanctitati & puritati Dei, pro captu hominis primi; conformes.

Quæſt. XVI. *Quæ fuit ſcientia primi hominis?*

*Scientia* primi hominis fuit lux & perfectio habitualis *intellectus*, homini integro concreata, ad cognoſcendum Deum, ſeipſum & creaturas. *Scientia intellectus.*

Obſ. 1. Perfectio hæc intellectus, ſiue ſapientia, quæ in primo homine eluxit, tanta fuit, quantam poſt lapſum nemo in his terris, ſiue ex principiis naturæ, ſiue ex reuelatione ſcripta ſibi comparare poteſt, vt Adamus Salomonem, cuius ſapientia præcipue celebratur, longo poſt ſe interuallo reliquerit. In hac enim vita, poſt lapſum, etiam renati ex parte, adeoque imperfecte cognoſcunt, 1 Cor. XIII, 12. quia tantum primitias ſpiritus habent, Rom. VIII, 23. Fuit tamen *finita;* quia Adamus non cognouit libera & arcana Dei decreta, non cogitationes angelorum & hominum, non omnia cuiuslibet ſpeciei indiuidua. Ex quo etiam ſcientia protoplaſtorum *vlterius perficienda fuit, tum per ſupernaturalem reuelationem, tum per experientiam & propriam obſeruationem*; ac proinde non excludit *ignorantiam puræ negationis,* quamuis immunis fuerit ab *ignorantia prauæ diſpoſitionis.*

Obſ. 2. *Eximia quidem & ſufficiens pro ſtatu primæuo fuit ſcientia* Adami: At non *fuit cognitio Dei intuitiua.* Nam clara Dei viſio non datur in his terris, ſed promittitur danda in cœlis, 1 Cor. XIII, 12. 1 Io. III, 2. Sane, qui Deum intuitiue cognoſcit, per voluntatem a ſummo numine non auertitur, vt auerſus eſt Adamus.

Prob. aſſertio noſtra 1) *ex fine imaginis,* qui eſt gloria Dei. Si homo in ſtatu innocentiæ Deum neque agnouiſſet, neque coluiſſet, fuiſſet atheus: Quod dictu impium eſt.

2) *Ex renouatione hominum iuſtificatorum. Renouamur enim ad cognitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit nos,* Col. III, 10. Ad quam cognitionem ſecundum imaginem creatoris nos renouamur, illam habuit Adamus; ſiquidem renouatio eſt noua veteris, quod amiſſum eſt, reparatio, aut reſtitutio.

3) *Ex egregiis ſpeciminibus connaturalis ſapientiæ ab Adamo editis:* qualia ſunt a) ὀνοματοθεσία, ſiue *nomenclatura animalium,* non tantum *grammatica,* pro arbitratu excogitata, ſed etiam *logica,* indoli animantium & affectibus beſtiarum congrua, conſenſu Dei comprobata, Gen. II, 19. 20. Ex quo conficitur, quod primus homo animantium proprietates, inſita intellectus perſpicacia, penetrauerit ac peruiderit. b) *Agnitio Euæ ex coſta Adami dormientis fabricatæ,* Gen. II, 23. c) *Prædictio prophetica* futuræ ſoliditatis vinculi coniugalis, Gen. II, 24 (*).

4) *Ex conceſſo dominio in bruta,* quo perfungi homo protoplaſtus ſine inſigni prudentia nequiuit.

5) *Ex notitiis hominum mentibus hodienum innatis;* quæ ſunt amiſſæ imaginis diuinæ reliquiæ, & teſtantur de priſtina ſapientia, haud ſecus, ac rudera de ſplendida domo collapſa (**).

*Antithesis*

(*) Hæc quidem verba non Adami, ſed ipſius Dei fuiſſe, diſcimus ex Matth. XIX, 5.

(**) Præter hæc argumenta, ſatis quidem ponderoſa, prouocamus 6) ad dictum Salomonis, Cohel. VII. 29. vbi ישר quid ſignificet, adparet ex oppoſito, in eodem verſu, חשבנות, callida atque aſtuta conſilia. Aſtutiæ opponitur *ſapientia.* E. ישר denotat ſapientem: 7) ad interdictum diuinum, addita *ratione,* & ea quidem, quæ ad *finem* homini propoſitum pertinebat, nimirum ad conſeruationem vitæ continuam ac perpetuam. Atqui fines cum mediis comparare, & rationes ponderare, ſapientiæ eſt. Ipſa ſane legislatio, &, quæ ex ea oritur, obligatio, omnino ſpectat ad eos, qui gaudent intellectu & libertate, prius vero, quam à norma declinauerint, moralibus etiam perfectionibus, tum intellectui, tum voluntati conuenientibus.

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Socinianorum,* negantium, hominem primum eximia fuiſſe præditum ſapientia; qui ſequentibus innituntur argumentis.

I. Quicunque ignorarunt nuditatem ſuam, illi non fuerunt inſigniter ſapientes. Atqui protoplaſti &c. E. *Minor* prob. e Gen. III, 7. Reſp. Ignorarunt *nuditatem non naturæ,* ſed *ignominiæ.* Si nuditatem phyſicam ignoraſſent, oculis caruiſſent. At ignorarunt *nuditatem ethice conſideratam, prout eſt turpis & probroſa*: Vnde velanda ſunt poſt lapſum membra genitalia, in quibus laſciuia carnis ſentitur. Quam cum non ſenſerit homo integer, nullo indiguit velamine.

Inſtantia: At oculi comeſto fructu vetito demum aperti ſunt ad cognoſcendam nuditatem. Reſp. Oculi mentis aperti ſunt ad *experimentaliter* cognoſcendam nuditatem ignominioſam.

II. Ignorarunt protoplaſti, Deum eſſe magis veracem, quam diabolum; ceteroqui huic aſſenſum non præbuiſſent. Reſp. Diſt. *inter ignorantiam concreatam, & ex negligentia ortam.* Ignorantia primis parentibus non erat concreata, ſed debent illi lapſum ſuum negligentiæ, vel omiſſioni accuratioris ſcrutinii.

III. Ignorarunt primi homines vim arboris vitæ; ceteroqui comediſſent, & a morte ſe præſeruaſſent. Reſp. Vim arboris vitæ non ignorarunt: Comediſſent etiam diutius de eadem, niſi angelico præſidio prohibiti fuiſſent.

IV. Ignorarunt protoplaſti, ſe eſſe mortales. Reſp. Ignorarunt *practice,* ſe eſſe mortales; quia nullam mortalitatis cauſſam in ſe deprehenderunt: ſicut medicus ſanus in ſe neſcit morbum *practice.*

V. Ignorarunt iidem myſterium trinitatis & incarnationis; quippe quod non, niſi ſe lumine reuelationis, innoteſcit. Reſp. Vtique etiam Adamus habuit cognitionem myſterii Trinitatis non tantum per reuelationem, ſed & ipſius imaginis concreationem; quia nouerat creatorem ſuum. Hic autem eſt vnus in eſſentia, & trinus in perſonis Deus. Myſterium autem incarnationis præſupponit lapſum, quum determinate ſcire non erat hominis integri.

Quæſt. XVII. *Quæ erat ſanctitas hominis integri?*

*Sanctitas voluntatis.*

*Sanctitas* hominis integri erat perfectio *voluntatis,* qua Deum ſuper omnia, proximumque ſicut ſeipſum diligebat, omniaque opera, voluntati diuinæ conſona, quæ intellectus, inſita luce illuſtratus facienda, dictabat, promte libereque expediebat.

Obſ. I. Perfectio voluntatis, qua primus homo diuinitus præditus erat, complectitur tum *propenſionem ad bonum, tum liberam boni exſecutionem,* vt ſanctam Dei libertatem, liberamque Dei ſanctitatem repræſentaret.

Obſ. II. Bonum, ad quod homo integer propendebat, æſtimandum eſt ex norma legis inſitæ, cuius ſumma eſt amor Dei & proximi: quam legem, velut ſpeculum voluntatis diuinæ nunquam non intuebatur intellectus primi hominis, lumine imaginis diuinæ colluſtratus. Exinde quæ voluntati diuinæ grata probataque eſſe nouerat, hic & nunc facienda dictabat.

Prob. 1) e Gen. I, 31. *Vidit Deus omne, quod fecit: & ecce, bonum erat valde.* Contemplatus ſapientiſſimus huius vniuerſi architectus omnia opera hexaëmeri, vidit ea in bonitate ſingulis conueniente. Reliquæ creaturæ gaudebant bonitate naturali, homo inſuper bonitate eminebat morali; hæc enim illi eſt debita & propria. Finge in homine primo languorem naturæ, ac inclinationem ad malum: Nonne ſequetur, Deum aliquid feciſſe, quod non fuerit valde bonum, adeoque ipſum eſſe cauſſam mali? Quod ſi reliquæ creaturæ fuerunt valde bonæ; cur non homo, propter quem illæ ſunt conditæ?

2) Ex

Digitized by Google

2) Ex Eccleſ. VII, 30. *Deus fecit hominem rectum.* Moraliter rectus eſt, qui eſt iuſtus & ſanctus. Vox hebræa יָשָׁר vſurpatur de ipſo Deo, Deut. XXXII, 4. adeoque infert rectitudinem voluntatis conformem iuſtitiæ & ſanctitati diuinæ.

3) Ex renouatione hominum iuſtificatorum. Nam peccator conuerſus, renatus, & iuſtificatus, per vires ſuperne collatas induit *nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis*, Eph. IV, 24. Induere nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis, eſt, renouari ad antiquam ſanctitatem & iuſtitiam, olim aliquando poſſeſſam ab homine, qui ſecundum Deum, ſiue ad eius imaginem fuit conditus.

4) Ex abſurdo. Si protoplaſti non retulerunt concreata ſanctitate & iuſtitia Deum ſanctiſſimum & iuſtiſſimum, ad imaginem Deo ſimillimam non ſunt conditi; neque enim Deo conformes, ſed difformes fuerunt.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, infitiantium concreatam primo homini ſanctitatem perfectam. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Quicunque originaliter iuſtus & ſanctus eſt, ille eſt impeccabilis. Primi noſtri parentes non fuerunt impeccabiles. Ergo non fuerunt originaliter iuſti & ſancti. Reſp. 1) Diſt. inter *impeccabilitatem abſolutam, & limitatam. Illa* eſt, qua quis nullo modo poteſt peccare. *Hæc* eſt, qua homo primus ex viribus concreatis poterat non peccare, ſeu peccatum declinare, adeoque accuratius *non-peccabilis*, quam *impeccabilis* dicitur. 2) Diſt. inter *ſanctitatem immutabilem, & mutabilem.* Sanctitas immutabilis per *eſſentiam* Deo, per *gratiam* angelis in bono confirmatis & hominibus beatis in cœlo competit. Sed primi hominis iuſtitia mutabilis erat. Vnde limito maiorem: Quicunque *immutabiliter iuſtus & ſanctus* eſt, ille eſt *impeccabilis abſolute & ſimpliciter;* concedo. At ſic negatur minor.

Inſtantia I. Data diſtinctione, euertitur imago Dei, primoque homini ſubtrahitur. Nam ad omnem imaginem requiritur conformitas ectypi cum archetypo. At ſanctitas Dei archetypi eſt immutabilis. Ergo & ſanctitas primi hominis debuit eſſe immutabilis, ſi ad exemplar ſanctitatis diuinæ fuerit expreſſa. Reſp. Ad imaginem requiritur conformitas ectypi cum archetypo *non abſoluta & omnimoda, ſed reſpectiua & accommoda,* ſecundum modum capacitatis, quæ datur in eo, qui gerit imaginem.

Inſtantia II. Si homo primus ex viribus concreatis peccatum declinare potuit, fuit abſolute impeccabilis: Prius aſſerunt theologi: Ergo & poſterius. Conſequ. *maioris* patet; quia in illo nulla eſt potentia peccandi, qui ex concreatis viribus peccatum declinare poteſt. Reſp. Diſt. *inter potentiam peccandi remotam, & proximam.* Non fuit in protoplaſtis potentia peccandi proxima, ſiue procliuitas ad malum: At non defuit illis potentia peccandi remota, ſiue non repugnantia.

Inſtantia III. Si Deus primum hominem cum potentia peccandi remota condidit, eundem creauit *labilem*, atque adeo lapſus Adamitici cauſſa eſt. Reſp. Negatur conſequ. Nam *labilis dicitur, qui pronus ad labendum eſt,* adeoque a potentia phyſica, ſeu *proxima* denominationem accipit. A potentia non repugnantiæ, ſiue *remota,* non fit denominatio. v. gr. Deus creauit ſolem, qui a gentilibus potuit adorari. Sed male concluſeris: Ergo Deus fecit ſolem adorabilem gentilibus.

II. Si imago Dei conſtitit in concreata ſanctitate, homo poſt lapſum non poteſt dici creatus ad imaginem Dei: At homo poſt lapſum dicitur creatus ad imaginem Dei: Ergo. Reſp. Huic argumento infra ſatisfaciemus.



Digitized by Google

Quæſt. XVIII. *Quæ erat puritas appetitus ſenſitiui in primo homine?*

*Puritas Appetitus.*

*Puritas appetitus ſenſitiui* erat concreata primo homini perfectio, qua ipſius appetitus promte, & ſine lucta, recto intellectus iudicio & ſancto voluntatis imperio ſe ſubiiciebat, neque affectibus inordinatis locum dabat.

Obſ. In primo homine erat exactiſſima harmonia, miruſque conſenſus virium ſuperiorum & inferiorum. Nam legi diuinæ ratio, rationi voluntas, voluntati appetitus ſenſitiuus, appetitui affectus, affectibus membra corporis promtiſſime obſequebantur.

Prob. 1) *Ex dictamine intellectus & regimine voluntatis.* Qui pollet eximia ſapientia & ſanctitate, is appetitum ſuum ita regit, vt affectus omnes cum dictamine intellectus & regimine voluntatis amice conſpirent: At homo integer pollebat eximia ſapientia & ſanctitate: E *Maior* per ſe patet, & corroboratur ex Sap. VII, 30. *Sapientiæ non præualet malitia.*

2) *A remotione cauſſæ pudoris.* Qui homo adultus, ſapiens & ſanctus, membra genitalia nullis indumentis velat, in illo non datur appetitus, rationi & voluntati rebellis: At primi homines &c. Ergo. *Maiorem* comprobat AVGVSTINVS *lib. II. de Gen. ad lit. c. 1. Quid puderet illos, quando nullam legem ſenſerunt in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ? Nullus erat motus in corpore, cui verecundia debetur. Nihil putabant velandum, qui nihil ſenſerunt refrænandum. Minor* patet e Gen. II, 5.

3) Ab abſurdo. Si homines protoplaſti non retulerunt puritate affectuum Deum puriſſimum & caſtiſſimum, non geſſerunt imaginem Dei: non fuerunt in ſtatu integritatis, nec bonæ creaturæ: quin ipſe etiam Deus cauſſa erit peccati. Poſteriora ſunt ἄλογα καὶ ἄτοπα. E. & prius. Conſequentia *maioris* eſt manifeſta: quia homo, obnoxius impuris affectibus, Deo puriſſimo & caſtiſſimo non conformis, ſed difformis eſt: non viuit in ſtatu innocentiæ, ſed miſeriæ & corruptionis; nam lucta appetitus & rationis eſt a peccato originali, Rom. VII, 23. Neque Deus ſanctiſſimus foret, ſi primo homini pronitatem ad malum inſeuiſſet.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum & Socinianorum,* tribuentium hominibus protoplaſtis concreatam rebellionem appetitus ſenſitiui aduerſus rectæ rationis iudicium. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Cuiuscunque rationi dominatur appetitus ſenſitiuus, in illo datur rebellio carnis adverſus rationem: Atqui protoplaſtorum rationi dominabatur appetitus ſenſitiuus: E. in in illis dabatur rebellio carnis aduerſus rationem. *Maior* conſtat; quia rationis eſt, imperare; appetitus, parere; ceteroqui rebellio huius aduerſus illam exoritur. *Minor* patet; quia non Eua tantum, ſed & Adamus ſuccubuit prauæ cupiditati comedendi de fructu arboris vetitæ. Reſp. Diſt. inter appetitum ἔσωθεν, ſeu *intrinſece ſe inclinantem ad peccatum, & ſtimulatum* ἔξωθεν, ſeu *extrinſece. Nulla* erat in appetitu ſenſitiuo protoplaſtorum *interna* inclinatio ad malum, *extrinſece* autem ſtimulabantur a diabolo, cui, omiſſa accuratiori indagine, ſuccumbebant (*).

II. Qui carnem rationi ſubiectam habet, is non poteſt peccare: At primi parentes peccarunt: Ergo. Reſp. Quicunque carnem rationi *immutabiliter* ſubiectam habet, is non poteſt peccare; concedo. Sed Adamus carnem rationi non *immutabiliter* ſubiectam habuit. Quare non abſolute impeccabilis, ſed non-peccabilis fuit. Peccauit autem, quia libero arbitrio abuſus eſt.

Inſtantia I. Si Adamus peccauit ex voluntario liberi arbitrii abuſu, origo peccati Deo imputari poteſt. R. Conceſſerat quidem Deus homini integro libertatem arbitrii ad bonum & ma-

(*) Nec appetebat Heua fructum vetitum ante, quam mente ſua a verbo Dei eiusque veritate deflectere cœperat, ſibique fallaci perſuaſione imponi ſiuerat.

Digitized by Google

& malum, ſed viribus ſatis validis eundem inſtruxerat ad declinandum malum & ſectandum bonum. Neque ſupernaturale Spiritus S. auxilium ipſi deerat.

Inſtant. II. Cur Deus non contulit eiusmodi perfectionem, vt libere quidem, ſed immutabiliter in bonum ferretur; vti angeli, in bono confirmati, libere quidem Deo ſeruiunt, indiuulſe tamen ei adhæreſcunt, vt ab ipſo deficere nequeant? Reſp. Placuit ita Deo ſapientiſſimo, vt homini ſuppeteret libertas in vtramque partem: cuius in voluntate & ſapientia ſimpliciter acquieſcendum eſt. Probabiles adducuntur rationes: (a) vt conſtaret ſpontaneum hominis obſequium, (b) vt Deus conferret præmia homini, libere obſequenti. Conf. D. CALOV. *ſyſtem. tom. IV. p. 707.*

III. Fuit in homine integro appetitus ſenſitiuus, & rationalis: At appetitus ſenſitiuus appetit bonum ſenſibile, ſ. ſenſibus gratum: Appetitus rationalis appetit bonum honeſtum: At bonum ſenſibile, & honeſtum, ſæpe contrarie oppoſita ſunt. R. Bonum ſenſibile, & honeſtum, non ſunt formaliter contraria, ſed diſparata; quæ, vt decenter concilientur, ratio hominis ſapientis (qualis erat Adamus in gradu excellenti) dictat & imperat. Nimirum erat in Adamo appetitus ſenſitiuus, ſed non appetitus ἀταξία. Erat in illo *appetitus integer,* non vitiatus, non rebellis, non difformis, ſed ſubiectus & conformis rationi, luce concreatæ ſapientiæ perfuſæ.

Quæſt. XIX. *Quæ fuerunt perfectiones minus principales, quas Deus hominibus protoplaſtis indulſit?*

Perfectiones minus principales, quibus imago Dei abſoluitur, ſunt *corporis*, nulla peccati labe infecti, *immunitas a paſſionibus corruptiuis* a), eiusdem *immortalitas* b), & plena *imperandi* creaturis ſublunaribus, in primis beſtiis, *poteſtas* c). In qua tamen poteſtate dominandi non principaliter, nedum vnice, imago Dei conſtitit d). *Perfectiones ſecundariæ.*

Prob. a. Paſſiones dolorificæ & deſtructiuæ (quales ſunt moleſtia laborum, dolor in partu, morbi, exſilium &c.) ſunt pœnæ peccati, Gen. III, 16. ſqq. Sir. XXXIIX, 15. Quam ob rem homo primus, peccati immunis, etiam paſſionis acerbæ expers fuit.

Prob. b. 1) Deus homini ſub hac conditione, ſi peccaret, mortem interminatus eſt, Gen. II, 17. Exinde per peccatum mors venit in mundum, Rom. V, 18. Eſtque mors ſtipendium peccati, Rom. VI, 2. Ergo, abſente peccato ab homine integro, nullum a morte fuit periculum. 2) Primus homo conditus erat ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, in incorruptibilitate, Sap. I, 13. 3) Efficaciſſimum perennis vitæ medium conſeruatiuum erat arbor vitæ, Gen. II, 9. c. III, 22.

Prob. c. 1) ex formali ratione imaginis diuinæ, quæ conſiſtit in conformitate cum maieſtate Dei, ſummi domini.

2) Ex aſſertione ſacræ ſcripturæ, Gen. I, 26. Dixit Deus: *Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram: & dominetur in piſcem maris, & in auem cœli, & in beſtiam, & in omnem terram, & in omne reptile, quod repit ſuper terram.* Obſ. a) Conceſſit Deus homini primo dominium in res ſublunares, extenſum per *maria & terras*, non autem per *ſidera cœli*, niſi quatenus horum influxum in ſuam vtilitatem conuertit. b) *Dominium* illud non fuit *abſolutum & directum*, ſed *reſpectiuum & vtile*, quod denotat incolatum orbis, cum vſu fructu. c) *Dominium* accipitur vel *radicaliter*, *pro iure & poteſtate dominandi*, vel *formaliter*, *pro actuali dominio.* Priori ſenſu, pars minus principalis imaginis diuinæ dicitur; poſteriori ſenſu, accidens extrinſecum, aut appendix imaginis Dei fuit.



Digitized by Google

3) Ex facto Dei, qui vniuerſa terræ animalia ad Adamum adduxit, vt illis nomina imponeret: quo ipſo Adamus in poſſeſſionem illius dominii, quod ipſi Deus conceſſerat, immiſſus eſt.

Prob. d. Imago Dei nec vnice, nec præcipue abſoluitur dominio. *Non vnice;* quia ſolo dominio homo Deo non placet, 1 Cor. 1, 26. Si ſolo dominio eſſentialis imaginis diuinæ conſtitutio abſolueretur, non ſolum pauperes chriſtiani renouati, ſed & Chriſtus, in ſtatu exinanitionis, imagine diuina deſtitutus fuiſſet: contra, filii huius ſæculi & rerum domini, imagine diuina præditi eſſent. *Nec præcipue;* quia illæ perfectiones principaliter imaginem Dei conſtituunt, ad quas homo iuſtificatus renouatur in hac vita, & quibus refulgebat in æterna gloria. At renouatur ad cognitionem Dei, Col. III, 10. & veram ſanctitatem & iuſtitiam. Eph. IV, 24. Et in vita æterna imago Dei conſiſtet in intuitiua Dei cognitione, 1 Io. III, 2. & in conſummata iuſtitia, Pſ. XVII, 15. Ergo hæ ſunt partes principes imaginis Dei.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, quorum de ſententia corpus hominis integri nec a paſſionibus doloroſis, nec a mortalitatis conditione immune fuit; contra, imago Dei in dominio vnice præcipue conſtitit. Qui ſuam opinionem ſequentibus muniunt argumentis:

I. Corpus Adami, in ſtatu integritatis, fuit carneum & molle, adeoque vulnerabile & acerbis paſſionibus expoſitum. Reſp. Quamuis corpus Adami *non ſimpliciter fuerit inuulnerabile;* attamen, ſi in ſtatu innocentiæ perſtitiſſet, *nunquam fuiſſet vulneratum:* quippe vulnera tum prouidentia Dei, tum excellens ſapientia hominis integri auertiſſet. Quid? quod in ſtatu integritatis homo extra periculum vulnerationis poſitus fuiſſet. Nam beſtiæ pleno ipſius dominio ſubiacebant, & homo hominem ne vultu quidem lædebat.

II. Adam laborauit, quia coluit agrum, Gen. II, 15. Reſp. Labor Adami ſuauis & iucundus, non aſper & moleſtus fuit.

III. Quicunque fuit puluis a prima creationis origine, is fuit mortalis: Atqui Adamus &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia Deus ipſe hanc mortalitatis cauſſam reddit, Gen. III, 19. *Puluis es & in puluerem reuerteris.* *Minor* patet e Gen. II, 7. Reſp. a) Verba citata intelligenda ſunt de ſtatu *naturæ deſtitutæ*, *non inſtitutæ*. b) Erat in homine integro potentia moriendi remota, non proxima. *Proxima* moriendi *potentia* in Adamo lapſo oriebatur ex obſequio Euæ præſtito. Vid. Gen. III, 17.

IV. Omne corpus terrenum & animale eſt corruptibile: Corpus Adami integri fuit terrenum: Ergo. *Maior* conſtat ex 1 Cor. XV, 47. Reſp. a) Loco citato intelligitur imago *Adami lapſi*, *non integri*. b) Corpus *terrenum* l. c. *non mortali*, *ſed cœleſti*, ſicut *animale ſpirituali* opponitur, adeoque ex mente Paulli terrenum & animale eſt, quod *terrenis qualitatibus affectum*, cibo & potu indiget: contra, corpus cœleſte & ſpirituale eſt, quod *qualitatibus cœleſtibus & ſpiritualibus exornatum* cibo & potu, concoctione, refectione, &c. opus non habet. Vid. CALOV. *in bibl. illuſtr. in h l. fol. 408.*

V. Immortales non poſſunt generare: Homo ante lapſum poterat generare. Ergo. *Maior* liquet ex Luc. XX, 35. Reſp. Immortales non poſſunt generare *in corpore ſpirituali ſeu glorificato: at corpus Adami erat naturale.*

VI. Omnes poenas peccati Chriſtus ſuſtulit: Mortem non ſuſtulit: Ergo mors non eſt pœna peccati. Reſp. diſt. *inter pœnas æternas & temporales.* Pœnas æternas Chriſtus ſuſtulit: temporales in caſtigationes paternas, & inprimis mortem in ſomnum & viam ad vitam æternam mutauit.

De dominio in creaturas obiiciunt *Sociniani I.* Deus ipſe imaginem diuinam per dominium in creaturas deſcripſit, Gen. I, 26. Ergo imago Dei vnice & præcipue in dominio conſtitit.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. diſt. inter ſenſum incluſiuum & excluſiuum. Deus non dicit, quod imago diuina *tantum* conſtiterit in dominio in creaturas. Certe dominium ſapientiam præſupponit. Stultorum enim eſt, ſeruire, non imperare.

II. Nihil præſtantius eſt in Deo, dominatu cunctarum rerum: E. Imago Dei in illo principaliter conſtitit. Reſp. Neg. *antecedens;* quia actuale Dei dominium cœpit cum creaturis, ſapientia autem & iuſtitia eius eſt æterna.

III. In altero ſæculo principalis noſtra erit gloria, dominium in diabolum & infernum: Ergo in hoc ſæculo, ante lapſum, principalis imaginis diuinæ pars dominium. Reſp. Conſiſtebat imago Dei ante lapſum non in dominio in diabolum, ſed in beſtias. Principalis autem hominis beati gloria in altero ſæculo erit viſio & fruitio Dei beatifica.

Quæſt. XX. *Fuitne imago Dei perfectio primi hominis naturalis, an donum ſupernaturale?*

Imago Dei, non quidem naturam primi hominis per modum partis eſſentialis conſtituit, neque ex natura eiusdem per ſe & neceſſario, velut proprium inſeparabile, emanauit a); attamen primo homini *naturalis* fuit, quia per creationem *cum ipſa hominis natura* eſſe cœpit; adeoque *ipſi* tum *debita*, tum *penitiſſime infixa* fuit, iuxta atque *naturam* hominis *integri* ad obtinendum *finem* ipſius, intime *perfecit*, & *per naturalem generationem* ad poſteros propagari potuit b).

*An imago diu. perfectio naturalis, an donum ſupernaturale?*

Obſ. Naturale aliquid dicitur 1) *conſtitutiue*, quod tanquam pars naturam rei conſtituit. Ita naturales homini dicuntur partes eſſentiales corpus & anima. 2) *Conſecutiue*, quod a forma, inſtar animæ facultatum, eſſentialiter fluit. 3) *Principatiue*, quod ſimul cum ipſa natura per creationem ſiue naturæ inſtitutionem, eſſe incipit. 4) *Subiectiue*, quod naturæ, tanquam ſubiecto, penitiſſime eſt infixum. 5) *Perfectiue*, quod naturam intime perficit & exornat. 6) *Tranſitiue*, quod per naturalem generationem cum ipſa natura ad poſteros propagatur.

Prob. a. Non fuit imago Dei primo homini naturalis *conſtitutiue*, neque *conſecutiue*; quia neque *pars* hominis, neque *facultas* animæ humanæ propria fuit: ſequeretur enim, hominem poſt lapſum deſtitui aliqua parte eſſentiali, aut facultate quadam animæ, quod eſt abſurdum.

Prob. b. 1) Quidquid homini primo eſt concreatum, illud ipſi fuit naturale: Atqui imago Dei &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia naturalia primi hominis diiudicanda ſunt ex prima creatione humanæ creaturæ; ſicut reliquis animalibus id naturale dicimus, quod ipſis concreatum eſt. *Minor* patet ex intentione & decreto diuino, Gen. I, 26. *Faciamus hominem in imagine noſtra ſecundum ſimilitudinem noſtram.* Cui reſpondet exſecutio v. 27. *Creauit itaque Deus hominem in imagine ſua.* Ergo homo integer in primo exſiſtentiæ momento imagine Dei præditus fuit.

2) *A bonitate & rectitudine morali naturæ humanæ conueniente. Creauit enim Deus hominem valde bonum*, Gen. I, 31. *& fecit eum rectum*, Eccl. VII, 29. Quicunque a Deo valde bonus & rectus eſt conditus, illius naturæ conueniens vel debita eſt bonitas & rectitudo moralis. Atqui homo primus &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia illa perfectio dicitur *connaturalis*, vel debita naturæ, quæ eundem cum homine habet ortum: contra, *ſupernaturale* eſt, quod non ineſt naturæ a prima ipſius origine, ſed ad imperfectionem eius ſupplendam a Deo, ex ſpeciali gratia, ſuperadditur.

 3) A

Digitized by Google

3) *A fine naturali hominis.* Conditus eſt homo propter Deum, vt illum agnoſceret, agnitum celebraret, & æternæ beatitudinis particeps fieret. Docet hoc BONAVENT. 2. *diſt.* 19. *art.* 1. *quæſt.* 1. Adeo verum & certum eſt, hominem eſſe factum ad participandam ſummam beatitudinem, vt nullus de eo dubitet, niſi cuius ratio omnino eſt ſubuerſa. Argumentamur: Cui æterna beatitudo fuit naturalis, illi etiam imago Dei fuit naturalis: Atqui primo homini &c. Ergo. *Maior* ſua radiat luce; quia qui deſtinatur ad finem naturæ proportionatum, illi media naturalia, ſeu vires naturales ad finem illum obtinendum a Deo conferuntur: alias deterior fuiſſet homo brutis, quæ neceſſariis ad finem ſuum adipiſcendum mediis ſunt inſtructa.

4) *A naturali propagatione.* Quidquid per generationem ad poſteros propagari poteſt, illud eſt naturale: Atqui imago Dei &c. Ergo. *Maior* patet; quia non dona ſupernaturalia, ſed perfectiones naturales per generationem ad poſteros propagantur. *Minor* probatur: Sicut Adamus poſt lapſum dicitur genuiſſe filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, Gen. V, 3. vnde omnes eius poſteri dicuntur filii iræ natura, Eph. II, 3.: Ita, ſi Adamus in ſtatu integritatis perſtitiſſet, vtique genuiſſet filium ſecundum imaginem Dei, & omnes eius poſteri natura fuiſſent filii Dei dilecti.

5) *A pari.* Angelis connaturalis fuit veritas ſapientiæ & iuſtitiæ, Jo. VIII, 44. Ergo & primo homini. Neque enim idonea dari poteſt ratio, cur ſanctitas angelis naturalis, homini primo ſupernaturalis ſit.

6) *A contrario.* Si peccatum originale poſt lapſum homini eſt naturale, ante lapſum imago Dei homini fuit naturalis: Antecedens eſt verum: vid. Eph. II, 3. Ergo & conſequens. Ratio conſequentiæ eſt: quia contraria toto genere non differunt.

7) *A reliquiis imaginis diuinæ.* Reliquiæ imaginis diuinæ ſunt naturales. Ergo & imago Dei in primo homine perfectio naturalis fuit. Conſequentia probatur; quia, quando totum & pars ſunt homogenea, tunc eadem eſt natura totius & partis. *Antecedens* patet: quia reliquiæ imaginis diuinæ ſunt lumen veri & ſemen boni, ſeu notitiæ innatæ & ſtimuli virtutum, qui homini ſunt naturales. Aſſerit enim apoſtolus, *gentes, quæ legem* (*Moſis* ſcriptam) *non habent, natura ea, quæ legis ſunt, facere.* Rom. II, 14.

8) Immortalitatem primo homini fuiſſe naturalem, probatur a); quia homo ἐπ' ἀφθαρσίᾳ conditus eſt, Sap. II, 23. Omne concreatum naturale eſt. b) *Inuidia diaboli mors ingreſſa eſt mundum*, Sap. II, 24. Ergo non eſt naturæ a Deo creatæ conditio. c) Mors eſt pœna peccati & naturam deſtruit. Ergo morti oppoſita immortalitas homini integro fuit connaturalis, ſeu ipſius naturæ conueniens. d) Qui non occidendus eſt, illius naturæ debita eſt immortalitas. Atqui nullus homo &c. Ergo. *Minor* conſtat e Gen. IX, 6. *Quiſquis effuderit ſanguinem hominis* (ſiue beſtia, ſiue homo fuerit) *per hominem* (vindicem legitimum) *ſanguis eius effundatur: quia in imagine Dei fecit hominem* (Deus). Neruus collectionis in hoc conſiſtit: Cuius naturæ immortalitas inſignis pars imaginis Dei eſt debita, illi mors non eſt inferenda: Atqui hominis naturæ immortalitas inſignis pars imaginis Dei eſt debita: Ergo homini mors non eſt inferenda. e) Immortalitas primi hominis per medium naturale, nempe eſum arboris vitæ, potuit conſeruari, Gen. II, 9. c. III, 22. Ergo immortalitas primo homini fuit naturalis. f) Anima naturaliter appetit corpori vniri. Ergo coniunctio animæ cum corpore homini eſt naturalis: mors autem, quæ eſt diſſolutio animæ & corporis, homini præternaturalis eſt.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* plerorumque, ſtatuentium, imaginem Dei fuiſſe donum *ſupernaturale*, ad ſupplendam connaturalem imperfectionem homini ſuperadditum: ſicut ſertum aut veſtimentum extrinſece ornat hominem, frenum compeſcit equum. Sicut autem, ſubla-

Digitized by Google

ſublato veſtimento & freno, natura hominis & equi manet incorrupta: ita iidem opinantur, per lapſum ſummota imagine Dei naturam hominis non eſſe corruptam, ſed manſiſſe integram. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. Quidquid homini eſt naturale, ab eo eſt inſeparabile: Iuſtitia primi hominis ab ipſo non fuit inſeparabilis: Ergo. *Maior* eſt euidens: quia, ſublato naturali, ipſa euertitur natura. Reſp. Quidquid homini *conſtitutiue naturale* eſt, ab ipſo inſeparabile eſt: concedo. At imago Dei *neque naturam* primi hominis *conſtituit*, *neque ex eſſentia* eiusdem *neceſſario fluxit:* fuit tamen *naturalis*, ob *naturalem conuenientiam inhæſionem, perfectionem, & propagationem.*

Inſtantia I. Naturale *conſtitutiuum*, & *conſecutiuum* exhaurit totam τȣ̃ *naturalis* latitudinem. Reſp. Non omne, quod *naturale* eſt, pars conſtitutiua, aut proprietas inſeparabilis eſt. Dantur enim ἰδιοσυγκρασίαι, ſiue temperamenta ſingularia, eaque naturalia: v. gr. ſunt, qui neque felem ferre, neque caſeum comedere poſſunt. Datur naturalis ϛοργὴ parentum in liberos, naturalis ὁρμὴ, ſiue ſtimulus ad virtutem, isque in vno maior, in altero minor. Ex quo nonnulli homines natura fortes, natura iuſti dicuntur, teſte ARISTOTELE *L. 6. Nicomach. cap. 13.* Datur naturalis quorundam canum ſagacitas.

Inſtantia II. Manſerunt naturalia integra, quibus imago Dei vt donum ſupernaturale fuit ſuperadditum. Reſp. Manſerunt quidem naturalia, ſed non integra, non pura. Sane intellectus cœcus, & erroribus oppletus, non eſt integer, voluntas peruerſa non eſt integra, appetitus inordinatus non eſt integer, aut purus.

II. Qualis imago nunc reſtauratur, talis eſt deperdita. Sed *ſupernaturalis* imago Dei nunc inſtauratur. E. Conſequentia *maioris* eſt manifeſta: quia ex natura imaginis diuinæ inſtauratæ iudicandum eſt de natura imaginis concreatæ. Reſp. Neg. maior. *Nam, quæ imago Dei naturæ integræ fuit connaturalis, eadem inſtaurata in natura corrupta recte dicitur ſupernaturalis. Naturæ* quippe *integræ* imago Dei fuit concreata, *naturæ* autem *corruptæ* ex ſpeciali gratia, merito Chriſti parta, ſuperadditur. In homine integro imago Dei fulſit *perfecte:* in homine renato reparatur *imperfecte*, remanente lue originali. Imago Dei cum natura integra ad poſteros fuit propagabilis: at poſt lapſum per generationem in poſteros non deriuatur.

Inſtantia: Ipſi doctores euangelici ab inſtaurata imagine Dei ad concreatam argumentantur. Diſerte enim ſcribit D. GERHARD. *in diſp. iſagog p. 791. Formale diuinæ imaginis* ex renouatione, per quam ad imaginem Dei reformamur, eluceſcit. Ratio eſt: quia per renouationem reſtituitur id, quod in primo homine fuit amiſſum. Proinde ex natura illius, quod per renouationem nobis reſtituitur, iudicari poteſt de natura eius, quod in Adamo accepimus & amiſimus. Reſp. Doctores euangelici, de natura imaginis concreatæ iudicantes ex natura imaginis inſtauratæ, reſpiciunt *perfectiones formales*, eſſentiam imaginis diuinæ conſtituentes: At *diſcrimen inter imaginem naturalem in ſtatu innocentiæ & ſupernaturalem in ſtatu miſeriæ eſt accidentale*, ortum remote ex peccato, proxime ex merito Chriſti. Nam, cum natura integra imago Dei eundem habet ortum; naturæ autem corruptæ connaſcitur peccatum originale, ad quod refrenandum vi meriti Chriſti imago Dei beneficio regenerationis & renouationis ſuperadditur.

III. Quidquid primo homini collatum eſt ad refrenandum appetitum ſenſitiuum, id fuit donum extrinſecum & ſupernaturale: Atqui imago Dei &c. E. *Maior* patet: quia dona ſupernaturalia conferuntur ad emendandum naturalia, quæ in malum propendent. *Minor* liquet; quia appetitus ſenſitiuus ad malum procliuis eſt. Reſp. Appetitus ſenſitiuus primi hominis nullo freno indigebat, eo, quod non ferox, contumax, incontinens, rectæque rationi im-

Digitized by Google

immorigerus erat; ſed erat rectus, bene compoſitus, defæcatus, & rationi ſine vlla lucta promtiſſime obediens: qualis appetitus in humana Chriſti natura locum habet.

Inſtantia I. Appetitus ſenſitiuus in ſtatu integritatis propendebat ad bonum ſenſibile, quod a bono ſpirituali ſæpe immane quantum diſſidet. Reſp. Bonum ſenſibile & ſpirituale, reſpectu primi hominis, diſparata quidem, at non contraria, ſed ſubordinata fuerunt.

Inſtantia II. Nulla poteſt dari cauſſa defectionis primi hominis, quam remotio doni ſupernaturalis, quod inſtar freni appetitum hominis coërcuit. Reſp. Cauſſa defectionis fuit tum diaboli ſeductio, tum concreati liberi arbitrii abuſus.

IV. Quidquid per modum coronæ, quæ facile detrahi poteſt, hominem exornauit, illud homini non eſt naturale: Atqui imago Dei &c. E. *Maior* conſtat: quia corona non pertinet ad naturam hominis; quippe qua ſublata, ſalua manet natura. *Minor* probatur, e Pſ. VIII, 6. *Gloria & honore coronaſti eum.* Reſp. Pſ. VIII. agit de Chriſto, quod præter contextum docet citatio apoſtoli, Hebr. II, 9.

V. Quidquid cum veſtimento comparatur, id fuit aliquid ſupernaturale & extrinſecum: Atqui imago Dei &c. E. *Maior* eſt clara: quia veſtimentum non eſt de natura hominis. *Minor* prob. ex Sir. c. XVII, 1. 3. Dominus creauit hominem de terra ſecundum ſeipſos, veſtiuit eos virtute, & iuxta imaginem ſuam fecit ipſos. Reſp. 1) Verbum veſtire metaphoricum eſt, & ſæpe notat id, quod connaturale eſt. Sic Iobus dicit, ſe a Deo carne & cute veſtitum eſſe, c. X, 11. Deus dicitur agri lilia veſtire, quorum pulcritudo naturalis eſt, Matth. V, 30. 2) In fonte legimus ἐνέδυσεν αὐτὒς ἰσχὺν induit eos robore, i. e. inſtruxit Deus homines validis, ad expedienda negotia, viribus ingenii & corporis.

VI. Quidquid homo ex *gratia immediate a Deo* accepit, id non fuit ei *naturale:* Atqui imaginem Dei primus homo ex gratia immediate accipit. Ergo. Reſp. Diſt. inter *gratiam generalem creationis, & ſpecialem regenerationis.* Primus homo accepit imaginem Dei per gratiam generalem creationis, ſicut animam, corpus & membra naturalia a Deo adeptus eſt: per ſpecialem gratiam regenerationis & renouationis imago poſt lapſum reparatur.

VII. Origo iuſtitiæ non eſt a principiis naturæ, ſed a Deo: Ergo iuſtitia primo homini non fuit naturalis. Ratio conſequentiæ eſt; quia quidquid non fluit e principiis naturæ, ſed immediate accipitur a Deo, ſupernaturale donum eſt. Reſp. 1) Primus homo animam rationalem non e principiis naturæ, ſed immediate a Deo accepit: quæ tamen pars naturalis primi hominis fuit. 2) Si ſpectes *originem iuſtitiæ*, vtique donum Dei fuit; ſin penſites *naturalem conuenientiam & inhæſionem intimam*, fuit perfectio debita naturæ integræ, & huic penitiſſime impreſſa ad obtinendum finem naturæ proportionatum.

VIII. Per peccatum actuale non amittuntur dona naturalia, ſed ſupernaturalia & ſpiritualia: Atqui peccatum Adami fuit actuale: Ergo. *Maior* patet; quia per peccatum amittitur quidem gratioſa Dei inhabitatio, ſed nullum donum naturale. Reſp. 1) Etiam per peccatum actuale dona naturalia amitti aut deſtrui poſſunt. Sic vigor corporis & felicitas memoriæ per ebrietatem & ſcortationem amittitur. Per homicidium vnio naturalis corporis & animæ *diſſoluitur.* 2) Delictum Adami non ex aliorum hominum peccatis actualibus æſtimandum eſt; ideo quod illis longe grauius eſt & atrocius. Neque enim tantum *perſonale*, *aut indiuiduale* eſt, ſed etiam certo reſpectu *commune & vniuerſale*, a) *ratione imputationis;* quia peccatum Adami, qui ſtirps & caput erat totius generis humani, omnibus hominibus eſt imputatum: b) *ratione transgreſſionis;* quia peccato Adami omnia præcepta decalogi ſunt violata: c) *ratione propagationis;* quia peccatum originale, quod ex delicto Adamitico

Digitized by Google

mitico fluxit, in omnes Adami poſteros deriuatum eſt. His accedit, quod Adamus iis munitus fuerit præſidiis, vt peccatum facile declinare potuerit, cum nullo interno peccati fomite laceſſeretur.

IX. Imago Dei naturalis eſt Filius Dei naturalis: Homo integer non fuit Filius Dei naturalis. Ergo. Reſp. 1) Non aſſerimus, primum hominem fuiſſe imaginem Dei naturalem, ſed ipſi concreatam eſſe imaginem diuinam, naturæ integræ debitam, ſeu conuenientem. 2) Filius Dei naturalis duabus de cauſſis dicitur: a) quia ab æterno ex eſſentia patris genitus eſt; quo ſenſu ſolus Chriſtus eſt Filius Dei naturalis: b) quia connaturali ſapientia & ſanctitate Deum ſapientiſſimum & ſanctiſſimum refert; quo ſenſu primus homo filius Dei naturalis dici poteſt. Argute inquit D. DANNHAVER. *hodom. I. phant. V. pag. 1004. Non fuit primus homo filius Dei naturaliter, h. e. ſubſtantialiter (quod axioma ſolius eſt λόγȣ); ſicut nec ſubſtantialis fuit imago Dei: fuit tamen filius Dei a natura & cum natura, cui hæc dignitas fuit concreata.*

X. Quodcunque corpus conſtat ex quatuor elementis & contrariantibus inter ſeſe qualitatibus, illud natura mortale eſt: Atqui corpus Adami conſtitit &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia corpus, ex elementis mixtum, naturaliter vergit ad interitum ob qualitates inter ſeſe contrariantes. Reſp. 1) Aurum eſt corpus mixtum ex quatuor elementis, & tamen eſt quadantenus ἄφθαρτον. Luna non eſt expers mixtionis, corruptione tamen ſuperior. Corpus Chriſti conſtat ex quatuor elementis, & tamen non eſt natura mortale. 2) Iudicandum eſt de natura compoſiti non tantum ex conditione materiæ, ſed & a) *ex connexione, ſiue vnione formæ cum materia.* Nempe *ſancta Adami anima* Deo, vitæ fonti, ſemper adhærens in ſtatu integritatis, *iuncta erat corpori, vinculo non ſolubili, niſi per peccatum.* Haud male inquit BONAVENTVRA, *Lib II. Diſt. XIX. artic. III. qu. 1. Mors non poterat ineſſe homini, niſi deordinaretur natura.* Si mortem introduxit deordinatio naturæ humanæ, immortalitas naturæ humanæ eſt debita ordinarie. b) *Reſpicienda eſt bonitas temperamenti*, quod perfectiſſimum Adamus nactus erat; *harmonia qualitatum* amice conſpirantium, & ad interitum non vergentium; & *abſentia, ſeu defectus cauſſarum mortis*, quales ſunt fames, ſitis, ſenium, defatigatio corporis, morbi; quibus minime obnoxius erat primus homo, adeoque natura non mortalis.

XI. Cui deſtinata fuit arbor vitæ, ad vires prolapſas reparandas, ille natura non fuit immortalis: Atqui homini primo &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia vires prolapſæ inclinant ad interitum; qui ſi diuinitus auertatur externo quodam medio, immortalitas diuinitus collata non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis. Reſp. a) Indiguit Adamus arbore vitæ, non ad reparandas vires prolapſas, ſed ad integras conſeruandas. b) Conſeruandæ erant vires Adami fructu arboris vitæ, quia immortalitas Adami non erat *abſoluta*, ſed *ordinata.* c) Inuertimus argumentum: Cuius immortalitas a cibo & medio naturali dependet, ille naturaliter immortalis eſt.

XII. Quicunque natura immortalis eſt, is non poteſt mori: Primus homo potuit mori. E. Reſp. *Immortalitas abſoluta* competit Deo: *Fluens ex ſimplicitate naturæ* eſt angelorum, & animarum humanarum: *Pendens a gratia glorificationis* eſt beatorum: *concreata autem eſt primo homini ordinata*, quia certis mediis erat continuanda, *& hypothetica immortalitas;* quia tam diu non mortale manſurum erat corpus hominis primi, quamdiu non peccaret. Ceterum cum dicimus hominem integrum fuiſſe immortalem, non negamus *potentiam moriendi remotam;* ſi enim ab hac immunis fuiſſet, poſt lapſum non fuiſſet mortuus; ſed *proximam*, ortam ex internis cauſſis mortis, nempe morbis, abſumtione calidi innati & humidi radicalis &c. Ex quo nonnulli theologi malunt hominem primum appellare *non-*



Digitized by Google

*mortalem*, quam *immortalem*. Vid. D. SCHERZER. *in colleg. Anti-Socin. p.278.* Nam *in ſtatu innocentiæ homo poterat non mori*, *in ſtatu gloriæ non poteſt mori*, *in ſtatu miſeriæ non poteſt non mori.*

XIII. Omne generabile eſt corruptibile: Corpus Adami erat generabile: E. Reſp. Neg. *maior*. Nam anima etiam eſt generabilis, neque tamen corruptibilis.

XIV. Immortalis non vtitur cibis, 1 Cor. 13. Adamus vſus eſt cibis. E. Reſp. *Immortalis in ſtatu gloriæ, ventre & eſca deſtructis, non vtitur cibis.* Primus homo non erat in ſtatu gloriæ, ſed in ſtatu innocentiæ, cuius immortalitas ordinata cibis continuabatur.

Quæſt. XXI. *Num homo conditus eſt in ſtatu purorum naturalium?*

*An ſtatuendus ſtatus purorum naturalium.*

*Status purorum naturalium*, in quo homo conditus ſit ἀδέτερος, indifferens ad bonum & malum morale, ſine cognitione Dei triunius, ſine deſiderio vitæ æternæ, cum rebellione carnis aduerſus ſpiritum, variis calamitatibus, morbis, & morti expoſitus, vaniſſimum commentum eſt.

Prob. *Status purorum naturalium*, quem aduerſarii comminiſcuntur, repugnat 1) *tam intentioni Dei de creando primo homine, quam intentionis diuinæ exſecutioni.* Nam tum propoſitum, tum exſecutio Dei in condendo homine eo tendebat, vt homo crearetur cum imagine diuina, conſiſtente in agnitione Dei & ſanctitate voluntatis. Hæc autem non coëxſiſtit, nec compoſſibilis eſt cum ſtatu purorum naturalium.

2) Repugnat *ſanctitati diuinæ.* Si enim Deus condidiſſet appetitum ſpiritui repugnantem, eſſet cauſſa peccati. Aut ſi rebellio illa in ſtatu purorum naturalium non fuiſſet peccatum, neque hodie peccatum foret.

3) Repugnat *iuſtitiæ diuinæ.* Neque enim Deus iuſtiſſimus hominem innocentem, qui nunquam peccauit, calamitatibus, morbis & morti ſubiicit.

4) Repugnat *eximiæ bonitati & rectitudini primi hominis;* quippe qui conditus erat *valde bonus*, Gen. I, 31. & *rectus*, Eccleſ. VII, 30. At ſi creatus fuiſſet indifferens ad bonum & malum, ſine cognitione Dei triunius, ſine deſiderio vitæ æternæ, cum rebellione carnis aduerſus ſpiritum, non fuiſſet valde bonus & rectus.

5) Repugnat *ſtatui integritatis.* Nam *peccatum originis eſt ſtatus ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, cum concupiſcentia.* Vid. *Auguſt. Confeſſ. artic. II.* At ſtatus purorum naturalium eſt ſtatus ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, & cum concupiſcentia. Ergo ſtatus purorum naturalium eſt ſtatus peccati, adeoque Adamus integer conditus fuiſſet cum peccato originis, quod eſt blaſphemum in creatorem.

6) Repugnat *naturæ hominis.* Nam nulla creatura rationis particeps eſt, aut eſſe poteſt ἀδέτερος, ſiue indifferens ad bonum & malum morale, ſed vel moraliter bona, vel moraliter mala; vel grata Deo, vel ipſi exoſa eſt.

7) Repugnat *fini, cuius gratia homo exſiſtit.* Nimirum conditus eſt ad creatorem cognoſcendum & colendum, vitam ſancte tranſigendam, & æternam beatitudinem conſequendam. At ſi conditus eſſet in ſtatu purorum naturalium, hunc finem nunquam aſſecutus eſſet.

*Antitheſis* eſt *Scholaſticorum* & *Pontificiorum* plerorumque, ſtatum purorum naturalium aſſerentium, quorum pleraque argumenta examinata ſunt. Præterea tamen argumentantur:

I. Qui ſtatus habet fundamentum in re, is non eſt commentitius: Atqui ſtatus purorum naturalium &c. Ergo. *Minor* probatur: quia 1) non repugnat potentiæ diuinæ, fabricare

Digitized by Google

care hominem ſine eximia ſapientia & iuſtitia. 2) Quia hodienum poſt lapſum quædam naturalia ſunt pura & integra, v. gr. lumen veri & ſemen boni. Reſp. 1) In ſenſu diuiſo concedo, Deum potuiſſe hominem condere ſine eximia ſapientia & iuſtitia, ſi non intenderit hominem creare in imagine ſua ſecundum ſimilitudinem ſuam: at ſuppoſita illa intentione, Deus hominem ſine excellenti ſapientia & ſanctitate fabricare nec voluit, nec potuit; ideo, quod ceteroquin homo non geſſiſſet imaginem Deo ſimillimam. 2) Lumen veri & ſemen boni, hodienum in intellectu & voluntate hominis reſidua, ſunt tenues reliquiæ imaginis diuinæ. Quæ cum ſint naturales, imaginem Dei primo homini naturalem fuiſſe oportuit. 3) Cum lucta tamen carnis & ſpiritus homo primus a Deo creari nequiuit; quia lucta illa per ſe mala & peccaminoſa eſt, adeoque Deum ſanctiſſimum auctorem habere non potuit.

Dicis: Rebellio appetitus & rationis non prouenisset ex intentione auctoris naturæ, ſed præter eius intentionem in homine exſtitiſſet, ſi in puris naturalibus homo creatus fuiſſet: ſicut faber ex ferro gladium fabricans, non eſt cauſſa rubiginis in gladio, quæ ex materiæ conditione poſtea oritur. Reſp. Sic accuſaretur Deus vel *imprudentiæ*, vel *impotentiæ*. *Illius*; quia talem ἀταξίαν non præuiderit: *huius*; quia eandem labem ſummouere non potuerit. Vtrumque eſt blaſphemum in creatorem. Allatum ſimile eſt diſſimile. Nam faber non ipſam materiam efficit, vt Deus; neque illis pollet viribus, vt gladium a rubigine præſeruare queat; nec rubigo neceſſario materiam inſequitur.

II. Erant in homine integro facultates naturales & dona ſupernaturalia, quæ diſtinctis conceptibus repræſentari poſſunt. Nam erant in homine intellectus, voluntas, appetitus ſenſitiuus, tanquam facultates naturales; erant eximia ſapientia & iuſtitia originalis, tanquam dona ſupernaturalia. Reſp. a) De præciſione mentis nulla eſt quæſtio: concedimus enim, quod facultates naturales a donis ſupernaturalibus beneficio intellectus præſcindi, diſtincteque conſiderari potuerint. At manet quæſtio: an primus homo in ſtatu purorum naturalium ſine ignoratione veri Dei, & cum rebellione carnis & ſpiritus creatus ſit? Aliud docent ſacræ litteræ, nimirum ſtatum primi hominis fuiſſe ſtatum integritatis, ſplendore imaginis diuinæ conſpicuum. 2) Sapientia & iuſtitia primi hominis non erat ſupernaturalis, ſed concreata & ad obtinendum finem, nempe æternam beatitudinem, naturæ integræ debita, eique penitiſſime impreſſa.

III. Quodcunque myſterium rationis humanæ captum tranſcendit, illud homini citra reuelationem ſupernaturalem non innoteſcit: Atqui myſterium Trinitatis &c. Ergo. Reſp. Diſt. inter rationem peccatoris poſt lapſum; & rationem hominis integri ante lapſum. Myſterium Trinitatis eſt ſupra rationem hominis lapſi: at vero ante lapſum concreata erat inſignis lux & perfectio hominis primi in intellectu, qua illuſtratus creatorem ſuum, qui eſt vnus Deus, Pater, Filius & Spiritus S. cognoſcebat. In hac cognitione creatoris hominem eſſe conditum, docet Paullus Col. III, 10.

IV. Cui concreata eſt libertas arbitrii in vtramque partem, is conditus eſt ὀδέτερος, ſiue indifferens ad bonum & malum: Atqui primo homini &c. Ergo. *Maior* eſt euidens; quia indifferentia ad bonum & malum nihil aliud eſt, quam libertas arbitrii in vtramque partem. Reſp. Cui concreata eſt libertas arbitrii in vtramque partem, *vt aque propendeat ad malum, atque ad bonum*, ille conditus eſt ὀδέτερος; concedo. At, licet primo homini concreata ſit libertas arbitrii, nulla tamen in ipſo erat *propenſio naturalis*, *aut potentia proxima* ad concupiſcendum malum, ſed tantum potentia remota, ſiue non repugnantia. Eum namque in finem ipſi concreata erat ſapientia intellectus, iuſtitia voluntatis, & rectitudo appetitus ſenſitiui, vt pronus ferretur ad bonum libere eligendum, promteque faciendum. Præſto ipſi etiam erat *ſupernaturale auxilium Spiritus S.*, concreatas perfectiones luce gratiæ ſupernatu-

 ralis

Digitized by Google

ralis illuſtrans, conſeruans, locupletans. *Deerat tantum ei confirmatio, aut determinatio ad bonum*, quæ immutabilitatem concreatæ iuſtitiæ infert: quod augmentum Deus *in patria cæleſti* liberaliſſime adieciſſet; ſi homines protoplaſti *vitam ſanctitatis* inoffenſo pede decurriſſent.

V. Si natura humana non potuit a Deo creari ſine iuſtitia originali, ſequitur, non poſſe hominem mortuum a Deo in vitam reuocari, niſi iuſtitia præditum, ſine qua tamen multi reſuſcitati ſunt. Vid. 1 Reg. XVII, 22. 2 Reg. IV, 33. Matth. IX, 25. Luc. VII, 15. Io. XI, 43. Reſp. 1) *Alia eſt ratio naturæ primum inſtitutæ, alia deſtitutæ. Illa* malo infecta condi non potuit ſalua Dei bonitate ac iuſtitia: *hæc*, quia ſponte ſua ſe mancipauerat peccato, ab eodem non immunis malo reſuſcitari potuit. Neque enim Deus reſuſcitando naturam, peccatocontaminatam, malum facit, ſed inuenit. 2) *Extraordinaria ſunt illa exempla*, e quibus nihil certi definire licet. Neque enim certo conſtat, vtrum illi, qui in hanc vitam reuocati ſunt, peccato fuerint obnoxii, & rurſus mortui, an peccati expertes aliquandiu vixerint, vt protoplaſti ante lapſum, ac ſine mortis interuentu ad inſtar Enochi & Eliæ in cœlum viui] translati fuerint. Conf. D. MEISN. *in anthropol. decad. I. p. 52.* & D. CALOV. *tom. IV. ſyſt. p. 683.*

Quæſt. XXII. *Quænam dona ſupernaturalia comitata ſunt imaginem Dei?*

Quamuis gratia diuina & inhabitatio SS. Trinitatis in primo homine non ſupernaturalis, ſed *naturalis* fuerit a): non neganda tamen ſunt primo homini data dona alia, *ſupra naturam* poſita, reuelatio inprimis extraordinaria, & quæ ei erant connexa b).

Prob. a. Sunt quidem nonnulli theologi magni nominis, qui cenſent gratiam Dei & inhabitationem SS. Trinitatis primo homini fuiſſe ſupernaturalem. Vid. D. GERHARD. *diſput. iſagog. p. 803.* Attamen, ſi conſideramus 1) naturam hominis primi nec vnquam fuiſſe, nec eſſe potuiſſe integram, ſine Spiritu diuino inhabitante & ſanctificante, 2) peccatum originale, quod in locum imaginis diuinæ poſt lapſum Adami ſucceſſit, non tantum corporalem, ſed & ſpiritualem mortem (quæ eſt priuatio myſticæ vnionis animæ cum Deo) homini lapſo intuliſſe; iis accedimus auctoribus, qui gratiam diuinam & inhabitationem SS. Trinitatis primo homini non ſupernaturalem, ſed *naturalem* fuiſſe ſtatuunt. Confer. D. I. A. OSIANDR. *colleg. theol. part. II. pag. 283.* D. FECHT. *in ſyllogiſm. controu. diſp. XIV.* D. BREITHAVPT. *in theſ. cred. p. 28.*

Prob. b. *Legem poſitiuam* de abſtinentia a fructibus arboris ſcientiæ boni & mali Adamus e reuelatione Dei ſupernaturali nactus erat, Gen. II, 16. 17. Neque dubium eſt, quin a Spiritu S. inhabitante vires & dona ſupernaturalia homini primo collata ſint ad legem poſitiuam implendam, & ad perſiſtendum in ſtatu integritatis. Nam inhabitatio Spiritus S. ſecum fert cumulum multorum donorum ſpiritualium, Eph. III, 19.

Quæſt. XXIII. *Quænam bona corporalia & temporalia imaginem Dei comitabantur?*

*Externa bona corporalia* & *temporalia* in ſtatu integritatis concernunt potiſſimum ſocietatem humanam, & ſedem diuinitus conceſſam. *Illa* plena amoris (a), *hæc* ſuauitatis erat (b).

Prob. a. Si homo manſiſſet in ſtatu integritatis, & genus humanum in eodem multiplicatum fuiſſet, *honeſtiſſima & iucundiſſima inter homines viguiſſet amicitia, nata e mutuo animorum conſenſu, & bonorum communione.* Si enim fideles in primitiua eccleſia fuere *vnum cor &*

*vna*

Digitized by Google

*vna anima*, Act. IV, 32: quanto arctius vinculum coniunxiſſet homines integros vitæ, ſceleriſque puros? Quibus cum omnia bona eſſent communia, nullæ ferendarum litium erant cauſſæ: quia omnes terræ ac animantium in Adamo erant conſtituti domini.

Dicis: Homo hominis fuiſſet dominus etiam in ſtatu integritatis, adeoque non omnes fuiſſent domini; cum Deus auctor ſit ordinis, non confuſionis. 1 Cor. XIV, 33. Reſp. In ſtatu integritatis homo in hominem obtinuiſſet quidem dominium πατρικὸν ſeu *paternum*, quale eſt patris in liberos, non autem δεσποτικὸν vel *herile*, quale eſt heri in ſeruos. Alter alteri fuiſſet *ſubiectus ſubiectione ſpontanea & libera*, non *coacta & ſeruili*; ſiquidem in illo ſtatu non minus parere, quam imperare, libertas fuiſſet.

Prob. b. Sedes & locus habitationis hominis in ſtatu integritatis erat, *paradiſus*, vel hortus in Eden ſitus inter Tigrim & Euphratem, vbi ſunt pinguiſſimi campi Babyloniæ, Meſopotamiæ & Armeniæ, Gen. II, 14. Paradiſus autem refertus erat arboribus longe præſtantiſſimis, quas intereminebant arbor vitæ, & ſcientiæ boni & mali. Illa accedebat ad ſimilitudinem *pharmacothecæ*, e qua fructus decerpebantur ad vires corporis conſeruandas; hæc erat veluti *ara* quædam, ad cuius conſpectum homo Deum, ſummum rerum omnium domnium & legislatorem, reuereri iugiter condiſcebat.

Quæſt. XXIV. *Quis erat finis imaginis Dei?*

*Finis abſolute vltimus* collatæ homini primo imaginis Dei eſt gloria ſapientiæ, bonitatis & potentiæ diuinæ a). *Finis ſecundum quid vltimus* eſt æterna beatitudo b). *Finis intermedius* eſt vita ſancta, Deoque placens c). *Finis I. D.*

Prob. a. Cum omnis anima a Deo creata, auctorem ſuum laudet, Pſ. CL, 6. tum inprimis anima, imagine Dei prædita, pulcerrimum S. S. Trinitatis templum erat. Filius gerens imaginem patris, huic pietatem; miniſter donatus effigie domini, promtiſſimum huic obſequium; vrbs, condecorata inaurata regis ſtatua, huic ſingularem fidem debet: ita homo ad imaginem Dei creatus, obſtrictus eſt ad agnoſcendum, diligendum, venerandum Deum ter optimum, ter maximum.

Prob. b. Omnis creatura, rationis particeps, tendit ad ſcopum ſuum, qui eſt perennis beatitudo: & anima immortalis beata frui immortalitate deſiderat.

Prob. c. Quemadmodum imago Dei eas complectebatur vires, aut perfectiones intellectus, voluntatis & appetitus ſenſitiui, quæ ad ſancte viuendum, iuxta voluntatem creatoris, ſufficientes erant: Ita vita ſancta erat finis intermedius, reſpiciens finem vltimum, qui erat æterna beatitudo, quam homo, ſi in ſtatu integritatis manſiſſet, *ſancte viuendo non quidem promeruiſſet, cum vita ſancta hominis integri non fuerit indebita, obtinuiſſet tamen ex gratia Dei, ſtudium ſanctitatis liberaliſſime & vltra meritum compenſantis.*

Quæſt. XXV. *Eſtne imago Dei per lapſum hominum protoplaſtorum amiſſa?*

Imago Dei per peccatum Adami & *meritorie & naturaliter* deperdita eſt. *Iactura I. D.*

Obſ. Dicimus, imaginem Dei amiſſam eſſe 1) *meritorie;* quia primus homo actu vnico peccaminoſo meruit, vt imago Dei ipſi ſummoueretur. Deus enim ab æterno conſtituit, hominem, ſi non laberetur, in iuſtitia originali cum poſteris ipſius confirmare, ita, vt poſtea plane labi non poſſet, prout angelos non lapſos confirmauit. Poſito autem lapſu, decreuit priuare eundem iuſtitia originali, & in eo ſtatu relinquere cum tota poſteritate, in quo alias extra medelam, a ſe inuentam, eſſet pereundum. Nec tantum *meritorie*, ſed & 2) *naturaliter*, quatenus vi ipſius peccati integritas & harmonia virium concreatarum, naturæ humanæ conueniens,



Digitized by Google

niens, deſtructa eſt in homine, omniſque iuſtitia exturbata, non aliter, ac venenum ſanitatem corporis deſtruit atque expellit. Qui duo modi probe conſiſtere poſſunt: neque enim repugnant, *morale eſſe, & naturaliter concurrere*, ſicut αὐτόχειρ naturaliter & moraliter amittit vitam: moraliter quidem ceu meritorie, vt Deus ipſum deſerat; naturaliter vero, admouendo cultrum. Confer. D. HÜLSEMANN. *in breu. p. 203.* & A. OSIANDR. *colleg. theol. I. part. II. p. 298.*

Prob. 1) Imago Dei eſt renouanda. Eph. IV, 24. Col. III, 10. Ergo eſt amiſſa. Quod enim amiſſum non eſt, eiusdem reſtitutioni nullus eſſe poteſt locus.

2) Qui deſtituuntur gloria Dei, illos deficit imago Dei: Poſteri Adami &c. Ergo. *Maior* patet, quia imago Dei fuit inſignis gloria Dei, 2 Cor. III, 18. partim quod a Deo glorioſiſſimo originem ducit, partim quod homini, in imagine Dei creato, ceu glorioſa reſplendeſcentia Dei fuit communicata; ex quo vir imago & gloria Dei dicitur, 1 Cor. VII. *Minor* liquet ex Rom. III, 23.

3) Adamus, poſt lapſum, ad imaginem *ſuam*, non ad imaginem *Dei* liberos genuit, Gen. V, 3. vt, ſicut Paullus exponit, 1 Cor. XV, 22. iam in Adamo omnes moriantur. Ergo Adamus imaginem Dei amiſit.

4) Adamus imaginem Dei hac lege acceperat, vt in ea perſiſteret; eandem vero, ſi Dei interdictum violaret, rurſus amitteret, Gen. II, 16. 17. Ergo *meritorie* propter transgreſſionem & in vicem poenæ imaginem Dei amiſit.

5) Quemadmodum *angeli apoſtatæ amiſerunt integritatem ſuam demeritorie, per nonſeruationem, ſeu derelictionem ſui principatus ac ſtatus felicis*, Jud. v. 6. ita etiam Adamus integer non ſeruando, quod habebat, *meruit*, vt ei auferretur. Quem proceſſum Deus in oeconomia gratiæ hodienum obſeruat, vt *habenti detur, non habenti* (ſiue amplius habere nolenti) *iuſto Dei iudicio auferatur etiam id, quod habet*, Matth. XIII, 12.

6) *Sumus iam φύσει, natura, ſiue per naturalem generationem, filii iræ, tenebris obſcuratam mentem habentes, prorſus a vita Dei alienati*, Eph. II, 3. Ergo ipſa natura Adami per lapſum corrupta, adeoque imago Dei naturaliter perdita fuit. Nam a) nihil, quod naturale non eſt, naturali generatione propagari poteſt. b) Vt tenebræ naturaliter expellunt lucem: ita peccatum Adami lumen imaginis Dei excuſſit.

7) Quod ex carne peccaminoſa (naturali generatione) naſcitur, id iam naturaliter peccaminoſa caro eſt, Io. III, 6.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum* nonnullorum, qui *imaginem Dei* ad naturam ipſam hominis referunt, *ſimilitudinem* autem *Dei* accidentales perfectiones notare cenſent. Hinc docent, ſimilitudinem Dei, non autem imaginem diuinam eſſe amiſſam. 2) *Socinianorum*, aſſerentium, imaginem Dei conſiſtere in dominio in reliquas creaturas; quod cum per lapſum non ſit amiſſum, nec imaginem Dei eſſe deperditam ſtatuunt. 3) *Arminianorum*, negantium, imaginem Dei actu peccaminoſo Adami *phyſice* (vt ſanitas veneno deſtruitur) eſſe deperditam, ſed docentium eam amiſſam eſſe *meritorie tantum*, quia Deus actu iudiciali hominem iuſtitia originali priuauit. Quorum argumenta præcipua ſunt:

I. Homo poſt lapſum ad imaginem Dei conditus eſſe dicitur, Gen. IX, 6. Vbi Deus prohibet effundere ſanguinem humanum, quia *homo in imagine Dei factus eſt.* Conf. Jac. III, 9. Ergo imago Dei per lapſum Adami non eſt amiſſa. Reſp. 1) *generatim*: Homo poſt lapſum in imagine Dei factus eſſe dicitur, a) ob *primam creationem hominis*, qui in imagine Dei creabatur. Acceperunt igitur omnes homines imaginem Dei in Adamo tanquam capite & ſtirpe generis humani, b) ob *reſidua imaginis diuinæ rudera*, quæ ſunt lumen veri & ſemen boni, ſeu principia rationis nobiſcum nata, tam theoretica, quam practica. c) Quia *homo poſt lapſum*

Digitized by Google

*pſum capax eſt imaginis diuinæ, cui hæc etiam, vi intentionis diuinæ, eſt debita,* licet de facto ei non inſit. d) Quia, vi catholici meriti Chriſti, *imago* Dei in omnibus hominibus *inſtauranda* eſt, tum in hac, tum in altera vita, adeoque homo ius ad recuperandam imaginem Dei habet. 2) Reſp. *ſpeciatim:* Gen. IX, 6. per imaginem Dei intelligitur *immortalitas*, quia homo ad vitam æternam creatus eſt; quæ intentio diuina manet, non obſtante morte temporali, ex qua omnes reſuſcitabuntur ad iudicium, nec morientur amplius.

II. Vir poſt lapſum dicitur imago & gloria Dei, 1 Cor. XI, 7. quæ eſt ratio, cur mulier obtemperare debeat viro. Reſp. Vir imago & gloria Dei, i. e. glorioſa imago Dei dicitur propter dominium, quod Deus in omnes creaturas obtinet, cuius imago quædam in viro relucet, quippe cui dominium competit non tantum in beſtias, ſed & ipſam vxorem.

III. Cui competit poſt lapſum dominium in beſtias, ille propter lapſum primorum hominum imagine Dei non eſt priuatus. Atqui poſt lapſum homini competit &c. Ergo. *Maior* patet; quia dominium in beſtias eſt inſignis pars imaginis diuinæ. Minor probatur ex Gen. IX, 2. Reſp. 1) Diſt. inter *dominium plenum & fractum ſeu imminutum.* Homini poſt lapſum non competit dominium plenum in beſtias. Etenim ante lapſum cum leonibus & pardis veluti cum catellis melitæis luſitare poterat, quorum conſpectum poſt lapſum fugit & horret. Quoties contingit, vt homo a beſtiis ſuperetur, dilanietur & deuoretur? 2) Dominium actuale erat adiunctum & appendix imaginis Dei: poteſtas autem dominandi eiusdem pars tantum minus principalis eſt.

IV. Lapſus Adami vnus actus fuit. Ergo vim eam, quæ deprauare ipſam naturam Adami poterat, non habebat. Reſp. Neg. conſequ. Angeli apoſtatæ per vnum actum peccaminoſum ſtatum ſuum euerterunt, naturamque corruperunt. Serpens vno ictu totam hominis naturam veneno inficit. Vno vulnere oculo inflicto viſus eripitur.

V. Quodcunque Deus vt iuſtus iudex abſtulit, illud non naturaliter, ſed meritorie tantum fuit amiſſum. Atqui imaginem primæuam Deus &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia priuatio iudicialis moralis, non phyſica eſt. Reſp. Neg. maior. Nam per crapulam homo phyſice ſibi eripit ſanitatem. Interim tamen Deus vt iuſtus iudex punit ebrioſum per vitæ abbreuiationem.

VI. Cuius cauſſa non fuit phyſica, illud non phyſicum & naturale poteſt dici. Atqui cauſſa amiſſionis imaginis primæuæ non fuit phyſica. Ergo. *Maior* per ſe patet; quia, qualis cauſſa, talis effectus. *Minor* liquet; quia cauſſa imaginis amiſſæ fuit lapſus Adami, qui erat actus moraliter malus. Reſp. *Cauſſa amiſſionis imaginis diuinæ & phyſica & moralis fuit: moralis;* dum protoplaſti peccando pœnam Dei, qui actu iudiciali ipſos iuſtitia originali priuauit, incurrerunt: *phyſica;* dum iidem actu peccaminoſo habitum concreatum expulerunt; ſicut, qui venenum ſumit, & moraliter in ſe agit, & ſanitatem phyſice expellit.

Quæſt. XXVI. *Quem vſum practicum confert doctrina de imagine Dei?*

Hauſta e fonte S. ſcripturæ doctrina de imagine Dei inſignem in omnes theologiæ partes ex ſe fundit vſum. *Vſus practicus.*

Prob. Nam ex illa ſolide percepta nobis 1) in memoriam reuocamus *bonitatem creatoris*, qui ex gratia liberrima homini primitus condito ſeipſum communicauit, & eundem velut ſanctum templum, quod gratioſa præſentia ſua impleturus erat, perfectionibus, ſuæ ſapientiæ, ſanctitati, puritati, immortalitati & poteſtati perquam ſimilibus, mirifice exornauit. 2) Agno-

Digitized by Google

2) Agnoſcimus ex hac doctrina *abyſſum miſeriæ*, in quam homo, amiſſa per abuſum liberi arbitrii imagine Dei, prolapſus eſt. Nam in locum amiſſæ imaginis ſucceſſit horribilis naturæ humanæ corruptio, per quam iræ diuinæ & æternæ damnationis rei facti ſumus. Immigrauit, proh dolor! in intellectum pro luce caligo, in voluntatem pro ſanctitate iniquitas, in appetitum pro rectitudine prauitas, in corpus pro immortalitate fragilitas, in totam vitam pro priſtina felicitate variarum calamitatum cumulus. *Recordare, o homo, vnde excideris, & age pœnitentiam*, Apoc. II, 5. 3) Stupore defixi miramur *abyſſum diuinæ miſericordiæ merito Chriſti prouocatæ*. Salutis enim noſtræ auctor Ieſus tum pleniſſima legis diuinæ impletione, tum cruenta paſſione & morte ſatisfactoria inſtaurationem imaginis diuinæ nobis præmeruit; ex quo effigiem diuinam per Spiritum S. in nobis reformare incipit in hac vita, conſummaturus iſtud opus gratiæ in vita æterna, in qua ſimiles ipſi reddemur. 1 Io. III, 2.

*SVSPIRIVM.*

Memoriam noſtram ſæpiſſime ſubit, Deus æterne, conditor huius vniuerſi optime, Maxime, te primos noſtros parentes ad exemplar tuæ ſapientiæ effinxiſſe, iisdemque ſanctitatis tuæ imaginem impreſſiſſe luculentiſſimam. Nihil iſthac animarum luce ſplendidius, nihil iſto decore pulcrius, nihil tam aperto bonitatis diuinæ pignore præſtabilius dici fingiue poteſt. Iacturam tam eximii doni, tam incomparabilis perfectionis, inſtigante diabolo & conſentiente homine, factam eſſe, acerbe lugemus, laruamque diaboli mentibus humanis inductam eſſe, toto pectore exhorreſcimus. At tibi, dulciſſime Ieſu, prolixas agimus gratias, quod fuſo ſanguine tuo ad recuperandam effigiem tuam viam nobis aperueris. Immitte, obſecro, cordibus noſtris Spiritum tuum, qui in iis lineas tuæ imaginis ducat & pingat, quo caſtis vitæ moribus te, bone Ieſu, nunquam non referamus!

# PARTIS II. THEOLOGIAE
## CAPVT II.
## DE
# PECCATO IN GENERE.

### Quæſt. I. *Quid eſt peccatum?*

*Peccatum* eſt aberratio a lege diuina.

*Vberius definitur:*

*Definitio peccati.*

*Peccatum* eſt aberratio a lege diuina, creaturas rationales obligante, culpabilis, & pœnam temporalem atque æternam inferens.

Probatur hæc definitio ex 1 Io. III, 4. vbi a S. Ioanne *peccatum* breuiter deſcribitur: Ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, *peccatum eſt dislegalitas.* Obſ. 1) Vox, ἀνομία, non vno modo vertitur. Deductum eſſe ab ἄνομος, certum eſt. Hoc vero adiectiuum, ἄνομος modo notare eum, qui ſine lege eſt, ſeu qui nullam legem habet, conſtat ex Rom. II, 12. 1 Cor. IX, 21. plerumque tamen ſceleratum & legibus contrariantem denotat. Vnde ἀνομία poſſet quidem eſſe ſtatus extra legem, vel *ſine lege*. In ſcriptura tamen, quod bene etiam annotat Dn. ERASM. SCHMIDIVS *in h. l.* nunquam iſto modo vſurpatum inuenitur; ſed ſemper ita, vt alpha ſit ἐναντιωτικὸν, ſeu aduerſatiuum, quo contrarietas quædam indicatur, reperitur. Vulgatus τὴν ἀνομίαν *iniquitatem* vertit. At plus inferre videtur *iniquitas*, quam *peccatum* in genere conſideratum. Nam omnis homo ſe libere *peccatorem* fatetur, *iniquum* vero dicere nonnunquam eru-

Digitized by Google

erubeſcit. Sunt, qui vna voce, *illegalitas*, interpretantur; ſed ea nec recepta a Latinis, nec ſatis clara eſt. Quin immo nomen *illex*, quo PLAVTVS vtitur, VALLAE idem eſt, quod *exlex*; quomodo cum priori ſignificatione ἄνομος conuenit, non autem cum poſteriori, quæ huius loci eſt. Idcirco a BEZA, ERASM. SCHMIDIO, & aliis redditur, *legis transgreſſio*. Verum hæc quoque verſio non ſatisfacit, & ad peccatum actuale potius reſtringit, quam peccatum originale quoque includit. Quibus omnibus conſideratis, a D. SEB. SCHMIDIO *in colleg. bibl. poſter. p. 135. dislegalitas*, *& contralegalitas* redditur, vt notet *diſconuenientiam cum lege*. Ceterum ἀνομία vna quidem vox eſt, virtualiter tamen duas vel plures continet. Plerisque theologis τὸ α, in ἀνομία, videtur eſſe ϛερητικὸν, ſeu priuatiuum, quorum de ſententia notat priuationem, tanquam genus analogicum peccati; differentia autem ſumitur a norma iuſtitiæ, nempe a lege, a qua peccatum deflectit. At vero obſeruat D. IO. ADAM OSIANDER *in theol. poſit. p. 262.* quod forma peccati conſiſtat *non in mera priuatione*, *ſed & contrarietate oppoſita legi.* Ideo peccatum definit, *per præuaricationem contra legem*, *a Deo datam & latam. l. c. p. 260.* Nos deſcripſimus peccatum per *aberrationem a lege*, per quam indigitatur quidem *priuatio*, *ſed non mera*, cum quædam aberratio a lege hoſtiliter & præfracte legi repugnet.

Obſ. 2) Definitioni priori, quæ genere analogico & differentia conſtat, prolixiorem adiunximus, vt exprimatur etiam *ſubiectum inhæſionis*, quod ſunt creaturæ rationales, ſiue intelligentes, angeli & homines, quibus lex diuina tum *inſcripta*, tum *præſcripta* eſt, vt voluntas earum libera intra bonitatis moralis limites contineatur; nec non *conſequens*, *reatus culpæ & pœnæ*. Nam peccatum non tantum eſt turpe & indecorum creaturæ rationali, quo ſenſu dicitur *culpabile;* ſed & creaturas peccantes pœnis temporalibus non minus, quam æternis obnoxias reddit.

### Quæſt. II. *Peccatum vnde deriuatur?*

*Etymologia.*

Peccatum dicitur a *pecco*, & hoc a latino nomine, *pecus*.

Prob. Nam *peccare*, eſt *more pecudum* ſine ratione agere. Conf. IVL. CAESAR SCALIGER, *c. 31. lat. lingu.* & BECMANN. *orig. lat. lingu. p. 818.*

### Quæſt. III. *Quot modis ſumitur vox, peccatum?*

*Homonymia.*

Peccatum *generatim* notat quamlibet *deflexionem a regula; ſpeciatim* deſignat deflexionem *a regula legis diuinæ*.

Prob. *Peccatum*, ſumtum ſenſu *generali*, pro varietate regulæ, a qua deflectit, variat. Sic aliud eſt *peccatum naturale*, v. gr. monſtrum; aliud *artificiale*, v. gr. ſtatua incongrue elaborata; aliud *morale*, quod ſumitur vel *in ſenſu ethico & politico*, *vel in ſenſu theologico*. *Politicis*, in foro *ciuili* verſantibus, peccatum eſt actio, a ſciente & volente, contra legem naturalem, gentium & ciuilem commiſſa. Peccatum originis, motusque appetitus internos, rationem anteuertentes, iidem vel ignorant, vel parum penſi habent. *Theologice* autem quælibet ἀνομία, ſiue dislegalitas, dicitur peccatum, ſiue illa ἀνομία ſit *originalis*, ſiue *actualis*, ſiue committatur ἄνευ προαιρέσεως, ex ignorantia & infirmitate, ſiue proficiſcatur ἐκ τῆς προαιρέσεως, ex deliberato animi conſilio.

### Quæſt. IV. *Quot modis theologice peccatum ſumitur?*

*Theologice* peccatum bifariam conſideratur 1) *abſtractiue*, quatenus ipſam dislegalitatem, ſeu diſcrepantiam a lege diuina notat; 2) *concretiue*, quatenus

 tum

Digitized by Google

tum dislegalitatem, tum *actum*, vel *habitum*, cui dislegalitas adhæret, ſignificat.

Prob. Furtum duo complectitur: a) ἀνομίαν ſ. diſcrepantiam a lege, b) extenſionem manus, qua contra legem inuito domino aliquid aufertur.

Quæſt. V. *Quæ eſt cauſſa peccati?*

*Cauſſa peccati.* Peccati, *abſtractiue* ſpectati, non datur cauſſa efficiens *phyſica* a). At, ſi conſideretur *concretiue*, omnino cauſſam efficientem *phyſicam* habet b).

Prob. a. *Cauſſa efficiens phyſica* eſt, quæ per actionem poſitiuam producit effectum realem & poſitiuum. At peccatum eſt defectus, non effectus: eſt priuatio, non ens poſitiuum: adeoque a nulla cauſſa, *phyſice* efficiente, ἡ ἀνομία proficiſcitur.

Prob. b. Peccatum, *concretiue* ſpectatum, eſt *actus*, vel *habitus*, cui ἀνομία adhæret; qui actus, vel habitus, cum ſit aliquid *poſitiuum*, vtique a cauſſa *phyſica* dependet, v. gr. percuſſionis illius, qua Habel eſt occiſus, cauſſa phyſica fuit Cain.

Quæſt. VI. *Quæ eſt cauſſa moralis peccati abſtractiue ſpectati?*

Cauſſa *moralis* peccati, *abſtractiue* ſpectati, eſt creatura intelligens, ad bonum determinata, cuius voluntas libera & mutabilis a lege diuina deflectit, atque adeo in agendo ſponte ſua deficit.

Prob. In genere *morum* cauſſa efficiens eſt, quæ τὴν ἀνομίαν, ſiue dislegalitatem, cum ſit defectus, reali & poſitiuo influxu non producit, eam tamen directe, vel indirecte *intendit*, vt illius intentionis intuitu ἀνομία ipſi imputetur, non ſecus, ac ſi reali influxu eam produxiſſet; v. gr. Si quis patrat actionem, cum qua ἀνομίαν coniunctam eſſe nouit, in genere *morum* dicitur *cauſſa* ipſius dislegalitatis, ſiue peccati, *abſtractiue* ſumti. Alii *cauſſam deficientem* appellare malunt, cum AVGVSTINO *lib. XII. de Ciuit. D. c. VI.* ſcilicet, quod, ſi præciſe in ordine ad ἀνομίαν agens conſideretur, non ratione alicuius influxus, ſed ratione alicuius in cauſſando *defectus*, ſeu quod non conformiter agit, eius *cauſſa* dicatur. Sane apoſtolus Ioannes diſerte inquit, 1 Epiſt. c. III, 4. Qui *facit* τὴν ἁμαρτίαν, ſ. peccatum, ſimul *facit* τὴν ἀνομίαν, ſiue contralegalitatem, ſcilicet hoc ipſo, quod facit τὸ ἄνομον, quod a lege diſcrepat. Iam vero creaturæ intelligentes, angeli & homines, a regula legis diuinæ deflectentes, *faciunt* τὸ ἄνομον, quod lege diuinæ difforme eſſe nouerunt. Ergo ipſis ἡ ἀνομία imputatur, perinde, ac ſi in ipſam dislegalitatem realem influxum præbuiſſent; ideo peccati, *abſtractiue* ſpectati, ſunt *cauſſæ morales*. Poſſunt tamen eædem creaturæ rationales vocari peccati *cauſſæ deficientes*, quia cum præciſe in ordine ad τὴν ἀνομίαν conſiderantur, non ob præſtitum in hanc poſitiuum influxum, ſed ob quendam in agendo defectum, aut aberrationem a regula. cauſſæ τῆς ἀνομίας denominantur. Inculcatur hoc in *Auguſtan. confeſſione, art. XIX. De cauſſa peccati docent, quod tametſi Deus creat & conſeruat naturam, tamen cauſſa peccati eſt voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum, quæ, non adiuuante Deo, auertit ſe a Deo, ſicut Chriſtus ait,* Io. VIII, 44. *Cum loquitur mendacium, ex ſe ipſo loquitur.*

Quæſt. VII. *Eſtne Deus cauſſa peccati?*

Deus neque eſt *moralis* a), neque *phyſica* cauſſa peccati b).

Prob. a. *Cauſſa moralis* peccati eſt, quæ illud intendit, vt ratione intentionis efficacis ipſi imputari queat: At Deus nullo modo peccatum intendit: Ergo. Minor probatur: 1) Deus eſt

eſt ſanctiſſimus & per eſſentiam bonus, Matth. XIX, 17. Ergo, ſalua ſanctitate & bonitate ſua malum intendere nequit.

2) Deus peccatum non vult: Ergo non intendit, vt illud committatur. *Antecedens* patet e Pſ. V, 5. 6. 7. *Non enim Deus approbans impietatem tu* (es), *non manebit apud te malus: non conſiſtent gloriabundi coram oculis tuis: Odiſti omnes operatores iniquitatis.* Deus tantopere peccatum deteſtatur, vt illud neutiquam approbet, ſed peccantes a communione gratiæ ſuæ excludat, eosque odio proſequatur. Sed qui peccatum tantopere improbat, vt delinquentes a communione gratiæ ſuæ excludat, in eosque odio ardeat, ille neque directe, neque indirecte intendit, vt peccatum ab vlla creatura perpetretur.

3) Deus neminem ad peccatum inſtigat, allicit, aut ſollicitat. Id quod apertiſſime docet S. Iacobus c. I, 13. *Nemo, quum tentatur, dicito; quia a Deo tentor.* Ὁ γὰρ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, *Deus enim non tentari poteſt a malis; vnde ipſe* (etiam) *neminem tentat.* Apoſtolus vtitur argumento magni ponderis: Quicunque adeo conſtanti & immutabili eminet ſanctitate, vt nulla tentatione ad malum ſe inſtigari permittat, is neminem ad malum ſollicitat: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* eſt manifeſta; quia ſanctitati eſſentiali & immutabili omnis ad malum directa tentatio tam actiua, quam paſſiua repugnat. Cui exoſa eſt omnis ad malum inſtigatio, is neque tentationem ad malum in ſe recipit, neque alium ad malum ſollicitat.

4) In ſpecie vero Deum non eſſe auctorem, aut cauſſam lapſus Adamitici, probatur: a) quia Deus hominem primum *imagine ſibi ſimillima* exornauerat, intimeque perfecerat, Gen. I, 26. 27. adeoque ad peccatum procliuem non creauerat. b) Cauſſæ lapſus Adamitici, referente Moſe, fuerunt *diabolus ſeducens & homo libere conſentiens*, Gen. III, 1. ſq. c) Peccatum Deus hominibus protoplaſtis *ſub comminatione pœnæ grauiſſimæ interdixerat.* Gen. II, 17. d) Commiſſum peccatum Deus *maximo ſupplicio vindicauit.* At, cuius Deus eſt vltor, illius non eſt auctor.

5) Peccatorum ortorum, ſiue e peccato primo ad poſteros deriuatorum, cauſſa non eſt Deus, ſed a) *diabolus*, qui in veritate non ſtetit & pater eſt mendacii, Io. VIII, 44. cui nihil prius aut antiquius eſt, quam mentes hominum excœcare, 2 Cor. IV, 4. in filiis incredulitatis operari, Eph. II, 2. eosque captiuos tenere, 2 Tim. II, 29.; b) *mundus iacens in maligno*, 1 Io. V, 19. quem qui diligit, in illo non eſt dilectio patris, 1 Io. II, 15.; c) *voluntatis inclinatio ad malum*, Rom. III, 12.; *concupiſcentia carnis*, a qua homines a bono abſtrahuntur & ad malum ineſcantur, Iac. I, 14.

Prob. b. Deum non eſſe *cauſſam phyſicam* peccati, *concretiue* ſumti, ſiue actus & habitus peccaminoſi, liquido conſtat; ſiquidem Deus, vt cauſſa vniuerſalis, ad omnes actiones creaturarum, adeoque etiam ad illas hominum actiones, *quæ* ſunt malæ, non autem *quatenus* ſunt malæ, concurrit: concurrit, inquam, ad actiones, prout ſunt motus phyſici illimitati & indifferentes, non prout ad certum obiectum ſunt determinati. Exinde fit, vt Deus, ob concurſum generalem & indeterminatum ad actiones hominum malas, harum cauſſa *phyſica* non dicatur. Ratio eſt: quia *determinatio & ſpecificatio actuum, & quæ ab his dependet denominatio, non eſt a cauſſa vniuerſali, ſed particulari.* Proinde hæc, non illa, motus inordinati vel irregularis cauſſa appellatur. Sic claudicantis inceſſus, in quantum eſt *motus*, dependet ab animæ facultate locomotiua, non autem quatenus eſt deformis & *inordinatus motus:* hic enim ab alia cauſſa forinſecus ſuperueniente, lapſu, contritione aut colliſione pedis proficiſcitur. Idcirco non anima aut eius facultas locomotiua, ſed pes luxatus, aut contuſus, cauſſa phyſica claudicationis appellatur. Pari ratione, cum fur extendit manum ad ſurripiendum bona aliena, illa extenſio manus tum a Deo, vt cauſſa vniuerſali, tum a fure, vt cauſ-



Digitized by Google

ſa particulari, dependet: a Deo; vt eſt actio indifferens & indeterminata: a fure; quatenus eſt actio determinata ad ſurripiendum bona aliena inuito domino. Quapropter actionis illius peccaminoſæ non Deus, ſed fur cauſſa phyſica denominatur; neque enim ille, ſed hic in agendo deficit.

*Antitheſis* eſt 1) veterum hæreticorum, *Simonis Magi*, *Valentinianorum*, *Manichaeorum*, *Marcionitarum*, *Priſcillianiſtarum*, quibus nulla fuit religio, Deum appellare cauſſam peccatorum: 2) *Socinianorum*, qui itidem Deum cauſſam peccati conſtituunt. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Deus homines indurat & excœcat: Ergo Deus eſt cauſſa peccati. *Conſequentia* patet; quia induratio & excœcatio eſt grande peccatum. *Antecedens* probatur ex Exod. VII, 3. Rom. IX, 18. Eſ. VI, 6. Reſp. Deus non indurat homines *cauſſaliter aut effectiue*, cordibus hominum duritiem immittendo, ſed *iudicialiter*, *permiſſiue & deſertiue*. Eſt enim induratio actus iudicialis, quo ob antegreſſam voluntariam & euitabilem malitiam Deus hominem habitualiter malum iuſte permittit ruere in ſcelera grauiora, eidemque gratiam ſuam ſubtrahit, & denique Satanæ poteſtati eum tradit, a quo in maiora ſubinde peccata propellitur, donec excidat finaliter iure hæreditatis cœleſtis. Vid. KOENIG. *theol. poſitiu. p. 98.* Præterea dici poteſt, quod Pharao a Deo induratus ſit primum ἐκβατικῶς, ſeu *euentualiter & occaſionaliter*: non perinde, ac ſi Deus propria intentione Pharaoni occaſionem indurationis obiecerit, ſed quia Pharao, dum neque ſtatim e vita ablatus, neque omnis eius vis penitus confuſa fuit, ex benignitate & longanimitate Dei, qua fœde abuſus eſt, arripuit occaſionem obdurandi animum ſuum. Vid. FRANZ. *de interpr. S ſcripturæ qu. 24. & 26.* Poſtea Deus Pharaonem indurauit δικαστικῶς ſeu iudicialiter. *Inſtantia.* Deus dicitur excitaſſe Pharaonem ad demonſtrandam ipſi potentiam ſuam. Rom. IX, 17. Ergo Deus eundem effectiue indurauit per internum impulſum. Reſp. 1) Non *excitatio ad indurationem*, ſed *conſeruatio vitæ*, more hebraico l. c. innuitur. Nam Exod. IX, 16. (e quo loco verba Paulli deſumta ſunt) vſurpatur verbum העמדתיך, ſtare feci te, i. e. non ſubito te percuſſi & e terra excidi, ſed te ſubſiſtere feci, vt meam potentiam humillime agnoſceres, ſeriamque peccatorum pœnitentiam ageres, atque adeo omnes gentes ad venerationem nominis mei inuitarentur. (*) 2) Pharao ſeipſum *effectiue indurauit*, Exod. VIII, 32.

II. Quicunque mittit hominibus efficaciam erroris, ille eſt cauſſa peccati: nam error in rebus fidei haud leue peccatum eſt. Atqui Deus &c. 2 Theſſ. II, 11. Ergo. Reſp. limitando: Quicunque *cauſſaliter & poſitiuo influxu* mittit hominibus efficaciam erroris, ille eſt cauſſa peccati; concedo. At Deus ſanctiſſimus, ob peccata hominum antegreſſa, mittit efficaciam erroris, partim *permiſſiue*, efficaces errores permittendo, partim *negatiue*, gratiam perficientem & cum pleno effectu illuminantem ſubtrahendo.

III. Qui-

(*) Id ita eſſe, tota verborum ſeries declarat, in primisque ſi Rom. IX, v. 17. cum 22. conferamus. Legatus Chriſti exemplum Pharaonis commemorat eo conſilio, vt illuſtret dictum generale, quo 1) mentionem facit de *ira* Dei, quæ nihil eſt aliud, quam iuſta vindicta. 2) prædicat omnem Dei lenitudinem *tarditatemque iræ*, & hæc quidem prorſus eo valet, vt peccanti homini, adhuc conſeruato ac tolerato, ſpatium deliberandi ac reſipiſcendi concedatur, vt tandem aliquando, Deum reueritus, ſe ad bonam frugem recipiat, 2 Petr. III, 9. E. illud העמדתיך, græce redditum, ἐξήγειρά σε, denotat conſeruationem vitæ, & eam quidem, quæ eſt tolerationis ac tarditatis iræ indicium, quo Deus hominem vult eo adducere, vt ipſum facti pœniteat. Præter ea Deus *obdurare* dicitur, quem ad modum Ieremias exſtirpare, perfringere, diruere, funditus euertere, non efficiendo, ſed prædicendo, Ierem. I, 10.

Digitized by Google

III. Quicunque hominem peccare iubet, is eſt cauſſa peccati: Atqui Deus &c. Ergo. *Minor* probatur, 1) exemplo Abrahami, cui Deus præcepit proprium occidere filium, Gen. XXII, 2.; 2) exemplo Simei, quem Deus iuſſit maledicere regi ſuo, 2 Sam. XVI, 10. quod permagnum eſſe peccatum conſtat ex Exod. XXII, 28. Reſp. Neg. min. Ad prius exemplum dicimus, quod Deus ſit auctor & dominus vitæ; cuius iuſſu, qui alteri vitam adimit, non peccat. At poſterius reſp. quod *peccatum* illud ſimul fuerit *pœna*, atque adeo *actio reſpectu Simei*, *paſſio reſpectu Dauidis*. Actio peccaminoſa profecta eſt a maleuolo Simei animo, & inſtigante diabolo; quam cum Deus præuideret, *dixit* (non eſt in fonte hebræo: *iuſſit*,) Simei, i. e. poteſtatem conceſſit, vt maledictione, quam ipſe inſtinctu diaboli animo conceperat, Dauidem exſulem affligeret, quo is eo magis ad peccati ſui agnitionem & deteſtationem redigeretur. Inde natus eſt verſus tritiſſimus: *Actio diſplicuit; paſſio grata fuit.*

IV. Quicunque nos inducit in tentationem, ille eſt cauſſa peccati. Atqui Deus &c. E. *Minor* patet ex Matth. VI, 10. vbi tentationes diuinas deprecamur. Reſp. Diſt. a) inter *tentationem probationis*, & *ſeductionis*. In illam, non in hanc Deus effectiue nos inducit. b) In tentationem *ſeductionis* Deus homines quidem induci *permittit*, ſed ad eam hoſtes animæ non impellit.

V. Quicunque vaſa iræ efficit, ille eſt cauſſa peccati. Atqui Deus &c. Rom. IX, 22. E. Reſp. Committitur ψευδερμηνεία. Nam vaſa iræ apparata ſunt ad interitum non a Deo (cum hoc contextus non doceat); ſed a ſe ipſis. Deus enim dicitur tolerare vaſa iræ. Quidquid aliquis tolerat, nec ipſe facit, nec vt ab aliis fiat, intendit.

VI. Quicunque hominem incitat ad ſuperbiam, ille eſt cauſſa peccati. Atqui Deus &c. E. *Minor* liquet ex 2 Sam. XXIV, 1. vbi Deus dicitur incitaſſe Dauidem ad numerandum populum. Reſp. Deus dicitur mouiſſe Dauidem ad numerandum populum non *efficaci ſuggeſtione*, ſed *iudiciali permiſſione*, in quantum poteſtatem conceſſit Satanæ, ob peccata antegreſſa, Dauidem inſtigatione ad peccatum puniendo. Nam a) 1 Par. XXI, 1. Satan dicitur inſtigaſſe Dauidem. Nimirum Deus *permiſſiue*; Satan *efficaciter*, & per ſe inſtigat. b) Verbum הסית in Hiphil ſignificationem permiſſiuam, quam locus parallelus exigit, commode admittit. c) Si Deus efficaciter inſtigauit, non pœnam, ſed laudem & præmia meruit Dauid, Deo obtemperando.

VII. Deus iuſſit Iſraëlitas ſpoliare Aegyptios, Exod. XI, 2. E. eſt cauſſa peccati. Reſp. Iſraëlitæ, quæ bona ab Aegyptiis abſtulerunt, non furati ſunt, ſed eadem ſupremus rerum Dominus pro mercede laborum, plurimis annis exhauſtorum, aſſignauerat. Neque priſtinos dominos experti ſunt inuitos, ſed faciles, conciliante Deo, & dominium in ipſos transferente.

Dicis: Commodatarius, rem ad certum vſum commodatam ſurripiens, furatur. Reſp. Niſi vel ſummi proprietarii, vel ſummi iudicis auctoritate aſſignetur poſſidenti.

VIII. Deus dicitur tradidiſſe gentes in impuritatem, Rom. I, 24. Ergo vt gentes viuerent impure, intendit. Reſp. Deus tradidit gentes in impuritatem, non mentes earum ad impuritatem impellendo, ſed ex iuſto iudicio illas propriis earum cupiditatibus *permittendo* & in poteſtatem Satanæ tradendo, qui ſpiritus impuriſſimus impuritatem ſubinde turpiorem ipſis inſtillauit.

IX. Quicunque decreto ſuo tradidit Dominum Ieſum Pilato, Herodi, Iudæis & crucifixoribus, vt ab ipſis illuderetur & occideretur, is eſt cauſſa peccati. Atqui Deus &c. Act. II, 23. Act. IV, 28. Reſp. 1) Diſt. inter *paſſionem* Chriſti & *actionem peccaminoſam Iudæorum*; 2) in-



Digitized by Google

2) inter *permiſſionem & approbationem.* Decreuerat quidem Deus, vt Dominus Ieſus per paſſionem acerbiſſimam genus humanum redimeret, Deoque reconciliaret, ſed ad actionem crudeliſſimam, ſiue crucifixionem Iudæos non impellebat. Poterat enim paſſio aliis fieri modis. Præuiſam tamen crucifixionem permittebat, permiſſam ad bonum finem dirigebat. Quare *crucifixio, quatenus actio Iudæorum immaniſſima fuit, neque impulſui diuino, neque decreto approbatiuo, ſed tantum permiſſioni & directioni diuinæ tribuenda eſt.* At quatenus crucifixio Chriſti *paſſiue* ſumitur, prout inſignis pars paſſionis Chriſti fuit, vtique Deo grata fuit & probata.

X. Deus tradidit vxores Dauidis in manus Abſolonis, vt cum iisdem concumberet, 2 Sam. XII, 11. 12. Ergo eſt auctor illiciti concubitus. Reſp. Inceſtus Abſolonis duo complectitur: 1) *malum morale, ſiue peccatum;* 2) *malum moleſtum, ſiue pœnam.* Malum *morale* Deus permiſit, vt Abſolon diabolo traditus, illud patraret: at direxit Deus illud malefactum in *pœnam* Dauidis grauiſſimam, quam adulterio cum Bathſeba erat promeritus. Quæ pœna eo maiorem in animo Dauidis excitauit pœnitentiam, quo aſperior fuit.

XI. Dicitur Deus malum facere. Nam *fecit malum in diem mali*, Prou. XVI, 4. Non eſt *malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Amos III, 6. Reſp. Diſt. inter *malum pœnæ & culpæ.* Deus facit gubernatione ſua, vt homini impio dies infelix contingat: & quod ſupplicium ciuitati peccatis immerſæ irrogatur, a Deo iuſtiſſimo immittitur.

### Quæ. VII. *Num Deus pie & recte dicitur cauſſa peccati per accidens?*

### Deus *neque pie, neque vere* dicitur *cauſſa* peccati *per accidens.*

Prob. 1) Quia origo peccati plane non eſt reducenda in Deum, ſed in cauſſam particularem in agendo deficientem, ſiue a regula legis aberrantem. Peccatum enim formaliter eſt defectus, non effectus. Ergo neque per ſe, neque per accidens proficiſcitur a Deo, in agendo perfectiſſimo.

2) Deus *neque peccati primi, neque orti cauſſa per accidens eſt.* Nam ſi peccatum *primum* Deo imputandum foret, *vel* ideo ipſi imputaretur, quia homini primo liberum arbitrium concreauit; *vel* ideo, quod lapſum hominis præuidit, neque tamen impediuit. Atqui *neutro modo* Deus pie & vere dicitur *cauſſa peccati per accidens:* non modo *priori;* quia cauſſa per accidens ab influxu actuali, non a conceſſa peccandi potentia remotiſſima denominationem accipit: non modo *poſteriori;* quia ob præuiſionem peccati nemo ipſius cauſſa per ſe, aut per accidens dicitur. *Impedimento* autem *morali* ſufficienti Deus peccatum cohibitum iuit, legem protoplaſtis præſcribendo, & comminationem ſeueriſſimam annectendo. At *impedimentum phyſicum* & violentum peccato obiiciendum nulla lege adſtringitur (*). Neque peccati *orti* cauſſa per accidens Deus eſt. Nam illud eſt *tum originale, tum actuale.* At Deus non eſt cauſſa per accidens peccati *originalis;* quia iſtud propagatur per generationem parentum: neque peccati *actualis;* quia illius cauſſa eſt diabolus & peruerſa hominis voluntas.

3) Phra-

(*) Ac ne poteſt quidem fieri, niſi Deus vellet *aut* omnibus viribus omnique facultate agendi hominem priuare, vt ne bene quidem agere ipſe valeat (id vero & bonitati diuinæ, & naturæ hominis morali aduerſaretur); *aut* miracula toties facere, quoties homo ſua agendi facultate male vteretur (atque hoc ſapientiæ diuinæ eſſet contrarium).

Digitized by Google

3) Phraſis illa: *Deus eſt cauſſa peccati per accidens*, repugnat a) *ſanctitati diuinæ.* Nam ſi Deus eſſet cauſſa per accidens iniuſtitiæ, per accidens iniuſta faceret. b) Repugnat *ſapientiæ diuinæ*, cauſſa quippe per accidens dicitur, quæ præter intentionem effectum producit, ſiue id fiat per ignorantiam, ſiue per incogitantiam. At quidquid Deus facit, ſapientiſſimo decreto & prouida intentione facit.

4) Phraſis illa non eſt neceſſaria. Nam veteres doctores eccleſiæ ſolide illa ſcripturæ dicta explicarunt, quæ nobis obiiciuntur, neque tamen Deum vocarunt cauſſam per accidens.

*Antitheſis* eſt *quorundam Theologorum*, quibus phraſis illa: Deus eſt cauſſa per accidens peccati, non videtur improbanda (*). Quorum conſiderabimus argumenta:

I. Quicunque permittit peccatum (**), quod impedire poterat, is eſt cauſſa peccati per accidens: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* probatur; quia permiſſio facit cauſſam mora-

(*) Cauſa *per accidens* variis quidem modis definiri ſolet. *Aut* ita: ſi quis inſcius atque improvidus efficiat quidquam, aliud agendo, caſu quodam interueniente, v g. quando lignicida, non circumſpiciens, ſecuri percutit occiditque aliquem, a tergo ſtantem. Quis vero auſit dicere, Deum vlla in re, vel neſcientem, vel negligentem atque incautum verſari? *Aut* ad hunc modum: ſi quid accidens adhæreat *vel* ipſi *cauſæ* efficienti (vt, ſi artis muſicæ peritus quisquam ad ædificium exſtruendum ſua manu aliquid conferat; ſic *proprie* ac ſtricte dicitur cauſa per accidens, id quod plane non poteſt ad Deum & hominis peccatum adcommodari); *vel effectui* cauſæ, & quidem præter, immo contra huius voluntatem & conſilium (cuiusmodi eſt, ſi quis vir bonus filium degenerem generabit; ita vero *improprie* nomen *cauſæ* adhibetur). Hinc iudicant nonnulli noſtratium Theologorum, in his b. HIER. KROMAIERVS, in ſua *theol. poſit. polem.* p 326. propter *impropriam*, atque adeo ambiguam nominis ſignificationem, ab iſta loquutione abſtinendum eſſe. At enim, ſi accurate loqui velimus, *nullo* prorſus *modo* vocari poteſt *cauſa* per accidens, quam illi ita *improprie* dictam volunt exiſtimari. Ad omnem enim *cauſam* efficientem, quocunque ea nomine veniat, ſiue per ſe, ſiue per accidens efficientem, requiritur *efficax* quædam *operatio*, ad hunc ipſum effectum apta ac directa, ſiue, vt vulgo dici ſolet, influxus cauſalis. Quod ſi igitur accidens aliquid nequaquam ſit conſentaneum, immo vero contrarium cauſæ cuidam efficienti, eiusque operationi; certe hæc cauſa ad illud accidens, aliunde eueniens effectum, nulla omnino ratione referri poteſt. Fac, machinæ cuidam, adfabre conſtructæ, per iniuriam hominis nequam hoc accidere, vt ea corrumpatur ac deſtruatur: quis, quæſo te, artificem ipſum putarit, quacunque demum μετωνυμίᾳ, dicendum eſſe illius corruptionis, aut deſtructionis *cauſam per accidens*, quum ipſe machinam quidem illam optimo ſane conſilio effecerit, ad illud autem accidens, eiusque effectum, ne minimum quidquam contulerit? Quidquid non eſt *cauſa accidentis*, illud neque *effectus* illius, qui *ex accidente exoritur*, *cauſa* eſt, aut dici poteſt.

(**) Hoc, quod nobis aduerſarii opponunt, valde ambigue dictum eſt, ideoque diſtincte explicandum. Scilicet *quatuor* modis poteſt intelligi, ſi quis dicatur actionem quamdam permittere. *Permittere*, eſt 1) veniam dare alicui in re quadam, impune licita ac honeſta, certis tamen terminis & cautionibus circumſcripta (ſunt enim leges aliæ quidem præcipientes actionem neceſſariam atque imperatam, aliæ autem permittentes actionem vtilem ac licitam, v. gr. Geneſ. IX, 3. 1 Cor. VII, 25 VIII, 8. 9. Rom. XIV, 2. 14. 20.): 2) non curæ habere actionem alienam, qua quis neque violatur, neque delectatur, & quæ omnino ad ipſum non pertinet; fac igitur, vtcumque libet, per me licet: 3) peccanti non obſiſtere impedimentis moralibus, legibus, rationibus, hortationibus, promiſſionibus, comminationibus, vt 1 Sam. III, 13. 4) non impedire ac prohibere peccantem violento coactu, quamuis nec potentia, nec poteſtas deſit, ſed tolerare iniuſte agentem, ac pœnam, ei denuntiatam, ad tempus differre, Rom. II 4. 5. 2 Petr III, 9. Non *prima* ſignificatio eſt huius loci, nec *ſecunda*, nec *tertia*; ſed *quarta.* Deus *permittit peccatum* tolerando, nec violenter impediendo, hominemque obtorto quaſi collo ad bonum trahendo, Pſ. LXXXI, 13. Act. XIV, 16. interea tamen indigne ferendo, quæ eſt poteſtas verbi, ὑπεριδὼν, Act. XVII, 30. Dixeris fortaſſe: Si Deus *permittit* peccatum, ergo *vult* illud? Omnis enim per-

Digitized by Google

ralem. Reſp. Neg. maior; quia nuda permiſſio alicuius facti nullam cauſſæ denominationem infert, niſi quis teneatur id impedire. At, qui factum non impedit, ſed permittit, quod impedire & tenebatur & poterat, is facti illius commiſſi cauſſa per ſe (in genere morum), non per accidens eſt. Quæ autem lex adſtringere poteſt Deum ad impediendum peccatum? Sane numen ſanctiſſimum ſatis validis præſidiis muniuerat primum hominem ad declinandum lapſum. Quid? quod impedimentum legale peccato oppoſuerat. Ad ſufflamen violentum obiiciendum non obligabatur, ex quo homo priſtinas vires, quas imago Dei complectebatur, voluntario liberi arbitrii abuſu deperdiderat.

II. Qui peccatoribus ſubtrahit gratiam, qua peccatum auerti poterat, is eſt cauſſa peccati per accidens: Atqui Deus &c.: Ergo. *Maior* patet: quia cauſſa remouens & prohibens eſt cauſſa per accidens. Reſp. 1) Neg. mai. Nam qui gratiam ſuam, qua quis abutitur, ſubtrahit, is ſequentium peccatorum cauſſa neque per ſe, neque per accidens eſt. Deus, vt iudex iuſtiſſimus, delinquentibus eam ſubtrahit gratiam, qua turpiter ſunt abuſi. 2) Deus non omnem gratiam conuertentem ſubtrahit peccatori. Nam relinquitur peccatori gratia conuerſiua, præueniens, & pulſans, per legem inſitam & ſcriptam. Quin patet etiam aditus ad euangelium & ſacramenta. 3) Si Deus ita ſubtraheret gratiam ſuam peccatori, vt eam ſubtractionem neceſſario conſequeretur peccatum, quemadmodum ſubtractionem columnæ neceſſario ſequitur caſus lapidis, columnæ incumbentis; cauſſa peccati *per ſe* foret, non per accidens.

III. Quicunque pœnam differt, peccatis debitam, is eſt cauſſa peccati per accidens: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* conſtat exemplo magiſtratus, qui, dum peccata impune graſſari ſinit, ea alit & roborat. Reſp. Quicunque pœnam peccatis debitam differt *ex negligentia & conniuentia*, ille eſt cauſſa peccati. At Deus pœnam differt ea intentione, vt longanimitate homo ad pœnitentiam agendam inuitetur, Rom. II, 4.

IV. Qui alit & ſuſtentat peccatorem, is eſt cauſſa peccati per accidens: Atqui Deus &c. Ergo. Reſp. Qui alit & ſuſtentat peccatorem, quatenus peccat, is eſt cauſſa peccati moralis. At Deus alit & conſeruat hominem, quatenus eſt creatura, cui adhæret peccatum, cuius origo vindicanda eſt cauſſæ particulari & proximæ in agendo deficienti, non cauſſæ primæ & vniuerſali ſapientiſſime & perfectiſſime agenti.

V. Quicunque ordinat & dirigit peccata ad bonum finem, is eſt cauſſa peccatorum per accidens: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* patet; quia ex malo bonum per accidens elicimus. *Minor* conſtat exemplo Ioſephi, cuius perſecutionem Deus direxit in bonum finem. Gen. L, 20. Reſp. 1) Quicunque peccata, tanquam *media, ab ipſo deſtinata*, ad bonum finem dirigit, ille peccatorum cauſſa per accidens eſt; concedo. At Deus peccata, non vt media ad finem *per ſe* ducentia, deſtinauit, ſed quia præuidit, ea certo euentura eſſe, ad finem bonum eadem prouehit. 2) Ordinatio diuina ad finem, peccata non facit, ſed iam facta ſupponit.

VI. Cum

*permiſſio* eſt actio quædam liberæ *voluntatis*. Reſp. *Vult* certe; *quid* vero vult, & *quatenus*? Id nimirum, quod ipſe permittit, & quatenus id permittit; hoc eſt, non peccatum *committi* vult, ſed illud *tolerare*, vsque ad diem iudicio dictum, niſi homo reſipuerit, nec vim ad illud impediendum adhibere. Idcirco Theologi quidam ſapienter diſtinxerunt hæc duo: Aliud eſt, Deus *volens permittit*; aliud, *permittens vult* peccatum. Non hoc poſterius eſt exiſtimandum, tamquam Deus permittens vellet ipſum peccatum, quatenus eſt peccatum; ſed prius illud, quando quidem Deus non inuitus, neque impotens, ſed pro liberrima voluntate ſua, ac poteſtate, permittit ac ſinit hominem peccare, quatenus hoc permiſſum eſt inſigne documentum admirabilis tolerationis ac lenitudinis diuinæ.

Digitized by Google

VI. Cum cuius effectu, per ſe intento, coniungitur effectus alius, non intentus, ille eſt cauſſa per accidens iſtius effectus, non intenti. Atqui cum effectu Dei intento &c. Ergo. *Maior* patet ex definitione cauſſæ per accidens. *Minor* liquet; quia omnes actiones humanæ dependent a Deo, tanquam cauſſa prima, cum quibus peccata, a Deo non intenta, cohærent. Reſp. Cauſſa per accidens rite explicanda eſt. *Effectus non intentus* dicitur, qui præter intentionem euenit ob ignorantiam, inaduertentiam aut impotentiam agentis. At Deus eſt omniſcius, omniſapiens, & omnipotens, qui peccatum actioni creaturæ, quam ſuſtentat, adhærere præuidet, idque tum prohibendo, tum pœnas interminando, impedire intendit; præviſum tamen peccatum violento medio non inhibet, quia neque ex creatura rationali irrationalem facturus, neque remedia extraordinaria adhibiturus eſt, cum remedia ordinaria peccator petulanter reiiciat.

VII. Cauſſa cauſſæ eſt etiam cauſſa cauſſati: Atqui Deus eſt cauſſa liberi arbitrii, ceu cauſſæ peccatorum: E. & ipſorum peccatorum cauſſa eſt. Reſp. *Maior* valet de cauſis eſſentialiter ſubordinatis. Sed liberum arbitrium & peccatum non cohærent eſſentialiter, ſed hoc ab illius eſt *abuſu*. Certe angeli, in bono confirmati, habuerunt a primo creationis momento liberum arbitrium, neque tamen peccarunt.

VIII. Si verbum Dei eſt cauſſa peccati per accidens, vtique ipſe Deus poteſt eſſe cauſſa peccati per accidens. Antecedens eſt verum. E. & conſequens. Conſequentia *maioris* eſt clara: quia verbum Dei eſt conceptus mentis Dei. At quidquid menti diuinæ accidit, ipſi Deo accidit. *Antecedens* probatur, quia verbum Dei per accidens eſt *odor mortis ad mortem*, 2. Cor. II, 15. Reſp. Verbum Dei eſt cauſſa intermedia, Deus cauſſa principalis. Non omne, quod de cauſſa intermedia dicitur, de cauſſa principali affirmari poteſt. Neque *verbum Dei* accurate dicitur *cauſſa peccati per accidens*, licet impiis ſit odor mortis ad mortem; quia *non euangelium* quenquam perimit, ſed ipſius *contemtus*.

IX. Chriſtus eſt *lapis offenſionis per accidens*, Rom. IX, 32. E. eſt cauſſa peccati per accidens. Reſp. Chriſtus homines non actiue per accidens offendit, ſed ſumſerunt Iudæi ſcandalum ex prædicatione & cruce Chriſti.

Quæſt. VIII. *Quis eſt peccator?*

Peccator eſt creatura rationalis, voluntate libera prædita, & legi diuinæ ſubiecta, ab hac in faciendo & omittendo aberrans a). Eſtque vel angelus lapſus b), vel homo viator c). *Peccati ſubiectum quod.*

Prob. a. Sola creatura *rationalis* eſt capax legis diuinæ. Ergo illa ſola eſt capax peccati. Antecedens conſtat ex eo, quod lex diuina data & lata eſt illis creaturis, quæ legem diuinam cognoſcunt, & quarum libertas arbitrii, ne euagetur vltra decorum, legum frenis cohibenda eſt.

Prob. b. *Angeli lapſi* vocantur peccatores, 2 Petr. II, 4. Deus *angelis, qui peccarunt, non pepercit.* Sed de peccato angelico hic vberius agere nil attinet, cum in hac parte II. theol. conſideretur homo peccator ad Deum reducendus.

Prob. c. *Non eſt homo, qui non peccet*, 1 Reg. VIII, 46. Nempe peccatores ſunt omnes homines viatores tam protoplaſti, quam eorum poſteri, carnali generatione ab ipſis deſcendentes, vt ſolus excipiatur Chriſtus, Hebr. VII, 26.

Quæſt. IX. *Num etiam in bruta cadit peccatum?*

In *bruta*, ob defectum intellectus & liberæ voluntatis, non cadit peccatum proprie dictum.



Digitized by Google

Prob. Beſtiæ, vti nec legis diuinæ, nec ſanctitatis ſunt capaces; ita peccati ſunt expertes. Dantur in iisdem ſimulacra virtutum & vitiorum, non veræ virtutes aut vitia: nam omnibus ad agendum requiſitis neceſſario agunt citra προαίρεσιν. Dicis: Beſtiæ ſunt capaces *pœnæ:* Ergo & *peccatorum.* Reſp. *Pœna* ſumitur vel *materialiter & phyſice*, pro *qualicunque paſſione dolorifica, vel moraliter & formaliter, pro paſſione dolorifica, præſupponente culpam.* Priori, non poſteriori ſenſu, beſtiæ dicuntur pœnis affici, v.g. Geneſ. IX, 5. Proprie enim loquendo pœnæ irrogantur iis creaturis, quas penes ſtetit, quo minus peccarent.

Quæſt. X. *An tam anima, quam corpus peccati ſedes eſt?*

*Peccati ſubiect. quo.* *Primaria ſedes* peccati eſt *anima*, cum ſuis facultatibus, actibus & habitibus a). *Secundaria ſedes* eſt *corpus* b).

Prob. a. Sicut imago Dei principaliter *animam* hominis integri ſapientia & iuſtitia perfecit: ita peccatum, quod in locum imaginis diuinæ ſucceſſit, primum animam ſtultitia & iniuſtitia infecit. Facultates animæ ſunt intellectus & appetitus, tam rationalis (voluntas), quam ſenſitiuus. At hæ facultates potiſſimum a lege diuina deflectunt: intellectus per ignorantiam, opinionem & errorem; voluntas per electionem boni non veri, ſed apparentis; appetitus ſenſitiuus per cœcum impetum in bonum, ſenſibus iucundum quidem, ſed lege diuina vetitum.

Prob. b. *Corpus* hominis organicum animæ peccatrici in delinquendo inſeruit. Ex quo Paullus moralem immunditiem diſtinguit in *inquinationem carnis, & ſpiritus*, 2. Cor. VII, 1. Scortator in proprium corpus peccat, 1 Cor. VI, 18, membra impiorum ſunt inſtrumenta iniuſtitiæ, Rom. VI, 13.

Obſ. I. Terminis philoſophicis hæc doctrina ſequenti ratione proponitur. *Materia in qua, ſeu ſubiectum* peccati, ſunt tum angeli lapſi, tum homines. Reſpectu hominis, *ſubiectum* peccati eſt vel *totale*, vel *partiale*. *Totale* eſt totus homo, a peccato denominationem vltimato accipiens. *Partiale* eſt vel *primarium*, vel *ſecundarium*. *Primarium*, ſeu πρῶτον δεκτικόν, eſt anima, cum ſuis potentiis ſeu facultatibus: *ſecundarium* eſt corpus.

Obſ. II. Per *materiale* peccati, *abſtractiue* ſumti, a theologis plerumque non homo, aut anima, ſed id, quod cum ἀνομίᾳ coniunctum eſt, intellegitur, ſiue ſit connata qualitas, ſiue habitus acquiſitus, ſiue actus a lege aberrans. v. gr. In peccato originali ſubiectum ἀνομίας eſt concupiſcentia, in furto eſt extenſio manus ad bona aliena.

Obſ. III. *Materiale peccati eſt vel remotum, vel proximum.* *Remotum* eſt *actio* conſiderata *generatim*, vt motus phyſicus indeterminatus: *proximum* eſt *actio ad obiectum lege divina prohibitum applicata*, vel determinata, v. gr. Cum fur extendit manum, extenſio manus eſt motus phyſicus indeterminatus: At extenſio manus ad rem furtiuam, eſt materiale proximum peccati. Ad *materiale* peccati *remotum* concurrit Deus; quia largitur tantum motum *in genere*, & ſuſtentat creaturam in agendo: motum ipſum autem *non determinat ad hanc vitii ſpeciem.*

Quæſt. XI. *Quæ eſt regula, vel norma, a qua peccatum deflectit?*

*Norma peccati.* Norma *primaria* & *adæquata*, a qua peccatum deflectit, eſt *lex diuina*, eaque *naturalis*, ſeu *moralis*, mentibus hominum protoplaſtorum inſcripta a), ſed per lapſum ipſorum ita obliterata, vt exiguæ eiusdem poſt lapſum manſerint reliquiæ b). Ideoque a Deo per ſpeciales reuelationes, patriarchis factas, ſubinde repetita, & tandem in monte Sinai ſolemniter *promulgata* eſt, cuius ſumma continetur in *decalogo*, & paſſim in ſacris litteris clarius explicatur c).

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. Lex naturalis præcipit ea, quæ per ſe honeſta, & prohibet ea, quæ per ſe turpia ſunt. Per ſe turpia ſunt peccata, creaturæ rationali indecora. Obligat hæc lex naturalis omnes homines ad obedientiam, aut, ſi hæc abſit, ad pœnam, tum quia auctorem habet Deum ſapientiſſimum, optimum & potentiſſimum, omnium hominum creatorem & dominum: tum quia præcipit ea, quæ creaturæ rationali, quatenus tali, conueniunt, prohibetque ea, quæ illi diſconueniunt. Vocatur eadem lex *moralis*, quia mores hominum dirigit, & ad nutum voluntatis diuinæ componit (quamuis lex *moralis*, interdum *ſpecialiter* ſumta, tantum notet legem extrinſece promulgatam). Ceterum lex naturæ, cum imagine Dei inſcripta protoplaſtis, non potuit non iisdem eſſe notiſſima. Collata quippe ipſis erat eximia ſcientia principiorum, & facultas eadem ad ſingulas actiones & actionum circumſtantias applicandi.

Prob. b. Per lapſum primorum parentum amiſſa eſt illa legis naturæ inſitæ pars, quæ prohibet & arguit peccata interiora, nempe peccatum originis, primos motus & prauas cogitationes. Inde fit, vt hodie lex naturæ inſcripta non ſit norma adæquata ſingula peccata cognoſcendi. Sane ipſe Paullus non, niſi ex lege ſcripta (quæ diſertis verbis dicit: Non concupiſces Deut. V, 21.), cognoſcere potuit, quod concupiſcentia ſit peccatum Rom. VII, 7. Quare probe diſtinguendum eſt *inter cognitionem peccatorum aliqualem & confuſam*, quæ habetur poſt lapſum etiam, ex lege naturæ inſita (*nam gentes, quæ legem* (Moſis ſcriptam) *non habent, natura ea, quæ legis ſunt, faciunt: hi licet legem non habeant, ſibi ipſis lex ſunt: quippe qui demonſtrant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*); *& inter cognitionem peccatorum plenam & diſtinctam*, quæ ex lege diuinitus præſcripta petenda eſt. Ceterum *lex naturalis inſcripta, & moralis præſcripta, eadem eſt materialiter, quamuis ab ea formaliter differat*. Nam illa congenita, hæc legi naturæ congenitæ ſuperaddita eſt ad illius defectum ſupplendum, & ad oſtendendum æternæ mortis reatum, qui peccatum indiuulſe comitatur.

Prob. c. Deum inde ab exordio mundi vsque ad diluuium, deinde a Noacho vsque ad Moſen, legem naturalem patriarchis declaraſſe, accurate docet CHEMNITIVS *L. de leg. Dei p. 20. Decalogus autem, in monte Sinai ſolemniter promulgatus, ſummam legis naturæ ſingulari breuitate exhibet*, Exod. XX., ſuccincte complectens, quidquid ad dilectionem Dei & proximi pertinet. Quare lex Sinaitica in decalogo velut epitome legis naturalis comprehenſa, & in ſacra ſcriptura paſſim clarius explicata pro præſenti tempore nobis adæquata regula & amuſſis eſt, bona & mala opera dignoſcendi & diiudicandi. Hanc reſpexit Paullus, Rom. III, 20. inquiens: *Ex lege eſt agnitio peccati* (tam theoretica, quam practica). Loquitur enim de illa lege, quæ coniuncta eſt cum lege prophetarum, v. 21. & legi fidei contradiſtinguitur, v. 27.

Quæſt. XII. *An etiam lex diuina poſitiua, & humana, norma peccati eſt?*

*Norma ſecundaria* & *particularis* cognoſcendi peccata eſt *lex diuina poſitiua* a) & lex *humana*, lata a magiſtratu b), niſi hæc contrarietur legi diuinæ c).

Prob. a. Lex *diuina poſitiua* verſatur circa ea, quæ neque moraliter bona, neque mala forent opera, niſi liberrima Deus voluntate ea præcepiſſet, aut prohibuiſſet. Proinde lex diuina poſitiua obligat non omnes homines, neque perpetuo (*), ſed illos tantum, qui-

Rrr 2 bus

(*) Lex diuina, quæ quidem *poſitiua* appellari ſolet, recte diuiditur in *communem*, ſeu, vt plerumque loquuntur, *vniuerſalem*, & *particularem*. Illa ad omnes pertinet homines, hæc non item. In paradiſo lata lex, de arbore vetita, *poſitiua* quidem erat, at ea tamen *communis*, qua Adamus & Heua non ſolum vt *homines*, ſed etiam vt *primi* homines & *communes parentes* vniuerſi hominum generis, erant obligati, quocirca & ipſorum delictum vniuerſæ ipſorum poſteritati iure tribuitur.

Digitized by Google

bus eſt præſcripta, & quamdiu ex voluntate Dei illa viguit: cuiusmodi erat lex paradiſiaca de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, vt & lex cærimonialis & forenſis V. T. Cuius legis poſitiuæ obligatio fundatur in lege naturæ, quæ præcipit Deo in omnibus obtemperandum eſſe; qui ſecus facit, peccat.

Prob. b. Lex *humana*, lata a magiſtratu, obligat mediate, eo, quod fundatur in lege diuina, quæ præcipit, magiſtratui morem eſſe gerendum.

Prob. c. *Si lex humana* contrarietur legi diuinæ, valet illud apoſtolicum, Act. V, 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Quæſt. XIII. *Vtrum actiones humanæ, quibus lex Dei moralis violatur, per ſe ſunt malæ? an ideo tantum, quod Deus libera voluntate eas lege ſua prohibuit?*

Actiones humanæ, quibus lex Dei *moralis* violatur, *per ſe* ſunt malæ; & licet de iis fugiendis nulla lex Dei ſcripta exſtaret, natura turpes, minime autem indifferentes forent.

Prob. 1) Lex *naturalis* inſcripta, & *moraliter* præſcripta, materialiter eadem eſt. At lex naturalis prohibet id, quod per ſe turpe eſt.

2) Odium Dei, blaſphemia, periurium, impietas in parentes, adulterium &c. non ideo peccata ſunt, quia lege ſcripta vetantur; ſed ideo lege prohibentur, quia æternæ legi, quæ eſt in Deo, nimirum ſapientiæ, ſanctitati, & iuſtitiæ Dei eſſentiali aduerſantur (*).

*Antitheſis* eſt *Durandi & aliorum Scholaſticorum*, ſtatuentium, nullos actus humanos per ſe eſſe malos, ſed tantum ideo cenſeri peccaminoſos, quod lege diuina vetiti ſunt. Obiiciunt:

I. Si peccatorum norma adæquata eſt lex Dei moralis; nulla actio humana per ſe mala eſt, ſed ideo tantum, quod Deus libera voluntate eam lege ſua prohibuit: Atqui prius eſt certiſſimum: Ergo & poſterius. Conſequentia *maioris* probatur; quia Deus nulla neceſſitate coactus, nulla obligatione deuinctus, legem ſuam tulit, ſed eandem libera voluntate, qua voce, qua ſcripto promulgauit, vt hominibus conſtaret, quid moraliter bonum, quid malum eſſet. Tolle hanc legem, & ſtatim pones indifferentiam; *ſi enim non eſt lex, non eſt transgreſſio,* Rom. IV, 15. Reſp. 1) Liberum quidem Deo fuit, legem ſuam hominibus præſcribere; at poſito, quod illam ferre voluerit, aut tulerit, non potuit non ſanctam, iuſtitiæque ſuæ conformem legem ferre. At peccatum iuſtitiæ diuinæ aduerſatur. 2) Si vel maxime non exſtaret lex Dei ſcripta, inſita tamen naturæ lex dictaret, peccata ſaltim exteriora per ſe eſſe turpia, propterea quod creaturæ rationali, quatenus tali, disconueniunt.

II. Peccatum eſt ἀνομία. Ergo non iuſtitiæ diuinæ, ſed legi, libera Dei voluntate latæ, opponitur. Reſp. Peccatum opponitur *immediate legi*, *mediate iuſtitiæ diuinæ*, cuius expreſſa quaſi imago lex eſt. *Lex eſt principium peccati manifeſtatiuum*; *ſed ſanctitas Dei eſt principium boni radicale, cui peccatum repugnat.*

III. Si peccata per ſe mala forent; Deus nec Abrahamo immolationem Iſaaci, nec Iſraëlitis ſpoliationem Ægyptiorum præcipere potuiſſet: At & hanc, & illam præcepit: E. Reſp. Vita humana, & bona fortunæ (vti vulgo vocantur) pendent a dominio diuino. Quando ergo ſummus vitæ & facultatum dominus iubet alteri vitam, aut opes, grauibus de cauſſis adimere, neque homicidium, neque furtum committitur.

Quæſt.

(*) Immo etiam *humanæ naturæ* penitus aduerſantur, & leges *naturales* ideo ſic nominantur, quoniam actiones, ad conſeruationem naturæ hominum humanæque ſocietatis neceſſarias, præcipiunt, eique contrarias vetant. Quum enim Deus, qua eſt benignitate, humanam naturam ita, nec aliter, condere voluerit, non potuit alias, quam illi conuenientes, atque adeo neceſſarias leges ſancire. Contrarium fieri non poterat, eſſet enim manifeſta repugnantia.

Digitized by Google

Quæſt. XIV. *In quo formaliter conſiſtit peccatum?*

Peccatum *formaliter* conſiſtit in priuatione conformitatis cum lege diuina, ad quam ſeruandam homo obligatur. *Forma peccati.*

Prob. Moſes deſcribit peccatum *per non permanentiam in omnibus, quæ præſcripta ſunt in lege*, Deut. XXVII, 26. Et Ioannes per ἀνομίαν, *dislegalitatem.* Vterque innuit, peccatum eſſe priuationem conformitatis cum lege diuina, ad cuius perfectam obedientiam homo per dependentiam a creatore obligatur. Eſt itaque peccatum defectus rectitudinis moralis, homini adeſſe debitæ, vel abſentia imaginis Dei, qua homo, vi intentionis diuinæ, exornatus eſſe debet. Ceterum peccatum eſt *priuatio* quidem *vera*, ſed non *mera;* quia non tantum hominem a voluntate Dei, lege declarata, auertit; ſed & eidem aduerſatur. Neque tollitur tantum peccato rectitudo debita, ſed ponitur etiam determinatio ad actus, lege prohibitos, indebita, & inordinata animæ diſpoſitio, quæ ſane aliquid *poſitiuum morale* eſt.

Dicis: Non omne peccatum eſt ἀνομία, ſiue aberratio a *lege;* ſed datur etiam peccatum, quod eſt aberratio ab *euangelio*, nimirum ἀπιστία, ſiue incredulitas in Chriſtum, quam lex non prohibet, quia nihil de Chriſto nouit. Reſp. 1) Diſt. *inter legem ſolam, ſiue ſeorſim conſideratam, & lumine euangelii colluſtratam.* Lex ſola nihil nouit de fide, aut ἀπιστία in Chriſtum, colluſtrata tamen luce euangelii eandem prohibet & damnat. 2) *Incredulitas conſideratur vel ratione ſui generis*, vel *ratione certi obiecti.* Priori modo non, niſi ad *legem* referri poteſt ac debet: poſteriori modo, obiecti loco, reſpicit vel Deum, tanquam legislatorem, vel, iuxta *euangelium*, obiecti loco habet Chriſtum mediatorem. Hic reſpectus non mutat *genus incredulitatis*, ſed tantum *obiectum* variat, ita, vt incredulitas, licet directe in Chriſtum feratur, tamen impingat in primum decalogi præceptum, quod iubet Deo credere, quocunque modo, ſiue vt creator & conſeruator, ſiue vt legislator, ſiue vt redemtor conſideretur.

Quæſt. XV. *Num τὸ ἑκούσιον, ſiue voluntarium, ipſam peccati definitionem ingreditur?*

Peccati, *generatim* conſiderati, definitionem non ingreditur τὸ ἑκούσιον, ſiue *voluntarium.*

Obſ. I. *Voluntarium dicitur peccatum vel ſubiectiue*, quatenus voluntati inhæret, *vel efficienter*, prout a voluntate deliberata proficiſcitur. Poſteriori modo non omne peccatum eſt voluntarium.

Obſ. II. *Voluntarium* dicitur peccatum vel *formaliter*, quod propria voluntate committitur; vel *virtualiter*, quod voluntarium fuit in generis humani radice & ſtirpe, a qua propagatum eſt in poſteros; quorum eadem fuiſſet voluntas, quæ Adami, ſi cum hoc eodem tempore vixiſſent.

Prob. 1) Quia Ioannes ſimpliciter definit peccatum per ἀνομίαν, non per ἀνομίαν *voluntariam.*

2) Quia præter peccata voluntaria dantur etiam inuoluntaria, nempe infirmitatis & ignorantiæ, de quibus infra.

3) Peccatum originis in poſteris Adami non eſt voluntarium, ſed iis connatum.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, 2) *Socinianorum*, qui peccatum definiunt per *voluntariam legis transgreſſionem.* Innituntur iidem dicto Iacobi, c. I, 15. *Concupiſcentia poſtquam concepit, parit peccatum; peccatum vero, quando conſummatum, parturit mortem.* Vbi conceptio peccati notat conſenſum voluntatis. Addunt auctoritatem AVGVSTINI, qui L. *de v. relig.*



Digitized by Google

*relig. cap 14.* ſcribit: *Vsque adeo peccatum eſt voluntarium, vt nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium.* Reſp. Vterque loquitur de peccatis actualibus, iisque non omnibus, ſed proæreticis & actu mortiferis (*).

Quæſt. XVI. *Quis eſt finis peccati?*

*Finis peccati.*

*Finis* peccati, proprie loquendo, non datur a): interim tamen *diabolus, inſtigando* hominem ad peccatum, creatoris offenſionem, hominis miſeriam & ignominiam, regnique ſui incrementum intendit b); *homo* autem *peccans* reſpicit aliquod bonum apparens c).

Prob. a. *Finis*, & *bonum*, idem ſunt materialiter. Tantum autem abeſt, vt *finis* peccati *vere bonus* ſit, vt potius hominem a fine ipſi debito, qui eſt fruitio ſummi boni, auocet.

Prob. b. Sicut *inuidia diaboli mors* (ſtipendium peccati) *ingreſſa eſt in mundum*, Sap. II, 24.: ita diabolus, inuidia in Deum & hominem æſtuans, & Deo ægre facere, & hominem perdere, & regnum ſuum augere connititur, dum hominem ad peccandum ſollicitat.

Prob. c. Non deficeret peccator a Deo ſummo bono, eiusque lege, niſi ſpecies boni apparentis ipſi abblandiretur. Neque enim appetitus fertur in malum, quatenus tale, ſed in bonum verum, aut apparens.

Quæſt. XVII. *Quodnam eſt conſequens peccati?*

*Conſequens peccati.*

*Conſequens* peccati eſt *reatus culpæ* & *pœnæ.*

Quæſt. XVIII. *Quid eſt culpa, & reatus culpæ?*

*Reatus culpæ.*

*Culpa* eſt fœditas, vel deformitas moralis ex actu legi difformi & creaturæ rationali indecoro reſultans, atque per modum turpis maculæ peccatori adhærens. *Reatus culpæ* eſt obligatio, qua homo, propter actum, legi morali difformem, ſub peccato & macula quaſi conſtrictus tenetur, vt ab illo actu peccator deteſtabilis cenſeatur & denominetur.

Obſ. I. *Actus* legi difformis, qui peccatum dicitur, tranſit; at *culpa* manet & peccatori adhæret, v. gr. Propter actum adulterii, ſemel commiſſum, homo ſub macula adulterii ita conſtrictus tenetur, vt ab actu iſto adulter abominabilis habeatur & dicatur.

Obſ. II. *Culpa* differt a *pœna.* Nam illa præcedit, hæc ſequitur; culpa meretur pœnam, pœna culpæ debetur, eiusque quaſi ſtipendium eſt, Rom. VI, 23.; culpa a voluntate proficiſcitur, a pœna voluntas peccatoris abhorret; culpam peccator contrahit agendo, pœnam ſuſtinet patiendo.

Probatur fœditas peccati: Quam fœda macula ſit peccatum, cuilibet liquet conſideranti, quam indecorum ſit creaturæ rationali, a lege, naturæ inſcripta, & in ſcriptura diuina præſcripta, deflectere. Id quippe nil aliud eſt, quam, pecudum more, ſine ratione agere, ordinem diuinum conturbare, & in offenſam ſummi iudicis ac vindicis cœco impetu incurrere.

(*) Regula oppoſitionis probe obſeruanda eſt. Iacobus, in loco citato, cupiditatem vitioſam non *peccato* opponit, ſed *peccato voluntario*, cum deliberatione perpetrato, atque adeo iam *conſummato*, quatenus eſt voluntarium, immo iam conſummatum. Eſt autem illecebra, ad peccatum perpetrandum alliciens. E. cupiditas illa eſt initium peccati continuati & conſummati: E. & peccatum eſt, primusque gradus peccati conſummati, atque ad extremum vsque gradum perducti.

Digitized by Google

rere. Vid. Pſ. XIV, 1. 3. Rom. III, 11. ſqq. Cum autem non *ſit homo, qui non peccet*, 1 Reg. VIII, 46. *totus mundus reus* eſt Deo. Rom. III, 19.

Quæſt. XIX. *Quid eſt pœna & reatus pœnæ?*

*Pœna diuina* eſt malum moleſtum, quo Deus iudex offenſus culpam antegreſſam, & nondum remiſſam vindicat a), vt iuſtitiam ſuam demonſtret b) & ſuam maieſtatem, legisque auctoritatem a contemtu aſſerat c). *Reatus pœnæ* eſt obligatio, qua peccator a Deo, iudice irato, obſtrictus tenetur, ad ſuſtinendam vindictam culpæ, non remiſſæ d). *Reatus pœnæ.*

Prob. a. Deus eſt *peccatorum vindex*, 1 Theſſ. IV, 6. qui nocentem, citra præſtitam ſatisfactionem, non abſoluit, Exod. XXXIV, 7. propterea, quod *mala facientes digni ſunt morte*, Rom. I, 32.

Prob. b. Irrogatio pœnarum iuſtitiæ diuinæ *ἀνταποδοτικῇ*, retributiuæ, adſcribitur 2. Theſſ. I, 6. *Iuſtum eſt apud Deum retribuere afflictionem.* Et τῇ δικαιοκρισίᾳ, iuſto Dei iudicio, tribuitur, reddere vnicuique ſecundum opera ipſius afflictionem & anguſtiam animæ, malum operanti, Rom. II, 5. 6. 9. Id propter impiorum condemnatio iuſta dicitur, Rom. III, 8.

Prob. c. Peccator denegat Deo cultum debitum; denegat obſequium legi diuinæ. Qua atroci iniuria laceſſit Deum ad irrogandum ſupplicia, vt maieſtatem ſuam a contemtu aſſerat, & auctoritatem legis ſuæ ſartam tectam præſtet. Id indicat propheta Samuel, regem Saulem grauiter alloquens: *Repudiaſti verbum* Iehouæ, *& repudiauit* te Iehouah. 1 Sam. XV, 26.

Prob. d. Reatus pœnæ proxime fundatur in comminatione, legi diuinæ annexa, Gen. II, 17. Deut. XXVII, 26. Non poteſt igitur Deus, ſalua veritate & iuſtitia ſua, citra præſtitam ſatisfactionem, peccatum impunitum dimittere.

Obſ. I. Deſcribitur pœna per *malum moleſtum*, vt diſtinguatur a *malo morali*. Ad hoc procliuis eſt voluntas hominis peccantis, illud peccator ſubit contra voluntatis inclinationem. Malum moleſtum vocatur etiam *malum paſſionis*. Hinc pœna ſuccincte definitur, quod *ſit malum paſſionis, inflictum propter malum actionis.* Conf. SAMVEL. PVFFENDORFF. *de I. N & G. libr. VIII. c. III. p. 1046.*

Obſ. II. Accurate diſtinguenda eſt *pœna* (græce τιμωρία) *a caſtigatione, vel afflictione* Dei *paterna* (*), quæ in ſacris litteris *crucis* nomine venit. Pœna eſt *malum moleſtum culpæ nondum remiſſæ vindicatiuum*, inflictum *a Deo irato iudice.* At afflictio fidelium, licet prima fronte videatur malum moleſtum & acerbum, *non* tamen eſt malum *vindicatiuum culpæ*, neque infligitur a Deo, *iudice irato*, ſed eſt *malum medicinale, immiſſum a Deo patre propitio, quo vel fides probatur, vel vita emendatur.* Quæ caſtigatio paterna eſt 1) δοκιμασία, ſiue *probatio*, qua hominis innocentis (innocentia cauſſæ, non perſonæ, quæ in ſolo Chriſto eſt) profectus

(*) Etiam a *iudiciaria caſtigatione*, quæ homini 1) delinquenti atque improbo, 2) nondum reſipiſcenti, infligitur a Deo 3) iudice quidem, ſed 4) adhuc placando ac reconciliando, 5) ea mente, vt homo correctionem admittat, & cum reditus ad gratiam ipſi adhuc pateat, moderata hac caſtigatione vtatur ad euitandam perniciem æternam. Ex qua definitione facile cognoſcitur, quomodo *iudiciaria caſtigatio* differat tum a *pœna*, proprie ſic dicta, tum a *caſtigatione paterna.* Dicta huc citanda ſunt, 1 Corinth. V, 5. XI, 32. vbi *παιδεια* quædam diſerte dicitur actus Dei iudiciarius. Conſectarium hoc erit: In hac vita, quum homo *tempore gratiæ* nunquam ſit excluſus, nulla eſt *pœna*, proprie ſtricteque ita nominata; eſt autem *caſtigatio iudiciaria.*

Digitized by Google

fectus fidei, dilectionis, ſpei & patientiæ, in ſchola Dei examinantur & probantur, Sap. III, 5. 6. Huiusmodi crux fuit tentatio Abrahami, carcer Ioſephi, calamitas Iobi. Huc etiam pertinet 2) τὸ μαρτύριον, *ſiue paſſio dolorifica, quæ infertur fidelibus ab hoſtibus veritatis cæleſtis, ob perhibitum religioni orthodoxæ teſtimonium:* 3) παιδεία, *diſciplina aliquanto aſperior*, qua Deus reconciliatus peccatorem conuerſum caſtigat, vt ipſum emendet, & a relapſu deterreat. Sic Dauid, rex Iſraëlitarum, adulterii veniam conſecutus, haud vna calamitate diuinitus immiſſa premebatur, vt in poſterum non carni, ſed Deo mancipatus viueret.

Quæſt. XX. *Quotuplex eſt pœna peccati?*

*Diuiſio pœnæ peccati.* *Pœna multiplex* ob peccatum homini a Deo iuſtiſſimo irrogatur. Diſtingui poteſt pœna peccati 1) in *temporalem*, & *æternam* a): *illa* vindicatur a Deo culpa in hac vita; *hæc* in inferno ſine fine infligitur: 2) in *poſitiuam*, ſiue *ſenſus*, qua homo impius multis magnisque doloribus adficitur, & *priuatiuam*, ſiue *damni*, qua iuſto Dei iudicio peccatori bona animæ, corporis & fortunæ auferuntur b): 3) in *perſonalem*, ſiue *priuatam*, qua vnus coërcetur peccator, & *communem*, ſiue *publicam*, quam plures, eiusdem criminis ſocii, luunt c).

Prob. a. Subiuerunt pœnam *temporalem* Miriam, lepra infecta, Manaſſes in carcerem coniectus, latro in crucem actus, multique alii, quibus poena temporalis fuit ſtimulus ad agendam pœnitentiam. At qui nec agnoſcunt Deum, nec obediunt euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, illi pœnam luent, interitum æternum, 2 Theſſ. I, 8. 9.

Prob. b. Pœnarum *priuatiuarum* agmen ducit *mors, ſtipendium peccati*, Rom. VI, 23. Eſt autem *mors* vel *ſpiritualis*, quæ eſt ſeparatio animæ a gratioſo Dei conſortio, defectum omnium virium ſpiritualium inferens; vel *corporalis*, quæ eſt ſeparatio animæ a corpore abeuntis; vel *æterna*, quæ eſt ſeparatio a viſione & fruitione Dei beatifica (*). Mortem ſpiritualem ſequitur mors corporalis & æterna. Nam ſimulatque anima a gratioſo Dei conſortio & influxu ſeparata eſt, corpus morti ſubiectum eſt propter peccatum, Rom. VIII, 10. & anima rea facta eſt æternæ mortis. Ceterum *pœna priuatiua nunquam non eſt coniuncta cum pœna poſitiua.* Conf. D. HVLSEMANN. in *breu. enucl. p. 1101.*

Prob. c. *Pœnæ quædam ſunt communes, quædam perſonales.* Pœnæ *communes*, ob delicta atrocia, pluribus, eiusdem criminis ſociis, immittuntur, ſuntque vel *vniuerſales*, quæ toti naturæ humanæ communes ſunt, nempe defectus imaginis diuinæ, mortalitas, labor ſudorificus; vel *nationales*, quæ toti nationi obtingunt, cuiusmodi ſunt graues illæ pœnæ, λιμὸς, λοιμὸς καὶ πόλεμος, fames, peſtis, bellum, quibus integra ſæpenumero natio infeſtatur: vel *particulares*, quæ impiorum cœtui, in vrbibus, aut agris congregato, incutiuntur, quales Sodomæ, Gomorræ, Adamæ & Zeboim diuinitus immittebantur. Pœnæ *perſonales*, ſiue ſingulares, ſunt vel *animi*, vel *corporis*, vel *fortunæ*, quas Deus, omnis mali

(*) Primum de *diuiſione* hac tripartita ſentio, quamuis maxime vſitata ſit, minime tamen adcuratam eſſe. Non enim corporeum & ſpirituale æterno opponuntur; ſed hæc duo, aut *temporale*, aut *æternum*, ſunt oppoſita. Conſtituendum eſt igitur genus bipartitum, atque ad prius referendæ ſunt duæ ſpecies. Temporale enim omnino duplex eſt, vel quod corpori, vel quod ſpiritui, cum corpore conſociato, accidit. Deinde, quod ad *definitionem* attinet, mihi quidem videtur metonymica eſſe hæc definitio. Proprie *mors corporalis* non tam ſeparatio eſt, quam conſequens; eſt nimirum defectio omnium virium agendi, ſeque mouendi, orta ex ſeparatione animi, ex corpore diſcedentis. Itaque *mors ſpiritualis* eſt defectio omnium virium, recte ac voluntati diuinæ conuenienter cogitandi, volendi, agendi, orta ex ſeparatione hominis, prorſus a Deo abalienati, Epheſ. IV, 18. Eius continuatio perpetua, atque extrema miſeria, ſine vlla ſpe reconciliationis & coniunctionis cum Deo, eſt *mors æterna.*

Digitized by Google

mali oſor & vltor, pro ratione delictorum ſingulis peccatoribus infligit; harum exempla quotidie ſenſibus humanis ſunt obuia.

Quæſt. XXI. *An Deus peccata peccatis punit?*

Quamuis quibusdam peccatis, ob antegreſſa delicta, externus reſpectus punitiuus a Deo, offenſo iudice, accedat: impropria tamen, nec vnquam imitanda eſt eorum locutio, qui aſſerunt, *Deum peccata peccatis punire* (*).

Prob. 1) Pœnarum cauſſa eſt iuſtitia Dei vindicatiua, Rom. II, 5. 6. 2 Theſſ. I, 6. At tantum abeſt, vt iuſtitia diuina ſit cauſſa peccatorum, vt hæc iuſtitiæ diuinæ plane ſint aduerſa & exoſa.

2) Si Deus peccata peccatis puniret, peccata cordibus hominum immitteret: nam pœnas immittere Deus vere dicitur: At prius eſt falſum: Ergo & poſterius.

Dicis: I. Deus puniuit adulterium Dauidis rebellione filii Abſolonis: Ergo puniuit peccatum peccato. Reſp. Rebellio Abſolonis aduerſus patrem Dauidem duo complectitur: 1) *malum morale*, ſiue actum legi difformem, patratum ab Abſolone; 2) *malum moleſtum*, ſiue paſſionem dolorificam, quæ, dirigente Deo, ceſſit Dauidi in pœnam adulterii commiſſi vindicatiuam. Ad rebellionem Abſolonis, quæ fuit actus moraliter malus, Deus cauſſaliter aut efficienter non concurrit, ſed actum illum peccaminoſum tantum permiſit. Paſſio autem, quam Dauid ſuſtinuit, non fuit peccatum, quia tantum malum moleſtum, non autem morale fuit. Nimirum *actio* Deo *diſplicuit*, *paſſio grata fuit*, vti PROSPER olim cecinit.

Dicis: II. Deus contumacem Pharaonis inobedientiam puniuit induratione, quæ grande fuit peccatum: E. Deus peccatum peccato punit. Reſp. Deus indurauit Pharaonem non poſitiuo influxu duritiem animo Pharaonis immittendo: ſiquidem Pharao ipſe cor ſuum induraſſe dicitur, Exod. VIII, 11. ſed tantum indurationem permittendo, & iuſto iudicio gratiam emollientem, pertinaciter reiectam, ſubtrahendo. Quapropter non *induratio*, ſed *permiſſio indurationis* & ſubtractio gratiæ, proprie loquendo, pœna Pharaoni a Deo inflicta fuit. At neque permiſſio, neque ſubtractio gratiæ peccatum eſt. E. Deus peccatum peccato non puniuit.

Quæſt.

(*) Nihil quidem obſtat, quo minus imitemur, dum modo recte interpretemur, iſtam dicendi rationem, vtpote quam aperte palamque profiteri non dubitarunt Maiores noſtri in *Declar. Form. Conc. art.* XI. *pag.* 820. & cui ſimillima quædam exſtat in ſacris litteris, Rom. I, 26. 28. &, multorum ſententia, cum tota orationis cohærentia maxime congruente, Ezech. XX, 24. 25. 39. Cautione igitur opus eſt, atque adcurata interpretatione. Quippe verbum נָתַן, vt & græcum παρέδωκεν, obtinet interdum poteſtatem *iudicialem*, vti plane adparet ex Ieſ. XLII, 24. Ierem. XXV, 31. Ezech. XVI, 27. XXI, 29. Matth. XVIII, 34. 2 Pet. II, 4. Atqui peccatum grauius, ſi alia peccata fuerint antegreſſa, dupliciter debet conſiderari, partim vt *actio* legi contraria, cuius culpa hæret in homine, nequaquam Deo tribuenda; partim vt *vindicta* actionis; & duobus quidem modis. Deus peccata, ſiue potius hominem propter peccata, peccatis punit, 1) permittendo *aliorum peccata*, huius hominis peccatum vindicantia, vt, per quod quis peccat, per idem puniatur & idem, quæ eſt pœna talionis, quem ad modum Deus furem fure, latronem latrone punit, verba ſunt *Catech. mai. pag.* 464: 2) infligendo *peccanti ipſi* vulnera animi ac morſus conſcientiæ perturbatæ, ex peccatis cumulate auctis. In peccato enim voluntario vno quoque duo ſunt, adcurate diſcernenda, quorum quidem alterum eſt *voluptas* peccati præſens, dum peccatum committitur (ſic homines ſunt, quibus hoc adſeritur: παρέδωκαν ἑαυτοὺς, Epheſ. IV, 19.); alterum vero *onus* peccati, ſentiendum deinceps, peccato perpetrato & conſummato (ita vero Deus παρέδωκεν αὐτοὺς, vt ipſe vim peccati, tamquam per legem animati, 1 Corinth. XV, 56. Rom. V, 13. 20. 21. VII, 8. 9. 10. nunc ſtimulantis, pungentis, mordentis, in hominibus excitet; quæ anxietas conſcientiæ eſt profecto quouis tortore terribilior).



Digitized by Google

Quæſt. XXII. *Poteſtne reatus culpæ & pœnæ tolli?*

*Reatus culpæ* & *pœnæ* a peccato eſt inſeparabilis a). Separatur autem a perſona peccante, non prout peccatis indulget, ſed quatenus veram pœnitentiam agit b), & ſincera fide ſatisfactionem Chriſti, pro genere humano præſtitam, apprehendit, atque adeo a Deo, iudice propitio, iuſtificatur c).

Prob. a. Peccatum per ſe eſt fœdum & abominabile, Pſ. XIV, 3. & maledictioni diuinæ ſubiectum, Deut. XXVII, 26. Quare, ſicut peccatum commiſſum reddi nequit infectum: ita nunquam immune a reatu eſſe poteſt.

Prob. b. Relaxat Deus vinculum reatus, peccatum peccatori reſipiſcenti remittendo, hoc eſt, ad pœnam non imputando. Dauidi, confitenti peccatum, huius iniquitas remittebatur, i. e. iuſtus & culpa vacans ille reputabatur, Pſ. XXXII, 5. Serui pœnitentis & deprecantis miſertus eſt rex cœleſtis, remiſitque illi culpam & pœnam, Matth. XVIII, 26. 27.

Prob. c. Remittit Deus peccatum non abſolute, citra vllam ſatisfactionem; ſiquidem iuſtitia Dei vindicatiua pœnam peccatis promeritam exigit, vel a peccante, vel a peccantis ſponſore, Chriſto, cuius paſſionem ſatisfactoriam, qui vera ſibi fide applicat, iuſtificatur, i. e. a reatu culpæ & pœnæ abſoluitur. Docet hoc Paullus, Rom. III, 23. 24. 25. *Omnes peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei: Iuſtificantur autem gratis gratia ipſius per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine in demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ.* Ex quo ὀδὲν κατάκριμα, *nihil condemnationis eſt in iis, qui ſunt in* Chriſto Ieſu, Rom. VIII, 1.

*SVSPIRIVM.*

Erigere oculos in cœlum, & expandere manus meas coram maieſtate tua, o Deus ſanctiſſime, vix ſuſtineo. Quoties enim peccata mea, & numero plurima, & grauitate maxima, memoria recolo, quoties culpam contractam ad normam legis tuæ exigo, quoties pœnas, peccatis promeritas, penſito; toties paueſcit animus, ſtupeſcit mens, contremiſcunt artus. Summam auctoritatem nominis tui, quam ſanctiſſime reuereri debebam, læſi: legem, quam præſcripſiſti, violaui: mandata, quæ dediſti, ſpreui. Hinc pudor, hinc dolor & lacrymæ. Quo me vertam, mœrore oppreſſus? Ad quod confugiam aſylum? Quem inquiram, aut inueniam fontem ſolatii? O miſericordia cæleſtis, reſpice me miſerum! O pietas, parce debitori maximo! O clementia, admitte deteſtantem peccata ſua! Noli auerti a me, dum ego conuertor ad te. Fateor, me eſſe reum mortis. At quantum timeo mortem propter peccata mea, tantum ſpero vitam propter meritum tuum, o Ieſu, vita vitæ meæ! Expunge, obſecro, debita mea ſanguine tuo! Exſolue me, pœnis temporalibus & æternis! Inſtrue me viribus ſpiritualibus, vt in poſterum non carni, non diabolo, ſed tibi mancipatus, æternum viuam!

# THEOL. PARTIS II. CAP. III.
## DE
# PECCATO HOMINVM PRIMO ET ORIGINALI.

Quæſt. I. *Quomodo diuiditur peccatum?*

Peccatum diuiditur in *primum*, & *a primo ortum*. Peccatum *primum* eſt vel *abſolute* primum, vel primum *in genere humano*. *Abſolute* primum eſt ἀποστασία angelorum, qui originem ſuam non retinuerunt: primum *in genere humano* eſt lapſus hominum protoplaſtorum in paradiſo.

Quæſt.

Quæſt. II. *Quid eſt peccatum hominum primum?*

Peccatum *hominum primum* eſt transgreſſio legis paradiſiacæ, qua homines protoplaſti interdictum diuinum de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, a diabolo perſuaſi, & libertate voluntatis abuſi, violarunt, inque ſe & poſteros ſuos, ordine naturæ ex ſe propagandos, amiſſa imagine diuina, grandem culpam, & reatum pœnæ temporalis atque æternæ deriuarunt. ***Peccatum hominum primum.***

Obſ. I. In ſacris litteris peccatum primum vocatur transgreſſio Adami, Rom. V, 14. Et inobedientia vnius hominis, per quam peccatores conſtituti ſunt multi, Rom. V, 19.

Obſ. II. A *Scholaſticis* peccatum hoc primum appellatur *peccatum originis originans*, & quæ intima naturæ humanæ corruptio ex eodem fluxit, dicitur *peccatum originis originatum.* At ſedulo notandum eſt, quod primordiale peccatum reuera ſit *actuale & indiuiduale, quod noſtrum ſit moraliter & imputatiue:* At peccatum, quod ex illo manauit, & communiter *originale* dicitur, eſt *habituale, hæreditarium & vniuerſale, ſitque noſtrum per naturalem generationem.*

Quæſt. III. *Quæ eſt cauſſa peccati primi?*

*Cauſſa* peccati *primi* non eſt Deus a), ſed diabolus ſuaſor b), & homo, transgreſſor legis diuinæ, perſuaſione diaboli victus, & libertate arbitrii abuſus c). ***Cauſſa peccati primi.***

Prob. a. 1) Deus condidit hominem rectum, Eccl. VII, 29. valde bonum, Gen. I, 31. imagine Dei coruſcantem, Gen. I, 27. 2) Peccatum primum homini ſeuere interdixit, ſub comminatione grauis pœnæ, Gen. XVII. 3) Hominem lapſum aſperrimis ſuppliciis mactauit, Gen. III, 26. ſqq. E. Deus nullo modo cauſſa primi peccati fuit.

Dicis: I. Si Deus primo homini eam admenſus fuiſſet gratiæ menſuram, qua omne peccatum vitare, & quamcunque tentationem ſuperare potuiſſet, nunquam fuiſſet lapſus. E. Deus, non conferendo tantum auxilium, lapſum hominis, quem præuiderat, voluiſſe videtur. Reſp. Imago Dei, in qua conditus erat homo, ſufficientes vires complectebatur ad declinandum peccatum, & vincendam quamlibet tentationem. Ad maius ſuppeditandum auxilium Deus nulla lege, nullo pacto obligabatur. Poterat ſapientiſſimus naturæ opifex primum hominem æquiſſimo iure compellare: *Sufficiat tibi gratia mea.*

Dicis: II. Si primus homo ſufficientes a Deo vires accepiſſet, ad ſuperandam quamlibet tentationem, non ſuccubuiſſet tentationi diabolicæ. Reſp. Sufficientes vires ad ſuperandam tentationem quamcunque Deus homini contulerat; at voluntatem ipſius ad bonum, vt huic immutabiliter adhæreret, non determinauerat, ſed conceſſerat ipſi libertatem arbitrii ad bonum & malum; ita tamen, vt, vi imaginis diuinæ, qua præditus erat, voluntas eius prona ferretur in bonum, & ad *malum tantum ipſi eſſet potentia remota, ſiue potentia repugnantiæ.* Libertatem autem arbitrii indulſerat Deus, tum vt hominis conſtaret ſpontaneum obſequium, tum vt præmia creator conferret in hominem libere obſequentem.

Prob. b. Diabolus appellatur *homicida ab initio & pater mendacii*, Ioh. VIII, 44. Non poſſet autem eſſe cædis aut mortis humanæ cauſſa, niſi eſſet cauſſa primi peccati; cum homines ante peccatum fuerint immortales, mors autem per peccatum intrauerit in mundum. Rom. V, 11. Idem dicitur *pater mendacii*, quia mentiendo homines a fide & obſequio, Deo debito, abſtraxit. Neque enim *coëgit protoplaſtos ad peccandum medio violento, neque vt cauſſa phyſica errorem mentibus ipſorum infudit;* vtrumque enim tum ſtatui integritatis repugnat, tum vires diaboli excedit, quippe, qui non potuit illabi in mentem & voluntatem Euæ, illamque actione phyſica flectere aut determinare: ſed *fraudulentis ſuaſionibus* Euam aggreſ-



Digitized by Google

ſus ad peccandum pellexit. Egit autem ille hoſtis vaſerrimus in ſerpente magis calumniatorem, aut impoſtorem, quam oratorem. 1) Conatus eſt diabolus mulieri perſuadere, quaſi nuditas ipſius & mariti res nimis turpis eſſet. Cum autem perſuadere non poſſet turpitudinem hominibus, peccati expertibus, finxit, ex defectu ſcientiæ id illos non deprehendere: eſſe autem arborem in medio horto, quæ comedentibus tantam ſcientiam boni & mali datura eſſet. 2) Quia Deus hominibus eſum illius arboris interdixerat, auſus eſt Deum ſanctiſſimum inſimulare inuidiæ, perinde, ac ſi guſtum arboris amœniſſimæ, ad pariendam ſcientiam accommodatiſſimæ, inuideret. *Dixit enim ad mulierem: Etiam hoc* (ex inuidia eſt), *quod dixit Deus, non comedetis de omni arbore horti,* Gen. III, 1. Qua calumnia inſidias ſtruxit Euæ, ne firmam in beneuolentia Dei fiduciam collocaret. 3) Auſus eſt Deum accuſare mendacii, aperte ipſius verbo contradicendo: *Non moriendo moriemini,* Gen. III, 4. 4) Inescavit mulierem blanda promiſſione eminentioris conformitatis cum Deo, & excellentioris ſcientiæ, quam cum imagine Dei protoplaſti acceperant. 5) Vacillantem Euam vicit blanditiis porrecti fructus delicatiſſimi.

Prob. c. Primum peccauit Eua, non intellectu ſimplicior Adamo, ſed voluntate facilior. Quæ cum non eſſet omniſcia, ignorantia ſimplici neſciebat, vtrum collocutor angelus bonus, an malus ſub ſerpente deliteſceret: nam ſerpentem naturalem loquendi facultate carere, ſciebat. Forte credidit, angelum bonum loqui e ſerpente, eumque legem, antea promulgatam, quæ perquam rigida videbatur, aut emollire, aut penitus abrogare. Etenim cum dæmon verbo diuino contradiceret, inquiens: *non moriendo moriemini;* confeſtim ſimulabat, ſe eſſe amicum Dei, conſcium arcanorum Dei. Addebat igitur ſuæ aſſertioni rationem: *Quin nouit Deus, quod, quo die comederitis de eo* (fructu), *aperientur oculi veſtri: tumque eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum;* perinde, ac ſi argumentaretur: *Cuius arboris fruitionem ſequetur excellentior ſcientiæ gradus, & aſſimilatio cum Elohim illius effectus non erit mors. Atqui arboris ſcientiæ &c. Ergo.* Mota hoc argumento Eua non credidit, certo futuram comminationis diuinæ exſecutionem, aut obligationem ad mortem: quin potius obuerſabatur animo partim promiſſum a dæmone bonum apparens, videlicet obtinenda per eſum fructus vetiti propior & plenior aſſimilatio cum Deo, atque inſignis ſapientiæ acceſſio, partim iucunditas arboris, quam cum affectu oblectationis aſpexerat, neque fruſtra eandem a Deo conditam eſſe perſuaſa erat. Atque adeo, victa ſuaſu diaboli, comedendo peccauit, & maritum Adamum in ſocietatem peccati traxit.

Quæſt. IV. *Quo inſtrumento diabolus in ſeducendo primo homine vſus eſt?*

*Cauſſa inſtrumentalis.* Diabolus in ſeducendo primo homine ſerpente vero & naturali a), a ſe corporaliter obſeſſo b), velut inſtrumento vſus eſt.

Prob. a. De *ſerpente* ſcribit Moſes Gen. III, 1. *Verum enim vero ſerpens factus eſt aſtutus* (per Diaboli ingreſſum) *præ omnibus feris agri, quas fecerat* Iehouah Deus. Serpentem hunc *verum & naturalem* fuiſſe colligitur 1) *ex naturali calliditate,* cum comparatus cum beſtiis agri, his dicitur fuiſſe aſtutior. Quam calliditatem ſerpentinam Chriſtus ipſe non reticet, Matth. X, 16. 2) *Ex inflicta pœna,* quæ ſerpenti per reptionem ſuper terram, & comeſtionem pulueris ſuſtinenda eſt, Gen. III, 14. (*)

Prob.

(*) Ingenue fateor, mihi magis ſe commendaſſe eorum ex Noſtratibus ſententiam, qui ſerpentem non naturalem atque a diabolo agitatum intelligunt, ſed *perſonatum,* nempe ſolum diabolum, ſerpentis forma, ac forſitan prorſus ſingulari, nondum viſa, indutum. Argumentis probantibus nitor his in primis: 1) Verborum ſeries tota vnum dumtaxat ſubiectum indicat, neque vlla diſtinctione ſignificatur, quod prædicatorum alia ad ſerpentem pertineant, alia ad malignum ſpiritum,

qui

Digitized by Google

Prob. b. Non fuiſſe ſerpentem merum, ſed ἐνεργούμενον, ſiue *a diabolo obſeſſum*, colligitur 1) ex eo, quod ſerpens merus non poteſt loqui. At ſerpens paradiſiacus articulato vtebatur ſermone. 2) Ex hominis ſeductione. Serpens eſt bona Dei creatura. At ſerpens paradiſiacus fuit primi hominis ſeductor. 3) Ex calcanei contritione; quæ non ad naturalem, ſed infernalem ſerpentem refertur. Ex quo conficitur, diabolum cum ſerpente παραστατικῶς, ſeu accidentaliter fuiſſe vnitum.

Quæſt. V. *Quam legem protoplaſti lapſu violarunt?*

Primi parentes lapſu ſuo *immediate* violarunt legem *poſitiuam* in paradiſo promulgatam, *de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali* a); *mediate & virtualiter* inobedientia ſua *totius legis moralis* repagula perfregerunt b).

Prob. a. Comedere de fructibus arboris moraliter neque malum eſt per ſe: accedente autem interdicto diuino fit malum ob auctoritatem ſummi domini, & legislatoris. Iam autem Deus lege poſitiua eſum de fructibus arboris ſcientiæ boni & mali ſpeciatim & diſerte protoplaſtis interdixerat, Gen. II, 17. Quare primi hominis comedendo de eadem arbore immediate violarunt legem Dei poſitiuam.

Prob. b. Ratio legis poſitiuæ erat δοκιμασία, ſiue probatio obedientiæ, quam, Deo debitam, tota lex moralis requirit. Qui autem non veretur vnum præceptum transgredi, is non erubeſcit reliqua violare præcepta, cum eundem auctorem, eandemque vim obligandi habeant. Quocirca præclare ait TERTVLLIANVS *L. II. cont. Marc. II. Primordialis lex, data Adæ & Euæ in paradiſo, eſt quaſi matrix omnium præceptorum Dei.* Nimirum protoplaſti inobedientia ſua omnia & ſingula præcepta decalogi virtualiter & per conſequentiam violarunt: I. præceptum diffidentia & apoſtaſia; II. mandati diuini peruerſa interpretatione & culpæ in Deum translatione: III. verbi diuini contemtu: IV. inobedientia atque ingratitudine



qui in illo latuerit. 2) Tanta ſcientia pollebat Heua, vt ignorare non poſſet, ſerpentem eſſe brutum animal, omni ratione vacuum, neque orationis capax; ex quo ea non poterat non fraudem protinus animaduertere, atque ab iſta colloquutione abhorrere. Perſonatum autem ſerpentem, ſalua Heuæ ſcientia ac ſapientia, non ita ſuſpectum ipſi fuiſſe, efficitur ex his rebus circumſtantibus: (α) Probe ſciebat mulier, ſpiritus a Deo creatos multos eſſe, omnesque bonos ac vitii expertes: (β) Non eam præteribat, eos maioribus, quam homines, perfectionibus exornatos eſſe: (γ) Nouerat etiam officium, angelis mandatum, quo Dei laudes perpetuo canerent, atque imperata facerent, nec non ſemper homini adeſſent comites, vt nullum ipſi periculum ab eis eſſet metuendum. (Id quod tamen minime aptum eſt excuſando Heuæ delicto. Contenta eſſe debebat verbo Dei, prorſus immutabili, nec vnquam reuocando, eique tota conſtanter adhæreſcere): (δ) Nec dubitabat, quin fieri poſſit, vt ſpiritus illi formam corporis aliquam adſumerent: Denique (ε) admodum eſt probabile, defectionem angelorum perfidorum non prius factam fuiſſe, quam hac ipſa actione, qua hominum virtuti ac felicitati inuidere cœperunt; vid. adnotata ad pag. 198. Bonum igitur putabat eſſe ſpiritum, a quo nihil, niſi bonum ac ſalutare, exſpectabat futurum. 3) Serpens, primi peccati hominum auctor ſuaſorque, dicitur diabolus, Apoc. XII 9. 4) Nomini נחש præfixum ה indicio eſt, ſerpentem hunc fuiſſe plane ſingularem, cuius proprietas fuerit aſtutia. Comparatur ille cum omnibus animalium generibus, ipſiſque adeo ſerpentibus venenatis. Comparatio autem interdum habet vim negationis, vt Ioan. III, 19. & 20. 2 Tim. III, 4. Eſt igitur hæc ſententia: *Hic ſerpens* fuit callidus & ad fraudem acutus, cuiusmodi *nullum* eſt animal, tametſi ille animalis cuiusdam ſpeciem præ ſe tulerit. 5) Sermonem protulit, eumque inſidioſum ac mendacem, multis etiam ambiguitatibus implicitum. 6) Pœna, proprie ſic dicta, nulli animali bruto irrogari poteſt. 7) Hæc pœna, ſi proprie verba intelligantur, eſt conditio eiusmodi, quæ ſerpentibus, immo & omnibus animalibus, humi repentibus, conuenit: fabulam enim narrant, qui dicunt, ſerpentes antea erecto corpore

Digitized by Google

titudine erga Deum, cœleſtem patrem & dominum ſummum, a quo tot beneficiis erant cumulati; V. homicidio, dum cauſſa moralis ſunt mortis ſpiritualis, corporalis & æternæ poſterorum; VI. intemperantia & gulæ libidine, perfidia Euæ in maritum, inordinato Adami amore in vxorem; VII. furto, dum contrectarunt rem alienam (fructum non ſuum) inuito domino; VIII. falſo teſtimonio & falſi teſtimonii adprobatione; IX. & X. praua diuinæ ſimilitudinis, ſupernaturalis cuiusdam ſcientiæ, & fructus prohibiti concupiſcentia.

Quæſt. VI. *In quo formaliter conſiſtit peccatum primum?*

*Forma peccati primi.* Peccatum hominum primum *formaliter* conſiſtit in deflexione a lege Dei poſitiua in paradiſo promulgata, de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali. Quæ ἀνομία inuoluit actus peccaminoſos, ex parte intellectus ἀπιςίαν ſiue incredulitatem a), ex parte voluntatis φιλαυτίαν & ſuperbiam b), ex parte appetitus ſenſitiui inordinatam fructus vetiti concupiſcentiam c); e quibus emerſit actus externus, lege paradiſiaca prohibitus d).

Prob. a. Cum Heua anceps hæreret inter verbum Dei: *Quo die comedes de arbore ſcientiæ boni & mali, moriendo morieris*, Gen. II, 17. & verbum diaboli: *Non moriendo moriemini*, Gen. III, 4. Illa a verbo diuino mentem auertit, fidem illi derogando, & ad verbum diabolicum animum conuertit, aſſenſum illi præbendo; quæ ſane nefanda eſt ἀπιςία, radix primi peccati. Vt enim fides principium acceſſus ad Deum eſt, Hebr. XI, 1. ita infidelitas eſt principium auerſionis a Deo, Io. XVI, 19. Certe diabolus primum ſollicitauit hominem ad dubitationem de veritate verbi diuini; deinde palam verbo diuino contradixit, indicaturus id falſum eſſe; poſtremo voluntatem Heuæ ad ſuperbiam flexit.

Prob. b. Irritauit diabolus voluntatem Heuæ ad affectandam eminentiorem cum Deo aſſimilationem, & ambiendum maius ſcientiæ faſtigium, quam cum imagine diuina a creatore nacta

corpore inceſſiſſe, ac pedibus fuiſſe inſtructos. 8) Hæc pœna, *huic* ſerpenti perſonato denunciata, aliis in locis malo dæmoni tribuitur, verbis translatis, aut plane eisdem, aut idem valentibus; ſigillatim (α) *ventre incedes*, quæ dicendi ratio denotat ſtatum *humillimum*, vid. Pſ. XLIV, 26. add. Apoc. XII, 9. (β) *puluerem comedes*, id quod deſignat ſtatum *triſtiſſimum*, ſine vlla recreatione, Pſ. LXXII, 9. CII, 10. add. Ieſ. LXV, 25. quo in loco vates prænuntiat quædam de præcipuo aduerſario ſacri cœtus in N. F. (is vero haud dubie eſt diabolus); & miſerrimæ huius conditionis *duratio* continua ac perpetua prædicitur hoc additamento: *ad dies vitæ tuæ*. (γ) Iſtud effatum: *Semen mulieris conteret ſerpentis caput*, nihil aliud eſſe, quam primam vaticinationem de Chriſto, opera diaboli deſtructuro, conſtat inter omnes, Chriſto vere addictos. Aduerſus hæc adeo luculenta argumenta nihil in promtu eſt diſſentientibus viris doctiſſimis, præter hanc vnam *oppoſitionem*: quod noſtra interpretatio non conueniat proprietatibus *ſtyli hiſtorici*. At facilis erit reſponſio: 1) Omnes etiam illi, qui ſerpentem naturalem, quamuis non ſolum (ſolum enim eum fuiſſe, eſt abſurda *Iudæorum* recentiorum, itemque *Socinianorum* opinio) intelligunt, non poſſunt non admittere figuratas quasdam loquutiones, tum metonymicas, tum metaphoricas, nimirum *ſemen mulieris*, pro homine, qui ex ſemine generatus eſt; *in ſudore faciei tuæ*, hoc eſt, labore difficili, moleſto, ærumnarum pleno; *puluerem comedes*, id non poteſt aliter, quam figurate dictum putari (non enim *edere puluerem*, ſed eum *lambere*, ſerpentis eſt, vt & animalis cuiusque, quod humi repit Mich. VII, 17.). Immo quidquid *pœnæ* ſerpenti naturali inflictum eſſe arbitrantur, id non poſſunt non improprie interpretari. 2) Hiſtorica dicendi ratio etiam illud poſtulat, vt ſubiecta diuerſa diſtincte ac perſpicue nominentur, qualis differentia hoc in loco nulla cernitur. 3) Stylus in hac narratione *non ſolum hiſtoricus* eſt, ſed etiam *dogmaticus*; eſt ſimul *prophecticus*, quantum ad pœnam, ſerpenti ſubeundam, & medicinam vniuerſo hominum generi paratam. Atqui ſermonis ſacri, ac potiſſimum hebraici, conſuetudine euentus futuri ſæpe numero verbis translatis prænuntiantur.

Digitized by Google

nacta erat. Dicebat enim veterator: *Quin nouit Deus, quod quo die comeditis de eo* (fructu), *aperientur oculi veſtri, tumque eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum*, Gen. III, 5. Non perſuaſit diabolus verbis iſtis homini *æqualitatem cum Deo vero & ſummo*, ſed perfectionem quandam imagine Dei ſublimiorem, vt tam certo & ſolide bonum & malum cogniturus ſit, quam id ſcit Deus, ſi comedat de fructu arboris ſcientiæ boni & mali. Neque enim putamus homines, in perfecta ſapientia creatos, tam imprudentes fuiſſe, vt crederent, creaturam Deo ſummo æqualem fieri poſſe. Conf. annot. D. SEB. SCHMID. in *Gen. p. 40.*

Prob. c. *Vidit itaque mulier, quod bona eſſet arbor in cibum, & quod appetibilis oculis & deſiderabilis ad dandum intellectum*, Gen. III, 6. Aſpexit mulier arborem ſcientiæ boni & mali tam corporis, quam animi oculis, & conſiderauit, quod fructus eius delicatus, pulcer & vtilis ad gignendum ſolidam perfectamque ſcientiam boni & mali eſſet; quo ipſo ſtimulatus eſt appetitus mulieris ad deguſtandum iſtum fructum, contra legem a creatore præſcriptam.

Prob. d. *Ideo ſumſit* (mulier) *de fructu eius, & comedit: deditque etiam viro ſuo ſecum, qui* (etiam) *comedit.* Gen. III, 6. Quibus verbis ἡ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα, peccatum primi hominis conſummatum, quod parturit mortem (Iac. I, 15.) a Moſe deſcribitur, quod factum legi diuinæ poſitiuæ, in paradiſo a Deo latæ, Gen. II, 17. aperte repugnat.

Quæſt. VII. *An Adamus non minus, quam Eua, a diabolo ſeductus eſt?*

Adamus *non* fuit *immediate* ſeductus a diabolo, vt mulier a). *Mediate* tamen & ſuaſu mulieris in idem peccatum pertractus, adeoque lapſus Adami etiam in diabolum, vt primum peccati auctorem, redit b). *Subiectum quod peccati primi.*

Prob. a. Diabolum primum aggreſſum eſſe fœminam, docet hiſtoria recenſens lapſum primorum hominum, Gen. III, 1. ſqq. & confirmat Paullus 2 Tim. II, 14. *Adam non fuit deceptus, ſed mulier decepta in transgreſſione fuit.* Loquitur apoſtolus de ordine & modo ſeductionis. Nimirum non prior Adam, ſed Eua decepta eſt. Eua immediate a diabolo, Adam ab eodem mediate per mulierem ſeductus eſt. Eua ſeducta cauſſa transgreſſionis fuit Adamo, ſed Adamus ſeductus non fuit auctor præuaricationis Euæ.

Prob. b. Adam obediuit Euæ, a ſerpente deceptæ, & manducationem fructus vetiti ſuadenti, Gen. III, 6. Ergo Adam a ſerpente per mulierem deceptus eſt. Probatur conſequentia 1) ab intentione diaboli, qui deſtinauerat decipere & de ſtatu primæ felicitatis deturbare non tantum fœminam, ſed & virum. Ex quo pater mendacii & homicida ab initio audit, Io. VIII, 44. 2) Quia haud dubie Eua iisdem perſuadendi argumentis Adamum vicit, quibus victa erat a ſerpente; quamuis accederet tenerrimus in vxorem adfectus & experientia, quæ teſtabatur, vxorem ab eſu fructus vetiti non eſſe mortuam.

*Antitheſis* eſt *Bellarmini & aliorum*, ſtatuentium, Adamum proprie non eſſe ſeductum. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Paullus diſerte negat, Adamum eſſe deceptum aut ſeductum, 1 Tim. III, 14. Reſp. Paullus non ἁπλῶς, aut ſimpliciter negat, Adamum eſſe ſeductum, ſed negat, eundem *primum* eſſe deceptum a ſerpente, vt cauſſa fuerit transgreſſionis Euæ.

II. Cauſſa erroris Adami fuit amor nimius erga coniugem; non ſerpentis, vel mulieris perſuaſio. Noluit enim ſociam, eamque vnicam contriſtare. Reſp. I. Falſum eſt, Adamum non Euæ perſuaſione deceptum, ſed amore eius fuiſſe excœcatum. Aliud docet iudicium Dei, pronuntiatum aduerſus Adamum: *Quia obtemperaſti voci vxoris, Euæ*, &c. Gen.

Digitized by Google

Gen. III, 17. Huc accedit, quod amor mulieris quamdiu fiduciæ Dei ſubordinatur, non poſſit eſſe cauſſa lapſus.

III. Adam non eſt proprie deceptus, aut ſeductus, quia Eua non habuit intentionem fallendi, ſed augendi excellentiam, aut felicitatem mariti. Reſp. 1) Seductio non æſtimatur ex intentione ſeducentis, aut ſeducti, ſed ex re ipſa. Vnde vbicunque a via veræ doctrinæ & ſalutis æternæ quiſpiam abducitur, ſiue explicita ſit intentio fallendi in ſeducente, ſiue non; ibi ſeductio eſt, 1 Io. II, 26. 2) Poteſt aliquis eſſe ſeductor ſui ipſius, 2 Tim. III, 13. Iacob. I, 23. cum tamen vix inueniatur homo, qui intentionem habeat ſe ipſum fallendi. 3) Seductio Adami, reſpectu cauſſæ ſeducentis, non terminatur in Eua, ſed in ſerpente, cui illa principaliter conuenit. Licet ergo in Eua non fuerit intentio fallendi maritum, fuit tamen in ſerpente intentio per Euam, iam corruptam peccato, vt per inſtrumentum commodum, ſeducendi Adamum.

Quæſt. VIII. *Quem finem intendit diabolus tentator, & homo, legis Paradiſiacæ transgreſſor?*

*Finis peccati primi.*

*Diabolus*, concitando hominem ad peccatum primum, intendit vindictam in Deum, ſuæ *ἀποςασίας* iudicem & vindicem a): *homo* autem peccans ad apicem maioris imagine Dei excellentiæ adſpirauit b).

Prob. a. *Deus angelos, qui non retinuerunt ſuam originem, ſed reliquerunt proprium domicilium, in iudicium magni diei, vinculis perpetuis ſub tenebris reſeruauit.* Vid. ep. Iud. v. 6. Ex quo princeps tenebrarum ardet inexplebili vindictæ cupiditate, quam quia ab ipſo Deo exigere ἐκ τῶν ἀδυνάτων ἐςὶ, connititur eam repetere ab homine, hunc corrumpendo & a Deo auellendo, vt hominis patri & domino ægre faciat.

Prob. b. Deus in creatione hominem, principem creaturarum viſibilium, condecorauerat imagine ſua, complectente inſignes perfectiones animæ corporisque; at, cum diceret ſerpens: *Nouit Deus, quod, quo die comederitis de eo fructu, aperientur oculi veſtri; tum eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum*, inceſſit hominem cupido aſpirandi ad perfectiorem cum Deo aſſimilationem, & gradum ſapientiæ excellentiorem, quam qui a creatore ipſis conceſſus erat.

Quæſt. IX. *Quænam ſunt lapſus Adamitici conſequentia?*

*Conſequentia peccati primi.*

*Conſequentia* lapſus Adamitici ſunt *reatus culpæ* & *pœnæ*.

Prob. a. *Culpa*, vel fœditas moralis, quæ e manducatione fructus vetiti reſultauit, æſtimanda eſt 1) ex *maieſtate legislatoris, actu illicito læſi.* Læſit primus peccator Deum, creatorem optimum, legislatorem ſapientiſſimum, iudicem iuſtiſſimum. 2) *E culpæ amplitudine, vel extenſione.* Macula enim contracta ex actu, legi paradiſiacæ difformi, non tantum adhæſit Adamo & Euæ, ſed aſperſa etiam eſt omnibus eorum poſteris, excepto Chriſto. 3) *Ex legis præſcriptæ facilitate.* Lex paradiſiaca vnico conſtabat interdicto de re vna, ſeruatu facili, de non comedendo fructu vnius arboris. At cum paradiſus & plurimis, & ſaluberrimis abundauerit fructibus, perquam facile fuit, ab vna arbore abſtinere. Sane quam turpiſſimum eſt, ne vnicum quidem præceptum Dei ſancte colere & obſeruare. 4) *Ex præſidiis, quibus homo contra lapſum munitus erat.* Condecoratus erat imagine diuina, vi cuius pollebat eximia ſapientia, qua bonum a malo exactiſſime diſcernebat; eminebat perfecta ſanctitate, qua ad bonum propendebat; malum autem auerſabatur. 5) *Ex circumſtantiarum conſideratione. Vbi* enim peccabat Adamus? In paradiſo, in quo ad peccandum irritamenta nulla, ad colendum Deum incitamenta plurima. *Quando* delinquebat? Haud diu

Digitized by Google

diu poſt creationem, cum homo a manibus Dei recens quaſi caleret. 6) *Ex facti indignitate.* Quid homine indignius eſt, quam aſſenſum verbo Iehouæ veriſſimo abnuere, & verbo diaboli fallaciſſimo annuere? Quid indecorum magis, quam conditione feliciſſima, diuinitus diſpenſata, non viuere contentum? Quid deteſtabilius, quam velle deiformitatem rapere, haud ſecus ac Abſolon, filius profligatiſſimæ impietatis, regiam dignitatem rapinam eſſe cenſebat, in quam inuolare nitebatur. 7) *Ex violatione virtuali omnium præceptorum totius decalogi*, de qua ſupra, quæſt. V.

Prob. b. *Culpam pœna preſſit indiuidua comes.* Interminatus erat Deus ſanctiſſimus homini, ſi legem præſcriptam transgrederetur, *mortem*, Gen. II, 17. Per *mortem* denotabatur *mors ſpiritualis, corporalis & æterna. Mors ſpiritualis*, radix omnis mali, τῆς ἀποςασίας ſiue peccati primi immediatum eſt conſequens. Nam quo momento homo animum a lege diuina auertit, ſe ipſum priuauit vnione ſpirituali cum Deo, qui eſt vita animæ, adeoque a Deo deſertus ſpiritualiter mortuus eſt. Quæ mors ſpiritualis ſecum traxit *amiſſionem imaginis diuinæ, profundiſſimam totius humanæ naturæ corruptionem, & defectum liberi arbitrii* in rebus ſpiritualibus. *Mortem ſpiritualem, ſiue animæ, ſequitur mors corporis*, complectens omnes morbos & miſerias extrinſece hominem circumſtantes. Quo pertinet labor aſper & moleſtus, viro iugiter exantlandus, Gen. III, 17. & partus vxoris dolorificus, v. 16. Quamvis autem primo lapſus momento protoplaſti mortem corporis non oppetiuerint, illico tamen debitores mortis facti ſunt, cum iſthæc peccati ſit ſtipendium, Rom. VI, 23. *Mors æterna* eſt perpetua a beatifica Dei fruitione excluſio, cum cruciatibus perennibus, iisque longe acerbiſſimis coniuncta; quæ vi comminationis, legi diuinæ annexæ, ſubeunda fuiſſet Adamo, & vniuerſæ ipſius poſteritati, niſi Ieſus Chriſtus, redemtor generis humani, & reparator amiſſæ imaginis diuinæ, interueniſſet.

Quæſt. X. *An peccatum primum Adami ipſius poſteris vere & iuſte imputatur?*

Primum peccatum Adami, quatenus is vt communis parens, caput, ſtirps & repræſentator totius generis humani ſpectatur, omnibus ipſius poſteris *vere* (a) & *iuſto* Dei iudicio (b) ad culpam & pœnam imputatur. *De imputatione peccati primi.*

Prob. a. ex Rom. V, 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors; & ſic in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* 1) Per vnum hominem intelligi poſſunt l. c. *Adamus & Eua*, qui dicuntur *vnus homo*, *tum ratione communionis œconomicæ*, quia per matrimonium coniuges fiunt *vna caro*, Gen. II, 24.; tum *ratione communionis in peccando*, quia erant *vnum cor*, conſenſu peccati, quod eſſe debebant conſenſu obſequii; *præcipue tamen reſpicitur ab apoſtolo Adamus*, totius *generis humani radix, fons, ſeminarium & repræſentator, ſecundi Adami typus*, v. 14. & *caput Euæ*, 1 Cor. XI, 3. 2) Per peccatum primo intelligitur lapſus Adami, conſequenter peccatum originale, ſiue habitualis & hereditaria prauitas. 3) Peccatum intrauit in mundum, i. e. in hominem, qui eſt μικρόκοσμος, ſiue paruus mundus: intrauit non efficiente, cogente aut impellente Deo, ſed per voluntarium liberi arbitrii abuſum; intrauit, non *per imitationem*, ſiquidem etiam tribuitur infantibus, qui non peccarunt in ſimilitudine transgreſſionis Adami, v. 14. h. e. qui Adamum peccando imitari nequiuerunt: ſed partim *per imputationem lapſus Adamitici; partim per carnalem propagationem*, ſi ſpectes habitualem prauitatem, quæ e lapſu Adami redundauit. 4) Per peccatum intrauit mors ſpiritualis, corporalis & æterna. *Pertranſiit autem mors in omnes homines* (ſcil. per vnum hominem) *in quo omnes peccarunt.* Nonnulli interpretes græca verba Paulli: ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, cum ERASMO, cui accedunt *Sociniani* & *Arminiani*, reddiderunt *reduplicatiue vel cauſſaliter: quatenus, quoniam, eo quod* omnes peccarunt; quorum plerique imputationem lapſus Adamitici, & ex eo



Digitized by Google

ortum peccatum originale infitiantur. LVTHERVS quidem etiam reddidit *cauſſaliter*: Dieweil ſie alle geſündiget haben, ſed *non citra reſpectum ad Adamum, vt caput, vel ſtirpem*; quia mente concipi nequit, quomodo in Adamo, tanquam ſubiecto, peccauerimus, niſi cauſſaliter ex illo in nos peccatum tranſiiſſe dicatur. *Senſu relatiuo, vel ſubiectiuo exponunt Patres latini & graeci*, praeter THEODORETVM, cum & vulgatus interpres ſenſum relatiuum exprimat. FELBINGERVS, Socinianus, in verſione N. T. ſenſum cauſſalem & ſubiectiuum coniungit, & germanice verba Paulli reddit: Derhalben wie durch einen einigen Menſchen die Sünde iſt in die Welt eingegangen, und durch die Sünde der Tod, eben alſo iſt der Tod zu allen Menſchen eingegangen, dieweil (oder in welchem) ſie alle geſündiget haben. Senſus relatiuus, vel ſubiectiuus, quo ἐφ' ᾧ redditur latine, *in quo*, textui analogus videtur, & prob. 1) quia ἐφ' ᾧ in N. T. frequentiſſime relatiue, non autem reduplicatiue, vel cauſſaliter accipitur. Vid. Marc. II, 4. Luc. V, 25. XI, 22. Rom. VI, 2. Phil. IV, 10. 1 Theſſ. III, 7. Confer. ERASM. SCHMID. in *N. T. h. l.* Diſſentientibus vnus tantum locus biblicus fauere videtur, Phil. III, 12. ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην, quae verba exponit ERAS. SCHMIDIVS, *quatenus & apprehenſus ſum* a Chriſto Ieſu; at SEB. SCHMID. vertit, *in quo etiam apprehenſus ſum.* Quibus conſideratis patet, ἐφ' ᾧ in N. T. nunquam ſignificare, *quia*, vel *eo quod.* 2) Cohaeſio textus ſenſum relatiuum docet. Connectit enim apoſtolus verſu 12. peccati propagationem, mortis originem & primi peccati amplitudinem, h. m. Per Adamum peccatum intrauit in mundum: Per Adami peccatum mors pertranſiit in omnes: In Adamo omnes peccauerunt. 3) Comprobat hunc ſenſum antitheſis, qua Chriſtus Adamo opponitur, quae itidem tria oppoſita habet: Per Chriſtum gratia Dei, per gratiam donum in mundum venit, v. 15. Per Chriſti obedientiam gratia pertranſit in omnes, v. 18. In Chriſto iuſti conſtituuntur, quotquot iuſtificantur v. 19. 4) Haud abſimili phraſi vtitur apoſtolus, 1 Cor. XV, 22. In Adamo omnes moriuntur. His praeſtitutis, argumentamur: *Qui peccarunt in Adamo, illis etiam peccatum Adami imputatur: Atqui omnes peccarunt in Adamo &c. Ergo. Maior* probatur: quia nulli homines mali exſiſtebant, cum Adamus mandatum Dei transgrederetur, vt *in propria perſona actu & formaliter peccati Adamitici participes fierent*: Ergo participes eiusdem facti ſunt *moraliter*, per *imputationem*, ſecundum aeſtimationem aut iudicium Dei.

2) Ex Rom. V, 19. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita etiam per obedientiam vnius iuſti conſtituentur multi.* Obſ. 1) Per inobedientiam vnius hominis intelligitur transgreſſio Adami, v. 14. quae opponitur obedientiae Chriſti. 2) Sicut obedientia Chriſti; ita inobedientia Adami eſt actus ſingularis, vel perſonalis. At nullus actus *ſingularis*, aut *perſonalis*, moraliter bonus, vel malus, pluribus perſonis, eſſentialiter diſtinctis, poteſt eſſe *communis*, niſi per *imputationem.* Nam eſſe actum *ſingularem*, & pluribus *formaliter communem*, contradictionem implicat. 3) Per *multos* homines intelliguntur *omnes*, quia omnes homines reuera multi ſunt. conf. Dan. XII, 2. Io. V, 28. Colligimus ex his: 1) *Quicunque homines ab Adamo eſſentialiter differunt, & nihilominus per illius inobedientiam coram tribunali diuino peccatores conſtituuntur, illis inobedientia Adami imputatur ad culpam: Atqui omnes homines &c. Ergo.* 2) *Quicunque eodem modo peccatores conſtituuntur per inobedientiam Adami, quomodo iuſti conſtituuntur per obedientiam Chriſti, illi per inobedientiam Adami peccatores ſunt imputatiue: Atqui omnes homines ſecundum ſeriem naturae prognati &c. Ergo.*

3) Poſteris Adami *imputatur* ipſius *poena*: Ergo & *culpa*. *Conſequentia* eſt manifeſta: quia culpa & poena ſunt relata; ideoque haec illam comitem habet aut praeſupponit. Sane non poteſt eſſe conſors alterius poenae, qui exſors eſt ipſius culpae. *Antecedens* conſtat: quia in Adamo exuti ſumus imagine Dei, eiecti e paradiſo, laboribus, doloribus, morbis, morti ſubiecti.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. *Iuſtitia atque æquitas* imputationis lapſus Adamitici in culpam & pœnam poſterorum liquet 1) ex eo, quod *Adamus eſt communis parens* omnium hominum, quippe qui in ipſo virtualiter aut ſeminaliter exſtiterunt; *nec non caput morale totius generis humani.* Conſtat autem, enorme & perquam graue delictum patris æquiſſimo iure imputari poſteris in culpam & pœnam; v. gr. Vaſallus regis alicuius, committens crimen læſæ maieſtatis, feudis, a rege conceſſis, orbatur, non tantum ipſe pater, ſed & poſteri iisdem excidunt. Cum igitur homines omnes in Adamo, tanquam patre & ſtirpe, fuerint, non quidem quoad *indiuidualem rationem, attamen quoad ſpecificam exſiſtentiam, ſiue repræſentationem,* iure æquiſſimo peccatum communis patris omnibus hominibus, qui in ipſo exſtiterunt, imputatur. Adiice, quod Adamus quoque fuerit *caput morale, aut fœderale* generis humani; ideo, quod non tantum moraliter bonus conditus erat, ſed etiam Deus ter optimus cum ipſo iniuerat pactum, vi cuius ipſi promiſerat perennem animæ corporisque perfectionem atque felicitatem paradiſi, ſed ſub conditione conſtantis obedientiæ; inobedientiæ autem pœnam mortis ſpiritualis, corporalis & æternæ indixerat. Gen. II, 17. Obedientiæ δοκιμαστία ex intentione diuina erat abſtinentia a fructibus arboris ſcientiæ boni & mali. Quare, obſequium detrectante & peccante Adamo, vniuerſa ipſius poſteritas iuſtiſſima Dei æſtimatione peccaſſe iudicata, atque adeo deperdita eſt concreata perfectio & felicitas paradiſi promiſſa: contra, ex transgreſſione Adami culpa & pœna in poſteros Adami redundauit.

2) Imago Dei & connexa cum ea felicitas non erat *bonum perſonale*, ſed *commune toti ſpeciei humanæ*, Gen. V, 1. 2. Proinde cum Adamus, repræſentator ſpeciei humanæ, illo bono communi, quod pro ſe non magis, quam pro poſteris acceperat, propter inobedientiam iuſtiſſimo Dei iudicio priuaretur, vna omnes homines eodem orbati ſunt. Æquiſſimum enim eſt, eum ſentire incommodum, ad quem commodum peruenturum fuiſſet.

3) *Voluntas Adami peccantis interpretatiue erat voluntas omnium hominum*, quippe quam Adamus abuſu liberi arbitrii prodidit & declarauit. Vniuerſi enim & ſinguli homines, qui ſunt, fuerunt, erunt, excepto Chriſto, ſi eodem, quo Adamus tempore vixiſſent, in ipſius peccatum conſenſiſſent. Quod patet a) ex eo, quod Adamus parens & caput generis humani facile in transgreſſionem Euæ conſenſit: b) *Qualis terrenus* (tanquam ſtirps naturalis totius ſpeciei humanæ) *tales omnes terreni* (voluntate & intellectu), 1 Cor. XV, 48. At qui conſentit in atrociſſimum peccatum, quo ſumma maieſtas læditur, haud iniuria reus culpæ & pœnæ cenſetur: Cum itaque Deus omnium hominum *virtualem conſenſum* in peccatum primum præuideret, omnibus culpam & pœnam, quæ lapſum Adami comitatur, iuſtiſſimo iudicio imputauit.

*Antitheſis* eſt 1) *Socinianorum*, qui negant delictum Adami poſteris imputari; 2) *Arminianorum*, quorum quidam imputationem primi peccati negant; quidam aſſerunt, cauſſam imputationis non eſſe iuſtum Dei iudicium, ſed liberum ipſius arbitrium. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Imputatio transgreſſionis Adamiticæ non poteſt ſolide e ſacra ſcriptura probari. Nam 1) Rom. V, 12. voculæ, ἐφ' ᾧ, non poſſunt ſubiectiue reddi, *in quo*, ſed debent cauſſaliter exponi, *eo quod.* Si redderentur, *in quo*, referrentur ad vnum hominem, quod verba interiecta non patiuntur. Præterea de peccato actuali, & cuilibet homini proprio, apoſtolo ſermonem eſſe, docet ſequens v. 13. 2) Rom. V, 19. per inobedientiam Adami homines conſtituuntur, vt peccatum ipſis inhæreat. Ergo apoſtolus l. c. de imputatione peccati non agit. 3) Moriuntur homines non, quod reatus peccati omnes attineat, ſed quod ex Adamo ortum trahant. Reſp. ad 1): Pronomen relatiuum non ſemper ſubiecto, ad quod refertur, proxime iungi, docet locus Paullinus, 2 Theſſ. II, 9. Interdum magis reſpici-



Digitized by Google

enda eſt ſeries rerum, quam ordo vocum: Τὸ ἐφ' ᾧ apposite refertur ad τὸν ἄνθρωπον, de quo prius ſermo erat inſtitutus. Ceterum loquitur apoſtolus v. 12. *de peccato non perſonali, ſed communi* & vniuerſali, quia dicit, quod in vno homine omnes peccauerint, ſcilicet *moraliter*, ob imputationem lapſus Adamitici; v. 13. agit de peccatis actualibus, quatenus a poſteriori peccatum primum manifeſtant. Ad 2): Per inobedientiam Adami coram tribunali diuino conſtituimur peccatores imputatiue, quia culpa ex transgreſſione Adami reſultans nobis imputatur; quæ imputatio fundamentum & ratio eſt, cur peccatum originale quod e peccato primo fluxit, nobis inhæreat. Sicut enim obedientia Chriſti nobis imputatur ad iuſtitiam: ita inobedientia Adami nobis imputatur ad culpam. Ad 3): Reatum pœnæ præcedit reatus culpæ. Deus nemini irrogat pœnam mortis, niſi reus ſit culpæ. *Subvenire non merentibus poteſt & ſolet Deus cum laude clementiæ; punire autem non peccantes non poteſt, ſine euerſione iuſtitiæ*, ait AVGVSTINVS *libr. II. Op. imperfecti.*

II. Quicunque, Adamo peccante, non exſtiterunt, in illos peccatum Adami non potuit deſcendere: Atqui poſteri &c. E. R. Quicunque, Adamo peccante, neque *actu* in vita propria, neque in ſtirpe *virtualiter*, aut *ſeminaliter* exſtiterunt, in illos peccatum Adami non potuit deſcendere; concedo. At poſteri Adami in hoc, tanquam radice, ſtirpe & fonte generis humani *virtualiter*, aut *ſeminaliter* fuerunt, cum is legem paradiſiacam violauit. Ceterum peccata parentum liberis & poſteris imputari poſſe, quamuis cum iisdem actu non exiſtant, liquet comminatione diuina, Exod. XX, 5. Auaritia Gehaſi imputabatur *ſemini ipſius*, i. e. poſteris, *ſeminaliter* in ipſo exſiſtentibus, 2 Reg. V, 27. in perpetuum.

III. Qui non conſenſerunt in peccatum Adami, illis peccatum moraliter imputari nequit: Atqui poſteri Adami &c. *Maior* patet: quia nunquam poteſt alicui alterius peccatum imputari, niſi moralem cum eo connexionem habeat, quæ conſiſtit in iuſſione, conſilio, conſenſu &c. *Minor* liquet; quia viuente & peccante Adamo non vixerunt ipſius poſteri, adeoque in illius peccatum conſentire nequiuerunt. Reſp. Diſt. inter *conſenſum formalem, & virtualem.* Quicunque in peccatum Adami neque formaliter, neque virtualiter conſenſerunt, illis peccatum Adami non poteſt imputari; concedo. At poſteri conſenſerunt in peccatum Adami *virtualiter*, qui, ſi Adamo peccanti coëxſtitiſſent, eadem ratione, qua *ille*, libertate voluntatis fuiſſent abuſi. Nam voluntas Adami interpretatiue eſt voluntas poſterorum.

Inſtantia I. Sed infantes non peccarunt in ſimilitudine transgreſſionis Adami, Rom. V, 14. E. voluntas Adami non eſt interpretatiue voluntas infantum. Reſp. Infantes dicuntur a Paullo peccaſſe non in ſimilitudine transgreſſionis Adami; quia non peccarunt in propria perſona proæretice; peccarunt tamen in Adamo tanquam ſtirpe & patre.

Inſtantia II. Ibi peccatum imputari poteſt, vbi præceſſit ſcientia legis. Atqui in infantibus non datur ſcientia legis: Ergo nec peccatum illis imputari poteſt. Reſp. 1) Dantur etiam peccata ignorantiæ, Pſ. XIX, 13. 2) Infantes moriuntur: Ergo peccatum Adami, cuius pœna mors eſt, Gen. II, 17. illis imputatur.

IV. Si omnibus, qui in lumbis Adami exſtiterunt, peccatum Adami diuino iudicio imputatur, vtique ipſi Chriſto imputatur: Sed Chriſto non &c. E. Conſequentia *maioris* patet: quia etiam Chriſtus fuit in lumbis Adami; dicitur enim filius Adami, Luc. III, 38. Reſp. Diſt. inter Adamum integrum, & peccantem. Chriſtus dicitur filius *Adami integri*, non peccantis, aut lapſi: neque enim in lumbis Adami fuit, quatenus ille lapſus eſt, propterea, quod non ſecundum ordinem naturæ corruptæ per carnalem generationem, ſed modo ſupernaturali ab Adamo deſcendit per miraculoſum ſuperuentum Spiritus ſancti, cuius donis immenſis vnctus fuit, vt fuerit ſanctus, innoxius, impollutus, ſeparatus a peccatoribus, Hebr. VII, 26. Idciro Adamo peccatori e latere opponitur, Rom. V, 14. ſqq.



Digitized by Google

V. Si poſteris Adami ideo imputatur illius peccatum, quod illorum caput eſt, etiam Eſaui peccata Edomitis eadem de cauſſa imputantur: Poſterius eſt falſum: Ergo & prius. *Conſequentia* probatur a pari: Sicut Adamus eſt caput Adamigenarum; ita Eſauus eſt caput Edomitarum. Reſp. 1) Diſpar eſt ratio: nam Adamus poſterorum ſuorum non tantum fuit *caput naturale, ſed etiam morale*, propter pactum, quod ſanxit Deus cum Adamo, vt, ſi legem præſcriptam obſeruaret, ſuam iuſtitiam originalem & felicitatem ad poſteros propagaret; ſin peccaret, & ſe & poſteros corrumperet: cuiusmodi fœdus Deus cum Eſauo non conſtituit. 2) Etiam vt *caput naturale* diſparem habet rationem Adamus, comparatus cum ceteris familiarum capitibus. Ab illo natura humana, *ſpecifice* conſiderata, deriuatur: ab his deſcendunt certa *indiuidua*. Ille accepit a Deo bona *communia omnibus* hominibus: hi acceperunt bona *perſonalia*, quæ in ſtirpe terminantur.

VI. Si ex ratione ſpecificæ exſiſtentiæ generis humani in Adamo deriuanda eſt propagatio reatus; eiusdem quoque vi, pœnitentia Adami & remiſſio peccatorum in poſteros redundabunt: Poſterius eſt falſum: Ergo & antecedens. Ratio *conſequentiæ* eſt; quia Adamus pœnitendo æque repræſentauit genus humanum, ac peccando. Reſp. Neg. conſequ. *maior.* Nam Adamus pœnitendo non peræque, ac peccando repræſentauit genus humanum. Peccando amiſit bona *naturalia* ad poſteros propaganda; pœnitendo recepit gratiam Dei *ſupernaturalem*, quæ a poſteros non transfertur.

VII. Peccatum alienum non poteſt eſſe peccatum noſtrum: Peccatum Adami eſt alienum: E. *Maior* conſtat; quia cuiuslibet hominis peccatum a propria voluntate proficiſcitur. Reſp. 1) Peccatum *alienum* non poteſt eſſe *noſtrum formaliter*, poteſt tamen noſtrum eſſe *imputatiue.* 2) Dantur etiam peccata inuoluntaria. 3) Voluntas Adami peccantis *interpretatiue* fuit voluntas noſtra.

Quæſt. XI. *An lapſus Adami neceſſarius fuit propter manifeſtationem iuſtitiæ & miſericordiæ diuinæ?*

Lapſus Adami *non fuit neceſſarius* propter manifeſtationem *iuſtitiæ* & *miſericordiæ diuinæ.*

Prob. 1) Quia Deus non opus habet homine peccatore, Sir. XV, 12. Neceſſarii autem ei eſſent peccatores, ſi lapſus Adami ad declarandam iuſtitiam & miſericordiam diuinam fuiſſet neceſſarius.

2) Gloria diuinæ bonitatis & gratiæ ſufficientiſſime declarata eſt creatione mundi & formatione hominis ad imaginem Dei: Iuſtitia autem diuina eluxit e pœna transgreſſori legis denuntiata, & ex abiectione angelorum lapſorum ad perpetuos cruciatus.

3) *Maleuola eſt beneuolentia, ſi quis aliquem velit eſſe miſerum, vt eius poſſit miſereri,* AVGVSTIN. *lib. III. Conf. c. 2.* Et, vice verſa, *iuſtitia iuſta non erit, ſi quis puniendum reum non inueniſſe, ſed feciſſe dicatur.*

Dicis: Si lapſus Adami non fuiſſet neceſſarius ad manifeſtandam iuſtitiam & miſericordiam diuinam, nunquam Deus permiſiſſet, vt laberetur. Sed permiſit eum labi. E. Reſp. Deus *non ſimpliciter permiſit* lapſum Adami, ſed eidem *impedimentum morale*, ſcilicet legem comminatione grauiſſima munitam obiecit; ad opponendum *impedimentum phyſicum & violentum* non obligatur. Secuta quidem eſt permiſſionem lapſus Adamitici declaratio iuſtitiæ & miſericordiæ diuinæ *euentualiter, ſed non cauſſaliter.* Neque enim Deus permittit mala eum in finem, vt eueniant bona; ſed cum eueniunt mala, ea ad bonum finem dirigit.



Digitized by Google

# DE PECCATO ORIGINALI.

Quæſt. XII. *Quid eſt peccatum originale?*

*Definitio peccati originalis.* *Peccatum originale* eſt intima corruptio naturæ humanæ, per lapſum primorum parentum iuſtitia originali priuatæ, & ad omne malum pronæ.

*Plenius definitur.*

Peccatum originale eſt priuatio iuſtitiæ originalis, cum praua inclinatione coniuncta, totam naturam humanam intime corrumpens, ex lapſu primorum parentum deriuata, & per carnalem generationem in omnes homines propagata, ipſos ineptos ad bona ſpiritualia, ad mala vero propenſos reddens, reosque faciens iræ diuinæ & æternæ condemnationis.

Obſ. I. Phraſi eccleſiaſtica, non biblica, hoc peccatum, e lapſu Adami ortum, dicitur *originale*, & quidem non ratione originis mundi aut hominis, ſed 1) quia ab Adamo, radice & principio generis humani, deriuatum; 2) quia cum origine Adamigenarum coniunctum; 3) quia origo & fons eſt peccatorum actualium.

Obſ. II. In ſacris litteris connata hæc prauitas vocatur: 1) *Peccatum inhabitans*, Rom. VII, 17. eo, quod poſt lapſum in homine firmam ſedem fixit, nec diſcedit, niſi domicilio animæ & corporis diſſoluto: 2) Ἁμαρτία εὐπερίστατος, *peccatum circumſtans*; quia nos vndique cingit, inſtar veſtis prolixæ, curſorem remorantis, Hebr. XII, 2. 3) *Lex in membris*, Rom. VII, 23. Nam vt lex regit & moderatur agentem; ita peccatum originale membra corporis ad patrandum opera praua dirigit: 4) Τὸ κακὸν παρακείμενον, malum adiacens, Rom. XII, 21. ideo, quod homini, bonum facturo, ſufflaminis inſtar adiacet.

Quæſt. XIII. *Num prauitas originalis eſt peccatum proprie dictum, carnali generatione in omnes poſteros Adami propagatum?*

Prauitas originalis eſt *veri nominis peccatum*, per *carnalem generationem* in *omnes homines*, modo *naturali* ex ſanguine Adami ortos, propagatum.

Prob. 1) E Pſ. LI, 7. *Ecce! in iniquitate formatus ſum, & in peccato calefecit me mater mea.* Obſ. a) Non loquitur hieropſaltes de peccato parentum, commiſſo in generatione actiua; quippe qui pii & in legitimo thoro hunc filium enixi erant; ſed de peccato ſuo: id quod pateſcit ex antecedentibus & conſequentibus. Nam v. 5. & 6. inquit: *Præuaricationes meas ego agnoſco, & peccatum meum coram me* (eſt) *iugiter. Tibi ſoli peccaui, & malum in oculis tuis feci.* v. 9. *Expiabis me byſſopo, vt mundus fiam.* Ex quo colligitur, eundem & v. 7. de *ſuo* conqueri peccato. b) Loquitur Dauid ſine hyperbole (quam hic comminiſcuntur *Sociniani*), quia neque angores conſcientiæ, quos Dauid ſentiebat, hyperbolicos rhetorum floſculos admiſerunt, neque nobis a ſenſu litterali recedendi vlla imponitur neceſſitas; ſiquidem hieropſaltes de ſua iniquitate nihil dixit amplius, quam dici oportuit. c) Non eſt ſermo Dauidi de peccato actuali, ſed originali & hereditario. Nam conqueritur de iniquitate, ſibi a conceptione inhærente, & de peccato, a parentibus ſuis in ſe traducto. d) A Dauide, vi paritatis, ad vniuerſum genus humanum recte concludimus. Nam qualis fuit conceptio & formatio Dauidis in vtero materno, talis eſt omnium hominum conceptio & formatio. Quibus præſuppoſitis arguimus: *Quicunque a prima conceptione & formatione*

Digitized by Google

*matione in vtero materno peccato fuit pollutus, illi peccatum eſt congenitum. Atqui Dauid & omnes homines naturaliter geniti &c. Ergo.*

2) De peccato originali teſtantur motus primi, ſiue figmenta cordis humani; de quibus Moſes, Gen. VI, 5. *Cum itaque videret Iehovah, quod multiplicaretur malitia hominis in mundo; inſuper omne figmentum cogitationum cordis eius tantum malum* (eſſet) *omni die.* Conf. Gen. IIX, 21, *Figmentum cordis malum a pueritia.* Obſ. a) יצר מחשבת non tantum cogitationem formatam, ſed & ipſam formationem cogitationis notat, Eſ. XXIX, 5. b) Non tantum voluntariæ, ſed & connatæ efformationes cogitationum deſignantur. Dicitur enim *omne figmentum* cogitationum malum, *omni die,* מנעורים *a pueritia*, ſiue infantia, & additur particula excluſiua רק, *tantum.* Si *tantùm* malum eſt *omne* figmentum cordis; nec concupiſcentia aut pronitas ad peccatum excepta erit. Naſcitur ex his argumentum: *Quicunque omni die, ab infantia ſua, tantùm malum cogitat, illi peccatum eſt connatum: Atqui omnis homo &c. Ergo.*

3) E Gen. V, 3. *Adamus genuit* (filium) *in ſimilitudine ſua, ſecundum imaginem ſuam.* Obſ. 1) Genuit Adamus filium non qua integer, ſed qua *lapſus* & peccato corruptus. 2) Notanter dicitur: Adamus genuit ad imaginem *ſuam*, non Dei. Ex his formamus enthymema: *Filius Adami, & conſequenter omnes filii ex ipſo naturaliter deſcendentes, geniti ſunt ad imaginem hominis corrupti: Ergo ipſi profundiſſime ſunt corrupti.* Conſequ. prob. Qualis generans, talis genitus. Leproſus leproſum, podagricus podagricum gignit. Ita Adamus, priuatus imagine Dei, filium progenerauit, iuſtitia originali carentem, & lue peccati infectum.

4) E Io. III, 6. *Quidquid ex carne natum eſt, caro eſt,* Indicatur his verbis vniuerſalitas connatæ corruptionis. Neque enim *phyſice*, *ſed moraliter caro* hic ſumitur, quoniam *ſpiritui opponitur*, & concretiue naturam corruptam, abſtractiue corruptionem naturæ denotat. Naſcitur hinc argumentum: *Quicunque ſunt a parentibus, peccato corruptis, nati, illis moralis corruptio eſt congenita: Atqui omnes homines &c. Ergo.*

5) Ex Eph. II, 3. *Eramus filii iræ natura, ſicut & reliqui.* Coniungit apoſtolus in vniuerſum Iudæos & gentiles, & aſſerit, omnes eſſe filios iræ, i. e. reos culpæ & pœnæ, φύσει, natura, i. e. a natiuitate. Vox φύσει enim hic proprie accipitur, & opponitur τῇ χάριτι, ſ. gratiæ. Nam quemadmodum hoc v. 3. dicimur filii iræ *natura:* ita poſtea v. 8. dicimur *gratia* ſaluari. Proinde idem eſt hic τῇ φύσει, ac a natiuitate, ab vtero ſumus iræ pœnæque diuinæ obnoxii, propter peccatum, in quo naſcimur: quemadmodum Gal. II, 15. ſcribitur: Nos φύσει Iudæi ſumus, gebohrne Juden: quæ vox opponitur proſelytis, qui Iudæi dicuntur non φύσει, ſed ἔθει. Sic enim gentiles τῇ φύσει, natura, dicuntur facere, quæ ſunt legis, Rom. II, 14. E quibus concludimus: *Quicunque a natiuitate ob peccatum ſunt filii iræ, illis peccatum eſt congenitum: Atqui omnes, tam gentiles, quam Iudæi &c. Ergo.*

Dicis: Apoſtolus ſcribit: *eramus.* Quod præteritum imperfectum notat id, quod præteriit, aut ineſſe deſiit: Atqui peccatum originale nunquam ineſſe deſinit, ſed ſemper manet, tam in regenitis, quam irregenitis: Ergo apoſtolus non loquitur de peccato originali. Reſp. Epheſiis cum Chriſto iam viuificatis non inerat reatus *iræ*, inerat tamen peccatum, quod per ſe ira pœnaque dignum eſt. Separatur enim reatus iræ a perſona peccante & reſipiſcente in iuſtificatione, non autem ab ipſo peccato (*).

*Anti-*

(*) Quamuis igitur cognitionem triſtiſſimæ huius rei & *diſtinctam*, & *integram*, & *certam*, non aliter, quam prælucente *ſcriptura ſacra*, conſequi valeamus; aliqua tamen eius notitia imbuti eſſent omnes, ſi *experientiam* magiſtram, *rectamque rationem* ducem ſequerentur. Duo mihi ſunt explicanda:

VNVM:

Digitized by Google

*Antitheſis* olim erat ***Pelagianorum***, hodie eſt *Socinianorum, Arminianorum, Anabaptiſtarum, & Weigelianorum,* peccatum originale vel plane negantium, vel certe aſſerentium, illud in N. T. penitus ſublatum eſſe. Dimicant aduerſus nos ſequentibus argumentis.

I. Ezech. XVIII, 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* E quibus verbis colligunt: Quicunque ſunt filii Adami, non debent eius portare iniquitatem: Atqui omnes poſteri Adami ſunt eius filii: Ergo. Reſp. 1) Diſt. *inter patrem certorum indiuiduorum, & inter patrem totius generis humani.* Ab illo ad hunc argumentari non licet. Nam ille acceperat dona & priuilegia toti generi humano aut conſeruanda, aut amittenda: quæ cum lapſu amiſerit, in totum genus humanum iactura redundauit. Quare *peccatum Adami eſt commune, ſiue vniuerſale; reliquorum patrum peccata ſunt perſonalia, ſiue ſingularia.* De his ſermo eſt prophetæ, adeoque eius mens eſt: Non portabit parentis proximi peccatum perſonale filius innocens, i. e. non ſuſtinebit pœnam ob peccatum ſingulare parentis impii, ſi ipſe pietatem colet. Agit enim propheta non de culpa in poſteros deriuanda, ſed de pœna iis irroganda. 2) Conceſſo peccato originis, non tam Adamitici, quam proprii peccati pœnam luimus; quia peccatum originis in nos propagatum nobis inhæret, atque adeo nobis proprie competit.

II. Vnus actus non poteſt producere habitum: Parentum primorum inobedientia fuit vnus actus: E. non potuit producere habitum peccaminoſum. *Maior* conſtat; quia habitus acquiſitus crebris comparatur actionibus. Reſp. Diſt. inter *habitus perfectiuos, & vitioſos, ſiue corruptiuos.* Habitus *vitioſus* vno actu poteſt comparari, & in poſteros tranſmitti,

VNVM: *Eſſe peccatum quoddam hæreditarium*, ex clariſſimus conſtat indiciis. Sunt hæc potiſſimum, ex principiis naturalibus diſcenda: I. *Quod humana natura penitus corrupta ſit.* Eſt enim in quouis homine naturalis quædam aduerſus naturam repugnantia, quæ profecto ingentem naturæ corruptionem, primæ eius conſtitutioni aduerſariam, manifeſto declarat. Id, vt illuſtratur conſenſu philoſophorum, inter gentes profanas haud infimorum (quorum teſtimonia collecta exhibent H. GROTIVS, ad Luc. II, 22. HVETIVS in *demonſtr. euang.* & in *quæſt. Alnet.* PFANNERVS in *ſyſt. Theol. gent. pur.* plures alii), ſic demonſtratur experientia ſat euidente; neque infitias ire auſus eſt CLERICVS, cæteroquin falſo de hac re ſentiens. Argumentor ex definitione præmittenda: ***Corruptio*** eſt *rei mutatio, eius naturæ, finibus ac perfectionibus contraria.* Ad *perfectiones* autem pertinent in primis excellentia omnesque *prærogatiuæ*, quibus res illa ab aliis rebus, illa inferioribus, diſcernitur. Atqui homo in ſe deprehendit omnia eiusmodi, quæ prorſus contraria ſunt *naturæ* hominis, nec *propriæ* ſolum, ſed *communi* etiam naturæ, atque eius *præſtantiæ*. Homo eſt animal, ratione præditum, idemque ad ſocietatem conditum. E. *natura hominis, & communis* quidem illa, omnino triplex eſt: vna *animalis*, at ea tamen nobiliſſima, quatenus *homo* eſt *animal*, & quidem *præcipuum* (animalis autem naturæ proprietates duæ ſunt, quas homo cum reliquis animantibus communes quidem habet; at gradu tamen diſpari longeque eminentiore; quod *viuimus*, quod *ſentimus*); altera *moralis*, quoad homo conſideratur vt animal *rationis particeps;* tertia *ſocialis*, quatenus homo eſt membrum *ſocietatis humanæ*, ad eam ſeruandam obligatus, atque extra eam ſuſtentando ſibi ipſe non ſufficiens, vt bene beateque viuere queat. Quod ſi autem animaduertere velimus, ſubito intelligimus multa in homine ineſſe 1) *contraria* naturæ *animali*, & illi quidem *nobiliſſimæ*, præſertim vero hæc duo, quæ ſenſu percipiuntur: (α) Vehementes animi motus, qui, niſi coërceantur, hominem vſque eo rapiunt, vt immoderata cupiditas, immo effrenata ferocia magis, quam beluina, ipſum animantibus omnibus deteriorem efficiat, vt in luxuriam, vt in eam libidinem, quæ dicitur Sodomitica, ſe ingurgitet, vt flagitiis παρὰ φύσιν totum ſe polluat, Rom I, 26. vt plane fiat ἄστοργος, ibid. v. 31. 2 Tim. III, 3. (β) Miſeria vitæ, quo homo brutis animalibus quibusque multo inferior factus eſt, ingens ærumnarum cumulus, morbi & innumerabiles, & grauiſſimi, quorum plerorumque cauſſa præcipua eſſe ſolent, παθήματα, vehementes animi motus; at ſtructura tamen humani corporis prorſus eſt admirabilis, incomparabilis, multumque præſtans corpore

Digitized by Google

mitti, v. gr. phthiſis ex vno immoderato hauſtu vini, aut cereuiſiæ, lepra ex vno contactu leproſi ſuboriri poteſt; quæ lues haud raro in poſteros transmittitur. Angeli lapſi vno actu inordinato inciderunt in habitum vitioſum. 2) Dantur etiam habitus perfectiui vno actu comparati, v. gr. In demonſtratione τȣ̃ διότι, ſi vno demonſtrationis actu certo & euidenter cognita fuerit cauſſa concluſionis, habitus ſcientiæ citra hanc concluſionem comparatus eſt.

III. Quicunque actus malus non eſt noſter, illius effectus in nos non redundat: Atqui lapſus Adami non eſt, aut fuit noſter actus: Ergo effectus, qui eſt peccatum originale, in nos non redundat. Reſp. Quicunque actus malus non eſt noſter, neque phyſice, neque moraliter, illius effectus in nos non potuit redundare; concedo. At actus peccaminoſus Adami eſt *noſter*, *moraliter* & per imputationem, propterea, quod omnes fuimus in Adamo, ſtirpe, radice & principio tam naturali, quam morali totius generis humani.

IV. Infantes ſunt innocentes, Pſ. CVI, 38. Piorum infantes dicuntur ſancti, 1 Cor. VI, 34. Ergo peccato originali non ſunt contaminati. Reſp. 1) *Infantes ſunt innocentes innocentia comparata, non abſoluta. Comparate* innocentes ſunt, quia nulla peccata *proæretica* commiſerunt; at *abſolute* non ſunt ſancti, quia in peccatis concepti, Pſ. LI, 7. & natura filii iræ ſunt, Eph. II, 3. 2) Infantes piorum dicuntur *ſancti, ſanctitate eccleſiæ, ſiue externa*; quoniam in eccleſia ſunt nati, iisque proximus aditus ad beneficia eccleſiæ patet: non autem ante baptiſmum *ſunt ſancti, ſanctitate fidei, ſeu interna.*

In-

corpore animantis cuiusque. Hæc ſane omnia aduerſantur præſtantiæ excellentiæque hominis, dum modo animalem eius naturam contemplatione digniſſimam cenſemus. 2) *Contraria* naturæ hominis *morali*, videlicet: (α) Perpetua aduerſus legem repugnantia, vt eſt in prouerbio: Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata. At enim, leges non alias Deus ſanxit, quam bonas ac ſalutares, rationi maxime conſentaneas, immo etiam neceſſarias ad hominis vitam ac felicitatem, vt ſunt naturales omnes. In primis notanda eſt vehemens animi intentio ad eiiciendam ex animo veritatem omnium primam, eamdemque luce clariorem: quod ſit Deus. (β) Adpetitio multarum rerum, quas recta ratio auerſari nos iubet. Videt homo meliora, probatque, deteriora ſequitur. (γ) Voluptas honeſtati contraria, qua delinitus homo ad id ſolum, quod præſens eſt, ſe adcommodat, omiſſa prouidentia & conſideratione futurorum euentuum, quos ipſe quidem cogitatione præcipere poterat, ac debebat; vnde fera tandem aliquando poſt factum mutatio animi, quæ vocatur pœnitentia. 3) *Contraria* naturæ hominis *ſociali*; cuiusmodi ſunt: hominum, ac vel maxime propinqua cognatione coniunctorum, magna ac pertinax inter ſe diſſenſio, inimicitiæ ac vexationes continuæ, ſimultates, cædes, ſpolia. Nulla, vt ait CICERO, tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur. Ita vero aperte diſrumpitur vinculum, quo natura homines conſociauit, & quo nullum eſſe poteſt arctius. De qua iniuria conqueſtus CICERO, de offic. L. III. c 5. commode adhibuit ſimilitudinem, a coniunctione membrorum, ex quibus totum conſtat corpus, arceſſitam, quam, diuina luce illuminatam, PAVLLVS vſurpauit, 1 Cor. XII, 14-26. II. *Quod hæc tanta hominis corruptio natiuum malum ſit, non adſcitum*, tria documenta protuliſſe, ſatis erit. *Primum:* Infantes, & illi quidem omnes ad vnum, ab ineunte ætate, atque adeo prius, quam exemplum ab aliis ſumere queant, vitioſitatem ſuam produnt, ſemper nituntur in vetitum, ſemper cupiunt negata. *Secundum:* Habilitatem & conſuetudinem peccandi tam facile adquirere non poſſent, niſi naturaliter ipſis inſita, ſiue potius innata eſſet propenſio quædam animi, ad peccatum procliuis. Quod quis molitur inuita quaſi Minerua, hoc eſt, aduerſante ac repugnante natura, id illi difficillimum erit; contra vero, nihil conſectabitur facilius eo, ad quod natura ipſe pronus atque inclinatus eſt. *Tertium:* Vitiorum exempla protinus libenterque omnes ſequuntur; contra ea vero exemplis virtutum, & ſaluberrimis præceptis ſe allici ac gubernari vix pauci ægre patiuntur. E. imitatione nec vnice, nec præcipue, ſed naturali quodam inſtinctu, immo impetu, peccant homines.



Digitized by Google

Inſtantia: In baptiſmo tollitur peccatum: Ergo peccatum infantibus baptizatis non inhæret. Reſp. Tollitur in baptiſmo peccatum, *non* vt *non ſit*, ſed vt *non imputetur*. Tollitur in baptiſmo reatus & dominium, non radix peccati.

V. Quicunque ignorant legem, non peccant: Infantes ignorant legem: Ergo. *Maior* conſtat: quoniam ad peccatum requiritur præſuppoſita legis notitia. Reſp. Quicunque legem ignorant, nec poſſunt eam cognoſcere; illi non committunt peccata *actualia* & *voluntaria*. At peccatum originale eſt prauitas hectica & *naturaliter congenita*, eſtque aberratio a *lege inſcripta*, licet infantes legem præſcriptam ignorent.

VI. Quidquid homini naturale eſt, non eſt peccatum proprie dictum: Peccatum originale eſt homini naturale: Ergo. *Maior* ſua luce radiat; quia naturalia non ſunt moraliter turpia. Reſp. 1) *Quidquid in ſtatu naturæ inſtitutæ homini eſt naturale, illud non eſt peccatum proprie dictum*; concedo. At peccatum originis eſt homini *naturale* in ſtatu *naturæ deſtitutæ*. 2) *Naturalia conſtitutiue, & conſecutiue talia, non ſunt turpia*: at quæ ſunt *naturalia ſubiectiue, tranſitiue, & corruptiue,* poſſunt eſſe turpia *moraliter,* aut *phyſice*. Morbus hereditarius eſt naturalis, & tamen phyſice turpis.

VII. Si peccatum originale per generationem propagatur, damnanda ſunt coniugia: At hæc non ſunt damnanda: E. peccatum originale per generationem non propagatur. Conſequentia *maioris* probatur; quia coniugia erunt impura, ſi in liberos, legitimo toro natos, peccatum originis propagatur. Reſp. Diſt. inter *coniugia conſiderata ſecundum ſe*, quatenus diuinitus ſunt ordinata; & *conſiderata per accidens*, quatenus vitium naturali generationi adhæret. *Vitia naturæ* non tollunt *beneficia Dei.*

Quæſt.

ARISTOTELES adpellauit malum συγγενὴς, quamquam veram eius rationem cauſſasque explicare non valuit. III. *Quod neceſſe ſit, originem huius corruptionis, hominibus innatæ, vnam & communem fuiſſe.* Ipſa enim corruptio eſt communis, ſine vlla exceptione, aut hominis, aut vitii, aut moleſtiæ miſeriæque humanæ. Effectus autem teſtatur de ſua cauſſa. Communem igitur, eumdemque effectum ab aliqua cauſſa prima communi eademque proficiſci, neceſſaria ratione concludimus. IV. *Quod Deus non poſſit eſſe cauſſa huius mali.* Is nimirum, humanæ naturæ effector, cui eius non ſolum creatio, ſed etiam conſeruatio adſerenda eſt, ſi eamdem corrupiſſet, atque in hoc ſtatu repugnantiæ collocaſſet; ſecum ipſe diſſentiret; id quod & bonitati, & ſapientiæ, quæ in Deo ineſt perfectiſſima atque immutabilis, aperte repugnat.

ALTERVM: *Quale autem ſit* hoc peccatum, *quæ* eius *origo* fuerit, *quanta* ſit *culpa* eius, quod denique *remedium* illi adhibendum, non aliunde conſtat, quam ex patefactione diuina. *Artic. Smalcald.* pag. 317. *Declar. Form. Conc.* pag. 639. Argumentum hoc, a poſteriori ductum, equidem puto vim maximam habere: Si quis poſſet ex principiis rationis modum ortumque huius deprauationis demonſtrare, vel vlla coniectura adſequi; fieri profecto non potuiſſet, quin inter tot, tamque diſcrepantes, philoſophorum ſectas vnus atque alter ſapientiſſimus in hac re inueſtiganda recte feliciterque eſſet verſatus. At omnes multum allucinati ſunt philoſophi, reuelationis lumine carentes, & ſuo indulgentes ingenio. *Quidam* eorum finxerunt προΰπαρξιν animorum, quaſi omnes vna peccaſſent animi, diu ante, quam cum ſuo quisque corpore coniungeretur. Vnde enim *communis* illa naturæ humanæ corruptio, in tot, tamque diuerſis generationibus? (Propoſ. I. & III.) *Alii* ſtatuerunt μετεμψύχωσιν, ſiue potius μετενσωμάτωσιν, quæ ſententia non minus abſurda eſt, nec minus inepta, ad reddendam rationem: quare *communis* ſit miſerrima hæc conditio. (Prop. III.) *Plerique* eo temeritatis delapſi ſunt, vt putarint, duo eſſe principia æterna, quorum quidem neutrum ex alterius arbitrio pendeat, ea vero contraria, alterum bonum, alterum malum. Quæ peruerſa opinio, tametſi antiquiſſima, ſane omnium abſurdiſſima eſt, & ſi adcurate ponderetur, manifeſtam in ſe continet repugnantiam. Philoſophi præſtantiſſimi quique profitentur, nihil in tota philoſophia difficilius eſſe hac diſputatione: de *origine mali.* Itaque non eſt dubitandum de *neceſſitate reuelationis.*

Digitized by Google

Quæſt. XIV. *Quæ eſt cauſſa efficiens peccati originalis?*

Peccati originalis *cauſſa efficiens remota* ſunt homines protoplaſti; quorum lapſus cum toti generi humano imputatus ſit, non potuit non fœditas moralis per carnalem generationem ad omnes poſteros deriuari a). *Proxima* autem connatæ huius labis cauſſa ſunt parentes noſtri, e quorum impuro ſanguine macula originalis ad animam noſtram permanauit b). *Cauſſa efficiens P. O.*

Prob. a. *Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*, Rom. V, 12. Hæc apoſtoli verba ſupra expendimus. Hic tantum obſeruamus, quod lapſus Adami, quo hic ſe non minus, quam poſteros iuſtitia originali priuauit, imputatio fundamentum ſit propagationis peccati originalis per carnalem generationem. Nam apoſtolus docturus, per Adamum peccatum in mundum, i. e. omnes homines, intraſſe, ſiue propagatum eſſe, hanc peccati latiſſime propagati rationem reddit: *quia in Adamo omnes peccauerunt.* Peccauerunt autem omnes in Adamo non *phyſice*; quippe qui peccante Adamo nondum erant: ergo *moraliter*, ſiue per imputationem. Nimirum lapſus Adami toti generi humano iuſtiſſima Dei æſtimatione adiudicatus eſt, vt propter peccatum primum Adamus & poſteri ipſius coram tribunali diuino reputati ſint peccatores, i. e. iuſtitiæ originalis expertes, & ad omne malum procliues. Inde fit, vt defectus concreatæ iuſtitiæ & procliuitas ad malum omnium hominum, qui via naturali ab Adamo deſcendunt, generationem comitetur. Neque Deus *impedit extraordinarie*, ac per miraculum, huius labis propagationem, eiusque comitantiam cum generatione creaturæ rationalis, quæ, legem diuinam primum transgrediendo, libertate arbitrii abuſa eſt. Conf. HVLSEM. *breuiar. enucleat. p. 286.*

Prob. b. *Quis dabit mundum ex immundo?* Iob. XIV, 4. Loquitur Iobus non de *immunditie externa corporis, ſed interna animæ*, propter quam obnoxii reddimur iudicio Dei, v. 3: neque ſermo ipſi eſt de *immunditie actuali, ſed habituali & vniuerſali*, vtpote quæ ex natiuitate impura profecta, animæ intime inhæret. Adeo naturæ ſequitur ſemina quisque ſuæ. Nec niger coruus albam columbam, nec ferox leo mitem agnum, nec homo, peccato congenito pollutus, ſanctum producit filium.

Quæſt. XV. *Quis peccato originis infectus eſt?*

Peccato originis infecti ſunt *homines omnes*, *naturali* generatione ab Adamo deſcendentes. *Subiectum quod P. O.*

Obſ. Labes originalis aſperſa eſt vniuerſis & ſingulis hominibus, quibus *naturalis* ex Adamo ortus contigit. Proinde *Chriſtus* nec originali, nec actuali macula contaminatus eſt; propterea, quod non ordinaria naturæ via genitus, ſed per ἐπέλευσιν ſiue ſuperuentum *ſupernaturalem* & miraculoſum Spiritus S. conceptus, adeoque *ſanctus*, *innoxius*, *impollutus & a peccatoribus ſegregatus eſt.* Hebr. VII, 26.

Prob. 1) E Io. III, 5. 6. *Niſi quis generatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt ingredi in regnum Dei: quod natum eſt e carne, caro eſt.* Vrget Saluator vniuerſalem regenerationis neceſſitatem ob vniuerſalem generis humani corruptionem, & confirmat, omnes homines, ingreſſuros regnum Dei, regenerationis eſſe indignos, eo, quod omnes homines caro de carne nati, i. e. ex parentibus peccato pollutis geniti, & contagio corruptæ carnis coinquinati ſunt.



Digitized by Google

2) *Omnes homines peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei,* Rom. III, 23. Quibus verbis apoſtolus peccatum originale per priuationem imaginis diuinæ deſcribit. Nam deſignatur ab eodem defectus illius gloriæ, quam homo in creatione acceperat, perinde, ac ſi a poſteriori concluderet: Quicunque peccant, illi concreata iuſtitia ſunt deſtituti: Atqui omnes homines peccant. E. omnes concreata iuſtitia ſunt deſtituti.

Dicis: Enochus & Elias expertes fuerunt peccati originalis, ceteroqui viui non ſublati fuiſſent in cœlum, in quod nullum immundum ingreditur, Apocal. XXI, 27. Reſp. Enochus & Elias *natura* fuerunt filii iræ atque adeo peccato originali obnoxii, Eph. II, 3. ex *gratia* autem regeniti & iuſti reputati ſunt.

Quæſt. XVI. *An B. Maria, Deipara, ſine peccato originali concepta eſt?*

B. Maria virgo non eſt ſine peccato originali concepta.

Prob. 1) Quia peccatum originale in omnes homines, modo naturali ſanguine Adami ſatos, diffuſum eſt. Vid. quæſt. præced.

2) Soli Chriſto immunis a peccato conceptio competit, Luc. I, 35. Si B. Maria expers fuiſſet peccati, cur maſſa ſanguinea, e qua exſtruendum erat corpus Chriſti miraculoſo ſuperuentu Spiritus S. ſanctificabatur? At cum hoc profundiſſimo Dei conſilio factum ſit, colligimus, ſolum Chriſtum inter homines priuilegio τῆς ἀναμαρτησίας gauiſum fuiſſe. Ille ſolus a peccatoribus ſegregatus dicitur, Hebr. VII, 26.

3) Peccata *actualia* (quamuis *venialia*) S. Mariæ in ſacro codice recenſentur: Incuria in cuſtodiendo Ieſu, ne amitteretur, Luc. II, 43. πολυπραγμοσύνη, in nuptiis Cananæis vere a Chriſto reprehenſa, Io. II, 3. 4. intempeſtiua interpellatio concionantis Ieſu, Matth. XII, 46. Marc. III, 31. At peccata actualia teſtantur de peccato originis, haud ſecus, ac fructus de radice, proles de matre, riuuli de fonte.

*Antitheſis* eſt *Franciſcanorum*, *Scotiſtarum & Ieſuitarum* inter *Pontificios*, qui S. Mariam abſque contagio Adami conceptam eſſe opinantur, & opinioni huic defendendæ iurisiurandi fide ſe obſtrinxerunt. Contra, *Thomiſtæ* & *Dominicani* ſtatuunt, B. Mariam in originali labe quidem conceptam, ſed poſtea ita ſanctificatam eſſe, vt immunis a peccatis fuerit. Pleraque argumenta *Franciſcanorum* ſunt futilia, recenſitu digna videntur ſequentia:

I. Maria dicitur gratiæ plena & beata in mulieribus, Luc. I, 28. E quibus verbis colligunt: Quæcunque mulier eſt gratiæ plena & beata in mulieribus, illa eſt expers peccati: Atqui Maria &c. E. Reſp. 1) Maria dicitur paſſiue κεχαριτωμένη, i. e. gratiam conſecuta. Sed & fideles ſunt κεχαριτωμένοι, i. e. gratiam conſecuti, Eph. I, 6. Εὐλογυμένȣ ſiue benedicta præ mulieribus dicitur Iaël, Iud. V, 24. Ergo e verbis angeli ἀναμαρτησία Mariæ concludi nequit. 2) Per *gratiam*, quam conſecuta eſt Maria, denotatur ſingulare & eminentiſſimum priuilegium maternitatis, quod ex dignatione diuina mater futura ſit Meſſiæ.

II. Maria eſt *tota pulcra ſine macula*, Cant. IV, 7. E. illius conceptio eſt immaculata. Reſp. Sponſa tota pulcra, ſine macula, eſt *eccleſia triumphans*, quæ non maculam aut rugam habet, teſte Paullo, Epheſ. V, 27.

III. Maria dicitur *porta clauſa*, Ezech. XLIV, 2. E. Diabolo ad peccatum inſtiganti non patuit aditus in animam Mariæ. Reſp. Ezechiel loquitur de porta templi: antiqui tamen doctores perpetuam Mariæ virginitatem, non abſolutam impeccabilitatem a propheta typice adumbratam eſſe, cenſuerunt. Vid. D. SCHERZERI *Anti-Bellarm.* p. 675.

IV. Eua fuit typus Mariæ: Sed Eua ſine peccato originali eſt formata: Ergo & Maria ſine peccato originis eſt concepta. Reſp. 1) S. ſcriptura nullibi aſſerit, Euam eſſe typum Mariæ.

Digitized by Google

Mariæ. 2) Non omnia, quæ ſunt in typo, prædicantur de antitypo. Nam Eua formata eſt in ſtatu integritatis, Maria in ſtatu corruptionis. 3) Eadem ratione concludimus: Dauid fuit typus Chriſti: Dauid natus eſt e matre peccatrice: Ergo & Chriſtus.

V. Si Chriſtus genitus eſt e matre peccatrice, ipſe originali labe contaminatus eſt: Poſterius eſt falſum: Ergo & prius. Conſequentia *maioris* probatur; quia mater peccatrix gignit filium peccatorem. Quis enim dabit mundum de immundo? Iob. XIV, 4. Reſp. Neg. conſequ. Nam mater peccatrix gignit filium peccatorem, *niſi interueniat extraordinaria & miraculoſa gratia Spiritus S. impediens concomitantiam peccati originalis cum generatione matris & productione ſobolis.*

Inſtantia: Sed guttulæ ſanguinis Mariæ, e quibus corpus Chriſti formatum eſt, fuerunt veneno peccati infectæ: Ergo Chriſtus ex impuro ſanguine conceptus & natus eſt. Reſp. *Guttulæ ſanguinis Mariæ, e quibus formatum eſt corpus Chriſti, conſideratæ quoad eſſe reſpectiuum*, quatenus ſcilicet diuinitus deputatæ fuerunt ad conceptionem τȣ͂ λόγȣ, miraculoſo ſuperuentu Spiritus S. ſegregatæ fuerunt a veneno peccati. Ex quo Chriſtus dicitur a peccatoribus ſegregatus, Hebr. VII, 26.

Quæſt. XVII. *Reſidetne peccatum originis in anima hominis, an in corpore?*

*Sedes primaria* peccati originalis eſt *anima* cum facultatibus ſuis a): *ſedes ſecundaria* eſt *corpus* cum ſuis membris b). *Subiectum quo P. O.*

Prob. a. Sicut *anima* fuit πρῶτον δεκτικὸν, ſiue ſedes primaria concreatæ ſapientiæ & ſanctitatis; ita peccatum originis, quod in eius locum ſucceſſit, proxime & immediate infecit animam, eiusque facultates, vt intellectus ad cognoſcendum bona ſpiritualia caliget, voluntas ad mala propendeat, appetitus ſenſitiuus, excuſſo rationis imperio, in cupiditates carnis præceps feratur.

Prob. b. *Corpus* quidem per ſe videtur res bruta, peccati haud capax; at in quantum ſubeſt imperio animæ, peccato contaminatæ, dicitur ſubiectum peccati originalis ſecundarium; eo, quod facultates animæ in peccato membris corporeis, velut organis, vtuntur. Qua de cauſſa grauiter cohortatur S. Paullus, Rom. VI, 12. *Ne igitur regnato peccatum in mortuo veſtro corpore, vt obediatis illi in concupiſcentiis eius, neque ſiſtite membra veſtra inſtrumenta iniuſtitiæ peccato.*

Quæſt. XVIII. *In quo formaliter conſiſtit peccatum originale?*

Peccatum originale *formaliter* conſiſtit in *priuatione iuſtitiæ originalis*, homini ineſſe debitæ a), & *carnali concupiſcentia*, ſiue inclinatione ad malum b). *Formale P. O.*

Obſ. I. *Priuatio diuiditur in ſimplicem, & compoſitam.* Priuatio *ſimplex* eſt abſentia rei, per naturam ineſſe debitæ, in ſubiecto capaci, v. gr. cœcitas in homine. Priuatio *compoſita* eſt, quæ cum actu, vel habitu prauo coniuncta eſt. Sane differunt cœcitas & praua viſio, ſurditas & peruerſus auditus, carentia ſoni in chely, & ſonus aſper, ignorantia ſimplicis negationis & prauæ diſpoſitionis. Statuimus, peccatum originis eſſe quidem *priuationem*, at non *meram*, aut *ſimplicem*, ſed cum *prauo habitu* coniunctam.

Obſ. II. *Poſitiuum* ſumitur vel in ſenſu *metaphyſico*, vel in ſenſu *ethico*, ſeu morali. Senſu *metaphyſico* dictum poſitiuum diſtinguitur in entitatiuum & modificatiuum. Poſitiuum entitatiuum eſt ipſum ens, idque vel increatum, vel creatum, vel ſubſtantia, vel accidens. Poſitiuum modificatiuum datur in modis entis, v. gr. in tranſcendentali bonitate, veritate, duratione, præſentia entis. Senſu *ethico*, vel morali, poſitiuum eſt inclinatio vel determinatio ad malum inducens, inſtigans & efficaciter diſponens. Vocatur a Theologis *praua concupiſcentia, inordinata diſpoſitio, habitus corruptus, habitus conuerſiuus ad malum.*

Obſ. III. D. CHEMNITIVS in *locis theol. de peccato originali fol. m. 225.* oſtendit, AVGVSTINVM definiuiſſe peccatum originis, per *concupiſcentiam;* ANSELMVM, *per carentiam iuſtitiæ originalis, ineſſe debitæ;* HVGONEM vero docuiſſe, *peccatum originis eſſe ignorantiam in mente, concupiſcentiam in carne*: Sententiarios poſtea inter ſe dimicaſſe, de illis definitionibus, vtra verior & melior ſit: SCOTVM cum ſuis amplexum eſſe Anſelmi definitionem; alios pro Auguſtini definitione ita pugnaſſe, vt Anſelmi reiicerent; BONAVENTVRAM vero prudenter iudicaſſe, vtramque definitionem veram eſſe, & in vna illarum includi alteram. A poſtrema ſententia non abit *Auguſtana Confeſſio art. II. Eccleſiæ apud nos docent, quod poſt lapſum Adæ omnes homines, ſecundum naturam propagati, naſcantur cum peccato, hoc eſt, ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum & cum concupiſcentia.* Quæ doctrina Auguſtanæ Confeſſionis explicatur & confirmatur in *apologia, p. 55. Nos recte expreſſimus vtrumque in deſcriptione peccati originalis, videlicet defectus illos, non poſſe Deo credere; non poſſe Deum timere ac diligere: Item habere concupiſcentiam, quæ carnalia quærit contra verbum Dei, hoc eſt, quærit non ſolum voluptates corporis, ſed etiam ſapientiam & iuſtitiam carnalem, & confidit his bonis, contemnens Deum.* Neque ſolum veteres, ſed etiam recentiores, ſi qui ſunt cordatiores, docent ſimul iſta vere peccatum originis eſſe, defectus videlicet recenſitos, & concupiſcentiam. Sic enim inquit THOMAS: *Peccatum originis habet priuationem originalis iuſtitiæ, & cum hac inordinatam diſpoſitionem partium animæ, vnde non eſt priuatio pura, ſed quidam habitus corruptus.* Et BONAVENTVRA: „Cum quæritur, quid ſit originale peccatum, „recte reſpondetur, quod ſit *concupiſcentia immoderata*; recte etiam reſpondetur, quod ſit „*debitæ iuſtitiæ* carentia; & in vna iſtarum reſponſionum includitur altera.„ Idem ſenſit HVGO, cum ait: *originale peccatum eſſe ignorantiam in mente & concupiſcentiam in carne.*

Obſ. IV. Vox *concupiſcentia*, quando actui contradiſtinguitur, ambigua eſt: vel enim notat *potentiam naturalem concupiſcendi*, vel *ſuperadditam inclinationem prauam.* Inter *illam*, & *hanc* ingens datur diſcrimen. Aliud enim eſt naturalis appetitus hominis, vel potentia animæ appetitiua, quæ vt ſubiectum vel materiale peccati originis concipitur; & aliud eſt originalis concupiſcentia mala, quæ illam potentiam corrumpit, & formaliter peccatum originis conſtituit. Nam *illa* eſt a Deo, *hæc* non eſt; *illa* eſt ens poſitiuum ſtricte ſumtum & creatum, *hæc* non eſt; *illa* indifferenter ſe habet, *hæc* determinate; *illa* eſt potentia naturalis & concreata, *hæc* eſt qualitas ſuperaddita & introducta; *illa* naturam humanam perficit, *hæc* deſtruit & contaminat.

Prob. a. 1) Omne peccatum eſt ἀνομία, 1 Io. III, 4. i. e. defectus rectitudinis moralis, ad quam habendam per legem obligamur. Ergo & peccatum originis.

2) Paullus definit peccatum originale per *carentiam gloriæ Dei*, Rom. III, 23. deſignans defectum illius gloriæ, qua homo in creatione a Deo condecoratus erat; vnde priuationem imaginis diuinæ, qua omnes caremus poſt lapſum, notari colligimus. Etenim imago Dei erat gloria, homini a Deo conceſſa in creatione, & ea deſtituimur omnes, poſtquam in Adamo iuſtitiæ originalis iacturam fecimus.

Prob. b. 1) Quia peccatum originale in intellectu non tantum eſt ignorantia ſimplicis negationis, ſed etiam prauæ diſpoſitionis, ſiue horrendus error; ſiquidem gentiles irregeniti verum Deum ignorarunt haud tantum, ſed mutarunt etiam gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum, & reptilium, Rom. III, 23. Quin deprehenditur etiam in intellectu hominis irregeniti, præter ignorantiam rerum ſpiritualium, pronitas quædam connata ad ferendum de iis iudicia temeraria & falſa. Nam ſpiritualia homini irregenito ſunt ſtultitia, 1 Cor. II, 14. i. e. iudicat, myſteria fidei eſſe abſurda

Digitized by Google

abſurda plane, & impoſſibilia. At illa propenſio ad iudicia temeraria de rebus fidei plus importat, quam priuationem notitiæ.

2) Peccatum originale in voluntate hominis non eſt tantum carentia iuſtitiæ originalis, ſed etiam inclinatio & determinatio ad malum. Id propter homo, extra ſtatum gratiæ conſtitutus, dicitur *ſeruus peccati*, Rom. VI, 13. & peccatum regnare in eius corpore mortali, ad obediendum illi per cupiditates eius, v. 12. quod videlicet, quum ea, quæ ſancta ſunt, agere ex ſe non poſſit, in ea, quæ mala ſunt, ex aduerſo feratur, perinde, ac ſi ita agere eum oporteret, aut ſuperioris imperio voluntas flecteretur. Hinc, præter carentiam amoris diuini, datur in voluntate hominis odium & inimicitia aduerſus Deum, ſecuritas & contemtus rerum ſpiritualium, φιλαυτία, cura ſæculi & fiducia in creaturis defixa.

3) P. O. in appetitu ſenſitiuo non eſt tantum priuatio obſequii, ſuperioribus facultatibus debiti, ſed & rebellio carnis aduerſus ſpiritum, Gal. V, 17. beſtialis inclinatio, aſininus ſtupor, pauonina ſuperbia, lupina auaritia, vulpina calliditas, leonina ferocia.

4) P. O. teſte, S. ſcriptura accedit ad analogiam habitus operoſi & difficulter mobilis. Dicitur enim εὐπερίςατον, penitiſſime inhærens, circumcirca cingens, & vndiquaque inſiſtens, Hebr. XII, 1. Dicitur inhabitare & operari, Rom. VII, 17. Sane nulla priuatio poſitiue operatur, ſicut P. O. Nam concupiſcentia connata, quam nos P. O. formale poſitiuum appellamus, producit peccatum actuale per actum abſtractiuum, vt ἐξέλκȣσα; illectiuum, vt δελεάζȣσα; obfirmatiuum, vt συλλαβȣ̃σα. Iacob. I, 14. Ergo eſt habitus poſitiuus, & non mera priuatio; quippe quæ non poteſt hominem poſitiue abſtrahere, ineſcare, peccatum actuale concipere & parere, ſiue in actum deducere.

*Antitheſis* eſt 1) nonnullorum *Scholaſticorum* & plerumque *Pontificiorum*, 2) *Arminianorum*, ſtatuentium, peccatum originis eſſe meram priuationem iuſtitiæ originalis, ineſſe debitæ. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Omne poſitiuum eſt bonum, & vel increatum, vel creatum. At P. O. neque bonum eſt, neque increatum, neque creatum. Ergo P. O. non eſt aliquid poſitiuum. *Maior* conſtat; quia omne poſitiuum eſt ens, adeoque bonum, & vel increatum, vt Deus; vel creatum, vt creatura, cuius cauſſa efficiens eſt Deus. Reſp. Diſt. inter *poſitiuum metaphyſicum, & morale.* Poſitiuum *metaphyſicum*, idque entitatiuum eſt ens bonum, & vel creator, vel creatura. At poſitiuum *morale* neque creator, neque ſemper creatura eſt, v. gr. inclinatio ad malum eſt aliquid poſitiuum, neque tamen ipſa a Deo creata eſt; quia Deus condidit hominem rectum & valde bonum, ſine vlla praua inclinatione. Tentatio ad malum eſt aliquid poſitiuum, neque tamen originem ducit a Deo, ſed a concupiſcentia originali, Iac. I, 14. Determinatio ad malum eſt aliquid poſitiuum, neque tamen prouenit a Deo; quia Deus eſt cauſſa vniuerſalis ad malum neminem determinans.

II. Si datur aliquod poſitiuum in creaturis. Quod non pendet a Deo, dabitur ens, quod non factum eſt a Deo: Conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens. Falſitas conſequentiæ apparet e Io. I, 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Reſp. 1) Non omne poſitiuum eſt ens, cum detur *poſitiuum etiam modificatiuum*, v. gr. in præſentia, duratione &c. Quod ſi determinationem ad malum appellaueris *poſitiuum modificatiuum*, a vero non deflexeris. 2) Non eſt abſurdum, dari aliquod poſitiuum a Deo non productum, ſi ſit *moraliter malum.* Ecquis auſit aſſerere, concupiſcentiam prauam, eiusque fœcunditatem & imprægnationem, Iacob. I, 14. cogitationes malas, inordinatam animæ diſpoſitionem, rebellionem appetitus ſenſitiui aduerſus rectam rationem, motus phyſici determinationem ad malum, eiusque coniunctionem cum vitioſitate proficiſci à Deo?

Digitized by Google

Deo? Nonne eiusmodi aſſertione Deus cauſſa peccati conſtituetur? 3) Io. I, 3. proprie ſermo eſt de *entibus naturalibus*, primo hexaëmero productis, non vero de bono aut malo morali. Confer. D. HVLSEMANN. *breu. enucl. p. 273. ſeqq.*

III. Omnis ἀνομία eſt priuatio: Peccatum originale eſt ἀνομία: Ergo. Reſp. Diſt. inter *priuationem ſimplicem, & compoſitam.* Peccatum originis eſt quidem *priuatio*, ſed *non meram*, aut *ſimplex*, verum *compoſita*, & cum prauo habitu, ſiue peruerſa concupiſcentia, inclinatione & determinatione ad malum coniuncta.

IV. Praua concupiſcentia, ſiue inclinatio & determinatio ad malum, pertinet ad *materiale*, non ad *formale* peccati originalis. Nimirum peccatum originale, concretiue, *denominatiue & materialiter* ſumtum, includit concupiſcentiam, procliuitatem & determinationem ad malum; at ſi ſumatur *abſtractiue & formaliter*, eſt tantum priuatio iuſtitiæ originalis, ineſſe debitæ. Reſp. Hoc perinde eſt, ac ſi velles ſonum aſperum deſcribere per abſentiam ſoni iucundi, errorem per defectum veræ ſcientiæ, rebellionem per priuationem obſequii: quæ deſcriptiones inadæquatæ minime ſufficientes forent. Nam plus ſonus aſper, quam abſentia ſoni iucundi, error, quam defectus veræ ſcientiæ, rebellio, quam priuatio obſequii, poſitionem ſcil. contrarii actus aut habitus important. Pari ratione minus adæquate definitur peccatum originis per carentiam iuſtitiæ originalis, ineſſe debitæ, eo, quod in locum amiſſæ imaginis diuinæ ſucceſſit habitualis inclinatio ad internos & externos actus, lege diuina prohibitos, quam communiter *concupiſcentiam originalem* vocamus. *Hæc* pertinet ad *formale* peccati originalis: quia huius definitionem ingreditur, & in caſu recto de eodem prædicatur: Nam peccatum originale, definiente HVGONE, eſt *ignorantia in mente & concupiſcentia in carne.*

V. Quicunque aſſerunt, peccatum originale eſſe accidens, qualitatem & habitum, illos oportet fateri, peccatum originis eſſe ens a Deo productum: Atqui doctores euangelici &c. Ergo. Conſequentia *maioris* probatur; quia habitus eſt qualitas, qualitas eſt accidens, accidens eſt ens a Deo productum. Reſp. Doctores euangelici aſſerunt, peccatum originale eſſe *habitum, qualitatem & accidens*, non in ἀκριβείᾳ *metaphyſica, ſed ſenſu morali, eoque latiori.* Dicitur enim peccatum originale accidens, qualitas & habitus *analogice;* propterea, quod per modum accidentis animæ vitiatæ inhæret. Per modum *qualitatis*, eſt principium actionis malæ: per modum *habitus*, hominem promtum & expeditum reddit ad peccandum.

Quæſt. XIX. *Eſtne peccatum originis ſubſtantia hominis?*

*An ſubſtantie hominis ſit P. O.*

Peccatum originis *non* eſt ipſa *ſubſtantia hominis*, ſed eſt prauitas boni debiti expers, & ad malum indebitum propenſa, morbi inſtar hereditarii & abominabilis, ſubſtantiæ hominis penitiſſime inhærens.

Prob. 1) Sacræ litteræ aperte diſtinguunt maculam originalem ab ipſa ſubſtantia hominis. Paullus Rom. VII, 21. peccatum originale vocat *malum adiacens.* V. 17. inquit: *Non iam ego perpetro illud, ſed habitans in me malum.* Hebr. XII, 1. appellatur *peccatum circumſtans.* At, quidquid homini adiacet, in ipſo habitat, eundemque circumſtat, id non eſt ipſa ſubſtantia hominis.

2) Omne peccatum eſt ἀνομία, 1 Io. III, 4. Ergo & peccatum originale. At ἀνομία eſt aberratio a lege, adeoque priuatio. Ecquis compos mentis ſubſtantiam hominis priuationem appellare auſit?

3) Sententia aduerſa repugnat multis articulis fidei, & quidem a) *articulo creationis.* Deus enim non modo ante lapſum humanam naturam creauit; verum etiam eadem poſt lapſum eſt Dei opus & creatura. *Manus tuæ formauerunt me, & fecerunt me*, inquit Iobus,

cap.

Digitized by Google

cap. X, 8. Conf. Pſ. CXXXIX, 13. Eccl. XII, 7. At peccati originis Deus non eſt creator, vel auctor; cum iſtud ſit opus diaboli. b) *Articulo incarnationis.* Nam filius Dei in vnione perſonali noſtram aſſumſit humanam naturam, ſed ſine peccato, Hebr. IV, 15. c. VII, 26. c) *Articulo renouationis.* Deus enim hominem a peccato abluit & ſanctificat, 1 Cor. VI, 11. Aliud autem eſt id, quod ſanctificatur, aliud, quod per ſanctificationem tollitur. d) *Articulo reſurrectionis.* Nam eandem noſtram naturam Chriſtus e mortuis reſuſcitabit, & ingenti gloria ornabit: ſed peccatum originis Deus non reſuſcitabit in electis, neque vnquam gloria cœleſti ornabit, aut ſaluabit, ſed in beata illa reſurrectione plane illud erit abolitum. Vid. *ſolid. declarat. Form. concord. pag. 647. ſqq.*

*Antitheſis* eſt 1) *Manichæorum*, qui ſtatuerunt, duo eſſe principia coæterna, bonum & malum: a malo principio eſſe productam ſubſtantiam malam, a bono bonam; & ex his ſubſtantiis conſtare hominem; inque die extremo ſubſtantiam malam a bona eſſe ſeparandam. 2) *Matthæi Flacii*, Illyrici, Profeſſoris primum Wittebergenſis, deinde Ienenſis, in philoſophia parum verſati, cetera doctiſſimi theologi, qui in feruore diſputationis, cum *Victorino Strigelio* Anno 1561. Vinariæ habitæ, imprudenter aſſeruit, *peccatum originis* eſſe *ſubſtantiam hominis.* At diſtinguebat inter *ſubſtantiam formalem*, & *materialem:* per illam imaginem Dei in primis parentibus, per hanc hominem ipſum ex anima & corpore conſtantem intelligebat. Proinde dicebat ſubſtantiam formalem eſſe corruptam, & in eius locum ſucceſſiſſe peccatum originis; materialem autem remanſiſſe, licet valde vitiatam. Porro diſtinguebat inter *hominem phyſice*, & *theologice* conſideratum. Si homo conſideretur in philoſophia, ſubſtantiam eius eſſe corpus & animam; at in theologia doceri, peccatum originale eſſe de hominis corrupti eſſentia, aſſerebat. E quibus euidens eſt, *Flacium* non ita abſolute docuiſſe, quod peccatum originis ſit ipſa hominis ſubſtantia, ſed quod theologice vocetur hominis corrupti eſſentia. Diſcipuli eius rudiores, longius progreſſi, non dubitarunt affirmare, P. O. eſſe ipſam hominis ſubſtantiam. Conf. D. IOANN. MVSAEI *prælect. in Form. Concord. p. 45.* Præcipua Flacianorum argumenta ſunt ſequentia:

I. Quodcunque peccatum eſt de *eſſentia* hominis corrupti, haud male dicitur eius *ſubſtantia:* Atqui peccatum originis &c. Ergo. Reſp. neg. maiorem & diſting. *inter eſſentiale abſolutum, & reſpectiuum.* Quidquid eſt de *eſſentia* hominis, *quatenus corruptus eſt*, non abſolute dici poteſt hominis ſubſtantia. Ratio eſt: quia quidquid de certo hominis ſtatu aſſeritur, non ſimpliciter de eodem affirmatur, v. gr. doctrina eſt de *eſſentia hominis docti*, quatenus *doctus* eſt homo; neque tamen hæc eiusdem eſt ſubſtantia.

II. Si P. O. non eſſet ſubſtantia, non poſſet totam ſubſtantiam hominis corrumpere: Atqui P. O. totam corrupit ſubſtantiam hominis: Ergo. Conſequ. *mai.* prob. quia accidenti non eſt vis, totam ſubſtantiam corrumpendi. Reſp. 1) Diſt. inter *corruptionem* hominis *phyſicam, & theologicam. Phyſica* corruptione corpus naturale reſoluitur in partes, e quibus conſtat: ſenſu *theologico* autem natura hominis P. O. dicitur corrupta non abſolute & ſimpliciter, ſed in ordine ad obiecta ſpiritualia, pios motus & actus circa res ſpirituales; eo, quod peccato hominum primo intellectus humanus eſt occæcatus, vt non intelligat ea, quæ ſunt Spiritus: voluntas ad eligendum bonum ſpirituale reddita eſt inepta, & ad malum propenſa; appetitus ſenſitiuus ſuperioribus facultatibus factus eſt rebellis, & procliuis ad bonum apparens ſenſibusque gratum arripiendum. a) *Corruptio theologice dicta eſt ſubiectiua, non terminatiua. Subiectiua* eſt; quia eſt ſubiecti, in ſubſtantia ſua permanentis, horrenda deprauatio: ſed *non* eſt *terminatiua*; quia naturam humanam non ſic deſtruxit, vt deſierit eſſe id, quod antea fuit. Facile ergo reſpondemus ad obiectionem ſumtam ex cantilena eccle-

ſiaſtica: Durch Adams Fall iſt ganz verderbt menſchlich Natur und Weſen. Natura hominis corrupta eſt *ſubiectiue*, *non terminatiue*. Vid. IOANN. MVSAEVS *l. c. pag. 62.*

III. Quidquid in ſacris litteris deſcribitur verbis, ipſam ſubſtantiam humanam denotantibus, illud eſt ſubſtantia hominis: Atqui peccatum orig. &c. Ergo. *Minor* probatur, quia dicitur *caro*, Io. III, 6. *homo vetus*, Rom. VI, 6. Col. III, 9. corpus peccati, Rom. VI. Reſp. Diſt. inter deſcriptionem peccati originalis, ſumti *abſtractiue*, & *concretiue*. Quando P. O. ſumitur *formaliter* & *abſtractiue*, definitur per ἀνομίαν, 1 Io. III, 4. Cum autem ſumitur *concretiue*, connotat ſubiectum illud, cui penitiſſime inhæret. Sic dicitur *caro*; quæ vox tum ſubſtantiam hominis, tum ei adhærens vitium notat. Dicitur *vetus homo*, non *phyſice* ratione ſubſtantiæ, ſed *ethice ac theologice*, ratione qualitatum. *Vetus* enim *homo concretiue* deſignat *naturam* hominis, P. O. *corruptam; abſtractiue* notat inſitam naturæ humanæ *corruptionem*. Corpus peccati non ſubſtantiam hominis corpoream, ſed colluuiem peccati ſignificat. Sicut enim grex, populus, legio dicuntur *corpora*: ita peccatum originis dicitur *corpus*, quia in varia peccata actualia ſe diffundit variisque ſe operationibus exſerit, perinde, ac ſi exſiſteret corpus quoddam, ex diuerſis membris conſtans & compoſitum, Col. III, 4.

IV. Quidquid eſt accidens, illud adeſſe & abeſſe poteſt ſine ſubiecti interitu: Atqui peccatum originis non poteſt adeſſe ſine ſubiecti interitu. Ergo. *Maior* patet ex definitione accidentis. *Minor* eſt clara, quia 1) peccato originis vires animæ ſpirituales olim concreatæ ſunt corruptæ: 2) quia P. O. non prius abeſt, quam ipſe homo intereat. Reſp. Diſt. inter *accidens prædicabile*, *& prædicamentale*. Illud dicitur de ſubiecto ſuo contingenter, & opponitur eſſentiæ: hoc eſt in alio tanquam in ſubiecto, & opponitur ſubſtantiæ. Dicitur P. O. nonnullis theologis accidens non prædicabile, ſed *prædicamentale;* ideo, quod non eſt accidens externum facile mobile, ſed *internum* & *difficulter mobile*. Ceterum dicitur P. O. accidens non *vniuoce*, *ſed analogice*, eo quod per modum habitus vitioſi homini lapſo ineſt, atque eundem ad peccandum expeditum & promtum reddit.

V. Quidquid pugnat cum lege Dei, illud eſt peccatum, 1 Io. III, 4: Sed totus homo irregenitus &c. Ergo. Reſp. Quidquid *formaliter* & *per ſe* pugnat cum lege Dei, illud eſt peccatum; concedo. At totus homo *non formaliter* & *per ſe*, quatenus eſt *homo*, pugnat cum lege Dei, ſed quatenus *peccato corruptus* eſt, adeoque per accidens pugnat cum lege Dei. Nimirum homo eſt ſubiectum τῆς ἀνομίας, non ipſa ἀνομία.

VI. Si peccatum originale non eſt ſubſtantia hominis, Chriſtus non poteſt dici peccatum: At Chriſtus dicitur peccatum: Ergo. Conſequ. *maior.* probatur; quia Chriſtus induendo humanam naturam, induit peccatum, 2 Cor. V, 21. Reſp. neg. conſequ maioris; quia Chriſtus humanam naturam induit per vnionem perſonalem, ſine inhærente peccato; at noſtra peccata in ſe transtulit imputatiue.

VII. D. LVTHERVS peccatum originale vocauit *peccatum naturæ*, peccatum *perſonæ*, peccatum *ſubſtantiale*, aut *eſſentiale*: Ergo, cenſente hoc eccleſiæ doctore eximio, peccatum originis ad ipſam eſſentiam hominis pertinet. Reſp. Locutiones Lutheri non ἁπλῶς, ſiue *abſolute*, ſed συγκριτικῶς, ſiue *comparate*, *habito reſpectu ad peccata actualia*, intelligendæ ſunt. Nimirum B. Lutherus illis loquendi formulis vſus eſt, vt oſtenderet diſcrimen inter peccatum *originale*, & *actuale*; & peccatum originale vocauit peccatum naturæ, perſonæ, eſſentiale, non quaſi ſit *eſſentiale conſtitutiuum*, *aut conſecutiuum naturæ humanæ*, ſed quia 1) eandem cum natura, eſſentia, & perſona hominis habet originem, adeoque ipſi σύμφυτον, aut *connatum* eſt; ſicut illi, qui ex natiuitate cæcus eſt, cæcitas dicitur naturalis: 2) quia

naturæ

Digitized by Google

naturæ humanæ intime inhæret, eandem totam infecit, atque adeo *ſubiectiue naturale* eſt: 3) quia *tranſitiue naturale* eſt, propterea, quod ab homine per naturalem generationem ad poſteros propagatur.

Quæſt. XX. *Quinam ſunt effectus peccati originalis?*

***Effectus***, ſiue *conſequentia* peccati originalis ſunt; peccata actualia interna, & externa a), defectus liberi arbitrii in ſpiritualibus, & infirmitas eius in naturalibus b), priuatio gratiæ & huic oppoſita ira Dei c), mors temporalis, & hanc antecedentes morbi, variæque huius vitæ ærumnæ d), æterna que tandem condemnatio e). *Effectus P. O.*

Prob. a. Propheta regius efflagitans a Deo miſericordiſſimo remiſſionem peccatorum, quæ commiſerat, horum fontem eſſe peccatum originis indicat ingemiſcendo, Pſ. LI. 7. *Ecce! in iniquitate formatus ſum: & in peccato calefecit me mater mea.* Suffragatur apoſtolus conquerens, Rom. VII, 17. *Iam vero non amplius ego operor illud* (malum), *ſed habitans in me peccatum.* Omnes itaque motus primi atque inuoluntarii concupiſcentiæ prauæ, nec non omnia peccata externa ſunt mali fructus peccati originalis velut radicis.

Prob. b. E 1 Cor. II, 14. *Animalis homo non ſuſcipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim illi ſunt, & non poteſt ſcire, quia ſpiritualiter diiudicantur.* Docet apoſtolus, peccato originali intellectui humano eam inductam eſſe caliginem, vt neque res mere ſpirituales, niſi diuinitus illuminetur, apprehendere, neque easdem voluntati, quæ in ſe potentia cœca eſt, recte repræſentare queat. Inde fit, vt intellectus temeraria & falſa de myſteriis fidei ferat iudicia, voluntas autem a bonis ſpiritualibus auertatur, & ad bona temporalia caduca & carnalia conuertatur.

Prob. c. Ex Eph. II, 3. *Eramus filii iræ natura, ſicut & reliqui.* Homo inconuerſus & irregenitus verſatur in ſtatu iræ, inde a natiuitate. Ergo ob congenitum peccatum & gratiæ expers, & iræ Dei obnoxius eſt.

Prob. d. Quidquid nomine *mortis* venit, Deus homini peccanti interminatus eſt. Gen. II, 17. Secutus ergo eſt peccatum originis reatus mortis ſpiritualis, corporalis & æternæ. Prodromi mortis temporalis ſunt morbi, comitesque huius vitæ variæ ærumnæ, quas Deus peccati oſor & vltor Euæ, a ſerpente ſeductæ, ac Adamo lapſo denuntiauit, Gen. III, 16. 17.

Prob. e. Per vnius peccatum in omnes homines εἰς κατάκριμα, in condemnationem, (res proceſſit), Rom. V, 18. Adami peccatum primum, ex quo peccatum originale deriuatum eſt, cauſſa meritoria eſt vniuerſalis hominum condemnationis, quam tamen declinant renati, ſatisfactionem ſponſoris Chriſti vera fide amplectentes.

Quæſt. XXI. *Quænam ſunt affectiones, ſeu proprietates peccati originalis?*

***Affectiones*** peccati originalis ſunt: propagabilitas a), & inhæſio pertinax vſque ad finem vitæ protenſa b). *Affectiones P. O.*

Prob. a. *Quod natum eſt e carne, caro eſt.* Qui ex parentibus, contagio originali infectis, naſcitur, eiusdem luis eſt particeps, adeoque indigus regenerationis, ſi hereditatem regni cœleſtis aditurus ſit.

Dicis: Parentes renati non propagant peccatum originis; quia eodem abluti ſunt. 1 Cor. VI, 11. Reſp. Vt pater doctor filium indoctum; ita regenitus irregenitum generat, *quod adhuc vetuſtatem trahit inter filios ſæculi, non ex hoc, quod in nouitatem promouit inter filios Dei,* dicente AVGVSTINO *l. II.* de *peccat. merit. & remiſſ. cap. 9.*

Prob. b. Peccatum originale eſt ἁμαρτία εὐπερίστατος, peccatum circumſtans, Hebr. XII, 1. Dicitur *circumſtans*; quia tenaciſſime nobis adhæret, nos vndique circumcingit &

 com-

Digitized by Google

complectitur inſtar veſtis, quæ curſorem remoratur; quod nunquam renati penitus deponunt aut exuunt, licet adiuti a Spiritu S. illius motibus obſiſtant, viresque eiusdem per exercitia pietatis imminuant, & hactenus illud deponere dicantur.

Quæſt. XXII. *An concupiſcentia praua in hominibus iuſtificatis & renouatis veri nominis peccatum eſt?*

Concupiſcentia originalis praua, vnà cum primis motibus inordinatis, quibus ſe exſerit, *vere & proprie dictum peccatum* eſt.

Obſ. *Non* quæritur de concupiſcentia *naturali* & *indifferente*; qualis eſt appetitus cibi, potus, ſomni: *neque* de concupiſcentia *ſpirituali*, bonum ſupernaturale appetente, quæ eſt propria renatorum, qui cum Dauide Deum videre deſiderant, Pſ. XLII, 1.: ſed de *concupiſcentia praua*, *quæ vel originalis*, *vel actualis eſt*. *Concupiſcentia actualis* eſt vel *mortalis*, quæ coniuncta eſt cum conſenſu, delectatione & proſecutione eius rei, ad quam caro nos exſtimulat; vel *venialis*, quæ notat primos animi motus ad peccata nos ſollicitantes, quos per Spiritum S. reprimimus, ne in externum prorumpant actum (*). *Concupiſcentia originalis* eſt habitualis inclinatio ad malum, inordinatis motibus ſe exſerens. Quæſtio eſt, an concupiſcentia originalis intellectum, voluntatem & appetitum ſenſitiuum deprauans, vna cum primis motibus inordinatis in hominibus iuſtificatis & renouatis, vere & proprie cenſeatur atque dicatur peccatum? Ad quam quæſtionem nos affirmatiue reſpondemus.

Prob. 1) Omnis ἀνομία, ſiue dislegalitas eſt peccatum proprie dictum: Atqui omnis concupiſcentia praua eſt ἀνομία: E. *Minor* prob. ab aſſeueratione apoſtoli, Rom. VII, 7. *Peccatum non nouiſſem, niſi per legem. Nam etiam concupiſcentiam* (peccatum eſſe) *non noueram, niſi lex dixiſſet: non concupiſces*, Exod. XX, 17. Quo interdicto diuino omnis concupiſcentia praua tam originalis, quam actualis prohibetur.

Dicis: Præcepto diuino prohibetur non concupiſcentia inuoluntaria, ſed deliberata & voluntaria; quod patet 1) ex verbo Hebr. חָמַד, quæ vox non ſignificat habere concupiſcentiam, quæ naturæ noſtræ vitium eſt, ſed nude appetere & deſiderare. 2) Hoc præceptum non datur brutis, non pueris, ſed creaturæ intelligenti, ratione & libera voluntate vtenti, quæ ſola legis eſt capax, ſolaque poteſt legem implere vel transgredi. At motus involuntarii non magis ſunt humani actus, aut in poteſtate hominis, quam ſunt in poteſtate leonis, canis, equi. Sicut ergo leoni imperari nequit, ne iraſcatur; cani, ne ringatur; equo, ne adhinniat; ſic nec homini, ne primos concupiſcentiæ motus ſentiat, & qui eos puniret, tyrannus eſſet. Reſp. 1) Præcepto diuino omnis concupiſcentia illicita vetatur, cum nulla reſtrictione limitetur. Quando autem Paullus dicit, ſe, concupiſcentiam eſſe peccatum, non nouiſſe, niſi lex dixiſſet: non concupiſces; reſpicit potiſſimum concupiſcentiam indeliberatam & inuoluntariam; quippe quam peccatum eſſe, non poterat, niſi ex lege decalogica, cognoſcere; at cupiditates voluntarias eſſe peccata, ex lege naturali non ſcripta saniores

(*) Renouati hominis eſt, illecebras peccandi non ſolum *reprimere*, verum etiam *ſupprimere*, ne eæ *intus* dominentur, vt eas cum maximo dolore auerſetur, ſanctisque cogitationibus ac motibus animi excitandis det operam. Homo improbus, nondumque denuo natus, at prudens tamen & ſagax, cohibet cupiditatem iniuſtam, ac *reprimit*, repugnans nimirum *non internis* animi motibus, vtpote quibus ipſe perpetuo indulget, in quibus valde delectatur, exſpectatque opportunitatem loci ac temporis, impune peccandi, ſuamque libidinem explendi; ſed *externæ* dumtaxat actioni, ne vitioſitas in publicum prodeat, ac populo ſit ſpectaculo, ideoque ſtudet partim *occultationi*, partim *ſimulationi* ac diſſimulationi, propter rationes ciuiles, ne quis hominum reſciſcat, partim *excuſationi*, aut omnino *defenſioni*, vt liceat ſibi iniuſtam actionem ſpecie iuris coloratam exercere.

Digitized by Google

ores agnouerunt gentiles. 2) Etſi ex verbo חמד, probari nequeat, prohibitam eſſe concupiſcentiam inuoluntariam, oſtendi tamen poteſt ex verbis, לא תתאוה, ne facias te concupiſcere. 3) Ingens diſcrimen eſt inter hominem, cui lex eſt præſcripta, & inter beſtiam, cui nulla lex eſt poſita; quamuis poſt lapſum homo legem perfecte præſtare nequeat. Quid? quod etiam in beſtia ſine tyrannide coërceatur ferocia immanis; quo fit, vt verberum memor ferociam deſueſcat.

2) Paullus *concupiſcentiam*, in *renatis* reſiduam, plus vice ſimplici diſerte *peccatum* appellat, Rom. VII, 7. 8. 9. 11. 12. 13. 17. 20. 23. 25. Conf. Rom. VI, 6. 12. 13. 14. Rom. VIII, 5. 10.

Dicis: Concupiſcentia dicitur peccatum per metonymiam; quia eſt cauſſa peccati, ſi ei obediatur. Reſp. Concupiſcentia proprie & formaliter vocatur peccatum, ſiquidem nulla neceſſitas nos cogit, vt a propria vocabuli ſignificatione recedamus, in primis quia c. VII. Rom. propria ſedes eſt huius doctrinæ. Sane ſcriptura S. de articulis fidei in ſede propria non loquitur tropice, aut certe tropum innuit & declarat. Ceterum ſi concupiſcentia eſt *cauſſa peccati*, vtique ipſa *peccatum* eſt. Propterea Paullus concupiſcentiam vocat aliquid non bonum, ſed malum, Rom. VII, 19. At omne moraliter malum eſt peccatum.

3) Effecta concupiſcentiæ prauæ ſunt: reddere hominem renatum ex parte carnalem, venundare ipſum ſub peccatum, operari malum, repugnare legi mentis, & facere hominem captiuum ſub lege peccati, adeoque coram facie Dei longe miſerrimum, Rom. VII, 14. 20. 23. 24. concupiſcere aduerſus ſpiritum, Gal. V, 17. mereri damnationem æternam, Rom. II, 13.

Dicis: Paullus Rom. VII. non loquitur de ſe vt homine renato, ſed induit ac ſuſtinet perſonam hominis irregeniti ſub lege conſtituti, necdum ſpiritu Chriſti præditi; quod probatur exinde, quia homini carnali Rom. VII, 14. deſcripto ea vindicantur prædicata, quæ nulli renato, nedum Paullo illuminatiſſimo, attribui poſſunt. Dicitur enim a) venundatus ſub peccatum, v. 14. Sed renatus liberatus eſt a peccato, Rom. VI, 18. b) Captiuatus lege peccati, qua renatus itidem liberatus eſt, Rom. VIII, 2. c) Carne ſeruiens legi peccati, v. 25. Sed renatus eſt ſeruus iuſtitiæ, Rom. VI, 18. d) Dicitur facere, quæ non vult, & non facere, quæ vult, v. 20. Sed renatus habet Spiritum S. & cum eo libertatem agendi, 1 Cor. III, 17. Reſp. א) *Generatim.* Capite ſeptimo ad Romanos a verſu 14. vsque ad finem immediate Paullus, conſequenter quilibet homo renatus intelligitur; quod probatur 1) quia itidem apoſtolus loquitur de ſe in tempore *præſenti*: *Ego volo, odi, facio, conſentio, gratias ago.* Statum ſub Phariſaiſmo & lege verbis tempus *præteritum* deſignantibus exprimit v. 9. *Ego viuebam ſine lege olim,* i. e. ſine vero legis intellectu. 2) Homo l. c. deſcriptus vult bonum, v. 18. & non operatur malum, v. 15. At irregenitus non vult bonum ſpirituale; quia in peccatis eſt mortuus, Eph. II, 1. & eſt putris arbor fructus malos faciens, Matth. VII. 17. 3) Homo, iſthic deſignatus, legi diuinæ conſentit & ſeruit v. 23. 25. Irregenitus legi ſubdi non poteſt, Rom. VIII, 7. 4) Conſentit homo, ab apoſtolo delineatus, legi ſecundum hominem internum, v. 22. Internus homo eſt renouatus. Conf. 2 Cor. IV, 10. Eph. IV, 24. Col. III, 9. 5) Datur in homine, hic deſcripto, lucta carnis & ſpiritus, v. 23. 25. Sed lucta carnis & ſpiritus datur in homine renouato, in quo Spiritus S. habitat, Gal. V, 17. 6) Homo, qui hoc loco introducitur, Deo gratias agit per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro inchoata liberatione a peccato; quamuis hæc liberatio complementum ſuum in hac vita nondum conſecuta ſit, v. 25. At homo a peccato liberatus, & eo nomine Deo per Chriſtum gratias agens, vere renatus eſt, non ſub lege, ſed ſub gratia Chriſti conſtitutus. Reſp. ב) *Speciatim* ad a): Paullus dicit, ſe eſſe *carnalem non ex toto, ſed ex*

 *parte,*

Digitized by Google

*parte*; *non ſimpliciter & abſolute*, *ſed certo reſpectu & comparate*; quatenus habebat vetuſtatem carnis, & hac impediebatur, quo minus legem, quæ ſpiritualis eſt, ſpiritualemque & perfectam obedientiam requirit, ex amuſſi impleret. Pariter quoque dicit, ſe eſſe *venundatum ſub peccatum*, non quaſi *venditus ſit ad plenum obſequium peccati prædominantis*, inſtar regis Achabi; 1 Reg. XXI, 20. ſed ob *vim*, *conatum & ſenſum* concupiſcentiæ originalis; propterea, quod impetus ſtimulosque concupiſcentiæ ſentiebat, qui ipſum inuitum, a bono abreptum, peccato mancipare conabantur, licet id effectum dare non poſſent; quia adiutus a Spiritu S. hos impetus ſtimulosque concupiſcentiæ, dominium affectantis, reprimebat & iugum excutiebat. Ad b): Diſt. *inter captiuitatem voluntariam*, *& inuoluntariam.* Irregeniti ſponte ſua vinculis peccati ſe conſtringendos tradunt; at renatus ingemiſcit & conqueritur, quod vinculis innatæ concupiſcentiæ prauæ conſtrictus, Samſonis captiuati inſtar, rapiatur ad faciendum id, quod læto animo non vult. Ad c): *Apoſtolus ſeruit mente illuminata legi Dei*; *ſeruit autem carne*, i. e. quatenus labe inhærentis peccati infectus eſt, *legi peccati non ſeruitute ſpontanea*, *ſed inuoluntaria.* Ad d): Diſt. *inter libertatem a dominio*, *& a ſenſu peccati.* Quamuis homo renouatus liberatus ſit a *dominio* peccati, non tamen a *ſenſu* & radice peccati immunis eſt. Inde fit, vt licet renati bonum alacriter & expedite facere velint, inualeſcente tamen concupiſcentia, perficere nequeant.

4) Datur in renatis non tantum concupiſcentia συλλαβȣ̃σα, concipiens, i. e. cum deliberato voluntatis conſenſu coniuncta, ſed etiam ἐξέλκȣσα καὶ δελεάζȣσα, abſtrahens & ineſcans, licet *conſenſus* non accedat, Iac. I, 14. Quare & primi inordinati motus peccata ſunt, cum ſint peccati externi cauſſæ. At cauſſa peccati aut eſt perſona peccans, aut peccatum, alia ex ſe delicta pariens.

5) Concupiſcentiam, quæ poſt baptiſmum in renatis ſupereſt, vere peccatum eſſe, demonſtrat AVGVSTIN. *tract. XLI. in Ioann. ex Rom. VI, 12. Ait apoſtolus*: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis eius*, *neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato. Non ait*: *non ſit*; *ſed*: *non regnet. Quamdiu viuis*, *peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis*, *ſaltem illi regnum auferatur*, *ne fiat*, *quod iubet.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, concupiſcentiam in renatis, poſt baptiſmum reſiduam, cum motibus primo primis, ſiue inuoluntariis eſſe veri nominis peccatum; quorum potiora ſunt argumenta:

I. Concupiſcentia diſtinguitur a peccato, vt cauſſa ab effectu, teſte S. Iacobo, Ep. c. I, 15. E. Concupiſcentia non eſt peccatum proprie dictum. Reſp. Diſt. inter *peccatum gignens*, *& genitum.* Concupiſcentia non eſt quidem peccatum genitum, i. e. actu & opere conſummatum, eſt tamen peccatum gignens, i. e. originale. Sicut concludere non licet: Pater generat hominem: Ergo pater non eſt homo; ita colligere nefas eſt: Concupiſcentia gignit peccatum: Ergo concupiſcentia non eſt peccatum, cum contrarium verum ſit, nempe matrem & prolem eſſe eiusdem naturæ.

II. Quidquid non eſt in noſtra poteſtate, ad illud Deus nos præcepto ſuo non obligat: Euitare primos concupiſcentiæ motus, non eſt in noſtra poteſtate: E. ad euitandos primos concupiſcentiæ motus Deus nos non obligat. *Maior* conſtat; quia omnis imperans impoſſibilia, iniuſtus eſt. *Minor* liquet; quia poſt lapſum primi hominis motus inordinati non pendent a deliberatione hominis, ſed ſponte fluunt a concupiſcentia originali. Reſp. Neg. maior. Ad probationem dicimus, quod *omnis imperans impoſſibilia*, *quæ ſimpliciter & in omni ſtatu ſunt impoſſibilia*, *iniuſtus ſit. At imperans impoſſibilia*, *quorum præſtatio ex culpa delinquentis facta eſt impoſſibilis*, *non eſt iniuſtus.* Sic rex ille Matth. XVIII, 24. poſtulat a ſeruo debitore decem millia talentorum, quibus ille ſoluendis non erat. Deus iuſtiſſime

poſtu-

Digitized by Google

poſtulat ab ebrioſis, qui propria culpa memoriam, lumen fidei, facultatem deuote precandi perdiderunt, vigilantiam, fidem, precum ardorem. Si id tantum lege diuina interdicitur, quod in noſtra eſt poteſtate, peccatum originis nullo prohibebitur præcepto, adeoque non erit peccatum proprie dictum.

III. Peccatum tollitur per baptiſmum: E. in baptizatis & renatis nullum reſiduum eſt peccatum. *Antecedens* patet ex Eph. V, 26. vbi dicimur *ſanctificati & mundati lauacro aquæ in verbo*. Reſp. *Tollitur peccatum in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non obſit, aut non imputetur.* Tollitur in baptiſmo *reatus, vt & dominium* concupiſcentiæ, non concupiſcentia ipſa.

Inſtantia: Si concupiſcentia inordinata, poſt baptiſmum reſidua, veri nominis peccatum eſt, vtique reatum inducit, propterea, quod reatus a peccato inſeparabilis eſt. Reſp. Tollitur reatus non a *peccato*, ſed a *perſona peccante* & *reſipiſcente*, per *gratiam iuſtificantem*.

IV. Deus peccatum reſiduum vel odit; vel non odit: Si hoc; peccatum non eſt: Si illud; remiſſum non eſt. Reſp. Odit Deus *peccatum*, quia eſt ἀνομία; at non ſemper odit perſonam *peccantem*, ob meritum Chriſti, vera fide apprehenſum: Sicut pater odit vitia in filio, ſed non odit ipſum filium.

V. Si in homine iuſtificato reſidua eſſet concupiſcentia, quæ vere cenſetur & dicitur peccatum, vtique aliquid damnabile eſſet in eodem: Sed nihil damnabile eſt in homine iuſtificato: E. Conſequentia *maioris* patet; quia omne peccatum, per ſe & natura ſua, eſt mortale atque damnabile. *Antecedens* liquet e Rom. VIII, 1. *Nihil nunc condemnationis eſt in iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Reſp. *Aliud eſt condemnatio, aliud condemnabile. Illa eſt* actus iudicis condemnantis. Conf. Rom. V, 16. 1 Tim. V, 12. *Hoc* eſt culpa hominis legem transgredientis, quæ condemnationem per ſe meretur. Non dicit apoſtolus, *nihil condemnabile, ſed nihil condemnationis eſſe in renatis.* Quamuis in his ſit concupiſcentia, natura ſua damnabilis; nullam tamen condemnationem ſubeunt, liberante Chriſto renatos & electos ſuos a reatu peccati, vt vim eosdem condemnandi amittat, & per Spiritum ſuum, peccatum ne dominetur, retundente atque cohibente. Eſt itaque peccatum, poſt regenerationem, inſtar veſparum, quæ amiſſo aculeo pungere nequeunt, etiamſi multum obſtrepant.

VI. Chriſtus *ita ſanctificat & mundat eccleſiam, vt ſiſtat eam ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam*, Eph. V, 26. Si eccleſia per baptiſmum ita ſanctificatur & mundatur, vt ſit glorioſa ac ſplendida, ſine macula ac ruga, illa poſt baptiſmum omnis peccati expers eſt. Reſp. Chriſtus eccleſiam ſanctificat & mundat in hoc ſæculo per baptiſmum, eam partim iuſtificando, partim renouando. Per gratiam iuſtificantem accipit eccleſia perfectam remiſſionem peccatorum. Renouatio in hac vita non perficitur, ſed inchoatur, & de die in diem continuatur. Exhibitio autem ſiue præſentatio eccleſiæ ſine macula & ruga fiet non in hac, ſed futura vita; nempe in futuri ſæculi nuptiis, Apoc. XIX, 7. 8. quam interpretationem confirmat AVGVSTINVS *libr. I. retract. c. 7. Cum tota dicat eccleſia: Dimitte nobis debita noſtra; non vtique hic eſt ſine macula & ruga, aut aliquo eiusmodi: ex eo tamen quod hic accipit, ad illam gloriam, quæ hic non eſt, perfectionemque perducitur.* Confer. D. CALOVII *bibl. illuſtr. in h. l. fol. 724.*

### Quæſt. XXIII. *Quid accidit peccato originali?*

Peccato originali accidit, quod in aliis hominibus *regnat*, in aliis *non regnat* a). **Accidentia P. O.** *Regnat* in illis, qui eius irritationibus prompte obſequuntur: *non regnat* in illis, qui ipſius prauis moribus & ſuggeſtionibus obicem ponunt b).

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. *Ne regnato peccatum in mortali veſtro corpore, vt obediatis illi in concupiſcentiis eius.* Rom. VI, 12. Non dicit apoſtolus: *ne eſto*; quia durante hac vita exſtirpari nequit; ſed *ne regnato*, q. d. obſiſtite peccato, habitanti in mortali veſtro corpore, ne vim ſuam exerceat, ſummumque dominium obtineat. Quare nolite obtemperare ipſius inordinatis motibus, ad grandia vos peccata ſollicitantibus, ſed hos reprimite & cohibete.

Prob. b. *Peccatum vobis non dominabitur; non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Rom. VI, 14. Quicunque gratia Spiritus S. ſunt renati, iuſtificati & renouati, illi neque ſunt ſub coactione legis; eo, quod læto liberoque ſpiritu voluntati diuinæ morem gerunt; neque imperata faciunt peccati originalis; quippe cuius irritamenta fide vincunt, vt regnare nequeat, quamuis dominium ſubinde affectet.

Obſ. Solent ceteroqui *peccata regnantia*, etiam vocari *peccata actualia crebris actionibus repetita*, quæ ab irregenitis non imminuuntur, ſed ſæpius committuntur, inualeſcunt, vigent, & ad alia peccata exſtimulant: *non regnantia* dicuntur, quorum principiis renati obſtant, ne foras erumpant, & externo opere conſummentur.

Quæſt. XXIV. *Quem vſum practicum ſuppeditat doctrina de peccato originali?*

*Vſus practici.* Suppeditat *vſum pædeuticum*, ad profundiſſimam hominum poſt lapſum corruptionem extremamque miſeriam deplorandam, & medicum animarum, Chriſtum, flagrantiſſimo deſiderio quærendum, a); *paracleticum*, ad agnoſcendam ineffabilem miſericordiam Dei, qui lethali huic malo ſalutare remedium in baptiſmo & regeneratione nobis parauit b): *epanorthoticum*, ad ſupprimendum deſideria carnis poſt baptiſmum reſidua c).

Prob. a. Grauiter ait LVTHERVS *part. III. artic. Smalcaldic. artic. 1. Confitendum nobis, vt Paullus Rom. V. affirmat, peccatum ab vno homine Adamo ortum eſſe, & introiiſſe in mundum, per cuius inobedientiam omnes homines facti ſunt peccatores, morti & diabolo obnoxii. Hoc nominatur originale, hereditarium, principale & capitale peccatum.*

Prob. b. *Quando vero apparuit benignitas & amor hominum Seruatoris noſtri Dei non ex operibus, quæ (facta) in iuſtitia, quæ fecimus nos, ſed iuxta ſuam miſericordiam ſaluauit nos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti*, Tit. III, 4. Per peccatum originis facti ſumus filii iræ: per baptiſmum reddimur filii gratiæ. Per illud deformati ſumus; per hunc renouamur. Illo aditus ad mortem; hoc ianua ad vitam aperitur.

Prob. c. Sollicite caueamus, ne frena laxemus cupiditatibus carnis. Nam *ſi ſecundum carnem viuimus, moriemur; ſi vero ſpiritu actiones corporis mortificamus, viuemus*, Rom. XII, 13.

### *SVSPIRIVM.*

Submiſſe agnoſco, o Deus miſericordiſſime! connatam mihi luem, malum hereditarium, lepram animæ fœdiſſimam. Contractam lapſu primorum parentum deploro miſeriam, & tuam, Ieſu dulciſſime, quæro miſericordiam. Tu archiater es animæ meæ, tu aſſertor & vindex ſalutis meæ. Tu medicinam lethali meo morbo in baptiſmo paraſti, paratum mihi contuliſti. Eluiſti peccatum congenitum, vim condemnandi ei adimendo, & impetus ſtimuloſque ipſius, ne me proſternerent, retundendo. Gratias pro tanto beneficio ago tibi immortales, & ardentiſſime precor, vt me languentem atque infirmum viribus ſpiritualibus inſtruas, quo irritamenta carnis, quæ ad peccandum animum meum ſollicitant, cohibeam, reprimam, elidam.

THEOL.

Digitized by Google

# THEOL. PARTIS II. CAP. IV.
## DE
# PECCATIS ACTVALIBVS.

Quæſt. I. *Quid eſt peccatum actuale?*

*Peccatum actuale* eſt deflexio actus humani a regula legis diuinæ.

*Vberius definitur:* *Peccati actualis definitio.*

*Peccatum actuale* eſt deflexio actus humani *commiſſi*, vel *omiſſi*, a regula legis diuinæ, reatum culpæ & pœnæ inferens.

Prob. Peccatum *generatim* definitur per ἀνομίαν, ſiue deflexionem a lege, 1 Io. III, 4. Quæ ἀνομία vel *originalis*, vel *actualis* eſt. Differt itaque peccatum *actuale* ab *originali* eo ipſo, quod *illud* eſt actus ſecundus, *hoc* eſt habitus ad malum inclinans & ſollicitans. Poteſt tamen etiam peccatum *actuale* definiri, quod ſit actio, aut actionis omiſſio, pugnans cum lege Dei æterna: ſicut AVGVSTINVS l. 22. *contra Fauſtum c.* 21. deſcripſit peccatum: quod ſit *factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei.* Nam ſic *materiale* peccati, quod eſt *actio commiſſa*, vel *omiſſa*, loco generis, & formale conſtituens, quod eſt ἀνομία, ſiue contralegalitas, loco differentiæ ponitur. *Formale* autem conſequens peccati actualis eſt *reatus culpæ* & *pœnæ*.

Quæſt. II. *Vnde dicitur peccatum actuale?*

*Peccatum actuale* dicitur ab *actu*, lege diuina *prohibito*, eoque commiſſo, vel omiſſo. *Etymologia.*

Prob. Peccatum *actuale* ab actu peccaminoſo obtinuit nomen; eo, quod peccatum actuale in poſteris Adami proficiſcitur a peccato originali, vt actus ſecundus prouenit ex habitu, riuulus manat ex fonte, fructus naſcitur ex arbore. Eſt enim peccatum *originis* mala arbor, ferens fructus malos, Matth. VII, 17. Quamuis autem peccatum actuale, vi vocis, ſit illud peccatum, quod actu quodam, ſeu agendo perficitur: ex vſu tamen vocis, etiam peccata *actualia* dicuntur, quæ *non agendo* fiunt. Sicut enim *leges* aliæ de *faciendis*, aliæ de *omittendis* feruntur: ita *peccata*, legibus oppoſita, alia quidem *agendo*, quod lege prohibitum eſt, alia *non agendo*, ſeu omittendo actum, lege præceptum, patrantur.

Quæſt. III. *Quot modis ſumitur peccatum actuale?*

Peccatum actuale ſumitur vel *laxius & generalius*, pro omnibus motibus vel actibus inordinatis, ex peccato originis procedentibus, ſiue cum præuia deliberatione ſint coniuncti, ſiue, citra conſultationem intellectus, & proæreſin voluntatis, hominibus inuitis obrepant: a) vel *preſſius & ſpecialius*, pro actionibus, deliberato mentis conſilio, & deſtinata voluntatis malitia patratis b).

Prob. a. Peccatum originis habet ſe inſtar cauſſæ, in perpetuo motu conſtitutæ, cuius effectus ſunt peccata actualia. Neque enim otioſum, ſed operoſum, maximæque activitatis eſt, quod tanquam fons venenatus ſuas ſcaturit conſimiles aquas, in omnis generis peccata actualia ſe effundens, quæ *vel ſunt motus vitioſi interni indeliberati*, *vel actus conſulti & praelectiui*. Actus *indeliberati*, vel *motus primi* cadunt etiam in infantes. Omne enim figmentum cordis humani tantummodo malum eſt omni die, ab infantia. Gen. VI, 13. c. VIII, 21.

Prob. b. Quando de *renatis* dicitur, quod *non faciant peccatum*, 1 Io. III. 9. item, quod infantes nondum nati nihil, neque boni, neque mali feciſſe dicuntur, Rom. IX, 11. intelliguntur peccata actualia, *ſtricte* dicta, quæ ex proæreſi & deliberato conſilio fiunt.



Digitized by Google

Quæſt. IV. *Quomodo appellantur peccata actualia in ſacris litteris?*

*P. A. Synonymia.*

Peccata actualia in ſacris litteris vocantur *opera iniqua*, opera *mortua*, opera *infructuoſa tenebrarum*, opera *carnis*, actiones *veteris hominis*, actiones *carnis*, opera *impietatis*.

Prob. S. Petrus peccata actualia vocat ἔργα ἄνομα, *opera iniqua*, 2 ep. c. II, 8. quia a norma legis diuinæ diſcrepant. S. Paullus eadem appellat *opera mortua*, Hebr. VI, 1. Nimirum propterea, quod ſunt effecta hominum, ſpiritualiter mortuorum, a Deo, auctore vitæ, hominem auertunt, mortem denique æternam pariunt. Appellat etiam *opera infructuoſa tenebrarum*, Eph. V, 11. Sunt *opera infructuoſa*; eo, quod nihil emolumenti, multum autem detrimenti peccantibus afferunt. Sunt *opera tenebrarum*; quoniam plerumque in locis occultis & tenebroſis, ſuaſore principe tenebrarum, perpetrantur ab iis, quorum animus ignorantiæ & malitiæ tenebris eſt oppletus, quos tandem in æternas tenebras præcipites agunt. Appellat *opera carnis*, Gal. V, 19. quia caro, ſiue concupiſcentia carnalis, ad ea hominem tentat & ineſcat, Iacob. I, 14. Appellat *actiones veteris hominis*, Col. III, 9. eo, quod a natura corrupta ab Adamo in poſteros deriuata proficiſcuntur. Appellat *actiones carnis*, Rom. VIII, 13. ſiue naturæ, peccato originali deprauatæ; quia *tum* ſenſibus carnis inflammantur, *tum* miniſterio membrorum corporeorum peraguntur, *tum* denique ad id, quod corpori gratum & iucundum eſt, diriguntur. S. Iudas ea nominat ἔργα ἀσεβείας, *opera impietatis*, ep. v. 15. ideo, quod iisdem maieſtas Dei domini, legislatoris & iudicis ſummi, violatur.

Quæſt. V. *Quæ eſt cauſſa efficiens peccatorum actualium?*

*Cauſſa efficiens P. A.*

*Cauſſa efficiens* peccatorum actualium eſt homo peccans.

Prob. Quia homo peccans eſt cauſſa *phyſica* illius *actus*, cui ἀνομία, ſ. dislegalitas adhæret; eo, quod illum reali influxu producit, ἀνομία ipſa, ſiue deflexio a lege non habet quidem cauſſam efficientem, ſed deficientem: reducitur tamen in cauſſam particularem, a lege diuina aberrantem, quæ illius cauſſa *moralis* eſt. Cum enim producit effectum, cum quo nouit ἀνομίαν eſſe coniunctam; ipſam ἀνομίαν, ſi non *directe*, ſaltim *indirecte* intendit, vt ipſi ἀνομία imputetur, tanquam effectus, haud ſecus, ac ſi realiter influeret. V. gr. Cain eſt cauſſa efficiens fratricidii; cuius *materiale* eſt *actus* percuſſionis, ſed ἀταξία ſiue *inordinatio* illi adiacens, eſt *formale* peccati. Actus percuſſionis eſt a Caino, ſeu *cauſſa phyſica*, realiter influente; ac illegalitas, ſiue inordinatio, percuſſioni adiacens, eſt a Caino tanquam *cauſſa morali*, cui illa iure iuſtiſſimo imputatur.

Quæſt. VI. *Quæ ſunt cauſſæ, hominem ad peccatum actuale impellentes, aut quacunque ratione inducentes?*

*Interne* hominem ad actum peccaminoſum ſollicitat concupiſcentia praua, in carne habitans a): *externe* impellunt, aut incitant diabolus b), & mundus, ſeu homines c), & res in mundo exſiſtentes d).

Prob. a. Ἁμαρτιγένειαν, ſeu originem peccati actualis nobis commonſtrat S. Iacobus c. I, 14. 15. *Quilibet tentatur a propria concupiſcentia, dum abſtrahitur & ineſcatur. Deinde concupiſcentia, poſtquam concepit, parit peccatum: peccatum vero, quando conſummatum eſt, parturit mortem.* Interprete D. CHEMNITIO *part. III. L. de diſcrim. P. mortal. & venial. p. 109.* ſequentes a S. Iacobo indicantur gradus, per quos ad peccatum proæreticum opere externo conſummatum aſcenditur. Nominatur 1) ab apoſtolo ἰδία ἐπιθυμία, quæ eſt concupiſcentia originalis: 2) τὸ πειράζειν, illius concupiſcentiæ, quando incipit nos ſollicitare ad malum, cogi-

cogitationes: 3) τὸ δελεάζειν, quod ſunt illecebræ inuitantes. Sicut enim auiculæ & piſces illecebris ineſcantur: ita concupiſcentiæ originalis illecebris inuitat: 4) τὸ ἐξέλκειν, quando voluntas per incendia malorum affectuum rapitur transuerſum ad obſequium. Et hucusque etiam renatus peruenire poteſt. Nam Paullus Rom. VII, 23. dolet & conqueritur, ſe interdum ſic captiuari; quia tamen manet in Chriſto, & repugnat, nihil in ipſo eſt damnationis, Rom. IIX, 1: 5) τὸ συλλαμβάνειν, concipere, quod eſt malum propoſitum, ſeu machinatio ad malum. Et quando hucusque progreditur malitia, iam excuſſa eſt pœnitentia & fides: 6) τὸ τίκτειν, quando ipſum opus conſequitur, quo perpetrato peccatum generat mortem. Quam originem peccatorum actualium & gradualem progreſſum concinne explicat D. GERHARDVS in *diſp. iſag. p. 927.* Apoſtolus Iacobus *quinque gradus* peccatorum interiorum commemorat. *Primus* eſt ἐπιθυμία, praua concupiſcentia, habitualiter inhærens, quæ eſt ipſum originale peccatum, cuius fomes etiam poſt baptiſmum in renatis adhuc manet. *Secundus* eſt τὸ πειράζειν illius concupiſcentiæ, quando ſcil. prauas cogitationes caro nobis obiicit: quando fomes quaſi ſcintillas quasdam emittit. *Tertius* eſt τὸ δελεάζειν, quando variæ obiiciuntur illecebræ, quibus ſollicitamur, vt malum eligamus contra iudicium mentis per ſpiritum renouatæ, ſicque illud δελεάζειν eſt velut flabellum, quo fomites ſcintillæ excitantur. *Quartus* eſt ἐξέλκειν, quando voluntas quaſi captiuatur, & in ſeruitutem redigitur, vt conſentire incipiat prauis illecebris. *Quintus* eſt τὸ συλλαμβάνειν, quando accedit deliberatum propoſitum, & quæruntur media in actum illud deducendi. Hæc omnia pertinent ad peccata interiora, ex quibus oritur τὸ τίκτειν, ipſum opus externum, quo perpetrato peccatum generat mortem. De cetero nullum eſt dubium, quin etiam *peccata actualia, ſæpius iterata, ſequentium peccatorum haud raro cauſſæ ſint, partim* quatenus inclinant ad actus ſimiles peccaminoſos, *partim* quatenus excutiunt gratiam, qua ablata, homines in peccata grauiora ruunt *).

Prob. b. *Diabolus eſt cauſſa peccati humani;* propterea, quod efficaciter operatur in filiis incredulitatis, Eph. II, 2. excœcat ſenſus incredulorum, ne illuceſcat illis lumen euangelii, 2 Cor. IV, 4. turbat phantaſiam Saulis, 1 Sam. XVI, 25. incitat Dauidem ad numerandum populum, 1 Paral. XXI, 1. implet cor Ananiæ ad dicendum mendacium, Actor. V, 3. perſuadet Iudæ argumentis, ab vtili ſumtis, ad prodendum Chriſtum, Io. XIII, 2. ex quo diabolus audit ὁ πειράζων, tentator, Matth. IV, 3. Tentat autem diabolus a bono auocando, & ad malum inſtigando. Neque tamen idem neceſſitat, aut determinat voluntatem humanam ad actum illicitum, ſed conſulit, prauasque cogitationes ſuggerit; cui impoſtori renati poſſunt reſiſtere, vt ab ipſis fugiat, Iac. IV, 17.



*) Diſerte IACOBVS τὸ ἐξέλκεσθαι anteponit τῷ δελεάζεσθαι. Quod vero ante dixerat, πειράζεσθαι, illud non eſt ab his duobus diuerſum, ſed eſt hoc ipſum, ἐξέλκεται καὶ δελεάζεται, quod vtrumque εἶτα, deinceps, ſequitur ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα. Tentare enim nihil eſt aliud, quam inſtigare aliquem, atque adlicere. Itaque peccati conſummati cuiusque *primus* gradus eſt, illecebra male agendi, primus animi motus, prima, quæ mentem ſubit, cogitatio, quam ſi quis cum deteſtatione ſentiat, ſtatimque ex animo eiiciat, eſt ἐξελκόμενος. *Secundus* eſt, *delectatio*, ſi homo eam ſentiens conſentiat, &, huic illecebræ locum concedens, voluptatem ex ea percipiat: tunc eſt δελεαζόμενος, quod verbum deriuatur a nomine, δέλεαρ, eſca, velut ineſcatus; ſicut PLATO diuine (vt ait CICERO, *de ſenect.* c. 13.) eſcam malorum voluptatem nuncupat, quod ea videlicet homines capiantur, tamquam hamo piſces. Id quod multum confert ad illuminandam recteque intelligendam ſententiam verborum, Cohel. IX, 12. *Tertius* gradus eſt, *deliberatio* illius rei, de conquirendis vndique mediis, ac de expectanda, immo etiam arripienda quauis occaſione, atque opportunitate tum loci, tum temporis. Ita vero eſt ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα. *Quartus* eſt, *actio* externa incepta & continuata, qua ratione cupiditas τίκτει τὴν ἁμαρτίαν, in toto ſuo ambitu ſpectatam. *Quintus* denique eſt, *actionis conſummatio* omni ex parte, & cum omnibus rebus circumſtantibus, adeoque eſt ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα.

Digitized by Google

Prob. c. *Homines, qui mundi nomine veniunt, ſtimulos ſubdunt aliis hominibus ad male agendum, ſuadendo, ſuoque exemplo inuitando.* Salomonem ad idololatriam pellexerunt vxores, 1 Reg. XI, 4. Ieroboamus exemplo ſuo peccare fecit Iſraëlem, 1 Reg. XV, 26.

Prob. d. *Res mundi, in ſenſus incurrentes, voluntatem & appetitum ſenſitiuum obiectiue mouent ad peccandum.* Achanem mouit ad furtum pretioſa præda, Ioſ. VII, 21. Davidem denudati pedes Bathſebæ, 2 Sam. XI, 26.

## Quæſt. VII. *In quos cadit peccatum actuale?*

*Subiectum P. A.*

Peccatum *actuale* cadit in *omnes* homines a), etiam *renatos* b), & *infantes* c).

Prob. a. *E teſtimonio Salomonis,* 1 Reg. IIX, 46. *Non eſt homo, qui non peccet.*

Prob. b. 1) *E procliuitate ad peccandum*, a qua renati non ſunt immunes. Etenim, teſte S. Iacobo, *ſæpe labimur omnes,* Iac. III, 2. Compellat apoſtolus fratres ſpirituales, v. 1. eosque dehortatur ab intempeſtiua in alios cenſura. Rationis loco adducit infirmitatem & procliuitatem omnium ad peccandum. Seipſum non excipit vir Dei; *quia mortalis conditio non patitur eſſe hominem ab omni macula purum*, dicente LACTANTIO, *libr. VI. inſtit. c. 13.* 2) *E quotidiana peccatorum deprecatione.* Renatis quotidie orandum eſt: Dimitte nobis debita noſtra, Matth. VI, 12. 3) *Exemplo Paulli* ſanctiſſimi, qui de ſeipſo conqueritur, Rom. VII, 19: *Non, quod volo, facio bonum, ſed, quod non volo, malum, hoc facio.* Qui non facit bonum, quod vult, ſed *facit* malum, quod *non vult*, is committit *actuale* peccatum, ſed *inuoluntarium.*

Prob. c. 1) *Ex natura peccati originalis*, quod nunquam eſt otioſum, ſed ſemper operoſum, inſtar malæ radicis, putres ſuos proferens fructus. Licet itaque e peccato originis non ſemper progerminent peccata actualia *proæretica*; ſuppullulant tamen absque proæreſi *motus primi* inordinati, rationem præuenientes, vtpote qui a peccato originis ſunt inſeparabiles. Vnde colligimus: Infantes ſunt capaces peccati originalis ſemper actuoſi: Ergo ſunt capaces peccatorum actualium. 2) *E teſtimonio diuino*, Gen. IIX, 21. *Figmentum cordis hominis malum eſt a pueritia ſua.* Per figmentum cordis deſignantur *motus* inordinati tam *primi*, quam *ſecundi*, e corde ſe efferentes, Matth. XV, 19. per quos malitia innata ſe exſerit, a primo vitæ hauſtu, ad vltimum vitæ momentum. 3) Peccatum infantibus congenitum erumpere in peccata actualia, teſtatur veritatis meridies. Experimento enim diſcimus, paruulos anniculos matres ſuas ferire, mordere, ac fratri gemello inuidere lactis copiam: conſtat, puerum natura ferri ad malum, bona apprehendere difficillime, mala facillime, bona tenere ægerrime, mala firmiſſime, bona cogitare, loqui & facere cum ſummo tædio & ſomnolentia, mala cum ſumma ſuauitate & gaudio; denique ſibi relictum hominem nunquam fieri virtuoſum, ſemper autem nequiſſimum; ad pietatem educari ingenti cum labore, præceptorum inculcatione, vitiorum & peccatorum deteſtatione, frequentiſſimis hortatibus, promiſſis denique ac plagis, eundem denique, ſi vitioſum, peccatis deditum ac ſceleratum habere velis, nullo labore, nulla informatione eſſe opus, ſponte talem euenire. Adde, & geſtus incompoſitos peccata eſſe. Vid. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. IV. p. 357.*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum & Anabaptiſtarum*, qui aſſerunt, hominem renatum eo perfectionis aſſurgere poſſe, vt ſine omni ſit peccato: iidem vna cum *Pontificiis* ſtatuunt, infantes peccatorum actualium non eſſe capaces. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Qui-

Digitized by Google

I. Quicunque nec peccant, nec peccare poſſunt, in illos non cadunt peccata actualia: Atqui renati. &c. Ergo. *Minor* probatur ex 1 Io. III, 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quia ſemen ipſius in ipſo manet: immo non poteſt peccare, eo, quod ex Deo natus eſt.* Reſp. Loquitur Ioannes 1) *de homine renato conſiderato in ſenſu reduplicatiuo*, quatenus renatus eſt, ſiue in ſtatu regenerationis exſiſtit. 2) *De ſemine verbi diuini, in quantum illud in animo vegetum conſeruatur, & ad viuam praxin traducitur;* quippe quod hominem a peccatis arcet & retrahit iubendo, vetando, pollicendo, comminando. 3) *De peccatis proæreticis, mortalibus & conſcientiam vaſtantibus, non de peccatis inuoluntariis, venialibus, & per ignorantiam aut infirmitatem naturæ, præter voluntatem, obrepentibus.* Docere itaque vult Ioannes, interprete b. HVNNIO, renaſcentiam & peccandi propoſitum ſic eſſe oppoſita, vt ſe mutuo ex neceſſitate tollant & deſtruant, & conſiſtere in eodem homine ſimul eodemque tempore minime queant. Proinde qui ex Deo natus eſt, quatenus is eſt renatus, & quamdiu renatus permanet, *peccatum* certe *non committit;* peccatum ſcil. contra conſcientiam, & ex deliberato animi propoſito conſilioque profectum. Immo *non poteſt peccare*, modo explicato, vt ſcilicet ſimul contra conſcientiam peccet, ac nihilominus renatus maneat. Quin potius quam primum ex propoſito ſciens volensque peccat, confeſtim renatus eſſe deſinit, hoc eſt, amittit donum renaſcentiæ, fidem & gratiam Dei, ſuffocato ſemine verbi, excuſſoque Spiritu S. Poſſe enim renatos gratia Dei rurſus excidere per peccata mortalia, ſeu regnantia, ex XVIII. cap. Ezech. 1 Cor. IX. Rom. XI. aliisque pluribus locis euidens eſt.

II. Bona arbor non poteſt ferre malos fructus, Matth. VII, 18. Atqui homo renatus eſt bona arbor, Pſ. I, 3: Ergo. Reſp. 1) Arbor *perfecte bona* non poteſt ferre malos fructus: At renati *imperfecte boni* ſunt: ideoque peccare poſſunt venialiter. 2) Arbor bona non poteſt ferre malos fructus: at fieri ſterilis, putris, vitioſa denique, & vbi talis facta eſt, exſcindi poteſt. Non poteſt proferre fructus malos, ait ad eum locum Matthæi HIERONYMVS, quamdiu in bonitatis ſtudio perſeuerat; & contra, arbor mala fieri bona poteſt. TERTVLLIANVS in libro, *de anima: Non dabit arbor mala fructus bonos, ſi non inſeratur, & bona malos dabit, ſi non colatur.* Conf. GALOVIVS in *bibl. illuſtrat. Io. III, 9. fol. 1632.*

III. Poteſt Deus renatos conſeruare a lapſu immunes, & ſtatuere in conſpectu gloriæ ſuæ irreprehenſibiles cum gaudio, ep. Iudæ v. 24. Ergo renati, virtute Dei adiuti, adeo circumſpecte traducere poſſunt vitam ſuam, vt nunquam labantur, aut peccent. Reſp. Poteſt Deus, ſi velit, *omnipotentia ſua abſoluta* renatos conſeruare a lapſu voluntario & inuoluntario, mortali & veniali immunes; at *potentia ordinata* eosdem poteſt & vult immunes præſtare a lapſu malitioſo & mortifero, ſi ductum verbi diuini ſequentes, gratia Spiritus S. ſuffulti, motibus inordinatis obicem ponant, actionesque carnis mortificent, Rom. VIII, 13. & crucifigant, Gal. V, 24.

IV. Quicunque nec bonum, nec malum faciunt, in illos non cadit peccatum actuale: Atqui infantes &c. Rom. IX, 11. E. Reſp. *Quicunque neque ex proæreſi, neque ex infirmitate naturæ, ad malum prona, malum faciunt*, in illos non cadit peccatum actuale; concedo. At licet infantes non peccent ex deliberato animi propoſito, peccant tamen ex infirmitate naturæ ob inhabitans peccatum originale, a quo non abſunt motus primi vitioſi. Inſtantia: Infantes ne malum quidem ſciunt, Deut. I, 39. E. nullum malum faciunt. Reſp. Concluſio ſic erat inferenda: Ergo nullum malum faciunt *ſcientes & volentes:* id quod concedimus.

V. In quos non cadit notitia legis, in illos nullum cadit peccatum actuale: Atqui in infantes non cadit &c. Ergo. *Maior* patet: quia peccatum eſt aberratio a lege cognita. Reſp. Diſt. *inter legem præſcriptam, & inſcriptam.* Quamuis infantes ignorent legem *præſcriptam*, deflectunt tamen a lege *inſcripta*, & naturaliter nota.

 VI. Infan-

Digitized by Google

VI. Infantes ſunt innocentes: E. in illos non cadunt peccata actualia. *Antecedens* conſtat ex Pſ. CVI, 38. Reſp. Infantes ſunt innocentes non abſolute, ſed *comparate.* 1) Innocentes ſunt coram *foro ſoli,* non poli. 2) Innocentes ſunt: quia ſunt immunes a peccatis *proæreticis*, quæ cum pleno vſu rationis & præelectione voluntatis ſunt coniuncta; non autem expertes ſunt peccatorum inuoluntariorum.

Quæſt. VIII. *Quomodo diuiduntur peccata actualia?*

*Diuiſio P. A.* Peccata actualia diuiduntur: 1) ratione *cauſſæ*, in *voluntaria*, & *inuoluntaria:* 2) ratione *ſubiecti totalis*, ſiue perſonæ peccantis, in *mortalia*, & *venialia*; in *aliena*, & *noſtra:* 3) ratione *ſubiecti partialis*, in peccata *cordis*, *oris & operis:* 4) ratione *actus*, in peccata *commiſſionis*, & *omiſſionis:* 5) ratione *obiecti*, in peccata *in Deum*, in *proximum*, & *ipſum peccantem:* 6) ratione effectus, in *clamantia*, & *non clamantia:* 7) ratione *adiunctorum*, in *grauiora*, & *leuiora*, *occulta* & *manifeſta*, *mortua* & *viuentia*, *manentia* & *remiſſa*, coniuncta cum induratione, & ab ea ſeiuncta, *remiſſibilia*, & *irremiſſibilia*.

Quæſt. IX. *Quid eſt peccatum voluntarium?*

*P. voluntarium.* Peccatum *voluntarium* eſt actus legi diuinæ difformis ab homine ſciente & volente commiſſus vel omiſſus.

*Vberius definitur:*

Peccatum *voluntarium* eſt actus, quo homo legem diuinam contra dictamen conſcientiæ deliberato voluntatis propoſito transgreditur.

Obſ. I. *Peccatum voluntarium hic non dicitur ſubiectiue*, quod voluntati inhæret; ſed *effectiue*, quod a voluntate deliberata, ad actum peccaminoſum ſe ſponte determinante, proficiſcitur.

Obſ. II. Committitur peccatum voluntarium 1) *ab homine ſciente*, actum quem committit, legi diuinæ eſſe difformem. *Scientia* autem, dictans actum *legi diuinæ* eſſe *conformem*, vel *difformem*, communiter vocatur *conſcientia.* 2) *Ab homine volente*, ita, vt ipſius cauſſa ſit voluntas plena & deliberata, quæ præuia intellectus deliberatione effectum lege diuina prohibitum perficere intendit. Diuiditur autem *intentio* in moralibus in *plenam*, & *ſemiplenam*. *Illa* eſt, qua voluntas, re prius ſufficienter expenſa, & per affectuum vehementiam non abrepta, in actum quendam fertur, eumque perficere efficaciter nititur, v. gr. cum Iudas intendit proditionem Chriſti. *Hæc* eſt, vbi ſufficiens non adfuit deliberatio, aut ratio affectuum turbine eſt concuſſa, v. gr. quando Dauid a Nabale offenſus, de morte ipſi & domeſticis inferenda cogitat, 1 Sam. XXV, 13. *Plenam* voluntatis *intentionem*, quam Græci vocant προαίρεσιν, nos appellamus *deliberatum voluntatis propoſitum.*

Obſ. III. Peccatum *voluntarium* dicitur etiam *proæreticum*, ſiue præelectiuum; peccatum contra conſcientiam; peccatum elata manu commiſſum, Num. XV, 30. Rex Dauid peccata voluntaria vocat *ſuperba*, Pſ. XIX, 14.

Quæſt. X. *Quot modis conſideratur peccatum voluntarium?*

Conſideratur peccatum voluntarium *tum* in ordine ad conſcientiam, *tum* in ordine ad voluntatis propoſitum.

Quæſt. XI. *Quotuplex eſt peccatum contra conſcientiam commiſſum?*

Peccatum *contra conſcientiam* eſt *quadruplex*. Committitur enim, vel contra conſcientiam *rectam*, cum homo in agendo vel omittendo dictamen conſcientiæ,

ſcientiæ, cum lege diuina conſentiens, non ſequitur, ſed contemnit a); vel contra conſcientiam *erroneam*, quando homo in agendo, vel omittendo, a dictamine conſcientiæ errore imbutæ deflectit b); vel contra conſcientiam *probabilem*, cum quis delinquit contra dictamen intellectus, probabiles ob cauſſas aliquid hic & nunc agendum vel omittendum ſuadentis c); vel contra conſcientiam *dubiam*, quando quis id agit, vel omittit, de quo dubitat, ſitne agendum, vel omittendum d).

Prob. a. *Qui contra conſcientiæ rectæ dictamen delinquit, grauiſſime peccat*; eſt enim illa quaſi præco internus, homini legem diuinam & naturæ proponens, atque oſtendens, quid illi certo & indubitato conſentaneum, quid diſſentaneum ſit. Ex quo peccatum, contra conſcientiam rectam perpetratum, ſequitur morſus, angor, deſperatio. Quem conſcientiæ morſum ſenſerunt Cainus, Achitophel, Iudas proditor, & plurimi alii.

Prob. b. *Qui ſequitur conſcientiam erroneam in re per ſe turpi, ac legibus prohibita, is, ſiue ſecundum, ſiue contra conſcientiam agit, peccat*, v. gr. Si Perſa olim fuiſſet perſuaſus, ſolem eſſe Deum adorandum; is, adorando ſolem, peccauit; quia cultu religioſo veneratus eſt eum, qui verus Deus non eſt: non adorando etiam peccauit; quia egit contra dictamen conſcientiæ, atque adeo, quantum in ipſo, agere voluit contra legem Dei, qui conſcientiam nobis, vt agendi ducem, dedit: hinc diſcutienda eſt caligo erroris aut lumine naturali rectæ rationis, aut lumine ſupernaturali verbi diuinitus reuelati. *At qui ſequitur conſcientiam erroneam in re adiaphora, legibus nec præcepta, nec prohibita, is delinquit, qui agit contra eam; non peccat, qui ſecundum eam agit.* V. gr. Sub initium N. T. nonnulli chriſtiani arbitrabantur, non licere idolothytis, ſeu carnibus idolo immolatis, veſci, cum tamen idolum nihil ſit in mundo (ratione diuinitatis & virtutis diuinæ, quam ethnici illi affingebant). Hi peccaſſent comedendo contra conſcientiam, licet erroneam; non edendo, non peccaſſent, quia conſcientiam ſuam, tanquam cynoſuram ſecuti fuiſſent. Vid. 1 Cor. VIII, 7. Sic hodie, qui ſtatuit, illicitum eſſe chriſtiano militare, is peccat militando; non peccat, cum a militando abſtinet.

Prob. c. *Contra conſcientiam probabilem peccat, qui viam tutiorem negligit.* V. gr. Peccat medicus, morbo deſperato depellendo adhibens medicinam deſperatam. Quamuis enim fieri poſſit, vt eadem adhibita ægrotus conualeſcat; non tamen tutum eſt. Nam fieri poteſt, vt violento illo medicamine vita ægroti exſtinguatur.

Prob. d. *Contra conſcientiam dubiam peccat, qui alterutram contradictionis partem, quæcunque ea ſit, amplectitur.* V. gr. Si homo, Auguſtanæ confeſſioni addictus, ſatelles foret principis pontificii, & in dubio hæreret, vtrum ſibi licitum ſit comitari principem ad miſſam pontificiam, an illicitum? Is peccaret tam comitando, quam non comitando. Quia 1) quidquid ex fide non eſt (i. e. quidquid animo fluctuante ſuſcipitur) peccatum eſt, Rom. XIV, 23. 2) Quia vult aliquod malum. Cum enim in vtroque obiecto ſentiat aliquam malitiam, quodcunque ſuſceperit, in malum inclinauerit. Semper igitur vel propria prudentia, vel aliorum ſapientiorum conſilio res tranſigenda eſt, ne diutius anceps hæreat, animique pendeat.

Quæſt. XII. *Quotuplex eſt peccatum voluntarium ratione propoſiti peccandi?*

Peccatum voluntarium, in ordine ad *propoſitum voluntatis*, ſpectatum duplex eſt. Aliud enim eſt, quod ex mera malitia & voluntate plena libera (a); aliud,

Digitized by Google

aliud, quod ex voluntate, vi metuue & circumſtantibus periculis inclinata (b), committitur.

Prob. a. Sicut *omnis actio moralis* vel *eſt inuita, quæ vel per vim extorquetur, vel ex ignorantia ſuſcipitur;* vel *ſpontanea, quæ ex certa ſcientia & interna appetitus inclinatione perſicitur*, vel *mixta, quæ fit ex metu imminentis maioris mali, nunquam autem fieret, ſi grauius illud malum alia via liceret effugere* (v. gr. actio *mixta* eſt, ſi quis imminente naufragii periculo merces ſuas in mare abiiciat, vt ipſe ſaluus euadat, declinato naufragio; vel, ſi quis latronibus in via occurrentibus, vitæ ſuæ redimendæ cauſſa, pecuniæ ſummam non ſine dammo ſuo det vel promittat: quæ actio mixta neque ſimpliciter ſpontanea eſt, quia ad eam homo ſe non accingeret, niſi maioris mali periculum immineret; neque etiam ſimpliciter inuita, quia coniuncta eſt cum notitia omnium circumſtantiarum, & intermitti quoque potuiſſet, ſi maius ſubire malum libuiſſet. Eſt tamen actio *mixta* magis ſpontanea, quam *inuita* 1) ratione *principii*, quod eſt cognitio circumſtantiarum, & præelectio voluntatis, 2) ratione *finis*, qui eſt declinatio grauioris mali & conſeruatio maioris boni, vel veri, vel apparentis): Ita in theologicis peccatum aliud eſt *ſimpliciter* inuoluntarium, aliud voluntarium *reſpectiue*, quod perpetratur ex metu inſtantis grauioris mali, extra quem caſum nunquam committeretur. Illuſtratur hoc diſcrimen exemplis. Proditio Iudæ, qua Dominus Ieſus in manus hoſtium traditus eſt, fuit peccatum ſimpliciter voluntarium, ex mera malitia & voluntate plane libera commiſſum. Neque enim vlla periculorum formidine ad nefandum illud facinus eſt compulſus, ſed præuia conſultatione & interna voluntatis inclinatione, qua in lucrum ferebatur, illectus eſt.

Prob. b. Peccauit Petrus, ter Ieſum abnegando. Quod peccatum non fuit ſimpliciter voluntarium, eo, quod Petrus non ex mera malitia & voluntate plane libera Ieſum abnegauit; neque fuit ſimpliciter inuoluntarium, quia non a Petro inſcio & nolente commiſſum eſt: ſed fuit voluntarium ſecundum quid, & certo reſpectu; quia Petrus, imminente periculo, conſulere voluit vitæ ſuæ abnegatione Chriſti. Neque tamen extenuandum eſt peccatum Petri cum quibusdam *Romanenſibus*, quos inter ſunt MALDONATVS & CORNELIVS A LAPIDE. Nam 1) Petrus hoc periculum alia via declinare poterat, prætorium pontificis non ingrediendo. 2) Impie prætulit Petrus conſeruationem vitæ ſuæ confeſſioni Chriſti, ratus, iacturam vitæ maius malum, & abnegationem Chriſti eſſe minus malum. 3) Peccata cumulauit mentiendo, peierando, anathema ſibi ipſi imprecando. Audiamus iudicium de lapſu Petrino S. HIERONYMI, quod legere eſt apud DANNHAVER. in *hodoſ. p. 859. Scio quosdam pie affectos erga apoſtolum Petrum locum hunc ita interpretatos, vt dicerent, Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem, & eſſe ſenſum: neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quam friuolum ſit, prudens lector intelligit. Sic defendunt apoſtolum, vt Deum reum mendacii faciant. Si enim iſte non negauit, ergo mentitus eſt dominus, qui dixerat: quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis, non hominem. Manet ergo enorme peccatum Petri, illius ſcilicet ante prælium leonis, in prælio cerui, illius firmiſſimæ columnæ, ad vnius auræ impulſum contremiſcentis. Incredibile mendacium fuit, dixiſſe, non noſſe dominum, cum vix quisquam eſſet, qui Ieſum de vultu non noſſet, tot miraculis celebrem. Eccur venit in palatium ſi Ieſum non nouit? Enormior fuit confirmatio per iusiurandum. Summum ſcelus fuit ſui ipſius exſecratio, qua ſibi male precatus, ſemet diris obligauit, fortaſſis veteri vſus formula: Hæc mihi Deus faciat, & hæc addat!*

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XIII. *Num peccatum voluntarium etiam in renatos cadit?*

Non cadit quidem peccatum voluntarium in renatos, *quatenus ſunt* & *manent renati* a); cadit tamen in eos, *quatenus* a praua concupiſcentia victi, *e ſtatu gratiæ prolabuntur* b).

Prob. a. 1 Io. III, 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quia ſemen ipſius in eo manet; immo non poteſt peccare, quatenus ex Deo natus eſt.*

Prob. b. Exſtant exempla renatorum in peccata proæretica prolapſorum, Dauidis, Iudæ, Petri & aliorum. Idcirco humillime precatur rex propheta: *Spiritum ſanctitatis tua ne aufer a me,* Pſ. LI, 13. Qui Spiritum S. a ſe non auferri rogat, is ſine dubio ablatum agnoſcit, aut amiſſibilem metuit.

Quæſt. XIV. *Quid eſt peccatum inuoluntarium?*

Peccatum *inuoluntarium* eſt actus, legi diuinæ difformis, non profectus ex certa ſcientia, nec ex deliberato voluntatis propoſito. *P. inuoluntarium.*

Quæſt. XV. *Quomodo diuiditur peccatum inuoluntarium?*

Peccatum inuoluntarium diuiditur in peccatum *ignorantiæ*, & *infirmitatis.*

Quæſt. XVI. *Quid eſt peccatum ignorantiæ?*

Peccatum *ignorantiæ* eſt actus, legi diuinæ difformis, cuius cauſſa eſt ignorantia non affectata aut ſupina, ſed inuincibilis in ſe & cauſſa ſua, cum ſeria pœnitentia coniuncta.

Obſ. I. Aliud eſt, cum quis *ignorans* peccat, & aliud, quando *per ignorantiam* peccat. *Ignorans* peccat, qui eo ipſo dum peccat, ignorat, quid agat, vt ebrius, iracundus; illa ipſa tamen ignorantia non eſt cauſſa actus peccaminoſi; ſed aliud quidpiam, quod ignorantiam illam induxit, videlicet ebrietas aut iracundia. *Per ignorantiam* vero peccat, quando actionis malæ cauſſa eſt ignorantia, quatenus excludit ſcientiam, quæ alias actum peccandi fuiſſet impeditura. Eſt enim ignorantia cauſſa remouens, impediens.

Obſ. II. Cauſſa peccati inuoluntarii eſt *ignorantia inuincibilis*, quæ debita diligentia adhibita depelli aut ſuperari nequit, v. gr. Si quis in ſilua ſecuri finderet ligna, & feriret occideretque hominem, inter vmbroſa virgulta latentem, non eſſet voluntarius homicida. At non facit peccatum inuoluntarium *ignorantia vincibilis*, quæ adhibita diligentia ſuperari ac tolli poteſt; quippe quæ arguit hominis negligentiam aut malitiam, adeoque *ſupina*, vel *affectata* eſt. Ceterum videtur interdum ignorantia inuincibilis eſſe, quæ tamen, ſi cauſſam reſpicias, vincibilis eſt, v. gr. Si quis lubens vino vel cereuiſia ſe onerauerit, & hominem occideret ebrius, illius ignorantia videtur eſſe inuincibilis, ſed reuera vincibilis eſt, potuiſſet enim a potu, intemperantius hauſto, abſtinere.

Obſ. III. *Ignorantia alia actum voluntatis antecedit, alia concomitatur, alia conſequitur. Antecedens ignorantia* eſt cauſſa, vt homo aliquid velit, quod non vellet, ſi ſciuiſſet. Talis ignorantia eſt, cum ea quis ignorat, quæ neſcire poterat in hac aut illa re, nec ſcire tenebatur, & coincidit cum ignorantia inuincibili; v. gr. cum quis in prælio hoſtem interfecturus, interficit fratrem, quem nec ſciuit, nec ſcire potuit, prælio iſti intereſſe. *Concomitans ignorantia* dicitur, cum quis ignorans aliquid facit, quod tamen, ſi ſciret idem, facere vellet; v. gr. ſi quis, beſtiam petiturus, occidit hoſtem, quem alias, ſi ſciuiſſet interficere voluiſſet. *Conſequens ignorantia* eſt, cuius aliquis ſibi per voluntatem cauſſa eſt, eſtque vel *affectata*, vel *ſupina*. *Affectata ignorantia* eſt, quando homo data opera aliquid ſcire non

vult, vt eo liberius peccare poſſit; v. gr. cum impius neſcire vult, Deum eſſe iuſtiſſimum ſcelerum vindicem. *Supina ignorantia* eſt, quando quis per negligentiam id ignorat, quod ſcire poterat. Sic Iudæi ducem vitæ, Chriſtum, per ignorantiam interfeciſſe dicuntur, Act. III, 17. quæ ignorantia per negligentiam contracta, adeoque ſupina erat. Non facit peccatum inuoluntarium 1) ignorantia *concomitans*; quippe ea, quæ nullus ſubſequitur dolor, pro voluntariis habentur. 2) Ignorantia *affectata*, ſicut abſolute voluntaria eſt, ita non facit peccatum inuoluntarium. 3) Ignorantia *ſupina*, per negligentiam contracta, minuit τὸ voluntarium quodammodo, licet non faciat actionem prorſus inuoluntariam. Quare *proprie* peccatum *ignorantiæ* eſt, cuius cauſſa eſt ignorantia *antecedens*, eaque *inuincibilis* in *ſe*, & in *cauſſa* ſua.

Quæſt. XVII. *Quid eſt peccatum infirmitatis?*

Peccatum *infirmitatis* eſt actus, cum lege diuina pugnans, *tum* ex praua concupiſcentia ſemper actuoſa, ſubito circa plenum voluntatis conſenſum ſurrepens, *tum* ex vehementia affectuum & præcipitantia commiſſus.

Obſ. I. Ad peccata *infirmitatis* pertinent 1) *motus inordinati ſubitanei*, qui a connata concupiſcentia ſemper operoſa velut ex naturæ neceſſitate citra plenum voluntatis conſenſum proficiſcuntur; ideoque a quibusdam auctoribus ad ipſum peccatum originis referuntur. Vid. CHEMNIT. *loc. p. 257.* Recte tamen etiam peccata *actualia* vocantur, quia ſunt actus ſecundi legi diuinæ aduerſantes. Obſeruante D. KROMAYERO in *theologia poſitiuo-polem. quidam inter motus concupiſcentiæ primos & ſecundos diſtinguunt, & illos rurſus in primo-primos & ſecundo-primos ſubdiuidunt*, dubio procul ſecuti HIERONYMVM, qui motus primos προπάθειαν vocat; v. gr. *ſuggeſtio*, ſenſus & *motus primo-primus* fuit cum Achani ſubrepſit hæc peruerſa cogitatio: quid? ſi hanc linguam auream meam facerem? Cui acceſſit delectatio, ſiue *conſenſus ſemiplenus*, ex quo eſt *motus ſecundo-primus*: Vtile mihi eſſet, hanc linguam auream fieri meam. Tandem ſuperuenit *conſenſus plenus*, motus *ſecundus*: Hanc linguam faciam meam. Conſenſus plenus facit peccatum. 2) *Peccatum infirmitatis* vocatur etiam, quando per affectus vehementiam iudicium rationis turbatur, & homo abripitur ad aliquid agendum, citra conſenſum intellectus & voluntatis, ſolo impetu appetitus ſenſitiui, vt, cum quis ex vehementi ira, nimio amore & metu aliquid facit, v. gr. Cum apoſtolus Petrus, vehementi accenſus ira, Malcho dextram aurem amputat, Io. XVIII, 10. diſcipuli, metu perculſi, Ieſum derelinquunt & fugiunt, Matth. XXVI, 56. (*)

Quæſt.

(*) Peruulgata quidem æque, ac ſcitu omnibus neceſſaria eſt diſtinctio peccatorum *malitiæ*, & peccatorum *infirmitatis*: Sed vera definitio non item omnibus ſatis cognita ac perſpecta. Plerumque quidem ita definiunt: Peccata *malitiæ* ſunt, quæ peraguntur a ſciente & volente, cum oblectamento, propoſito ac deliberatione; *infirmitatis* contra, quæ efficiuntur ex ignoratione, aut ex feſtinatione animi, ſeu, vt vulgo loqui amant, ex præcipitantia. Mihi vero hæc definitio nec perſpicua videtur, nec adæquata ac ſufficiens 1) *Non perſpicua;* namque explicatione ac determinatione opus erat, qualis ignorantia debeat intelligi, quum ea ſit duplex, alia, quæ vinci poteſt, alia, quam vocant inuincibilem; quæ etiam ſit feſtinatio animi, ſiue præcipitantia, quando quidem quædam ſolet eſſe in grauiſſimis quoque delictis, ſæpe numero iam perpetratis, præſertim vbi peſſima conſuetudo vehementiſſimorum animi motuum prorſus ita impotentem fecerit hominem, vt ſe tenere neſciat. 2) *Nec adæquata ac ſufficiens.* Hoc quidem veriſſimum eſt: Omne peccatum, quod quis ſciens volensque cum voluptate peragit, eſt profecto peccatum malitiæ. At non viciſſim, omne peccatum malitiæ perpetratur a ſciente, contra conſcientiam, cum propoſito ac deliberatione. Etenim

Quæſt. XVIII. *Quid eſt peccatum mortale?*

Peccatum *mortale*, ſeu *mortiferum* eſt, quod peccanti *actu ſecundo ad mortem imputatur.* **Peccatum mortale.**

Quæſt. XIX. *Quomodo ſpecialius peccatum mortale definies, reſpectu renatorum, carni ſuccumbentium?*

Peccatum *mortale* eſt, quo *renati a carne victi*, atque adeo in ſtatu regenerationis non permanentes, *contra dictamen conſcientiæ, deliberato voluntatis propoſito*, legem diuinam transgrediuntur, & eo ipſo fidem ſaluificam amittunt, gratiam Spiritus ſancti excutiunt, *ſeque ipſos in ſtatum iræ, mortis & condemnationis coniiciunt.*

Quæſt XX. *Quodnam eſt peccatum veniale?*

Peccatum *veniale* eſt, quod licet *morte dignum* ſit, non tamen ad mortem peccati imputatur. **Peccatum veniale.**

*Vberius definitur:*

Peccatum *veniale* eſt omne peccatum *inuoluntarium* in *renatis*, quod neque gratiam inhabitantem Spiritus ſancti excutit, neque fidem exſtinguit, ſed *eodem momento, quo committitur, veniam indiuulſo nexu coniunctam habet.*

Obſ. I. Diſtinctio peccati in *mortale*, & *veniale* non eſt petita a *merito peccati;* omne namque peccatum *ex ſe, & natura ſua*, in foro legali eſt *damnabile merito:* ſed

Zzz 2 1) *a di-*

nim (α) eſt quædam *ignorantia malitioſa*, 2 Pet. III, 5. Luc. XII, 48. ad quam referri debet malitioſa iuris legisque interpretatio, & falſa iuſtæ cauſſæ opinio, Luc. XXIII. 34. Io. XVI. 2. Act. III, 17. 1 Tim. I, 13. ſqq. (β) *Deliberatio recta*, eademque *integra* nunquam poteſt eſſe in vllo delicto; eſſet autem ea, ſi quis ante, quam deliquerit, rationes non ſolum ab vna parte ſed in vtramque partem omnes ponderaſſet: quo pacto fieri non poſſet vnquam, vt rationes vtrimque, tamquam in æquilibrio poſitæ cernerentur; rationes in bonam partem non poſſent non multo plus habere ponderis ac momenti, per vim veritatis, errore omni longe maioris. (γ) *Deliberatio* etiam *omnis* interdum ab homine abeſt in peccatis omnium grauiſſimis, ſi quis *habitum* adquiſiuit, & conſuetudinem male agendi, vsque eo, vt ne conſcius quidem ipſe ſit actionis ſuæ. Nec ſemper habet impius homo ſpatium deliberationis, perpetuo tamen pronus, promtus ac præceps, ad male agendum. Quamuis non adſit *propoſitum ſingulare*, & vt dici ſolet, *actuale*, quantum quidem ad hancce actionem, opinione citius oblata occaſione: ſemper tamen in animo ineſt *propoſitum generale*, ſeu, vt dicitur, *habituale*: Quod volam, id agam. Principium agendi in homine improbo ſemper eſt ſua voluntas, diuinæ aduerſaria. Fac igitur, eum in hac actione anguſtiis temporis cohibitum & conſilii inopem fuiſſe, atque adeo feſtinanter illam ſuſcepiſſe; quæritur: vtrum melius rem ſuam egiſſet, anne multo peius, ſi licuiſſet ipſi, diu ante meditari, nec ſine conſilio ac deliberatione rem inſtituere? Ierem. IX, 5.

Non erit difficile, adcurata definitione peccata vtriusque generis explicare. Scilicet *infirmitas* eſt defectio quædam virium. Quidquid enim infirmum eſt, id profecto habet vires aliquas, tametſi attenuatas atque imminutas, certe nondum perfectas. *Morali* igitur ratione *infirmitas* eſt defectus quidam virium bene agendi, quando quidem voluntati & conatui non ſemper effectus reſpondet, Rom. VII, 18. Vbi autem vires ſunt bene agendi, ibi eſt vita ſpiritualis. Homo enim, etiam ſi maxime infirmus ſit, tamen viuus ſit, neceſſe eſt. Illa vero vita eſt ſalutaris & in Chriſto collocata ſiducia, Gal. II, 20. In homine denuo nato ac renouato, ſed nondum perfecto, eſt 1) continuus dolor de innata vitioſitate, eiusque motibus, quos ipſe ſentiens, at non conſentiens, quotidie experitur, 2) continuum ſtudium emen-

Digitized by Google

1) *a diuerſa conditione ſubiecti, ſiue perſonæ peccantis.* Nam peccatum *veniale* eſt in *renatis;* peccatum mortale in *iis*, qui vel nunquam fuerunt regeniti, *vel* a prædominante carne victi, e ſtatu gratiæ exciderunt. 2) *Ab æſtimatione Dei ſecundum euangelium;* quia Deus reconciliatus & gratioſus pater renatis peccata infirmitatis & ignorantiæ ad culpam & pœnam non imputat. 3) *Ab euentu.* Peccatum *mortale* peccantem in ſtatum iræ, mortis & condemnationis præcipitem agit, vt, ſi in illo ſtatu abſque pœnitentia moriatur, omnino condemnetur: peccatum autem *veniale*, quia veniam indiuiduam comitem habet, cum gratia Dei & fide ſaluifica conſiſtere poteſt.

Obſ. II. Diſtinctio peccati *mortalis*, & *venialis*, non per omnia coincidit cum diſtinctione peccati in *voluntarium*, & *inuoluntarium.* Nam voluntaria, & inuoluntaria dicuntur peccata ratione *cauſſæ;* mortalia, & venialia ratione *ſubiecti, æſtimii diuini,* & *euentus.* In irregenitis omne peccatum, voluntarium, an inuoluntarium fuerit, eſt mortale, ſiue actu mortiferum; *qui enim non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo*, Io. III, 3. 6. Renatis autem, carni ſuccumbentibus, mortifera ſunt peccata, quæ fiunt plena voluntatis intentione; at quæ vel ex ignorantia, vel ex infirmitate carnis patrantur, illa Deus propitius venia dignatur.

Obſ. III. Eſt diſtinctio peccati in *mortale*, & *veniale* in ſacris litteris fundatiſſima, & in eccleſia dudum recepta. Teſte namque S. Paullo: *Nihil condemnationis eſt iis, qui in Chriſto Ieſu non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum*, Rom. VIII, 1. it. v. 13. *Si ſecundum carnem viuitis, moriemini; ſi vero Spiritu actiones corporis mortificatis, viuetis.* Quorum effatorum apoſtolicorum ſenſus eſt: Quamdiu renati virtute Spiritus S. inordinatos carnis motus ſuppriment & mortificabunt; tamdiu motus illi vitioſi actu non damnabunt, ſed erunt peccata venialia. At ſi renati obſequentur irritationibus carnis, vt hæc prædominetur; in ſtatum mortis & condemnationis conicientur, eruntque peccata eorum actu mortifera (*). TERTVLLIANVS *libr. de pudicit.* eadem vtitur dictione inquiens: *Quædam peccata ſunt capitalia ſeu mortalia, quædam quotidianæ incurſationis.* AVGVSTIN. *libr. XI. de C. D. mortalia* peccata vocat *crimina conſcientiam vaſtantia.*

Quæſt.

emendationis atque incrementi quotidie capiendi, cum prouidentia & cura euitandi omnem ad peccandum occaſionem.

*Conſectarium:* In homine impio, nondumque renouato, quoniam is quidem omni caret vita ſpirituali, Eph. II, 1. nec valet quidpiam bene agere, nil, niſi male, רק רע, Gen. VI, 5. in eo igitur omnino nullum eſt, ac ne poteſt quidem vllum eſſe, *infirmitatis* peccatum.

*Malitia* (quod quidem nomen certi cuiusdam vitii eſt, ſi latine loqui velimus, ſed vſu, quem ſequimur, latius patet) eſt peruerſitas animi, a Deo abalienati, nondumque Deo reconciliati, omnia ad ſuum arbitrium reuocantis. Hinc 1) nullus in eo dolor eſt de peccatis, nulla eorum deteſtatio, niſi ratione effectuum quorumdam temporalium, ac terreſtrium, quod φιλαυτία, cui vni obſequitur, ipſum admonet, ſe ſibi nocuiſſe: 2) nullum ſtudium reſipiſcendi, remque ſuam in poſterum cautius agendi, niſi ob ciuiles rationes, Ierem. VIII, 6. Semper ipſe eſt cereus, in vitium flecti, monitoribus aſper.

*Conſectarium:* In cognoſcendis peccatis malitiæ non ſolum hæc, vel illa actio debet conſiderari, ſed & tota animi indoles ac vitioſitas. Quidquid igitur homo ἄπιστος, nec Deus reconciliatus, agit, ſiue ſciens, ſiue inſcius, ſiue cogitate, vt multo ante meditatum ſit ſcelus, ſiue feſtinanter, ac vehementibus animi motibus agitatus, id omne eſt *malitiæ.*

(*) Equidem non dubito, quin firmiſſimum clariſſimumque de hac cauſſa teſtimonium exſtet 1 Ioann. V, 16. Peccata alia ſunt *ad mortem*, alia *non ad mortem.* Ita rectius planiusque, quam vulgo dicuntur aut *mortalia*, aut *venialia.* Quod enim *veniale* adpellari ſolet, id plus quam ambigue dictum eſt, & poteſt tribus modis intelligi: Aut quod venia *dignum ſit;* aut cuius veniam

Digitized by Google

Quæſt. XXI. *Suntne quædam peccata natura ſua venialia?*

Nulla peccata adeo leuia ſunt, vt *per ſe* venia *digna* ſint; ſed omnia peccata ex natura ſua in foro legali ſunt mortalia, ſiue morte ac damnatione æterna digna.

Prob. 1) Quia omne peccatum per ſe & natura ſua eſt ἀνομία, 1 Io. III, 4. E. omne peccatum per ſe & natura ſua coniunctum eſt cum offenſa Dei, & reatu æternæ damnationis. *Conſequentia* probatur: quia, vt lex diuina ad perfectam obedientiam ſub comminatione æternæ damnationis obligat; ita eius transgreſſio etiam in minimis offendit Deum, accerſitque transgreſſori iram Dei & damnationem æternam.

2) Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10. expreſſe dicitur: *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis*: At qui peccatum veniale committit, non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis: Ergo maledictus eſt per legem ob illud peccatum.

3) *Omnis peccati ſtipendium mors eſt*, Rom. VI, 23. E. mors ſtipendium eſt etiam peccati venialis.

4) *Quisquis totam legem ſeruauerit, lapſum vero fuerit in vno* (aliquo), *factus eſt omnium reus*, Iacob. II, 10. Ergo qui peccatum infirmitatis committit, omnium præceptorum diuinorum reus eſt. At ſi peccatum attrahit reatum iræ & damnationis, ob violatam totam legem diuinam, vtique per ſe non veniale, ſed mortale eſt.

5) *Quisquis ſoluerit vnum ex hiſce mandatis minimis, minimus vocabitur in regno Dei*, Matth. V, 19. Qui committit peccatum veniale, ſoluit vnum ex mandatis Dei minimis.



veniam iam *impetremus*; aut cuius veniam *impetrare poſſimus*. Secunda interpretatio vera eſt; prima prorſus falſa; tertia non huius loci. Nam quod ad *ſecundam* attinet, venialia peccata ſunt infirmitatis, nimirum ea, quæ cadunt in denuo natos homines, quoad ſunt permanentque tales. Quantum vero ad *primam*, nullum peccatum eſt veniale; & quantum ad *tertiam*, omnia ſunt venialia, quoad homo in viuis eſt, & gratiæ vocantis particeps, ſi ab vno diſceſſeris, peccato in Spiritum Sanctum; de quo deinceps diſſerendum erit. Peccatum vero *non ad mortem* nominatur illud, quod peccanti non ita imputatur, vt eum damnationis reum vere efficiat, tametſi poſſet ex merito efficere, niſi intercederet Chriſti ſatisfactio, homini, qui totus Chriſto confiſus eſt, tributa. Ita etiam rectiſſime apertiſſimeque conſtat *oppoſitio*. Non enim *venia* adeo aperte opponitur *morti*. Sed *mori*, & *non mori*, hæc demum ſunt oppoſita. Hoc autem in diſceptatione verſatur: Quid ſit peccatum *ad mortem*? Non *vnum peccatum* eo nomine ſignificari exiſtimo, quem ad modum quidem interpretari illis placet, quibus IOANNES videtur loqui de non alio, quam peccato in Spiritum Sanctum, & quorum in numero b. Auctor ſuum quoque nomen profitetur infra, ad quæſt. 47. Quid igitur? Quippe *vnum genus*, in quo multa ac varia peccata continentur. Luculenta mihi ſunt argumenta depromta 1) ex *diſtinctione atque oppoſitione*; diſcernitur enim peccatum *ad mortem* ab omni eo, quod *non* eſt *ad mortem*, quod, quamuis itidem numero vnitatis deſignetur, nemo tamen ibit infitias, non de ſingulari aliquo peccato intelligendum, ſed generaliter dictum eſſe. B. LVTHERVS primum quidem v. 16. germanice ita conuertit: eine Sünde; deinde vero v. ſeq. hoc modo: etliche Sünde: 2) Ex *generali definitione*, v. 17. πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐςί. cui adiunctam *diuiſionem* oportet ita adæquatam eſſe, vt non delictum quoddam ab vniuerſo genere, ſed genus alterum ab altero diſtinguatur: 3) Ex *diuerſa ſubiectorum conditione*. Non enim impii ac ſcelerati homines aliis impiis opponuntur; ſed diſcernuntur duo hominum genera, quorum in vno ſunt omnes denuo nati, in altero omnes illis contrarii, v. 18. 19. Neceſſe eſt igitur, peccatorum etiam duo genera diſtingui, quorum in vtroque numerentur omnia peccata, quæ in toto genere continentur. E. peccatum *non ad mortem* eſt vniuerſum genus peccatorum *infirmitatis*, quæ ab hominibus denuo natis committuntur. Contra, quod *ad mortem* dicitur, eſt vniuerſum genus peccatorum *malitiæ*, quæ ab hominibus non ex Deo natis perpetrantur.

Digitized by Google

Ergo erit minimus, i. e. nullus in regno cœlorum. In cœlo enim, cenſente AVGVSTINO, nihil, niſi magnum erit.

6) *De quocunque verbo otioſo etiam in die iudicii exigetur ratio*, Matth. XII, 36. 37. Ergo & peccatum veniale, ad quod a *Pontificiis* refertur verbum otioſum, iudicem cœleſtem offendit.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, aſſerentium, quædam peccata adeo leuia eſſe, vt per ſe veniam mereantur. 2) *Socinianorum & Arminianorum*, peccata infirmitatis extenuantium, perinde, ac ſi eorum in regno Chriſti nulla habeatur ratio. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Peccatum dicitur *veniale*; quia *venia dignum* eſt. Reſp. Peccatum dicitur veniale, non quia per ſe venia dignum eſt; ſed quia Deus ex miſericordia, propter ſatisfactionem & interceſſionem Chriſti, illud venia dignatur. Quare veniale dicitur *non per ſe*, ſed per aliquod extrinſecum, & ab accidentali euentu.

II. Dantur aliqua peccata, quæ nec mortem animæ afferunt, nec æterna pœna per ſe digna ſunt: Ergo dantur quædam peccata per ſe venialia. Reſp. *Antecedens*, quod bimembre eſt, quoad *prius membrum*, ambiguum, quoad *poſterius*, falſum eſt. Nam in priori membro mors animæ accipi poteſt, vel pro damnatione æterna, vel pro amiſſione, ſiue carentia gratiæ. Si *priori* modo mors animæ accipiatur, falſum eſt antecedens: cum maledictus dicatur, quisquis non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis; maledictio legis autem mortem æternam importat. Sin *poſteriori* modo; verum quidem eſt, quod dentur peccata, quæ actu non afferant mortem animæ; negatur autem, dari peccata, quæ non ſuapte natura talia ſint, vt mortem animæ mereantur, & afferre poſſint. Quod enim non ob peccata omnia gratiam ſuam Deus ſubtrahat peccatori, non eſt ex natura & conditione peccatorum, ſed ex Dei miſericordia & merito Chriſti.

III. Peccatum conſummatum parit mortem, non autem concupiſcentia, tentans, abſtrahens & ineſcans, Iac. I, 15. Ergo concupiſcentia tentans, eſt peccatum per ſe veniale. Reſp. Peccatum, opere externo conſummatum, & deſtinata malitia commiſſum, parit mortem actu: at concupiſcentia mortem meretur, eamque parere poteſt, niſi ex gratia Dei propter ſatisfactionem & interceſſionem Chriſti remittatur.

IV. Chriſtus Matth. V, 22. non iræ in fratrem, neque incompoſitis geſtibus, ſed manifeſto duntaxat conuitio pænam gehennæ adiudicat: E. ira & incompoſiti geſtus ſunt peccata per ſe venialia. Reſp. Ira temeraria erga fratrem non eſt peccatum veniale, ſed quia opus carnis, mortiferum actu, docente Paullo, Gal. V, 10. Quare nominibus *iudicii*, *concilii*, & *gehennæ*, æterna notatur damnatio, & ſimul deſignantur certi damnationis gradus, qui ſecundum conſuetudinem politiæ Iudaicæ recenſentur.

V. Si omnia peccata per ſe mortalia eſſent, omnia peccata forent paria: At conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens. *Conſequentis* falſitas ex eo patet, quod quædam peccata ſunt ſimilia culici, quædam camelo, Matth. XXIII, 24. quædam feſtucæ, quædam trabibus, Luc. XXIV. Ergo quædam per ſe venialia ſunt. Reſp. Peccata ſunt inæqualia ob culpam gradualem, & malitiam maiorem, vel minorem, non ob propriam dignitatem, ex qua per ſe veniam mereantur.

VI. Peccata ſunt venialia vel per ſe & natura ſua, vel per accidens & euentualiter: Non per accidens & euentualiter; quia ſic etiam peccata actu mortifera forent venialia; eo, quod accidit, vt etiam illa reſipiſcentibus euentualiter condonentur: E. per ſe & natura ſua ſunt venialia. Reſp. Datur tertium. Peccata infirmitatis ſunt venialia non per ſe; nam ſic etiam in irregenitis forent venialia: neque tantum euentualiter: ſed propter gratioſam Dei æſtimationem, qui eadem in Chriſtum credentibus non imputat, ſed condonat.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXII. *Quæ ſunt cauſſæ, propter quas peccatum inuoluntarium renatis ad culpam & pœnam actu ſecundo non imputatur?*

Cauſſæ remiſſionis, ſiue non imputationis, ſunt: miſericordia Dei a), ſatisfactio & interceſſio Chriſti b), efficax operatio Spiritus ſancti c), quotidiana pœnitentia renatorum d).

Prob. a. *Sicut miſeretur pater filiorum ſuorum: ita miſeretur Iehouah timentium ipſum.* Pſ. CIII, 13. At ſicut pater næuos condonat filiis: ita Deus veniam indulget renatis ſuis filiis ex ignorantia, aut infirmitate carnis peccantibus. Proinde beneuole *reſpicit miſerum, afflictum ſpiritu, & timentem ſibi ſuper verbo* Dei, Eſ. LXVI, 2.

Prob. b. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis: quod ſi quis peccauerit, paracletum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ille eſt propitiatio pro peccatis noſtris, immo pro noſtris non tantum, ſed etiam pro totius mundi.* 1 Io. II, 1. 2. Sic Ioannes veniam peccatorum tribuit propitiationi & interceſſioni Chriſti. *Nihil ergo condemnationis eſt in iis, qui in Chriſto Ieſu non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum,* Rom. IIX, 1.

Prob. c. Spiritus S. in renatis habitans, reprimit molitiones carnis, ne hæc dominium obtineat, & ſuggerit bonas cogitationes, atque pia deſideria. Inde fit, vt lex non habeat vim accuſandi & damnandi renatos. Docet id Paullus Gal. V, 16. 17. 18. *Spiritu ambulate, tum concupiſcentiam carnis neutiquam perficietis. Nam caro quidem concupiſcit contra ſpiritum: ſed & ſpiritus contra carnem. Hæc autem aduerſantur inuicem, vt non, quæ vultis, ea faciatis. Quod ſi ſpiritu agimini, non eſtis ſub lege.*

Prob. d. Ideo peccata illa in renatis ſunt venialia, quæ in non renatis actu ſunt mortalia; quia renati ſordes peccatorum, ſibi adhærentes, agnoſcunt, ſerio de illis dolent, merito Chriſti, velut gratiæ vmbraculo, eas tegi petunt, & per Spiritum concupiſcentiis carnis reſiſtunt. *Si ſpiritu actiones corporis mortificatis, viuetis*, Rom. IIX, 13.

Quæſt. XXIII. *Qui ſunt effectus peccati voluntarii & mortalis?*

*Effectus* peccati *voluntarii* & *mortalis* ſunt: gratiæ diuinæ & Spiritus inhabitantis amiſſio a), naufragium fidei & morſus conſcientiæ b), mors æterna, niſi ſeria agatur pœnitentia c).

Prob. a. Memoratu digniſſima ſunt verba B. LVTHERI in *articulis Smalcaldicis p. 328.* Sciendum eſt, *quod ſi ſancti, qui originale peccatum adhuc habere ſentiunt, & quotidie de eo pœnitent, & cum eo luctantur, inſuper ruant in manifeſta peccata, vt Dauid in adulterium, homicidium, & blaſphemiam, eos excutere fidem & Spiritum S. & abeſſe tum ab ipſis fidem & Spiritum S. Spiritus enim S. non ſinit peccatum dominari, inualeſcere & victoriam obtinere, ac conſummari, ſed reprimit & coërcet, ne facere poſſit, quod vult. Si vero facit, quod vult, certe Spiritus S. & fides amittuntur, nec ſimul adſunt. Sic enim inquit Ioannes,* 1 ep. III, 9: *Qui ex Deo natus eſt, non peccat, & peccare non poteſt.*

Prob. b. *Habeas fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repulerunt, & circa fidem naufragium fecerunt,* 1 Tim. I, 19. Fides & bona conſcientia ab apoſtolo coniunguntur. Nam amiſſa hac ancora, nauis fidei frangitur. *Fides illa, qua accipit remiſſionem peccatorum in corde perterrefacto & fugiente peccatum, non manet in his, qui obtemperant cupiditatibus, nec exſiſtit cum mortali peccato,* docente *Apologia A. C. p. 96.*

Prob. c. *Ne errate: neque ſcortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque concumbentes cum maribus, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque calumniatores,*

Digitized by Google

*tores*, *neque raptores*, *regnum Dei in hereditatem poſſidebunt*, 1 Cor. VI, 9. 10. Qui peccatis mortalibus indulgent, aditum ad regnum gloriæ ſibi præcludunt.

Quæſt. XXIV. *Quodnam eſt peccatum noſtrum? quod alienum?*

*P. noſtrum & alienum.* Peccatum *noſtrum* eſt actus vitioſus, reali noſtro influxu productus a); peccatum *alienum*, nobis imputatum, eſt actus illicitus, ad cuius productionem nos non reali quidem influxu, efficaci tamen intentione concurrimus, vt iure nobis imputari queat b).

Prob. a. Peccatum, *formaliter noſtrum*, non noſtro tantum ſuaſu, aut hortatu, ſed & viribus propriis, adeoque reali noſtro influxu perpetratur.

Prob. b. *Efficaci intentione* concurrit ad peccatum *alienum*, qui præcipit, conſulit, conſentit, conniuet, non obſtat, non manifeſtat, atque adeo cauſſa moralis eſt peccati alieni. Noti ſunt verſus de cauſſa morali:

*Iuſſio*, *conſilium*, *conſenſus*, *palpo*, *recurſus*,
*Participans*, *mutus*, *non obſtans*, *non manifeſtans*.

Grauiter monet Paullus: *Ne participa de peccatis alienis*. 1 Tim. V, 22. Innuit apoſtolus peccata *aliena* poſſe fieri *noſtra*, participatiue, atque imputatiue.

Quæſt. XXV. *Quæ ſunt peccata cordis*, *oris & operis?*

*...rdis, oris & operis.* Peccata *cordis* ſunt prauæ cogitationes & cupiditates, quæ intra ſinum animi humani fouentur a); peccata *oris* ſunt mala verba & geſtus, quæ ore exprimuntur b); peccata *operis* ſunt facta, quæ externo membrorum niſu contra legem Dei patrantur.

Prob. Chriſtus peccata *operis*, *oris*, & *cordis* coniungit, Matth. V, 21. 22. *Audiiſtis*, *quod veteribus dictum ſit*: *Non occides*; *quisquis autem occiderit*, *obnoxius erit iudicio. Ego vero dico vobis*, *quod quisquis iraſcitur fratri ſuo temere*, *obnoxius erit iudicio*: *quicunque vero dixerit*: *Racha*; *obnoxius erit ſynedrio*: *quicunque autem dixerit*: *ſtulte*; *obnoxius erit gehennæ ignis*. Phariſæi illa peccata tantum cenſebant mortifera, quæ *externo opere* conſummantur: at ſalutis vindex Ieſus docet, etiam peccata *cordis* (v. gr. odium in proximum) & *oris* (ſi quis dicat: Racha, aut: ſtulte,) reatum culpæ & pœnæ attrahere.

Quæſt. XXVI. *Quæ ſunt peccata commiſſionis & omiſſionis?*

*P. commiſſionis & omiſſionis.* Peccata *commiſſionis* ſunt actus poſitiui, quibus præcepta Dei negatiua violantur. Peccata *omiſſionis* ſunt ſuſpenſiones actuum, præceptis Dei affirmatiuis præſcriptorum.

Prob. Apoſtolus Iacobus hoc diſcrimen inculcat, ep. c. IV, 16. 17. *Nunc vero gloriamini in arrogantiis veſtris. Omnis gloriatio talis mala eſt. Ei ergo*, *qui ſcit bonum facere*, *ſed non facit*, *peccatum eſt*. Gloriatio mala eſt peccatum *commiſſionis*; non facere bonum, eſt peccatum *omiſſionis*.

Obſ. Quamuis plerumque in peccato *omiſſionis* ſit aliquis actus *poſitiuus illicitus*, vel *interior* voluntatis; vt: velle omittere, quod præceptum eſt: vel *exterior*, vt: operatio, qua impeditur quis ab eo, quod facere tenetur: non tamen ſemper aut neceſſario requiritur talis actus poſitiuus, ſed ipſum *non facere*, quod præceptum eſt, peccatum eſt.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXVII. *Quæ peccata committuntur in Deum, proximum & ipſum peccantem?*

Peccata *in Deum* ſunt, quæ immediate & directe ipſum Deum lædunt a). Peccata *in proximum* ſunt, quæ immediate proximum reſpiciunt & offendunt b). Peccata *in ipſum peccantem* ſunt, quæ in ipſam peccantis perſonam directe feruntur c). *P. in Deum, proximum & ſe ipſum.*

Prob. a. Quæ peccata committuntur aduerſus primam decalogi tabulam, immediate, lædunt Deum, v. gr. idololatria, blaſphemia, periurium, magia, contemtus verbi diuini. Diſcrimen peccatorum in *Deum*, & *proximum* ſacerdos Eli filiis ſuis conſiderandum proponit, 1 Sam. II, 25. *Si peccauerit vir viro, iudicabit eum Deus, ſi ergo Iehouæ peccauerit vir, quis deprecabitur pro illo?*

Prob. b. Impingens in præcepta ſecundæ tabulæ decalogi partim in ſe, partim in proximum peccat, eundem verberando, occidendo, defraudando, calumniando &c.

Prob. c. Per ſcortationem, ebrietatem, αὐτοχειρίαν &c. homo in ſe ipſum peccat. Peculiari ratione ſcortator in *proprium corpus* peccare dicitur, 1 Cor. VI, 13. quia ſuo corpore abutitur, idque in materiam illicitæ voluptatis conuertit. Id, quo ebrius abutitur, extra ipſius corpus eſt, αὐτόχειρ autem corpus ſuum deſtruit.

Quæſt. XXVIII. *Quænam peccata ſunt clamantia, quæ non-clamantia, ſeu tolerationis?*

Peccata *clamantia* ſunt actus vitioſi, qui, hominibus etiam tacentibus, vel conniuentibus, ad vindictam Deum prouocant a). Peccata *non-clamantia* dicuntur, quæ Deus longanimitate ſua tolerat, & pœnam vel differt, vel ſi a renatis ſint commiſſa, remittit b). *P. clamantia & non clamantia.*

Prob. a. Peccatum clamans, teſte ſcriptura, erant: 1) *Fratricidium*, a Caino commiſſum, Gen. IV, 10. *Vox ſanguinum fratris tui ad me clamat.* 2) *Peccata Sodomitica*, Gen. XVIII, 20. *Clamor Sodomæ & Gomorræ multiplicatus eſt, & eorum peccatum valde graue factum.* 3) *Oppreſſio* Iſraëlitarum in Ægypto, Exod. III, 9. *Clamorem eorum exaudiui.* Adde oppreſſionem viduarum & orphanorum. Exod. XXII, 22. 4) *Denegatio mercedis operariis ſoluendæ*, Iac. V, 4. Vnde nati verſus:

*Clamitat ad cœlum vox ſanguinis, & Sodomorum,*
*Vox oppreſſorum, merces detenta laborum.*

Hæc quatuor peccata dicuntur clamantia, non excluſiue, quaſi non dentur plura, ſed quia ſigillatim in ſacris litteris recenſentur. Nullum ceteroqui eſt dubium, quin peccata enormia, quibus eadem iniquitatis menſura impletur, clament in cœlum, & vindictam poſcant, v. gr. blasphemia, parricidium, adulterium, rapinæ, &c.

Prob. b. Ignorantiam gentilium Deus vsque ad Meſſiæ aduentum diſſimulaſſe dicitur, Act. XVII, 30. Polygamiam patrum ſub veteri fœdere Deus tolerauit, iisdemque quotidianam pœnitentiam continuantibus remiſit.

Quæſt. XXIX. *Quodnam peccatum cenſetur grauius? quod leuius?*

*Grauiora*, & *leuiora* dicuntur peccata ob maiorem & minorem culpam, ſiue fœditatem adhærentem.

Prob. Peccata Hieroſolymæ reputantur grauiora delictis Samariæ & Sodomæ, Ez. XVI, 47. quæ ipſi Deus in mentem reuocat, inquiens: *Corrupiſti te præ omnibus illis in viis tuis.* Ciues Hieroſolymæ peruerſiores iuerant vias, quam Samaritani, aut Sodomitæ famoſi ſcelerum architecti.



Digitized by Google

Obſ. Peccatum vnum altero grauius eſt: 1) *Ratione cauſſa efficientis, ſeu perſonæ peccantis.* Grauius peccat chriſtianus, quam gentilis, eodem ſe obſtringens crimine: 2) *Ratione cauſſæ impellentis.* Grauius delinquit, qui explendæ libidinis cauſſa ſtuprum infert vxori proximi, quam qui, fame coactus, furatur. 3) *Ratione obiecti.* Grauius impingit, qui patrem, quam qui hoſtem interficit. 4) *Ratione normæ.* Grauius peccat, qui primam, quam qui ſecundam tabulam decalogi violat. 5) *Ratione effectus.* Quo plura damna affert peccatum, eo grauius cenſetur.

Quæſt. XXX. *Quodnam peccatum eſt occultum? quod manifeſtum?*

*P. occultum & manifeſtum.* Peccatum *occultum* eſt, quod vel ipſi peccanti ignotum eſt, vel quod ſoli peccanti & paucis aliis, qui id ſuppreſſum volunt, notum eſt a). Peccatum *manifeſtum* eſt, quod multis innotuit, & ſi cum aliorum offendiculo coniunctum ſit, vocatur *ſcandalum* b).

Prob. a. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis* (quæ vel intellectui non fuerunt cognita, vel obliuione ſepulta) *munda me!* Pſ. XIX, 13.

Prob. b. 1 Tim. V, 24. *Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt.*

Quæſt. XXXI. *Quid eſt ſcandalum?*

*Scandalum.* *Scandalum* eſt peccatum manifeſtum, quod, quibus innotuit, occaſionem peccandi præbet. Diſtinguitur vulgo in *ſcandalum datum*, ſiue *actiuum*, & *acceptum*, ſiue *paſſiuum*. *Illud* eſt peccatum manifeſtum, quod aliis peccandi occaſionem offert a): *hoc* eſt dictum, aut factum alterius per ſe non malum, quo alii offenduntur, aut ex eodem peccandi occaſionem ſumunt b).

Obſ. Scandalum *acceptum*, cum non ſit peccatum, improprie ita dicitur, quatenus præter intentionem hominis agentis, vel dicentis, alius per accidens eodem offenditur.

Prob. a. *Præbentur aliis ſcandala in fide, & vita. In fide vel a doctoribus eccleſiæ, vel a magiſtratu, vel a priuatis.* A *doctoribus* eccleſiæ dantur *ſcandala in fide*, quando falſa dogmata diſſeminant, ab eccleſia ſe ſeparant, miracula iactant, armis falſæ philoſophiæ articulos fidei impugnant, cum hæreticis colludunt, & in edenda confeſſione fidei ſunt flexiloqui. A *magiſtratu* dantur *ſcandala in fide*, quando religionem parum penſi habet, curam ſalutis animarum ſubiectarum negligit, neque operam dat, vt orthodoxi & pii vocentur miniſtri. A *priuatis* dantur *ſcandala in fide*, quando in religionis cura ſunt tepidi, proximum ad hæreſin inuitant, liberos heterodoxis informandos tradunt, filias hæreticis in matrimonium locant, conſignatos ab hæreticis libros & ipſi cum voluptate legunt, & aliis commendant.

*In vita & moribus præbetur ſcandalum* a *doctoribus* eccleſiæ, quando ipſi pietate vitæ aliis non prælucent, nec vitia auditorum ea, qua par eſt, ſeueritate arguunt. A *magiſtratu* præbetur eiusmodi ſcandalum, cum ipſe manifeſtis indulget peccatis, neque crimina ſubditorum iuſto zelo punit. A *priuatis*, cum patres matresque familias non honeſtis imbuunt liberos moribus, neque integritate vitæ domeſticis ſuis præeunt.

Prob. b. Diſtorti animi ex dictis & factis haud malis anſam arripiunt peccandi. V. gr. Iudæi offendebantur Chriſti doctrina, eiusque ſtatu humili, indeque occaſionem captabant Chriſtum calumniandi & crucifigendi.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXXII. *Quodnam eſt peccatum mortuum? quod viuens?*

Peccatum *mortuum* eſt, cuius neque grauitas ab homine, cui inhæret, agnoſcitur, neque vis irritandi & cruciandi ſentitur. Peccatum *viuens* eſt, quod vires ſuas exſerit, & in homine peccante furit, vt tum cupiditatem ad nitendum in rem, lege vetitam, irritet, tum conſcientiam terreat & cruciet. *P. mortuum & viuens.*

Prob. ex Rom. VII, 8. 9. *Sine lege peccatum mortuum eſt. Ego vero viuebam ſine lege olim: veniente vero præcepto peccatum reuixit.* q. d. Absque lege, accurate conſiderata, peccatum eſt mortuum, non quoad rem, ſed quoad ſenſum, i. e. non agnoſcitur eius fœditas, neque ſtimulus, quo cupiditatem ad nitendum in vetitum incitat, & conſcientiam pungit, ſentitur. At, accendente meditatione legis, peccatum, inſtar canis e ſomno excitati, reuiuiſcit maioresque vires exercet, *tum* vehementiorem cupiditatem ad faciendum id, quod lege prohibitum eſt, accendendo, *tum* conſcientiam mordendo & cruciando.

Quæſt. XXXIII. *Quodnam peccatum eſt manens? quod remiſſum?*

Peccatum *manens* eſt, quod pondere ſuo, reatu, ſenſu & dominio peccatorem premit. Peccatum *remiſſum* eſt, cuius reatu & dominio homo renatus per gratiam Dei iuſtificantem & renouantem liberatus eſt. *P. manens & remiſſum.*

Prob. ex Io. IX, 41. *Dixit illis Ieſus: ſi cœci eſſetis, non haberetis peccatum. Iam vero dicitis: quia videmus: ideo veſtrum peccatum manet.* Senſus eſt: Si agnoſceretis, vos eſſe cœcos, lucem euangelii mei ad illuminationem animarum veſtrarum reciperetis, vt credentes peccatorum remiſſionem conſequeremini. At quia dicitis: videmus, i. e. ſcientia rerum cœleſtium abundamus; meam doctrinam ſpernitis. Quare peccatum veſtrum perſtat, inhæret, accuſat, dominatur.

Quæſt. XXXIV. *Quodnam eſt peccatum cum induratione coniunctum? quod ab hac ſeiunctum?*

Peccatum *cum induratione coniunctum* eſt peccatum atrociſſimum, quo polluta mens hominis a verbo Dei auerſa & cœca manet, voluntas in malo obfirmata Spiritui S. reſiſtit, appetitus belluinis voluptatibus indulget, atque adeo peccator, difficulter, aut plane non corrigibilis, temporales & æternas pœnas ſibi accerſit. Peccatum *absque induratione* eſt peccatum hominis corrigibilis & ſanabilis. *Induratio.*

Quæſt. XXXV. *Quæ eſt cauſſa indurationis?*

*Cauſſa indurationis* non eſt Deus a); ſed *partim* diabolus, mala ex malis ſerens, mentem excœcans & cor malitia implens b); *partim* homo, ordinaria ſalutis media repellens, & continuo peccandi ſtudio atque exercitio ſe mancipans c).

Prob. a. Deus eſt oſor & vltor peccati, Pſ. V, 5. qui ad emolliendum animum peccatoris iam malleo legis, iam pluuia euangelii vtitur; at hic, vocem Dei aſpernans, obſequitur diaboli ſuggeſtionibus & mundi lenociniis.

Dicis: Deus ipſe inquit: *Ego indurabo cor Pharaonis.* Ex. VII, 3. Reſp. Indurat Deus peccatorem, non poſitiue, aut effectiue, duritiem cordi immittendo; ſed 1) *occaſionaliter ac euentualiter*, dum, inſtar patris benigniſſimi, longanimitate ſua peccatorem tolerat, pœnam differt, & beneficiis ipſum cumulat, vt homo ad meliorem frugem ſe recipiat. Contra ille animaduertens, ſe in flagranti peccato non puniri, longanimitate abutitur, & ex be-



Digitized by Google

neficiis collatis occaſionem arripit prolabendi in ſecuritatem & conſuetudinem peccandi. 2) *Iudicialiter*, cum ob antegreſſam voluntariam, euitabilemque malitiam Deus, iuſtiſſimus iudex, permittit hominem, omnium mediorum ſalutis contemtorem, ruere in ſcelera grauiora, eidemque gratiam ſuam ſubtrahit, & denique Satanæ poteſtati tradit, a quo in maiora ſubinde peccata propellitur, donec excidat finaliter iure hæreditatis cœleſtis.

Prob. b. *Diabolus excæcat mentes infidelium*, 2 Cor. IV, 4. *cor implet malitia*, Act. V, 3. *operatur in filiis incredulitatis*. Eph. II, 2.

Prob. c. Matth. XIII, 15. inquit Chriſtus: *Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus grauiter audiuerunt, & oculos ſuos oecluſerunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertant ſe, & ſanem illos.* Qui oculos mentis ad lucem euangelii occludit, & aures ad audiendam vocem Dei obdurat, is ſeipſum indurat.

Quæſt. XXXVI. *Quotuplex eſt durities cordis?*

*Durities cordis* duplex eſt, *originalis*, & *actualis*. *Illa* a parentibus, peccato infectis, ex natiuitate trahitur a): *hæc* continuato peccandi ſtudio comparatur b).

Prob. a. De *originali* cordis duritie inquit Deus, Ez. XXXVI, 26. *Remouebo cor lapidis e carne veſtra.* Latet in meditullio carnis noſtræ cor lapideum, ad omne bonum ſpirituale recipiendum naturaliter ineptum.

Prob. b. Pharao perrexit peccare, & aggrauauit cor ſuum, Ex. IX, 34. i. e. aſſiduo peccandi ſtudio indurationem ſibi contraxit.

Quæſt. XXXVII. *Quodnam peccatum eſt remiſſibile? quod irremiſſibile?*

Peccatum *remiſſibile* eſt, quod, ſicut pœnitentiam natura ſua non excludit: ita quoque remitti poteſt ac ſolet. Peccatum *irremiſſibile* eſt, quod per ſe, & quatenus tale, cum impœnitentia finali coniungitur, atque adeo nunquam remittitur. Vocatur communiter *peccatum in Spiritum Sanctum.*

Quæſt. XXXVIII. *Quid eſt peccatum in Spiritum Sanctum?*

*Peccat. in Spiritum S.* Peccatum *in Spiritum Sanctum* eſt veritatis diuinæ euidenter agnitæ, & in conſcientia approbatæ malitioſa abnegatio, hoſtilis impugnatio, horrenda blaſphematio, & omnium mediorum ſalutis obſtinata & finaliter perſeuerans reiectio *).

Obſ.

*) Ordiamur a *principiis*, quorum priora ſeptem ſunt *hermeneutica*, reliqua *dogmatica*. Et illa quidem depromta ſunt ex clariſſimis dictis, quibus præcipue de hoc argumento exponitur, Matth. XII, 31. 32. Marc. III, 28. 29. addito v. 30. Luc. XII, 10. 12. Hebr. VI, 4. 5. 6. X, 29. Quibus adiungendum eſt hoc, Act. VII, 51. & 57. Effatum vero illud, 1 Ioan. V, 16. non huc ſpectare, iam ſatis me declaraſſe arbitror.

1. Peccare in Spir. S. aperte dicitur βλασφημεῖν, apud Matthæum, Marcum, Lucam, atque ἐνυβρίζειν, Hebr. X, 29.

2. Diſcernitur illud ab omni alia βλασφημία, Matth. XII, 31. Marc. III, 28. ac ſigillatim ab iniuria, qua quis Chriſtum adficit, de cuius vera definitione diſputandum erit infra.

3. Quædam eius ratio explicatur Marc. III, 30. vbi πνεῦμα denotat operationem quamdam Spiritus Sancti, add. v. 22. Eſt igitur μετωνυμία cauſæ pro effectu, vt alibi ſæpius, v. gr. Act. X, 47. coll. cum v. 45. Poſſunt vero vnius rei plures eſſe rationes, quæ, ſi illi rationi, verbis ſat perſpicuis indicatæ, omnino pares aut ſimiles ſint, parem quoque aut ſimilem conſequutionem efficere valebunt. (Vid. paullo poſt, princ. 5.)

4. Argu-

Digitized by Google

Obſ. Peccatum *in Spiritum S.* h. l. *non* ſumitur ſenſu *generali*, quo omne peccatum contra Spiritum S. eſt; ſed ſenſu *ſpeciali*, pro grauiſſimo illo peccato, quod committitur non tam in *perſonam* Spiritus Sancti, quam eius *officium*, quod per miniſterium verbi in conuertendis hominum animis exercet. Conſideratur itaque Spiritus S. non ὀυσιωδῶς, eſſentialiter, neque ὑποςατικῶς, perſonaliter; ſed ἐνεργητικῶς, effectiue, ratione officii & operationis ſpiritualis, quatenus Spiritus S. per doctrinam euangelii voluntatem Dei patefacit, mentes illuminat, corda conuertit, conſcientias conuincit, de verbi diuini veritate teſtatur. Cui operationi Spiritus S. malitioſe & perſeueranter obluctantes, *in Spiritum S. peccare* dicuntur.

Quæſt. XXXIX. *Quid notatur per veritatem diuinam, quæ hoc peccato abnegatur & impugnatur?*

Per *veritatem diuinam*, quæ abnegari dicitur, hic intelligitur doctrina divina, quæ longe veriſſima eſt, & quidem *ſecundario* doctrina *legalis* a), *primario* doctrina *euangelica* b).

Prob. a. Si quis ipſam legis diuinæ doctrinam euidenter agnitam, & in conſcientia ſua approbatam, tamquam falſam & diabolicam petulanter proclamaret, oppugnaret & blaſphemaret, vtique in Spiritum S. peccaret; quia & lex eſt inſtrumentum Spiritus S. quo nos ad pœnitentiam ducit, Rom. VII, 7.

Dicis: I. Lex peccato in Spiritum S. obiectiue contradiſtinguitur, Hebr. X, 28. Reſp. Lex l. c. non conſideratur, vt eſt veritas diuina, quam apoſtatæ abnegant, ſed vt eſt norma morum, a qua in agendo peccatores deflectunt.

 Dicis:

4. Arguuntur huius peccati non ſolum ante hac illuminati ac renouati homines, nunc perfidi ac deficientes, Hebr. VI, 4. 6. X, 29. ſed etiam impii, ac nondum ſalutari modo illuminati, Marc. III, 22. & 30. conf. cum 1 Cor. II, 8.

5. Vbi de hoc peccato diſſeritur, ibi mentio fit etiam de donis atque effectibus gratiæ ſalutaris, & quidem de *mediis gratiæ*, nec ſolum de *ordinariis*, Hebr. VI, 5. verum etiam de *extraordinariis*, atque abundantibus, in eodem verſu, coll. cum cap. II, 4. Marc. III, 22-30. XVI, 20. (vid. princ. 3.).

6. Vnum hoc peccatum eſt, neque vllum aliud, quod remitti non poteſt, Matth. XII, 31. & in locis parall.

7. Ratio denegatæ remiſſionis diſerte ponitur in eo: quod fieri non poſſit vnquam, vt quis, huius peccati reus, vere reſipiſcat, Hebr. VI, 4. 6. Id quod in primis arcte tenendum eſt.

8. Spiritus S. *naturam* diuinam cum Patre & Filio *communem* atque omnino eandem habet, & quod *ad perſonam* ipſius attinet, diuerſus eſt quidem ab vtroque illo, verum tamen ita, vt vtrique *par atque æqualis* ſit. E. neque in *natura* Spiritus S. neque in eiusdem *perſona* eſt aliquid *ſingulare* atque *eximium*, quam ob rem peccatum in Spiritum S. aut ſingulare quoddam putandum ſit, ab omnibus aliis diſtinctum, aut plane grauius eo, quod vel in Patrem, vel in Filium committitur.

9. *Dona* ac *media gratiæ* illuminantis, renouantis, beantis, & quæcunque ad ſalutis *adplicationem* pertinent, *ſingulari* quodam modo adſignantur *Spiritui S.* 1 Io. V, 6. 8. 1 Cor. XII, 3. 4. ſicut *adquiſitio* ſalutis noſtræ ſigillatim ac proprie *Chriſto* tribuitur, ac *decreta* æterna de ſalute, nobis impertienda, *Patri* adſeruntur.

10. Gratia Dei ad ſalutem vocans, ſemper ſeria atque efficax, vt & adquiſitio ſalutis, promeritis Chriſti parta, pertinet ad homines peræque omnes ac ſingulos, neque vllum eſt peccatum, pro quo Chriſtus ſatis non fecerit.

11. Gratia nunquam non eſt maior ac validior quouis peccato, etiam grauiſſimo omniumque maximo.

12. *Adquiſitio* ſalutis recuperatæ nemini prodeſt, ſine *recta* eius *adplicatione*.

13. Or-

Digitized by Google

Dicis: II. Definitur communiter peccatum in Spiritum S., quod ſit abnegatio veritatis non legalis, ſed *euangelicæ*. Reſp. Definitur peccatum in Spiritum S. per abnegationem veritatis euangelicæ non excluſiue, ſed comparatiue & exochice, vt exprimatur obiectum nobilius & ſublimius, lex vero non penitus excludatur. Ceterum obſerues, quod lex Moſaica duplici ratione conſiderari poſſit: 1) quatenus eſt norma actionum moralium: 2) quatenus eſt verbum Dei, aut doctrina diuina & veritas cœleſtis. Priori modo peccat in legem, qui eam transgreditur & violat: poſteriori modo peccat, qui negat, legem Moſaicam eſſe verbum Dei, aut veritatem cœleſtem. Ob vitioſos mores, aut vitam peruerſam, nemo dicitur peccator in Spiritum S., licet vita peruerſa & morum turpitudo peccatum in Spiritum S. comitetur: at qui ipſam legis diuinæ doctrinam euidenter agnitam, & in conſcientia ſua approbatam falſam petulanter proclamant, oppugnant, blasphemant & pertinaciter reiiciunt, in Spiritum S. peccant, quia iidem Spiritui S. per miniſterium legis operanti malitioſe obſiſtunt.

Prob. b. Peccantes in Spiritum S. *principaliter* & potiſſimum impingere in doctrinam *euangelii*, prob. 1) ex Matth. XII, 24. 31. ac Marc. III, 22-29. vbi peccatum in Spiritum S. ex profeſſo conſideratur. Nimirum Phariſæi peccarunt in Spiritum S., redemtorem mundi blasphemando, & aſſerendo, ipſum ope diaboli eiicere dæmones, & miracula patrare; cum tamen de diuina Chriſti potentia rectius edocti, & in conſcientia conuicti eſſent. Commiſerunt ergo peccatum in Spiritum S., euangelii medullam, aut nucleum reiiciendo. Quare etiam apoſtolus docet, peccatores in Spiritum S. conculcare filium Dei, & ſanguinem fœderis

13. *Ordo ſalutis* ita poſtulat, vt, in hac ſalutis *adplicatione* ac perceptione, *peccatorum remiſſionem* præcedat μετάνοια, mentis mutatio ſalutaris.

14. Hæc mutatio non poteſt aliter effici, quam *mediis gratiæ* adhibitis, & *recte* quidem *vſurpatis*. His ita reiectis ac repudiatis, vt homo maxima animi obſtinatione ne audire quidem velit, nedum meditari & cognoſcere, fieri non poteſt, vt homo vnquam ſalutari mentis mutatione reſipiſcat. E. quod impoſſibilem facit μετάνοιαν, id idem pariter impoſſibilem facit remiſſionem peccati. (princ. 13.).

15. Continuatio ac permanſio non eſt actio quædam moralis, ſed eſt actioni adiuncta duratio, ideoque per ſe nec in vitio eſt, nec laudi ducenda. Fit autem vel mala, vel bona, ex natura actionis, cui ea eſt adiuncta. Itaque perſeuerantia in bono bona eſt, permanſio in malo ſemper mala.

*Conſectaria* ab his principiis ducenda:

1. Peccatum in Spiritum S. quatenus eſt tale, non poteſt non eſſe aliquid prorſus ſingulare, ab omnibus aliis diuerſum (per *princ.* 2. & 6.).

2. Neque in diuinam Spiritus S. naturam, neque in perſonam (per *princ.* 8.): ſed in eius dona atque effectus, ſiue media gratiæ committitur (per *princ.* 3. 5. 9.).

3. Eſt igitur nihil aliud, quam malitioſa & contumax repugnantia aduerſus media gratiæ omnia, tum ordinaria, tum extraordinaria atque abundantia (per *princ.* 5.); ſiue ea vnquam fuerint cognita ac percepta, ſiue nunquam (per *princ.* 4.); præſertim vero, ſi iſta repugnantia coniuncta ſit cum contumelia, qua animus totus a veritate auerſus eſt, eique aduerſarius, per *princ.* 1.).

4. Ratio, quare hoc peccatum nunquam poteſt remitti, non ſita eſt in grauitate huius delicti, tametſi omnium grauiſſimi (per *princ.* 11.); neque in eo, quod gratia Dei ac meritum Chriſti non ad hoc peccatum pertineant (per *princ.* 10.); ſed tota poſita eſt in ipſa natura huius peccati prorſus ſingulari ac propria, quoniam in hoc vno non poteſt fieri μετάνοια, ac ſalutis, per Chriſtum recuperatæ, recta adplicatio (per *princ.* 7. 12. 13. 14.).

5. Obſtinatio animi perpetua vſque ad finem vitæ, ſeu, vt moris eſt loqui, impœnitentia finalis, non eſt ipſa natura huius peccati, ſed conſequens atque adiunctum aliquid (per *princ.* 15.), quoniam hoc peccatum eſt eius modi, vt repudientur media gratiæ omnia, ſiue ordinaria, ſive extraordinaria atque abundantia (per *definit.* in *conſectar.* 3.); ſine his autem mediis nulla vnquam poteſt fieri μετάνοια (per *princ.* 14.): E. neceſſaria tunc erit obſtinatio animi perpetua.

Digitized by Google

fœderis communem exiſtimare, Hebr. X, 29. At Filius Dei & ſanguis fœderis annunciatur & offertur nobis per verbum euangelii.

2) Peccatores in Spiritum S. dicuntur *guſtaſſe bonum Dei verbum*, Hebr. VI, 5. At bonum Dei verbum eſt euangelium, melle dulcius. Eſt enim lætus nuntius, Luc. II, 10. verbum pacis, Eph. II, 17. verbum reconciliationis noſtræ cum Deo, 2 Cor. V, 19. Lex diuina, quamuis per ſe bona ſit, tanquam bona regula vitæ, ab optimo auctore profecta; euentualiter tamen homini peccatori non eſt bona, eo, quod ipſi iram Dei & maledictionem denunciat, Rom. IV, 15. Deut. XXVII, 26.

3) Deſcribitur peccatum in Spiritum S. per παράπτωσιν, *apoſtaſiam, aut defectionem a fide*, qua homines illuminati guſtarunt bonum Dei verbum & virtutes venturi ſæculi, prolabentes autem, denuo crucifixerunt Filium Dei & ludibrio expoſuerunt, Hebr. VI, 5. 6. At fides reſpicit euangelium, & apoſtaſia a fide in Chriſtum diſtincte ex euangelio cognoſcitur.

Dicis: Omne peccatum prohibetur lege diuina. E. & peccatum in Spiritum S. Reſp. Peccatum in Spiritum S. duobus modis conſideratur: 1) *generatim*, quatenus eſt peccatum, & ſic prohibetur lege: 2) *ſpeciatim*, quatenus eſt peccatum in Spiritum S. & ſic eſt voluntaria ac pertinax abnegatio veritatis euangelicæ.

Quæſt. XL. *Quænam ſunt requiſita formalia peccati in Spiritum Sanctum?*

*Requiſita formalia* peccati in Spiritum S. ſunt: veritatis cœleſtis luculenter agnitæ, in conſcientia approbatæ, plane libera atque malitioſa abnegatio a); malitioſe abnegatæ veritatis hoſtilis impugnatio b); hoſtiliter impugnatæ veritatis voluntaria blasphematio c); pertinax omnium mediorum ſalutis reiectio d).

Prob. a. Requiri ad peccatum in Spiritum S. luculentam veritatis diuinæ agnitionem & approbationem, liquet ex Hebr. X, 26. vbi delinquentes in Spiritum S. dicuntur *voluntarie peccare, poſtquam acceperunt cognitionem veritatis*, i. e. poſtquam in conſcientia conuicti ſunt de veritate euangelii. Idem colligitur ex Hebr. VI, 4. 5. 6. vbi de peccatoribus in Spiritum S. aſſeritur, quod 1) fuerint *illuminati*, i. e. illuſtrati agnitione doctrinæ chriſtianæ; 2) *guſtauerint bonum ſupracœleſte*, hoc eſt, fide ſaluifica perceperint, quam ſuauis Chriſtus ſit, auctor remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ; 3) *participes facti ſint Spiritus S.*, ceu ſigilli, pignoris & arrhæ æternæ ſalutis; 4) *bonum Dei verbum guſtauerint*, in quantum dulcedinem euangelii cognitione experimentali & affectiua perceperunt (*guſtus* quippe ſtilo biblico non leuem aut tenuem, ſed vberem & cum affectu amoris ac lætitiæ coniunctam perceptionem denotat); 5) *guſtauerint virtutes* venturi ſeculi, prægustum efficaciſſimorum vitæ æternæ gaudiorum ſentiendo ac experiendo. Graphice igitur depingitur verbis illis, memoratu digniſſimis, plena pro ſtatu viæ agnitio veritatis cœleſtis. E quibus colligimus, Paullum perſequendo veritatem diuinam, non peccaſſe in Spiritum S.; quoniam hoc fecit *ignorans*, ſicut de ſeipſo teſtatur, 1 Tim. I, 13.

2) Requiri ad peccatum in Spiritum S. *abnegationem veritatis cœleſtis plane liberam*, non periculorum metu extortam, patet ex Hebr. X, 26. *Voluntarie peccantibus nobis poſt cognitionem veritatis acceptam, non amplius pro peccatis ſupereſt ſacrificium.* Peccatores in Spiritum S. dicuntur ἑκουσίως, i. e. libere, voluntarie, malitioſe, elata manu, per contemtum maieſtatis diuinæ, ex mera ſuperbia peccare. Peccant autem delinquentes in Spiritum S. τῷ παραπίπτειν, prolabendo ab illuminatione & guſtu, ſiue experimentali cognitione doni ſupra-cœleſtis, Hebr. VI, 6. & ab accepta notitia veritatis, Hebr. X, 26. At qui prolabitur

Digitized by Google

bitur ab illuminatione & accepta cognitione veritatis, is agnitam veritatem diuinam, quam ex gratia illuminationis habet, abnegat. Colligimus ex his, Petrum abnegando Chriſtum non peccaſſe in Spiritum S. ideo, quod non voluntate plane libera, ſed metu pœnæ inclinata peccauit. In eccleſia primitiua, exortis perſecutionibus grauiſſimis, haud pauci victi tormentorum vi, aut formidine periculorum compulſi, a doctrina euangelii defecerunt; qui *in Filium hominis* quidem, at *non in Spiritum S.* peccarunt.

Prob. b. Requiri ad conſummationem peccati in Spiritum S. *hoſtilem oppugnationem euangelicæ veritatis*, patet ex deſcriptione peccantium in Spiritum S. Nam illi denuo Filium Dei crucifigunt, i. e. euangelium Chriſti exſtinctum eunt, Hebr. VI, 4. pedibus conculcant, i. e. contumelioſiſſime tractant. Quibus verbis indigitatur hoſtilis impugnatio; qua oppugnatur vel *tota doctrina fidei*, vel *vnus alterue articulus fidei fundamentalis;* cuius impugnatio etiam reliquos articulos fidei connexos labefactet, ſi non directe & primo, ſaltim oblique, ſecundo & per conſequentiam; ideo, quod abnegato vno articulo fidei non amplius integra manet doctrina euangelica. Ceterum oppugnatio doctrinæ chriſtianæ eſt vel *immediata*, qua quis per ſeipſum veritatem cœleſtem vel ore, vel calamo, vel armis opprimere nititur; vel *mediata*, qua hoſtes euangelicæ veritatis alios rogant, aut iubent, aut ipſis ſuadent, vt eandem conuellant. Neque ſemper hoſtilis impugnatio *ex effectu* æſtimanda eſt. Multis quippe deſunt vires, quibus non deeſt voluntas veritatem opprimendi.

Prob. c. Ad menſuram peccati in Spiritum S. implendam requiri *voluntariam blaſphemationem*, liquet ex eo, quod Chriſtus expreſſe hoc peccatum vocat *blaſphemiam Spiritus*, Matth. XII, 31. ſcilicet obiectiue; quia eadem Spiritus S. laceſſitur. Vnde & v. 32. per λόγον κατὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου, ſiue, verbum contra Spiritum S., exprimitur, & diſerte, *blaſphemia in Spiritum S.* Marc. III, 29. dicitur. Paullus appellat *contumeliam Spiritui gratiæ illatam*, Hebr. X, 29. Peccatores quippe in Spiritum S. τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐνυβρίζουσι, Spiritum gratiæ contumelia afficiunt. Afficitur ab iis contumalia Spiriius gratiæ, qui doctrinam Spiritus S. falſitatis arguunt, aut miracula virtute Spiritus S. ad confirmandam doctrinam patrata, ſpiritui immundo cum Phariſæis tribuunt, Marc. III. Non intelligitur autem hic a nobis blaſphemia *ex ignorantia profecta*, *ſed proæretica*, quæ fit a ſciente & volente. Quare ab hoc peccato excipiendus eſt Paullus, qui ignorans Filium Dei blaſphemauit, 1 Tim. I, 13. Obſerues, quod quidam blaſphemias ore non euomant, corde tamen premant, ac gerant, quæ Deo καρδιογνώστῃ ſunt notiſſimæ.

Prob. d. Ad completam peccati in Spiritum S. rationem requiri *obſtinatam omnium mediorum ſalutis reiectionem*, conſtat ex eo, quod apoſtatæ *ſanguinem fœderis, quo ſanctificati ſunt, communem eſſe exiſtimant*, Hebr. X, 29. Eſt autem ſanguis fœderis ſanguis Filii Dei, fuſus in ara crucis, quo fœdus gratiæ ſancitum eſt, & a quo ſacramenta, gratiæ fœderalis media offerentia & obſignantia, ſuam efficaciam habent. Hunc ſanguinem fœderis apoſtatæ communem, i. e. profanum, impurum, virtute ſanctificandi deſtitutum eſſe ducunt, atque adeo vnà cum verbo euangelii ſacramenta, fœderis organa & ſigilla, moroſe reiiciunt, atque *conſilium Dei aduerſus ſeipſos ſpernunt*, Luc. VII, 30.

### Quæſt. XLI. *Suntne illa requiſita eſſentialia coniunctim ſumenda, quando formandum eſt iudicium de peccato in Spiritum Sanctum?*

Iudicium formaturus de peccato in Spiritum S., συνδρομήν, ſiue confluxum requiſitorum eſſentialium, quibus menſura atrociſſimi huius peccati impletur, accurate conſideret.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Supra recenſita requiſita ſunt de formali ratione peccati in Spiritum S., proinde abſente vno, non commiſſum eſt peccatum in Spiritum S. Id quod oſtenditur exemplis. Petrus vere & certo cognouerat veritatem cœleſtem de Chriſto, quem tamen abnegauit. At illa abnegatio veritatis, certo agnitæ, non complet peccatum in Spiritum Sanctum, quia Petrus non voluntate plena & deliberata, ſed metu mortis perculſa, adeoque non deſtinata malitia Chriſtum abnegauit; neque idem euangelium blaſphemauit, oppugnavit, & omnia ſalutis media pertinaciter repudiauit. Paullus quidem veritatem diuinam, piosque eiusdem confeſſores rabioſe perſecutus eſt, Actor. IX, 1. Quinimmo illam & hos blaſphemauit, & alios ad blaſphemandum impulit, 1 Tim. I, 13. Act. XXVI, 10. 13. Necdum tamen peccauit in Spiritum Sanctum. Neque enim a) veritatem diuinam de Chriſto agnoverat, neque de illius veritate & certitudine conuictus erat: Hinc neque ante ſui illuminationem potuit a Chriſto prolabi, eundemque abnegare. Prolapſus enim requirit terminum a quo, & abnegatio Chriſti poſtulat antegreſſam ipſius agnitionem & affirmationem ſaltim in conſcientia. b) Neque omnia ſalutis media obſtinate repulit. Admiſit enim verbum Chriſti, & accepit baptiſmum ab Anania, Act. IX, 5. 18. adeoque miſericordiam conſecutus eſt, 1 Tim. I, 16.

Quæſt. XLII. *Quis igitur committit peccatum in Spiritum Sanctum?*

Peccatum in Spiritum S. committunt non infantes, ſed *adulti* a), non deſtituti cognitione verbi diuinitus reuelati, ſed *illuminati*, & de veritatis cœleſtis certitudine in ſua conſcientia *conuicti* b), ex ſtudio tamen & amore veritatis in eiusdem hoſtile odium prolapſi c).

Prob. a. 1) In infantes non cadunt peccata actualia proæretica, ſiue voluntaria; propterea quod pleno rationis vſu deſtituuntur: At peccatum in Spiritum S. eſt peccatum actuale voluntarium, Hebr. X, 26. Ergo.

2) Infantes euangelium Chriſti neque abnegant, neque blaſphemant, neque impugnant, neque id ipſum cum ſacramentis pertinaciter reiiciunt. E. non delinquunt in Spiritum S.

Prob. b. Dicuntur enim peccatores in Spiritum S. φωτισθέντες, illuminati, Hebr. VI, 4. *ſiue pædagogica fuerit illa illuminatio, & litteræ tantum, ſiue ſpiritualis, cum γεύσει cœleſtium coniuncta*, inquit DANNHAV. in *hodoſ. phænom. XI. p. 1419.* Phariſæi in infantia ſua per circumciſionem fuerant in fœdus gratiæ diuinæ adſciti, adeoque vere regeniti; in adulta tamen ætate, per letalia flagitia, gratia regenerationis excuſſa, & duntaxat externa veritatis cœleſtis cognitione retenta (quæ vere in illis fuit, teſte Nicodemo Io. III, 2. teſtibus etiam diſcipulis Phariſæorum, Matth. XXII, 16.), commiſerunt peccatum in Spiritum S. cuius eos pronunciauit Chriſtus reos, Matth. XII, 32. Huc accedit, quod Stephanus ſuos aduerſarios in ſua συζητήσει ita conuicerit, vt non potuerint reſiſtere ſapientiæ & Spiritui, quo ipſe loquebatur, Act. VI, 9. 10. Deuenerant ergo peſſimi iſti nebulones in cognitionem diuinæ veritatis, quam ex ore Stephani ſatis audierant, & tamen ii perrexerunt Spiritui S. reſiſtere, Act. VII, 52. Cordibusque fuerunt diſſecti, ſuis dentibus ſtridentes, v. 54. & Stephanum lapidantes, v. 59. De his Stephani inimicis etſi vere dici queat, quod ſe flagitio in Spiritum S. polluerunt; hoc tamen oportet moneri, quod non promiſcue omnia & ſingula illorum indiuidua commiſerint hoc peccatum. Nam Paullus etiam conſenſit in necem Stephani, Act. V, 58. qui hoc tamen flagitio non fuit maculatus. Conf. D. FEVRBORNII *diſſert. de peccato in Spirit. S. c. VIII. p. 62.* Remanet dubium: An homines *nunquam renati* committant hoc atrociſſimum peccatum?



Digitized by Google

v. gr. Pharao, agnitam veritatem diuinam aſpernatus. Affirmat D. MEISNERVS in *anthropol. decad. I. diſp. X. de P. in Sp. S. p. 316.* Negant GERHARDVS, HVTTERVS, BALDVINVS, HVLSEMANNVS, DORSCHAEVS & alii theologi. Deſcribit enim apoſtolus peccatores in Spiritum S. quod non tantum fuerint *illuminati, ſed & guſtauerint donum ſupracæleſte, participes facti ſint Spiritus S. & guſtauerint bonum Dei verbum, atque virtutes venturi ſæculi,* Hebr. VI, 4. 5. 6. quæ prædicata non niſi renatis competunt.

Prob. c. Renati, in ſtatu gratiæ permanentes, nullum patrant peccatum voluntarium, 1 Io. III, 9. At ſi patiantur ſe a carne vinci, vtique e ſtatu regenerationis prolabuntur, a ſtudio & amore veritatis deficiunt, & tenebras magis, quam lucem diligunt, Io. III, 19.

Quæſt. XLIII. *Quæ ſunt cauſſæ, hominem mouentes ad peccandum in Spiritum S.?*

Cauſſæ *mouentes* ad enorme iſtud peccatum ſunt: diabolus, mentem excoecans, & cor malitia implens a), caro, ſiue corrupta hominis natura, dominium obtinens b), habitualis voluntatis malitia, crebris actibus illicitis contracta c).

Prob. a. Diabolus excoecat ſenſus incredulorum, ne illuceſcat illis lumen euangelii, Eph. II, 2. & implet cor peccatoris ad dicendum mendacium, Act. V, 3. Hic capitalis humani generis hoſtis excoecat oculos mentis, ne peccantes in Spiritum S. clariſſimam euangelii lucem perſpiciant, auertit voluntatem a veritate diuina, vt huic nuntium mittant, probra ingerant, bellum indicant.

Prob. b. Quod ſi renati virtute Spiritus S. actiones carnis mortificarent, continuo viuerent in ſtatu gratiæ, Rom. VIII, 13. At ſi obſequantur ſuggeſtionibus carnis, qua ſollicitantur ad ambitionem, auaritiam, ſapientiæ terreſtris cupiditatem, fieri poteſt, vt officium Spiritus S. ſusque deque habeant, & oblata gratiæ ſalutisque ſubſidia penitus repudient.

Prob. c. Non ſubito ruunt homines in peccatum aduerſus Spiritum ſanctum, ſed quando, inſtar Phariſæorum, *pleni ſunt hypocriſi & iniquitate,* Matth. XXIII, 2.

Quæſt. XLIV. *Quæ adiuncta peccatum in Spiritum S comitantur?*

*Adiuncta*, ex parte *hominis*, in Spiritum S. peccantis, ſunt: extrema induratio a), impoenitentia finalis b). Ex parte ipſius *peccati* in Spiritum S. indiuidua & inſeparabilis comes eſt irremiſſibilitas c).

Prob. a. Intelligitur heic potiſſimum *induratio doctrinalis*, quamuis *induratio moralis* cum ea coniuncta ſit. Ea eſt actus voluntatis, inſanabiliter malæ, doctrinam euangelicam & omnia ſalutis media pertinaciter reiicientis. Hanc indurationem doctrinalem cernere licet in Iudæis, qui Stephanum lapidibus obruerunt, quos ille martyr Chriſti grauiter compellat, Act. VII, 51. *Duræ ceruicis homines & incircumciſi corde & auribus, vos perpetuo Spiritui S. reſiſtitis.* Qui Spiritui S. per miniſterium verbi & ſacramentorum operanti, illuminanti, & conuertenti, moroſe obſiſtunt, illi oblata gratiæ ſubſidia contumaciter repudiant.

Prob. b. Quamuis plura peccata proæretica impoenitentiam finalem comitem habeant, ab iisdem tamen eſt ſeparabilis, & ex accidenti tantum contingit, vt impoenitentia perſeuerans ea comitetur; at *peccatum in Spiritum S. per ſe & natura ſua viam ad pœnitentiam obſtruit aut intercludit, adeoque impœnitentia finalis ab eo eſt inſeparabilis.* Docet hoc apoſtolus, Hebr. VI, 4. 5. 6. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, & guſtauerunt donum ſupracæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti; & qui bonum guſtarunt Dei verbum, virtutesque futuri ſæculi, & prolapſi ſunt, iterum renouari in pœnitentiam, denuo crucifigentes ſibi ipſis Filium Dei & ludibrio exponentes.* Mens apoſtoli eſt: Peccantes in Spiritum S. grauiſſimo

Digitized by Google

grauiſſimo ſe polluunt flagitio; quippe quod, vi atrocis ſuæ naturæ, reditum ad pœnitentiam præcludit, eosque ordinariæ renouationis ad contritionem & fidem incapaces reddit. Nam apoſtatæ illi, a fide chriſtiana deficientes, omnia principia & media gratiæ atque ſalutis abiiciunt; propterea, quod a) auctorem ſalutis Chriſtum denuo ſibi ipſis crucifigunt & ludibrio exponunt, dum peſſimam fouent animo intentionem exſtinguendi Chriſtum & fidem in Chriſtum, quaſi Chriſtus non ſit Filius Dei, non auctor ſalutis noſtræ, ſed ſeductor, vt olim Iudæi pendentem in cruce Saluatorem blaſphemabant, atque adeo doctrina de illo mera fabula aut impium commentum ſit. Sed hoc faciunt *ſibi ipſis*, i. e. in ſuammet perniciem, vt Chriſtus ipſis prodeſſe nequeat. b) Spiritum gratiæ, qui gratiam ſuam offert, oblatam conferre aut obſignare vult, contumelia afficiunt, ipſius teſtimonio veritatem ineſſe negando. c) Media gratiæ repellunt; quia voluntarie peccant poſt acceptam cognitionem veritatis, Hebr. X, 26. & a guſtu boni Dei verbi prolabuntur, Hebr. VI, 5. i. e. euangelium, cuius dulcem habuerunt guſtum, abnegant, iuxta atque ſanguinem fœderis, qui ſacramento cœnæ nobis exhibetur, & ad bibendum porrigitur, communem, ſiue profanum ac impurum ducunt. At qui omnia principia & ordinaria media ſalutis in ſuammet perniciem, petulanter reſpuunt, illis non patet reditus ad pœnitentiam. Quamuis enim abſoluta potentia & extraordinaria gratia Spiritus S. contumaciam illorum apoſtatarum haud dubie expugnare & vincere queat; nullibi tamen in S. ſcriptura abſoluta iſta & irreſiſtibilis gratia conuertens promiſſa eſt.

Prob. c. *Irremiſſibilitatem* eſſe perpetuum & inſeparabile peccati in Spiritum S. adiunctum, docet Chriſtus Matth. XII, 31. 32. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus. Immo ſi quis dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi; qui vero dixerit contra Spiritum S. non remittetur illi, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Verbis Chriſti non tantum τὸ γινόμενον, actus remiſſionis negatur, ſed & τὸ δυνατὸν, ſiue potentia condonationis remouetur. Finge, ſolum *actum* notari, ſenſus erit: omnia peccata reliqua actu remittentur; quod falſum. Ergo loquitur Chriſtus de *potentia*, quod peccatum in Spiritum S. remitti non poſſit, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, i. e. in æternum, vti explicatur, Marc. III, 29. Ceterum ſtatuit D. GERHARDVS in *diſputat. iſagog. p. 941.* quod ſi peccatum in Spiritum S. ante finalem impœnitentiam conſideretur, per abſolutam Dei potentiam committentes hoc peccatum conuerti & remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quamuis ſecundum ordinarium agendi modum diuinitus inſtitutum conuerti nequeant.

Quæſt. XLV. *Num impœnitentia finalis eſſentialem conſtitutionem peccati in Spiritum S. ingreditur?*

Si per *impœnitentiam finalem* intelligatur *pertinax* & obfirmatum voluntatis propoſitum, *omnia gratiæ media reiiciendi*, vtique ea de eſſentia peccati in Spiritum S. eſt a): Sin impœnitentia finalis *durationem perſeuerantem* notet, non eſſentiale requiſitum atrociſſimi iſtius peccati, ſed adiunctum commune, idque inſeparabile eſt b).

Prob. a. Quia peccator in Spiritum S. directe, & pertinaci malitia mediis conuerſionis diuinitus ordinatis ſe opponit, Deus iuſtiſſimo iudicio gratiam ſuam inhabitantem ipſi ſubtrahit, eundemque in ſenſum reprobum tradit. Proinde ſibi relictus deliberatum propoſitum blaſphemandi & perſequendi doctrinam Spiritus S. retinet, & obfirmat. Qua ratione haud male aſſeritur, impœnitentiam finalem eſſe de formali conceptu peccati in Spiritum S.

Prob. b. 1) Chriſtus Phariſæos, adhuc viatores, blaſphemiæ in Spiritum S. reos pronuntiauit, Matth. XII, 24. Ergo permanſio in hoc peccato non eſt eius formale requi-

 ſitum,

Digitized by Google

ſitum, cum a Chriſto coſummatum in hoc ſæculo ante exceſſum ex illo cenſeatur.

2) Non fuiſſet Chriſtus diſtributiue locutus, blaſphemiam Spiritus non remiſſum iri neque in hoc, neque in futuro ſæculo, niſi præſuppoſuiſſet, etiam in hoc ſæculo ante exceſſum illud eſſe, vel eſſe poſſe conſummatum.

3) Non ex impœnitentia finali, quæ communis eſt reliquis peccatis, æſtimandum eſt hoc peccatum, ſed ex quidditate & formali ratione, quæ ſupra dictis requiſitis abſoluitur.

Dicis: Ianua gratiæ ante finem vitæ nulli peccatori eſt occluſa. Reſp. Vtcunqne pateat ianua gratiæ peccatoribus in Spiritum S. quamdiu viuunt, ſecundum voluntatem Dei antecedentem: illi ipſi tamen aditum ad portam gratiæ malitioſe ſibi præcidunt, adeoque voluntate Dei conſequente reprobantur, & gratia excidunt.

Quæſt. XLVI. *Quare peccatum in Spiritum S. eſt irremiſſibile?*

Peccatum in Spiritum S. eſt irremiſſibile *non* ob *defectum gratiæ diuinæ* a), neque ob *defectum ſatisfactionis Chriſti* b), neque ob *defectum efficacis operationis Spiritus S.* c), ſed ob *malitioſam omnium mediorum gratiæ reiectionem* d), & ob *finalem impœnitentiam* e).

Prob. a. Miſericordia Dei eſt vniuerſalis, adeoque non eius defectus eſt cauſſa irremiſſibilitatis peccati in Spiritum S. *Apparuit enim gratia Dei omnibus hominibus.* Tit. II, 11. Ergo affulſit etiam peccantibus in Spiritum S.

Prob. b. Satisfactio & meritum Chriſti etiam vniuerſale eſt. Dedit enim Chriſtus ſe in pretium redemtionis pro omnibus, 1 Tim. II, 6. E. & pro peccatoribus in Spiritum S. quippe qui *conculcant Filium Dei, & ſanguinem fœderis communem exiſtimant, per quem ſanctificati ſunt*, Hebr. X, 29. E quibus colligimus: Qui per ſanguinem Chriſti ſanctificati ſunt, pro illis ſanguis Chriſti eſt effuſus. Atqui peccatores in Spiritum S. &c. Ergo.

Prob. c. Ab effectis gratiæ Spiritus S. applicatricis, conſpicuis in magnis illis apoſtatis. *Sunt enim illuminati a Spiritu ſancto*, Hebr. VI, 4.

Prob. d. Ideo pœna digni ſunt peccantes in Spiritum S. quod conculcant Filium Dei, & ſanguinem fœderis communem exiſtimant, per quem ſanctificati ſunt, & Spiritum gratiæ blaſphemant, Hebr. X, 29. *Vt morbus per ſe medicabilis, tum fit abſolute immedicabilis, cum æger medicinam conculcat: ita omne peccatum natura ſua eſt irremiſſibile, per gratiam ſupernaturalem remiſſibile, potentia, vt vocant, obedientiali; ſed cum oblata remiſſio ipſa reſpuitur, fit ſimpliciter* ἀνίατον διὰ μοχθηρίας, *inſanabile per malitiam, ac irremiſſibile; quia non poteſt tanta contumacia ſuperari a libero arbitrio, cuius vis hic nulla, aut a medio ordinario, quod reiicitur; extraordinarium nulli hominum debetur.* Conf. DANNHAVER. in *hodoſ. phænom. XI. p. 1420.*

Prob. e. Quod peccatum nulla ſequitur pœnitentia, id Deus nulla dignatur venia: nam cor impœnitens ſibi ipſi theſaurizat iram, Rom. II, 6. Ergo.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, aſſerentium, peccatum in Spiritum S. eſſe irremiſſibile ordinarie, ſed non abſolute. 2) *Socinianorum*, ſtatuentium, peccatum in Spiritum S. eſſe irremiſſibile, niſi ſeria pœnitentia agatur, ſiue, niſi Deus efficaciſſima remedia ad conuertendum ſuppeditet: qui etiam negant, vllum peccatum voluntarium, adeoque etiam blaſphemiam Spiritus habere ſacrificium. Quorum argumenta ſunt.

1. Qui nullius peccatoris vult mortem, ille non vult mortem peccatoris in Spiritum S. ſed vult, vt conuertatur & viuat. Atqui Deus &c. Ezech. XVIII, 23. Reſp. Deus voluntate antecedente nullius vult peccatoris mortem, ſed vt conuertatur per ordinaria media gratiæ, & viuat: At cum peccator in Spiritum S. diuinitus ordinata media gratiæ malitioſe & perſeueranter vsque ad finem vitæ repudiet, ſibi ipſi viam ad pœnitentiam præcludit.

Digitized by Google

cludit. Propterea Deus iuſtiſſimus iudex vult voluntate conſequente & iudiciali, vt finaliter impœnitens æternum pereat.

Inſtantia: Poteſt Deus extraordinaria & valentiora ſuppeditare remedia ad conuertendum eiusmodi peccatorem. Reſp. Extraordinaria remedia, & ſuperabundantem gratiam Deus nec promiſit, nec vlli mortalium debet. Non quid Deus poſſit, ſed quid prælucente S. ſcriptura facere velit, attendendum eſt.

2. Si peccatum in Spiritum S. eſſet ſimpliciter irremiſſibile ob finalem impœnitentiam, Deus apoſtatas ad pœnitentiam non inuitaret: Sed inuitat eos per vocem naturæ, conſcientiæ, & ſcripturæ. E. Reſp. Deus inuitando apoſtatas ad pœnitentiam, luculente oſtendit, cauſſam irremiſſibilitatis non eſſe tribuendam denegatæ gratiæ, ſed pertinaci malitiæ hominum inſanabilium, quos Deus non fruſtra ad pœnitentiam allicit, ſed vt miſericordia ipſius gratuita agnoſcatur & celebretur, iuxta atque peccator contumax ἀναπολόγητος reddatur.

3. Peccatum in Spiritum S. eſt irremiſſibile, ideo, quod pro eodem non amplius ſupereſt ſacrificium, Hebr. X, 26. Reſp. Loquitur apoſtolus *de ſacrificio Chriſti*, *quatenus eſt applicabile*, ſiue quatenus per fidem applicari poteſt, vt ſenſus effati apoſtolici ſit: Qui poſt agnitam veritatem peccant voluntarie, Chriſtum conculcando, ſanguinem ipſius fuſum in ara crucis & in ſacramento cœnæ oblatum profanum ducendo, & Spiritum gratiæ, auctorem conuerſionis, præfracte blaſphemando, ab illis ſacrificium Chriſti non amplius per fidem apprehendi poteſt ad ſalutem. Neque enim illi ὑπεναντίοι, ſiue hoſtes gratiæ, ſunt pœnitentiæ, aut fidei capaces. Vid. CALOVII *bibl. illuſtrat.* in *h. l. p. 1336.*

4. Quodcunque peccatum habet pretium redemtionis, illud poteſt remitti: Atqui peccatum in Spiritum S. ex mente doctorum euangelicorum habet pretium redemtionis. Ergo. Reſp. Diſt. inter pretium *perſolutum*, & *acceptatum*. Nam ad remiſſionem peccati requiruntur duo: 1) Pretium redemtionis, quo remiſſio eſt acquiſita; 2) Fides, qua pretium redemtionis acceptatur. Atqui peccator in Spiritum S. fidem nec habet, nec habere poteſt; quoniam mediis gratiæ, quibus fides accenditur, directe & plena voluntate ſe opponit. E. propria culpa ipſe impotens eſt ad pretium redemtionis acceptandum.

Quæſt. XLVII. *Num orandum eſt pro peccatore in Spiritum Sanctum?*

Si quis certo & euidenter cognouerit, hominem peccare in Spiritum S. pro illius ſalute nullas in cœlum mittat preces a). At cum difficile ſit de homine adhuc viuo pronuntiare, quod in Spiritum S. peccauerit, tutiſſimum eſt pro apoſtatis & blaſphemis orare conditionate, addita, vel ſubintellecta hypotheſi: ſi conuerti poſſint, ſi ſanabiles aut corrigibiles ſint b).

Prob. a. Grauiter inquit S. IOANNES 1 ep. c. V, 16. *Si quis viderit fratrem ſuum peccantem peccatum non ad mortem, petat, tum dabit ei vitam, iis* (*inquam*) *qui non peccant ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non de illo dico, vt oret.* Obſ. Per *peccatum ad mortem* apoſtolus intelligit peccatum in Spiritum S. quod aliis peccatis ab ipſo Chriſto contra diſtinguitur, Matth. XII, 31. Reliqua peccata, ſiue venialia, ſiue mortalia ſint, æternam quidem merentur pœnam mortis, vel etiam actu ſecundo ad mortem imputantur; auerti tamen poteſt pœna mortis per pœnitentiam: At peccatum in Spiritum S. certo & infallibiter peccantem ad mortem adducit ob pertinacem repulſam officii Spiritus S. & finalem impœnitentiam. 2) Haud abs re præmiſit apoſtolus hæc verba: *Si quis viderit*, quibus indigitat non tam externum viſum, qui fit oculis corporeis, quam cognitionem intellectus & iudicium diſcretionis. Quod ſi quis ea polleat intellectus perſpicacia, vt videat peccatorem ſuis peccatis non

 accer-

Digitized by Google

accerſere ſibi pœnam mortis ineuitabilem, pro eius ſalute Deum precetur. At ſi liquido ſciuerit, tam atrox eſſe fratris peccantis delictum, vt omnem reſpuat medicinam, & indeclinabile æternæ mortis ſupplicium attrahat, abſtineat precibus intempeſtiuis, Deoque ingratis. Perinde enim foret, ac ſi quis oraret, vt Deus hominem ſine Chriſto, ſine gratia Spiritus S. ſine pœnitentia & fide, ſine verbo & ſacramentis ſaluaret *).

Prob. b. 1) Monet S. Paullus 1 Tim. II, 1. vt preces fundamus pro omnibus hominibus.

2) Moſes orauit Pro Pharaone, Exod. IX, 33. Chriſtus pro crucifixoribus, Luc. XXIII, 14. Stephanus pro lapidatoribus, Act. VII, 60. Quare & nos precamur pro apoſtatis, non quatenus ſunt peccatores in Spiritum S. ſed *quatenus* adhuc ſunt *viatores*, quibus an omnia formalia requiſita peccati in Spiritum S. conueniant, dubitamus, & ſecundum iudicium caritatis de proximo meliora ſperamus, 1 Cor. XIII, 5.

Quæſt. XLVIII. *Quod peccatum ſingulari ratione peccato in Spiritum S. opponitur?*

*Peccatum in Filium hominis.*

*Singulari* ratione peccato in Spiritum S. contra diſtinguitur *peccatum in Filium hominis*, quod eſt graue peccatum, quo doctrina euangelica de Chriſto vel nondum euidenter agnita blaſphematur & oppugnatur, vel iam agnita, ſtimulante formidine periculorum, ſine blaſphemia abnegatur.

Prob. ex Matth. XII, 31. 32. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus vero blaſphemia non remittetur hominibus. Immo ſi quis dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi: qui vero dixerit contra Spiritum S. non remittetur illi, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.*

Obſ. 1) Per *Filium hominis* intelligitur Chriſtus, conſideratus non ratione naturarum, e quibus conſtat, ſed ratione *officii prophetici*, quo doctrinam euangelicam & ipſe in diebus carnis propoſuit, & hodienum per miniſtros ſuos exponi iubet.

Obſ.

*) Non eos ſolum, qui in Spiritum Sanctum peccant, ſed omnes nondum denuó natos, qui voluntariis peccatis Deo aduerſantur, hoc tangit enuntiatum. vid. adnotata ad pag. 548. Quod vero dicitur, deprecatione illos non eſſe dignos iudicandos, id non omnino ac ſimpliciter debet intelligi, ſed contextui conuenienter certa quadam ratione, quod nimirum nobis non liceat Deum pro illis eodem modo atque ordine precari, quo par eſt precari pro hominibus Deo iam reconciliatis ac renouatis, vt Deus propitius *æterna* eos *vita* impertiat, v. 11. 12. 13. 16. Prius enim, quam id fieri poſſit, quærenda eſt ac precibus impetranda vera mentis mutatio, ſine qua ſpes vitæ æternæ nulla ſupereſt, Ioann. III, 36. Omnis precatio juſta, Deo grata atque accepta, debet eſſe *ordini*, diuinitus conſtituto, conueniens. Eſt autem huic ordini conſentaneum, vt primum pro noua generatione hominis, remiſſione peccatorum, ac renouatione totius vitæ, deinde pro conſeruatione, denique pro æterna ſalute in hominem conferenda, preces ardentiſſimas fundamus. Diſtinguenda eſt igitur *res* ipſa, quæ eſt vna ſemper eademque, ab eius *modo*, qui poteſt eſſe varius ac multiplex. Precari nos decet pro hominibus ad vnum omnibus, 1 Tim. II, 1. 2. additis rationibus, v. 4. 5. 6. Sed modus debet eſſe cuique conueniens, atque adeo diuerſus, pro diuerſa hominum conditione, tum interna, tum externa. Locum huic finitimum habemus Ioann. XVII, 9. quo in loco Chriſtus non de gratia conuertente loquitur, ſed de conſeruante, æternumque beante, v. 11. 24. Atqui huius vtique non ſunt capaces homines improbi, nondumque ad Deum reuerſi, quoad ſunt manentque tales. Nec pro ſuis amicis Chriſtus precatus eſt, Ioann. XVI, 26. 27. Quid? Quippe non eo modo, eoque ordine, quo pro inimicis preces fudit, mortalium flagitioſiſſimis illis, qui conuerſione animi ac remiſſione peccatorum adhuc indigebant, Luc. XXIII, 34.

Digitized by Google

Obſ. 2) *Contra Filium hominis verbum* dicitur, quando ipſius doctrina euangelica vel ab ignorantibus blaſphematur & oppugnatur, vel abnegatur, ſine blaſphemia, voluntate non plane libera, ſed metu inclinata, v. gr. Paullus blaſphemauit & oppugnauit doctrinam Chriſti euangelicam ignorans, 1 Tim. I, 13. Petrus Chriſtum abnegauit ſtimulante metu pœnæ, ſed ſine blaſphemia & hoſtili impugnatione. Vterque peccauit *in filium hominis* *).

Obſ. 3) Peccati huius adiunctum eſt remiſſibilitas; quia peccans in Filium hominis pertinaci malitia doctrinæ Chriſti non obnititur, ſed lapſus reſurgit, gratia Dei præuentus & erectus, melioremque admittit informationem. Quamuis igitur ex accidenti interdum peccatum hoc non remittatur; non tamen impoſſibile eſt, quin condonetur. At vero peccatum in Spiritum S. neque *actu* remittitur, neque *poſſibile* eſt, vt remittatur.

Quæſt. XLIX. *Quos colliges fructus e ſolida peccatorum actualium conſideratione?*

Solida peccatorum actualium conſideratio plurimum momenti affert ad ſeriam agendam pœnitentiam a), ad dignoſcendum ſtatum gratiæ atque regenerationis a ſtatu iræ & mortis b). *Vſus practici.*

Prob. a. Qui animæ ſuæ morbos ſentit, confugit anxius ad medicum Chriſtum: qui agnoſcit miſeriam, diuinam quærit miſericordiam. Hanc, peccatorum ſuorum fœditate confuſus, Dauid implorauit, Pſ. LI, 1. 2. 3. 4. *Miſerere mei, Deus, iuxta miſericordiam tuam! Iuxta multitudinem miſerationum tuarum dele præuaricationes meas! Multiplica, laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me! Nam præuaricationes meas ego agnoſco, & peccatum meum coram me eſt iugiter. Tibi ſoli peccaui, & malum in oculis tuis feci.*

Prob. b. Tranquillitate conſcientiæ perfruimur, cum exploratum habemus, nos viuere in ſtatu gratiæ, & eſſe dilectos Dei filios. Ex hoc beato ſtatu excidunt renati, carni ſuccumbentes, & peccatis proæreticis ſe contaminantes. Hæc letalia & mortifera ſunt; quippe quæ cum viua fide, cum gratia Spiritus S., pectora noſtra inhabitante, cum tranquilli-

*) Regula diſtinctionis atque oppoſitionis nos eo ducit, vt exiſtimemus 1) non doctrinam de Chriſto eſſe hoc loco intelligendam, ea enim pertinet ad gratiam Spiritus Sancti, qua is quidem in nobis vſum, ſiue *adplicationem* ſalutis recuperatæ efficit; eius igitur negatio, oppugnatio, & contumelioſa reiectio cum maxima animi obſtinatione, eſt peccatum *in Spiritum Sanctum*, de quo dictum eſt ſupra, ad pag. 556: 2) ſed id ſignificari, quod eſt *Chriſti proprietas*, quatenus eſt *Chriſtus*, Dei hominumque Reconciliator: 3) nec aliquid dumtaxat eorum, quæ Chriſti propria ſunt, ſed *ea vniuerſa*, quibus ipſe a reliquis duabus in vna diuinitate perſonis diſcernitur; non enim reſtricte, ſed *generaliter* ac ſine vlla exceptione dicitur peccatum *in filium hominis.* Certum eſt autem, 4) quod *Chriſti propria* ſit ea gratia, quæ ad *adquiſitionem* ſpectat ſalutis noſtræ, promeritis Chriſti partæ. Nec minus certum, 5) quod primum ac præcipuum fuerit, vt ſummi Sacerdotis partibus ipſe vnus fungeretur. Ergo 1) propheticum Chriſti munus nec vnice, nec præcipue eſt conſiderandum, ſed omnino *triplex* eius *officium*, *præſertim* vero *ſacerdotale*, ſi quis peccat in Filium hominis. E. 2) hoc peccatum proprie committitur *primum* ab eo, qui perdit ſalutarem, ſiue ſuam, ſiue aliorum, fiduciam, in Chriſto ſponſore vno collocandam, vt plane ſcriptum exſtat 1 Corinth. VIII, 11, & 12: *deinde* ab eo, qui Chriſtum negat eſſe magnum illum Vatem & communem hominum Doctorem, diuinitus legatum, Act. III, 22. 23: *denique* ab eo, qui regiam Chriſti dignitatem venerari poteſtatique obtemperare recuſat, Pſ. II, 6. 11. 12. Luc. XIX, 27. At fieri tamen poteſt, vt, qui ita deliquerit, dum modo mediis gratiæ adhuc vtatur, is tandem aliquando reſipiſcat, ideoque reditus in gratiam ipſi pateat. Nec vero eſt negandum, quod coniuncta interdum ſint hæc duo peccata, in *Chriſtum*, & in *Spiritum Sanctum*, quando nimirum ad illud accedit contemtio mediorum gratiæ, cum repugnantia obſtinati animi. Ita enim vtrumque peccatum, tum illud *in Filium hominis*, tum hoc *in Spiritum Sanctum*, commemoratur Hebr. X. 29.

Digitized by Google

quillitate conſcientiæ conſiſtere nequeunt. Quare quotidie conſcientiam noſtram excutiamus ſubinde penſitantes, an προαιρεσιν, ſiue propoſitum peccandi animo foueamus. Exterminemus hoc, neque patiamur, *peccatum originis* regnare in mortali noſtro corpore! Rom. VI, 12. Hoc enim, dominium obtinens, parit *peccatum proæreticum.*

Quæſt. L. *Quomodo tractandi ſunt, qui nulla peccatorum cura tanguntur?*

Pro ſecurorum illorum hominum conuerſione aſſidue orandum eſt a); conſcientia dormiens ſeriis adhortationibus e verbo diuino ſumtis excitanda b); calamitates temporales, peccatorum comites, ob oculos ipſis ponendæ c); monendi ſunt, exiguum huius vitæ eſſe curriculum, perennes autem cruciatus, quibus finaliter impœnitentes torquebuntur d).

Prob. a. Poſiturus operam in conuertendis ſecuris peccatoribus, tanti operis ſucceſſum a Deo precibus piis impetret. Sic orauit Samuel pro ſalute Saulis, 1 Sam. XV, 35. Paullus pro Epheſiis, Eph. I, 16. Et vt nos idem faciamus, ſerio monuit, 1 Tim. II, 1. 2.

Prob. b. Conſcientiam dormientem exſuſcitaturus Siracides inquit: *Fuge a peccato, ſicut a facie ſerpentis: ſi enim acceſſeris, mordebit te. Dentes leonis ſunt dentes eius, tollentes animam hominum. Sicut romphæa anceps eſt omnis iniquitas: plagæ eius non eſt ſanatio,* c. XXI, 2. 3.

Prob. c. Peccatum eſt mala radix, cuius fructus ſunt omnigenæ calamitates, Deut. XXVIII, 16.

Prob. d. Vita peccatoris breuis, ſed pœnæ peccati æternæ ſunt. Quare peccator mature reſipiſcat, ne æternum pereat.

Quæſt. LI. *Quomodo erigendi ſunt peccatores grauiter lapſi, & deſperationi vicini?*

Inculcanda eſt peccatoribus afflictis & cum deſperatione conflictantibus, miſericordia Dei Patris, peccatores contritos benigne reſpiciens & recipiens a), meritum Chriſti vniuerſale b), auxilium Spiritus S. c).

Prob. a. Deus Pater peccatores maximos inuitat ad reſipiſcentiam, reſipiſcentes non reiicit, ſed perbenigne recipit. *Reuertere auerſa Iſraël, dictum Iehouæ! Non enim faciam cadere facies meas iratas ſuper te: quoniam miſericors ego ſum, dictum Iehouæ, non tenebo iram in æternum. Tantummodo agnoſce iniquitatem tuam, quod contra Iehouam Deum tuum præuaricata ſis!* Ier. III, 12. 13.

Prob. b. Perquam dulcia ſunt verba S. Ioannis 1 epiſt. c. II, 1. 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Quod ſi quis peccauerit, paracletum habemus apud patrem Chriſtum iuſtum. Et ille eſt propitiatio pro peccatis noſtris: immo non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi* peccatis.

Prob. c. Peccator non penitus ſuccumbens deſperationi, ſed cum ea luctans, non deſtituitur ope præſentis Spiritus S. *Hic enim coadiuuat infirmitates noſtras. Nam quid precari debeamus, ſicut decet, non ſcimus, ſed ipſe Spiritus inſuper intercedit pro nobis gemitibus, qui dici nequeunt,* Rom. VIII, 26.

*SVSPIRIVM.*

Peccaui, o Deus iuſtiſſime, peccaui coram facie tua ſæpiſſime & grauiſſime. Væ vitæ meæ, ſi ſecundum rigorem legis tuæ eandem diſcuſſeris! Nihil peræque animum meum excruciat, quam quod

Digitized by Google

quod toties offenderim te, benefactorem meum largiſſimum, legislatorem ſummum, iudicem omniſcium! Auerte, obſecro, iram pœnamque peccatis meis debitam, paternum vero affectum ad me indignum iterum conuerte! Benigne reſpice λύτρον ſanguinis, a Filio tuo dilectiſſimo, Ieſu Chriſto, pro me in ara crucis effuſi, & propter hoc pretium redemtionis grandia mea debita e libro rationum tuarum expunge! De cetero rectorem vitæ meæ exopto Spiritum tuum ſanctiſſimum! Hic præſeruet me a veneno peccati: præmuniat me a lapſu; ducat & corroboret me, vt inoffenſum ſinceræ pietatis tramitem decurram!

# THEOL. PARTIS II. CAP. V.

## DE DEFECTV LIBERI ARBITRII IN REBVS SPIRITVALIBVS, ET EIVS INFIRMITATE IN NATVRALIBVS.

Quæſt. I. *Quid intelligis per defectum liberi arbitrii in ſpiritualibus?*

*Defectus liberi arbitrii* in *ſpiritualibus* eſt communis ex originali peccato orta impotentia hominum irregenitorum, ad ſalutariter cognoſcendum & eligendum bonum ſpirituale, atque adeo ad legem diuinam implendam & ſaluificam in Chriſtum fidem concipiendam.

Obſ. *Bonum ſpirituale* eſt Deus triunus, & res diuinæ, homini peccatori ſalutares, e lumine ſupernaturalis reuelationis cognoſcibiles.

Quæſt. II. *Quid eſt liberum arbitrium?*

*Liberum arbitrium* eſt facultas actiua voluntatis, qua illa circa obiectum agibile, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, indifferenter ſe habet, tum quoad ſpeciem, tum quoad exercitium actus. *Definitio liberi arbitrii.*

Obſ. I. *Arbitrium* dicitur ab arbitrando. *Arbitrari* autem ſumitur vel ſenſu *vulgari*, & ſignificat iudicare, iudicium vel ſententiam ferre, atque ſic refertur ad intellectum; vel ſenſu *forenſi*, & idem eſt, quod ſerio aliquid velle & decernere; quo ſenſu refertur ad voluntatem.

Obſ. II. Vox, *libertas*, varias ſuſtinet ſignificationes: a) notat *exemtionem ab obligatione legis*. Sic ſolus Deus abſolute exlex eſt, quamuis ſibi ipſi lex ſit: rex iis, quas fert ipſe, legibus ſolutus eſt, niſi ſponte ſua iisdem ſe ſubmittat. b) *Libertatem a coactione*, quæ eſt immunitas a violentia externa, ſubiecto patienti contra ipſius inclinationem illata, vocatur alias *ſpontaneitas*, & eſt homini cum brutis communis. c) *Libertatem a neceſſitate interna*, quæ agentium, intellectu & voluntate præditorum, Dei, angelorum & hominum, propria eſt *). Hac ipſa diſtinguitur homo a creaturis, rationis expertibus, quæ neceſſario

*) *Interna neceſſitas* alia quidem eſt *naturalis*, ex legibus motus in ea re, quæ rationis & conſcientiæ expers eſt; alia vero *moralis*, ex neceſſaria connexione intellectus cum voluntate in eo, qui vſu rationis gaudet, ſuarumque actionum conſcius eſt. Et *hæc* quidem vel *bona* eſt, vel *mala*. *Bona*: ſi quis, intellectu illuminato, recte ſentiens, non poteſt non ita bene velle, vti vere ſapienterque rem cognoſcit ac iudicat, nulla ignorantia nulloque errore interveniente.



Digitized by Google

rio & inſtinctu naturæ vniformiter agunt, v. gr. Sol neceſſario lucet, ignis calefacit, lupus famelicus agnum, cuius compos redditur, deuorat. Diſtinguitur *libertas a neceſſitate, in libertatem contrarietatis, & contradictionis. Libertas contrarietatis eſt*, quæ verſatur vel circa diuerſa obiecta, vel circa vnius obiecti, diuerſos actus, v. gr. Iacobo liberum erat ducere vxorem Leam, vel Rachelem: liberum ipſi erat, cum Rachele loqui, ambulare, luſitare. Vocatur etiam *libertas ſpecificationis*, quoniam per eam homo immunis eſt a determinatione ad ſpeciem actus, vel obiecti. *Libertas contradictionis* eſt, quæ circa vnum idemque obiectum verſatur inter terminos contradictorios, *velle*, & *non velle*, *agere*, & *non agere*, v. gr. Studioſo philoſophiæ liberum eſt philoſophiam amare, & non amare, exercere, & non exercere. Appellatur etiam *libertas exercitii*; quia poſtquam voluntas ad alterutram contradictionis partem ſe determinauit, in exercitio tamen libera manet. 4) Notat *libertatem a peccati reatu, dominio, ſenſu & radice. Libertas a peccati reatu eſt*, qua homini pœnitenti peccata ad culpam & pœnam non imputantur: hanc peccatores conuerſi nanciſcuntur per gratiam iuſtificationis. *Libertas a dominio peccati eſt*, quando caro ſpiritui ſubiecta eſt, & ſeruitus peccati ſoluta: hanc iuſtificati obtinent beneficio renouationis. *Libertas a ſenſu & radice peccati* eſt, qua hominibus renouatis aufertur ſtimulus & fomes peccati per diſſolutionem animæ & corporis. 5) Deſignat *libertatem a miſeria*, qua beati in cœlo triumphantes non tantum a peccati ſenſu & radice, ſed & a caſtigationibus, peccatum ſequentibus, prorſus liberati ſunt. Neque enim illi morbis, morti, aut vlli calamitati obnoxii ſunt.

Obſ. III. Diuiditur libertas hominis *in libertatem naturæ, gratiæ, & gloriæ. Libertas naturæ* eſt immunitas a coactione & neceſſitate interna, reſpectu rerum naturalium & ciuilium, rationi ſubiectarum. Quo ſpectant verba Pauli, 1 Cor. VII, 37. *Qui ſtat firmus in corde, nec habet neceſſitatem, poteſtatem vero habet circa propriam voluntatem, & hoc iudicauit in corde ſuo, quod retinere velit virginem ſuam, bene facit. Libertas gratiæ eſt*, per quam renati liberati ſunt a reatu & dominio peccati, de qua apoſtolus inquit, Rom. VI, 18. *Liberati a peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Libertas gloriæ eſt* immunitas a ſenſu & radice peccati, & omni miſeria; de qua ſermo fit, Rom. VIII, 21. *Ipſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Obſ. IV. *Libertati opponitur neceſſitas & ſeruitus.* Repugnat enim libertati 1) *neceſſitas abſoluta & conſequentis*, qua aliquid, ob indiſſolubilem connexionem cauſſæ cum effectu, aliter eſſe non poteſt: quomodo aqua neceſſario humectat. Stare autem cum libertate poteſt *neceſſitas hypothetica, & conſequentiæ*, qua aliquid propter actum exſiſtendi, vel conditionem extrinſecam aliter eſſe nequit. Sic neceſſe eſt hominem eſſe doctum, ſi agere nitatur philoſophiæ profeſſorem. 2) Pugnat libertas cum *neceſſitate externa coactionis*, quæ eſt determinatio naturæ ad vnum, præter, vel contra eius voluntatem, facta a principio violento externo. Diſtinguere ſolent auctores inter *actus voluntatis elicitos, & imperatos*. Voluntas, quoad *actus elicitos*, cogi nequit. Sunt autem actus *eliciti*, qui immediate a voluntate exercentur, v. gr. velle, amare, eligere. Quibus opponuntur *actus imperati*, qui

veniente. *Mala:* ſi quis, intellectu obcæcato, falſam ac temerariam rationem ſequutus, non poteſt non ita male velle, quem ad modum falſo atque imprudenter opinatur & iudicat. *Hæc* libertati contraria eſt; *illa* non item, ſed cum vera libertate, quæ multum ſane differt a vaga libidine atque indomita licentia, arcte copulata eſt; ſicut in Deo eſt ſumma quidem neceſſitas moralis, nihil vnquam, niſi bene, immo optime, decernendi atque agendi; at nihilo tamen minus ſumma libertas, nullis terminis circumſcripta, nullis unquam impedimentis cohibenda. vid. not. ad pag. 435.

Digitized by Google

qui voluntatis quidem imperio, ſed mediante alia facultate, perficiuntur, v. gr. loqui, ambulare, ſcribere. Ad actus *elicitos* voluntatis ideo homo cogi nequit, quod coactio fit a principio externo, volitio autem ex principio interno. Quamobrem coacte aliquid velle, contradictionem in adiecto infert. Ad actus *imperatos* homo cogi poteſt, ſed tum non agit ſecundum liberum arbitrium, ſed præter, vel contra voluntatem. Sic homo per vim abripi aliquo poteſt, vt autem raptus ille violentus ſit ex voluntate eius, qui abripitur, fieri nequit. Si enim voluntarius eſt; violentus eſſe definit. 3) Repugnat libertati *neceſſitas interna immutabilitatis*, quæ eſt determinatio ſubiecti agentis ad vnum, proficiſcens a principio interno, immutabiliter ad effectum ſe habente. Quidquid autem ad vnum eſt determinatum, liberum non eſt. Sic libera dicitur actio, quæ ita ab agente procedit, vt in poteſtate agentis fuerit agere, & non agere, agere hoc, & agere illud. Conſiſtere autem poteſt cum libertate *neceſſitas obligationis*, quæ eſt determinatio directiua voluntatis ad bonum amplectendum, & malum fugiendum, ad normam mandati ſuperioris. Sic angeli & homines determinati ſunt ad normam legis diuinæ, ſubditi ad leges principis, qui tamen libero pollent arbitrio. *Moralis* quippe, ſiue *legalis determinatio* non captiuat libertatem arbitrii, neque irreſiſtibiliter neceſſitat. Determinat quidem lex diuina creaturas intelligentes ſuadendo ac iubendo ea, quæ ſunt ſecundum voluntatem Numinis, prohibendo ac diſſuadendo, quæ contra; ordinarie tamen non cogendo ac vim quaſi inferendo. Nihil quidem fit contra voluntatem Numinis abſolutam ac potentiſſimam, multa tamen, ac multo plura, præter, quam ſecundum Numinis nutum, ait DANNHAV. in *hodoſ. phænom. III. p. 312.* 4) *Repugnat libertati ſeruitus turpis & probroſa, non decora & honeſta. Seruitus honeſta* conſiſtit tum in debito pie viuendi, tum in miniſterio Deo præſtando. Sic homines renati dicuntur *ſerui iuſtitiæ*, Rom. VI, 18. ideo, quod ad præſcriptum legis diuinæ iuſtitiam libenter colunt. Iidem dicuntur *ſeruire* Deo, Rom. VI, 22. quia ſe totos cultui diuino conſecrant. Contra *ſeruitus probroſa* eſt captiuitas voluntatis, qua per peccatum voluntas hominis ita ligata & captiuata eſt, vt ſeruiat tantum peccato, Io. VIII, 34. Hæc ſeruitus opponitur *libertati a neceſſitate immutabilitatis.*

Quæſt. III. *Quot modis accipitur liberum arbitrium?*

*Liberum arbitrium* hic potiſſimum *duobus modis* accipitur: *materialiter* pro ſubiecto libertatis, quod eſt voluntas a): *formaliter* pro viribus voluntatis, quibus hæc inſtructa agere & non agere, agere hoc, & agere illud poteſt b). *Quot modis ſumatur L. A.*

Prob. a. Voluntas eſt ſubiectum proximum & immediatum libertatis; eo, quod hæc illius attributum, vis & perfectio eſt. Inde fit, vt voluntas & libertas etiam vocabulis diſtinguantur, nec dicatur, *libertas eſt voluntas;* vel contra: ſed *libertas eſt voluntatis, vel in voluntate, & voluntas habet libertatem*, vel libertate prædita eſt. Quare ἡ ȣσία, ſiue eſſentia voluntatis alia ratione liberum arbitrium dici non poteſt, quam in ſenſu *materiali* & *ſubiectiuo.* Quo quidem ſenſu dictum liberum arbitrium ab homine eſt inſeparabile; propterea, quod voluntas eſſentiam hominis ingreditur.

Prob. b. 1) Ἡ ἐνέργεια, ſiue vires agendi, ſunt ratio, quæ conſtituit voluntatem potentem operandi, & non operandi, operandi hoc, & operandi illud. Ergo vires agendi, & non agendi, ſunt libertas *formaliter* ſpectata. Intelligendum autem hoc eſt de viribus, quatenus *inſunt voluntati.* Proinde eodem res recidit, ſiue concludam de viribus, ſiue de eſſentia voluntatis, ſumta cum connotatis viribus. Nam voluntas habet ſe per modum principii, *quod* operatur; vires autem agendi habent ſe per modum principii, *quo* mediante voluntas operatur.

 2) Quæri-

Digitized by Google

2) Quæritur: An hominis voluntas, poſtquam vires ſpirituales per lapſum ſunt deperditæ, adhuc ſit indifferens ad bonum & malum? an vero indifferentiam hanc amiſerit? *Prius* dici nequit, cum ſcriptura paſſim doceat, poſt lapſum homines eſſe ſeruos peccati, & hominem animalem nihil quidquam de iis intelligere, quæ ſunt Spiritus, ſed ipſum eſſe ad omnia bona mortuum. *Poſterius* ergo relinquitur, ex quo porro fluit, deperditis viribus agendi, & non agendi, tolli indifferentiam ad bonum & malum, quæ eſt formalis ratio liberi arbitrii. Conf. D. MVSÆI *prælect. in Form. Concord. p. 93.*

Obſ. Præter expoſitas duas ſignificationes liberi arbitrii principales, dantur etiam *duæ* ſignificationes *minus principales* apud Patres primitiuæ eccleſiæ; vtpote qui 1) interdum per *libertatem arbitrii* intelligunt *libertatem a coactione*, quæ etiam vocatur libertas interior & ſpontaneitas; quæ tamen formalem rationem liberi arbitrii non abſoluit, niſi concedere velimus, etiam bruta eſſe libera agentia, quippe quæ ſua ſponte, & nemine cogente, multa agunt. 2) Interdum iidem Patres nomine liberi arbitrii deſignant ἱκανότητα, ſiue *capacitatem & potentiam paſſiuam*, admittendi & recipiendi gratiam Spiritus Sancti; cum homo non inſtar lapidis, trunci, beſtiæ aut diaboli, gratiæ conuertentis ſit prorſus incapax. Probe autem hic diſtinguendum eſt inter potentiam *paſſiuam naturalem*, & *obedientialem*. Illa viribus naturæ, hæc ſolo ſpeciali & gratioſo Dei concurſu actuari poteſt. De potentia *paſſiua naturali* ſermo eſt Paullo, Rom. VIII, 7. *Senſus carnis inimicitia eſt contra Deum. Legi enim Dei non ſubiicit ſe; neque enim poteſt.* Ceterum illa potentia paſſiua non conſtituit formam liberi arbitrii; cum hoc formaliter ſit vis actiua voluntatis, quoniam in agendo eſt occupata, & ſuos ipſa actus effectiue producit.

Quæſt. IV. *Num terminus liberi arbitrii in ſcriptura habetur?*

*Num Vox L. A. exſtet in ſcriptura?*

Terminus liberi arbitrii non quidem διαῤῥήδην *explicite, totidem litteris* atque ſyllabis in ſacra ſcriptura exſtat; habetur tamen in eadem, *quoad rem* & quoad *terminos æquipollentes.*

Prob. Apud Hebræos vſitatum eſt verbum בָּחַר, quod ſignificat, *elegit*, adeoque iuxta eosdem liberum arbitrium eſt *facultas eligendi vnam rem præ alia, ſecundum dictamen rationis.* Conf. Deut. XXX, 19. & Ioſ. XXIV, 15. In N. T. vocatur ἑκούσιον, *ſpontaneum, ſiue voluntarium*, Philem. v. 14. quod opponitur externæ neceſſitati coactionis; ἐξουσία περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, *poteſtas propriæ voluntatis*, 1 Cor. VII, 37. per quam intelligitur facultas eligendi libera, tum a neceſſitate immutabilitatis, tum a iure & obligatione; προαίρεσις, electio, quæ eſt liberum arbitrium in actu ſecundo ſpectatum, 2 Cor, IX, 7; ἐλευθερία, libertas, 2 Cor. III, 17. vbi intelligitur libertas gratiæ. Extra S. ſcripturam vocatur a Græcis auctoribus αὐτεξούσιον, καὶ αὐτεξουσιότης, quod vocabulum in hac infirmitate naturæ arrogantius eſt, iudice D. CHEMNITIO; quippe quod Deo potius, quam hominibus aut angelis competit. Dicitur enim proprie αὐτεξούσιον, τὸ αὐτοδέσποτον, καὶ αὐτοκρατορικὸν, quod nullius imperio ſubeſt, ſed ſui iuris ac poteſtatis eſt, quodque a nemine prohiberi, vel impediri poteſt. IRENÆVS *libr. IV. c. 71.* liberum arbitrium appellat *poteſtatem electionis.* IVSTINVS tribus vtitur vocabulis: primum eſt, αὐτεξούσιον, quod ſui iuris ac poteſtatis eſt; ſecundum, ἐλευθέρα προαίρεσις, libera electio; tertium, τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν, quod penes nos eſt. AVGVSTINVS vocat *poteſtatem voluntatis*, *libr. III. de libero arbitrio c. 3.* Vid. D. CHEMNIT. *LL. theol. part. I. fol. 180.* Colligo ex his denominationibus, liberum arbitrium formaliter non eſſe ipſam voluntatem, ſed eiusdem vim actiuam.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. V. *Quæ natura habet liberum arbitrium?*

*Subiectum liberi arbitrii.* Liberum arbitrium habet *natura intelligens*, & quidem *infinita*, ſiue diuina, *modo excellentiſſimo* & perfectiſſimo a); *finita*, ſiue angelica & humana, *modo imperfectiori* b). Natura autem intellectu deſtituta, liberi arbitrii expers eſt c).

Prob. a. Quamuis Deus ſeipſum velit & amet neceſſario, quia eſt primum, ſummum & perfectiſſimum bonum; creaturas tamen vult libere, vt etiam poſſit eas non velle. Neque enim indiget conſortio creaturarum, quia eſt αὐταρκέστατος. Proinde dicitur Deus *omnia, quæ vult, facere*. Pſ. CXV, 3, *omnia operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, Eph. I, 11. *& dona ſua, prout vult, diſtribuere*, 1 Cor. XII, 11. Liber autem eſt Deus non tantum ab omni miſeria & peccato, ſed & a iure atque obligatione alterius cuiuscunque. Nulli quoque Deus coactioni, vel minima ex parte, ſubiectus aut ſubiicibilis eſt; & cum cauſſam ſuperiorem non agnoſcat, a qua determinari queat, & non agere, indeterminate operatur, vt poſſit agere, iam hunc, iam illum effectum producere.

Prob. b. Voluntas angelorum electorum non eſt quidem amplius indifferens ad bonum & malum; indifferens tamen eſt ordine ad bona creata, ita, vt quodlibet eorum, quod vult, poſſit etiam non velle, aut pro vno velle alterum, niſi propter voluntatem Dei bonum creatum neceſſario ſit appetendum. Apex libertatis angelicæ eſt, quod, quidquid Deus imperat, ſancti angeli ſumma cum delectatione peragant, & quidquid Deus permiſit liberum, ſine neceſſitate & coactione velint, nolintque, & exerceant. Libertatem arbitrii humani ſecundum diuerſa obiecta, diſtinctosque gradus iamiam penſitabimus.

Prob. c. Natura, intellectu carens, non pollet libertate arbitrii, cum determinata ſit ad vnum. Quod patet ex eo: quia 1) beſtiæ eodem modo agunt, v. gr. Apes ſemper eodem modo mellificant, oues omnes pari ratione lupum fugiunt, araneæ omnes eodem pacto ſuas texunt telas. 2) Omnibus ad agendum requiſitis præſentibus, non poſſunt non agere. Canis famelicus præſentem cibum, remoto omni impedimento, non poteſt non devorare. Quemadmodum vero vmbra quædam rationis, ita & libertatis, in brutis animadvertitur, dum in campis pro lubitu ſtant, iacent, progrediuntur, iam hanc, iam illam herbam decerpunt; qui tamen beſtiarum actus rectius *ſpontanei*, quam *liberi* dicuntur.

Quæſt. VI. *Quæ eſt propria & adæquata ſedes liberi arbitrii?*

*Propria ſedes L. A.* *Propria* & adæquata *ſedes* liberi arbitrii eſt *voluntas* a). Ad exercitium autem libertatis arbitrii *intellectus antecedenter* & παρασκευαστικῶς concurrit b).

Obſ. Quidam auctores ſtatuunt liberum arbitrium tam in intellectu, quam in voluntate ſedem ſuam habere. Hinc, citante CHEMNITIO *l. c. fol. 181.* ORIGENES *libr. III.* περὶ ἀρχῶν dicit, eſſe *facultatem rationis, ad bonum malumue diſcernendum; voluntatis, ad vtrumque eligendum.* AVGVSTINVS dicit, eſſe *facultatem rationis & voluntatis.* THOMAS dicit, eſſe *vim electiuam, quæ mixta quidem ſit ex intelligentia & appetitu; magis tamen ad appetitum inclinet. Part. II. c. 38. art. 3.*

Prob. a. Quia 1) liberum arbitrium a S. Paullo vocatur poteſtas *propriæ voluntatis* 1 Cor. VII, 37.

2) Patres, in *concilio Arauſicano*, *Canone XIII*, *liberum voluntatis arbitrium* appellant, vt oſtendant, voluntati formaliter libertatem competere.

3) Liberum arbitrium, iudice IRENÆO, eſt poteſtas electionis, vel facultas eligendi; electio autem eſt actio voluntatis.



Digitized by Google

4) *Intellectus, neque quoad ſpeciem actus, neque quoad exercitium actus, liber eſt. Non eſt liber, quoad exercitium actus*; quia a) vt potentia ſe determinet ad agendum, neceſſe eſt, id fieri vel impetu naturæ, vel libera appetitione actus. At potentiæ liberæ, qua tales, non agunt ex impetu naturæ: Ergo libera inclinatione & voluntarie. Voluntarium autem aliquid duobus modis dicitur, *elicitum*, & *imperatum*. *Priori* modo actus intellectus non ſunt voluntarii, puta, vt ipſe eos velit; neque enim intellectus eſt facultas appetitiua, aut quæ ex ſe eliciat vllum velle. *Poſteriori* quidem modo voluntarii ſunt, non ob libertatem intellectus, ſed voluntatis, a qua intellectus ad agendum mouetur & excitatur. b) Poſito obiecto, & requiſitis præſentibus, non magis poteſt intellectus rem non cognoſcere, ac oculus apertus in media luce obiectum ſuum videre. *Neque liber eſt intellectus, quoad ſpeciem actus*, ſeu vt aſſentiatur rei, aut diſſentiat, cum eam conſiderat aut cognoſcit. Nam *res* ea *vel* eſt *perſpicua* & euidens (at tum neceſſario intellectus aſſentitur, ſi eſt vera; vel neceſſario diſſentit, ſi eſt falſa); vel eſt *obſcura*, (& tum neutrum actum elicit; quia obiectum intellectui non præſentatur, plane vt non videmus, cum lumen deeſt); *vel* denique res *in vtramque partem eſt probabilis* (& tum iterum nec aſſentitur, nec diſſentit, niſi forſan voluntas ad alterutram partem amplectendam ipſum moueat). E quibus patet, intellectum *per ſe & immediate* non eſſe liberum.

Prob. b. Concurrit intellectus ad actum ſecundum liberi arbitrii antecedenter & παρασκευαστικῶς, tanquam conditio, ſine qua non voluntas ſuam libertatem exſerere & exercere poteſt. Voluntas quippe potentia cæca eſt, quæ ad cognoſcendum non eſt data. Quare neceſſe eſt, vt, ſi illa obiectum quoddam velit eligere, id ei oſtendatur ab intellectu, tanquam facultate cognoſcente & prælucente. Quod ſi vero voluntas aliquid agit cæco impetu, absque intellectu, tunc *proprie liberum arbitrium* non dicitur. Prærequiruntur igitur ad liberum arbitrium quidam actus antecedanei: 1) *Obiecti cognitio, & ſi plura adſint obiecta, prudens eorum collatio & diiudicatio*. Neque enim voluntas fertur in rem incognitam, quoniam ignoti nulla cupido. 2) *Obiecti cogniti propoſitio, ſiue præſentatio;* qua, cum intellectus obiectum cognouit, tunc illud voluntati vel ad eligendum, vel ad negligendum proponit. 3) *Obiecti propoſiti commendatio, vel disſuaſio*. Si enim intellectus humanus rem quandam homini conuenientem eſſe iudicet, tum eandem voluntati ſuadet & commendat; ſin inconuenientem eſſe cenſeat, diſſuadet. Hos tres actus intellectus ſequitur tandem *electio*, quæ eſt actus liberi arbitrii proprius, cum voluntas humana illud, quod homini conueniens iudicatum fuit ab intellectu, eligit, omnique niſu in id vnice fertur & tendit. Sunt, qui ſtatuunt, *radicem libertatis eſſe in intellectu*. Qui, ſi per radicem intelligant conditionem antecedentem, ſine qua non fit libera electio, nobiſcum faciunt. Sin per radicem libertatis intellectam velint cauſſam liberæ electionis, errant. Nam cum voluntas bonum ab intellectu propoſitum & commendatum eligit, tum facit hoc ex libertate ſua, non ex determinatione intellectus. Haud raro quippe vſu venit, vt intellectus meliora proponat & ſuadeat, voluntas deteriora ſequatur (*).

Dicis: Intellectus eſt indifferens in ſuis actibus & proponendis obiectis. Vnde communiter indifferentia voluntatis dicitur eſſe ab indifferentia intellectus. Reſp. Diſt. inter *indiffe-*

(*) Vt in naturalibus rebus nihil ſine cauſſa fieri vnquam poteſt; ſic in moralibus ni l ſine ratione, aut vera, aut falſa. Dicis: 1) Homo peccat ſæpe multumque ſine conſilio, ipſe neſciens, quid agat, & quare, quando quidem vehementes animi motus mentem præoccupant. Reſp. Ita eſt quidem; ſed voluntas eius tunc aut nihil decreuit, aut conſuetudine peccandi dudum obfirmata, falſa ratione ducta ante fuit, quam ſe in eam conſuetudinem præcipitaret. In habitu vitioſo ſecus, ac in actu, reſpiciendum eſt non ad præſentes cogitationes, ſed ad præceden-

Digitized by Google

*differentiam obiectiuam, & formalem.* Intellectus dicitur indifferens non *formaliter,* ſed *obiectiue,* quatenus voluntati oſtendit rem eſſe indifferentem, ſeu tam hoc, quam illud obiectum libere eligi poſſe.

Quæſt. VII. *In quo formaliter conſiſtit liberum arbitrium?*

*Forma* liberi arbitrii, *in actu primo* ſpectati, eſt indifferentia voluntatis, ad vtrumque oppoſitorum, quatenus illa opponitur determinationi ad vnum, & notat facultatem eligendi, & non eligendi, vel eligendi vnum præ altero, atque ſe ipſam ad alterutrum determinandi. *Forma liberi arbitrii.*

Prob. Nonnullorum auctorum de ſententia *formalis ratio* liberi arbitrii conſiſtit in *libertate a coactione,* ſiue *ſpontaneitate,* qua homo aliquid ſponte ſua, citra vllam coactinem appetit & peragit. At vero, quamuis immunitas a coactione, quæ etiam *libertas interior* vocatur, voluntatem ſemper & in omni ſtatu comitetur, atque adeo ipſi naturalis ſit; non tamen *formam* liberi arbitrii abſoluit; quia communis eſt homini cum brutis, quæ multa vltro citra vllam agunt coactionem, neque ideo libero pollere arbitrio cenſentur. Indifferentia autem voluntatis ad vtrumque oppoſitorum libertatem arbitrii accurate exprimit, modo dextre explicetur. Neque enim per illam vniuerſim deſignatur a) *indifferentia ad bonum & malum;* quia hoc ſpeciali ſignificandi modo neque Deus, neque angeli, neque beati homines libero gaudent arbitrio; ſed *indifferentia ad diuerſa obiecta,* diſtinctosque actus vel vnius obiecti electionem & reiectionem. Neque b) per indifferentiam voluntatis ad vtrumque oppoſitorum intelligitur *indifferentia mathematica, & vtrimque æqualis,* quæ inuoluat vires ad vtrumque æque facile peragendum. Etenim tales vires & talis indifferentia ad vtrumque actum, vel ad exercitium actus & eius ſuſpenſionem, aut nunquam, aut raro in hominem cadunt. In ſtatu innocentiæ habebat homo protoplaſtus arbitrium ad bonum & malum, ita tamen, vt haberet ad bonum propenſionem, ſiue potentiam proximam, ad malum tantum potentiam remotam. Homines renati habent arbitrium liberum, & per gratiam Spiritus S. poſſunt bene operari in ſpiritualibus; poſſunt etiam oppoſitum facere per carnis infirmitatem adhuc inhærentem; facilius autem perpetrant malum, quam bonum, Rom. VII, 15. Quare ſumenda eſt indifferentia in oppoſitione ad determinationem facultatis ad vnum, vt dicatur facultas indifferens ad vtrumque, quæ non eſt determinata ad vnum, ſed vtrumque poteſt, licet vnum facilius, quam alterum agat. c) Intelligitur *indifferentia, ſiue indeterminatio, tum quoad ſpeciem, tum quoad exercitium actus,* vt voluntas vnum obiectum eligere, alterum repudiare queat, quæ eſt *libertas ſpecificationis;* vel vnum obiectum eligere & repudiare poſſit, quæ eſt *libertas exercitii.* d) Intelligitur indifferentia *voluntatis coniuncta cum vi, ſeipſam ad alterutram partem determinandi,* alioqui ſemper fluctuaret voluntas

cedentes & iam diu præteritas. Dicis: 2) Veriſſimum eſt, quod in prouerbio verſatur: video meliora, proboque, deteriora ſequor. Itaque voluntas decernit agitque non modo *ſine* ratione, ſed etiam *contra* eam. Adfirmo equidem, ſed & limito: contra *aliquam* rationem, non omnem: Cum intellectus iudicat, ſemper ille ponderat comparat atque inter ſe confert rationes in vtramque partem, quamuis in hac comparatione atque æſtimatione haud recte verſetur. Coniunctæ igitur ſunt plures rationes, quarum aliæ quidem veræ ſunt, aliæ falſæ, quæ tamen ſpecie quadam veritatis ſe homini ita commendant, vt ſpecioſum bonum vere bono, & quod maius videatur, minori, quod falſo quidem opinatur ipſe minus eſſe, anteferendum putet. Tot, tamque diuerſarum, rationum *poſtrema* eſt, quæ voluntatem ad agendum determinat. E. nullum fieri poteſt voluntatis decretum, ſine errore quodam, & præiudicata opinione. Hæc eſt falſa quædam ratio. E. voluntas decernit *contra veram* quidem rationem, at *falſam* tamen, ac *ſpecioſam* rationem, ac ſi eſſet vera, ſequitur.

Digitized by Google

luntas indifferentia, ſine applicatione ad certum actum & determinatum obiectum. Suppetit autem illi vis, a Deo concreata, ad alterutram partem ſe applicandi.

Quæſt. VIII. *Quid eſt liberum arbitrium in actu ſecundo ſpectatum?*

Liberum arbitrium in *actu ſecundo* ſpectatum eſt libera electio voluntatis, qua hæc vnam rem propoſitam appetit, vel reiicit, aut e pluribus rebus vnam amplectitur, & reliquas repudiat, *ſecundum iudicium rationis.*

Prob. Actus proprius liberi arbitrii eſt ἐλευθέρα προαίρεσις, vt loquitur IVSTINVS MARTYR, libera electio, per quam in ſacris litteris deſcribitur aut declaratur, Deut. XXX, 19. Ioſ. XXIV, 15. 2 Cor. IX, 7.

Quæſt. IX. *Num voluntas in eligendo ab vltimo rationis iudicio practico determinatur?*

*Vltimum rationis iudicium practicum* voluntati quidem certum obiectum repræſentat & commendat; non autem ſic imperat voluntati, vt illud neceſſario amplectatur, adeoque ab eodem ad eligendum certum obiectum non determinatur.

Obſ. *Intellectus practicus*, vel *ratio practica* dicitur, quæ verſatur circa τὰ πρακτά, agibilia, & ſitne aliquid faciendum, vel ſecus, deliberat. *Vltimum* vero eius iudicium eſt concluſio iudicans, quid ſuſcipiendum ſit. Exprimi ſolet his verbis: *Hoc nunc, omnibus conſideratis, eligendum, aut faciendum eſt.*

Prob. 1) Quia voluntas, tanquam potentia libera, omnibus prærequiſitis poſitis poteſt agere, & non agere, eligere, & non eligere. At iudicium rationis practicæ pertinet ad prærequiſita electionis. E. illo poſito, poteſt voluntas eligere & non eligere, adeoque ab illo ad eligendum non determinatur (*).

2) Quando intellectus oſtendit, duo bona eſſe æqualia, voluntas libere hoc, aut illud eligit, nullo imperio intellectus prædeterminata.

3) Voluntas in eligendo vno obiecto, præ alio ſæpe non ſequitur *vltimum* rationis *practicæ* iudicium; ſed illud negligit, inprimis ſi affectibus in tranſuerſum abripiatur. Quod patet a) e ſacris litteris. Nam gentiles, reclamante conſcientia (vltimo iudicio rationis practicæ) nihilominus egerunt male, Rom. I, 32. Peccatores in Spiritum S. poſt ſufficientem agnitionem & approbationem veritatis, adeoque contra conſcientiam, ἑκουσίως libere peccant, Hebr. VI, 4. c. X, 26. (**) b) Ex experientia, qua edocta Medea Ouidiana libro VII. metamorph. de ſe fatetur:

Sed

(*) Neceſſe eſt tamen, vt ſemper aliqua ſit ratio, quare voluntas vnum ex pluribus eligat. Voluntas enim tota verſatur in adpetitione boni, atque auerſatione mali, ſiue quod vere ita ſit, ſiue quod videatur eſſe. E. vult homo, aut non vult, quoniam hoc putat eſſe bonum, aut malum, maius, aut minus; nec poteſt non ita velle, vt putat eſſe. Putare, eſt iudicium intellectus. E. ſemper operatio quædam intellectus voluntatem determinat. Libertas autem non rationi atque internæ mentis determinationi opponitur, ſed impedimento, quo minus poſſit homo agere, rationi conuenienter, & quidem recte cognitæ ac ſatis ponderatæ. Vid. quæ notauimus ad pag. 435.

(**) Etiam *practicum* iudicium vel verum eſt, vel falſum. Conſcientia, ſi recta ſit, imperat quidem, quid agendum ſit, omittendumue, legi diuinæ congruenter. Sed intercedit præiudicata opinio alia ex alia, quæ cupiditati iniuſtæ patrocinatur, & peccato excuſando, aut plane defendendo inſeruit. Atqui ad *practicum* iudicium referri debent non ſolum veritates, quas recta conſcientia hominem docet; ſed etiam errores illis contrarii, falſa iudicia, conſilia carnis, quorum ſi quid *vltimum* ſit, hoc determinat voluntatem ad male agendum, contra rectam quidem conſcientiam, nec vero contra vltimum intellectus practici iudicium.

Digitized by Google

Sed trahit inuitam noua vis, aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet: video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Dicis: Voluntas non poteſt aliquid velle, ſine iudicio rationis: Ergo ſi iudicium determinatum ſit, & ipſa determinata erit: At iudicium vltimum practicum omnino eſt determinatum. Reſp. Competit intellectui perſuadens iudicium, ſed non imperium. Iudicat intellectus, quid ſit eligibile, in voluntatis tamen arbitrio manet, iudicanti intellectui obedire, vel reluctari. *Eſt ratio*, dicente BERNHARDO, *data voluntati, vt inſtruat illam, non vt deſtruat. Deſtrueret autem, ſi neceſſitatem vllam imponeret, quo minus pro arbitrio ſuo ſeſe volueret.* Et commentator DAMASCENI in *libro de O. F. c. 26.* ſcribit: *Noſtrarum actionum intellectus principium ſaltem directiuum eſt, voluntas vero imperatiuum atque primario effectiuum.*

Quæſt. X. *Circa quid verſatur liberum arbitrium?*

Liberum arbitrium verſatur *circa omne obiectum agibile*, ab intellectu voluntati propoſitum, ſiue ſit *præſens*, ſiue *futurum*, quod voluntas *ſub ratione boni* appetit, tametſi non ſemper ſit *bonum verum*, ſed tantum *apparens*. *Obiectum L. A.*

Prob. Quia liberum arbitrium eſt vis actiua voluntatis, obiectum eius oportet eſſe *agibile*, i. e. quod per actiuam voluntatis vim naturalem, aut ſupernaturalem obtineri poteſt. Quidquid ſimpliciter impoſſibile eſt, illud non eſt πρακτὸν, ſeu agibile. De impoſſibilibus autem neque deliberamus, neque decretum electionis formamus. Ceterum omne agibile vel eſt præſens, vel futurum. Liberum arbitrium eſt tam præſentium, quam futurorum. Eſt *futurorum:* quia de illis conſultamus. At quorum eſt conſultatio, illorum eſt libera electio. Eſt *præſentium*: quia illa, de quibus antea deliberauimus, in præſenti eligimus. Nihil autem eligitur a voluntate, niſi ſub *ratione boni*, ſiue ſit bonum *verum*, ſiue *apparens*. At cum bonum apparens in ſe ſit malum, quoddam obiectum liberi arbitrii materialiter conſideratum malum eſt. Quo ſenſu ſub liberam electionem cadunt non tantum bona, ſed & mala.

Quæſt. XI. *Quomodo diſtinguuntur obiecta liberi arbitrii?*

*Obiecta* liberi arbitrii diſtinguuntur ſecundum *duo hemiſphæria*, quorum vnum *inferius*, alterum *ſuperius* eſt. *Inferius* complectitur res & actiones phyſicas, ethicas, politicas, œconomicas, artificiales, pædagogicas & diuinas, quatenus e lumine rationis cognoſci, viribusque naturæ, concurſu Dei generali adiutis, produci poſſunt a). *Superius* ambitu ſuo comprehendit res & actiones mere ſpirituales, quæ, ſupra rationis, ſibi relictæ, captum poſitæ, e lumine ſupernaturalis reuelationis cognoſcuntur, & ſpeciali Spiritus S. gratia præſtantur b). *Diſtinctio obiectorum L. A.*

Prob a. *Obiecta voluntatis humanæ cognoſcuntur vel e lumine rationis, vel e lumine ſupernaturalis reuelationis.* E lumine rationis cognoſcuntur res & actiones 1) *phyſicæ*, quæ corpus naturale, quatenus tale, concernunt, v. gr. edere, bibere, ambulare; 2) *ethicæ*, quæ ad mores hominum regendos pertinent, v. gr. colere temperantiam, modeſtiam, &c. 3) *politicæ*, quæ ad ſtatum ciuitatis pertinent, v. gr. tributum ſoluere, ſuſtinere officium magiſtratus; 4) *œconomicæ*, quæ in familia regenda occupantur, v. gr. ducere vxorem, honeſte educare liberos; 5) *artificiales*, quæ ab arte pendent, v. gr. pingere, conſuere calceos; 6) *pædagogicæ, ſiue ſacræ externæ*, quæ quidem externe circa obiectum ſacrum verſantur, per ſe tamen indifferentes, ratione euentus, iam bonæ, iam malæ ſunt, v. gr. pedibus frequentare



Digitized by Google

templum, auribus externis accipere verbum. Dicuntur *pædagogicæ*, quia hominem veluti manu ducere debent ad inquiſitionem vlteriorem rerum ſacrarum. 7) *Diuinæ*, in quantum ex natura cognoſcibiles ſunt, v. gr. ex intuitu creaturarum colligere exſiſtentiam, bonitatem, omnipotentiam Dei.

Prob. b. Res & actiones *mere ſpirituales* ex illuminatione ſupernaturali cognoſcuntur, & gratioſo Spiritus S. influxu præſtantur, v. gr. conuerſio, regeneratio, renouatio &c. Proponuntur hæ actiones mere ſpirituales in *lege* & *euangelio*.

Quæſt. XII. *Secundum quotuplicem ſtatum conſiderandum eſt liberum arbitrium?*

*Conſiderat. L. A. ſecundum ſtatum quadruplicem.*

Liberum arbitrium conſiderandum eſt ſecundum *quadruplicem ſtatum*: a) *innocentiæ* ante lapſum: b) *miſeriæ* poſt lapſum: c) *gratiæ* poſt conuerſionem: d) *gloriæ* in æterna beatitudine.

Prob. a. In *ſtatu innocentiæ*, ante lapſum homines protoplaſti liberi erant non a lege, aut obligatione erga Deum, cum omnis creatura ſit obligata ad colendum creatorem: ſed 1) a *coactione*, ſiue neceſſitate externa; 2) a *neceſſitate interna immutabilitatis*, propterea, quod ad bonum nondum erant determinati, ſed voluntas eorum erat indifferens ad bonum & malum, ita tamen, vt ad bonum potentiam proximam, ad malum potentiam remotiſſimam haberent. 3) Pollebant *libertate rectitudinis*. Erant quippe immunes a reatu, dominio & ſenſu peccati, omnique miſeria corporis & animæ. Proinde libere & expedite bonum eligebant, ad quod amplectendum, & malum euitandum ſufficientibus viribus per imaginem Dei inſtructi erant.

Prob. b. *In ſtatu miſeriæ*, poſt lapſum habet homo peccator corruptus libertatem arbitrii, quatenus 1) *materialiter* notat τὴν ὐσίαν, *ſiue eſſentiam* voluntatis. Nam ſicut per lapſum non deperdidit animam rationalem, ita nec iacturam fecit facultatum animæ eſſentialiter conſideratarum. 2) Suppetit illi poſt lapſum *potentia paſſiua obedientialis*, ad recipiendam gratiam Spiritus S. Neque enim truncus aut diabolus eſt, qui gratiæ diuinæ minime eſt capax. 3) *Liber eſt a coactione*, quia hæc libertas interior voluntatem ſemper & in omni ſtatu comitatur. 4) Habet *libertatem exteriorem* ad bonum *naturaliter* cognoſcibile; ſed *deſtituitur libero arbitrio* ad bonum *mere ſpirituale* eligendum.

Prob. c. *In ſtatu gratiæ*, poſt conuerſionem liber eſt homo renatus 1) *a coactione*, 2) *a neceſſitate immutabilitatis*, quia poſt conuerſionem voluntas ipſius non amplius determinata eſt ad malum, ſicut ante conuerſionem; ſed poteſt libere eligere bonum ſpirituale per gratiam Spiritus S. inhabitantem & adiuuantem, poteſt etiam eligere malum per carnis reliquias adhuc in ipſo hærentes. Gaudet ergo *libertate rectitudinis*; eo, quod nactus eſt libertatem a reatu peccati in iuſtificatione, & a dominio peccati in renouatione (*).

Prob. d. *In ſtatu gloriæ*, homo beatus liber eſt non tantum a *coactione*, nec ſolum a *reatu* ac *dominio*, ſed etiam ab *omni ſenſu* peccati, iuxta atque *omni miſeria* corporis & animæ. Hæc libertas longe perfectior erit, quam hominis ante lapſum. Hic enim *poterat non peccare*, beati vero *non poſſunt peccare*.

Quæſt.

(*) Liberatus eſt etiam *reatu*, itemque *dominio* peccati, vt b. Auctor docuit ſupra, quæſt 2. obſ. II. quamuis *hæc libertas*, ſiue potius *liberatio*, non poſſit nomine *liberi arbitrii* ſignificari. De cætero, maiores noſtri in *Form. Concord.* & *ſolida* eius *declar. artic. II. pag* 675. adcurate fecerunt diſtinctionem *arbitrii liberi*, quod poſt communem hominum a Deo defectionem nemini adſerendum eſt, & *liberati*, quo denuo nati renouatique homines, Chriſti beneficio, gaudent, quem ad modum Chriſtus ipſe [illegible] Ioh. VIII, 36.

Digitized by Google

Quæſt. XIII. *Eſtne homini irregenito ante conuerſionem libertas arbitrii ad eligendum bonum mere ſpirituale, aut ſaltem vis quædam naturalis præparandi ſe ad ſui conuerſionem?*

*Ante conuerſionem* hominis irregeniti intellectus tam ſpiſſis oppletus eſt tenebris, vt bonum ſupernaturale vere non cognoſcat & approbet a). Voluntas ipſius, peccati ſeruituti ſubiecta, impotens eſt ad eligendum bonum ſpirituale b). Idcirco homo inconuerſus omni vi naturali παρασκευαςικῇ, ſeu præparatiua ad conuerſionem ſui deſtituitur c).

Obſ. Liberum arbitrium heic non ſumitur *materialiter*, pro τῇ ὀυσίᾳ, *ſeu eſſentia voluntatis* humanæ, quæ vna cum intellectu ad eſſentiam hominis pertinet, & haud dubie homini ineſt etiam poſt lapſum, antequam regeneretur: ſed *formaliter*, pro τῇ ἐνεργείᾳ, pro *viribus voluntatis*, quibus inſtructa agere & non agere, agere hoc, & agere illud poteſt. Docet hoc *ſol. declar. Form. Concordiæ p. 655.* Hic eſt verus & vnicus controuerſiæ ſtatus: *Quid hominis nondum renati intellectus & voluntas, in ipſa conuerſione & regeneratione, ex propriis ſuis & poſt lapſum reliquis viribus præſtare poſſit; quando ſcilicet verbum Dei prædicatur & Dei gratia nobis offertur. Hic quæritur: an homo ad hanc gratiam apprehendendam ſeſe applicare, eam amplecti, & verbo Dei aſſentiri poſſit.*

Prob. a. 1) *A cæcitate intellectus humani* in rebus mere ſpiritualibus, ex 1 Cor. II, 14. *Animalis homo non ſuſcipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim illi ſunt, & non poteſt ſcire, quia ſpiritualiter diiudicantur.* Ex quo argumentamur: Qui non ſuſcipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, nec poteſt ea cognoſcere, illius intellectus prorſus cœcus eſt in rebus mere ſpiritualibus. *Maior* eſt euidens; quia vbi eſt lux aliqua ſpiritualis, ibi etiam eſt facultas cognoſcendi ea, quæ ſunt Spiritus Dei; immo facultas cognoſcendi ea, quæ ſunt Spiritus Dei conſiſtit in luce ſpirituali, adeoque implicat contradictionem, habere aliquas vires percipiendi ea, quæ ſunt Spiritus Dei, & tamen non poſſe cognoſcere ſpiritualia. *Minor* patet ex loco citato Paulli; nam ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſpiritualiter, i. e. ex lumine gratiæ, quod Spiritus S. per verbum accendit, ſunt diiudicanda. Animalis autem homo eſt, qui a Spiritu S. non eſt illuminatus. Quæ expoſitio patet ex verſu 10. vbi apoſtolus inquit: *nobis reuelauit Spiritus S.*

2) *Ex natura & conditione rerum ſpiritualium*, quæ naturale rationis lumen longiſſime excedunt, ita vt dicantur *myſteria a ſæculis abſcondita*, Eph. III, 9. Coloſſ. I, 26. & *a temporibus ſæcularibus tacita*, Rom. XVI, 25. Colligimus: Quæcunque natura ſua rationis humanæ captum longiſſime excedunt, circa illa intellectus hominis non renati nihil quidquam habet virium ſpiritualium: Atqui ea, quæ ſunt Spiritus Dei, natura ſua captum rationis humanæ longiſſime excedunt: Ergo.

3) *Ab origine cognitionis ſalutaris*, quippe quæ in ſolidum gratiæ diuinæ accepta fertur, Io. VI, 65. *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo*, i. e. Nemo poteſt credere in me, niſi fuerit datum ei a Patre. Argumentum eſto tale: Quod nemini obtingit, niſi cui a Deo datur, id ſub naturalis hominis vires non cadit: Atqui ſalutaris rerum ſpiritualium cognitio &c: Ergo. *Maior* patet: Quod enim ſub naturales humanæ rationis vires cadit, id naturaliter poteſt obtingere homini, nec opus eſt, vt ſupernaturaliter ei a Deo detur.

Prob. b. 1) *A morte ſpirituali hominis irregeniti.* Dicitur enim homo non renatus *mortuus in peccatis*, Eph. II, 1. Col. II, 13. Argumentum in forma tale erit: Qui ſpiritualiter mortuus eſt, illius voluntas deſtituitur viribus ſpiritualibus ad exercendos pios actus circa bona

 ſpiritualia:

Digitized by Google

ſpiritualia: Atqui homo irregenitus &c: Ergo. *Maiorem* confirmat *Formula Concordiæ p. 658. Sicut homo, qui corporaliter mortuus eſt, ſeipſum propriis viribus præparare, aut accomodare non poteſt, vt vitam æternam recipiat: ita homo, ſpiritualiter in peccatis mortuus, ſeipſum propriis viribus ad conſequendam ſpiritualem & cœleſtem iuſtitiam & vitam præparare, applicare, aut vertere non poteſt, niſi per Filium Dei a morte peccati liberetur & viuificetur.* 2) *a ſeruitute turpi & probroſa hominis irregeniti.* De qua Chriſtus Io. VIII, 34. inquit: *Omnis faciens peccatum, ſeruus eſt peccati.* Suffragatur Paullus Rom. V, 16. 17. 18. *Nonne ſcitis, quod, cui ſiſtitis vos ipſos ſeruos in obedientiam, ſerui ſitis, cui obeditis? Siue peccati in mortem, ſiue obedientiæ in iuſtitiam. Gratia vero Deo, quod eratis ſerui peccati, obediuiſtis vero ex animo, in quem traditi eſtis typum doctrinæ. Liberati itaque a peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Conf. 2 Petr. II, 19. Argumentamur: Cuiuscunque hominis voluntas ſeruituti peccati ſubiecta eſt, illi non ſuppetit libertas arbitrii edendi actus ſpirituales: Atqui voluntas hominis irregeniti &c: Ergo. *Maior* conſtat: quia ſeruitus peccati libertati gratiæ a Paullo opponitur, & ſtilo Petrino ſeruus eſt, qui ab altero eſt victus & captiuatus. At qui a peccato victus & captiuatus eſt, is libere non ſectatur iuſtitiam ſpiritualem & cœleſtem. 3) *Impotentia voluntatis irregeniti* conſtat ex oraculo Saluatoris Io. XV, 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Qui ſine Chriſto, vite cœleſti, nullum ſpiritualem poſſunt ferre fructum, illi ad omne bonum opus ſpirituale ſunt inepti. At omnes homines extra ſtatum regenerationis exſiſtentes &c. Ergo.

Dicis: Sine Chriſto adiuuante homo irregenitus non fert fructum ſpiritualem, quem tamen ex ſe profert, gratia Chriſti adiutus. Reſp. Verba Chriſti non priuatiue, ſed negatiue; non coniunctiue, ſed excluſiue exponenda ſunt, vt initium, progreſſus & complementum ſpiritualis operationis viribus humanis derogetur, & gratiæ Chriſti in ſolidum vindicetur.

Prob. c. Hominem propriis viribus ad conuerſionem ſui ſe præparare minime poſſe, ex cœcitate intellectus & impotentia voluntatis in irregenito facile colligitur, idque iam antecedentibus argumentis euictum eſt. Addimus tantum duo argumenta, quæ naturalem ineptitudinem ad inchoandam & promouendam conuerſionem luculente probant. 1) Paullus aptitudinem ad cogitandum bonum ſpirituale hominibus derogat, 2 Cor. III, 5. *Non idonei ſumus a nobis ipſis cogitare aliquid, tanquam ex nobis ipſis, ſed quod idonei ſumus, ex Deo eſt.* Quicunque ex ſeipſis nihil boni cogitare poſſunt, ſed omnes & ſingulas bonas cogitationes gratiæ diuinæ debent, illi propriis viribus conuerſionem ſuam nec inchoare, nec promouere poſſunt.

Dicis: Verba citata non intelligenda ſunt de viribus voluntatis circa ſpiritualia, ſed de miniſterio euangelico. Reſp. Quamuis apoſtolus principaliter loquatur de miniſterio verbi: *a maiori tamen ad minus* ex effato apoſtoli colligere licet: Si renati Dei miniſtri ex ſe non ſunt idonei ad aliquid non modo efficiendum, vel dicendum, ſed & cogitandum, & hinc indigi ſunt aptitudinis a Deo accipendæ; multo minus homines nondum renati ex ſe idonei erunt in opere conuerſionis ad bonum ſpirituale, vel cogitandum, vel dicendum, vel faciendum.

2) Idem Apoſtolus Rom. VIII, 7. inquit: φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν. *Senſus carnis inimicitia eſt contra Deum: Legi enim Dei non ſubiicit ſe, neque enim poteſt.* φρόνημα τῆς σαρκὸς non eſt tantum prudentia & meditatio intellectus occœcati, ſed & cura & deſiderium voluntatis peruerſæ. *Caro* notat congenitam homini poſt lapſum corruptionem, ſpiritui oppoſitam. De hoc *ſenſu carnis* dicitur, quod ſit inimicitia erga Deum, qua deſignatur rebellio, contrarietas, reſiſtentia, eo, quod caro corrupta neque legi Dei ſe ſubiicit, neque per vires naturales ſe ſubiicere poteſt. E quibus argumentamur: Cuius hominis intellectus & voluntas in cogitationibus & deſideriis ſuis Deo conuerſionem inchoaturo obſiſtit, legi eius obnititur, eique per vires naturales obedire nequit, ille homo ad conuerſionem ſui non poteſt ſe præparare: Atqui hominis irregeniti intellectus & voluntas &c. Ergo.

*Antitheſis*

Digitized by Google

*Antitheſis* fuit olim 1) *Pelagianorum*, qui non veriti ſunt affirmare, quod homo ſine Spiritu Sancto ſ. propriis viribus ad Deum ſe conuertere poſſit. 2) *Semipelagianorum*, ſiue *Maſſilienſium* (ita dicebantur a *Caſſiano*, *Maſſilienſium Presbytero*), qui conuerſionis initium modo libero arbitrio, modo Spiritui S. tribuebant, pro ſubiectorum diuerſorum diuerſa conditione. His 3) accedunt plerique *Scholaſtici & Pontificii*, quorum de ſententia liberum arbitrium per lapſum quidem eſt debilitatum, ſed non amiſſum. 4) *Sociniani* ſtatuunt, per lapſum protoplaſtorum neque introductum eſſe peccatum originis, neque liberum arbitrium in ſpiritualibus eſſe deperditum, quos ſequuntur *Arminiani*. Quorum argumenta ſunt:

I. Quicunque doctrina ſua hominem in brutum, aut plane in truncum transformatum eunt, illorum doctrina non meretur approbationem. Atqui doctores proteſtantes &c. Ergo. *Minor* liquet: quoniam Proteſtantes docent, 1) liberum arbitrium per lapſum eſſe amiſſum, cum tamen eo ipſo homo a beſtiis diſcernatur, quod hæ vniformiter agant, homo autem ad diuerſa obiecta, eorumque actus ſe indifferenter habeat: 2) Iidem docent, hominem ad conuerſionem ſui ne potentiam quidem paſſiuam afferre; quo ipſo trunco aſſimilatur, qui neque actiuam, neque paſſiuam potentiam habet ad ſe flectendum. *Reſp.* hoc argumentum facile refellitur, modo doctrina Proteſtantium recte explicetur. Etenim 1) illi non negant, dari poſt lapſum in homine libertatem arbitrii, ſi hoc ſumatur *materialiter*, vt notet τὴν ȣσίαν, eſſentiam voluntatis humanæ; ſed ſumunt iidem liberum arbitrium formaliter pro τῇ ἐνεϱγείᾳ, ſiue viribus eligendi, aut agendi (ad quam æquiuocationem euitandam nonnulli auctores vocant *vires liberi arbitrii*). Neque ſimpliciter & vniuerſim derogant voluntati *omnes* vires eligendi res mere ſpirituales. 2) Non negant dari in irregenito *potentiam paſſivam remotam & obedientialem* recipiendi gratiam conuerſionis, ſed docent tantum, homini irregenito potentiam *paſſiuam naturalem*, *& proximam*, ad recipiendum influxum ſupernaturalem Spiritus S. deeſſe: quo ipſo & a bruto, & a trunco diſcernitur.

II. Deus iubet & præcipit, vt nos conuertamus, Zach. I, 4. Ioel. II, 13. Ier. III, 1. Quæ præcepta vana & irrita erunt, ſi homo non habet vires ſeipſum conuertendi. Reſp. 1) A præcepto ad factum, a debere ad poſſe n. v. c. Chriſtus filiæ Iairi mortuæ præcipiebat: *Surge!* Marc. V, 41. quæ viribus propriis ſurgere non poterat. Ita & homo irregenitus in peccatis mortuus eſt, Eph. II, 1. 2) Præcepta diuina non fruſtra data ſunt; ſed *legaliter conſiderata*, non oſtendunt quidem menſuram virium noſtrarum; attamen a) indicant ius Dei, repetentis illas vires, quas primo homini contulerat; b) præſcribunt normam officii noſtri; c) requirunt a nobis obſequium paſſiuum, i. e. non repugnantiam; d) nos coarguunt noſtræ infirmitatis; e) pædagogice nos ad Chriſtum perducunt, Gal. III, 24. *Euangelice conſiderata*, quatenus gratiam diuinam coniunctam habent, ſunt effectiua & perſuaſiua, tanquam efficacia media, quibus vires conuertendi offeruntur & conferuntur illis, qui moroſe & pertinaciter non reſiſtunt.

III. Qui præcipit ea, quæ vires voluntatis ſuperant, ille eſt tyrannus: Deus non eſt tyrannus: E. Reſp. Qui præcipit ea, *quæ ſimpliciter & ſemper vires hominum ſuperant*, ille eſt tyrannus. At Deus id non facit; ſed 1) protoplaſtis indulſerat vires Deum perfecte colendi. Iure ſuo Deus id exigit, quod homo malitia ſua perdidit. 2) Præuenit Deus gratia ſua impotentem per naturam, vt per gratiam potens fiat. 3) Homo gratia diuina præventus poteſt contumaci malitia non reſiſtere, poteſt malitioſum obicem Spiritui S. non ponere, poteſt media diuinitus ordinata admittere, vt Spiritus S. per diuinum verbum ſaluificam fidem in ipſo accendat.



Digitized by Google

IV. Quicunque iubentur euigilare e ſomno, illi propriis viribus ſurgunt: Atqui homines irregeniti &c. Eph. V, 14: Ergo. *Maior* conſtat: quia dormiens excitatus propriis viribus ſurgit. Reſp. Irregeniti excitantur & ſurgunt ab operibus mortuis non virtute propria, ſed virtute huius verbi potentis & efficacis, Hebr. IV, 12. Neque enim præceptum hoc, *legaliter conſideratum*, exprimit menſuram virium noſtrarum, ſed normam debiti noſtri: *euangelice ſpectatum*, eſt efficax medium in peccatis mortuum excitandi, & cœcum illuminandi, modo non obſiſtat moroſe, ſed ſe illuminari patiatur.

V. Mandatum diuinum conuerſionis *non eſt ſupra nos*, Deut. XXX, 11. E. viribus arbitrii noſtri præſtari poteſt. Reſp. Verba citata ſecundum fontem hebræum ita ſe habent: *Præceptum hoc, quod ego ſum præcipiens tibi hodie, non eſt mirabile præ te, neque longinquum illud.* Repetit Paullus hoc præceptum, Rom. X, 6. 7. 8. & addit: *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.* Quare per præceptum diuinum, a Moſe populo Iſraëlitico datum, non intelligitur præciſe verbum *legis*, ſed & verbum *euangelii*, docente Paullo. Hoc verbum impletur non viribus propriis, ſed efficacia promiſſionis diuinæ, qua fides ſaluifica accenditur.

VI. Quicunque non habet liberum voluntatis arbitrium, illi nec pœnæ, nec præmia ſunt conſtituenda: Sententia Proteſtantium, homo irregenitus &c: Ergo. *Maior* probatur: quia pœnis is affligitur, in cuius viribus erat, declinare id, quod commiſit; præmiis honoratur, qui lubens præſtitit id, quod debuit. Reſp. Diſt. *inter res ſuperioris, & inferioris hemiſphærii.* In rebus hemiſphærii *inferioris*, vitam hanc concernentibus, homo poſt lapſum habet liberum arbitrium, adeoque ratione illarum homini conſtituitur pœna & proæmium temporale. In rebus hemiſphærii *ſuperioris*, deſtituitur quidem homo viribus liberi arbitrii; penes tamen eundem eſt, non reſiſtere mediis conuerſionis diuinitus oblatis. Punitur, ſi malitioſe obſiſtat; non punitur, ſi oblatis mediis non obnitatur.

VII. Si homo oblata media poteſt viribus naturæ recipere, vtique in ſpiritualibus liberum arbitrium habet: Antecedens eſt verum: Ergo & conſequens: *Maior* probatur, quia oblata media ſunt bona ſpiritualia. Quod ſi homo illa viribus naturalibus recipere poteſt, valide concluditur, liberum arbitrium poſt lapſum in ſpiritualibus ſupereſſe. Reſp. Oblatio mediorum pertinet ad gratiam Dei præuenientem, qua aufertur incapacitas naturalis paſſiua omnibus connata, vt homo capax ſit paſſiuæ mediorum receptionis; ex qua male concluditur pro libero arbitrio; quippe quod, communi de ſententia, eſt vis actiua voluntatis. Huc accedit, quod homo, gratia præuentus, media conuerſionis externe quidem adhibeat, interiorem autem conuerſionem ſuis viribus non efficiat; ſicut ægrotus propinatum a medico pharmacum quidem recipit, neque tamen proprias habet ſe ſanandi vires.

VIII. Siracides c. XV, 14. 15. homini tribuit libertatem arbitrii, inquiens: *Deus initio fecit hominem, reliquit eum in manu arbitrii ſui: Si volueris, conſeruabis mandata.* Reſp. 1) liber Siracidis eſt extra canonem, atque adeo dogmata fidei ex eodem probari nequeunt. 2) Loquitur Siracides de homine ante lapſum in natura inſtituta; poſt lapſum homo irregenitus eſt ſeruus peccati.

IX. Moſes, Deut. XXX, 19. & Ioſua, c. XXIV, 15. Iſraëlitis concedunt optionem, ſiue liberam electionem. Ergo ipſis tribuunt liberum arbitrium. Reſp. Loquuntur Moſes & Ioſua cum Iſraëlitis, tanquam hominibus renatis. Sed quæſtio eſt de homine irregenito: an ille obiectum mere ſpirituale viribus naturalibus eligere, & circa illud agere queat?

X. Deus Caino fratricidæ non denegauit, ſed potius mandauit dominium in peccata, Gen. IV, 7. Ergo grauiſſimo cuique peccatori liberum arbitrium in ſpiritualibus concedit. Reſp. 1) A præcepto ad poſſe male concluditur. 2) Diſt. *inter peccata interna, ſiue ſubtiliora,*

Digitized by Google

*ora, & externa, ſiue craſſiora.* Fratricidium eſt peccatum externum & craſſum, a quo etiam ethnici abſtinere queunt.

XI. Quæcunque voluntas eſt cauſſa cognitionis doctrinæ Chriſti, illa eſt cauſſa fidei: Voluntas humana &c: Ergo. *Maior* probatur: quia cognitio doctrinæ Chriſti eſt pars fidei. *Minor* patet ex Io. VII, 16. 17. *Si quis voluerit voluntatem Patris facere, cognoſcet de doctrina, vtrum a Deo ſit, an a me ipſo loquar.* Reſp. Loquitur Chriſtus non generatim de voluntate Patris euangelica, aut legali, ſed in ſpecie de voluntate diuina, quæ vrget ſcrutinium & meditationem ſcripturarum, vt ſenſus ſit: Si quis vult voluntatem Patris facere, h. e. iuxta eius præceptum ſcrutari cum attentione ſcripturas veteris teſtamenti, is cognoſcet de doctrina illa, quam ego ore meo prodidi, vtrum ſit a Deo, nec ne. Sed hoc nihil facit ad ſtabiliendum liberum arbitrium hominis irregeniti in ſpiritualibus.

XII. Peccatum aut eſt neceſſarium, aut voluntarium. Si eſt neceſſarium, eſt ineuitabile, adeoque non peccatum. Si eſt voluntarium, vitari poteſt, & proinde homo eſt liberi arbitrii in moralibus; quippe qui poteſt peccare, & non peccare. Reſp. Non eſt accurata oppoſitio peccati *neceſſarii*, & *voluntarii*, ſed peccatum diſtinguitur in *voluntarium*, & *inuoluntarium*. A *voluntario* ad negationem *neceſſarii* non poteſt fieri illatio; cum diuerſo reſpectu vna eademque actio *& voluntaria* eſſe poſſit, *& neceſſaria. Voluntaria*, ratione interioris motus & delectationis, quoad *ſpeciem; neceſſaria*, ratione externi obiecti & determinationis, quoad genus.

### Quæſt. XIV. *Habentne homines, poſt lapſum, liberum arbitrium eligendi res hemiſphærii inferioris?*

Voluntas hominum renatorum & irregenitorum, *poſt lapſum*, pollet *viribus*, diuerſas res, *rationi ſubiectas*, eligendi, vel vnam præ altera amplectendi a), quamuis illæ vires ſint *languidæ* & *infirmæ* b).

Prob. a. 1) A teſtimonio apoſtolico, Rom. II, 13. *Gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis ſunt, faciunt.* Gentiles, qui præſcriptam Moſis legem ignorarunt, duce natura, patrarunt actus, legi morali quadantenus conformes. Idcirco, teſte *Auguſtana confeſſione, artic.* XVIII. *noſtræ eccleſiæ de libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iuſtitiam, & deligendas res, rationi ſubiectas.*

2) Sana ratio hanc libertatem arbitrii in actionibus naturalibus, ciuilibus & artificialibus commonſtrat. Nam ſi homo non habet libertatem arbitrii in naturalibus, non erit cauſſa principalis actionum ſuarum; fruſtra deliberabit ſecum, aut cum aliis; ob actiones ſuas nec laudabitur, nec reprehendetur, nec punietur. Punire peccatorem, qui ſecus agere nequiuit, æquitati non eſt conſentaneum.

3) Probatur exemplis. Lotho integrum erat abire ab Abrahamo verſus dextram & ſiniſtram, Gen. XIII, 9. Paullus poterat ſororem ſecum ducere, & ab ea abſtinere, 1 Corinth. IX, 15. Stabat penes Salomonem expetere a Deo diuitias, aut ſapientiam, 1 Reg. III, 11.

Prob. b. *Obiectis impedimentis internis & externis liberum arbitrium in rebus rationi ſubiectis frangitur & infirmatur.*

*Impedimenta interna* ſunt 1) cœcitas intellectus, in deliberationibus errantis. 2) Languor voluntatis ad ſectandum bonum, & procliuitas ad amplexandum malum. 3) Vehementia affectuum ſæpe tanta, vt torrentis inſtar voluntatem ſecum abripiat & iudicium rationis turbet.

*Externa impedimenta* ſunt: 1) diaboli verſutia, hominem ab amore boni abducentis; 2) mundi

Digitized by Google

2) mundi blanditiæ & terriculamenta; 3) directio Dei limitans, conſilia ſubuertens, & facultatem agendi imminuens, aut præcidens.

Quæſt. XV. *Quem vſum nobis confert doctrina de defectu arbitrii in ſpiritualibus?*

*Vſus practici.*

Confert nobis a) vſum paræneticum, vt animo ſubmiſſo infirmitatem virium noſtrarum agnoſcamus, mediis gratiæ decenter vtamur, & aſſidue precemur b); vſum paracleticum, vt magnitudinem gratiæ diuinæ reputantes nobiſcum, ſpe ſalutis animum erigamus.

Prob. a. Laboramus ἀδυναμίᾳ, ſiue infirmitate virium, circa res ſpirituales, vt ſine Chriſto nihil facere, nullumque fructum ferre queamus; ſicut palmes a vite præciſus ne potentiam quidem fructificam habet. *In nullo igitur gloriandum, quia nihil noſtrum eſt.* Vtamur interim ſedulo mediis ſalutis, & aſſiduis precibus opem Spiritus S. imploremus.

Prob. b. Magnitudinem gratiæ diuinæ quis fando exprimeret? *Deus enim miſericordiſſimus præuenit nolentem, vt velit; ſubſequitur volentem, ne fruſtra velit: præuenit, vt ſanemur; ſubſequitur, vt ſanati vegetemur: præuenit, vt vocemur; ſubſequitur, vt glorificemur: præuenit, vt pie viuamus; ſubſequitur, vt ſemper cum illo maneamus:* Quemadmodum AVGVSTINVS loquitur *libr. de nat. & grat. c. 32.*

## *SVSPIRIVM.*

Sine te, dulciſſime IESV, nil valeo, nil ſapio. Sine te nil bonum cogito, nil ſalutare deſidero, nil pium ſuſcipio, nil frugiferum perficio. Corrobora, quæſo, me languentem, corrige me errantem, ſuffulci me vacillantem, duc me euntem ex hac lacrymarum valle in paradiſum cœleſtem.

PARS

Digitized by Google

# PARS THEOLOGIAE TERTIA.

DE

# PRINCIPIIS ET MEDIIS SALVTIS.

## SECTIO PRIMA.

## DE SALVTIS PRINCIPIIS.

### CAPVT I.

### DE BENEVOLENTIA DEI VNIVERSALI ERGA HOMINES LAPSOS, VT PRIMO SALVTIS PRINCIPIO.

Quæſtio I. *Quid ſunt ſalutis principia?*

*Principia ſalutis* ſunt actus gratiæ diuinæ, a quibus externa hominum ſalus dependet.

Prob. Quemadmodum gratia diuina eſt cauſſa impulſiua interna, quæ Deum ad peccatorem beandum impulit; ita eadem fons & ſcaturigo eſt, e qua noſtræ ſalutis initium, progreſſus & complementum fluit. Innuit hoc Apoſtolus, Eph. II, 8. inquiens: *Gratia ſaluati eſtis per fidem.* Quamobrem omnis actus gratiæ diuinæ, circa procurationem ſalutis noſtræ occupatus, vocatur *principium ſalutis.*

Quæſt. II. *Quot ſunt principia ſalutis?*

Principia ſalutis ſunt *tria.* *Primum* eſt beneuolentia Dei Patris erga hominem lapſum erigendum & beandum. *Secundum* eſt fraterna Chriſti redemtio a peccato & eius pœnis. *Tertium* eſt gratioſa & per certa media efficax operatio Spiritus Sancti, qua ſalus a Chriſto parta offertur, & confertur. *Principia ſalutis.*

Prob. Tria hæc ſalutis principia indigitat ipſe Saluator Io. III, 16. *Adeo Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed vitam æternam habeat.* Deus Pater diligendo mundum, & dando Filium mediatorem, ſe oſtendit beneuolum. Datus eſt Filius, vt mundum, i. e. vniuerſum genus humanum, hunc terrarum orbem incolens, ab interitu vindicaret, adeoque eiusdem eſſet redemtor. Medium fruendi redemtione Chriſti eſt vera fides, in merito Chriſti defixa, quam gratioſa & per verbum ac ſacramenta efficaci operatione accendit Spiritus Sanctus; quippe qui dicitur *Spiritus fidei*, 2 Cor. IV, 13.

Quæſt. III. *Quotuplex eſt beneuolentia Dei erga homines lapſos?*

Beneuolentia Dei erga homines lapſos *duplex* eſt, *generalis*, *ſiue vniuerſalis*, & *ſpecialis*. *Illa* complectitur *omnes homines in miſeria conſtitutos*, iisdemque

 valida

Digitized by Google

valida ſalutis media ordinat & offert: *hæc peccatores oblata ſalutis media amplectentes* æterna ſalute donare conſtituit.

Quæſt. IV. *Quid eſt beneuolentia Dei vniuerſalis?*

*Beneuolentia Dei vniuerſalis.* Beneuolentia Dei *vniuerſalis* eſt actus gratiæ diuinæ, qua Deus, ſpectata communi hominum lapſorum miſeria, permotus eſt, vt non tantum eorum omnium ſerio velit ſalutem, ſed etiam ad hanc procurandam Chriſtum dederit mediatorem, iuxta atque efficacia media deſtinauerit, ea intentione, vt omnes homines iisdem vtantur, veram ex illis concipiant fidem in Chriſtum, & per hunc parta ſalute æterna potiantur atque fruantur in laudem bonitatis diuinæ.

Obſ. I. *Beneuolentia Dei* heic non ſpectatur in *actu primo*, quatenus eſt attributum Dei eſſentiale; ſed in *actu ſecundo*, prout notat plenam & efficacem intentionem ſuccurrendi peccatoribus miſeris, & deſtinationem mediorum ad erigendum & ſaluandum homines in peccatum prolapſos.

Obſ. II. Beneuolentia Dei in ſacris litteris exprimitur æquipollentibus vocibus, quæ tamen peculiaribus connotatis diſtinguuntur. Dicitur enim a) *gratia Dei*, quatenus opponitur omni debito, omnique operum merito. Adeoque gratia Dei hic denotat fauorem Dei gratuitum, ſeu beneuolentiam æterni Numinis, nullis meritis prouocatam; de qua Apoſtolus Eph. II, 8. inquit: *Gratia ſaluati eſtis per fidem; & hoc non ex vobis, donum Dei eſt; non ex operibus, ne quis glorietur.* b) *Miſericordia Dei*, quatenus Deus communem hominum, peccatis corruptorum, miſeriam reſpicit, eamque vult auertere. c) Χρηςότης καὶ φιλανθρωπία, *benignitas & amor hominum:* His vocibus vtitur Paullus Tit. III, 3. *Benignitas & amor hominum apparuit Seruatoris noſtri, Dei.* Χρηςὸς dicitur, qui alteri eſt vtilis. Χρηςότης igitur, ſiue benignitas, eſt beneuola Dei propenſio, commoda hominum prouehendi. Φιλανθρωπία autem, ſeu amor hominum, actum beneuolentiæ ſimul cum ipſius obiecto, quod ſunt homines, complectitur. Amoris eſt, bonum alteri impertiri. Et φιλανθρωπία eſt voluntas Dei, prona ad communicandum hominibus miſeris bonum. A theologis communiter vocatur *voluntas* Dei *antecedens.*

Quæſt. V. *Quotuplex eſt voluntas Dei circa negotium ſalutis occupata?*

*Voluntas Dei antecedens & conſequens.* *Voluntas Dei* in ſe vna & ſimplex eſt; quatenus autem terminatur ad obiecta externa, in primis homines lapſos, &, pro diuerſa eorum habitudine atque conſideratione, diſtinctis ſe exſerit actibus, noſtro intelligendi modo diſtinguitur in *antecedentem*, & *conſequentem.* Voluntas *antecedens* eſt, qua Deus omnium hominum lapſorum & miſerorum vult ſalutem, & ad hanc conſequendam dedit mediatorem Chriſtum, eaque ordinauit media, quibus parta per Chriſtum ſalus, viresque credendi, omnibus hominibus offeruntur, ſeria cum intentione conferendi. Voluntas *conſequens* eſt, qua Deus ex humano genere lapſo eos ad vitam æternam elegit, quos præuidit ordinariis mediis vſuros, & ad finem vitæ in fide in Chriſtum perſeueraturos eſſe: contra reprobauit ex genere humano eos, quos præuidit ordinaria media pertinaciter reiecturos, & ad nouiſſimum vitæ halitum in infidelitate permanſuros eſſe.

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. Voluntas Dei dicitur *antecedens & conſequens:* Non 1) *ratione temporis*, quaſi voluntas antecedens conſequentem tempore præcedat: vti enim Deus temporis eſt expers; ita non habet voluntatem aliquam, quæ alteram tempore anteuertat. 2) *Nec ex parte ipſius voluntatis diuinæ*; quaſi dentur in Deo duæ reapſe diſtinctæ voluntates. Eſt enim voluntas diuina ipſa eſſentia Dei, cum connotato obiecto, per modum actus volendi concepta. 3) Sed dicitur voluntas Dei antecedens & conſequens, *ab ordine rationis noſtræ*, diuerſos volendi actus in Deo *pro diuerſa obiectorum conſideratione* diſtinguentis, & vnum actum præ altero conſiderantis; vt ſaltem notetur, voluntatem antecedentem præcedere conſequentem *in ſigno rationis diuinæ.* Prius quippe eſt, noſtro intelligendi modo, Deum velle hominibus ſalutem & media ſalutis procurare, quam eundem velle finaliter in Chriſtum credituris æternam ſalutem actu conferre, vel finaliter impœnitentibus æternam damnationem adiudicare.

Probatur hæc diſtinctio 1) quia certo fundamento ſubnixa eſt. Nam (a) voluntas Dei antecedens fertur in hominem miſerum, quatenus miſer eſt, nulla habita ratione illius obedientiæ & fidei, vel inobedientiæ & infidelitatis: voluntas autem conſequens verſatur circa hominem miſerum, quatenus vel obediens & fidelis, vel inobediens & incredulus eſt, adeoque conſiderationem obedientiæ & inobedientiæ ſubſequitur. (b) Voluntate antecedente Deus omnibus hominibus ſalutis media deſtinat & offert: voluntate conſequente eligit eos ad vitam æternam, qui deſtinata & oblata media acceptant, reprobat autem eos, qui ordinata media pertinaciter repudiant. (c) Voluntas Dei antecedens eſt vniuerſalis; quia conſtat reſpectu ſimplici, quo benefica Dei voluntas æqualiter ſe habet erga omnes: voluntas conſequens eſt particularis, quia conſtat reſpectu determinato, prout eadem voluntas ſe habet ad homines, τάξιν illam mediorum ipſo actu vel ſequentes, vel negligentes.

2) Neceſſaria eſt hæc diſtinctio, ob mirabile miſericordiæ & iuſtitiæ diuinæ, inter ſe conciliandæ, temperamentum. Exſtant enim in ſacris litteris effata, quæ miſericordiam Dei in omnes peccatores pronam oſtendunt, 1 Tim. II, 6. 2 Petr. III, 9. Exſtant alia, quæ notant iuſtitiam Dei & ab hereditate ſalutis excludunt eos, qui ordini diuino refragantur, Io. III, 18. Marc. XVI, 16. Exſtant denique dicta biblica, in quibus tam miſericordia, quam iuſtitia diuina deprædicantur, Matth. XXIII, 37. Chriſtus voluntate antecedente, quantum in ſe erat, volebat congregare filios Iſraël, vt gallina pullos ſuos ſub alis congregat; ſed voluntate conſequente, quia nolebant congregari, volebat domum eorum deſertam relinqui. Confer Act. XIII, 46.

3) Inſinuata eſt hæc diſtinctio parabolis Chriſti. Inuitauit enim rex cœleſtis multos homines ad nuptias filii ſui voluntate antecedente; paucos comparentes, & rite veſtitos, regali menſa laute excepit, renuentes venire & nuptiali veſte deſtitutos reiecit ac perdidit voluntate conſequente. Matth. XXII, 1. Confer Luc. XIV, 16.

4) Approbata eſt hæc diſtinctio a venerabili antiquitate. Diſtinguit enim CHRYSOSTOMVS inter voluntatem Dei *primam, & ſecundam*, homil. I. in epiſt. ad Eph. I. ANSHELMVS in cap. VI. Matth. diſtinguit inter *voluntatem miſericordiæ, & iuſtitiæ.* DAMASCENVS Libr. II. de O. F. cap. XXIX. docet, *Deum antecedenter* (προηγουμένως) *velle omnes ſaluari, & regnum eius conſequi; non enim ad puniendum nos plaſmauit, ſed vt efficiat nos bonitatis ſuæ participes, vt bonus: peccantes autem puniri vult, vt iuſtus. Dicitur igitur prima, præcedens voluntas, & beneplacitum, ex ipſo* (*Deo*) *exiſtens: Secunda vero voluntas, conſequens, & permiſſio ex noſtra cauſſa exiſtens.* Quo ſpectant verba TERTVLLIANI, in libro *de reſurrect. carn. Deus de ſuo optimus, de noſtro iuſtus eſt.*



Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Maccouii* & aliorum *Reformatorum*, qui diſtinctionem voluntatis Dei antecedentis & conſequentis impugnant ſequentibus argumentis:

I. Quæcunque voluntas eſt æterna, in antecedentem & conſequentem non poteſt diſtingui. Atqui voluntas Dei eſt æterna. E. *Maior* conſtat; quia in æternitate non datur prius, aut poſterius. Reſp. Voluntas Dei diſtinguitur in antecedentem & conſequentem, non ex parte voluntatis diuinæ, ſed ex parte *obiectorum* volitorum, diuerſimode conſideratorum. Voluntas enim Dei non eſt actus productus, ſed ipſa eſſentia Dei, cum connato obiecto, per modum actus volendi concepta: quæ vt terminatur ad aliquam priorem, aut poſteriorem in obiecto volendi rationem; ita concipitur a nobis vt prior, aut poſterior, antecedens, aut conſequens voluntas, non ratione temporis, ſed ratione ordinis ſecundum noſtrum concipiendi modum.

II. Duæ contradictoriæ voluntates non dantur in Deo: Voluntas antecedens & conſequens &c. Ergo. *Maior* patet; quia in Deo a) omnia ſunt ταυτὸ, vnum & idem. b) Si in Deo eſſent duæ contradictoriæ voluntates, vna alteram euerteret, aut expungeret. *Minor* probatur; quia Deus dicitur voluntate antecedente omnium miſereri, voluntate conſequente non omnium miſereri, quæ contradictionem inferunt. Reſp. Neg. minorem. Nam contradictoria dicuntur de eodem, quatenus idem eſt, ſeu quatenus eodem reſpectu conſideratur. At voluntas Dei antecedens & conſequens verſantur circa hominem, *diuerſimode* conſideratum. Nam voluntas Dei antecedens verſatur circa hominem, quatenus *homo* eſt, nulla habita ratione circumſtantiarum in hoc obiecto; voluntas autem Dei conſequens verſatur circa hominem cum certis circumſtantiis conſideratum, prout vel *fidelis*, vel *incredulus* eſt. Quare voluntas Dei antecedens & conſequens ſibi non contrarie, aut contradictorie opponuntur, ſed ſubordinantur. Hæc in illa materialiter continetur, & in illam, poſita conditione, tranſit. Quod ſic oſtendo: Voluntate antecedente Deus vult, vt omnes homines ſaluentur, ſi finaliter credant. Atqui ordinariis ſalutis mediis rite vtentes, ſunt illi, qui finaliter credunt. Ergo voluntas Dei antecedens voluntate conſequente non euertitur, reſcinditur, aut expungitur, ſed potius conditione impleta in eandem tranſit.

III. Quæcunque voluntas eſt inefficax, Deo non tribuenda: Atqui voluntas antecedens eſt inefficax: Ergo. *Maior* liquet; quia imbecillia vota & inefficax deſiderium Deo tribuere, nobis ſit religio. *Minor* patet: quia voluntas Dei intentum finem non aſſequitur. Reſp. Neg. minorem. Nam inefficax dicitur voluntas, vel in ordine ad conſecutionem finis, vel in ordine ad intentionem per certa media. Licet voluntas Dei antecedens non ſemper ſit efficax priori modo; quoniam in omnibus hominibus intentum non ſortitur effectum; eſt tamen efficax, qua plenam ſeriamque intentionem & deſtinationem efficaciſſimorum mediorum. Sane medicina haud raro eſt efficaciſſima, quæ repulſa aut conculcata exoptato fruſtratur euentu. Quare aliud eſt ἀνεκβατικὸν, euentus expers; aliud ἀνενέργητον, efficacia deſtitutum.

IV. Voluntati diuinæ nemo poteſt reſiſtere, Rom. IX, 19. Voluntati antecedenti multi reſiſtunt. Ergo voluntas antecedens non eſt voluntas diuina. Reſp. Voluntati diuinæ abſolutæ per potentiam abſolutam agenti nemo poteſt reſiſtere. Voluntas autem Dei in œconomia, ſiue diſpenſatione ſalutis, non eſt abſoluta, ſed ordinata, atque adeo implenda ſecundum τάξιν, ſiue ordinem mediorum, diuinitus deſtinatorum. Hunc ordinem haud pauci homines aduerſus ſeipſos ſpernunt, Luc. VII, 30. & hac ratione voluntati diuinæ obſiſtunt, non per potentiam maiorem, ſed per impotentiam, ſiue defectum, nimirum per cœcitatem intellectus & peruerſitatem propriæ voluntatis.

V. Qui-

Digitized by Google

V. Quicunque eſt ſapiens, non ſuſpendit finem voluntatis ſuæ a conditione, quam non impletum iri præſcit: At Deus eſt ſapientiſſimus: Ergo. *Maior* conſtat: quia vir ſapiens nihil agit fruſtra, ſed ob certum finem, quem per valida media attingere poteſt. Reſp. 1) Negando maiorem. Nam bonus princeps gloria ſapientiæ non eſt defraudandus, quamvis iuſtas ponendo leges mente proſpiciat, eas non ab omnibus ciuibus ſeruatum iri. 2) Quam conditionem Deus præfiniuit: *ſi finaliter credant*, non eſt impoſſibilis; eo quod a multis impletur: impleri etiam poteſt a reliquis, modo admittant, & moroſe non repudient media ad finem obtinendum deſtinata. 3) Quamuis in haud paucis Deus non aſſequatur finem proprium, ſiue ſpecialem; ſemper tamen attingit finem communem, ſiue generalem, qui eſt gloria bonitatis diuinæ. Fine proprio, ſiue æterna ſalute, peccatores præfracte contumaces ſua ſe culpa priuant *).

Quæſt. VI. *Quibus actibus inadæquatis abſoluitur beneuolentia Dei vniuerſalis?*

Beneuolentia Dei vniuerſalis *quatuor inadæquatis* abſoluitur *actibus;* quorum *primus* eſt commiſeratio vniuerſi generis humani fraude diaboli circumuenti & corrupti a): *Secundus* actus eſt intentio diuina omnibus hominibus in peccatum prolapſis ſalutem procurandi b): *Tertius* eſt liberalis donatio mediatoris Chriſti, quo læſæ iuſtitiæ diuinæ fiat ſatis c): *Quartus* eſt deſtinatio mediorum, quibus tum æterna ſalus ſatisfactione Chriſti parta, tum vires credendi omnibus hominibus offeruntur, vt ſatisfactionem Chriſti ad ſalutem acceptare, & ſibi applicare queant d). *Actus beneuolentiæ Dei vniuerſalis.*

Prob. a. *Concluſit Deus omnes ſub incredulitatem, vt omnium miſereatur*, Rom. XI, 32. Conuincit Deus omnes homines congenitæ ἀπιςίας, ſiue incredulitatis, atque argumentis inuictis demonſtrauit, omnes omnino homines, ſanguine Adami cretos & via naturali genitos, æternæ mortis reos, atque perennibus ſuppliciis dignos eſſe, ſi ex rigore iuſtitiæ cum illis acturus eſſet. At Deus placabilis, vſus temperamento iuris in lapſos miſerabiles, omnium miſertus eſt veniam criminum omnibus concedendo, vt tam late diffunderetur miſericordia diuina, quam late ſe extendit miſeria humana.



*) Vnius rei, aut actionis, plures poſſunt eſſe fines, vnus quidem ſummus ac principalis, ſed forſitan multi inferiores. Deus gratiam ſalutarem etiam iis, quos eam recuſaturos prævidit, offerre voluit eo conſilio, vt nullus eorum eſſet iuſte ſe excuſaturus, ſed omnes eſſent ἀναπολόγητοι, Ioann. XV, 22 Multum ſane valebit argumentatio κατ' ἄνθρωπον, & ea quidem duplex. Vna, quæ ducitur ab ea ſententia, in qua nobiſcum conſentiunt, hac in cauſa diſſentientes: Naturalis cognitio Dei, ac lex naturæ, omnium hominum animis inſita atque innata eſt, quamuis Deus præſenſerit, fore pleroſque, qui non conuenienter naturæ, congruenterque viuerent. Quare autem tributa omnibus eſt facultas illa naturalis? Quippe propterea, vt nihil haberent ſcelerati homines, quo ſuam & ignorantiam, & animi obſtinationem excuſarent. Rom. I, 20. II, 15. Altera, qua vrgemus aduerſarios petita eſt a falſa opinione, quam illi quidem tamquam veram adſumunt. Dicunt, offerri quidem omnibus mortalibus ſalutarem gratiam, at non omnibus eadem efficacitate, & qui ſubtiliter diſputant, hoc præ ſe ferunt, Deum vocare omnes, immo & ſingulos, ſed non eadem atque æquali beneuolentia. Quæramus igitur ex illis: qua mente Deus id faciat? Quo conſilio eos vocet, quocumque demum modo? quum probe ſciat ipſe, ne hanc quidem vocationem illos accepturos eſſe. Hoc profecto eſſet, fruſtra agere, ſi quid Deus ageret voluntate *non efficaci.*

Digitized by Google

Prob. b. Miſericordia diuina eſt cupida ſalutis omnium mortalium: vult enim Deus miſericordiſſimus *omnes homines ſaluari, & ad agnitionem veritatis venire,* 1 Tim. II, 4. *vult, vt impius conuertatur a via ſua & viuat,* Ezech. XVIII, 23. c. XXXIII, 11.

Prob. c. Quia in Deo non tantum eſt gratia & miſericordia, ſed etiam iuſtitia, mouet gratia Deum ad decernendam hominibus ſalutem non quocunque modo, ſed quoad illud ſalua eius iuſtitia immutabili fieri poterat. Iuſtitia vero vindicatiua mouet Deum ad exigendam pro peccatis ſatisfactionem, aut, ea deficiente, ad vindicandum peccata morte æterna. Quamobrem, cum peccator propriæ præſtandæ ſatisfactioni pro ſe & pro aliis eſſet impar (*Frater quippe non redimendo redimet virum; non dabit Deo expiationem eius. Pretioſior namque eſt redemtio animæ eorum, vt omittat in æternum,* Pſ. XLIX, 8.): miſericordia Deum mouit, vt hominibus, quibus volebat remiſſionem peccatorum & vitam æternam offerre, proſpiceret de aliena ſatisfactione, quam lubens præſtitit Chriſtus, æternus Dei filius, qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον, pretium redemtionis pro omnibus, 1 Tim. II, 6. Idcirco beneuolentiæ Dei vniuerſali tribuendum eſt, quod Deus vniuerſo generi humano lapſo dederit mediatorem Chriſtum, qui pro peccatoribus legem impleret, & pœnas transgreſſionum vicarias ſolueret. Quam diuinam φιλανθρωπίαν deprædicat ipſe Saluator, Io. III, 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum dederit.* Et Paullus Rom. V, 8. *Commendat ſuam dilectionem erga nos Deus, quod, adhuc peccatoribus exiſtentibus nobis, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Collaudat eandem S. Ioannes 1. ep. IV, 9. 10. *In hoc manifeſtata eſt dilectio Dei erga nos, quod Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per illum. In hoc eſt dilectio, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ille dilexerit nos, & miſerit Filium vnigenitum propitiationem pro peccatis noſtris.*

Prob. d. Non prodeſſet nobis ſatisfactio mediatoris Chriſti, niſi diuinitus ſuppeditata nobis eſſent media, quibus eam noſtram faceremus, aut nobis applicaremus. Media illa ſunt tum verbum & ſacramenta, quibus parta ſatisfactione Chriſti ſalus omnibus offertur; tum vera fides, qua ſatisfactio Chriſti acceptatur, & ad ſalutem applicatur. Hæc media Deus nulli homini abſolute & ſimpliciter denegat. Iuſſit enim Deus φιλάνθρωπος *euangelium prædicari omni creaturæ,* Marc. XVI, 15. *Et Chriſtus* in cœlum ſubuecturus diſcipulos ſuos ſic inſtruebat: *Euntes ergo diſcipulos facite* (mihi) *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quin *fidem* etiam Deus *omnibus offert,* Act. XVII, 31.

Quæſt. VII. *Quorum vult Deus miſereri?*

*Obiectum beneuolentiæ.* Deus non vult miſereri angelorum lapſorum a), vult autem miſereri omnium & ſingulorum hominum peccatis corruptorum; quos iudicio diuino miſerabiles Deus ex abyſſo miſeriæ eruere, & per certa media ad æternam beatitudinem deducere ſe ſerio velle oſtendit b).

Prob. a. 1) Quia Deus *angelis, qui peccarunt, non pepercit,* 2 Petr. II, 4. Horrendam angelorum apoſtaſiam Deus iudex iuſtiſſimus ſubtractione omnis gratiæ æternum punit. Id quod perſpicue docet S. Iudas ep. v. 6. Deus *angelos eos, qui non retinuerunt ſuam originem, ſed reliquerunt proprium domicilium, in iudicium magni diei vinculis perpetuis ſub tenebris reſeruauit.* 2) Cum angelis lapſis nullus diuinitus datus ſit mediator, ſalua iuſtitia diuina a ſuppliciis liberari nequeunt. Ideo Apoſtolus Hebr. II, 16. *nuſpiam,* ait, *Filius Dei angelos aſſumſit, ſed ſemen Abrahæ.* 3) Cauſſam, cur diabolus iudicio diuino immiſerabilis ſit reputatus, non expreſſit S. ſcriptura; priſci tamen patres probabiles quaſdam fideique

Digitized by Google

fideique analogas reddiderunt rationes rigoroſi iudicii diuini in angelos lapſos, quas collegit D. GERHARD. in *Comment. in 2 Petr. II. p. 205.* Nimirum omnis gratia diuina denegata eſt diabolo, quia a) ſponte ſua, nemine inſtigante, a Deo defecit, & ſeductor fuit hominis ſeducti, directo in creatorem odio. b) Quamuis etiam reliqui angeli lapſi a duce & anteſignano diabolo ſint ſeducti: omnes tamen liberrima προαιρέσει peccarunt; at poſteri Adami neceſſitate naſcendi in peccati reatum inciderunt. c) Niſi Deus noſtri miſertus eſſet, periiſſet vnius hominis peccato vniuerſum genus humanum; cum tamen vnius angeli peccato non omnes perierint, ſed vnusquisque eorum peccato proprio miſeriam contraxerit.

Prob. b. Miſericordia Dei complectitur omnes homines peccatores, non quatenus, aut quia *peccatores* ſunt: *Deus* enim *iniquitatem nolens odit operantes iniquitatem*, Pſ. V. 5. Sed quatenus ſunt *miſerabiles*, corrupti peccatis & in his mortui, propriis viribus deſtituti, ad reſtituendum ſeipſos in ſtatum gratiæ. Quare obuerſante intellectui diuino communi hominum miſeria, omnium eſt miſertus, omniumque liberationem & ſalutem per certa media procurare ſerio intendit. Etenim 1) ipſe ſalutis aſſertor & vindex, Ieſus, coſmophiliam Dei vniuerſalem deprædicat, Io. III, 16. *Adeo Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed vitam æternam habeat.* Quo aureo euangelii compendio conſiderandus nobis proponitur *dilector, dilectionis obiectum, modus & finis. Dilector* eſt Deus Pater (non tamen excluſa ſecunda & tertia diuinitatis perſona: Nam & Chriſtus nos dilexit, Eph. V, 25. Gal. II, 20. & per Spiritum Sanctum dilectio Dei effuſa eſt in cordibus noſtris, Rom. V, 5.). Tribuitur autem dilectio peculiari ratione *Deo Patri*; ſicut enim is eſt fons diuinitatis: ita etiam eſt fons τῆς φιλανθρωπίας, erga homines. *Obiectum* dilectionis eſt mundus, per quem intelliguntur omnes homines peccatores, non quatenus peccatores, ſed quatenus indigi ſunt commiſerationis. Confirmatur hæc expoſitio a) ex v. 18. vbi mundus, ſiue homines, per mundum ſignificati, in duas claſſes diſpeſcuntur, *credentes & non credentes*; & additur: *vt, qui ex mundo credunt, vitam æternam habeant: alii vero ex mundo, qui non credunt, damnentur.* b) *Vox*, mundus, *ſumta ſenſu ſpeciali, notat homines impios*, v. gr. mundus non poteſt recipere Spiritum veritatis, Io. XIV, 17. mundus totus in maligno iacet, 1 Io. V, 19. *Senſu generali accepta tam pios, quam impios homines deſignat*, vt hoc loco, *nunquam autem & nusquam in vniuerſa ſcriptura S. ſignificat ſolos electos.* c) Mundus ille intelligitur, cui euangelium de Chriſto eſt prædicandum, Matth. XXIIX, 19. Sed mundus ille eſt vniuerſum genus humanum, Marc. XVI, 15. *Modus* dilectionis innuitur particula, ὅτως, *adeo*, vt deſignetur dilectio ardentiſſima & intenſiſſima, cuius illuſtriſſimum argumentum & incomparabile pignus eſt Filius Dei vnigenitus, datus mundo mediator & ſatisfactor. *Finis* dilectionis eſt, vt omnes homines, ſatisfactionem Chriſti vera fide ſibi applicantes, immunes ſint ab æterna condemnatione, compotes autem æternæ vitæ. Argumentamur: Quæcunque dilectio complectitur omnes homines mundum hunc incolentes, illa ratione obiecti eſt vniuerſalis. Atqui ardentiſſima Dei Patris dilectio, qua permotus eſt ad dandum mundo Filium ſuum vnigenitum mediatorem, vt omnes homines vera fide ſatisfactionem ipſius ſibi applicantes æternam vitam habeant, complectitur omnes homines mundum hunc incolentes. Ergo (*). 2) Apoſto-

(*) Præter hæc argumenta, ſane firmiſſima, non minus firmus probationis neruus in arctiſſimo ineſt vinculo, quo hæcce verba copulata ſunt cum ante dictis, v. 14. 15. Scilicet ſerpentem æneum, Chriſti imaginem, Dei iuſſu atque auctoritate Moſes propoſuerat in conſpectu omnium, vt *vnusquisque* (כל, ac deinceps איש, Num XXI, 8. 9.) dum modo in eum intueretur, ſaluus euaderet. E. etiam κόσμος non ſolum vniuerſum hominum genus deſignat, ſed & *ſingulos* ex omni genere, ideoque diſerte dicitur, v. 15. πᾶς ὁ πιςεύων, *vnus quisque*, modo is velit ad Chriſtum reſpicere, & ſibi oblatam ſalutem accipere.

Digitized by Google

2) Apoſtolus Paullus diſerte dicit 1 Tim. II, 4. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Obſeruamus in hoc dicto claſſico (a) voluntatem Dei antecedentem de hominibus miſeris ſaluandis; (b) voluntatis huius obiectum: *omnes homines*, per quos non intelliguntur omnis generis homines, ſed homines ſinguli in ſtatu miſeriæ conſtituti, adeoque ſalutis indigi & ſaluabiles (nondum actu damnati). Quæ expoſitio ex συναφείᾳ textus diſpaleſcit; quia (α) vox, *omnis*, primario ſignificat ſingulos generum: ſecundario genera ſingulorum. Tamdiu autem ſtat analogum pro ſignificatu principaliori, quamdiu cohæſio textus ab eodem nos recedere non cogit. (β) Firmatur hæc expoſitio ex antecedentibus & conſequentibus. Nam eos homines, pro quibus orandum eſſe præcepit Deus, vult ſaluos fieri. Sed pro omnibus & ſingulis hominibus, etiam illis, qui poſtea damnantur, orandum eſſe, præcepit Deus. Ergo omnes & ſingulos homines, etiam illos, qui poſtea damnantur, vult ſaluos fieri. Maioris & minoris veritas patet ex antecedentibus. E conſequentibus autem ſic colligimus: Pro quibus hominibus Chriſtus ſeipſum dedit ἀντίλυτρον, ſiue pretium redemtionis, illos vult Deus ſaluos fieri. Sed pro hominibus omnibus Chriſtus ſeipſum dedit ἀντίλυτρον. Ergo (*).

3) Vniuerſalitas gratiæ diuinæ probatur ex Rom. XI, 32. *Concluſit Deus omnes homines in incredulitatem, vt omnium miſereatur.* Obſ. a) Concluſit Deus omnes homines in incredulitatem non αἰτιατῶς, cauſſaliter, aut effectiue, hominum mentibus incredulitatem immittendo, aut infundendo; ſed δικαστικῶς, iudicialiter, & declaratiue, omnes homines connatæ incredulitatis conuincendo, & declarando, omnes homines inconuerſos & irregenitos, ſaluificæ fidei eſſe expertes, adeoque æternæ mortis reos. b) Cum omnes deſtituerentur naturalibus viribus emergendi ex incredulitate, ex illa impotentia & miſeria Deus occaſionem ſumſit omnium miſerendi. Vnde argumentum: Quos Deus connatæ incredulitatis conuicit, & declarauit, æternæ mortis eſſe reos, illorum miſertus eſt: Atqui homines omnes &c. Ergo.

4) Vniuerſalitatem gratiæ diuinæ commendat Paullus Act. XVII, 30. 31. *Tempora ignorantiæ videre transmiſit Deus, in præſens præcipit hominibus omnibus vbique, vt pœnitentiam agant: propterea quod conſtituit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in iuſtitia per virum, quem deſtinauit, fidem offerens omnibus, poſtquam ſuſcitauit illum ex mortuis.* Obſ. a) Tempora ignorantiæ vocantur tempora V. T. comparata ad lucem euangelii, miniſterio apoſtolorum in N. T. latiſſime diffuſam. b) Ὑπεριδεῖν notat longanimitatam Dei, cui licet abunde cauſſarum fuerit delendi peccatores, hoc tamen non fecit, ſed tempora N. T. ſub quo euangelium omnibus prædicandum erat, exſpectauit, ſi vel tum de ignorantia ſua pœnitentiam agerent. c) Apertiſſime commendatur hoc dicto Paullino gratia Dei vniuerſalis; quoniam teſte Apoſtolo Deus omnes homines, omnibus locorum interuallis degentes ad pœnitentiam inuitat, & promtus eſt ad dandum fidem omnibus per ordinata media. E quibus necti poteſt argumentum: Quibus hominibus Deus præcipit pœnitentiam agere, fidemque offert, illorum vult ſalutem. Atqui omnibus hominibus vbique viuentibus &c. Ergo.

5) De vniuerſalitate gratiæ Dei ſalutiferæ perſpicue teſtatur idem Apoſtolus, Tit. II, 11. *Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus.* Docet apoſtolus his verbis, gratiam Dei ſalutiferam omnibus eſſe obuiam, omnibus ex æquo expoſitam. Vt enim ſol naturalis omnibus hominibus illuceſcit: ita gratia Dei omnibus apparuit, omnesque vult illuminare, modo oculos mentis malitioſe non claudant.

6) Vniuer-

(*) Nomen, πάντες, ſi nihil adiectum ſit, quod vim vocis cohibeat, ita late patere, vt *ſingulos* denotet, illuſtri quodam exemplo diſcimus, Rom. XIV. quo in loco vir diuus 1) πάντας, v. 10. deinceps v. 12. diſerte interpretatur, ἕκαστος, 2) ex dicto citato v. 11. in quo Vates de omnibus loquitur, effert hanc conſequutionem, quæ ad ſingulos attinet.

Digitized by Google

6) Vniuerſalitas gratiæ diuinæ patet etiam e luculento effato Apoſtoli Petri, 2 Epiſt. III, 9. *Deus longanimus eſt erga nos, non volens quosdam perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Repræſentatur his verbis S. Petri longanimitas diuina, quæ etiam ad reprobos extenditur, Rom. II, 4. Rationem τῆς μακροθυμίας, ſiue longanimitatis diuinæ, Apoſtolus tum negatiue, tum affirmatiue enuntiat. Enuntiatio negatiua eſt: Deus non vult aliquos perire; quæ nullam exceptionem aut excluſionem admittit. Affirmatiua eſt: *Deus vult, vt omnes ad pœnitentiam reuertantur.* Quæ propoſitio ratione obiecti vniuerſalis eſt, adeoque non reſtringenda ad genera ſingulorum, aut ſolos prædeſtinatos. Omnes quippe homines Deus ad pœnitentiam vocat & hortatur, Luc. XXIV, 47. Act. XVII, 30. ſicut erga omnes μακροθυμίαν ſuam demonſtrat, differendo adhuc diem iudicii, de quo v. 10. quam etiam ad ipſos empæctas, qui aiunt: *Vbi eſt promiſſio aduentus ipſius?* ſeſe extendere, συνάφεια textus docet. Ex his colligimus: Erga quos homines Deus eſt longanimus, quosque non vult perire, ſed ad pœnitentiam conuerti, illos complectitur gratia Dei ſalutifera: Sed Deus eſt longanimus erga homines omnes, neque vllum vult perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti; Ergo gratia Dei ſalutifera complectitur omnes homines.

Dicis: S. Petrus loquitur de ſolis electis; quia dicit: *Deus longanimus eſt erga nos.* Reſp. Verbis illis apoſtolus non reſpicit conditionem hominum ex fide vel incredulitate diuerſam, ſed conditionem miſeriæ poſt lapſum, omnibus hominibus communem. Quibus ſe annumerat Petrus, iuxta illud Paulli, Rom. III, 23. *Omnes enim peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei.*

7) Deus vniuerſalem ſuam beneuolentiam iuramento confirmat, Ezech. XXXIII, 11. *Viuus ego, dictum Adonai Iehouah, ſi velim mortem impii, ſed vt conuertatur impius a via ſua & viuat.* Obſ. a) Declarat Deus benigniſſimus hoc iuramento affectum ſuum in omnes homines, omni tempore propenſiſſimum. Neque enim vllus impius conuertibilis hic excipi debet, quam Deus non excipit: & quamdiu impius, in via conſtitutus, ſalutis capax eſt, Deus non vult eius mortem, ſed vitam. b) Sermo eſt de morte æterna, quam pœnitens per gratiam Dei euitare poteſt; at mors temporalis ne pœnitenti quidem eſt declinabilis; pari ratione ſermo eſt de vita non temporali; quippe quam in multos ſæpe annos producit, qui non conuertitur: ſed de vita æterna, vtpote quæ eſt finis conuerſionis Act. XI, 18. c) Τὸ velle hic non notat tantum εὐαρεστίαν, ſiue delectationem, ſed etiam εὐδοκίαν, ſiue ſerium & efficax beneplacitum, quo Deus vult finem, ſiue vitam peccatoris per validum medium, nimirum pœnitentiam. Quibus præſtitutis colligimus: Quicunque omnium impiorum conuerſionem & æternam vitam ſerio intendit, illius beneuolentia in genus humanum lapſum eſt vniuerſalis: Atqui Deus &c. Ergo (*).

Dubia

(*) Si dicta probantia in varias claſſes diſtribuere velimus, omnino DECEM ſunt eorum genera. In PRIMO ſunt illa ſcripturæ loca, in quibus beneuolentia Dei erga *mundum*, ſine vlla exceptione, immo erga *vniuerſum* mundum, prædicatur, Io. III, 16. 1 Io. II, 2. In SECVNDO numerantur ea effata, quæ aperte teſtantur, Deum velle *omnes* homines ſaluos efficere, 1 Tim. II, 4. Tit. II, 11. Ad hanc claſſem referri debent, quæ ſunt eiusmodi, vt propoſitionem ſignificent indefinitam, quæ dici ſolet, vtpote quæ idem valet, ac vniuerſalis, vt ſunt: Matth. XVIII, 11. 1 Tim. I, 15. In TERTIO videmus ea loca, in quibus plane ſcriptum exſtat, hanc benignam Dei voluntatem ad *ſingulos* pertinere, 2 Pet. III, 9. Ezech. XVIII, 32. XXXIII, 11. Eamdem vim obtinet vocula, πᾶς, quando enim illa, numero vnitatis vſurpata, non de hominum genere, ſed de vno homine adhibetur, non poteſt non vnum quemque, ſiue ſingulos, ſignificare, v. gr. Col. I, 28. In QVARTO exſtant enuntiata, quibus argumentatio de communi Dei gratia hominibus omnibus peræqueparata, efficitur ex *communi atque æquali omnium miſeria.* Iſta concluſio nititur hoc principio: Vbi par eſt ratio, ibi par quoque conſequutio. Atqui Deus, miſera-



Digitized by Google

Dubia aduerſus vniuerſalitatem gratiæ diuinæ ſequentia formari poſſunt.

I. Quos Deus vult ſaluari voluntate beneplaciti, illi ſaluantur: At non omnes ſaluantur: E. non vult Deus ſeria voluntate beneplaciti omnes ſaluari. *Maior* probatur; quia homo impotens voluntati Dei omnipotentis non poteſt reſiſtere, Rom. IX, 19. Reſp. Quos Deus vult ſaluari abſolute per *abſolutam* ſuam potentiam, illi neceſſario fiunt ſalui. Ratio: quia homo impotens voluntatem & potentiam Dei abſolutam non poteſt impedire. At Deus vult hominem, in peccatum prolapſum, ſaluari ſub certa τάξει, ſeu ordine mediorum per potentiam *ordinatam;* cui homo reſiſtit, ordinem conſtitutum negligendo. Proinde ex euentu de efficacia voluntatis diuinæ iudicare haud licet. Sane Deus vult perfectam decalogi obſeruantiam, quæ tamen eidem ab hominibus non præſtatur.

II. Quicunque miſeretur, quorum vult miſereri, & indurat, quos vult indurare, illius miſericordia non eſt vniuerſalis, ſed particularis, non conditionata aut ordinata, ſed abſoluta: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* per ſe eſt liquida. *Minor* probatur ex Rom. IX, 18. Reſp. a) Non loquitur Apoſtolus l. c. de *miſericordia Dei generali, aut vniuerſali,* ſed *ſpeciali,* qua credentes in Chriſtum iuſtificat, vt videre eſt e v. 30. adeoque non agit *de voluntate Dei antecedente, ſed conſequente.* b) Miſericordia Dei *libera quidem, ſed non abſoluta eſt.* Libera eſt a neceſſitate obligationis, tum quia nullum ius Deum obligat ad commiſerationem generis humani lapſi; tum quia œconomia ſalutis, per fidem in Chriſtum impetrandæ, a liberrima Dei voluntate pendet; quæ tamen æquitati & iuſtitiæ apprime conformis eſt. c) Indurat Deus quem vult, non

miſeratione ductus, procurare voluit hominum ſalutem recuperandam. Miſeratio reſpicit nil, niſi miſeriam. Miſerrima hominum conditio naturalis eſt profecto omnium ac ſingulorum eadem & æqualis, ſine vlla differentia, Rom. III, 23. E. diuina miſericordia pariter ad omnes ac ſingulos ſpectat homines. Huius generis dicta ſunt potiſſimum quatuor: Matth. XVIII, 11. Luc. XIX, 10. Rom. XI, 32. & planiſſime apertiſſimeque, Rom. V, 18. 19. 20. vbi clariſſimum cernimus teſtimonium, quod beneuolentia Dei, qua is hominum miſertus eſt, ratione quidem hominum, qui peccarunt, æque late pateat, ac eorum calamitas, quantum vero ad peccata, multo latius, v. 15. 16. In QVINTO continentur ea dicta, quæ nos dubitare non ſinunt, quin *Chriſti promerita* ad *omnes* pertineant mortales, 1 Tim. II, 5. 6. & ita quidem, vt inter omnes *ſpeciatim* ac præcipue nominentur Chriſto confiſi, quorum quidem *maxime* ſit ſalus, tanto pretio parta (nimirum ratione acceptionis fructusque) 1 Tim. IV, 10. Non de prouidentia Dei & conſeruatione vitæ temporalis loquitur Legatus Chriſti, vt perperam ſibi perſuadent aduerſarii, diuinam prouidentiam, rati, tum generalem, tum ſpecialem, his verbis ſignificatam eſſe: Falſo. Adfirmamus quidem, Deum Patrem interdum adpellari σωτῆρα, v. g. 1 Tim II, 3. 4. Tit. III, 4. coll. cum v. 6. Negamus autem, eum ita nominari ratione prouidentiæ & conſeruationis. Etenim 1) Nomen hoc, σωτήρ, non conſeruatorem denotat, ſed liberatorem, qui aliquem ex miſeria eripit. 2) Vbique hæc vox refertur ad eam gratiam, quæ in Chriſto eximie declarata eſt, quæ recuperandæ ſaluti deperditæ, non temporali ſed & ſempiternæ conſuluit, quæ excellenter dicitur χάρις ἡ σωτήριος, ad Tit. II, 11. III, 4. 7. Itaque, ſicubi Pater vocatur σωτήρ, indicatur eo nomine decretum ipſius de æterna ſalute, omnibusque rebus, ad eam tum adquirendam, tum adplicandam, neceſſariis, vt ſolum, plane adparet ex locis citatis, 1 Tim, II, 3. 4. Tit. III, 4. 6. 3) In hoc ipſo loco, in quo explanando verſamur, tria argumenta ſunt, luce clariora. (α) Paullus ante dixit de vita æterna, v. 8. (β) Adhibet hanc adſeuerationem: πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, v. 9. quæ dicendi ratio non de aliis rebus vſurpari ſolet, quam de cauſſis ad ſalutem æternam, Chriſti beneficio reſtitutam, ſpectantibus, vid. c. I, 15. III, 1. coll cum antec. II, 15. 2 Tim. II, 11. 12. add. v. 10. Tit. III, 7. 8. (γ) De ea re diſſerit, propter quam ipſe grauiſſimas vexationes erat perpeſſus, v. 10. Id vero, quod tanta ipſi incommoda adtulit, quod etiam conſolatione maxima animum ſuſtentauit, nihil fuit aliud, quam fiducia ſalutaris, in Chriſto ſponſore Deoque reconciliato poſita, qua fretus ipſe æternam beatitatem exſpectauit, 2 Tim. I, 12. SEXTVM genus conſtituunt verba ſcripturæ, quorum hæc eſt ſententia: fieri poſſe, vt illi, *quorum cauſſa*

Digitized by Google

non effectiue duritiem immittendo, ſed iudicialiter, propterea, quod Deus in pœnam peccatorum præcedentium impios permittit indurari, gratiam toties repudiatam ſubtrahit, peccatorem refractarium deſerit, eundemque Satanæ & propriis cupiditatibus tradit.

III. Quicunque Iacobum dilexit, & Eſauum odio proſecutus eſt, priusquam quidquam boni, aut mali fecerunt, is non omnium hominum vult ſalutem: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia quem Deus citra intuitum peccati odit, illum abſolute ab æterna ſalute reprobat. *Minor* patet ex Rom. IX, 11. 12. 13. *Cum nondum nati eſſent* (pueri), *neque feciſſent quidquam boni aut mali, vt, quod ſecundum electionem Dei* (*eſt*), *propoſitum maneret; non ex operibus; ſed ex vocante dictum illi eſt: quia maior ſeruiet minori. Sicut ſcriptum eſt: Iacobum amaui, Eſauum vero odio habui.* Reſp. Oraculi huius apoſtolici tum *ſenſus litteralis*, tum *accommodatio typica* penſitanda eſt. (I) Ad recte intelligendum *ſenſum litteralem* multum faciet collatio dictorum V. T. quæ Apoſtolus reſpicit. Cum v. 12. inquit; *Maior ſeruiet minori,* reſpicit Gen. XXV, 23. Dixit Iehouah: *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex viſceribus tuis ſeparabuntur; ſed populus præ populo præualebit; maiorque ſeruiet minori.* E quibus verbis patet, Apoſtolum loqui 1) non *de perſonis ſingularibus Eſaui & Iacobi, ſed de integris gentibus orituris ex ipſis,* quæ quatenus in eorum lumbis tum fuiſſe cenſebantur, dicuntur eſſe in vtero Rebeccæ; atque populo minori, ſeu qui ex Iacobo, filio Rebeccæ natu minori, ortum ducturus eſſet, dominium promitti in populum maiorem ex Eſaui, filii Rebeccæ natu maioris & primogeniti, ſanguine procreandum. Quod ipſum etiam euentus comprobauit: quandoquidem



*cauſſa Chriſtus mortem oppetiit, æternam ſubeant perniciem.* Rom. XIV, 15. 1 Cor. VIII, 11. In SEPTIMO ſunt ea, quæ certiores nos faciunt, *damnatos* etiam homines *Chriſti proprios* eſſe, eumque, *Dominum ſuum ac Liberatorem,* perfide negare. Matth. XXIII, 37. Io. I, 11. 2 Pet. II, 1. Ratio autem dominii quod Chriſto vni adſerendum eſt, continetur in pretio, quod pro omnibus ſoluit ipſe vnus, atque adeo iure emtionis nos ſibi obſtrictos deuinctosque fecit, 2 Cor. V, 15. 2 Pet. II, 1. Huius generis effata tanto ſanctius obſeruanda ſunt, quanto maiori confidentia aduerſarii nos impugnant hac oppoſitione: quod Chriſtus peſſimos mortalium, damnationi adiudicatos, nunquam *oues ſuas* vocauerit. Sufficit, quod *ſuos* eſſe, faſſus eſt. Ratio autem, quam ob rem *ouium* ſuarum nomine indignos eos habuerit, ſita eſt in eo: quod ſimilitudo, quæ ab ouibus ducitur, amorem deſignat *mutuum*, & Chriſti erga homines, & hominum viciſſim in Chriſtum, cui dicto audientes ſunt illi, Io. X, 4. 5. 12. 14. 26. 27. OCTAVVM genus nobis conſideranda præbet dicta huiusmodi, quæ clare nos edocent, *media gratiæ adplicantis* hominibus ad extremum vsque *contumacibus* offerri, & his quidem *non minus*, quam illis, qui voluntati Dei obſequuntur. Act. XVII, 31. (πάντι, i. e. ſingulis, quod patet ex cohærentia verborum: quoscunque Deus aliquando iudicaturus eſt, eisdem & fidem ſalutarem dare paratus eſt). Rom. X, 16. add. 18. 19. Hebr. IV, 2. (καθάπερ, pariter, ac illis. E. ne quidquam valet, quam Reformati, & qui a IANSENII ſtant partibus, excogitarunt, diſtinctio gratiæ vocantis, quæ alia ſit efficax, alia non item). Adiungimus hanc argumentationem: Deus in negotio ſalutis noſtræ nobiſcum agit haud aliter, quam per certa quædam *media* (id quod Reformati, & Ianſeniſtæ ac Prædeterminantes, ipſi profitentur). Hæc ſalutis media, ratione hominum ad vnum omnium, aut *eadem* ſunt, aut *diuerſa*. At nullum nobis medium commendatur aliud, præter verbum & Sacramenta, verbum autem non aliud, quam ſcriptum, ſcripturæ congruenter nuntiatum, auribusque perceptum. Rom. X, 14. 17. E. *eadem* adhibentur media. Verbum, quod electi audiunt, itidem audiendum damnatis proponitur. Hoc verbum ſuam *in ſe* habet *efficacitatem*, nimirum vim veritatis diuinæ, ſemper *vnam eamdemque,* Ierem. XXIII, 29. 1 Pet. I, 23. & 25. Hebr. IV, 12. (quod qui infitiari auſit, næ eum oporteret fanaticis opinionibus imbutum eſſe). Perficiamus argumentationem: Si *eadem* ſunt *media* ſalutis, ſi ea ſemper ſunt *per ſe efficacia*, ſi *eadem* perpetuo eſt *vis veritatis*, ſemper vnius eiusdemque: conſequens eſt, vt *gratia* quoque ipſa ſit *eadem* ſemper, *eodemque* modo *efficax*, & nihil requiratur amplius, quam animi attentio, *rectusque vſus* mediorum, quod ad *homines* attinet. Ex NONO genere ſunt ea, quæ ſeueritatem animaduerſionis indicant, ob *neglectionem contemtionemque*

Digitized by Google

doquidem Eſauus nunquam ſeruiuit Iacobo, ſed potius Iacobus ſingulari ſubmiſſione veneratus eſt Eſauum, vid. Gen. XXXIII, 3.; Idumæi autem, originem ſuam referentes ad Eſauum, ſeruierunt Iudæis, poſteris Iacobi: Dauid enim in ſeruitutem eos miſerat, 2 Sam. IIX, 14. Quamobrem Deus in conferendis beneficiis temporalibus poſteros Iacobi poſteris Eſaui prætulit. Id quod Apoſtolus porro confirmat ex Malach. I, 2. 3. *Dilexi Iacobum, Eſauum autem odio habui.* Vbi 2) ſermo eſt non de *odio poſitiuo*, quo quis contemnitur, reiicitur & oppugnatur, ſed *comparatiuo*, quō quis minus amatur. Vocabulum enim, *odium* ſtilo ſcripturæ familiari aliquando notat poſtpoſitionem aut dilectionem minorem, vt Gen. XXIX, 30. 31. Deut. XXI, 15. Luc. XIV, 16. collato Matth. X, 37. Io. XII, 35. Certe Eſauus a Deo non ſimpliciter odio poſitiuo reiectus eſt, cum conſtet, illum non omnis benedictionis expertem relictum eſſe. Nam per fidem de futuris benedixit Iſaacus Iacobo & Eſauo, vt ait Apoſtolus, Hebr. XI, 20. De quo vide Gen. XXVII, 39. 40. 41. 3) Dilectio Dei alia eſt *ſaluifica*, qua æterna confertur ſalus: alia generatim dicta *benefica*, qua beneficia temporalia conferuntur. Quando Deus dicit: *Dilexi Iacobum, Eſauum autem odio habui*, non eſt ſermo de dilectione Dei ſaluifica, perinde, ac ſi omnes poſteri Iacobi ad vitam æternam electi, contra, omnes poſteri Eſaui æternum reprobati ſint; ſed de dilectione benefica, vt ſenſus ſit: *magis amaui* Iacobum, conferendo in ipſum & poſteros eius maiora beneficia, atque concedendo ipſi poſſeſſionem terræ Canaan, melle & lacte fluentis, iuxta atque prærogatiuam dominii; *minus autem amaui* Eſauum & poſteros eius, quippe quibus tantum

deſerta

*tionemque gratiæ, ingratis oblatæ.* Id quod quinque fit modis: 1) vnum mortalium quemque de euitanda hac ſumma iniuria admonendo, 2 Cor. VI, 1. Hebr. IV, 1. XII, 15.: 2) Contemtoribus iniuſtitiam repugnantiæ ſuæ exprobrando, Gen. VI, 3. Ieſ. LXIII, 10. Luc. VII, 30. Act. VII, 51., 3) lenitudine iræque tarditate eos tolerando, & ea quidem ditiſſima, Rom. II, 4. IX, 22. idque prorſus ea mente, vt vnus eorum quisque ſpatium habeat reſipiſcendi, 2 Pet. III, 9.: 4) Omnem illis excuſationem denegando, Io. XV, 22. quum Deus nihil fecerit reliqui, quod ad illos ab errore reuocandos pertineret, Prou I, 25. Ieſ. V, 4. 5.: 5) pœnas illis iuſtiſſimas denuntiando, Prov., I, 24-26. Matth. XI, 20. ſqq. XXIII, 37. Luc. XIII, 5. 6. 7. 8. Act. XIII, 46. DECIMVM denique genus ſuo ambitu continet ea dicta, quibus *noſtra officia erga alios homines*, qualescunque ſint illi, ac vel *maxime improbos obſtinatosque, ex gratia Dei ſalutari ac promeritis Chriſti efficiuntur*, tanquam conſectaria moralia, a principiis dogmaticis ducenda. Primum argumentamur hoc modo: *Quanta* ſunt noſtra, quibus aliis deuincti ſumus, officia, *tanta* non poteſt non eſſe amplitudo principiorum ac fundamentorum, quibus illa nituntur, nimirum gratiæ Dei ac meritorum Chriſti. Si illa omnino ſunt tanta, vt ad omnes ac ſingulos pertineant; hæc æque tanta ſit, neceſſe eſt. 2) *Qualia* debent eſſe officia noſtra, aliis præſtanda, *talia* etiam ſunt certe eorum fundamenta ac principia, nimirum beneuolentia Dei ac beneficia Chriſti: Atqui illa ſemper debent eſſe ſeria atque efficacia: E. & gratia ſalutaris meritorumque Chriſti oblatio ſemper eſt ſeria atque efficax. His præmiſſis, proferam hæc tria præcipua: 1) *precatio pro ſalute hominum omnium*, 1 Tim. II. 1. 2. Huius officii fundamentum eſt gratia Dei ac meritum Chriſti, v. 4. 5. Quinam vero, & quales erant illi, pro quorum ſalute preces fundendas poſtulabat Apoſtolus? Etiam Reges ac Principes, quorum ne vnus quidem tum temporis fuit Chriſto addictus. 2) *Σκάνδαλον nemini præbendum*, 2 Cor. VI, 3. & quidem propterea, quod Deus mundum ſibi vniuerſum reconciliauit, c. V, 19. 20. vbi vtraque prædicatur gratia, tum adquiſitionis, tum adplicationis. Illi vero, quibus poſſumus σκανδάλῳ nocere, ſunt non probi ſolum homines, ſed etiam improbi, ab eccleſiæ ſocietate alieni, Rom. XIV, 15. 1 Cor. VIII, 11. 13. X, 32. & 33. 3) *Amor in inimicos*, quando quidem noſtra ad hanc virtutem colendam obligatio oritur ex propitia Dei voluntate erga quosuis homines, atque ex communione beneficiorum diuinorum non ſolum in regno naturæ, Matth. V, 45. ſqq. verum etiam in regno gratiæ. Ita nimirum Petrus, in prior. ep. c. I, 7. amorem *communem* erga omnes homines, tametſi nobis maxime infenſos, non minus, quam amorem *ſpecialem*, quo electos fidei ſocios complecti iubemur, ex fonte fiduciæ ſalutaris, in Chriſto collocatæ manare voluit, v. 2. vsque ad 6. & v. 8.

Digitized by Google

deſerta Seir cedent in habitationem; qui etiam ſtatuto tempore poſteris Iacobi ſeruient. Quin addit etiam Dominus, Mal. I, 3. *poſui montes eius vaſtitatem, & hereditatem eius draconibus deſerti*, h. e. Montoſa Idumæorum regio a Nabuchodonoſare, incolas in captiuitatem abducente, vaſtata manebit; poſteris autem Iacobi in terram Canaan redire, ſummaque regionis fertilitate frui meo dabitur beneficio. (II.) Sequitur iam *accommodatio typica*. Sicut Deus temporalibus beneficiis poſteros Iacobi poſteris Eſaui prætulit, dando poſteris Iacobi dominium in poſteros Eſaui, idque nec intuitu conditionis naſcendi, nec intuitu factorum ab ipſis bonorum operum, *vt propoſitum Dei, quod eſt ſecundum electionem* (intelligit Apoſtolus electionem ad prærogatiuam imperii), *firmum maneret non ex operibus, ſed ex vocante* (vocans eſt Deus, qui ad prærogatiuam dominii Iacobum per ſuum decretum & promiſſum vocabat): Ita in ſpiritualibus beneficiis Deus, pro ſuo beneplacito, gentiles præfert *Iudæis*, donando gentilibus, fide Chriſtum amplexis, non Iudæis, a fide Chriſti auerſiſſimis, iuſtitiam Chriſti, nulla habita ratione natiuitatis & ortus carnalis, vel operum legis. Id enim vnice intendit Apoſtolus toto capite IX. ad Romanos, vt tueatur atque aduerſus contradicentes defendat hanc doctrinam, quod iuſtitiam conſecutæ ſint gentes, non ſectatæ iuſtitiam ex operibus; Iudæi vero non conſecuti ſint iuſtitiam, ſectati eam ex operibus legis. Vid. v. 30. 31. Vnde conſequitur, gentiles eſſe adſcitos in populum Dei peculiarem, quem ex gratia propter Chriſtum, vera fide apprehenſum, iuſtificat: reiectos autem eſſe Iudæos a conſortio eccleſiæ & prærogatiuis, quibus antea gaudebant. Vid. v. 4. 5.

Dicis: Eſauus Hebr. XII, 17; dicitur profanus, & reprobatus, qui pœnitentiæ locum non inuenit, licet cum lacrymis eam quæſiuerit. Ergo. Deus Eſauum non tantum odio comparatiuo, ſed etiam poſitiuo, ſiue odio inimicitiæ proſecutus eſt. Reſp. 1) Eſauus vocatur profanus, ob contemtum & venditionem primogenituræ. 2) Dicitur idem reprobatus non ab æterna ſalute, ſed a priuilegiis & beneficiis temporalibus, quæ ius primogenituræ comitantur; qualia ſunt ſacerdotium & regnum, nec non promiſſio de Chriſto, ex illius, qui ius primogenituræ inter patriarchas habiturus eſſet, ſemine naſcituro. 3) Non eſt Apoſtolo ſermo de pœnitentia Eſaui, ſed patris Iſaaci. Sperabat quippe Eſauus, ſe lacrymis ſuis patrem Iſaacum permouere poſſe, vt benedictionis in Iacobum collatæ ipſum pœniteret, ſed hoc a patre impetrare minime potuit. Coniicit b. LVTHERVS in *Comment. in cap. 25. & 33. Geneſ.* Eſauum pœnitentiam egiſſe, & per fidem in Meſſiam ſaluatum fuiſſe. Rediit enim in gratiam cum fratre Iacobo, reuerſo ex Meſopotamia, Gen. XXXIII. a quo ſine dubio de colenda pietate fraterne monitus eſt, in primis circa ſepulturam parentis, Gen. XXXV, 29. 4) Fac, æternum reprobatum eſſe Eſauum, non tamen odio abſoluto citra intuitum incredulitatis reiectus eſt.

IV. In quibus hominibus Deus iram voluit oſtendere, illorum non vult miſereri. Atqui in quibusdam hominibus Deus ſuam oſtendere voluit iram, Rom. IX, 21. Ergo. Reſp. Deus in quibusdam hominibus oſtendere iram & notificare potentiam ſuam voluit, voluntate conſequente & intentione ſecundaria, ob malitioſam oblatorum gratiæ mediorum reiectionem; quæ tamen vaſa iræ propria malitia apparata ad interitum Deus longo tempore multa lenitate pertulit intentione primaria, vt ea ad pœnitentiam inuitet, Rom. II, 4.

V. Deus ex nonnullis hominibus facit vaſa iræ, Rom. IX, 22. Ergo non vult omnium ſalutem. Reſp. Verba Apoſtoli ſunt: *Quod ſi, cum vult Deus demonſtrare iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit cum multa longanimitate vaſa iræ, apparata ad interitum, & vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ ſuper vaſa miſericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.* E quibus verbis liquet, quod Deus quidem præparauerit vaſa miſericordiæ ad gloriam; at vaſa iræ non dicuntur a Deo apparata, ſed a Deo cum multa longanimitate tolerata. Quare

 homi-

Digitized by Google

homines indurati non a Deo, ſed a ſe ipſis, & a propria malitia ac voluntaria peruerſitate, facti ſunt vaſa iræ, apparata ad interitum; propterea, quod *conſilium Dei aduerſus ſcipſos ſpernunt*, Luc. VII, 30.

Inſtantia: Deus comparatur cum figulo, qui habet abſolutam poteſtatem, vt ex eadem maſſa faciat (vaſa), vnum quidem in honorem, alterum vero in ignominiam, Rom. IX, 12. Ergo Deus abſoluta poteſtate quosdam homines ad æternam gloriam, quosdam ad æternam ignominiam creauit. Reſp. 1) Simile non eſt extendendum vltra ſcopum auctoris. Dixerat Apoſtolus v. 18 *Deus, cuius vult, miſeretur; & quem vult, indurat.* Poterat antagoniſta quidam obiicere: *Quid adhuc incuſat? Voluntati enim eius quis reſtiterit?* Hanc obiectionem licet Apoſtolus potuiſſet *reſponſione directa* diluere & dicere, Deum in negotio iuſtificationis non agere potentia abſoluta, cui nemo reſiſtere poſſit, ſed ordinata, per certa media homines conuertendo & iuſtificando, quæ ordinaria media multi repellunt: placuit tamen Paullo reſpondere α) *indirecte*, per obiurgationem, hominum Deo obloquentium audaciam compeſcendo: Veruntamen, o homo, tu quis es, qui contra reſponſas Deo? Num dicet figmentum factori: *quare me feciſti ſic?* q. d. Num fas eſt, creaturam expoſtulare cum creatore, factique rationes ab eodem exigere? β) Reſpondet *directe*, partim oſtendendo, Deum habere liberam poteſtatem quosdam homines indurandi, partim docendo, ſuppetere Deo cauſſam, induratos iuſte accuſandi. Poteſtatem Dei oſtendit, ipſum v. 12. comparando cum figulo. Quodſi enim figulus poteſtatem habet luti, vt ex eadem maſſa faciat (vaſa), vnum quidem in honorem, alterum vero in ignominiam; quidni *Deus* liberrimam habeat poteſtatem ex genere humano lapſo alios quidem, qui voluntati & ordini diuino ſe ſubmittentes in Chriſtum credunt, iuſtificandi, ſiue pronuntiandi, eos eſſe vaſa, ad decus gratia diuina præparata; alios vero, qui voluntati & ordini diuino pertinaciter reſiſtentes non credunt, indurandi, & declarandi, eos eſſe vaſa, ad dedecus propria malitia apparata? Obſerues, quod figulus comparetur cum Deo ratione poteſtatis liberæ; differat ab eodem, quod a) figulus poteſtate abſoluta, Deus in negotio ſalutis poteſtate ordinata vtatur; b) quod figulus effectiue & poſitiuo influxu vas ad dedecus coagmentet, Deus autem induret iudicialiter, indurationem permittendo, præfracte contumaces deſerendo, iuxta atque induratos vaſa iræ, ad ignominiam propria culpa facta, declarando. Porro docet Apoſtolus, Deo ſuppetere cauſſam induratos iuſte accuſandi, v. 22. eo, quod vaſa iræ, apparata ad interitum, multa cum longanimitate toleret; benigna hac tolerantia induratos peccatores ad pœnitentiam inuitaturus, Rom. II, 4. 2 Petr. III, 9. Quamobrem Deus induratos peccatores perſeuerantis inobedientiæ, qua æternas commeruere pœnas, æquiſſimo iure accuſat.

VI. Quicunque vult omnium & ſingulorum hominum ſalutem, ille vult etiam ſalutem hominum, actu damnatorum: Deus non vult ſalutem hominum actu damnatorum: Ergo non vult omnium & ſingulorum hominum ſalutem. *Maior* patet; quia ſub omnibus & ſingulis hominibus etiam damnati comprehenduntur. Reſp. Deus vult omnium hominum, ſcilicet capacium ſalutis, qui in via conſtituti conuerti poſſunt, ſalutem. Actu damnati ſententiam finalem iam acceperunt, ideoque non ſunt ſalutis capaces.

VII. Si Deus homines omnes vult ſaluare, vult omnium hominum ſalutem vel abſolute, vel conditionate. Si omnium hominum ſalutem vult *abſolute*, omnes fiunt ſalui; quia a voluntate *Dei* abſoluta abſolutus pendet effectus. Si *conditionate;* Deus aut exigit tantum iſtam conditionem, aut vult eam efficere. Si tantum *exigit* illam conditionem; erit impoſſibilis homini, defectu liberi arbitrii in ſpiritualibus laboranti. Si eam *vult efficere;* efficit eam vel abſolute, vel conditionate. Si *abſolute;* omnes credent & ſaluabuntur. Si *conditionate;*

Digitized by Google

*ditionate;* redibit quæſtio, &, vel proceſſus dabitur in infinitum, in conditionum conditionibus; vel tandem vltimam conditionem abſolute voluit, qua poſita omnes etiam antecedentes poni neceſſe erit, quia omnes a ſe inuicem pendent. Reſp. Deus vult omnes ſaluare conditionate, ſub conditione fidei; quam conditionem Deus non tantum exigit, ſed & eandem efficere vult non abſolute, ſed ſub alia conditione: *ſi non reſtituti ſunt voluntarie Spiritui S.* (dicitur reſiſtentia *voluntaria*, ſeu *libera*, in oppoſitione ad *naturalem*). Præterea vult Deus & alteram hanc conditionem, nempe; *vt non reſiſtant voluntarie Spiritui Sancto;* verum non itidem conditionaliter, vt priorem, ſed abſolute & ſine conditione; adeoque hic ſubſiſtendum eſt, nec datur proceſſus in infinitum in conditionum conditionibus. Neque datur ſimpliciter neceſſarius nexus inter conditiones illas, vt vna poſita, alteram poni neceſſum ſit. Neque enim mediis gratiæ ad reſipiſcentiam, vel fidem efficiendam, poſitis, ſimpliciter neceſſarium eſt, vt reſipiſcentia & fides ponatur, cum verbum Dei etiam iis ſæpe prædicetur, qui non reſipiſcunt & credunt.

Quæſt. VIII. *Qualis eſt miſericordia & beneuolentia Dei erga peccatores?*

Miſericordia Dei erga peccatores miſeros eſt a) *gratuita & liberalis* b), *ſincera & ſeria*, c) *efficax*, d) *æqualis*, e) non abſoluta, ſed *iuſtitia temperata*, f) *ordinata*, g) & conditionata. *Qualitas beneuol. diuin.*

Prob. a. Quos Deus ſub peccatum & incredulitatem concluſit, eorum miſeretur, Gal. III, 22. Rom. XI, 32. Ergo illius miſericordia nullis meritis eſt prouocata. Miſeria peccatoris non mouet Deum cauſſaliter, ſed præbet tantum occaſionem, & obiicit Deo obiectum miſerum, erga quod φιλανθρωπίαν exercere non debeat, ſed queat. In homine enim nulla plane eſt cauſſa impellens. Vide, ſi lubet, D. HVLSEMANNI *breuiar. enucl. p. 351.* Sicut igitur miſericordia Dei erga homines miſeros eſt *gratuita:* ita eadem eſt *liberalis;* quoniam cum Chriſto omnia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, nobis donat. Quam diuinæ miſericordiæ liberalitatem aſſerit Paullus, Rom. VIII, 32. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum ipſo omnia nobis gratificabitur?*

Prob. b. Non ſimulata aut fucata, ſed *ſeria & ſincera* eſt beneuolentia Dei erga genus humanum, in peccatum prolapſum; propterea, quod in procuratione ſalutis humanæ voluntas *ſigni* cum voluntate *beneplaciti* diuini; *præceptum*, & *promiſſio* cum *intentione* diuina, quam amiciſſime conſpirant. Hypocritam agit, qui aliud ore promit, aliud corde; id quod de Deo cogitare, nefas eſt. Sane luculentum voluntatis diuinæ ſinceriſſimæ de beandis peccatoribus miſeris teſtimonium eſt iuramentum Dei, Ezech. XXXIII, 31. *Viuus ego, dictum Adonai Iehouah, ſi velim mortem impii, ſed vt conuertatur impius a via ſua & viuat.* Idcirco iurat Deus, vt ſi non credimus promittenti Deo, credamus ſaltem pro ſalute iuranti, ait HIERONYMVS *tom. II. epiſt. XLVI.*

Prob. c. *Beneuolentia Dei vniuerſalis non eſt inane votum, non ſterilis velleitas, non otioſa complacentia*, qua quis rem, quæ ſibi placet, & quam in ſe amat, non cupit efficere, aut conſequi, adeoque mediis ad hunc finem ducentibus non vult vti; ſed eſt *voluntas efficax*, qua Deus ſalutem hominum, ardentiſſime amatam, etiam efficere atque per media ſufficientia ac efficacia conſequi ſerio intendit. Quam efficacem gratiam Dei commendat Paullus, Rom. I, 4. *An diuitias bonitatis Dei contemnis? Ignorans, quod bonitas Dei te ad pœnitentiam ducit?* Inde naſcitur argumentum: Quæcunque benignitas adeo copioſa eſt, vt peccatorem a Deo auerſum ad pœnitentiam ducat, illa non eſt otioſa complacentia, ſed efficax intentio peccatorem in viam ſalutis reducendi: Atqui benignitas diuina &c. Ergo.

Prob.

Digitized by Google

Prob. d. Sicut in Adamo omnes erant ad imaginem Dei conditi, & in eodem omnes peccarunt: ita etiam omnium hominum in æterna Dei præſcientia *par* omnino erat *conditio & miſeria;* ideoque etiam omnes homines peccatores, vt creaturas ſuas æque miſeras pari beneuolentia & *æquali miſericordia* complexus eſt. Docet hoc Paullus Rom. III, 22. 23. *Non eſt diſcrimen, omnes enim peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei, atque iuſtificantur gratis gratia ipſius per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Gradus tamen accidentales manifeſtandi hanc gratiam, diſpares eſſe, damus faciles; de quibus infra.

Prob. e. Quamuis prima Dei commiſeratio, qua miſertus eſt generis humani in peccatum prolapſi, nec non ordinatio mediatoris, mediorumque ſalutis procuratio ſit abſoluta, miſericors tamen Dei voluntas conferendi hominibus miſeris remiſſionem peccatorum & æternam ſalutem, *non eſt abſoluta, ſed reſpectiua, & iuſtitia temperata.* Reſpicit quippe *ſatisfactionem Chriſti,* qua iuſtitiæ diuinæ ſatisfactum eſt. Vid. ſupra quæſt. 6. prob. c.

Prob. f. Beneuolentia Dei ſalutifera eſt *ordinata,* ideo quod Deus altiſſimo conſilio certam mediorum τάξιν aut ordinem conſtituit, quem in beandis peccatoribus reſpicit. Sunt illa *media verbum Dei & ſacramenta,* quibus Deus peccatores ad regnum gratiæ vocare, conuertere, regenerare, iuſtificare, ſaluare ſerio intendit. Hac voluntate ordinata Deus vult, vt omnes homines non tantum ſaluentur, ſed etiam vt omnes homines ad agnitionem veritatis perueniant. 1 Tim. II, 4.

Prob. g. Voluntas diuina conferendi peccatoribus ſalutem appellatur etiam *conditionata;* quia voluntatis antecedentis eſt, *ſi credant:* conſequentis, *qui credunt.* Dicitur voluntas conditionata a *conditione, quæ voluntatem antecedentem ſequitur; conſequentem præcedit,* iudice DANNHAVERO, in *hodoſ. phænom. VIII. p. 539. Conditionata* dicitur, non quaſi Deus tantum velit finem, non velit media; aut velit finem ſub conditione, quam ipſe ex mero beneplacito penes multos nolit impleri: ſed quatenus Deus volens homines ſaluari, non vult eos citra ſatisfactionem, vllamue conditionem implendam ſaluos fieri, ſed ſub conditione certorum mediorum ad ſalutem deduci.

Quæſt. IX. *Vultne Deus omnibus hominibus ſaluificam dare fidem?*

Deus *omnibus* hominibus per *ordinaria media* ſaluificam vult conferre fidem.

Prob. 1) Ex *diſerta aſſertione* S. Paulli, Act. XVII, 31. *Deus conſtituit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in iuſtitia per virum, quem deſtinauit, fidem offerens omnibus.* Τὸ παρέχειν πίςιν notat tum *oblationem* virium credendi, tum *collationem* ipſius fidei, modo ne media regenerationis malitioſe reſpuantur. Nam τὸ παρέχειν generatim ſignificat non tantum externam aliquam oblationem, ſed etiam realem collationem. Sic Deus dicitur παρέχειν πάντα πλȣσίως dare omnia abundanter, 1 Tim. VI, 17. Conf. Luc. XVIII, 5. Act. XXII, 2. Argumentamur: Quicunque omnibus hominibus ſiſtendis coram tribunali Chriſti fidem offert, is hominibus omnibus fidem vult conferre: Atqui Deus &c. Ergo.

2) *Ab indiuidua connexione obtinendi finis & medii,* per quod finis attingitur. Sic Paullus connectit voluntatem diuinam, omnes homines ſaluandi, fidemque ſaluificam omnibus conferendi. *Deus vult omnes homines ſaluari, & ad agnitionem veritatis venire,* 1 Tim. II, 4. Qui vult omnes homines venire ad agnitionem veritatis, vt ſaluentur, ille omnes homines ſaluifica vult donare fide: Atqui Deus &c. E. *Maior* probatur: quia agnitio veritatis eſt fides, & hæc eſt donum Dei, Eph. II, 8.

3) *Ab intentione Dei omnes peccatores conuertendi. Deus quippe non vult quoſdam perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti,* 2 Petr. III, 9. Qui vult omnes redire ad pœnitentiam, is omnibus vult largiri fidem, quæ pars pœnitentiæ præcipua eſt.

4) A

Digitized by Google

4) *A ſatisfactione Chriſti omnibus applicabili.* Quibuscunque hominibus Deus deſtinauit mediatorem Chriſtum, illis vult impertiri fidem: Atqui omnibus hominibus &c. Ergo. *Maior* patet: quia Deus deſtinando mediatorem, voluit, vt homines in peccatum prolapſi ipſius ſatisfactionem & meritum vera fide apprehenderent, ſibique ad ſalutem applicarent. Cum autem peccatores naturalibus credendi viribus deſtituantur, dubio procul Deus ex gratia fidem dabit iis, quibus dedit mediatorem, vt ipſius meritum ſibi applicare queant. Docet hoc Paullus, Rom. IIX, 32. *Deus proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum ipſo omnia nobis* χαρίσεται, *i. e. ex gratia donabit?* Quibus verbis apoſtolus innuit, Chriſtum tum pro nobis omnibus in mortem eſſe traditum, tum nobis omnibus donatum. Ex quibus porro colligit, Deum, vt omnia ad ſalutem neceſſaria, ita fidem ſaluificam, ad apprehendendum Chriſtum, donum maximum, omnibus hominibus daturum eſſe.

5) Quibus ex voluntate diuina prædicandum eſt euangelium, & diſpenſanda ſunt ſacramenta, illis fidem ſaluificam conferre Deus ſerio intendit: Atqui omnibus hominibus &c. Ergo. *Maior* liquet: quia verbum Dei eſt ῥῆμα τῆς πίςεως, verbum fidei, Rom. X, 8. & ſemen regenerationis, 1 Petr. I, 23. Sic & baptiſmus eſt lauacrum regenerationis & renouationis, Tit. III, 5. *Minor* patet ex Marc. XIV, 15. Matth. XXVIII, 19.

Aſſertioni noſtræ ſequentia obſtare videntur dubia. I. Quibuscunque Deus voluntate efficaci vult dare fidem, illi credunt: At non omnes homines credunt: Ergo Deus voluntate efficaci non vult omnibus dare fidem. Reſp. Quibus Deus vult dare fidem voluntate *abſoluta;* per potentiam abſolutam & irreſiſtibilem, illi neceſſario credunt; concedo. At Deus vult homines donare fide per potentiam *ordinatam* & ordinaria media gratiæ, a ſe inſtituta, quæ multi reiiciunt, aut iisdem pertinaciter reſiſtunt.

II. Si ideo multi homines non credunt, quia media gratiæ reiiciunt, aut iis reſiſtunt, fides pendebit a libero hominis arbitrio: Conſequens eſt falſum; quia fides eſt donum Dei: Ergo. Conſequentia *maioris* eſt manifeſta: quia homines pro arbitratu ſuo media gratiæ reiicere poſſunt. Reſp. Aliud eſt defectus vel carentia fidei, aliud ipſa fides. Defectus fidei remote eſt a defectu virium liberi arbitrii in ſpiritualibus, proxime a malitioſa hominis repugnantia, quod præter quotidianam experientiam, docet ſacra ſcriptura, Act. VII, 51. Matth. XXIII, 37. & alibi paſſim. Fides ipſa autem eſt donum Dei, & efficienter tota dependet a Deo, nullatenus autem a naturalibus hominis viribus: prærequirit tamen productio fidei externum mediorum gratiæ vſum, qui ad *actiones* pertinet *pædagogicas,* circa quas homo poſt lapſum aliquas vires liberi arbitrii, quamuis languidas, habet.

III. Quicunque ideo credunt, quod ordinariis accendendæ fidei mediis externe vtuntur, illi propriis viribus efficienter cooperantur ad fidei ſuæ productionem: At homo irregenitus ad fidei ſuæ productionem efficienter non cooperatur: Ergo homines irregeniti non ideo credunt, quod ordinariis accendendæ fidei mediis externe vtuntur. *Maior* probatur; quia hac ratione externus mediorum vſus, qui in hominis poteſtate eſt, habetur cauſſa fidei generandæ. Reſp. *Externus mediorum gratiæ vſus non eſt cauſſa efficiens fidei,* ſed tantum *conditio,* ex parte *ſubiecti* conuertendi prærequiſita, quæ tam in ipſam fidei productionem non efficienter influit, quam non efficienter influit ad calefactionem, qui aquam igni, vt calefiat, apponit, aut in illuminationem conclauis, qui valuas, vt illuminari queat, remouet. Neque externus ille vſus, eſt conditio ratione euentus ſemper ſalutaris, cum etiam homines reprobi audiant verbum Dei, qui tamen ſpinis voluptatum & curarum huius ſæculi eius vim & efficaciam impediunt, vel perſecutionibus offenſi deficiunt, & gloriam huius



Digitized by Google

mundi cœleſtibus anteponunt. Vide parabolam Chriſti de quadruplici parte agri, Matth XIII, 4. ſeqq. & confer. D. HVLSEMANNI *breu. enucl. p. 335.*

IV. Si ideo homines non credunt, quia Spiritui S. fidem accenſuro reſiſtunt, nulli homines irregeniti fide donari poſſunt: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur ex Rom. IIX, 7. *Senſus carnis eſt inimicitia aduerſus Deum: legi enim Dei non ſubiicit ſe; neque enim poteſt.* At in omnibus irregenitis eſt ſenſus carnis. Reſp. Diſt. inter *reſiſtentiam naturalem, & malitioſam. Illam* Spiritus S. per gratiam præuenientem frangit & refrenat: *hæc* in aliis hominibus minor, in aliis maior & ferocior eſt, quæ ſæpe impedit, quo minus vera fides in corde hominis irregeniti accendatur.

Inſtantia I. Omnis reſiſtentia, mediis gratiæ ſe opponens, eſt malitioſa. Reſp. Malitioſa reſiſtentia ſpeciali ſenſu hic dicitur, quæ prouenit ex malitia ſponte contracta, naturalis autem reſiſtentia fluit ex ipſa naturæ corruptione connata.

Inſtant. II. Quamuis reſiſtentia malitioſa ſit in poteſtate hominis: non-reſiſtentia tamen malitioſa debetur gratiæ diuinæ. Reſp. *Sicut reſiſtentia malitioſa vel opponitur externo mediorum vſui, vel gratiæ conuerſionis internæ*: ita & *non-reſiſtentia malitioſa* denotat vel negationem reſiſtentiæ, *externo* mediorum vſui oppoſitæ, vel negationem eiusdem, gratiæ conuerſionis *internæ* oppoſitæ. *Illa* viribus arbitrii ſubeſt, *hæc* gratiæ diuinæ, cor lapideum auferenti, debetur. Conf. D. MVSÆVS in *diſſertat. de æterno elect. decreto* §. *CCLXXXI.*

Inſtant. III. Deus omnipotentia ſua omnem malitioſam reſiſtentiam tollere poteſt: quod dum non facit, ipſe in cauſſa eſt, quod multi in incredulitate perſeuerent, nec Spiritui S. repugnare deſinant. Reſp. *Si Deus per potentiam abſolutam & irreſiſtibilem, fidem accendere vellet,* vtique omnem contumaciam tollere poſſet. At cum ipſi placuerit nobiſcum agere, tanquam cum hominibus, non tanquam cum brutis aut lapidibus: ideo *ordinauit media,* per quæ fidem in cordibus hominum vult operari: quæ qui negligit, non conuertitur, neque vera fide imbuitur. Neque tamen ideo tribuenda eſt culpa Deo ſanctiſſimo, quod homines fidei expertes manent, quia malitioſam repugnantiam, quæ eſt impedimentum generandæ fidei, non tollit: propterea, quod non ſtatim, qui poteſt impedimentum tollere, nec tollit, cauſſa eſt impediti effectus; ſed tunc demum pro cauſſa is habendus eſt, ſi etiam *teneatur* impedire, vel impedimentum tollere. Deus autem quo iure *obligatus tenetur,* vt iis, qui mediis gratiæ obſtinate reſiſtunt, malitioſam repugnantiam adimat, vel fidem moroſe reluctantibus infundat?

V. Vera in Chriſtum fides videtur ſolis electis adeo propria eſſe, vt Deus reprobis ex mero beneplacito fidem conferre nolit. *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Act. XIII, 48. Reſp. Credentes l. c. non dicuntur προωρισμένοι, prædeſtinati, neque προτεταγμένοι, præordinati, ſed τεταγμένοι, ordinati. Quæ vox indigitat ordinem diuinum; quia Deus non abſoluta agit gratia in negotio ſalutis: ſed certam τάξιν mediorum præſcripſit, quam qui non excludunt, ſed admittunt, verbum nempe audiendo, ad illud aures & corda non obturando, Spiritui S. per illud operari volenti non reſiſtendo, illi τεταγμένοι ſunt. Neque vero aſſerimus, quod a ſe ipſis ſint τεταγμένοι, quin potius diuinæ gratiæ per verbum operanti hoc conuenit, qua ſola nos reddimur τεταγμένοι καὶ εὔθετοι εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, vt Lucas loquitur c. IX, 62; dum ei locum relinquimus, & τάξιν mediorum diuinorum non repudiamus, ſed obſeruamus, quod ad *actus pædagogicos* pertinet, & in noſtris adeo viribus eſſe non negatur. Et diſtinguuntur ita τεταγμένοι ab ἀτάκτοις, ſiue refractariis, qui *verbum Dei repellunt, & ſeipſos indignos iudicant vita æterna.* Act. XIII, 46.

Inſtantia

Digitized by Google

Inſtantia: Chriſtus diſerte dicit: *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis*, Io. X, 26. Ergo non-electio, ſiue reprobatio, eſt cauſſa incredulitatis, non hæc illius. Reſp. Particula, ὅτι, hic non eſt αἰτιολογικὴ, cauſſalis, ſed συλλογιστικὴ, ſiue ratiocinatiua, qua ex conſequente colligitur antecedens, per demonſtrationem a poſteriori. Ordine naturæ quippe prius eſt, ex auditu vocis paſtoris Chriſti nos fidem concipere, quam oues eſſe ſpirituales; cum nos, natura lupi, audiendo vocem paſtoris demum manſueſcamus, & in oues Chriſti quaſi transformemur.

VI. Qui ſapientibus huius mundi myſteria fidei & ſalutis abſcondere voluit, is non vult ſingulis, quibus verbum prædicatur, fidem efficaciter donare: At Deus &c. Ergo. *Maior* patet: quia in illis lux fidei accendi nequit, quibus myſteria fidei & ſalutis abſcondita manent. *Minor* probatur ex Matth. XI, 25. *Confiteor tibi, Pater, domine cœli & terræ, quod abſcondiſti hæc ſapientibus & intelligentibus: & reuelaſti ea infantibus. Certo, Pater, quia ſic beneplacitum factum eſt coram te.* Reſp. Sermo eſt l. c. Chriſto de *donis miniſtrantibus*, diſcipulis ſuis a patre cœleſti collatis, ſcribis autem & phariſæis denegatis: non vero *de occultatione myſteriorum fidei, ad ſalutem cognitu neceſſariorum.* Id enim, de quo Patri cœleſti Chriſtus egit gratias, quodque in Patris εὐδοκίαν, ſiue beneplacitum retulit, non erat, quod non in omnibus fidem per gratiam ſuam operari velit; ſed quod νηπίους, infantes, h. e. rudes, indoctos & viles homines adhibuerit ad arduum docendi munus, iisque reuelauerit, quæ ad munus docendi obeundum ipſis neceſſaria erant; & contra a ſapientibus & intelligentibus, h. e. a ſcribis & phariſæis, qui ſapientia inflati aliorum doctores eſſe volebant, ea abſconderit. Miſerat enim Chriſtus primum duodecim diſcipulos, piſcatores rudes & idiotas, quibus addiderat alios ſeptuaginta diſcipulos, itidem litterarum ignaros, qui, vbi reuerſi fuerant, cum gaudio dicentes: *Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis per nomen tuum*, Luc. X, 21. Chriſtus ea ipſa hora exſultauit ſpiritu, dixitque: *Confiteor, tibi, Pater, domine cœli & terræ, quod occultaſti talia a ſapientibus & intelligentibus, reuelaſti autem ea infantibus. Næ Pater: quia ita fuit beneplacitum coram te. Quod beneplacitum Dei patris non eſt abſolutum, ſed reſpectiuum:* reſpexit enim pater cœleſtis ſuperbiam phariſæorum, qui conſilium Dei aduerſus ſeipſos ſpreuerunt, Luc. VII, 30.

Quæſt. X. *Quem ſalutarem nobis vſum confert doctrina de gratia Dei vniuerſali?*

Doctrina de vniuerſali Dei beneuolentia peccatorem, tentatum de ſui electione & ſalute, efficaciſſime erigit & ſolatur a), & mouet nos ad agendum immortales Deo propitio gratias, quod nos miſerrimos peccatores miſericordia ſua complecti dignatus eſt b). *Vſus practicus.*

Prob. a. Peccator magnitudine criminum ſuorum perterritus promiſſionem gratiæ diuinæ vniuerſalis ſibi ſalutariter applicare, & animum cum deſperatione luctantem erigere poteſt, ſequenti ratione colligendo: Deus omnes peccatores gratia ſua vult complecti, vult omnes ſaluos fieri. Ergo etiam me miſerum ſua dignatur miſericordia, vult etiam me ſaluum fieri. Hinc porro colligit: Si Deus me vult ſaluum fieri ex gratia indebita; non deſpondebo animum, ſed validam in miſericordia eius fiduciam collocabo. Si particularis eſſet gratia, non poſſet peccator ita concludere, cum non ſequatur: Deus aliquos vult ſaluos fieri: Ergo me etiam vult ſaluum fieri.

Prob. b. Gratiam Dei vniuerſalem concelebramus cum hieropſalte, ex Pſ. LVII, 10. 11. *Confitebor tibi inter gentes, Adonai, pſallam tibi inter populos: Quia magna eſt vsque ad cœlum miſericordia tua, & vsque ad ætherem veritas tua.* Cœlum latiſſime extenditur, ambituque



Digitized by Google

tuque ſuo omnes circumdat homines: latius extenditur miſericordia Dei omnesque comprehendit peccatores. Id quod iidem iure meritoque grato agnoſcunt animo, pleneque collaudant ore Deum, omnem iniquitatem condonantem, Pſ. CIII, 3.

Quæſt. XI. *Quomodo tractandi ſunt illi, qui gratiæ diuinæ amplitudine ad carnalem ſecuritatem abutuntur?*

Iisdem ſerio inculcandum eſt, gratiam Dei vniuerſalem non ad carnis laſciuiam aut ſecuritatem, ſed ad pœnitentiam nos inuitare a): Neque Deum tantum eſſe miſericordem patrem, ſed & iuſtum ſcelerum vindicem b).

Prob. a. Grauiter inquit S. Paullus: *An diuitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis Dei contemnis? Ignoras, quod bonitas Dei ad pœnitentiam te ducit? Atqui ſic iuxta duritiem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi ipſi iram in die iræ & iuſti iudicii Dei?* Rom. II, 4. 5. & Tit. II, 11. *Apparuit gratia. Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegemus impietatem & mundanas concupiſcentias, ac ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in præſenti ſæculo.*

Prob. b. *Ne dicas: miſeratio Dei eſt multa, multitudinem peccatorum meorum reconciliabit; miſericordia enim & ira apud ipſum eſt, & ſuper peccatoribus requieſcit furor eius,* dicente Siracide c. V, 6.

*SVSPIRIVM.*

Hoc vnum animum meum ægrum, variisque cum tentationibus de mea electione & ſalute conflictantem fulcit & ſolatur, quod gratia tua, o Pater miſericordiſſime, etiam ad maximos fœdiſſimosque ſe extendat peccatores, pro quibus Filius tuus, redemtor generis humani catholicus, ſanguinem ſuum pretioſiſſimum fundere, mortemque acerbiſſimam ſubire haud dubitauit. Non obduco velum criminibus meis: non diffiteor, ea & numero eſſe plurima, & pondere grauiſſima. Quodſi ex rigore iuſtitiæ mecum agere velis, actum eſt de ſalute mea. At ſupplex imploro tuam, o Deus mi, clementiam, petoque criminum veniam, propter vulnera Chriſti. Ne ſubtrahas, o Pater mitiſſime, mihi gratiam tuam: pateant, quæſo, viſcera miſericordiæ tuæ mihi, peccata mea deteſtanti. Benignitatis & amoris tui funiculis trahe me ad pœnitentiam fuci expertem: veræ viuæque fidei me fac compotem atque tenacem. Quamdiu hic mihi ſupererit ſpiritus, inexhauſtas diuitias bonitatis tuæ & maximi ſum æſtimaturus, & lætiſſime deprædicaturus.

THEOL. PART. III. SECTIO I.

CAPVT II.

# DE BENEVOLENTIA DEI SPECIALI ET PRAEDESTINATIONE FINALITER CREDENTIVM AD VITAM AETERNAM.

Quæſt. I. *Quid eſt prædeſtinatio?*

*Definitio prædeſtinationis.* *Prædeſtinatio* eſt æternum Dei decretum de conferenda ſalute æterna omnibus & ſingulis hominibus, quos Deus in Chriſtum finaliter credituros eſſe præuidit.

*Vberius definitur:*

*Prædeſtinatio* eſt actus voluntatis diuinæ conſequentis, quo Deus, gratuita motus miſericordia, propter meritum Chriſti, perſeueranti fide apprehendendum, ex genere humano lapſo ſolos & ſingulos illos homines, quos in Chriſtum

Digitized by Google

ſtum finaliter credituros eſſe præuidit, ſegregauit, & ordinauit ad ſalutem æternam conſequendam, in laudem glorioſæ ſuæ gratiæ.

Obſ. I. *Decretum* Dei *generatim* definitur, quod ſit *actus diuinæ voluntatis, quo ſapientiſſimo conſilio, liberrimaque auctoritate conſtituit de iis, quæ fiunt, aut fieri debent ad gloriam ſuam.* Vid. D. CALOV. in *ſyſtem. tom. III. p. 885.* Idcirco perinde eſt, ſiue per *decretum* Dei, ſiue per *actum voluntatis* diuinæ deſcribatur prædeſtinatio. Cæterum hæc eſt actus voluntatis diuinæ *conſequentis;* propterea, quod fidem in homine præuiſam, ceu ordine priorem, noſtro concipiendi modo ſubſequitur. Ex quo conſequitur, prædeſtinationem, perinde, ac ipſam voluntatem conſequentem, ratione *obiecti* non eſſe vniuerſalem, ſed *particularem.*

Obſ. II. *Prædeſtinatio*, a verbo, *prædeſtino*, deducta, dicitur quaſi *præuia quædam deſtinatio;* quia eſt æterna & omne tempus antecedens deſtinatio. Græcis vocatur προορισμὸς, ἀπὸ τȣ͂ προορίζειν, quod ſignificat & finem, & media, ad finem ducentia, ordinare & conſtituere; ὅρος enim finem ac terminum notat. Ὁρίζειν autem ſæpius idem eſt, quod decernere, animo conſtituere & ordinare. Ergo prædeſtinatio eſt actus, quo aliquid prædecernitur, vel præordinatur. Particula, *præ*, in voce, *prædeſtinatio*, notat prioritatem temporis, quæ intercedit inter decretum prædeſtinationis, & inter homines, qui dicuntur prædeſtinati; adeoque προορισμὸς, ſiue prædeſtinatio diuina, eſt deſtinatio hominum, antequam ipſi exſtiterunt, ad æternam ſalutem per diuinitus ordinata media obtinendam.

Quæſt. II. *Quomodo prædeſtinatio alias vocatur?*

*Prædeſtinatio* etiam vocatur *electio;* quæ duæ voces conueniunt *materialiter* & ratione *ſubiecti* a), differunt autem modo ſignificandi, ſiue reſpectu *formalis* ſignificationis b). Appellatur quoque *inſcriptio in librum vitæ*, quæ de Deo dicitur ἀνθρωποπαθῶς, more humano, intelligenda vero eſt θεοπρεπῶς, modo eminentiori, Deo omniſcio conuenienti c). *Synonyma prædeſtinationis.*

Prob. a. *Prædeſtinatio*, & *electio* conueniunt ratione *ſubiecti*; eo, quod nullus eſt prædeſtinatus ad æternam ſalutem, qui ad eam non ſit electus, nec vllus electus, qui non ſit prædeſtinatus.

Prob. b. *Prædeſtinatio*, & *electio* reſpectu *formalis* ſignificationis differunt. *Electio* in ſuo formali conceptu ad obiecta eligenda, *prædeſtinatio* vero ad finem & ordinem mediorum, quæ ad electionis finem ſeu vitam æternam ducunt, reſpicit. Etenim particula, *præ*, in voce, *prædeſtinatio*, ordinationis diuinæ prioritatem & æternitatem; particula *e* autem in voce *electionis* communem hominum cœtum, e quo fit ſegregatio quorundam hominum, connotat, adeoque electio diuina eſt quorundam hominum e communi corruptionis maſſa ſegregatio, & ad hereditatem æternæ ſalutis adoptatio *).

 Obſer-

*) Sed caue tibi a falſa, quam SOCINI ſectatores comminiſcuntur, differentia, quando illi quidem ita diſtinguunt, vt dicant, *prædeſtinationem* eſſe decretum Dei *æternum*, ſed dumtaxat *generale*, quo Deus voluerit beatitate donare omnes, quicunque aliquando eſſent vere conſtanterque credituri; *electionem* vero eſſe *in tempore* factam deſtinationem *ſingularem* vnius cuiusque hominis, quem Deus nunc demum viderit morientem atque in fiducia non fucata perſeuerantem. Principium erroris hoc eſt: quod æternam Deo præſcientiam futurorum contingentium denegant. Diſerte Paullus de ſingulis hominibus profitetur, ȣ̔̀ς προέγνω, Rom. VIII, 29. Conf. cum Ioann. VI, 64. Ipſa igitur *electio* facta dicitur πρὸ καταβολῆς κόσμȣ, Eph. I, 4.

Digitized by Google

Obſerues præterea, quod προορισμὸς, ſiue *prædeſtinatio*, *ſtrictiſſime* dicta, (*) 1) præſupponat πρόγνωσιν, prænotionem certarum perſonarum, finaliter credentium, Rom. VIII, 29. *Quos præcognouit, etiam prædeſtinauit*; 2) formaliter notet ordinationem eorum hominum, qui media gratiæ ſecundum prænotionem diuinam admittunt & conſtanter obſeruant, ad æternam vitam, Act. XIII, 48. *Electio* autem 1) præſupponit dilectionem Dei, Eph. I, 6. 2) formaliter notat ſegregationem eorum hominum, quos in Chriſtum perſeueranter credituros eſſe præuidit, e communi perditionis maſſa. *Ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo, propter hoc vos odit mundus*, Io. XV, 19.

Prob. c. *Libri vitæ* mentionem iniicit Paullus, Phil. IV, 3. *Quorum nomina ſunt in libro vitæ*, & Ioann. Apoc. III, 5. *Qui vicerit, hic induetur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius e libro vitæ.* Dicitur etiam *liber vitæ agni*, Apoc. XIII, 8. *Inſcriptio in librum vitæ* Apoc. XVII, 8. c. XXII, 19. commemoratur. Alias ſimpliciter *ſcriptio in libro* vocatur, Dan. XII, 1. Exod. XXXII, 32. Nimirum per ἀνθρωποπαθείαν & συγκατάβασιν quandam, ſecundum ſimilitudinem actus humani, quo certarum perſonarum nomina catalogo ciuium, familiarium aut militum adſcribuntur: ita Deus catalogo ſaluandorum inſeruit eos, quos ex mera gratia propter meritum Chriſti fide perſeuerante apprehendendum, & ita præuiſum, ante iacta mundi fundamenta elegit. Vt enim *liber*, in genere Deo attributus, notat Dei præſcientiam, & prouidentiam, qua omnium hominum ortum, vitam, actiones, vitæque exitum nouit, diſponit & gubernat; ſic liber vitæ in ſpecie nihil aliud eſt, quam ſingularis ſaluandorum cognitio & iuxta πρόγνωσιν eorundem electio, 2 Tim. II, 19. Comparatur hic liber vitæ a D. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. VII. p. 542.* cum *libro teſtamentario*, & ab eodem explicatur, quod ſit *certa, accurata & viua Dei cognitio ſuorum*; cognitio ſcilicet (a) προγνωςική, *ſcientia viſionis*, qua Deus ab omni æternitate tanquam in ſpeculo vidit, qui e maſſa corrupta ſui futuri ſint, qui diaboli; eaque 1) *æterna* Eph. I, 4. 2) *intima* & καρδιογνωσική; qui namque vera & viua ſunt eccleſiæ membra, eorum iudicium non poteſt eſſe aliud, quam ex interna cordis renouatione. Iam vero ſoli Deo hæc notitia conuenit. 3) *Singulariſſima*, notitia ſcilicet κατ' ὄνομα, Io. X, 3. Exod. XXXIII, 17. Eſ. XLIII, 2. 4) *Infallibilis ac immutabilis.* Et quia verba notitiæ affectum connotant, ideo 5) *dilectiua.* Qui diligit Deum, is cognitus eſt ab illo, adeoque reciproco eius amore gaudet, 1 Cor. VIII, 3. Exſerit vero ſe iſta dilectio cum ſexcentis modis aliis, tum maxime amica recordatione, paterna commiſeratione, & gratioſa approbatione, denique ſaluatione. Vt enim olim reprobis dicturus eſt: *Non noui vos*; ita electis: *noui vos*; & ſimul triumphantes in gloriam inducet. (b) προοριςική, *electiua.* Fluit namque ex prænotione accurata, dilectione & cura peculiari electio & ſegregatio quædam;

(*) Scilicet hoc nomen vſurpari ſolet 1) vel *generatim*, de æterna ſalute omnium, eius capacium, ſiue homines ſint, ſiue angeli; qui quidem nunquam peccaturi, nullius Sponſoris ac Reconciliatoris indigebant, quem ad modum Paullus ipſe dixit, ἐκλεκτοὺς ἀγγέλους, 1 Tim. V, 21.; vel *ſpeciatim*, de ſalute hominum, Chriſti promeritis parta, recteque adplicata, quæ ſignificatio omnino eſt huius loci. Hac autem *ſpecialiori* notione 2) hæc vox adhibetur modo *late*, de omnibus Dei decretis, ad vniuerſum negotium ſalutis humanæ, per Chriſtum recuperandæ, eiusque tum adquiſitionem, tum adplicationem acceptionemque, ſpectantibus; modo *ſtricte*, de eo decreto, quod ad paucos electos, æterna ſalute impertiendos, pertinet, quæ altera ſignificatio & magis vſitata ſemper fuit, & eſt hodieque perpetua. Itaque *latiori* nominis ambitu comprehenduntur *octo actus* voluntatis diuinæ, quos eo, quo decet, ordine numeratos nobis exhibet *declar. Form. Conc. art. XI. p.* 802. De eo quidem b. Auctor ipſe vberius exponet deinceps, quæſt. 4 Sed illam quæſtionem huic præmittendam fuiſſe arbitror, prius enim, quam συνώνυμα explicemus, neceſſe eſt, vt ſignificationes nominis varias percenſeamus, & quæ ſit huius loci, definiamus, ſublata omni ambiguitate.

Digitized by Google

dam, quam potiſſimum ab Apoſtolo 2 Tim. II, 19. ſpectari, ex omnibus circumſtantiis liquet, adeoque dicitur *liber vitæ*, quia in æternum victuri ex ſorte quadam diuina, in eo, tanquam catalogo viuentium, conſignati exſtant, quorum nomina in cœlo ſcripta, Luc. X, 20. Ceterum cum hic non intelligatur *vita naturalis*, *ſed ſpiritualis*, *eaque duplex ſit gratiæ & gloriæ*: ideo nonnulli auctores *librum vitæ* diſtinguunt in *librum gratiæ*, *& gloriæ*. Libro *gratiæ* omnes fideles, libro *gloriæ* omnes perſeuerantes in fide, atque adeo certo ſaluandi, inſcripti ſunt. De qua diſtinctione notari meretur iudicium D. BAYERI in *compend. theol. p.* 673. *Inſcriptio in librum vitæ duplex eſt, quatenus homines a Deo vel in numerum fidelium præciſe, vel in numerum certo ſaluandorum inſcribuntur: Prior cum decreto de hominibus regenerandis, & iuſtificandis, & in filios adoptandis: poſterior cum electionis, aut prædeſtinationis actu coincidit. Quamuis fatendum ſit, termino inſcriptionis in librum vitæ abſolute poſito, non tam priorem, quam poſteriorem actum intelligi.*

### Quæſt. III. *Quot modis ſumitur vox electionis?*

Vox *electionis* ſumitur a) *generatim* pro electione temporali ad eccleſiam, & ad officium aliquod in ea obeundum; b) *ſpeciatim* pro electione æterna ad gloriam, & vitam æternam: qua poſteriore ſignificatione hic accipitur.

Prob. a. De electione *temporali*, quæ fit per vocationem ad eccleſiam, loquitur Moſes Deut. VII, 6. *Te elegit Dominus, Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris.* Populus Dei peculiaris eſt cœtus hominum, a Deo vocatus & ſegregatus ab infidelibus, cui media gratiæ & ſalutis ad conſequendam iuſtitiam, vitamque æternam communicauit: qui populus Dei peculiaris communiter vocatur eccleſia. Inde fit, vt peculiari ratione electi vocentur ii, qui publico in eccleſia munere perfunguntur. Sic Chriſtus ſuos affatur diſcipulos: *Nonne ego vos duodecim elegi?* Io. VI, 70. vbi ſermo eſt ſaluatori de electione ad apoſtolatum.

Prob. b. De electione *æterna* agit Apoſtolus, Eph. I, 4. *Elegit nos in Chriſto ante iacta mundi fundamenta*, i. e. ab æterno. Ex quo colligimus, Apoſtolum hic indigitare *æternum Dei decretum de impertienda finaliter credituris æterna ſalute*: de quo æterno electionis decreto S. Paullus etiam agit 2 Theſſ. II, 13. *Nos vero debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti a Domino, quod elegit vos Deus ab initio ad ſalutem in ſanctificatione Spiritus, & fide veritatis.* Loqui h. l. Apoſtolum de electione ad *ſalutem æternam*, liquet ex eo 1) quod aſſerit, Deum nos elegiſſe ab initio, i. e. ab æterno, vti hæc loquendi formula ſumitur 1 Io. II, 13. Mich. V, 1. 2) Quia electio facta ab initio, diſtinguitur a vocatione in tempore, v. 14. 3) Deus nos elegiſſe dicitur ad *ſalutem*: quæ vox, abſolute poſita, notat æternam beatitudinem.

### Quæſt. IV. *Quot modis ſumitur vox prædeſtinationis?*

Vox *prædeſtinationis* aliter ſumitur in ſenſu eccleſiaſtico, aliter in ſenſu biblico. Nonnulli patres & doctores eccleſiæ ἀκύρως abuſiue & iuſto *laxius* vocem prædeſtinationis ſumſerunt pro decreto diuino, tum de *ſaluandis* hominibus credentibus, tum de *condemnandis* infidelibus a). In ſenſu autem biblico vox *prædeſtinationis* ſemper in *bonam* partem accipitur, vt denotet decretum diuinum de hominibus lapſis *ſaluandis* b).

Prob.

Prob. a. AVGVSTINVS *lib. XV. de civ. D. c. I.* genus humanum in duas diſpeſcit ſocietates, quarum ſit vna, quæ *prædeſtinata* ſit in æternum regnare cum Deo, altera, æternum ſubire ſupplicium cum diabolo. Conf. PROSPER in *Reſp.* XIV. *ad capitula Gallorum;* FVLGENTIVS *lib. II. ad Monim. c. XIV.* At locutio illa impropria 1) non eſt S. ſcripturæ conformis, in qua προορισμὸς, latine *prædeſtinatio*, ſemper in bonam accipitur partem. 2) Eſt indecora Deo ſanctiſſimo. *Prædeſtinatio* enim præter *finem*, quem reſpicit, etiam *mediorum ordinem* includit. Deus autem ſanctiſſimus ad media reprobationis, quæ ſunt reiectio verbi diuini & incredulitas finalis, neminem deſtinauit. 3) Eſt abſurda. Prædeſtinatio enim reſpicit *finem hominis* per media efficacia obtinendum. At mors æterna accurate loquendo non eſt *finis* hominis; licet hominum impœnitentium extremum vocari queat. Finis quippe natura ſua eſt bonus & appetibilis; quis autem, ſanæ mentis compos, æternam mortem iudicaret eſſe bonam & appetibilem? Scite inquit AVGVSTIN. *L. VI. hypognoſt. Mala Deus tantum præſcit, non prædeſtinat: bona vero & præſcit & prædeſtinat.*

Dicis: Προορισμὸς, ſiue *prædeſtinatio*, videtur in malam partem accipi Act. IV, 17. 18. *Conuenerunt in ciuitate iſta contra ſanctum Filium tuum Ieſum, quem vnxiſti, tam Herodes, quam Pontius Pilatus, cum gentibus & propulis Iſraëlis, ad faciendum, quæcunque manus tua & conſilium* προώρισε, *prædeſtinauit fieri.* Reſp. Non deſcribitur l. c. impiorum reprobatio, ſed decretum paſſionis & mortis Chriſti, quæ eſt electionis noſtræ ad vitam æternam cauſſa impulſiua externa. Malo quidem conſilio, auſuque nefario, Iudæi & gentiles Chriſtum occiderunt; at Deus, quamuis illud permiſerit fieri, direxit tamen ad bonum, totique generi humano ſalutarem finem.

Prob. b. Προορισμὸν, ſiue *prædeſtinationem*, in ſacris litteris ſemper ſumi in meliorem partem & notare decretum diuinum de ſaluandis hominibus, in peccatum prolapſis, liquet ex effato apoſtolico, Rom. VIII, 30. *Quos Deus prædeſtinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iuſtificauit; quos vero iuſtificauit, eos etiam glorificauit.* Patet idem ex Eph. I, 5. Deus προώρισε, prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.

Quæſt. V. *Quotuplici ſenſu prædeſtinatio, in bonam partem accepta, a theologis orthodoxis exponitur?*

*Prædeſtinatio*, prælucente ſacra ſcriptura, in *bonam* partem accepta, quatenus eſt decretum Dei de hominibus peccatoribus ſaluandis, a theologis orthodoxis triplici exponitur ſenſu: a) *generali*, ſeu latiori, quatenus vniuerſam ſalutis œconomiam, ſeu totum mediorum ſalutis apparatum complectitur: b) Senſu *ſpeciali*, *ſiue ſtrictiori*, prout ſignificat ordinationem fidelium ad ſalutem, cum προθέσει & προγνώσει complicatam: c) Senſu *ſpecialiſſimo & ſtrictiſſimo*, quo προορισμὸς, ſiue prædeſtinatio, a προθέσει & προγνώσει diſtinguitur, & notat æternum Dei decretum, determinatum, ſiue applicatum ad quosdam ſecundum indiuidua homines, quos Deus ex communi corruptionis maſſa ad vitam æternam elegit, propterea, quod illos in Chriſtum finaliter credituros eſſe, diſtincte præuidit.

Prob. a. Ad agnoſcendum decretum prædeſtinationis, quatenus, ſenſu *latiori* ſumtum, vniuerſam ſalutis œconomiam, ſiue totam ſaluandorum ordinationem ad ſalutem, omnes cauſſas, omniaque media ſalutis includentem, denotat, diligenter obſeruandus eſt ordo actuum diuinorum, prout in ſigno rationis, iuxta reuelationem diuinam, alii alios ſequuntur:

Digitized by Google

tur: qui ordo decretorum diuinorum nobis conſiderandus exhibetur in *declarat. ſolid. Form. Concord. p. 802. Deus in conſilio & propoſito ſuo decreuit:*

I. *Vt humanum genus vere redimeretur, atque cum Deo per Chriſtum reconciliaretur; qui nobis innocentia atque perfectiſſima obedientia, paſſione ac morte acerbiſſima, iuſtitiam, quæ coram ipſo valet, & vitam æternam promeruit.*

II. *Vt Chriſti meritum, eiusque beneficia per verbum & ſacramenta nobis offerrentur, exhiberentur & diſtribuerentur.*

III. *Decreuit etiam, ſe Spiritu S. ſuo, per verbum annuntiatum, auditione perceptum, & memoriæ commendatum, velle in nobis efficacem eſſe, & corda ad veram pœnitentiam agendam inflectere, & vera fide conſeruare.*

IV. *Illius æternum propoſitum eſt, quod omnes, qui pœnitentiam vere agunt, & Chriſtum vera fide amplectuntur, iuſtificare, in gratiam recipere, & in filios atque heredes vitæ æternæ adoptare velit.*

V. *Et quod fide iuſtificatos in vera caritate ſanctificare velit; vt Apoſtolus teſtatur Eph. I, 4.*

VI. *Idem in æterno ſuo conſilio propoſuit, ſe iuſtificatos etiam in multiplici & varia ipſorum infirmitate aduerſus diabolum, mundum & carnem defenſurum, & in viis ſuis deducturum atque gubernaturum; &, ſi lapſi fuerint, manum ſuppoſiturum, vt in cruce atque tentationibus ſolidam conſolationem percipiant, atque ad vitam conſeruentur.*

VII. *Illius æternum decretum eſt, quod opus illud bonum a ſe in illis inceptum promouere, atque confirmare, & ad finem vsque conſeruare velit: ſi modo verbo ipſius, tanquam ſcipioni, conſtanter innitantur, ipſius opem ardentibus precibus implorent, in gratia Dei perſeuerent, & dona accepta fideliter & bene collocent.*

VIII. *Ille etiam æterno ſuo conſilio decreuit, quod eos, quos elegit, vocauit, iuſtificauit, in altera æterna vita ſaluos facere, & æterna gloria ornare velit.*

*Et quidem Deus in illo ſuo conſilio, propoſito & ordinatione, non tantum in genere ſalutem ſuorum procurauit: verum etiam omnes & ſingulas perſonas electorum (qui per Chriſtum ſaluandi ſunt) clementer præſciuit, ad ſalutem elegit, & decreuit, quod eo modo (quem iam recitauimus) ipſos per ſuam gratiam, dona atque efficaciam ſalutis æternæ participes facere, iuuare, eorum ſalutem promouere, ipſos confirmare & conſeruare velit.*

*Hæc omnia ſecundum ſcripturam in articulo prædeſtinationis & æternæ electionis diuinæ ad adoptionem in filios & æternam ſalutem comprehenduntur.*

*Quibus e Form. Concord. adductis & præſtitutis*, prædeſtinatio *ſenſu latiore accepta definiri poteſt, quod ſit* æternum decretum diuinum, quo Deus ex immenſa ſua miſericordia hominibus omnibus, quos in peccatum prolapſuros ab æterno præuidit, Filium ſuum mediatorem dare, & per prædicationem vniſalem amplectendum offerre, omnibus etiam, qui non repugnaturi eſſent, fidem per verbum & ſacramenta conferre, credentes omnes iuſtificare, ac mediis gratiæ porro vtentes renouare, fidem vsque ad finem vitæ in illis conſeruare, ipſos denique finaliter credentes ſaluare conſtituit. *Definitio prædeſtinationis late ſumtæ.*

Obſ. Nonnulli Patres atque Theologi haud dubitarunt aſſerere, fidem in Chriſtum eſſe electionis effectum, & prædeſtinationem conſtituere finem & ordinare media, nosque fuiſſe credituros, *quia electi eramus.* Illi vocem *prædeſtinationis* atque *electionis* ſumunt in hoc ſenſu *laxiori*, pro tota ſaluandorum ordinatione ad ſalutem; quæ, vt omnia ſalutis principia & media complectitur, ita propoſitum Dei æternum de fide in Chriſtum, per verbum & ſacra-



Digitized by Google

menta in omnibus, qui obſtinate & præfracte non reſtiterint, efficienda, includit. Vid. D. MVSAEI *diſſert. de æterno prædeſtinat. decreto p. 206.*

Prob. b. Senſu *ſtrictiori* ſumta prædeſtinatio tum πρόθεσιν, i. e. decretum diuinum generale & indeterminatum de æterna ſalute impertienda omnibus hominibus peccatoribus, in Chriſtum finaliter credituris, tum πρόγνωσιν, h. e. prænotionem certarum perſonarum, ſiue indiuiduorum humanorum, quæ veram in Chriſtum fidem vsque ad nouiſſimum vitæ halitum retentura ſunt, complectitur. Quo ſenſu ſtrictiori acceptam prædeſtinationem perſeverans in Chriſtum *fides* ingreditur *non vt cauſſa meritoria*, propter quam Deus nos eligat, ſed *vt inſtrumentalis*, quod gratiam eligentis Dei, meritumque Chriſti apprehendat, dicente AEGID. HVNNIO in *tractat. de prouid. & præd. fol. 826.* Ex quo etiam nonnulli Theologi fidem in *Chriſtum partem ordinis prædeſtinatorii* appellarunt. Conf. D. GERHARDI *diſputat. iſagog. p. 723.* & D. MEISNERI *anthropol. decad. II. p. 153.* D. DANNHAV. *hodoſ. phænom. VII. p. 578.*

Prob. c. Prædeſtinatio ſenſu *ſtrictiſſimo* ſumta, prout eſt *æternum Dei decretum ad certa indiuidua humana* (Abrahamum, Petrum &c.) *applicatum*, πρόθεσιν, ſiue decretum indeterminatum de ſaluandis hominibus finaliter credituris, & πρόγνωσιν, ſeu præcognitionem fidei in Chriſtum, vt ordine priorem præſupponit, adeoque *fides* neque pars illius, ſed *ratio impulſiua minus principalis* eſt, quam Deus elector gratioſiſſime reſpexit. *Antecedit quidem electio fidem, ratione actualis exſiſtentiæ, ſed ſecundum eſſe cognitum fides electionem antecedit in ſigno rationis.* Vid. D. MVSAEI *diſſertatio de æt. præd. D. p. 209.*

Quæſt. VI. *Quæ eſt cauſſa electionis, ſenſu ſpecialiſſimo ſumtæ?*

*Cauſſa electionis.* *Cauſſa efficiens* electionis, ſenſu *ſtrictiſſimo* acceptæ, eſt Deus triunus a), Pater b), Filius c), & Spiritus Sanctus d).

Obſ. Cauſſa efficiens eſt duplex: 1) *In eſſendo formaliter*, quæ producit effectum realem, realiter a ſe diſtinctum. Talis cauſſa eſt v. gr. intellectus humanus, cum producit actum intelligendi, qui non ſolum realis eſt, ſed & realiter a cauſſa ſua, nempe intellectu, productus. 2) *In eſſendo virtualiter*, quæ non quidem producit effectum, a ſe realiter diſtinctum, a nobis tamen concipitur vt cauſſa; & ſi id, cuius cauſſa dicitur, haberet veram cauſſam, hæc cauſſa, virtualiter talis, ſufficiens eſſet. Vocatur alias *ratio eſſendi a priori.* Iam cum aſſerimus, Deum eſſe cauſſam efficientem prædeſtinationis, *non* intelligenda eſt cauſſa efficiens *in eſſendo formaliter;* quia Deus non producit prædeſtinationis decretum, vt a ſe realiter diſtinctum (omne quippe decretum Dei cum eſſentia diuina ſimpliciſſima eſt ταυτὸ, vnum & idem): ſed intelligenda eſt cauſſa *in eſſendo virtualiter;* quia Deus concipitur vt cauſſa efficiens, & ſi decretum prædeſtinationis haberet, vel habere poſſet veram cauſſam, Deus illius efficiens cauſſa eſſet. Conf. D. MVSAEVS in *diſp. de æt. prædeſt. decr. §. 22.* & D. BECHMANN. in *inſtitut. theol. pag. 443.* D. BAYER. in *compend. theol. p. 647.*

Prob. a. Cum electio non ſit *actio perſonalis*, quales ſunt gignere, gigni, & procedere, ſed *eſſentialis & indiuiſa*, ideo omnibus & ſingulis tribus deitatis perſonis competit, Patri ſcil., Filio & Spiritui S.; perinde ac iuſtificatio & glorificatio, quæ per decretum electionis exſecutioni dantur, omnibus tribus perſonis competunt. Ceterum electio eſt quidem actus voluntatis diuinæ immanens, reſpiciens tamen obiectum extra Deum poſitum; ideoque ſicut in reliquis diuinis ad extra, ita quoque in actu electionis ſeruandus eſt ordo, in diſcrimen perſonarum diuinarum, vt Deus Pater *per* Filium, *in* Spiritu S. nos elegiſſe dicatur. Neque tamen tres deitatis perſonæ ſunt cauſſæ prædeſtinationis ſociæ, neque Chriſtus eſt cauſſa electionis inſtrumentalis, quod ſi aſſereremus, labefactaretur perſonarum diuinarum ὁμουσία.

Prob.

Prob. b. Dei Patris benignitatem ad vitam æternam nos eligentis deprædicat S. Paulus Eph. I, 3. 4. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in ſupracæleſtibus in Chriſto: quemadmodum elegit nos in ipſo ante fundationem mundi.* Deo Patri, fonti omnis benedictionis, tribuitur electio, ſed non excluduntur reliquæ perſonæ diuinæ, quarum ſicut vna eſt eſſentia, ita & actus voluntatis omnibus æque competunt. Habetur autem l. c. peculiaris reſpectus eligentis ad eum, in quo elegit.

Prob. c. Chriſtus ſuos diſcipulos compellat, Io. XV, 19. *Si ex mundo eſſetis, mundus proprium diligeret: quia vero ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo, propter hoc odit vos mundus.* Sermo eſt Chriſto de electione apoſtolorum non ſimpliciter ad apoſtolatum, ſed quatenus hæc coniuncta eſt cum electione ad vitam æternam. Omnes quippe chriſtiani perſeueranter in Chriſtum credentes, electi ſunt de mundo, qui *totus in maligno iacet*, 1 Io. V, 19. Eſt autem *mundus* multitudo illorum hominum, qui, carni & vanitatibus mundi mancipati, in cultores pietatis odio internecino flagrant, eosque diuexant. At Chriſtus dicit, ſe apoſtolos, eorumque imitatores elegiſſe de mundo, i. e. a colluuie impiorum hominum ſecreuiſſe, & ad poſſeſſionem hereditatis cœleſtis deſtinaſſe.

Prob. d. Ex 2 Theſſ. II, 13. *Nos vero debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti a Domino, quod elegit vos Deus ab initio ad ſalutem in ſanctificatione Spiritus, & fide veritatis.* Teſtatur Apoſtolus, Deum Patrem eos elegiſſe ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, in ſanctificatione Spiritus; per quam non intellegitur *ſanctitas renatis inhærens*, quippe quæ manca & mutila cenſorium Dei iudicium ſuſtinere nequit, ſed *actiua Spiritus diuini ſanctificatio*, qua miſeri peccatores ad regnum cœleſte vocantur, illuminantur, conuertuntur & regenerantur, vt fide in Chriſtum donentur, in qua perſiſtentes decreto diuino æterno atque immutabili ad gloriam cœleſtem electi ſunt.

Dicis I. Glorificatio, vel ſaluatio hominum fidelium, quæ prædeſtinationi reſpondet, habet veram cauſſam: E. decretum prædeſtinationis quoque veram & in eſſendo formalem cauſſam habet, cum eadem ſit cauſſa exſecutionis & decreti. Reſp. Neg. conſequentiam. Nam *glorificatio*, ſiue *ſaluatio* fidelium fit extra Deum, vbi cauſſa vera & in eſſendo formalis locum habet. At vero *decretum* prædeſtinationis eſt in ipſo Deo, ab eſſentia diuina ſecundum rem non differens. Ceterum eadem eſt cauſſa impulſiua exſecutionis & decreti, licet cauſſa efficiens, a decreto realiter non diſtincta, in exſecutione effectum a ſe realiter diſtinctum producat.

Dicis II. Prædeſtinatio eſt actio *ad intra*. Actiones autem ad intra ſunt *diuiſæ* ſiue non communes omnibus tribus perſonis diuinitatis. Id quod patet ex generatione τοῦ λόγου æterna. Reſp. Prædeſtinatio eſt quidem actio diuina *interna & immanens*; at non eſt actio *ad intra*, ſed ad extra, eo quod tendit ad obiectum, extra Deum poſitum, nempe peccatorem miſerum, in Chriſtum credentem. Adiice, quod actiones *ad intra perſonales* quidem ſint diuiſæ, non autem actiones *ad intra eſſentiales*. Vid. KOENIGII *theol. poſitiu. p. 41 42.*

Dicis III. Filius Dei eſt cauſſa meritoria & impulſiua prædeſtinationis; hinc dicimur eligi in Chriſto, h. e. propter Chriſtum, Eph. I, 4. E. non eſt cauſſa efficiens prædeſtinationis, cum hæ cauſſæ ſibi inuicem contradiſtinguantur. Reſp. Filius Dei dupliciter ſpectari poteſt: 1) Vt eſt vnus cum Patre & Spiritu S. Deus: 2) Quatenus in tempore humanam naturam aſſumſit, & in ea pro hominibus ſatisfecit. Hoc poſteriori modo Filius Dei eſt *cauſſa meritoria* atque *impulſiua externa* æternæ ſalutis, atque electionis ad ſalutem. Priori modo eſt vna cum Patre & Spiritu S. prædeſtinationis *cauſſa efficiens*, & quidem *vna* cauſſa. Vna enim trium perſonarum voluntas eſt, & vno voluntatis actu Pater, Filius & Spiritus S. ad ſalutem æternam elegerunt, quotquot in tempore ſaluantur.



Digitized by Google

Quæſt. VII. *Quæ eſt cauſſa impulſiua electionis?*

*Cauſſa impulſiua electionis interna.*

*Cauſſa impulſiua* electionis hominum lapſorum, & Deo reconciliatorum, ad vitam æternam alia eſt *interna*, alia *externa*. Cauſſa impulſiua electionis *interna* eſt εὐδοκία, beneuolentia, vel gratia Dei, nullis hominum meritis prouocata.

Prob. Ad prædeſtinationem noſtri motum eſſe Deum εὐδοκίᾳ, ſiue beneuolentia in homines propenſa, docet Paullus Eph. I, 5. 6. *Deus prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ſeipſum iuxta beneplacitum voluntatis ſuæ, in laudem gratiæ ipſius, in qua gratos nos ſibi fecit in dilecto.* Quibus verbis Apoſtolus docet, 1) nos eſſe a Deo prædeſtinatos ad æternam gloriam, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *ſecundum beneplacitum*, ſiue beneuolum affectum voluntatis ſuæ; quæ εὐδοκία eſt beneuolentia Dei, vel fauor ipſius gratuitus & liberrimus. *Conſiderari poteſt* εὐδοκία *diuina dupliciter*, a) *generatim*, b) *ſpeciatim*. *Generatim* ſpectatum beneplacitum Dei pertinet *ad voluntatem Dei antecedentem*, eſtque fons & origo omnium ſalutarium mediorum, per quæ miſericors Deus lapſis, & ob peccatum æternæ morti obnoxiis hominibus aditum ad vitam æternam patere ab æterno voluit, ſub hac conditione, ſi mediis ad ſalutem obtinendam ordinatis, verbo ſcilicet & ſacramentis, recte vtantur, & in Chriſtum ipſius gratia, qua fidem per illa media operari & conſeruare in ipſis vult, perſeueranter credant. Quo ſenſu generali accepta εὐδοκία, ſiue beneuolentia Dei cauſſa impulſiua eſt formandi decretum æternum de ſaluandis hominibus peccatoribus, finaliter in Chriſtum credituris. *Speciatim* ſumta εὐδοκία, ſiue beneplacitum diuinum, prout *ad voluntatem Dei conſequentem* pertinet, non tam prædeſtinationis cauſſa, quam ipſa prædeſtinatio eſt; cum nihil inter ſe differant æterna prædeſtinatio ſaluandorum ad vitam æternam, & Dei beneplacitum, quo illos, qui perſeueranter in Chriſtum ſunt credituri, vita cœleſti certo donare ab æterno voluit. Aſſerit 2) Apoſtolus, nos eſſe a Deo prædeſtinatos in *adoptionem filiorum* per Ieſum Chriſtum, intelligens *adoptionem conſummatam & glorioſam*, quæ infert κληρονομίαν, ſiue hereditatem æternæ vitæ, quam non per ſtudium bonorum operum, ſed per fidem in Chriſtum adipiſcimur, Io. I, 12. Oſtendit 3) S. Paullus, Deum nos prædeſtinaſſe *in laudem glorioſæ gratiæ* ipſius, quæ laus glorioſæ gratiæ Dei eſt finis electionis vltimus. Quod ſi autem electio noſtri vnice facta eſt in laudem glorioſæ gratiæ Dei, vtique facta non eſt ob merita operum noſtrorum: ceteroqui etiam homines bonorum operum ſtudioſi haberent, de quo gloriarentur. Docet idem 4), Deum *nos ſibi gratos feciſſe in dilecto*, i. e. Chriſto. Tantum abeſt, vt naturæ noſtræ conditione Deo ſimus grati, vt ſimus filii iræ, adeoque exoſi, Eph. II, 3. Quare quod a Deo dilecti & ad vitam æternam electi ſumus, id non noſtris operibus, ſed gratiæ Dei in merito Chriſti fundatæ in ſolidum acceptum referendum eſt. Inculcat 5) Apoſtolus, Deum nos elegiſſe, vt *ſimus ſancti & irreprehenſibiles*, v. 4. Ergo non ſumus ideo electi, quia ſancti fuimus. Gratiam eligentem 6) doctor gentium e diametro operum meritis opponit, Rom. XI, 6. *Sic ergo etiam in præſenti tempore reliqui ſecundum electionem gratiæ, facti ſunt. Si vero gratia, non amplius ex operibus; quoniam gratia non amplius eſt gratia. Si vero ex operibus, non amplius eſt gratia; quoniam opus non amplius eſt opus.* E quibus diſcimus, Deum ad eligendum quosdam homines e communi perditionis maſſa, non præuiſis eorum operibus, ſed ſua gratia indebita & gratuita permotum eſſe. *Non eſt gratia vllo modo, ſi non eſt gratuita omni modo*, eleganter alicubi ait AVGVSTINVS.

*Antitheſis*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, & quorundam *Pontificiorum*, aſſerentium, electionem noſtri factam eſſe intuitu bonorum operum; quorum potiora ſunt argumenta:

I. Quicunque ideo dicitur vas in honorem Dei, quia ſe emundat a peccatis, ille propter ſtudium bonorum operum eſt electus, Atqui homo renatus &c. E. *Maior* conſtat; quia vas in honorem Dei eſt homo electus, qui cum fiat vas in honorem per emundationem a peccatis, vtique propter ſtudium bonorum operum electus eſt. *Minor* prob. ex 2 Tim. II, 21. Reſp. Verba Apoſtoli ſunt: *Si quis ſe purgauerit ab his, erit vas in honorem:* Non dicit: *fiet*; perinde ac ſi emundatio a peccatis ſit cauſſa electionis: ſed indicat tantum Apoſtolus, quo ſigno externo electus innoteſcat.

II. Qui propter mala opera homines incredulos reprobat, propter bona opera homines renatos ad ſalutem prædeſtinat: Atqui Deus &c. E. *Maior* eſt euidens; quia oppoſitorum oppoſita eſt ratio. Reſp. Neg. maior. Oppoſitorum oppoſita eſt ratio, ſi vtrinque ſint pariter perfecta. At bona opera imperfecte bona, mala opera perfecte mala ſunt. Vnde ab his ad illa concludere non licet.

III. Quibus paratum eſt regnum cœlorum ideo, quod eſurientes cibarunt, ſitientes potarunt &c. illi ob ſtudium bonorum operum ſunt electi: Atqui hominibus renatis &c. E. *Minor* prob. ex Matth. XXV, 34. 35. *Paratum eſt vobis regnum cœlorum a fundatione mundi: Nam eſuriui, & dediſtis mihi, quod ederem*; vbi electionis ad regnum gloriæ ratio redditur beneficentia per particulam cauſſalem, γάρ, *enim*, *nam.* Reſp. Particula γάρ loco citato non eſt αἰτιολογική, ſiue cauſſalis, ſed συλλογιστική, ratiocinatiua, qua colligitur non effectus e cauſſa, ſed cauſſa ex effectu, ſiue conſequente, per demonſtrationem a poſteriori, perinde ac ſi colligerem: Oportet in his ædibus eſſe ignem; nam ex iiſdem aſcendit fumus. Ceterum quod non propter bona opera paratum ſit regnum, patet, quia loco citato vocatur κληρονομία, quæ citra merita alicui obtingit.

IV. Quicunque ſtudent per bona opera firmam facere ſuam vocationem & electionem, illorum electio pendet a bonis operibus: Atqui homines ſaluandi &c. 2 Petr. I, 10. *Maior* conſtat; quia per quod aliquid firmatur, ab illo dependet, ſi non in fieri, aut eſſe, ſaltim in conſeruari. Reſp. 1) Verba textus ſunt: *ſtudete firmam facere veſtram vocationem & electionem.* Προσδιορισμός, ſiue additamentum illud, *per bona opera*, non habetur in textu authentico. 2) Quamuis bona opera ſubintelligi queant, non tamen aſſerit Apoſtolus, homines ſaluandos propter bona opera eligi, ſed dicit tantum, electionem per opera firmari, ſcilicet quoad cognoſci a poſteriori. Sunt enim opera vere bona τεκμήρια, & notæ firmæ, quibus electi a reprobis valide dignoſcuntur.

V. Deus elegit nos, vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles coram ipſo in dilectione, Eph. I, 4. E. Deus in faciendo decreto electionis reſpexit veræ pietatis ſtudium. Reſp. Non ait Apoſtolus: Deus elegit nos, *cum* eſſemus ſancti & irreprehenſibiles, ſed elegit nos, *vt* eſſemus ſancti & inculpati. Non ergo a Deo electi ſumus ob *inhæſiuam ſanctitatem, vt cauſſam impulſiuam*, ſed ſanctum Deo præſtandum obſequium, ſinceræque pietatis ſtudium reſpectu intentionis diuinæ *finis*, reſpectu exſecutionis *effectus* electionis eſt; quo homines fideles erga Deum electorem grati animi memoriam declarant & teſtantur.

Quæſt. VIII. *Quæ eſt cauſſa impulſiua externa electionis?*

Cauſſa impulſiua *externa* electionis eſt meritum Chriſti, vera & perſeuerante fide apprehendendum, ab æterno præuiſum a Deo omniſcio & placabili. *Cauſſa impulſiua electionis externa.*

Obſeru. Senſus aſſertionis noſtræ eſt: Deus quoſdam homines e communi perditorum hominum cœtu ad vitam æternam elegit non *ob merita propria, neque ex gratia abſoluta,*



Digitized by Google

omnem reſpectum rationis impulſiuæ extra Deum excludente; ſed in æterno electionis decreto vnice *ad Filii ſui pleniſſimum & ſufficientiſſimum meritum reſpexit*, quo etiam permotus eſt, vt quosdam peccatores, illos ſcilicet ſolos & ſingulos ad vitam æternam eligeret, quos in luce omniſcientiæ ſuæ ab æterno præuidit, meritum Chriſti vera fide amplexuros, & in fide illa vsque ad nouiſſimum vitæ halitum perſeueraturos eſſe: adeoque meritum Chriſti eſt *cauſſa impulſiua externa* electionis, *non* quatenus illud ſpectatur *tantum ratione acquiſitionis* (ſic enim ad omnes pertinet homines); ſed etiam *ratione finalis applicationis*, quæ fit per fidem perſeuerantem; quo reſpectu meritum Chriſti ſolis renatis prodeſt.

Probatur aſſertum 1) ex Epheſ. I, 3. 4. 5. 6. 7. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in ſupracœleſtibus in Chriſto: quemadmodum elegit nos in ipſo ante fundationem mundi, vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles coram ipſo in dilectione: dum præfiniuit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ſeipſum, iuxta beneplacitum voluntatis ſuæ. In quo habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ ipſius.* Eſt hoc dictum ſcripturæ claſſicum, ſiue propria ſedes doctrinæ de electione hominum ad vitam æternam. Quamobrem ex hoc oraculo apoſtolico ſequentia ducimus argumenta.

Argumentamur a): Quicunque a Deo ad æternam gloriam electi ſunt propter Chriſtum mediatorem, ad illorum electionem Deus merito Chriſti motus & impulſus eſt. Atqui renati &c. Ergo. *Maior* patet; quia propter cuius meritum decretum aliquod formatur, illum oportet eſſe vi illius meriti cauſſam impulſiuam. *Nam cauſſa meritoria eſt, quæ ſub ratione meriti, vel demeriti, cauſſam efficientem ad dandum præmium, vel irrogandam pœnam mouet & impellit. Minor* liquet; quia Paullus dicit, nos eſſe a Deo electos *in Chriſto*, h. e. *propter* Chriſtum. Nam græca particula ἐν frequenter in ſacris litteris idem valet, quod *propter*, vt Matth. VI, 7. vbi ſermo eſt de ethnicis: putant, ſe ἐν πολυλογίᾳ αὐτῶν, propter multiloquium ſuum, exauditum iri. Act. VII, 29. Fugit Moſes ἐν τῷ λόγῳ τȣτῳ, propter ſermonem hunc, cum nimirum altercantium Iſraëlitarum, inter quos pacem conciliatum iuerat, alter diceret: *Num tu me vis interimere, quemadmodum heri Ægyptium illum.* Eph. III, 13. Peto, ne ſegneſcatis ἐν θλίψεσί μȣ, *propter afflictiones meas.* Quin etiam ab ipſo Apoſtolo particula ἐν per διὰ redditur, v. 5.

Dicis: I. Verba Paulli exponi poſſunt: *Electi ſumus in Chriſto tanquam capite.* Reſp. Vox, *caput*, tum ordinem ad membra, tum cauſſalitatem notat. Si ſumatur caput *cauſſaliter;* vere dicimur electi in Chriſto tanquam capite, fundamento & cauſſa impulſiua electionis. Sin ſumatur tantum *ordinaliter*, quod ſcil. Chriſtus in ſigno rationis diuinæ prius electus, & nos poſterius prædeſtinati ſimus; illa expoſitio eſt incommoda ideo, quod Chriſtus in communi perditionis maſſa nunquam fuit, adeoque ex eadem nunquam ſegregatus & electus eſt.

Dicis: II. Verba Apoſtoli exponi poſſunt: *Electi ſumus, vt ſimus in Chriſto*, vt notetur cauſſa *finalis*, non *impulſiua.* Reſp. Si Apoſtolus dixiſſet: *Electi ſumus*, εἰς τὸν Χριςὸν, illa expoſitio textui congrua foret. At dicit: electi ſumus *in Chriſto*, tanquam mediatore, cuius meritum Deum ad eligendum quosdam homines impulit.

Dicis: III. Græca particula ἐν, pro διὰ quidem eſt poſita, ſed notat cauſſam electionis *efficientem*, vt ſenſus ſit: Deus Pater elegit nos per Chriſtum, Filium ſuum coæternum, adeoque Chriſtus non vt mediator, ſed vt Deus conſideratur. Reſp. Deus eligens a Chriſto, in quo, vt fundamento, electio facta eſt, aperte diſtinguitur, & in toto contextu Apoſtolus de Chriſto non qua Deo tantum, ſed qua θεανθρώπῳ & mediatore loquitur, in quo habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, v. 7.

Dicis:

Digitized by Google

Dicis: IV. Senſus Apoſtoli eſt: Deus elegit nos eſſe in ipſo ſanctos & irreprehenſibiles. Reſp. Hoc interpretamentum vim facit textui, eidem aliquid detrahendo, quod ad complendum ſenſum neceſſarium eſt. Nam in textu Paullino legitur pronomen ἡμᾶς, bis poſitum, & interiecta diſtinctionis nota conſtruitur ſemel cum verbo ἐξελέξατο, iterum cum verbo ἐιναι, hoc modo, ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναι ἡμᾶς ἁγίους. At ſecundum iam recenſitum interpretamentum nota diſtinctionis eſſet tollenda, perinde ac ſi pronomen ἡμᾶς ſemel tantum eſſet poſitum, verbisque traiectis ſic eſſet legendum: ἐξελέξατο ἡμᾶς εἶναι ἐν αὐτῷ ἁγίους i. e. elegit nos eſſe in ipſo ſanctos.

Dicis: V. Elegit nos Deus in Chriſto, ſcilicet adoptandos. Reſp. Hæc expoſitio textui, præter neceſſitatem, aliquid ſuperaddit: Quibus accurate penſitatis manifeſtum eſt, ſolam noſtram explicationem, quam ſupra dedimus, contextui eſſe conformem, & genuinam Apoſtoli mentem exprimere. Quid? quod noſtram interpretationem calculo ſuo comprobent *confeſſio Heluetica*, cap. X. *confeſſio Anhaltina*, cap. XI. & haud pauci doctores eccleſiæ reformatæ, quos commemorat & laudat Dn. D. HOLTZFVSIVS *diſſertat. de prædeſtinat. p. 133. ſeqq.*

Argumentamur b): Quicunque eſt cauſſa meritoria benedictionis ſpiritualis, ille eſt cauſſa meritoria æternæ electionis: Atqui Chriſtus &c. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in ſupracæleſtibus, in Chriſto; καθὼς, ſicut nos elegit in ipſo.* Particula emphatica καθὼς, *quemadmodum*, innuit Apoſtolus, Deum in Chriſto nobis benedicere eodem modo, quo nos in eodem elegit. At *benedicit* nobis Deus *in Chriſto*, vt fonte & cauſſa *meritoria* benedictionis, Gen. XII, 3. c. XVIII, 18. c. XXII, 18. Act. IV, 12. Gal. III, 13. 14. Ergo nos *in Chriſto*, vt fonte & cauſſa *meritoria* electionis ad ſalutem æternam *elegit*.

Dicis: Chriſtus eſt quidem cauſſa *meritoria* electionis, ſed non cauſſa *impulſiua*. Reſp. Cauſſa meritoria, ſeu impulſiua, vt ſpecies ſub genere comprehenditur: omnis namque cauſſa meritoria eſt impulſiua, licet non omnis cauſſa impulſiua ſit meritoria. Hæc definitur, quod ſit cauſſa, quæ *ſub ratione meriti* cauſſam efficientem ad dandum præmium *impellit*. Itaque omnis cauſſa *meritoria* eſſentialiter eſt *impulſiua*.

Argumentamur c): Quoscunque Deus prædeſtinauit in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ſeipſum, illos intuitu meriti Chriſti elegit: Atqui homines renatos &c. Ergo. *Maior* probatur; quia prædeſtinatio ad υἱοθεσίαν conſummatam, quæ datur in cœlo, eſt electio ad vitam æternam, quippe illa conſummata & glorioſa υἱοθεσία hereditatem cœleſtem includit, aut infert.

Argumentamur d): Quicunque eſt cauſſa impulſiua, ob quam Deus nos diligit, ille eſt cauſſa impulſiua, ob quam Deus nos ad vitam æternam elegit: Atqui Chriſtus &c. *Maior* probatur; quia dilectio interne Deum ad eligendum quosdam homines impulit ita, vt nullus ſit *electus*, qui non *dilectus*. At non dilexit Deus quosdam homines abſolute citra intuitum Chriſti. Minor patet e verſu 6. *in laudem glorioſæ gratiæ ſuæ, in qua gratos nos fecit* (ſibi) *in dilecto*. Periiſſent peccatores, niſi Deo grati redditi fuiſſent. Nulla creatura poterat illos Deo gratos efficere; quia nulla creatura poterat delere peccatum, ex quo omnis reſultat inimicitia. Quare ne miſeri perirent peccatores, Deus glorioſa ſua beneuolentia eosdem ex inimicis fecit amicos, ſibique gratos, miſſo in carnem Filio ſuo dilectiſſimo, in quo, per quem, & propter quem peccatores diliguntur.

Argumentamur e): In quo habemus remiſſionem peccatorum, ille eſt cauſſa fundamentalis noſtræ electionis: Atqui in Chriſto &c. Ergo. *Maior* liquet; quia Deus elegit peccatores

catores

Digitized by Google

catores non quatenus ſunt exoſi, ſed quatenus reconciliati, gratique Deo redditi. Præſupponit ergo decretum electionis, in ſigno rationis, decretum diuinum de homine iuſtificando. *Minor* patet e v. 7. *In quo (Chriſto) habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ ipſius.*

Prob. 2) *ex conformitate decreti & exſecutionis.* Quidquid eſt cauſſa impulſiua, propter quam Deus in tempore quibusdam hominibus ſalutem confert, illud eſt cauſſa impulſiua, propter quam Deus ab æterno quosdam homines ad ſalutem elegit: Atqui meritum Chriſti eſt cauſſa impulſiua, propter quam Deus in tempore quibusdam hominibus ſalutem confert. Ergo meritum Chriſti eſt cauſſa impulſiua, ob quam Deus quosdam homines ad vitam æternam elegit.

*Maior* nititur canone vniuerſali: Eædem ſunt cauſſæ impulſiuæ decreti, quæ ſunt cauſſæ impulſiuæ exſecutionis decreti; cuius veritas 1) ex inductione exemplorum patet. Quando magiſtratus ciues ſuos, dominus ſeruos, parens liberos, magiſter diſcipulos, imperator milites, alios quidem ob præſtitam in officio diligentiam præmiis ornat, alios vero ob delicta pœnis afficit; facile colligitur, diligentiam & delicta, vti cauſſæ fuerunt impellentes ad diſtribuenda præmia & pœnas ita etiam fuiſſe cauſſas impellentes ad præmia & pœnas decernendas. Quia Sodomæ peccata clamantia cauſſa fuerunt, cur Deus eam male exciderit, Gen. XIIX, 20. concludimus haud ex vano, Deum propter illa peccata decreuiſſe eam perdere. 2) Easdem eſſe cauſſas impulſiuas decreti & exſecutionis eius, probatur a priori, cum ex ipſius cauſſæ impulſiuæ, tum etiam ex actionum voluntariarum natura. Ex *natura cauſſæ impulſiuæ*: nam hæc eſt natura & indoles cauſſæ impulſiuæ, qua quis ad exercitium alicuius actus externi mouetur, vt voluntatem vel appetitum cauſſæ efficientis moueat ad volendum vel appetendum id, quod cauſſa efficiens per actum externum exſequitur. Idem quoque ex *natura actionum voluntariarum* perſpicitur. Nam has quemadmodum qui agit, etiam vult agere, & prius ſaltem natura eſt velle agere, quam agere; ita etiam qua cauſſa permotus quis agit, eadem permotus vult agere, & prius ſaltem natura eſt, aliqua cauſſa permotum *velle agere*, quam aliqua cauſſa permotum *agere*.

*Minorem* confirmant ſacræ litteræ, quæ docent, *quod non ſit in alio ſalus, quam in Chriſto*, Actor. IV, 12. *Si, cum eſſemus hoſtes, reconciliati ſimus Deo per mortem Filii ipſius: multo magis reconciliati ſaluabimur in vita eius.* Rom. V, 10. *Non poſuit Deus nos in iram, ſed in poſſeſſionem ſalutis, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, vt, ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, vna cum ipſo viuamus*, 1 Theſſ. V, 9. 10. *Chriſtus, licet eſſet filius, didicit tamen ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam: & conſummatus, factus obedientibus ipſi omnibus auctor ſalutis æternæ*, Hebr. V, 8. 9.

Prob. 3) ex præuiſione Dei. Electio facta eſt κατὰ πρόγνωσιν, ſecundum prænotionem, Rom. VIII, 29. c. XI, 2. 1 Petr. I, 2. At præuiſionis illius, iuxta quam electio facta eſt, obiectum eſt Chriſtus, cum ſanctiſſimo ſuo merito, vnde 1 Petr. I, 19. dicimur *redemti pretioſo ſanguine Chriſti, tanquam agni immaculati & incontaminati, præcogniti* (προεγνωσμένου) *quidem ante fundationem mundi.* Naſcitur ex his argumentum: Quæcunque electio facta eſt κατὰ πρόγνωσιν, ſeu ſecundum præuiſionem Chriſti, vera fide apprehendendi, illa non eſt facta ex abſoluto beneplacito citra intuitum Chriſti: Atqui electio hominum lapſorum ad æternam gloriam &c: Ergo. *Maior* eſt euidens; quia illud decretum dicitur abſolutum, quod conceptum eſt citra reſpectum cauſſæ externæ impulſiuæ.

Prob. 4) *Ab electionis conditione.* Electio eſt opus immenſæ dilectionis & miſericordiæ. At Deus non ſolum miſericors, ſed & iuſtus eſt, & vt miſericordia ipſius ad volendum nobis gratiam, ita iuſtitia ipſius, peccatis noſtris læſa, ad volendum peccatoribus pœnam

Digitized by Google

nam mouebat. Oportuit igitur interuenire meritum Chriſti, quo læſæ iuſtitiæ fieret ſatis, quod, miſericordiæ diuinæ iunctum, vna cum illa conſtituit completam volendi rationem, qua Deus noſtro intelligendi modo mouetur, vt ſalua iuſtitia immutabili peccatores velit ſalvos fieri. *Reconciliati enim ſumus Deo morte Filii ipſius.* Rom. V, 10.

*Antitheſis* eſt 1) *Socinianorum*, ſatisfactionem Chriſti plane infitiantium; 2) quorundam *Pontificiorum & Reformatorum*, decretum electionis abſolutum ſtatuentium. Nam non omnes doctores eccleſiæ *reformatæ* reſpectum meriti Chriſti ex æterno prædeſtinationis decreto excludere, prolixe oſtendit Dn. D. HOLZFVS. *Profeſſor Francof.* in *diſſertat. de prædeſtinat. p. 153. & ſeqq.* *) Obiiciuntur nobis argumenta:

I. Quicunque electi ſunt ex mera gratia, illi non ſunt electi propter meritum Chriſti: Atqui fideles &c. Ergo. *Maior* eſt euidens; quia mera gratia opponitur omni merito. *Minor* prob. ex Eph. I, 5. Deus prædeſtinauit nos, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ. Reſp. Mera gratia opponitur *noſtrorum* operum *meritis*, non *merito Chriſti.* Dicit enim Apoſtolus, v. 6. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, gratos nos ſibi fecit in dilecto, Chriſto. Intelligit ergo Apoſtolus beneplacitum *ordinatum*, non *abſolutum.*

Inſtantia: Sed Apoſtolus aſſerit, gratiam Dei eligentis eſſe ſimpliciter abſolutam & liberam, inquiens, Rom. IX, 18. *Deus, cuius vult, miſeretur: & quem vult, indurat.* Reſp. Cap. IX. epiſt. ad Romanos πρώτως & primo agit de iuſtificatione peccatoris per fidem in Chriſtum; ἑπομένως tamen & per pronam conſequentiam verba Apoſtoli ad æternum electionis decretum applicari poſſunt. Etenim quo modo Deus in tempore peccatores iuſtificat, eodem modo ipſos iuſtificare decreuit. Quibus præſtitutis, dicimus, gratiam Dei iuſtificantis & eligentis eſſe quidem *liberam, ſed non ſimpliciter abſolutam. Libera eſt a neceſſitate obligationis*, tum quia nullum ius Deum obligauit ad commiſerationem generis humani lapſi (erat enim penes Deum, hominem lapſum in gratiam recipere, aut ſine ſpe veniæ punire); tum quia *œconomia ſalutis, per fidem in Chriſtum impetrandæ, a voluntate Dei liberrima pendet. Simpliciter abſoluta* non eſt; quia eſt in merito Chriſti fundata, & ad certam mediorum τάξιν adſtricta, ad quam Deus ipſe ſe liberrime adſtrinxit. Data eſt nobis gratia in Chriſto ante tempora ſæcularia, inquit Apoſtolus, 2 Tim. I, 9.

II. Si propter meritum Chriſti ſumus electi, electio erit vniuerſalis: Conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens. Reſp. Diſt. *inter meritum Chriſti ſpectatum ratione acquiſitionis, & conſideratum ratione applicationis*, ſiue quatenus fide perſeuerante apprehenditur. Priori modo quidem vniuerſale eſt meritum Chriſti, ſed applicatio non fit ab omnibus.

III. Quidquid eſt præſtitum in tempore, illud non poteſt eſſe cauſſa meritoria, aut impulſiua æterni decreti: Atqui meritum Chriſti &c. Ergo. *Maior* probatur; quia nihil poteſt

*) Qui cæteris moderatiores ſunt, fatentur quidem, beatos homines *propter Chriſtum* electos eſſe: At ambigue tamen loquuntur, vt ſolent, multoque aliter ſentiunt, ac Noſtrates, recte ſentientes. Scilicet Chriſti promerita, vt illorum fert opinio, ad electionem pertinent, tamquam *conſequens* aliquid, hoc modo: quod Deus primum quidem ceperit conſilium de paucis quibusdam eligendis, deinde vero in eorum gratiam Chriſtum mittere, adeoque propter hunc Reconciliatorem pacis, pro iis ſolis ſatis omnino facturum, iis electis æternam beatitatem impertire decreuerit. Noſtra autem ſententia, meritum Chriſti eſt cauſa electionis, vt *antecedens*, nimirum quod Deus ex vniuerſa multitudine hominum omnium ac ſingulorum, pro quibus peræque infinitum pretium a communi omnium ſponſore perſoluendum erat, eos ſelegit, quos conſtantem, nec fucatam, in Chriſto fiduciam collocaturos ipſe prævidit.



Digitized by Google

poteſt exercere munus cauſſæ, niſi exiſtat: & omnis cauſſa prior eſt effectu. At meritum Chriſti ab æterno non exſtitit: ergo non potuit eſſe cauſſa æterni decreti. Reſp. Diſt. *inter meritum Chriſti præuiſum, & actu præſtitum, ſiue opere ipſo impletum.* Priori modo ſpectatum, eſt cauſſa electionis æternæ; poſteriori modo conſideratum, eſt cauſſa meritoria ſalutis nobis exhibendæ & conferendæ. Ceterum non omnem cauſſam cauſſato priorem eſſe, qua exiſtentiam realem, patet e cauſſa finali. Hinc finis dicitur primum non ratione exiſtentiæ, ſed tantum ratione intentionis; ratione exiſtentiæ autem & in exſecutione vltimum eſt. Cauſſa impulſiua exercet munus cauſſæ, non *ſecundum eſſe ſuum reale,* ſicut cauſſa efficiens phyſica, ſed ſecundum *eſſe obiectiuum, & intellectu agentis principalis cognitum.* Inde fit, vt meritum Chriſti patribus V. T. profuerit ad ſalutem; quia ab æterno a Deo fuit præcognitum, licet id temporis non fuerit reapſe præſtitum. Quin peccata etiam infidelium ſunt omnium conſenſu cauſſa æterni decreti reprobationis, eo quod obiectum ſunt omniſcientiæ diuinæ, & per eam voluntati diuinæ ab æterno ſub ratione mali obiectiue exhibita, licet in tempore ſint commiſſa.

IV. Quicunque ipſe prædeſtinatus eſt, is non eſt cauſſa impulſiua noſtræ electionis. Atqui Chriſtus &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia qui prædeſtinatus eſt, æternæ quidem electionis obiectum, non autem cauſſa impulſiua eſt. *Minor* patet ex 1 Petr. I, 20. Reſp. Loco citato Chriſtus dicitur προεγνωσμένος, præcognitus, non προωρισμένος, prædeſtinatus. Præcognitus dicitur, quia electio noſtri facta eſt κατὰ πρόγνωσιν, ſecundum prænotionem mediatoris Chriſti: qui ſtricte loquendo non eſt electus; quia electio eſt hominis, propter peccatum æternæ morti obnoxii, ex mera miſericordia deſtinati ad æternam vitam. At Chriſtus propter peccatum æternæ damnationi nunquam obnoxius fuit.

V. Quidquid eſt medium exſecutionis, ſeu actualis ſaluationis, illud non eſt cauſſa impulſiua æterni prædeſtinationis decreti. Atqui meritum Chriſti &c. Ergo. *Maior* prob. quia media ſalutis cauſſis & principiis ſalutis contradiſtinguuntur. Et quidquid tantum eſt medium exſecutionis, non poteſt eſſe cauſſa æterni decreti, quippe quod eſt actus voluntatis diuinæ immediatus. *Minor* liquet; quia meritum Chriſti communiter vocatur medium, quo iuſtitiæ diuinæ ſatisfactum eſt, vt æterna ſalus nobis conferri queat. Reſp. Medium ſalutis, ſtricte ſumtum, eſt organon ſalutem offerens, vel recipiens. Media offerentia ſunt verbum Dei & ſacramenta: medium recipiens eſt fides in Chriſtum. His accenſeri nequit meritum Chriſti, quia eſt cauſſa ſalutis impulſiua principalis. At ſi medium laxe ſumatur, vt ambitu ſuo etiam cauſſam meritoriam complectatur, maior argumenti propoſitio falſa eſt, eo, quod cauſſa ſalutis meritoria eſt cauſſa impulſiua, quæ Deum tum ad decernendam, tum ad dandam ſalutem mouit, ob perpetuam harmoniam decreti & ipſius exſecutionis.

VI. Quidquid eſt principium independens, immobile & immutabile, illius nulla datur cauſſa impulſiua: Voluntas diuina eſt principium independens, immobile & immutabile: Ergo. *Maior* conſtat; quia quidquid habet cauſſam, id ab ea dependet; quidquid impellitur, mouetur & mutatur. *Minor* patet; quia voluntas Dei reapſe eſt ipſa eſſentia Dei independens, immobilis & immutabilis. Reſp. Diſt. inter *cauſſam formaliter, & virtualiter cauſſantem.* Illa eſt vera & realis cauſſa actu influens in effectum: hæc eſt ratio quædam a priori, noſtro concipiendi modo ſe per modum cauſſæ habens. Non aſſerimus, meritum Chriſti eſſe cauſſam impulſiuam æterni prædeſtinationis decreti *proprie* dictam & *formaliter* cauſſantem, quæ voluntatem Dei ad actum decreti electionis eliciendum moueat & impellat. Conſtat enim inter omnes, decreta Dei non eſſe actus a voluntate diuina realiter diſtinctos, & ab ea elicitos; ſed eſſe ipſam Dei voluntatem per modum actus cum connotatis obiectis, circa quæ verſatur, conceptam, & conſequenter nullam eorum cauſſam proprie dictam

Digitized by Google

ctam dari poſſe). Sed dicimus, meritum Chriſti eſſe electionis cauſſam *minus proprie* ſic dictam, & *virtualiter* cauſſantem, quæ tantum ſit ratio a priori, & noſtro concipiendi modo ſe inſtar cauſſæ impulſiuæ habeat, cuius intuitu voluntas diuina, citra veram & realem ſui motionem, citraque actum elicitum, ſalutem noſtram velit & decernat, non ſecus, ac ſi proprie dicta eius cauſſa impulſiua eſſet: ſicuti etiam proprie dicta cauſſa impulſiua futura eſſet, ſi decretum diuinum huiusmodi cauſſam agnoſceret, vel admitteret. Vid. D. MVSAEVS *diſſertat. de æt. præd. decr. §. 7. p. 3.*

Quæſt. IX. *Eſtne electio hominum lapſorum ad vitam æternam facta intuitu fidei?*

## Electio hominum, peccato corruptorum, ad vitam æternam a Deo miſericordiſſimo facta eſt intuitu *fidei in Chriſtum* a), ad finem vsque vitæ *perſeuerantis* b).

Obſ. Theologi noſtrates in explicando æterno prædeſtinationis decreto, *qua rem ipſam*, amiciſſime conſpirant, magno conſenſu docentes, Deum, cui etiam futura obiectiue præſentia ſunt, infinito lumine intellectus quorundam hominum, in peccatum prolapſorum, fidem ab æterno præuidiſſe, & intuitu fidei in Chriſtum præcognitæ eosdem ad æternam ſalutem elegiſſe. Diſcrepant *modo loquendi* & vſurpatione terminorum technicorum.

Conueniunt noſtrates Theologi 1) quod fides, ab æterno præuiſa, noſtro modo concipiendi prior ſit decreto electionis, atque adeo ad illud ſe habeat vt ratio, cuius intuitu ſimus electi. Sic enim docet liber Concordiæ de æterna prædeſt. declarat. p. 812. *In eo dubium nullum eſt, quin Deus certiſſimus & exactiſſimus ante tempora mundi præuiderit & hodie etiam norit, quinam ex numero eorum, qui vocantur, credituri, aut non credituri: item qui ex conuerſis perſeueraturi; & qui poſt lapſum reuerſuri, qui vero indurati perituri eſſent.* Et in epitome p. 619. *In Chriſto æterna Dei Patris electio quærenda eſt: Is enim in æterno ac diuino ſuo conſilio decreuit, quod præter hos, qui Filium eius Ieſum Chriſtum agnoſcunt, & in eum vere credunt, neminem ſaluum facere velit.*

Conſentiunt 2) quod *fides præuiſa* decretum electionis ingrediatur, non vt qualitas, aut actus eſt, nec ratione alicuius propriæ bonitatis, dignitatis, vel perfectionis, ſed vnice & in ſolidum ratione obiecti, in quod fertur, quodque apprehendit & nobis applicat, ſcilicet meriti Chriſti. Præclare inquit D. AEGID. HVNNIVS, in *tract. de prouid. & prædeſt. tom. I. oper. fol. 826. Fides ingreditur myſterium electionis, non quatenus in ſua dignitate, merito aut conditione penſitatur, vt qualitas quædam, habitus, aut virtus, ſed tantummodo, vt illa ſe habet relatiue ad Chriſtum, tanquam vnicam æternæ electionis petram & fundamentum.*

Conſentiunt 3) quod non electi ſimus *propter fidem*, ſed *per fidem*. Scite non minus, quam vere ait D. BALTH. MEISN. in *anthropol. decad. II. diſput. XIV. p. 159. Eligimur non ad fidem, vt terminum, non propter fidem, vt meritum,* ſed *per fidem, tanquam medium, vel in fide, tanquam parte ordinis prædeſtinatorii.*

Diſcrepant Theologi noſtrates *modo loquendi, & vſu terminorum artis.* Nonnulli fidem in *Chriſtum decreti electionis cauſſam* dicere, nihil veriti ſunt. Ita enim locuti ſunt Theologi Wurtenbergici in *colloquio Mompelgartenſ. p. 518.* Fides in Chriſtum non eſt naturæ, aut noſtrarum humanarum virium, ſed Spiritus S. opus. Cum ergo fides cauſſa electionis eſſe dicitur; nequaquam *Pelagianorum* dogma ſapit, qui naturæ viribus tribuerunt, quod ſolus Spiritus S. præſtare poteſt. *Colloquio Mompelgartenſi* prima fronte contradicere videtur *Form. Concord. declarat. p. 821. Falſum eſt, & cum verbo Dei pugnat, cum docetur, quod non ſola Dei miſericordia, & vnicum ſanctiſſimum Chriſti meritum, verum etiam aliquid in nobis cauſſa ſit electionis diuinæ; propter quod nos Deus ad vitam æternam prædeſtina-*

*ſtinauerit.* At mens Form. Concord. eſt: electionis præter Dei miſericordiam & meritum Chriſti, fide apprehendendum, ex hominis parte nulla datur cauſſa, quæ merito ſuo, dignitate aut valore Deum mouerit, vt ab æterno nos ad vitam æternam elegerit. Quibus probe conſideratis, D. AEGIDIVS HVNNIVS in *tract. de prou. & prædeſt. fol. 826.* ait: *Fides ingreditur myſterium electionis, non vt cauſſa meritoria, propter quam nos Deus eligat, ſed vt inſtrumentalis.* At vero cum non nemo huic Theologo conſummatiſſimo obiiceret, æternum electionis decretum eſt actus voluntatis diuinæ immanens, immediatus & inorganicus, proficiſcens a voluntate Dei, ſine vllius inſtrumenti interuentu, reſpondebat D. AEGID. HVNN. *d. l. fol. 676. Fides non eſt inſtrumentum, quo ipſa apprehendatur electio; ſed quo apprehenditur gratia eligentis Dei, & meritum Chriſti, in quo fundatur electio ſalutis; ſicut in iuſtificatione fides non dicitur apprehendere ipſam iuſtificationem, ſed gratiam iuſtificantis Dei, merito Chriſti partam.* Alii igitur, ad præcidendam omnem cauillandi anſam, maluerunt *fidem* appellare *conditionem electionis, vel conditionem ex parte obiecti eligendi requiſitam, vel partem ordinis prædeſtinatorii;* quos inter eſt D. MEISNERVS in *anthropol. decad. II. diſput. XIV. p. 153. Cum fides electionis cauſſa dicitur, non intelligas principalem, impellentem ac meritoriam, ſed tantum inſtrumentalem, & quidem non totius decreti, ſed potius partis, nempe meriti Chriſti, quod fides apprehendit. Quum enim ſit cauſſa partis decreti, hinc populari loquendi modo cauſſa dicitur ipſius decreti. Conuenientius tamen eſt, fidem nuncupare vel conditionem electionis, ne fingatur eſſe abſoluta, vel partem ordinis prædeſtinatorii, quam Deus ab æterno non minus, ac Chriſti mortem aſpexerit.* Quin & D DANNHAVERVS in *hodoſ. phænom. VII. p. 576.* vocat *fidem conditionem teſtamentariam, ad quam reſpicit teſtator ac elector Deus.* At vero obſeruauit D. MVSAEVS in *diſſertat. de æterno prædeſt. decret §. 65. ſeqq. p. 47.* quod iſtis loquendi modis non luculenter exprimatur reſpectus, vel habitudo fidei ad ipſum decretum electionis. *Nimirum terminus conditionis generalis eſt, & inſinuat quidem neceſſitatem fidei ex parte hominis eligendi; an autem fides in ſe, vt habitus, vel actus eſt, an vero ratione obiecti, quod apprehendit, neceſſaria ſit, & quomodo ad ipſum electionis decretum ſe habeat; eo non ſignificatur. Perinde, eſſe partem ordinis prædeſtinatorii, commune quid eſt fidei cum aliis in ordine prædeſtinatorio incluſis rebus, neque an fides, vt medium exſecutionis tantum, an vero etiam vt cauſſa, vel ratio decreti, eaque principalis, vel minus principalis, in eo includatur, ex vi vocum intelligi poteſt. Cauſſam decreti electionis inſtrumentalem qui fidem in Chriſtum dixerunt, non tam reſpexerunt ad habitudinem fidei, quam præciſe ad electionis decretum importat, quam ad habitudinem, quam importat ad apprehendendum meritum Chriſti, cuius intuitu ſumus electi.* Quibus omnibus expenſis, D. MVSAEVS fidem, conſideratam in ordine ad ipſum prædeſtinationis decretum, appellandam eſſe cauſſam, vel rationem impulſiuam minus principalem decreti electionis, ſtatuit: Verba D. MVSAEI ſunt §. 70. p. 50. *Solus igitur cauſſæ, ſiue rationis impulſiuæ minus principalis terminus exprimit habitudinem fidei ad electionis decretum congrue, exacte & abſque improprietate, declaratque, quod 1) ad decretum electionis fides ſe habeat, vt ratio decernendi, ſiue vt ratio, cuius intuitu voluntas Dei ſe determinauerit, ad hos præ illis eligendos; nec tamen 2) vlla ſua propria dignitate, bonitate, pretio aut valore ſic ſeſe ad illud habeat, ſed bonitate, dignitate, pretio aut valore alterius principalis cauſſæ, vel rationis impulſiuæ; quæ non eſt alia, quam Chriſti meritum, quod apprehendit, nobisque applicat. In hoc enim conſiſtit cauſſæ, ſiue rationis impulſiuæ minus principalis natura & conceptus, quod ſe habeat ad voluntatem agentis ratio volendi, non ſua propria bonitate, dignitate, pretio aut valore (quod ſolius cauſſæ impulſiuæ principalis eſt), ſed bonitate, dignitate, pretio aut valore alterius principalis cauſſæ, ſeu rationis impulſiuæ.* D. MVSAEVM κατὰ πόδα ſequuntur D. SCHERZER, in *ſyſtem. theol. loc. XVIII. p. 488. ſqq.*

D. FRI-

Digitized by Google

D. FRIDER. BECHMANN. in *inſtit. theol. p. 953.* D. CHRISTOPH. FRANCKIVS in *exercit. Anti-Wendel. exerc. II. p. 85.* D. BAYER. in *compend. theol. p. 153.* Neque quoad rem diſſentit D. BALTHAS. MEISNERVS in *anthropol. decad. II. diſput. XIV. p. 153.* inquiens: *Conuenientiſſimum videtur, fidem non conſiderari ſeorſim, vt cauſſam electionis peculiarem a merito Chriſti diſtinctam, ſed coniunctim vna cum ipſo merito apprehenſo, vt ſic vtrumque copulatum vnam electionis cauſſam impellentem conſtituat. Neque enim meritum ſine applicatione, neque fides per ſe mouit Deum ad eligendum, ſed vtrumque in praeſcientia coniunctum, hoc eſt meritum Chriſti, fide apprehenſum, vel fides meritum Chriſti apprehendens.* Cenſente itaque D. MEISNERO, fidei habitudo ad electionem talis eſt, qualem habet cauſſa, vel ratio impulſiua ad id, cuius cauſſa eſſe dicitur; nec tamen quatenus ipſa ſeorſim, aut in ſe abſolute, ſed quatenus ex parte meriti Chriſti conſideratur; ita vt non velut duae cauſſae ſociae, aut partiales, ſed tanquam cauſſae ſubordinatae, & per modum cauſſae principalis & inſtrumentalis (quae ſicut in genere cauſſae efficientis vno influxu producunt effectum, licet inter ſe alias diſtinguantur; ita in genere cauſſae impulſiuae vno velut impulſu moueant voluntatem agentis ad decernendum) ſeſe habeant meritum Chriſti, & fides ad decretum electionis. Vid. D. BAYERI *compend. theol. p. 958.* Ceterum ſilentio praetereundum non eſt, D. CALOVIVM ſollicite obſeruaſſe, quod *fides in Chriſtum ad decretum electionis nil propriae dignitatis, aut activitatis conferat, ſed hic tantum paſſiue ſe habeat,* in *ſyſtem. theol. tom. X. p. 632.* Concedit tamen idem, quod fides Deum moueat non κυρίως, ἀλλ᾽ ὀργανικῶς, *cum & ipſa miſeria Deum, patrem miſericordiae, mouiſſe ad noſtri in gratiam receptionem, iuſtificationem & electionem, communiter dicatur, quae eſt cauſſa* προκαταρκτική. *Quidni ergo potius id de fide & merito Chriſti per fidem apprehenſo dicendum, quae eminentiori modo ſunt cauſſae* προκαταρκτικαὶ *in ſanctiſſima hac cauſſa? l. c. p. 655. Fidem in myſterio electionis ſe habere paſſiue,* docet etiam D. WILHELM. LYSERVS in *ſyſtem. theol. p. 761.* inquiens: *Fides hic non conſideratur vt qualitas, ſed vt paſſiuum Chriſti recipiendi medium.* Suffragatur D. FECHTIVS, qui in *ſyllog. controu. recent. diſput. XIX. Fides,* ait, *eſt inſtrumentum apprehendendae gratiae eligentis paſſiuum, cauſſae phyſicae analogum.* Neque diſſentire videtur D. DANNHAVERVS in *hodoſ. phaenom. VII. p. 576. Fides hic non eſt opus, aut meritum, ſed manus mendica praeuiſa. Vnde nihil gloriolae vel minimae relinquitur fidei, quae accipit, non donat, aut acquirit. Vnde etiam nihil dignitatis actiuae Deus in homine vidit, nihil boni, quod non eſſet ex ipſo.* Fides, tametſi non ſit cauſſa decreti, tamen eſt inſtrumentum ſalutis receptiuum, in decreto praeviſum. Non diffitetur interim, quod fides ſit ratio decreti praedeſtinatorii; non enim quia Deus decreuit Paullum eligere, credidit; ſed quia Paullus conſtanter credidit, ac mediis ſalutis non reſtitit, a Deo ad vitam aeternam electus eſt. Auſcultemus etiam D. HOLTZFVS. Theologum Francofurtenſem, reformatae addictum religioni, in *diſſert. de praedeſt. p. 142.* ſequenti ratione diſcurrentem: *Conſentiunt Euangelici 1) fidem decretum electionis ingredi, & partem* τάξεως *diuinae conſtituere; vt enim Deus in tempore neminem ſine fide ſaluat: ita quoque neminem ſine fide ſeruare decreuit. 2) Fidem eſſe neceſſarium medium, ſiue conditionem ad obtinendam ſalutem. 3) Fidem a nobis requiri, vt officium noſtrum a nobis praeſtandum. 4) Fidem hanc tamen non ex nobis eſſe, ſed principium eius eſſe gratiam Dei. 5) Fidem hanc non eſſe actum mercenariorum, ſed actum, ſiue organon mendicorum.* Diſpaleſcit ex his, auctores de fide in Chriſtum, quatenus myſterium electionis ingreditur, diuerſimode loqui, qua rem ipſam autem conſentire. Quamobrem denique iudicium D. MVSAEI, quod habetur in *praelect. in Form. Concord. p. 372.* addimus. *Quidquid ſit, & quocunque nomine fides indigitetur, parum ad rem faciet. Nos enim nemini hac de re litem mouebimus; modo hoc nobis remaneat,*

 Deum

Digitized by Google

*Deum ab æterno elegiſſe eos tantum, quos prævidit in Chriſtum finaliter credituros; ſiue elegiſſe eos non abſolute, ſed intuitu meriti Chriſti fide apprehendendi, vel intuitu fidei in Chriſtum, quam in tempore eius gratia eſſent habituri; ſiue præterea fides dicatur cauſſa, ſiue conditio, ſiue inſtrumentum, nobis perinde erit.*

Prob. 1) Ex 2 Theſſ. II, 13. *Elegit vos Deus ab initio ad ſalutem in ſanctificatione Spiritus & fide veritatis.* Obſ. a) Deus nos elegit ἀπ᾽ ἀρχῆς, i. e. *ab æterno* Eph. I, 4. b) In *ſanctificatione Spiritus*, h. e. per gratiam Spiritus S. regenerantem, qua fides accenditur & confertur. c) In *fide veritatis*, quæ ſcilicet veritati euangelicæ habetur, eique innititur, adeoque vera, ſolida & ſaluifica fides eſt. Ex his argumentamur: *Quicunque electi ſunt ab initio ad ſalutem in ſanctificatione Spiritus & fide veritatis, illi ipſi non ſunt electi abſolute, ſed cum reſpectu fidei in tempore exſtituræ: Atqui peccatores, media gratiæ non ſpernentes, electi ſunt ab initio* &c. Ergo.

2) Ex Iac. II, 5. *Nonne Deus elegit pauperes huius mundi diuites in fide?* Docet S. Apoſtolus, ad vitam æternam electos eſſe non homines omnes, non opulentos huius ſæculi, terrenis diuitiis confidentes, non quosdam homines abſolute, citra applicationem meriti Chriſti ſpectatos, ſed *diuites in fide*, qui nimirum diuitias gratiæ diuinæ & meriti Chriſti fide apprehendunt. E quibus colligitur, etiam fidem languidam *obiectiue* eſſe *opulentam*, eo quod Chriſtum ſummum bonum amplectitur, perinde, ac tenella manus infantis vel pretioſiſſimam margaritam tenet.

3) Quicunque *electi ſunt in Chriſto*, illi ad vitam æternam prædeſtinati ſunt per fidem merito Chriſti innixam: Atqui peccatores, miſericordia diuina præuenti, electi ſunt in Chriſto, Eph. I, 4. E. *Maior* conſtat; quia vbi in negotio ſalutis nobis conferendæ conſpicitur Chriſtus, ibi noſtra adſit fides, quæ Chriſtum complectatur, neceſſe eſt; quoniam ſine fide Chriſtus homini peccatori actu non prodeſt.

4) Electi ſumus *ſecundum præſcientiam Dei*, 1 Petr. I, 2. Rom. VIII, 29. Ergo electi ſumus ſecundum prænotionem fidei, Chriſtum amplexuræ. *Conſequentia* probatur: quia præcognitionis obiectum aliud eſſe non potuit, quam fides in Chriſtum, tanquam medium ad iuſtitiam & ſalutem ordinatum. Neque enim Deus in æterno electionis decreto reſpexit noſtra opera, noſtram dignitatem, noſtri liberi arbitrii vſum, ſed ſolum Chriſti meritum. Quia vero illud nemini applicatur, nec prodeſt abſque fide; hinc *oculi domini reſpicere dicuntur fidem*, Ier. V, 3. Neque enim quoad rem differunt hæ phraſes: electi ſumus *per meritum Chriſti*, fide apprehendendum; &: electi ſumus *per fidem*, meritum Chriſti apprehenſuram. Nam quando dicimur electi intuitu *meriti Chriſti*, fide apprehendendi, meritum Chriſti habet ſe per modum eius, quod ſignificatur in caſu recto, fides ſignificatur in caſu obliquo. Quando autem dico, nos eſſe electos intuitu *fidei in Chriſtum*, tunc fides ſignificatur in caſu recto, meritum Chriſti in caſu obliquo connotatur, per modum obiecti. Rem ipſam ergo ſi ſpectes, nihil intercedit diſcriminis: *Vtrumque* enim eſt *cauſſa* electionis. Meritum Chriſti eſt *cauſſa meritoria*, adeoque *cauſſa impulſiua principalis.* Fides in Chriſtum eſt *cauſſa* electionis *inſtrumentalis*, atque adeo cauſſa *impulſiua minus principalis, Illud* vi propriæ dignitatis & valoris; *hæc* vi meriti Chriſti apprehenſi, Deum ad eligendum peccatores miſeros permouet.

5) Quicunque *Deo ſine fide non placent*, illi ſine intuitu fidei non ſunt electi: Atqui homines in peccatum prolapſi &c: Ergo. *Maior* probatur; quia electio eſt eximium ſpecialis gratiæ, dilectionis & beneplaciti diuini argumentum. Conf. Rom. XI, 5. Eph. I, 5. 6. *Minor* prob. ex Hebr. XI, 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* 1 Cor. I, 21. *Complacuit Deo per ſtultitiam præconii ſaluare credentes.*

Dicis:

Digitized by Google

Dicis: Deo non placemus abſque ſtudio bonorum operum, Luc. VI, 46, 1 Theſſ. I, 3. & tamen per opera non ſumus electi. Ergo licet non placeamus Deo ſine fide: non tamen ſequitur, nos eſſe electos per fidem. Reſp. *Placemus Deo per fidem, tanquam medium apprehendens Chriſtum*, qui eſt Dei Filius ſingulariſſime dilectus, in quo, per quem, & propter quem, Deus nos diligit, & ad vitam æternam eligit. *Studium autem bonorum operum non eſt medium Chriſtum apprehendendi, ſed eſt fructus Spiritus in homine credente.* Sumus igitur electi, vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles, non autem ſumus electi, vt ſimus in Chriſto per fidem; ſed quia iuxta præſcientiam diuinam ſumus per fidem, a Spiritu S. per euangelium accenſam, in Chriſto: ideo Deus nos in Chriſto mediatore & redemtore noſtro dilexit, & ſic dilectos elegit ad vitam æternam. Eph. I, 4. 5. 6. 7.

6) Electi in ſcripturis deſcribuntur: a) quod ſint μέλλοντες πιςεύειν, credituri in Chriſtum, 1 Tim. I, 16. Io. XVII, 20. Ergo Deus e cœtu peccatorum ſolos illos elegit, quos in Chriſtum credituros præuidit. b) Quod ſint filii Dei prædeſtinati εἰς υἱοθεσίαν (conſummatam & glorioſam). Eph. I, 5. Sed ſine fide nemo eſt filius Dei, Io. I, 12. Ergo ſine intuitu fidei nemo εἰς υἱοθεσίαν eſt prædeſtinatus.

7) Probatur aſſertio noſtra ex harmonia, ſiue *conformitate æterni electionis decreti, & exſecutionis eiusdem.* Cuius, tanquam cauſſæ, aut rationis impulſiuæ minus principalis, intuitu Deus nos in tempore ſaluat, eius tanquam cauſſæ aut rationis minus principalis intuitu ab æterno decreuit nobis in tempore ſalutem conferre: Atqui fides in Chriſtum eſt illud, cuius, tanquam cauſſæ, aut rationis impulſiuæ minus principalis intuitu, Deus nos in tempore ſaluat: Ergo. *Maior* conſtat; quia exſecutio ſalutis in tempore eſt ſpeculum æterni decreti. Modus quippe ſaluandi temporalis non poteſt eſſe alius, quam qui in æterno Dei decreto eſt definitus; ceteroqui vacillaret conſtantia, immutabilitas & ſapientia diuina. *Minor* probatur ex illis ſcripturæ locis, quibus dicimur iuſtificari fide, ex fide, per fidem. Rom. III, 28. Habac. II, 4. Eph. II, 8. Hebr. X, 38. Vbi *fidei* cauſſalitas quædam in ordine ad ſalutem noſtram adſcribitur, eaque non cauſſæ efficientis, aut impulſiuæ principalis; ſed inſtrumentalis, atque impulſiuæ minus principalis, ſeu, quod Deus, qui ſaluat, ad id, vt ſaluare velit, moueatur per fidem, non quidem ratione ſuæ dignitatis ſpectatam (non enim dicimur ſaluari *propter* fidem); ſed quatenus apprehendit meritum Chriſti, vt ſic eius intuitu Deus ſaluare velit & ſaluet.

Prob. b. Nomine *fidei*, quam rationem motiuam electionis dicimus, non intelligitur fides πρόσκαιρος, ſiue *temporaria*, quæ tempore tentationis deficit, vel peccatis contra conſcientiam exſtinguitur, ſed *perſeuerans*, quam Apoſtolus appellat μέχρι τέλους βεβαίαν, vsque ad finem firmam, Hebr. III, 6. Ceterum *perſeuerans* fides vocatur non ſolum ea, quæ nunquam deficit, ſed etiam ea, quæ in corde hominis ante finem vitæ iterum accenditur, & ad finem vsque durat, etiam ſi homo ea ad tempus exciderit. Reſpexiſſe autem Deum in æterno electionis decreto non ad fidem temporariam, ſed ad *perſeuerantem*, liquet 1) e catena apoſtolica, Rom. VIII, 29 30. *Quos Deus prædeſtinauit, illos etiam glorificauit.* At credentes ad tempus, & poſtea fidem excutientes Deus non glorificat: Ergo eosdem ad vitam æternam non prædeſtinauit. 2) *Decreta eſt corona iuſtitiæ fidem ſeruantibus*, 2 Tim. IV, 8. 3) *Qui perſeuerauerit vsque ad finem, ſaluus erit*, Matth. X, 22. c. XXIV, 13. *Et homini fideli vsque ad mortem dabitur corona vitæ.* Apoc. II, 10.

*Antitheſis* eſt 1) quorundam *Scholaſticorum & Pontificiorum*; 2) quorundam doctorum *Reformatorum*, negantium, nos intuitu perſeuerantis in Chriſtum fidei electos eſſe. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Quæ-

Digitized by Google

I. Quæcunque actio Dei eſt immanens, immediata & inorganica, illa non fit per fidem, tanquam medium, aut *inſtrumentum*: Atqui electio eſt actio Dei immanens, immediata & inorganica: Ergo. *Maior* conſtat: quia actio immanens & inorganica non fit per inſtrumentum, neque admittit cauſſam inſtrumentalem. *Minor* per ſe clara eſt; quia electio peragitur intra ipſum deitatis ſinum, citra interuentum alicuius inſtrumenti. Reſp. Non docent Theologi euangelici, fidem eſſe inſtrumentum *ipſius decreti electionis*, quo electio peragatur, aut apprehendatur; ſed aſſerunt, Deum in eligendis quibusdam hominibus reſpexiſſe illorum perſeuerantem fidem, tanquam ὄργανον ληπτικὸν, ſiue inſtrumentum receptiuum, quo tum *meritum Chriſti*, propter quod eligimur, tum *gratia Dei eligentis* ad vitam æternam recipitur, vel apprehenditur: ſicut fides communiter vocatur cauſſa inſtrumentalis *iuſtificationis*, non quaſi ſit inſtrumentum, quo *ipſe actus* iuſtificationis apprehendatur, ſed quia ſe habet per modum inſtrumenti, quo id, *propter quod* iuſtificamur, meritum Chriſti ſcilicet, apprehenditur, nobisque applicatur. In ordine vero ad ipſum *decretum* electionis, fides in Chriſtum ſe habet per modum *cauſſæ*, vel rationis *impulſiua minus principalis*.

Inſtantia: Inſtrumentum receptiuum non poteſt eſſe cauſſa *impulſiua*, cum tanta eius vis non ſit, vt cauſſam agentem mouere queat; ſed cauſſa agens mouetur intuitu cauſſæ meritoriæ. Reſpond. Diſtinguendum inter cauſſam impulſiuam *principalem*, & *minus principalem*. Cauſſa meritoria eſt cauſſa impulſiua principalis, quæ propria ſua bonitate, dignitate & valore agentem mouet: organum vero receptiuum poteſt eſſe cauſſa impulſiua minus principalis. V. gr. Scrinium, quod conſtat quidem ex viliſſima materia, ſed complectitur adamantem pretioſiſſimum, mouere poteſt hominem ad æſtimium & amorem ſui, non per ſe, aut propria dignitate, ſed propter gemmam nobiliſſimam, quam comprehendit. Ita fides in Chriſtum mouet Deum ad eligendum, non per ſe, non vi aut valore proprio, ſed vi meriti Chriſti, quod illa amplectitur.

II. Effectus electionis non poteſt eſſe ratio, mouens Deum ad faciendum decretum electionis: Fides in Chriſtum eſt effectus electionis: Ergo. *Maior* liquet: quia ratio movens Deum ad eligendum ipſa electione ordine naturæ prior eſt: effectus autem eſt poſterior. *Minor* probatur: 1) ex Act. XIII, 48. *Et crediderunt, quotquot ad vitam æternam ordinati ſunt*. Quibus verbis indicatur, ordinationem ad vitam æternam, ſiue electionem, eſſe cauſſam fidei. 2) Ex Io. X, 26. *Vos non creditis; quia non eſtis oues meæ*. Reſp. a) *generatim:* Fides, actu exſiſtens in corde hominis, eſt effectus regenerationis, non electionis, licet huius ſit conſequens. Nam electio facta eſt ab æterno, fides actualis datur in tempore. Reſp. b) *Speciatim* ad 1): Locus Act. XIII, 48. non agit de prædeſtinatione æterna, ſed diſpoſitione in tempore. Vid. ſupra cap. I. Qv. IX. obſ. V. Fac tamen, locum citatum intelligendum eſſe de æterno prædeſtinationis decreto: qua conſequentiæ lege ex eodem deducetur, electionem eſſe cauſſam fidei? Vocula cauſſalis *quia*, vel *quod* non habetur in textu. Neque enim dicitur: crediderunt quidam, *quia* erant ordinati ad vitam æternam; ſed: crediderunt, *quotquot* erant ordinati ad vitam æternam. Eſt itaque propoſitio Lucæ *non reduplicatiua, aut deſignatiua cauſſæ, ſed ſpecificatiua ſubiecti*, vt ſenſus ſit, crediderunt homines illi, quos Deus ordinem ſalutis obſeruaturos eſſe præuiderat, & illius intuitu ad ſalutem æternam deſtinarat. Ad 2): Particula *quia*, Io. X, 26. non exprimit cauſſam, ſed notat rationem conſequentiæ a poſteriori, ſicut ſumitur Luc. VII, 47. *Remiſſa illi ſunt peccata multa, quia amauit multum*.

Inſtantia: LVTHERVS ipſe, in præfatione, epiſtolæ ad Romanos in bibliis noſtris germanicis præfixa, aſſerit, fidem in Chriſtum fluere ex electione: Ergo fides in Chriſtum, teſte LVTHERO, eſt *effectus* electionis, adeoque *non* eius *ratio impulſiua*. Reſp. LVTHERVS l. c. de

Digitized by Google

de electione loquitur in latiori ſignificatu, quo vniuerſam ſalutis œconomiam, ſiue totam ſaluandorum ad ſalutem ordinationem, cauſſas & media ſalutis omnia complectentem, denotat: quo ſenſu etiam accipitur in *Form. Concord. declar. p. 82.* Quo ſignificatu *latiori* ſi accipiatur, nullum dubium eſt, quin fides eius *effectus* recte dicatur. Nos autem electionis nomine vtimur in ſignificatione *ſtrictiſſima*, qua notat decretum diuinum de ſalute æterna, hominibus finaliter credituris impertienda, intuitu meriti Chriſti, & præuiſæ fidei in Chriſtum,

III. Quidquid eſt donum Dei a ſolo Deo efficienter dependens, & nullatenus ex viribus noſtris nobis obtingens, illud non poteſt voluntati diuinæ eſſe cauſſa, vel ratio impulſiua, ad ſalutem æternam nobis decernendam: Atqui fides in Chriſtum &c. Ergo, *Maior* liquet; quoniam mouetur cauſſa agens ad dilectionem & electionem vnius præ alio, non illo dono, quod ex ipſa cauſſa agente eſt, ſed dono, aut qualitate proficiſcente a perſona dilecta, aut in illa exſiſtente. Reſp. 1) Non repugnat, eſſe aliquid donum amantis, & ſimul motiuum amoris. Cant. IV, 9. Chriſtus, ſponſus cœleſtis, de ſponſæ ſuæ torque & oculis (ſuis ſcilicet donis) profitetur, iſtis oculis & torque iſto animum ſuum captum eſſe. Chriſtus ipſe eſt donum Patris, nos amantis, Io. III, 16. quo tamen Pater mouetur, vt nos amore complectatur. Eph. I, 6. 2) Fides in Chriſtum, non obſtante, quod Dei donum ſit, cauſſa eſt, cur in tempore Deus nos iuſtificet & ſaluet: quidni etiam ab æterno, cur ad ſalutem nos elegerit, cauſſa eſſe potuerit?

IV. In quibus Deus nihil inuenit, quod ipſum ad amorem & electionem eorundem permouere potuit, illos Deus ad æternam ſalutem prædeſtinauit abſoluto decreto, citra intuitum vllius motiui, in ipſis exſiſtentis: Atqui in hominibus in peccatum prolapſis Deus nihil inuenit &c. Ergo. *Minor* probatur; quia elegit homines in peccatis mortuos, ad omne bonum opus ineptos, æternæ mortis reos. At in eiusmodi hominibus Deus nihil inuenit, quod ipſum ad amorem & electionem permouere potuit. Reſp. 1) ad *maiorem: In quibus nihil fuit, neque per naturam, neque per ſupernaturalem gratiam*, quod Deum ad amorem & electionem permouere potuit, illorum electio facta eſt abſoluto decreto; concedo. At quamuis in iis, quos Deus elegit, nihil *fuerit per naturam, fuit tamen aliquid per gratiam* (non quidem actu, ſed potentia, vt quod reapſe & actu aliquando in ipſis exſtiturum eſſet, ſicut & peccatum in ipſis tantum fuit potentia), nempe fides in Chriſtum, quæ vi meriti Chriſti apprehenſi ad amorem & electionem Deum permouit. *Deus enim nos ſibi gratos fecit in dilecto*, Eph. I, 6. 2) Ad *minorem*: Elegit Deus homines in peccatis mortuos, ad omne bonum opus ineptos, & æternæ mortis reos: non quatenus tales adhuc fuerunt in præſcientia diuina, cum eligerentur (homines enim in peccatis mortui Deo ſunt exoſi), ſed quatenus in præcognitione diuina ſunt a Chriſto redemti, virtute Spiritus S. regenerati, fide in Chriſtum donati, atque adeo, condonatis omnibus offenſis, accepti Deo redditi in dilecto ſuo Filio.

V. Quidquid ab æterno non exſtitit, illius intuitu æternum Dei decretum de eligendis quibusdam hominibus non eſt formatum: At fides in Chriſtum &c. Ergo. Reſp. *Quidquid ab æterno non exſtitit, neque quoad eſſe reale, neque quoad eſſe cognitum, ſiue obiectiuum in mente diuina*, illius intuitu æternum electionis decretum a Deo non eſt formatum; concedo. At licet fides in Chriſtum non exſtiterit ab æterno, ſecundum *eſſe ſuum reale*, fuit tamen ab æterno ſecundum *eſſe cognitum*, ſiue *obiectiuum* in mente diuina, cui etiam futura ſunt præſentiſſima. Exercet enim fides, tanquam ratio electionis impulſiua minus principalis, munus ſuum, non ſecundum eſſe reale, ſed ſecundum eſſe obiectiuum & ab intellectu diuino cognitum: mouet namque voluntatem Dei *non per ſe*, ſed vi *meriti Chriſti* apprehenſi,



Digitized by Google

henſi, ad decernendam nobis ſalutem, ſub ratione boni, ab intellectu diuino cogniti, & voluntati diuinæ per cognitionem intellectus obiectiue exhibiti. Breuiter alii diſtinguunt inter *fidem actualem, & præuiſam.* Fides *actualis* per gratiam Spiritus S. confertur in tempore, ſed fides *præuiſa* eſt ab æterno, in infinito intellectus diuini lumine.

VI. Fides eſt cauſſa inſtrumentalis, vt ſaluationis, quæ fit in tempore, ita & electionis ad ſalutem, quæ facta eſt ab æterno. Non *propter* fidem, ſed *per* fidem ſaluari dicimur. Ergo fides non eſt cauſſa impulſiua electionis. Reſp. Fides diuerſo reſpectu, vt ſaluationis, ita electionis cauſſa *inſtrumentalis*, & *impulſiua* vocatur. Eſt cauſſa *inſtrumentalis*, quatenus meritum Chriſti, propter quod ſaluamur in tempore, & electi ſumus ab æterno, apprehendit, nobisque applicat. Eſt autem ratio mouens, ſiue cauſſa *impulſiua*, ſi conſideretur in ordine ad ipſum decretum electionis, ſiue ipſum voluntatis diuinæ actum, quo nos ſaluare decreuit. Non autem electi ſumus *propter* fidem, tanquam cauſſam meritoriam, aut impulſiuam *principalem*, ſed *per* fidem, tanquam cauſſam impulſiuam *minus principalem*, vel intuitu fidei, aut ex præuiſa fide.

Dicis: Quidam Theologi fidem electionis *cauſſam impulſiuam* dicere recuſarunt. Sic enim inquit D. B. MEISNERVS in *anthropol. decad. II. diſp. XIV. p. 153. Cum fides electionis cauſſa dicitur, non intelligas cauſſam principalem, impellentem, aut meritoriam.* Confer. D. HVTTER. in *F. C. p. 1103.* D. ÆGID. HVNN. in *tract. de prouid. & prædeſt. p. 678.* Reſp. Auctores illi per *cauſſam impulſiuam* intelligunt *meritoriam*, aut cauſſam *impulſiuam principalem.* Et ſane cauſſæ impulſiuæ terminus, ita nude & ſine additamento acceptus, ex vſu loquendi ſtat pro ſignificatu famoſiori, notatque id, quod *ſuo merito*, vel ſua quadam bonitate, dignitate & perfectione, cauſſam efficientem ad agendum mouet; quod cum fidei non conueniat, nobis etiam religio ſit, eam ita *abſolute & ſimpliciter* electionis cauſſam impulſiuam dicere. Vbi autem, adhibita diſtinctione cauſſæ impulſiuæ in *principalem*, & *minus principalem*, conſtiterit, ad minus principalem cauſſam non perinde, vt ad meritoriam, requiri eius quoddam meritum proprium, non propriam quandam bonitatem, aut dignitatem, ſed ſufficere, ſi vi alieni meriti, bonitatis aut dignitatis, ſe habeat vt ratio, cuius intuitu voluntas agentis ad agendum, v. gr. voluntas Dei ad decernendam nobis ſalutem, ſe determinet, aut ab æterno determinarit; tantum abeſt, vt fidem decreti electionis cauſſam impulſiuam minus principalem noſtrates negaturi ſint, aut negent, vt ipſam rem, termino *cauſſæ minus principalis* denotatam, fidei in Chriſtum omnes adſerant, vtut aliis atque aliis verbis eam enuntient. Magno quippe conſenſu docent, fidem, præterquam quod apprehendendi meriti Chriſti inſtrumentum eſt, ingredi etiam ipſum electionis decretum, vt Deus eam aſpiciat & in decernenda nobis ſalute illius rationem habeat, non ob vllam ſuam dignitatem, aut meritum, ſed ob meritum Chriſti apprehenſum. Confer. D. MVSAEVS in *diſſertat. de prædeſt. §. 62. 63.*

VII. Si Deus peccatores intuitu fidei elegit ad vitam æternam, vtique etiam intuitu ſanctitatis inhærentis, aut bonorum operum eos elegit. Sed non elegit Deus peccatores intuitu ſanctitatis inhærentis, ſed vt ſint ſancti. E. etiam eosdem elegit non intuitu præviſæ fidei, ſed vt credant. Conſequentia *maioris* probatur: quia fides & vitæ ſanctitas indiuulſo nexu cohærent: Quocunque igitur modo fides ingreditur decretum electionis; eodem modo ad illud ſe habet vitæ ſanctitas. *Conſequens* patet; quoniam electi ſumus, non quia ſumus ſancti, ſed vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles, Eph. I, 4. Reſp. Non quæ coniuncta ſunt, ſemper coniunctim, ſeu eodem modo agunt. Fides iuſtifica, ſtudium bonorum operum & pax conſcientiæ coniunguntur; ſola tamen fides eſt medium, quo

gratia

gratia Dei iuſtificans, in merito Chriſti fundata, acceptatur. Vnde argumentari nefas eſt: Sicut Deus nos iuſtificat, vt in nouitate vitæ ambulemus: ita nos iuſtificat, vt credamus.

Inſtantia: Sed fides eſt pars ſanctitatis inhærentis. Recte igitur colligitur: Deus nos elegit, vt ſimus ſancti: Ergo nos elegit, vt credamus. Reſp. Fides conſideratur bifariam. Vno modo, *vt eſt qualitas nobis inhærens & virtus chriſtiana, ceterarumque virtutum genitrix:* altero, *in quantum organon eſt apprehendendi meriti Chriſti*, & prout ex parte eius apprehenſi, vel apprehendendi ſpectatur. Annon autem fieri poteſt, vt fides, quæ ſanctitatis pars eſt, præterquam quod ad ſanctimoniam vitæ in nobis ſe exſerit, etiam ſit organon apprehendendi meriti Chriſti, & hoc intuitu ratio electionis impulſiua? Annon in iuſtificatione ſimile quid contingit, vt ſcilicet fides, quæ ſanctitatis pars eſt, etiam ſit organon apprehendendi meriti Chriſti, & ex parte eius apprehenſi ratio iuſtificationis impulſiua? Conf. D. MVSAEVS *l. c. §. 320.* (*).

VIII. Si fides in Chriſtum præuiſa impulit Deum ad noſtri electionem factam ab æterno, eadem pariter Deum impulit ad vocationem noſtri factam in tempore: Atqui conſequens eſt falſum; E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur: quia ſicut Deus nos elegit ab æterno: ita nos vocauit in tempore, teſte Apoſtolo, 2 Tim. I, 9. *Conſequentis* falſitas eſt manifeſta; quia vocati ſumus, vt credamus, non quia credimus. Reſp. Neg. conſequ. quia *vocatio* eſt *vniuerſalis* & communis tam reprobis, quam electis: *electio* autem eſt *particularis*. *Illa* pertinet ad *voluntatem* Dei *antecedentem*, quam conditio fidei ſequitur; *hæc* pertinet ad *voluntatem* Dei conſequentem, quæ conditionem fidei præſupponit.

IX. Si electio pendet ex fide præuiſa, ſequitur, nos priores Deum elegiſſe: At conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* patet: quia ſi Deus antequam nos



(*) Sanctitas moralis, ſeu, vt dici ſolet, inhærens, quæ ab imputata Chriſti ſanctitate & iuſtitia adcurate diſtinguenda eſt, tota ſequitur iuſtificationem. Ante enim, quam Chriſtus nobis fit ἁγιασμὸς, neceſſe eſt, eumdem nobis eſſe δικαιοσύνην, 1 Cor. I, 30. Iuſti autem in foro diuino declaramur haud aliter, quam ratione vnius fiduciæ, in Chriſto promerente, eoque vno, recte collocatæ. Hæc igitur fiducia ſalutaris ac ſingularis, tota in Chriſto poſita, ne quidquam eſt aliud, niſi inſtrumentum, quo ſummum Dei beneficium, gratiam ſalutemque, Chriſti promeritis partam, amplectimur. Itaque ea antecedit, vt δικαιοσύνην, nobis tributam, ſic ἁγιασμόν. Quidquid rem præcedit, id non eſt in partibus, quæ eam conſtituunt, ad eiusque naturam pertinent, numerandum. E. ſalutaris illa fiducia non eſt pars quædam ſanctitatis vitæ, ergo nec *virtus;* ſed eſt cauſſa ac *principium*, a quo *virtus vniuerſa* proficiſcitur, teſte PETRO, in poſter. litteris, c. I, v. 5. Addo hoc: *Virtus*, ſtricte ac proprie ſic dicta, & generatim quidem ſpectata (cui contraria eſt vitioſitas, commune omnium vitiorum nomen), eſt habilitas & firma alacritas animi propenſi ad præſtandum omne illud, quod *legibus* diuinis, quæ ab Euangelio diſcernuntur, conſentaneum eſt. Atqui ſalutaris fiducia, in Chriſto ſponſore ponenda, omnino referri debet ad *Euangelium*, quippe quod beneficia, propter Chriſtum in nos conferenda, atque eo, quo decet, ordine accipienda, nobis nuntiat atque offert, non ad *legem*, quæ officia a nobis facienda poſtulat; generalis autem fiducia, ſiue Deo habenda fides, eſt vnum ex præcipuis officiis, lege imperatis. Verum tamen Theologi recte ſentientes, vt Vir beatus, cum fiduciam ſingularem ſalutaremque, in Chriſto promerente vnice collocandam, partibus *ſanctitatis*, atque adeo *virtutibus* quadam ratione adnumerandam cenſent, nomen *ſanctitatis inhærentis* latius patere volunt, vt ſuo illud ambitu contineat totam conditionem animi denuo nati, Deoque reconciliati, ac renouati, nec minus late ac generaliter dicentes, *virtutis* nomine ſignificant propenſionem animi alacritatemque ad ſancte obſeruandum id omne, ſiue accipiendum, ſiue faciendum omittendumue, quodcunque, & quoad *voluntati* diuinæ, ſiue *euangelicæ*, ſiue *legali*, ſit conueniens.

Digitized by Google

nos elegiſſet, præuidiſſet, nos credituros, & ideo nos elegiſſet; vtique elegiſſet, quia in præuiſione eius ipſi adhærebamus, & iam ipſum ante elegeramus: qui enim adhæret Deo, neglecto Satana, ipſum elegit. Reſp. 1) Non ſtatuimus dependentiam electionis ab vlla cauſſa; quia dependentia requirit cauſſam formaliter cauſſantem. 2) Neg. conſequ. maioris. Neque enim ſequitur, nos Deum elegiſſe, quia in eius præuiſione ipſi adhærebamus. Senſus namque eſt: Deus *præuidit*, nos ipſi adhæſuros eſſe. At ex hoc non ſequitur, quod nos priores Deum elegerimus, ſed hoc tantum, Deum prius, quam nos elegerit, vidiſſe, quod ipſum eſſemus electuri, h. e. ipſi præ Satana adhæſuri, ſeu in ipſum credituri, idque non ex noſtris viribus, ſed per diuinam gratiam. Non enim ratione fidei actu exſiſtentis, ſed adhuc *futuræ* & ſalutem *præuiſæ*, nos elegit.

X. Si fides in Chriſtum præuiſa eſt electionis cauſſa, obiectum electionis erit homo iuſtificatus: At conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur: quia qui credit in Chriſtum, iuſtificatus eſt. *Conſequentis* falſitas patet, quia iuſtificatio fit in tempore. Reſp. Neg. conſequent. maior. Sicut enim fides præuiſa notat fidem aliquando exſtituram; ita infert iuſtificationem futuram, non realiter præſentem. Ex quo ſequitur, obiectum æternæ electionis fuiſſe hominem non actu credentem, ſed crediturum, & ſic per gratiam non iam inſtauratum & iuſtificatum, ſed aliquando inſtaurandum & iuſtificandum.

XI. Quæcunque electio eſt gratuita, illa non eſt facta ſecundum præuiſionem noſtræ fidei: Atqui electio noſtri ad vitam æternam &c. E. *Maior* prob. quia gratuita Dei beneficia omnem conditionem, quæ ſit ex nobis, excludunt. *Minor* conſtat ex Rom. XI, 5. 6. Reſp. Τὸ *gratuitum* excludit merita noſtra, non *τάξιν*, ſiue ordinem diuinitus conſtitutum. Fides hic non eſt opus aut meritum, ſed meriti Chriſti receptiuum inſtrumentum & quaſi manus mendica præuiſa, quæ non donat, non laborando acquirit, ſed ex miſericordia donantis Dei accipit. Neque fides ipſa eſt ex homine, ſed ex gratia Spiritus S. regenerante.

XII. Si Deus prius intendit ſalutem hominum, quam eosdem fide donare decreuit; decretum electionis de ſaluandis quibusdam hominibus reſpectu fidei eſt abſolutum: Sed verum eſt antecedens: E. & conſequens. Conſequentia *maioris* probatur: quia poſito, quod decretum electionis ſit reſpectiuum, fidem decreto electionis priorem eſſe oportet in ſigno rationis diuinæ. *Antecedens* patet: quia fides eſt medium, vita æterna finis eius, 1 Petr. I, 9. At nemo ſapiens prius decernit dare medium, deinde dare finem: Cogitatio de fine ſemper prior eſt cogitatione de mediis. Finis eſt primus in intentione, licet ſit vltimus in exſecutione. Reſp. Diſt. inter *voluntatem* Dei *antecedentem*, & *conſequentem*. Voluntate *antecedente* Deus quidem prius intendit hominum ſalutem, quam de mediis ſalutis cogitauit (noſtro concipiendi modo). Quæ voluntas Dei cum ſit vniuerſalis & conditionata, eadem Deus omnes homines ſaluare voluit ſub conditione perſeuerantis fidei. At voluntate *conſequente* Deus quibusdam perſonis ſingularibus, quarum conſtantem in Chriſtum fidem ab æterno prænouit, æternam ſalutem conferre, determinate, categorice & ſimpliciter voluit. Hac voluntate conſequente, qua Deus ad æternam ſalutem nos elegit, *præviſa* in Chriſtum fides prior eſt noſtro intelligendi modo.

Quæſt. X. *Quodnam eſt principium dirigens, ſiue normans, ſecundum quod facta eſt electio?*

Principium *dirigens*, ſeu *normans*, ſecundum quod diuinitus inſtituta eſt electio, eſt vel *primum & mediatum*, vel *proximum & immediatum*. Principium

cipium normans *primum* eſt πρόθεσις, ſiue propoſitum diuinum, quo Deus ab æterno voluit omnes homines lapſos fieri ſaluos, quicunque in Chriſtum perſeveranter eſſent crediturі a): Principium normans *proximum* eſt πρόγνωσις, ſeu præſcientia diuina, qua Deus ab æterno præuidit, quinam homines in indiuiduo eſſent in tempore finaliter in Chriſtum crediturі b).

Prob. a. Docet S. Paullus Eph. I, 11. quod ſimus προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν, *prædeſtinati ſecundum propoſitum Dei.* Idem inquit 2 Tim. 1, 9. *Deus ſaluos fecit nos, & vocauit nos vocatione ſancta; non ſecundum opera noſtra, ſed iuxta proprium propoſitum & gratiam datam nobis in Chriſto Ieſu ante tempora anteſecularia.* Et Rom. VIII, 28. *Scimus, quod iis, qui diligunt Deum, omnia cooperentur in bonum, (iis nempe) qui iuxta propoſitum Dei vocati ſunt; ſiquidem quos praecognouit, etiam prædeſtinauit.*

Obſ. 1. Quod πρόθεσις, ſiue propoſitum Dei a nonnullis Theologis ſtrictiori ſumatur ſignificatione, & ad voluntatem Dei *conſequentem* referatur. Sic ait D. KOENIGIVS in *theol. poſit. p. 115.* Principium *normans primum* eſt πρόθεσις, quæ hic non accipitur pro propoſito miſerationis primæ; neque pro propoſito miſericordiæ vniuerſalis, quæ ad voluntatem Dei antecedentem pertinet, imo eſt ipſiſſima voluntas Dei antecedens; ſed *ſtrictiſſime* ac *ſpecialiſſime* de propoſito ſaluandi eos, qui in Ieſum Chriſtum vsque ad finem vitæ perſeueraturi ſunt, Ioann. III, 16. quod ipſum non niſi *conſequentis* voluntatis actus eſt. Iisdem vtitur verbis D. QVENSTED. in *ſyſtem. theolog. part.* III. *cap. II. fol.* 17. Idem tamen *l. c. fol.* 42. propoſitum Dei *latiori* ſignificatu accipit, inquiens: ἡ πρόθεσις, ſiue propoſitum Dei reſpicit & ordinat *media ſalutis* 1) *acquirendæ*, Chriſtum redemtorem, 2) *offerendæ & diſpenſandæ*, verbum & ſacramenta, 3) *recipiendæ*, fidem in Chriſtum, cuius finis eſt ſalus animarum, 1 Petr. III, 9. Secundum hoc Dei propoſitum facta eſt prædeſtinatio, quæ fidem præuiſam approbat, credentibus promiſſam ſalutem applicat. Idem aſſerit D. HVLSEMANNVS in *breu. enucl. p. 975.* Πρόθεσις eſt εὐδοκία Dei, qua is, præuiſo lapſu primo omnium, voluntate antecedente decreuit omnes omnino homines ſaluare, 1 Tim. II, 4. & quidem ſi in Chriſtum finaliter credant. Et hoc fuit omnium decretorum in negotio prædeſtinationis primum, quod α) creati hominis præuiſum ac permiſſum peccatum, β) redemtorem ab hoc peccato, Chriſtum, γ) vocationem, & oblatam δ) gratiam credendi includit. Hoc propoſitum ſaluandi eſt vniuerſale, & voluntatis *antecedentis*, cum prædeſtinatio ſit particularis & voluntatis *conſequentis.* Conf. D. DANNHAV. *hodoſ. phænom. VII. p. 574.* & D. SEBAST. SCHMID. in *aphoriſmis theol. p. 292.*

Obſ. 2. Πρόθεσις, ſiue propoſitum Dei non eſt ipſa prædeſtinatio, ſed quaſi regula & principium normatiuum. Dicimur quippe prædeſtinati κατὰ πρόθεσιν, Eph. I, 11.

Obſ. 3. Πρόθεσις eſt electionis principium dirigens primum, *non immediatum, ſed mediatum:* Propterea, quod mediante προγνώσει, ſeu præuiſione indiuiduorum, finaliter crediturorum, ad electionem concurrit.

Prob. b. Πρόγνωσιν, ſeu præſcientiam diuinam, eſſe electionis principium *normans proximum & immediatum*, liquet e Rom. VIII, 29. ὃς προέγνω, καὶ προώρισε, *quos præcognouit* (futuros eſſe in Chriſto Ieſu per fidem, iuxta v. 1.) *etiam prædeſtinauit.* Conſtat idem ex 1 Petr. 1, 3. vbi dicimur electi κατὰ πρόγνωσιν, iuxta *præcognitionem Dei Patris.* Ratio eſt: quia, ſi erueres præſcientiæ oculum, cœca foret electio. Intelligitur autem per πρόγνωσιν non *præſcientia generalis & indefinita*, quæ tam ad bona, quam ad mala ſe extendit, ſed *ſingulariſſima, & ad certa obiecta determinata*, quæ eſt notitia κατ᾽ ὄνομα, Ioann. X, 3.



Digitized by Google

Chriſtus enim vocat oues ſuas κατ' ὄνομα, nominatim, i. e. ſigillatim; cognoſcit diſtincte nomina ſingularium perſonarum, quæ in Chriſtum finaliter ſunt crediturae. *Gaudete, inquit Chriſtus, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo.* Luc. X, 20. Et Paullus ait, 2 Tim. II, 10. *Firmum Dei fundamentum ſubſiſtit, habens ſigillum hoc: nouit dominus, qui ſui ſunt, & deſiſtat ab iniuſtitia omnis, qui nominat nomen Chriſti.* Per *firmum fundamentum* notat Apoſtolus irreuocabile Dei propoſitum, ſiue conſilium de ſaluandis hominibus per fidem in Chriſtum, cuius ſigillum, quoad nos nimirum, de gratioſa Dei erga nos voluntate, qua quisque fidelium per Spiritum S. obſignatur, eſt πρόγνωσις, qua ſpeciatim nouit, & gratia ſua complectitur ſuos, i. e. ſingulos in Chriſtum credentes.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, decretum de eligendis hominibus ante ſæcula factum, certa indiuidua nominatim concernere, contra aſſerentium, electionem eſſe decretum generale, & reſpicere in genere omnes eos, quicunque vocanti ad ſalutem Deo credunt & obtemperant. Vrgent potiſſimum, quod dicta S. ſcripturæ, quæ de electione agunt, ſint generalia, non concepta de certis indiuiduis. Sic Paullus in genere dicit, quod Deus *Nos* elegerit. Eph. I, 4. Generatim omnibus, qui Chriſtum cibarunt, ab æterno regnum præparatum dicitur, Matth. XXV, 34. Reſp. Quia Deus certa nominatim indiuidua elegit; ideo potuit Apoſtolus vere dicere, quod Deus *Nos* elegerit; huic enim pronomini Apoſtolus ſe ipſum in indiuiduo includit. Neque generatim omnibus, Chriſtum cibaturis, regnum potuit deſtinari a Deo omniſcio, ita vt determinate neſciret, quinam nominatim illi eſſent. Nouit enim Deus (etiam ab æterno Act. XV, 18.), qui ſint ſui, 2 Tim. II, 19. quorum nomina ſcripſit in libro vitæ agni, Apoc. XIII, 8. Colligimus ex his, *prædeſtinationem, ratione obiecti, eſſe indiuidualem*. Conf. D. W. LYSERVS in *ſyſtem. theol. p. 758.*

Quæſt. XI. *In quo formaliter conſiſtit electio?*

Electio *formaliter* conſiſtit a) in æterna certorum indiuiduorum, iuxta præuiſionem finalis in Chriſtum fidei, *ſegregatione* a communi perditorum hominum maſſa; & b) eorum *ordinatione* ad æternam ſalutem iuxta propoſitum Dei.

Obſ. Forma æterni decreti de ſaluandis quibusdam hominibus, cenſente D. SCHERZERO in *ſyſtem. theol. loc. XVIII. p. 518.* conſiſtit in συνδρομῇ προθέσεως, προγνώσεως & προορισμȣ̃, *in concurſu vel confluxu diuini propoſiti, præſcientiæ & prædeſtinationis.* Ita enim Apoſtolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* his, inquam, *qui iuxta* πρόθεσιν (propoſitum) ſunt vocati; quos enim προέγνωσε (præſciuit), hos etiam προώρισε (prædeſtinauit), vt ſint conformes imagini filii eius. Rom. VIII, 28. ſeqq. Vnde emergit talis

*Syllogiſmus prædeſtinatorius:*

Omnis perſeueranter vsque ad finem vitæ crediturus in Chriſtum, certo ſaluabitur, atque adeo electus eſto & inſcriptus in librum vitæ.

Atqui hic, ille, iſte, Abrahamus, Petrus, Paullus &c. perſeueranter vsque ad finem vitæ in Chriſtum credituri ſunt.

Ergo hic, ille, iſte, Abrahamus, Petrus, Paullus &c. certo ſaluabuntur, atque adeo electi ſunto, & inſcripti in librum vitæ.

*Maior* propoſitio eſt πρόθεσις, ſeu propoſitum diuinum de ſaluandis hominibus peccatoribus in Chriſtum finaliter crediturīs. *Minorem* format πρόγνωσις, qua Deus ab æterno præuidit, quinam ſecundum indiuidua ſint in tempore finaliter credituri. Vnde ſequitur *concluſio*,

Digitized by Google

*concluſio*, quæ continet πϱοοϱισμὸν, ſeu ipſam electionem formaliter, qua Deus ab æterno decreuit, hunc, illum, iſtum certo & infallibiter ſtatuto tempore ſaluare. Non dantur quidem, quoad rem, actus dianoëtici ordine ſibi ſuccedentes in Deo, propter ſummam ſimplicitatem & immutabilitatem Dei: quod autem ſigna rationis diuinæ, ordinem, quendam iuxta reuelationem diuinam præbentia, concipiamus, noſtri conceptus infirmitas eſt.

Prob. a. *Segregationem* quorundam in indiuiduo hominum a communi peccatorum cœtu eſſe actum formalem electionis, patet e verbis Chriſti, Ioann. XV, 19. *Ego elegi vos ex mundo, propter hoc odit vos mundus.* Per *mundum* deſignatur vniuerſum genus humanum non renatum, atque adeo peccato contaminatum, voluptatibus carnis indulgens, iræque diuinæ & æternæ damnationi obnoxium. Rom. III, 19. Dicit itaque Chriſtus: Elegi vos ex mundo, h. e. ſeparaui vos a mundo, qui totus in maligno, velut in fermento, iacet, 1 Ioann. V, 19. ſecreui vos a communi perditionis maſſa, mihique vos in peculium ſepoſui. Obſerues, quod æterno electionis decreto facta ſit *ſegregatio* finaliter crediturorum a communi maſſa *non externa, & realis*, qualis continget in tempore, Matth. XXV, 32. ſed *interna & mentalis, eaque honorifica*, qua Deus in decreto ſuo credituros incredulis prætulit. Nam in omni electione, per actum mentis & voluntatis, melius deteriori præfertur.

Prob. b. Cum electio, quæ per determinationem ad finem fit, verſetur inter terminum a quo & ad quem, alter electionis actus formalis eſt *æterna ordinatio vel deſtinatio hominum conſtante fide Chriſtum amplexurorum ad vitam æternam. Elegit enim Deus nos ab initio ad ſalutem.* 2 Theſſ. II, 13. Fit hæc ordinatio ad ſalutem æternam κατὰ πϱόϑεσιν, iuxta propoſitum diuinum, quod a Chriſto luculentis verbis exponitur. Ioann. VI, 40. *Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, vt omnis, qui vidit filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Ex quo etiam credentes dicuntur τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, ordinati, h. e. certo ordine deſtinati ad vitam æternam, Act. XIII, 48.

### Quæſt. XII. *Eſtne igitur æternum electionis decretum ſtatuendum abſolutum, an conditionatum?*

Aeternum electionis decretum *non* eſt *abſolutum*, ſed *ordinatum* a) & *reſpectiuum*; b) *neque* eſt *conditionatum*, ſed *categoricum & ſimplex* c).

Prob. a. Decretum electionis *non* eſſe *abſolutum*, ſed *ordinatum*, ſiue certo mediorum ordine determinatum, liquet ex eo, quod electi dicimur ſecundum propoſitum Dei, quo is media ſalutis acquirendæ, offerendæ & recipiendæ ordinauit. De quo Paullus 1 Cor. I, 21: *Complacuit Deo per ſtultitiam præconii ſaluare credentes.*

Prob. b. Decretum prædeſtinationis eſſe *reſpectiuum* patet; quia Deus, cum e lapſis hominibus aliquos, & quidem hos potius, quam illos, ad vitam æternam prædeſtinaret, reſpexit ad aliquid extra ſe, tanquam ad cauſſam impulſiuam externam, ſcilicet meritum Chriſti, perſeueranti fide apprehendendum. Id quod demonſtratum dedimus ſupra Q. 8. & 9.

Prob. c. Decretum prædeſtinationis, quatenus, *præciſe & ſtrictiſſime* ſumtum, notat decretum æternum de impertienda finaliter credituris æterna ſalute intuitu meriti Chriſti, & præcognitæ in certis indiuiduis fidei, *non eſt conditionatum, conditione de futuro, ſed categoricum & ſimplex*, dicente D. SEBAST. SCHMID. in *colleg. bibl. poſteriori pag. 235.* Simpliciter quippe & categorice decreuit Deus hunc, illum, iſtum hominem ſaluare, quia perſeuerantem ipſius in Chriſtum fidem *certo præuidit.* Perſpicue hoc oſtendit D. MVSAEVS in *diſſert. de decreto elect. p. 273.* Electionis decretum, licet intuitu fidei præuiſæ factum dicamus, *conditionatum* tamen, aut *ſub conditione fidei* factum minime dicimus, ſed ſi τὸ abſolutum dicatur

Digitized by Google

dicatur in oppoſitione ad τὸ conditionatum, *decretum electionis abſolutum, ſiue inconditionatum* eſſe, intrepide ſtatuimus, nec alio id ſenſu abſolutum eſſe negamus, quam quo *abſolutum* dicitur ad excludendum *reſpectum cauſſæ impulſiuæ extra Deum*, ſiue externæ. Non autem ſtatim *conditionatum* eſt decretum, quod intuitu alicuius cauſſæ impulſiuæ fit; ſed ſi fiat intuitu cauſſæ impulſiuæ, iam in actu conſtitutæ, vel diſtincte præcognitæ, vt futuræ, tum abſolutum vel inconditionatum eſt. Voluit Deus pro immenſa ſua bonitate omnibus ſalutem donare ſub conditione fidei in Chriſtum, quæ erat *voluntas conditionata, non autem decretum electionis conditionatum.* Quia autem Deus ab æterno cognitum & perſpectum habuit, non omnes gratia ſua credituros in Chriſtum, ſed aliquos & eos, qui credituri erant, diſtincte nouerat, voluit ſalutem his largiri, quos credituros præuidit, intuitu quidem fidei in Chriſtum, vel intuitu meriti Chriſti, fide apprehendendi, *abſolute* tamen, h. e. *ſine conditione*: & hæc eius voluntas demum eſt decretum electionis, idque *inconditionatum*, ſiue *abſolutum*, ſi abſolutum dicatur in oppoſitione ad decretum *conditionatum;* at tamen *non abſolutum*, ſi abſolutum dicatur ad excludendum *reſpectum cauſſæ impulſiuæ externæ*, cui ſuffragatur D. BREITHAVPT in *inſtit. p. 315.* Quando decretum prædeſtinationis haud dicitur *abſolutum*, eo ipſo non ſtatuendum eſt *conditionatum.* Neque enim ſententia eſt, quod hunc vel illum ad ſalutem ab æterno elegerit Deus, ſi is in Chriſtum crediturus eſſet, inque fide vera hinc diſceſſurus; ſed quia crediturus & perſeueraturus erat: vt fides, ante actum prædeſtinationis ſpectata, in *voluntate Dei*, conditio ſit quidem, ſub qua ipſe omnium ſalutem cupit; in *decreto* autem ipſo non vt conditio ſe habeat, ſub qua electio facta, verum vt ratio, qua Deus permotus ad eligendum. Non igitur negandum eſt, decretum abſolutum eſſe, in ordine ad conditionatum, ſed ne excludatur reſpectus rationis a priori, extra Deum, tanquam partis in ordine prædeſtinatorio, fidei nimirum in Chriſtum ab æterno præviſæ, vel quod eodem recidit, meriti Chriſti, fide apprehenſi. Neque confundendum eſt *decretum* cum *voluntate Dei antecedente*, quæ quod conditionem non excludat, verum ordinet, ex verbo Dei (conf. Rom. XI, 23.) affirmamus.

Quæſt. XIII. *Quinam electi ſunt in Chriſto ad vitam æternam?*

Electi ſunt a Deo in Chriſto redemtore *homines peccatores miſerabiles*, non promiſcue omnes, quomodocunque ſe habentes a), ſed quos Deus *finaliter in Chriſtum credituros* eſſe ab æterno *diſtincte præuidit* b).

Obſ. I. *Obiectum materiale* electionis ſunt *homines peccatores*, in ſigno rationis diuinæ, ſeu prænotione Dei, conſiderati vt *miſerabiles* & *ſanabiles*, adeoque redemtoris indigi: *Obiectum formale*, ſeu ratio, ſub qua prædeſtinati ſunt, eſt *fides finalis* in *Chriſtum*, ab æterno præuiſa a Deo omniſcio; adeoque *adæquatum* obiectum prædeſtinationis ſunt homines peccatores, at non promiſcue, aut indifferenter omnes, ſed, quos Deus *finaliter in Chriſtum credituros* eſſe ab æterno præuidit.

Obſ. II. Diſtinguunt nonnulli auctores inter obiectum prædeſtinationis *ſpecificum*, & *adæquatum*. Electionis obiectum *ſpecificum* non eſt Chriſtus ipſe, non angeli, non homo creandus, neque creatus & in ſtatu integritatis ante lapſum conſtitutus, ſed in ſtatu miſeriæ *poſt lapſum* conſideratus. Obiectum ὁλικὸν & *adæquatum*, ſecundum vniuerſam intuitus diuini rationem, eſt peccator *a Chriſto redemtus, vocatus, illuminatus, conuerſus, renatus ac fide donatus, iuſtificatus & ſanctificatus*, quem ab æterno Deus intuitus eſt, tanquam non reiecturum primam ſeu communem omnibus vocatis gratiam, vt & deinceps ſuccedentes maiores gratiæ gradus, ſed crediturum per oblatam gratiam, & in illa gratia *perſeueraturum.* Conf. D. HVLSEM.

breu.

Digitized by Google

*breu. cap. XV. p. m. 1020. 1024.* Et IOANN. ADAM. OSIANDRI *colleg. theol. ſyſtem. parte VI. p. 107. 108. ſeq.*

Prob. a. I) Κατ᾽ ἄρσιν: a) Chriſtus non electus eſt ad gloriam ex communi corruptionis maſſa, quippe cuius particula nunquam fuit, ob miraculoſam conceptionem a Spiritu S. Luc. I, 35. Agimus hic de electione hominum peccatorum. At Chriſtus in ſtatu peccati nunquam fuit, ob omnimodam totius vitæ ſanctitatem, Hebr. VII, 26. Agimus de electione peccatorum in Chriſto, Eph. I, 4. Chriſtum autem in Chriſto electum eſſe, abſurde diceres.

b) Circulum electorum in Chriſto non ingrediuntur *angeli neque boni, neque mali. Mali* iudicio diuino reputati ſunt immiſerabiles, adeoque inſanabiles. *Angelis, qui peccarunt, Deus non pepercit*, inquit S. Petrus 2. Ep. II, 4. Angeli *boni* autem nunquam fuerunt in ſtatu miſeriæ & peccati, qui eſt terminus, a quo facta eſt electio. At vbi terminus prædeſtinationis a quo, ſcil. miſeria, locum non habet; ibi nec ipſa prædeſtinatio. Electio ſtricte dicta facta eſt in Chriſto, qui eſt redemtor & mediator hominum, 1 Tim. II, 5. non angelorum, Hebr. II, 16.

c) Obiectum electionis *non eſt homo creandus, aut creabilis*, cum electio exiſtentiam obiecti in ſigno rationis diuinæ, de quo aliquid diſpoſiturus eſt Deus, præſupponat. Quem Deus voluit ſaluare & glorificare, illum prius voluit eſſe. Nullus pater cogitat de liberis ad dignitatem euehendis prius, quam generandis.

d) *Homo creatus, & in ſtatu integritatis ante lapſum conſtitutus*, non eſt obiectum electionis. Nam electi ſunt vaſa miſericordiæ, Rom. IX, 23. Miſericordia præſupponit miſeriam. At homo integer non fuit miſer. Electus eſt homo in Chriſto, Eph. I, 4. Venit autem Chriſtus ad ſaluandum & quærendum, quod perierat, Luc. XIX, 10. Homo integer non perierat. Ergo Chriſtus non venit ad quærendum & ſaluandum hominem integrum, ſed peccatis corruptum.

Prob. a. II). Κατὰ θέσιν, ſeu poſitiue: α) *Ex luto eodem exiſtente, ſeu maſſa corruptionis,* electis & reprobis communi (hominum lapſorum cœtu), *præparauit Deus vaſa miſericordiæ ad æternam gloriam.* Rom. IX, 21. E. elegit homines lapſos. β) *Deus mortuos in peccatis conſidere fecit in cæleſtibus.* Eph. II, 6. γ) Electi ſumus *in Chriſto.* Sed Chriſtus *peccatorum* eſt redemtor. 1 Ioann. II, 21. δ) Electio includit *remiſſionem peccatorum.* Dicimur enim electi, vt laudetur gloria gratiæ Dei, in qua gratos nos fecit (ſibi) in dilecto, *in quo habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.* Eph. I, 7. E. electi ſunt homines peccatores.

Prob. b. Obiectum electionis ſunt quidem homines lapſi; *non* autem *quatenus* ſunt & manent lapſi, vel peccatores, ſic enim nemo electus dilectusue, ſed omnes ſunt exoſi; verum *quatenus a Chriſto redemti*, virtute Spiritus S. *regenerati*, fide in Chriſtum donati, & *in hac fide ad finem vitæ perſeueraturi ſunt.* Vnde electi vocantur μέλλοντες πιστεύειν, *credituri in Chriſtum ad vitam æternam.* 1 Tim. I, 16. Ioann. XVII, 20. *Deus elegit pauperes huius mundi, diuites in fide.* Iacob. II, 5. Et quicunque electi ſunt in Chriſto, Eph. I, 4. illi, velut membra Chriſto per fidem ſunt inſiti, ob perpetuum & indiſſolubilem nexum Chriſti & fidei in negotio ſalutis. Idcirco THEOPHYLACTVS in *Eph. I. Elegit nos per ipſum, hoc eſt per fidem in ipſum.* Quod autem Deus non omnes *credituros*, ſed illos tantum, qui in fide vsque ad nouiſſimum vitæ halitum *perſeueraturi* ſunt, ad gloriam cœleſtem elegerit, euicimus preced. Qu. IX. prob. b.



Digitized by Google

*Antitheſis* eſt quorundam *Pontificiorum*, *Scholaſticorum*, *aliorumque Doctorum*, quorum de ſententia obiectum electionis etiam eſt *Chriſtus*, *angeli*, & *homo* in *ſtatu integritatis* conſtitutus. Sunt etiam, qui contendunt, decretum creationis in ſigno rationis diuinæ eſſe poſterius electione, h. e. Deum prius concepiſſe hominem eligibilem, quam creabilem. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. *Chriſtus* ipſe dicitur *prædeſtinatus*. Rom. I, 4. Reſp. Chriſtus non dicitur l. c. προορισθεὶς, prædeſtinatus, ſed ὁρισθεὶς, declaratus, demonſtratus, manifeſtatus, vt ſenſus ſit: Chriſtus declaratus & manifeſtatus eſt Filius Dei verus & naturalis ex diuiniſſima reſurrectione ex mortuis: quippe qui carnem ſuam ipſe reſuſcitauit. Ioann. X, 17.

II. Chriſtus dicitur προεγνωσμένος, præcognitus, i. e. prædeſtinatus. 1 Pett. I, 20. Ergo non eſt prædeſtinationis cauſſa. Reſp. 1) Chriſtus *non* dicitur *prædeſtinatus*, ſed *præcognitus*, nimirum ad ſalutem *acquirendam*, nos prædeſtinati ſumus ad ſalutem *accipiendam*. 2) Inuerti poteſt argumentum: Chriſtus cum ſuo merito eſt præcognitus ante mundi conſtitutionem, v. 20. Et electio facta eſt κατὰ πρόγνωσιν, v. 2. Ergo intuitus meriti Chriſti a decreto electionis non eſt excludendus.

III. Chriſtus dicitur *lapis a Deo electus*, 1 Petr. 2, 4. E. non eſt noſtræ electionis cauſſa. Reſp. 1) Phraſi hebræa *electus* eſt *præſtans & excellens*: 2) Chriſtus dicitur a Deo electus lapis, quia diuinitus ordinatus & conſtitutus eſt fundamentum eccleſiæ, fidei, ſalutis & electionis noſtræ ad ſalutem.

IV. Paullus mentionem facit τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων, electorum angelorum, 1 Tim. V, 21. Ergo etiam electi ſunt angeli non intuitu meriti Chriſti, propterea, quod is non eſt redemtor angelorum; ergo abſoluto decreto. Reſp. 1) Electio angelorum non dicitur *ſtrictiori* eo ſenſu, quo accipitur electio hominum, in peccatum & miſeriam prolapſorum; vtpote quæ reſpectum habet ad meritum Chriſti, & fidem in illo defigendam: 2) Electio angelorum non fuit abſoluta, omnem præuiſam conditionem, ex parte angelorum libere, ſed certo implendam, excludens. Sicut enim Deus in tempore beatitudinem illis contulit angelis, qui conſtantem ipſi præſtiterunt obedientiam: ita Deus in decreto æterno de quibusdam angelis ad gloriam eligendis perſeuerantem illam obedientiam beneuole reſpexit, *non vt cauſſam meritoriam;* fuit enim illa obedientia creatori debita ac temporaria, adeoque vim meriti apud Deum non habuit: ſed vt *conditionem non meritoriam*, quam Deus vltra condignum liberaliſſime compenſauit.

Quæſt. XIV. *Num Deus omnes omnino homines ad vitam æternam elegit?*

## Deus *non omnes* homines promiſcue, citra vllum fidei in Chriſtum reſpectum, ad vitam æternam elegit.

Prob. 1) Ipſa vox, *electio*, particularitatem infert. Nam *eligere*, quando de *perſonis* vſurpatur, ſignificat *aliquos a communi & promiſcuo cœtu ſegregare.* Hinc Chriſtus dicit: *Elegi vos ex mundo*, Ioann. XV, 19.

2) Diſerta Chriſti vox eſt: *Multi ſunt vocati*, *ſed pauci electi*, Matth. XX, 16. c. XXII, 14. Fruſtra hic diſtinguitur inter ἐκλεκτȣς (nominaliter), & ἐκλελεγμένȣς (participialiter). Nullibi enim in ſacro codice legimus, quod pauci quidem ſint ἐκλεκτοὶ, omnes vero ſint ἐκλελεγμένοι. Inter duo enim illa non eſt diſcrimen. Propter ἐκλεκτȣς (nominaliter), ȣ̔ς ἐξελέξατο (verbaliter), adeoque tantum ἐκλελεγμένȣς (participialiter), Deus abbreuiauit dies, Marc. XIII, 20. Quicunque enim eligitur verbaliter, ille etiam electus eſt participialiter. Sed omnis electus nominaliter eligitur verbaliter: Ergo.

3) Per-

Digitized by Google

3) Perſpicue teſtatur S. Paullus, quod Deus *non multos ſapientes ſecundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegerit,* 1 Cor. I, 26. 27. 28.

4) Electi ſunt homines ad ſalutem *in ſanctificatione Spiritus & fide veritatis,* 2 Theſſal. II, 13. At *fides non eſt omnium,* 2 Theſſ. III, 2. Ergo non omnes homines ſunt electi, ſed *pauci* tantum, nimirum qui ſecundum præſcientiam Dei a Spiritu S. renati, & vera in Chriſtum fide donati ſunt.

*Antitheſis* fuit SAM. HVBERI, *Bernatis ex Heluetiis,* Theologi Wittenbergenſis, qui poſt conſcriptam F. C. anno 1593. electionem (in ſenſu propriiſſimo) *vniuerſalem,* ſeu omnium omnino hominum defendere conatus eſt; cuius præcipua fuerunt argumenta:

I. Cuius cauſſæ omnes ſunt vniuerſales, illud eſt vniuerſale. Atqui electionis cauſſæ omnes ſunt vniuerſales; nempe beneuolentia Dei Patris, meritum Filii, & vocatio Spiritus S. Ergo electio eſt vniuerſalis. Reſp. Cuius *omnes* cauſſæ, tum *principales,* tum *inſtrumentales,* ſeu *minus principales,* ſunt vniuerſales, id ipſum eſt vniuerſale, concedo. At cauſſa *inſtrumentalis,* ſeu *minus principalis,* nimirum fides in Chriſtum non eſt omnium, 2 Theſſ. III. 2.

Inſtantia: Fides eſt poſterior electione. E. non eſt cauſſa. Reſp. Fides eſt poſterior prædeſtinatione, quoad exiſtentiam, prior tamen eſt, quoad præuiſionem diuinam. Prius enim Deus cognouit hos vel illos finaliter credituros eſſe, deinde intuitu huius fidei finalis prædeſtinauit eos ad ſalutem.

II. Quicunque electi ſunt in Chriſto, illorum electio eſt vniuerſalis: Atqui peccatores miſeri &c. E. *Maior* conſtat: quia Chriſtus eſt redemtor catholicus. *Minor* liquet ex Eph. I, 4. Reſp. Chriſtus ingreditur decretum electionis non abſolute citra hominum applicationem, ſed *reſpectu finalis applicationis,* quæ fit ab homine, meritum Chriſti apprehendente.

III. Quoscunque Deus voluit eſſe ſanctos & irreprehenſibiles, illos elegit, Eph. I, 4. Atqui voluit omnes homines eſſe ſanctos & irreprehenſibiles. E. Reſp. Neg. *maior,* quia electio hominum *non* eſt facta ſecundum voluntatem Dei *antecedentem,* qua omnes homines vult eſſe ſanctos; ſed ſecundum voluntatem Dei *conſequentem,* quæ πρόγνωσιν, ſeu præcognitionem obedientiæ hominum ſubſequitur, adeoque verſatur circa hominem, quatenus præuiſus eſt fidelis, vel obediens. At non omnes homines Deo ſanctitatis ſtudium a cunctis exigenti obediunt. Ergo non omnes ſunt electi. Ceterum haud diſpari ratione argumentamur: Quoscunque homines Deus voluit eſſe ſanctos & inculpatos, illos iuſtificauit: Atqui voluit omnes homines &c. Ergo.

IV. Si Deus non omnes homines ad æternam ſalutem elegit, quosdam abſoluto decreto præteriit: Atqui Deus nullos homines abſolute præteriit. E. omnes homines ad æternam ſalutem elegit. Conſequentia *maioris* eſt euidens; quia quem Deus ad ſalutem non eligit, illum præterit in decreto electionis. Reſp. Diſt. inter decretum *abſolutum,* & *ordinatum.* Deus hunc ſanciuit ordinem, vt omnes homines per media gratiæ fidem in Chriſtum concipiant, eamque vsque ad finem vitæ retineant; qui ordini huic ſe non ſubmittunt, illos Deus præterit non abſolute, ſed ob petulantem reiectionem mediorum gratiæ, finalemque incredulitatem *).



*) HVBERVS in eo potiſſimum errauit, quod ipſe hæc duo, probe diſcernenda, inter ſe confudit: *gratiam ſalutarem,* tam adquiſitionis, quam adplicationis, quæ vtraque communis eſt omnium hominum, & vni eorum cuique pariter offerenda (id quod aduerſus *Reformatos* conſtanter tuemur), & *electionem ad ſalutem.*

Digitized by Google

Quæſt. XV. *An electi in peccata mortalia prolabi, gratiam Spiritus S. excutere, & fidem in Chriſtum penitus amittere queunt?*

*Amiſſio fidei.*

*Electi* deſideriis carnis obſequentes in peccata proæretica atque mortifera prolabi, gratiam Spiritus S. excutere fidemque ſaluificam non quidem vsque ad finem vitæ, *ad tempus* tamen *totaliter* amittere poſſunt.

Obſ. I. Quæritur *non de lapſu renatorum*, quos in peccata mortifera interdum ruere, ſupra oſtendimus, *ſed de lapſu electorum.* Datur quippe diſcrimen quoddam inter *renatos, & electos* *). *Renati* proprie ſunt, qui per gratiam Spiritus S. vera in Chriſtum fide donati ſunt; quorum tamen haud pauci ad tempus tantum credunt, finali impœnitentia acceptam fidem exſtinguentes. *Electi* ſunt, qui & ipſi per Spiritum S. regeniti, ad tempus fide, in peccata voluntaria prolapſi, deficiunt, in iſtis vero finaliter non perſiſtunt, ſed lapſi reſurgunt, vereque reſipiſcunt. *Renati* igitur æſtimantur ex fide *præſenti: Electi* ex fide *finali.* Ideoque non omnes renati ſunt electi: nec omnes electi ſemper & omni tempore ſunt renati. Dantur enim renati, qui ob finalem impœnitentiam reprobantur: dantur etiam electi, qui ob peccata proæretica, quibus indulgent, aliquando non ſunt in ſtatu regenerationis.

Obſ. II. Diſt. inter amiſſionem fidei *totalem, & finalem. Illa* eſt, qua fides ſaluifica tota perditur, vt ex filio gratiæ fiat filius iræ: *Hæc* eſt, qua homo, carni ſuccumbens, ſeipſum vera fide priuat, eamque nunquam recuperat, ſed in infidelitate ex hac vita diſcedit.

Probamus aſſertum 1) *indirecte a minori ad maius*, ſumto argumento e lapſu hominum protoplaſtorum, qui concreata refulſerunt iuſtitia, & nihilo tamen minus in grauiſſimum prolapſi peccatum, offenſam Dei ſibi contraxerunt, & vinculum gratioſæ vnionis cum Deo ruperunt. Grauiter quippe comminatus erat Deus mortem immorigeris, Gen. II, 17. Vbi nomine mortis non tantum mors corporalis, ſed & ſpiritualis, quæ in diſſolutione vnionis cum Deo conſiſtit, intelligitur.

Dicis: I. Iuſtitia primæua potuit amitti, non autem amiſſibilis eſt iuſtitia euangelica, quæ promiſſionem ſtabilitatis habet. Reſp. Homo conſtitutus in ſtatu integritatis firmior erat ad retinendam iuſtitiam, maioribusque munitus præſidiis aduerſus peccatum, quam homo renatus & electus poſt lapſum. In illo erat eximia ſapientia intellectus, perfecta ſanctitas voluntatis, & inſignis puritas appetitus ſenſitiui: at hic ex parte carnalis eſt, venundatus ſub peccatum, qui, quod operatur, non agnoſcit; non enim quod vult, hoc facit, ſed quod odit, id facit, Rom. VII, 15. 16.

Dicis: II. Exemplum protoplaſtorum alienum eſt a propoſito, quia illi fidem in Chriſtum, de qua hic quæſtio eſt, in ſtatu integritatis nunquam amiſerunt: homo namque integer mediatore non indigebat. Reſp. Quæſtio hic ventilatur non tantum de amiſſione fidei iuſtificæ, ſed etiam de excuſſione gratiæ diuinæ, quam protoplaſti inobedientia ſua peræque effuderunt, ac renati & electi poſt lapſum eandem peccatis proæreticis excutiunt.

Prob.

*) Id nimirum eſt principium erroris, in quo verſantur *Reformati*, quod illi quidem fidem temporariam negant eſſe veram, neque alium vere credentem & gratiæ efficacis alumnum eſſe putant, niſi electum hominem, ſeruientes ὑποθέσει ſuæ de particulari gratia, atque abſoluto, vt barbare loquuntur, decreto.

Digitized by Google

Prob. 2) *Directe*, & quidem exemplis tam veteris, quam noui teſtamenti. Ex vet. teſt. duo tantum proferemus exempla: a) *Aaronis*, quem ſanctum Domini Pſaltes Pſ. CVI, 19. appellat. Qui conflatione vituli aurei duo mala commiſit: *Vnum*, vt Iſraëlitæ idololatriæ ſcelus, quod animo & cogitatione tantum conceperant, reipſa & facto perpetrarent: *Alterum*, vt quod priuato errore facturi videbantur, id publica auctoritate facerent, dum a ſummo ſacerdote idolum acceperunt, circa quod debacharentur. Except. Peccatum Aaronis non fuit proæreticum, eo, quod tumultuantis populi clamoribus contra voluntatem ſuam ceſſit, & formare vitulum ab inſana plebe coactus eſt. Reſp. Grande Aaronis peccatum extenuare, nobis ſit religio. Sic enim Moſes de illo inquit Deut. IX, 20. *Contra Aaronem ira motus eſt Iehouah valde ad perdendum eum; oraui vero etiam pro Aarone tempore iſto.* Summi ſacerdotis erat, mille potius ſubire mortes, quam impio tumultuantis populi deſiderio annuere, & cultum profanum auctoritate ſua approbare. b) *Regis Davidis*, cuius adulterium & homicidium conſtat e 2 Sam. XI, 3. 15. Adulteros autem & homicidas æternæ mortis reatum ſibi contrahere, docet Paullus Gal. V, 19. 1 Cor. VI, 9. Dicis: Non peccauit rex Dauid plena voluntate, ſed ex carnis imbecillitate. Commiſit adulterium ex æſtuante concupiſcentia, quæ mentem eius obnubilauit; homicidium autem ex metu infamiæ ad ſe redundaturæ. Quod autem gratiam Dei non penitus amiſerit, colligitur ex eo, quod Deus motus miſericordia ad eum mittit prophetam Nathanem, cuius breui admonitione ad agendam pœnitentiam reuocatur. Adiice, quod Pſ. LI, 13. non precatur: Spiritum S. tuum ablatum redde mihi; ſed: Spiritum ſanctitatis tuæ ne aufer a me, quod indicio eſt, Spiritum S. ex corde eius non expulſum fuiſſe. Reſp. Si eiusmodi excuſationes quidquam proficerent, cuilibet enormi peccatori promtum foret, flagitia ſua palliare. Ecquis enim adeo efferate proteruit, vt cum pleniſſima mentis electione & voluntatis libertate peccare velit? Tentatur quippe homo *a propria concupiſcentia*, *dum abſtrahitur & ineſcatur. Deinde concupiſcentia poſtquam concepit, parit peccatum; peccatum vero, quando conſummatum eſt, parturit mortem*, Iac. I, 14. 15. Polluit ſe Dauid adulterio; adulterum omnem Deus iudicabit, Hebr. XIII, 4. Adulterio adiecit homicidium; *omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem*, 1 Io. III, 15. Peccauit ſecure, nullam agens per menſes integros decem pœnitentiam, & inde Filius mortis in iudicio Dei habitus eſt, 2 Sam. XII, 7. Proinde penitus excuſſit *gratiam Dei inhabitantem*, quamuis non amiſerit *gratiam Dei externe aſſiſtentem*, *pulſantem & excitantem*, qua per prophetam Nathanem in viam reuocatus eſt. Ablationem Spiritus S. deprecatus eſt Dauid Pſ. LI. non cum adhuc impœnitens hæreret in peccatis, ſed cum ad auditum concionis propheticæ reſipuit.

Ex nouo teſtamento itidem duo adducimus exempla: a) Vnum eſt Apoſtoli Petri, qui abnegando Chriſtum totalem fidei fecit iacturam, Matth. XXVI, 70. Qui namque vere in Chriſtum credit, is illum confitetur, 2 Cor. I, 13. Petrus Chriſtum non tantum non eſt confeſſus, ſed inſuper etiam negauit. E. tunc veram fidem non habuit. Vera fides Chriſtum recipit, Io. I, 12.; abnegatio Chriſtum repudiat. Ergo vera fides cum abnegatione in vno corde non conſiſtit. Vera fides vincit mundum, 1 Io. V, 4. At Petrus victus eſt a muliercula. Ergo Petrus tunc vere non credidit. Nullus, qui ſeipſum diris devouet & peierat, habet fidem iuſtificantem vllo modo, Petrus Chriſtum abnegando ſeipſum diris deuouit & peierauit. E. Vbi conuerſione opus eſt, ibi auerſio præceſſit. Petrus conuerſione opus habuit, teſte Chriſto: *Tu conuerſus, confirma fratres tuos*, Luc. XXII, 32. E. Excipis I. Petrus non peccauit ἑκουσίως, deſtinata malitia, ſed metu imminentis periculi perculſus abnegauit Chriſtum, vt vitam ſeruaret. Quare peccatum eius non fuit proæreticum aut mortiferum, ſed inuoluntarium, quo fides non extinguitur. Reſp. Quamuis Petrus



Digitized by Google

primum non peccauerit deſtinata malitia, horrore mortis ipſius pectus conquaſſante, & durante adhuc Spiritus & carnis lucta; hac tamen ceſſante, & carne victoriam reportante, peccauit ἑκουσίως, ſiue voluntarie. Paſſus enim eſt, ſe a carne vinci, & ter Chriſtum abnegavit; quæ Petrina Chriſtum abnegandi progreſſio & perſeuerantia arguit ipſius præelectionem. Quæ hinc etiam elucet, quod e duobus malis minus eligendum putauit, nempe maluit Chriſtum abnegare, quam periculis vitæ ſe obiicere: quo ipſo grauiter peccauit. Dixit enim Chriſtus diſcipulis ſuis: Quisquis voluerit poſt me venire, abnegato ſeipſum, tollatque crucem ſuam, ac (ita) ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſeruare, perdet eam, Marc. VIII, 34. 35. Excipis II. Chriſtus *rogauit pro Petro, ne fides ipſius deficiat,* Luc. XXII, 32. Reſp. Diſt. inter defectionem fidei *finalem, & totalem.* A finali fidei defectione Petrus precibus Chriſti præſeruatus eſt, ne poſt abnegationem incideret in deſperationem, ſed vt reſipiſceret, fidemque ſaluificam reciperet, & vsque ad finem vitæ retineret, atque adeo æternæ ſalutis particeps fieret. Excipis III. Petrus abnegauit Chriſtum ore, ſed non corde. Reſp. Poſito hoc, Petrus fœdiſſimi reus fit mendacii. b) Alterum exemplum eſt *inceſtuoſi Corinthiaci*, cuius mentio fit 1 Cor. V, 1. ſqq. Huius ſcelus enorme cum vera fide conſiſtere nequiuit. Fuit enim nefandum, iudicio ſaniorum gentilium deteſtabile, & notorium, quia non clam, ſed palam, & conſcia eccleſia, nouerca ſua ad turpiſſimam libidinem abuſus eſt. S. Paullus ex poteſtate, a Chriſto collata, eundem tradidit Satanæ, non vt reprobaretur, aut damnaretur, ſed vt *Spiritus ipſius ſaluaretur in die Domini Ieſu.* Non igitur fuit e numero reproborum, aut damnandorum, ſed electorum & ſaluandorum. Neque enim vsque ad finem vitæ impœnitens aut incredulus permanſit, ſed reſipuit, fidemque recuperauit. Ex quo Apoſtolus ipſi in viam redeunti facinus abominandum *in conſpectu Chriſti condonauit.* 1 Cor. II, 10.

Prob. 3) Clariſſimis ſcripturæ dictis, quorum breuitatis cauſſa duo tantum citabimus. Prius petimus e 1 Tim. I, 17. 18. *Hoc mandatum depono tibi, fili Timothee, iuxta prægreſſas de te prophetias, vt milites in illis bonam militiam; habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repulerunt, & circa fidem naufragium fecerunt.* Timotheum ad cœleſtem gloriam ab æterno prædeſtinatum fuiſſe, nulli dubitamus. Erat quippe ex prophetia, ſiue peculiari Spiritus S. reuelatione, muneri docendi præfectus, germanus Paulli filius in fide, ſinceræque fidei poſſeſſor. Conf. 1 Tim. I, 2. 2 Tim. I, 5. Hunc Paullus monebat, vt bonam militaret militiam, aduerſus diabolum, mundum & carnem maſcule decertando, quo glorioſam reportaret victoriam. Oſtendit autem Apoſtolus hanc ſpiritualem militiam legitime perfici non poſſe, niſi fide in Chriſtum ſancte caſteque ſeruata, vtpote quæ eſt ſcutum, ad exſtinguendum ignita diaboli tela, diuinitus ordinatum. Epheſ. VI, 16. Porro docet, non poſſe cuſtodiri fidem, niſi ſeruetur bona conſcientia, & abſtineatur a peccatis voluntariis, quibus ſerenitas conſcientiæ obnubilatur: quam doctrinam confirmat, propoſitis exemplis eorum, qui circa fidem fecerunt naufragium, abiecta per peccata proæretica, bona conſcientia. E quibus hoc fluit argumentum: *Quicunque ſollicite admonetur ſui officii, cum formidine oppoſitæ defectionis, ille deficere poteſt totaliter: Quidam electus* (*Timotheus*) *ſollicite admonetur &c.* Ergo. Poſterius depromimus ex Apocalypſi Ioannæa, c. III, 11. vbi Filius Dei Epiſcopum Philadelphienſem compellat: *tene, quod habes, vt nemo auferat coronam tuam.* Senſus eſt: perge ſeruare integram fidem, bonamque conſcientiam, ne corona gloriæ, tibi deſtinata, adimatur. Colligimus ex his, electos amittere poſſe fidem. Cur enim moneret Chriſtus: tene, quod habes, ſi nulla timenda eſſet fidei iactura? Cur ob oculos poneret periculum auferendæ coronæ, ſi hæc citra reſpectum perſeuerantis fidei abſolute deſtinata eſſet?

Prob.

Digitized by Google

Prob. 4) A piorum precibus quotidianis: *Ne nos inducas in tentationem!* Matth. VI, 13. Quibus omnes fideles, adeoque etiam electi, tum hoſtium atrocitatem, quibuscum confligendum ipſis eſt, tum propriarum virium infirmitatem teſtantur, quod a Deo derelicti, ſibique permiſſi, hoſtibus, ad grauiſſima quæque peccata ſollicitantibus, ſuccumbere, & in infidelitatem atque deſperationem præcipites rapi queant. His precibus quotidianis addenda eſt oratio Dauidis: *Spiritum ſanctitatis tuæ ne aufer a me!* Pſ. LI, 13. Precatio pro non auferendo Spiritu, ablationis poſſibilitatem arguit.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum*, in quibus gratiam totaliter inamiſſibilem damnauit *Auguſtana confeſſio* articulo XII. his verbis: *Damnant* (noſtræ eccleſiæ) *Anabaptiſtas, qui negant, ſemel iuſtificatos poſſe amittere Spiritum Sanctum.* Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Quicunque electi ſunt ad gloriam cœleſtem, intuitu fidei in Chriſtum perſeuerantis, illorum fides non deficit: Atqui homines renati, docentibus ipſis Euangelicis, electi ſunt intuitu fidei perſeuerantis: Ergo. Reſp. Diſt. *inter perſeuerantiam continuam, ſiue inceſſabilem, & non continuam, ſiue interruptam. Illa* competit hominibus, nunquam ex deſtinata malitia, ſed tantum ex infirmitate peccantibus, quæ ob imperfectionem renouationis & reliquias veteris hominis in hac mortalitate viatoribus vix, vel raro contingit. *Hæc* peccatis proæreticis ad tempus rumpitur, per ſeriam autem pœnitentiam inſtauratur, & ad finem vitæ durat. In articulo electionis intelligitur perſeuerantia fidei ad finem vitæ durans, ſiue illa continua, ſiue non continua ſit.

II. Oues Chriſti nemo e manu eius rapere poteſt: Vere fideles ſunt oues Chriſti: Ergo. *Maior* liquet ex Io. X, 28. Reſp. Oues Chriſti, quamdiu vocem paſtoris Chriſti audiunt, eumque ſequuntur, nemo e manu Chriſti rapere poteſt. At ſi oues deſinant vocem paſtoris Chriſti audire, eundemque ſequi, Chriſtus ipſe proiicit eas de manu ſua, & quam antea geſſit tutelam earum, gerere deſinit. Indeque, niſi ab errore ſe reuocari patiantur, infernali lupo tandem in prædam cedunt: quod ſane non eſt rapi e manu Chriſti. (*)

III. Electi fidem iuſtificantem nunquam amittunt, vel abiiciunt totaliter; quia ſunt inſtar arborum, quæ ad riuos aquarum ſunt plantatæ, quæ fructus ſemper ferunt, & nunquam areſcunt, Pſ. I, 3. Quod ſi itaque electi iuſtitiæ fructus ſemper ferunt, arbor fidei nunquam areſcit. Reſp. Seruant arbores, plantatæ ad riuos aquarum, fertilitatem & folia, quamdiu e riuis, ad quos plantatæ ſunt, humiditatem & nutrimentum attrahunt; at vbi vitium vel vim paſſæ, id facere impediuntur, paullatim exareſcunt & emoriuntur. Ita fideles tamdiu tempeſtiuos edunt fructus, iuſtitiæque retinent decus, quamdiu *ſuccum trahunt e fluentis gratiæ verbo & ſacramentis.* At vero, ſi vitiis indulgentes verbum & ſacramenta contemnant, vitam gratiæ amittunt, & ſpiritualiter moriuntur. Hanc limitationem inſinuat ipſe hieropſaltes, Pſ. I, 3.: *Beatus vir, qui in lege Dei meditatur diu noctuque: erit enim ſicut arbor plantata ad riuos aquarum.*

IV. Qui-

(*) Translatio hæc, quæ ab ouibus ducitur, amorem deſignat mutuum, quo & Chriſtus homines ſibi addictos, & illi viciſſim Chriſtum complectuntur, Io. X, 14. Nec eos, qui ad tempus vera fide ſunt præditi, ſed illos ouium nomine dignos ipſe iudicat, qui perſeuerantes ipſi dicto audientes ſunt, ipſumque ſequuntur vsque eo, cum in vitam æternam Chriſti beneficio ingredientur, cuius ex poſſeſſione nunquam excident, nec vlla vis eos, iam beatos, ex manu Chriſti eripere valebit. Id enim ordo verborum nos edocet, eorum ſententiam debere intelligi non de electorum conditione in hac mortalitate, ſed de perpetua, neque vnquam interrumpenda, eorumdem beatitate in vita æterna. Illi contra, qui ex hac vita ita diſceſſerunt, vt damnati æternam ſubierint perniciem, dicuntur a manu Dei ſeparati, Pſ. LXXXVIII, 6. Interea electi, dum hic commorantur, ſi quando in peccatum voluntarium delapſi, fidei iacturam fecerint, ipſi quidem ſemet a Chriſti manu diſiunxerunt, a Chriſto tamen nondum ſunt deſerti abiectique, ſed extenſa quaſi manu ab errore in viam reducuntur.

Digitized by Google

IV. Quicunque viuunt ſub fœdere euangelico, illis Deus impertitur donum perſeverantiæ, vt ab ipſo nunquam recedant: Atqui electi &c: Ergo. *Maior* probatur ex Ier. XXXII, 40. *Feriam cum ipſis fœdus ſæculi; quod non auerſurus me ſim ab eis, vt benefaciam iis, timorem autem meum dabo in cor eorum, vt non recedant a me.* Reſp. *Fœdus Dei cum hominibus non eſt abſolutum, ſed ordinatum, vel conditionatum.* Promiſſio diuina l. c.: *Timorem meum dabo in cor eorum, vt non recedant a me,* includit tacitam conditionem non impeditæ operationis gratiæ per voluntariam & liberam hominum reſiſtentiam. Inditurus enim cordibus noſtris timorem ſui Deus non agit irreſiſtibiliter, ſed reſiſtibiliter, & relicta repugnandi libertate. Inde fit, vt a bonorum, fœdere promiſſorum, participatione nulli excludantur, niſi Deo voluntarie reſiſtentes, qui iisdem bonis propria culpa ſe priuant. Conf. Exech. XI, 20. 21.

V. Quoſcunque cadentes Deus non abiicit, ſed manu ſua ſuffulcit, illorum lapſus non eſt totalis, gratiam Dei excutiens: Atqui iuſtos cadentes &c. Pſalm. XXXVII, 24. Ergo. Reſp. Diſt. *inter caſum externum, ſeu fortunæ, & internum, ſeu animæ.* Totus Pſalmus XXXVII. loquitur de externis piorum & impiorum caſibus, de illorum proſperitate, & horum infelicitate, adeoque locus citatus non ferit ſcopum.

VI. Quicunque apprehenſus manu diuina ſemper eſt cum Deo, is non poteſt gratia Dei excidere: Atqui electus &c. E. *Maior* conſtat: quia ſemper eſſe cum Deo, & gratia diuina excidere ſunt oppoſita, quæ ſimul conſiſtere nequeunt. *Minor* patet Pſ. LXXIII, 23. Reſp. Apprehenſio & ſuſtentatio, quæ fit manu diuina, nec irreſiſtibilis, nec indeclinabilis eſt; propterea, quod Deus malitioſe deſerentem permittit labi.

VII. Quicunque non poſſunt ſeduci, illi non poſſunt fidem amittere: Atqui electi non poſſunt ſeduci. E. *Maior* conſtat; quia amiſſio fidei eſt a ſeductione diaboli, mundi & carnis. *Minor* probatur e Matth. XXIV, 24. *Surgent falſi Chriſti & falſi prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, vt in errorem inducant, ſi poſſibile, etiam electos.* Reſp. Diſt. inter *impoſſibilitatem abſolutam, & hypotheticam.* Electos ſeduci impoſſibile eſt impoſſibilitate *non abſoluta*, aut cauſſali, ex irreſiſtibili operatione gratiæ diuinæ profecta, ſed impoſſibilitate *hypothetica*, nixa hypotheſi electionis, factæ ſecundum præuiſionem fidei perſeuerantis. Cum autem perſeuerantia alia ſit continua, alia non continua, electi ad tempus ſeduci poſſunt *totaliter*, *non* autem *finaliter*, ob infallibilitatem præſcientiæ diuinæ.

VIII. Nihil fideles ſeparare poteſt a dilectione Dei. Rom. VIII, 38. Reſp. 1) Nulla creatura externa fideles ſeparare poteſt a dilectione Dei: at inhabitans peccatum, quod non eſt creatura, ſi ei permittatur dominatus, eosdem a Deo diuellit. 2) Nihil tam potens eſt, vt ex ſe & vi ſua valeat ſeparare fideles a caritate Dei. In omnibus enim plusquam vincimus per eum, qui dilexit nos, Rom. VIII, 37; dum modo viribus ab ipſo conceſſis, & parato Spiritus S. auxilio vti velimus. Poſſunt autem fideles ſeparare a dilectione Dei, quæ ex ſe inualida ſunt ad ſeparandum eos, ſi illi ſibi ipſis deſint, & arma proiicientes ſe vltro dedant hoſti: quemadmodum Simſon floccifaciens Nazareatus votum, propria culpa, ſuique ipſius proditione captus eſt, cum vi & robore hoſtium capi non poſſet. Iudic. XV. & XVI.

IX. Qui credunt in Chriſtum, in ſe cibum habent, qui permanet in vitam æternam. Ioann. VI, 27. Reſp. Cibus ſpiritualis ex ſe & natura ſua permanet in vitam æternam, etſi vitio comedentis fiat, vt, quemadmodum per fidem ab ipſo comeſus eſt, ita per infidelitatem, quaſi vomitu quodam, iterum eiiciatur.

X. Dona Dei ſunt ἀμεταμέλητα, i. e. immutabilia, Rom. XI, 29. Fides eſt donum Dei: E. Fides eſt immutabilis, adeoque interire nequit. Reſp. Dona quædam Deus dat

voluntate

Digitized by Google

voluntate *abſoluta*, quæ ſimpliciter ſunt immutabilia: quædam dat voluntate *ordinata*, qua reſpicitur certus *mediorum ordo*, rite obſeruandus. Fidem Deus dat voluntate *ordinata* & vult, vt per ordinaria media conſeruetur; quæ qui negligit, propria culpa iacturam fidei facit.

XI. Credentes obſignati ſunt per Spiritum S. Eph. I, 13. E. in fide conſtantes manent. Reſp. Credentes tamdiu obſignati ſunt & manent Spiritu S. quamdiu eius ductum ſequuntur. At ſi regimini Spiritus S. obluctentur, obſignatione Spiritus S. deſtituuntur, fidemque amittunt.

Quæſt. XV. *Eſtne electio finaliter in Chriſtum credentium immutabilis?*

Electio diuina hominum, finaliter in Chriſtum credentium, eſt *immutabilis* & irreuocabilis, vt ex electo non poſſit fieri reprobus.

Obſ. I. Vtimur hic nomine *electionis* in ſenſu *ſtrictiſſimo*, prout notat decretum divinum de ſaluandis illis peccatoribus, quorum fides in Chriſtum perſeuerans ab æterno præviſa eſt a Deo: HVBERVS nomen electionis vſurpat in ſenſu *generali*, quo cum vocatione ad eccleſiam coincidit. Nonnulli Theologi Tubingenſes vocem, electio, adhibent non in ſenſu generali, neque etiam ſtrictiſſimo, ſed in ſenſu *ſtrictiori & medio*, vt notet ordinationem omnium credentium, ſiue vsque ad finem vitæ, ſiue ad tempus credant, ad æternam ſalutem; quo ſenſu omnis credens eſt electus, & exſtincta per peccata mortifera fide, ex electo fit reprobus. Confer. D. IO. ADAMI OSIANDRI *colleg. theol. ſyſtem. parte VI. p. 110.*

Obſ. II. *Immutabilis dicitur electio non immutabilitate abſoluta, intrinſeca & cauſſali, ſed hypothetica, extrinſeca & non cauſſali.* Neque enim aſſerimus, immutabilem eſſe electionem propter decretum *abſolutum*, quo Deus quosdam peccatores ad vitam æternam elegerit, quomodocunque ſe habeant, ideo tantum, quia Deo ſic placuit: neque ob decretum aliquod *prædeterminans*, quo voluntas hominum electorum ſic determinata ſit ad perſeuerantiam fidei, vt hanc per peccata proæretica nunquam amittere, neque vnquam a ſtatu gratiæ recedere queant: ſed ſtatuimus electionem eſſe immutabilem propter ſuppoſitionem decreti *ordinati*, & infallibilitatem *præſcientiæ* diuinæ.

Prob. 1) Omnes electi hæreditatem, ad quam prædeſtinati ſunt, conſequuntur. Matth. XXV, 34. Iac. II, 5. Ergo nulli electi fiunt reprobi.

2) Quicunque non poſſunt ſeduci (finaliter), illi non poſſunt perire. Atqui electi &c. Matth. XXIV, 24. Ergo.

3) Illis, qui pereunt, nulla reſeruatur in cœlis hæreditas. Atqui omnibus illis, qui ſecundum præuiſionem Dei ſunt electi, reſeruatur in cœlis hæreditas. 1 Petr. I, 2. 4. Ergo nullus eorum perit.

4) Qui e manibus Chriſti (finaliter) eripi nequeunt, illi æternum perire non poſſunt. Atqui electi &c. Io. X, 28. Ergo.

5) Omnes libro vitæ inſcripti ſunt liberandi, Dan. XII, 1. E. nemo illorum perire poteſt.

6) Omnes, quos Deus prædeſtinauit, glorificat, Rom. VIII, 29. 30. E. nullus prædeſtinatus reprobatur.

7) Si electi perire poſſent, præuiſio Dei, ſecundum quam elegit, Rom. VIII, 29. falleretur, quod dictu impium eſt.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum & Arminianorum*, quorum de ſententia ex electis poſſunt fieri reprobi. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Quicunque expungi poſſunt e libro vitæ, illorum electio non eſt immutabilis: Atqui finaliter in Chriſtum credentes &c. Ergo. *Maior* prob. quia liber vitæ eſt catalogus



Digitized by Google

electorum; qui ex eodem expungitur, fit reprobus. *Minor* liquet exemplo Moſis, qui Exod. XXXII, 32. a Deo petiit, vt ſe deleret e libro vitæ, ſi aliter Iſraëlitis parcere nollet. Reſp. Moſes non ſimpliciter ſe e libro vitæ expungi optauit, neque putauit, ſemel inſcriptum expungi poſſe, verum ratione ab impoſſibili petita conatus eſt Iſraëlitis fratribus ſuis veniam impetrare. Nimirum Moſes, ex ingenti quadam diuinæ familiaritatis ſecuritate, poſtquam vnam alteramque ſtringentem rationem adduxerat, non ad excuſandos ſuos, ſed ad impetrandum iis veniam, v. 11. ſeq. iam, rei fœditate comperta, vltima, eaque longe fortiſſima ratione in altera interceſſione ſibi vtendum ratus, vult dicere: *Domine, aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me e libro tuo!* Alterutrum poſco precibus meis, amicam tibi vim illaturus! Poſterius nunquam facies; quia impoſſibile eſt, ſemel inſcriptum & pro electo habitum expungi: ergo prius facias, quoad tibi poſſibile & factu facile eſt.

Dicis: Deus categorice reſpondet: Delebo e libro meo eum, qui peccarit. Reſp. Diſt. inter *deletionem negatiuam, ac priuatiuam.* Deletio *negatiua* e libro vitæ idem eſt, ac non ſcriptio in libro vitæ: quæ exegeſis habetur Pſ. LXIX, 29. *Deleantur e libro vitarum, & cum iuſtis non ſcribantur.* Quare ſenſus eſt: præfracte & finaliter peccantem catalogo electorum non inſcribam; conf. D. PFEIFFER in *dub. vex. p. 385.* Idem reſponderi poteſt ad Apoc. III, 5. c. XXII, 19. Diſt. nonnulli auctores *inter inſcriptionem in librum* gratiæ, *quæ ad voluntatem Dei antecedentem refertur, & inter inſcriptionem in librum* gloriæ, *quæ ad voluntatem Dei conſequentem pertinet. Prior* delebilis, *poſterior* indelebilis eſt.

II. Quicunque poſſunt fieri reprobi, ſub conditione neglectæ crucifixionis ſpiritualis, illorum electio non eſt immutabilis: Atqui electi &c. Ergo. *Minor* conſtat exemplo Paulli, qui 1 Cor. IX, 27. de ſe ipſo inquit: *ſubigo corpus meum & ſeruum facio, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus fiam.* Reſp. Quicunque poſſunt fieri reprobi, ſub conditione neglectæ crucifixionis ſpiritualis, illorum electio non eſt immutabilis *abſolute*; concedo: eſt tamen immutabilis ex *hypotheſi* electionis factæ, ſecundum præuiſionem fidei perſeuerantis (*). Non autem perſeuerat in homine fides, in quo caro prædominatur. Quare hanc ſub iugum mittit Apoſtolus, ne exſtincta per dominium carnis fide in æternæ reprobationis iudicium incidat.

Dicis: Ergo ex electis poſſunt fieri reprobi. Reſpondeo verbis D. B. MEISNERI; *Electi vel conſiderantur ratione ſui, atque ſic finaliter labi poſſunt: vel ratione præuiſæ & decretæ conſeruationis diuinæ, atque ſic ſeduci non poſſunt.* Vid. *anthropol. decad. II. diſp. XIV. p. 230.* Conf. Diſp. DANNHAVER. *de hypopiaſmo Paullino §. 33.* Non potuit quidem Apoſtolus reprobus fieri in *ſenſu compoſito*, ſi electus fuit; potuit tamen in *ſenſu diuiſo*, ſi ſeorſim in ſuis conditionibus conſideretur, quia ſi ſe abſolute electum ſciuiſſet, fruſtra reprobationem cauiſſet.

Quæſt. XVI. *Eſtne homo renatus ſuæ electionis ad vitam æternam certus?*

Homo renatus in *medio vitæ curſu* ſuæ electionis *certus* eſt *conditionate* a); at in *termino vitæ* idem gaudet certitudine prædeſtinationis ſuæ *abſoluta* b).

Prob. a. Certi ſunt renati fidei præſentis: a) *Vos ipſos tentate, num ſitis in fide? vos ipſos probate: Aut (num) non cognoſcitis vos ipſos, quod Ieſus Chriſtus ſit in vobis? niſi*

(*) Electio quidem nullo modo eſt mutabilis; eſt enim facta ideo, quod Deus certo præuidit fore, vt homo moriens Chriſto vere & conſtanter confidat. Atque æternum illud Dei decretum, quamuis ordini ſalutis vtique ſit conueniens, tamen *non* eſſe *hypotheticum*, Auctor ipſe rectiſſime profeſſus eſt, ad quæſt XII. Homo πιςὸς, ſicubi a fide deſciuerit & moriatur ἄπιςος, *non* eſt in numero *electorum.* Si mutauerit mentem, atque ita ad priſtinum ſtatum reuerſus permanſerit πιςὸς, ad finem vsque mortalitatis, eſt manetque electus. Interea, donec erit ἄπιςος, eſt etiam ἀδόκιμος, h. e. *non probatæ fidei*, nec vero æternum reprobatu.

Digitized by Google

*niſi reprobi eſtis*, 2 Cor. XIII. 5. Certi ſunt b) quod *Deus Pater fidei perſeuerantiam largiturus ſit. Perſuaſus ſum, quod qui incepit in vobis bonum opus, abſoluturus ſit vsque in diem Ieſu Chriſti.* Phil. I, 6. Certi ſunt c) *interceſſionis Chriſti. Ego oraui pro te, ne fides tua deficeret*, ait Saluator, Luc. XXII, 23. Non pro Petro tantum, aut reliquis diſcipulis Chriſtus orauit, ſed etiam pro his, qui credent per verbum illorum, Io. XVII, 20. Certi ſunt d) *obſignationis Spiritus Sancti. Credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Eph. I, 13. Hic teſtatur, cum ſpiritu noſtro, quod ſimus filii Dei, Rom. VIII, 17. Inde valide concludit renatus: Ego certus ſum fidei præſentis, gratiæ Dei Patris conſeruatricis, interceſſionis Chriſti, obſignationis internique teſtimonii Spiritus S.: Ergo perſuaſiſſimus ſum, *nomen meum ſcriptum* eſſe in cœlis. Luc. X, 20. Quæ certitudo electionis in medio vitæ curſu non eſt *abſoluta, ſed ordinata & conditionata.* Si enim ideo Paullus corpus ſuum caſtigauit, ne reprobus efficiatur, 1 Cor. IX, 29. ſuæ ſibi electionis abſolute certus non fuit. Eccur Chriſtus Epiſcopum Philadelphienſem tam grauiter admonet: *Tene, quod habes, vt nemo auferat coronam tuam?* Apoc. III, 11. Et Paullus: *Firmum fundamentum Dei ſubſiſtit, habens hoc ſigillum: nouit Dominus, qui ſunt ſui, & deſiſtat ab iniuſtitia omnis, qui nominat nomen Chriſti!* 2 Tim. II, 19. Hæc monita indicant, certitudinem electionis in hoc vitæ curriculo eſſe *conditionatam.*

Prob. b. In *fine vitæ*, conditione in actu poſita, homo renatus vt præſentis fidei, ita electionis ſuæ abſolute certus eſt, vt intrepidus cum Paullo dicere auſit: *Certamen bonum certaui, curſum abſolui, fidem ſeruaui; quod reliquum, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* 2 Tim. IV, 7.

Quæſt. XVII. *Quis eſt finis electionis?*

*Finis* electionis *proximus* eſt æterna ſalus, electis in tempore conferenda a); finis *vltimus* eſt gloria bonitatis diuinæ b). *Finis electionis.*

Prob. a. Ex Matth. XXV, 34. vbi fideles *hæreditatem regni, ſibi parati ab exordio mundi, adituri* dicuntur.

Prob. b. Ex Eph. I, 5. 6. vbi dicimur electi a Deo, *vt laudetur gloria gratiæ ſuæ.*

# DE REPROBATIONE.

Quæſt. I. *Quid opponitur electioni ad æternam ſalutem?*

Electioni immediate opponitur *reprobatio.*

Prob. Sicut inter credentes & incredulos, inter oues & hœdos, inter filios Dei & diaboli, inter electos & reprobos nullum datur medium ſiue tertium; ita *electio*, & *reprobatio* immediate ſunt oppoſita.

Quæſt. II. *Quid eſt reprobatio?*

*Reprobatio* eſt æternum Dei decretum de condemnandis omnibus & ſingulis peccatoribus, quorum finalis meriti Chriſti reiectio ab æterno præuiſa eſt. *Definitio reprobationis.*

*Vberius definitur:*

*Reprobatio* eſt actus voluntatis diuinæ conſequentis, quo Deus ex iuſtitia ſua vindicatiua omnes & ſingulos peccatores contumaces, quos oblatam vocationis & iuſtificationis gratiam finaliter excuſſuros, & ſine fide in Chriſtum



Digitized by Google

ex hac vita deceſſuros præuidit, æternæ condemnationi adiudicauit in perennem iuſtitiæ ſuæ gloriam.

Obſ. I. *Reprobatio* græce dicitur ἀποδοκιμασία, quo vox eſt ἄγραφος, ſeu non inuenitur totidem ſyllabis in ſacris litteris. Vox ἀδόκιμος, *reprobus*, vſurpatur, 1 Cor. IX, 27. 2 Cor. XIII, 5. Hebr. VI, 8. *Reprobare* ſignificat, id, quod indignum & improbum cenſetur, reiicere.

Obſ. II. Ἀποδοκιμασία, ſiue *reprobatio*, ſumitur, a) *generaliſſime* pro cuiusuis rei inutilis reiectione, Ier. VI, 30. Hebr. VI, 8.; b) *ſpecialiter* pro reiectione a *gratia*, Rom. XI. 1.; c) *ſpecialiſſime* pro reiectione ab *æterna gloria*, quo ſenſu hic accipitur.

Obſ. III. *Reprobatio* in epiſtola Iudæ v. 4. *προγεγραφὴ εἰς τὸ κρῖμα præſcriptio*, ſiue ſcriptio ante (ab æterno facta) in iudicium dicitur. *Subingreſſi ſunt quidam homines, (qui olim præſcripti fuerunt in hoc iudicium) impii, qui Dei noſtri gratiam transmutant in laſciuiam & ſolum dominatorem Deum & Dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum abnegant.* Innuit Apoſtolus, falſos doctores, gratiam Dei cum ſpurciſſima libidine bene conſiſtere poſſe, aſſerentes, atque diuinitatem Chriſti abnegantes, *libro mortis* vel catalogo damnandorum inſcriptos eſſe. Obſerues, quod nonnulli auctores dubitent, an *liber mortis Deo* recte tribuatur. At vero ſicut, quando Deo tribuitur *liber vitæ*, nihil aliud innuitur, quam quod Deus exactiſſimam habeat cognitionem omnium electorum, quibus vitam æternam certo collaturus eſt, quaſi eos in libro conſignatos habeat; ita eodem ſenſu Deo *liber mortis* poteſt tribui, quippe quo nihil aliud ſignificatur, quam exactiſſima notitia, quam Deus habet omnium eorum, quos morti æternæ intuitu finalis incredulitatis addicere conſtituit. Ex veteribus GREGORIVS NAZIANZENVS nominat βίβλον τῶν ζώων καὶ βίβλον νεκρῶν, *librum viuentium*, & *librum pereuntium*. Conf. D. DANNHAV. *hodoſ. phænom. VII. p. 583.*

Quæſt. III. *Quis homines reprobat?*

*Cauſſa reprobationis.* Deus trinunus, iuſtiſſimus hominum iudex, ſcelerumque & ſpretæ gratiæ vindex.

Prob. Deus quidem voluntate antecedente omnium voluit ſalutem, ſub conditione perſeuerantis in Chriſtum fidei; cum autem præuiderit, hanc conditionem non ab omnibus impletum iri, contumaces gratiæ diuinæ, merito Chriſti partæ, & in euangelio oblatæ, contemtores æternum reprobare decreuit. Quo ſpectant verba Chriſti, Io. III, 17. 18. *Non miſit Deus (voluntate antecedente) Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in ipſum, non iudicatur; qui autem non credit, iam* (æterno decreto voluntatis conſequentis) *iudicatus eſt, quia non credit in nomen vnigeniti Filii Dei.*

Quæſt. IV. *Quæ eſt cauſſa impulſiua reprobationis interna, ſiue intra Deum?*

*Cauſſa impulſiua reprobationis interna.* Cauſſa impulſiua interna eſt iuſtitia Dei vindicatiua, qua Deus iuſtiſſimus peccatores, præfracte impios & finaliter impœnitentes, non tantum non elegit, aut cum iuſtis libro vitæ non inſcripſit; ſed etiam æternis cruciatibus addicere decreuit.

Prob. Sicut enim hominum male agentium *condemnatio*, quæ fit in tempore, dicitur *iuſta*, Rom. II, 8. ita agnoſcendum eſt, quod, cum Deus ab æterno decreuit plurimos peccatores damnare, ratio decernendi fuerit iuſtitia punitiua ob neceſſariam conuenientiam decreti & exſecutionis.

Quæſt. V. *Quæ eſt cauſſa impulſiua reprobationis externæ?*

*Cauſſa impulſiua reprobat. externa.* Cauſſa impulſiua reprobationis externa ſunt omnia hominum peccata a), quatenus cum perſeuerante incredulitate, ſiue finali meriti Chriſti repudio, ſunt coniuncta b).

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. Reprobationis cauſſa impulſiua ſunt omnia peccata: 1) *peccatum originale.* Nam omnis *peccati ſtipendium mors eſt.* Rom. VI, 23. At vitium originis vere eſt peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem his, qui non renaſcuntur per baptiſmum & Spiritum ſanctum, teſte *Auguſt. Confeſſ. artic. II.* E. Peccatum originis eſt cauſſa reprobationis. 2) *Peccata actualia*, inprimis *peccata proæretica*, quibus gratia Spiritus S. excutitur, veraque fides exſtinguitur. Quod propter eiusmodi peccata homo in iudicium reprobationis incidat, docet Paullus Gal. V, 19. 20. 21. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt: adulterium, ſcortatio, immunditia, proteruia, idololatria, magia, inimicitiæ, contentiones, zeli, iræ, rixæ diſſenſionis, hæreſes, inuidiæ, cædes, ebrietates, commeſſationes, & ſimilia his; de quibus prædico vobis, ſicut etiam prædixi, quod, qui talia faciunt, regnum Dei non ſint in hæreditatem accepturi.* Quidquid hominem ab hæreditate vitæ æternæ excludit, illud eſt cauſſa impulſiua æternæ reprobationis: Atqui peccata proæretica, ſiue opera carnis &c: Ergo.

Prob. b. Quamuis quodlibet peccatum ſit cauſſa reprobationis impulſiua externa, ſeu meritoria; *remota* tamen & *mediata* tantum eſt: at *proxima* & *immediata* eiusdem cauſſa eſt *finale repudium meriti* Chriſti, ſeu impœnitentia & incredulitas vsque ad finem vitæ durans. Reliqua namque peccata, ſi interuenerit fides in Chriſtum, aboleri poſſunt, quoad reatum, ne propterea homines damnentur, ſiquidem ἐδὲν κατάκριμα, nulla condemnatio eſt in iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, Rom. VIII, 1. Actor. X, 43. Poſita autem ἀπιςία, ſiue incredulitate finali, ineuitabili neceſſitate ſequitur damnatio, docente Chriſto, Marc. XVI, 16. *Qui non crediderit condemnabitur*, & Ioann. III, 36. *Qui non credit Filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper illo.*

Obſ. Diſtinguit D. MENZERVS in *defenſ. II. part. conuerſ. Pruten. p. 80.* inter *cauſſam meritoriam & organicam*, gratiam Dei non applicantem, ſed reiectantem. Peccata mereri damnationem, ratum eſt, & ſic etiam incredulitas, tanquam peccatum contra primum præceptum meretur mortem; & in hoc ſenſu verum eſt, non ſolum incredulitatem, ſed etiam cetera peccata damnationis eſſe cauſſam, nempe *meritoriam.* Quando autem incredulitas directe opponitur fidei, tanquam cauſſæ organicæ, ſeu inſtrumento applicanti, tunc, vt tantum homo iuſtificatur fide, & nullo alio organo, remiſſionem peccatorum in euangelii promiſſione apprehendente; ſic tantum incredulitate, euangelii promiſſionem non applicante, vel repellente, damnatur, Marc XVI, 16. His gemina tradit D. DANNHAV. in *hodoſ.* Ipſe homo fortunæ ſuæ faber, ac *præuiſa eiusdem finalis ἀπιςία ſano ſenſu ſola* (non excluſis interim aliis peccatis a merito damnationis) damnat; ſicut ægrotus moritur non immediate morbi lethalis vitio, ſed medicinæ repulſa.

Quæſt. VI. *Quodnam eſt principium dirigens, ſeu normans reprobationis?*

Principium *normans* reprobationis *primum & mediatum* eſt πρόθεσις, ſeu propoſitum diuinum generale de condemnandis peccatoribus finaliter impœnitentibus & incredulis a). Principium dirigens proximum eſt πρόγνωσις, ſeu præviſio incredulitatis finalis in certis indiuiduis b).

Prob. a. Propoſitum, ſeu decretum Dei generale elucescit e verbis Chriſti: *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. XVI, 16.

Prob. b. Sicut renati electi ſunt κατὰ πρόγνωσιν, ſecundum prænotionem finalis in Chriſtum fidei, 1 Petr. I, 2: ita irregeniti reprobati ſunt ſecundum præſcientiam incredulitatis perſeuerantis, qua ſatisfactio Chriſti pertinaciter reiicitur.



Digitized by Google

Quæſt. VII. *In quo formaliter conſiſtit reprobatio?*

*Forma reprobationis.*

Reprobatio *formaliter* conſiſtit in excluſione ab hæreditate æternæ ſalutis, & adiudicatione æternæ pœnæ, ſecundum propoſitum & præſcientiam Dei.

Probatur aſſertio noſtra a poſteriori, & quidem a proceſſu iudicii extremi. Dicit enim Chriſtus iudex cœleſtis iis, qui a ſiniſtris (reprobis): *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, paratum diabolo, & angelis eius!* Matth. XXV, 41. Qui a Chriſto æternum diſcedunt, excluſi ſunt regno gloriæ, & qui ibunt in ignem æternum, addicti erunt æternæ pœnæ. Quam ob rem ſicut Chriſtus iudicium condemnationis in die nouiſſimo exſequetur; ita peccatores contumaces iudicare ab æterno decreuit, ob *συμφωνίαν* decreti & exſecutionis.

Obſ. Facilioris doctrinæ & cognitionis cauſſa, infirmus noſter intellectus ſequentem concipit & format ſyllogiſmum reprobatorium:

Quicunque peccatores finali incredulitate meritum Chriſti reiecturi ſunt, illi ab hereditate æternæ ſalutis excluſi & æternæ pœnæ addicti ſunto.

Atqui hic, ille, iſte, Cain, Iudas &c. finali incredulitate meritum Chriſti ſunt reiecturi.

Ergo hic, ille, iſte, Cain, Iudas &c. ab hereditate æternæ ſalutis excluſi, & æternæ pœnæ addicti ſunto.

Maior propoſitio eſt ipſa *πρόθεσις*, ſeu propoſitum diuinum de condemnandis peccatoribus impœnitentibus, meritum Chriſti vsque ad finem vitæ reiicientibus. Minorem format *πρόγνωσις*, ſeu præſcientia diuina, qua Deus ab æterno præuidit, quinam homines in indiuiduo ſatisfactionem Chriſti pertinaciter ſint repudiaturi. Concluſio exhibet *τὴν ἀποδοκιμασίαν*, ſiue æternum reprobationis decretum.

Quæſt. VIII. *Quinam ſunt homines æternum reprobati?*

*Subiectum reprobationis.*

Homines, ab æterna gloria ad æternam ignominiam reiecti, ſunt *peccatores contumaces*, impœnitentes, & *vsque ad nouiſſimum vitæ halitum meritum Chriſti repudiantes*.

Prob. In peccatoribus enim impœnitentibus locum habet ratio impulſiua æternæ reprobationis, ſcil. *finale* repudium meriti Chriſti, quo ipſo iram Dei ſibi accerſunt, Ioann. III, 36. atque dicuntur *vaſa iræ*, i. e. homines, qui iram Dei non leuibus, & qualibuscunque, ſed atrocibus peccatis & ſceleribus ſuis, atque adeo abuſu diuitiarum bonitatis & patientiæ diuinæ, ſibi ipſis in diem iudicii cumularunt, & quaſi collegerunt. Dicuntur hæc vaſa iræ aptata eſſe in interitum. Græce *κατηρτισμένα*, apparata, perfecta & conſummata, adeoque matura ad interitum, quia ſua culpa, obſtinatione & voluntaria induratione in peccatis, & perſeuerantia atque impœnitentia finali in iisdem, ſeipſos dignos effecerunt exitio æterno. Quo ſenſu verbum *καταρτίζειν* & *καταρτίζεσθαι* & *κατηρτισμένος* accipitur. Luc. VI, 40. 1 Cor. I, 10. Eph. IV, 12. 2 Tim. III, 7. Vid. D. HOLTZFVSSEN *diſſertat. prædeſt. p. 155.*

Quæſt. IX. *Quis eſt finis reprobationis?*

*Finis reprobationis.*

*Finis* reprobationis eſt *peccatorum pœna* a), & *iuſtitiæ diuinæ vindicatiuæ gloria* b).

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. Eo fine enim impii ob præuiſam finalem impœnitentiam decreto reprobationis deſtinati ſunt ad pœnam, vt hæc in tempore illis infligatur. *Abibunt reprobi in pœnam æternam*, inquit Chriſtus, Matth. XXV, 46.

Prob. b. Docet Paullus Rom. IX, 22. *Quod Deus, cum voluit demonſtrare iram, & notam facere potentiam ſuam, tulerit cum multa longanimitate vaſa iræ apparata ad interitum.* Nimirum præuidit Deus, quod homines impii propria culpa ſe ſint paraturi ad interitum; ideo decreuit, eosdem, longanimitate diuina abuſos, reiicere, vt oſtenderet iram ſuam, i. e. iuſtitiam vindicatiuam.

Quæſt. X. *Eſtne decretum reprobationis immutabile?*

Decretum reprobationis eſt *irreuocabile*, & *immutabile*, immutabilitate non abſoluta, ſed hypothetica.

Prob. Qui reiecti ſunt a participatione æternæ ſalutis, intuitu infidelitatis finalis præuiſæ, illi ſicut per gratiam vocationis & regenerationis poterant credere finaliter in Chriſtum; ita poterant non reprobari, ſed ſaluari. Quando autem tanquam finaliter impœnitentes præuiſi, & ſic reprobati ſunt; ſicut non poſſunt eſſe ſimul infideles finaliter, & non infideles finaliter; ita cum reprobati ſunt, neceſſitate hypothetica non poſſunt eſſe non-reprobati.

Quæſt. XI. *Poſſuntne reprobi eſſe in ſtatu regenerationis?*

Reprobi *ad tempus* poſſunt eſſe *in ſtatu vere renatorum.*

Prob. ex Luc. VIII, 13. *Qui ſuper petra ſunt, qui quando audiuerint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum; ſed radicem non habent,* (tanquam) *qui ad tempus credunt, verum in tempore tentationis deficiunt.* Qui ad tempus credunt, ad tempus ſunt in ſtatu regenerationis. Perſeuerantia fidei eſſentiam non ingreditur, ſed comitatur.

Quæſt. XII. *An Deus quosdam homines abſoluto decreto, citra reſpectum peccatorum & incredulitatis, damnationi æternæ adiudicauit?*

Deus *nullum* hominem ex *abſoluto* liberrimeque præconcepto odio, citra omnem cauſſæ impulſiuæ reſpectum, ab hereditate vitæ æternæ excluſit, æternoque addicere exitio decreuit, ſed ad reprobandum ab æterna gloria homines, præfracte impios, Deum mouerunt peccata ipſorum, cum finali incredulitate coniuncta.

Obſ. BELLARMINVS, abſoluti decreti patronus, lib. II. de *gratia & libero arbitrio, cap. XVI.* diſtinguit inter *actum reprobationis negatiuum, & affirmatiuum, ſeu poſitiuum. Ille* eſt quo Deus pro liberrimo beneplacito quorundam non vult miſereri, neque eos ſaluare: vocatur alias *decretum præteritionis: hic* eſt, quo Deus peccatores contumaces, quos oblatam vocationis, regenerationis, & iuſtificationis gratiam perſeueranter aſpernaturos eſſe præuidit, æternis pœnis afficere conſtituit: dicitur etiam *decretum prædamnationis.* Statuit igitur BELLARMINVS, & omnes, qui cum ipſo faciunt, decretum prædamnationis omnino ſupponere peccatum in homine, cum in Deo iuſtiſſimo non poſſit dari voluntas puniendi, niſi peccatores, nec pœnæ deſtinatio, vel inflictio, iuſta eſſe queat ſine culpa. Vid. Gen. XIIX, 25. Probandum igitur nobis eſt contra Bellarminum, eiusque aſſeclas, quod Deus æterno præteritionis decreto nullum hominem abſolute & citra reſpectum culpæ, in homine præuiſæ, a gratia & gloria excluſerit.

Prob.

Digitized by Google

Prob. 1) Quia accurate loquendo actus *negatiuus* & *poſitiuus* reprobationis eſt reuera vnus actus, nec differunt, niſi ſolo nomine. Quod patet a) exemplis. Pharao & Iudas eo ipſo actu, quo præteriti & non electi ſunt, prædamnati ſunt. b) Liquet ex oppoſito. Sicut electio eſt prædeſtinatio ad ſalutem; ita præteritio eſt prædamnatio. Cum igitur decretum *præteritionis*, & *prædamnationis* ſit vnum idemque, diuerſæ cauſſæ eidem aſſignari nequeunt.

2) Perinde eſt, ſiue Deus deſtinet hominem ad damnationem, ſiue id faciat, ex quo damnatio neceſſario ſequatur. Quemcunque Deus non eligit, ſiue omiſſus dicatur, ſiue reprobatus, ſemper eſt excluſus a gratia Dei. Hanc excluſionem certa damnatio ſequitur, quia ſine gratia Dei non eſt ſalus. Ex quo colligimus, vnam eſſe cauſſam præteritionis & prædamnationis.

3) Deus non præterit, aut deſerit hominem, niſi prius ab eo deſeratur: Ergo Deus abſoluto decreto nullum hominem deſerit. *Conſequentia* eſt euidens; quia qui aliquem præterit, ideo, quod ab illo deſertus eſt, non ex abſoluta voluntate, aut mero beneplacito ipſum præterit, ſed graui motus cauſſa eundem fauore ſuo excludit. *Antecedens* confirmatur ex plurimis ſcripturæ dictis, 1 Sam. XV, 23. *Propterea, quod repudiaſti verbum Iehouæ, ideo repudiauit te.* Pſ. LXXXI, 12. 13. *Non obediuit populus voci meæ, & Iſraël non acquieuit mihi. Ideo dimiſi eum in duritie cordis eorum, vt irent in conſiliis ſuis.* 1 Chron. XXIIX, 19. *Si deſerueris illum, derelinquet te perpetuum.* Hoſ. IV, 6. *Quia tu ſcientiam repudiaſti & repudiabo te.*

4) Decretum *præteritionis*, quod fingitur, repugnat gratiæ Dei, merito Chriſti, & vocationi vniuerſali. Qui omnium miſeretur, nullum miſericordia ſua abſolute excludit: Atqui Deus &c. Rom. XI, 32. E. Pro quibus Chriſtus ex amore incomparabili mortuus eſt, illos ſine grauiſſima cauſſa in eligendo non præteriuit: Atqui pro omnibus &c. 2 Cor. V, 14. E. Cui euangelium prædicandum eſt, illum Deus abſoluto decreto non præteriuit. Atqui omni creaturæ rationali &c. Marc. XVI, 15. Ergo.

Argumenta BELLARMINI potiora ſunt *):

I. Quicunque Iacobum dilexit, & Eſauum odio proſecutus eſt, priusquam quidquam boni, aut mali fecerunt; is Eſauum decreto abſoluto præteriuit: Atqui Deus &c. Rom. IX, 11. 12. 13. Ergo. Reſp. Huic argumento ſatisfecimus cap. præced. qu. VII. obi. III.

II. Quicunque miſeretur, quorum vult miſereri, & indurat, quos vult indurare, ille hominem, quem indurat, voluntate abſoluta excludit gratia ſua: Atqui Deus &c. Rom. IX, 18. Reſp. Vid. l. c. obi. II.

III. Deus comparatur cum figulo, qui habet abſolutam poteſtatem, vt ex eadem maſſa faciat vaſa, vnum quidem in honorem, alterum vero in ignominiam, Rom. IX, 21. Ergo Deus abſoluta poteſtate quosdam homines ad æternam gloriam, quosdam ad æternam ignominiam creauit. Reſp. Vide l. c. obi. V.

IV. Deus Pharaonem hominem induratum excitauit, vt in ipſo demonſtraret potentiam ſuam. Rom. XI, 7. Ergo Deus abſoluto decreto eum creauit ad indurationem & perditionem. Reſp. Verba Paulli ſumta ſunt ex Exod. IX, 15. 16. vbi Deus Pharaonem per Moſen ita compellat. *Propter hoc* הֶעֱמַדְתִּיךָ *ſtare feci te, vt oſtendam tibi virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in omni terra.* Obſ. a) Non dicit Deus: *creaui te;* ſed: *ſtare feci*

*) Eſt hæc ſententia *Reformatorum* communis, tametſi alii aliter eam proferre ſint ſoliti, a quibus prope abſunt, qui inter *Romano-Catholicos* IANSENII partibus ſunt addicti. Et his illi argumentis pugnare conſueuerunt.

Digitized by Google

*feci te*, i. e. *conſeruaui* te, ac quaſi ſub ictu poſitum te iam labantem ἐξήγειρα, erexi. Sic verbum ἐγείρω, in ſignificatione erigendi ex morbo, legitur Iacob. V, 15. Oratio fidei ſervabit laborantem, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, & eriget ipſum dominus. b) Non dicit Deus: *Erexi te*, vel *ſtare te feci*, *vt te indurarem*, ſed vt *in te demonſtrarem potentiam meam*, *& vt annuntietur nomen meum in omni terra*, q. d. vt omnes homines vna cum te potentiam meam agnoſcant, coram ea ſe humilient, & peccatorum ſuorum pœnitentiam agant, atque adeo nomen meum celebrent. Si Deus abſoluto decreto Pharaonem reprobaſſet ad æternum exitium, vtique non oſtendiſſet illi potentiam ſuam eum in finem, vt coram illa humiliaretur & pœnitentiam ageret. Conf. D. SEB. SCHMIDII *colleg. bibl. prius p. 350.*

V. Si Deus propter peccata homines reprobaret, vtique omnes homines reprobaret: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur; quia omnes homines ſunt peccatores. Rom. III, 23. Reſp. Deus homines impios reprobat propter peccata, quatenus cum *finali* ἀπιστίᾳ ſunt coniuncta. At non omnes homines vsque ad finem vitæ ſunt infideles. E. Deus non omnes reprobat.

Inſtantia: Sed omnes homines lapſi natura ſunt increduli. Concluſit enim Deus omnes in incredulitatem. Rom. IX, 32. E. omnes homines ſunt reprobati. Reſp. Diſt. *inter incredulitatem connatam & aſcititiam.* Non propter illam, ſed propter hanc Deus quoſdam homines ab æterna ſalute reiecit.

VI. *Deus impium fecit ad diem malum propter ſeipſum.* Prou. XVI, 4. Ergo abſoluta voluntate eundem reprobauit. Reſp. In fonte hebræo verba ~~citata~~ ſic fluunt: omnia fecit Iehouah, vt ſibi reſpondeant: quin etiam malum, in diem mali. Nimirum fecit Deus omnia, vt ſibi inuicem reſpondeant, & ordinem harmonicum obſeruent, atque adeo pro ratione decreti iuſtiſſimi malo culpæ permiſſio reſpondeat malum pœnæ immiſſum. Ex quo colligitur *non* decretum *abſolutum*, ſed *reſpectiuum.*

Quæſt. XIII. *Quem vſum nobis confert doctrina de prædeſtinatione & reprobatione?*

Doctrina de prædeſtinatione & reprobatione, S. ſcripturæ conſona, ad amorem Dei, verbi diuini & ſacramentorum nos allicit a), a cupiditatibus autem carnis nos auocat b). Solatur etiam electos in omnibus aduerſitatibus c). *Vſus practici.*

Prob. a. E decreto prædeſtinationis cognoſcimus immenſam erga nos bonitatem Dei, qui circa noſtram ſalutem, cum nondum eſſemus, occupatus fuit, eaque ordinauit media, e quibus conſtantem in Chriſtum fidem per gratiam Spiritus S. concipere nobis datum eſt. Ardeat igitur anima noſtra amore Dei, aſſidue meditetur verbum diuinum, ſacramentorum vſu ſe corroboret & ſuſtentet.

Prob. b. Electi cum Paullo ſubigunt corpus ſuum, & ſeruum faciunt, vt teſtatum faciant, ſe non eſſe e numero reproborum. 1 Cor. IX, 27.

Prob. c. Electi Chriſto, paſtori & epiſcopo animarum fidelium, ſunt curæ cordique. Ne infernalis quidem lupus has oues e manibus magni illius paſtoris rapiet.

## *SVSPIRIVM.*

Quotieſcunque, o dulciſſime Ieſu, ſublime prædeſtinationis myſterium non tam rimor, quam miror, toties oculos mentis meæ defigo in vulnera tua, e quibus prædeſtinatio effulget. Tu fuſo ſanguine tuo conciliaſti mihi Deum, peccatis meis offenſum, vt paterno me amore complecteretur. Complector igitur te, electionis petram & fundamentum. Tibi adhæreo & innitor vera ſinceraque fide, nunquam a te auellendus. Nam miſer ego, in peccata plurima prolapſus, per te ſum erectus, per te electus, per te ſaluatus. Hoc eſt, quod ſupplex precor, mi Ieſu, vt fidem meam, in merito tuo defixam, firmes, luctantem ſuſtentes, triumphantem corones, vt ſim tuus in regno gratiæ, tuus in regno gloriæ!



Digitized by Google

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT III.

# DE FRATERNA CHRISTI REDEMTIONE,

## TANQVAM ALTERO SALVTIS PRINCIPIO.

MEMBRVM I.

## DE NOMINIBVS, NATVRIS ET PERSONA CHRISTI.

Quæſt. I. *Quis eſt redemtor generis humani?*

Redemtor generis humani eſt *Ieſus Chriſtus.*

Quæſt. II. *Quis eſt Ieſus Chriſtus?*

Ieſus Chriſtus eſt *verus Deus*, ex ſubſtantia patris ab æterno genitus, & *verus homo*, ex Maria virgine in plenitudine temporis natus, vnicus totius generis humani, in peccatum prolapſi, redemtor.

Quæſt. III. *Quare redemtor noſter vocatur Ieſus* *)?

*Ieſus*; *Ieſus*, h. e. *Saluator*, dictus eſt ab angelo: *quia ipſe populum ſuum ſaluaturus erat a peccatis eorum.*

Obſ.

*) *Nomina* Chriſti, ſi grammaticam *verborum* vſurpationem ſpectes, apte diuiſit b. GERHARDVS, in *loc. Theol.* T. I. loc. IV. c. 8. §. 25. ſeqq. in *propria*, & *figurata*, ad quæ proxime accedunt *typica*. Quod ſi autem *rem* ipſam conſideres, diſtribuenda ſunt in *tria genera*. Quum enim *nomen* ſit ſignum, quo res quædam ab aliis discernitur, nec ſit dubium, quin omnino ſint *tria* Liberatoris noſtri *propria*, quibus ipſe vnus ab aliis omnibus diſtingui queat, nimirum 1) *perſona* vna, quæ ex *duabus naturis* conſtat, 2) *duplex ſtatus*, 3) *triplex officium*: efficitur, vt *tripartita* non poſſit non eſſe *diuiſio nominum*, quæ Chriſto ſunt tributa. Numerando percenſebo ſingula, & quum ſpatii anguſtia me prohibeat, quo minus ea, pro rei dignitate, explicem, breuiter percurram eo, quo decet, ordine.

I. Nomina PERSONAE alia quidem ſunt *generalia*, quæ *vtramque naturam* exprimunt: 1) *Immanuel*, id quod intelligimus idem eſſe, ac θεάνθρωπος. Etenim α) hoc nomen *Chriſto ſoli* datum eſt, nec Patri, nec Spiritui S. Neceſſe eſt igitur, rationem aliquam eſſe plane ſingularem, & *Chriſti propriam*: β) Significatio huiusce nominis indicat arctiſſimam quamdam *Dei* coniunctionem cum *hominibus ſolis*, & cum nulla alia rerum creatarum, ac ne ipſis quidem angelis. Ergo etiam neceſſe eſt, vt *ſingularis* quædam *humani generis* excellentia ſignificetur. Atqui nullus cogitari poteſt modus, quo *Chriſtus*, & is quidem *ſolus*, adpellari poſſit *Deus* cum *hominibus*, & *ſolis* quidem illis, conſociatus, niſi *coniunctio diuinæ* cum *humana natura*, & *talis* quidem coniunctio, qualis nec Patri, nec Spiritui S. ſed *vni Chriſto* conuenit, atque etiam ad *homines ſolos* pertinet. Proinde *Immanuel* denotat *perſonam* illam *diuinam*, quæ *naturam* adſumſit *humanam*, qua ratione Chriſtum non pudet, nos adpellare fratres ſuos, non item angelos, Hebr. II, 11. 14. 16. E. hoc nomen eamdem obtinet vim, ac θεάνθρωπος. E. nomen iſtud, θεάνθρωπος, non eſt dumtaxat eccleſiaſticum, neque hominum ingenio fictum. 2) *Mediator*, 1 Tim. II, 5. quod, quamquam officium Chriſti denotat, ſimul tamen indicat ſubiectum, quando quidem μεσίτου partibus ipſe functus eſt ſecundum vtramque naturam, *humanam* quidem, peragendo ac perferendo; *diuinam* autem, actionibus ſuis ac malorum perpeſſionibus infinitum pretium tribuendo, Act. XX, 28. Hebr. IX, 12. 3) *Pulcherrimus hominum*, Pſ. XLV, 3. vbi in fontibus exſtat forma mixta & compoſita ex Kal, & Püal,

Digitized by Google

Obſ. I. Nomen Ιησȣ̃ς tum in paraphraſi ſyriaca, tum in euangelio Matthæi hebraico exprimitur per ישוע, quæ vox hebræa etiam legitur Nehem. XII, 10. & deſcendit a rad.



Püal, qua ratione deſignatur duplex natura, vna, qua pulcher *eſt*, altera, qua pulcher *factus eſt*. Alia vero ſunt *ſpecialia*, quæ *alterutram* notant *naturam*.

א) Nomina *diuinæ naturæ*. Horum alia Chriſto conueniunt, vt *Deo*, quibus ipſe quidem ab omnibus rebus creatis diſcernitur, quæ tamen ipſe communia habet cum Patre & Spiritu Sancto; alia ſunt eiusmodi, quæ Chriſti, quatenus eſt æternus *Dei Filius*, ex Patre generatus, ita ſunt propria, vt illis ipſe non ſolum a tota rerum creatarum vniuerſitate, verum etiam a Patre & Spiritu S. diſtinguatur. A). *Dei* propria nomina hæc ſunt: 1) יהוה, & quidem in caſu recto (vt Theologi loquuntur,) Ex. III, 7. vbi יהוה dicitur is idem, qui paullo ante, v. 2. adpellatus fuerat מלאך יהוה. Pſ. CII, 13. quod dictum de Chriſto eſſe intelligendum, de eo certiores nos facit Legatus Chriſti, Hebr. I, 10-12. add. v. 8. Ieſ. XLV, 24. 25. coll. cum Rom. XIV. 10. 11. Ita nimirum Apoſtolus effatum illud diſerte de Chriſto interpretatur. Cum illo congruit etiam hoc, Apoc. I. 8. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, id quod eſt ipſum nomen יהוה, græce redditum. Nam י eſt nota futuri, ἐρχόμενος, ו eſt indicium participii, quod præſentiam denotat, ὁ ὢν, הָיָה eſt præteritum, ὁ ἦν. Itaque יהוה ſignificat immutabilem naturam, quod Deus ſit ſemper idem. 2) יהוה צבאות, Ieſ. VI, 3. add. v. 8. 9. 10. & Ioann. XII, 41. 3) יהוה אלוהיכם, Ex. III, 2. 6. 4) אלהי ישראל, ſiue, quod omnino idem valet, אלהי אברהם אלהי יצחק אלהי יעקב, ibid. coll. Luc. I, 16. 17. is enim ita vocatur, qui prænuntio vtebatur Ioanne, is vero haud dubie eſt Chriſtus, add. v. 43. 76. 5) יהוה צדקנו, Ierem. XXIII, 6. 6) Varia nomina, quæ Deum profecto vnum decent, cumulatius aucta arcteque copulata cernimus Ieſ. IX, 6. 7) Θεὸς, etiam ὁ Θεὸς, quod valet tamquam argumentum κατ' ἄνθρωπον, propter regulam, tametſi falſam, quam SOCINVS excogitauit. Hebr. I, 8. & 9. quo nullum eſſe poteſt euidentius teſtimonium. Col. II, 2. vbi geminata vocula, καὶ, indicio eſt, nomen hoc ὁ Θεὸς, ad vtrumque pariter, tam ad Chriſtum, quam ad Patrem pertinere. Ioann. I, 1. XX, 28. Act. XX, 28. Maxime autem notabile eſt *quintuplex* additamentum, vnum enim quodque *ſummam* demonſtrat *diuinitatem*. Ita nimirum Chriſtus adpellatur α) Θεὸς ὁ ἀληθινὸς, 1 Ioann. V, 20. β) Ὁ μέγας Θεὸς, Tit. II, 13. γ) Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, εὐλογητὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας, Rom. IX, 5. Quidquid contra audeant dicere, ſiue Ariani, ſiue Photiniani, quibus cum conſentit SOCINI ſchola, hoc certe luce clarius eſt, quod ea ipſa deſcriptio ac laudatio Chriſto tribuatur. Dicitur ipſe, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων; etiam in ſtatu humillimo, quin immo ante, quam carne indutus eſſet, Ioann. III, 31. Prædicatur idem, ὁ εὐλογητὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας, & quidem non minus, quam Pater, cumulatis quoque verbis, ad deſignandum ſummum venerationis gradum, Apoc. V, 13. δ) Ὁ Θεὸς τῶν ἁγίων προφητῶν, Apoc. XXII, 6. id vero ad Chriſtum pertinere, luculenter adparet ex v. 16. ε) Ὁ Θεὸς τȣ̃ Ισραὴλ, Luc. I, 16. 17. 8) Κύριος, quod græcum nomen, quoad quidem diuinitatem ſummam ſignificat, haud dubie reſpondet hebraicis, יהוה & אדני, quodam autem modo referri debet ad ſtatum glorioſum humanæ naturæ, vt plane adparebit ex iis, quæ deinceps proferam. B). *Filii Dei* nomina hæc ſunt præcipua: 1) בן, Pſ. II, 7. Ieſ. IX, 5. quo in loco diſtinctis vocibus ac loquutionibus diuerſæ in Chriſto naturæ prænuntiantur, PAVLLO interprete, Gal. IV, 4. ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτȣ̃, hoc eſt, בן נתן־לנו, γενόμενον ἐκ γυναικὸς, hoc eſt, ילד ילד־לנו. 2) צמח יהוה, Ieſ. IV, 2. Zach. III, 8. VI, 12. Nitimur hac argumentatione: Quo ſenſu Chriſtus dicitur צמח דויד, quod ad humanam eius naturam attinet, ſcilicet *Filius Dauidis*, eadem ſententia vocatur, צמח יהוה, quantum ad diuinam naturam, quippe *Filius Dei*. 3) υἱὸς τȣ̃ Θεȣ̃, & quidem ὁ μονογενής. (vid. adnotata ad pag. 308.) 4) λόγος, qui fuit πρὸς τὸν Θεὸν, & quidem ante, quam σὰρξ ἐγένετο, Ioann. I, 2. & 14.

ב) Nomina *humanæ naturæ;* quorum alia quidem *generatim* ad rem ipſam ſpectant, alia vero *ſpeciatim* ad varias res circumſtantes pertinent. A). *Generalia* ſunt: 1) זרע האשה, Gen. III, 15. Hanc enim illuſtrem vaticinationem nihil eſſe aliud, quam πρωτευαγγέλιον de Chriſto, tum ex hoc ipſo loco atque ex vniuerſa verborum ſerie, tum vero ex locis parallelis abunde conſtat. 2) ἄνθρωπος, 1 Tim. II, 5. atque etiam 3) quod multo & vſitatius eſt, & ſignifi-

Digitized by Google

hebræa, ישע, quæ quidem in Kal minus vſitata eſt, in Hiphil autem הושיע, *ſaluauit*, frequentiſſime abhibetur; vnde originem ducit ישע, ſalus; adeoque Ἰησȣ̃ς eſt *Saluator*. Vox hæc

ſignificantius dictum, ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ. Inquirendum nunc erit in veram ac ſufficientem huiusce nominis rationem. Haud equidem abnuo, ſi dixeris eo deſignari α) *veritatem* humanæ in Chriſto naturæ, β) *originem* eiusdem ex matris ſemine, γ) *amorem* ipſius ardentiſſimum erga hominum genus, δ) *præſtantiam* excellentiamque, quam ob rem ipſe vnus præ cæteris nuncupatur ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ. Pſ. XLV, 3. Sed dabis mihi etiam hoc: vniuerſas illas rationes non ſufficere, niſi adiunxeris ε) *ſtatum miſeriæ*, quod nimirum Chriſtus, donec in terra verſabatur, humanæ naturæ infirmitates omnes fuerit expertus, & vice quidem omnium hominum. Hanc eſſe præcipuam huius nominis rationem, perſpicuis confirmabo argumentis: a) *Vſu* huius nominis; id nimirum vſurpatur ſæpe numero ante glorioſam Chriſti mutationem, ab eo tempore nunquam (pauca ſi exceperis loca, Act. VII, 56. vbi cauſa hæc ſubeſt, quoniam Chriſtus forma humana ſe Stephano conſpiciendum præbuit, itemque Apocal. I, 13. XIV, 14.) Itaque Chriſtus poſt, quam ipſe ad dextram Patris conſedit, nusquam adpellatur Filius hominis, vbique ſplendidis ornatur titulis, qui ſummæ ipſius dignitati conueniunt, cuiusmodi ſunt: Dominus, Rex Regum. Ecquid vero? An deſiit eſſe *verus* homo, ex virgine *ortus?* Num *amor* ipſius in homines imminutus fuit, aut plane exſtinctus? Detractum ne fuit quidquam de *præſtantia* humanæ, qua gaudet, naturæ? Nihil profecto minus. Vides igitur, omnes illas rationes non eſſe ſat idoneas, ſed hanc eſſe principalem: quod nomen illud rectiſſime adcommodatum eſſet ad *ſtatum humilitatis*, in quo nimirum Chriſtus humanam non ſolum naturam, ſed & calamitatem vniuerſam, ac vicariam pertulit. Omne enim nomen, quo magis illud ſtatui alicuius conueniens eſt, eo eſt aptius. b) *Coniunctione* huiusce nominis cum variis *deſcriptionibus*, quæ ſunt humillimæ conditionis documenta, v gr Matth. VIII, 20. Luc. XVIII, 31. 32. 33. c) Alio *nomine*, huic *ſimillimo*, quando quidem non ipſa Chriſti humanitas, ſed eius humilitas indicatur nomine *dierum carnis*, Hebr. V, 7. d) *Vaticinationibus*, & vtriusque quidem generis, partim *literalibus* (inter quas eminet luculentiſſimum illud vaticinium, Pſ. VIII. in quo ſtatus Chriſti vterque prædicitur, & ita quidem, vt diſtincta etiam nomina adhibeantur; *filius hominis*, quantum ad conditionem *miſerrimam*, v. 5. deinde *Dominus*, quod ad ſtatum *glorioſiſſimum* attinet, v. 7. & 10. add. Phil. II, 9. 11.); partim *typicis* (ſunt enim nomina quædam typica, quem ad modum Ezechiel fere toties adpellatur בן־אדם, quoties Chriſtus in monumentis ſacris eodem nomine nuncupatur. Id vero ob eam ipſam cauſam, quod ille vates diuinus multo magis, quam alius quiſpiam, ærumnoſam vitam ac miſeriarum plenam tranſegit; & norunt omnes hebraice docti, conſuetudinem ſanctæ linguæ ita ferre, vt homines miſeri, atque infimi cenſus nominentur בני אדם, quibus opponuntur בני איש, viri nobiles ac fortunati, vt Pſ. XLIX. 3) *Conſectarium:* E. nomen hoc, *filius hominis*, non tam ad *naturam* Chriſti *humanam*, quam potius ad *ſtatum* eius *calamitoſum* pertinet. B. *Specialia* ſunt 1) *Gentis:* σπέρμα τȣ̃ Ἀβραὰμ Gal. III, 16. 2) *Tribus:* ὁ λέων ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰȣ́δα, quod quidem nomen partim *ſtatus* glorioſi eſt, quatenus dicitur *leo*, qui victoriam reportauit, partim *nationis*, quando quidem dicitur ex *tribu Iuda* exortus. 3) *Familiæ*: צמח דויד, Ierem. XXIII, 5) ὁ υἱὸς τȣ̃ Δαβίδ, Matth. XV, 22. XXII. 42. ἡ ῥίζα Δαβίδ, Apoc. V, 5. conf. cum Ieſ. XI, 1. 4) *Loci educationis*: Ναζωραῖος, Matth. II, 23.

II. Nomina STATVS. א) *Generale*, quod ad *vtramque* pertinet conditionem, eſt ἀμνὸς τȣ̃ Θεȣ̃, Ioann. I, 29. Et ita ſæpius. Ratio præcipua, quare Chriſtus cum agno comparatur, ſita eſt in eo? quod ſemet Deo victimam obtulit. Origo enim huius nominis arceſſenda eſt a typo agnorum, qui ætate V. T. ad ſacrificium, in primisque ad holocauſtum, erant deſtinati, & quos oportebat integros eſſe, ſine vlla labe & macula; præſertim vero a typo agni paſchalis 1 Cor. V, 7. Ad hunc agnum etiam Ioannem reſpexiſſe, adparet ex eo: quod verbum hoc ex ore ipſius exiit non, vt viri quidem doctiſſimi arbitrantur, prope diem feſtum expiationis, ſed inſtante paſcha. Compara, quæſo, Ioann. I, 29 cum v. 35. 43. & II, 1. 12. 13. Senſum vero huiusce nominis, vſumque, vt penitius perſpiciamus, efficient duo principia, totidemque conſectaria. *Princip.* 1. Sacrificium, a Chriſto peractum, ſpectat quidem

Digitized by Google

hæc latina quibusdam videtur a temporibus Tertulliani in latium introducta; at obſeruauit BORRICHIVS eandem iam tum ſæculo Traiani viguiſſe. Vide CELLARII *latinit. reſtit. p. 89.*

Nnn n3 Græcis

dem ad *ſtatum* ipſius *calamitoſum*, quod ad ipſam actionem attinet, ſimul tamen ad *officium*, Chriſto mandatum, quantum ad vim ac dignitatem. *Conſect.* E. ἀμνὸς τȣ͂ Θεȣ͂ eſt nomen tum *ſtatus*, tum *officii.* Idcirco dicitur *agnus*, quoniam mactatus fuit, ac ſacrificatus (hoc ad *ſtatum* miſeriæ pertinet). Ita vero dicitur cum inſigni hoc additamento: agnus *Dei*, quatenus fuit a Deo ad ſacrificium deſtinatus, Deoque probatus (id quod *officio* Chriſti vtique tribuendum eſt). *Princip. 2.* Hoſtia, quam Chriſtus immolauit, ſi ipſam ſacrificantis *actionem* conſideres, conſummata fuit eo tempore, quo Chriſtus animam efflauit, Hebr. VII, 27. IX, 28. Io XIX, 30.; *effectus* autem ſalutaris continuatur ſemper & permanet perpetuus in omnem æternitatem, Hebr. IX, 12. X, 14. *Conſect.* E nomen hoc, ἀμνὸς τȣ͂ Θεȣ͂, diuerſa ratione ad *vtrumque* Chriſti *ſtatum* debet referri; *formaliter* quidem, vt ita dicam, ad *ſtatum humilem*, at enim vero *effectiue* ad *ſtatum eminentem.* Apocal. V, 6. 9. 12. 13. ב) *Specialia* ſunt partim *ſtatus calamitoſi*, vt υἱὸς τȣ͂ ἀνθρώπȣ, de quo dictum eſt paullo ante; partim *ſtatus glorioſi* : 1) δεσπότης, iure emtionis, 2 Pet. I, 2. 2) λέων ὁ νικῶν, Apoc. V, 5. 3) κύριος. Hoc autem nomen, diuerſa ratione conſiderandum, modo ad diuinam Chriſti naturam pertinet, modo ad ſtatum ſummæ dignitatis, ad quam ipſe ſecundum humanam naturam adſcendit. Sciſcam leges quasdam hermeneuticas. Tunc illud eſt nomen *naturæ* in Chriſto *diuinæ*, cum α) Chriſto tribuitur *ante, quam gloria* cœleſti exornata fuit humana eius natura, e. g. Luc. II, 11. Matth. XVI, 22. quicum conferenda eſt iſta confeſſio, v. 16. ὁ υἱὸς τȣ͂ Θεȣ͂ ζῶντος, immo *ante, quam humana natura adſumta* ſe ipſe ἐκένωσεν, 1 Cor. XV, 47. β) cum coniungitur cum certiſſimis quibusdam *diuinæ naturæ indiciis*, vt Matth. XXI, 3. Marc. II, 28. IX, 24. Luc. V, 8. XVII, 5. 6. Tum vero eſt ſignum *ſtatus glorioſi*, in quo *humana* ipſius natura collocata eſt, α) cum Chriſto *ſoli* ita adſeritur, vt is eo ipſo a Patre diſcernatur, 1 Cor. VIII, 6. β) cum Chriſtus dicitur *factus* κύριος, Act. II, 36. γ) cum illud in *effectibus* mortis ac recuperatæ vitæ numeratur, Rom. XIV, 9. δ) cum mentio fit *exaltationis*, vt vulgo dicitur, Pſ. CX, 1. Phil. II, 9. 11.

III. Nomina OFFICII. Ea itidem ſunt א) *Generalia*, quæ vniuerſum, quo Chriſtus functus eſt, munus triplex ſuo ambitu continent, vt ſunt: 1) מָשִׁיחַ, græce χριστός, Ioann. I, 42. מַלְאַךְ יְהוָה, & מַלְאַךְ בְּרִית, cui finitimum eſt illud, ἀπόστολος, Hebr. III, 1. add. Io. X, 36. 3) גֹּאֵל, Gen. XLVIII. 16. Iob XIX, 25. 4) Ἰησȣ͂ς, quod nomen ratione *vſurpationis* quidem ſubiectum denotat, vt in hoc enuntiato, 1 Io. V, 1.: ὅτι Ἰησȣ͂ς ἐστὶν ὁ Χριστός, h. e. quod Ieſus Nazarenus, & nemo alius, ſit verus ille Chriſtus; ſed ratione *ſignificationis* pertinet ad officium, eiusque partes vniuerſas, vt pote quarum nulla eſt, quæ nihil conferat ad ſalutem nobis impertiendam. 5 Σωτὴρ id quod re ipſa idem eſt, ac Ἰησȣ͂ς, interprete cœleſti nuntio, Matth. I, 21. 6) ποιμήν. Hoc aptum eſt ad omnia tria Chriſti munera: α) ad *ſacerdotale*, ſi quidem mortem ipſe oppetiit pro ouibus, ſuo ſanguine coëmendis, Io. X, 11. β) ad *Propheticum*, quoniam vocem eius audiunt oues, ibid. v. 3 5. ob eamque cauſſam Chriſtus vocatur ὁ ἀρχιποιμὴν 1 Pet. V 4. eccleſiæ enim N. T. paſtores ſunt doctores, non Sacerdotes, proprie ita dicti, multoque minus imperantes, ibid. v. 3: γ) ad *Regium*, quatenus ſuas ipſe oues ab omni periculo defendit, atque ad æternam ſalutem adſpirare iubet, Io. X, 28. add. Pſ. LXXVIII. 72. ב) *ſpecialia*, quæ ſunt officii a) *Sacerdotalis*, 1) ἱερεὺς, Hebr. V, 6 VII, 17. 21. 2) ἀρχιερεὺς & quidem cum adiectione potiſſimum quadruplici: α) μέγας, nimirum intuitu ſummi Pontificis V. T. qui, tametſi ſummus eſſet, cæterisque Sacerdotibus dignitate antecelleret, Chriſto tamen longe erat inferior Hebr. IV, 14. β) κατὰ τὴν τάξιν τȣ͂ Μελχισεδὲκ, Hebr. V, 10. γ) εἰς τὸν αἰῶνα, Hebr. VII, 1. add. 23 & 25. δ) ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τȣ͂ Θεȣ͂, Hebr. VIII, 1. 3) יְהוָה צִדְקֵנוּ, Ierem. XXXIII, 16 conf cum Rom. IV, 6. 2 Cor. V, 21. 4) θυσία, itemque πάσχα quod ad primam numeris Sacerdotalis partem attinet, 1 Cor. V, 7. 5) παράκλητος, quantum ad alteram, 1 Io. II, 2. b) *Prophetici:* 1) ὁ προφήτης, vt &, προφήτης μέγας, Luc. VII, 16, Io. VI, 14. 2) διδάσκαλος, Io. III, 2. Marc. XIV, 14. 3) ἐπίσκοπος, 1 Pet. II, 2. 5. c) *Regii* מֶלֶךְ, vel מֹשֵׁל, ὁ βασιλεὺς, & quidem cum quadruplici excellentia: α) Rex *æternus*, Mich. V, 1. β) Rex *iuſtitiæ*, & γ) Rex *pacis*, Hebr. VII, 2. add Ieſ. IX, 6. mihique placet eorum ſententia, qui nomem שִׁילֹה, Gen XLIX, 10. ita interpretantur, vt ſit pacis reconciliator. δ) Rex *Regum*, Apoc. XVII, 14. XIX, 16.

Digitized by Google

Græcis dicitur σωτὴρ, quæ vox a nonnullis auctoribus latine redditur *ſeruator;* at minus plene. *Seruat* enim, qui, ne ſalus amittatur, præſtat; *ſaluat*, qui ſalutem dat. GROTIUS exponit per *ſoſpitatorem*, propterea, quod Ieſus omnis proſperitatis auctor eſt. Rationem denominationis reddit angelus, Matth. I, 21. *Ille ſaluabit populum ſuum a peccatis eorum.* Expreſſit angelus *terminum* ſaluationis *a quo*, qui eſt peccatum, omnis mali origo. Saluat igitur Chriſtus nos ab ira Dei, ab accuſatione & maledictione legis, a iudicio condemnationis, a pœna temporali & æterna. Hæc quippe cuncta e peccato, velut capite, deſcendunt. *Terminus ad quem* eſt gratia Dei, iuſtitia, vita & ſalus æterna. Dan. IX, 24.

Obſ. II. Nomen *Saluatoris* etiam Deo Patri & Spiritui S. tribui poteſt, ſi ſpectes *efficaciam & actum ſaluandi.* Deus enim *Pater* nos ſaluat, quatenus mittit Filium & propter meritum eius peccata remittit, atque ſalutem aliquando reapſe largitur: *Spiritus S.* ſaluare nos dicitur per regenerationem, fidem ſaluificam, qua meritum Chriſti nobis applicatur, in nobis accendendo. Et hoc modo etiam ipſe *Filius Dei* nos ſaluare dicitur; quia ſaluatio, vt actus ad extra, communis eſt omnibus tribus perſonis deitatis. At vero cum *Chriſtus* dicitur *Saluator*, id fit peculiari modo, nimirum ratione *meriti*, quia ſolus *Chriſtus eſt ſalutis noſtræ cauſſa meritoria.* Vnde nomen Ieſus non quocunque modo reſpectum importat ad *actum ſaluandi*, ſed ad *meritum* Chriſti, per quod ſalutem conſequimur, & Chriſtus eſt ſaluator, quatenus populum ſuum ſaluat per meritum & ſatisfactionem ſuam.

Obſ. III. Ieſus eſt Saluator non *typicus*, *corporalis & imperfectus*, quales fuere Ioſua & Hoſeas (quibus cognatum fuit nomen); ſed *proprius*, *ſpiritualis & perfectus*, quia ſaluat a peccato, omnis mali ſcaturigine. Saluat merito & efficacia; ſaluat inchoatiue in hac vita, & conſummatiue in vita futura. Eſt igitur Ieſus fons ſalutis, Eſ. XII, 3. cornu ſalutis, Luc. I, 69. auctor ſalutis æternæ, Hebr. V, 9. in quo ſolo noſtra ſalus quæritur & invenitur, Act. IV, 12. cum ſolus ſit noſter *Goël*, ſiue ex iure ſanguinis noſter redemtor.

Obſ. IV. Chriſtus eſt *Saluator omnium hominum, ratione meriti & acquiſitionis;* propterea, quod omnibus ſua paſſione & morte ſalutem promeruit: eſt autem duntaxat *credentium Saluator ratione fructus & applicationis;* quia illi ſoli per fidem participes ſalutis redduntur.

Dicis: Chriſtus dicitur נושע, *ſaluatus*, Zach. IX, 9. E. non eſt ſalutis auctor. Reſp. *Chriſtus dicitur Saluatus non meritorie, ſed efficienter*, ideo, quod ſuamet virtute diuina ab iniuriis, quibus afficiebatur, & moleſtiis, quibus in cruenta paſſione premebatur, liberatus eſt.

Quæſt. IV. *Quanti habendum eſt nomen Ieſu?*

Nomen *Ieſu* ſit nobis *ſuauiſſimum* a), *ſanctiſſimum* b), & *eminentiſſimum* c).

Prob. a. Nomen Ieſu a Spiritu S. comparatur oleo effuſo, Cant. I, 3. Eo, quod mirificas aſpirat *ſuauitates.*

Prob. b. *Sanctiſſimum* eſt nomen Ieſu; quia decreto diuino ab angelo impoſitum eſt ante conceptionem, Luc. I, 31. ante partum, Matth. I, 21. ante circumciſionem, Luc. II, 21.

Prob. c. *Eminentiſſimum* eſt nomen Ieſu; quoniam *hoc nomen adorarunt angeli, tremuerunt dæmones, homines ad ſalutem aſſumunt,* dicente HILARIO in Pſ. LI. Idcirco pronuntiato nomine *Ieſu* genua flectimus, memores præcepti apoſtolici, Phil. II, 10. *In nomine Ieſu omne genu ſe flectat, ſupracœleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum.* Quin etiam ad mentionem nominis Ieſu capita noſtra detegimus; quæ denudatio capitis eſt cærimonia, libere ab eccleſia aſſumta, quam obſeruare decet genuinos eccleſiæ filios. In libertate chriſtiana eccleſiæ poſitum fuit, vt extrinſecum adorationis cultum ad mentionem vnius, vel plurium,

Digitized by Google

plurium, huius vel illius, immo omnium nominum diuinorum exhiberent. Electum autem eſt nomen Ieſu, vel vt *epitome reuelationum & beneficiorum* totius SS. Trinitatis, quo pronuntiato, & honorato non ad Chriſtum præciſe fertur deuotio, ſed ad vniuerſum ſalutis noſtræ fontem; vel vt *character profeſſionis*, quo ſe cum a *Iudæis*, qui Chriſtum aliquem fatebantur, Ieſum Nazarenum nolebant eſſe Chriſtum, tum ab *Arianis*, qui Patrem Deum agnouerunt, Ieſum Deum eſſe negarunt, ſeiunctum irent. Conf. DANNHAV. *hodoſ. phænom. VIII. p. 602.*

Obiici poteſt: Quæcunque lex prohibet cultum imaginum, illa prohibet cultum nominis Ieſu. Atqui lex diuina &c. Exod. XX, 4. E. *Maior* probatur: quia nomina ſunt imagines conceptuum, conceptus imagines rerum. Reſp. Neg. maior, quia nomen Ieſu h. l. non conſideratur vt *obiectum cultus determinati*, quod eſt ſolus Deus; neque vt *obiectum cultus reſpectiui*, ad eum modum, quo *Pontificii* imagines colunt; ſed tantum vt *ſignum memoriale*, quo pronuntiato, vel audito, ferimur in agnitionem & cultum ipſius perſonæ.

### Quæſt. V. *Quare redemtor noſter vocatur Chriſtus?*

Redemtor noſter vocatur *Chriſtus*, h. e. *vnctus*; quia a Spiritu S. in regem, ſacerdotem & prophetam noſtrum vnctus eſt. *Chriſtus.*

Prob. Χϱιςὸς dicitur a χϱίω vngo, adeoque notat *vnctum*, & reſpondet nomini hebraico משיח. *Inuenimus Meſſiam, quod eſt, ſi interpreteris, Chriſtus*, inquit Andreas, Io. I, 41. Dicitur autem redemtor noſter *Chriſtus*, ſiue *vnctus*, ob officium, quo fungitur, regium, ſacerdotale & propheticum. Quemadmodum in vet. teſtam. reges & ſacerdotes, Exod. XXIX, 7. 1 Sam. XVI, 13. atque Eliſæus inter prophetas, 1 Reg. XIX, 16. in inauguratione officii ſacro perfuſi ſunt oleo: ita redemtor noſter vnctus eſt Spiritu S. & virtute, Act. X, 38. vt eſſet rex, ſacerdos & propheta noſter. Ingens tamen eſſe diſcrimen inter vnctionem regum, ſacerdotum & prophetarum vet. teſtam. & inter vnctionem noſtri Saluatoris, docet propheta regius, Pſ. XLV, 8. *Vnxit te, o Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ ſociis tuis.* Socii, vel conſortes Chriſti, ſenſu *generali* dicti ſunt omnes fideles tam *vnctionis ſpiritualis, quam nominis chriſtiani participes;* ſenſu *ſpeciali* ipſius ſocii ſunt ſacerdotes, reges & prophetæ, tum propter *typicam tergemini officii Chriſti præfigurationem*, tum propter *internam donorum ad officia collationem:* his omnibus longiſſime ſuperior & eminentior eſt Chriſtus. Reges, ſacerdotes & prophetæ vet. teſtam. vngebantur per homines, vt Saul & Dauid per Samuelem: Saluator autem noſter vnctus eſt ab ipſo Deo, Pſ. XLV, 8. Reges, ſacerdotes & prophetæ vncti ſunt oleo externo: Chriſtus interno, ſcilicet Spiritu S. Vnde Eſ. LXI. 1. ipſe Meſſias dicit: *Spiritus eſt ſuper me, quare vnxit me Deus.* Reges, ſacerdotes & prophetæ vncti ſunt in ætate adulta; Chriſtus in vtero materno. Vnctio regum, ſacerdotum & prophetarum externe ſignificauit dona adminiſtrantia finita, quæ interne contulit Spiritus S.: at Chriſtus immediate a Deo accipit dona infinita & immenſa, quippe cui Deus *non ex menſura dedit Spiritum*, Io. III, 34. Prærogatiuam vnctionis noſtri redemtoris præclare docet AVGVSTINVS *tract. in Io. III, 24. Chriſtus ſingulariter vnctus eſt, præcipue vnctus, vnde omnes chriſtiani vnguntur; participes enim eius omnes ſancti, ſed ille ſingulariter ſanctus ſanctorum, ſingulariter Chriſtus, ſingulariter vnctus.*

Obſ. Quando Saluator noſter dicitur *Chriſtus*, vel *vnctus*, vngens eſt diuinitas, vncta humanitas, oleum Spiritus S.; vnde Chriſti profeſſio totius trinitatis eſt confeſſio, dicente BASILIO M.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VI. *Quo reſpectu perſona redemtoris noſtri hic conſideratur?*

Perſona redemtoris noſtri hic conſideratur non vt ἄσαρκος, ſiue qualis ante incarnationem ab æterno fuit; ſed qua ἔνσαρκος, ſiue qualis eſſe cœpit in plenitudine temporis, per aſſumtionem naturæ noſtræ humanæ in hypoſtaſin ſuam diuinam.

Prob. Perſonam Filii Dei ἄσαρκον, ſiue qualis ante aſſumtam carnem ab æterno fuit, ſupra *part. I. theol. p. 327. ſqq.* cognouimus: hic vero, vbi in œconomia gratiæ diuinæ verſamur, conſideranda eſt perſona redemtoris noſtri, prout eſt ἔνσαρκος, ſiue quatenus *Deus in carne eſt manifeſtatus*, 1 Tim. III, 16. propterea, quod Chriſtus redemtor noſter eſt ſecundum vtramque naturam, diuinam & humanam; Deus enim *eccleſiam acquiſiuit per proprium ſanguinem*, Act. XX, 28.

Quæſt. VII. *Quæ & quot ſunt redemtoris noſtri naturæ?*

Sunt *duæ*, diuina & humana: *Diuinam* æterna generatione a Patre communicatam habet, ſecundum quam eſt verus Deus: *humanam* ex ſanguine Mariæ virginis, per miraculoſam Spiritus S. ἐπέλευσιν, ſeu operationem, productam, in tempore aſſumſit, ſecundum quam eſt verus homo (*).

Prob. Quia Chriſtus eſt homo ex Patribus quidem ſecundum carnem, ſed ſimul Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula, Rom. IX, 5. Eſt Deus in carne manifeſtatus, 1 Tim. III, 16. Eſt homo ille, qui dominus Deus eſt, 2 Sam. VII, 19. Idcirco idem, qui eſt factus e ſemine Dauidis, dicitur eſſe Filius Dei, Rom. I, 3. Idem ille, qui ex Maria naſcitur dicitur eſſe Filius altiſſimi, Luc. 35. Idem, qui eſt verbum Dei, & Deus, dicitur caro factus eſſe, Io. I, 14. Proinde Chriſtus eſt perſona σύνθετος, ſiue compoſita, in qua natura diuina cum humana eſt coniuncta.

Quæſt. VIII. *Quot modis conſiderantur duæ naturæ in vna perſona Chriſti?*

Conſiderantur duæ Chriſti naturæ 1) abſolute & *in ſe*, 2) relate & in *vnione*.

Quæſt. IX. *Quibus argumentis vera & æterna diuinitas redemtoris noſtri probatur?*

Vera & æterna *diuinitas* redemtoris noſtri probatur argumentis ſolidiſſimis ſumtis a nominibus diuinis, ab attributis ſoli vero Deo propriis, ab actibus Dei perſonalibus & eſſentialibus, a cultu religioſo ſoli Deo debito, ab accurata collatione dictorum ſcripturæ V. & N. T.

Obſ. Argumenta, quibus diuinitas Chriſti probatur, expendimus *P. I. theolog. a p. 31. ſeqq.*

Quæſt. X. *Quibus argumentis veritas humanæ Chriſti naturæ demonſtratur?*

Chriſtum eſſe *verum hominem*, demonſtratur a) ex nominibus humanis, b) ex partibus hominis eſſentialibus, c) ex attributis vero homini propriis, d) ex operationibus humanis, e) e genealogia Chriſti hominis.

Prob.

(*) Quod ad perſonam Chriſti attinet, hæc doctrina tota ex tribus conſtat partibus: 1) quod Chriſtus ſit verus *homo*, nobis ὁμοούσιος, 2) quod is idem ſit verus ac ſummus *Deus*, Patri ὁμοούσιος, 3) quod ambæ naturæ *vnam perſonam* conſtituant, & ita quidem, vt non diuina natura in humana, ſed hæc in illa ſubſiſtat. Hæ veritates omnes vno comprehenduntur enuntiato Io. I, 14: α) ὁ λόγος β) σὰρξ γ) ἐγένετο, nec de humana natura dicitur, λόγος ἐγένετο, ſed diuinæ hoc adſignatur: σὰρξ ἐγένετο, vt intelligamus, diuinam perſonam eſſe, quæ humanam naturam in ſuam ὑπόστασιν adſumſit.

Digitized by Google

Prob. a. Chriſtus ſeipſum *hominem* appellat: *Quæritis me interficere hominem, qui vobis veritatem dixi*, Io. VIII, 40. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus*, inquit Paullus, 1 Tim. II, 5. Chriſtus filius hominis octogies bis in ſacro codice vocatur.

Prob. b. *Verus homo* conſtat e corpore organico & anima intelligente. At Chriſtus conſtat e *corpore*, Io. II, 21. carne ſanguine & oſſibus, Hebr. II, 14. Luc. XXIV, 39. Habet *animam* quam pro ouibus poſuit, Io. X, 15. quæque triſtis fuit vsque ad mortem, Matth. XXVI, 38. Habet animam *intelligentem*, ſecundum quam profecit ſapientia, Luc. II, 52. & *voluntate* præditam, Io. V, 21. Matth. XXVI, 39.

Prob. c. Qui *eſurit, ſitit, dormit, triſtatur, lacrymatur, turbatur*, ille eſt verus homo. At Chriſtus *eſuriuit*, Matth. IV, 2. *ſitiuit*, Io. XIX, 28. *dormiuit*, Matth. VIII, 24. *triſtatus* eſt, Matth. XXV, 37. *lacrymauit*, Luc. XIX, 41. *turbatus* eſt, Io. XI, 33. Ergo Chriſtus eſt verus homo. Obſerues, quod affectus iam memorati in Chriſto fuerint puri & defecati. Vt enim aqua limpida in cryſtallino vitro commouetur, nec tamen ſordidatur; ita affectus Chriſti commoti ſunt ſine labe peccaminoſa.

Prob. d. Verus homo *loquitur & interrogat, diſputat* e S. ſcriptura, *docet* &c. Atqui Chriſtus *locutus* eſt & *interrogauit*, Luc. II, 46. 48. *diſputauit* cum Satana e S. ſcriptura, Matth. IV, 1. ſqq. *docuit* in templo, Matth. XXVI, 55.

Prob. e. *Genealogia* Chriſti, quoad lineam aſcendentem, Luc. III, 23. & quoad lineam deſcendentem Matth. I, 1. luculenter oſtendit, Chriſtum eſſe verum hominem.

Quæſt. XI. *An Chriſtus etiam infirmitates humanas aſſumſit?*

Chriſtus aſſumſit *infirmitates naturales*, omnibus hominibus in ſtatu naturali conſtitutis *communes* a); *non* autem *perſonales*, e cauſſis particularibus prouenientes, multo minus moraliter *vitioſos* defectus adſciuit b).

Prob. a. *Infirmitates* hominum *naturales communes* ſunt, quæ omnibus hominibus poſt lapſum inſunt, v. gr. eſurire, ſitire, defatigati, algere, æſtuare, dolere, indignari, turbari, lacrymari; quas, cum ſint inculpabiles, Chriſtus, teſte S. ſcriptura, aſſumſit, non coacte, ſed libere, non propter ſe, ſed propter nos, non in perpetuum, ſed ad tempus, ſcilicet in ſtatu exinanitionis, non autem retinuit eaſdem in ſtatu exaltationis.

Prob. b. *Infirmitates perſonales* ſunt, quæ a cauſſis particularibus proficiſcuntur, & vel a vitio δυνάμεως πλαςικῆς, ſiue virtutis efformatiuæ in generante, vt phthiſis; arthritis &c. vel a culpa particulari, nimirum ab ingurgitate nimia, venere, aut aliis exceſſibus, vt febris, podagra, hydrops, &c. vel a peculiaria nemeſi aut iudicio diuino, vt morbi familiæ Ioabi, 2 Sam. III, 20. &c. ortum trahunt. Hac a ſanctiſſima Chriſti humanitate longiſſime abſunt, quippe quas aſſumi, nec generi humano expediebat, & dignitati naturæ derogaſſet, cenſente LOMBARDO *libr. III. ſentent. diſt. X.* Ceterum *infirmitatum moraliter vitioſarum* Chriſtus homo ne ab hoſtibus quidem conuinci poterat, Io. VIII, 46.

Quæſt. XII. *Quibus proprietatibus indiuidualibus, velut quibusdam prærogatiuis, humana Chriſti natura eminet?*

Competunt humanæ Chriſti naturæ quædam proprietates indiuiduales: quibus eadem velut ὑπεροχαῖς ſiue prærogatiuis nonnullis ceteros homines antecellit: cuiusmodi prærogatiuæ ſunt a) ἀνυποςασία, carentia propriæ ſubſiſtentiæ, diuina filii Dei hypoſtaſi, tanquam longe eminentiori, compenſata; b) ἀναμαρτησία inhæſiua, qua Chriſtus omnis peccati proprii tam originalis, quam actualis expers eſt; c) ſingularis animæ & corporis excellentia.



Digitized by Google

Prob. a. Si humana Chriſti natura *propriam* retinuiſſet *ſubſiſtentiam*, duæ in Chriſto forent perſonæ, adeoque duo mediatores, contra 1 Tim. II, 5. Ratio eſt: quia perſona per ſubſiſtentiam, vltimo completam, in eſſe ſuo formaliter conſtituitur, adeoque ex vnitate ſubſiſtentiæ vnitas perſonæ æſtimanda eſt. Oportet igitur naturam alterutram ex his, quæ in vnam perſonam coaleſcunt, carere propria ſua ſubſiſtentia: cumque *diuina* natura, quæ cum ſubſiſtentia ſua realiter eadem eſt, carere eadem non poſſit; patet *humanæ* naturæ tribuendam eſſe carentiam propriæ ſubſiſtentiæ.

Dicis: I. Omnis ſubſtantia per ſe ſubſiſtit: Humana Chriſti natura eſt ſubſtantia: Ergo. Reſp. *Subſiſtentia ſumitur vel generaliter*, & explicatur per independentiam a ſubiecto inhæſionis; vel *ſpecialiter*, & exponitur per rationem ſubſiſtendi incommunicabilem, ſeu vltimo completam. Priori ſenſu ſubſiſtentia formalem ſubſtantiæ rationem, poſteriori ſenſu ſuppoſitalitatem notat.

Dicis: II. Si humana Chriſti natura caret ſubſiſtentia propria, eadem imperfectior erit natura noſtra ἀυϑυποςάτῳ, ſiue per ſe ſubſiſtente: Reſp. Perfectio rei ex *eſſentia*, non ex *ſubſiſtentia* æſtimanda eſt. Adiice, quod perſonalitatis propriæ carentia in humana Chriſti natura ſuppleta ſit ſubſiſtentia τȣ̃ λόγȣ. Eſt igitur humana Chriſti natura ἀνυπόςατος, ſi conſideretur præciſe & ſecundum ſe, eo, quod propriam ſubſiſtentiam actu non habet: at quando eadem conſideratur in vnione cum natura diuina, eadem recte dicitur ἐνυπόςατος, h. e. ſubſiſtens ἐν τῷ λόγῳ.

Prob. b. Chriſtus nullo peccato neque originali, neque actuali vnquam fœdatus fuit. Neque enim nouit peccatum, 2 Cor. V, 21. Eſt ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτολῶν, innocens, impollutus, a peccatoribus ſegregatus. Hebr. VII, 26.

Dicis: Chriſtus factus eſt peccatum, 2 Cor. V, 21. E. non eſt omnis peccati expers. Reſp. Chriſtus factus eſt peccatum, non quaſi peccatum proprium ipſi inhæreat, ſed quia quidquid peccati eſt, ipſi imputatum eſt in iudicio diuino ratione culpæ pariter, ac pœnæ. Omne quippe peccatum in ipſum coniectum eſt. Eſ. LIII, 6.

Prob. c. Decuit Chriſtum ἐν πᾶσι πρωτεύειν, *in omnibus primas tenere.* Col. I, 18. Anima Chriſti *primas tenet ſapientiæ*, qua ſic reſplendeſcit, vt duodecimo ætatis anno in medio templo atque conſeſſu præcipuorum eccleſiæ doctorum doceret, Luc. II, 46. & nullus vnquam homo ita loqueretur, vt hic propheta maximus, Io. VII, 46. Primas tenet anima Chriſti *ſanctitatis;* quippe quæ vanitates mundi flocci fecit, illecebras carnis reiecit, a riſu abſtinuit, grauitatem coluit, immanes pro lapſo genere humano cruciatus ſuſtinuit, mortem acerbiſſimam vicitt. Corpus Chriſti primas tenet *pulcritudinis;* ſiquidem *pulcerrimus inter filios hominum* audit, Pſ. XLV, 3. Coniicitur pulcritudo corporis Chriſti ex animæ inhabitantis excellentia, quæ haud dubie elegantiſſimum ſibi domicilium fabricauit, atque ex operatione immediata Spiritus S., cuius ἐπελεύσει templum corporis Chriſti ſplendidiſſimum exſtructum eſt. Perfectiora vtique ſunt, quæ Deus facit per ſe, quam cum cauſſis ſecundis adminiſtris vtitur. Aſſerimus autem pulcritudinem *corporis* Chriſti, non fœmineam, ſed virilem, h. e. quæ grauem, honeſtumque decet virum. Huc accedit, quod Chriſti corpus emineat ἀθανασίᾳ, ſiue *immortalitate*, quæ ipſi competit tum ob integritatem naturæ impeccabilis, Rom. VI, 23., tum ob vinculum vnionis perſonalis indiſſolubile.

Dicis: Quomodo immortalis potuit mori? Reſp. Chriſtus ratione principii *intrinſeci* eſt *immortalis*, quod autem mortuus eſt, hoc eſt a principio *extrinſeco*, & ſecundum *voluntariam* οἰκονομίαν. Io. X, 17. 18. Manſit tamen corpus Chriſti in morte libere ſuſcepta ἄφθαρτον, ſiue immune a corruptione. Pſ. XVI, 10. Act. II, 31.

Quæſt

Digitized by Google

Quæſt. XIII. *Eſtne caro Chriſti nobis ὁμοούσιος, ſiue conſubſtantialis?*

Caro Chriſti eſſentiam ſpecie eandem nobiscum habet, adeoque *nobis* ὁμοούσιος, ſeu *conſubſtantialis* eſt.

Prob. 1) Ex Hebr. II, 14. *Quoniam pueri participes facti ſunt carnis & ſanguinis, & ipſe ſimiliter participem ſe fecit ipſorum.* Obſerues hic: a) quod Chriſtus nos vocet *fratres ſuos*, v. 11. filios & pueros ſuos, v. 9. 12.: b) quod Chriſtus frater noſter ſit non tantum ob affectum fraternum, ſed etiam ob *eiusdem carnis & ſanguinis* communionem: id quod docet Apoſtolus v. 14. E quibus argumentamur: Quicunque eſt frater noſter ob eiusdem carnis & ſanguinis communionem, ille eſt nobis ὁμοούσιος ſiue conſubſtantialis: Atqui Chriſtus &c. Ergo. 2) E teſtimonio concilii Chalcedonenſis: *Confitemur verum Deum & verum hominem, eundem ex rationali anima & corpore: coëſſentialem Patri ſecundum diuinitatem, & coëſſentialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem, demto peccato.*

*Antitheſis* eſt tum veterum hæreticorum, *Marcionitarum, Cerdonianorum & Manichæorum*, qui veritatem humanæ Chriſti naturæ negarunt; tum *Anabaptiſtarum, Socinianorum, Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, (*) qui ὁμοουσίαν carnis Chriſti impugnant ſequentibus argumentis:

I. Quicunque in *ſimilitudine carnis humanæ* miſſus eſt, illius caro noſtræ carni non eſt conſubſtantialis (ſimilitudo eſt index qualitatis, non ſubſtantiæ): Atqui Chriſtus &c. Rom. VIII, 3. Reſp. Chriſtus non ſimpliciter dicitur miſſus in *ſimilitudine carnis;* ſed dumtaxat in ſimilitudine *carnis peccatricis:* atque adeo non negatur humanæ Chriſti *naturæ nobis conſubſtantialis veritas*, ſed remouetur a Chriſto *peccati fœditas.*

II. Chriſtus inuentus eſt ἐν σχήματι, vt homo, Phil. II, 8. E. non eſt verus homo. Ratio conſequentiæ eſt; quia σχῆμα notat *externam figuram*, aut phantasma, & opponitur ſubſtantiæ. Reſp. σχῆμα l. c. non deſignat inanem figuram aut phantasma, ſed *geſtus habitusque externos*, e quibus *vera* Chriſti *humanitas* innotuit.

III. Quicunque primo *homini de terra formato* opponitur, vt *dominus de cælo*, illius corpus non eſt terreſtre, ſed cœleſte & ſidereum, adeoque nobis non conſubſtantiale: Atqui Chriſtus &c. 1 Cor. XV, 47. Ergo. Reſp. Secundus homo dicitur *dominus de cælo*, non, quod non ſit *verus* homo, ſed, quod non ſit *merus* homo, quia ſimul verus & æternus Deus eſt, qui e ſupremis veniſſe dicitur, Io. I, 14. quia ipſius origo eſt ſupernaturalis (**).



(*) Non nulli fanaticorum hominum, quorum in numero ſunt ANTONIA de BOVRIGNON, P. POIRET, VAL. WEIGELIVS, PETERSENIVS, *veritatem* quidem humanæ in Chriſto naturæ non infitiantur, negant autem *vnitatem*, & comminiſcuntur duplicatam Chriſti carnem, vnam cœleſtem, alteram terreſtrem. Quem errorem vno velut ictu proſternit vox Apoſtoli, 1 Tim. II, 5. *vnus* μεσίτης, homo, Chriſtus, 1) ſicut *vnus* eſt Deus, hominibus reconciliandus; 2) ita, vt *vnus* hicce Reconciliator εἷς ἄνθρωπος, opponatur *vni* Adamo, primo & communi auctori perfidiæ ac miſeriæ, in quam delapſum eſt vniuerſum hominum genus. Ex quo elucet ſapientiſſimum Dei conſilium, quam ob rem non, niſi *vnus* eſſe debuerit homo, qui Reconciliatoris partibus fungeretur. Rom. V, 15. 18. 19. 1 Cor. XV, 45. E. *vna*, qua Chriſtus indueretur, caro humana erat ad propoſitum *ſufficiens:* E. altera prorſus fuiſſet ſuperuacanea.

(**) Nec dicit Paullus: ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ, ſed ita: δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Ergo hæc adiectio, ἐξ οὐρανοῦ non ad ἄνθρωπον, humanam Chriſti naturam, vtique vero ad κύριον, diuinam eius perſonam, debet referri.

Digitized by Google

IV. Quicunque deſcendit de cœlo, ille ex cœlo corpus attulit: nam qualis deſcenſus, talis origo. Atqui Chriſtus &c. Io. III, 13. Ergo. Reſp. Filius Dei de cœlo deſcendit, non corpus e cœlo afferendo, ſed carnem in vtero virginis aſſumendo, & in aſſumta carne ſe hominibus manifeſtando.

V. Chriſtus *negat*, *Mariam* eſſe ſuam *matrem*. Matth. XII, 48. Ergo ex illa naturam nobis conſubſtantialem non aſſumſit. Reſp. Chriſtus l. c. quæſiuit de matre ſua; non originem humanæ naturæ ex matre negando, ſed miniſteria paterna cum affectibus maternis comparando, & illa his præferendo. Ideoque non paſſus eſt Chriſtus, aduentu matris ſe ab adminiſtratione officii, a Patre commiſſi, retrahi, aut auocari. Adiice, quod Saluator indigitatum iuerit, religioſiores eſſe copulas mentium, quam corporum, docente AMBROSIO, & citante CALOVIO in *bibl. illuſtrat. in h. l. fol.* 295.

VI. Si caro Chriſti nobis eſt conſubſtantialis, Chriſtus *ſecundum humanam naturam* erit *creatura*; a qua loquendi ratione veteres abhorruerunt. Reſpondetur: *Ariani* contendebant, λόγον ſecundum ſe, etiam non aſſumta natura humana, eſſe creaturam factam ex nihilo. Ideo veteres, propter *Arianorum* inſidias, reiecerunt hanc propoſitionem: *Chriſtus eſt creatura.* Sed propter *Schwenkfeldium*, qui negauit, Chriſtum quoad *humanam* naturam eſſe creaturam, in conuentu Smalcaldico 1537. hæc phraſis de Chriſto ſecundum humanam naturam fuit vſurpata. *Improbamus*, inquiunt, *Schwenckfeldii delirium, & dicimus, humanam naturam in Chriſto & eſſe & manere creaturam, vt Ioannes inquit: Verbum caro factum eſt.* Confer. D. GERHARDI *exeg. loco IV. p.* 428.

VII. Quicunque *non conceptus eſt e ſemine virili*, ſed ἐπελεύσει, ſeu ſuperuentu Spiritus S., illius caro nobis non eſt conſubſtantialis: Atqui Chriſtus &c. Luc. I, 35. Ergo. Reſp. Neg. maior. Nam *origo carnis* Chriſti eſt quidem diſſimilis, ſed *natura* conſimilis. *Si veritatem quæris humanæ naturæ, cognoſce materiam. Si rationem ſcrutaris originis, virtutem confitere diuinam;* inquit LEO *ſermon. II. de natiuit.*

VIII. Humana Chriſti natura *deſtituitur propria ſubſiſtentia:* Ergo non eſt nobis conſubſtantialis. Reſp. *Subſiſtentia* non pertinet ad *eſſentiam* hominis, propterea, quod hominem *non facit*, ſed *terminat.*

IX. Chriſtus *non eandem numero eſſentiam nobiſcum habet:* E. non eſt nobis ὁμοούσιος. Conſequentia probatur ex eo, quod ὁ λόγος Deo Patri dicitur ὁμοούσιος, ideo quod eandem numero eſſentiam cum Deo Patre habet. Reſp. Ὁμοουσία *eſt duplex: ſpecifica, & numerica.* Chriſtus homo eſt nobis ὁμοούσιος, non ſecundum *numerum*, ſed ſecundum *ſpeciem;* quia eiusdem generis ac ſpeciei eſt cum natura noſtra.

Quæſt. XIV. *A quo humana Chriſti natura habet originem?*

*Origo carnis Chriſti*

Humana Chriſti natura *originem habet a Deo triuno* a), a Deo *Patre* b), a *Filio Dei* c), a *Spiritu Sancto*, cui productio carnis Chriſti in ſacris litteris appropriatur d).

Prob. a. Productio carnis Chriſti, eiusque applicatio ad hypoſtaſin Filii Dei, eſt *opus ad extra & indiuiſum*, ſeu commune tribus perſonis diuinis. Veteres hoc myſterium declararunt ſimili ſumto a tribus virginibus, quarum vna veſtitur aut coronatur, quælibet autem ad ornamentum aliquid confert.

Prob.

Prob. b. *Deus Pater* in plenitudine temporis *miſit Filium natum ex muliere*, Gal. IV, 4. *Miſit ipſum in ſimilitudine carnis peccati, & ad luendum pro peccato*, Rom. VIII, 3.

Prob. c. *Filius Dei, virtus hypoſtatica altiſſimi, virginem Mariam obumbrauit: vnde etiam quod natum eſt ex illa ſanctum, vocatum eſt Filius Dei*, Luc. I, 35. Obſeru. a) *Virtus altiſſimi* heic non eſt Spiritus S., quippe a quo, prius memorato, diſtinguitur. Spiritui S. ἐπέλευσις, *ſuperuentus*; virtuti altiſſimi ἐπισκιασμὸς, *obumbratio*, tribuitur. Ecquis credat, angelum fuiſſe ταυτόλογον, & in neruoſa ſublimiſſimi myſterii deſcriptione idem, vel pene idem bis dixiſſe? Neque per *virtutem altiſſimi* intelligitur *omnipotentia Dei* eſſentialis, propterea, quod *virtuti*, (ſcilicet Dei *Patris*) obumbratio virginis Mariæ tanquam actio perſonalis tribuitur. Cum itaque actiones ſint ſuppoſitorum, per *virtutem altiſſimi* indigitari cenſemus *virtutem hypoſtaticam*, ſeu *Filium Dei*, qui hoc nomine venit, 1 Cor. I, 24. Sicut etiam in humanis *filius* nominatur *virtus patris*, Gen. XLIX, 3. Ἐπισκιασμὸς, ſeu *obumbratio* notat arcanam & admirabilem impletionem templi corporis, a Spiritu S. exſtructi. Nempe Filius Dei obumbrauit virginem Mariam, dum modo imperueſtigabili in vterum virginis deſcendit, & maſſam ſanguinis virgineam, a Spiritu S. excitatam, peculiari approximatione impleuit, ſibique vniuit, vt σωματικῶς, *corporaliter*, velut in proprio templo in ea habitaret, Col. II, 9: cuius aliqua figura olim fuit in tabernaculo fœderis, vt & in templo Salomonis, quod vtrumque cum exſtructum eſſet, maieſtas diuina ἐπισκιασμῷ, ſeu obumbratione interueniente impleuit, Exod. XL, 35. 1 Reg. VII, 10. vbi pariter a LXX. interpretibus verbum ἐπισκιάζειν adhibetur. Obſeru. b) Conſequens huius obumbrationis eſt natiuitas Filii Dei, ex Maria nunc facti filii hominis, quæ exprimitur verbis angeli: Διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ. *Ideo etiam, quod naſcitur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ex quibus verbis denuo colligimus, per *virtutem altiſſimi* heic non Spiritum S. ſed *Filium Dei* intelligendum. Etenim cauſſa proxima, cur *filius Mariæ* ſit *Filius Dei*, non eſt conceptio ſingularis de Spiritu S. (quam ſi indigitaturus fuiſſet angelus, dixiſſet: *ideo etiam ſanctum, quod ex te naſcitur, vocabitur filius Spiritus S.*); ſed incarnatio τοῦ λόγου. Nam dicere vult legatus cœleſtis: Διὸ, propterea ſanctum illud, quod ex te naſcetur, vocabitur & vere erit Filius Dei, quia *ſubſtantialis Dei virtus* in te, & ex te carnem aſſumet.

Prob. d. Angelus dicit: Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, Spiritus S. veniet ſuper te, Luc. I, 35. Obſ. a. Ἐπέλευσις Spiritus S. non fuit otioſa, ſed operoſa & efficaciſſima. Præſentia enim diuina ſpecialis, & plane ſingularis, qualis hic contigit, nunquam eſt ſine efficaci operatione. Neque tamen fuit ἐπέλευσις σπερματική, communicatiua ſeminis (quia Spiritus S. non eſt pater Chriſti; quippe qui, qua humanam naturam, eſt ἀπάτωρ Hebr. VII, 3.); ſed 1) δημιουργική (vt loquitur DAMASCEN. *libr. III. de O. F. c. III.*), ſeu *excitatiua maſſæ ſanguineæ* in vtero virginis, e qua humana Chriſti natura producta eſt; 2) ἐπέλευσις *ſanctificatiua*, qua adhærens peccatum abſterſum eſt, vt quidquid natum eſſet ex Maria, eſſet ſanctum, quod veteres ſimili, ſumto ab ape, ex roſeto mel ſine veneno exſugente, explanarunt; 3) ἐπέλευσις *coniunctiua, ſeu vnitiua*, qua ὁ λόγος æternus maſſæ ſanguinis virgineæ, velut ſponſus ſponſæ, vinculo indiſſolubili coniunctus eſt. Obſ. b. Appropriatur conceptio θεανθρώπου *Spiritui Sancto*: 1) Quia opus vniuerſum fœcundationis ipſi adſcribitur, Gen. I, 2: 2) Vt puritas maſſæ ſanguineæ, e qua creuit caro Chriſti, eſſet euidentior: 3) Vt ſic eadem eſſet cauſſa *generationis* Chriſti hominis, & *regenerationis* noſtræ, ſcilicet Spiritus S.



Digitized by Google

Quæſt. XV. *Quodnam eſt principium materiale, ſeu paſſiuum, conceptionis & productionis humanæ Chriſti naturæ?*

Principium *materiale*, idque *totale* conceptionis & productionis Chriſti hominis eſt *Maria*, *virgo illibata* a), e *regio Dauidis ſtemmate*, atque adeo e *tribu Iuda* prognata b): Principium materiale *partiale* & *proximum* eſt *ſemen virginis* Mariæ *animatum* c).

Prob. a. 1) Quia Chriſtus natus dicitur non tantum *in* Maria (*localiter*) Matth. I, 20. ſed *ex* Maria (*materialiter*) Luc. I, 35. 2) Quia Chriſtus appellatur *fructus ventris* Mariæ, Luc. I, 42. 3) Quia Chriſtus eſt γενόμενος, *factus ex* muliere, Gal. IV, 4.

Prob. b. Quia genealogia Mariæ delineata ab euangeliſta Luca c. III. oſtendit, Mariam *regio Dauidis ſanguine* procreatam eſſe. Pertexit enim Lucas genealogiam Ieſu ab Eli, qui fuit pater naturalis Mariæ, commemorante Africano ſcriptore vetuſtiſſimo, vsque ad Dauidem, per lineam Nathanis, qui æque Filius Dauidis e Bathſeba fuit, ac Salomo, 1 Paral. III, 5. Quam ob rem Chriſtus paſſim in S. ſcriptura vocatur *filius Dauidis*, *fructus lumborum Dauidis*, Act. II, 30. E quibus pateſcit, Chriſtum hominem trahere ortum ex *tribu Iuda*, cui natales ſuos rex Dauid debet.

Ceterum *illibata* Mariæ *virginitas* probatur 1) ex Eſaiæ VII, 14. vbi daturus Iehouah Achaſo ſignum miraculoſæ liberationis ab hoſtibus inquit: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabit nomen eius Immanuel.*

Obſ. (1) עַלְמָה in ſacro codice ſemper notat virginem illibatam. Septies hæc vox hebræa occurrit, Gen. XXIV, 43. Exod. II, 8. Pſ. LXVIII, 16. Cant. I, 3. c. VI, 7. Eſ. VII, 14. Prou. XXX, 19. Verba loci vltimi ſunt: *tria hæc mirabilia ſunt ſupra me, & quatuor non cognoui. Viam* (ſcilicet) *aquilæ in cœlis, viam ſerpentis ſuper petra, & viam in virgine.* Ex hoc loco colligere nituntur Iudæi hodierni non omnem עַלְמָה eſſe puram & intaminatam virginem; ſed perinepte. Certe *via ad virginem* puram & reconditam longe abſtruſior eſt, quam ad meretricem, ſiue proſtibulum, quod vel vltro ſe offert, vel haud difficulter ambienti facit ſui copiam. (2) Si עַלְמָה non ſemper notaret virginem, ſignum Achaſo datum non adeo validum foret.

Dicis: Filius virginis nuncupandus erat *Immanuel*, non *Ieſus*. Reſp. *Ieſus & Immanuel idem nomen eſt non ſono, ſed ſenſu*, dicente TERTVLLIANO *libr. III. contra Marcion.*

2) Maria, cui angelus conceptionem denuntiauit, diſerte dicitur *virgo*, Luc. I, 27. quæ virum non cognouerat v. 34. quæ admirando ſuperuentu Spiritus S. fœcundata eſt v. 35. Fuit itaque Maria virgo *ante* conceptionem, *in* conceptione & *in partu*; an vero fuerit ἀειπάρθενος, *ſemper-virgo*, etiam poſt partum, e ſacris litteris apodictice oſtendi nequit. Perennem tamen Mariæ virginitatem coniiciunt nonnulli ex eo, quod Chriſtus affixus cruci matrem commiſerit curæ Ioannis, commendaturus eam ſuperſtitibus filiis, ſi quos, a viro cognita, peperiſſet.

Prob. c. 1) Chriſtus aſſumſit *ſemen Abrahamicum*, Hebr. II, 16. quod ex nemine, niſi Maria, ſibi copulauit. 2) Sicut pueri participes fiunt carnis & ſanguinis; & ipſe Chriſtus ſimiliter particeps factus eſt, Hebr. II, 14. At pueri participes redduntur ſanguinis per *ſemen animatum*. E. & Chriſtus. 3) Si Chriſtus non aſſumſiſſet *animam* ab *anima* Mariæ, *animam humanam* non redemiſſet. Nam τὸ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον, *quod Chriſtus non aſſumſit, non ſanauit*, inquit GREGOR. NAZIANZENVS *epiſt. 2. ad Cledonium.* At vero mens erat Filio Dei, totam humanam naturam infectam labe peccati, cuius πρῶτον δεκτικόν, prima

Digitized by Google

ma ſedes, eſt *anima,* ſanare. E. *totam humanam naturam*, conſtantem ex *corpore* & *anima* aſſumſit.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum & Socinianorum*, quorum quidam negant, Mariam ortam eſſe e *ſtirpe Iuda*, quidam infitiantur, Chriſtum natum eſſe e *ſemine Mariæ.* Dimicant iidem aduerſus nos ſequentibus argumentis:

I. Eliſabetha fuit e filiabus Aaron, adeoque ex *tribu Leui*, Luc. I, 5. quæ dicitur συγγενὴς *cognata Mariæ*, Luc. I, 36. Ex quo colligitur, etiam Mariam fuiſſe e tribu Leui. Reſp. Eliſabeth quidem fuit ex patre ſacerdote, ſed ex matre, quæ nata erat e tribu Iuda, atque domo Dauidis.

II. Quicunque *non* fuit *in lumbis Adami*, ille non trahit originem ex *tribu Iuda*, & ſtemmate regio Dauidis: Atqui Chriſtus non fuit in lumbis Adami: Ergo. *Minor* prob. quia qui e lumbis Adami ortus eſt, ille eſt peccator: ſiquidem in Adamo omnes peccauerunt, Rom, V, 12. Reſp. Chriſtus non fuit in lumbis Adami *cum peccauit,* quia vis generandi ac procreandi ſobolem, homini inſita, lapſum anteceſſit, Gen. I, 28. ſed *vi promiſſionis* demum *poſt lapſum* factæ, Gen. III, 15. deriuatus quidem eſt e *ſanguine Adami*, ſed *ſanctificato.*

III. Mulieres *carent ſemine*: E. Chriſtus e ſemine Mariæ non eſt natus. Reſp. Mulieres habere ſemen, Phyſici firmis rationibus demonſtrant. In ſacro codice commemoratur *ſemen mulieris*, Gen. III, 15. c. XII, 3. Sara fœcundata dicitur accepiſſe δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος, vim ad deiectionem *ſeminis*, Hebr. XI, 11.

IV. Quæcunque eſt *peccatrix*, ex illius ſemine *ſancta caro* Chriſti non ducit originem: Atqui Maria eſt peccatrix: E. Reſp. Quæcunque eſt peccatrix, ex illius ſemine, per Spiritum S. *non purificato*, caro Chriſti non ducit originem. At ſemen Mariæ ἐπελεύσει Spiritus S. *purificatum* fuit, quippe a quo venenum peccati eſt abſterſum.

# DE VNIONIS PERSONALIS ACTV.

Quæſt. XVI. *Suntne duæ in Chriſto perſonæ, ſicut duæ in ipſo ſunt naturæ?*

*Perſona* Chriſti eſt *vna* a), eaque σύνθετος, ſiue *compoſita*, in qua *natura diuina* Filii Dei cum aſſumta *natura humana* per vnionem *perſonalem* arctiſſime & indiuulſe coniuncta eſt b). *Vnitio perſonalis.*

Prob. a. Si duæ redemtoris noſtri perſonæ eſſent, duo Chriſti, duo mediatores, duo ſaluatores forent. At *vnus* eſt *Dominus*, Ieſus Chriſtus, 1 Cor. VIII, 6. *vnus mediator* 1 Tim. II, 5. *vnus Saluator*, extra quem non eſt ſalus, Act. IV, 12. Ergo *vna* eſt *perſona* redemtoris noſtri Ieſu Chriſti.

Prob. b. Chriſtus dicitur perſona σύνθετος, non quod e duabus naturis velut *partibus* conſtet, ſed quia in Chriſto natura diuina cum humana ita compoſita vel coniuncta eſt, vt *duæ naturæ* intime vnitæ in *vnam* coaluerint *perſonam.* Ratio eſt, quia facta vnione, natura humana propria hypoſtaſi exuta, ſubſiſtentia τȣ̃ λόγȣ, ſibi communicata, ſubſiſtit. Inde fit, vt idem ille, qui ex Maria naſcitur, dicatur eſſe filius altiſſimi, Luc. I, 35.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, ſtatuentium, nulla ratione fieri poſſe, vt Chriſtus ſit perſona σύνθετος, ſiue compoſita; quorum argumenta ſunt:

I. Omne compoſitum conſtituitur ex partibus: Chriſtus ex natura diuina & humana tanquam partibus non conſtituitur: Ergo Chriſtus non eſt perſona compoſita. *Maior* per ſe eſt euidens: quia omne compoſitum conflatur ex partibus, in quas reſolui poteſt. *Minor* patet: quia natura diuina τȣ̃ λόγȣ non poteſt eſſe pars Chriſti; quippe quæ tam in ſubſiſtendo,

quam

Digitized by Google

quam in eſſendo completa eſt. Reſp. a) Omne *compoſitum eſſentiale* & *integrale* quidem e partibus conſtituitur; at non compoſitum *perſonale*, vtpote quod duabus *naturis* in eſſendo completis conſtat; quarum vna intra vnionem ſuam exuit ſubſiſtentiam vltimam, & alterius naturæ perſonalitate terminatur. b) Diſt. inter *compoſitum ex his*, & *cum his*. Non omne compoſitum conflatur ex partibus, ſed ſæpe vnum cum altero componitur, quod compoſiti pars non eſt, v. gr. Quando angelus apparet in corpore aſſumto, natura angelica non induit indolem partis. Quamobrem non dicimus, Chriſtum e duabus naturis eſſe *compoſitum*, ſed in Chriſto naturam diuinam cum humana eſſe intime *coniunctam*.

Inſtantia: Chriſtus conſtat ex duabus naturis: E. e duabus naturis eſt compoſitus. Reſp. Chriſtus conſtat e duabus naturis, *non* vt e duabus *partibus*, ſed vt e duabus *ſubſtantiis, perſonaliter vnitis*. Ideo notanter THOMAS *part. III. quæſt II.* docet, Chriſtum non eſſe *perſonam compoſitam ratione partium*, quaſi e duabus *partibus eſſentialibus* conſtet, *ſed ratione numeri*, quia eſt *vna perſona* in *duabus naturis*.

II. Quidquid eſt incommunicabile, alteri communicari nequit: Atqui hypoſtaſis τȣ̃ λόγȣ eſt incommunicabilis: E. hypoſtaſis τȣ̃ λόγȣ humanæ naturæ communicari nequit. *Minor* eſt liquida; quoniam hypoſtaſis eſt incommunicabilis ſubſiſtendi ratio. Reſp. Diſt. inter *communicationem, quæ fit perſonæ*, & *inter communicationem, quæ fit naturæ*. Hypoſtaſis vnius *perſonæ* alteri *perſonæ* communicari nequit, eo, quod vnaquæque perſona in ſubſiſtendo vltimo completa & terminata eſt; at non repugnat hypoſtaſin vnius *perſonæ* alteri cuidam *naturæ* vnitæ communicari; quia hæc communicatio non efficit, vt id, quod communicatur, ab alio terminetur.

Quæſt. XVII. *Quodnam eſt principium, per quod perſona Chriſti σύνθετος ſuam obtinet vnitatem?*

*Vnio perſonalis.* *Principium, per quod* perſona Chriſti σύνθετος ſuam accepit retinetque vnitatem, eſt *vnio perſonalis duarum* in Chriſto *naturarum*.

Prob. Vnio *perſonalis* dicitur, qua duæ naturæ completæ ad conſtituendam vnam perſonam vniuntur. Vocatur enim vnio perſonalis a *termino ad quem*, quia talis vnio terminatur ad perſonam θεάνθρωπον, ſiue quia per talem vnionem conſtituitur vna perſona in duabus naturis, quæ ſimul verus Deus & verus homo eſt.

Quæſt. XVIII. *Quot modis conſideratur vnio perſonalis?*

Vnio perſonalis conſideratur bifariam: a) quoad actum: b) quoad ſtatum.

*Actus vnionis* dicitur etiam *vnitio*, *ſtatus* vnionis proprie & ſpecifice *vnio perſonalis*, græce ἕνωσις ὑποστατικὴ appellatur.

Prob. *Vnitio*, & *vnio ſtricte dicta*, differunt. 1) *Vnitio* eſt *actus*, quo duæ diuerſæ naturæ diuina & humana coniunguntur: *vnio* eſt *ſtatus* naturarum, per vnitionem coniunctarum. 2) *Vnitio* eſt *cauſſa*, per quam naturæ in ſe diuiſæ quandam in vnitate perſonæ nanciſcuntur indiuiſionem: *vnio* vero eſt *effectus proximus* vnitionis, & ipſa duarum naturarum perſonalis indiuiſio. 3) *Vnitio* eſt *tranſiens* & *momentanea*: *vnio permanens* & *perpetua*. 4) *Vnio* eſt *reciproca*; nam Filius Dei eſt vnitus carni aſſumtæ, & caro eſt vnita Filio Dei: at *vnitio non* eſt *reciproca*. Recte dicimus: Filius Dei ſibi vniuit carnem; minus recte dixeris: caro ſibi vniuit Filium Dei. 5) Aliæ *propoſitiones* fluunt ex *vnitione*, aliæ ex *vnione*. Illarum ſubiectum perſona ἀσύνθετος, ſiue λόγος ἄσαρκος: harum ſubiectum eſt perſona σύνθετος, ſiue λόγος ἔνσαρκος.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XIX. *Qua voce æquipollente vnitio duarum in Chriſto naturarum vocatur?*

*Vnitio*, ſiue *actualis* coalitio diuinæ & humanæ naturæ in vnam perſonam θεανθρώπου communiter vocatur *incarnatio.*

Obſ. Docente CHEMNITIO in libro *de duab. nat. Chriſti*, cap. IX. pag. 108. ſeqq. primus IRENÆVS vnionem perſonalem, *effectiue* ſumtam, vocauit σάρκωσιν καὶ ἐνσάρκωσιν, *incarnationem*; IGNATIVS ἐνανθρώπησιν καὶ ἐνσωμάτωσιν, *inhumanationem* & *incorporationem*, ATHANASIVS πρόσληψιν, *aſſumtionem humanitatis in diuinitatem Filii Dei*, plerique Græci οἰκονομίαν, *diſpenſationem*, appellarunt. Οἰκονομίας voce vſi ſunt: 1) Quia ſumma maieſtas diuina, ſine ſui deminutione, ſubmiſit ſe ad vnionem cum maſſa miſera naturæ noſtræ: 2) Quia illam aſſumtam ita exaltauit, vt iam ad ipſius Filii Dei perſonam pertineat: 3) Quia iam in œconomia, ſeu adminiſtratione regni & officii Chriſti, neutra natura ſine altera, ſed vtraque agit cum communicatione alterius.

Quæſt. XX. *Quid eſt incarnatio?*

Incarnatio eſt *actio diuina, qua Filius Dei naturam humanam in vtero virginis Mariæ in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumſit.* **Incarnatio.**

*Vberius definitur:*

Incarnatio eſt *actio diuina*, qua *Filius Dei naturam humanam, nobis conſubſtantialem, peccati vero expertem, propriaque ſubſiſtentia deſtitutam, in vtero matris virginis Mariæ in vnitatem perſonæ ſuæ aſſumſit, eidemque tum hypoſtaſin, tum naturam ſuam diuinam communicauit, vt iam perpetuo in duabus naturis diuina & humana, arctiſſime vnitis, ſubſiſtat Chriſtus* θεάνθρωπος.

Obſ. I. *Incarnatio*, *late* ſumta, tam *productionem* carnis in vtero Mariæ, quam carnis productæ *aſſumtionem* complectitur: *ſtricte* accepta, tantum notat *aſſumtionem carnis in perſonam* τοῦ λόγου. *Productio carnis* omnibus tribus deitatis perſonis eſt communis: *Actus aſſumtionis* procedit ex virtute diuina tribus perſonis communi: *Terminus aſſumtionis* eſt hypoſtaſis τοῦ λόγου. Eſt itaque *incarnatio opus trium perſonarum diuinarum efficienter & inchoatiue, ſolius autem Filii Dei formaliter & terminatiue.*

Obſ. II. *Aſſumtio carnis*, & *incarnatio* ſunt quidem certo reſpectu ſynonyma: id diſcriminis vero intercedit, quod ὁ λόγος actiue *incarnatus*, natura humana paſſiue *incarnata* dicatur.

Incarnatio Filii Dei probatur 1) ex Ioann. I, 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Verbum caro factum eſt.* Per λόγον intelligitur Deus de Deo, ſiue Filius Dei: Nam Ioannes inquit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, & *Deus erat Verbum.* Vid. ſupra part. I. p. 309. Deum autem nulli mutationi aut conuerſioni obnoxium eſſe, manifeſtum eſt. Per *carnem* intelligitur homo conſtans ex corpore & anima, phraſi ſcripturæ familiari, v. gr. Gen. VI, 12. Corrupit *omnis caro*, i. e. omnis *homo*, viam ſuam. Eſ. XL, 6. Omnis *caro*, i. e. omnis *homo*, eſt fœnum. Voce autem *carnis* potius, quam *hominis*, Ioannes vtitur ad indicandam a) naturæ humanæ in ſe ſpectatæ ἀνυποστασίαν, quod non perſonam, ſed *naturam* hominis, i. e. veram & integram humanitatem, propria ὑποστάσει deſtitutam, ὁ λόγος aſſumſerit; b) ob συγγένειαν, ſiue conſanguinitatem naturæ noſtræ; c) ob φιλανθρωπίαν, qua motus ad miſerrimam & abiectiſſimam noſtram conditionem de maieſtatis ſuæ ſolio

lio Filius Dei deſcendit. *Sociniani* per *carnem* intellectam volunt fragilitatem; ſed fallunt & falluntur, ideo, quod 1) illa ſignificatio ſcripturæ eſt inuſitata: 2) Fragilitas, quæ eſt accidens, ſine ſubiecto eſſe nequit: 3) Carnis huius viſa eſt gloria. Quibus præſtitutis argumentatur: Quicunque eſt æternus immutabiliſque Deus, & fit caro, is non in carnem mutatur, ſed eandem aſſumit, intimeque ſibi vnit: Atqui Verbum Dei hypoſtaticum &c. Ergo.

2) Ex Hebr. II, 14. *Quoniam pueri participes facti ſunt carnis & ſanguinis, & ipſe ſimiliter participem ſe fecit ipſorum.* Quicunque eſt Deus, & fit particeps carnis & ſanguinis, *æque, ac noſtri pueri*, ille carnem & ſanguinem aſſumit in vnitatem ſuæ perſonæ: Atqui Filius Dei &c: Ergo. *Minor* prob. ex cap. I. ep. ad Hebr. (in quo capite diuinitas Chriſti demonſtratur) collat. cum cap. II, 14.

3) Ex Hebr. II, 16. *Non vsquam angelos aſſumit: ſed ſemen Abrahæ aſſumit.* Quicunque *ita* eſt particeps carnis & ſanguinis, vt *ſemen Abrahami* aſſumat, ille humanam naturam ſibi perſonaliter vniuit: Atqui Filius Dei &c: Ergo.

Dicis: Verbum ἐπιλαμβάνεσθαι ſignificat *recipere*, & ſemen Abrahæ collectiue ſumitur, vt deſignet poſteritatem Abrahami, vt ſenſus ſit: Chriſtus poſteritatem Abrahami recipit in gratiam. Reſp. Eſto, quod ἐπιλαμβάνεσθαι in genere ſignificet *recipere*, hic tamen, pro ſubſtrata materia, ſignificat aſſumere ſemen Abrahami, vt aſſumens, Filius Dei, *fiat particeps carnis & ſanguinis*, v. 14. *fratribusque ſuis ſimilis*, v. 17. *Semen* non ſemper *collectiue* ſumi, docet Paullus, Gal. III, 16.

4) Ex Rom. XI, 5. *Ex quibus* (patribus) *eſt Chriſtus* κατὰ σάρκα, quantum *ad carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.* Quicunque eſt ſummus Deus, & habet *carnem propagatam ab Iſraëlitarum patribus*, ille carnem ſibi perſonaliter vniuit: Atqui Chriſtus &c: Ergo. *Maior* probatur: quia Deus de homine in caſu recto prædicari nequit, niſi Deus & homo vniantur; *vnio* quippe *perſonalis* eſt fundamentum eiusmodi prædicationis.

5) Ex Gal. IV, 4. *Filius Dei factus eſt ex muliere*: Ergo immutabilis Dei Filius factus eſt homo, non per mutationem ſubſtantialem, ſed per vnionem perſonalem.

6) Ex 1 Tim. III, 16. *In confeſſo magnum eſt pietatis myſterium* (hoc): *Deus manifeſtatus eſt in carne.* Per *Deum* h. l. intelligitur *Filius Dei*, qui & Deus appellatur, Ioann. I, 1. Actor. XX, 28. 1 Ioann. V, 21. & *caro factus* dicitur, Ioann. I, 14. Hic in carne ac per carnem ſuam gloriam conſpicuam reddidit ac demonſtrauit, ſe verum eſſe Deum. Docet hoc Ioannes c. I, 14. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam ipſius, gloriam ſicut vnigeniti a Patre*, & cap. II, 11. *Chriſtus manifeſtauit gloriam ſuam.* At non potuiſſet gloriam ſuam *in carne manifeſtare*, niſi *carnem aſſumſiſſet.*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, myſterium incarnationis feruide impugnantium; qui futiliſſimis rationis commentis innituntur:

I. Incarnatio Filii Dei repugnat ſanæ rationi, quæ dictat, fieri non poſſe, vt duæ formæ ſubſtantiales, eæque perfectæ, in vnum idemque ſuppoſitum cadant: cum ſic non vnum, ſed duo diuerſa exiſterent ſuppoſita. Reſp. a) Ratio, ſibi relicta, de incarnatione Filii Dei nihil nouit, cum ſit ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον, 1 Tim. III, 16. Ergo credendum eſt propter diuinam reuelationem. Ratio, ſibi iudicium ſumens de myſteriis fidei, non eſt ſana, ſed male ſana, corrupta & ferociens. b) Quis vnquam diuinitatem Chriſti vocauit *formam*? c) Formas elementorum manere in vno ſuppoſito, docet philoſophia.

II. Si natura diuina Filii Dei eſt incarnata, etiam natura diuina Patris & Spiritus S. eſt incarnata: Poſterius eſt hæreticum; quippe quo reducitur hæreſis *Sabellianorum* & *Pa-*

*tris-*

*tripaſſianorum.* Reſp. Aſſerimus, Filium Dei, ſeu ſecundam *perſonam* deitatis, quæ non eſt Pater & Spiritus S., incarnatam eſſe; non quidem excluſa natura diuina τῦ λόγυ. Sed diſtinguimus *inter naturam conſideratam abſolute, prout omnibus tribus perſonis* eſt communis, & ſpectatam *relate,* prout *charactere hypoſtatico Filii Dei* eſt inſignita.

III. Cuius natura humana eſt vera perſona, ille non poteſt eſſe perſona diuina: Atqui Chriſti humana natura eſt vera perſona: Ergo. *Maior* conſtat: quia duæ perſonæ non poſſunt coaleſcere in vnam perſonam. *Minor* probatur a) e deſcriptione perſonæ. Nam omnis ſubſtantia prima & intelligens eſt perſona. Atqui humana Chriſti natura eſt ſubſtantia prima & intelligens. b) Natura humana eſt homo & filius hominis, qui non poteſt non eſſe perſona. c) Actiones & paſſiones ſunt ſuppoſitorum. Humana Chriſti natura agit & patitur. d) Competit humanæ Chriſti naturæ officium propheticum, ſacerdotale & regium, quo officio nemo fungitur, niſi ſit perſona. Reſp. Ad a): Omnis ſubſtantia prima & intelligens ἀυθυπόςατος eſt perſona. At humana Chriſti natura non eſt ἀυθυπόςατος, h. e. propria gaudens ſubſiſtentia, ſed ἐνυπόςατος, i. e. propria ſubſiſtentia deſtituta; terminatur ſubſiſtentia τῦ λόγυ ſibi communicata, adeoque *non* eſt *perſona,* ſed *perſonata,* vt communiter loquuntur. Ad b): Natura humana Chriſti, in ſe, citra ὑπόςασιν τῦ λόγυ ſpectata, non eſt homo, nec filius hominis; ſumta autem cum ὑποςάσει λόγυ, homo & filius hominis eſt. Homo enim & filius hominis ſignificant per modum ſuppoſitorum, & connotant ὑπόςασιν. Concedimus etiam, filium hominis in filio Dei ſubſiſtentem eſſe perſonam σύνθετον, ſiue compoſitam, quæ vocatur θεάνθρωπος. Ad c): Non *ſola* ſuppoſita agunt. Nam & anima ſeparata agit, quæ tamen non eſt perſona. Quod autem vulgo aſſerunt, *actiones eſſe ſuppoſitorum,* non hunc habet ſenſum, quod ab ipſa ſuppoſitalitate res habeat, quod agat, aut agere poſſit, ſed quod de lege naturæ res, ante ſubſiſtentiam, non ſit in ſtatu completo & ad operandum accommodato conſtituta. Quod ſi res aliqua, propria ſubſiſtentia deſtituta, aliunde & per ſubſiſtentiam, ab alio communicatam, in ſtatu completo & ad operandum accommodato conſtituatur, tunc nihil impedit, naturam etiam proprie agere & pati. Ita autem comparatum eſt cum humana Chriſti natura. Ad d): Officium triplex competit Chriſto θεανθρώπῳ, non *ſoli* humanæ naturæ, in ſe, citra connotatam ὑπόςασιν diuinam, ſpectatæ.

IV. Vnum & idem ſubiectum duo diſparata ſimul eſſe non poteſt, nec vnum diſparatorum poteſt eſſe alterum, neque duo diſparata de eodem ſubiecto prædicari queunt: At Deus ſummus, & homo, ſunt diſparata: Ergo Chriſtus non poteſt eſſe ſimul Deus & homo. Deus non poteſt eſſe homo: neque Deus & homo de Chriſto prædicari queunt. Reſp. *Diſparata, in ſe, citra vnionem ſui ſpectata;* non poſſunt de ſe prædicari, nec vnum ſubiectum poteſt eſſe duo diſparata, nec vnum diſparatorum poteſt eſſe alterum. Si autem contingat, *vt duo diſparata inter ſe vniantur,* tunc non repugnat, vnum prædicari de altero, non quidem in abſtracto, ſed *in concreto,* & cum connotata vnione; & vnum idemque ſubiectum ſimul poteſt eſſe duo diſparata, atque vnum diſparatorum poteſt eſſe alterum, non quidem ſecundum idem, ſed alio atque alio reſpectu. v. gr. Recte dico: quoddam album eſt dulce (lac): quidam miles eſt muſicus (rex Dauid): quidam philoſophus eſt theologus (Iuſtinus Martyr).

Inſtantia: Duo diſparata completa ſubſtantialia de ſe inuicem prædicari nequeunt: v. gr. ouis & lupus de ſe non affirmantur. Reſp. *Duo diſparata ſubſtantialia completa de lege naturæ non vniuntur ad conſtituendum vnum ſuppoſitum, diuina autem potentia ea vniri, non repugnat.*



Digitized by Google

*repugnat.* Quod quando fit (vt in Chriſti incarnatione factum eſt); tunc in concreto de ſe inuicem prædicari queunt, non quidem prædicatione vſitata, ſed inuſitata. Philoſophi quippe inductione exemplorum naturalium ſuos formarunt canones, quibus myſteria fidei impugnare haud licet. Nos credimus ſcripturæ dicenti: *Verbum caro factum eſt*, Ioann. I, 14. *Germen Dauidis eſt Iehouah.* Ier. XXXIII, 5.

V. Nulla ſubſtantia completa intelligens propria perſonalitate carere, & aliena ſubſiſtere poteſt: Atqui natura humana &c: Ergo. Reſp. Neg. mai. Nam perſonalitas non eſt de formali ſubſtantiæ completæ, ſed vltimus modus, vel gradus ſubſiſtendi natura poſterior, & in creaturis realiter ab ipſa ſubſiſtentia differens. At vero omne prius poteſt eſſe ſine poſteriori, & quæ diſtincta ſunt realiter in eſſentia finita, ab inuicem ſeparari queunt potentia infinita. Pie & ſubmiſſe agnoſcamus, eam eſſe perfectionem τȣ̃ λόγȣ, vt queat terminare ὑποστάσει ſua humanitatem ſingularem de ſe in ſubſiſtendo interminatam, intime tamen ſibi vnitam, cum eo ipſo nulla inuoluatur contradictio. Et cum id præſtare ſit penes Filium Dei, etiam humanitas id potuit accipere; potentiæ enim Dei actiuæ reſpondet in creaturis potentia obedientialis.

### Quæſt. XXI. *In quo formaliter conſiſtit incarnatio?*

*Forma incarnationis.*

Incarnatio *formaliter* conſiſtit in *aſſumtione carnis in vnitatem perſonæ* a), & *communionem naturæ diuinæ* b).

Prob. a. Incarnatio eſt *vnitio* duarum naturarum *perſonalis*, cuius terminus ad quem eſt vna perſona, propterea, quod per vnitionem perſonalem naturæ aſſumtæ humanæ, ex ſe non ſubſiſtenti, communicata eſt ſubſiſtentia τȣ̃ λόγȣ, vt duæ illæ naturæ, diuina Chriſti, & humana, ſint vna perſona.

Prob. b. Incarnatio τȣ̃ λόγȣ non abſoluitur ſola communicatione ſubſiſtentiæ, ſed complectitur etiam aſſumtionem carnis in *communicationem naturæ diuinæ* τȣ̃ λόγȣ. Ex quo ATHANASIVS eam deſcripſit in *ſymbolo ſuo* *), per πρόσληψιν ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα, aſſumtionem humanitatis in deitatem. Ratio eſt: quia ſubſiſtentia Filii Dei non poteſt aſſumtæ carni communicari ſine ipſius natura diuina; ideo, quod hypoſtaſis eſt modus, qui extra, vel citra naturam, a qua realiter non differt, nulla ratione eſſe poteſt. Quare, communicata carni ſubſiſtentia diuina, non poteſt non communicari ipſa diuina natura & eſſentia Filii Dei.

### Quæſt. XXII. *Quid eſt communicatio hypoſtaſeos, ſiue ſubſiſtentiæ?*

Communicatio *hypoſtaſeos* eſt, qua Filius Dei *aſſumtæ naturæ humanæ*, propria perſonalitate deſtitutæ, *diuinam ſuam* ὑπόστασιν *ad communionem & participationem vere & realiter contulit*, vt eadem terminetur, in ſubſiſtendo compleatur, atque in eſſe vltimo hypoſtatico conſtituatur.

Obſ. I. Diuina & humana naturæ, in vna perſona συνθέτῳ Filii Dei exiſtentes, vnam eandemque habent hypoſtaſin, modo tamen habendi diuerſo. *Natura enim diuina eam habet* πρώτως καὶ κατ᾽ αὐτὸ, *primario, per ſe & independenter; natura autem humana* δευτέρως καὶ κατ᾽ ἄλλο, *ſecundario, propter vnionem perſonalem, adeoque participatiue.*

Obſ.

*) Vſitata dicendi ratione vtitur Vir beatus. Probe enim ſciuit, ATHANASIVM non auctorem ſymboli, ſed defenſorem doctrinæ, quæ in eo continetur, facile principem fuiſſe, indeque nomen hæſiſſe illi confeſſioni. De quo argumento conſulendi ſunt ſcriptores, qui hiſtoriam eccleſiaſticam erudita ac ſapiente commentatione illuſtrarunt.

Digitized by Google

Obſ. II. Particeps facta eſt caro Chriſti diuinæ ſubſiſtentiæ *ad poſſeſſionem, vſurpationem & denominationem. Ad poſſeſſionem;* quia Filius Dei ita aſſumſit naturam humanam in hypoſtaſin ſuam, vt hypoſtaſis Filii Dei facta ſit hypoſtaſis humanæ naturæ, ſeu, carnis aſſumtæ, quæ collata ipſi eſt non per transfuſionem, ſed per communicationem. *Ad vſurpationem;* vt, vi huius communicationis, natura humana actu perſonali Filii Dei reapſe gaudeat, fruatur, eademque ſubſiſtat. *Ad denominationem;* vt inde non dicatur quidem *ὑπόστασις*, vel *ὑφιστάμενον*, ſed *ἐνυπόστατος*, vel *ὑποστᾶσα ἐν τῷ λόγῳ*, vt loquitur DAMASCENVS L. III. de O. F. c. II., ſubſiſtens in Filio Dei, adeoque non *perſona*, ſed *perſonata*, qua voce vtitur commentator Damaſceni.

Probatur communicatio hypoſtaſeos: 1) e Io. I, 14. *Verbum caro factum eſt*, quod ita intelligendum eſt, notante DAMASCENO L. III. de O. F. c. II. vt Verbi hypoſtaſis, ſine conuerſione, facta ſit carnis hypoſtaſis. Vnde colligimus: Quæcunque hypoſtaſis, Filii Dei ab æterno propria, facta eſt in tempore aſſumtæ carnis hypoſtaſis, illa carni eſt communicata: Atqui hypoſtaſis diuina & infinita &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia fieri nequit, vt, quod vnius eſt proprium, ab altero poſſideatur, niſi per realem ſui cum altero illo communicationem. 2) Chriſtus conſtans e natura diuina & humana eſt vna perſona: Ergo vnam habet hypoſtaſin, ſiue perſonalitatem. Nam vbi gemina eſt perſonalitas, ibi duæ ſunt perſonæ. Hinc vlterius colligimus: Quicunque conſtans ex natura diuina & humana vnam habet hypoſtaſin, in eodem vel natura diuina ſuam hypoſtaſin communicauit naturæ humanæ; vel natura humana ſuam hypoſtaſin communicauit naturæ diuinæ, vel denique ex hypoſtaſi naturæ diuinæ & hypoſtaſi naturæ humanæ vna eſt conflata. At neque natura humana naturæ diuinæ ſuam ſubſiſtentiam communicauit, eo, quod ὁ λόγος ab æterno modo perfectiſſimo ſubſtitit, caro demum in tempore exſiſtere, atque ἐν λόγῳ ſubſiſtere coepit: neque ex hypoſtaſi τοῦ λόγου & hypoſtaſi carnis vna orta eſt hypoſtaſis, quia hæc notat modum ſubſiſtendi incommunicabilem & vltimo completum. At e duobus incommunicabilibus, & vltimo completis, tertium incommunicabile & vltimo completum conflari, ſimpliciter impoſſibile eſt. Ergo natura diuina humanæ ſuam communicauit hypoſtaſin. 3) Si ὁ λόγος aſſumtæ carni ſuam hypoſtaſin non communicaſſet, filius Mariæ virginis non diceretur filius altiſſimi. At ita recte dicitur, Luc. I, 35. Ergo. Conſequentia probatur: quia ad veritatem illius propoſitionis requiritur, vt filius Mariæ perſonaliter idem ſit, qui eſt Filius Dei, vel ipſam hypoſtaſin Filii Dei habeat: quam quomodo haberet humana Chriſti natura, niſi a diuina communicatam accepiſſet? (*).

 Dicis

(*) Ita eſt ſane: Si ea ſcripturæ teſtimonia, quæ *vnum* nobis *Chriſtum*, nec plures, commendant, conferamus cum illis, quæ *duplicem* huic vni *naturam*, vnam quidem *diuinam*, alteram autem *humanam* adſerunt: conſequens erit vt alterutram in alterius ὑπόστασιν adſumtam eſſe, firme credamus. At enim eiusmodi adſumtio fieri non poteſt ſine mutatione eius naturæ, quæ ab altera adſumitur, & communicatione infinitæ perfectionis. O. quod mutabile, & communicandæ ſecum infinitæ perfectionis capax eſt, finitum ſit, neceſſe eſt. *Humana* natura eſt per ſe finita: *diuina* eſt infinita, omnisque mutationis expers, nec poteſt cum ea maior perfectio communicari, ipſa autem omnia valet, ſi velit, communicare cum alia natura. E. neceſſe eſt, non diuinam naturam ab humana, ſed humanam a diuina ὑπόστασιν communicatam accepiſſe. Eamdem conſequutionem neceſſariam efficimus ex *principio* quodam, *Theologiæ reuelatæ* proprio, cuius vim vt percipiamus, præmittendum eſt hoc principium philoſophicum: *Quidquid eſt, omnino eſt propter certum aliquem finem, aut plures.* Ergo *qualis* eſt *finis*, cuius obtinendi cauſſa res tota eſt, & ita quidem, nec aliter eſt; *talem* & *modum*, quo ea res ita eſt, fieri oportet Itaque ſi quis plane *ſingularis* conſtitutus ſit *finis* rei, & præter eum nullus alius; non poteſt non etiam prorſus *ſingularis* eſſe modus, quo res ita ſit, vt nulla alia cum ea comparari queat. His præmiſſis, conſiderandum nunc erit: quem

in

Dicis: I. Hypoſtaſis eſt modus ſubſiſtendi incommunicabilis: Ergo hypoſtaſis τȣ̃ λόγȣ non potuit aſſumtæ carni communicari. Reſp. Hypoſtaſis eſt incommunicabilis alteri perſonæ *vltimate ſubſiſtenti*; non eſt incommunicabilis alteri naturæ, *propria ſubſiſtentia deſtitutæ*.

Dicis: II. Si ὁ λόγος ſuam ſubſiſtentiam humanæ naturæ communicauit, humana natura erit perſona; adeoque duæ erunt in Chriſto perſonæ, quod eſt *Neſtorianum*. Conſequentia eſt euidens; quia, quidquid vltimate ſubſiſtit, perſona eſt. Reſp. Neg. conſequentiam. Nam humana natura ideo non eſt perſona, quia ſubſiſtentiam habet communicatam;

in *finem*, ſiue, vt magis latine dicam, quo conſilio ac propoſito *diuina* Chriſti *natura* in ſuam ὑπόςασιν receperit *humanam* naturam? Quippe omnino *ſingularis* atque incomparabilis *finis* erat, nulli rerum creatarum, neque mortali, neque angelo conueniens. Erat nimirum ſatisfactio vicaria pro hominibus vniuerſis ac ſingulis Deo præſtanda, Dei hominumque reconciliatio. Ad tantum negotium conficiendum, omnino *duo* erant neceſſaria; quorum quidem *vnum* erat obedientia perfectiſſima, cum peragendo, tum perferendo præſtanda; *alterum* vero infinitum eius pretium, infinito Deo placando par ſatisque idoneum. Vtrumque continetur vno hocce dicto, Hebr. IX, 12. Atqui prius illud erat *humanæ* naturæ proprium, hoc autem alterum *diuinitatis* erat. Perficiam argumentationem: Si *duo* ſunt ad *vnum finem* requiſita, alterum *diuinæ* naturæ, alterum *humanæ* tribuendum, & *ita* quidem, vt *vtrumque* arctiſſimo velut vinculo *coniunctum* eſſe debeat ad conſummationem *vnius effectus* atque operis, ab *vno eodemque ſubiecto* perficiendi: neceſſe eſt, *duas naturas* eſſe in *vno ſubiecto* coniunctas. E. vnus Dei hominumque Reconciliator non poteſt non *vna perſona* eſſe, in qua *duæ* ſunt *naturæ*. Nihil hic deprehendit recta ratio & mens illuminata, quod abſurdum ſit, nihil, quod ſibi repugnet. Is vero abſurde cogitat, qui a rebus *humanis*, immo etiam *communibus* ac *perpetuis*, ad rem *diuinam*, eamdemque prorſus *ſingularem*, procedendo concludit. Nullus homo eſt, qui poſſit aliam quamdam naturam in ſuam ὑπόςασιν cooptare: Ergo nec Deus id valeat? Nulla ne igitur inter Deum ac homines intereſt differentia, nedum infinita? *Finitum non eſt capax infiniti.* Concedo, quantum ad *comprehenſionem*. Humana natura non *cepit* & *comprehendit* diuinam in Chriſto naturam; Recte. Quis negat? Ergo etiam quod attinet ad *coniunctionem* accipiendam perpetuoque retinendam? Itane etiam *infinitum non erit capax finiti*, vt illud poſſit hoc totum ſecum coniungere atque in ſuam ὑπόςασιν adſumere? Aut temere negabis omnem vnionem, qua Deus poſſit rebus creatis adeſſe; aut facile mihi hoc dabis: Si Deus cum effectibus ſuis quibusque, præſertim vero cum hominibus, ſe poteſt, vt ſolet, coniungere παραςατικῶς, vt in ipſo viuamus, moueamur, & ſimus, Act. XVII, 27. 28. quidni poſſit etiam ipſe humanam naturam ſecum coniungere *ſingulari* quodam *modo*, arctiſſimoque vinculo, ὑποςατικῶς; Nec eſt periculum, quod fruſtra metuit PETRVS BAYLIVS, ne *ſcepticiſmo* patrocinetur noſtra ſententia. Argumentatus eſt ille mirum in modum: *Si ad perſonam hominis non ſufficit coniunctio animi cum corpore* (*id quod*, vt ait, *exemplum Chriſti nos docuit*): *ſequitur, vt nemo poſſit certo ſcire, ſe eſſe perſonam.* Quis non videt, minime valere *conſequentiam*, quæ a conditione prorſus *ſingulari vnius* hominis, nec ψιλανθρώπου, in ſalutem omnium nati, ad *communem* hominum *omnium* ſortem ducitur? Negamus etiam, ac pernegamus *antecedens*. Quis vnquam dixit, aut quem noſtra Theologia docuit, copulationem animi corporisque non eſſe ſufficientem ad conſtituendam *perſonam hominis*, quatenus eſt *homo*? Quis Noſtratium Chriſto adſeruit *perſonam*, philoſophice ſic dictam, *humanam*? *Diuinam* eius *perſonam*, in eaque *humanam naturam* omnes vno ore atque animo profitemur, certiſſimeque perſuaſi ſumus, coniunctionem animi cum corpore non ſuffeciſſe ad *perſonam Chriſti* ac θεανθρώπου, non quoad eſt *homo*, ſed quatenus eſt *Chriſtus* ac θεάνθρωπος, vnus ille μεσίτης, inter *Deum* ac *homines* intercedens. Vt diuina Chriſti natura humana in ſuam adſumeret ὑπόςασιν, id erat neceſſarium *non* ad *veritatem* integritatemque *humanæ*, quam ipſe adſumſit, *naturæ*, vt Chriſtus eſſet *homo*, ſed ad *finem* illum omnino *ſingularem*, vt eſſet ὁ μεσίτης ac θεάνθρωπος, cui hoc erat propoſitum, vt Conciliatoris pacis inter Deum atque homines partibus perfecte fungeretur.

Digitized by Google

catam; quin eo ipſo non *perſona*, ſed *perſonata* eſt, participatiue ſcil., habens perſonalitatem, non independenter, & ἀνϑυποςάτως. Non quidquid *quomodocumque ſubſiſtit*, eſt perſona, ſed quod eſt ἀνϑυπόςατον, i. e. quod *per ſe* & *incommunicabiliter ſubſiſtit, nec in ſubſiſtendo ab alio dependet.*

Dicis: III. Cui non eſt communicatus character hypoſtaticus τȣ̃ λόγȣ, illi etiam non eſt communicata eiusdem hypoſtaſis: Atqui humanæ naturæ non eſt &c. Ergo. *Maior* eſt liquida: quoniam character hypoſtaticus Filii Dei ab ipſa hypoſtaſi realiter non differt, ſed per eundem in eſſe filii conſtituitur. *Minor* probatur: quia *character hypoſtaticus* Filii Dei eſt *æterna generatio paſſiua;* quæ humanæ naturæ non eſt communicata. Reſp. character hypoſtaticus Filii Dei proprie loquendo *non* eſt *generatio*, ſed *filiatio*, quamuis eius fundamentum ſit generatio. In communionem *filiationis* vtique recepta eſt humana natura, quia Chriſtus ϑεάνϑρωπος eſt *vnus Filius Dei* proprius & naturalis, in duabus naturis, diuina & humana ſubſiſtens.

Inſtantia: Filius Dei proprius & naturalis eſt ab æterno genitus: Humana Chriſti natura non eſt ab æterno genita: E. Humana Chriſti natura non eſt Filius Dei naturalis & proprius. Concedo totum argumentum. Nam *Filius Dei* eſt nomen *perſonæ*. Sicut igitur non dicimus: humana natura eſt hypoſtaſis, aut *perſona*, ſed ἐνυπόςατος & *perſonata;* ita etiam non dicimus: humana natura eſt *Filius Dei ab æterno genitus*, ſed eſt *aſſumta in filiationem Filii Dei*, ab æterno geniti. Vnde *in concreto:* Filius Mariæ virginis Filius Dei, ab æterno genitus, recte dicitur. Conf. Io. I, 14.

### Quæſt. XXII. *Quis eſt finis incarnationis?*

*Finis* incarnationis *proximus* eſt redemtio generis humani peccatis corrupti a): finis *vltimus* eſt gloria Dei b). *Finis incarnationis.*

Prob. a. E verbis Matth. XX, 28. *Filius hominis non venit, vt ipſi miniſtretur, ſed vt ipſe miniſtret, & det animam ſuam* (λύτρον) *redemtionem pro multis.*

Prob. b. Filio Dei in carne exhibito cecinerunt angeli, Luc. II, 14.: *Gloria Deo in altiſſimis.* Eluceſcit quippe ex myſterio incarnationis gloria bonitatis, iuſtitiæ, ſapientiæ & omnipotentiæ diuinæ.

### Quæſt. XXIV. *An Chriſtus in carnem veniſſet, ſi homo non peccaſſet?*

Filius Dei *non aſſumſiſſet carnem*, ſi *homo non peccaſſet.*

Prob. 1) Quia, docente ſacra ſcriptura, *finis* incarnationis eſt *redemtio generis humani.* Redemtio autem præſupponit *peccatum*, & miſeriam e peccato contractam. Hanc vt auerteret Filius Dei, noſtram induit carnem. Nam *quoniam pueri participes facti ſunt carnis & ſanguinis, & ipſe ſimiliter participem ſe fecit ipſorum, vt per mortem aboleret eum, qui virtutem habebat mortis, hoc eſt diabolum, & dimitteret eos, quotquot timore mortis per omnem vitam obnoxii erant ſeruituti.* Hebr. II, 14.

2) Filius Dei in carnem venturus erat non ex abſoluto aliquo decreto, ſed promiſſus eſt, poſtquam homo a diabolo ſeductus erat, vt caput ſerpentis contereret, Gen. III, 15. & pro maledictione benedictionem conciliaret, Gen. XII, 3. Quod ergo ex vi *fœderis euangelici poſt lapſum* factum eſt, id *ante lapſum* locum non habuit. Promiſſio autem de mittendo & venturo Filio Dei in carnem facta eſt *vi fœderis euangelici.*

*Antitheſis:*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt quorundam *Scholaſticorum* (quibus album calculum adiecit ANDREAS OSIANDER, profeſſor Regiomontanus) & *Socinianorum*, ſtatuentium, Chriſtum in carnem venturum fuiſſe, licet homo non peccaſſet. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Quicunque ſapientiam hypoſtaticam ordinauit ad obeundum officium ſacerdotale, regium & propheticum, ante omnia opera ſua, is decreuit æternum filium mittere in carnem prius, quam decreuit homines creare, aut lapſos erigere: Atqui Deus Pater &c. Ergo *Maior* conſtat; quia ſapientia hypoſtatica, ad officium ordinata, eſt Filius Dei. *Minor* prob. e Prou. VII, 23. vbi Filius Dei, ſiue ſapientia cœleſtis, inquit: *Iehouah poſſedit me, principium viæ ſuæ; ante opera eius, ex quo (eſt) ab æterno,* נסכתי, *ordinata, iniuncta, inaugurata ſum,* ſcil. ad officium regium, ſacerdotale & propheticum. Reſp. 1) verbum נסכתי a SEB. SCHMIDIO redditur: *effuſa ſum*, adeoque *æterna τȣ̃ λόγȣ generatio* hac voce *μεταφορικῶς* deſcribitur. Haud ex vano inquit D. CALOVIUS in *bibl. illuſtr. in h. l. fol. 1150.*: *Nonnulli eam proprietatem perſonalem etiam indagant in voce* נסכתי v. 22., *inuncta ſum, quod, communicata Filio per æternam generationem diuina eſſentia, communicata etiam ſit diuina maieſtas & imperium ſuper omnes res creandas.* 2) Concedit idem, quod *vnctio* hic proprie ſit Filii ab æterno geniti ad officium non regium tantum, ſed etiam ſacerdotale ac propheticum deſtinatio ab æterno facta, quemadmodum reges, ſacerdotes & prophetæ ad officium ſuum per vnctionem inaugurari ſolebant. At licet deſtinatio illa Filii Dei ad officium in ſigno rationis diuinæ anteceſſerit creationem & opera mundi, non tamen anteceſſit decretum diuinum de mundo creando; & quamuis decretum illud de mittendo filio ad officium ſit *æternum & immutabile*, non tamen eſt *abſolutum*, ſed *reſpectiuum*, factum *κατὰ πρόγνωσιν* peccati.

II. Nullus actus Dei glorioſiſſimus dependet a peccato: Incarnatio Filii Dei eſt actus Dei glorioſiſſimus: Ergo. Reſp. Non dicimus, incarnationem Filii Dei dependere a peccato, velut *cauſſa;* ſed aſſerimus, peccatum præuiſum obtuliſſe Deo *occaſionem* ad formandum decretum de mittendo filio ſuo in carnem & liberandum genus humanum a miſeria peccati.

III. Filius Dei dicitur primogenitus creaturarum, Col. I, 15. quia Deus Pater de mittendo filio ſuo decretum fecit prius, quam de vllis rebus creandis, aut lapſis erigendis. Reſp. Chriſtus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, non quia genitus eſt in creatione, aut *inter* creaturas; ſed quia genitus eſt *ante* omnem creaturam. Quod prædicatum ipſi competit ratione naturæ diuinæ, non reſpectu incarnationis.

IV. Quidquid multum facit tum ad manifeſtationem bonitatis diuinæ, tum ad ſublimitatem generis humani, illud Deus procuraſſet, licet homo non peccaſſet: Atqui incarnatio Filii Dei &c. E. *Maior* eſt euidens; quia Deus ſuam bonitatem declaratam, & hominis excellentiam vult promotam, nullo exſiſtente peccato. *Minor* prob. quia 1) incarnatio τȣ̃ λόγȣ eſt inſigne documentum diuinæ bonitatis: dum enim ὁ λόγος carnem aſſumit, diuina & humana natura ſuauiſſime vniuntur, vt homo de amore Dei nullus dubitet. 2) Per incarnationem natura humana in perſonam τȣ̃ λόγȣ eſt exaltata, quæ ſublimitas humanæ naturæ eſt incomparabilis. Reſp. 1) Deus ante lapſum collatione imaginis ſuæ erga hominem ſuam bonitatem manifeſtauit clariſſime; clarius eam in vita beata declaraturus, ſi homo nunquam peccaſſet. 2) Eſſentiali hominis perfectioni aut excellentiæ nil deceſſiſſet, licet humana natura in hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ nunquam fuiſſet euecta: ſicut natura angelorum in bono confirmatorum manet excellens, tametſi extra hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ ſit conſtituta.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXV. *Fuitne incarnatio Filii Dei neceſſaria?*

*Neceſſaria* fuit incarnatio Filii Dei *non abſolute* a); ſed poſita hac *hypotheſi*, quod Deus hominem lapſum ſalua iuſtitia ſua in gratiam recipere, & æternum ſaluare voluerit b).

Prob. a. Non neceſſaria fuiſſet incarnatio Filii Dei, ſi homo in ſtatu integritatis perſtitiſſet. Neque ſimpliciter neceſſaria fuit in ſtatu miſeriæ poſt lapſum; propterea, quod Deus hominem in peccata prolapſum iure iuſtiſſimo æternis mactare pœnis poterat.

Prob. b. Incarnatio τȣ̃ λόγȣ, quantum e ſcripturis patet, neceſſaria fuit ex hypotheſi: ſi Deus decreuit hominem lapſum erigere, & cœleſti donare beatitate. Nam 1) *non eſt in alio vllo* (quam Ieſu) *ſalus. Neque enim nomen eſt aliud ſub cœlo, quod datum inter homines, in quo oporteat ſaluari nos*, ait Petrus, Act. IV, 12. 2) Fundamentum ſalutis aliud nemo poteſt ponere, præter poſitum, quod eſt Ieſus Chriſtus, 1 Cor. III, 11. 3) Si aliud remedium exſtitiſſet aduerſus peccatum, Deus proprio peperciſſet filio *). At huic non pepercit, ſed illum pro nobis tradidit in mortem acerbiſſimam, vt cum illo nobis omnia ad ſalutem neceſſaria gratis donaret, Rom. VIII, 32. Ergo *inſolubilis damnatio manſiſſet ſine verbo incarnato*, inquit AVGVSTIN. *ſermone V. de natiu.*

Dicis: I. De facto quidem in nullo alio eſt ſalus, quam in Ieſu: exinde tamen colligere haud licet, quod Deo nulla alia media reparandæ ſalutis hominum fuerint, quam incarnatio filii ſui. Reſp. Apoſtolus Petrus l. c. non tantum dicit, quod *in nullo alio, quam in Ieſu ſit ſalus;* ſed addit etiam, quod *nullum aliud nomen ſub cœlo datum ſit, in quo nos ſaluari oporteat*, vt indicet, ſalutem generis humani pependiſſe a Filii Dei, tanquam perſonæ infinitæ, ſatisfactione, quam neceſſario anteceſſit incarnatio τȣ̃ λόγȣ.

Dicis: II. Deus, abſolutus omnium creaturarum dominus, poterat hominem peccatorem potentia ſua abſolute iuſtificare & in gratiam recipere, citra interuentum ſatisfactionis: E. incarnatio non fuit neceſſaria. Reſp. Quid Deus abſoluta poteſtate facere queat, nobis, tacente ſcriptura, liquido non conſtat, poteſt enim *abundantius facere, quam nos intelligimus*, Eph. III, 20. Sermo nobis eſt de *potentia Dei ordinata*, qua Deus, ſalua iuſtitia ſua, citra ſatisfactionem, peccatorem in gratiam recipere nequiuit. Nam omnis iudex terreſtris, iuſtificans impium, Deo eſt abominabilis, Prou. XVII, 15. Ergo repugnat iuſtitiæ Dei eſſentiali, iuſtificare impium citra interuentum ſatisfactionis, quæ vt præſtaretur, neceſſaria fuit incarnatio Filii Dei.

Quæſt. XXVI. *An Filius Dei redemtor generis humani iam pridem incarnatus eſt?*

Filius Dei, qui eſt promiſſus Meſſias & redemtor generis humani, iam pridem in carnem venit.

Prob. 1) Quia ſceptrum a tribu Iuda iam pridem ſublatum eſt. At non debuit ſceptrum a tribu Iuda penitus auferri, donec veniret Schiloh, pacificator ille ſingularis, ſcilicet Meſſias. Ita enim habet cygnæum annoſi vatis Iacobi carmen, Gen. XLIX, 10. *Non recedet ſceptrum de Iuda, nec legislator* (natus) *a pedibus eius, vsque dum veniat Schiloh, & huic ſit adhæſio populorum.* Obſ. 1) *Schiloh* commodiſſime deducitur a שלה tranquillus fuit, adeoque notat *tranquillatorem*, ſeu æternæ pacis & tranquillitatis auctorem, vt ſenſus ſit: Variis malis quidem conflictabitur Iuda, non tamen prorſus recedet ſceptrum, donec paci-

*) Et Patri quidem ita ſupplicanti filio; *Si fieri poteſt*, fac vt auertatur abs me hoc poculum, Matth. XXVI, 39. Id vero, quod *aliter fieri nullo modo poteſt*, omnino eſt *neceſſarium.*



Digitized by Google

pacificator veniat, qui illi veram pacem afferat. עד כי, *donec*, non infert, eo momento, quo Schiloh veniet, repente & quaſi vno ictu deiiciendum regimen & ſynedrium Iudaicum; verum admittit quandam latitudinem hoc modo: Circa illud tempus, quo Schiloh veniet, poterit quidem fieri, vt inclinet, & paullatim incipiat ruere politia Iudacia, non tamen penitus abolebitur, antequam veniat. Nimirum Iudæi erant quidem ſub iugum ſeruitutis miſſi a Romanis, ante Chriſti aduentum, permittebantur tamen ſuis viuere legibus, adeoque qualicunque gaudebant αὐτονομίᾳ, præſertim cum Herodes Iudaicis viueret moribus. Conquaſſatum itaque eſt ſceptrum Iudæ a Pompeio & Herode, fractum vero tandem non diu poſt Meſſiæ aduentum, & plane ſublatum a Veſpaſiano, qui vrbem Hieroſolymam ſolo æquauit. Quapropter, funditus euerſa republica iudacia, validiſſime concludimus: Sceptrum a tribu Iudæ iam dudum eſt ablatum: E. Meſſias iam pridem venit.

2) Templum Hieroſolymitanum iam dudum deſtructum eſt, & plurimis abhinc ſæculis deſtructum manſit; cum tamen Meſſias venire debuerit ante deſtructionem templi ſecundi, deſtruendi quidem paullo poſt cum inſigni totius populi Iudaici commotione & ipſius religionis. Vid. Hag. II, 7. collat. Hebr. XII, 26. Mal. III, 1.

3) Familia Dauidis adeo interiit, vt nullo idoneo argumento demonſtrari poſſit, quis, vel quæ ex familia iſta vir, mulierue oriundi ſint, iam vero promiſſus Meſſias venire debuit familia Dauidis, tum ſuperſtite; quoniam, ex illa naſcendus erat, tum nota, vt ex ea tanquam filius Dauidis cognoſci poſſet. Vid. Pſ. LXXXIX, 30. 37. 2 Sam. VII, 16. Ier. XXIII, 5. c. XXXIII, 15. Mich. V, 2. Eſ. VII, 14.

4) Septuaginta ſeptimanæ Danielis ſine dubio pridem elapſæ ſunt; quod nec Iudæi infitias ire poſſunt, etiamſi ipſis conceſſeris, quem in numerandis Perſiæ regibus, annisque imperii eorum obſeruari velint calculum. At Meſſias ante completum ſeptimanarum iſtarum decurſum venire debuit, teſte Dan. IX, 24. Terminum a quo ſeptuaginta hebdomadum annuarum Danielis eſſe annum ſeptimum Artaxerxis Longimani (quo Eſra ad peculiare mandatum & diploma regis Artaxerxis venit Hieroſolymam, vrbem dirutam inſtauraturus, & politiam tum eccleſiaſticam, tum ciuilem reſtiturus: Vid. Eſræ VII, 8. ſeqq.) & terminum ad quem ita ordinandum eſſe, vt in vltimæ ſeptimanæ medium incidat paſſio Saluatoris, firmis argumentis demonſtrauit D. CALOVIUS in *bibl. illuſtr. in h. l. p. 653. ſeqq.* cum quo conf. D. PFEIFFERI *dubia vexata p. 911.*

5) Non tantum oracula gentilia defecerunt; ſed & cærimoniæ Leuiticæ abrogatæ ſunt, ipſeque ignis ſacrificialis exſtinctus eſt. Iam vero oracula gentilia ſub Meſſiæ aduentum paullatim deficere, & cærimoniæ Leuiticæ cum igne ſacrificiali exſtingui debuerunt, Zach. XIII, 2. 4. Ierm. III, 16. Dan. IX, 26. 27.

6) Quæcunque in veteri teſtamento de Meſſia, ſiue redemtore generis humani, prædicta ſunt, & ad eum demonſtrandum atque agnoſcendum ſpectant, ita ſe habent, vt in certam aliquam perſonam, quæ pridem nata eſt, omnia confluant, & de ea conuenientiſſime explicari queant; quam perſonam eſſe Ieſum Nazarenum iam ſolide demonſtraturi ſumus.

Quæſt. XXVII. *Eſtne Ieſus Nazarenus verus Meſſias in V. T. promiſſus?*

*Ieſus Nazarenus verus Meſſias.*

*Ieſus Nazarenus*, in quem, vt auctorem æternæ ſalutis, nos chriſtiani ſincere credimus, *eſt verus Meſſias*, in quem *omnia vaticinia* V. T. de Meſſia edita, ad amuſſim quadrant. *).

Prob.

*) Digniſſimum ſane argumentum, quod paullo vberius explicemus. Omnino tres ſunt propoſitiones, quæ rem continent: 1) *Quod Meſſias*, & is quidem *vnus*, aliquando *venturus fuerit:* 2) Quod is *dudum venerit:* 3) Quod nullus ſit alius, quam *Ieſus Nazarenus.* Harum

Digitized by Google

Prob. 1) Quicunque eſt *Deus & homo*, is eſt verus Meſſias: Atqui *Ieſus Nazarenus &c.* E. *Maior* patet e 2 Sam. VII, 12. 13. Pſ. CX, 1. Mich. V, 1. Ier. XXIII, 5. *Minor* conſtat:



rum propoſitionum *prima*, quam nobiscum profitentur Iudæi, fulta eſt vaticinationibus V. T. quibus *omnia ſigna* Chriſti prænuntiata ſunt, ac determinata. *Secunda* confirmatur eo, tum quod *tempus* futuro Chriſto dictum, iam diu præteriit, tum quod *illæ res*, ex quibus *ſigna quædam* venturi Chriſti cognoſcenda erant, dudum deſierunt eſſe, v. g vbinam eſt hodieque templum? vbi familia Dauidis? vbi diſtinctio tribuum, in quas Iudaica gens diuiſa fuit? vbi genealogiæ? *Tertia* denique efficitur ex eo, quod *ſigna vniuerſa*, ne vno quidem demto, in *Ieſum Nazarenum* conueniunt, atque adeo prædictiones omnes in vno ipſo completas cernimus. Nullus vnquam alius talem ſe præſtitit qualem Meſſias ſe præſtare debebat, id quod adeo manifeſtum eſt, vt Iudæi ipſi, licet poſt, quam Ieſus noſter in lucem editus fuit (ante enim nemo exſtitit ψευδόχριστος), a multis fuerint decepti, nulli tamen fidem habere conſtanter potuerint. Ex quo luce clarius adparet, Iudæos non dubitaſſe, tempus conſummatum eſſe tum, cum ψευδόχριστοι ipſos inducerent, vt creduli eos ſequerentur. Tota igitur probatio ita erit perficienda, vt *ſigna Meſſiæ*, a Vatibus diuinis prædicta, ſtudioſe colligamus, & cum ſingulis illis, nullo prætermiſſo, conferamus ea, quæ de proprietatibus ac rebus geſtis *Ieſu Nazareni* monimentis mandata ſunt. Sunt nimirum *ſigna* illa

I. *Perſonæ*, quæ pertinent vel *generatim* ad *vtramque naturam*, diuinam & humanam: quod futurus ſit Immanuel, Ieſ. VII, 14. add. Matth. I, 23. filius Dauidis, idemque Dauidis Dominus, Pſ. CX, 1. add. Matth. XXII, 42. 43. (vid not. ad quæſt. 3.); vel *ſigillatim* ad alterutram naturam, ad *diuinam* quidem, quod ſit ſecunda SS Trinitatis perſona, *Filius Dei*, per *æternam* generationem, Pſ. II, 7. Ieſ. IX, 6. Mich. V, 1. add. Luc. I, 32. 35. Gal. IV, 4. Hebr. I, 3. 5. ad *humanam* autem, eiusque 1) *originem*, 2) *ſanctitatem*, Pſ. XLV, 8. Dan. IX, 24. Ieſ. LIII, 9. add. Hebr. I, 9. Luc. I 35. Io. VIII, 46. 1 Pet. II, 22. 3) *perpetuitatem*, quod humana Chriſti natura nunquam ſeparanda ſit a diuina, multoque minus deſtruenda, immo vero corruptionis omnino expers futurum ſit Chriſti corpus, tametſi exanimatum, Pſ. XVI, 10. add. Act. II, 27 ſeqq. Quod ad *originem* attinet, variæ res circumſtantes ſunt determinatæ: α) *Vnde?* Quatuor habemus indicia, quorum quidem primum ſignificat, ex qua *gente* Meſſias eſſet oriundus, Gen. XXII, 18. add. Gal. III, 16. Rom. IX, 4. 5. Io IV, 22; alterum, ex qua *tribu*, Gen. XLIX, 10. add Hebr. VII, 14 Act. XIII, 22. 23. Apoc. V, 5; tertium, ex qua *familia*, nimirum Dauidis, Ierem. XXIII, 5. XXXIII, 15. conf. cum Matth. XXII, 42. at ea tamen valde attenuata atque imminuta, Ieſ. XI, 1. conf. cum Apoc. V, 5. & adde genealogiam Ieſu noſtri, a Matthæo & Luca litteris conſignatam, cuius difficultates ſoluit, præter plures ac ſummos Viros, B. GOTTFR. OLEARIVS in libro eximio, quem inſcripſit: *Ieſus der wahre Meſſias*; quartum denique, ex qua *matre*, videlicet ex virgine, Ieſ. VII, 14. ita enim Chriſtus debebat eſſe ſemen mulieris, non viri, πρωτευαγγελίῳ congruenter, Gen. III, 15. add. Luc. I, 34. 35. Matth. I, 23. β) *Vbi* terrarum? Quippe in terra Canaan, & oppido quidem Bethlehem, Mich. V, 1. add. Matth. II, 4. 5. Luc. II, 4. γ) *Quando?* Tres erant notæ. Chriſtum oportebat naſci, a) *durante* adhuc *regimine* in tribu Iuda, ſed rebus propemodum *ad interitum inclinatis*, Geneſ. XLIX, 10. add. Luc. II, 1: b) nondum diruto *templo ſecundo*. Mal. III, 1. Hagg. II, 9. vocabulum enim הנה digito quaſi indice demonſtrat illud ipſum templum, quod tunc erat exſtructum, quidquid in contrariam partem argumentetur ABARBANEL, cum quibusdam ſuorum: c) prope finem LXX. *hebdomadum annorum*, quarum quippe terminus conſtituitur in exilio terræ Iudaicæ, Dan. IX, 24. fin. add. Matth. XXIV, 15.

II. *Status*, quod is omnino futurus eſſet 1) duplex, & *prior* quidem *miſeriæ* atque humilitatis infimæ, *poſterior* autem *gloriæ* ac dignitatis ſummæ, 2) vterque in *vno eodemque* Chriſto, Pſ. XXII. tot. CX v. vlt. Ieſ LIII tot. conf cum. Act. VIII, 34. Ex quo dilucide apparet, quam ſit abſurda verporum recentiorum fabula de *duplici* Meſſia.

III. *Officii*, vnde nomen ipſi hæſit משיח, ſiue χριστός. א) *Generaliter* atque in vniverſum *tria* ſunt ſigna: 1) *Quotuplex*, & *quale* debeat eſſe munus Chriſto mandatum? Scilicet *triplex* omnino, & *tale* quidem; Sacerdotale, Propheticum, Regium. Dictum, quo tria hæc officia *coniuncta* prænuntiantur, plerique quidem exiſtimant hoc eſſe, Ieſ. XXXIII, 22.

Verum

Digitized by Google

conſtat: quia *Ieſum Nazarenum* eſſe *verum hominem* non negant Iudæi; *diuinitatem* autem *Ieſu Nazareni* cum argumenta plurima, tum in primis miracula αὐτοκρατορικῶς & in propriam gloriam edita, ad quæ ipſe Ieſus prouocat, Matth. XI, 5. Io. X, 25. probant.

2) Qui-

Verum tamen hoc in loco nihil ſignificatur amplius, quam munus *regium*, מלכנו, eiusque duæ partes præcipuæ, nempe poteſtas *legislatoria* (quamuis etiam carne indutus Chriſtus nunquam *nouas* tulerit leges, antiquas tamen perfectasque *ſua auctoritate* denuo confirmauit, vſitata hac dicendi ratione: ἐγὼ λέγω ὑμῖν), מחקקנו, & *iudiciaria*, שפטנו. Sunt vero alia effata Vatum maxime illuſtria, in primis duo: Vnum, Ieſ. XI. vbi prædicitur a) munus *Sacerdotale*, verbo הריחו expreſſum, v. 3. add. Gen. VIII, 21. & in Leuitico ſæpius, Eph. V, 2: b) munus *Propheticum*, v. 4. parte altera, add. 2 Theſſ. II, 8: c) munus *Regium*, in eiusd. v. parte priori. Alterum exſtat in Pſ. XXII. in quo prænuntiatur officium *Sacerdotale*, v. 1-22. deinde *Propheticum*, v. 23. 26. denique & *Regium*, v. 28. vsque ad finem. Atque hoc etiam futurum erat aliquid *Chriſti proprium*, quod is vnus *tria* hæcce munera ſimul eſſet obiturus, vtpote quæ nunquam in vno homine conſociata eſſe Deus voluit ac ſiuit. Nemini vnquam licuit, Sacerdotis, Doctoris, ſimul Regis prouinciam adminiſtrare. Complementum cernimus Hebr. IV, 14. Io. III, 2. XVIII, 36. 37. 2) *Quo* ipſe *modo* eſſet *vngendus* atque inaugurandus: quippe oleo, non proprie ita dicto, Pſ. XLV, 8. Ieſ. XI, 2 LXI, 1. add. Io. III, 34. Act. X, 38. præſertim vero Io. I, 33. hæc loquutio, τὸ πνεῦμα μένον ἐπ' αὐτόν, manifeſto reſpondet illi prædictioni, vt eſt apud Ieſaiam XI, 2: נחה עליו רוח יהוה. 3) *Quo præcurſore* vteretur, Mal. III, 1. IV, 5. id quod Iudæi perperam interpretati ſunt, vt hodieque iis in more poſitum eſt, de Elia ipſo, ex cœlo in terram redituro, Marc. IX, 11. Matth. XI, 14. XVII, 10. ſeqq. Luc. I, 17. Marc. I, 2. 3. ב) *Specialiter* neceſſe erat, vt ſingulorum munerum certæ quædam eſſent *proprietates* ac prærogatiuæ, quibus *hic vnus* Sacerdos, Propheta, & ſummus Imperans, ab omnibus aliis diſcerneretur. Erant igitur *ſigna* ſingulatim

a) Officii *Sacerdotalis:* 1) Ipſum fore ſacerdotem ex ordine *Melchiſedeci*, non Aaronis, Pſ. CX, 4. add. Hebr. VII. tot. 2) hoſtiam immolaturum eſſe haud aliam, quam *ſemet*, Ieſ. LIII, 10. add. Eph. V, 2. Hebr. IX, 25. 26.: 3) nec pro ſuis peccatis, quæ prorſus nulla eſſent, ſed *pro noſtris omnino*, ſeipſum fore ſacrificium piaculare. Ieſ. LIII, 5. 6. 7. add. Hebr. VII, 26. 27.: 4) hac victima mactata, Deoque oblata & accepta, fore, vt *ſacrificia typica* V. T. *prorſus aboleantur*, eorumque nullus in poſterum vſus ſit, nulla vis, nulla efficacitas, Dan. IX, 27. Ier. III, 16. XXX, 31. ſeqq. Pſ. XL, 7. 8. add. Hebr. VIII, 5 7. ſeqq.

b) Officii *Prophetici:* Quod hic Propheta futurus eſſet vnus omnium maximus: 1) *ſicut Moſes*, Deut. XVIII, 15. ſeqq. coll. cum XXXIV, 10. 11. 12. add. Act. III. 22. 26.: 2) *communis* gentium *omnium* præceptor, Ieſ. II, 2. 3. 4. IX, 1. ſeqq. add. Matth. IV, 16. Ieſ. XLII, 6. XLIX, 6. add. Luc. II, 32. Act. XIII, 47.: 3) præco *ſalutis & iuſtitiæ*, in nemine alio, niſi *in ipſo*, inueniendæ, Ieſ. XLV, 22. 24. add. Matth. XI, 28. Act. IV, 12.: 4) maxime *manſuetus*, & prorſus ſingulari lenitudine conſpicuus, Ieſ. XLII, 2. 3. add. Matth. XII. 19: 5) *partes* muneris prophetici *omnes* ſuſcepturus, α) *docendo*, Ieſ. XLII, 1. 3. LIV, 13. add. Io. VI, 45. β) *miracula* perpetrando, Ieſ. XXXV, 5. 6. add. Matth. XI, 5 & ea quidem plane *ſingularia* atque eximia, cuiusmodi alius Propheta nullus vnquam fecit, Io IX, 32. XV, 24. γ) *vaticinando*, atque etiam res *arcanas quasuis cognoſcendo*, Ieſ. XI, 3. quæ verba ABARBANEL ipſe ita interpretatus eſt: Tanta erit prophetia eius, vt cordis quoque humani arcana cogniturus ſit, quamuis ea nullis indiciis externis declarentur; add. Io. II, 24. 25. IV, 29. Matth. XXVI, 68: 6) ſingulari etiam quadam *docendi ratione*, ſiue methodo, vtens, nimirum parabolica, Pſ. LXXVIII, 2. add. Matth. XIII, 35.

c) Officii *Regii:* Regnum ipſius fore 1) *ſpirituale*, nimirum iuſtitiæ, Ieſ. XLV, 23. ſqq. & pacis, Ieſ. II, 4. XI, 9. IX, 6. 7. in primisque Zach. IX, 9. 10. add. Matth. XXI, 5. vid. *Heſſ. Hebopſer* Vol. I. p. 433. 2) *vniuerſale*, vt Chriſti vnius imperio parere debeant non ſolum Iudæi, ſed & profanæ gentes & quidem in omnibus terræ regionibus, Pſ. II, 8. 10. LXXII, 8. 11. add. Rom. XV, 8. 9. Ieſ. XLV, 23. add. Rom. XIV, 11 ipſis quoque ſummis Imperantibus non exceptis, Pſ. II, 11. 12: 3) *continuum* ac *perpetuum*, ſine vlla aut intermiſſione, aut terminatione, Pſ. XLV, 7. LXXII, 17. Ieſ. IX, 7. Dan. VII, 13. 14. add. Luc. I, 33. Hebr. I, 8.

Digitized by Google

2) Quicunque *e ſemine Abrahæ, tribu Iuda, ſtirpe regia Dauidis, & ex illibata virgine natus eſt*, is eſt verus Meſſias: Atqui *Ieſus Nazarenus &c.* E. *Maior* liquet e Gen. XXII, 18. c. XLIX, 10. 2 Sam. VII, 12. Eſ. VII, 14. *Minor* patet: quia *Ieſus Nazarenus* natus eſt *e ſemine Abrahæ, tribu Iuda, ſtirpe regia Dauidis,* teſte genealogia, quam ſecundum lineam aſcendentem Lucas c. III, 23. ſeqq. iuxta lineam deſcendentem Matthæus c. I, ſeqq. recenſet; natus etiam eſt *e caſtiſſima, & illæſa virgine*, quippe quæ virum non cognouerat, Luc. II, 34.

3) Quicunque *dominator Iſraëlis*, vt *Deus, ab æterno genitus*, vt *homo in plenitudine temporis, natus eſt Bethlehemi, vsque ad fines terræ magnificandus*, is eſt verus Meſſias: Atqui *Ieſus Nazarenus &c.* Ergo. *Maior* claret in vaticinio Michæ c. V, 1. *Minorem* confirmat Matthæus c. II, 6.

4) Cuicunque aduenienti diuinitus deſtinatus *præcurſor viam parauit*, is eſt verus Meſſias. Atqui *Ieſu Nazareno &c.* E. *Maior* liquet ex Eſ. LX, 3. Mal. III, 1. *Minor* patet e Marc. I, 2. 3.

5) Quicunque *rex Sionis pauper & humilis Hieroſolymam ingreſſus eſt, inequitans aſinæ*, is eſt verus Meſſias, Zach. IX, 9. Atqui *Ieſus Nazarenus*, &c. Matth. XXI, 5. Ergo.

6) Quicunque eſt *Goël*, ſiue redemtor iure conſanguinitatis, Iob. XIX, 25. *propheta ſimilis Moſi*, Deut. XVIII, 15. *rex catholicus*, Zach. IX, 9. Pſ. LXXII, 8. *ſacerdos ſecundum ordinem Malkizedek*, Pſ. CX, 4. *ſacerdos pro peccatoribus intercedens*, Eſ. LIII, 12. *extrema paſſurus*, Pſ. XXII. Eſ. LIII. *moriturus*, Dan. IX, 26. *ſepeliendus*, Eſ. LIII, 9. *immunis futurus a corruptione, deſcenſurus ad inferos & reſurrecturus*, Pſ. XVI, 10. *aſcenſurus ad cælos*, Pſ. LXVIII, 18. *ſeſſurus ad dextram Dei Patris*, Pſ. CX, 1. is eſt promiſſus Meſſias. Quæ omnia de *Ieſu Nazareno* nouum teſtamentum prædicat.

*Antitheſis* eſt *Iudæorum*, ſtatuentium, Meſſiam nondum veniſſe, & negantium, *Ieſum Nazarenum* eſſe verum Meſſiam. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Meſſias vocandus eſt *Immanuel*, non *Ieſus*, Eſ. VII, 14. Reſp. Nomen *Immanuel* idem eſt, quod nomen *Ieſus*, non qua ſonum vocis, ſed qua veritatem rei ſignificatæ. Etenim nomen *Immanuel* Deum nobiscum fore infert, non per nudam παράστασιν & gratioſam aſſiſtentiam, ſed per naturæ noſtræ conſortium, adeoque eſt nomen perſonæ & officii. Vt enim nomen *Ieſus* primo quidem deſignat officium, ſed ſupponit ac connotat tamen perſonam θεάνθρωπον, cui ſoli officium ſaluandi competit; ſic nomen *Immanuel* primo deſignat perſonam θεάνθρωπον, ſubinfert autem ſimul finem vnionis perſonalis diuinæ & humanæ naturæ, reconciliationem Dei & hominis, ac reductionem hominis ad Deum, adeoque ſaluationem generis humani. Vnde eo ipſo, quo Chriſtus eſt *Ieſus*, h. e. Saluator, *Immanuel* quoque eſt, ratione perſonæ; quia nemo hominem peccatorem *a peccatis ſaluare* poteſt, niſi qui eſt *Immanuel*, Deus & homo.

II. Meſſias venire debuit *ſceptro a Iuda ablato*: At Ieſus venit ſceptro nondum ablato: E. Ieſus Nazarenus non eſt Meſſias. *Maior* patet e vaticinio Iacobi patriarchæ, Gen. XLIX, 10. *Minor* claret: quia, cum naſceretur Ieſus, Iudæorum rex erat Herodes, Matth. II, 3. Reſp. non prædixit patriarcha Iacobus, *ante aduentum* Schiloh ſceptrum a Iuda eſſe *auferendum*, ſed ante aduentum Meſſiæ *non* eſſe *auferendum* ſceptrum a Iuda, licet hic victurus ſit in ſtatu irrequieto & variis bellis turbato *). Ideo enim prædixit venturum Schiloh, ſiue



*) Probe conſiderandum eſt, arcteque tenendum, ad integram vaticinationem Iacobi morientis non illud ſolum pertinere, עד כי־יבוא שילה, verum etiam hoc, ולו יקהת עמים. Prius igitur, quam regia poteſtas prorſus a tribu illa auferretur, non ſatis erat, Chriſtum veniſſe,

Digitized by Google

pacificatorem, vt pii Iſraelitæ, calamitatibus preſſi, cogitarent venturum eſſe tranquillatorem Meſſiam, cuius beneficio haberent pacem cum Deo, omni pace temporali longe nobiliorem. Ceterum Herodes natione Idumæus, religione Iudæus, non fuit quidem dominator peregrinus, fuit tamen vaſallus Imperatoris Romani, adeoque ſceptrum iudaicum adueniente Schiloh non quidem penitus fractum, quaſſatum tamen fuit; id quod oſtendit 1) cenſus ab imperatore Auguſto actus, Luc. II, 1. 2) Tributorum per publicanos & ſolemnes deſcriptiones exactio, Matth. XXII, 17. 3) Præſidiorum impoſitio & militum Romanorum hoſpitatio, Matth. VIII, 9. 4) Iurium capitalium defectus, Ioann. XVIII, 31.

III. Promiſſus Meſſias erit *dominator Iſraëlis*, Mich. V, 1. qui *collapſum regnum Dauidis eriget*, Eſ. IX, 7. Ier. XXXIII, 15: At Ieſus Nazarenus Iſraëlitis nunquam dominatus eſt, nec collapſum regnum Dauidis erexit: E. Reſp. Dominium Ieſu Nazareni, veri Meſſiæ eſt *ſpirituale*, idque *vniuerſale*, ſecundum voluntatem Dei antecedentem: quamuis autem haud pauci Iudæi non minus, quam gentiles ipſius imperium detrectent, manet tamen dominator *veri Iſraëlis*, qui Iſraël Dei dicitur, Gal. VI, 16. Et cum per prophetas *Dauidi* promiſſum ſit *ſolium æternum*, facile colligitur, quod illud non vi corporali, ſed *ſpirituali* ſtabiliatur, eo, quod *nullum* ſolium *corporale* eſt *æternum*.

IV. Iudæis reſipiſcentibus Deus promiſit *reductionem in terram Canaan*, Leu. XXVI, 44. Reſp. Promiſit Deus, Iudæos tempore V. T. reducendos eſſe in terram ſuam, ſi pœnitentiam egerint; quod factum eſt, cum e captiuitate babylonica reducti ſunt (conf. Neh. I, 8. 9. Eſ. XI, 11. Ier. XVI, 15.). Tempore vero N. T. (quo abroganda erat externa illa ſacrificiorum & politiæ Moſaicæ conſtitutio, terraque Cananæa ſine ſpe reſtitutionis deſolanda, Dan. IX, 26.) Deus Iudæos non penitus abiecit, Rom. XI, 2. ſed ſi veram pœnitentiam agant, in gratiam recipit; quæ quidem receptio in gratiam intelligenda eſt, pro natura & conditione N. T. non de reductione *corporali* in Canaan dudum deſolatam, ſed *ſpirituali* ad eccleſiam veram, *Hieroſolymam* ſcilicet *cæleſtem*.

### Quæſt. XXVIII. *Quæ prædicationes fluunt ex vnitione?*

*Prædicationes*, ſiue *propoſitiones perſonales*, ex vnitione fluentes ſunt, in quibus de concreto perſonæ ſimplicis τȣ̃ λόγȣ prædicatur actus vnionis cum humana natura, conſiderata vt per ſe ἀνυποςάτῳ, ſiue ſubſiſtentiæ experte.

Prob. Dantur eiusmodi propoſitiones in ſacris litteris, v. gr. *Verbum caro factum eſt*, Ioann. I, 14. *Deus manifeſtatus eſt in carne*, 1 Tim. III, 16. *Filius Dei aſſumſit ſemen Abrahæ*, ibid. v. 16.

Obſ. Prædicationes, quæ ex *vnitione* fluunt, non ſunt confundendæ cum propoſitionibus, quæ ex *vnione* proueniunt. Nam in propoſitionibus perſonalibus, quæ *vnitionem* enunciant, ſubiectum ſemper eſt perſona Filii Dei ſimplex, ſiue λόγος ἄσαρκος, prædicatum vero eſt actus vnionis eiusdem cum humana natura, quatenus hæc, vt per ſe ἀνυπόςατος, conſideratur; v. gr. *Verbum* (ἄσαρκον) *caro factum eſt: Deus* (perſona ſecunda diuinitatis ἀσύνθετος) *manifeſtatus eſt in carne.* In propoſitionibus vero, *ſtatum vnionis* ſignificantibus, ſubiectum eſt perſona σύνθετος, denominata vel a natura diuina, vel a natura humana ἐνυποςάτῳ, vel natura vtraque, prædicatum itidem modo natura diuina, modo

venisse, ſed & neceſſe erat, ipſum iam conſummatum (Hebr. V, 9.) patefieri, ipſiusque aduentum cunctis gentibus nuntiari. Nunc terminus eſto! interprete ipſo Ieſu, Matth. XXIV, 14. ac teſte etiam experientia.

Digitized by Google

do natura humana in perſona *συνθέτῳ*, ſeu compoſita, v. gr. *Deus eſt homo*, *homo eſt Deus*; item: *Chriſtus eſt Deus*, Act. 10, 38. *In Chriſto eſt Deus*, 2 Cor. V, 19.

Quæſt. XXIX. *Quid eſt vnio perſonalis?*

*De vnionis perſonalis ſtatu.*

*Vnio perſonalis* eſt duarum naturarum, diuinæ & humanæ, in vna Filii Dei hypoſtaſi ſubſiſtentium, coniunctio, mutuam, eamque indiſſolubilem, vtriusque naturæ communionem inferens.

Obſ. In deſcribenda *vnione perſonali* duo obſeruanda ſunt: 1) *coniunctio duarum naturarum in vna hypoſtaſi τȣ̃ λόγȣ*, 2) *mutua vtriusque naturæ κοινωνία*, ſiue *communio*, quamvis dubitari queat, an hæc ipſam formam vnionis perſonalis ingrediatur. Deſcripſit *Epitome Form. Concord. vnionem hypoſtaticam, quod ſit ſumma communio, quam Deus cum aſſumto homine vere habet. p. 607.* Addit *Declaratio Form.* 1) quod vnio hypoſtatica ſine vera communicatione nec cogitari, nec ſubſiſtere poſſit, & commonſtrat, veteres eccleſiæ doctores duo hæc vocabula, *κοινωνίαν* & *ἕνωσιν*, communicationem & vnionem in explicatione huius myſterii coniunxiſſe, p. 766. Dicit nihilominus F. C. 2) ſummam ac ineffabilem *naturarum communicationem* ſequi ex *perſonali vnione*, *p. 607.* vbi neceſſe eſt, vt aliquid diſcriminis admittatur inter *vnionem perſonalem*, & *communicationem naturarum.* Nam quod conſequitur ex vnione perſonali, non poteſt eſſe ipſa vnio perſonalis. Quocirca D. IOANN. MVSAEVS in *prælect. in epitomen F. C.* annotat, quod, licet, quoad rem, nihil differant vnio perſonalis & communicatio naturarum, differant tamen noſtro concipiendi modo. Nam in ratione intelligendi concipiuntur prius extrema inter ſe vnita, quam concipiatur communicatio, quam inter ſe habent. Fatetur interim, quod, quia communicatio naturarum, & vnio perſonalis, realiter non differunt, diuerſis definitionibus realibus definiri nequeant.

Quæſt. XXX. *Qualis eſt vnio duarum in Chriſto naturarum?*

*Vnio* duarum in Chriſto naturarum *non* eſt *mere verbalis*, neque *notionalis*, neque *habitualis*, ſeu reſpectiua, ſed *realis*, eaque non accidentalis, nec eſſentialis, ſed *perſonalis & perichoriſtica.*

Prob. Vnio duarum in Chriſto naturarum *non* eſt 1) *mere verbalis*, exſurgens vel ex *titulo ſine re*, vt cum conſiliarius principis dicitur, qui nunquam ipſi fuit a conſiliis, vel ex *locutione impropria*, vt cum Herodes vocatur vulpes. Chriſtus enim non *nominetenus* tantum, aut *improprie*, ſed vere proprieque Immanuel & *θεάνθρωπος* eſt. 2) *Non eſt notionalis*, ſiue *rationis*, qua plures conceptus per rationem diſtincti, mentis ope, vt indiuiſi concipiuntur. Talis vnio datur inter genus & differentiam in ſpecie. Neque enim natura diuina Chriſti genus, neque natura humana ipſius differentia eſt, aut vice verſa. 3) *Non* eſt *σχετική*, *habitualis*, *aut reſpectiua*, quæ conſiſtere poteſt, licet extrema huius vnionis reapſe ſeparata ſint & diſtent. Datur enim varia vnio reſpectiua, nempe *moralis* inter amicos, quorum etiam abſentium vnus animus eſt; *œconomica* inter coniuges; *politica* inter ciues; *eccleſiaſtica* inter membra eccleſiæ. Longe quippe arctior eſt vnio duarum in Chriſto naturarum, quam habitualis, quæ importat quidem plurium rerum ad inuicem habitudinem, ſed ſine reali earum coniunctione. Filius Dei particeps factus eſt carnis & ſanguinis, ſicut pueri, Hebr. II, 14. Eſt igitur vnio duarum naturarum in Chriſto *realis*, quia datur inter extrema vere cohærentia, cum excluſione ſeparationis alicuius, aut diſtantiæ. *Non* eſt 4) *accidentalis*, qua plura, inter ſe diuiſa, ad al qualem indiuiſionem coniunguntur. Datur eiusmodi accidentalis vnio a) inter duo vel plura accidentia diſparata, in vno ſubiecto copulata; ſic

Digitized by Google

ſic albedo & dulcedo vniuntur in lacte: b) Inter accidens & ſubſtantiam, qualis datur in homine docto: c) Inter duas ſubſtantias, ita inter ſe vnitas, vt ex illis non vnum per ſe, ſed per accidens reſultet. Huc pertinet vnio phyſica κατὰ σύγχυσιν *per confuſionem*, vel *mixtionem*, vt in mulſo; κατὰ παράθεσιν, per *appoſitionem partium vnitarum*, vt in cumulo lapidum; κατὰ παράστασιν, *per aſſiſtentiam*, qualis eſt tum in *contiguis* ſibi præſentibus, vt cum duo ſe complectuntur manibus, tum in *continuis*, vt cum duo aſſeres compinguntur. Pertinet ad accidentalem vnionem *myſtica, quam triplicem faciunt: ſacramentalem, gratioſam & glorioſam. Sacramentalis* datur inter rem terrenam & cœleſtem ſacramentaliter vnitas; *gratioſa* inter Deum & credentes in eccleſia militante; *glorioſa* inter Deum & beatos in eccleſia triumphante. Vnio duarum in Chriſto naturarum *non* eſt *accidentalis;* propterea, quod nulla ſpecies vnionis accidentalis eidem applicari poteſt. Neque enim eſt hæc vnio inter duo *accidentia*, neque inter *ſubſtantiam & accidens*, ſed inter *duas ſubſtantias*, quæ vnitæ ſunt *non* per *mixtionem* aut *confuſionem*, eo, quod natura diuina, quæ ſpiritualis, ſimpliciſſima & infinita eſt, cum humana commiſceri nequit; *neque* per *paraſtaſin*, aſſiſtentiam, aut appoſitionem, quippe quæ nullam κοινωνίαν, aut internam communionem infert. Ceterum hæc vnio *gratioſam* credentium, & *glorioſam* beatorum coniunctionem cum Deo, eminentia ſua longiſſime ſuperat. Nullus enim credens in hac vita, nullus beatus in vita cœleſti, eſt vnum cum filio Dei ὑφιστάμενον. In nullo peræque, ac in Chriſto tota plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Neque eſt 5) *vnio eſſentialis*, qua duæ naturæ incompletæ *ad vnam naturam* completam conſtituendam concurrunt, v. gr. anima & corpus vnum conſtituunt hominem. Duæ in Chriſto naturæ ſunt in eſſendo completæ, neque concurrunt ad vnam naturam completam, ſed *ad vnam perſonam* σύνθετον conſtituendam. In eſſentialiter vnitis nullum principium conſtituens per naturam præexiſtit; at natura diuina τȣ̃ λόγȣ ab æterno per ſe ſubſiſtit. Eſt igitur vnio duarum in Chriſto naturarum μονότροπος καὶ ἐξαίρετος, h. e. *mirabiliter ſingularis*, & *ſingulariter mirabilis*. Eſt enim vnio *naturarum*, ſed *non naturalis;* eſt *perſonalis*, ſed *non perſonarum*, propterea, quod *perſonalis* dicitur *non* ratione termini *a quo*, quaſi ex duabus perſonis eſſet facta, ſed ratione termini *ad quem*, in vnam perſonam, quia ὁ λόγος aſſumtam humanitatem perfectione ſua perſonali terminauit, vltimo compleuit, & in eſſe hypoſtatico conſtituit, adeoque hypoſtaſis τȣ̃ λόγȣ facta eſt hypoſtaſis carnis. Vocatur hæc vnio *perichoriſtica*, vt indicetur, eandem non eſſe paraſtaticam, exteriorem & imperfectam, qualis eſt inter duos aſſeres compactos, aut conglutinatos, inter hominem & veſtimentum, inter angelum & corpus aſſumtum; ſed *intimam* & *perfectiſſimam*, quæ ſine rerum vnitarum *communicatione mutua* eſſe nequit. *Perfecta* quippe ἕνωσις, ſiue *vnio* definitur a SVIDA & PHAVORINO, quod ſit συνδρομὴ κοινωνικὴ διεστώτων πραγμάτων, *concurſus communicatiuus rerum (ſubſtantiarum) differentium*. Vid. D. CALOV. in *metaphyſ. diuin. part. general. p. 315.* Cum itaque vnio duarum in Chriſto naturarum ſit intima & perfectiſſima, eadem ſine vtriusque naturæ communione hec exiſtere, nec cogitari poteſt.

Obſ. Patres in *concilio Chalcedonenſi*, Anno CCCCXLIIX. congregati, modum vnionis hypoſtaticæ expreſſuri, confeſſi ſunt, Saluatorem noſtrum in duabus naturis ἀσυγχύτως, inconfuſe, ἀτρέπτως, inconuertibiliter, ἀδιαιρέτως, indiuulſe, ἀχωρίστως, inſeparabiliter exſiſtere. DAMASCENVS addit vocabulum ἀδιαστάτως, indiſtanter, quod duæ in Chriſto naturæ vnitæ nullo locorum ſpatio, aut interuallo a ſe diſtent, ſeorſim poſitæ. Vid. CHEMNIT. *de. d. n. Chr. fol. 64.*

Quæſt. XXXI. *Quid eſt communio duarum in Chriſto naturarum?*

*Communio naturarum.*

*Communio naturarum* in perſona Chriſti eſt *mutua diuinæ & humanæ Chriſti naturæ participatio*, per quam *natura diuina* τȣ̃ λόγȣ, particeps facta *humanæ* naturæ

naturæ, *hanc permeat*, *perficit*, *inhabitat*, *ſibique appropriat; humana vero*, particeps facta *diuinæ* naturæ, *ab hac permeatur*, *perficitur atque inhabitatur.*

Obſ. I. Κοινωνία latine redditur per *communicationem*, & *communionem:* quæ duæ voces interdum promiſcue vſurpantur, interdum ſic diſtinguuntur, vt illa *actum* tranſeuntem, hæc *ſtatum* permanentem deſignet. Poſterior modo hic conſideratur.

Obſ. II. *Communio* duarum in Chriſto naturarum non eſt 1) *meré verbalis*, vt cum Electoris cuiusdam vxor, propter vnionem coniugalem, participat nomen Electricis, licet reipſa non ſit electrix, cum non polleat auctoritate eligendi Imperatorem. 2) Non eſt communio, de qua loquimur, *notionalis*, *vel intellectualis*, alias communicatio κατὰ μέθεξιν dicta, quam intellectus noſter concipit inter extrema, quæ quoad rem idem ſunt; qua ratione genus ſpeciei, ſpecies indiuiduis ſuam eſſentiam communicat. Sed eſt 3) *communio realis*, quia diuina natura τȣ̃ λόγȣ vere & realiter particeps facta eſt & manet humanæ naturæ, & humana natura vere & realiter particeps facta eſt & manet diuinæ naturæ. Neque 4) hæc communio tantum eſt *collatiua dignitatis* (græce κοινωνία κατ᾽ ἀξίαν), quomodo Deus Aaróni dignitatem ſacerdotii communicauit: eminentiſſima enim communio, de qua nobis in præſenti ſermo eſt, non eſt inter extrema perſonaliter diuerſa, ſed eius radix eſt communio hypoſtaſeos; adeoque 5) non eſt *communio commixtiua*, vt cum ſal per mixtionem communicatur aquæ; huiusmodi enim communicationis fundamentum eſt vnio accidentalis; neque 6) eſt *communicatio naturalis*, *ſeu eſſentialis*, qualis eſt inter formam & materiam, animam & corpus, quæ fluit ex vnione eſſentiali; ſed eſt 7) *perſonalis*, vocata κατὰ συνδύασιν, item καθ᾽ ἕνωσιν, quia oritur ex vnione duarum naturarum in vna perſona Chriſti.

Obſ. III. Græci communionem duarum in Chriſto naturarum vocarunt περιχώρησιν, i. e. *immeationem*, *permeationem*, *circumince*ſſ*ionem* (vti Scholaſtici τὴν περιχώρησιν reddiderunt). Non eſt quidem περιχώρησις terminus biblicus, attamen eccleſiaſticus, & tum potiſſimum vſurpari cœpit, cum *Neſtorius* communionem naturarum negauit. Non intellexerunt autem περιχώρησιν *localem* & quantitatiuam, quemadmodum hydria dicitur χωρεῖν aquam, ſed *illocalem* & metaphorice dictam. Occaſionem περιχωρήσεως perſonalis deſcribendæ ſumſerunt Patres a) ex περιχωρήσει perſonarum SS. Trinitatis *eſſentiali*, b) ex περιχωρήσει animæ & corporis *naturali*, c) ex περιχωρήσει ignis & ferri *accidentali.* Sicut enim vna perſona trinitatis eſt in alia; anima permeat corpus; ignis penetrat omnes poros ferri: ita diuinitas Chriſti eſt in humanitate quam circumcirca implet & permeat. E quibus collectu procliue eſt, quod περιχώρησις notet, 1) *vnionem perſonalem eſſe intimam & perfectiſſimam.* Externa & imperfecta eſt vnio, cum angelus aſſumit corpus, gubernator aſſiſtit naui, veſtimentum adhæret homini; quam exteriorem vnionem remoturi doctores eccleſiæ vnionem *perſonalem* & ex ea fluentem communionem appellitarunt περιχώρησιν. Quemadmodum enim anima corpori non externe aſſiſtit, neque eius tantum motum dirigit, ſed illud ipſum immeat, immigrat, informat, ſuammet eſſentiam, vitam, facultates corpori largiendo: ita λόγος immeat carnem, ſuamque illi diuinam naturam intime communicat. 2) *Communionem naturarum eſſe mutuam*, ita tamen, vt natura *diuina*, velut ἐντελέχεια, i. e. actus puriſſimus, aſſumtam humanam naturam permeet & perficiat, aſſumta *caro* permeetur atque perficiatur. 3) Vnionem & communionem naturarum in Chriſto perſonalem eſſe ἀχώριστον, *inſeparabilem.* Anima rationalis ita ſe corpori inſinuat, vt ab eo ſeparari nullatenus potuiſſet, niſi, lapſu ex accidente interueniente, diuino iudicio, mortis violentia ſecuta fuiſſet. Soluebatur quidem vnio naturalis animæ & corporis Chriſti in triduo mortis; non autem ſoluebatur natura diuina τȣ̃ λόγȣ ab aſſumta humanitate, ſed huic erat præſentiſſima.



Digitized by Google

4) Vnionem & communionem naturalem eſſe ἀσύγχυτον, ἄμικτον, καὶ ἄτρεπτον, i. e. nullam inferre *confuſionem, mixtionem aut transmutationem.* Perſonæ Trinitatis ſe mutuo permeant ſine confuſione; anima corpus informat absque omni vtriusque turbatione, mixtione aut mutatione: ita λόγος permeat ſuam carnem, vt neutri in eſſentialibus quidquam decedat, neutrum alteri miſceatur, aut cum altero confundatur. 5) Naturas Chriſti vnitas eſſe ἀδιαστάτους, ſiue, eſſe ſibi mutuo præſentes. Perſonæ Trinitatis ita ſe inuicem immeant, vt nulla ſit aut extra, aut vltra alteram. Anima itidem rationalis ſic eſt in corpore, vt nuſpiam ſit extra, aut vltra illud: ita etiam λόγος in carne eſt, nuſpiam vt vltra, nuſpiam vt extra illam ſit. Conf. D. DANNH. *hodoſ. phænom. IIX. p. 626. ſeqq.*

Prob. Intima duarum in Chriſto naturarum communio 1) ex Ioann. I, 14. *Verbum caro factum eſt.* Quicunque ab æterno exiſtens immutabilis Deus, factus eſt caro, non per conuerſionem ſuæ naturæ aut mutationem, ſed per eiusdem vnionem cum carne, illius naturæ diuinæ cum vnita carne oportet communionem quandam intercedere: Atqui Filius Dei &c. Ergo. *Maior* liquet: quia omnis realis, interna & perfecta vnio, definiente SVIDA, eſt concurſus communicatiuus rerum differentium. *Minor* patet: quia ὁ λόγος non tantum eſt nomen perſonæ, ſed etiam naturæ diuinæ, caro autem eſt nomen deſignans naturam humanam.

2) Ex Hebr. II, 14. *Quoniam igitur pueri participes facti ſunt carnis & ſanguinis, & ipſe ſimiliter participem ſe fecit ipſorum.* Hic Paullus conceptis verbis docet, quod Filius Dei particeps factus ſit humanæ naturæ, quæ per *carnem & ſanguinem* denotatur. Cum autem Filius Dei ſe participem fecerit humanæ naturæ, hæc vtique in communicationem deitatis & beatitudinis aſſumta eſt, vt loquitur EVSEBIVS *l. IV. demonſtrat. euangel. c. 13.*

3) E Col. II, 9. *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,* Breui hoc effato tria Apoſtolus complectitur: (1) inhabitantem, (2) habitaculum, (3) habitationis modum. *Inhabitans* eſt tota plenitudo diuinitatis, per quam notatur perfectiſſima diuinitas Filii Dei, & quidquid in ea eſt, ſiue ad eam pertinet, cum omnibus ipſius proprietatibus. *Habitaculum* eſt Chriſtus, conſideratus ſecundum humanam naturam; hæc enim inhabitatur, natura autem diuina inhabitat. *Modus inhabitationis* exprimitur voce σωματικῶς, quod AVGVSTIN. *epiſt. 457. ad Dardan.* ſic exponit: *Corporaliter, dictum eſt, quia in Chriſti corpore, tanquam in templo, habitat omnis plenitudo deitatis:* habitat hæc quidem etiam in hominibus ſanctis, ſed ſingulari ratione in corpore Chriſti, tanquam in templo, perſonaliter aſſumto. Hinc argumentamur: In quo, velut templo, perſonaliter aſſumto, perfectiſſima Filii Dei divinitas habitat, illi intercedit quædam communio cum diuinitate Filii Dei: Atqui in humana Chriſti natura &c. Ergo. *Maior* probatur: quia ſicut ideo anima communionem habet cum ſuo corpore, quia hoc inhabitat; ita inter diuinitatem inhabitantem & carnem Chriſti inhabitatam datur communio.

4) Si ex *vnione myſtica* fidelium cum Chriſto quædam fluit κοινωνία, multo magis ex *vnione perſonali* diuinæ & humanæ naturæ quædam oritur κοινωνία. Antecedens eſt verum: E. & conſequens. Conſequentia *maioris* patet: quia vnio perſonalis longe arctior & intimior eſt, quam vnio gratioſa credentium cum Deo. *Antecedens* confirmatur ex effato Petri, qui affirmat, quod fideles ſint κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως, participes diuinæ naturæ, 2 Petr. I, 4.

5) Negata *communione naturæ* diuinæ & humanæ, non poteſt non negari communicatio *ſubſiſtentiæ diuinæ;* quia ſubſiſtentia eſt modus, qui non poteſt eſſe extra naturam, quam modificat, aut afficit.

6) Negata

Digitized by Google

6) Negata communione duarum in Chriſto naturarum negandæ ſunt *hæ propoſitiones: Deus eſt homo; & homo eſt Deus.* Ratio eſt: quia neque ſine natura diuina Deus, neque ſine natura humana homo dici fingiue poteſt.

7) Negata communione naturarum in perſona Chriſti, negandum eſt, in *operibus officii vnamquamque naturam agere cum alterius communione.*

8) *Samoſatenus* & *Neſtorius* a pia antiquitate damnati ſunt, ideo quod docuerunt, duas Chriſti naturas inter ſe eſſe prorſus incommunicabiles. Vid. *Declar. Form. Concord.* p. 610. ſeq.

*Antitheſis* eſt *Bellarmini* & aliorum, communionem duarum in Chriſto naturarum negantium. BELLARMINVS *libr. III. de Chriſto cap. VIII.* argumentatur:

I. Vnio perſonalis facta eſt per communicationem eius, quod eſt proprium filii, non eius, quod eſt commune aliis deitatis perſonis: Sed ſola ſubſiſtentia eſt propria filio, natura autem diuina eſt communis aliis perſonis: E. ſola ſubſiſtentia communicata eſt. *Maior* conſtat: quia ſolus Filius Dei caro factus eſt. Si autem natura diuina communicata eſſet carni, tota SS. Trinitas incarnata eſſet, quia natura diuina omnibus tribus perſonis diuinis, communis eſt. Reſp. Natura diuina conſideratur vel *abſolute*, & ſic communis eſt tribus perſonis diuinis, vel *relate*, prout inſignita eſt charactere hypoſtatico τȢ λόγȢ: hoc conſiderandi modo eam carni aſſumtæ communicatam eſſe, aſſerimus.

II. Si deitas communicata eſt humanæ naturæ, hæc erit ipſa eſſentia diuina: Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* eſt euidens, quia communicatio naturarum gignit prædicationem ſynonymicam & eſſentialem, v. gr. Animal ſuam naturam communicat homini: E. homo eſt animal. Reſ. Diſt. inter *communicationem notionalem, ſiue κατὰ μέθεξιν, & realem, ſiue κατὰ συνδύασιν.* Illa infert prædicationem ſynonymicam, hæc paronymicam, v. gr. Anima eſt communicata corpori: E. corpus eſt animatum, non anima ipſa. Ita communicata eſt natura diuina humanæ naturæ. E. humana natura eſt particeps naturæ diuinæ, non ipſa natura diuina.

III. Realis naturarum communio infert earum confuſionem, vel mixtionem. Reſp. Non omnis communio naturarum eſt commixtiua, ſed ea tantum, quæ eſt *accidentalis*, non autem ea, quæ eſt *eſſentialis, aut perſonalis.* Anima ſe totam communicat corpori, neque tamen cum eo miſcetur.

IV. Si carni Chriſti communicata eſt diuinitas, omnia etiam attributa diuina ipſi ſunt communicata: Poſterius eſt falſum: E. & prius. Conſequentia *maioris* eſt manifeſta: quia attributa diuina & eſſentia Dei ſunt ταυτό Reſp. Omnia attributa diuina communicata ſunt carni, quoad *poſſeſſionem;* quod autem attinet ad *denominationem*, diſtinguendum eſt inter attributa Dei ἐνεργητικὰ, ſiue operantia, & ἀνενεργητικὰ, ſiue quieſcentia. Illa communicata ſunt, quoad denominationem *immediatam*, hæc quoad denominationem *mediatam.* Ex eo enim dico: communicata eſt carni Chriſti *omnipotentia, quæ eſt independens, infinita & æterna.*

V. BECANVS, GREGORIVS de VALENTIA, & alii *Ieſuitæ* (citante D. CALOVIO in *ſyſtem. tom. VII. p. 155.*) docent, quod *ſola ſubſiſtentia* Verbi proxime, immediate, & formaliter communicata ſit humanitati in ſe, & per illam proxime, mediate & formaliter ſubſiſtat humanitas: et quia illa ſubſiſtentia re ipſa idem eſt cum eſſentia & attributis diuinis, ideo conſequenter & identice eſſentia & attributa diuina communicata ſunt humanitati. Reſpondet D. CALOVIVS: diſtinctio hæc inter *communicationem immediatam*, & *mediatam* tantum compoſita eſt ad ineſcandum & decipiendum imperitos. Nam *mediate*, conſequenter & identice



Digitized by Google

tice communicari ſenſu *Ieſuitico* eſt *realiter non communicari;* quod ſic oſtendo: Natura & idiomata diuina vel communicantur realiter humanæ naturæ ex mente Ieſuitarum (ſiue immediate, ſiue mediate, ſiue proxime, ſiue conſequenter, ſiue formaliter, ſiue identice; hactenus parum refert, modo *vera & realis* ſit communicatio), vel non communicantur realiter. Si communicantur *realiter*, concedendum erit; quod humana natura vere particeps fiat diuinæ naturæ, vere particeps idiomatum diuinorum, omnipotentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ; & quidem non minus vere diuinæ naturæ & idiomatum diuinorum particeps, quam diuinæ ſubſiſtentiæ, vtut non æque primario. Sed hoc nunquam admittent Ieſuitæ. Ergo certum eſt, quod minime credant communicationem naturæ diuinæ & attributorum eius realem. Suffragatur D. IOANN. ADAMVS OSIANDER in *colleg. ſyſtemat. part. IV. p. 61.* inquiens: *Diſtinctio inter communicationem mediatam & immediatam merum glaucoma eſt, quia nullam participationem diuinæ naturæ in humana agnoſcunt; at, ſi humana non participat de diuina, accurate loquendo non erit vnita diuinæ naturæ, non erit proprium corpus aut habitaculum inhabitantis deitatis cum tota ſua plenitudine, non naturæ diuinæ permeantis & perficientis. Aliud eſt vnibile, realiter diſtincta admittens, aliud non admittens, ſed in quo ſumma regnat identitas. Prius quidem admittit diſtinctionem vnionis mediatæ, & immediatæ, at non poſterius. Ponamus cum quibusdam philoſophis, animam & facultates eius differre realiter, quia anima eſt ſpiritus & ſubſtantia, intellectus autem & voluntas ſunt facultates & accidentia; at hæc locum non habent in vnione λόγȣ & carnis, quia ſubſiſtentia, & natura λόγȣ indiuiſibiliter identificantur, vt proin nequeat dici ſubſiſtentia immediate communicata, mediate autem, mediante ſcil. ipſa ſubſiſtentia, diuina natura, eo ipſo, quo diuina natura cum ſua ſubſiſtentia indiuiſibiliter & realiter vnum quid eſt.*

Quæſt. XXXII. *Quis eſt finis perſonalis vnionis & communionis duarum in Chriſto naturarum?*

*Finis* perſonalis vnionis, intimæque duarum naturarum communionis, eſt *patratio operum officii.*

Prob. In actionibus officii *vtraque Chriſti natura agit, quod cuiusque proprium eſt, cum communicatione alterius.* Non poteſt autem e diuerſis principiis vnum apoteleſma fluere, niſi ſupponatur illorum principiorum communio, v. gr. a gladio ignito prouenit ſectio vrens, & vſtio ſecans; cuius cauſſa eſt, quod gladius & ignis quandam communionem habent in virtute ſecandi & vrendi: ita a duabus Chriſti naturis proficiſcitur effuſio ſanguinis ſaluifica, mors viuifica, paſſio victorioſa, paupertas ditans, ob περιχώρησιν mutuam, ſiue intimam duarum in Chriſto naturarum κοινωνίαν.

Quæſt. XXXIII. *Quænam conſequuntur vnionem & communionem perſonalem?*

Ex perſonali vnione & communione duarum Chriſti naturarum *fluunt propoſitiones perſonales*, iuxta atque *communicatio idiomatum.*

Prob. Modus *prædicandi* ſequitur modum *eſſendi*, & communicatio *propriorum* ſupponit *perfectam & intimam diſtinctarum naturarum vnionem* mutuamque earundem περιχώρησιν.

Quæſt. XXXIV. *Quid ſunt prædicationes perſonales?*

*Propoſitiones perſonales.* *Prædicationes perſonales* ſunt, in quibus *concretum vnius naturæ de concreto alterius naturæ modo ſingulari ac inuſitato prædicatur*, vt exprimatur duarum *naturarum vnio*, earumque in vnitate perſonæ *communio.* Pro-

Digitized by Google

Probatur hæc propoſitionum perſonalium definitio exemplis ſcripturæ & eccleſiæ. Exempla ſcripturæ ſunt: *Germen Dauidis eſt Iehoua iuſtitia noſtra*, Ier. XXIII, 5. XXXIII, 16. *Filius Dauidis eſt dominus Dauidis*, Matth. XXII, 42. Pſ. CX, 1. *Filius hominis eſt filius Dei viui*, Matth. XVI, 13. 16. *Filius Mariæ eſt filius altiſſimi*, Luc. I, 35. *Secundus homo eſt dominus de cælo*, 1 Cor. XV, 47. Exempla eccleſiæ ſunt: *Deus eſt homo, homo eſt Deus* *).

Obſ. I. Dicuntur hæ propoſitiones *perſonales*, quia ex vnione perſonali originem ducunt, perſonalis vnionis myſterium exprimunt, & earum vis, veritas atque connexio ex vnione perſonali diiudicanda eſt.

Obſ. II. *Concretum naturæ eſt vox, qua ſignificatur natura cum connotatione ὑποςάσεως, ſiue ſubſiſtentiæ;* vel eſt vox, quæ ſignificat per modum ſuppoſiti, vt cum dico: *Deus, homo, Filius Dei, filius hominis:* hiſce enim vocibus auditis ſtatim mente concipimus perſonam, ſiue ſuppoſitum, quod ſit & dicatur Deus, homo, filius hominis, Filius Dei. *Concretum perſonæ eſt vox, quæ totam perſonam, ex vtraque natura conſtantem, formaliter ſignificat*, vt, *Chriſtus Ieſus. Abſtractum naturæ eſt vox, quæ denotat alterutram naturam ſecundum ſe, non connotata hypoſtaſi*, vt, *humanitas, deitas, humana natura, diuina natura.* Vocatur *abſtractum*, quia ſignificat per modum *formæ*, non per modum *ſuppoſiti* **).

Obſ. III. Fundamentum huius prædicationis: *Deus eſt homo*, in vnione perſonali & communione naturarum conſiſtit. Si *extra vnionem* perſonalem ſpectentur, diuina & humana natura, vel *Deus* & *homo*, diſparata ſunt, nec vnum de altero affirmari poteſt. Sicut enim non poſſum dicere: *Leo eſt equus:* ita dicere nequeo: *Deus eſt homo.* Si autem *vnio intercedat* inter Deum & hominem, & quidem *realis vnio*, qualis intercedit in Chriſto inter diuinam & humanam naturam, recte de ſe inuicem prædicari poſſunt in *concreto.* Ratio eſt, quia per vnionem duæ naturæ conſtituunt vnam perſonam, & quodlibet *concretum naturæ* ſignificat illam ipſam *perſonam.* Quoniam ergo homo Chriſtus idem ille eſt, qui Deus eſt, vel hæc perſona, quæ Deus eſt, illa ipſa perſona eſt, quæ homo eſt, recte etiam dicitur: homo eſt Deus, & Deus eſt homo. *Abſtracta* autem *naturæ*, quæ non connotant hypo-



*) *Tria* ſunt *genera* propoſitionum perſonalium. In *primo* atque euidentiſſimo ſunt illæ, quibus *de Concreto vnius naturæ* dicitur *Concretum alterius naturæ*, cuiusmodi ſunt omnes, quas b. A. protulit. In *altero* numerantur, quibus de *Concreto perſonæ* dicitur *Concretum* itidem *perſonæ*, v. gr. *Ieſus eſt Chriſtus*, 1 Ioann. V, 1. *Ieſus eſt Immanuel*, h. e. θεάνθρωπος. In *tertio* ſunt, quibus de *Concreto perſonæ* dicitur *Concretum alterutrius naturæ*, ad hunc modum: *Mediator noſter eſt homo*, 1 Tim. II, 5. *Chriſtus eſt Deus*, omnibus rebus ſuperior, Rom. IX, 5. Addere ſi velis *quartum* genus, equidem non impediam, quamuis id commode ad *tertium* referri queat, nimirum quando de *Concreto vtroque*, & *naturæ* alterutrius, & *perſonæ*, dicitur *Concretum alterius naturæ*, vt: *Filius Dei, Ieſus Chriſtus*, eſt *verus Deus*, 1 Ioann. V, 20. Generatim rem ita demonſtro: Omnis, quæ ad Chriſtum pertinet, propoſitio, aut *perſonalis* eſt, aut *idiomatica.* Tertia, quæ ſit, non poteſt mente concipi. E. ea propoſitio, quæ non eſt idiomatica, non poteſt non eſſe perſonalis. *Idiomaticæ* ſemper ea eſt ratio, vt exprimat *proprietates* Chriſti. *Perſonalis* eſt ea, quæ ipſam eius ὑπόςασιν ſignificat. Atqui in omnibus, quæ commemoraui, generibus prædicatum, vt dicitur, non eſt proprietas quædam, ſed eſt ipſa ὑπόςασις. E. ex quocunque horum generum ſit propoſitio, *non idiomatica* eſt illa: E. *perſonalis* ſit, neceſſe eſt.

**) *Abſtractum* autem *perſonæ* non nullorum conſuetudine vocatur nomen eiusmodi, quod notat *naturam alterutram, ſed ſimul indicato ipſo ſubiecto, quod in diuina natura ſubſiſtit*, cum dicitur: *Deus*, vel *homo: Filius Dei*, aut *filius hominis.* Itaque *abſtractum perſonæ* omnino idem eſt, ac *Concretum naturæ.*

Digitized by Google

hypoſtaſin, ſiue formaliter non ſignificant perſonam, ſed naturam ſecundum ſe, de ſe inuicem prædicari nequeunt *). Illuſtrabo rem exemplo fundato in vnione *accidentali*. Theologia & philoſophia ſunt accidentia; quæ in *abſtracto* de ſe inuicem prædicari nequeunt. At ſi in vna *perſona* coniungantur theologia & philoſophia, recte *theologus* dicitur *philoſophus*. Ita *diuinitas* & *humanitas* non prædicantur de ſe inuicem in *abſtracto*: at cum vtraque vnita ſit in *perſona* Chriſti, recte dicitur: *Deus eſt homo*, & *homo eſt Deus*.

Obſ. IV. Propoſitiones perſonales ita reſoluendæ ſunt, vt iisdem vnitas perſonæ, & duarum naturarum vnio exprimatur. Senſus igitur genuinus harum propoſitionum: *Deus eſt homo*, & *homo eſt Deus*, ἀναλύσει ſimpliciſſima ita exprimitur: *Filius Dei perſonaliter idem eſt, qui filius hominis, & filius hominis perſonaliter idem eſt, qui Filius Dei.* Conf. D. CALOVII *ſyſtema tom. VII. p. 149.* D. GERHARDVS in *exeg. loc. IV. §. 168.* easdem per periphraſin explicat: *Filius Dei in ſuam hypoſtaſin aſſumſit humanam naturam, & humana natura in ipſam Filii Dei hypoſtaſin eſt euecta.* B. CHEMNITIVS hanc propoſitionem: *Deus eſt homo*, ita exponit: *tota plenitudo deitatis* τȣ̃ λόγȣ *habitat in aſſumta carne perſonaliter.* Hanc vero propoſitionem: *homo eſt Deus*, ita explanat: *Humana Chriſti natura non in ſe ſubſiſtit, ſed* λόγον *habet pro hypoſtaſi, & diuinam naturam perſonaliter ſibi habet vnitam.*

Quæſt. XXXV. *Suntne propoſitiones perſonales mere verbales, impropriæ, identicæ, aut ex aliis propoſitionibus vſitatis diiudicandæ?*

Propoſitiones perſonales *non* ſunt *mere verbales* a), neque *impropriæ* aut tropicæ b), neque *identicæ* c), ſed ſunt *reales*, *inuſitatæ* & ſine exemplo d).

Prob. a. Si propoſitiones perſonales, *Deus eſt homo*, & *homo eſt Deus*, tantum verbales eſſent, filius virginis Mariæ titulotenus vocaretur filius altiſſimi, quod eſt Neſtorianum. Negauit enim NESTORIVS, virginem Mariam reuera genuiſſe Deum.

Prob. b. Cum dicimus: *Homo eſt Deus*, ſubiectum non minus, quam prædicatum propriam retinet ſignificationem. Nam per *hominem* intelligitur animal intelligens, per *Deum* ſpiritus independens. Si propoſitiones perſonales *impropriæ* eſſent, filius virginis Mariæ eſſet non Deus, ſicut homo pictus eſt non homo.

Prob. c. Prædicationes perſonales *non* ſunt *identicæ*, propterea, quod in iisdem *non prædicatur idem de eodem*; ſed concretum vnius naturæ prædicatur de concreto alterius naturæ cum connotatione hypoſtaſeos: & ſicut vnio perſonalis non eſt inter eadem, ſed inter diſtinctiſſima; ita prædicatio, ex vnione perſonali fluens, non eſt identica.

Prob. d. Propoſitiones perſonales ſunt *reales*; quia habent verum & reale fundamentum, quod eſt vnio perſonalis & communio duarum in Chriſto naturarum. Non tamen diiudicandæ ſunt ex aliis propoſitionibus vulgaribus; ideo, quod *ſingulariſſimæ* & in circulo philoſophico atque logica gentili *inuſitatæ* ſunt. Philoſophus ex lumine naturæ non cognoſcit,

*) Scilicet non fas eſt, ita loqui: *diuinitas* eſt *humanitas*; nec viciſſim. Etenim 1) nulla vnquam facta eſt naturarum confuſio, aut commutatio, quam *Eutychiani* finxerunt; 2) nec diuina totius S S. Trinitatis natura humanam adſumſit, ſed ſecunda dumtaxat diuinitatis perſona; 3) nec tota humana natura in diuinam ὑπόστασιν eſt recepta, ſed vnus homo, omnium ſponſor, humanæ naturæ particeps. Ergo ſumma nos iniuria adficiunt *Reformati*, cum hanc nobis abſurdam ſententiam tribuunt, nec veteres ſolum, ſed etiam recentiores, inter eos haud infimo loco habendus, IOANN. MARCKIVS, in ſuo *compend. theol. Chriſt. cap.* XXI. p. 433.

Digitized by Google

ſcit, quod vnum diſparatum ſubſtantiale de altero diſparato in caſu recto prædicari poſſit. Prædicationes in philoſophia vſitatæ diſtinguuntur in *ſynonymicas*, & *paronymicas*. Prædicationes perſonales *non* ſunt *ſynonymicæ*, quia in illis 1) prædicatum non eſt de eſſentia ſubiecti, multo minus ipſa eſſentia ſubiecti: 2) fundamentum illarum non eſt vnio eſſentialis. Neque enim homo eſt pars eſſentiæ diuinæ, neque Deus pars eſſentiæ humanæ. Homo non eſt Deus per eſſentiam, ſed per vnionis gratiam, nec Deus eſſentialiter eſt animal rationale. Prædicationes perſonales etiam *non* ſunt *paronymicæ;* quoniam paronymice prædicantur proprium & accidens prædicabile. At nec humana natura eſt proprietas diuinitatis, nec diuinitas eſt idioma humanitatis, neque homo eſt accidens prædicabile, in ordine ad τὸν λόγον. Accidens enim prædicatur de ſuo ſubiecto, ob connexionem cum eodem accidentalem; at fundamentum propoſitionis perſonalis non eſt vnio accidentalis, ſed *vnio hypoſtatica*.

Dicis: I. Illa prædicatio, cuius prædicatum non ingreditur eſſentiam ſubiecti, eſt paronymica. Sed huius prædicationis: *Deus eſt homo*, prædicatum non ingreditur eſſentiam ſubiecti. E. Reſp. *Paronymica* dicitur prædicatio *vel* in ſenſu *generali vel ſpeciali*. Senſu *ſpeciali* paronymica dicitur prædicatio, in qua prædicatur vel proprium, vel accidens prædicabile de ſuo ſubiecto, ad vnionem accidentalem. Senſu *generali* autem paronymica dicitur prædicatio, cuius prædicatum non eſt de eſſentia ſubiecti: quo ſenſu generali paronymicum eſt, quod alicui vere, non tamen præcedente vnione *eſſentiali* tribuitur, & diuiditur in *prædicamentale tranſcendens*, & *myſticum*. Vid. GVTKII *logicam p. 115*. Senſu iſto generali prædicationem perſonalem dici poſſe paronymicam, non diffitemur.

Dicis: II. Prædicationes perſonales non ſunt inuſitatæ, quia frequenter occurrunt in S. ſcriptura, inueniuntur etiam in logicorum libellis, & dantur plura exempla, vbi duo diſparata de ſe inuicem prædicantur in caſu recto, v. gr. Medicus eſt conſul, ſartor eſt ſenator &c. Reſp. Prædicationes perſonales dicuntur inuſitatæ non reſpectu S. ſcripturæ & theologiæ, ſed reſpectu logicæ Ariſtotelicæ & philoſophiæ gentilis, ex inductione exemplorum naturalium exſtructæ. Logici & philoſophi chriſtiani propoſitiones perſonales e S. ſcriptura, vel theologia depromſerunt. Adducta exempla exhibent propoſitiones, in quibus duo *diſparata accidentalia* de ſe prædicantur. At cum dico: *Deus eſt homo*, diſparatum *ſubſtantiale* de diſparato *ſubſtantiali* in ſignificatione *propria* & *caſu recto* prædicatur: cuius exemplum ſimile in tota rerum vniuerſitate non datur. Eſt enim ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον. *Deus manifeſtatus eſt in carne*. 1 Tim. III, 16.

Quæſt. XXXVI. *Eſtne propoſitio illa: Chriſtus, ſecundum humanam naturam, eſt Filius Dei naturalis, vera?*

Propoſitio illa: *Chriſtus, ſecundum humanam naturam, eſt Filius Dei naturalis*, eſt *vera*, in ſenſu *ſpecificatiuo* a); *falſa* in ſenſu *reduplicatiuo*, ſiue *cauſſali* b).

Obſ. I. Particulæ limitatiuæ interdum ſumuntur αἰτιολογικῶς, ſiue *reduplicatiue*, & ſignificant id, cui adduntur, eſſe cauſſam, propter quam prædicatum competit ſubiecto, v. gr. Homo, quatenus peccator, eſt mortalis, i. e. Peccatum eſt cauſſa, propter quam homo mortalis eſt. Interdum ſumuntur ὁριστικῶς, ſiue *ſpecificatiue*, & deſignant naturam, partem, aut conditionem, ſecundum quam prædicatum ſubiecto conuenit, v. gr. Chriſtus, quatenus homo, mortuus eſt, i. e. Chriſtus ſecundum humanam naturam mortuus eſt. Quibus præſuppoſitis dicimus, quod *Chriſtus*, vt homo, vel *ſecundum humanam naturam*, ſit *Filius Dei naturalis*, *non* in ſenſu *reduplicatiuo*, aut cauſſali, ſed *ſpecificatiuo*, vel ſubiectiuo,

vt

Digitized by Google

vt ſenſus ſit: Chriſtus, ſecundum humanam naturam, vel Chriſtus homo, eſt *idem ſuppoſitum*, *eadem perſona*, quæ eſt *Filius Dei naturalis*.

Obſ. II. Subiectum, de quo aliquod idioma, vel axioma prædicatur, vel eſt δεκτικὸν πρῶτον, ſubiectum primum, cui per ſe immediate & formaliter prædicatum competit, v. gr. Ignis eſt calidus: vel eſt δεκτικὸν δεύτερον, ſubiectum ſecundum, cui prædicatum propter aliud vnitum, adeoque mediate & communicatiue, vel participatiue conuenit, v. gr. Ferrum, igni vnitum, eſt calidum, propter ignem, adeoque mediate & participatiue. Ita *Chriſtus homo* dicitur *Filius Dei naturalis*, non per ſe, immediate & formaliter, ſed per *vnionis perſonalis* gratiam, adeoque *mediate* & *communicatiue*. Id ipſum indigitatum iuerunt Theologi, cum aſſeruerunt, quod Chriſtus, *vt homo*, dici poſſit *Filius Dei naturalis*, non *naturaliter*, ſed *perſonaliter*.

Obſ. III. Filius *naturalis* hic opponitur filio *adoptiuo*, adeoque ſenſus eſt, *Chriſtus homo non* eſt *Filius Dei adoptiuus*, ſed *naturalis*, non per æternam generationem, ſed *perſonalem vnionem*.

Prob. a. 1) Chriſtus homo eſt *Filius Dei proprius*, cui Deus Pater non pepercit, ſed quem in mortem tradidit, Rom. VIII, 32, E. Chriſtus homo eſt Filius Dei naturalis. Ratio conſequentiæ eſt: quia Filius Dei proprius nunquam filium adoptiuum, ſed naturalem notat.

2) Τὸ γεννώμενον ἐκ Μαρίας ἅγιον, illud ſanctum, quod *natum eſt ex Maria*, eſt *filius altiſſimi*, Luc. I, 35. Ergo filius B. virginis Mariæ eſt Filius Dei naturalis.

3) *Hypoſtaſis* Chriſti *hominis diuina*, ipſius *Filii Dei naturalis* eſt: Ergo Chriſtus homo eſt Filius Dei naturalis. Ratio conſequentiæ eſt: quia hic de humanitate non in abſtracto, ſed *in concreto*, quatenus in hypoſtaſi diuina ſubſiſtit, quæritur.

4) Chriſto *homini communicata* eſt *natura diuina*: Ergo Chriſtus homo eſt Filius Dei naturalis.

5) Chriſtus, *vt homo*, *non eſt perſona extranea a Deo*: Ergo Chriſtus, vt homo, non eſt Filius Dei adoptiuus. *Adoptio enim eſt perſonæ extraneæ*.

6) *Carnem in hypoſtaſin ſuam aſſumſit* ὁ λόγος, vt eſſet proprius Dei filius in duabus naturis, ſicut ante fuit proprius filius in vna natura. Si autem propter aſſumtionem dicendus eſſet adoptiuus, tum eſſet filius adoptiuus ſui ipſius, quia ſolus filius humanitatem aſſumſit.

Prob. b. *Cauſſa*, propter quam Chriſtus vt homo eſt Filius Dei naturalis, non eſt natura humana, ſed *perſonalis vnio*.

*Antitheſis* fuit olim *Felicis Vrgelitani & Elipandi*, *Toletani*, Epiſcoporum, qui docuerunt, Chriſtum ſecundum humanitatem ſuam eſſe Filium Dei adoptiuum. Qua de cauſſa *concilium Francofurtanum ad Mœn*. Sec. VIII. a. DCCXCIV. a Carolo M. coactum eſt, in quo contra Felicem & Elipandum concluſum ac definitum eſt, Chriſtum etiam iuxta naturam humanam eſſe Filium Dei. His accedunt *Sociniani & Arminiani*, ſtatuentes, Chriſtum hominem eſſe Filium Dei adoptiuum. Quorum ſunt potiora argumenta:

I. Quicunque eſt Filius Dei naturalis, ille ab æterno eſt genitus: Chriſtus homo non eſt ab æterno genitus: Ergo. Reſp. Quicunque *per ſe & naturaliter* eſt Filius Dei naturalis, is ab æterno eſt genitus; concedo. At Chriſtus homo eſt Filius Dei non per ſe & naturaliter, ſed *perſonaliter*, propter communicatam hypoſtaſin & naturam diuinam.

II. Secundum quam naturam Chriſtus non eſt ex ſubſtantia Dei Patris genitus, nec Deo Patri ſimilis, ſecundum eam naturam non eſt Filius Dei naturalis: Atqui ſecundum humanam naturam &c: Ergo. Reſp. Datur tertium, adeoque *maior*, ne defectu partium laboret,

ret,

Digitized by Google

ret, ita formanda eſt: Secundum quam naturam Chriſtus neque ex ſubſtantia Dei Patris eſt genitus, neque Deo Patri ſimilis, neque ex vnione hypoſtatica in gloriam æternæ filiationis aſſumtus, ſecundum eam naturam non eſt Filius Dei naturalis: Atqui ſecundum humanam naturam &c. Sic *minor* eſt falſa.

III. Si Chriſtus ſecundum humanam naturam dicendus eſt Filius Dei naturalis, vel humana natura eſt cauſſa huius denominationis, vel eſt ſubiectum immediatum, cui æterna filiatio per ſe & formaliter competit: At neutrum vero eſt conſentaneum: Ergo. Reſp. Datur tertium. Natura humana *non* eſt *cauſſa* æternæ filiationis, *neque* eius *ſubiectum primum;* eſt tamen *ſubiectum ſecundum*, cui æterna filiatio non competit per ſe & eſſentialiter, ſed *communicatiue* & per vnionis *perſonalis* gratiam.

Inſtantia I. In propoſitionibus reſtrictiuis particula limitatiua ſpecificat ſubiectum primum, cui prædicatum per ſe & immediate competit, v. gr. Homo ſecundum animam viuit, quia anima eſt vitæ ſubiectum primum. Reſp. Hoc non eſt perpetuum. Nam & recte dico: Homo ſecundum corpus viuit, quia vita ipſi ab anima eſt communicata. Ita Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt Filius Dei naturalis, quoniam in communionem ſummæ filiationis aſſumta eſt.

Inſtantia II. Propoſitio hæc limitatiua: Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt Filius Dei naturalis, ita reſoluenda eſt: Humana Chriſti natura eſt Filius Dei naturalis, quod eſt falſum. Nam Filius Dei naturalis eſt perſona: humana Chriſti natura non eſt perſona, ſed perſonata. Reſp. Humana Chriſti natura hic non ſumitur in abſtracto, ſed in *concreto*, prout cum natura diuina vnam conſtituit perſonam σύνθετον, vt ſenſus ſit: Chriſtus homo non eſſentialiter, ſed perſonaliter eſt Filius Dei naturalis.

IV. Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt Deo ſubiectus, eiusque ſeruus: E. Chriſtus ſecundum humanam naturam non eſt Filius Dei naturalis. Reſp. Humanitas Chriſti tribus modis conſideratur: a) ratione naturalis conditionis: b) ratione ſpontaneæ exinanitionis: c) ratione perſonalis vnionis. Humana Chriſti natura *ſecundum* ſe eſt creatura Deo ſubiecta, & *ſpontanea exinanitione* ſeruilem aſſumſit formam, quam in ſtatu exaltationis depoſuit: per *vnionem* autem *perſonalem* vnam cum natura diuina τȣ̃ λόγȣ perſonam conſtituit, atque adeo in communionem ſummæ filiationis aſſumta eſt.

Quæſt. XXXVI. *Eſtne S. virgo Maria dicenda θεοτόκος, ſiue Deipara?*

Eccleſia chriſtiana ſanctam virginem Mariam recte vocat θεοτόκον, ſiue *Deiparam.*

Prob. 1) *Id, quod naſcitur ex Maria, eſt filius altiſſimi*, docente angelo, Luc. I, v. 35.

2) Paullus Gal. IV, 4. inquit: *Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere.* E quibus dictis ſcripturæ argumentamur: Illa virgo, e qua natus eſt Deus, eſt θεοτόκος. Atqui B. Maria eſt illa virgo &c. Ergo. *Minor* liquet: quia filius altiſſimi eſt verus Deus.

Obſ. Propoſitio illa: *Maria eſt θεοτόκος*, ſiue *Deipara*, bifariam intelligi poteſt. 1) *Formaliter & reduplicatiue*, hoc modo: Maria eſt θεοτόκος, i. e. genuit Deum, *qua Deum*, ſiue *ſecundum deitatem;* & ita propoſitio falſa eſt. Chriſtus enim ſecundum deitatem non eſt natus in tempore ex Maria virgine, ſed de ſubſtantia Patris ſui genitus ab æterno. 2) *Materialiter & ſpecificatiue*, hoc modo: Maria eſt θεοτόκος; quia genuit Deum, ſiue *illum, qui verus & æternus Deus eſt;* & hoc ſenſu propoſitio illa intellecta eſt a pia antiquitate, & contra NESTORIVM propugnata, quo ſenſu etiam nos illam intelligimus. Vna enim eſt perſona Chriſti, vnum ſuppoſitum, quod eſt Deus & homo. Quare non ſolum recte dicimus, Mariam

genuiſſe hominem nobis ſpecifice ὁμοούσιον, ſed ipſam etiam genuiſſe Deum; cum vnus & idem ille, qui natus eſt ex Maria virgine, ſit Deus & homo.

# DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM.

Quæſt. XXXVII. *Quid eſt communicatio idiomatum?*

*Communicatio idiomatum.* *Communicatio idiomatum* eſt vera & realis propriorum diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto θεανθρώπῳ, ab alterutra, vel vtraque natura denominato, participatio, ex vnione perſonali reſultans.

Obſ. I. *Vnio perſonalis*, & *communicatio idiomatum* differunt, vt antecedens & conſequens non *temporis*, ſed *naturæ* ordine.

Obſ. II. *Idioma* latine dicitur *proprium*. Sunt autem idiomata alia ἁπλῶς, ſiue *ſimpliciter* ita dicta, alia κατά τι, *ſecundum quid*, & *reſpectiue* talia. Idiomata *ſimpliciter & ſtricte* ita dicta ſunt, quæ neceſſario fluunt ex eſſentia, eandem afficiunt, denominant, & a poſteriori diſtinguunt a re alia. Eiusmodi idiomata hominis ſunt, eſſe riſiuum, admiratiuum loquendi facultate præditum, diſciplinarum capacem. Idiomata κατά τι, ſeu *reſpectiue* talia ſunt, quæ rem vnam ab alia quomodocunque diſtinguunt, quamuis ſint ἐνεργήματα καὶ ἀποτελέσματα, opera officii, vel etiam accidentia communia, v. gr. naſci, mori, fundere ſanguinem &c. quæ dicuntur propria humanæ naturæ, *ſecundum quid*, & *reſpectiue*, in quantum humanæ naturæ extra primum conceptum conueniunt, eamque a natura diuina quadantenus diſcernunt.

Obſ. III. Phraſis hæc, *communicatio idiomatum*, ſacris in litteris αὐτολεξεὶ non reperitur; res tamen ipſa clariſſima habet ſcripturarum fundamenta. Nam quoties carni Chriſti actiones & opera diuinæ omnipotentiæ ſcriptura aſſignat; toties per conſequentiam, omnipotentia ipſi tribuitur, tanquam actus primus, a quo ἐνέργεια diuina, velut actus ſecundus, manat. Quid? quod epiſtola ad Hebræos dilucide vſum iſtius phraſeos nobis monſtrat, quando vtitur duobus iſtis verbis græcis, iisque valde emphaticis, κεκοινώνηκε & μετέσχε, *communicauit*, & *participauit*, & quidem in hac ipſa materia de *vnione perſonali duarum naturarum* in Chriſto, c. II, 14. Quamuis autem a *Scholaſticis* primum dicta ſit *communicatio idiomatum*: orthodoxa tamen antiquitas in certaminibus cum NESTORIO & EVTYCHE æquipollentes loquendi formulas adhibuit, quas vide apud D. HVTTER. in *Form. Concord. artic. VIII. de perſona Chriſti p. 759.*

Quæſt. XXXVIII. *Qualis eſt iſta communicatio idiomatum?*

Communicatio idiomatum *non* eſt *mere verbalis* & *titularis* a), neque *intellectualis* b); ſed *realis*, inter duas ſubſtantias realiter diſtinctas, ſed non ſeparatas: adeoque *non* eſt *exæquatiua* c), neque *multiplicatiua* d), neque *transfuſiua* e); verum συνδυαστική, inter duas ſubſtantias perfecte & intime vnitas: neque tamen *accidentalis*, aut *commixtiua* f), neque *eſſentialis* aut *naturalis* g); ſed *perſonalis* & *ſupernaturalis* h).

Prob. a. Communicatio idiomatum non eſt *titulus ſine re.* Etenim Chriſtus homo vere eſt omnipotens, non titulotenus, ſicut empirici & circumforanei haud raro doctores audiunt, qui nihil minus, quam tales ſunt.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Communicatio *intellectualis* intercedit inter ſubiecta non realiter, ſed tantum ratione diſtincta. Sic animal homini ſua idiomata communicare dicitur κατὰ μέθεξιν, per communicationem intellectualem. At perſonalis communicatio idiomatum eſt inter duas Chriſti naturas, realiter diſtinctas.

Prob. c. Communicatio idiomatum neque naturarum vnitarum, neque idiomatum infert *exaequationem*; quia talis exaequatio pugnat cum reali differentia naturae diuinae & humanae, & ex vtraque natura fluentium idiomatum.

Prob. d. Communicatio idiomatum non eſt *multiplicatiua*, qualis eſt, cum homo generans κατ' ἀλλοποίησιν animam ſuam communicat filio. *Multiplicatiua* namque communicatio eſt inter duas ſubſtantias *ſeparatas*; at communicatio idiomatum eſt inter duas ſubſtantias *vnitas*.

Prob. e. Communicatio idiomatum non eſt *transfuſiua*. *Credimus autem, docemus & confitemur, non fieri talem maieſtatis Dei & omnium eius proprietatum effuſionem in humanam naturam Chriſti, qua naturae diuinae aliquid decedat; aut vt de ſuo alii ita largiatur aliquid, quod hac ratione ſibi ipſa non in ſe retineat; aut, quod humana natura in ſubſtantia atque eſſentia ſua parem maieſtatem acceperit, quae a natura & eſſentia diuinae naturae ſit ſeparata & diuiſa; quaſi cum vinum, aqua aut oleum de vno vaſe in aliud transfunditur. Neque enim vel humana in Chriſto natura, vel vlla alia creatura in caelo, aut in terra, eo modo omnipotentiae diuinae capax eſt, vt per ſe omnipotens eſſentia & natura fiat, aut omnipotentes proprietates in ſe & per ſe habeat. Hac enim ratione humana natura in Chriſto abnegaretur & in diuinitatem prorſus transmutaretur*, ait F. C. *p. 780.*

Prob. f. Communicatio idiomatum non eſt *commixtiua*; quia neque duae Chriſti naturae, neque vtriusque naturae idiomata miſceri queunt. *Credimus, docemus & confitemur, diuinam & humanam naturas non in vnam ſubſtantiam commixtas, nec vnam in alteram mutatam eſſe; ſed vtramque naturam retinere ſuas proprietates eſſentiales, vt quae alterius naturae proprietates fieri nequeunt*, inquit *Form. Concord. p. 606.*

Prob. g. Communicatio idiomatum non eſt *eſſentialis*, eo modo, quo Deus Pater filio ſuo coaeterno eſſentiam ſuam & omnes diuinas proprietates ab aeterno communicauit: vnde & vnius cum patre eſſentiae, & ipſi aequalis eſt. At vero in Chriſti perſona quaelibet natura retinet proprietates ſuas, intra diſtinctam naturam & eſſentiam ſuam; ita vt humana natura ſemper ſit & maneat inferior diuinitate. Neque eſt *eſſentialis*, aut *naturalis* eo modo, quo anima ſuas proprietates communicat corpori; propterea, quod huius communicationis fundamentum eſt vnio eſſentialis, qua duae naturae incompletae concurrunt ad vnam naturam completam conſtituendam: At duae Chriſti naturae, in eſſendo completae, vnitae ſunt ad conſtituendam vnam perſonam σύνθετον.

Prob. h. Eſt itaque communicatio idiomatum, de qua nobis in praeſenti ſermo eſt, *realis*, συνδυαστική, i. e. inter naturas vnitas, eaque *perſonalis*, orta ex vnione duarum in Chriſto naturarum hypoſtatica.

Communicatio idiomatum *realis* probatur: 1) Nulla vnio perfecta & perichoriſtica ſine communicatione idiomatum eſſe poteſt, vti exempla corporis animati oſtendunt. Vnionem paraſtaticam duorum aſſerum fieri, ſine communicatione idiomatum, faciles largimur, eo, quod ille gradus vnionis eſt infimus atque imperfectus. At vero, definiente ſcriptura, vnio perſonalis duarum in Chriſto naturarum eſt abſolutiſſima, perfectiſſima & perichoriſtica: E. ſine communicatione idiomatum eſſe nequit. Porro colligimus: Qualis *vnio*, talis *idiomatum communicatio*. Atqui *vnio* duarum in Chriſto naturarum eſt *realis*: E. fluens ex illa *communicatio idiomatum* eſt *realis*.

 2) Quam

Digitized by Google

2) Quam vere humanitas Chriſti *hypoſtaſin* τȣ λόγȣ habet communicatam, tam vere etiam communicata habet diuina *idiomata:* Atqui humanitas realiter communicatam habet hypoſtaſin τȣ λόγȣ. E. etiam realiter communicata habet idiomata diuina. *Maior* prob. 1) quia idiomata diuina, ex parte rei, cum hypoſtaſi diuina ſunt idem. At quæcunque realiter idem ſunt, eorum vno communicato, communicatur & alterum. 2) Si hypoſtaſis eſt communicata, multo magis communicata erunt idiomata. Hæc enim tribus perſonis diuinis ſunt communia; hypoſtaſis vero ſoli λόγῳ eſt propria.

3) In quo corpore, velut templo, *perſonaliter* aſſumto tota plenitudo diuinitatis habitat, illi idiomata diuina *vere & realiter* ſunt communicata: Atqui in corpore Chriſti &c. Col. II, 9: Ergo.

4) Quicunque, vt pueri, particeps fit carnis & ſanguinis humani, ille fit particeps idiomatum humanorum: Atqui Filius Dei &c. Hebr. II, 14. E. *Maior* conſtat: quia caro & ſanguis humanus notat naturam humanam, quæ ſuis proprietatibus nunquam deſtituta eſt.

5) *Neceſſaria* eſt communicatio idiomatum ad *peragenda opera officii*, in quibus vtraque Chriſti natura agit, quod cuiusque proprium eſt, cum communicatione alterius.

*Antitheſis* fuit olim *Samoſateni, Sabellii, Neſtorii, Eutychis*, qui vel confuſionem naturarum introduxerunt, vel communicationem naturarum & idiomatum negarunt, quos hodie in multis ſequuntur *Pontificii.* Vid. BELLARM. *libr. III. de Chriſto c. 9.* Quorum argumenta ſunt:

I. Quorum eſſentia & definitio non eſt communis, illorum propria non ſunt communicabilia: At diuinæ & humanæ Chriſti naturarum eſſentia & definitio non eſt communis: E. *Maior* patet: quia prædicata communicabilia pertinent ad definitionem rei, v. gr. Animal communicat naturam ſuam homini, & pertinet ad definitionem hominis. Reſp. Diſt. inter *communicationem intellectualem*, quæ eſt effectus vnionis κατὰ μέθεξιν, eſtque inter ſubiectum & prædicatum realiter idem, & ſola ratione diſtinctum; & inter *communicationem realem*, quæ eſt conſequens vnionis κατὰ συνδύασιν. Argumentum valet de priori, non de poſteriori communicatione.

II. Quidquid communicatur alteri, illud e proprio ſubiecto emigrat: Sed propria diuinæ & humanæ Chriſti naturæ non emigrant e ſubiecto proprio: E. Reſp. limitando. Quidquid communicatur alteri, *per transfuſionem:* Atqui communicatio idiomatum in Chriſto neutiquam per transfuſionem fit, ſed per *vnionem perichoriſticam.*

III. Quidquid communicatur, fit commune: Sed *propria* diuinæ & humanæ naturarum *non* ſunt *communia.* E. *Maior* eſt euidens: quia *proprium*, & *commune* e diametro ſibi opponuntur. *Minor* conſtat: quia *vtraque* Chriſti natura *retinet ſuas proprietates*, vt quæ alterius proprietates fieri nequeunt. Reſp. 1) Quidquid alteri communicatur, illud fit communicabile, non commune, *ſtricte loquendo.* 2) *Commune* aliquid bifariam dicitur: a) Senſu *ſtrictiori* commune dicitur, quod pluribus *æque & eodem modo* competit; hoc ſignificatu *ſpeciali*, opponitur *proprio.* b) *Latiori* ſenſu commune dicitur, quod pluribus quocunque ac *diuerſo etiam modo* competit, vni *primario*, *immediate & per ſe*, alteri *ſecundario*, *mediate & per aliud.* Hoc ſenſu *latiori* proprietates quidem propter vnionem perichoriſticam fiunt *communes*, & nihilominus manent *proprietates* illius naturæ, cui primo & per ſe conueniunt.

IV. Quæcunque in ipſa vnione manent diſtincta, illorum propria non communicantur: Duæ Chriſti naturæ &c. E. *Maior* patet: quia diſtinctio, & communicatio, inter ſe pugnare videntur. Reſp. Repugnat communicationi *diſtractio*, non *diſtinctio.*

In

Digitized by Google

In gladio ignito diſtinctæ ſunt naturæ, attamen vis vrendi ferro, & vis incidendi igni communicatur.

V. Si propria diuinæ naturæ communicarentur humanæ naturæ, eſſent in duobus ſubiectis: Conſequens eſt falſum; quia vnum proprium in duobus ſubiectis eſſe nequit: E. & antecedens. Reſp. Vnum proprium non poteſt eſſe in duobus ſubiectis primis & immediatis; poteſt tamen eſſe in duobus ſubiectis per περιχώρησιν vnitis, quorum vnum eſt *primum & immediatum*, alterum *ſecundum & mediatum*.

VI. Si propria diuinæ naturæ communicata eſſent aſſumtæ humanæ naturæ, eidem ineſſent: Sed non inſunt humanæ naturæ; quia non ſunt accidentia, quorum eſt, ineſſe: E. non ſunt humanæ naturæ communicata. Reſp. Modus ineſſendi varius eſt. Idiomata diuina non inſunt humanæ naturæ per *ſubiectiuam inhæſionem*, velut accidentia, ſed per *intimam vnionem & inhabitationem.*

VII. Quodcunque dogma inuehit naturæ diuinæ & humanæ exæquationem, illud eſt reiiciendum: Dogma de communicatione idiomatum &c. E. *Minor* prob. quia, iuxta doctrinam de communicatione idiomatum, humana Chriſti natura æque eſt omnipotens, omniſcia, &c. ac diuina ipſius natura. Reſp. Neg. min. Quamuis enim eadem omnipotentia diuinæ & humanæ Chriſti naturæ ſit, modus tamen habendi eſt longe diuerſiſſimus. Nam natura diuina eſt omnipotens *formaliter*, immediate & *per ſe;* humana Chriſti natura eſt omnipotens *communicatiue*, mediate & per *vnionis perſonalis* gratiam.

Quæſt. XXXIX. *Quot ſunt genera communicationis idiomatum?*

*Genera* communicationis idiomatum ſunt *tria*.

Prob. Tres enim ſunt claſſes generales, ad quas omnia ſcripturæ dicta, quæ de communicatione idiomatum agunt, commode reuocari poſſunt. Prædicantur quippe vel *proprietates vtriusque naturæ* de tota Chriſti perſona ab alterutra, vel vtraque natura denominata; vnde eſt *primum* genus: vel *perfectiones diuinæ* in humanam Chriſti naturam collatæ; vnde eſt *ſecundum* genus: vel *opera officii* ſecundum vtramque naturam; vnde reſultat *tertium* genus. *Primum* genus vocatur ἰδιοποιΐα, communicatio proprietatum: *Secundum* μεταποιΐα, communicatio maieſtatis: *Tertium* κοινοποιΐα, communicatio apoteleſmatum, ſeu operationum officii.

Obſ. Ordo locandi genera, ſeu claſſes communicationis idiomatum a nonnullis Theologis inuertitur; quippe qui diſtinguunt inter ordinem *doctrinæ*, & *naturæ*, atque ob difficultatem & prolixitatem maiorem μεταποιΐαν τῇ κοινοποιΐᾳ poſtponunt. At cum ordo accommodandus ſit rebus, non res ordini; nos, ſaluo aliorum iudicio, prius agendum cenſemus de αὐχήμασι humanæ naturæ Chriſti communicatis, quam de ἀποτελέσμασι; propterea, quod communicatio officii neceſſario, tanquam cauſſam, priorem ſuo effectu, præſupponit communicationem maieſtatis, factam aſſumtæ carni.

Quæſt. XL. *Quodnam eſt primum genus communicationis idiomatum?*

*Primum genus* communicationis idiomatum eſt, quando *propria diuinæ*, vel *humanæ* naturæ *vere & realiter* tribuuntur *toti perſonæ* Chriſti, ab alterutra vel vtraque natura denominatæ.

Obſ. Vocatur hoc primum genus a DAMASCENO *lib. III. de O. F. c. 4.* ἀντίδοσις, *alternatio*, τρόπος ἀντιδόσεως, *modus alternationis*, quia de perſona Chriſti συνθέτῳ alternatim diuina & humana prædicari poſſunt, v. gr. *Chriſtus eſt ab æterno genitus a Patre:*



Digitized by Google

*Chriſtus eſt in tempore a Maria virgine genitus.* A THEODORETO appellatur ἐναλλαγὴ καὶ κοινωνία ὀνομάτων, *permutatio & communicatio nominum*, non nude verbalis, ſed *realis*, quia nomina ſunt rerum. A CYRILLO nuncupatur ἰδιοποιΐα καὶ ἰδιοποίησις, *appropriatio*, quia illud, quod vni naturæ proprium eſt, tota perſona, quæ Deus & homo eſt, ſibi vindicat & proprium facit. Vocatur enim a DAMASCENO ἀλλοίωσις, qua de vna eademque perſona συνθέτῳ & diuina & humana idiomata realiter prædicantur, κατ᾽ ἄλλο tamen καὶ ἄλλο; quia particulæ diſtinctiuæ oſtendunt; ſecundum quam naturam vnumquodque idioma de perſona prædicetur. Sed accurate diſtinguendum eſt inter ἀλλοίωσιν *determinatiuam & diſtinctiuam*, & inter ἀλλοίωσιν *ſegregatiuam & excluſiuam*, v. gr. Deus paſſus eſt κατ᾽ ἄλλο, i. e. Deus vere & realiter paſſus eſt *ſecundum aſſumtam humanitatem*, ibi particula, κατ᾽ ἄλλο, *determinat* humanam naturam, cui paſſio formaliter competit, eamque a natura diuina diſtinguit, *non* autem *ſegregat*, quippe cui paſſio appropriatur. Sed ſi ſic exponas: Deus paſſus eſt κατ᾽ ἄλλο, i. e. ſola humana natura eſt paſſa, particula κατ᾽ ἄλλο eſt ſeparatiua, non diſtinctiua, quia per illam expoſitionem Deus a communicatione paſſionis excluditur. Confer. GERHARD. *exeg. l. IV. §. 188.* *).

Quæſt. XLI. *Quodnam eſt fundamentum primi generis communicationis idiomatum?*

*Fundamentum primi generis* communicationis idiomatum eſt *tum* vnitas perſonæ θεανθρώπου, *tum* diuinæ & humanæ naturarum vera & realis differentia.

Prob. *Cum in Chriſto duæ ſint diſtinctæ naturæ, quæ eſſentiis & proprietatibus ſuis neque mutantur, neque confunduntur; vtriusque vero naturæ vna tantum ſit perſona: ea, quæ vnius tantum naturæ propria ſunt, alteri naturæ non ſeorſim, quaſi ſeparatæ, ſed toti perſonæ (quæ ſimul Deus & homo eſt) attribuuntur, ſiue Deus, ſiue homo nominetur*, ait Form. Concord. *p. 770.*

Quæſt. XLII. *Quot ſunt ſpecies primi generis communicationis idiomatum?*

*Species* primi generis communicationis idiomatum ſunt *tres*. *Prima* ſpecies eſt ἰδιοποίησις, ſiue οἰκείωσις, *appropriatio*, quando humana idiomata de concreto naturæ diuinæ enuntiantur a). *Secunda* ſpecies eſt κοινωνία τῶν θείων, *communicatio diuinorum idiomatum*, quum de perſona verbi incarnati, ab humana natura denominata, idiomata diuina ob vnionem perſonalem enuntiantur b). *Tertia* ſpecies eſt ἀντίδοσις, ſiue συναμφοτερισμὸς, *alternatio*, ſiue *reciprocatio*, qua tam diuina, quam humana idiomata de concreto perſonæ, ſiue de Chriſto, ab vtraque natura denominato, prædicantur c).

Prob. a.

*) Itaque longiſſimo interuallo hæc ἀλλοίωσις diſtat ab illa, quæ dicitur *Zwingliana* ἀλλοίωσις, de qua euitanda nos admonet *Form. Conc. Declar. art. VIII.* Qui diuino inſtinctu adflatuque ſcripſerunt, non alterutri naturæ, ſed toti perſonæ Chriſti diſerte adſerunt proprietates vel diuinæ, vel humanæ naturæ. Et id quidem illi ita eloquuntur, vt vſurpent eamdem dicendi rationem, quem ad modum dicimus: *ſecundum* diuinam, *ſecundum* humanam naturam. Adhibent enim voculas, quæ diſtinguendi, non ſeparandi vim habent, ἐν, & κατὰ, v. gr. *Chriſtus*, adeoque tota perſona, *originem ſuam ducit a Patribus*, κατὰ, *ſecundum carnem*, Rom. IX, 5: *Chriſtus peccata noſtra pertulit*, ἐν, *in ſuo corpore*, 1 Petr. II, 21.

Digitized by Google

Prob. a. Ad *primam* ſpeciem pertinent ſequentes prædicationes idiomaticæ: *Dux vitæ interfectus eſt*, Act. III, 15. *Deus acquiſiuit eccleſiam per proprium ſanguinem*, Act. XX, 28. *Dominus gloriæ crucifixus eſt*, 1 Cor. II, 8. *Filius Dei dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me*, Gal. II, 20. *Deus vnctus eſt Spiritu S.* Pſ. XLV, 8.

Prob. b. Ad *ſecundam* ſpeciem pertinent ſequentes propoſitiones idiomaticæ: *Filius hominis aſcendet, vbi erat prius*, Ioann. VI, 62. *natus in plenitudine temporis eſt, antequam Abraham eſſet*, Ioann. VIII, 58. *Secundus homo eſt Dominus de cælo*, 1 Cor. XV, 47.

Prob. c. Ad *tertiam* ſpeciem ſpectant hæ propoſitiones idiomaticæ: *Ieſus Chriſtus heri & hodie* i. e. ab æterno, Hebr. XIII, 8. *Chriſtus eſt ex patribus ſecundum carnem*, Rom. IX, 5. *Chriſtus crucifixus eſt in infirmitate*, 2 Cor. XIII, 4. *Chriſtus mortificatus eſt carne, viuificatus autem ſpiritu*, 1 Petr. III, 18.

Obſ. Prædicationes idiomaticæ *primæ* & *ſecundæ* ſpeciei differunt a prædicationibus, ad *tertiam* ſpeciem pertinentibus. Nam prædicationes idiomaticæ, in quibus de *concreto naturæ diuinæ idioma humanum*; & contra, de *concreto naturæ humanæ idioma diuinum* denominatiue enuntiatur, ita comparatæ ſunt, vt prædicatum conueniat ſubiecto non formaliter, ſiue ſecundum aliquid, quod in formali eius conceptu ſignificatur, ſed κατ' ἄλλο, ſiue ratione alterius naturæ, quæ ei perſonaliter vnita eſt v. gr. cum dico: *Filius Dei eſt paſſus*, prædicatum *non* conuenit ſubiecto *formaliter*, ſiue ſecundum aliquid, quod in formali eius conceptu ſignificatur; ſed κατ' ἄλλο, ſiue *ſecundum aliud*, nempe ſecundum humanam naturam, quæ *perſonaliter* vnita eſt filio Dei. At cum *ſubiecti* loco ponitur *concretum perſonæ*, de quo prædicatur idioma diuinum, vel humanum, tunc prædicatum ſubiecto conuenit formaliter, & non κατ' ἄλλο, v. gr. cum dico: *Chriſtus eſt paſſus*; prædicatum hoc Chriſto competit formaliter, ſecundum humanam naturam. Rurſus cum dico: *Chriſtus eſt ab æterno*, etiam hoc prædicatum Chriſto conuenit *formaliter*, ratione *diuinæ* naturæ; cum enim Chriſtus ſit concretum perſonæ, vtraque natura, diuina & humana, de ratione formali Chriſti eſt. Vnde HVTTERVS *ll. cc. fol. 155.* inquit: *cum propoſitiones* (*Chriſtus eſt tentatus a Iudæis*, 1 Cor. X, 9. *eſt ex ſemine Dauid*, Matth. XXII, 42.) *non per communicationem aliquam vnius naturæ idiomata de altera natura, vel in concreto, vel in abſtracto enuntient, ſed de tota perſona prædicent id, quod reſpectu vnius naturæ toti perſonæ tribuitur; ideoque in his propoſitionibus proprie loquendo non videtur eſſe communicatio idiomatum.* Quare vt communicatio locum habere poſſit, neceſſe eſt, vt Chriſti loco ponatur talis vox, quæ reſpectum habeat ad eam naturam, cuius idioma non eſt id, quod per prædicatum enuntiatur. Conf. D. MVSAEVS in *prælect. in Form. Concord. p. 289.* D. BAIERVS in *Comp. p. 519.* monet, quod nihilominus in iam recenſitis propoſitionibus communicatio idiomatum inuoluatur, *propter ſubiectum ab vtraque natura denominatum, & communicatam ὑπόςασιν. Niſi enim illa eſſet communicata, ſubiectum nec ab vtraque natura denominari, nec prædicatum diuinum toti perſonæ a natura diuina & humana denominatæ tribui poſſet.* Quin immo ſi habitudinem prædicati ad vtramque in ſubiecto, eiusque ſignificatu comprehenſam naturam penitius conſideres, apparebit, prædicatum tantum ratione *vnius* in ſubiecto comprehenſæ naturæ eſſe *formale*, non ratione alterius. Vnde etiam in propoſitionibus illis vſus particularum diſcretiuarum locum habet, v. gr. *Chriſtus eſt natus ex patribus ſecundum carnem*, Rom. IX, 5. Diſtinguendum igitur eſt inter propoſitiones idiomaticas, in quibus communicatio idiomatum *ſtricte* loquendo & *expreſſe* locum habet; & inter propoſitiones, in quibus communicatio idiomatum *aliquo modo inuoluitur.* Hæc propoſitio: *Deus eſt paſſus*, ſtrictiſſime loquendo eſt idiomatica, quam non admiſit NESTORIVS; at iſthæc propoſitio: *Chriſtus eſt paſſus*, latiori ſenſu dicitur idiomatica, a NESTORIO approbata.

Quæſt.

Quæſt. XLIII. *Quid obſeruandum eſt circa propoſitiones idiomaticas primi generis communicationis idiomatum?*

Circa *prædicationes*, ad *primum* genus communicationis idiomatum pertinentes, obſeruandum a) *ſubiectum*, quod non eſt abſtractum, ſed *concretum naturæ*, vel *perſonæ*; b) *prædicatum*, quod non ipſam ſubſtantiam diuinam aut humanam, ſed *idioma* alterutrius naturæ deſignat: c) *Modus prædicandi* eſt *realis & proprius*, quo de tota perſona θεανθρώπῳ diuina vel humana idiomata enuntiantur, ita tamen, vt per *particulas diſcretiuas* naturæ, cui *formaliter* competunt, vindicentur, alteri vero naturæ, cui non formaliter, ſed propter *vnionem perſonalem* conueniunt, approprientur.

Prob. a. *Subiectum* propoſitionum idiomaticarum *non* eſt *abſtractum naturæ.* Nam 1) S. ſcriptura non vtitur phraſibus abſtractiuis, ſed *concretiuis.* Non legimus in ſacro codice *deitatem eſſe crucifixam*, ſed *Dominum gloriæ eſſe crucifixum*, 1 Cor. II, 8. *Auctorem vitæ eſſe interfectum*, Act. III, 15. *Filium Dei in mortem eſſe traditum*, Rom. VIII, 32. 2) Deitas eſt ἀπαθὴς, ἄτρεπτος, καὶ ἀναλλοίωτος, paſſionis, conuerſionis & mutationis expers. 3) Actiones & paſſiones ſunt ſuppoſitorum. Vnde Apoſtolus Petrus non dicit: *Diuinitas eſt paſſa in carne;* ſed: *Deus paſſus eſt in carne*, 1 Petr. IV, 1.

Dicis: I. Deus eſt paſſus: Deitas eſt Deus: E. Deitas eſt paſſa. Reſp. *Maior* non eſt vniuerſalis in prima figura, quoniam dicere non licet: Omne id, quod eſt Deus, eſt paſſum. Præterea Deus in maiori ſumitur *relatiue* & *perſonaliter*, in minori *abſolute* & *eſſentialiter.*

Dicis: II. Chriſtus eſt paſſus: Chriſtus eſt vtraque natura: E. vtraque natura eſt paſſa. Reſp. Chriſtus eſt paſſus, vt *concretum perſonæ.* Hinc negatur *minor;* quia vtraque natura per ſe non eſt concretum perſonæ, ſed vtraque natura eſt abſtractum. Vnde naſcuntur quatuor termini: quamuis enim vtraque natura a Chriſto non differat *realiter,* differt tamen *formaliter.*

Dicis: III. Diuinitas eſt incarnata: E. eſt paſſa. Reſp. Aliud eſt incarnatio, aliud eſt paſſio. Illa eſt λόγου ἀσάρκου, quia notat actum vnionis; hæc eſt λόγου ἐνσάρκου, & competit ipſi in ſtatu vnionis. Illa nullam mutationem ac imperfectionem, hæc mutationem ac exinanitionem per ſe infert. Quamobrem ſicut non ſequitur: Diuinitas eſt incarnata: E. eſt aſſumta. Ita non ſequitur: Ergo eſt paſſa *).

Dicis: IV. Diuinitatem in carne paſſam eſſe, aſſeruere patres & doctores primitiuæ eccleſiæ. CYRILLI *de incarnat. vnigeniti: cap. XXVIII.* vox eſt: *Diuinitas patiebatur impaſſibiliter:* VIRGILII *lib. II. cap. III. contra Eutych. Diuinitas clauis confixa eſt; ſed ipſa penetrari non potuit, ſicut caro:* AVGVSTINI in *meditat. cap. VI. Deitas, quæ meam carnem induit, crucis patibulum aſcendit, & in carne aſſumta triſte tulit ſupplicium.* Certum etiam eſt, quoſdam Theologos e noſtratibus locutionibus abſtractiuis vſos eſſe, nominatim BRENTIVM, IACOBVM ANDREÆ, SELNECCERVM, & noſtro æuo doctiſſimum Theologum, IOANN. ADAMVM OSIANDRVM in *colleg. theolog. ſyſtemat. part. IV. p. 84.* Reſp. Excuſari poteſt phraſis

*) Et, ſi adcurate loqui velimus, ne illud quidem concedendum eſt, quod *diuinitas* ſit carne induta. Non enim abſtractum, ſed concretum naturæ diuinæ humanam adſumſit, quæ eſt perpetua in ſacris litteris loquutio: *Deus* eſt manifeſtatus in carne: *Filius Dei* in mundum miſſus eſt.

Digitized by Google

ſis vſurpata a patribus & theologis: *Diuinitas paſſa eſt in carne:* quoniam huius propoſitionis: *Deus paſſus eſt in carne,* fundamentum eſt vnitas perſonæ, quam conſtituit quidem vnio perſonalis, proxime autem hanc conſequitur (ſecundum noſtrum concipiendi modum) περιχώρησις, ſeu communicatio mutua naturarum. Quamuis itaque primo dicatur: *Deus paſſus eſt in carne,* conſequenter tamen haud incommode dici cenſent ſupra memorati Patres & Theologi, diuinitatem paſſam eſſe in carne, eo, quod diuinitas illam paſſionem, quam caro in ſe ſenſit, ſibi vere appropriauit, eandemque ſatisfactoriam & ſalutiferam reddidit. At vero tutius dicimus: *Deus paſſus eſt in carne.* Nam 1) hæc propoſitio eſt ἔγγραφος, 1 Petr. IV, 1. Act. XX, 28. 2) Vt actiones, ita & paſſiones ſunt ſuppoſitorum, ſiue perſonarum. 3) Accurate obſeruandum eſt diſcrimen inter propoſitiones idiomaticas *primi*, & *ſecundi* generis. In his ſubiectum poteſt eſſe abſtractum, non item in illis. 4) Metuendum eſt, ne propter vſum eiusmodi propoſitionum abſtractiuarum, *Theopaſchitarum* error, qui docuerunt, diuinitatem in Chriſto doluiſſe & paſſam eſſe, cum caro eius figeretur in cruce, noſtris eccleſiis affricetur. Conf. D. GERHARD. in *exeg. l. IV. §. 198.* D. BROCHMAND in *vniverſ. theol. ſyſtem. de Chriſto ſect. IV. quæſt. vnic. p. 784.*

Prob. b. *Prædicatum* propoſitionum idiomaticarum *primi* generis non ipſam ſubſtantiam diuinam, aut humanam deſignat. Nam hæ propoſitiones: *Deus eſt homo, germen Davidis eſt Iehouah,* &c. *non* ſunt *idiomaticæ*, ſed hypoſtaticæ, ſiue *perſonales.* Quamobrem par eſt; vt in propoſitionibus idiomaticis primi generis prædicati loco ponatur *idioma diuinæ*, aut *humanæ* naturæ. Idiomata autem tam *lata* ſignificatione hic ſumuntur, vt ambitu ſuo etiam actiones, paſſiones & accidentia communia complectantur. Ceterum probe hic obſeruandum eſt, quod, ſi prædicatum comprehendat *vſum, redundantem in genus humanum,* illud notet ἀποτέλεσμα, ſiue *opus officii*, & pertineat ad *tertium* genus communicationis idiomatum, v. gr. Prædicatio hæc: *Chriſtus effudit ſanguinem ſuum pro nobis*, pertinet ad *tertium* genus communicationis idiomatum.

Prob. c. *Modus prædicandi* propoſitionum idiomaticarum, ad *primum* genus communicationis idiomatum pertinentium, eſt *verus, realis,* & *proprius,* proprietate ſignificationis. Nam quæ ſunt propria humanitatis κατ' αὐτὸ, ſiue *per ſe,* ea vere & proprie prædicantur de Filio Dei καθ' ἕνωσιν, ſiue propter *vnionem perſonalem:* & vice verſa, quæ ſunt propria diuinitatis, vere & proprie prædicantur de filio hominis, propter *vnionem perſonalem.* Vt autem luculentius innoteſcat, quæ prædicata conueniant diuinæ, aut humanæ naturæ κατ' αὐτὸ, & quæ illi competant καθ' ἕνωσιν, oppido notandæ ſunt quædam particulæ diſcretiuæ, quibus vindicantur propria illi naturæ, cui per ſe & formaliter conueniunt: quæ particulæ vel ῥητῶς & diſerte habentur in dictis biblicis, vel a doctoribus eccleſiæ e contextu ſecundum analogiam fidei eruuntur, v. gr. *Filius Dei natus eſt e ſemine Dauidis* κατὰ σάρκα, *ſecundum carnem*, Rom. I, 3. *Chriſtus eſt ex patribus, quantum ad carnem,* Rom. IX, 5. *Deus acquiſiuit eccleſiam per proprium ſanguinem,* Act. XX, 28. Interdum S. ſcriptura loco illarum particularum diſcretiuarum adhibet caſum ablatiuum, v. gr. *Chriſtus mortificatus eſt carne, viuificatus autem ſpiritu*, 1 Petr. III, 18. Doctoribus eccleſiæ familiares ſunt particulæ, *qua, quatenus, in quantum, reſpectu, tanquam, ſecundum.* Quæ particulæ limitatiuæ non ſunt χωριστικαὶ, ſeparatiuæ ſubiecti, ſed a) αἰτιολογικαὶ, oſtenſiuæ cauſſæ & originis, propter quam prædicatum de ſubiecto enuntiatur; b) προσδιοριστικαὶ, determinatiuæ naturæ, cui prædicatum κατ' αὐτὸ, per ſe, & formaliter competit; c) διακριτικαὶ, diſtinctiuæ ab altera natura, cui propria non competunt formaliter, ſed appropriatiue, vel communicatiue. Hic modus prædicandi declarari poteſt exemplis: *Filius Dei natus eſt e ſemine Dauidis, ſecundum carnem*, Rom. I, 3. Subiectum huius propoſitionis idiomaticæ eſt Filius Dei, quo



Digitized by Google

notatur tota perſona Chriſti, denominata a natura diuina. Prædicatum eſt, naſci e ſemine Dauidis, quod eſt idioma humanum. Hoc prædicatur de concreto naturæ diuinæ, cui illud non competit κατ᾽ αὐτὸ, per ſe, ſed κατ᾽ ἄλλο, per aliud, ob vnitatem perſonæ θεανθρώπε. Vnde per particulam limitatiuam, κατὰ, *ſecundum* carnem, idioma humanum vindicatur naturæ humanæ, cui natiuitas temporalis formaliter conuenit; non tamen excluditur, aut ſeparatur natura diuina a participatione natiuitatis, quippe cui τὸ naſci e ſemine Dauidis competit appropriatiue. Alterum exemplum ſumemus e Gen. III, 15. *Semen mulieris conculcabit caput ſerpentis.* Subiectum eſt ſemen mulieris, ſiue filius B. virginis Mariæ, quo ſignificatur tota perſona σύνθετος, quæ Deus & homo eſt. Prædicatum eſt conculcatio capitis ſerpentini, quæ cum ſit actus omnipotentiæ, eſt idioma diuinum, quod enuntiatur de concreto naturæ humanæ, cui illud quidem non competit κατ᾽ αὐτὸ, attamen καθ᾽ ἕνωσιν, propter vnionem perſonalem. Particula limitatiua ῥητῶς, ſiue diſerte non habetur in textu, ſecundum analogiam tamen fidei addi poteſt: Semen mulieris conculcabit caput ſerpentis, *quatenus* verus eſt Deus. Particula, *quatenus*, heic ſumitur reduplicatiue, ſiue cauſſaliter, & vindicat idioma diuinum naturæ diuinæ, cui *formaliter* conuenit; non autem excludit humanam naturam a conculcatione capitis ſerpentini, vtpote cui actus ille omnipotentiæ competit *communicatiue.*

Quæſt. XLIV. *An Filius Dei realiter & proprie paſſus, crucifixus & mortuus eſt?*

Filius Dei *vere*, *realiter & proprie* paſſus, crucifixus & mortuus eſt a); quippe cui tribuitur paſſio ὑποςατικῶς *perſonaliter* b), ἰδιοποιητικῶς *appropriatiue* c), & ἐνεργητικῶς, *effectiue* d).

Prob. a. 1) E clariſſimis ſcripturæ dictis. Dicitur enim *Iehouah transfixus*, Zach. XII, 10. conf. Ioann. XIX, 37. *Filius Dei traditus pro nobis*, Rom. VIII, 32. *Auctor vitæ interfectus*, Act. III, 15. *Dominus gloriæ crucifixus*, 1 Cor. II, 8. Quæ dicta ſcripturæ teſtantur, non humanam tantum naturam eſſe paſſam, ſed ipſummet Filium Dei, ipſummet Iehouam.

2) E ſyllogiſtica propoſitionum perſonalium conſecutione. Recte enim concludimus: Filius hominis vere & realiter traditus eſt in mortem.

3) Ab exemplorum paritate. Si vere & abſque tropo ſcriptura aſſerit, *Filium Dei eſſe natum ex Maria virgine*, Luc. I, 35. vtique etiam vere & abſque tropo accipiendum eſt, quod *Dominus gloriæ crucifixus ſit.*

4) Si ſola humana natura paſſa eſt, verum erit illud NESTORII: *Noli gloriari, Iudæe, quia non Deum, ſed hominem crucifixiſti.* Vid. EVAGRIVS *l. I. hiſtor. c. 2. hiſt. tripartit. L. 12. c. 4.*

Prob. b. Actiones & paſſiones ſunt ſuppoſitorum. Quam ob rem quando dico: *Deus eſt paſſus*; ſubiectum paſſionis, *vt quod*, eſt Deus; ſubiectum, *vt quo*, eſt humana natura, in ipſa hypoſtaſi Filii Dei ſubſiſtens. Vnde hanc propoſitionem: *Deus eſt paſſus*, ita expono: *Filius Dei eſt paſſus ſecundum humanam naturam in perſonalitate diuina ſubſiſtentem.* Vt ergo, cum vulnus infligitur carni Petri, non ſola caro Petri dicitur vulnerata, ſed vere vulneratus eſt Petrus, ſiue perſona Petri, tametſi anima ipſius vulnerari nequeat: ita, cum patitur Filius Dei ſecundum carnem, non patitur ſola caro, vel humana eius natura, ſed vere patitur Filius Dei, vel perſona Filii Dei, vtut ἀπαθὴς ſit natura diuina.

Prob. c. E mutua naturæ vtriusque, diuinæ & humanæ, in vna perſona Chriſti communione. Quia enim mutua, eaque vera & realis datur inter duas naturas in vna perſona Chriſti communio, ideoque natura diuina idiomata humanæ naturæ ſibi vere & realiter appropriat

Digitized by Google

propriat. Duæ quippe naturæ in communionem veniunt non nudæ, ſed proprietatibus ſuis veſtitæ. Hanc ἰδιοποίησιν, ſiue *appropriationem* reſpicit Paullus, cum Act. XX, 28. inquit: *Deus eccleſiam acquiſiuit per proprium ſanguinem.* Ex quo colligimus: Quicunque proprium effudit ſanguinem, is vere, realiter & proprie paſſus eſt: Atqui Deus &c. E. Nimirum tam vere & realiter Deus paſſus eſt in ſua carne, quam vere & realiter Paullus & Petrus paſſi ſunt in ſua propria carne; quippe quam eſt Paullo & Petro ſua caro propria eſſentialiter, tam eſt Filio Dei ſua caro propria perſonaliter.

Prob. d. Paſſus eſt Deus in carne ἐνεργητικῶς, ſeu *effectiue*, eo, quod diuina patientis Chriſti natura, pondus, robur, efficaciam & valorem paſſioni carnis addidit, vt eſſet ponderoſiſſima, efficaciſſima, ſaluberrima & plane ſatisfactoria. Paſſio ſolius carnis, quantumuis iuſtiſſimæ, pro ſe non ſatisfacit, pro aliis minus, pro toto mundo minime.

Dicis: Quicunque realiter patitur, is paſſionem ſentit: Atqui Deus paſſionem non ſenſit: E. Deus realiter non eſt paſſus. Reſp. Quicunque *realiter & phyſice* patitur, is paſſionem ſentit, concedo. At Filius Dei licet paſſus ſit *realiter*, non tamen eſt paſſus φυσικῶς, ſed ὑποστατικῶς, ſiue, *perſonaliter*, & *appropriatiue*, ſiue vt ATHANAS. *libr. IV. de trinit.* loquitur; *Paſſus eſt Filius Dei, non natura deitatis, ſed vnionis diſpenſatione.*

Quæſt. XLV. *Quodnam eſt ſecundum genus communicationis idiomatum?*

*Secundum genus* communicationis idiomatum eſt, quod *filius Dei maieſtatem ſuam diuinam aſſumtæ carni communicauit.* *Secundum genus communic. idiomatum.*

*Vberius definitur:*

*Secundum* genus communicationis idiomatum eſt, *quo Filius Dei idiomata diuinæ ſuæ naturæ aſſumtæ humanæ naturæ propter vnionem perſonalem vere & realiter communicauit, ad communem poſſeſſionem, vſurpationem & denominationem.*

Quæſt. XLVI. *Quænam obſeruanda ſunt ad cognoſcendum hoc ſecundum genus C. I.?*

Ad intelligendum *ſecundum* genus communicationis idiomatum obſeruanda ſunt: 1) *Appellationes* huius generis, 2) Communicationis *cauſſa & fundamentum*, 3) Communicationis *ſubiectum*, 4) Communicata *dona*, 5) Communicationis *finis*, 6) *Prædicationes*, ex hoc ſecundo genere C. I. reſultantes.

Quæſt. XLVII. *Quibus nominibus ſecundum genus C. I. inſignitur?*

*Græci* eccleſiæ antiſtites hoc ſecundum genus *nominibus* emphaticis ad exprimendam eius indolem inſigniuerunt. A *latinis* doctoribus communiter vocatur *communicatio maieſtatis.*

Prob. *Græci* hoc genus C. I. vocant 1) βελτίωσιν, *meliorationem*, ob dona infinita collata, quibus natura Chriſti humana ad triplex obeundum officium perficitur; 2) προσθήκην μεγάλην, *magnum augmentum*, ideo, quod communicata omnipotentia, omniſcientia &c., nullum datur augmentum maius; 3) ὑπερύψωσιν, *exaltationem*, quoniam per communicatam maieſtatem diuinam caro Chriſti in celſiſſimum ſtatum euecta eſt; 4) μετάδοσιν, *collationem*, ſcilicet infinitæ maieſtatis; 5) δόξασιν, *glorificationem*; ſiquidem caro Chriſti ea gloria cumulata eſt, quam habet Filius Dei ab æterno, Ioann. XVII, 5. 6) μετάληψιν



Digitized by Google

θείας ἀξίας, *participationem diuinæ dignitatis*, quia ex donis diuinis, quibus exornata eſt caro aſſumta, illius dignitas diuina relucet; 7) μετοχὴν θείας δυνάμεως, *participationem divinæ potentiæ*, e qua reſultat gloria ſumma; 8) θέωσιν, ἀποθέωσιν, θεοποίησιν, *Deificationem;* quam DAMASCENVS *lib. III. de O. F. c. 12.* explicat, quod veteres nomine *Deificationis* nequaquam intellexerint transmutationem, confuſionem, conuerſionem, abolitionem aut exæquationem naturarum, ſed, quod primo œconomiam hypoſtaticæ vnionis eo vocabulo notare voluerint: a) quia propter hypoſtaticam illam vnionem de homine Chriſto prædicatur, quod ſit Deus: b) quia veteres vocabulo hoc, *Deificatio*, περιχώρησιν naturarum indicarunt. Conf. D. CHEMNIT. *de d. n. c. 26.* *Latini* appellarunt *communicationem maieſtatis*, propterea, quod diuina & infinita dona ſunt ipſa æterni Dei maieſtas & gloria. Occaſio huius denominationis ſumta eſt a Græcis, qui dona diuina, Chriſto in tempore data, vocarunt ἀξιώματα, *dignitates*, & αὐχήματα, *excellentias.* In ſacris litteris communicatio maieſtatis appellatur *vnctio*, i. e. *donatio Spiritus S. præter menſuram*, Pſ. XLV, 8. Ioann. III, 34. Act. X, 38.

Quæſt. XLVIII. *Quis communicauit carni Chriſti idiomata diuina?*

*Filius Dei perſonaliter* communicauit aſſumtæ carni αὐχήματα diuina a), quæ tamen etiam dedit *Deus Pater* b), & *Spiritus S.* c).

Prob. a. Vt enim ὁ λόγος naturam humanam aſſumſit in vnitatem ſuæ perſonæ, Hebr. II, 16. ita idem diuinas ſuas proprietates, charactere ſuo hypoſtatico inſignitas, aſſumtæ humanitati perſonaliter communicauit. Diſt. hic eſt inter δόσιν καὶ κοινωνίαν, *inter dationem, & communicationem.* A *Patre & Spiritu S.* dicuntur diuina αὐχήματα Chriſto ſecundum humanam naturam *dari*, ſed non *communicari*, ſi ſtricte & in rigore loqui velimus; quia *communicatio*, de qua hic loquimur, eſt & vocatur *perſonalis*, adeoque vnionem perſonalem præſupponit. Iam vero vnio perſonalis non eſt inter patrem & carnem Chriſti, vel Spiritum S. & carnem Chriſti, ſed inter λόγον & aſſumtam eius carnem.

Prob. b. Deus *Pater* dedit filio hominis poteſtatem, honorem & regnum, Dan. VII, 13. Conf. Ioann. V, 27. Matth. XI, 27.

Prob. c. *Spiritus S.* Meſſiam vnxit, Eſ. LXI, 1. & quidem non ad menſuram, Ioann. III, 34. Ergo carnem Chriſti donis immenſis donauit.

Quæſt. XLIX. *Cui fundamento innititur communicatio maieſtatis facta carni Chriſti?*

*Fundamentum* communicatæ cum carne Chriſti maieſtatis eſt tum *vnio perſonalis*, qua humanæ Chriſti naturæ communicata eſt hypoſtaſis diuina a), tum *intima* diuinæ & humanæ *naturarum* in vna perſona Chriſti *communio* b).

Prob. a. Per *vnionem perſonalem* communicata eſt humanæ Chriſti naturæ ὑπόστασις τοῦ λόγου. Ergo etiam eidem communicata ſunt *propria*, quæ cum ipſa reapſe identificantur. Ratio conſequentiæ eſt: quia, quæ realiter idem ſunt, eorum vno communicato, communicatur & alterum. Et rurſus: Si idiomata diuina non poſſunt communicari naturæ humanæ, nec communicari potuit ὑπόστασις τοῦ λόγου; hæc quippe propria eſt filio Dei, idiomata autem ſunt communia reliquis perſonis diuinis. Sane multo credibilius eſt, *attributa communia*, quam *hypoſtaſin propriam* communicatam eſſe: Minus enim repugnat τῷ communicabili communicatio, quam incommunicabili. Pater communicat Filio *eſſentiam*, non *proprietatem perſonalem*, alioqui Filius eſſet Pater. In vnione autem perſonali & ſubſtantia τοῦ λόγου, & ipſa eius deitas communicatur aſſumtæ humanitati.

Prob. b.

Digitized by Google

Prob. b. Nulla *vnio perichoriſtica*, i. e. inferens communicationem *naturarum vnitarum ad ſe inuicem*, poteſt eſſe ſine communicatione idiomatum. At vnio perſonalis duarum in Chriſto naturarum eſt *perichoriſtica*, i. e. inferens communionem diuinæ & humanæ naturarum ad ſe inuicem: Ergo. *Maior* prob. 1) quia ille vnionis gradus eſt minimus, quem nulla ſequitur κοινωνία. 2) Vnio, quæ fit per παράςασιν, vel παράθεσιν, ſine communicatione idiomatum eſt, v. gr. duo metalla compacta nullam habent internam communionem. Neque angelus, licet motum largiatur corpori aſſumto, cum hoc vnitus eſt per περιχώρησιν, quia non permeat & informat illud corpus, vt ἐντελέχεια. 3) Vbi duæ naturæ κατὰ συνδύασιν καὶ κατὰ περιχώρησιν vnitæ ſunt, quorum vna eſt inſtar δυνάμεως, ſiue potentiæ, altera inſtar ἐντελεχείας, ſiue actus, ibi hæc communicat illi vere & realiter ſua idiomata ad communem poſſeſſionem, vſurpationem & denominationem. Illuſtratur exemplis: Anima arctiſſime vnita corpori, huic facultatem vitalem, pariter atque facultates ſenſitiuas vere & realiter impertitur: ignis, illapſus ferrum, huic vim vrendi & lucendi communicat. *Minorem* confirmauimus ſupra, quæſt. XXX.

Quæſt. L. *Cui donata eſt maieſtas diuina?*

*Subiectum*, *cui* data eſt maieſtas diuina, eſt *Chriſtus* ſecundum *humanam naturam* a), vel, quod idem eſt, humana natura, in ὑπόςασιν τȣ̃ λόγȣ aſſumta b).

Prob. a. Subiectum, *quod* communicatam accepit eſt *perſona* τȣ̃ λόγȣ ἐνσάρκȣ. Vt enim actiones & paſſiones ſunt perſonarum: ita quidquid datur, perſonæ datur, & quidquid recipitur, a perſona recipitur. Vnde Saluator inquit, Matth. XXVIII, 18. *Data mihi* (Chriſto) *omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Et Paulus ait, Phil. II, 9. *Deus exaltauit Chriſtum, ac donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Prob. b. Subiectum *quo*, eſt *natura*, ad quam facta eſt communicatio maieſtatis diuinæ. Etenim cum in vna Chriſti perſona duæ diſtinctæ ſunt naturæ, quæritur: iuxta quam naturam perſonæ Chriſti facta ſit communicatio maieſtatis? Vbi diſerte reſpondemus: *ſecundum humanam naturam.* Confirmamus noſtram aſſertionem: 1) Quidquid datum eſt perſonæ Chriſti non ſecundum diuinam naturam, illud ipſi donatum eſt ſecundum naturam humanam: Atqui maieſtas diuina &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia quidquid de perſona Chriſti prædicatur, id vel ad diuinam, vel ad humanam, vel ad vtramque ipſius naturam pertinet; quoniam perſona non eſt aliquid tertium & realiter diſtinctum a duabus illis naturis, perſonaliter vnitis. *Minor* probatur: quia natura diuina eſt excelſior, quam vt exaltari, opulentior, quam vt ditari, glorioſior, quam vt gloriæ augmentum capere, perfectior, quam vt ei quiddam dari, vel addi queat.

2) S. ſcriptura deſignat ſubiectum, cui facta eſt communicatio maieſtatis, Io. VI, 51. 54. vbi *caro Chriſti dicitur viuifica,* idemque ſubiectum determinatur per particulam ſpecificatiuam, Io. V, 27. *Pater poteſtatem dedit Filio iudicium faciendi; quia filius hominis eſt;* vbi particula ὅτι *quia,* non ſumitur *reduplicatiue, aut cauſſaliter*, quia natura humana non eſt cauſſa illius dationis; alioqui ſequeretur omnes homines habere ἐξȣσίαν κριτικὴν, cum, poſita cauſſa & non impedita, ſequatur effectus: ſed *ſpecificatiue*, vt determinetur natura, *ſecundum quam* maieſtas diuina perſonæ Chriſti data eſt.

3) Exſtat regula communiſſima, maximo totius eccleſiæ orthodoxæ conſenſu approbata: *Quæcunque ſcriptura dicit, Chriſto omnia data eſſe in tempore, illa non ſecundum deitatem, ſed ſecundum aſſumtam humanitatem ei data intelliguntur.* Quam regulam ob varias inſtantias limitat D. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. VIII. p. 660.* *Quodcunque idioma per gratiam vnionis aut exaltationis, ad perfectionem accipientis, non ſolum manifeſtatiue, ſed realiter Chri-*

 *ſto*

Digitized by Google

*ſto datum eſt in tempore, id ei iuxta humanam naturam datum eſt.* Data autem eſſe Chriſto ἀυχήματα diuina, liquido conſtat; quoniam a) ipſa S. ſcriptura circumſtantiam temporis, quo hæc donatio contigit, exprimit: *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ad vngendum ſanctum ſanctorum*, inquit propheta Daniel, cap. IX, 24. Et ipſe Chriſtus, compellans Patrem, ait Io. XVII, 1. 5. *Pater venit hora: glorifica filium tuum, vt etiam filius tuus glorificet te! Nunc ergo glorifica me tu, Pater, apud temet ipſum, gloria, quam habui, antequam mundus eſſet, apud te.* b) Quia exaltatio deſcribitur vt immediatum conſequens exinanitionis. Ergo etiam ſecundum eam naturam competit Chriſto exaltatio, iuxta quam fuit exinanitus in tempore, h. e. iuxta naturam *humanam*. Connexionem exinanitionis & exaltationis paſſim locorum docent ſacræ litteræ. *Oportet Chriſtum per paſſionem intrare in gloriam*, Luc. XXIV, 26. *Obediens factus eſt vsque ad mortem crucis: Propterea etiam Deus ipſum exaltauit, & donauit ipſi nomen, quod ſuper omne nomen eſt*, Philipp. II, 8. 9.

Quæſt. LI. *Suntne Chriſto ſecundum humanam naturam dona vere diuina, increata, infinita & immenſa communicata?*

Per & propter vnionem perſonalem Chriſto ſecundum humanam naturam *dona vere diuina, increata, infinita & immenſa data* ſunt.

Obſ. *Humanæ* Chriſti naturæ *triplicia* conueniunt *dona*. Quædam ei competunt per *conditionem, aut indolem ipſius naturæ*, v. gr. corporis ſanitas, ſenſus, intellectus, voluntas, memoria &c. Quædam illi conueniunt per *gratiam habitualem*, cuiusmodi ſunt dona quædam peculiaria, creata tamen & finita, quæ ipſi habitualiter, ſubiectiue, & quidem in ſummo gradu inſunt. Quædam illi impertita ſunt per *gratiam vnionis perſonalis*, quæ vere diuina, increata & infinita ſunt. De his quæſtio formata eſt.

Probatur aſſertum noſtrum 1) e teſtimonio Paulli inquientis, Col. II, 9. *In Chriſto habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Obſ. a) Græcum πλήρωμα notat omnimodam & conſummatam perfectionem. Ergo πλήρωμα τῆς θεότητος eſt plena & perfecta deitas. Maioris emphaſeos cauſſa additur πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, vt indicetur, plenam perfectamque deitatam, & omne, quod in illa realiter eſt, habitare in Chriſto. Complectitur igitur omnis plenitudo diuinitatis omnipotentiam, omniſcientiam, omnipræſentiam, & denique omnes proprietates & omnem ἐνέργειαν Dei. Obſ. b) σωματικῶς a nonnullis redditur, *perſonaliter;* a nonnullis, *velut in proprio corpore*, vt exponitur a THEODORETO; nec non a DAMASCENO, τȣτ' ἐςιν, ἐν σαρκὶ ἀυτȣ, *hoc eſt, in carne ipſius*, vt innuatur, carnem Chriſti eſſe inhabitantis diuinitatis templum & domicilium ſacratiſſimum *). Comprobat hanc expoſitionem AVGVSTIN. *epiſt. VII. ad Dardan. Corporaliter dictum eſt, quia in Chriſti corpore, quod aſſumſit ex virgine, tanquam in templo habitat Deus.* Vbi diſt. *inter templum commune, & proprium.* Sancti ſunt templa inhabitantis Dei communia, caro Chriſti autem eſt templum proprium perſonaliter aſſumtum. c) *Inhabitatio* infert habitationem vel poſſeſſionem.

*) Eſt tertia quædam interpretatio, & ea quidem maxime probabilis, nimirum hæc: *antitypice*. Ad hanc tertiam potius, quam ad illam ſecundam ſpectare mihi videtur AVGVSTINI teſtimonium. Veri enim ſimillimum eſt, σωματικῶς eadem ratione debere intelligi, ac illud, σῶμα, v. 17. Τῷ σώματι opponitur σκιά, ibid. Σκιά ſine vlla dubitatione eſt *typus*, imago rei futuræ, in V. T. ſignificatæ. E. σῶμα eſt *antitypus;* E. & σωματικῶς idem valet, quod dici ſolet *antitypice*. Typum vero cernimus Ex. XL. 34. 1 Reg. VIII, 11. Vtraque illa ædes, & tabernaculum, & templum, erat quaſi vmbra humanæ, quam Deus erat adſumturus, naturæ, Ioann. I, 14. 16. II, 19. 21. Ibi Deus habitabat παραστατικῶς, eo autem *typo* prænuntiatum fuit, quid perfecte futurum eſſet ὑποστατικῶς in *antitypo*, qui eſt humana Chriſti natura.

Digitized by Google

ſeſſionem. Hinc IGNATIVS corpus Chriſti dixit σῶμα ἔχον τὸν Θεὸν ἔνοικον, corpus habens inhabitantem Deum; habet autem non e conditione naturæ humanæ, ſed per ſupernaturalem vnionem & communicationem. Quibus præſtitutis argumentamur: In cuius carne velut templo proprio perſonaliter aſſumto habitat omnis plenitudo diuinitatis, ille in ſua carne habet & poſſidet omnia idiomata diuina non per ſe, ſed per vnionem & communicationem. Atqui in carne Chriſti &c. Ergo.

2) Ex effato S. Ioannis protobaptiſtæ, Io. III, 34. 35. *Quem Pater miſit, verba Dei loquitur,* οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα, *non enim ex menſura dedit Deus (illi) Spiritum. Pater amat Filium; & omnia dedit in manum ipſius.* Obſ. a) *Dator* h. l. eſt Deus Pater, fons deitatis, qui in plenitudine temporis miſit Filium, natum ex muliere, Gal. IV, 14. eundemque vnxit Spiritu Sancto & virtute, Act. X, 38. & ex amore ſingulariſſimo omnia in ipſius manum dedit. b) *Perſona,* cui donatio facta, eſt Chriſtus ſecundum humanam naturam: deſcribitur enim, vt miſſus in tempore, quem etiam ſucceſſu temporis oportebat creſcere, & in cuius manum omnia ſunt data. De *datis* autem *in tempore* certa eſt regula, quod Chriſto *non, niſi ſecundum humanam naturam,* data ſint. c) Id, *quod donatum eſt,* eſt Spiritus S., qui hic non tantum ratione perſonæ, ſed & ratione donorum intelligitur: neque enim dona eius in communicatione κατ' ἔξω ſeparanda ſunt a perſona. Dona autem illa dicuntur data, ſi modum reſpicias, οὐκ ἐκ μέτρου, h. e. *ſine menſura,* adeoque *immenſa* ratione. Homines fideles accipiunt dona ſecundum menſuram donationis Chriſti, Eph. IV, 7. quorum dona ſunt finita: at, quæ ſine menſura data ſunt, illa ſunt infinita. Vnde valide concludimus: Cuicunque dona Spiritus S. data ſunt *non ad menſuram,* is præditus eſt donis Spiritus S. *immenſis atque infinitis:* Atqui humanæ Chriſti naturæ &c. Ergo.

Dicis: Immenſa Spiritus S. dona data ſunt *perſonæ Chriſti,* non autem *humanæ* ipſius *naturæ.* Reſp. Perſona non eſt tertium quid, diſtinctum a naturis. Ideo, ſi perſonæ Chriſti data ſunt immenſa dona Spiritus S.; quæritur: ſecundum quam naturam? vtrum ſecundum diuinam, an humanam naturam collata ſint? At *diuinæ* naturæ *in tempore* dari nihil potuit: Ergo data ſunt *humanæ* Chriſti naturæ.

3) E deſcriptione gloriæ Chriſto datæ, Io. XVII, 5. *Nunc glorifica me tu, Pater, apud teipſum gloria, quam habui, antequam mundus eſſet, apud te.* Obſ. a) Gloria, quam habuit Chriſtus apud Patrem, priusquam mundus hic fieret, eſt gloria diuina, æterna, increata & infinita. b) Habuit Chriſtus, vt Deus, æternam gloriam apud Patrem, non *ratione intentionis, aut prædeſtinationis, ſed actu & re ipſa, vt vnigenitus a Patre,* Io. I, 14. Eandem, vt homo, accepit *per vnionem perſonalem,* qua κτῆσιν, *ſeu poſſeſſionem; per aſcenſionem vero in cœlum & ſeſſionem ad dextram Dei, qua* χρῆσιν, *ſiue plenarium vſum.* c) Loquitur Saluator *de glorificatione reali, non declaratiua,* aut nuda manifeſtatione gloriæ. Expetit namque Chriſtus, ſe glorificari apud Patrem, prout gloriam habuit apud eum, ante mundum conditum. Sed habuit eandem *actu & realiter,* ante mundi fundationem. Ergo etiam exoptauit, eiusdem gloriæ *actualem & realem* participationem in tempore. Quibus præmiſſis argumentamur: Quamcunque gloriam Chriſtus expetiit, vt ea ornaretur a Patre in tempore, eandem reapſe communicatam accepit ſecundum humanam naturam: At Chriſtus æternam & infinitam gloriam expetiit, vt ea ornaretur a Patre in tempore: Ergo. *Maior* eſt manifeſtæ veritatis; nam ſecundum eam naturam Chriſtus gloriam expetiit, ſecundum quam glorificari potuit a Patre. At ſecundum naturam *diuinam* non potuit glorificari a Patre; quia illa eſt immutabilis, perfectiſſima & celſiſſima, vt neque gloriæ ſit indiga, neque ad ſublimitatem maiorem prouehi queat. Ergo expetiit glorificationem ſecundum humanam naturam,

Digitized by Google

turam, ſecundum quam exinanitus erat. Adiice, quod gloria, quam hic petiit Saluator, ſit donum Chriſto *in tempore* datum. Quæcunque dona autem Chriſto data ſunt *in tempore*, ea non ſecundum naturam diuinam, ſed *humanam* ei data ſunt.

Dicis: I. Non intelligitur l. c. *gloria diuina*, ſed *mediatoria*, quæ ſit inferior gloria diuina, non eidem æqualis, ſed proxima; ſublimior tamen omni gloria creaturarum. Reſp. *Ea* indigitatur *gloria*, quam Chriſtus habuit apud Patrem, *antequam mundus eſſet.* Sed ante mundum conditum nil fuit, niſi æternitas, niſi infinita maieſtas. E. Gloria mediatoria eſt ſuprema & infinita.

Dicis: II. Chriſtus gloriam habuit apud Patrem ante fundationem mundi, ratione *prædeſtinationis* diuinæ. Reſp. Prædeſtinationis nullum indicium eſt in textu. Petit Chriſtus in tempore glorificari realiter; ideoque etiam poſſeſſio gloriæ ante mundum realis eſt, non vero ſolum in intentione & prædeſtinatione nuda conſiſtens. Si Chriſtus locutus fuiſſet de glorificatione ratione decreti diuini, nihil dixiſſet, quod aliis electis non conueniat. Nam omnes electi accipiunt ſtatuto tempore eam gloriam, ad quam ſunt prædeſtinati, antequam mundus fieret.

Dicis: III. Verba Chriſti intelligenda ſunt de *declaratione* & *manifeſtatione* gloriæ per reſurrectionem & ſeſſionem ad dextram Dei. Reſp. Chriſtus hic expetiit glorificari apud Patrem, ideoque non poteſt intelligi manifeſtatio gloriæ coram hominibus.

4) Ab exaltatione Chriſti, Phil. II, 9. *Deus exaltauit Chriſtum*, *& donauit* (ἐχαρίσατο, ex gratia dedit) *ei nomen*, *quod ſuper omne nomen eſt. Nomen ſuper omne nomen* non infert maieſtatem quandam finitam, ſed *infinitam* & *vere diuinam;* nam ſi finita foret, nondum eſſet nomen ſupra omne nomen, ſed ſupra ſe haberet aliud infinitius ſublimius nomen.

5) Donatam eſſe humanæ Chriſti naturæ maieſtatem omnipotentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ, & adorationis religioſæ, infra dilucide oſtenſuri ſumus.

6) Chriſtus opera officii (eccleſiam redimendo, colligendo, illuminando, regenerando, iuſtificando, gubernando, defendendo &c.) ſecundum vtramque naturam peragit. Vt autem humana Chriſti natura ad illa ἀποτελέσματα concurrere & cooperari poſſit, opus habet non tantum donis creatis aut finitis, ſed communione ipſius potentiæ infinitæ τοῦ λόγου; quum opera illa non ſint virtutis finitæ, ſed infinitæ; de quibus in ſequentibus quæſtionibus acturi ſumus.

### Quæſt. LII. *An omnia attributa diuina carni Chriſti communicata ſunt?*

*Omnia* attributa diuina communicata ſunt carni Chriſti, qua *inhabitationem & poſſeſſionem* a); ad *vſurpationem* vero, & *immediatam prædicationem* eidem collata ſunt idiomata diuina ἐνεργητικά, ſeu *operatiua* b).

Prob. a. 1) Cui communicata eſt hypoſtaſis infinita, illi etiam communicata ſunt omnia idiomata diuina; quippe quæ a ſubſiſtentia diuina realiter non differunt.

2) Vnio perſonalis & communio diuinæ & humanæ naturarum perichoriſtica neceſſario infert omnium idiomatum diuinorum communicationem, qua *inhabitationem & poſſeſſionem.* Quomodo enim omnis plenitudo diuinitatis in carne Chriſti, velut templo perſonaliter aſſumto, habitaret, niſi omnia idiomata diuina in ipſo habitarent?

Prob. b. Attributa diuina ἀνενέργητα, ſiue quieſcentia, (v. gr. æternitas, infinitas, immenſitas &c.) non admittunt actum ſecundum, adeoque per operationem ad extra ſe non exſerunt. Proinde eadem humanæ Chriſti naturæ ad χρῆσιν, ſeu *vſurpationem*, non ſunt com-

Digitized by Google

communicata. Qua de cauſſa etiam idiomata diuina quieſcentia de aſſumta Chriſti carne non immediate prædicantur. At propria diuina ἐνεργητικὰ per operationem ad extra ſe exſerunt, adeoque ad *vſurpationem* communicari poſſunt. Inde fit, vt de *carne* Chriſti *immediate* prædicentur, v. gr. *Humana Chriſti natura eſt omnipotens, viuifica, omniſcia, cordium ſcrutatrix &c.* quum omnipotentia, vis viuificandi, omniſcentia, cordium ſcrutatio exſerant ſe in & p r carnem Chriſti. Attributa autem ἀνενέργητα licet de aſſumta Chriſti carne *non prædicentur immediate* (neque enim caro Chriſti dicitur æterna, infinita &c.; implicat contradictionem eſſe æternum & cœpiſſe in tempore, eſſe infinitum & manere finitum); *prædicari* tamen de eadem poſſunt *mediate* (mediante attributo operatiuo), v. gr. Chriſti hominis potentia eſt infinita, immenſa & æterna. Ratio eſt; quia infinitas, immenſitas & æternitas ſe non exſerunt per propria ἐνεργήματα, ſed per actiones omnipotentiæ. Actio quippe omnipotentiæ eſt æternæ, immenſæ & infinitæ operationis. Adde, quod hæc differentia etiam in eo luculenta ſit, quod illa faciant *ad officii mediatorii, regii, ſacerdotalis & prophetici functionem*, quæ expediri nequit ſine communicatis attributis operatiuis. Non fungeretur Filius Dei officio ſacerdotali, regio & prophetico per carnem, niſi hæc inſtructa eſſet omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia, maieſtate, & gloria. Idiomata vero diuina quieſcentia per ſe & immediate non concurrunt ad exſecutionem officii mediatorii.

Dicis: Attributa diuina ex parte Dei non differunt. E. ſi omnia carni Chriſti ſunt communicata, etiam de carne Chriſti prædicari poſſunt. Reſp. 1) Attributa diuina non differunt κατ' ἔσω, ſeu intra ſimpliciſſimum eſſentiæ diuinæ complexum, differunt autem κατ' ἔξω, ratione externæ operationis. 2) Omnia attributa diuina prædicantur de Chriſti humana natura, attributa operatiua *immediate*, attributa quieſcentia *mediate*. Illuſtratur ſimilibus: Anima, περιχωρητικῶς vnita corpori, huic vitam & facultates ſenſitiuas impertitur, vt dici queat corpus viuum & ſentiens; non tamen ab anima ſpirituali, immortali & inuiſibili corpus dicitur ſpirituale, immortale & inuiſibile. In ferro candente datur vis vrendi & lucendi, datur etiam leuitas & ſimplicitas, ſiquidem ignis eſt corpus leue & ſimplex; neque tamen ideo ferrum dicitur leue & ſimplex corpus. Ita caro Chriſti a communicatis idiomatibus diuinis quieſcentibus immediate non denominatur.

### Quæſt. LIII. *Quo communicandi modo caro Chriſti idiomatum diuinorum particeps facta eſt?*

*Modum communicandi*, quo caro Chriſti idiomatum diuinorum operantium particeps facta eſt, *non* eſt *effectiuus*, per geminationem a), neque *tranſiens*, aut *tranſfuſiuus* b), neque *adæquatiuus* c) neque *euerſiuus*, aut deſtructiuus naturæ humanæ d), ſed *entelechialis & perichoriſticus* e), non ad ſubiectiuam *inhæſionem* f), ſed ad *communem poſſeſſionem, vſurpationem & denominationem* g).

Prob. a. Non datur gemina in Chriſto omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia & gloria, ſed quam gloriam diuina τῦ λόγυ natura habet ab æterno, eandem aſſumta caro accepit in tempore, Io. XVII, 5. ſicut eandem vitam habet corpus, quam anima.

Prob. b. Attributa Filii Dei ita communicantur humanitati, vt tamen perpetuo maneant proprietates diuinæ naturæ, nec vnquam fiant proprietates humanæ naturæ. Non enim hypoſtaſin verbi egrediuntur, & in naturam humanam, tanquam in ſubiectum, immigrant & tranſeunt; verum humanitas in communionem perſonæ a Deo Verbo aſſumta, ſimul



Digitized by Google

quoque diuinæ naturæ, & proprietatum eius particeps facta eſt. Neque eas in ſe tanquam in ſubiectum, vt ſuæ proprietates fiant, recipit: ſed in perſona Verbi reali communicatione poſſidet.

Prob. c. Ad *exæquationem* non ſufficit *rei eiusdem* communicatio, ſed inſuper *idem* habendi *modus* requiritur; qui alius eſt quoad Deum & Filium Dei, alius quoad carnem: *ille* maieſtatem habet per æternam generationem, *hæc* per gratiam vnionis. Vnde adhuc hodie Chriſtus, vt homo, Patre minor eſt, 1 Cor. XV, 28. quia, quæ idiomata diuina accepit, ex gratia habet, Phil. II, 9.

Prob. d. Per communicationem idiomatum natura humana non aboletur, aut deſtruitur; ſed exornatur & ad functionem officii mediatorii perficitur. Plenitudo namque diuinitatis corpus Chriſti, velut templum proprium, inhabitat, non vt illud euertat, ſed vt illuſtret.

Prob. e. & f. Interna & perfecta vnio duarum ſubſtantiarum eſſentialiter quidem diſtinctarum, ſed intime coniunctarum, quarum vna ſe habet per modum ἐντελεχείας, ſ. actus perficientis, altera per modum δυνάμεως, ſiue potentiæ perfectibilis, neceſſario infert communicationem idiomatum, quæ ſubſtantiæ virtuoſiori increatæ ſubiectiue inhærent, ab altera autem ad communem poſſeſſionem, vſurpationem & denominationem participantur. V. gr. Vita & facultates ſenſitiuæ inhærent animæ & ſe exſerunt per membra corporis. Ignis ineſt ferro, vrit tamen & lucet per ferrum candens. Quod ſpeciatim attinet ad idiomata diuina τῦ λόγυ, illa cum non ſint qualitates, aut accidentia, nulli ſubiecto inhæſionis inſunt: eorundem tamen *ſubiectum* attributionis *primum & immediatum*, cui *formaliter & per ſe* conueniunt, eſt *diuina* natura Filii Dei; ſubiectum attributionis *ſecundum & mediatum*, cui competunt *participatiue* & per *vnionis perſonalis gratiam*, eſt natura *humana*.

Prob. g. Idiomata diuina ἐνεργητικά habitant in carne Chriſti, velut templo proprio, operantur per carnem, vt inſtrumentum hypoſtatice vnitum, & prædicantur de carne, vt ſubiecto attributionis ſecundo, vel mediato.

Obſ. Modum communicandi ſupra latius diduximus, quæſt. XXXVIII.

Quæſt. LIV. *Quo temporis momento carni Chriſti communicata eſt maieſtas diuina?*

*Quo momento* facta eſt *vnio perſonalis*, *eodem momento* facta eſt *communicatio maieſtatis*, qua κτῆσιν, poſſeſſionem & actum primum a). Ad exercitium, ſiue *vſum plenum & nunquam ceſſantem* maieſtatis prouecta eſt caro Chriſti *eodem temporis articulo*, quo *exaltata* eſt ad dextram Dei b).

Prob. a. Eo temporis puncto contigit vnitio perſonalis, quo virtus hypoſtatica Altiſſimi virginem Mariam obumbrauit, h. e. arcano modo in vterum Mariæ deſcendit, maſſam ſanguinis virgineam, a Spiritu S. excitatam, peculiari approximatione impleuit, ſibique vniuit, vt tota plenitudo diuinitatis (ad quam pertinent omnia idiomata diuina) in corpore Chriſti, tanquam ſacratiſſimo templo, habitaret, Col. II, 9.

Prob. b. Chriſtus *exaltatus accepit nomen ſuper omne nomen*, h. e. maieſtatem ſummam & vere diuinam, Phil. II, 9. & *glorificatus eſt gloria*, *quam habuit apud Patrem*, *ante orbem conditum*, Io. XVII, 5. ſcilicet qua maieſtatis exercitium & *plenum vſum*.

Quæſt. LV. *Quem in finem communicata ſunt idiomata diuina carni Chriſti?*

Communicata ſunt *ob ſalutarem functionem officii*, ſacerdotalis, prophetici, & regii.

Prob. Celſiſſimo munere, ſacerdotali, prophetico, & regio Chriſtus perfungitur ſecundum *vtramque naturam*; cui officio ſalutari cum fructu expediendo minime par fuiſſet humana natura, niſi omnipotentia, omniſcienia, omnipræſentia, & gloria diuina prædita fuiſſet.

*Anti-*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum & Arminianorum*, qui maieſtatem diuinam carni Chriſti communicatam eſſe, penitus infitiantur, moti ſequentibus argumentis:

I. Quæcunque natura eſt finita, infinitæ maieſtatis non eſt capax: Atqui natura Chriſti humana &c: Ergo. *Maior* probatur ex axiomate decantatiſſimo: *Nullum finitum eſt capax infiniti.* Reſp. Neg. maiorem. Ad probationem dicimus, quod *finitum non quidem capax ſit infiniti capacitate phyſica, comprehenſiua, actiua & adæquata*; *capax tamen ſit finitum infiniti capacitate ſupernaturali, participatiua, paſſiua & inadæquata.* Nimirum certo certius eſt, quod nullum finitum poſſit *actiue & adæquate capere* phyſiceque comprehendere infinitum; nihilo tamen minus & hoc certum eſt, quod finitum *paſſiue* capere, ſiue *inadæquate recipere*, (imprimis per ſupernaturalem Dei gratiam) queat infinitum. Omnes quippe & ſingulæ creaturæ capaces ſunt præſentiſſimi ſui creatoris; vt qui citra omnem ſui diuiſionem in omnibus & vbique totus eſt. Capaces eædem ſunt diuinæ, adeoque infinitæ conſeruationis & cooperationis. Capax eſt intellectus humanus ſuo modo cognoſcendi Dei, rerumque æternarum. Capaces ſunt fideles Dei triunius, beneuolentiſſima ſui vnione & communicatione in cordibus ipſorum habitantis. Capaces iidem ſunt, qua cognitionem æque ac fruitionem, infinitæ ſatisfactionis Chriſti, infinitæ miſericordiæ diuinæ, infinitæ etiam gratiæ iuſtificantis atque ſaluantis. Caro denique Chriſti capax eſt perſonaliter ſibi iunctiſſimi, infiniti ſane λόγȣ, ipſiusque infinitæ hypoſtaſeos: ex quo Col. II, 9. *tota deitatis plenitudo in Chriſto corporaliter*, h. e. in corpore Chriſti, vt appropriato templo ſuo, habitare dicitur.

II. Cui communicata ſunt idiomata diuina, is eſt Deus: Humana Chriſti natura non eſt Deus: Ergo. Reſp. Cui communicata ſunt idiomata diuina *communicatione eſſentiali*, per generationem aut proceſſionem æternam, vt illius, cui communicata ſunt, ſint *propria*, adeoque ipſi *per ſe* conueniant, ille eſt Deus; concedo. Cui communicata ſunt idiomata diuina communicatione perſonali *entelechiali & perichoriſtica*, is eſt Deus; nego. Sicut enim proprietates animæ communicatæ ſunt corpori humano communicatione *entelechiali & perichoriſtica*, neque tamen ideo *corpus* dicitur *anima*, ſed *animatum*: ita *idiomata diuina* communicata ſunt *humanæ* Chriſti *naturæ*, neque tamen hæc ideo vocanda eſt *Deus*, ſed *deificata*, ſiue diuinitatis particeps, cum attributa diuina eidem non conueniant κατ' ἀυτὸ, *per ſe*, ſed κατ' ἄλλο, per *vnionis perſonalis* gratiam.

III. Si propter vnionem perſonalem & naturarum περιχώρησιν natura diuina communicat naturæ humanæ ſua idiomata, propter eandem etiam natura humana diuinæ naturæ ſua idiomata communicabit: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur, quia vnio eſt reciproca, & περιχώρησις mutua. Falſitas *conſequentis* patet: quia, ſi humana natura diuinæ ſua idiomata impertiuiſſet, deitas eſſet paſſa, mortua, ſepulta, eſſet palpabilis, diuiſibilis, &c. Reſp. Neg. conſeq. mai. Eſt quidem *vnio reciproca* & περιχώρησις *mutua*, ſed *non* pariter, vel *eodem modo*. Nam natura diuina non eſt tantum vnita, ſed & *vniens*; humana vero natura eſt tantum *vnita*. Illa eſt *aſſumens*, hæc *aſſumta*. Aſſumentis eſt, dare, iuxta LEONIS M. canonem, non aſſumti. Aſſumti prouectio eſt, non aſſumentis. Περιχώρησις eſt quidem mutua, ſed non vtrinque actiua. Eſt enim *actiua* ex parte λόγȣ, *paſſiua* ex parte *carnis*. Ille *permeat*, hæc *permeatur*. Inde fit, vt natura humana diuina quidem idiomata *paſſiue* recipiat; ſuas autem proprietates diuinitati *actiue non* conmunicet. Huc accedit, quod naturæ diuinæ immutabili, perfectiſſimæ & ſimpliciſſimæ repugnet, vllam alterationem, paſſionem, aut proprietatem finitam in ſe recipere.

IV. Quodcunque dogma parit confuſionem naturæ diuinæ & humanæ, illud eſt *Eutychianum*: Dogma de communicatione idiomatum diuinorum parit confuſionem naturæ diuinæ & humanæ: Ergo. *Minor* probatur: quorum eædem ſunt proprietates, illorum eadem



Digitized by Google

dem eſt natura: Atqui Lutheranorum de ſententia eædem ſunt proprietates diuinæ & humanæ naturæ: Ergo. Reſp. Neg. *minorem* vtriusque ſyllogismi. Neque enim aſſerunt *Lutherani*, quod idiomata diuina humanæ Chriſti naturæ communicata ſint communicatione *tranſeunte* aut *transfuſiua*, vt fiant idiomata vel proprietates humanæ naturæ, ſed docent cum S. ſcriptura & primitiua eccleſia, quod propter arctiſſimam vnionem & intimam naturarum communionem idiomata diuina communicata ſint aſſumtæ carni ad communem *poſſeſſionem, vſurpationem & denominationem*, ita vt humana Chriſti natura, licet ei *non formaliter*, & vt ſubiecto ſuo primo, conueniat omnipotentia, per eam tamen operari poſſit, ac vere dicatur omnipotens. Permanet ergo illæſum diſcrimen inter naturam *diuinam*, & *humanam*. *Illa* eſt omnipotens οὐσιωδῶς, ſiue *formaliter*, *immediate*, κατ' αὐτὸ, & *per ſe*; *hæc* eſt omnipotens οἰκονομικῶς ſiue *communicatiue*, *mediate* (mediante natura diuina), & κατ' ἄλλο, ſiue per vnionis perſonalis gratiam.

V. Stante communicatione idiomatum, facta humanæ naturæ, pereunt argumenta, quæ pro adſtruenda diuinitate Chriſti ex proprietatibus diuinis petuntur. Nam ſi tale nectitur argumentum: Cui competunt diuina idiomata, is eſt Deus: Atqui Chriſto &c. Ergo &c.; excipere poſſunt *Sociniani*, quod idiomata diuina competant humanæ Chriſti naturæ, vt tamen hæc non ſit Deus. Reſp. 1) Stante communicatione idiomatum, perſtat validum argumentum pro adſtruenda diuinitate Chriſti, ex idiomatibus diuinis petitum, modo ſequenti ratione formetur: Cui idiomata diuina *per ſe formaliter & ab æterno* conueniunt, is eſt verus Deus: Atqui Chriſto &c. Ergo. 2) Doctores orthodoxi per doctrinam de communicatione idiomatum non labefactant demonſtrationem diuinitatis τȣ̃ λόγȣ, ſed eandem potius ſupponunt; quia idiomata diuina non potuiſſent humanæ naturæ ἀπὸ τȣ̃ λόγȣ communicari, niſi eadem ab æterno τῷ λόγῳ competiiſſent.

VI. Natura diuina non habet idiomata proprie dicta: E. ea non communicat humanæ naturæ. *Antecedens* patet: quia ea, quæ dicuntur idiomata diuinæ naturæ, realiter non diſtinguuntur a natura diuina: E. non ſunt proprie dicta idiomata diuinæ naturæ. Reſp. Ad *idiomata prædicamentalia* quidem requiritur, vt realiter a ſubiecto inhæſionis diſtinguantur. At *idiomata diuina* ſunt *tranſcendentalia*, quæ licet ab eſſentia diuina *non* differant *realiter*, differunt tamen *formaliter*, & dicuntur idiomata, vel propria, quia ſunt perfectiones Dei, quæ eſſentiam diuinam noſtro concipiendi modo per ſe conſequuntur, de eadem paronymice prædicantur, & cum illa reciprocantur.

Obſ. Reliqua argumenta, quæ aſſertioni noſtræ obiici ſolent, vide ſupra, quæſt. XXXVIII.

### Quæſt. LVI. *Eſtne carni Chriſti communicata omnipotentia?*

*Communicatio omnipotentiæ.*

Communicata eſt a Filio Dei aſſumtæ carni, per vnionis perſonalis gratiam, *potentia infinita*, *increata*, *immenſa*, atque adeo *vere diuina*, quam omnipotentiam communiter appellamus.

Prob. 1) Ex *omni poteſtate in cælo & in terra, Chriſto data*, Matth. XXVIII. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, dicebat Chriſtus, iamiam in cœlum aſcenſurus. Cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, illi communicata eſt omnipotentia: Atqui Chriſto homini &c. Ergo.

Dicis: I. Loquitur Chriſtus de perſona ſua, non de natura humana. Reſp. Perſona Chriſti σύνθετος, a duabus naturis realiter non differt. Quare, nominata *perſona*, diſpiciendum eſt, *ſecundum quam naturam* omnis poteſtas Chriſto data ſit. Cum autem non data *in tempore* ſit Chriſto ſecundum *diuinam* naturam: quippe quæ immutabilis & perfectiſſima ad ſui

ſui perfectionem *in tempore* nihil accipit, collectu procliue eſt, quod conceſſa ſit Chriſto ſecundum *humanam* naturam, vt hæc idonea redderetur ad efficientiam operum officii, qualia hic ſunt: miniſterii verbi & ſacramentorum inſtitutio, eccleſiæ ex omnibus gentibus collectio, & eiusdem protectio, vsque ad conſummationem ſæculi, v. 19. 20. *).

Dicis: II. Aliud eſt ἐξουσία, ſiue ius & auctoritas, aliud δύναμις potentia, vis & facultas. Sæpenumero principi eſt *ius & poteſtas* occupandi prouinciam, cui tamen deeſt *potentia & facultas*. Reſp. Poteſtas *humana* interdum deſtituitur viribus ſufficientibus: at omnis *poteſtas diuina* in cœlo ac in terra, ſine *potentia diuina*, ne quidem cogitari poteſt **).

2) Ex *poteſtate omnis carnis* Chriſto data, Ioann. XVII, 2.

3) Ex conceſſa *filio hominis poteſtate iudicium faciendi*, Ioann. V, 27.

4) Ex poteſtate *propria & ſumma remittendi peccata*, quam Chriſtus, vt *filius hominis*, etiam in ſtatu *exinanitionis* exercuit, Matth. IX, 6.

5) Ex potentia *omnibus præponderante*, *cui ſubiecta ſunt omnia*, Phil. III, 21. quæ eſt *omnium victrix & triumphatrix*, Apoc. V, 12.

6) Ex *virtute viuifica*, Ioann. VI, 51. *Ego ſum panis viuens, qui e cœlo deſcendit: ſi quis comederit de hoc pane, viuet in ſæculum. Panis vero, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum & Arminianorum*, negantium, carni Chriſti communicatam eſſe omnipotentiam. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Nullum ens dependens eſt omnipotens: Caro Chriſti eſt ens dependens. E. Reſp. Nullum ens dependens eſt omnipotens οὐσιωδῶς, *formaliter* & *per ſe*; concedo. Nullum ens dependens eſt omnipotens οἰκονομικῶς, *participatiue* & *per gratiam vnionis*; nego.

II. Quicunque eſt omnipotens, ille eſt Deus: Caro Chriſti non eſt Deus: E. Reſp. 1) In hoc ſyllogiſmo quatuor ſunt termini. Nam *maior* intelligitur de *concreto*, ſiue de perſona, hoc ſenſu: Quæcunque perſona eſt omnipotens, illa eſt Deus. In *minori* autem ſubſumitur *abſtractum*, ſiue natura humana, quæ per carnem deſignatur. 2) Si ſyllogiſmus ita formetur: Quicunque eſt omnipotens, ille eſt Deus: Chriſtus homo non eſt Deus: tunc negatur minor; nam Chriſtus homo eſt Deus perſonaliter.



*) Debere illud dictum intelligi de eo, quod Chriſto *in tempore* datum eſt, plane adparet ex Ioann. V, 27: ὅτι (quatenus) υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. Omnia vero ſibi, ſecundum humanam naturam, tributa eſſe, Chriſtus adſeuerat non ſolum in ſtatu glorioſo, ſed etiam in ſtatu calamitoſo, cum humilis ipſe in terra verſabatur, Matth. XI, 27. Ioann. III, 35. XVI, 15. & quidem propterea, vt vni ipſi confiderent omnes, itaque ipſius beneficio ad æternam ſalutem adſpirarent, Ioann. III, 36. E. non tum demum, cum facta eſt adſcenſio ad ſummum dignitatis faſtigium, data ipſi ſunt omnia, ſed eo ipſo momento, quo carnem Filius Dei adſumſit, ſimul facta vtriusque naturæ coniunctione arctiſſima, & communicatione perfectiſſima. Ecquo modo Chriſtus, ſecundum humanam naturam in ſtatu κενώσεως, ſua ſponte potuiſſet ſe abſtinere ab vſu perfectionum diuinarum, niſi eas iam tunc habuiſſet, cum humana natura communicatas? Easdem vero habuiſſe ipſum, vtpote Dei Filium, per æternam ex Patris natura generationem, ante mundum conditum, patet ex Ioann. XVII, 5.

**) Luculentiſſimum en! effatum, quo ipſa quoque δύναμις Chriſto adſeritur, & ita quidem, vt conſideretur ea ipſius natura, ſecundum quam eſt agnus *mactatus*, Apoc. V, 12. Immo, quod valde ſignificanter dictum eſt, vt nihil poſſit ſupra: ἐνέργεια τοῦ δύνασθαι - - - τὰ πάντα, Phil. III, 21. Apertiſſime etiam, planiſſimeque Chriſtus dicitur excelſus *ſuper omnem* & ἐξουσίαν, *poteſtatem*, & δύναμιν, *potentiam*, Eph. I, 21. Id vero ipſi tribuitur ratione *illius naturæ*, qua ipſe *ab inferis excitatus* eſt (ea vero haud dubie eſt humana), ibid. v. 20.

Digitized by Google

Inſtantia: Argumentum ita necti poteſt: Quæcunque natura eſt omnipotens, illa eſt Deus: Atqui humana Chriſti natura eſt omnipotens: E. humana Chriſti natura eſt Deus. Reſp. Quæcunque natura eſt omnipotens, *per ſe* & *formaliter*, illa eſt Deus; concedo. *Humana* Chriſti natura eſt omnipotens *per ſe* & *formaliter*; nego. Cum enim humana Chriſti natura ſit omnipotens *participatiue*, & per *vnionis perſonalis gratiam*; ex facili colligitur, quod illa non ſit vocanda *Deus*, ſed *deificata*, ſiue deitatis particeps: ſunt enim prædicationes idiomaticæ non ſynonymicæ, ſed paronymicæ.

III. Quicunque infinitam habet potentiam, is a finita potentia non poteſt ſuperari: Chriſtus homo a finita Iudæorum potentia ſuperatus eſt: E. Chriſtus homo non eſt omnipotens. Reſp. Quicunque eſt omnipotens, & omnipotentia ſua *plene vtitur*, is a nulla potentia finita poteſt ſuperari; concedo. Non deerat Chriſto homini in ſtatu exinanitionis omnipotentiæ κτῆσις, ſeu poſſeſſio, χρῆσιν autem, ſeu plenum vſum illius omnipotentiæ ſuſpendebat, vt morte ſua nos Deo reconciliaret, Rom. V, 10.

IV. Quæcunque natura infirmitates humanas & ipſam mortem ſuſtinet, illa impotens magis, quam omnipotens dicenda eſt: Humana Chriſti natura infirmitates humanas, & mortem ipſam ſuſtinuit, &c. E. Reſp. Quæcunque natura infirmitates humanas, & ipſam mortem ſuſtinet ex neceſſitate, & non ex liberrima voluntate, illa non eſt omnipotens. Chriſtus homo infirmitates humanas ſponte ſua aſſumſit, & liberrima voluntate mortem acerbiſſimam ſubiuit, vt officio mediatorio perfungeretur, & victima pro peccatis noſtris fieret. Quo ipſo *actum* quidem *ſecundum* omnipotentiæ non exſeruit, non autem caruit infinita potentia, qua *actum primum*, in ſtatu exinanitionis.

V. Quicunque alteri eſt ſubiectus, illius potentia non eſt infinita: Chriſtus homo ſubiectus eſt Deo Patri, 1 Cor. XV, 28. Ergo. Reſp. Quo reſpectu quiſpiam ſubiectus eſt alteri, eo reſpectu potentia eius non eſt infinita. Chriſtus reſpectu humanæ naturæ, *ſecundum ſe* conſideratæ, Patri eſt ſubiectus. Ergo reſpectu naturæ humanæ, *ſecundum ſe* conſideratæ, non eſt omnipotens; ſic concedimus totum argumentum. Nempe Chriſtus ſubiectus eſt Deo Patri ſecundum *actum naturæ humanæ*, præciſe conſideratæ, ſiue ſecundum ea, quæ habet ex natura, *vt homo*; non eſt ſubiectus Patri qua *actum perſonæ*, ſiue ſecundum ea, quæ habet ex *vnione perſonali*.

Quæſt. LVII. *Eſtne Chriſto homini communicata omniſcientia?*

*Communicatio omniſcientiæ.*

Communicata eſt humanæ Chriſti naturæ, vi vnionis intimæ cum natura diuina τȣ̃ λόγȣ, in primo conceptionis momento, *infinita vereque diuina ſcientia omnium rerum*, quam tamen in ſtatu exinanitionis non ſemper & vbique, ſed libere, quando & vbi voluit, vſurpauit.

Prob. 1) E teſtimonio Paulli, Col. II, 3. In Chriſto *abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*. Obſ. 1) *Omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ* deſignant omniſapientiam & omniſcientiam diuinam, quam Apoſtolus vocat *altitudinem diuitiarum & ſapientiæ, & cognitionis Dei*, Rom. XI, 33. 2) Hi theſauri *abſconditi ſunt in Chriſto*, ſecundum *humanitatem*, ſecundum quam omnis plenitudo diuinitatis in ipſo, vt proprio templo, habitat, v. 9. Dicuntur notanter, *abſconditi*, quia Chriſtus in *forma ſeruili* hos theſauros non proferebat, aut vſurpabat. Vnde naſcitur argumentum: Si in Chriſto, *vt homine, omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi*; vtique Chriſtus, *vt homo*, eſt *omniſcius*: Antecedens eſt verum: E. & conſequens.

2) E rerum omnium notitia Chriſto adſcripta, Ioann. XVI, 30. *Nunc ſcimus, quod ſcias omnia, & non opus habeas, vt quis te interroget.* Obſ. 1) *Noſſe omnia*, idem eſt, quod *omniſci-*

Digitized by Google

*omniſcium* eſſe. b) Reſpiciunt Apoſtoli aſſertione ſua non ſolum diuinam, ſed & *humanam* Chriſti naturam, quoniam dicunt: *nunc ſcimus, quod ſcias omnia.* Chriſtum, *vt Deum*, omnia noſſe, Apoſtolis non erat obſcurum; at nunc experimento didicerant, radios inhabitantis omniſcientiæ ex ore & ſermone Chriſti effulgeſcere. Conf. Ioann. XX, 17.

3) E καρδιογνωσίᾳ, ſiue inſpectione cordium, quam Euangeliſta Ioannes Chriſto tribuit, c. II, 24. 25. *Ipſe Ieſus non credidit ſe ipſum illis, propterea, quod cognoſcebat omnes, & quia non opus habebat, vt quis teſtaretur de homine: ipſe enim cognoſcebat, quid eſſet in homine.* Verba hæc de Chriſto, vt homine, dici, hoc argumento probamus: Secundum quam naturam Chriſtus, in conuerſatione ſua terreſtri & viſibili, a ſubleſtæ fidei multitudine ſibi cauit, ſecundum eam etiam ſcientiæ ſuæ diuinæ luce receſſus cordium conuerſantium ſecum penetrauit: Atqui ſecundum humanam naturam &c. E. *Maior* eſt euidens: quia ideo ſibi cauit Ieſus, qua homo, a circumfuſa multitudine hominum, quia corda eorum ad perfidiam & fraudes prona inſpiciebat.

4) Ex futuri iudicii adminiſtratione, Ioann. V, 27. *Pater poteſtatem dedit filio etiam iudicium habendi; quia filius hominis eſt.* Hic poteſtas iudicium œcumenicum exercendi diſerte Chriſto, vt homini, attribuitur. Ex quo colligimus: Secundum quam naturam Chriſtus omnium hominum cogitata, dicta & facta diiudicabit, ſecundum eandem eſt omniſcius: Atqui ſecundum humanam naturam &c. Ergo.

*Antitheſis* olim fuit *Agnoëtarum*, qui Chriſtum, ſecundum humanam naturam, in gloria ſua non ſcire omnia, docuerunt: hodie eſt *Pontificiorum, Socinianorum & Arminianorum*, qui ſcientiam infinitam, vereque diuinam, animæ Chriſti communicatam eſſe, negant. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Qui *creſcit ſapientia & ſcientia*, ille *non* eſt *omniſcius.* At Chriſtus homo &c. Luc. II, 53. Reſp. Creuit Chriſtus, qua homo, *ſcientia finita, habituali, & ſubiectiue naturæ humanæ inhærente, non creuit omniſcientia vi vnionis perſonalis animæ Chriſti communicata*, vt quæ gradus nullos, incrementa nulla admittit. II. Chriſtus homo *ignorauit diem extremi iudicii*, Marc. XIII, 32. Matth. XXIV, 36. Ergo omniſcientia animæ Chriſti non eſt communicata. Reſp. ad vtrumque: Nonnulli priſcorum Patrum verba Chriſti exponunt de ignorantia œcumenica, quod filius hominis neſciuerit diem extremum non ſibi, ſed aliis, i. e. quod neſciuerit diem vniuerſalis iudicii, ne aliis reuelet. Sed pari ratione de angelis & hominibus, quibus ſe Chriſtus confert, dici poſſet, illos quidem diem extremum ſcire ſibi, ſed non aliis, neſcire, ne reuelent. At vero ſicut homines & angeli naturaliter neſciunt diem ſupremum: ita Chriſtus *ſecundum actum naturæ humanæ*, atque adeo ſecundum *ſcientiam finitam & habitualem*, diem & horam vniuerſalis iudicii vere ignorauit, quam tamen ſciuit ſecundum *actum perſonæ*, adeoque ſecundum omniſcientiam, vi *vnionis perſonalis* communicatam. Etenim Chriſtus exacte & infallibiliter prædixit *ſigna extremi diei*, Matth. XXIV, 29. Marc. XIII, 24. Luc. XXI, 25. quidni & ipſum extremum diem perſpectum habuiſſet? Noluit autem ſcientiam, perſonaliter communicatam, exercere in ſtatu exinanitionis id temporis, quo ſe cum angelis, aliiſque hominibus comparauit, curioſitatem diſcipulorum, hyperangelicam ſcientiam affectantium, refrenaturus *). *Repreſſit*, inquit CHRYSOSTOMVS, *ſufficienter apoſtolos, quod ſcilicet*

*) Nec ſolum *refrenaturus*, verum etiam *expiaturus.* Ita nimirum hæc ſponſoris noſtri modeſtia erat conueniens propoſito, ſiue *fini* muneris Sacerdotalis, vt hoc pacto ſatis ipſe faceret pro grauiſſimo quodam peccato hominum, videlicet, adfectata ſcientia rerum, quæ non ad ſe pertinent, ſcientia omnium rerum perfectiſſima, quæ omnino diuinæ æqualis eſſet, Geneſ. III, 5. etiam præſcientia futurorum euentuum, quorum cognitionem Deus ſibi vni reſeruauit, Act. I, 7. add. Marc. XIII, 32.

Digitized by Google

*ſcilicet diſcere id non debeant aut expetere, quod ipſi angeli neſciant, quia non ſuperiores angelis & Chriſto, iuxta actum naturæ conſiderato, ſed longe inferiores ſint.* Conf. IOANN. ADAMI OSIANDRI *colleg. ſyſtemat. part. III. de Chriſto, p. 93.*

III. Chriſtus, ſecundum naturam humanam, *quædam ignorauit:* E. ſecundum humanam naturam *non* eſt *omniſcius: Antecedens* probatur: quia Chriſtus, vt homo, ignorauit abſentiam fructuum in ficu, quod patet ex acceſſu ipſius propiori. Propius vtique non acceſſiſſet ad arborem, ſi eam carere fructibus ſciuiſſet, Marc. XI, 13. Ignorauit etiam locum ſepulchri Lazareani, Ioann. XI, 34. Reſp. Chriſtus homo, conſideratus ſecundum *proprietates humanæ naturæ*, quædam vere ignorauit. Maieſtatem autem, omniſcientiæ non ſemper & vbique, ſed quando & vbi placuit, in ſtatu exinanitionis exſeruit.

IV. Chriſtus dicitur eſſe *tentatus*, Hebr. II, 18. c. IV, 15. Tentatio autem eſt *ignorantis.* Reſp. a) Non omnis tentatio eſt ignorantis. Quoties Deus omniſcius ab Iſraëlitis in deſerto tentatus eſt? b) Tentatio haud parum momenti confert ad *notitiam experimentalem*, quæ humanæ naturæ præciſe ſpectatæ, qua conditionem *propriam*, *formaliter* ipſi competentem, ſubiectiue ineſt. At exinde neganda non eſt *perſonaliter communicata* omniſcientia.

Quæſt. LVIII. *Eſtne Chriſto homini communicata maieſtas omnipræſentiæ?*

*Communicatio omnipræſentiæ.* Filius Dei humanæ naturæ, in hypoſtaſin ſuam diuinam aſſumtæ, per vnionem perſonalem maieſtatem, *omnipræſentiæ vere & realiter* communicauit, vt illa *a primo conceptionis momento*, vna cum diuina natura τȣ̃ λόγȣ, *omnibus creaturis præſentiſſime adfuerit* a), iam vero in ſtatu *gloriæ* eadem, ad dextram Dei patris euecta, vbique *præſentiſſime operetur*, & omnia in cœlo & in terra potentiſſime gubernet b).

Obſ. I. Diſtingu. *inter præſentiam phyſicam, ſeu naturalem, & hyperphyſicam, ſiue ſupernaturalem. Illa* eſt craſſa, corporea, extenſiua, diffuſiua & localis: *hac* eſt maieſtatica diuina, ſpiritualis, indiuiſibilis, & illocalis. *Non prior*, ſed *poſterior* per *vnionem perſonalem* communicata eſt carni Chriſti, nempe eadem, quæ eſt diuinæ τȣ̃ λόγȣ naturæ. Sicut igitur hæc non extenditur, expanditur, aut diffunditur, vt ſit omnipræſens: ita neque caro aſſumta dici debet aut poteſt coëxtendi τῷ λόγῳ, vt ſit omnipræſens. Quatenus enim humana natura conſideratur in λόγῳ, eo certe reſpectu tam exemta eſt omni loco, quam ſi locus prorſus nullus ſit: ſiquidem ὑπόστασις τȣ̃ λόγȣ, intra quam ſubſiſtit humanitas, non minus hodie eſt extra loca omnia, quam olim, cum nullus adhuc locus eſſet in rerum natura. Vt enim apud hypoſtaſin Filii Dei omnia tempora ſunt vt quoddam ἄτομον, nunc, ſiue momentum, Pſ. XC, 4. ita coram eadem hypoſtaſi hoc vniuerſum eſt inſtar vnius puluiſculi, aut guttulæ, Eſ. XL, 15. 17. E. nullo modo ad omnipræſentiam diuinam carni Chriſti communicatam vlla extenſio localis requiritur.

Obſ. II. Diſt. inter *actum carnis Chriſti naturalem, & perſonalem.* Caro Chriſti *actu naturæ*, cum Chriſtus verſaretur in his terris, fuit in certo loco, in vtero matris, in cruce, in ſepulcro, &c. *circumſcriptiue*, vel *occupatiue;* & iam quoque in ſtatu gloriæ iuxta proprietatem glorificatorum corporum in aliquo πȣ̃ cœleſti eſt, non quidem circumſcriptiue, ſed *definitiue.* Sed huic actui naturali non obſtat ille *actus perſonalis*, quo *illocaliter* eſt in λόγῳ, a qua præſentia omnes locales ideæ, aut conceptus abſtrahendi ſunt. Vid. D. AEGID. HVNN. *de commun. idiomat. p. 86.*

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. III. Quæ eſt *diuinæ τȣ̃ λόγȣ naturæ omnipræſentia*, *eadem* eſt omnipræſentia *naturæ humanæ*, *modo eſſendi diuerſo*. Nam *diuina* natura eſt omnipræſens *per eſſentiam*; *humana* natura eſt omnipræſens *per vnionis gratiam*. *Illa* eſt omnipræſens *formaliter & immediate*; *hæc* eſt omnipræſens *participatiue & mediate* (mediante hypoſtaſi & natura diuina, cuius per vnionem hypoſtaticam & mutuam naturarum vnitarum communionem particeps facta eſt). Eodem ſenſu diuina natura τȣ̃ λόγȣ dicitur omnipræſens *eſſentialiter*; humana natura dicitur omnipræſens *perſonaliter*. Conf. GERHARD. *exeg. libr. IV. de Chriſto §. 261.* Sed oppido notandum, quod τὸ *perſonaliter* duplici ſumatur ſenſu; a) Notat tantum *ſubiectum*, quod nempe perſona tantum, ſeu hypoſtaſis adſit, non vero natura humana; qui ſenſus eſt heterodoxus; vel b) deſignat *modum & cauſſam*, quod adſit ipſa humana natura non ex proprietate naturæ ſuæ, ſed per & propter vnionem perſonalem, quia & quatenus in perſona Filii ſubſiſtit; qui ſenſus eſt eccleſiæ noſtræ, & orthodoxus. Vid. D. CALOV. *de perſona Chriſti p. 106.*

Obſ. IV. Diſt. inter diuinæ & humanæ naturarum *præſentiam intimam*, *& extimam*. Præſentia *intima* eſt, quo ὁ λόγος adeſt carni, & caro λόγῳ, ita vt nec λόγος ſit extra carnem, nec caro extra λόγον. Præſentia *extima* eſt, qua λόγος vna cum carne, & caro vna cum λόγῳ, creaturis præſentiſſime adeſt, ita, vt nuſpiam & nunquam ſit λόγος, poſt factam vnionem, vbi non ſit caro. Præſentia *extima* eſt conſequens præſentiæ intimæ, & ex hac per immotam conſequentiam infertur, vti iamiam oſtendemus.

Obſ. V. Diſt. inter *præſentiam extimam*, ſumtam ὁλικῶς, ſiue *totaliter*, & acceptam μερικῶς, ſiue *partialiter*. Phraſi ſcripturæ omnipræſentia, ὁλικῶς ſumta, deſignat præſentiam *efficaciter operantem*, creaturasque gubernantem, cuius cum diſtincti ſint modi, propterea, quoad alia præſentia *potentiæ*, alia *gratiæ*, alia *gloriæ* eſt, communiter *præſentia modificata*, item *præſentia dominii* appellatur. At omnipræſentia, μερικῶς accepta, notat nudam ἀδιάςαςίαν, *propinquitatem ſubſtantialem*, vel indiſtantem ad eſſentiam, ad omnes creaturas, & vocatur *præſentia ſimplex*, *abſoluta*, *item præſentia propinquitatis*, *vel indiſtantiæ*. Conf. D. SCHERZERVS in *ſyſt. theol. loc. VIII. de Chriſto p. 223.*

Prob. a. Carnem Chriſti in ſtatu exinanitionis fuiſſe *omnipræſentem*, *& ab omnibus creaturis indiſtantem*, confirmatur 1) *ex vnione duarum naturarum in Chriſto perichoriſtica & indiſſolubili*. Quidquid realiter & actu, vnione totali & perſonali, illi, quod omnibus creaturis præſens eſt, vnitur, ipſum vi huius vnionis indiſtanter quoque omnibus creaturis adeſt. Atqui humana Chriſti natura, conſtituta in ſtatu exinanitionis, realiter & actu, vnione totali & perſonali, vnita eſt naturæ diuinæ, quæ omnibus creaturis præſens eſt. E. humana Chriſti natura, conſtituta in ſtatu exinanitionis, vi vnionis perſonalis quoque, indiſtanter omnibus creaturis adfuit. *Maior* conſtat: quia, vbi eſt vnum vnitorum, ibi etiam eſt alterum. Vnde impoſſibile eſt, dari *vnionem realem*, ſine *vnitorum præſentia reali*.

Dicis: I. Non vniuerſaliter verum eſt, quod, vbi eſt vnum vnitorum, ibi etiam ſit alterum. Nam anima humana ſic vnita eſt capiti humano, vt ſit etiam extra caput in manibus, pedibus &c. Reſp. Sermo nobis eſt *de vnione totali & adæquata*, cuius terminus eſt vnum ὑφιςάμενον: anima & caput vniuntur *partialiter & inadæquate*. Veneranda antiquitas vnionem diuinæ & humanæ naturæ comparauit cum communione animæ & corporis. Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus, inquit ATHANASIVS in *Symbolo ſuo*. Sicut igitur anima non eſt extra corpus, nec corpus extra animam, ſalua vnione naturali: ita nec diuinitas τȣ̃ λόγȣ eſt extra humanitatem, nec humanitas extra diuinitatem, ſalua vnione perſonali.



Digitized by Google

Dicis: II. Vbi eſt vnum vnitorum, ibi etiam eſt alterum, *quoad præſentiam intimam, non autem ſemper quoad præſentiam extimam.* Sic caro ſemper præſens fuit λόγῳ, vbi ille exſtitit, neque tamen ex eo ſequitur, quod caro præſens fuerit creaturis, extra λόγον exiſtentibus. Reſp. Sublata præſentia *extima* tollitur etiam *intima.* Nam quidquid non indiſtanter adeſt ibi, vbi λόγος præſens eſt, illud ne quidem ipſi λόγῳ indiſtanter præſens eſt. Ratio eſt manifeſta: quia, quæ alicubi differunt, vt diſtans & indiſtans, vt præſens & abſens, illa duo ibidem ſibi inuicem non ſunt præſentia. Quod ſi igitur alicubi præſens creaturis eſt ὁ λόγος, vbi ab iis diſtat caro, ibi præſenti λόγῳ non indiſtanter præſens eſt caro, adeoque λόγος erit extra carnem. Sed ſi λόγος eſt extra carnem, datur διάςημα inter naturam diuinam & humanam Chriſti: quo ipſo vinculum vnionis perſonalis diſſoluitur.

2) A *communione hypoſtaſeos diuinæ.* Quidquid ſubſiſtit ſubſiſtentia propinqua omnibus creaturis, illud quoque vi illius ſubſiſtentiæ omnibus creaturis præſens eſt: Atqui caro Chriſti &c. Ergo. *Maior* eſt euidens: quia, vbi eſt hypoſtaſis τȣ̃ λόγȣ, ibi etiam oportet eſſe carnem, quæ eſt in illam hypoſtaſin aſſumta. Subſiſtentia enim non eſt extra naturam ſubſiſtentem, quam vt modus afficit & terminat. Impoſſibile eſt, modum eſſe extra rem ipſam, cuius eſt modus, actumque ſubſiſtendi vltimum extra naturam, quæ iſto ſubſiſtendi actu gaudet. Sane vbi quis *ſubſiſtit*, ibi *exſiſtit.*

3) A *perichoriſtica duarum in Chriſto naturarum communione.* In qua natura tota plenitudo diuinitatis corporaliter, ſiue vt in perſonaliter proprio templo habitat, ei hoc ipſo conuenit, diuino & illocali modo vbique adeſſe: Atqui in humana Chriſti natura, etiam in toto exinanitionis ſtatu, tota plenitudo diuinitatis corporaliter habitauit, Col. II, 9. Ergo. *Maior* conſtat: quia, ſi diuinitas extra carnem Chriſti eſt, dici nequit, totam plenitudinem diuinitatis in carne Chriſti habitare, aut totam diuinitatem τȣ̃ λόγȣ eſſe incarnatam.

4) A *perſonæ συνθέτȣ conditione.* Perſona θεάνθρωπος ſecundum diuinam & humanam naturam vbique adeſt: Atqui Chriſtus in omni ſtatu, tam exinanitionis, quam exaltationis, eſt θεάνθρωπος. Ergo. *Maior* patet: ſicubi eſt diuinitas τȣ̃ λόγȣ, vbi non eſt aſſumta humanitas, ibidem Chriſtus non eſt θεάνθρωπος. Sed Chriſtus vbi vbi eſt, θεάνθρωπος eſt. E. nullibi eſt diuinitas λόγȣ, vbi non ſit humanitas. Porro: Si ὁ λόγος alicubi eſt totus extra carnem, erit vtique ibidem ἄσαρκος; & rurſus: Sicubi eſt totus in carne, erit ibidem ἔνσαρκος. Ex quo ſequitur, duas in Chriſto eſſe perſonas, vnam ſimplicem, alteram compoſitam.

5) A *præſentia Chriſti in cælo & terra.* Quicunque exiſtit in terra, & ſimul præſens eſt in cœlo, is eſt omnipræſens: Atqui Chriſtus homo, exinanitus, exſtitit in terra, & ſimul præſens fuit in cœlo: E. Chriſtus homo, exinanitus, exſtitit omnipræſens. *Minor* probatur e Ioann. III, 13. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui e cælo deſcendit, filius hominis, qui* (adhuc) *in cælis eſt.* Sermo eſt de *filio hominis*, qui iam in terris viſibiliter erat conſpicuus, atque conſuetudine hominum familiariter vtebatur, adeoque in ſtatu exinanitionis conſtitutus erat. Ille, peracto officio mediatorio, *aſcenſurus erat in cælum*, e quo deſcenderat, carnem humanam aſſumendo, & nihilominus *in cælo erat, non* quidem præſentia *naturali*, ſed *perſonali.*

Prob. b. Chriſto, in ſtatu exaltationis, ſecundum humanam naturam competere *omnipræſentiam modificatam*, ſiue *præſentiam dominii*, colligitur 1) *e ſeſſione ad dextram Dei.* Secundum quam naturam Chriſtus ſedet ad dextram Dei, ſecundum eandem omnipræſenter dominatur (nam dextra Dei implet cœlum & terram Pſ. CXXXIX, 7. 8.): Atqui ſecundum humanam naturam &c. E. *Maior* conſtat: quia *ſedere ad dextram Dei* per *regnare* exponi-

tur

Digitized by Google

tur, 1 Cor. XV, 25. Quemadmodum igitur *dextra Dei* vbique eſt & vbique dominatur; quippe qua deſignatur in ſacris litteris virtus & potentia Dei immenſa & infinita, nusquam excluſa, nusquam non operoſa: ita *ſedere ad dextram Dei*, eſt, vi exaltationis, diuina virtute vere immenſa vbique dominari, quod ne cogitari quidem poteſt ſine omnipræſentia, quandoquidem *dominium diuinum* non eſt abſentis, ſed *præſentis.*

2) *Ex officio Chriſti regio.* Iuxta quam naturam Chriſtus eſt rex & caput eccleſiæ, ſecundum eandem eſt omnipræſens: Atqui iuxta naturam non tantum diuinam, ſed *& humanam* &c. Eph. I, 22. Ergo. *Maior* claret: quia rex diuinus ſuos ſubditos præſenter regit, & caput a ſuis membris auulſum non eſt.

3) *Ex impletione omnium*, de qua Paullus Eph. IV, 10. *Qui deſcendit, idem eſt etiam, qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt omnia impleret.* Conf. Eph. I, 22. *Dedit illum (Deus Pater) caput ſuper omnia eccleſiæ: quæ eſt corpus illius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus implet.* Colligimus: Secundum quam naturam Chriſtus aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia, ſecundum eam omnipræſens eſt, omniaque in cœlo & in terra præſentiſſimus gubernat: At ſecundum humanam naturam aſcendit ſuper omnes cœlos: Ergo. *Maior* probatur: quia præſentia Dei ἐνεϱγητικὴ, ſiue operoſa per impletionem omnium deſcribitur, Ier. XXIII, 13. Sap. I, 7. *Minor* patet; quia aſcenſio Chriſti eſt quoad eam naturam, iuxta quam loco moueri poterat, & ſecundum quam paſſus & exinanitus eſt.

Dicis: Ex hoc loco *omnipræſentia* Chriſti *gubernatrix* non valide concluditur. Nam 1) Si Chriſtus in ſtatu *exinanitionis* etiam omnipræſens fuit, quorſum aſcendit in cœlum, vt omnia impleret? 2) Dum ſecundum humanam naturam Chriſtus *aſcendiſſe* dicitur, vtique *a nobis abeſſe*, non autem vbique eſſe ſecundum humanam naturam, ſignificatur. 3) *Impletio omnium* non neceſſario notat *omnipræſentiam*, ſed vel impletionem vaticiniorum, vel effuſionem donorum Spiritus S., quibus eccleſiam implet. Reſp. Ad 1): In ſtatu exinanitionis Chriſtus, vt homo, omnipræſens fuit *præſentia indiſtantiæ, ſiue abſoluta; at impletio omnium notat omnipræſentiam modificatam, ſiue præſentiam dominii, & inceſſantis operationis*, ad quam Chriſtus homo admiſſus demum eſt per exaltationem. Ad 2): *Aſcenſio in cœlum* non infert *abſentiam a terris omnimodam*, ſed tantum *viſibilem.* Aſcendit caro Chriſti glorificata in cœlum *viſibiliter*, κατ' οἰκονομίαν, ſecundum indolem, aut conditionem corporum glorificatorum: quamuis inuiſibili ratione, ad modum *communicatæ hypoſtaſeos*, omni creaturæ, inprimis eccleſiæ, fuerit præſentiſſimus, qua *actum perſonalem.* De cetero tantum abeſt, vt ex aſcenſione Chriſti in cœlum inferatur abſentia carnis Chriſti; vt potius ex ea valide colligatur. Nam ideo Chriſtus in cœlum aſcendit, vt omnia dominio omnipræſentiſſimo impleret. Ad 3): Phraſi ſcripturæ, *impletione omnium*, deſignatur *omnipræſentia* Dei *operatrix*, qua Deus vbique, inprimis in eccleſia, efficaciſſime operatur; qua de cauſſa eccleſia dicitur *corpus & plenitudo eius, qui omnia in omnibus implet.* Eph. I, 22. Cum autem ſcriptura de *impletione vaticiniorum* loquitur, vtitur hac πϱοϑήκῃ: *vt impleretur, quod ſcriptum eſt.* De *impletione donorum* hic non agitur, quum Chriſtus dicatur *implere omnia*, non autem ſolum, *implere eccleſiam.* Adhæc, cum de *donis* ſermo eſt, verbo, *implere*, adiicitur mentio *donorum*, vel *gratiæ*, vid. e. gr. Col. I, 9. Phil. I, 11.

4) *Ex poteſtate & dominio vniuerſali.* Quam verum certumque eſt, Chriſto, ſecundum carnem, *ſubiecta eſſe omnia, datam omnem poteſtatem in cœlo & in terra*, tam quoque verum & certum eſt, *communicatam eidem eſſe omnipræſentiæ maieſtatem:* Atqui veriſſi-



Digitized by Google

mum & certiſſimum eſt &c. Ergo. *Maior* probatur: quia Chriſtus non haberet ſibi ſubiecta omnia, niſi etiam omnia loca ipſi ſubiecta eſſent; neque exerceret plenam poteſtatem in omnia, in cœlo atque terra ſibi ſubiecta, niſi ipſis adeſſet præſentiſſimus. *Minor* patet e Pſ. VIII, 7. 1 Cor. XV, 27. Eph. I, 22. Matth. XXVIII, 18.

5) *Ex cooperatione Chriſti vniuerſali*, quæ præconibus ſacris vbique cooperatur, de qua Marc. XVI, 20. *Illi vero exeuntes prædicarunt vbique, Domino cooperante, & verbum confirmante per ſubſequentia ſigna.* Quicunque Apoſtolis, *vbique* prædicantibus *cooperatur*, is eſt *omnipræſens:* Atqui Chriſtus homo &c. Ergo. *Maior* probatur: quia cooperatio Chriſti non eſt abſentis, ſed præſentiſſimi. *Minor* patet: quia loco citato ſermo eſt de Domino, qui aſcendit & in cœlum receptus eſt.

6) *Ex promiſſione* Chriſti, quæ habetur Matth. XVIII, 20. *Vbi ſunt duo, aut tres, congregati in nomine meo, ibi ſum in medio ipſorum*, & cap. XXIIX, 20. *Ecce! Ego vobiscum ſum omnibus diebus, vsque ad conſummationem ſæculi.* E quibus argumentamur: Quicunque *eſt in medio omnium eccleſiæ membrorum*, vbicunque illa in nomine Chriſti congregata ſunt, *omnibus diebus vsque ad conſummationem ſæculi*, is eſt *omnipræſens:* Atqui Chriſtus ſecundum vtramque naturam &c. Ergo. *Maior* liquet: quoniam membra eccleſiæ diſperſa ſunt per vniuerſum terrarum orbem. Qui illis omnibus adeſt, hunc oportet eſſe omnipræſentem.

Dicis: Chriſtus *eſt in medio membrorum eccleſiæ*, ſecundum naturam ſuam *diuinam:* quia 1) pronomen *ego* quidem perſonam notat, ſed reſtringendum eſt ad naturam diuinam, ſicut Ioann. VIII, 58; 2) quia hic agitur de *præſentia* non corporis, ſed *ſpiritus & gratiæ*; 3) promiſſio Chriſti intelligenda eſt de *præſentia ſpeciali*, ſiue *gratioſa*, non de omnipræſentia. Reſpondeo a) *generatim. Promiſſor* eſt Chriſtus ϑεάνϑρωπος, qui vbicunque præſto eſt, ibi non ſolum adeſt ipſius diuina, ſed & humana natura, niſi ſoluenda ſit vnio perſonalis: ſicut, vbi tota eſt perſona Abrahami, ibi non ſolum eſt corpus, ſed & anima Abrahami. *Promiſſa res* eſt præſentia gratioſa in medio fidelium, quæ pertinet ad officium Chriſti mediatorium, & regium, quo Chriſtus fungitur ſecundum vtramque naturam. *Promiſſio* facta eſt illis, qui congregati ſunt in nomine Chriſti ϑεανϑρώπε, vt illum non tantum vt Deum, ſed etiam vt hominem, redemtorem noſtrum, agnoſcamus, inuocemus & veneremur. Ergo Chriſtus præſens eſt in medio Chriſtianorum, non tantum ſecundum diuinam, ſed & humanam naturam. Reſp. *Speciatim* ad 1): Locus Ioann. VIII, 58. impertinenter adducitur. Ibi enim præexiſtentia ante Abrahamum de λόγῳ ἀσάρκῳ prædicatur: nos autem aſſerimus, Chriſtum ἔνσαρκον ſecundum vtramque naturam eſſe omnipræſentem. Ad 2): Præſentia gratiæ & ſpiritus non excludit corpus, vel naturam humanam Chriſti. Id quod docet συνάφεια verſ. 19. & 20. Quidquid duo, treſue, in meo nomine petierint, fiet illis a meo Patre; Ratio: quia ego ſum in medio illorum. Vnde arguimus: Secundum quam naturam Chriſtus fidelium preces Deo acceptas, validasque efficit, ſecundum illam ipſis praeſto eſt. At tam ſecundum *diuinam*, quam *humanam* naturam fidelium preces Deo acceptas, validasque efficit (quia hoc præſtat, vt mediator inter Deum homineſque ſecundum vtramque naturam): Ergo. Ad 3): E præſentia *ſpeciali* recte infertur *vniuerſalis*. Etenim *præſentia gratiæ* præſupponit *præſentiam potentiæ*, ſicut *bene eſſe* ſupponit *eſſe*. Non poſſet Chriſtus fidelibus ſpeciali adeſſe gratia, vbicunque illi in nomine ipſius congregati ſunt, niſi omnipræſens eſſet.

7) Ex

Digitized by Google

7) *Ex inuocatione Chriſti.* Chriſtus ſecundum vtramque naturam inuocandus eſt (quod iamiam demonſtraturi ſumus): E. Chriſtus ſecundum vtramque naturam omnipræſens eſt. Abſentem, qui neque preces audit, neque præſens opitulatur, nemo compos mentis inuocat. Vnde S. ſcriptura *cultum religioſum* cum *præſentia diuina* arcte connectit, Deut. IV, 7. Pſ. XCI, 15. Pſ. CXLV, 18.

8) *Ex præſentia ſacramentali.* Cuiuscunque corpus & ſanguis in S. euchariſtia vere & realiter præſens eſt, is in toto terrarum orbe præſens eſt: poteſt enim S. cœna in vniuerſo mundo diſpenſari: Atqui corpus & ſanguis Chriſti in S. euchariſtia vere & realiter præſens eſt: Ergo.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum & Arminianorum.* Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Quidquid non eſt immenſum & infinitum, illud non eſt omnipræſens. Atqui caro Chriſti non eſt immenſa & infinita: E. *Maior* eſt euidens; quia immenſitas eſt radix omnipræſentiæ, qua gaudet natura infinita. Reſp. Quidquid non eſt immenſum & infinitum, illud non eſt omnipræſens *per eſſentiam;* concedo. At caro Chriſti dicitur omnipræſens non per eſſentiam, ſed *per vnionis & communicationis gratiam*, eo, quod ſubſiſtit in hypoſtaſi τȣ̃ λόγȣ immenſa & infinita.

II. Quorum eadem eſt omnipræſentia, eorum eadem eſt eſſentia diuina (quia hæc ab illa non differt realiter): Atqui ex mente doctorum euangelicorum eadem eſt omnipræſentia diniuitatis τȣ̃ λόγȣ & aſſumtæ humanitatis. E. ex mente doctorum euangelicorum eadem eſt eſſentia diuinitatis & humanitatis, quod aſſerere *Eutychianum* eſt. Reſp. 1) per inſtantiam: Quorum eadem eſt hypoſtaſis infinita, eorum eadem eſt eſſentia diuina, quia hæc ab illa non differt realiter. Atqui diuinitatis τȣ̃ λόγȣ & aſſumtæ humanitatis eadem eſt hypoſtaſis infinita. E. diuinitatis τȣ̃ λόγȣ & aſſumtæ humanitatis eadem eſt eſſentia. *Minorem* concedunt *Pontificii.* Quidquid igitur *Socinianis* reſpondebunt, nos illis reponemus. 2) Quorum eadem eſt omnipræſentia, vt *proprietas eſſentialis*, illorum eſt eadem eſſentia diuina; concedo. Atqui diuinitatis τȣ̃ λόγȣ & aſſumtæ carnis eadem eſt omnipræſentia, vt *proprietas vtriusque eſſentialis;* nego. Nam omnipræſentia manet *diuinæ* naturæ *proprietas eſſentialis*, quamuis per *vnionem hypoſtaticam humanæ communicata* ſit ad communem *poſſeſſionem*, *vſurpationem & denominationem.*

III. Omne corpus naturale eſt in vno loco: Corpus Chriſti eſt corpus naturale. E. Reſp. a) *Generatim:* Concluſio huius argumenti petita eſt e theologia, & maior propoſitio, qua potiſſimum ſyllogismus nititur, ſumta eſt e phyſica. Committitur ergo μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. b) *Speciatim* α) ad *maiorem*, diſt. inter *locabile*, & *eſſe vno in loco.* Omne corpus eſt *locabile*, i. e. in vno loco *eſſe poteſt;* actualem autem locationem ſeparare ab ipſo poteſt infinita Dei potentia. β) Ad *minorem*, diſt. inter *corpus naturale* ratione *ſubſtantiæ*, & ratione *qualitatum*, ſiue inſitarum proprietatum. *Corpus Chriſti* eſt quidem *naturale*, ratione *ſubſtantiæ; non* autem eſt *naturale*, ratione *affectionum ſingularium*, & hyperphyſicarum, ſed iis longe ſuperius, quia eſt corpus ſumme eminentiſſimeque glorificatum, *in diuinam hypoſtaſin aſſumtum*, & in diuinæ dextræ maieſtatisque thronum *exaltatum;* vnde de eodem ſecundum regulas aut leges phyſicorum non eſt iudicandum.

IV. Sententia *Lutheranorum* de omnipræſentia carni Chriſti communicata tres grauiſſimi articuli fidei, 1) de *veritate carnis Chriſti;* 2) de *morte* Chriſti, 3) de ipſius *aſcenſione in cælum*, euertuntur. E. ſententia *Lutheranorum* de omnipræſentia carni Chriſti communicata non eſt in eccleſia toleranda. *Antecedens* probatur: quia *vera* humana natura *non* poteſt *in infinitum extendi*, vt ſit omnipræſens. Deinde, qui omnipræſens eſt, *non poteſt mori*,



Digitized by Google

quia per mortem diſſoluitur vnio corporis & animæ. Sed ſi Chriſtus omnipræſens eſt, anima ipſius ſemper ibi fuit, vbi corpus: E. vnio illa non eſt ſoluta, & conſequenter Chriſtus non eſt mortuus. Præterea, ſi Chriſtus omnipræſens eſt vi vnionis perſonalis, vtique *ante aſcenſionem in cœlum* fuit in cœlo & in terra. Sed ſi *fuit in cælo*, *ante aſcenſionem*, quomodo *in illud* potuit *aſcendere?* Reſp. Sententia Lutheranorum de communicata carni Chriſti omnipræſentia nullus articulus fidei euertitur. Non labefactatur eadem 1) articulus *de veritate carnis Chriſti*, quippe quæ non eſt omnipræſens præſentia phyſica & *extenſiua*, ſed hyperphyſica, diuina & illocali, quæ ipſi *non formaliter & per ſe*, ſed *participatiue & per vnionis perſonalis gratiam* competit. 2) Non conuellitur articulus *de morte Chriſti:* Nam per mortem ſoluta quidem eſt vnio naturalis corporis & animæ, ſalua tamen manente *vnione hypoſtatica* diuinæ & humanæ naturarum; ſicut cum miles euaginat gladium, retinens gladium in vna, vaginam in altera manu, ſoluitur quidem vnio vaginæ & gladii, nihilo tamen minus & hic, & illa, cum milite coniuncta manet. Non euertitur 3) articulus *de aſcenſione Chriſti:* Nam ante aſcenſionem caro Chriſti in cœlo præſens erat *præſentia indiſtantiæ*, qua actum perſonalem; *κατ' οικονομίαν* autem, corpore glorificato in cœlum *viſibiliter* aſcendit, vt *omnipræſentia dominii* omnia impleret. Chriſtus enim per omnipotentiam ſuam diuinam ſe diuerſimode præſentem ſiſtere poteſt.

V. Quicunque eſt verus homo, & tamen omnipræſens, illum oportet in omnibus cantharis, patinis & locis ſordidis eſſe præſentem: At Chriſtus homo non eſt in omnibus &c. E. Reſp. Diſt. inter præſentiam *phyſicam*, *& hyperphyſicam:* Illa infert incluſionem in certo loco, non hæc. Spiritus S. eſt omnipræſens, horret tamen animus pius aſſerere, Spiritum S. eſſe in omnibus cantharis &c.

VI. Chriſtus in ſtatu exinanitionis progreſſus eſt de loco in locum: E. & in ſtatu exinanitionis non fuit omnipræſens. Reſp. Diſt. inter actum Chriſti hominis *naturalem, & perſonalem.* Ille fluit ex proprietatibus humanæ naturæ, & Chriſto, vt homini, communis eſt cum omnibus hominibus, excepto peccato: Hic dicitur, qui ſoli humanæ Chriſti naturæ obtigit ex intima in hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ aſſumtione. Progreſſus eſt Chriſtus exinanitus *de loco in locum*, qua actum *naturalem*, at tamen omnipræſens fuit, qua actum *perſonalem.*

VII. Si Chriſtus in ſtatu exinanitionis omnipræſens fuit, in omnium mulierum vteris conceptus, in omnibus montibus crucifixus, in omnibus monumentis ſepultus eſt: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Reſp. Non eadem prædicata competunt vbique illi, quod eſt vbique, cum in loco peculiari actum peculiarem exſerere queat. Hinc perperam colligeres: Deus omnipræſens legem ſuam tulit in monte Sinai: Ergo eam ſanciuit & promulgauit in omnibus montibus. Spiritus Sanctus omnipræſens apparuit in columba ſuper Chriſtum baptizatum: Ergo in omnibus columbis ſe conſpiciendum præbuit. Ceterum, quod Chriſtus conceptus iacuit in vnius virginis aluo, crucifixus eſt in vno monte, id referendum eſt ad Chriſti hominis *actum naturalem*, non vero neganda eſt Chriſti hominis *omnipræſentia perſonalis.*

VIII. Scriptura diſerte teſtatur, Chriſtum hominem non eſſe vbique: a) Matth. XXVI, 11. *Me non ſemper habebitis.* b) Io. XVI, 28. *Relinquo mundum.* c) *Gaudeo, quod non fuerim ibi*, Io. XI, 8. d) Angelus dicit: *Non eſt hic*, *ſed ſurrexit*, Luc. XXIV, 6. Reſp. 1) *In genere.* A negatione præſentiæ *ſpecialis & modificatæ*, ad negationem præſentiæ *generalis & abſolutæ* n. v. c. 2) *In ſpecie.* Reſp. ad a): Chriſtus dicit: *me non ſemper habebitis*, ſcilicet *in ſtatu humili & ſeruili*, vt meam indigentiam ſubleuare, & ad mortem meam præfigurandum me vngere poſſitis. Ad b): Chriſtus *reliquit mundum*, *viſibilem* illi *præſentiam* ſubtrahendo, quem tamen, ad dextram Dei Patris euectus, *modo inuiſibili præſentiſſime*

*tiſſime gubernat.* Ad c): Diſt. inter κτῆσιν, & χρῆσιν, ſiue maieſtatem & exercitium *præſentiæ* ἐνεργητικῆς, ſeu *operatricis.* Chriſtus, qua vtramque naturam, fuerat inuiſibiliter præſens in ædibus Mariæ & Marthæ, ſed præſentiæ operoſæ exercitio abſtinuerat, Lazarum incolumem, & a vi mortis immunem non præſtando. Ad d): Chriſtus in ſepulcro *non* erat *localiter & viſibiliter*, ſecundum modum corporis mortui; nam ſecundum illum modum mulieres ad corpus vngendum quærebant, & non inueniebant, Luc. XXIV, 3.

IX. Quem continet cœlum, is non eſt omnipræſens: Atqui Chriſtum &c. E. *Minor* prob. ex Act. III, 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, *quem oportet cœlum capere;* adeoque, teſte Petro, cœlum Chriſtum continet & comprehendit, vt non poſſit eſſe vbique. Reſp. Pronomen relatiuum, ὃν, reſpicit Chriſtum, qui huius orationis *ſubiectum* eſt, reliqua autem verba, οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, abſoluunt *prædicatum*, vt deſignetur maieſtatica regni cœleſtis occupatio, poſſeſſio & gubernatio, *non* autem *localis continentia*, aut incluſio. Nam ita occupauit Chriſtus cœlum, vt *ſuper omnes cælos aſcendens omnia impleat in cælo & in terra*, dominio præſentiſſimo, Matth. XXVIII, 18. Eph. I, 20. Quod Chriſtus cœlo non contineatur, liquet ex eo, quod poſt aſcenſionem in cœlum vero corpore ſuo aliquoties apparuit, viſusque eſt a Paullo quater, in via Damaſcena, Act. IX, 3. in vrbe Corintho, Act. XVIII, 9. 10. in caſtris Hieroſolymitanis, Act. XXIII, 11. in dicaſterio Romano, 2 Tim. IV, 17. vt & Stephano, Act. VII, 55.

X. Chriſtus non eſt ſacerdos ſuper terra, Hebr. VIII, 4. E. non eſt omnipræſens. Reſp. Verba Apoſtoli ſunt: *ſi enim eſſet ſuper terra, neque ſacerdos eſſet.* Quibus verbis *non* ſimpliciter excluditur *locus*, ſed *ſtatus* terreni ſacerdotii, vt ſenſus ſit: Si Chriſtus eſſet ſuper terra, ſiue *terrenus*, typicusque ſacerdos, non eſſet ſacerdos, noſtræ redemtioni ſufficiens. Chriſtus vtique *in terra* functus eſt ſacerdotio, ſed non eſt ſacerdos *terrenus* & typicus, quales ſunt illi ſacerdotes, Leuitici, qui figuræ & vmbræ operam dant ſupracœleſtium, v. 5.

XI. Chriſtus corpore ſuo venturus eſt ad iudicium die extremo, Act. I, 11. E. ante diem extremum nobis in terra degentibus corpore ſuo non adeſt. Reſp. Aduentus Chriſti ad iudicium non erit localis tranſitus de loco aliquo ſuperiori in locum aliquem inferiorem, ſed *viſibilis apparentia* in certo aliquo loco, videlicet in nube, vbi thronum viſibilis ſui iudicii collocabit. Ideo reditus Chriſti ad iudicium vocatur ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας, *apparitio præſentiæ*, 2 Theſſ. II, 8. vt innuatur, & Chriſtum ratione humanæ naturæ minime a nobis abeſſe, etiamſi non appareat eius præſentia.

XII. A præſentia diuina non poteſt ſeparari operatio: Si ergo caro exinanita euacuauit ſe operatione; omnibus creaturis per præſentiam diuinam adeſſe non potuit. Reſp. 1) per inſtantiam: Ab omnipotentia diuina non poteſt ſeparari operatio (exſiſtentibus creaturis) diuina. Si ergo caro exinanita euacuauit ſe operatione diuina: Ergo non fuit omnipotens in ſtatu exinanitionis; quod eſt abſurdum. 2) Præſentia diuina non poteſt ſeparari ab operatione in eo, qui præſens eſt per naturam, ſeu *actu naturali;* bene tamen in eo, qui præſens eſt tantum per vnionis gratiam, ſeu *actu perſonali.*

Inſtantia: Chriſtus, qua homo exinanitus, abdicauit ſe χρήσει omnipræſentiæ & retinuit eius κτῆσιν. Reſp. Χρῆσις *abeſſe poteſt a præſentia modificata, ſeu dominii, non autem a præſentia abſoluta, ſiue propinquitatis.* Quicunque enim poſſidet & retinet propinquitatem, ille omnino eſt propinquus. Non eſt, quod per χρῆσιν *actum*, per κτῆσιν *potentiam* intelligas. Sicut enim caro exinanita actu, non ſolum potentia fuit vnita τῷ λόγῳ; ita etiam *actu*, non ſolum *potentia*, præſens fuit, vbi vbi ὁ λόγος fuit. Memoratu digniſſima ſunt verba LVTHERI, quæ recenſentur in *Form. Concord. p. 784. Non ſunt in Chriſto duæ ſeparatæ perſonæ,*

Digitized by Google

*perſonæ, ſed vnica tantum eſt perſona. Vbicunque ea eſt, ibi eſt vnica tantum & indiuiſa perſona. Et vbicunque recte dixeris: hic eſt Deus; ibi fateri oportet, & dicere: Ergo etiam Chriſtus homo adeſt. Et ſi locum aliquem monſtrares, in quo ſolus Deus, non autem homo eſſet, iam ſtatim perſona diuideretur. Poſſem enim tum recte dicere: hic eſt Deus ille, qui non eſt homo, & qui adhuc nunquam factus eſt homo.*

Quæſt. LIX. *Eſtne humanæ Chriſti naturæ communicatus cultus religioſæ adorationis?*

*Communicatio adorabilitatis.* Humanæ Chriſti naturæ, ſubſiſtenti in perſona Filii Dei, *communicatus eſt per vnionem hypoſtaticam cultus religioſæ adorationis*, vt *caro Chriſti* mediatoris *eadem adoratione* cum *diuina* natura τȢ λόγȢ ſit colenda & adoranda.

Obſ. I. Non eſt nobis hic ſermo de *cultu ciuili*, neque de *cultu* quodam *medio* inter ciuilem, & religioſum, ſed de *cultu religioſo*.

Obſ. II. Non aſſerimus, adorandam eſſe carnem Chriſti *ſeorſim*, & vt naturam ſeparatam, ſed vt naturam ὑποςᾶσαν, *ſubſiſtentem in perſona Filii Dei*. Obiectum enim adæquatum adorationis diuinæ, qua colitur Chriſtus, *non* eſt *ſola humana* natura in Chriſto, ſed *tota perſona* θεάνθρωπος, ſecundum *vtramque naturam* adorabilis, vt cultus adorationis, qui ei exhibetur, in vtraque natura terminetur. Accurate hic obſeruanda eſt definitio *concilii Epheſini*, *anathemat.* VIII. *Si quis non vna ſupplicatione veneratur Emanuelem, vnamque glorificationem dependit, quod verbum caro factum eſt, anathema ſit.* Vna ergo adorationis gloria Chriſtum, ſecundum diuinam & humanam naturam, proſequi tenemur: *non coadorare* hominem aſſumtum a Deo Verbo. Quod pariter explicat B. CYRILLVS, anathematiſmorum auctor, *de recta fid. ad regin. & in defenſ. anathem. 8. Si quis dicat, inadorabilem Domini noſtri carnem, vt hominis, & non adorandam, vt Domini & Dei carnem, hunc anathematizat ſancta & catholica eccleſia.*

Obſ. III. Non adoranda eſt humana Chriſti natura *per ſe*, ob aliquam excellentiam *ſubiectiue* inhærentem, neque tamen etiam *per accidens*, ſicut venerantes regem per accidens eius purpuram & coronam venerantur, ſed *propter inhabitationem plenitudinis diuinitatis*, cuius & templum proprium, & organum *hypoſtatice* vnitum, adeoque ἐυχεηςον, eſt *humana Chriſti natura.*

Prob. I. *Verbis Chriſti*, Io. V, 22. 23. *Neque enim Pater iudicat quenquam, ſed iudicium omne dedit Filio, vt omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem.* Hinc argumentamur: Secundum quam naturam Deus Pater Filio dedit poteſtatem iudicii faciendi, ſecundum eandem naturam Filius Dei eodem honoris cultu, quo Pater, i. e. vere diuino, afficiendus eſt: Atqui ſecundum humanam naturam &c. Ergo.

II. *Teſtimonio apoſtolico*, Phil. II, 9. *Deus Ieſum Chriſtum exaltauit, & dedit ipſi nomen, quod ſuper omne nomen eſt, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat ſupracœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus (ſit) Ieſus Chriſtus in gloriam Dei Patris.* E quo teſtimonio apoſtolico concludimus; Secundum quam naturam Chriſtus accepit nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu flectantur omnium genua, ſecundum eam naturam religioſe eſt adorandus: Atqui ſecundum humanam naturam &c. Ergo.

III. *Officio mediatorio.* Chriſtus inuocandus eſt *vt mediator*, Apoc. V, 8. At Chriſtus eſt *mediator* noſter, *ſecundum vtramque naturam.* E. ſecundum vtramque naturam inuocandus eſt.

IV. *Vnitate perſonæ.* Tota perſona Chriſti eſt adoranda, Io. V, 22. 23. Tota perſona Chriſti eſt vtraque ipſius natura: E. vtraque natura Chriſti eſt adoranda. *Minor* liquet: quia

Digitized by Google

quia perſona non eſt tertium quid, a duabus naturis diuerſum, ſed duæ naturæ ſunt ipſa perſona. Neque enim Chriſtus eſt ἐξ ἑτέρων ἕτερόν τι, ſed ἐξ ἀμφοῖν τὰ αὐτὰ, DAMASC. *libr. 3. c. 4.* Dicis: *Totus Chriſtus* adorandus eſt, ſed *non totum Chriſti.* Sicut venerantes regem purpuratum & coronatum non reſpiciunt ad regis purpuram aut coronam, ſed ad ipſius maieſtatem, licet ab hac coronam & purpuram non ſeparent: ita in cultu religioſo non eſt reſpicienda humanitas, ſed diuinitas Chriſti, quamuis ab hac humanitas non ſit ſegreganda. Reſp. Datum ſimile non quadrat. Nam rex & purpura cohærent vnione *externa*, *parachoriſtica*, & *accidentali*; duæ Chriſti naturæ iunctæ ſunt vnione *interna*, *perichoriſtica*, & *perſonali.* Sicut igitur venerantes regem, tam animam, quam corpus regis honorant: ita venerantes Chriſtum diuinitatem & humanitatem ipſius adorant.

V. *Communicatione idiomatum.* Quæcunque natura Chriſti eſt particeps omnipotentiæ, omniſcientiæ & omnipræſentiæ diuinæ, illa eſt particeps adorabilitatis diuinæ. Atqui humana Chriſti natura &c. Ergo.

VI. Ab exemplis angelorum, Pſ. XCVII, 7. Hebr. I, 6. electorum in eccleſia triumphante, Apoc. V, 12. & fidelium in eccleſia militante, Matth. II, 11. c. VIII, 2. c. V, 22. &c. qui Chriſtum hominem adorarunt & inuocarunt.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum* & *Arminianorum*, tribuentium Chriſto, *vt homini*, non cultum ſummum & vere diuinum, ſed diuino inferiorem. Quorum argumenta ſunt:

I. Quicunque non eſt Deus, ille non eſt adorandus: Chriſtus *homo non* eſt *Deus.* E. Reſp. Quicunque non eſt Deus, neque *eſſentialiter*, neque *perſonaliter*, ille non eſt adorandus: At Chriſtus *homo* eſt *Deus perſonaliter.*

II. *Deus gloriam ſuam alteri non eſt daturus*, Eſ. XLII, 8. E. non carni Chriſti. Reſp. Deus non daturus eſt gloriam ſuam alteri perſonæ, *extra Deum* exſiſtenti, ſiue hæc ſit vera, ſiue ficta perſona, vt idolum. At humana Chriſti natura neque eſt perſona, neque extra Deum exſiſtit, ſed pertinet ad perſonam λόγȣ ἐνσάρκȣ. Neque enim datur in Chriſto ἄλλος καὶ ἄλλος, diuerſa perſona, ſed ἄλλο καὶ ἄλλο, diſtincta natura.

III. *Maledictus eſt, qui confidit in homine*, Ier. XVII, 1. Reſp. Maledictus, qui confidit in ψιλανθρώπῳ, ſiue *mero homine.* Chriſtus eſt θεάνθρωπος deificatus, ſiue *diuinitatis particeps.*

IV. *Chriſtus homo eſt noſter conſeruus*, Eſ. LIII, 11. E. non eſt adorandus. Reſp. l. c. Chriſtus *exinanitus* dicitur *ſeruus Patris* ob voluntariam ſubiectionem & obſequium vsque ad mortem, ſed *conſeruus noſter* nullibi in ſacris litteris dicitur.

V. *Quicunque adorant eum, qui natura non eſt Deus, illi ſunt idololatræ:* Quicunque adorant *Chriſtum hominem*, adorant *eum*, *quia natura non eſt Deus:* Ergo. *Maior* eſt Paulli, Gal. IV, 8. *Minor* liquet: quia Chriſtus homo, licet *perſonaliter* dicatur Deus, non tamen eſt *natura Deus.* Reſp. Apoſtolus l. c. loquitur de obiecto adorationis *perſonali* & *adæquato*, quod non eſt humana Chriſti natura; eſt tamen hæc obiecti illius adæquati *pars*, *analogice dicta*, eo, quod cum Filio Dei facit *vnam perſonam* σύνθετον, ſecundum vtramque naturam adorandam.

Inſtantia: Sic futurum eſt, vt Chriſtus *duplici* colatur *adoratione*; quia vna ad humanam, altera ad diuinam terminatur naturam. Reſp. Non eſt gemina, ſed vna eaque indiuiſibilis adoratio, eo quod in cultu religioſo humanam Chriſti naturam non ſeiunctim, ſed coniunctim aſpicimus, ita vt noſtra adoratio terminetur ad Chriſtum θεάνθρωπον, Immanuelem & gigantem geminæ ſubſtantiæ, *in vna perſona.*



Digitized by Google

Quæſt. LX. *Quænam obſeruanda ſunt circa prædicationes idiomaticas ad ſecundum genus comm. idiomat. pertinentes?*

Obſeruanda eſt harum prædicationum a) *qualitas*, b) *ſubiectum*, c) *prædicatum*, d) *fundamentum*, e) *differentia ab aliis propoſitionibus idiomaticis.*

Obſ. a. Prædicationes huius generis ſecundi *non* ſunt *ſynonymicæ*, ſed *paronymicæ.* Hinc male diceres: *Humana Chriſti natura eſt Deus.* Ratio eſt: quia prædicatio ſynonymica arguit & præſupponit conuenientiam eſſentialem prædicati cum ſubiecto; ideoque locum non habet in communicatione, quæ eſt κατὰ συνδύασιν, ſed ſolum in communicatione κατὰ μέθεξιν. DAMASCENVS *libr. III. de O. F. c. 17.* carnem Chriſti cum CYRILLO, GREGORIO NAZIANZENO, & aliis veteribus vocat ἀποθεωθεῖσαν, *deificatam*, & addit hanc expoſitionem: *caro Chriſti eſt deificata*, οὐ κατὰ μεταβολὴν φύσεως, ἢ τροπὴν ἢ ἀλλείωσιν, ἢ σύγχυσιν, *non ſecundum naturæ transmutationem*, *conuerſionem*, *alterationem*, *aut confuſionem*, *ſed ſecundum* οἰκονομίαν, *vnionem hypoſtaticam*, *& ſecundum* περιχώρησιν, *naturarum in ſe mutuam.* BASILIVS M. *de incarnat. verbi* inquit: *Humana Domini caro particeps facta eſt deitatis.* Conf. D. CHEMNIT. de *d. n. c. 25. fol. m. 152. 165.* D. CALOV. de *perſona Chriſti p. 168. 170.*

Obſ. b. *Subiectum* harum prædicationum eſt perſona τοῦ λόγου ἐνσάρκου, enuntiata modo *termino concretiuo perſonæ*, v. gr. *Data eſt mihi* (*Chriſto*) *omnis poteſtas in cœlo & in terra*, Matth. XXIIX, 18.; modo *termino concretiuo naturæ humanæ*, v. gr. *Poteſtatem habet filius hominis dimittendi peccata*, Marc. II, 10.; modo *termino abſtractiuo*, v. gr. *Caro Chriſti eſt viuifica*, Io. VI, 51. Eſt autem *caro ſubiectum* αὐχημάτων diuinorum *non primum*, *immediatum & formale*, quippe quod eſt natura diuina τοῦ λόγου; ſed *ſecundum*, *mediatum & participatiuum.* Vnde hanc propoſitionem: *Caro Chriſti eſt omnipotens*, ſic expono: *Caro Chriſti eſt omnipotens non formaliter*, *ſed participatiue*, *non immediate*, *ſed mediate* (mediante natura diuina), *non per eſſentiam*, ſed per *vnionis perſonalis gratiam.*

Obſ. c. *Prædicatum* harum propoſitionum *non* eſt *abſtractum*, ſed *concretum*, propter modum prædicandi *paronymicum.* Natura Chriſti humana *non* dicitur *omnipotentia:* quia hæc eſt & manet proprietas eſſentialis diuinitatis; naturæ autem humanæ tantum, vt donum diuinum & ſublimiſſimum, ex *gratia vnionis* communicatur.

Obſ. d. *Fundamentum* harum prædicationum eſt *perſonalis vnio* & *intima* diuinæ & humanæ *naturarum communio.* Cum enim humana Domini caro particeps facta ſit deitatis, dicente BASILIO, particeps etiam eſt omnium idiomatum diuinorum, quæ ab ipſa deitate realiter non differunt.

Obſ. e. *Differunt* prædicationes huius ſecundi generis *a propoſitionibus idiomaticis primi generis comm. idiomat;* quia *harum ſubiectum* nunquam eſt abſtractum, ſed *ſemper concretum*, v. gr. non dicit S. ſcriptura, quod deitas ſanguinem proprium effuderit: *illarum* autem ſubiectum poteſt etiam eſſe *abſtractum* *). *Primum* genus eſt *reciprocum*, atque alternatim

*) Diſtinctione quadam opus eſt. Scilicet *Abſtractum* eſt aliud mente & cogitatione (*logice* ſic dictum); aliud re ipſa (*realiter*): Et *illud* quidem eſt eiusmodi modus cogitandi, quo mens noſtra rem, quæ in ſubiecto ineſt atque inhæret, ab eo diſcernit; *hoc* autem eſt ſeparatio, qua nimirum res a ſubiecto abeſt Priori modo hanc vocem Theologi hoc loco vſurpant, neutiquam vero poſteriori ratione. Humana enim Chriſti natura nunquam a ſubiecto ſeiuncta eſt, neque vnquam eſt extra **ὑπόστασιν** diuinæ in Chriſto naturæ, quamuis noſtra cogitatione ſeorſum

natim admittit prædicata diuina & humana; at *ſecundi* generis prædicata ſunt *tantum idiomata diuina.* Quando idiomata diuina in *primo* genere prædicantur de filio hominis, vindicantur naturæ *diuinæ*, cui formaliter conueniunr, v. gr. filius hominis eſt ante Abrahamum, ſcil. ſecundum naturam *diuinam;* at in *ſecundo* genere idiomata diuina ſpectantur, prout *humanæ* naturæ communicatiue, aut inhabitatiue conueniunt. Differunt prædicationes *huius ſecundi* generis a propoſitionibus idiomaticis *tertii* generis: quia *harum ſubiectum* eſt perſona τȣ λόγȣ ſecundum *vtramque* naturam ſpectata; at *illarum ſubiectum* eſt perſona τȣ λόγȣ conſiderata ſecundum *humanam* naturam: *prædicata tertii* generis ſunt ἀποτελέσματα, ſiue *opera officii;* at *prædicata ſecundi* generis ſunt *idiomata diuina*, quibus prædita natura humana fit organum ἔυχρηστον ad peragendum opera officii mediatorii.

Quæſt. LXI. *Quodnam eſt tertium genus communicationis idiomatum?*

*Tertium genus* communicationis idiomatum eſt, *quando in actionibus officii vtraque natura Chriſti agit, quod ſuum eſt, cum alterius communicatione in agendo.* *Tertium genus communicationis idiomatum.*

Obſ. I. *Tertium* hoc genus C. I. dicitur CYRILLO κοινοποιΐα, it. κοινοποίησις, *communio operationum.* Rationem huius denominationis petere licet e *Declar. F. C. p. 773. Quod ad rationes officii Chriſti attinet, perſona non agit & operatur in, ſeu, cum vna, vel per vnam naturam tantum, ſed potius in, cum, ſecundum, atque per vtramque naturam.* A



ſum in ſe ipſa conſiderari queat ac debeat. Itaque non licet ita loqui: *humana natura*, a ſubiecto ſeparata, per ſe eſt vbique præſens, omnia valens, omnia ſciens (id enim eſſet *abſtractum reale*). Sed hoc eſt, quod profitemur: *Humana Chriſti natura*, quæ & quatenus *in Chriſto* ineſt, ineſt autem ſemper & vbique (id quod eſt *Abſtractum logicum*). Hæc ſententia exſtat in noſtra *Form. Concord.* eiusque *declar. cap. VIII. p. 776.* his verbis ſignificata: *poſtremo, ſcriptura in hoc negotio non tantum in genere mentionem facit filii hominis, ſed quaſi digitum in adſumtam humanam naturam intendit, cum inquit: ſanguis Chriſti, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato. - - Ita caro Chriſti eſt viuifica. κ. τ. λ.* Hoc igitur *Abſtractum* non reale eſſe, ſed *logicum*, ſatis perſpicue declaratum ibi eſt, tum adiecto hocce vocabulo, *adſumtam*, tum vero copioſa expoſitione, paullo ante, pag. 773. ſeqq. vbi planiſſime ſcriptum exſtat, humanam naturam, *abſtractiue* ſic vocatam, non aliam intelligendam eſſe, niſi eam, quæ eſt *in perſona Chriſti.* Conferenda cum his eſt præfatio generalis, libris ſymbol. præmiſſa, §. *quod vero ad phraſes &c.* Quo pacto haud difficulter componendæ erant lites, inter TILEM. HESHVSIVM ab vna parte, & IO. WIGANDVM ab altera, agitatæ, de quibus vid. Magnif. IO. GEORG. WALCHII *introd. in libr. Symb. p. 836.* Sed iam ante illud tempus Theologos Würtembergicos aduerſus *Crypto-Caluinianos* de *vſu abſtracti* diſputaſſe, commemoratum eſt ibid. p. 834. Quid ſuper hac re diſceptatum fuerit in *Colloquio Caſſellano*, vid. apud laudatum WALCHIVM in *der Einleit. in die Streitigk. in der Ev. Kirche, P. I. pag. 290. ſeq.* Placet quidem nobis modeſtia Theologorum, apud B. HVTTERVM, in *Concord. conc. cap. XI. p. 680.* vbi hæc leguntur verba: 1) *Se neminem cogere, vt his phraſibus vtatur, modo firmum maneat, Chriſtum ſecundum humanam naturam factum eſſe diuinæ maieſtatis participem,* 2) *coram indocta plebe ſe phraſibus illis non vti,* 3) *neque alibi vti velle, niſi vbi neceſſitas poſtulauerit.* Sed hæc poſtrema verba declarant, quare non prorſus nos abſtinere debeamus ab vſu nominis, *abſtractum*, nimirum quum obuiam eundum ſit erroribus CALVINI ſectatorum, præſertim vero *Crypto-Caluinianorum*, quippe qui diuinarum proprietatum perfectionumque communicationem veram ac realem humanæ in Chriſto naturæ denegant; & ea quidem mente, vt hanc ex eo conſequutionem efficiant: Corpus ſanguinemque Chriſti in ſanctiſſimo epulo non vere & re ipſa adeſſe.

Digitized by Google

DAMASCENO vocatur κοινωνία ἀποτελεσμάτων, *communio operum officii;* quia *vtraque natura Chriſti* in actionibus officii non diuiſim, ſed *coniunctim & vnite* agit ad producendum vnum ἀποτέλεσμα, quod ad *vtramque naturam* refertur. *).

Obſ. II. Definitio noſtra ſumta eſt ex *canone concilii Chalcedonenſis: Agit vtraque forma* (i. e. vtraque natura in perſona Chriſti) *cum communicatione alterius, quod ſibi proprium eſt, Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt; & carne exſequente, quod carnis eſt.* Quia hoc concilium œcumenicum hoc genus non tantum expreſſe nominat κοινωνίαν, ſed etiam addit, vtramque naturam in Chriſto agere μετὰ κοινωνίας, *cum communicatione alterius,* quod cuiusque naturæ ἴδιον, proprium, eſt, ideo hoc genus recte κοινωνία τῶν ἰδίων, h. e. communicatio idiomatum appellatur, ſumto nomine *idiomatum* ſenſu *latiori.*

Quæſt. LXII. *Quænam obſeruanda ſunt ad tertium genus communicationis idiomatum diſtincte cognoſcendum?*

In hoc *tertio* genere communicationis idiomatum obſeruanda & diligenter diſtinguenda ſunt *principium agendi, actio* ipſa, *actionis terminus,* vtriusque naturæ *communicatio,* communicationis *fundamentum.*

Quæſt. LXIII. *Quodnam eſt principium agendi?*

*Principium agendi* eſt vel *quod*, vel *quo.* Principium, *quod* operatur (græce ἐνεργῶν), eſt tota perſona θεάνθρωπος, Deus & homo a). Principium, *quo* actio officialis peragitur (græce ἐνεργητικόν), eſt vtraque Chriſti natura, diuina & humana b).

Prob.

*) Itaque nomen hoc, ἀποτέλεσμα, *latiori* ſignificatione vſurpari ſolet. Aliter enim, quippe *ſtrictius* acceptum, non quamuis actionem denotat, ſed *conſummationem operis,* ad quod perficiendum plures actiones coniunctæ requiruntur. Qua ratione id demum eſſet ἀποτέλεσμα, *ſtricte* ita dictum, cum Chriſtus moriens pronuntiauit: τετέλεσται. Notatione digniſſimum eſt effatum Iacobi I, 15. Id quod magno nobis eſt ſolatio. Ita nimirum, Chriſti beneficio, tanta gaudemus felicitate, vt, effugientes ἀποτέλεσμα peccati, firma nos fiducia ἀποτέλεσμα. Liberatoris noſtri O M. ampleſtamur. Inter ἐνέργημα, & ἀποτέλεσμα, hoc intereſt, quod ἐνέργημα quidem eſt vna quæque actio, ἀποτέλεσμα autem eſt conſummatum negotium, ad cuius abſolutionem pertinent vniuerſæ actiones. Vt Chriſtus ſponſoris partibus fungeretur, multæ requirebantur actiones, arcte inter ſe connexæ, præſertim vero infinitum pretium, ad hominum omnium reconciliationem æternamque ſalutem, & recuperandam, & cuique impertiendam, neceſſarium. Ex quo facile intelligitur, quid in *ſingulis* Chriſti officiis ſit ἐνέργημα, quidue ἀποτέλεσμα. In officio *ſacerdotali* (quantum ad primam eius partem, ſacrificium Deo offerendum) vnum quodque eorum, quæ Chriſtus tum agendo, tum ſuſtinendo, præſtitit, eſt ἐνέργημα, ſed expiatio peccatorum, per omnes illas actiones, malorum item perpeſſiones, conſummata, eſt ἀποτέλεσμα, Io. XVII, 4. ἐτελείωσα, perfeci opus, mihi mandatum. Add. v. 19 Hebr. X, 10. In *officio prophetico,* vna quæque vox Chriſti, vnum etiam quodque miraculum, eſt ἐνέργημα, ſed doctrina vniuerſa, hominumque correctio, per vim verborum ac miraculorum omnium effecta, eſt ἀποτέλεσμα. In *officio regio,* ſinguli actus, ad gubernandam eccleſiam ſpectantes ſunt ἐνεργήματα, ipſa vero gubernatio vniuerſa, eiusque effectus ac fructus, nimirum eccleſiæ conſeruatio ac beatitas, eſt ἀποτέλεσμα. At enim, vſitata conſuetudine vox, ἀποτέλεσμα, *latius* patet, vt *quamuis actionem* naturæ *vtriusque communem,* ſingulatim conſideratam, ſuo ambitu contineat. Ἐνέργημα autem *ſtrictiori* ſignificatione adpellatur effectus *alterutrius* naturæ *proprius.* Et ſane vna quæque Chriſti actio, vbi neutra natura agit quidquam ſine communicatione alterius, iure ſuo dicitur ἀποτέλεσμα, hanc certe ob cauſſam, quia actionum illarum vna quæque nullo modo eſt deficiens, ſed *eam* habet *perfectionem,* quæ ad *hunc actum* requiritur.

Digitized by Google

Prob. a. Cum actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum, Chriſto θεανθρώπῳ actiones officii, prælucente ſacra ſcriptura, tribuuntur. Sic enim inquit Paullus, Eph. V, 2. *Chriſtus dedit ſeipſum pro nobis oblationem & ſacrificium Deo, in odorem fragrantiæ*, & Gal. III, 13. *Chriſtus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictio.*

Prob. b. Principium, *quo* expediuntur actiones officii ſacerdotalis, regii & prophetici, eſt *vtraque* Chriſti *natura:* & quidem natura *diuina* eſt *principium originale*, cui infinita vis agendi formaliter competit; natura autem *humana* eſt *principium organicum*, reſpectu operationum diuinarum, v. gr. redemtionis, ſatisfactionis, ſaluationis &c. Agit enim, tanquam inſtrumentum cum natura diuina perſonaliter vnitum, ex virtute diuina, per vnionem hypoſtaticam ſibi communicata. At eadem Chriſti natura *humana* eſt *principium formale*, reſpectu propriarum actionum & paſſionum, v. gr. locutionis, effuſionis ſanguinis, &c.

Obſ. I. Quando humana Chriſti natura actionum officii mediatorii *organum*, vel *inſtrumentum* dicitur, eminentiſſima ratione id intelligendum eſt, vt nomen inſtrumenti ab omni imperfectione reſecetur. *Non* enim eſt inſtrumentum *ſeparatum*, vti feneſtra eſt, quando ſol pellucet; *non exanime*, ſicut ſecuris, aut malleus fabri; non ἀνεργον, vt baculus Moſis: ſed eſt inſtrumentum *arctiſſime & perſonaliter vnitum*, atque σύνεργον. Eſt organum *viuum*, ſicut membra corporis ſunt viua organa animæ, per ea agentis. Non eſt inſtrumentum brutum, vt aſina Bileami loquens; ſed *intelligens:* non commune, vt quilibet eccleſiæ miniſter; ſed *ſingulariſſimum* & ſine pari exemplo.

Obſ. II. Ingens eſt diſcrimen inter Chriſtum hominem, & Prophetas atque Apoſtolos, qui etiam ediderunt miracula, & *vaſa atque organa Dei* dicuntur. Nam ὁ λόγος operatus eſt *in carne*, vt proprio templo, *cum carne*, vt perſonaliter vnita, *per carnem*, vt inſtrumentum efficaciſſime & ſingulariſſime cooperatiuum, *ſecundum carnem*, tanquam ſubiectum diuinæ particeps maieſtatis. Ex quo fit, vt *caro Chriſti* in caſu recto dicatur *viuifica*, manus ipſius omnipotens, oculus omnituens, ſanguis emundans a peccato. Contra operatus eſt Chriſtus *in* Paullo non perſonaliter, ſed accidentaliter vnito; non *per* Paullum, vt inſtrumentum ſingulariſſimum, ſed commune; nedum *ſecundum* Paullum, tanquam ſubiectum omnipotentiæ diuinæ particeps. Quare non dicenda eſt caro Paulli viuifica, neque manus ipſius omnipotens, neque oculus eiusdem omnituens.

### Quæſt. LXIV. *Suntne igitur diſtinctæ duarum Chriſti naturarum ἐνέργειαι, agendi vires & operationes?*

In officio mediatorio diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto *diſtinctæ*, ſed *non ſeparatæ* ſunt ἐνέργειαι, *agendi vires, & operationes*. Proinde vtraque natura in obeundo triplici officio agit τὸ ἴδιον, quod cuiusque proprium eſt.

Prob. 1) *Generatim:* Quemadmodum duæ Chriſti naturæ perſonaliter vnitæ ſunt, & manent realiter diſtinctæ; ita etiam agunt *diſtincte*, at *non diuiſe*. *Quorum diſtincta eſt natura, eorum & diſtincta eſt operatio*, inquit DAMASCENVS *libr. III. de O. F. c. 9.*

Prob. 2) In officio *ſacerdotali* caro patitur, obedit, interpellat: diuina natura vult obedientiam, non depellit vim illatam, ſuſtinet naturam humanam, ne ſuccumbat, addit vim infinitam, momentum, pretium, valorem. In officio *regio* diuina natura omnia regit præſentiſſime: humana conſcia mente intelligit, vult eadem, oculo humano videt, in nouiſſimo die euocabit mortuos. In officio *prophetico* humana natura diuina conſilia amplectitur, vult, exſequitur, loquitur, concionatur, miraculis os, manum, corpus præbet: diuina

natura profert conſilia e ſinu Patris, propria virtute infinita miracula facit & dæmonia eiicit. Conf. DANNH. in *hodoſ. phænom. IX. p. 674.*

Quæſt. LXV. *Quis eſt terminus ἐνεϱγείας diuinæ & humanæ?*

*Terminus* ἐνεϱγείας eſt opus ex illa fluens, eſtque vel ἐνέϱγημα, vel ἀποτέλεσμα. Ἐνέϱγημα eſt *effectus vnius naturæ proprius* a). Ἀποτέλεσμα eſt *effectus communis* ex intimo & communicatiuo *vtriusque naturæ*, diuinæ & humanæ, confluxu, & efficaci influxu, reſultans b).

Prob. a. *Effectus* naturæ *humanæ* eſt ſanguis effuſus: *Effectus* naturæ *diuinæ* eſt valor & pretium ſanguinis.

Prob. b. Sanguis Ieſu Chriſti filii Dei, emundans nos a peccatis noſtris, 1 Ioann. I, 7. eſt ἀποτέλεσμα, opus vtriusque naturæ, diuinæ & humanæ commune. Vocatur a DAMASCENO opus ϑεανδϱικὸν, *deiuirile*, vel *diuino-humanum.* Quin & ipſæ actiones officiales communiter ϑεανδϱικαὶ, deiuiriles appellantur, propterea, quod Chriſtus ſecundum vtramque naturam qua ϑεὸς, & qua ἀνὴϱ in officio mediatorio agit.

Quæſt. LXVI. *Quo communicandi modo diuina & humana naturæ ad actionem theandricam confluunt?*

*Modus communicationis* & mutui confluxus conſiſtit in hoc, quod natura *diuina* τȣ̃ λόγȣ non tantum *diuina patrat opera*, ſed & *actiones aſſumtæ carnis ſibi vere & realiter appropriat*; natura autem *humana* non ſolum ſecundum *naturales ſuas vires*, ſed & ſecundum eam *virtutem diuinam*, quam ex vnione perſonali *ſibi communicatam* habet, in officio mediatoris agit.

Prob. 1) *Generatim* e regula *concilii Chalcedonenſis*: *Vtraque natura in Chriſto agit, quod cuiusque proprium eſt, cum communicatione alterius.* Quæ κοινωνία, non abſoluitur concurſu diuino cum actione Chriſti hominis; quia Deus concurrit cum actionibus omnium hominum, qui ſecundum vires ſuas naturales agunt, neque tamen exinde reſultat opus theandricum; ſed requiritur etiam realis *κοινωνία naturarum in agendo*, a qua eſt *actio diuino-humana*, vt a gladio ignito eſt vſtio ſecans & ſectio vrens.

Prob. 2) *Speciatim.* Cum S. Paullus Act. XX, 28. aſſerit, *Deum eccleſiam acquiſiuiſſe per proprium ſanguinem*, haud obſcure innuit, diuinitatem τȣ̃ λόγȣ effuſionem ſanguinis, qui e carne Chriſti fluxit, ſibi appropriaſſe; & quando Chriſtus docet, quod *Deus Pater ipſi dederit poteſtatem iudicium faciendi, quia filius hominis eſt*, Ioann. V, 27. perſpicue indicat, aſſumtam naturam humanam concurrere ad exſecutionem iudicii vniuerſalis, non tantum ſecundum vires naturales, ſed & ſecundum poteſtatem *diuinam* a Patre *carni Chriſti donatam.* Egregie hoc illuſtrat DAMASCENVS *libr. III. de O. F. c. 17. Non ſecundum propriam operationem, ſed propter vnitum ſibi verbum, diuina operabatur* (caro Domini), *Verbo per eam propriam ſuam operationem manifeſtante. Nam & ferrum ignitum vrit, non naturali ratione poſſidens vſtricem operationem, ſed obtinens eam ex vnione ignis & ferri. Ipſa igitur caro Domini mortalis erat propter ſeipſum, & viuifica propter hypoſtaticam ad Verbum vnionem.*

Quæſt. LXVII. *Quodnam eſt fundamentum huius communicationis operationum theandricarum?*

*Fundamentum* huius communicationis *remotum* eſt vnitas perſonæ, & intima communio naturæ diuinæ in Chriſto a). Fundamentum *proximum* eſt communicatio idiomatum primi & ſecundi generis b). Prob. a.

Digitized by Google

Prob. a. Ex *vnitate perſonæ* fluit vnitas & communitas ἀποτελεσμάτων. Ex *communione* vero *naturarum* reſultat confluxus & communio operationis vnitæ. Arguimus: Quæcunque *perſona* eſt *vna*, conſtans ex diuina & humana naturis, arctiſſime vnitis, adeoque mutuam inter ſe communionem habentibus, illius perſonæ natura vtraque *mutuam* habet *communionem*, in peragendis operibus officii: Atqui perſona Chriſti &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia modus *operandi* ſequitur modum *eſſendi*.

Prob. b. Si diuina natura τοῦ λόγου incarnata vere ſibi appropriat ea, quæ ſunt humanæ naturæ, & huic ſuas proprietates (omnipotentiam) ad poſſeſſionem & vſurpationem communicat; infallibiliter conſequitur, quod natura diuina ſibi appropriet, quæ in officio mediatorio natura humana agit, & hæc non tantum naturali, ſed & communicata diuina ἐνεργείᾳ operetur: Antecedens eſt verum: E. & conſequens.

*Antitheſis* eſt *Bellarmini*, *Tanneri*, *Danæi* & aliorum, negantium mutuam naturarum Chriſti in agendo communionem. Quorum argumenta ſunt:

I. Quidquid eſt inſtrumentum naturæ diuinæ operantis, illud non operatur virtute diuina: Atqui natura Chriſti humana &c. E. *Maior* conſtat; quia inſtrumentum non eadem pollet virtute, qua cauſſa principalis, v. gr. baculus Moſis non eadem, qua Moſes, potentia inſtructus erat. Reſp. Diſt. inter *inſtrumentum ſeparatum*, & *coniunctum*. Non *illud*, ſed *hoc* eadem inſtructum eſſe poteſt virtute, qua gaudet cauſſa principalis, v. gr. gladius ignitus eodem calore vrit, quo ignis, oculus eadem facultate videt, qua anima. Id diſcriminis eſt, quod cauſſa principalis eandem virtutem habet *formaliter*, inſtrumentum *participatiue*. Ceterum humana Chriſti natura eſt inſtrumentum *perſonaliter vnitum*, *viuum*, *intelligens*, *efficaciſſime cooperatiuum*.

II. Per quam doctrinam ἐνεργείαι naturæ diuinæ & humanæ confunduntur, illa non eſt veritati conſentanea: Atqui per doctrinam *Lutheranorum* &c. E. *Maior* liquet ex regula *concilii Chalcedonenſis: Vtraque natura in Chriſto agit, quod cuiusque proprium eſt. Minor* eſt manifeſta: quia ex ſententia Lutheranorum natura Chriſti humana in actionibus theandricis non tantum virtute ſibi propria, ſed & virtute diuina ſibi communicata agere dicitur. Reſp. 1) ad *maiorem;* in illa committi fallaciam diuiſionis; addit enim concilium: μετὰ τῆς ἑτέρου κοινωνίας, cum alterius communione. 2) Ad *minorem: Lutherani* naturarum ἐνεργείας neque confundunt, neque ſeparant, ſed cum orthodoxa antiquitate earum κοινωνίαν aſſerunt. *Communio* in agendo, non eſt confuſio. Anima ſuas facultates in operando membris corporeis communicat, ſine vlla confuſione.

III. Si in operibus officii humana Chriſti natura virtute diuina communicata operaretur, intelligeret omniſcientia diuina, & vellet voluntate diuina, qui eſt error *Monotheletarum*. Reſp. *Monotheletæ* naturæ Chriſti humanæ *propriam* voluntatem, quantum in ipſis, adimebant: at nos docemus & credimus, humanam naturam ſuam retinere ſcientiam & voluntatem; at intellectum hominis Chriſti omniſcientiæ diuinæ lumine colluſtrari, & voluntatem ipſius *humanam* voluntate *diuina* perpetuo regi.

IV. Opera, quibus ὁ λόγος regit eccleſiam, exaudiendo preces & remittendo peccata, immediate a natura diuina perficiuntur: E. natura Chriſti humana ea non expedit. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia diuina natura τοῦ λόγου in operibus officii natura humana, vt organo, perſonaliter vnito, vtitur. At audire preces & remittere peccata ſunt actiones inorganicæ, quæ ſolo mentis & voluntatis diuinæ actu expediuntur. Reſp. Humana Chriſti natura *non* quidem *per ſe*, attamen per *communicatam* omniſcientiam preces fidelium vere exaudit, & peccata, vi communicatæ ſibi poteſtatis, remittit.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. LXVIII. *Quotuplicis ordinis ſunt ἀποτελέσματα Chriſti?*

*Apoteleſmata* Chriſti ſunt *duplicis ordinis*; quædam diuinitas τȣ̃ λόγȣ citra confluxum carnis producere nequit a); quædam ex libera εὐδοκίᾳ, ſiue beneplacito, ſine carne producere non vult b).

Prob. a. Prioris ordinis ſunt *paſſio* ſatisfactoria, *effuſio ſanguinis* emundans a peccato, *mors viuifica*, *paupertas ditans.*

Prob. b. Poſterioris ordinis ſunt *miracula*, quæ diuinitas τȣ̃ λόγȣ ſolo voluntatis nutu & imperio perficere potuiſſet, certo tamen conſilio ad ea patranda adhibuit carnem, vt efficaciſſimum organon.

Quæſt. LXIX. *Quæ obſeruanda ſunt circa prædicationes tertii generis communicationis idiomatum?*

Obſeruanda ſunt a) *ſubiectum*, b) *prædicatum*, c) *modus prædicandi.*

Obſ. a. *Subiectum* propoſitionum tertii generis communicationis idiomatum eſt nomen concretum, ſiue ab *vtraque*, ſiue ab *vna natura* perſonam denominans. Interdum enim adhibetur *concretum perſonæ*, v. gr. 1 Cor. XV, 3. *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris*; interdum *concretum naturæ diuinæ*, v. gr. 1 Ioann. II, 8. *Filius Dei diſſoluit opera diaboli*; interdum *concretum naturæ humanæ*, v. gr. Luc. IX, 56. *Filius hominis venit ſaluare animas hominum.*

Obſ. b. *Prædicatum* eſt ἀποτέλεσμα, ſiue *operatio officii*, vt patet ex adductis propoſitionibus biblicis. Cum Paullus dicit, 1 Cor. XV, 3. quod *Chriſtus mortuus ſit pro peccatis noſtris*, prædicatum τὸ *mori*, pro peccatis noſtris, eſt opus officii mediatorii, quod complectitur partim τὸ *mori*, quod eſt idioma naturæ humanæ, partim *additionem infiniti valoris*, vt illa mors haberet rationem λύτρȣ pro peccatis noſtris, qui infinitus valor eſt a natura diuina.

Obſ. c. *Modus prædicandi* eſt *verus & realis.* Nam ὁ λόγος vere & realiter ſibi appropriat actiones & paſſiones humanæ naturæ, vi primi generis commun. idiomat. & humana natura vere & realiter particeps eſt virium ſupernaturalium ad operandum, vi ſecundi generis communicationis idiomatum.

Quæſt. LXX. *Quomodo differt tertium genus communicationis idiomatum a primo & ſecundo genere?*

*Differt* ab iisdem certis κριτηρίοις.

Prob. In *primo* genere vindicantur propria illi naturæ, cui formaliter competunt: in *tertio* genere ἀποτελέσματα vindicantur perſonæ, ſecundum vtramque naturam operandi. In *ſecundo* genere loco *ſubiecti* ponitur *Chriſtus* qua *homo*, *prædicati* loco ſtat idioma diuinum: in *tertio* autem genere *ſubiectum* eſt *perſona* σύνθετος, *prædicatum* eſt opus *diuino-humanum.*

MEMBRVM II.

## DE OFFICIO CHRISTI MEDIATORIO.

Quæſt. LXXI. *Quid eſt officium Chriſti mediatorium?*

*Officium Chriſti mediatorium.*

*Officium* Chriſti *mediatorium* eſt, quo Chriſtus inter Deum offenſum, hominemque peccatorem, medias agit partes, fœdus gratiæ inter vtrumque ſanguine & mor-

Digitized by Google

morte ſua ſanciendo, ſancitum euangelio ſuo declarando & peccatori offerendo, oblatum regimine potentiſſimo confirmando & conſeruando.

Obſ. I. *Sanctio* fœderis gratiæ ad officium Chriſti *ſacerdotale*, *declaratio & oblatio* illius fœderis ad officium Chriſti *propheticum*, *confirmatio & conſeruatio* fœderis ad officium Chriſti *regium* pertinet.

Obſ. II Si officium Chriſti *mediatorium ſtrictiori* ſumatur ſenſu, cum officio ipſius *ſacerdotali*, videtur coincidere, iuxta 1 Tim. II, 5. 6. Nil tamen prohibet, quo minus illud, *latiori* accipiatur ſenſu, vt officium *propheticum & regium* complectatur. Nam & Moſes *propheta* dicitur *mediator*, Gal. III, 18. ex nonnullorum Theologorum ſententia, & *reges* haud raro *mediatorum* ſuſtinere perſonas, neminem fugit *).

Quæſt. LXXII. *Secundum quam naturam Chriſtus noſter eſt mediator?*

Chriſtus eſt noſter *mediator* ſecundum *vtramque naturam* a), diuinam b) & humanam c).

Prob. a. 1) Ex nomine *mediatoris*. Scite inquit ATHANASIVS *dial. I. de Trinit. Si Chriſtus eſſet homo tantum, vel Deus tantum, non eſſet medius, inter Deum & hominem.*

2) Ad *opera* officii *mediatorii*, qualia ſunt ſanguis delens peccata, mors viuifica, paſſio ſatisfactoria, &c. vtriusque naturæ diuinæ & humanæ κοινωνία & confluxus neceſſario requiritur, cum *mortem*, iuxta elegans dictum FAVSTI, *nec ſolus Deus ſentire*, *nec ſolus homo ſuperare potuiſſet.*

Prob. b. 1) E *teſtimonio Apoſtolico: Deus erat in Chriſto, reconcilians mundum ſibi ipſi*, 2 Cor. V, 19. Ex quo argumentamur: Secundum quam naturam Chriſtus nos Deo reconciliauit, ſecundum eam eſt noſter mediator: Atqui ſecundum naturam diuinam &c. Ergo **). 2) E *fine incarnationis*, de quo Paullus, Gal. IV, 4: *Quando venit plenitudo temporis,*

*) *Generatim* enim *Mediator* is dicitur, qui *medius inter duas partes intercedit*, ad aliquid ſuſcipiendum ac perficiendum, quod *ad vtramque* pertinet. Ergo Chriſtus eſt εἷς μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων (1 Tim. II, 5.), quoniam ipſe vnus inter *Deum* atque *homines* intercedit, ea omnino mente, vt rem partim *diuinam*, partim *humanam* peragat. Id igitur *ſpeciatim* factum eſt in *triplici*, quo ipſe perfunctus eſt, *officio*. Chriſtus enim *mediatorem* inter *Deum* atque *homines* ſeſe præſtitit, 1) partes diſſidentes, *Deum & homines*, cruenta victima ſua piaculari inter ſe *conciliando*, 2 Cor. V, 19. 20. ac deinde ſua apud *Deum* deprecatione *hominum* ſalutem adplicandam procurando (id quod eſt *Sacerdotis* munus; quam ob rem ſummus V. T. Sacerdos, typice Chriſtum ſignificans, *Mediator* erat putandus, vtpote qui hoſtias *Deo* offerebat atque immolabat, pro delictis *hominum* expiandis, quem ad modum plane ſcriptum exſtat Hebr. V, 1. ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν Θεόν, ἵνα κ. τ. λ.): 2) *Diuinæ* voluntatis decreta *hominibus* patefaciendo, Ioann. XVII, 6. 8. (hoc eſt *Doctoris*, ſiue *Prophetæ*; idcirco Moſes, diuinæ voluntatis interpres, nominatur μεσίτης, Gal. III, 19. conf. cum Ex. XX, 19. Deut. V, 5. עמד בין יהוה וביניכם, Chriſtus vero μεσίτης καινῆς διαθήκης, Hebr. IX, 15): 3) Fructum *diuinæ* gratiæ *hominibus* impertiendo, hominumque animos ad obſequium flectendo, immorigeros autem & contumaces coërcendo ac puniendo (atque hoc eſt *regio* muneri tribuendum). E. *Mediatoris* nomen conuenit omnino *triplici* Chriſti *officio*, nec ſolum *ſacerdotali*. Ipſe vero *vnus* eſt μεσίτης, nemo alius, cuius tanta eſt præſtantia, vt *ſua* virtute atque efficacitate his partibus fungi valeat, quibus nulla alia, niſi infinita, perſona, par eſt. E. neceſſe erat, hunc μεσίτην *naturam* habere *vtramque*, & diuinam, & humanam, vt vtriusque partis, & *Dei*, & *hominum* omnium, cauſam ipſe ageret. E. non poterat non eſſe *Immanuel.*

**) Oportebat vero hanc reconciliationem fieri *mutuam*, vt & Deus iratus hominibus, & homines a Deo abalienati viciſſim Deo reconciliarentur, id quod conſtanter nos aduerſus *Socinianos*

*poris, miſit Deus Filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui erant ſub lege, redimeret, vt adoptionem filiorum Dei acciperemus.* Si homo merus potuiſſet homines peccatores a maledictione legis redimere, & iisdem τὴν υἱοθεσίαν diuinam acquirere, *Filius Dei* nunquam veniſſet in carnem, nunquam legi ſe ſubieciſſet.

Prob. c. 1) A *diſerta denominatione*, 1 Tim. II, 5. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus.*

2) A *remiſſione peccatorum*, fluente e *ſanguine* Filii Dei. 1 Ioann. I, 7. Rom. V, 9. Secundum quam naturam Chriſtus ſanguinem ſuum effudit in remiſſionem peccatorum, & mortuus eſt ad reconciliationem noſtri cum Deo, ſecundum eandem eſt noſter mediator: Atqui ſecundum humanam naturam &c. Ergo.

*Antitheſis* eſt *Oſiandriſtarum*, qui ſecundum ſolam naturam diuinam, & *Stancariſticarum*, qui cum *Pontificiis* ſecundum *ſolam* naturam *humanam* Chriſtum pro mediatore noſtro agnoſcunt. Quorum argumenta ſunt:

I. Secundum quam naturam Chriſtus dicitur noſtra iuſtitia, ſecundum eandem noſter eſt mediator (quia *cauſſa finalis* mediationis eſt iuſtitia reparanda): Sed ſecundum naturam diuinam &c. Ergo. *Minor* conſtat ex Ierem. XXIII, 6. *Iehouah eſt iuſtitia noſtra.* Reſp. Verba Ieremiæ ſunt: *Germen Dauidis vocabitur Iehouah iuſtitia noſtra.* Quæ eſt propoſitio perſonalis, qua exprimitur diuinæ & humanæ naturarum vnio, earumque in vnitate perſonæ communio, & conſequenter eadem innuitur, Chriſtum ſecundum vtramque naturam eſſe noſtram iuſtitiam.

II. Quæcunque natura æternam iuſtitiam non poteſt reparare, ſecundum illam Chriſtus non eſt iuſtitia noſtra: At ſecundum humanam naturam non potuit &c. Ergo. *Maior* conſtat: quoniam mediatoris officium eſt, æternam reparare iuſtitiam, Dan. IX, 24. *Minor* liquet: quoniam natura humana non eſt æterna, neque æternas vires habet. Reſp. Diſtingu. inter naturam humanam ſubſiſtentem *extra hypoſtaſin* diuinam, & *aſſumtam in hypoſtaſin* τȣ̃ λόγȣ. *Illa* quidem, ſed *non hæc*, deſtituitur viribus ad reparandam iuſtitiam æternam. Et quamuis humana Chriſti natura non exſtiterit ab æterno, communicata illi tamen eſt potentia diuina, quæ æterna eſt.

*Pontificii* obiiciunt I. Mediator noſter diſerte dicitur *homo*, 1 Tim. II, 5. Reſp. non intelligitur l. c. ψιλάνθρωπος, homo merus, ſed θεάνθρωπος, homo deificatus.

II. Si Chriſtus ſecundum diuinam naturam noſter mediator eſſet, etiam Deus Pater & Spiritus S. noſtri eſſent mediatores, (quia eandem cum Filio Dei habent naturam diuinam): Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Reſp. Diſt. inter naturam diuinam *abſolute, & relate* ſpectatam, quatenus charactere hypoſtatico τȣ̃ λόγȣ eſt inſignita. *Non priori*, ſed *poſteriori* ſenſu opus mediationis perficit.

III. Omnis mediator diſtat ab ea parte, quæ eſt læſa: Filius Dei, ſecundum naturam diuinam, non diſtat ab ea parte, quæ eſt læſa. Ergo. Reſp. Diſt. inter mediatorem, dictum ob *diſtantiam* ab vtraque parte diſſidente; talis hic non requiritur: & inter mediatorem ita dictum ob *coniunctionem* cum vtraque parte; & talis eſt Chriſtus θεάνθρωπος. *Mediator* enim potius dicitur a ſua ad vtramque partem οἰκειώσει, appropriatione, vt loquitur IRENÆVS, *lib. III. c. 20.* quam a diſtantia ab vtraque parte. *Finis* enim mediatoris eſt, *diſiunctos*

*cinianos* tuemur. E. vel ex eo adparet, arctiſſimam coniunctionem *diuinæ* & *humanæ* naturæ in *vno* hoc Reconciliatore maxime neceſſariam fuiſſe.

Digitized by Google

*ctos coniungere.* Quod ſi autem præciſe vrgeatur diſtantia, Chriſtus homo diſtat a Deo, vt Deus diſtat ab homine.

IV. Si Chriſtus ſecundum diuinitatem eſſet ſacerdos, ſecundum eandem foret patre minor: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* eſt liquida: quia ſacerdos eſt minor eo, cui ſacrificat. Reſp. In ſacerdote duo ſunt, *dignitas & ſubiectio. Illa* debetur diuinitati, *hæc* humanitati: ſicut & Filius Dei abſque inæqualitate ſui dicitur mitti, & obedire Patri (obedientia non ſubiectiua, ſed voluntaria, ex decreto faciendi ſemper, quæ placent illi, Ioann. VIII, 35. Hebr. X, 7.). Pater etiam dicitur παρακαλεῖν, ſine maieſtatis ſuæ diminutione. 2 Cor. V, 20.

### Quæſt. LXXIII. *Quodnam eſt officium Chriſti ſacerdotale?*

*Officium* Chriſti *ſacerdotale* eſt, quo Chriſtus mediator & ſacerdos noui teſtamenti exactiſſima legis impletione, & ſacrificio corporis ſui, noſtri cauſſa læſæ iuſtitiæ diuinæ ſatisfecit, & efficaciſſimas pro ſalute noſtra preces Deo offert. *Officium Chriſti ſacerdotale.*

### Quæſt. LXXIV. *Qualis ſacerdos eſt Chriſtus?*

Chriſtus eſt *ſacerdos verus* proprieque dictus a), *ſummus* b), *vnicus* c), *æternus* d), *impeccabilis* e).

Prob. a. Chriſtus frequenter in S. ſcriptura dicitur *ſacerdos* Pſ. CX, 4. Hebr. V, 10. c. VI, 20. c. VII, 26. c. IX, 11. c. X, 21. Non autem metaphorice aut improprie, ſed *proprie & vere* dicitur ſacerdos: quia munia ſacerdotum proprie dictorum obiit. Sunt autem munia ſacerdotum, proprie dictorum, *pro peccatis offerre ſacrificium expiatorium*, & pro peccatoribus *intercedere* (*). Hæc duo præſtare ſacerdotem Chriſtum, iamiam oſtendemus.

Prob. b. Chriſtus diſerte vocatur ἀρχιερεὺς μέγας, *ſacerdos princeps magnus* **), qui cœlos penetrauit, Hebr. IV, 14. Quæ magnitudo æſtimatur 1) e comparatione cum ſacerdotio



*) *Vtraque* pars conjuncta prædicatur 1 Ioann. II, 1. 2. His duabus recte a quibusdam adnumeratur *tertia*, nimirum *benedictio*. Conſtat enim inter omnes, eam fuiſſe partem aliquam officii *ſacerdotalis*, tum *Melchiſedeciani*, Hebr. VII, 1. 6. 7. tum *Aharonitici*, Leu. IX, 22. Num. VI, 22. 1 Paral. XXIII, 13. (ſcilicet quoad benedictio eſt *annunciatio* gratiæ diuinæ omniumque beneficiorum, immo & *largitio* nomine Dei, ſeu, vt vulgo adpellari ſolet, *collatio miniſterialis*; alias enim, ſi illo nomine nihil intelligatur amplius, quam *votum & precatio*, bene alteri dicere eſt officium probi hominis cuiusque). Plures quidem fuerunt actiones ſacræ, ſacerdotibus V. T. imperatæ, e. gr. ſententiam ferre de lepra, eiusque ſanatione; at omnes tamen commode referri poſſunt ad vnum alterumve ex his tribus generibus. Atqui actiones V. T. Sacerdotales omnes fuerunt arcanæ, ſiue typicæ, quæ Chriſtum venturum velut in vmbra prænuntiabant. Itaque Chriſtus dicitur nobis bene dicere, Geneſ. XXII, 18. add. Act. III, 25. Gal. III, 8. Eph. I, 3. immo toties, quoties *angeli* cuiusdam *bene dicentis*, qui non eſt creatus, fit mentio, tamquam Geneſ. XVI, 10. XXXII, 26. 29. 30. XLVIII, 16. Ita etiam loquutio iſta, Hebr. IX, 28. ὀφθήσεται τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις εἰς σωτηρίαν, illuſtranda eſt ex ritibus typicis Sacerdotum V. T. vid. Luc. I, 21. ὁ λαὸς προσδοκῶν τὸν Ζαχαρίαν, videlicet magna animorum attentione ad accipiendam benedictionem.

**) Diligenter inquirendum eſt in *rationem* huius nominis (nam de *ſignificatione* dubitatio nulla eſt). *Falſam* ſibi perſuadent *Romanocatholici*, temere pronuntiantes, Chriſtum eo nomine diſtingui

Digitized by Google

cerdotio *Aaronico*, ſiue Leuitico. Summa fuit *Aaronici* ſacerdotii dignitas, diuina auctoritate miraculoſe firmata, Num. XVI, 35. c. XVII, 8. Sed vt corpori vmbra, ita Aaron Chriſto in eminentia ceſſit. Etenim ſacerdotes Leuitici ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ, figuræ &. vmbræ cœleſtium ſeruiiſſe dicuntur, Hebr. VIII, 5. At Chriſtus *ſeipſum* tradidit pro nobis, oblationem & ſacrificium Deo in odorem fragrantiæ, Eph. V, 2. Sacerdotes *Leuitici* primo pro *propriis peccatis* ſacrificia offerebant, deinde pro populi peccatis: Chriſtus autem *non* habet neceſſitatem ſacrificandi pro peccatis *propriis*, cum ſit ἄκακος καὶ ἀμίαντος, innocens & impollutus, Hebr. VII, 26. 27. 2) E comparatione cum ſacerdotio *Melchiſedechiano*. Melchiſedech fuit maior Aarone. Chriſtus eſt Melchiſedech antitypice. E. etiam maior, Melchiſedeco, quod argumentum prolixe tractat Apoſtolus, Hebr. VII, 1. ſeqq *).

Prob. c.

diſtingui a *ſacerdotibus noui Teſt.* proprie ita dictis, nimirum illis, qui ſacrificium piaculare Deo quotidie offerre conſueuerint, in primisque *ſummo ſacerdote*, tamquam Chriſti vicario, cuius ſedes eſt Roma. Principium erroris hoc eſt: quod fingunt, Miſſam eſſe ſacrificium pro delictis, quouis die expiandis. Ea de cauſa titulum *ſacerdotis* perperam tribuunt his, qui ſacris operantur, nec vero omnibus, ſed iis dumtaxat, quibus facta eſt poteſtas conſecrandi ſacram cœnam, ſeu, vti loquuntur, conficiendi. Quum vero ſacrificium illud miſſaticum omnino nullum ſit (Hebr. X, 14. & 26): efficitur, vt iſta nominis ratio prorſus ſit repudianda. Paullus certe, Eph. IV, 11. cum in eo eſt, vt numerum ineat ordinum ſacrorum, quos ſua quidem auctoritate Chriſtus conſtituit, nullam facit mentionem de *ſacerdotibus*, qui vel primo loco fuiſſent nominandi, ſi quid valeret aduerſariorum opinio. *Veram* nos ſententiam tuemur, Chriſtum ita vocari reſpectu *ſacerdotum* omnium *veteris* Teſtamenti, ipſius etiam *ſummi* ſacerdotis, nam eum quoque ipſum vnus hicce ἀρχιερεὺς longe multumque ſuperat; quocirca Chriſtus non ita ſimpliciter appellatur ἀρχιερεὺς, ſed cum inſigni additamento, ἀρχιερεὺς μέγας, itemque τοιοῦτος, ὁ ἀρχιερεὺς, ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου κ. τ. λ. Hebr. VIII, 1. Tanta non fuit dignitas ſummi ſacerdotis V. T. quippe qui, tantum abeſt, vt in hoc throno conſederit, vt ne licuerit quidem illi ſedenti, in templo terreſtri munere ſuo fungi. Et probe obſeruandum eſt, quod in vniuerſis litteris, ad Hebræos miſſis Ieſus noſter perpetuo opponatur *ſummo ſacerdoti*, quem religio diuina in *veteri* Teſt. venerari omnes iuſſit. De *ſummo* autem *Pontifice Romano*, tum in hac epiſtola, tum in tota ſcriptura, altum eſt ſilentium.

*) Excellentiam præſtantiamque *ſacerdotalis*, quod *Chriſto* demandatum eſt, officii declarans binæ propoſitiones.

PROPOSITIO PRIOR: *Sacerdotium Chriſti longe eſt præſtabilius ſacerdotio Leuitico* V. T. Illius enim prærogatiuam cernimus א) ratione *ſubiecti*: Scilicet 1) Omnis ſacerdos V. T. fuit ψιλάνθρωπος, nil, niſi *homo mortalis*, Hebr. V, 1. add. VII, 8. idemque *peccato* contaminatus, c. VII, 28. Chriſtus autem, & vnus quidem ille, eſt θεάνθρωπος, atque *æternus Dei Filius*, l. c. & cap. I, 1. 2. ſeqq. immo etiam, ſi humanam ipſius naturam ſpectes, *peccato omni vacuus*, c. IV, 15. VII, 26. 2) Omnis ſacerdos V. T. neceſſe habebat, non ſolum pro delictis gentis ſuæ, ſed & pro *ſuis*, hoſtias immolare, c. V, 2. 3. Multo *aliter* Chriſtus, c. VII, 27. 3) Omnis Sacerdos V. T. originem ducebat a tribu *Leui*; Chriſtus vero ex tribu *Iuda* exortus fuit, quoniam quidem is vnus debebat eſſe dignitate non Sacerdotali ſolum, verum etiam regia conſpicuus, c. VII, 14. 4) Omnes Sacerdotes V. T. præſertim vero ſummus omnium, omnes etiam functiones muneris adeo ſancti, erant *typi* atque imagines, Chriſtum, eiusque rem ſacram faciendam adumbrantes. *Antitypus* autem haud dubie præſtat typo, corpus dignitate antecellit vmbræ, Hebr. X, 1 ſeqq. ב) ratione *legationis*: 1) Sacerdotum V. T. vnus quisque a Deo quidem legatus fuit, ſed *mediate*, per homines, atque adeo Aharon ipſe, Moſe Dei miniſtro, Hebr. V, 4. coll. cum Ex XXVIII, 1; Chriſtus *immediate* a Patre ſuo, Hebr. V, 5. nec ſolum *ita legatus*, ſed pariter etiam a ſuo Patre declaratus atque *inauguratus*, Matth. III, 17: 2) Illi quidem ad vnum omnes, *ſine iureiurando;* Chriſtus vero multo ſplendidiorem accepit vocationem, a Patre *iurante* confirmatam,

Digitized by Google

Prob. c. 1) Vetus Teſtamentum differt a nouo, quod ibi plures fuerint ſacerdotes, hic vnus: Ergo in N. T. non eſt, niſi monadicus ſacerdos. Antecedens patet ex Hebr. VII, 23. 24. *Et illi quidem* (Leutici ſacerdotes) *plures ſunt facti ſacerdotes, eo quod morte prohibiti ſunt permanere: hic vero propterea, quod manet, non tranſiens habet ſacerdotium.*



firmatam, Hebr. VII, 20. 21. ג) Ratione *obiecti*, nimirum ſacrificii Deo offerendi: 1) Sacerdos V. T. ſemper erat *diuerſus a victima;* Chriſtus, contra, *ſemet* Deo victimam obtulit, Hebr. IX, 23-26. 2) Sanguis, quo Sacerdotes quidem V. T. delicta expiabant, omnino erat *brutorum* animantium; infinito autem pretio antecedit *Chriſti* ſanguis piacularis N. F. Hebr. IX, 12. 13. 14. 3) Sacrificia V. T. omnia ſæpe numero erant *repetenda*, & illa quidem, quæ *adquiſitionem* ſalutis noſtræ futuram prænuntiabant, *quotannis* ſemel, Hebr. IX, 7. 25. ea vero, quæ *adplicationem* eiusdem per fiduciam, in Chriſti promeritis collocandam, ſignificabant, *quotidie*, Hebr. IX, 27.; Chriſtus, contra, ſe immolauit *ſemel*, tanquam ſemper, l. c. & c. IX, 26. 28. X, 18. & 26. 4) Sacrificia V. T. omnia *nullam per ſe* habebant vim expiandi, Hebr. X, 3. 4. 11. ſed ea tota pendebat ex *re ſignificata*, & fide hominum in Chriſtum, quem illæ vmbræ venturum ſignificabant, Hebr. VIII. 5. IX, 22. X, 1. Per ſe nihil valebant amplius, quam corporis efficere munditiem, ſiue declarationem eius Leuiticam, Hebr. IX, 13. Chriſti vero ſacrificium piaculare vim *omnem in ſe* habet, ibid. v. 14. 5) Summum Sacerdotem V. T. oportebat in locum ſanctiſſimum *terreſtrem* ingredi, & quidem cum ſanguine *alieno*, Hebr. IX, 25. Chriſtus autem in ſanctuarium *cœleſte* introiuit, nec aliter, quam cum *ſuo* ſanguine in eod. cap. v. 12. & 24. ד) Ratione *adiuncti*, nimirum *durationis*. Sacerdotes V. T. omnes fuerunt *mortales*, ob eamque cauſſam *plures*, quorum alter in alterius locum *ſucceſſit*: Contra, Chriſtus eſt *immortalis*, idemque *vnicus* ac *perpetuus* N. F. Sacerdos. Hebr. VIII, 23. & 24.

PROPOSITIO POSTERIOR: *Chriſtus eſt ſacerdos ex ordine non Aharonis, ſed Melchiſedeci*, Pſ. CX, 4 Hebr. VI. v. vlt. & VII. tot. Non eſt mei inſtituti, iam pugnare ac vincere: Quis fuerit Melchiſedech? Chriſtus ne ipſe, humana ſpecie Abrahamo viſus? an alius quisquam, Chriſti typus atque imago? quod alterum quidem magis probabile eſt. Sed hæc diſputatio ad hermeneuticam Theologiam propius, quam ad dogmaticam, ſpectat. Id vnum huc pertinet: *quæ fuerit differentia Sacerdotii Melchiſedeciani, & Aharonici?* Eſt nimirum ea

א) *Alia* quidem *vera*, quam ſacræ litteræ nobis oſtendunt *quadruplicem*. Non eſt enim credibile, in loco claſſico, cap. VII. ep. ad Hebræos, prætermiſſum eſſe aliquid eorum, quæ vera ſunt, quæ notatu digna, quæ ad rem pertinent. 1) Melchiſedeci *genealogia* ſemper manſit abſcondita, Aharonis vero familia nemini fuit obſcura atque ignorata. Ita vero ſignificata fuit hæc Chriſti excellentia, qua ipſe, Deus, ἀμήτωρ eſt, idemque, homo, ἀπάτωρ, Hebr. VII, 3. 2) Melchizedek tam *Rex* fuit, quam *Sacerdos*, v. 1. 2. Nemini autem ex ordine Aharonis licuit, poteſtatem regiam vſurpare. In eo igitur Melchiſedecus fuit imago Chriſti Sacerdotis, Regia ſimul dignitate conſpicui, ideoque ex tribu regia oriundi, v. 13. 14. 3) Melchiſedeciani Sacerdotii *fructus* ad ipſum Abrahamum pertinebat, Aharonitici autem ad poſteros dumtaxat Abrahami, v. 5. - 10. 4) Melchiſedecus *nullum* reliquit in officio *ſucceſſorem:* ita & Chriſtus, v. 23. 24. Proinde plane intolerabilis eſt *Gichtelianorum* error principalis, & huius ſectæ proprius, de Sacerdotio Melchiſedeciano, hominum denuo natorum omnium communi. At, inquis, *ordo eſt ſucceſſio plurium, quorum quidem alter alterum ſequitur pro eo, ac decet.* Reſp. α) Exſtitit ſucceſſor quidam, is vero non alius, quam Chriſtus, qui in locum Melchiſedeci ſucceſſit, non vt par pari, ſed vt antitypus typo ſuccedit. β) *Ordo* non ſemper dicitur ratione *hominum* ſuccedentium, ſed interdum etiam intuitu *rerum* & partium officii. γ) Græcum nomen, τάξις, reſpondet hebraico, דִּבְרָה Pſ. CX, 4. vt pote quod non tam ordinem denotat, quam inſtitutum, rationem, conditionem, quem ad modum vox, τάξις, aliquando vſurpatur, v. g. Col. II, 5.

ב) *Alia* autem *falſa*, quam finxerunt *Romano-Catholici*, diſcriminis rationem, rati, in eo potiſſimum ſitam eſſe: quod *Aharonici* quidem ſacerdotes victimas *cruentas* immolarint, *Melchi-*

Digitized by Google

2) Vetus Teſtamentum differt etiam a nouo, quotidie repetitis & plus quam ſemel factis oblationibus: Ergo repetita quotidie, & plus quam ſemel facta oblatio in N. T. locum habere nequit. Antecedens liquet ex Hebr. VII, 27. Chriſtus *ſemel ſeipſum obtulit*, c. X, 14. *Chriſtus vna oblatione conſummauit in perpetuum eos, qui ſanctificantur.*

3) Chriſtus *non* eſt ſacerdos ſecundum ordinem *Aaronis*, in quo ſacerdotium transferebatur ad ſucceſſores, ſed ſecundum ordinem *Melchiſedech*, qui nec anteceſſores, nec ſucceſſores in ſacerdotio habebat. Hebr. VIII, 11. 12. 15.

Prob. d. Hebr. VII, 3. *Filius Dei manet ſacerdos in æternum.* Fructus ſacerdotii Chriſti extenditur in retro lapſa, & futura ſæcula, ſiue meritum ſacerdotis Chriſti valet retrorſum & antrorſum.

Prob. e. *Nos decebat ſacerdos princeps ſanctus, innoxius, impollutus, ſeparatus a peccatoribus, excelſior cœlis factus*, Hebr. VII, 26. *Chriſtus tentatus eſt per omnia, ſecundum ſimilitudinem* (communis hominum ſortis), *excepto peccato*, Hebr. IV, 15.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, negantium, Chriſtum eſſe ſacerdotem N. T. *vnicum*, proprie dictum. 2) *Arminianorum*, ſtatuentium, Chriſtum eſſe ſacerdotem non ſimpliciter *impeccabilem*, ſeu ab omni peccandi potentia immunem *). 3) *Socinianorum*, æternum Chriſti ſacerdotium infitiantium.

*Pontificii* ſequenti ratione arguunt: Chriſtiani dicuntur ſacerdotes, Apoc. I, 6. E. Chriſtus non eſt ſacerdos vnicus N. T. Reſp. Chriſtiani dicuntur ſacerdotes *metaphorice*, ob ſacrificia εὐχαριϛικὰ, precum & laudis; at Chriſtus eſt ſacerdos proprie dictus, ob ſacrificuim ἱλαϛικὸν, expiatorium, quod Chriſtus ſemel obtulit, Hebr. VII, 27.

Inſtantia. Chriſtus ſummus ſacerdos ſemel quidem obtulit ſacrificium *cruentum:* ſed ſacerdotum ſubordinatorum eſt, ſæpius offerre ſacrificium *incruentum*, vt cruentum illud ſacrificium, ſalutis acquiſitiuum, iterum iterumque applicetur. Reſp. Sacrificium Chriſti, in ara crucis oblatum, applicatur non per aliud ſacrificium, ſed per verbum & ſacramenta.

*Armi-*

*Melchiſedecus* autem *incruentum* Deo obtulerit ſacrificium, idque piaculare, quippe *panem & vinum*. Gen. XIV, 18. Ita illi opinantur eo prorſus conſilio, vt ſuæ ὑποθέσει, de *ſacrificio Miſſatico* ſeruiant. Perperam ſane! Etenim α) oblatio illa panis & vini neutiquam fuit actio ſacerdotalis & ſacrificialis, ſed fuit tantum ciuilis, ad recreandas reficiendasque Abrahami vires; non enim *Deo*, ſed *Abrahamo* hæc dona obtulit Melchiſedecus, omne autem ſacrificium Deo vni debebat eſſe conſecratum, ac ne ita quidem ſcriptum extat: הקריב, aut הביא, ſed adhibetur verbum, הוציא, nunquam de ſacrificiis, Deo offerendis, vſurpari ſolitum: β) multo minus eſt exiſtimandum, ſacrificium fuiſſe *piaculare*, cuiusmodi nullum eſſe poteſt, ſine profuſo ſanguine, Hebr. IX, 22. γ) Melchiſedecus adpellatur *ſacerdos*, non propter oblatum panem vinumque, ſi quidem iſta actio per accentum Athnach a nomine ſacerdotis diſtinguitur, ſed ratione *benedictionis*, Gen. XIV, 18. Quo circa Paullus, optimus certe interpres, cum totus in eo verſatur, vt typum illum explicet, illam actionem tacendo præterit, nec, niſi benedictionem, commemorat, Hebr. VII, 1. δ) Chriſtus cum ſacerdotibus *Aharonicis* comparatur eo, quod *cruentum* ipſe ſacrificium confecerit, Hebr. IX, 12. 24. - 26. & ita quidem, vt iſtud, *ſemel* peractum perfectumque, non ſit vnquam iterandum, nedum ſæpe, immo quouis etiam die, repetendum, Hebr. X, 10. 12. 17.

*) Primi quidem ARMINII adſeclæ, in conuentu Dordraceno, bonam cauſſam male defendentes, feruore diſputationis in grauiſſimum hunc errorem ſunt delapſi, quem deinceps *Remonſtrantes*, qui vocantur, magna animi obſtinatione, vt fieri ſolet, tenuerunt. At recentiores tamen piget pudetque tanti erroris, a quo ſe alienum profitetur ADR. de CATTENBVRGH in ſuo *Spicilegio Theol. chriſt. pag.* 341. ſeqq.

Digitized by Google

*Arminiani* argumentantur: I. Quicunque deſcendit ab Adamo, ille poteſt peccare: nam Adamus ſanctiſſimus non fuit immunis a peccandi potentia: Atqui Chriſtus &c. Ergo. Reſp. Quicunque ab Adamo deſcendit via naturali, is poteſt peccare; concedo. At Chriſtus deſcendit ab Adamo non via naturali, propagationis naturalis, ſed ſupernaturali, vi ſuperuenientis promiſſionis, Gen. III, 15.

II. Quicunque tentatur, in tentatione confortatus, calicemque tentationis deprecatus eſt, is non ſimpliciter eſt impeccabilis: Atqui Chriſtus &c. Matth. IV, 1. Luc. XXII, 43. Ergo. Reſp. *Tentatio Chriſti* non ſupponit ipſius peccabilitatem, ſed extremam diaboli impudentiam, ceditque chriſtianis in ſolatiferam ſpem victoriæ, & in exemplum pugnæ ſtrenuæ aduerſus diabolum. *Confortatio angelica* non facta fuit ad præcauendam quandam labilitatem Chriſti moralem, ſed ad infirmitatem naturæ ipſius in ſummo exinanitionis gradu ſuffulciendam. Neque *deprecatio calicis*, vtpote conditionata, & voluntati Patris attemperata, potentiam peccandi arguit; ſed ſummam conformitatem cum voluntate Patris demonſtrat. Nec enim calici exhauriendo Chriſtus repugnauit abſolute, ſed cum conditione alterius cuiusdam modi redimendi genus humanum, per diuinam & infinitam potentiam ſuppoſiti.

*Sociniani* colligunt: Quicunque ab æterno non exſtitit, is non eſt ſacerdos æternus: Atqui Chriſtus homo &c. Ergo. Reſp. Chriſtus homo non quidem ab æterno exſtitit *naturaliter*, ſeu entitatiue, qua ſubſtantiam; exſtitit tamen ab æterno *moraliter*, vi decreti & præſcientiæ diuinæ, i. e. ab æterno Chriſtus præuiſus eſt a Deo, vt cauſſa impulſiua & meritoria, mouens Deum ad peccatores in gratiam recipiendos.

Quæſt. LXXIV. *Quibus actibus abſoluitur ſacerdotium Chriſti?*

Sacerdotium Chriſti abſoluitur duobus actibus, *ſatisfactione*, & *interceſſione*. *Actus O. S.*

Prob. Officium *ſacerdotum* V. T. conſiſtebat 1) in *oblatione ſacrificii expiatorii*; 2) in *interceſſione* pro populo, vt Deus ipſi condonaret: ita *Chriſtus* ſeipſum tradidit pro nobis *oblationem & ſacrificium*, in odorem fragrantiæ, Eph. V, 2. & *intercedit* pro nobis. Rom. VIII, 34.

Quæſt. LXXV. *Quid eſt ſatisfactio Chriſti?*

*Satisfactio* eſt actus officii ſacerdotalis, quo Chriſtus, ex decreto diuino, conſummatiſſima obedientia, actiua & paſſiua, iuſtitiæ diuinæ, peccatis hominum læſæ, ſatisfecit, in laudem iuſtitiæ & miſericordiæ diuinæ, & acquiſitionem noſtræ iuſtitiæ atque ſalutis. *Satisfactio.*

Obſ. 1. *Satisfactio* non eſt vox biblica, ſed *eccleſiaſtica*, cuius tamen ſynonyma exſtant in ſacro codice, nempe ἱλασμὸς, *propitiatio* pro peccatis totius mundi, Io. II, 2., καταλλαγή, *reconciliatio*, Rom. V, 10., ἀπολύτρωσις, *redemtio*, Eph. I, 7., *ſolutio* τȣ̃ λύτρȣ, Matth. XX, 28. Nam redemtio iſta ſolutionem pretii, quod ſatis eſt, pro captiuo denotat, & reconciliatio illa Dei cum hominibus, ita deſcribitur in ſcripturis, vt conſtet eam non ſine λύτρῳ, quod diuina iuſtitia a mediatore popoſcerit, factam eſſe *).

Quæſt.

*) Plura ſunt, quæ eandem rem notant, in primisque hæc duo: 1) hebraicum השיב, Pſ. LXIX, 5. cuius verbi vim cognoſcere poteris ex Num. V, 7. 8. 2) græcum δικαίωμα, cuius quæ, & quotuplex ſit poteſtas, adparet ex oppoſitis. Cum opponitur τῷ κατακρίματι, non poteſt non denotare ſententiam iudicis abſolutoriam, ſeu, vt dici ſolet, *iuſtificationem*, Rom. V, 16. Quando vero contrarium eſt τῷ παραπτώματι, tunc ſignificat expiationem delicti, ſiue *ſatisfactionem* pro culpa & pœna, iudici præſtandam; ibid. v. 18.

Digitized by Google

Quæſt. LXXVI. *Num ſatisfactio & meritum Chriſti idem notant?*

**Satisfactio, & meritum Chriſti ſunt quidem inſeparabiliter coniuncta, diuerſis tamen reſpectibus differunt.**

Prob. Nam 1): *Satisfactio* antecedit, *meritum* conſequitur: Præſtita enim ſatisfactione, iuſtitiam & vitam æternam promeruit Chriſtus. 2) *Satisfactio* fit *Deo*, eiusque iuſtitiæ: At non Deo, ſed *nobis* Chriſtus *promeruit* ſalutem *). 3) *Meritum*, generatim loquendo, præcedit ordinem ad mercedem, *ſatisfactio* ad iniuriam compenſandam. Compenſauit igitur Chriſtus *ſatisfactione* ſua iniuriam Deo illatam, iniquitatem expiauit, debitum exſoluit, & a pœnis æternis nos liberauit: *merito* autem ſuo nobis iuſtitiam & ſalutem æternam acquiſiuit. 4) *Satisfactio* Chriſti eſt exſolutio noſtrorum debitorum, quibus Deo eramus obſtricti: *meritum* autem oritur ex impletione legis & paſſione indebita. 5) Actus *exinanitionis* Chriſti ſunt ſimul *ſatisfactorii & meritorii*: actus *axaltationis* ſunt tantum *meritorii*, ſi meritum *late* ſpectetur. Conf. D. FEVRBORN. *ſyntagm. I. p. III. diſſert. VIII.*

Quæſt. LXXVII. *Cui Chriſtus ſatisfecit?*

**Chriſtus ſatisfecit *Deo vnitrino* a), *infinito* b), *iuſto & irato* c), *veraci* d), *ſapienti & miſericordi* e).**

**Prob. a.** Quia *Deus Pater, Filius & Spiritus S.* peccato offenſus erat Pſ. V, 5. E. Deus trinunus expiandus erat. Obſerues, quod *Chriſtus* certo reſpectu *ſibi ipſi* ſatisfecerit. Quatenus enim Chriſtus *ſatisfecit*, vt *mediator*, reſpicitur vt θεάνθρωπος; at quatenus ipſe etiam *ſatisfactionem poſtulauit*, præciſe vt *Deus*, auctor & vindex legis, per eſſentiam iuſtus, intuendus eſt.

**Prob. b.** Læſus erat Deus *infinitus*, ob cuius offenſam *peccatum* dicitur habere *culpam infinitam* (*non formaliter*, ſic enim recipit magis & minus; ſed *obiectiue*). Quo maior enim eſt dignitas perſonæ violatæ, eo maior offenſa. Sed hic violata eſt perſona infinita.

**Prob. c.** Dei *iudicis iuſtiſſimi ira* erat exarſa peccatis hominum: *Reuelatur enim ira Dei, prouocata de cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum*, Rom. I, 18. Quare non poterat non iudex iuſtiſſimus malum vindicare, vel in ipſo peccatore, vel in eius ſponſore.

**Prob. d.** Deus *veraciſſimus* decretum comminatorium in Adamum, eiusque poſteros conſtare voluit, Gen. II, 27.: *Morte morieris.*

**Prob. e.** *Sapientia & miſericordia* Dei maxime ex admiranda mediatoris ſatisfactione elucet, τῷ λύτρῳ pretioſiſſimo ſapientiſſime inuento, & miſericordiſſime decreto atque acceptato. Naſcitur ex his attributis diuinis argumentum validiſſimum: Quicunque iudex eſt infinitæ maieſtatis, & infenſus peccatis hominum, eademque iuſte vindicare comminatus eſt, illi lytro infinito, ſapientiſſime inuento & maxime acceptabili ſatisfaciendum eſt: Atqui Deus eſt iudex &c. Ergo **).

Quæſt.

*) Ad confirmandam hanc diſtinctionem plurimum valet locupletiſſimum PAVLLI teſtimonium, Rom. V, 10.

**) Vt intelligamus, quæ fuerint neceſſaria ad tantum negotium ſuſcipiendum ac perficiendum, hæc ſunt ante conſtituenda: Satisfactio præſtanda erat 1) *Deo* iudici, 2) & ea quidem *vicaria*, 3) pro *hominibus*, immo 4) pro *omnibus* hominibus, omnibus etiam omnium peccatis. Huic igitur operi faciendo atque oneri ferendo impar ſemper eſſet ſubiectum eiusmodi,

Digitized by Google

Quæſt. LXXVIII. *Quo medio Chriſtus Deo triuni ſatisfecit?*

Chriſtus ſatisfecit *obedientia actiua & paſſiua.* Obedientia *actiua* Chriſtus legem diuinam noſtri vice exactiſſime impleuit, vt hanc impletionem legis vicariam peccatores pœnitentes vera ſibi fide applicantes, coram iudice Deo iuſti reputentur a). Obedientia *paſſiua* Chriſtus totius mundi peccata in ſe transtulit, & pœnas iis debitas vltro luit, ſanguinem ſuum pretioſiſſimum fundendo, & mortem ignominioſiſſimum pro omnibus peccatoribus obeundo, vt credentibus in redemtorem Chriſtum peccata ad æternam pœnam non imputentur b). *Satisfactionis medium.*

Prob. a. 1) Ex Gal. IV, 4. 5. *Quando venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt illos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum acciperemus.* Obſ. a) Sermo eſt de Chriſto θεανθρώπῳ. Dicitur enim *Filius Dei* in plenitudine temporis *natus ex muliere.* b) *Lex*, cui ſubiectus eſt, intelligitur tum *vniuerſalis*, ſeu moralis, tum particularis, i. e. cærimonialis & forenſis, cui Chriſtus ſubiectus eſt non pro ſe ex debito aut obligatione, ſed pro nobis ex mera gratia, cum ſit *Dominus legis*, Marc. II, 28. c) *Finis*, ſeu effectus eſt tum redemtio noſtra tum receptio filiationis ſpiritualis. Argumentamur: Quicunque eſt θεάνθρωπος, atque adeo Dominus legis, & eo fine legem impleuit, vt Filii Dei redderemur, ille pro nobis iuſtitiæ diuinæ ſatisfecit: Atqui Chriſtus &c. Ergo.

2) Rom. X, 4. *Finis legis Chriſtus, in iuſtitiam omni credenti*, conf. Matth. V, 17. *Ne exiſtimetis, quod venerim ſoluere legem & prophetas! Non veni diſſoluere, ſed implere.* Colligimus: Quicunque eſt *finis legis*, hanc non ſoluendo, ſed *implendo*, vt in credentes illius impletionis finis, nempe iuſtitia, redundet, ille noſtri loco iuſtitiæ diuinæ ſatisfecit: Atqui Chriſtus &c. Ergo.

Prob. b. *Satisfactio pœnalis eſt vel propria, vel vicaria. Illam* præſtat reus ipſe, pœnæ debitor: *hanc* alius, vice illius. De ſatisfactione *propria* nobis iam ſermo *non* eſt. Ad ſatisfactionem pœnalem *vicariam* ſi *formaliter* ſpectetur, requiritur 1) *Surrogatio*, qua in debitoris locum alius ſubſtituitur, & translatio culpæ, ſiue criminis alieni imputatio; 2) *Pœnarum luitio,*

modi, quod *aut* 1) prorſus non aptum eſſet ad cognoſcendum ſancteque obſeruandum leges diuinas, ac ſentiendum vindictam irati Numinis; *aut* 2) ipſum iam eſſet obligatum ad præſtandam legibus obedientiam, & perferendas pœnas (ita enim non alienam, ſiue vicariam, ſed omnino ſuam, per ſe debitam, præſtitiſſet ſatisfactionem); *aut* 3) non eſſet humanæ naturæ particeps, adeoque non capax tum officiorum, quæ & quatenus humanæ naturæ conveniunt, tum pœnarum, quæ & quatenus hominibus deprauatis ſunt denuntiatæ; *aut* denique 4) non eſſet idoneum ad expianda peccata omnia, & reconciliandum Deo vniuerſam hominum multitudinem, ad placandum Deum, infinite iuſtum. Ergo quatuor proprietates ſunt, ad hanc ſatisfactionem requiſitæ: Sponſor noſter, ſi quis eſſet, debebat is eſſe, qui 1) intellectu & libera voluntate gauderet, 2) nullis eſſet legibus obligatus, multo autem minus reatui culpæ & pœnæ iam obnoxius, 3) humanam naturam adſumeret, 4) infinita vi polleret. Ex his neceſſaria efficitur conſequutio: Subiectum idoneum eſſe poterat *nec* vlla res, rationis vſu carens (deeſt enim requiſ. 1. vna cum reliquis, conf. Hebr. X, 4. 1 Pet. I, 18); *nec* vllus homo, quatenus eſt homo, multo autem minus, quoad eſt peccati reus (deficit enim requiſ. 2. & 4.); *nec* vllus angelus (repugnat enim requiſ. 2. 3. 4.); *nec* vlla rerum creatarum, etiamſi eſſet omnium præſtantiſſima (contra requiſ. 2. 3. & 4.); E. id valebat vnus θεάνθρωπος, ipſe legis Dominus, Marc. II, 28. qui ſua ſponte omnem noſtram obligationem in ſe ſuſcepit, Hebr. X, 7.



Digitized by Google

*luitio*, quas ſurrogatus vas, aut ſponſor, loco debitoris, perſoluit: *Finaliter* conſiderata, fit illa pœnæ perſolutio *ad impetrandam abſolutionem debitoris*, vt is a culpa & pœna immunis pronuntietur. Hæc requiſita veræ ſatisfactionis concurrere in ſatisfactione Chriſti, demonſtratu procliue eſt.

1) Chriſtus in locum omnium peccatorum *ſurrogatus* eſt, eorumque crimina in ſe transtulit. Aperte id docet Paullus, a) 2 Cor. V, 21. *Eum, qui non nouerat peccatum* (inhæſiue), Deus ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis, peccatum fecit* (imputatiue), *vt nos redderemur iuſtitia Dei in ipſo.* Obſ. *Peccatum*, altera vice repetitum in hoc dicto apoſtolico, notat peccatorem *imputatiue* talem, & conſequenter hoſtiam pro peccato. b) Gal. III, 13. *Chriſtus nos redemit ab exſecratione, factus* ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, *pro nobis exſecratio.* E. Chriſtus peccatoribus ſurrogatus culpam eorum in ſe deuoluit *).

2) Chriſtus *luit pœnas* peccatorum noſtrorum. a) Chriſtus dicitur portare peccata noſtra, Eſ. LIII, 4. *Morbos noſtros ille tulit, & dolores noſtros portauit*: 1 Pet. II, 24. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuper lignum.* Conf. Io. I, 29. *Portare*, ſeu ferre peccatum, eſt, *pœnas peccati in ſe ſuſcipere*, atque adeo *luitione pœnarum* pro peccato ſatisfacere **). Qui peccata hominum portauit, is pœnam peccatis debitam luit, & iuſtitiæ diuinæ vindicatiuæ ſatisfecit: Atqui Chriſtus &c. Ergo. b) Pœnas peccatorum noſtrorum Chriſtus in ſe transtulit: quia *ille confoſſus fuit ob præuaricationes noſtras, contuſus ob iniquitates noſtras*, Eſ. LIII, 5. *in mortem traditus*, Rom. IV, 25. *pro peccatis noſtris mortuus*, Gal. I, 4. 1 Cor. XV, 3. 1 Pet. III, 18. Hebr. X, 12, Cum itaque *mors* ſit *ſtipendium peccati*, Rom. VI, 23. ex facili colligitur

*) Non illa ſolum vocula ὑπὲρ, hanc habet ſententiam: *vice alterius;* ſed etiam hæc, ἀντὶ Matth. XX, 28. vnde dicitur ἀντίλυτρον, 1 Tim. II, 6. plane ſicut hebraicum vocabulum, תַּחַת, Gen. XXII, 13. Ieſ. XLIII, 3. 4. Id quondam ſignificatum fuit illuſtri *typo*, nimirum ſacrificiis piacularibus V. T., in quibus Deo offerendis neceſſaria erat *impoſitio manuum.* Hoc enim more indicatam fuiſſe *imputationem peccati*, plane adparet ex adiuncta interpretatione: *feret peccatum, luet pœnas*, Leuit. XXIV, 14. 15. 16. E. hic ipſe ritus, cum confeſſione peccatorum populi ſuper capite hoſtiæ immolandæ coniunctus, in ſacrificiis pro populo, indicio erat, vniuerſi populi peccata illi animali tribuenda eſſe, illudque adeo fore hoſtiam *vicariam.* Hinc Iudæorum & peruetus, & communis eſt hæc dicendi ratio, de eiusmodi ſacrificiis vſitata: נפש תחת נפש.

**) Verba hæc, נשא, & αἴρω, *Sociniani* interpretantur tantum, *auferre*, nullo autem modo, *perferre*, facta imputatione. Nos illis contrariam tuemur ſententiam, & pro ea propugnamus 1) ex iis, quæ de vi vocabulorum, ὑπὲρ, ἀντὶ, תחת, ante diximus; 2) ex interpretatione, quam diſerte nos docuit IESAIAS, c. LIII, v. 6. coll. cum v. 12. יהוה הפגיע בו את עון כלנו; 3) ex perpetua vſurpatione huius loquutionis in ſacra ſcriptura; diuini enim ſermonis conſuetudine, *portare peccatum*, nihil eſt aliud, quam in culpa hærere, ad *pœnam ſubeundam*, Ezech. XVIII, 19. 20. ideoque coniungitur cum expreſſa *pœnæ* denuntiatione, vt Ex XXVIII, 43. Leuit. XX, 17. 19. 20. XXIV, 15. 16. Num. V, 31; 4) ex Synonymo, ſiue vſu alius cuiusdam verbi, quod idem valet, ac נשא, atque ad eamdem rem deſignandam adhibetur, nimirum סבל, Ieſ. LIII, 11; id enim nunquam eſt, *auferre*, ſemper denotat, *perferre*, aliquid in ſe recipere, vt ſibi, tamquam ſuum, tribuatur, ſeu, vt moris eſt loqui, imputetur, atque id ipſum verbum vſurpari ſolet de *pœnis vicariis*, alicui ſurrogatis, ſi quis pœnas luit, *aliorum* culpa promeritas, Thren. V, 7; 5) ex re denique ipſa: Si Chriſtus nihil egiſſet amplius, quam id, quod volunt *Sociniſtæ;* quo demum iure nominandus ipſe eſſet ſponſor noſter? quare opus fuiſſet victima cruenta? num quid etiam eſſet Chriſti proprium ac ſingulare? Nonne etiam Deus Pater & Spiritus S. peccata noſtra a nobis *auferunt*, per veram mentis mutationem ac renouationem?

Digitized by Google

tur, quod Chriſtus *pœnas*, *peccatis* hominum promeritas, in ſe deriuauerit. c) Idem euincunt loca ſcripturæ, in quibus Chriſtus dicitur *oblatus*, aut *ſe obtuliſſe pro peccatis noſtris*, & eſſe ſacrificium illud vnicum, quod per *ſacrificia* V. T. *expiatoria* adumbratum fuit. Vt enim ſacrificia V. T. pro peccatis oblata, expiatoria erant, propter Chriſti ſacrificium vnicum: ita ſacrificium Chriſti per ſe expiatorium & ſatisfactorium eſſe pro peccatis, res ipſa loquitur. *Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad perferendum multorum peccata*, inquit Apoſtolus, Hebr. IX, 28. & cap. X, 12. *Ille poſtquam vnam pro peccatis obtulit hoſtiam, in perpetuum conſedit in dextra Dei.*

3). Chriſtus perſoluit pœnas peccatis debitas, *vt peccator a pœnis abſolueretur.* Dedit enim *Chriſtus animam ſuam* (λύτρον) *pretium redemtionis pro multis*, Matth. XX, 28. *Chriſtus dedit ſe ipſum* (ἀντίλυτρον) *pretium redemtionis pro omnibus*, 1 Tim. II, 6. *Reconciliati itaque ſumus Deo per mortem Filii ipſius*, Rom. V, 10. *& ſanguine Chriſti a peccatis emundamur*, 1 Io. I, 10. *abluimur*, Apoc. I, 5. *vt habeamus in ſanguine ipſius remiſſionem peccatorum*, Eph. II, 10. *& iuſtificemur per redemtionem factam in Chriſto Ieſu*, Rom. III, 24. Sed qui, λύτρῳ perſoluto, reum temporalis & æternæ pœnæ a culpa & pœna liberauit, vt habeat remiſſionem peccatorum, & coram tribunali diuino iuſtus reputetur, is pro eo iuſtitiæ diuinæ vere ſatisfecit: Atqui Chriſtus &c. Ergo.

*Antitheſis* olim fuit *Photini*, *Abælardi*, hodie eſt *Socinianorum*, *Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, qui ſatisfactionem Chriſti pro peccatis noſtris negant, ſequentibus innitentes argumentis. I. Nomen *ſatisfactionis* non habetur in ſacris litteris: E. ſatisfactio Chriſti non eſt credenda. Reſp. Licet *vox*, ſatisfactio, non exſtet in ſacris litteris, *rem* ſignificatam tamen in illis haberi, iam oſtendimus. *).

II. Quidquid poteſt homo præſtare, id multo magis poteſt Deus (cæteroqui homine eſſet impotentior): Sed homo poteſt ſine ſatisfactione peccatum remittere: E.



Reſp.

*) Quamquam *Sociniani* plerique nomen hoc, *ſatisfactio*, ferre nolunt, vtpote huic ſectæ maxime odioſum; non nulli tamen eorum non dubitant illud adhibere. Sed ambigue loquuntur. Id enim, cui *ſatis* poteſt *fieri*, aut *voluntas* eſt, aut *iuſtitia vindicans.* Priori ratione ſcriptum exſtat Marc. XV, 15. ἱκανὸν ποιῆσαι, videlicet voluntati ac deſiderio, add. Luc. XXIII, 24. 25. Adfirmant igitur, *ſatisfactionem* a Chriſto præſtitam eſſe; ſed cuinam? Quippe *voluntati* Patris tantum. Negant autem, ac pernegant, quod etiam *iuſtitiæ vindici* ſatis a Chriſto factum ſit. Veritas, quam nos profitemur, tota proficiſcitur ab hoc principio: quod *iuſtitia* in Deo *vindicans* non arbitraria ſit, vt illi quidem opinantur; ſed omnino *naturalis ac neceſſaria.* Nulla enim in Deo eſſe poteſt proprietas ac perfectio, niſi naturæ diuinæ conuenientiſſima, æque talis ac tanta, qualis & quantus eſt ipſe Deus, nec poteſt aliquid in Deo eſſe, quod non ſit ipſe Deus. Atqui *natura Dei* hæc eſt, quod ipſe vnus eſt *ens neceſſarium*: E. & *iuſtitia divina* non poteſt non *æque* eſſe *neceſſaria.* Quantum ad *rem*, fatentur quidem *Sociniani* in ſua *catech. Racov. pag. 171.* b. edit. in 4. Chriſtum *pro nobis* paſſum ac mortuum eſſe, propterea, vt *peccata noſtra* ipſe *expiaret.* Cum dicunt *expiationem*, intelligunt liberationem partim omnis *reatus pœnæ*, partim *dominii* peccatorum, ne illis in poſterum ſeruiamus. Priorem vero illam partem exiſtimant, nihil eſſe aliud, quam *defenſionem* ab omni pœna, per victimam piacularem, in terra quidem mactatam, in cœlis autem Deo offerendam. Opinantur enim, Chriſtum eo tempore, quo ipſe in terris verſabatur, nondum ſacerdotis munus obiiſſe, nec vere ſacrificaſſe. Itaque pœnas *vicarias*, quas Chriſtus pro nobis ſit perpeſſus, prorſus negant, & eam quoque obedientiam, quam Chriſtus *agendo* præſtitit, quod ea fuerit *vicaria*, penitus infitiantur.

Digitized by Google

Reſp. 1) Non quæritur hic, quid Deus *abſolute* potuerit (an ſcilicet potuerit peccata ſine ſatisfactione remittere): ſed quid *voluerit*, & quomodo voluntatem ſuam de condonandis peccatis reuelauerit. Si citra interuentum ſatisfactionis peccata nobis condonari potuiſſet, credibile eſt, Deum ſapientiſſimum parſurum fuiſſe filio ſuo vnigenito, nec ita facile, nullaque vrgente neceſſitate, eum noſtri cauſſa tantis cruciatibus, mortique ignominioſiſſimæ ſubiecturum fuiſſe. 2) Reſp. ad maior. a) Quidquid homo præſtare poteſt, *citra vllam imperfectionis notam*, illud multo magis poteſt Deus; concedo. Sed non quidquid homo ob quandam *imperfectionem* facit, illud poteſt facere Deus. Homo de loco in locum mouetur, edit, bibit, illud non poteſt Deus Spiritus puriſſimus. Homo remittit, quia ipſe eſt peccator; ſi qua ornatus eſt iuſtitia, illa mutabilis eſt. At Deus eſt perfectiſſime ſanctus, & *iuſtitia* ipſius eſt *naturalis*. b) Quidquid poteſt homo priuatus, illud etiam poteſt facere iudex vniuerſalis; nego. Nam homo priuatus, iniurias poteſt remittere ſine ſatisfactione, ſed *ſaluô iure ſuperioris*. At Deo quis eſt ſuperior? Iudex ſine ſatisfactione non poteſt iuſtificare peccatorem, ſalua iuſtitia: *Qui iuſtificat impium*, *abominatio eſt Iehouæ*, Prou. XVII, 15. *Non parcet oculus tuus*, Deut. XIII, 8. *Non fruſtra magiſtratus cinctus eſt gladio, ſed ob vindictam*, *vt iuſtitiæ fiat ſatis*, Rom. XIII, 4.

III. Quidquid eſt debitum, illud ſine ſatisfactione poteſt remitti: Peccata ſunt ὀφειλήματα, ſeu debita: E. *Minor* liquet ex Matth. VI, 12. Reſp. Diſt. inter *debitum pecuniarium*, *& ſanguinarium*, ſeu delictum. *Illud* citra detrimentum boni publici ex mera liberalitate remitti poteſt, illæſa iuſtitia; non *hoc*. Prou. XVII, 15.

Inſtantia: Etiam delictum gratis remittendum eſt. Reſp. Eli, non puniens delicta filiorum, grauiter Deum offendit, 1 Sam. III, 14. Conf. Deut. VII, 16. c. XIII, 8. 1 Sam. XV, 2. 9. 1 Reg. XX, 42.

IV. Quicunque eſt abſolutus dominus, ille poteſt offenſas remittere ſine ſatisfactione (quia agit, quod vult): Atqui Deus &c. Ergo. Reſp. Quicunque eſt abſolutus dominus, & abſolute agit, nullo habito reſpectu ad *iuſtitiam*, aut *legem*, ille ſine ſatisfactione poteſt remittere. At Deus in negotio iuſtificationis non agit abſolute, ſed vt *iuſtiſſimus iudex*, qui *ſibi ipſi lex*; eſt, & cui *iuſtitia* eſt *naturalis*. Hinc filium ſuum propoſuit ἱλαστήριον, per fidem in ſanguine ipſius, εἰς ἔνδειξιν δικαιοσύνης, Rom. III, 25.

V. Qualis noſtra debet eſſe miſericordia, talis eſt miſericordia Dei, Luc. VI, 36. At noſtra debeſt eſſe gratuita, nullam vrgens ſatisfactionem, Matth. XVIII, 35: Ergo. Reſp. Qualis noſtra debet eſſe miſericordia, talis eſt miſericordia Dei, in *re* & in *ſinceritate rei* cordiali, Matth. XVIII, 35. *non* in *modo rei*, ſeu miſericordiæ; alioqui, exemplo Dei, etiam Pater homo filium ſuum, motus miſericordia in reum, poſſet, aut deberet perimere, quod foret impium.

VI. Deus eſt rex, qui ſine ſatisfactione ſeruo debita remittit, Matth. XVIII, 27. Reſp. Etiamſi in parabola illa *ſatisfactionis Chriſti* non fit mentio, eo, quod Chriſtus non totum negotium remiſſionis peccatorum, ſed tantum principalem fontem miſericordiæ diuinæ declarare, & ad confuſionem noſtræ immiſericordiæ, occaſione a Petro data, dirigere voluit; tamen ſufficiat, eam in aliis ſcripturæ locis proponi.

VII. Quidquid reſpectu Dei Patris eſt impoſſibile, illud non eſt ſtatuendum: At ſatisfactio Filii Dei pro peccatoribus reſpectu Dei Patris eſt impoſſibilis: E. *Minor* prob. Im-

Digitized by Google

Impoſſibile eſt Deum mentiri, Hebr. VI, 18. At vero obſtrinxit ſe Deus, ſe non puniturum vnum pro altero; non patrem pro filio, non filium pro patre, Ezech. XVIII, 20. Reſp. Locus hic impertinenter citatur. Nam a) propheta Ezechiel loquitur de filio, qui eſt *homo merus*; at Chriſtus eſt θεάνθρωπος. b) Dictum prophetæ eſt *legale*, ſed paſſio & mors Chriſti pertinet ad *Euangelium*. Illa vrget ἀκριβοδίκαιον, ſummum rigorem, hoc oſtendit ἐπιείκειαν, & temperamentum iuſtitiæ ac clementiæ. c) Sermo eſt prophetæ *de peccatis perſonalibus, ſeu indiuidualibus patris, non de communibus.* Nam hæc ſolet Deus *etiam in filiis* viſitare Exod. XX, 5. Ioſ. VII, 24. c. XXI, 20. 2 Sam. 21, 6.

VIII. Quicunque iudex innoxium capitali afficit ſupplicio pro nocente, ille neque iuſtus, neque clemens eſt. Ex mente doctorum euangelicorum Deus Pater filium innoxium, pro nocentibus, capitali afficit ſupplicio. E. Reſp. Apoſtolus Petrus inquit, 1 Petr. III, 18. *Ieſus paſſus eſt pro iniuſtis.* Diſt. itaque a) *inter iudicem Deum, & hominem.* Hic innoxium capitali afficere ſupplicio non poteſt, pro nocente, cum non ſit ſummus dominus, non dominus abſolutus vitæ & necis. Nimirum homines vitæ poteſtatem delegatam habent tantum in caſu delicti capitalis, Deus vero ſupremus eſt arbiter vitæ. b) Diſt. *inter innoxium nolentem, & volentem, item inter innoxium omnis culpæ ſimpliciter exſortem, & vel per ſe, vel per imputationem culpæ participem.* Chriſtus innocentiſſimus capitali ſupplicio affectus eſt pro peccatoribus non inuitus, ſed volens, eſtque culpæ humanæ particeps *non* quidem *per ſe*, attamen *imputatiue*, non tantum vt ſponſor, ſed etiam vt agnus, portans peccata mundi. Qui alterius peccata *vltro* portat, is illius ſupplicia in ſe transfert *).

IX. Quicunque homines dilexit prius, quam Chriſtus moreretur, illius iræ aut iuſtitiæ morte Chriſti non fuit ſatisfaciendum: Atqui Deus &c. Ioann. III, 16. Rom. V, 8. Eph. I, 6. E. *Maior* conſtat: quia *dilectio & ira* ſibi opponuntur. Irato, non autem amico, ſatisfit. Reſp. 1) Diſtingu. *inter dilectionem generalem, & ſpecialem. Illa* eſt dilectio miſericordiæ, beneuolentiæ & mediorum ordinatiua; *hæc* eſt complacentiæ & amicitiæ collatiua. Prior locum obtinet in Deo, etiam ſubirato generi humano; poſterior Deum placatum ſupponit. 2) Diſt. *inter iram ſummam, & temperatam. Illa* excludit beneuolentiam, non hæc. Poteſt offenſus (v. gr. hoſtis in bello) de reconcilianda pace cogitans, proponere conditiones pacis, quod eſt amor generalis, beneuolentiæ & placabilitatis; actu autem non placatur, aut amicitiam init cum offendente, niſi ipſi fiat ſatis.

X. Quidquid alterius fieri non poteſt, illud vice alterius in mortem tradi nequit: At vita Chriſti non poteſt peccatoris vita fieri. E. Reſp. Vita vnius non poteſt alterius vita fieri



*) Aliena crimina grauiſſima inſonti cuidam ſponſori tribuere, minime erit iniuſtum, hac lege: 1) Si ſponſor culpam alienam ſua ſponte in ſe recipiat (Pſ. XL, 8. 9.); 2) ſi perfecta gaudeat poteſtate ſui, neque ex alterius arbitrio pendeat (Ioann. II, 19. X, 18.); 3) nec ſuo damno, tametſi non ea conditione natus ſit, vt ſuis promeritis ſibi aliquid adquireret, quum omnia iam poſſideat (ibid. v. 17. Phil. II, 9. ſeqq.); 4) ſi aliorum delicta, ſibi tributa hoc pacto aboleantur, neque aliter fieri poſſit, vt iuſtitiæ violatæ ſatis fiat, ſaluti ſimul eorum, qui deliquerint, conſulatur, ac damnum irreparabile reſarciatur (Matth. XXVI, 39. Rom. VIII, 3.); 5) ſi res agatur eo modo, ne qua libido peccandi ſpe impunitatis ſuſtentetur (Ioann. III, 18. Gal. II, 17. 2 Pet. II, 1. Rom. VI, 1. 2 Cor. V, 14. 15.); 6) ſi Iudex ſummus ſuo decreto in iſtam ſponſionem omnino conſentiat (Ioann. X, 18.). Hæc requiſita in foro humano nuſquam ſunt, ac ne poſſunt quidem vſquam eſſe, nullique homini, præter θεάνθρωπον, conueniunt. Ne mireris igitur, quod huiuſmodi imputationis exemplum ne vnum quidem vnquam in tota hominum vniuerſitate reperiatur.

Digitized by Google

fieri *phyſice*, attamen *moraliter & imputatiue*. Quæ vita licet non ſit eadem numero, eſt tamen eadem ſpecie, & *imputatur* alteri ad impunitatem.

XI. Quicunque non eandem ſuſtinuit pœnam, quam homines damnabiles ſuſtinere tenebantur, is non luit illorum pœnam, adeoque pro ipſis non ſatisfecit: At Chriſtus &c. E. *Minor* probatur: quia peccatorum damnabilium *pœna* eſt *æterna*, nempe mors perennis: At Chriſti mors fuit triduana. Reſp. Quicunque non ſuſtinuit pœnam *eandem*, quam homines damnabiles ſuſtinere tenebantur, *neque* pœnam *æquipollentem*, is non potuit illorum pœnam luere; concedo. At Chriſtus ſuſtinet pœnam æquipollentem æternæ pœnæ; ſubiuit quippe pœnas *infernales intenſiue*, quoad earum vim, pondus ac ſubſtantiam, licet non *extenſiue*, quoad durationem ac ſubiectorum patientium accidentia. *Suſtinuit cruciatuum extremitatem, non æternitatem.*

Inſtantia I. Intelligendo conſequi non poſſumus, quomodo mors triduana vnius hominis multorum millium æternas pœnas æquare poſſit. Reſp. intelligerent hoc aduerſarii, a) ſi agnoſcerent Chriſti θεανθρώπȣ maieſtatem vere diuinam & infinitam, a qua vim & pondus infinitum accipit paſſio & mors mediatoris, vt ſit λύτρον ἰσόῤῥοπον, pretium *æquiualens* pro peccatis totius mundi: b) Si diſtinguerent *inter debitorem, ſiue reum*, ſuper quo ira Dei manet, Ioann. III, 36. & *ſponſorem, vel fideiuſſorem*, qui mortem ſic debuit guſtare, vt abſorberet, 1 Cor. XV, 24. Potuit nimirum Chriſtus *infinito pretio*, per triduum paſſionis, ad vltimum quadrantem totum illud exſoluere, quod omnes homines debebant: E. poterat per triduum exire. Debitores damnati nunquam in inferno, quod debent, exſoluunt: E. nunquam etiam exeunt.

Inſtantia II. Humana natura Chriſti paſſa eſt, quæ non habet infinitam maieſtatem. Reſp. *Deus* in *humana* Chriſti natura paſſus eſt; quippe qui paſſionem & mortem carnis ſibi appropriauit, eiusque paſſioni vim, valorem & pondus addidit.

Inſtantia III. Chriſtus non deſperauit: Ergo infernales pœnas non ſuſtinuit. Reſp. *Deſperatio non* eſt *pars* cruciatuum infernalium, ſed eorum *adiunctum, & conditio* debitoris damnati, qui nunquam exſoluere poteſt, quod debet.

XII. Quidquid offuſcat gloriam gratiæ diuinæ, illud non eſt credendum: At ſatisfactio &c. E. *Minor* prob. quia Deus nobis peccata remittit per viſcera miſericordiæ, Luc. I, 77. & iuſtificamur gratis, Rom. III, 24. At *remiſſio, & ſatisfactio*, iuſtificatio *gratuita, & merito* quodam prouocata, ſe mutuo tollunt. Reſp. *Gratuita remiſſio, & ſatisfactio* non ſe mutuo tollunt, ſed conſiderandum exhibent temperamentum gratiæ, & iuſtitiæ diuinæ. Hæc expoſcit pœnam aut in reo, aut in eius ſponſore. Gratia autem diuina a) remittit peccata, ſine *noſtro merito*; b) ſatisfactionem decreuit & ordinauit, Rom. V, 8. Ioann. III, 16; c) *alienam* ſatisfactionem benigne acceperat, d) eandem, perinde ac ſi nosmet ipſi ſatisfeciſſemus, in nos deriuat. Inde fit, vt habeamus remiſſionem *in ſanguine Chriſti*, ſecundum diuitias *gratiæ* Dei, Eph. I, 7. & iuſtificemur *gratis* gratia Dei, *per redemtionem Chriſti*, Rom. III, 24.

XIII. Scriptura non dicit Chriſtum reconciliaſſe nobis Deum, ſed nos Deo reconciliatos eſſe morte Chriſti: E. Deus nobis non fuit iratus, ſed nos Deum non amauimus, verum odio eundem proſecuti ſumus. Vnde colligitur, *Deum non eſſe reconciliatum*, ſed *nos* morte Chriſti *eſſe conuerſos*, exſtincto odio Dei, & accenſo eiusdem amore. Reſp. Vtique *Deus iratus* erat, quod vel maxime patet ex comminatione diuina, Gen. II, 17. Notanter autem S. ſcriptura dicit, quod *nos* ſimus *Deo reconciliati*, quia a) Deus erat pars offenſa,

b) homo

Digitized by Google

b) homo peccator pars offendens, c) fons & origo reconciliationis reperitur in Deo, non in peccatore *).

XIV. Si Chriſtus Deo Patri ſatisfecit pro peccatis noſtris, maior eius fuit miſericordia in genus humanum, quam Patris; quia hunc permouit, vt noſtri miſereretur & nobis reconciliaretur: Conſequens eſt abſurdum: E. & prius. Reſp. Speculatio de gradibus miſericordiæ diuinæ ſuperuacanea eſt. Commendatur nobis in ſcripturis ſumma Patris caritas, quod Filio non pepercerit, ſed pro nobis in mortem tradiderit, Rom. VIII, 32. Commendatur ſumma charitas Filii, quod pro inimicis mortuus fuerit, Rom. V, 6. 7. *Summus* autem amor *gradus* non admittit.

XV. Paſſio & mors Chriſti eſt exemplum patientiæ, Matth. X, 22. charitatis, Io. XV, 18. humillimi obſequii, Phil. II, 5. E. non eſt λύτρον, aut pretium redemtionis. Reſp. Fines ſubordinati non ſunt opponendi. *Primarius finis* paſſionis & mortis Chriſti eſt vt ſit lytrum: *ſecundarius* eſt, vt ſit exemplum.

XVI. In V. T. homines iuſtificati ſunt ſine lytro, v. gr. Abel. Reſp. Meritum Chriſti valet retrorſum & antrorſum. Abel ſacrificans oculo fidei aſpexit τὸν λόγον incarnandum, agnum occiſum ab origine mundi, Apoc. XIII, 8. & Hebr. XI, 4.

XVII. Doctrina de ſatisfactione ardorem pietatis exſtinguit. Reſp. Non exſtinguit, ſed accendit. Id quod Paullus docet, 2 Cor. V, 15. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, vt qui viuunt, non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.*

Satisfactionem Chriſti per *obedientiam actiuam*, legi diuinæ præſtitam, negauit IOANN. PISCATOR **), cuius argumenta ſunt:

I. Quicunque ipſe obnoxius eſt legi, aliorum loco legi ſatisfacere nequit: Atqui Chriſtus homo &c. E. *Maior* patet: quia *debito* obſequio nihil promeremur. *Minor* prob. quia Chriſtus homo eſt creatura; ſed omnis creatura obſequium creatori debet. Reſp. 1) Chri-

*) Itaque putant *Sociniani*, hanc reconciliationem factam fuiſſe, tamquam actum μονόπλευρον, non δίπλευρον. Nobis vero ſunt clariſſima documenta *mutuæ* reconcilintionis, quod & Deus mundo, & mundus viciſſim Deo reconciliatus ſit. Argumenta, quibus vincimus, ſunt in primis hæc tria: 1) *Deus* dicitur *placatus*, Luc. XVIII, 13. Rom. III, 25. 1 Ioann. II, 2. Verbum, ἱλάσκομαι, hanc obtinet poteſtatem: iram alicuius auertere, propitium reddere eum, qui iratus eſt. H. GROTIVS quidem, in *adnotatt. ad* 1 Ioann. II, 2. vim huius verbi falſo interpretatus eſt: *vires præſtat, ne peccemus in poſterum.* Is tamen alibi, in *defenſ. fid. cathol. de ſatisfact. Chriſti* cap. 7. ſibi ipſe contrarius, recte profitetur: ἱλάσκεσθαι *apud græcos ſcriptores omnes eſt, placare, ſoletque conſtrui cum adcuſatiuo deſignante perſonam, cuius ira auertitur.* 2) Chriſtus dicitur hoc effeciſſe, vt *pacem cum Deo habeamus*, Rom. V, 1. & *eam* quidem *pacem* α) quæ *fundatur* iuſtificatione, v. eod. (hæc autem iuſtificatio poſita eſt in eo, quod peccatorum remiſſionem conſequamur, c. IV, 6. 7. 8. vt nulla deinceps metuenda ſit damnatio, c. VIII, 33. 34.); β) qua *efficitur*, vt nobis aditus pateat ad Deum, cuius quippe gratia hactenus nobis denegata fuerat, v. 2. προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν, id quod illuſtrandum eſt oppoſito, Ieſ. LIX, 2; γ) cui *opponitur*, quæ nos damnat ac perdit, *ira*, v. 9. cit. cap. V. ep. ad Rom. E. *reconciliatio* v. 10. ita debet intelligi, vt Deus ſit placatus, eiusque ira a nobis declinata. Locus huic finitimus exſtat Epheſ. II, 17. add. v. 3. 16. & 18. 3) Quales ſunt *inimicitiæ*, talem quoque oportet fieri *reconciliationem:* Atqui *illæ* vtique ſunt *mutuæ*, nec homo ſolum impius infenſo atque inimico in Deum eſt animo, Rom. VIII, 7. ſed & Deus ſanctiſſimus in hominem improbum, Pſ. V, 5. 6. Ieſ. LXIII, 10. Ioann. III, 36. Rom. V, 10. coll. cum antec. v. 9. De *vtraque* vid. Rom. VIII, 7. & 8.

**) Qui noſtra ætate Illuſtr. Comitem ZINZENDORFIVM ducem ſequuntur, ſilentio tranſeunt eam, quam Chriſtus *agendo* præſtitit, obedientiam. Semper illis in ore verſantur *ſanguis & vulnera*, nihil amplius.

Digitized by Google

1) Chriſtus *non tantum* vt *homo*, ſed vt θεάνθρωπος, legi diuinæ ſatisfecit; quamuis humana Chriſti natura ſit *creatura*, ſubſiſtit tamen in hypoſtaſi τȣ̃ λόγȣ & *particeps diuinitatis* eſt, adeoque non per ſe obnoxia eſt legi *).

II. Si Chriſtus noſtri loco legem impleuit, nos ad eandem implendam non obſtringimur: Poſterius eſt falſum: E. & prius. Reſp. Nos non tenemur legem implere *ſatisfactionis cauſſa;* tenemur tamen legem obſeruare *ad declarandam fidem & præſtandum obſequium.*

III. Chriſtus *vna* oblatione conſummauit in perpetuum ſanctificandos, Hebr. X, 14. E. Satisfactio Chriſti, per *obedientiam legi præſtandam*, non fuit neceſſaria. Reſp. Vnica oblatio Chriſti non obedientiæ actiuæ, ſed repetitioni victimarum, quæ præcepta erat in V. T. opponitur.

IV. Actio vnius non poteſt eſſe alterius actio: Impletio legis eſt actio Chriſti: E. impletio legis non poteſt eſſe noſtra actio. Reſp. Actio conſideratur vel *phyſice*, prout eſt motus agentis, vel *moraliter*, prout eſt bona, vel mala. Non phyſice, ſed *moraliter* actio vnius poteſt eſſe alterius per imputationem. Sic laudabile factum Phineæ, occidentis ſcortantes, imputabatur omnibus Iſraëlitis, vt auerteretur plaga, Num. XXXV, 8.

V. Si Chriſtus ſanctimonia vitæ ſuæ pro nobis Deo ſatisfecit, mors eiusdem erit ſuperflua: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur: quia, ſi impletio legis a Chriſto præſtita, nobis imputatur a Deo in iuſtitiam, quid opus erit imputatione mortis Chriſti? Reſp. Neg. *Conſequ.* Mai. Nam ob *duplicem finem* nobis ſalutarem *gemina ſatisfactione* opus eſt. Nos peccatores ſumus 1) *iniuſti ob contractam culpam* 2) *damnabiles ob promeritam pœnam.* Chriſtus *patiendo & moriendo*, noſtras in ſe deuoluit *pœnas*, vt eſſemus immunes a pœna & damnatione; *ſanctiſſime agendo*, *legem* noſtri vice perfectiſſime *impleuit*, vt redundantem ex impletione legis iuſtitiam non in ſe, ſed in nos deriuaret.

Quæſt. LXXIX. *Eſtne mors & oblatio Chriſti in cruce verum ſacrificium, vt propter illud Chriſtus proprie dicatur ſacerdos?*

Mors Chriſti, quam is in ara crucis oppetiuit, eſt *verum ſacrificium propitiatorium*, propter quod Chriſtus *in his terris* fuit *verus*, proprie dictus & conſummatiſſimus *ſacerdos*.

Prob. 1) E teſtimonio Paullino, Eph. V, 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis, oblationem & ſacrificium Deo in odorem ſuauitatis.* Quo tempore Chriſtus ſe in mortem tradidit, eodem obtulit Deo gratiſſimum ſacrificium: Atqui eo tempore, quo Chriſtus cruci affixus eſt, ſe in mortem tradidit: Ergo.

2) E teſtimonio Petrino, 1 Ep. II, 24. *Chriſtus ipſe peccata noſtra tulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Quo tempore impoſita ſunt Chriſto peccata noſtra ferenda ſuper lignum crucis, eodem vere pro peccatis noſtris factus eſt ſacrificium: Atqui tempore paſſionis &c. E.

3) Ex ſacrificiorum ratione quæ conſiſtit in mactatione, Leu. I, 3. Sed Chriſtus mactatus & occiſus eſt in terra.

4) Ex

*) Accedit hoc: quod Chriſtus non propter ſe, ſed propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, homo factus eſt. Leges diuinæ omnes ſancitæ ſunt eo conſilio, vt nobis ſint media ad noſtram felicitatem, ad bene beateque viuendum. Qualis autem eſt *finis* humanæ naturæ, tales etiam non poſſunt non eſſe vniuerſæ *actiones*, eidem conuenientes. Quum igitur humanæ *in Chriſto* naturæ conſtitutus fuerit *finis* quidam prorſus *ſingularis*, vt non ſibi ipſe, ſed nobis viueret, mortemque oppeteret, ac rediuiuus in gloriam ingrederetur: conſequens eſt, ut non ſui, ſed hominum omnium cauſa, legi ſatis ipſe vnus fecerit.

Digitized by Google

4) Ex mundatione peccatorum, antegreſſa aſcenſionem in cœlum, de qua Apoſtolus, Hebr. I, 3. *Chriſtus per ſeipſum mundationem peccatorum poſtquam feciſſet, conſedit in dextra maieſtatis in altis.* Loquitur Apoſtolus de *acquiſitione* mundationis peccatorum, quæ ante ſeſſionem Chriſti ad dextram Dei abſoluta eſt; *applicatio* vero eiusdem, qua participes reddimur remiſſionis peccatorum, continuatur, donec hæc mundi machina ſtabit.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum,* ſtatuentium, mortem Chriſti fuiſſe tantum præparationem ad ſacerdotium ipſius, & ſacrificium Chriſti *non in terris* peractum eſſe, ſed peragi demum *in cœlis.* Quorum potiora argumenta ſunt;

I. Quicunque non eſt ſacerdos in terra, in terra non potuit ſacrificium offerre: Atqui Chriſtus &c. Ergo. *Minor* conſtat ex Hebr. VIII, 4. *Siquidem eſſet ſuper terra, neque ſacerdos eſſet.* Reſp. Verbis Apoſtoli non ſimpliciter *locus*, *ſed ſtatus terreni ſacerdotii* excluditur, vt ſenſus ſit: Si Chriſtus eſſet *ſuper terra*, ſiue *terrenus typicusque ſacerdos*, non eſſet ſacerdos noſtræ redemtioni ſufficiens.

II. Vt omnia ea, quæ pontifex veteris teſtamenti faciebat in mactanda pecude, priusquam in ſanctum ſanctorum ingrederetur, apparatio tantum erant ad futurum ſacrificium: ſic quoque ipſa Ieſu Chriſti afflictio & mors præparatio tantum quædam ad ſacrificium ipſius fuere, quod in cœlum ingreſſus reipſa perfecit. Reſp. Toto cœlo *Sociniani* aberrant a vero. Nam ſacrificabant ſacerdotes V. T. in *ſancto*, ſiue tabernaculo priori, at *non* in *ſancto ſanctorum*, quippe in quo non erat altare, ſacrificiis deſtinatum. Semel in ſanctum ſanctorum ingreſſus fuit pontifex; at non ſemel tantum in anno ſacrificatum fuit. Pontifex iam ſacerdos fuit, antequam ſanctum ſanctorum ingrederetur; ita & Chriſtus antequam ingrederetur cœlum.

Inſtantia: Sed Chriſtus per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta, ita, vt æternam redemtionem inuenerit, Hebr. IX, 12. E. oblatio ſanguinis Chriſti in cœlo facta eſt. Reſp. Chriſtus ſacerdos ingreſſus eſt in ſancta per ſanguinem, ſed in ſanctis ſanguinem in ſacrificium non obtulit. Aliud eſt *oblatio, aliud præſentatio ſanguinis.* In V. T. ſanguinis præſentatio & coram Deo comparitio in ſancto ſanctorum poſt peractum ſacrificium fiebat, non ipſum ſacrificium. Sic quoque *oblatio ſacrificialis* ſanguinis Chriſti facta eſt in paſſione, Hebr. IX, 27; *præſentatio* autem ſanguinis facta eſt in cœlo, vt appareat nunc Chriſtus in conſpectu Dei pro nobis, i. e. intercedat pro nobis, Hebr. IX, 14.

III. Habemus pontificem, qui cœlos penetrauit, Hebr. IV, 14. E. Chriſtus ſacerdos eſt in cœlo. Reſp. Concedimus, ſacerdotem noſtrum eſſe in cœlo, intercedendi pro nobis cauſſa. At exinde non ſequitur, quod Chriſtus non fuerit ſacerdos in terra, neque ibi ſacrificauerit: ſicut non ſequitur: Propheta Elias in cœlum aſcendit; E. non fuit propheta in terra, ſed in cœlo demum propheta factus eſt. Apoſtolus deſcribit *non tempus ſacerdotii, ſed ſacerdotis noſtri ſtatum glorioſum.*

### Quæſt. LXXX. *Pro quibus Chriſtus Deo ſatisfecit?*

Chriſtus ſatisfecit Deo triuni *pro omnibus peccatis* a) *omnium hominum* in peccata prolapſorum b), & pro *omnibus* peccatorum *pœnis* c).

Prob. a. 1) e teſtimonio Ioanneo, 1 Ep. II, 2. *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris: immo non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi* (peccatis). Hoc dicto vniuerſalitas meriti & ſatisfactionis Chriſti apertiſſime ſtabilitur. Nam Apoſtolus procedit a fidelium commemoratione ad vniuerſum genus humanum, luculenta admodum ampliatione, inquiens: *non pro noſtris tantum*, ſed *& pro totius mundi peccatis.* Quæ quidem ampliatio ad ſolidam conſolationis apoſtolicæ vim perneceſſaria erat, ne quisquam peccatorum deſperet,



Digitized by Google

& ab interceſſionis huius paracleti fructu ſalutari ſeſe excluſum, dubitationum fluctibus abreptus, præſumat.

2) E teſtimonio Paullino: *Chriſtus dedit ſeipſum pro nobis, vt nos liberaret ab omni iniquitate*, Tit. II, 14. Redemit nos Chriſtus ab *omnis peccati reatu*, quia *ſanguine ſuo nos ab omni peccato emundat*, 1 Ioann. I, 7.; nec non ab *omnis peccati dominio*, vt *liberi facti a peccato ſeruiamus iuſtitiæ*, Rom. VI, 18.

Prob. b. 1) Ex illis ſcripturæ dictis, quæ manifeſto *vniuerſalia* ſunt. In V. T. oraculum Ieſaianum luce clarius eſt, c. LIII, 6. *Nos omnes quaſi oues errauimus, vnusquisque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo* (Meſſia) *iniquitatem omnium noſtrum.* In N. Teſt. non minus lumen diffundunt eloquia apoſtolica: a) Rom. VIII, 32. *Deus proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*: b) 2 Cor. V, 14. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, omnes mortui ſunt:* c) Hebr. II, 9. *Ieſus gratia Dei pro omnibus guſtauit mortem:* d) 1 Tim. II, 6. *Vnus mediator Dei & hominum, qui dedit ſeipſum* (ἀντίλυτρον) *pretium redemtionis pro omnibus.*

2) Ex illis ſcripturæ dictis, quæ meritum Chriſti *etiam ad reprobos*, & ſua culpa pereuntes extendunt: a) Rom. XIV, 15. *Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt:* b) 1 Cor. VIII, 11. *Et peribit frater infirmus in tua ſcientia, propter quem Chriſtus mortuus eſt:* c) 2 Petr. II, 1. *Inter vos erunt pſeudo-doctores, qui ſubinducent hæreſes perditionis, & eum, qui mercatus eſt illos, Dominum abnegantes, inducentes ſibi ipſis celerem interitum:* d) Hebr. X, 29. *Peccantes in Spiritum S. dicuntur ſanctificati ſanguine fœderis.*

Prob. c. 1) Eſ. LIII, 5. *Caſtigatio noſtræ pacis ſuper eo* (fuit) *& vulnere eius ſanitas data eſt nobis.* Obſ. מוסר notat *caſtigationem*, ſeu afflictionem, quæ *pœnæ* rationem habet, ob culpam vel propriam, vel imputatam. Dicitur *caſtigatio pacis*, quia caſtigatione vel afflictione Chriſti nobis pax & impunitas acquiſita eſt, q. d. ideo Chriſtus ob peccata hominum ſuſtinuit pœnas, vt homines a pœnis eſſent immunes.

2) Gal. III, 13. *Chriſtus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Maledictio* eſt ſententia legis diuinæ exſecratoria & damnatoria, de ſubeundis pœnis temporalibus & æternis peccato debitis. *Chriſtus* autem factus eſt *pro nobis maledictio*, i. e. maledictus, vel exſecrabilis, per diuinam noſtrorum peccatorum & ſuppliciorum in ipſum coniectionem, deriuationem & imputationem, eo fine, vt nos a maledictione legis, i. e. pœna temporali & æterna, quam lex denuntiat, redimeret, vel ſoluto pretio liberaret.

*Antitheſis* eſt *Perkinſii, Piſcatoris, Ianſenii, Weigelii*, & aliorum, vniuerſalitatem ſatisfactionis & meriti Chriſti negantium; qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. *Chriſtus dedit animam ſuam pretium redemtionis pro multis*, Matth. XX, 28. Ergo *non* pro *omnibus*. Reſp. Non eſt accurata oppoſitio *omnium, & multorum*. Nam & omnes homines multi ſunt. Nulla igitur ſequela eſt: Chriſtus ſanguine ſuo redemit *multos*, ergo *paucos electos* *).

II. Pro

*) *Multitudo* interdum dicitur *vniuerſitas* hominum, præſertim tum, cum *multi* opponuntur *vni*. Exemplum omnium maxime perſpicuum eſt Rom. V, 19. quo in loco πολλοὶ non poſſunt non eſſe πάντες, nemine excepto. Id quod plane adparet 1) ex *oppoſitione*, & ea quidem duplici, α) *verborum*, namque πολλοὶ opponuntur τῷ ἑνὶ, β) *loquutionum* ac *rerum*; quem ad modum enim *multi* dicuntur *peccantes*, nimirum ad vnum omnes (qua in cauſa nobiscum conſentiunt *Reformati*): ita pariter *multi* vocantur *iuſtitia donati* (quantum ad adquiſitionem) videlicet omnes, nullo demto; 2) ex *interpretatione*; etenim qui in hoc verſu dicuntur πολλοὶ, iidem v. 12. & 18. adpellantur πάντες.

Digitized by Google

II. Pro quibus Chriſtus *non rogat*, pro iis non eſt mortuus: Eſt enim tam interceſſio, quam ſatisfactio actus ſacerdotalis, adeoque æqualis latitudinis: At Chriſtus non rogat pro omnibus, Ioann. XVII, 9. Ergo. Reſp. Diſt. inter *interceſſionem Chriſti generalem, & ſpecialem. Illa* orat pro omnibus, vt conuertantur; *hac* pro fidelibus interpellat, vt in agnita veritate & concordia ſeruentur.

III. Pro quibus Chriſtus mortuus eſt, illos Deus Pater dilexit, Rom. V, 8. At *reprobos non dilexit* (quomodo enim diligeret Deus eos, quos reprobat?). Ergo. Reſp. Diſt. *inter amorem beneuolentiæ, & amicitiæ.* Pro quibus Chriſtus mortuus eſt, illos Deus dilexit *amore beneuolentiæ*; qua ratione & reprobos, non qua reprobos, ſed qua creaturas & homines dilexit.

IV. Pro quibus Chriſtus eſt mortuus, eos Patri reconciliauit & ſeruat, Rom. V, 10. Conf. 2 Cor. V, 14. Atqui *reprobos* Chriſtus *non reconciliauit, nec ſeruat:* Ergo. Reſp. a) *Maior* eſt bimembris: 1) quod *reconciliati* ſint, pro quibus Chriſtus mortuus eſt; 2) quod ſint *ſeruati. Reconciliatio* intelligitur vel ratione *meriti*, in quantum eſt *acquiſita*, vel ratione *fructus & euentus*, quatenus ad ſalutem eſt *applicata*. Si intelligatur reconciliatio *priori ſenſu*, conceditur *maior*, & negatur *minor*. Nam Chriſtus eſt propitiatio pro totius mundi (ergo & reproborum) peccatis. Si intelligatur *poſteriori* ſenſu, negatur *maior*. Rom. V, 10. intelligitur *reconciliatio* admiſſa & *applicata*. Quod attinet ad poſterius membrum, ſiue *conſeruationem*, ad eam requiritur conſtantia gratiæ reconciliatæ, adeoque qui cum ſalutari effectu ſunt reconciliati, & in ſtatu gratiæ permanere connituntur, ſeruantur.

V. Quibus ſatisfactio Chriſti non annuntiatur, pro illis Chriſtus non ſatisfecit: ceteroqui plane inutilis iisdem foret ſatisfactio & meritum Chriſti. Atqui non omnibus &c. Ergo. *Minor* conſtat: quia multi dantur gentiles, quibus euangelium de morte Chriſti non eſt annuntiatum. Reſp. Quibus ſatisfactio Chriſti non annuntiatur *deſtinata voluntate & conſilio Dei*, pro illis Chriſtus non eſt mortuus. At, quod multis gentilibus ſatisfactio Chriſti non annuntiatur, id non fit deſtinata voluntate & conſilio Dei, gratiam vocationis ſimpliciter denegantis, ſed *culpa hominum*, qui verbum euangelii, quo ſatisfactio Chriſti annuntiatur, repellunt. Act. XIII, 46.

VI. Quicunque mortuus eſt pro omnibus hominibus, ille etiam mortuus eſt pro damnatis: At Chriſtus non eſt mortuus pro damnatis. E. *Minor* patet: quia Chriſtus pro iis mortuus eſt, qui æternæ ſalutis capaces ſunt, quales non ſunt damnati. Reſp. Damnati conſiderantur vel in ſenſu *diuiſo*, vel in ſenſu *compoſito*. In ſenſu *diuiſo, damnati* dicuntur, qui in ſtatu viæ media gratiæ, quibus ſatisfactio Chriſti offertur, petulanter reiecerunt, adeoque propria culpa condemnationem ſibi attraxerunt: in ſenſu *compoſito, damnati* dicuntur, qui, finalem adepti ſententiam, in barathrum inferni ſunt proiecti. Chriſtus ſatisfecit Deo pro *omnibus* hominibus, etiam pro *damnatis*, *quatenus* erant in via, & condemnationem, ſi admiſiſſent media gratiæ, *effugere poterant*.

VII. Quorum cauſſa Chriſtus non eſt miſſus, pro iis non eſt mortuus. At non omnium hominum cauſſa Chriſtus eſt miſſus, Matth. XV, 24. E. Reſp. Diſt. inter officium Chriſti *ſacerdotale, & propheticum. Illud* eſt vniuerſale, *hoc* exercetur διακονίᾳ Chriſti vel *immediata*, vel *mediata*. Chriſtus *immediatam* functionem propheticam obiuit ad Iſraëlitas; *mediatam* per Apoſtolos ad gentes. Satiandi enim erant filii prius, quam canes.

VIII. Chriſtus mortuus eſt pro *ouibus*, Ioann. X, 15. pro *electis*, Rom. VIII, 34. E. non pro hædis, non pro reprobis. Reſp. Neg. conſequentiam. Chriſtus quidem mortuus



Digitized by Google

eſt pro ouibus, ſed non ſolis. Eadem ratione forte quis colligeret: Reſurgent pii: E. non impii.

IX. Chriſtus reprobos nunquam agnouit, Matth. VII, 23. E. pro illis non eſt mortuus. Reſp. Chriſtus reprobos nunquam agnouit, *notitia ſpeciali;* notitia vero *generali* nullum hominem non cognoſcit.

X. Pro quibus Chriſtus eſt mortuus, illi accipiunt remiſſionem peccatorum. At *non omnes* homines *accipiunt remiſſionem peccatorum.* E. *Maior* conſtat ex Eph. I, 7. Col. I, 14. vbi redemtio facta morte Chriſti per remiſſionem peccatorum ἐξηγητικῶς declaratur. Reſp. Diſt. inter remiſſionis peccatorum *acquiſitionem*, & *applicationem.* Pro quibus Chriſtus eſt mortuus, illi, *applicantes ſibi* mortem Chriſti, accipiunt remiſſionem peccatorum.

Quæſt. LXXXI. *An Chriſtus morte ſua etiam angelos Deo reconciliauit?*

Chriſtus morte ſua *non* reconciliauit Deo *angelos* a), neque *bonos* b), neque *malos* c).

Prob a. 1) Chriſtus dicitur mediator *Dei & hominum*, 1 Tim. II, 5. non autem mediator Dei & *angelorum.*

2) Chriſtus non angelorum naturam aſſumſit, & perſonaliter ſibi vniuit, Hebr. II, 16. E. angelos non redemit. Τὸ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον, inquit GREG. NAZIANZ.

Prob. b. Angeli *boni*, cum non tantum peccati expertes, ſed & a peccandi periculo immunes ſint, ſatisfactore non indigent.

Prob. c. Angeli *mali* iudicio diuino ſunt immiſerabiles, ait DANNHAV. *hodoſ. phænom. VII. p.* 532. quippe qui *vinculis perpetuis ſub tenebris in iudicium magni diei reſeruantur*, Iud. v. 6. Non ergo illis deſtinatus eſt mediator, qui vincula illa perpetua ſoluat.

Dicis: Paullus diſerte inquit Eph. I, 10. *Deus propoſuit inſtaurare omnia in Chriſto. & quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt*, Conf. Col. I, 19. Reſp. Non angeli in cœlo per Chriſtum ſunt reconciliati Deo, vtpote cui nunquam fuerunt inuiſi; ſed homines reconciliati ſunt angelis per Chriſtum. Nam Deo reconciliato conſtituta etiam eſt pax cum angelis. Conf. Luc. II, 14. c. XV, 10.

Quæſt. LXXXII. *An Chriſtus, qua homo, obedientia ſua quidquam meruit ſibimet ipſi?*

Chriſtus, *qua homo*, obedientia ſua *nihil ſibi meruit.*

Prob. 1) Quia Chriſtus per vnionem perſonalem omni plenitudine diuinitatis donatus, Col. II, 9. & oleo lætitiæ (donis Spiritus S.) præ conſortibus ſuis vnctus eſt, Pſ. XLV, 8. Ergo non neceſſe fuit, vt ſibi quidquam mereretur.

2) Chriſtus nomen ſuper omne nomen nactus eſt ex gratia, Phil. II, 9. & per κληρονομίαν, Hebr. I, 4. E. non ex merito.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum & Socinianorum*, ſtatuentium, Chriſtum humillima ſua obedientia ſummam & ſingularem gratiam ſibi meruiſſe. Qui vrgent

I. particulam, διὸ, Phil. II, 9: *Quapropter & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen ſuper omne nomen.* Reſp. Particula, διὸ, ab Apoſtolo non ſumitur αἰτιολογικῶς, *cauſſaliter*, ſed συλλογιστικῶς, *ratiocinatiue*, & indicat *non cauſſam meritoriam*, ſed *ordinem & conſequentiam.* Humiliatio enim fuit via, per quam Chriſtus ad gloriam peruenit, non cauſſa meritoria.

II. Hebr. II, 9. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria coronatum.* Reſp. Particula, διὰ, latine reddenda, *per*, notat viam ad gloriam & honorem, non meritum, q. d. Vide-

Digitized by Google

Videmus Ieſum coronatum quidem eſſe gloria, non tamen niſi *per* paſſionem mortis; hoc eſt: vt prius mortem pateretur, atque hac via in gloriam ingrederetur. Conf. Luc. XXIV, 16.

Quæſt. LXXXIII. *Quid eſt interceſſio Chriſti?*

*Interceſſio Chriſti* eſt *alter actus officii ſacerdotalis, quo Chriſtus* θεάνθρωπος, *vi vniuerſi meriti ſui, pro omnibus hominibus, inprimis vero electis ſuis, vere proprieque, at ſine vlla maieſtatis ſuæ imminutione interpellat, ad impetrandum iisdem, quæcunque corpori, atque animæ præcipue, ſalutaria eſſe nouit.* *Interceſſio.*

Quæſt. LXXXIV. *Qualis eſt interceſſio Chriſti?*

Interceſſio Chriſti *non* eſt *nude interpretatiua*, per oſtenſa merita a), *non humilis*, per ſubmiſſionem b); ſed eſt ἱλαστική, *expiatoria* c), & *efficax* ad impetrandum bona hominibus ſalutaria d).

Prob. a. Quamuis veriſſimum ſit, Chriſtum mouere Deum Patrem virtute ſacrificii ſui ſemel oblati, vt peccatoribus propitius ſit; plus tamen infert verbum ἐντυγχάνειν, Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 27. de interceſſione Chriſti vſurpatum, quam *realem* illam quidem, at *mutam* oſtenſionem meritorum; quippe quæ ad priorem actum officii ſacerdotalis Chriſti pertinere videtur. Eſt itaque interceſſio Chriſti *non tantum realis*, ſed & *vocalis* & *oralis*.

Prob. b. Non eſt nobis hic ſermo de *humili* interceſſionis modo, qui ad ſtatum exinanitionis & dies carnis pertinuit, Hebr. V, 7. vbi *preces & ſupplicationes ad eum, qui poterat ſeruare ipſum ex morte, cum clamore valido & lacrymis obtulit*; ſed de interceſſione illa, qua Chriſtus *ſedens ad dextram Dei intercedit pro nobis*, Rom. VIII, 34. Vocatur a DANNHAV. *hodoſ. phænom. VIII. actio theandrica*, adeoque *humiliter ſublimis* & *ſublimiter humilis*. Præclare inquit GREGOR. NAZIANZ. *orat. XXXVI. Non fas eſt, cum interpellationis vocem audimus, animo concipere Chriſtum, noſtri cauſſa ad pedes æterni Patris ſe aduoluentem. Procul ſit iſta ſeruilis ſuſpicio, ſpirituque indigna! Neque enim Patris eſt, hæc expoſcere, aut Filii, pati, nec de Deo cogitare, pium ac æquum eſt.* Maieſtate plena eſt interceſſio Chriſti, Io. XVII. 24. *Volo, vt vbi ego ſum, etiam illi ſint mecum, vt videant gloriam meam.*

Prob. c. Eſt interceſſio Chriſti ἱλαστική, ſeu *expiatoria*, propterea, quod fundamentum huius interceſſionis eſt Chriſti interceſſoris ſatisfactio, ſeu vniuerſum meritum. Nam per & propter cruentam ſatisfactionem, ſiue vi meriti ſui, Chriſtus ſacerdos pro nobis interpellat. Hinc dicit Apoſtolus, Rom. VIII, 34. *Chriſtum pro nobis mortuum, & iam ad dextram Dei euectum, pro nobis interpellare*; & Hebr. XII, 24. *ſanguinem Chriſti meliora loqui, quam ſanguinem Habelis.*

Prob. d. *Efficax* eſt interceſſio Chriſti, ſummi ſacerdotis; quia quidquid ille petit a Patre, gratum probatumque ipſi eſt. Io. IX, 22. Efficax eſt interceſſio Chriſti ad ſalutem nobis impetrandam, licet effectu non fruantur, qui in Chriſtum non credunt. Proinde dicitur *efficax*, ratione ſalutaris *Chriſti intentionis*, non ratione euentus in incredulis & reprobis.

Quæſt. LXXXV. *Quotuplex eſt interceſſio Chriſti?*

Interceſſio Chriſti eſt *duplex*, *generalis*, & *ſpecialis*. *Generali* interceſſione orat Chriſtus Patrem pro *omnibus* hominibus, vt ſalutaris mortis ſuæ fructus



Digitized by Google

illis applicetur a); *ſpeciali* interceſſione orat pro *renatis & electis*, vt in fide & ſanctitate conſeruentur atque creſcant b).

Prob a. 1) Interceſſit Chriſtus *pro transgreſſoribus*, Eſ. LIII, 12. Luc. XXIII, 34. pro *crucifixoribus* ſuis indefinite, *nullo excepto*, orauit. At ſine dubio quidam eorum perſtiterunt in impietate ſua. Chriſtus autem, pro illis orans, oſtendit, quod quantum in ſe eſt, non velit illos fructu mortis ſuæ priuari, ſed potius conuerti & ſaluari.

2) Quorum hominum Chriſtus eſt *mediator*, illorum eſt *deprecator:* eſt enim interceſſio actio mediatoria. Sed Chriſtus *omnium* hominum eſt *mediator*, 1 Tim. II, 5. E. & *omnium deprecator*.

Prob. b. Io. XVII, 9. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Per *mundum* intelligit Saluator homines mundanos, concupiſcentiis carnis indulgentes, & præfracte impios, pro quibus ipſe *ſpeciali* deprecatione *non ita* interpellat, vt pro Apoſtolis, a Patre datis in ſcholam & diſciplinam Chriſti. Quomodo pro his oret, legimus Io. XVII, 11. *Pater ſancte, ſerua eos per nomen tuum, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos!* & v. 15. *Non rogo, vt tollas eos e mundo, ſed vt ſerues eos a mundo.* Porro v. 17. *Sanctifica eos in veritate tua.* E quibus colligitur, Chriſtum pro renatis & electis *ſic* interpellare, vt a malo præſeruentur, in vnitate fidei conſeruentur, & verbo veritatis magis magisque ſanctificentur.

Quæſt. LXXXVI. *Num Chriſtus in cœlis etiam pro nobis intercedit?*

Intercedit Chriſtus, *euectus ad dextram Dei, vere proprieque* pro *omnibus* hominibus, *in primis* pro *renatis & electis*.

Prob. 1) Ex officio ſacerdotali: *Chriſtus in cœlis eſt ſacerdos*, Hebr. VII, 24. *non* per *oblationem victimæ*, Hebr. X, 12. E. per *interceſſionem*.

2) E teſtimonio apoſtolico: *Chriſtus eſt in dextra Dei, & intercedit pro nobis*, Rom. VIII, 34. Conf. Hebr. VII, 24. 25. c. IX, 24.

3) Ex munere paracleti, ſeu aduocati, 1 Io. II, 1, *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ne peccetis, & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, iuſtum.*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, & nonnullorum *Pontificiorum*, contendentium, interpellationem Chriſti *in cœlis non* eſſe *veram & propriam*, ſed apparitionem coram Deo, glorioſam corporis Chriſti præſentationem; qui ſuam opinionem ſequentibus muniunt argumentis.

I. Quicunque factus eſt omnium Dominus, abſoluta pollens poteſtate in negotio ſalutis, ille pro nobis proprie non intercedit. Ratio: quia non precario dominum agit: Atqui Chriſtus &c. Matth. XXVIII, 18. E. Reſp. Diſt. *inter interpellationem humilitatis per ſubmiſſionem, & auctoritatis per glorioſam poſtulationem.* Non illa, ſed hæc cum collata plena poteſtate, & dominio ſummo conſiſtere poteſt.

II. Non indigemus interceſſione vera; quia *ipſe Pater nos amat*, Io. XVI, 26. 27. Reſp. Quando Chriſtus dicit, ſe non oraturum eſſe pro diſcipulis, id *non* intelligendum eſt ἁπλῶς, *ſimpliciter*, eo, quod Chriſtus capite proxime ſequente XVII. quam maxime pro diſcipulis orat, ſed κατά τι, ſiue *ſecundum quid*, vt ſenſus ſit: quod Chriſtus ſolus poſthac pro diſcipulis orare nolit; non quaſi Pater iratus in conſpectum ſuum diſcipulos admittere nolit, ſed quod Pater reconciliatus ipſos amet in Chriſto, in quem credant, eorumque preces beniгniſſime accepturus ſit, vt viſibilis præſentiæ Chriſti ſubtractione commodo diſcipulorum nihil decedat.

III. In-

Digitized by Google

III. Interceſſio Chriſti in cœlis deſcribitur per ἐμφανισμὸν, ſeu glorioſam apparitionem Chriſti, & ſtatui gloriæ conformem præſentationem: E. non eſt interpellatio proprie dicta. Reſp. Ἐμφανισμὸς, ſeu comparatio coram facie Dei, non tollit ἔντευξιν, ſeu interceſſionem proprie dictam. *Illa* præcedit, *hæc* ſequitur, Rom. VIII, 34.

Quæſt. LXXXVII. *Quis eſt finis officii Chriſti ſacerdotalis?*

*Finis* officii Chriſti *ſacerdotalis* eſt, ex parte *Dei*, demonſtratio a) diuinæ *iuſtitiæ;* b) diuinæ *miſericordiæ:* ex parte *noſtri*, eſt *redemtio* c). *Finis O. S.*

Prob. a. Ex Rom. III, 25. *Deus propoſuit Chriſtum Ieſum* ἱλαστήριον, *propitiatorium, per fidem in ipſius ſanguine in demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ.* Obſ. 1) Chriſtus dicitur ἱλαστήριον, *propitiatorium;* quia ſua ipſius morte & ſanguinis proprii effuſione Deum ob peccata noſtra nobis infenſum placauit. 2) Chriſtus eſt ἱλαστήριον *per fidem in ipſius ſanguine;* quia fiducia noſtra nititur ſanguine Chriſti, pro nobis effuſo, ſine qua ſanguinis Chriſti effuſione nulla eſt propitiatio. 3) Deus propoſuit Chriſtum ἱλαστήριον εἰς ἔνδειξιν δικαιοσύνης ἀυτȣ̃, *in demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ.* Per *iuſtitiam* intelligimus iuſtitiam *peccati vindicatricem;* propterea, quod Paullus agit de iuſtitia fundata in ſanguine fuſo, ſeu quæ exigit mortem cruentam. At vbi demonſtratur iuſtitia in exactione mortis cruentæ, ibi declaratur iuſtitia vindicatiua. Oportuit igitur ſacerdotem Chriſtum, ex decreto diuino expiaturum peccata hominum, cruentam obire mortem, vt ex hac peccatoribus clariſſime innoteſcat, Deum, iuſtiſſimum iudicem, crimina hominum non dimittere impunita, cum ea tam ſeuere in Filio ſuo, generis humani mediatore, vindicauerit.

Prob. b. Ex Rom. V, 8. *Commendat ſuam dilectionem erga nos Deus, quod adhuc peccatroibus exſiſtentibus nobis, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Illuſtre dilectionis incomparabilis maximeque commendabilis documentum Deus miſericordiſſimus, tradito Filio vnigenito in mortem acerbiſſimam pro peccatoribus miſeris, dedit, vt hac morte ſatisfactoria in ſtatum gratiæ reſtituerentur. Eluceſcit igitur e ſatisfactione Chriſti mirabile *iuſtitiæ* & *miſericordiæ* diuinæ *temperamentum.*

Prob. c. 1) Ex Gal. IV, 4. *Eo fine Filus Dei factus eſt ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* 2) Ex Gal. III, 13. *Chriſtus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictio.*

Quæſt. LXXXVIII. *Quænam obſeruanda ſunt, ad redemtionem generis humani recte cognoſcendam?*

Ad ingens *redemtionis* noſtræ beneficium, ſalutariter cognoſcendum, pia animi æſtimatione penſitanda ſunt 1) *redemtio*, 2) *captiuus*, 3) captiui *vincula*, 4) captiuum *detinens*, 5) *redemtor*, 6) redemtionis *finis & fructus.*

Quæſt. LXXXIX. *Qualis redemtio intelligitur?*

Non intelligitur hic redemtio corporalis, ſed *ſpiritualis* a); non extraiudicialis, ſed *iudicialis* b); non ſimplex, abſoluta & metaphorica, ſed *pretioſa, ſatisfactoria, & propria* c). *Redemtio.*

Prob. a. *Corporalis redemtio eſt liberatio ab iis malis, quibus corpus affligitur,* v. gr. Redemtio Iſraëlitarum e captiuitate Ægyptiaca, cuius reſpectu Moſes dicitur λυτρωτής, *redemtor,* Act. VII, 36. *Redemtio ſpiritualis eſt liberatio a peccato, ira Dei, exſecratione legis, &*

*pœnis*

Digitized by Google

*pœnis temporalibus atque æternis.* Redemtio facta per Chriſtum eſt *ſpiritualis* liberatio *a peccato*, Tit. II, 14. ab *ira Dei*, 1 Theſſ. I, 10. *a maledictione legis*, Gal. III, 13. *a tyrannide diaboli*, Hebr. II, 14. 15. *ab inferno & morte æterna*, Hoſ. XIII, 14. 1 Cor. XV, 54. 55.

Prob. b. *Redemtio extraiudicialis eſt liberatio ab incommodo, illato ab eo, qui non eſt affiicti iudex.* Sic ſæpe in bello ciuis, aut miles captus redimitur a poteſtate hoſtis, v. gr. Lotus per Abrahamum redemtus eſt a poteſtate Kedarlaomeri, Gen. XIV, 16. *Redemtio iudicialis eſt*, qua *ſubditus domini & iudicis ſui legem transgreſſus, & ab eodem morti, carceri, exſilio, aut ſeruituti addictus, interueniente pretio redemtionis, aut deprecatione, vel propria, vel alterius, in ſtatum libertatis reſtituitur*, v. gr. Iudæi, in Perſia capitis damnati, intercedente Eſthera, a ſententia regis Ahasueri redemti ſunt. Eſther VIII, 8.

Prob. c. *Redemtio iudicialis vel eſt ſimplex & abſoluta, vel pretioſa & ſatisfactoria. Illa* eſt liberatio ab indicta pœna, *ſine interueniente pretio*, v. gr. Propheta Daniel, qui regis Perſarum mandatum violaſſe cenſebatur, beſtiis dilaniandus proiiciebatur; at moderante Deo & obturante ora leonum, iuxta atque commiſereſcente atque diſpenſante rege Dario, citra vllum pretium a pœna redimebatur, ſiue liberabatur. *Hæc* eſt, qua reus a culpa & pœna, *perſoluto pretio*, redimitur. Liberatio *ſimplex metaphorice* dicitur *redemtio.* Nam *proprie* loquendo *redimere*, ſignificat, *iterum emere*, ſicut & verba græca, λυτρȣ̃ν (quod eſt ἀπὸ τȣ̃ λύτρȣ, *pretio redemtionis)* ἀγοράζειν, ἐξαγοράζειν, & hebræa פרה, גאל, emtionem, vel redemtionem, quæ fit *intercedente pretio*, deſignant. Quamobrem cum in præſenti argumento, vbi de redemtione generis humani, in peccatum prolapſi, præſtita per Chriſtum, agimus, eædam voces hebrææ & grææ in ſacro codice vſurpentur, ſenſu *proprio* easdem accipimus, eo quod nulla nobis impoſita neceſſitas recedendi a ſenſu proprio apparet. *).

Quæſt. XC. *Quid eſt redemtio generis humani præſtita per Chriſtum?*

*Redemtio* generis humani eſt *liberatio ſpiritualis, iudicialis & pretioſiſſima omnium hominum, vinculis peccati conſtrictorum, a culpa, offenſa Dei, & pœna temporali atque æterna, facta a Chriſto* θεανθρώπῳ *per obedientiam ipſius actiuam & paſſiuam, quam Deus, iudex iuſtiſſimus, vt* λύτρον *perfectiſſimum benigne acceptauit, vt genus humanum, in ſpiritualem libertatem vindicatum, æternum cum Deo viuat.*

Prob. Redemtionem generis humani non eſſe ſimplicem aut abſolutam, ſed *pretioſiſſimam & ſatisfactoriam*, euincitur

1) E teſtimonio Paullino, 1 Cor. VI, 19. 20. *Annon ſcitis, quod corpus veſtrum templum Spiritus, qui in vobis, ſancti ſit, quem habetis a Deo, & non ſitis veſtrum ipſorum,* ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς, *emti enim eſtis pretio.* Arguimus: Quicunque non habent poteſtatem abutendi membris corporis ad fornicationem, ideo, quod ſunt *emti pretio*, illorum redemtio non eſt abſoluta, ſed *pretioſiſſima:* Atqui omnes homines non habent &c. Ergo.

2) E

*) Non ſolum nulla nos vrget neceſſitas, vt a propria illorum verborum ſignificatione diſcedamus; ſed neceſſe eſt etiam, nos eam arcte tenere, quoniam 1) vita Chriſti, atque adeo ipſe Chriſtus, Matth. XX, 28. Marc. X, 45. dicitur λύτρον, atque ἀντίλυτρον, 1 Tim. II, 6. & 2) vniuerſa Chriſti obedientia vim ſatisſactionis, Deo iudici ac vindici præſtitæ, omnino obtinet, de quo dictum eſt ſupra.

Digitized by Google

2) E teſtimonio Petrino, 1 Ep. I, 18. *Scientes, quod non corruptibilibus argento & auro liberati ſitis ex vana conuerſatione, a patribus tradita; ſed pretioſo ſanguine tanquam agni immaculati & incontaminati Chriſti.* Obſ. 1) S. Petrus verbo, λυτρȣν, *redimere*, annectit certum *pretium*, remouendo aurum & argentum, quo ea, quæ corpori proficua & grata ſunt, emuntur, & aſſerendo, *pretium* noſtræ ſpiritualis redemtionis eſſe *ſanguinem* ſanctiſſimi Ieſu, omni *auro & argento* longe præſtabiliorem. 2) Per vanam conuerſationem πατροπαράδοτον intelligit apoſtolus prauam viuendi conſuetudinem, a patribus tum per contagium peccati originis, tum per mala exempla traditam. Colligimus: Quicunque a corruptione carnalis vitæ redemti ſunt *non auro & argento*, ſed *pretioſo ſanguine*, illorum redemtio non eſt ſimplex, facta *ſine interuentu pretii:* Atqui omnes homines &c. Ergo.

3) Ex diſerta τȣ λύτρȣ καὶ ἀντιλύτρȣ denominatione. Λύτρȣ mentionem iniicit ipſe Chriſtus, Matth. XX, 28. *Venit filius hominis dare animam ſuam λύτρον ἀντὶ πολλῶν, pretium redemtionis pro multis.* Λύτρον autem, vi etymi, notat *pretium*, quo aliquis non tantum a captiuitate, ſed & ſeruitute, exſilio, morte & aliis incommodis liberatur. Αντίλυτρον commemorat Paullus, 1 Tim. II, 6. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον, pretium redemtionis, pro omnibus.* Αντίλυτρον, exponente HVGONE GROTIO, eſt tale λύτρον, in quo liberator *ſimile* quoddam ſubit *ei malo*, quod *ei imminebat, qui liberatur;* cuius περίφρασις colligi poteſt ex Gal. III, 13. Chriſtus ἐξηγόρασε *redemit nos ab exſecratione legis, factus pro nobis exſecratio.* Concludimus: Quicunque certo *lytro* redemit peccatores, ſubeundo *eiusmodi malum*, cuiusmodi *ipſis peccatoribus imminebat*, illius redemtio non eſt ſimplex aut abſoluta, ſed *pretioſa, ſatisfactoria & meritoria:* Atqui Chriſtus &c. Ergo.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, ſtatuentium, *redemtionem*, factam a Chriſto, non eſſe ſatisfactoriam, aut meritoriam, ſed *ſimplicem*. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Quemadmodum venditi dicimur ſub peccatum, ſic ab eodem per Chriſtum ſumus redemti (oppoſitorum eadem eſt ratio): Atqui *venditi* ſumus ſub peccatum *ſine vllo pretio.* E. & *redemti* ſumus a peccato, *ſine interueniente pretio.* Reſp. Neg. *Mai.* Nomen *venditionis* eſt generalius, quam *emtionis*. *Vendere* poteſt frater fratrem, 1) in ſocietatem peccati eum pertrahendo; ſed frater fratrem non poteſt redimere, Pſ. XLIX, 8. 2) Venditur ſub peccatum, qui id facit ex proæreſi, vt fiat ſeruus peccati, Io. VIII, 34.; at nos redemti ſumus non tantum a *ſeruitute*, ſed etiam a *maledictione legis & pœna peccati*, quod ſine interventu pretii fieri nequit.

II. Cui non eſt perſolutum λύτρον, ab eo dicimur improprie redemti: Atqui diabolo non &c. Ergo. Reſp. 1) Neg. *Mai.* Nam a pœna carceris poteſt aliquis ſoluto pretio proprie redimi, neque tamen carceri ſoluitur lytrum. 2) Diſt. inter ſummum iudicem, & lictorem. *Deus* eſt ſummus *iudex*, cui ſoli homines principaliter peccant, Pſ. LI, 6. qui eos ſub peccato concludit, Rom. XI, 32. Gal. III, 22. Huic Chriſtus lytrum pretioſiſſimum, ſanguinem ſuum, perſoluit, cum ille ſeipſum Deo victimam obtulit, Eph. V, 2. *Diabolus* eſt *lictor* miniſterque carceris, cui pretium redemtionis non debetur.

III. Deus redemit populum Iſraëliticum, nullo ſoluto pretio, per Moſen, qui etiam dicitur λυτρωτὴς, Act. VII, 35. & fuit typus Chriſti, Deut. XVIII, 15. Io. VI, 14. E. eadem ratione, ſine pretio, Chriſtus nos a tyrannide diaboli redemit. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia quidquid eſt in *typo*, idem etiam eſt in *antitypo*, & quidquid non eſt *in illo*, id neque in *hoc* eſt. Reſp. 1) Diſt. inter *redemtionem corporalem*, quæ fit per *potentiam*, nullo interueniente ly-



Digitized by Google

tro, & inter *redemtionem ſpiritualem*, quæ fit per *iuſtitiam:* huic certo pretio eſt ſatisfaciendum. 2) Conuenientia *typi & antitypi* eſt reſpectiua & accommoda, non abſoluta & omnimoda.

IV. Deus ipſe fecit redemtionem noſtram, Luc. I, 68. E. redemtionem ſatisfactoriam non popoſcit. *Conſequentia* probatur: In redemtione propria pretium datur captiui cauſſa, vt is ſoluatur, non autem illi, qui redemtionem procurat. Deus Pater autem procurauit redemtionem Filii: E. illi non eſt datum pretium. Reſp. Deus ipſe fecit redemtionem per decretum *non abſolutum*, ſed *ordinatum.* Procurauit enim redemtionem, vt *Creator* benigniſſimus; ſatisfactionem autem popoſcit, vt *Iudex* iuſtiſſimus, vt iuſtitiæ ſuæ fiat ſatis. Demonſtrauit ergo Deus Pater in opere redemtionis tum iuſtitiam, tum miſericordiam ſuam. *Iuſtitiam;* quia peccatorum pœnas debitoribus infligendas in eorum ſponſore Chriſto iuſtiſſime puniuit: *miſericordiam;* quia redemtionem Chriſti decreuit, eius ſatisfactionem acceptauit, & eius fructum in nos translatum voluit.

V. Nullibi legimus in ſacris litteris, quod redemti ſimus a *iuſtitia*, aut *iudicio diuino:* E. iuſtitia diuina redemtionem ſatisfactoriam non poſtulauit. Reſp. Dicimur redemti ab *ira diuina*, Rom. V, 9. 1 Theſſ. I, 10. Sed *ira Dei* eſt iuſta voluntas Dei puniendi peccata. Dicimur redemti ab *exſecratione legis*, Gal. III, 13; quæ eſt iuſtiſſima iudicis Dei peccatores condemnantis ſententia.

### Quæſt. XCI. *Quem captiuum Chriſtus redemit?*

**Captiuus, quem Chriſtus redemit, eſt *vniuerſum genus humanum.***

Prob. Quia *totus mundus eſt Deo reus*, Rom. III, 19. h. e. vniuerſum genus humanum legi diuinæ ſubiectum, & ob transgreſſiones legis culpæ & pœnæ obnoxium: ideo Chriſtus ſe dedit *ἀντίλυτρον pro omnibus*, 2 Tim. II, 6.

### Quæſt. XCII. *Quænam ſunt vincula illa, a quibus Chriſtus genus humanum redemit?*

**Vincula, a quibus Chriſtus genus humanum redemit, ſunt *peccata* a), *offenſa Dei* b) *& pœnæ temporales atque æternæ* c).**

Prob. a. *Peccata* eſſe laqueos, quibus diabolus homines irretire conſueuit, docet Paullus, 2 Tim. II, 25. 26. *Si forte det ipſis Deus pœnitentiam in cognitionem veritatis, vt ſobrii euadant e diaboli laqueo, capti ab eo in ipſius voluntatem.* Non ſolum dogmatum errore, ſed etiam vitæ vitiis diabolo irretiuntur mortales, inquit in h. l. THEOPHYLACTVS, citante CALOVIO in *bibl. illuſtratis fol. 1023.* At Chriſtus ſeipſum dedit pro *nobis, vt nos liberaret ab omni iniquitate.* Tit. II, 14.

Prob. b. Ieſus *eripuit nos a ventura ira*, ait Paullus, 1 Theſſ. I, 10. Obſ. *Ira ἐρχομένη* eſt, quæ ſemper imminet, & tacitis quaſi greſſibus adhæret. Iram Dei declarat lex, ſententiam condemnatoriam denuntiando: ideo Chriſtus nos redemit ab *exſecratione legis*, factus ipſe exſecratio, Gal. III, 13.

Prob. c. *Pœnæ peccati* ſunt mala conſcientia, timor mortis, tyrannis diaboli, & æterna condemnatio; ab his omnibus Chriſtus nos redemit, docente Apoſtolo, Hebr. II, 14. *Quoniam pueri participes facti ſunt carnis & ſanguinis, & ipſe ſimiliter paticipem ſe fecit ipſorum, vt per mortem aboleret eum, qui poteſtatem habebat mortis, hoc eſt diabolus, & liberaret eos, quot-*

Digitized by Google

*quotquot timore mortis per omnem vitam obnoxii erant ſeruituti.* Promiſit hoc ipſe Redemtor, Hoſ. XIII, 14. *E manu inferni redimam eos, e morte liberabo eos.*

Quæſt. XCIII. *Quis eſt captiuum detinens?*

Captiuum *detinens* eſt vel dominus, vel miniſter. *Dominus* ſummus & iudex iuſtiſſimus eſt Deus a): *Miniſter carceris*, itemque *tyrannus*, eſt diabolus b).

Prob. a. Deus peccatis hominum erat offenſus; *quippe qui odit omnes operatores iniquitatis*, Pſ. V, 6. Idcirco iudicialiter *concluſit omnes homines in incredulitatem*, Rom. XI, 22. & *ſub peccatum*, Gal. III, 22. Huic pendendum erat *lytrum*, non vt illi quidquam commodi accederet, ſed ne ipſius iuſtitiæ quidquam decederet.

Prob. b. Peccatores dicuntur *laqueo diaboli capti ad ipſius voluntatem*, 2 Tim. II, 26. Eſt itaque *diabolus miniſter carceris*, idemque *tyrannus & venator*, *), qui laqueis peccatorum impios conſtringit. Huic non pretium, ſed ſupplicium debetur.

Quæſt. XCIV. *Quis eſt redemtor?*

*Redemtor vnicus* a) *&* *catholicus* vniuerſi generis humani b) eſt Chriſtus θεάνθρωπος, *iure* c), *viribus* d), *&* *voluntate* e) *redimendi pollens.*

Prob. a. Chriſtus eſt redemtor *vnicus;* quia eſt *vnus mediator Dei & hominum, qui ſe dedit pretium redemtionis pro omnibus*, 1 Tim. II, 5. 6.

Prob. b. Chriſtus eſt redemtor *catholicus;* quia eſt *Saluator mundi*, 1 Io. IV, 14. *Saluator omnium hominum, maxime fidelium*, 1 Tim. IV, 10.

Prob. c. Chriſtus pollet *iure & poteſtate* redimendi. Habet in nos *ius proprietatis*, vt Deus & dominus omnium, habet etiam *ius propinquitatis*, vt verus homo, os de oſſibus noſtris & caro de carne noſtra. Qua de cauſſa a Iobo vocatur גּוֹאֵל, c. XIX, 25.

Prob. d. *Viribus ſufficientiſſimis* redimendi inſtructus eſt Chriſtus, eſt enim παντοκράτωρ, omnipotens, Apoc. I, 8.

Prob. e. De *voluntate* redimendi teſtatur amor ardentiſſimus, quem deprædicat Paulus, Eph. V, 25. *Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemet ipſum tradidit pro illa.*

Quæſt. XCV. *Quo medio nos Chriſtus redemit?*

*Medium* redemtionis eſt tum *acerbiſſima Chriſti paſſio, ſanguinis effuſio & mors ſatisfactoria* a), tum *conſummatiſſima legis diuinæ impletio, noſtri vice præſtita* b).

Prob. a. *Chriſtus neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta, ita, vt æternam redemtionem inuenerit*, Hebr. IX, 12.

 Chriſtus

*) Ita quidem recte. Quum enim malignus Spiritus ſit communis omnium aduerſarius, & Dei & hominum generi vniuerſo inimicus: homines ipſe, vt *victos hoſtis*, captiuos duxit eo, quod fallaci perſuaſione hoc effecit, vt illi, a Deo deficientes, ipſius voluntati obtemperarent. Ea de cauſſa ipſe dicitur is eſſe, qui habet τὸ κράτος τοῦ θανάτου, Hebr. II. 14. Id nimirum eſt idem, ac κέντρον τοῦ θανάτου, hoc eſt, peccatum, cuius quippe auctor atque effector eſt ipſe, 1 Cor. XV, 56. Eumdem vero *miniſtrum carceris* nominare; equidem vix auſim: nam & *miniſter* non poteſt eſſe, niſi fidelis atque obſequioſus, qui ſe ad *Domini* nutum voluntatemque conuertit; nec eſt probabile, *tortores* damnatorum hominum eſſe malos dæmones, qui ipſi ſunt damnatorum omnium miſerrimi, atque acerbiſſimis cruciatibus perpetuo afficiendi. *Captiui* ſunt ipſi, atque *in carcere incluſi*: immo tales iam fuerunt inde vsque ab eo tempore, quo primum peccantes a Deo deſciuerunt, 2 Pet. II, 4: E. non ſunt, nec vnquam fuerunt, *carceris miniſtri.*

Digitized by Google

Chriſtus ſemel per ſanguinem proprium cœlum maieſtatis diuinæ ingreſſus ſatisfecit pro totius generis humani peccatis, quæ commiſit, commiſſurumque eſt ad finem vsque mundi, ita, vt redemtio eius *quouis tempore* valeat, & *pro omnibus peccatis*.

Prob. b. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita etiam per obedientiam vnius iuſti conſtituentur multi*, Rom. V, 18. Ideo Chriſtus perfectiſſimam legi diuinæ obedientiam præſtitit noſtri loco, vt a peccato redemti coram Deo iuſti reputemur.

Quæſt. XCVI. *Quis eſt finis redemtionis?*

*Finis* redemtionis *vltimus* eſt *gloria Dei* a), *intermedius* eſt *libertas a reatu & dominio peccati* b).

Prob. a. *Emti eſtis pretio: glorificate itaque Deum corpore veſtro & ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei*, 1 Cor. VI, 20.

Prob. b. *Si filius vos liberos fecerit, vere liberi eritis*, Io. VIII, 36. Chriſtus redemtione ſua ſatisfactoria acquiſiuit hominibus libertatem a reatu & dominio peccati, cuius libertatis participes ſunt, qui per fidem ſunt in Chriſto Ieſu, Rom. VIII, 1.

Quæſt. XCVII. *Quodnam eſt officium Chriſti propheticum?*

*Officium Chriſti propheticum.*

*Officium* Chriſti *propheticum* eſt, quo Chriſtus θεάνθρωπος cum veram ſententiam legis diuinæ expoſuit, tum voluntatem Dei de ſalute hominum verbo euangelii clariſſime reuelauit, ea ſeria intentione, vt omnibus hominibus conſtet via ad iuſtitiam & ſalutem æternam conſequendam.

Obſ. *Prophetarum* V. T. erat, verbum Dei docere, verum Dei cultum tradere, occulta noſſe & prædicere futura, *). Hæc ſicut Chriſtus quoque fecit: ita functus eſt officio prophetæ.

Quæſt. XCVIII. *Qualis propheta eſt Chriſtus?*

Chriſtus eſt propheta *maximus* a), *catholicus* b), *illuminatiſſimus* c), *obſignatiſſimus* d), *efficaciſſimus* e) & *exemplaris* f).

Prob. a. *Propheta magnus ſuſcitatus eſt inter nos*, dicebat populus, Luc. VII, 16. Chriſtus eſt propheta ille magnus, quem promiſit Deus, Deut, XVIII, 18. *Prophetam excitabo illis e medio fratrum illorum, ſicut te; daboque verba mea in os eius, vt loquatur ad eos omne, quod illi præcepero.* Chriſtum eſſe promiſſum illum prophetam, *Moſi ſimilem*, oſtendit Petrus Act. III, 22. & agnouerunt Iudæi, Io. I, 45. c. VI, 14. Quid? quod Apoſtolus aſſerit, Chriſtum *Moſe longe eminentiorem.* Nam ille erat ſeruus in domo Patris cœleſtis; hic vero vnigenitus filius. Hebr. III, 5. 6. **).

Prob. b.

*) Eximium aliquid, ac Prophetarum proprium, erant etiam *miracula*, quæ illi quidem ſoli, tametſi non omnes, perpetrarunt. Erant enim neceſſaria ad efficiendam fidem, doctrinæ ac prædictioni habendam, tum maxime, cum doctrinæ pars quædam præcipua, aut primum patefacienda erat, aut vberius declaranda, & periculum erat, ne diuina Vatis legatio in dubitationem adduceretur; tunc enim auctoritas eius non poterat aliter confirmari, niſi effectibus Dei vnius propriis ac ſummis, quæ ſunt miracula. Ex. IV, 1. 8. Num. XVI, 28. 29. 30. Marc. XVI, 20. Io. III, 2. V, 36. Hebr. II, 4.

**) Ex eo igitur adparet *excellentia* huius muneris, quo Chriſtum fungi decebat, quod ipſe futurus eſſet Propheta, *ſicut Moſes*, Vatum V. T. vnus omnium maximus. Illam enim vaticinationem, Deut. XVIII, 15. de nemine alio, quam Chriſto, debere intelligi, cognoſcimus ex Deut. XXXIV, 10. Act. III, 22. Et veterum Iudæorum in ea cauſſa conſenſio confeſſioque conſtans monimentis mandata eſt, 1 Maccab. XIV, 41. Io. VI, 14. & 31. Nec enallagen numeri, vt CLERICVS aliique opinantur,

in

Prob. b. Chriſtus eſt *propheta catholicus; quia eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Ioann. I, 9. Ἀυτοπροσώπως quidem, ſeu in propria perſona euangelium



Iudæis

in eiusmodi prædictionibus ſtatuendam eſſe, diſcimus exemplo ſimili, Gal. III, 16. Quod ad *rem* attinet, tria ſunt adcurate obſeruanda: I. *Chriſtus cum Moſe comparandus eſt*, non in iis omnibus, quæ fuerunt Vatum omnium communia, ſed ratione eorum, quæ *ſingularia* atque eximia fuerunt, *Moſis propria*, quippe quibus ipſe vnus inter omnes eminet. Hoc profecto per ſe euidens eſt; aliter enim nulla eſſet ratio, quam ob rem Chriſtus cum vno illo, nec pariter cum aliis Vatibus diuinis, fuiſſet conferendus. II. Chriſtus non ſolum Moſen dictis factisque æquiparauit; verum etiam *longe eo ſuperior* eſt habendus, nimirum ratione 1) *perſonæ*, Hebr. I, 1. 2. III, 3--6; 2) *officii ac doctrinæ*, Ioann. I, 17. Hebr. XII, 18-25. III. Cauendum eſt, ne *tertium*, vt vulgo dicitur, *comparationis*, vltra, ac par eſt, amplificetur. Scilicet eſt, quæ inter Chriſtum ac Moſen intercedit, comparandi, ſimul vero illum huic longe anteferendi, ratio

א) *Alia* quidem, *vera*, a Deo ipſo ſignificata, cuius omnino *tres* ſunt partes, vno dicto comprehenſæ, Deut. XXXIV, 10. 11. 12. nimirum 1) *ſingularis modus patefactionis diuinæ*, quæ Moſi contigit, atque excellentia perſonæ, quando quidem Moſi, & vni quidem illi, licuit familiariter cum Deo verſari, v. 10. add. Ex. XXXIII, 11. Num. XII, 6. 8. & conf. cum Ioann. I, 18. Matth. XI, 27: 2) *Miraculorum & multitudo, & magnitudo*, v. 11. conf. cum Ioann. XV, 24: 3) *Vniuerſi populi gubernatio*, cui vnus ille Propheta, Moſes, idemque Dux, præfuit, v. 12. coll. cum Hebr. III, 2. quo quidem in loco vinculum verborum, ὡς καὶ Μωσῆς, connexum non tam cum illis eſt, πιστὸν ὄντα, (id enim Moſes cum aliis Vatibus commune habuit, in eo igitur nihil fuit ſingulare ac præcipuum) quam cum his, ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Ad hanc tertiam Moſis proprietatem ac præſtantiam referri debet *functio muneris* τοῦ μεσίτου in ſanciendo *fœdere* diuino, quod ad *totam gentem* attinet, Gal. III, 19. add. Ex. XIX, 3-8. XX, 19. XXXIV, 27. Deut. V, 5. In quo non ſolum Chriſti & Moſis *comparatio* cernitur, ſed conſpicua eſt etiam Chriſti *excellentia*, ratione α) *fœderis*, cuius & *noni*, & *melioris* ſponſor ac μεσίτης eſt Chriſtus, non legalis illius, ſed euangelici, Hebr. VIII, 5. 6. XII, 18-25: β) *populi*, non enim totius *gentis* euiusdam, vt Moſes, ſed *vniuerſi hominum generis* μεσίτης eſt Chriſtus, Gal. III, 20. ὁ δὲ μεσίτης (is ipſe, quem noſtra veneratur religio, & qui diuerſus eſt ab illo, cuius mentio facta erat v. 19.) οὐκ ἔστιν ἑνὸς (ſubintellige, λαοῦ, & vid. v. 28. add. Rom. III, 29. 30.)

ב) *Alia* autem *falſa*, quæ teſtimoniis Scripturæ S. aduerſatur, tantum abeſt, vt illis confirmari queat. Sunt nimirum *quatuor* errores, omni prouidentia euitandi: 1) Error *Iudæorum*, α) quos fallit, immo tam diu iam fefellit, inanis ſpes, fore, vt Meſſias, quem fruſtra exſpectant futurum, quem ad modum Moſes, *gentem Iudaicam*, ſolutis vinculis captiuitatis & calamitatis, *introducat in terram Canaan;* quaſi *ſalus*, beneficio Chriſti recuperanda, non alia eſſe debeat, quam *temporalis*, & tanquam ea ad *ſolos Iudæos* pertineat; nec Moſe, ſed Ioſua duce, ingrediebantur Abrahami poſteri in terram, Dei beneficio ipſis tributam: β) quorum præiudicata opinione perſona Chriſti cognoſcenda erat ex *ſigno* quodam *cœleſti*, plane ſic, vti *Moſes* Maioribus ipſorum panem de cælo demiſſum exhibuerat, Ioann. VI, 14 coll. cum v. 30. & 31. 32. 2) Error *Socinianorum*, qui fingunt, Chriſtum ſub auſpicium muneris palam adminiſtrandi *in cælum adſcendiſſe*, ſiue, vt loqui ſolent, *raptum fuiſſe*, eo conſilio, vt Deus eum doceret voluntatem ſuam, hominibus nunciandam, quem ad modum de *Moſe* relatum legimus Ex. XXXIV, 27. 28. Hæc illorum fabula ex cauſa exſtitit non alia, quam extrema deſperatione, quum non reperiſſent, quo pacto, diuinitatem Chriſti negantes, explicare poſſent ſententiam dictorum huiusmodi, Ioann. I, 2. III, 13. VI, 38. 62. XVI, 28. 3) Error *Romano-Catholicorum* quorumdam, quod *Moſes* perinde, vt Chriſtus, *triplici functus* ſit *officio*, videlicet ſacerdotali, Prophetico, ac Regio. Digna eſt, quæ legatur, b. FRISCHMVTHI orat. aduerſus *Barthold. Nibuſium.* 4) Error communis *Socinianorum & Romano-Catholicorum*, tametſi a diuerſis principiis profectus, cum exiſtimant, Chriſtum *Moſi* ſimilem fuiſſe eo, quod *nouas leges* ipſe *tulerit*. Verum tamen α) poteſtas *legislatoria* prorſus non ad *propheticum* munus pertinet, ad quod tamen illi eam referunt, ſed omnino ad *regium*; ac ne regno quidem Chriſti, quatenus eſt *Chriſtus*, conueniunt *leges* proprie ſtrictęque ita dictæ, & *nouæ* quidem leges. β) *Moſes* non fuit *legis lator*, ſed legis, quam Deus in illa regiminis

Digitized by Google

Iudæis annuntiauit, cuius tamen prædicationem vniuerſalem inter omnes gentes, iamiam aſcenſurus in cœlum, apoſtolis demandauit, Matth. XXVIII, 19.

Prob. c. Chriſtus eſt *propheta illuminatiſſimus;* eſt enim, vi vnionis perſonalis, lumine omniſcientiæ donatus, & clariſſima Dei viſione beatus. *Vnctus* quippe *eſt oleo lætitiæ* præ conſortibus ſuis omnibus Pſ. XLV, 8. & accepit Spiritum S. οὐκ ἐκ μέτρου, Ioann. III, 34. ex quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ in ipſo ſunt abſconditi, Col. II, 3. Gauiſus eſt intimo patris cœleſtis intuitu. *Deum nemo vidit vnquam; niſi vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris,* ille nobis expoſuit. Io. I, 18.

Prob. d. Chriſtus eſt *propheta obſignatiſſimus;* vtpote quem Deus Pater obſignauit Io. VI, 27. Obſignauit & confirmauit eum tum teſtimonio de cœlo ter audito: 1) in officii introitu, Matth. III, 17. 2) in medio curſu, Matth. XVII, 5: 3) prope curſus finem, Io. XII, 28. tum poteſtate faciendi miracula, quibus velut impreſſis ſigillis doctrina Chriſti munita eſt.

Prob. e. Chriſtus eſt *propheta efficaciſſimus;* vt qui veritatem cœleſtem docuit clariſſime, falſitatem confutauit ſolidiſſime, adhortatus eſt grauiſſime, futura prædixit veriſſime.

Prob. f. Chriſtus eſt *propheta exemplaris,* qui, quod docuit verbis, expreſſit factis. Ex quo audit *propheta potens opere & verbo, coram Deo & omni populo,* Luc. XXIV, 19.

Quæſt. XCIX. *Secundum quam naturam Chriſtus eſt propheta catholicus?*

Chriſtus eſt propheta catholicus & perfectiſſimus ſecundum *vtramque naturam,* humanam a) & diuinam b).

Prob. a. Secundum *humanam* naturam, Chriſtus viua voce toto triennio & vltra docuit, ſacramenta celebranda indicauit, Matth. XXVI, 19. c. XXIIX, 19. & miniſtros verbi ac ſacramentorum ſibi aſciuit, Matth. XXVIII, 19. & Io. XX, 21.

Prob.

nis forma, quæ dicitur θεοκρατεία, ſanxerat, miniſter atque interpres, quocirca adpellatur μεσίτης, non νομοθέτης, Gal. III, 19. γ) *Chriſtus* leges *nouas nullas* vnquam tulit. Omnes enim, quas aduerſarii proferunt, *aut* plane *non* ſunt *leges*, proprie ita nominatæ (v. gr. de fiducia ſalutari in Chriſto collocanda, de recte vſurpandis N. F. Sacramentis; hæc, & quæ ſunt huiusmodi, pertinent non ad legalem Dei voluntatem, quæ a nobis poſtulat officia præſtanda, ſed ad euangelicam, quæ nobis offert beneficia accipienda, ordini tamen ſalutis congruenter); *aut* non *nouæ leges* (e gr. interdictum de vindicta iniuſta, atque odio inimicorum, Matth. V, 44. add. Ex. XXIII, 4. 5. Leuit. XIX, 17. 18. Rom. XII, 19. 20. add. Deuter. XXXII. 35. Prou. XXV. 21. 22. de anxietate animi atque ærumna, Luc. XXI, 34. Matth. VI, 25. add Pſ. XXXVII, 5. LV, 23.) Cum autem antiquæ leges dicuntur *nouæ*, ratio nominis ſita eſt in eo, *partim*, quod *nouis argumentis mouentibus* illuminatæ ſint, & confirmatæ, Ioann. XIII, 34: *partim* quod fuerint *renouatæ*, ex tenebris velut in lucem prolatæ, multisque a corruptelis humanis repurgatæ, 1 Ioann. II, 7. 8. Itaque Matth. V. ſuam Chriſtus doctrinam non legibus diuinis oppoſuit, ſed opinioni Maiorum, ac peruerſæ interpretationi, vti plane adparet ex v. 20. 21. 43. Proinde verbum hoc, πληρῶσαι, v. 17. non eſt, *ſupplere*, tamquam defectus aliqui fuiſſent in ſancta Dei lege, quæ ſemper perfectiſſima fuit actionum norma; ſed eſt, *implere*, non modo obediendo, ſed & docendo, nimirum perfectam atque integram legis ſententiam, huc vsque a magiſtris Iudæorum miſerum in modum deprauatam mutilatamque, hominibus tradere; huic enim perfectioni opponitur defectio, & quidem in doctrina, v. 19.

Digitized by Google

Prob. b. Secundum naturam *diuinam*, vim, efficaciam, & auctoritatem ſummam verbo & ſacramentis coniunxit. Vnde prædicantibus vbique Apoſtolis Dominus cooperatus eſt, Marc. XVI, 20*).

Quæſt.

*) Vt hanc differentiam paullo diſtinctius explicemus, *miracula* Chriſti pertinent א) ad *humanam* ipſius *naturam*, duplici ratione: 1) quatenus ea ipſe fecit *nomine Patris*, Ioann. III, 2. X, 25: 2) quoad *auxilium Patris* implorauit, & ſe *ad Patris gloriam* rem ſuam agere profeſſus eſt, Ioann. XI, 41. 42. Diſerte hanc ipſe rationem adiunxit: vt credant, me abs te miſſum eſſe: ב) ad *diuinam* Chriſti *naturam*, triplici modo: 1) quatenus ſibi Chriſtus potentiam poteſtatemque vindicat *æqualem*, atque omnino *eamdem*, quæ *Patris* eſt, Ioann. V, 19: in altera quidem parte duplex ineſt probationis neruus: Vnus in vniuerſitate *rei*, ἃ γὰρ - - ταῦτα καὶ κ. τ. λ. ſine vlla exceptione (oporteret autem aliquid eſſe Patris proprium ac præcipuum, niſi Chriſtus eſſet ſummus Deus, Patri par atque æqualis): Alter in vniuerſitate *modi*, ὁμοίως ποιεῖ. Priora autem verba, quæ nobis vehementer obiiciunt aduerſarii, nihil teſtantur amplius, quam hoc: quod filius nil faciat, ac ne poſſit quidem, *ſolus*, a Patre *ſeparatus*. Ex quo ipſo elucet arctiſſima ac *neceſſaria* filii cum Patre *coniunctio*, quæ, quum mutua ſit, tantum profecto valet, vt nec filius ſine Patre, nec Pater viciſſim ſine filio, efficere quidquam poſſit. Vid. Ioann. X, 30. coll. cum antec. v. 28. 29. add. XIV, 10. 2) Quatenus *ſuo* ipſe *nomine*, *ſuo arbitrio*, *ſuaque poteſtate* tanta opera effecit. Matth. VIII, 3. 4. Luc. VII, 14. Notabile in primis eſt hoc dictum, Luc. IV, 36. Ita rem agere, nemo diuinitus legatus, ac ne angelus quidem, vnquam auſus eſt. Omnes, ſi quid moliti ſunt, fecerunt illud auſpiciis diuinis, ſemper ad ſummi Numinis arbitrium atque auctoritatem prouocantes: כה אמר יהוה. Vates vnus omnium maximus, Moſes, nunquam non Deum tantarum rerum effectorem adpellat, Deum, ait, hoc feciſſe, ſe autem Deo manus ſuas commodaſſe. Ex. IV, 22. 23. VII, 16. IX, 14. XIV, 21. 24. Nullo vnquam tempore auſus eſt ita dicere: Ego hoc præſtabo! ſic volo, ſic iubeo! quem quidem ad modum Chriſtus, & vnus ille Chriſtus, loqui non dubitauit. Quid? quod eius Legati miracula ſua *nomine Chriſti* perpetrarunt, quod illis neutiquam fuiſſet licitum, ſi filius eſſet Patre inferior. Certe hoc habuiſſent neceſſe, vt ad *Patris* nomen *ſimul* prouocaſſent, atque etiam illud nomini Ieſu *antepoſuiſſent*. Act. III, 6. IV, 10. 30. XVI, 18. 3) Quoad ſua ipſe miracula hominibus exhibuit hac mente, vt *ſuam gloriam pateſaceret*, Ioann. II, 11. Omnia autem ad gloriam vnius Dei dirigenda ſunt.

Quod ad ipſa *miracula* attinet, quum Chriſtus debuerit eſſe non *Propheta* ſolum, ſed *maximus* etiam *omnium* Prophetarum, atque adeo Moſe maior: neceſſaria erat conſequutio, vt is *vnus* inter omnes excelleret *miraculis* plane *ſingularibus*, Ioann. XV, 24. Videamus igitur, quam eximie Ieſus noſter Vates diuinos omnes, ne Moſe quidem excepto, vicerit *miraculorum*, a *ſe* factorum

I. *Multitudine*, Ioann. XX, 30. XXI, 25. Vna hora ingens fuit miraculorum numerus, Luc. VII, 21. Iudæorum confeſſio exſtat Ioann. VII, 31.

II. *Varietate*; ſi quidem א) *Nullum* fere eſt *genus rerum creatarum*, in quo non multa Chriſti miracula fuerint conſpicienda, videlicet 1) in *cælo*, Luc. XXIII, 44. 45: 2) in *aëre*, Matth. VIII, 26: 3) in *terra*, Matth. XXVII, 51. 52. in *fructibus*, Matth. XXI, 19: & *frugibus*, Marc. VIII, 6. Ioann. VI, 11: 4) in *aqua* & *mari*, Ioann. II, 9. Matth. VIII, 26. Ioann. VI, 19: 5) in *ſpiritibus*, dæmones malignos expellendo; 6) in *hominibus*, tam *viuis*, præſertim vero ægrotantibus, qui morbo quodam inſanabili laborabant, quam *mortuis*: 7) in *brutis* animantibus, ſpeciatim *quadrupedibus*, Matth. VIII, 30-32. & *aquatilibus*, Marc. VIII, 7. 9. Ioann. VI, 11. Luc. V, 5. 6. Ioann. XXI, 3. 6. 11. ב) *Neque vllum* eſt *genus miraculorum*, cuius ſpecimina multa Chriſtus non dederit. *Quatuor*, nec plura, eſſe poſſe miraculorum *genera*, adparet ex eo: quod omnium rerum nec ſunt, nec eſſe poſſunt, plures, quam quatuor proprietates: 1) *exſiſtentia*, vt philoſophi loquuntur, 2) *eſſentia*, ſiue natura, tum communis, tum propria, 3) *quantitas*, & 4) *qualitas*. In his igitur omnibus vim omnino diuinam Ieſus noſter manifeſtauit, 1) *res*, primum *efficiendo*, & quæ nondum ſunt, perinde ac ſi eſſent, vocando, Ioann. IX, 32. add. Rom. IV, 17: 2) *naturam* rerum *mutando*, Ioann.

II, 9:

Digitized by Google

### Quæſt. C. *Quid docuit propheta Chriſtus?*

## Chriſtus propheta docuit *primario* euangelium a), *ſecundario* legem b).

Prob. a. 1) E teſtimonio Ioannis baptiſtæ: *Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, Io. I, 17. Gratia & veritas medulla præconii euangelici, vtpote quod eſt veriſſima de gratia Dei doctrina.

2) Ex effato Meſſiæ, Eſ. LXI, 1. *Spiritus Adonai Iehouah (eſt) ſuper me: Vnxit Iehouah me, ad euangelizandum pauperibus miſit me;* cuius vaticinii complementum habetur Matth. XI, 5. *Pauperes audiunt euangelium.* Intelliguntur *pauperes ſpiritu*, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam Chriſti, Matth. V, 6.

3) Argumentum doctrinæ, quam profeſſus eſt Chriſtus in diebus carnis, exſtat Marc. I, 14. *Venit Ieſus in Galilæam, prædicans euangelium regni, & dicens: quia impletum eſt tempus & appropinquauit regnum Dei; Pœnitentiam agite & credite euangelio.*

Prob. b. Veterem *legem moralem* Chriſtus neque abrogauit, neque mitigauit, neque perfecit, cum ſit perfectiſſima, Pſ. XIX, 8. eandem tamen a corruptelis Phariſæorum vindicauit & ſolide interpretatus eſt, vid. Matth. V, 21. ſqq. Proinde Chriſtus *non* eſt *nouus legislator*, ſed legis veteris interpres & vindex.

### Quæſt. CI. *Quot modis Chriſtus officio prophetico fungitur?*

## Chriſtus fungitur officio prophetico a) *immediate*, b) *mediate*.

Prob. a. Chriſtus in diebus carnis ſuæ ore mellifluo euangelium *αὐτοπροσώπως* & *immediate* docuit, legem moralem a fermento phariſaico repurgauit, diſcipulosque ſuos ad futurum miniſterium præparauit.

Prob.

II, 9: 3) *quantitatem augendo*, vno verbo, Marc. VIII, 7-9. Ioann. VI, 11: 4) *qualitatem tollendo*, mira conuerſione, vt, in ſanitate ægrotorum reſtituta, in vita mortuis reddita, in ficu ſubito exareſcente, & quæ plura ſunt his ſimilia. Omnia hæc, ſine vlla cauſſa naturali, ad tantos effectus apta atque idonea.

III. *Magnitudine.* Scilicet quatuor potiſſimum ſunt miracula omnium maxima, & Chriſti propria: 1) Apertio oculorum hominis, a natiuitate cœci, Ioann. IX, 32: 2) Dæmonum e corporibus eiectio, quippe quod opus decebat neminem, præter eum, cui hoc datum erat, vt opera diaboli ipſe vnus deſtrueret: 3) Reuocatio mortuorum ad vitam, & ita quidem, *vtcunque ipſe voluerit*, Ioann. V, 20. 21: 4) *Sui corporis* exanimati ad vitam reuocatio, Ioann. II, 18. 19. X, 18. cuius poteſtatis ac potentiæ euidentiſſimum documentum erat robur Chriſti, cum iam in eo eſſet, vt animam efflaret, Marc. XV, 37. & 39.

IV. *Vtilitate*: Inter omnia enim Chriſti miracula ne vnum quidem vnquam factum fuit in hominis cuiusdam detrimentum ac perniciem, vt omnes cognoſcerent, ipſum in ſalutem omnium natum eſſe; Moſes contra, Elias, aliique Vates diuini, ſuis miraculis & profuerunt probis hominibus, & nocuerunt improbis, Luc. IX, 54-56.

Aduertamus animum etiam ad ea, quæ in *vaticinationibus* Chriſti ſingularia ſunt, vtpote diuinitatis indicia, ob eamque cauſam nulli aliorum Prophetarum conuenientia, ſigillatim hæc duo: 1) Quod Chriſtus de *ſuis rebus*, atque etiam ad *ſuam gloriam* ſpectantibus, in primisque de amplificatione *regni ſui*, multa prædixit, Matth. XXVI, 64. XXIV. & XXV. tot. Apoc. I, 13. ſeqq. II. & III. tot. 2) Quod Chriſtus ea, quæ ipſe de futuris euentibus prænuntiauit, *adſeueratione* confirmauit haud alia, quam *ſua dicentis auctoritate*, atque adeo *per ſe iurauit*, vſus eſt enim plerumque hac dicendi ratione, quam nemo alius vnquam vſurpauit: *ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν.* Add. Matth. XXIV, 34. Ioann. XIV, 29. Apoc. II, 1. 8. 12. 18. III, 1. 7. 14. Cæteri autem Vates, ad vnum omnes, nunquam ſuo nomine ſunt loquuti, ſemper ad auctoritatem Dei dicentis, ac iurantis, prouocarunt, vſitata hac ſermonis conſuetudine, כה אמר יהוה, & חי יהוה.

Digitized by Google

Prob. b. Chriſtus *mediate* per Apoſtolos, quos tamen *immediate vocauerat*, eorumque ſucceſſores, fideles eccleſiæ miniſtros, *mediate* a Chriſto *vocatos*, voluntatem Patris cœleſtis de mediis ſalutis, ipſaque ſalute æterna hominibus reuelat, & per doctrinam ſuam in cordibus hominum operatur. Pertinent igitur ad officium Chriſti propheticum 1) promulgatio conſilii diuini de redemtione generis humani, per doctrinam euangelii facta, 2) miniſterii eccleſiaſtici inſtitutio & conſeruatio, 3) ſacramentorum ordinatio, 4) Spiritus Sancti donatio, 5) vocatio ad eccleſiam, 6) illuminatio, conuerſio, regeneratio, renouatio, fidei confirmatio.

Quæſt. CII. *An Chriſtus in cœlum raptus eſt ad diſcendum myſteria cœli, antequam ſolemne docendi munus obiuit?*

Chriſtus *ante exordium muneris ſui prophetici corpore ſuo non ſublatus eſt in cœlum, ad diſcendum myſteria regni cœleſtis.*

Prob. 1) Quia de illo raptu Chriſti in cœlum ante exorſum muneris prophetici in ſacris litteris altum eſt ſilentium.

2) Chriſtus non niſi ſemel, & quidem per ſanguinem ingreſſus eſt cœlum, Hebr. IX, 12. ſemel aſcendit in cœlos, Eph. IV, 10. Act. II, 32.

3) Non fuit ille raptus neceſſarius, cùm Chriſtus omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ vi vnionis perſonalis poſſideret. Col. II, 3.

4) Tempore quadrageſimali, quo raptum illum contigiſſe ferunt *Sociniani*, *cum feris*, non in cœlo fuit, per integros XL. dies *tentatus*, non vero in cœlo *doctus*, Marc. I, 13. Ducebatur a Spiritu S. *in deſertum* eo fine, vt *a diabolo* tentaretur, non in cœlum raperetur, Matth. IV, 1.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, contendentium, Chriſtum antequam publicum docendi munus aggreſſus eſt, euectum eſſe in cœlum, ad diſcendum myſteria cœleſtia; qui ſuam opinionem vaniſſimam ſequentibus argumentis nobis perſuaſum eunt:

I. Vrgent aſſertiones Chriſti: *Deſcendi de cœlo, vt faciam, quod vult is, qui miſit me*, Io. VI, 38. *Exiui a Patre, & veni in mundum*, Io. XVI, 28. Reſp. Chriſtus dicitur *de cœlo deſcendiſſe, & a Patre exiiſſe*, *non* reſpectu *humanæ* naturæ, ſed ratione *diuinæ* naturæ, non motu locali, ſed aſſumtione humanæ naturæ & facta per eandem in terris manifeſtatione.

Inſtantia: Sed filius hominis dicitur de cœlo deſcendiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, Io. III, 13. Reſp. Filius hominis l. c. perſonam, non naturam notat. Eadem illa perſona, quæ poſt incarnationem filius hominis eſt, & ſtatuto tempore in cœlum aſcendit, ante incarnationem, vt filius hominis fieret, deſcendit.

II. Io. VIII, 28. *Ex me ipſo facio nihil, ſed vt docuit me Pater, loquor.* Reſp. Deus Pater Chriſtum docuit, non in cœlum rapiendo, ſed donis Spiritus S. vngendo.

III. Moſes & Paullus in cœlum rapti ſunt: E. multo magis id de Domino Ieſu ſtatuendum eſt. Reſp. Inuerti poteſt argumentum: Moſes aſcendit in montem Sinai, & Paullus raptus eſt in cœlum, vt diſcerent voluntatem Dei, ſibi ante ignotam: Ergo Chriſtus ante exordium muneris ſui non eſt raptus in cœlum, eo, quod a primo conceptionis momento vnctus eſt Spiritu S. οὐκ ἐκ μέτρου, Io. III, 15. & nouit omnia, Io. XX, 10. Sane raptu in cœlum cœleſtique informatione non indiget, qui internum habet doctorem, τὸν λόγον omniſcium.



Digitized by Google

Quæſt. CIII. *Quid eſt officium Chriſti regium?*

*Officium Chriſti regium.*

*Officium* Chriſti *regium* eſt, quo Chriſtus θεάνθρωπος cum omnium, quæ in cœlo & in terra ſunt, dominus, tum in primis eccleſiæ rex & caput conſtitutus, in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ omnia maieſtate ſumma gubernat, vt ſeruiant gloriæ Dei, & electorum ſaluti.

Quæſt. CIV. *Qualis Rex eſt Chriſtus?*

Chriſtus eſt Rex *celſiſſimus* a), *ſpiritualis* b), *æternus*, c), *catholicus* d), *omnipotens* e), *omnipræſens* f), *omniſcius* g), *victoria inclytus* h).

Prob. a. Chriſtus vocatur *princeps regum terræ*, Apoc. I, 5. *rex regum*, Apoc. XIX, 11.

Prob. b. Reſpondit Ieſus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, Io. XVIII, 36. Eſt quidem regnum Chriſti *in* mundo & *ſuper* mundum, ſed non *de* mundo; hoc eſt: non more principum huius ſæculi, non armis ferreis aut carnalibus gubernatur. Oblatam gubernationem *politicam* Chriſtus recuſauit, Io. VI, 15. nec munere *iudicis ciuilis* fungi voluit, Luc. XII, 14.

Prob. c. *Regni Chriſti non eſt finis*, Dan. IV, 31. c. VII, 14. Luc. I, 33.

Prob. d. *Dominatur Chriſtus a mari ad mare, & a fluuio vsque ad fines terræ*, Pſ. LXXII, 8. Zach. IX, 10.

Prob. e. Eph. IV, 10. *Aſcendit Chriſtus ſuper omnes cœlos, vt omnia impleret.* Omnia implet, qui omnipræſens eſt, Ier. XXIII, 5.

Prob. f. Chriſtus eſt παντοκράτωρ, Apoc. I, 8. i. e. gubernator omnipotens, cui etiam competit καρδιαρχία, dominium in conſcientias & corda hominum: cuius inſigne ſpecimen edidit in illa ipſa contemtiſſima vectura, cuius mentio fit, Matth. XXI, 3. vbi dominum aſinæ ad commodandum animal, puerorum corda ad decantandum Hoſianna inſtigauit.

Prob. g. Chriſtus eſt Rex *omniſcius*, quia *omnia nouit*, Io. XXI, 17. *ſcrutaturque renes & corda*, Apoc. II, 23.

Prob. h. *Triplex* eſt Chriſti *triumphus* 1) in *inferno*, in quemglorioſe deſcendit; 2) in *terra*, quam e morte reſuſcitatus, viuus repetiit; 3) in *cœlo*, in quod magnificentiſſime ſubuectus eſt. Triumphauit itaque mundum, mortem, diabolum & infernum.

Quæſt. CV. *Quotuplex eſt regnum Chriſti?*

Regnum Chriſti eſt *triplex*, regnum *potentiæ* *), *gratiæ*, & *gloriæ*.

Quæſt. CVI. *Quodnam eſt regnum potentiæ?*

Regnum *potentiæ* eſt, quo Chriſtus omnes creaturas in hoc vniuerſo potentiſſime conſeruat & gubernat, in Creatoris laudem, & creaturarum proſperitatem.

Obſ.

*) Aut, ſi mauis regnum *naturæ*: Nam 1) non *potentia*, ſed *natura* eſt id, quod & *gratiæ*, & *gloriæ* opponitur; 2) *Potentiam* ſuam Chriſtus & in *omni* regno vſurpat, neque in *vllo ſolam*, ſed cum infinita bonitate ac ſapientia coniunctam. De *potentia* in regno *gratiæ* vid. Col. I, 11. de eadem perfectione diuina in regno *gloriæ*, Phil. III, 20. 21.

Digitized by Google

Obſ. *Subditi* in regno *potentiæ* generatim ſunt *omnes creaturæ*, ſeu, phraſi ſcripturæ, omnia *opera manuum Dei*, Pſ. VIII, 7. 1 Cor. XV, 27. Eph. I, 20. *Speciatim* in hoc regno ſubditi Chriſti ſunt, quos hic rex ſub pedibus ſuis tenet, in medio illorum regnans, Pſ. CX, 2. Eph. I, 13 *Actus regii* in regno *potentiæ* ſunt: cum omnium creaturarum conſervatio & gubernatio, tum vero hoſtium ſubiectio.

Quæſt. CVII. *Quodnam eſt regnum gratiæ?*

Regnum *gratiæ* eſt, quo Chriſtus eccleſiam in terris militantem colligit, gubernat, ſpiritualibus donis exornat, conſeruat & defendit in nominis diuini laudem, regni ſatanici deſtructionem, & fidelium ſalutem.

Obſ. *Subditi* in hoc regno *gratiæ* ſunt omnes *homines fideles*, qui eccleſiam militantem conſtituunt. *Actus regii* ſunt, eccleſiæ collectio, gubernatio, exornatio, conſeruatio, defenſio aduerſus hoſtes gratiæ, & in medio ipſorum dominatio.

Quæſt. CVIII. *Quodnam eſt regnum gloriæ?*

Regnum *gloriæ* eſt, quo Chriſtus eccleſiam in cœlis triumphantemglorioſiſſime regit, & æterna felicitate replet, in nominis diuini laudem, & beatorum æternam refectionem.

Obſ. *Subditi* in hoc regno *gloriæ* ſunt tum *angeli boni*, tum *homines beati*. *Actus regii* ſunt: reſuſcitatio fidelium mortuorum ad vitam; horum ſolemnis introductio in vitam æternam, Matth. XXV, 34. & feliciſſima atque glorioſiſſima gubernatio.

Dicis: Datur etiam *quartum regnum* Chriſti, ſcilicet regnum *iuſtitiæ* in angelos malos & homines damnatos. Reſp. Regnum iuſtitiæ referimus ad regnum potentiæ.

Quæſt. CIX. *Num Chriſti regnum finem habiturum eſt?*

Regnum *gratiæ* quidem *terminabitur* in extremo die a), at *nunquam ceſſabit* aut finietur regnum *gloriæ* b).

Prob. a. *Tradet enim Chriſtus regnum Patri*, 1 Cor. XV, 24. tum per modum præſentationis, quaſi ad luſtrationem, tum per modum abdicationis; non perinde, ac ſi Chriſtus *omne* regnum ſit abdicaturus, ſed quoniam *regnum gratiæ* per verbum & ſacramenta in medio inimicorum non amplius eſt adminiſtraturus. Conf. D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. ad h. l.*

Prob. b. Diſerte teſtantur ſacræ litteræ, regni Chriſti *nullum fore finem*, Dan. VII, 14. Luc. I, 33.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, ſtatuentium, regnum Chriſti poſt finem mundi non eſſe duraturum. Obiiciunt

I. Chriſtus *regnum tradet Patri*, 1 Cor. XV, 24. E. poſt finem mundi non amplius regnabit. Reſp. Chriſtus in extremo die Patri tradet *regnum gratiæ*, vt ſubſequatur regnum gloriæ.

II. Si Chriſtus gubernaret regnum gloriæ, non dixiſſet Apoſtolus, ipſum Filium ſe ſubiecturum eſſe Patri, 1 Cor. XV, 28. Reſp. Ὑποταχή, ſiue *ſubiectio paſſiua*, dicitur de Chriſto ſecundum *humanam* naturam, eaque l. c. non ſimpliciter talis (nam & antea caro Chriſti Patri ſubiecta erat), ſed *illuſtrior* intelligitur. Nimirum Chriſtus, qua homo, in extremo die, & re, & confeſſione ſubiectus erit Patri, quia palam confitebitur, ſe omne

 ius,

Digitized by Google

ius, omnem potentiam, omne dominium Deo Patri acceptum referre. At propterea non ceſſabit regnum Chriſti; omnia quippe, extra Deum, illi ſubiecta erunt, v. 27.

III. Oportet Chriſtum regnare, *donec poſuerit inimicos omnes ſub pedes ſuos*, 1 Cor. XV, 25. Ergo cum aboleuerit hoſtes ſuos, regni finis affuturus eſt. Reſp. Vis argumenti nititur particula, *donec*, quae interdum ſumitur *finite*, *aut determinate*, vt certum notet terminum, interdum *infinite & indeterminate*, vt deſignet perpetuitatem, etiam tempore difficillimo. Videtur heic τὸ *donec* ſumi infinite, vt ſenſus ſit: Oportet Chriſtum regnare ſemper & in perpetuum, etiam tempore difficillimo, quo diabolum & impios ſub pedibus ſuis habebit. Conf. D. GEIER in *Pſ. CX. p. 696.* & D. SCHERZER in *Colleg. Anti-Socin. p. 579.* Concedit tamen D. CALOV. in *bibl. illuſtr. p. 397.* τὸ *donec* h. l. ſumi poſſe determinate, vt notetur *terminus non regni Chriſti ſimpliciter, ſed certi modi regnandi*, adeoque ſenſus erit: Oportet Chriſtum regnum *gratiae* per verbum & ſacramenta regere, donec omnes eius inimici plene ſubiecti erunt; & tunc regnum gratiae ceſſabit. At eo ipſo non terminabitur regnum *gloriae*. Nam *agnus in gloria paſcet fideles*, Apoc. VII, 17. *ſecuturos eum, quocunque iuerit*, c. XIV, 4.

IV. Si Chriſtus regeret regnum gloriae, in eodem Deus Pater non foret omnia in omnibus: At Deus *Pater* in regno gloriae erit *omnia in omnibus*. Vid. 1 Cor. XV, 25. E. Chriſtus non reget regnum gloriae. Reſp. Deus Pater erit omnia in omnibus: quia immediate gubernabit regnum gloriae. Erit ipſe noſter doctor, noſter Rex, noſter cibus, noſtra ſalus. At cum Chriſtus ſit Deo Patri ὁμοούσιος, vna cum Deo Patre & Spiritu S. erit omnia in omnibus.

Quaeſt. CX. *An Chriſtus Rex fuit in ſtatu exinanitionis?*

Chriſtus *eo tempore*, quo *viſibiliter in his terris* verſatus eſt, *verus Rex* fuit.

Prob. Chriſtus eſt *Rex natus*, Luc. II, 11. *Rex aſino vectus*, Luc. XIX, 35. *Rex in diebus carnis*, Marc. XIV, 61.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, Chriſtum ante reſurrectionem re ipſa fuiſſe Regem; quamuis non diffiteantur, eum ante mortem Regem fuiſſe deſignatum. Obiiciunt iidem: Ieſus poſt mortem demum factus eſt Chriſtus, i. e. Rex, Act. II, 36. A mortuis reſuſcitatus accepit nomen ſuper omne nomen, Phil. II, 9. et in regno ſuo collocatus eſt, Luc. XXIV, 26. E. ante mortem reipſa non fuit Rex. Reſp. Confundunt aduerſarii *ſtatum exinanitionis, & exaltationis*, item χρῆσιν, & κτῆσιν regiminis Chriſti. Hic enim ſtatim in ipſa conceptione ad regiam dignitatem inunctus eſt, & conuerſatus viſibiliter in his terris ius regnandi poſſedit, atque interdum pro arbitratu exercuit. At pleniſſimo & nunquam ceſſante regiminis vſu in ſtatu exinanitionis volens ſe abdicauit.

## MEMBRVM III.
# DE DVPLICI STATV CHRISTI.
# I. DE STATV EXINANITIONIS CHRISTI.

Quaeſt. CXI. *An Chriſtus communicatam carni ſuae maieſtatem ſemper eodem modo exſeruit?*

*Status exinanitionis.* Chriſtus communicatam *carni ſuae* maieſtatem diuinam *non ſemper eodem modo exſeruit*, ſed a conceptione, vsque ad mortem & ſepulcrum, eiusdem plenum vſum retraxit & inhibuit; *viuificatus autem*, reſuſcitatus, euectus in coelum,

Digitized by Google

cœlum, & exaltatus ad dextram Dei eandem *plene vſurpauit.* Ex quo oritur *duplex* Chriſti *ſtatus*, vnus *exinanitionis*, alter *exaltationis*.

Quæſt. CXII. *In quo formaliter conſiſtit exinanitio Chriſti?*

*Exinanitio Chriſti* formaliter conſiſtit *non* in *aſſumtione carnis humanæ* a); neque in *nuda maieſtatis diuinæ* κρύψει, ſeu *occultatione* b); neque in *omnimoda* maieſtatis diuinæ *abdicatione*, aut euacuatione c): ſed in *abdicatione pleni* atque *inceſſantis vſus diuinæ maieſtatis*, *aſſumtione formæ ſeruilis*, *aſſimilatione cum aliis hominibus*, & *humillima obedientia* d). *Formale exinanitionis.*

Prob. a. Quamuis in ſenſu *eccleſiaſtico* & *improprio* interdum *incarnatio* dicatur *exinanitio;* proprie tamen & ex *vſu ſcripturæ* incarnatio non eſt vocanda exinanitio. Nam 1) *exinanitio* a Paullo vocatur κένωσις, *euacuatio* *); at incarnatio nullibi *euacuationis* nomine venit, neque commode ita dici poteſt. 2) *Exinanitio* dicitur de Filio Dei ἐνσάρκῳ, ſiue Chriſto θεανθρώπῳ; *incarnatio* de Filio Dei ἀσάρκῳ. 3) Illa intelligitur hic *exinanitio*, quæ per exaltationem eſt *ſublata*; ſed *incarnationis* ſtatus *permanet.* 4) Ea ab Apoſtolo Phil. III, 5. deſignatur exinanitio, quæ nobis in *exemplum* proponitur; ſed incarnatio eſt *inimitabilis.*

Prob. b. Exinanitio Chriſti *non* eſt *nuda* κρύψις, ſeu *occultatio* maieſtatis diuinæ. Nam exinanitio 1) non cadit in Chriſtum exaltatum, in quem tamen cadit maieſtatis occultatio: *Exſpectamus enim* ἐπιφάνειαν καὶ ἀποκάλυψιν, apparitionem & reuelationem Ieſu Chriſti, 1 Cor. I, 7. 2) Quia Chriſtus vere exinanitus eſt *coram Deo, angelis & hominibus.* Sed ſi Chriſtus *tantum occultaſſet* αὐχήματα, ſibi communicata, obſcurus quidem fuiſſet coram *hominibus*, ſed glorioſus coram *Deo.* At petiit *glorificari cum Deo*, Io. XVII, 5. 3) *Occultatio* donorum non eſt *vera exinanitio*, ſicut ſol, nubibus tectus, non eſt vere obtenebratus; quamuis non diffiteamur, quod Chriſtus τὴν κτῆσιν, ſeu *poſſeſſionem* communicatæ maieſtatis, *occultauerit*, nec vbique exſeruerit.

Prob. c. *Omnimoda* maieſtatis diuinæ *euacuatio*, & quaſi effuſio, non potuiſſet 1) fieri ſine ſolutione *vnionis perſonalis;* quæ cum ſit perfecta & interna vnio, non poteſt exſiſtere ſine communicatione naturarum & idiomatum. 2) Durante *ſtatu exinanitionis* Chriſtus interdum



*) Quamquam græcum, *κενόω*, pariter ac hebraicum, הריק, vſitate ac plerumque idem valet, ac latinum, *vacuefacio:* tamen iſta ſignificatio nec perpetua eſt, nec cum re ſignificata congruens. Hoc enim pacto conſequens foret, vt exiſtimemus, Chriſtum *omni vſurpatione* diuinarum, quæ cum humana ipſius natura perpetuo communicatæ ſunt, perfectionum ac proprietatum, quin etiam *poſſeſſione*, ſeſe penitus abdicaſſe; id quod tamen noſtra omnium confeſſione falſiſſimum eſt, atque etiam a mente b. Auctoris longe alieniſſimum. Sed eſt alia quædam huic verbo ſubiecta poteſtas, eaque ad hanc rem maxime adcommodata, quippe hæc: *effectum cohibere, vſumque rei*, quæ ſuam quidem *in ſe efficacitatem ſemper arcteque tenet*, eam vero *non ſemper extra ſe præbet cuique conſpiciendam.* Vid. Ieſ. LV, 11. & 1 Cor. I, 17. 18. Ita Chriſtus ἐκένωσε ἑαυτόν, vbi, quando, & quoad, *ſe ab vſu effectuque externo abſtinuit* perfectionum proprietatumque diuinarum, quas quidem *in ſe poſſidere nunquam deſiit*, quarum etiam internam perpetuamque *efficacitatem, vbi, & quando, & quoad* muneris functioni erat conueniens, *exercuit.* Eumdem ad modum hanc vocem interpretatus eſt B. GERHARDVS, in *loc. theol. Exeg.* T. I. loc. IV. §. 297. Itaque, ſi latine conuertenda ſit vox, *κένωσις*, rectiſſime dicitur *abſtinentia vſurpationis.*

Digitized by Google

terdum luculenta edidit *ſpecimina* maieſtatis diuinæ in carne ſua habitantis, quamuis Chriſtus ea maieſtate *rarius* & quaſi *extraordinarie* vſus ſit.

Prob. d. *Quatuor requiſita* connectenda ſunt, ad plene deſcribendam *exinanitionem* Chriſti: 1) Κένωσις, *euacuatio* pleni vſus communicatæ diuinæ maieſtatis, diuinæ omnipotentiæ, omniopulentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ modificatæ, ſeu efficaciter operantis & gubernantis, adorabilitatis: 2) Λῆψις μορφῆς δȣ́λȣ, *aſſumtio conditionis ſeruilis.* Fuit namque Chriſtus ſerui in modum tractatus, venditus & ſeruili ſupplicio affectus. 3) Ὁμοίωσις ἀνθρώπων, *aſſimilatio cum hominibus* tenuioribus & ignobilibus, inprimis Iſraëlitis, in natiuitate, circumciſione, ablactatione, arte fabrili, ἐν σχήματι, in conuerſatione & geſtu. 4) Ταπείνωσις ὑποτακτικὴ, *humillima obedientia actiua & paſſiua.* Quæ omnia comprehenduntur memorabili illo dicto Paulli, Phil. II, 5. 6. 7. 8. Τȣ̃το γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χριςῷ Ἰησȣ̃, ὃς ἐν μορφῇ Θεȣ̃ ὑπάρχων ȣ̓χ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἶσα Θεῷ; ἀλλ᾽ ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δȣ́λȣ λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος ἐταπείνωσεν ἑαυτόν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτȣ, θανάτȣ δὲ ςαυρȣ̃. *Hic enim affectus ſit in vobis, qui etiam in Ieſu Chriſto: qui licet etiam in forma Dei eſſet, non rapinam eſſe exiſtimauit, eſſe æqualia Deo, ſed ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, ita vt in ſimilitudine hominum eſſet & habitu inueniretur, vt homo: humiliauit ſeipſum, ita vt factus ſit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Obſ. a) Hoc dicto claſſico ſubmiſſio Chriſti exhibetur nobis intuenda, vt exemplum, ad imitandum propoſitum. b) Submiſſio deſcribitur κατ᾽ ἄρσιν, quod *non putauerit rapinam, eſſe æqualia Deo*, i. e. non iudicauit, rapinæ inſtar publice oſtentandam eſſe maieſtatem omnipotentis & omnipræſentis Domini, ſed eandem clam habuit, & tum demum, quando ipſi viſum fuit, nonnullos deiformitatis radios exſeruit. c) Per μορφὴν Θεȣ̃ non intelligitur præciſe & immediate ipſa eſſentia Dei, ſed ſtatus Chriſti glorioſus. Appellatur enim μορφὴ iudice CHEMNITIO, *de duab. nat. p. 352. quando natura, ſeu eſſentia aliqua ita conſideratur, ſicut idiomatis, attributis & conditionibus, vel diuinis, vel humanis prædita, & quaſi veſtita atque ornata eſt.* Eſt itaque *forma Dei*, diuina omnipotentia, ſumma opulentia, omniſcientia, dignitas recipiendi ſupplicationem. Dicit Apoſtolus: ἐν μορφῇ Θεȣ̃ ὑπάρχων, *in forma Dei exſiſtens*, i. e. gloriæ, potentiæ, ſapientiæ particeps, vel poſſeſſor. d) Εἶναι ἶσα Θεῷ ſignificat, ſe Deo æqualiter gerere in gloria & maieſtate. Non oſtentator fuit gloriæ ſibi debitæ, ſed humilis abdicator. e) Deſcribit Apoſtolus ſubmiſſionem Chriſti κατὰ θέσιν. ἀλλ᾽ ἑαυτὸν ἐκένωσε, *ſed ſeipſum euacuauit*, non effundendo communicatam maieſtatem, ſed eius *vſum plenum & vniuerſalem retrahendo & cohibendo.* *). f) Μορφὴ δȣ́λȣ non eſt natura humana, quam Chriſtus θεάνθρωπος non demum aſſumſit, ſed habuit; quam etiam

*) Satis perſpicue PAVLLVS *duas* conſtituit *partes* humilitatis Chriſti, ſeu, vt moris eſt loqui, exinanitionis: 1) ἐκένωσεν ἑαυτὸν, 2) ἐταπείνωσεν ἑαυτόν. Quæ autem verbis adiunctis ſignificata ſunt, ea pertinent ad definitionem, veramque rationem vtriusque illius partis. Adhibetur enim ea verborum forma, quæ dicitur participium: λαβὼν, γενόμενος. Ergo illud quidem, μορφὴν δȣ́λȣ λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, referri debet ad priorem partem, ἐκένωσεν ἑαυτόν. Hoc autem, γενόμενος ὑπήκος κ. τ. λ., ſpectat ad alteroam, ἐταπείνωσεν ἑαυτόν. Proinde μορφὴ δȣ́λȣ, atque ὁμοίωσις ἀνθρώπων, non ſunt diſcernendæ ἀπὸ τῆς κενώσεως, ſed ad eam referendæ ſunt, aque in ea ipſa continentur. Κένωσις autem, ac ταπείνωσις, inter ſe differunt, vt antecedens & conſequens. Et ἄνθρωποι, quorum ὁμοίωσις Chriſto adſeritur, conſiderandi ſunt non ratione naturæ humanæ, ſed ratione infirmitatum ac miſeriarum, quibus premuntur homines, quoad quidem ſunt in hac mortalitate vid. dictum clariſſimum Hebr. IV, 15. Vtriusque igitur partis definitio hæc eſt: 1) Κένωσις eſt *humilis naturæ humanæ, conditio, qua Chriſtus homo*

Digitized by Google

etiam per exaltationem non depoſuit: ſed eſt *ſtatus ſeruilis*, *& conditio abiecta.* g) Ὁμοίωμα ἀνθρώπων eſt conformitas cum aliis hominibus, in naturalibus & artificialibus actionibus, in communi viuendi ratione, in geſtu & conuerſatione, excepto ſolo peccato. h) Ἐταπείνωσεν, ἑαυτὸν γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, *humiliauit ſeipſum* in paſſione magna, tam externa corporis, quam interna animæ, approbando Deo Patri obedientiam actiuam & paſſiuam humillimam.

Quæſt. CXIII. *Quid eſt exinanitio Chriſti?*

*Exinanitio* eſt ſtatus Chriſti θεανθρώπου, quo is communicatam carni ſuæ maieſtatem diuinam non inſtar rapinæ vbique publice oſtentauit, ſed ad tempus abdicato eius pleno & vniuerſali vſu, aſſumtaque conditione ſeruili, non tantum aliis hominibus in communi viuendi ratione factus eſt ſimilis, ſed & acerbiſſimam paſſionem & mortem humillimo obſequio ſuſtinuit, vt a culpa & pœna redimeret genus humanum, & amiſſam ei ſalutem repararet.

Quæſt. CXIV. *Secundum quam naturam Chriſtus exinanitus eſt?*

Exinanitus eſt Chriſtus a) *ſecundum humanam naturam* in *vnione perſonali* conſideratam b).

Prob. a. 1) Subiectum *quod* exinanitionis dicitur *Ieſus Chriſtus*, Phil. II, 5. quæ nomina ſunt perſonæ συνθέτου, ſeu compoſitæ ex vtraque natura.

2) Subiectum *quod* obedientiæ, eſt etiam ſubiectum *quod* exinanitionis. At vero ſubiectum *quod* obedientiæ eſt perſona θεάνθρωπος, per illud Apoſtoli: *Chriſtus Ieſus in forma Dei exſiſtens ſemetipſum exinaniuit, & humilem præbuit, factus obediens vsque ad mortem crucis.* Phil. II, 5. 7. 8.

Prob. b. Subiectum *quo* eſt ſola *humanitas*, ſed in *vnione* conſiderata; nam 1) diuinitas, cum ſit immutabilis & perfectiſſima, exaltari & exinaniri nequit.

2) Exinanitio facta eſt *vsque ad mortem crucis*, Phil. II, 8. Ac diuinitas nec mortua, nec crucifixa eſt.

Dicis: I. Chriſtus ſecundum *diuinam* naturam ſe exinaniuit, *aſſumendo carnem* mortalem ac paſſibilem. Reſp. *Aſſumtio carnis* fragilis *non* eſt *proprie* dicta *exinanitio*, licet ſtylo *eccleſiaſtico* humiliatio dicatur. Nam exinanitio proprie notat euacuationem; ſed per incarnationem ὁ λόγος ſua ſe maieſtate non euacuauit.

Dicis: II. Chriſtus exinaniuit ſe deponendo deiformitatem, quæ illi competit ſecundum *diuinam* naturam. Reſp. Μορφὴ θεοῦ competit naturæ *diuinæ* formaliter & per ſe, *humanæ* autem naturæ participatiue & per vnionis perſonalis gratiam. Deiformitatem *non* depoſuit *diuina* Chriſti natura, quippe quæ eſt immutabilis; ſed *humana* natura, quæ exinanitionis eſt capax.

Quæſt. CXV. *Quo gloriæ vſu in ſtatu exinanitionis Chriſtus ſe abdicauit?*

*Generatim* loquendo Chriſtus in ſtatu exinanitionis ſe abdicauit vſu plenario, vniuerſali & indeſinenti *æternæ gloriæ*, per vnionem perſonalem aſſumtæ carni com-

*homo factus, ſimul atque humanam naturam in* ὑπόστασιν *diuinæ adſumſit, ſe ab vſu perfecto & continuo diuinarum proprietatum perfectionumque, cum humana natura communicatarum, abſtinuit, formam ſumſit ſerui, omnesque infirmitates humanas perferendas ſuſcepit, quoad neceſſe fuit ad conſequentem* ταπείνωσιν. 2) Ταπείνωσις eſt *humilis viuendi ratio, formæ ſerui conueniens, qua Chriſtus conſummatam Deo obedientiam præſtitit, vsque ad mortem ignominioſam.*

Digitized by Google

communicatæ a). *Speciatim* ſuſpendit & cohibuit vſum *omnipotentiæ* b), *omniſcientiæ* c), abundantiſſimæ *opulentiæ* d), *omnipræſentis dominii* e) & *adorabilitatis religioſæ* f).

Obſ. Diſtinguendum eſt inter *vſum* maieſtatis diuinæ *plenum*, *vniuerſalem & inceſſantem*, *& inter vſum* eiusdem maieſtatis *aliqualem*, *particularem & ceſſantem*. Chriſtus in ſtatu exinanitionis *non* ſuſpendit aut intermiſit *omnem* communicatæ carni ſuæ maieſtatis diuinæ vſum, ſed tantum *plenum*, *vniuerſalem & inceſſantem*. In actionibus quibusdam particularibus & miraculoſis Chriſtus in medio exinanitionis ſtatu maieſtatem ſuam diuinam vere vſurpauit & illius radios & ſcintillas quasdam vibrauit, v. gr. Cum Chriſtus in nuptiis Canaæis aquam in vinum mutauit, *ſuam gloriam manifeſtaſſe* dicitur, Io. II, 11. Sed ille *vſus particularis* poſtea ad tempus ceſſauit.

Prob. a. Ex Io. XVII, 5. *Et nunc glorifica me, Pater, apud temet ipſum gloria, quam habui prius, quam hic mundus eſſet, apud te.* Hæc glorificatio, de qua Chriſtus hic loquitur, non deſignat 1) donationem poſſeſſionis gloriæ; nam Chriſtus vt homo iam ante poſſedit gloriam infinitam, Io. I, 14.; neque 2) eius particularem vſurpationem, quam in miraculis quibusdam oſtenderat; ſed 3) notat inthroniſationem & introductionem Chriſti hominis in ſuum regnum omnipotenter, omnipræſenter, omniſapienter, totaliter & vniuerſaliter adminiſtrandum.

Prob. b. Retraxit Chriſtus in aſſumta forma ſeruili vſum plenum *omnipotentiæ;* quam ſi exercuiſſet, paſſio Chriſti & mors ſatisfactoria pro peccatis noſtris impeditæ fuiſſent: depuliſſet enim omnes iniurias, omnesque inimicos proſtrauiſſet.

Prob. c. Suſpendit Chriſtus vſum vniuerſalem *omniſcientiæ:* vere enim ignorauit diem extremi iudicii, Matth. XXIV, 36. ſterilitatem ficus, Matth. XXI, 19. locum ſepulcralem Lazari, Io. XI, 34.

Prob. d. Abſtinuit Chriſtus ab vſu *opulentiæ;* ſi quidem propter nos egenus factus eſt, 2 Cor. VIII, 9. Conf. Matth. VIII, 20.

Prob. e. Cohibuit idem vſum omnipræſentis dominii; cuius non ignara fuit Martha ſoror defuncti Lazari, inquiens, Io. XI, 21. *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non eſſet mortuus.*

Prob. f. Plenam lucem *maieſtatis adorabilis* Chriſtus non ſemper exſeruit; ſi quidem minor factus eſt angelis, Hebr. II, 7.

### Quæſt. CXVI. *Quamdiu durauit ſtatus exinanitionis?*

Status exinanitionis *durauit* a primo momento conceptionis vsque ad vltimum momentum quietis in ſepulcro.

Prob. Ex Phil. II, 8. *Chriſtus humiliauit ſeipſum, ita vt factus ſit obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis.* Per *mortem* hic intelligimus tum *actum* ſeparationis animæ a corpore, tum *ſtatum* Chriſti hominis mortui, qui etiam ſepulturam & triduum mortis complectitur.

### Quæſt. CXVII. *Quem in finem Chriſtus ſe exinaniuit & abdicauit pleno maieſtatis diuinæ vſu?*

Chriſtus ſe exinaniuit *non propter ſe*, ſed propter *nos peccatores* a), vt pro raptu deiformitatis, a protoplaſtis commiſſo, iuſtitiæ diuinæ ſatisfaceret b), & vniverſum genus humanum a peccatis redimeret c).

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. Ex 2 Cor. VIII, 9. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus propter vos pauper factus eſt, cum eſſet diues, vt vos ipſius paupertate diteſceretis.* Nos *natura ſumus filii iræ*, Eph. II, 3. adeoque caremus diuitiis gratiæ & iuſtitiæ; at propter nos Chriſtus ditiſſimus factus eſt pauper, vt illius indigentia noſtra eſſet opulentia.

Prob. b. *Soluit Meſſias, quod non rapuit*, Pſ. LXIX, 5. Protoplaſtis quidem noſtris collibuit, ſuggerente diabolo, deiformitatem contra ius & fas omne rapere; at fœdiſſimum illum raptum expiauit Chriſtus, plenum vſum deiformitatis carni ſuæ communicatæ non ſuperbe oſtentando, ſed modeſte inhibendo.

Prob. c. Chriſtus *nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis exſecratio.* Gal. III, 13. Chriſtus liberauit nos a ſententia legis exſecratoria, mortem deteſtabilem noſtri loco oppetendo.

Quæſt. CXVIII. *Quinam ſunt præcipui actus, quibus abſoluitur exinanitio Chriſti?*

Ad exinanitionem Chriſti pertinent ſequentes actus: 1) *Conceptio*, 2) *Natiuitas*, 3) *Circumciſio*, 4) *Educatio*, 5) *Viſibilis inter homines conuerſatio*, 6) *Paſſio magna*, 7) *Mors*, 8) *Sepultura*. *Actus exinanitionis.*

Quæſt. CXIX. *Quid eſt conceptio Chriſti?*

*Conceptio* eſt actus ſupernaturalis, quo caro Chriſti, ſuperueniente Spiritu S., producta ex maſſa ſanguinea Mariæ virginis, in eiusdem vtero, primum eſſe, nobis conſubſtantiale, accepit. *Conceptio.*

Obſ. Expendimus ſupra *conceptionem Chriſti*, quæſt. XIV. XV. vbi de origine carnis Chriſti egimus; iam autem conſideramus eam non *in ſe* præciſe; ſed quatenus ad *ſtatum exinanitionis* pertinet, ſeu quatenus caro Chriſti, licet non ex virili ſemine, tamen in vtero fœminæ formata fuit; qua ratione certum eſt, nonnullas infirmitates concurrere. Conf. D. BAIERI *compend. p. 607.*

Quæſt. CXX. *Quid eſt natiuitas Chriſti?*

*Natiuitas* Chriſti eſt egreſſio Dei-infantis ex vtero materno in has lucis auras. *Natiuitas.*

Prob. Natiuitatem Chriſti pertinere ad *ſtatum exinanitionis* liquet: quoniam Chriſtus natus eſt 1) a matre quidem virgine, ſed paupercula; 2) Non in vrbe ſplendida, ſed in exiguo oppido Bethlehemo: 3) Non in arce regia, ſed in ſordido ſtabulo; 4) Tempore ſceptri iudaici, ſi non penitus fracti, haud parum tamen quaſſati, rerum potiunte Octauio Auguſto, ſæuiente tyranno Herode, cenſum exigente Quirino præſide.

Obſ. Hac natiuitate pauperrima Chriſtus peccaminoſam noſtram natiuitatem ſanctificauit Eſ. IX, 6. & υἱοθεσίαν ſpiritualem apud Deum nobis conciliauit, Gal. IV, 4. 5.

Quæſt. CXXI. *Quid eſt circumciſio Chriſti?*

*Circumciſio* eſt Ieſu Chriſti infantis, octauo die facta, cruenta præputii amputatio. *Circumciſio.*

Prob. *Circumciſio* eſt actus humillimæ Chriſti obedientiæ, qua Chriſtus non tantum in profundo exinanitionis ſtatu iacuit ſub nouacula circumciſoris, ſed & legi diuinæ ſubiectus eſt; cum tamen ſit dominus legis, Matth. XII, 8. Marc. II, 28.



Digitized by Google

Obſ. I. Hac circumciſione Chriſtus ſe obligauit ad totam legem implendam, atque prima ſanguinearum guttarum effuſione arrham dedit futuræ per ſanguinem ſuum redemtionis, vid. Gal. IV, 4. 5. & V, 3.

Obſ. II. Solent aliæ etiam cauſſæ reddi, ob quas Chriſtus circumcidi voluerit: 1) vt oſtenderet, ſe eſſe verum hominem; 2) vt agnoſci poſſet Iudæus, e ſemine Abrahami prognatus; 3) vt circumciſioni finem imponeret.

Quæſt. CXXII. *Quæ fuit educatio Chriſti?*

*Educatio.*

*Educatio* Chriſti fuit aſſuefactio eiusdem in ætate puerili, tum ad genus viuendi, Iſraëlita dignum, tum ad artem fabrilem.

Prob. *Educatio* Chriſti eſt gradus ſubmiſſionis, qua Chriſtus Ioſephi patris curæ, & matris Mariæ mandatis ſe ſponte ſua ſubiecit, Luc. II, 51.

Obſ. Hac obedientia, parentibus præſtita, Chriſtus liberis morigeris omne proſperitatis genus peperit.

Quæſt. CXXIII. *Quæ fuit conuerſatio viſibilis Chriſti in his terris?*

*Conuerſatio.*

*Conuerſatio* Chriſti fuit ſanctiſſima ipſius conſuetudo in diebus carnis ſuæ cum variis, etiam contemtiſſimis hominibus, plena moleſtiis, incommodis, periculis.

Prob. Verſatus eſt Chriſtus familiariter cum piſcatoribus, publicanis & peccatoribus, Luc. XV, 2. Circumfuſus fuit cœtu cœcorum, ſurdorum, claudorum, a dæmoniis obſeſſorum, Matth. XI, 5. At, quas non abſorbuit vbique calumnias? quæ non adiuit pericula? Ceperant Iudæi conſilium, Ieſum lapidibus obruendi, Io. VIII, 59. aut alio violento mortis genere perimendi, Matth. XXI, 46. Quin & ſympatriotæ Nazarethani ipſum de ſupercilio montis præcipitem agere nitebantur, Luc. IV, 29. Præterea Chriſtus famem, ſitim, itinerum incommoda tolerauit. Quæ omnia teſtantur de *exinanitione* Chriſti.

Obſ. Hac familiari conuerſatione cum peccatoribus & ægrotis tum *legem diuinam* de diligendo proximo *impleuit*, tum *officio prophetico* perfunctus eſt.

Quæſt. CXXIV. *Quæ fuit paſſio Chriſti magna?*

*Paſſio magna.*

*Paſſio* Chriſti *magna* eſt extrema paſſio, quam redemtor noſter exantlauit, circa finem vitæ, biduo ante mortem, partim in anima, partim in corpore, maximos & acerbiſſimos dolores perferendo. Eſt itaque extrema Chriſti paſſio alia *interna* animæ a), alia *externa* corporis b).

Obſ. Paſſio Chriſti alia eſt *inchoata & parua*, alia *extrema & magna*. *Illam* Chriſtus cum in toto vitæ curſu, tum præcipue in officio prophetico ſuſtinuit: *hæc* illi obtigit circa finem vitæ biduo ante mortem.

Prob. a. Quam acerba fuerit *interna* animæ Chriſti paſſio, colligitur 1) e *nominibus*, quibus eius grauitas exprimitur. Vocatur enim 1) ἀγωνία, lucta, qua Chriſto cum morte adhuc valida decertandum fuit, Luc. XXII, 44.; 2) λύπη, triſtitia, qua anima Chriſti omni ſolatio priuata eſt, Matth. XXVI, 37.; 3) περιλυπία, doloris obſeſſio ineffabilis, vsque ad mortem, Matth. l. c. v. 38.; 4) ἐκθάμβησις, conſternatio, quali vel febri laborantes, vel fulmine perculſi, vel ſpectrum conſpicati percutiuntur Marc. XIV, 33.; 5) ἀδημονία, anxietas ſolitudinis, ob defectum præſentis auxilii, tam diuini, quam humani, Matth.

Digitized by Google

Matth. l c.& Marc. l. c. 2) E *ſignis externis*, quæ ſunt: a) proſtratio corporis in terram; b) deprecatio calicis; c) ſudor corporis ſanguineus, ſupernaturalis afflictionis ac ignis, intra vrentis, teſtis & index clariſſimus; d) confortatio angeli; e) querela Chriſti mœſtiſſima, tum in monte olïueti, de afflictione ad mortem, tum in cruce, de deſertione Dei, concepta his verbis: *Deus mi, Deus mi, propter quid dereliquiſti me?* Matth. XXVII, 46. Marc. XV, 34.

Obſ. Chriſtus ſpectandus hic *non in ſe*, ac per ſe, ſed in *officio* ſuo *mediatorio* ac *ſacerdotali*, quatenus in iudicio Dei totum genus humanum repræſentat, & omnia omnium hominum peccata portat. Hoc reſpectu anxie conqueritur, ſe a Deo derelictum eſſe. Quæ derelictio formaliter conſiſtit a) non in *deſperatione;* filialem quippe confidentiam ſpirant hæc verba: *Deus mi! Deus mi!* neque b) *in ſolutione vnionis perſonalis;* quod enim Chriſtus ſemel aſſumſit, nunquam depoſuit: ſed c) in *ſenſu iræ diuinæ, ob peccata hominum ſibi imputata, & in priuatione omnis ſolatii*, ex inhabitante Deitate alias redundare ſoliti.

Prob. b. Magnam corporis paſſionem Chriſtus ſuſtinuit in *triplici quaſi theatro, terreno, lapideo & ligneo. Theatrum* paſſionis *terrenum* fuit mons olíueti, vbi Chriſtus, exantlata paſſione interna, a perfido Iuda proditus, & ab hoſtibus captus atque ligatus eſt. *Theatrum lapideum* fuit tum palatium Caiphæ, tum prætorium Pilati. In vtroque patiebantur *manus* Chriſti vincula, *aures* calumnias, *facies* colaphos, *oculi* ſputum, &, quod dictu horrendum eſt, in theatro prætoriano, *totum corpus* Chriſti flagellis laceratum, *caput* corona ſpinea redimitum, & *manus* inſerta arundine dehoneſtatæ ſunt. His accedit lapſus tragicus Iudæ & Petri, illius quidem deſperantis, huius autem ad pœnitentiam reſuſcitati. In *theatro ligneo* crucis, *manus pedesque* clauis ferreis transfixi ſunt, *latus* autem lancea petitum ac perfoſſum eſt. Quibus adde tot calumnias, a ſocietate latronum ignominioſa, ab inſcriptione probroſa, ab aculeatis dictis adſtantium aut transeuntium ſaluatori illatas.

Obſ. In magna hac paſſione tam animæ, quam corporis Chriſtus ſpectandus eſt, *vt ſpeculum iræ, gratiæ & virtutis. Iram* Dei ſenſit Chriſtus, ob peccata aliena hominum, in ſe translata: *gratiam* Dei peccatoribus conciliauit paſſione ſatisfactoria: *virtutis*, amoris, manſuetudinis, patientiæ, incomparabile exemplum hominibus reliquit.

### Quæſt. CXXV. *An Chriſtus infernales ſenſit dolores?*

Suſtinuit Chriſtus *infernales dolores*, qua *ſubſtantiam*, non qua *accidentia*. Suſtinuit dolores *intenſiue* grauiſſimos, doloribus æternis damnatorum æquipollentes. Suſtinuit eos non in πȣ damnatorum, ſed in monte olíueti & ligno crucis.

Probatur aſſertum: Quicunque dolores adeo acerbi & vehementes fuerunt, vt animam Chriſti ad mortem vsque afflixerint, omnis auxilii inopem reliquerint, preces pro auertendo calice excitauerint, corpus totum in terram proſtratum ſudore ſanguineo perfuderint, & mœſtiſſimam querelam de deſertione Dei expreſſerint, illi dolores fuerunt intenſiue infernales: Atqui dolores interni monte olíueti, & ligno crucis a Chriſto tolerati adeo acerbi & vehementes fuerunt: Ergo.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum, Socinianorum & Arminianorum*, negantium, Chriſtum ſuſtinuiſſe dolores *infernales.* Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Qui infernales dolores patitur, is deſperat: quia dolores infernales deſperationem includunt: At Chriſtus *non deſperauit.* E. Reſp. Qui dolores infernales patitur, *iis ſuccumbendo*, ille deſperat; concedo. Quicunque dolores infernales patitur, *eos ſuperando*, ille deſperat; nego. Longe aliter comparatum eſt cum *reo*, ſuper quo ira Dei manet; aliter

ter cum *fideiuſſore*, *) qui mortem ſic debuit guſtare, vt deglutiret. Cohæret deſperatio cum doloribus infernalibus non neceſſario, ſed accidentaliter. Nam Dominus in infernum ducit & reducit, 1 Sam. II, 6.

II. Chriſtus non paſſus eſt dolores *æternos:* Ergo non paſſus eſt dolores *infernales*. Reſp. Chriſtus paſſus eſt dolores, *intenſiue* infernales atque æternos, ratione *gradus: non* infernales atque æternos *extenſiue*, ratione *durationis*. Paſſus eſt dolores, ſi *grauitatem* ſpectes, doloribus infernalibus *æquipollentes;* ſi *ſublimitatem patientis* conſideres, æternis damnatorum pœnis *præpollentes*.

III. Chriſtus non ſenſit *iram Dei* (quia ſemper fuit ſanctiſſimus & dilectiſſimus Dei Filius): E. non paſſus eſt dolores infernales. Reſp. Chriſtus ſenſit *iram Dei*, *non* ob peccata *propria*, ſic enim ſemper fuit ſanctiſſimus; ſed ob peccata *aliena*, *in ſe translata*, propter quæ factus eſt κατάρα maledictio, i. e. maledictioni obnoxius, Gal. III, 13.

IV. Chriſti *anima ſemper fuit beata*, quoniam Deo arctiſſime coniuncta; E. non ſenſit dolores infernales. Reſp. Anima Chriſti ſemper fuit beata, qua *actum primum;* actum *ſecundum* & fruitionem beatitudinis impediuit ſatisfactoria pro peccatis mundi paſſio.

Quæſt. CXXVI. *Quid eſt mors Chriſti?*

*Mors.* *Mors* Chriſti eſt priuatio vitæ, ob diſſolutum vinculum naturale corporis & animæ Chriſti.

Quæſt. CXXVII. *Qualis eſt paſſio & mors Chriſti?*

Paſſio & mors Chriſti fuit *vera*, non putatiua a); *ſpontanea*, non coacta b); ſuſcepta non caſu, ſed *ex certa diſpoſitione & conſilio Dei* c); *cruenta & ignominioſa* d), *vicaria*, *meritoria & ſatisfactoria* e).

Prob. a. Meſſias *vere* languores noſtros tulit, & dolores noſtros portauit, Eſ. LIII, 4. *vere* emiſit in cruce ſpiritum, Matth. XXVII, 50.

Prob. b. Chriſtus *promtiſſime* adiit paſſionem & mortem. Propterea dixit: *Ecce veni; in volumine libri ſcriptum eſt de me: Facere voluntatem tuam, Deus mi, deſideraui*, Pſ. XL, 8. Io. V, 46.

Prob. c. Petrus inquit Act. II, 23. *Hunc Ieſum, definito conſilio & præſcientia Dei deditum, accipientes per manus impiorum, crucifigentes interfeciſtis*. Per *conſilium* intelligit Apoſtolus decretum Dei de tradendo filio ſuo in mortem pro nobis, Rom. VIII, 32. quæ ἔκδοσις, *traditio*, directa eſt in ſalutem noſtram, licet λῆψις, *acceptio*, malo ſit facta animo. Prob.

*) Id nomen adhibet b. Auctor latiori ſignificatione, vt generatim denotet *ſponſorem*, Hebr. VII, 22. Alias, ſi ſtrictius accipiatur, *fideiuſſor* diſtinguitur ab *expromiſſore*, vt ICti loquuntur. Vterque eſt quidem *ſponſor*, diuerſa tamen ratione. *Fideiuſſor* dicitur, qui pro debitore aliquo ita ſpondet, vt fidem ſuam interponat, promittens, ſe pro illo ſoluturum eſſe, quod ille debet, *ea conditione*, ſi debitor creditori, dicto die, non ſatis faciat, aut pro exhauſto ſit habendus. Interea debitor ad ſoluendum obligatus eſt. *Expromiſſor* nominatur, qui pro altero, tamquam debitore, *omnino ac ſimpliciter ſpondet*, recipiens in ſe omnem illius culpam atque obligationem, quo pacto ille ſine mora liberatus dimittitur. Hoc eſt, quod ad naturam expromiſſionis neceſſario pertinet. Res circumſtantes, quæ quidem in foro humano ad expromiſſionem requiruntus, non item in foro diuino ſunt conſiderandæ. Pauci hodie neſciunt, in quo errore verſati ſint IO. COCCEII adſeclæ, exiſtimantes, Chriſtum in V. T. *fideiuſſorem* dumtaxat fuiſſe, non *expromiſſorem*. Ex ea illorum opinione hæc eſt enata diſtinctio, de qua deinceps videbimus in loco de iuſtificatione, quod alia ſit πάρεσις ἁμαρτιῶν in V. T. alia ἄφεσις in N. T. Iniuſta foret ſuſpicio, ſi putares, Virum beatum ab illorum partibus ſtetiſſe. Loquitur is de ſponſore *omnium* hominum, nec ſolum eorum, qui ante natum Chriſtum ex hac vita diſceſſerunt. Intelligit igitur *fideiuſſoris* nomine *ſponſorem*, & eum quidem, qui, ſi diſtincte ac ſtricte loqui velimus, vocari ſolet *expromiſſor*.

Digitized by Google

Prob. d. Mortuus eſt Chriſtus in ligno crucis. At ſcriptura dicit: *Maledictus omnis, qui pependerit in ligno*, Deut. XXI, 23. Gal. III, 13. Supplicium crucis romanis moribus erat *maxime infame*.

Prob. e. Mors Chriſti eſt λύτρον, Matth. XX, 28. & ἀντίλυτρον pro peccatis noſtris, 1 Tim. II, 6. E. eſt mors *vicaria*, i. e. noſtri loco ſuſcepta, *ſatisfactoria*, qua læſæ peccatis noſtris iuſtitiæ diuinæ ſatisfactum eſt, & *meritoria*; quia eadem morte nobis promerita eſt remiſſio peccatorum.

### Quæſt. CXXVIII. *Quamdiu durauit mors Chriſti?*

Durauit mors Chriſti *triduum*, at non completum, aut plene conſummatum.

Conf. Matth. XVII, 23. c. XX, 18. Marc. IX, 31. Luc. XVIII, 31.

Dicis: Chriſtus apud Matthæum, c. XII, 40. inquit: *Filius hominis erit in corde terræ* (mortuus) *tribus diebus & tribus noctibus*. E. mors Chriſti durauit triduum completum. Reſp. loco citato *non* intelliguntur tres *dies naturales*, ſed *ciuiles*, ſiue tria νυχθήμερα hebraiſmo recepto, eaque non integra, ſed *ſynecdochice* accepta, ſiquidem in paraſceue paſchatis & ſabbathi paſſus eſt Chriſtus, & hora nona (quæ eſt tertia noſtra pomeridiana) ſpiritum emiſit, hora decima, vel quarta noſtra, ſepultus; vnde duæ adhuc reliquæ erant horæ ex illo νυχθημέρῳ, a quibus dies illa ciuilis ſynecdochice, ceu totum a partibus denominari poterat; cui dies integra ſabbathi in ſepulcro transacta ſucceſſit, ceu alterum νυχθήμερον: ac tertium cœpit circa veſperam ſabbathi, a qua, ad horam reſurrectionis in tertio die, horæ circiter decem elapſæ. Conf. D. CALOV. *Chron. S. ſect. VIII. qu. 13.*

### Quæſt. CXXIX. *An Chriſtus verus fuit homo in triduo mortis?*

Chriſtus fuit *verus homo* in triduo mortis, *non phyſice*, ex vinculo *vnionis naturalis*, quod diſruptum erat a); ſed *theologice* & æſtimatione fidei, ex vinculo *vnionis perſonalis*, quod triduum mortis illæſum reliquit b).

Prob. a. *Phyſice* verus dicitur *homo*, qui actu viuit, dum corpus & anima naturaliter ſunt vnita. At ſi vnio naturalis corporis & animæ Chriſti ſoluta non fuiſſet, Chriſtus haud fuiſſet vere mortuus. Si non vere mortuus eſt, non vere ſatisfecit pro peccatis noſtris, quod aſſerere ἀθεόλογον eſt.

Prob. b. *Mors triduana* minime læſit aut rupit vinculum *vnionis hypoſtaticæ*, qua duæ naturæ in Chriſto ſunt coniunctæ. Nam a) Chriſtus in triduo mortis fuit perſona σύνθετος. E. Deus & homo. b) Quo tempore Chriſtus fuit ſacerdos, eo tempore fuit θεάνθρωπος. At fuit ſacerdos in triduo mortis. Ergo. *Minor* prob. quia Chriſtus manet ſacerdos εἰς τὸ διηνεκές, in perpetuum. Hebr. VII, 3. c) Quod ὁ λόγος ſemel aſſumſit, nunquam depoſuit: Sed ὁ λόγος veram humanam naturam aſſumſit: Ergo ὁ λόγος veram humanam naturam nunquam depoſuit, & per conſequens in triduo mortis verus θεάνθρωπος fuit.

### Quæſt. CXXX. *Quænam ſunt ἑπόμενα ſeu conſequentia mortis Chriſti?*

*Conſecuta* ſunt mortem Chriſti a) miracula, ſempiterna memoria digniſſima, b), conuerſio centurionis & adſtantium militum.

Prob. a. *Miracula quinque* conſecuta ſunt mortem Chriſti: 1) veli templi ſciſſio, 2) terræ motus, 3) Diuulſio petrarum, 4) Apertio ſepulcrorum, & egreſſio ac apparitio ſancto-

 rum,

Digitized by Google

rum, 5) ſanguinis & aquæ e latere Chriſti profluxus. De his miraculis conf. Matth. XXVII, 51. ſeqq. & Io. XIX, 34.

Prob. b. Luc. XXIII, 47. 48. *Videns centurio, quod fiebat, glorificauit Deum dicens: Reuera hic homo iuſtus erat. Quin omnes, quæ aderant, turbæ, ſuper ſpectaculo hoc ſpectantes, quæ fiebant, pulſanteſque pectora ſua, reuerſæ ſunt.*

Quæſt. CXXXI. *Quæ fuit ſepultura Chriſti?*

*Sepultura.* *Sepultura* Chriſti eſt impoſitio corporis Saluatoris noſtri, in cruce exanimati, in monumentum recens, ad declarandam mortis Chriſti veritatem.

Quæſt. CXXXII. *Quæ obſeruanda ſunt circa ſepulturam Chriſti?*

Obſeruanda ſunt a) antecedentia, b) concomitantia, c) conſequentia ſepulturæ.

Obſ. a. *Antecedentia* ſunt: 1) *Tempus* ſepulturæ, quod fuit προσάββατον, ſeu dies paraſceues, & eius diei hora quarta, ſecundum noſtrum computum. 2) *Locus*, qui fuit in horto ſpelunca ſaxea, quæ præbuit Saluatori noſtro recens monumentum, quod nullum aliud corpus occupauerat. 3) *Curator funeris*, nimirum e *ſtatu politico*, Ioſephus Arimatæus, ſenator pius, honeſtus, opulentus; e *ſtatu eccleſiaſtico*, Nicodemus, nocturnus olim, nunc diurnus Chriſti diſcipulus, magiſter Iſraëlis, vindex innocentiæ Chriſti, Io. VII, 50., e *ſtatu œconomico*, mulieres, pietate in Chriſtum ardentes.

Obſ. b. *Comitabantur* ſepulturam Chriſti 1) *ablatio corporis* exanimati *e cruce* per manus Ioſephi, & eiusdem in hortum translatio; 2) *corporis ablutio*, facta aqua calida; vid. R. MAIMONID. *de luctu c. IV.*; 3) *vnctio*; ſiue pollinctura, Io. XIX, 40.; 4) *colligatio pedum manuumque* faſciis ſepulcralibus; 5) *repoſitio corporis in ſpelunca ſaxea*; 6) *lapidis ad oſtium aduolutio.*

Obſ. c. Sepulturam Chriſti *conſecuta* ſunt 1) diſcipulorum & diſcipularum Chriſti *luctus*; 2) *hoſtium machinæ & calumniæ* in defunctum; 3) *obſignatio aduoluti lapidis*; 4) *cuſtodia militum.*

Quæſt. CXXXIII. *Qualis fuit ſepultura Chriſti?*

Sepultura Chriſti fuit a) *glorioſa*, b) *fructuoſa*.

Prob. a. *Glorioſa* hæc fuit ſepultura: 1) Ob *corpus ſepultum*, quod eſt deitatis templum, vas plenum vnctione immenſa Spiritus S., multorum miraculorum organum efficaciſſimum: 2) Ob *honeſtos curatores*: 3) Ob *monimenti dignitatem.*

Prob. b. *Fructus* ſepulturæ Chriſti ſunt: 1) *Peccatorum noſtrorum obſignatio*, Dan. IX, 24.; 2) *noſtra conſepultura*, quæ fit in renouatione, Rom. VI, 4.; 3) *ſepulcrorum noſtrorum conſecratio*, Eſ. LVII, 2.

# II. DE STATV EXALTATIONIS CHRISTI.

Quæſt. CXXXIV. *Quis eſt ſtatus exaltationis Chriſti?*

*Status exaltationis.* *Status exaltationis* Chriſti eſt, quo Chriſtus, depoſitis infirmitatibus carnis, plenarium diuinæ maieſtatis vſum ſuſcepit & exercuit.

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. I. *Exaltatio* hic *non* ſumitur ſenſu *eccleſiaſtico*, quo notat exaltationem *incarnationis*, vel collationem maieſtatis diuinæ, *vi vnionis perſonalis* factam *carni* Chriſti; ſed *biblico*, quo tum *exaltationem crucis* Io. XII, 32. tum *exaltationem glorificationis*, Io. XVII, 5. denotat: quæ, licet interdum, ſumta *inadæquate* ſignificet *exaltationem Chriſti ad dextram Dei*, hic tamen *adæquate* ſumitur, prout notat Chriſti, a morte liberati, *vniuerſam glorificationem*, antegreſſæ exinanitioni adæquate oppoſitam.

Obſ. II. *Exaltatio* interdum deſignat *actum*, ſiue actualem glorificationem; interdum *ſtatum* glorioſum æternum, quo *poſteriori* ſenſu eamdem deſcripſimus. *Actiue* ſumta definitur: quod ſit *ſolemnis inthroniſatio & inauguratio Chriſti rediuiui ad plenam ac perfectam cæleſtis imperii vſurpationem & gubernationem cœli & terræ, in primis eccleſiæ.* Vid. D. GERHARDI *exeg. lib. IV. §. 306.*

Obſ. III. Vocatur hæc Chriſti exaltatio etiam ὑπερύψωσις, *ſuperexaltatio*, vt deſignet *exaltationem ſummam*, Phil. II, 9. δόξασις, *glorificatio*, Io. XVII, 5. ςεφάνωσις, *coronatio*, Hebr. II, 9. ἐνθρονισμός, *inthroniſatio.* Hebr. VIII, 1.

Quæſt. CXXXV. *Secundum quam naturam Chriſtus exaltatus eſt?*

Chriſtus θεάνθρωπος a) exaltatus eſt ſecundum *humanam naturam* b).

Prob. a. Subiectum *quod* exaltationis eſt Chriſtus θεάνθρωπος. Nam 1) Qui Ieſus Chriſtus ſeipſum exinaniuit, forma ſerui accepta, obediens factus vsque ad mortem crucis, ἀυτόν ὑπερύψωσε, eundem ſuperexaltauit Pater, teſte Paullo, Phil. II, 9.

2) Cum actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum, recte *tota perſona* Chriſti, vt exinanita, ita exaltata dicitur.

Prob. b. Subiectum *quo* exaltationis eſt *natura* Chriſti *humana.* Nam 1) natura diuina τȣ̃ λόγȣ eſt altiſſima, adeoque realiter exaltari nequit.

2) Chriſtus, vt exinanitus erat ſecundum naturam humanam, ita ſecundum eandem exaltatus eſt.

3) Per exaltationem Chriſtus nomen ſuper omne nomen *in plenitudine temporis* accepit *ex gratia*, quod oſtendit verbum, ἐχαρίσατο, Phil. II, 9. At ſecundum naturam diuinam *in tempore* a Patre *per gratiam* nihil accipit, ſed omnia habet a Patre per æternam generationem.

Quæſt. CXXXVI. *In quo formaliter conſiſtit exaltatio Chriſti?*

Exaltatio Chriſti *formaliter* conſiſtit in ſtatus ſeruilis, omniumque infirmitatum carnis depoſitione, & plena, vniuerſali & inceſſante maieſtatis diuinæ, per vnionem perſonalem communicatæ, vſurpatione. *Formale exaltationis.*

Prob. 1) Ex Phil. II, 9. 10. *Propterea etiam Deus ipſum exaltauit, & donauit ipſi nomen, quod ſuper omne nomen eſt; vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cæleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum.* Vbi obſ. a) Particula, διὸ, non notat meritoriam collationem, ſed *conſequentiam ordinis:* b) *Collator gloriæ* eſt Deus Pater, cui, tanquam fonti, vt eſſentiæ diuinæ, ita & communicatæ gloriæ, collatio tribuitur. Conf. Io. XVII, 7. Rom. VI, 4. De cetero nullum eſt dubium, quin actus exaltationis, vtpote extraeſſentialis, toti SS. Trinitati communis ſit. Nam & ipſe Filius Dei *ſeipſum* ex mortuis excitauit, Io. II, 19. c. X, 17. & ſupra omnes cœlos aſcendit, Eph. IV, 10. atque in gloriam *ſuam* intrauit, Luc. XXIV, 26. Et *Spiritus S.* Chriſtum ex mortuis excitaſſe dicitur, Rom. VIII, 11:*) c) Ὑπερύψωσις, ſiue ſuper-

*) In illo quidem loco id non Spiritui Sancto, ſed Deo Patri adſeritur. Non enim dicitur: *Spiritus, qui* Chriſtum ex mortuis excitauit; ſed ita ſcriptum exſtat: *Spiritus eius*, qui mortuum

Digitized by Google

ſuperexaltatio, exinanitionem & humiliationem conſecuta, vi oppoſitionis, infert loco *euacuationis* formæ Dei, *plenam* formæ Dei *vſurpationem*, loco *occultationis* eorum, quæ ſunt æqualia Deo, *publicam* eorum *manifeſtationem*, loco *aſſumtionis formæ ſeruilis*, eiusdem *depoſitionem*, *& dominii vniuerſalis adminiſtrationem.* d) *Donatio nominis ſuper omne nomen* deſignat collationem gloriæ ſummæ, qua nulla ſublimior nominari poteſt, quæ per exaltationem Chriſto donata eſt, quoad pleniſſimam χρῆσιν, ſeu vſurpationem. e) *Conſequens* donatæ gloriæ eſt ſubiectio omnium creaturarum, τῇ γονυκαμψίᾳ, ſeu genuflexione adumbrata. Nam in nomine Ieſu flectere debeat genua angeli (modo ſpirituali) Pſ. XCII, 7. & beati in cœlo, Apoc. V, 12. & homines mortales ſuper terra, Io. XIV, 13. & creaturæ ſubterraneæ, (ratione ſtatus ſqualidiſſimi) dæmones & homines damnati cum tremore, Iac. II, 19.

2) Ex Hebr. II, 8. *Eum vero, qui breue quid intra angelos minor redditus eſt, videmus Ieſum, per paſſionem mortis, gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omni guſtaret mortem.* Coniungit Apoſtolus ſtatum *exinanitionis; & exaltationis.* Illum vocat ἐλάττωσιν, ſeu conditionem angelica minorem. Angeli enim æterna gloria & beatitudinne perfruuntur: Chriſtus autem, in paſſione acerbiſſima, a Deo derelictus & omni ſolatio orbatus fuit, vt angelus de cœlo eum confortauerit. At paſſio & mors ignominioſiſſima via fuit ad ϛεφάνωσιν, ſeu coronationem Chriſti. Coronauit autem Deus Chriſtum honore regio, & gloria omnipotentis dominii. Id quod diſcimus e verſu 7. & 8. *Minorem reddidiſti eum breue quid infra angelos; gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti ſuper omnia opera manuum tuarum: omnia ſubieciſti ſub pedes eius.* Infert ergo hæc coronatio actualem vſurpationem omnipræſentis dominii & axiomatis adorationis.

*Gradus exaltationis.*

Quæſt. CXXXVII. *Sunt ne certi quidam actus, vel gradus exaltationis Chriſti?*

*Actus*, vel *gradus*, quibus Chriſtus exaltatus maieſtatem diuinam, carni ſuæ communicatam, magis magisque exercuit, ſunt: 1) Deſcenſus Chriſti ad inferos, 2) eiusdem reſurrectio, 3) aſcenſio Chriſti in cœlum, 4) ſeſſio ad dextram Dei. Quos gradus exaltationis anteceſſit ζωοποίησις, ſ. viuificatio, tanquam conditio prærequiſita, diſponens ſubiectum exaltandum.

Prob. Chriſtus rediuiuus maieſtatem ſuam diuinam per certos quosdam gradus exercuit: 1) *Deſcendendo ad inferos*, ſpiritibus malis & hominibus damnatis ſe viuum exhibuit, vt victorem mortis: 2) *Reſurgendo*, apoſtolis, & per hos toti mundo declarauit, ſe per mortem ſuam iuſtitiæ diuinæ ſatisfeciſſe: 3) *Aſcendendo in cœlum*, angelis & beatis hominibus oſtendit, ſe eſſe victorem non tantum mortis, ſed & cacodæmonum, hominumque ſaluatorem: 4) *Sedendo ad dextram Dei*, pleniſſimum & vniuerſale dominium in omnes creaturas, quæ ſunt in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ exercet.

Obſ. Ζωοποίησις, *ſeu viuificatio, eſt liberatio Chriſti a morte, & redunitio animæ ac corporis, qua Chriſtus ſecundum carnem reuiuiſcere cœpit.* Non eſt hæc peculiaris gradus exaltationis, ſed conditio prærequiſita ad diſponendum ſubiectum, ſcil. Chriſtum, ad ſuſcipiendum plenum & vniuerſalem maieſtatis diuinæ vſum.

Quæſt.

tuum Chriſtum ad vitam reuocauit. Non nullis placet, ad hanc cauſam adcommodare hoc dictum, Rom. I, 4. Verum tamen alii per πνεῦμα ἁγιωσύνης intelligunt humanam Chriſti naturam, vi oppoſitionis: κατὰ σάρκα, & κατὰ πνεῦμα. Sed ſufficit 1) quod Spiritus S. æque, ac Pater & Filius, ſit verus ac ſummus Deus, 2) quod ſine vlla exceptione valeat regula generalis: Opera diuina, quæ dicuntur ad extra, ſunt omnium trium in vnitate perſonarum peræque communia.

Quæſt. CXXXVIII. *Quid eſt deſcenſus Chriſti ad inferos?*

*Deſcenſus* Chriſti *ad inferos* eſt verus, realis & ſupernaturalis motus, quo Chriſtus, vincula mortis eluctatus & rediuiuus, tota ſua perſona ad inferos ſe contulit, vt ſpiritibus malis & damnatis hominibus ſe victorem mortis demonſtraret. ***Deſcenſus ad inferos.***

Obſ. I. *Deſcenſus ad inferos* ſumitur a) *metaphorice*, & deſignat dolores infernales, ex ſenſu iræ diuinæ & priuatione omnis ſolatii ortos. Sicut vſurpatur, 1 Sam. II, 6. vbi pia inquit Hanna: *Iehouah deſcendere facit in infernum, & aſcendere facit.* Atque ita Chriſtus, ante mortem & ſepulturam, *deſcenſu metaphorico* & dolorifico deſcendit ad inferos, in horto Gethſemane dolores immanes perpeſſus, Matth. XXVI, 38. & in ara crucis de deſertione Dei conqueſtus, Matth. XXVII, 46. b) *Proprie* ſumtus *deſcenſus ad inferos notat verum & realem abitum in πȣ͂ damnatorum*, quippe quem S. Petrus 1. ep. cap. III, 19. πορείαν, ſiue *profectionem* vocat.

Obſ. II. Quamuis deſcenſus Chriſti ad inferos fuerit *verus & realis; non* tamen *phyſicus* fuit, aut *localis*, ſed *ſupernaturalis motus* fuit. Nam *motus phyſicus & localis*, eſt proprius *corporum naturalium*; ſed *corpus Chriſti viuiſicatum* erat *glorificatum.* Neque fuit motus *ſucceſſiuus.* Factus enim eſt ἐν πνεύματι, *in ſpiritu*, i. e. virtute diuina, 1 Petr. III, 19. quæ tarda molimina neſcit: id quod cum D. AFFELMANNO vrget D. DANNHAV. in *Chriſtoſ. p. 306. Deſcenſus Chriſti fuit inſtantaneus, quia factus eſt ἐν πνεύματι, ab illo, qui non amplius ſubiacebat naturæ infirmioribus neceſſitatibus & legibus.* Conſentit D. CALOV. in *theol. poſit. p. 372. Deſcenſus Chriſti ad inferos non fuit ſucceſſiuus; quia in vnico* νῦν *peractus, neque hypoſtaſis carnis diuinæ, qua vbique eſt, motu progreſſiuo indiget, ſed præſentiæ demonſtratione vel operatione ſe adeſſe docet, atque eatenus etiam hic in inferno præſto fuiſſe intelligitur.*

Quæſt. CXXXIX. *Secundum quam naturam Chriſtus deſcendit ad inferos?*

Chriſtus θεάνθρωπος a) deſcendit ad inferos ſecundum *humanam naturam*, eamque *totam*, corpore & anima conſtantem b).

Prob. a. 1) Chriſtus ζωοποιηθεὶς, ſeu *viuificatus*, deſcendit. 1 Petr. III, 18. Atqui ζωοποιηθεὶς, eſt *totus Chriſtus*, non ſola anima. Ergo.

2) Qui aſcendit, etiam deſcendit, Eph. IV, 10. Atqui *totus Chriſtus*, non ſola anima aſcendit: Ergo etiam totus Chriſtus, non ſola anima deſcendit.

3) Deſcenſus Chriſti cum ſit actio perſonalis, non poteſt non toti perſonæ θεανθρώπῳ adſcribi. Proinde, ſicut de toto θεανθρώπῳ in ſymbolo apoſtolico dicitur, quod *paſſus, crucifixus & ſepultus* ſit: ita & de eodem dicitur, quod *deſcendit in infernum.* Et in ſymbolo Athanaſiano: *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: Ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus, qui paſſus eſt pro noſtra ſalute & deſcendit ad inferos.* Simpliciter igitur credimus, quod *tota perſona*, Deus & homo, poſt ſepulturam ad inferos deſcenderit, ait *Form. Concord.* p. 788.

Prob. b. 1) Deſcenſus ad inferos eſt *gradus exaltationis* Chriſti, adeoque naturæ *diuinæ*, quæ non recipit vlteriorem exaltationis gradum, tribui nequit.

2) Πορεία, ſeu *abitus* in infernum, poſtponitur *viuificationi* Chriſti ab Apoſtolo Petro 1 ep. c. III, 19. Factus ergo eſt deſcenſus Chriſti ad inferos *poſt redunitionem animæ & corporis;* non vero anima Chriſti ad inferos deſcendit, eo tempore, quo corpus ipſius in ſepulcro iacuit.



Digitized by Google

Dicis: I. Deſcenſus Chriſti antecedit reſurrectionem, qua Chriſtus ſe viuum exhibuit, docente ſymbolo apoſtolico: E. non eſt factus poſt viuificationem. Reſp. Diſt. inter *reſurrectionem externam, & internam. Illa* eſt egreſſio e ſepulcro, & exterior coram hominibus manifeſtatio, & deſignatur in ſymbolo apoſtolico: *hæc* eſt ipſa viuificatio, de qua ſermo eſt Apoſtolo Petro, loco citato.

Dicis: II. Omnis actus *regius & triumphalis* competit Chriſto ſecundum *vtramque naturam;* eſt enim ἀποτέλεσμα, ſeu actus officialis: Atqui deſcenſus ad inferos &c. Ergo. *Minor* probatur ex Col. II, 15. *Chriſtus exuens principatus & poteſtates oſtentauit palam, triumphans de illis per ſeipſum.* Triumphauit Chriſtus principatus infernales per deſcenſum in infernum. Reſp. Deſcenſus Chriſti ad inferos ſumitur vel *præciſe*, prout eſt realis abitus e ſepulcro in infernum, non connotato eiusdem effectu: vel ſumitur *complexe*, vt ſimul effectum & fructum, h. e. triumphum de hoſtibus, connotet. *Priori* ſenſu nos deſcenſum Chriſti ad inferos accipimus: *poſteriori* ſenſu acceptus eſt apoteleſma.

Quæſt. CXL. *Ergone Chriſtus deſcendit in ipſum carcerem infernalem?*

Deſcendit Chriſtus *in ipſum carcerem infernalem*, ſeu πȣ̃ damnatorum.

Prob. Terminum ad quem, deſcenſus Chriſti, eſſe πȣ̃ damnatorum, docet Petrus, 1. ep. c. III, 18. 19. *Chriſtus mortificatus quidem eſt carne, viuificatus autem ſpiritu; in quo etiam iis, qui in cuſtodia erant, ſpiritibus abiens prædicauit;* (ſicut iis) *qui increduli fuerunt olim, quum ſemel exſpectauit Dei longanimitas, in diebus Noë.* Vbi per φυλακὴν intelligimus carcerem infernalem: 1) Quia in illa φυλακῇ ſunt increduli, per diluuium ob incredulitatem ſuam exſtincti, qui ſane ſunt in πȣ̃ damnatorum: 2) Quia φυλακὴ etiam aliis in locis S. ſcripturæ pro inferno accipitur, Matth. V, 25. Luc. XII, 58. Apoc. XX, 7.

Quæſt. CXLI. *Quem in finem Chriſtus in infernum deſcendit?*

Deſcendit Chriſtus in infernum non eo fine, vt a dæmonibus quidquam mali pateretur a), ſed vt de dæmonibus triumphum ageret b), & vt homines damnatos, in carcere infernali iure concludi, conuinceret c)

Prob. a. Poſt mortem Chriſtus nullam realem ſuſtinuit paſſionem, eo, quod in cruce exclamauit: *conſummatum eſt*, Ioann. XIX, 30. & per mortem in gloriam ingreſſus eſt, Luc. XXIV, 26.

Prob. b. Ex Apoc. I, 18. *Eram mortuus: ecce! viuo, & habeo claues inferorum, & mortis.* Gerit Chriſtus, vt victor rediuiuus, claues inferni & mortis, de cacodæmonibus & morte triumphum agendo, Coloſſ. II, 25. Quare in carcere infernali Chriſtus ſpiritibus malis ſe viuum ſtitit, vt victorem mortis & inferni. Conf. Hoſ. XIII, 14. 1 Cor. XV, 55.

Prob. c. Chriſtus *in cuſtodia prædicauit ſpiritibus*, (ſicut iis) *qui increduli fuerunt olim, quum ſemel exſpectauit Dei longanimitas in diebus Noë.* 1 Petr. III, 19. Fuit prædicatio Chriſti in inferno *non euangelica*, quæ hominibus tantum in regno gratiæ annuntiatur, ſed *legalis*, elenchtica, terribilis, eaque tum *verbalis*, qua ipſos æterna ſupplicia promeritos eſſe, conuicit, tum *realis*, qua immanem terrorem iis incuſſit. Confer. DANNH. in *hodoſ. phænom. VIII. p. 738.*

Dicis: Cur *ſolis illis*, qui *tempore Noachi increduli fuerunt*, Chriſtus in inferno prædicaſſe dicitur? Cur *non alios etiam* concione illa elenchtica perterruit? Reſp. 1) Non excluduntur alii, ſed hi, tanquam enormia impœnitentiæ, & ſingularia iudicii diuini exempla, proponuntur: 2) Peculiariter Apoſtolus illos nominauit, vt doceret etiam, antediluuianos

Digitized by Google

diluuianos debuiſſe in Chriſtum credere, atque adeo illos propter incredulitatem iure damnatos eſſe: 3) Vt Apoſtolus commode tranſiret a diluuio typico, ad antitypum baptiſmum.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, aſſerentium, Chriſtum *tantum ſecundum animam* deſcendiſſe in infernum:*) 2) *Socinianorum*, ſtatuentium, deſcenſum Chriſti eſſe *ſtatum mortis in ſepulcro.* Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Deſcenſus Chriſti ad inferos poteſt explicari per *ſepulturam:* Nam hebræa vox, שאול, plerumque ſepulcrum, raro infernum notat: E. non eſt docendus in eccleſia peculiaris articulus fidei de deſcenſu Chriſti ad inferos. Reſp. 1) Hoc argumentum procedit ex meris particularibus. 2) Ἅδης in N. T. ſemper denotat πȣ̃ damnatorum. 3) Eccleſiam hunc articulum conſtanter credidiſſe, docet ſymbolum apoſtolicum.

II. Deſcenſus Chriſti notat *dolores infernales*, Pſ. XVIII, 6. 1 Sam. II, 6. E. non notat realem deſcenſum. Reſp. Deſcenſus Chriſti in infernum, a morte liberati & rediuiui non eſt luctuoſus, aut dolorificus, ſed glorioſus & triumphatorius, adeoque realis.

III. Si Chriſtus realiter deſcendit in infernum, aut vt Deus, aut vt homo deſcendit. Non *vt Deus:* quia Deus omnipræſentia ſua cœlum, & terram, & infernum implet, adeoque realiter non deſcendit in infernum. Nec *vt homo:* quia deſcendit vel corpore, vel anima. Non *corpore;* quia illud fuit in ſepulcro. Non *anima:* quoniam hæc fuit in paradiſo. E. Chriſtus plane non deſcendit in infernum. Reſp. Datur tertium. Totus Chriſtus θεάνθρωπος *viuificatus*, 1 Petr. III, 18. i. e. morte ſuperata, & vnione animæ corporisque reſtaurata, deſcendit in infernum, adeoque corpus Chriſti eo temporis puncto, quo hic deſcenſus contigit, non iacuit in ſepulcro.

IV. Quem deſcenſum tribuit S. Scriptura *animæ* Chriſti, ille non competit toti Chriſto θεανθρώπῳ. Atqui deſcenſum ad inferos &c. Ergo. *Minor* probatur e Pſ. XVI, 10. Reſp. Agit pſaltes de deſcenſu Chriſti ad inferos non proprio, ſed *metaphorico.* Nam phraſis ipſa & modus loquendi ſatis indicat, non agi de deſcenſu Chriſti triumphantis glorioſo, ſed de patientis Chriſti ſtatu doloroſo. Qui precatur, ne in inferno derelinquatur, is ſatis indicat, ſtatum in inferno, in quo non derelinquendus eſt, minime eſſe lætum aut glorioſum, ſed doloribus plenum. Præterea de *illo ſtatu* agit pſaltes, qui *antecedit quidem in ſepulcro.* Dicit enim: *Non relinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum, vt videat corruptionem.* At deſcenſus realis & proprius ſepulturam ſequitur. Conf. D. CALOVII *Bibl. illuſtrat. in h. l. fol. 966.*

### Quæſt. CXLII. *Quid eſt reſurrectio Chriſti?*

*Reſurrectio* eſt actus glorioſæ victoriæ, quo Chriſtus θεάνθρωπος, per eandem cum Deo Patre & Spiritu S. potentiam, corpus ſuum, animæ redunitum & glorificatum, e ſepulcro eduxit, variisque indiciis diſcipulis ſuis viuum ſtitit, in confir- *Reſurrectio.*



*) Præcipue errant in eo (id enim maxime ad *finem* attinet): quod ſibi perſuadent, Chriſtum ad inferos abiiſſe eo conſilio, vt beate defunctorum animos educeret ex *limbo patrum*, neſcio quo, quem putant inferno damnatorum loco finitimum eſſe. Hic error, cui ne quidquam eſt præſidio, arcte copulatus eſt cum aliis multo grauioribus, quibus vehementer obſcurantur principales doctrinæ partes: de iuſtificatione, eiusque vera ratione, tam in V. quam in N. T., de fiducia ſalutari ad ſalutem efficaci ac ſufficiente, de ſatisfactionis ac meritorum Chriſti virtute ſemper valida, & æque tanta ante, ac poſt, quam erat præſtita ſatisfactio.

Digitized by Google

confirmationem noſtræ pacis, fraternitatis, gaudii & ſpei de noſtra ſecutura reſurrectione.

Obſ. Vox, *reſurrectio*, duobus modis ſumitur: 1) *Late*; qua ratione ambitu ſuo complectitur ζωοποίησιν, ſeu *viuificationem*, quæ ordine naturæ deſcenſum ad inferos, & corporis e ſepulcro eductionem præceſſit, & dicitur *reſurrectio interior*: 2) *Stricte*, prout *viuificationi contradiſtinguitur*, & notat *corporis e ſepulcro eductionem* & coram aliis præſentationem *). *Poſteriori* ſenſu hic accipitur.

Quæſt. CXLIII. *Qua virtute Chriſtus reſurrexit?*

Reſurrexit Chriſtus *virtute diuina*, omnibus *tribus* perſonis diuinitatis communi.

Prob. 1) *Generatim:* Reſuſcitatio Chriſti ex mortuis, cuius terminus eſt reſurrectio, eſt actio ad extra, omnibus tribus diuinitatis perſonis communis. Vnde ipſe Saluator inquit: *Quæcunque Pater facit, ſimiliter & Filius facit*, Io. V, 19.

2) Speciatim: a) Deo *Patri*, vt fonti diuinitatis, tribuitur reſuſcitatio Chriſti ad conſolationem conſcientiarum, vt ſciamus, Patri abunde ſatisfactum, eundemque nobis reconciliatum eſſe, ceteroqui fideiuſſorem noſtrum e ſepulcro non dimiſiſſet. Ex quo Paullus grauiter ait: *Chriſtus ex mortuis reſuſcitatus eſt per gloriam Patris*, Rom. VI, 4. Confer. Eph. I, 20. Col. II, 10. b) *Chriſtum ſeipſum* e mortuis reſuſcitaſſe, patet: α) quia Chriſtus poteſtatem habet animam ſuam ponendi, & reſumendi, Io. X, 17. Hæc poteſtas competit Chriſto, vt *Deo*, per *eſſentiam*; vt *homini*, per *vnionis gratiam*. Potuit certe anima Chriſti, diuina virtute inſtructa, ſuum ſibi iungere domicilium, idque reſuſcitare. Propterea β) aſſerit Saluator, ſe templum corporis ſui diſſolutum erecturum eſſe, Io. II, 18. γ) Si Chriſtus virtute diuina, per vnionem hypoſtaticam carni ſuæ communicata, alios excitauit, Io. V, 21; quidni eadem ſeipſum excitaret? c) *Spiritus S.* Chriſtum ex mortuis reſuſcitaſſe dicitur, Rom. VIII, 11. **).

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, Chriſtum mortuum ſeipſum reſuſcitaſſe. Qui ſuam opinionem firmatum eunt ſequentibus argumentis:

I. Nullus homo mortuus ſeipſum reſuſcitare poteſt: E. nec Chriſtus. Reſp. Nullus homo *merus* ſeipſum mortuum reſuſcitare poteſt: At Chriſtus eſt θεάνθρωπος.

II. Deo *Patri* reſuſcitatio Chriſti tribuitur: E. non ſeipſum reſuſcitauit. Reſp. Tribuitur reſuſcitatio Chriſti Deo Patri, ſed *non ſoli*. Quæ enim facit Pater, eadem & *ſimiliter* facit Filius, Io. V, 19.

Inſtantia:

*) Scripturæ S. vtique conuenienter, in qua diſtinguitur ἀνάστασις a recuperatione vitæ, & quoniam illa fuit huius publicum documentum, ideo prior nominatur illa, ordini doctrinæ congruenter, tametſi ordine naturæ fuerit poſterior, Rom. XIV, 9.

**) Vid. adnotata ad quæſt. 136. pag. 775. Plurimum autem noſtra intereſt, vt firmiſſima adſenſione percipiamus *veritatem rei*, locupletiſſimis teſtimoniis confirmatam. Quando de *rebus geſtis* diſputatur, *teſtes* ſunt audiendi, quorum ſi explorata ſatis, ac probata ſit fides, nullus erit dubitationi locus. Et cum *diuina* eſt *res illa*, tunc neceſſe eſt etiam, *diuinæ auctoritatis* indicia in iis *teſtibus* adparere. Act. X, 41. Argumenta omnia in vnam ſummam conferamus, quæ vniuerſa adeo ſunt clara & certa, vt aut nihil credendum ſit, aut hoc vnum omnium maxime fide dignum debeat exiſtimari. Omnino *tria* ſunt conſideranda ac perpendenda:

Digitized by Google

Inſtantia: Introducetur *Sabellianiſmus*, ſi Chriſto tribuatur, quod Dei Patris eſt. Reſp. Diſt. inter opera *perſonalia*, & *eſſentialia*. *Illa* ſunt diuiſa, *hæc* communia omnibus tribus perſonis diuinis, quibus poſterioribus actionibus accenſetur reſuſcitatio Chriſti ex mortuis.



I. *Teſtium conditio*, & ea quidem א) *interna* animorum. Erat in illis 1) *vſus rationis*, ac *ſapientia*; etenim præter mulieres erant viri, nec ſolum de plebe, litterarum rudes ac vulgari intelligentia contenti, Act. IV, 13. ſed etiam eruditi ac rerum peritia ornati, in primis Paullus, Act. XXII, 3. idemque acerrimus aduerſarius, qui hanc veritatem diu multumque oppugnauerat, Act. XXVI, 8. 9. 1 Cor. XV, 8. 9: 2) *Prouidentia* fere nimia; tantum enim abeſt, vt credulos ſe vlli præbuerint, vt potius arguenda fuerit ipſorum *ἀπιστία*, Io. XX, 25. Luc. XXIV, 25. Marc. XVI, 14. 3) *Probitas*, erant enim integri vitæ ſceleriſque puri, fraudis nullius vnquam ſuſpecti, Act. XXIV, 21. 22: 4) *Conſtantia* ac fortitudo animi, ad extremum vsque ſpiritum, inter acerbiſſimas vexationes & calamitates, Act. IV, 19. 20. quamuis *natura* fuerint *maxime timidi*, Matth. XXVI, 56; 5) *Amor in Deum*, vincens mundum, ſine vlla cupiditate lucri temporalis, cum deſpicientia omnium & honorum, & voluptatum, Phil. III, 7. - 11. ב) *Externa*. Conſideranda eſt 1) *Multitudo* teſtium, atque etiam *coniunctio* plurium eo tempore, quo erant vna, Io. XX, 19. 26. 1 Cor. XV, 6: 2) *Contemplatio* huius rei, ſæpius *iterata*, ac diu *continuata*, per quadraginta dies, Act. I, 3., etiam *adcurata*, quantum ad ſingulas res circumſtantes, quando quidem non faciem ſolum Chriſti rediuiui, ſed etiam vulnerum ſigna, geſtus, actiones, & multas, & varias ſuis vſurparunt oculis: oculati igitur erant teſtes, non auriti, nec negligentes, ſed animo valde attento in rem intuentes. 3) *Conſenſio ſenſuum externorum omnium*, Io. XX, 25, 27. 1 Io. I, 1. Non ſatis erat, ſuis ipſos oculis Chriſtum *vidiſſe*. Reliqui ſenſus ſimul adficiebantur iucundiſſima eius patefactione. *Audiebant* loquentem, & *vim* verborum in imo pectore ſentiebant, Luc. XXIV, 32. ſimul in *memoriam* reuocabantur ſermones, quos ante perceperant, ibid. v. 44. *Manibus tangebant* Chriſtum, ne qua eſſet ſuſpicio, in quam illos temere adduxit CELSVS, ſpectro quodam ipſos deluſos eſſe, Luc. XXIV, 37. 39. Ore *guſtabant* panem, ex Chriſti manibus acceptum, & quidem *ſingulari* quodam *modo*, ex quo Chriſtus poterat cognoſci, atque ab aliis hominibus diſtingui, Luc. XXIV, 30. 31. 35. Act. X, 41.

II. *Res teſtata*. Hæc nimirum erat 1) *non abſurda*, in qua eſſet aliquid, quod vel ſibi, vel aliis veritatibus aperte repugnaret, ſed quæ *fieri poterat* per infinitam Dei potentiam, Rom. IV, 17. Act. XXVI, 8: 2) *Inſperata*, ipſiſque Chriſti Legatis omnibus incredibilis viſa, quamvis ſæpe numero a Chriſto prædicta fuiſſet; ex quo luce clarius adparet, ne potuiſſe quidem eos decipi errore quodam, aut imaginationis admodum fallacis, aut ſpei temerariæ: 3) *prænuntiata* vaticinationibus, Luc. XXIV, 25. - 27. 1 Cor. XV, 4., partim *literalibus*, vt Pſ. XVI, 10. coll. cum Act. II, 25. Pſ. XXII, 29. - 31. LXVIII, 19. Ieſ. LIII, 10. 11., partim *typicis*, præſertim duobus, Iſaaci (ad quem haud dubie reſpexit Chriſtum, ad Moſis ſcripta prouocans, Luc. XXIV, 27. coll. cum Gen. XXII, 12. Rom. VIII, 32. Hebr. XI, 19) & Ionæ, Matth. XII, 40: 4) *Neceſſaria*, propter fines ſalutares, in primiſque declarationem ſatisfactionis præſtitæ, Deoque probatæ, & adplicationem adquiſitæ iuſtitiæ, Rom. IV, 25.

III. *Teſtimonium*, quod illi dederunt 1) *vnanimi conſenſione*, nec priuatim, ſed *publice*, nec timide, ſed *ſtrenue*, contra quoſuis aduerſarios, Act. II, 32. IV, 10. 13: 2) *efficaciſſimum*, ad conuincendos animos, Act. II, 32. 37. 41. IV, 2. 4. VI. 7. 10: 3) *miraculis confirmatum*, Marc. XVI, 20. Act. III, 15. 16. IV, 10. 14. 16. VI, 8. 10.

*Conſectar.* 1. Teſtes huius veritatis *maxima fide digniſſimi* ſunt: nam non ſolum ea, quæ ad teſtimonium ſat idoneum requiruntur, *vniuerſa* adſunt; ſed multo etiam *plura*, quam omnia in vllo teſtimonio, de cuius dignitate nemo dubitat. Qui hanc rem geſtam negare audet, næ is omnem ſuſtulit fidem hiſtoricam.

*Conſect.* 2. *Fides* huic veritati habenda eſt *non modo humana* atque hiſtorica, ſed etiam *diuina*: namque ad ea omnia, quæ ad fidem hiſtoricam validiſſima ſunt, quatenus eſt *res geſta*, accedunt prorſus ſingularia documenta, a *Deo* data, quatenus hæc res eſt *diuina* (per propoſ. II. 3. 4. & III. 2. & 3.).



Digitized by Google

III. Si Chriſtus ſeipſum excitauit ex mortuis, non erit æternus Deus: Conſequens negant Euangelici. E. negare etiam debent prius. Ratio *conſequentiæ* eſt: Sicut æternus Deus non moritur; ita etiam ſeipſum reſuſcitare nequit. Reſp. Deus *æternus* in *diuinitate ſua* non moritur. Ὁ λόγος *mortuus* eſt *in carne:* at ſecundum *diuinitatem*, *in carne habitantem*, ſeipſum *reſuſcitauit*.

Inſtantia: Ergo non reſuſcitauit ſeipſum, *ſecundum humanitatem*. Reſp. Non reſuſcitauit ſeipſum ſecundum humanitatem, tanquam *ſubiectum primum* & *immediatum*, ſed ſubiectum *ſecundum* & *mediatum* potentiæ viuificæ. Non aſſerimus, quod *humana* Chriſti natura egerit in reſuſcitatione ſecundum vires *proprias*, ſed *communicatas*.

IV. Chriſtus reſurrectionem corporis ſui precibus impetrauit a Patre, Hebr. V, 7. E. ſibi ipſi vitam non reſtituit. Reſp. Precatus eſt Chriſtus in ſtatu exinanitionis, aſſumta forma ſerui, ſecundum quam ſeipſum non excitauit. Etenim reſurrectio eſt actus glorioſus Chriſti, exſiſtentis in forma deitatis.

### Quæſt. CXLIV. *Secundum quam naturam Chriſtus reſurrexit?*

Chriſtus θεάνθρωπος a) reſurrexit *ſecundum humanam naturam* b).

Prob. a. Subiectum *quod* reſurrectionis eſt Chriſti perſona σύνθετος. Nam ipſi angeli dicunt, *Chriſtum* reſurrexiſſe, Luc. XXIV, 6. Non autem reſurrexit vt filia Iairi, aut Lazarus, aliena virtute; ſed diuina, ſibi communicata.

Prob. b. Secundum quam naturam Chriſtus eſt crucifixus & mortuus, ſecundum eandem reſurrexit. Sed mortuus eſt ſecundum humanam naturam. E.

Obſ. Subiectum *quo* reſurrectionis *remote* eſt humana natura; *proxime* corpus, quod ceciderat.

Quæſt.

Ecquid autem his tantis præſidiis opponere valent aduerſarii? Quod veri aliquam ſimilitudinem præ ſe ferat, nihil habent, præter hoc vnum: Si Chriſtus vere reuixit, cur ipſe non Senatui Iudaico, nec Pilato, nec vlli hoſtium ſuorum, ſed amicis dumtaxat, conſpiciendum ſe præbuit? Ita ratiocinatus SPINOSA, cuius crambem recoctam haud ita pridem adpoſuit famoſus EDELMANNVS, nihil noui attulit. Eadem enim argumentatione hanc veritatem dudum impugnauit CELSVS, aduerſus quem ORIGENES diſputauit. Reſp. 1) Si iuſtum eſſet hoc poſtulatum; poſſent ne omnes ἄπιστοι, eorumque facile princeps, SPINOSA, eodem iure poſcere, vt *ipſis quoque* Chriſtus ſe viuum oſtenderet? 2) Diuus PETRVS rationem adfert ſapientiſſimam, quam ob rem Chriſtus rediuiuus oculis cernendum ſe exhibuerit non quibusque, ſed illis, qui iudicarentur *teſtes idonei* ac fide digni, Act. X, 40. 41. 3) Non amici ſolum, ſed *etiam inimici* Chriſtum viderunt, ab inferis excitatum, cuſtodes ſepulcri, Matth. XXVIII. 11. & Paullus, animo maxime infenſo vsque eo adductus, vt inſanire ac furere videretur, Act. IX, 1. ſeqq. XXVI, 9.-16. Tandem 4) tanta erat *animorum obſtinatio*, vt clariſſima documenta nollent conſiderare, ſed ea omnia aut vi, aut fraude, obſcurare conarentur, metuentes, ne quid ipſorum exiſtimationi detraheretur, ſi coacti eſſent palam fateri, ſe in Chriſtum iniuſtiſſimam dixiſſe ſententiam. Matth. XXVIII, 11.-14. Act. IV, 14. 16. 17. add. Luc. XVI. 30. 31. Nonne Chriſtum pro ſpectro habuiſſent? quem ad modum comminiſcebatur CELSVS, cum nihil reperiret aliud, quo fidem diſcipulorum Chriſti ſuſpectam faceret. Et illud quidem inimici multo magis, quam amici, ſuſpicari potuiſſent ex eo, quod ſpectra vulgo putantur maxime occupata eſſe circa funera ac ſepulcra improborum hominum, & Iudæi calumniati fuerant, Chriſtum miracula ſua non aliter, quam opem ipſi ferente diabolo, immo principe, perpetraſſe.

Digitized by Google

Quæſt. CXLV. *An Chriſtus idem corpus, quod cruci affixum & mortuum erat, e ſepulcro eduxit?*

Chriſtus eduxit e ſepulcro *idem numero* corpus, qua ſubſtantiam a), ſed *novis qualitatibus* veſtitum b).

Prob. a. Compellat Saluator Iudæos, Io. II, 19. *Soluite templum hoc* (digito quaſi monſtrans templum corporis ſui, v. 21.) *& tribus diebus erigam illud* (non qua eſſentiam aliud, ſed idem).

Prob. b. Qualitates dotesque glorioſæ corporis Chriſti ſunt: impalpabilitas, inuiſibilitas, illocalitas, vt, vbi vellet, ibi in momento eſſet, vno verbo, ſpiritualitas, 1 Cor. XV, 42. Vnde & Chriſtus ſe viuum ſtitit, & diſparuit, quando placuit, Luc. XXIV, 13. Ob quas dotes vocatur σῶμα τῆς δόξης, per hebraiſmum, i. e. *corpus glorioſum*, Phil. III, 21.

Quæſt. CXLVI. *Quando Chriſtus reſurrexit?*

Chriſtus reſurrexit *tertio die* a), tempore matutino b), ſepulcro adhuc clauſo c).

Prob. a. *Tertio die* Chriſtum ſurrexiſſe, diſcimus ex Matth. XVII, 23. Marc. IX, 31. Luc. XVIII, 31. Confer ſupra quæſt. CXXVII.

Prob. b. Lucas, cap. XXIV, 1. teſtatur, Chriſtum *profundo diluculo*, Marcus, cap. XVI, 1. *mane valde, ſole orto* (ſcilicet ſuper horizontem rationalem, quanquam nondum ſuper horizontem ſenſibilem) e monumento prodiiſſe.

Prob. c. Matthæus, c. XXVIII, 2. 6. aſſerit, angelum domini *remouiſſe lapidem ſepulcralem*, non ad recludendum Chriſto exitum, ſed ad monſtrandum aliis locum, a Chriſto reſuſcitato derelictum.

Dicis: Verum & ſubſtantiale corpus eduxit Chriſtus e ſepulcro, quod aliud corpus ſolidum penetrare nequiuit. Reſp. 1) *Subtiliora* corpora penetrare craſſiora docent exempla. Sic radii ſolares vitrum, ignis ferrum penetrat. 2) Diſt. inter corpus *phyſicum*, & *glorificatum*. Teſtis eſt Apoſtolus Hebr. IV, 14. pontificem noſtrum magnum *cœlos penetraſſe*.

Quæſt. CXLVII. *Quem in finem Chriſtus reſurrexit?*

Reſurrexit Chriſtus a) *ad manifeſtandam victoriam* ſuam de morte & diabolo impetratam; b) *ad offerendum & applicandum* omnibus hominibus *fructus paſſionis & mortis ſuæ*.

Prob. a. Niſi Chriſtus de morte ac diabolo *victoriam reportaſſet*, ex ſepulcro prodire non potuiſſet, Act. II, 24. Hoſ. XIII, 14. Manifeſtauit hanc victoriam decem apparitionibus; quibus recreauit I. Mariam Magdalenam, Marc. XVI, 9.; II. totum piarum mulierum chorum, Matth. XXVIII, 9. III. Petrum, Luc. XXIV, 34. IV. Cleopham, eiusque comitem, Emauntem proficiſcentes, Luc. XXIV, 15. V. vndecim diſcipulos, excepto, Thoma, Io. XX, 19. VI. Thomam præſentibus reliquis diſcipulis, Io. XX, 28. VII. ſeptem diſcipulos, ad littus maris Tiberiadis in Galilæa, Io. XXI, 1. VIII. quingentos fratres, 1 Cor. XV, 6. IX. Iacobum, 1 Cor. XV, 7. X. congregatos diſcipulos die aſcenſionis, Act. I, 9. His diſcipulis Chriſti reſuſcitatus potiſſimum apparere voluit, vt eſſent teſtes reſurrectionis Chriſtus oculati, eamque per terrarum orbem diuulgarent, Luc. XXIV, 46. 47. 48. Stitit ſe illis viuentem ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, in multis indiciis, Act. I, 3. Locutus enim eſt cum illis de regno Dei, & comedit cum illis, Luc. XXIV, 41.

De

Digitized by Google

De qua manducatione eleganter inquit AVGVSTINVS, *ſerm. CXLVII. de temp. Quod manducauit, poteſtatis fuit, non egeſtatis. Aliter abſorbet terra aquam ſitiens, aliter ſolis radius candens: Illa indigentia, iſte potentia.* Admiſit diſcipulos ad contactum corporis ſui, iisque oſtendit cicatrices ſuas, de quibus AVGVSTINVS *tractat. CXXI. in Ioannem: Ad dubitantium corda ſananda, retenta ſunt clauorum veſtigia.*

Prob. b. Chriſtus reſuſcitatus per teſtes oculatos victoriam ſuam in orbe diuulgari iuſſit, vt *fructus, acerbiſſima paſſione & morte parti*, vniuerſo humano generi *offerrentur*: quales fructus ſunt: I. *Iuſtitia. Chriſtus reſuſcitatus eſt propter iuſtificationem noſtram*, Rom. IV, 25. Reſurrectio Chriſti eſt euidens teſtimonium, quod Chriſtus morte ſua pro peccatis noſtris plene ſatisfecerit Deo offenſo, & peccatorum remiſſionem atque iuſtitiam nobis promeritus ſit: Alioqui Deus ſponſorem noſtrum e vinculis mortis non dimiſiſſet. Idcirco etiam Chriſtus reſuſcitatus, per miniſterium reconciliationis, remiſſionem peccatorum nobis applicatam voluit, Io. XX, 23. *Si quorum dimiſeritis peccata, dimittuntur illis.* II. *Pax ſpiritualis*, ob quam militatum erat. Ideo reſuſcitatus diſcipulis precatur pacem, Io. XX, 19. III. *Fraternitatis noſtræ confirmatio.* Chriſtus enim eſt *primogenitus ex mortuis*, Col. I, 17. Huius primogeniti Filii Dei fratres ſunt fideles, qui ipſius virtute reſurgunt. Ideo dicit: *Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum*, Io. XX, 17. IV. *Spes viua noſtræ reſurrectionis. Chriſtus, reſuſcitatus ex mortuis, eſt ἀπαρχὴ, primitiæ dormientium factus: Quoniam enim per hominem mors; etiam per hominem reſurrectio mortuorum eſt. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur: Sic etiam per Chriſtum omnes viuificabuntur*, 1 Cor. XV, 20. 21. 22. Huius fructus ſunt participes, qui per fidem ſunt in Chriſto Ieſu. IV. *Renouatio*, quæ eſt ſpiritualis reſurrectio e ſepulcro peccati. *Sicut Chriſtus reſuſcitatus eſt per gloriam Patris: Sic etiam nos in nouitate vitæ ambulemus*, Rom. VI. 4.

Quæſt. CXLVIII. *Quid eſt aſcenſio Chriſti?*

*Aſcenſio in cœlum.*

*Aſcenſio* eſt actus Chriſti glorioſus, quo is reſuſcitatus, ſecundum humanam naturam, vero, reali, & per liberam œconomiam locali motu, modoque viſibili vsque ad nubes, & inde inuiſibili ratione in commune beatorum cœlum, & ipſum thronum Dei ſeſe euexit, vt regnum Dei, hoſtibus triumphatis, occuparet, clauſum paradiſum reſeraret, & permanentem in cœlis ſedem nobis pararet.

Quæſt. CXLIX. *Secundum quam naturam Chriſtus in cœlum aſcendit?*

Chriſtus θεάνθρωπος a) aſcendit in cœlum *ſecundum humanam naturam* b).

Prob. a. Subiectum *quod* aſcenſionis eſt totus θεάνθρωπος. Idem, qui deſcendit, etiam aſcendit, Eph. IV, 10, Atqui totus θεάνθρωπος deſcendit, qui viuificatus deſcendit, 1 Petr. III, 22. E.

Prob. b. Subiectum *quo* aſcenſionis eſt *natura humana*, quæ in altum eſt ſublata, Act. I, 9. quod in diuinitatem, quæ in altum ferri (nequit hoc enim ſolorum corporum eſt), non quadrat. Quis de diuinitate dicat: *Receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum?* Luc. XXIV, 51.

Quæſt. CL. *Qua virtute Chriſtus in cœlum aſcendit?*

Aſcendit Chriſtus in cœlum *virtute infinita*, omnibus tribus diuinitatis perſonis communi.

Prob. 1) Exaltatio Chriſti in cœlum eſt actio ad extra, omnibus tribus deitatis perſonis communis.

2) Chri-

Digitized by Google

2) Chriſtus dicitur exaltatus δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, dextra Dei, Act. II, 3. c. V, 31. i. e. potentia Dei infinita & immenſa; dextra enim Dei hic non relate, ſed abſolute ſumitur.

Quæſt. CLI. *Quis eſt terminus, a quo Chriſtus aſcendit?*

Terminus *a quo* aſcenſionis eſt mons olineti prope Bethaniam.

Prob. Ex Act. I, 12. Chriſto in cœlum ſublato, diſcipuli reuerſi ſunt in Hieroſolymam a monte, qui dicitur olineti. Et Chriſtus aſcenſurus eduxit diſcipulos foras vsque in Bethaniam, Luc. XXIV, 50.

Quæſt. CLII. *Quis eſt terminus ad quem aſcenſionis Chriſti?*

Terminus, *ad quem* Chriſtus in aſcenſione ſua peruenit, eſt tum communis, tum proprius. *Communis* eſt ſedes & domicilium beatorum, vbi Chriſtus beatis ſe ad faciem conſpiciendum præbet a). *Proprius* & *vltimus* eſt cœlum Dei maieſtaticum, ſeu thronus maieſtatis diuinæ b).

Prob. a. Euectus eſt Chriſtus *in paradiſum*, in quo cum ipſo eſt conuerſus latro, Luc. XXIII, 43. vbi etiam eſt Iobus c. XIX, 27. vbi paratæ ſunt fidelibus manſiones, Io. XIV, 2. vbi redemtor glorioſiſſimus conſpectu ſuo iucundiſſimo ſanctorum animas exhilarabit.

Prob. b. Terminus *ad quem proprius* eſt *cœlum Dei maieſtaticum*, quod eſt ſuper omnes cœlos, Eph. IV, 10. *Habemus ſacerdotem principem magnum, qui penetrauit cœlos*, Hebr. IV, 14. Penetrauit cœlos non ratione diſtantiæ, ſed ſublimiſſimæ & diuinæ præſentiæ. Cœlum Dei maieſtaticum eſt ipſa *dextra Dei*, qua cœlis excelſior factus eſt Chriſtus, Hebr. VII, 26. de qua Apoſtolus, Hebr. VIII, 1. *Eiusmodi habemus ſacerdotem principem, qui conſedit in dextra throni maieſtatis in cœlis.*

Obſ. Per *cœlum* hic non intelligitur *cœlum naturæ aëreum, vel æthereum*, quod cogitare impium eſt: neque *cœlum gratiæ*, quod eſt eccleſia militans in his terris, cui Chriſtus viſibilem præſentiam ſuam vsque ad diem extremi iudicii ſubtraxit. E. intelligitur *cœlum gloriæ, vel finitæ, vel infinitæ*. Qua *gloriam finitam* Chriſtus in πȣ *beatorum* ſe vtique conſpiciendum præbet angelis & beatis, ad veri corporis glorificati modum, ita tamen, vt ipſi etiam communicata ſit *gloria infinita* per ſeſſionem ad dextram Dei. Euectus igitur eſt Chriſtus in *cœlum Dei maieſtaticum, vt omnia impleret*, Eph. IV, 10. Conf. DANNHAV. in *hodoſ. phœnom. VIII. p. 763.*

Quæſt. CLIII. *Quis fuit modus aſcenſionis Chriſti?*

Ratione *modi* aſcenſio Chriſti non fuit ἀφανισμός, ſiue diſparitio, ſed motus verus, realis, ſucceſſiue progreſſiuus a), & viſibilis vsque ad nubes b). At eleuatus a nube modo inuiſibili ad dextram Dei exaltatus eſt c).

Prob. a. Ex Luc. XXIV, 51. *Receſſit ab iis, & ſublatus eſt in cœlum.* Seceſſus infert ſucceſſiuam loci mutationem & motum progreſſiuum de loco in cœlum.

Prob. b. Ex Act. I, 9. *Videntibus illis ſublatus eſt, & nubes ſuſcepit ipſum ab oculis ipſorum.*

Prob. c. Chriſtus *cœlos penetrauit*, Hebr. IV, 14. factus *cœlis ſublimior*, Hebr. VII, 26. E. inuiſibili ratione ſupra omnes cœlos euectus eſt.

Obſ. *Viſibilis* Chriſti motus vsque ad nubes *localis* fuit, non ſecundum motum corporis *naturalis*, quod natura ſua deorſum fertur, ſed *glorificati* & ſupernaturalibus dotibus inſtructi. Neque per indigentiam naturæ, ſed *per liberam œconomiam* Chriſtus aſſumſit motum localem & viſibilem, qui, ſi voluiſſet, in puncto temporis diſcipulis ſuis ſe potuiſſet



Digitized by Google

ſubducere, & cœlum occupare. At placebat Saluatori ſenſim ferri ſurſum, vt diſcipuli de vera aſcenſione eo luculentius & confidentius teſtarentur. Ex quo colligimus, Chriſtum aſcendiſſe quidem vsque ad nubes per *motum localem*, ſed *non localiter*, aut phyſice. Conf. D. SCHERZERI *ſyſtem. p. 247.*

Quæſt. CLIV. *Quem in finem aſcendit in cælum?*

*Finis* aſcenſionis *generalis* eſt, vt ſe victorem mortis & diaboli angelis & electis glorioſe oſtenderet a). *Speciales* fines ſunt, vt regnum cœleſte occuparet b), paradiſum nobis reſeraret c), & habitationes in cœlo pararet d).

Prob. a. Ex Col. II, 15. *Exuens principatus & poteſtates, oſtentauit palam triumphans de illis per ſeipſum.* Chriſtus in inferno ſpiritibus malis per deſcenſum ad inferos, in terra hominibus per reſurrectionem, in cœlo angelis & animabus beatis oſtendit, ſe hoſtes ſuos viciſſe, & iuſtum de iis agere triumphum.

Prob. b. Ex Act. III, 21. Ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, *quem oportet cælum quidem ſuſcipere, vsque ad tempus reſtitutionis omnium.* Senſus eſt: Oportet Chriſtum vi decreti diuini regnum occupare cœleſte, *pleno & vniuerſali* communicatæ maieſtatis diuinæ *vſu* gubernandum.

Prob. c. Ex Apoc. III, 7. *Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauidis, qui aperit, vt nemo claudat, & claudit, vt nemo aperiat.* Chriſtus plenam habet poteſtatem, in eccleſiæ regimine, cœlum aperiendi, & recipiendi in eccleſiam non *militantem* ſolum, ſed & *triumphantem.*

Prob. d. Ex Io. XIV, 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si vero non; dixerim vobis: abeo ad parandum locum vobis.* Docet Saluator, decreto diuino cuilibet ſuam eſſe conſtitutam ſedem, atque gradum gloriæ. Quod niſi ita eſſet, iam ante diſcipulis id dixiſſet Ieſus, neque vana ipſos ſpe lactaſſet. At nunc aperte dicit, ſe iamiam abiturum eſſe ad parandum illis merito ſuo locum & domicilium beatiſſimum, cum decretum diuinum, de conferenda ſede beata, merito Chriſti fundatum ſit.

Quæſt. CLV. *Quid eſt ſeſſio Chriſti ad dextram Dei?*

*Seſſio ad dextram Dei.*

*Seſſio ad dextram Dei* eſt gradus gloriæ ſummus, quo Chriſtus θεάνθρωπος, ſecundum humanam naturam, in thronum maieſtatis diuinæ euectus, omnia, quæ ſunt in regno potentiæ, gratiæ, & gloriæ, potentiſſime præſentiſſimeque gubernat, in nominis ſui gloriam, & eccleſiæ afflictæ ſolatium & ſalutem.

Quæſt. CLVI. *Quid intelligis per dextram Dei?*

*Dextra Dei* hic non notat membrum corporeum a), ſed potentiam infinitam b), & gloriam immenſam c).

Prob. a. Deus *eſt ſpiritus*, Io. IV, 24. qui *carnem & oſſa non habet*, Luc. XXIV, 39.

Prob. b. *Dextra Dei* ſignificat *virtutem infinitam;* quia vocatur in ſacris litteris *dextra potentiæ*, Matth. XXVI, 64. *dextra percutiens*, Exod. XV, 6.

Prob. c. *Dextra Dei* appellatur etiam a Spiritu S. *dextra maieſtatis*, Hebr. I, 3. c. VIII, 1. *dextra throni Dei*, Hebr. XII, 2. Eſt dextra Dei *ſupra omnem principatum, poteſtatem, virtutem & dominationem*, Eph. I, 21. Eſt dextra Dei *omnipræſens*, Pſ. CXXXIX, 10.

Quæſt. CLVII. *An dextra Dei locum deſignat?*

Dextra Dei *non* denotat certum & determinatum *locum.*

Prob. Quia dextra Dei eſt potentia infinita, & maieſtas immenſa, vti iam demonſtrauimus, determinatus locus eſſe nequit. Dicis:

Digitized by Google

Dicis: Appellatur 1) dextra Dei *in excelſis*, Hebr. I, 3. 2) In ſymbolo apoſtolico credimus, quod *inde* a dextra Dei venturus ſit Chriſtus. *Inde*, eſt aduerbium loci. Reſp. Ad 1. Dicitur dextra *in excelſis*, non ratione *loci* ſublimis, ſed ratione *ſtatus* celſiſſimi. Ad 2. Adverbium, *inde*, in ſymbolo apoſtolico referendum eſt non ad dextram Dei; quia Chriſtus venturus ad iudicium, in dextra Dei ſedebit, Matth. XXVI, 64. E. inde non veniet; ſed ad cœlum beatorum, ſiue ad illud πȣ̃ beatum, in quo Chriſtus eſt iuxta clarificati ſui corporis modum, explicante D. AEGIDIO HVNNIO, Qu. de *maieſtate Chriſti pag.* 184.

Quæſt. CLVIII. *Quare vocatur dextra Dei Patris?*

Vocatur *dextra Dei Patris*, quia dextra Dei, ad quam Chriſtus euectus eſt, hic *non* ſumitur *abſolute*, prout omnibus tribus diuinitatis perſonis eſt communis, ſed *relate*, quatenus eſt dextra primæ perſonæ diuinæ, quæ eſt fons deitatis a), & vt indicetur notabile diſcrimen inter dextram *Patris*, & *Chriſti* b).

Prob. a. Dixit Deus Pater Deo Filio: *Sede ad dextram meam*, Pſ. CX, 1. Vbi *dextra Dei* non poteſt abſolute accipi, vt notet omnipotentiam & gloriam, omnibus tribus perſonis diuinis communem. Sic enim Chriſtus ad ſuammet ſederet dextram, & ad dextram Spiritus S. quod eſt ἄγραφον. Sumitur itaque dextra Dei hic *relate*, prout notat diuinam potentiam & immenſam maieſtatem, communicatam a Deo Patre τῷ λόγῳ ἀσάρκῳ per *æternam generationem*, & λόγῳ ἐνσάρκῳ, qua *humanam* naturam; per *exaltationem*. Conf. D. DANNHAV. in *Chriſtoſ. p.* 335.

Prob. b. *Dextra Chriſti* habet contradiſtinctam *ſiniſtram*, Matth. XXV, 33.; at *dextra Patris* non reſpondet *ſiniſtra*. *Intelligo dextram, ne ibi quæras ſiniſtram*, ait AVGVSTIN. *ſermon. CXIX. de temp.* Dextra Dei *Patris* eſt incommunicabilis meris hominibus; dextra *Chriſti* autem eſt communicabilis. *Illa* notat gloriam infinitam, *hæc* finitam.

Quæſt. CLIX. *Quare vocatur dextra throni?*

*Dextra throni* vocatur, ob communicatam Chriſto homini per exaltationem, maieſtatem regiam, ſpiritualem & celſiſſimam.

Dextra Patris appellatur *dextra throni Dei*, Hebr. XII, 2. *dextra throni maieſtatis in cœlis*, Hebr. VIII, 1. *Thronus Dei* eſt maieſtas, gloria, opulentia ac magnificentia diuina, a *dextra* differens non *re*, ſed *ratione*, ad eum modum, quo maieſtas diuina a potentia diuina diſcrepat. Vid. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. VIII,* 775.

Quæſt. CLX. *Quid ſignificat, ſedere ad dextram Dei?*

*Sedere ad dextram Dei*, ſignificat: communicata a Patre per exaltationem omnipotentia & maieſtate regia plene & indefinenter vti, ad regimen vniuerſale & glorioſiſſimum in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ: vel, quod idem eſt, *ſedere ad dextram Dei*, eſt, vi vnionis perſonalis, & hanc ſecutæ exaltationis, potentiſſime, præſentiſſime, & glorioſiſſime omnia opera manuum Dei gubernare.

Prob. 1) Ex interpretatione Paullina, 1 Cor. XV, 25. *Oportet Ieſum regnare, donec poſuerit omnes hoſtes ſub pedes ſuos.* Coll. cum Pſ. CX, 1. 2. *Dictum Iehouæ ad Dominum meum: Sede ad dextram meam, vsque dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Sceptrum roboris tui mittet Iehouah ex Sione* (dicens): *dominare in medio inimicorum tuorum.*

2) Quia Chriſtus gloria & honore coronatus, conſtitutus eſt *ſuper omnia opera manuum diuinarum*, vt *omnia ſubiecta ſint ſub pedes eius*, Hebr. II, 7. 8. E. per exaltationem ad dextram Dei collatum eſt Chriſto dominium vniuerſale in omnes creaturas.



Digitized by Google

Quæſt. CLXI. *Secundum quam naturam Chriſtus ad dextram Dei exaltatus eſt?*

Chriſtus θεάνθρωπος a) ſecundum *humanam naturam* ad dextram Dei euectus eſt b).

Prob. a. *Ego vici & conſedi cum Patre meo in throno ipſius*, Apoc. III, 21. Quicunque vicit mortem & diabolum, eſt Chriſtus θεάνθρωπος: Idem ſeſſor in throno Patris.

Prob. b. 1) Ex ipſius Chriſti aſſertione: *Ex hoc nunc erit filius hominis ſedens ex dextris virtutis Dei*, Luc. XXII, 69. Dicit Chriſtus conſtitutus in medio exinanitionis theatro, ſe ἀπ' ἄρτι, *a modo*, i. e. iamiam ſeſſurum eſſe, vt filium hominis, ad dextram Dei.

2) A connexione exinanitionis, & exaltationis. Secundum quam naturam Chriſtus exinanitus eſt, ſecundum eandem eſt exaltatus ad dextram Dei: Atqui ſecundum *humanam* naturam &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia exinanitio, & exaltatio in ſacro codice arctiſſime connectuntur, & de eadem natura dicuntur. *Minor* liquet ex oraculo Paullino, Rom. VIII, 34. *Quis eſt, qui condemnat? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt; magis vero qui reſuſcitatus eſt, qui etiam eſt in dextra Dei, qui & intercedit pro nobis.* Prædicata hæc omnia dicuntur de Chriſto ſecundum humanam naturam.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, aſſerentium, exaltationem ad dextram Chriſto ſecundum *vtramque* naturam competere; qui argumentantur:

I. S. Scriptura toti perſonæ Chriſti ſeſſionem ad dextram Dei tribuit, Rom. VIII, 34. Eph. I, 20. 21. Reſp. S. ſcriptura tribuit ſeſſionem ad dextram Dei toti quidem perſonæ Chriſti, ſed ſecundum humanam naturam. Perſona eſt ſubiectum *quod*, natura humana ſubiectum *quo* ſeſſionis ad dextram.

II. Sedere ad dextram Dei eſt actus officialis regius: E. competit Chriſto ſecundum vtramque naturam. Reſp. Sedere ad dextram Dei, vel ſumitur *præciſe*, vt ſummus exaltationis gradus, vel *complexe*, quatenus eſt actus regius, in commodum eccleſiæ directus. Nimirum *exaltatio ad dextram Patris* competit Chriſto ſecundum *humanam* naturam: ſed *ſeſſio Chriſti*, prout notat dominium Chriſti gratioſum & ſalutare, eſt ἀποτέλεσμα, ſiue *actio theandrica.*

Quæſt. CLXII. *Qua virtute Chriſtus ad dextram Dei exaltatus eſt?*

Exaltatus eſt Chriſtus *virtute* omnibus *tribus* perſonis diuinitatis *communi.*

Prob. Tribuitur frequentiſſime in S. Scriptura hæc exaltatio Deo *Patri*, vt fonti divinitatis, Pſ. CX, 1. Eph. I, 29. Phil. II, 9. Attamen, cum, quæ Pater facit, ſimiliter facit Filius, Io. V, 19. Ideo etiam *ipſe Chriſtus conſediſſe* dicitur *in dextra maieſtatis in excelſis*, Hebr. I, 3. Neque *Spiritus S.* excludendus eſt ab exaltatione Chriſti, cum ſit actio ad extra indiuiſa.

Quæſt. CLXIII. *An Chriſto per exaltationem ad dextram Dei conceſſum eſt dominium vere diuinum, vniuerſale & omnipræſens?*

Per exaltationem ad dextram Dei Patris collatum eſt Chriſto *dominium vere diuinum* a), *vniuerſale & omnipræſens* b).

Prob. a. 1) Qualis eſt gubernatio Dei Patris in throno ſuæ maieſtatis, talis eſt gubernatio Chriſti θεανθρώπου, ad dextram Dei ſedentis: at gubernatio Dei Patris eſt vere diuina: Ergo. *Maior* probatur: Sicut ſubſiſtere γεννητῶς, & eſſentialiter, in diuinis non differunt; ita *ſeſſio diuina ſimpliciter*, & ſeſſio *ad dextram eſſentialiter*, non differunt. Vid. DANNH. in *hodoſ. phænom. VIII. p. 779.*

2) Ex ſeſſione Chriſti ad dextram Dei fluunt effectus infinitæ potentiæ, qui recenſentur Pſ. CX. nempe 1) proſtratio omnium hoſtium ad ſcabellum pedum, quos inter hoſtes ſunt ſpiritus

ſpiritus potentiſſimi, monarchæ & tyranni maximi, 2) emiſſio ſceptri gratioſi in omnem orbem, 3) dominium in medio inimicorum, 4) noua generatio innumeræ prolis, 5) æterni ſacerdotii adminiſtratio, quod ſacerdotium eſt cauſſa æternæ ſalutis, Hebr. V, 9.

Prob. b. 1) Quæcunque natura ad regimen vere diuinum euecta eſt, illa *ſubſtantialiter præſens vbique regnat:* Atqui humana Chriſti natura &c: Ergo. *Minor* liquet e iam dictis.

2) Quæcunque natura collocata eſt ad dextram Dei *omnipræſentem*, & ſedet in *throno omnipræſente*, illa *omnipræſentiſſime* gubernat: Atqui humana Chriſti natura &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia omne πȣ̃ dextræ diuinæ eſt omnipræſens: Ergo qui ibi ſedet, vbi eſt dextra Dei, ille eſt omnipræſens.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum & Arminianorum*, negantium Chriſto homini collatum eſſe dominium vere diuinum & omnipræſens; quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Si vtraque Chriſti natura omnipotenter & vbique præſenter gubernat, erunt duo omnipotentes & omnipræſentes gubernatores: Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. Reſp. 1) Vitioſe concluditur ab *abſtracto* ad concretum. 2) Si *vtraque* Chriſti *natura* eſſet *perſona*, omnipotenter & vbique præſenter gubernans, eſſent duo omnipotentes & omnipræſentes gubernatores: At vtraque natura Chriſti facit *vnam perſonam* σύνθετον, quæ eſt ſimul Deus & homo.

II. Collocatio ad dextram Dei, & ſeſſio in throno diuino non infert omnipræſens dominium. Nam in extremo die iudicii *fideles collocandi* ſunt *ad dextram Chriſti*, Matth. XXV, 33. & *electi* dicuntur *ſedere in throno Chriſti*, Apoc. III, 21. Reſp. Diſt. inter *dextram & thronum Dei Patris;* & inter *dextram atque thronum Chriſti.* Dextra thronusque *Dei Patris* notat potentiam & maieſtatem infinitam: Dextra thronusque *Chriſti* deſignat dignitatem & prærogatiuam finitam, merito Chriſti nobis conciliatam.

III. Corpus Chriſti *eſt in cælo*: E. non regnat vbique. Reſp. 1) Pater noſter eſt in cœlo, & tamen regnat vbique. 2) Corpus Chriſti eſt in cœlo beatorum, qua *actum naturæ* glorificatæ: Eſt tamen in cœlo Dei maieſtatico, qua *actum perſonæ*, vt omnia impleat, Eph. IV, 10. Non autem corpus Chriſti glorificatum eſt incluſiue, aut circumſcriptiue in cœlo *phyſico & locali.*

IV. Chriſtus, qua homo glorificatus, viſus eſt a Stephano *ſtans in cælo*, Act. VII, 55. E. Chriſtus homo non eſt omnipræſens in ſtatu glorificationis. Reſp. Viſio & reuelatio Chriſti non labefactat omnipræſentiam, ſed confirmat. Nam Chriſtus pro liberrima voluntate ſe ſiſtere poteſt viſibiliter præſentem quouis loco, & tamen perſonaliter omnipræſens manet: Sicut Iacobus patriarcha videbat Deum ſtantem ſupra ſcalam in cœlo, qui tamen etiam in terra præſens erat, Gen. XXVIII, 13.

V. Secundum quam naturam Filius Dei eadem maieſtate regnat cum Patre, ſecundum eam Deo Patri eſt ὁμοȣ́σιος. At ſecundum humanam naturam Filius Dei Patri non eſt ὁμοȣ́σιος. E. *Maior* patet: quia e ſeſſione Filii Dei, & eiusdem omnipræſenti gubernatione, validum depromitur argumentum pro adſtruenda diuinitate Filii Dei; quod argumentum eneruatur, ſi Chriſtus ſecundum humanitatem eadem maieſtate gubernat cum Deo Patre. Reſp. Lim. mai. Secundum quam naturam Filius Dei *per ſe & eſſentialiter* eadem regnat maieſtate



Digitized by Google

ieſtate cum Deo Patre, ſecundum eandem Deo Patri eſt ὁμοούσιος; concedo. At ſecundum *humanam* naturam Chriſtus *non per ſe* aut *eſſentialiter*, ſed per gratiam *vnionis & exaltationis*, eadem cum Patre maieſtate gubernat. Bona tamen eſt ratio argumentandi a ſeſſione ad dextram Dei & gubernatione diuina ad τὴν ὁμοουσίαν cum Deo Patre; quia ſeſſor ad dextram Dei eſt θεάνθρωπος, & Deus non admittit ad dextram ſuam perſonam ſedentem, niſi diuinam.

Quæſt. CLXIV. *Quem in finem Chriſtus ad dextram Dei euectus eſt?*

Euectus eſt Chriſtus ad dextram Dei a) *in nominis ſui gloriam*, b) in *eccleſiæ ſalutem*.

Prob. a. Quia per euectionem ad dextram Dei Chriſtus conſtitutus eſt *Rex catholicus* ab omnibus creaturis cœleſtibus, terreſtribus & ſubterraneis *adorandus*, Phil. II, 9.

Prob. b. Chriſtus ſedens ad dextram Dei eſt *caput eccleſiæ*, Eph. I, 22. adeoque eandem tuetur: *interpellat pro nobis*, Rom. VIII, 34. & *nos gloriæ ſuæ* pro capacitate naturæ noſtræ *participes reddit*, Apoc. III, 21.; diaboli autem & omnium *hoſtium poteſtatem deſtruet*, Pſ. CX, 1.

Quæſt. CLXV. *Quem vſum excerpis e χριστογνωσίᾳ?*

*Vſus practicus.* E cognitione Chriſti cum in *omnes homines*, tum præcipue in *renatos*, redundat *vſus* longe vberrimus, isque tam *paracleticus* a), quam *paræneticus* b).

Prob. a. Sint maneantque omnes aliæ ſcientiæ ζημίαι καὶ σκύβαλα, præ hac χριστογνωσίᾳ. Etenim *hoc vnum ſolatium* anxias noſtras mentes ſuſtentat, quod Chriſtus noſter Sacerdos ſanctiſſimus & vere diuinus eſt, cuius morte Deo ſumus reconciliati, cuius ſanguine a peccatis emundamur; quod idem noſter eſt Propheta, Dux & lux viæ ad cœlum; quod denique Ieſus Chriſtus noſter Rex ea pollet poteſtate, vt hoſtium vim repellere, & nos regni ſui ciues defendere queat.

Prob. b. Χριστογνωσία excitet in nobis *pietatis ſtudium!* Chriſtus, *Sacerdos ſummus* tradidit ſeipſum pro nobis oblationem & ſacrificium, Deo in odorem fragrantiæ. Offeramus nos, *ſpirituales Sacerdotes*, nullo prætermiſſo die, Chriſto ſacrificia noſtra εὐχαριστικά, cor contritum & preces pietate ardentes. Chriſtus, *Propheta* noſter, viam Dei nos docuit, in veritate. Hanc *viam* inoffenſis pedibus ſtrenue *decurramus*, donec metam ex voto attingamus. Chriſtus in officio ſuo *regio* eſt caput eccleſiæ, corporis ſui myſtici. Simus & maneamus nos vera viuaque membra eccleſiæ, *adhæreſcamus capiti Chriſto*, ſincera fide & charitate, vt ſua nos tutela & præſidio dignetur.

*SVSPIRIVM.*

In te, o Ieſu, dux & conſummator fidei meæ, reſpicio, quoties vulnera animæ meæ refrico! Tu percuſſus es, vt ego conualeſcam. Fudiſti ſanguinem tuum, vt ſordes meæ eluantur. Vt æternum viuam, ignominioſam oppetiuiſti mortem. Ne toto errem cœlo, expeditam ad cœlum mihi viam aperuiſti. Ne ab hoſtibus opprimar, regio tuo præſidio caput meum erexiſti. Quid retribuam pro tot tantisque in me collatis beneficiis? Do, dico, conſecro tibi, o Ieſu, quidquid habeo. Do cor contritum, dico tibi animam fidelem, conſecro corpus tuo cultui deſtinatum! Tibi ſit laus, & honor & gloria ſempiterna!

THEOL.

Digitized by Google

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT IV.

# DE GRATIA SPIRITVS S. APPLICATRICE, VT TERTIO SALVTIS PRINCIPIO.

## IN SPECIE DE GRATIA SPIRITVS SANCTI VOCANTE.

Quæſt. I. *Quid eſt gratia Spiritus Sancti applicatrix* *)?

*Gratia Spiritus Sancti applicatrix* eſt principium illorum actuum diuinorum, quibus Spiritus Sanctus, per verbum Dei & ſacramenta beneficia ſpiritualia & æterna, benigniſſima Dei Patris beneuolentia humano generi deſtinata, & fraterna Ieſu Chriſti redemtione acquiſita, diſpenſat, nobisque offert, confert, & obſignat. *Gratia Spiritus Sancti applicatrix.*

Obſ. I.

*) Liceat mihi præfari quædam, de *gratia Dei*, in vniuerſum ſpectata. Multæ ſunt, ac variæ, huius nominis ſignificationes, quarum adcurata ac diſtincta cognitio valde neceſſaria eſt, tum ad explicationem rerum, tum ad interpretationem verborum in diuerſis ſcr. S. locis, tum vero ad refutationem errorum in ſchola *Pelagianorum* ac *Semipelagianorum*, quorum illi in primis, probe obſeruante AVGVSTINO, magna atque aſtuta ſermonis ambiguitate vtebantur. Aduertendus igitur eſt animus primum ad *oppoſitionem*, deinde ad *diſtinctionem*; ex vtraque enim debet intelligi, quæ, & quotuplex ſit vocis alicuius poteſtas.

I. *Opponitur* gratia diuina 1) *merito* hominis, ac dignitati, Rom. XI, 6. Eph. II, 8. & 9: 2) *naturæ* hominum, nec eius conſtitutioni, ſed corruptioni, Eph. II, 3. & 8: 3) *gloriæ* ſempiternæ, quæ a gratia differt, vt conſequens ab antecedente, vt effectus a cauſa, vt finis a medio efficaci, quem ad modum regnum gratiæ a regno gloriæ diſcernitur, 1 Corinth. I, 3-8. Tit. III, 7: 4) *iræ ac damnationi*, & illi quidem duplici: α) quæ peccatum primum atque hæreditarium ſequitur, & quæ ſalutem recuperandam atque omnibus offerendam antecedit, Eph. II, 3. & 7. 8: β) quæ animorum obſtinationem, ſalutemque oblatam ac repudiatam ſequitur, Rom. IX, 22. Hebr. XII, 15. ſeqq Iudæ v. 4. Ergo 1) vi oppoſitionis *primæ*, *gratia* eſt beneficium Dei vnum quodque, ſiue temporale, ſiue æternum, ipſa etiam hominis natura, nec ſolum in ſtatu defectionis, ſed & in ſtatu integritatis, eiusque tum conſtitutio, tum conſeruatio, ſine vllo hominis, adhuc integri, merito. Hinc dicitur gratia *creans & conſeruans*, cuius ambitu continentur omnia, quæcunque ad creationem & prouidentiam diuinam pertinent, ideoque vocari ſolet *gratia primi articuli* (fidei chriſtianæ). 2) Vi oppoſitionis *ſecundæ*, *gratia* eſt naturæ corruptæ in integrum reſtitutio, & ſalutis deperditæ tam adquiſitio, quam adplicatio, & hæc quidem cum inchoata, tum conſummata, ad quam pertinent omnia beneficia, promeritis Chriſti parta, & temporalia, & æterna. Hæc nominatur *gratia ſalutaris*, Tit. II, 11. 12. 13. eademque *gratia ſecundi ac tertii articuli*. 3) Vi oppoſitionis *tertiæ*, *gratia* eſt præparatio hominum ad gloriam ſempiternam, & largitio eorum omnium, quæ ad ordinem ſalutis ſpectant, & neceſſaria ſunt ad impetrandam beatitatem æternam. Hæc ſpeciatim dici ſolet gratia *tertii articuli*. 4) Vi oppoſitionis *quartæ*, quod quidem ad *priorem* eius partem attinet, *gratia* eſt miſeratio Dei ac benigna voluntas, de ſalute miſerorum hominum, per ſponſorem quemdam, qui iuſtitiæ diuinæ ſatis ex affe faceret, recuperanda, omnibus etiam ac ſingulis peræque offerenda; quantum vero ad *alteram* partem, *gratia* eſt benigna Dei voluntas, quæ homines improbos & contumaces aliquando

quando

Digitized by Google

Obſ I. *Beneficia ſpiritualia* ſunt, per quæ anima hominis, labe peccati infecta, a ſtatu miſeriæ diuinitus liberatur, & in ſtatum gratiæ atque gloriæ transfertur; qualia ſunt: *ſalutaris Dei cognitio*, *fides in Chriſtum*, *remiſſio peccatorum*, *iuſtitia coram Deo valens*, *libertas a terrore & maledictione legis*, υἱοθεσία, ſiue *adoptio in filios Dei*, *communio noſtri cum Deo*, *pax conſcientiæ*, *gaudium ſpirituale*, *donum perſeuerantiæ*, *& vita æterna*. Hæc beneficia ſpiritualia Deus Pater in æterno ſuo conſilio generi humano deſtinauit, Filius Dei obedientia ſua actiua & paſſiua acquiſiuit, vt ſalua iuſtitia diuina in peccatores redundare queant, Spiritus S. eadem per ordinaria media diſpenſat, & hominibus applicat, offerendo & conferendo; homines autem, viribus Spiritus S. inſtructi, ea ſibi applicant recipiendo.

Obſ II. Hanc οἰκονομίαν χάριτος (vti Paullus eam appellat Eph. III, 2.) i. e. *gratiam* Spiritus S. *diſpenſatricem & applicatricem*, S. Scriptura Spiritui S. appropriat, dum ob eandem 1) ipſum dulciſſimis ornat nominibus. Dicitur enim *Spiritus gratiæ & precum*, Zach. XII, 12.

quando tolerat, eiſdem parcit, & media ad reſipiſcendum ſat efficacia illis exhibet, vsque ad tempus iudicio dictum. Rom. II, 4. 5.

II. *Diſtinguitur* gratia diuina (loquimur autem de *ſalutari gratia*, quam partim in *ſecundo*, partim in *tertio* doctrinæ chriſtianæ *articulo* profitemur) variis modis, pro varietate & rerum, & perſonarum, quæ ad ſalutem hominum, miſeria ſua liberandorum, requiruntur. א) Ratione *Dei*, quem vnum communis omnium ſalutis auctorem veneramur, *gratia* diuiditur in *decernentem* in æterno Dei conſilio, & *efficientem* in tempore. Vtraque prædicatur Epheſ. I, 4. 6. 7. ב) Ratione *ſalutis*, *gratia* eſt 1) *adquiſitionis*, per ſatisfactionem ac meritum Chriſti, ideoque dicitur *gratia Ieſu Chriſti*, Act. XV, 11. 2 Cor. VIII, 9. & in voto PAULLI vſitato, Rom. XVI, 24. quo & IOANNES vſus eſt, Apoc. XXII, 21: 2) *gratia adplicationis*, per efficacitatem *Spiritus S.* qui ob eam cauſam adpellatur πνεῦμα τῆς χάριτος, Hebr. X, 29. Eadem diſtinctione opus eſt, cum de *mediis gratiæ* & ſalutis diſſerimus. Hæc enim media pertinent vel ad *adquiſitionem* ſalutis noſtræ, vel ad eiusdem *adplicationem* fructumque percipiendum. *Medium gratiæ*, ad ſalutis *adquiſitionem*, nullum eſt aliud, quam ſatisfactio ac meritum Chriſti, Act. IV, 12. Ad *adplicationem* neceſſario requiruntur hæc duo: *oblatio*, *& acceptio*. E. *medium gratiæ*, *quantum ad adplicationem* ſalutis, omnino duplex eſt. *Vnum*, quo *Deus* nobis ſalutem *offert*, & cum ipſi dicto audientes ſumus, in nos confert; id quod eſt verbum, præſertim vero euangelicum (lex enim, hominis vitio & culpa nil, niſi iram efficit, ac damnationem homini denuntiat, Rom. III, 19. IV, 15. VII, 13.) & ſacramentum vtrumque. *Alterum*, quo *nos* ſalutem nobis oblatam *accipimus*; atque hoc eſt fiducia vera in Chriſto collocata, quam Spiritus S. in animo incendit & confirmat. ג) Ratione *hominum*, & variorum *actuum* diuinorum, quibus illi ad ſalutem perducuntur, *gratia adplicationis* 1) *ſingularis* quædam data eſt *miniſtris* verbi diuini, *quatenus* ſunt miniſtri, Eph. III, 8. 1 Corinth. XV, 10. 2 Cor. III, 4. 5. 6. ideoque dicuntur *dona adminiſtrantia*, quorum alia quidem ſunt *extraordinaria* ac temporaria, primis Euangelii nuntiis tributa, cuiusmodi ſunt: inſtinctus adflatusque diuinus, Matth. X, 19. 20. & poteſtas miracula faciendi, Marc. XVI, 20. Hebr. II. 4: alia autem *ordinaria* ac perpetua, omnibus ad finem vsque mundi tribuenda, & ad ſacrum munus obeundum neceſſaria, Act. XX, 28. 2) *Communis* pertinet ad *omnes homines* atque *eccleſiam*, Chriſto aut collectam, aut colligendam, Eph. V, 26. 27. Tit. III, 5. 6. 7. Huius *gratiæ dona* nominantur *ſanctificantia*. (Dicta generalia, quorum in ſententia continentur omnia dona gratiæ tum ſanctificantia, tum adminiſtrantia, atque hæc partim ordinaria, partim extraordinaria, ſunt hæc duo, Marc. XVI, 15-20. Eph. IV, 11. 12. 13). Quod ad diuerſos *actus* diuinos attinet, *gratia adplicationis* eſt α) *vocans*, media ſalutis cuique offerendo, Rom. X, 16-21. 1 Tim. II, 4. Matth. XXII, 3. 4: β) *præueniens*, *excitans*, *præparans*, primos animi motus ſanctos efficiendo, ſanctam animi attentionem excitando, impedimenta, quæ mentis mutationi obſtant, remouendo, Act. II, 37. XVI, 14. Apoc. III, 19. 20: γ) *illuminans*, *conuertens* ac *denuo generans*, Tit. III, 5: δ) *iuſtificans*, Rom. III, 24: ε) *renouans*, Eph. II, 10. Hebr. XII, 28. XIII, 21: ζ) *confirmans & conſeruans*, Phil. I, 6. 1 Petr. V, 10: η) *perficiens*, vt ad conſummatam æternamque ſalutem perueniamus, 1 Cor. I, 4-8.

Digitized by Google

XII, 12. *Spiritus ſapientiæ & reuelationis*, Eph. I, 17. *Spiritus fidei*, 2 Cor. IV, 13. *Spiritus adoptionis*, Rom. VIII, 15. *Spiritus gloriæ*, 1 Petr. IV, 14. *Spiritus promiſſionis, quo credentes obſignati ſunt, & arrhabo hereditatis noſtræ*, Eph. I, 14. 2) Quia actus gratiæ, (*vocatio, illuminatio* &c.) Spiritui S. appropriatiue competunt.

Obſ. III. Omnium illorum actuum diuinorum & ſupernaturalium, quibus bona, merito Chriſti parta, diſpenſantur, principium eſt *gratia Spiritus S.*, quippe a qua proficiſcuntur.

Quæſt. II. *Qualis eſt illa gratia applicatrix Spiritus S.?*

*Gratia* Spiritus S. *applicatrix* eſt a) *actiua*, b) *medicinalis*, c) *indebita & gratuita*, d) *ordinata & mediata*, e) *vniuerſalis*, f) *ſufficiens & efficax*, ſed g) *reſiſtibilis*.

Prob. a. Gratia applicatrix eſt *actiua*, cum Spiritus S. per eam homines actiue vocet, illuminet, conuertat, regeneret. Diſtinguitur itaque a *gratia paſſiua*, i. e. a χαρίσμασι; ſiue a *donis* diuinis *ex gratia collatis*, quæ, per metonymiam effecti pro cauſſa, vocantur *gratia paſſiua*; de qua Paullus Eph. IV, 17. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia iuxta menſuram donationis Chriſti.*

Prob. b. Eſt *hæc gratia medicinalis*; quia occupatur non circa hominem integrum in ſtatu felici conſeruandum, ſed circa hominem ægrum, vel lepra peccati corruptum, ſanandum, & e ſtatu miſeriæ in ſtatum gratiæ & gloriæ transferendum.

Prob. c. Gratia applicatrix eſt *indebita* ex parte *Dei*; quia Deus nullo iure ad conferendam gratiam tenetur. *Deus nullius eſt debitor, vt teneatur ipſi aliquid dare*, Rom. XI, 35. Non obſtrictus eſt Deus creaturæ morigeræ: E. multo minus immorigeræ. Eſt hæc gratia plane *gratuita*, ex parte *noſtri*. Quamuis enim nobis conciliata ſit meritis Chriſti; non tamen dependet e noſtra diſpoſitione, dignitate, merito aut ἱκανότητι, quæ ipſa quoque ex Deo eſt, 2 Cor. III, 5. Neque enim vt feuda currentibus, aut fortiter militantibus conferuntur, ob curſum, aut propter pugnam; ita beneficia gratiæ diuinæ ob merita noſtra diſpenſantur. Si ex *operibus, non amplius eſt gratia*, ait Paullus Rom. XI, 6.

Prob. d. Gratia applicatrix eſt *ordinata*; propterea, quod Spiritus S. per diſtinctos *actus & gradus*, ſibi ordine ſuccedentes, operatur, vt amiſſum ab homine peccatore primum gratiæ gradum ſequatur ſecundus, hunc tertius, & ſic porro: contra, neglecto vel contemto primo gratiæ applicatricis gradu non ſequatur gradus ſecundus, reiecto gradu ſecundo non ſequatur tertius; plane vt in ſcala ad ſummum gradum non aſcenditur, niſi per gradus interiacentes. Hinc qui non admittit gratiam *vocantem*, non accipit gratiam *illuminantem*, & qui hanc contemnit, non fit particeps gratiæ *conuertentis*; quia ſimul & ſemel omnes ſuas vires aut diuitias non profundit gratia diuina, nec vno momento ex homine ſceleratiſſimo ſanctum efficit. Eſt hæc gratia *mediata*; ideo, quod Spiritus S. per verbum diuinum & ſacramenta, tanquam ordinaria ſalutis media, homines vocat, illuminat, conuertit &c.

Prob. e. Gratia applicatrix eſt *vniuerſalis*: Quia omnibus & ſingulis hominibus, ne vno quidem excepto, poſtquam in peccatum prolapſi & a Chriſto redemti ſunt, ex intentione diuina deſtinata eſt. Deus ex ſe & tota animi ſui ſententia propenſus eſt, omnes ſingulosque vocare, conuertere, regenerare, iuſtificare, ſanctificare, ſaluare. *Apparuit enim gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos*, Tit. II, 11. 12. & *Spiritus S. omnibus fidem offert*, Act. XVII, 31.



Digitized by Google

Prob. f. Gratia applicatrix eſt *ſufficiens:* Quia effectui ſuo producendo proportionata, vel adæquata eſt, licet optatum euentum non ſortiatur. Oſtendit id ipſum Deus benigniſſimus, Eſ. V, 4. *Quid faciendum amplius fuit vineæ meæ, quod non fecerim in illa? Quare vero expectaui, vt faceret vuas? Fecit vero illa labruſcas.* Si Deus omnia fecit, quæ debuit facere, vt ferax eſſet vinea Iſraëlitica, nec tamen illa tulit botros, ſed labruſcas; ſequitur, dari gratiam ſufficientem, etiam reſpectu improborum, vtut deſideratus non ſequatur euentus. Eadem gratia *ſufficiens* in ſe & natura ſua eſt *efficax.* Dixit enim Chriſtus ad Paullum: *Sufficiat tibi gratia mea: Nam virtus mea in infirmitate perficitur:* Vbi gratiæ *ſufficienti* ſua virtus, vel *efficacia* tribuitur. Obſ. Alii Theologi admittunt diſtinctionem gratiæ in *ſufficientem, & efficacem*, alii eam reiiciunt. *Efficax* eſt *omnis* gratia, ex parte *Dei* offerentis; *euentus* in *homine*, cui offertur, inducit differentiam, vt cum *ſufficiens* omnibus ſit oblata, *efficax* facta ſit *in eo*, qui fide amplectitur; adeoque *efficax* dicitur ratione hominum conuerſorum, *ſufficiens* ratione non conuerſorum. Confer. D. MEISNER. *anthropol. decad. II. p. m. 24.* D. BROCHMAND. *ſyſtem. part. I. p. 555.* D. DANNHAV. *hodoſ. phænom. IX. p. 856.* Reiicit hanc diſtinctionem D. HVLSEMAN. in *breuiar. cap. IX. pag. 950:* Quia *omnis* gratia diuina eſt *efficaciter ſufficiens, & ſufficienter efficax* in ordine & œconomia ſua: ab impedimento autem *effectus* extrinſeco ad defectum intrinſecæ *efficaciæ* male colligitur *).

Prob.

*) Ita eſt: Nam 1) *efficacitas* adcurate diſtinguenda eſt ab *effectu*, atque etiam ab *euentu.* Et diligenter cauendum eſt, ne hæc tria inter ſe confundantur. *Efficacitas* in ipſa rei natura ineſt, quatenus ea eſt ad certum quemdam finem, aut plures, deſtinata atque apta. *Effectus* eſt illius finis conſequutio, quatenus ea res, ſemper per ſe efficax, recte vſurpata fuit. *Euentus* eſt plane aliud quidquam, a fine propoſito alienum, immo prorſus illi contrarium, interuentu aliarum rerum, aut vitio hominis, qui re bona male vtitur. Itaque fieri poteſt, ac ſæpe ſolet, vt res quædam, per ſe maxime fructuoſa, per accidens ſit pernicioſa. Vid. Rom. VII, 10. 2) Magna cautio adhibenda eſt, propter recentiores controuerſias *Ianſeniſtarum*, aliorumque, quorum opinione Deus plerisque hominibus non, niſi *ſufficientem* exhibet gratiam, paucis electis *efficacem.* Sed primum in eo falluntur, quod gratiam ſufficientem ab efficaci disiungunt, alterutram aliis atque aliis hominibus adſignantes. Deinde magna latet in vocibus ambiguitas. *Sufficientem* gratiam vel ita interpretantur, vt ea ſit *Deo* quidem ſufficiens, ad ſuum propoſitum, non item *hominibus*, ad ſalutem; vel ita, vt *hominibus* quidem ſufficiat, nec vero omnibus eadem ratione, *reiectis* dumtaxat ad *teſtimonium*, quod illis tanta contigerit gratia, quantam Deus dare decreuerit (in hunc ſenſum detorquent dicta huiusmodi, Matth. X, 18. XXIV, 14. Marc. VI 11); *electis* ſolis ad *remedium*, quo ſua miſeria liberati ſalutis fiant participes. *Efficacem* gratiam intelligunt eam, quæ ſingulari vi quadam adigat & compellat electorum hominum animos, vt voluntati diuinæ non poſſint non obſequi. Denique adcurationem ſermonis non obſeruant, cum dicunt, *efficacem* gratiam *plus* valere, quam *ſufficientem.* In quo vehementer errant. Etenim 1) quæ ad ſalutem efficax eſt gratia, eadem eſt ſufficiens, 2 Cor. XII, 9: 2) Si qua ſtatuenda ſit differentia, ſemper illud, quod *efficax* vocatur, *minus* erit, quam id, quod *ſufficiens* dicitur. Id quod tribus confirmabo argumentis: α) *Efficax* eſt vnum quodque eorum, quibus ad obtinendum finem indigemus: *ſufficiens* eſt comprehenſio copulatioque omnium, ad finem neceſſariorum, ratione tum *totius finis* (ita enim ad æternam hominis ſalutem requiruntur quatuor actus gratiæ, quorum ſi vnus deeſſet, reliqui non eſſent ſufficientes, vniuerſi autem ſufficiunt, ſcilicet noua generatio, iuſtificatio, renouatio, tandem perfecta liberatio vacuitasque omnis moleſtiæ, 1 Cor. I, 30.) tum *totius hominis*, omniumque animi facultatum, 1 Theſſal. 5, 23. 2 Cor. VII, 1. (ſic argumenta explicantia, ac probantia, quæ vtraque ad intellectum ſpectant, & argumenta mouentia, quæ ad voluntatem pertinent, ſingula quidem *efficacia* ſunt, ſeparata autem non ſunt *ſufficientia*). β) *Efficax* eſt, quod valet rem inchoare, ſiue etiam continuare: *ſufficiens* eſt, quod poteſt rem omnino perficere, nihil vt deſiderari poſſit amplius. Gratia præueniens, excitans, præparans, illuminans, conuertens, iuſtificans, renouans, eſt

profecto

Digitized by Google

Prob. g. Gratiæ applicatrici *reſiſti poſſe*, apertiſſimis verbis aſſerit Stephanus Iudæos granitcr alloquens: *Duræ ceruicis homines, & incircumciſi corde & auribus, vos perpetuo Spiritui S. reſiſtitis*, Act. VII, 51 *).

Quæſt. III. *Quo ordine actus gratiæ applicatricis cohærent, & ſe ſubſequuntur?*

*Actus* gratiæ applicatricis ſunt: I. Vocatio peccatoris ad eccleſiam: II. Illuminatio: III. Conuerſio: IV. Regeneratio: V. Iuſtificatio: VI. Vnio myſtica cum Deo triuno: VII. Renouatio: VIII. Conſeruatio fidei & ſanctitatis: IX. Glorificatio. *Actus gratiæ applicatricis.*

Prob. Hunc ordinem, & quaſi concatenatam ſeriem actuum gratiæ applicatricis diſcimus ex Act. XXVI, 17. vbi Chriſtus Paullum compellat: *In gentes te mitto*, en gratiam vocationis! *vt aperias oculos eorum*, en illuminationem! *& conuertantur a tenebris ad lucem*, en actum conuerſionis! *& a poteſtate ſatanæ ad Deum*, en ipſam regenerationem, per quam Filii Dei euadimus! *vt accipiant remiſſionem peccatorum*, en iuſtificationem! *& ſortem inter eos, qui ſanctificati ſunt per fidem in me*, en vnionem cum Chriſto per fidem, ſanctificationem, ſanctitatis conſeruationem & glorificationem!

Quæſt. IV. *Daturne alia diſtinctio actuum gratiæ applicatricis?*

Diſtinguitur communiter gratia Spiritus S. applicatrix in gratiam *præuenientem, præparantem, operantem, cooperantem, & conſeruantem* a). Item in gratiam *aſſiſtentem, & inhabitantem* b).

Prob. a. *Gratia præueniens eſt* actus gratiæ, quo Spiritus S. homini, in peccatis mortuo, obiectum ſaluificum, beneuolentiam Dei Patris & meritum Chriſti per verbum Dei prædicatum aut lectum offert, incapacitatem naturalem aufert, & eundem ad agendum pœnitentiam inuitat, excitat, impellit, pulſat. Gratia *præparans eſt* actus gratiæ, quo Spiritus S. reſiſtentiam naturalem & actualem, ſimplicem & vincibilem cohibet, mentem notitia euangelii litterali imbuit, & voluntatem per verbum legis conterit, vt ad fidem ſaluificam ſuſcipiendam magis magisque diſponatur. *Gratia operans* ſpecialiter dicta eſt actus gratiæ, quo Spiritus S. tum vires credendi confert, tum fidem iuſtificam accendit. Huc pertinent regeneratio, iuſtificatio & vnio myſtica. *Gratia cooperans* eſt actus gratiæ, quo Spiritus S.

Hhh hh 2 cum

profecto efficax; at nondum ſufficiens. Neceſſe eſt enim, vt accedat gratia corroborans, conſeruans, omnique tandem malo nos liberans. γ) *Efficax* eſt medium, quo recte adhibito finem conſequimur. *Sufficiens* eſt præceptio modi atque ordinis obſeruandi, cui conuenienter medio illo vti debeamus. Euangelium eſt vnicum medium efficax ad fiduciam ſalutarem, ipſamque adeo ſalutem. Sed ordo ſalutis poſtulat neceſſariam perpetuamque legis cum Euangelio coniunctionem. Vid. *Declar. Form. Conc. cap. V. pag.* 713. 'E. gratia, quamvis maxime efficax, tamen non eſſet ſufficiens, niſi ea per vſum legis, & elenchtico-pædagogicum, & didacticum, nos eo duceret, vt ſalutem, in Euangelio nobis nuntiatam, & auide amplectamur, & acceptam grato animo veneremur.

*) Id contra *Reformatos, & Ianſeniſtas* arcte tenendum eſt, ſed & explicandum, quum videatur ambigue dictum eſſe. Scilicet *reſiſtere*, eſt, aut *repugnare viribus*, ſi non æquis, certe aliquid valentibus (ecquis autem vel minimum quidquam valeat aduerſus Deum? quamuis temeraria audacia id moliantur θεομάχοι, irrito tamen conatu, & vana ſine viribus ira, Act. V, 39. Rom. IX, 19.); aut *reiicere beneficium oblatum*, ac præſcripto ordini nolle obtemperare, ſicut perfidus homo, tametſi maxime imbecillis, qui Regi non vult parere & imperata facere, vel qui gratiam Regis repudiat, reſiſtere illi dicitur. Id quod eſt, ἀντιτάσσεσθαι, Act. XVIII, 6. οὐχ ὑποτάσσεσθαι τῷ θεῷ, Rom. VIII, 7. X, 3. Et illud, ἀντιπίπτειν, Act. VII, 51. quid ſit, cognoſcere poteris ex v. 57: obturare aures, nolle veritatem percipere. Nullis enim argumentis, quæ ſunt vires morales, vim veritatis cohibere poterant, Act. VI, 10.

Digitized by Google

cum homine iuſtificato concurrit ad ipſius ſanctificationem & productionem bonorum operum. Ad hanc pertinet renouatio. *Gratia conſeruans* eſt actus gratiæ, quo fides & vitæ ſanctitas conſeruatur & confirmatur; cuius effectus eſt perſeuerantia fidelium. De hac diſtinctione conf. CHEMNITIVM in *loc.* de *lib. arbitr. fol. 192.* D. BREITHAVPT. in *inſtitut. p. 235. & in theſ. cred. pag. 129.*

Prob. b. *Gratia aſſiſtens* eſt actus gratiæ, quo Spiritus S. externe circa hominem conuertendum agit, non tantum obiectum ſaluificum proponendo & oſtendendo, quid fieri debeat; ſed & cor peccatoris tangendo, pulſando, excitando & diſponendo, vt fidem ſuſcipere, & mediante fide Spiritus S. ipſum inhabitare queat. Ad hanc gratiam aſſiſtentem pertinet gratia *præueniens, & præparans. Gratia inhabitans* (accepta ſenſu *generaliori*, quo gratiam *regenerantem, iuſtificantem & inhabitantem*, ſenſu *ſpecialiori* ſumtam, complectitur) eſt actus gratiæ, quo Spiritus S. cor hominis ingreditur, & in illo habitat atque operatur, tum vires credendi conferendo, tum fidem ſaluificam accendendo, confirmando & augendo. Conf. D. IOANN. ADAMI OSIANDRI *theol. ſyſtem. poſitiua, part. III. p. 18. &* D. QVENSTED. *ſyſt. part. III. fol. 494.* Fundamentum diſtinctionis in gratiam *aſſiſtentem, & inhabitantem* habetur Apoc. III, 20. vbi Chriſtus epiſcopum Laodicenum alloquitur: *Ecce! Sto ad oſtium, & pulſo: Si quis audiuerit vocem meam, & aperuerit ianuam, ingrediar ad ipſum & coenabo cum ipſo, atque ipſe mecum.* Indicatur his verbis a) generatim *gratia aſſiſtens;* quia Chriſtus dicit, *ſe ſtare ad oſtium*, ſcil. *cordis* humani, ad illud conuertendum: non autem ſtat otioſus, ſed *pulſat* & cupit intromitti; *pulſat*, vt *vox eius audiatur*, quæ eſt b) *gratia præueniens & excitans*, & quidem *ita pulſat*, vt *ianua aperiatur*, quæ eſt c) *gratia præparans:* nam homines irregeniti cordis oſtium aperiunt non naturalibus liberi arbitrii viribus, ſed nouis per gratiam præuenientem & præparantem collatis viribus: ſicut reſuſcitati ex morte naturali non ſuis, ſed nouis, in reſuſcitatione datis, viribus reſurgunt. Pulſando itaque Chriſtus vim largitur aperiendi, quæ efficacia verbo euangelii propria eſt, Rom. I, 16.; cum vero ianua cordis aperitur, *Chriſtus ingreditur*, quæ eſt d) *gratia ingrediens, & inhabitans;* ſic enim Chriſtus ingreditur, vt *nobiſcum cœnet & nos cum illo;* ingreditur Chriſtus, lumine verbi ſui fidem accendendo & per fidem in nobis habitando, Eph. III, 17. Vnde oritur dulciſſima noſtri cum Chriſto communio, quæ eſt prægustus vitæ æternæ. Poteſt ex hoc effato Saluatoris gratia Spiritus S. applicatrix per τριχοτομίαν diſtingui in *gratiam aſſiſtentem*, quæ externe circa cor peccatoris clauſum operatur, & illud aperire laborat: *ingredientem*, quæ domicilium cordis apertum intrat: Et *inhabitantem*, quæ præſentia gratioſa & efficaci in corde habitat.

Quæſt. V. *An tres viæ myſticorum recto ordine ſunt diſpoſitæ?*

*De tribus viis myſticorum.*

Tres *myſticorum viæ* neque *iuſto ordine* ſunt diſpoſitæ a) neque homines, iis incedentes, ad *terminum*, a myſticis præfinitum, certo pertingunt b).

*Antitheſis* eſt *myſticorum auctorum*, magno conſenſu docentium, hominem 1) ad eccleſiam vocatum, TRIBVS VIIS, *purgatiua, illuminatiua & vnitiua*, ad ſanctum montem perfectionis, atque *deificationem* poſſe expedite progredi. Id quod non diffitetur MAXIMILIANVS SANDÆVS, in *claue theologiæ myſticæ. pag. 360. Omnes fere rerum ſpiritualium magiſtri tribus ſolent theologiam myſticam viis circumſcribere, purgatiua, illuminatiua, & vnitiua.* Triplicem hanc viam expoſiturus HVGO DE PALMA, in *theol. myſtica p. 5.* inquit: *Prima via* purgatiua *eſt, qua mens ad diſcendum veram ſapientiam diſponitur: Secunda dicitur* illuminatiua, *qua mens cogitando ad amoris inflammationem accenditur: Tertia vero* vnitiua, *qua mens ſupra omnem intellectum, rationem & intelligentiam, a ſolo Deo ſurſum acta dirigitur. In his tribus viis tota conſiſtit theologia myſtica.* Clarius has tres vias explicat THOMAS A IESV, *libr.*

Digitized by Google

*libr. 1. Meth. diuin. orat. I.* Purgatiuæ *via eſt, purgare & perficere ſenſus;* illuminatiuæ, *rationem;* vnitiuæ, *ſpiritum, ſeu mentem, quæ eſt ſuperior animæ pars. In* purgatiua *cognoſcit homo ſeipſum; in* illuminatiua, *Deum: in* vnitiua *ſtudet vnioni & transformationi in ipſum.* Omnium clariſſime & fuſiſſime easdem vias euoluit GOTTFRID. ARNOLDVS in *theol. myſt. c. VI. p. 103. & ſeqq.* e quo paucao, ad rem facientia, excerpere nobis liceat. Erſtlich reiniget GOtt die Sinnen, und den unterſten Theil der Seele, welche gleichſam ihr Eingang iſt, hernach die Vernunft, dann den Verſtand und Willen, und alſo bekömmt GOtt die Herrſchaft über den gantzen Menſchen wieder, da er dieſe Theile rein und klar machet. Endlich befreyet er auch die Begierden und den Zorn, durch tiefe Zerknirſchung und Demüthigung. . . Und aus dieſem allen machen wir eine ſolche Beſchreibung: Der **Reinigungs-Weg** iſt, dadurch das Gemüth die wahre Weisheit zu lernen, geſchickt gemacht wird; oder es iſt eine ſolche Uebung und Bemühung des Gemüthes, wodurch man zur Austreibung der Laſter, zur Bezähmung der Affecten, oder Gemüths-Bewegungen, zur Erneuerung aller Eigenſchaften der Seelen, zur Bewahrung des Hertzens, und der Sinne, und zur Vermeidung aller Schulden gelanget. Zu der **Erleuchtung** erfodern die Alten vornehmlich die Demuth, daß man an ſeinen eigenen Kräften, natürlichen Verſtande, und ſelbſt geſuchten Wiſſen verzage, hingegen allein auf GOtt hoffe, und auf deſſen Beyſtand ſich gründe. Ferner, daß man ſein Gemüthe von äuſſerlichen Dingen abziehe, und durch Verlaſſung aller Zerſtreuung und Ausſchweifung ſelbiges ſammle, ſodann, daß man ſich zu dem göttlichen Strahl einwende, die Erleuchtung von oben wünſche und erbitte, und ſich zur Betrachtung und Beſchauung GOttes aus allen Kräften kehre. Darauf werde der Herr aller Weisheit helfen, und das Hertz durch die Gabe ſeiner Weisheit hell machen, und mit ſeinem Glantz erfüllen. Darum wird die **Erleuchtung** beſchrieben, daß ſie ſey eine Beſchäfftigung des Gemüthes in Beſchauung der Wunder GOttes, ſonderlich der höchſtſeligſten Dreyheit, und der allereinfältigſten allerſchönſten Gottheit: hernach in Betrachtung der himmliſchen und übernatürlichen Güter der Wahrheit des Chriſtlichen Glaubens, und aller geiſtlichen Dinge. . . Die **Vereinigung** iſt eine Handlung, welche auf die Brünſtigkeit der lauterſten Liebe, auf die entzückende und flammende Verliebung in die Gottheit, und auf das feurigſte, ruhigſte und geheimſte Anſchauen der verborgenen Weisheit gerichtet iſt, ingleichen, daß das Gemüthe dadurch über allen Verſtand und Sinn von GOtt allein wircklich in die Höhe gezogen werde, oder mit ſeinem höchſten Gut durch die Liebe und Beſchauung ſich vereinige. . . Und dieſes iſt eben das Hauptſtück und Werck, die Summa und Zweck der geheimen Gottes-Lehre, dazu die vorigen zwey Stuffen als Vorbereitungen dienen und fördern müſſen, nemlich, daß aus einem Chriſtlichen Menſchen ein GOtt werde. Sonſten heiſt es auch: in GOtt verwandelt, vergöttert werden. Denn GOtt theilet einem Chriſten ſein Weſen übernatürlich mit, daß er ſelbſt GOtt zu ſeyn ſcheinet, und das, was GOtt hat, auch ſelbſt hat. Und wenn GOtt der Seelen die höchſte Gunſt erweiſet, wird eine ſolche Vereinigung unter ihnen, daß alles, was GOttes iſt, und das, was der Seelen iſt, in einer gemeinſchaftlichen Vereinigung eins iſt, und die Seele alsdenn mehr GOtt, als Seele zu ſeyn ſcheinet, ja ſie iſt GOtt durch die Gemeinſchaft, ob es wohl wahr iſt, da ſie ihr natürliches Weſen von dem Göttlichen ſo unterſchieden behalte, wie zuvor, daß ſie doch in GOtt verwandelt iſt: wie auch ein Glas ſein unterſchieden Weſen behält von dem Strahl der Sonnen, von welcher es iſt erleuchtet worden, ſchreibt IOAN. a CRVCE *Op. Myſt. L. II. cap. V. pag. 38.* Hucvsque ARNOLDVS *l. c. p. 150.*

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Cum tota theologia viam ad cœlum, vel æternam ſalutem oſtendat & aperiat, oppido notandum eſt, quod *via ad ſalutem* vel notet *cauſſam meritoriam æternæ ſalu-*



Digitized by Google

*tis*, qua ratione *Chriſtus* ſeipſum *vitam* vocauit, Io. XIV, 6.; vel deſignet *medium ſalutis cauſſale*, idque vel *offerens*, & exhibens, quod eſt verbum Dei, ideoque appellatur *via veritatis*, Pſ. CXIX, 30. vel apprehendens & *recipiens*, quod eſt *fides* in Chriſtum, per quam aditum habemus ad gratiam, Rom. V, 2.; vel denique denotet id, quod eſt intermedium inter terminum a quo, & ad quem, quo ſenſu BERNHARDVS libr. *de gratia & arbitr. bona opera* vocat *viam regni non cauſſam regnandi.* Quomodo ea formula loquendi ſano ſenſu admitti queat, docet D. QVENSTED. in *ſyſtemate theol. IV, c. IX. p. 330.*

Obſ. II. Auctores *myſtici* in ordinandis tribus viis ſuis philoſophorum *Pythagoricorum & Platonicorum* veſtigia legerunt; quippe qui dicebant, priusquam anima peruenire valeat ad veram ſapientiam, opus habere καθάρσει, i. e. purgatione quadam, qua ei ſordes illæ abluantur. Sed amplius purgationi huic iungebant mentis in ſeipſam veluti conuerſionem aliquam, quam volebant eſſe ſecundum quaſi aditum, oſtiumue. Nam putabant animum conſcium ſuarum virium, & a vinculis ſordibusque corporis, materiæue liberatum, ante omnia in ſe verti, ceteris, quæ extra ſunt, obliuioni veluti traditis, &, vt ad ſe non pertinentibus, memoria eiectis. Ceterum, quia pura, & a malis liberata mens nondum perfecte beata eſt, vltimum adiiciebant mentis officium, quod vocabant ἄνοδον, ſeu aſcenſum. De quo IAMBLICHVS in *protreptico* inquit: *A purgatione prima malorum, quæ nobiſcum nata ſunt, ab exortu noſtro, quies ac immunitas erit. Deinde nobis aderit notitia felicis & beatæ vitæ, quanta illa, qualisque ſit futura. Cum hac aſcendentes princeps & diuinum genus hominum contemplabimur, & in hoc firmati, propoſitæ ac Diis beatiſſimæ vitæ finem conſequemur.* Conf. SCHEFFERI *philoſ. Ital.* c. *IX. p. 74. & ſeqq.* Finis autem philoſophiæ Pythagoricæ & Platonicæ eſt ὁμοίωσις θεῷ, aſſimilatio cum Deo, docente HIEROCLE & STOBAEO apud SCHEFFERVM l. c. c. VII, p. 42. HIEROCLES in *præf. ad carmina aurea Pythagoræ* addit: *oportet prius fieri hominem, poſt Deum.* E quibus colligimus, myſticos in tribus ſuis viis ſternendis placita Pythagoræ & Platonis reſpexiſſe, iisque ſe accommodaſſe.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Prob. a. 1) Auctores myſtici in diſponendis tribus viis ſuis non vno modo errarunt; propterea, quod proximum diuiſionis fundamentum non luculenter expoſuerunt. Si per *viam ad beatitudinem*, tam *gratiæ*, quam *gloriæ* intelligatur *cauſſa meritoria*, vna tantum eſt via, ſcil. Chriſtus, cuius aurea ſunt verba: Io. XIV, 6. *Ego ſum via, veritas & vita.* Eſt autem Chriſtus *via*, tum ratione *meriti*, quia nos morte ſua Deo reconciliauit, Rom. V, 10.; tum ratione *exempli*, quoniam nobis reliquit ὑπογραμμὸν, exemplum, vt ſequamur veſtigia ipſius, 1 Petr. II, 21.

2) Si intelligatur, per *viam ad beatitudinem*, *medium* ſalutis *cauſſale*, quo oblata ſalus recipitur, vel apprehenditur; rurſus vna ad perennem beatitudinem patet via, ſcilicet vera & ſincera in Chriſtum fides. Hac velut expedita ad Deum accedimus, Rom. XI, 6. Hac per Chriſtum ad gratiam Dei aditum habemus, Rom. V, 2. Hac iuſtificamur & ſaluamur, Rom. III, 22. Marc. XVI, 16.

3) Si deſignetur per *viam ad beatitudinem*, *ſpeciatim* atque determinate, *hominibus, poſt lapſum miſeris*, diuinitus ordinatum ſalutis *medium offerens & exhibens*, rurſus vna via eſt, ſcil. *via veritatis*, Pſ. CXIX, 30. i. e. verbum euangelii, quod peculiari cum emphaſi dicitur *verbum veritatis*, Iacob. I, 18. Eph. I, 13. quia non tantum in ſe eſt verum, æque, ac verbum legis, ſed etiam vere regenerat, & quam vitam gratiæ & gloriæ promittit, re vera confert.



Digitized by Google

4) Si autem per *viam ad beatitudinem*, *generatim* & indeterminate, *omnium hominum*, qui in ſtatu *ante lapſum & poſt lapſum* vixerunt, *cauſſale* ſalutis *medium* deſignetur, duæ erunt viæ, ſcil. *via legalis*, *& euangelica*, quam viam geminam verbis DANNHAVERI ex *hodoſ. phœnom. VI. p. 462.* exponam, qui: *Gemina*, inquit, *in ſcripturis via exſtat reuelata, quæ ad cœlos ac beatitudinem ducit: Legalis vna, quæ eſt legis diuinæ, tanquam normæ perfectæ, fœdere mutuo obſignatæ, obligantis conſcientiam ad obedientiam, aut iuſti iudicis ineuitabilem pœnam, obſeruantia perfectiſſima per ſe beatificata, ſed ita nobis mortalibus impoſſibilis, & per accidens mortifera. Altera eſt euangelica cœlitus reuelata, quæ corde Patris cœleſtis, & Chriſto fratre mediatore, ſummo Patris dono patefacto, per gratiam Spiritus S. viuificam ad cœlos ducit tutiſſime, optime, vnice.*

5) Si autem ſcriptores myſtici per *tres vias ſuas* intellectas velint vias ordinis diuini ſecundum actus gratiæ Spiritus S. applicatricis, ſane planum eſt, eos ordinem a Spiritu diuino ſancitum peruertiſſe. Enim vero, teſte S. ſcriptura, *via illuminatiua purgatiuam præcedit.* Quod demonſtraturus, ſuppono, τὴν γνῶσιν, ſiue cognitionem myſteriorum fidei, quæ ductu luminis naturæ cognoſci nequeunt, eſſe effectum gratiæ diuinæ illuminatricis. Vid. 2 Cor. IV, 6. Eph. I, 18. Euoluens itaque codicem ſacrum, a) deprehendo *Paullum & Ioannem Apoſtolos* τὴν γνῶσιν, ſiue cognitionem intellectus, purgationi voluntatis diſertis verbis præponere. *Illum* quidem, Col. I, 9. 10. *Non ceſſamus pro vobis orare & petere, vt impleamini cognitione voluntatis ipſius in omni ſapientia & intelligentia ſpirituali, vt vos ambuletis digne Domino ad omnem complacentiam? Hunc* autem, 1 Ep. III, 2. 3. *Dilecti iam filii Dei ſumus, ſed nondum manifeſtatum eſt, quid futuri ſimus. Scimus tamen, quod, cum manifeſtabitur, ſimiles ipſi futuri ſimus, quia videbimus ipſum, ſicut eſt. Ideo & omnis, qui habet hanc ſpem ſuper ipſo, mundat ſeipſum.* b) Nihil eſt in voluntate, quin prius fuerit in intellectu. Voluntas enim non operatur ſine obiecto. At ſi intellectus non proponat obiectum voluntati, hæc non habebit obiectum, circa quod operetur. Ideoque neceſſe eſt, vt, quoniam voluntas per ſe cœca eſt, intellectus eam illuſtret, & obiectum proponat atque repræſentet. Quam ob rem, vt voluntas purgetur ἀταξίᾳ affectuum, oportet prius intellectum a Spiritu S. illuminari, tum ad agnoſcendum e lege diuina peccatum, Rom. III, 20. c. VII, 7. tum ad cognoſcendum Chriſtum mediatorem, 2 Cor. IV, 4. c) Illuminatio præcedit fidem, Io. I, 7. vtpote e qua fluit notitia, quæ eſt primus gradus, vel actus fidei. E. & præcedit purgationem animæ, quæ fit per fidem, Act. XV, 9. d) Si hominis voluntas purgari & ſanctificari poteſt ſine præuia illuminatione intellectus, vtique homo cœco impetu feretur ad Deum amandum, quem nunquam cognouit; ad collocandam fiduciam in Chriſto, cuius eſt ignarus; ad vincendum mundum, absque prælucente fide: quæ ſunt ἀτοπώτατα. Qua veritatis ſpecie igitur auctores myſtici viam purgatiuam illuminatiuæ anteponunt? *). Dicis: Vberior & plenior illuminatio intellectus purgationem voluntatis, obſtaculis remotis, ſequitur. Reſp. Quamuis non diffitear, *vberiorem illuminationem* intellectus *ſequi* ſanctificationem voluntatis; tamen & hoc pro certo affirmo, *vberiorem illuminationem præcedere vberiorem* ſanctificationem. **).

6) *Viam*

*) Præter hunc errorem intolerabilem eſt alius quidam, longe grauiſſimus, in quo verſantur *Pſeudomyſtici*, ſi non omnes, certe craſſiores & fanatici homines. Præterquam enim, quod ordinem rerum inuertunt, falſo etiam interpretantur ac definiunt *illuminationem*: quod ea ſit *inflammatio ſcintillæ diuinitatis*, quam fingunt, & quam dicunt eſſe *naturaliter* hominibus *omnibus* inſitam. Id quod eſt *naturaliſſimus fanaticus.* In peruerſum huncce ſenſum detorquent dictum hoc, Io. I, 9. & huiusmodi plura.

**) Etenim meminiſſe quemque decet, quod omnes animi motus omnesque cupiditates ſint in voluntate. *Cupiditas* autem *bona* illuminati renouatique hominis omnino duplex eſt: Vna

*diſcendi;*

6) *Viam purgatiuam* doctores myſtici non ſatis perſpicue explanarunt. Nam per *purgationem* iidem intelligunt *vel* purgationem *a reatu peccati*, ſiue iuſtificationem, *vel* purgationem *a dominio peccati*, ſiue renouationem, *vel vtramque*. *Iuſtificatio* ſequitur illuminationem, & præcedit vnionem myſticam: *renouatio* autem tam illuminationem, quam vnionem myſticam ordine naturæ ſequitur. Etenim a) Chriſtus ipſe: *quemadmodum*, inquit, *palmes non poteſt ferre fructum a ſe ipſo, ni manſerit in vite: ita neque vos, niſi in me manſeritis*, Io. XV, 4. b) Paullus, Rom. VIII, 9. *Vos*, inquit, *non eſtis in carne, ſed in Spiritu, ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis.* Renati non ſunt in carne, i. e. poteſtate & dominio carnis, ſed in regno Spiritus S.; eo, quod Spiritus S. non hoſpes tantum, ſed & dominus ſui domicilii eſt, quod incolit, regit, purgat, ornat. Quocirca ea ſerie diſponendæ ſunt viæ myſticorum, vt *prima ſit illuminatiua*, *altera vnitiua*, *tertia purgatiua*. Quod ſi autem ſcriptores myſtici per *purgationem* tam *iuſtificationem*, quam *renouationem* deſignent, indecora æquiuocatione, quæ errorum fœda eſt genetrix, ludunt; propterea, quod vna voce duos gratiæ diuinæ applicatricis actus complectuntur, quorum alter vnionem myſticam antecedit, alter conſequitur. At male docet, qui non bene diſtinguit.

7) Auctores myſtici diſpoſitione viarum ſuarum neglexerunt & omiſerunt *conuerſionem* peccatoris, ſpecialiſſime dictam, qua per legem diuinam contritio excitatur; *regenerationem* qua per euangelium fides accenditur; & *iuſtificationem*, qua propter meritum Chriſti, vera fide apprehenſum, peccatum remittitur, & iuſtitia Chriſti imputatur. Quem hiatum iam dudum myſticis exprobratum fuiſſe, colligo ex *theolog. myſtica* GOTTFRIDI ARNOLDI *cap. VIII. p. 208.* inquientis: Etliche meynen, die Myſtici lehren ſo gar wenig, oder nichts von der Wiedergeburth, welche gleichwohl die Summa, und das einige Nothwendige im Chriſtenthum ſey; & *p. 209.* wiederum beſorgen manche, es würden darinnen die geſetzliche Wege mehr, als das lautere Evangelium vorgetragen, indem die Seele immer auf die ängſtliche Demüthigung, Reinigung, Abgeſchiedenheit, und dergleichen, und dabey wenig auf den Glauben an den HErrn Chriſtum gewieſen würde. Welcher Scrupel, weil er ſehr wichtig, und weit ausſehend iſt, billig etwas genauer unterſuchet, und gehoben werden muß. Doctrina de regeneratione

*diſcendi*; altera *agendi* atque imperata faciendi. Vtraque vel *generalis* eſt, vel *ſpecialis*. Cupiditas *generalis*, quæ ad *initium* corrigendæ vitæ pertinet, ſcilicet ſtudium & *aliquid diſcendi*, & *bene agendi*, *ſequitur* cognitionem veritatis *generalem*, intellectu perceptam: *quod* Deus voluntatem ſuam in ſcriptura ſacra declarauerit, & quæ ſint prima ac generalia dogmata; eadem vero *antecedit* cognitionem mentisque illuminationem *vberiorem*, ſiue *ſpecialem*, nimirum, *quæ* ſit voluntas Dei, verbo litteris conſignato declarata, de rebus, hactenus generaliter cognitis, nunc & clarius diſtinctiusque, & certius cognoſcendis. Cupiditas *ſpecialis*, quæ ad *incrementum* ac progreſſionem vitæ ſanctæ pertinet, videlicet ſtudium & *plus diſcendi*, & *melius agendi*, ſiue in dies etiam atque etiam proficiendi, *ſequitur* veritatis cognitionem atque intellectus illuminationem *vberiorem* ac *ſpecialem*. Phil. I, 9. 10. 11. Col. I, 9. 10. 11. Hæc tria principia ſane certiſſima ſunt: 1) Ignoti nulla cupido, & magis cogniti maior cupido: 2) Nil ſine ratione, aut vera, aut falſa; aut certa, aut incerta; aut perfecte atque omnino, aut imperfecte & quodam modo percepta: 3) Primus in voluntate motus, ſiue bonus, ſiue malus, exſiſtit ex prima intellectus perceptione, ſiue veri, ſiue falſi: Primam autem in intellectu perceptionem, & arcte cum ea copulatum primum in voluntate motum ſequuntur plures in intellectu perceptiones, pluresque in voluntate motus. E. nulla poteſt in voluntate eſſe cupiditas, niſi præceſſerit *quædam* cognitio in intellectu. Nec *maior* poteſt in intellectu eſſe cognitio, niſi anteceſſerit quædam in voluntate cupiditas, primam illam ac generalem cognitionem ſequuta. E. *prima* ac *generalis* cognitio *diuinæ* veritatis ſine mora excitat *primos* motus *ſanctæ* cupiditatis, quos ſequitur vberior, clarior certiorque ſingularum partium diuinæ doctrinæ cognitio, cuius ex amplificatione & confirmatione *plures* ac *validiores*, conſtantesque motus ſanctæ voluntatis exoriuntur.

Digitized by Google

tione & fide in Chriſtum haud dubie magni eſt momenti. Nam Chriſtus Nicodemum, ſollicite indagantem viam ſalutis, informaturus, dicebat: *Niſi quis generetur denuo, non poteſt videre regnum Dei*, Io. III, 3. Cum cuſtos vinctorum Act. XVI, 30. quæreret: *Quid me oportet facere, vt ſaluer?* reſponderunt Paullus & Silas: *Crede in dominum Ieſum Chriſtum, ita ſaluaberis tu, & domus tua.* Grauiſſimi quoque ponderis eſt doctrina de iuſtificatione peccatoris per fidem in Chriſtum. Namque *μακαρισμὸς, ſiue beatificatio eſt hominis, cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus*, Rom. IV, 6. *Articulus de iuſtitia fidei præcipuus eſt in tota doctrina chriſtiana, ſine quo conſcientiæ perturbatæ nullam veram & firmam conſolationem habere, aut diuitias gratiæ Chriſti recte agnoſcere poſſunt*, conſente *Formula Concord. p. 683.*

Prob. F. Finis vnionis myſticæ eſt *mons perfectionis*, quem myſtici in hac vita conſcendere nituntur, & *deificatio*, ſiue *transformatio in Deum*. Conf. D. MOLINOS in *manuduct. libr. III. c. IV. p. 286.* ARNOLD. in *theol myſt. c. VII. p. 163.* At vero hunc finem nemo mortalium in hac vita aſſequitur. Id quod probamus:

1) Quia hominum viatorum non *cognitio* tantum *Dei*, & rerum diuinarum, ſed & *ſanctimonia vitæ* ſpiritualis *imperfecta* eſt. De θεογνωσίᾳ viatorum inquit Paullus, 1 Cor. XIII, 9. ἐκ μέρους γινώσκομεν, *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: quando vero venerit perfectum, tunc, quod ex parte eſt, abrogabitur.* De imperfecta viatorum ſanctitate teſtatur S. Iacobus, ep. c. III, 2. *In multis labimur omnes*, & S. Ioannes, 1 ep. I, 8. *Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis.* At, qui peccatum habent, & ſæpe labuntur, illi non ſunt perfecte ſancti.

2) Ad *deificationem* adſpirare vero chriſtiano eſt religio. Affectata quippe ἀποθέωσις homines protoplaſtos e paradiſo eiecit. Cum rex Babylonis diceret: *Aſcendam ſupra excelſa nubis, ſimilis fiam altiſſimo*, iuſtiſſimo Dei iudicio in infernum detruſus eſt, Eſ. XIV, 14. 15. Prophetam Ezechielem Iehouah alloquitur: *Fili hominis, dic principi Tyri: Sic dixit* ADONAI IEHOVAH: *Propterea quod ſe extulit cor tuum, vt dicas: Deus ego ſum, in habitatione Dei habito, in corde maris; cum tu ſis homo & non Deus. Ideo ſic dixit* ADONAI IEHOVAH: *propterea, quod dediſti cor tuum, ſicut cor Dei: ideo ecce! ego ſum adducens ſuper te alienos, violentos gentium: qui euaginabunt gladios ſuper pulcritudinem ſapientiæ tuæ, & profanabunt ſplendorem tuum*, Ezech. XXVIII, 2. 6. 7. Cum ſacerdotes & leuitæ Hieroſolymitani ex Ioanne baptiſta quærerent: An eſſet *Chriſtus?* reſpondebat: *Non ſum Chriſtus*, Io. I, 20. Si iidem quærere perrexiſſent: an eſſet *Deus?* Ioannes dubio procul reſpondiſſet: *non ſum Deus*, ſed ſum homo peccator, ſum puluis & cinis coram facie diuina. E quibus abunde patet, auctores myſticos in determinando theologiæ fine grauiter erraſſe. Quibus omnibus ad lancem veritatis expenſis, arbitror, vias theologiæ myſticæ orthodoxæ pleniori & accuratiori ſerie eſſe diſponendas, vt PRIMA VIA SIT ILLVMINATIVA, qua homo peccator ad eccleſiam Chriſti vocatus (vocationem enim ad eccleſiam præſuppono), tum ad agnitionem peccati ex lege, tum ad agnitionem ſatisfactoris Chriſti ex euangelico peruenit: SECVNDA CONVERSIVA, qua homo peccator ad contritionem, ſiue deteſtationem peccatorum, ſerio cum dolore coniunctam, perducitur: TERTIA REGENERATIVA, qua ad fidem in Chriſtum prouehitur: QVARTA IVSTIFICATIVA, qua ad remiſſionem peccatorum, & imputatam Chriſti iuſtitiam pertingit: QVINTA VNITIVA, qua euadit in templum conſecratum Deo triuni, in quo is habitat, & gratioſo influxu operatur: SEXTA GLORIFICATIVA, qua in paradiſum cœleſtem, in quo eſt verus mons perfectionis, introducitur. Quem ordinem & ſeriem viarum myſticarum probo ex Act. XXVI, 17. vbi Chriſtus Paullum compellat: *In gentes te mitto, vt aperias oculos eorum* (en illuminationem!), *& conuertantur a tenebris ad lucem* (en conuerſionem!), *& a poteſtate*

*Satanæ ad Deum* (en regenerationem)! *vt accipiant remiſſionem peccatorum* (en iuſtificationem)! *& ſortem inter eos, qui ſanctificati ſunt per fidem in me* (en vnionem cum Chriſto per fidem, ſanctificationem & glorificationem)!

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiiciunt diſſidentes, *tres* myſticorum *vias* non deſtitui certo ordinis fundamento

I. Ipſe ſalutis auctor eas approbat, Io. XIV, 21. *Qui habet præcepta mea, & facit illa, is eſt, qui diligit me: qui vero diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam illum, manifeſtabo illi me ipſum.* verſu 23. addit: *Veniemus ad illum, & manſionem apud eum faciemus.* Reſp. Repetendus etiam eſt verſus 20. vt συνάφεια textus ſit luculentior, vbi Chriſtus ait: *In illa die cognoſcetis vos, quod ego in Patre meo, & vos in me,* verſu 21. inquit: *Qui habet præcepta mea, & facit illa, ille eſt, qui diligit me.* E qua cohæſione textus apparet, quod *illuminatio prima,* cuius effectus eſt cognitio, *præcedat ſanctificationem,* cuius effectus eſt dilectio Chriſti. Cum autem Saluator addit; *manifeſtabo me illi,* intelligitur *illuminatio continuata,* cuius effectus eſt cognitio Chriſti & myſteriorum diuinorum plenior & vberior. Conuerſionis, regenerationis & iuſtificationis Dominus Ieſus, loco citato, non iniecit mentionem, quia non deſtinauerat, id temporis omnes & ſingulos actus gratiæ applicatricis percenſere.

II. Comprobat tres myſticorum vias Spiritus S. per Paullum peccatorem alloquens: Eph. V, 14. *Expergiſcere, qui dormis, & ſurge ex mortuis, vt tibi Chriſtus illuceſcat.* Vbi euigilatio e veterno ſecuritatis, & reſurrectio a mortuis illuminationi anteponitur. Reſp. Ex adductis verbis Paullinis ſcriptores myſtici tres ſuas vias ſtabilire nequeunt; neque enim Paullus 1) vllam mentionem fecit *vnitiuæ:* 2) Spiritus S. veternum ſecuritatis excutit per gratiam conuertentem, vt contritio & deteſtatio peccati in voluntate excitetur: per gratiam regenerantem homo exſuſcitatur e morte ſpirituali, vt vitam fidei accipiat: per gratiam iuſtificantem Chriſtus hominem ἐπιφαύγει luce iuſtitiæ colluſtrat. Recenſuit itaque Apoſtolus viam conuerſiuam, regeneratiuam & iuſtificatiuam *). Quod ſi quis malit vltima verba trahere ad gratiam renouantem, tunc intelligitur *illuminatio continuata,* e qua proficiſcitur χριστογνωσία vberior. At *prima* & inchoata *illuminatio* intellectus purgationem voluntatis præcedit. **).

DE

*) Equidem arbitror, his PAVLLI verbis non *lumen veritatis* ac doctrinæ ſignificari, ſed *lumen felicitatis* & gratiæ, in toto vitæ curriculo diuinitus homini renouato impertiendæ, ſicut Iobi XXXIII, 30. Ieſ. LVIII, 8; nec dubito, quin Legatus Chriſti ad illam diuinæ benedictionis partem reſpexerit, Num. VI. 25: Dictio enim hæc, *ἐπιφαύσει σοι,* manifeſto reſpondet hebraicæ illi יָאֵר פָּנָיו אֵלֶיךָ, vt & Pſ. IV, 7.: נְסָה־עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ, & vocula *ἐπὶ* indicio eſt, non internam *in mente* luminis perceptionem, ſed externum *ſuper homine* ſplendorem debere intelligi. Illuminatio intellectus alio deſignatur verbo, *φωτισμὸς, φωτίζω.*

**) Hactenus diſputata pertinent ad *vias,* quas Pſeudomyſtici & perperam interpretantur, & peruerſo ordine collocant. Quod vero ad *finem* attinet, quem ſibi conſtituunt, nimirum *ἀποθέωσιν,* qua fiat, vt homo, velut abſorptus atque ad nihilum redactus, totus in diuinam naturam conuertatur, videamus de ea, qua potiſſimum freti ſunt, oppoſitione. Dictum illud eſt, 2 Petr. I, 4. quo illi ſe tuentur. Sed tantum abeſt, vt horum verborum ſententia vel nimo illis præſidio, nedum maximo, ſit, aut videatur eſſe, vt ea validiſſimum nobis argumentum aduerſus illos præbeat. Non eam, quam illi quidem comminiſcuntur, *commutationem* humanæ naturæ PETRVS prædicat, ſed *communionem* diuinæ naturæ, quæ hominem eius *participem* efficit. *Particeps* autem *alterius* fieri non poteſt, niſi id, quod ab eo *diuerſum* eſt. Omnino *tres* ſunt *modi* communionis, nec plures, de quibus nomen, *κοινωνία,* in ſacris litteris adhibetur. *Participes* ſumus alicuius rei 1) *coniunctione* (Hebr. II, 14. VI, 4. add. Rom. VIII, 11. 1 Cor. VI, 19,): 2) *fructu,* eiuſque *perceptione* (1 Cor. X, 17. Hebr. III, 1.):

3) *imi-*

Digitized by Google

# DE GRATIA VOCANTE, SEV VOCATIONE AD REGNVM CHRISTI.

Quæſt. I. *Quid eſt vocatio ad regnum Chriſti?*

*Vocatio ad regnum Chriſti* eſt actus gratiæ, quo Spiritus S. hominibus, extra eccleſiam conſtitutis, voluntatem Dei de ſaluandis peccatoribus per verbum diuinum manifeſtat, & ipſis beneficia a redemtore Chriſto offert, vt ad eccleſiam adducantur, conuertantur, & æternam ſalutem conſequantur. *Definitio gratiæ vocantis.*

Obſ. I. Appellatur *ſalutaris vocatio ad regnum & gloriam*, 1 Theſſ. II, 12. *Translatio in regnum Filii Dei*, Col. I, 13.

Obſ. II. Deſcripſimus *vocationem ad regnum Chriſti ſpecialem, directam & ſalutarem*, a qua ſalutaris conuerſio ducit initium, cui contradiſtinguitur vocatio ad eccleſiam *generalis, indirecta & pædagogica*, quæ vocationis ſalutaris præambula eſt.

Quæſt. II. *Quid eſt vocatio generalis & pædagogica ad eccleſiam?*

Vocatio *generalis & pædagogica* ad eccleſiam eſt, qua Deus peccatores extra eccleſiam conſtitutos, ad inquirendum verum Dei cultum, & cœtum, in quo ille viget, obſcurius & velut e longinquo inuitat, & ad ianuam eccleſiæ adducit. Vocatio illa *generalis* fit: a) *obiectiue*, per propoſitionem regiminis & beneficentiæ diuinæ in creaturas; b) *effectiue*, per efficacem influxum atque impulſum diuinum, quo tum e notitiis innatis theoreticis & practicis, tum e documentis beneficentiæ diuinæ ſuſcitantur concluſiones practicæ in mentibus infidelium, inæquali tamen menſura ad inquirendum de vero cultu Dei, c) *cumulatiue*, per famam de eccleſia, toto orbe diffuſam. *Generalis.*

Prob. a. Ex Act. XVII, 25. 26. 27. *Deus dat omnibus vitam, & Spiritum & omnia, fecitque ex vno ſanguine quoduis genus hominum habitare ſuper totam faciem terræ, definiens præordinata tempora & limitum poſitionem habitationis eorum: vt quærant dominum, ſi omnino*

Iii ii 2

3) *imitatione* (Matth. XXIII, 30. coll. cum ſeqq. v. 32. 34.). Itaque denuo natus homo fit *particeps diuinæ naturæ* tribus hiſce modis vniuerſis: 1) *coniunctione* cum Deo per fiduciam ſalutarem in Chriſto proſitam Hebr. III, 12 & 14.: 2) *perceptione* ac fructu gratiæ diuinæ, Phil. I, 7. 3) *imitatione* virtutum diuinarum, ita enim diſerte rem interpretatur IOANNES, 1 ep. I, 7. Ac ne illud quidem eſt ſilentio tranſeundum, quod aperta ſit rerum repugnantia, & fanatici homines ſoli ipſi repugnent, cum dicunt *vnionem*, & intelligunt *mutationem naturæ, conuerſionemque* eam, qua homo deſinat eſſe homo, ac totus in Deum abeat. Omnis *vnio* eſt coniunctio vnius cum altero, & vnio coniunctioque nulla eſſe poteſt, niſi duorum, vel plurium. O. vnitum eſt duplex, ſi non multiplex. O. duplex eſt diſtinctum. Neceſſe eſt enim, vt adſint duo: vnum, quod coniungatur; alterum, cum quo illud coniungatur. E. omnis vnio intercedit inter duas, pluresue, aut res aut perſonas, inter ſe diſtinctas; ſicut animus arctiſſimo quidem vinculo cum corpore copulatus eſt, ſed ab eo tamen diuerſus, neque vnquam, quoad eſt, aut eſſe poteſt, illa coniunctio in corporis naturam conuertendus. Plus dicam: humana Chriſti natura, vnionis perſonalis vinculo, quo nullum eſſe poteſt arctius, perpetuo coniuncta eſt cum diuina eiusdem natura, nec vero in eam conuerſa, vt humana eſſe deſierit.

Digitized by Google

*no palpent ipſum, & inueniant.* Deus propoſuit contemplandam prouidentiam ſuam circa humanum genus in operibus ſuis, ita, vt in illis homines clara deprehendant veſtigia Dei optimi, maximi, quo ea ſedulo obſeruantes, & plus, quam inſita complectitur notitia, acquirere deſiderantes, quærant ſtudioſe, quis ille tantus Deus ſit, Iehouah ſcilicet, & in ipſis quidem operibus illis lumine naturali eum palpent atque confuſe cognoſcant, hic tamen non ſubſiſtentes in ſupernaturali reuelatione, quam Deus non denegauit, plene inueniant.

Prob. b. Ex Rom. II, 4. *An diuitias bonitatis illius (Dei) & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans, quod bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat?* Obſ. 1) Alloquitur Apoſtolus homines vniuerſos, tam gentiles, quam Iudæos, vtpote alios iudicantes de propria culpa, quod rei ſint in iudicio Dei, atque docet eosdem ſuapte conſcientia conuinci. 2) Per *diuitias bonitatis diuinæ* denotatur beneficentia Dei vberrima in regno naturæ; quippe in quo Deus *ſe non reliquit ἀμάρτυρον*, i. e. *inteſtatum, benefaciens, cœlitus nobis pluuias dans & tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda noſtra*, Act. XIV, 17. Hac beneficentia gentiles ſtimulati ſunt ad pœnitentiam. Idcirco dicit Apoſtolus: *Bonitas Dei ad pœnitentiam te (ἄγει) inuitat.* Ἄγειν eſt in græco, quod ſignificat non proponere tantum voluntatem Dei, adeoque *verbaliter* ad ſe inuitare, ſed *realiter* commouere, & in homine aliquid efficere & agere. Deus itaque per naturam ita copioſe, ita ampliſſime & intenſiſſime bonitatem ſuam diſpenſat, vt omnibus modis hominem ad ſe trahat, alliciat, commoueat. Et quidem ad pœnitentiam male factorum non tantum, in quantum hæc eſt deteſtatio rei turpis, ſed & in quantum poſt peccatum contra Deum commiſſum eo tendit, vt is ab ira ſua deſiſtat, & homini reconcilietur. Id enim eſt ſentire diuinam bonitatem, patientiam, item & longanimitatem, vt deſiſtente a peccatis homine & pœnitente, Deus bonus & patiens erga ipſum eſſe poſſit. Quanquam vero hæc pœnitentia hominis & auerſio a peccatis ipſum effectum diuinæ gratiæ extra verbum euangelii obtinere nequeat, tantum ex intentione diuina eo ἄγει, ducit & inuitat per excitationem concluſionum practicarum, quales ſunt:

I. *Quia Deus rector vniuerſi omnipotentiſſimus, ſapientiſſimus, optimus, iuſtiſſimus eſt, ideo ſubmiſſe colendus, venerandus, & timendus eſt.*

II. *Colendus eſt Deus non quouis modo, ſed quem ipſe præſcripſit; quia omnem miniſtrum, teſte experientia, oportet colere Dominum non ex ingenio ſuo, ſed ex voluntate Domini.*

III. *Oportet igitur in mundo alicubi eſſe lumen ſupernaturale, quo Deus optimus voluntatem ſuam declarauit: oportet eſſe alicubi cœtum, cui legitimum colendi modum Deus præſcripſit, qui diligentiſſime inquirendus eſt.* *).

Prob. c. Facta etiam eſt *vocatio* peccatorum *generalis* ad eccleſiam per huius celebritatem. *Fama de ſacris eccleſiæ Iſraëliticæ* haud dubie peruagata eſt totum terrarum orbem. Quæ

*) Inter ſecundam ac tertiam propoſitionem intercedunt hæ duæ: 1) *Deprehendo in natura mea multos magnosque defectus, animum a Deo abalienatum, perpetuam aduerſus Deum repugnantiam, & quo pacto Deus ſit mihi reconciliandus, quis demum certiorem me faciat, de vera ratione cultus, qui ipſi gratus atque acceptus ſit, nusquam reperio.* Video etiam, hanc eandem eſſe *communem mortalium conditionem*, omnibus innatam. E. *lumen naturæ*, tanta animi corruptione ac defectione *obſcuratum*, nec mihi, nec vlli eſt *ſufficiens.* 2) *Nec vero eſt dubium, quin Deus*, qua eſt benignitate immenſa, ac maxime propenſa in omnes homines voluntate, *certum quoddam ac ſufficiens medium* omnibus exhibuerit. Proinde, quæ *tertia* erat propoſitio *quinto* loco erit collocanda.

Digitized by Google

Quæ gens non audiuit de Iſraëlitarum circumciſione, ſacrificiis igne cœleſti accenſis, de miraculis diuinis in eccleſia Iſraëlitica factis, de vaticiniis infallibili euentu comprobatis, de celebritate Hieroſolymæ, orbis academiæ, de ſplendore templi Salomonæi? Commigrarunt Iſraëlitæ in Ægyptum, vt per Africam; deportati ſunt iidem in Chaldæam, vt per Aſiam; habitarunt haud pauci ex iisdem Romæ, vt per Europam, odorem verbi diuini diſpergerent. Haud parum quoque momenti ad quærendum Deum Iſraëlis attulit cum bibliorum hebræorum ſub rege Ægypti Ptolemæo Philadelpho verſio græca, tum proſelytorum iuſtitiæ & domicilii multitudo.

*Eccleſiæ noui teſtamenti celebritas vbique* terrarum innotuit. De eccleſiá Chriſti, Romæ collecta, teſtatur gentium Apoſtolus, Rom. I, 8. *Fides veſtra annuntiatur in toto mundo.* Roma erat ſuperſtite Paullo caput multarum gentium, ad quam non tantum ſubiecti, ſed & exteri populi agminatim confluebant. Non poterant igitur, quæ in politicis & ſacris gerebantur Romæ, latere, ſed paſſim locorum diuulgabantur. De eccleſia Theſſalonicenſium ait Paullus, 1 Theſſ. I, 8. *A vobis perſonuit verbum Domini non ſolum in Macedonia & Achaia, ſed etiam in omnem locum fides veſtra ad Deum exiuit.* Theſſalonia mercatu erat celebris, quo ibant & redibant mercatores e locis diſſitis, qui fidem eccleſiæ Theſſalonicenſis remotis populis teſtabantur. Hodie fama de eccleſia chriſtiana tot itineribus, tot nauigationibus in regiones & inſulas remotiſſimas ſuſceptis, vniuerſum terrarum ambitum peruaſit.

### Quæſt. III. *Quotuplex eſt vocatio ſpecialis ad eccleſiam?*

Vocatio *ſpecialis* ad eccleſiam eſt vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. *Illa* fit per prædicationem verbi diuini, miniſtrorum opera a). *Hæc* eſt, quæ fit *vel* immediate a Deo, *vel* per miracula, *vel* per hominem, ordinario docendi munere non fungentem b). *Specialis.*

Prob. a. *Vocatio ordinaria & ſolemnis* fit per prædicationem euangelii, opera miniſtrorum eccleſiæ, publico docendi munere fungentium, per quos homines credunt, 1 Cor. III, 5.

Prob. b. *Extraordinaria vocatio eſt vel immediata, vel mediata. Immediata* eſt, qua Deus ipſe peccatorem ad eccleſiam citra interuentum mediorum vocat. Huiusmodi fuit vocatio Abrahami ex Ur Chaldæorum, ad quem Deus ipſe dixit, Gen. XII, 1. *Abi e terra tua, & a cognatione tua ad terram, quam oſtendam tibi. Mediata* fit *vel* per miracula (ſic magi per ſtellam miraculoſam vocati ſunt ad Chriſtum, Matth. II, 1.); *vel* per homines extraordinarie miſſos (ſic Niniuitæ vocati ſunt per Ionam); *vel* per perſonas, publico docendi officio non admotas: (ita Naaman Syrus per puellam Iſraëliticam ad eccleſiam Iudaicam vocabatur, 2 Reg. V, 7.). Haud raro vſu venit, vt homini gentili a laico chriſtiano legendus proponatur ſacer codex, & is conuertatur: cuius vocatio quidem eſt minus ſolemnis, non tamen inefficax.

Obſ. *Vocatio ſolemnis fit per verbum prædicatum: minus ſolemnis per verbum lectum, vel legibile.*

### Quæſt. IV. *Quotuplex eſt vocatio ad eccleſiam ordinaria?*

Vocatio *ordinaria* eſt vel *ſimplex*, vel *coniuncta*. *Illa* eſt manifeſtatio voluntatis diuinæ & oblatio beneficiorum, merito Chriſti partorum, a contumacibus peccatoribus contemta & reiecta a). *Hæc* eſt inuitatio ad communionem Chriſti cum obſequio inuitatorum coniuncta b). *Diuiſio vocationis ordinariæ.*

 Prob. a.

Digitized by Google

Prob. a. Sæpe numero *Deus expandit manus ſuas ad populum rebellem*, Eſ. LXV, 2. Inuitat multos ad nuptias, filii ſui venire renuentes, Matth. XXII, 3.

Prob. b. Vocatio *coniuncta* a S. Paullo dicitur vocatio κατὰ πρόθεσιν, *ſecundum propoſitum diuinum*, Rom. VIII, 28. cui propoſito homines ſe humillime ſubmittunt & conformant.

Quæſt. V. *Quis nos ad regnum Chriſti vocauit?*

*Cauſſa efficiens vocationis.*

Vocauit nos ad regnnm Chriſti *tota SS. Trinitas* a), peculiariter *Spiritus S.* cui hic actus gratiæ appropriatur b).

Prob. a. Vocatio ad eccleſiam eſt *actio diuina ad extra*, omnibus tribus perſonis deitatis communis. *Vocaſſe* nos dicitur *Deus Pater*, 1 Cor. I, 9: *Fidelis eſt Deus, per quem vocati eſtis ad communionem Filii ſui domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vox, *Deus*, ab Apoſtolo ſumitur ὑποστατικῶς, & notat primam perſonam diuinitatis, ſiue *Deum Patrem;* quippe qui a *Filio Dei* diſerte diſtinguitur. Vocauit itaque Deus Pater nos *ad communionem Filii ſui*, qui eſt *caput eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus implet.* Eph. I, 23. Proinde non habet communionem cum Chriſto, qui non eſt membrum eccleſiæ. Chriſtus ipſe, cum verſaretur viſibiliter in his terris, homines in regnum ſuum vocavit. *Incepit Ieſus prædicare & dicere: Pœniteat vos; appropinquauit enim regnum cælorum*, Matth. IV, 17. Docuit Chriſtus, regnum Meſſiæ a prophetis ſæpe promiſſum nunc appropinquaſſe, non quod in V. T. non fuerit, ſed quod noui teſtamenti tempore peculiariter appropinquauerit: 1) *Ratione regis Meſſiæ in carne exhibiti:* 2) *Ratione acquiſitionis beneficiorum*, in quibus regnum Dei conſiſtit, Rom. XIV, 17. Vtpote quæ erant morte Chriſti iamiam acquirenda: 3) *Ratione anuntiationis clarioris, frequentioris & diffuſioris* regni Dei: 4) *Ratione traductionis in regnum Dei* per verbum euangelii & ſacramenta N. T. Cum autem in cœlum ſubuecturus eſſet Chriſtus, iuſſit *prædicari euangelium omni creaturæ*, Marc. XVI, 15.

Prob. b. Vocatio ad eccleſiam *Spiritui S.* appropriatur. Nam miniſterium verbi, per quod vocamur, dicitur *miniſterium ſpiritus*, 2 Cor. III, 6. *Spiritus S.* loquitur per miniſtros Dei, Matth. X, 20. *Spiritus S.* vocat & ordinat epiſcopos verbum diuinum prædicantes, Act. XX, 28.

Quæſt. VI. *Ecquid permouit Deum, vt homines peccatores ad regnum gratiæ vocaret?*

*Cauſſæ impulſiuæ vocationis.*

*Cauſſa impulſiua interna* gratioſæ vocationis eſt φιλανθρωπία, ſeu miſericordia Dei erga genus humanum, in peccatum prolapſum a). Cauſſa impulſiua *externa* eſt Chriſtus Mediator, qui obedientia ſua actiua & paſſiua ſatisfecit læſæ iuſtitiæ diuinæ, vt hac ſalua Deus noſtram ſalutem intenderit, & ad regnum gratiæ nos vocauerit b). Miſeria autem humana non quidem cauſſaliter impulit Deum ad vocationem gratioſam, ipſi tamen *occaſionem* commiſereſcendi præbuit c).

Prob. a. *Deus vocauit nos vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed iuxta proprium propoſitum, & gratiam datam nobis in Chriſto Ieſu, ante tempora ſæcularia*, 2 Tim. I, 9. Obſ. a) quod Deum ad vocationem noſtri non impulerint opera noſtra, quippe quæ nulla ſunt ante vocationem, regenerationem & fidem. Rom. XIV, 23. Quare vocatio noſtra *plane gratuita* eſt. b) Quod πρόθεσις, ſeu propoſitum Dei, ſit decretum diuinum de ſaluandis hominibus *in Chriſtum credituris.* c) Quod vocati dicamur *ſecundum propoſitum & gratiam,*

Digitized by Google

*gratiam*, ante tempora ſæcularia, nobis datam in Chriſto; quia ita ſe habet temporalis vocatio, & ad ſalutem perductio, quemadmodum æternum Dei propoſitum & æterna ad ſalutem prædeſtinatio; ſed hæc facta eſt ſecundum beneplacitum voluntatis diuinæ miſericordiſſimæ, Eph. I, 5. Ergo & illa. d) Quod *gratia nobis data ſit in Chriſto;* quia ipſius merito eſt innixa, & quidem data eſt ratione *decreti ante tempora ſæcularia*, i. e. ab æterno, cum ante ſeriem temporum nil, niſi mera fuit æternitas.

Prob. b. Niſi Chriſtus mediator Deo, iuſtiſſimo peccatorum iudici & vindici, obedientia ſua actiua & paſſiua vice noſtri præſtita feciſſet ſatis, perinde ac angeli apoſtatæ ad regnum tenebrarum, ſine vlla commiſeratione, deſtinati fuiſſemus; propterea, quod infinita iuſtitia Dei læſa peccatis æternas irrogat pœnas: Quod autem Deus poſt lapſum, ſalua ſua iuſtitia, bene nobis cupiat, ſalutem noſtram promotam velit, atque adeo ad regnum gratiæ nos vocet; id omne debetur ſatisfactioni & merito Chriſti. Docet id Paullus, 2 Cor. V, 19. 20. *Deus erat in Chriſto; mundum reconcilians ſibi ipſi, dum non imputabat illis peccata illorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto itaque legatione fungimur, ita, vt Deus adhortetur per nos: Rogamus pro Chriſto: reconciliamini Deo!* Deus, ſatisfactione Chriſti reconciliatus, in os præconum ſacrorum poſuit verbum reconciliationis, h. e. euangelium, vt, velut legati Chriſti, ab hoc mediatore acquiſitam reconciliationem cum Deo peccatoribus offerant, & eosdem hac oblata reconciliatione ad regnum gratiæ alliciant.

Prob. c. Miſeria noſtra, *proprie* loquendo, *non* eſt *cauſſa externa impellens* Deum ad vocationem noſtri, ſed Deo tantum *occaſionem* præbuit, & obiecit ipſi genus humanum lapſum, vt Obiectum miſerum, erga quod φιλανθρωπίαν exercere non debeat, ſed queat. In homine enim peccatore nulla plane eſt cauſſa impellens. Id quod inculcat ipſe Deus, Ezech. XVI, 5. 6. *Proiecta es ſuper facies agri in faſtidio animæ tuæ, in die, quo nata es. Præteriui vero præter te, vidique conculcatum te in ſanguinibus tuis* (plane immundam & impiam, vt nulla iuſta cauſſa fuerit, vllum te iuuandi conatum excitandi, quin potius ſanguis ille & impuritas, voluntarie ac malitioſe contra meum interdictum ſeuerum contracta, iuſtitiam vindicatiuam te puniendi quaſi inclamauit: Attamen mera φιλανθρωπία motus), *cum in ſanguine tuo*, & punienda potius *eſſes* (ex mera gratia) *dixi tibi: viues*. Conf. D. HVLSEM. in *breu. enucl. cap. VII. §. 4. p. 351.*

Quæſt. VII. *Quo medio Deus nos ad eccleſiam vocat?*

Deus peccatores miſeros ad eccleſiam *directe & ſalutariter* vocat *verbo euangelii* a), ad quod pertinet etiam baptiſmus b). Facit tamen ad vocationem peccatorum aliquid *lex diuina*, ſed non, niſi *indirecte*, *priuatiue & per accidens* c). *Medium vocationis.*

Prob. a. Vocationem actu ſalutarem ab *euangelio* proficiſci, docet Paullus, 2 Theſſ. II, 14. *Deus vocauit vos per euangelium noſtrum ad poſſeſſionem gloriæ domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ex quo euangelium appellatur *euangelium regni Dei*, Marc. I, 4. Quia per illud in regnum Dei introducimur; Vocatur etiam *verbum conciliationis*, 2 Cor. V, 9; quippe quo gratia Dei per Chriſtum reconciliati nobis offertur. Euangelium eſt verbum dulciſſimum, quo ad nuptias ſpirituales inuitamur, Matth. XXII, 4.

Prob. b. *Per baptiſmum ingredimur regnum Dei*, Io. III, 5. E. per baptiſmum ad eccleſiam vocamur. Quoniam autem aquæ baptiſmalis efficacia tribuenda eſt verbo diuino, quod eſt in & cum aqua; ſiquidem baptiſmus eſt *lauacrum in verbo*, Eph. V, 26; ideo aſſerimus,

Digitized by Google

rimus, ſalutarem vocationem ad eccleſiam fieri per euangelicam de gratia Dei, in omnes homines peccatores propenſa, & in merito Chriſti fundata, doctrinam, ſiue illa nude & ſimpliciter proponatur, ſiue lauacro baptiſmi ſtipata, & quaſi veſtita ſit.

Prob. c. *Lex eſt nobis pædagogus ad Chriſtum*, Gal. III, 24. Ducit vero lex inſtar *pædagogi* ad Chriſtum *non directe*, ideo, quod Chriſtum ignorat, & cum in hac imbecillitate naturæ noſtræ poſt lapſum impleri nequeat, iram operatur, Rom. IV, 15; ſed *indirecte & occaſionaliter*, ſicut morbus ad medicum ducit. Etenim lex *largitur ſpiritum ſeruitutis ad timorem ſeruilem*, Rom. IIX, 15. hoc fine, vt deſinamus male agere, quemadmodum ſerui metu flagellorum. Terret & maledicit omnibus, qui non ſeruant omnia eius mandata, Gal. III, 10. At hoc ipſo impedimenta remouet, atque adeo viam ſternit ad acceptandum euangelium. Dum enim lex conſcientiam non ſeruatæ legis arguit; hoc ipſo alium, qui legem perfectiſſime impleuit, nempe Chriſtum, qui eſt perfectio legis, Rom. X, 4. quærendi & inueniendi occaſionem præbet. Scite inquit LVTHERVS, *tom. III. Ien. fol. 29. Lex ad gratiam præparat, dum peccatum reuelat & auget, humilians ſuperbos ad auxilium Chriſti deſiderandum.* Et *Apologia* A. C. ait, p. 170. *Ideo per legem terret Deus, vt ſit locus conſolationi & viuificationi; quia ſecura corda, & non ſentientia iram Dei, faſtidiunt conſolationem.*

Quæſt. VIII. *Per quos miniſtros Deus nos ad eccleſiam vocat?*

*Cauſſa miniſterialis vocationis.*

Deus homines peccatores ad regnum Chriſti *ordinarie* vocat *per præcones verbi diuini*, publico docendi muneri rite admotos a). *Extra ordinem* autem vocatio illa interdum *per alios* peragitur b).

Prob. a. Præcones ſacri ſunt *legati Chriſti*, *per quos* peccatoribus *reconciliatio cum Deo offertur*, 2 Cor. V, 20.; quorum miniſterio homines ad ſuſcipiendam fidem adducuntur, 1 Cor. 3, 5. Sunt *ſerui* illi, *per quos conuiuæ ad ſpirituales nuptias Filii Dei inuitantur*, Matth. XXII, 3.

Prob. b. Naaman Syrus per puellam Iſraëliticam ad eccleſiam Iudaicam vocabatur, 2 Reg. V, 7.

Quæſt. IX. *Quis eſt terminus vocationis a quo & ad quem?*

*Terminus a quo & ad quem vocationis.*

Terminus *a quo* eſt ſtatus peccati & profundiſſimæ miſeriæ, in quo viuunt homines extra regnum Chriſti conſtituti a). Terminus *ad quem* eſt eccleſia b).

Prob. a. Homines, extra eccleſiam agentes, ſunt *expertes ſpei & athei*, Eph. II, 12. Seruiunt iis, qui natura dii non ſunt, Gal. IV, 8. Sunt *ſub poteſtate tenebrarum*, Coll. I, 13. & *ſedent in tenebris atque vmbra mortis*, Luc. I, 79.

Prob. b. Terminus *ad quem* vocationis eſt eccleſia, domus Dei viuentis, regnum Chriſti & officina Spiritus S., in qua fideles cum capite Chriſto & reliquis membris ſpiritualem habent communionem. Hunc ſalutaris vocationis terminum *ad quem* S. Scriptura paſſim locorum indicat. Deus *vocauit vos* (inquit Paullus) *in ſuum regnum* (gratiæ) *& gloriam*, 1 Theſſ. II, 12. *Deus nos eripuit e poteſtate tenebrarum & transtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ*, Col. I, 13. *Vocati eſtis, vt ſitis in vno corpore*, (eccleſia) Coll. III, 15. *Vocati eſtis in communionem Filii Dei, Ieſu Chriſti, Domini noſtri*, 1 Cor. I, 9. In hac eccleſia docemur, & iterata verbi annuntiatione erudimur ad ſalutem, 2 Tim. III, 15. Gal. I, 6. 9.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. X. *In quo formaliter conſiſtit gratioſa vocatio ad eccleſiam?*

Vocatio gratioſa & ſalutaris *formaliter* conſiſtit in *manifeſtatione* beneuolentiæ Dei vniuerſalis, & *oblatione* beneficiorum, merito Chriſti nobis partorum, per prædicationem euangelii. *Formale vocationis gratioſæ.*

Prob. S. Paullus, 1 Tim. II, 4. 5. 6. beneuolentiam Dei Patris, redemtionem Ieſu Chriſti vniuerſalem & præconium euangelii connectit, vt homines omnes ad eccleſiam adducti gratia Dei & merito Chriſti fruantur. Verba Apoſtoli ſunt: *Deus vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus eſt, vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſeipſum* in *pretium redemtionis,* in *teſtimonium propriorum temporum. Teſtimonium propriorum temporum* eſt præconium euangelii, quippe quod eſt teſtimonium Spiritus S. de Chriſto mediatore in eccleſia per miniſterium verbi reſonans, Io. XV, 26. 27. Dicitur teſtimonium *propriorum temporum;* quia Apoſtoli & eorum ſucceſſores ſuis temporibus teſtari debuerunt, quod Chriſtus *iam ſe tradiderit* pro nobis in pretium redemtionis, quum in V. T. Prophetæ teſtati ſint, quod *ſe traditurus ſit.* Quam ob rem ex intentione Dei omnes homines per præconium euangelii conuocandi ſunt ad vnum regnum gratiæ, vt ipſis innoteſcat beneuolentia Dei Patris, de ſaluandis omnibus hominibus, per Chriſtum mediatorem catholicum.

Quæſt. XI. *An Deus vult, vt vocatio ad regnum gratiæ ad omnes homines pertingat?*

Sicut Deus *omnium* hominum *intendit ſalutem*: ita etiam vult, vt *omnes ad eccleſiam vocentur* a). Quod autem multi populi ſalutari vocatione deſtituantur, illud contingit ipſorum culpa, non deſtinata voluntate aut conſilio Dei, prædicationem verbi ipſis abſolute denegantis b).

Obſ. Quando *vocationem* ad regnum Dei *vniuerſalem* aſſerimus, *non* hoc dicimus, quod omnibus & ſingulis hominibus *actu, coram & immediate*, per præcones, peculiariter miſſos, annuntiata ſit doctrina euangelii; *ſed* quod Deus miſericordiſſimus doctrinam euangelicam de obtinenda ſalute per fidem in Chriſtum *tam clare* promulgauerit, vt omnes omnino homines ad eius notitiam peruenire poſſint, ita, vt Deus *nulli* genti, *nulli* homini copiam illius doctrinæ, ac viam, qua in notitiam ipſius pertingere queat, *abſoluto decreto* denegauerit.

Prob. a. aſſertionem noſtram 1) ex declaratione beneuolentiæ diuinæ vniuerſalis, de qua Paullus, 1 Tim. II, 4. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* & Petrus, 2 ep. III, 9. *Non vult Dominus vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti,* conf. Ezech. XXXIII, 11. E quibus colligimus: Quicunque cupidine ſaluandi, illuminandi, & conuertendi omnes homines accenſus eſt, ille nulli homini deſtinata voluntate prædicationem euangelii denegat: Atqui Deus miſericordiſſimus &c. E. *Maior* patet: quia qui vult finem, vult etiam medium ad obtinendum finem neceſſarium. Sed prædicatio euangelii eſt neceſſaria ad illuminationem &c.

2) Vocatio vniuerſalis, ſolemnis & actualis tribus diſtinctis contigit vicibus: a) *Prima vocatio facta eſt in Adamo, & per Adamum,* poſt lapſum, qui euangelium de ſemine mulieris, contrituro caput ſerpentis, ſiue euangelium de Chriſto, quod a Deo acceperat, dubio procul non minus Caino, quam Setho inculcauit. Sicut autem huius euangelii notitiam Sethus propagauit ad ſuam poſteritatem, vsque ad Noachum: ita eandem Cainus ad ſuos poſteros potuiſſet tranſmittere. Quod autem Cainus eandem ad poſteritatem ſuam non tranſmiſit, in cauſſa fuit ipſius & poſterorum eius impietas, verbique diuini contemtus.



Digitized by Google

b) *Secunda vocatio vniuerſalis facta eſt poſt diluuium in Noacho, altero Adamo, & per Noachum*, quippe *qui erat præco iuſtitiæ*, 2 Petr. II, 5. *& factus eſt hæres iuſtitiæ, quæ iuxta fidem eſt*, Hebr. XI, 7. Prædicauit ergo Noachus filiis ſuis, eorumque poſteris, iuſtitiam per fidem in Chriſtum: Qui quamdiu vnius linguæ & labii vſu coniuncti manſerunt, Noachi, Semi aliorumque inſtitutione imbuti ſunt, vsque ad tempus, quo diuinitus immiſſa linguarum confuſione diſperſi ſunt, a quibus poſt diſperſionem in varias orbis partes vocatio ad omnes illorum poſteros propagari poterat. c) *Tertia vocatio vniuerſalis contigit tempore Apoſtolorum*, qui miſſi ſunt a Chriſto ad docendum omnes gentes, Matth. XXVIII, 19. ad eundum in mundum vniuerſum & prædicandum euangelium omni creaturæ, teſte Paullo, Col. I, 23. *Euangelium prædicatum eſt omni creaturæ, quæ eſt ſub cœlo.* Ex quo colligimus: Quicunque viuunt ſub cœlo, illis euangelium eſt prædicatum: Omnes & ſinguli homines viuunt ſub cœlo: E. neque ſilentio prætereundum eſt teſtimonium Paullinum, quod habetur, Rom. X, 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ habitabilis verba eorum.* Conf. Pſ. XIX, 5. Ex quo argumentamur: Quam late ſe extendit linea cœli, tam late percrebuit ſonus euangelii: Atqui linea cœli per totum mundum ſe extendit: E. per totum mundum ſonus euangelii percrebuit. Scite ait AMBROSIVS, in *cap. X. Rom. Vbique audita eſt, & peruenit in omnem locum prædicatio nominis Chriſti. Vbi enim præſentia hominis prædicantis defuit, ſonus tamen & fama peruenit.* Argute etiam inquit noſter DANNHAVERVS: *Quo non venit pes apoſtolorum, eo ſaltem ſonus apoſtolicus, vel epiſtola apoſtolica penetrauit.*

3) Quamuis extra iam recenſitas temporum periodos, vniuerſalis, ſolemnis & actualis verbi diuini prædicatio non ſemper & vbique omnibus gentibus obtigerit; nulli tamen genti Deus vniuerſalem vocationem penitus denegauit, nulli homini aditum ad eccleſiam inuidit. Plurimos enim populos Deus vocat a) *per vocationem minus ſolemnem*, quæ fit per verbum diuinum lectum, vel legibile, quod transportatur in regiones diſſitas, vel per Iudæos, legis diuinæ baiulos, vel per Chriſtianos, tam legis, quam euangelii cuſtodes & nuntios, toto terrarum orbe diſperſos. b) *Per famam de eccleſia longe lateque diffuſam.* Eccleſia enim dicitur *catholica*, non quaſi vbiuis locorum ſit illuſtris cœtus credentium in Chriſtum, ſed quia paſſis ſemper manibus omnes gentes ad ſe inuitat, nullum populum, nullum hominem a ſuo conſortio excludit. c) *Per documenta beneficentiæ diuinæ, in regno naturæ vbique obuia.* Sunt enim beneficia diuina præconia pædagogica, & quaſi quædam tubicinia, ad aulam Dei vniuerſos homines inuitantia, vbi demum myſteria euangelica panduntur. d) *Per efficacem impulſum Dei*, quo exſuſcitantur concluſiones practicæ, & ſtimulantur conſcientiæ ad inquirendum verum Dei cultum & cœtum, in quo ille viget.

Prob. b. Quod gentes olim, & hodie multi populi prædicatione verbi deſtituuntur, illorum ſit culpa, non deſtinata voluntate, aut conſilio Dei, lucem euangelii ſimpliciter denegantis. Nam 1) illi populi verbum diuinum contemnunt & malitioſe reiiciunt. Id quod diſcimus e verbis Paulli, Act. XIII, 46. *Vobis erat neceſſe primo dici verbum Dei: Quoniam vero repellitis illud, & non dignos iudicatis vos ipſos vita æterna, ecce vertimus nos ad gentes!* Et e comminatione Dei iuſtiſſimi, Amos VIII, 11. *Ecce! dies venturi ſunt, dictum Adonai Iehouah, quibus immittam famem in terram: Non famem ad panem, aut ſitim ad aquas; ſed ad audiendum verbum Iehouæ:* Atque ex parabola Chriſti, Matth. XXII, 2. Luc. XIV, 16. de homine, emiſſis miniſtris, ad cœnam conuiuas inuitante, ſed ſucceſſu exiguo. Vnde Chriſtus parabolam ita concludit, v. 24. *Dico vobis, quod nemo virorum iſtorum, qui vocati fuerunt, guſtaturus ſit cœnam meam.* 2) Vocationem & notitiam de Chriſtianorum dogmatibus ac cærimoniis in genere, per famam, quæ hodie vniuerſalis eſt, neglexerunt.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi enim fama diuulgata de ſapientia Salomonis allexit reginam Arabiæ, ad diſtincte cognoſcendum Salomonem; quidni fama ſparſa de Chriſto & ipſius regno alliceret ad cognoſcendum Chriſtum? Conf. 1 Reg. X, 1. & Matth. XII, 42. 3) Vocationem *pædagogicam*, obiectam per propoſitionem regiminis & beneficentiæ diuinæ, & *effectiuam*, per exſuſcitationem concluſionum practicarum & iniectos conſcientiæ ſtimulos, non traduxerunt ad vſum, ſcilicet ad inquirendum verum Dei cultum & cœtum, in quo ille viget. Quamobrem vocatione *ſalutari*, quæ per prædicationem euangelii fit, ſua ſe culpa priuarunt. Docet hoc Paullus, Rom. I, 18. 19. *Reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, qui veritatem in iniuſtitia detinent. Propterea, quod* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, *quod cognoſci poteſt de Deo, manifeſtum eſt in ipſis: Deus enim ipſis manifeſtauit. Nam inuiſibilia ipſius a creatione mundi operibus intellecta perſpiciuntur, æternaque ipſius potentia & deitas, adeo, vt ſint illi inexcuſabiles: propterea, quod cum cognoſcerent Deum, non, vt Deum, glorificauerunt.*

*Antitheſis* eſt *Bellarmini*, *Cornelii Ianſenii*, *Bezæ*, & aliorum, ſtatuentium, euangelium nondum in toto mundo eſſe prædicatum, adeoque vocationem ad eccleſiam non eſſe vniuerſalem. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Vocati ſunt ad eccleſiam *multi*, Matth. XX, 16. c. XXII, 14. E. non omnes. Reſp. Inter *multos*, & *omnes*, non eſt formalis oppoſitio: Quia omnes etiam ſunt multi, v. gr. Deus condidit ſtellas omnes, easque bene multas. *Per vnius hominis inobedientiam multi ſunt facti peccatores*, Rom. V, 18.; qui certe ſunt *omnes*. Confer. Rom. V, 12 *).

II. Temporibus V. T. vocatio ad regnum Dei non fuit vniuerſalis, teſte hieropſalte, Pſ. CXLVII, 19. *Reuelauit Deus ſua ſtatuta Iſraeli, non ſic fecit reliquis nationibus.* Reſp. 1) Temporibus *Adami & Noachi* contigiſſe vocationem *vniuerſalem & actualem*, ſupra oſtendimus. 2) Pſaltes regius *non abſolute* gentibus ſub V. T. omnem vocationem per vocem conſcientiæ, naturæ, famæ, lectionis, denegat; ſed *comparate* iis denegat vocationem *ſolemnem & actualem* per prædicationem verbi diuini, qui gradus comparationis particula כֵן *ſic* innuitur, q. d. Deus non tam clare & diſtincte tempore V. T. ſtatuta ſua reuelauit gentibus, quam Iſraëlitis. Inuitauit Deus tempore V. T. etiam gentes. *Reſpicite ad me, vt ſaluemini omnes fines terræ*, Eſ. XLV, 22. Pſ. XCVI, 3. Multi gentiles, abiecta idololatria, nomina ſua vero Deo profeſſi ſunt, ex quorum numero ſunt Iob Idumæus, Iethro Midianita, Vrias Hethita, Rachab Cananæa, Ruth Moabitis, Regina Sabæa, Naaman Syrus, Niniuitæ Aſſyrii, Nabuchodonoſor, Darius, Cyrus & alii. Hieroſolymæ erant habitantes viri εὐλαβεῖς ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, Act. II, 5.

III. Deus *ſiuit* præteritis ætatibus *gentes ire vias ſuas*, Act. XIV, 16. E. Deus præteritis ætatibus gentes non vocauit ad eccleſiam. Reſp. Loquuntur Apoſtoli de *voluntate Dei*

Kkk kk 2 non

*) Vid. adnotata ad Cap. III. quæſt. 79. pag. 744. Præter ea iuuabit hæc ponderaſſe: 1) Pauca ſunt loca, in quibus *multi* dicuntur vocati. Longe plura exſtant dicta huiusmodi, quæ *omnibus* paratam ſalutem nuntiant. Valet autem hæc regula: Non plura dicta ex paucioribus ac difficilioribus, ſed pauca ex pluribus atque intellectu facilioribus ſunt explicanda. 2) *Reformatorum* opinione, non plures ſunt ſeria atque efficaci Dei voluntate vocati, quam electi. At enim vero his in locis *multi* dicuntur *vocati*, *pauci electi*. E. vocatio latius patet, quam electio. 3) *Pauci electi* diſerte *comprehenduntur numero multorum*, qui ſunt *vocati*. E. *eadem* vocatio, quam illi ſibi oblatam grato animo acceperunt, reliquis *itidem* oblata fuit, ſed ab his ingratis repudiata. Suæ igitur cauſæ magis deſunt, quam conſulunt Reformati, cum ad huiusmodi loca prouocant.

Digitized by Google

non antecedente, ſed *conſequente*, quia Deus iuſto iudicio gentes, præfracte impias, tradidit in ſenſum reprobum, Rom. I, 28. qui gentiles ſua ſe culpa ſalutari vocatione priuarunt. Neque tamen Deus gentiles ſine omni face, ſine omni teſtimonio beneficentiæ diuinæ ire ſiuit; quia Deus ſe nunquam reliquit ἀναμάρτυρον, i. e. inteſtatum, Act. XIV, 17.

IV. Tempora V. T. dicuntur *tempora ignorantiæ*, Act. XVII, 30. E. tempore V. T. beneuolentia Dei vniuerſalis, & beneficia a Chriſto acquiſita, non fuerunt cognita. Reſp. Tempora V. T. dicuntur tempora ignorantiæ *comparate*, & certo reſpectu; quia euangelium de Chriſto temporibus V. T. neque *tam clare* propoſitum, neque *tam late* diffuſum fuit, quam temporibus N. T.

V. Euangelium *prioribus ſæculis* dicitur *tacitum*, i. e. non reuelatum, Rom. XVI, 25. Reſp. Verba textus apoſtolici ſunt: *Deus ſtabilire vos poteſt ſecundum euangelium meum & prædicationem Ieſu Chriſti, iuxta reuelationem myſterii, temporibus æternis taciti, reuelati vero nunc per ſcripturas propheticas. Doctrina de Chriſto eſt* μυςήριον, quia rationi eſt ignota. Hæc doctrina de Chriſto, *quantum ad ſubſtantiam*, eſt propoſita in vet. teſtamento: dicitur enim myſterium *reuelatum per ſcripturas propheticas*. Sed *Ieſum Nazarenum, Mariæ filium, eſſe Meſſiam promiſſum*, eſt myſterium *prioribus temporibus tacitum*, in quo myſterio illuſtrando totum occupatur *nouum teſtamentum*. Dicitur itaque euangelium myſterium longiſſimo tempore tacitum: a) ratione *impletionis*; quia, quod in V. T. promiſſum erat, in N. T. impletum eſt, Chriſto in carne exhibito: b) ratione *clarioris reuelationis*; quia in N. T. reuelatum eſt, Ieſum Nazarenum, Mariæ filium, eſſe Chriſtum, quod non conſtat ex V. T: c) ratione *amplioris promulgationis*; quia euangelium in N. T. latius propagatum eſt, quam in V. T.

VI. *Quis credit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Eſ. LIII, 1. Vbi Propheta negat, brachium Domini omnibus reuelatum eſſe. Sed ſi brachium Domini, (i. e. virtus Chriſti in redimendo genere humano) non omnibus reuelatum eſt; fruſtra aſſeritur vocatio vniuerſalis. Reſp. *Non ſimpliciter* negat Propheta reuelationem brachii Domini vniverſalem; ſed reſpiciens tempora N. T. docet, quod pauci ex Iudæis in Chriſtum ſint credituri, & quod maxima ipſorum pars per ἀπιςίαν reiectura ſit beneficium Domini, ac ſi ipſis reuelatum non eſſet, vt ſenſus ſit: Quis veſtrum (paucis paſſiue obſequioſis exceptis) ex prædicatione verbi diuini viuam fidem haurit, cum plerique illud obſtinate repellant, & cœci maneant, perinde, ac ſi euangelium de Chriſto ipſis non eſſet reuelatum. Negat itaque Propheta, *reuelationem iu omnibus intentum vel optatum ſortiri effectum*

VII. Quod temporibus noui teſtamenti non homines vocati ſint ad regnum Chriſti, probatum eunt ex Matth. X, 5. *Nolite abire in vias gentium.* Reſp. Diſt. inter *vocationem denegatam, & dilatam, ſiue retardatam.* Vocatio gentium ad tempus *differebatur*, propterea, quod verbum diuinum primum inculcandum erat Iudæis, qui cum reiicerent oblatum verbum, deſerebantur, & fiebat tranſitus ad gentes, Act. XIII, 46. Vocabantur interim gentiles *obiectiue*, per documenta beneficentiæ; *effectiue*, per ſtimulos conſcientiæ; *confuſe*, per famam de eccleſia Iſraëlitica, donec diſtincta & proxime ſalutaris vocatio per prædicationem euangelii de Chriſto ſtatuto tempore ſequebatur.

VIII. Paullus & Timotheus *vetiti ſunt a Spiritu S. verbum loqui in Aſia & Bithynia* Act. XVI, 7. E. noluit Spiritus S. omnes ad regnum Chriſti vocari. Reſp. Diſt. *inter diverſa tempora, ſiue inter diuerſas horas, & moras Dei.* Licet eodem temporis articulo, quo volebant viri apoſtolici commigrare in Bithyniam, prohiberentur a Spiritu Sancto; quoniam

Digitized by Google

quoniam hic lumine omniſcientiæ præuidebat, verbum prædicandum id temporis plus vtilitatis in Macedonia allaturum eſſe: poſtea tamen in Aſia & Bithynia euangelium prædicatum eſſe, colligere licet ex 1 Petr. I, 1. Apoc. I, 11.

IX. Quod non omnes ad eccleſiam vocati ſint, probare nituntur ex 1 Cor. I, 26. *Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi nobiles, neque potentes vocati ſunt.* Confer. Rom. VIII, 30. vbi *vocati* dicuntur *iuſtificati.* Sed non omnes ſunt iuſtificati. E. nec omnes vocati. Reſp. Vtrobique intelligitur *vocatio coniuncta cum auditorum obſequio & ſalutari effectu,* quæ appellatur vocatio κατὰ πρόθεσιν, v. 28. Sunt autem *vocati ſecundum propoſitum,* qui efficaciam vocationis paſſiue admittunt, & ſe eidem humillimo obſequio ſubiiciunt. Quod dum non faciunt ſapientes ſecundum carnem, nobiles & potentes, ſalutarem vocationis effectum non conſequuntur.

X. Quæcunque vocatio eſt libera, illa non eſt vniuerſalis: Atqui vocatio hominum peccatorum ad eccleſiam eſt libera: E. non eſt vniuerſalis. *Maior* conſtat; Quia vocatio *vniuerſalis* dicitur, qua omnes homines omni tempore & omnibus locis viuentes vocantur. Sed vocatio *libera* dicitur, quæ pro liberrima Dei diſpoſitione poteſt conſummari & omitti, poteſt fieri iam hoc, iam alio loco, iam hoc, iam alio temporis articulo. *Minor* probatur: quia gratia Spiritus S. vocans comparatur cum vento, qui vbi vult, ſpirat, Io. III, 8. Reſp. 1) Vocatio *vniuerſalis* dextre intelligenda eſt. Non ſtatuimus, quod Deus per miſſos præcones euangelii ſemper & vbique omnes homines *actu, coram & immediate* vocauerit, ſed quod tribus temporum periodis, ſcil. tempore Adami, Noachi, & Apoſtolorum, omnibus hominibus doctrinam euangelii tam clare ac ſolemniter notificauerit, vt omnes homines, qui ad veram ſcrutandam religionem obligati ſunt, ad ſalutarem eiusdem notitiam pertingere potuiſſent, & quod Deus nulli genti, nulli homini doctrinam euangelicam *abſoluto decreto* denegauerit. 2) *Vniuerſalitati* gratiæ vocantis non repugnat eius *libertas.* Nam *vniuerſalis* eſt hæc gratia vocans, *ratione intentionis diuinæ,* qua Deus *omnibus hominibus fidem offert,* Act. XVII, 31.; *libera autem eſt, ratione exſecutionis.* Vocatio enim actualis libera eſt, quoad circumſtantias modi, loci, temporis, horæ, moræ, metæ. Conf. D. DANNHAV. *H. C. p. 1938.* 3) Io. III, 8. non agitur de vocatione ad eccleſiam, ſed de incomprehenſibili ratione regenerationis ſpiritualis.

XI. Apoſtoli non potuerunt ad extremas orientis, occidentis, meridiei, & ſeptentrionis prouincias, inſulasque diſſitas intra exiguum vitæ decurſum, in tanta rei nauticæ ignorantia penetrare, & vbique euangelium prædicare. Reſp. Apoſtolis fuerunt cooperarii multi viri apoſtolici, qui & viua voce, & litteris ſcriptis, & illuſtri religionis chriſtianæ fama terrarum orbem impleuerunt. Id quod docent hiſtoriæ & annales, martyria omnium nationum, concilia epiſcoporum ex Europa, Aſia & Africa conuocatorum. Quando igitur dicimus, euangelium eſſe prædicatum in vniuerſo orbe, docemus & credimus, quod Apoſtolorum tempore euangelium ita prædicatum ſit omnibus hominibus, vt ſinguli habuerint vel *vocem* Apoſtolorum, vel *famam* proximam, & quod poſt Apoſtolorum tempora ii, qui antea tantum habuerunt famam, habuerint deinde prædicationem conſummatam. Conf. D. IOANN. ADAM OSIANDDER in *colleg. ſyſtem. loc. X. pag. 215.*

XII. Experientia docuit, multas gentes in China, Iaponia, America nullam habuiſſe prædicati euangelii notitiam. E. iisdem euangelium non eſt prædicatum. Reſp. 1) Gentes illæ theſaurum euangelii acceptum incuria ſua potuerunt amittere. 2) Deprehenſa eſſe veſtigia religionis Chriſtianæ apud Indos, commemorat OSORIVS, apud Chinenſes, refert GONZAGES de MENDOZA, apud Americanos, teſtatur IOANNES LERIVS. Vid. IOANN. ADAM OSIANDER *l. c. p. 212.*



Digitized by Google

XIII. Multæ myriades infantum gentilium in tenerrimo infantiæ flore cita morte rapiuntur, quæ nunquam ad eccleſiam vocatæ ſunt: E. vocatio eſt particularis. Reſp. Infantes gentilium vocati ſunt in maioribus, quibus olim verbum diuinum prædicatum & ſacramenta conceſſa fuerunt, vt hæc media ſancte cuſtodirent & ad poſteros propagarent. Sicut enim recte dicuntur creati ad imaginem Dei in Adamo; ita & vocati ſunt ad ſalutem in parentibus. Et ſicut omnes infantes priuatione imaginis Dei, ob transgreſſionem Adæ, iuſte puniuntur: ita & priuatione mediorum, ob ingratitudinem parentum *). Immatura autem morte, antequam in verum Dei cultum inquirere poſſint, exſtinguuntur, ideo, quod omniſcius præuidit, ipſos ſi adoleuiſſent, media ſalutis non accepturos, ſed perinde, ac olim parentes, contumaciter reiecturos fuiſſe.

Inſtantia: *Filius non portabit iniquitatem patris*, Ezech. XVIII, 20. Cur igitur poſteris denegatur verbum, quod maiores contemſerunt? Reſp. Filius non portabit peccata patris, ſi non conſenſerit in peccata patris; quorum ſi ſe facit participem, etiam particeps fit pœnæ. Præſciuit autem Deus infantum gentilium futuram contumaciam, ſi diutius in vivis fuiſſent, ferociæ parentum parem.

Quæſt. 12. *Eſtne vocatio Dei per verbum euangelii ad ſalutem ſufficiens?*

Vocatio Dei, *per verbum euangelii* prædicatum & lectum, ad ſalutem *ſufficiens* eſt.

Obſ. Sermo nobis eſt de vocatione *ſpeciali* per *euangelium;* ſiue illa ſit *ſolemnis*, per euangelium prædicatum, ſiue *minus ſolemnis*, per euangelium lectum, aut legibile. Ceterum vocatio *generalis* & *pædagogica*, per conſcientiam & prouidentiam in regno naturæ diſpenſata, ſufficiens eſt ad inquirendum verum Dei cultum & ad indagandam eccleſiam; vocatio autem *confuſa*, per famam de eccleſia diuulgata, ſufficit ad comparandam notitiam infirmam & languidam de dogmatibus & cærimoniis eccleſiæ. Prob.

*) Sed intercedit gratia Chriſti, Sponſoris ac Liberatoris, cuius promerita, quum ad omnes pertineant homines, certe tribuenda ſunt illis quoque infantibus, qui nec vſu rationis gaudent, nec vocationem ſpecialem negligunt contemnuntue, ac ne vllam quidem vocationem generalem, vel pædagogicam percipere poſſunt. Nam 1) non priuatio, ſed contemtio damnat: 2) Vbi media ordinaria nullo modo poſſunt adhiberi, quod non de adultis extra eccleſiam, ſed de infantibus adfirmandum eſt, ibi extraordinaria quædam Dei gratia, propter vim meriti Chriſti ſtatuenda eſt. 3) Si adplicatio ſalutis nullo modo, per extraordinariam quamdam gratiam illis contingeret, cum ordinario medio prorſus careant: negandum omnino foret, quod etiam adquiſitio ſalutis ad illos pertineat, & Chriſtus pro illis mortem oppetierit. 4) Noſtrates omnes in eo conſentiunt: neceſſitatem ſacræ lauationis ad ſalutem ordinarie quidem ſummam eſſe, Io. III, 5.: nec vero ſimpliciter ac ſine vlla exceptione, ſed excipiendum eſſe caſum contrariæ neceſſitatis, & quidem extremæ, ſi nullo modo fieri queat, vt quis ſanctiſſimi huius lauacri fiat particeps. Exemplo eſt latro moriens, in cruce, conuerſus ſolo verbo audito. Extremæ autem huius neceſſitatis omnino tres ſunt modi: α) Si aqua deficiat, Act. VIII, 36.: β) Si nullus adſit miniſter, neque ordinarius, neque extra ordinem adhibendus, hic enim ſi præſens ſit, illo abſente, & periculum ſit in mora, eſt quidem *neceſſitas* (vnde dicitur Nothtaufe), nondum vero *extrema* neceſſitas, vt homo non poſſit non carere tanto beneficio: γ) Si homo ſacris initiandus, nec ipſe poſſit βάπτισμα quærere atque expetere, propter defectum vſus rationis, nec ab aliis ad illud admittatur. Atqui, quod ad infantes profanarum gentium attinet, accidit illis extrema neceſſitas, & eius quidem modus, tum ſecundus, tum tertius: Præſidio, quo potiſſimum fulta eſt contraria Theologorum quorundam ſententia, hoc opponimus; Si aut ingratus parentum animus, aut præuiſa liberorum contumacia, eſſet cauſſa damnationis ac denegatæ iis gratiæ ſalutaris: conſequens eſſet, vt infantes aut *ſoli* illi, & *tantum* propter delicta parentum tanta pœna adficerentur,

Digitized by Google

Prob. 1) Quia *per euangelium manifeſtatur omne conſilium Dei de noſtra ſalute.* Act. XX, 26.

2) Quia *quos Deus, vocauit, hos* (vocationem paſſiue admittentes) *iuſtificauit, quos iuſtificauit, hos glorificauit.* Rom. VIII, 30. Ergo vocatio ad ſalutem ſufficit.

Quæſt. XIII. *Eſtne vocatio vniuerſalis omnium hominum ſeria & efficax?*

Vocatio Dei vniuerſalis omnium hominum ad regnum Chriſti adeo *ſeria* eſt, vt non tantum ſigno & præcepto manifeſtetur, ſed etiam ex intimo beneplacito diuino oriatur, omniumque hominum ſalutarem illuminationem & conuerſionem ſerio intendat a). Eadem eſt *efficax*, quia omnes homines per efficacia media ad regnum gratiæ & gloriæ vult adductos b).

Prob. a. *Seria* eſt vocatio vniuerſalis omnium hominum ad regnum Chriſti: Quia 1) oritur ex voluntate Dei, hominum ſalutis cupida, 1 Tim. II, 4. 2 Petr. III, 9.

2) Quia fundatur in merito Chriſti, 2 Cor. V, 19. & firmatur iuramento diuino, Ezech. XXIII, 11.

3) *Quemadmodum gallina ſerio affectu pullos ſuos congregat ſub alas ſuas:* Ita Deus ſincere vult nos congregare in vna eccleſia, Matth. XXIII, 37.

4) *Deus vocauit nos a tenebris ad mirabilem lucem,* 1 Petr. II, 9. *& præcipit omnibus vbique, vt reſipiſcant,* Act. XVII, 30. E. omnium illuminationem & conuerſionem, quos vocauit, intendit.

5) Quam ob rem Deus etiam culpam, cur impii, licet vocati, non conuertantur, non in ſe, ſed in illis reſidere, diſertis verbis teſtatur, Prou. I, 24. *Vocaui, & renuiſtis.* Eſ. LXV, 2. *Expandi manus meas toto die ad populum rebellem.*

Prob. b. *Efficax* eſt vocatio diuina: 1) Quia Deus omnium hominum adductionem ad regnum gratiæ & gloriæ per efficacia media ſerio intendit. Vocantur enim homines a Deo per euangelium, quod eſt *Spiritus & vita,* Io. VI, 63. i. e. Spiritu viuificante animatum: Ex quo communiter vocatur *vehiculum Spiritus S.:*

2) Quia verbum diuinum eam efficaciam illuminandi, conuertendi, regenerandi, quam Spiritus S. habet independenter & per eſſentiam, habet dependenter & per participationem. Vnde dicitur *potentia Dei ad ſalute momni credenti,* Rom. I, 16. Infantes introducuntur in regnum Chriſti per baptiſmum, qui eſt lauacrum regenerationis & renouationis, Tit. III, 5.

Dicis: I. Vocatio *interna* per gratiam Spiritus S., operantis in cordibus electorum, eſt quidem efficax: At vocatio *externa*, quæ fit per miniſterium verbi, non eſt ſemper efficax in reprobis. Reſp. Si per vocationem *externam* intelligatur ea, qua Deus verbo prædicato, tanquam

rentur (peccatum enim hæreditarium commune illi habent cum his infantibus, qui chriſtianis parentibus orti ſunt), nec meriti Sponſoris omnium communis vllo modo eſſent participes; aut *omnes* etiam *alii*, quos Deus pariter præuidit, obſtinatos fore, atque improborum maiorum æmulos, eamdem ob cauſſam, præmatura morte exſtinguendi eſſent. Poſterius eſt falſum, atque experientiæ contrarium. Prius durum mihi videtur. Non ſimpliciter de gratia ſalutari, in vniuerſum ſpectata, ſed comparate & certa quadam ratione, nimirum de *ordinario modo*, quo ſuam Deus gratiam in homines confert, intelligenda ſunt hæc verba, in noſtra *Apolog Aug. Conf.* p. 156. *Promiſſio ſalutis pertinet etiam ad paruulos: Neque vero pertinet ad illos* (paruulos), *qui ſunt extra eccleſiam Chriſti, vbi nec verbum, nec ſacramenta ſunt; quia regnum Chriſti tantum cum verbo & ſacramentis exſiſtit.* Vid. B. IO. HVLSEMANNI *prælect.* in F. C. p. 370. & B. CARPZOVII *Iſag. in Libros Symb. p.* 156. ſeqq.

Digitized by Google

tanquam voluntatis ſigno, præcipit reſipiſcere & credere, *ſine interno propoſito* conferendi ſufficientes ad reſipiſcentiam & fidem concipiendam vires; diſtinctio vocationis in *internam* & *externam* non admittenda, aut toleranda eſt. Repugnat enim a) *veracitati diuinæ*. Nam ſi Deus verbo externo vocaret ad regnum gratiæ hominem, qui ſua culpa reprobus eſt, ſine interno propoſito, eum trahendi & adducendi ad illud regnum; aliud verbo externo ſignificaret, aliud interno propoſito decreuiſſet, quod a Deo veraciſſimo longe alieniſſimum eſt. b) Repugnat *bonitati diuinæ*. Si enim Deus id homini præciperet, quod fieri ab ipſo nollet, & ne fiat, gratiam efficacem denegaret, non ſumme bonus eſſet, ſed illuderet homini: ſicut omnium iudicio princeps ei illuderet, cui ſub pœna mortis præciperet aliquid, quod ab eo fieri nollet, & cui, ne fieri per eum poſſet, media ſatis valida ſubtraheret. Si Chriſtus dixiſſet paralytico: Tolle grabbatum tuum & ambula, Matth. IX, 6. neque tamen vires ſurgendi ei largiri voluiſſet, paralytico illuſiſſet. c) Repugnat *ſapientiæ diuinæ*. Non eſt ſapientis, offerre media homini, opis indigo, ex defectu auxilii ſui vana & inutilia. Si Deus in principio creationis dixiſſet creaturis: Creſcite & multiplicamini, neque tamen vim generatiuam ipſis indidiſſet, illud mandatum fuiſſet irritum, atque adeo a ſapientia diuina alienum.

Dicis: II. Vocatione *externa* reprobi vocantur: a) vt ſui officii admoneantur, b) ne ſint excuſabiles. Reſp. ad a). Deus benigniſſimus non exigit officium, ſine beneficio & ſufficientibus atque validis mediis oblatis. Quomodo enim exigeret officium ab eo, cui neque natiuæ, neque datiuæ, ſuppetunt vires, & cui Deus prorſus omnem ſubtrahit gratiam, ſine qua officium præſtari nequit? Ad b). Vocatione externa, ſine interno propoſito conferendi ſufficientes vires, reprobis non omnis adimitur excuſatio. Poterunt enim dicere: Domine, libentiſſime in regnum tuum veniſſemus, credidiſſemus, & officium hominis chriſtiani feciſſemus, modo nobis miſeris vires, quas potuiſti, largiri voluiſſes.

Dicis: III. Quicunque efficaciter vocati ſunt, illi credunt. Sed plurimi homines non credunt. Ergo. *Maior* probatur ex Hebr. IV, 2. *Non prodeſt ſermo auditus, non commixtus cum fide ab iis, qui audiuerunt.* Reſp. 1) Diſt. inter vocationem *efficacem ratione cauſſæ, & effectus.* Vocatio *efficax* eſt ex parte *Dei*, tanquam *cauſſæ*, ſerio deſtinantis media efficacia, per quæ fides velut ſalutaris effectus produci poteſt; ſed hic *effectus* a malitioſa repugnatia *impeditur*: ſicut medicina actu primo eſt efficax; actu autem ſecundo non ſanat, ſi negligatur, aut reiiciatur. 2) Verba citata Apoſtoli: ἐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνȣς, μὴ συγκεκραμένος τῇ πίςει τοῖς ἀκȣ́σασιν, reddenda ſunt latine: *non profuit illis ſermo auditus, non commixtus per fidem cum iis, qui audiuerunt.* Res commiſcendæ ſunt non ſermo auditionis & fides; cum ſermo auditionis fidem producat: quomodo autem cauſſa cum effectu ſuo commiſcebitur? Sed ſermo auditionis, & ii, qui ſermonem audiunt. Hi ex auditu fidem concipiunt, niſi operationi Spiritus S. malitioſe reſiſtant. Confer. SEB. SCHMID. in *comment. b. l. p. 418.*

Quæſt. XIV. *Eſtne vocatio ad eccleſiam æqualis?*

Vocatio ordinaria *æqualis* eſt in *ſubſtantia*, ſiue quatenus eſſentialiter ſpectatur a): ſed *inæqualis* eſt ratione *ordinis*, *modi & gradus*, *horæ & moræ* b).

Prob. a. *Æqualis* eſt vocatio *ordinaria:* quia 1) vocamur *gratia æque ſalutari. Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus,* dicente Paullo, Tit. II, 11. Quemadmodum idem ſol omnibus affulget: ita eadem lux gratiæ ſalutiferæ illuminat omnes homines, qui oculos mentis malitioſe non claudunt.

2) Quia

Digitized by Google

2) Quia eædem vires credendi omnibus offeruntur, quas etiam Deus, niſi proterve & moroſe reiiciantur, omnibus conferre intendit. Vnde Deus *omnibus fidem præbere* (παρέχειν) dicitur, Act. XVII. 31. Accipitur etiam renati ἰσότιμον πίστιν fidem *æque pretioſam* (den gleich-theuren Glauben) 2 Petr. I, 1. Eſt quidem fides, ratione *gradus*, alia *maior*, alia *minor*: *æqualis* tamen eſt a) *ratione cauſſæ*; quia ab eodem Spiritu S. accenditur: b) *Ratione obiecti*; quia omnium hominum fides eandem miſericordiam Dei, eundem Ieſum, eandem promiſſionem amplectitur: c) *Ratione finis*; quoniam eandem reſpicit coronam iuſtitiæ, 2 Tim. IV, 8.

3) Quia vocamur iisdem mediis, eodem euangelio, eodem baptiſmo æque efficaci, ſi propoſitum diuinum ſpectes.

Prob. b. *Inæqualitas* vocationis diuinæ, *accidentaliter* conſideratæ, conſtat: propterea, quod 1) *ratione ordinis* primum Iudæis, poſtea gentibus verbum euangelii erat prædicandum, Act. XIII, 46.

2) *Ratione modi & gradus*, quibusdam illuxit lumen maius, quibusdam minus. Aliæ gentes vocatæ ſunt per verbum ſolemniter prædicatum; aliæ per verbum ſcriptum & lectum a Iudæis aut Chriſtianis ſubminiſtratum; aliæ per famam de eccleſia ſparſam, eamque vel propiorem & clariorem, vel remotiorem & obſcuriorem.

3) *Ratione moræ & horæ*, quidam populi citius, quidam tardius ſunt vocati. Nonnullis longiori temporis tractu lux euangelii fulſit: apud nonnullos intra paucos annos obfuſcata eſt. Quæ accidentalis inæqualitas cum in hac mortalitate nequeat penitus peruestigari, in diſpenſatione diuina mediorum ſalutis acquieſcamus, fateamur, & miremur, non autem anxie rimemur abyſſum iudiciorum diuinorum, mentibus humanis imperuiam, Rom. XI, 33.

Dicis: I. Si vocatio ad regnum gratiæ æqualis eſſet; duo homines, idem verbum diuinum audientes, ex æquo conuerterentur. Conſequens eſſe falſum, inter alia oſtendit exemplum Petri & Iudæ: E. falſum eſt antecedens. Reſp. 1) Quod duo, idem verbum diuinum audientes, non ex æquo conuertantur, id non imputandum eſſe cauſſæ principali & organicæ, Deo & euangelio, ſed *Subiectis*, ſiue *hominibus*, diuerſimode ſe habentibus, quorum quidam gratiam oblatam amplectuntur, quidam repudiant. Quidam homines viribus pædagogicis vtuntur, quidam abutuntur; In aliis reſiſtentia actualis eſt ſimplex, in aliis affectata & moroſa. Inde fit, vt euangelium in duobus auditoribus non eundem ſortiatur effectum, ſicut ſemen, æque efficax, in diuerſum agrum diſperſum, non ex æquo fructificat. 2) Quod attinet ad exemplum Petri & Iudæ: eadem ipſis gratia eſt oblata; ſed admiſſa a Petro, repulſa a Iuda. Peccabat Petrus, adductus præſenti periculo vitæ, Iudas inſtinctus mera malitia, & ex voluntate plane libera. Ille adſpiciebat Chriſtum oculo triſti, gratiæ medicinalis cupido, hic oculo nequam & hypocritico. Hic ſequebatur pontifices ſeducentes, quos ille fugiebat. Hic verbum Chriſti oblitus, ille recordatus erat.

Dicis: II. Si ratio diſcriminis fidei & infidelitatis in Subiectis deprehendi poteſt: ſequitur, quod fidelis ab infideli ſeipſum poſſit diſcernere: Conſequens eſt falſum. E. & antecedens. Conſequentis falſitas patet ex 1 Cor. IV, 7. *Quis te diſcernit? Quid habes, quod non acceperis?* Reſp. Locus citatus ad aſcenſionem fidei & perſeuerantiam infidelitatis non pertinet *directe*, quia loquitur Apoſtolus de diuerſitate chariſmatum iam habitorum, quibus Corinthii ad faſtum & ſuperbiam abutebantur. Sin *analogice* ad diſcrimen fidelis & infidelis referatur, diſtinguendum eſt inter *diſcretionem actiuam, & paſſiuam.* Fidelis ab



Digitized by Google

infideli ſe *non* diſcernit *actiue*, per vires naturales ſe ad fidem diſponendo, ſed *diſcernitur a Deo*, quia oblata media *paſſiue* admittit.

Dicis: III. Quæcunque vocatio fit medio eodem quidem, ſed inæqualiter operante, illa eſt inæqualis: Vocatio ad regnum Dei &c. Ergo. *Maior* liquet: quia inæqualis operatio inæqualem facit vocationem. *Minor* probatur: quia verbum Dei *aliis eſt odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem*, 2 Cor. II, 16. Reſp. *Per ſe & ex intentione Dei*, verbum diuinum omnibus, qui vocantur, eſt odor vitæ ad vitam, ideo, quod eſt Spiritus & vita, Io. VI, 63. Per accidens, & vitio hominum, illud faſtidientium, fit odor mortis ad mortem: ſicut Chriſtus eſt piis petra ſalutis, impiis petra ſcandali, 1 Petr. II, 7. Vinum ſanis eſt vſui, febricitantibus fraudi.

Dicis: IV. Quæcunque gratia vocationis quibusdam ad ſalutem ſufficiens, quibusdam inſufficiens eſt, illa eſt inæqualis gratia vocationis ad regnum Chriſti &c. Ergo. *Minor* probatur e verbis Chriſti, Matth. XI, 21. *Væ tibi Chorazim! Væ tibi Bethſaida! Si enim Tyri & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* E quibus verbis conſtat, gratiam Tyriis ſufficientem, Chorazinis fuiſſe inſufficientem. Reſp. 1) *Æqualis* dicitur gratia vocationis, *non* ratione *effectus*, aut *euentus*; ſed ratione *intentionis* & *mediorum*. 2) Loco citato agitur de *vocatione extraordinaria*, qua deſtituti fuerunt Tyrii & Sidonii, qui tamen per famam de Iſraëlitica eccleſia, tot miraculis conſpicua, cuius contermini fuerunt, vocati ſunt. 3) Comparatiue maior erat pertinacia Chorazinorum, quam Tyriorum. His ſi verbum diuinum, miraculis Chriſti ſtipatum, æque, ac Chorazinis prædicatum fuiſſet, ſatis validum fuiſſet medium ad agendam pœnitentiam.

Quæſt. XV. *Quis eſt finis vocationis ad eccleſiam?*

*Finis vocationis.* *Finis* vocationis noſtræ *vltimus*, ex parte *Dei*, eſt nominis diuini gloria a), ex parte *hominum* finis *vltimus* eſt æterna ipſorum ſalus b). Fines *intermedii*, practice & ſalutariter agnoſcendi ductu ſcripturæ, ſecundum diuerſos reſpectus ſalutaris conuerſionis, diuiduntur in *antecedentes*, *conſtituentes*, & *conſequentes* c).

Prob. a. Ex 1 Petr. II, 8. *Vos eſtis genus electum, regium ſacerdotium, gens ſancta, populus in peculium; vt virtutes enumeretis eius, qui e tenebris vos vocauit in admirabilem ſuam lucem.* Ad eccleſiam, quæ eſt cœtus hominum electus, regium ſacerdotium, gens ſancta, populus ad acquiſitionem ſalutis ordinatus, vocati ſumus eo fine, *vt deprædicemus virtutes* (potentiam, ſapientiam, gratiam & iuſtitiam, quæ elucent maxime in negotio vocationis) *Dei, qui nos vocauit a tenebris ignorantiæ ad mirabilem lucem fidei.*

Prob. b. Finis *vltimus*, ex parte *noſtri*, eſt æterna ſalus. *Vocati enim ſumus ad brabeum*, Phil. III, 14. *ad hereditatem benedictionis*, 1 Petr. III, 19. *ad æternam gloriam*, 1 Petr. V, 10. *ad vitam æternam*, 1 Tim. VI, 12.

Prob. c. Vocati ſumus *ad pœnitentiam*, Matth. IX, 13. a tenebris *ad lucem*, 1 Petr. II, 9. *ad communionem Filii Dei*, 1 Cor. I, 9. *ad ſanctificationem*, 1 Theſſ. IV, 7. *ad pacem*, Col. III, 15. *ad caritatem*, *fluentem ex vna ſpe vocationis*, Eph. IV, 4. *ad paſſiones*, quarum Chriſtus nobis reliquit ὑπογραμμὸν, i. e. exemplar, aut formam delineatam, 1 Petr. II, 21.

Quæſt. XVI. *Quem vſum nobis confert meditatio vocationis noſtræ?*

*Vſus practici.* Conſideratio vocationis ad eccleſiam præſtat a) *vſum paracleticum* nobis adductis ad regnum Chriſti, quod non tantum regnum *crucis*, ſed & *lucis* eſt; b) *vſum paræneticum*, ad traducendam vitam, vocatione noſtra dignam.

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. In regno Chriſti *crucis*, & *lucis* datur viciſſitudo. *Crux* ferociam carnis reprimit: *Lux* gratiæ & ſolatii animam reficit. Certi igitur ſumus, quod Deus *omnis gratiæ, qui vocauit nos ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, poſtquam parum paſſi fuerimus, nos inſtauraturus, ſtabiliturus, confortaturus, fundaturus ſit*, 1 Petr. V, 10.

Prob. b. *Digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis!* Eph. IV, 1. *Non* autem *vocauit vos Deus ad immunditiem, ſed ad ſanctitatem*, 1 Theſſ. IV, 7. Idcirco *iuxta eum, qui vocauit nos, ſanctum, ipſi etiam ſancti in omni conuerſatione ſimus*, 1 Petr. I, 15.

*SVSPIRIVM.*

Tibi, o Deus immortalis! immortales perſoluo gratias, quod me, natura filium iræ, ad regnum gratiæ & officium Spiritus tui ſanctiſſimi adduxeris. Quod in gremio eccleſiæ natus ſum, tuum eſt. Quod aqua ſalutari perfuſus, membrum corporis Chriſti myſtici factus ſum, tuum eſt. Quod viſcera miſericordiæ tuæ mihi patent, & parta ſanguine Saluatoris beneficia mihi oblata ſunt, tuum eſt. Id omne grata ſubinde recolens memoria, precor ſupplex, vt me in regno tuo aduerſus inſultus diaboli, mundi, carniſque meæ, ſerues protegaſque, & ſpirituales mihi ſufficias vires, vt tranſigam vitam dignam euangelio, dignam vocatione mea, dignam homine chriſtiano!

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT V.

# DE GRATIA ILLVMINANTE,

SIVE

# DE ILLVMINATIONE PECCATORIS AD ECCLESIAM VOCATI.

Quæſt. I. *Quid eſt illuminatio?*

*Illuminatio* eſt actus gratiæ applicatricis, quo Spiritus Sanctus hominem peccatorem, ad eccleſiam vocatum, per miniſterium verbi docet, & ſincero ſtudio magis magisque informat, vt depulſis ignorantiæ & errorum tenebris, ipſum verbi Dei notitia imbuat, atque ex lege agnitionem peccati, ex euangelio miſericordiæ diuinæ, in merito Chriſti fundatæ, cognitionem eidem inſtillet. *Illuminationis definitio.*

Obſ. I. *Gratia illuminatrix* vocatur etiam *gratia docens;* quia Spiritus S. illuminando docet omnia ad ſalutem neceſſaria, Io. XIV, 26. Conf. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. IX. p. 938.* & *lact. catechet. part. VI. p. 195.* Item *gratia vngens*, ex 1 Io. II, 20. 27. Eſt enim chriſma non tantum medicum & paracleticum, ſed etiam *prælucens*, cuius typus fuit illud chriſma, quod regibus olim & ſacerdotibus atque prophetis datum, cum inſtructione ad officii liturgiam, & mutatione in alios viros. Præterea illuminatio appellatur *apertio oculorum mentis*, Act. XXVI, 18. Quem ad modum enim cœcus per apertionem oculorum nanciſcitur videndi facultatem: ita peccator, tenebris ignorantiæ oppletus, accipit per illuminationem Spiritus S. facultatem cognoſcendi verum Deum.

Obſ. II. Non intelligitur hic *illuminatio obiectiua*, qua lumen verbi diuini externe proponitur, ſed *effectiua*, qua Spiritus S. lucem notitiæ accendit, & *ſubiectiua*, qua peccator cœcus per operationem Spiritus S. ſe illuminari patitur.



Digitized by Google

Obſ. III. *Gratiam diuinam præparantem in illuminatione conſiſtere*, aſſerit D. FECHTIVS in *Diſſert. de ordine modoque gratiæ diuinæ, aphoriſmo IX. p. 18.* quamuis celeberrimus iſte Theologus ſimul fateatur, vocem, *illuminatio*, paullo *latiorem* eſſe *gratia præparante*. Hæc enim conuerſionem antecedit, cum aliqua *illuminatio*, nempe *vberior*, etiam conuerſionem ſequatur. Quo pacto conciliandi ſunt Theologi, cum illuminationem modo ad *gratiam præparantem*, modo ad *inhabitantem* referunt. *Prima* & præcipua illuminationis ratio in *præparando* hominem ad conuerſionem conſiſtit. Ideo enim naturales tenebræ, ignorantia myſteriorum & errores iis oppoſiti ex intellectu humano per gratiam expelluntur, & ille cognitione Dei & rerum ſacrarum imbuitur, & tanquam luce quadam illuſtratur, vt ad recipiendam iuſtificantem gratiam aptus reddatur. Antecedit itaque hæc illuminans gratia conuerſionis complementum.

Quæſt. II. *Quæ eſt cauſſa efficiens principalis illuminationis?*

*Cauſſa efficiens principalis.*

Cauſſa *efficiens principalis* illuminationis eſt *Deus triunus* a), Pater b), Filius Dei c), & terminatiue, ſeu appropriatiue, Spiritus Sanctus d).

Prob. a. 1) Deus *triunus lux* eſt, 1 Io. I, 5. i. e. fons omnis lucis, quæ in nobis eſt. Ex quo etiam *pater luminum* dicitur, Iac. I, 17.

2) Illuminatio peccatoris tenebris circumfuſi eſt actio diuina ad extra, adeoque indiuiſa & communis omnibus tribus perſonis diuinitatis.

Prob. b. *Deus Pater, qui dixit, vt ex tenebris lux luceret, lucem dedit in cordibus noſtris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, quæ eſt in facie Chriſti*, 2 Cor. IV, 6.

Prob. c. *Filius Dei eſt vera lux, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum*, Io. I, 9.

Prob. d. Spiritus S. nos *terminatiue* illuminat, i. e. Deus Pater *per* Filium ſuum *in* Spiritu S. mentes noſtras illuſtrat. Etenim Deus *Domini noſtri, Ieſu Chriſti, dat nobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in cognitionem ſui*, Eph. I, 17. Ex quo etiam informatio diuina in rebus ſacris Spiritui S. appropriatur. Ille namque *nos docet omnia, & commonefacit nos de omnibus, quæ Chriſtus dixit*, Io. XIV, 16. *Spiritus S. eſt vnctio, quam accipimus a Chriſto, in nobis manens, proinde non opus habemus, vt quis doceat nos; ſed quem ad modum ipſa vnctio docet nos de omnibus, tum verum eſt, tum non eſt mendacium; & quem ad modum docuit nos, manebimus in illo*, 1 Io. II, 27.

Quæſt. III. *An Spiritus S. hodie immediate nos illuminat?*

*Illuminationem medium.*

Spiritus Sanctus nos *non immediate*, ſed *mediante verbo diuino* illuminat.

Prob. 1) Ex 2 Petr. I, 18. *Habemus firmius propheticum verbum, cui recte facitis, quod attenditis, tanquam lumini lucenti in loco tenebricoſo, vsquedum dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Obſ. 1) λόγος προφητικὸς eſt *verbum, a Prophetis traditum, & litteris conſignatum.* 2) Sermo propheticus dicitur *firmior voce Patris, e cælo delata*, ſed quatenus *teſtimonio Petri* prolata erat. Nimirum ſermo propheticus eſt firmior teſtimonio apoſtolico de voce Patris cœleſtis, *non* ratione *ſui*, ſed ratione *lectorum*, vel *auditorum;* quia ſermonis prophetici auctoritas diuturno tempore & conſenſu maiorum erat corroborata. Auctoritas vero teſtimonii apoſtolici erat recentior, ac proinde tanta cum veneratione non ſuſcipiebatur. 3) Verbum propheticum dicitur *lumen lucens*, ob ſummam perſpicuitatem & vim illuminandi: Cor autem hominis irregeniti vocatur τόπος αὐχμηρός, i. e. *locus ſqualidus & caliginoſus*, ob tenebras ignorantiæ & ſordes peccati. 4) *Dies illuceſcens* eſt lux clarior ſalutaris cognitionis: *Phoſphorus* autem eſt Chriſtus, ſalutaris cognitionis obiectum, Apoc. XXII, 16. Senſus eſt: Quoniam verbum diuinum immotæ veritatis, tantæque virtutis eſt, vt tenebras cordis diſcutere poſſit; ad hanc lucem oculos mentis noſtræ conuertamus, vt ſalutaris agnitio Chriſti in mentibus noſtris oriatur.

Prob.

Digitized by Google

Prob 2) E Pſ. XIX, 8. 9. *Teſtimonium Iehouæ firmum eſt, ſapientem reddens ſimplicem. Mandata Iehouæ recta ſunt, lætificantia cor. Præceptum Iehouæ purum eſt, illuminans oculos.* Confer. Pſ. CXIX, 105. *Lucerna pedi meo eſt verbum tuum, & lux ſemitæ meæ.*

Quæſt. IV. *Vultne Deus hodienum per ecſtaſin, vel raptum ecſtaticum hominem immediate illuminare, fidem ipſius confirmare, vitaque æternæ prægustum eidem conferre?*

*Non promiſit Deus* in verbo ſuo, velle ſe vllum hominem per *ecſtaſin* illuminare, fidem illius confirmare, prægustumque vitæ æternæ ipſi impertiri.

*Antitheſis* eſt 1) *Platonicorum*, quorum ſententiam exponit IAMBLICHIVS in *myſter. Ægypt. ſect. I. c. 12. Diuina irradiatio, quæ inter precandum ſolet fieri, vt ſponte emicat, ita ſponte operatur; longeque abeſt a tractione omni, vt quæ manifeſtat ſeipſam per diuinam efficientiam & perfectionem, tantoque anteuertit liberrimam in nobis motionem, quanto diuina volitio boni noſtram electionem præcurrit. Per hanc volitionem lucem ſuam Dii, ſine omni parſimonia beneuoli & miſericordes, ſacerdotibus infundunt, eorumque animas ad ſe vocant, & vnionem inuicem procurant, & exſiſtentes etiamnum in corpore aſſuefaciunt, vt a corpore ſe ſeparari, & ad æternum intellectualeque principium, vnde orta ſunt, ſe circumagi patiantur. Manifeſtum autem eſt ex ipſis rebus, id, quod nunc dicimus, ipſam eſſe animæ ſalutem.* 2) *Quackerorum*, de quibus refert auctor diſſertat. *de hodierno ſtatu eccleſiæ in Anglia, Scotia & Hybernia*, citante COLBERGIO in *Chriſtianiſmo Platonico-Hermet.* P. I. c. 7. p. 406. *Quackeri frequenter in tantas incidunt ecſtaſes, vt toto corpore contremiſcant, quia, vt perhibent, magnitudinem illam lucis & ſplendoris diuini, quo obruuntur, perferre nequeunt, vel intra ſe continere.* 3) *Myſticorum*, quos inter haud poſtremi ſunt CHRISTIANVS HOBVRGIVS, & GOTTFRID. ARNOLDVS. Quorum *ille* ſcribit in *theol. myſt. p. 122.* Die Seele geräth öfters in ecſtaſin, und Entzückung; welche ecſtaſis nichts anders iſt, als wenn die Seele ſolche Kraft der Begierde, des Geſchmacks, der Süßigkeit empfindet, daß ſie die Sinne nicht fühlet. *Hic* autem in *theol. myſt.* c. VI. p. 126. inquit: Das Gemüthe eines Vollkommenen, das zur höchſten Staffel aufſteiget, wird mit GOtt vereiniget in einer entzückenden, und außer ſich ſelbſt ſetzenden Liebe, und denen dabey entſtehenden Gemüthsbewegungen, in wunderſamen Frieden und Gemüthsruhe, in Genuß der geiſtlichen Freuden, und einfältiger Beſchauung der Gottheit.

Ἔκθεσις.

Obſ. I. Ἔκστασις, *latine exceſſus mentis*, germanice eine Entzückung, *eſt rara & extraordinaria operatio vel Dei, vel phantaſiæ corruptæ, vel diaboli, qua mens hominis alienatur a ſenſibus corporis, vt horum vſu ceſſante, promtior & expeditior ſit ad capiendum obiectas rerum imagines.* Differt a *raptu;* quia *ecſtaſis* ſimpliciter notat diſceſſum mentis a ſenſibus; *raptus* autem violentiam addit.

Obſ. II. Diuiditur *ecſtaſis in ſupernaturalem, & præternaturalem. Illa*, definiente AVGVSTINO, eſt alienatio a ſenſibus corporis, vt ſpiritus hominis, a *Spiritu diuino* aſſumtus, capiendis atque infundendis imaginibus vacet. *Hæc* oritur vel a *corrupta hominis phantaſia*, vel a *diabolo.* A corrupta *hominis phantaſia* oritur ecſtaſis *melancholica & phantaſtica*, cum per vehementem affectum (amorem, mœrorem, horrorem) vel etiam profundam ſpeculationem, ſpiritus animales a ſenſibus externis retrahuntur, & horum vſu ceſſante, inſolita phantaſmata intellectui hominis obiiciuntur. *Diabolica* autem ecſtaſis eſt, cum cacodæmon, ligatis hominis ſenſibus, phantaſiæ ipſius ſimulacra nonnullarum rerum repræſentat, vt

intellectus ea apprehendat & approbet. Diabolicas ecſtaſes graphice deſcripſit DELRIO in *diſquiſit. magic. lib. II. qu. 25.*

Obſ. III. Diſtinguunt myſtici *inter ecſtaſin intellectus, & voluntatis. Ecſtaſis intellectus* eſt extraordinaria operatio Dei, qua intellectus humanus ſupra vires naturales eleuatur ad contemplandum myſteria diuina, & quidem contemplatione adeo ſublimi, vt maiorem in illis pulcritudinem deprehendat, quam ſibi perſuadere potuerat, quam etiam *ecſtaſin admirationis vocant. Ecſtaſis voluntatis eſt*, per quam anima tam ardenti amore Dei incenditur, vt, derelictis inclinationibus terrenis, in raptum fruitionis cœleſtis intret, & bonitati diuinæ ſe vnice & potenter iungat. Vid. FRANCISC. SALES. de *amore Dei cap. III. & ſeqq.*

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Theſin noſtram probamus: 1) Deus *in æterno ſuo conſilio ordinauit, vt* Spiritus S. electos *per verbum* vocet, illuminet atque conuertat, atque omnes illos, qui Chriſtum vera fide amplectuntur, iuſtificet, atque in eos æternam ſalutem conferat, teſte *Form. Concord. p. 808. Etenim verbum Dei lucet in loco tenebricoſo* (corde irregenito), *donec dies ſalutaris cognitionis exoriatur*, 2 Petr. I, 19. *Et fides eſt ex auditu: auditus autem per verbum Dei*, Rom. X, 17. Quamobrem integer oculorum, auriumque vigor requiritur, vt verbum Dei attente legendo & audiendo illuminemur & conuertamur. Ecſtatici autem nec vident, nec audiunt, quid ſibi obtingat. Ergo per ecſtaſin nec illuminantur, nec conuertuntur.

2) Media conſeruantia & confirmantia fidem in Chriſtum atque ſanctimoniam vitæ, ſunt verbum Dei & ſacramentum cœnæ, Pſ. CXIX, 11. Matth. VII, 24. Eph. VI, 17. Io. VI, 56. Quomodo, quæſo, his mediis confirmantibus rite vſurus eſt homo, ſenſuum adminiculo deſtitutus?

3) Prægustus vitæ æternæ capitur ex lacte euangelii. Id quod Apoſtolus Petrus haud obſcure docet, 1 ep. c. II, 2. *Tanquam modo geniti infantes, verbale ſincerum lac deſiderate, vt per illud creſcatis; ſiquidem guſtaſtis, quam benignus ſit Dominus.* Quibus verbis innuit, Deum vt longe ſuauiſſimum in dulci lacte euangelii ſe guſtandum præbere; at euangelium ſedulo legendum & audiendum eſt, vt guſtu Dei ſpirituali afficiamur. Non ergo eſt opus ecſtaſi, per quam ſenſus corporis ligantur.

4) Ecſtaſes variis illuſionibus corruptæ phantaſiæ & diabolo ſunt opportunæ. Non diffitetur id MOLINOSIVS, qui *libr. III. manuduct. ſpirit. c. 19. Hic*, inquit, *efficax & practica cum voluntate diuina in omnibus rebus conformitas deducit animam ad annihilationem & transformationem cum Deo abſque mixtura raptuum & ecſtaſium exteriorum, aut vehementium affectuum; cum hæc via multis obnoxia ſit illuſionibus, & cum periculo morbi, aut anguſtiis intellectus ſit coniunctus; qua ſemita, qui ad verticem perfectionis pertingant, rari ſunt.* Sane perquam difficile eſt, ecſtaſes *præternaturales, phantaſticas & diabolicas a ſupernaturalibus & diuinis* exacte diſcernere. Litteris quippe prodidere PLINIVS *hiſt. nat. l. VII. c. 83.* de Hermotimo, & AVGVSTINVS de *Ciu. D. L. XIV.* de Reſtituto, quod pro arbitratu ſuo mentes ſuas a ſenſibus corporis ſic abſtraxerint, vt mortuis ſimillimi humi iacuerint. Lepidum autem eſt exemplum hominis ecſtatici, quod commemorat ERASMVS FRANCISCI in dem Gegenſtrahl der Morgenröthe: Qu. XVII. p. 753. Ihrer viel können eine Verzückung meiſterlich erdichten: wie jener Prieſter zu Rom, welcher, wenn die Worte der Paßionshiſtorie: Conſummatum eſt! geſprochen worden, gleich in ſeine Entzückung zu fallen pflegte; bis einmal Rondeletius, der berühmte Medicus, welcher einen Argwohn des Betruges daraus geſchöpfet hatte, einen wackern Stock forderte, verſichernd, er wollte dieſen Verzückten bald

zuckend

Digitized by Google

zuckend machen, und aus ſeiner Poſitur verzucken. Womit er den guten Kerl in ſeiner verzückten Andacht verſtöhrte, ja ein ſolches Miracul that, daß er denſelben gleichſam von den Todten erweckte, und mit hurtigen Füſſen begabte. Contra, horrenda ſunt, quæ PRATEOLVS in *elencho hæret. lit. E. n. 12. p. 160.* de *Anabaptiſtis* refert: *Tanquam fere fanatici, ſuo afflati Spiritu, faciem mutabant, geſtus habebant horribiles, ac more morbo comitiali laborantium in terram prolapſi iacebant tanquam mortui, vnde & corpore horribiliter tremiſcebant. In ecſtaſin rapti, mira effutiebant ſomnia, ſeſe Zwinglium apud inferos vidiſſe &c. Patrem hæc aut illa infanda iuſſiſſe: Patrem dixiſſe, diem domini inſtare: cuius tempus certum deſignabant. Vnde tanquam furioſi curſitabant, clamantes: Dies domini, dies domini.* Prodigioſa etiam ſunt, quæ recenſet OLAVS MAGNVS, de *Lapponibus*, in *deſcript. Regn. Septentr. L. II. c. 18. Si quis peregrinus cupiat de ſuorum conditione certi quid cognoſcere, præſtant, vt intra 24. horarum ſpatium reſciſcat, quid cum illis agatur, vel ſi trecentis milliaribus abſint, hoc modo: Incantator, poſtquam vſitatis cærimoniis dæmones ſuos compellauit, ſubito collabitur, & exanimatur, quaſi, exſtincto illo, reuera a corpore anima excedat. Neque enim aut ſpiritus in eo reliquus eſſe, aut reſtare cum vita ſenſus aliquis motusque videtur: ſed vt adſint ſemper aliqui, oportet, qui exanime corpus cuſtodiant, quod ſi non fit, dæmones id abripiunt. Horis 24. elapſis, reuertente ſpiritu, ceu e profundo ſomno, cum gemitu expergiſcitur exanime corpus, quaſi reuocetur in vitam ex morte, qui conciderat. Poſtea ſic reſtitutus ad interrogata reſpondet, & vt fidem faciat percontatori, recenſet aliquid, quod agnoſcat ille, & certo ſciat, in ædibus ſuis, aut cognatorum fuiſſe.* Cum itaque ecſtaſis tot illuſionibus ſit obnoxia, neque fidem in Chriſtum accendet, neque eam confirmabit, neque ſolidum vitæ æternæ guſtum præbebit.

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

I. Prouocant aduerſarii ad exemplum S. Paulli, qui *in ecſtaſin veniſſe*, Actor. XXII, 17. & *in paradiſum*, ſiue in tertium cœlum *raptus* eſſe dicitur, 2 Cor. XII, 2.; vbi, ὑπερβολῇ ἀποκαλύψεων illuſtratus, ῥήματα ἄῤῥητα, verba inenarrabilia audiuerit. Quod exemplum, licet ſit extraordinarium, oſtendit tamen, quod Deus filios ſuos dilectos eodem extraordinario modo (immediate abſque concurrente ſcriptura,) illuminare, & in fide confirmare poſſit. Reſp. 1) *Non* de *poteſtate*, ſed de *voluntate Dei* quæritur. Vult Deus nos interuentu ſacrarum litterarum *ſapientes reddere ad ſalutem per fidem in Chriſtum Ieſum;* in qua benigniſſima Dei voluntate acquieſcimus, 2 Tim. III, 14. 15. 2) Exemplum Paulli eſt plane ſingulare & inimitabile; ideo, quod Deus Paullum per raptum ecſtaticum in officio apoſtolico confirmaturus erat, vt ad *extraordinariam* hanc reuelationem, velut ad ſigillum muneris apoſtolici, poſſet intrepidus prouocare. At ſicut non omnes Chriſtiani ſunt Apoſtoli; ſic nec omnes raptu ecſtatico indigent. Adiice, quod Apoſtolus poſt ecſtaſin tam vehementem ſenſerit tentationem, vt eam deprecatus, doceret animos curioſos, ne ecſtaſin, vel raptum in cœlum tertium affectarent *).

II. Non

*) Atque etiam hoc in primis eſt conſiderandum, 3) quod Chriſtus in ſingulari illa patefactione, quæ Paullo tum contigit, cum prorſus attonitus erat, iuſſit eum audire *verbum*, ex ore *miniſtri* percipiendum, quo edoceretur ipſe, quæ eſſet voluntas Dei, & quidem de *omnibus* peragendis, Act. IX, 3. 6. coll. cum c. XXII, 10. Quæ deinceps ſequuta eſt ἔκστασις, ibid. v. 17., ea non ad conuerſionem animi ſalutemque renouati ſpectabat, ſed *ſingulari* quadam ratione ad muneris *apoſtolici* functionem, animique aduerſus grauiſſima pericula vexationesque confirmationem. Tanta igitur dignitas eſt *ordinarii* medii, quo Deus in homine ſalutarem mentis mutationem efficit, nimirum *verbi audiendi* ac legendi, vt illud ne a ſummo quidem

II. Non Paullum tantum, ſed & alios ſeruos Dei ἐκςάσεις habuiſſe, patet e 2 Cor. V, 13. Ἔιτε γὰρ ἐξέςημεν, Θεῷ, εἴτε σωφρονῦμεν, ὑμῖν, *ſiue enim mente excedimus, Deo, ſiue modeſte agimus, vobis.* Reſp. Hæc verba minus commode ad ἐκςάσεις trahuntur. Nam Apoſtolum ex abrupto ἐκςάσεων ſuarum mentionem facere voluiſſe, haud veriſimile eſt. De inſania κατὰ δόξαν hæc dici, certum eſt, cenſente D. CALOVIO. Idcirco OSIANDER verba Apoſtoli ita παραφράζει: *Si magno zelo vobiſcum agimus, & errata veſtra ſeuere corrigimus, ita, vt quibusdam delicatulis hominibus inſanire videamur, ea in re pio illo zelo, domino Deo noſtro inſeruimus, de cuius gloria agitur. Sin vero humaniter & modeſte poſt acrem correptionem vos tractamus, veſtri commodi gratia id facimus, ne ab euangelio Chriſti abalienemini, aut nimia triſtitia opprimamini.*

III. Qui *virtutes futuri ſæculi guſtant,* hos oportet raptos eſſe in cœlum tertium. (Nam ibi virtutes cœleſtes guſtantur.) Atqui homines renati &c. Hebr. VI, 5. Ergo. Reſp. Neg. *maior.* Verba namque Apoſtoli ſunt: *Guſtarunt bonum Dei verbum, virtuteſque futuri ſæculi.* Non itaque guſtarunt virtutes futuri ſæculi per *raptum ecſtaticum,* ſed per *bonum Dei verbum,* quod promiſſionem futurorum bonorum continet, adeoque ex euangelio quendam præguſtum regni gloriæ perceperunt, cum in hoc regno gratiæ vitam egerunt. Sed hoc argumentum plenius tractabitur quæſtione ſequenti *).

Quæſt. V. *Quotuplex eſt illuminatio ratione medii illuminantis?*

*Illuminatio legalis & euangelica.*

*Illuminatio*, ratione *medii* illuminantis, eſt vel *legalis*, vel *euangelica*. *Illa* eſt, quæ peccatum, iram Dei, & pœnas peccati temporales atque æternas nobis manifeſtat a); *Hæc* eſt, quæ gratiam Dei, in merito Chriſti fundatam, iuſtitiam coram Deo valentem, & vitam æternam nobis reuelat b).

Prob. a. Rom. VII, 7. *Peccatum non nouiſſem, niſi per legem. Nam etiam concupiſcentiam* (peccatum eſſe) *non noueram, niſi lex dixiſſet: non concupiſces!* Confer. Exod. XX, 17. Apoſtolus, a Phariſæis edoctus, non nouerat, concupiſcentiam prauam originalem eſſe peccatum: Eo, quod Phariſæi eandem pro peccato non habebant, neque motus concupiſcentiæ primos, eosque inuoluntarios, peccaminoſos eſſe cenſebant: At Apoſtolus, in ſchola Spiritus S. rectius informatus, agnouit, peccatum hæreditarium tam profundam & tetram eſſe corruptionem naturæ, vt nullius hominis ratione indagari, aut intelligi queat, ſed duntaxat e lumine ſupernaturali verbi, diuinitus reuelati, diſci & agnoſci debeat. Conf. *artic. Schmalkald. p. 317.*

Prob. b.

quidem Apoſtolo fuerit contemnendum, ac ne tunc quidem, quum *extraordinaria* quadam illuminatus ipſe eſſet reuelatione, *cæleſtique luce*, qualis quidem hodie a nemine vnquam erit exſpectanda.

*) Μέλλων αἰών, hoc in loco, non eſt æterna gloria, ſed *tempus noui Teſtamenti*; hæc enim beata ætas, poſt Chriſtum in lucem editum, antiquo Hebræorum more dicitur עולם הבא, contra, ætas V. T. ante natum & conſummatum Meſſiam, עולם הזה, & conſummatio variarum periodorum V. T. adpellatur συντέλεια τῶν αἰώνων, addita vocula, νῦν, in his ipſis litteris, IX, 26. Itaque καλὸν Θεῦ ῥῆμα eſt *verbum noni* Teſt. *proprium*, de Chriſto nunc in carne manifeſtato, neque alio, quam Ieſu Nazareno, verbum illud, quod Chriſtum primum ipſe, deinde per Legatos ſuos, vnum quemque docuit, cap. II, 1. 3. Proinde δυνάμεις huius, quod in V. T. futurum erat, ſæculi, ſunt miracula, quibus diuina illius verbi auctoritas eximie declarata fuit, & ſingularia χαρίσματα Spiritus S. interprete ipſo PAVLLO, c. II, 4. Quæ quum ita ſint; oppoſitionis atque argumentationis, quam ex his verbis cogere volunt fanatici homines, nerui omnes inciduntur.

Digitized by Google

Prob. b. Illuminationis *euangelicæ* mentionem iniicit Paullus, 2 Cor. IV, 4. *Deus huius ſaeculi excœcauit ſenſus infidelium, vt non ſplendeat illis illuminatio euangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* Euangelium illuminat corda hominum, vt agnoſcant gloriam Chriſti, in crucem quidem ſublati, in cœlum autem euecti, & ſedentis ad dextram Dei Patris, cuius ipſe eſt ἀπαύγασμα, Hebr. I, 3. Declarat ergo & manifeſtat euangelium miſericordiam, ſapientiam & iuſtitiam Dei Patris, in retecta facie Chriſti, qui eſſentialis eius eſt imago. Col. I, 15.

Quæſt. VI. *Quale eſt diſcrimen lucis legalis & euangelicæ?*

*Lex* diuina, fulminis inſtar, habet lucem terrentem, occidentem & condemnantem: *Euangelium* autem, benefici ritu ſolis, diffundit lucem exhilarantem & viuificantem a). *Lex* pollet viribus illuminandi *pædagogice ſalutaribus*: Ex *euangelio* autem oritur illuminatio *complete ſalutaris* iis hominibus, qui doctrina euangelica ex intentione Dei recte vtuntur b).

Prob. a. Ex 2 Cor. III, 6. 7. 8. 9. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat. Si vero miniſterium mortis in litteris, effigiatum in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non potuerint intueri filii Iſraëlis in faciem Moſis, propter gloriam faciei ipſius, quæ tamen abrogatur: Qui non magis miniſterium ſpiritus erit in gloria? Si enim miniſterium condemnationis gloria eſt: multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria.* Comparat Apoſtolus legem cum euangelio, 1) *quoad vtriusque naturam: Lex* namque eſt *littera*; *euangelium* vero eſt *ſpiritus*. Dicitur lex *littera*, partim ſynecdochice, quia pluribus litteris a Deo tabulis lapideis eſt inſcripta & inſculpta; partim in oppoſitione ad euangelium, eo, quod vitæ ſanctimoniam quidem præcipit, vires autem ſancte viuendi non confert. Euangelium contra dicitur *ſpiritus* metonymice, quia eſt medium, quo Spiritus S. illuminat, regenerat, iuſtificat, & vnionem cum Deo efficit. 2) *Quoad diuerſitatem effectuum: Lex* declaratiue occidit & condemnat, h. e. æternæ morti & condemnationi nos adiudicat: *Euangelium* vero viuificat, ſiue regenerat. 3) *Quoad gloriam, ſiue claritatem:* Iubar *legis* minus, *euangelii* maius eſt. *Illius* fulgor eſt intolerabilis, ſymbolice repræſentatus in radiante facie Moſis, velamine obtegenda: *Huius* ſplendor eſt delectabilis in facie Chriſti, radiis gratiæ humanitatis, beneficentiæ coruſca. *Illius* claritas euaneſcit, diffuſa claritate *euangelica*, ſicut lux minor a maiori obumbratur.

Prob. b. *Lex eſt pædagogus noſter ad Chriſtum, vt ex fide iuſtificemur*, Gal. III, 24. *Lex* diuina nobis oſtendit & patefacit tum connatam animæ lepram, tum morbos voluntarie contractos, adeoque occaſionem nobis præbet ad quærendum animorum medicum & iuſtitiæ ſalutisque auctorem, Chriſtum. *Illuminatio* autem *euangelica*, ad vſum tranſlata, eſt *complete ſalutaris*; ideo, quod *dat ſcientiam ſalutis, quæ eſt in remiſſione peccatorum, & reuelat viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto*, Luc. I, 77. 78. Conf. D. BREITHAVPT in *inſtit. theol. loc. III. p. 251. ſeqq. & theſ. cred. p. 131. ſeqq.*

Quæſt. VII. *Sed num ita alligata eſt illuminatio verbo diuino, vt nihil eius detur, niſi eo tempore, quo auditur illud, vel legitur, vel deſtinato ſtudio conſideratur?*

Vis illuminandi, qua præditum eſt verbum diuinum, *non præciſe* alligata eſt auditionis, lectionis aut meditationis *actibus*, ſed verbum Dei auditum, lectum, *in animum transmiſſum*, eodemque *retentum*, viribus ſuis illuminandi ſemper pollet.



Digitized by Google

Prob. Auditores & lectores dociles ἐν πρᾳότητι modeſte & comiter accipiunt λόγον ἔμφυτον, *verbum inſitum*, Iac. I, 21. quod ſic vnitur cum cordibus auditorum & lectorum, ſicut cibus cum corpore, fermentum cum maſſa, ſemen cum agro, ſurculus cum arbore: quod *verbum inſitum*, vt ordinarium Spiritus S. medium, animas non ſaluare magis, quam ad ſalutem illuminare poteſt.

Quæſt. VIII. *An per miniſtros verbi vere & proprie illuminamur?*

*Cauſſa miniſterialis.* Per *miniſtros* verbi, publico docendi *munere rite perfungentes*, Spiritus S. animas hominum, ad res ſacras caligantium, *vere & proprie* illuminat.

Obſ. *Cauſſa principalis* illuminationis eſt *Deus triunus*, & quidem appropriatiue *Spiritus Sanctus; ordinarium* illuminandi ὄργανον aut *medium*, eſt verbum Dei; *cauſſa miniſterialis* ſunt *miniſtri Chriſti, & œconomi myſteriorum Dei*, 1 Cor. IV, 1.

Prob. 1) Ex Eph. III, 8. 9. *Mihi, minimo omnium ſanctorum, data eſt gratia hæc, vt inter gentes euangelizarem imperueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminarem omnes. Illuminauit* Apoſtolus *miniſterialiter* homines rerum diuinarum rudes, doctrinam euangelii illuſtrando, beneficia Chriſti longe vberrime ipſis notificando atque inculcando.

2) Ex 2 Cor. IV, 6. *Deus, qui dixit, vt ex tenebris lux luceret, lucem dedit in cordibus noſtris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, quæ eſt in facie Ieſu Chriſti.* Apoſtoli & eorum ſucceſſores a Deo miſericordiſſimo eo fine ad lucem veræ agnitionis perducti ſunt, vt per eosdem aliis illuminatio veræ agnitionis obtingeret.

3) Miniſtri verbi diuini *aperiunt oculos auditorum, vt conuertant ſe a tenebris ad lucem*, Act. XXVI, 18. E. vere illuminant.

4) Docentes verbum Dei perhibentur eſſe *lumen*, v. gr. Ioannes baptiſta, Io. V, 35. Apoſtoli, Matth. V, 14.

*Antitheſis* eſt *Enthuſiaſtarum, Anabaptiſtarum, Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, ſtatuentium, hodienum homines *immediate* a Spiritu S. *illuminari*. Quorum argumenta potiora ſunt:

I. Quæcunque *animæ* ſunt *epiſtolæ, non atramento, ſed Spiritu Dei viuentis ſcriptæ*, illæ immediate a Spiritu S. illuminantur: Atqui animæ chriſtianorum &c. 2 Cor. III, 3. E. *Minor* liquet: quoniam Apoſtolus euangelium, atramento inſcriptum chartæ, ab actu illuminationis excludit. Reſp. 1) Miniſterium verbi Apoſtolus ab actu illuminationis non excludit, qui diſerte dicit: *Vos eſtis epiſtola miniſtrata a nobis.* 2) Efficaciam *illuminandi* non tribuimus euangelio conſiderato *materialiter*, i. e. quatenus *atramento chartæ inſcriptum* eſt; ſed ſpectato *formaliter*, ratione *ſenſus* θεοπνεύςȣ.

II. S. Ioannes 1 ep. II, 27. inquit: *Vnctio, quam accepiſtis a Domino, in vobis manet, & non opus habetis, vt quis doceat vos.* Qui non indigent externa informatione, ſed ab vnctione, intra animum manente, plene informantur, illi *immediate* a Deo illuminantur & informantur: Atqui renati &c. E. Reſp. 1) *Vnctio* illa, a S. Ioanne commendata, eſt Spiritus Sanctus, cauſſa principalis illuminationis, qui nos informat non immediate, ſed mediante verbo, 1 Io. II, 14. *Neque opus habemus, vt quis nos doceat noua & diuerſa ab his, quæ Prophetæ & Apoſtoli docuerunt.* 2) S. Ioannes reſpicit doctores illos, qui ſeipſos offerebant, aut obtrudebant tunc temporis, & ſeducere incautos ſolebant, doctrinam hactenus ab Apoſtolis, ſeu viua voce, ſeu ſcripto traditam, inſufficientiæ accuſantes, & rectiorem ac pleniorem rerum diuinarum cognitionem temere pollicentes, licet ſpiritu Antichriſti ducerentur, iuxta v. 18. 19. & 26.

III. Quicun-

Digitized by Google

III. Quicunque ſunt θεοδίδακτοι, *docti a Deo*, illi non ſunt illuminati per miniſtros eccleſiæ: Atqui renati &c. E. *Minor* patet ex Io. VI, 45. Reſp. Quicunque ſunt ἀμέσως θεοδίδακτοι, illi non ſunt illuminati per miniſtros eccleſiæ; concedo. At poſt completum ſcripturæ canonem homines illuminantur & docentur *a Deo per miniſterium verbi*, per quod Deus efficax eſt, 1 Cor. III, 6. Paulus de Theſſalonicenſibus ſcribit: Ἀυτοὶ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐςε, *vos ipſi a Deo docti eſtis*, ſcilicet per miniſterium Apoſtoli Paulli, 1 Theſſal. IV, 9. coll. cum v. 1. & 2. Sunt ergo θεοδίδακτοι ἐμμέσως. Vnde l. c. Chriſtus addit: *Omnis ergo, qui audiuit a Patre & didicit, venit ad me.* Patris vocem alibi, quam in verbo reuelato quærere non licet, monitore Petro 2 ep. I, 16. 17. 18.

Quæſt. IX. *Quos homines Deus illuminat?*

Deus benigniſſimus *omnes homines* illuminare quidem *ſerio intendit* a); *actu* autem illuminantur illi, qui ad eccleſiam vocati & adducti gratiam Spiritus Sancti *admittunt*, verbumque diuinum *attente audiunt*, *legunt & meditantur* b). *Subiectum illuminationis.*

Prob. a. 1) *Chriſtus eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*, Io. I, 9. Chriſtus vera lux illuminat, quantum in ipſo eſt, non vnam tantum nationem, non vnum hominem, ſed *omnes* homines, prodeuntes in huius mundi tenebras. Venit enim, vt per prædicationem euangelii tum omnium nationum, tum ſingulorum hominum cordibus illuceſcat. Non excluditur Scytha, non Iudæus, non Hiſpanus, non Gothus, non Britannus, non rex, non ſeruus, non mas, non fœmina. Perſeuerant quidem multi in tenebris ignorantiæ & errorum: At vero non culpa denegatæ lucis, ſed culpa propria, veluti ſi quis impingat in meridie, quod oculos nolit attollere. Scite inquit AVGVSTIN. *tract. XXVII. in Ioan. Qui reſiſtit, quomodo viuificabitur? Aduerſarius eſt radio lucis, quo penetrandus eſt. Non aduertit aciem, ſed claudit mentem.*

2) *Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos*, Tit. II, 11. 12. Gratia erudiens, ſiue illuminans, *omnibus* hominibus illuxit, ſecundum gratioſam Dei intentionem: *Lucet in tenebris, etiamſi tenebræ eam non apprehendant*, Io. I, 5.

3) *Nos annuntiamus Chriſtum, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt ſiſtamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu*, Col. I, 28. Paullus & apoſtolici viri omnem hominem, ſi non lingua, certe calamo docere cœleſtem ſapientiam intenderunt.

Prob. b. Homo ad eccleſiam vocatus, & verbum diuinum admittens, attenteque meditans illuminatur. *Deus quippe e tenebris nos vocauit in admirandam ſuam lucem*, 1 Petr. II, 9. Mittuntur etiam præcones ſacri *ad aperiendum oculos auditorum, vt conuertantur a tenebris ad lucem*, Act. XXVI, 18. Non eſt autem gratia Spiritus S. *irreſiſtibilis;* ſiquidem peccator, præfracte contumax, ſupernaturalem illuminationem, obiecto velamine, aut obice malitioſo, impedire poteſt. Id quod innuit Apoſtolus, 2 Cor. IV, 3. 4. *Si abſconditum eſt euangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, abſconditum eſt, in quibus Deus ſæculi huius excæcauit ſenſus infidelium, vt non ſplendeat illis illuminatio euangelii gloriæ Chriſti.* Nimirum euangelium, per ſe lucidum, κεκαλυμμένον, *tectum*, vel opertum eſt *per accidens*, culpa hominum, laborantium *cæcitate* non tantum *connata*, ſed etiam *adſcititia & voluntarie contracta*, ac permiſſa iudicio Dei, cum accedit pertinacia, a Satana corroborata. At peccatorem, moroſe non obluctantem, Spiritus S. per verbum diuinum efficaciter illuminat. Id ipſum ingenue fatetur hieropſaltes, Pſ. CXIX, 130. *Aditus verborum tuorum illuminat,*

 *intelli-*

Digitized by Google

*intelligentes reddit ſimplices.* Quamprimum aliquis ingreditur in lectionem & meditationem S. ſcripturæ, intellectus eius ſapientia cœleſti colluſtratur.

Dicis: I. Quicunque nonnullos homines excœcat, is non vult omnes illuminare: Atqui Deus &c. E. *Minor* prob. ex Io. XX, 40. *Iudæi non poterant credere, quia Eſaias dixit: Oculos eorum excæcauit.* Reſp. Diſt. inter *voluntatem* Dei *antecedentem, & conſequentem.* Voluntate *antecedente* Deus omnes homines vult illuminare: At voluntate *conſequente*, ſiue *iudiciaria*, nonnullos excœcat, *non poſitiue*, cœcitatem cordibus immittendo; ſed *negatiue*, vel *priuatiue*, eos deſerendo, & lucem gratiæ, ab ipſis contemtam & petulanter repulſam, ſubtrahendo. Quam ob rem impotentia credendi non eſt tribuenda deſtinatæ voluntati, aut conſilio Dei, quo omnem gratiam illuminatricem abſolute denegauerit, ſed malitiæ Iudæorum, qui oblatum lumen proterue reiecerunt.

Dicis: II. Quibus non eſt datum, noſſe myſteria regni cœlorum, illos Deus non vult illuminare: Atqui non omnibus datum eſt &c. Matth. XIII, 11. E. Reſp. 1) Neg. *mai.* Quia Deus voluntate *antecedente*, ſiue miſericordiæ, omnes homines illuminare intendit: licet *actu* tantum illuminentur ad cognoſcendum myſteria regni cœlorum, qui lumen verbi diuini audiendo, legendo & attente meditando admittunt. 2) Quibus *abſoluto decreto diuino* non eſt datum noſſe myſteria regni cœlorum, illos Deus non vult illuminare; concedo. At Salvator l. c. loquitur de *decreto reſpectiuo*, quo reſpicitur auditorum ſocordia, ſuperbia & contemtus, adeoque iuſto Dei iudicio, & proprio ipſorum vitio, penitior cognitio myſteriorum Dei non datur. Senſus itaque eſt: *Vobis, diſcendi auidis, mecum manentibus, & interpretationem* parabolæ meæ de ſemine in diuerſum agrum ſparſo *expetentibus* (conf. Marc. IV, 10.), *datum eſt, ſalutariter noſſe myſteria regni cœlorum: Reliquis*, concionem meam *ſuperbe faſtidientibus, & a me diſcedentibus, dicta* quidem *eſt parabola* ad litteram, ſed *ſine penitiori intellectu myſterii ſub ea latentis*, vt negligentiæ ſuæ atque ſuperbiæ iuſtas pendant pœnas.

Dicis: III. Deus ſapientibus huius mundi myſteria fidei & ſalutis abſcondit, Matth. XI, 25. E. non vult omnes illuminare. Reſp. Sermo eſt l. c. Chriſto de *donis miniſtrantibus*, diſcipulis ſuis a Patre cœleſti collatis, ſuperbis autem Phariſæis iuſto iudicio denegatis; non vero *de occultatione myſteriorum fidei, ad ſalutem cognitu neceſſariorum.* Vid. ſupra Cap. I. p. 28.

Quæſt. X. *Vtrum tantum intellectus, an etiam voluntas peccatoris ad eccleſiam vocati illuminatur?*

***Primo immediate*** **illuminatur peccatoris, ad eccleſiam adducti,** ***intellectus*** **a):** ***conſequenter & mediate*** **etiam illius** ***voluntas*** **b).**

Prob. a. 1) *Illuminatio* dicitur φωτισμὸς τῆς γνώσεως τῆς δόξης τȣ̃ Θεȣ̃, *illuminatio cognitionis gloriæ Dei*, 2 Cor. IV, 6. Illuminatur ergo *intellectus*, vt gloriam Dei cognoſcat.

2) Deus dat *nobis illuminatos oculos mentis, vt ſciamus, quæ ſit ſpes vocationis noſtræ*, Eph. I, 18.

Prob. b. *Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegemus impietatem, & mundanas concupiſcentias, ac ſobrie & iuſte & pie viuamus in præſenti ſæculo* Tit. II, 11. 12. Gratia Dei ſalutaris, quæ omnibus hominibus, benefici inſtar ſolis, illuxit, *intellectum* peccatoris erudit, & perfundit luce cognitionis, vt hæc lux diffundatur in *voluntatem*, ad fugiendum impietatem, & eligendum ſanctimoniam vitæ. Vnde Paullus Coloſſenſibus optat *illuminationem*, vt *ſanctificari* queant, Col. I, 10. Conſiderate itaque ſcribit D. FECHTIVS, in *diſſ. de O. M. gratiæ p. 20. Illuminationis vox ſcripturæ vſu non mentis tantum*

Digitized by Google

*tantum ab ignorantia & erroribus liberationem & manuductionem in omnem veritatem ſpiritualem notat, ſed & voluntatis in ſtatum alium & meliorem mutationem.* Accurate tamen obſeruauit D. BREITHAVPT, in *theſ. credend. quod illuminatio magis intellectum, regeneratio voluntatem magis reſpiciat. pag. 136.*

Quſtæ. XI. *Poteſtne illuminatio ſupernaturalis in intellectu hominis eſſe, absque ſanctificatione voluntatis?*

Cum *illuminatio ſupernaturalis* ſit *actus* gratiæ applicatricis *ſucceſſiuus* a); vtique *imperfecta illuminatio* in intellectu hominis eſſe poteſt, *ſine ſanctificatione voluntatis* b).

*Antitheſis* eſt omnium ſcriptorum *myſticorum*, qui viam purgatiuam illuminatiua priorem eſſe ſtatuunt: quorum ſententiam perſpicere licet e *theol. German.* cuius hæc ſunt verba c. 12. Nun ſoll man wiſſen, daß niemand erleuchtet mag werden, er ſey denn zuvor gereiniget, erläutert und erlediget, auch mag niemand mit GOtt vereiniget werden, er ſey denn zuvor erleuchtet. Idem docet G. ARNOLD. *ex Hugonis de Palma theol. myſt. c. VI. p. 119.* Wenn ein Jünger Chriſti den Weg der Reinigung lange durchgangen iſt, und nun die Stimme ſeines Bräutigams durch innerliches Eingeben hört zu ihm ſprechen: Stehe auf Tochter Zion, ſtehe auf aus dem Staube! (welches er gewiß hören wird, wenn er demüthig wandelt, ſich für einen ſündigen Menſchen hält, und ſeine Nichtigkeit erkennet), alsdenn ſoll er aufſtehen, und zu dem andern Wege der Erleuchtung ſchreiten.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Illuminatio ſuccincte deſcribitur, quod ſit *informatio e verbo Dei de rebus ſacris, ſalutem hominum concernentibus*, auctore D. FECHTIO, in *tractatu de ordine, modoque gratiæ diuinæ p. 18.* Vberius autem definiri poteſt: *Illuminatio eſt actus gratiæ applicatricis, quo Spiritus S. hominem, ad eccleſiam vocatum, per miniſterium verbi, de Deo, rebusque diuinis informat, atque intellectum eius ſupra vires naturales eleuat, & corroborat, ad intelligendum myſteria diuina, vt, depulſis ignorantiæ, errorumque tenebris ipſum veri Dei notitia imbuat, atque ex lege agnitionem peccati, ex euangelio vero, Chriſti, & in eo fundatæ miſericordiæ diuinæ cognitionem eidem inſtillet.*

Obſ. II. Nititur data definitio ſolido fundamento; ſiquidem a) informationis finis & effectus eſt certa notitia. *Docere*, vel *informare*, ſignificat, aliquem ſcientem reddere vel notitiam alicui inſtillare. Iam vero illuminationis effectus eſt γνῶσις, ſiue cognitio. Dicitur enim φωτισμὸς γνώσεως, *illuminatio cognitionis* gloriæ diuinæ, 2 Cor. IV, 6. *Illuminatur* ergo *intellectus*, vt gloriam Dei cognoſcat. *Deus dat nobis illuminatos oculos mentis, εἰς τὸ εἰδέναι ἡμᾶς, vt ſciamus, quæ ſit ſpes vocationis noſtræ*, Eph. I, 18.

b) Rex Dauid *illuminare* exponit, per, *facere intelligentem*, Pſ. CXIX, 130. *Aditus verborum tuorum illuminat; intelligentes reddit ſimplices.* Quæ verba explanaturus D. GEIERVS, inquit: *Voce propria exponitur præcedens figurata, illuminat. Nam* הבין, *tranſitiue ſumtum, ſignificat, intelligere fecit. inſtruxit.* Ergo *illuminare* idem eſt, quod *inſtruere*, & *gratia illuminatrix eſt docens*, dicente D. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. IX. p. 938.*

c) Miniſtri eccleſiæ dicuntur auditores ſuos *illuminare.* Eph. III, 9. 2 Cor. IV, 6. Non autem poſſunt auditores ſuos alia ratione, quam *informando* illuminare. Ratum igitur, fixumque manet, quod *illuminatio* ſit *informatio e verbo Dei de rebus ſacris, ſalutem hominum concernentibus.*



Digitized by Google

Obſ. III. Diſtinguunt Theologi inter *illuminationem perfectam* ab *imperfecta*, qua diſtinctione etiam vtitur D. SEB. SCHMIDIVS, Theologus, ſi quis alius, exaſciati iudicii, in *collegio biblico poſteriori p. 164. Subiectiue poteſt eſſe ψυχικὸς, animalis, qui aliquid intelligit eorum, quæ ſunt Spiritus Dei; non quidem qua talis, ſed qua iam a Spiritu Dei imperfecte illuminatus.* Hanc diſtinctionem eſſe ſolidam, conſtat inter omnes, accurate penſitantes, illuminationem eſſe *actionem ſucceſſiuam*, quæ, cum inchoatur & continuatur; *imperfecta* eſt, cum conſummatur & ad finem perducitur, *perfecta* dicitur.

Obſ. IV. *Illuminatio imperfecta* a Theologis etiam dicitur *litteralis & pædagogica, perfecta adpellatur ſpiritualis & complete ſalutaris.* DANNH. in *hodoſ. phænom. XI. p. 1419.* infit: *Peccatum in Spiritum Sanctum eſt ἀπιςία proæretiça, in homine ſatis illuminato,* Hebr. VI, 4. c. X, 26. *ſiue pædagogica illa fuerit illuminatio & litteræ tantum, ſiue ſpiritualis, cum γεύσει cæleſtium coniuncta.* Quam diſtinctionem clarius exponit D. QVENSTEDIVS in *ſyſtem. Theol. part. II. p. 77. Φωτισμὸς, ſiue illuminatio, vel eſt παιδαγωγικὴ καὶ γραμματικὴ, pædagogica, mere litteralis & externa, quando quis veritatis diuinæ agnitione eſt inſtructus, deque eius certitudine in conſcientia ſua conuictus, nondum tamen cognitam hanc veritatem ſigillo Spiritus in corde ſuo obſignatam, aut per gratioſam Spiritus S. inhabitationem confirmatam habet; vel πνευματικὴ, ſpiritualis, gratioſa & interna, quando ſcil quis vere renatus non tantum habet litteralem doctrinæ euangelicæ intelligentiam, ſed ſimul eſt templum Spiritus S., quod ipſe gratioſe inhabitat, ſiue quando gratioſe inhabitantis interno teſtimonio corroboratur, confirmatur & obſignatur.*

Obſ. V. Tribuunt Doctores orthodoxi illuminationem *imperfectam & pædagogicam* gratiæ diuinæ *aſſiſtenti*, non *inhabitanti;* quam diſtinctionem egregie explicat D. IO. ADAM. OSIANDER in *theol. poſit. acroam. P. III. p. 19. Diſtinguitur* gratia diuina in *aſſiſtentem, & inhabitantem;* & quidem *aſſiſtens* illa eſt, quæ extrinſecus adhuc operatur, non quod non ipſum cor hominis tangat, ſed quia, adhuc Spiritu exterius verſante, nec inhabitante, ſuam vim exſerit, cui aſſignatur *gratia præueniens*, quæ incapacitatem naturalem, omnibus connatam, aufert; *præparans*, quæ naturalem reſiſtentiam, ſpiritualibus aduerſam, cohibet; denique *excitans*, quæ mentem ſenſu litterali inſtruit, aſſenſum operatur, atque cor conterit: *inhabitans* vero dicitur, cum ipſe Spiritus S. cor hominis ingreditur, illud immutat atque inhabitat. Ab hac proficiſcitur illuminatio *perfecta*, quæ ad excitandam fidem in Chriſtum ſufficit, & per ſpirituales, pioſque motus ſe exſerit. Fundamentum diſtinctionis in *gratiam aſſiſtentem, & inhabitantem* habetur Apoc. III, 20. vbi Chriſtus epiſcopum Laodicenum alloquitur: *Ecce! ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audiuerit vocem meam, & aperuerit ianuam, ingrediar ad ipſum, & cœnabo cum ipſo, atque ipſe mecum.* Indicatur his verbis a) *gratia aſſiſtens;* quia Chriſtus dicit, *ſe ſtare ad oſtium,* ſcil. cordis humani, ad illud conuertendum. Non autem ſtat otioſus, ſed *pulſat*, & cupit intromitti; pulſat, vt vox eius audiatur, & ex voce ipſe clamans & vocans Chriſtus agnoſcatur; quæ eſt b) *gratia præueniens & excitans.* Ita pulſat, *vt ianua aperiatur;* quæ eſt c) *gratia præparans.* Nam homines irregeniti cordis oſtium aperiunt non naturalibus liberi arbitrii viribus, ſed nouis, per gratiam præuenientem & præparantem collatis viribus: ſicut reſuſcitati ex morte naturali non ſuis, ſed nouis, in reſuſcitatione datis, viribus reſurgunt. Pulſando quippe Chriſtus vim largitur aperiendi, quæ efficacia verbo euangelii propria eſt, Rom. I, 16. Cum ianua cordis aperitur, *Chriſtus ingreditur;* quæ eſt d) *gratia ingrediens & inhabitans.* Sic enim Chriſtus ingreditur, *vt nobiſcum cœnet, & nos cum illo.* Ingreditur Chriſtus, lumine verbi ſui veram, viuamque fidem accendendo, & per fidem in nobis habitando, Eph. III, 17. Ex quo oritur dulciſſima noſtri cum Chriſto communio, quæ eſt prægustus vitæ æternæ. Falluntur igitur, qui diſtinctionem gratiæ in *aſſiſtentem, & inhabitantem,* reiicere, frontem ſumunt,

Digitized by Google

ſumunt, perinde ac ſit nouum commentum, nullo firmo fulcro nixum. Stat autem inſignis hæc diſtinctio inconcuſſa, cum ipſe ſalutis aſſertor eam tradiderit nobis, & inculcauerit.

Obſ. VI. *Illuminatio imperfecta & pædagogica non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis;* ideo, quod a) a lumine *ſpecialis reuelationis* proficiſcitur; b) per *ſupernaturalem Spiritus S. operationem* a nobis obtinetur; c) *circa myſteria fidei* verſatur, & d) *ad finem ſpiritualem* diuinitus ordinatur. Non poſſumus, quin hic ſedulo notemus, Theologos, vere orthodoxos, *illuminationem* nunquam in *naturalem, & ſupernaturalem* diſtinxiſſe. Conſiderate inquit B. DORSCHAEVS (citante D. CALOVIO in *bibl. illuſtr.* ad Hebr. VI, 4.). *Non eſt illuminatio naturalis intelligentiæ, vti Beza, Piſcator, Marloratus &c. ad locum* Io. I, 9. *dixerunt. Nam illa nuſpiam in ſacris litteris dicitur* φωτισμὸς, *nec* Io. I. *talis intelligitur. Eſt enim ibi de Chriſto pronunciatus* φωτισμὸς *talis, qui proprie ad officium Chriſti propheticum pertinet, cuius reſpectu Chriſtus eſt* φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαῖνον, *verſu 5. de qua luce teſtificatus eſt Ioannes baptiſta, v. 7. qua illuminatione mundus potuiſſet cognoſcere Chriſtum, niſi tenebras plus dilexiſſet, quam lucem,* Io. I, 10. c. III, 19. Cauſſam, cur Theologi a diſtinctione *illuminationis* in *naturalem, & ſupernaturalem* conſulto abſtinuerint, reddit magnus noſter CHEMNITIVS in *locis theologicis P. I. de Deo, p. m. 20. Notitia de Deo naturalis aut nulla, aut imperfecta, aut languida eſt. Nulla;* quia de gratuita promiſſione remiſſionis peccatorum nihil nouit tota philoſophia; illam enim Filius Dei e ſinu Patris prolatam reuelauit eccleſiæ, Io. I, 18. *Imperfecta;* quia gentes aliquam tantum particulam legis nouerunt, de interioribus vero cultibus primæ tabulæ nihil certi vel nouit, vel ſtatuit ratio; *languida;* quia, etſi impreſſum eſt humanis mentibus eſſe Deum, & præcipere obedientiam, iuxta diſcrimen honeſtorum & turpium, tamen aſſenſio non tantum languida eſt, ſed horrendis etiam dubitationibus ſæpe excutitur *).

Obſ. VII. Differt *reuelatio diuina, ab illuminatione Spiritus Sancti.* Nam *reuelatio eſt vel naturalis, vel ſupernaturalis. Illa* eſt, qua Deus ſe manifeſtauit tum per *lumen naturæ* inſitum, tum per *effecta in regno naturæ* conſpicienda, Rom. I, 19. c. II, 14. 15. *Hæc* eſt, qua Deus partim *immediate,* partim *mediate,* per *verbum ſuum,* ſe & voluntatem ſuam ad ſalutem generis humani patefacit. *Illuminatio* autem *Spiritus S.* ſemper eſt *ſupernaturalis* actio, qua intellectus eleuatur ſupra vires naturæ ad intelligendum myſteria diuina, quæ ductu luminis naturæ cognoſci nequeunt. *Reuelatio* fieri poteſt per concurſum Dei generalem;

*) Sapienter ita pronuntiant Theologi, recte ſentientes; tanto enim maior adhibenda eſt cautio, quanto capitalior peſtis eſt *Naturaliſmus,* ſiue *philoſophicus,* ſiue *fanaticus.* Vtriusque patroni conſentiunt quidem in eo: quod *illuminationem,* quamdam *naturalem* ſtatuunt, & *ita* quidem, vt eam *pluris faciant,* quam *ſcripturæ ſacræ vim,* ad illuminandam mentem; hanc enim illuminationem, Spiritus S. beneficio nobis datam, aut prorſus repudiant, aut non magno æſtimare ſolent. In partes vero abeunt, interrogati, *quæ ſit* illa, de qua multum gloriantur, *illuminatio naturalis?* Et illi quidem, qui *Naturaliſmo philoſophico* addicti ſunt, vt ED. HERB. L. B. de CHERBVRY, primum *omnes* eo nomine intelligunt *lumen naturæ,* rationis vſu percipiendum; deinde eorum alii exiſtimant, hoc naturale lumen eſſe *vnicum,* adeoque Scripturam ſacram, &, quam eius efficacitate Spiritus Sanctus operatur, illuminationem, omnino contemnunt ac reiiciunt; *alii,* paullo moderatiores, putant naturæ lumen eſſe ad ſalutem *ſufficiens,* ſi non omnibus hominibus, certe multis, immo plerisque, quippe quibus non facta ſit legendæ ſcripturæ S. copia: Qui in hoc errore verſantur, illi, quamuis ſcripturæ dignitatem non auſint infitiari, negant tamen eam ſimpliciter neceſſariam eſſe. Reliqui, *Naturaliſmi fanatici* defenſores, quorum facile princeps exiſtit PETRVS POIRET, fingunt *lumen quoddam internum,* hominibus omnibus *naturaliter inditum,* quod vocare etiam conſueuerunt *verbum Dei internum,* ab externo diuerſum, aut *Chriſtum in nobis.*

Digitized by Google

lem: *illuminatio* ſemper influxum Dei ſpecialem requirit. *Reuelatione* doctrina ſalutaris externe proponitur: at per *illuminationem* illa intra animum recipitur. Inde fit, vt *reuelatio* haud raro obtingat ignorantibus eius vim & ſenſum; v. gr. Pharaoni, Nabuchodonoſari, auditoribus Apoſtolorum in feſto pentecoſtali: per *illuminationem* autem Spiritus Sanctus cognitionem in intellectu hominis, malitioſe non obſiſtentis, operatur & efficit. *Reuelat* ſe Deus diabolo, quem tamen Spiritus S. *gratioſa illuminatione* nunquam dignatur, cum capitalis ille Dei hominumque hoſtis gratiæ illuminatricis, æternam ſalutem reſpicientis, non ſit capax. Caue igitur, *reuelationem* diuinam cum *illuminatione Spiritus Sancti* confundas.

Obſ. VIII. Differt *illuminatio*, a *regeneratione*. *Illa* magis intellectum; *hæc* magis voluntatem reſpicit. *Illa* in informatione e verbo diuino de rebus ſacris; *hæc* in donatione fidei formaliter conſiſtit. *Illius* effectus eſt cognitio myſteriorum diuinorum: *huius* effectus eſt fiducia merito Chriſti innixa. *Illa* præcedit, *hæc* ſequitur.

Obſ. IX. Differt *illuminatio, a ſanctificatione, ſtricte dicta. Sanctificationem*, ſenſu *latiori* ſumtam, omnes actus gratiæ applicatricis complecti, inter omnes Chriſtianos conſtat: eadem tamen, ſenſu *ſtrictiori* accepta, ab *illuminatione* diſtinguitur 1) *ratione ſubiecti partialis;* quia per *illuminationem* proxime & formaliter *intellectus*, per *ſanctificationem voluntas* perficitur: 2) *ratione latitudinis;* quia plures homines illuminantur, quam ſanctificantur: 3) *ratione effectus & termini proprii;* quia effectus illuminationis eſt γνῶτις, ſiue cognitio ſupernaturalis Dei, & rerum diuinarum, Eph. I, 18. 2 Cor. IV, 6. ſed ſanctificationis effectus eſt ἁγιοσύνη καὶ δικαιοσύνη, ſanctitas & iuſtitia, Eph. IV, 24.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Poſſe *illuminationem ſimplicem*, vel *imperfectam*, eſſe in intellectu hominis, moroſe non obſiſtentis, abſque ſanctificatione voluntatis, probatur: 1) Quæ illuminatio diuina aliquo temporis interuallo maiori, vel minori, antecedit fidem ſaluificam, illa poteſt eſſe ſine ſanctificatione: Atqui illuminatio diuina imperfecta &c. Ergo. *Maior* liquet: quia corda purificantur fide, Act. XV, 9. Ergo, vbi nulla fides in corde, ibi puritas aut ſanctitas nulla. *Minor* probatur; quia ordinaria adultorum illuminatio eſt actus gratiæ *ſucceſſiuus*, qui non vno abſoluitur momento, ſed fit per temporum interualla, per gradus, per actus repetitos, donec fidem plene & ſalutariter concipiant, adeo, *vt nullus actus gratiæ diuinæ applicatricis magis opus habeat mora & tractu, quam illuminatio*, *iudice* D. FECHTIO in eruditiſſimo tractatu *de ordine, modoque gratiæ*, *§. 9. p.* 19. Quam gradualem & ſucceſſiuam hominum adultorum illuminationem docet

a) Ipſa *praxis* Etenim miniſter eccleſiæ, conuerſurus Iudæum, omni conatu & ſtudio eundem illuminare nititur. א. Conuincit Iudæum, *Meſſiam*, in V. T. promiſſum, *iamdudum veniſſe*, adhibitis luculentis ſcripturæ teſtimoniis, & excuſſis animo Iudæi dubiis. Interim tempus labitur. ב. Demonſtrat, hunc Meſſiam, *non* eſſe *nudum hominem*, *ſed verum Deum*, *filiumque Dei Patris*, *ab æterno genitum.* ג. Oſtendit, hunc Meſſiam & θεάνθρωπον eſſe *Ieſum Nazarenum*, filium viriginis Mariæ, collatis oraculis propheticis cum natiuitate, doctrina, paſſione, reſurrectione, euectione in cœlum, & miraculis Chriſti, vbi plurima dubia Iudæo eximenda ſunt. Interea vna & altera hora effluit. ד. Probat ex veteri teſtamento, *in vna eſſentia diuina eſſe tres perſonas*, Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vbi non ſolum veritas aſſerenda, ſed & ſcrupuli animo Iudæi iniecti euellendi ſunt: qui labor ſacer certum temporis ſpatium requirit. ה. Inſtillat Iudæo doctrinam de *officio Chriſti ſacerdotali, prophetico & regio:* quæ illuminatio moram temporis exigit. ו. Inculcat conuertendo *ſalutis media δοτικά*, verbum Dei & ſacramenta, per quæ Deus

Digitized by Google

Deus hodie cum homine agit, vt ipſum conuertat, regeneret, iuſtificet, ſaluet. ז. Oſtendit, ex parte noſtri, ad remiſſionem peccatorum & vitam æternam conſequendam requiri *veram fidem, meritum Chriſti apprehendentem*, adeoque peccatorem iuſtificari non per bona opera ſed per fidem. Mouebit Iudæus dubia, quæ reſoluenda ſunt, procedente tempore. ח. Docet, *fidem*, quæ iuſtificauit, *ſe per ſanctimoniam vitæ exſerere*, ceteroqui eam non viuam, ſed mortuam eſſe. Quam informationem Iudæus recipiens iam demum ſufficienter illuminatur, conuertitur, regeneratur & baptiſmum, tanquam ſigillum regenerationis, accipit. Ex hac praxi, iunctisque ei exemplis ſingularibus, perſpicere licet, illuminationem non momento, ſed diuturniori temporis tractu abſolui. Conſideremus illuminationem & conuerſionem *Gerſonis* Iudæi, quam D. CALIXTVS in *tractatu de auctoritate ſcripturæ ſacræ p.* 36. recenſet, & ipſa verba *Gerſonis* adducit: *Paupercula quædam Chriſtiana fœmina*, inquit Gerſon, *vicina mea, tradebat pignori mihi codicem noui teſtamenti germanici, a Luthero conuerſi: cui ego mutuo dabam octo ſolidos, vt vſuram meo more lucrarer, & librum interim euoluerem; non quidem, quod de veritate Iudaicæ religionis dubitarem, aut vllum Chriſtianæ fidei articulum rectum crederem, ſed vt cognoſcerem, quisnam ille tantopere efficax error, qui tot animarum myriades ſeduceret, & in exitium præcipites daret. Præſentibus igitur meis duobus affinibus, Lazaro & Simeone, totum perlegi, non ſine blaſphemiis. Interim vero cor meum percellebatur, & cum animaduertiſſem, Euangeliſtas & Apoſtolos, & Chriſtum ipſum toties ad vetus teſtamentum prouocare. & ſubinde loca ex eo alia poſt alia adducere: illectus fui, vt denuo legerem, & clanculum quidem, nemine conſcio, ne quidem vxore mea, & vt loca adducta cum ipſo veteris teſtamenti textu contenderem. Quod vbi feci, tanta mihi lux illuxit, vt eo nomine æternas Deo debeam gratias.* Ecquis non videt, imperfectam *Gerſonis* illuminationem ad tempus abſque regeneratione & ſanctificatione fuiſſe? Eximium eſt exemplum AVGVSTINI, qui in *libris confeſſionum* fuſe exponit, quomodo a Deo fuerit illuminatus & conuerſus: vbiuis autem teſtatur, Spiritum S. longo temporis tractu in ipſo operatum fuiſſe, priusquam plene illuminatus & conuerſus ſit. *Libr. V. confeſſ. c.* 14. commemorat, quid ſibi contigerit, cum aliquando audiuiſſet AMBROSIVM, verbum Dei prædicantem: nempe gradatim ea, quæ proponebantur, intraſſe mentem, & ſibi veriſimilia fuiſſe viſa, cum non habuerit, quid iis reponeret: *Putabam tamen*, ait, *eruditiores ea poſſe refutare.* Ipſam ergo fidem nondum habebat, ſed hærebat adhuc dubius. Poſtea *libr. VI.* tentationes & dubitationes exponit, quibuscum aliquandiu conflictatus fuerit. *Libro VIII. c.* 2. recenſet, quid contigerit, cum acceſſiſſet ad SIMPLICIANVM, qui AMBROSIO poſtmodum in epiſcopatu Mediolanenſi ſucceſſit: nempe Simplicianum narraſſe de VICTORINO Rhetore conuerſo, quod ex ſcripturæ lectione a Spiritu Sancto fuerit illuminatus, quod idem eccleſiam ingreſſus, & fidem Chriſtianam publice profeſſus fuerit. Hæc vbi narrari audiuiſſet a Simpliciano AVGVSTINVS, dicit c. 5. *Exarſi ad imitandum Victorini exemplum.* Neque tamen tunc potuit eo vsque eniti, ob validas dubitationes, quæ animo inhærebant. *Cui rei*, inquit, *ego ſuſpirabam, ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me.* Vbi ſane intellectus AVGVSTINI ſucceſſiue fuit illuminatus, quamuis ferrea ipſius voluntas gratiæ conuertenti & regeneranti ad tempus obſiſteret.

b) Si illuminatio ordinaria actio inſtantanea eſſet, foret irreſiſtibilis; nam actioni diuinæ inſtantaneæ nullum poteſt obiici impedimentum. Creatio eſt actio inſtantanea, quia eſt irreſiſtibilis actio diuina. Cum Deus dicebat: *Fiat lux!* eodem momento lux aderat, Gen. I, 3. Nemo creationi diuinæ potuit obſiſtere. Quod ſi Deus per potentiam abſolutam & irreſiſtibilem vellet hominem peccatorem illuminare, vtique illa foret momentanea, & ſemper cum ſanctificatione voluntatis coniuncta. At vero teſtatur experientia, quod plurimi

rimi mortalium gratiæ diuinæ, per ordinaria media operanti, obluctentur. Scite inquit AVGVSTINVS *tract. XXVII. in Ioann. Qui reſiſtit, quomodo viuificatur? Aduerſarius eſt radio lucis, quo penetrandus eſt. Non aduertit aciem, ſed claudit mentem.*

2) Quomodo Spiritus S. nos per ſcripturam S. informat, capita doctrinæ Chriſtianæ intellectui noſtro proponendo & inculcando, eodem modo nos S. ſcripturam legentes, vel audientes illuminat: Atqui Spiritus S. nos per S. ſcripturam informat *ſucceſſiue*, alia poſt alia capita doctrinæ Chriſtianæ intellectui noſtro proponendo & inculcando: Ergo.

d) Seminator bonus ſemen in agrum ſuum ſpargit, *vt primum herbam, deinde ſpicas, poſtea plenum fructum ferat*, Marc. IV, 28. Ita Deus bonum ſemen, verbum ſuum, in corda hominum ſpargens, ordinarie ac ſemper intendit ac vult abundantiorem gratiæ gradum, vsque ad complementum, auditoribus conferre. Ex quo Chriſtus nos compellat: *Videte, quomodo audiatis! Quicunque enim habet* (recipit & retinet primum illuminationis gradum) *ei dabitur*, Luc. VIII, 18.

e) Exemplum ſymbolicum illuminationis ſucceſſiuæ cernere licet in ſanatione cœci illius, cuius S. ſcriptura mentionem iniicit, Marc. VIII, 22. ſeqq. Hunc Chriſtus, immiſſo in oculos ipſius ſputo, ſanauit, non momento perfectum reſtituendo viſum; ſed ſenſim & gradatim oculos eius aperiendo, vt primum tenuiter videret, cerneretque homines ambulantes, velut arbores; deinde, cum Chriſtus manum oculis eius imponeret, is viſu plene reddito, omnes dilucide intueretur: Sic Deus oculos mentis hominis irregeniti per verbum ſuum magis magisque aperit, vt ipſius notitia de Deo & rebus diuinis initio ſit tenuis & exilis, progreſſu temporis autem incrementa capiat, ſi verbum diuinum meditari pergat.

f) Apoſtolus Paullus extraordinarie per immediatam Chriſti reuelationem, & apparitionem illuminatus eſt. Attamen illuminatio ipſius non fuit momentanea. Nam cum inſolita de cœlo radiante luce circumfuſus, in terram præceps rueret, audiebat cœleſtem vocem: *Saul, Saul, quare perſequeris me?* Saul, ignorans auctorem vocis cœleſtis, dixit: *Quis es, Domine?* At Dominus dixit, *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris; durum tibi contra ſtimulum calcitrare.* Ecce *initium* ſupernaturalis illuminationis, ex qua Paullus Dominum Ieſum, eiusque voluntatem, quod deſiſtendum eſſet a perſecutione Chriſtianorum, agnoſcebat. At nondum eo temporis articulo plene conuerſus erat, quamuis voluntati ipſius iniectum eſſet deſiderium conuerſionis. Idcirco tremens ac pauens dixit: *Domine, quid me vis facere?* Dominus autem ad ipſum: *Surge & intra in vrbem; tum dicetur tibi, quid te oporteat facere?* Idcirco ingreſſus vrbem Damaſcum, illuminatus *plenius* ab Anania, & Spiritu S. impletus eſt, Act. IX.

Prob. 2) Si illuminatio intellectus non poteſt eſſe ſine ſanctificatione voluntatis, nullus Iudæus, nullus Turca hodie ſucceſſiue illuminari poteſt: At Iudæi, Turcæ, gentiles hodienum ſucceſſiue haud raro illuminantur: E. *Conſequentia* patet; quia, vbi homo peccator ſucceſſu temporis illuminatur, ibi non ſtatim conuerſio voluntatis plena adeſt.

3) Quodcunque lumen *lucet in corde irregenito, velut loco tenebricoſo, donec dies plena cognitionis exoriatur, & phoſphorus Chriſtus, per fidem in eodem corde exſplendeſcat*, illud lumen *ad tempus irradiat cor, ſanctitatis expers:* Atqui lumen propheticum & apoſtolicum &c. 2 Petr. I, 19. E. Verba Apoſtoli Petri ſunt ἐμφατικώτατα. Sic enim inquit: *Habemus firmius propheticum verbum, cui recte facitis, quod attenditis, tanquam lumini, lucenti in loco tenebricoſo, vsque dum dies illuceſcat, & phoſphorus oriatur in cordibus noſtris.* Non vacat, nec iuuat, in præſenti ſingula Apoſtoli verba excutere, ſed obſeruamus tantum a) per

τόπον

Digitized by Google

τόπον αὐχμηρὸν, *locum ſqualidum & caliginoſum*, intelligi cor humanum interprete B. CALOVIO, absque verbo Dei tenebricoſum, quod oppoſita lux, quæ effulget in cordibus noſtris, diſcuſſis ignorantiæ & errorum tenebris, oſtendit, quæque ſermoni prophetico tribuitur. b) Particulam, ἕως, *donec*, *vsque dum*, ſucceſſiuam indigitare illuminationem. Nam iterum, iterumque *attendendum* eſt, monente S. Petro, *verbo prophetico*, tanquam lumini, in tenebris fulgenti, *vsque dum dies illuceſcat.* Quem ad modum enim in diluculo vmbræ noctis gradatim diſpelluntur, & lumen creſcit, donec plena dies illuceſcat: Ita per lumen prophetici & apoſtolici verbi tenebræ ignorantiæ ex corde irregenito expelluntur, vsque dum dies ſalutaris notitiæ exoriatur & Chriſtus per fidem in corde habitet, atque ſplendorem gratiæ ſuæ in eodem vberius diffundat. Ex hoc effato Petrino colligimus: a) cor irregenitum per lumen verbi diuini *ſucceſſiue* illuminari, atque adeo *quandam* illuminationem eſſe *imperfectam.* b) Illuminationem *præcedere regenerationem*, ſiue accenſionem fidei, non tantum ordine naturæ, ſed etiam ordine temporis. Fruſtra igitur ſunt, qui aſſerere audent, nullam dari veram intellectus illuminationem, quæ fit absque conuerſione & regeneratione voluntatis; ſiquidem *prima & præcipua illuminationis ratio in præparando hominem ad conuerſionem conſiſtit. Ideo enim naturales tenebræ, ignorantia myſteriorum, & errores iis oppoſiti, ex intellectu humano per gratiam expelluntur, & ille cognitione Dei, & rerum ſacrarum imbuitur, & tanquam luce quadam illuſtratur, vt ad recipiendam gratiam iuſtificantem aptus reddatur. Antecedit itaque hæc illuminans gratia conuerſionis complementum*, iudice D. FECHTIO, in *tractatu de ordine, modoque gratiæ aphoriſmo IX. p. 18.*

4) Probamus aſſertionem noſtram ex oraculo Chriſti, Luc. XII, 47. 48. *Seruus ille, qui ſcit voluntatem domini, ſed neque parat ſe, neque facit voluntatem eius, percutietur multis.* Scire voluntatem Domini, *illuminationis*, parare ſe facere eandem, *renouationis effectus* eſt. Cum autem, teſte Chriſto, quidam ſerui Dei *voluntatem domini ſciant, neque tamen ſe parent, nec voluntatem eius faciant;* conſequitur, quandam illuminationem intellectus absque conuerſione & renouatione voluntatis exſiſtere.

5) Si nulla exſiſtit illuminatio mentis ſine ſanctificatione voluntatis; nemo peccabit contra conſcientiam, verbo Dei illuminatam, nulli exſiſtent apoſtatæ, nulli peccatores in Spiritum S. Atqui multi peccant contra conſcientiam illuminatam, multi exſiſtunt apoſtatæ, & peccatores in Spiritum S. E. *Conſequentia* eſt firma: nam, qui contra conſcientiæ illuminatæ dictamen delinquit, is eo momento, quo peccat, adhuc illuminatus eſt. Neque poſt commiſſum contra conſcientiam peccatum notitiam legis diuinæ amittit. *Antecedens* liquet; quia protoplaſti, Aaron ſacerdos, rex Dauid, Petrus Apoſtolus, contra conſcientiam illuminatam grauiſſime deliquerunt. Apoſtatæ autem graphice delineantur a Petro, 2 ep. II, 20. 21. *Si qui effugerant pollutiones mundi per cognitionem Domini & Saluatoris, Ieſu Chriſti, his vero rurſus impliciti vincuntur, facta ſunt illis poſtrema peiora primis. Melius enim eſſet illis, non agnouiſſe viam iuſtitiæ, quam, poſtquam agnouerant, relapſos eſſe ex tradito illis verbo.* Peccatores vero in Spiritum S. viuis quaſi coloribus depinxit Apoſtolus Paullus, Hebr. VI, 4. 5. 6. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, & guſtauerunt donum ſupracæleſte, & participes facti ſunt, Spiritus S. & qui bonum guſtauerunt Dei verbum, virtutesque venturi ſæculi, & prolapſi ſunt, iterum renouari in pœnitentiam, denuo crucifigentes ſibi ipſis Filium Dei, & ludibrio exponentes.* E quibus diſpaleſcit, apoſtatarum intellectum tam inſigni lumine colluſtratum fuiſſe, vt viam iuſtitiæ cognouerint, virtutesque futuri ſæculi deguſtauerint, quorum tamen voluntas a ſancto præcepto tantopere deſciuit, vt Filium Dei denuo crucifigere, & ludibrio habere auſi ſint.



6) Qui-

6) Quicunque per peccatum proæreticum e ſtatu gratiæ prolabuntur in ſtatum iræ, & tantum tamen lumen ſupernaturalis notitiæ retinent, vt per illud in ſtatum gratiæ redire queant, illorum illuminatio eſt absque ſanctificatione: Atqui homines deſtinata malitia peccantes &c. E. *Minor* probatur ex Apoc. III, 3. vbi Ioannes Epiſcopo Sardenſi ſcribere iubetur: *Recordare, quomodo acceperis & audiueris, & tene, & pœnitentiam age.* Hic Epiſcopus deſcribitur, quod nomen habuerit, quod viuat, re autem vera mortuus ſit, i. e. quod gratia regenerante, iuſtificante & inhabitante deſtitutus ſit. Ex quo concludit B. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. p.* 878. *Aliqui peccatores reuocantur per illud lumen ſupernaturale, quod adhuc in lapſis eſt.* Et in *lacte catechet. P. IV. conc. XXIII. pag.* 285. Etliche durch ſchwere Sünden gefallene haben noch das übernatürliche Licht des Glaubens, was anlanget die Wiſſenſchaft, und bleibet noch ein Glanz davon.

Inſtantia I. Per peccatum proæreticum excutitur Spiritus S. adeoque & ſupernaturale notitiæ lumen. Reſp. Peccato proæretico excutitur *gratia* Spiritus S. *inhabitans,* non autem *aſſiſtens*, a qua eſt *illuminatio.* Peccatum voluntarium non expellit actutum ſupernaturale notitiæ lumen; alias nemo peccaret aduerſus conſcientiam illuminatam.

Inſtantia II. Sicut Deus homini naturaliter mortuo non reſtituit viſum, ſine totius corporis viuificatione; ita nec intellectum illuminat, ſine omnimoda animæ regeneratione. Reſp. Hoc ſimile ideo claudicat, quod Deus hominem naturaliter mortuum reſuſcitat vno momento, hominem autem ſpiritualiter mortuum conuertit *ſucceſſiue.* Sed de hoc infra plura.

7) Exſtant exempla eorum, qui e verbo diuino illuminati, neque tamen ſancti fuerunt.

a) *Epiſcopus Sardenſis,* de quo iam egimus.

b) *Bileamus* fuit homo lethalibus maculatus flagitiis, ſcilicet idololatria, Apoc. II, 14. iniuſtitia & auaritia, 2 Petr. II, 15. Iud. v. 11. cuius via fuit mala coram angelo Iehouæ, Num. XXII, 32. &c. tamen Deus verbum ſuum in os eius poſuit, Num. XXIII, 5. & oculos mentis ei aperuit, c. XXIV. vt etiam propheta audiat, 2 Petr. II, 16.

c) *Iudam Iſchariothem* Chriſtus appellauit diabolum, Io. VI, 70. & tamen cum reliquis Apoſtolis miſit ad prædicandum euangelium, Matth. X, 17. At ſi Iudas non fuiſſet illuminatus, a Chriſto non fuiſſet miſſus ad illuminandum alios per prædicationem euangelii.

d) Illuminati fuerunt illi *operatores iniquitatis*, qui Chriſtum compellant: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* Matth. VII, 22. 23. In nomine Chriſti prophetare nequit homo ſupernaturalis illuminationis expers.

e) *Scribæ & Phariſæi* illi, quorum præcepta ſeruare, & facere iubebantur Iudæi, Matth. XXIII, 1. 2. 3. non omnis luminis ſupernaturalis expertes fuerunt; ceteroqui ſapientiſſimus Dominus, Ieſus, non tantum populos promiſcue, quos ad veritatis agnitionem peruenire ſerio volebat, ſed & diſcipulos ſuos grauiter adhortatus eſſet, vt omnia, quæ illi ex Moſe & prophetis ſeruanda iniungerent, ſeruarent, factisque exprimerent.

Excipis: Phariſæi illi dicuntur *duces cæci*, Matth. XXIII, 24. Reſp. Dicuntur cœci *comparate & certo reſpectu;* quia notitiam rerum ſpiritualium, quam e verbo Dei hauſerant, non ad viuam praxin direxerant, quod ipſis obiicit Saluator inquiens: *Dicunt, ſed non faciunt.* At *reſpectiua cæcitas* cum *illuminatione imperfecta* conſiſtere poteſt. Id quod patet exemplo diſcipulorum Chriſti, Luc. XVIII, 34.

f) Illuminati erant doctores æmuli Paulli, qui, vt hunc deprimerent, ex inuidia & contentione Chriſtum prædicabant; quorum tamen prædicatione Apoſtolus in vinculis detentus gaudebat, Phil. I, 16.

g) Lu-

Digitized by Google

g) Lumen ſupernaturale irradiabat mentem prophetæ Bethelenſis, qui alium prophetam innocentem, fraude circumuentum ex via, qua ex voluntate Dei ibat, reducebat: factum eſt enim ad illum verbum Dei, quo huic repentinum interitum prædicebat. 1Reg. XIII, 20.

Excipis: Illuminatio Bileami, & huius prophetæ Bethelenſis, fuit extraordinaria, quæ non facit regulam communem. Reſp. Ex illa extraordinaria illuminatione colligere licet, quod *aliquando* illuminatio intellectus ſit ſine ſanctificatione voluntatis.

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiiciunt οἱ ἐξ ἐναντίας. I. Quicunque malitioſe reſiſtunt gratiæ diuinæ, illi non illuminantur: Atqui homines irregeniti &c. Ergo. Reſp. Quicunque malitioſe reſiſtunt gratiæ divinæ *illuminanti*, illi haud dubie non illuminantur. Nam ſubiectum illuminationis eſt homo docilis, ad eccleſiam vocatus, gratiam Spiritus S. illuminatricem admittens, verbumque divinum attente audiens, legens, meditans. Nihilo tamen minus & hoc verum eſt, quod multi gratiam illuminantem admittant, gratiæ autem *conuertenti & regeneranti* obſiſtant.

II. Conuerſionem fieri in inſtanti, magni nominis Theologi docent, quos inter etiam eſt D. CALOVIVS, qui in *ſyſtemat. theolog. tom. X. p.* 16. ſcribit: *Conuerſio temporis momento fit, ſimul ac ſemel, & veluti* ἐν ῥιπῇ ὄμματος, *vt hic ita de Deo* κατ' ἀνθρωποπάθειαν *loquamur.* Reſp. *Forma conuerſionis ſpecialiter dictæ conſiſtit in hominis irregeniti e ſtatu iræ & peccati in ſtatum gratiæ & fidei, e regno tenebrarum in regnum lucis translatione, quæ habet actus ſuos præparatorios, reſpectu quorum fieri dicitur ſucceſſiue. Præparatio enim ſuos habet gradus, & fit ſucceſſiue. Ipſa vero ex ſtatu iræ in ſtatum gratiæ translatio fit in inſtanti & momento, cum impoſſibile ſit, vt ſubiectum aliquod vel per momentum ſit ſimul in ſtatu iræ, & in ſtatu gratiæ, ſimul ſub vita, & ſub morte,* docentibus Theologis accuratiſſimis, D. KOENIGIO in *theol. poſitiua* §. 502. & D. QVENSTED. in *ſyſtem. theol. P. III. c. VII. p.* 493. Iam vero illuminatio hominum adultorum (de infantum illuminatione nobis hic non eſt ſermo) imperfecta atque pædagogica pertinet ad actus conuerſionis præparatorios, & fit ſucceſſiue. Spectant huc verba memoratu digniſſima D. SONTAGII in *fanaticiſmo* §. 62. *Cum tota hominis conuerſio (eaque non terminatiue, aut excluſiue, ſed cumulatiue ſumta) fiat ſucceſſiue*, Marc. IV, 28. *& non in puncto mathematico (quod dixit B. Martinus Chemnitius) conſiſtat; mirum non eſt, ſi illa diuinæ gratiæ œconomia, quam vocamus illuminationem intellectus, quamque Deus reſiſtibiliter operatur per verbum prædicatum, non fiat in inſtanti. Dantur nimirum plures gratiæ aſſiſtentis pulſus, quos inter & ille eſt, quo Spiritus S. perceptionem ſenſus biblici litteralis operatur.*

Inſtantia: Si illuminatio imperfecta eſt pædagogica, erit naturalis. Nam actiones pædagogicæ fiunt duce natura. Reſp. *Pædagogia alia eſt generalis, alia ſpecialis. Illa* fit per vires naturales; *hæc* fit per eleuationem intellectus ſupra vires naturales. Huc ſpectat illuminatio intellectus, *e verbo diuino* præparans hominem ad fidem in Chriſtum concipiendam.

III. Vna eſt in homine anima, cuius facultates (intellectus & voluntas) non eſſentialiter, ſed virtualiter, ſiue operatione diſtinguuntur. Cum itaque perpetua ſit, & intima conſpiratio intellectus & voluntatis, non poteſt illuminari intellectus, quin ſimul emendetur voluntas, nec ſanari voluntas, quin ſimul illuminetur intellectus. Ex vno enim & in vnum perpetuo conſpirant. Reſp. 1) Non neceſſaria & perpetua eſt intellectus & voluntatis poſt lapſum conſpiratio. Nam voluntas eſt potentia libera, quæ omnibus ad agendum requiſitis præſentibus, e quorum cenſu etiam eſt dictamen intellectus, poteſt agere & non agere, hoc



Digitized by Google

vel alio modo agere. Perquam vehemens ſæpe exæſtuat affectuum impetus, qui voluntatem a iudicio rationis transuerſam rapit, vt non intellectui, ſed prauo appetitui obtemperet: Id quod aperte fatetur Medea Ouidiana *libr.* 7. *metamorph.*

*Sed trahit inuitam noua vis aliudque cupido,*
*Mens aliud ſuadet: Video meliora, proboque,*
*Deteriora ſequor.*

2) Si illuminato intellectu, confeſtim conuerteretur voluntas, illuminatio eſſet momentanea; quod falſum eſſe, abunde probauimus.

Inſtantia: Si illuminato intellectu, non ſimul conuertitur voluntas, eodem temporis articulo, Deo in intellectum, diabolo in voluntatem hominis eſſet imperium, quod eſt abſurdum. Reſp. Si Deus *vim* ſuam *abſolutam & irreſiſtibilem* exſerere vellet, vtique vno momento diabolum ex anima humana eiiceret; at vtitur *potentia ordinata & reſiſtibili* in conuertendo homine. Idcirco gradatim intellectum illuminat, vt progreſſu temporis voluntas a captiuitate diaboli liberetur.

3) Si intellectus illuminatur, non emendata voluntate, illa illuminatio erit vana & omnis frugis expers: Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. *Conſequentia* probatur; quia voluntas hominis non emendata, ſed prauo appetitui mancipata intellectum vi & vehementia ſua in conſenſum trahit, & fœdis erroribus imbuit, qui illuminationem impediunt. Reſp. Neg. conſequentiam, quia hoc tantum ſequitur: Si intellectus illuminatur, non emendata voluntate, illa illuminatio *non* eſt *perfecta & complete ſalutaris*, ſed *imperfecta & pædagogica.* Seruiens prauo appetitui voluntas *complementum*, non initium & qualemcunque progreſſum *illuminationis impedit.* Neque tamen imperfecta illuminatio cenſenda eſt *vana & ſterilis*; ſiquidem ad voluntatem corrigendam diuinitus ordinata eſt. Quod etiam præſtaret, niſi voluntas malitioſe & moroſe obluctaretur.

IV. Vbi Spiritus S. adeſt, ibi eſt totus, non dimidius, ibi totus etiam operatur, omnesque ſuos actus exercet: Ergo quodcunque cor humanum Spiritus S. illuminat, illud inſimul conuertit, regenerat, iuſtificat & renouat. Reſp. Diſt. inter *eſſentiam* Spiritus S. & eius *operationes.* Vbi Spiritus S. adeſt, ibi tota eius eſſentia adeſt, cum ſit ἀμέριστος, ſiue indiuiſibilis; at non ſimul & ſemel omnes ſuas operationes exercet; non ſimul & ſemel omnes diuitias bonitatis ſuæ profundit, neque vno momento ex homine ſceleratiſſimo ſanctum efficit.

V. Quicunque Spiritum S. non poſſunt accipere, illi nequeunt illuminari: Atqui irregeniti &c. Ergo. *Minor* probatur ex Io. XIV, 17. *Mundus ſpiritum veritatis non poteſt accipere.* Diſting. inter *gratiam Spiritus S. aſſiſtentem, & inhabitantem.* Quicunque Spiritum S. neque *aſſiſtentem*, neque *inhabitantem* poſſunt accipere, illi nequeunt illuminari; concedo. At licet irregeniti non intra momentum temporis accipiant gratiam Spiritus S. *inhabitantem*, poſſunt tamen accipere gratiam Spiritus S. *aſſiſtentem*, per quam præparantur & diſponuntur ad fidem in Chriſtum concipiendam, vt per hanc Spiritus S. in cordibus habitet.

Inſtantia: Gratia *aſſiſtens* eſt adiuuans hominem renouatum, & cum eo cooperans; quæ gratiam *inhabitantem* non præcedit, ſed ſequitur. Reſp. Per gratiam *aſſiſtentem* heic non intelligitur gratia hominem renouatum adiuuans, ſed gratia aſſiſtens dicitur, cum Spiritus S. *externe* circa cor hominis verſatur, non tantum Obiectum ſaluificum proponendo, & oſtendendo, quid fieri debeat, ſed etiam efficaciter tangendo, pulſando, & excitando, vt voluntatem Dei cognoſcat, licet eam non ſemper faciat, Apoc. III, 20.

VI. Qui non amat fratrem ſuum, is non eſt illuminatus. Atqui homo ſanctitatis expers non amat fratrem ſuum. E. *Maior* prob. ex 1 Io. II, 9. 10. 11. *Qui dicit, in luce ſe eſſe, at fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vsque nunc. Qui vero diligit fratrem ſuum, in luce*

Digitized by Google

*luce manet, & ſcandalum in ipſo non eſt. Qui vero odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, in tenebris ambulat, & non ſcit, quo abeat: quia tenebræ cæcos reddiderunt oculos eius.* Reſp. Qui non amat fratrem ſuum, ille non eſt illuminatus *illuminatione perfecta & complete ſalutari.* Poteſt tamen per gratiam diuinam *imperfecte & pædagogice* illuminatus eſſe. *Perfecta* illuminatio ſufficit ad generandam fidem, quæ per caritatem efficax eſt, Gal. V, 6. Per illuminationem autem *imperfectam* intendit Spiritus S. hominem *præparare & diſponere*, vt in Chriſtum credat, & proximum amet; quamuis hic intentus effectus non ſemper ſequatur per contumaciam, qua homo peccator gratiæ regeneranti & renouanti obſiſtit.

VII. Qui non diligit Deum, non cognouit eum, 1 Io. IV, 8. adeoque non eſt illuminatus: Homo expers ſanctitatis, non diligit Deum: Ergo. Reſp. Qui non diligit Deum, non cogoſcit eum notitia *practica & effectiua;* poteſt tamen, a Spiritu S. præuentus & excitatus, Deum cognoſcere notitia *theoretica & litterali.*

VIII. In quo non eſt vera Dei cognitio, is a Spiritu S. non eſt vere illuminatus: Atqui in homine ſanctitatis experte non eſt vera Dei cognitio. Ergo. *Minor* probatur ex 1 Io. II, 4. *Qui dicit, cognoui illum, & mandata illius non ſeruat, mendax eſt, & in hoc non eſt veritas.* Reſp. In quo non eſt notitia Dei neque *logice*, neque *ethice* vera, ille non eſt a Spiritu S. illuminatus. At vero in homine irregenito, quatenus a Spiritu S. imperfecte illuminatus eſt, poteſt eſſe cognitio Dei *logice & formaliter* vera, licet eadem non ſit vera *ethice & finaliter*, i. e. licet ad veram praxin & finem a Spiritu S. intentum non ſit traducta. Qui e lumine ſupernaturalis reuelationis cognoſcit, Deum eſſe in eſſentia vnum, & in perſonis trinum, illius θεογνωσία eſt *vera logice & formaliter;* at, ſi eandem non applicet ad fiduciam in Chriſto mediatore collocandam, ad Deum triunum amandum, venerandum, notitia illius *non* eſt *vera ethice & finaliter.*

IX. Qui non eſt lux in domino, is non eſt illuminatus: Atqui homo irregenitus &c. Eph. V, 8. Ergo. Reſp. Qui non eſt lux in domino, is non *perfecte* illuminatus eſt; concedo. Nam vt homo ſit lux in domino, requiritur, vt pro ſtatu huius vitæ ſit *adæquate* illuminatus, conuerſus, renatus, iuſtificatus, & renouatus.

X. Quæ anima non eſt capax cœleſtis ſapientiæ, illa a Spiritu S. non illuminatur: Atqui anima maleuola &c. Sap. I, 4. Ergo. Quæ anima neque *theoreticæ*, neque *practicæ* ſapientiæ capax eſt, illa a Spiritu S. non illuminatur; concedo. Ex illuminatione *imperfecta* eſt ſapientia *theoretica*, qua Deus ſimpliciter apprehenditur & cognoſcitur, ſed non ſapientia practica, qua Deus ſic cognoſcitur, vt ametur & colatur.

XI. Qui ſub conditione voluntatis diuinæ faciendæ cognoſcit, doctrinam Chriſti eſſe diuinam, ille abſque ſanctificatione non poteſt illuminari: Atqui homo peccator &c. Ergo. *Minor* prob. ex Io. VII, 16. 17. Reſpondit illis Ieſus, & dixit: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. Si quis voluerit voluntatem illius facere, cognoſcet de doctrina, vtrum a Deo ſit, an a me ipſo loquar.* Reſp. 1) *Voluntatem Patris facere* l. c. non ſignificat, *ſancte viuere.* Qui enim cæcus ſancte ambulabit? Annon intellectus prius eſt illuminandus? Annon de doctrina primum iudicandum, vtrum ea diuina ſit, nec ne? Annon ea tunc demum facienda, ad quæ intellectus colluſtratus, cognitione doctrinæ, dirigit? Ideoque cum obiectum diſputationis, Chriſtum inter & Iudæos, ſit *doctrina Chriſti*, an ſit Patris cœleſtis doctrina; τὸ *facere voluntatem Patris non abſolute, ſed reſtrictiue* hic accipiendum eſt, ſecundum ſubſtratam materiam, vt ſignificet, ex voluntate Patris cœleſtis ſcrutari ſcripturas V. T., & cum iis doctrinam conferre, an hæc illis ſit conſona. 2) Per cognitionem l. c. intelligitur notitia de doctrina Chriſti vberior, plenior & illuſtrior.

XII. Qui-

Digitized by Google

XIII. Quicunque eſt in peccatis mortuus, ille non poteſt eſſe homo illuminatus. Atqui homo irregenitus eſt in peccatis mortuus: Ergo. *Maior* probatur: quia, ſicut homo naturaliter mortuus oculis corporeis non cernit; ita ſpiritualiter mortuus nil videt oculis mentis; videret autem, ſi eſſet illuminatus. *Minor* claret: quia homo per regenerationem accipit vitam fidei, Gal. II, 20. ante autem erat mortuus in peccatis, Eph. II, 5. Reſp. Quicunque eſt in peccatis mortuus, ille non poteſt eſſe illuminatus illuminatione *perfecta & complete ſalutari*: nam hæc ad excitandam fidem ſufficiens eſt. Poteſt tamen homo, ſpiritualiter mortuus quidem, ſub diſpenſatione autem gratiæ aſſiſtentis, & pulſu diuino conſtitutus, *imperfecte & pædagogice* illuminari. Nam licet in anima nondum habeat internum principium vitale, Spiritus tamen ſanctus extrinſece circa animam eius verſatur & occupatur, tangendo, pulſando, excitando, & lucem notitiæ litteralis per verbum prædicatum aut lectum immittendo. Hanc meam aſſertionem probo exemplo Epiſcopi Sardenſis, cuius mentio iniicitur Apoc. III, 1. 3. Hic vocatur *mortuus*, & tamen iubetur *recordari, quomodo acceperit & audiuerit:* Hinc valide argumentor: Quicunque eſt *ſpiritualiter mortuus, & tamen recordari poteſt, qualem doctrinam a Domino per miniſterium verbi acceperit*, ille *imperfecte* eſt *illuminatus:* Atqui quidam homo, *ſpiritualiter* quidem *mortuus*, at ſub diſpenſatione gratiæ aſſiſtens, pulſuque diuino conſtitutus, *recordari poteſt, quam doctrinam a Domino per miniſterium verbi acceperit:* Ergo. Comparauerim eiusmodi irregenitos *mortuis illis oſſibus*, quæ vidit Propheta Ezechiel cap. XXXVII, 7. quæ a vento *extrinſecus mouebantur*, neruis ligabantur, carne & cuti obtegebantur, nullo in ipſis exiſtente ſpiritu. Sic gratia Spiritus S. aſſiſtens corda irregenitorum forinſecus tangit, pulſat, mouet, notitiam credendorum litteralem ipſis inſtillat, quamuis vita fidei deſtituantur.

Quæſt. XI. *Quotuplex eſt illuminatio reſpectu ſubiecti, ſiue hominis peccatoris?*

Illuminatio *reſpectu hominis*, doctrinam cœleſtem recipientis, eſt vel *litteralis & pædagogica*, vel *ſpiritualis & complete ſalutaris. Illa* eſt operatio Spiritus ſancti, qua is per gratiam ſuam externe aſſiſtentem & præparantem intellectum hominis irregeniti quidem, ad generationem tamen tendentis, litterali credendorum notitia inſtruit, & aſſenſum euangelii hiſtoricum producit, vt ad ſuſcipiendam fidem ſaluificam magis magisque diſponatur: *Hæc* eſt operatio Spiritus Sancti, qua is cor hominis contritum ingrediens & inhabitans, ſaluificam miſericordiæ diuinæ in merito Chriſti fundatæ cognitionem in eodem accendit, aſſenſum euangelii fiducialem producit, eundemque interno ſuo teſtimonio confirmat & obſignat.

Obſ. Diſtinctio illuminationis in *litteralem, & ſpiritualem* a Theologis orthodoxis vſurpatur *). D. DANNHAVERVS, de peccato in Spiritum S. accurate iudicaturus, inquit in *hodoſ. phænom. XI. p.* 1419. *Peccatum in Spiritum S. eſt ἀπιςία proæretica in homine ſatis illuminato*, Hebr. VI, 4. c. X, 26. 29. *Regi enim conuitium non dixerit, niſi qui ſciuerit eſſe regem*

*) Sed poſt motam, diuque agitatam controuerſiam, admodum caute dicendum eſt, atque hæc diſtinctio, quam non nulli perperam interpretati ſunt, aut propter ambiguitatem non vſurpanda, aut ita explicanda, vt neque internum quoddam lumen, præter litteram ſcriptam, nomine *ſpiritualis* illuminationis intelligatur, neque Spiritus Sancti efficacitas *litterali* notitiæ denegetur, quem ad modum fanatici homines abiecte de ea loquuntur, ac *litteram* velut *mortuam* exagitare auſi ſunt: de qua cautione obſeruanda b. Auctor te admonebit paulo poſt, in reſponſ. ad oppoſitionem I.

Digitized by Google

*regem. Satis, inquam, quia* ἅπαξ, *i. e. perfecte*, Hebr. IX, 26. *ſiue pædagogica illa fuerit illuminatio, & litteræ tantum, ſiue ſpiritualis cum* γεύσει *cœleſtium coniuncta, quæ neglecta diuino poſt iudicio vertit in excæcationem.* Quam ſolidam diſtinctionem clarius exponit D. QVENSTEDIVS *ſyſtem. theol. part. II. p.* 77. Φωτισμὸς, *ſiue illuminatio, vel eſt* παιδαγωγικὴ καὶ γραμματικὴ, *pædagogica, mere litteralis & externa, quando quis veritatis diuinæ cognitione eſt inſtructus, deque eius certitudine in conſcientia ſua conuictus, nondum tamen cognitam hanc veritatem ſigillo Spiritus in corde ſuo obſignatam, aut, per gratioſam Spiritus S. inhabitationem, confirmatam habet; vel* πνευματικὴ, *ſpiritualis, gratioſa & interna, quando ſcilicet quis vere renatus non tantum habet litteralem doctrinæ euangelicæ intelligentiam, ſed ſimul eſt templum Spiritus S., quod ipſe gratioſe inhabitat; ſiue, quando veritas non modo ſcitur & agnoſcitur, ſed ſimul a Spiritus S., in corde gratioſe inhabitantis interno teſtimonio corroboratur & obſignatur.* Suffragatur iisdem D. SEB. SCHMIDIVS in *colleg. bibl. poſt.* ita ſcribens *p.* 164. *Subiectiue poteſt eſſe* ψυχικὸς, *animalis, qui aliquid intelligit eorum, quæ ſunt Spiritus Dei; non qua talis, ſed qua iam a Spiritu Dei imperfecte illuminatus.* Quam illuminationem D. DANNHAV. & QVENSTED. vocarunt *pædagogicam & litteralem*, eandem D. SCHMID. appellat *imperfectam*. Quibus calculum ſuum addit D. IOANN. ADAMVS OSIANDER, in *theol. poſitiua, Part. III. p.* 19. Diſtinguitur gratia in *aſſiſtentem, & inhabitantem.* Et quidem *aſſiſtens* illa eſt, quæ extrinſecus adhuc operatur, non quod non ipſum cor hominis tangat, ſed quia adhuc Spiritu exterius verſante, nec inhabitante, ſuam vim exſerit, cui aſſignatur *præueniens*, quæ incapacitatem naturalem, omnibus connatam, aufert; *præparans*, quæ naturalem & actualem reſiſtentiam, ſpiritualibus aduerſam, cohibet; denique *excitans*, quæ mentem litterali ſenſu inſtruit, aſſenſum operatur, atque cor conterit. *Inhabitans* vero dicitur, cum ipſe Spiritus S. cor ingreditur, illud immutat atque inhabitat. Et in *colleg. ſyſtem. Part. IV. p.* 335. *Gradus primus gratiæ præuenientis & aſſiſtentis eſt illuminatio obiectiua, in verbi prædicatione, vel ſtricte, vel analogice ſic dicta, cum obiecti ſpecialis, per gratiam reuelati, ad indiuiduum applicatione: Alter gradus eiusdem eſt actualis & naturalis repugnantiæ inhibitio & refrænatio: Tertius denique eſt diſpenſatio litteralis notitiæ, & hiſtorici aſſenſus in euangelium, nec non generalis fiducia in Deum, &, mediante lege, contritio.* Tribuit itaque D. OSIANDER gratiæ *aſſiſtenti* tum illuminationem *obiectiuam*, tum diſpenſationem *litteralis* notitiæ & aſſenſus *hiſtorici.* Ex recentioribus addo D. FECHTIVM in *Tr. de ordine modoque gratiæ, p.* 21. *Spiritus S. illuminat & actiones ſuas exercet non in fidelibus tantum, ſed etiam in infidelibus ad fidem præparandis.*

Prob. Illuminatio *pædagogica* irregenitorum patet 1) ex Io. I, 9. *Chriſtus vera lux, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Quæ verba luculenter exponit D. FECHTIVS *l. c. p.* 21. Chriſtus, quantum in ſe eſt, per verbi miniſterium veram Dei cognitionem omni ſtudio & conatu, adeoque repetitis ſæpe actibus omnibus, qui ſe operantem admittunt, quousque admittunt, implantat. Nec enim generalitas locutionis permittit, vt de ea tantum illuminatione accipiatur, quæ complementum ſuum in plenaria hominis conuerſione aſſequitur. An enim ideo a Chriſto informatus iuuenis ille non eſt, quia poſt informationem ἀπῆλθε λυπούμενος, triſtis a Chriſto diſceſſit, eo, quod diuitias ſuas retinere non poſſet? Matth. XIX, 22. An ideo illuminatus a Spiritu S. non eſt, qui aliquid accepit luminis, licet omne culpa ſua non admiſerit? An ideo ſol non illuminat conclaue, quia vel *non totum* illuminat, vel non omnes eius partes *æqualiter* illuminat? Bileam, a Deo de Seruatore mundi, olim ex Iacob orituro, edoctus, quanquam infidelis eſſet, tamen ſemet appellat שתם העין, apertum oculo, ſeu, quod idem eſt, *illuminatum*, qui audiuerit verba Dei, videritque viſiones omnipotentis.



Digitized by Google

2) Ex 2 Petr. I, 19. vbi verbum Dei dicitur *lumen lucens in loco tenebricoſo, vsque dum dies illuceſcat*. Per τόπον αὐχμηρὸν, *cor humanum, absque verbo Dei tenebricoſum, intelligendum eſſe*, docet D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. m. h. l. fol.* 1545. Arguimus: Quodcunque lumen lucet in loco tenebricoſo, vsque dum dies cognitionis Chriſti illuceſcat, illud illuminat hominem irregenitum: Atqui lumen verbi diuini &c. Ergo.

3) E Pſ. XXV, 8. *Bonus & rectus eſt Iehouah, propterea docebit peccatores in via.* Deus eſt ſummum bonum, adeoque communicatiuum ſui: Eſt rectus & in ſe iuſtus, ſuasque creaturas ad iuſtitiam libentiſſime vult pertrahere: Ideoque peccatores (loquor cum D. GEIERO) tum externo verbi præſcripto, tum interna præueniente ac ſubſequente gratia informat, quam viam debeant ingredi, h. e. quid ipſis ſit credendum, agendum, omittendum.

4) Ex Eph. III, 9. vbi Apoſtolus aſſerit, *ſe illuminare omnes homines.* E. illuminauit etiam irregenitos ſucceſſiue, & per actus repetitos, donec fidem plene & ſalutariter conciperent.

5) Si nullus irregenitus illuminari poteſt, nullus Iudæus, nullus Turca, nullus gentilis conuerti poteſt: Sed haud raro conuertuntur: E. vere illuminantur. Quæ illuminatio cum non vno abſoluatur momento, ſed per gradus, per vices, per plures actus, Iudæum vel Turcam diſponat ac præparet ad fidem ſaluificam concipiendam, vtique concedenda eſt quædam illuminatio *pædagogica* hominis nondum plene conuerſi, ſed in via conuerſionis conſtituti.

Dicis: I. Diſtinctio *illuminationis* in *litteralem, & ſpiritualem* non videtur eſſe accurata, cum illuminatio *litteralis* originem ſuam ducat e gratia *Spiritus S.* aſſiſtente & præparante. Reſpondeo verbis OSIANDRI: *Quanquam vires gratiæ aſſiſtentis ſint nouæ & ſpirituales: non ſunt tamen tales, niſi reſpectu efficientis cauſſæ, intentionis diuinæ & finis conſequendi, quatenus ſcilicet a Spiritu S. proficiſcuntur, & ad ſpiritualem finem diriguntur, quanquam nondum hominem ſpiritualiter viuum conſtituunt.* Vid. OSIANDRI *colleg. ſyſtemat. part. IV. p.* 335. Illuminatio itaque *ſpiritualis* ſenſu *ſtrictiori* hic dicitur, quæ *hominem ſpiritualiter viuum efficit*, in eodem, tanquam *templo Spiritus S.* magis magisque ſe exſerit, atque *interno Spiritus S. teſtimonio* obſignatur.

Dicis: II. Non datur illuminatio hominis irregeniti; eo, quod *Deus huius ſæculi excæcauit ſenſus infidelium, vt non ſplendeat illis illuminatio gloriæ Chriſti*, 2 Cor. IV, 3. Reſp. Non loquimur de homine irregenito *præfracte contumaci*, qui ideo, quod tenebras magis amat, quam lucem, permittente Deo, a diabolo ſic occœcatus eſt, vt ad lumen verbi diuini oculos mentis malitioſe occludat; ſed de peccatore, irregenito quidem, docili tamen, & lumen verbi diuini admittente, in via conuerſionis conſtituto, atque adeo præuento a ſpiritu S. Hic illuminatur *pædagogice*, donec dies ſpiritualis cognitionis Chriſti in ipſius corde illuceſcat.

Quæſt. XII. *Eſtne peccatori, pædagogice illuminato, ad illuminationem ſpiritualem adſpirandum?*

Peccator, in via conuerſionis conſtitutus, & *pædagogice illuminatus*, verbum diuinum aſſidue attenteque legat, audiat, meditetur, atque *ſe totum* gratiæ Spiritus S. illuminatrici permittat, donec lux ſapientiæ ſpiritualis, quæque coram iudicio Dei conſiſtere poteſt, in animo illius exoriatur.

Prob. 1) Ex 2 Petr. I, 19. *Habemus firmius propheticum verbum, cui, recte facitis, quod attenditis, tanquam lumini lucenti in loco tenebricoſo, vsque dum dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Monente Petro, eo vsque attendendum eſt verbo diuino, donec ſequatur illuminatio fidei, & Chriſtus, habitans in corde, id ipſum, lucidiſſimi inſtar phosphori, vberiori ſaluificæ cognitionis luce perfundat.

2) Eo

Digitized by Google

2) Eo fine *pædagogice* illuminatur peccator, vt *diſponatur & præparetur* ad illuminationem *ſpiritualem*, quæ non tantum illuſtrat intellectum, ſed dirigit etiam voluntatem ad amorem Dei & proximi. Quam illuminationem ſpiritualem ſi non aſſequitur peccator conuertendus, notitia illius litteralis non eſt ſufficiens, non fructuoſa, non ſalutaris, quia ad debitum vſum non traducitur, adeoque *finaliter falſa* vocari poteſt; ideo, quod fine vero, a Deo intento, fruſtratur. Conf. D. FECHT. *l. c. p.* 22. & 46. Quo ſpectant verba S. Ioannis, 1 ep. II, 4. *Qui dicit: Cognoui illum, & mandata illius non ſeruat, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt:* Et verba S. Paulli, 1 Cor. VIII, 2. 3. *Si quis videtur ſibi ſcire aliquid, nondum quidquam ſcit, ſicut decet cognoſcere; ſed ſi quis amat Deum, hic cognitus eſt ab ipſo.*

3) Notitia *litteralis*, quæ illuminationis *pædagogicæ effectus* eſt, coram iudicio Dei conſiſtere nequit. Id quod indigitat Chriſtus, Matth. VII, 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetauimus? Sed tum confitebor iis: non noui vos, diſcedite a me operantes iniquitatem!* Et Luc. XII, 47. *Seruus, qui ſcit voluntatem domini, ſed neque parat ſe, neque facit voluntatem eius, percutietur multis.*

4) Notitia *ſpiritualis*, quæ illuminationis *ſpiritualis fructus* eſt, effectiue & complete ſalutaris eſt; ex quo dicitur *ſcientia ſalutis*, Luc. I, 77. Cum enim iſthæc ſit initium fidei ſaluificæ, coram Deo non tantum ſapientes, ſed etiam iuſtos facit. *Per ſcientiam ſui iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multos*, inquit Iehouah, Eſ. LIII, 11. E quibus conficitur, quod peccator, in via conuerſionis conſtitutus, in illuminatione litterali & pædagogica non acquieſcere, aut ſubſiſtere, ſed tendere & conniti debeat ad illuminationem ſpiritualem & ſalutarem.

Dicis: Notitia credendorum litteralis eſt 1) *vera;* quia S. Scripturæ eſt conformis: 2) *ſalutaris*; propterea, quod e verbo ſalutis fluit, & ad ſalutem diuina intentione ordinata eſt: E. peccator in eadem acquieſcere poteſt. Reſpondeo ad I. verbis D. BREITHAVPTI, ex *inſtit. theol. p.* 263. *Vera eſſe poteſt notitia apud irregenitos veritate logica & litterali, ſeu ratione doctrinæ & obiecti credibilis; non autem ratione indolis & efficaciæ diuinæ, ſub qua Spiritus S. obiecta ſcripturæ intellectui & voluntati cognita eſſe vult; id quod niſi is poſſit efficere, fit ſane, vt quæ ſecundum litteram eſt veritas, ſecundum ſpiritum non ſit veritas.* Ad II. *Salutare* aliquid bifariam dicitur: a) *ratione ordinationis, vel deſtinationis ad ſalutem:* quo ſenſu medicamentum *in ſe ſalutare* eſt, quod ad ſanitatem corporis reparandam deſtinatum eſt: b) *ratione actualis collationis ſalutis:* quo ſenſu medicamentum *ſalutare* dicitur, quod *actu* valetudinem reparat. Notitia *litteralis* ad ſalutem procurandam diuinitus quidem *ordinata* eſt: *actu* autem ſalutem *non confert.* Quamuis itaque dici queat *pædagogice ſalutaris*, non tamen *effectiue* aut *complete ſalutaris* eſt. Conf. D. FECHT *l. c. p.* 22. & D. BREITHAVPT. in *theſib. credend. p.* 133. 134 *).



*) Vt omnia tandem, hactenus diſputata, in vnam ſummam conferamus, hæc doctrinæ purioris pars, de illuminatione hominis, nondum quidem denuo nati, at verbum tamen legentis, audientis, veramque eius ſententiam percipientis, vera quidem illa, tametſi nondum perfecta, proficiſcitur ab his principiis: 1) Verbum Dei, litteris conſignatum, eſt vnicum illud medium ordinarium, quo recte adhibito Spiritus S. mentem hominis illuminat, & cognitione veritatum diuinarum imbuit: 2) Sententia huius verbi eſt, manetque diuina, ac ſemper vna veritas, quisquis demum ſit, qui illud oculis auribusue vſurpet, atque animo percipiat: 3) Efficacitas verbi ſemper eſt vna eademque, quamuis eius effectus hominis vitio impediatur: 4) Vel primi motus, inter legendum, vel audiendum, in animo excitati, ſunt primi effectus, qui exiſtunt ex ea, quæ ſemper in verbo ineſt, efficacitate. E. illuminatio

Quæſt. XIII. *Quibus adminiculis vti debet peccator, vt ſpiritualiter illuminetur?*

*Adminicula.* Ad obtinendam illuminationem ſpiritualem *tria* requiruntur adminicula: *Oratio* a), *meditatio* b), *tentatio* c).

Prob. a. Ex Luc. XI, 13. *Dabit Pater Spiritum S. petentibus.* Quoniam ſalutaris intelligentia verbi diuini non obtinetur ſine gratia Spiritus S., aſſidue orandum eſt, *vt Deus det nobis Spiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitionem ipſius, atque illuminatos oculos intellectus*, Eph. I, 17. 18. Sic precatur rex Dauid: *Reuela oculos meos, vt videam mirabilia e lege tua*, Pſ. CXIX, 18.

Prob. b. Ex Io. V, 39. *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis habere vitam æternam, & illæ ſunt, quæ de me teſtantur.* Quemadmodum foſſores metallorum intimas terræ cauernas rimantur, & venatores feras in abſtruſis ſiluarum receſſibus indagant: ita non obiter, ſed penitiſſime inſpicienda eſt S. Scriptura, vt viam ad vitam æternam, (quæ eſt Chriſtus, Io. XIV, 6.) inueniamus.

Prob. c. Ex Pſ. CXIX, 71. *Bonum eſt mihi, quod afflictus ſum, vt diſcam ſtatuta tua.* Afflictiones pandunt viam ad practicam & experimentalem ſtatutorum diuinorum notitiam.

Quæſt. XIV. *Fitne illuminatio & regeneratio peccatoris per purgationem, ſiue abſtractionem animæ a creaturis, & conuerſionem in ſeipſam?*

Illuminatio & regeneratio peccatoris *non* fit *per purgationem*, ſiue *abſtractionem animæ a creaturis*, & *conuerſionem in ſeipſam.*

*Antitheſis* eſt 1) *Pythagoræorum, & Platonicorum*, qui ſtatuebant, priusquam anima peruenire valeat ad veram ſapientiam, opus habere καθάρσει, hoc eſt, *purgatione* quadam, qua ei ſordes corporis, ſenſuumque materialium detergerentur. Purgationi iungebant *mentis in ſeipſam veluti conuerſionem aliquam*, quam volebant eſſe ad veram ſapientiam quaſi aditum, oſtiumue; nam putabant, animum, conſcium ſuarum virium, & a vinculis, ſordibusque corporis, materiæque liberatum, ante omnia in ſe verti, ceteris, quæ extra ſunt, obliuioni velut traditis, &, vt ad ſe nil pertinentibus, memoria eiectis: ἐπιστροφὴν εἰς ἑαυτὸν hoc appellabant. Tandem vltimum adiiciebant mentis officium, quod vocabant ἄνοδον, ſeu *aſcenſum.* Volebant enim mentem puram ab omni corporis contagione, liberatamque, collectis quaſi in ſe viribus, deſerere hæc inferiora, ferrique ſurſum, & cœleſtia diuinaque petere, & ad ipſum ſuum ſtudere principium reuerti, hocque *aſcenſum* eius nominabant. Vid. SCHEFFERI *philoſoph. Italicam c. IX. p.* 74. *ſeqq.* 2) *Myſticorum*, dogmata Pythagoræorum & Platonicorum amplectentium. Inculcat hanc introuerſionem frequentiſſime MICHAEL DE MOLINOS in *manuduct. ſpirituali, libr. III. c.* 2. *p.* 270. *Continuum hominum ſpiritualium exercitium eſt, intrare in ſe, in Deum, cum quiete & ſilentio, quia ibi eius eſt centrum, habitatio & deliciæ. Maioris æſtimant interiorem hunc ſeceſſum, quam ſermonem de Deo. Secedunt in illud interius, & ſecretum animæ centrum, ad cognoſcendum Deum, & accipiendam diuinam eius influentiam cum timore & amantiſſima reuerentia.* A quibus rebus autem anima abſtrahenda ſit, idem *ibidem pagina* 379. docet, inquiens: *Scias, quod abnegare ſe debeat, & a quinque rebus abalienare ille, qui peruenire cupit ad ſcientiam; myſticam* 1. *a creaturis,* 2. *a rebus temporalibus,* 3. *ab ipſis donis Spiritus S.* 4. *a ſemetipſo,*

natio hominis, nondum denuo nati, ſimul atque is verbum legit, audit, percipit, eſt vera, eſt diuina, eſt efficax, nec omni effectu vacua, quamuis incepta tantum, in dies continuanda, ac toto effectu, omnino ſalutari, perficienda.

Digitized by Google

*ſemetipſo, & 5. perdere ſe debeat in Deo. Hæc vltima eſt perfectiſſima, quia tantum ea anima, quæ ita ſe alienare poteſt, illa eſt, quæ eo peruenit, vt in Deo ſe perdat.* Hanc κάϑαρσιν vocat etiam *annihilationem*, qua homo ſeipſum, & omnia in mundo nihili facit, p. 382. nec non interiorem *ſolitudinem*, quæ conſiſtit in obliuione omnium creaturarum, in alienatione, & perfecta nuditate omnium affectuum, deſideriorum, & cogitationum, ac propriæ voluntatis, *ibid. p.* 338. Appellat MOLINOSIVS abſtractionem etiam *mortificationem interiorem & perfectam reſignationem, ibid. p. 304.* de qua ſic philoſophatur: *Nunquam guſtabis delicioſum Manna* Ap. 2. *quod nemo nouit, niſi qui accipit, niſi te perfecte vincas, donec in te ipſo moriaris; ideo reſigna te, & abnega totaliter.* Introuerſio dicitur etiam a MOLINOSIO *recollectio ſui interior, libr. I. c. 11. p. 92.* Hanc introuerſionem (Einkehr, oder Einkehrung) magnopere commendat WEIGELIVS *Part. II. poſtillæ p. 62.* Könnten wir einkehren, und GOtt in uns ſelber hören, wir kämen zu einem treflichen Licht. *Et p. 67.* Wir im neuen Teſtament ſind ſelbſt der Tempel, darein ſollen wir kehren durch Faſten, Wachen und Beten, ſo werden wir auch lernen die Dinge, die uns kein Buch, noch Menſch lehren mag, bis an den jüngſten Tag. 3) *Quackerorum* quorum Anteſignanus in *Apol.* p. 226. ſcribit: *Debent animæ ad internum illud in ſemetipſis principium conuertere, quaſi ad doctorem excellentiſſimum, qui nunquam in angulum remoueri poteſt.*

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Non improbamus *omnem abſtractionem* animi a rebus peregrinis, & curis ſæcularibus in actuali verbi vſu, piisque meditationibus & precationibus. Neque enim deuotæ ſunt preces, quas os hominis recitat, cuius cor in peregrinas, & longe lateque euagantes cogitationes diſtrahitur. Vid. Eſ. XXIX, 13. Auerſamur *eam abſtractionem*, aut *annihilationem*, qua mens ab *omnibus creaturis*, atque a *donis diuinis* abſtrahitur, & *eſſe ſuum* in Deo *perdit*.

Obſ. II. Non reprehendimus *omnem reſignationem*, cum & noſtri Theologi *moderatam piamque reſignationem* (die Gelaſſenheit) doceant, quam eleganter deſcripſit B. SCRIVERIVS in *ſpirituali theſauro animæ, Part. III. p.* 1390. Die Gelaſſenheit iſt eine Frucht des Glaubens, und eine kindliche Zuverſicht der Seelen zu GOtt, dadurch ſie ſich gantz und gar ſeinem heiligen und gnädigen Willen überläſſet und ergiebet, ſeiner väterlichen Vorſorge und allweiſen Regierung ſich willig und demüthig unterwirſt, und nichts anders ſuchet und wünſchet, als daß ſie allenthalben und allezeit in Lieb und Leid, in Glück und Unglück, in Reichthum und Armuth, im Leben und Sterben, ein Werk ſeiner Gnaden und Gefäß ſeiner Ehren ſeyn möge. *Illam* vero *reſignationem* improbamus, quæ notat *exſpoliationem omnium affectuum, deſideriorum & cogitationum*, quam WEIGELIVS aditum & viam ad illuminationem eſſe vult, inquiens: Möchte ich ein Kind ſeyn, oder ſo viel würken als ein Kloß, nur eine halbe Stunde, ich würde ein Prophet und Apoſtel, *Part. II. poſtill p.* 229.

Obſ. III. Diſtinguendum eſt *inter deſcenſum in cor vel animam commemoratiuum* peccati vel ſtatus miſeriæ, & *exploratiuum pœnitentiæ & fidei*, atque *apprehenſiuum luminis interni, immediate reuelantis.* Deſcenſum animi in ſeipſum *commemoratiuum peccati* quis auſit reprehendere? Filius acolaſtus εἰς ἑαυτὸν ἐλϑών, *ad ſe rediens*, dixit: *Quot mercenarii patris mei abundant pane! ego vero fame pereo!* Qui reditus animi ad ſeipſum pertinet ad agnitionem peccati, ſine qua nulla eſt vera pœnitentia. Ad hunc deſcenſum in cor cohortatur Deus Iſraëlitas, Eſ. XLVI, 8. *Redite præuaricatores ad cor.* Deſcenſus autem in animam δοκιμαστικὸς, ſiue *exploratiuus*, Chriſtianorum omnium eſt, vt ſeipſos probent, an veram habeant fidem, cui omnis veræ fidei requiſita competant. Ad hanc δοκιμασίαν nos merito



Digitized by Google

moueat adhortatio Paullina, 2 Cor. XIII, 5. *Vos ipſos tentate, num ſitis in fide; vos ipſos probate.* Impræſentiarum controuertitur de ἐπιστροφῇ εἰς ἑαυτὸν, ſiue de introuerſione animi in ſeipſum, *ad exſpectandum & obſeruandum & apprehendendum* lumen *internum, immediate* reuelans.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

I. Quodcunque dogma falſa nititur hypotheſi, illud eſt reiiciendum: Atqui dogma de *introuerſione in intimum animæ centrum,* ab obſeruandum & apprehendendum *lumen internum, immediate* (absque concurſu S. ſcripturæ) *reuelans*, falſa nititur hypotheſi: Ergo. *Minor* e ſuperiori quæſtione patet: quia luculentiſſime demonſtrauimus, non dari præſenti tempore in anima humana lumen internum, immediate docens.

II. Quicunque in corde ſuo denſiſſimas inuenit tenebras, is per *introuerſionem in intima cordis penetralia* non poteſt illuminari: Atqui gentilis, lumine ſcripturæ deſtitutus, &c. E. *Minor* probatur ex Eph. V, 8. 18.

III. Quæcunque doctrina hominem ab ordinario illuminationis medio auocat, illa in eccleſia orthodoxa non eſt toleranda: Atqui doctrina myſticorum, de introuerſione in cor, ad exſpectandum & obſeruandum lumen internum &c. E. *Minor* probatur: quia ordinarium illuminationis medium eſt S. ſcriptura, 2 Petr. I, 19. Ad hoc lumen externum oculos corporis & mentis conuertere debet peccator illuminandus.

IV. Qua opinione enthuſiaſmus in eccleſiam inuehitur, illa a nobis ſit aliena: Atqui opinione de *introuerſione in cor, ad exſpectandum lumen internum* &c. E. *Maior* confirmatur ex *epitome Form. Concord. p. 581.; Reiicimus etiam, damnamusque Enthuſiaſtarum errorem, qui fingunt, Deum immediate absque verbi Dei auditu, & ſacramentorum vſu homines ad ſe rapere, illuminare, iuſtificare & ſaluare.* Atqui myſtici, conuertentes animum in intimum cordis fundum, volunt immediate illuminari.

V. *Abſtractio ab omnibus creaturis* eſt impia: E. pio chriſtiano indecora. *Antecedens* liquet: quia etiam humana Chriſti natura, S. ſcriptura, ratione materialis ſui litterarum & ſyllabarum, atque ſacramenta, reſpectu elementorum externorum, ſunt e cenſu creaturarum.

VI. *Reſignatio myſtica* tum cultui diuino, tum rationali hominis naturæ aduerſatur: E. Chriſtianum dedecet. *Antecedens* patet: quia Deus cultum poſtulat non ἄλογον, ſed λογικὸν, ſeu rationalem, non ἀπαθῆ, affectibus deſtitutum, ſed παθητικὸν, affectibus piis ardentem, Rom. XII, 2. 11. At reſignatio myſticorum eſt exſpoliatio omnium ſenſuum, cogitationum & affectuum, atque commutat hominem in truncum, ſana ratione carentem.

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiiciunt aduerſarii: I. *Deſcenſus in animum* verbo diuino præcipitur, Eſ. XLVI, 8. Atqui deſcenſus in animum eſt *introuerſio animi in ſeipſum.* E. Reſp. *Deſcenſus in animum* qui eo fine fit, vt homo *immediate* illuminetur, verbo diuino præcipitur; nego. In loco citato intelligitur deſcenſus in animum *commemoratiuus peccatorum & miſeriæ.*

II. *Abnegatio ſui* eſt præcepta, Matth. XVI, 24. *Abſtractio ab omnibus externis* eſt abnegatio ſui. E. Reſp. Neg. *Min.* Nam *abnegatio ſui* eſt actus voluntatis, quo noſtrum honorem & commodum gloriæ diuinæ poſtponimus. At *abſtractio* eſt actus intellectus, quo mentem a conſideratione omnium creaturarum abſtrahunt Myſtici.

III. Quorum eſt, *ſeipſos tentare & probare,* illos oportet *conuertere animum in ſeipſum.* Atqui Chriſtianorum eſt &c. 2 Cor. XIII, 5. Reſp. Quorum eſt tentare & probare ſeipſos, eum

Digitized by Google

*eum in finem*, *vt illuminentur*, *& regenerentur*, illorum eſt conuertere animum in ſeipſum; concedo. At veri Chriſtiani non ſunt illuminandi, aut regenerandi, ſed ſunt illuminati & regenerati, adeoque δοκιμασία illorum non eſt medium illuminationis & regenerationis, ſed ab illuminatis & renatis eo fine inſtituitur, vt certiores reddantur, ſe habere veram viuamque fidem. Idcirco, inſtituto intra ſeipſos examine, fidem ſuam ad verbi diuini obruſſam exigunt, num requiſitas in eo conditiones, partes, virtutesque præſtet, verisque fidei viuæ fructibus ſe exſerat? Quam ob rem δοκιμασία Chriſtianorum. a Pythagorica ἐπιστροφῇ εἰς ἑαυτὸν longiſſime differt. *Illa* eſt hominis *illuminati*; *hæc* hominis *illuminandi*. *Illa* fit ſecundum *verbum* Dei *externum*; *hæc* obſeruat *lumen internum & immediatum*. *Illa* fit *actu mentis reflexo*, quo homo ſe reflectit ſupra cognitionem ſuam, & cognoſcit, ſe vere Deum cognoſcere, & in ipſum credere; *hæc* fit *actu mentis directo*, qui eſt quaſi aditus & via ad Deum cognoſcendum.

IV. Quicunque eſt *templum Dei*, ille poteſt ſe conuertere in intimum cordis fundum, ad quærendum Deum in ſe habitantem: At vero Chriſtianus &c. 1 Cor. III, 16. E. *Maiorem* confirmat MICHAEL de MOLINOS, *libr. I. manud. ſpirit. c. III. p. 52.* ex ſoliloquiis AVGVSTINI Deum ita compellantis: *Ego, Domine, errabam, vt ouis errabunda, te induſtrioſo diſcurſu quærens foris, cum eſſes intra me. Magnopere fatigatus ſum, vt quærerem te extra me; tuque habes habitationem tuam intra me, cum ego te deſidero & anhelo. Circumibam plateas, & fora ciuitatis huius mundi, quærens te, & non inueniebam te, quia eum fruſtra quærebam foris, qui erat in me ipſo.* Reſp. 1) Committitur ignorantia elenchi. Nam quæſtio eſt, an homo peccator illuminetur & regeneretur per conuerſionem mentis in ſeipſam. At verus Chriſtianus, qui eſt templum Dei, iam illuminatus & regeneratus eſt. 2) Homo viator, *actu mentis directo*, quærit & inuenit Deum a) in *regno naturæ*, obſeruando lumen naturale inſitum, & documenta beneficentiæ diuinæ tam luculenta, vt vel a cœco palpari queant, Act. XVII, 28. b) in *regno gratiæ*, meditando ſcripturam, quæ de Chriſto teſtatur, Io. V, 39. & in qua reperiuntur conſilium Dei ſalutiferum, Act. XX, 17. myſteria Dei, propter ſalutem noſtram reuelata, Rom. XVI, 25. & diuitiæ Chriſti, Eph. III, 8. *Actu* vero *mentis reflexo* verus Chriſtianus ſuam probat fidem, an ſit vera & viua? atque adeo inquirit, an per eandem Deus in ſe habitet? quo B. AVGVSTINVS ſpectaſſe videtur.

Quæſt. XV. *An cum ſilentio exſpectandum eſt lumen Dei ſupernaturale & ſalutiferum?*

Tantum abeſt, vt lumen diuinum *ſupernaturale* cum *ſilentio* ſit exſpectandum, vt potius verbum Dei externum, quod eſt lumen clariſſimum, ſerio ſit prædicandum, ſedulo audiendum, frequenter legendum, attenteque penſitandum, iuxta atque piæ preces, ſacris hymnis miſtæ, in cœlum mittendæ ſint, quo lux ſalutifera cognitionis in cordibus noſtris ſuboriatur, & ſubinde maiora incrementa ſumat.

*Antitheſis* eſt *Myſticorum*, *Weigelianorum*, *& Quackerorum*. Præcipue *ſilentium* commendat MOLINOSIVS, auctor QVIETISMI, in *libr. I. de ſpirit. manud. c. XVII. p. 146.* inquiens: *Triplex ſilentii genus eſt. Primum verborum, ſecundum deſideriorum, tertium cogitationum. Primum eſt perfectum, perfectius ſecundum, perfectiſſimum tertium. Primo, quod eſt verborum, acquiritur virtus: ſecundo, quod eſt deſideriorum, obtinetur quies: tertio, quod eſt cogitationum, interior recollectio. Non loquendo, non deſiderando, non cogitando peruenitur ad verum & perfectum ſilentium myſticum, in quo Deus loquitur cum anima, ipſi ſe communicat, eamque maxime docet in intimo fundo ſuo perfectiſſimam, maximeque ſublimem ſapientiam.*

Idem

Digitized by Google

Idem ſilentium vrget WEIGELIVS in *poſtill. P. II. p.* 230. Es muß alles in eine Stille kommen, ſoll ich das göttliche Einſprechen hören, oder vernehmen, das iſt, ſoll ich erleuchtet, oder gläubig gemacht werden, ſo muß ich in mein Kämmerlein gehen, und auf einen Winkel gehen, und in einer Stille auf GOtt warten; welches Warten in einer Stille die buchſtäbiſche Enthuſiaſterey, oder Schwärmerey heiſſet. *Quackeri* in publicis ſuis conuentibus amant ſilentium, quod non diffitetur CATON in *ſimplici inquiſitore, p.* 8. *Quando Quackeri conueniunt, exſpectant dominum in lumine ſuo, interdum ad alteram, tertiamue horam, in ſilentio. Nonnunquam tamen, antequam præterlabatur, aliqui a domino mouentur, vt plus, minusue dicant, ad ædificationem aliorum, in ſanctiſſima fide.* Silentium hoc *Quackeri* vocant *internum animæ ſabbathum,* de quo GEORG. KEITHVS, *amica reſp.* ad D. BAIERVM *p.* 14. ſcribit: *Ab exercitio & vſu verborum ſcripturæ anima fidelis, ſequendo internum ſuum doctorem Spiritum S., ad tempus in aliud genus nobilioris exercitii & vitæ tanquam a labore in quietem, & veluti a ſextiduo opere, in iucundiſſimum hoc ſabbathum diuertit, immo ab omnibus ſuis aliis exercitiis (tum externis, tum internis, vbi ſcriptura locum ſuum habeat præclarum) in hoc otium, ſabbathum, & veluti ſomnum ſpiritualem cum Iacobo rapitur, vbi videt cœlos apertos, & quaſi angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes.* WEIGELIO mire placet hoc ſabbathum internum, qui *part. II. poſtill. p.* 86. inquit: Gib dich nach deinem innigen Gebet oftmals in ein Silentium, laß dich GOtt ganz und gar von innen und von auſſen, komme in ein Vergeſſen deiner ſelbſt, auf daß GOtt Raum und Statt finde zu würken, und dich zu erleuchten.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Cum myſtici diſtinguant inter *ſilentium verborum, cogitationum & deſideriorum,* nos primum ſilentium *verborum* certo approbamus; amant enim meditationes verbi diuini intra priuatos parietes ſilentium: at ſilentium *deſideriorum & cogitationum* improbamus.

Obſ. II. Veros chriſtianos decet quidem cum ſilentio coniuncta exſpectatio auxilii diuini, non autem *tacita exſpectatio* luminis, *immediate* reuelantis.

Obſ. III. Doctrina de *interno animæ ſabbatho*, quatenus notat 1) ceſſationem ab operibus carnis, 2) quietem animæ in Deo, 3) meditationem beneficiorum diuinorum, 4) æterni ſabbathi deſiderium & exſpectationem, in eccleſiis noſtris retinetur, & inculcatur. Vid. GERHARD. in *ſchol. pietatis P. III. c.* 28. At reiicitur ſabbathum internum, quatenus non *verborum* tantum, ſed & omnium *cogitationum & ſenſuum ſilentium* notat.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Aſſertum noſtrum confirmamus: 1) Qui per immediatas reuelationes diuinas non illuminantur, illorum non eſt, ſepoſitis externis mediis, cum ſilentio lumen diuinum immediate reuelans exſpectare: Atqui homines tempore præſenti viuentes &c. E. *Maiorem & minorem* demonſtrauimus ſupra.

2) Quorum eſt, diu & noctu meditari in lege, Pſ. I, 2. verbum Dei attente audire, Matth. XI, 15. vt fidem ex eo concipiant, Rom. X, 14. ſemper & indeſinenter orare, Luc. XIIX, 1. 1 Theſſ. V, 17. gratias agere ſemper de omnibus, Eph. V, 20. de rebus diuinis colloqui, Col. III, 16. 1 Theſſ. IV, 18. illorum non eſt, lumen ſupernaturale immediate docens cum ſilentio exſpectare: Atqui verorum chriſtianorum &c. Ergo.

3) Qua ratione Saluator αὐτοπροσώπως docens, eiusque Apoſtoli conuentus ſacros celebrarunt, eadem ratione hodienum nos oportet conuentus eccleſiaſticos inſtituere, & publica pietatis exercitia peragere: Atqui Chriſtus erat prædicans, Marc. I, 39. Petro concionante,

ter

Digitized by Google

ter mille auditores conuertebantur, Act. II, 41. Reliqui etiam Apoſtoli orationi & miniſterio verbi incumbebant, Act. VI, 4. E. eorum conuentus non fuerunt muti.

4) Quodcunque ſilentium tum perennem de Deo cogitationem, tum perpetuum gratiæ diuinæ deſiderium excludit, illud eſt impium: Aqui myſticorum ſilentium &c. E. *Maior* conſtat: quia noſtrum eſt, ſemper de Deo cogitare, eiusque gratiam anhelare. Vid. Pſ. LXIII, 7. Eſ. XXVI, 8. 9. *Minor* prob. quia auctores myſtici ab homine ſpirituali exigunt ſilentium non ſolum verborum, verum etiam omnium deſideriorum & cogitationum, vt etiam actualem de Deo cognitionem ad tempus intermittat. BONAVENTVRA citante & approbante MOLINOSIO *l. c.* 55. docet, *nullam rem cogitandam eſſe, ne quidem de ipſo Deo; cum imperfectio ſit, tenere formas, imagines ac ſpecies, quam etiam ſint ſubtiles, tam voluntatis, quam bonitatis, trinitatis & vnitatis, ipſius etiam eſſentiæ diuinæ; quando quidem omnes illæ ſpecies ac imagines, quanquam deiformes videantur, ipſæ tamen non ſint Deus, qui non admittat imaginem, aut formam vllam.* Adducit idem l. c. p. 53. THOMAM Aquinatem, ſilentium deſideriorum ſuadentem: *Magna cæcitas*, inquit THOMAS, *eſt in multis, qui ſemper Deum quærunt, continue ad Deum ſuſpirant, frequenter Deum deſiderant, quotidie in oratione ad Deum clamant, & pulſant, cum ipſi ſecundum verbum Apoſtoli ſint templum Dei viui, & Deus veraciter habitet in eis, cum anima ipſorum ſedes Dei ſit, in qua continue requieſcit.*

5) Non poſſunt *Myſtici & Quackeri* cum ſilentio exſpectantes lumen immediate reuelans, notam *Enthuſiaſmi* effugere; quia fingunt, Deum *immediate* absque verbi diuini auditu, & ſacramentorum vſu, homines illuminare. Conf. F. Conc. p. 581.

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

I. *Mulier diſcat in ſilentio*, 1 Tim. II, 11. 12. Id quod fecit Maria Bethanienſis, Luc. X, 39. Formari itaque poteſt argumentum: Cuius eſt, *in ſilentio diſcere*, illius eſt exſpectare lumen *immediate illuminans:* Atqui mulieris eſt &c. E. Reſp. Neg. *Maior.* Nam mulieris quidem eſt, diſcere in ſilentio, verbum Dei litteris conſignatum legendo, vel audiendo; id quod fecit Maria Bethanienſis, quippe quæ ad pedes Ieſu aſſediſſe dicitur, non in fanatica quadam quiete, ſed vt audiret ſermonem eius l. c. v. 39.: At non eſt mulieris, immediatam in ſilentio exſpectare illuminationem.

II. Ieremias, Thren. III, 26. *Bonum eſt*, inquit, *exſpectare cum ſilentio ſalutare Dei.* E. Homo tacitus exſpectet internam Dei illuminationem. Reſp. L. c. prophetæ ſermo eſt non de tacita exſpectatione *luminis*, ſed patienti exſpectatione *auxilii.*

III. Apoſtolis præcipiebatur, vt exſpectarent promiſſionem Patris, Act. I, 4. Qui etiam Act. II, 1. dicuntur omnes vno loco fuiſſe, nullo loquente; & tunc repente Spiritus S. aduenit: E. hodienum Chriſtianorum eſt, cum ſilentio Spiritum S. illuminantem exſpectare. Reſp. 1) Exemplum Apoſtolorum eſt extraordinarium; ſiquidem illi a Spiritu S. illuminati ſunt immediate, ad docendum omnes gentes. At ſicut non omnes fideles debent eſſe apoſtoli, 1 Cor. XII, 28.; ſic non omnes immediate illuminantur. 2) Apoſtoli exſpectarunt promiſſionem Patris non ſilentium tenendo, ſed iugiter precando, & concionando. Act. I, 14. 15.

Inſtantia: Non neceſſe eſt, continue ad Deum ſuſpirare, in oratione ad Deum clamare illos, qui ſunt templa Dei viui, & in quibus Deus veraciter habitat & quieſcit. Nam Deus nouit illorum neceſſitates, & in cordibus ipſorum loquitur. Reſp. Chriſtus nobis præcepit, vt ſemper precemur, Luc. XVIII, 1. & Paullus ſuadet, vt indeſinenter oremus, 1 Theſſ. V, 17. Præſenti autem, corda noſtra inhabitanti, & omniſcio Deo exponimus deſideria noſtra, non omniſcien-



Digitized by Google

ſcientiam præſentiſſimi Numinis informaturi, ſed fidem noſtram teſtaturi, quod omnia dona bona & perfecta a Patre luminum deſcendant, Iac. I, 17.

IV. Amici Iobi ſeptem dies, & noctes totidem taciti conſidebant. Hæc erat longa ſilens conuentio, Iob. II, 13. Conf. Esdr. IX, 4. Reſp. Iobus cum amicis ſuis, nec non Eſdra, ad tempus ſilebant, non ſuſpenſi exſpectatione luminis, ſed ingenti mœrore perculſi & obſtupefacti.

Quæſt. XVI. *Quis eſt terminus illuminationis a quo, & ad quem?*

*Terminus a quo & ad quem.* Terminus illuminationis *a quo*, eſt cœcitas intellectus, oppleti tenebris ignorantiæ & errorum a). Terminus *ad quem*, eſt lux ſalutaris cognitionis b).

Prob. a. Homines, non illuminati, ſunt *obſcurati mente, abalienati a vita Dei, propter ignorantiam, quæ eſt in illis, propter obdurationem cordis ipſorum*, Eph. IV, 18.

Obſ. I. In homine non illuminato non datur tantum ignorantia κατ' ἀπόφασιν, *ſimplicis negationis*, ſed etiam ignorantia κατὰ διάθεσιν, ſeu *prauæ diſpoſitionis*, quæ eſt error, veræ ſcientiæ contrarius; eo, quod homo ψυχικὸς, ſiue animalis, non tantum non apprehendit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſed iudicat etiam ea eſſe abſurda, 1 Cor. I, 14. Opponitur itaque ſalutari notitiæ non ſolum *ignorantia ſimplex*, ſed etiam Φρόνημα τῆς σαρκὸς, *prudentia carnis*, Rom. VIII, 6. & *ſapientia huius mundi*, 1 Cor. I, 20. Habet enim mundus ſuam ſapientiam, ſed tenebris arrogantiæ immerſam, vt ſeſe contra ſapientiam diuinam efferat, 2 Cor. X, 4.

II. Ignorantiam intellectus connatam, & affectatam, ſequitur vitæ impietas, & πώρωσις, ſeu obduratio voluntatis.

Prob. b. Ex *lege* eſt *agnitio peccati*, Rom. III, 20. Ex *euangelio* proficiſcitur *agnitio glorioſæ gratiæ Dei in retecta facie Ieſu Chriſti*, 2 Cor. IV, 6. *Quam cognitionem comitatur aſſenſus*, quo homo illuminatus cum id omne, quod in verbo Dei patefactum eſt, tum inprimis euangelium de remiſſione peccatorum & æterna ſalute, per Chriſtum impetranda, pro certo & indubitato habet: Qui aſſenſus indubitatus vocatur ἔλεγχος, *conuictio intellectus*, Hebr. XI, 1.

Quæſt. XVII. *In quo igitur formaliter conſiſtit illuminatio?*

*Forma illuminationis.* Illuminatio diuina *formaliter* conſiſtit in informatione Spiritus Sancti per verbum diuinum lectum, aut prædicatum, non tantum *externa* ſed etiam *interna* & efficaciter penetrante intimos receſſus cordis humani, vt ex eo tenebræ ignorantiæ & errorum expellantur, & lumen ſupernaturalis cognitionis ipſi infundatur.

Prob. 1) Quia Deus hominem peccatorem, ad eccleſiam perductum, ordinarie illuminat per miniſterium verbi. Id quod patet ex Eph. III, 8. 9. *Mihi, minimo omnium ſanctorum, data eſt gratia hæc, vt inter gentes euangelizarem imperueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminarem omnes.* Illuminauit Paullus gentes, non immediate lumen notitiæ ipſis infundendo, ſed per prædicationem euangelii eas informando. Vnde H. GROTIVS ad locum citatum exponendum commentatur: Φωτίζειν, האיר, eſt *docere*.

2) E. Pſ. CXIX, 130. *Auditus verborum tuorum illuminat? Intelligentes reddit ſimplices.* Quæ verba explanaturus D. GEIERVS inquit: *Voce propria exponitur præcedens figurata, illuminat.* Nam הבין, tranſitiue ſumtum, ſignificat, *intelligere fecit*, *inſtruxit*. Ergo *illuminare* idem eſt, quod *inſtruere*, & gratia *illuminatrix* eſt *docens*, dicente DANNHAV. in *hodoſ. phænom.*

Digitized by Google

*nom. IX. p.* 938. Ceterum quando *illuminationem* deſcribimus per *informationem*, non intelligimus tantum *externam*, quæ fit lingua, aut calamo miniſtri eccleſiæ, ſed etiam *internam,* qua Spiritus S. concurſu ſuo ſpeciali ac gratioſo, in cordibus auditorum, vel lectorum, malitioſe non obſiſtentium, per verbum diuinum prædicatum, aut lectum lucem ſupernaturalis ſapientiæ accendit. Eſt igitur illuminatio *informatio* Spiritus S. *interna*, ſed *non immediata;* quia miniſterium externum non excludit, ſed cum eodem gratioſe concurrit, & cum verbo prædicato & lecto indiuulſe vnitus, eidem vim penetrandi & illuminandi corda communicat.

Quæſt. XVIII. *An illuminatio peccatoris, ad eccleſiam vocati, vno momento abſoluitur?*

Illuminatio ordinaria *non* abſoluitur *vno momento*, ſed fit per *temporum interualla*, per *gradus*, per *actus ſæpe repetitos*, vt homo diſponatur ac præparetur ad maiorem ſubinde veritatis lucem admittendam, adeo, vt, ſi primum illuminationis gradum repellat, alterum ipſi Spiritus S. deneget; quippe qui ſine primo locum habere nequit. *Illuminatio ſucceſſiua.*

Obſ. I. Sermo nobis eſt de illuminatione *ordinaria*, non de extraordinaria. Quin Deus gratia ſingulari & extraordinaria, potentiaque abſoluta, vno momento plene illuminare poſſit hominem, vt omnes articulos fidei cognitos habeat, nulli dubitamus: cum nobis conſtet, quod Spiritus S. donum linguarum Apoſtolis vno momento infuderit, Act. II.

Obſ. II. Non etiam hic agimus de illuminatione *infantum* per baptiſmum, quem græci Patres φωτισμὸν vocarunt, cum modus, quo per baptiſmum lux agnitionis & fidei ſaluificæ a Spiritu S. in infantibus accenditur, a nobis nec comprehendi, nec explicari poſſit, dicente CHEMNITIO, in *exam. Conc. Trid. fol. m.* 247. *Ordinariam* hominum *adultorum* illuminationem non eſſe inſtantaneam, ſed *ſucceſſiuam*, aſſerimus.

Prob. 1) Omnis actio inſtantanea eſt irreſiſtibilis: Sed ordinaria humanum adultorum illuminatio non eſt irreſiſtibilis: E. *Maior* eſt clara; quia actioni inſtantaneæ nullum obiici poteſt impedimentum, v. gr. Creatio eſt actio inſtantanea, quoniam eam nihil ſufflaminare poteſt. *Minor* liquet; quia Spiritui S. homines duræ ceruicis reſiſtunt, Act. VII, 51. Reſiſtunt radio lucis, quo penetrandi ſunt: Non aduertunt animum, ſed claudunt mentem.

2) Seminis natura & ſeminatoris intentio eſt, vt non ſolum herba propullulet, ſed etiam vt poſt herbam ſpica, poſt ſpicam plenum in ea frumentum enaſcatur, Marc. IV, 28. Ita Deus bonum ſemen per miniſtros ſuos in corda hominum ſpargens, ordinarie ac ſemper intendit intenſiorem gratiæ gradum, vsque ad complementum, auditoribus conferre.

3) Quando Chriſtus de verbi diuini operatione efficaci ex inſtituto Dei, effectu vero diuerſo, pro diuerſitate auditorum, ſermonem finiuerat, exclamauit voce magna: *Videte, quomodo audiatis? Quisquis enim habet* (recipit & retinet primum illuminationis gradum) *dabitur* (vlterior & intenſior lucis gradus); *qui vero non habet* (non recipit ac retinet intenſiorem notitiæ gradum), *etiam quod putat ſe habere*, (de primo illuminationis gradu) *auferetur ab eo* (voluntate Dei iudiciaria), Luc. VIII, 18. Fit itaque illuminatio non in inſtanti, ſed *per gradus*. Confer. D. HVLSEMANNI *breu. enucl. c. VIII. p.* 456.

4) *Gradualis & ſucceſſiua* hominum adultorum illuminatio clariſſime pateſcit e praxi. Miniſter eccleſiæ, conuerſurus Iudæum, omni conatu & ſtudio eundem illuminare annititur. a) Docet Meſſiam iam veniſſe: b) Demonſtrat, hunc Meſſiam non eſſe nudum hominem, ſed verum Deum Filiumque Dei Patris, ab æterno genitum: c) Conuincit, hunc

 Meſſiam

Meſſiam & θεάνθρωπον eſſe Ieſum Nazarenum, filium virginis Mariæ: d) Obtenta perſonarum diuinarum dualitate, probat, Spiritum S. etiam eſſe verum Deum: e) Inſtillat Iudæo doctrinam de officio Chriſti ſacerdotali, prophetico, & regio: f) Oſtendit, ex parte noſtri ad remiſſionem peccatorum & vitam æternam conſequendam requiri veram fidem, apprehendentem ſatisfactionem Chriſti: g) Inculcat ipſi, fidem iuſtificantem ſe exſerere per ſanctimoniam vitæ. Proinde illuminatur Iudæus non vno momento; ſed per temporum interualla, *per gradus*, per *actus repetitos*. Quod ſi contigerit, vt Iudæus vltimo informationis actui præfracte obſtiterit, iuſto Dei iudicio etiam priores lucis gradus ei auferentur.

Quæſt. XIX. *Quis eſt finis illuminationis?*

*Finis illuminationis.* *Finis proximus* illuminationis eſt conuerſio & regeneratio peccatoris a). Finis *vltimus*, ex parte *noſtri*, eſt illuminatio immediata, in regno gloriæ obtinenda b). Finis *vltimus*, ex parte *Dei*, eſt gloria gratiæ diuinæ illuminatricis c).

Prob. a. Eo fine per miniſterium verbi *aperiuntur oculi hominum peccatorum, vt conuertant ſe, a tenebris ad lucem, & e poteſtate Satanæ ad Deum*, Act. XXVI, 18.

Prob. b. *Serui Dei* (qui in hac vita ſpiritualiter illuminati fuerunt) *miniſtrabunt illi* (in ciuitate Dei), *videbunt faciem eius, & nomen eius erit in frontibus ipſorum: Et nox non erit ibi, neque opus habent lucerna & luce ſolis; quia Dominus Deus illuſtrat illos*, Apoc. XXII, 4.5.

Prob. c. *Gratias agite Patri, qui idoneos fecit nos in partem ſortis ſanctorum in luce*, Col. I, 12. Agendæ ſunt gratiæ Patri miſericordiſſimo, qui nos, natura cæcos, & ad omne bonum ineptos, ad participationem hæreditatis cœleſtis, ſanctis promiſſæ, idoneos fecit, per lumen euangelicum, quo lucem ſaluificæ cognitionis in hoc ſæculo accendit, in futuro ſæculo lucem fulgentiorem largiturus.

*SVSPIRIVM.*

Collauda anima mea Deum tuum! quem penes eſt fons vitæ ſpiritualis, quam viuunt omnes fideles animæ, ſuauitatem bonitatis diuinæ deguſtantes. Proinde mirifice lætantur, quod, o Deus, auctor lucis, in tuo lumine vident lumen, dum de gratia in gratiam prouehuntur. Per lumen verbi tui reuelati pertingunt ad lumen fidei, per lumen fidei adſpirant ad lumen gloriæ. Illuceſce, o Ieſu, phoſphore ſplendidiſſime, in anima mea! Expelle ex eadem caliginem ignorantiæ! Diſcute tenebras vitiorum! Affunde lucem clariorem notitiæ, puriorem ſanctimoniæ, vt per ſpeculum verbi in via huius vitæ te conſpicatus, aliquando videam te a facie ad faciem in patria cœleſti!

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT VI.

# DE GRATIA SPIRITVS S. CONVERTENTE, ET CONVERSIONE PECCATORIS TRANSITIVA.

Quæſt. I. *Vtrum conuerſio hic ſumitur ſignificatu tranſitiuo, an intranſitiuo?*

*Conuerſio* in præſenti ſumitur ſignificatu *tranſitiuo*, & notat actum gratiæ, quo Spiritus S. peccatorem conuertere, & peccator conuerti dicitur a). *Intran-*

Digitized by Google

*tranſitiue* accepta conuerſio ſignificat actum voluntatis immanentem & reciprocum, quo peccator ſeipſum conuertere denominatur b)*.

Prob. a. Cum impræſentiarum verſemur in *actibus diuinæ gratiæ applicatricis* euoluendis, ex facili patet, nos hic nondum ex profeſſo conſiderare *intranſitiuam* peccatoris conuerſionem, ſiue ipſius reſipiſcentiam. Ceterum gratioſa illa actio, qua Deus peccatorem conuertit, haud incommode dicitur *conuerſio tranſitiua*, eo, quod non in ipſo agente Deo terminatur, ſed ab ipſo in aliud ſubiectum, nempe in hominem peccatorem tranſit: Cui *actioni* reſpondet *paſſio*, qua peccator gratiam conuertentem moroſe non reiiciens, ſed paſſiue admittens & recipiens a domino conuerti dicitur iuxta illud Ieremiæ cap. XXXI, 28. *Conuerte me, domine, & conuertar.* Deus *actiue* conuertit, peccator *paſſiue* a Deo conuertitur; ſed conuerſio *actiua* Dei, & *paſſiua* peccatoris, quoad rem, vna eademque conuerſio eſt; quæ cum connotato agente Deo, & quatenus ab eo procedit, *actiua*; cum connotato ſubiecto, ſiue homine, & quatenus ab illo recipitur, *paſſiua* appellatur.

 Prob.

*) *Conuerſio* latine dicitur *mutatio*, qualis demum cunque ſit ea, ſiue bona, ſiue mala, adeoque valet hoc nomen in vtramque partem, ſicut omnes viciſſitudines, modo acerbæ, modo iucundæ ac ſalutares, adpellantur rerum conuerſiones. Speciatim igitur vſurpari ſolet de *bona mentis mutatione*, quæ hebraice nominatur, חֲלִיפָה, Pſ. LV, 20. Antiqua, hodieque paucis cognita, eſt ea vocis poteſtas, de qua in *Catech. mai. de VI. precat.* p. 529. ita diſſeritur: *Eſt triplex tentatio, ſeu, vt Saxones noſtri iam olim loquuti ſunt, conuerſio.* Conſuetudine nunc perpetua Theologi nomine hoc, *conuerſio*, vtuntur ea ſignificatione, quam obtinet vocabulum, *reuerſio*, ſi quis redit, vel reducitur ad priſtinam conditionem ſuam, ſiue ad eum locum, vnde diſceſſerat. Eadem dicendi ratione crebro adhibentur in ſacris litteris verbum, שׁוּב, & quæ ſuam ab eo originem ducunt, שׁוּבָה, תְּשׁוּבָה (id quod non eſt confundendum cum hoc, מְשׁוּבָה, hoc enim ſemper notat *auerſionem*, cum perfidia ac repugnantia coniunctam,) vt & græca, *ἀποστρέφειν, ἐπιστρέφειν*, quorum illud quidem terminum *a quo*, hoc autem terminum *ad quem* indicat. Vtrumque ſcriptum exſtat Act. III, 19. & 26. Hoc igitur nomen, *reuerſio*, paullo ſignificantius eſt, quam illud, tametſi magis vſitatum, *conuerſio*. Præterquam enim, quod illud eſt ambigue dictum, notandum eſt etiam, quod *illud* quidem notionem habeat ſimplicem (nihil enim denotat amplius, quam *mutationem*); *hoc* autem notionem in ſe contineat compoſitam ac duplicatam, nimirum partim recordationem perfidæ hominis a Deo defectionis, ac seceſſionis, partim mutationem animi bonam ac beatam, qua fit, vt homo ſe ad rectam viam reuocet, ſiue potius reuocanti Deo obſequatur. De vtraque hac notione vid. Apoc. II, 5. Itaque quoties iubemur *reuerti a peccatis*, toties eſt loquutio quædam deficiens, & ἔλλειψις hoc modo ſupplenda eſt: *ad Deum*, quippe *a quo auerſi* fuimus, Ieſ. LV, 7. Omnis enim terminus *a quo* non poteſt intelligi ſine certo quodam termino *ad quem*. Vterque nobis commendatur Act. XXVI, 18. *Intranſitiua*, quæ vocatur, hominis reuerſio loquutione in ſacris litteris vſitata dicitur non ſolum ἀποστροφὴ atque ἐπιστροφή: ſed ſæpius etiam *μετάνοια*. *Μετανοεῖν* eſt, *mentem immutare*, ſiue potius, vt aliis placet, *poſt* erratum *ſapere*, id quod etiam ſignificatur latino verbo, *reſipiſcere*. Quamquam enim in hac nominis interpretatione ἔλλειψις quædam adſumenda eſt, vt ſubintelligatur *erratum*, ſeu male factum: tamen hæc ipſa explicatio vſui vocis perpetuo conuenientior videtur, quam altera illa, *mentis mutatio*. Vox enim *μετάνοια* nunquam aliter, quam bono ſenſu vſurpatur, ſi quem erroris ſui pœniteat; ſed illud nomen, *mutatio mentis*, non vacat ambiguitate, quando quidem mutatio alia fit in peius, alia in melius. Adpellatur etiam *μεταμέλεια*, vtpote quam vocem de reuerſione hominis ad Deum aliquando adhiberi, aduerſus BELLARMINVM demonſtramus luculentiſſimo ſane teſtimonio, Matth. XXI, 29. 32. Nec vero eſt diſſimulandum, quod inter *μετάνοιαν*, ac *μεταμέλειαν*, aliquid interſit, præſertim hoc, quod *μετάνοια* nunquam non in bonam partem accipitur, de conuerſione animi vera, integra ac ſalutari, *μεταμέλεια* autem interdum malam in partem, de conuerſione falſa, Matth. XXVII, 3.

Digitized by Google

Prob. b. Conuerſio *intranſitiua* eſt *terminus & effectus* conuerſionis *tranſitiuæ*, eſtque ipſa pœnitentia, qua peccator per vires a gratia conuertente collatas, & paſſiue receptas *ſeipſum conuertere* dicitur, ſicut nauis ſe vertere dicitur non viribus propriis, ſed viribus nautarum. Recte autem *peccatoris reſipiſcentia* vocatur conuerſio *intranſitiua*; ideo, quod non in aliud tranſit Subiectum, ſed in ipſo peccatore terminatur. De conuerſione *intranſitiua* notari merentur verba Petri, Act. III, 19. *Agite pœnitentiam, & conuertite vos, vt deleantur peccata veſtra.* Quam ob rem peccator, pœnitentiam agendo, ſe conuertit *viribus non natiuis*, ſed *datiuis*.

Quæſt. II. *Quotuplici ſenſu accipitur conuerſio tranſitiua?*

Conuerſio *tranſitiua*, qua Deus peccatorem conuertit, ſumitur ſenſu *generali*, *ſpeciali & ſpecialiſſimo*.

Quæſt. III. *Quæ actio diuina denotatur conuerſione generali?*

Conuerſio *tranſitiua*, qua a Deo peccator conuertitur, ſenſu *generali* ſumta, ambitu ſuo complectitur illuminationem, auerſionem a peccato, regenerationem, iuſtificationem & renouationem.

Prob. Conuerſio ſignificatu *generali* ſumitur in *ſolida declar. Form. conc. p. 675. Hoc certiſſimum eſt, in vera conuerſione immutationem, renouationem, & motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate & corde; vt nimirum hominis mens peccata agnoſcat, iram Dei metuat, a peccato ſeſe auertat, promiſſionem gratiæ in Chriſto agnoſcat, & apprehendat, pias cogitationes animo agitet, bonum propoſitum habeat, atque diligentiam in moribus ſuis regendis adhibeat, & contra carnem pugnet. Vbi enim nihil horum fit, ibi procul dubio non eſt vera ad Deum conuerſio. Cum autem quæſtio ſit de cauſſa efficiente, hoc eſt, quisnam hæc in nobis operetur, vnde homo hoc ipſum habeat, & quomodo id conſequi poſſit: Hæc pia doctrina oſtendit horum bonorum fontem, hoc videlicet modo. Cum naturales hominis vires ad veram conuerſionem nihil conferre, aut quidquam adiumenti adferre poſſint, Deus ineffabili bonitate & miſericordia nos præuenit, & euangelion (per quod Spiritus S. conuerſionem, & regenerationem in nobis operari, & perficere vult) annuntiari curat, & per verbi ſui prædicationem & meditationem, fidem aliasque pietatis virtutes in nobis accendit.* Abſtinent ab hoc *latiori* conuerſionis ſignificatu plerique Theologi, cum ex eodem incautis mentibus facile confuſio & error obrepere queat; ſiquidem ſic vna voce diſtincti actus gratiæ coniunguntur.

Quæſt. IV. *Quid eſt conuerſio tranſitiua, ſignificatu ſpeciali accepta?*

Conuerſio *tranſitiua*, ſenſu *ſpeciali* ſumta, eſt actus gratiæ, quo Spiritus S. in homine peccatore *ſerium de peccatis dolorem* verbo *legis* excitat, verbo *euangelii* autem *veram in Chriſtum fidem* accendit, vt remiſſionem peccatorum æternamque ſalutem conſequatur.

Obſ. I. Conuerſionis, ſenſu *ſpeciali* acceptæ, *terminus a quo eſt ſtatus peccati*, qui eſt miſerrima conditio peccatoris, qui neque peccatum moraliter retractauit, neque veniam, ſiue remiſſionem peccati, impetrauit: *Terminus ad quem eſt ſtatus fidei*, qui eſt melior conditio peccatoris, qui peccata ſua ſerio cum animi dolore deteſtatur quidem; ad Chriſtum vero vnicum mediatorem Dei & hominum confugit, eius meritum & ſatisfactionem apprehendit,

Digitized by Google

dit, Deoque, iuſtiſſimo iudici, tanquam *ἀντίλυτρον* pro ſuis & totius mundi peccatis validiſſimum ſiſtit, atque eius fiducia erectus, ab ipſo peccatorum veniam petit.

Obſ. II. *Medium* conuerſionis, ſenſu *ſpeciali* acceptæ, eſt *verbum diuinum*, idque cum verbum *legis*, quo excitatur contritio, tum verbum *euangelii*, quo accenditur fides in Chriſtum mediatorem.

Obſ. III. Conuerſionis *ſpeciatim* dictæ ſynonymum communiter habetur *regeneratio*. Obſeruauit tamen D. KOENIGIVS in *theol. poſit. Part. III.* §. 451. nonnihil diſcriminis inter *conuerſionem*, & *regenerationem*: Ex cuius ſententia hæc duo differunt 1) *ratione ſubiectorum*: *Regeneratio* enim eſt adultorum & infantum, *conuerſio* vero adultorum ſaltem eſt; quum infantes regenerari quidem, non autem æque vſitate conuerti dicantur, (niſi quis forte cum B. DANNHAV. *ἀνάλογόν τι* conuerſionis & pœnitentiæ iisdem tribuere velit. Vid. *hodoſ. p.* 1269.): 2) *ratione mediorum*: *Regeneratio* fit per verbum & ſacramenta, *conuerſio* per verbum ſolum. Poſſet quisquam addere 3) *conuerſio* fit per legem & euangelium; *regeneratio* tantum per euangelium.

Probatur *ſpecialis* conuerſionis acceptio: 1) quia Deus per miniſterium verbi *aperiens oculos peccatorum* (illuminans eosdem) *conuertit ipſos a tenebris ad lucem*, Act. XXVI, 18. Vbi per *tenebras* non intelligimus præciſe ignorantiam mentis, neque per *lucem* agnitionem, vt verbis illis exhibeatur vberior illuminationis deſcriptio; propterea, quod tabulæ vocationis Paullinæ ſuccincte delineatæ non admittunt *περισσολογίαν*, ſed potius per *σκότος*, *tenebras*, deſignantur *opera* tenebrarum, Rom. XIII, 12. Eph. V, 11. per *lucem* autem denotatur lux *fidei*, quæ haud raro in ſacris litteris nomine *lucis* venit Matth. V, 16. Eph. V, 8. 1 Ioann. II, 9. 11. atque credentes dicuntur filii lucis, Luc. XVI, 8. Io. XII, 36. 1 Theſſ. V, 5. Eſt itaque conuerſio *tranſitiua*, & *ſpecialiter* ſic dicta, qua Deus peccatorem conuertit, *actus gratiæ, quo Spiritus S. peccatorem auertit ab operibus tenebrarum, deteſtationem peccatorum operando, atque eundem luce fidei perfundit.*

Prob. 2) Conuertitur homo, *vt deleantur peccata ipſius*, Actor. XI, 19. Et gentibus *Deus dat pœnitentiam ad vitam*, Act. XI, 18. E. per gratiam conuertentem, præter contritionem actiuam, confertur fides in Chriſtum, ſine qua nec remiſſio peccatorum, nec vlla vita ſpiritualis obtinetur.

### Quæſt. V. *Quid eſt conuerſio ſenſu ſpecialiſſimo ſumta?*

Conuerſio ſumta ſenſu *ſpecialiſſimo* eſt actus gratiæ, quo Spiritus Sanctus voluntatem & cor hominis peccatoris in medio peccati ſtatu inhibet, frangitque ac conterit, vt cum dolore animi peccata deteſtetur, atque adeo præparetur ad ſaluificam in Chriſtum fidem concipiendam.

Prob. 1) *Strictiſſima* conuerſionis ſignificatio conformis eſt ſcripturæ, quippe quæ actum illum, quo cor peccatoris conteritur, *conuerſionem* appellare conſueuit. Sic precatur populus Iſraëliticus: *Conuerte me, Domine, & conuertar* (conuerſione paſſiua) *nam poſtquam conuerſus fuero* (paſſiue) *agam pœnitentiam* (*μερικῶς* ſumtam, pro *contritione*) *ac poſtquam oſtenſum eſt mihi, percuſſi femur: Pudet me & erubui* (en! adhuc actus contritionis) *quia ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ*, Ier. XXXI, 12. Et Deus, exhortans Iſraëlitas ad pœnitentiam, inquit: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, & in ieiunio, & in fletu ac planctu. Ita vt ſcindatis corda veſtra, & non veſtes veſtras: Sic* (inquam) *conuertimini ad Iehouam Deum veſtrum*, Ioel. II, 12 13.

2) Sicut

Digitized by Google

2) Sicut *alius actus* gratiæ applicatricis eſt, quo Deus *contritionem* operatur, *alius actus* gratiæ, quo peccatori contrito *fiduciam* donat, *merito Chriſti innixam:* Ita *prior* actus *converſio* (ſtrictiſſime ſumta), *poſterior* actus gratiæ *regeneratio* commode appellatur. *Conuertit* Deus peccatorem per *legem*, *regenerat* per *euangelium*. *Contritio* eſt effectus *gratiæ convertentis*, *fides* eſt effectus gratiæ regenerantis. Pœnitentia, ὁλικῶς ſumta (conſtans ex contritione & fide), eſt effectus *vtriusque* actus gratiæ, ſcilicet conuerſionis & regenerationis, ad vnum ἀποτέλεσμα producendum confluentis. *Pœnitentia quippe eſt ἀποτέλεσμα diuinum. Neque enim proprie virtus eſt, aut habitus, ſed actus, e contritione & fide compoſitus, ideoque ἀποτέλεσμα, theriacum contra peſtem peccati ſalutare*, dicente D. DANNHAV. *hodoſ. p.* 1265.

3) Ordine naturæ præcedit *conuerſio*, ſequitur *regeneratio;* quem ordinem retinet ſcriptura, dum *conuerſionem* per *remotionem cordis lapidei*, *regenerationem* vero per *collationem cordis carnei* deſcribit, Ezech. XI, 19. c. XXXVI, 26. *Illam* per *ſciſſionem cordis*, Ioel. II, 13. Pſ. LI, 19. *hanc* vero per *fracti cordis ſanationem* ſtilo prophetico exprimit, Eſ. LXI, 1.

4) Hunc ordinem actuum gratiæ oſtendit ipſa praxis. Deus ſapientiſſimus, lapſos generis humani primos parentes conuerſurus, prædicauit ipſis *legem*, vt, hoc fulmine perculſi, contremiſcerent & dolerent: pauidis & contritis prædicauit *euangelium*, vt ipſos regeneraret & iuſtificaret, Gen. III, 7. 8. ſeqq. Auſcultatores Petri, audita concione apoſtolica, *compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apoſtolos: Quid facimus, viri fratres?* (en gratiam *conuerſionis* per *legem!*) *Petrus ait ad illos: Pœnitentiam agite* (en *contritionem actiuam*, quæ *conuerſionem paſſiuam* inſequebatur!), *& baptizetur vnusquisque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti* (quibus verbis *regeneratio* per baptiſmum exprimitur), *in remiſſionem peccatorum* (ſic immediate *regenerationem* excipit *iuſtificatio*). Act. II, 38.

5) *Formula Concordiæ* gratiam Dei *conuertentem*, *& regenerantem* accurate diſtinguit p. 662. *Homo per Spiritum S. illuminatur, conuertitur, regeneratur.* Et p. 681. *Hominis, nondum renati, intellectus & voluntas tantum ſunt ſubiectum conuertendum. Sunt enim hominis ſpiritualiter mortui intellectus & voluntas, in quo homine Spiritus S. conuerſionem & renouationem operatur. Ad quod opus hominis conuertendi voluntas nihil confert: Sed patitur, vt Deus in ipſa operetur* (iam *regeneratio* vt terminus conuerſionis ſequitur) *donec regeneretur.* In *ſtrictiſſima* hac ſignificatione vocem, *conuerſio*, vſurpant D. CARPZOV. in *iſagog. p.* 1244. B. HOEPFNERVS *loc. theol. p.* 451. D. NEVMANN. in *diſput. de nexu & diſcrimine donorum gratiæ §.* 13.

Dicis: *Conuerſio* per *legem* non eſt actus *gratiæ*, ſed *iuſtitiæ vindicatiuæ*, ideo, quod *lex iram operatur*, Rom. IV, 15. Reſp. *Lex*, per ſe bona & ſancta, iram operatur culpa hominum, præcepta legis transgredientium, peccata eorum accuſando & condemnando; ſed hæc operatio legis a Deo miſericordiſſimo in *finem* homini *ſalutarem* dirigitur. Præclare hoc docet D. IO. MVSÆVS *diſput. II. de conuerſ. c. III. edit. Ien. p.* 80. *Lex eſt organon quoddam gratiæ diuinæ, in homine peccatore operantis, eius cor durum emollientis, præparantis & diſponentis ad fidem, voce euangelii in eo accendendam.*

Quæſt. VI. *Quotuplex eſt conuerſio?*

*Conuerſio ordinaria & extraordinaria.* Conuerſio eſt duplex, *ordinaria*, *& extraordinaria. Illa* eſt, qua Deus, *mediante verbo legis*, more modoque vſitato, hominem peccatorem ad deteſtationem peccatorum perducit a). *Hæc* eſt, qua Deus vel *immediate*, vel per *miracula*, peccatorem ſic percellit, vt admiſſa peccata ſerio doleat b).

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. *Ordinarie* Deus homines conterit malleo *legis*, Ier. XXIII, 29. eosque dolat per Prophetas, ſiue *miniſtros eccleſiæ*, rite vocatos & ordinatos, Hoſ. VI, 5. Act. XXVI. 17 18.

Prob. b. *Extraordinarie* Deus homines peccatores conuertit, *vel* ipſos *immediate*, ſiue citra interuentum miniſtrorum ſuorum alloquendo: qua ratione conuerſus eſt Abrahamus, Gen. XII, 1. latro in cruce, Luc. XXIII, 42. Paullus, Act. IX, 3. 4: *vel* verbum ſuum, verbique miniſtros *miraculis & ſignis* ſtipando, vbi tamen vis illa conuertendi non miraculis & ſignis, ſed verbo diuino adſcribenda eſt. Sic miracula, quæ mortem Chriſti comitata ſunt, perculerunt centurionem, aliosque, cruci adſtantes, vt pectora pulſarent, Luc. XXIII, 48.

Quæſt. VII. *Quotuplex eſt conuerſio ordinaria?*

Conuerſio *ordinaria* eſt duplex, *prima*, *& ſecunda*. *Illa* eſt actio Spiritus Sancti, qua corda hominum infidelium, & extra eccleſiam conſtitutorum, per verbum legis conterit & emollit, ad fidem in Chriſtum ſaluificam in ipſis voce euangelii accendendam a). *Hæc* eſt, qua Spiritus Sanctus homines peccatores, qui in gremio eccleſiæ quidem degunt, ſed commiſſis peccatis proæreticis e ſtatu regenerationis exciderunt, ad pœnitentiam reuocat b). *Prima & ſecunda.*

Prob. a. *Deus etiam gentibus pœnitentiam dedit ad vitam*, Act. XI, 8. Deus gentiles, Turcas, Tartaros, Iudæos ad eccleſiam Chriſti vocat, & in hac officina Spiritus S. illuminat, eorumque ferociam malleo legis frangit, vt ad fidem in Chriſtum ſuſcipiendam præparentur.

Prob. b. Homines, intra pomœria eccleſiæ viuentes, peccatis conſcientiam vaſtantibus *naufragium fidei faciunt*, 1 Tim. I, 19. *& gratia Dei excidunt*, Apocal. II, 5. Hos Deus ad pœnitentiam reuocat. *Reuertere, auerſa Iſraël! dictum Iehouæ. Non* (enim) *faciam cadere facies ſuper vos* (iratas) *meas; quoniam miſericors ego ſum: dictum Iehouæ. Non tenebo* (iram) *in æternum. Tantummodo agnoſce, quod contra Iehouam Deum tuum præuaricata ſis.* Ier. III, 12. 13. Horum conuerſio dicitur *ſecunda*, item *relapſorum conuerſio.*

Quæſt. VIII. *Quis hominem conuertit?*

*Deus* a), *Pater* b), *Filius* c), & terminatiue *Spiritus Sanctus* d). *Cauſſa efficiens conuerſionis*

Prob. a. *Conuerſio*, ex parte *Dei* operantis, *actiua*; ex parte *hominis* conuerſi, *mere paſſiua* eſt. Etenim *ſolus Deus cor circumcidit*, Deut. XXX, 6. *cor lapideum aufert*, Ezech. XI, 9. c. XXXVI, 26. & *dat pœnitentiam in cognitionem veritatis*, 2 Tim. II, 25. Ergo ſolus Deus *actiue* conuertit, vt homo *paſſiue* conuertatur, Ier. XXXI, 18. Thren. V, 21.

Prob. b. Deus *Pater præcipit hominibus omnibus vbique, vt pœnitentiam agant; propterea, quod conſtituit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in iuſtitia, per virum, quem deſtinauit*, Act. XVII, 30. Obſ. Quando Deus *Pater* peccatoribus præcipit, vt pœnitentiam agant, ſimul etiam conuertendi efficaciam, niſi malitioſe reſtiterint, offert & confert.

Prob. c. *Chriſtus* auertere impietatem a Iacobo dicitur, Rom. XI, 26. Qui, functus in carne munere prophetico, prædicare exorſus eſt: *Pœnitentiam agite & credite euangelio!* Marc. I, 15. Stat Chriſtus ante oſtium cordis, & pulſat, malleo legis ad pœnitentiam peccatorem excitando, Apoc. III, 20.



Digitized by Google

Prob. d. *Spiritus S.* arguit mundum de peccato, conuincit, ἀπιςίαν, ſiue incredulitatem, qua Chriſtus mediator reiicitur, eſſe peccatum maximum, Io. XVI, 9. *).

Quæſt. IX. *Quo medio Deus peccatorem conuertit, vt peccata deteſtetur?*

*Conuerſionis medium.* Deus *verbo legis* peccatorem conuertit, vt cum ſerio animi dolore *peccata deteſtetur* a), & præparetur ad concipiendam ex *verbo euangelii fidem in Chriſtum* b).

Prob. a. 1) Quemadmodum *ex lege eſt agnitio peccati*, Rom. III, 20: ita & dolor de peccato, agnitionem peccati conſequens.

2) *Lex iram operatur*, Rom. IV, 15. peccata accuſando, transgreſſoribus legis maledictionem denunciando, atque adeo ipſis terrorem incutiendo. Qua de cauſſa etiam *occidere & condemnare* dicitur, 2 Cor. III, 6. *Occidit autem lex, non tam per modum cauſſæ phyſicæ, quam vt cauſſa moralis;* non tam nos perimendo, quam morti adiudicando & condemnando; quamquam & ea ratione occidere *cauſſa phyſica* dicitur, quod corda noſtra conterat & mortificet, vt nil niſi mortem ſentiant & æternum pereundum nobis ſit, ictu & fulmine legis proſtratis, niſi gratia ſuccurrat. Sic ſcite ait D. CALOVIUS, locum citatum exponens in *bibl. illuſtr. fol.* 443.

Prob. b. Lex eſt *pædagogus* ad Chriſtum, Gal. III, 24. quippe qui *finis legis* dicitur, Rom. X, 4. Hunc ordinem Deus ſanciuit, vt ſaxea & ferrea hominum peccatorum corda lege diuina, velut malleo, conterantur, &, velut igne, emolliantur, vid. Ier. XXIII, 29. atque præparentur ad concipiendam fidem in Chriſtum, & per hunc impetrandam remiſſionem peccatorum. Inculcat hunc ordinem D. CHEMNIT. in *exam. concil. Trid. fol. m.* 155. *Omnino eſt certus ordo, ſiue modus, in verbo Dei deſignatus & præſcriptus,* quo Deus vtitur, quando vult hominem ad iuſtificationem deducere, vt accipiat reconciliationem, remiſſionem peccatorum, adoptionem &c. Et qui ad modum, ſiue ordinem illum, diuinitus præſcriptum, non volunt ſe ductu Spiritus accommodare, ſed negligunt & conculcant illum, hi ad iuſtificationem non perueniunt: vult enim Deus a notitia & aſſenſu verbi ſui nos ordiri. *Et ante iuſtificationem oportet præcedere contritionem*, h. e. ſeriam agnitionem peccatorum, pauores conſcientiæ, agnoſcentis iram Dei aduerſus peccata noſtra, & dolentis propter peccatum; in qua contritione non retinetur, ſed abiicitur propoſitum perſeuerandi & pergendi in ſceleribus.

*) Omne peccatum, ſtricte proprieque ita nominatum, eſt ἀνομία, defectio a *lege*, ſtricte ſic dicta. Ἀπιςία vero, & ea quidem, qua quis Chriſti promerita reiicit, eſt contemtio gratiæ ſalutaris, non in lege, ſed in *Euangelio* nobis oblatæ. Interdum tamen nomen *legis* latiori ſignificatione vſurpatur, vt generatim denotet declarationem *voluntatis diuinæ*, ab hominibus obſeruandæ, quæ pertinet partim ad *beneficia accipienda*, partim ad *officia præſtanda*. Et illa quidem eſt voluntas *euangelica*, hæc autem *legalis*, quoad lex ſtrictiori ſenſu ab Euangelio diſcernitur; quem ad modum Paullus nos docuit diſtinctionem νόμȣ τῆς πίςεως, & νόμȣ τῶν ἔργων. Rom. III, 27. Ergo ea ἀπιςία, qua homo Chriſtum ſponſorem repudiat, non ſtricte, ſed late dicitur *peccatum*; id vero vnum omnium *maximum*, quia contrarium eſt omnium maximo Dei beneficio. Quod ad illud Chriſti dictum attinet, Ioann. XVI, 9. hanc eius ſententiam eſſe exiſtimo: quod ἀπιςία, Chriſto aduerſaria, non ipſa quidem *peccatum* ſit, ſed prorſus *cauſa* peccati *permanentis*, tum ratione *culpæ pœnæque*, quod homini non poſſit contingere peccatorum remiſſio, Ioann. III, 36. VIII, 24; tum vero ratione *dominii*, quod homo non poſſit non ſeruire peccato, quod is quidem obcœcata mente Chriſtum nolit cognoſcere, Ioann. VIII, 34 36. IX, 41.

Digitized by Google

ribus. *Ad hos vero terrores neceſſe eſt accedere fidem*, quæ agnitione & fiducia miſericordiæ Dei, promiſſæ propter filium mediatorem, rurſus erigat & conſoletur animum, ne, oppreſſi deſperatione, ruamus in æternum exitium; ſed fides accedat ad Deum, quærat, deſideret, petat, apprehendat, accipiat remiſſionem peccatorum. Et hoc modo, ſeu ordine in verbo Dei deſignato, viam parari Domino, vt in ipſo, per & propter ipſum fide conſequamur & accipiamus iuſtificationem, ipſa ſcriptura tradit. Ita enim vox clamat: *Parate viam Domino*, Eſ. XL, 3. Matth. III, 3. Marc. I, 3. Luc. III, 4. Et de miniſterio baptiſtæ, prædicantis baptiſmum pœnitentiæ, dicit Gabriel, Luc. I, 17. *Parate Domino plebem præparatam.* Quem ordinem dextre explicat DANNHAV. in *hodoſ. phænom. XI. p.* 1260. *Ordo diuinitus ex parte noſtri exigit pœnitentiam, primum in prædicatione Chriſti & apoſtolorum requiſitam, ad viam Deo complanandam. Hic ordo, diuinitus intimatus in prima Chriſti concione: Reſipiſcite & credite euangelio!* Marc. I, 15. *eſt ex parte hominis non diſpoſitiuus, nedum meritorius, ſed pædagogicus & ſano ſenſu præparatorius, quo præparatur & complanatur via Domino*, Matth. III, 3. *ac priuatiuus, remouens, prohibens, vt in medicina chirurgica puris remotio præcedit; remouens, inquam, incapacitatem, & obſtacula remiſſionis peccatorum ſcilicet opinionem non-indigentiæ, & ſtudium pergendi in peccatis*, Io. IX, 41. Eſ. LXVI, 2. Apoc. III, 17.

### Quæſt. X. *Quibus miniſtris Deus in conuerſione peccatorum vtitur?*

Deus in conuerſione hominum peccatorum *ordinarie* vtitur præconibus ſacris, decenter vocatis a): *extra ordinem* quilibet pius chriſtianus errantem in viam reuocare poteſt b).

Prob. a. Ex 1 Cor. III, 9. *Sumus Dei cooperarii.* Dicuntur præcones ſacri *cooperarii Dei*, non ex facultate innata, ſed ex gratia a Deo conceſſa, 1 Cor. XV, 10. Sunt cooperarii Dei, non perinde, ac ſi in negotio conuerſionis eſſent cum Deo cauſſæ *ſociæ*, ſed quia ſunt cauſſæ *ſubordinatæ & minus principales*, ſiue *miniſteriales*.

Prob. b. Iac. V, 20. *Cognoſcito, quod, qui conuertit peccatorem ex errore viæ ipſius, ſeruabit animam ex morte, & obteget multitudinem peccatorum.*

*Antitheſis* eſt *Schwenckfeldianorum*, efficaciam conuertendi & verbo diuino & miniſtris verbi derogantium. Qui ſequentibus duobus argumentis ſuam opinionem firmare nituntur:

I. Deus omnia in omnibus operatur, 1 Cor. XII, 6. E. non indiget cooperariis. Reſp. In negotio conuerſionis Deus omnia operatur *non immediate*, ſed mediante miniſterio ſacro, cui miniſtrantia conceſſit dona.

II. Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed Deus dans incrementum, 1 Cor. III, 7. E. in negotio conuerſionis miniſter eccleſiæ nihil valet. Reſp. a) Miniſtri eccleſiæ nihil valent extra officium, quatenus Chriſto non ſubordinantur. b) In officio quidem aliquid valent, quoniam ſunt diſpenſatores myſteriorum Dei, 1 Cor. IV, 1. Valorem tamen illum Chriſto, tanquam capiti & fonti, acceptum referunt. Vnde in officio *comparatiue* (facta comparatione ad Chriſtum) nihil valent.

### Quæſt. XI. *Quis eſt conuertendus?*

Conuertendus eſt *homo adultus*, per peccata *mortifera a Deo auerſus* a), cuius *voluntas*, ad peccata procliuis, fulmine legis percellitur, vt ea deteſtetur b) *appetitus* vero *ſenſitiuus* gladio legis ſic compungitur, vt ad ſerium de peccatis dolorem commoueatur c).

Prob. a. Proprie *conuerti* dicitur homo *adultus*; quippe qui auſcultationis, lectionis & meditationis legis diuinæ, iuxta atque deteſtationis peccati capax eſt: qua capacitate cum per ætatem deſtituantur *infantes*, per baptiſmum quidem *regenerari*, non autem æque vſitate *conuerti* dicuntur. Ceterum homo adultus vel eſt per fidem cum Deo coniunctus, & renatus; vel eſt per infidelitatem & peccata mortifera a Deo auerſus & irregenitus. Ἀκριβῶς loquendo *conuerti* dicitur homo *a Deo auerſus*, quem iniquitas a Deo ſeparauit, Eſ. LIX, 2. Datur quidem & *pœnitentia ſtantium, ſeu hominum renatorum & fidelium*, qui in ſtatu renaſcentiæ & gratiæ adhuc perſiſtunt: quia tamen peccata habent, quæ quotidie agnoſcere, deteſtari & dolore debent; ideo & conuerſionis a peccatis hac ratione capaces recte dicuntur. Sed fatendum eſt, *conuerſionis* nomen tunc accipi *generalius*, quod *ſpecialiori* ſignificatu pro ſubiecto habet ſolum hominem *improbum*, qui ad coniunctionem ſui cum Deo in potentia conſtitutus, non actu coniunctus eſt. Vid. BAIERI *Comp. Part. III. c. IV. p.* 729. *).

Prob. b. *Voluntas* hominis irregeniti adeo præceps fertur in malum, lege diuina prohibitum, vt nec per *potentiam quidem paſſiuam naturalem* legi ſubiici queat, Rom. VIII, 7. Eſt tamen *voluntas* hominis irregeniti *ſubiectum quo* conuerſionis; quia in eadem datur *potentia paſſiua obedientialis*, qua apta eſt ad recipiendum gratiam conuertentem, viresque ſupernaturales ad peccatum moraliter retractandum, & abiiciendum propoſitum pergendi in actibus illicitis.

Prob c. Ferocit *appetitus ſenſitiuus* inordinatis affectibus indulgens, niſi diuinitus compungatur. Auditores Petri κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ, compuncti ſunt corde, Act. II, 37. Tanto dolore ipſorum cor, ſedes affectuum, laceratum eſt, ac ſi acu punctum, aut lancea perfoſſum eſſet.

Obſ. Nonnulli auctores ad *ſubiectum quo* conuerſionis referunt etiam *intellectum* hominis irregeniti; qui actum *illuminationis* ab actu *conuerſionis* non diſtinguunt. Cum autem illuminatio nobis ſit peculiaris actus gratiæ applicatricis, in præſenti ſupponimus, intellectum, ex verbo Dei illuminatum, fœditatem peccati agnoſcere, & voluntati, per ſe cœcæ, facem præferre.

*Antitheſis* eſt *Pelagianorum*, *Pontificiorum*, *Socinianorum & Arminianorum*, voluntati humanæ actiuam conuertendi vim tribuentium; quorum pleraque argumenta Part. II. c. VI. conſiderauimus. Reſtant pauca hic expendenda.

I. Quicunque *ſeipſum conuertit*, illi ſuppetunt vires actiuæ ad eliciendam ſui ipſius conuerſionem: Atqui homo irregenitus &c. E. *Maior* conſtat; quia ſeipſum conuertere, notat actum immanentem & reciprocum, qui potentiam actiuam ſupponit. *Minor* prob. ex Act. III, 19. *Agite pœnitentiam & conuertite vos.* Reſp. Quicunque *viribus naturalibus & propriis* ſeipſum conuertit, illi ſuppetunt vires actiuæ ad eliciendam ſui conuerſionem. At homo irregenitus ſeipſum non conuertit viribus naturalibus, aut propriis, ſed viribus *ſupernaturalibus*, per gratiam Spiritus Sancti conuertentem conceſſis, & ab homine irregenito paſſiue receptis, ſicut nauis dicitur ſeipſam vertere non propriis, ſed nautarum ventorumque viribus.

II. Qui-

*) Si *conuerſionis* nomine ſignificetur *mutatio*; non eſt dubium, quin denuo natus homo quotidie mutet mentem, omni enim die ſe ipſe reprehendit, dolet de peccatis infirmitatis, ac ſe magis magisque corrigit. Quod ſi autem intelligatur *reuerſio* a peccatis ad Deum; hæc non ad eum pertinet, qui cognitione cum Deo iam fruitur, ſed eſt propria improbi, quippe cuius animus adhuc a Deo auerſus eſt, Act. III, 19. 26. XXVI, 18.

Digitized by Google

II. Quicunque conuertitur *non neceſſario, ſed libere,* illius voluntas ad conuerſionem actiue ſe determinare poteſt: Atqui homo peccator non neceſſario, ſed libere conuertitur: Ergo. *Maior* probatur: quia, ſi homo ab alio principio, quam a voluntate ſua determinaretur ad conuerſionem ſui, non libere, ſed neceſſario conuerteretur. Quidquid enim determinatum eſt ad vnum oppoſitorum, non amplius liberum, ſed neceſſarium eſt. *Minor* conſtat: quia homo peccator non conuertitur gratia neceſſitante, aut vllam violentiam inferente, adeoque libere. Reſp. Neg. maiorem; quia homo peccator libere quidem conuertitur *negatiue*, quatenus poteſt impedire, ne conuertatur; *non poſitiue*, quaſi voluntas eius ſeipſam diſponere, aut determinare ad conuerſionem viribus propriis poſſit; eſt enim peccator ſpiritualiter mortuus, antequam regeneretur, Eph. II, 5. adeoque viribus actiuis deſtitutus. Deinde ad probationem dicimus, quod homo a gratia conuertente determinetur quidem, ſed per *potentiam reſiſtibilem* agente, quæ nullam neceſſitatem comitem habet, niſi hypotheticam. At hæc libertatem non tollit, ſed cum eadem conſiſtere poteſt.

III. Deus ita conuertit hominem, vt tamen non Deus, ſed *homo pœnitentiam agat:* E. virium quidem ſuppeditatio eſt a Deo, exercitium vero illarum eſt hominis, qui tanquam cauſſa particularis ad actum conuerſionis *actiue* ſe determinat; quia alias ſequeretur, ſi & vires, & exercitium illarum Deo adſcriberetur, hominem denominari ab iſtiusmodi exercitio. Reſp. *Pœnitentia* conſideratur vel *ratione originis*, vel *ratione ſubiecti recipientis.* Pœnitentia ratione *originis* eſt a conuerſione tranſitiua, qua Deus non tantum vires pœnitendi, ſed & ipſam pœnitentiam dat, Act. XI, 18. Subiectum patiens viresque ſupernaturales recipiens eſt homo peccator, qui a Deo paſſiue conuerſus pœnitentiam agit, vires ſupernaturales receptas exſerendo, exercendo, & luculenter oſtendendo. Illuſtratur ſimili. Chriſtus, Lazarum mortuum reſuſcitans huic, & vires viuendi, & ipſam vitam largiebatur; neque tamen ab hac collata vita Chriſtus, ſed Lazarus viuus dicebatur, quia conceſſis viribus viuendi vtebatur. Ita Spiritus S. & vires pœnitendi confert, & collatas vires ſpeciali influxu in actum deducit, vt tamen non Spiritus Sanctus, ſed peccator pœnitere dicatur; quia is collatis pœnitendi viribus vtitur.

### Quæſt. XII. *Vultne Deus omnes homines, etiam induratos conuertere?*

Deus miſericordiſſimus *omnes* homines, *etiam induratos*, voluntate *antecedente* vult conuertere a), quibus voluntate *conſequente iudiciaria* gratiam quidem regenerantem, iuſtificantem & ſanctificantem ſubtrahit, non autem *communem* omnibus gratiam præcidit b), qua toto temporis ſpatio, quo viam huius vitæ decurrunt, eosdem ad pœnitentiam inuitat, & efficaciter reuocat c), vt haud pauci indurati conuertantur d). Qui autem Spiritui S. vsque ad finem vitæ malitioſe reſiſtunt, & in impœnitentia decedunt, ex voluntaria culpa, non ex decreto diuino, gratiam conuertentem abſolute denegante, in æternum ruunt exitium e).

Obſ. I. Quando gratiam Spiritus S. conuertricem *vniuerſalem* aſſerimus, non loquimur de *voluntate* Dei *conſequente*, qua is finaliter credentes ſaluare, finaliter impœnitentes condemnare decreuit: ſed de *voluntate* Dei *antecedente*, qua Deus omnibus hominibus ſufficientia & efficacia conuerſionis media offert, tum peccatores, extra eccleſiam conſtitutos, ad regnum gratiæ, atque adeo ad pœnitentiam *inuitando*, tum in eccleſiæ externa communione degentes, peccatis autem proæreticis e ſtatu regenerationis elapſos, ad pœnitentiam *reuocando.*



Digitized by Google

Obſ. II. Gratia *reuocatrix* eſt, quæ, prima gratia per relapſum decocta, pulſo Spiritu S., fide amiſſa, admiſſa contra obſeſſione Satanica excœcatrice & induratrice, poſtliminio quaſi hominem miſerrimum, ex ſe lapſum, ex ſe reſurgere impotentem compedibus diabolicis irretitum, ad pœnitentiam, ad media ſalutis, ad ſalutem reuocat, definiente DANNHAV. in *hodoſ. phæn. IX. ſ. 877.*

Obſ. III. Gratia reuocatrix diſpenſatur *voluntate* Dei *antecedente*. Ae æque enim Patrem οἰκτιρμῶν afficit miſeria hominis relapſi, ac primum conuertendi, iudice DANNHAVERO *l. c.*

Obſ. IV. Sermo nobis eſt de hominibus induratis, *in via huius vitæ conſtitutis*, quos gratia Dei vniuerſalis conuertere ſerio intendit: *poſt hanc vitam clauſa erit ianua indulgentiæ, ianua miſericordiæ, ianua ſpei, ianua conſolationis, ianua bonæ operationis*, cenſente D. QVISTORPIO in *annotat. bibl. ad Matth. XXV. p.* 71. Cui ſuffragatur D. POL. LYSERVS, *c.* 117. *harmon. p.* 1264. *Quando porta ſalutis clauditur? ſingulis in hora mortis, vniuerſis in nouiſſimo die poſt vniuerſale iudicium mundi. Tum enim non amplius erit locus pœnitentiæ, aut tempus ſalutis procurandæ, ſed exſpectanda exacta iuſtitia Dei, vel paterna conſolatio; dum hæc porta regni cœlorum alias cuiuis patet, quamdiu viuit, & in genere etiam omnibus hominibus aperta ſtat, vsque ad conſummationem ſæculi.*

Prob. a. 1) E dicto claſſico: *Quando impius auerſus fuerit ab omnibus peccatis ſuis, quæ fecerat, & cuſtodiuerit omnia ſtatuta mea, feceritque iudicium & iuſtitiam, viuendo viuet & non morietur. Omnes præuaricationes, quas fecit, non in recordationem venient, ſed in iniuſtitia ſua, quam fecit, viuet. Num enim volendo volo mortem impii? dictum Adonai Iehouah: Nonne vt conuertatur a viis ſuis & viuat?* Ezech. XVIII, 21. 22. Cum quo conuenit illud iuramentum diuinum, Ezech. XXXIII, 11. *Viuus ego, dictum Iehouah, ſi velim mortem impii, ſed vt conuertatur impius a via ſua, & viuat: conuertimini (ergo), conuertimini a viis veſtris malis: quare enim moriemini, o domus Iſraëlis?* Obſ. I. Sermo eſt prophetæ de peccatoribus *maxime ſceleratis* immo illis, qui ex peruerſo peccati habitu, quidquid licet, ferociter patrant, qui latrocinia exercent, ſanguinem effundunt, qui ſe idololatria contaminant, vxorem proximi polluunt, egenum & pauperem opprimunt, v. 14. 15. 16. Et hiſce Deus nihilominus gratiam reuocantem offert verbis maxime ſignificantibus, exſerta etiam *iuramenti* per vitam ſuam religione, atque inſuper tam ſeria ac propenſa mentis beneuolæ conteſtatione, vt fores gratiæ conuertentis non eſſe præcluſas ad id vsque tempus, haud obſcure innuat, quo peccator *obſtinatus*, & diuinæ gratiæ reuocanti præfracte ſe opponens, in peccatis moritur, morte ſcil, temporali & æterna, iuxta locum parall. 1 Paral. X, 13. 2) Quando Deus dicit: *Num volendo volo mortem impii?* HVGO GROTIVS verba illa comparate intelligit, inquiens: Hoc non obſtat, quin ſit apud Deum limes aliquis miſericordiæ, vt apparuit in Pharaone, Cananæis & aliis. Cui reſpondet B. CALOVIVS: *Non comparate, ſed abſolute* hæc intelligenda ſunt. *Simpliciter* Deus vult, vt homo conuertatur & viuat. Non tantum mauult vitam, quam mortem. De limite autem miſericordiæ nihil in ſcripturis; quæ vndiquaque miſericordiam Dei ſummam, nullumque finem habentem deprædicant: nuſpiam ei limes figitur, ſed vocem gratioſe nos vocitantis audire iubemur, cuius finis eſt gratioſa noſtra conuerſio. *Adhortamini vosmet ipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obturetur quis ex vobis fallacia peccati,* Hebr. III, 13. Pharao motus a Deo viua voce & miraculis ad pœnitentiam fuit, vsque ad extremum vitæ terminum. Nam etiam tunc, vbi tranſire per mare rubrum ſicco pede videbat Iſraëlitas, adhuc tempus erat ad ſaniorem mentem redeundi, a perſecutione eorum deſiſtendi, nec contra Deum belligerandi. Neque Cananæi abſoluto aliquo decreto a miſericordia excluſi erant, quin potuerint viſis & auditis miraculis ſeſe humiliare & gratiam conſequi, quod exemplo Rahabi & Gibeonitarum conſtat. Vnde argumen-

Digitized by Google

argumentamur: Quicunque non vult mortem peccatoris vel ſceleratiſſimi, ſed ſerio conuerſionem eius intendit, is vult voluntate antecedenti, vt omnes indurati conuertantur: Atqui Deus &c. Ergo.

2) Ex 2 Petr. III, 9. *Deus eſt patiens erga nos, non vult vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Ex quo effato apoſtolico colligimus: Erga quos peccatores ſe Deus longanimem præbet, eum in finem, vt non pereant, ſed ad pœnitentiam reuertantur, illos ſerio & efficaciter vult conuertere. Atqui erga peccatores induratos &c. Ergo.

3) Ex 1 Tim. II, 4. Pro quibus Chriſtus eſt mortuus, illos vult conuertere. Sed pro omnibus, etiam induratis, Chriſtus eſt mortuus. E. *Maior* & *minor* liquet e teſtimonio Paullino. *Deus vult omnes homines ſaluari & ad agnitionem veritatis peruenire. Vnus enim eſt Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, qui dedit ſeipſum pretium redemtionis ἀντίλυτρον pro omnibus.*

4) Ex Act. XVII, 30. *Deus præcipit hominibus omnibus vbique, vt pœnitentiam agant: propterea, quod conſtituit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in iuſtitia.* Colligimus: Quicunque ſunt iudicandi in extremo vniuerſalis iudicii die, illos Deus vult conuertere: Atqui omnes homines, etiam obſtinatiſſimi &c. Ergo.

Prob. b. Voluntatem Dei *conſequentem*, ſiue *iuſtitiæ*, non reſcindere, expungere, aut euertere voluntatem Dei *antecedentem* ſiue *miſericordiæ*, communis eſt Theologorum ſententia. Conſiderate ſcribit D. BALTH. MEISNERVS in *anthropol. decad. II. p.* 108. *Voluntatis conſequentis iudicium non poteſt tollere vniuerſalem vocationem, quam Deus antecedenter voluit.* Cui calculum adiicit D. DANNH. in *hodom. Calu. p. 1447. Voluntas miſerendi paucorum conſequens non euertit voluntatem miſerendi omnium antecedentem.* Nec diſſentit D. HENRIC. MVLLER in *ſemicentur. quæſt. theol. p. 52. Voluntas Dei conſequens non tollit, aut reſcindit antecedentem.* Item *p. 53. Non deſinit voluntas antecedens, quaſi expuncta conſequente: Manet idem affectus ſaluandi, qui fuit antea, conditione nondum impleta.* Id quod confirmatur e S. ſcriptura:

1) Voluntate *antecedente* Deus non vult mortem hominis impii, in via huius vitæ conſtituti, ſed vt conuertatur & viuat, Ezech. XXXIII, 11. Hanc voluntatem Dei vniuerſalem non reſcindit aut tollit voluntas *conſequens*, aut *iudiciaria*, vt aſſerere liceat, Deum voluntate conſequente nolle, vt peccator induratus conuertatur & viuat. Auſcultemus D. HVLSEMANN. & ei ſuffragantem D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. in h l. f. 550. Non neceſſum eſt, pro expoſitione huius loci, decurrere ad diſtinctionem voluntatis diuinæ in antecedentem & conſequentem.* Nam neque conſequente voluntate Deus delectatur interitu impii, quomodo Iudæi calumniabantur, ſed ex neceſſitate officii iudicis, & inuitus cogitur ad ferendam ſententiam. Vid. Thren. III, 33.

2) Si peccatoribus induratis, etiamnum viatoribus, omnis gratia conuertrix voluntate conſequente penitus eſſet ſublata; ſimiles forent diabolis, & iudicii exſecutionem in hac vita ſuſtinuiſſent: E. gratia induratis viatoribus conuertrix non eſt penitus ſublata. Connexio *maioris* probatur: quia diabolis nulla gratia conuertens eſt promiſſa; qui etiam iudicii inchoati exſecutionem iam dudum ſuſtinuerunt. Conf. 2 Petr. II, 4. Iud. V, 6. *Conſequens* patet ex Hebr. IX, 27. *Poſitum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc vero iudicium.* Poſt mortem hominibus finaliter obduratis obtingit iudicium, quo omnis gratia conuertens ſimpliciter reſcinditur. Sed qui via huius vitæ incedunt, illi habent *Moſen & Prophetas, quos audiunt,* vt per illorum verbum, concurrente Spiritu S., reſipiſcant, Luc. XVI, 31.

3) Quicunque voluntate conſequente *traditi ſunt in poteſtatem diaboli, vt caro quidem affligatur, ſed Spiritus ſaluetur in die Ieſu Chriſti,* illis gratia, ad pœnitentiam reuocans, voluntate

tate conſequenti non ſimpliciter ſubtracta eſt: Sed peccatores indurati &c. Ergo. *Minor* liquet ex 1 Cor. V, 5.

4) Quicunque voluntate conſequente in ſenſum reprobum ſunt dati, & tamen benignitate Dei ad pœnitentiam inuitantur, illis voluntate conſequente gratia reuocatrix non eſt præciſa: Sed viatores indurati &c. Ergo. *Minor* pateſcit ex Rom. I, 28. collat. cum Rom. II, 4. Nam ad Rom. I, 28. contemtores ſalutiferæ Dei cognitionis dicuntur eſſe *traditi in mentem reprobam.* Hos Apoſtolus Rom. II, 4. grauiter alloquitur: *An diuitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras, quod bonitas Dei te ad pœnitentiam ducat?* Idem colligitur e Pſ. LXXXI, 12. 13. 14. *Non obediuit populus meus voci meæ, & Iſraël non acquieuit mihi: Ideo dimiſi eum in duritie cordis eorum; vt irent in conſiliis ſuis. Vtinam populus meus eſſet obediens mihi, & Iſraël in viis meis ambularet! &c.* Populum Iſraëliticum maleſanum Deus dimiſit in duritie cordis ſui, ſincero tamen voto exoptauit, vt a malitioſa & pertinaci repugnantia ceſſaret, & gratiam medicinalem admitteret.

Prob. c. 1) Ex Eſ. LXV, 2. 3. *Expandi manus meas toto die ad populum rebellem, qui ambulant in via non bona poſt cogitationes ſuas; populum, qui ad iram prouocant me coram faciebus meis iugiter, qui ſacrificant in hortis, & ſuffiunt ſuper lateribus.* Quicunque toto vitæ die manus gratioſas expandit ad peccatores rebelles, iram diuinam iugiter prouocantes, idolisque ſeruientes, is toto vitæ tempore induratos peccatores vult conuertere: Atqui Deus miſericordiſſimus &c. Ergo.

2) Ex Thren. III, 21. collat. cum Rom. II, 4. *Miſericordiæ Iehouæ finitæ non ſunt; non ſunt conſumtæ miſerationes eius: Nouæ ſunt omni mane.* Quæcunque miſericordia non eſt finita, neque conſumta, ſed omni mane noua, illa in via huius vitæ nullo terminatur limite, ſed illimitate vniuerſalis eſt: Atqui miſericordia Dei benefica, ad pœnitentiam inuitans &c. Ergo. Vt *minor* propoſitio plenius intelligatur, obſeruentur verba D. SEBAST. SCHMID. in *comment.* Ier. V, 24. *Ad pœnitentiam agendam homines etiam quotidiana beneficia Dei inuitant, dum naturæ vniuerſum orbem benefica ſua longanimitate conſeruat.*

3) Ex Pſ. XCV. 8. *Hodie, ſi vocem eius audiueritis, ne obdurate cor veſtrum!* Confer. Hebr. III, 13. *Exhortamini vos ipſos καθ᾽ ἑκάϛην ἡμέραν, quolibet die, quamdiu hodie vocatur, ne quis ex vobis induretur fraude peccati!* Arguimus: Hodiernus dies ad pœnitentiam agendam culibet peccatori a Deo eſt deſtinatus: Omnis præſens vitæ dies eſt hodiernus: Ergo.

4) Ex Pſ. XXIII, 6. *Profecto bonitas & miſericordia inſequentur me omnibus diebus vitæ meæ.* Quæ verba concinne exponit D. GEIER. Indicatur h. l. gratiæ diuinæ ardor, quæ nos incurioſos, immo auerſantes ac fugientes, auide inſequitur, quæ præuenit nolentem, vt bene velit, volentem adiuuat, vt perficiat, operantem ſubſequitur, vt perſeueret; neque vllo die peccatorem deſtituit.

Dicis: Verba hæc intelliguntur de peccatore *pœnitente*, non de indurato. Reſp. Adduximus hæc verba, vt oſtendamus, gratiam Dei vniuerſalem comitari peccatorem toto vitæ tempore: Notamus tamen Deum vel contumaciſſimos peccatores ad pœnitentiam cohortari, quod diſcimus

5) ex Ierem. III, 1. *Dicere* (ſolent): *En!* (Si) *dimiſerit vir vxorem ſuam, & hæc abiuerit ab eo, fueritque viro alii: num reuertetur ad eam denuo? Nonne profanando profanabitur terra illa? Sed tu ſcortata es cum ſociis multis! Reuertere tamen ad me! Dictum Iehouæ.* Tam inuſitata & ſtupenda eſt clementia Dei, vt animam, iteratis peccatis mortiferis æque pollutam, ac adulteram, cum multis amaſiis ſcortatam, ad ſe reuocet, & ad reſipiſcentiam ſtimulet.

6) Eſaiæ

Digitized by Google

6) Eſaiæ auditores erant occœcati & obdurati. Vid. Eſ. VI, 9. Nihilominus clara voce clamitabat: *Deſerat impius viam ſuam, & vir iniquitatis cogitationes ſuas; tum reuertatur ad Iehouam, qui miſerebitur eius, & ad Dominum noſtrum, qui multiplicabit condonare.*

Prob. d. 1) Ex 1 Cor. VI, 9. *Annon ſcitis, quod iniuſti regnum Dei pro hæreditate non poſſidebunt? Ne errate! Neque ſcortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque concumbentes cum maribus, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque calumniatores, neque raptores regnum Dei in hæreditatem poſſidebunt. Et hæc quidem eratis: Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, & iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu, & per Spiritum Dei noſtri.* Quibus verbis Apoſtolus docet, peccatores ſceleratiſſimos miſericordia Dei præuentos, & ad pœnitentiam reductos, e ſtatu iræ in ſtatum gratiæ translatos eſſe.

2) Iudæi incrudelitate ſua, velut ſteriles rami, effracti ſunt ex olea Chriſto, Rom. XI, 19. potens tamen Deus eſt, vt eos rurſus inſerat, v. 23. quorum plurimi conuerſi ſunt, etiam illi, qui prædicantes Apoſtolos explodebant, Actor. II, 42.

3) Niniuitæ, quorum malitia aſcenderat coram Deo, prædicante Iona, reſipuerunt, & veniam peccatorum conſecuti ſunt, Ion. III, 10.

4) Conuerſi ſunt peccatores obſtinatiſſimi, Manaſſes, extremo gradu induratus, Dauid, bis enormiter lapſus, bis veniam adeptus, Salomo, ad idololatriam pellectus, Nabuchodonoſor, aliorum ſeductor, fœdiſſima meretrix, Luc. VII. & alii longe plurimi. Silentio prætermittendum non eſt exemplum Paulli, qui 1 Tim. I, 15. de ſeipſo inquit: *Peccatorum primus ſum ego: Sed propterea miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo demonſtraret Ieſus Chriſtus omnem longanimitatem ad exemplar illorum, qui credituri erant in ipſum in vitam æternam.*

Prob. e. Quod homo peccator ex *voluntaria culpa*, non autem ex decreto Dei, gratiam conuertentem *abſolute* denegantis, in æternum ruat exitium, Deus miſericordiſſimus in ſacris litteris paſſim docet. Ier. XXXII, 33. *Obuerterunt mihi ceruicem, & non facies, vt, licet,* (docuerim) *docendo eos, matutinando & docendo non tamen illi fuerint audientes, ad admittendum diſciplinam,* Matth. XXIII, 37. *O Ieruſalem! Ieruſalem! quæ occidis prophetas* (nunc & olim), *& lapidas miſſos ad te! quoties volui congregare liberos tuos eo modo, quo congregat gallina pullos ſuos ſub alas! ſed non voluiſtis!* Deus, miſſis præconibus ſacris, peccatores ſceleratiſſimos conuertere ſerio impenſeque cupit: at tam malitioſa multorum eſt contumacia, vt verbum Dei repellant, gratiamque medicinalem contemnant.

*Antitheſis* fuit olim *Nouatianorum*, qui lapſis poſt baptiſmum reditum ad pœnitentiam minime patere ſtatuebant; hodie autem eſt *Socinianorum*, negantium, hominem peccatorem, qui ſemel iugum peccati excuſſit, in peccatum mortiferum prolapſum, eidemque implicitum, vt peccandi habitum contraxerit, renouari poſſe ad pœnitentiam. Quorum argumenta expendemus:

I. Quicunque peccatores malitioſos indurat, is non vult eosdem conuertere. Atqui Deus &c. Ergo. *Minor* patet ex Eſ. VI, 10. & exemplo Pharaonis, Exod. X, 1. Reſp. 1) Quicunque homines peccatores *effectiue* indurat, duritiem cordibus ipſorum immittendo, is non vult eos conuertere; concedo. At Deus indurare dicitur partim *permiſſiue*, iuſto iudicio permittendo, vt peccator, qui ſe molliri non patitur, ſibi permiſſus, durus maneat: partim *negatiue*, gratiam regenerantem & iuſtificantem ſubtrahendo, in pœnam antegreſſorum peccatorum. 2) Pharao *ſeipſum* indurauit, Exod. VIII, 15. ſcil. *actiue*. E. Deus alio modo concurrit ad indurationem, ſcil. Pharao *effectiue & directe*, Deus *permiſſiue & indirecte*, Conf. PFEIFFERI *dubia vexat. p. 250.* *). II. Qui-

*) Vt rem paullo vberius explicemus, hæc ſunt in primis conſideranda: 1) Accurate diſcernendus eſt *effectus*, quem Deus voluit, ab *euentu* contrario, quem Deus præuidit, ſicut dicere con-

II. Quicunque hominem peccatorem deſerit, & gratiam ſuam illi ſubtrahit, is non vult eundem conuertere; Atqui Deus peccatorem induratum &c. Ergo. *Minor* patet 1) exemplo Pharaonis; 2) ex 2 Chron. XII, 5. *Vos deſeruiſtis me; ideo etiam deſerui vos in manu Schiſchacki;* item 2 Chron. XV, 2. *Si deſerueritis Iehouam, deſeret vos.* Reſp. 1) Licet Deus ſubtraxerit Pharaoni *gratiam inhabitantem*, non tamen ipſum *deſtituit gratia aſſiſtente*, quoad in via fuit; quum per verbum & miracula ipſum officii commonefecerit, gratiamque ſuam ipſi exhibuerit. Conf. D. CALOV. *bibl. illuſtr. in l. c.* 2) De gratiæ diuinæ ſubtractione præclare diſſerit D. HVLSEMANN. in *diſſert. de peccato* §. 5. Nequaquam Deus ita gratiam ſuam ſubtrahit, vt nullam plane relinquat, vel vt omne prohibens peccatum ſubducat: quia legem, qua prohibetur, tum inſcriptam naturæ, tum præſcriptam omnibus reliquit; pœnæ etiam comminatione, vt & exemplis iudicii ſui aduerſus peccata omnes reuocat, & denique labentibus in peccata, etiam contra conſcientiam, reliquit gratiam excitantem, quæ monet redeundum in priſtinæ filiationis gratiam. Id quod ex ipſo contextu 2 Chron. XII, 6. colligitur: *Humiliarunt vero ſe principes Iſraëlis, & rex; dixeruntque: Iuſtus eſt Iehouah. Cum ergo videret Iehouah, quod humiliaſſent ſe, factum eſt verbum Iehouæ ad Schemaiam dicendo: Humiliarunt ſe, ideo non perdam eos.* Idem oſtendi poteſt ex 2 Chron. XV, 3.

III. Qui peccatores clamantes non vult audire, illorum conuerſionem non intendit: Deus peccatores induratos clamantes non vult audire: E. *Minor* probatur e Prou. I, 28. *Clamabunt ad me, ſed non exaudiam; mane quærent me, ſed non inuenient me.* Reſp. Impii, vrgente calamitate, clamant ex impatientia pœnæ, non ex ſerio propoſito conuertendi ſe ad Deum. Quærunt Deum, vt liberentur a pœna, non a culpa. Clamor, e corde pœnitenti profectus, a Deo exauditur. *Omnis enim, qui inuocauerit nomen Iehouæ, eripietur,* Ioel. III, 5.

IV. Quem Deus tradidit in ſenſum reprobum, illum non vult conuertere: Peccatores induratos &c. Rom. I, 28. Pſ. LXXXI, 12. 13. E. Reſp. Quos peccatores Deus tradidit in ſenſum reprobum voluntate *conſequente iudiciaria*, illos voluntate *antecedente* benigniſſimum numen ad pœnitentiam inuitat, Rom. II, 4. Neque enim voluntas *antecedens*, ſiue *miſericordiæ*, expungitur voluntate *conſequente*, ſiue *iuſtitiæ*.

V. Deus talentum ſeruo inutili aufert, Matth. XXV, 28. E. denegat ipſi gratiam verticordiam. Reſp. Per talentum l. c. intelligitur augmentum gratiæ, ſiue intenſior & vberior

conſueuimus: hunc ego hominem beneficiis augebo, nihilque intentatum relinquam; ſed iam præſentio, fore, vt eo impudentior fiat ingratus ille, quo benignior in illum fuero: Ich werde ihn nur damit verhærten. 2) Perſpicue ſcriptum exſtat, triſtiſſimum huncce euentum neutiquam fuiſſe Dei conſilium ac determinantem voluntatem, Rom. XI, 11. vbi vocula, ἵνα, haud dubie denotat finem, quem Deum ſibi propoſitum habuiſſe, Legatus Chriſti pernegat. 3) Deus damnat duritiem animi, hominesque admonet de ea fugienda, Hebr. III, 8. 12. 13. IV, 7. 11. add. Pſ. XCV, 8. Ergo eam ipſe non efficit. 4) Cauſa obdurati animi diſerte dicitur eſſe fraudulenta peccati perſuaſio, & malignus Spiritus, Hebr. III, 13. 2 Cor. IV, 4. coll. cum Eph. II, 2. Ergo eundem effectum Deo tribuere, eſt profecto maxima iniuria. 5) Homo ſemet ipſe indurat, vt etiam nunc, ita ante, & ſæpius, Ex. VIII, 32. Ierem. V, 3. Zachar. VII, 11. 12. 6) Prius, quam Deus induratum hominem deſerat puniatque, tolerat eum tarditate iræ & magna lenitudine, Rom. IX, 17. coll. cum ſeqq. v. 22. Quo nam autem conſilio? Sane optimo, vt improbus ſpatio reſipiſcendi vtatur, 2 Petr. III, 9. 7) Facere aliquid interdum is dicitur, qui illud futurum prædicit. Luculentum en! exemplum, Ierem. I, 10. Itaque Deus Pharaonis animum induraſſe dicitur, non quod ipſe id effecerit, ſed quod certe ita euenturum prænuntiauerit, clariſſimisque documentis ſuæ & benignitatis lenitudinisque, & potentiæ, & ſeueritatis, aperte ſignificarit, ſe nihil feciſſe reliqui, quod ad corrigendum Pharaonem pertineret, ipſum vero Pharaonem eſſe tantæ obſtinationis animi auctorem atque effectorem.

Digitized by Google

rior gratiæ gradus, non gratia prima aſſiſtens, i. e. ſtans ante oſtium cordis & pulſans, vt aperiatur, Apoc. III, 20.

VI. Deus eſt feſſus pœnitendo, Ier. XV, 6. E. immorigeris peccatoribus non vult dare pœnitentiam. Reſp. Loco citato non eſt ſermo *de denegatione pœnitentiæ, ſed de retractatione decreti de committendis pœnis temporalibus.* Deus nolebat amplius miſereri, & pœnas auferre, inquit VATABLVS in *h. l. p.* 293. Patet id e verbis ſequentibus v. 7. *Quare ventilabo eos ventilabro in portis terræ; orbabo, perdam populum meum: quia a viis ſuis non ſunt conuerſi.* Interim per pœnas temporales multi ad pœnitentiam excitantur. Id quod diſcimus e Ier. XVIII, 7. 8. *Momento loquor contra gentem, aut contra regnum ad euellendum & ad deſtruendum & ad perdendum. Quod ſi conuerſa fuerit gens iſta a malitia ſua, propter quam locutus ſum contra eam; pœnitebit me mali, quod cogitaui facere illi.*

VII. Pro quibus non eſt orandum, illi non poſſunt conuerti: Pro induratis &c. Ier. VII, 16. c. XI, 14. c. XIV, 11. Reſp. Deus non vetat orare pro conuerſione peccantium, & pro culpæ condonatione per fidem in Meſſiam, id enim Deus vult fieri & exauditionem promiſit, Ier. XXIX, 12. 13.; ſed vetat orare pro pœna temporali, deportatione in Babyloniam obſtinatis Iudæis remittenda. Sed hæc temporalis eſt concio pœnitentiæ realis. Vid. Leu. XXVI, 41. 42.

Inſtantia: Sed pœna temporalis haud raro comitem habet pœnam æternam, propterea, quod in flagranti peccato exſtinguuntur, vt Simri & Chasbi, Num. XXV, 6. Reſp. Sermo nobis eſt de peccatoribus in via vitæ conſtitutis, quos longanimitas Dei ad pœnitentiam allicit, non de finaliter impœnitentibus, qui in impœnitentia decedunt, aut ſubita morte in actu illicito rapiuntur: nam in hora mortis ianuam miſericordiæ & indulgentiæ peccatoribus occludi, ἐξαγώνιον eſt.

VIII. Quicunque iurat, ſemper errantes non venturos eſſe in requiem cœleſtem, ille non vult eos conuertere: Atqui Deus &c. Hebr. III, 11. 12. Reſp. Semper errantes ſunt finaliter impœnitentes, quos Deus voluntate iudiciaria reprobat; quos tamen, quoad fuerunt in via vitæ, voluntate antecedente ad pœnitentiam exſtimulauit.

IX. Qui iam iudicatus & condemnatus eſt, illi porta gratiæ eſt occluſa; ſed omnis, qui non credit, iam iudicatus eſt: E. *Minor* liquet ex Io. III, 18. Reſp. 1) *Qui non credit finaliter*, ſiue vsque ad finem vitæ, ille iam iudicatus eſt, ratione decreti diuini reprobatorii, ab æterno facti. At de finaliter incredulis in præſenti non agimus. 2) *Qui ad tempus non credit, iam iudicatus eſt per legem;* eo, quod iudicium, a lege iam latum, ipſum premit, nec ab illo, quamdiu eſt ἄπιςος, liberatur. Quamuis enim per Chriſtum redemtorem ipſi parta ſit liberatio a maledictione legis; vnde illam ſibi applicare poterat & debebat per fidem in Chriſtum: ea tamen non fruitur, quia liberationem a redemtore acquiſitam, & verbo euangelii oblatam, fide non amplectitur. At vero peccator ad tempus incredulus, conuerti & ad fidem perduci poteſt, quod exempla Dauidis, Petri, Thomæ, Paulli & aliorum docent.

X. Sero pœnitentibus denegatam eſſe gratiam diuinam, oſtendit exemplum quinque virginum fatuarum, quibus ſero venientibus porta clauſa erat, Matth. XXV, 10. Reſpondebo verbis GERHARDI in *harmon. c.* 163. *p.* 836. *Primario ac præcipue Chriſtus hic loquitur de ſtatu in die iudicii futuro, vbi iam tempus pœnitentiæ & gratiæ prorſus erit præterlapſum. Quod ſi ad mortem hominis hoc parabolæ membrum accommodare velimus, ſtatuendum eſt, tum demum ianuam claudi, & tempus pœnitentiæ, gratiæ ac veniæ puniri, quando anima a corpore fuerit ſeparata.*



Digitized by Google

XI. Gratiam conuertentem non offerri omnibus peccatoribus induratis claret exemplo filiorum Eli, qui non audiuerunt vocem Patris ſui: *quia voluit Dominus occidere eos*, 1 Sam. II, 25. & Saulis, quem Deus penitus deſeruit, *vt ipſi non reſponderit ſiue per ſomnia, ſiue per Vrim, ſiue per prophetas*, 1 Sam. XXVIII, 6. Reſp. 1) Filiis Eli Deus gratiam reuocatricem non ſimpliciter præcidit, quippe quos per verbum ſuum, miniſterio patris annuntiatum, ad pœnitentiam reuocare ſerio intendit: Verba autem citati textus ex fonte hebræo a D. SEB. SCHMIDIO ſimpliciter reddita ita ſe habent: *Filii Eli non audiuerunt vocem patris ſui, quod vellet Iehouah eos occidere.* 2) Saul manſit ſub vmbraculo eccleſiæ viſibilis, adeoque continua legis voce & luminis oblatione ad pœnitentiam excitatus eſt; quamuis ipſi gratia illa ſpecialis, qua Deus in V. T. futura reuelabat, non fuerit diuinitus conceſſa.

XII. Eſauus pœnitentiæ locum non inuenit, etſi cum lacrymis eam exquiſiuerit, Hebr. XII, 16. E. Deus pœnitentiam omnibus peccatoribus dare non vult. Reſp. Loco citato non eſt ſermo de pœnitentia Eſaui (Eſauum temerarii facinoris pœnituiſſe, teſtantur ipſius lacrymæ); ſed de pœnitentia Iſaaci, quod etiamſi eam cum lacrymis quæſiuerit Eſauus, pœnitentiæ tamen locum non inuenerit, vt nempe parentem benedictionis de iure primogenituræ in Iacobum collatæ pœniteret, eamque reuocaret.

Inſtantia: Eſauus tamen, pœnitentiam patris, ſed fruſtra, quærens, typus eſt peccatoris, remiſſionem peccatorum apud Deum Patrem quærentis, ſed non inuenientis, Reſp. Eſauus typice repræſentat non quemuis hominem lapſum, ſed *peccantem in Spiritum S.*, a quo ad quemuis mortaliter lapſum negatur conſequentia. Confer. SEBAST SCHMID. in *h. l. p.* 1355.

XIII. Deus peccantibus in Spiritum S. gratiam reuocatricem denegat, Hebr. VI, 6. c. X, 26. E. non vult omnes peccatores induratos conuertere. Reſp. Peccantes in Spiritum S. ſunt finaliter impœnitentes non ob denegatam gratiam reuocatricem, ſed ob voluntariam & perſeuerantem reiectionem ordinarii medii, h. e. verbi diuini, quo conuertendi erant. Quare grauiter inquit DANNHAV. *hodoſ. phænom. XI. p.* 1420. *Impoſſibile eſt, vt peccantes in Spiritum S. renouentur ad pœnitentiam, non impoſſibilitate decreti reprobatorii, ſed vitii humani.*

XIV. Peccatores, extra eccleſiam degentes, per ordinarium medium non reuocantur ad pœnitentiam: E. gratia Dei conuertrix non eſt vniuerſalis. Reſp. Quod gentes extra eccleſiam degentes per ſolemnem verbi diuini prædicationem non reuocantur ad pœnitentiam, accuſare poſſunt non Deum miſericordiſſimum, omnium hominum reſipiſcentiam impenſe cupientem; ſed maiores ſuos, qui lampadis euangelicæ pretioſum depoſitum non fideliter, vt par erat, ſeruarunt. Cæterum vocantur illi per vocem naturæ, conſcientiæ, & famæ de religione chriſtiana, paſſim terrarum ſparſæ, ad eccleſiam, officinam gratiæ, vt in illa per ordinarium ſalutis medium conuertantur.

XV. Obſtare nobis videtur auctoritas LVTHERI, inquientis: *Quamquam Deus promiſit veniam, ſicut ait Auguſtinus, tamen non promiſit hoc, quod certo ſis rediturus poſt lapſum, ſicut Saul & Iudas non redierunt.* Reſp. a) Si Deus veniam peccatori promiſit, non omnem gratiam conuertentem ipſi denegauit. Nam promiſſio euangelica, qua venia peccatori offertur, eſt efficax conuertendi medium. b) Non promiſit Deus, quod peccator certo ſit rediturus; quia peccatorem conuertit non gratia irreſiſtibili, ſed reſiſtibili per media ordinaria, quæ peccator poteſt reiicere.

Quæſt. XIII. *Quis eſt conuerſionis, ſtrictiſſime dictæ, terminus a quo, & ad quem?*

Conuerſionis, *ſtrictiſſime* ſumtæ, *terminus a quo* ſunt *peccata* cum *actualia*, quatenus, poſtquam admiſſa ſunt, moraliter manent velut rata, aut non retra-



Digitized by Google

ſtata a), tum *habitualia*, quatenus non ſolum important *carentiam* perfectionis habitualis, ineſſe debitæ, ſed etiam *propenſionem* ad omnia mala, quæ peccatorum actualium fons & cauſſa eſt b). *Terminus ad quem proximus* eſt contritio c): *remotus* eſt fides in Chriſtum d).

Obſ. I. Peccata dupliciter ſpectari poſſunt: 1) *Phyſice*, in quantum ſunt *actiones*, & ab homine efficienter dependent: 2) *Moraliter*, in quantum ſunt *actiones contra legem*, & ius cuiusdam tertii concernunt. *Priori* modo ſpectata, commune habent cum aliis quibusvis actionibus, vt hominem ob reſpectum, quem ad eum, tanquam effectus ad ſuam cauſſam, important, tum peccare in præſenti denominent, cum fiunt, peccaſſe autem in præterito, poſtquam præterierunt. *Poſteriori* autem modo conſiderata, cum aliis actionibus moralibus, quæ præter agentem etiam ius cuiusdam tertii concernunt, hoc peculiare habent, vt in agente obligationem inducant, & peccantem, etiam poſtquam præterierunt, ſub actione, vel potius ſub ſtatu ex actione reſultante, quaſi conſtrictum teneant, v. gr. vt in ciuilibus contractus ſemel initus in contrahentibus obligationem inducit, eosque ſub ſtatu contractus quaſi conſtrictos tenet, etiamſi actus contrahendi dudum præterierit; ita peccatum ſemel patratum inducit in peccante obligationem, & tenet eum ſub ſtatu peccati quaſi conſtrictum, licet actus peccandi dudum præterierit. Cum vero hominum voluntas mutabilis ſit, & quæ ſemel egerunt, poſtea mutata voluntate, retractare, &, quantum in ipſis eſt, *moraliter irrita reddere* ſoleant; ideo, vt peccata præterita moraliter maneant, & hominem in *ſtatu peccati* detineant, requiritur inſuper, vt poſtea per ſubſequentes voluntatis actus habeantur rata, vel certe, vt non per actus voluntatis ſubſequentis retractentur, perinde vt ad contractum ſemel initum, ſi moraliter durare debeat, requiritur, vt poſtea a contrahentibus ratus habeatur, vel certe vt a neutro contrahentium retractetur. Confer. MVSÆVS *de conuerſ. diſp. III.* §. 42.

Obſ. II. Non ſola ratihabitio, aut non-retractio, in cauſſa eſt, cur peccata, poſtquam præterierunt, moraliter maneant, & hominem peccatorem in ſtatu peccati detineant. Cum enim peccata lege diuina interdicta ſint, & per hoc ipſum, quod legem diuinam violant, *Deum* grauiſſime offendant, inducunt in peccante *reatum culpæ, & obligationem ad ſatisfaciendum* pro offenſione ac iniuria Deo illata. Vnde nec a ſola peccantis ratihabitione, ſeu nonretractione habent, quod moraliter manent, nec etiam per ſolam eius retractionem aboleri poſſunt. Nam ſi vel maxime peccator ſerio retractet ſecum peccata præterita, adhuc tamen manebit reus culpæ ob violatam legem Dei, & obligatus ad ſatisfaciendum pro offenſione & iniuria Deo illata. Quamdiu autem manet reatus culpæ & obligatio ad ſatisfactionem, tamdiu moraliter manent peccata & homo in ſtatu peccati. Quamobrem vt peccata moraliter aboleantur, *& homo peccator e ſtatu peccati in ſtatum gratiæ transferatur*, duo requiruntur: 1) *Vt peccata non amplius habeantur rata, ſed retractentur*: 2) *Vt Deo, ſupremo Domino & legislatori, pro offenſione & iniuria illata, plena ſatisfactio exhibeatur, adeoque Deus offenſus reconcilietur.*

Prob. a. Peccata actualia tamdiu habentur rata, quamdiu peccatori non conuerſo ſic placent, vt ipſis indulgeat & operetur, vel quia ignorat, ea lege diuina eſſe prohibita, vel quia ſpecie boni apparentis ipſi abblandiuntur, v. gr. Gentiles neſciebant, ſuam idololatriam eſſe lege diuina interdictam (quamuis iſthæc ignorantia eſſet ſupina, craſſa & affectata). Hoſtes euangelii Apoſtolos occidendo putabant, ſe cultum Deo ſacrum offerre, Ioann. XVI, 2. Haud paucis placet auaritia ob bonum vtile, ſcortatio ob bonum iucundum &c. Quamdiu peccator hæc vitia non odit, aut deteſtatur, ſed potius illis ita delectatur, vt in

ipſis pergere ac perſeuerare ſibi proponat, tamdiu peccata illa actualia *moraliter* manent (licet *phyſice*, aut realiter non ſuperſint), & homo in ſtatu peccati detinetur.

Prob. b. Peccata actualia ſunt *terminus conuerſionis a quo immediatus & proximus; peccatum habituale eſt terminus a quo mediatus & remotus.* Cum enim *peccata actualia*, vbi patrata ſunt, peccatoris animo *per ſe ipſa & immediate* obuerſentur, eiusque conſcientiam onerent & angant; *habitus vero peccandi a poſteriori* demum & ex actualibus peccatis, quorum principium & cauſſa eſt, innoteſcat: fertur conuerſio quidem ſuis actibus in *illa*, & tendit ad illorum abolitionem *primo, proxime & immediate*, ita tamen, vt conſequenter & mediantibus actibus peccandi etiam in *hunc* feratur, tanquam in *terminum remotiorem*, & qui in peccatis *actualibus*, tanquam *termino proximo*, per modum principii connotatur. Ita Dauid, poſt patrata adulterii & homicidii ſcelera reſipiſcens, præter ſcelera actu commiſſa, & iam præterita improbauit etiam ſerio, ac multo cum dolore deteſtatus eſt ſuam connatam malitiam, tanquam patratorum ſcelerum cauſſam & fontem: *Ecce! in iniquitate formatus ſum, & in peccato calefecit me mater mea!* Pſ. LI, 7.

Prob. c. Quemadmodum officium *legis* eſt, corda ſaxea inſtar mallei frangere & conterere, Ier. XXIII, 29. transgreſſoribus legis iram Dei denuntiare, Rom. IV, 15. eosque morti adiudicare, 2 Cor. III, 6: Ita *conuerſionis* per *legem* terminus *ad quem* & effectus *proximus* atque immediatus eſt *CONTRITIO*, *qua homo peccator agnita ex lege diuina peccata ſerio cum dolore deteſtatur.* Cum igitur Spiritus S. per legem diuinam ad contritionem perducit peccatorem, hic peccata præterita non amplius habet rata, ſed eadem retractat: quæ *retractatio duobus actibus, quorum vnus ad intellectum, alter ad voluntatem pertinet, abſoluitur.* Ad *intellectum* pertinet *agnitio peccatorum*, quæ tanquam neceſſaria conditio, ſine qua peccatorum retractatio locum haud inuenit, prærequiritur. Vnde Dauid: *Præuaricationes meas agnoſco: & peccatum meum* (tanquam res abominanda, deteſtanda, retractanda) *coram me eſt iugiter*, Pſ. LI, 5. Hæc peccati agnitio eſt effectus gratiæ illuminantis. Ex *parte voluntatis* requiritur ad peccatorum retractationem eorum *diſplicentia, quæ eſt vel ſimplex, vel efficax. Simplex diſplicentia* eſt, qua ſecundum aliquam rationem mali cognitam voluntati aliquid diſplicet, ſine intentione illud fugiendi. *Efficax diſplicentia* eſt, qua res cognita, tanquam mala, ita voluntati diſplicet, vt ſimul illam fugere intendat. Ad peccatorum retractationem non ſufficit quæuis *diſplicentia ſimplex;* quippe quæ datur etiam in impœnitentibus, qui meliora vident probantque, deteriora ſequuntur: ſed requiritur etiam *diſplicentia efficax*, cum ſerio peccata fugiendi propoſito coniuncta; qua nimirum peccata ita auerſamur, vt non ſolum commiſſa, ſi fieri poſſet, velimus reddere infecta, ſed etiam ab aliis omnibus in poſterum committendis toto pectore abhorremus; quam diſplicentiam ſpeciatim *peccati deteſtationem* nuncupare ſolemus. Porro hanc deteſtationem ſiue diſplicentiam efficacem (qua peccata, etſi, dum patrarentur, voluntaria eſſent, inuitarum actionum naturam induunt) *dolor ac triſtitia animi* (quo pertinent morſus ac pauores conſcientiæ) inſequi ſolet, tanto plerumque grauior, quanto penitius peccator peccata, Deum offenſum, pœnas huius & alterius vitæ promeritas conſiderat. E quibus eluceſcit, quod retractatio peccati ſit eiusdem ex lege agniti deteſtatio, cum dolore animi coniuncta.

Prob. d. Sicut lex eſt pædagogus ad Chriſtum, Gal. III, 24. ita *contritio eſt diſpoſitio quædam vtilis & neceſſaria ad fidem in peccatore accendendam & ſalutem fide obtinendam*, dicente MVSÆO *diſp. II. de conuerſ. §. 60.* Cui ſuffragatur D. FECHT. in *ſylloge controu. diſp. XXIX. §. 1. Pœnitentiam partialiter acceptam* (contritionem) *ſano ſenſu diſpoſitionem & præparationem ad fidem, mediumque perueniendi ad finem vocare non verentur Theologi ex Matth.*

Digitized by Google

*Matth. III, 5. Act. III, 48.* Nimirum *contritio non eſt medium poſitiuum, aut cauſſale accendendæ fidei*, ſed eſt tantum *medium priuatiuum* (quale eſt puris remotio ad ſanandum vulnus), quo remouetur incapacitas ſubiecti & obſtacula, quæ alias impedirent accenſionem fidei. *Ad miſerum enim & contritum ſpiritu reſpicit Deus*, Pſ. LXVI, 2. Eſt itaque *fides in Chriſtum terminus conuerſionis ad quem remotus;* ideo, quod Spiritus S., per legem contritionem operando, intendit cor peccatoris diſponere ad accendendam in ipſo per verbum euangelii fidem ſaluificam. Cum autem *remotum* appello, nolim aliquis exiſtimet, fidem a contritione longius remouendam, aut ſeiungendam eſſe: arctiſſimo quippe nexu contritio cum fide in concionibus Chriſti copulatur: *reſipiſcite & credite* euangelio, Marc. I, 15. Act. II, 38. 2 Cor. VII, 10. verum hoc ipſo ſaltem indigitatur, non per conuerſionem ex lege, ſed aliunde per regenerationem ex euangelio lucem fidei oriri, 1 Petr. I, 23. Iac. I, 18 *).

Quæſt. XIV. *In quo formaliter conſiſtit conuerſio ſenſu ſpecialiſſimo ſumta?*

Conuerſio *ſtrictiſſime* ſumta formaliter conſiſtit in excitatione contritionis, per verbum legis, quo a Spiritu S. cor durum peccatoris mollitur, præparatur & diſponitur ad fidem voce euangelii in eo accendendam. *Forma conuerſionis.*

Prob. Patent hæc e iam dictis, nec non ex Apol. A. C. p. 86. *Fides illa, de qua loquimur, exſiſtit in pœnitentia, hoc eſt, concipitur in terroribus conſcientiæ, quæ ſentit iram Dei aduerſus noſtra peccata, & quærit remiſſionem peccatorum, & liberari a peccato. Et in talibus terroribus, & aliis afflictionibus debet hæc fides creſcere & confirmari. Quare non poteſt exſiſtere in his, qui ſecundum carnem viuunt, qui delectantur cupiditatibus ſuis, & obtemperant eis.*

Quæſt. XV. *Quis eſt finis conuerſionis?*

*Finis proximus* conuerſionis eſt regeneratio a): *vltimus*, ex parte *hominum*, vita æterna b); ex parte *Dei*, gloria nominis diuini c). *Finis conuerſionis.*

Prob. a. Cum conuerſio per legem excitet in corde peccatoris contritionem, quæ eſt diſpoſitio ad fidem accendendam, liquido patet, Spiritum S. cor durum conterendo intendere

*) Conuerſio hoc quidem in loco eſt *reuerſio*. In omni reuerſione non poteſt non *duplex* eſſe *terminus*, vnus *a quo*, alter *ad quem*. Terminus *ad quem* non poteſt alius eſſe, quam is ipſe, a quo homo diſceſſerat. Terminum *a quo*, neceſſe eſt, eum eſſe, in quem homo, facta illa diſceſſione, ſeſe contulerat. Homo improbus a Deo defecit, & ſe in quoduis peccatum præcipitem dedit. E. terminus *a quo* eſt *peccatum*, terminus *ad quem* eſt *Deus*, Act. III, 19. coll. cum v. 26. & XXVI, 18. Adde Luc. XV, 18. Nemini autem, peccati reo, reditus ad Deum patet, niſi *per Chriſtum*, Ioann. XIV, 6. E. *fiducia* ſalutaris, in *Chriſto* poſita, non tam ipſe *terminus ad quem* eſt, quam *medium* vnicum, ideoque neceſſarium, quo ad eum peruenimus. Nulla cogitari poteſt *reuerſio* ſine termino alio, qui dicitur, *a quo*, alio *ad quem*. E. vterque eſt *neceſſarius*. Nec vero aliquid amplius requiritur. E. vterque etiam eſt *ſufficiens*. Terminus ad quem eſt finis propoſitus, cuius certe potiſſimum habenda eſt ratio. E. terminus ad quem eſt *præcipuus*. Ex his efficitur: 1) conuerſionis ſacræ partes *neceſſarias* eſſe *duas*, vnam quidem deteſtationem peccati vniuerſi, ſeu, vt vulgo dicitur, contritionem; alteram vero coniunctionem hominis cum Deo per fiduciam in Chriſto collocatam: 2) *nec plures* eius partes eſſe: 3) hanc *alteram* eſſe *præcipuam*: 4) in ſummo errore verſari *Romanocatholicos*, quando illi quidem & *alias* partes conſtituunt, & *præcipuam* tollere audent.

Digitized by Google

tendere regenerationem peccatoris contriti: id quod ſuprá dilucide oſtendimus ex Act. II, 38. qu. 5. prob. 4.

Prob. b. *Triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam ad ſalutem non pœnitendam operatur*, 2 Cor. VII, 20. Deus, per gratiam conuertentem, peccatorem ex lege contriſtando operatur pœnitentiam ad ſalutem, nimirum vt pœnitentia μεϱικῶς accepta, ſiue contritio, non quidem ſit *medium ſalutis cauſſale*, attamen vt ſit *medium ordinis diuini.* Quem ordinem diuinum ſupra qu. IX. expoſuimus.

Prob. c. *Cum apoſtoli & fratres, qui erant per Iudæam, audiuerunt, quod etiam gentes accepiſſent verbum Dei, laudauerunt Deum, dicentes: vbique ergo, etiam ethnicis Deus pœnitentiam dedit ad vitam*, Act. XI, 18. Laudanda eſt bonitas Dei, qui ouem balantem quærit, & ſcortatricem recidiuam ad ſe allicit, Ier. III, 1.

Quæſt. XVI. *An Deus peccatorem gratia irreſiſtibili conuertit?*

## Gratiæ conuertenti homines peccatores *reſiſtere poſſunt.*

Obſ. I. Diſt. *inter repugnantiam naturalem, & malitioſam. Illa* dicitur alias *congenita*, proximeque fluit ex natura hominis corrupta, & eſt communis omnibus hominibus, quæ per gratiam præparantem, verbo Dei coniunctam, imminuitur quidem & inhibetur, non autem radicitus tollitur. Datur enim lucta carnis aduerſus ſpiritum, etiam in renatis. Vid. Rom. VII, 23. Gal. V, 17. Idcirco, cum homo per naturæ corruptionem non poſſit non legi diuinæ reſiſtere, *eo, quod caro legi non ſubiicit ſe, neque enim poteſt*, Rom. VIII, 7.; gratia conuertens hanc repugnandi neceſſitatem infringit, facitque, vt homo quidem admittere media poſſit, non autem vt neceſſario & irreſiſtibiliter admittat, verum vt retineat libertatem mediis iſtis refragandi. *Hæc* dicitur alias *voluntaria, affectata & moroſa*, eſtque peculiari hominis culpa & dedita opera accerſita, atque adeo ex malitia, ſponte contracta, profecta: quæ in aliis pertinacior, in aliis minus pertinax eſt, quorundam *temporaria*, quorundam *finalis* eſt. Docet enim Saluator, diuites difficilius ingredi regnum cœlorum, quam pauperes, Matth. XXIX, 23. Docet idem, publicanos & meretrices facilius poſſe conuerti & ſaluari, quam Phariſæos, quoniam hi perſuaſione propriæ iuſtitiæ inflati erant, Matth. XXI, 31. Quin experimento etiam diſcimus, vehementius reſiſtere gratiæ conuertenti homines, falſis occupatos opinionibus, zelo præpoſtero inflammatos, grauioribus vitiis immerſos, ſæpius relabentes in peccata proæretica, quam declinantes iſtiuſmodi periculoſos ſalutis ſcopulos. Pertinaciſſime reſiſtunt finaliter impœnitentes, quos inter eminent peccantes in Spiritum Sanctum.

Obſ. II. Conuerſionem *extraordinariam* fuiſſe *irreſiſtibilem*, cenſent nonnulli auctores: id quod alii in dubium vocant. Paulli conuerſionem extraordinariam non fuiſſe ſimpliciter reſiſtibilem, colligimus ex Act. XXVI, 19. vbi Apoſtolus dicit: *Non fui incredulus cœleſti viſioni.* Quibus verbis innuit, potuiſſe ſe, ſi voluiſſet, refragari. Tam potens vocatio non adimebat ei obſiſtendi potentiam, cenſente HVGONE GROTIO in *h. l.* Cœleſti apparitioni ac vocationi reſiſtebat etiam Moſes, vsque dum furor Iehouæ accenderetur, c. IV, 14. D. HVLSEM. in *breu. enucl. c. VI. theſ. XV.* diſtinguit inter *vocationem, & conuerſionem Paulli.* Paulli *vocatio* quidem facta eſt *irreſiſtibiliter:* ſed *non irreſiſtibiliter* facta eſt eius *conuerſio & regeneratio*, Act. IX, 4. ſeqq. *Illa* enim facta eſt quaſi in inſtanti: *hæc* autem (intra triduum) ſucceſſiue. Vnde ab extraordinario & miraculoſo ad irreſiſtibile non valet conſequentia. Miraculis enim multi reſiſtunt.

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. III. Diſt. *inter irreſiſtentiam actualem, & poſſibilem.* Gratia *reſiſtibilis* dicitur, cui per naturam reſiſti poteſt, ſiue actu ei reſiſtatur, ſiue non: *irreſiſtibilis*, cui per naturam reſiſti non poteſt.

Obſ. IV. Cum homo in peccatis mortuus iacet, & ſecure in diem viuit, de conuerſione ſui nequicquam cogitans, *præuenit* eundem benigniſſimus Deus, & mediante verbo, ſiue audito, ſiue lecto, ac intra mentem retento, ſubinde bonos in eo motus ſuſcitat, quos *ineuitabiles* Theologi appellant, quia eorum præſentia & ſenſus euitari nequit: qui etiam quodammodo *irreſiſtibiles* dici poſſunt, *ratione originis & ſenſus*, cum eorundem *ſuſcitationi* per verbum, ac *ſenſui* neutiquam, ſed tantum *conſenſui* opponere ſe homo peccator poſſit. *Primi motus*, inquit D. IOAN. MVSÆVS, *dici poſſunt irreſiſtibiles, quatenus noſtram deliberationem anteuertunt, vt in noſtra poteſtate non ſit impedire, ne oriantur; quamuis, poſtquam exorti ſunt, reſiſti iis, & ne radices agant, impediri, vel plane ſuffocari poſſint*, in *tract. de conuerſ. c. V.* §. *XLVIII.* Conſiſtunt autem illi boni motus, quos gratia *præueniens* in homine peccatore intra eccleſiam, mediante verbo, accendit, in *κατανύξει τῆς καρδίας*, in compunctione cordis, Act. II, 3. ſiue in iniectione quadam ſtimuli, & exorta præter omnem intentionem interna commonitione de ingenti periculo & atroci miſeria, cui ſe per crimina, quotidie contra conſcientiam commiſſa, peccator ſponte obiicit, vt quandoque exemplo filii perditi in ſemetipſum deſcendat, Luc. XV, 5. & *ἔμφοβος γενόμενος*, Act. XXIV, 25. compunctus & conterritus, incipiat ingeminare illud,. Ier. c. VIII, 6. *Quid feci? quo ruo? quo præceps feror?* Cur non potius æternæ ſaluti, quam fluxæ corporis voluptati, cum periculo æternorum cruciatuum coniunctæ, conſulo? Id ita pro immenſa ſua gratia diſpoſuit Deus, quo minus vlli homini locus ad excuſationem relictus ſit. Sane obſtinatiſſimi athei, qui animum ſuum aduerſus omnes chriſtianorum obiectiones obdurarunt, tamen ſubinde contra voluntatem ſuam, vbi verbi diuini propoſitione quaſi ſiderantur, vellicationes intra ſe tales ſentiunt.

Obſ. V. *Non reſiſtentia eſt duplex, pædagogica & ſpiritualis. Pædagogica non-reſiſtentia* eſt penes hominem peccatorem in rebus externis, ad eccleſiam inuitantibus. V. gr. Quidam homines irregeniti renuunt ire pedibus in templum, quidam non recuſant. Hæc pædagogica non-reſiſtentia auditui externo reſpondens eſt liberi arbitrii. *Spiritualis autem non-reſiſtentia auditui interno, ſiue aſſenſui reſpondens, eſt a gratia Spiritus S. aſſiſtente & præparante*, quippe quæ repugnantiam naturalem & actualem ſimplicem frangit & inhibet, ne fiat malitioſa, affectata & moroſa; quamuis per extremam hominum malitiam intentum hunc finem non ſemper aſſequatur.

Prob. 1) Ex Act. VII, 51. *Σκληροτράχηλοι καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν, ὑμεῖς τῷ πνεύματι ἁγίῳ ἀντιπίπτετε*, vos duri ceruice, & incircumciſi corde atque auribus, ſemper Spiritui S. reſiſtitis. Oraculum hoc cœleſte eſt *ἐμφατικώτατον*. Prima emphaſis eſt in voce *σκληροτράχηλοι*, q. d. ceruice duri, ihr Halsſtarrige, oder Hartnäckige. Metaphora ſumta eſt a vitulis iugi impatientibus, illudque impoſitum petulanter excutientibus. Altera eſt in voce *ἀπερίτμητοι*, i. e. incircumciſi ſpiritualiter. Erat quidem Iudæis exterius membri genitalis præputium circumciſum, ſed interius cordis præputium indecore alebant. Sunt autem corde incircumciſi, qui vitioſis cordis affectibus indulgent, Ier. IX, 26. Incircumciſi auribus ſunt, quorum aures pruriunt ad audiendum vel dogmata noua, verbo diuino difformia, vel verba obſcœna & flagitioſa. Tertia eſt in voce *ἀντιπίπτετε*, i. e. Spiritui S. vos quaſi transuerſos opponitis, & aditum in cor veſtrum obſtruitis.

2) Ex Eſ. LXV, 2. coll. cum Rom. X, 21. *Tota die expandi manus meas ad populum rebellem, qui ambulant in via non bona poſt cogitationes ſuas.* Manus expandere ſolent, qui



Digitized by Google

beneficia aliis vltro offerunt, eos ad ſe inuitant & alliciunt, in complexum aut ſinum eosdem recepturi. Hoc facit Deus, tota die, i. e. omni tempore gratiam aſſiſtentem offerendo, etiam refractariis, qui ambulant in via impietatis poſt cogitationes ſuas, ſibi ipſis in inuentionibus ſuis placentes, nec ſenſus ſuos ſub obſequio Dei frenantes.

3) Ex Matth. XXIII, 37. *O Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas & lapidas miſſos ad te! Quoties volui congregare liberos tuos eo modo, quo congregat gallina pullos ſuos ſub alas! Sed non voluiſtis* (tu & liberi tui). Quibus verbis Chriſtus a) apertiſſime teſtatur voluntatem ſuam maxime ſeriam congregandi & conuertendi Iudæos. Sicut enim ardens tenerrimusque gallinæ ineſt affectus, quo incolumitatem pullorum ſuorum promotam cupit: ita Chriſtus vera & ſincera beneuolentia propendebat in ciues Hieroſolymitanos, ſub alas gratiæ ſuæ congregandos. Idem b) conqueritur de voluntaria contumacia Iudæorum, oblatam gratiam moroſe repudiantium.

*Antitheſis* eſt quorundam *Scholaſticorum, Ianſeniſtarum & aliorum* aſſerentium, gratiam Dei conuertentem eſſe irreſiſtibilem. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Paullus diſerte dicit: *Voluntati diuinæ quis reſiſtit?* Rom. IX, 19. Reſp. Hæc verba loquitur Paullus non ex ſua mente, ſed ex mente antagoniſtæ obloquentis: cui apoſtolus reſpondet a) *indirecte* per obiurgationem, quod homo non debeat ex aduerſo Dei reſpondere: b) *directe* per informationem, quod Deus non induret poſitiue, voluntate irreſiſtibili duritiem cordibus immittendo, ſed ad pœnitentiam inuitet, multa lenitate & patientia vaſa iræ, ad interitum propria culpa coagmentata, perferendo.

II. Quæ vis non minus efficax & potens eſt, quam quæ ſe exſeruit in Chriſto a mortuis excitando, illa eſt inſuperabilis & irreſiſtibilis. Atqui vis Spiritus S. nos conuertentis &c. E. *Maior* probatur, quia vis diuina, qua Chriſtus e mortuis excitatus eſt, plane irreſiſtibilis & inſuperabilis fuit, qua poſita in actu non potuit non ſequi effectus: *Minor* patet e Col. II, 12. Eph. I, 19. 20. Reſp. Vis reſuſcitans corpus Chriſti e mortuis conuenit cum gratia conuertente, quoad ſubſtantiam diuinæ virtutis in ſe conſideratæ; eo, quod a) vtraque eſt ſupernaturalis, b) vtraque dat vitam. Illa dat vitam corporis glorificandi, hæc vitam animæ conuertendæ. Differt autem ratione ſubiecti; quia corpus Chriſti mortuum, vt tale, vel præciſe conſideratum, omni vita fuit deſtitutum: anima autem, in peccatis mortua, deſtituta quidem eſt vita gratiæ, viuit autem vitam huius ſæculi; expers eſt vitæ ſpiritualis, ſed particeps vitæ naturalis. Vnde corpus Chriſti mortuum non fuit obluctatum virtuti diuinæ reſuſcitanti, obluctatur autem anima amore huius ſæculi inſatiata & quaſi ebria.

III. Quæcunque vis longe ſuperior eſt viribus humanis, illi nemo poteſt reſiſtere. Atqui vis diuina conuertens &c. E. *Maior* conſtat: quia vis minor cedere cogitur maiori. *Minor* eſt euidens; quia vis diuina verticordia eſt infinita, vis autem humana finita. Reſp. Quæcunque vis longe ſuperior eſt viribus humanis, atque *abſolute operatur*, illi nemo poteſt reſiſtere; concedo. At vis diuina conuertens *non* eſt *abſoluta*, ſed *ordinata*, operans per ordinaria media, quæ homo reiicere poteſt.

Inſtantia. Hac ratione homo potentiæ diuinæ obſiſtens erit vel Deo potentior, vel ſaltim æque potens, ac Deus. Reſp. a) Si homo obſiſteret per perfectionem maiorem, aut parem, id ſequeretur; ſed reſiſtit homo per cœcitatem intellectus, ſtolidosque conceptus, per ἀταξίαν appetitus & malitiam voluntatis; quæ non arguunt perfectionem, ſed impotentiam. Illuſtratur ſimili. Deus ſuſtentat vitam naturalem non potentia abſoluta, ſed ordinata, mediante pane. Quod ſi quis eo vecordiæ proceſſerit, vt pane veſci detrectaret, is ordini

Digitized by Google

ordini diuinitus conſtituto reniteretur per ſtultitiam ſuam, neque tamen Deo potentior eſt. b) Etiam tum, cum potentia Dei impeditur, ita agere poteſt, vt non impediretur, ſi nimirum agere vellet potentia irreſiſtibili. E. inferre haud licet, dari aliquid Deo potentius. Nam ſicut Deus permittit, vt potentia ſua *ordinata*, obiecto malitioſo obice, vincatur; ita potentia eius *abſoluta* inſuperabilis eſt.

IV. In cuius manu ſunt hominum corda, vt ipſe ea flectat, quo vult, illi homines non poſſunt reſiſtere: Sed corda hominum ſunt in manu Dei, vt ipſe ea flectat, quo vult: E. *Maior* probatur; quia, qui aliquid flectit pro arbitratu ſuo, flexionis ſcopum ſine vlla reſiſtentia aſſequitur. *Minor* probatur ex Prou. XXI, 1. *Cor regis eſt in manu Dei, ſicut riui aquarum; ad omne, quod vult, illud inclinat.* Reſp. L. c. Salomoni ſermo eſt non de gratia conuertente, ſed prouidentia diuina, circa regum negotia, quorum reſpectu Deus corda eorum inclinat, quoties ipſi viſum fuerit. Quamuis neque hæc flexio animi regii ſit ſimpliciter irreſiſtibilis, quod patet exemplo Saulis, præcepto diuino reſiſtentis, 1 Sam. XV, 23.

V. Quem Deus Pater trahit ad Filium, ille non reluctatur: Deus enim non trahit inuitum: Atqui peccatores &c. Io. VI, 44. E. Reſp. Deus non trahit quidem *inuitum; ſed non volentem* per naturam, volentem per gratiam facit. Attamen quoniam tractus ille non eſt raptus violentus, ſed ordinariis gratiæ funibus peragitur, ſimpliciter irreſiſtibilis non eſt: requirit enim ſubiectum tractabile, moroſe non repugnans, aut gratiæ funes non excutiens.

VI. Si homo gratiæ conuertenti poteſt reſiſtere, & non reſiſtere, contritio & fides pendebunt a viribus naturalibus liberi arbitrii: Poſterius eſt Pelagianum: E. & prius. Conſequentia *maioris* probatur; quia non reſiſtere eſt idem, quod pœnitere & credere. Reſp. a) Neg. conſequ. maior. Ad probationem dicimus, quod nonreſiſtentia ſit tantum conditio, ſine qua non producitur in corde peccatoris contritio & fides, ſed non eſt ipſa pœnitentia & fides. b) *Non-reſiſtentia pædagogica in rebus eccleſiaſticis externis eſt a viribus liberi arbitrii; non-reſiſtentia ſpiritualis eſt a gratia Dei.*

VII. Si homo gratiæ conuertenti poteſt reſiſtere, Deus ſine ſuo fruſtrabitur: Sed Deus nunquam fine ſuo fruſtratur: E. *Maior* liquet: quia reſiſtentia finem agentis impedit. *Conſequens* prob. quia nemo ſapiens & potens eum intendit finem, quem nouit eſſe irritum: Sed Deus eſt ſapientiſſimus & potentiſſimus, adeoque prænouit conuerſionis exitum, eundemque agendo aſſequi poteſt: E. nunquam fine ſuo fruſtratur. Reſp. Deus ſemper attingit *finem vltimum & generalem*, i. e. manifeſtationem glorioſæ gratiæ ſuæ, licet non ſemper obtineat *finem intermedium & ſpecialem*, i. e. pœnitentiam peccatoris; attamen ſapientia diuina hanc fruſtrationem finis ſpecialis ad finem vltimum, nempe ad gloriam ſeueræ iuſtitiæ, quam homo pertinaciter reſiſtens prouocauit, reducit.

### *SVSPIRIVM.*

Conuerte, o Deus benigniſſime, peccatores a te auerſos, proſterne feroces, flecte contumaces, erige lapſos! Reuoca, o Pater mitiſſime, filios immorigeros, collige columbas diſperſas, reduc oues balantes! Igni verbi tui emolli corda ferrea, ſaxea malleo legis frange, vt præparentur & diſponantur ad ſuſcipiendum vera fide Ieſum, animarum regem, ſalutis noſtræ aſſertorem & vindicem! Voluntatem meam ad peccandum procliuem cohibe, nutantem ſuffulci, imbecillem confirma, vt ſim maneamque in iugi pœnitentiæ exercitio conſtitutus, omnis turpitudinis oſor, veræ pietatis cultor!



Digitized by Google

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT VII.

# DE GRATIA REGENERANTE.

Quæſt. I. *Quid eſt regeneratio:*

*Regenerationis definitio.* *Regeneratio* eſt actus gratiæ, quo Spiritus Sanctus hominem peccatorem ſaluifica fide donat, vt remiſſis peccatis filius Dei & hæres æternæ vitæ reddatur.

*Vberius definitur:*

*Regeneratio* eſt actus gratiæ applicatricis, quo Spiritus Sanctus hominem peccatorem, viribus credendi carentem, ſed contumaciter non repugnantem, ex miſericordia, in merito Chriſti fundata, vera in Chriſtum fide, per euangelium & baptiſmum accenſa, donat, vt iuſtificetur, in filium Dei adoptetur, renouetur & æternum ſaluetur.

Obſ. I. *Regeneratio* græce vocatur παλιγγενεσία, ex πάλιν, rurſus, & γένεσις, generatio, ideoque vi vocis eſt *noua*, vel *iterata generatio.* Habet autem παλιγγενεσία duplicem ſignificatum; denotat enim vel *renaſcentiam ad vitam gratiæ, ſiue ſpiritualem,* Tit. III, 5. vel *renaſcentiam ad vitam gloriæ, ſiue æternam,* Matth. XIX, 28.

Obſ. II. Vox, *regeneratio*, quatenus notat renaſcentiam, ad *vitam ſpiritualem*, ſumitur vel *in ſignificatione latiori & generali, vel in ſignificatione ſtrictiori & ſpeciali. Late* ſumta regeneratio complectitur a) regenerationem ſtricte dictam, b) iuſtificationem, c) & renouationem. Quo ſenſu complexiuo *Form. Concord.* p. 686. accipit. *Vocabulum regenerationis interdum in eo ſenſu accipitur, vt ſimul & remiſſionem peccatorum, & ſubſequentem renouationem complectatur. Quandoque etiam ſolam remiſſionem peccatorum, & adoptionem in filios Dei ſignificat. Et in hoc poſteriori ſignificatu ſæpe multumque id vocabulum in Auguſt. confeſſ. apol. ponitur. Deinde etiam regeneratio ſæpe pro ſanctificatione vſurpatur, in qua ſignificatione* D. LVTHERVS *hac voce tum in libro de eccleſia & conciliis, tum alibi etiam multum vſus eſt. Stricte* ſumta notat *donationem fidei;* quam ſtrictiorem ſignificationem infra probabimus.

Obſ. III. *Regeneratio* ex parte Dei *actiua*, ex parte hominis peccatoris *paſſiua* eſt. Vti enim nullus filius hominis ſeipſum generat; ita nullus filius Dei ſeipſum regenerat. E. vti naturalis generatio *actiua* ſolius patris, *paſſiua* ſolius geniti eſt: ita generatio *actiua* ſoli *Deo*, regeneratio *paſſiua homini* tribuitur. Adde, quod *conuerſio* quidem in ſacris litteris iam *tranſitiue*, iam *intranſitiue* ſumatur; at *regeneratio* ſemper *tranſitiue* ſumitur: nuſpiam quippe in S. Scriptura dicitur, quod homo *ſe regeneret*, aut ſe regenerare debeat.

Obſ. IV. *Regenerationis* ſynonyma ſunt: 1) *Viuificatio*, Eph. II, 5, Sicut enim generatio eſt communicatio vitæ naturalis; ita regeneratio eſt communicatio vitæ ſpiritualis. 2) *Noua creatio*, Pſ. LI, 12. Vnde etiam regenerati vocantur *noua creatura*, 2 Cor. V, 17. Gal. VI, 15. Prima creatio facta eſt vi infinita creatoris; ita regeneratio fit infinita Dei potentia. Id diſcriminis eſt, quod Deus mundum condiderit potentia *abſoluta;* peccatorem vero regeneret potentia *ordinata.* 3) *Reſuſcitatio*, Eph. II, 6. Sicut enim reſuſcitatio mortuorum eſt translatio e morte ad vitam; ita regeneratio eſt translatio peccatoris ex morte peccati in ſtatum

Digitized by Google

ſtatum viuæ fidei. 4) *Conuerſio,* prout illa accipitur in ſenſu *ſpeciali,* non ſpecialiſſimo. Vid. ſupra c. VI. quæſt. IV. obſ. III.

Quæſt. II. *Quis hominem peccatorem regenerat?*

Peccatorem regenerat *Deus triunus* a), *Pater* b), *Filius Dei* c), *& Spiritus Sanctus,* cui regeneratio *appropriatiue & terminatiue* tribuitur d). *Cauſſa efficiens.*

Prob. a. Ex Io. I, 12. 13. *Qui credunt in nomen ipſius, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Docet his verbis Ioannes, quod regenerationis origo non tribuenda ſit *ſanguinibus,* i. e. naturali generationi, ex fidelibus parentibus (ſicut Iudæi ſe filios Dei eſſe putabant, quoniam e ſanguine Abrahami ducerent originem), *neque voluntati carnis,* i. e. naturalibus viribus liberi arbitrii, *neque voluntati viri,* i. e. non conatibus aut rebus præclare geſtis alicuius viri præſtantis & ſtrenui, ſed unice Deo ſpiritualis generationis parenti & auctori. Ceterum regeneratio eſt communis *tribus perſonis* diuinitatis; ideo, quod eſt *actio ad extra,* & terminatur ad effectum intra hominem realiter productum.

Prob. b. Deum *Patrem* nos regenerare, affirmat Petrus 1 ep. I, 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui iuxta multam ſuam miſericordiam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.* Efficax Dei Patris gratia excitat fidem in Chriſtum. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum,* ait Saluator, Io. VI, 44.

Prob. c. *Filius Dei* ratione ſpiritualis generationis ad vitam æternam appellatur Pater *æternitatis,* Eſ. IX, 5. *Pater multorum filiorum,* Eſ. VIII, 18. Hebr. II, 13. cui numeroſiſſima filiorum frequentia perinde generatur, ac ex vtero auroræ ros copioſiſſime naſcitur, Pſ. CX, 3.

Prob. d. *Spiritui S. appropriatur* regeneratio, quia is eſt *ſpiritus fidei,* 2 Cor. IV, 3. qui fidem accendit & donat. Eſt ſpiritus υἱοθεσίας, *ſiue adoptionis, in quo clamamus: Abba Pater,* Rom. VIII, 15. E. eſt auctor regenerationis, cui vindicatur ab ipſo Chriſto, Io. III, 3. 5. 6. *Niſi quis generatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum Dei. Quod natum eſt e carne, caro eſt; ſed quod generatum eſt e Spiritu, ſpiritus eſt:* & a Paullo, Tit. III, 5. appellante *baptiſmum, lauacrum regenerationis Spiritus S.*

Quæſt. III. *Quid mouit Deum ad regenerandum homines peccatores?*

Ad regenerandum homines peccatores *interne mouit* Deum miſericordia in genus humanum lapſum propenſiſſima a). *Externe* ipſum impulit ſatisfactio & meritum Chriſti mediatoris b). *Cauſſa impulſiua.*

Prob. a. Ex 1 Petr. I, 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui iuxta multam ſuam miſericordiam regenerauit nos.* Ad regenerandum hominem peccatorem Deum non mouit naturalis aptitudo hominis, aut capacitas, multo minus ipſius meritum; quippe quod nullum fuit, ſed mera miſericordia; quamuis Deo occaſionem miſereſcendi præbuerit miſeria hominis in peccatis mortui profundiſſima. Id quod nobis inculcat Paullus, Eph. II, 4. *Deus, qui diues eſt miſericordia, propter multum amorem ſuum, quo dilexit nos, & nos, quum eſſemus mortui peccatis, viuificauit cum Chriſto.* Idem innuit Iacobus, c. I, 18. *Pater luminum* βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς, i. e. *benefica & gratioſa ſua voluntate nos progenuit.*

Prob. b. Chriſtus obedientia ſua pleniſſime ſatisfecit iuſtitiæ diuinæ, vt, hac ſalua, Deus miſericordiam ſuam in hominem mortuum in peccatis exſerere, eidemque vitam



Digitized by Google

denuo conferre poſſit. Id indicaturus Paullus, 1 Cor. IV, 15.: *In Chriſto*, inquit, *Ieſu per euangelium ego vos generaui.* Quæ verba expoſiturus D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. in h. l.* inquit: *Paullus in Chriſto Ieſu genuit Corinthios, i. e. merito & efficacia Chriſti, ceu mediatoris & redemtoris, per & propter quem regeneramur ad vitam ſpiritualem & æternam. Idcirco aſſerit Petrus*, 1 ep. I, 3. *quod Deus nos regenerauerit in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.* Tribuit Apoſtolus regenerationem noſtri reſurrectioni Chriſti, a) quia hæc, complexe ſumta, prout mortem Chriſti includit, eſt cauſſa meritoria regenerationis; b) quia eadem omnia merita Chriſti ſunt obſignata, c) quia Chriſtus ideo reſuſcitatus & in cœlum euectus eſt, vt ſpiritum fidei in corda noſtra effunderet, Io. XVI, 7.

Quæſt. IV. *Quibus mediis Spiritus S. peccatorem regenerat?*

*Regenerationis media.* *Media*, per quæ Spiritus S. peccatorem regenerat, & cum quibus ad producendam fidem concurrit, ſunt *verbum euangelii* a) & ſacramentum baptiſmi b).

Prob. a. 1) Paullus diſerte dicit: *In Chriſto Ieſu per euangelium vos generaui*, 1 Cor. IV, 15. Apoſtolus generauit Corinthios, duce & auſpice Chriſto, non per legem, qua excitatur contritio & dolor de peccatis, ſed per *euangelium*, quo excitatur fiducia in Chriſtum.

2) Ex 1 Petr. I, 23. *Regenerati eſtis non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum viuens Dei, & manens in æternum.* Diſtinguit Apoſtolus inter ſemen corruptibile frugum terreſtrium, & incorruptibile verbi diuini, quod eſt incorruptibile tum formaliter, quatenus eſt conceptus mentis diuinæ æternus; tum effectiue, quia ad vitam æternam perducit. Verbum Dei etiam eſt ſemen viuum, quia eſt ſemen fœcundum & efficax ad producendum viuam in Chriſtum fidem.

3) Ex Iac. I, 18. *Placuit ipſi* (Patri luminum) *generare nos verbo veritatis.* Euangelium eſſe verbum veritatis, diſcimus ex Eph. I, 13. vbi Apoſtolus inquit: *Audiuiſtis verbum veritatis, euangelium ſalutis noſtræ.* Non ſine emphaſi *euangelium* dicitur *verbum veritatis*, quia non tantum in ſe verum eſt, æque ac verbum legis, ſed quia etiam vere regenerat, & quam vitam gratiæ & gloriæ promittit, reuera confert.

Prob. b. Baptiſmum eſſe ordinarium regenerationis medium, liquido patet ex Io. III, 5. vbi Chriſtus, Nicodemo viam ad cœlum patefacturus, inquit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum cœlorum.* Per *aquam* l. c. non intelligitur Spiritus Sanctus; quia ceteroqui ταυτολογία committeretur, ſed aqua vera & naturalis, vnita cum Spiritu Sancto, qui aquam baptiſmalem ſalutare regenerationis medium efficit. Vnde baptiſmus dicitur λȣτρὸν παλιγγενεσίας, lauacrum regenerationis, Tit. III, 5.

*Antitheſis* eſt *Schwenckfeldianorum*, negantium, verbum Dei & baptiſmum eſſe efficacia regenerationis media. Quorum argumenta ſunt:

I. Regeneratio eſt actio Spiritus S., a quo peragitur virtute infinita: E. non eſt tribuenda verbo Dei. Reſp. Regeneratio tribuitur *Spiritui S.* vt *cauſſæ principali*, & *verbo Dei*, tanquam efficaci regenerationis *medio.*

II. Quidquid eſt creatura, illud non poteſt peccatorem regenerare: Atqui ſcriptura S. &c. E. *Maior* liquet: quia ad regenerationem requiritur vis infinita, quæ non cadit in creaturam. Reſpondeo verbis D. CALOVII in *ſyſtem. theol. tom. I. p.* 717. *Verbum Dei formaliter conſideratum creaturarum catalogo accenſendum non eſt; quum ſit conceptus diuinus, mens Dei, conſilium Dei, prout in ſacris litteris deſcribitur. Quis enim conceptum diuinum, quis mentem Dei & conſilium Dei creaturis accenſeret?*

III. Ver-

Digitized by Google

III. Verbum Dei eſt *littera occidens*, 2 Cor. III, 6.: E. non regenerat aut viuificat. Reſp. Loco citato intelligitur verbum *legis*, mortem temporalem & æternam denuntians inobedientibus; at regenerationis ſemen eſt *euangelium*.

IV. Baptiſmus eſt *externum* elementum: E. *interne* & ſpiritualiter non poteſt animam regenerare. Reſp. Baptiſmus eſt externum elementum, cum verbo diuino & nomine SS. Trinitatis coniunctum, ex quo efficaciam regenerandi habet.

V. Baptiſmi aqua non regenerantur adulti; quia illi verbo diuino, quo antea informati erant, renati ſunt: neque infantes; quia illi ſuccedentibus annis euadunt malitioſi; quod indicio eſt, illos per baptiſmum non fuiſſe renatos. Reſp. Adultorum baptiſmo regeneratio confirmatur: infantes lauacro baptiſmi vere regenerantur; at, ſi ſucceſſu temporis malitioſi fiant, propria culpa e ſtatu regenerationis excidunt, propterea, quod patiuntur, ſe à carne & diabolo vinci.

VI. Si baptiſmus nos vere regenerat, in eodem fiducia collocari poteſt: quod tamen idololatricum eſt. Reſp. Fiducia collocanda eſt in Deo, non in *mediis*.

Quæſt. V. *Quibus miniſtris Deus in regeneratione hominum vtitur?*

*Miniſtri*, quibus Deus in ordinariæ regenerationis actu vtitur, ſunt præcones ſacri, qui ſpiritualiter generare dicuntur, quatenus verbum Dei & baptiſmum hominibus regenerandis *auctoritate* non ſua, ſed *Dei*, & iuxta *inſtitutionem diuinam* applicant. *Caſſa miniſterialis.*

Prob. Paullus in epiſt. ad Philem. v. 10. aſſerit, *ſe in vinculis ſuis genuiſſe Oneſimum.* Et ad Galat. IV, 19. ſcribit Apoſtolus: *Filioli mei, quos iterum parturio, tum formetur Chriſtus in vobis.* Nimirum miniſtri eccleſiæ generant non vt *cauſſæ* principales; ſed vt *ſubordinatæ*, quatenus ſemen euangelii in corda ſpargunt, & baptiſmum rite applicant. At *vis regenerandi ſupereminens non eſt ex hominibus, ſed ſolius Dei*, 2 Cor. IV, 7. Id quod indigitat Apoſtolus, 1 Cor. IV, 15. In Chriſto *per euangelium vos generaui*, q. d. Dominus Ieſus infinita ſua virtute vos per euangelium, a me inter vos prædicatum, regenuit, vt ex ethnicis Chriſtiani, ex infidelibus fideles, ex filiis iræ naſceremini filii gratiæ, & regni cœleſtis heredes.

Quæſt. VI. *Quinam homines regenerantur?*

Regenerantur *homines vita ſpirituali carentes* a), ſed *pertinaciter non repugnantes* b), tam *infantes* c), quam *adulti* e verbo Dei informati, legisque diuinæ fulmine perculſi & contriti d). *Subiectum quod.*

Prob. a. Homines *viuentes in fide*, quæ eſt in Filium Dei, prout deſcribuntur renati a Paullo, Gal. II, 20., non ſunt proprie loquendo ſubiectum regenerationis. Sicut enim e morte temporali ad vitam gloriæ reſuſcitantur non viuentes, ſed mortui: ita e morte ſpirituali ad vitam gratiæ non reſuſcitantur renati, ſed *vita fidei carentes*.

Prob. b. Gratia præueniens & præparans repugnantiam naturalem quidem imminuit & infringit, ne gratiam regenerantem impediat; at peccator mediis gratiæ voluntaria & pertinaci reſiſtentia ſe opponens, non eſt ſubiectum capax regenerationis per verbum ἀκουστὸν καὶ ὁρατὸν, i. e. per euangelium & baptiſmum. Aſſertum hoc noſtrum claret exemplis. Phariſæi & legisperiti voluntatem Dei reiecerunt contra ſeipſos, ideoque non ſunt baptizati a Ioanne, Luc. VII, 30. Paullus & Barnabas dixerunt Iudæis: *Vobis erat neceſſe primo dici verbum Dei: quoniam vero repellitis illud, & non dignos iudicatis vos ipſos vita æterna; ecce, vertimus nos*

*ad*

Digitized by Google

*ad gentes. Ita namque mandauit nobis Dominus: Poſui te lumen gentium, vt ſis tu in ſalutem vſque ad extremum terræ. Cum ergo audirent gentiles, gauiſi ſunt & glorificarunt verbum Domini, quotquot erant ordinati in vitam æternam*, Act. XIII, 46. 47. 48. Ex his liquido patet, quod *neque per baptiſmum* regenerentur, qui conſilium Dei de communicanda æterna ſalute per ordinaria media *aduerſus ſeipſos*, h. e. *maximo ſuo damno*, reiiciunt, *neque per euangelium* ad fidem perducantur, qui illud malitioſe repellunt. Regenerantur ergo & fide donantur, quotquot τάξιν, vel ordinem diuinitus præſcriptum non reprobant, aut negligunt, ſed admittunt.

Prob. c. 1) Quicunque ſunt caro de carne nati, & tamen regnum cœlorum ingredi poſſunt, illos oportet regenerari: Atqui *infantes* &c. Ergo. *Maior* liquet ex Io. III, 5. 6. Rom. VIII, 6. 7. 8. *Minor* patet e Luc. XVIII, 16. Matth. XVIII, 10. collat. Hebr. I, 14.

2) Quicunque credunt, ſunt regeniti, Io. I, 12. *Infantes* credunt, Matth. XVIII, 6. Marc. IX, 42. Ergo.

3) *Infantes* æternam damnationem effugiunt, Matth. XVIII, 14. E. non ſunt incapaces regenerationis, per quam fiunt filii Dei, Io. I, 12. 13. Filii Dei autem effugiunt æternam damnationem, cum ſint hæredes Dei, & cohæredes Chriſti. Rom. VIII, 17.

Prob. d. *Adultis* per informationem *aperiuntur oculi, vt conuertantur a tenebris ad lucem fidei, & de poteſtate Satanæ ad Deum*, adeoque vere regenerantur, Act. XXVI, 18. Horum corda lapidea Deus per legem conterit, vt contritio ſit diſpoſitio ad accendendam in illis fidem. Vnde grauiter inquit noſter D. CHEMNITIVS *loc. theol. P. II. p. 1. Niſi cor lapideum malleo legis prius ſubactum & contuſum fuerit*, Ier. XIII, 29. *non eſt capax doctrinæ euangelicæ, ſed vinum nouum in vteres veteres infunditur*, Matth. IX, 17.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum & Socinianorum*, negantium, infantes eſſe capaces regenerationis. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. In quos non cadit vitæ corruptio, in illos non cadit regeneratio: Atqui in infantes non cadit &c. E *Maior* conſtat: quia regeneratio eſt vitæ corruptæ reformatio. Reſp. 1) *Vitæ corruptæ reformatio non eſt regeneratio, ſed renouatio.* Conf. D. SCHERZ. in *colleg. Anti-Socinian. Diſp. LXXVI. p. 670.* 2) Diſt. *inter corruptionem vitæ originalem, & actualem proæreticam.* Non quidem hæc, illa tamen cadit in infantes. *Quidquid* enim *ex carne natum eſt, caro* corrupta, conſequenter *ex Spiritu regenerabile eſt*. Io. III, 5. 6.

II. Infantes non ſunt capaces fidei: quia non vtuntur ratione, neſcientes, quid dextrum aut ſiniſtrum ſit, Ion. IV, 11. E. non ſunt capaces regenerationis. Reſp. 1) Multi adulti phrenetici, agonizantes, & ſomno ſepulti, non vtuntur ratione, & tamen fidem habent. Non pendet fides ab vſu rationis, ſed ratio captiuanda eſt ſub obſequium fidei, 2 Cor. X, 5. quin immo ratio ferociens ſæpe generationem fidei impedit. 2) Habent infantes *fidem non reflexam* aut diſcurſiuam, ſed *directam & ſimplicem*, a Spiritu S. cui malitioſe non reſiſtunt, per baptiſmum accenſam.

III. Ad accenſionem fidei requiritur auditus verbi diuini, Rom. X, 17. quod infantes per ætatem nec audire, nec intelligere poſſunt. Reſp. Ad accenſionem fidei requiritur verbum euangelii & baptiſmus: quæ media gratiæ non ſunt oppoſita, ſed conſentanea. In *adultis* accenditur fides per *auditum verbi*, *in infantibus* per vſum *baptiſmi*.

Quæſt. VII. *Vtrum intellectus, an voluntas peccatoris regeneratur?*

*Subiectum quod.* Per gratiam regenerantem in *intellectu* peccatoris adulti intenſior & plenior veræ cognitionis Dei lux, & quidem tanta, quanta ad fidem iuſtificantem in animo

Digitized by Google

animo concipiendam requiritur, accenditur a). In *voluntate* eiusdem illuminata per euangelium fiducia in Chriſtum excitatur b).

Obſ. In præſenti nobis potiſſimum ſermo eſt de regenerando intellectu & voluntate peccatorum *adultorum:* infantum regeneratio intellectu aliquanto difficilior eſt. Quin tamen intellectus *infantum* in regeneratione per baptiſmum a Spiritu S. imbuatur notitia Dei ſalutari, & voluntas eorum donetur fiducia in Chriſtum, nulli dubitamus. Acquieſcimus hic in iudicio D. CHEMNITII in *exam. Conc. Trid. f.* 246. *Licet nec ſatis intelligamus, nec verbis explicare poſſimus, qualis ſit illa Spiritus S. actio & operatio in infantibus, qui baptizantur: eſſe tamen & fieri ex verbo Dei, certum eſt. Illam autem actionem, ſeu operationem Spiritus S. in infantulis vocamus fidem, & dicimus, paruulos credere. Illud enim medium, ſeu organon, quo regnum Dei, quod in verbo & ſacramentis offertur, accipitur, ſcriptura vocat fidem: & credentes dicit accipere regnum Dei. Et quidem* Marc. X, 15. *Chriſtus affirmat, adultos ita accipere regnum Dei, ſicut paruuli illud accipiunt. Et* Matth. XVIII, 6. inquit: *Qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, qui in me credunt. Et inter puſillos iſtos etiam* παιδίον, *puerulum numerat. Præterea circumciſio in genere vocatur ſignaculum iuſtitiæ fidei,* Rom. IV, 11. *Quod ſi infantibus circumciſis tribuitur iuſtitia fidei, etiam ipſa fides illis tribuitur.*

Prob. a. Quamuis *intellectus* peccatoris adulti, ante actum conuerſionis & regenerationis, pædagogica & imperfecta illuminatione ad litteralem credendorum notitiam pertingat: in conuerſione tamen per legem notitia peccati, practice ad deteſtandum peccatum applicata, & in regeneratione notitia Chriſti plenior accenditur, vt clarius ſe exſerat, vberius in voluntatem ſe diffundat, atque hanc ad fiducialem mediatoris amplexum ſolidius inſtruat atque dirigat. Quo ſpectare videntur verba Apoſtoli, Eph. V, 14. *Propterea dicit: expergiſcere, qui dormis, & ſurge ex mortuis, vt illuceſcat tibi Chriſtus.* Simul atque per conuerſionem ex lege peccatori veternus ſecuritatis excutitur, & is per regenerationem a morte ſpirituali reſuſcitatur, Chriſtus lumen mundi intellectum eius diſtincta ſui cognitione implet, vt per eam ſpiritualiter viuus conſtituatur.

Prob. b. Per regenerationem in *voluntate* peccatoris contriti excitatur *fiducia* in Chriſtum, vt *ad hunc thronum gratiæ μετὰ παῤῥησίας, cum confidentia, accedat, miſericordiam accipiat, & ad opportunum auxilium gratiam inueniat,* Hebr. IV, 16.

Quæſt. VIII. *An regeneratio etiam in V. T. locum obtinuit?*

Fideles *veteris teſtamenti vere renati* fuerunt.

Prob. 1) Fides & ſalus in V. T. locum obtinuit. E. & regeneratio. *Antecedens* claret effato Apoſtoli Iacobi, Act. XV, 11. *Per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſaluari, quemadmodum etiam illi* (ſcil. *Patres* v. 10.) *).

2) In V. T. Deus fidelium fuit Pater, Deut. XXXII, 6. & hi eius filii, Eſ. I, 2. Ierem. XXXI, 20. E. fideles V. T. fuerunt renati.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum,* negantium, regenerationem in V. T. locum obtinuiſſe, quorum præcipuum argumentum eſt: *Regeniti ſumus per reſurrectionem Chriſti,* 1 Petr. I, 3. Ergo ante reſurrectionem Chriſti nemo regenitus fuit. Reſp. Regeniti ſumus per reſurrectionem Chriſti tanquam cauſſam meritoriam, vel potius *meriti,* quod *ante & retro operatur,* obſignatoriam. Patres in V. T. crediderunt in Chriſtum incarnandum, moriendum, e mortuis reſuſcitandum.

Quæſt.

*) Illius quidem dicti ſententiam aliter intelligendam eſſe, adnotauimus ad pag. 34. Sed clariſſima, quæ hanc rem confirmant, teſtimonia hæc ſunt: 2 ad Corinth. IV, 13. ad Hebr. X, 38. XI, 1. ſeqq. coll. cum XII, 1. 2.



Digitized by Google

Quæſt. IX. *In quo formaliter conſiſtit regeneratio?*

*Regenerationis forma.*

Regeneratio *formaliter* conſiſtit in *donatione fidei.*

Obſ. I. *Formale fidei* a D. CALOVIO ſic exponitur, quod ſit *ſaluificæ fidei procreatio,* item *fiduciæ in corde noſtro excitatio,* in *bibl. illuſtr. in* Io. III, 5. fol. 692. A D. KOENIGIO explicatur per *vitæ ſpiritualis largitionem.* Vitam autem ſpiritualem non *totaliter* ſumit, prout præter adeptionem virium credendi immunitatem a dominio & reatu peccati includit; ſed *partialiter,* in quantum collatas vires credendi ſupernaturales notat. Vid. *theol. poſitiv.* p. 191. Luculentius igitur explanatur & a D. QVENSTED. *ſyſtemat. Part. III. c. VI. fol. 482. Forma regenerationis conſiſtit in ſpiritualis vitæ donatione, in virium credendi, fideique ſaluificæ largitione, ſiue in mentis noſtræ illuminatione, & fiduciæ noſtræ in corde noſtro excitatione.* Neruoſe etiam exprimitur a D. FECHTIO in *ſyllog. controuerſ. diſp. XXVII. Regeneratio eſt virium nouæ & ſpiritualis vitæ, quæ in fide conſiſtit, collatio.*

Obſ. II. *Collatio virium credendi,* per quam nonnulli auctores *regenerationis formam* explicant, & *donatio fidei* certo reſpectu conueniunt. Nam vires illæ *vel* recipiunt obiectum ſalutare, & ſic formaliter ſunt ipſa fides, Io. I, 12. *vel* extra hanc receptionem conſiderantur, & ſic mere paſſiue ſunt, donec Chriſtum, a quo pendet efficacia fidei, complectantur.

Prob. 1) Ex Gal. II, 20. *Viuo autem non amplius ego; ſed viuit in me Chriſtus: quod vere nunc viuo in carne, in fide viuo, quæ eſt in Filium Dei.* Colligimus ex hoc dicto, quod vita regeneratorum ſit fides, & in fidei donatione conſiſtat regeneratio.

2) Renati deſcribuntur in ſacris litteris, quod ſint credentes in Ieſum Chriſtum: E. Regeneratio eſt actio, per quam homo efficitur credens, h. e. per quam fides excitatur. *Antecedens* liquet a) ex Io. I, 13. *Qui credunt in nomen ipſius (Chriſti), non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Dialectice diceres: qui nati ſunt ex Deo, credunt in nomen ipſius. b) 1 Io. V, 1. *Omnis, qui credit, Ieſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt.*

3) Per quam actionem diuinam conſtituimur filii Dei ſpirituales, illa eſt proprie dicta regeneratio: Atqui per donationem fidei &c. Ergo. *Maior* claret analogia generationis carnalis. Sicut per hanc fiunt filii naturales: ita per regenerationem procreantur filii ſpirituales. *Minor* probatur a) ex Io. I, 12. *Quotquot receperunt Chriſtum, dedit illis poteſtatem, vt filii Dei fierent* (nempe) *credentibus in nomen ipſius,* b) Gal. III, 26. *Omnes Filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu.*

Quæſt. X. *Quis eſt terminus regenerationis a quo & ad quem?*

*Terminus regenerationis a quo & ad quem.*

Terminus regenerationis *a quo* in *abſtracto* eſt *mors ſpiritualis,* quatenus hæc denotat ἀπιστίαν, incredulitatem, & carentiam virium credendi. Terminus *ad quem* in *abſtracto* eſt *vita ſpiritualis,* ſeu vera fides, coniuncta cum Chriſto mediatore, illiusque meritum nobiscum vniens, vt noſtrum fiat a). Terminus regenerationis *a quo* in *concreto* eſt *peccator,* per legem diuinam quidem contritus, ſed viribus credendi carens, & hactenus ſpiritualiter mortuus. Terminus *ad quem* in *concreto* eſt *homo credens,* ſeu viua in Chriſtum fide per euangelium donatus, adeoque ſpiritualiter viuus b).

Obſ. *Mors ſpiritualis* hic *non* ſumitur ὁλικῶς, ſiue *totaliter,* prout præter priuationem virium credendi, etiam carentiam virium ſancte viuendi, vna cum dominio, & reatu peccati importat; ſed μερικῶς *partialiter,* in quantum dicit ἀπιστίαν, ſeu impotentiam credendi in Chriſtum, & in hoc fundatam gratiam Dei amplectendi. Prob.

Digitized by Google

Prob. a. Ex Gal. II, 20. *Viuo non amplius ego, ſed viuit in me Chriſtus. Quod vero nunc viuo in carne, in fide viuo, qua eſt in Filium Dei, qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me.* Senſus eſt: Quidquid vitæ ſpiritualis in me eſt, non a me, aut carnali mea natiuitate eſt, ſed a Chriſto, eiusque merito & efficacia proficiſcitur, per ſpiritualem regenerationem; quippe quæ me donauit fide, quæ gratiam meritumque Chriſti apprehendit, & Chriſtum mecum vnit, vt Chriſtus in me viuat, & ego in Chriſto. De qua fiduciali apprehenſione Chriſti præclare diſſerit D. IO. MVSAEVS in *tract. de conuerſ. diſp. IV. §. CCXV. p.* 240. *Fidei tribuitur apprehenſio, non quod qualitercunque coniungat, aut vniat, ſed quod vniat Chriſtum mediatorem, eiusque meritum ad nos, vt fiat noſtrum; quod ex parte intellectus facit, credendo, Chriſtum eſſe meum, tuum, & omnium mediatorem, qui paſſione & morte ſua pro omnium & ſingulorum peccatis Deo ſatisfecerit &c. ex parte voluntatis autem, in ipſo, vt mediatore & auctore nobis impetrandæ gratiæ & remiſſionis peccatorum vnico credito, ſecure recumbendo & acquieſcendo. Non enim quilibet actus vniens eſt apprehenſio, ſed ille demum, quo res ad nos vnitur, vt noſtra fiat, nos iuuet, erigat, ſuſtentet.* Eſt itaque vnio inter fidem & Chriſtum talis, qualis eſt inter *apprehenſionem, & bonum apprehenſum;* quam quidem vnionem, ſi recte expendes, *formalem fidei vnionem* haud incongrue dixeris, vt ab *vnione myſtica*, ceu illius effectu, diſtinguatur. Vnde conficitur, quod fides non extra Chriſtum, ſed vnita cum Chriſto viua ſit. Quem ad modum enim corpus ideo dicitur viuum, quia eſt vnitum cum anima, a qua perficitur: ita fides viua eſt, quæ eſt vnita cum Chriſto, a quo animatur. Vid. D. DANNH. in *diſp. de nexu & origine donorum gratiæ. §. XV.*

Prob. b. Ex Eph. II, 5. *Deus diues miſericordia nos, quum eſſemus mortui peccatis, viuificauit cum Chriſto.* Ante regenerationem peccator eſt mortuus, adeoque deſtitutus viribus ad accipiendam vitam ſpiritualem: quam etiam *non* adipiſcitur ex *lege*, quippe quæ eſt littera occidens; ſed ex *euangelio*, per quod Spiritus S. viuificat, 2 Cor. III, 6. veram accendendo fidem, quæ Chriſtum nobiſcum vnit, vt cum illo coniuncti viuamus vitam, quæ eſt ex Deo, Eph. IV, 18.

Quæſt. XI. *Qualem mutationem infert regeneratio?*

Regeneratio infert mutationem peccatoris *non ſubſtantialem*, ſed *accidentalem.*

Prob. 1) Regeneratio eſt ſpiritualis viuificatio, Gal. II, 2. Iam vero iidem illi, qui in peccatis mortui ſunt, ſpiritualiter viuificantur, Eph. II, 1. E. etiam iidem illi, qui prius erant non renati, per Spiritum S. regenerantur.

2) Sicut per peccatum non ipſa ſubſtantia hominis deperditur: ita nec per regenerationem noua eſſentia creatur, ſed ſtatus hominis accidentaliter mutatur; propterea quod per regenerationem e ſtatu infidelitatis in ſtatum fidei transfertur.

*Antitheſis* eſt 1) *Schwenckfeldianorum, Weigelianorum & Anabaptiſtarum,* ſomniantium, per regenerationem aboleri priorem corporis ſubſtantiam, ac manente anima eadem dari corpus nouum eſſentialiter a priori differens: 2) *Flacianorum*, ſtatuentium, Deum in conuerſione & regeneratione nouum cor, atque adeo nouum hominem ita creare, vt veteris Adami ſubſtantia inprimis vero anima rationalis penitus aboleatur, & noua animæ eſſentia ex nihilo creatur. Quorum palmaria ſunt argumenta:

I. Creatio eſt productio ſubſtantiæ eſt enim actio termini ſubſtantialis. Regeneratio eſt noui cordis creatio, Pſ. LI, 12. E. regeneratio eſt nouæ ſubſtantiæ productio. Reſp. Creatio *proprie dicta* eſt productio ſubſtantiæ. At l. c. creatio ſumitur *improprie*, & non notat productionem cordis ſubſtantialiter diuerſi, ſed inſtaurationem cordis, nouis, iisque ſpiri-

tualibus viribus inſtructi. Sermo enim eſt Dauidi non de creatione *cordis*, qua eſſentiam noui, ſed de creatione *cordis puri*, i. e. a ſordibus peccatorum repurgati.

II. Renatus dicitur *noua creatura*, 2 Cor. V, 17. *nouus homo*, Eph. IV, 24. Col. III, 10. Vnde naſcitur argumentum: Qui per regenerationem fit *nouus homo & noua creatura*, is per regenerationem nouam accipit ſubſtantiam. Atqui peccator contritus &c. Ergo. *Maior* conſtat; quia nouus homo & noua creatura notat nouam ſubſtantiam. Reſp. Nouus homo & noua creatura dicitur, ob nouas vires ſpirituales in regeneratione & renouatione collatas, quibus reparatur imago Dei, conſiſtens in agnitione Dei, Col. III, 10. in iuſtitia & ſanctitate veritatis, Eph. IV, 24. Dicitur itaque nouus homo non phyſice, ratione ſubſtantiæ, ſed myſtice, ratione virium & qualitatum ſpiritualium.

Quæſt. XII. *An renati beneficio regenerationis nouam a Deo accipiunt naturam?*

Renati beneficio regenerationis a Deo conſequuntur non nouam naturam, ſed vires ſupernaturales.

Prob. Si renati beneficio regenerationis conſequuntur nouam naturam, hæc erit vel noua ſubſtantia, vel nouæ vires naturales. At non datur diuinitus per regenerationem noua ſubſtantia; quia regeneratio infert mutationem peccatoris non ſubſtantialem, ſed accidentalem: neque per regenerationem conferuntur nouæ vires naturales; ideo, quod vires credendi non ſunt natiuæ, aut naturales, ſed datiuæ & ſupernaturales. E. renati beneficio regenerationis non conſequuntur a Deo nouam naturam.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum & Weigelianorum*, quorum præcipuum argumentum eſt: Quibus Deus beneficio regenerationis impertitur naturam diuinam, illi nouam conſequuntur naturam: Atqui Deus peccatoribus conuerſis &c. E. *Minor* liquet ex 1 Petr. I, 4. vbi Apoſtolus Petrus aſſerit, quod regeniti ſint κοινωνοὶ θείας φύσεως, *participes naturæ diuinæ*. Reſp. Regeniti redduntur participes naturæ diuinæ, non per regenerationem, ſed gratioſam Dei inhabitationem, & ſpiritualem cum Chriſto vnionem. Luculenter verba Petrina exponit D. GERHARD. in *harm. eu. p.* 552. Chriſtus *per donationem* τῆς θείας φύσεως *nos* κοινωνὺς *reddit* 2 Petr. I, 4 *quod non de diuinæ eſſentiæ in nos transfuſione, nec de eſſentiali quadam animarum, vel corporum noſtrorum in diuinam naturam conuerſione, ſed ſpirituali fidelium cum Deo vnione, ex eademque orta ſpirituali & myſtica communicatione accipiendum eſt.*

Quæſt. XIII. *Eſtne regeneratio vitæ & actionum reformatio?*

Regeneratio formaliter *non* eſt *vitæ ante actæ reformatio.*

Prob. a) Quia *regeneratio* a *renouatione* differt, hacque prior eſt illa, Tit. III, 5. E. vna per alteram definiri nequit. *Antecedens* confirmatur: regeneratio confert eſſe primum ſpirituale, quando per fidem gignimur filii Dei; hæc autem reformatio, ſeu immutatio, præſupponit primum illud eſſe, eſtque hominis iam regeniti.

b) Vt generatio naturalis non eſt vitæ naturalis mutatio: ita regeneratio ſpiritualis non eſt vitæ ſpiritualis mutatio.

c) Infantes per baptiſmum vere regenerantur; qui tamen, morte præuenti, vitam in melius mutare nequeunt. Latro in cruce conuerſus, Luc. XXIII, 40. vtique regenitus fuit, alioqui regnum Dei ingreſſus non fuiſſet, Io. III, 5. 1 Cor. XV, 50. nec tamen vitam ante actam emendare potuit.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, qui deſcribunt regenerationem per reformationem vitæ ante actæ ſecundum præcepta Chriſti. Quorum argumenta ſunt:

I. Regeneratio in ſacris litteris deſcribitur per *induitionem noui hominis, & depoſitionem veteris hominis*, Eph. IV, 24. per ſollicitam *fugam & odium peccati*, 1 Io. III, 9. Reſp. Hæc prædicata

Digitized by Google

prædicata non pertinent ad *regenerationem*, ſed ad *renouationem*. Non ingrediuntur eſſentiam & formam regenerationis, ſed ſunt illius fructus & effectus indicia & teſtimonia.

II. Quemadmodum qui gignitur, a non eſſe ad eſſe mutatur: ita regigni dicitur, qui quoad vitæ rationem attinet, is euadit, qui antea non fuit, nimirum iuſtitiæ ſanctimoniæque deditus ſtudio, cum aliquando peccato dederit operam. Reſp. Inuerto argumentum: Sicut, qui naturaliter gignitur, a non eſſe ad eſſe primum naturale mutatur: ita, qui regignitur, a non eſſe ad eſſe primum ſpirituale mutatur: At vita reformata non eſt primum eſſe ſpirituale, ſed a primo ortum.

Inſtantia: Homo regeneratus vitam mutat: E. regeneratio eſt vitæ mutatio. Reſp. Nego conſequentiam. Eadem ratione quiſpiam colligeret: *Viuificatus Lazarus ambulaui*, Io. XI, 44. E. viuificatio eſt ambulatio. Nugæ!

Quæſt. XIV. *Vtrum regeneratio hominis peccatoris momento abſoluitur, an eadem ſit ſucceſſiue?*

Regeneratio *infantum* eſt *momentanea* a), ſed *ordinaria* hominum *adultorum* regeneratio eſt *ſucceſſiua* b).

Prob. a. In *infantibus* non datur repugnantia affectata & moroſa; naturalem vero eorundem reſiſtentiam gratia Spiritus S., baptiſmo coniuncta, frangit & cohibet, ne regenerationem impediat. Quam ob rem eorum renaſcentia vno momento abſoluitur.

Prob. b. *Adulto* Iudæo, Turcæ, vel gentili regenerando multi ſunt ſcrupuli, qui adhibita cura euellendi ſunt, isque illuminandus & informandus eſt e verbo diuino longiori temporis tractu, donec plena fides in animo eius accendatur. Recte igitur docet OLEARIVS in *indiculo Balduin. p.* 155. *Forma regenerationis conſiſtit in ſucceſſiua gratiæ communicatione, & fidei atque vitæ ſpiritualis collatione: non eſt ea actio ſubitanea, ſed certo ordine perficienda.* Nec eſt, quod hac de re dubitemus, cum Paullus anxio ſuo partu (quæ eſt verbi ὠδίνω emphatica ſignificatio) moram & tractum regenerationis haud obſcure innuat, Gal. IV, 19.

Dicis: I. Theologi magni nominis aſſerunt, regenerationem eſſe *momentaneam*. Conf. D. DANNHAV. in *hodoſ. p.* 924. D. CALOV. in *bibl. illuſtr. ad Io. III*, 3. *f.* 692. D. QVENSTED. in *ſyſtem. part. III. f.* 632. Reſp. Theologi illi reſpexiſſe videntur 1) regenerationem *infantum*; 2) collationem *initiorum fidei* in *adultis*, quoad primam cogitationem ſanctam & deſiderium.

Dicis: II. Generatio naturalis fit in inſtanti: E. & regeneratio ſpiritualis. Reſp. Simile illud non eſt extendendum vltra ſuum tertium. Ratio diuerſitatis eſt, quod per *generationem naturalem* ſubſtantia in inſtanti ob nullum impedimentum obiectum, per *regenerationem* nouæ qualitates ſucceſſiue in adultis, qui haud raro impedimentum regenerationi perficiendæ obiiciunt, producuntur.

Quæſt. XV. *Eſtne regeneratio actus Spiritus S. efficax?*

Regeneratio eſt *actio Spiritus S. efficax & ſufficiens* ad producendam fidem a), ſed *non* eſt *irreſiſtibilis* b).

Prob. a. Paullus vult, *vt ſciamus, quæ ſit excellens magnitudo virtutis Dei erga nos, qui credimus, iuxta operationem roboris potentiæ ipſius*, Eph. I, 19. Indicat Apoſtolus, quod fides noſtra debeatur non naturalibus noſtris viribus, ſed efficaciſſimæ operationi diuinæ. Non loquitur gentium doctor *de abſoluta Dei potentia*, qua is illa etiam poteſt efficere, quæ non vult; ſed *de potentia coniuncta cum voluntate*, eaque, non quatenus ſe exſeruit in creando mundo, & adhuc ſe exſerit in eodem regendo, ſed quatenus occupata eſt circa peccato-



Digitized by Google

res conuertendos, quos Deus ordinaria ſua potentia vera fide donat, & in fide conſeruat: *Virtute* quippe Dei *cuſtodimur per fidem ad ſalutem*, 1 Petr. I, 5.

Prob. b. Quia Deus in regenerandis hominibus non abſolutam ſuam potentiam exſerit, ſæpe numero vſu venit, vt peccator contumax gratiæ regeneratrici malitioſum obicem ponat, & oblata ſalutis media petulanter reiiciat. Apoſtolo Paullo, a Spiritu S. agitato & conteſtanti, Ieſum eſſe Chriſtum, Iudæi ſe opponebant, & adeo blaſphemabant, vt Apoſtolus excutiens veſtimenta, diceret ad eos: *Sanguis veſter ſit ſuper capite veſtro; purus ego nunc ad gentes abibo*, Act. XVIII, 5. 6.

### Quæſt. XVI. *Eſtne regeneratio hominis peccatoris perfecta?*

Regeneratio ex parte *Dei* eſt *actio perfecta* a); ex parte autem ſubiecti recipientis, ſiue *hominis* peccatoris regeneratio *non ſimpliciter perfecta* eſt b).

Prob. a. Cum omne opus Dei bonum & perfectum ſit, vtique regeneratio ex parte cauſſæ efficientis, ſiue Dei, ſine vllo defectu perfecta eſt.

Prob. b. Licet Spiritus S. perfecte agat, peccatorem regeneraturus; peccator tamen influxum Spiritus S. non perfecte recipit. Inde fit, vt fides, ad quam tendit regeneratio, creſcere & imminui queat. Vid. Luc. XVII, 5. Et quamuis *fides* eſſentialiter *perfecta* ſit ratione *partium*; non tamen ſemper perfecta eſt accidentaliter ratione *graduum*.

### Quæſt. XVII. *Eſtne regeneratio amiſſibilis?*

Peccatis deliberato propoſito admiſſis, & conſcientiam vaſtantibus, gratia regenerationis *amittitur*.

Prob. Ex 1 Tim. I, 19. *Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repulerunt, & circa fidem naufragium fecerunt.* Ex hoc oraculo apoſtolico argumentamur: Qui naufragium facit fidei, is amittit gratiam regenerationis: Atqui homo renatus ἐκ προαιρέσεως peccando, conſcientiam vaſtat, fideique naufragium facit. E.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum*, ſtatuentium, renatos Spiritum S. amittere non poſſe. Qui ſuam opinionem ſequentibus argumentis munitum eunt:

I. Filii Dei *ſemine incorruptibili* ſunt geniti, 1 Petr. I, 23. E. illud ſemen amitti non poteſt. Reſp. Semen illud verbi diuini eſt incorruptibile abſolute & in ſe, reſpectiue tamen, ſcilicet reſpectu hominis, proæretice peccantis, eſt amiſſibile; aufertur enim ſæpe ex corde, Luc. VIII, 12. Sicut radii ſolares ſunt incorruptibiles, appetente tamen nocte, viſui noſtro ſubducuntur.

II. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quia ſemen ipſius in eo manet: immo non poteſt peccare, quatenus ex Deo natus eſt*, 1 Io. III, 9. Reſp. Renatus, quatenus eſt renatus, & quamdiu ſemen regenerationis in corde ipſius vegetum manet, peccatum, contra conſcientiam ex deliberato animi propoſito profectum non committit. Immo non poteſt peccare ἐκ προαιρέσεως, vt ſimul filius Dei maneat. Peccare tamen poteſt etiam mortifere, quatenus ab inſidiis diaboli, amore mundi, & illecebris carnis ſe vinci patitur.

III. Nihil fideles ſeparare poteſt a dilectione Dei. Rom. VIII, 38. Reſp. Nulla creatura externa fideles ſeparare poteſt a dilectione Dei: at inhabitans peccatum (quod non eſt creatura), ſi ei permittatur dominatus, eosdem a Deo diuellit.

### Quæſt. XVIII. *Eſtne amiſſa regeneratio reiterabilis?*

Amiſſa regeneratio a peccatore pœnitente recuperari poteſt.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Ex Gal. IV, 19. Τεκνία μȣ, ȣ̔ς πάλιν ὠδίνω, *filioli mei, quos iterum parturio.* Ὠδίνειν eſt matrum, magna cum moleſtia fœtum in vtero geſtantium, donec formam perfecti hominis induat. Innuit igitur Apoſtolus, ſe anxiam Galatarum curam gerere, ideo quod a Pſeudo-apoſtolis deprauati formam Chriſti amiſerant, & impenſe anniti, vt per ſemen euangelii in corda ipſorum ſparſum de integro formentur, quo imago Chriſti, quam deperdiderant, iterata regeneratione in ipſis refulgeat.

Dicis: Baptiſmus, ordinarium regenerationis medium, non poteſt repeti: E. nec amiſſa regeneratio poteſt recuperari. Reſp. Recuperatur regeneratio non per baptiſmum, ſed per ſemen verbi diuini, ex quo iterum concipitur fides in Chriſtum atque adeo peccator conuerſus reuiuiſcere incipit.

Quæſt. XIX. *An Deus peccatorem ter, quater, aut pluries vult conuertere & regenerare?*

Homines renati, gratia Dei conſeruante adiuti, *ſollicite ſibi cauent*, ne repetito peccato malitioſo conſcientiam ſuam lædant a): quod ſi tamen a machinis diaboli, illecebris mundi, carniſque ſuggeſtionibus ſuperati, *ter*, *quater*, *aut pluries* in peccatum mortiferum prolabantur, *de gratia Dei conuertente & regenerante minime dubitant* b).

Prob. a. Ex 1 Io. V, 18. *Scimus, quod omnis, qui natus eſt ex Deo non peccet; ſed qui natus eſt ex Deo, obſeruat ſeipſum, & malignus non tanget eum.* Renati in ſuam vigilant ſalutem, ne peccatis proæreticis polluti ſpe vitæ æternæ excidant; & quamuis a diabolo ad peccandum ſollicitentur, ſcuto tamen fidei ignita eius tela repellunt, Eph. VI, 6.

Prob. b. 1) Tam ſtupenda eſt clementia Dei, vt animam iteratis peccatis pollutam ad ſe reuocet, & ad pœnitentiam agendam inuitet, Ier. III, 1. *Tu ſcortata es cum ſociis multis; reuertere tamen ad me! dictum Iehouæ.*

2) Cum Petrus quæreret ex Chriſto: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittere debeo illi? Num vsque ad ſepties? Dixit illi Ieſus: Non dico tibi vsque ad ſepties, ſed vsque ad ſeptuagies ſepties,* Matth. XVIII, 21. Naſcitur ex his argumentum: Quod mandat Chriſtus hominibus, vt exemplo Patris ſui faciant, id Deus infinities excellentiori modo præſtat. At Chriſtus mandat hominibus, vt exemplo Patris ſui, (vid. Matth. V, 48.) etiam renati, poſt agnitam veritatem, grauia quoque peccata ſæpius ſibi remittant. E. Deus motus miſericordia longe propenſiore ſæpius peccata remittit; non remitteret autem, niſi ſæpius hominem conuertere & regenerare vellet.

3) Deum *ter, quater, aut pluries* peccatorem conuertere & regenerare, luculentis exemplis comprobari poteſt. a) In Moſe Deus illud pro crimine mortifero reputauit, quod in gratiam coniugis & tenelli filii circumciſionem omiſit, Exod. IV, 24. Idem ad aquas iurgii tam grauiter deliquit, vt etiam fidem amiſerit, Num. XX, 12. Hunc *ter* conuerſum & renatum eſſe, ex vero aſſerimus. b) Aaronis tria mortifera obſeruamus peccata. Primum erat idololatria, Exod. XXXII. Alterum contumelia in Moſen, Num. XII, 1. 2. Tertium erat ἀπιςία, qua ad aquas iurgii vna cum fratre Moſe ſe Deo exoſum reddiderat, Num. XX, 12. Fuit itaque *quater* renatus (in infantia, cum circumciſus eſt, & poſt commiſſa tria grandia crimina). c) Notoria ſunt regis Dauidis duo peccata letifera. Primum erat adulterium cum Bathſeba, & cædes Vriæ ab ipſo procurata, 2 Sam. XI, 4. 15. Alterum numeratio populi faſtuoſa & infauſta. Confer. 2 Sam. XXIV, 1. ſqq. cum 1 Chron. XXI. ſqq. Quod peccatum vtique fuit mortiferum. Nam commiſſum eſt concitante diabolo, iraſcente Deo, & grauiſſime puniente. Confeſſus eſt David: *Peccaui valde*, 1 Chron. XXI, 8.

Dicis:

Digitized by Google

Dicis: Vnicum tantum peccatum mortale Dauidis recenſetur 1 Reg. XV, 5. *Fecit Dauid rectum in oculis Iehouæ, nec receſſit ab omni, quod præceperat illi, omnibus diebus vitæ ſuæ; niſi in negotio Vriæ Chittæi.* Reſp. 1) Dauid rectum fecit in oculis domini cum probe agendo, quamdiu ſtetit in fide, tum reſurgendo per pœnitentiam, cum lapſus eſt e ſtatu fidei. 2) Non receſſit Dauid a præceptis diuinis *explicite & expreſſa littera* ſcriptis, niſi in negotio Vriæ Chittæi. Nam tum mœchando, & occidendo peccauit contra expreſſa Dei præcepta, V. VI. VIII. X. Erat itaque peccatum externum ſcandaloſiſſimum, contra tot præcepta diuino digito ſcripta, quale nullum aliud fuit Dauidis. Numeratio autem populi nullo præcepto diuino, diſertiſque litteris prohibita erat; internam autem animi ſuperbiam, e qua recenſio populi proficiſcebatur, Deus καρδιογνώστης vidit, eamque peccatum letiferum æſtimauit & vindicauit.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, Deum *ter*, *aut quater* hominem conuertere & regenerare *). Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Renati peccatum non faciunt, 1 Io. III, 9. E. trina regeneratione non indigent. Reſp. Renati, quouſque ſunt renati, & quamdiu ſemen verbi diuini vegetum memori mente retinent, non peccant ex proæreſi; at iidem quatenus diaboli tentationibus carniſque irritamentis ſuccumbunt, mortiferum peccatum committunt.

II. Renati ſunt perfecti. Nam Noachus, Gen. VI, 9. Abrahamus, Gen. XVII, 1. & Dauid, 1 Reg. XV, 1. aliique, *perfecti* dicuntur. E. neque in peccata proæretica recidunt, neque bis aut ter repetitæ regenerationis ſunt indigi. Reſp. L. c. non intelligitur *perfectio abſoluta, ſed comparata; non conſummationis, ſed ſinceritatis; non continua, ſed temporaria,* defectui quidem aliquando obnoxia, ſed per pœnitentiam reparanda, vel reparata.

III. *Sanctis fides ſemel eſt tradita*, ep. Iudæ v. 3. E. fides non poteſt amitti, & iterum dari, cum ſemel tantum detur. Reſp. L. c. denotatur *non fides ſubiectiua, ſiue fiducia cordis*, qua in Chriſtum creditur, ſed *fides obiectiua, ſiue doctrina fidei*, quæ creditur, cui proprie competit participium, παραδοθεῖσα, *tradita.* Dicitur autem fides *ſemel* tradita ſanctis, quod ſit aliquando *perfecte & ſufficientiſſime* tradita, non immutanda, aut nouis additamentis interpolanda.

IV. Quoſcunque ſemel liberatos, τὸ δεύτερον, ſecundo in ἀπιστίαν relapſos, Deus perdit, eos bis, ter, quater aut pluries non conuertit, neque regenerat: Atqui fideles &c. E. *Minor* patet ex ep. Iudæ v. 5. Reſp. Verba citati textus ita fluunt: *Commonefacere autem*

*) Ac ne *iterum* quidem id fieri poſſe, opinantur *Reformati.* Dicunt enim, *fidem veram non poſſe amitti*, certe eam, quam non nulli eorum *radicatam* adpellant, quidam *ſeminalem*, fruſtra prouocantes ad hoc effatum, 1 Ioann. III, 9. At enim vero *ſemen* illud non *fidem* eſſe, ſed *verbum* Dei, animo perceptum, plane adparet ex 1 Pet. I, 23. 25. Iac. I, 18. 21. Haud ita pridem famoſus ille EDELMANNVS, in libro, quem falſo inſcripſit, *vnſchuld. Wahrheiten*, VI. *Vnterred.* p. 449. hoc præ ſe tulit: nihil prorſus peccati ſupereſſe in homine denuo nato, nec fieri vnquam poſſe, vt nouam animi indolem ipſe perdat. Principium huius erroris eſt falſa definitio nouæ generationis, quaſi homo ex ipſa Dei natura ita generetur, vt humana natura tota in diuinam conuertatur. Communis hæc eſt FANATICORVM hominum ac PSEVDO-MYSTICORVM opinio, ea vero aperte contraria, vt pluribus dictis, ſic huic in primis, Iac. I, 18. quo in loco, 1) per illud, βουληθείς, voluntaria generatio diſcernitur a neceſſaria, 2) per hoc, λόγῳ, eadem diſtinguitur a naturali, vni Dei Filio, ex Patris natura genito, adſerenda, quippe qui ob eam ipſam cauſam dicitur μονογενής, itemque ὁ ἴδιος Θεῦ υἱός.

Digitized by Google

*tem vos volo, vt ſciatis vos ſemel hoc, quod Dominus populum, quum e terra Ægypti ſeruaſſet, ſecundum eos, qui non crediderunt, perdiderit.* Conf. Num. XIV, 35. Quare τὸ ἅπαξ pertinet non ad participium σώσας, *qui ſeruauit*, ſed εἰδότες, *ſcientes*, vt ſenſus ſit: *ſemel* i. e. *ſummatim ſciatis*; τὸ δεύτερον autem hic valet e contrario, quomodo & πάλιν ſumitur Matth. IV, 1. Iac. V, 18. Vid. HVG. GROTIVM in *h. l.* Cæterum Iſraëlitas non ſemel, ſed ſæpius mortaliter peccaſſe, conſtat ex Num. XIV, 22. Quam ob rem perſeuerantes in infidelitate & peccatorum atrocitate a Deo perditi ſunt.

V. Quicunque relabentes in peccata proæretica redduntur deteriores, illi conuerti & regenerari nequeunt: Atqui renati &c. E. *Maior* conſtat: quia conuerſio & regeneratio hominem efficit meliorem; ſed qui deterior redditur, is non emendatur. *Minor* patet ex dictis ſcripturæ, 2 Petr. II, 20. ſqq. Luc. XI, 24. Io. V, 14. Reſp. 1) 2 Petr. II, 20. & Luc. XI, 24. agitur de apoſtatis, qui vel a vera doctrina fidei ad doctrinam hæreticam, aut plane ad infidelitatem gentilem, vel a pietate ad Epicureiſmum prolabuntur. Illorum conuerſio & regeneratio eſt *difficilis*, ſed non ſimpliciter impoſſibilis. Reuocantur enim a Deo ad pœnitentiam, Ier. III, 11. 2 Petr. III, 9. & regenerantur, quando gratiæ diuinæ locum relinquunt. 2) Dictum Io. V, 14. ſeriam continet dehortationem a recidiuatu in peccata grauiora; qua dehortatione hodienum fideles eccleſiæ miniſtri vtuntur. At ex eadem negatio ter aut quater repetitæ regenerationis ſtabiliri nequit.

### Quæſt. XX. *Eſtne regeneratio peccatori ad ſalutem neceſſaria?*

Regeneratio homini peccatori *ad ſalutem abſolute & ſimpliciter neceſſaria* eſt.

Prob. 1) E verbis Chriſti, Io. III, 3. *Niſi quis generetur* ἄνωθεν (deſuper, vel denuo), *non poteſt videre regnum Dei.* Quibus verbis docet, regenerationem eſſe neceſſariam: a) *vniuerſaliter, omnibus*, citra diſtinctionem. Dicit enim: *Niſi quis renatus fuerit*, q. d. Omnis, qui naſcitur, indiget regeneratione ſpirituali. b) *Ratione finis*, ad conſequendam ſalutem æternam. Τὸ *non poteſt ſimplicem infert impoſſibilitatem*; quia caro & ſanguis regnum Dei non hæreditario poſſidebunt, 1 Cor. XV, 50.

2) Sicut neceſſaria eſt fides in Chriſtum ad conſequendam vitam æternam, Io. III, 36: Ita neceſſaria eſt regeneratio, qua fides donetur.

Dicis: Si homini, æternam ſalutem adepturo, neceſſaria eſt regeneratio; infantes parentum chriſtianorum in vtero materno exſtincti, vel recens nati, ſubitaque morte ante perceptum baptiſmum rapti, æternum peribunt; quod dictu aſperum eſt. Reſp. *Ordinaria regeneratio* fit per verbum, 1 Petr. I, 23. & per baptiſmum, Io. III, 5. Tit. III, 5. *Extraordinaria* autem fit ſine externis mediis, qualis eſt regeneratio infantum, ante baptiſmum perceptum peremtorum. Quamuis enim nos diuino mandato obligati ſimus ad vſum externorum mediorum, non tamen Deus ſuam gratiam regeneratricem ita alligauit baptiſmo, quin in caſu priuationis infantes extraordinarie atque immediate regenerare & velit & poſſit. Quomodo id fiat, non rimamur ſollicite, ſed infinitæ Dei ſapientiæ & potentiæ committimus.

### Quæſt. XXI. *Quis eſt finis regenerationis?*

*Fines intermedii* regenerationis ſunt *iuſtificatio* a), υἱοθεσία, *adoptio in filios Dei* b), *& renouatio* c): Finis *vltimus* ex parte *hominum* eſt æterna ſalus d); ex parte *Dei* gloria miſericordiæ diuinæ e). *Cauſſa finalis.*

Prob. a. Beneficio regenerationis peccator, malleo legis contritus, fide donatur, atque adeo ſpiritualiter mutatur, & aptatur, vt *iuſtificari*, ſiue a reatu culpæ & pœnæ abſolui poſſit.



Digitized by Google

poſſit. Id quod innuit Paullus, Tit. III. 5. vbi facta mentione lauacri regenerationis, mox verſu 7. addit: *vt iuſtificati ipſius gratia heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Præcedit igitur regeneratio iuſtificationem ordine naturæ, non ordine temporis. Etenim, quo momento peccator fide in Chriſtum donatur, eodem iuſtificatur.

Prob. b. *Adoptio in filios Dei* eſt finis regenerationis, mediante iuſtificatione. Per regenerationem enim, quatenus eſt collatio fidei, ceu doni inhærentis in filiis Dei, non adoptamur; alias fides inhæſiue & ratione ſuæ qualitatis ſaluaret, quod eſt falſum. Quare neceſſe eſt, vt renati Deo prius per fidem reconcilientur, quam fiant filii Dei. Reconciliantur autem Deo per Chriſtum; quippe *qui nos redemit, vt adoptionem filiorum acciperemus*, Gal. IV, 5. Adiice, quod nemo ſit filius Dei ſpiritualis, qui remiſſionem peccatorum non eſt conſecutus.

Prob. c. Baptizati & renati ſumus, vt in *nouitate vitæ ambulemus*, Rom. VI, 4. Donamur quippe per gratiam regenerantem vera in Chriſtum fide, quæ per dilectionem operatur, Gal. V, 6. Quocirca *ſi in ſpiritu viuimus, ſpiritu etiam ambulemus*, Gal. V, 25.

Prob. d. Deus *regenerauit nos in hereditatem incorruptibilem, immaculatam & immarceſcibilem, ſeruatam in cœlis erga nos.* 1 Petr. I, 3.

Prob. e. Æternis laudibus celebrandus eſt Deus, qui homines in peccatis mortuos regenerauit & viuificauit ex gratia indebita & liberaliſſima, vt ex filiis iræ fierent filii gratiæ. *Benedictus ſit Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui iuxta multam miſericordiam regenerauit nos*, 1 Petr. I, 3.

Quæſt. XXII. *An Chriſtus per regenerationem in nobis generatur, vt ſit ipſe nouus homo in nobis, & caro de carne noſtra?*

*Proprie* loquendo *neque Chriſtus in nobis naſcitur* a), *neque nouus in nobis eſt homo* b), *neque* beneficio regenerationis *ſit caro de carne noſtra* c).

Prob. a. 1) Quia aſſertum illud, quod Chriſtus in nobis generetur, eſt ἄγραφον. Perſpicue docet S. Scriptura, quod Deus Pater *nos regenerauerit per reſurrectionem Ieſu Chriſti*, 1 Petr. I, 3. & quod *in* Chriſto Ieſu *per euangelium generati ſimus*, 1 Cor. IV, 15. Quæ eloquia Spiritus S. ſunt clara & perſpicua; at obſcura & intricata loquendi ratio eſt, qua ipſe Chriſtus in nobis generari dicitur.

2) Chriſtus eſt pater regenerationis, Eſ. VIII, 18. Hebr. II, 13. qui nos ſpiritualiter generat, non autem in nobis generatur.

3) Filius Dei ab æterno generatur in ſinu Patris cœleſtis, Io. I, 18. non in ſinu noſtro. Eſt generatio Filii Dei actio immanens, non emanans, aut tranſiens.

4) Ieſus noſter, qua homo, natus eſt in & ex Maria virgine, Luc. I, 35. non autem naſcitur in, aut e nobis; ceteroqui proueniret ex eſſentia hominis fidelis. Nam generatio eſt communicatio eſſentiæ.

5) Aſſertione illa, quod Chriſtus in nobis generetur, vtuntur *Quackeri*, ad corrumpendum articulum de iuſtificatione peccatoris. Neque enim erubeſcit ROBERTVS BARCLAIVS in *Apol. §. 7. p.* 141. aſſerere: *peccatorem iuſtificari, quando Chriſtus in ipſo formatur, generatur, & in lucem editur.* Quin & *Myſticorum* abſurdiſſimum dogma eſt, generationem Chriſti in nobis fieri per introuerſionem ad Deum. *Verbum Patris cœleſtis effectiue toties in nobis generatur, quoties perfecte nos ad Deum introuertimus*, inquit GERLACVS PETRI, citante D. LOESCHERO in *præfat. theol. myſt. orthod. §.* 8.

Prob. b. 1) Nullibi docet S. Scriptura, *Chriſtum eſſe nouum hominem.* Non autem decet nos ſapere ſupra id, quod ſcriptum eſt, 1 Cor. IV, 6.

2) Chr

Digitized by Google

2) Chriſtus eſt cauſſa noui hominis. At cauſſa de cauſſato, & cauſſatum de cauſſa nunquam prædicatur in caſu recto.

3) Nouus homo, formaliter & abſtractiue conſideratus, eſt accidens, ſcilicet agnitio Dei, Col. III, 10. iuſtitia & ſanctitas vera, Eph. IV, 24. At quam impoſſibile eſt ſubſtantiam transmutari in accidens; tam impoſſibile etiam eſt, Chriſtum mutari in nouas qualitates, nouas vires, nouosque motus, quos verbo Dei conformiter *nouum hominem* (abſtractiue ſumtum) appellamus.

4) Nouus homo, concretiue acceptus, eſt ψιλὸς ἄνθρωπος, nouis viribus a Deo inſtructus: At Chriſtus eſt θεάνθρωπος. E. non eſt nouus homo.

Prob. c. Chriſtus *factus* eſt *caro de carne noſtra* tum per incarnationem, Hebr. II, 14. tum etiam per vnionem & communicationem myſticam fideles redduntur participes carnis & ſanguinis Chriſti, Eph. V, 30. & fiunt viua membra corporis Chriſti myſtici, ſiue eccleſiæ. Per regenerationem autem fides in Chriſtum accenditur.

*Antitheſis* eſt *Weigelianorum & Quackerorum*, ſtatuentium, Chriſtum generari in nobis, eſſeque nouum hominem, & fieri in regeneratione carnem de carne noſtra. Quorum argumenta potiora ſunt:

I. Quicunque *in nobis formatur*, in nobis regeneratur (formatio quippe generationem ſupponit): Atqui Chriſtus &c. E. *Minor* prob. ex Gal. IV, 19. vbi Apoſtolus inquit: *Filioli mei, quos iterum parturio, vsque dum formetur Chriſtus in vobis.* Reſp. 1) Neg. mai. Nam formam & imaginem noſtri accipimus in ſpeculo atque tabella pictoris, neque tamen ibi generamur. Noſtræ animæ imprimitur imago Chriſti primo per fidem, qua Chriſti faciem & formam ſic cognoſcimus, quemadmodum in ſacris litteris ante oculos noſtros præſcriptus eſt: ſecundo per ſimilitudinem & conformitatem vitæ & ſanctitatis Chriſti. 2) Obiectum in parturitione Paullina generandum non eſt Chriſtus, ſed Galatæ: *Filioli*, inquit, *quos iterum parturio.* Non itaque Chriſtus in nobis generatur, ſed μορφῦται, ſiue συμμορφίαν ſuam nobis impertitur, vt hac in vita ſimiles euadamus imagini ipſius, perinde ac geſturi ſumus in altera vita eiusdem imaginem, 1 Cor. XV, 49.

II. Apoc. XII, 5. *Mulier amicta ſole* (per quam eccleſia intelligitur) *peperit filium maſculum, qui paſturus erat omnes gentes virga ferrea* (per quem denotatur Chriſtus). Quod ſi eccleſia Chriſtum parit, quidni & fideles? Eſt enim eccleſia cœtus fidelium. Reſp. L. c. per filium alluſione tantum phraſeologica Chriſtus Mariæ filius, directe autem filii ſpirituales, quos eccleſia militans, de qua ibidem agitur, Deo cum dolore & inter auguſtias perſecutionum enititur, repræſentantur.

III. Chriſtus *in nobis viuit*, Gal. II, 20. E. etiam in nobis generatur. Reſp. Chriſtus in nobis viuit, non vt nouus homo, ſed auctor nouæ vitæ; ſiquidem in ipſo creati ſumus ad bona opera, Eph. II, 10. Neque in nobis generatur, ſed, velut Pater, nos regenerat.

IV. Omnis faciens voluntatem Chriſti, eſt *ipſius mater*, Matth. XII, 19. E. Chriſtum generat. Reſp. Faciens voluntatem Chriſti dicitur ipſius mater, *non* ob *generationem*, ſed ob *dilectionem*. Neque enim homo matris inſtar Chriſtum generat; ſed Chriſtus ipſum, perinde ac filius matrem, ardentiſſime diligit.

V. Orthodoxi Theologi phraſi illa, *quod Chriſtus in nobis generetur per fidem*, vſi ſunt. Reſp. Theologi illi ante mota certamina locuti ſunt ſecurius, arctiſſimam noſtram cum Chriſto vnionem expreſſuri: inualeſcente autem *Quackerianiſmo*, ab allegoria illa catachreſtica iure meritoque abſtinemus. Nullus autem Theologus orthodoxus aſſeruit, *Chriſtum in nobis generari*, vt *nouus in nobis homo, & caro de carne noſtra.*



Digitized by Google

Quæſt. XXIII. *Quomodo regeneratio, iuſtificatio & renouatio differunt?*

*Regeneratio, iuſtificatio & renouatio differunt:* a) *Ordine naturæ:* b) Ratione *ſubiectorum:* c) Ratione *termini a quo, & ad quem:* d) Ratione *formæ internæ:* e) Ratione *modi agendi.*

Prob. a. *Ordine naturæ* iuſtificationem & renouationem præcedit regeneratio, ſiue donatio fidei, ſine qua vti Deo non placemus, Hebr. XI, 6. ita nec iuſtificamur, nec renouamur, niſi ſimus regeniti.

Prob. b. *Subiectum regenerationis* eſt peccator per legem diuinam conuerſus & contritus, ſed vita fidei carens, adeoque ſpiritualiter mortuus: Subiectum *iuſtificationis* eſt peccator conuerſus & renatus, ſeu contritus & credens in Chriſtum: Subiectum *renouationis* eſt homo conuerſus, renatus & iuſtificatus.

Prob. c. *Regenerationis* terminus *a quo* eſt mors ſpiritualis, prout hæc notat carentiam virium credendi, terminus *ad quem* eſt fides ſaluifica: *Iuſtificationis* terminus *a quo* eſt reatus culpæ & pœnæ, terminus *ad quem* eſt remiſſio peccatorum, & iuſtitia Chriſti imputata: *Renouationis* terminus *a quo* eſt dominium & reliquiæ peccati, terminus *ad quem* eſt imago Dei, & ſanctitas inhærens.

Prob. d. Regeneratio in *donatione fidei,* iuſtificatio in *remiſſione peccatorum, & imputatione iuſtitiæ Chriſti*, renouatio in *liberatione a dominio, maculisque peccati, & inſtauratione imaginis diuinæ formaliter* conſiſtit.

Prob. e. *Regeneratio* eſt actio *ſolius Dei*, denominationem inferens *intrinſecam* ſubiecti, quod regeneratur, cum in corde ipſius a Spiritu S. excitetur fiducia in Chriſtum, vt peccator, qui regeneratur, ſe mere paſſiue habeat. *Iuſtificatio* eſt actio *ſolius Dei*, denominationem inferens *extrinſecam* ſubiecti, quod iuſtificatur; quippe cui æſtimatione Dei propria iniuſtitia non imputatur, aliena autem (ſcil. Chriſti) iuſtitia imputatur, vel adiudicatur. Vnde in negotio *iuſtificationis* peccator ſe etiam *mere paſſiue* habet, cum nemo coram iudicio diuino ſeipſum poſſit abſoluere. *Renouatio* eſt quidem actio *Dei*, ſed *non ſolius*, ideo, quod ad eandem homo iuſtificatus viribus non propriis, ſed ſuperne collatis, tanquam cauſſa ſubordinata, concurrit. Conf. D. CALOV. in *bibl. illuſtrat. in Io. III. fol.* 692.

*SVSPIRIVM.*

Singulari tuo beneficio, o Pater cœleſtis, renatus viuo. Quid dico, viuo? viuit in me Chriſtus. Nam quod viuo in carne, viuo in fide, quæ eſt in Filium tuum vnigenitum, qui dilexit me, & tradidit ſe ipſum pro me. O gratiam ſine meo merito! O dilectionem ſine exemplo! Hac fretus viuo tranquillus & hilaris inter ignita diaboli tela, inter callida hominum machinamenta. Viue, obſecro, o Ieſu, auctor vitæ beatæ, perpetuo in anima mea, clementiſſimeque concede, vt hæc æternum viuat in ſinu atque complexu miſericordiæ tuæ!

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT VIII.

# DE GRATIA IVSTIFICANTE, ET IVSTIFICATIONE PECCATORIS CORAM DEO.

Quæſt. I. *Quid eſt iuſtificatio?*

*Definitio iuſtificationis.*

*Iuſtificatio* eſt actus gratiæ, quo Deus, iudex iuſtiſſimus & miſericordiſſimus, homini peccatori, culpæ & pœnæ reo, ſed conuerſo & renato, ex mera miſericordia,

ſericordia propter ſatisfactionem & meritum Chriſti, vera fide apprehenſum, peccata remittit, & iuſtitiam Chriſti imputat, vt in Filium Dei adoptatus, hæres ſit vitæ æternæ.

### Quæſt. II. *Quid ſignificat hic iuſtificare?*

Verbum, *iuſtificare*, in præſenti, vbi conſideratur peccator, reus culpæ & pœnæ, quatenus coram iudicio diuino iuſtificandus eſt, *non* ſumitur ſenſu *phyſico*, ſed *forenſi*, ſiue iudiciali. Neque enim ſignificat, habitum iuſtitiæ alicui infundere, aut infuſis qualitatibus aliquem iuſtum facere; ſed peccatorem a reatu culpæ & pœnæ certis de cauſſis abſoluere, & iuſtum æſtimare, declarare, pronuntiare.

Obſ. Verbum latinum, *iuſtificare*, apud profanos auctores non legitur: quare eius ſignificatio petenda eſt ex ſolis ſcripturis. Quas euoluentes deprehendimus, vocem latinam, *iuſtificare*, per hebræum הצדיק, atque græcum δικαιȣν, & δικαιȣσθαι exprimi. Quæ verba nunquam & nusquam in vniuerſo codice, etiam extra negotium iuſtificationis hominis peccatoris coram Deo, infuſionem nouarum qualitatum ſignificant, ſed notant: a) *Iuſtitiæ diuinæ agnitionem, & celebrationem*. Pſ. LI, 6. Luc. VII, 29. Matth. XI, 35. b) *Acceptæ iuſtificationis oſtenſionem & manifeſtationem*, Iac. II, 12. c) *Iuſtificationem comparatiuam*, Ezech. XVI, 51. vel etiam *vanam*, qua quis ſeipſum iuſtum reputat, Luc. X, 29. d) *Liberationem a peccato*, Rom. VI, 7. e) De iudiciis etiam ciuilibus in ſenſu forenſi vſurpantur, de quibus pauca hæc dicta notaſſe ſufficiat. Deut. XXV, 1. *Cum fuerit lis inter viros, accedent ad iudicium, vt iudicent eos: vbi iuſtificabunt iuſtum, & condemnabunt impium.* Prou. XVII, 15. *Iuſtificans impium, & condemnans iuſtum, abominatio Iehouæ ſimul ſunt.* Eſ. V, 23. *Væ iuſtificantibus impium propter munus.*

Prob. Quod verbum hebræum הצדיק, & græcorum δικαιȣν καὶ δικαιȣσθαι, vnde latinorum *iuſtificare* eſt, deſignent in articulo iuſtificationis actum iudicialem, confirmatur

1) Ex omnibus requiſitis proceſſus iudicialis, vbi notamus

a) *Iudicium ſecundum normam legis rigidum*, de quo Pſ. CXLIII, 2. *Ne intra in iudicium cum ſeruo tuo: qui a non iuſtus erit coram te vllus viuens.*

b) *Iudicem iuſtiſſimum*, qui eſt Deus iudex vniuerſæ terræ, Gen. XVIII, 25.

c) *Reum, qui eſt omnis homo peccator. Totus namque mundus reus fit Deo.* Rom. III, 19. Per *totum mundum* intelligitur vniuerſum genus humanum, ob transgreſſionem legis pœnæ obnoxium. Ex quo etiam peccata *debita* appellantur, Matth. VI, 12.

d) *Actorem, ſiue accuſatorem*, qui eſt partim *Moſes* legislator, ſiue lex Moſaica: *Eſt, qui vos accuſat, Moſes*, Io. V, 45.; partim *diabolus*, Apoc. XII, 10.

e) *Teſtem*, qui eſt *conſcientia. Teſtimonium ipſis perhibet conſcientia illorum*, Rom. II, 15.

f) *Chirographum*, quod eſt conuictio conſcientiæ per legem moralem, Col. II, 14. *).

 g) *Sen-*

*) In illo quidem loco non moralem legem, ſed ritualem ac cæremonias V. T. ſignificari, adparet ex variis indiciis, præſertim vero 1) ex verborum cohærentia & coniunctione tum cum antecedentibus, v. 11. tum cum ſequentibus, v. 16. 17.: 2) ex voce, δόγμασιν, vtpote quo nomine non aliæ leges, quam rituales deſignantur, Eph. II, 15. Ratio nominis, quam ob rem illa dogmata adpellantur χειρόγραφον, ſita eſt in eo: quod ἐν αὐτοῖς eſſet ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν κατ' ἐνιαυτόν. Hebr. X, 3.

Digitized by Google

g) *Sententiam condemnatoriam*, quæ habetur in lege Moſaica. *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis*, Deut. XXVII, 26.

h) *Mediatorem & aduocatum*, qui eſt Chriſtus. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus*, 1 Tim. II, 5. *Si quis peccauerit, paracletum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, iuſtum*, 1 Io. II, 1.

i) *Mediatoris ſatisfactionem.* Hic enim mediator *dedit ſeipſum ἀντίλυτρον, pretium redemtionis pro omnibus*, 1 Tim. II, 6. *per cuius mortem Deo reconciliati ſumus*, Rom. V, 10. *& per cuius obedientiam iuſti conſtituimur*, Rom. V, 16.

k) *Non-imputationem peccati, & imputationem iuſtitiæ Chriſti iudicialem.* De qua Paullus 2 Cor. V, 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi ipſi, dum non imputabat illis peccata illorum* & Rom. IV, 5. *Ei, qui non operatur, credit vero in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides in iuſtitiam.*

l) *Sententiam abſolutoriam*, tum *generatim* per euangelium pronuntiatam: *Remiſſionem peccatorum accipiat per nomen Ieſu Chriſti omnis, qui credit in ipſum*, Act. X, 43.; tum *ſingulatim* applicatam ad certum indiuiduum: *Remiſſa ſunt tibi peccata tua*, Matth. IX, 2.

2) *Condemnatio* non eſt peccati infuſio: E. *Oppoſita iuſtificatio* non eſt iuſtitiæ infuſio. Oppoſitorum enim eadem eſt ratio. Antecedens liquet ex Rom. VIII, 33.

3) *Iuſtificatio* oppoſita eſt *imputationi iniquitatum*, Pſ. XXXII, 2. Rom. IV, 8. E. ſignificat abſolutionem a reatu. Conſequentia eſt euidens. Sicut imputatio iniquitatis eſt actus iudicis, qui iniquitatem cognoſcit, æſtimat, & ſtatuit, eandem pertinere ad delinquentem, vt obligatus ſit ad pœnam: ita non-imputatio iniquitatis eſt actus iudicis, qui grauibus de cauſſis hominem ab obligatione ad pœnam, ſiue reatu abſoluit.

4) Iuſtificatio conſiſtit in abſolutione ab aliis, a quibus per legem Moſis iuſtificari non poſſumus, & per Chriſtum iuſtificamur, Actor. XIII, 38. Ergo iuſtificatio non denotat infuſionem iuſtitiæ, ſed abſolutionem a reatu.

5) Significatum iuſtificationis *forenſem* docent æquipollentes phraſes & periphraſes, quæ omnes ſunt iudiciales, v. gr. *imputare iuſtitiam*, Rom. IV, 3. 5. *peccata remittere*, Rom. III, 25. Io. XX, 23. *Deo reconciliari*, 2 Cor. V, 19. *non iudicari*, Io. III, 18. *).

*Antitheſis*

*) Omnia colligamus argumenta, ex quibus ſole clarius elucet, huius nominis non aliam eſſe, quam *forenſem* ſignificationem. Id nimirum efficitur 1) ex *diſtinctione;* diſcernitur enim iuſtificatio ab animi renouatione, & ita quidem, vt hæc illam ſequatur, 1 Cor. I, 30.: 2) ex *interpretatione*, præſertim *triplici* (Actio enim illa, qua Deus hominem iuſtum pronuntiat, dicitur α) imputatio iuſtitiæ, & quidem ſine vllo hominis opere, dumtaxat propter victimam Chriſti piacularem, ſalutari fiducia acceptam, Rom. IV, 6. & 24. 25.: β) remiſſio delictorum, vt delinquens dimittatur impunitus, Act. XIII, 38. 39. Rom IV, 5. add. 7. 8. Matth. XVIII, 27. Luc VII, 41. 47.: γ) auerſa ira iudicis placati, Luc. XVIII, 13. & 14. verbum ἱλάσθητι in ſe continet notionem τῦ ἱλαςηρίυ, Rom. III, 23. - 25. ac τῦ ἱλασμῦ, 1 Io. II, 2.): 3) ex *oppoſitione*, & ea quidem *duplici* (Verbum enim hoc, δικαιόω, opponitur α) *adcuſationi* ac *damnationi*, Rom. VIII, 33. 34. β) *peccato imputato*, ita nimirum, vt Deus id nobis non tribuat propterea, quod Chriſto id omnino ὑπὲρ ἡμῶν tributum ſit, 2 Corinth. V, 19. 20. 21. Ex quo argumentamur: Qua ratione Chriſtus pro nobis factus eſt peccatum, eadem ratione nos in Chriſto facti ſumus iuſtitia: Atqui Chriſtus peccatum pro nobis factus eſt certe non aliter, quam imputatione, & actu forenſi: E.): 4) ex *coniunctione* cum verbis eiusmodi, quæ vniuerſa nihil aliud, quam forenſem cauſam denotant, Rom. VIII, 33 34. Locus ſane claſſicus, in quo hic ineſt neruus probationis: In qua actione eſt *iudex*, eſt *reus* quidam, & *adcuſatus*, eſt *ſponſor* aliquis, eiusque cum *ſatisfactio*, tum *deprecatio* atque adcuſati defenſio,

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, quibus *iuſtificare* eſt, habitum iuſtitiæ infundere, & *Anabaptiſtarum*, *Schwenckfeldianorum atque Weigelianorum*, quibus *iuſtificare* eſt, hominem iuſtum & probum facere renouando, ſiue nouum cor & nouum ſpiritum dando. Qui ſequentibus argumentis doctrinam euangelicam de iuſtificatione impugnant:

I. Verbum *iuſtificare*, vi vocis, ſignificat aliquem *iuſtum facere*: componitur enim ex vocibus, *iuſtus & facere*. Iuſtum *æſtimare & pronuntiare* non ſignificat iuſtum *facere*. E. Reſp. a) Argumenta ab etymologia, & compoſitione vocis grammatica ſunt inualida. Nos *ſanctificamus* nomen Domini, illud non ſanctum faciendo, ſed eius ſanctitatem agnoſcendo, & maximi æſtimando. b) Compoſitio vocis *latina* non conſtituit regulam & menſuram inueſtigandi genuinum ſignificatum iuſtificationis; quippe qui ex lingua hebræa & græca, qua vſus eſt Spiritus S. deducendus eſt. Apud Hebræos צדק in Kal ſignificat *iuſtum eſſe*, in Piel צדק *iuſtitiæ laudem alicui tribuere*, in Hiphil הצדיק *iuſtum pronuntiare*, cui græcorum δικαιῦν conſonat.

II. Dan. XII, 3. מצדקים dicuntur *erudientes ad iuſtitiam*, non a peccatis abſoluentes, aut iuſtos declarantes: E. iuſtificare non ſignificat, a peccatis abſoluere. Reſp. a) *Erudire ad iuſtitiam* non eſt idem, quod habitum iuſtitiæ infundere. b) Vulgata quidem verſio vocem hebræam ita reddidit, ſed ſecundum fontem vox hebræa vertenda eſt: *Iuſtificantes*, nempe doctores eccleſiæ, διακονικῶς, ſiue miniſterialiter a peccatis abſoluentes, & verbum reconciliationis annuntiantes.

III. Quæcunque iuſtificatio gradus admittit, illa non notat abſolutionem a peccatis: Atqui iuſtificatio peccatoris coram Deo &c. Ergo. *Maior* ſua luce radiat; quia abſolutio a peccatis eſt perfecta, vt neque minui, neque intendi poſſit. *Minor* conſtat ex Apoc. XXII, 11. Ο δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι, *iuſtus iuſtificetur adhuc.* Reſp. L. c. intelligitur *continuatio iuſtificationis* per fidei perſeuerantiam & fugam peccati proæretici. Aduerbium enim ἔτι nuſpiam ſignificat qualitatis intenſionem, ſed temporis continuationem; non idem quippe valet, quod μᾶλλον, magis, ſed πορρώτερον, vlterius iuſtificetur.

Inſtantia: Sed publicanus pœnitens dicitur *magis iuſtificatus*, quam Phariſæus, Luc. XVIII, 14. Reſp. Imitatur Lucas hebræos, pro negatiuo aduerbio particula comparatiua vtentes. Senſus eſt: Publicanus deſcendit iuſtificatus, non autem Phariſæus.

IV. Quæcunque iuſtificatio ſequitur ſanctificationem, illa non eſt abſolutio a peccatis: Atqui iuſtificatio peccatoris &c. Ergo. *Maior* eſt euidens; quia abſolutio a peccatis ſanctificationem antecedit. *Minor* probatur ex 1 Cor. VI, 11. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis.* Reſp. a) Diſtingu. *inter ordinem verborum & rerum.* Non ſemper attendendum eſt ad ordinem verborum, vbi commutantur beneficia diuina, ſed ad ordinem rerum, qui alias in ſacris tenetur *). d) Loquitur Apoſtolus cum conuerſis Corinthiis, adulta ætate

ſio, eſt *ſententia damnationi contraria*, illa actio non alia eſt, quam iudiciaria: Atqui in iuſtificatione hominis coram Deo &c. E.): 5) ex *adiectione* vocabulorum, quæ Deum quidem indicant iudicem, hominem vero ſua iuſtitia prorſus carentem, cuiusmodi ſunt: α) ἱλάσθητι, β) μοι τῷ ἁμαρτωλῷ, Luc. XVIII, 13 γ) χωρὶς ἔργων, Rom. IV, 6. δ) δωρεὰν, τῇ Θεῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριςῷ Ἰησῦ, Rom. III, 24.

*) Mihi quidem placet eorum ſententia, qui verbum, ἡγιάσθητε, hoc in loco controuerſo, interpretantur non de noſtra, quam Spiritus S. in renouatione animi efficit, ſed de Chriſti nobis imputata ſanctitate, vi ſatisfactionis, pro nobis præſtitæ, vt adeo hoc, ἐδικαιώθητε, ſit illius, ἡγιάσθητε, interpretatio. Vid. Io. XVII, 19. Hebr. X, 10. Hæc explanatio cum verborum ſerie optime congruit. PAVLLVS enim loquutus erat primum de delictis, quorum nunc pœnituit Corinthios, deinde etiam de culpa pœnaque, haud aliter, niſi per Chriſti ſatisfactionem,

Digitized by Google

ætate baptizatis. Hi ante ſuſceptum baptiſmum e verbo diuino erant informati, & per fidem in Chriſtum iuſtificati, h. e. remiſſionem peccatorum indepti, dein renouati & ſanctificati, denique baptiſmo abluti. Hæc tria Apoſtolus, ordine quamuis retrogrado, Corinthiis in memoriam reuocat, vt memores ablutionis ſuæ in baptiſmo, collatæ ſanctimoniæ, & acceptæ remiſſionis peccatorum, in priſtina peccata ne relabantur. Quare h. l. *iuſtificatio* in ſenſu *forenſi* ſumitur, neque ſanctificationem notat, cum ab eadem in textu citato diſtinguatur.

Quæſt. III. *Quis iuſtificat peccatorem?*

*Cauſſa efficiens principalis iuſtificationis.*

Peccatorem iuſtificat *Deus trinunus* a), *Pater* b), *Filius Dei* c), *& Spiritus Sanctus* d).

Prob. a. Ex Marc. II, 8. *Quis poteſt peccata remittere, niſi vnus Deus?* Solus Deus peccata remittit αὐτοκρατορικῶς, principaliter, legati Chriſti διακονικῶς, miniſteraliter, Io. XX, 23. Ceterum cum iuſtificatio ſit *actio Dei* quidem *immanens*, quatenus intra mentem & voluntatem Dei fit, in obiectum tamen extra Deum tendat, atque hactenus *actio ad extra* ſit; omnibus tribus perſonis diuinitatis, ſaluo tamen harum ordine, communis eſt, iuxta tritum illud: *Opera diuina ad extra ſunt indiuiſa*, i. e. *communia.*

Prob. b. Ex Rom. VIII, 33. *Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt.* Vbi vox *Deus*, ſumitur ὑποστατικῶς, atque denotat Deum Patrem, quia a *Chriſto* v. 34. diſtinguitur, de quo etiam Apoſtolus v. 32. dixerat: *Deus proprio Filio non pepercit.*

Prob. c. Ex Eſ. LIII, 11. *Per ſcientiam ſui iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multos.* Vbi obſ. a) *Chriſtus* dicitur *ſeruus Dei*, ſecundum humanam naturam, in ſtatu *exinanitionis* conſideratam. Chriſtus namque exaltatus non operatur ſeruiliter circa ſalutis noſtræ negotium. b) Dicitur *iuſtus* non ſolum *in ſe*, ſed quia etiam *nobis* iuſtitiam perfectiſſima ſua obedientia peperit. c) *Iuſtificat Chriſtus* per *ſcientiam ſui*, i. e. per fidem, qua agnoſcitur & apprehenditur. d) Filius Dei eſt *cauſſa* iuſtificationis *efficiens*, quatenus vno actu cum Patre & Spiritu S. nos iuſtificat: eſt etiam *cauſſa* iuſtificationis *meritoria*, quatenus obedientia ſua actiua & paſſiua iuſtitiam nobis promeritus eſt: eſt præterea *cauſſa* iuſtificationis *materialis*, quatenus meritum Chriſti eſt res ipſa, quæ peccatoribus conuerſis & renatis apprehendenda offertur, & ad iuſtitiam imputatur: eſt denique *cauſſa formalis* in applicatione, quatenus imputata Chriſti iuſtitia iuſtificamur.

Prob. d. Ex 1 Cor. VI, 11. *Iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu, & per Spiritum Dei noſtri.* Spiritus S. iuſtificat, acquiſitam merito Chriſti iuſtitiam per promiſſionem euangelicam peccatoribus offerendo, fidelibus conferendo & obſignando.

Quæſt. IV. *Quæ eſt cauſſa impulſiua interna iuſtificationis?*

*Cauſſa impulſiua interna.*

Ad iuſtificandum peccatorem Deus *interne* motus eſt *gratia ſua* vberrima, per quam in præſenti intelligitur beneuolentia, miſericordia, & gratuitus Dei fauor, quo credentes in Chriſtum complectitur.

Prob. 1) Ex Rom. III, 24. *Iuſtificamur gratis gratia ipſius per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* S. Paullus non ſimpliciter dicit, nos iuſtificari gratia Dei, ſed cum adiectione

nem, homini tributam, abolenda, v. 9. & 10. Itaque *voluptati* quidem peccati (πόρνοι, εἰδωλολάτραι, κ. τ. λ.). opponitur prima loquutio: ταῦτά τινες ἦτε - ἀλλὰ ἀπελούσασθε, conf. Act. II, 38. Sed *reatui*, vt dici ſolet, peccati (βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι) contrarium eſt hoc: ἀλλὰ ἡγιάσθητε, hoc eſt, ἐδικαιώθητε, per Chriſtum ſponſorem, & Spiritum S. teſtem, Rom. VIII, 15. 16.

Digitized by Google

ne particulæ, *gratis*, vt intelligamus, nullam in nobis eſſe cauſſam, quæ Deum ad iuſtificandum nos permouerit.

2) Ex Eph. II, 8. *Gratia ſaluati eſtis per fidem; & hoc non ex vobis, Dei donum eſt; non ex operibus, ne quis glorietur.* Hic Apoſtolus omnem ſalutem, tam *gratiæ*, quæ conſiſtit in remiſſione peccatorum, quam *gloriæ* diuinæ adſcribit, & hanc opponit omni qualitati nobis inhærenti, vt omnis gloriandi anſa nobis præcidatur.

3) Gratiæ iuſtificantis ſynonyma ſunt χρηςότης καὶ φιλανθρωπία, benignitas & amor hominum, vt patet ex Tit. III, 4.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, gratiam iuſtificantem non eſſe fauorem Dei gratuitum extra nos, ſed gratiam infuſam, & inſtar qualitatis nobis inhærentem: Qui ſequentibus argumentis innituntur:

I. Gratia iuſtificans dicitur *dari ad menſuram*, Eph. IV, 7. Beneuolentia Dei non datur ad menſuram, quia eſt immenſa & infinita. E. Reſp. Apoſtolus l. c. non intelligit *gratiam iuſtificantem*, ſed dona Spiritus S. tum *ſanctificantia*, tum *miniſtrantia*, quæ dicuntur *gratia* metonymice, quia ſunt effecta gratiæ.

II. Gratia iuſtificans eſt *diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum S.* Beneuolentia diuina non eſt *caritas diffuſa* &c. E. *Maior* eſt Paulli, Rom. V, 5. *Minor* conſtat; quia beneuolentia eſt in Deo, non in cordibus noſtris. Reſp. a) Per *caritatem* l. c. non intelligitur caritas, qua *nos Deum* diligimus, ſed qua *Deus nos* complectitur; illa caritas, quam Deus erga nos declarauit, cum adhuc eſſemus peccatores, v. 8. quæ vtique eſt Dei, non noſtra. b) *Non* dicitur caritas *infuſa*, ſed *diffuſa* in cordibus noſtris per Spiritum S. i. e. largiſſime declarata, & efficaci Spiritus S. operatione confirmata & obſignata. Eſt itaque in nobis *non* per modum ſubiectiuæ *inhæſionis*, ſed per modum *terminationis ad nos*, operationis, & ſenſus per fidem, per quam dulcedinem caritatis diuinæ deguſtamus.

III. Gratia Dei dicitur *donum in nos abundans*, Rom. V, 15. Beneuolentia Dei non eſt donum in nos abundans, quia eſt cauſſa donorum. E. Reſp. Verba textus Paullini ſunt: *multo magis gratia & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in multos ſuperabundauit.* Apoſtolus loquitur accurate, & gratiam a dono iuſtitiæ & ſalutis diſtinguit; ſicut etiam vita æterna dicitur χάρισμα, Rom. VI, 23. Dicitur autem *gratia & donum iuſtitiæ in nos abundare, non* ratione ſubiectiuæ *inhæſionis*, ſed ratione liberaliſſimæ *declarationis & collationis.*

IV. De beneuolentia Dei non recte dicitur, quod *facta* ſit, quia eſt æterna & independens: De gratia Dei dicitur, quod *facta* ſit. E. *Minor* probatur e Io. I, 17. *Lex per Moſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Reſp. Gratia Dei reſpectu noſtri dicitur *facta*, i. e. per Ieſum Chriſtum *meritorie acquiſita nobis.*

Quæſt. V. *Quæ eſt cauſſa impulſiua externa iuſtificationis?*

Cauſſa *impulſiua externa* iuſtificationis eſt *ſatisfactio & meritum Chriſti*, complectens obedientiam Chriſti actiuam & paſſiuam, vtramque ſatisfactoriam & meritoriam a). Obedientia *paſſiua* Chriſtus pœnas peccatorum, violatoribus legis infligendas, ſponte ſua in ſe tranſtulit ac perpeſſus eſt, ne peccatoribus conuerſis & renatis peccata in pœnam imputarentur b). Obedientia *actiua* Chriſtus legem diuinam vice generis humani lapſi perfectiſſime impleuit, vt illa impletio legis vicaria peccatoribus in Chriſtum credentibus ad iuſtitiam imputaretur c). *Cauſſa impulſiua externa.*



Digitized by Google

Obſ. I. Cauſſa *meritoria* continetur ſub *impulſiua*, vt ſpecies ſub genere. Nam *cauſſa meritoria eſt, quæ benefacto, quod præmio dignum ſit, efficientem ad præmium conferendum impellit.* Impulit ergo meritum Chriſti voluntatem Dei ad peccatorem credentem iuſtificandum.

Obſ. II. *Satisfactio & meritum* Chriſti ſunt quidem coniunctiſſima, certo tamen reſpectu differunt. Illa eſt noſtrorum debitorum, quibus Deo obſtricti eramus, exſolutio; per illam ſatisfactoriam debitorum noſtrorum exſolutionem Chriſtus nobis meruit immunitatem a culpa & pœna. Quare *ſatisfactio* in ordine ad meritum ſe habet inſtar *cauſſæ*, *meritum* inſtar *effectus.* Chriſtus *ſatisfecit SS. Trinitati*, non nobis, licet pro nobis; at non ipſi SS. Trinitati, ſed *nobis meruit.* *Satisfactio* reſpectum infert ad *iniuriam*, *Deo* illatam, *compenſandam;* *meritum* importat reſpectum ad *mercedem* gratuitam acquirendam *peccatoribus.* Inde fit, vt nonnulli Theologi ſolam obedientiam Chriſti *actiuam* ſenſu *ſtrictiori* vocent *meritum.* Confer. D. CALOV. in *ſyſtem. tom. X. p.* 208. & IO. ADAM. OSIAND. in *colleg. ſyſt. P. V. p.* 135. 136. *).

Prob. a. Obedientia *paſſiua* Chriſtus ſatisfecit *comminationi legis*, verbis expreſſæ Moſaicis: *Morte morieris*, Gen. II, 17. pro peccatis hominum voluntariam mortem ſubeundo; Gal. I, 4.: obedientia *actiua* ſatisfecit ipſi *legi*, eam exactiſſime implendo, Matth. V, 17. Obedientia *paſſiua* ſatisfecit pro *pœna;* *actiua* pro *culpa* peccatoris. *Meruit* obedientia *paſſiua* abſolutionem a *reatu pœnæ;* *actiua iuſtitiam*, coram Deo valentem. Conf. OSIANDR. *l. c. p.* 83.

Prob. b. 1) Ex Rom. III, 25. 26. *Iuſtificamur gratis gratia ipſius, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu; quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine, in demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ, propter transmiſſionem prius factorum peccatorum.* Quibus verbis Apoſtolus conſiderandas nobis exhibet *omnes* iuſtificationis *cauſſas.* Cauſſam *efficientem* exprimit pronomine αὐτοῦ, *ipſius*, nempe Dei. Conf. v. præced. 24. Cauſſam *impulſiuam internam* vocat *gratiam* Dei, i. e. effectum beneuolentiæ; a qua per particulam, *gratis*, remouet omne *noſtrum* meritum, omnem cauſſam, in nobis exſiſtentem. Vt vero perſpicue oſtendat, gratiam Dei, qua iuſtificamur, non eſſe abſolutam, ſed in merito Chriſti fundatam, ſubnectit *cauſſam meritoriam*, vel *impulſiuam externam*, quam vocat ἀπολύτρωσιν, redemtionem Chriſti. Hunc concinne appellat ἱλαστήριον, propitiatorium. Quem ad modum operculum, arcæ fœderis impoſitum, tegebat tabulas legis; ita Chriſtus fulmen legis obedientia ſua obtegit, Rom. IV, 7. Addit Apoſtolus ἐν αὐτοῦ αἵματι, in ipſius ſanguine. In V. T. propitiatorium victimarum ſanguine aſpergebatur, ad populum Deo reconciliandum, Leu. XVI, 14. 15. Ita Chriſtus aſperſus eſt ſuo ipſius ſanguine, ſine quo nulla fit remiſſio, Hebr. IX, 22. *Cauſſam intermediam offerentem* nominat πρόθεσιν, propoſitionem, i. e. prædicationem euangelii, qua Chriſtus cum beneficiis ſuis proponitur & offertur. *Medium recipiens* eſt fides, ſiue fiducia peccatoris pœnitentis, defixa in ſanguine Chriſti. *Cauſſa finalis*, eſt demonſtratio iuſtitiæ diuinæ vindicatiuæ, cui ſatisfaciendum erat ſanguine Chriſti, vt eadem ſalua peccator a reatu pœnæ abſolueretur. *Cauſſa formalis* eſt transmiſſio, id eſt, condonatio peccatorum præteritorum.

2) Ex Rom. V, 8. *Commendat ſuam dilectionem erga nos Deus, quod, adhuc peccatoribus exſiſtentibus nobis, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo magis ergo iuſtificati nunc in ſanguine*

*) Diſtinctionem *ſatisfactionis*, ac *meriti*, vtriusque etiam definitionem, perſpicue nos docet hoc enuntiatum Rom. V, 10. *Satisfactio* igitur *Deo* vni præſtita eſt: *Meritum* omnino ad *nos* pertinet. Et *illa* quidem eſt obedientia Chriſti ad mortem vsque conſtans, ac morientis doloribus virtutibusque conſummata, ad reconciliationem gratiæ diuinæ: *Hoc* autem eſt beatitudo noſtra & cumulus beneficiorum, quorum certiſſima exſpectatio nititur vita Chriſti, ex mortuis excitati. Add. 1 Pet. I, 3. ſeqq.

Digitized by Google

*guine illius, ſaluabimur per ipſum ab ira. Si enim, cum eſſemus hoſtes, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ipſius; multo magis reconciliati ſaluabimur in vita eius.* Apoſtolus aſſerit, nos eſſe iuſtificatos *in ſanguine*, i. e. *propter* ſanguinem Chriſti, per quem nobis iuſtificatio eſt acquiſita: quam ſuam aſſertionem exponit per phraſin æquipollentem, cum ait, *nos eſſe Deo reconciliatos per mortem filii ipſius.* Paullo *iuſtificari* idem eſt, atque hominem peccatorem *reconciliari Deo*, ſiue impetrata offenſarum remiſſione, redire cum Deo in gratiam per mortem Filii Dei, per quam iuſtitiæ diuinæ vindicatiuæ ſatisfactum eſt, ob ſummam mediatoris θεανθρώπȣ, qui mortuus eſt, dignitatem. *).

3) Ex Eph. I, 7. *In Chriſto habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.* Conf. Col. I, 14. Deus credentibus in Chriſtum peccata remittit, ideo per cruentam Chriſti mortem, velut λύτρον, a *reatu peccati* redemti ſunt.

Prob. c. 1) Ex Rom. X, 14. Τὸ τέλος νόμȣ, *finis legis Chriſtus in iuſtitiam omni credenti.* Obſ. a) Τὸ τέλος νόμȣ non notat abrogationem aut deſitionem legis, ſed eius *complementum*, conſummationem, aut perfectam impletionem. b) Iuſtitia Chriſti intelligitur *non eſſentialis*, Deo Patri, Filio, & Spiritui S. communis, quæ ad extra eſt incommunicabilis, *neque habitualis*, qua eminuit Chriſtus, qua homo, a primo conceptionis momento, ſed *acquiſita nobis obedientia actiua*, noſtri loco legi diuinæ præſtita. Nam impletionis legis *vicariæ effectus* eſt *iuſtitia*, quæ quidem *Chriſti* eſt *cauſſaliter*, ſed *peccatoris* credentis *terminatiue*, ſiue, vt clarius loquar, iuſtitia, per exactiſſimam legis impletionem a Chriſto homini peccatori acquiſita. Pertinet ea ad *Chriſtum*, tanquam *cauſſam promerentem;* pertinet etiam ad *peccatorem* conuerſum & renatum, tanquam *ſubiectum*, in quo ex intentione Chriſti terminatur, & cui per gratioſam Dei æſtimationem imputatur. Dicitur itaque peccator, in Chriſtum credens, iuſtus, a iuſtitia Chriſti imputata. c) Addit Apoſtolus: Παντί πιϛεύοντι, *omni credenti;* quia iuſtitia, a Chriſto mediatore nobis acquiſita, vera fide apprehendenda applicanda nobis eſt, vt fiat & maneat noſtra.

2) Ex Rom. V, 19. *Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita etiam per obedientiam vnius iuſti conſtituentur multi.* Adamus inobedientia actiua, qua legem diuinam transgreſſus eſt, iniuſtitiam in vniuerſum genus humanum deuoluit: E. Chriſtus mediator obedientia actiua, qua legem diuinam impleuit, iuſtitiam in vniuerſum genus humanum deriuauit; *oppoſitorum quippe eadem eſt ratio.*

3) Si Chriſtus obedientia ſua actiua legem diuinam ad iuſtitiam homini credenti non impleuiſſet, omnis peccator eſſet maledictus: Sed non omnis peccator eſt maledictus: E. Chriſtus obedientia ſua actiua legem diuinam ad iuſtitiam homini credenti impleuit.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, nos propter ſatisfactionem & meritum Chriſti a Deo iuſtificari; quorum argumenta ſupra in loco de Chriſto ſunt confutata. Vnum repetemus, haud parum momenti afferens ad indolem iuſtificationis explicandam: Quæcunque iuſtificatio *non tantum* eſt *gratioſa*, ſed etiam *gratuita*, illa non fit propter meritum Chriſti: Iuſtificatio peccatoris coram Deo &c. E. *Maior* conſtat: quia iuſtificatio gratuita *omne meritum* excludit. *Minor* eſt Paulli docentis, Rom. III, 24. homines iuſtificari δωρεὰν, *gratis*, gratia Dei. Reſp. Diſt. *inter meritum proprium peccatoris, & meritum alienum; ſiue mediatoris Chriſti.* Illud, non hoc, excludit gratuita iuſtificatio. Quod *meritum Chriſti, & gratia Dei,* in actu iuſtificationis optime conſiſtant & conſpirent, indicat Apoſtolus,



*) Quum *Sociniani* concedant quidem, nos Deo reconciliari; negent autem, Deum, velut iudicem ac vindicem, nobis reconciliatum fuiſſe: oſtendendum eſt illis, quid ante dictum ſit, non de hominum infenſo in Deum animo, ſed de *ira Dei*, v. 9. Add. 1. Theſſal. I, 10.

Digitized by Google

lus, cum docet, quod peccatores iuſtificentur *gratis, gratia Dei per redemtionem*, quæ eſt *in Chriſto Ieſu*; quem propoſuit Deus ἱλαςήριον, *propitiatorium*, per ipſius ſanguinem. Eluceſcit igitur e iuſtificatione peccatoris *gratiæ & iuſtitiæ* diuinæ temperamentum.

*Gratiæ* diuinæ tribuendum eſt, quod Deus a) genus humanum peccatis immerſum noluit in ſtatu peccati relinquere, & (quod iuſto iudicio facere poterat) æternæ damnationi adiudicare. Complexus enim miſericordia ſua eſt homines peccatores, non qua tales, ſed qua creaturas ſuas. b) Quod hominibus peccatoribus, qui præſtandæ pro peccatis ſuis ſatisfactioni propriæ impares erant, deſtinauit & dedit mediatorem, eumque filium ſuum vnigenitum, qui pro peccatoribus omnibus legem impleret, & pœnas transgreſſionum vicarias ſolueret, adeoque de ſuo ſumſit, quod pro peccatis noſtris perſolutum eſt, cuius merito iuſtificamur. *Suo enim filio non pepercit, ſed eum pro nobis in mortem tradidit*, Rom. VIII, 32. c) Quod meritum Chriſti, cum non eſſet hominis peccatoris proprium, eiusque effectum, qui eſt tum remiſſio peccatorum, tum perfecta iuſtitia, omni peccatori pœnitenti, qui vera fide ſatisfactionem Chriſti ſibi applicat, imputat & attribuit. d) Quod non per & propter opera noſtra, ſed intuitu fidei in Chriſtum δωρεὰν, gratis, citra interuentum meriti proprii, nos iuſtificat.

*Iuſtitiæ* diuinæ eſt, pro illata Deo iniuria & offenſa ſatisfactionem exigere. Eo ipſo enim, quod peccata legem Dei internam & immutabilem violant, inducunt ex parte peccantis *culpam & reatum pœnæ diuinæ; Deum vero officiunt iniuria offenduntque. Culpam* quidem & *reatum pœnæ* diuinæ inducunt: quia is, qui peccat, a regula rectitudinis exorbitat, & per hoc *culpam* ſibi contrahit, natam vero ex exorbitantia a regula rectitudinis culpam comitatur reatus *pœnæ* diuinæ, per ſe & natura ſua. *Deum* autem *officiunt iniuria, offenduntque*, quia legem eius violant. Violatio enim legis diuinæ eſt quædam iuris diuini violatio, atque adeo iniuria in Deum redundans, qua non poteſt non Deus grauiſſime offendi. Quamdiu igitur manet ex parte peccantis culpa & reatus pœnæ, tamdiu manet ex parte Dei etiam iniuria, per actum peccandi præteritum ei illata, & offenſa. Repugnat etiam, aliquem eſſe ob actum peccandi præteritum culpabilem, pœnaque dignum, nec tamen eſſe iniuſtum in Deum, & ob violatum eius ius in offenſa & odio apud eum conſtitutum. Vnde ad expianda peccata requiritur, vt tum *culpa & obligatio ad pœnam*, ex parte *peccatoris*, tum *iniuria & offenſa*, ex parte *Dei*, tollatur. Tollitur illa per ſatisfactionem Chriſti, vera fide apprehenſam; quippe quam Deus ex mera gratia procurauit, eamque beneuole acceptat.

Quæſt. VI. *Quem hominem Deus iuſtificat?*

*Subiectum iuſtificat.* Deus iuſtificat *hominem* a) *peccatorem* b), coram iudicio diuino *reum culpæ & pœnæ* c), ſed *conuerſum* d), & *renatum* e).

Prob. a. Iuſtificantur a Deo non *angeli boni*, qui cum in ſanctitate concreata perſtiterint, remiſſione peccatorum non indigent, neque *angeli mali*, qui iudicio diuino habiti ſunt immiſerabiles; ſed *homines*. Id quod probamus: Quorum naturam Chriſtus aſſumſit, ii per fidem in Chriſtum iuſtificantur, & non alii: Atqui Chriſtus ſolorum hominum, non angelorum naturam aſſumſit. E. Τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον, quod a Chriſto non eſt aſſumtum, ab eodem non eſt ſanatum. Sanabilis igitur eſt *homo viator*, ſiue in via huius vitæ conſtitutus. Qui cum, peccatis non remiſſis, moritur, is decedit in ſtatu iræ, non gratiæ. Cum enim gratiam in curſu vitæ oblatam malitioſe repudiauerit, *ira Dei ſuper ipſum perpetuo manet*, Io. III, 16.

Prob. b. Deus *iuſtificat impium*, Rom. IV, 5. *Qui peccarunt, & deſtituuntur gloria Dei, iuſtificantur gratis, gratia Dei, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*, Rom. III, 23. 24.

Prob. c.

Digitized by Google

Prob. c. Peccator transgrediendo legem diuinam, contrahit *culpam*, & hanc obligatio ad *pœnam* ſequitur. Vnde omnis homo, ad normam legis diuinæ examinatus, eſt ὑπόδικος Deo, i. e. obnoxius Deo iudici, ad mortem æternam, Rom. III, 19. Stat igitur peccator coram throno diuino non vt Mephiboſet innocens, aut Barſillai beneficus coram Dauide, ſed vt pincerna coram Pharaone, aut Simei coram Salomone. Peccator enim accuſatus eſt a Moſe, Io. V, 45. & diabolo, Apoc. XII, 10. conuictus a teſte conſcientia, Rom. II, 15. ita vt conuictio conſcientiæ ſit chirographum contra ipſum, Coll. II, 14.

Prob. d. Iuſtificat Deus impium non perſiſtentem in impietate, aut proæreſin, ſiue propoſitum peccandi retinentem, ſed per legem diuinam *conuerſum & contritum*, vt turpitudinem peccatorum ſuorum ex lege agnoſcat, iram Dei ſentiat, ſupplicia diuina expaueſcat, atque adeo commiſſa peccata non rata habeat, ſed retractet, & ſerio cum dolore deteſtetur, atque peccandi propoſitum abiiciat. Qui dolor de peccatis, eorumque diſplicentia & deteſtatio non eſt quidem *medium poſitiuum & cauſſale* iuſtificationis; *conditio* tamen eſt, *requiſita* ex parte peccatoris iuſtificandi, & medium ordinis priuatiuum, remouens incapacitatem ſubiecti & obſtacula remiſſionis peccatorum, ſcil. opinionem falſam non-indigentiæ, & ſtudium pergendi in peccatis. Nam qui non agnoſcit & deteſtatur peccata ſua, ſed potius paratus eſt ea malitioſe continuare, is nec quæret, nec inueniet remiſſionem peccatorum. Innuit hoc ipſe Deus, Ier. III, 4. 5. *Nonne abhinc vocaſti me, Pater mi, ductor iuuentutis meæ tu* (es). *Num ſeruabit in æternum* (iram?) *Num retinebit eam in perpetuum? Ecce locuta es, & feciſti mala, ac præualuiſti*, q. d. non potero eſſe gratioſus Pater, aut peccata tibi remittere, niſi proæretice peccare deſinas. Conf. HVLSEM. *breu. enucl. c. IX. p.* 501. 523.

Prob. e. Ex Rom. IV, 4. *Ei, qui non operatur, credit vero in eum, qui iuſtificat impium, fides imputatur in iuſtitiam.* Requiritur ab impio, vt ſuam impietatem cum dolore animi deteſtetur, ſed hoc non ſufficit; verum neceſſe eſt, vt credat etiam in Deum, qui iuſtificat impium. Eſt quidem Deus iudex iuſtus & ſcelerum vindex ſeuerus; at ſatisfactione Chriſti, qui pro impiis mortuus eſt, Rom. V, 8. placatus. Hoc peccator pœnitens agnoſcit ex euangelio, quod promittit gratiam & remiſſionem peccatorum propter meritum Chriſti vera fide apprehenſum; qui promiſſioni euangelicæ indubitatum præbet aſſenſum, atque adeo ſingulari fiducia ſatisfactionem Chriſti acceptat, ſibi applicat, Deo iudici exhibet, & propter eandem gratiam & remiſſionem peccatorum quærit, inuenit, atque, ad inſtar publicani reſipiſcentis, iuſtificatus abit, Luc. XIIX, 14.

Quæſt. VII. *An etiam peccatores reſipiſcentes veteris teſtamenti per fidem in Chriſtum iuſtificati ſunt?*

Peccatores *pœnitentes*, qui temporibus *veteris teſtamenti* vixerunt, *per fidem in Chriſtum* Deo reconciliati & *iuſtificati* ſunt.

Prob. 1) *Omnes prophetæ teſtantur de Chriſto, omnem, qui credit in eum, remiſſionem peccatorum accipere*, Act. X, 43.

2) *Omnes credimus per gratiam Chriſti ſaluari, ſicut &* (*illi* Patres noſtri), Act. XV, 11. *).

 *Antitheſis*

*) Quid de vera horum verborum interpretatione ſtatuendum ſit, & quæ in promtu ſint alia, longeque clariſſima, huius rei teſtimonia, demonſtratum iui ad pag. 34. Addo nunc illud Rom. IV, 6. quo in loco vocabula hæc, καθάπερ καί, aperte ſignificant vnam prorſus eamdemque

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, ſtatuentium, iuſtificationem per fidem in Chriſtum primum in N. T. promulgatam atque annuntiatam eſſe. Vrgent illi

I. Chriſtus mediator non exſtitit temporibus V. T. nec eius ſatisfactio tunc præſtita eſt: E. non potuerunt Iſraëlitæ in Chriſtum credere. *Reſp.* Quamuis Chriſti ſatisfactio pro peccatis conſtituto tempore præſtita ſit, *quoad valorem tamen vniuerſalis eſt*, & ad omnes omnium temporum ætatum homines ſe extendit. Habet enim ſe ad remiſſionem peccatorum per modum *cauſſæ meritoriæ.* Hæc prius, quam exſiſtat, valore meriti præcogniti ſuam cauſſandi vim exercere, & voluntatem cauſſæ efficientis ad agendum mouere poteſt. Deo cognitam fuiſſe ſatisfactionem Chriſti prius, quam præſtaretur, dubio vacat. Vid. Act. II, 33. c. IV, 28. Quod vero eadem hominibus peccatoribus etiam præcognita, vel certe ita patefacta fuerit, vt, ſi abſque hominum negligentia, malitia & contemtu verbi diuini fuiſſet, omnibus quouis tempore nota eſſe potuiſſet, facile intelligitur. Primum enim Deus exſiſtentibus adhuc in paradiſo protoplaſtis eam prænuntiauit, quando promulgato proteuangelio, ſemen mulieris caput ſerpentis contriturum eſſe, prædixit, Gen. III, 15. Deinde prædictionem hanc patriarchis, & poſtea per edoctos a ſe prophetas ſanctos populo Iſraëlitico ſubinde, adiectis declarationibus vberioribus, repetiit, donec ſemen illud promiſſum, ex Maria virgine natum, reapſe exhiberetur. Quo reſpicit Petrus, quando Deum dicit miſiſſe *prænuntiatum* Ieſum Chriſtum, Act. III, 20. *& omnes prophetas a Samuele & deinceps eos, qui fuerint, quotquot locuti ſint, prænuntiaſſe dies illos*, quibus ſcilicet Chriſtus in carne exhibitus eſt, v. 24.

II. Vrgent loca ſcripturæ Rom. III, 21. Gal. III, 23. Ad quæ ſupra reſpondimus, Part I.

### Quæſt. VIII. *Quibus mediis Deus peccatorem iuſtificat?*

*Media iuſtificationis.*

*Media* δοτικὰ, ſeu ex parte *Dei offerentia* gratiam Dei & ſatisfactionem atque meritum Chriſti, ad impetrandam remiſſionem peccatorum & iuſtitiam, ſunt

demque rei rationem. Quorſum etiam tot, tamque illuſtres *vaticinationes* de futuro Chriſto, tum *litterales* illæ, tum *typicæ*, præſertim vero ſacrificia piacularia, quæ per ſe nullam habebant vim expiandi, vt & luſtrationes, quorſum, quæſo? niſi eo valuiſſent, vt omnes in futuro Chriſto, ita prænuntiato atque adumbrato, omnem collocarent fiduciam. Vid. Io. VIII, 56. coll. cum v. 52. 53. & Hebr. XI, 17. & 19. Quam ob rem Ieſus noſter dicitur ἀρχηγὸς τῆς πίστεως in V. T. eiusdemque τελειωτὴς in N. T. Hebr. XII, 2. idem heri in V. T. qui hodie in N. T. Hebr. XIII, 8. Principium vero hoc: *ſatisfactio ſemel præſtita, ſemper valida fuit*, ſeu, vt vulgo loquuntur, *meritum Chriſti valet antrorſum non minus, quam retrorſum*, hoc, inquam, vt planiſſime ſignificatum eſt in hoc loco, Hebr. IX, 26. ita firmiſſime opponendum eſt non ſolum *Socinianis*, verum etiam *Romanocatholicis*, qui, quamuis Chriſti promerita hominibus, ante eum natum beate defunctis, non omnino denegent, fructum tamen eorum non prius, quam Chriſtus mortem oppetiit, illos percepiſſe, opinantur, interea illos velut captiuos in limbo quodam detentos fuiſſe, & pœna damni adfectos. Ab eodem principio proficiſcitur argumentatio aduerſus *Cocceianos*, qui in ea ſunt hæreſi: Chriſtum, communem quidem omnium hominum ſponſorem, nunc demum in N. T. eſſe *expromiſſorem*, ſed in V. T. non, niſi *fideiuſſorem* fuiſſe; ideoque putant aliter definiendam eſſe ἄφεσιν, aliter πάρεσιν, ita nimirum, vt *illa* quidem ſit remiſſio peccati, nunquam vindicandi; *hæc* autem toleratio eius ad tempus, conniuendo ac pœnam, nondum ablatam, differendo Prouocant in primis ad Rom. III, 25. 26. Reſp. 1) Diſerte diſcernitur ἀνοχὴ τῦ Θεῦ ab eo, quod dicitur πάρεσις, 2) hancce πάρεσιν nihil eſſe aliud, quam ἄφεσιν, atque hanc ipſam ἄφεσιν, ſiue remiſſionem peccatorum Dauidi, eiusque ſimilibus æque, ac nobis in N. T. contigiſſe, adparet ex Rom. IV, 6. 7. & Hebr. IX, 15. coll. cum v. 22.

Digitized by Google

ſunt verbum euangelii a), & ſacramenta b): *medium* ληπτικὸν, ſeu ex parte *hominis* peccatoris *recipiens* meritum Chriſti, & in eo fundatam Dei gratiam, eſt fides c).

Prob. a. Ex 2 Cor. V, 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi ipſi, dum non imputabat illis peccata illorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.* Docet Apoſtolus: a) Quod *Deus*, peccatis hominum offenſus, ex immenſa gratia, ineluctabilis hominum miſeriæ miſertus, καταλλαγὴν, ſeu *reconciliationem procurauerit:* b) Quod hæc reconciliatio *acquiſita* ſit *per Chriſtum* mediatorem, qui iuſtitiæ diuinæ fecit ſatis: c) Quod *actualis non-imputatio peccatorum* ex acquiſita reconciliatione per ſatisfactionem Chriſti fluat: d) Quod reconciliatio & remiſſio peccatorum per *verbum reconciliationis*, i. e. euangelium, annuntietur, promittatur & offeratur.

Prob. b. Per ſacramentum initiationis, ſiue *baptiſmum*, iuſtitiam Chriſti offerri & applicari, diſcimus ex Gal. III, 27. *Quotquot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Non intelligit Apoſtolus *induitionem legalem, ſiue imitationis;* ſiquidem hac ratione etiam S. Paullum poſſemus induere: ſed *induitionem euangelicam*, ſiue *fidei.* B. LVTHERVS concinne explicat hanc induitionem h. l. *Induere Chriſtum* eſt *iuſtitiam, veritatem, omnem gratiam, totiusque legis plenitudinem induere. Euchariſtiam* eſſe medium exhibitiuum gratiæ iuſtificantis, liquet ex eo, quia *effuſio poculi euchariſtici* dicitur *fieri in remiſſionem peccatorum*, Luc. XXII, 20. Obſ. Per ſacramentum *cœnæ continuatur* potius, quam *inchoatur iuſtificatio;* propterea, quod nemo cum ſalutari fructu corporis & ſanguinis dominici ſit particeps, niſi qui ſeipſum prius probauerit, ſcil. num ſit in fide, 1 Cor. XI, 28. adeoque fidelis, & iam ante iuſtificatus & in ſtatu reconciliationis fuerit: interim tamen *fides iuſtifica* per ſacramentum cœnæ *confirmatur & conſeruatur;* atque adeo *iuſtificatio continuatur.*

Prob. c. *Fides* iuſtificat *non per ſe*, propria dignitate aut valore, mouendo Deum ad iuſtificandum hominem credentem; ſed quia tanquam *inſtrumentum*, aut *medium* ληπτικὸν, ſiue receptiuum, *apprehendit meritum Chriſti*, cuius intuitu Deus, impellitur, vt peccatorem pœnitentem, & in Chriſtum credentem, ſalua iuſtitia ſua, ex gratia a reatu culpæ abſoluat, & iuſtum reputet. Fidei enim iuſtificantis ἐνέργεια, ſiue vis interna eſt, λαμβάνειν, recipere Chriſtum, in Chriſto fundatam gratiam Dei, peccata condonantem, oblatam in promiſſione euangelica, & ab hac dependentem remiſſionem peccatorum. Id quod e clariſſimis ſcripturæ dictis perſpicere licet, Io. I, 12. *Quotquot vero* ἔλαβον, *receperunt eum, dedit illis poteſtatem, vt eſſent filii Dei, credentibus in nomen ipſius.* H. l. *credere in nomen Chriſti* exponitur per *recipere ipſum*, tanquam auctorem τῆς υἱοθεσίας diuinæ, Rom. V, 17. *Si namque vnius peccato mors regnauit per vnum: multo magis ii, qui abundantiam gratiæ & doni iuſtitiæ* (λαμβάνοντες) *accipiunt in vita, regnabunt per eum.* Paullus egregie deſcribit fidem, quod abundantiam gratiæ & doni iuſtitiæ accipiat, Gal. III, 14. *Vt promiſſionem Spiritus fidei accipiamus* (λάβωμεν). Promiſſio gratiæ non alio medio, quam fide recipitur nobisque applicatur, Act. X, 43. *Huic (Chriſto) omnes prophetæ teſtimonium perhibent, quod remiſſionem peccatorum* (λαβεῖν) *accipiat, omnis, qui credit in ipſum.* Fides acceptat effectum ſatisfactionis Chriſti, remiſſionem peccatorum. Ex his oraculis cœleſtibus colligimus, fidem eſſe medium receptiuum, quo ſatisfactio Chriſti, & ea parta gratia Dei acceptatur.

*Antitheſis*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum & Arminianorum*, negantium, *fidem* iuſtificare per modum *inſtrumenti*, aut *medii*, *meritum Chriſti accipientis* *). Nituntur iidem ſequentibus argumentis:

I. Si fides iuſtificat *inſtrumentaliter*, iuſtificat *vt opus:* Antecedens concedunt Euangelici: E. & conſequens. Conſequentia *maioris* prob. Si enim cauſſalitas cauſſæ efficientis eſt operatio, inſtrumentum autem cauſſalitate cauſſæ efficientis gaudet; vtique cauſſalitas fidei erit operatio, adeoque fides vt opus, ſeu operatio iuſtificabit. Reſp. Diſt. inter *inſtrumentum actiuum*, & *receptiuum.* Fides non iuſtificat vt *agens*, ſed vt *patiens*, aut *paſſiue recipiens. Inſtrumentaliter iuſtificare, de fide enuntiatum, notat paſſionem, & ita fides inſtrumentum iuſtificationis dici poteſt, ſed paſſiuum*, vt præclare ait D. OSIANDER in *colleg. ſyſtemat. part. V. p.* 3.

Inſtantia: Fides formaliter conſiderata eſt fiducialis apprehenſio meriti Chriſti & gratiæ Dei in euangelio promiſſæ: E. Fides formaliter eſt *actio*, non paſſio. Reſp. 1) *Apprehenſio eſt actus, vt ſic dicam, paſſiuus.* DANNHAVERVS inquit, *actiua quidem voce (grammatice) explicatus, reuera tamen paſſiuus, qui ſibi patitur benefieri, Hodoſ. p.* 1340. Vt enim manus mendici eleemoſynam, os ægroti medicamen, ſpeculum imaginem *paſſiue* recipit: ita fides eſt organon ſpiritualiter mendicantium, qui gratiam Dei & meritum Chriſti ſpiritualiter recipiunt. 2) Iuſtificat fides, *non quatenus* eſt *apprehenſio & actus* noſter, ſed quatenus *obiectum* iuſtificum *amplectitur.*

II. Quidquid conſiſtit in notitia, aſſenſu & fiducia, illud non eſt inſtrumentum: Atqui fides iuſtificans &c. E. *Maior* probatur; quia notitia, aſſenſus & fiducia ſunt *actus* intellectus & voluntatis, qui non poſſunt *inſtrumenta* appellari. *Minor* eſt conceſſa ab Euangelicis. Reſp. Diſt. *inter fidem*, quæ *iuſtificat*, & quatenus *iuſtificat. Illa* conſiſtit in notitia, aſſenſu & fiducia. *Hæc* eſt medium ſatisfactionem Chriſti recipiens. Dicitur fides *inſtrumentum*, non vniuoce & rigore philoſophico, ſed *per analogiam*, quatenus inſtrumentum notat *medium*, vel *principium*, quo *obiectum apprehenditur*, vel acceptatur.

III. Quæcunque actio Dei eſt immanens immediata & inorganica, illa non fit per fidem hominis, tanquam medium, aut inſtrumentum: Atqui iuſtificatio eſt actio Dei immanens, immediata

*) *Socinianorum*, a quibus prope abſunt *Remonſtrantes*, falſa ac pernicioſa opinione, *fides in Chriſtum* ex duabus conſtat partibus, quarum alteram dicunt eſſe *obedientiam erga imperata Dei*, & ſpeciatim quidem *nouas leges*, quas fingunt, a *Chriſto* demum latas; alteram eſſe, aiunt, *fiduciam* quidem *in Chriſto* ponendam, eam vero *non* in *promerente* eo, ſed in *promittente*, ſiue in promiſſionibus diuinis, morte Chriſti confirmatis. Plane contra ſententiam Apoſtoli, qui 1) *legem*, ſiue doctrinam, *fidei* diſtinxit ab vniuerſa *lege operum*, Rom. III, 27. & 2) fiduciam, quæ vnice valet nos coram Deo iuſtos efficere, iuſſit nos totam collocare in *ſanguine Chriſti*, & per eum facta ἀπολυτρώσει, ibid. v. 24. 25.

Sic ubi autem iuſtificatio tribuitur fidei in *Deum, & Patrem* Chriſti, vt Io. V, 24. Rom. IV, 5. & 24. ſciendum eſt, quod hæc in Deum fides non generalis ſit, ſed ſpecialis, quæ ad ipſam fidem *in Chriſtum* pertinet. Scilicet tres veritates ſunt, quas fiducia *in Chriſto* ponenda, ſuo ambitu continet. *Prima*: quod noſtra aliorumque hominum merita omnino nulla ſint coram Deo. *Secunda:* quod Chriſtus vnus pro omnibus ſacrificium piaculare Deo obtulerit. *Tertia*: quod per illud, quo Chriſtus ſatisfactionem vicariam perfectamque præſtitit, ſacrificium, Deo gratum atque acceptum, Deus placatus ſit, nobisque reconciliatus. Præclare Maiores noſtri in *Apol. Aug. Conf. art. II. p.* 69. profeſſi ſunt, in fide iuſtificante Obiecta tria conſociata eſſe: 1) *gratuitum* aliquid, quo noſtra excluduntur opera, 2) *Chriſti propitiationem*, 3) *Dei promiſſionem.*

Digitized by Google

immediata & inorganica: E. *Maior* conſtat; quia *actio immanens & inorganica* non fit per *inſtrumentum.* *Minor* per ſe clara eſt; quia iuſtificatio peragitur intra ipſum deitatis ſinum, citra interuentum alicuius inſtrumenti. Reſp. Fides dicitur *inſtrumentum*, non quaſi ipſe *actus iuſtificationis* per fidem, tanquam inſtrumentum producatur, ſed quia ſe habet per modum inſtrumenti, quo *id, propter quod iuſtificamur,* ſcilicet meritum Chriſti, apprehenditur, nobisque applicatur. In ordine vero ad ipſum *actum iuſtificationis* fides in Chriſtum ſe habet per modum *cauſſæ*, vel rationis *impulſiuæ minus principalis*; quia non per ſe, non vi aut valore proprio, ſed vi meriti Chriſti, quod ea amplectitur, Deum mouet ad iuſtificandum peccatorem pœnitentem & in Chriſtum credentem. Conf. D. MVSÆVS in *diſſert. de prædeſt.* §. 75.

Quæſt. IX. *An ſola fides iuſtificat?*

*Sola fides* eſt medium diuinitus ordinatum, quo apprehendimus, nobisque applicamus ſatisfactionem Chriſti, vice noſtri præſtitam, & in euangelica promiſſione oblatam, cuius intuitu a Deo iuſtificamur; *bona opera* autem circulum *iuſtificationis* non ingrediuntur. *An ſola fides iuſtificet?*

Obſ. I. Nuſpiam in ſacris litteris *in caſu recto fides* dicitur *iuſtificare*, ſed ſemper in caſu obliquo dicitur: *Fide iuſtificamur*, Gal. II, 16. *fide homo iuſtificatur*, Rom. III, 28. *Deus* autem in caſu recto *iuſtificare* dicitur, Rom. III, 30. c. IIX, 33. Vnde haud ex vano inquit D. OSIANDER in *colleg. ſyſtem. P. V. p.* 96. *Si accurate & ſecundum ſcripturam loqui velimus, dicendum eſſet, ſolum Deum iuſtificare* (eſt enim actio ſolius Dei); *fide autem hominem iuſtificari.* Non enim ipſa fides iuſtificat, eo ipſo, quod ſe habet mere apprehenſiue. Modus autem loquendi quia ita inualuit, vt dicatur, *ſola fides iuſtificat*, retineri poteſt, ſi modus loquendi ex vſu ſcripturario dextre applicetur. Explicatur igitur in *ſolid. declar.* F. C. p. 684. *Fides non iuſtificat, quod ipſa tam bonum opus, tamque præclara virtus ſit: ſed quia in promiſſione euangelii meritum Chriſti apprehendit & amplectitur.* Quæ latius diducit D. ÆG. HVNNIVS in *epiſt. ad Rom. III,* 164. „*Fides non iuſtificat, quoad abſolute & in ſe, tanquam virtus quædam conſideratur.* Hoc enim reſpectu eſt *opus vnius tantum præcepti decalogi*, nempe primi: cum tamen ad perficiendam iuſtificationem totius legis impletio requiratur. Deinde, quia *fides, in ſe conſiderata, imperfecta eſt:* vnde potius indiget Dei miſericordia, qua tegatur eius imperfectio, quam vt illam miſericordiam Dei promereatur. Tertio, quia, ſi maxime perfecta eſſet, tamen eſſet *debita*, quia in lege eſt præcepta. Id autem, ad quod ex debito tenemur, nihil meretur nobis coram Deo. Iuſtificat autem fides, quatenus conſideratur *relate*, h. e. quatenus Chriſtum aſpicit, eiusque meritum apprehendit. Hoc enim modo diffundit ſe per totum decalogum, i. e. includit obedientiam omnium præceptorum decalogi, *a Chriſto pro nobis præſtitam*, eamque *perfectam*, & *indebitam*, cum Chriſtus per ſe legi non fuerit obnoxius, ſed pro nobis eam præſtiterit.„ D. MVSÆVS in *diſp. de iuſtif.* §. 38. „Quando de *fide* dicitur *in caſu recto*, quod iuſtificet, locutio videtur eſſe *metonymica.* Non enim ſenſus eſt, fidem abſoluere hominem a peccatis, & reputare eum iuſtum; ſed dicitur *fides iuſtificare*, quia eius intuitu Deus nos iuſtos reputat, ſeu quia fides (*non ſua* quidem, ſed *meriti Chriſti dignitate*) *Deum mouet, vt nos iuſtificet.*„

Obſ. II. Quando *ſola fides* iuſtificare dicitur; non excluduntur *gratia Dei*, *meritum Chriſti*, *verbum & ſacramenta*; ideo, quod particulæ excluſiuæ excludunt id, quod eſt *oppoſitum.* At gratia Dei, meritum Chriſti, verbum, ſacramenta & fides non ſunt oppoſita, ſed *ſubordinata & conſentanea.* Nam *gratia Dei* eſt cauſſa iuſtificationis impulſiua interna

terna; *meritum Chriſti* cauſſa meritoria & impulſiua externa; *verbum & ſacramenta* ſunt media offerentia; *fides* medium recipiens. Relinquitur ergo, quod *fides* & hominis *opera* in ordine ad iuſtificationem ſibi opponantur, & fides in Chriſtum, non autem bona opera, coram tribunali diuino iuſtificare dicatur.

Obſ. III. Diſt. inter *fidem* conſideratam reſpectu *ipſius iuſtificationis*, & tum *ſola* eſt inſtrumentum apprehendens Chriſti meritum, ſolaque iuſtificat: & ſpectatam in *perſona iuſtificati*, ſiue poſt iuſtificationem, & hoc modo *nunquam* eſt *ſola*, ſed ſemper reliquis virtutibus ſtipata, immo earum omnium eſt radix & genitrix. Id quod aſſerit *epitome* F. C. p. 586. *Credimus, docemus, & confitemur, etſi antecedens contritio & ſubſequens noua obedientia ad articulum iuſtificationis coram Deo non pertinent; non tamen talem fidem iuſtificantem eſſe fingendam, quæ vna cum malo propoſito, peccandi videlicet, & contra conſcientiam agendi, eſſe & ſtare poſſit. Sed poſtquam homo per fidem eſt iuſtificatus, tum veram illam & viuam fidem eſſe per caritatem efficacem, & bona opera ſemper fidem iuſtificantem ſequi, & vna cum ea, ſi modo vera & viua eſt, certiſſime deprehendi. Fides enim vera nunquam ſola eſt, quin caritatem & ſpem ſemper ſecum habeat.* Quæ verba a D. MVSÆO in *prælect. in F. Conc. p.* 177. ſequenti ratione explicantur: „Bona opera ſequuntur demum iuſtificationem *non ratione temporis, ſed ordine naturæ.* Ordine *naturæ* iuſtificatio eſt prior renouatione & noua obedientia, & ita recte dici poſſunt B. O. ſequi iuſtificationem; quia ſunt natura poſteriora iuſtificatione & fide iuſtificante: *temporis* autem ratione fides nunquam eſt abſque omnibus operibus bonis, ſed ſemper aliqua opera vel externa, vel interna, ſiue interiores motus dilectionis, ſpei, &c. habet coniunctos.“

Prob. 1. Ex Rom. IV, 5. *Ei, qui non operatur, credit vero in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides in iuſtitiam.* Quicunque *impius* per fidem ſine confluxu bonorum operum iuſtitiam conſequitur, is iuſtificatur *ſola fide:* Atqui impius, in Chriſtum credens, &c. Ergo.

2) Ex ſolius fidei iuſtificantis denominatione, Rom. III, 28. *Concludimus ergo, fide iuſtificari hominem ſine operibus legis*: & Gal. II, 16. *Cum ſciamus, quod non iuſtificetur homo ex operibus legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti.* Quicunque non iuſtificatur ex operibus legis, ſed per fidem ſine operibus, iuſtificatur ſola fide: Atqui peccator in Chriſtum credens &c. Ergo.

3) Ex operum excluſione, Rom. III, 20. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis* (vlla) *caro coram Deo.*

Dicis: Apoſtolus intelligit *opera* legis *naturalis & cærimonialis*, ex quibus nemo iuſtificatur; iuſtificamur tamen ex operibus, profectis *e gratia.* Reſp. a) Non de operibus legis *cærimonialis*, aut *naturalis* agit Apoſtolus, ſed de operibus legis *moralis*, ex qua eſt agnitio peccati, eodem verſu *). b) Opera *ex fide & gratia* profecta ſequuntur iuſtificatos, non præcedunt

*) In litteris quidem ad Galatas ſcriptis Vir diuus ex inſtituto diſputat de lege *rituali*, quæ tota ad cæremonias V. T. ſpectabat: in iis autem, quas ad Romanos ipſe miſit, diſſerit de lege *morali.* Sed in vtraque epiſtola I. diſputatio proficiſcitur a *principiis generalibus*, quæ omnium legum diuinarum ſunt communia: α) Lex perfectam poſtulat obedientiam: β) Hanc nemo vnquam præſtitit, nec poteſt aliquis vnquam præſtare: γ) Lex damnationem homini denuntiat, ſi quis vel vno in verbo deliquerit: δ) Lex, quum vnum quemque damnet, neminem poteſt iuſtum ac ſaluum efficere: E. nulla eſt ex lege iuſtificatio. Rom. III, 19. VIII, 3. Gal. III, 10. & 21. II. De iuſtificatione *coram Deo* agitur, Rom. III, 28. 29. IV, 2. vt & Gal. III, 6. IV, 4. 5. III. *Subiectum*, iuſtificationis impetrandæ capax, dicitur homo denuo natus

Digitized by Google

præcedunt iuſtificandos: ſunt enim *fructus iuſtitiæ*, Phil. I, 22. c) Paullus etiam *opera iuſtitiæ* remouet, Tit. III, 5. *Non ex operibus, quæ* (facta) *in iuſtitia ſaluauit nos.*

4) Ex oppoſitione gratiæ, & operum: *Iuſtificamur gratis gratia ipſius*, Rom. III, 24. Quidquid contingit ex gratia, illud nulla ratione poteſt contingere per aliquod opus: Atqui iuſtificatio &c.: Ergo. *Maiorem* probat Apoſtolus Rom. XI, 6. *Si per gratiam, iam non ex operibus, alias gratia non eſſet gratia.*

5) Ex propriæ iuſtitiæ imperfectione. *Omnes noſtræ iuſtitiæ ſunt velut pannus menſtruatæ*, Eſ. LXIV, 6. *Sæpe labimur omnes*, Iac. III, 2. Quidquid immundum & imperfectum eſt, illud non poteſt hominem coram Deo iuſtificare.

6) Exemplo Abrahami, qui non iuſtificatus eſt ex operibus, Rom. IV, 2. 3. Abrahamus cum teſtimonium imputatæ iuſtitiæ accepit, iamdudum in gratiam receptus fuit (confer. Geneſ. XII, 1. c. XV, 6.); neque tamen operibus gratiæ iuſtificatus eſt.

*Antitheſis* eſt *I. Pontificiorum, II. Anabaptiſtarum, III. Socinianorum & Arminianorum*, negantium, nos ſola fide, vt medio, meritum Chriſti apprehendente, iuſtificari. Quorum argumenta ſunt:

I. Qua ratione Abrahamus iuſtificatus eſt, eadem ratione & nos iuſtificamur (Abrahamus quippe eſt Pater credentium, Rom. IV, 11. & exemplum omnibus iuſtificandis propoſitum): Atqui Abrahamus non tantum fide, ſed & bonis operibus iuſtificatus eſt. E. *Minor* eſt Apoſtoli Iacobi, c. II, 21. *Abrahamus, pater noſter, nonne ex operibus iuſtificatus eſt, dum obtulit filium ſuum ſuper altare? Videsne, quod fides per opera conſummata ſit?* Reſp. a) Diſt. *inter iuſtificationem peccatoris coram Deo, & inter oſtenſionem vel notificationem fidei & iuſtitiæ a Deo acceptæ coram hominibus* *). Non loquitur S. Iacobus de iuſtificatione peccatoris *coram Deo*, ſed de *oſtenſione* & notificatione fidei ac iuſtitiæ *coram hominibus*, per bona opera, tanquam ſigna & teſtimonia veræ fidei & fructus iuſtitiæ. Ideo inquit v. 18. Δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων σου, *oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis.* Senſus itaque eſt; Nonne Abrahamus, Pater noſter, *iuſtificatus*, i. e. *iuſtus agnitus* & manifeſtatus eſt ex operibus, inprimis illis, quæ palam effulgebant, cum offerret Iſaacum filium ſuum ſuper altare? b) Loquitur Apoſtolus de *externa fidei profeſſione.* Dicit enim v. 14. *Quænam vtilitas* (eſt) *fratres mei, ſi fidem dicat quis ſe habere, opera vero non habeat. Poteritne fides* (iſta) *eum ſaluare?* Externa fidei profeſſio interdum vera eſt, ſi per caritatem aliasque virtutes ſe exſerat; interdum falſa, quando comitatu bonorum operum deſtituitur, & vocatur communiter vana fidei iactantia.

Yyy yy 2 Inſtantia I.

natus quilibet, ſine vlla differentia gentis ac proſapiæ, ſiue iudaica ſit, ſiue peregrina, Rom. III, 1. -- 30. IV, 9. 10. & XI. tot. ita pariter Gal. III, 8. 28. IV. *Cauſa* iuſtificationis dicitur eſſe fiducia in Chriſti promeritis collocata, excluſis operibus quibuſque hominis, quisquis ſit ille, ne Abrahamo quidem excepto, Rom. III, 28. IV, 4. neque aliter Gal. II, 16. III, 9. 13. V. *Actus* iuſtificationis definitur, quod ſit remiſſio peccatorum, propter vicariam Chriſti iuſtitiam, nobis tributam, Rom. IV, 5. 6. 25. eumdemque ad modum Gal. II, 20. 21.

*) Hanc enim diſtinctionem adhibuit PAVLLVS ipſe, Rom. IV, 2. Explicationem rei, ac definitionem, quid ſit illud, *coram hominibus* iuſtificari, IACOBVS in hoc loco nobis tradidit, quod nimirum nihil aliud ſit, quam declaratione ex certis quibusdam ſignis cognoſci iuſtum.

Digitized by Google

Inſtantia I. Sed adducitur exemplum *Abrahami, per opera iuſtificati.* Reſp. Adducitur in contrarium, ad redarguendum hypocritas, ſola externa fidei profeſſione contentos, q. d. vos hypocritæ, fidem iactantes, exemplo Abrahami poteſtis refutari. Ille non tam externa fidei profeſſione, quam operibus & obedientia humillima (cuius illuſtre ſpecimen erat oblatio filii ad ſacrificium) iuſtus deprehenſus, habitus & agnitus eſt ab hominibus, & amicus Dei vocatus.

Inſtantia II. Quæcunque *fides cooperatur cum operibus ad iuſtificationem*, illa ſola non ſufficit ad conſequendam iuſtitiam: Atqui fides Abrahami & omnium credentium &c. E. Reſp. Fides, in humillimo obſequio cor Abrahami confortans, cooperata eſt ad iuſtificationem *oſtendendam* & notificandam *coram hominibus*, non impetrandam a Deo.

Inſtantia III. Quæ fides *ex operibus conſummatur*, illa ſola non ſufficit ad conſequendam iuſtitiam: Atqui fides Abrahami & omnium credentium &c. E. Reſp. Fides ex operibus conſummatur *non intrinſece, ratione ſui & perfectionis eſſentialis; ſed extrinſece, ratione aliorum & innoteſcentiæ;* ſic fides Abrahami perfecte *innotuit* aliis ex oblatione Iſaaci, tanquam facto ſtupendo.

II. Sola fides iuſtificat: Sola fides eſt res mortua: E. res mortua iuſtificat. Reſp. In hoc paralogiſmo ſunt quatuor termini. Nam vox, *ſola*, in *maiori* excludit bonorum operum confluentiam in ἀποτέλεσμα iuſtificationis, in *minori* excludit bonorum operum coëxiſtentiam & notat fidem ſolitariam. Eadem ratione forte quis colligeret: Solus oculus videt: Solus oculus eſt res mortua: E. Res mortua videt.

III. Quæcunque fides nunquam eſt ſola, illa nunquam ſola iuſtificat: Fides iuſtificans nunquam eſt ſola: Ergo Reſp. Neg. *mai* & diſt. *inter fidei exiſtentiam, & officium, ſeu ἐνέργειαν & vim iuſtificam.* Fides *iuſtificat ſola*, tametſi nunquam *ſit ſola*, ſed cum caritate, ſpe & aliis internis motibus coniuncta. Sic ſolus intelligit intellectus, licet cum voluntate ſit coniunctus: ſoli vident oculi, quamuis ipſis coëxiſtant aures & nares: ſolus ſapor pomi afficit guſtum, quantumuis ipſum comitetur odor & color eiusdem pomi. Conf. DANNHAV. *hodoſ. phænom. XI. p.* 1389.

IV. Fides iuſtificat aut absque caritate, aut cum caritate: Non abſque caritate; quia teſte Paullo per hanc ſemper operatur, Gal. V, 6. E. Cum caritate, & conſequenter non ſola. Reſp. Fides, ſpectata intra ſphæram iuſtificationis, abſque caritate iuſtificat, h. e. fides, non autem caritas, eſt medium apprehendens meritum Chriſti, cuius intuitu Deus peccatorem in Chriſtum credentem abſoluit a reatu culpæ & pœnæ. At fides extra ſphæram iuſtificationis conſiderata operatur per caritatem tanquam reginam ceterarum virtutum. At vero hac ratione fides non influit in iuſtificationem, ſed in ſanctificationem, & bonorum operum productionem.

Inſtantia: Sed caritati tribuitur vis iuſtificandi 1) ab ipſo Chriſto, Luc. VII, 47. *Remiſſa ſunt illi peccata multa; quoniam multum amauit;* 2) a Ioanne, 1 ep. III, 14. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Reſp. Ad 1): In verbis Chriſti particula ὅτι non eſt cauſſalis, ſed ratiocinatiua; neque enim denotat *cauſſam* remiſſionis peccatorum, ſed argumentum ſumtum ab *effectu & ſigno externo*, quo remiſſio peccatorum a poſteriori probatur; ſicut a poſteriori argumentamur: Hæc mulier fuit grauida, quia (ideo) peperit; in his ædibus eſt ignis, quia (ideo) fumus aſcendit. Vera remiſſionis peccatorum *cauſſa* exprimitur v. 50. *Fides tua te ſaluam fecit.* Ad 2): Ioannes inquit: *nos ſcimus, quod tranſiverimus ex morte in vitam; quia amamus fratres.* E quibus verbis pateſcit, quod amor fratrum *non* ſit *cauſſa* tranſitus e morte ſpirituali ad vitam, ſed *principium cognoſcendi a poſteriori.*

V. Maxima

Digitized by Google

V. Maxima virtus maxime iuſtificat: Caritas eſt maxima virtus, 1 Cor. XIII, 13. E. Reſp. Nulla virtus iuſtificat, ſiue parua ſit, ſiue magna, quia ex lege, quæ norma virtutum eſt, nulla eſt iuſtificatio, Rom. III, 20.

VI. Timor Domini expellit peccata; quia qui ſine timore eſt, is non poteſt iuſtificari, Sir. I, 25. 26. Reſp. a) Timor Domini expellit peccata futura, vt ea euitemus: fides purgat cor a peccatis præteritis beneficio ſanguinis Chriſti, ſingulari fiducia apprehenſi. b) Textus græcus ita ſe habet: ὐ δυνήσεται θυμώδης ἀνὴρ δικαιωθῆναι, non poterit iracundus homo iuſtificari. Homo iræ indulgens neque in iudicio huius mundi, neque coram tribunali diuino ſubſiſtere poterit, vbique damnabitur.

VII. *Fides imputatur ad iuſtitiam,* Rom. IV, 5. Fides eſt *virtus:* præcipitur enim in primo decalogi præcepto. E. Quædam virtus, & conſequenter quoddam bonum opus iuſtificat. Reſp. Fides imputatur ad iuſtitiam non *abſolute & per ſe*, quatenus eſt virtus, ſed *relate & propter Chriſtum*, quem amplexatur; ſicut manus mendicum ditat non per ſe, ſed propter theſaurum, a viro diuite oblatum, quem acceptat.

VIII. Pœnitentia non eſt ſola fides; quia contritionem & fidem complectitur: Pœnitentia iuſtificat: E. quoddam iuſtificans non eſt ſola fides. *Minor* prob. ex Act. III, 19. *Agite pœnitentiam, & conuertite vos, vt deleantur vobis peccata veſtra.* Reſp. Pœnitentia iuſtificat ratione ſolius fidei in Chriſtum, licet cum contritione ſit coniuncta. Contritio enim neceſſaria eſt iuſtificandis, non neceſſitate *medii*, ſed *ordinis.* Non concurrit contritio poſitiue ad iuſtificationem, ſed remouet tantum obſtaculum remiſſionis peccatorum, videlicet malitioſum peccandi propoſitum.

IX. Quædam bona opera videntur antecedere fidem & iuſtificationem, ſcilicet peccatorum agnitio, eorum deteſtatio, & dolor de peccatis, quæ homini iuſtificando neceſſaria ſunt: E. non ſola fides iuſtificat. Reſp. Agnitio peccatorum, eorum deteſtatio, vt & dolor de peccatis ſunt quidem motus animi, per legem diuinam a Spiritu S. excitati, ſed *non* ſunt *bona opera*, accurate loquendo. Nam bona opera proficiſcuntur ex fide, & ſunt fructus iuſtitiæ. At illi motus regenerationem, fidem & iuſtificationem antecedunt, & pertinent ad conuerſionem peccatoris. *Non autem vnum idemque eſt, de conuerſione hominis, & de iuſtificatione eius agere. Non enim omnia illa, quæ ad veram conuerſionem requiruntur, etiam ad iuſtificationem pertinent. Ad iuſtificationem enim tantum requiruntur, atque neceſſaria ſunt gratia Dei, meritum Chriſti & fides, quæ hæc ipſa Dei beneficia in promiſſione Dei amplectitur,* dicente *Form. Concord. p. 687.* *).



*) Sunt quædam veritates principales, arctiſſimo vinculo copulatæ, tamquam fundamenta iacienda, quippe quibus nititur hæc doctrina: quod fiducia, in Chriſto poſita, ſola valeat nos coram Deo iuſtos, h. e. culpa omni pœnaque liberatos, efficere. Eas vniuerſas, ex PAVLLI litteris ad Romanos depromtas proferam. I. Communis, & quæ naturaliter omnibus hominibus inſita eſt, cognitio Dei, omnium Creatoris & Conſeruatoris, c. I. v. 19. 20. 21. hinc communis etiam omnium obligatio ad perfectam obedientiam, diuinis legibus præſtandam, II. 14. 15. ſeqq. II. Communis omnium & æqualis a Deo defectio, c. II, 1. III, 9.-19. nec ſolum propagatione atque imitatione, verum etiam iuſta imputatione peccati omnium primi, c. V, 12. 14. 15. 16. III. Communis igitur & æqualis omnium damnatio, c. II, 2. 9, ſeqq. III, 19. 20. IV. Communis omnium hominum atque extrema inopia virium, tanta certe, vt nemo vnus quidquam valeat ad abolendam ſuam, nedum aliorum, culpam, c. III, 20. VIII, 7. οὐδὲ γὰρ δύναται, addita ratione: τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν. V. Neceſſitas reuelationis, ex qua cognoſcere quisque poſſit, quo demum modo fieri queat Dei hominumque reconciliatio, c. I, 16. 17. VI. Beneuolentia, qua Deus omnium hominum miſertus eſt, c. II, 4. III, 24. V, 8. VII. Iuſtitia vindicans in Deo naturalis, neceſſaria atque immutabilis, c. II, 2. VIII. Ne-

Digitized by Google

Quæſt. X. *An fides complete iuſtificat?*

*An fides complete iuſtificet?*

Fides iuſtificat non diſpoſitiue a), neque initialiter imperfecte, ſed *complete* & *perfecte* b).

Prob. a. Fides in actu iuſtificationis non conſideratur abſolute, vt qualitas aut diſpoſitio noſtra, ſed *relate*, prout *Chriſtum* ἱλαστήριον intuetur, eiusque ſanguine nititur, Rom. III, 25. vt per nomen ipſius remiſſionem peccatorum accipiat, Act. X.

Prob. b. Fides eſt *vnicum medium*, gratiam diuinam amplectens, & Chriſtum cum omnibus beneficiis apprehendens. Non igitur initialiter, ſed *complete & perfecte* iuſtificat. Patet hoc e clariſſimis ſcripturæ dictis. Sic enim ait Apoſtolus Hebr. IV, 16. *Accedamus itaque cum fiducia ad thronum gratiæ, vt accipiamus miſericordiam, & gratiam inueniamus in opportunum auxilium.* Et Io. I, 12. *Quotquot receperunt Chriſtum, dedit illis poteſtatem, vt filii Dei eſſent*, (nempe) *credentibus in nomen ipſius.*

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, aſſerentium, fidem tantum initialiter aut diſpoſitiue, non autem perfecte iuſtificare: 2) *Socinianorum*, ſtatuentium, in futura demum vita peccata *perfecte* remiſſum iri. Quorum argumenta ſunt:

I. Quidquid deſcribitur per *acceſſum ad thronum gratiæ*, illud eſt tantum *initium* iuſtificationis: Atqui fides &c. Hebr. IV, 16. E. *Maior* liquet: quoniam *acceſſus* eſt *primus motus*, quo ille, qui procul erat, incipit appropinquare. Reſp. a) Accedere ad Deum, aut venire ad Chriſtum eſt idem, quod *credere*, Io. VI, 35. b) Fides non tantum accedit ad thronum gratiæ, ſed & miſericordiam accipit, & auxilium inuenit.

II. Quicunque per fidem tantum accipiunt poteſtatem, vt fiant filii Dei, illi per fidem non actu redduntur filii Dei; poteſtas fiendi ab actuali exſiſtentia maxime differt: Atqui credentes in Chriſtum &c. Io. I, 12. E. Reſp. Ἐξουσία l. c. *non* notat *poteſtatem, actui*, vel *ſtatui* filiationis *oppoſitam*, ſed *ius* eorum, qui iam ex Deo ſunt regeniti v. 13. Verbum γενέσθαι ſignificat non tantum *fieri*, ſed etiam *eſſe*.

Quæſt. XI. *An Deus in iuſtificatione peccatoris etiam miniſtris vtitur?*

*Cauſſa miniſterialis.*

Deus in iuſtificationis negotio vtitur *præconibus* ſacris, *rite vocatis & ordinatis*, qui vi *clauis ſoluentis* peccata remittunt.

Prob. Miniſtri verbi dicuntur מַצְדִּיקֵי הָרַבִּים *iuſtificantes multos*, Dan. XII, 3. Miniſter eccleſiæ non declarat tantum, quinam remiſſionem peccatorum accipiat, ſed etiam, verbum reconciliationis peccatoribus reſipiſcentibus ſingulatim applicando, realiter, organice & miniſterialiter peccata remittit, nomine cauſſæ principalis.

Quæſt.

VIII. Neceſſaria igitur ſponſio μεσίτου cuiusdam, qui peccata hominum omnium expiando iuſtitiæ vindici ſatis omnino faceret, c. III, 25. (Δικαιοσύνη hoc in loco non eſt ea Dei iuſtitia, quam nobis ipſe tribuit, ſed eſt iuſtitia in Deo naturalis, & ea quidem iudicans ac puniens, quam Deus ſingulari quodam exemplo declarare voluit, namque ἔνδειξις eſt declaratio; declarauit autem eo, quod Chriſtum conſtituit ἱλαστήριον, ſubintellige θῦμα, piaculare ſacrificium, quippe ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, ex quo adparet, Deum tam iuſtum eſſe, vt non poſſit ipſe, ſalua iuſtitia ſua, hominibus delicta condonare, niſi præſtita ſatisfactione; add. c. V, 8. & 9.). IX. Neceſſariæ ſponſoris illius proprietates perfectioneſque, nimirum tres: vt is eſſet 1) vnus, pro omnibus ſatis faciens, c. V, 18. 19.: 2) innocens, nulloque peccato contaminatus, ibid. v. 15. 19.: 3) vnus homo, idemque verus Deus, vt valeret ipſe, & hominum vicem ſuſtinere, & Deum placatum hominibus reconciliare, c. I, 3. VIII, 3. X. Neceſſaria imputatio iuſtitiæ vicariæ, ab hoc ſponſore præſtitæ, atque adplicatio, quæ aliter fieri non poteſt, niſi fiducia in ipſo poſita, c. III, 24. IV, 24. 25. V, 18.

Digitized by Google

Quæſt. XII. *In quo actu formaliter conſiſtit iuſtificatio?*

Iuſtificatio abſoluitur duobus actibus, *priuatiuo*, *&* *poſitiuo*. *Ille* eſt non-imputatio, ſeu remiſſio peccatorum a): *hic* eſt imputatio iuſtitiæ Chriſti b). *). *Forma iuſtificationis.*

Obſ. I. Quare iuſtificatio noſtri *formaliter* conſiſtat in actu *priuatiuo & poſitiuo*, præclare docet D. HVTTERVS in *loc. com. art. III. de iuſtificat. fol. 477.* In actu iuſtificationis noſtræ *duo ſunt termini; vnus eſt mali, a quo liberamur, alter vero eſt boni, ad quod transferimur.* Ita gemina etiam datur forma imputationis huius: vna *priuatiua*, qua non imputatur id, quod ineſt; altera *poſitiua*, qua imputatur, quod non ineſt. Hinc emergunt itidem *partes duæ* vnius & eiusdem *cauſſæ formalis* in iuſtificatione: vna *priuatiua*, quæ eſt ac dicitur *remiſſio peccatorum*, ita, vt iuſtificandis in actu iuſtificationis non imputentur iniquitates & peccata inhærentia; altera pars eſt *poſitiua*, quæ dicitur donatio, ſiue *imputatio iuſtitiæ Chriſti*, ita, vt iuſtificandis imputetur aliena, Chriſti nimirum, iuſtitia, non æterna illa & eſſentialis, ſed ἐπίκτητος, h. e. obedientiæ meritis acquiſita. Cuius notanda ſunt *duo fundamenta. Primum* ſumitur a conditione illius ſtatus, ex quo per iuſtificationem ad ſtatum meliorem transferimur. Nam extra iuſtificationem verſamur in ſtatu corruptionis, in quo duplex malum nobis incumbit, vnum θετικὸν, ſiue *poſitiuum*, nempe damnabilis peccatorum noſtrorum reatus, alterum στερητικὸν, *priuatiuum*, nempe defectus iuſtitiæ, quæ ineſſe debebat. Vtrique huic malo medicinam affert cauſſa formalis iuſtificationis noſtræ; nam *prius* illud tollit remiſſio peccatorum; *poſterius* compenſat donatio, ſiue imputatio iuſtitiæ Chriſti. *Alterum fundamentum* petitur a partibus mediationis, qua iuſtitia & ſalus a Chriſto nobis reparata eſt. Conſtat enim mediatio hæc 1) *obedientia Chriſti, legi diuinæ pro nobis præſtita;* 2) *ſatisfactione*, qua pœnas, peccatis noſtris debitas, Chriſtus ſua paſſione & morte exſoluit. *Prior* illa promeruit nobis imputationem iuſtitiæ; *poſterior* vero hæc remiſſionem & peccatorum & pœnarum illis debitarum. Quo vtroque merito iuſtificatio noſtra abſoluitur.

Obſ. II. Comparet peccator coram tribunali diuino non ſolum nudus, ſed etiam ſordidatus. Ideoque tum ſordidæ veſtes ſunt tollendæ, quod fit per mortem & ſatisfactionem Chriſti; tum candidæ veſtes ſunt applicandæ, quod fit per imputationem obedientiæ Chriſti. Elegantiſſime hoc ipſum expreſſit typice actus circa Ioſuam ſacerdotem, in viſione exhibitus Zachariæ, a quo primum ablatæ ſunt veſtes immundæ, ipſisque ablatis, veſtes mundæ ſunt indutæ, Zach. III, 4.

Prob. a. 1) Ex Rom. IV, 7. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum occultata ſunt peccata! Beatus vir, cui Dominus non imputat peccatum!* Apoſtolus hæc verba transſumſit e Pſ. XXXII, 12. *Beatus, cui remiſſa eſt præuaricatio, tectum peccatum! Beatus homo, cui non imputet Iehouah iniquitatem!* Regi Dauidi & Apoſtolo Paullo *remittere præuaricationem, tegere peccatum, non imputare iniquitatem*, ſunt ſynonyma. Peccata credentium Deo tecta ſunt, non quaſi ipſius ſcientiam fugiant, ſed quia illis non magis offenditur, quaſi nulla eſſent. Haud male AVGV-

*) Ipſa quidem iuſtificatio eſt remiſſio peccatorum (Act. XIII, 38. 39.), qua fit, vt peccata homini non tribuantur. Sed *cauſa* & *fundamentum* eſt imputatio iuſtitiæ Chriſti vicariæ, quo circa dicimur iuſtificari *propter* Chriſtum, *per* eum, *in* ſanguine eius, quem ad modum in *Apol. Aug. Conf. cap. III. pag. 125.* ſcriptum exſtat: *Iuſtificare hoc loco, forenſi conſuetudine, ſignificat reum abſoluere & pronuntiare iuſtum, ſed propter alienam iuſtitiam, videlicet Chriſti:* Ita etiam in *declar. form. conc. c. III. p. 685.* Et quum propter hanc Chriſti iuſtitiam, nobis tributam, peccata noſtra nobis non tribuantur: efficitur, vt, quæ dici ſolet, non-imputatio peccatorum imputationem iuſtitiæ Chriſti non præcedat, ſed ſequatur. Cauſa enim non poteſt non prior eſſe effectu ſuo. Vid. 2 Cor. V, 14. 15. & 19.

Digitized by Google

AVGVSTINVS in *Pſ. XXXII. Si texit peccata Deus, noluit aduertere; ſi noluit aduertere, noluit animaduertere; ſi noluit animaduertere, noluit punire; ſi noluit punire, noluit agnoſcere; ſi noluit agnoſcere, voluit ignoſcere.* Ceterum ad penitius cognoſcendum peccatorum remiſſionem, obſeruandum eſt: In *peccato originali eſſe* a) *radicem inhærentem*; b) *relationem ad perſonam*, quatenus certam denominat perſonam, & *reatum culpæ* ei contrahit, ideo, quod eſt ἀνομία, ſeu habitus a lege diuina diſcrepans; c) *reatum pœnæ*, ſiue obligationem ad pœnam. *Peccata* autem *actualia* conſiderantur vel *phyſice*, in quantum ſunt *actiones* & ab homine efficienter dependent: vel *moraliter*, in quantum ſunt *actiones contra legem*, & ius cuiusdam tertii concernunt. *Priori* modo conſiderata ſunt actus tranſeuntes; *poſteriori* autem modo, poſtquam patrata ſunt, & quoad ſuum eſſe reale præterierunt, manent moraliter, quoad *reatum culpæ & pœnæ*. *Reatus culpæ* eſt, quo homo ſub peccato, per actum præteritum patrato, tenetur quaſi conſtrictus, quomodo v. gr. qui ſemel commiſit adulterium, reus dicitur adulterii, i. e. ſub adulterii peccato quaſi conſtrictus, vt vere ſit & dicatur adulter, etiamſi iam non adulteretur. *Reatus pœnæ* eſt obligatio ad ſubeundam pro commiſſo peccato pœnam. Quare vt relaxetur vinculum reatus, quo obſtrictus tenetur peccator, huic neceſſaria eſt tum contritio, tum fides in Chriſtum. *Contritio neceſſaria eſt neceſſitate ordinis*, vt peccator ex lege diuina ſua peccata agnita moraliter retractet, improbet, & ſerio cum dolore deteſtetur. *Fides in Chriſtum neceſſaria eſt neceſſitate medii*; ideo, quod fides vnicum medium eſt, quo ſatisfactio Chriſti, pro peccatis totius mundi præſtita, apprehenditur, & animæ contritæ applicatur atque vnitur, vt huius intuitu Deus moueatur ad tollendum reatum culpæ & pœnæ. Tollitur reatus *culpæ*, gratioſa Dei æſtimatione, vt reſipiſcens Dauid coram tribunali diuino non cenſeatur adulter, Paullus non habeatur perſecutor eccleſiæ, Petrus non iudicetur abnegator Chriſti. Tollitur etiam reatus *pœnæ*, vt Deus peccatori in Chriſtum credenti non irroget pœnam, vt iratus iudex.

2) Ex 2 Cor. V, 19. *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi ipſi, dum non imputabat peccata illorum* Apoſtolus innuit, non-imputationem peccatorum fluere ex ſatisfactione Chriſti, de qua intelligenda ſunt ipſius verba v. 14. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, omnes igitur mortui ſunt. Et ipſe pro omnibus mortuus eſt, vt, dum viuunt, non amplius ſibi ipſis viuant, ſed ipſi, qui pro omnibus mortuus eſt & reſuſcitatus*, q. d. Mors Chriſti, vicario loco omnium hominum præſtita, in iudicio Dei non aliter æſtimatur, vel acceptatur, quam ſi omnes mortui eſſent, h. e. moriendo ipſi peccata ſua expiaſſent; quandoquidem Chriſti mors tota eſt noſtra per fidem, cum non pro ſe mortuus ſit, ſed pro nobis, immo pro omnibus hominibus, vt, deuincti tanto beneficio, poſthac gratitudinis cauſſa etiam ſeſe attemperent voluntati redimentis. E quibus Apoſtolus v. 18. concludit, quod Deus per mortem Chriſti ſatisfactoriam reconciliatus ſit, vt ſalua ſua iuſtitia peccata credentibus ad pœnam non imputet, ſed condonet, eosque in gratiam recipiat.

3) Quod in non-imputatione, ſeu *remiſſione peccatorum* formaliter conſiſtat iuſtificatio, liquet ex Act. XIII, 38. *Notum ergo eſto vobis, viri fratres, quod per hunc Ieſum vobis remiſſio peccatorum annuntietur, & ab omnibus, quibus non poteritis in lege Moſis iuſtificari; in hoc omnis, qui credit, iuſtificatur.* Verbum, δικαιωθῆναι, *iuſtificari* cum præpoſitione ἀπὸ, *a*, vel *ab*, conſtructum, habet ſignificationem forenſem, notatque abſoluere aliquem in iudicio ab illis, quorum eſt reus & quorum accuſatur. E. iuſtificatio formaliter eſt abſolutio a peccatis, vel remiſſio peccatorum. Idcirco etiam publicanus pœnitens, impetrata remiſſione peccatorum, in domum ſuam iuſtificatus deſcendiſſe dicitur, Luc. XVIII, 14.

Prob. b. 1) Ex Rom. V, 19. *Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita etiam per obedientiam vnius iuſti conſtituentur multi.* Quem ad modum poſteri

Digitized by Google

poſteri Adami conſtituuntur peccatores imputatione inobedientiæ Adami; ita nos iuſti conſtituimur imputatione obedientiæ Chriſti.

2) Ex 2 Cor. V, 21. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos fiamus iuſtitia Dei in ipſo.* Vnde naſcitur argumentum: Qua ratione Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum, eadem ratione nos reddimur propter Chriſtum iuſtitia Dei; i. e. coram Deo perfecte iuſti. Sed Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum non inhæſiue, ſed *imputatiue.* E. & nos propter Chriſtum reddimur iuſtitia Dei non inhæſiue, ſed *imputatiue.*

3) Gal III, 6. *Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ipſi in iuſtitiam.* Addit S. Paullus v. 13. *Chriſtus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictio.* Reſpexit ergo fides Abrahami redemtorem Chriſtum, qui eſt factus pro nobis maledictio, cuius iuſtitia ipſi ex miſericordia diuina eſt imputata.

4) Ex Phil. III, 9. *Vt inueniar in Chriſto, non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege (ſit) ſed eam, quæ ex ſide Chriſti; iuſtitiam, quæ ex Deo datur, fidei* Comparet Paullus coram rigidiſſimo iudicio diuino, fretus non iuſtitia propria, ſed aliena, quæ eſt ex fide Chriſti, cui, vt palmes viti, inſitus erat.

5) Ex Rom IV, 5. *Ei, qui non operatur, credit vero in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides in iuſtitiam.* Fides imputatur in iuſtitiam, non quod ipſa tam bonum opus ſit, tantique valoris, ſed quia fertur in meritum Chriſti, quod per modum obiecti inuoluit. Neque enim fides *ſola*, nec meritum Chriſti *ſolum* ad iuſtitiam imputatur, ſed fides meritum Chriſti apprehendens, ſeu, quod, quoad rem, coincidit, meritum Chriſti, fide apprehenſum. Modus prædicandi tantum diuerſus eſt. Nam cum dico: *Meritum Chriſti, fide apprehenſum, ad iuſtitiam imputatur, effectus prædicatur de ſubiecto, cui per ſe competit, & ex intrinſeco eius valore fluit.* At cum dico: *Fides, merito Chriſti innixa, imputatur ad iuſtitiam, effectus prædicatur de ſubiecto, cui aliunde accreſcit.* Non enim imputatur fides ad iuſtitiam, quatenus eſt *actus noſter;* ſed vnice, quatenus *Chriſti meritum recipit.* Omnis itaque fidei imputabilitas haud aliunde, quam ex obiecto apprehenſo eſt.

6) Quocunque homo in hac vita beatus eſt, in eo ipſius iuſtificatio formaliter conſiſtit: Imputatione iuſtitiæ Chriſti homo in hac vita beatus eſt. E *Maior* probatur; quia beatitudo hominis in hac vita eſt ipſius iuſtificatio. *Minor* prob. ex Rom. IV, 6. Quem ad modum etiam Dauid dicit, *μακαρισμὸν, beatificationem eſſe hominis, cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus.* Quæ iuſtitia ſine operibus imputatur, non eſt propria iuſtitia nobis inhærens, cum hæc in operibus conſiſtat, ſed aliena, quæ nulla alia eſt, quam iuſtitia Chriſti, quippe qui nobis a Deo factus eſt iuſtitia, 1 Cor. I, 30.

Quæſt. XIII. *Quid eſt imputatio generatim conſiderata?*

*Imputatio, generatim* conſiderata, eſt actus intellectus & voluntatis illius, qui iudicium exercet, quo voluntaria alicuius perſonæ actio cognoſcitur & æſtimatur pertinere, cum effectu ex ea redundante, vel ad *ipſam* perſonam *agentem*, vel ad *aliam*, cuius *vice* illa actio ſuſcepta eſt. Fit autem imputatio alia ex *debito*, alia ex *gratia*. Ex *debito* imputatur actio voluntaria, quando illius effectus perſonæ agenti, vt cauſſæ morali, æſtimatione & decreto iudicis attribuitur a). Ex *gratia* imputatur actio voluntaria, quando effectus non agenti, ſed illi perſonæ, in cuius commodum actio ſuſcepta dirigitur, gratioſa æſtimatione iudicis accenſetur b). *Imputationis definitio.*



Digitized by Google

Obſ. I. *Imputare* in articulo *iuſtificationis* non ſumitur in ſenſu *phyſico*, vt ſignificet inſerere, implantare, einpflanßen, oder einpfropffen, ſed in ſenſu *morali*, *iudiciali* ac *declaratiuo*, quo *actiones voluntariæ imputari agenti dicuntur, quando ille potiſſimum, qui circa eas lege diſpoſuit, agentem earundem auctorem declarat, ſimulque effectus ipſarum in iſtum actu redundare, aut in eodem hærere ſtatuit*, definiente SAMVELE PVFENDORFIO de *I. N. & G. c. IX. p.* 125. *Imputare* hic ſignificat *adiudicare, accenſere, attribuere, æſtimatione & iudicio ſuo effectum actionis voluntariæ ad aliquem transferre, deriuare, deuoluere.*

Obſ. II. Nemini imputatur actio impoſſibilis, inuita, & mere naturalis, ſed *actio voluntaria*, a viribus agentis, ipſius que intentione dependens. Idcirco *cauſſa moralis* vulgo deſcribitur, quod ſit cauſſa, quæ efficaci concurrit intentione, propter quam effectus illi imputatur.

Obſ. III. In omni imputatione *tria* oppido conſideranda ſunt: 1) *actio voluntaria*, 2) *æſtimatio* & iudicium de actione voluntaria, 3) *effectus actionis*, qui alicui adiudicatur. Actio voluntaria eſt *fundamentum* imputationis, cuius intuitu iudex fert iudicium: quod fundamentum ſi fuerit verum, certum & reale, imputatio vera, realis & iuſta eſt. Sed ſi nulla actio voluntaria patrata eſt, nullum adeſt fundamentum, adeoque effectus non poteſt imputari; aut, ſi imputatur, vana, fictitia, falſa & iniqua eſt imputatio, v. gr. cum culpa imputatur innocenti. Ceterum actio voluntaria, quæ imputatur, tranſit, effectus autem ex actione redundans permanet.

Obſ. IV. Actio voluntaria vel eſt *bona*, vel *mala*. Actionis *bonæ effectus* eſt laus, præmium, merces; actionis *malæ effectus* eſt culpa, offenſa iudicis, & pœna.

Obſ. V. Imputatur nobis actio voluntaria vel *propria*, vel *aliena*, grauibus & iuſtis de cauſſis. Cum *propria* actio nobis imputatur, fundamentum imputationis eſt in nobis; cum actio *aliena* nobis imputatur, fundamentum eſt in alio quidem, ſunt tamen graues & iuſtæ cauſſæ, propter quas nobis imputetur. V. gr. Peccatum primum Adami imputatur vere & realiter vniuerſo generi humano; ideo, quod eſt caput omnium hominum, quippe qui vinculo ſanguinis cum ipſo ſunt coniuncti: *): imputatur etiam iudicio Dei vero & reali omnibus credentibus impletio legis Chriſti vicaria; propterea, quod eſt caput omnium credentium, quippe qui vinculo fidei cum ipſo ſunt vniti.

Prob. a. Ex Rom. IV, 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito.* Mercenario actio voluntaria propria imputatur ad mercedem a domino, adeoque imputationis fundamentum eſt in ipſo mercenario: ſed ſi amicus laboret pro amico, & dominus illum laborem beneuole acceptet, præmium non laboranti, ſed illi, in cuius commodum labor ſuſceptus eſt, imputatur ex gratia. Tunc fundamentum imputationis non eſt in perſona, quæ præmium accipit, ſed in illa perſona, quæ pro altero laborauit. Eſt igitur *imputatio ſecundum debitum, cuius fundamentum exſtat in ipſo operante, cui fit imputatio.* Imputatio *ſecundum gratiam eſt, cuius fundamentum non eſt in eo, cui fit imputatio, ſed in alio, qui in ipſius commodum ſuam direxit operationem, cuius effectum dominus, vel iudex eidem ex gratia attribuit*, v. gr. obedientia Chriſti peccatori credenti ad iuſtitiam a Deo ex gratia accenſetur.

Prob. b. Perquam luculentum imputationis gratioſæ exemplum præbet ipſe Paulus, qui ad Philemonem ſcribit, v. 17. 18. 19. *Si me habes pro conſorte, ſuſcipe eum (Oneſimum)*

*) Adamus conſiderandus eſt non ſolum vt caput *naturale* vniuerſi hominum generis, ratione propagationis, per generationem, Act. XVII, 26.; ſed maxime etiam tamquam caput *morale*, ſiue *fœderale*: ad omnes enim æqualiter pertinebat fœdus, quod Deus cum communi illo omnium parente ſanxerat, Rom. V, 12.

Digitized by Google

*mum) ſicut me. Si vero quid iniuriæ tibi fecit, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paullus ſcripſi manu mea, ego ſatisfaciam.* Oneſimus fecerat iniuriam Philemoni, eiusque erat debitor. Mediator, ſatisfactor & interceſſor erat Paullus, qui petebat, omnem iniuriam, quam Oneſimus Philemoni fecerat, ſibi imputari. Philemon hanc ſatisfactionem validam eſſe agnoſcebat, & acceptabat, eiusque fructum, ſiue remiſſionem, debiti & iniuriæ Oneſimo adiudicabat, atque adeo eundem in gratiam recipiebat. Ita peccator, violando legem Dei, huius maieſtati, iniuriam fecit, & debita peccatorum contraxit. Mediator, ſatisfactor & interceſſor eſt Ieſus Chriſtus, qui voluit omnium peccantium debita ſibi imputari, offerendo pleniſſimam Deo ſatisfactionem. Deus hanc ſatisfactionem ad peccatorem in Chriſtum credentem pertinere ex gratia iudicat, & huius intuitu eundem a culpa & pœna abſoluit. Dantur etiam plura exempla *gratioſæ* imputationis. Rex Pharao merita Ioſephi ipſius patri & fratribus ad commodam in Ægypto habitationem, rex Dauid merita Ionathanis Mephiboſetho ad fruendum menſa regali imputauit. Quin & hodie merita maritorum imputari vxoribus, vt hæ illorum radiis coruſcent, & merita parentum imputari filiis ad honorem & dignitatem, plurimis experimentis diſcimus.

Quæſt. XIV. *Poteſne iam non-imputationem ſeu remiſſionem peccatorum, & imputationem iuſtitiæ Chriſti perſpicue explicare?*

*Vberior explicatio.*

Deus, iudex iuſtiſſimus, ſed placabilis, hominis peccatoris a lege accuſati, & peccatorum conuicti, ſimul tamen in Chriſtum credentis, cauſſam ſic cognoſcit, vt eundem quidem culpæ, æternæque pœnæ reum, propriaque iuſtitia deſtitutum deprehendat, mediatoris Chriſti autem ſatisfactionem, & meritum ita ad eum pertinere iudicet, vt ipſum propter ſatisfactoriam Chriſti paſſionem, *) vera fide apprehenſam, a culpa & pœna abſoluat, & propter impletionem, legi diuinæ a Chriſto vice generis humani præſtitam, ſingularique fiducia applicatam, eundem gratioſa æſtimatione iuſtum reputet atque pronuntiet.

Dicis: Remiſſio peccatorum & imputatio iuſtitiæ ſunt termini æquipollentes apud Paullum, Rom. IV, 6. 7. Reſp. Remiſſio peccatorum & imputatio iuſtitiæ Chriſti ſunt actus indiuulſi & intime coniuncti, formaliter tamen diſtincti, cum ille priuatiuus, hic poſitiuus ſit: ille ex obedientia Chriſti paſſiua, hic ex obedientia actiua immediate proficiſcatur. Non diffitemur interim, vnum ex altero recte inferri; cum nullus detur peccator, cui remiſſa ſint peccata, & tamen non imputata ſit iuſtitia Chriſti & vice verſa.

*Antitheſis* eſt I. *Pontificiorum*, qui per infuſum iuſtitiæ habitum, II. *Socinianorum*, qui per obedientiam præceptis Chriſti præſtitam, III. *Arminianorum*, qui per fidem, vt actum vel opus noſtrum, IV. *Weigelianorum*, qui per imitationem Chriſti, V. *Oſiandriſtarum*, qui per iuſtitiam Dei eſſentialem nos iuſtificari docent. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Quæcunque iuſtitia eſt aliena, illa non poteſt eſſe noſtra: Atqui iuſtitia Chriſti eſt aliena: E. Reſp. 1) Quæ iuſtitia eſt aliena, non poteſt eſſe noſtra *inhæſiue;* poteſt tamen eſſe

 noſtra

*) Propter vtramque Chriſti obedientiam, quam ipſe & *peragendo*, & *perferendo*, vicariam præſtitit: vtraque enim vim habet ſatis ex aſſe faciendi, *illa* quidem pro *culpa* peccati, *hæc* autem pro *pœna.* Sed de eo iam alibi dictum eſt.

noſtra *imputatiue.* 2) Quod in humano iudicio vnius perſonæ iuſtitia non æſtimetur, aut cenſeatur alterius iuſtitia, inde prouenit, quod in vita communi vna perſona alteri non ſit vnita, ſicut in Chriſtum credentes hunc ſuum mediatorem non tantum intra conclaue cordis ſui recipiunt, vt hoſpitem, Io. I, 12. ſed etiam induunt, Gal. III, 28. & per fidem ei quaſi agglutinantur, 1 Cor. VI, 17. vt in Chriſto inueniantur, haud ſecus ac palmites in vite, Phil. III, 9. add. Io. XV, 1. ſeqq. Inde fit, vt iuſtitiam Chriſti credentes ſibi applicent, approprient, & ſuam faciant per fidem. 3) Si iniuſtitia Adami potuit imputari omnibus, qui ex ipſo geniti ſunt: quidni iuſtitia Chriſti imputari queat illis, qui ſpiritualiter ex ipſo nati ſunt?

II. Quicunque per intrinſecam iuſtitiam Chriſti denominantur iuſti, illi non ſunt vere, ſed tantum putatiue iuſti: Atqui peccatores pœnitentes dicuntur iuſti vere, & non putatiue: E. Reſp. 1) Extrinſeca denominatio non opponitur veritati rei. Paries dicitur viſus per extrinſecam denominationem, & tamen vere viſus eſt. Dicitur aliquis amicus meus ab amore meo, qui in me, & extra ipſum eſt. Debitor dicitur, ab ære alieno extrinſece liberatus, pro quo alius debitum diſſoluit. Quæ extrinſeca denominatio non tollit veritatem rei. 2) Quamvis in ipſo actu iuſtificationis peccatori reſipiſcenti extrinſeca Chriſti iuſtitia imputetur; illa tamen a peccatore credente intra animum accipitur, vt in homine iuſtificatio ſit & maneat non per modum inhæſionis, ſed appropriationis, & vnionis.

III. Quicunque non æque iuſtus eſt, ac Chriſtus, illius iuſtitia non poteſt eſſe iuſtitia Chriſti: Atqui peccator pœnitens &c. E. *Maior* probatur; quia Chriſtus eſt iuſtitia ipſa, Ier. XXIII, 6. Peccator vero pœnitens & in Chriſtum credens, licet propter meritum Chriſti iuſtificetur, conqueritur tamen cum Paullo, quod nihil boni in ipſo habitet, Rom. VII, 18. Reſp. Diſt. *inter iuſtitiam Chriſti eſſentialem, habitualem, & mediatoriam.* Ingens eſt discrimen inter iuſtitiam Chriſti & peccatoris iuſtificati; vt hic illi plane non ſit conferendus. Nam Chriſtus, qua *Deus*, eſt iuſtus *eſſentialiter*, qua *homo*, iuſtus eſt *habitualiter*, inde a primo conceptionis momento: quod de peccatore iuſtificato neutiquam aſſeri poteſt. Ceterum ſi Chriſtus, *mediator* ſecundum vtramque naturam, merito ſuo peperit iuſtitiam non ſibi, ſed homini peccatori, terminatiue deriuatur non in Chriſtum, ſed in peccatorem, vera fide eam recipientem; atque hæc eſt iuſtitia Chriſti *mediatoria.* Vnde a iuſtitia promerita iuſtus denominatur non Chriſtus, ſed homo peccator in Chriſtum credens.

IV. Quicunque a iuſtitia Chriſti imputata dicuntur vere iuſti, illi non tantum inter ſe ſunt æqualiter iuſti, ſed etiam iuſtiores cœlitibus: Sed non omnes Chriſtiani inter ſe ſunt æqualiter iuſti, neque iuſtiores cœlitibus: E. *Maior* claret; quia Chriſtiani iuſti denominantur ab vna iuſtitia Chriſti, quæ in cœlo ceſſabit; ideo, quod cognitio (fides) ibi abrogabitur. Reſp. Ratione iuſtitiæ Chriſti *imputatæ* homo homine non eſt iuſtior; eo, quod iuſtitia, merito Chriſti parta, nullos admittit gradus; dicitur autem homo homine iuſtior ratione iuſtitiæ *inhærentis.* Deinde iuſtitia Chriſti imputata non quidem in cœlo vlla peccata teget, quia nulla erunt; æternum tamen durabit, tanquam eximius cœlitum ſplendor & baſis omnis ſanctitatis, omnis rectitudinis glorioſæ.

V. Si per imputationem iuſtitiæ Chriſti nos vere iuſti ſumus, Chriſtus per imputationem noſtri peccati vere erit peccator: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Conſequentia *maioris* probatur: quia noſtra peccata ſic imputata ſunt Chriſto, vti nobis imputatur iuſtitia Chriſti, 2 Cor. V, 21. *Conſequens* eſſe falſum, conſtat: quia peccator eſt filius diaboli. Reſp. a) CHRYSOSTOMVS & alii græci Patres vocarunt Chriſtum peccatorem maximum, *imputatiue* talem; quia peccatorum totius mundi reus in iudicio diuino habitus eſt. *Iehoua incurrere fecit in eum iniquitatem omnium noſtrum,* ait Eſ. c. LIII, 6. b) Manet tamen

Digitized by Google

tamen ingens diſcrimen nos inter, & Chriſtum. Nam Chriſtus non ſuam tantum nobis adſcribit ac impertitur iuſtitiam, ſed & iuſtitia inhærente nos donat; nos vero iniuſtitiæ nobis inhærentis contagio eundem non inficimus. Vnde peccatum noſtrum ipſi non inhæret. c) Filius diaboli dicitur, qui deliberato animi conſilio contra conſcientiam peccata patrat, illisque indulget. Idcirco ne pii quidem, quibus peccatum inhæret, & qui ex infirmitate humana haud raro labuntur, filii diaboli dicendi ſunt: multo minus Chriſtus.

VI Si per inhærentem Adami inobedientiam omnes homines conſtituuntur iniuſti, vtrique per inhærentem obedientiam Chriſti omnes homines fideles conſtituuntur iuſti: Antecedens eſt verum: Ergo & conſequens. Conſequentia *maioris* patet: quia oppoſitorum eadem eſt ratio. *Antecedens* claret teſtimonio Paullino Rom. V, 19. Reſp. Inobedientia Adami & obedientia Chriſti ſunt actus proprii, perſonales ac indiuiduales, qui aliis non poſſunt eſſe communes, niſi iudicio diuino ipſis imputentur. Inde fit, vt licet inobedientia Adamo, & obedientia Chriſto inhæreat; tamen inobedientia Adami poſteris, & obedientia Chriſti credentibus per æſtimationem & declarationem diuinam accenſeatur, vt illi rei mortis, hi iuſti & hæredes vitæ æternæ reputentur.

Inſtantia: Sed inobedientia Adami etiam poſteris inhæret; quia per generationem carnalem iisdem eſt inſita: E. etiam obedientia Chriſti inhæret. Reſp. Perperam dicitur, quod inobedientia *Adami* poſteris *inhæreat*. Nam inobedientia Adami erat peccatum *primum & originans*, quod poſteris non potuit tribui, niſi per *imputationem*; peccatum autem *originale*, ſiue *originatum*, eſt ex illo ortum, quod poſteris Adami quidem *inhæret*, ſed conſequenter tantum ex Adami inobedientia fluit.

VII. Fides non eſt iuſtitia Chriſti (quia differunt vt medium, & forma iuſtificationis): *Fides imputatur ad iuſtitiam*, Rom. IV, 5. E. quoddam, quod imputatur ad iuſtitiam, non eſt iuſtitia Chriſti. Reſp. In *maiori* fides ſumitur abſolute & abſtractiue, quatenus eſt medium recipiens, in *minori* relate & concretiue, quatenus eſt medium recipiens meritum Chriſti, quod credenti per æſtimationem diuinam ad iuſtitiam imputatur. Quæ diuerſa conſideratio fidei parit quaternarium terminorum.

VII. Satisfactio Chriſti aut imputatur, antequam eam habemus, aut cum habemus: Sed non ante, quam habemus; quia dudum eſt præſtita, vt eam certiſſime habeamus: neque cum habemus; quia quod homo habet, ipſi nón imputatur: E. nunquam imputatur. Reſp. Diſt. a) inter *ſatisfactionem*, & eius *effectum*; b) inter ſatisfactionem *a Chriſto præſtitam, & ab homine* ſibi *applicatam* Satisfactio Chriſti dudum eſt præſtita; ſed eius effectum, qui eſt remiſſio peccatorum, non habemus prius, quam ſatisfactionem Chriſti vniverſalem nobis applicamus, & noſtram facimus per fidem. *Etenim vt imputatio gratioſa recte fieri poſſit, in agente quidem adeſſe debet intentio, alteri ſua actione aliquid boni conciliandi; in recipiente voluntas expreſſa, aut præſumta ab iſto illud recipiendi. Nam opera, quæ inuito obtruditur, imputatio recte repellitur*, ait SAM. PVFEND. in *L. de I. N. & G. p.* 128.

IX. Quam iuſtitiam per Adamum amiſimus, illa per Chriſtum eſt reparata: Iuſtitiam inhærentem &c. E. *Maior* liquet: quia quicquid per Adamum eſt amiſſum, per Chriſtum eſt reſtitutum, Rom. V, 15. Reſp. *Concluſio* poteſt concedi in ſenſu *concluſiuo*; quia iuſtitia renatis inhærens merito Chriſti accepta ferenda eſt. Sin intelligatur ſenſu *excluſiuo*, quod per Chriſtum *tantum* iuſtitia inhærens ſit reparata, negamus *maiorem*. Ad eius probationem dicimus, quod Chriſtus non id tantum reſtituerit, quod amiſſum eſt per Adamum, ſed etiam alia bona, vel beneficia nobis acquiſiuerit, v gr. conuerſionem pœnitentialem, fidem



Digitized by Google

merito Chriſti innixam, iuſtitiam imputatam, confraternitatem cum Chriſto, quæ non fuerunt amiſſa. Contra, quædam bona, per Adamum amiſſa, Chriſtus non reſtituit, ſcil. immortalitatem in hac vita, plenum dominium in animantia, inhabitationem paradiſi, &c.

X. Quibus donatur iuſtitia Dei, eaque æterna, vt fiant conſortes diuinæ naturæ, illis non iuſtitia Chriſti, ſed eſſentialis Dei iuſtitia confertur: Atqui credentibus &c. E. *Maior* conſtat: quia iuſtitia Dei æterna non eſt iuſtitia Chriſti, quippe quæ in plenitudine temporis parta, & per quam naturæ diuinæ participes non reddimur. Reſp. Iuſtitia Chriſti *imputata* eſt iuſtitia *Dei*, eo, quod gratioſa Dei æſtimatione credentibus in Chriſtum accenſetur; eſt *æterna*, tum ratione decreti diuini, tum ratione valoris & efficaciæ; participes autem reddimur diuinæ naturæ per vnionem myſticam, quæ iuſtificationem ſequitur.

Quæſt. XV. *An doctrina de iuſtitia Chriſti imputata non tantum vera, ſed & ad pietatem vtilis eſt?*

*An doctrina de imputatione ſit vera & vtilis.*

Doctrina euangelica de imputata Chriſti iuſtitia non tantum *vera*, & *ſolida* a), ſed etiam ad exercendam *veram, fucique expertem pietatem vtiliſſima* eſt b).

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, quorum *canon X. in Concil. Trident.* Seſſ. V. ita ſe habet: *Si quis dixerit, homines per Chriſti iuſtitiam formaliter iuſtos eſſe, anathema ſit.* 2) *Socinianorum*, iuſtitiam Chriſti nobis imputari negantium. OSTORODVS in *inſtant. german. c. XXXIV. fol.* 304. ſcribit: Von der uns zugerechneten Gerechtigkeit Chriſti kann nicht das geringſte Sprüchlein in der H. Schrift gezeiget werden. 3) *Arminianorum*, contendentium, fidem vt actum, vel opus noſtrum, non Chriſti iuſtitiam, meritum, vel obedientiam nobis imputari ad iuſtitiam, in Apol. f. 112. 4) *Weigelianorum*, & *Myſticorum*, imputatam Chriſti iuſtitiam, quantum in ipſis, labefactantium. Sic enim WEIGELIVS in *part. III. poſtill. p.* 15. inquit: Sie müſſen den Tod, und die Auferſtehung Chriſti in ihnen haben, und nicht von auſſen imputiren. Hoc non melior, ſed multo peior, CHRIST. HOBVRG. in *poſtilla myſtica* ait *p.* 190. So eure imputation alles ausrichten, und uns vor GOtt rechtfertigen kann, was bedürfen wir der Vereinigung mit Chriſto? 5) His ſuffragantur *Quackeri.* ROBERTVS BARCLAIVS in *Apol. ad theſ.* 7. n. 7. inquit: *Imputatiua Chriſti iuſtitia in ſacris litteris non invenitur.*

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Diſſidentes doctrinam veriſſimam Proteſtantium de imputata Chriſti iuſtitia traducentes, aut fœdiſſima ignorantia, aut malitia plane deteſtabili laborant; cum de ea iudicent haud ſecus, ac cœci de coloribus, ac Proteſtantibus ea affingant, quæ ne per ſomnium quidem ipſis in mentem venerunt. Quare hoc in ſacris litteris fundatiſſimum dogma primum enucleandum, deinde ſolide probandum, & ad vſum denique pietatis transferendum eſt.

Obſerues autem, lector beneuole, I. impræſentiarum ſtrophas *Weigelianorum, Myſticorum & Quackerorum* potiſſimum diſcutiendas eſſe: obiectiones *Pontificiorum & Socinianorum* examinauimus præcedenti quæſt. 14. cap. huius VIII.

Obſ. II. *Proteſtantes*, prælucente S. ſcriptura, verbum, *iuſtificare*, *ſumunt in ſenſu forenſi, aut iudiciali*, vt ſignificet, peccatorem pœnitentem *a reatu culpæ & pœnæ certis de cauſſis abſoluere, & iuſtum æſtimare, reputare, declarare, pronuntiare.* Hunc ſignificatum verbi iuſtificare iudicialem probauimus ſupra, quæſt 2. cap. huius VIII.

Obſ. III. Verbum, *imputare*, quomodo hic ſumatur, vide præcedentem quæſt XIII. Obſ. I.

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. IV. In omni imputatione *tria* oppido conſideranda ſunt: a) *Actio, vel paſſio voluntaria.* Nam actiones inuitæ, aut quæ proueniunt ex neceſſitate phyſica, aut quæ vires noſtras excedunt, nemini imputantur. b) *Aeſtimatio & iudicium* de actione voluntaria. Æſtimat autem actionis bonitatem aut malitiam dominus, vel iudex, qui iudicandi poteſtate pollet. c) *Effectus* actionis, qui alicui adiudicatur. *Actio voluntaria* habet ſe per modum materiæ, & eſt *fundamentum imputationis*, cuius intuitu iudex fert iudicium: *effectus* habet ſe per modum *formæ*, & redundat vel ad ipſam perſonam agentem, vel ad aliam, cuius vice vel in cuius commodum illa actio ſuſcepta eſt.

Obſ. V. *Imputatio* alia fit ex *debito*, alia ex *gratia*, qua diſtinctione vtitur Paullus, Rom. IV, 4. *Et qui operatur, merces, non imputatur ex gratia, ſed ex debito.* Vtraque deſcribi poteſt, vel reſpectu *fundamenti*, vel reſpectu *effectus. Fundamentum* reſpexit potiſſimum noſter CHEMNITIVS in *loc. theol. part. II. p.* 294. *Eſt quædam imputatio, quæ habet & reſpicit fundamentum in operante, cui fit imputatio, & hæc non fit ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Eſt vero alia imputatio, quæ in eo, cui fit, non habet, nec reſpicit fundamentum, cuius ratione & reſpectu imputetur, ſed fundamentum eſt in gratia, & miſericordia Dei iuſtificantis impium.*

Obſ. VI. Si autem *imputatio ex gratia & debito, reſpectu effectus*, qui ex actione voluntaria redundat, deſcribenda ſit, ſequenti ratione definiri poterit: *Imputatio ex debito eſt, cum effectus actionis voluntariæ perſonæ agenti, vt cauſſæ morali, æſtimatione & decreto iudicis attribuitur. Imputatio ex gratia eſt, quando effectus non agenti, ſed illi perſonæ, in cuius commodum actio voluntaria dirigitur, gratioſa æſtimatione iudicis accenſetur.* Qua ratione de imputationis indole haud male iudicauit VASQVEZIVS, Ieſuitarum doctiſſimus, allegatus a D. CALOVIO in *bibl. illuſtrat.* in c. IV. Rom. *f.* 73. *Imputari nobis ad aliquem effectum, etiam aliqua extrinſeca, vt meritum & obedientiam Chriſti, concedimus; quia non modo ea, quæ nobis inſunt, ſed etiam aliena, quorum intuitu nobis aliquid donatur, computari dicuntur noſtra ad aliquem effectum, ac ſi reuera noſtra eſſent.*

Obſ. VII. Vt imputatio *gratioſa* (de qua in præſenti agimus) recte fieri poſſit, *in agente quidem adeſſe debet intentio, alteri ſua actione aliquid boni conciliandi: in recipiente voluntas expreſſa, aut præſumta, ab iſto illud recipiendi: nam opera, quæ inuito obtruditur imputatio recte repellitur*, cenſente PVFENDORFIO, *de I. N. & G. c. IX, p.* 128.

Obſ. VIII. Dominus, vel iudex, imputans in *gratioſa* imputatione, plerumque benigne reſpicit & æſtimat *vnionem vel naturalem, vel moralem*, quæ inter perſonam agentem & eam perſonam, in cuius commodum actio voluntaria ſuſcepta eſt, intercedit. Datur vnio *naturalis* inter patrem & liberos; *moralis* inter maritum & vxorem, inter amicos, familiares & collegas. Vnionem communio, vel communicatio conſequitur. Quamobrem iudex in gratioſa imputatione, intuitu vnionis naturalis, vel moralis, effectum actionis voluntariæ, quam perſona agens expedit, alteri perſonæ, quæ vnionis quodam vinculo cum perſona agente coniuncta eſt, donat & communicat.

Obſ. IX. *Imputatio eſt vel priuatiua, vel poſitiua. Illa* eſt, cum *debitum*, propter ſatisfactionem, a perſona agente præſtitam, alteri non agenti, intuitu illius impotentiæ & indigentiæ *non imputatur*, ſiue *remittitur. Hæc* eſt, cum *præmium* propter actionem voluntariam, quam agens in alterius commodum fecit, intuitu vnionis naturalis, vel moralis *donatur & communicatur.*

Obſ. X. Quamuis imputatio *generatim* conſiderata ſit actus intellectus & voluntatis illius, qui iudicium exercet, quo voluntaria alicuius perſonæ actio cognoſcitur, æſtimatur, & iudicatur

Digitized by Google

iudicatur pertinere cum effectu, ex ea redundante, vel ad ipſam perſonam agentem, vel ad aliam, cuius vice, aut in cuius commodum illa actio ſuſcepta eſt: tamen illa *imputatio non ficta, aut commentitia, ſed vera & realis eſt;* 1. ob verum & reale *fundamentum*, quod eſt actio voluntaria; 2. reſpectu veræ & realis *intentionis*, quæ inter agentem perſonam, & eam, quæ præmium recipit, intercedit; 3. ratione veri & realis *effectus*, qui actionem voluntariam conſequitur.

Obſ. XI. Exemplis hæc doctrina moralis longe præſtantiſſima & vtiliſſima, cum imperitis difficilis cognitu videatur, illuſtranda eſt. In codice ſacro exſtant exempla gratioſæ imputationis. Rex Ægypti Pharao benefacta Ioſephi tam patri, quam fratribus eius, ad commodam in Ægypto habitationem imputauit. Rex Dauid merita Ionathanis imputauit Mephiboſetho, ad fruendum menſa regali, reſpiciendo vinculum vnionis naturalis, quod erat inter filium & patrem. Philemon oblatam a Paullo ſatisfactionem imputabat Oneſimo, ad immunitatem a debito. Ceterum in vita militari & ciuili haud raro a principe facta præclara parentis gratioſe imputantur liberis, vt, illo nobilitato, & hi cenſeantur nobiles: merita maritorum imputantur vxoribus, vt hæ illorum radiis coruſcent. Sæpe vſu venit, vt collega vnus laboret pro altero ægrotante, & præmium a domino collatore non laboranti, ſed ægrotanti imputetur ac conferatur.

Obſ. XII. *Generatim* euoluta imputatione morali, iam nos accingimus ad conſiderandam, pieque expendendam *imputationem diuinam multo gratioſiſſimam:* vbi notamus

a) *Iudicem*, qui eſt Deus triunus. Hic iudex eſt iuſtiſſimus, omnis peccati oſor & vltor acerrimus, de quo regius Pſaltes, Pſ. V, 5. 6. 7. *Non Deus approbans impietatem tu es: non manebit apud te malus. Non conſiſtent gloriabundi coram oculis tuis: odiſti omnes operatores iniquitatis. Perdes loquentes mendacium; virum ſanguinum & doli abominabitur Iehouah.* Cuius

b) *Iudicium* ſecundum normam legis eſt rigidiſſimum, de quo Pſ. CXLIII, 2. *Ne intra in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtus erit coram te vllus viuens.*

c) *Reus* eſt omnis homo peccator. *Totus namque mundus reus fit Deo*, Rom. III, 19.

d) *Actor*, ſiue accuſator, eſt partim *Moſes* legislator, Ioann. V, 45. partim *diabolus*, Apoc. XII, 10.

e) *Teſtis eſt* conſcientia, Rom. II, 15. Col. II, 14.

f) *Sententia condemnatoria* habetur in lege Moſis. *Maledictus eſt omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis*, Deuter. XXVII, 26.

g) At interuenit *mediator*, aduocatus & ſponſor Chriſtus, qui ſe pro omnibus dedit *εἰς ἀντίλυτρον, in pretium redemtionis*, 2 Tim. II, 6. Hic morte ſua peccatores reconciliauit, Rom. V, 10. & eorum vice legem impleuit, Gal. IV, 4. 5. Matth. V, 17. Rom. X, 4.

h) Propter huius *ſatisfactionem* peccatum credentibus in Chriſtum non imputatur, 2 Cor. V, 18. & propter ipſius *impletionem legis vicariam* iuſtitia imputatur omnibus, in ipſum vere credentibus, Rom. IV, 5.

Quia Deus reſpicit *vnionem credentium cum Chriſto ſatisfactore & mediatore*, qui pro peccatoribus laborauit agendo & patiendo, Eſ. XLIII, 24. 25. idcirco fit illa vnio per *fidem*, quæ Chriſtum non tantum apprehendit, Io. I, 12. ſed etiam induit, Gal. III, 24. ipſi adhæret, 1 Cor. VI, 17. & in ipſo inuenitur, vt palmes in vite, Phil. III, 9. Io. XV, 5.

Accurate hic diſtinguendum eſt inter *vnionem fidei formalem, ſiue relatiuam; & vnionem myſticam, ſiue ſanctificatiuam. Hæc* ordine naturæ iuſtificationem ſequitur: peccata namque, niſi remittantur, vnionem gratioſam, qua Deus in anima habitat & operatur, impediunt, Eſ. LIX, 2. Vnio autem fidei *formalis, & relatiua* (quam etiam *apprehenſiuam, appropria-*

Digitized by Google

*appropriatiuam & adhæſiuam* appellare licet) iuſtificationem ordine naturæ præcedit. Id quod accuratiſſimi Theologi e ſacris litteris confirmant. D. BROCHMAND. *tom. II. ſyſtem. p.* 485. inquit: *Quod ſi ſumatur regeneratio pro ſpirituali illa e Deo natiuitate, qua potiſſimum conſiſtit in vnione noſtri, quia ex Deo ſumus*, ſiue, quia in Chriſto ſumus, iuxta illud Paulli, Rom. VIII, 1. *Nihil condemnationis eſt in his, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Suffragatur D. QVENSTED. *part. III. ſyſtem. fol.* 523. enucleaturus eloquium apoſtolicum, Phil. III, 9. *Vt inueniar in Chriſto, non habens meam iuſtitiam &c.* ait: *Senſus verborum eſt: Quando Deus in vnius cuiusque iuſtitiam inquiret, & ad exactiſſimam, ſeueriſſimamque iudicii ſui normam exiget, vt tunc inueniar Chriſto inſitus, tanquam palmes in vite, & ramus in olea, ſiue, vt eſt,* Gal. III, 17., *Chriſto indutus, intima & arctiſſima vnione cum Chriſto coniunctus; ita enim per hanc coniunctionem fiet, vt, quod Chriſti eſt, meum quoque ſit.* Idem aſſerit D. WILHELMVS LYSERVS in *ſyſtem. p.* 1548. *Imputatio fundatur in vnione ſpirituali fidei, qua ipſius mediatoris Chriſti caro efficimur, & nos reperimus eiusdem operationem, per fidei ſpeculum, omnia ſua facta & merita nobis communicantis, vt in Chriſto inueniamur,* Phil. III, 9. *& ita, tanquam membra eius, omnium noſtri cauſſa peractorum laborum participes reddamur.* Conf. D. NEVMANN. *diſputat, de nexu & ordine donorum gratiæ §. XV.*

Obſ. XIII. *Imputatio gratioſa* diſtinguitur *in priuatiuam, & poſitiuam. Imputatio priuatiua* eſt, qua propter ſpontaneam & ſatisfactoriam Chriſti paſſionem, quam is pro nobis ſubiuit, credentibus *peccata ad pœnam non imputantur. Poſitiua* eſt, qua propter obedientiam Chriſti voluntariam, qua vice generis humani vltro legi ſe ſubiecit, eamque impleuit, *iuſtitia Chriſti imputatur*, vt ea coram tribunali diuino iuſti conſtituantur.

Vtraque *eſt realis* 1) ratione *fundamenti*, quod eſt realis Chriſti paſſio & impletio legis vicaria; 2) ratione *feriæ & realis Chriſti intentionis*, plurima bona peccatoribus conciliandi; 3) ratione *veræ & realis vnionis* cum Chriſto, quæ fit per fidem; 4) ratione *effectus*, qui eſt vera & realis remiſſio peccatorum, vera & realis iuſtitia Chriſti imputata.

Vtraque tamen non eſt *ſimplex*, qua ſubiectum *in ſe* conſideratur, & ita æſtimatio inſtituitur; ſed *permutatoria*, qua ſubiectum conſideratur in *vicario ſponſore & ſatisfactore.* Nimirum ſponſori Chriſto imputata ſunt hominum peccata & pœnæ. *Pœnas* ipſe luit in paſſione, vt ne peccata credentibus in pœnam imputarentur: *peccata* in ſe transtulit, vt propter conſummatiſſimam obedientiam legi diuinæ præſtitam, iuſtitia Chriſti credentibus imputaretur. *Vtraque imputatio* in præſenti confirmanda, & deinceps ad exercitia pietatis hæc doctrina applicanda eſt.

### ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Probatur *imputatio priuatiua* 1) ex 2 Cor. V, 19. *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, dum non imputabat peccata illorum.* Apoſtolus innuit, non imputationem peccatorum fluere ex ſatisfactione Chriſti, de qua intelligenda ſunt ipſius verba. v. 14. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, omnes mortui ſunt*, q. d. Mors Chriſti vicaria, loco omnium hominum præſtita, in iudicio Dei non aliter æſtimatur, quam ſi omnes mortui eſſent, i. e. pœnas peccatorum morte acerbiſſima luiſſent.

2) E Rom. IV, 7. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum occultata ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputat Deus peccatum!* Confer. Pſ. XXXII, 12. Ex his duobus dictis claſſicis argumentamur: Quicunque ideo beati cenſentur, quod per mortem Chriſti Deo reconciliati ſunt, illi coram tribunali diuino iuſti reputantur, & ideo beati cenſentur: Atqui quibus remiſſa ſunt peccata, illi ideo &c: Ergo.

3) Ex Eph. I, 7. *In Chriſto habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.* Quicunque per ſanguinem Chriſti redemtoris remiſſionem peccatorum habent,



Digitized by Google

illi propter cruentam paſſionem Chriſti coram iudicio diuino iuſtificantur: Atqui credentes in Chriſtum &c: Ergo.

Probatur etiam *imputatio poſitiua* 1) ex Rom. IV, 6. *Quemadmodum etiam Dauid dicit*, μακαρισμὸν, *beatificationem eſſe hominis, cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus.* Ex quo effato apoſtolico colligimus: Quæ iuſtitia ſine operibus a Deo imputatur, illa non eſt nobis inhærens, ſed iuſtitia Chriſti nobis imputata: Atqui iuſtitia, quæ in regno gratiæ nos beatos reddit, eſt iuſtitia, quæ ſine operibus nobis imputatur: Ergo.

Dicis: In maiori propoſitione plus habetur, quam in effato apoſtolico. Nam affirmat quidem Apoſtolus, quod *beati* ſimus, per *iuſtitiam, ſine operibus imputatam*, ſed non addit, quod beati ſimus per *imputatam iuſtitiam Chriſti.* Reſp. 1) Iuſtitia *imputata* oppoſita iuſtitiæ *operum* eſt iuſtitia fidei in Chriſtum, docente Paullo, Phil. III, 9. quippe qui *a Deo factus eſt nobis iuſtitia*, 1 Cor. I, 30. 2) Quam iuſtitiam Paullus intellectam velit, ipſemet exponit Rom. V, 18. *Sicut per vnius* (Adami) *peccatum in omnes homines in condemnationem* (res ceſſit): *Ita per vnius* (Chriſti) *iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.*

2) Ex Rom. IV, 5. *Ei, qui non operatur, credit vero in eum, qui iuſtificat impium, fides imputatur in iuſtitiam.* Obſ. *Fides imputatur ad iuſtitiam non abſolute*, quatenus eſt e cenſu virtutum, aut operum; operibus enim diſerte hoc loco, & alibi opponitur: ſed *relate*, propter Chriſtum, quem recipit & continet; ſicut manus mendicum ditat non per ſe, ſed propter theſaurum, quem acceptat. Colligimus: Cui *non operanti*, ſed *credenti in Chriſtum* fides ad iuſtitiam imputatur, ille coram tribunali diuino iuſtus cenſetur non ob iuſtitiam propriam, ſed propter iuſtitiam Chriſti vera fide apprehenſam: Atqui homini impio non operanti, credenti vero in Chriſtum &c. Ergo.

3) Ex Gal. III, 6. *Abraham credidit Deo, & imputatum ipſi eſt in iuſtitiam.* Addit Paullus, v. 13. *Chriſtus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictio.* Reſpexit ergo fides *Abrahami* redemtorem *Chriſtum, qui eſt factus pro nobis maledictio*, vt nobis, a maledictione redemtis, iuſtitia Chriſti diuinitus imputaretur. Arguimus: Quo pacto Abrahamus, *pater omnium credentium*, iuſtificatus eſt, eodem pacto omnes credentes iuſtificantur: Atqui Abrahamus iuſtificatus eſt; quia iuſtitia Chriſti ei eſt imputata: E. omnes credentes ideo iuſtificantur, quod iuſtitia Chriſti ipſis imputatur.

4) Ex 2 Cor. V, 21. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos fiamus iuſtitia Dei in ipſo.* Qua ratione Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum, eadem ratione nos reddimur propter Chriſtum iuſtitia Dei (i. e. coram Deo perfecte iuſti): Sed Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum non *inhæſiue*, quaſi vllum peccatum ipſi inhæſiſſet; ſed *imputatiue*, quia iudicio diuino peccatum noſtrum ipſi eſt imputatum: Ergo & nos propter Chriſtum reddimur iuſtitia Dei non *inhæſiue*, quaſi perfecta operum iuſtitia nobis inhæreat; ſed *imputatiue*, quia perfectiſſima iuſtitia Chriſti nobis imputatur & accenſetur.

5) Ex Phil. III, 9. *Vt inueniar in Chriſto, non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege* (fit), *ſed eam, quæ ex fide Chriſti; iuſtitiam, quæ ex Deo datur, fidei.* Quicunque coram rigidiſſimo iudicio diuino comparet fretus non iuſtitia propria, ſed aliena, quæ eſt ex fide Chriſti, cui vt palmes viti inſitus eſt, illum Deus gratioſiſſime æſtimat iuſtum iuſtitia Chriſti, vera fide apprehenſa. Atqui Paullus, & omnis peccator conuerſus & renatus &c. Ergo.

6) Ex Rom. V, 19. *Sicut per vnius hominis* (Adami) *inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: ita etiam per obedientiam vnius* (Chriſti) *iuſti conſtituentur multi.* Subſumo: Atqui per Adami inobedientiam imputatam omnes homines, vinculo ſanguinis connexi cum Adamo,

Digitized by Google

Adamo, peccatores conſtituuntur. E. etiam per obedientiam Chriſti imputatam omnes renati, vinculo fidei cum ipſo coniuncti, iuſti conſtituuntur.

Dicis: Inobedientia Adami poſteris non tantum imputatur, ſed etiam inhæret. Reſp. Inobedientia Adami eſt actus *proprius, perſonalis & indiuidualis*, qui poſteris non poteſt eſſe communis, niſi per imputationem. Eſt quippe transgreſſio legis paradiſiacæ, adeoque *peccatum primum & originans*, quod poſteris imputatur; peccatum vero originale, ſeu originatum, eſt peccatum a primo ortum, quod poſteris quidem Adami inhæret, ſed conſequenter tantum ex inobedientia Adami fluit.

7) Τὸ τέλος νόμȣ, *finis, vel complementum legis eſt Chriſtus in iuſtitiam omni credenti*, Rom. X, 14. Si Chriſtus legem impleuit in iuſtitiam omni credenti, illius impletio legis vicaria homini renato ad iuſtitiam imputatur. *Antecedens*, teſte Paullo, eſt verum. E. & conſequens.

8) Hypotheſin aduerſariorum duo abſurda enormia premunt. Nam 1) audent coram rigido Dei iudicio comparere freti propria iuſtitia, quod in V. T. non auſus eſt Dauid, virtutibus ornatiſſimus, vid. Pſ. CXLIII, 2, nec ſub nouo fœdere Paullus, vid. 1 Cor. IV, 4. Phil. III, 9., cum iuſtitia nobis inhærens ſit imperfecta & impura, atque examen iudicii diuini ſuſtinere nequeat. 2) Iidem negant ſatisfactoriam Chriſti paſſionem & mortem, nec non impletionem legis, a Chriſto loco totius generis humani præſtitam, cuius effectus non, niſi per gratioſiſſimam Dei imputationem, in genus humanum redundare poteſt. At iſthanc negantes, ipſum fundamentum fidei, quantum in ipſis eſt, labefactatum eunt.

Prob. b. Doctrinam euangelicam de imputatione diuina obedientiæ Chriſti actiuæ & paſſiuæ ad iuſtitiam & remiſſionem peccatorum, *ad promouendam pietatem vtiliſſimam eſſe*, demonſtratu facile eſt. Nam 1) imputatione *priuatiua*, propter ſatisfactoriam Chriſti paſſionem, peccatum non imputatur ad condemnationem, 2 Cor. V, 19. At immunitatem a condemnatione, & vitæ ſanctimoniam Apoſtolus Paullus coniungit Rom. VIII, 1. *Nihil ergo nunc condemnationis iis eſt, qui in Chriſto Ieſu non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.* Et Apoſtolus Petrus docet 1 epiſt. II, 24. ſatisfactoriæ paſſionis Chriſti finem geminum eſſe, remiſſionem peccatorum, & ſanctitatem vitæ: *Chriſtus ipſe peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt, peccatis mortui, iuſtitiæ viueremus, cuius vulneribus ſanati eſtis.* Homines renati, quibus peccata ad condemnationem non imputantur, non indulgent cupiditatibus carnis, ſed Spiritum S. adepti, eius motibus obſequuntur, ne beatitudine gratiæ & gloriæ excidant. Quo ſpectant verba regii Prophetæ, Pſ. CXXX, 4. *Nam tecum eſt remiſſio, vt timearis.*

2) Iuſtitiæ imputatæ fructus ſunt *generatim bona opera*, Phil. I, 2.; *ſpeciatim* vero

a) *Ardens dilectio Dei, & mediatoris Chriſti.* Nam fides, cuius intuitu obedientia Chriſti ad iuſtitiam imputata eſt, per dilectionem operatur, Gal. V, 6. Sane homo renatus & iuſtificatus accenditur amore Dei, ſecum expendens miſericordiam Dei ineffabilem, quæ etiam homini impio, ſed pœnitenti & in Chriſtum credenti, fidem ad iuſtitiam imputat. Exardeſcit amore in Chriſtum, quotusquisque pie conſiderat, quod iuſtitia Chriſti vel tanquam veſte ornetur, vel tanquam luce ſplendidiſſima circumfundatur, Eſ. LXI, 10. Apoc. XII, 1..

b) *Amor erga proximum*, quem parit fides iuſtificans. *Omnis, qui credit, quod Ieſus ſit Chriſtus, ex Deo natus eſt: & omnis, qui diligit eum, qui generauit ipſum, diligit etiam eum, qui natus eſt ex illo*, ait Ioannes 1 ep. V, 1. Homo a Deo renatus eſt, qui credit



Digitized by Google

dit in Chriſtum, qui ipſi factus eſt in iuſtitiam, 1 Cor. I, 30., fidem autem ſincero amore tum in Deum, tum in proximum teſtatur.

c) *Obſequium praeceptis diuinis praeſtitum.* Exemplo nobis ſit Abrahamus, qui operibus & inprimis promtiſſima obedientia fidem ſuam declarauit, mandato diuino de offerendo in holocauſtum filio, obſecutus, Gen. XXII, 1. Iac. II, 21.

d) *Vera animi ſubmiſſio, & ſpiritualis ſui abnegatio.* Qui namque, ad inſtar Paulli, inuenitur in Chriſto, non habens propriam iuſtitiam, quae ex lege eſt, ſed eam, quae ex fide Chriſti, is profecto Phariſaeorum ritu non intumeſcit, ſed ſubmiſſe ſe gerit, non inflatur, ſed quidquid habet benedictionis diuinae, Saluatori ſuo acceptum refert.

e) *Gaudium ſpirituale*, quod expreſſura eccleſia Iſraëlitica canit: *Laetando laetabor in Iehouah: exultabit anima mea in Domino meo: quia induit me veſtibus ſalutis, amiculo iuſtitiae texit me*, Eſ. LXI, 10.

f) *Gratiarum actio*, ad quam nos tam non-imputatio peccatorum, quam imputatio iuſtitiae Chriſti excitat, monente Paullo, Col. I, 12. ſqq. *Gratias agite Patri, qui idoneos fecit nos in partem ſortis ſanctorum in luce; qui eripuit nos e poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuae; in quo habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.*

Quamobrem adſtipulamur non hoſtibus veritatis, negantibus, imputatam Chriſti iuſtitiam quidquam momenti ad ſincerae pietatis ſtudium conferre, ſed Paullo, grauiter inquienti: *Liberi facti a peccato, ſerui vero facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem*, Rom. VI, 22.

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiicit WEIGELIVS *part. III. poſtill. p.* 15. 16. Ein trefflicher Irrſal iſt bey den falſchen Chriſten, daß ſie einen andern laſſen das Geſetz thun, leiden, ſterben, und ſie wollen ohne Buſſe ſich behelfen mit der Imputatiua. Reſp. Haec eſt virulentiſſima & plane diabolica calumnia, qua Weigelius, homo perfrictae frontis, & eius complices religionem Proteſtantium conſpurcare & denigrare nituntur *). At vero malitioſam illam calumniam refellunt libri noſtri ſymbolici. Legant, quaeſo, *epitomen Form. concord.* p. 586. vbi haec memoratu digniſſima habentur verba: *Credimus, docemus & confitemur, etſi antecedens contritio, & ſubſequens noua obedientia ad articulum iuſtificationis coram Deo non pertinent: non tamen talem fidem iuſtificantem eſſe fingendam, quae vna cum malo propoſito, peccandi videlicet, & contra conſcientiam agendi, eſſe & ſtare poteſt.* Legant etiam *declarat. p.* 688. *Quare vera & ſaluans fides in iis non eſt, qui contritione carent, & propoſitum in peccatis pergendi & perſeuerandi habent. Vera enim contritio praecedit, & fides iuſtificans eſt in iis, qui vere, non ficte poenitentiam agunt.* Qua fronte itaque Weigeliani doctoribus Euangelicis profanam hanc opinionem affingunt, quod doceant, fidem iuſtificantem, quam nec ſeria praecedat contritio, nec

*) *Fanatici* homines pleſique omnes ſunt huius doctrinae aduerſarii. Omnes eos impudentia vicerunt, inter recentiores, perſonatus ille CHRISTI. DEMOCRITVS, & nuperrime EDELMANNVS, quo vtroque nemo vnquam magis maledice contumelioſeque in hanc praecipuam Euangelii partem dicere auſus fuit. *Sociniani* ipſi quidem fatentur *imputatam* iuſtitiam, non poſſunt enim negare, aut tollere vim verbi, λογίζεσθαι, Rom. IV, 6. V, 22. 23. 24. & 2 Corinth. V, 19. At nolunt ferre *imputatam Chriſti* iuſtitiam, vtpote *vicariam*. Ita aperte aduerſantur Legato Chriſti, Rom. IV, 22. 23. 24. coll. cum v. 25. & 2 Cor. V, 18. 19. add. v. 21.

Digitized by Google

nec noua ſubſequatur obedientia? Teſtor Deum immortalem, quod doctores Proteſtantes illud opinionis monſtrum auerſentur penitus & abominentur. Audiamus apologetam Auguſtanæ confeſſionis, veritatem cœleſtem verbis perquam memorabilibus tuentem: *Cum de tali fide loquamur, quæ non eſt otioſa cogitatio, ſed quæ a morte liberat, & nouam vitam in cordibus parit, & eſt opus Spiritus Sancti, non ſtat cum peccato mortali, ſed tantiſper, dum adeſt, bonos fructus parit*, p. 71.

II. Pergit WEIGELIVS: Es hilft dich nichts von auſſen, ſpring hoch, oder nieder, vita Chriſti in dir muß es thun, Chriſtus inhabitans, non ab extra manens. Nun bringet der wahre Glaube, der da iſt vita Chriſti in uns, mit ſich ohn alle Widerrede das conbaptizari, das compati, concrucifigi, commori, conſepeliri, und das conſurgere. Die vnio eſſentialis muß es thun, daß wir ihn geiſtlich und leiblich in uns haben. Wo bleibſt du nun mit deiner imputatiua? Du wirſt vorm Zorn Gottes dich nicht damit bedecken können. Indue Chriſtum, ziehe an den neuen Menſchen, alsdenn wird dir aus Gnaden imputiret, was Chriſtus für dich gethan hat, ſonſt bleibeſt du ewiglich verdammt mit deiner imputatiua. Reſp. Omnia confuſe & præpoſtere proponit Weigelius. Nam 1) opinatur, *vnionem myſticam ordine naturæ præcedere iuſtitiam Chriſti imputatam*; ſed fallit & fallitur. Nam noſtræ iniquitates, niſi ob ſatisfactionem Chriſti remiſſæ, ſint, nos inter & Deum diuidunt, Eſ. LIX, 2. 2) Confundit WEIGELIVS *vnionem myſticam & ſanctificationem cum vnione fidei formali & relatiua. Per illam Chriſtus in nobis habitat, viuit & operatur; per hanc Chriſtum apprehendimus, & induimus, atque fructum ſatisfactoriæ paſſionis & impletionis legis vicariæ nobis appropriamus.* Quam diſtinctionem ſolidam eſſe patet ex Gal. II, 19. 20. *Cum Chriſto crucifixus ſum. Viuo autem non amplius ego, ſed Chriſtus viuit in me.* Chriſtianus per fidem tam arcte cum Chriſto vnitus eſt, vt crucifixionis fructum certo ſibi appropriet, haud ſecus, ac ſi in propria perſona cum Saluatore in cruce pependiſſet. Deinceps Chriſtus in homine iuſtificato viuit & operatur. 3) Weigelius *vnionem myſticam* inſulſe vocat *eſſentialem*. Nam a) ad hanc requiritur, vt duæ ſubſtantiæ incompletæ in vnam ſubſtantiam completam coëant. At vero in vnione myſtica Deus & homo ſunt ſubſtantiæ completæ; neque vna in alteram mutatur. b) Deus habitat in nobis tanquam in templis, 1 Cor. III, 16. Sed incola & templum non ſunt vnius eſſentiæ. 4) Grauiſſime errat Weigelius, *renouationem iuſtificationi præmittendo*, ſecus, ac docet Paullus, Rom. VI, 22.

III. CHRIST. HOBVRGIVS in *apol. Prætorii p.* 202. ait: Die heutige Prediger wollen das Verdienſt und den Tod Chriſti in ihren Zuhörern nicht laſſen lebendig und kräftig ſeyn, ſondern es nur für ein Imputationswerk halten, und es als ein Pflaſter über alle beharrliche Bosheit überlegen, und damit das fleiſchliche üppige Weſen ihrer Zuhörer als mit loſem Kalk übertünchen. *Pag.* 204. ait HOBVRGIVS: Es iſt mit nichten Schatten⸗oder Mundwerk, damit man nur von auſſen übertünche, da doch der Schade inwendig ſchlimmer und gröſſer wird. Reſp. 1) HOBVRGIVS atrociſſimam iniuriam Proteſtantibus intulit, cauſſatus, eosdem docere, iuſtitiam Chriſti homini impio, in impietate manenti, imputari, quod illi nunquam aſſeruerunt, ſed docent magno conſenſu, ſubiectum gratioſæ imputationis iuſtitiæ Chriſti eſſe hominem pœnitentem & in Chriſtum credentem. 2) HOBVRGIVS tam craſſa laborauit ignorantia, vt ne vim quidem vocis, *imputare*, intellexerit, opinatus, id valere idem, quod *incruſtare*. At debebat ſcire, *imputare actum moralem, incruſtare autem actum phyſicum denotare*. Confuſio actus *moralis*, & *phyſici*, non poteſt non craſſum gignere errorem. 3) Per conuerſionem & regenerationem peccator *intrinſece* mutatur, vt ſit iuſtiſicabilis, ſiue vt ſalua iuſtitia diuina a reatu peccatorum abſolui queat; per iuſtificationem autem *extrinſece*, veriſſime tamen mutatur, quatenus e ſtatu miſero in beatiorem transfertur.



Digitized by Google

IV. *Quackeri* obiiciunt: Quam iuſtitiam per lapſum Adami amiſimus, illam Chriſtus reparauit: Atqui iuſtitiam inhærentem &c. E. *Maior* liquet; quia quidquid per Adamum amiſimus, per Chriſtum eſt reſtitutum, Rom. V, 15. Reſp. 1) Concluſio poteſt concedi in ſenſu *incluſiuo;* quia iuſtitia renatis inhærens merito Chriſti accepta ferenda eſt. Sin intelligatur ſenſu *excluſiuo;* ſcilicet quod per Chriſtum vnice & tantum iuſtitia inhærens ſit reparata, negamus *maiorem.* Ad eius probationem dicimus, quod Chriſtus non id tantum reſtituerit, quod amiſſum eſt per Adamum, ſed etiam alia bona, vel beneficia nobis acquiſiuerit, v. gr. conuerſionem pœnitentialem, fidem merito Chriſti innixam, iuſtitiam imputatam, confraternitatem cum Chriſto, quæ non fuerunt amiſſa. 2) Iuſtitia inhærens adeo imperfecta & impura eſt, vt coram iudicio diuino vel erubeſcat, vel ceræ inſtar diffluat.

Inſtantia: Sed iuſtitia Chriſti eſt a) externa & aliena; b) videtur tantum eſſe imaginaria: E. ab ea coram Deo iuſti denominari non poſſumus. Reſp. a) Iuſtitia Chriſti imputata eſt quidem *externa & aliena, reſpectu cauſſæ promerentis;* eſt tamen etiam *noſtra*, tum ratione *intentionis Chriſti,* qua non ſibi, ſed nobis eandem promeruit, tum ratione *fiducialis appropriationis*, qua ſatisfactorem Chriſtum apprehendimus & induimus, atque adeo iuſtitiam eius nobis appropriamus, & noſtram facimus. b) Iuſtitia *Chriſti imputata eſt realis,* ob reale fundamentum, quod eſt ſatisfactio Chriſti, & ob *veram & realem intentionem* Chriſti, eam nobis conciliandi. Ideoque etiam æſtimatio & iudicium Dei per quod fit imputatio, verum & reale eſt.

Quæſt. XVI. *Poteſtne iuſtitia, renatis inhærens, coram tribunali diuino conſiſtere?*

*An iuſtitia inhærens coram Deo conſiſtat.*

Cum iuſtitia *renatis inhærens non* ſit *perfecta*, neque omni ex parte *pura*, rigoroſum iudicii diuini examen ſuſtinere nequit.

Prob. 1) Ex 1 Cor. IV, 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus ſum. Apoſtolus exemplo ſuo comprobat, neminem innocentia vitæ coram cenſorio Dei iudicio iuſtificari.

2) E Pſ. CXLIII, 3. *Ne intra in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtus erit coram te vllus viuens.* Dauid, ornatiſſimus virtutibus, his coram iudicio diuino nolebat inniti: quia Deus homine longe perſpicacior eſt in cenſendo.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum, Anabaptiſtarum & Socinianorum*, docentium, hominem in conſpectu iudicis cœleſtis propriis virtutibus iuſtificari. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. *Iudica me, Domine, ſecundum iuſtitiam meam*, Pſ. VII, 9. Reſp. Diſt. *inter iuſtitiam cauſſæ, & perſonæ.* Intelligit rex Dauid iuſtitiam *cauſſæ*, ſiue facti, quod in cauſſa aduerſus Saulem, a quo affectati regni accuſabatur, erat innocens; ceteroqui *perſona* Dauidis non immunis erat a peccatis, vtpote quæ in pſalmis paſſim locorum confitetur & deprecatur.

II. *Memento, Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis, fecerim*, Eſ. XXXVIII, 3. Videtur Rex Hiſkias coram tribunali diuino comparere fretus vitæ innocentia. Reſp. Agitur loco citato non de iuſtificatione peccatoris coram Deo, ſed de beneficio corporali, nempe liberatione ex morbo & periculo mortis. In corporalibus beneficiis diſpenſandis vtique Deus ſanctimoniam vitæ reſpicit Pſ. XLI, 2.

III. 1 Io. III, 7. *Filioli, nemo ſeducat vos. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, quem ad modum ille iuſtus eſt.* Quicunque faciendo iuſtitiam iuſti ſunt, illi inhærente iuſtitia coram Deo iuſtificantur: Atqui renati &c. E. Reſp. Neg. *mai.* Quia facere iuſtitiam non eſt *cauſſa* iuſtificationis coram Deo, ſed eius *effectus*, indicium & teſtimonium. Non agit S.

Ioannes

Digitized by Google

Ioannes de cauſſa formali iuſtificationis, ſed duntaxat, quisnam iuſtus ſit, explicat, non per quod homo coram tribunali Dei iuſtus conſtituatur, quod fit vnice per obedientiam Chriſti, Rom. V, 19. Occupatur itaque Apoſtolus in articulo de ſanctificatione. Ideoque non abnuimus, iuſtum *intrinſece* dici, qui facit iuſtitiam; inprimis, quia additur: ſicut ille iuſtus eſt. Nam qui coram Deo iuſtificati ſunt per fidem in Chriſtum, illi & iuſtitiam faciunt, & ob ſtudium iuſtitiæ recte dicuntur iuſti. At illorum iuſtorum perfectio talis non eſt, qualis coram tribunali diuino requiritur.

Inſtantia: Dicuntur iuſti, ſicut ille: Chriſtus perfecte iuſtus eſt: E. perfecte iuſti ſunt. Reſp. Particula, *ſicut*, non æqualitatem, ſed ſimilitudinem, eamque non abſolutam, aut omnimodam, ſed reſpectiuam & accommodam deſignat. Nos indigemus remiſſione peccatorum, Chriſtus non indiget. Nos ceu peccatores iuſtificamur, Chriſto non conuenit iuſtificatio.

### Quæſt. XVII. *An peccata in iuſtificatione plane exſtirpantur?*

In iuſtificatione *reatus* culpæ & pœnæ ex peccato reſultans a), non *ſtirps*, aut *radix* peccati b) tollitur. *An peccata exſtirpentur plane?*

Prob. a. Ex Rom. IV, 7. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata. Beatus vir, cui Deus non imputat peccatum.* Deus peccata remittit, cum ex gratia intuitu ſatisfactionis Chriſti, vera fide apprehenſæ, peccatorem reſipiſcentem a reatu culpæ & pœnæ abſoluit. Abſoluit a *reatu culpæ*, cum gratioſa æſtimatione propter Chriſtum mediatorem, quem peccator fide amplectitur, illius iuſtitiam huic imputat. Abſoluit a *reatu pœnæ*, cum depoſita ira, propter imputatam Chriſti paſſionem & mortem, non cogitat de infligenda pœna. Tegit Deus peccata pallio miſericordiæ, & veſte iuſtitiæ Chriſti imputatæ, ne ea videat viſione practica & iudiciali. Non imputat peccata, obligationem ad pœnam abolendo *).

Prob. b. 1 Io. I, 8. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. Habent* iuſtificati *peccatum* originale cum concupiſcentiis & motibus inordinatis ex eo prorumpentibus; ſed deliberato conſilio contra conſcientiam *peccatum non faciunt.* Vnde quotidie orant: *Dimitte nobis debita noſtra,* Matth. VI, 12.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum,* ſtatuentium, peccata in iuſtificatione exſtirpari. Vrgent, quod Deus peccata deleat, Eſ. XLIV, 22. eluat, Pſ. LI, 4. peccatorem mundet ab omnibus immunditiis, Ezech. XXXIV, 25. Reſp. Deus in iuſtificatione peccata delet, contractum ex illis *reatum* culpæ & pœnæ abolendo: beneficio renouationis eadem delet, *dominium* peccati originalis tollendo, & *reliquias* veteris hominis imminuendo, non exſtirpando.

### Quæſt. XVIII. *Quomodo peccator beneficio iuſtificationis mutatur?*

Peccator beneficio iuſtificationis mutatur *extrinſece*, ratione ſtatus, in quantum a Deo iudice iuſtiſſimo, ſed per Chriſtum reconciliato, e ſtatu peccati & iræ in ſtatum gratiæ & iuſtitiæ transfertur. *Terminus a quo & ad quem iuſtificationis.*

Obſ.

*) Iraque *perfectio* iuſtificationis tota pertinet ad peccati reatum, vt dicitur, vtrumque, tam culpæ, quam pœnæ. *Perfecta* eſt igitur, & duplici quidem ratione. 1) Quantum ad *Obiectum,* ſiue peccata non imputanda, remittuntur ea omnia, *ſine vlla exceptione vel vnius,* etiam ſi fuerit omnium maximum, dum modo reus vere reſipuerit, ſuoque ſponſori vere confidat, Pſ. CIII, 3. Ezech. XVIII, 22. Mich. VII, 19. Matth. XVIII, 32. 1 Io. I, 7. 1 Tim. I, 13. 14. 15. 16. Rom. V, 20. 2) Quod ad remiſſionis *actum* attinet, Deus peccata remittit, *ſine vlla reſeruatione vindictæ,* in poſterum exercendæ, vt ſit perpetua ἀμνηστία. Hanc perfectionem valde ſignificanter

Digitized by Google

Obſ. I. Per conuerſionem & regenerationem *intrinſece* peccator mutatur, vt ſit iuſtificabilis, ſiue vt ſalua iuſtitia diuina, a reatu peccatorum abſolui queat; per iuſtificationem autem *extrinſece*, veriſſime tamen, mutatur, quatenus a ſtatu miſero in beatiorem iudicialiter transfertur.

Obſ. II. Terminus a *quo* huius mutationis extrinſecæ eſt *ſtatus peccati & iræ*, ſiue reatus culpæ & pœnæ; quia per reatum culpæ & pœnæ peccator in ſtatu peccati & iræ manet. Terminus *ad quem* eſt *ſtatus gratiæ & iuſtitiæ;* quia Deus peccatorem, in Chriſtum credentem, remiſſis peccatis in gratiam recipit, & iuſtitiam Chriſti ei imputat.

Prob. Iuſtificatio eſt actus *iudicialis*, isque *gratioſus*, quo Deus, ſatisfactione Chriſti reconciliatus, peccatorem, in Chriſtum credentem, ab obiectis criminibus abſoluit, & iuſtum æſtimat atque declarat. Quæ actio cum ſit *extra hominem in Deo*, non poteſt *hominem intrinſece* mutare. Sicut igitur debitor, pro quo alius debitum diſſoluit, vt liber a debito cenſeatur, non intrinſece, ſed extrinſece, ratione ſtatus mutatur: Ita peccator, qui ob ſatisfactionem Chriſti, vera fide applicatam, a peccatis liber reputatur & pronuntiatur, non mutatur intrinſece, ſed extrinſece, ratione melioris ſtatus.

Quæſt. XIX. *Quomodo diſtinguitur iuſtificatio?*

*Diuiſio iuſtificationis.* Iuſtificatio diſtinguitur in *primam*, & *continuatam*. *Illa* eſt actus gratiæ, quo Deus peccatorem, reum æternæ mortis, ſed conuerſum & renatum, intuitu meriti Chriſti, vera fide apprehenſi, a peccatis, eorumque pœnis primum abſoluit, & gratioſa æſtimatione iuſtum reputat atque declarat. *Hæc* eſt actus gratiæ, quo Deus hominem pœnitentem, & vera in Chriſtum fide iugiter remiſſionem peccatorum expetentem, in ſtatu iuſtitiæ conſeruat.

Prob. Ex Apoc. XXII, 11. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Quæ verba Ioannis intelligenda ſunt de iuſtificationis conſeruatione, ne excidamus eadem: quod fit per hæreſin, & peccata contra conſcientiam, adeoque ἀποϛασίαν a fide: quem ad modum particula ἔτι ſignificat *adhuc*, vt ſenſus ſit: iuſtificetur *porro* per fidei perſeuerantiam & non admiſſionem contrarii, maneat & perſeueret in ſtatu iuſtificationis: Conf. CALOV. *bibl. illuſtr. in h. l. f 1923,* *).

Quæſt.

gnificanter indicant *quinque* loquutiones ſacræ: α) peccata *tegere*, Pſ. XXXII, 1. β) *delere*, Pſ. LI, 3. 11. γ) *non meminiſſe*, Ezech. XVIII, 22. δ) *in profundum mare deiicere*, Mich. VII, 19. ε) *abſcondere atque auertere faciem a peccatis*, Pſ. LI, 11.

*) Hæc diſtinctio, recte explicata, longiſſimo ſane interuallo diſtat a falſa illa, quam *Romanocatholici* excogitarunt, cum iuſtificationem *primam* diſtinxerunt a *ſecunda*. Primum in eo vehementer errant, quod iuſtificationem intelligunt non *forenſem*, ſed *phyſicam*, ſiue potius moralem, nimirum animi renouationem, aut, vt barbare loquuntur, iuſtitiæ habitum infuſum. *Primam* igitur iuſtificationem dicunt eſſe pietatis initium, cum impius fit pius, *ſecundam* exiſtimant pietatis incrementum, cum pius fit in dies magis pius. Deinde, qui cæteris moderatiores videri cupiunt, admittunt quidem *forenſem* verbi ſignificationem, nec prorſus negare audent remiſſionem peccatorum, propter imputatam Chriſti iuſtitiam. Verum tamen hanc commiſcent cum renouatione animi, & homini infuſa, vt aiunt, iuſtitia, & ita quidem, vt in *prima* quidem iuſtificatione homini huc vsque prorſus impio, bonisque operibus omnibus vacuo, ſed iam dolenti, peccata gratis propter Chriſtum condonari, concedant; *ſecundam* vero poſt, quam homo pius bonis operibus dederit operam, per bona opera ipſi contingere opinentur. Sed & iſte error plane contrarius eſt 1) his principiis: quod iuſtitia morumque probitas, cui homo renouatus maxime ſtudet, quamuis vera, tamen nunquam perfecta ſit: quod lex perfectam, ſine vllo defectu, poſtulet obedientiam, quæ eſt

legis

Digitized by Google

Quæſt. XX. *Quis eſt finis iuſtificationis?*

*Finis* iuſtificationis ex parte *hominum*, qui iuſtificantur, eſt eorum *ſalus æterna* a): ex parte *Dei* iuſtificantis eſt *gloria miſericordiæ* & *iuſtitiæ diuinæ* b). **Finis iuſtificationis.**

Prob. a. Ex Rom. IV, 6. 9. vbi iuſtificatio ipſa dicitur μακαρισμὸς, *ſeu beatificatio*; ſcilicet quod hominibus obtingat ſalutis æternæ cauſſa, cuius hæreditatem ipſa quoque confert. Etenim *iuſtificati gratia Dei heredes ſumus ſecundum ſpem vitæ æternæ*, Tit. III, 7.

Prob. b. *Benedixit nobis Deus omni benedictione ſpirituali* (adeoque etiam iuſtificationis beneficio), *in Chriſto*, Eph. I, 3. vt laudetur gloria gratiæ ſuæ. Iuſtitiam Dei commendat Paullus, Rom. III, 24. 25. *Iuſtificamur gratis gratia Dei per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu; quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine, in demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ.* Demonſtrat Deus iuſtitiam ſuam, dum peccata ſine ſatisfactione non condonat, ſed in filio ſuo vade facto pro peccatoribus ſeueriſſime punit.

Quæſt. XXI. *Quænam ſunt effecta iuſtificationis?*

*Effecta* iuſtificationis ſunt *adoptio in filios Dei* a), *vnio* noſtri *myſtica* cum Deo b), *pax conſcientiæ* c), *certa precum exauditio* d), *renouatio & ſanctificatio* e). **Effecta.**

Prob. a. Ex Gal. IV, 4. *Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum Dei acciperemus.* Obſ. a) quod ab Apoſtolo intelligatur ἐξαγοϱασμὸς, ſiue redemtio ſatisfactoria & meritoria. Redemit Chriſtus nos a lege, non ratione *obligationis* præſtandæ, ſed ratione *maledictionis*, quam in ſe transtulit, Gal. III, 13. b) Cum Chriſtus ſit dominus legis, ſponte ſe legi ſubiecit, vt obedientia eius actiua nobis in iuſtitiam imputaretur, Rom. X, 1. Quam iuſtitiam Chriſti imputatam ordine naturæ ſequitur adoptio in filios Dei cum vſufructu omnium bonorum, quæ a ſpirituali filiatione pendent. Beneficio regenerationis nobis quidem conceditur ἐξουσία, ius & poteſtas, vt fiamus filii Dei, ſed mediante iuſtificatione actu ſumus filii Dei: *Ante iuſtificationem nemo dicitur filius Dei, ſed in ipſa iuſtificatione ad tantam ſortem homo aſſurgit*, ait DANNHAV. in *hodoſ. phænom. IX. p.* 924.

Prob. b. Ex Gal. II, 19. 20. *Cum Chriſto crucifixus ſum. Viuo autem non amplius ego, ſed viuit in me Chriſtus.* Obſ. a) Fideles crucifixi ſunt cum Chriſto, quatenus per fidem crucifixionem Chriſti ſibi approprient, ne pœna, quam crucifixus in ſe deuoluit, ipſis imputetur

legis iuſtitia: quod lex, quam diu damnat, tam diu non iuſtificet, damnat autem vnum quemque, qui vel vno in verbo deflexerit a norma, Gal. III, 10. add. Iac. II, 2.: quod Chriſtus ſit perpetuus ſponſor noſter, etiam in ſtatu iuſtificationis, Hebr. X, 14. Phil. III, 8-12. vbi PAVLLVS loquitur non ſolum de præterita, ſed de ea etiam, qua nunc erat conditione, iam dudum denuo natus ac renouatus. Non minus contraria eſt, quam repudiamus, illorum ſententia 2) clariſſimis dictis, inter quæ eminent hæc duo, Pſalm. Pſ. CXLIII, 2. Dauid, quis & quoties? Certe pius: Ipſe tamen nec ſe, nec vllum alium, tametſi ſui ſimilem, iuſtum in foro diuino eſſe, ingenue fatetur. 1 Corinth. IV, 4. quo in loco PAVLLVS diſerte de ſe profitetur, ſe, veræ pietatis ſtudioſiſſimum, neque vllius peccati voluntarii conſcium, non tam arroganter de ſe ſentire, vt ſua pietate ſe coram Deo iuſtificatum eſſe, ſibi perſuadeat. Quid? Quod ne *vere* quidem *bona* ſint illa opera, quæ ad efficiendum coram Deo iuſtum hominem plurimum valere, aduerſarii arbitrantur. Cultus arbitrarius eſt vel maxime, cui tantam illi dignitatem deferendam cenſent.



Digitized by Google

putetur. b) Inde fluit vnio ſpiritualis, per quam Chriſtus auctor vitæ in iuſtificatis viuit.

Prob. c. *Iuſtificati itaque fide, pacem habemus erga Deum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Per *pacem* tum reconciliatio cum Deo intelligitur; quia additur πρὸς τὸν θεὸν, tum quies & tranquillitas conſcientiæ; quæ in ſenſu & certitudine illius reconciliationis conſiſtit; quam pacem iuſtificati habent per dominum Ieſum Chriſtum, qui merito ſuo ipſis pacem conciliauit, & per fidem in Chriſtum, qua potiuntur & fruuntur *) pace per Chriſtum conciliata.

Prob. d. Ex Rom. VIII, 32. *Qui & proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum ipſo omnia nobis gratificabitur?* Qui non rogatus dedit bonum maximum, filium ſuum, vt victimam pro peccatis noſtris, vtique dabit rogatus beneficia minora ex merito Chriſti pendentia. Quare *petamus in fide, nihil addubitantes,* Iac. I, 6.

Prob. e. Ex Rom. VI, 22. *Liberi facti a peccato, ſerui vero facti Deo, habetis fructum in ſanctificationem.* Liberatis a reatu peccati fructus eſt ſanctificatio.

Quæſt. XXII. *Poteſtne homo conuerſus & renatus ſuæ coram Deo iuſtificationis eſſe certus?*

*Certitudo iuſtificationis.*

Homo conuerſus & renatus *præſentis* iuſtificationis *abſolute certus* eſt a), at *futuræ & perſeuerantis* iuſtificationis *certus* eſt certitudine *hypothetica*, ſi media ſalutis conſtanter adhibeat, & peccata proæretica euitet b).

Prob. a. 1) Ex parte Dei promiſſiones diuinæ de peccatorum remiſſione ſunt vniuerſales, Act. X, 43. Io. III, 16. Marc. XVI, 16. Iuramento diuino confirmatæ, Ezech. XXXIII, 18. Sacramentis, velut ſigillis, obſignatæ, Rom. IV, 11. 1 Petr. II, 21. Quas promiſſiones vniuerſales peccator pœnitens, & in Chriſtum credens, ſibi non dubitante fide applicat. 2) Omnis vere renatus, ſeu in Chriſtum credens, ſentit & experitur in ſe teſtimonium Spiritus S. Quod ſit filius Dei, Rom. VIII, 15. Certus eſt, quod per nullam creaturam a dilectione Dei ſeparari queat, Rom. VIII, 38. Scit, in quem credit, 2 Tim. I, 12. Scit, ſe ex morte in vitam tranſiuiſſe 1 Ioann. III, 14. Habet pacem cum Deo, ſtat in gratia, & gloriatur ſuper ſpe gloriæ Dei, Rom. V, 1. 2. Ergo certus eſt, ſe conſtitutum eſſe in *præſenti* ſtatu iuſtificationis.

Prob. b. Ex Rom. VIII, 13. *Si ſecundum carnem viuitis, moriemini; ſi vero ſpiritu actiones corporis mortificatis, viuetis.* Excidunt ſalute, in quibus opera carnis regnant, quippe

*) *Pax* hominis & concordia *cum Deo* eſt terminus odii, quo & Deus hominem impium abominatur (Pſ. V, 5. 7. Eph. II, 3.) & impius ille a Deo abhorret, θεοστυγὴς (Rom. I, 30. VIII, 7.) nunc reconciliatorum mutua beneuolentia, qua & Deus omnia in hominem beneficia vult conferre, & homo omnia Deo officia præſtare magna cum voluptate ſummoque ſtudio ſolet. Ex certa animi perſuaſione, extra omnem poſita dubitationem de venia peccatorum iam impetrata, exiſtit *pax conſcientiæ*, quæ eſt terminus repugnantiæ cogitationum, partim excuſantium, partim damnantium, Rom. II, 15. 1 Ioann. III, 21. & dicitur πεποίθησις, Eph. III, 12. Ex vtraque hac pace efficitur 1) *aditus ad Deum* minime difficilis, Rom. V, 2. Hebr. IV, 16. Hæc προσαγωγὴ ſecum fert παῤῥησίαν, quæ duæ res, tametſi coniunctæ, diſtinguuntur quodam modo, Eph. III, 12. Hebr. IV, 16. Scilicet προσαγωγὴ eſt libertas ac fiducia in *aditu* ad Deum, παῤῥησία eſt libertas in *ſermone* ac precatione, cuius cauſa ad Deum accedimus. 1 Ioann. III, 21. 22. V, 14. 2) *Tranquillitas animi*, quæ vehementes animi motus cohibet, omnemque vincit ægritudinem, terrorem ac timorem, Ioann. XIV, 27. XVI, 33. 3) *Conſolatio & gaudium*, inter grauiſſima pericula. Rom. VIII, 33. 35.-fin.

Digitized by Google

quippe quæ cum vera fide conſiſtere nequeunt. Vnde certitudo *futuræ* ſalutis eſt *hypothetica*.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, neminem coram Deo iuſtificationis ſuæ infallibiliter certum eſſe. Dimicant aduerſus nos ſequentibus argumentis:

I. Eccleſiaſtæ IX, 1. 2. *Tam amorem, quam odium non eſt ſciens homo.* Reſp. Loquitur eccleſiaſtes de neſcientia amoris & odii non abſoluta, ſed limitata, ſiue, reſpectiua; quatenus æſtimatur amor & odium ex euentibus externis, piis & impiis communibus. Nam verſu 2. inquit: *idem accidens* (eſt) *iuſto & impio, bono mundoque, atque immundo.* Exinde tamen colligere non licet: E. ex nullis aliis cauſſis, aut indiciis homo conuerſus & renatus gratiæ iuſtificantis certus eſt.

II. Prou. XX, 9. *Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum?* Reſp. Nemo poteſt gloriari munditie inhærente; quia eſt illa imperfecta, 1 Io. I, 8. 1 Reg. VIII, 46. Poteſt tamen certus eſſe munditiei imputatæ, propterea, quod ſanguine Chriſti emundatus eſt.

III. Multi pœnitentes iuſtificationis ſuæ fuerunt incerti. Iobus inquit, cap. IX, 20. *Si iuſtificauero me, os meum condemnabit me.* Paullus 1 Cor. IV, 4. inquit: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus.* Dauid. Pſ. XIX, 13. quærit: *delicta quis intelligit?* Reſp. Hæc dicta probant imperfectionem iuſtitiæ inhærentis, qua peccator coram rigido Dei iudicio non poteſt niti aut conſiſtere; ceteroqui ſancti hi viri gratuitæ peccatorum remiſſionis fuerunt certi. Iobus in tentatione iuſtitiam operum ad examen diuinum nolebat adducere, nixus ſola miſericordia diuina fundata in Goële ſuo, c. XIX, 25. Paullus ſibi conſcius erat fidelitatis in munere apoſtolico præſtitæ, neque tamen ſe immunem pronuntiabat ab omni defectu, ſi ſiſtatur ad tribunal iudicis omniſcii, ſed iuſtitiam ſuam inueniebat in Chriſto, Phil. III, 9. Dauid conqueritur de peccatis memoriæ non ſuccurrentibus, quorum veniam expetit, expetendo certus redditur remiſſionis peccatorum, Pſ. XXXII, 4.

IV. Sacra ſcriptura nos docet dubitare de remiſſione peccatorum, Ioël II, 4. *Quis ſcit, ſi conuertatur & pœniteat eum?* Dan. IV, 24. *Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.* Reſp. Prophetæ Ioël & Ionas loquuntur non de remiſſione peccatorum, ſed ablatione caſtigationis temporalis, quæ in iuſtificatis non eſt τιμωρία, ſed παιδεία. Deus condonauit adulterium Dauidi, caſtigauit tamen eum morte filii, ex ipſo geniti, 2 Reg. XII, 18. Verba Danielis in vulgata verſione male ſunt expreſſa, in textu originali ita ſe habent: *ſi futura ſit diuturnitas tranquillitatis tuæ.* Chaldaicum הן nunquam ſignificat forſitan.

Inſtantia: Sed Apoſtolus Petrus docebat Simonem Magum dubitare de remiſſione peccatorum, Act. VIII, 22. *Pœnitentiam age ob malitiam hanc, & ora Deum, ſi forte remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Reſp. in græco textu eſt particula, ἄρα, quæ non ſemper eſt dubitantis, ſed ſæpe aſſeuerantis. Vnde a D. SEB. SCHMIDIO redditur, *Vtique.* Ceterum quæritur de certitudine ea, qua peccator *pœnitens* ſuæ, non alienæ iuſtificationis certus eſt. Simon malitioſus erat homo, quem S. Petrus ad ſeriam reſipiſcentiam cohortabatur.

V. Quicunque ſemper ſunt pauidi, & ſalutem ſuam operantur cum timore & tremore, illi non ſunt ſalutis ſuæ certi: Atqui homines fideles &c. E. *Maior* conſtat: quia timor & tremor cum certitudine non poteſt conſiſtere. *Minor* liquet ex Prou. XXIIX, 14. *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus*, Phil. II, 14. *Operamini ſalutem veſtram cum timore & tremore.* Reſp. Diſt. *inter timorem ſeruilem, & filialem.* Ille, non hic certitudini fidei repugnat. Timor *filialis* opponitur carnali ſecuritati, non fidei πληροφορίᾳ. Decet renatos timor vigilantiæ, prudentiæ & cautionis, ne offendatur Numen cœleſte peccatis grauioribus, & ſpes futuræ ſalutis, cuius non abſolute, ſed hypothetice certi ſumus, decollet.



Digitized by Google

VI. Quidquid fide diuina tenemus, illud eſt reuelatum: Quod ego, aut ille, firma fide credimus, non eſt reuelatum: E. Reſp. limitando *maiorem*. Quidquid fide diuina tenemus, illud aut αὐτολεξεὶ eſt reuelatum, aut per validam conſequentiam ex reuelatione deductum. Sic negatur *minor*. Nam hoc eſt reuelatum: Omni in Chriſtum credenti peccata remittuntur Act. X, 43. Subſumo: Ego credo in Chriſtum: E. Minorem probo ex omnibus veræ fidei κϱιτηϱίοις, de quibus infra.

VII. Illa iuſtificationis certitudo parit ſuperbiam, aut torporem in exercendis bonis operibus. Reſp. Si inhærenti iuſtitiæ conſideremus, vtique foremus ſuperbi; ſed nitimur iuſtitia Chriſti, quam manu fidei mendica recipimus, atque adeo obligamur ad humillimam gratiarum actionem. Ceterum vera fides, quæ iuſtificat, non eſt torpida in operando, ſed viua & efficax; quippe quæ per caritatem operatur, Gal. V, 6.

### *SVSPIRIVM.*

Siſto me ad tribunal tuum, o Deus æterne, iudex celſiſſime! Cum tu ſis iudex omniſcius, nil tibi clauſum, nil abſtruſum, nil velatum eſt. Dum etiam ſis iudex iuſtiſſimus, coram conſpectu tuo nil, niſi ſanctum, purum, defecatum conſiſtit. Quare imperfecta nobis inhærens iuſtitia ad rigorem legis tuæ erubeſcit & ceræ inſtar diffluit. Quod ſubinde recordatus peccata mea non tego ſilentio, aut diſſimulo, ſed aperte fateor, me eſſe reum multorum criminum, reum æternæ mortis. Sed ſupplex confugio ad aram miſericordiæ, & complector thronum gratiæ tuæ! Aſpice, o pater miſericordiſſime, ſanguinem pretioſiſſimum, quem filius tuus vnigenitus pro me effudit; intuere mortem ipſius, quam pro me oppetiuit, vt læſæ iuſtitiæ tuæ faceret ſatis! Hanc mediatoris mei mortem vt λύτϱον validiſſimum manu fidei apprehendo, mihi vindico, tibique, Pater optime, maxime exhibeo, humillime obteſtans, vt illius fructum mihi clementiſſime indulgeas! Dele, obſecro, debita mea e rationario tuo, eaque oblittera minio ſanguinis redemtoris: iuſtitiam Chriſti, quam pro me, legem tuam exactiſſime implendo, mihi peperit, in me deriua, vt ſolutus debitis, liber, indutus iuſtitia Chriſti, iuſtus, receptus in gratiam, amicus tuus, filius tuus, & heres cœli cenſear æſtimatione tua gratioſiſſima!

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT IX.

# DE GRATIA INHABITANTE, ET DE VNIONE IVSTIFICATORVM MYSTICA CVM DEO.

Quæſt. I. *Quid eſt vnio Myſtica renatorum cum Deo?*

*Vnio myſtica* eſt coniunctio ſpiritualis Dei triunius cum homine iuſtificato, qua in hoc velut conſecrato templo præſentia ſpeciali, eaque ſubſtantiali habitat, & gratioſo influxu in eodem operatur.

*Plenius deſcribitur:*

*Vnionis myſticæ definitio.* *Vnio myſtica* eſt actus gratiæ applicatricis, quo Deus trinunus, ex ſpeciali amore, intuitu meriti Chriſti, vera fide apprehenſi, in homine renato atque iuſtificato, velut conſecrato templo, præſentia ſubſtantiali habitat, omni plenitudine donorum eundem implet, & in ipſo ſpeciali concurſu operatur, vt, certus

tus de præſente gratia & futura gloria, in communione cum Chriſto & eccleſia perſeueret, ſanctificetur, & æternum ſaluetur.

Obſ. I. Momentum vnionis myſticæ cum momento regenerationis, iuſtificationis & renouationis idem omnino eſt; fiunt enim hæc ἀποτελέσματα omnia ſimul & in inſtanti; ſimul ac enim homo regeneratur & iuſtificatur, eo ipſo etiam Deo coniungitur, & cum ipſo vnitur. Et tamen vnum altero prius eſt, quoad noſtrum concipiendi modum ob diuerſa connotata. Sic regeneratio & iuſtificatio priores ſunt vnione iſta, vtpote quæ ex fide & poſt fidem in regeneratione acceptam demum eſt: & peccata, niſi remittantur, impediunt vnionem gratioſam, Eſ. LIX, 2. *Vnio* autem *myſtica prior* eſt *renouatione:* ex huius namque effectibus, bonis ſcil. operibus, tanquam e poſteriori, exiſtentiam illius poſſum cognoſcere, 1 Io. III, 6. 23. 24. c. IV, 12. 13. 16. Vid. KOENIGII *theol. poſitiua p.* 212.

Obſ. II. Quamuis *vnio myſtica*, qua *Deus* in anima velut templo *habitat*, noſtro concipiendi modo *iuſtificationem ſequatur* ordine *naturæ;* fatendum tamen eſt, *vnionem formalem fidei*, qua apprehenditur, induitur, & nobiscum vnitur *Chriſtus*, *vt mediator* & auctor impetrandæ gratiæ & remiſſionis peccatorum, in ſigno rationis *priorem* eſſe *iuſtificatione*. Fides enim ad iuſtitiam imputatur, quatenus meritum Chriſti recipit, & nobiscum vnit, vt fiat noſtrum. Confer. D. QVENSTED. *part. III. ſyſtem. ſol.* 524. Perſpicue id docet D. BROCHMAND. *T II. ſyſtem. p.* 485. *Quod ſi ſumatur regeneratio pro ſpirituali illa e Deo natiuitate, qua potiſſimum conſiſtit in vnione noſtri cum Chriſto; differt ea a iuſtificatione, vt cauſſa ab effectu ſuo. Nam iuſtificamur, quia ex Deo ſumus, ſiue quia in Chriſto ſumus*, iuxta illud Paulli Rom. VIII, 1. *Nihil condemnationis eſt in his, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Iuſtitia Chriſti, tanquam capitis ſpiritualis, imputatur credentibus, arctiſſime cum ipſo vnitis, qui velut membra in ipſo inueniuntur, Phil. III, 9. Conf. D. LYSERVS in *ſyſt. p.* 1548.

Quæſt. II. *Quotuplex eſt vnio Dei cum hominibus?*

Vnio Dei cum hominibus eſt *duplex:* a) *generalis*, qua omnes homines fideles & infideles in Deo viuunt, mouentur & ſunt: b) *ſpecialis*, eaque vel *gratioſa*, qua Deus ſubſtantiali præſentia in renatis in eccleſia militante adhuc degentibus habitat, & ſpeciali concurſu in iisdem operatur, c), vel *glorioſa*, qua Deus electos in eccleſia triumphante plenitudine gratiæ ſuæ implet, & exſatiat. *Homonymia.*

Prob. a. Ex Act. XVII, 28. *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.* Vt piſces in aqua & aues in aëre: ita omnes homines in Deo viuunt, mouentur & ſunt, eo, quod ipſe dat omnibus vitam & ſpiritum & omnia, v. 25.

Prob b. Ex Io. XIV, 23. *Si quis dilexerit me, verbum meum ſeruabit, & pater meus diliget illum, & ad illum veniemus, & manſionem apud illum faciemus.* Phraſi ſcripturæ non habitat Deus in infidelibus, aut impiis, ſed in renatis & iuſtificatis, qui Chriſtum diligunt, & verbum eius ſeruant. Deus enim homini reconciliatus, vt amicus amico ſeſe coniungit, intimeque & familiariter cum ipſo conuerſatur. Vnde Abraham a Deo ipſo vocatur אוהבי *amicus meus*, Eſ. XLI, 8.

Prob. c. In eccleſia triumphante Deus *erit omnia in omnibus.* In vita namque æterna Deus cum beatis non aget mediate, non illuminabit eos per verbum & ſacramenta, non docebit per miniſtros, non reget per principes, non defendet per angelos, ſed omnia in omnibus aget immediate. Erit ibi Deus intellectui lux ſplendidiſſima, voluntati ſummum bonum, appetitui gaudium dulciſſimum; ipſe erit beatorum doctor, rex, prorector, in quo cognoſcendo & celebrando toti erunt. Apoc. XXI, 3. 4. XXII, 5.



Digitized by Google

Quæſt. III. *Quare hæc vnio vocatur myſtica & ſpiritualis?*

Vnio hæc dicitur *myſtica* ideo, quod ſtupendum eſt *myſterium*, quod Deus immenſus & infinitus in corde humano habitat a). *Spiritualis* appellatur; quoniam per *Spiritum S.* gratioſe inhabitantem renatos non carnali, aut corporali, ſed ſpirituali & ſupernaturali modo perficitur b).

Prob. a. Ex Eph. V, 32. *Myſterium hoc magnum eſt: ego vero loquor inter Chriſtum & eccleſiam.* *Myſterium magnum* vocatur; quia huius vnionis modus ſpecificus eſt imperſcrutabilis.

Prob. b. Ex 1 Cor. VI, 17. Ὁ δὲ κολλώμενος, qui vero adhæret, conglutinatus eſt, *Domino, vnus Spiritus eſt.* Dixerat Apoſtolus, v. 16. omnem adhærentem ſcorto cum eo fieri vnam carnem, iam vero v. 17. aſſerit, adhærentem Chriſto cum eo vnum eſſe ſpiritum, i. e. per vnum eundemque Spiritum S. cum domino cohærere, per vnum eundemque Spiritum agi & regi.

Quæſt. IV. *Quot modis ſumitur nomen vnionis myſticæ?*

Terminus *vnionis myſticæ* interdum notat *actum transeuntem* gratiæ applicatricis, quo Deus cum fidelibus myſtice iungitur: interdum deſignat *ſtatum*, vel copulam Dei, cum fidelibus gratioſe vniti, *permanentem.* Priorem ſignificationem hic potiſſimum obſeruamus.

Prob. In præſenti occupati ſumus in actibus gratiæ diuinæ applicatricis explicandis: Ideoque *vnio* idem hic valet, quod *vnitio*, ſiue *actus vnionis*, qui eſt *tranſiens* & momentaneus, & fit eodem momento, quo regeneratio & iuſtificatio, quamuis vtraque noſtro intelligendi modo ſit poſterior: *ſtatus* vero *vnionis*, qui proprie & ſpecifice dicitur *vnio*, integer *permanet*, quamdiu homo iuſtificatus peccata proæretica euitat.

Quæſt. V. *Quibus vocibus ſynonymicis vnio myſtica deſcribitur in ſacris litteris?*

*Synonymia.* Dantur elegantes *periphraſes* in ſacra ſcriptura, quibus vnio myſtica deſcribitur. Vocatur enim *deſponſatio credentium cum Chriſto* a), *myſticum Chriſti & eccleſiæ coniugium* b), *membrorum & capitis coniunctio* c), *inſitio palmitum ſpiritualium in viti ſpirituali Chriſto* d), *manſio totius SS. Trinitatis apud hominem renatum* e).

Prob. a. Ex Hoſ. II, 19. *Deſponſabo te mihi in æternum.* Eſt hæc promiſſio ſpiritualis ac euangelica, qua Deus pollicetur, ſe vinculo deſponſationis nobiſcum coniunctum iri. Deſponſationem *procurat Deus Pater*, Matth. XXII, 2. *Filius Dei* eſt *ſponſus*, Io. III, 29. *Arrha & pignus* amoris eſt *Spiritus S.* 2 Cor. I, 22. Poteſt itaque hæc ſpiritualis deſponſatio omnibus tribus perſonis diuinitatis tribui: *appropriatur* tamen, ſiue peculiari ratione vindicatur, *Filio Dei;* quia vt ſponſus & ſponſa corporibus & animis vniuntur, vt vna caro, & vna ſint anima; ita Filius Dei nobis iungi voluit tum ratione *carnis*, dum noſtram carnem in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumſit, ſibique copulauit, & per incarnationem ſe nobis deſponſauit; tum ratione *Spiritus;* quia Spiritum ſuum nobis communicat, & noſtrum ſuo vnit ac coniungit, vt ſimus vnus Spiritus cum Domino, 1 Cor. VI, 17. Facta eſt hæc deſponſatio *in æternum;* ideo, quod indiſſolubilis eſt ex parte ſponſi Chriſti; ex parte ſponſæ, ſiue animæ noſtræ, perpetua eſſe debet.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Ex Eph. V, 32. *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ & erunt duo in carnem vnam. Myſterium hoc magnum eſt: ego vero loquor in Chriſtum & eccleſiam.* Coniugium corporale adumbrat myſticam Chriſti cum eccleſia vnionem. Vt enim arctiſſimus eſt nexus coniugalis, maiorque illo, qui verſatur inter parentes & liberos, ſola vi mortis diſſoluendus: ita Chriſtus tam firmo fœdere ſibi ſociauit eccleſiam, vt eius gratia a Patre exiuerit, & in mundum, carnem noſtram induendo, venerit. Et vt coniugium infert communionem nominis, honoris & bonorum: ita eccleſia a Chriſto Chriſtiana, ab hoc rege regina dicitur, & fit particeps tum gratiæ Chriſti in hoc ſeculo, tum gloriæ in ſeculo futuro.

Prob. c. Ex Eph. V, 23. *Chriſtus eſt caput eccleſiæ, idemque eſt ſeruator corporis.* Membra corporis connexa ſunt cum capite, interuentu certorum ligamentorum: ita membra eccleſiæ coniunguntur cum Chriſto per ligamenta verbi, ſacramentorum & fidei. Sicut ſenſus, vita & motus defluit a capite in membra: ita vita ſpiritualis, ſalus animæ, ſenſus fidei, omnesque boni motus deſcendunt a Chriſto in Chriſtianos.

Prob. d. Ex Io. XV, 5. *Ego ſum vitis; vos palmites. Qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructum multum.* Ita in vite palmites ſunt, vt viti non conferant, ſed inde accipiant, vnde viuant; ita vero vitis eſt in palmitibus, vt vitale alimentum ſubminiſtret eis, non accipiat ab eis, dicente AVGVSTINO *tract. LXXXI. in Io.* Pari ratione Chriſtiani ſunt in Chriſto, non vt quidquam boni illi impertiantur, ſed vt ex eius plenitudine accipiant gratiam pro gratia, Io. I, 16. Et Chriſtus ſic eſt in Chriſtianis, vt illis det de Spiritu ſuo, 1 Io. IV, 13. h. e. vt donis Spiritus S. illos impleat.

Prob. e. *Si quis dilexerit me, verbum meum ſeruabit, & Pater meus diliget illum & ad illum veniemus, & manſionem apud illum faciemus,* Io. XIV, 23. Quæ verba concinne exponit FVLGENTIVS *l. II. ad tr. reg. c. 3. Pater, Filius & Spiritus S. nouerunt ſic venire, ſic abire, vt nec ad locum localiter veniant, nec localiter de loco diſcedant. Omnia implet Trinitas, omnia continet: illi venire dicitur cui ſe manifeſtare dignatur, & ab illo diſcedit, a quo lumen ſuæ dilectionis abſcondit: nec tamen localiter abſens efficitur, cum iuſte relinquit indignum: nec loco præſens efficitur, cum miſericorditer viſitat, quem fecit dignum.* Ceterum manet SS. Trinitas apud nos præſentia *ſpeciali*, nos magis magisque illuminando, a peccatis ſubinde iuſtificando, ſanctificando, protegendo, in omni neceſſitate nobis ſubueniendo.

### Quæſt. VI. *Quis vnionem myſticam perficit?*

*Cauſſa efficiens* vnionis myſticæ eſt *Deus triunus*, *Pater* a), *Filius Dei* b), & *Spiritus S.* c). *Cauſſa efficiens vnionis myſticæ.*

Prob. a. Ex Eph. I, 17. 22. *Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater gloriæ, dedit illum caput ſuper omnia eccleſiæ, quæ eſt corpus eius, qui omnia in omnibus implet.* Deus Pater eſt fons & radix vnionis myſticæ; quippe qui eo fine Chriſtum conſtituit caput eccleſiæ, vt non tantum ritu principis eam gubernaret, ſed inſtar capitis cum membris connexi cum ea iungeretur, præſentiſſime ei adeſſet, & in totum corpus myſticum, eiusdemque vera membra vitam ſpiritualem cum viribus operandi diffunderet.

Prob. b. Vnionem myſticam a *Filio Dei* originem ducere, liquet ex eo, quod Filius Dei eccleſiam ſibi deſponſat, Hoſ. II, 19. cum ea perinde, ac *maritus cum vxore* copulatur, Eph. V, 31. velut *caput* cum ipſa, tanquam *corpore* ſpirituali, cohæret, Eph. I, 23. Chriſtiani in eo ſunt, vt *palmes in viti*, Io. XV, 5. Et vna cum Patre *manſionem* apud eos facit, Io. XIV, 23.

Prob.

Digitized by Google

Prob. c. Ex 1 Cor. III, 16. *Nonne ſcitis, quod templum Dei ſitis, & Spiritus Dei in vobis habitet?* Templum Salomonæum gloria Iehouæ implebat, 1 Reg. VIII, 11. Homines fideles ſunt viua templa Dei gratia Spiritus S. regenerante & iuſtificante inaugurata, gratia Spiritus S. inhabitante impleta.

Quæſt. VII. *Quid impulit Deum, vt arctiſſime ſe cum renatis coniungeret?*

*Cauſſa impulſiua V. M.* Vt Deus cum renatis vinculo vnionis myſticæ iungeretur, *interne* dilectione ſpeciali, qua ipſos complectitur a), *externe* merito Chriſti, vera fide ab ipſis apprehenſo b), *permotus* eſt.

Prob. a. Ier. XXXI, 3. *Dilectione perpetua dilexi te: per miſericordiam traxi te.* Numen benigniſſimum corda fidelium ad ſe allicit & trahit funibus amoris, Hoſ. XI, 4. quibus ſe cum illis deuincit. Summi amoris argumentum eſt, quod Deus homini renato iungitur, vt amicus amico, & in eodem perinde, ac animus in corpore, habitat.

Prob. b. Eph. II, 20. 21. *Superædificati* (eſtis) *ſuper fundamento Apoſtolorum & Prophetarum, cuius lapis* (ἀκρογωνιαῖος) *angularis eſt Ieſus Chriſtus, per quem totum ædificium coagmentatum probe creſcit in templum ſanctum in domino.* Obſ. a) quod doctrina Apoſtolorum & Prophetarum ſit fundamentum fidei dogmaticum, exhibens fundamentum fidei ſubſtantiale, Chriſtum; qui dicitur *lapis angularis*, ideo, quod templum ſpirituale, quod eſt eccleſia, & in ea quæuis anima renata, merito ipſius innititur. Connectit hic lapis angularis conuerſos non magis Iudæos, quam gentiles, *vt fiant vnum corpus myſticum ſanctum in Domino*, h. e. domicilium, Domino inhabitanti conſecratum. Obſ. b) Quando in ſcriptura S. Chriſtus *lapis angularis* dicitur, reſpectus habetur ad paſſionem & mortem Chriſti, Pſ. CXVIII, 21. Matth. XXI, 42. 1 Petr. II, 7. Qua ratione itaque meritum Chriſti eſt fundamentum regenerationis: eodem pacto eſt baſis vnionis myſticæ. Appoſite inquit CYRILLVS, *libr. XI. c. 27. in Io. Nexus vnionis noſtræ ad Deum Chriſtus eſt; nobis quidem, vt homo, Deo autem Patri, vt Deus naturaliter vnitus. Non enim poſſibile erat, corruptam hominis naturam ad immortalitatem conſcendere, niſi natura immortalis communione ac participatione ſui a mortalitatis noſtræ terminis ad ſuum bonum nos reformatos eleuaret. Conſummati igitur ſumus, reductique ad vnionem Patris mediatione Saluatoris.*

Quæſt. VIII. *Quibus mediis perficitur vnio myſtica Dei cum homine renato?*

*Media.* *Media* ex parte *Dei efficientia & confirmantia* vnionem myſticam ſunt verbum euangelii a) baptiſmus b) & cœna dominica c). *Medium* ex parte *hominis recipiens & amplectens Deum* eſt fides d).

Prob. a. Ex Io. XIV, 24. *Qui me diligit, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus ipſum diliget, & veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus.* Seruanti ſermonem Chriſti, h. e. verbum euangelii amplectenti, promittitur tum aduentus, tum conſtans inhabitatio totius SS. Trinitatis.

Prob. b. Ex Gal. III, 24. *Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Baptiſmus eſt medium induendi Chriſtum. Veſtimentum, quod induitur, externe cum corpore, Chriſtus indutus interne cum anima & corpore vnitur.

Prob. c. Ex 1 Cor. X, 16. 17. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne eſt communicatio ſanguinis Chriſti? Quem panem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti? Qia vnus panis, vnum corpus multi ſumus: omnes enim ex vno pane participamus.* Cum Chriſtiani participantes ex vno pane, euchariſtico vnum ſpirituale corpus redduntur, vtique mediante

Digitized by Google

mediante illo pane, qui eſt communio corporis Chriſti, cum ipſo Chriſto vniuntur. Quamvis enim iam ante cœnæ vſum ſalutarem Chriſtus ſit fidelibus vnitus per fidem, ex baptiſmo & verbi prædicatione acceptam, & proinde communio Chriſti ad cœnam domini afferatur: tamen eadem communio per cœnam Domini augetur, confirmatur & obſignatur, ipſaque vnio cum Chriſto per eam arctior redditur. Quo ſpectant verba Saluatoris apud Ioannem, cap. VI, 56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in ipſo.* Non deſcribitur quidem cap. VI. Ioannæo ſubſtantia ſacramenti cœnæ, fructus tamen e ſpirituali ſacramenti cœnæ manducatione redundans exponitur. De quo præclare diſſerit HILARIVS *l. VIII. de trinit. Hæc ſumta & hauſta faciunt, vt nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis maneat.* Et ſcite ait CYRILLVS ALEXANDR. *libr. VI. in Io. cap.* 17. *Perinde, ac ſi quis liquefacta cera aliam ceram infuderit: alteram cum altera totam commiſcet: ita neceſſe eſt, ſi quis carnem & ſanguinem domini recipit, cum ipſo coniungi, vt Chriſtus in eo, & ipſe in Chriſto inueniatur.*

Prob. d. Ex Eph. III, 17. *Habitat Chriſtus per fidem in cordibus noſtris.* Quæ verba perſpicue explicat CHEMNIT. de *D. N. in Chriſto, cap.* 30. *Fides eſt medium, organon, ſeu inſtrumentum, quo Chriſtum in verbo apprehendimus, accipimus ac retinemus, vt non quaſi peregrinus tranſeat, vel vt hoſpes pernoctet tantum apud nos; ſed vt per inhabitationis gratiam maneat, ac perpetuo in nobis habitet, vt ſemper nos ſimus ac maneamus domeſtici Dei.* Eleganter etiam GREGOR. NYSSEN. *Orat. VI. in Cantic. Fide Deum recipimus, vt intra conclaue cordis noſtri veniat, & receptum ſide retineamus.*

Quæſt. IX. *Quibus miniſtris Deus vnionem myſticam concinnat?*

Deus vnionem myſticam concinnat *miniſterio præconum ſacrorum*, qui ſunt quidam quaſi *paranymphi*, adducentes ſponſam Chriſto, vt illa cum hoc connubio ſpirituali coniungatur. *Cauſſa miniſterialis.*

Prob. Ex 2 Cor. XI, 2. *Deſponſaui* (ἡρμοσάμην) *vos vni viro, virginem puram vt ſiſterem Chriſto.* Chriſtus eſt ſponſus eccleſiæ, & cuiuslibet animæ renatæ, miniſter eccleſiæ eſt pronubus, in officio ſuo pro virili annitens, vt ſponſa ſponſo adducatur, in manus eius quaſi tradatur, & connubio ſpirituali cum ipſo deuinciatur.

Quæſt. X. *Quæ ſunt extrema, quæ vnione myſtica coniunguntur?*

Ex *vna* parte eſt *ſubſtantia totius ſanctæ Trinitatis* a), nec non ſubſtantia *humanæ Chriſti naturæ* b). Ab *altera* parte eſt *ſubſtantia hominis renati*, ſecundum *corpus* & *animam* conſiderati c). *Extrema.*

Prob. a. Ex 2 Petr. I, 4. *Maxima nobis & pretioſa promiſſa data ſunt, vt per ea reddamini* κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως, *diuinæ participes naturæ, effugientes eam, quæ in mundo eſt per concupiſcentiam, corruptionem.* Vbi obſ. a) quod communio naturæ diuinæ vnionem ſubſtantiæ diuinæ ſupponat, aut inferat; propterea, quod nulla communio ſine vnione datur. b) Infert communio naturæ diuinæ aliquam participationem diuinorum donorum pro conditione vnionis myſticæ. Fieri enim nequit, vt ſanctiſſima Trias animæ & corpori fidelium ſe iungat, quin eosdem omni plenitudine diuina iuſtitiæ, pacis, ſanctitatis, Eph. III, 18. ſecundum menſuram Eph. IV, 7. impleat. Egregie inquit HVLSEMANNVS in *breu. c. XIV. §. 4. Communio diuinæ naturæ notat gratioſam inhabitationem eſſentiæ diuinæ in nobis, & ab ea acceptam facultatem ſtudendi innocentiæ & puritati diuinæ.*

Prob. b. *Per vnionem myſticam ſumus membra corporis Chriſti de eius carne & oſſibus*, Eph. V, 30. Quæ verba Paulli intelligenda ſunt de ὁμοσαρκίᾳ, ſiue conſanguinitate noſtra cum Chriſto, propter carnis noſtræ aſſumtionem, quæ conſanguinitas piis & impiis communis eſt, ſed de vnione myſtica ſolis fidelibus propria; quia Apoſtolus agit de capite eccleſiæ, quæ ſpirituale eius eſt corpus, v. 23. Cum autem Chriſtus caput eccleſiæ non tantum ſecundum *diuinam*, ſed & *humanam* naturam ſit; conſequitur, nos non tantum cum diuina natura, ſed & ſubſtantia carnis Chriſti ſacramentaliter in vſu cœnæ, ſpiritualiter extra ſacramentum vniri.

Prob. c. Quod homo renatus anima & corpore conſtans cum Deo iungatur, patet ex 1 Cor. III, 16. *Nonne ſcitis, quod templum Dei ſitis, & Spiritus Dei habitet in vobis?* Quæ verba S. Paullus corpori renatorum applicat, 1 Cor. VI, 19. *Annon ſcitis, quod corpus veſtrum templum Spiritus, qui in vobis, ſancti ſit?* Obſeruat HVLSEMANNVS *l. c. p.* 920. quod hæc vnio, cum ſit dependentiæ, participationis & ſubordinationis cauſſæ ſecundæ, ſeu hominis fidelis, ſub capite Chriſto, inferat arctiorem modum connectendi ſubſtantiam phyſicam corporis humani cum corpore Chriſti, ad reſurrectionis & immortalitatis certitudinem obſignandam, quam cum ſubſtantia ſpirituali SS. Trinitatis.

Quæſt. XI. *In quo formaliter conſiſtit vnio myſtica?*

*Forma vnionis myſticæ*

Vnio myſtica *formaliter* conſiſtit tum in *ſpeciali & intrinſeca coniunctione ſubſtantiæ* hominis fidelis cum ſubſtantia SS. Trinitatis & carnis Chriſti a); tum in *gratioſa operatione*, qua Deus benigniſſimus in homine renato operatur influxu ſpeciali & efficaci b).

Prob. a & b. Ex Leu. XXVI, 11. 12. *In primis dabo habitaculum meum in medio veſtri, nec faſtidiet anima mea vos; ſed ambulabo in medio veſtri, eroque vobis in Deum; vos autem eritis mihi in populum.* Quæ verba Paullus repetit, 2 Cor. VI, 16. *Deus dixit: quia inhabitabo in illis, & in iis circumambulabo, & ero ipſorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Duo promittit Deus optimus, maximus: a) *Inhabitationem gratioſam*, quæ ſine præſentia ſubſtantiali concipi nequit; ſiquidem *inhabitatio* eſt *perſonæ*, non *donorum*, quæ non *inhabitare*, *ſed ineſſe* dicuntur: b) *Ambulationem in medio noſtri*, quæ gratioſam notat operationem. Ambulat princeps inter ſubditos, eos regendo; pater inter liberos, eorum rationibus proſpiciendo; præceptor inter diſcipulos, eos informando: ita Deus Spiritu S. renatos regit, conſulit, & eosdem docet atque illuminat. Duo ergo ad formam vnionis myſticæ pertinent 1) vera & realis ἀδιαστασία, vel propinquitas per appropinquationem ſubſtantiæ diuinæ ad hominem credentem: qua Deus triunus ad nos venit, & manſionem apud nos facit: quæ proinde *non* eſt *nuda* tantum *operationis*, ſine approximatione Dei, ſed propinquioris ad nos acceſſus, vel aduentus, vt in nobis ſit & maneat, Io. XIV, 23. *). 2) Gratioſa ἐνέργεια, ſiue operatio, qua Deus ita ad nos venit & in nobis habitat, vt impleat nos omni plenitudine ſapientiæ, ſanctitatis, potentiæ & aliorum donorum diuinorum, Eph. III, 18. Quæ etiam myſticam περιχώρησιν importat, qua Deus in nobis eſt & manet per gratiam, nos vero in Deo ſumus, eique adhæremus per fiduciam, vt nihil nos, qui Deo vnimur per fidem, ſeparare a Deo poſſit, Rom. VIII, 38.

Quæſt.

*) Quamquam enim ipſa Dei *præſentia* vbique locorum eſt infinita atque immenſa, ſi quidem Deus a nemine vnquam abeſt, Act. XVII, 27.: tamen *modus* præſentiæ & coniunctionis alius eſt generalis, alius ſpecialis ac hominis denuo nati proprius. In loco claſſico, 2 Cor. VI, 6. diſtinguuntur hæc duo: *habitabo* in illis, atque etiam *ambulabo;* quorum illud quidem ad Dei *naturam*, ſingulari quodam modo præſentem, hoc autem ad Dei *operationes* pertinet.

Digitized by Google

Quæſt. XII. *Poteſne iam diſtincte explicare, qualis vnio ſit ſpiritualis coniunctio Dei cum homine renato & iuſtificato?*

*Vnio myſtica* eſt ſubſtantiarum, ſed non formaliter ſubſtantialis a); eſt perſonarum, ſed non ratione termini ad quem perſonalis b), eſt accidentalis, non ratione extremorum, ſed ratione termini ad quem c); non eſt παραςατικὴ, ſiue externa ſine communicatione, ſed περιχωρηςικὴ, mutuam immanentiam inferens d); non eſt *nuda adeſſentia*, ſed *præſentia* Dei ἐνεργητικὴ, ſiue *operoſa* e); eſt denique coniunctio Dei cum homine fideli ἁρμονικὴ, ſiue contemperationem affectuum efficiens f).

Prob. a. Vnio myſtica *non* eſt *formaliter*, ſiue ratione modi, *ſubſtantialis.* Neque enim ex ſubſtantia diuina & humana vna reſultat ſubſtantia, ſicut ſurculus cum trunco in vnam arboris ſubſtantiam coaleſcit. Poteſt tamen vocari *ſubſtantialis obiectiue*, ab extremis vnionis; quoniam non tantum dona & operationes diuinæ, ſed & ipſa ſubſtantia Dei cum ſubſtantia hominis ſpiritualiter coniungitur. Accuratius dicitur vnio *ſubſtantiarum*, quam *ſubſtantialis;* quia ad vnionem *formaliter ſubſtantialem* requiritur, vt duæ ſubſtantiæ incompletæ *in vnam ſubſtantiam* completam coëant. At vero in vnione myſtica Deus & homo renatus ſunt ſubſtantiæ completæ; neque altera in alteram mutatur, aut transſubſtantiatur. Nam a) beneficio vnionis myſticæ Deus *in nobis, tanquam in templis habitat*, 1 Cor. III, 16. Sed domicilium non in incolam, nec incola in domicilium commutatur. b) Per vnionem myſticam *Chriſtum induimus*, Gal. III, 27. Sed indumentum non eſt eſſentialiter vnum cum homine induto. c) Diuina natura ab humana diſtinctiſſima eſt, licet *Deus ad nos veniat & manſionem apud nos faciat*, Io. XIV, 23. Poteſt enim recedere ab homine; cui appropinquauit. Sic receſſit Spiritus S. a rege Saule, 1 Sam. XVI, 14. & Dauid, a quo, prolapſo in adulterii crimen, diſceſſerat, ardentiſſimis ſuſpiriis Deum implorat, ne denuo Spiritum S. ſubtrahat, Pſ. LI, 13. E. Spiritus S. ab anima renata eſſentialiter diſtinctus eſt.

Prob. b. Chriſtum & fideles myſtice vnitos manere diſtinctas perſonas, Paullus docet, Gal. II, 20. *Viuo autem nunc non ego* (Paullus innuit, ſe diſtinctam a Chriſto eſſe perſonam), *ſed viuit in me* (Paullo) *Chriſtus.* Quare Paullus & Chriſtus, vt duæ perſonæ diſtinctæ, diuerſis operationibus, quæ ſuppoſitorum ſunt, diſcernuntur. Alias ſenſus foret: *Non vero ego i. e. Chriſtus, ſed Chriſtus viuit in me, i. e. Chriſto*, quo nihil inſulſius dici poteſt. *Differt* igitur *vnio perſonalis* a *myſtica:* 1) *Extremis. Illa* natura diuina τȣ̃ λόγȣ αὐθυπόςατος, i. e. propria ſubſiſtentia gaudens, aſſumtæ humanæ naturæ ἀνυποςάτῳ, i. e. propria hypoſtaſi deſtitutæ, vnitur: *hac* tota SS. Trinitas cum pluribus hominibus complete ſubſiſtentibus vinculo fidei coniungitur: 2) *Termino ad quem. Illa* terminatur ad vnam perſonam σύνθετον; *hæc* ad vnum myſticum per accidens vnitum: 3) *Modo. Illa* eſt indiſſolubilis, *hæc* ſolubilis: per *illam* habitat natura τȣ̃ λόγȣ in carne aſſumta σωματικῶς, tanquam in templo ſingulari; per *hanc* habitat Deus triunus in homine renato πνευματικῶς, tanquam templo communi: 4) *Gradu*, quem recipit vnio myſtica, vtpote quæ, pro augmento aut decremento fidei, modo arctior, modo debilior eſt; ſed vnio perſonalis nullum admittit gradum, cum ſit ſemper eadem: 5) *Conſequente communicatione.* Vnione *perſonali* communicantur carni Chriſti dona *infinita* ad *poſſeſſionem & vſurpationem:* vnione *myſtica* communicantur renatis dona *finita* ad *ſubiectiuam inhæſionem:* 6) *Prædicationibus*, quas illa *perſonales*, hæc *accidentales* gignit.

Prob. c. Vnio myſtica vocatur *accidentalis, non ab extremis vnitis;* quippe quæ ſunt ſubſtantiæ: *ſed a termino ad quem;* quia non terminatur ad vnum per ſe: ſicut duæ ſub-

 ſtantiæ

Digitized by Google

ſtantiæ incompletæ concurrunt ad conſtituendam vnam ſubſtantiam completam; v. gr. anima & corpus conſtituunt vnum hominem. Sed Deus & homo ſunt ſubſtantiæ completæ, & conſtituunt vnum myſticum per accidens vnitum. Quamobrem vnio myſtica non eſt quidem *eſſentialis*, neque tamen ratione *extremorum accidentalis*; quoniam non tantum *dona* diuina, neque duntaxat operatio Dei gratioſa, ſed ipſa etiam *ſubſtantia* Dei cum *ſubſtantia* fidelis hominis intime vnitur. Id quod demonſtratur:

1) Quia tres *perſonæ Deitatis* dicuntur *venire ad fideles & manſionem apud eos facere*, Io. XIV, 23. At perſonæ Deitatis non ſunt *accidentia*, & *aduenire* ad aliquem notat approximationem ad eundem. *Manſionem facere* nunquam dicitur de donis, aut operationibus abſtractiue conſideratis; ſed de perſonis operantibus.

2) Deus in fidelibus, *tanquam templis habitat*, 1 Cor. III, 16. *Templa* dicuntur Deo conſecrata, non donis, non operationibus diuinis. *Inhabitare* in *templo* notat præſentiam ſubſtantialem. Sola dona, ſolæ operationes non dicuntur *inhabitare*.

3) Ex Gal. IV, 6. *Emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem: Abba Pater.* Hic Apoſtolus *approximationem* Spiritus S. ſubſtantialem a *clamore gratioſo* aperte diſtinguit, adeoque & ſubſtantiam Spiritus S. propius accedere, & dona ſua magis exſerere enuntiat.

4) Ex 1 Cor. VI, 15. 16. 17. *An neſcitis, quod corpora veſtra membra Chriſti ſint? Quomodo igitur eripiam Chriſto membra ſua, & efficiam ea membra meretricis? An neſcitis, quod, qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim, inquit ſcriptura, duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum illo.* Vnde naſcitur argumentum; Quo pacto ratione extremorum vniendorum vir & mulier fiunt vna caro, eo pacto Chriſtus & fideles ſunt vnus ſpiritus: Atqui vir & mulier fiunt caro per vnionem ſubſtantiarum: E.

5) Qui ſunt membra corporis Chriſti, ex carne eius & oſſibus eius, illi ratione ſubſtantiæ cum Chriſto ſunt vniti: Atqui renati &c. E. *Minor* patet ex Eph. V, 30.

6) Qui Chriſto vniti ſunt ea ratione, qua palmites viti, illi ſubſtantia ſua iuncti ſunt ſubſtantiæ Chriſti: Atqui renati &c. E.

7) Renati ſunt κοινωνοὶ θείας φύσεως, *participes diuinæ naturæ*, 2 Petr. I, 4. Sed communicatio diuinæ naturæ plus notat, quam participationem donorum aut operationum, ſiquidem homines renati ac iuſtificati non tantum cum donis aut operationibus diuinis, ſed etiam cum Deo Patre, & ipſius Filio communionem habent, 1 Io. I, 3. E quibus colligimus: Quibus ita vnitur Deus, vt naturæ ſuæ diuinæ participes faciat, illis non tantum iungitur donis ac operatione ſua, ſed & eſſentiæ ſuæ diuinæ coniunctione: Atqui hominibus fidelibus Deus ita vnitur &c. E.

8) Doctrina de peculiari ſubſtantiæ diuinæ approximatione ad homines pios conformis eſt libris noſtris ſymbolicis, Patribus & Theologis orthodoxis. Reiicit enim Form. concord. art. III. falſam doctrinam eorum, qui aſſerunt: *Non ipſum Deum, ſed tantum dona in credentibus habitare.* LVTHERVS hac de quæſtione ita ſcribit in Pſ. LI. *Omitto inutiles diſputationes ſcholarum, an loquatur de perſona diuina, ande dono ſpiritus? Quid enim hæc etiam accurate diſputata ædificant? Cum habeamus clarum teſtimonium Chriſti: Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Habitat ergo vere Spiritus S. in credentibus non tantum per dona, ſed & quoad ſubſtantiam ſuam. Neque hic dona ſua dat, vt ipſe alibi ſit, aut dormiat; ſed adeſt donis ſuis & creaturæ ſuæ, conſeruando & addendo robur.* Confer. D. HVLSEM. *breuiar. enucl. p. 906.* & D. CALOV. in *ſyſtem. tom. X. p. 509.*

Prob. d. Quod vnio myſtica non ſit παραστατική, ſiue *externa* per *nudam aſſiſtentiam*, ſed περιχωρητική, ſiue *interna* per *intimam immanentiam*, liquet ex eo, quod teſte S. ſcriptura Deus eſt in fidelibus per gratiam efficacem, & fideles ſunt in Deo per fiduciam, & hinc

Digitized by Google

hinc fluentem amorem. Quo ſpectant verba S. Ioannis, 1 epiſt. IV, 15. *Quisquis confeſſus fuerit, quod Ieſus ſit filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus, & credidimus dilectionem, quam habet Deus erga nos. Deus dilectio eſt; vnde, qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in ipſo.* Fides renatorum nititur philanthropia Dei, quam luculentiſſime teſtatus eſt mittendo Ieſum redemtorem; in quem renati credunt corde, & quem confitentur eſſe Filium Dei, hanc ſuam fidem amore in Deum exſerentes. Inde fit, vt maneant in Deo, tanquam oceano bonitatis & caritatis, maneant in Chriſto, vt palmites in vite, & Deus maneat in ipſis, tanquam templis conſecratis, quæ purificat, exornat, & omni plenitudine ſapientiæ, iuſtitiæ & ſanctitatis actiue implet: anima vere renata paſſiue perficitur, excolitur, & velut vas gratiæ impletur.

Prob. e. Quod vnio Dei myſtica non nuda adeſſentia ſubſtantiæ diuinæ abſoluatur, ſed efficacem etiam operationem complectatur, probatur:

1) Quemadmodum præſentia Dei ad creaturas non terminatur in ſola adeſſentia, ſed in adeſſentia cum operatione coniuncta; ita ſpiritualis noſtra coniunctio cum Deo non terminatur in nuda adeſſentia ſubſtantiæ diuinæ ad ſubſtantiam hominis fidelis, ſed efficacem operationem Dei in homine complectitur, vt recte colligamus: Vbicunque Deus eſt *præſentia generali*, ibi etiam operatur *concurſu generali.* Ergo, vbi Deus præſens eſt *præſentia ſpeciali,* ibi etiam operatur *concurſu ſpeciali & gratioſo.*

2) Deus in hominibus iuſtificatis non tantum *habitat*, ſed etiam *ambulat*, 2 Cor. VI, 16. h. e. præſens eſt ipſis, varias virtutum actiones, quibus ipſum colant, in iisdem excitando & operando.

3) Chriſtus *ita* in fidelibus eſt, *vt in iis viuat*, Gal. II, 20. inſignes *fructus fidei pariat*, Io. XV, 5. & *regnum ſpirituale in cordibus eorum erigat*, Luc. XVII, 21.

4) Spiritus S. vnitur cum fidelibus, vt eos omnia (ad ſalutem cognitu neceſſaria) doceat, 1 Ioann. II, 27. preces & ſuſpiria excitet, Rom. VIII, 15. 16. conſoletur, Io. XVI, 7. ducat in terra recta, Pſ. CXLIII, 10. eosque ſanctificet, Rom. XV, 16.

Prob. f. Quod vnio myſtica renatis harmoniam affectuum cum Deo triuno conciliet, patet: quia 1) vnus cum Deo, cui agglutinati ſunt, fiunt ſpiritus, 1 Cor. VI, 17. h. e. diuinæ ſanctitatis, bonitatis, iuſtitiæ, veracitatis participes.

2) Imitantur iidem Deum amando, 1 Io. IV, 10. miſericordiam ad exemplum patris cœleſtis exercendo, Luc. VI, 36. ſanctitati ſtudendo, 1 Petr. I, 15. 16.

3) Quoniam beneficio vnionis myſticæ mentibus noſtris imago Chriſti imprimitur, vt μοϱφωϑῇ ἐν ἡμῖν, formam in nobis nanciſcatur, Gal. IV, 19.

*Antitheſis* eſt 1. *Weigelianorum & Schwenkfeldianorum*, ſtatuentium, myſticam cum Deo vnionem ratione *modi* eſſe *eſſentialem & corporalem:* 2. Quorundam *Scholaſticorum, Pontificiorum, Socinianorum & Arminianorum*, negantium, Deum *ſpeciali præſentia ſubſtantialis modo* in fidelibus habitare. *Weigelianorum* potiora argumenta ſunt:

I. Quicunque vnum ſunt in Deo Patre & Filio, ſicut Pater eſt in Filio & Filius in Patre, vnio illorum eſt eſſentialis (nam vnio Patris & Filii eſt *eſſentialis*): Atqui renati &c. E. *Minor* patet e Io. XVII, 20. 21. Reſp. Verba textus citati ſunt: *Non pro his oro tantum, ſed etiam pro iis qui crediderint per verbum illorum in me; vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt etiam in nobis vnum ſint.* E quibus verbis obſeruare licet, particulam ſimilitudinis καϑὼς, *ſicut*, non referendam eſſe ad *vnionem myſticam* cum *Deo*, ſed vnionem *eccleſiaſticam* renatorum *inter ſe*, quæ vnionis myſticæ effectus eſt. Ad hæc, licet particula ſimilitudinis transferretur ad vnionem cum Deo myſticam, non tamen *æqualitatem*, ſed aliqualem *conformitatem*, non ſimilitudinem abſolutam, ſed reſpectiuam inferret.

 II. Qui-

Digitized by Google

II. Quicunque ſunt participes diuinæ naturæ, illorum vnio cum Deo eſt eſſentialis: Sed renati &c. 2 Petr. I, 4. E. Reſp. Quicunque ſunt participes diuinæ naturæ participatione *eſſentiali*, qua Deo fiunt ὁμοέσιοι, illorum vnio cum Deo eſt eſſentialis; concedo. At quicunque ſunt participes naturæ diuinæ participatione ſpirituali & gratioſa per fidem, illi Deo non ſunt eſſentialiter vniti.

III. Quicunque cum Deo ſunt vnus ſpiritus, illorum vnio cum Deo eſt eſſentialis: Atqui homines renati &c. 1 Cor. VI, 17. Reſp. Quicunque cum Deo ſunt vnus ſpiritus, vt conſtituant cum Deo vnum per ſe, illorum vnio eſt eſſentialis. Sic limitata *maiori* negamus *minorem;* propterea, quod vnione myſtica non conſtituitur vnum per ſe, ſed per accidens. Ratio in promtu eſt; quia Deus & homo renatus complete exſiſtunt & ſubſiſtunt, adeoque per ſe vniri nequeunt.

IV. Quicunque ſunt membra Chriſti, illi cum Chriſto ſunt eſſentialiter iidem: Atqui renati &c. Eph. V, 30. E. Reſp. Diſt. *inter membra naturalia, & myſtica.* Fideles non dicuntur membra Chriſti, ideo, quod eandem cum Chriſto habent naturam; quippe cuius etiam infideles ſunt participes; ſed ob cognationem *ſpiritualem*, quæ connectitur ex parte Dei, vinculo verbi & ſacramentorum, ex parte hominis renati, vinculo fidei. Sed cognatio ſpiritualis non infert vnionem eſſentialem.

V. Qui vniuntur cum Deo, vt palmites cum vite, coniunguntur cum illo eſſentialiter: Atqui renati &c. Io. XV, 5. E. *Maior* conſtat; quia vnio palmitum cum vite eſt eſſentialis. Reſp. Simile non eſt extendendum vltra tertium. Chriſtiani Chriſto iunguntur vere & realiter, non autem eſſentialiter. Differunt hac in parte palmites ſpirituales a naturalibus, quod hi iunguntur per naturam, illi per ſupernaturalem gratiam.

Argumenta *Pontificiorum, Socinianorum atque Arminianorum* ſunt ſequentia:

I. Quicunque per eſſentiam eſt immenſus, infinitus, omnipræſens, & a nulla re creata localiter diſtans, is, cum ſanctis ſpecialiter præſens eſſe incipit, non poteſt ſpeciali præſentia ſubſtantiali ad ipſos venire aut appropinquare: Atqui Deus &c. E. *Maior* patet: quia, vbi ens aliquod ſubſtantiali præſentia adeſt, eo non niſi per effectum, affectum, aut aliquod donum venit. Reſp. Neg. *maiorem*, cuius adducta ratio valet de ente finito, determinabilem, definitiuam ac circumſcriptiuam præſentiam habente, non de ente infinito, ſiue Deo, qui diſtinctis adeſſendi *modis* præſens eſt. Infinitas & immenſitas Spiritus S. non obſtabat, quo minus is propius iungeretur columbæ illi, in qua viſibiliter deſcendebat ſuper Chriſtum in huius baptiſmo, quam aliis creaturis. Quin ὁ λόγος etiam infinitus & immenſus proximius habitat in aſſumta carne propria & quidem σωματικῶς, Col. II, 9. quam in aliis hominibus ſanctis. Tota SS. Trinitas propius adeſt & vnitur angelis & hominibus beatis, quam diabolis & damnatis. Non ergo ſequitur: Vbicunque Deus ſecundum ſubſtantiam iam adeſt, eo non poteſt *vllo modo* ſecundum ſubſtantiam venire, aut appropinquare; ſed hoc tantum ſequitur, Deum ſecundum ſubſtantiam *eo modo, quo iam adeſt*, non poſſe approximare.

Dicis: Præſentiæ gratioſæ formale non in noua ſubſtantiæ approximatione, ſed in nouo, eoque ſpeciali, operandi modo fundatur & terminatur. Reſp. Nouus operandi modus peculiarem eſſentiæ diuinæ approximationem non excludit, ſed includit. In omnibus præſentiæ diuinæ gradibus, ſiue modis, cum operatione præſentiæ ſubſtantiali operatio eſt coniuncta. Id quod diſcimus e verbis Chriſti, Io. XIV, 26. *Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Vbi Chriſtus diſcipulis iam ante regenitis tum gratioſum Spiritus S. *aduentum*, qua ſubſtantiam, tum ſpecialem ipſius *operationem*, ſiue informationem promittit.

II. Si

Digitized by Google

II. Si Deus ratione ſubſtantiæ arctius vniretur cum fidelibus, ratione ſubſtantiæ etiam ab infidelibus recederet: Sed non recedit ratione ſubſtantiæ ab infidelibus; quia ceteroqui non foret omnipræſens: E. Ratione ſubſtantiæ cum fidelibus non arctius iungitur. Reſp. Deus non recedit ab infidelibus, qua præſentiam *generalem;* recedit tamen *ſpeciali* præſentia, eos dedignando, eo quod peccatoris malitioſæ iniquitates Deum & peccatorem diuidunt atque ſeparant, Eſ. LIX, 2. Neque tamen exinde infringitur omnipræſentia diuina; quia Deus non diſcedit phyſice & localiter, mutando locum, ſed hyperphyſice & illocaliter, domicilium cordis conſpurcatum non inhabitando.

Inſtantia: Deus recedit ab infidelibus, gratiam ſuam ſubtrahendo. Reſp. Deus recedit ab impiis tum gratiam, tum ſpecialem eſſentiæ ſuæ propinquitatem ſubtrahendo. Hinc cum Deus immorigeris Iſraëlitis comminaretur, Exod. XXXIII, 3. *Non aſcendam in medio tui, eo quod populus durus ceruice tu, vt conſumam te in via!* ipſe Deus propinquitatem ſuam ſpecialem denegabat iisdem.

III. Qui eum in finem ſe nobiscum vnit, vt in nobis operetur, is beneficio gratioſæ operationis tantum nobiscum vnitur: Atqui Spiritus S. &c. 1 Cor. XII, 11. E. Reſp. Spiritus S. operatur non abſens, ſed præſens. Gratioſa operatio ſpecialem præſentiam ſubſtantialem non excludit, ſed ſupponit.

IV. Dei Patris, Filii & Spiritus S. eadem eſt præſentia, eadem inhabitatio, eadem vnio: At Dei Patris & Spiritus S. & Chriſti præſentia, inhabitatio & vnio nobiscum fit ſecundum diuinitatem. Reſp. Vnio & præſentia perſonarum Trinitatis conuenit ratione modi vniendi, qui diuinus & ſupernaturalis eſt; neque ipſa natura humana Chriſti alio, quam diuino modo nobis appropinquat & vnitur: ſed diuerſa eſt ratio vnionis Patris & Filii reſpectu *obiecti,* ſeu *extremi.* Pater eſt perſona ſimplex, Filius eſt σύνθετος: ideoque hic ſecundum vtramque naturam nobiscum vnitur, cum Chriſtus non ſit aliquod tertium, a deitate & humanitate diſtinctum. Præterea Chriſtus eſt caput, ſponſus, vitis & mediator noſter ſecundum vtramque naturam, adeoque ratione officii mediatorii etiam ſecundum carnem nobiscum vnitur.

V. Quicunque cum Chriſto ſunt coædificati in ſpiritu, vt in ipſis per fidem habitet, illi cum corpore Chriſti non coniunguntur: Atqui renati &c. Eph. II, 22. c. III, 17. E. *Maior* liquet: quia vnio, quæ fit in ſpiritu per fidem, eſt ſpiritualis; ſed, quæ fit cum corpore Chriſti, eſt corporalis. Hæc ideo ſtatuenda non videtur, quia Chriſtus per fidem in nobis habitat. Reſp. Vnio *ſpiritualis* appellatur a *modo vniendi,* non ab obiecto, aut extremis vnitis. Hinc, licet vniamur cum *corpore* Chriſti; non tamen vocanda eſt vnio *corporalis,* quia fit per fidem, a Spiritu S. accenſam, adeoque *modo ſpirituali.*

VI. *Weigeliani & Schwenckfeldiani* ſtatuunt, ſubſtantiam Dei cum ſubſtantia hominis renati vniri, a quorum ſomniis abhorrent Catholici. Reſp. Noſtra doctrina ab opinione *Weigelianorum & Schwenckfeldianorum* maxime differt: a) *ratione medii productiui & receptiui.* Nam aduerſarii vim vniendi verbo diuino ſubtractum eunt, & fidem in imitatione Chriſti conſiſtere aiunt: b) *ratione modi;* quoniam illi aſſerunt, vnionem myſticam fieri σωματικῶς, vt eſſentia diuina cum noſtra fiat vna eſſentia: c) *ratione effectus;* quia opinantur, iuſtificationem in vnione myſtica conſiſtere, vt beneficio huius vnionis renati ſint filii Dei naturales: d) *ratione conſequentium;* quoniam Weigeliani comminiſcuntur, ex vnione myſtica fluere prædicationes perſonales, vt homo fidelis de ſeipſo affirmare poſſit: *Ego ſum Chriſtus.*

Inſtantia: Sed ipſe LVTHERVS ea propoſitione vſus eſt in *commentar. ad Gal.* II. vbi ita ſcribit: *Fides pure docenda eſt, quod ſcilicet per eam ſic conglutineris in Chriſto, vt ex te &*

*ipſo*

Digitized by Google

*ipſo fiat vna quaſi perſona, quæ non poſſit ſegregari, ſed perpetuo adhæreſcat ei, vt cum fiducia dicere poſſis: Ego ſum Chriſtus, h. e. Chriſti iuſtitia, victoria, vita eſt mea. Et viciſſim Chriſtus dicat: Ego ſum ille peccator, h. e. eius peccata, mors &c. ſunt mea; quia adhæret mihi, & ego illi.* Reſ. 1) LVTHERVS Chriſtum & hominem fidelem non vocat vnam *perſonam*, ſed *quaſi perſonam.* 2) Megalander oſtenſurus fuit, hominem renatum effectum, merito Chriſti partum, vera fide ſibi applicare hoc modo: Chriſti iuſtitia, victoria, vita eſt mea. Quemadmodum enim Chriſtus imputatiue eſt peccator, quatenus is peccata mundi ſponte ſua in ſe ſuſcepit, vt pœnæ peccatorum iudicio diuino in ipſum ſint translatæ: ita homo renatus, meritum Chriſti vera fide apprehendens, ſibique vniens, eſt imputatiue Chriſtus, quatenus iuſtitia, victoria & vita, merito Chriſti conciliata, æſtimatione diuina in ipſum transfertur. 3) Loquitur Lutherus de vnione formali fidei, qua Chriſtus mediator apprehenditur; non de vnione myſtica, qua Deus in anima reconciliata habitat, quæ iuſtificationem ordine naturæ ſequitur. At vero a formula loquendi ἀγράφῳ, intellectu difficili, contortu facili, ob corruptelas aduerſariorum poſt mota certamina iure meritoque abſtinemus moti ſequentibus rationibus: a) Quia Ioannes baptiſta diſerte dicit: *Ego non ſum Chriſtus*, Io. I, 20. b) Paullus non dicit: Ego ſum Chriſtus; ſed: *Chriſtus viuit in me*, Gal. II, 20. c) Si propoſitio illa: *Ego ſum Chriſtus* ex vnione myſtica deducitur, poſſet homo mentis impos dicere: Ego ſum Deus Pater, ego ſum Spiritus Sanctus; quia etiam Deus Pater & Spiritus S. in nobis habitat. d) Eo vanitatis progreſſi ſunt *Weigeliani*, vt ſæpius memoratæ propoſitioni addiderint prædicata & opera Chriſto propria, & ad extra incommunicabilia: Chriſtus wohnet alſo in den Wiedergebohrnen, daß ein ſolcher Menſch zu dem andern ſagen könne: Ich Chriſtus Jeſus, das lebendige Wort Gottes, habe dich erlöſet durch mein unſchuldiges Leiden. Quo nihil monſtroſius fingi poteſt.

### Quæſt. XIII. *Quis eſt finis vnionis myſticæ?*

*Finis vnionis myſticæ.* *Finis* vnionis myſticæ *vltimus* eſt vita æterna a). Finis *intermedii* & effectus ſunt varii: communio cum Deo Patre, Filio & Spiritu S. b), certificatio fidei c), auxilii diuini d), efficacis ſolatii e), excitatio precum, earumque exauditio f), conſeruatio in ſtatu gratiæ, vnde naſcitur perſeuerantia fidelium g), ſanctificatio h), obſignatio futuræ glorioſæ reſurrectionis & cœleſtis hereditatis i), vnio renatorum inter ſe & communio eccleſiæ k).

Prob. a. *Si in vobis manet, quod ab initio audiuiſtis, etiam vos in Filio, & in Patre manebitis. Et hæc eſt promiſſio, quam ille promiſit nobis, vitam æternam*, 1 Io. II, 24. 25.

Prob. b. Ex 1 Io. I, 3. *Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis, vt etiam vos communionem habeatis nobiſcum, & communio vero noſtra cum Patre, & cum Filio eius Ieſu.* Confer. 2 Cor. XIII, 13. *Gratia Domini Ieſu Chriſti, & amor Dei, & communicatio S. Spiritus* (ſit) *cum omnibus vobis! Amen!* Cum vnio myſtica ſit perichoriſtica, infert communionem noſtri cum Deo trinuno. Sunt igitur renati per communionem cum Deo Patre ipſius filii & heredes vitæ æternæ; per communionem cum Spiritu S. ſunt ipſius vaſa, domicilia & templa.

Prob. c. Ex 2 Cor. XIII, 5. *Vos ipſos tentate, num ſitis in fide? vos ipſos probate. An non cognoſcitis vos ipſos, quod Ieſus Chriſtus in vobis ſit.* In quibus Ieſus Chriſtus eſt præſentia ſpeciali, illi certo ſciunt, ſe per fidem Chriſto eſſe inſitos, dum fidem ſuam tentant & probant ex pace conſcientiæ, gaudio interno, ſpe viua, ad quam regenerati ſunt per reſurrectionem Chriſti ex mortuis, 1 Petr. I, 3. Qui autem accurato examine fidem ſuam probat, & cognoſcit,

Digitized by Google

& cognoſcit, Chriſtum in ſe eſſe ac viuere, is fidei ſuæ, atque adeo gratiæ, quæ fide apprehenditur, certus eſt. Conf. 2 Tim. I, 12.

Prob. d. Ex 1 Io. IV, 4. *Filioli vos ex Deo eſtis, & viciſtis illos* (pſeudo-prophetas), *quia maior eſt, qui in vobis eſt, quam qui in mundo.* Homines renati atque in agnitione veritatis cœleſtis confirmati vincunt tentamenta falſorum doctorum, adiuti a Spiritu S. in ipſis habitante, qui maior & potentior eſt eo ſpiritu, qui in mundo eſt, h. e. diabolo.

Prob. e. Ex Eſ. LVII, 15. *Sic dixit altus & excelſus, habitans æternum, & cuius nomen ſanctum: In alto & ſancto habito; attamen cum contrito & humili ſum ad viuificandum ſpiritum humiliam, & ad viuificandum cor contritum.* Deus cum corde contrito & humili modo ſpirituali coniunctus illud viuo ſolatio perfundit, perinde, ac ſi torrens voluptatis illud inundaret.

Prob. f. Ex Gal. IV, 6. *Quia filii eſtis, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba Pater!* Quæ verba exponit B. HVNNIVS: *Notandum eſt, quo ſenſu Spiritui S. clamor tribuatur, non certe, quod ipſemet Deum inuocet (hoc enim æternæ ipſius maieſtati derogaret, cum ſit vnus cum Patre, Filioque Deus); ſed quod efficiat in electis, vt ipſi ardentiſſimis precibus Deum, vt Patrem ſuum, inclament ac inuocent.* Preces a Spiritu S. in cordibus renatorum excitatas, quidni Deus Pater exaudiret? Eſt certe exauditio precum inſignis fructus vnionis myſticæ, docente ipſo Chriſto, Io. XV, 7. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quidquid volueritis, petetis, & fiet vobis.*

Prob. g. Ex Pſ. LXXIII, 23. *Ego vero ſemper tecum fui. Apprehendiſti manum dextræ meæ: in conſilio tuo ducis me, & poſt cum gloria acceptas me.* Qui cum Deo ſunt vniti, illorum in tentatione nutantium manus dextras Deus apprehendit & ſuſtentat, ne grauiter labantur, in via lubrica eos conſilio verbi ſui ducit & gubernat, donec ad gloriam cœleſtem ipſos euehat.

Prob. h. Ex Io. XV, 5. *Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructum multum; quia ſine me non poteſtis facere quidquam.* Palmites vim naturalem fructificandi debent viti: & homines fideles vires ſpirituales producendi fructus iuſtitiæ fidei, i. e. bona opera, Chriſto acceptas referunt. Ferunt hos fructus, quamdiu iunctura fidei connexi ſunt cum Chriſto, a quo auulſi ſterileſcunt.

Prob. i. Ex 2 Cor. I, 22. *Deus obſignauit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* Obſignat Deus in nobis non tantum præſentem gratiam, ſed & futuram hereditatem. Arrhabo, ſiue arrha, eſt pars pretii, data in anteceſſum, vt de toto pretio ſecuturo fides fiat. Accipimus itaque in hac vita arrham, i. e. primitias Spiritus: plenam felicitatis meſſem hereditate conſecuturi ſumus in vita æterna, ad quam Deus Pater templa Spiritus ſui in futura mortuorum reſurrectione eriget. Id quod innuit Apoſtolus Rom. VIII, 11. *Si vero Spiritus eius, qui reſuſcitauit Ieſum ex mortuis, habitat in vobis: is, qui reſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, viuificat etiam mortua corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum S. in vobis.*

Prob. k. Ex Io. XVII, 20. 21. 22. *Non pro his oro tantum, ſed etiam pro iis, qui crediderint per verba illorum in me, vt omnes vnum ſint; ſicut tu, Pater, in me es, & ego in te: vt etiam illi in nobis vnum ſint: vt mundus credat, quod tu me miſeris. Ego quidem gloriam, quam dediſti mihi, dedi illis, vt ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus.* Qui nexu fidei deuincti ſunt cum Deo Patre, vt filii, & cum Chriſto, vt membra ipſius & fratres, horum omnium vnum eſt corpus myſticum, vna eccleſia, atque adeo κοινωνία, ſiue communio omnium bonorum, omnium priuilegiorum, quæ Deus Pater intuitu meriti Chriſti, vera fide apprehenſi, eccleſiæ promiſit.



Digitized by Google

Quæſt. XIV. *Quænam diſſoluunt vnionem myſticam?*

Vnionem myſticam diſſoluit a) ἀπιςία, ſiue infidelitas, b) vitæ impietas.

Prob. a. Quemadmodum vera fides eſt catena, qua Deus cum anima renata connectitur, Cant. IV, 9. ita incredulitas eſt diſſolutio illius catenæ. Cum autem fides ſe exſerat deſideriis, gemitibus & precibus; coniectu procliue eſt, intermiſſione precum vnionem cum Deo myſticam disrumpi. Deſerit illum Deus, a quo deſeritur.

Prob. b. *Iniquitates veſtræ fuerunt diuidentes inter vos, & Deum veſtrum*, Eſ. LIX, 2. *Qui ſecundum carnem viuunt, moriuntur*, h. e. gratiam Dei, Spiritum S. & fidem amittunt, Rom. VIII, 13. Quibus amiſſis, vinculum vnionis gratioſæ ſolutum eſt.

Quæſt. XV. *Quales prædicationes fluunt ex vnione myſtica?*

*Prædicationes* ex vnione myſtica fluunt *appropriatiuæ* a), & *cauſſales* b).

Prob. a. Qui veros chriſtianos perſequitur, *perſequitur Chriſtum*, Act. IX, 4. Prædicationis fundamentum conſiſtit in communione capitis Chriſti cum chriſtianis, tanquam ſpiritualibus membris. Qui his iniuriam infert, aut benefacit, ipſi capiti Chriſto iniuriam inferre, aut benefacere cenſetur; cum Chriſtus illorum iniuriam, aut benefacta ſibi appropriet, non ὑποςατικῶς, ob communionem *perſonalem*, ſed σχετικῶς, ob communionem & reſpectum *ſpiritualem*.

Prob. b. Ex Gal. II, 20. *Viuo autem non amplius ego, ſed viuit in me Chriſtus.* Senſus eſt: Non viuo per me ipſum independenter, ſed ſpiritualis vitæ motum, ſenſum, continuationem Chriſtus in me efficit.

### *SVSPIRIVM.*

Stupendum eſt myſterium, quod tu, Deus immortalis, in me mortali, celſiſſimus in me humillimo, ditiſſimus in me pauperrimo, ſanctiſſimus in me peccatore, ſedem tibi atque domicilium figere, haud dedigneris! Indignum me eſſe, qui in conclaue cordis mei intres, ingenue fateor. Nihilo tamen minus collibuit maieſtati tuæ, eſſe in me per gratiam, vt in te ſim per fiduciam. Idcirco præſto es, regnas, doces in anima mea, vt Epiſcopus in templo, Rex in regia, Doctor in ſchola: ego autem in te ſum, vt ramus in arbore, palmes in vite, radius in ſole. Eccui ſuppetit tam vber fandi copia, vt dicendo exprimere queat inæſtimabile beneficium & incomparabile vnionis vinculum, quo me tam arcte tibi deuinxiſti, vt vnus tecum ſim ſpiritus, tuæ ſapientiæ, iuſtitiæ, ſanctitatis, pacis, gaudii, gloriæ particeps? Nihil adeo mihi curæ cordique eſt, quam vt ſanctiſſima & iucundiſſima hæc communio ſit conſtans, perennis, indiſſolubilis. Precor igitur & obteſtor te, Deus Pater, vt æternum ſis & maneas meus pater benigniſſimus, & ego ſim maneamque tuus filius obedientiſſimus! Maneas, Domine Ieſu, meum caput, vt ego maneam tuum membrum! Maneas, o Spiritus S., meus hoſpes perpetuus, vt ego maneam tuum habitaculum, quo noſtram coniunctionem, neque diaboli rabies, neque mundi inſidiæ, neque carnis illecebræ ſoluant vnquam, aut diuellant!

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT X.

# DE GRATIA RENOVANTE ET RENOVATIONE HOMINVM IVSTIFICATORVM.

Quæſt. I. *Quid eſt renouatio?*

*Renouationis definitio.* *Renouatio* eſt actus gratiæ, quo Spiritus S. hominem iuſtificatum, expulſis vitiis, ſanctitate inhærente donat.

*Vberius*

Digitized by Google

*Vberius definitur:*

*Renouatio* eſt actus gratiæ applicatricis, quo Spiritus S. inhærentes homini iuſtificato reliquias peccati, ne dominetur, abolet, motusque internos & externos voluntati diuinæ conformes, adeoque ſpiritualiter bonos, in eodem parit, vt, imagine diuina inſtaurata donatus, ſobrie, iuſte & pie viuat in laudem Dei ſanctiſſimi.

Obſ. I. *Renouatio* in genere denotat quamlibet actionem, qua ea, quæ vetuſtate detrita, infirmata, aut corrupta ſunt, reſtaurantur. Atque ita in *renouatione* hominis *ſpirituali, latius* ſumta, vetus homo ſecundum omnem ſuam rationem, i. e. carentiam virium ſpiritualium omnimodam, reatum & dominium peccati, aboleri, & nouus homo ſecundum ſuam latitudinem, i. e. ipſas vires ſpirituales, abſolutionem a reatu, & donum habituale, quo ſupprimatur dominium peccati, produci intelligitur. Quo ſenſu *latiori* vox, *renouatio*, accipitur in *Declar. Form. Conc. p.* 675. *Hoc certiſſimum eſt, in vera conuerſione immutationem, renouationem, & motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate & corde: vt nimirum mens peccata agnoſcat, iram Dei metuat, a peccato ſeſe auertat, promiſſionem gratiæ agnoſcat & apprehendat, pias cogitationes animo agitet &c.* Vbi tam *conuerſionis*, quam *renouationis* nomen ſignificatu *generali* ſumitur. Laxam hanc renouationis ſignificationem S. ſcripturæ non eſſe inuſitatam, dilucide demonſtrat D. SEB. SCHMID. in *Commentar. in ep. ad Hebr. c. VI,* 6. *p.* 663. Ἀνακαινισμὸς, *renouatio in ſcriptura duplex eſt. Eſt namque renouatio vna* εἰς μετάνοιαν, in, *vel* ad *pœnitentiam, quæ ipſam pœnitentiam præcedit; altera vero* per *pœnitentiam &* ex *pœnitentia, quæ pœnitentiam vt effectus ſequitur.* Probatur hoc partim ex noſtro hoc verſu 6. partim ex reliqua ſcriptura. Quando namque Apoſtolus dicit, impoſſibile eſſe, *ἀνακαινίζειν* renouare eos, qui prolapſi ſunt, (ſcil. peccato in Spiritum S.) *εἰς μετάνοιαν, in* vel *ad* pœnitentiam, clarum eſt, quod *ἀνακαινισμὸν*, renouationem intelligi velit eam, quæ pœnitentiam antecedat, & in eam terminetur: eſt namque *ἀνακαινισμὸς*, renouatio, qua homo fit pœnitens, atque adeo fidelis. Eſt vero alius *ἀνακαινισμὸς*, alia renouatio, ad quam Apoſtolus noſter Romanos iam fideles adhortatur, ad quos ſcribit, c. XII, 2. *Et ne configuremini ſæculo huic, ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, ſed transformamini renouatione mentis veſtræ.* Hanc namque ſequi pœnitentiam & fidem, planum eſt & perſpicuum. Vnde ſi *ἀνακαινισμὸν* ex ſcriptura in genere deſcribere voluerimus, ita deſcribere poterimus: Ἀνακαινισμὸς hominis, ſeu *renouatio, generaliter ſumta, eſt diuina donatio nouorum motuum & virium ſpiritualium, ad producendos actus ſpirituales, quos homo, ſuæ naturæ vetuſtatique corruptionis relictus, per ſe & ex ſe nec ex parte, nec ex toto producere poteſt.* Impræſentiarum renouatio *ſtricte* ſumta importat realem quandam & intrinſecam mutationem in homine *conuerſo, renato & iuſtificato;* qua ex homine vetere fit nouus, ex peccatore ſanctus.

*Homonymia.*

Obſ. II. Renouatio *ſtricte* dicta ſumitur vel *tranſitiue, vel intranſitiue:* vnde ab auctoribus duplici ratione deſcribitur. Renouatio *tranſitiue* ſumta *eſt actus gratiæ Spiritus S. applicatricis, quo is cum Patre & Filio, vi meriti Chriſti, hominem peccatorem ita immutat, vt intellectus pulſis errorum tenebris illuminetur, voluntas emendetur, ad praua inclinans coerceatur, & membra corporis arma iuſtitiæ fiant in laudem Dei, & debitum eidem praſtandum obſequium.* De hac renouatione *tranſitiua* notari meretur oraculum cœleſte, Ezech. XXXVI, 26. vbi Iehouah inquit: *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo in medio veſtri, ac remouebo cor lapidis e carne veſtra; dabo enim vobis cor carnis. Spiritum, inquam, meum dabo in medio veſtri, faciamque, vt in ſtatutis meis ambuletis, ac iudicia mea cuſtodiatis ac faciatis.* Renouatio *intranſitiue* ſumta *eſt realis & intrinſeca hominis conuerſi, renati ac iuſtificati*



*mutatio,*

Digitized by Google

*mutatio, qua is viribus diuinitus collatis inſtructus, excuſſo peccati dominio, ab inquinamentis carnis & ſpiritus ſe purificat, motusque internos & externos, quantum in hac vita poſſibile eſt, ad voluntatem diuinam, verbo legis expreſſam, conformat.* De qua renouatione *intranſitiua* loquitur Apoſtolus, Col. III, 9. 10. *Exuite veterem hominem cum actionibus eius, & induite nouum, qui renouatur in cognitionem ſecundum imaginem eius, qui creat illum.*

*Synonymia.* Obſ. III. *Renouatio* dicitur alias *ſanctificatio*, quæ itidem vel *late* accipitur, vt ambitu ſuo vocationem, illuminationem, conuerſionem, regenerationem, iuſtificationem & renouationem complectatur, vel *ſtricte* ſumitur, prout cum renouatione ſtricte ſic dicta coincidit. Ceterum conſueuit *ſanctificatio*, ductu ſcripturæ, *diſtingui in externam, & internam. Illa eſt, qua aliquid ab vſu communi & profano ſegregatum ad vſum ſacrum, Deoque gratum deſtinatur.* Sic ſanctificatur ſabbathum, Exod. XX, 8. ſanctificatur habitaculum, & omnia eius vaſa, altare, ſacerdotes, Exod. XL, 9. 10. cibus, 1 Tim. IV, 5. *Hæc eſt, qua ex homine iuſtificato peccatum expellitur, & ſanctitas inhærens ipſi donatur. Sanctitatis inhærentis* mentionem ideo facimus, vt eam diſtinguamus a *ſanctitate imputata,* quam Deus ex miſericordia intuitu meriti Chriſti, vera fide apprehenſi, peccatoribus conuerſis & renatis gratioſa æſtimatione attribuit: hæc ipſis donatur per gratiam iuſtificantem, qua Chriſti ſanctitas imputatiue noſtra eſt, vt cum Apoſtolo dicere auſimus, ex 1 Cor. I, 10. *Chriſtus nobis a Deo factus eſt ſanctificatio. Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel peractam*, Hebr. X, 10. In præſenti nobis ſermo eſt de ſanctitate non imputata, ſed inhærente.

Quæſt. II. *Quis nos renouat & ſanctificat?*

*Cauſſa efficiens renouationis principalis.* *Deus trinunus* a), *Pater* b), *Filius* c) atque terminatiue & *appropriatiue Spiritus Sanctus* d), homines iuſtificatos renouat & ſanctificat.

Prob. a. Ex 1 Theſſ. V, 23. *Ipſe Deus pacis ſanctificet vos integros, & integer veſter ſpiritus & anima & corpus irreprehenſibiliter in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Spiritus* l. c. notat ſuperiorem animæ humanæ facultatem, quæ homines a brutis diſterminat, ſcil. mentem & voluntatem. *Anima* denotat facultates inferiores, ad quas pertinent ſenſus externi & interni cum appetitu ſenſitiuo. *Corpus* eſt ſpiritus & animæ domicilium atque organon. Senſus itaque eſt: Deus auctor & vindex pacis temporalis, ſpiritualis & æternæ, illuminet *ſpiritum*, i. e. intellectum & voluntatem, ne errorum aut diffidentiæ tenebris oppleatur: renouet *animam*, h. e. ab affectibus externis & internis omnem maculam aut labem abſtergat: *corpus* purificet, atque ab omni pollutione immune præſtet, ne Dei hominumque reprehenſionem incurratis.

Prob. b. *Deus Pater vinitor cœleſtis omnem palmitem ſpiritualem in Chriſto manentem purgat, vt plures fructus ferat*, Io. XV, 2. Deus animam renatam & vinculo fidei cum Chriſto coniunctam purgat, tum impedimenta ſpiritualis fructificationis ab ea remouendo, tum virtute diuina fœcundiorem eandem reddendo, vt plures fructus iuſtitiæ (bona opera) ferat.

Prob. c. Ex Io. XV, 5. *Ego ſum vitis; vos palmites. Qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructum multum; quia ſine me non poteſtis facere quidquam.* Filius Dei vnitur myſtice cum hominibus iuſtificatis, vt vitis cum palmitibus, iisdemque omnem vigorem, omnem facultatem ferendi fructus iuſtitiæ communicatione ſpirituali dilargitur. Ex quo Paullus ſanctificationem eccleſiæ Chriſto tribuit, Eph. V, 25. *Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro illa, vt ſanctificaret illam, & mundaret lauacro aquæ in verbo.*

Prob. d. *Spiritui S.* opus ſanctificationis κατ᾽ ἰδιοποίησιν, ſeu per *appropriationem* quandam tribuitur. Dicimur enim *ſanctificati Spiritu Sancto*, Rom. XV, 16. Et baptiſmus nominatur

Digitized by Google

nominatur lauacrum *regenerationis atque renouationis Spiritus Sancti*, Tit. III, 5. *Hic habitat in renatis*, *tanquam templis*, 1 Cor. III, 16. *agit eos*, Rom. VIII, 14. *coadiuuat infirmitates eorum*, ibid. v. 26.

Quæſt. III. *Num homo iuſtificatus in negotio ſanctificationis Deo cooperatur?*

Homo renatus atque iuſtificatus ad opus ſanctificationis, tanquam cauſſa ſecundaria, ſubordinata, motaque a Deo, *concurrit*, vt per acceptas ſuperne vires *ſeipſum in dies renouet.*

Obſ. I. *Facultatem* bene operandi, & *actum primum ſanctificationis* efficit Spiritus S. in homine, *ſine concurſu hominis*, ſed ad ſanctificationis *actum ſecundum*, ſiue *exercitia* & *continuationem* ſanctificationis, per Spiritum S. ſemel introductæ, *homo concurrit*, non per *vires* naturales, ſed *ſupernaturales.*

Obſ. II. *Cooperatur* quidem homo renatus Deo in negotio ſanctificationis, attamen *non æquali actione*, ſed *ſubordinatione* ac *dependentia a Spiritu S. oo*, quod non per *vires* natiuas, ſed *datiuas* operatur. *). Id quod colligitur e verbis Apoſtoli, Phil. II, 12.13. *Cum pauore & tremore veſtram ſalutem operamini! Deus enim eſt, qui operatur in vobis tam velle, quam perficere pro beneplacito.* Si homo iuſtificatus eodem, quo Deus, modo ad renouationem ſui concurreret, non poſſet ſola εὐδοκία Dei pro ratione allegari, ob quam æquum ſit, hominem ſtudio quærendæ ſalutis incenſum tremere, ſiquidem beneplacitum Dei conſcientiam hominis per ſe non terret, ſed tranquillat. Tremit autem homo, quoties in negotio renouationis ſuum imperfectum, Dei autem perfectiſſimum agendi modum intuetur. Facta igitur comparatione ſui cum Deo perfectiſſimo, Matth. V, 45. non poteſt non ſuæ imperfectionis conſcius cohorreſcere.

Prob. 1) Ex Ezech. XVIII, 31. *Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* Homines renati *faciunt ſibi cor & ſpiritum nouum*, non per vires proprias, ſed per vires *diuinitus conceſſas*, per quas ad continuatam vitæ emendationem, velut cauſſæ ſubordinatæ, concurrunt, Ier. XII, 2.

2) Ex 2 Cor. VII, 1. *Has igitur cum habemus promiſſiones, dilecti, mundemus nos ab omni inquinatione carnis & ſpiritus, perficientes ſanctitatem in timore Dei.* Quibus verbis



Apoſtolus

*) Quem ad modum in *Declar. Form. Conc. cap. II. p. 674.* profitemur: *Quam primum Spiritus S. -- opus ſuum regenerationis & renouationis inchoauit, re vera tunc per virtutem Spiritus S. cooperari poſſumus ac debemus; quamuis multa adhuc infirmitas concurrat.* Itaque 1) arcte tenenda eſt diſtinctio *initii*, ſiue *actus*, & *incrementi*, ſiue *ſtatus* renouationis. *Initium* eius Deo vni tribuendum eſt, cuius gratia hominem denuo natum, & peccatorum culpa pœnaque liberatum, viribus recte agendi inſtruit. 2 Pet. I, 3. His *viribus* acceptis homo, iam renovatus, *vtitur*, recteque agit, auctis etiam Dei beneficio viribus, in dies *incrementa* capit. Ibid v. 5. Eximie rem illuſtrat Chriſtus ſimilitudine, a palmite arceſſita. Palmes fructum fert vi quadam, ſibi inſita nec vero ſua, ſed vitis, quacum ipſe coniunctus eſt, virtute Io. XV, 5. Deinde 2) magna cautio adhibenda eſt, cum dicitur *auxilium gratiæ*. Hæc nimirum dicendi ratio *ſtatui* quidem renouationis, ſiue *continuationi* atque incremento, neutiquam vero primo *actui* renouationis, ſiue eius *inceptioni*, conuenit. Scilicet *auxilium* eſt coniunctio cauſſæ efficientis vnius principalis cum altera minus principali, cum hæc viribus quidem agendi non prorſus caret, eas tamen infirmas ſentit, ideoque neceſſe habet, vt illa, viribus valentior, huius infirmitatem ſuſtentet. Atqui in renouationis *inceptione* Deus vnus omnia efficit in homine, virtute omni vacuo. In eius *continuatione* autem Deus vires, homini impertitas, auget & confirmat, vt Deus cauſa principalis ſit, homo, nunc renouatus, & quotidie magis magiſque renouandus, cauſa minus principalis bonarum actionum, quibus ipſe dat operam.

Digitized by Google

Apoſtolus reſpicit promiſſiones diuinas, quarum capite ſuperiori mentionem iniecerat; nimirum quod Deus in fidelibus, velut dedicatis templis, habitaturus, eosque velut liberos paterno amore complexurus ſit. E quibus promiſſis valide colligit: Chriſtianorum eſſe, ab omni inquinatione carnis & ſpiritus domicilia maieſtatis diuinæ repurgare, & ad exemplar Patris cœleſtis ſanctitatem vitæ ſectari.

Obſ. Eſt itaque renouatio *actio Dei*, tanquam *cauſſæ principalis*, renouantis hominem iuſtificatum *tranſitiue*, tum vires ſanctificas ipſi *conferendo*, tum ad actum renouationis ſpeciali & gratioſo influxu *concurrendo* Eadem renouatio eſt *actio hominis* iuſtificati, tanquam *cauſſæ ſecundariæ & ſubordinatæ*, ſeipſum *intranſitiue* renouantis, non per *vires* natiuas, ſed *datiuas*, ſiue diuinitus collatas. *Non differt autem renouatio tranſitiue, & intranſitiue dicta, realiter;* ideo, quod a) *eandem* notat *mutationem*, qua ex vetere homine nouus, ex peccatore fit ſanctus: quæ cum connotata dependentia a Deo, tanquam ab agente in alio, *tranſitiua;* ex parte ſubiecti vero, per modum actus immanentis ſpectata, *intranſitiua renouatio* dicitur. b) Vtraque *iisdem* perficitur *viribus*, ſcil. non humanis, ſed *diuinis*, quas Spiritus S. habet originaliter & independenter, homo renatus autem dependenter & propter vnionem cum Deo myſticam.

Quæſt. IV. *Quid impulit Deum ad renouandum hominem iuſtificatum?*

*Cauſſa impulſiua.* Ad hominem renouandum Deum *interne* impulit *miſericordia* a), *externe meritum Chriſti* b).

Prob. a. Ex Tit. III, 5. *Iuxta miſericordiam ſaluauit nos, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti.* Quem ad modum Deum ad regenerandum & ſaluandum peccatorem permouit miſericordia ſua, in genus humanum propenſiſſima: ita ad renouandum hominem, vetuſtate peccati infectum, eadem miſericordia adduxit, quæ in opere ſanctificationis clariſſime refulſit, teſte Paullo, Tit. II, 12. *Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegemus impietatem, & mundanas concupiſcentias, ac ſobrie & iuſte & pie viuamus in præſenti ſæculo.*

Prob. b. Ex Tit. II, 14. *Ieſus Chriſtus dedit ſeipſum pro nobis, vt liberaret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem, æmulum bonorum operum.* Effectus redemtionis Chriſti eſt purificatio hominum, in peccatum prolapſorum, quæ fit partim fide per aſperſionem & emundationem ſanguinis Chriſti, 1 Petr. I, 1. 1 Io. I, 7. partim conſecratione fidelium in populum περιέσιον, peculiarem, æmulum bonorum operum.

Quæſt. V. *Quibus mediis Deus nos renouat?*

*Media.* *Media* renouationis, ex parte *Dei*, ſunt *verbum legis* a) & *euangelii* b), *baptiſmus* c) & *euchariſtia* d): medium ex parte *noſtri* eſt *fides*, Chriſtianarum virtutum principium & radix e).

Prob. a. *Lex diuina eſt medium renouationis dirigens & normans;* quoniam eſt adæquata norma & regula ſanctitatis & iuſtitiæ inhærentis, dicente Moſe, Deut. IV, 2. *Non addetis ſuper verbum, quod ego* (ſum) *præcipiens vobis, neque diminuetis de eo: vt obſeruetis præcepta Iehouæ Dei veſtri, quæ ego* (ſum) *præcipiens vobis.* Lex diuina præcipit ea, quæ ſunt recta & ſancta, dirigit curſum pietatis, & obligat conſcientiam ad obtemperandum Deo imperanti; at non inſpirat vires ad exſequendum imperata.

Prob. b. *Euangelium eſt medium conferens & producens.* Confert quippe euangelium vires ſupernaturales Spiritus Sancti. *Accepimus enim Spiritum per auditum fidei,* i. e. per doctrinam

Digitized by Google

ctrinam fidei, ſeu per euangelium, Gal. III, 2. Producit etiam euangelium fidem, bonæ voluntatis, cenſente AMBROSIO & iuſtæ actionis genitricem.

Prob. c. *Baptiſmus eſt lauacrum renouationis*, Tit. III, 5. Neque enim nudum ſanctificationis noſtræ ſignum eſt baptiſmus, ſed *medium* ἐνεϱγητικὸν καὶ μεταδοτικὸν productiuum & collatiuum, quo vires nouæ ſanctificantes a Deo conferuntur, & ipſe ſanctificationis actus perficitur. Adiice, quod vires ſanctificæ, in baptiſmo collatæ, ad actus ſequentes ſpirituales haud parum præſtent, & contribuant.

Prob. d. *Euchariſtia* eſt validum medium vnionis noſtræ cum Chriſto, in quo multum fructum ferimus, Io. XV, 5. eſt etiam mutuæ noſtræ caritatis ſymbolum & vinculum, 1 Cor. X, 16. 17.

Prob. e. *Fides per caritatem operatur*, Gal. V, 6. i. e. actiue ſe exſerit, & per caritatem, reginam virtutum, in opera externa ſe effundit. Vbi a) obſeruandum, quod gemina ſit fidei ἐνέϱγεια, prima eſt *interna*, ſiue *formalis*, cum ſe extendit ad Chriſtum, eiusque ſatisfactionem & meritum apprehendit: altera eſt *externa*, ſiue *effectiua*, cum ſeſe per caritatem erga Deum & proximum exſerit. b) Notandum, quod *fides* in ordine ad *renouationem duplici* munere fungatur. *Vno* quidem, quod *intellectum* determinat ad aſſentiendum tum verbo legis, ſanctitatis normæ, tum euangelio, principio virium ſpiritualium, ad bene operandum collatiuo. Vnde deductis concluſionibus practicis dictat, quæ agenda, quæque fugienda ſint. *Altero* modo *voluntatem*, cui itidem ſubiectiue ineſt, inclinat ad reſiſtendum prauæ concupiſcentiæ, & agendum id, quod intellectus circa quodlibet obiectum ſpirituale iam creditum, per modum iudicii practici præſcribit. Ex quo fides dicitur *victoria vincens mundum*, 1 Io. V, 4. *Vincit fides mundum intra nos & extra nos.* Debellat quippe fides intra nos inordinatum mundi amorem, extra nos *mundi blandientis* opes, honores, delicias, *mundi affligentis* inuidiam, odium, perſecutionem.

Quæſt. VI. *Quænam ſunt adminicula renouationis ſecundaria?*

*Adminicula* renouationis *ſecundaria* ſunt *afflictiones carnis* a), & *tentationes animæ* b), quæ hominibus renatis & iuſtificatis *non* ſunt *pœnæ*, ſed *caſtigationes paternæ* c).

Prob. a. Ex 1 Petr. IV, 1. 2. *Qui patitur carne, abſtinet a peccato: vt non amplius hominum concupiſcentiis, ſed voluntati Dei reliquum in carne viuat tempus.* Per diuinam prouidentiam rebus aduerſis & afflictionibus, tanquam medicina quadam, a deſtinata ſua malitia liberatus homo ſanior redditur, ait IVSTINVS Martyr, *quæſt.* 137.

Prob. b. Ex 2 Cor. XII, 7. *Excellentia reuelationum vt non efferar, datus eſt mihi ſtimulus carni angelus ſatanæ, vt me colaphis excipiat, ne me extollam. Super quo quater Dominum rogaui, vt a me deſiſteret: ſed dixit ad me: Sufficiat tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Ex hoc exemplo Paulli diſcere eſt, internam animæ tentationem multum momenti afferre a) ad ſubmiſſionem animi, b) ad precum ardorem, c) ad experimentalem notitiam gratiæ & potentiæ Chriſti, quæ in infirmitate perficitur, i. e. ſe perfecte exſerit, illuſtratur & liquido cognoſcitur.

Prob. c. Ex Hebr. XII, 11. *Omnis caſtigatio ad præſens non videtur eſſe gaudii: poſtea vero fructum pacificum per eam exercitatis reddit iuſtitiæ.* Si ſpectes iudicium rationis ſibi relictæ, omnis caſtigatio diuina eſt perquam moleſta & amara; ſed quo grauius initium, eo iucundior eſt finis: quo acerbior radix, eo dulcior fructus. Fructus namque caſtigationis eſt iuſtitia ſiue ſanctitas, quæ eſt fructus pacificus, h. e. tranquillans & permulcens conſcientiam.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VII. *Quis eſt terminus a quo & ad quem renouationis?*

*Terminus a quo & ad quem.* Phraſi ſcripturæ *terminus a quo* renouationis eſt *homo vetus*, *terminus ad quem* eſt *homo nouus.*

Prob. 1) Ex Eph. IV, 20. 21. 22. 23. 24. *Vos vero non ita didiciſtis Chriſtum, ſi modo ipſum audiuiſtis, in ipſo edocti eſtis, ſicut veritas eſt in Ieſu; quod vos deponere debeatis iuxta priorem conuerſationem veterem hominem, qui ſe corrumpit iuxta concupiſcentias fraudis; renouari vero ſpiritu mentis veſtræ, & induere nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate.*

2) Ex Col. III, 10. *Exuite veterem hominem cum actionibus eius, & induite nouum, qui renouatur in cognitionem ſecundum imaginem eius, qui creat illum.* Obſ. a) *Vetus & nouus homo* non diſtinguuntur *eſſentialiter, ſed accidentaliter;* quia in præſenti non intelligitur vetus & nouus homo *phyſice, ratione ſubſtantiæ diuerſæ, ſed myſtice, ratione diſtinctarum qualitatum.* Præclare inquit TERTVLLIANVS: *Vetuſtatem & nouitatem hominis moralem non ad ſubſtantialem differentiam pertinere, defendimus.* b) *Vetus & nouus homo explicantur partim concretiue, partim abſtractiue. Concretiue* ſpectatus *vetus* homo eſt natura hominis corrupta, ſiue diſtinctius loquendo, eſt mens hominis occœcata, & prona ad ferendum temeraria de rebus ſpiritualibus iudicia, voluntas a bono auerſa, ad malum propenſa, appetitus ſenſitiuus a regula rectitudinis exorbitans, & procliuis ad appetendum bona ſenſibus grata, etſi prohibita: contra *nouus* homo eſt mens noua cognitionis luce colluſtrata, voluntas emendata, appetitus correctus. *Abſtractiue* conſideratus *vetus* homo eſt horrenda corruptio in intellectu, voluntate & appetitu ſenſitiuo, ſcilicet ignorantia rerum ſpiritualium & pronitas ad iudicia temeraria in intellectu, inclinatio voluntatis ad bona temporalia & caduca, ſpiritualibus atque æternis præferenda, rebellio appetitus ſenſitiui: notat igitur peccatum originale, connotatis peccatis actualibus. Ex aduerſo *nouus* homo eſt reparata imago Dei, quæ eſt conformitas cum Deo ratione ſapientiæ in intellectu, iuſtitiæ in voluntate, puritas in appetitu ſenſitiuo. c) *Vetus* dicitur *homo* ab origine tum prima protoplaſtorum ſeductionis, tum deriuata conceptionis & natiuitatis carnalis, per quam peccatum propagatur. *Nouus* dicitur homo a renouata imagine Dei. Idcirco dicitur eſſe *creatus ſecundum Deum* in iuſtitia & ſanctitate veritatis.

Quæſt. VIII. *An homo vetus, ſecundum omnem ſuam rationem, eſt terminus a quo, & nouus homo, ſecundum omnem ſuam latitudinem, eſt terminus ad quem renouationis?*

Quamuis per illuminationem, conuerſionem, regenerationem & iuſtificationem veteri homini haud parum detractum ſit, viresque nonnullæ ad induendum nouum hominem diuinitus collatæ ſint a): remanent tamen in hominibus illuminatis, conuerſis & renatis *reliquiæ peccati*, ſiue *veteris hominis*, quæ ne inualeſcant & *dominium* obtineant, per *ſucceſſiuam renouationem* imminuuntur & abolentur b).

Prob. a. Beneficio *illuminationis* diſcutitur caligo intellectus, & conferuntur vires ſupernaturales ad cognoſcendum ex lege peccatum, & ex euangelio Chriſtum, & in hoc fundatam gratiam Dei. Beneficio *conuerſionis* per legem excitatur contritio, ſiue diſplicentia & deteſtatio peccati cum cordis dolore coniuncta, exterminium mali propoſiti inferens. Beneficio *regenerationis* per euangelium aboletur ἀπιϛία & accenditur fides in Chriſtum. Beneficio *iuſtificationis* tollitur reatus peccati. Ergo per illuminationem, conuerſionem, regenerationem & iuſtificationem veteri homini haud parum detrahitur.

Prob.

Prob. b. In hominibus illuminatis, conuerſis, renatis & iuſtificatis *caro*, vetus homo, ſiue prauitas naturæ originalis *concupiſcit*, & concupiſcendo reluctatur *aduerſus ſpiritum*, nouum hominem, ſeu nouas & ſupernaturales illas vires, quas Spiritus S. in actu illuminationis, conuerſionis & regenerationis contulit, Gal. V, 17. Opprimenda igitur eſt caro, ne prædominetur.

Quæſt. IX. *Poteſne igitur diſtincte exponere terminum a quo & ad quem renouationis?*

*Terminus a quo* renouationis ſunt *reliquiæ peccati* poſt illuminationem, conuerſionem & regenerationem in hominibus iuſtificatis remanentes, quæ *quotidiana renouatione* abolendæ ſunt, vt imminuantur & opprimantur, licet in hac vita non radicitus euellantur; nempe defectus aliquis virium ſpiritualium ex parte intellectus quidem ad cognoſcendum, ex parte voluntatis ad proſequendum bonum ſpirituale; ex parte appetitus ſenſitiui ad obſequendum ſuperioribus facultatibus; ſimul etiam pronitas earundem facultatum animæ ad praua. *Terminus ad quem* renouationis ſunt *maiores* illæ *vires*, quæ poſt illuminationem, conuerſionem & regenerationem hominibus iuſtificatis a Spiritu S. conferuntur, videlicet clarior & plenior intellectus cognitio rerum ſpiritualium, inhærens voluntati iuſtitia & ſanctitas, promtum appetitus ſenſitiui obſequium, ſuperioribus facultatibus præſtandum; quibus coniunctis imago Dei inſtauratur.

Quæſt. X. *Ecquis homo renouatur?*

Renouatur a Spiritu S. *homo peccator*, ſed *illuminatus*, *conuerſus*, *renatus & iuſtificatus* a), quatenus *reliquiis inhabitantis peccati infectus* & inhærente iuſtitia destitutus eſt b). *Subiectum quod.*

Prob. a. 1) *Ex harmonia doctrinæ apoſtolicæ.* Docuerat Apoſtolus Paullus, c. III. IV. V. ad Romanos, ſola fide ſine confluentibus operibus hominem conuerſum & renatum iuſtificari; capite vero VI. oſtendit, hominum iuſtificatorum officium eſſe, in nouitate vitæ ambulare.

2) Libertatis a peccato fructus dicitur ſanctificatio, Rom. VI, 22.

3) Apoſtolus conuerſos atque renatos Epheſios & Coloſſenſes adhortatur, vt exuant & deponant veterem hominem, iuxta atque induant nouum hominem, Eph. IV, 22. Col. III, 10.

4) Bona opera, quæ per gratiam renouantem producuntur, ſunt fructus pœnitentiæ, Matth. III, 8. fructus iuſtitiæ, Phil. I, 11. Oportet igitur hominem conuerſum renatum & iuſtificatum eſſe prius, prioritate ſc. ordinis, quam renouetur.

Prob. b. 1) Renati & iuſtificati peccatum habent, 1 Io. I, 8. ſæpe labuntur, Iac. III, 2. caro ipſorum concupiſcit aduerſus ſpiritum, Gal. V, 17. Habitat in ipſis peccatum, Rom. VII, 17. Inde fit, vt mente quidem ſeruiant legi Dei, carne vero legi peccati, ibid. v. 25.

2) Iuſtitia inhærente nemo exornatus eſt, qui non eſt renouatus. *Debemus igitur renouari ſpiritu mentis noſtræ; & induere nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis*, i. e. vera & ſincera, Eph. IV, 24.

Quæſt. XI. *Num totus homo, anima & corpore conſtans, renouatur?*

*Primario* renouatur *anima*, eiusque per peccatum corruptæ facultates, mens, voluntas & appetitus ſenſitiuus a). *Secundario* renouantur *membra corporis*, *Subiectum quo.*

quæ fuerunt arma iniuſtitiæ, vt ſint organa & quaſi arma animæ ſanctificatæ, ad expediendas actiones ſanctas neceſſaria b).

Obſ. Terminis philoſophicis hæc doctrina ita proponitur: *Subiectum* renouationis *quod*, ſeu totum ſuppoſitum, quod renouari dicitur, eſt *homo*, ratione ſtatus præteriti, *peccator*, ratione ſtatus præſentis, *renatus & iuſtificatus.* Subiectum *quo* vel *primarium*, vel *ſecundarium* eſt. *Primarium* eſt vel *remotum*, vel *proximum*, *Remotum* eſt anima, *proximum* eſt partim intellectus, partim voluntas, partim appetitus ſenſitiuus. *Secundarium* eſt *corpus*, eiusque *membra.* Confer. KOENIGII *theol. poſitiu. p.* 215.

Prob. a & b. Ex Rom. XII, 1. 2. *Hortor itaque vos, fratres, per miſerationes Dei, vt ſiſtatis corpora veſtra ſacrificium viuum, ſanctum, acceptum, Deo nempe, veſtrum ſecundum verbum cultum Et ne conformemini mundo huic, ſed transformemini renouatione mentis veſtræ, vt probetis vos quænam voluntas Dei bona, quodnam acceptum ac perfectum.* Ex his verbis S. Paulli concinna renouationis intranſitiuæ deſcriptio ſequenti ratione formari poteſt: *Renouatio eſt ſpiritualis hominis iuſtificati μεταμόρφωσις, reformatio*, qua is, abnegata conformatione mundi, renouata mente, bonam Dei voluntatem, & quidquid Deo acceptum perfectumque eſt, cognoſcit & facere nititur, atque corpus ſuum ſiſtit ſacrificium viuum, ſanctum, Deoque gratum, ad eundem, ſecundum præſcriptum verbi diuini, religioſe colendum.

Quæſt. XII. *In quo formaliter conſiſtit renouatio?*

*Renouationis forma.* *Forma* renouationis abſoluitur *duplici* actu, *priuatiuo*, & *poſitiuo.* *Priuatiuus* conſiſtit in diſcuſſione tenebrarum intellectus, in auerſione voluntatis a malo, in cohibitione ferociæ appetitus ſenſitiui, & in abſtractione membrorum corporis ab vſu prohibito, ne peccatum in eodem dominium obtineat a). *Poſitiuus* conſiſtit in vberiori illuminatione intellectus ad cognoſcendum, in emendatione voluntatis ad eligendum, & correctione appetitus ſenſitiui ad expetendum bonum ſpirituale, nec non in directione membrorum corporis ad vſum Deo gratum probatumque, atque adeo in imaginis diuinæ inſtauratione b).

Prob. a. Actum *priuatiuum* renouationis S. ſcriptura vocat *exuitionem veteris hominis*, Col. III, 10. & eiusdem *depoſitionem*, Eph. IV, 22. per metaphoram petitam a veſtibus detritis, laceris & conſpurcatis, quas exuimus, & non reſumimus. *Exuimus autem veterem hominem*, cum viribus gratiæ inſtructi *mundamus nos ab inquinatione carnis & ſpiritus*, 2 Cor. VII, 1. *Per carnis inquinamentum* omne peccatum intelligitur, quod voluptate carnis & ſenſuum conſummatur; vti non tantum ſunt impudicitiæ, commiſſationes, ebrietates, ſed etiam iniuriæ, rapinæ, furta & ſimilia: *Spiritus vero inquinamentum* eſt hæreſis, idololatria, æmulatio, diſſenſio & alia, quorum conſummatio ſine voluptate ſenſuum conſiſtit.

Prob. b. Actum *poſitiuum* renouationis S. ſcriptura appellat *induitionem noui hominis*, qui renouatur in *cognitionem ſecundum imaginem Creatoris*, Col. III, 10. Quamobrem *induimus nouum hominem*, ſanctimoniam vitæ ad exemplar Patris cœleſtis & Ieſu Chriſti ſectando, vt ſanctitatis diuinæ imago in nobis reſplendeſcat.

Obſ. *Sanctificationis partes* pulcerrime repræſentat D. DANNH. dum in *hodoſ. phæn. IX. p.* 703. eandem fieri oſtendit a) *ſacrificando* corpus omniaque membra ipſius, abſtrahendo eadem ab omni iniuſtitia & vanitate huius ſæculi, Rom XII, 1.: b) *mortificando* & *crucifigendo* veterem Adamum, carnemque propriam, ſemper mala concupiſcentem, moleſtia afficiendo, Gal. V, 24.: c) *thuriſicando*, vel offerendo Deo thymiama ardentiſſimarum precum, quarum

Digitized by Google

quarum formulam præſcripſit Chriſtus, Matth. VI, 5.; d) *Exornando* ſemet *fructibus iuſtitiæ, quæ fiunt per Ieſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei*, Phil, I. 11.

Quæſt. XIII. *Fitne renouatio in momento, an ſucceſſiue?*

Sicut corpus peccati *progreſſu temporis* ab homine renato magis magisque eneruatur a): ita homo renatus ad imaginem Dei per Spiritum S. de gloria in gloriam transformatur b). *Renouatio ſucceſſiua.*

Obſ. *Corpus peccati* a Paullo Rom. VI, 6. dicitur *vetus homo* metaphorice; quia eſt complexus plurium peccatorum, velut partium & membrorum. Vnde & variæ peccatorum ſpecies, *membra terreſtria* appellantur, Col. III, 5.

Prob. a. Quem ad modum olim cruciarii affigebantur cruci, artus ipſorum contundebantur, mortificabantur, ſepeliebantur, corrumpebantur: ita *ſucceſſiue* vetus homo *crucifigitur* Rom. VI, 6. cum deſideria carnis comprimuntur & quaſi conſtringuntur; *contunditur*, 1 Cor. IX, 27. quatenus caro, remotis externis deliciis huius ſæculi, caſtigatur; contuſus *mortificatur*, Rom. VIII, 13. in quantum vires emergendi peccato adimuntur; mortificatus *ſepelitur*, Rom. VI, 4. dum memoria & cogitationes rerum illicitarum ſeponuntur; ſepultus *corrumpitur*, vt totum corpus peccati, hic *inchoate* & *continuate*, in altera vita *conſummate* aboleatur, Rom. VI, 6.

Prob. b. 1) Ex 2 Cor. III, 18. *Nos reuelata facie gloriam Domini introſpicientes, in eam imaginem* μεταμορφέμεθα, *transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu.* Sicut olim Moſes obtegebat quidem faciem, cum prodiret in concionem populi; reverſus autem ad tabernaculum, & ad Dominum ſe vertens, facie retecta gloriam Domini aſpiciebat; ſic ait Paullus, nos non ad modum Iudæorum, ſuper quorum corde velamen iacet, cæcutire, ſed retecta facie gloriam Domini in euangelio relucentem intueri. Et quem ad modum Moſes ex arcana cum Deo conuerſatione hoc adeptus, vt noua luce radiaret ipſius facies: ita nos, dum in limpidiſſimo euangelii ſpeculo Patris cœleſtis faciem oculis mentis contemplamur, illuſtramur quibusdam quaſi radiis ſapientiæ & ſanctitatis, & renouamur ad imaginem Dei, quæ *de gloria in gloriam*, h. e. nouis incrementis ſe indies clariorem exſerit. Idque fit a *Domini Spiritu*, qui amiſſam per peccatum imaginem Dei gratia ſua in nobis reparat.

2) Ex 2 Cor. IV, 16. *Etiamſi externus noſter homo corrumpitur: internus tamen renouatur* ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, *de die in diem.* Obſ. a) *Internus & externus homo*, qua *ſubſtantiam*, eſt idem; ſed reſpectu deſideriorum carnalium *externus*, reſpectu inhærentis ſanctitatis *internus* homo appellatur. b) *Externus* homo *corrumpitur* & mortificatur calamitatibus, quæ delicias huius mundi ſubtrahunt, & frenum iniiciunt, ne vires ſuas exerceat. *Internus* autem continuatis pietatis exercitiis, quæ ſub cruce magis feruent, *quotidie* creſcit & corroboratur.

Quæſt. XIV. *Quis eſt finis renouationis?*

*Finis* renouationis *vltimus* eſt *gloria Dei.* a) Finis *intermedius* eſt tum *imago Dei*, ſiue iuſtitia inhærens b), tum *bona opera* c). *Finis.*

Prob. a. *Luceto lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Matth. V, 16, Renouationis, e qua bona opera proficiſcuntur, *finis vltimus* eſt *gloria Dei.*

Prob. b. *Induite nouum hominem, qui renouatur in cognitionem ſecundum imaginem eius, qui creat illum*, Col. III, 10. Eum in finem renouatur homo, vt in eo *reparetur imago Dei*, quæ, ex parte *intellectus*, conſiſtit in vera agnitione creatoris, ex parte *voluntatis*, in vera iuſtitia & ſanctitate, Eph. IV, 24. Intelligitur autem iuſtitia velut vniuerſalis, ſeu comple-



Digitized by Google

xus omnium virtutum, quæ ad mores chriſtianos pertinent, & alias iuxta duas decalogi tabulas varie diſpeſci ſolent.

Prob. c. Sicut *effectus* renouationis *immediatus* eſt *ſanctitas inhærens:* ita effectus *mediatus* eſt ſtudium & exercitium *bonorum operum.* Sanctitas quippe inhærens eſt radix bonorum operum, quæ ratione *exſecutionis* ſunt effectus renouationis, ratione *intentionis* ſunt ipſius finis: ideo enim renouamur, vt bona opera præſtemus. Diſcimus id e verbis Chriſti: *Omnem palmitem, in me manentem, Pater meus cæleſtis purgabit,* i. e. renouabit, *vt plures fructus ferat,* Io. XV, 2. Et e verbis Paulli, Eph. IV, 24. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Quare deponite mendacium & loquimini veritatem quilibet cum proximo ſuo.* Vbi Apoſtolus cum *iuſtitia inhærente* externum *bonorum operum* exercitium connectit.

Quæſt. XV. *Eſtne homo renouatus ſanctus prædicandus?*

Homo renouatus eſt *ſanctus*, non *ex* ſe, ſed *ex gratia* a): eſt ſanctus, non tam *in* ſe, quam *in Chriſto* b): ſanctus eſt, non *ſanctitate* conſummata, ſed *inchoata* & *continuata* c).

Prob. a. Ex Pſ. LXXXVI, 2. *Cuſtodi animam meam; quia ſanctus ego.* Eximie hæc verba enucleat AVGVSTINVS in *commentar. in hunc Pſalmum p. m.* 160. *Quomodo audebo ego dicere: quoniam ſanctus ſum? Si ſanctus, tanquam ſanctificans, & nullo ſanctificante indigens, ſuperbus & mendax. Si autem ſanctus, ſanctificatus ſecundum id, quod dictum eſt: ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum,* Leu. XIX, 2. *audeat & corpus Chriſti, audeat & vnus ille homo, clamans de finibus terræ, cum capite ſuo & ſub capite ſuo, dicere: ſanctus ſum. Accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam baptiſmi & remiſſionis peccatorum. Et hæc quidem fuiſtis, ait Apoſtolus, enumerans multa peccata & leuia & grauia, & vſitata & horribilia. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis ſed ſanctificati eſtis,* 1 Cor. VI, 11. *Si ergo ſanctificatos dicit, dicat & vnusquisque fidelium: ſanctus ſum. Non eſt illa ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati. Si enim dixeris, te ſanctum eſſe ex te, ſuperbus es: rurſus fidelis in Chriſto & membrum Chriſti, ſi te non dixeris eſſe ſanctum, ingratus es.*

Prob. b. Paullus Philippenſes vocat *ſanctos in Chriſto Ieſu,* Phil. I, 1. & Corinthios appellat *ſanctificatos in Chriſto,* 1 Cor. I, 1. Nimirum, dicente CHRYSOSTOMO, illi duntaxat ſancti ſunt, qui ſunt *in Chriſto,* qui eſt ſanctus ſanctorum, ipſaque ſanctitas, & radix omnis veræ ſanctitatis, vt niſi quis illi inſeratur, tanquam ramus arbori, ſeu palmes viti, ab eoque ſanctitatem ſugat & hauriat, ſanctus non ſit, ſed profanus, vnde & Iudæi infideles, deinceps profani.

Prob. c. Ex Phil. III, 12. *Non conſummatus ſum.* Si tantus Apoſtolus fatetur ſuam imperfectionem, ecquis præſumat, ſe in hac vita conſummatæ ſcientiæ, aut ſanctitatis apicem attigiſſe?

Quæſt. XVI. *Quotuplex eſt renouatio, vel ſanctificatio hominis iuſtificati?*

*Sanctificatio* hominis renati & iuſtificati *triplex* eſt, *inchoata*, *continuata*, & *conſummata*. *Inchoata* eſt, qua Spiritus S. per baptiſmum vires peccati originalis, ne hoc prædominetur, frangere, impuritatem vitioſam abluere, & ſanctitatem baptizato introducere incipit. *Continuata* eſt, qua Spiritus S. immunitatem a dominio peccati, mediante verbo diuino, & vſu S. cœnæ conſeruat, reliquias veteris hominis ſucceſſiue magis magisque abolet, & imaginem Dei nouis incrementis clariorem efficit. *Conſummata* eſt, qua Spiritus S. beatos, ſenſu & radice peccati liberatos, imagine diuina pleniſſime exornat.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XVII. *Eſtne homo renouatus ſpiritualis, an carnalis appellandus?*

Homo renouatus eſt *ſpiritualis* non ex toto, ſed *ex parte*, in quantum duce Spiritu S. bonum ſpirituale cognoſcit, eligit, facit a). Idem *carnalis* dicitur non ex toto, ſed *ex parte*, non ſimpliciter, & abſolute, ſed *certo reſpectu & comparate*, quatenus reliquias peccati habet, ſtimuloſque carnis recalcitrantis, cum qua ipſi quotidie decertandum eſt, ſentit b). Comparatur autem homo renouatus partim cum *Chriſtianis* cognitione & ſanctitate *prouectioribus* c), partim cum *lege diuina*, quam non perfecte implet d).

Obſ. Quando homo renouatus dicitur *ſpiritualis*, denominationis ratio ſumitur a potiori, ſcil. a præualente ſpiritu; at quando idem *carnalis* appellatur *), ratio denominationis ſumitur a ſequiori, nimirum a carne ſubacta quidem, rebellante tamen & obluctante, cum qua homo iuſtificatus in via vitæ conſtitutus continua bella gerit.

Prob. a. 1) Ex Gal. VI, 1. *Fratres, ſi etiam praeoccupatus fuerit homo in aliquo lapſu, vos, qui ſpirituales (eſtis) reſtaurate talem ſpiritu manſuetudinis, reſpiciens teipſum, ne & tu tenteris.* Obſ. a) *Spirituales* vocantur ab Apoſtolo non presbyteri, ſed omnes fratres, fidei vinculo coniuncti, quos deſcribit Apoſtolus cap. V, 24. 25. quod *carnem crucifixerint*, quod *ſpiritu viuant & ambulent.* Cum autem renouatio gradus admittat, *comparate ſpirituales* dicuntur, *qui ſpiritu ſunt robuſtiores*, Rom. XV, 1. b) Non fruſtra dicit Apoſtolus: *reſpiciens te ipſum; ne & tu tenteris.* Si homines ſpirituales vacui eſſent ab omni tentatione carnis, ab omni ad peccandum procliuitate, iſta paræneſi opus minime foret.

2) Ex Rom. VIII, 9. *Vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu; ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis.* Renati non ſunt in carne, i. e. in poteſtate carnis, ſed in regno Spiritus S. eo, quod Spiritus S. non hoſpes tantum, ſed & dominus ſui domicilii eſt. Vt ille in renatis habitat, ita & valide regnat.

Prob. b. Renati *certo reſpectu* dicuntur *carnales*, 1 Cor. III, 1. 2. Rom. VII, 14. propterea, quod *peccatum habent, & cum carne quotidie confligtantur.* Quod peccatum habeant, docet S. Ioannes, 1 Ep. I, 8. *Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis.* Renati peccatum habent & ſentiunt, ſed ex proæreſi, ſiue deliberato animi conſilio peccatum non faciunt. Inculcat hanc diſtinctionem D. CHEMNIT *loc theol. P. III. p.* 104. Ioannes oſtendit, diſcrimen eſſe, inter *habere peccatum*, & *facere peccatum:* & grauius hoc eſt, quam illud; licet interdum pro vno accipiantur. Nam peccatum omnibus inhæret, nec quiſquam dicere poteſt, ſe prorſus mundum eſſe ab omni peccato. Attamen pii per gratiam Spiritus S. reſiſtunt. Qui autem opere complet, in opus prauas concupiſcentias traducit, & ſic quaſi artem peccandi exercet, de eo Chriſtus pronuntiat, Io. VIII, 33. *Omnis faciens peccatum, ſeruus eſt peccati.* Et Matth. VII, 13. *Diſcedite a me omnes, qui operamini peccatum.* Quod renati quotidie cum carne confligentur, aſſerit S. Paullus, Gal. V, 16. 17. *Dico autem, ſpiritu ambulate, tum concupiſcentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſed ſpiritus aduerſus carnem.*

 *Hæc*

*) Duplex oppoſitio in ſacris litteris ſcripta exſtat, ex qua adparet duplex huius nominis, renouato homini impoſiti, ſignificatio. Primum quidem ipſe σαρκικὸς opponitur *homini πνευματικῷ*, vt ille ſit *incipiens*, maximeque adhuc infirmus, hic *proficiens* & magis confirmatus, 1 Corinth. III, 1. Deinde vero homo renouatus, etiam confirmatus, ſemper tamen in hac mortalitate *imperfectus*, multiſque defectibus laborans, σαρκικὸς adpellatur in oppoſitione *legis πνευματικῆς*, vtpote cuius ſemper eſt *ſumma perfectio*, Rom. VII, 14.

*Hæc autem aduerſantur inuicem, vt non, quæ vultis, ea faciatis.* Quæ verba Paulli in *Apol.* A. C. p. 91. ita explicantur: *Caro diffidit Deo, confidit rebus præſentibus, quærit humana auxilia in calamitate, etiam contra voluntatem Dei, fugit afflictiones, quas debebat tolerare propter mandatum Dei, dubitat de Dei miſericordia &c. Cum talibus affectibus luctatur Spiritus S. in cordibus, vt eos reprimat ac mortificet, & inſerat nouos ſpirituales motus.*

Prob. c. Ex 1 Cor. III, 1. 2. *Præterea ego, fratres, non poteram vobiſcum loqui vt ſpiritualibus, ſed vt carnalibus, vt infantibus in Chriſto. Lac vobis dedi, & non cibum Nondum enim poteratis digerere, immo neque adhuc poteſtis; adhuc enim carnales eſtis* Carnales l. c. non ſunt Paullo homines irregeniti aut increduli, ſed renati, qui primum & myſteria fidei incipiunt addiſcere, & luctæ contra affectus aſſueſcere, quales ſunt catechumeni rudiores & infirmiores, quibus velut *infantibus* lac euangelii modo ſimpliciſſimo & catechetico inſtillandum eſt, eo, quod cibi ſolidi, h. e. myſteriorum fidei, modo accuratiori traditorum, nondum ſunt capaces.

Prob. d. Ex. Rom. VII, 14. *Scimus namque, quod lex ſpiritualis ſit; ego vero carnalis ſum. Lex ſpiritualis* dicitur, non tantum quia a Spiritu S. eſt profecta, ſed & quia non contenta externa obedientia, internum, *perfecte ſpirituale* obſequium requirit, quod cum ob adhærentem vetuſtatem peccati, præſtare nequeat Apoſtolus, profitetur, ſe non quidem abſolute, ſed comparate ad legem diuinam carnalem eſſe.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, ſtatuentium, luctam carnis contra ſpiritum in quibusdam ceſſare, neque Paullum Rom. VII, 14. ſeipſum carnalem vocare, ſed perſonam hominis ſub lege conſtituti, necdum Spiritu Chriſti renati, ſumſiſſe, & in illa querela ſuſtinere. Nituntur ſequentibus argumentis:

I. *Carnali homini*, Rom. VII, 14. ſeqq. deſcripto ea tribuuntur prædicata, quæ de nullo renato dici poſſunt. Dicitur enim 1) *venundatus ſub peccatum.* Sed renatus liberatus eſt a peccato, Rom. VI, 18: 2) *captiuatus lege peccati*, a qua renatus itidem ſolutus eſt, Rom. VIII, 2: 3) *carne ſeruiens legi peccati.* Sed renatus eſt ſeruus iuſtitiæ, Rom. VI, 18. 4) Dicitur *facere, quæ non vult*, v. 20. Sed renatus habet Spiritum S. & cum eo libertatem agendi, 1 Cor. III, 17. Reſp. ad I. Diſt. inter *venditionem actiuam, & paſſiuam.* Quicunque *ſe actiue* vendit, ad plenum obſequium peccati prædominantis, inſtar regis Achabi, 1 Reg. XXI, 2. ille eſt irregenitus; concedo. Sed qui *paſſiue venditur*, ad inſtar Ioſephi, dominum alienum animo reluctante ſubeuntis, ille manet renatus. Hic venundatus eſt ſub peccatum, quoad peccati inhabitantis euidentem *ſenſum*, *non* autem quoad plenum eius *dominium.* Ad II. Diſt. *inter captiuitatem voluntariam, & inuoluntariam.* Homo renatus inuitus abripitur & captiuatur, Simſonis inſtar, ad faciendum id, in quod plena intentione non fertur. Ad III. Apoſtolus *ſeruit mente* illuminata *legi Dei*, ſeruit *carne* (quatenus labe inhærentis peccati infectus eſt) *legi peccati*, ſeruitute non ſpontanea, ſed *inuoluntaria.* Ad IV. Diſt. *inter libertatem a dominio, & ſenſu peccati.* Quamuis homo renouatus liberatus ſit a *dominio* peccati, non tamen a *ſenſu & radice* peccati immunis eſt.

II. Quicunque *crucifixit carnem*, illi cum carne non eſt confligendum. Quis cum homine cruci affixo decertaret? Atqui homo renatus &c. Gal. V, 24. E. Reſp. Quicunque crucifixit carnem *crucifixione* non tantum inchoata & continuata, ſed etiam *conſummata*, illi cum carne non eſt confligendum. At renati iubentur quotidie carnem crucifigere & mortificare, Rom. VIII, 13. E. illorum crucifixio carnis non eſt conſummata.

III. Quicunque *vincunt mundum*, illis non amplius luctandum eſt cum carne. Atqui renati &c. 1 Io. V, 4. E. Reſp. Quicunque *vincunt* mundum victoria *plena*, qua hoſtis eradicatur, illis non eſt luctandum cum carne. At renati vincunt, ſicut Ioſua ſuperauit Cananæos,

Digitized by Google

næos, non vt exſtirpentur carnales mundi cupiditates, ſed vt hi hoſtes ſpirituales mittantur ſub iugum, quamuis impatientes iugi dominium ſubinde affectent.

Quæſt. XVIII. *Eſtne renouatio hominis iuſtificati in hac vita perfecta?*

Renouatio hominis iuſtificati in hac vita eſt *imperfecta* a). Defectus autem perfectionis in opere renouationis *non* eſt ex parte *Dei*, ſed ex parte *hominis*, actionem Dei renouantis non ſufficienter recipientis b). ***Renouatio imperfecta.***

Prob. a. 1) *Non eſt homo, qui non peccet*, 1 Reg. VIII, 6. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, ita, vt non peccet*, Eccleſ. VII, 20.

2) Renati *habent peccatum*, 1 Io. I, 8. *ſæpe labuntur*, Iac. III, 2.

3) De imperfectione renouationis abunde teſtatur *lucta carnis & ſpiritus* in renatis. In quibus enim *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, vt non faciant, quæcunque volunt, illi, etiamſi peccare nolint, quandoque tamen peccant: Atqui in renatis caro concupiſcit &c: E. *Minor* patet ex Gal. V, 17. Rom. VII, 14. ſeqq.

4) De imperfectione renouationis teſtantur etiam *adhortationes* Spiritus S. ad renatos, quibus commonefiunt, *ne ſecundum carnem ambulent, ſed ſecundum ſpiritum*, Rom. VIII, 13. Gal. V, 24. Eph. IV, 22. Col. III, 9. 10. 1 Petr. II. 11. 1 Io. II, 1.

5) Renatis quotidie *a Deo petenda eſt remiſſio peccatorum*, Matth. VI, 12. Pſ. XXXII, 6. E. peccatorum non ſunt expertes.

6) Multi renati *grauiter lapſi ſunt*, vt Noachus, Lothus, Aaron, Dauid, Petrus & alii, quorum renouatio ſi fuiſſet perfecta, omnem lapſum moralem auertiſſet.

Prob. b. Ex Rom. VIII, 3. *Nam impoſſibile legis, dum infirmatum eſt per carnem. Deus* (præſtitit), *qui ſui ipſius filium miſit in ſimilitudine carnis peccati, & pro peccato condemnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis in nobis impleretur, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.*

Obſ. a) Legi tribuitur ἀδυναμία, ſeu *impotentia* iuſtificandi & ſaluandi *), non intrinſeca, ſed *externa*, quæ non eſt tam legis, quam carnis infirmantis; quatenus non amplius poſt lapſum ſuperſtites ſunt vires in homine, ad obedientiam debitam, legi præſtandam, neceſſariæ. b) Quod Chriſtus morte ſua nobis acquiſiuit, non peperit in nobis vim merendi, nec legi indidit facultatem quandam nouam; ſed conſiſtit in obedientia & ſatisfactione vicaria, quæ noſtram ſatisfactionem, aut perfectam legis impletionem excludit.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum, Socinianorum, Arminianorum, Anabaptiſtarum, Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, perfectionem renouationis ſomniantium. Obiectantur nobis ſequentibus argumentis:

I. Chriſtus præcipit: *Eſtote perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, Matth. V, 48. Reſp. A *præcepto* ad *effectum*, a *debito* ad præſtandi δύναμιν, ſeu *facultatem*, non valet conſequentia. Particula, *ſicut*, non æqualitatem, ſed ſimilitudinem notat, in quantum conamur Deum ſinceritate dilectionis imitari **).

II. Homi-

*) Ita PAVLLVS ipſe interpretatus eſt, quid ſit τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ad Gal. III, 21.

**) Ex verborum ſerie & cohærentia cognoſcimus, Chriſtum hoc in loco non de vniuerſa lege loqui, ſed ſpeciatim de ea eius parte, quæ nobis amorem erga alios homines præcipit, & quidem quod ad homines amandos attinet. Hos, inquit, non amicos ſolum, verum etiam inimicos eſſe, ac diſputat aduerſus Phariſæos, qui veram legis ſententiam miſerum in modum corruperant. Incitat animos exemplo Dei, qui ſua beneficia etiam in improbos confert

Digitized by Google

II. Homines renouati ſunt perfecti: E. renouatio eſt perfecta. *Antecedens* conſtat ex Phil. III, 15. Hebr. V, 14. Reſp. *Homines renouati dicuntur perfecti non abſolute, ſed comparate,*

confert homines. Iubet igitur nos ita *perfectos* eſſe, vt Deus eſt, non omni modo & gradu, ſed ratione *amoris in homines*, vt eos amore proſequamur *omnes*, etiam nobis inimicos, quos qui odiſſe ſolet, is non poteſt eſſe denuo natus. Eſt profecto veriſſima, ſed & caute adcurateque vſurpanda, diſtinctio *perfectionis*, quod alia ſit *partium*, alia *graduum*. I. Perfectio *partium* eſt religioſa obſeruantia eorum omnium, quæ vniuerſo legis ambitu continentur. Vid. Rom. XIII, 8. 9. 10. Iac. II, 10. ſeqq. Hæ *partes* commode poſſunt diuidi in *maiores* atque eſſentiales, vt ita dicam, & *minores* atque integrales. *Illæ* tot ſunt, quot ſunt præcepta & vetita. *Harum* nomine intelligo ſingulas res circumſtantes in vno quoque, ſiue imperato, ſiue interdicto, vt ſunt: Subiectum, Obiectum vtrumque, tum reale, tum perſonale, modus agendi, locus, tempus, finis. De hac *partium* perfectione *integrali* diſſerit Liberator noſter, Matth. V, 48. Exponit ibi de quadam *parte* legum diuinarum, quippe de ea, qua hominibus amandis deuincti ſumus, & ſingulatim quidem de ea *re circumſtante*, quæ vocari ſolet Obiectum perſonale, quis nomine hoc, ὁ πλησίον, debeat intelligi. Has igitur *partes*, & quidem vtriusque generis, homo renouatus quisque adeo ſancte colit, vt a nulla earum *ſciens volensque* deflectat: eſt enim in confeſſo, quod ne *vnum* quidem peccatum *voluntarium* committi poſſit ab homine, quoad ipſe eſt manetque in ſtatu renouationis. II. *Graduum* perfectio eſt ſumma animi integritas, atque omnino tanta, tamque perpetua, vt nullo tempore, nulloque modo, aliquid, vlli legis parti contrarium, homo cogitet ſuſcipiatque, ac ne vllas quidem ſentiat peccandi illecebras, immo & innatam ad peccandum propenſionem radicitus euulſam abiiciat. Id quod in hac mortalitate nemini vnquam contigit, aut continget. Pſ. XIX, 13. CXLIII, 3. Phil. III, 12. Iac. III, 2. 1 Corinth. IV. 4. Si qua graduum perfectio quibusdam tribui videtur, eſt ea non ſimpliciter, ſed *comparate* ſic dicta; proficiens enim maiorem profecto gradum adſequutus eſt, quam incipiens. Eph. IV, 13. 14. 1 Cor. II, 6. & III, 1. Hebr. V, 13. 14.

Controuerſia quondam agitata fuit de eo: an ne valeat homo renouatus, in hac vita, peruenire ad *gradum* perfectionis legalis *a ſummo proximum?* Hoc negamus ac pernegamus. Perſpicua res erit, ſi eam definitione explicauerimus. *Summus* gradus hic eſſet: ſi nullum in homine eſſet peccatum hæreditarium, nulla ad male agendum propenſio. Atqui tanta integritas eſt vnius Chriſti propria, Luc. I, 35. 1 Ioann. III, 5 nobis, quoad mortales ſumus, nunquam tribuenda, 1. Ioann. I, 8. *Secundus* gradus, ab illo proximus foret, ſi nulli vnquam in nobis exſiſterent motus innatæ illius propenſionis, nos ad peccandum adlicientis, nulla cogitatio vetita, nulla cupiditas iniuſta. At enim vero ſtimulis atque illecebris τῆς σαρκὸς liber ac vacuus eſt nemo renouatorum, Rom. VI, 12. VII, 17. 23. Gal. V, 16. 17. 24. *Tertius* gradus, ſecundo inferior, eſſet, ſi actus externus, legi contrarius, nullus vnquam committeretur, ex ignorantia, errore, aut feſtinatione animi. Ac ne id quidem valet quisquam in hac mortalitate, Iac. III, 2. *Quartus* gradus eſt conatus efficax, ſtudiumque ardentiſſimum, vberioris rerum cognitionis adquirendæ, & vitæ magis magisque corrigendæ, faciliore negotio, ac firmiore alacritate. Hoc agunt *proficientes*, Eph. IV, 13. 14. 1 Theſſ. IV, 1. *Quintus* atque infimus gradus eſt repugnantia aduerſus motus innatæ cupiditatis, ac ſtudioſa deuitatio omnium peccatorum voluntariorum. Atque hoc eſt renouatorum omnium, etiam ſi ſint *incipientes*. 1 Io. III, 6. 9. Gal. V, 16. 24. Rectiſſime igitur pronuntiarunt Maiores noſtri: *quod inchoata legis impletio procul abſit a perfectione.* In *Apol. Aug. Conf. c. III. p. 115.* atque ita ſæpius.

Itaque *perfectio legalis* non cadit in vllum hominem renouatum. Ergo indiget vnus quisque *perfectione euangelica*, quæ cuiusmodi ſit, adcurate definiamus. Eſt nimirum ea

I. Alia quidem *falſo* ſic dicta, intolerabili opinione

*Generatim* eorum omnium, qui hæc duo, *legem & euangelium* inter ſe confundunt, immo etiam in definitione vtriusque vehementer errant.

*Speciatim* duarum potiſſimum ſectarum:

1) *Romano-Catholicorum*, qui, ſumto hoc principio, quod Chriſtus *conſilia* quædam *euangelica* legibus adiunxerit, *perfectionem euangelicam* dicunt eſſe obſeruantiam non ſolum præceptorum,

Digitized by Google

*parate vt perfecti opponantur infirmis*, qui inſtar puerorum vix prima rudimenta doctrinæ chriſtianæ didicerant. Ipſe Apoſtolus negat, ſe *abſolute perfectum* eſſe, Phil. III, 12.

III. Noachus dicitur fuiſſe *vir iuſtus & perfectus*, Gen. VI, 9. Ioſias, 2 Paral. XXXIV, 2. Daniel, cap. VI, 22. Reſp. Fuerunt viri laudati *perfecti perfectione ſinceritatis, non conſummationis*. Recenſentur illorum lapſus & næui: nimirum Noachus vino ſe obruit, Gen. IX, 21., Ioſias bellum non neceſſarium Pharaoni Necho, ſuo ſuorumque damno, intulit, 2 Paral. XXXV, 20., Daniel peccata ſua confitetur, c. IX, 5.

IV. *Dilectio* Dei *dicitur perfecta eſſe in nobis*, 1 Io. IV, 12: Sed dilectio eſt effectus formalis renouationis: E. renouatio etiam perfecta eſt; quia effectus non eſt præſtantior ſua cauſſa. Reſp. L. c. non intelligitur *dilectio Dei actiua*, qua nos Deum diligimus, ſed *paſſiua*, qua a Deo diligimur. Non *illa*, ſed *hæc* in nobis perfecta eſt, quoniam erga nos perfecte declarata, & in cordibus noſtris per Spiritum S. obſignata eſt.

V. In quibus Chriſtus habitat, in illis nulla eſt iniquitas: quia nulla eſt communio iuſtitiæ cum iniquitate, 2 Cor. VI, 15.: Atqui in iuſtificatis &c. Eph. III, 17. Reſp. In iuſtificatis nulla eſt iniquitas: quia a) peccata illis in *iuſtificatione* ſunt *remiſſa*: b) quia a *dominio* peccati in *renouatione* ſunt liberati: remanent tamen in illis inordinati motus & peccata infirmitatis.

VI. Quicunque peccato ſunt mortui, in illis non datur peccatum: nam cui quis mortuus eſt, illi non amplius deditus aut obnoxius eſt: Atqui homines renouati &c. Rom. VI, 2. Reſp. Homines renouati *mortui ſunt peccato*, vt *non regnet in mortali eorum corpore*, Rom. VI, 22. quamuis in eodem habitet & dominium ſubinde affectet.

VII. Quicunque ſic renouatus eſt, vt ſit noua creatura, & omnia eius ſint noua, ille perfecte renouatus eſt. Atqui homines iuſtificati &c 2 Cor. V, 17. Reſp. Homo iuſtificatus dicitur *noua creatura proxime & immediate propter regenerationem*, *quæ eſt noua quaſi creatio*, quam perfectam eſſe non negamus; *conſequenter vero*, *mediate & remote tantum*, *propter donum renouationis*. Conf. HVLSEMANN. *breu. enucl. p* 692. Ceterum *vetera* dicuntur *tranſiiſſe*, *& omnia noua* eſſe; a) quia Chriſtus omnibus nouam gratiam, nouumque ſpiritum acquiſiuit: b) quia nouam gratiam omnibus offert, & credentibus confert; quæ noua gratia etiam in omnibus perfecte operatur, niſi peccati inhabitantis vetuſtate impediretur.

VIII. Omnis actio Spiritus S. eſt perfecta: Atqui renouatio &c. E. *Maior* eſt euidens: quia Spiritus S. infinita pollens potentia, perfecte agit. Reſp. *Omnis actio Spiritus S. in*

ceptorum, ſed etiam conſiliorum illorum; re autem vera nihil eſt, niſi cultus arbitrarius, Romani Pontificis auctoritate confirmatus, præſertim vero monaſticum vitæ genus. Hunc eorum errorem deteſtantur Noſtrates, in *Aug. Conf.* p. 17. & 36. & eius *Apolog.* p. 282. 286.

2) *Socinianorum*, qui, vt nouas comminiſcuntur leges, a Chriſto demum latas, easque nomine *Euangelii* perperam deſignare ſoliti ſunt, ſic *perfectionem euangelicam* ponunt in obedientia, omnibus hisce nouis Chriſti imperatis pariter, atque antiquæ legi morali ac naturali, præſtita.

II. Alia autem *vera*, quæ eſt remiſſio peccatorum omnium, liberatio vacuitasque omnis & culpæ, & pœnæ, propter conſummatiſſimam Chriſti iuſtitiam obedientiamque vicariam, legi omnino præſtitam, & nobis tributam. Rom. VIII, 1. 2. 3. Eph. V, 26. 27. Coloſſ. II, 10. coll. cum ſeqq. v. 12. 13.



Digitized by Google

*in ſe & abſolute conſiderata*, eſt *perfecta*; at *conſiderata reſpectiue*, nempe reſpectu ſubiecti recipientis, *imperfecta* dicitur, non ob defectum potentiæ Spiritus S. ſed ob defectum capacitatis in homine iuſtificato. Nam actio fit non per modum imprimentis, ſed recipientis ſecundum receptiuitatem, quæ datur in ſubiecto capaci.

Quæſt. XIX. *Eſtne homini renouato ad perfectionem ſanctitatis adſpirandum?*

Homini renouato vtique *adſpirandum eſt ad perfectionem ſanctitatis* a), vt *indies* noua iuſtitiæ inhærentis *incrementa* capiat b).

Prob. a. Hominis renouati animo perpetuo obuerſetur mandatum Chriſti, Matth. V, 48. *Eſtote vos perfecti, quemadmodum Pater veſter, qui eſt in cœlis, perfectus eſt.*

Prob. b. Paullus grauiter monet: *Fratres mei dilectiſſimi, firmi eſtote, immobiles, abundantes in opere Domini ſemper!* 1Cor. XV, 58.

Excipiunt *Pontificii*: Nemo ſanus adſpirat ad id, quod aſſequi non poteſt: Sed ex mente Proteſtantium nemo perfectionem aſſequi poteſt: E. Reſp. Neg. *maiorem.* Nam qui ad ſummum adſpirat, medium obtinet iuxta illud Græcorum prouerbium: ἄκρον λάβε, μέσον ἕξεις. Diſcipulus ſummum eruditionis gradum aſſequi nititur, licet eodem non potiatur.

Quæſt. XX. *Quomodo homo renouatus ad perfectionem iuſtitiæ inhærentis adſpirat?*

Homo renouatus ad perfectionem iuſtitiæ inhærentis adſpirans, implorato auxilio Spiritus S. & inſtituto examine vitæ ſuæ, *reliquias peccati moraliter abolet* per diſplicentiam & deteſtationem omnium ſordium moralium, atque *continuam luctam aduerſus carnem* a). Eaſdem *realiter expellit* per virtutum contrariarum exercitium b).

Prob. a. Quemadmodum pœnitentia ſtantium eſt hominum renouatorum: ita eadem infert *moralem* retractationem & deteſtationem omnium inquinationum, atque *continuatam luctam ſpiritus aduerſus carnem*, de qua Paullus Rom. VII, 14. ſeq. 2Cor. VII, 1. Gal. V, 16. 17. agit.

Prob. b. *Realiter expelluntur* vitia per virtutes contrarias, v. gr. mendacium per veritatem, libido per caſtitatem, ebrietas per ſobrietatem. Vid. Eph. IV, 25. ſeqq.

## *SVSPIRIVM.*

Cor mundum crea mihi, Deus, & ſpiritum firmum innoua in medio mei! Ne abiice me a facie tua & Spiritum Sanctum ne aufer a me! Reduc mihi gaudium ſalutis tuæ, & Spiritus ſpontaneus ſuſtentet me, vt, depoſito vetere homine, qui concupiſcentiis prauis & fallacibus indies redditur deterior, induam nouum hominem, qui primitus conditus fuit ad imaginem tuam in vera iuſtitia & ſanctitate! Inſtaura in me, Pater benigniſſime, imaginem tuam, luminibus ſapientiæ, iuſtitiæ, ſerenæ conſcientiæ radiantem, vt ſim iuſtus ex te, & ſanctus in Chriſto!

THEOL.

Digitized by Google

THEOL. PART. III. SECT. I.

CAPVT XI.

# DE GRATIA CONSERVANTE, ET PERSEVERANTIA FIDELIVM.

Quæſt. I. *Quid eſt conſeruatio fidelium?*

*Conſeruatio* eſt actus gratiæ, quo Spiritus Sanctus habitans in hominibus iuſtificatis & renouatis, hos aduerſus diaboli, mundi & carnis tentationes, quibus ad peccatum & apoſtaſiam a Deo ſollicitantur, ſupernaturalibus viribus præmunit, fidemque ipſorum & vitæ ſanctitatem confirmat & auget, ne e ſtatu gratiæ excidant, ſed in eodem perſeuerent, & æternum ſaluentur. *Definitio conſeruationis.*

Quæſt. II. *Quis eſt auctor huius conſeruationis?*

*Auctor* conſeruationis fidelium eſt *Deus trinunus* a), *Pater* b), *Filius Dei* c), *& Spiritus Sanctus* d), cui hic actus gratiæ *peculiari ratione* adſcribitur, tum ratione virium in regeneratione & renouatione collatarum, tum ratione auxilii actualis. *Cauſſa efficiens.*

Prob. a. Ex Phil. I, 6. *Perſuaſus ſum, quod, qui incepit in vobis bonum opus, abſoluturus ſit vsque in diem Ieſu Chriſti.* Deus, qui Chriſtianiſmum inter nos plantauit, nosque regenerauit & ſanctificauit, hoc ipſum ſuum opus in nobis abſoluturus eſt, modo viribus diuinitus conceſſis decenter vtamur, neque Deo conſeruatori impedimentum obiiciamus.

Prob. b. Ex 1 Theſſ. V, 23. *Ipſe Deus pacis ſanctificet vos integros, & integer veſter ſpiritus. & anima & corpus irreprehenſibiliter in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Deus Pater* ſpiritum hominis ſanctificat, ne diffidentia aut errore corrumpatur; animam, ne inordinatis affectibus ſuccumbat; corpus, ne pollutione quadam fœdetur, conſeruat.

Prob. c. Ex Ioann. X, 27. 28. *Oues meæ vocem meam audiunt; & ego cognoſco eas, & ſequuntur me; & ego vitam æternam do illis; & non peribunt in ſæculum; nec rapiet quis eas e manu Patris mei. Chriſtus,* bonus paſtor, tuetur oues ſuas, vt maneant in manu Patris, & vitam æternam adipiſcantur. Huic ſuam fidei perſeuerantiam acceptam refert Paullus, 2 Tim. IV, 17. *Dominus mihi adſtitit & confortauit me, vt per me præconium adimpleretur, & audirent omnes gentes, & ereptus ſum ex ore leonis.*

Prob. d. *Spiritui S.* peculiariter adſcribitur conſeruatio & confirmatio fidelium; quippe a quo, beneficio regenerationis & renouationis, vires perſeuerandi acceperunt, Tit. III, 6. Hic teſtatur cum ſpiritu hominum iuſtificatorum, quod ſint filii Dei, Rom. VIII, 16. coadiuuat infirmitates eorum, ibid. v. 26. eſt ipſorum paracletus, Io. XV, 26. eſt arrhabo, quo obſignati ſunt, 2 Cor. I, 22.

Quæſt. III. *Quid impulit Deum ad conſeruandam fidem & ſanctimoniam vitæ?*

Ad conſeruandam firmandamque fidem non minus, quam pietatem hominis iuſtificati & renouati, Deum *impulit interne* miſericordia a), *externe* meritum & interceſſio Chriſti b). *Cauſſa impulſiua.*

Prob. a. Ex 1 Petr. V, 10. *Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, poſtquam parum paſſi fueritis, inſtauret vos, ſtabiliat, confortet, fundet!* Docet Apoſtolus, ex eodem gratiæ fonte fluere & primam ad gloriam cœleſtem vocationem, & vltimam huius beneficii conſummationem, videlicet confirmationem in bono, & introductionem in gloriam cœleſtem.

Prob. b. Ex Rom. VIII, 34. *Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, qui etiam eſt in dextra Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos ſeparabit a dilectione Chriſti?* Adeo Deus in Chriſto nos dilexit, vt dono perſeuerantiæ nos inſtrueret; quia Chriſtus noſtri cauſſa mortuus reſurrexit, & euectus ad dextram Dei Patris pro nobis intercedit. *Ego oraui pro te, vt non deſinat fides tua, dicit Chriſtus Petro,* Luc. XXII, 32.

Quæſt. IV. *Quibus mediis renati in fide & ſanctitate a Deo conſeruantur?*

***Media.***

*Media* conſeruantia & confirmantia fidem in Chriſtum atque ſanctimoniam vitæ, ſunt *verbum Dei* a) & *ſacramentum cœnæ* b).

Prob. a. 1) Verbo Dei a lue peccati præſeruamur. *In corde meo abſcondi verbum tuum, vt non peccem tibi,* inquit Hieropſaltes, Pſ. CXIX, 11.

2) Verbo Dei audito, & in vſum traducto, confortatur cor noſtrum, ne vllis tentationibus fides noſtra labefactetur *Omnis, qui audit mea verba hæc & facit ea; comparabo eum cum viro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram; & deſcendit imber veneruntque flumina, ac flarunt venti, irrueruntque in domum illam: tamen non cecidit: fundata enim erat ſupra petra,* Matth. VII, 24. 25.

3) Verbo Dei, tanquam gladio, ſpiritus hoſtes animæ noſtræ vincimus & profligamus, Eph. VI, 17.

Prob. b. S. Euchariſtiæ vſu vnio myſtica cum Deo & ſtatus gratiæ conſeruatur. *Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in ipſo,* Io. VI, 50. Ex hac vnione cum Chriſto prouenit, vt nouas vires tanquam palmites ex vite conſequamur, per fidem vincendi mundum, diabolum, carnemque noſtram, & copioſiores fructus iuſtitiæ ferendi.

Quæſt. V. *Quibus miniſtris Deus vtitur ad confirmandum fidem & ſanctitatem vitæ?*

***Cauſſa miniſterialis.***

*Ordinarie* vtitur Deus *præconibus ſacris* ad confirmandos infirmos a). *Extraordinarie quiuis homo renouatus,* partim propoſitione *verbi diuini,* partim proprio *ſuo exemplo,* alios ad perſeuerantiam fidei & pietatis incitare poteſt b).

Prob. a. *Præcones ſacri* offerunt auditoribus ſuis *lac & ſolidum cibum. Lac infantibus, h. e. imperitis ſermonis iuſtitiæ,* vt creſcant in gratia & cognitione Chriſti. *Solidum cibum perfectis, qui per habitum ſenſus exercitatos habent, ad diiudicationem boni & mali,* vt a malo præſeruentur, & in bono confirmentur, Hebr. V, 13. 14.

Prob. b. *Omnium Chriſtianorum perfectiorum* eſt, *remiſſas manus & ſoluta genua rectificare, & ſemitas rectas facere pedibus ſuis: vt claudum non peruertatur, ſed curetur potius,* Hebr XII, 12. 13. Hoc in primis ad animum in fide confirmandum pertinet, quia Apoſtolus *manus* fidei *non vult eſſe remiſſas, nec ſoluta genua,* cum accedendum eſt ad thronum gratiæ. Quare *adultiores Chriſtiani pedibus ſuis rectas faciant ſemitas,* i. e. propoſitione verbi diuini, proprioque exemplo imperitioribus præluceant, ne, qui infirmi ſunt, a fide penitus excidant, & Chriſtum abnegent.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VI. *Cuius hominis fidem & ſanctitatem Deus conſeruat?*

Deus conſeruat fidem & ſanctitatem *hominum renatorum, iuſtificatorum, cum Deo & Chriſto vnitorum*, atque per Spiritum Sanctum *renouatorum*. *Subiectum*

Prob. *Conſeruatio rei* ſupponit eius *exſiſtentiam*. Quam ob rem, cum fides & ſanctimonia vitæ non, niſi in hominibus renatis, iuſtificatis, cum Deo vnitis, & renouatis exſiſtant, in iisdem duntaxat diuinitus conſeruantur. Id quod colligimus e Rom. V, 1. 2. *Iuſtificati itaque fide pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum: per quem aditum habemus fide in gratiam hanc, in qua ſtamus:* & ex 1 Cor. XV, 1. *Ceterum notum facio vobis, fratres, euangelium, quod euangelizaui vobis, quod & accepiſtis, in quo etiam ſtatis. Stare* in ſacris litteris idem eſt, ac perſiſtere, vel perſeuerare. Neque enim *ſtatio* hic opponitur *curſui;* cum Chriſtianis non otioſe ſtandum, ſed currendum ſit, exemplo Lothi: verum *lapſui*, ſeu in doctrina, ſeu in vita, adeoque *ſtatio* in præſenti notat *perſeuerantiam*. Idcirco cum, docente Paullo, tantum ſtent fratres illi, qui euangelium acceperunt, & iuſtificati amicitia Dei fruuntur, firmum fixumque manet, illorum tantum fidem & pietatem diuinitus conſeruari.

Quæſt. VII. *Vtrum tantum anima cum ſuis facultatibus, an etiam corpus cum ſuis membris in bono confirmatur?*

*Primario anima*, eiusque facultates, intellectus, voluntas & appetitus ſenſitiuus: *ſecundario corpus*, eiusque membra, a malo præſeruantur & in bono confirmantur. *Subiectum quo.*

Prob. *Integer veſter ſpiritus, & anima & corpus irreprehenſibiliter in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur*, 1 Theſſ. V, 23. Obſ. *Spiritus* Paullo eſt facultas animæ ſuperior, qua intelligimus & volumus. Fides, qua notitiam & aſſenſum, eſt in intellectu; qua fiduciam, in voluntate. *Anima* eſt facultas inferior, qua ſentimus & bonum ſenſibus gratum appetimus. Sanctitatis vitæ officina tam *ſpiritus*, quam *anima* eſt, h. e. ſanctificationis capaces ſunt intellectus, voluntas & appetitus ſenſitiuus. Actiones ſanctæ exercentur per membra *corporis*, tanquam organa & arma iuſtitiæ. Quam ob rem *primario anima*, *ſecundario corpus* & ipſius membra, per Spiritum Sanctum a malo præſeruantur & in bono confirmantur.

Quæſt. VIII. *In quo formaliter conſiſtit conſeruatio fidelium?*

Conſeruatio fidelium *complectitur* a) *gratiam præſeruantem*, ſeu *præmunientem*, qua Deus homines iuſtificatos & renouatos aduerſus tentationes diaboli, mundi & carnis, viribus ſupernaturalibus præmunit, ne ab iſtis hoſtibus, in apoſtaſiam a fide & pietate præcipites rapiantur: b) *gratiam confirmantem*, qua per media, diuinitus ordinata, fides pietasque hominum iuſtificatorum & renouatorum ſtabiliuntur: quo etiam pertinet *gratia conſolans*, qua fideles, onere afflictionum corporis & animæ preſſi, eriguntur: c) *gratiam locupletantem*, qua tum fides in Chriſtum, tum pietas vitæ ſubinde nouis maioribusque viribus per Spiritum Sanctum augentur. *Forma conſeruationis.*

Prob. a. Ex 2 Theſſ. III, 3. *Fidelis eſt Dominus, qui confirmabit vos & cuſtodiet a malo.* Mens Apoſtoli eſt: *Deus eſt fidelis & conſtans:* Idcirco non ſinet vos dono fidei collato excidere, ſed ſtabiliet vos in eo, & cuſtodiet ab omni malo, ab ignitis Satanæ telis, ab inſi-



Digitized by Google

diis mundi, ab illecebris carnis, ne fidem veſtram concutiant, aut labefactent. Quem in finem Deus miſericordiſſimus in regeneratione & renouatione eas impertiuit vires, quibus ſuccincti hoſtibus reprimendis & ſuperandis haud impares ſunt. *Reſiſtite diabolo: fugiet enim a vobis*, inquit S. Iacobus, cap. IV, 7. Et S. Ioannes commendat *gratiam* Dei *præmunientem*, 1 ep. cap. V, 4. *Omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. Hæc autem eſt victoria, quæ vicit mundum, fides noſtra.*

Prob. b. *Gratiam* Dei *confirmantem* memorabili verborum apparatu deprædicat S. Paullus, 2 Cor. I, 21. 22. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & vnxit nos, Deus eſt. Qui etiam obſignauit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris* Promiſſiones euangelicas, de quibus Apoſtolus verſu præcedente locutus erat, in ſe certiſſimas, Deus confirmat in nobis, per vnctionem & collationem diuinorum donorum, qua illis non credamus tantum, ſed ſummam etiam animi & conſcientiæ lætitiam inde concipiamus. *Quin & obſignauit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* Confirmauit Deus fidem noſtram, promiſſionibus euangelicis innixam, ſacramentis, velut ſigillis, & interno Spiritus S. teſtimonio, quaſi *arrhabone* quodam, omni pignore magis fortiusque obligante, quo ſponſus ſponſæ fidem ſuam arctiſſime penitiſſimeque obſtringit, ipſamque amoris ſui perpetui & indiſſolubilis plane certam & indubiam reddit. A quo infallibili Spiritus S. teſtimonio hæc gratia & συμμαρτυρȣ̃σα, *conteſtans* dicitur, eo, quod cordibus noſtris vi ſua, verbo inſita, *teſtatur, nos filios Dei eſſe*, & ſumma cum fiducia Deum compellare poſſe: Abba, Pater! Rom. VIII, 15. nempe non certam nobis tantum gratia diuina reddit ſpem ſalutis, ſed ſemper certiorem, immo certiſſimam. Ad hanc gratiam confirmantem etiam referenda eſt *gratia conſolans*, qua afflicti fidelium animi recreantur, & ſuſtentantur, ne, abiecta fide, in deſperationem præcipites ferantur. De qua Paullus, 1 Cor. I, 3. *Benedictus eſto Deus & Pater Domini noſtri, Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus omnis conſolationis, qui conſolatur nos in omni afflictione noſtra, vt poſſimus nos conſolari eos, qui in omni afflictione ſunt, per conſolationem, quam accipimus ipſi a Deo: quia, quemadmodum abundant paſſiones Chriſti in nobis, ſic per Chriſtum abundat etiam conſolatio noſtra.*

Prob. c. Deus conſeruando fidem vitæque ſanctimoniam, vberioribus eandem incrementis *locupletat*, & firmat. *Non ceſſamus pro vobis orare & petere, vt impleamini cognitione voluntatis ipſius in omni ſapientia & intelligentia ſpirituali, vt vos ambuletis digne Domino ad omnem complacentiam, in omni opere bono fructificantes & creſcentes in cognitionem Dei, omni robore corroborati, ait Paullus*, Col. I, 9. 10. 11.

Quæſt. IX. *Quodnam officium requiritur ab omnibus renatis & renouatis, vt in fide & ſanctitate conſeruentur?*

*Officia conſeruationis.*

Vt Chriſtianorum fides ſanctitasque perſtet integra & inuiolabilis, *illorum eſt*, a) *mediis*, ad perſeuerantiam fidei & ſanctitatis *diuinitus ordinatis*, *decenter vti*; b) *auxilium diuinum* ardentiſſimis precibus *implorare*; c) *vigilare*, cauteque declinare omnes fidei ſcopulos, peccandique occaſiones; d) omnibus viribus ſpiritualibus in regeneratione & renouatione acceptis *aduerſus hoſtes animæ acriter dimicare*; e) indefeſſo *conatu ad incrementum* fidei & pietatis *contendere*.

Prob. a. *Media* confirmandæ fidei ſunt verbum & ſacramenta. *Verbum Dei diu noctuque meditans eſt ſicut arbor plantata iuxta riuos aquarum, quæ fructum ſuum dat in tempore*

Digitized by Google

*pore ſuo, foliumque eius non decidit*, Pſ. I, 2. 3. *Qui digne comedit* in ſacramento cœnæ *carnem Chriſti, & bibit eius ſanguinem, ille manet in Chriſto, & Chriſtus in ipſo*, Io. VI, 56.

Prob. b. *Vigilate & orate, ne ingrediamini in tentationem*, Matth. XXVI, 41. Precatur Rex Dauid: *Fulci greſſus meos in orbitis tuis: vt non dimoueantur inceſſus mei*, Pſ. XVII, 5.

Prob. c. Grauiter hortatur S. Petrus: *Vos dilecti, cauete vobis, ne nefariorum errore vna abducti excidatis e propria ſtabilitate*, 2 Petr. III, 17. Homines ἀθεσμοι, ſiue nefarii ſunt, qui nullo iure, nullis legibus in ordine retineri poſſunt: horum conſortium fugiendum eſt, ne ipſorum deceptione a via veritatis & pietatis abducti, firmitatem fidei amittamus.

Prob. d. Ex Eph. VI, 10. 11. *Quod reliquum, fratres mei, confortamini in Domino, & in robore potentiæ illius. Induite armaturam Dei ad hoc, vt poſſitis vos ſtare contra inſidias diaboli.*

Prob. e. Ex 2 Petr. III, 18. *Creſcite in gratia & cognitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti.* Creſcunt fideles *in gratia*, quando firmiore fiducia eam amplectuntur; creſcunt *in cognitione Chriſti*, cum lac euangelii auide imbibentes, per illud creſcunt, plus plusque guſtando, quam benignus ſit Dominus, 1 Petr. II, 2. 3.

Quæſt. X. *An fides ſaluifica per bona opera conſeruatur?*

Fides proprie loquendo *non per bona opera*, ſed per *easdem cauſſas*, per quas *generatur*, nempe per verbum & ſacramenta *conſeruatur* a); per bona opera *exercetur*, *exſeritur & innoteſcit* b).

Prob. a. Verbum & ſacramenta ſunt media, diuinitus inſtituta, ad fidem ſaluificam in hominum cordibus accendendam, nutriendam, roborandam & conſeruandam: ſtudium vero bonorum operum eſt eius conſequens, quod de fide, perinde ac fructus de arbore, teſtatur.

Prob. b. Fides Abrahami ἐκ τῶν ἔργων ἐτελειώθη, *ex operibus pro perfecta cognita eſt* Iacob. II, 22. Accurate hæc verba CALOV. in *bibl. illuſtr. explicat: Perfici intelligitur res, ex vſu ſcripturæ, quæ vel iuſtam partium, vel graduum perfectionem acquirit, vel etiam a præſtantia ſua aliis euidentius innoteſcit. Atque ita etiam intrinſece ratione graduum roboratam fuiſſe fidem Abrahami per hæc inſignia obedientiæ opera, non diffitemur: extrinſece magis innotuiſſe omnibus iis, qui nunc & olim de iis audituri erant, dubitari a nemine poteſt.* Notari hic merentur etiam verba *Apologiæ Aug. Conf. p.* 117. *Eleemoſynæ ſunt exercitia fidei, quæ accipit remiſſionem, quæ vincit mortem, dum ſe magis magisque exercet, & in illis exercitiis vires accipit.*

Quæſt. XI. *Quis eſt finis conſeruationis fidelium?*

*Finis* conſeruationis huius *vltimus*, ex parte *Dei*, eſt *gloria gratiæ Dei* a); ex parte *hominum*, *æterna ſalus* & conſiſtentia in extremo iudicio b). Finis & effectus *proximus* eſt perſeuerantia c). *Finis conſeruationis.*

Prob. a. Ex 2 Theſſ. I, 3. *Gratias agere debemus Deo ſemper pro vobis, fratres, quem ad modum æquum eſt; quia amplius creſcit fides veſtra, & plenior fit caritas vnius cuiusque omnium veſtrum erga vos inuicem.*

Prob b *Quisquis perſeuerauit in finem, hic ſeruabitur*, Matth. X, 22. *Vigilate ergo in omni tempore, precantes, vt digni habeamini ad effugiendum hæc omnia, quæ futura ſunt, & ad conſiſtendum coram filio hominis*, Luc. XXI, 36.

Prob.

Digitized by Google

Prob. c. Deus eſt, *qui operatur in nobis tam velle, quam perficere, pro beneplacito*, Phil. II, 13. Vnde, qui bonum opus in nobis *incepit*, id ipſum *abſoluturus* eſt, *vsque in diem Ieſu Chriſti*, c. I, 6. Eſt igitur *perſeuerantia* donum Dei, de quo AVGVSTIN. *libr. de corrupt. & gratia c. VI.* præclare diſſerit: *Si dixerimus, iſtam perſeuerantiam tam laudabilem, tam felicem, eſſe hominis, vt non ſit ex Deo; illud euacuamus, quod ait Dominus Petro: rogaui pro te, ne deficiat fides tua.*

Quæſt. XII. *Quid eſt perſeuerantia fidelium?*

*Definitio perſeuerantia.* *Perſeuerantia fidelium* eſt donum Dei, quo fides & ſanctitas hominis iuſtificati & renouati conſeruata permanet.

Quæſt. XIII. *Quotuplex eſt perſeuerantia fidelium?*

*Homonymia.* Perſeuerantia fidelium eſt vel *temporaria*, vel *finalis*. *Illa* eſt, qua homines iuſtificati & renouati ad tempus tantum, non autem vsque ad finem vitæ in fide, morumque ſanctimonia perſiſtunt a). *Hæc* eſt, qua Chriſtiani, vsque ad finem vitæ, fidem & bonam conſcientiam retinentes, in ſtatu gratiæ manent b).

Prob. a. Dantur homines, qui verbum Dei audiunt, auditum cum gaudio accipiunt; non habent autem radicem, ſed πρόσκαιροι, ſeu *temporarii* ſunt. *Quando ergo incidit afflictio, aut perſecutio propter verbum, continuo ſcandalizantur*, Matth. XIII, 20. 21. Horum *perſeuerantia* eſt *temporaria.*

Prob. b. Dantur contra *homines fideles vsque ad mortem, quibus datur corona vitæ*, Apoc. II, 10. Horum *perſeuerantia* eſt *finalis:* quæ perſeuerantia *finalis* κατ᾽ ἐξοχὴν *perſeuerantia* dicitur.

Quæſt. XIV. *Quotuplex eſt perſeuerantia finalis?*

*Perſeuerantia finalis* eſt vel *continua*, vel *interrupta*. *Illa* eſt, qua fidelis, ex quo ſemel credere cœpit, & iuſtificatus eſt, in ſtatu gratiæ & vnione cum Deo ad finem ita permanet, vt nunquam gratia excidat, aut vnionem cum Deo interrumpat. *Hæc* eſt, quæ interruptionem aliquam quidem patitur, ſed ſubinde reſarta ad finem vsque perdurat.

Obſ. I. Diſt. *inter renatos, & electos*. *Renati* æſtimantur ex *fide præſente; electi* ex *fide finali*. Ideoque non omnes *renati* ſunt *electi;* nec omnes *electi* ſemper & omni tempore ſunt *renati*. Dantur enim *renati*, qui, prolapſi in peccata mortifera, ob finalem impœnitentiam reprobantur: dantur etiam *electi*, qui ob peccata proæretica, quibus indulgent, ad tempus non ſunt in ſtatu regenerationis. *Renati poſſunt labi totaliter & finaliter*, i. e. per peccata mortalia poſſunt excidere ſtatu gratiæ, vt nunquam in eundem reſtituantur: *Electi poſſunt labi totaliter, ſed non finaliter*, i. e. illorum perſeuerantia ad tempus rumpitur peccatis proæreticis, vt ex filiis gratiæ fiant filii iræ; in ſtatu iræ autem permanere nequeunt, ſed per ſeriam pœnitentiam in amicitiam cum Deo redeunt, eo, quod intuitu perſeuerantis fidei, meritum Chriſti amplexuræ, a Deo electi ſunt; præſcientia Dei autem nunquam fallitur.

Obſ. II. *Perſeuerantia continua*, ratione temporis, eſt illorum, qui tantum ex infirmitate, nunquam vero ex deſtinata malitia peccant, ſeu ſola peccata ex euentu venialia committunt: qualis propter inhabitans peccatum, Rom. VII, 17. infirmitatem carnis lapſæ, Rom. VIII, 3. & imperfectionem renouationis in hac mortalitate viatoribus vix, vel raro contingit.

Digitized by Google

git. Quod adhuc magis verum eſt ex iisdem fundamentis, *de perſeuerantia æquali. Quis enim dabit mihi viatorem adultum, in quo per totam vitam gradus fidei ac pietatis ne tantillum quidem imminuatur?* inquit B. HVLSEM. in *breu p. 937.*

Obſ. III. Perſeuerantiam non tantum *renatorum*, ſed etiam *electorum*, *ad tempus* rumpi poſſe, ſupra probatum dedimus.

Quæſt. XV. *Quid opponitur perſeuerantiæ fidelium?*

Perſeuerantiæ fidelium *opponitur* lapſus a fide & pietate, qui ſi cum *moroſa* *Oppoſitum.* *delectatione* continuetur, vocatur *apoſtaſia.*

Quæſt. XVI. *Quid eſt apoſtaſia?*

*Apoſtaſia* eſt receſſus a fide & pietate deliberatus, doloſus, crebris infidelitatis *Definitio* & impietatis actibus cum moroſa in iis delectatione & contemtu verbi diuini *apoſtaſiæ.* continuatus.

Obſ. *Apoſtaſia dicitur, non lapſus a fide & pietate per ignorantiam, aut præcipitantiam, etiam reclamante conſcientia commiſſus, mox inſequente pœnitentia correctus; ſed plane deliberata & doloſa receſſio a fide & pietate, frequens actuum infidelitatis & impietatis continuatio, moroſa in iis delectatio, & contemtus verbi diuini dicitur apoſtaſia,* cenſente D. HVLSEMANN. in *breu. p.* 861. Conf. DANNHAV. in *hodoſ. p.* 860.

Quæſt. XVII. *Quotuplex eſt apoſtaſia?*

*Apoſtaſia* eſt *duplex*, *dogmatica*, & *moralis*. *Illa* eſt defectio a veræ Spiritus S. *Diuiſio* doctrina, qua reiecta, fides ſaluifica exſtinguitur a). *Hæc* eſt deliberatus lapſus *apoſtaſiæ.* a ſanctitatis ſtudio, crebris malitiæ actibus continuatus, fideique naufragium inferens b).

Prob. a. *Terminus a quo apoſtaſiæ fides eſt,* dicente CALOVIO in *bibl. illuſtr ad 2 Theſſ. II, 3. fol.* 900. Idcirco monet Apoſtolus Hebr. III, 12. *Videte, fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor prauum incredulitatis in recedendo a Deo viuo,* ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ Θεοῦ ζῶντος. Innuit Apoſtolus, apoſtaſiam a Deo viuo conſiſtere in *malitioſa abiectione fidei.* Amittitur autem fides, tum *abnegatione doctrinæ fidei*, tum *peccatis proæreticis.* Vnde apoſtaſia in *dogmaticam, & moralem* diuiditur. Confer. HVLSEM. *breuiar p.* 962. De apoſtaſia *dogmatica* loquitur Paullus, 1 Tim. IV, 1. *Spiritus autem diſerte dicit, quod in extremis temporibus quidam* ἀποστήσονται, *defecturi ſint a fide, attendentes ſpiritibus erroneis, & doctrinis dæmoniorum.* Qui a vera fidei doctrina deficit, & doctrinæ falſæ a dæmone oriundæ adhæreſcit, iudice Paullo, apoſtata eſt. A *Pontificiis* apoſtaſia aliquanto *ſtrictius* definitur, quod ſit *infidelitas*, per quam quis omnino recedit a vera fide, vt, quando ex Chriſtiano fit Iudæus, vel paganus. Vid. BECAN. *c. XIV. de fide, quæſt.* 3. & conf. CALOV. *bibl. illuſtr. in 2 Theſſ. II, 3.*

Prob. b. Ex 1 Tim. I, 19. *Habe fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repulerunt, & circa fidem naufragium fecerunt.* Docet Apoſtolus, non poſſe perſeuerare fidem, niſi ſeruetur bona conſcientia, & declinentur peccata voluntaria, quibus conſcientia vulneratur; quam doctrinam confirmat propoſitis exemplis eorum, qui circa fidem fecerunt naufragium, abiecta per peccata proæretica bona conſcientia.

Quæſt. XVIII. *Eſtne hominibus renatis & renouatis de perſeuerantia fidei & pietatis dubitandum?*

*Præſens ſtatus gratiæ*, in quo viuunt renati & renouati *omnem dubi-* *Certitudo* *tandi rationem* de perſeuerantia fidei & pietatis *excludit*; quippe cuius *certi* *perſeuerantiæ.*



Digitized by Google

ſunt a), non quidem certitudine *abſoluta*, attamen *ordinata*, atque *conditionata* b).

Prob. a. Certi ſunt renati & renouati, quod a) *Deus Pater fidei perſeuerantiam ſit largiturus*, teſte Paullo, 1 Cor. I, 8. b) *Certi ſunt intercesſionis Chriſti*, quam ipſe promiſit, Luc. XXII, 23. c) *Certi ſunt obſignationis Spiritus S.* 2 Cor. I, 21. 22. vid. ſupra adducta. *Perſuaſi igitur ſunt, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque aliqua creatura alia poterit nos ſeparare a dilectione Dei, quæ in Chriſto Ieſu, Domino noſtro, eſt.* Rom. VIII, 39.

Prob. b. Certi ſunt renati, iuſtificati & renouati, ſuæ perſeuerantiæ, non abſolute, ſed *conditionate*; ſi officio ſuo rite perfungantur, de quo ſupra, quæſt. 9. Quod condocefacit *Formula Concord. p.* 803. *Æternum Dei decretum eſt, quod opus illud bonum, a ſe in illis inceptum, promouere, atque confirmare, & ad finem vsque conſeruare velit; ſi modo verbo ipſius, tanquam ſcipioni, conſtanter innitantur, ipſius opem ardentibus precibus implorent, in gratia Dei perſeuerent, & dona accepta fideliter & bene collocent.*

### *SVSPIRIVM.*

Tuere & obſigna in corde meo, o Deus æterne, veram fidem, quam ex mera gratia me regenerando accendiſti! Serua & firma in anima mea imaginem tuam, quam me renouando inſtauraſti! Etenim & fidem ſaluificam exſtinguere, & imaginem tuam deſtruere conniruntur diabolus, mundus, caro. Diabolus ad apoſtaſiam, mundus & caro ad impietatem me ſollicitant. Quibus hoſtibus repellendis impar ſum, niſi tu, ſeruator, opereris, quod effeciſti, diuino tuo robore me præmunias, & præſentiſſima tua ope ſuffulcias. Quare obteſtor & obſecro, vt Spiritu tuo ſanctiſſimo perpetuo me regas, ſuſtentes, corrobores, quo aduerſus omnes hoſtes bonum certamen decertem, curſum pietatis inoffenſo pede ſoluam, fidem vsque ad nouiſſimum vitæ halitum perſeuerantem retineam, atque ex gratia tua liberaliſſima coronam iuſtitiæ & gloriæ reportem?

## THEOL. PART. III. SECT. I.

### CAPVT XII.

# DE GRATIA GLORIFICANTE, ET ÆTERNA BEATITVDINE FIDELIVM PERSEVERANTIVM, EIQVE OPPOSITA DAMNATIONE ÆTERNA INFIDELIVM.

#### Quæſt. I. *Quid eſt glorificatio?*

*Definitio glorificationis.* *Glorificatio* eſt actus gratiæ, quo Deus homines iuſtificatos, in fide vsque ad finem perſeuerantes, & ex hac vita egreſſos, e regno gratiæ in regnum gloriæ transfert, vt æternam beatitudinem obtineant, nomenque diuinum ſempiternis laudibus concelebrent.

#### Quæſt. II. *Quis nos glorificat?*

*Cauſſa efficiens.* Deus *trinunus* a), *Pater* b), *Filius Dei* c), & *Spiritus S.* d).

Prob. a. Ex Rom. VIII, 30. *Quos Deus iuſtificauit, eos etiam glorificauit.* Obſ. a) Δοξάζειν, *glorificare*, hic non ſignificat *gloriam* alicuius *celebrare*, quomodo creaturæ *Deum glori-*

Digitized by Google

*glorificant*, Matth. V, 16. c. IX, 8, c. XV, 31. ſed *gloriam* atque excellentiam *alicui conferre*: qua in ſignificatione etiam de ipſo redemtore vſurpatur, Io. XII, 16. c. XIII, 32. c. XVII, 5. b) Paullus dicit, quod Deus *iuſtificatos glorificauit*, quod nullo modo de glorificatione aliqua huius mundi intelligendum, cum ſcriptura δοξασμὸν, electis in hac vita non tribuat; ſed de δοξασμῷ, *futuro* poſt hanc vitam accipi debet. Conf. Rom. VIII, 17. 18. Ponitur autem *præteritum* ob futuræ glorificationis *certitudinem*.

Prob. b. *Deus Pater multos filios in gloriam adducturus eſt*. Hebr. II, 10.

Prob. c. *Chriſtus, iuſtus iudex, dabit coronam iuſtitiæ omnibus, qui amant apparitionem ipſius*, 2 Tim. IV, 8.

Prob. d. *Spiritus S.* dicitur *ſpiritus gloriæ*, 1 Petr. IV, 14. quia non tantum *in ſe* eſt *glorioſus*, ſed etiam *gloriam nobis confert*, & eiusdem in paſſionibus huius mundi nos certos reddit.

Quæſt. III. *Quid impulit Deum ad glorificandum homines in peccatum prolapſos?*

*Interne* Deum *impulit* bonitas & miſericordia a); *externe* meritum b) & interceſſio Chriſti c). *Cauſſa impulſiua.*

Prob. a. *Deus iuxta miſericordiam ſuam ſaluauit nos*, Tit. III, 5. Obſ. a) Non operum iuſtitiæ merita, quæ nulla ſunt, Deum ad ſaluandum nos peccatores prouocarunt, ſed impulit eum miſericordia nullis hominum meritis elicita. b) Deus in præterito *ſaluaſſe* dicitur non tantum ob *certitudinem* futuræ beatitudinis, ſed etiam ob eiusdem *prægustum* in hac vita.

Prob. b. Cauſſa impulſiua *externa* & *meritoria* eſt *meritum* Chriſti, quo ſatisfactum eſt iuſtitiæ diuinæ, peccatis hominum læſæ. Id ergo præſtat meritum Chriſti, vt Deus ſalua iuſtitia ſua hominem ſaluet. Inculcat hoc Paullus, Rom. V, 10. *Si, cum eſſemus hoſtes, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ipſius; multo magis reconciliati ſaluabimur in vita eius.*

Prob. c. *Chriſtus*, vi *meriti ſui*, apud Deum Patrem interpellat ad impetrandam nobis æternam gloriam. *Pater, quos dediſti mihi, volo, vt, vbi ſum ego, etiam illi ſint mecum, vt videant gloriam meam, quam dediſti mihi*, Io. XVII, 24.

Quæſt. IV. *Quibus mediis Deus nos glorificat?*

*Media* ſalutis *offerentia* & *exhibentia* ſunt verbum euangelii a) & ſacramenta b). *Medium recipiens* eſt fides in Chriſtum c). *Media exſecutiua*, & in gloriam introducentia, ſunt mors, reſurrectio mortuorum, conſummatio huius ſæculi, & extremum iudicium d). *Media.*

Prob. a. Verbum euangelii eſt *verbum ſalutis*, Act. XIII, 26. *Eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti*, Rom. I, 16.

Prob. b. *Deus iuxta miſericordiam ſuam ſaluauit nos, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.* Tit. III, 5. Et in euchariſtia *accipimus corpus & ſanguinem Chriſti in remiſſionem peccatorum*, Matth. XXVI, 27. Sed vbi eſt remiſſio peccatorum; ibi eſt vita & ſalus, quoad πρόποτισμόν, & certam ſpem conſummatæ beatitudinis.

Prob. c. *Saluamur per fidem*, Eph. II, 8. *& viuimus ex fide*, Rom. I. 16.

Prob. d. Per mortem, reſurrectionem & iudicium extremum introducimur in gloriam cœleſtem, de quibus infra.



Digitized by Google

Quæſt. V. *Quis eſt finis & effectus glorificationis?*

*Finis.* *Finis* glorificationis, ex parte *Dei*, eſt laus gratiæ diuinæ a); ex parte *hominis*, glorificationis finis & effectus eſt æterna beatitudo b).

Prob. a. Prout enim *electionis* ad vitam æternam finis eſt *gloria gratiæ diuinæ*, Eph. I, 6. ita & actualis *collationis* vitæ æternæ idem finis eſt. Idcirco angeli & homines beati, procumbentes ante thronum Dei, eumque adorantes dicunt: *Amen! Benedictio, & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & potentia, & robur Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen!* Apoc. VII, 11. 12.

Prob. b. Finis & effectus glorificationis eſt *gloria*, eaque *æterna*, 1 Petr. V, 10. Vocatur alias *beatitudo*, & *vita æterna*, & *ſalus animarum*, 1 Petr. I, 9.

Quæſt. VI. *Quinam a Deo glorificantur?*

*Subiectum.* Glorificantur a Deo *peccatores iuſtificati* a), in fide vsque ad finem vitæ *perſeuerantes* b), & *ex hac vita egreſſi* c).

Prob. a. *Quos Deus iuſtificauit, hos glorificauit,* Rom. VIII, 30.

Prob. b. Ex Matth. X, 22. *Qui perſeuerauerit vsque ad finem, iſte ſeruabitur, & fideli vsque ad mortem datur corona vitæ,* Apoc. II, 10.

Prob. c. In *hac vita conſummatæ* beatitudinis nemo eſt compos. Innuit hoc S. Ioannes, 1 ep. c. III, 2. *Dilecti, iam filii Dei ſumus, ſed nondum manifeſtatum eſt, quid futuri ſimus. Scimus tamen, quod, ſi manifeſtabitur, ſimiles ipſi futuri ſimus, quia videbimus ipſum, ſicuti eſt.*

Quæſt. VII. *Num tam anima, quam corpus, æternæ beatitudinis particeps eſt?*

*Primario* anima a), *ſecundario* corpus æterna potitur beatitudine b).

Prob. a. *Finis fidei eſt ſalus animarum,* 1 Petr. I, 9. *Chriſtus venit ad ſeruandum animas,* Luc. IX, 56. *Verbum Dei ſaluas facit animas,* Iac. I, 21. Obſ. Dicitur *ſalus animarum,* non quod *ſolarum* animarum futura ſit, ſed quod *partim* ſit animæ, *ſtatim* ea fruituræ, quam primum a corpore diſceſſerit, *partim* animæ ſit *potiſſima* ex parte, *partim* corpori non ſine anima, & *per animam* quodammodo obuentura ſit. Conf. D. SEB. SCHMIDII *aphoriſm theol.* p 198.

Prob. b. Corpus fidelium *reſuſcitabitur in gloria,* 1 Cor. XV, 43. & *transformabitur a Domino Ieſu Chriſto, vt ſit conforme gloriæ ipſius,* Phil. III, 21.

Quæſt. VIII. *In quo formaliter conſiſtit ſalus animarum?*

*Salus animarum.* Salus animarum *formaliter* conſiſtit in viſione & fruitione Dei beatifica, quam comitatur amor Dei, gaudium cumulatiſſimum, & ſanctitas vitæ perfecta.

Obſ. De viſione & fruitione Dei beatifica, tanquam fine theologiæ formali, ſupra libr. I. egimus.

Quæſt. IX. *In quo conſiſtit futura corporum beatitudo?*

*Beatitudo corporum.* Beatitudo *corporum* conſiſtit in complexu perfectionum illarum, quibus hominum electorum corpora in regno gloriæ diuinitus exornabuntur.

Quæſt. X. *Quæ erunt perfectiones corporum glorificatorum?*

*Perfectiones corporum glorificatorum.* Prælucente S. ſcriptura *perfectiones* corporum *glorificatorum* præcipue *tres* erunt; a) *ſpiritualitas*, b) *claritas*, c) *impaſſibilitas*, e quibus aliæ corporum glorificatorum dotes fluunt, & per conſequentiam eliciuntur.

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. Ex 1 Cor. XV, 44. *Seminatur corpus animale, reſuſcitabitur corpus ſpirituale. Corpus ψυχικὸν ſeu animale eſt*, quod in hac vita animalibus ſubiectum eſt affectionibus, & actionibus, generationi, nutritioni, augmentationi, motui, indigens cibo, potu, veſtitu, aëre, calore externo, & anima, vt principio interno, regitur. *Corpus ſpirituale dicitur non ratione ſubſtantiæ*, quia non mutatur in ſpiritum; *ſed ratione qualitatum*, quippe quod operationibus ſpiritualibus vacabit, & mouebitur ſpiritu Dei; non quod anima tunc ceſſabit mouere, ſed quod ipſa quoque plena luce ſpirituali corpus ſpiritualiter motura eſt, nec cibo aut potu, ſomno, aut matrimonio indigebit, ſed cœleſtibus & iſangelicis functionibus inſeruiet. Quoniam itaque reſurget corpus ſpirituale, ſequitur, vt illud futurum ſit: 1) *Inuiſibile*, in relatione ad oculos non glorificatos. Poſſunt tamen ab oculis nondum glorificatis corpora glorificata videri, ſi diuina acceſſerit diſpenſatio. Exemplo ſint nobis ſancti, qui cum Chriſto reſurrexerunt, & apparuerunt non omnibus, ſed multis, quibus oculi fuerunt aperti, Matth. XXVII, 53. 2) *Impalpabile:* nam palpabile eſt proprietas corporis animalis, non ſpiritualis. Nihilo tamen minus beati poterunt corpora ſua palpanda exhibere, quando ipſi voluerint; perinde, vt Chriſtus corpus ſuum glorioſum diſcipulis exhibuit palpandum, Io. XX, 20. Luc. XXIV, 39. 3) *Subtile*, i. e. aptum ad penetrandum corpora ſolida. Sic Chriſtus ianuas clauſas penetrauit ſuo corpore glorificato, cui noſtra corpora in patria cœleſti erunt conformia, Io. XX, 19. Phil. III, 21. 4) *Illocale*, quod non in *vbi* circumſcriptiuo, ſed definitiuo erit. Non circumſcribetur corpore ambiente, ſed pro lubitu aliquod πȣ̃ ſibi definiet. 5) *Agile*, quod facillime ac celerrime moueri poterit, vbi volet eſſe ſpiritus, ſiue anima.

Prob. b. *Clarum* erit corpus glorificatum, & lucens inſtar ſolis, Matth. XIII, 43. Neque tamen ideo inſtar vitri pellucidum futurum eſt. Refulgebit, vt facies Chriſti, Moſis & Eliæ in monte Thabor, Matth. XVII, 12. Ex hoc ſequitur, quod futurum ſit *formoſum & pulcerrimum. Seminatur in ignominia, reſurget in gloria*, 1 Cor. XV, 44.

Prob. c. *Impaſſibile* erit corpus glorificatum; propterea, quod nulli paſſioni corruptiuæ ſiue ab internis, ſiue ab externis cauſſis prouenienti obnoxium erit. *Neque enim eſuriet, neque ſitiet, neque cadet ſuper illud ſol, neque vllus æſtus*, Apocal. VII, 16. Conſequitur ex hoc, quod futurum ſit immortale & incorruptibile, adeoque ſemper ſanum & firmum. *Seminatur in corruptibilitate, reſurget in incorruptibilitate*, 1 Cor. XV, 42. Adamus integer *poterat non mori*, beati *non poterunt mori*, potentia moriendi tam remota, quam proxima ſublata, Luc. XX, 36.

Quæſt. XI. *Quæ perfectiones erunt totius hominis in æterna beatitudine?*

Totus homo imagine Dei *perfectiſſime* inſtaurata in futura vita reſplendeſcet a), & *cunctis animæ corporisque viribus* Deum celebrabit b). *Perfectiones totius hominis.*

Prob. a. Imago Dei conſiſtit in conformitate hominis cum ſcientia, iuſtitia, puritate & immortalitate Dei. Quæ dotes in beatos vberrime conferentur. Id quod indicat Ioann s, 1 ep. c III, 22. *Scimus, ſi manifeſtabitur, quod ſimiles ipſi futuri ſimus; quia videbimus ipſum, ſicut eſt.* Lumen gloriæ manifeſtabit atque repræſentabit Deum, *oculis intellectus* videndum *). Viſio autem Dei illuſtrabit mentem ſapientia, voluntatem perficiet amore Dei



*) Quæritur: vtrum *oculis* etiam *corporis*, ad gloriam eleuatis, Deum viſuri ſint beati homines, nec ne? Reſp. 1) *diſtinguendo*, inter Deum & Θεάνθρωπον. Quippe ſecundam diuinitatis perſonam, in adſumta natura humana & glorioſo corpore ſuo, corporis, ei ſimilis, oculis vt conſpiciamus, certo futurum confidimus, Iob. XIX, 25. 26. 27. 1 Petr. I, 8: 2) *negando*, quod

Dei & ſanctitate, corpus ornabit immortalitate, vt inter Deum & beatos conſpicua ſit ὁμοίωσις, ſiue ſimilitudo, & κοινωνία τῆς θείας φύσεως.

Prob. b. Ex Apoc. V, 9. *Canunt beati canticum nouum, dicentes magna voce: Dignus eſt agnus occiſus, qui accipiat potentiam, & diuitias, & ſapientiam, & robur, & gloriam, & benedictionem.*

Quæſt. XII. *Quæ erunt bona externa beatorum?*

*Bona externa beatorum.*

Bona *externa* beatorum erunt a) dulciſſima conuerſatio, b) amœniſſima habitatio.

Prob. a. Conuerſabuntur beati 1) cum Deo & Chriſto, *cum quo eſſe*, in hac vita mortali afflicti, deſiderarunt. Phil. I, 23.; 2) cum angelis & electis hominibus. *Acceſſerunt* enim *ad myriades angelorum & ad eccleſiam primogenitorum in cœlis conſcriptorum*, Hebr. XII, 22. 23. Qua conſuetudine nihil dulcius, nihil amabilius.

Prob. b. Domicilium beatorum fulgebit claritate, florebit amœnitate, vigebit perennitate, Apoc. XXI, 10.

Quæſt. XIII. *Quando hæ perfectiones beatis obtingent?*

Obtingent commemoratæ perfectiones beatis, *ſimulatque anima a corpore eorum ſeparata fuerit* a). In nouiſſimo vero die dotes illæ conſpectiores erunt & cumulatiores, anima cum corpore redunita b).

Prob. a. 1) Ex Apoc. XIV, 13. Beati mortui, qui in domino ἀπ᾽ ἄρτι a nunc, i. e. ab inſtanti illo, quo moriuntur.

2) Animæ poſt deceſſum *canunt*, Apoc. IV, 8. ſedentem ſuper thronum *glorificant*, v. 9. eundem, abiectis coronis, *adorant*, v. 10. *phialas habent*, cap. VIII. magna voce *clamant*, cap. VI, 10. *agnum*, quocunque ierit, *ſequuntur*, cap. XI, 4. E. æterna felicitate ante reſurrectionem carnis fruuntur.

3) Patet idem exemplis. Moſes mortuus & ſepultus in cœleſti gloria viſus eſt, Luc. IX, 31. Latroni conuerſo promittebat Chriſtus: *hodie mecum eris in paradiſo*, Luc. XXIII, 3. *Paullus diſſolui, & cum Chriſto eſſe deſiderauit*, Phil. I, 22. Cum Chriſto eſſe ſignificat eadem frui felicitate, qua ille perfruitur.

*Antitheſis* eſt *Pſychopannychitarum*, *Anabaptiſtarum* & *Socinianorum* ſtatuentium, animas ſeparatas nihil agere aut pati, ſed alto ſopore merſas iacere. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Pie defuncti dicuntur *dormire*, Matth. IX, 24. Io. XI, 1. E. animæ lapſorum nulla ſentiunt gaudia prius, quam corporibus redunitæ ſunt. *Reſp.* Pie defuncti dormiunt, quoad *corpus* ſolum; quia animæ eorum beata viſione Dei in cœlis fruuntur, Act. XIV, 13. magis-

quod ad ipſam Dei naturam attinet. Corpus enim, quamuis ſubtiliſſimum, & quibusdam ſpiritus perfectionibus exornatum, corpoream tamen naturam ſuam retinet; id quod aduerſus *Socinianos* conſtanter tuemur. Fieri autem non poteſt, vt corporei oculi videant ſpiritum, nulla corporis forma indutum, immo perfectiſſimum ſpiritum: quo circa Deus excellenter nominatur ὁ ἀόρατος, 1 Tim. I, 17. & ita quidem ſignificanter, vt eum nec viderit vllus homo, nec viſurus ſit vnquam, ac ne tunc quidem, cum æternæ ei laudes decernuntur, 1 Tim. VI, 16.

magisque vigilare cenſendæ ſunt, quam vnquam in corpore vigilarunt: *non* enim *requiem a celebratione habent, nec nocte, nec die*, Apoc. IV, 8.

II. Animæ fideles *ingrediuntur in requiem*, Hebr. IV, 3. & *requieſcunt ſub altari cœleſti*, Apoc. VI, 9. 11. E. nulla voluptate cœleſti fruuntur. Reſp. 1) Animæ fideles *requieſcunt* ab operibus, *laboribus & moleſtiis huius vitæ*, Apoc. XIV, 13. *non* autem requieſcunt ab operationibus *cœleſtibus*, neque ſomno ſepultæ ſunt. Nam & Deus dicitur ſeptimo die requieuiſſe, Gen. II, 1. qui tamen non dormit, ſed perpetuo operatur. 2) Animæ beatæ *ſunt ſub altari*, i. e. ſub protectione & conſortio Chriſti & *requieſcunt*, i. e. patienter exſpectant finalem liberationem eccleſiæ & coniunctionem cum corporibus reſuſcitandis; ſed inerti ſomno non ſunt correptæ; quia *clamant voce magna*, v. 9.

III. Chriſtiani in fide perſeuerantes *accipient coronam iuſtitiæ extremo die*, 2 Tim. IV, 8. quo pii *cum Chriſto in gloria primum apparebunt*, Col. III, 4. E. ante diem extremum non ſunt participes æternæ gloriæ. Reſp. 2 Tim. IV, 8. loquitur Apoſtolus de corona iuſtitiæ danda non animæ, quæ iam illam accepit, ſed danda *toti ſuppoſito*, anima & corpore conſtanti, i. e. Paullo, & omnibus fidelibus Chriſti cultoribus.

IV. Quicunque ſtatuunt, ante diem extremi iudicii animas ingreſſas eſſe vitam æternam, ex illorum ſententia fluit hoc abſurdum, quod non opus ſit extremo iudicio: Atqui doctores euangelici &c. Ergo. *Maior* probatur: quia ex illorum mente anima æternis gaudiis adiudicanda eſt eo die, quo ſeparata eſt a corpore. Quid igitur opus eſt extremo iudicio? Reſp. Diſt. *inter iudicium particulare, & vniuerſale. Illud* in die mortis, *hoc* in extremo die inſtituitur. Opus tamen eſt iudicio *vniuerſali*, 1) ob agnitionem publicam iudicis & redemtoris Chriſti; 2) ob manifeſtationem gloriæ, iuſtitiæ & miſericordiæ diuinæ; 3) ob conſummationem præmiorum & ſuppliciorum reſpectu totius hominis; 4) ob maiorem piorum exaltationem, & impiorum confuſionem, vt illi publice coronentur, hi contra in illuſtriſſima panegyri confundantur, Sap. III, 10.

V. Si animæ piorum a corporibus ſeparatæ cœleſti felicitate fruerentur, ſanctorum patrum animæ ſine nobis conſummatam poſſiderent beatitudinem: Sed conſequens eſt falſum: E. & antecedens. *Conſequentis* falſitas probatur ex Hebr. XI, 39. 40. *Sancti patres non reportarunt promiſſionem* (promiſſam fidelibus beatitudinem conſummatam); *quia Deus pro nobis melius quid prouidit, ne ſine nobis conſummarentur* (conſummata beatitudine fruerentur). Reſp. *Beatitudo eſt vel ſecundum quid conſummata*, qualis *animæ* ſeparatæ competit; vel eſt *abſolute conſummata*, quæ eſt *totius ſuppoſiti* poſt animæ cum corpore redunitionem. Loquitur Apoſtolus de *conſummata* beatitudine *corporis ſimul & animæ*, quatenus illa cum fine mundi danda eſt in vltimo omnium iudicio. Quam conſummationem ſi veteres ſine nobis obtinuiſſent, deſiiſſet mundus prius, quam nos eſſemus nati, adeoque nunquam fuiſſemus hæredes vitæ æternæ.

VI. *Mortui Deum* non laudant, Pſ. CXV, 17. *Non eſt in morte memoria Dei*, Pſ. VI, 6. Reſp. 1) Loquitur Pſaltes de illis laudum diuinarum præconiis, quæ *in eccleſia militante* fiunt *lingua corporea*. 2) Loquitur de *grata Dei memoria*, qua beneficia diuina *deprædicantur*, vt *in hac vita alii quoque homines* ad conuerſionem, & nominis diuini concelebrationem inuitentur. Animæ a corporibus ſolutæ laudant Deum *cum angelis*, modo *ſpirituali*.

Prob. b. In die nouiſſimo beatitudo fidelium erit *cumulatior*; quia tunc *cum ſanctis patribus conſummabimur*, Hebr. XI, 40. i. e. pleniſſimam & conſummatiſſimam animæ ſimul, atque corporis beatitudinem obtinebimus, erit etiam *conſpectior*; *nam quando Chriſtus manifeſtabitur, tunc etiam nos cum ipſo manifeſtabimur in gloria*, Col. III, 4. Conf. 1 Io. III, 2.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XIV. *Eſtne beatitudo cœleſtis amiſſibilis?*

Beatitudo patriæ cœleſtis *non* eſt *amiſſibilis*, ſed æterna.

Prob. 1) *Ibunt electi in vitam æternam, ſicut damnati in æternum opprobrium*, Dan. XII, 2. 2) *Gaudium noſtrum nemo de nobis tollet*, Io. XV, 22. *quia ſemper erimus cum Domino*, 1 Theſſ. IV, 17.

Quæſt. XV. *An beatitudo æterna æqualis erit?*

Beatitudo *eſſentialis* omnibus quidem ſine diſcrimine *eadem* erit a). At præmia beatitudinis *acceſſoria* admittent diuerſos *gradus* b), ſecundum plura vel pauciora opera, a Deo, ex gratia liberali, & fauore indebito inæqualiter operantibus promiſſa & compenſata c).

Prob. a. 1) Beatitudo *eſſentialis* æqualis eſt; quia omnes *mundi corde Deum videbunt*, Matth. V, 8. *Viſio beatifica*, in qua beatitudo *formaliter* conſiſtit, non recipit maius & minus.

2) Si qui circa eſſentialia minus beati eſſent, hi nondum perfecte aut complete, ſed imperfecte tantum ſummo bono fruerentur, quæ imperfectio cum beatitudine conſummata e diametro pugnat, quæ defectum eſſentialem omnem excludit iuxta definitionem BOETHII: *Beatitudo eſt ſtatus vitæ, bonorum omnium aggregatione perfectus.*

Prob. b. 1) Ex Dan. XII, 3. *Tum intelligentes ſplendebunt, ſicut ſplendor expanſi, & iuſtificantes multos, ſicut ſtellæ in ſæculum & æternitatem.* Præcipuus in regno gloriæ ſplendor erit doctorum iuſtificantium, minor diſcentium. *Horum* ad firmamenti, *illorum* ad ſtellarum ſimilitudinem accedit. Et quemadmodum ſplendor firmamenti tantus non eſt, quantus ſtellarum: ita nec tanta erit gloria משכילים, quanta מצריקים.

2) Ex ſuffragio apoſtolico Paullino, 1 Cor. XV, 41. 42. *Alia gloria ſolis, & alia gloria lunæ, alia gloria ſtellarum: ſtella namque a ſtella differt in gloria. Sic etiam reſurrectio mortuorum ſe habet.* Stella ſtellam claritate ſuperat: ita corpora reſurgentia alia plus, alia minus ſplendoris ex ſe fundent.

3) Ex comparatione cum angelis. In reſurrectione mortuorum erunt electi ἰσάγγελοι, Matth. XII, 30. At inter angelos dantur diſtincti *ordines & gradus*, quantum ad excellentiam & gloriam: E. & homines beati ad angelorum modum in certos redigentur ordines.

4) Omnes quidem ſancti mundum ſunt iudicaturi, 1 Cor. VI, 3. & in throno ſeſſuri, Apoc. III, 21. Apoſtoli vero peculiari præ tribubus Iſraëlis, quas iudicabunt, prærogatiua ſuper XII thronos ſeſſuri ſunt, Matth. XIX, 28. Luc. XXII, 30. At ſedentium in throno iudiciali magna eſt præ iis, qui iudicantur, eminentia.

5) *Parce ſeminans, parce metet: largiter ſeminans, largiter etiam metet*, 2 Cor. IX, 6. Nimirum vnusquisque iuxta ſuum laborem, 1 Cor. III, 8. reportabit mercedem maiorem, vel minorem. v. gr. Paullus tot labores, tot dolores pro gloria Chriſti perpeſſus, maiorem gloriam; latro, in vltima vitæ hora conuerſus, præmium minus nanciſcetur.

Prob. c. Opera nec vitæ æternæ, nec præmiorum accidentalium ſunt cauſſæ meritoriæ. *Nam licet omnia fecerimus, quæ feciſſe oportuit, ſerui tamen inutiles ſumus; quia non fecimus, niſi quæ debebamus facere*, Luc. XVI, 19. At meritum proprie loquendo eſt opus perfecte præſtitum viribus noſtris, indebitum, & mercedi æquale, vel proportionatum.

*Antitheſis* eſt 1) *Socinianorum*, gradus præmiorum diuinorum negantium, 2) *Pontificiorum* diuerſitatem graduum *meritis* operum tribuentium. Quorum argumenta ſunt:

I. *Omnia*

Digitized by Google

I. *Omnia iuſtorum corpora* in vita æterna *fulgebunt, vt ſol,* Matth. XIII, 43. & *erunt conformia glorificato corpori Chriſti,* Phil. III, 21. E. non different claritate. Reſp. 1) *Abſolute* loquendo omnia corpora iuſtorum in vita æterna fulgebunt, vt ſol, Matth. XIII, 43. Sed vbi *comparatio* inter eadem inſtituitur, deprehenditur claritatis inæqualitas, vt alia ſolis, alia lunæ, alia reliquarum ſtellarum ſplendorem referant, 1 Cor. XV, 42. 2) Omnia beatorum corpora conformia erunt corpori Chriſti ratione *claritatis*, non autem ratione *graduum claritatis*, Dan. XII, 13.

II. Omnes operarii, ſiue plus, ſiue minus laborauerint, *pariter denarium* accipiunt, Matth. XX, 10. E. non ſecundum præſtitum laborem præmia plura, aut pauciora diſpenſantur. Reſp. Per denarium in parabola præciſe non intelligitur beatitudo patriæ cœleſtis, ſed quodcunque præmium, temporale, an æternum, corporale, an ſpirituale fuerit; quod *abſolute* conſideratum omnes pariter accipiunt, *comparate* autem vnum præmium maius, alterum minus eſt.

III. Quibus *Deus eſt omnia in omnibus*, illi *ex æquo* ſunt beati: At incolis cœli &c. 1 Cor. XV, 28. E. Reſp. Quibus Deus eſt omnia in omnibus, illi ex æquo ſunt beati beatitudine *obiectiua* (quæ eſt ipſe Deus); concedo: *formali*, eaque *accidentali*, nego. Princeps in aula miniſtris eſt omnia in omnibus, vni tamen miniſtro maiorem, alteri minorem dignitatem confert. Deus omnia in omnibus eſt beatis angelis, quorum tamen diſtincti ſunt ordines.

IV. Omnibus Chriſtianis communiter maxima promiſſa donata ſunt, 2 Petr. I, 4. E. nec his maiora, nec illis minora donata ſunt promiſſa. Reſp. Omnibus Chriſtianis maxima promiſſa ſunt donata de κοινωνίᾳ τῆς θείας φύσεως, communione naturæ diuinæ, cuius inchoate in hac vita, conſummate in futura vita erimus participes. At inæqualitas præmiorum conſiſtit in dignitate *accidentali*, in maiori claritate corporum, in ſpeciali reuelatione mentibus beatis facta.

V. Inæqualitas præmiorum imperfectionem beatitudinis infert: E. non eſt aſſerenda. Reſp. Non *imperfectionem* infert, ſed *minorem*, *maioremque perfectionem accidentalem*.

VI. *Apol. Aug. Confeſſ.* p. 96. *gradus præmiorum* cœleſtium *meritis* operum vindicat, cuius hæc ſunt verba: *Docemus, bona opera meritoria eſſe non remiſſionis peccatorum, gratiæ aut iuſtificationis (hæc enim fide conſequimur); ſed aliorum præmiorum corporalium & ſpiritualium in hac vita & poſt hanc vitam; quia Paullus inquit: Vnusquisque accipiet mercedem iuxta ſuum laborem.* Reſp. *Meritum* in Apol. Aug. Conf. non ſumitur proprie, aut vniuoce, ſed *analogice*. Sicut enim in vita communi operarius, qui plus laborat, maiorem mercedem meretur, quam qui minus laborat: ita qui præſuppoſita fide in Chriſtum plura opera præſtitit, plus præmii *conſequetur*, quam qui pauciora præſtitit. Ille quidem ex merito, hic ex liberali Dei promiſſo (*).

Quæſt.

*) Suo quidem merito præmia, ſiue maiora, ſiue minora, nemo accipiet; vnus autem quisque ex pacto & promiſſo, propter meritum Chriſti. Beati Maiores noſtri hac voce vſi ſunt eodem modo, quo eam vſurparunt antiqui eccleſiæ Doctores, vt *mereri* idem ſit, ac *conſequi*. Ipſi enim 1) in hoc ipſo loco, id ita interpretantur: *conſequimur*; 2) poſtea, in eod. cap. III. pag. 135. primum validiſſimo hoc argumento vrgent aduerſarios, quod vita æterna *donum* adpelletur, ex eoque efficiunt hanc conſequutionem: bona opera non eſſe pretium, pro quo debeatur merces. Deinde de nomine *mercedis* ingenue profitentur, ſe de *voce* quidem non litigaturos eſſe, ſed de hac *re* maximi momenti: Vtrum bona opera *per ſe* digna ſint gratia & vita æterna? an vero placeant *tantum* propter *fidem*, quæ adprehendit *mediatorem Chriſtum*? Denique, eodem in loco, aduerſarios arguunt, nec iniuria: quod *non ſolum hoc* tribuant operibus, quod *digna* (per ſe) ſint gratia & vita æterna; ſed fingant *etiam*, quod



Digitized by Google

Quæſt. XVI. *Quæ erit ſedes aut domicilium beatorum?*

*Domicilium* beatorum eſt *cœlum gloriæ* a), diſtinctiſſimum ab inferno b). *Quid* vero illud, & *vbi* ſit, nobis in hac vita non liquet c).

Prob. a. Vocatur ſedes beatorum *cœlum tertium*, 2 Cor. XII, 2. Primum cœlum eſt *naturæ* (aëreum & ſidereum), alterum *gratiæ*, tertium *gloriæ*, in quo ſunt angeli, Matth. XIIX, 10. Cognominatur *regnum cœlorum*, Matth. XIIX, 3. *Paradiſus*, Luc. XXIII, 43. *fidelium patria*, Hebr. XI, 14. *ciuitas Dei viuentis*, Hebr. XII, 22. *ciuitas futura*, Hebr. XIII, 14. *Hieroſolyma, quæ ſurſum eſt*, Gal. IV, 26. *Hieruſalem cœleſtis*, Hebr. XII, 22. *). *domus Patris cœleſtis, in qua multæ ſunt manſiones*, Io. XIV, 2.

Prob. b. *Inter cœlum & infernum ingens hiatus firmatus eſt*, Luc. XVI, 26.

Prob. c. Sitne hoc cœlum conditum intra hexaëmeron, an minus, ſacræ litteræ non commemorant. *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque ſuper cor hominis aſcenderunt, quæ Deus præparauit iis, qui diligunt ipſum*, 1 Cor. II, 9. *Quare noſtrum non eſt cœli ſecreta diſcutere*, iudice AVGVSTINO de *fide & ſymbolo c.* 17.

Quæſt. XVII. *Quid opponitur æternæ beatitudini?*

Æternæ beatitudini *opponitur mors*, ſeu *damnatio æterna*.

# DE MORTE SEV DAMNATIONE AETERNA.

Quæſt. XVIII. *Quid eſt mors, ſeu damnatio æterna?*

*Æternæ damnationis definitio.*

*Mors æterna* eſt ſtatus, plurium malorum aggregatione miſerrimus, æternum duraturus.

*Vberius definitur:*

*Mors æterna* eſt complexus plurium malorum, quæ Deus trinunus, iudex iuſtiſſimus, ob infidelitatem finalem & peccata contra conſcientiam patrata, hominum reproborum ex hac vita egreſſorum animabus & corporibus æternum toleranda infliget, ad iuſtitiæ, veracitatis & potentiæ diuinæ gloriam.

Obſ. I. *Æterna damnatio* notat 1) *damnationis actum*, & ſic includit tum ſententiam iudicis Chriſti in impios latam, tum exſecutionem, qua impii in infernum detrudentur. 2) Deſignat *ſtatum infeliciſſimum triſtiſſimumque*, æternum duraturum. Poſterior acceptio huius loci eſt: agitur enim hic de *damnatione*, vt *æterna* eſt. *Actus* vero, quo Chriſtus ſententiam feret in impios, & actus exſecutionis non durat in æternum, ſed tranſit.

Obſ. II.

*merita ſuperſint* ſibi, quæ aliis donare queant. Quo ipſo declarant *generatim* falſum eſſe, ſi quis vllam dignitatem *meriti*, proprie ſic dicti, ſiue *abundantis*, ſiue *ſibi ſufficientis*, ſuis operibus bonis tribuere auſit.

*) Ea quidem dicta, quæ ex litteris PAVLLI ad Hebræos excerpta ſunt, (vno excepto, cap. XI. 14. coll. cum v. 13. & 16.), cum ſcopo vniuerſæ epiſtolæ, tum contextui conuenienter congruenterque, intelligenda ſunt de *eccleſia noui Teſtamenti*. Eadem ſignificatur his verbis, Gal. IV, 26: ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, ἡ ἐλευθέρα, cui opponitur τὸ ὄρος Σινᾶ. De *duobus Teſtamentis* vir diuus id vtrumque ipſe interpretatus eſt, v. 24. add. c. V. 1.

Digitized by Google

Obſ. II. *Mors* in ſacris litteris opponitur *vitæ vel naturali, vel ſpirituali. Priori* modo mors eſt ſeparatio animæ a corpore. *Poſteriori* modo *mors ſpiritualis*, ſicut & *vita ſpiritualis*, eſt duplex: a) intelligitur ratione *huius vitæ:* quomodo *vita ſpiritualis* conſiſtit in vnione myſtica animæ iuſtificatæ per fidem cum Deo, qui eſt quaſi anima animæ, vita vitæ noſtræ, hoc modo *mors ſpiritualis* eſt ſeparatio animæ inſidelis a gratioſo Dei conſortio: b) Intelligitur hoc ratione *alterius vitæ*: quo ſenſu *vita ſpiritualis æterna* conſiſtit in intuitiua Dei viſione, & fruitione Dei beatifica per communionem cum Deo, amorem intenſiſſimum & gaudium perenne. Qua ratione *mors æterna* eſt ſeparatio animæ infidelis a beatifica Dei viſione & fruitione æterna.

Obſ. III. *Mors æterna* dicitur etiam *mors ſecunda*, Apoc. II,11. cap. XX,6. ideo, quod priuationem vitæ alterius, quam expleta hac vita homo conſequi poterat, importat; vocatur præterea *corruptio*, ep. Iud. v. 12. Matth. VII, 13. *interitus æternus*, 2 Theſſ. I, 9. *non* perinde, ac ſi mors æterna ſit *annihilatio ſubſtantiæ*, ſed quia eſt *priuatio*, ſeu *defectus felicitatis*, *opprobrium & ignominia* ſempiterna, Dan. II, 2. damnatis quippe nihil erit contemtius coram oculis Dei, angelorum & beatorum, erunt enim nauſea omni carni, Eſ. LXVI, 24. *pœna æterna*, Matth. XXV, 46. *afflictio & anguſtia*, Rom. II, 9.

Quæſt. XIX. *An exſiſtentia æternæ mortis e ſacris litteris valide probari poteſt?*

*Exſiſtentia mortis æternæ.*

*Exſiſtentia* æternæ mortis e *clariſſimis dictis* tam *veteris* a), quam *noui* Teſtamenti b), liquido probatur.

Prob. a. Ex dictis V. T. adduxiſſe ſufficiat illud dictum claſſicum, Dan. XII, 2. *Multi de dormientibus in puluere terræ euigilabunt; hi ad vitam ſæculi, reliqui vero in opprobrium & ignominiam ſæculi.* Aſſerit Propheta, quod plurimi reſurrecturi ſint in opprobrium & ignominiam æternam, quæ impiorum erit pœna. Nam qui ideo a Deo iudice excitantur, vt reportent ignominiam, illis ignominia eſt pœna.

Prob. b. Ex N. T. nobis occurrit memorabile illud teſtimonium Paullinum 2 Theſſ. I, 7. 8. 9. *Iuſtum eſt apud Deum, retribuere affligentibus vos afflictionem; at vobis, qui affligemini, recreationem nobiscum in reuelatione Domini Ieſu de cœlo, cum angelis potentiæ ipſius in flamma ignis; qui dabit vindictam iis, qui non norunt Deum, & qui non obediuerunt euangelio Domini noſtri, Ieſu Chriſti: qui pœnam luent, interitum æternum, a facie Domini, & gloriæ roboris ipſius.* Docet Apoſtolus a) iudicem infligentem damnatis pœnam æternæ mortis eſſe Deum, cuius dilaudat iuſtitiam vindicatiuam v. 7. b) Inculcat, cauſſas meritorias eſſe peccata proæretica, ſæuitiam in pios, affectatam ignorantiam, inobedientiam. c) Mortem æternam iam *afflictionem*, iam *pœnam*, iam *interitum æternum* appellat ad deſignandam cruciatuum molem perpeſſu grauiſſimam. d) Cruciatus adſcribit non diabolo, ſed faciei iudicis; quippe cuius conſpectus non affulgebit ipſis ſuauiter, vt exorientis ſolis iubar, ſed fulminis inſtar impœnitentes percellet, proſternet, & in ignem inexſtinguibilem præcipites aget.

Quæſt. XX. *Quis igitur iudex pœnam æternæ mortis infliget?*

*Iudex condemnans.*

Pœnam æternæ mortis infliget *Deus*, ex *decreto non abſoluto*, ſed *ordinato*.

Prob. 1) Deus mortem æternam hominibus immorigeris interminatus eſt, Geneſ. II, 17. *De arbore ſcientiæ boni & mali, de hac* (inquam) *non comedes: quia, quo die comedes de ea, morte morieris.* Concinne hæc verba iudicis cœleſtis exponit AVGVSTINVS *L. XIII. de C. D.* 12. *Quando dixit Deus illi homini primo, quem in paradiſo conſtituerat, de cibo vetito: quocunque die ederitis ex eo, morte moriemini, non tantum mortis primæ partem priorem, vbi*

 *animæ*

Digitized by Google

*anima priuatur Deo, nec tantum poſteriorem, vbi corpus priuatur anima, non ſolum ipſam totam primam, vbi anima & a Deo, & a corpore ſeparata punitur, ſed quidquid mortis eſt, vsque ad nouiſſimam, qua ſecunda dicitur, & qua nulla poſterior, comminatio illa complexa eſt.*

2) Deus iudex *ſententiam pronuntiabit*, Matth. XXV, 41. *Diſcedite a me, maledicti,* in ignem *æternum, qui paratus eſt diabolo, & eius angelis.*

3) Iudex omnipotens pronuntiatam *ſententiam exſequetur.* Nam exſecutio ſtatim ſubſequitur, v. 46. *Et ibunt hi in pœnam æternam.*

Quæſt. XXI. *Num Deus in exſecutione ſententiæ miniſtris vtetur?*

*Iudicis miniſtri.* Deus in *exſecutione* vtetur *miniſterio angelorum.*

Prob. Ex Matth. XIII, 41. *Mittit filius hominis angelos ſuos, qui colligent e regno illius omnia offendicula, & eos, qui faciunt iniquitatem (cum illis). Et mittent eos in caminum ignis, vbi erit ploratus, & ſtridor dentium.*

Quæſt. XXII. *Propter quas cauſſas meritorias Deus hominem reprobum æternæ morti adiudicat?*

*Cauſſa meritoria.* *Cauſſæ*, æternam mortem *promerentes*, cum *omnia peccata non expiata* a), tum imprimis peccata *actualia proæretica* ſunt b). *Infidelitas* autem *finalis*, in quantum eſt *peccatum contra primum præceptum*, *cauſſis* æternæ mortis *meritoriis* accenſetur; at quatenus *fidei ſaluificæ* e diametro *opponitur* ἀπιστια finalis, *immediata & proxima* æternæ damnationis cauſſa eſt c). *).

Prob. a. Omne *peccatum* vel *primum* eſt, vel a primo *ortum.* Primum eſt inobedientia protoplaſtorum, cui denuntiata eſt pœna æternæ mortis, Gen. II, 17. Confer. Rom. V, 12.

Prob. b.

*) Cauſſa damnationem *promerens* eſt *remota*, vtpote cuius effectus certo quidem futurus eſt, at ea tamen conditione, niſi intercedat aliquid contrarium. Cauſa *adferens* damnationem eſt *proxima*, quo nomine eam ſignificamus, quæ effectum profert ita neceſſarium, vt is non poſſit euitari interuentu alius cuiusdam cauſſæ ſalutaris, illi contrariæ. Peccatum quoduis eſt eiusmodi, vt homo propter illud iuſte ſit damnandus. Eſt vero aliquid interveniens, nimirum ſatisfactio, a Chriſto vno pro omnibus præſtita. Si quis eam vera & conſtante fiducia amplectatur, ſaluus erit, omnique culpa ac pœna liberatus, Rom. VIII, 1. Sin minus: nihil erit reliquum, quod damnationem, dudum promeritam, auertere queat. E. *peccatum* quoduis eſt *cauſſa* damnationis *remota; ἀπιστια* autem, ad mortem vsque continuata, & ea quidem, qua Chriſti promerita reiiciuntur, eſt *cauſſa proxima.*

Iuuabit, rem ſimilitudine vna atque altera illuſtraſſe. 1) Facinoroſus homo, qui iam ad ſupplicium damnatus eſt, delicto ſuo eſt ſane mortem promeritus. Quid vero accidit interea? Gratia Principis ipſi nunciatur. Quid ille? Aſpernatur gratiam, ſibi oblatam. Quid tandem eueniet? Certe ad ſupplicium dandus eſt. Quare autem? Non propter delictum, ſed ob repudiatam gratiam, ad condonandum illud paratam. 2) Morbus, tametſi grauiſſimus, aut vulnus *lethale*, nondum tamen mortem *adfert*; quando quidem medicina parata eſt, quæ, ſi ſufficiens fuerit vulneri ſanando, recte etiam adhibita, profecto liberat vulneratum atque ægrotantem mortis periculo. Si aliter ſit; tum vero non vulneris, aut morbi vis mortifera, ſed medicamenti aut contemtio, aut neglectio & ſiniſtra vſurpatio eſt, quod ſtatum ægroti prorſus deſperatum efficit. Plane eum ad modum percipienda eſt ſententia verborum Chriſti, 1 Ioan. III, 18. coll. cum v. 36: *manet* ſuper eo Iudicis vindicta, vtpote quam peccatis quidem ſuis erat *promeritus*, quæ tamen poterat *auferri*, ſi, ſe ipſe reprehendens, totus Chriſto confidere voluiſſet.

Digitized by Google

Prob. b. *Omne peccatum, a primo ortum, natura ſua mortale eſt*, cum ſit ἀνομία, 1 Io. III, 4. Ἀνομία maledictionem habet comitem, Deut. XXVII, 29. *Peccatum ortum eſt vel inuoluntarium, vel voluntarium. Illud* cum gratia Dei & fide ſaluifica conſiſtere poteſt: *hoc* gratiam Spiritus S. excutit, fidemque exſtinguit: ex quo ſpeciali ſenſu dicitur *parere mortem*. De quo Iacobus c. I, 15. *Concupiſcentia poſtquam concepit, parit peccatum; peccatum vero, quando conſummatum eſt, parturit mortem.* Obſ. Peccatum *conſummatum* eſt, quod, ex praua concupiſcentia ortum, accedente pleno voluntatis conſenſu, quaſi fouetur & in lucem editur.

Prob. c. *Qui non credit, iam iudicatus eſt*, Io. III, 18. Iudicatus eſt, non ſecundum finalis damnatoriæ ſententiæ promulgationem & publicationem, ſed propter decreti diuini ab æterno facti certitudinem, & ratione iudicii, in verbo manifeſtati & incredulis denuntiati, cuius exſecutio ſequetur in die nouiſſimo. Ceterum peccata mereri damnationem, ratum eſt: & ſic etiam *incredulitas*, tanquam peccatum contra primum præceptum, meretur mortem & in hoc ſenſu verum eſt, non ſolum incredulitatem, ſed etiam cetera peccata, damnationis eſſe *cauſſam*, nempe *meritoriam*. Quando autem *incredulitas* directe opponitur *fidei*, tanquam cauſſæ organicæ, ſeu inſtrumento applicandi, tunc vti homo tantum iuſtificatur fide, & nullo alio organo, remiſſionem peccatorum in euangelii promiſſione apprehendente: ſic tantum incredulitate euangelii promiſſionem non applicante, vel repellente damnatur, Marc. XV, 16. 18. 56. Conf. D. MENZERI *reſp. ad def. II. Part. Conuerſat. Pruten. c. IX.*

Quæſt. XXIII. *Quinam homines æternæ morti adiudicabuntur?*

*Damnationis ſubiectum quod.*

*Omnes* homines *reprobi* a), ſiue impii b), *finaliter impœnitentes* c), & *increduli* d).

Obſ. De damnatione *angelorum* apoſtatarum in præſenti non agimus.

Prob. a. Ex Apoc. XX, 15. *Si quis non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, eiectus eſt in ſtagnum ignis.*

Prob. b. *Impii* dicuntur, qui deliberato peccandi animi propoſito opera carnis perficiunt, de quibus Paullus, 1 Cor. VI, 9. 10. *Annon ſcitis, quod iniuſti regnum Dei pro hereditate non poſſidebunt. Ne errate: neque ſcortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque concumbentes cum maribus, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque calumniatores, neque raptores regnum Dei in hereditatem poſſidebunt.*

Prob. c. *Finaliter impœnitentes* ſunt, qui ſine practica peccati agnitione & deteſtatione in peccatis ſuis moriuntur, vt patet exemplo Saulis, 1 Chron. XI, 13. Qui cum non agnoſcant ſuam miſeriam, nec quærunt, nec inueniunt miſericordiam.

Prob. d. *Finaliter increduli* oblatam in euangelio gratiam pertinaciter reſpuunt, ſicut phrenetici medicinam reiiciunt. Phraſi ſcripturæ dicuntur *euangelio non obedientes*, ideoque pœnam luent interitum æternum, 2 Theſſ. I, 8.

Quæſt. XXIV. *Vtrum anima tantum, an etiam corpus pœnas infernales ſubibit?*

*Subiectum quo.*

Tam *anima*, quam *corpus* impiorum pœnas æternas luet.

Prob. 1) Ex Matth. X, 28. *Timete eum*, inquit Saluator, *qui poteſt & corpus, & animam perdere in Gehenna* (non necando, ſed cruciando).

2) Idem docet exemplum eorum, qui viui vna cum corpore & anima deſcenderunt in infernum, Num. XVI, 33. Apoc. XIX, 20.

3) Anima & corpus coniuncta fuerunt in *culpa*, Rom. VI, 13. 1 Cor. VI, 18. E. & *in pœna.*

4) Propterea reſuſcitabuntur impii, vt referant, quæcunque *per corpus, animæ vnitum*, patrarunt, 2 Cor. V, 10.



Digitized by Google

Quæſt. XXV. *In quo formaliter conſiſtit mors, ſeu damnatio æterna?*

*Forma.* In *complexu plurimorum malorum*, tum *priuatiuorum*, tum *poſitiuorum*.

Prob. Nam *damnatio* æterna *beatitudini* æternæ opponitur 1) *priuatiue*, atque ſic conſiſtit *in pœna damni*, ſeu iactura omnis perfectionis & felicitatis; 2) *poſitiue*, atque ſic infert *pœnam ſenſus*, ſiue cruciatus exquiſitiſſimos, quos damnati perſentiſcent. Erit igitur in inferno abſentia omnis boni, & præſentia omnis mali.

Quæſt. XXVI. *Quæ mala priuatiua patientur damnati?*

*Mala priuatiua.* Carebit *anima* damnatorum viſione Dei beatifica & lumine gloriæ a), fruitione ſummi boni, amore Dei & gaudio b): *Corpora* deſtituentur omni claritate & venuſtate c). Præterea excluſi erunt damnati ab omni conſortio ſanctorum angelorum & hominum beatorum d).

Prob. a. *Anima* damnatorum, ex parte *intellectus*, carebit cognitione Dei intuitiua. *Nam qui non credit Filio, non videbit vitam*, i. e. Deum & Chriſtum, qui eſt vita animæ, Io. III, 36. Grauiter ipſos compellabit Ieſus, lux mundi: *diſcedite a me!* Matth. XXV, 41. q. d. procul hinc faceſſite, maledicti! indigni eſtis omni lumine gratiæ & gloriæ, contra digni, qui *proiiciamini in tenebras exteriores*, Matth. VIII, 12. In *tenebras exteriores* mitti, nil aliud erit, niſi a Domino, qui eſt mentium lumen, expelli, ait PROSPER *L. III. de vita contemplatiua, c. 12.*

Prob. b. Ex parte *voluntatis* carebit *anima* damnatorum fruitione & amore Dei, atque omni gaudio. Quicunque enim gratioſam Dei faciem non videt, non fruitur ſuauitate ipſius bonitatis, non admittitur ad nuptias ſponſi cœleſtis, Matth. XXV, 10. non guſtat cœnam domini, Luc. XIV, 24. Sed torquetur fame, Luc. VI, 25. & deficit ipſum omnis aqua ſolatii, gaudii, voluptatis, Zach. IX, 11.

Prob. c. Pulcritudo *corporum* reſuſcitatorum manat e συμμορφίᾳ cum corpore Chriſti, Phil. III, 21. qua cum deſtituantur corpora damnatorum, nulla ipſis erit venuſtas, nulla facies liberalis, ſed erunt *faſtidium omni carni*, Eſ. LXVI, 24.

Prob. d. Angeli ſancti, beatique homines ſunt in Hieroſolyma cœleſti, quam non intrabit aliquid inquinatum, Apoc. XXI, 27. Vnde foris ſunt canes damnati, c. XXII, 15. angeli adſtant coram throno Dei, Dan. VII, 10. faciemque eius ſemper intuentur, Matth. XVIII, 10. Quare, cum damnati ſeparati ſint a conſpectu & throno Dei, excluſi ſunt ab angelorum conſortio. Vbi non habet locum gratia Dei, ibi nec obtinet gratioſa angelorum præſentia. Priuabuntur etiam ſocietate piorum; quia hi cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo accumbent in regno cœlorum: impii vero eiicientur in tenebras exteriores, Matth. VIII, 11. 12.

Quæſt. XXVII. *Quæ mala poſitiua damnatos affligent?*

*Mala poſitiua.* *Mala poſitiua* damnatorum *animas* & *corpora* affligent. *Intellectus* ipſorum cognoſcet Deum iudicem iuſtiſſimum, & vindicem peccatorum acerrimum a). *Voluntas* torquebitur odio Dei, triſtitia ſumma & impatientia furibunda b). *Corpora* cruciabuntur igni materiali quidem, ſed ſingulari c).

Prob. a. Cognoſcent damnati faciem Dei, ſed aduerſum & triſtia fulmina minitantem: quam faciem iræ diuinæ damnati non effugient, Pſ. CXXXIX, 7. *Luent* enim *pœnam a facie Dei*, 2 Theſſ. I, 9. Cognoſcent ergo damnati Deum, ſed abſtractiue ex ſenſu pœnarum (& hoc modo Dei faciem quodammodo videbunt, etiam inuiti); ſed nihil, niſi iratum, & maxime ſibi aduerſarium cognoſcent. Ex hac θεογνωσίᾳ, triſtiſſima naſcetur ἑαυτογνωσία,

quā

Digitized by Google

qua damnati ſeipſos ita contemplabuntur, vt peccatorum ſuorum multitudinem, pœnarum, quas ſuſtinent, grauitatem & meritum ſecum reputent, Sap. V, 3. Quin & beatos non ſine anxietate cognoſcent participes beatitatis, expertes calamitatis, Sap. V, 5.

Prob. b. Abſcondi volent damnati a facie Dei, ſed non poterunt, Apoc. VI, 16. Faciem Dei ferre non poterunt, ſed exhorreſcent; non amabunt Deum, tanquam ſibi bonum, ſed odio proſequentur ſibi aduerſarium; aliis æternæ felicitatis poſſeſſoribus inuidebunt, atque adeo immani dolore torquebuntur, opplebuntur θλίψει καὶ στενοχωρίᾳ, Rom. II, 9. gement propter anguſtiam ſpiritus, Sap. V, 3. ſentient vermem conſcientiæ ſine intermiſſione rodentem, Eſ. LXVI, 24. quem comitabitur dira deſperatio, cum ſciant, ianuam gratiæ ſibi nunquam apertum iri, vt in partes diſcerpi, immo in nihilum redigi, quam ſic viuere malint.

Prob. c. Corpora damnatorum cruciabuntur *igni* infernali *proprie* dicto, adeoque *materiali*. Nam ſententia iudicis denuntiat *ignem*, Matth. XXV, 41. *a quo fumus aſcendit*, Apoc. XIV, 10. cuius *flammæ vrent*, Luc. XVI, 14. Cui igitur Spiritus S. nomen proprietatis & effectus veri ignis attribuit, ille non eſt metaphoricus, ſed proprie dictus ignis: Atqui igni infernali &c. E. Non autem erit ignis *elementaris*, ſed prorſus *ſingularis*. Ignis vulgaris tantum corpora vrit; ignis infernalis etiam aget in animas. Ille, deficiente pabulo, ceſſat, hic alimento proprie dicto non indiget. Ceterum diſtinctius naturam ignis infernalis velle exponere, curioſum magis, quam vtile eſt *).

Quæſt.

*) Non nullis Noſtratium ac veterum Theologorum placet metaphorica interpretatio. Vid. b. IO. GERARDI *loc. theol.* T. IX. *art.* 33. §. 68 & 69. Meam vt non diſſimulem ſententiam, veri ſimilior mihi eſt impropria ſignificatio. Ignem æternum exiſtimo eſſe dolores vehementiſſimos, ſimul ira excandeſcentis Dei vindictam, quæ ſæpe numero *ignis* nomine indicatur, vt Deuter. XXXII, 22. Pſ. II, 12. 2 Theſſ. I, 8. Hebr. XII, 29 Argumenta hæc magnam probandi vim habere mihi videntur: 1) *Interpretatio*, quam ſcriptura S. nobis ipſa dedit. Luc. XVI. quod v. 24. dicitur, ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ, id idem paullo ante, v 23 dictum fuerat: ὑπάρχων ἐν βασάνοις. Erat miſerrimus ille in tantis cruciatibus non corpore, ſed animo. Ex quo plane adparet, vrentem flammam, cuius vim ſeſe experiri conquerebatur, non proprie eſſe intelligendam. Ignis enim proprie ita dictus, ac materialis, etiam ſi maxime ſingularis eſſet, non poſſet tangere ſpiritum, qui materiæ omnis expers eſt, & a corpore ſeparatus. Alibi, & quidem præcipuo in loco, Matth. XXV, 41. τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, Chriſtus ipſe deinceps v. 46. interpretatur, κόλασιν αἰώνιον. Et v. 41 idem ille ignis, cui adiudicandi ſunt homines, dicitur paratus angelis malignis. Angeli ſunt ſpiritus, ſine vlla corporis contagione. E. & ignis, ſpirituum naturæ conueniens, non poteſt eſſe materialis, & proprie ita nominatus. 2) *Coniunctio* nominum, *vermis* & *ignis*. Marc. IX, 44. & Ieſ. LXVI, 24. Nulla ratio eſt, quam ob cauſſam alterum horum proprie, alterum improprie intelligamus. Atqui vermem illum eſſe improprie dictum, nemo hodie abnuit. Veterum quorumdam opinionem commemorat laudatus GERARDVS, l. c. §. 70. Recentiores omnes interpretantur, & recte quidem, de morſibus conſcientiæ. 3) *Comparatio ſubiecti & prædicati*. Si eſt tranſlatio in ſubiecto; neceſſe eſt, eam etiam in prædicato eſſe. Ea vero eſt ſententia effatorum huiusmodi, in quibus manifeſto adhibetur tranſlata loquutio de ſubiecto, Matth. III, 10. atque iterum v. 12. c. XIII, 30 42. Ioann. XV, 6. Et cum dicitur γέεννα τοῦ πυρός, metaphora ducta eſt a valle Hinnom, qui locus erat valde ignominioſus, cadaueribus comburendis deſtinatus. Conſulantur interpretes, quos adpellat b. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in ſuis *curis* in Matth. V, 22. 4) *Oppoſitio*, velut Luc. III, 17. & Apocal. XXI, 8. Quod ibi de oppoſito, nimirum de vita æterna, tamquam fonte aquæ vitæ, dictum eſt, id ſine vlla controuerſia eſt improprie accipiendum. 5) *Deſcriptio* alia, itidem metaphorica, & cuius ea eſt ratio, vt non poſſit illa cum igne proprie dicto conciliari; nimirum cum nominatur σκότος, atque adeo ſignificanter, τὸ ἐξώτερον, Matth. XXV, 30. Argumentor: aut vtrumque, πῦρ & σκότος, proprie debet

Quæſt. XXVIII. *Quæ mala externa circumſtabunt damnatos?*

*Externa mala*, quæ damnatos circumſtabunt, ſunt a) deteſtabile cum cacodæmonibus conſortium, b) domicilium ſqualidiſſimum, quod eſt infernus.

Prob. a. Stat ſententia decretoria iudicis: *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, paratum diabolo & eius angelis!* Matth. XXV, 41. Vt aſpectus Dei & angelorum homines beatos mirifice recreat: ita intuitus diaboli, & malignorum angelorum immune quantum cruciat. Torquebunt ergo dæmones damnatos *obiectiue*, i. e. fœdo & horrendo aſpectu; quod autem hos *effectiue*, carnificum inſtar, ſint cruciaturi, non videtur probabile. Nam a) vt Deus electos ſine miniſterio angelorum beat in cœlis: ita reprobos ſine miniſterio diabolorum torquet in inferno. b) Non eſt vero conſentaneum, Deum iuſtiſſimum, ſeductorem hominum conſtituturum eſſe horum tortorem. Sic enim ſeductoris ſors melior foret ſorte ſeducti, quod iuſtitiæ repugnare videtur. c) Diaboli ipſi torquebuntur: E. homines non torquebunt. d) Sacræ litteræ teſtantur, futurum eſſe, vt damnati pœnam luant, interitum æternum a facie domini, 2 Theſſ. I, 9. E. non a diabolo.

Dicis: I. Matth. XVIII, 34. Dominus iratus ſeruum ſceleſtum *tradidit tortoribus*, i. e. dæmonibus. Reſp. a) Parabola non eſt argumentatiua. b) *Tortores* ſunt cruciatus, quos immittit irata Dei facies, 2 Theſſ. I, 9.

Dicis: II. Diaboli tortores hominum ſunt in hac vita: ergo & in vita futura. Reſp. Multa in hoc ſæculo permittuntur, quæ, quaſi clauſis μακροθυμίας foribus in altero concedi nequeunt.

Prob. b. Domicilium ſqualidiſſimum damnatorum eſt infernus, qui ſuccincte definitur per τόπον βασάνου, locum tormenti, Luc. XVI, 28. Metaphorice depingitur vt lacus, in quo non eſt aqua (ſolatii & refrigerii), Zach. IX, 11. vt carcer, in quo nouiſſimus quadrans ſoluendus, Matth. V, 26. 1 Petr. III, 19. vt caminus ignis, vbi erit fletus ac ſtridor dentium, Matth. XIII, 42. vt ſtagnum ignis ardens ſulphure, Apoc. XIX, 20.

Quæſt. XXIX. *Vbi eſt infernus?*

*Certum* eſt, carcerem infernalem eſſe in *loco reali* a), a beatorum ſede *diſtincto* b). *Probabile* etiam eſt, eundem eſſe *extra hunc mundum* habitabilem c). At *vbi* locus ille *definite* ſit, hominibus viatoribus eſt incognitum d).

Prob. a. 1) Infernus diſerte vocatur τόπος βασάνου, *locus tormenti*, Luc. XVI, 28.

2) Fuit infernus terminus realis, ad quem deſcenſus Chriſti 1 Petr. III, 19. factus. At Chriſtus non deſcendit in ſpatium aliquod imaginarium.

Prob. b. 1) Foris ſunt canes, Apoc. XXII, 15. i. e. extra cœleſtem Hieroſolymam.

2) Proiecti ſunt in locum, per magnum hiatum a beatorum ſede diſtinctiſſimum, Luc. XVI, 23.

Prob. c.

debet intelligi; aut vtrumque improprie; aut alterutrum. Si vtrumque ſit proprie intelligendum; aperta erit repugnantia (caliginem enim extremam eſſe, ignemque ſimul maximum, & flammam, eſt profecto aliquid ſibi repugnans): Si vtrumque ſenſu improprio dictum putes; habeo, quod volo: Si alterutrum; quidni etiam alterum? Vbi par ratio eſt, ibi eſt etiam par conſequutio.

Summi quidem Viri, qui contrariam tuentur ſententiam, ratiocinantur ex proprietatibus *ſtyli iudiciarii*, a quo omnes abeſſe debent metaphoræ. Sed cogitandum eſt, 1) quod metaphoricæ loquutiones, quas iam in medium protuli, etiam ſint in ſtylo iudiciario: 2) quod ſtylus ille iudiciarius ſit ſimul *propheticus*, cui, vſitato more, admiſcentur loquutiones metaphoricæ, quem ad modum Ieſ. VII, 18. 19. 20.

Digitized by Google

Prob. c. 1) Totus terrarum orbis cum omnibus elementis conflagrabit, 2 Petr. III, 10. Quod ſi igitur infernus intra ambitum elementorum contineretur, in die extremo combureretur & periret.

2) Princeps mundi dicitur eiiciendus foras, Io. XII, 31. i. e. extra hunc mundum in tenebras exteriores, Matth. VIII, 12. i. e. extra huius mundi tenebras.

Prob. d. Locum inferni S. ſcriptura nobis non reuelauit. Laudanda ergo eſt modeſtia S. CHRYSOSTOMI, *homil. XXXI. in epiſt. ad Rom. c. XVI. Non quæramus, vbi ſit gehenna, ſed quomodo illam effugiamus.* Et AVGVSTIN. *libr. XX. de C. D. c.* 16. *Ille ignis infernalis, in qua mundi, vel rerum parte ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi forte, cui Spiritus diuinus oſtendit.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, infernum eſſe in *centro terræ.* Quorum argumenta potiora ſunt:

I. Infernus, vi vocis, notat *locum inferiorem*, qua ratione etiam deſcribitur, Matth. XI, 23. Reſp. *Inferius* aliquid dicitur vel ratione *loci*, vel ratione *ſtatus. Infernus*, comparatus cum *cælo,* dicitur *inferior*, non tam ratione *ſitus* localis, quam ratione *ſtatus* inferioris.

II. Dicuntur diaboli creaturæ *ſubterraneæ*, Phil. II, 10. E. infernus eſt locus ſubterraneus. Reſp. Diaboli & homines damnati dicuntur *ſubterranei*, non præciſe ratione *loci*, ſed *ſtatus*. Nam phraſi ſcripturæ quidquid honorabile eſt, dicitur *cæleſte;* & quidquid contemtum eſt, vocatur *terreſtre*, aut *ſubterreſtre.*

III. Quicunque, *deſcendendo in terram, deſcenderunt in infernum*, illi hoc ipſo oſtenderunt, *infernum eſſe in terra:* Atqui Core, Dathan & Abiram &c. Num. XVI, 33. E. Reſp. 1) Neg. conſequent. *maioris.* Nam eadem ratione argumentor: Quicunque deſcendendo in mare deſcendit in ventrem ceti, ille hoc ipſo oſtendit, mare eſſe in ventre ceti: Atqui propheta Ionas &c. E. 2) Non negamus, factioſos, quoad animam, deſcendiſſe ad ſtatum damnatorum; at vero per vocem שְׁאוֹל l. c. non denotatur proxime & immediate infernus damnatorum, ſed deſignat vox illa hiatum terræ, analogon ſepulcri, quod ſcilicet terra abſorpti viui petere coacti ſunt. Cum enim alias non niſi mortui terris inferri conſueuerint, hic viui (non vtique infernum, ſed) loca ſubterranea ac voraginem terræ petere coacti ſunt, quæ eos ſuo hiatu deuorauit & ſepeliuit. Conf. D. PFEIFF. *dub. vexata p.* 330.

IV. Chriſtus, *deſcendendo in infernum*, deſcendit *in inferiora terræ*, Eph. IV, 9. E. infernus ſitus eſt in inferioribus terræ. Reſp. 1) *Inferiores partes terræ* dicuntur infernus non proprie, ſed metaphorice, reſpectu *ſupremorum cælorum*, quibus opponuntur: hæc autem oppoſitio non eſt reſpectu *loci*, ſed reſpectu *conditionis;* quia cœlum beatorum, ad quod Chriſtus aſcendit, loco etiam phyſico non definitur. 2) Condeſcendit haud raro Spiritus S. ad infirmitatem noſtri intellectus, & res futuri ſæculi deſcribit verbis præſentis ſæculi, v. gr. beatitudo cœleſtis vocatur paradiſus, item conuiuium pingue; quia nos delicias cœli aliter concipere nequimus, quam animis noſtris fingendo innoxias voluptates ſuauiſſimi cuiusdam horti, aut pinguis conuiuii; ſic etiam infernus deſcribitur per inferiora terræ, vt ſqualor eius & ſordidiſſima facies nobis ob oculos ponatur. 3) Concinne explicat hæc verba noſter D. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. VIII. p.* 736. Deſcendit in *loca ipſa terra inferiora, h. e. in carcerem infernalem*, εἰς τὰ κατώτερα τῆς γῆς; *non ſane ſepulcrum, quia ſepultura non eſt in corde terræ; ſed deſcenſus hic eſt* εἰς τὰ κατώτερα, *immo* εἰς τὰ κατώτατα τῆς γῆς, *vel ex Græciſmi indole in loca, quæ ipſa terra ſunt inferiora, & terræ corpore non continentur; quod vere eſt omnium infimorum infimum, non geometrice, ſed myſtice.*



Digitized by Google

Quæſt. XXX. *Quodnam erit initium cruciatuum infernalium?*

Cruciatus infernales *animabus* damnatorum *ſimul*, *atque illæ a corpore diſceſſerint*, obtingent.

Prob. 1) Animæ a corporibus ſolutæ ſtatim deſcendunt in locum tormentorum: id quod teſtatur anima epulonis in flammis vociferans, Luc. XVI.

2) Sicut qui in Domino moriuntur, ἀπ' ἄρτι, a tempore diſceſſus ex hac vita, ſunt beati; ita etiam, qui in peccatis moriuntur, ſtatim qua animam ſunt miſeri.

3) *Chriſtus prædicauit ſpiritibus in carcere detentis*, 1 Petr. III, 19. Per *ſpiritus* l. c. intelliguntur animæ ſeparatæ eorum, qui in diebus Noæ erant increduli, ac iam in diebus Noæ diluuio perierant. His ſpiritibus *Chriſtus prædicauit* non euangelium, ſed legem, eosque conuicit, quod iure iuſtiſſimo æternis cruciatibus ſint addicti. E. illi ſpiritus ante redunitionem cum corporibus ſuis ſunt cruciati.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, animas ſeparatas ante redunitionem cum corporibus vere cruciari. Quorum argumenta ſunt:

I. Anima poſt mortem hominis ante redunitionem cum corpore non viuit: Ergo nullos cruciatus ſentit. *Antecedens* patet: quia vita conſiſtit in coniunctione animæ cum corpore. E. totus homo viuit, non corpus, non anima. Reſp. Totus homo viuit vitam compoſiti, anima viuit vitam partis; eſt enim ſpiraculum vitæ, Gen. II.

Inſtantia: De mortuis dicitur, quod *non ſint*, Ier. XXXI, 15. Matth. II, 18. Ergo nec viuunt. Reſp. De mortuis dicitur, quod *non ſint*, ſcilicet *in hac vita* *).

II. Quemadmodum corpus ſine ſpiritu cadauer eſt; ita anima ſine corpore nil agit aut patitur. Eſt enim partium, totum aliquod componentium, par ratio. Reſp. Eſt diſpar ratio. Nam corpus eſt principium materiale ἄεργον, ſiue per ſe inefficax; anima eſt principium formale, ἐνεργητικόν, & fons vitæ.

Quæſt. XXXI. *Eruntne cruciatus damnatorum æterni?*

Cruciatus damnatorum ſunt æterni, nullum habituri finem.

Prob. 1) Ex Matth. XXV, 4. *Et abibunt* (hi maledicti) *in pœnam æternam; iuſti vero in vitam æternam.* Qua ratione vita beatorum eſt æterna, eadem ratione pœna damnatorum æterna eſt: Sed illa eſt æterna abſolute: E. & hæc.

2) *Vermis damnatorum non morietur & ignis non exſtinguetur*, Eſ. LXVI, 24. E. vermis conſcientiæ ſine intermiſſione damnatos rodet, & ignis infernalis ſine fine eos torquebit.

3) *Qui*

*) PAVLLVS ipſe id ita interpretatur, ac diſerte nos edocet, illud, אינני, οὐκ εἰμί, κατ' ἔλλειψιν dictum eſſe, & ſubintelligendum hoc: ἐν τῷ σκήνει, hoc eſt, ἐν τῷ σώματι. Vberius rem declarat his verbis: ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, & ita quidem, vt ſine mora conſequens ſit. ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον. 2 Corinth. V, 4. 6. 8. Eumdem fere ad modum Dauid eam ἔλλειψιν ſupplet: מאהל, itemque מארץ חיים, Pſ. LII, 7. In primis vero magna animi attentione dignum eſt hoc enuntiatum, Pſ. XXXIX, 14: בטרם אלך ואינני. Horum verborum alterum eſt alterius explicatio. Illud enim, אלך. *diſcedam*, indicio eſt, hoc, ואינני, *nec ſim*, non ſimpliciter, ſed certa quadam ratione intelligendum eſſe. Qui *abitum* parat, is certe propoſitum ſibi habet terminum quemdam, quo curſum dirigat, tandemque eo, quo ſtuduerat, perueniat. In omni *diſceſſu* neceſſe eſt, duplicem eſſe *terminum*, vnum, qui dicitur, *a quo*, alterum *ad quem*. Si Dauid nullum mente agitaſſet locum, aut ſtatum, ad quem iturus fuiſſet ipſe; non potuiſſet dicere: ante, quam *abeam*; ſed ita dicendum fuiſſet: prius, quam *peream*. Rectiſſime igitur b. LVTHERVS noſter verba germanice conuertit: vnd nicht mehr *hier* ſey. Quisquis enim *diſcedit*, is non prorſus *eſſe* deſinit, ſed *deſinit eſſe* in *hoc* loco, in quo huc vsque fuit commoratus.

3) *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum*, Io. III, 36. Super quos ira Dei manet, ab illis nunquam recedit.

4) Iuſtitiæ diuinæ conſentaneum eſt, vt, qui non norunt Deum, nec obediuerunt euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, pœnam luant, *interitum æternum a facie Domini*, 2 Theſſ. I, 9. Peccarunt enim in Deum æternum & infinitum, ac meritum Chriſti, quod valoris infiniti eſt, reiecerunt. *).



*) Cum de *æternitate* pœnarum diſputamus, primum, quod ad *cauſæ conſtitutionem* adtinet, *æternas* dicimus non ſolum *continuas*, ac ſine vlla intermiſſione diu duraturas (*vnaufhörliche*); ſed etiam *perpetuas* infinitasque, nunquam terminandas (*vnendliche*). Deinde, quantum ad *probationem*, noſtra ſententia eſt

I. *Scripturæ teſtimoniis* ampliſſimis abunde confirmata. Horum duo ſunt genera:

א) κατὰ τὸ ῥητὸν, *verbis* longe clariſſimis expreſſa teſtimonia, quæ in varias claſſes diſtribuit S. V. IO. GEORG. WALCHIVS, *Einleit. in die Streitigk. in der Euang. Kirche*, P. III. pag. 277. ſqq. Generatim tria ſunt, probe conſideranda. 1) Diuini ſcriptores, quoties damnationem impiis denuntiant æternam, toties loquuntur *ſine vlla limitatione*, qua certe opus fuiſſet, præſertim in locis præcipuis, ſi qua eſſet liberatio vnquam exſpectanda. Diuiti epuloni nulla ſpes facta fuit, Luc. XVI, 25. 26. 2) Aeterna dicitur damnatio, in *oppoſitione* æternæ beatitatis: E. neceſſe eſt, adiunctum hoc, αἰώνιος, in vtraque parte oppoſitorum, eamdem obtinere poteſtatem. 3) Damnatio æterna deſcribitur verbis *multo ſignificantioribus*, quam beatitas, eiusque æterna duratio; quoniam Spiritus S præuidebat, hanc non ſimiliter, ac illam, in diſceptationem adductum iri, & neminem fore vnquam, qui beatitudinem eſſe credat, de eius autem æternitate dubitet. De illa igitur adhibetur hæc loquutio: εἰς τοὺς αἰῶνας αἰώνων, Apoc. XIV, 11. XX, 10. quæ dicendi ratio tantam vim habet, vt nusquam aliter, quam de æternitate perpetua atque infinita vſurpetur.

ב) κατὰ τὴν διάνοιαν, per neceſſariam atque apertam *conſequutionem*. Eiusmodi dicta ſcripturæ, atque etiam principia Theologiæ reuelatæ, ex quibus efficitur hoc conſectarium, magno ſtudio & iuſto ordine collecta tibi exhibet celeb. WALCHIVS l. c. pag. 294. ſqq.

II. *Rationi*, verbo diuino illuminatæ, maxime conſentanea. Argumentatio triplex eſt, qua potiſſimum freti ſunt Noſtrates 1) Qualis & quanta eſt *culpa*, talem ac tantam quoque *pœnam*, ſi iuſta ſit ea, fieri oportet. Omnis autem culpa, eiusque grauitas, maxime ex *Obiecto violato* æſtimanda eſt, ac ponderanda. Quod quum in peccato ſit *æternus Deus*, Pſ. LI, 6. *æternus* etiam Dei filius, eiusque αἰωνία λύτρωσις, Hebr. IX, 12.: efficitur, vt *pœna* hominis iuſta, eaque diuina, & proprie ſic dicta, non poſſit non *æterna* eſſe. Ita enim non aliter, eſt *pœna talionis*, quæ eſt *proprie* ſic dicta pœna. Ergo ne quidquam valet aduerſariorum oppoſitio, vna ex præcipuis, cui illi plurimum confidunt: Nullam fore proportionem & comparationem iuſtam delicti *temporalis*, ac vindictæ *æternæ*. Falſum eſt enim, quod adſumunt, in ponderanda grauitate culpæ conſiderandam maxime eſſe actionis durationem, eiusque aut breuitatem, aut diuturnitatem. Quis dubitet, quin crimen læſæ Maieſtatis, vno temporis puncto commiſſum, multo acerbius vindicandum ſit, quam contumelia multiplex, atque iniuria cumulata, qua quis hominem de infima plebe per longum temporis ſpatium adfecerit? Diſputabimus etiam κατ' ἄνθρωπον. Qui negant pœnarum perpetuitatem, omnes tamen vno ore fatentur, *longiſſimam* earum per plura ſæcula *continuationem*. Explicent igitur ipſi, quæ intercedat proportio atque æqualitas inter peccata *breui* vitæ tempore conſummata, & pœnam *diuturnam*? 2) Qualis & quanta eſt proportio inter *virtutem temporalem*, & *remunerationem perpetuam*, propter *tributam* homini *iuſtitiam Chriſti*, omnibus numeris abſolutam, talis ac tanta etiam eſt proportio inter *vitioſitatem temporalem*, & *pœnam perpetuam*, propter *reiectam iuſtitiam Chriſti*. Par vtrimque eſt ratio: par igitur conſequutio. Immo nunquam deſinent peccare damnati, nec fieri vnquam poterit, vt reſipiſcant, Luc. XVI, 26. ſeqq. 3) Qualis & quanta eſt *relatio*, vt dici ſolet, τῆς πίστεως *ad ſalutem æternam*, talis ac tanta quoque eſt *relatio* τῆς ἀπιστίας *ad damnationem æternam*, vi oppoſitionis. Marc. XVI, 16. Io. III, 36.

*Antitheſis* fuit 1) *Origeniſtarum* 2) *Anabaptiſtarum*, quorum mentio fit in *Auguſtana Confeſſ. art. XVII. Damnat Anabaptiſtas, qui ſentiunt, hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum futurum eſſe.* 3) *Socinianorum*, ſtatuentium, damnatos annihilatum iri. *). Quorum argumenta ſunt:

I. *Miſericordia Dei eſt infinita*, teſte Hieropſalte, Pſ. LXXVII, 9. *Num deſiit in perpetuum miſericordia eius?* Non eſſet autem infinita, ſi Deus ſine fine iraſceretur. Reſp. 1) Pſalmus citatus agit de *eccleſia in his terris militante*; ad damnatos ergo, atque ipſum diabolum male transfertur. 2) Deus infinita ſua miſericordia complectitur peccatores pœnitentes, & perſeuerante fide meritum Chriſti amplectentes. At ſuper peccatores impœnitentes, & ἀπιστίᾳ finali meritum Chriſti repudiantes manet ira Dei, Io. III, 36. Sicut enim *infinita* eſt Dei *miſericordia*; ita & *infinita* eſt eius *iuſtitia*. Ad diabolum non pertinet Chriſti redemtio. E. nec liberatio ex inferno.

II. Si nulla gratia ſperanda eſſet damnatis; *neque gratia maior foret peccato; nec omnes, qui in Adamo moriuntur, per Chriſtum viuificarentur:* At gratia eſt maior peccato, & omnes, qui in Adamo moriuntur, per Chriſtum viuificantur: E. damnatis gratia Dei ſperanda eſt. *Antecedens* patet ex Rom. V, 18. 1 Cor. XV, 22. Reſp. Gratia eſt maior peccato, ex lege in cordibus pœnitentibus agnito. At damnatis nullus patet reditus ad pœnitentiam. Tempus enim pœnitentiæ non eſt futurum, ſed præſens ſæculum, 2 Cor. VI, 2. Ceterum, qui in Adamo moriuntur, per Chriſtum viuificantur, nempe qui per fidem in Chriſto, & in Chriſto obdormiuerunt. Nam quamuis Chriſtus omnibus vitam acquiſiuerit merito ſuo pretioſiſſimo, non tamen omnes per fidem ſibi illud applicant, adeoque non omnes vident vitam, Io. III, 36.

III. Chriſtus eſt *Saluator omnium, maxime fidelium*, 1 Tim. IV, 10. E. fideles primo ſaluabuntur; tandem vero etiam infideles. Reſp. Chriſtus eſt Saluator *omnium* hominum, qua *meritum*; *maxime fidelium*, qua *actualem euentum*, ad infideles, propter infidelitatem finalem, non ſpectantem.

IV. *Chriſtus ſpiritibus, qui aliquando increduli fuerunt, in inferno prædicauit*, 1 Petr. III, 19. 20. E. voluit eos conuertere. Reſp. Concio Chriſti facta ſpiritibus, in carcere infernali detentis, non fuit *euangelica ad fidem & ſalutem perducens, ſed legalis, conuincens & terrorem incutiens.* Prædicauit Chriſtus *realiter* magis, quam *verbaliter*, ſe viuum & triumphantem ſpiritibus damnatis oſtendendo.

V. Liberatio damnatorum & ipſorum cacodæmonum eſt ἀποκατάστασις πάντων, *reſtitutio omnium*; de qua S. Petro ſermo eſt, Act. III, 21. Si enim omnia ſunt reſtituenda, & dæmones & homines damnati in priſtinum ſtatum euehendi ſunt. Reſp. *Reſtitutio omnium*, de qua loquitur Petrus, eſt *vniuerſalis*, non abſolute, ſed *limitate*; ſiquidem ipſe Apoſtolus

*) Qui *finem pœnarum* ſtatuunt, eorum *alii* ſibi perſuadent, pœnam omnem conſummatum iri per *deſtructionem* damnatorum, qua illi tandem in nihilum redigantur. In hoc capitali errore verſantur *Sociniani*. Dicunt quidem illi, *æternas* fore *pœnas*. Intelligunt autem eo nomine pœnam non *ſenſus*, ſed *damni*, non *cruciatus* æternos, ſed *interitum* damnatorum, penitus abolendorum, ac deſtruendorum. In hunc ſenſum detorquent has voces, ὄλεθρος, ἀπώλεια. Eas vero interitum non naturæ, ſed beatæ conditionis denotare, vt aliunde conſtat (Matth. XVIII, 11. Luc. XV, 6. & 32.), ſic adparet ex iis locis, in quibus exſtant hæc verba: κόλασις αἰώνιος, Matth. XXV, 46. βασανισμὸς εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Apoc. XX, 10. *Alii* opinantur, pœnas terminandas eſſe *reſtitutione*, qua fiat, vt damnati & dæmones, & homines, tandem aliquando ad ſocietatem æternæ gloriæ admittantur. Hæc falſa & pernicioſa ſententia fuit primum *Origeniſtarum*, deinde *Anabaptiſtarum*, & eſt hodieque eorum, qui D. *Peterſenii* & M. *Lud. Gerardi* veſtigia ſequuntur.

Digitized by Google

ſtolus limitationem diſerte addit: *quæ locutus eſt Deus per os omnium ſanctorum ſuorum prophetarum a ſæculo.* Sed de reſtitutione damnatorum in ſtatum felicem nec vola, nec veſtigium inuenitur in ſcriptis prophetarum. *).

VI. Quicunque propter delictum temporale peccatori irrogat pœnam æternam & infinitam, ille non eſt iuſtus: Atqui doctorum euangelicorum ſententia Deus &c. E. *Maior* probatur; quia, vbi nulla eſt proportio inter delictum & pœnam, ibi nulla elucet iuſtitia iudicis; ſed potius ſumma ipſius iniuſtitia apparet. Iam vero inter temporale finitumque delictum & pœnam infinitam atque æternam nulla datur proportio. Reſp. Neg. maior. Nam inter peccatum temporale & pœnam æternam datur proportio *non quidem ratione actus*, qui tranſitorius eſt, *attamen ratione reatus*, qui infinitus & æternus eſt, 1) propter læſum obiectum infinitum, quod eſt infinita æterni Numinis maieſtas, 2) ob reiectum infinitum pretium redemtoris Chriſti.

Inſtantia: Si peccata ratione *reatus* ſunt infinita, quia iisdem violatur infinita Dei maieſtas, omnia peccata erunt æqualia; quod eſt abſurdum. Reſp. Licet peccata in hoc conveniant, quod omnia committantur contra infinitam Dei maieſtatem: non tamen conueniunt ratione malitiæ, quæ eſt in ſubiecto, atque hinc peccatorum reſultat inæqualitas.

VII. Quicunque æternum mortui ſunt, non æternum torquentur: Atqui damnati &c. E. *Maior* conſtat; quia nemo tormenta ſentit, niſi viuat. Reſp. *Mors æterna* dicitur in oppoſitione ad beatorum *vitam æternam.* Damnati æternum erunt mortui; quia nec Deus, vita animæ, in illis habitabit, neque faciem gratiæ & gloriæ pleniſſimam illis conſpiciendam præbebit. Non tamen ita moriuntur damnati, vt plane non viuant, neque vlla tormenta ſentiant; quæ vita illorum ob extremam miſeriam mors potius, quam vita cenſenda eſt.

VIII. Quos ignis infernalis deuorat, vt æternum illis afferat interitum, illi penitus annihilantur: Atqui finaliter infideles &c. Ergo. *Minor* liquet ex Hebr. X, 27. 2 Theſſ. I, 9. Reſp. Hebr. X. habetur verbum ἐσθίειν, quod ſignificat, *edere*, non penitus depaſcere. Quidquid ignis inexſtinguibilis edit, ſemper edit, nunquam exedit. Vox ὄλεθρος, quæ legitur 2 Theſſ. I. non ſignificat totalem annihilationem, ſed mutationem ſtatus vergentem in deterius. Sic & Deus animam perdet in Gehenna, Matth. X, 28. eam non prorſus deſtruendo, ſed in ſtatum perditiſſimum deturbando.

IX. Chriſtus *deſtruet omnem principatum*, *omnem poteſtatem*, *omnemque virtutem*, 1 Cor. XV, 24. E. plane annihilaturus eſt omnes principes angelorum & hominum. Reſp. Verbum καταργεῖν, quod legitur in fontibus, non ſignificat *annihilare*, ſed *eneruare*; irritum reddere, ſtatum, vſum, efficaciam tollere. Confer. Luc. XIII, 7. Rom. III, 3. 31. Gal.



*) Ex tota verborum ſerie & cohærentia ſole clarius adparet, ἀποκατάστασιν hoc in loco nihil minus eſſe, quam *damnatorum* in integrum *reſtitutionem.* Non enim de perſonis loquitur Legatus Chriſti, ſed de *rebus*, & de iis quidem rebus, quæ a Vatibus diuinis *prædicta* fuerunt, immo ab *omnibus*, quicunque vnquam diuino inſtinctu adflatuque effata protulerunt. Quid vero ſignificatur eo nomine? Quippe *conſummatio* omnium *vaticinationum* V. T. quarum poſtremus euentus erit aduentus Chriſti ad iudicium commune (v. 20.), ac terminus regni gratiæ (1 Cor XV, 24. 25. & 54. 55.). Scio equidem, hanc vocis poteſtatem non in Græcia vſitatam fuiſſe. Eſt ea tamen ſacra atque hebraica dicendi ratio, quam ſcriptores N. T. interdum imitantur. Scilicet verbum הקים, cum nomine דבר conſtructum, denotat *complementum prædictionis* ac *promiſſionis*, præſertim vero ita *diu dilatum*, vt promiſſio vaticinatioque velut *in terram cecidiſſe* videatur, 1 Sam. III, 19. Vid. Numer. XXIII, 19. 1 Reg. II, 4. Ierem. XXIX, 10. XXXIII, 14.

Digitized by Google

III, 17. Eph. II, 15. Chriſtus itaque vires & neruos principum incidet, non eſſentiam eorum abolebit. *).

Quæſt. XXXII. *Danturne gradus pœnarum in inferno?*

Pœnæ infernales *differunt gradibus*, pro peccatorum qualitate & menſura.

Prob. 1) *Tolerabilius erit in die extremo Sodomitis, quam incolis Chorazim & Bethſaidæ*, Matth. XI, 24.

2) *Seruus, qui cognouit voluntatem domini, & non facit eam, vapulabit multis; qui autem non cognouit, & fecit plagis digna, vapulabit paucis*, Luc. XII, 47.

3) *Facitis*, inquit Saluator ad Phariſæos, *filium Gehennæ duplo magis, quam vos eſtis*, Matth. XXIII, 15.

Obiiciunt *Sociniani:* Quicunque pariter ſunt reiecti a facie Dei, pariterque mortui in peccato, illi pares ſubeunt pœnas: Atqui damnati &c. E. *Maior* patet: quia reiectio a facie diuina eſt radix omnium cruciatuum, quos damnati ſuſtinent. Reſp. Diſt. *inter pœnam damni & ſenſus.* Omnes damnati *pariter* conueniunt *pœna damni*, qua viſione Dei beatifica priuati ſunt; at *differunt* pœna *ſenſus*; ſiquidem maiores cruciatus perſentiſcent, qui grauius & ſæpius peccarunt.

Quæſt.

*) Præter dicta hæc, & quæ plura ſunt huiusmodi, quibus aduerſarii abutuntur, ſunt quædam *falſa principia* ac fundamenta erroris, quæ inuictis argumentis euerſa ſunt in loco de Deo, de Chriſto, & de mediis gratiæ. 1. Amorem ac *beneuolentiam* diuinam a *iuſtitia Dei vindicante* temere ſeiungunt, & hanc non æque, ac illam, in Deo *naturalem*, neceſſariam atque infinitam eſſe exiſtimant. 2. *Potentiam*, qua Deus valet, *abſolutam*, quæ vocari ſolet, & *ordinatam*, inter ſe confundunt, illamque a reliquis Dei proprietatibus ac perfectionibus ſeparare audent. Hoc enim nos impugnant dilemmate: Deus peccatum ex mundo tandem aliquando exſtirpare aut non vult, aut non poteſt. Quare autem dicunt: tandem aliquando, poſt longam annorum ac ſæculorum ſeriem? Cur non cito ſubitoque? Quid? ſi quis ita argumentaretur: Deus malum ſine mora in præſens tollere ac delere aut non vult, aut non poteſt? immo impedire, quo minus exoriretur malum, aut nolebat, aut non poterat? Quid, quæſumus, valebunt reſpondere? Id idem ſibi reſponſum habebunt. 3. *Salutem* quidem ipſam, propitia Dei voluntate omnibus impertiendam, magni faciunt; *ordinem* vero *ſalutis*, ſancte a Deo conſtitutum, non conſiderant. 4. *Satisfactionis*, Deo iudici ac vindici præſtandæ, *neceſſitatem ac dignitatem* aut omnino *negant*, aut *extenuant*, finitam ſcilicet ſatisfactionem ſufficientem putantes. 5. Eam *ſatisfactionem*, quam *Chriſtus* perfectiſſimam præſtitit, ad *omnes damnatos*, ipſosque adeo *dæmones* malignos, pertinere opinantur, nec diſtinctionem *acquiſitionis*, & *adplicationis*, adcurate ponderant. 6. *Reuerſionem* a peccatis ad Deum, *ſine vſu mediorum gratiæ*, poſt ſuprema fata fieri poſſe comminiſcuntur. 7. *Ignem*, cui adiudicati ſunt dæmones & homines non tam *punientem* ſtatuunt (ein Rachfeuer), quam *purgantem* (ein Reinigungsfeuer). Id quod aduerſatur clariſſimis effatis, Pſ. II, 12. 2 Theſſ. I, 8. Contrarium eſt etiam ſanæ rationi, quæ poteſt quemque docere, *pœnam, proprie* ita dictam, diſcernendam eſſe a *caſtigatione iudiciaria.* Huic falſo illorum principio ſubeſt alius quidam error: nimirum quod cruciatuum acerbitas ſit medium, ad emendationem ſufficiens.

De cætero, *momentum* huius controuerſiæ eſt ſane grauiſſimum. Aduerſariorum enim ſententia 1) ſummis Dei perfectionibus, ſigillatim iuſtitiæ vindicanti, multum detrahit; 2) ſatisfactionis vicariæ, in hac vita adplicandæ, neceſſitatem aut tollit, aut minuit; 3) ordinem ſalutis peruertit; 4), impiæ vitæ ſecuritati haud parum conducit. Iure igitur improbata eſt in noſtra *Aug. Confeſſ. art.* 17.

Digitized by Google

Quæſt. XXXIII. *Quis eſt finis æternæ damnationis?*

*Finis* æternæ damnationis eſt *gloria iuſtitiæ vindicatiuæ* a) *veracitatis* b) & *potentiæ* Dei iudicis c).

Prob. a. A *iuſtitia* Dei *vindicatiua* procedit actus puniendi, directus in gloriam Dei iudicis. Deprædicat hanc iuſtitiam Apoſtolus, 2 Theſſ. I, 6. *Iuſtum eſt apud Deum, retribuere affligentibus vos afflictionem.*

Prob. b. *Veracitas* Dei eluceſcet in die iudicii, quando Deus comminationes impiis factas reapſe implebit. Rex ſedens ſuper throno dicit Ioanni: *Scribe, quia hæc verba vera & fidelia ſunt. Timidis, & infidelibus, & abominabilibus, & homicidis, & ſcortatoribus, & incantatoribus, & idololatris, & omnibus mendacibus pars futura eſt in ſtagno ardenti igne & ſulphure; quæ eſt altera mors*, Apoc. XXI, 5. 8.

Prob. c. *Potentiſſimum* oportet eſſe iudicem, qui omnes impios pœnis æternis ſubiicere valet. Vnde cœlites canunt: *Halleluiah! Salus, & bonor, & gloria, & virtus* (ἡ δύναμις) *Domino Deo noſtro: quia vera & iuſta iudicia eius*, Apoc. XIX, 1. 2.

*SVSPIRIVM.*

Cor meum, Domine Ieſu, conatur ad te conſcendere in cœlum, ſed per ſe non poteſt! Fac tu, quod ipſum non poteſt! Trahe me, per te, ad te! Duc me in vitam cœleſtem, quæ nunquam terminatur, in patriam, quæ nunquam inquietatur, ad fontes aquarum, qui nunquam inareſcunt, ſed ſemper abundant! Languet anima mea amore tui! Fac, obſecro, vt illam permulceat dulcedo tua, ſatiet bonitas tua, illuſtret ſapientia tua, dilectio tua occupet eam totam & poſſideat totam, quia es tu cum Patre & Spiritu S. Deus ſolus benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen!

THEOL. PART. III. SECTIO II.

CAPVT I.

# DE MEDIIS SALVTIS IN GENERE, ET DE VERBO LEGIS IN SPECIE.

Quæſt. I. *Quid ſunt media ſalutis?*

*Media ſalutis* ſunt media diuinitus ordinata, per quæ Deus acquiſitam a mediatore Chriſto ſalutem omnibus hominibus, in peccatum prolapſis, ex gratia offert, veramque fidem donat & conſeruat, iuxta atque omnes, meritum Chriſti finali fide amplectentes, in regnum gloriæ introducit. *Media ſalutis.*

Quæſt. II. *Quotuplicia ſunt media ſalutis?*

Media ſalutis *duplicis* ſunt *ordinis*: Quædam *ſtrictius* magisque proprie, quædam *latius* & minus proprie media ſalutis dicuntur. Media *ſtricte* dicta, ex parte *Dei*, δοτικά, ſeu ſalutem *exhibentia*, ſunt verbum & ſacramenta a); ex parte *noſtri*, medium ληπτικόν, ſeu oblatam ſalutem *apprehendens*, eſt fides merito Chriſti innixa b). Media ſalutis *late* dicta ſunt εἰσαγωγικά, ſiue *exſecutiua* & in regnum gloriæ introducentia, ſcilicet mors, reſurrectio mortuorum, extremum iudicium & conſummatio ſæculi c). *Diuiſio eorum.*

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. *Strictiori* ſenſu media ſalutis dicuntur *exhibitiua* & *receptiua*, quia ſunt *cauſſalia*. Quamuis enim *non* ſint *cauſſæ* ſalutis *principales*; ſunt tamen cauſſæ ſalutis *organica*. At media *iſagogica* ſunt tantum conditiones, ſine quibus non fit ingreſſus in regnum gloriæ, adeoque ὡς ἐν πλάτει media ſalutis appellantur.

Prob. a. *Verbum* Dei & *ſacramenta* ſunt media ſalutis *exhibitiua*: quia per eadem Deus miſericordiſſimus gratiam & ſalutem hominibus offert, applicat & obſignat.

Prob. b. *Fides* eſt medium *apprehenſiuum*: quia recipit gratiam Dei in merito Chriſti fundatam, & euangelica promiſſione oblatam, qua æterna ſalus donatur.

Prob. c. *Mors*, *reſurrectio mortuorum*, *iudicium extremum*, & *conſummatio ſaeculi* vocantur *media* ſalutis *exſecutiua*, atque *iſagogica*, vel introductoria. *Exſecutiua* dicuntur, quatenus per ea Deus ſententiam glorificationis & damnationis exſequitur: *Iſagogica* vocantur, quatenus eorum proximo interuentu homines, in ſide finaliter perſeuerantes, in regnum gloriæ introducuntur. De his vide D. HVLSEM. *breuiar. c. XVI. p. 1126. ſeqq.* & D. I. A. OSIANDRI *colleg. ſyſtem. part. VI. p. 246.*

Quæſt. III. *Quo conſiderandi modo hic agitur de verbo Dei?*

*Verbi diuini varia conſideratio.*

*Verbum* Dei hic *non* conſideratur vt *principium*, γνώσεως, ſiue cognoſcendi, ſed vt *medium* πράξεως, ſiue operandi, cuius interuentu homo peccator a Deo ad æternam ſalutem perducitur.

Prob. *Verbum* Dei, conſideratum vt *principium* cognoſcendi Deum & res diuinas, pertinet ad prolegomena theologiæ; in præſenti penſitatur vt *medium* vocandi, illuminandi, conuertendi &c.

Quæſt. IV. *Eſtne verbum Dei efficax medium ſalutis?*

*De verbo diu efficaci medio ſalutis.*

Verbum Dei eſt *medium* ſalutis *efficaciſſimum*; quippe cuius vis & efficacia non eſt tantum *obiectiua*, ſed etiam *effectiua* a); *non* conſiſtens in *morali perſuaſione*, ſed in *ſupernaturali operatione* b); *non externa*, aut in vſu humano ſuperueniens, ſed verbo *intrinſeca*; *non accidentalis*, ſed *neceſſaria* ex neceſſitate ordinationis diuinæ, atque adeo *non ſeparabilis*, ſed *perpetua*, extra vſum quoque, verbo diuino, qua actum primum, competens c). Eſt hæc efficacia *vere diuina*, eundem cum Spiritu S., qui perpetuo cum verbo vnitus eſt, producens effectum, in quem Spiritus influit vna cum verbo per *vim diuinam*, quæ *Spiritui S. originaliter* & independenter, *verbo Dei*, *communicatiue* & dependenter, propter myſticam verbi cum Spiritu S. vnionem intimam & indiuiduam, competit d).

Prob. a. *Efficacia* verbi diuini non eſt tantum *obiectiua*, *aut ſignificatiua*, qualis eſt ſtatuæ Mercurialis, quæ viam oſtendit, ſed non efficit, vt viator ambulet; ſed *effectiua*, quoniam verbum Dei non oſtendit duntaxat viam ſalutis, ſed & *ſaluas facit animas*, Iac. I, 21.

Prob. b. *Efficaciam* verbi diuini non conſiſtere in *morali perſuaſione*, qualis eſt rhetorum, orationis ſplendore, ſententiarum grauitate, rationum pondere perſuadentium, docet Paullus, 1 Cor. II, 4. *Sermo meus & præconium meum non fuit in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione ſpiritus & virtutis.* Idem v. 13. *Quæ loquimur non doctis ſapientiæ humanæ verbis, ſed doctis Spiritus S., ſpiritualibus ſpiritualia componentes.*

Prob. c. *Non* competit vis diuina verbo Dei ſcripto per nudam παράστασιν, & *aſſiſtentiam externam*, ita, vt in ſe, & extra vſum ſpectata, S. ſcriptura vi illuminandi, conuertendi

tendi

Digitized by Google

tendi & regenerandi hominum animas deſtituta, inefficax & littera mortua ſit. Eſt enim *potentia Dei ad ſalutem omni credenti*, Rom. I, 16. *& ſemen regenerationis*, 2 Petr. I, 19. Ergo internam ſuam vim, & efficaciam *habet* & retinet *etiam extra vſum* (ſicut ſoli vis illuminandi conſtat, licet, obiecta lunæ vmbra, nemo ipſum conſpiciat, & ſicut ſemen interna pollet efficacia, quamuis in agrum non ſit ſparſum), *actu ſecundo* autem ſuam efficaciam *profert* & exſerit, cum recte vſurpatur, attente legitur, auditur, penſitatur.

Prob. Vis diuina communicata eſt verbo a Spiritu S. cum eodem indiuulſe coniuncto. Ideo enim 1) *Verbum Dei dicitur ſpiritus & vita*, Io. VI, 63. quia ſpiritu & vita inſtructum atque animatum eſt. 2) *Verbum Dei eſt viuum & efficax, & ſecantius omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis;* quia coniunctum eſt cum Chriſto, *coram quo nulla creatura eſt inuiſibilis*, Hebr. IV, 12. 13. Conf. SEB. SCHMIDIVS in *comment. h. l. p. 414.* 3) *Tribuuntur verbo Dei effectus ſupernaturales & diuini, qui in ſacris litteris etiam Spiritui S. vindicantur.* Etenim verbo Dei ad eccleſiam *vocamur*, 2 Tim. II, 14. *illuminamur*, 2 Petr. I, 19. *conuertimur*, Ier. XXIII, 29. *regeneramur*, 1 Petr. I, 23. *iuſtificamur*, 2 Cor. III, 9. *renouamur*, Io. XVII, 17. *conſeruamur*, Pſ. CXIX, 11. *ſaluamur*, Iac. I, 21. Concurrunt ergo ad hæc ἀποτελέσματα, ſiue effecta communia Spiritus S. & verbum Dei *non* vt *cauſſæ ſociæ*, ſed Spiritus S. eadem producit, vt *cauſſa principalis*, cui verbum Dei ſubordinatur, vt cauſſa *intermedia*, & competit vis illuminandi, conuertendi, regenerandi &c. *Spiritui S. originaliter* & independenter, *verbo Dei communicatiue* & dependenter, per dependentiam a Spiritu S. concurrente. *Placuit enim Patri luminum, generare vos verbo veritatis*, Iac. I, 18. 4) *Verbum Dei, qua tale, non poteſt fingi ſine diuina virtute, aut ſine Spiritu S., qui a verbo ſuo eſt inſeparabilis.* Nam ſi a verbo Dei ſeparetur Spiritus S. non eſſet id Dei verbum, vel verbum Spiritus, ſed eſſet verbum humanum. Nec vero aliud eſt Dei verbum, quod in Deo eſt, vel quod inſpiratum eſt viris Dei, quam quod in ſcriptura traditur, aut prædicatur, vel mente humana reconditur. Illud autem diuinum ſenſum, conſilium, mentem, ſapientiam Dei eſſe, vti negari nequit, ita virtute diuina deſtitui non poteſt.

*Antitheſis* eſt *Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, ex quorum mente S. ſcriptura extra vſum nullam habet efficaciam. Quorum argumenta ſunt:

I. Nullum inſtrumentum extra vſum habet efficaciam: Verbum Dei eſt inſtrumentum: Ergo. *Maior* patet: quia tota vis inſtrumenti conſiſtit in vſu. Reſp. 1) Verbum Dei *non* tam *inſtrumentum* eſt, quam *medium*, cum non omne medium ſit inſtrumentum. Eminentius eſt verbum Dei, quam vt nomine inſtrumenti exprimatur; eſt enim potentia Dei, conſilium Dei, conceptus mentis diuinæ &c. Vocatur interim *inſtrumentum*, ὡς ἐν πλάτει, & in primis ratione *ſcriptionis*, *prædicationis*, οἰκονομίας & *miniſterii*; *non* autem *proprie* vocatur inſtrumentum ratione *internæ virtutis Spiritus S.* qua præditum eſt. 2) Diſt. *inter inſtrumentum cum cauſſa principali coniunctum, & ab ea ſeparatum.* Inſtrumentum a cauſſa principali *ſeparatum* (malleus, ſecuris, calamus ſcriptorius &c.) extra vſum nullam habet efficaciam; At inſtrumentum, cum cauſſa principali *ſemper coniunctum*, ſua pollet efficacia, etiam extra vſum, v. gr. auris extra vſum gaudet viribus audiendi. 3) Diſt. inter *vſum*, & *ordinationem ad vſum actualem.* Vis inſtrumenti conſiſtit in *ordinatione ad vſum*, licet *actu* non vſurpetur. Oculos extra externum viſionis actum inſtrumentum eſt viſiuum; ideo, quod ad videndum eſt ordinatus.

II. Quodcunque verbum extra vſum nil efficit, illius efficacia ab vſu dependet: Atqui verbum diuinum &c. Ergo. *Maior* probatur; quia *efficacia* eſt propter *effectum*, quem niſi producat, fruſtranea eſt. At Deus efficaciam verbo ſuo non fruſtra impertiuit.



Digitized by Google

*Minor* liquet; quia verbum Dei, extra vſum, in charta, aut membrana, eſt inſtar litteræ mortuæ, nil efficientis. Reſp. 1) Diſt. *inter efficaciam verbi diuini ſpectatam qua actum primum, & ſecundum.* Extra vſum verbum Dei *non* exercet ſuam efficaciam, qua *actum ſecundum*, retinet tamen eandem, qua *actum primum.* 2) Quamuis verbum Dei extra vſum nil efficiat, aut operetur; ad ſalutarem tamen effectum & operationem *deſtinatum* eſt, adeoque vis eius non eſt fruſtranea, *nec* illud *mortuum* dicendum eſt. Manus hominis dormientis nil operatur, neque tamen operandi vis ei fruſtra indita eſt, nec manus, nil operans, mortua eſt.

III. Quicunque rei creatæ virtutem diuinam attribuunt, illi ſunt idololatræ: Atqui Doctores Euangelici &c: Ergo. *Maior* conſtat: quia virtus diuina eſt ipſe Deus. Quod ſi itaque S. ſcripturæ competeret vis diuina, eſſet ipſe Deus. *Minor* probatur: quia ſcriptura aut eſt creator, aut creatura: Non eſt creator: E. eſt creatura. Reſp. 1) Quicunque rei creatæ attribuunt virtutem diuinam, perinde, ac ſi ei competeret *originaliter & independenter*, illi ſunt idololatræ; concedo. At Doctores Euangelici ſtatuunt, virtutem illuminandi, regenerandi, renouandi, competere S. ſcripturæ *dependenter*, *communicatiue*, & ex ordinatione diuina. 2) Tametſi S. ſcriptura ſpectata *materialiter*, qua litteras, ſyllabas & voces, ſit e cenſu creaturarum; conſiderata tamen *formaliter*, qua ſenſum θεόπνευστον, male creaturis accenſetur, cum ſit *mens Dei*, *conſilium Dei*, *ſapientia Dei* &c.

IV. Si vis diuina intrinſece ineſt verbo Dei, etiam extra legitimum vſum, eidem inerit adhibito a magis & veneficis ad incantationem: Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Reſp. Diſt. *Inter vſum & abuſum. Abuſus*, cum ſit contra naturam verbi diuini, huic intrinſecam non adimit virtutem, quæ ipſi non phyſice affixa, aut incluſa, ſupernaturaliter tamen cum eodem coniuncta eſt. Ceterum verbum Dei, extra vſum, habet intrinſecam efficaciam, quæ vi ordinationis diuinæ legitimum vſum reſpicit & requirit, vt ſalutaris effectus ſequatur.

V. Si ſacramenta, extra vſum, nullam habent efficaciam, neque verbum Dei extra vſum vim vllam habebit: Atqui prius eſt verum: E. & poſterius. *Conſequentia maioris* probatur: quia ſacramenta haud ſecus, ac verbum Dei, ſunt media ſalutis. Aſſumtio conſtat ex trito axiomate: accedat vſus ad elementum, & fit ſacramentum. Reſp. Diſpar eſt ratio verbi & ſacramentorum. *Sacramenta* enim *formaliter* in *actione* conſiſtunt: E. extra vſum nulla gaudent efficacia. At quis diceret, verbum Dei *formaliter* eſſe *actionem*; quippe cui actus prædicationis, lectionis & meditationis tantum accidit.

VI. Quidquid eſt ſignum voluntatis diuinæ, illud non habet vim intrinſecam operandi: Atqui verbum Dei &c. E. *Maior* patet: quia nullum ſignum, vt tale, operatur, ſed tantum potentiam cognoſcendi aliquid repræſentat. *Minor* claret: quia verbo Dei, velut ſigno, voluntas Dei manifeſtatur. Reſp. Verbum Dei *materialiter* conſideratum, ratione *vocum*, eſt *ſignum*; ſed *formaliter* ſpectatum, ratione *ſenſus* & *dogmatum*, non eſt ſignum, ſed *medium* ſalutis efficax; neque etiam tantum myſteria fidei ſignificat, ſed etiam peccatorem efficaciter conuertit.

VII. Si verbum Dei natiuam habet agendi facultatem, tum illam exercet vel phyſice, vel moraliter. *Non phyſice*; ſic enim nemo ei poſſet reſiſtere: *Non moraliter*; ſic enim a verbis Demoſthenis, aut Ciceronis non differret. E. non habet natiuam efficaciam. Reſp. Datur *tertium*: Verbum Dei ſuam vim exercet *ſupernaturaliter*. Etenim vis verbi diuini *non* eſt *phyſica* (ſtricte loquendo; quia non fit per contactum phyſicum & quantitatiuum); *neque mere moralis*, qualis eſt in perſuaſoriis rhetorum verbis; ſed hyperphyſica, per

Digitized by Google

per physicas tamen actiones in ſcripturis expoſita. Comparatur enim cum *ſemine fructificante*, Marc. IV, 26. cum *pluuia humectante*, Eſ. LV, 10. cum *melle recreante*, Pſ. CXIX, 103. Eſt ergo vis verbi diuini hyperphyſica, analoga efficaciæ phyſicæ, i. e. *vera & realis*. Adiice, quod non omnis actio phyſica ſit irreſiſtibilis. Semen phyſice fructificat, ſed non irreſiſtibiliter.

VIII. Cum quo virtus diuina Spiritus S. perpetuo coniuncta eſt, illius operatio eſt irreſiſtibilis: Sed operatio verbi diuini non eſt irreſiſtibilis: E. virtus diuina cum eo non eſt perpetuo coniuncta. *Maior* eſt euidens: quia virtuti Spiritus S. nemo poteſt reſiſtere. *Minor* probatur ex Hebr. IV, 2. *Non profuit illis ſermo auditus, non admiſtus per fidem cum iis, qui audiuerunt.* Reſp. 1) Neg. *maior.* Virtus quippe diuina Spiritus S. cum verbo coniuncta *non* eſt *abſoluta*, ſed *ordinata*, cui a voluntaria hominis repugnantia impedimentum obiici poteſt. 2) A negatione effectus ad negandum vim operandi male concluditur. Producit enim verbum Dei fidem, per quam cum cordibus commiſcetur, in hominibus non obſiſtentibus.

IX. Si verbo Dei intrinſeca eſt efficacia; quare canimus: Deinen Geiſt und Kraft zum Worte geben? Reſp. Per *verbum* in litania intelligitur *externa verbi prædicatio & lectio*, quæ vt in animis auditorum & lectorum optatum aſſequatur effectum, gratia Dei imploratur, vt impedimenta remoueat, & corda aperiat *).

### Quæſt. V. *Quomodo diuiditur verbum Dei?*

Verbum Dei *diuiditur* in verbum *legis*, & verbum *euangelii*. *Illud* excitat contritionem; *hoc* accendit fidem ſaluificam ex intentione diuina. *Diuiſio verbi diuini.*

Prob. 1) Diſtinctionem verbi diuini in *legem & euangelium* inculcat Ioannes baptiſta, Io. I, 17. *Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Lex per Moſen data eſt, non *vt auctorem*, ſed *vt miniſtrum.* At gratia veriſſima nobis obtigit per Ieſum Chriſtum mediatorem; quæ ſumma eſt præconii euangelici: quod ipſe Filius Dei e ſinu Patris protulit, & nobis manifeſtauit. Eandem diſtinctionem tradit Paullus, 2 Cor. III, 6. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat. Lex* dicitur *littera*, quia non tantum olim litteris inſcripta fuit tabulis lapideis, ſed quia etiam velut littera, præſcribit & exigit agenda, ſed nullas agendi vires confert. *Euangelium* autem eſt *ſpiritus;* eo, quod dat ſpiritum, qui, ſe gratioſe vniendo cum verbo euangelii, largitur ei vim ſpiritualem corda noſtra illuminandi, regenerandi, iuſtificandi, ſaluandi.



*) Adcurate etiam diſcernenda ſunt hæc tria: *efficacitas, effectus, & euentus.* Scilicet *efficacitas* (Kraft) eſt ipſa rei conſtitutio, quatenus ea ad certum quemdam finem apta eſt; ſicut ſeminis natura per ſe efficax eſt, ad proferendum fructum, ei conuenientem. Scriptura S. tota eſt veritas, diuinitus inſpirata, & ad docendum quemque, quæ ad ſalutem recuperandam pertinent, omnino aptiſſima, 2 Timoth. III, 15. 16. *Effectus* (Würkung) eſt eiusdem finis conſequutio, quoad medium illud, per ſe efficax, recte fuit vſurpatum, nullumque impedimentum, recto vſui contrarium, interceſſit, Luc. VIII, 5. ſeqq. *Euentus* eſt plane aliud quidquam, a fine propoſito alienum, immo prorſus ei aduerſarium, propter quædam aliunde interuenientia. Ita fieri poteſt, & ſolet, vt res, per ſe ſaluberrima, per accidens & hominis vitio maxime ſit pernicioſa, Rom. VII, 10. Exemplo ſit, quod relatum legimus, de ſalutari *effectu* verbi diuini, Act. II, 37., contra, de eiusdem verbi *euentu* contrario, Act. VII, 54.

Digitized by Google

2) *Lex peccata detegit & arguit*, Rom. II, 19. *operatur iram*, c. IV, 15. *annuntiat maledictionem*, Deut. XXVII, 27. *occidit*, 2 Cor. III, 6. *Euangelium* vero *peccata tegit*, Rom. IV, 7. docetque *abſolutionem a peccatis*, Matth. IX, 2. *operatur ſalutem*, Rom. I, 17. *affert benedictionem*, Gal. III, 14. ac *viuificat*, 2 Cor. III, 6. Excitatur itaque *contritio* per *legem*, datur vero *fides*, *iuſtitia & ſalus* per *euangelium*.

# DE VERBO LEGIS.

Quæſt. VI. *Eſtne lex diuina medium ſalutis?*

*De verbo legis, medio ſalutis.*

*Lex diuina* homini *lapſo non* eſt medium *cauſſale & collatiuum ſalutis* a), ſed eſt tantum *medium pædagogicum*, homini peccatori, cauſſale ſalutis medium quærenti b).

Prob. a. *Promittit* quidem lex diuina *vitam æternam*, ſed ſub conditione *perfectæ impletionis*, Leu. XVIII, 5. Ezech. XX, 11. At quoniam poſt lapſum nemo legi omnibus numeris perfectam præſtat obedientiam; propterea, quod *a carne infirmatur*, Rom. VIII, 3. ex accidenti fit, vt *lex iram operetur*, Rom. IV, 15. *& occidat*, 2 Cor. III, 6.

Prob. b. *Lex eſt pædagogus noſter ad Chriſtum, vt ex fide iuſtificemur*, Gal. III, 24. Ducit lex ad Chriſtum non directe, ſed ſicut morbus ad medicum ducit, indirecte & per occaſionem monſtratæ ἀδυναμίας, ſalutem obtinendi per legem. Egregie hanc *pædagogiam* legis explicat B. LVTHERVS, in *tom. III. Ienenſ. fol.* 29. *Lex ad gratiam præparat, dum peccatum reuelat & auget, humilians ſuperbos, ad auxilium Chriſti deſiderandum.*

Quæſt. VII. *Quid eſt lex?*

*Definitio legis in genere.*

*Lex* eſt iuſſum ſuperioris, quo ſibi ſubiecto agenda & omittenda dictat, eundemque obligat ad obſequium, aut hoc deficiente, ad pœnam.

Obſ. I. SAMVEL PVFFENDORFF. in *L. I. de I. N. & G. p.* 81. in genere definit legem, quod ſit *decretum, quo ſuperior ſibi ſubiectum obligat, vt ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat.* Vbi oppido notandum, quod *decretum præcipiens*, & *iuſſum* idem ſit. Idcirco ſiue per *decretum & præceptum*, ſiue per *iuſſum ſuperioris* definias legem, res eodem recidit. *Iuſſum* enim tam *late* hic ſumitur, vt etiam impreſſionem legis naturalis includat.

Obſ. II. Cum autem *iuſſum ſuperioris*, inferiorem ſibi obligantis, vel *Dei* ſit, vel *hominis*: ideo *lex in diuinam & humanam diuiditur.* Nobis in præſenti ſermo eſt de lege *diuina*, quam Deus dedit hominibus.

Quæſt. VIII. *Quid eſt lex diuina?*

*Definitio legis diuinæ.*

*Lex diuina* eſt iuſſum Dei, quo ſummus hic Dominus & legislator hominibus facienda præcipit, & fugienda prohibet, eosdem obligans ad præſtandam perfectam obedientiam, aut, hac deficiente, ad pœnam.

Obſ. Lex *diuina* in ſacris litteris ſumitur a) *generaliſſime*, pro vniuerſa doctrina cœleſti, Pſ. I, 2.; b) *ſpecialius*, pro ſcripturis V. T. Io. XV, 25. 1 Cor. XIV, 21.; c) *ſpecialiſſime* pro pentateucho Moſaico, Luc. XXIV, 44. Hic autem accipiuntur voces *legis & euangelii*, quatenus adæquate ſibi contradiſtinguuntur, denotatque *lex* normam faciendorum & fugiendorum, *euangelium* normam credendorum. *Summa legis* eſt: *Fac hoc, & viues*, Luc. X, 28. Gal. III, 12. *Euangelii ſumma* eſt: *Crede in Dominum Ieſum, & ſaluaberis*, Act. XVI, 31.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt IX. *Quomodo diuiditur lex diuina?*

*Lex diuina* eſt vel *vniuerſalis* & perpetua, vel *particularis* & temporaria. Lex *vniuerſalis & perpetua* eſt immutabilis omnium actuum moralium regula, qua Deus omnes homines obligat ad faciendum id, quod honeſtum & rectum, fugiendum id, quod turpe & iniuſtum eſt. Vocatur etiam *lex moralis.* Lex *particularis & temporaria* eſt, quam Deus ſolis dedit Iſraëlitis, eosque ad obedientiam obſtrinxit: Quæ cadente Hebræorum politia, & ipſa cecidit, eſtque vel *cæremonialis*, vel *forenſis*. *Diuiſio legis diuinæ.*

Obſ. Loquimur in præſenti de lege Dei non *archetypa*, *ſed ectypa. Lex archetypa eſt æterna & immutabilis Dei iuſtitia*, *ſanctitas*, *ſapientia & iudicium de honeſtis & turpibus coniunctum cum voluntate*, *vt honeſta a creatura rationali fiant*, *& turpia omittantur.* Vnde *Deus ſibi ipſi lex* eſſe dicitur. Contra hanc æternam legem Deus nullo modo facere poteſt; quia *ſeipſum abnegare nequit*, 1 Tim. II, 13. Abnegaret autem ſeipſum, ſi contra æternam legem, i. e. ſeipſum faceret. *Ectypa eſt omnis lex creaturæ rationali a Deo data*; ea enim deriuatur a lege Dei, quæ *nata eſt cum Deo*, dicente MARCO TVLLIO *libr. II. de legibus.*

Quæſt. X. *Quomodo diuiditur lex Dei perpetua & moralis, generatim dicta?*

Lex Dei *perpetua* diuiditur in legem *naturalem & moralem* ſpecialiter ſic dictam *). Lex *naturalis* eſt iuſſum Dei, *omnium mentibus naturaliter impreſſum*, quo informantur, & obligantur ad faciendum ea, quæ *per ſe* ſunt recta & honeſta, & ad fugiendum ea, quæ *per ſe* ſunt iniqua & turpia, in laudem Dei creatoris & ſocietatis ciuilis conſeruationem. *Lex naturalis.*

Obſ. I. Lex *naturæ* hic non notat legem naturæ a conditore præſcriptam, vi cuius quælibet creatura ordinem ſuum tuetur, neque ius homini & bruto commune, quod ab VLPIANO *libr. I. inſtit. tit.* 2. definitur: *Ius naturale eſt quod natura omnia animalia docuit*, & *ius* naturæ *improprie* vocatur; ſed denotat hic *lex naturæ* ius, homini diuinitus inditum, & per naturam impreſſum **).

 Obſ. II.

*) Aut, ſi mauis, in legem *naturalem*, & *reuelatam*; hæc duo enim ſunt inter ſe diſtincta & oppoſita. Naturalis lex etiam ipſa moralis eſt. Id quod b. A. profitetur obſ. II.

**) Quum homo ſit *animal*, *ratione præditum*, *idemque ad ſocietatem*, *rationi conſentaneam*, *conditum*: ex hac ipſa hominis definitione efficitur, hominem quemque *triplici natura* inſtructum eſſe. Eſt in eo 1) *natura animalis*, quatenus homo eſt *animal.* Hanc ipſe communem quidem habet cum omnibus animantibus, verum tamen cum hac inſigni præſtantia, quod homo ſui conſcius ſit, reliqua autem animalia nil, niſi inſtinctum naturæ, ſibi inſitum, ſequantur De hac natura debet intelligi illa maxime imperfecta, quæ VLPIANO tribuitur, definitio, quam quidem ex placitis philoſophiæ *Stoicæ* explicandam eſſe, Viri eruditi haud inani coniectura arbitrantur. Ad hanc igitur naturam pertinent hæc duo: quod *viuimus*, quod *ſentimus.* Eſt 2) *natura rationalis*, quatenus homo eſt animal *rationis particeps*. In hac, quæ eſt hominis propria excellentia, continentur omnia ea officia, quæ ſpectant ad *bene beateque viuendum*, & ſemper cum ratione ſufficiente *agendum* (actiones enim ſunt intelligentis & libere volentis). Eſt 3) *natura ſocialis*, quatenus homo eſt *ad ſocietatem*, *rationi conuenientem*, *conditus.* Huius naturæ, hominis itidem propriæ, tria habemus documenta, quorum quidem *primum* eſt naturalis facultas dicendi; orationis enim quæ eſt rationis ſignum, nullus profecto finis atque vſus eſſet: ſi homo in ſolitudine verſari aut vagari deberet: *Alterum* deinde eſt naturalis indigentia hominis cuiusque, qui inde a teneris vnguiculis

Digitized by Google

Obſ. II. Lex *naturalis* dicitur etiam *moralis* ſenſu *generali;* ideo, quod *dirigit mores*, ſeu rationem viuendi, quæ rationalem creaturam decet.

Obſ. III.

vnguiculis vsque ad extremum ſpiritum eget aliorum opera ac beneuolentia: *Tertium* denique eſt ambitus ſcientiarum, artium, variorumque vitæ generum, cum naturali quadam animorum inclinatione. Eorum autem omnium ne minimus quidem vſus eſſet ſine arctiſſimo ſocietatis vinculo. Ad tertiam hanc humanæ naturæ partem referenda ſunt ea officia, quæ multum conferunt ad *tranquille honeſteque viuendum* in ſocietate reque publica.

*Iactis* his fundamentis, perſpicuum fore, confido, *legum* etiam *naturalium* omnino *tria* eſſe *genera*, ac proinde ſingulorum diuerſa quoque *principia*. Vnum quidem eſt *principium generale*, quod ita *latiſſime* patet, vt ad vniuerſam illam *triplicem* hominis naturam pertineat, nimirum hoc: *Naturæ conuenienter congruenterque viue.* Sunt vero etiam *principia ſpecialia*

I. *Naturæ animalis;* quippe hoc: *Vitæ conſeruationi, ſenſuumque perceptioni conuenienter viuendum eſt.* Ab hoc principio proficiſcuntur hæ leges, & quæ ſunt huiusmodi: Quære alimenta & latibula: Declina nocitura: Nihil aude contra adfectum amoris, στοργὴ dictum, qui in brutis etiam animantibus ineſt, quo erga pullos ſuos feruntur, & qui cum virtute amoris, ἀγάπη, ſemper rationis vſu dirigenda, neutiquam confundendus eſt. Hæc ſunt brutis quidem animantibus neceſſitas quædam, ac naturalis inſtinctus, cuius cauſſam rationemque ipſa neſciunt; homini autem leges, propriæ ſic nominatæ, vtpote quarum cognitionis ipſe capax eſt.

II. *Naturæ rationalis* principium hoc eſt: *Noſce te ipſum.* Ex hoc enim vno omnes efficiuntur leges, ad hanc nobiliſſimam hominis naturam ſpectantes. Scilicet homo, cum animum ad ſe aduertit, facile intelligit naturæ humanæ 1) *originem*, quod ea tota ex vnius Creatoris & Conſeruatoris arbitrio pendeat; 2) *conſtitutionem*, immo & *excellentiam*, at ſimul tamen 3) *corruptionem* ac *miſeriam*, quamuis obſcuram eius, nec ſufficientem, notitiam habeat, donec reuelatione illuminetur. Ergo, quæ huc pertinent, leges naturales ſunt hæ potiſſimum:

1) Ex cognita *dependentia*, vt vulgari verbo vtar, humanæ naturæ: Memento Creatoris & Conſeruatoris tui, recteque eum cognoſce & cole: Vtere rebus creatis, & modice, pro eo, ac par eſt, & ſapienter, hoc eſt, propter iuſtos rei cuiusque fines, ab ipſo Creatore conſtitutos.

2) Ex cognita *conſtitutione*, atque etiam *præſtantia* humanæ naturæ: Nil ſine conſilio ac deliberatione ſuſcipe: Semper tibi finem conſtitue, bonum ac ſalutarem: Diſcerne vere bonum a falſo ac ſpecioſo, maius a minori, certum ab incerto: Beatitatem animi fac pluris, quam corporis curam, non negligenter quidem tractandam: Ex duobus malis, ſi vtrumque ſimul euitare non queas, minus elige: Præſtat, malum perpeti, quam operari, nec facienda ſunt mala, vt ex accidente eueniant bona: Neceſſarium anteferendum eſt vtili, vtile iucundo: Media cum finibus compara, nec id, quod præſens eſt, ſolum conſidera, verum etiam quid futurum ſit, cogitatione præcipe: Elige medium ex pluribus optimum, certiſſimum, tutiſſimum.

3) Ex cognita *corruptione* ac *miſeria* humanæ naturæ: Explora defectus tuæ intelligentiæ ac voluntatis, in primis vero tuæ religionis ac reuerentiæ aduerſus Deum: Audi vocem tuæ conſcientiæ: Te ipſe reprehende: Reſtitutionem ac perfectionem tuæ felicitatis exopta & quære: Mala, quæ tibi acciderint, æquo fer animo, neque vllam eorum culpam Deo, omnium bonorum auctori, tribue. In his cernitur vſus, qui vocatur, pædagogicus naturæ ad gratiam, rationis ad reuelationem.

III. *Naturæ ſocialis* principium eſt, quod vir quondam ſummus, PVFENDORFIVS, pro generali principio vniuerſi iuris naturæ habuit: *Societati conuenienter decenterque te gere.* Ex hoc fonte manarunt ſpeciales leges, quarum præcipuæ ſunt: Cultum Dei publicum cum aliis exerce, vt & mutua animorum incitatio ſit, & communis profeſſio officii ſummi, quo omnes pariter Deo deuincti ſumus: Neminem læde: Suum cuique tribue: Quod tibi vis fieri, id tu alteri viciſſim præſta, & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Propinqua cognatione ac neceſſitudine tecum coniunctorum, magis, quam aliorum, habenda eſt ratio: Pro ſua quemque

Digitized by Google

Obſ. III. *Per ſe & natura honeſta* ſunt, quæ creaturæ rationali, *vt tali*, conueniunt: *). Contra *per ſe turpia* ſunt, quæ creaturæ rationali, *vt tali*, diſconueniunt.

Quæſt. XI. *Daturne poſt lapſum in homine lex naturæ?*

Lex naturæ quidem *per lapſum* primorum hominum, & *inſecuta* lapſum *peccata*, *valde oblitterata* eſt; remanſerunt tamen quædam eiusdem *veſtigia* nempe *vniuerſalia principia*, ex quibus diſcrimen honeſtorum & turpium naturaliter innoteſcit.

Prob. 1) Ex teſtimonio Paulli, Rom. II, 15. *Gentiles, qui legem non habent, natura ea, quæ legis ſunt, faciunt: Hi, licet legem non habeant, ſibi ipſis lex ſunt.* (quippe) *qui demonſtrant, opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, dum illis teſtimonium perhibet conſcientia illorum, & inter ſeſe cogitationes accuſabunt, vel etiam excuſabunt.* Gentiles non habent quidem legem Moſaicam, per reuelationem diuinam ſibi propoſitam, aut præſcriptam; habent tamen legem, digito naturæ ſcriptam, cuius vi poſt actiones ſuas in ſe deſcendunt, & ſeipſos iam vt violatores legis a Deo latæ accuſant, iam vt ſeruatores legis excuſant, defendunt, laudant.

2) Exſtant in intellectu hominis practico *principia prima & vniuerſalia*, qualia ſunt: *Bonum eſt faciendum, & malum eſt fugiendum: Deus eſt colendus: Commoda ſocietatis ciuilis ſunt promouenda: Quod vis, vt alius tibi faciat, tu ipſi fac: Honeſte viue: Neminem læde: Vnicuique ſuum tribue: Nihil committe, cuius te pudeat, aut pœniteat.* Horum principiorum practicorum habitus in ſcholis vocatur συντήρησις.

3) Datur etiam poſt lapſum facultas applicandi prima principia practica ad actiones ſingulares, v. gr. Non licet mihi hodie verberare Sempronium; quoniam nemo eſt lædendus. Quæ facultas, hic & nunc applicandi principia practica, appellatur Φρόνησις, ſeu prudentia.

4) Lex naturalis ſe prodit & exſerit naturali, qui animum capit, horrore & pudore, v. gr. concubitum cum matre, cum beſtia, iniquum eſſe, horror ante factum, & pudor poſt factum teſtatur.

5) Lex naturalis omnium gentium cultiorum ſuffragio comprobatur. *Argumentum autem veritatis eſt, omnibus aliquid videri*, ait SENECA *epiſt.* 117.

Quæſt. XII. *Quæ ſunt cauſſæ legis naturalis?*

Legis naturalis *cauſſa efficiens* eſt Deus a). Cauſſa *exemplaris* eſt iuſtitia & ſanctitas Dei b). *Materia ex qua* ſunt notiones communes, ſeu principia practica,

que dignitate honora: Adplica animum ad quoddam vitæ genus, ad quod maxime aptum & quaſi natum te eſſe intellexeris, vt ſis rei publicæ emolumento: Functionem muneris, tibi mandati cura diligenter ac fideliter, neque alienis te negotiis immiſce: Salus plurium communis ſaluti vnius ſingulari anteponenda eſt: Fido, ſed cui, vide: Pacta & promiſſa ſunt ſeruanda: Officia, quæ ad vſum ſermonis pertinent omnia obſerua.

*) Hoc eſt, quæ *neceſſaria* ſunt ad humanæ naturæ *conſeruationem*, eiusque *fines conſequendos*, vt ſine iis ne poſſit quidem ſalua conſiſtere hominum natura ac ſocietas. Sunt vero legum naturalium aliæ quidem *ſimpliciter neceſſariæ*, quarum perpetua fuiſſet obſeruantia, etiam ſi homo in ſtatu integritatis permanſiſſet (v. g. Cognoſce & reuerere Deum: Stude tuæ felicitati: Suum cuique tribue); aliæ *per accidens neceſſariæ* (vt: Operam da tibi reprehendendo & corrigendo: Vim iniuſtam prohibe ac repelle iuſta tui defenſione. In his enim, & quæ ſunt huiusmodi, mutata naturæ conditio, & ſtatus defectionis corruptionisque ante conſtituitur).

Digitized by Google

ctica, natura nota c). *Materia in qua*, ſiue *ſubiectum quod*, eſt homo non brutum d). *Subiectum quo* eſt hominis intellectus, voluntas & appetitus ſenſitiuus e). *Materia circa quam*, ſiue *obiectum perſonale* eſt Deus, proximus & homo ipſe f). *Obiectum reale* ſunt facienda & fugienda g). *Forma* eſt vis directiua & obligatiua h). *Finis per ſe* intentus eſt gloria Dei i), & ſocietatis ciuilis conſeruatio k). *Finis accidentarius*, ſeu euentus eſt ἀναπολογησις, ſeu defectus excuſationis l).

Prob. a. *Cauſſa efficiens* legis naturalis eſt Deus, qui 1) eo ipſo, quod homini dedit rationem, per quam bonum a malo diſcernere ſatagit, ſimul voluit, vt homo bonum cognitum faceret, & malum omitteret. Proinde cum Paullus Rom. II, 15. aſſerit, *gentiles oſtendere opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, intelligit inſcriptionem factam a Deo, mediante naturali propagatione. 2) Obligatio legis naturalis eſt ab ipſo Deo, Creatore ac ſummo generis humani moderatore, quia homines ad iſtam obſeruandam pro imperio ſuo adſtrinxit. Teſtatur de eo tener admodum conſcientiæ ſenſus in animis hominum, non penitus efferatorum, quo conuincuntur, in legem naturæ peccando, offendi illum, cui in animos hominum imperium eſt, & qui metuendus ſit, etiam vbi ab hominibus metus non impendeat.

Prob. b. Lex ἔκτυπος habet ſuam ideam ἀρχέτυπον in ipſa Dei ſanctitate & iuſtitia, quam ita lex naturalis refert, vt radii, in aquam ſparſi, ſuum fontem, ſolem; vt imago ſuum exemplar. Radix igitur iuris naturæ *vltimo* non in voluntate diuina, ſed in ſanctitate & iuſtitia Dei reſidet, & prohibuit Deus peccatum, non quia voluit, ſed quia id ipſum iuſtitiæ & ſanctitati diuinæ aduerſatur.

Prob. c. Principia practica natura nota, quæ ſupra recenſuimus, ſunt quaſi partes conſtituentes legem naturæ; quibus poſitis ponitur, & ſublatis tollitur lex naturæ, lumen veri, & ſemen boni.

Prob. d. Homo, particeps rationis & liberi arbitrii, capax eſt legis naturalis. Proinde lex naturæ, proprie dicta, in bruta non cadit: Quia 1) ob defectum rationis actiones ſuas ad normam legis componere nequeunt: 2) Quia carent libero arbitrio, quod per legem conſtringitur. Analogice tamen & per ſimilitudinem iis tribuitur; quatenus perinde, ac homo, conſeruationem ſui intendunt, iniuriam propulſant, fœtum, quem progenerarunt, alunt & defendunt.

Prob. e. Lex naturalis *intellectum* hominis, velut ſpeculum, illuſtrat, vt bonum & malum cognoſcat atque diiudicet; *voluntatem* dirigit, vt bonum ab intellectu propoſitum eligat, & malum ſibi oſtenſum reiiciat: *appetitus* vero *ſenſitiuus* per legem naturæ intra certos continetur cancellos, ne exorbitet, aut leges honeſtatis tranſiliat.

Prob. f. Ius naturæ docet Deum colere, proximum non lædere & vnicuique ſuum tribuere, ſeipſum defendere, & animam ſobriam caſtamque ſeruare.

Prob. g. Lex naturæ verſatur *directe* circa *facienda*, quæ per ſe ſunt debita, creaturæ rationali conuenientia, atque adeo natura recta & honeſta: Contra verſatur *indirecte* circa *fugienda*, quæ per ſe ſunt illicita, creaturæ rationali diſconuenientia, atque adeo intrinſeca ratione mala & turpia. Quo ipſo *differt ius naturæ* non tantum ab *humano iure*, ſed & a *diuino voluntario*, vel poſitiuo, quod non ea præcipit, aut vetat, quæ per ſe ac ſuapte natura aut debita ſunt, aut illicita, ſed vetando illicita, præcipiendo debita facit. Conf. GROT. *de I. B. ac P. libr. I. c. I. p.* 7.

Prob. h. Forma legis naturalis conſiſtit in *vi directiua & obligatiua*. *Dirigit* enim lex naturæ omnes actus hominum morales, in quantum eſt immutabilis regula, ex qua vitæ humanæ

Digitized by Google

manæ honeſtas & turpitudo cognoſcitur, æſtimatur, diſcernitur atque examinatur. *Obligat* ad *obedientiam*, &, ſi hæc non præſtetur, ad *pœnam*, quatenus eſt vinculum iuris, quo libertati voluntatis humanæ neceſſitas quædam imponitur, & homo obſtringitur ad faciendum id, quod per ſe rectum, & fugiendum id, quod per ſe turpe eſt. Quæ obligatio proficiſcitur ab eminentia, beneficentia & potentia Dei, ſummi legislatoris, cui ob naturalem ſubiectionem obſequium præſtare tenemur. Eſt enim Deus iuſtiſſimus, ſapientiſſimus, optimus & potentiſſimus, cui nos & noſtra omnia debemus; qui ſibi obedientibus præmia reddere maxima, inobedientibus pœnas infligere grauiſſimas & poteſt, & vult. Ergo legi, a Deo mentibus noſtris inſcriptæ, neceſſario & ſine exceptione parere tenemur.

Prob. i. Voluit Deus, vt in humano intellectu poſt lapſum exſtarent communes notiones practicæ, velut reliquiæ imaginis diuinæ, quo omnes homines ex iisdem Deum cognoſcerent, colerent, celebrarent, ob ſummam naturæ diuinæ eminentiam & imperium, atque beneficentiam in omnes creaturas: At multi gentiles, qui ex lumine naturæ Deum cognouerunt, *eundem non vt Deum glorificarunt, nec ipſi gratias egerunt*, Rom. I, 21.

Prob. k. Ad ſocietatem ciuilem Deus hominem condidit, natura inſtruxit, ratio deduxit, oratio copulauit. Vt hæc ſocietas tranquilla, ordinata, & honeſta ſeruaretur, Deus inſeuit mentibus hominum legem naturæ, quæ dictat, honeſte eſſe viuendum, neminem lædendum, vnicuique ſuum tribuendum, & commoda reipublicæ eſſe promouenda.

Prob. l. Ex Rom. I, 20. *Inuiſibilia Dei gentilibus manifeſtata ſunt, vt ſint inexcuſabiles.* Sciuerunt gentiles ex dictamine legis inſitæ, quid externo opere agi & internitti oporteat: Nihilominus tamen multi ex illis contra conſcientiam lapſi ſunt in ſcelera grauiſſima. Horum ratione legis naturalis *finis accidentarius* eſt ἀναπολογία, ſiue, *vt ſint inexcuſabiles*, quia in conſcientia conuicti erant, eiusmodi ſcelera non eſſe committenda.

Quæſt. XIII. *Quæ ſunt proprietates legis naturalis?*

*Proprietates* legis naturalis ſunt, quod illa a) eſt σύμφυτος, ſiue omnibus hominibus connata, b) immutabilis, c) indiſpenſabilis, d) imperfecta poſt lapſum, e) inſufficiens ad ſalutem.

Prob. a. Lex naturalis omnibus hominibus eſt connata *& inſcripta digito Dei*, Rom. II, 15. *inſcriptione* 1) *actuali*, non ſolum potentiali, quæ tum demum in actum prodeat, cum ratio ſe vindicare & exſerere incipit. Dicitur enim ἔργον νόμου inſcriptum: E. Actu. 2) *Inſcriptione analoga* illa, qua primo homini lex eſt inſculpta: Sicut olim homini imago concreata erat, cuius hæc ſcriptura eſt quaſi quoddam ſacrum lipſanum. 3) *Inſcriptione diuerſa* ab inſcriptione luminis ſupernaturalis in regeneratione accenſi. 4) *Inſcriptione indelebili*, quamuis obſcurabili & captiuabili. Exempla barbararum gentium, quæ vitiis contra naturam pro virtutibus vſæ ſunt probant ignem cineribus obrutum, non penitus exſtinctum. Conf. DANNHAV. in *hodoſ. phæn. VI. p.* 467.

Prob. b. Si lex naturæ *mutari poſſet*, mutaretur vel ab ipſo *Deo*, vel ab *homine*. At non mutari poteſt ab ipſo *Deo;* quia Deus nihil facere poteſt contra iuſtitiam ſuam, cuius expreſſa & infallibilis imago lex naturæ eſt: neque ab *homine;* quia quam quis legem ſanciendi poteſtatem non habet, eam nec mutare poteſt, Et quis auderet homo, qui eſt inferior, Dei longe ſuperioris legem mutare? Probe hic diſtinguendum eſt inter *mutationem veram, & apparentem*. Lex naturæ ratione communiſſimorum *principiorum*, e quibus conſtat, vere & per ſe non mutatur; ſed ſæpe *res*, de qua lex naturalis aliquid conſtituit, mutationem recipit: Quod cum ſit, non quidem *ius* naturale mutatur, ſed *materia* ei ſubtrahitur,



Digitized by Google

trahitur, v. g. Si creditor, quod ei debetur, acceptum ferat, iam ſoluere debitor non tenetur, non quia ius naturæ deſierit præcipere ſoluendum, quod quis debet; ſed quia, quod debebat, deberi deſiit. Ita cum Deus occidi præcipit Iſaacum, non mutare voluit ius naturæ, decernendo, homicidium eſſe licitum, ſed non fuiſſet homicidium iure naturæ prohibitum cædes Iſaaci, qui facta eſſet ex voluntate illius, qui Dominus vitæ & necis eſt.

Prob. c. Lex naturæ eſt *indiſpenſabilis*, h. e. ab eius obligatione nemo excipi poteſt. Cum enim 1) Deus legem naturæ non poſſit mutare, neque obligationem illius, in qua lex formaliter conſiſtit, tollere poteſt. 2) Si Deus hominem ab obligatione iuris naturalis eximeret, tum id, quod intrinſeca ratione turpe eſt, impune & cum appropriatione concederet, quod iuſtitiæ diuinæ repugnat. Poteſt quidem Deus permittere & approbare actum, qui videtur legi naturæ contrarius, re vera tamen non eſt, ſi circumſtantiæ conſiderentur, v. gr. Quando Iſraëlitæ ſecum abſtulerunt vaſa Ægyptiorum, factum illud non fuit furtum; quia non fuit contrectatio rei alienæ, ſed propriæ mercedis, grauiſſimis laboribus in Ægypto exantlatis promeritæ, non inuito domino, ſed iubente ſupremo omnium bonorum Domino, Deo.

Prob. d. Lex naturæ *ante lapſum*, & *poſt lapſum* non differt οὐσίᾳ, eſſentialiter, ſed *perfectione*, ſeu gradualiter. Clarius enim & perfectius illuſtrabat mentem hominis integri, quam hodie intellectum hominis peccato corrupti. Inde fit, vt neque peccatum originis, neque primos & indeliberatos prauæ concupiſcentiæ motus ex lege naturæ cognoſcamus. Docet id Paullus, Rom. VII, 7, *Peccatum non nouiſſem, niſi per legem* (Moſaicam). *Nam etiam concupiſcentiam non noueram, niſi lex dixiſſet: non concupiſces.*

Prob. e. Dictat quidem lex naturæ, Deum eſſe colendum: At cum in hoc *corruptæ naturæ ſtatu* Deum peccatis noſtris quotidie offendamus, non docet lex naturæ, quæ ſatisfactio offenſo peccatis Deo exhiberi poſſit aut debeat. At niſi Deo, iuſtiſſimo peccatorum vindici, præſtita ſit ſatisfactio, neque fiduciam in Deo collocare, neque eundem ſincere amare, neque opera ipſi grata præſtare poſſumus. Ratum igitur fixumque manet, quod extra Chriſtum mediatorem, de quo lex naturæ nihil nouit, non ſit ſalus, Act. IV, 12.

Quæſt. XIV. *Quid eſt lex moralis ſpecialiter dicta?*

*Lex moralis.*

*Lex moralis*, *ſpecialiter* dicta, eſt iuſſum Dei, legi naturali verbo diuino reuelato ſuperadditum, inde ab origine mundi ſæpius repetitum, & tandem in monte Sinai ſolemniter promulgatum, atque in litteras relatum, diſtincte præcipiens honeſta, & prohibens turpia, omnes motus externos & internos dirigens, omnesque homines obligans ad obedientiam perfectiſſimam, vel hac deficiente, ad pœnas exquiſitiſſimas.

Obſ. *Lex naturalis* ſenſu *generali* etiam eſt lex *moralis*, quia mores hominum ad honeſtatem dirigit; neque differt a lege *morali*, *ſpecialiter* dicta, *materialiter*, ſiquidem ſumma legis naturalis continetur in decalogo: Sed diſtat ab eadem *formaliter*. Nam a) lex *naturalis* eſt intimis hominum animis per naturam inſcripta, lex *moralis* eſt extrinſece promulgata, voce Dei patefacta & in litteras relata: b) Lex *naturalis* eſt imperfectior & obſcurior, lex *moralis* perfectior & clarior eſt. *Illa* dirigit *externam* diſciplinam; *hæc* tam *internos*, quam *externos motus* hominum regit & temperat. *).

Quæſt.

*) Vtique vero *internos* animi motus, *externasque* hominis actiones lex etiam *naturalis* dirigit, vt plane adparet, tum ex magna vi conſcientiæ, tum ex ipſa ſententia legum naturalium plerarumque omnium. Vid. notata ad pag. 998. *. *Ciuiles* autem ſunt eæ leges, quæ

Digitized by Google

Quæſt. XV. *Quotuplex eſt lex moralis ſpecialiter dicta?*

*Lex moralis*, *ſpecialiter* dicta, eſt vel *primordialis*, vel *Sinaitica*. *Primordialis* lex moralis eſt, quæ tum primis parentibus præfixa, tum poſteris eorum voce Dei patefacta, & per patriarchas vlterius expoſita atque declarata fuit, vsque ad ſolemnem illam legis in monte Sinai promulgationem; quæ ipſos ad viuendum pie erga Deum, iuſte erga proximum, & temperanter erga ſe ipſos informauit, & ad perfectam obedientiam eosdem obligauit.

Obſ. Lex moralis *primordialis*, & *Sinaitica* non differunt dogmatum ſubſtantia, ſed alio atque alio reuelationis modo. Nam lex primordialis ſumſit initium in paradiſo, cum Deus protoplaſtis præcepit abſtinentiam a fructibus, quos ferebat arbor ſcientiæ boni & mali. Poſt lapſum vero ante & poſt diluuium, doctrina legis, tum immediate a Deo propoſita, tum, mediante patriarcharum θεοπνεύςων miniſterio, vlterius expoſita, viguit in populo Dei, vsque dum Deus ſolemniter promulgaret legem in monte Sinai. Quomodo autem ante Moſis tempora doctrina legis in eccleſia Dei ſonuerit, & ſingula decalogi præcepta complexa ſit, oſtendit CHEMNITIVS in *loc. theol. Part. II. c. VI. fol.* 21. & GERHARDVS in *loco de lege*, *§.* 15.

Quæſt. XVI. *Quid eſt lex moralis Sinaitica?*

Lex moralis *Sinaitica* eſt iuſſum diuinum, ſolemniter in monte Sinai, præſentibus & miniſtrantibus angelis, promulgatum, conſtans decem præceptis, ab ipſo Deo tabulis lapideis inſcriptum, & per Moſen ad Iſraëlitas translatum, atque in ſcriptura S. ſæpius declaratum, vt eſſet omnibus hominibus perfecta & perpetua faciendorum atque fugiendorum norma, obligans eosdem ad obedientiam conſummatiſſimam, & promittens obſequentibus præmia, pœnasque temporales & æternas inobedientibus denuntians.

Quæſt. XVII. *Quis eſt auctor legis moralis Sinaiticæ?*

*Auctor* legis moralis Sinaiticæ eſt *Deus trinunus*.

Prob. Ex Exod. XX, 1. *Deinde locutus eſt Elohim omnia verba hæc.* Obſ. 1) *Per verba hæc* intelliguntur decem præcepta, quæ vocantur *verba fœderis decem*, Exod. XXXIV, 28. vnde nomen δεκαλόγȣ. 2) Decem præcepta *locutus eſt Elohim*, i. e. Deus in eſſentia vnus, & in perſonis trinus. Eſſentiæ diuinæ *vnitas* indicatur voce Hebræa וידבר, quæ ponitur in ſingulari: Perſonarum diuinarum *pluralitas*, & conſequenter trinitas, denotatur voce אלהים, quod nomen diuinum non tantum formatione & terminatione, ſed etiam ſenſu & ſignificatione eſſe plurale, atque adeo pluralitatem perſonarum inferre, demonſtrauimus *part. I. cap. I. quæſt.* 14. Eſt ergo Deus Pater, Filius & Spiritus S. vnus legislator, Iac. IV, 12. Promulgatio autem legis per vocem ſonoram & audibilem *Filio Deo* appropriatur; quippe qui eſt *angelus* ille *increatus*, qui locutus eſt cum Moſe in monte Sinai, teſte Stephano, Act. VII, 38.

Quæſt. XVIII. *Quibus miniſtris Deus vſus eſt in promulgatione legis moralis?*

Deus in promulgatione legis Sinaiticæ vſus eſt *miniſtris angelis* a), & *Moſe* b).

LII III 2 Prob.

quæ *externam* duntaxat *diſciplinam* moderantur. Quam Vir beatus *moralem* adpellat legem, eam, cum a *naturali* diſtinguitur, rectius dici *patefactam*, breuiter adnotaui ad pag. 997.

Digitized by Google

Prob. a. Deum legiſlatorem in promulgatione legis ſtipaſſe angelorum agmina, colligimus ex Deut. XXXIII, 2. *Deus de Sinai venit, cum myriadibus ſanctorum.* Per ſanctos illos deſignantur angeli, exponente Stephano, Act. VII, 53. qui aſſerit, Iudæos legem accepiſſe εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *inter diſpoſitiones angelorum*, i. e. inter diſpoſita beneque collocata angelorum agmina, imperatori ſuo adſtantia, eumque maieſtatis cauſſa ſtipantia. Cui ſuffragatur Paullus, qui dicit, legem diſpoſitam eſſe per angelos in manu mediatoris, Gal. III, 19. vbi δι' ἀγγέλων idem eſt, ac *inter angelos*, vti particula διὰ 2 Tim. II, 2. accipitur: *manus mediatoris* autem notat potentiam & auctoritatem mediatoris Chriſti, vt ſenſus ſit: Lex per potentiam mediatoris Chriſti inter angelos, Dominum ſuum honoris & officii cauſſa ſtipantes, & voce tubæ congratulantes, ordinata, imperata & edicta eſt.

Prob. b. *Lex per Moſen data eſt*, Io. I, 17. non vt auctorem, ſed vt *miniſtrum*, quippe qui ſcriptas digito Dei tabulas legis ad Iſraëlitas tranſtulit, Exod. XXXIV, 29. & legem diuinam illis inculcauit & expoſuit.

Quæſt. XIX. *Quæ cauſſæ impulerunt Deum ad ſolemnem promulgationem legis moralis?*

Deus legem moralem ſolemniter promulgauit, a) vt legi naturali adderetur maior auctoritas, claritas & perfectio: b) vt eſſet lex moralis validum medium, quo Spiritus S. corda hominum frangeret, emolliret & conuerteret: c) vt homines, peccato corrupti, ex lege diuina internam ſuam immunditiem agnoſcentes, compellerentur ad quærendum verum animarum medicum, Chriſtum.

Prob. a. Voluit Deus, 1) vt exſtaret manifeſtum teſtimonium diuinum, naturales notitias legis de diſcrimine honeſtorum & turpium eſſe diuinitus inſitas mentibus humanis, easque ideæ ſanctitatis & iuſtitiæ, quæ eſt in Deo, eſſe conſentaneas, vt homines valide obligarentur ad præbendum aſſenſum & præſtandum obſequium dictamini legis naturalis. 2) Voluit Numen benigniſſimum legi naturali, peccatis hominum valde oblitteratæ, clarius addere lumen, eiusque ſupplere defectum. Etenim lex naturalis poſt lapſum dirigit quidem externam hominum diſciplinam, ſed non docet interiorem animæ ſanctitatem, neque prohibet indeliberatos prauæ concupiſcentiæ actus. Inde fit, vt ex lege naturæ neque peccatum originis, neque primi motus mali agnoſcantur, ſed multi homines, Phariſæorum more, externæ diſciplinæ admiratione faſcinati, *propriam iuſtitiam coram Deo conſtituere ſatagant*, Rom. X, 3. *). Qui defectus *legis inſcriptæ* a Deo ſanctiſſimo ſuppletus eſt lumine *legis præſcriptæ*.

Prob.

*) Lex naturæ vetat omnes animi motus, naturæ humanæ eiusque conſtitutioni non conſentaneos. Quod vero in ſtatu corruptæ naturæ ac vitioſitatis nemo poſſit ex natura cognoſcere cupiditatem nobis innatam, ſiue peccatum hæreditarium, eiusque primam originem, id non defectui cuidam naturalis legis, ſed defectioni hominis, ab illa lege auerſi, & corruptioni animorum tribuendum eſt. Phariſæi ipſam legem naturalem violarunt, in eamque non minus, quam in reuelatam, hodieque peccare ſolent omnes illorum ſimiles. Nec dici poteſt lex patefacta, ſi adcurate loqui velimus, ſupplere defectum legis naturalis. *Cognitio* quidem legis naturalis, vt illa nunc eſt in homine deprauato ac legi inimico, valde imperfecta eſt (atque hoc ſibi vult b. Auctor; loquitur enim de *lege inſcripta*, non quoad *lex* eſt, ſed quoad *inſcripta* eſt, h. e. naturaliter homini inſita & cognita): ipſa vero *lex naturalis* eſt, vt fuit ſemper, perfecta in ſuo genere. Suo enim ambitu continet ea omnia, quæ ad conſeruationem naturæ humanæ, eiusque fines obtinendos neceſſario requiruntur. & quis dubitet, quin prima etiam hominis defectio, primusque animi motus iniuſtus ipſa lege naturali vetitus fuerit? Hæc certe eſt, eritque perpetuo, prima omnium legum naturalium,

quæ

Digitized by Google

Prob. b. Deus in ſolemni promulgatione verbo legis, quod ex ore ipſius exiuit, vim ſupernaturalem indidit, vt ſit efficax organon Spiritus S., in homine peccatore operantis, eius cor durum emollientis, præparantis & diſponentis ad fidem, voce euangelii in eo accendendam. *Arguit* enim *Spiritus S. mundum per legem de peccato*, Io. XVI, 8.

Prob. c. *Non opus habent validi medico, ſed male habentes*, ait Chriſtus, Matth. IX, 12. Qui non agnoſcunt internam miſeriam, non quærunt miſericordiam. Promulgata ergo eſt lex diuina, vt internum peccati originalis morbum & miſeriam noſtram ex eadem agnoſcentes, ægroti ſuſpiremus ad medicum, redemtorem & liberatorem, Chriſtum.

Quæſt. XX. *Quinam homines lege morali Sinaitica obligantur?*

Lege morali Sinaitica *obligantur omnes* omnino *homines*, nemine excepto.

Prob. 1) Lex moralis complectitur ſummam legis naturalis, quæ omnium hominum mentibus inſcripta, atque æternæ legis in Deo exſiſtentis expreſſa imago eſt.

2) Sicut Deus omnium hominum eſt creator: ita omnes obſtricti ſunt ad ſeruandum legem moralem, qua Deus præcepit ea, quæ ipſis, vt creaturis rationalibus, conuenientia iudicauit, & obſeruanda ob auctoritatem creatoris, & ſapientiſſimi potentiſſimique domini.

3) Lex moralis Sinaitica viguit in populo Dei, qua ſubſtantiam dogmatum, ante ſolemnem promulgationem, neque eſt a Chriſto abrogata, ſed declarata, & ab Apoſtolis, qui omnium gentium doctores erant, ſedulo inculcata. E. legis moralis Sinaiticæ vis obligandi & maxima, & vniuerſaliſſima eſt, quam nemo hominum effugere poteſt.

4) Teſtatur Apoſtolus, per legem moralem *omnium os obſtrui, & reum fieri totum mundum Deo*, Rom. III, 19. Quod non eſſet, ſi lex Moſaica ſolos Iudæos obligaret.

*Antitheſis* eſt *Scholaſticorum quorundam, & Pererii*, diſp. VI. in cap. II. ad Rom. ſtatuentium, ſolos Iſraëlitas legem, in monte Sinai promulgatam, obligaſſe. Quorum argumenta, in ſummam contracta, ſunt: 1) Lex Sinaitica promulgata eſt ſolis Iſraëlitis, quibus 2) ſolis miniſterio Moſis eſt tradita. 3) Continentur in lege Sinaitica nonnulla, quæ nullis aliis gentibus, quam populo Iſraëlitico ſpecialiter conueniunt. E. Lex in monte Sinai promulgata ſolos Iſraëlitas obligat. Reſp. ad I. Promulgatio legis Sinaiticæ *ſolis* quidem facta eſt Iſraëlitis, ſed *non propter ſolos* Iſraëlitas: Quemadmodum etiam promiſſiones propheticæ de Chriſto plurimæ ad Iſraëlitas, non autem propter eos ſolos factæ ſunt. Sed vti ſcriptura ſacra, quæ in legem & euangelium diſpeſcitur, ad omnes pertinet: ita etiam lex moralis



quæ ad naturam rationalem ſpectant: Deus toto animo omnibusque viribus colendus eſt. *Patefactæ* autem *leges* ſunt norma earum actionum, quæ ad certas quaſdam res circumſtantes, ab hominibus obſeruandas, pertinent, & quarum ratio non aliunde, quam ex patefactione diuina poteſt cognoſci. In ſtatu *integritatis perfectam* fuiſſe *legem naturalem*, nemo abnuet. At erant tamen etiam tunc *leges* quædam *patefactæ*, de arbore vetita, & de Sabbatho. Et illius quidem ratio erat dominium in terram, Dei beneficio homini conceſſum, quod vt homo fateretur terminis circumſcriptum, & ſe velut Vaſallum eſſe, ſuo Deus arbitrio eum ab hoc fructu prohibuit. Huius autem ratio erat ſingularis hæc circumſtantia creationis, ex ſola patefactione cognoſcenda: quod omnia rerum creatarum genera ſeptimo die conſummata fuerunt. Origo mali, & peccati primi tum imputatio, tum propagatio, intima animi corruptio & ad quoduis malum propenſio, eſt profecto triſtiſſima rerum circumſtantium ac mutationum, quæ humanæ naturæ acciderunt, & quas cum ſummo dolore cognoſcendas ſola nos reuelatio edocet.

Digitized by Google

non minus, quam euangelium omnes homines concernit. Ideo in N. T. leges morales non de nouo promulgantur gentibus, ſed e ſcriptis Moſis repetuntur, & omnibus præſcribuntur. Ad II. Diſt. inter Moſen miniſtrum, & Deum auctorem. Seruamus legem Sinaiticam, non ob miniſterium Moſis, ſed ob auctoritatem Dei legislatoris. Ad III. Diſt. inter συςατικὰ, ſiue *ſubſtantialia* legis moralis, & περιςατικὰ, ſiue *accidentalia* præceptorum. Subſtantialia dogmata legis moralis conueniunt homini, vt creaturæ rationali, a quorum obligatione nemo exemtus eſt; appendices accidentales ſpecialiter concernunt Iſraëlitas.

Quæſt. XXI. *In quo formaliter lex moralis conſiſtit?*

*Forma* legis moralis conſiſtit in *vi directiua* a), & *obligatiua* b).

Prob. a. Lex moralis eſt perfecta & adæquata *norma*, *dirigens* omnes actus morales, internos & externos, ex qua omne honeſtum & ſanctum, omne turpe & iniquum cognoſcitur, diiudicatur & diſcernitur. *Omne verbum, quod ego præcipio vobis, hoc cuſtodietis faciendo, non addetis ſuper illud, nec diminuetis de eo*, inquit Iehouah, Deut. XII, 32.

Prob. b. Lex moralis eſt *vinculum*, quo Deus, noſtrum omnium Creator & Dominus ſapientiſſimus, optimus & potentiſſimus, noſtram agendi libertatem conſtringit, vt in nodiuerſam, quam quo illa ducit, partem tendere recte non poſſimus; quamuis voluntas noſtra de facto in diuerſa haud raro abeat. Idcirco Deus legislator pœnas grauiſſimas transgreſſoribus comminatur & infligit, Exod. XX, 5.

Quæſt. XXII. *Ad qualem obedientiam lex moralis nos obligat?*

Lex moralis nos *obligat ad obedientiam conſummatiſſimam*, quæ ſit perfecta, a) perfectione *intenſiue* ſumma, ratione *graduum*, b) *extenſiue* ampliſſima, ratione *partium*, c) *protenſiue* longiſſima, ratione *perſeuerantiæ*.

Prob. a. Lex moralis tantam in *ſummo gradu* hodie poſcit a nobis perfectionem, quantam habuit Adamus adhuc innocens. Quod enim talentum homini Deus primum dedit, illud repoſcit. Præcipit itaque lex, vt diligamus *Iehouam Deum noſtrum ex toto corde, tota anima, & ex omnibus viribus noſtris*, Deut. VI, 5.

Prob. b. Poſtulat lex perfectam ſecundum *omnia præcepta* decalogi obedientiam; quam qui non præſtat, per legem æque condemnatur, vnicum transgreſſus præceptum, ac is, qui totam legem violauit. *Quisquis totam legem ſeruauerit, lapſus vero fuerit in vno, factus eſt omnium reus, iudice* Iacobo, c. II, 10.

Prob. c. Requirit lex moralis obedientiæ *perſeuerantiam. Nam maledictus omnis, qui non manet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt ea faciat*, Gal. III, 10. Vbi græcum verbum, ἐμμένει, deſignat in legis obſeruantia *permanentiam* & perſeuerantiam. Diſt. hic eſt inter præcepta *affirmatiua & negatiua. Affirmatiua* obligant quidem *ſemper*, ſed *non ad ſemper* faciendum, v. gr. præceptum quartum: *Honora parentes*, non obligat ad ſemper; fieri enim poteſt, vt parentes Deo aduerſa imperent, aut viui eſſe deſierint. *Negatiua* obligant *ſemper, & ad ſemper* fugiendum, v. gr. hæc interdicta, non mœchaberis, non occides, obligant perpetuo, ad ſemper & ſimpliciter *).

Quæſt.

*) Hæc quidem antiquitus vſitata diſtinctio hodie paucis placebit; nec immerito. Etenim 1) nulla poteſt eſſe obligatio, niſi aut ad faciendum, aut ad fugiendum: Ergo, quæ lex ſemper obligat, ea non poteſt non obligare ad ſemper aut faciendum, aut fugiendum. 2) Si qua

Digitized by Google

Quæſt. XXIII. *An lex moralis peræque ad pœnam, ac ad obedientiam nos obligat?*

Lex moralis homines *primario* ad *obedientiam*, *ſecundario* & conſequenter ad *pœnam* obligat.

Prob. Deus, vi ſummi imperii in homines, ab ipſis exigit debitam obedientiam, lege morali præcipiendo, quæ creaturis rationalibus conueniunt. Quod ſi iuſſum diuinum abnuant, & naturæ ſuæ rationali conuenienter viuere detrectent, tandem Deus iuſtiſſimam irrogat pœnam, per quam a debito obedientiæ non liberantur. Manet ergo *debitum obedientiæ eſſentiale* & principale, quod lex exigit; *pœna* autem latæ legi eſt *accidentaria.*

Quæſt. XXIV. *An lex humana conſcientiam, perinde ac lex diuina obligat?*

Lex *diuina* obligat conſcientiam *immediate & abſolute* a); lex *humana*, a legitima poteſtate lata, obligat *mediate & hypothetice*, ſi ſcilicet fuerit iuſta, ex lege diuina morali deriuata b).

Prob. a. Deus eſt Dominus conſcientiarum: E. easdem lege ſua ſanctiſſima *immediate & abſolute* obligat, vt illius transgreſſores conſcientia accuſet, Rom. II, 15.

Prob. b. Lex a magiſtratu ſubditis lata obligat conſcientias 1) *mediate*, mediantibus his principiis: Quæ magiſtratus, qui Dei ordinatio eſt, his, quorum magiſtratus eſt, præſcribit, ea ſunt facienda; quæque magiſtratus his prohibet, ea ſunt fugienda. Quæ cum æternæ ſint veritates, & in decalogo implicite contineantur, nemo poteſt contra legem a ſuperiore latam agere, quin ſimul etiam contra æternam Dei legem agat. 2) Obligat *hypothetice*, ſi fuerit iuſta; nam ſic eſt iuſtitiæ diuinæ radius, quem qui violat, ſolem violat. Si contra clare & ſimpliciter iniuſta eſt, non obligat. Vbique enim valere debet illud, Act. V, 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Quæſt. XXV. *Quis eſt finis legis moralis?*

*Finis* legis *moralis* eſt a) gloria legislatoris, b) vita æterna, ſub conditione perfectæ obedientiæ promiſſa. *Euentus accidentalis* eſt mors æterna c).

Prob. a.

qua eſt limitatio ac determinatio actionis, quantum ad modum agendi, ſi qua exceptio, aut temporis, aut loci, aut rei cuiusdam, in qua verſatur actio; eadem determinatio atque exceptio eſt in ipſa lege, eiusque ſententia ac vi obligante. V. gr In lege quarta *honora parentes tuos*, primum nulla eſt exceptio temporis; honorandi enim ſunt illi perpetua tum recordatione beneficiorum, tum obſeruatione mandatorum, tametſi dudum in viuis eſſe deſierint: deinde hæc actionis limitatio ac determinatio, *in cauſa iuſta, diuinisque imperatis non contraria*, continetur in ipſa ſententia legis, eiusque obligatione, vtpote quæ non latius patet. 3) In omni lege aiente ineſt negatio oppoſiti eundemque ad modum in omni lege negante ineſt præceptio contrarii. E. g. in hac lege adfirmante, *parentibus tuis debitum honorem defer*, continetur hoc interdictum: *Noli parentibus denegare officium.* Ergo, quæ determinatio limitatioque actionis eſt in lege adfirmante, eamdem oportet eſſe in contraria negante. 4) Sunt quædam leges adfirmantes, ſine vlla exceptione, actionisque limitatione ac determinatione, adeoque ad ſemper faciendum obligantes, cuiusmodi ſunt illæ: *Tui conſeruationi ſtude, adhibitis ſemper mediis legitimis: Suum cuique tribue*; quæ leges adfirmantes æque profecto late patent, ac negantes; *Ne tibi ipſe noceas: Neminem lædε.* Immo ſemper & ad ſemper faciendum maxime obligat hæc lex adfirmans, omnium prima ac præcipua: *Deum cole, & amore perfectiſſimo proſequi nunquam deſine.*

Digitized by Google

Prob. a. Ex promulgatione legis Sinaiticæ elucescit ſapientia, iuſtitia & poteſtas ſummi Domini & legislatoris æternum celebranda.

Prob. b. Ex Leu. XVIII, 5. *Cuſtodite leges meas & iudicia, quæ faciens homo viuit in eis.* Data eſt lex, vt ad vitam æternam perduceret omnes eam perfecte ſeruantes, *non* quidem ex *merito* iuris, quia Deus nemini quidquam debet; ſed ex *promiſſione* & ordinatione Dei.

Prob. c. Ex Rom. VII, 10. *Præceptum, quod in vitam mihi* (datum), *idem* (factum) *in mortem* Lex, per ſe beatifica, *per accidens* fit mortifera, ob defectum potentiæ receptiuæ; quia *per carnem infirmatur*, Rom. VIII, 3. Hinc *operatur iram*, denuntiat maledictionem, & adiudicat æternæ condemnationi omnes, legem non implentes.

Quæſt. XXVI. *Ex quot præceptis conſtat lex Sinaitica?*

*Decalogus.* Lex moralis in monte Sinai promulgata conſtat *ex decem præceptis*, quæ a Deo duabus tabulis lapideis inſcripta ſunt a). Summa eorum eſt dilectio Dei & proximi b), non excluſa dilectione noſtri c).

Prob. a. Ex Exod. XXXIV, 28. Scripſit (Iehouah) ſuper tabulas verba fœderis, הדברים עשרת, decem verba (decadem verborum). Græci vocant *δεκάλογον καὶ δεκαλόγιον.* Intelliguntur autem *verba* non nuda, ſed *præcipientia.* Conf. Deut. IV, 13. Diſtinguendum eſt hic, inter mandata diuina *generalia, & ſpecialia. Specialia* ſunt longe plura, quam decem, quæ tamen ſub decade præceptorum continentur. Eſt enim decalogus omnium legum moralium epitome, ad quam, tanquam fontem, omnes leges, dirigentes mores hominum, ſunt referendæ. Ex quo hebræis *decem* audiunt *matres legis & radices eius.*

Prob. b. Teſtatur Chriſtus, in duobus mandatis de diligendo Deo & proximo legem & prophetas pendere, i. e. ſummatim contineri, Matth. XXII, 38.

Prob. c. In mandato de dilectione proximi, etiam dilectio noſtri inuoluitur. Præcipit enim Deus: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*, Leu. XIX, 18. vt dilectio noſtri ſit menſura dilectionis proximi.

Quæſt. XXVII. *Quomodo diſtinguuntur præcepta decalogi?*

*Bipartito*, in duas tabulas. *Prima* immediate agit de dilectione Dei, *ſecunda*, de dilectione proximi. Ad *tabulam primam* referimus tria præcepta priora, ad *ſecundam* ſeptem præcepta poſteriora.

Prob. 1) Vocantur *tabulæ duæ teſtimonii, tabulæ lapidis, ſcriptæ digito Dei*, Exod. XXXI, 18. Primam tabulam Chriſtus vocat *primum & maximum præceptum*, de diligendo Deo, tabulam ſecundam idem appellat præceptum *ſecundum, primo ſimile*, de diligendo proximo, Matth. XXII, 37. Paullus præceptum de honorandis parentibus nominat præceptum *primum cum promiſſione*, Eph. VI, 2. Ergo tabula ſecunda legis a præcepto IV. incipit. Ceterum *decem* eſſe præcepta legis moralis, Moſes diſerte ſcribit, Exod. XXXIV, 28. Deut. IV, 13. c. X, 4. At non commemorat, *quodnam* ſit ſtatuendum *ſecundum*, quod *tertium* præceptum. Vſitatum eſt in Eccleſiis fere omnibus, Aug. confeſſionem & catecheſin LVTHERI ſincere amplectentibus, tria primæ tabulæ accenſere præcepta, & mandatum de ſculptilibus referre ad primum de non habendis diis alienis, in ſecundam tabulam ſeptem referre præcepta, & mandatum de non concupiſcendo in duo diuidere præcepta; quam diuiſionem nos vt adiaphoram retinemus.

2) Imagines & ſculptilia, ad cultum facta, ſunt dii alieni. E. primo præcepto prohibentur, eſtque mandatum de ſculptilibus non diſtinctum a primo præcepto, ſed tantum appendix & explicatio primi præcepti, eiusdem ſpeciale exemplum continens.

3) In

Digitized by Google

3) In codice hebræo vnum quodque præceptum abſoluitur ſigno diſcretiuo ס, vel פ, illud ſignificat סתומה clauſum, hoc פתוחה apertum. At nec in Exodo, nec in Deuteronomio, eiusmodi ſignum diſcretiuum inuenitur inter v. 3. & 4. At in Deuter. inter præceptum nonum, quod nos facimus, & decimum expreſſe ponitur.

4) Mandatum de ſculptilibus cum mandato de diis alienis vnum conſtituere præceptum, docet accentuatio decalogica, de qua vid. D. PFEIFFER in *dub. vex. p. 268.*

5) In præcepto nono prohibetur concupiſcentia actualis, in præcepto decimo originalis. Id quod patet a) e bina repetitione תחמד, Exod. XX, 17. vt duo ſignificentur actus; b) ex ſecuta interpretatione לא תתאוה, Deut. V, 21. quod verbum in Hithpaël notat, *facere, vt concupiſcas*, quia etiam primi motus hic prohibentur; c) e diuerſa declaratione obiecti, cum præcepto nono prohibeatur concupiſcentia actualis relata ad obiectum concupiſcibile vagum particulare, præcepto vero decimo concupiſcentia originalis relata ad obiectum concupiſcibile vniuerſale.

*Antitheſis* eſt *Piſcatoris, Keckermanni, Socini & aliorum*, quorum opinione mandatum de diis alienis, & mandatum de ſculptilibus ſunt duo præcepta. Quorum argumenta ſunt:

I. Spiritus Dei diſtinctis ſententiis prohibet Deorum alienorum, & imaginum cultum: E. ſunt duo diſtincta. Reſp. Spiritus Dei ſculptilium prohibitionem ſubiicit mandato de non habendis diis alienis, vt præceptum generale ſpeciali exemplo, eoque in ſenſus maxime incurrente, illuſtretur. Si periodorum diuerſitas introduceret diuerſitatem præceptorum, ex vno præcepto de ſanctificando ſabbatho plura exſurgerent præcepta.

II. Duo præcepta duobus verſibus in ſacro codice proponuntur: At præceptum nonum & decimum Lutheranorum non &c. Ergo. *Minor* patet ex Exod. XX, 17. vbi præceptum de concupiſcentia vno tantum verſu, & quidem vna radice comprehenditur. Reſp. Præceptum nonum & decimum Exod. XX. efferuntur vno verſu, ſed tamen per accentum diſtinctiuum, Atnachum, Deut. V. per ס, tanquam notam diſtinctiuam diſcernuntur. Præterea duplex verbum ibi adhibetur.

III. Paullus concupiſcentiam actualem & originalem vno complectitur præcepto, Rom. XIII, 19. Rom. VII, 7. Reſp. Diſt. inter *modum proponendi* præcepta diuina *implicitum* & *explicitum*. Non ceperat Paullus conſilium, ſingula præcepta *explicite* recenſendi; ſed ſummatim & generaliter eorum facit mentionem. Haud obſcure interim diſcrimen inter concupiſcentiam *actualem*, & *originalem* indicat, Rom. VII, 7.

IV. Si concupiſcentia diuerſa præcepta faceret, longe plura eſſent præcepta, quam decem: Sed non ſunt plura: Ergo. *Conſeq. mai.* probatur: quia aliud eſſet præceptum de non concupiſcenda domo, aliud de non concupiſcendo ſeruo, aliud de non concupiſcenda pecude. Reſp. Diſtinguuntur præcepta non ſecundum *obiecta*; ſed ſecundum diuerſos *modos* tendendi in obiecta. Licet obiecta concupiſcentiæ ſint diuerſa; modus tamen tendendi in illa obiecta eſt duplex, actualis & habitualis, ſeu originalis *).

Quæſt.

*) Argumenta, quibus pro noſtra Decalogi diuiſione, cui ab AVGVSTINO nomen hæſit *Auguſtiniana*, propugnamus, commode diſtribuuntur in tres claſſes, quarum vna eſt *logica*, altera *philologica*, tertia ac præcipua *theologica*. Et illud quidem argumentum, quod nobis *logica* doctrina præbet, in diſputatione aduerſus *Reformatos*, plurimum valebit, cum quæritur de duabus diuiſionibus, vtra earum magis adcurata ſit. Facultas enim bene cogitandi nos docet etiam leges recte diuidendi, quarum in numero hæc haud infimo loco habenda eſt: Non genus & vna ſpecies, ſed diuerſa genera, diuerſæque ſpecies, conſtituunt partes diſtinctionis. Atqui interdictum illud, de Diis pluribus, &, præter verum, qui vnus eſt, fictis & commentitiis, ab hoc vetito, de cultu imaginum, non aliter differt, niſi vt genus a ſpecie quadam



Digitized by Google

Quæſt. XXVIII. *Quomodo explicandus eſt decalogus?*

Decalogus *ita explicandus* eſt, vt ad illum tum omnes virtutes & opera, Chriſtiano digna, tum omnia vitia & opera illicita reducantur.

Prob. Eſt decalogus epitome ***omnium legum moralium***, omnia facienda & fugienda ſuccincte complectens; ideoque præcepta decalogi ſunt ***ſynecdochica***, h. e. plura præcipiuntur & prohibentur, quam quæ expreſſe in decalogo nominantur. Quo circa in explicatione legis Sinaiticæ regulæ quædam generales obſeruandæ ſunt.

I. Præcepta ***negatiua*** includunt contraria ***affirmatiua***, & ***affirmatiua*** contraria ***negatiua***.

II. In decalogo tum ***externa***, tum ***interna*** præcipitur obedientia: contra non exteriora tantum, ſed & interiora peccata, cum ipſo peccato originali, omnium malorum radice, prohibentur.

III. In explicatione legis accurate tenendum & inculcandum eſt diſcrimen inter peccata ***mortalia***, ſiue proæretica, quæ gratiam Spiritus S. excutiunt, fidem exſtinguunt, & conſcientiam vaſtant, et inter peccata ***venialia***, ſiue inuoluntaria, quæ licet in renatis cum fide conſiſtant, magis magisque tamen imminuenda & abolenda ſunt.

IV. Vt lex ***plene*** explicetur, addendæ ſunt ***pœnæ & præmia***, promiſſiones & comminationes. Sunt autem promiſſiones cum ***exceptione crucis***, comminationes cum ***exceptione pœnitentiæ*** intelligendæ *).

V. In decalogo diligenter diſcernendum eſt ***morale***, quod omnes homines obligat, a ***cærimoniali***, quod ſolos Iudæos, ſtante politia Moſaica, obſtringebat. Quidquid itaque cum lege naturæ conuenit, a Moſe & Prophetis ad omnes gentes pertinere oſtenditur **), in

quadam, præ cæteris inſigni. E. hoc, tanquam ſpecies aliqua, ad illud, vtpote genus ſuum, debet referri. Hæc duo autem, IXnum ac Xmum, vt varia genera, quamuis arcte copulata, ita inter ſe differunt, vt alia atque alia ſit rerum natura ac definitio. Scilicet *cupiditas hæreditaria* eſt validiſſima animi propenſio ad cogitandum, deſiderandum, agendumque omne id, quod legibus diuinis non eſt conueniens. *Cupiditas actualis*, vti dicitur, eſt motus animi legi non conſentaneus, ipſaque cogitatio atque adpetitio, & eius modo ad hoc, modo ad illud vetitum determinatio, enata ex illa homini cuique innata ac peruerſa inclinatione atque alacritate animi, ad quoduis vetitum propenſi. Itaque *hæreditaria* cupiditas eſt *principium primum* omnium actionum legi non conuenientium; *actualis* deinde eſt *principium* earundem *ſecundum*, ex primo ortum. Cum vero cauſa agitur contra *Socinianos*, his potiſſimum *theologico* argumento obuiam erit eundum. Hi enim diuiſionem præcepti IXni ac Xmi propterea ferre nolunt, quod *innatæ* nobis *cupiditatis* vim veramque rationem ignorant, atque in loco hoc, de peccato hæreditario, in grauiſſimo errore verſantur.

*) Verum tamen ita, vt vtraque hæc exceptio proprie non ad ipſam legis ſententiam, ſed ad eius coniunctionem cum Euangelio pertineat. Lex enim, in ſe ſpectata, tota homini delinquenti, ac vel transuerſum vnguem ab ea deflectenti, nil, niſi damnationem denuntiat, neque vllam ipſi ſpem facit reuerſionis ac reditus in gratiam, quippe quam ſola vox Euangelii homini offert ac pollicetur, (*μετάνοιαν*, Deo reconciliato gratam atque acceptam, æque, ac *ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*, ſuo Chriſtus nomine nunciari iuſſit Luc. XXIV, 27); ad quam promiſſionem Euangelium adiungit incitationem animi ad perferendum crucem, non tamquam pœnam, ſed vt beneficium, in quo nimirum cernitur altera pars communionis *τῶν παθημάτων τοῦ Χριστοῦ*, imitatione ac ſimilitudine, cum prior huius *κοινωνίας* pars poſita ſit in adplicatione & fructu ſalutari horum pretioſiſſimorum *παθημάτων*, in fide & iuſtificatione.

**) Hoc quidem non ſine explicatione quadam, ac limitatione intelligendum eſſe, adparebit ex infra dicendis, ad quæſt. XLVI. Præcipue vero conſideranda eſt 1) *generalis declaratio*, ſine vlla exceptione, cuiusmodi eſt illa, Leuit. XVIII, 24-29: 2) legis cuiusque *ratio*, quam Deus nobis ipſe, aut in natura, aut in ſcriptura, ſignificauit. Certiſſima ſunt hæc vna principia: I. Quum nihil ſit ſine ratione, nec aliter ſit, ac huic ipſi rationi conuenienter: efficitur,

n N. T. a Chriſto & Apoſtolis repetitur & præcipitur, illud eſt ***morale***, omnes homines obligans: reliqua ſunt cærimonialia, aut appendices ſpeciales ad ſolos Iſraëlitas pertinentes.

VI. Prohibito ***effectu***, prohibetur ***cauſſa***: In ***relato*** intelligitur ***correlatum***: Præcepta aut prohibita ***ſpecie aliqua*** præcipua, etiam ***cognatæ ſpecies***, ſiue totum genus præcipitur, aut prohibetur.

VII. Præcepta ***ſecundæ*** tabulæ ***cedunt*** præceptis ***primæ*** tabulæ. Diligendus eſt proximus; ſed magis diligendus eſt Deus.

VIII. Ob *diuerſos fines & reſpectus* eadem virtus *ad diuerſa præcepta* decalogi referri poteſt.

IX. Ad ***explicanda*** præcepta decalogi faciunt omnia ea, quæ ***in Moſe, Prophetis, vt & ſcriptis N. T.*** continentur moralia.

# DECALOGI PRAECEPTVM PRIMVM.

Ego ſum Iehouah Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me.

Obſ. Verba illa: ***Ego ſum, Deus tuus,*** alii, cum LVCA BRVGENSI faciunt ***proœmium generale*** decalogi, alii pro ***primo præcepto*** venditant, cum Targum IONATHANIS, Hebræis, IOSEPHO & PHILONE; ſed rectius habentur pro ***parte affirmatiua primi præcepti***, quis pro ***vero Deo*** colendus ſit, cui ***negatiua*** ſubiicitur de ***non habendis diis alienis.*** Etenim a) accentuatio decalogica (quæ eſt duplex, ſcilicet accentuatio ***verſus***, & ***præcepti***) ab iisdem verbis incipit; b) Chriſtus interrogatus, quodnam primum eſſet præceptum, reſpondit: ***Primum præceptum eſt: Audi, Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt***, Matth. XII, 29.

Dicis. I. Verba illa: ***Ego ſum Deus tuus***, ſunt indicatiua, ***non præceptiua***: Non faciunt igitur ***primum præceptum.*** Reſp. Verba illa habere vim ***præcipiendi***, docent verba ſubiuncta: ***Non habebis Deos alienos coram me.*** Plenum enim ſenſum præcepti reddit non ſola ***pars affirmatiua***, ſed, quæ ei iungitur, ***negatiua.***

Dicis: II. Verba illa continent ***rationem generalem***, impellentem ad obſeruationem omnium præceptorum: E. non faciunt ***præceptum ſpeciale.*** Reſp. Præceptum primum

Mmm mmm 2 de

efficitur, vt, *quam late pateat legis ratio, tam late pateat eius etiam ſententia atque obligatio.* E. ſi *ratio* legis ſit adeo *generalis ac perpetua*, vt ea ratio ad omnes homines omnesque mundi ætates pertineat: *lex, eiusque vis obligandi, non minus generalis ac perpetua ſit, neceſſe eſt.* Ita quoque in contrariam partem valet argumentatio. II. Quum vnius rei plures ac variæ poſſint eſſe rationes; idcireo, *ſi cuiusdam legis rationes ſint plures*, & *ita* quidem *diuerſæ*, vt earum *aliæ ſint generales ac perpetuæ*, quippe ad vniuerſum hominum genus, omniaque tempora referendæ; *aliæ ſpeciales ac temporariæ*, ſolis Iudæis atque ætati V. T. conuenientes: efficitur, *eam legem* eſſe *mixtam*, partim *communem* omnium hominum ac temporum, partim *ſpecialem* Iudæorum ac temporum, pro ea, qua erant ante Chriſtum natum & conſummatum, conditione. V. g. Legis de Sabbato, ſancte agendo, *ratio prima ac præcipua* eſt eiusmodi, cuius recordationem religio ab omnibus poſtulat gentibus atque hominibus, ad finem vsque ſæculorum, Geneſ. II, 2. Ex. XX, 11. E. hac ratione hæc lex eſt communis ac perpetua. Deinde acceſſit *vna* atque *altera ratio ſpecialis* ac *propria* tum Iudæorum, tum temporum V. T.; vna quidem ſacra ac *typica*, Hebr. IV, 9; *altera* autem *forenſis*, quæ ad Iudaicam gentem remque publicam ſpectabat, Deut. V, 15. E. hac duplici ratione hæc lex eſt ſpecialis ac Iudæorum propria. E. in Chriſtiana ciuitate N. T. non tota hæc lex abrogata eſt, ſed id ſolum, quod ad Iudæos atque ætatem V. T. pertinet, derogatum: ſemper enim permanet vna ratio, & ea quidem prima ac præcipua.

Digitized by Google

de timendo & diligendo Deo dirigit præcepta reliqua omnia. Vnde B. LVTHERVS in expoſitione eorundem conſulto præmiſit hæc verba: *Debemus Deum timere & diligere.*

Dicis: III. Verba illa reſpiciunt *Iſraëlitas*, addit enim Deus: *qui eduxit te e terra Ægypti.* Reſp. Diſcernenda ſunt τὰ συςατικὰ, *ſubſtantialia* dogmata, a *circumſtantiis* & appendicibus, ſolos Iſraëlitas concernentibus.

Quæſt. XXIX. *Quid complectitur primum præceptum?*

*Primum præceptum* complectitur diuinum edictum, ſiue *mandatum* a), & diuinum interdictum, ſiue *prohibitionem* b).

Prob. a. Cum Deus dicit: *Ego ſum Iehouah, Deus tuus*, mandat nobis verum Dei cultum, conſiſtentem in timore, dilectione & fiducia ſincera. Exigit hoc præceptum a nobis a) *timorem* reuerentialem & filialem, excitatum ſumma eius maieſtate, iuſtitia, potentia. Ex timore Dei fluit obedientia ſincera, promta, conſtans, Deo præſtanda: animi ſubmiſſio, ex conſideratione diuinæ maieſtatis & noſtræ infirmitatis nata: nec non patientia, cum a Deo caſtigamur. b) *Dilectionem Dei*, non tantum ob beneficia diuina, ſed propter ipſummet, quia ipſe eſt ſummum bonum, adeoque per ſe amore dignus. Conſequitur ex dilectione Dei abnegatio noſtri & mundi. c) *Fiduciam*, in Deo collocandam, ob diuinam bonitatem, potentiam, ſapientiam, veritatem, qua promiſſa ſua implet. Naſcitur ex fiducia ſpes & lætitia in Deo. Fundamentum harum virtutum eſt θεογνωσία, ſiue agnitio Dei.

Prob. b. Cum Deus dicit: *Non habebis alienos Deos coram me*, prohibet omnem *idololatriam*, quæ 1) eſt vel *craſſior*, vel *ſubtilior*. *Illa* eſt, cum homo id, quod Deus non eſt, *pro vero Deo reputat, & colit*, vel ſi alioqui cultum religioſum iis, qui non ſunt dii, exhibet. Huc pertinet cultus religioſus imaginum (vſus imaginum licitus & vtilis aliquando memoriæ cauſſa eſſe poteſt). *Hæc* eſt, qua colimus aliquid, quod *ſcimus non eſſe Deum*, & tamen aliquem cultum ei exhibemus, qui ſoli Deo debetur. Sic auaritia vocatur idololatria, Col. III, 5. 2) Diuiditur idololatria, in eam, qua *diuine colitur id, quod non eſt verus Deus*, & eam, qua *verus Deus non colitur diuine*, h. e. cum verus Deus aliter colitur, quam ſe in verbo coli præcepit.

# PRAECEPTVM SECVNDVM.

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Non enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumſerit nomen eius in vanum.

Quæſt. XXX. *Quid præcipitur & prohibetur hoc præcepto?*

*Prohibetur* nominis diuini abuſus a), & *præcipitur* eiusdem genuinus vſus b).

Obſ. I. Præceptum *primum* dirigit cor hominis ad timorem Dei: *ſecundum* format linguam ad celebrationem nominis diuini *): *tertium* moderatur cultum Dei publicum.

Obſ. II. *Nomen Dei* eſt Deus ipſe, quatenus in verbo diuino reuelatus, & ex eodem agnitus

*) Nec ſolum linguam, ſed alia etiam membra. Improbi enim homines ſanctiſſimo nomine abutuntur non ore ſolum, verum etiam opere, ac βλασφημία non modo in verbis eſſe ſolet, ſed & variis in actionibus, quibus ſummæ Dei perfectiones proprietatesque iniuria & contumelia adficiuntur, Rom. II, 23. 24. Trium, quæ priori tabula continentur, præceptorum differentia poſita eſt in eo, quod in primo præcepto cultus Dei *internus*, in ſecundo cultus *externus & priuatus*, in tertio cultus *publicus*, non excluſo priuato, nobis imperatus eſt.

Digitized by Google

agnitus eſt, & notat Dei eſſentiam, maieſtatem, omnia ipſius attributa & opera, & quidquid elogii de Deo trinuno dici poteſt.

Prob. a. Cum Deus dicit: ***Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum***, leuis & profana aſſumtio glorioſiſſimi nominis Dei in os hominis intelligitur. ***Sic impio dicit Elohim: Quid tibi, vt enarres ſtatuta mea, & aſſumas fœdus meum ſuper os tuum?*** Pſ. L, 16. ***Interdicitur*** ergo a) ***generatim abuſus nominis diuini***, h. e. vſus profanus ſine deuotione debita, leuis, indignus, preces ſine attentione deblateratæ, lectio ſcripturæ, vel auditus verbi, ſine deuotione & reuerentia. b) ***In ſpecie:*** *1)* ***Exſecrationes***, quo etiam blaſphemiæ pertinent. *2)* ***Iuramenta leuia***, ſiue futilia, & ***falſa***. Diſtinguendum hic eſt ***inter iuramentum illicitum & licitum. Illud*** cum verbo Dei pugnat & ſuſcipitur de rebus, falſis, incertis, impoſſibilibus, futilibus. ***Hoc*** non pugnat cum verbo Dei, & ſuſcipitur de rebus veris, certo cognitis, licitis, poſſibilibus & grauibus. ***Hoc*** ſi gloria Dei requirat, ſalus noſtra & proximi exigat, magiſtratus mandet, & officii neceſſitas efflagitet, ad confirmationem veritatis ſalua conſcientia præſtari poteſt, Hebr. VI, 16. *3)* ***Incantationes***, non tantum fœdus expreſſum cum diabolo, ſed quæuis etiam ſuperſtitioſa media. *4)* ***Mendacia & fallacia in rebus ſacris***, ***detorſio*** dictorum ſcripturæ, falſus Dei cultus, hæreſis; hypocriſis in precibus & externo Dei cultu.

Prob. b. E contrario ***mandatur*** a) ***in genere genuinus & ſanctus nominis diuini vſus***, in deuota verbi diuini prædicatione, auditione, lectione, meditatione, confeſſione, in precibus & votis. b) ***In ſpecie:*** *1)* ***Innocatio***, qua beneficia a diuina potentia & bonitate, in infirmitate, indigentia & neceſſitate noſtra, a Deo ***petimus***. *2)* ***Adoratio***, qua nos coram Deo humiliamus, eiusque ſupra nos poteſtatem & æternam maieſtatem veneramur internà cordis reuerentia & exteriori geſtu, Pſ. CXV, 6. *3)* ***Laudatio***, ***ſiue glorificaio***, qua non tantum in corde magnifice de Deo ſentimus, ſed etiam lingua & verbis eius bonitatem, potentiam, ſapientiam, iuſtitiam, prouidentiam generalem & ſpecialem celebramus. Huc ſpectant omnes Pſalmi, omnis muſica ſacra. *4)* ***Gratiarum actio*** pro omnibus beneficiis ſpiritualibus & corporalibus, quæ Deus nobis & aliis quicunque ſint illi, non ſolum domeſticis, ſed etiam peregrinis, ſiue amicis, ſiue inimicis, exhibuit.

# PRAECEPTVM TERTIVM.

## Memento, vt diem ſabbathi ſanctifices.

Quæſt. XXXI. *Quid mandatur & interdicitur hoc præcepto?*

*Mandatur* hoc præcepto tertio ſanctificatio ſabbathi a): *Interdicitur* profanatio diei ſeptimi b).

Prob. a. Cum Deus præcipit: ***Memento, vt diem ſabbathi ſanctifices***, obiectum ſanctificandum eſt ***dies ſabbathi***. Probe oſeruandum hic eſt, quod præceptum tertium contineat aliquid ***morale***, ad cuius obligationem omnes homines obligantur: & aliquid ***cærimoniale***, quod populo Iſraëlitico proprium eſt. Illud perpetuum, hoc temporarium eſt. ***Morale*** eſt, quod ***aliquis*** dies ***ſeptimanæ*** cultui ſacro ſit deſtinandus; ***cærimoniale*** eſt, quod ***præciſe ſeptimus*** ſeptimanæ dies exercitio cultus diuini dicandus ſit, ſiue, vt alii loqui amant, ***morale in ſabbatho eſt ſeptenarius indefinitus & numerus cardinalis***, ſiue ***ſeptimum aliquem*** diem cultui diuino eſſe deſtinandum; ***cærimoniale vero eſt ſeptenarius definitus & numerus ordinalis***, ſiue hunc præciſe in ordine ſeptimum diem eſſe ſanctificandum. Fuit in hoc præcepto aliquid ***cærimoniale***, rigor otii, ſiue quietis Iudæis præſcriptæ; nimirum interdictum diuinum, quo vetabatur iter negotii priuati expediundi cauſſa, Exod. XVI, 29. accenſio ignis, Exod. XXXV, 3. portatio oneris, Ier. XVII, 21. ***Morale*** adhuc durat, ***cærimoniale*** eſt abrogatum. Etenim natura conſtat, aliquod tempus cultui diuino eſſe dandum: diuina conſtitutio in paradiſo ſeptimum diem deſignavit,



Digitized by Google

vit, Gen. II, 2. 3. quæ ſanctio obſeruata eſt ante promulgationem legis Sinaiticæ, Exod. XVI, 5. repetita eſt in decalogo, Exod. XX. additis quibusdam circumſtantiis, Exod. XXXV, 3. In N. T. illæ circumſtantiæ, vna cum circumſtantia diei definite ſeptimi, abrogatæ ſunt a Chriſto per Apoſtolos, & ſurrogatus eſt in locum diei ſeptimi dies ſeptimanæ primus, dictus κυριακὴ ἡμέρα, dies dominica, Apoc. I, 10. quam Chriſtus auctoritate & exemplo ſuo conſecrauit; quippe qui eadem die reſurrexit, congregatis diſcipulis, excepto Thoma, apparuit, & poſtmodum altera ſeptimana poſt octiduum, Thoma præſente, ſe exhibuit, Ioann. XX, 19. 26. eadem etiam die Spiritum S. in Apoſtolos effudit, Act. II. Apoſtoli deinceps primum hunc hebdomadæ diem ſanciuerunt, & inſtituerunt in *ſabbathum Chriſtianorum ordinarium.* Eundem quippe Apoſtoli ad *publicum conuentum* vſurparunt, Act. XX, 7. &, vt ita fieret, ordinarunt, 1 Cor. XVI, 2.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum & Socinianorum*, ſtatuentium, Chriſtum præceptum tertium de ſanctificando die ſabbathi plane ſuſtuliſſe. Qui obiiciunt: I. *Diſcrimina dierum Chriſtianis in N. T. prohibentur*, Gal. IV, 10. Reſp. Prohibentur Chriſtianis *diſcrimina dierum Leuitica*, præcipue quatenus obſeruantia illorum dierum creditur in N. T. neceſſaria ad ſalutem. II. *Sabbathum* inter *vmbras rerum futurarum refertur.* Col. II, 16. Reſp. Paullus loquitur de *Iudaica obſeruatione* feſtorum & ſabbathorum, quæ erant vmbræ rerum futurarum. At dies dominica non eſt vmbra rerum futurarum, ſed ſancta habetur ob glorioſæ reſurrectionis Chriſti ex mortuis gratam recordationem. Iudæis obſeruatio ſabbathorum erat pars cultus ſacri, Chriſtianis eſt pars ordinis & circumſtantia cultus.

*Sanctificatio* ſabbathi a) *in genere* eſt *ſegregatiua* ab vſu profano, & *conſecratiua* ad vſus ſacros. Sanctificatur igitur ſabbathum, cum a communibus operibus ſegregatur, & cultui diuino, ſanctisque operationibus dicatur, ad quod noſtra quiete opus eſt, vt animus curis laboribusque reliquis diebus defatigatus in Deo quieſcat. Ceterum quia verbum diuinum medium ſanctificationis eſt, præcipitur b) *in ſpecie*: 1) *publica verbi diuini prædicatio & ſacramentorum diſpenſatio*, Act. XX, 7. 1 Cor. XI, 20. 2) *deuota verbi prædicati auſcultatio, manſueta ſuſceptio, & pia meditatio*, Luc. X, 16. 1 Theſſ. II, 13. Iac. I, 21. 3) *publica precatio & gratiarum actio*, 1 Tim. II, 1. Act. II, 42.; 4) *priuatus cultus Dei* conſiſtens in verbi auditi repetitione, penſitatione, beneficiorum diuinorum ruminatione, catechetica informatione, ſcrutinio conſcientiæ, boni propoſiti confirmatione.; 5) *operum caritatis* erga proximum exhibitio, & eleemoſynarum erogatio, 1 Cor. XVI, 1.

Prob. b. Prohibetur *in genere profanatio ſabbathi*, cum cultus diuinus publicus & priuatus intermittitur, & opera ſacri cultus impeditiua patrantur. *In ſpecie* prohibentur: 1) *Opera peccaminoſa*, quibus cum aliis diebus, tum maxime peccatur die ſabbathi, qualia ſunt compotationes, comeſſationes, luxus in veſtitu, colloquia obſcœna &c. 2) *Opera ciuilia*, ſeruilia, lucroſa, qualia ſunt commercia, agricultura, opificia manuaria, quibus & corpus delaſſatur, & animus inquietatur. 3) *Opera recreationis intempeſtiuæ, aut inordinatæ*, quibus deuotio cultus publici, aut priuati impeditur. Licita autem ſunt non tantum opera, quæ formaliter ſunt cultus diuini, verum etiam opera caritatis, neceſſitatis, & quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent.

# PRAECEPTVM QVARTVM.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt prolongentur dies tui ſuper terra, & bene ſit tibi.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXXII. *Quid mandatur & interdicitur hoc præcepto?*

*Mandatur* hoc præcepto honor & obſequium præſtandum parentibus, & qui eorum ſunt loco a). *Interdicitur* eorundem contemtus & offenſa b). Parentes, & his ſimiles, ſimul obligantur ad commoda liberorum, & qui horum ſunt loco, procuranda c).

Obſ. Per *parentes* hic intelliguntur omnes ſuperiores, quos Deus aliis regendis & defendendis præfecit, quales ſunt parentes naturales, tutores & curatores, magiſtratus, eccleſiarum miniſtri, præceptores, ſeniores ætate. Præcepta enim, aut prohibita vna ſpecie præcipua, etiam cognatæ ſpecies, ſiue totum genus præcipitur, aut prohibetur. E regione per *liberos* intelliguntur inferiores, quos regendos ac defendendos Deus aliis ſubiecit, quales ſunt liberi naturales, pupilli, auditores verbi diuini, diſcipuli, ſerui, iuniores.

Prob. a. Cum Deus præcipit: *Honora patrem tuum*, a) in *genere* nomine *honoris* comprehenduntur omnia officia, quæ liberi parentibus debent: b) in *ſpecie* exigitur a liberis, vt parentes 1) *honorent*, ob diuinum characterem, iis impreſſum, quia in illis ipſe Deus honoratur. Conſtat ille honor æſtimatione cordis, reuerentia geſtus & verborum, defenſione famæ illorum. 2) Vt ipſis *ſeruiant*, commoda eorum promouendo, & ſeneſcentium inopiam ſubleuando; quod Græci vocant ἀντιπελαργεῖν. 3) Vt ipſis *obediant*, imperata eorum promte faciendo, niſi Deo, ſupremo Patri, aduerſa præcipiant. 4) Vt ipſos *diligant*; quoniam ab illis & ſanguinem ducunt, & plurima beneficia accipiunt. Hæc dilectio eſt fundamentum honoris & obedientiæ, & ſimul radix patientiæ, qua ferendi ſunt parentum defectus. Sir. III, 11.

Prob. b. Honori, quem liberi parentibus debent, contrariatur 1) *contemtus* parentum, cum iidem corde, ore, geſtibus vilipenduntur; 2) *offenſa*, qua parentum iuſſa abnuentes filii ipſorum iram prouocant.

Prob. c. Præcepto quarto non ſolum præſcribitur liberis, quid faciendum illis ſit erga parentes, ſed & parentibus viciſſim ſua demandantur officia. Vnde vtrumque iungit Apoſtolus, Eph. VI, 34. Scil. tenentur parentes filiis præſtare omnia, quæ ad eorum commoda pertinent, 1) *ſuſtentationem*, 1 Tim. V, 8. 2) *educationem* in pietate & moribus, Eph. VI, 4. iuncta *diſciplina etiam ſeueriori*, vbi requiſiuerit neceſſitas, Prouerb. XIII. 24.

# PRAECEPTVM QVINTVM.

Non occides.

Quæſt. XXXIII. *Quid hoc præcepto prohibetur & mandatur?*

*Præcepto* quinto prohibetur homicidium a), & *mandatur* conſeruatio vitæ noſtræ & proximi b).

Prob. a. Deus, dominus vitæ & necis, diſerte vetat occiſionem non *beſtiarum*, (quæ inde ab orbe condito homini conceſſæ ſunt non ſolum ad ſeruitium, ſed & ad alimentum Gen. I, 28.) ſed *hominum*. Committitur *homicidium* 1) *opere*, ſcil. manu, inſtrumento, veneno; 2) *ore*, proditione, conuitiis, imprecationibus; 3) *geſtu* iracundo & crudeli, Geneſ. IV, 5.; 4) *corde*, ira, odio, vindicta priuata, Matth. V, 22. 1 Io. III, 15. Homicidii prohibiti *obiectum* eſt tum *proximus*, ſiue amicus, ſiue inimicus ſit, cuius neque *corpus*, neque *animum* (dato ſcandalo) occidere licet: tum *nos ipſi*, ne fiamus αὐτόχειρες, violentas manus nobis inferendo, crapulæ, iræ, triſtitiæ indulgendo, aut improbis laboribus nos enervando.

Digitized by Google

vando. Non autem hic prohibentur *ſupplicia capitalia*, quæ magiſtratus maleficis infert, neque *bella iuſta & neceſſaria*, quæ publica auctoritate geruntur. Deus prohibuit, ne nos occidamus, ſibi vero, qui dominus vitæ & mortis eſt, manus non ligauit; vtitur vero magiſtratus miniſterio, Rom. XIII, 4.

Prob. b. Homicidio *opponitur* conſeruatio vitæ noſtræ & proximi. Conſeruamus vitam noſtram & proximi 1) per *manſuetudinem*, noſtra miram cohibendo; 2) per *miſericordiam*, in neceſſitate proximo ſuccurrendo; 3) per *humanitatem*, blande alloquendo, conſolando, informando.

# PAECEPTVM SEXTVM.

Non mœchaberis.

Quæſt. XXXIV. *Quid præcepto ſexto mandatur & vetatur?*

Præcepto ſexto *mandatur* caſtitas a), & *vetatur* impudicitia b).

Prob. a. Cum Deus *prohibet* adulterium, *præcipit* nobis caſtitatem, quæ & corpus intaminatum, & animam puram ſeruat. Caſtitas eſt vel *virginalis*, qua cœlibes veram corporis & cordis puritatem citra carnis immunditiem illibatam conſeruant, 1 Cor. VII. 34. ad quam etiam referenda eſt *caſtitas vidualis*; vel *coniugalis*, qua coniuges cohabitantes, ſecundum Spiritus S. & conſcientiæ dictamen, non ſolum ab omni aliena & adulterina commixtione abſtinent, ſed in proprii etiam coniugii vſu moderationem ſeruant, præcipui in matrimonio ſcopi, & ſanitatis & temporis rationem habent, & concupiſcentiam ſuam coercent. *Subſidia* conciliandæ & conſeruandæ caſtitatis ſunt frequens lectio & meditatio verbi diuini, preces deuotæ, temperantia, & aliquando ieiunium, laboris aſſiduitas, & ab omnibus rebus libidinem prouocantibus abſtinentia.

Ores, caſta legas, ieiunes, otia vites:
Si ſeruare voles corpora caſta Deo.

Prob. b. Præcepto ſexto *prohibetur adulterium*, & omnis ei cognata impudicitia, vel impuritas 1) *operis*, ſcortatio, concubinatus, inceſtus, Sodomia; 2) *oris*, ioci obſcœni, turpiloquia, carmina impudica, cantica amatoria; 3) *geſtuum*, oculorum laſciuia, ornatus meretricius, denudatio, amplexus, deoſculatio; 4) *cordis*, impuræ cogitationes, & in iis delectatio. *Illecebræ & occaſiones* impudicitiæ, quæ hoc præcepto ſexto etiam vetantur, ſunt *ebrietas* & comiſſatio, Rom. XIII, 14. Eph. V, 18. *otium*, puluinar ſatanæ, praua ſocietas, & laſciuæ ſaltationes, veſtitus leuis, & in primis corporis partes nimium renudans, picturæ & imagines obſcœnæ.

# PRAECEPTVM SEPTIMVM.

Non furtum facies.

Quæſt. XXXV. *Quid præcepto ſeptimo interdicitur & præcipitur?*

Præcepto ſeptimo *interdicitur* furtum a), & *præcipitur* iuſtitia b).

Prob. a. *Furtum* expreſſe *vetatur*, quo hic a) *generatim* deſignatur omnis iniuſta facultatum temporalium acquiſitio, poſſeſſio & vſurpatio, atque alienarum opum ablatio. b) *Speciatim* prohibetur omne *furtum*, quod committitur 1) *opere*, ſiue illud manifeſtius, ſiue occultius fit. *Manifeſtius* eſt, quod communiter ita habetur, & a magiſtratu politico punitur,

Digitized by Google

punitur, quale eſt *furtum* ſtricte dictum, quod eſt contrectatio rei alienæ, inuito domino, cum animo priuandi: *rapina*, quæ eſt violenta & manifeſta bonorum alienorum ablatio: *ſacrilegium*, iniqua ablatio bonorum eccleſiaſticorum: *peculatus*, furtum in re ad rempublicam ſpectante: *plagiatus*, furtum hominis. *Occultius vel ſubtilius* eſt omnis iniuſtitia, qua nobis plus, proximo minus, quam decet, tribuimus: quo pertinet iniuſtitia in contractibus, menſura duplex, pretium immodicum, vſuræ mordaces, detentio eius, quod debemus, inhoneſtæ artes, prodigalitas. 2) Committitur *lingua*, ſiue verbis fraudulentis, quibus proximus defraudatur, Ier. IX, 4. Committitur 3) *corde* & appetitu alienarum facultatum inconuenienti, auaritia & fiducia in bona temporalia.

Prob. b. *Mandatur* præcepto ſeptimo *iuſtitia*, in bonis temporalibus quærendis diligens, in commutandis recta, in tuendis parca, in largiendis liberalis, vnicuique ſuum tribuens. In ſpecie itaque præcipitur 1) *diligentia* in operibus officii, vt bona temporalia decenter acquiramus: 2) *iuſtitia* in contractibus ſincera, proportionem & æqualitatem obſervans: 3) *parſimonia*, vt bona acquiſita prudenter ſtueamur: 4) *liberalitas*, vt demus, quæ & quibus oportet.

# PRAECEPTVM OCTAVVM.

## Non loqueris falſum teſtimonium contra proximum tuum.

Quæſt. XXXVI. *Quid hoc præcepto octauo prohibetur & mandatur?*

Præcepto octauo *prohibetur* omne mendacium, & omnis indecorus linguæ vſus, contra veritatem & caritatem a). *Præcipitur* autem γλωσσαρχία ſiue legitimus linguæ vſus in dicendis veris, & quæ proximo vtilia ſunt b).

Prob. a. Cum Deus, ſummus dominus & legislator, *interdicit falſum teſtimonium* contra proximum, reſpicitur quidem ordo *iudiciorum*, ſed ſub vna *ſpecie* mendacii forenſis (quod reliquis eſt peſtilentius) continetur in *genere* deteſtatio omnis mendacii. Vnde Paullus octauum præceptum ita explicat: *Deponite mendacium, & loquimini veritatem quilibet cum proximo ſuo*, Eph. IV, 25. Eſt autem *mendacium, ſtricte dictum, oratio externa contradictorie oppoſita orationi internæ ad aliquem fallendum directa;* ſi autem latius ſumatur, deſcribitur, quod ſit *malitioſa ſigni externi & conceptus interni contradictio.* Prohibetur itaque omne mendacium 1) *in iudicio*, in quo mendacium committit *teſtis*, qui vel veritatem reticet, vel loquendo veritatem lædit, Exod. XXIII, 1.; *actor*, iniuſte accuſans, Mich. VII, 23.; *reus*, negans contra conſcientiam, vel moras nectens; *aduocatus*, bonam cauſſam malis artibus impugnans, & malam cauſſam defendens, *iudex*, non ſatis cognita cauſſa, vel ſecundum inordinatos affectus iniuſtam ſententiam pronuntians. 2) *Extra iudicium*, cum falſa, vel incerta, dicuntur de proximo, eaque cupide audiuntur & latius ſparguntur, quæ detrimentum famæ alterius afferunt; vel cum ex aduerſo laudantur, aut commendantur indigni. Prohibetur itaque omnis infamatio proximi, cum ea de proximo dicuntur, quæ famæ ipſius nocent. Nec excuſat ab hoc peccato, quod, quæ dicta ſunt, *vera* fuerint. Huc ſpectant etiam conuitia, ioci aculeati, libelli famoſi, omnis proditio ſecreti, vel rei, quæ taceri debebat, omnis inanis garrulitas. Quin etiam iudicia ſiniſtra de altero, contra leges caritatis. *Non* autem prohibetur *occultatio veritatis*, quam proximo reuelare non teneor, *nec* quæ illi *vtilis* foret. Neque interdicitur correctio proximi peccantis, ſi fiat modeſte & ex caritate.



Digitized by Google

Prob. b. *Præcipitur* 1) *veritas, ſiue veracitas*, quæ eſt concordia *oris* & *cordis*; quippe quæ mendacio e diametro opponitur, Eph. IV, 25. Dicenda autem eſt veritas in iudiciis, in conſiliis, in doctrinis & artibus, in tota ciuili ſocietate. 2) *Gloſſarchia, ſiue moderatus linguæ vſus*, conſiſtens in prudenti taciturnitate, iuſta ſermonis menſura, verborum vtilitate, ſuauitate. Quare moderate lingua vtitur, qui æquiorem in partem interpretatur, quæ dubia ſunt, errores & infirmitates proximi, quoad licet, tegit aut excuſat, atque emendationem eius ſperat, eamque procurat, fraterne illum corripiendo, aut, vt ab aliis corripiatur, efficiendo.

# PRAECEPTVM NONVM.

Non concupiſces domum proximi tui.

# PRAECEPTVM DECIMVM.

Non deſiderabis vxorem proximi tui, non ſeruum, non ancillam, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt.

Quæſt. XXXVII. *Quid prohibetur & mandatur præcepto nono & decimo?*

Præcepto *nono prohibetur* concupiſcentia praua actualis cum delectatione & deliberato conſenſu coniuncta a); *præcipitur* autem fortitudo ſpiritualis, qua vetus Adamus debellatur, & naturales cupiditates temperantur b). Præcepto *decimo interdicitur* concupiſcentia originalis c), & *præcipitur* iuſtitia originalis d).

Obſ. I. *Non* eſt hic ſermo de concupiſcentia *naturali*, v. gr. cibi, potus, ſomni &c. quæ, ſi abſit ἀταξία, non damnatur; *neque* de concupiſcentia *ſancta* rerum æternarum: *ſed* de concupiſcentia *praua*, quæ eſt inclinatio & motus animi, legi diuinæ difformis.

Obſ. II. Deut. V, 21. fit tranſpoſitio obiectorum prauæ concupiſcentiæ: vxor enim primo loco, domus ſecundo recenſetur. Ex quo apparet, diſtinctionem horum præceptorum *non* poſſe ex *obiectis* primo ac proprie peti.

Obſ. III. Concupiſcentia non continet ſe in illis obiectis, quæ in his præceptis enumerantur, ſed latius vagatur: ideo additur generalis clauſula: *Non concupiſces quidquam eorum, quæ ſunt proximi.*

Prob. a. Præcepto *nono* concupiſcentiam *actualem*, & *decimo* concupiſcentiam *originalem* prohiberi, indigitat Moſes, quando Deut. V, 18. non ſine emphaſi interdictum diuinum de concupiſcentia duplici verbo hebræo exprimit. Primo dicit: לא תחמור; quod notat *actum ſecundum*, ſiue *concupiſcentiam actualem*. Deinde dicit: לא תתאוה, quod notat *actum primum*, quo quis *ſeipſum facit concupiſcere*. Nono itaque præcepto interdicitur concupiſcentia actualis, quæ tanquam notior præmittitur: Præcepto decimo prohibetur concupiſcentia originalis, cuius notitiam philoſophi ex lumine naturæ non ſunt aſſecuti. De qua Paullus loquitur, Rom. VII, 7. *Concupiſcentiam* (peccatum eſſe) *non noueram, niſi lex dixiſſet: Non concupiſces.* Apoſtolus Iacobus c. I, 15. concupiſcentiam *actualem* vocat συλλαβοῦσαν καὶ τίκτουσαν, concupiſcentiam concipientem & parientem, quæ concipit delectationem & conſenſum voluntatis, atque in actum externum erumpit; concupiſcentiam *originalem* autem appellat v. 14. ἐξέλκουσαν καὶ δελεάζουσαν, abſtra-

Digitized by Google

abſtrahentem & ineſcantem, quæ a Deo & regula rectitudinis cor hominis auertit, & quibusuis illecebris ad malum inuitat. Prohibentur itaque præcepto nono omnes affectus praui & cogitationes malæ, quibus homo indulget, & quibus delectatur, in primis aduerſus proximum, cuius rei exemplum adducitur. *In ſpecie* prohibetur 1) *inuidia*, Prou. XXI, 10.; 2) *nocendi cupiditas*, Mich. II, 1. 2.: 3) *auaritia*, Eccl. V, 9.: 4) *ambitio*, ſiue honoris inordinata cupiditas, Gal. V, 26.: 5) *concupiſcentia voluptatum*, & amor ſæculi, 1 Io. II, 16.

Prob. b. Concupiſcentiæ prauæ reſiſtitur *fortitudine ſpirituali*, quæ tum cupiditates carnales, ſiue prauas debellat, vincit, mortificat, tum cupiditates naturales, ne excedant, moderatur, ad cupiditatem denique rerum æternarum calcar addit. *In ſpecie* itaque *præcipiuntur:* 1) *quotidiana lucta aduerſus carnem*, Gal. V, 24.: 2) *temperantia* cibi, potus & recreationum: 3) *modeſtia*, in appetendis honoribus: 4) *αὐτάρκεια*, ſiue æquitas animi: 5) *deſiderium bonorum ſpiritualium & cæleſtium.*

Prob. c. Præcepto *decimo* prohibetur *concupiſcentia originalis*, quæ eſt congenita inclinatio ad malum, & radix omnium aliarum cupiditatum & peccatorum. Huc ſpectant primi motus mali, ſiue praui voluntatis actus indeliberati, ad quos non accedit delectatio aut conſenſus.

Prob. d. In præcepto *decimo* Deus a nobis exigit *iuſtitiam originalem*, quam iure a nobis poſcit, quia concreauerat, & induitionem noui hominis, qua illa paullatim reparatur, Eph. IV, 24.

Quæſt. XXXVIII. *Eſtne lex moralis Sinaitica perfecta faciendorum & fugiendorum norma; an a Chriſto, tanquam nouo legislatore, aucta, & nouis præceptis completa fuit?*

Lex moralis Sinaitica eſt *perfecta* faciendorum & fugiendorum *norma*, *neque* eadem *a Chriſto nouis præceptis*, aut *additamentis aucta*, ſed tantum *vberius declarata*, & a corruptelis phariſaicis *repurgata* eſt.

Prob. 1) Lex diuina *perfecta* eſt, Pſ. XIX, 8. adeoque nec additionem, neque diminutionem patitur, Deut. XIII, 1.

2) Lex moralis non aliter repetitur in nouo teſtamento, quam tradita fuit in V. T. Compendium vtriusque eſt doctrina de diligendo Deo & proximo, quæ exſtat Deut. VI, 5. Leu. XIX, 18. Quod compendium legis eadem ratione repetitur Matth XXII, 27. & Luc. X, 27.

3) Omnes virtutes, Chriſtiano dignæ, in lege Moſaica præcipiuntur, & omnia vitia in eadem prohibentur: E. eſt perfecta.

4) Chriſtus θεάνθρωπος, non eſt nouus legislator, ſed legis interpres, doctor & vindex. *Lex enim per Moſen data eſt, gratia & veritas per Chriſtum facta*, Io. I, 17.

5) Quamuis Chriſtus in officio prophetico legem diuinam inculcauerit, expoſuerit, & a corruptelis Phariſæorum repurgauerit: præcipua tamen pars & finis officii Chriſti prophetici fuit, vt dulciſſima euangelii doctrina pauperes ſpiritu & contritos, confractosque corde erigeret, Ieſ. LXI, 1. Luc. IV, 18.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum*, *Socinianorum & Arminianorum*, aſſerentium, Chriſtum eſſe *nouum legislatorem*, qui legem moralem perfectiorem reddiderit, & nouis præceptis compleuerit. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. Chriſtus & Moſes, tanquam *duo legislatores*, ſibi opponuntur, Hebr. III, 5. 6. Reſp. Opponuntur ſibi vt *dominus*, & *ſeruus*, vt filius in domo Dei & famulus.

II. Chriſtus diſerte dicitur *legislator*, Eſ. XXXIII, 22. Reſp. Verba textus ſunt: *Iehouah eſt iudex noſter: Iehouah eſt legislator noſter: Iehouah eſt rex noſter: Ille ſaluabit nos.*



Digitized by Google

Reſp. Senſus eſt: SS. Trinitas conſeruat nos. Deus Pater eſt iudex & vindex noſter. Spiritus S. eſt legifer & doctor noſter. Filius Dei eſt rex noſter. Confer. CALOVII *bibl. illuſtr. in h. l. fol.* 151.

III. Chriſtus *dedit nouam legem*, Io. XIII, 34. E. fuit nouus legislator. Reſp. Diſt. inter legem *ſimpliciter* nouam, & ſecundum quid, ſeu *comparate* nouam. Lex Chriſti *noua* dicitur *non* abſolute & *ſimpliciter*, quia eſt eadem lex cum lege Sinaitica, ſed dicitur *noua* ſecundum quid & *comparate*, quia eſt a Chriſto *renouata*, a falſis interpretationibus Phariſæorum *vindicata*, & *nouo* Chriſti *exemplo* confirmata.

IV. Qui *præcepta ſua Moſaicis præceptis opponit*, ille eſt nouus legislator: Atqui Chriſtus &c. Matth. V, 21. 22. Reſp. Chriſtus præcepta ſua oppoſuit *non legibus* Moſaicis, *ſed corruptelis* Phariſæorum, qui putabant, homicidium tantum fieri opere externo, non corde, non geſtu, non ore. *).

V. Quicunque *impleuit* legem, eandem *auxit*: Atqui Chriſtus &c. E. *Maior* probatur: quia tunc aliquid *impletur*, quando ad ipſius complementum aliquid adiicitur, ſicut vas oleo impletur, quando plus olei infunditur. *Minor* patet ex Matth. V, 17. Reſp. Loquitur Chriſtus de impletione legis per conſummatiſſimam obedientiam noſtri vice præſtitam, non de impletione legis per additionem. Nam πληροῦν νόμον nullibi legis *auctionem* ſignificat. **). Conf. Rom. XIII, 8. 10. Gal. V, 14. Gal. VI, 2.

VI. Chriſtus *tria dedit* præcepta moralia, quæ non exſtant in lege Moſaica: 1) *Seipſum abnegare*, 2) *crucem ſuam tollere*, ſiue tolerare, & 3) *Chriſtum imitari*, Matth. XVI, 24. Reſp. *Abnegatio ſui* pertinet ad præceptum primum, quod agit de Deo diligendo ex toto corde & ex tota anima. Nam ſeipſum abnegat, qui amorem ſui poſtponit amori Dei. *Crucis tolerantia* eſt patientia, commendata nobis in præcepto primo; quia fluit ex timore Dei filiali. *Imitatio Chriſti*, (exponente *catech. Racov. c. II. de præcept. Chriſti, quæſt. 8.*) conſiſtit

*) Id quod luce clarius adparet 1) ex propoſito generali, v. 20.: 2) Ex hac dicendi ratione, ἠκούσατε, ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, quæ nunquam de diuina lege, non ore tradita, ſed litteris conſignata, vſurpatur. Semper de ea adhibentur loquutiones huiusmodi: *Deus iuſſit*; *Moſes*, diuinæ voluntatis interpres ac miniſter, *dixit; quomodo in lege ſcriptum exſtat*: 3) Ex ſententia verborum, v. 21. & 22.; neque enim diuerſa illa iudicia in foro iudaico iam Moſis ætate conſtituta erant, neque alia, quam capitali pœna homicidii reum adfici Deus iuſſerat lege antiquiſſima, Gen. IX, 6. & crebro repetita: 4) Ex falſa ſententia, v. 43. plane contraria legi diuinæ ac morali, Moſe miniſtro promulgatæ, Leu. XIX, 18. Ex XXIII, 4. Prou. XXV, 21.: 5) Ex concluſione vniuerſæ orationis, Matth. VII, 12.

**) Chriſtus omnino duplici ratione legem impleuit: primum, vt ſummus *Sacerdos* noſter, obedientiam vicariam perfecte præſtando; deinde, vt ſummus *Doctor* noſter, perfectam legis ſententiam explicando, atque aduerſus Phariſæorum corruptelas vindicando. In hoc quidem loco, Matth. V, 17. Chriſtus non Sacerdotis, ſed Doctoris partibus functus eſt. Verbum igitur hoc, πληρῶσαι, debet intelligi de perfecta interpretatione legis diuinæ, priſtinæ integritati ſuæ reſtituendæ. Id confirmatur 1) ſcopo totius orationis; 2) oppoſitione, tum verbi, καταλῦσαι, tum peruerſæ & corruptæ doctrinæ, v. 19.; 3) aliis ſcripturæ locis, in quibus πληρόω denotat perfectionem doctrinæ, ſi quis eam ita integram proferat, vt nihil demtum ſit, nihil etiam additum, e. c. Rom. XV, 19. Col. I, 25. Ceteroqui maximopere cauendum eſt, ne hæc duo inter ſe confundantur: *implere*, & *ſupplere*. *Implere* eſt, perfecte & facere, & dicere id, quod omnino imperatum eſt. *Supplere* eſt, rem nondum integram, in qua defectus quidam ſunt, additamentis auctam perficere. Hoc alterum eſt, quod ſibi volunt *Sociniani*, minime illis dandum.

Digitized by Google

ſiſtit in fiducia erga Deum, caritate perfecta, humilitate ac perſeuerantia in precibus, adeoque tum ad primum, tum ad ſecundum decalogi præceptum pertinet. Ceterum imitationem Dei & Chriſti non fuiſſe ignotam patribus & prophetis, diſcimus ex Leu. XI, 44. *Ego ſum Dominus, Deus veſter: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Quod repetitur Matth. V, 48. 1 Petr. I, 15. Et ne quis opinetur, aliam eſſe Dei, patribus præſcriptam, & aliam eſſe Chriſti, nobis præſcriptam, imitationem, audiat Paullum, Eph. V, 1. 2. *Eſtote imitatores Dei, ſicut liberi dilecti; & ambulate in dilectione, ſicut etiam Chriſtus dilexit nos.*

Quæſt. XXXIX. *Quotuplex eſt vſus legis moralis?*

*Vſus* legis *moralis* eſt quadruplex: a) *politicus*, b) *elenchticus*, c) *pædagogicus* d), & *didacticus* *).

Prob. a. *Vſus legis politicus* conſiſtit in conſeruatione externæ diſciplinæ, vt feri & indomiti homines a ſceleribus grauioribus, propoſitis pœnis & præmiis, auertantur. Iuxta hunc vſum lex eſt *frenum aut repagulum*, quo peccatores coërcentur.

Prob. b. *Vſus elenchticus* conſiſtit in peccatorum manifeſtatione & redargutione, iuxta atque ſeueriſſimi iudicii diuini demonſtratione, Rom, III, 2. Iuxta hunc vſum lex eſt *ſpeculum peccati.*

Prob. c. *Vſus pædagogicus* conſiſtit in compulſu indirecto ad Chriſtum. Quamuis enim lex formaliter directeque Chriſtum nec ſciat, nec doceat; attamen accuſando, conuincendo, terrendo, oblique compellit peccatorem ad quærendum ſolatium & auxilium in Chriſto redemtore. Itaque lex eſt *pædagogus ad Chriſtum*, Gal. III, 24. **).

Prob. d. *Vſus didacticus* conſiſtit in informatione & directione omnium actuum moralium internorum & externorum. Sic lex eſt *perpetua viuendi regula*, Matth. V, 17.



*) Theologorum plerique vſum legis pædagogicum ad elenchticum referre ſolent. *Triplicem* igitur vſum legis numerant, vt *tertius* ſit *didacticus.* Hæc ſententia eſt in capite VI. *Form. Conc.* eiusque *declar.* quod ita inſcribitur: de *tertio vſu legis.*

**) Illud quidem dictum intelligendum eſt de *pædagogico* vſu legis ſacræ ac *ritualis* V. T. Id nimirum declaratur, cum ſcopo vniuerſæ huius epiſtolæ, tum coniunctione horum verborum & cum antecedentibus; v. 23 & cum ſubſequentibus, v. 25. 28 IV, 1.-4. Quod vero ad *moralem* legem attinet, de eius vſu *pædagogico* ex inſtituto diſſeritur in litteris ad Romanos ſcriptis, III, 20. IV, 15. V, 20 add. 1 Cor. XV, 56. Marc. XII, 34. Pſ XXXVIII, 5. LI, 3. 4. & 5. ſeqq. Explicabo huius differentiæ rationem. Vtrique quidem legi, & rituali, & morali, adſerendus eſt vſus quidam pædagogicus, verum tamen alius atque alius, pro diuerſa vtriusque legis natura ac definitione. Scilicet *moralis legis* vſus *pædagogicus*, vt vocari ſolet, eſt ſenſus peccati, nullo vnquam pretio finito expiandi, quo ſenſu triſtiſſimo inflammatur animus ardentiſſimo deſiderio diuinæ gratiæ, infinito pretio ſatisfactionis a Chriſto partæ, quam Euangelium nobis nuntiat *Cæremonialis* autem, ac veteris Teſt. propriæ *legis, quatenus* erat cæremonialis, vſus *pædagogicus* erat typica ſignificatio aduenturi Chriſti, ac ſenſus duri oneris, quod ſecum ferebant illæ leges, quo quidem ſenſu incendebantur animi deſiderio Chriſti, in carne manifeſtandi. Singularis ratio eſt, quam ob rem PAVLLVS Gal. III, 24. legem *cæremonialem* nominauit παιδαγωγόν ad Chriſtum, tunc venturum ac reuelandum. Hanc nimirum rationem interpretatur ipſe, paullo poſt, cap. IV, 1. 2. 3. quod Iudæi ſub typica V. T. œconomia habiti fuerint tamquam παιδία ac νήπιοι.

Quæſt. XL. *An renati ab hoc quadruplici vſu legis liberati & exemti ſunt, vt ipſis doctrina legis prædicanda non ſit?*

Lex moralis ob quadruplicem, quem præſtat vſum, *etiam renatis* prædicanda & inculcanda eſt.

Prob. 1) Vſu legis politico Chriſtiani continentur in diſciplina, vt vitia vitent, & virtutibus creſcant; propterea, quod *in hac vita non plene renouantur, ſed aſſidue cum veteri ſuo Adamo luctentur: Vetus enim ille Adam (quaſi aſinus indomitus & contumax,) eſt adhuc etiam aliqua pars ipſorum, quæ non modo legis doctrina, exhortationibus, impulſu & comminationibus, verum etiam, quaſi fuſte, plagis & pœnis coercenda, & in obedientiam Chriſti cogenda eſt*, docente *Form. Concord. p.* 723.

2) Vſum *elenchticum* lex exercet in *renatis*, quoties ſpeculum legis intuentes perducuntur ad peccati inhabitantis & imperfectionis ſuæ cognitionem, Rom. VII, 18.

3) Lex etiam *renatis* eſt *pædagogus* ad Chriſtum. Id quod eximie docet B. LVTHERVS in *comment. poſter. ad Gal. p.* 94. *Quatenus manet caro, eatenus etiam manet lex pædagogus, qui ſubinde perterrefacere & contriſtare ſolet conſcientiam, oſtenſione peccati & comminatione mortis. Ipſa tamen ſemper erigitur quotidiano aduentu Chriſti.*

4) Lex credentibus eſt *regula vitæ* neceſſaria, *ne propria quadam ſanctimonia religioſum vitæ genus de ſuo ingenio excogitent, & ſub prætextu ſpiritus Dei electitios cultus ſine verbo & mandato Dei inſtituant*, monente *Form. Concord. p.* 722.

*Antitheſis* eſt *Antinomorum* *) & *Anabaptiſtarum*, qui contendebant, legem Moſaicam ad Chriſtianos non pertinere. Quorum argumenta ſunt:

I. *Lex iuſto non eſt poſita;* 1 Tim. I, 9. Reſp. Verba Paulli ſunt: Δικαίῳ νόμος ὀ κεῖται, *iuſto lex non incumbit*, velut graue onus. Quod in *Form. Concord. p.* 719. accurate exponitur: *Lex neque eos, qui per Chriſtum cum Deo reconciliati ſunt obruere, neque renatis coactione ſua moleſta eſſe poteſt: Quandoquidem illi ſecundum interiorem hominem lege Dei delectantur.*

II. Renati

*) Veterrimi *Antinomi*, omniumque peſſimi, *Manichæi* fuerunt, qui propterea, quod ſanctiſſimam Dei legem malo, quod finxerunt, principio adſignare impie ſunt auſi, eam totam reiecerunt, aduerſus quos AVGVSTINVS in primis copioſe diſputauit. Sed *eorum Antinomorum*, qui paullo poſt auſpicium repurgatæ doctrinæ eccleſiam turbarunt, & quorum capitalis error fuit confuſio legis atque euangelii, eorum, inquam varia fuerunt *genera*, præſertim *duo;* quorum in *vno* fuerunt, qui vſum *epanorthotico-pædagogicum* legi morali denegarunt, cognitionem peccatorum ac deteſtationem, rati, non ex lege, ſed ex euangelio efficiendam eſſe: in *altero* numerati ſunt illi, qui vſum legis tertium ſiue, *didacticum*, ſuſtulerunt, temere exiſtimantes, renouatos homines non indigere vlla lege, vtpote quæ non, niſi impiis, data ſit. Huius diſtinctionis notitia neceſſaria eſt, ad intelligendam ſententiam noſtræ *Form. Conc.* eiusque *declarationis*. In ea enim caput V. & VI. vtrumque quidem oppoſitum eſt *Antinomis:* at non vna eademque ratione. In V. capite diſputatur aduerſus eos Antinomos, qui ad *prius* horum generum referendi ſunt. Contra illos autem, qui in *altero* genere numerantur, controuerſia agitatur in VI. capite. Noſtra ætate, pro dolor! in graviſſimo *Antinomorum*, & *vtriusque* quidem generis, errore, vt in multis aliis, nimis aperte verſantur *Herrnhuthiani*, quos nullus Theologorum, recte ſentientium, ſociis Auguſtanæ confeſſionis, ne variatæ quidem, nedum veræ atque integræ, adnumerandos cenſebit.

Digitized by Google

II. Renati *non ſunt ſub lege, ſed ſub gratia*, Rom. VI, 14. Reſp. Renati *non* ſunt ſub *maledictione* & moleſta *coactione* legis; ſunt tamen ſub *obligatione* legis ad præſtandam obedientiam.

### Quæſt. XLI. *Eſtne lex moralis Sinaitica abrogata?*

Lex moralis, in monte Sinai a Deo promulgata, *abrogari nequit.*

Prob. 1) Lex moralis, immediate per Filium Dei promulgata, ab ipſo tabulis lapideis inſcripta, & in arca fœderis aſſeruata eſt, vt eſſet certiſſima regula & norma, ad quam vita ſecundum immutabilem voluntatem Dei ſit pie inſtituenda. E. abrogari nequit.

2) Lex moralis complectitur legem naturalem, quæ refert ipſam iuſtitiam in Deo, & quidam huius radius eſt. Vt itaque hæc eſt immutabilis; ita & illa.

*Antitheſis* eſt *Riueti, Parei & aliorum*, aſſerentium, legem moralem, quatenus miniſterio Moſis eſt tradita, abrogatam eſſe penes Chriſtianos. Quorum argumenta ſunt:

I. Quibus nihil eſt commune cum Moſe, ſed omnia communia ſunt cum Chriſto, illi ad legem Moſis ſeruandam non ſunt adſtricti: Atqui Chriſtianis &c. E. Reſp. Lex moralis dicitur *lex Moſis*, tanquam miniſtri, eſt autem *lex Dei*, tanquam auctoris, a quo perpetuam vim obligandi communicatam retinet. Moſes non promulgauit legem moralem, neque manu ſua eandem tabulis lapideis inſcripſit, ſed Filius Dei.

II. Nonnulli Theologi Lutherani docent, legem moralem *abrogatam* eſſe quoad *iuſtificationem, maledictionem & rigorem exactionis.* Conf. DIETRICI *inſtit. catechet. p. 73.* QVENSTED. *ſyſt. part. IV. fol. 11.* Reſp. Alii Theologi Lutherani ab ea loquendi ratione abſtinendum eſſe cenſuerunt, nominatim D. CALOV. in *bibl. illuſtratis ad Exod. c. XX. fol. 398. ad Gal. III. f. 591.* D. IO. OSIANDER in *typo legis moralis, p. 83.* D. RVDRAVFF in *ſyll. controu. p. 362* D. BAYER. in *comp p. 817.* Adſcribam hic iudicium D. GERHARDI, *quod legitur in loco de lege cærimon. & forenſ.* c. *IV. §. 43. Quod ad iuſtificationem & vitam hominibus, poſt lapſum lex inualida eſt, illud nullam affert legi mutationem, vel abrogationem, ſed in nobis grandem mutationem factam eſſe arguit; ideo enim ex lege non poteſt ſperari iuſtificatio & ſalus, quia per carnem infirmatur*, Rom. VIII, 3. *Pari ratione, quod credentes in Chriſtum non ſunt actu obnoxii maledictioni legis, ex eo itidem nulla poteſt mutatio, vel abrogatio legi tribui; ſiquidem proprietatem & efficaciam ſuam accuſandi, maledicendi & damnandi vox legis obtinet perpetuam; quod hanc vim ſuam non actu exſerat aduerſus credentes, ex accidenti prouenit, nimirum quia ſcutum diuinæ gratiæ ac pallium iuſtitiæ Chriſti eos tegit. Idem iudicium ſit de rigore iudicii exactionis, qui legi manet perpetuus ac inuiolatus, quem ipſi etiam credentes & eorum opera experiri cogerentur, niſi credentes eſſent, h. e. niſi per fidem in Chriſtum Deo reconciliati eſſent, propter quem etiam opera ipſorum, licet multis modis immunda & imperfecta ſint, Deo placent.* Recte igitur monet D. CHEMNITIVS, *loco de lege c. V. p. 18. Scripturam non dicere, quod lex moralis ſit mortua, abrogata, vel euacuata, ſed nos dici mortuos & abrogatos legi, vt ſignificet fieri mutationem non in illa regula iuſtitiæ in Deo, ſed in nobis*, Rom. III, 21. *Legem non* καταργῦμεν, *ſed nos* κατηργήθημεν ἀπὸ τῦ νόμυ, ἀποθανόντες Diſtinguendum itaque hic eſt inter *locutionem accuratam & vulgarem, ſiue popularem:* Hæc ſecundum *ſenſum* potius, quam ſecundum *verba* intelligenda eſt. Conſuetum enim, eſt, vt, cum ex gratia transgreſſio legis non rigoroſe reſpicitur, ſed condonatur, ipſum legislatorem hoc non requirere, in ſermone vulgari dicamus; imprimis ſi id ordinarie fiat.

III. Chriſtus abrogauit præceptum tertium de ſanctificando die ſabbathi, dum per Apoſtolos feriari iuſſit diem primum ſeptimanæ, Act. XX, 7. 1 Cor. XVI, 2. Reſp. Præceptum tertium continet in ſe aliquid *morale & cærimoniale. Morale* eſt cultus diuinus, ſeptimo



Digitized by Google

die aliquo celebrandus: *Cærimoniale* eſt præciſe ſeptimus ſeptimanæ dies. *Morale* reſpicit ſeptenarium indefinitum & numerum cardinalem, ſiue vnum e ſeptem ſeptimanæ diebus: *Cærimoniale* reſpicit ſeptenarium definitum, & numerum ordinarium, i. e. præciſe ſeptimum ſeptimanæ diem. *Morale* adhuc durat, *cærimoniale* eſt abrogatum.

Quæſt. XLII. *Poſſuntne renati legem perfecte implere?*

*Nullus renatus* in hac vita legem Dei *perfecte* implet a); *imputatur* autem renatis ad iuſtitiam *perfecta* obedientia, quam *Chriſtus* mediator, vice generis humani, legi diuinæ præſtitit b). Et conferuntur illis a Spiritu S. per gratiam renouationis *vires* ſupernaturales, vt *deliberato voluntatis propoſito* legem Dei *non* violent, quamdiu *in ſtatu regenerationis* permanent c).

Obſ. I. Grauiter monet D. CHEMNITIVS, *loco de lege c. VIII. fol. 99.* In ſingulis præceptis hæc doctrina diligenter inculcanda eſt, & quomodo *lex ſit impoſſibilis*, & quomodo *impletionem eius habere poſſimus.* Vtrinque enim periculoſe, & ſæpe non ex ignorantia, ſed ex petulantia erratur. *Phariſæi*, quia ſcriptum eſt Ezech. XXXVI, 27.: *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis*, fingunt, ſe poſſe ſingulis præceptis perfecta obedientia ſatisfacere. *Epicuræi*, quando audiunt, neminem in hac vita poſſe legi Dei ſatisfacere perfecta obedientia, hoc velamine excuſant omnes lapſus contra conſcientiam, & fingunt, credentes nihil nec poſſe nec debere in mandatis Dei ſeruare. *Sed hoc ſomnium æque falſum eſt, ac Phariſæorum delirium.*

Obſ. II. *Non* eſt quæſtio de *irregenitis*, qui externam diſciplinam vtcunque præſtare poſſunt, quam ſcriptura vocat *iuſtitiam carnis*, Hebr. IX, 10. *), ſed interior obedientia cordis ſine fide & Spiritu S. non poteſt ab iisdem præſtari, aut impleri, nec externa illorum diſciplina Deo placere. Quæritur hic de *renatis.*

Obſ. III. Accurate diſtinguendum eſt inter *perfectionem abſolutam, ſiue conſummationis, & comparatam, ſiue ſinceritatis.* Renati in hac vita nunquam aſſequuntur perfectionem *abſolutam; comparate* tamen dicuntur perfecti, reſpectu aliorum, qui vel *hypocritæ ſunt, vel ſine vllo pudore peccata proæretica committunt* **). At renati ſincere legem Dei ſeruant, nec ex proæreſi peccant, ſed ſummo ſtudio ad perfectionem contendunt.

Prob. a. 1) Ex Act. XV, 10. vbi Petrus in collegio Apoſtolico inquit: *Nunc ergo quid tentatis Deum, ad ponendum iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri* (Abraham, Moſes &c. qui poterant videri perfectiſſimi), *neque nos valuimus portare.* Obſ. 1) Non de circumciſione tantum, ſed de vniuerſa lege, cuius illa quaſi prima ianua & teſſera erat, controuerſia Apoſtolis a pſeudo-doctoribus mouebatur, nec tantum de cærimoniali, ſed & morali lege agi ex diſtinctione v. 5., fornicationis nominatione v. 20., & illatione Gal. V, 13. liquet. 2) Lex hæc moralis iugum eſt non tantum δυσβάστακτον, portatu difficile (ſicut Chriſtus dicit, quod legales cerimoniæ ſint φορτία βάρεα καὶ δυσβάστακτα, onera grauia & por-

*) In eo quidem loco perſpicuum eſt, Apoſtolum loqui de *lege rituali* V. T. ac *Leuitica*, quam ipſe cap. VII, 16. dixerat νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, cuius nominis ratio poſita eſt in illius legis *Obiecto*, vt loqui moris eſt, *reali*, quod potiſſimum erat *caro*, partim *hominum*, in circumſectione, crebriſque ac variis lauationibus, partim *pecudum*, in ſacrificiis Deo offerendis. B. Auctor id ipſe profitetur infra. quæſt. XLVI. prob. 2.

**) Siue potius *aliorum renouatorum*, qui *incipientes* ſunt, nec tantos fecerunt progreſſus. e. g. Epheſ. IV, 13. 14. Cum enim dicitur *perfectio*, ſemper *comparatio* inſtituitur, & *earum* quidem rerum, quæ ex *eodem* ſunt *genere*, quarum *eadem natura & conditio* eſt, & quæ *gradu* dumtaxat, vt maius & minus, inter ſe differunt.

Digitized by Google

& portatu difficilia Matth. XXIII, 4. ; ſed prorſus ἀβάϛακτον, quia a nullo mortalium perfecte impleri poteſt.

2) Ex Rom. VIII, 3. *Quod impoſſibile erat legi, dum per carnem infirmatum eſt, Deus, qui ſui ipſius filium miſit in ſimilitudine carnis peccati* (præſtitit), *& pro peccato condemnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Docet Apoſtolus, legem iuſtificare & ſaluare non poſſe, *non per ſe* (eſt enim perfecta iuſtitiæ norma, ſuique obſeruatoribus ſalutem promittit), *ſed quia homo peccato corruptus eam perfecte implere nequit.*

3) Ex Rom. VII, 14. *Scimus, quod lex ſpiritualis ſit : ego vero carnalis ſum.* Renati ſunt *carnales* non ex toto, ſed ex *parte*, non ob *carnis* dominium, ſed *ſenſum*. *Carnales* ſunt *comparate* ad *legem*, quæ exigit obedientiam non tantum exteriorem, ſed etiam interiorem. Cum ergo renati *ex parte carnales* ſint, legem *totam ſpiritualem* exacte implere nequeunt.

4) Lex moralis obligat renatos ad obedientiam *perfectam* ratione *graduum*, *partium*, *perſeuerantiæ*, quam nemo mortalium poſt lapſum præſtare poteſt. Vide ſupra quæſt. XXI.

Prob. b. Ex Rom. X, 14. *Chriſtus eſt finis* (impletio) *legis omni credenti.* Qui agunt pœnitentiam, & vera fide apprehendunt Chriſtum mediatorem, illis imputatur perfecta obedientia legis, quam Chriſtus præſtitit, ac ſi ipſi ſatisfeciſſent legi. Et hoc modo habent *plenam, perfectam & integram* obedientiam legis, *imputatione* per *fidem*, docente CHEMNITIO *l. c.*

Prob. c. Non donatur renatis obedientia Chriſti, vt libere ſecundum carnem viuant, Rom. VIII, 12. ſed datur etiam *ſpiritus renouationis*, qui facit, vt *in præceptis Dei ambulent*, Ier. XXXI, 33. *& ſcribit legem in cor eorum*, Exech. XXXVI, 27. ; cuius viribus inſtructi *mortificant actiones carnis*, Rom. VIII, 13. *nec* peccant *voluntarie*, quamdiu *ſemen regenerationis in illis eſt vegetum*, 1 Io. III, 9.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum*, *Arminianorum*, *& Anabaptiſtarum*, ſtatuentium, renatos poſſe legem Dei *perfecte implere*. Qui ſequentibus nituntur argumentis:

I. Chriſtus dicit : *Iugum meum eſt ſuaue & onus meum eſt leue*, Matth. XI, 30. E. facile impleri poteſt. Reſp. Loquitur Chriſtus de doctrina euangelica, quæ, licet adiunctum habeat crucis & tentationum pondus, ſatis *graue carnali* homini, tamen *renatis* eſt ſuaue, tum ob dulciſſimam conſolationem ex promiſſis euangelicis & remiſſione peccatorum eſſloreſcentem, tum ob Spiritus S. gratiam & præſentiam, & ſpem certam gratuitæ remiſſionis.

II. *Mandata Dei non ſunt grauia*, 1 Io. V, 3. E. facile impleri poſſunt. Reſp. *Non* ſunt *grauia credenti* in Chriſtum, quippe qui Spiritu Dei *ſpontaneo* actu delectatur lege Dei ſecundum internum hominem; quamuis *videat aliam legem in membris ſuis, quæ repugnat legi mentis ſuæ*, Rom. VII, 22. 23.

III. Chriſtus mortuus eſt, *vt iuſtificatio legis in nobis impleretur*, Rom. VIII, 4. Reſp. Notanter dicit Apoſtolus *in nobis*, non *a nobis :* nimirum τὸ δικαίωμα τȣ̃ νόμȣ *in* nobis impletur, cum obedientia Chriſti *nobis imputatur.*

IV. *Qui Chriſtum diligit, ſermonem eius ſeruat.* Atqui renati &c. E. *Maior* patet ex Io. XIV, 23. Reſp. Sicut renati *in hac via* vitæ Chriſtum non perfecte, ſed pro modulo ſuarum virium diligunt: ita ſermonem eius *imperfecte ſeruant :* diligent & ſeruabunt *perfecte in patria.*

V. *Circumcidet Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Deum, Dominum tuum, ex toto corde tuo.* Deut. *XXX, 6.* Reſp. *Cor totum* opponitur vel cordi *duplici & diuerſo*, vel cordi *manco & mutilo :* Priori ſenſu notat cor *ſincerum*, poſteriori ſenſu deſignat cor *perfecte renouatum.* Renati Deum diligunt *corde ſincero*, & imperfectionem ſuam in diligendo agnoſcunt & dolent.

VI. *Omnia poſſum per eum, qui me perficit, Chriſtum* Phil. IV, 13. E. perfecte implere legem poſſum. Reſp. 1) *Reduplicatiue* hæc verba intelligenda ſunt: Omnia, quæ poſſum,



Digitized by Google

*poſſum per gratiam Chriſti*, qui me corroborat, non ex meis viribus. 2) *Reſtricte*, ſecundum ſubſtratam materiam: *Noui eſſe humilis, noui & excellere.*

VII. *Mandatum, quod præcipio tibi, non eſt ſupra te*, i. e. ſupra vires tuas, Deut. XXX, 11. Reſp. Paullus verbum hoc non de verbo *legis*, ſed de verbo euangelii *exponit*, Rom. X, 6.

VIII. Nihil impoſſibile Deus præcipit, aut eſt iniquus. Reſp. Deus nihil ſimpliciter & omni tempore impoſſibile præcipit. Etenim 1) impletio legis *naturæ inſtitutæ* fuit poſſibilis: E. Deus non iniuſtus eſt, ſi eam a nobis, *noſtra culpa* infirmis, exigat. Vtitur iure ſuo creditor, repetens debitum etiam ab eo, qui propria culpa non eſt ſoluendo. 2) Impletio legis *non* eſt *in ſe* impoſſibilis, ſed κατ᾽ ἄλλο, propter aliud, quatenus per carnem infirmatur, Rom. VIII, 3. 3) Deus ex gratia credentibus obedientiam Chriſti ad iuſtitiam imputat, eorumque inchoatam & ſinceram obedientiam, licet imperfecta ſit, acceptat, condonata imperfectione.

# DE LEGE CAERIMONIALI.

Quæſt. XLIII. *Quid eſt lex cærimonialis?*

*Lex cærimonialis* eſt iuſſum Dei, quo ſummus hic dominus & legislator populum veteris teſtamenti obligauit, & per Moſen certam formam externi cultus ei præſcripſit, vt homines peccatorum commonefaceret, contritis redemtorem eminus oſtenderet, & gratiam fœderalem per duo ſacramenta & varia ſacrificia applicaret & obſignaret.

Quæſt. XLIV. *In quo conſiſtebat cultus externus lege cærimoniali præſcriptus?*

Cultus *externus*, populo Dei in veteri teſtamento præſcriptus, conſiſtebat in certis *ritibus* obſeruandis circa *perſonas* a), *res* b), *loca* c), & *tempora ſacra* d).

Prob. a. *Perſonæ ſacræ* in V. T. eccleſiaſticis functionibus deſtinatæ, in tres diſpeſcebantur ordines, ſcil. *ſummi pontificis, ſacerdotum, & leuitarum* ſtricte dictorum: De quibus vide Exod. XXVIII, 29. Leu. IV, 8. Leu. IIX, his adde *Nazaræos*, Num. VI.

Prob. b. Agunt leges cærimoniales 1) de abſtinentia a certis cibis & quorundam animalium eſu, Leu. XI, 2. c. XVII, 11. 2) de vſu certarum veſtium, Deut. XXII, 11. 3) de ædium ſtructura, Leu. XIV, 34. 4) De ſatione, arboribus, animalibus brutis, Deut. XXII, 9. Leu. XIX, 19. Deut. XXII, 6. 5) De vaſis & vtenſilibus ſacris, ſiue inſtrumentis externi cultus diuini. 6) De duobus ſacramentis V. T. circumciſione & agno paſchali, de quibus infra: 7) De ſacrificiis.

*Sacrificium eſt externa ſacra actio, qua res aliqua viſibilis Deo per ſacerdotem, ritu in lege præſcripto, offertur, ad commonefaciendum homines de peccati grauitate, & futuro ſacrificio Meſſiæ in ara crucis pro peccatis offerendo* *).

*Sacrificium*, ratione *materiæ*, aliud erat מנחה, δῶρον, quod erat ſacrificium cibarium: aliud זבח, θυσία, ſacrificium ſanguineum ex animalibus in honorem Dei mactatis: ratione *formæ*, aliud expiatiuum, aliud pacificum, idque vel euchariſticum, vel votiuum: ratione *temporis*, aliud quotidianum, aliud ſabbatharium, aliud anniuerſarium. De his vid. GERH. *loco de lege cerem. c. I. p. 163.*

Prob.

*) Hæc definitio non generalis eſt omnium ſacrificiorum, ſed ſpecialis eorum in primis, quæ erant *piacularia*.

Digitized by Google

Prob. c. *Loca ſacra*, circa quæ occupabatur lex cærimonialis, duo erant; tabernaculum, ſeu templum Moſaicum portatile, de quo vide Exod. XXV, 9. & XL. & templum Salomonæum, in vno loco fixum, de quo vide 1 Reg. VI, 36.

Prob. d. *Tempus Sacrum* complectitur feſtiuitates legales. Erant autem *feſta Hebræorum* varia: 1) *hebdomadarium*, quod eſt ſabbathum, vltimo ſeptimanæ die celebrandum, Gen. II, 3. 2) *menſtruum*, quod erat νεομηνία, ſiue nouilunium, Num. X, 10. 3) *Feſta anniuerſaria* erant feſtum paſcha, ſiue azymorum, Exod. XII, 34. feſtum pentecoſtes, ſiue hebdomadum, Leu. XXIII, 15. feſtum tabernaculorum, Leu. XXIII, 34. feſtum clangoris tubarum, Num. XXIX, 1. feſtum expiationis, Leu. XVI, & XXIII. annus ſabbathicus, Exod. XXIII, 10. annus iubilæus, Leu. XXV, 8. 9. *).

Quæſt. XLV. *Quis eſt finis legis cærimonialis?*

*Finis* legis cærimonialis *principalis* eſt tum beneficiorum Chriſti ſignificatio & adumbratio, tum eorundem per ſacramenta & ſacrificia applicatio a). Finis *minus principalis* eſt commonefactio de peccato b), ἐυταξία in conuentibus & actionibus eccleſiaſticis c), eccleſiæ iudaicæ ab omnibus gentium cœtibus ſegregatio d).

Prob. a. Conſtitutiones & obſeruationes circa cibum, potum, feſtorum diſcrimina, dicuntur *vmbra futurorum*, *corpus* autem *Chriſtus*, Col. II, 16. ideo, quod Chriſtum præfigurabant. Neque ſolum *adumbrabantur* in Leuiticis illis cærimoniis beneficia Chriſti, ſed & credentibus per ſacramentorum & ſacrificiorum vſum *applicabantur & obſignabantur*. Vnde circumciſio appellatur *ſigillum iuſtitiæ fidei*, Rom. IV, 11. *& ſanguis ſacrificiorum animas expiare* dicitur, Leu. XVII, 11. non in ſe, ſed ratione meriti Chriſti, ante & retro valentis, cuius fructum offerebat.

Prob. b. Per leges cærimoniales ſingulis annis fit *recordatio peccatorum*, Hebr. X, 3.

Prob. c. Ritus eccleſiaſticos Deus ordinauerat, vt omnia in eccleſia fierent *ordine & decenter*, 1 Cor. XIV, 40.

Prob. d. Sacrificiis, aliisque cærimoniis Leuiticis Iſraëlitæ ab aliis gentibus diſcernebantur. Id quod innuit Moſes, Deut. IV, 8. *Quæ eſt gens magna, cui Deus propinquus apud ipſam; ſicut omnis lex hæc, quam ego daturus ſum coram vobis hodie?*

Quæſt. XLVI. *Eſtne lex cærimonialis abrogata?*

Leges cærimoniales per Chriſti aduentum, paſſionem & mortem *abrogatæ* ſunt, quantum ad *neceſſitatem* obſeruandi & obſeruationis *vtilitatem*; euerſo autem templo Hieroſolymitano *penitus abolitæ* ſunt.

Prob. 1) Cærimoniæ Leuiticæ erant *vmbra*, beneficia Chriſti præfigurantes, quæ ſuperueniente *corpore*, Chriſto, *euanuerunt*, Col. II, 14.

2) *Sacrificium & oblatio ceſſare debuit*, adueniente Meſſia, Dan. IX, 27. & *iuſtificationes carnis* (cærimoniæ Leuiticæ, quæ circa carnem maxima ex parte occupabantur) *vsque ad tempus correctionis impoſitæ fuerunt*, Hebr. IX, 19.

 3) Lex

*) Vtriusque huius anni ſolennitas non erat anniuerſaria, proprie ſic dicta, ſed definito quodam plurium annorum præteritorum numero celebranda.

Digitized by Google

3) Lex cærimonialis publico Spiritus S. decreto in concilio Apoſtolorum eſt abrogata Act. XV, 6. & euerſo templo Hieroſolymitano ſacerdotium Leuiticum deletum eſt.

*Antitheſis* eſt *Iudæorum*, negantium, leges cærimoniales eſſe abrogatas. Quorum argumenta ſunt:

I. Leges cærimoniales haud ſecus, ac lex moralis, ab æterno Numine ſunt promulgatæ: E. perinde, ac lex moralis, perpetuo ſunt obſeruandæ. Reſp. Magna eſt differentia inter *legem moralem, & cærimonialem.* Nam 1) Deus immediate dedit legem *moralem*, Exod. XX, 1. idemque ſuis digitis eam ſcripſit, Exod. XXXIV, 1. & vt in arca fœderis aſſeruaretur, mandauit, Hebr. IX, 4. Sed legem *cærimonialem* non immediate, verum interueniente Moſis opera, promulgauit, Deut. V, 31. nec eandem ſcripſit ipſe, ſed Moſes, Exod. XXIV, 4. nec in arca fœderis repoſitæ ſunt leges cærimoniales, ſed ſacerdotum cuſtodiæ commiſſæ, Deut. XVII, 19. 2) Lex *moralis* eſt vniuerſalis; quia materialiter eadem eſt cum lege naturali omnium hominum mentibus inſcripta: lex autem *cærimonialis* eſt particularis, quæ collapſo templo Hieroſolymitano exſpirauit.

II. Si lex cærimonialis in N. T eſt abrogata, voluntas Dei erit mutabilis (quia a voluntate Dei profecta eſt): At conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Reſp. Per abrogationem legis cærimonialis *voluntas* Dei *non* eſt *mutata*; quia Deus voluit, vt tantum duraret vsque ad tempora διορθώσεως, ſiue correctionis, Hebr. IX, 10.

III. Lex cærimonialis viget adhuc in N. T.: nam Paullus *Timotheum circumcidit,* Act. XVI, 3. & Apoſtoli *præceperunt abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato*, Act. XV, 29. quæ pertinent ad legem cærimonialem. Reſp. 1) Paullus voluit *Timotheum circumcidi*, non ex neceſſitate, ſed ex caritate erga Iudæos infirmos, nondum ſatis de fine circumciſionis, ad tempus datæ, inſtitutos. 2) Apoſtoli *præceperunt abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato*, non vi legis vigentis & obligantis; ſed ad auertendum omne ſcandalum. Nolebant enim Iudæi accedere ad eccleſiam chriſtianam: quia videbant, Chriſtianos edere ſuffocatum & ſanguinem, a quo abhorrebant Iudæi. Vt igitur Apoſtoli hunc amouerent obicem, præceperunt Chriſtianis abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato: Quæ tamen præceptio non fuit perpetua, ſed temporaria; quousque ſcil. Iudæi & gentes in vnum corpus coaleſcerent *).

Quæſt. XLVII. *An ſacrificia V. T. habuerunt vim expiandi peccata tam voluntaria, quam involuntaria?*

*Sacrificia* V. T. habuerunt *vim expiandi* peccata tam *voluntaria*, quam *inuoluntaria* a), non ex ſe, ſed *typice* & organice b).

Obſ.

*) Alia cauſſa videtur ſubfuiſſe, eaque valde ponderoſa. Interdicti huius, *de ſanguine & ſuffocato*, omnino hæc *ratio* fuit: quod ſanguis *ad aram*, vitæque *expiationem* deſtinatus eſſet, eoque ipſo Deo vni conſecratus. Rem autem *ſacram* ad vſum *communem* transferri, nefas habebatur. Atqui DANIEL cap. IX. prænuntiauerat, fore, vt ſacrificia non penitus deſinerent ante vaſtationem *templi*, terræque iudaicæ. Prius enim, quam terminus conſtitueretur, Euangelium de Chriſto, non ſolum nato, verum etiam conſummato, vniuerſo terrarum orbi, hoc eſt, cum Iudæis, tum profanis gentibus, nuntiandum erat, teſte ipſo Liberatore noſtro, Matth. XXIV. 14. & 15. Eam ob cauſſam decreto illo Apoſtolorum cautum fuit, ne quis veſceretur ſanguine, quum is *adhuc ſacra* res eſſet, *templo nondum diruto.*

Digitized by Google

Obſ. *Vſus ſacrificiorum V. T. duplex erat, legalis, & euangelicus.* Vſus *legalis* erat ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν, recordatio peccatorum, Hebr. X, 3. vt ſcil. homines peccatores de peccati grauitate & reatu admonerentur, & ſic erant media excitandæ contritionis. Vſus *euangelicus* erat, vt vnicum expiatorium Chriſti ſacrificium eminus oſtenderent, & hominem peccatorem Deo, propter illud futurum ſacrificium Chriſti præfiguratum, & fide apprehenſum, reconciliarent.

Prob. a. Ex Leuit. XVII, 11. *Anima carnis in ſanguine eſt: ideo dedi eum vobis ſuper altare, ad expiandum animas veſtras; eo, quod ſanguis ipſe pro anima expiet.* Quo reſpicit Apoſtolus, inquiens Hebr. IX, 22. *Prope per ſanguinem omnia mundantur iuxta legem, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

2) Expiata ſunt ſacrificiis אשם & פשע, i. e. ex verſione LXX. ἀδικία, ἀσέβεια, *iniquitas & impietas*, Leu. XVI, 22. c. VII, 2. E. etiam peccata *voluntaria.*

3) Sanguis *antitypi*, Chriſti, mundat nos ab *omni* peccato & iniquitate, 1 Io. I, 7. E. etiam ab *omni* peccato mundauit ſanguis *typicus* ſacrificiorum.

Prob. b. Sacrificia Leuitica habuerunt vim expiandi peccata *non ex ſe*, aut virtute propria. Ideo Paullus dicit, Hebr. X, 4. *Impoſſibile eſt, ſanguinem taurorum & hircorum auferre peccata:* Expiarunt ergo *vi antitypi*, ſiue ſacrificii Chriſti, quod adumbrarunt; habuit enim lex vmbram futurorum bonorum, Hebr. X, 1. Neque tamen habebant ſe ſacrificia V. T. vt nuda *ſigna σημαντικὰ*, ſed etiam erant *organa diuinitus ordinata*, quæ Meſſiam, Deum incarnandum, in aſſumta humanitate ſuo tempore pro peccatis totius mundi in ſacrificium Patri ſe oblaturum, peccatoribus proponerent, ipſiusque obedientiæ cruentæ fructus iis offerrent, applicarent & obſignarent.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium, ſacrificia vere expiaſſe peccata, eademque ne *typice* quidem expiaſſe peccata voluntaria. Quorum argumenta ſunt:

I. Nulla creatura poteſt Deo offerri, tanquam pretium ſolutionis pro peccato: Atqui omnes pecudes &c. Ergo. *Maior* patet: quia creaturæ ſunt Dei. Quidquid autem antea eſt Dei, non poteſt ipſi offerri, tanquam pretium pro peccatis. Reſp. Limito maiorem: *niſi Deus ita ordinauerit.* Reſpicienda hic eſt voluntas & ordinatio creatoris, non autem rationis humanæ iudicium.

II. Quidquid *typice* expiat, non expiat *vere* (nam *typus vero opponitur*). Atqui ſacrificia V. T. &c. Ergo. Reſp. *Verum opponitur* a) *ficto*, b) *vmbris*, Io. I, 17. Si *priori* ſenſu ſumatur; vtique expiarunt *vere & realiter*, ſecundum veram & realem æſtimationem diuinam: Sin *poſteriori* accipiatur ſenſu; *veritas propria expiationis* eſt in Chriſto, *typica adumbratio* in legalibus ſacrificiis.

III. Sacrificia legalia a Deo reiiciuntur, vt *inutilia*, Pſ. L, 8. E. non vere expiarunt. Reſp. Reiiciuntur ſacrificia *hominis impœnitentis;* beneuole acceptantur, quæ offeruntur a corde pœnitenti & fideli.

IV. *Impoſſibile eſt, ſanguinem taurorum & hircorum auferre peccata,* Hebr. X, 4. Reſp. *Ex ſe,* aut propria virtute & dignitate.

V. Oblatio anniuerſaria facta eſt ὑπὲρ τῶν τȢ λαȢ ἀγνοημάτων, *pro populi ignorantiis,* Hebr. IX, 7. E, non pro peccatis contra conſcientiam patratis, Reſp. 1) Vnius poſitio



Digitized by Google

non eſt alterius excluſio. 2) Hebr. IX, 7. dicuntur ἀγνοήματα omnis generis peccata, quia omnia habent comitantem ignorantiam, & ex errore quodam mentis procedunt, etiam grauiora. Nam & malitioſa Chriſti crucifixio dicitur ἀγνόημα, Act. III, 17. Add. Luc. XXIII, 34. 1 Timoth. I, 13.

Quæſt. XLVIII. *Habentne ſacrificia ſuam originem ex lumine naturæ, an ex reuelatione diuina?*

*Lumen naturæ non dictat*, Deum eſſe colendum ſacrificiis; ſed habent illi originem ſuam ex *ſupernaturali reuelatione & ordinatione.*

Prob. Lex naturæ dictitat in genere, Deum eſſe colendum, determinationem autem cultus non patefacit, neque inuenit ratio vllam analogiam inter Deum, qui ſpiritus eſt, & inter ſacrificia corporalia; immo ratio ſibi relicta contrarium ſuaderet, Deum beatiſſimum nec indigere, nec delectari fuſo animalium ſanguine, & combuſtis corporibus graue olentibus.

*Antitheſis* eſt quorundam *Iudæorum & Pontiſiciorum*, ſtatuentium, ritum ſacrificandi proficiſci ex lumine naturæ. Obiiciunt:

I. Gentiles communi conſenſu ad cultum Dei adhibuerunt ſacrificia. E. ritus ſacrificandi proficiſcitur ex lumine naturæ. Reſp. Gentiles non, niſi ex κακοζηλίᾳ Iudæorum, ſacrificia Diis obtulerunt, de cetero nec materiam, nec formam, nec cauſſam finalem eorum nouerunt. Vnde etiam in ἀνθρωποθυσίαν præcipitati ſunt.

II. Habel ſacrificauit ſine præſcripto mandato diuino: E. ex inſtinctu rationis & dictamine legis naturalis. Reſp. Quamuis non legatur in ſacro codice mandatum præſcriptum Habeli, de ſacrificando, id tamen non negandum eſt. Teſtatur quippe Apoſtolus, Hebr. XI, 4. *fide præſtantius ſacrificium Habelem præ Caino obtuliſſe Deo.* At *fides* non eſt ex inſtinctu naturæ, ſed ex *auditu verbi Dei*, Rom. X, 17.

# DE LEGE FORENSI, SIVE IVDICIALI.

Quæſt. XLIX. *Quid eſt lex forenſis, ſiue iudicialis?*

*Lex forenſis*, ſiue *iudicialis*, eſt iuſſum Dei, quo is Iſraëlitas temporibus veteris teſtamenti obligauit, & iisdem formam gubernationis politicæ per Moſen præſcripſit; vt externa diſciplina in ſocietate ciuili conſeruaretur, & politia iudaica, in qua Chriſtus naſciturus erat, ab aliarum gentium politiis diſcerneretur.

Obſ. Dicitur lex *forenſis & iudicialis*; quia forum tum *criminale*, tum *ciuile* iudaicum dirigebat.

Quæſt L. *De quibus rebus lex forenſis præcepta tradit?*

Lex forenſis tradit præcepta de *omnibus iis rebus*, quæ ad adminiſtrationem *reipublicæ Iſraëliticæ* pertinent, & ſub forum, aut iudicium Iudæorum cadunt.

Prob. Continentur in *lege forenſi* præcepta de regibus, Deut. XVII, 14. de gerendis bellis, Deut. XX, 1. de matrimonio, Leu. XVIII, 19. Deut. XXV, 5. de ſeruis, Deut.

XXIII, 15.

Digitized by Google

XXIII, 15. de mercenariis, peregrinis, pauperibus, pupillis & viduis, Leu. XIX, 13. de homicidiis, Leu. XXIV, 17. de furtis, Exod. XXI, 16. de depoſitis, Exod. XX, 7. de commodatis, Exod. XXII, 6. de damnis illatis, Exod. XXI, 35. de ponderibus & menſuris, Leu. XIX, 35. de limitibus non transferendis, Deut. XXVII, 17. de vſuris mordentibus vitandis, Exod. XXII, 25.

### Quæſt. LI. *Quis eſt finis legis iudicialis?*

*Finis* legis forenſis eſt a) conſeruatio externæ diſciplinæ in ſocietate ciuili, b) diſcretio politiæ iudaicæ ab aliarum gentium politiis.

Prob. a. Sicut nulla gens ſine externa diſciplina intra honeſtatis iuſtitiæque limites contineri poteſt: ita populus Iſraëliticus rigidiori politia coërcendus erat, ne effrenatam peccandi licentiam ſibi ſumeret, omnemque pudorem exueret.

Prob. b. Placuit Deo ſanctiſſimo, rempublicam Iſraëliticam, in qua verus Dei cultus & genealogia Meſſiæ conſeruanda erant, æquiſſimis legibus a reliquis populis, in quibus grauia peccata impune fiebant, particulari iure forenſi, velut certo charactere ſignatam, diſtinguere.

### Quæſt. LII. *Eſtne lex forenſis Iudæorum abrogata?*

*Præcepta* legis forenſis ſunt *duplicia*. Quædam ſunt *iuris communis*, & prona conſequentia e *lege morali* deducuntur a). Quædam ſunt *iuris particularis*, quæ reſpiciunt *circumſtantias reipublicæ Iſraëliticæ* b). Non priora, ſed *poſteriora* ſunt abrogata.

Prob. a. Præcepta de officio regis, de ſeruis, & liberis contumacibus, reducuntur ad legis moralis præceptum quartum: De homicidio, bello, læſione proximi, ad quintum: De coniugio, ſtupro, adulterio, ad ſextum: De furto, depoſito, commodato, vſura, ad ſeptimum: De teſtibus, de calumniis, ad octauum. Quæ præcepta, qua *ſubſtantiam*, vigent inter omnes. *Circumſtantiæ* eorum, *ſolis Iudæis* peculiares, in plerisque Chriſtianorum politiis abrogatæ ſunt: liberum tamen eſt magiſtratui chriſtiano, eas retinere.

Prob. b. Præcepta legis forenſis, de coniugio cum vxore fratris, cui non ſunt liberi, Deut. XXV, 5. de potu zelotypiæ, Num. V, 11. de illis, qui ab honoribus & muneribus publicis ſunt arcendi, Deut. XXIII, 1. 2. 3. abrogata ſunt, cum a Deo iuſtis de cauſſis ſolis Iſraëlitis lata ſunt *).

### *SVSPIRIVM.*

Tabulis cordis mei, Deus ſanctiſſime, inſcripſiſti legem tuam, expreſſam ſanctitatis & iuſtitiæ tuæ effigiem, cui vberius lumen, maiusque pondus promulgatis in monte Sinai præceptis tuis addidiſti, vt illa perpetuo animo oculisque meis obuerſetur. At fateor, me ſæpius illius cepiſſe obliuionem, vt ab illa perfecta viuendi regula deflexerim, & maieſtatem tuam læſerim. Da mihi, ſeruo tuo humillimo, Pater clementiſſime, remiſſionem criminum meorum, propter conſummatiſſimam redemtoris mei obedientiam, meo loco præſtitam, quam apprehendo, & illius fructum meum facere nullus dubito. Ceterum ſupplex veneror & precor, vt diuino tuo ſpiritu me gubernes, ne a lege tua mea cogitata, conſilia, cœpta, dicta, facta vnquam aberrent!

THEOL.

*) In quibusdam legibus forenſibus latuit etiam vis arcana ac *typica*, vt in iſta præceptione, Deut. XXI, 23. 24. cuius rationem interpretatus eſt legatus Chriſti, Gal. III, 13.

THEOL. PART. III. SECT. II.

CAPVT II.

# DE VERBO EVANGELII.

Quæſt. I. *Quid eſt euangelium?*

*Euangelium* eſt concio gratiæ mere gratuitæ, meritum Chriſti & parta beneficia omnibus hominibus offerens, & per fidem, quam accendit, actu conferens in Dei gloriam; & æternam hominum ſalutem.

Obſ. *Euangelium*, vi *vocis*, notat bonum nuntium, ſiue lætam & optatam annuntiationem.

Quæſt. II. *Quot modis ſumitur nomen euangelii?*

Nomen *euangelii* ſumitur *tribus* modis: a) *Generaliter*, minusque proprie, pro vniuerſa doctrina N. T. quæ a Chriſto & Apoſtolis propoſita eſt, inque ſcriptis euangeliſtarum & apoſtolorum tradita inuenitur: b) *Specialiter*, pro doctrina gratiæ de gratuita peccatorum remiſſione, per fidem in Chriſtum impetranda, ſiue ea in nouo, ſiue in V. T. habeatur; c) *Specialiſſime*, pro præconio, ſiue doctrina de Meſſia iam exhibito.

Prob. a. *Generaliter* accipitur nomen *euangelii*, Marc. I, 1. in verbis: *Initium euangelii Ieſu Chriſti.* Vbi *initium euangelii* idem notat, quod initium *doctrinæ, a Chriſto traditæ.* Chriſtus autem non ſolum tradidit doctrinam euangelii, ſtricte ſic dicti, ſed etiam doctrinam legis; quod partim ex diuerſis Chriſti concionibus patet; partim etiam ex doctrina Ioannis baptiſtæ, qui ſtatim l. c. v. 4. dicitur prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ. Eodem ſenſu accipitur etiam Marc. XVI, 15. vbi Chriſtus diſcipulos ſuos hac inſtructione munitos dimittit: *Ite in vniuerſum mundum, prædicate euangelium &c.* At vero conſtat, Apoſtolos non ſolum prædicaſſe euangelium, ſtricte dictum, ſed quoque legem.

Prob. b. *Speciali* ſenſu *euangelium* adæquate *legi* contradiſtingitur. Sicut enim lex eſt norma faciendorum & fugiendorum: ita euangelium eſt norma credendi in Chriſtum, eſtque doctrina de gratuita remiſſione peccatorum, propter meritum Chriſti a Deo impetranda, *ſiue in N. ſiue in V. T.* proponatur. Sic ſumitur, Eſ. LII, 7. *Quam ſpecioſi ſunt ſuper montes pedes euangelizantium?* Quæ verba Paullus citat Rom. X, 15. *Quam pulcri pedes euangelizantium pacem?* Add. Hebr. IV, 2.

Prob. c. *Specialiſſimo* ſenſu vſurpatur nomen *euangelii,* Rom. I, 1. vbi Paullus affirmat, ſe eſſe *ſegregatum ad prædicandum euangelium, quod prius promiſſum.* Diſtinguendum igitur hic eſt inter ἐυαγγέλιον *ſtrictiſſime* dictum, & ἐπαγγελίαν. Prædicatio de Meſſia nondum exhibito, ſed exhibendo vocatur ἡ πρὸς τὸς πατέρας ἐπαγγελία, *promiſſio patribus facta,* Act. XIII, 32. Ευαγγέλιον vero, in ſenſu *ſpecialiſſimo*, notat publicum de Meſſia exhibito præconium *).

Quæſt.

*) Atque hac ſignificatione ſpecialiſſima Ευαγγέλιον 1) eſt *ſignum* ac documentum *Chriſti, iam in lucem editi*, Matth. XI, 5: 2) *diſcernitur* non ſolum a *lege*, præſertim ſacra & rituali V. T. ſed etiam a *Prophetis*, qui omnes de *Chriſto venturo* teſtati ſunt, Luc. XVI, 16. 1 Petr. I, 12. Hac igitur ratione, qua Euangelium eſt doctrina N. T. propria, de Chriſto olim futuro, nunc

Digitized by Google

**Quæſt. III.** *Eſtne euangelium concio pœnitentiæ?*

*Euangelium*, ſenſu *generali*, minusque proprio, *recte* vocatur *concio pœnitentiæ*, *generatim* dicta a): *Euangelium* vero, acceptum ſenſu *ſpeciali* & proprio, quatenus *legi* opponitur, *non* eſt concio pœnitentiæ *accuſans & damnans peccata* b).

Prob. a. *Euangelium*, in ſenſu *generico* & *laxiori*, deſignat *totam doctrinam chriſtianam* in ſcriptis Euangeliſtarum & Apoſtolorum comprehenſam, quæ conſiſtit in prædicatione *pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum*, *iubente Chriſto*, Luc. XXIV, 44. et *pœnitentia*, *generatim* ſumta, complectitur *contritionem* & *fidem*. Hanc vtique prædicat *euangelium*, ſenſu *laxiore* acceptum, non diffitentibus Theologis, Auguſtanæ confeſſioni addictis. Vſurpatur enim hæc loquendi forma in *Apologia Aug. Conf.* p. 165. *Summa prædicationis euangelii eſt, arguere peccata, & offerre remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam propter Chriſtum.* Et in *Epitome Form. Concord. p.* 592. *Credimus, docemus & confitemur, ſi vocabulum euangelii de tota Chriſti doctrina accipatur, quam ipſe in miniſterio ſuo (quem ad modum & eius Apoſtoli) profeſſus eſt, recte dici & doceri, euangelium eſſe concionem de pœnitentia & remiſſionem peccatorum.*

Prob. b. *Euangelium*, ſumtum ſenſu *ſtrictiori*, quatenus *legi* contradiſtinguitur *non* eſt concio *pœnitentiæ ſpecialiter*, aut *partialiter* dictæ, & quidem ratione *prioris partis* pœnitentiæ, i. e. *contritionis*, ſiue doloris de peccato. Quam aſſertionem noſtram firmamus

1) E doctrina euangelii, a primo lapſus tempore propoſita. Nam *proteuangelium* de ſemine mulieris, contrituro caput ſerpentis, Gen. III, 15. *promiſſio* de ſemine Abrahami, in quo benedicendæ eſſent omnes gentes terræ, Gen. XII, 3. de filio Dauidis, qui regnum Dauidis reſtaurare & æternum continuare debeat, 2 Sam. VII, 12. ſeqq. prædictio de Meſſia vulnerando propter iniquitates noſtras, Eſ. LIII: *verum* eſt *euangelium*, diuerſiſſimum autem a concione *pœnitentiæ accuſante, terrente, condemnante* hominum peccata.

2) *Concio pœnitentiæ* peccatorem terret, contriſtat, iram Dei æternamque mortem ipſi denuntiat. At *euangelium* in ſacris litteris deſcribitur, quod ſit euangelium *pacis*, Eph. II, 17. euangelium *gaudii*, Luc. II, 10. euangelium *gratiæ Dei*, Act. XX, 24. *verbum reconciliationis*, 2 Cor. V, 18. euangelium *ſalutis*, Rom. I, 16. E. euangelium *formaliter* non eſt concio pœnitentiæ.

3) *Concio pœnitentiæ* eo collineat, vt hominum corda frangantur & conterantur: At *euangelium* prædicatur pauperibus & contritis corde, vt erigantur & reficiantur, Eſ. LXI, 1, Matth. XI. 5.

4) *Concio pœnitentiæ* perducit homines ad agnitionem & deteſtationem peccati. At hæc *non* eſt ex *euangelio*, ſed ex *lege*, Rom. III. 20. E quibus concludit *Declarat Form. Concord. p* 717. *Magno cum periculo coniunctum eſt, neque approbari poteſt quod aſſeritur, euangelium (proprie ſic dictum, & cum a lege diſcernitur) eſſe concionem pœnitentiæ, arguentem peccata.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum & Antinomorum*, ſtatuentium, euangelium rectius per concionem *pœnitentiæ*, quam per concionem *gratiæ* deſcribi. Qui ſuam opinionem ſequentibus firmant argumentis: I. Quæ

futuro, nunc præſente, *tres* ſunt partes præcipuæ, ex quibus hæc Euangelii doctrina conſtat. *Prima:* Chriſtus, quem Vates venturum prænuntiarunt, iam dudum venit. *Secunda:* Is nemo eſt alius, quam Ieſus Nazarenus. *Tertia:* In eo vno completa & conſummata ſunt vniuerſa, quæ Vates diuini prædixerunt de Chriſto aduenturo.



Digitized by Google

I. Quæ concio terret conſcientias hominum, illa eſt concio pœnitentiæ: Atqui concio euangelica &c. E. *Minor* probatur exemplis Petri, Act. II, 37. Paulli, Act. XXIV, 25. Reſp. Apoſtoli non tantum *euangelium*, ſed etiam *legem* prædicarunt.

II. In euangelio multæ exſtant comminationes. Vid. Matth. V, 22. c. VII, 19. & alibi paſſim. E. euangelium animos hominum terret. Reſp. Comminationes exſtant in euangelio *generaliter* dicto, ſed *non* ſunt de euangelio *ſpecialiter* ſumto, prout *legi opponitur*.

III. Quæcunque doctrina arguit & accuſat peccata, illa eſt concio pœnitentiæ: Atqui doctrina euangelica &c. Ergo. *Minor* probatur: quia Spiritus S. *arguit peccatum ἀπιςίας in Chriſtum*, quo redemtor orbis contemnitur & reiicitur: At illam ἀπιςίαν Spiritus S. non arguit per legem, quæ de Chriſto nihil nouit. E. per euangelium. Reſp. 1) Diſt. inter *legem ſolam*, & *luce euangelii illuſtratam*. Lex *ſola*, ſiue ſeorſim ſumta, nihil nouit de fide, aut ἀπιςίᾳ in Chriſtum, *colluſtrata* tamen *lumine euangelii* incredulitatem in Chriſtum arguit & condemnat. 2) *Incredulitas* conſideratur vel ratione ſui *generis*, vel ratione certi *obiecti*. *Priori* modo non, niſi ad *legem* referri poteſt ac debet: ſiquidem ratione generis eſt peccatum, & per conſequens æque, ac reliqua peccata arguit & damnat. *Poſteriori* modo obiecti loco reſpicit vel Deum tanquam legislatorem, vel iuxta euangelium obiecti loco habet *Chriſtum* mediatorem. Hic reſpectus *non* mutat *genus* incredulitatis, ſed tantum *obiectum* variat ita, vt incredulitas, licet directe in Chriſtum feratur, tamen impingat in primum præceptum decalogi, & ſic legi ſubiaceat. Præceptum enim hoc in genere iubet credere Deo, quocunque modo, ſiue vt creator & conſeruator, ſiue vt legislator, ſiue vt redemtor conſideratur: & ſic in *genere* arguit & damnat *lex* omnem incredulitatem. Contra *euangelium* licet quoddam incredulitatis *obiectum* manifeſtet ac declaret, ipſam tamen ἀπιςίαν proprie loquendo non arguit aut damnat.

IV. Omnis concio de paſſione & morte Chriſti eſt concio pœnitentiæ: Atqui euangelium &c. Ergo. *Maior* liquet: paſſio & mors Chriſti eſt realis concio pœnitentiæ, plena ſeueritatis, terroris & iræ Dei. Reſp. Paſſio & mors Chriſti conſideratur dupliciter 1) vt ſpeculum iuſtitiæ, ſeueritatis & iræ diuinæ erga peccatores, & ſic reductiue ad *legem* pertinet; 2) Quatenus eſt ſpeculum ineffabilis Dei miſericordiæ, erga miſerum genus humanum, & pleniſſima pro peccatis ſatisfactio, & ſic ad *euangelium* ſpectat.

V. Quidquid reuelat iram Dei, eſt concio pœnitentiæ: Atqui euangelium &c. Ergo. *Minor* probatur ex Rom. I, 18. *Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem* &c. Reuelatur autem *ira* Dei per *euangelium*, de quo Apoſtolus antea locutus erat. Reſp. Apoſtolus *non* dicit, *iram Dei reuelari in euangelio*, ſed verſu præcedente dixerat, *in euangelio reuelari iuſtitiam*, qua iuſtificatur homo, *cui opponitur ira*, quam Apoſtolus a cœlo reuelari aſſerit, ſcil. per legem naturalem & moralem, per iudicia Dei, per exempla, & propriam experientiam.

VI. Quæcunque contritio eſt ſalutaris, illa fluit ex euangelio: Atqui contritio fidelium &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia ſine euangelio contritio, quo maior eſt, eo efficacius perducit hominem ad deſperationem. *Minor* liquet; quia eſt *ſacrificium ſpirituale*, Pſ. LI, 19. eſt *pœnitentia ad ſalutem*, 2 Cor. VII, 10. Reſp. Deus per gratiam conuertentem peccatorem ex lege contriſtando operatur *pœnitentiam ad ſalutem*, vt pœnitentia μεςικῶς accepta, ſiue *contritio*, *non* quidem ſit *medium ſalutis cauſſale*, ſed medium *ordinis* diuini, quo homo per Spiritum S. diſponitur & præparatur ad concipiendam ex euangelio fidem in Chriſtum ſaluificam, cum qua coniuncta eſt ſalutaris contritio. Deſperatio non eſt tribuenda ipſi *contritioni*, in *eſſentia* ſua ſpectatæ; quia contritio in ſe eſt opus Spiritus S. per legem. At deſperationem neque Spiritus S. operatur, neque lex diuina iubet. Sed eſt illa *actus vitioſus* hominis, qui miſericordiam Dei minorem facit peccato, nec a lege Moſis ad euangelium Chriſti confugere nouit.

VII. Quæ-

Digitized by Google

VII. Quæcunque doctrina excludit omnem gloriationem, illa efficaciſſime arguit peccata: Atqui euangelium &c. Rom. III, 27. Reſp. Euangelium excludit omnem gloriationem, *non peccata arguendo*, quod eſt *legis;* ſed *omne ſalutis* initium, progreſſum & finem *ſoli gratiæ Dei acceptum referendo.*

VIII. Quæcunque doctrina non tantum eſt odor vitæ ad vitam, ſed etiam odor mortis ad mortem, illa non tantum eſt concio gratiæ, ſed etiam pœnitentiæ: Atqui euangelium &c. 2 Cor. II, 15. E. Reſp. Euangelium *per ſe* eſt odor vitæ; *per accidens* fit odor mortis illis, qui vel contemnunt euangelium, vel eodem abutuntur ad ſecuritatem: ſicut ſuauis vnguenti odor columbas recreat, ſcarabæos perimit.

IX. Euangelium ſolis pœnitentibus cum ſalutari fructu proponitur: E. recte dicitur concio pœnitentiæ. Reſp. Aſſerimus, euangelium, *ſtricte & proprie* dictum, *formaliter* non eſſe concionem pœnitentiæ, ſiue contritionis. Quod ſi autem quis euangelium velit vocare concionem pœnitentiæ *obiectiue*, quia non niſi contritis fructuoſum eſt, & *declaratiue*, quatenus declarat, quid ſit infidelitas, cuius obiectum legi ignotum eſt, illum ſuo ſenſu abundare patimur. Conf. DANNH. in *hodoſ. phænom. VI. p. 484.*

Quæſt. IV. *Quæ eſt cauſſa efficiens principalis euangelii?*

*Cauſſa efficiens* euangelii, tam ratione *decreti*, quam *patefactionis* eſt tota *SS. Trinitas* a), *Deus Pater* b), *Filius Dei* c), & *Spiritus S.* d). *Cauſſa efficiens euangelii principalis.*

Prob. a. Deus Pater cum Filio & Spiritu S. *ab æterno decreuit:* a) Vt in remedium lapſus Adamitici & peccati, quod præuidit, ſecunda perſona Trinitatis, Filius Dei, in plenitudine temporis veram humanam naturam aſſumeret, ac in ea legem implendo, patiendo & moriendo, pro peccatis hominum ſatisfaceret, ac toti humano generi æternam ſalutem promereretur. b) Decreuit, vt Chriſti meritum, eiusque beneficia, per verbum euangelii omnibus offerrentur, exhiberentur, & diſtribuerentur. Reſpectu huius decreti euangelium vocatur *myſterium abſconditum in Deo ἀπὸ τῶν αἰώνων*, Eph. III, 9.

Prob. b. *Multis vicibus multisque modis olim Deus locutus patribus in prophetis, vltimis diebus hiſce locutus eſt nobis in Filio,* Hebr. I, 1. *Deus*, qui locutus eſt *in Filio*, eſt Deus *Pater*, qui iam olim in V. T. locutus eſt patribus in prophetis, quod remiſſionem peccatorum accipiat omnis, qui credit in Ieſum Chriſtum, Act. X, 43. Quæ eſt ſumma euangelii.

Prob. c. Ex Io. I, 17. 18. *Lex per Moſen data eſt: Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit vnquam; niſi vnigenitus filius, qui in ſinu Patris eſt, ille expoſuit* (nobis). Sicut per Moſen data eſt nobis lex, per quam noſtræ iniuſtitiæ conuincimur: ita per Ieſum Chriſtum veriſſima gratia nobis eſt acquiſita haud tantum, ſed & prædicatione euangelica dilucide nobis expoſita, cum hic æternus Dei Filius, in ſinu Patris exſiſtens, decretum diuinum de noſtra ſalute perfectiſſime ſciat, quod protoplaſtis hic λόγος τȣ̃ Θεȣ̃ in paradiſo enuntiauit, Gen. III, 15.

Prob. d. Ex Eph. III, 5. *Nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis Chriſti & Prophetis in Spiritu, quod ſint gentes cohæredes, & concorpores & participes promiſſionis ipſius in Chriſto per euangelium.* Myſterium de Chriſto & vocandis ad eccleſiam ipſius gentibus omnibus, clarius Apoſtolis per Spiritum S. reuelatum eſt in N. T. quam viris Dei in V. T. qui tamen etiam de Chriſto locuti ſunt, impulſi a Spiritu S. 2 Petr. I, 21.



Digitized by Google

Quæſt. V. *Quorum miniſterio euangelium prædicatum eſt?*

*Cauſſa miniſterialis.* Euangelium prædicatum eſt *miniſterio ſanctorum Dei virorum*, tam in *veteri* a), quam *nouo teſtamento* b). Quin *angeli* etiam ex mandato Dei euangelium de Chriſto læti lubentesque expoſuerunt c).

Prob. a. *Protcuangelium* de *ſemine mulieris*, caput ſerpentis contrituro, dubio procul Adamus & reliqui patriarchæ tradiderunt & repetiuerunt vsque ad diluuium. Poſt diluvium præco iuſtitiæ fuit Noachus, 2 Petr. II, 5. cum poſteris ſuis. Maxime illuſtris promisſio euangelica facta eſt Abrahamo, *de Meſſia*, *ſemine Abrahami*, in quo omnes gentes benedicendæ eſſent, Gen. XII, 3. quæ repetita Iſaaco, Gen. XXVI, 3. a quibus illa promiſſio propagata eſt vsque ad Moſen, cuius miniſterium licet a miniſterio euangelii diſtinguatur, finaliter monſtrat & oſtendit Chriſtum. *De me Moſes ſcripſit*, inquit Saluator Io. V, 46. Memorabilis eſt locus de *Propheta magno*, Deut XVIII, 15. qui citatur Actor. III, 22. Sacerdotes autem Leuitici promiſſionem de Meſſia redemtore in ſacrificiis quaſi deſcripſerunt & præfigurarunt. Poſt Moſen omnes Prophetæ de Chriſto teſtimonium perhibuerunt, Act. X, 43. Conf. Pſ. II. VII. XXII. XLV. CX. Eſ. VII LIII. LXI. Ier. XXIII. Dan. IX. Hoſ. XIII. Mich. V. Hag. II. Zach. IX. XIII. Mal. I. III. IV.

Prob. b. In N. T. euangelium Chriſti prædicarunt paſtores Bethlehemitici, Luc. II, 10. Simeon, Luc. II, 29. Ioannes baptiſta, Io. I, 9. Apoſtoli, Marc. XVI, 15. & illorum ſucceſſores, ſiue omnes fideles euangelii præcones, in quibus Deus *poſuit verbum reconciliationis*, 2 Cor. V, 19.

Prob. c. *Angelis* ſingulari voluptati fuit, proponere & enarrare hominibus euangelium de Chriſti conceptione, Luc. I, 26. natiuitate, Luc. II, 10. reſurrectione, Luc. XXIV, 4. aſcenſione in cœlum & reditu ad iudicium, Act. I, 1.

*Antitheſis* eſt 1) quorundam *Scholaſticorum*, *cum Pelagio* contendentium, homines *ante Moſen* ſola *lege naturæ*, *poſt Moſen* ſola *lege Moſis* iuſtificatos & ſaluatos eſſe; in N. T. autem iuſtificari & ſaluari euangelico: 2) *Anabaptiſtarum*, aſſerentium, Patres V. T. de euangelii ac vitæ æternæ promiſſionibus nihil ſciuiſſe: 3) *Socinianorum*, ſtatuentium, euangelium incepiſſe cum Chriſto, eſſeque ſolius N. T. proprium. Qui ſuam opinionem ſequentibus muniunt argumentis.

I. Quidquid *ab æternis temporibus fuit tacitum*, & *demum in N. T. manifeſtatum*, illud non fuit in V. T. Atqui euangelium de Ieſu Chriſto &c. Rom. XVI, 25. E. Reſp. Diſt. inter τὰ συςατικὰ, ſeu *ſubſtantialia*, & περιςατικὰ, *ſeu circumſtantialia euangelii*. Eadem doctrina euangelica de Chriſto mediatore, quantum *ad ſubſtantiam*, propoſita eſt in V. T.; ſed *Ieſum Nazarenum*, *Mariæ filium*, *eſſe Meſſiam promiſſum*, non, niſi in N. T. cognitum eſt: quod etiam in hac doctrina vberius explicanda & clarius illuſtranda occupatur, & hactenus antiquis temporibus myſterium illud abſconditum fuit, quod non ita plene traditum, nec adeo plane propoſitum ſit: ideo dicitur, *patefactum* διὰ γραφῶν προφητικῶν, accedente ſcil. explicatione apoſtolica vberiori, & diffuſiori promulgatione inter gentes.

II. Lætus nuntius *de Chriſto nato* dicitur euangelium, Luc. II, 10. Rom. I, 1. Sed in V. T. non fuit lætus nuntius de Chriſto *nato*. E. Reſp. Diſt. inter euangelium ſumtum in ſenſu *ſpeciali*, quatenus *legi* opponitur, & acceptum ſenſu *ſpecialiſſimo*, quatenus a *promiſſione* diſcernitur, & notat præconium de Chriſto exhibito: Non poſteriori, ſed *priori* ſenſu euangelium fuit in V. T.

III. Si *lex per Moſen eſt data*, *gratia* vero & *veritas per Chriſtum facta* & expoſita eſt; euangelium temporibus Moſis nondum innotuit: Atqui verum prius eſt. E. & poſterius. *Conſequentia* maioris eſt euidens, quia euangelium eſt concio gratiæ, legi contradiſtincta. *Antecedens* patet ex Io. I, 17. Reſp. Diſt. inter Moſen legiſlatorem miniſterialem, & prophetam ſeu

Digitized by Google

ſeu doctorem. Fuit Moſes non tantum *miniſter legis*, ſed etiam *Propheta*, qui *de Chriſto ſcripſit*, Io. V, 46. Ceterum conſideratur *gratia*, *partim ratione promiſſionis* de Chriſto incarnando, *partim ratione complementi.* Quam gratiam de Chriſto, carnem aſſumturo & genus humanum reconciliaturo, Deus promiſerat, illam compleuit, Chriſto in carne exhibito.

IV. Si concio de *venturo Meſſia* vocatur ἐπαγγελία, ſiue promiſſio, non autem εὐαγγέλιον, ſequitur, quod in V. T. patres non gauiſi ſint euangelio. Antecedens eſt verum. E. & conſequens. *Antecedens* liquet ex Act. XIII, 32. Gal. III, 18. Reſp. Diſtinctio inter ἐπαγγελίαν & εὐαγγέλιον in ſacris litteris eſt frequens, ſed non perpetua. Dicit enim Paullus Rom. X, 15. : *Scriptum* eſt (Eſ. LII, 7.) : *Quam pulcri pedes euangelizantium bona ? Sed non omnes obediuerunt euangelio.* Et Hebr. IV, 2. *Nobis euangelizatum eſt, ſicut & illis* (patribus.)

Inſtantia : Sed *euangelium* dicitur *per prophetas promiſſum*, Rom. I, 2. E. non eſt per ipſos prædicatum. Reſp. *Euangelii* nomine l. c. intelligitur publicum de Meſſia *exhibito* præconium, quod in N. T. demum prædicari cœpit, Marc. I, 1. 2. Interim doctrina de gratia Dei & remiſſione peccatorum propter Meſſiam in V. T. promiſſum, & in N. T. exhibitum vtrobique vna & eadem eſt.

Quæſt. VI. *Quo medio euangelium acceptatur?*

Euangelium *per fidem*, quam accendit a), vna cum omnibus beneficiis, quæ offert, acceptatur & retinetur b).

Obſ. *Fides* duplicem habet reſpectum ad euangelium : a) *effectus*, quia per euangelium producitur : b) *organi*, quo euangelica promiſſio, & omnia ab ipſo oblata bona apprehenduntur, vt ſit perpetua relatio inter organum *offerens*, & organum *apprehendens*, inter *promiſſionem* gratiæ, & fiducialem *apprehenſionem*.

Prob. a. Spiritus S. in regeneratione *per verbum euangelii fidem accendit. Fides enim eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Vnde per *verbum Apoſtolorum credere dicimur*, Io. XVII, 20.

Prob. b. Ex Marc. I, 14. 15. *Venit Ieſus in Galilæam, prædicans euangelium regni Dei, & dicens : Quia impletum eſt tempus & appropinquauit regnum Dei, pœnitentiam agite & credite euangelio.* Peccatores pœnitentes & contriti aſſenſu fiduciali *recipiunt verbum implantatum, quod poteſt ſaluas facere animas ipſorum,* Iac. I, 21.

Quæſt. VII. *Quibus hominibus prædicandum eſt euangelium ?*

Euangelium *ex intentione Dei* prædicandum eſt *omnibus* hominibus a). *Specialiter* vero & ſalutari cum fructu *applicatur pœnitentibus* & *credentibus* b). *Subiectum cui.*

Prob. a. 1) Chriſtus præcepit Apoſtolis, *prædicare euangelium omni creaturæ*, Marc. XVI, 15.

2) Euangelium prædicatum eſt *omni creaturæ, quæ ſub cælo eſt,* Col. I, 23.

3) *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, 1 Tim. II, 3. E. Deus vult, vt *omnibus hominibus* medium fidei & ſalutis proponatur.

Prob. b. *Specialis applicatio* euangelii fit peccatoribus pœnitentibus & malitioſe non obſiſtentibus; neque enim infundit Deus miſericordiæ oleum, niſi in vas contritum. Vnde Chriſtus *ad euangelizandum pauperibus miſſus eſſe dicitur*, Eſ. LXI, 1. & πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, *pauperes euangelium audiunt*, Matth. XI, 5. Neceſſe autem eſt, vt ad contritionem accedat fides, quæ eſt quaſi manus, oblata in promiſſione euangelica bona recipiens. Qui



Digitized by Google

ſide non ſuſcipit euangelium, ſine fructu illud audit & legit. *Non prodeſt ſermo auditus non commixtus per fidem cum iis, qui audiuerunt*, Hebr. IV, 2.

Quæſt. VIII. *Quid prædicat & offert nobis euangelium?*

*Obiectum reale.* Euangelium *prædicat* & *offert* nobis *gratiam Dei*, *meritum Chriſti*, & parta ab eodem *beneficia omnia* *).

Prob. 1) Compendium euangelii enuntiat ipſe ſalutis auctor, Io. III, 16. *Adeo dilexit Deus mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed vitam æternam habeat.* Ex quo *euangelium gratia Dei apellatur*, Act. XX, 24.

2) Euangelium Dei agit *de Filio Dei, nato ex ſemine Dauidis, ſecundum carnem*, Rom. I, 3. Eſt *prædicatio Ieſu Chriſti*, Rom. XVI, 25. *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Græcis vero ſtultitiam, ipſis vero vocatis tam Iudæis, quam Græcis, Chriſtum, Dei virtutem & ſapientiam*, 1 Cor. I, 23. 24.

3) Beneficia merito Chriſti parta ~~varia~~ ſunt, quæ Spiritus S. per euangelium, velut efficaciſſimum medium, nobis offert. Quod enim per *euangelium* vocemur ad eccleſiam, in eadem illuminemur, conuertamur, regeneremur, Filii Dei reddamur, pace conſcientiæ donemur, iuſtificemur, cum Deo vniamur, renouemur, ſanctificemur, in fide conſeruemur, & glorificemur, in ſect. præcedente per omnia capita oſtendimus.

Quæſt. IX. *In quo formaliter conſiſtit euangelium?*

*Forma euangelii.* Euangelium *formaliter* conſiſtit in *promiſſione gratuita* a), & *ordinata ad beatitudinem*, in regno *gratiæ* & *gloriæ* obtinendam b).

Prob. a. *Gratuitam* eſſe *promiſſionem* euangelicam, docet Apoſtolus, Rom. III, 23. 24. *Omnes peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei, dum iuſtificantur* (δωρεὰν) *gratis gratia ipſius per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Gratuita* dicitur promiſſio euangelica, ex *parte noſtri*, ideo, quod beneficia, in euangelio oblata, operibus noſtris non ſumus promeriti; *non ex parte Chriſti*, qui ea nobis promeritus eſt ſummo pretio ſanguinis & vitæ, 1 Cor. VI, 20. 1 Petr. I, 19.

Prob. b. *Beatitudo* in regno *gratiæ* eſt remiſſio peccatorum & iuſtitia coram Deo valens. *Beatitudo* regni *gloriæ* in plena Dei bonorumque cœleſtium fruitione conſiſtit. *Ad vtramque*, velut *finem*, diuinitus *ordinata* eſt promiſſio euangelica. Qua de cauſſa dicitur *euan-*

*) *Quinque* ſunt partes præcipuæ Euangelii, quatenus id *legi* opponitur, & communis doctrina eſt *vtriusque* Teſtamenti. *Prima*: Deus æterno conſilio decreuit, hominibus, quos omnes præuidit peccati ac damnationis reos fore, reditum ad gratiam ac ſalutem non præcludere, ſimul vero, vt ſuæ iuſtitiæ vindicanti, non minus neceſſariæ atque infinitæ, quam gratiæ & miſericordiæ, ſatis omnino fieret, Chriſtum θεάνθρωπον, pacis inter Deum atque homines Reconciliatorem, mittere. Epheſ. I, 4. III, 11. Act. II, 23. IV, 28. *Secunda*: Illius Chriſti erat, ſatis facere pro peccatis 1) *omnium* hominum, Rom. V, 12. 18. 1 Io. II, 2. 2) *omnibus*, 1 Io. I, 7. 3) *omnino*, ſine vllo defectu, Hebr. X, 14. *Tertia*: Hanc a Chriſto præſtitam ſatisfactionem Deus accepit, nobisque vult tribuere, ac ſi ea eſſet a nobis præſtita, 2 Cor. V, 19. 21. Rom. IV, 24. 25. *Quarta*: Fiducia noſtra tota in hoc Chriſto vno ponenda eſt, Act. X, 43. ordini tamen ſalutis conuenienter, vt peccatorum præcedat cognitio ac deteſtatio, eaque quotidie continuanda, Pſ. LI, 5. 8. Marc. I, 15. Luc. XXIV, 47. *Quinta*: Per hanc fiduciam, tanquam vnicum medium, conſequimur remiſſionem peccatorum, &, ſi conſtans ſit ea fiducia vsque ad finem huius vitæ, etiam æternam gloriam. Rom. X, 9. 10. Vid. *Apol. Aug. Conf.* p. 159.

Digitized by Google

*euangelium regni Dei*, Marc. I, 14. *euangelium ſalutis noſtræ*, Eph. I, 13. *verbum reconciliationis*, 2 Cor. V, 18. *verbum vitæ aeternæ*. Io. VI, 68.

Quæſt. X. *Quis eſt finis euangelii?*

*Finis vltimus* euangelii, ex parte *Dei*, eſt gloria miſericordiæ, ſapientiæ, potentiæ & veritatis Dei a). *Finis vltimus*, ratione *hominum*, eſt beatitudo *gloriæ*, ſiue vita æterna b). *Finis intermedius* eſt beatitudo *gratiæ*, ſiue remiſſio peccatorum & iuſtitia fidei c). **Finis.**

Prob. a. In euangelio 1) aperiuntur *viſcera miſericordiæ* Dei, propter Chriſtum peccata nobis remittentis, & ad vitam æternam nos acceptantis. Luc. I, 7. Reuelatur in illo 2) *multifaria ſapientia Dei*, qua inuenit temperamentum iuſtitiæ & miſericordiæ, deſtinato & miſſo mediatore Chriſto, Eph. III, 10. Prædicatur eodem 3) *diuina virtus & potentia*, 1 Cor. I, 24. quod Chriſtus caput ſerpentis inſernalis potentiſſime contriuerit, opera diaboli deſtruxerit, & mortem in victoriam abſorpſerit. Relucet denique 4) in euangelio immutabilis & infallibilis veritas Dei, qui, exhibito filio ſuo in carne, promiſſionem factam patribus impleuit.

Prob. b. *Euangelium eſt potentia in ſalutem omni credenti*, Rom. I, 16. Complacuit enim Deo *per ſtultitiam præconii ſaluare credentes*, 1 Cor. I, 31. Prædicatio euangelii incredulis videtur abſurda; quia docet ſalutem in crucifixo, vitam in mortuo quærere; at credentibus prædicatio euangelii eſt ſapientiſſima & ſaluberrima.

Prob. c. *Iuſtitia Dei in euangelio reuelatur ex fide in fidem: Sicut ſpriptum eſt: Iuſtus vero ex fide viuet*, Rom. I, 17. Intelligitur h. l. iuſtitia imputata, quæ eſt per fidem in Chriſtum, Phil. III, 9. Vocatur *iuſtitia* Dei, quia a Deo miſericordiſſimo credentibus in Chriſtum ad ſalutem imputatur, Rom. IV, 6. In hoc conſiſtit *beatitudo* in regno *gratiæ*.

# DE DIFFERENTIA ET CONVENIENTIA LEGIS ET EVANGELII.

Obſerues. *Lex & euangelium ratione* φύσεως *toto cælo ſunt diſtincta; ratione* πϱάξεως *quouis puncto mathematico coniunctiora: adeoque hic oportet* ὀϱθοτομεῖν, *recte ſecare verbum veritatis*, 2 Tim. II, 15.

Quæſt. XI. *Quomodo differunt lex & euangelium?*

Lex moralis & euangelium *differunt*: a) *patefactionis & cognitionis* modo: b) ratione *obiecti*: c) *promiſſionum* diuerſitate: d) *ſubiecto*, cui proponenda ſunt: e) *effectorum* diſparitate.

Prob. a. *Lex* ex lumine *naturæ* quodammodo nota eſt; cum mentibus hominum in prima creatione ſit inſita, nec per lapſum prorſus exſtincta, Rom. II, 15. *Gentes oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*; quamuis *plenior* eius *notitia*, ob corruptionem intellectus humani poſt lapſum, ex *reuelatione*, in ſcripturis comprehenſa, petenda ſit. *Euangelium* autem *myſterium* eſt, humanæ rationi plane abſconditum, per Filium Dei ex ſinu æterni Patris prolatum, & nobis reuelatum, Io. I, 18. Rom. XVI, 25.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. *Lex* eſt *doctrina operum*; præſcribit enim & præcipit facienda & fugienda: vnde *lex operum* dicitur, Rom. III, 27. *Euangelium* vero eſt *doctrina fidei*; proponit enim Chriſtum mediatorem, ipſius meritum, & eo partam iuſtitiam & ſalutem fidei amplectendam: idcirco dicitur *lex* (*doctrina*) *fidei*, Rom. III, 27. *auditus fidei*, Gal. III, 2.

Prob. c. *Promiſſiones legis* ſunt *conditionales* & compenſatoriæ; quæ promittunt quidem vitam, ſed ſub conditione *obedientiæ, propriæ, perfectæ & perpetuæ.* Promiſſiones autem *euangelicæ* ſunt *gratuitæ*; quia promittunt vitam non *ob obedientiam* propriam, ſed *alienam*, nempe Chriſti, *vera fide apprehenſam.* Sunt igitur promiſſiones euangelicæ *abſolutæ* & inconditionatæ, *non ſimpliciter*, ſed reſpectu *conditionis legalis* & meritoriæ, licet non excludant *conditionem euangelicam*, ſiue *fidem*, quæ omni caret merito, atque vſum mediorum fidei *).

Prob.

*) Quod ad *ſententiam* legis & euangelii attinet, differentia vtriusque quadruplex potiſſimum cognoſcenda eſt, arcteque tenenda:

I. Quidquid pertinet ad *officia* hominis præſtanda, *quatenus* ſunt officia, id omne tribuendum eſt *legi*, quæ eſt perfectiſſima norma omnium, ſiue faciendorum, ſiue fugiendorum; licet *argumenta mouentia* omnium validiſſima ex *euangelio* depromenda ſint: etenim nihil magis mouet flectitque animos ad obſequium *libenter* præſtandum, quam ſummorum beneficiorum perceptio & grata recordatio, Luc. I, 74. 75. Ioann. XIII, 34. 2 Cor. VII, 1. Tit. II, 11. 12. 1 Ioann III, 16. IV, 11-19.

Quidquid vero referendum eſt ad *beneficia* Dei placati, promeritis *Chriſti* parta, id omne adſerendum eſt *Euangelio* (per definit.)

II. Quidquid referri debet ad *promiſſiones*, poſita conditione *obedientiæ*, ab *homine ipſo* præſtandæ, & quidem *perfectæ* ac perpetuo continuatæ, illud eſt *legis* proprium: *Fac hoc, & viues.*

Quidquid contra eſt ex genere earum *promiſſionum*, quæ homini perfido cuique, modo reſipiſcat, *gratiam Dei*, per vicariam *Chriſti* obedientiam hominibus reconciliati, exhibent, accipiendam vera *fiducia* in Chriſto collocanda, illud eſt *Euangelii* proprium: *Crede, & ſalvus eris.* De hac inſigni differentia promiſſionum legalium, & euangelicarum, clariſſimum teſtimonium exſtat Rom. X, 5. ſeqq.

III. Quidquid pertinet ad *peccata arguenda* & cognoſcenda, *quatenus* ſunt peccata, illud eſt *legis.* Rom. III, 20. Et profecto res ipſa loquitur. Quum enim lex ſit perfectiſſima norma omnium officiorum: conſequens eſt, vt eadem ſit etiam norma cognoſcendi neglectionem omnium officiorum. Omnis ἁμαρτία eſt ἀνομία. 1 Io. III, 4.

*Scholion:* Natura peccati, quatenus eſt peccatum, diſtinguenda eſt ab Obiecto, vel in quo, vel in quod peccatur. Obſeruata hac diſtinctione facilis erit reſponſio ad hanc *Antinomorum* oppoſitionem: an ne euangelium arguat ἀπιστίαν, & eam quidem ἀπιστίαν, ſi quis *Chriſto* non confidit? Locum equidem illum, Ioan. XVI, 9. interpretor non de ipſo peccato, ſed de cauſa omnium peccatorum: ὅτι, *quia* nolunt mihi confidere, ideo non poſſunt peccato liberari. Oppoſitum vide 2 Pet. I, 5.: ἐν τῇ πίστει τὴν ἀρετήν.

Quidquid autem pertinet ad *peccatorum remiſſionem* ac *liberationem*, illud eſt *euangelii*, Luc. XXIV, 47. Act. X, 37. add. Rom. V, 1.

IV Quidquid ſpectat ad *comminationes* ac *pœnas*, homini denuntiatas atque irrogandas, illud eſt *legis.* Rom. IV, 15. Gal. III, 10.

Quidquid vero ſpectat ad *gratiam* ac *ſalutem*, homini, damnationis reo, *propter Chriſtum* impertiendam, illud eſt euangelii. Act. XX, 24. Rom I, 16.

*Scholion:* Perpeſſio malorum, quæ Chriſtus pro nobis pertulit, diuerſa ratione eſt conſideranda: Aliter quidem *in ſe ipſa*, quatenus fuit *pœna vicaria*; atque hæc omnino ad *legem* referri debet: Aliter autem, quantum ad *finem atque vſum*, vt ea eſſet *medium gratiæ* & *ſalutis* recuperandæ, quo nos omni pœna liberaremur; atque hac ratione prorſus ad *euangelium* pertinet.

Digitized by Google

Prob. d. *Lex proponenda* & acriter inculcanda eſt *impiis* & contumacibus peccatoribus, vt ad contritionem perducantur; *euangelium applicandum* eſt *contritis*, vt fidem in Chriſtum concipiant.

Prob. e. *Lex* delinquentes *accuſat* inobedientiæ, *conuincit*, *damnat*, *terret*, teſte Paullo, Rom. III, 20. c. IV, 15. 2 Cor. III, 3.; *euangelium* vero oſtendit mediatorem, *ſolatur*, *abſoluit*, *viuificat*, teſte angelo, Luc. II, 10, & Chriſto, Luc. IV, 18. & Paullo, 2 Cor. III, 6.

Quæſt. XII. *Quomodo conueniunt lex & euangelium?*

Lex & euangelium *conueniunt* a) *auctore*, b) *ſubiecti* vniuerſalitate, c) *fine* per ſe intento, d) *duratione*.

Prob. a. *Deus* eſt *auctor legis* non minus, quam *euangelii*.

Prob. b. Quemadmodum *lex omnes* omnino *homines* obligat ad obedientiam, vel hac deficiente, ad pœnam; ita *euangelium omnibus hominibus* proponit ſatisfactionem & meritum Chriſti, fide apprehendendum, ad impetrandam remiſſionem & vitam æternam, 1 Tim. II, 5. 6.

Prob. c. *Finis legis & euangelii*, *per ſe* intentus, eſt *vita æterna*. *Lex* promittit vitam æternam *ſub conditione perfectæ obedientiæ*, Leu. XVIII, 5. Ezech. XX, 11. Luc. X, 25. 28. Rom. X, 5. *Euangelium* promittit vitam æternam *ſub conditione fidei*, obedientiam Chriſti ſatisfactoriam apprehendentis, Rom. X, 9. 10. *Euentus legis accidentalis* eſt mors. *Præceptum, quod mihi* (datum) *ad vitam*, *idem* (factum) *in mortem*, Rom. VII, 10. Pari ratione *euangelium* quibusdam eſt *odor mortis ad mortem*, 2 Cor. I, 16.

Prob. d. *Lex moralis* eſt *norma* faciendorum & fugiendorum *perpetua*, nunquam abrogata; nec abroganda: Et *euangelium* vsque *ad finem mundi* in eccleſia prædicandum eſſe, expreſſe dicitur Matth. XXVIII, 20.

Quæſt. XIII. *Suntne lex & euangelium in praxi coniuncta?*

Lex & euangelium *in praxi* quouis puncto mathematico ſunt *coniunctiora*. Confluunt enim *ad pœnitentiam* peccatoris a), ad *renouationem* hominis iuſtificati b), ad *conſeruationem* hominis renouati in perſeuerantia fidei & pietatis c).

Prob. a. *Pœnitentia* conſtat e duabus partibus, *contritione & fide*, adeoque eſt ἀποτέλεσμα, ſiue communis effectus gratiæ conuertentis & regenerantis. *Lex* in conuertendo homine agit, quod ſuum eſt, excitando vel operando *contritionem*. *Euangelium* in homine regenerando etiam agit, quod ſuum eſt, accendendo *fidem* in Chriſtum. Reſultat igitur pœnitentia, tanquam ἀποτέλεσμα, ex *confluxu legis & euangelii*.

Prob. b. In *ſanctificando* homine *lex* præſto eſt *principium normatiuum*, ſiue vt regula vitæ ſanctæ; præſcribit enim & docet, quæ agenda, quæque omittenda ſint, & obligat ad obedientiam: non autem confert nouas vires ad vitam ſpiritualem & ſanctam. Succurrit igitur *euangelium*, vt *principium productiuum*, quod facultatem & vires homini ſuppeditat in viis Domini recte incedendi. Quare ad vnam actionem ſanctam *concurrit lex & euangelium* in negotio renouationis.

Prob. c. *Lex* comminationibus ſuis mouet hominem renouatum, vt deſideria carnis comprimat fortius, ne a carne victus in peccatum mortale prolabatur, & fide excidat. *Euangelium* collatis ſubinde nouis viribus fidem confirmat & auget, vt homo renouatus in fide & ſanctitate perſeueret. Adiice, quod ſolum *euangelium* commonſtret *diſcrimen inter peccatum mortale & veniale*, iudice D. CHEMNITIO *part. II. loc. f.* 225. *Vtrumque* prohibet



Digitized by Google

*lex*, vt renouatus, ſuam imperfectionem agnoſcens, quotidianam pœnitentiam continuet. *Euangelium* animum ipſius, imperfectæ obedientiæ ac peccati ſenſu labeſcentem, erigit, docendo, quod *nihil condemnationis ſit in iis, qui in Chriſto Ieſu ſunt, non ſecundum carnem ambulantes, ſed ſecundum ſpiritum*, Rom. VIII, 1.

Quæſt. XIV. *An omnes promiſſiones euangelicæ a conditione fidei ſuſpenſæ ſunt?*

*Promiſſiones euangelicæ quædam*, nimirum de remiſſione peccatorum & largienda vita æterna, ſuſpenſæ ſunt *a conditione fidei* a). Dantur autem promiſſiones euangelicæ *aliæ*, quæ *non ſub hypotheſi fidei* factæ ſunt, ſed nonnullæ reſpiciunt & pollicentur actus gratiæ, qui ex ordinatione diuina ad excitationem fidei terminantur b).

Prob. a. *Quod ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quod Deus ipſum reſuſcitauerit ex mortuis, futurum eſt, vt ſalueris*, Rom. X, 9 Suſpenſa eſt promiſſio euangelica *a conditione fidei*, non vt operis & meriti, ſed vt *medii* ἀντιληπτικȣ̃, ſiue *organi receptiui*, quo parta merito Chriſti ſalus acceptatur.

Prob. b. Vocatio ad eccleſiam, illuminatio, conuerſio, regeneratio ſunt actus gratiæ applicatricis, qui *non præſupponunt conditionem fidei*, ſed qui fidem ordine naturæ, non tempore *antecedunt, & ad illius generationem* ex τάξει diuina *diriguntur atque terminantur*. Conf. D. CALOV. in *ſynopſi controu. p.* 625.

Quæſt. XV. *Suntne promiſſiones euangelicæ ſuſpenſæ a conditione operum, aut perfectæ obſeruantiæ mandatorum diuinorum?*

Promiſſiones *euangelicæ* de obtinenda beatitudine gratiæ & gloriæ *non ſunt ſuſpenſæ a conditione operum.*

Prob. 1) Euangelium eſt *concio gratiæ*, Act. XX, 24. Sed *gratia* bonis *operibus opponitur*. Etenim Paullus diſerte ſcribit, Rom, XI, 6. *Si ex gratia, iam non ex operibus: ſin ex operibus, iam non ex gratia: alioquin opus iam non eſt opus.* Sunt ergo *promiſſiones euangelicæ gratuitæ.*

2) Lex moralis eſt *lex operum*; *euangelium* autem eſt *lex* (doctrina) *fidei*, Rom. III, 27. Legis itaque moralis ſumma eſt: *Fac!* Gal. III, 12. Euangelii vero ſumma eſt: *Crede* in Chriſtum! Act. XVI, 31.

3) *Propterea ex fide, vt ſit iuxta gratiam, vt ſit firma promiſſio omni ſemini*, Rom. IV, 16. Si promiſſio euangelica facta eſſet ſub conditione operum, illa *non* eſſet *firma*, ratione *noſtri*; quia nobis ſemper ambigendum foret, an noſtra opera adeo pura, ſancta & perfecta ſint, vt per ea nobis iuſtitia & ſalus obtingere queat.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, aſſerentium, promiſſiones euangelicas requirere conditionem operum. Quorum argumenta ſunt:

I. Chriſtus legiſperito ad æternam vitam adſpiranti dicit: *Hoc fac, & viues!* Luc. X, 28. E. Chriſtus in euangelio ſuo ab homine vitam æternam adepturo requirit conditionem operum. Reſp. *Quæſtio* legiſperiti erat *legalis*, his propoſita verbis: *Quidnam faciens vitam æternam hereditatem accepturus ſum?* Qualis autem erat quæſtio, talis reſponſio. Hinc Chriſtus dicit: *Diliges Dominum, Deum tuum* &c.

Inſtantia: Reſponſio Chriſti exſtat in euangelio: E. eſt euangelica. Reſp. Euangelium hic ſumitur ſenſu ſpeciali, prout legi opponitur.

II. Euangelium requirit fidem: E. & bona opera. Ratio *conſequentiæ* eſt; quia fides eſt genitrix bonarum actionum. Reſp. Fidem *gignere bona opera* in iuſtificatis, largimur faciles;

Digitized by Google

ciles: quæritur autem, an remiſſio peccatorum & vita æterna *ſub conditione bonorum operum* promiſſa ſit? quod negamus. Pertinent *bona opera* ad hominis *renouationem*, *non* ad *iuſtificationem*, aut beatificationem: Et *norma* bonorum operum eſt *lex*, non euangelium.

III. Quidquid promittitur ſub conditione mortificationis carnis, illud promittitur ſub conditione boni operis: Atqui vita æterna &c. E. *Maior* claret: quia mortificatio carnis eſt bonum opus, præcepto decalogi nono mandatum. *Minor* probatur ex Rom. VIII, 13. *Si ſpiritu actiones carnis mortificatis, viuetis.* Reſp. Diſt. inter *conditionem ſubiecti*, cui poſſeſſio vitæ æternæ contingit, & inter *conditionem rei*, ſub qua vita æterna promittitur. Mortificatio carnis eſt conditio ſubiecti, antecedens vitam æternam anteceſſu *ordinis*, non cauſſalitatis; cum *nec medium* ſalutis, *nec cauſſa meritoria* vitæ æternæ ſit.

# DE DIFFERENTIA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Obſ. Cum ſolemnis promulgatio legis ad *vetus*, ſolemnis autem promulgatio euangelii ad *nouum teſtamentum* proprie pertineat, ideo, differentiis inter legem & euangelium explicatis, diſcrimen V. & N. T. ſubiungemus.

## Quæſt. XVI. *Quid eſt teſtamentum diuinum?*

*Teſtamentum* eſt diſpoſitio liberrimæ voluntatis Dei de cultu diuino, mediisque ſalutis ac forma regiminis in eccleſia, confirmata morte & ſanguine vel pecuino typico, vel ipſius teſtatoris, in gratiæ ac iuſtitiæ diuinæ laudem & hominum ſalutem.

Obſ. I. *Teſtamentum* Hebræis dicitur ברית, quæ vox in genere ſignificat *fœdus*, aut *pactum* inter duos, pluresue ſancitum. Deducitur a rad. ברה, *elegit*; quia in fœdere eliguntur tum perſonæ, inter quas, tum res ac conditiones, propter quas fœdus initur. Nomen hoc hebræum ab AQVILA Pontico, SYMMACHO & THEODOTIONE per συνθήκην, i. e. *fœdus*, vel *pactum*, expreſſum eſt; LXX. vero interpretes, & hos ſecuti ſcriptores noui teſtamenti vbique per διαθήκην reddiderunt, quod nomen notat *diſpoſitionem*, tam *fœderalem*, quam *teſtamentariam*, vel ſimilem & fœderi, & vltimæ voluntatis diſpoſitioni.

Obſ. II. *Pactum, fœdus, & teſtamentum* a nonnullis in hac materia ſacra vt termini æquipollentes vſurpantur; certis tamen *reſpectibus differunt*. Nam *pactum* eſt conſenſus duorum, aut plurium, de re quapiam, vel danda, vel facienda, expreſſis verbis conceptus: *fœdus*, definiente SVIDA, eſt obligatio mutua, qua partes contrahentes de certis conditionibus, mutuo præſtandis, conueniunt, v. gr. de ſocietate, de commerciis, de induciis &c.: *teſtamentum* eſt legitima diſpoſitio teſtatoris, qua moriturus bona ſua inter heredes diſpenſat. *Differt* itaque *fœdus a teſtamento*: 1) In *fœdere* requiritur vtriusque partis conſenſus; in *teſtamento* vero conſtituendo vtriusque partis conſenſus non eſt neceſſarius: 2) Ex *fœdere* vtrique parti certa commoda conueniunt; in *teſtamento* heredi: 3) *Fœdus* valet inter viuos, altera parte mortua exſtinguitur; *teſtamentum* vero morte teſtatoris firmatur: 4) *Fœdus* confirmatum altera pars, inuita altera, non poteſt irritum facere; *teſtator* vero, quoad viuit, teſtamentum ſuum mutare & corrigere poteſt. 5) In *fœdere* mediator requiritur, non in *teſtamento*.

Obſ. III. In diſpoſitione diuina de mediorum ſalutis diſpenſatione, cultuque diuino & gubernatione eccleſiæ deprehenditur *temperamentum* aliquod *fœderis* & *teſtamenti*, proprie dicti, vt compoſita voce *teſtamento-fœdus vel teſtamentum fœderale*, *aut fœdus teſtamentarium* dici queat. Nam eſt *teſtamentum* propter legata bona ampliſſima, & mortis interuenientis neceſſitatem; quæ duo in *fœdere* non neceſſario requiruntur. Vnus fœderatorum alteri omnia ſua bona non tranſcribit, aut deſtinat, neque pro eodem ſe morti deuouet. A *fœdere* vero ſanctio *mediatoris* noſtri habet quandam immutabilitatem & perſonalem obligationem.

Obſ. IV. In præſenti nobis ſermo *non* eſt de *fœdere legali* antiquiſſimo, quod Deus cum Adamo integro iniuit, & ab homine perfectiſſimam diuinæ legis tum naturalis, tum poſitiuæ obſeruationem poſtulauit, atque eidem vitam æternam in præmium liberaliter promiſit, addita comminatione pœnæ, ſi legem transgrederetur, Gen. II, 16.: *neque* de *fœdere gratiæ*, cum patribus poſt lapſum ſancito, quo Deus gratiam ſuam, remiſſionem peccatorum & vitam æternam omnibus in Meſſiam credentibus promiſit, conſtantisque fidei obedientiam ab iisdem poſtulauit; quæ promiſſio gratiæ facta Abrahæ, patri credentium, διαθήκης, ſiue *teſtamenti* nomine venit, Gal. III, 17.: *neque* de *externo teſtamenti* vel *ſigno*, vel *inſtrumento*, ſeu teſtimonio tabularum; quomodo *ſignum circumciſionis teſtamentum* dicitur, Act. VII, 8. & *tabulæ fœderales*, ſiue libri prophetici nomine *teſtamenti* veniunt, 2 Cor. III, 6. 14.; dicuntur autem *teſtamentum* diuinum ὡς ἐν πλάτει, metonymice & improprie. Nobis autem accurate conſiderandum eſt, quid nomine *teſtamenti* denotetur, cum *vetus & nouum* teſtamenta, *proprio* ſenſu accepta, ſibi opponuntur, & a ſe inuicem diſcriminantur.

### Quæſt. XVII. *Quot ſunt teſtamenta diuina?*

## Teſtamenta diuina ſunt duo, *vetus & nouum.*

Prob. 1) E Ier. XXXI, 31 -- 34. *Ecce dies veniunt, dictum Iehouæ, quibus pangam cum domo Iſraëlis, & cum domo Iudæ, fœdus nouum, non ſicut fœdus, quod pepigi cum patribus eorum, quo die apprehendi manum eorum ad educendum eos e terra Ægypti; quia illi irritum fecerunt fœdus meum; ideo ego dominatus ſum in eos, dictum Iehouæ: ſed hoc fœdus, quod pangam cum domo Iſraëlis poſt dies hos dictum Iehouæ: Dabo legem meam in medio eorum, & ſuper cor eorum ſcribam illam; eroque iis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Neque docebunt amplius vir ſocium ſuum, aut vir fratrem ſuum dicendo: Cognoſcite Iehouam! Omnes enim cognoſcent me, a minimo eorum vsque ad maximum eorum, dictum Iehouæ: Quia propitius ero iniquitati eorum, & peccati eorum non amplius recordabor.* Obſ. Loquitur propheta 1) de *diebus Meſſiæ venturis:* 2) de *fœdere euangelico*, quod alterius eſt generis, quam *vetus* illud *pactum legale*. Nam pactum *euangelicum* eſt *fœdus gratiæ & fidei:* Pactum *legale* eſt *fœdus iuſtitiæ & operum.* Fœdus *gratiæ* dicitur ab Apoſtolo *teſtamentum nouum*: Fœdus iuſtitiæ & *operum* vocatur *teſtamentum vetus*, Hebr. VIII, 8. *Nouum teſtamentum* quidem *inſtitutum* eſt *poſt lapſum in paradiſo*, quoad promiſſiones & ſalutarem applicabilitatem ad homines per fidem in promiſſiones: *conſummatum* autem & ſolemniter promulgatum eſt *Chriſto in carne exhibito*. *Vetus* autem *teſtamentum*, ſiue *pactum legale*, *inſtitutum* eſt *ante lapſum* cum homine integro, & *ſolemniter promulgatum* eſt *in monte Sinai*. 3) *Pepigit* Deus teſtamentum *nouum* cum domo Iſraëlis & cum domo Iuda *non excluſiue*, quaſi ad ſolas iſtas domos pertineat; ſed *inchoatiue*, quod primo loco domibus Iſraël & Iuda reuelandum & prædicandum, deinde vero ad alios populos transferendum fuerit. 4) *Vetus fœdus*, ſiue *teſtamentum*, factum eſt cum patribus Iſraëlitarum de monte

Sinai

Digitized by Google

Sinai *non excluſiue*, quaſi prius cum nemine hominum factum ſit; ſed *confirmatiue*, quia ab initio mundi hominibus omnibus datum, patribus Iſraëlitarum denuo confirmatum & ſolemniter promulgatum eſt. 5) Per *legem*, quam Deus ſcripturus eſt in corda hominum, denotatur doctrina ſaluifica, ſiue *lex fidei*, Rom. III, 27. quæ eſt *euangelium*; cum ſub *nouo* teſtamento lex moralis non ſit obſeruanda, vt iuſtificet, ſed vt doceat nouam obedientiam, vt fructum fidei & gratitudinis documentum. Facile itaque apparet, quid ſit *inſcribere cordi*, & *indere menti*; nimirum, cor animumque per Spiritum S. illuminare ad veram cognitionem fidei, & renouare ad nouam obedientiam, veterem hominem mortificare, & nouum excitare. 6) Doctrina *veteris teſtamenti* eſt *legalis* extra Chriſtum: *noui teſtamenti* doctrina eſt *euangelica* in Chriſto. Legis enim doctores ſemper vrgebant perfectam Dei cognitionem, cultumque, ex iſta cognitione profectum; quem quia poſt lapſum nemo hominum præſtare poteſt, lex comminabatur, maledicebat, & condemnabat omnes, qui ſub illa erant. Perpetua quippe legis vox eſt: Cognoſce Deum, *fac hoc & viues! Maledictus omnis, qui non facit omnia!* Quæ cognitio Dei legalis non vrgetur ſub *nouo* teſtamento; docenda tamen eſt cognitio fidei euangelica, quæ non eſt impoſſibilis, ſed cadit in omnes homines per ſua quidem media, ita vt non tantum magni eius futuri ſint capaces, ſed etiam parui, immo infantes, vtpote qui fidei non ſunt incapaces, Matth. XVIII, 6. 7) Doctrina de remiſſione peccatorum eſt *propria noui teſtamenti*; vi cuius Deus eſt propitius iniquitati, eam condonando, & obliuiſcitur peccati, idipſum non vindicando. Confer. D. SEBAST. SCHMID. in *comment. in Hebr. VIII*, 10. 11. 12. *pag.* 856. *ſeqq.* *).



*) In doctrina de *fœderibus*, ac *teſtamentis* diuinis, eo maior adhibenda eſt cura, quo grauiores ſunt, quæ nobis de hac cauſſa partim cum *Reformatis*, partim cum *Romanocatbolicis*, partim cum *Socinianis* intercedunt controuerſiæ.

I. Id quidem nemo negat, 1) quod *fœdus* a *Deo* ſancitum, vtpote Deo dignum, non poſſit non prorſus *ſingulare* eſſe, nec omnino comparandum cum iis omnibus, quæ ad fœdera ab hominibus inita requiruntur, hæc in primis: α) partium æqualitas, β) mutua vtrimque ac libertima voluntas, non ſolum ſine vlla coactione, ſed etiam ſine vlla obligatione, qua alteruter alteri iam ante deuinctus ſit, γ) mutua vtilitas, qualis profecto nulla in Deum cadit, qui nemine indiget δ) mutua atque æqualis obligatio, vt alter alterum, & hic viciſſim illum in ius vocare poſſit, ſi pactum ſeruare noluerit. Eſt vero etiam hoc in confeſſo: 2) quod ea non poſſint non adeſſe, quæ ad *naturam* fœderis, qualecunque ſit illud, *neceſſario* pertinent, & ſunt ſtipulatio ac reſtipulatio.

II. Omnino *duo* ſunt *fœdera*, quæ Deus cum vniuerſo hominum genere fecit, quorum quidem *vnum* eſt fœdus *legale*, ſeu, vt alias vocari ſolet, fœdus *operum*; *alterum* vero fœdus *euangelicum*, ſiue, quod idem dictum eſt, fœdus *gratiæ*. Nomen *gratiæ*, in hoc argumento, vſurpatur ea ſignificatione, qua opponitur 1) *naturali corruptioni* hominis atque *iræ* Dei, 2) *operum* dignitati, Eph II, 1. 3. & 4. 8. 9. De fœdere *operum* agitur Deut. VII, 9. 12. Hoſ VI, 7. De fœdere *gratiæ* intelligenda ſunt hæc dicta, Gen. XVII, 7. coll. cum Rom. IX. 5.-8. Gal. III, 14. Ieſ. LIV, 10 LV, 3. Mal. III, 1. Luc I, 72. 74.

III. Fœdus *operum* ſine mora irritum factum fuit, quam primum communes hominum parentes ſua illud perfidia fregerunt, atque adeo infirmarunt. Rom. VIII, 3. vt ab eo tempore nemo mortalium ex legis ſententia iuſtus coram Deo eſſe potuerit Gal III, 21 Continuo igitur in eius locum ſucceſſit fœdus *gratiæ*, Gen III, 15. *primo nuntio* declaratum. Id quod ſummo nos ſtudio aduerſus *Socinianos* tuemur.

*Conſectar.* Legum latio ac promulgatio, maxime ſolemnis illa in monte Sinai, facta fuit neutiquam ad *renouationem* fœderis *operum*, ſed prorſus ad eius *recordationem* perpetuam, Hebr. X, 3. propter *vſum* legis, tum *epanorthotico pædagogicum*, quo quisque, peccati reus, ad *gratiam* implorandam duceretur, tum *didacticum*, quo gratiæ particeps homo, normæ præſcriptæ conuenienter quidem ageret, ſemper tamen ſentiens, ſe multis adhuc defectibus laborare, & nunquam non *gratiæ* indigentem eſſe.



Digitized by Google

2) Ex Gal IV, 21 -- 26. *Dicite mihi, qui ſub lege eſſe vultis: (An) legem non audiuiſtis? Scriptum enim eſt, quod Abrahamus duos filios habuerit, vnum ex ancilla, & alterum ex libera. Sed qui quidem ex ancilla erat, iuxta carnem natus erat. Qui vero ex libera, per promiſſionem. Quæ allegoriam in ſe continent. Hæc enim ſunt duo teſtamenta: Vnum quidem de monte Sinai, quod*

IV. Adcurate cognoſcenda eſt *vtriusque* fœderis & *conuenientia*, & *differentia*. Scilicet א *conueniunt* quodammodo, ratione 1) *partium*; in vtroque enim ſunt Deus & homines omnes, ne vno quidem excepto (quod multo aliter ſtatuunt *Reformati*, quorum opinione fœdus operum quidem ad omnes ac ſingulos pertinet homines, gratiæ autem fœdus ad paucos electos): 2) *fundamenti*, quod in vtroque eſt æternum Dei conſilium ac decretum: 3) *naturæ*, quoniam quidem in vtroque eſt quædam ſtipulatio & reſtipulatio: 4) *Finis*; nam vtrumque ſpectat ad gloriam Dei, & ſalutem hominum, non modo temporalem, verum etiam æternam.

ב) *Differunt* inter ſe hæc duo fœdera 1) ratione *partium*, aliter atque aliter conſiderandarum. Etenim *Deus* in fœdere operum, ſiue *legali*, conſiderandus eſt tantum, vt benignus æque, ac iuſtus, atque immutabilis; in *euangelico* autem, ſiue gratiæ fœdere, etiam vt violatus, iratus, at hominum tamen miſertus, atque ad reconciliationem paratus. Deinde quod ad *homines* attinet, omnes conſiderandi ſunt, in *legali* quidem fœdere, vt innocentes, integri vitæ, ac viribus ſufficientibus ad præſtandam legi obedientiam omnino perfectam ac perpetuam inſtructi; in *euangelico* autem, α) vt *perfidi*, ob eamque cauſſam damnationis rei; β) vt illi, quorum vniuerſorum ac ſingulorum *Deus miſertus* eſt; γ) vt illi, pro quibus *æternus Dei filius ſpopondit*, ſe, eorum nomine, diuinæ iuſtitiæ vindicanti ſatis ex aſſe facturum eſſe; δ) vt illi, quorum *vni cuique* vicaria Chriſti ſatisfactio, ac recuperata *ſalus*, vt & *fiducia* ſalutaris, qua eam quisque acciperet, *ſerio offerenda* eſt; ε) vt illi, quorum ex numero *alii* quidem, ob præuiſam a Deo aut obſtinationem animi, quod ſemper ἄπιστοι futuri eſſent, aut perfidiam atque inconſtantiam, quod futuri eſſent tandem in vitæ huius termino πρόσκαιροι, *damnationi æternæ*, peccatis iam promeritæ, *adiudicati ſunt*, *alii* vero per præuiſam a Deo veram eorum, & conſtantem in Chriſto fiduciam, *ad beatitatem æternam perducendi*.

Multum hic a nobis diſſentiunt *Reformati*, cum 1) de *numero hominum* falſo ſibi perſuadent, gratiæ fœdere prorſus excluſos eſſe omnes, præter electos, 2) *ordinem rerum* inuertunt, decretum de electione paucorum quorundam putantes prius eſſe eo, de Chriſto ſponſore, pro hominum culpa pœnaque ſatis facturo. Noſtrates Theologi probe intellexerunt, argumentationem longe validiſſimam, pro communi omnibusque pariter parata gratia ſalutari, efficiendam eſſe ex comparatione fœderis *operum*, & fœderis *gratiæ*, quod nimirum hoc non poſſit eſſe minoris conditionis, quam illud fuiſſe ſcimus. PAVLLVS certe grauiter nos edocuit, *fœdus gratiæ*, quod ad homines *peccantes* attinet, tam late patere, quam *fœdus legale*, Rom. V, 12. 18. &, quantum ad *peccata*, ab hominibus commiſſa, multo latius, ibid. v. 15. 16. 20.

*Differunt* inter ſe, 2) ratione *fundamenti*. Id nimirum in fœdere quidem *operum* eſt æternum Dei decretum, cum ipſius benignitate, ſanctitate, & iuſtitia remunerante, hominumque ſtatu integritatis, omnino congruens. In fœdere autem *gratiæ* eſt α) æternum Dei decretum, non ſolum ſanctitati, ac iuſtitiæ vindicanti conſentaneum, vt neceſſaria poſtularetur ſatisfactio, pro omni culpa & pœna hominum omnium præſtanda, ſed etiam miſericordiæ conueniens, qua Deus reſpexit hominum miſeriam, extremamque inopiam virium, & voluit vicariam Chriſti ſponſoris ſatisfactionem, velut noſtram, accipere: β) æternum Patris pactum cum Filio. De hac pactione loca claſſica exſtant Pſ. II, 6. XXII, 26. XL, 8. 9. add. Hebr. X, 5. ſeqq. Io. XVII, 4. 5. 19. Ea conſtat I) ex *ſtipulatione* ac ſponſione *Filii*, in qua continentur hæc tria: α) Se hominum omnium ac ſingulorum culpam pœnamque omnem velle in ſe recipere, Pſ. XL, 8. 9. Io. XVII, 19. β) Se proinde ſatisfactionem vicariam ex aſſe præſtiturum eſſe, Ieſ. LIII, 12. γ) Se etiam homines omnes, a Deo abalienatos, Deo reconciliaturum eſſe, procuranda reuerſione animorum a peccatis ad Deum, & ſatisfactionis præſtitæ adplicatione, omnibus eam peræque offerendo, mori-

Digitized by Google

*quod in ſeruitutem generat, quæ eſt Agar. Agar enim Sina mons eſt in Arabia; adumbrat autem eam, quæ nunc eſt, Hieroſolymam; ſeruit autem cum liberis ſuis: Ea vero, quæ ſurſum eſt, Hieroſolyma, libera eſt illa, quæ eſt mater omnium noſtrum.* Exprimit Paullus his verbis *bina teſtamenta*, & dicit ea præfigurata fuiſſe in vxoribus Abrahæ. *Vetus* in Agare, *nouum* in Sara. Agar eſt ſerua: ita V. T. eſt lex ſeruitutis. Sara eſt libera: ita N. T. eſt promiſſio libertatis. Agar generat ſecundum carnem: ita V. T. naturæ quadam obligatione ſibi ſubiectos obnoxios habet. Sara generat ſecundum promiſſionem: ita N. T. regenerat per promiſſionem euvangelicam. Id quod per Hagarem ſignificatum eſt, eſt Sina, mons in Arabia, non quatenus eſt mons naturalis, ſed quatenus mons iſte eſt locus legis latæ, & adumbrat Hieroſolymam, quæ nunc eſt, i. e. populum Iudaicum legalem, cupientem per legem iuſtificari, cuius

morigeris impertiendo, Ieſ. LIII, 11. Pſ. XXII 23.28. Luc. XXIV, 47. II) Ex *reſtipulatione Patris*, qui promiſit: α) Se velle hanc Filii ſponſionem omnino accipere, omniaque ab eo præſtita, immo adhuc præſtanda, ac ſi iam eſſent præſtita, rata habere, Ieſ. LIII, 6.: β) Suum ſe Filium, præſtita ſatisfactione, non propter ſe, ſed propter nos, noſtramque ſalutem, ſumma gloria ornaturum eſſe, Pſ. VIII, 6. coll cum Hebr. II, 7.8.9.10. Ieſ. LIII, 10.11.: γ) Se perfectiſſimam Filio poteſtatem daturum eſſe, omnes ipſi dicto audientes ad ſalutem perducendi, obſtinatos autem gratiæ contemtores ſalutis poſſeſſione excludendi: Pſ. II, 8--12. Ieſ. LIII, 10.12. Ioan. XVII, 2.

Differunt 3) *natura* ſua: Nam ſtipulatio ac reſtipulatio *alia* quidem eſt in fœdere *legali*, nimirum hæc: *Fac hoc, & vives! alia* autem in fœdere *euangelico*, cuius quippe ſumma hæc eſt: *Crede & ſaluus eris!* Rom. X, 4. ſeqq. Atque hæc ſententia oppoſita eſt *Romano-catholicis*, aliisque, qui *opera* hominis bona, & quæ ipſis quidem videntur bona, fœderi *gratiæ* immiſcere non dubitant.

V. Magna cautione opus eſt, ne quis putet, *fœdus operum*, ſiue legale, & *vetus Teſtamentum* rem vnam eamdemque eſſe. Hæc duo, adcurate diſcernenda, ſemper inter ſe confundunt *Sociniani*, & falſa huius erroris principia pauci neſciunt. Diſtinctionis huius vim ac rationem explicabo, quam breuiſſime potero. 1) In *fœdere operum* nullus fuit, nec eſſe potuit, qui teſtamentum faceret, nulla eius mors, qua illud ipſe confirmaret, nulla hæreditas, poſt eius mortem exſpectanda. Chriſtus nunquam veniſſet, ſi homines nunquam peccaſſent, nunquam ipſe pro hominibus liberandis mortem oppetiiſſet ſi homines nunquam mortis pœnam ſubire debuiſſent. 2) *Fœdus operum* ſuam vim ad ſalutem hominis efficiendam habere prorſus deſiit ſimul, atque homo perfidus ſuo vitio illud irritum fecit, Rom. VIII, 3. add. Gal. III, 21.22. *Fœderis*, contra, *gratiæ* efficacitas exſtitit continuo poſt primam hominis a lege defectionem, πρωτευαγγελίῳ percepto (*Propoſ.* III. *Conſect.*) Ergo *fœdus gratiæ* non minus ante Chriſtum natum ac mortuum valuit, quam poſt ipſius natiuitatem ac mortem. 3) *Fœdus gratiæ* dicitur *teſtamentum*, hanc potiſſimum ob cauſſam, quia *morte Chriſti* confirmatum fuit, Hebr. IX, 15.16. quæ Chriſti *mors* ab eo tempore, quo πρωτευαγγέλιον auditum fuerat, morte ac ſanguine victimarum piacularium, tanquam typo, ſignificata fuit. 4) *Vetus* igitur *teſtamentum* eſt ipſum *fœdus gratiæ*, neque aliter a *nouo teſtamento* differt, niſi ratione diuerſæ οἰκονομίας, quando quidem in V. T. gratia Dei ſalutaris in homines conferebatur propter Chriſtum adhuc *venturum*, multorumque typorum vmbra, præſertim vero *morte ac ſanguine* pecudum prænuntiatum; hodie in N. T. eadem gratia nobis tribuitur per eumdem Chriſtum, pro nobis *mortuum*, abrogatis typis omnibus. Idcirco *gratia antitypica* N. T. dicitur ſucceſſiſſe in locum *gratiæ typicæ* V. Teſtamenti Ioan. I, 16.17. 5) *Lex ritualis* V. T. quatenus quidem *lex* fuit, valuit ad *recordationem* fœderis *operum*, ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν, Hebr. X, 3. minime vero ad eius *renouationem* (*Propoſ.* III. *Conſect.*); quatenus autem *ritualis* fuit ac *typica*, Chriſti aduenturi prænuntia, prorſus ad *Euangelium* ac *fœdus gratiæ* referenda fuit. Ita facile percipienda erit ſententia verborum, Hebr. VIII, 8. ſeqq. coll. cum IX. 15.18.22. X, 6--9. Hæc adnotare, mearum partium eſſe ratus ſum, quoniam b. Auctor, cuius equidem merita veneror, hoc in loco non ſatis diſtincte de *fœdere* alio *operum*, alio *gratiæ*, itemque de *antiquo* ac *nouo teſtamento* expoſuiſſe mihi viſus eſt.

Digitized by Google

cuius metropolis eſt Hieroſolyma. Ergo *vetus teſtamentum* eſt pactum *legale.* Ex aduerſo ſedes noui teſtamenti eſt *Hieroſolyma ſuperna & libera. Superna* eſt, quia habet originem ſuam e cœlo & ſapit τὰ ἄνω, Col. III, 2. *Libera* eſt, quia eſt immunis a ſeruitute & maledictione. Ergo *nouum teſtamentum* eſt pactum *euangelicum*, promittens bona cœleſtia & libertatem a reatu & dominio peccati.

Quæſt. XVII. *Quid eſt vetus teſtamentum?*

*Vetus teſtamentum* eſt ſolemnis diſpoſitio liberrimæ voluntatis diuinæ, qua Deus, interueniente Moſis miniſterio, populo Iſraëlitico, ex Ægypto educto, in monte Sinai legem ſuam de cultu diuino, & gubernatione eccleſiæ atque politiæ Iudaicæ dedit, omnibusque latam legem perfecte ſeruantibus bona tum corporalia & temporalia, tum ſpiritualia & æterna promiſit, legem vero transgredientibus temporales æternasque pœnas comminatus eſt, iuxta atque fœderalem hanc diſpoſitionem ſacramentis circumciſionis & agni paſchalis atque ſanguine animalium typico confirmatam voluit, vt iuſtitia diuina per legem manifeſtaretur, & Iſraelitæ, peccatorum ſuorum conuicti, ad Chriſtum mediatorem compellerentur.

Obſ. I. Conſideramus hic *teſtamentum vetus*, ſiue *legale*, non ſecundum primam *inſtitutionem*, factam in paradiſo ante lapſum cum homine integro (vbi fundamentum illius iactum eſt, dicente DANNHAV. in *hodoſ. phænom. VI. p. 492.*), ſed ſecundum *ſolemnem* eius *promulgationem*, factam in monte Sinai.

Obſ. II. Scriptores eccleſiaſtici per *vetus teſtamentum* intelligunt a) fœdus gratiæ, quod Deus poſt lapſum pepigit cum patribus, in quo promiſit, ſe peccatores gratis recepturum & ſaluaturum eſſe, per & propter meritum Meſſiæ venturi, ſed ſub conditione fidei perſeuerantis, in Meſſia venturo deſigendæ. Dari enim fœdere Sinaitico vetuſtius aliquod, clare docet Paullus Gal. III, 16. At vero cum *vetus* teſtamentum *nouo* contradiſtinguitur, illud ſancitum eſſe dicitur poſt egreſſum Iſraëlitarum ex Ægypto, Ier. XXXI, 31. in monte Sinai Gal. IV, 24. b) Statum eccleſiæ ab exordio mundi vsque ad aduentum Meſſiæ. Quo ſenſu patriarchæ, Moſes, & prophetæ dicuntur vixiſſe in *veteri teſtamento.* c) Scripta Moſis & prophetarum, complectentia hiſtoriam eccleſiæ a condito mundo vsque ad natum Chriſtum. Vid. 2. Cor. III, 14. d) Senſu ſpecialiſſimo notat pactum legale in monte Sinai inter Deum & populum, interueniente miniſterio Moſis, magna ſolemnitate & maieſtate initum.

Quæſt. XIX. *Quid eſt nouum teſtamentum?*

*Nouum teſtamentum* eſt ſolemnis diſpoſitio liberrimæ voluntatis diuinæ de chriſtiana religione & gubernatione eccleſiæ, ſanguine & morte mediatoris Chriſti confirmata, qua Deus omnes homines per euangelium & ſacramenta baptiſmi & cœnæ dominicæ ad eccleſiam vocat, eosdemque illuminare, regenerare, iuſtificare, renouare, glorificare ſerio intendit, vt ſint per fidem in Chriſtum filii Dei, hæredesque vitæ æternæ, & gratiam Dei perpetuis laudibus concelebrent.

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. I. Conſideramus hic *nouum teſtamentum*, ſiue *euangelium*, *non* ſecundum primam *inſtitutionem*, factam in paradiſo poſt lapſum cum protoplaſtis, vbi fundamentum eius iactum eſt, & repetitam Abrahamo, ſed ſecundum *ſolemnem* eius *promulgationem*, factam in Sione, ſiue Hieroſolyma, Eſ. II, 3. Luc. XXIV, 47. *Nouum* teſtamentum *conſummatum* eſt *exhibito Chriſto*.

Obſ. II. Nomen *noui teſtamenti* ſumitur 1) pro doctrina, ſcriptis Euangeliſtarum & Apoſtolorum comprehenſa: 2) Pro toto ſtatu eccleſiæ, a Saluatoris natiuitate vsque ad vltimum mundi finem: 3) Pro pacto gratioſo remiſſionis peccatorum iuſtitiæ & vitæ æternæ in Chriſto: quod quidem cum hominibus protoplaſtis poſt lapſum & patribus iniuit Deus, tandem tamen morte filii vnigeniti, in carne exhibiti, dedicatum & confirmatum eſt: Quo ſenſu hic a nobis accipitur. Notari hic merentur verba noſtri CHEMNITII in *loc. theol. part. III fol.* 70. *Doctrina legis, quatenus eſt miniſterium mortis & damnationis, vbicunque in ſcriptura inuenitur, pertinet ad vetus teſtamentum. Et doctrina de iuſtitia fidei in Chriſtum, vbicunque in ſcriptura exſtat, pertinet ad nouum teſtamentum. Niſi nouum teſtamentum patribus innotuiſſet, vnde quæſo Abraham & reliqui fideles Spiritum & vitam habuiſſent, cum nouum tantum teſtamentum ſit miniſtratio Spiritus & vitæ?*

Quæſt. XX. *An vetus & nouum teſtamentum quibusdam prædicatis conueniunt?*

*Vetus* & *nouum* teſtamentum *conueniunt* quibusdam prædicatis *generalibus*.

Prob. *Vetus & N. T. conueniunt*

1) *Genere*, ſiue conceptu communi. Vtrumque enim eſt *teſtamentum fœderale & fœdus teſtamentarium*, ſiue diſpoſitio voluntatis Dei de cultu diuino & bonis teſtamentariis.

2) *Auctore*, qui eſt Deus triunus, & peculiari ratione Filius Dei, a quo vtrumque teſtamentum conditum eſt.

3) *Bonis teſtamentariis*. Vtroque enim teſtamento promittuntur bona, tum temporalia, tum æterna.

4) *Dedicatione & confirmatione*. Vtrumque enim teſtamentum dedicatum & confirmatum eſt *ſanguine*. Neque enim *prius teſtamentum ſine ſanguine dedicatum eſt*, ait Apoſtolus Hebr. IX, 18. Vtrumque etiam ſua habet ſigilla, ſiue ſacramenta.

5) *Publicatione*. Tam *vetus*, quam *nouum* teſtamentum poſt primam inſtitutionem in plenitudine temporis ſolemniter promulgatum eſt.

6) *Directione & conſeruatione ordinis in eccleſia*. Vtrumque enim teſtamentum a Deo ſapientiſſimo hoc fine ac conſilio ſancitum eſt, vt ne populus Dei proprio vagetur arbitrio, & in mera quapiam ἀταξίᾳ, ſiue confuſione oberret, ſed intra certam politiæ formam a reliquis omnibus populis diſtinctam contineatur.

Quæſt. XXI. *Quomodo vetus & nouum teſtamentum differunt?*

*Vetus* & *nouum* teſtamentum *differunt*: a) *forma* ſpecifica: b) *mediatore*: c) *confirmationis ſubſtantia*: d) *ſacramentis*: e) *bonis*, in vtroque teſtamento promiſſis: f) *conditione*, ſub qua promiſſa ſunt: g) *conſtitutionibus & ceremoniis*: h) *effectis*: i) circumſtantiis *modi promulgationis*, *loci*, *latitudinis*, & *temporis*: k) *dignitate* & *præſtantia*.

Prob. *Teſtamentum vetus totum eſt legale*, complectens legem moralem, cærimonialem & forenſem: *Teſtamentum nouum eſt euangelium*. *Illud* eſt *teſtamentum iuſtitiæ & operum*; quia exhibet imaginem iuſtitiæ & ſanctitatis, quæ eſt in Deo, & vrget ſtudium bonorum



Digitized by Google

norum operum ſub comminatione temporalis æternæque pœnæ. *Hoc* eſt *teſtamentum gratiæ & fidei. Illud* exigit debitum; *hoc* debitum propter meritum Chriſti vera fide apprehenſum remittit, Ier. XXXI, 31. ſeqq. *Illius* decretum eſt: *Fac hoc, & viues!* Luc. X, 28. Gal. III, 12. *Huius* decretum eſt; *Crede & viues!* Rom. X, 9. Act. XVI, 31. Vnde omnes, (qui ſalutati ſunt (etiam ſub ſtatu *veteris teſtamenti*, in quo vigebat adhuc lex Moſis moralis, cærimonialis & forenſis) non aliter, quam *per gratiam Ieſu Chriſti* (adeoque vi *euangelii* ac *noui teſtamenti*) ſunt ſaluati, Act. XV, 11. Conf. HVLSEMANN. *breu. cap. VIII. p. 493.*

Prob. b. *Noui* teſtamenti *mediator* eſt Chriſtus, Hebr. IX, 15. *Veteris* teſtamenti *internuntius* & interpres fuit Moſes, qui non quidem *mediator* vſpiam vocatur, ſed ſeruus Domini, Num. XII, 7. Hebr. III, 4. Accepit tamen tabulas fœderis a Deo, detulitque ad populum, & volumen fœderis ſanguine ſacrificiali conſperſit, Exod. XXIV, 7. Ex quo a nonnullis auctoribus *mediator legalis typicus*, ob interpretandi officium, nuncupatur; Chriſtus autem eſt *mediator euangelicus*, verus & ἱλαςικός, ob ſatisfaciendi beneficium. *Lex enim per Moſen data eſt, gratia & veritas per Chriſtum facta eſt*, Io. I, 17. vbi Ioannes legi morali opponit gratiam, legi cærimoniali, quæ conſtat typis, veritatem, ſeruo dominum. Lex enim data eſt per Moſen ſeruum, gratia vero facta, i. e. meritorie acquiſita eſt per Chriſtum, verum mediatorem.

Prob. c. *Vetus* teſtamentum ſancitum eſt *ſanguine pecuino & typico*, Exod. XXIV, 8. Hebr. IX, 20. *Nouum* vero teſtamentum confirmatum eſt *ſanguine Filii Dei*, Matth. XXVI, 28. Vnde ſanguis pecuinus ad ſubſtantiam V. T. ſanguis vero filii Dei ad ſubſtantiam N. T. pertinet.

Prob. d. *Sacramenta* V. T. ſunt circumciſio & paſcha, ſiue agnus paſchalis: *ſacramenta* N. T. ſunt baptiſmus & cœna dominica.

Prob. e. *Vetus* teſtamentum habuit *promiſſiones ſpeciales* de glorioſa occupatione & felici poſſeſſione terræ Canaan, & conſeruatione politiæ Iudaicæ vsque ad aduentum Meſſiæ. Habuit etiam promiſſiones de bonis ſpiritualibus æternis, ſed minus apertas & magnam partem typorum vmbris & figuris tectas. *Nouum* teſtamentum continet *promiſſiones* de bonis *ſpiritualibus apertas*, bona autem corporalia promittit generatim cum exceptione crucis.

Prob. f. In *fœdere legali* Deus populo ſuo promiſit bona temporalia & æterna, corporalia & ſpiritualia, ſub conditione propriæ & perfectæ obedientiæ, Exod. XIX, 5. & populus pollicitus eſt obedientiam, Exod. XXIV, 3.--7. In *fœdere* autem *euangelico* Deus nobis promiſit gratuitam peccatorum remiſſionem, iuſtitiam & vitam æternam, intuitu fidei, ſatisfactionem & meritum Chriſti apprehendentis, Ierem. XXXI, 31. Hebr. VIII, 8. Rom. III, 24.

Prob. g. *Vetus* teſtamentum conſtabat ex ingente conſtitutionum, rituum & cærimoniarum multitudine, cum infinitis moleſtiis coniuncta. At *nouum* teſtamentum habet ritus numero pauciſſimos, factu facillimos, intellectu auguſtiſſimos, ad baptiſmum & euchariſtiam reſtrictos. Vnde AVGVSTINVS, *contra Adimant. cap XVI.* ſcribit: *In veteri teſt. erant onera ſeruorum, in nouo autem eſt gloria liberorum.*

Prob. h. *Effecta* V. & N. T. ſunt plane diuerſa & oppoſita. V. T. quatenus *pactum legale* notat, vrget ſtudium bonorum operum; ſed non confert vires, bona opera patrandi. At N. T. inſcribit fidem in cor fidelium, & donat vires, quibus non quidem perfecte legem moralem impleant, ſed quibus inſtructi Deo ſincero corde ſeruiant, & magis magisque digne euangelio ambulent, Phil. I, 27. V. T. peccata demonſtrat, Rom. VII, 7. N. T. peccatorum condonationem offert, Ier. XXXI, 34. V. T. operatur iram, Rom. IV, 15. maledicit, Deut. XXVI, 26. occidit, 2 Cor. III, 6. N. T. promittit gratiam, Hebr. VII, 8. benedicit,

Digitized by Google

benedicit, Gal. III, 14. viuificat, 2 Cor. III, 6. Vnde ex *nouo*, non autem ex *veteri* teſtamento eſt gratuita iuſtificatio. *Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, reuera ex lege eſſet iuſtitia*, Gal. III, 21. Quæ tamen ἀδυναμία *iuſtificandi non eſt abſoluta & ſimplex*: eſt enim *lex per ſe bona & ſancta*, Rom. VII, 12. 1 Tim. I, 8. hominemque in ſtatu integritatis iuſtificare potuit: *ſed reſpectiua & accidentaria*, ratione carnis noſtræ, quæ legem Dei, quantumuis in ſe ſanctam bonamque, infirmat, tum conditionem legis implere, i. e. perfectam legi obedientiam præſtare nequit, Rom. VII, 14. c. VIII, 3.

Prob. i. *Vetus & nouum* teſtamenta differunt *modo promulgationis*. *Illud* inter tonitrua publicatum eſt, Exod. XIX, 16. *Hoc* promulgatum eſt cum ſuaui compellatione, Matth. XXVIII, 19. *Illud* in monte Sinai promulgatum eſt: *Hoc* exiuit ex monte Sion, Eſ. II, 2. *Illud* cum Iſraëlitis initum eſt: *Hoc* offert gratiam Dei omnibus hominibus, Marc. XVI, 15. *Illud* promulgatum eſt poſt egreſſum Iſraëlitarum ex Ægypto: *Hoc* conſummatum eſt Chriſto exhibito. *Illud* cum politia Iudaica abrogandum fuit, Hebr. VII, 18. c. VIII, 13. *Hoc* vsque ad conſummationem ſæculi firmum ſtabit, 1 Cor. XV, 2.

Prob. k. *Vetus* & *nouum* teſtamenta differunt *dignitate & præſtantia*. *Vetus* enim teſtamentum habet *vmbram futurorum bonorum*; ſed teſtamentum *nouum* nobis exhibet ipſum corpus ſiue complementum in Chriſto exhibito, Hebr. X, 1. Quare ex omnibus recenſitis differentiis prærogatiuam noui teſtamenti colligimus: Quanto præſtantius eſt medium ſalutis cauſſale medio pædagogico, Chriſtus Moſe, ſanguis mediatoris ſanguine pecuino, promiſſio clara & gratuita minus clara & conditionata, libertas ſeruitute, miniſterium vitæ miniſterio mortis, fœdus vniuerſale & æternum particulari & temporario, corpus vmbra, tanto præſtantius eſt teſtamentum nouum teſtamento veteri.

Quæſt. XXII. *An Deus in veteri teſtamento bona ſpiritualia & æterna promiſit?*

## Deus in *veteri* teſtamento *promiſit* quidem bona *ſpiritualia & æterna*, ſed ſub conditione *perfectæ obedientiæ*.

Obſ. I. Per *vetus teſtamentum* intelligimus *fœdus legale* a Deo cum Iſraëlitis initum; nam hoc phraſi ſcripturæ proprie appellatur *vetus teſtamentum*, & *nouo teſtamento* e diametro opponitur, Ier. XXX, 31. ſeq. Hebr. VIII, 8. Gal. IV, 24. 2 Cor. III, 6.

Obſ. II. *Fœdus gratiæ*, quod Deus a primo lapſus tempore cum Adamo, Abrahamo & reliquis patribus pepigit, a ſcriptoribus quidem eccleſiaſticis interdum dicitur *vetus teſtamentum*, ex Gal. III, 17. accurate autem loquendo pertinet ad *nouum teſtamentum*. Diſtinguendum autem eſt inter *nouum teſtamentum inchoatum*, & *conſummatum*. Deus hominibus lapſis promittendo Meſſiam redemtorem N. T. *inchoauit*; ſed mittendo filium ſuum in carnem, *conſummauit*; vi *fœderis gratiæ* (quod etiam *euangelium* appellatur). Patres ante Chriſtum iuſtificatos & ſaluos eſſe, ſupra, quæſt. V. oſtendimus; in præſenti nobis ſermo eſt de *veteri* teſtamento *proprie* dicto, ſiue *fœdere legali*.

Prob. 1) Ex Leu. XVIII, 15. *Obſeruabitis ſtatuta mea, & iudicia mea, quæ ſi fecerit homo, viuet per ea; quia ego ſum Iehouah*. Conf. Ezech. XX, 11. Hanc promiſſionem *legalem* non reſpicere tantum *vitam temporalem*, ſed etiam *æternam*, patet a) ex interpretatione indubitata Chriſti, Matth. XIX, 17. Luc. X, 28. b) Ex declaratione apoſtolica, Rom. X, 5. *Moſes deſcribit iuſtitiam, quæ ex lege, quod qui facit illa homo, victurus ſit per illa*. Conf. Gal. III, 12. vbi Apoſtolus ex oppoſitione promiſſionis euangelicæ & legalis docet, etiam in lege *vitam æternam* promiſſam eſſe, ſed ſub *conditione implendæ legis*.



Digitized by Google

2) Ex Leu. XXVI, 3. 11. 12. *Si in ſtatutis meis ambulaueritis, & præcepta mea obſeruaueritis, feceritisque ea: --- in primis dabo habitaculum meum in medio veſtri, nec faſtidiet anima mea vos; ſed ambulabo in medio veſtri, eroque vobis in Deum: Vos autem eritis mihi in populum.* Quam promiſſionem *legalem* de bonis *ſpiritualibus* intelligendam eſſe, docet Paullus 2 Cor. VI, 16.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum & Socinianorum*, ſtatuentium, in V. T. *tantum* bona *corporalia & temporalia*, non autem ſpiritualia & æterna eſſe promiſſa. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Si in veteri teſtamento hominibus peccatoribus *bona cæleſtia* fuiſſent promiſſa, Apoſtolus non diceret, *nouum teſtamentum eſſe præſtantius*, atque id ipſum habere promiſſiones præſtantiores, Hebr. VIII, 6. E. in veteri teſtamento non promittuntur bona ſpiritualia & æterna. Reſp. 1) Quare *nouum teſtamentum* dicatur *præſtantius*, vid. ſupra, quæſt. XXI. prob. k. 2) N. T. habet *promiſſiones præſtantiores*, non materialiter, ob res contentas, ſiue ratione boni promiſſi, ſed *formaliter*, ſiue ratione boni promittendi, & quidem a) ratione *requiſitæ conditionis*. Nam in *veteri* teſtamento habentur promiſſiones vitæ æternæ *conditionatæ*, ſiue ſuſpenſæ a conditione perfectæ legis impletionis; at promiſſiones *noui* teſtamenti ſunt *gratuitæ*, credentibus in Chriſtum gratis offerentes remiſſionem peccatorum & vitam æternam. b) Ratione *claritatis*. Nam promiſſiones *noui* teſtamenti ſunt clariores & *apertiores*: promiſſiones *veteris* teſtam. de vita æterna *vmbris & typis ſunt inuolutæ*. c) Ratione *efficaciæ*. Fœdus *legale* exacte implentibus legem pollicetur vitam æternam, ſed non ſuppeditat vires legem implendi; at fœdus *euangelicum* credentibus in Chriſtum vitam æternam promittit & vires credendi confert.

II. Quodcunque fœdus hominem non iuſtificat, ſed eſt tantum ἐπεισαγωγὴ, *introductio melioris ſpei*, illud non promittit bona *ſpiritualia*. Atqui fœdus *legale* &c. E. *Minor* probatur ex Hebr. VII, 19. *Nihil conſummauit* (perfecte iuſtificauit) *lex: Superinductio vero melioris ſpei, per quam appropinquamus Deo.* Reſp. *Spes melior* eſt ſpes *euangelii*, fundata *in Chriſto* Dicitur autem *ſpes melior*, non propter *res promiſſas*, ſed propter *rationem & viam*, ad res promiſſas perueniendi. Facit lex ſpem vitæ æternæ, ſed ſub conditione nobis impoſſibili: vnde & infirma & nobis inutilis ab Apoſtolo dicta eſt. At ſpes in Chriſto certa eſt, dum facilis & infallibilis via eſt in Chriſto per ſolam fidem ad res promisſas perueniendi.

III. Quidquid Chriſtus, in carne exhibitus, primum reuelauit, illud non fuit in veteri teſtamento promiſſum: Atqui vitam & immortalitatem Chriſtus, in carne exhibitus, primum reuelauit: E. *Minor* liquet ex 2 Tim. I, 10. *Chriſtus in lucem produxit vitam & incorruptionem per euangelium.* Reſp. Diſt. *inter promiſſionem vitæ æternæ, & vberiorem eius manifeſtationem.* Chriſtus produxit in lucem vitam & immortalitatem per euangelium; *non* quaſi patribus fidelibus vet. teſtamenti *non fuerit promiſſa, aut cognita;* ſed duas ob cauſſas alias, quarum vna eſt *manifeſtationis claritas*, altera *notificationis latitudo*. Temporibus *veteris* teſtamenti promiſſa eſt vita æterna, ſed *minus clare*, & innotuit *tantum* populo *Iſraëlitico;* at Chriſtus per *euangelium* viam ad vitam æternam manifeſtauit *clarius*, remotis vmbris figurarum, eamque notificauit *toti mundo.*

## *SVSPIRIVM.*

Aduolutus ad pedes miſericordiæ tuæ, o Deus æterne, Pater clementiſſime, gratias tibi ago tantas, quantas mente capere poſſum maximas, pro patefacto euangelio tuo de conferenda nobis æterna ſalute, propter merita Chriſti. Hoc verbum gratiæ docet me tremefactum, comparatione

paratione mei cum præceptis diuinis, & haud ignarum imperfectionis meæ, confugere in ſinum Chriſti, & ſub ipſius bonitate, tanquam firmiſſimo clypeo, tutum aduerſus ea, quæ lex minatur, ſupplicia deliteſcere. Hoc euangelium pacis confirmat, Chriſtum nobis, qui certa in ipſum fide nitimur, iuſtitiam ſua obedientia, quietem ſuis laboribus, ſolatium ſuis cruciatibus, vitam denique ſua morte peperiſſe. Proinde euangelio Chriſti nullus mihi theſaurus eſt pretioſior, nullus cibus dulcior, nullum medicamen ſalubrius, nulla lux ſerenior. Etenim hac luce tendentibus ad patriam cœleſtem via expedita oſtenditur: Hoc medicamine vulnera conſcientiæ ſanantur: Hoc cibo eſurientes iuſtitiam reficiuntur: Hoc theſauro pauperes ſpiritu ditantur. Reconde, o Spiritus Sancte, hunc theſaurum in anima mea, quo, opibus huius ſæculi ſpretis calcatisque, vnice bona cœleſtia deſiderem, quæram, inueniam, poſſideam. Et tu, o anima mea, Ieſum, ſalutis tuæ auctorem & vindicem, vera fide apprehende, apprehenſum retine, retentum cole ſanctis cogitationibus, piis precibus, & actionibus euangelio dignis.

## THEOL. PART. III. SECT. II.

### CAPVT III.

# DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET DE SACRAMENTIS VETERIS TESTAMENTI IN SPECIE.

Quæſt. I. *Quid eſt ſacramentum?*

*Sacramentum* eſt ſacra & ſolemnis actio, diuinitus inſtituta, qua Deus, interueniente hominis miniſterio, per externum & viſibile elementum, cum verbo inſtitutionis coniunctum, rem cœleſtem ſingulis vtentibus exhibet, ad offerendam omnibus hominibus, & conferendam credentibus, atque obſignandam gratiam euangelicam *). *Definitio Sacramenti.*



*) In recta hac definitione continentur quædam *axiomata*, in primis *quatuor*, quorum vſus latiſſime patet per vniuerſam hancce doctrinæ partem. I. Sacramenta non ad legem pertinent, ſed ad *Euangelium*, quatenus illud a lege diſtinguitur, adeoque non ad fœdus operum, ſed ad fœdus gratiæ. II. In ſtatu *integræ* naturæ, quum *Euangelium nullum* eſſet, *nullum* erat *Sacramentum, proprie* ita dictum. Non nullis quidem *Reformatorum*, præſertim Batauorum, videntur quædam Sacramenta iam in Paradiſo inſtituta fuiſſe, nimirum arbor ſcientiæ boni ac mali, arbor vitæ, ſabbatum. Sed, vt in eo errant, quod ſacramentis non ampliorem vim, quam ſignificantem, tribuunt, ſic vſitatam propriamque nominis poteſtatem negligunt, idque latiori ſenſu vſurpantes, intelligunt quodcunque ſignum voluntatis diuinæ, etiam legalis, adiuncta promiſſione. III. Sacramenta ſunt in *vtroque Teſtamento*, quoniam in vno æque, ac in altero, Deus *euangelicam* voluntatem ſuam declarauit, & beneficia gratiæ, Chriſti promeritis parta, hominibus offerre, in eosque conferre decreuit. *Diuerſa* tamen non poſſunt non eſſe quodam modo ſacramenta *veteris* & *noui* Teſtamenti, pro eo, ac *diuerſæ œconomiæ* gratiæ, quæ alia tunc fuit, alia nunc eſt, conuenit. IV. *Sacramenta* probe diſcernenda ſunt a *ſacrificiis*, quæ duo conueniunt quidem in eo: quod 1) vtraque ſunt actiones ſacræ. 2) vtraque diuinitus inſtituta, 3) nec ſine promiſſione diuina. Differunt autem inter ſe ita, vt *ſacramentum* ſit actio ſacra eiusmodi, qua homini aliquid offertur a Deo; *ſacrificium* vero ſit ea actio ſacra, qua Deo aliquid offertur ab homine. Vid. *Apol. Aug. Conf.* p. 253. Sed eſt tamen aliquid, ex vtroque genere compoſitum, agnus paſchalis, quem, alia atque alia ratione & *ſacramentum* fuiſſe, & *ſacrificium*, eximie docuit ſumme vener. D. SAL. DEYLINGIVS noſter, in ſuis *Obſ. S. T.* I. 59.

Obſ. I. *Sacramentum* VARRO *libr. IV. de lingua latina* deriuat a *ſacro*, vt notet *rem ſacram;* VEGETIVS vero *libr. II. de re milit. c. 5.* deducit a *ſacrando*, i. e. dedicando & conſecrando.

Obſ. II. Nomen *ſacramenti* apud auctores profanos *duplicem* ſuſtinet ſignificationem. a) Significat *pecuniam*, apud pontificem in loco ſacro depoſitam, vt lite finita victor ſuam integram repeteret, victi autem pecunia ærario cederet, vſibus ſacris impendenda, monente VARRONE, *libr. IV. de latina lingua;* quamuis poſtea laxius vſurpata ſit vox ſacramenti pro quouis *pignore*, teſte CICERONE *libr. I. de oratoribus.* b) Notat *iuramentum*, præcipue vero *militare.*

Obſ. III. Vox, *ſacramentum,* in codice ſacro expreſſe non legitur; ſed ſicut origine latina eſt, ita in hebræo atque græco ſermone V. & N. T. non reperitur vox certa, quæ illi exacte reſpondeat. Primus TERTVLLIANVS *L. de corona militis* vocem, *ſacramentum,* adhibuit ad denotandum actum, quo *baptizandi* Deo ſe *obligant*, ac religioſe promittunt, ſe ſub vexillo Chriſti contra Satanam, mundum & carnem ſtrenue pugnaturos eſſe. Vnde factum eſt, vt non tantum totus ritus *baptiſmi*, ſed & *cœna* ſacra *ſacramentum* diceretur.

Obſ. IV. Vox, *ſacramentum,* in ſenſu eccleſiaſtico ſumitur a) *generaliſſime*, b) *ſpecialius*, c) *ſpecialiſſime. Generaliſſime* accipitur pro re quauis *arcana* & ſecreta; quomodo vſurpatur in verſione latina, 1 Tim. III, 16. Eph. V, 32. *Specialius* accipitur pro *ſigno externo rei ſacræ* & cœleſtis, v. gr. Iris in nubibus, vellus Gideonis, ſol retrogradus ſacramenta vocari poſſunt. *Specialiſſime* accipitur pro *ſigno & medio conferendæ & obſignandæ gratiæ diuinæ;* atque in hac poſtrema ſignificatione, quæ huius loci eſt, notat vel ὁλικῶς totam actionem ſacramentalem, complectentem vtramque rem terrenam & cœleſtem, vel μερικῶς, alteram partem eſſentialem, videlicet ſymbolum externum, ſeu rem terrenam, v. gr. aquam in baptiſmo, panem & vinum in ſacra cœna.

Obſ. V. *Sacramentum* græce appellatur μυστήριον. Nomen, μύστης, a quo proxime deriuatur, notat hominem ſacris initiatum, μυέω ſignificat *ſacris initio*, inſtituo. Vid. Phil. IV, 12. Deſcendit μυέω a μύω, *claudo;* quia apud Græcos myſtæ tenebantur μύειν τὸ στόμα, os claudere, & nihil eorum dicere, quæ ipſi perceperant, ne ſacrorum auctoritas vileſceret. Ceterum oppido notandum eſt, quod omne quidem *ſacramentum* ſit *myſterium*, ſed non omne *myſterium ſacramentum* proprie dictum. Spirituale coniugium Chriſti & eccleſiæ eſt μέγα μυστήριον, Eph. V, 32. ſed non ſacramentum *proprie* dictum.

Quæſt. II. *Quænam ſunt requiſita ſacramenti proprie dicti eſſentialia?*

*Requiritur* ad ſacramentum, *proprie* dictum: a) Vt ſit actio diuinitus inſtituta & mandata: b) Vt habeat elementum externum & viſibile, cum re cœleſti, mediante verbo inſtitutionis, vnitum: c) Vt habeat promiſſionem gratiæ euangelicæ.

Obſ. Requiſita hæc generalia ſacramentorum deducenda ſunt ex iis, quæ in ſpecie de ſingulis ſacramentis in ſcriptura S. traduntur.

Quæſt. III. *Eſtne ſacramentum definiendum per actionem?*

Sacramentum recte definitur per *actionem* a) *ſacram* b) & *ſolemnem* c).

Prob. a. Omnia verba præceptiua de ſacramentis in ſacris litteris concepta 1) *actionem* imperant, v. gr. *Circumcidite*, Gen. XVII, 11. *agnum tollite, mactate*, Exod. XII, 3. *baptizate*, Matth. XXVIII, 19. *accipite, edite, bibite, hoc facite*, Matth. XXVI, 26.

2) Forma

Digitized by Google

2) Forma ſacramenti conſiſtit in δόσει καὶ λήψει, in diſtributione & acceptione, adeoque in *actione*.

3) Extra *vſum*, i. e. ſacramentalem, non eſt ſacramentum.

Prob. b. Sacramentum eſt actio *ſacra*: quia 1) *auctorem* habet Deum ſanctiſſimum, cuius verbo conſecratur, & 2) ad ſacrum *vſum* deſtinatur.

Prob. c. Sacramentum eſt actio *ſolemnis*, i. e. ſeria, clara, certa, non ludicra, iocoſa, aut mimica; ſicut SOZOMENVS *libr. II. c.* 16. commemorat, Athanaſium puerum baptizaſſe puerulos, nondum ſacris initiatos.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum*, *Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, quibus ſacramenta ſunt *tantum externa ſigna*; quibus ex parte accedunt *Pontificii*, quorum opinione ſacramenta *veteris* Teſtamenti fuerunt *tantum ſigna*. Præcipua eorum argumenta ſunt:

I. Omnes typi ſunt ſigna; quia ſignant & præfigurant antitypum: Atqui ſacramenta V. T. ſunt typi. E. *Minor* patet: quia circumciſio præfigurauit effuſionem ſanguinis Chriſti, agnus paſchalis ipſius mortem, 1 Cor. V, 7. Reſp. Diſt. inter *ſigna theoretica*, *& practica*. *Illa* ſignant & per ſe nihil efficiunt: *Hæc* non tantum ſignant, ſed etiam aliquid efficiunt, e quorum cenſu ſunt ſacramenta, adeoque formaliter in actione conſiſtunt.

II. Quidquid gratiam fœderalem obſignat, illud eſt ſignum: Atqui ſacramenta &c. E. Reſp. *Obſignare* gratiam fœderalem pertinet ad finem, ſiue *vſum* ſacramentorum, *non* ad eorum *eſſentialem conſtitutionem*.

Inſtantia. Sed AVGVSTINVS definiuit ſacramenta per *ſigna viſibilia inuiſibilis gratiæ*. Reſp. Deſcriptio illa a cauſſa finali petita non eſt adæquata definitio *).

Quæſt. IV. *Quis ſacramenta inſtituit?*

Sacramenta *inſtituit Deus* a) & Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, qui ſacramenta N. T. *etiam qua homo* condidit b). *Cauſſa efficiens principalis.*

Prob. a. 1) *Solus Deus* eſt auctor *ſalutis* & fons *gratiæ*. E. ſolus Deus pollet auctoritate & poteſtate ordinandi *media ſalutis*, *& ſigilla gratiæ*.

2) Inductione omnium ſacramentorum. Deus enim ipſe circumciſionis ſacramentum Abrahamo præſcripſit obſeruandum, Gen. XVII, 10. nec non Moſi alterum illud V. T. ſacramentum, Exod. XII, 3. In N. T. baptiſmi inſtitutio diſerte tribuitur Deo, Io. I, 33. vt & inſtitutio S. cœnæ, 1 Cor. XI, 23.

Prob. b. 1) In *genere*. Secundum quam naturam Chriſtus noſter eſt mediator, ſecundum eandem ſacramenta ſalutis media ordinauit. Atqui *etiam* ſecundum *humanam* naturam noſter eſt *mediator*. E. *etiam* ſecundum *naturam humanam* ſacramenta *ſalutis media* ordinauit.

2) In *ſpecie*: a) De *baptiſmo*, ex Matth. XXVIII, 19. vbi Chriſtus inquit: *Euntes docete, & baptizate omnes gentes.* Qui hoc dixit, fuit Chriſtus a mortuis reſuſcitatus, & diſcipulis

*) Cum in noſtra quoque *Aug. Conf.* art. XIII. Sacramenta nominantur *ſigna*, intelligenda ſunt 1) non *ſigna rei*, quaſi rem ſacram, ſiue beneficia gratiæ diuinæ dumtaxat ſignificarent, nec vero offerrent, conferrent vereque nobis exhiberent; ſed *ſigna Dei*, quibus ſuam ipſe voluntatem benignam declarauit; quæ interpretatio in eo ipſo loco huic nomini adiuncta eſt: 2) *ſigna efficacia*, quæ vim *mediorum* obtinent, vti aperte ibidem ſcriptum exſtat: *ad excitandam & confirmandam fidem propoſita.* Quam ob rem vocula, *per*, ſæpe numero adhibetur in *Apol. Aug. Conf.* ſicut pag. 167. pag. 200.

Digitized by Google

ſcipulis apparens, v. 17. *cui eſt data omnis poteſtas in cœlo & in terra*, v. 18. At vero reſuſcitatus eſt, apparuit diſcipulis, & poteſtatem accepit in tempore, *ſecundum humanam naturam.* De *S. cœna* ex Matth. XXVI, 26. vbi *Chriſtus* dicit: *Accipite, edite corpus meum, & bibite ſanguinem meum.* Corpus & ſanguinem habet θεάνθρωπος, ſecundum *humanam* naturam. E. *etiam* ſecundum *humanam* naturam eſt auctor & inſtitutor S. cœnæ.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, Chriſtum, qua *hominem*, eſſe primarium auctorem ſacramentorum. Qui argumentantur: Quicunque non habet poteſtatem diuinam, ille non poteſt principaliter condere ſacramenta: Atqui Chriſtus homo &c. E. Reſp. Neg. *minorem;* quia Chriſtus, qua *homo*, habet poteſtatem diuinam non quidem *per ſe*, attamen per *vnionis perſonalis gratiam.* Competit inſtitutio ſacramentorum Chriſto, qua *Deo*, & qua *homini:* qua *Deo* quidem, auctoritate *diuina*, ipſique *eſſentiali;* qua *homini* autem, auctoritate & poteſtate *eadem*, ſed vi *vnionis perſonalis* ipſi *communicata.*

Quæſt. V. *Quid impulit Deum ad inſtitutionem ſacramentorum?*

*Cauſſa impulſiua.* Deum ad condendum ſacramenta *interne* mouit miſericordia, cui miſerendi occaſionem præbuit hominis lapſi infirmitas & miſeria a). *Externe* impulit ipſum meritum Chriſti mediatoris b).

Prob. a. Liberaliſſimæ bonitatis diuinæ eſt, quod Deus cum homine peccatore fœdus ſanciuit, & huic fœderi ſacramenta, ſigilla gratiæ, annexuit, Gen. XVII, 10. Matth. XXVI, 28. 1 Petr. III, 21. Propitium Numen conſultum iuit infirmitati hominis lapſi, cui voluntatem ſuam verbo audibili manifeſtatam cupiuit, quam verbis viſibilibus firmauit, vt quam promiſſionem gratiæ auribus acciperet homo, illius pignora & ſigilla oculis conſpiceret. Præclare inquit CHRYSOSTOMVS *homil. LX. ad pop. Antiochen. Si incorporeus eſſet, Deus tibi dona incorporea nude traderet, ſed quia anima tua corpori eſt vnita, in rebus corporeis ea tibi intelligenda traduntur.* Sic poſt lapſum euangelio ſtatim acceſſere ſacrificia, pacto Noachico iris, pacto Abrahamico circumciſio, pacto Moſaico agnus paſchalis, & ſacrificia plura: Sic pacto euangelico in nouo Teſtamento addita ſunt ſacramenta, baptiſmus & cœna dominica.

Prob. b. *In Chriſto* mediatore *benedicimur omni benedictione ſpirituali*, Eph. I, 3. quam benedictionem ſacramenta offerunt, conferunt & obſignant.

Quæſt. VI. *Cui diſpenſanda ſacramenta Deus concredidit?*

*Subiectum cui.* *Ius diſpenſandi* ſacramenta Deus concredidit *eccleſiæ* a), quæ exſecutionem aut exercitium huius iuris, obſeruandi ordinis & εὐσχημοσύνης cauſſa, commendauit *miniſtris* verbi diuini *vocatis & ordinatis* b). In caſu autem *extremæ neceſſitatis*, vbi ſacramentum eſt neceſſarium, nec niſi periculo ſalutis omitti poteſt, *quilibet homo chriſtianus* ſacramentum *initiationis* valide celebrare poteſt c).

Prob. a. 1) Quia eccleſia eſt ſponſa Chriſti, Ioann. III, 29. cuius ornamenta ſunt ſacramenta.

2) Quia eccleſia eſt domus Dei, & columna & firmamentum veritatis, 1 Tim. III, 14. Hæc domus aſſeruat theſaurum ſacramentorum: Hæc columna cuſtodit veritatem cœleſtem, eiusque ſignacula, nempe ſacramenta.

Prob. b. 1) Quia miniſtri eccleſiæ ſunt *œconomi*, ſiue diſpenſatores *myſteriorum Dei*, 1 Cor. IV, 1. Ad *myſteria* diuina pertinent etiam *ſacramenta.*

2) Quia

Digitized by Google

2) Quia *nemo* (in eccleſiaſticis) *ſibi ſumit honorem, niſi qui vocatus eſt, inſtar Aaronis,* Hebr. V, 4.

3) Quia Chriſtus peculiariter inſtruxit *Apoſtolos: Baptizate!* Matth. XXVIII, 39. *Hoc facite!* Luc. XXII, 19.

Prob. c. Quia *omnes Chriſtiani* ſunt ſpirituales reges & ſacerdotes, 1 Petr. II, 9. Apoc. I, 5. Vrgente igitur neceſſitate vtuntur iure ſpiritualis ſacerdotii, quod habent fideles, tanquam membra ex officio ſacerdotali capitis ſui, Ieſu Chriſti, Eph. I, 22. IV, 16. V, 25. 26.

Quæſt. VII: *An eccleſia in ſacramentis quidquam mutare poteſt?*

*An ſacramenta mutari poſſint?*

Eccleſia *nihil mutare* poteſt in *ſubſtantialibus* ſacramentorum a). Gaudet tamen *libertate* aliquid *mutandi* in *circumſtantiis* ſacramentorum b).

Prob. a. Quia eccleſia non eſt domina ſacramentorum, ideoque *eſſentiam* ſacramentorum (quæ conſiſtit in indiuiſibili) mutare non poteſt, v. gr. calicem a Chriſto inſtitutum non poteſt cœnæ adimere. Sed vtitur Chriſtus *eccleſia*, 1) vt *nuntia* ac promulgatrice inſtitutionis, ſemel a Deo factæ, 2) vt *theſauraria*, quæ κειμήλιον tantum conſeruat, & ad poſteritatem transfert, 3) vt *miniſtra* & œconoma efficace, per quam Chriſtus operatur, 1 Cor. I. 4) vt *ordinatrice* & *ornatrice*, quod ad externam ſolemnitatem & cærimonias circumſtantiales attinet. Conf. D. DANNHAVERVS in *hodoſ. p. 1008.*

Prob. b. Eccleſia habet poteſtatem diſponendi, vt *omnia decenter & ſecundum ordinem fiant*, 1 Cor. XIV, 40. Sic eccleſia Chriſtiana in gratiam ægrotorum, quorum infirmitas immerſionem baptiſmalem non ſuſtinet, immerſionem in aſperſionem mutauit. Graſſante SABELLIO, qui S. S. Trinitatem impugnabat, *trina* immerſionis ritus ſingulari cura obſeruatus fuit: at furente ARIO, qui vnitatem Patris & Filii negabat, *vna* immerſione baptiſmus peragebatur. Contra EBIONEM, qui panem azymum vrgebat, adhibitus eſt ab eccleſia panis fermentatus; contra Græcos pro fermentato feruide pugnantes, azymus receptus. Conf. D. BROCHMAND. in *loc. de ſacrament. p. 1039.*

Quæſt. VIII. *An ſacramentum efficax eſt, miniſtratum a miniſtro eccleſiæ, cuius vita eſt impura?*

*Vita miniſtri.*

Ratione τῆς εὐσχημοσύνης, ſiue *decori*, requiritur in miniſtro eccleſiæ ſincera vitæ pietas. a) *Efficacia* autem ſacramenti *non a miniſtro*, ſiue œconomo, ſed a *magiſtro*, ſiue auctore Deo dependet b).

Prob. a. 1) Quia δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, *oportet epiſcopum eſſe inculpatum*, 1 Tim. III, 3.

2) Quia miniſter eſt *legatus Chriſti*, quem imitari, & *eccleſiæ* totius *vicarius*, cuius ornamenta referre debet.

Prob. b. 1) Quia *neque qui plantat, neque qui rigat, quidquam eſt, ſed Deus, qui dat incrementum,* 1 Cor. III, 7. E. efficacia ſacramentorum non dependet a miniſtro eccleſiæ plantante aut rigante, ſed a Deo, incrementum largiente. Ratio eſt: quia *miniſter* in ordine ad effectum ſacramenti non agit, niſi *inſtrumentaliter*. Omne autem inſtrumentum agit, non ſecundum propriam formam, ſed ſecundum virtutem eius, a quo mouetur.

2) Sicut *incredulitas hominum non poteſt irritam facere fidem Dei*, Rom. III, 13.: Ita malitia miniſtri non poteſt impedire bonitatem Dei, ſacramenta inſtituentis. Docet hoc *Auguſtana confeſſio*, Art. VIII. *Quanquam eccleſia proprie ſit congregatio ſanctorum & vere credentium; tamen cum in hac vita multi hypocritæ & mali admixti ſint, licet vti ſacramentis,*

*quæ per malos adminiſtrantur iuxta vocem Chriſti,* Matth. XXIII, 2. *Sedent ſcribæ & Phariſæi in cathedra Moſis &c. Et ſacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.*

*Antitheſis* eſt *Donatiſtarum & Anabaptiſtarum*, efficaciam ſacramentorum pietati miniſtrorum adſcribentium. Nituntur potiſſimum hoc argumento: Quicunque non habet Spiritum S., alteri beneficia Spiritus S. conferre nequit: Atqui miniſter improbus &c. E. *Maior* probatur: quia quod quis non habet, alteri dare nequit. Reſp. *Diſt. inter cauſſam principalem, & inſtrumentalem.* Quod *cauſſa principalis* non habet (formaliter aut eminenter), alteri non poteſt impertiri. Sed per *agens inſtrumentale* poteſt conferri, quod ipſi non ineſt: v. gr. aër eſt vehiculum loquelæ ad amicum longe ſtantem; ipſe tamen aër eſt loquelæ expers.

Quæſt. IX. *Num ad integritatem & efficaciam ſacramentorum requiritur intentio miniſtri?*

*Intentio miniſtri.*

*Intentio externa*, quæ conſiſtit in adhibitione omnium verborum & actionum ſacramentalium, hoc fine & modo, quo Chriſtus inſtituit, omnino ad integritatem eſſentialem ſacramenti neceſſaria eſt a). *Interna intentio* requiritur quidem *ad decorum miniſtri*, vt attentum præſentemque, non ſomnolentum, non peregrinantem animum ad officium ſuum afferat b). Sin tamen vel ex negligentia, vel ex malitia non ſit intentus, defectus internæ intentionis *ſalutarem ſacramenti effectum non impedit* c).

Prob. a. Quia *externa intentio* eſt legitima adminiſtratio & formalis vſus, extra quem non datur ſacramentum. Eſt enim organon gratiæ & ſalutis, adeoque conſiſtit in vſu, inſtitutioni diuinæ conformi.

Prob. b. Miniſtri eccleſiæ eſt, τὴν διακονίαν αὐτȣ̃ πληϱοφοϱεῖν, *miniſterium ſuum adimplere*, 2 Tim. IV, 5. quod accuratam requirit intentionem.

Prob. c. 1) Si ſacramenti integritas & efficacia æſtimanda eſſet intentione miniſtri, omnis plane conſolatio ex ſacramentis haurienda exſpiraret, & vniuerſa efficacia ſacramentorum incerta foret, contra manifeſta Spiritus S. effata, Io. III, 5. Gal. III, 27. Matth. XXVI, 28. Io. VI, 51. Cum enim alieni pectoris receſſus penetrare non ſit datum homini, quomodo poterit quispiam de baptizantis intentione, & conſequenter de baptiſmi efficacia certus eſſe?

2) Sicut incredulitas hominum non poteſt fidem Dei facere irritam, Rom. III, 3.: ita defectus bonæ intentionis in miniſtro non facit diuinam intentionem irritam.

3) *Verbum audibile,* abſente bona miniſtri intentione, eſt efficax; ſiquidem nonnulli per inuidiam & contentionem Chriſtum prædicant, Phil. I, 15. E. & *ſacramentum viſibile*, abſente bona intentione eſt efficax.

4) Zippora ex iracundia, ſine debita intentione, filium circumcidit, Exod. IV, 26. & illa circumciſio rata fuit. E. Sacramentum ſine debita miniſtri intentione ratum eſt.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, efficaciam ſacramenti a bona miniſtri intentione ſuſpendentium. Quorum argumenta ſunt:

I. Omnis actio proæretica fit cum intentione agendi (proficiſcitur enim a ſciente & volente): Adminiſtratio ſacramenti eſt actio proæretica: Ergo. Reſp. Diſt. inter intentionem miniſtri *internam*, & *externam*. Omnis actio proæretica requirit intentionem miniſtri *externam*, conformem voluntati Domini, quamuis *interna* miniſtri intentio non ſemper ſit bona: v. gr. Si famulus alicuius domini liberalis te proſequeretur odio, & iuberetur a domino

domino centum tibi tradere aureos, afferret ille pecuniam intentione *externa*, mandato domini conformi, licet *interna* ipſius intentio non ſit bona.

II. In omni fideli & prudenti ſeruo requiritur bona intentio: Omnis miniſter ſacramentorum eſt fidelis & prudens ſeruus, Matth. XXIV, 45. Ergo. Reſp. Requiritur bona intentio ratione *decori* & officii, non autem ratione *abſolutæ neceſſitatis ad integritatem & efficaciam ſacramenti.*

III. Si non neceſſaria eſſet intentio miniſtri ad integritatem ſacramenti, baptiſmus in balneo, & euchariſtia in conuiuio, vel alias per ludum & iocum collata, legitima forent ſacramenta: Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. Reſp. Neg. *conſeq.* Baptiſmus iocularis & euchariſtia ludicra non ſunt ſacramenta, non ideo, quod deſit intentio miniſtri, ſed quod ad *eſſentiam* ſacramenti pertineat, vt ſit *actio ſacra & ſolemnis*, vſu eccleſiaſtico debita reuerentia adminiſtranda, qualis non eſt actio ironica, mimica, iocularis & ludicra.

## Quæſt. X. *Quæ eſt materia ſacramentorum?*

*Materia ſacramentorum.*

Cum ſacramenta ſint actiones *diuinitus inſtitutæ*, liquet, eorum *non* dari *materiam, proprie dictam* a). Ἀναλόγως tamen eorum *materia terreſtris* dicitur elementum, ſiue ſymbolum externum, quod eſt res corporea, viſibilis, ſuo ſignato analoga, expreſſe verbo inſtitutionis diuinæ determinata, & ordinata ad hoc, vt ſit rei cœleſtis ὄχημα, vehiculum & medium exhibitiuum b). *Materia cœleſtis* eſt res inuiſibilis & intelligibilis, re terrena viſibili, tanquam medio diuinitus ordinato exhibita, a qua fructus ſacramenti principaliter dependet c).

Prob. a. Materia *proprie* dicta competit *ſubſtantiis corporeis*, quæ ex materia & forma, velut partibus, componuntur. Cum itaque ſacramentum non ſit ſubſtantia corporea, collectu procliue eſt, illud non conſtare ex materia proprie dicta: *Analogice* tamen ei materia, *circa quam verſatur*, aſſignatur.

Prob. b. & c. 1) Inductiue eundo per ſingula ſacramenta. In *circumciſione* res terrena & viſibilis fuit præputium, non ſine ſanguinis effuſione reciſum & abiectum: typice præſto fuit Meſſias, e ſanguine Abrahami naſcendus, ſanguine ſuo in paſſione conſpergendus, excidendus & abiiciendus. In *Paſchate* res terrena & viſibilis erat agnus mactandus: typice aderat Meſſias pro nobis immolandus, 1 Cor. V, 7. In *baptiſmo* ſymbolum viſibile eſt aqua: res cœleſtis eſt Spiritus S. In S. cœna externa elementa ſunt panis & vinum, inuiſibilis & cœleſtis materia eſt corpus & ſanguis Domini.

2) Agit Deus in ſacramentis cum *externo* & *interno homine*; ideo duas etiam partes, cuilibet hominis conſiderationi conuenientes, ſacramentorum eſſe voluit, quarum *cœleſtis* circa hominis interni fidem, *terrena* vero circa externi hominis ſenſus verſaretur.

3) Effectus ſacramentorum (regeneratio, iuſtificatio, renouatio & glorificatio) non poteſt prouenire a *ſola materia terreſtri*, neque citra ſpeciem idololatriæ ei tribui. Prodit igitur effectus ſacramentorum *principaliter* a *re cœleſti*, cum qua ſacramentaliter vnita eſt materia terreſtris, ceu vehiculum & medium exhibitiuum rei cœleſtis.

4) Verbum ἀκυστόν, vi ordinationis diuinæ, vnitum eſt cum Spiritu S., vt effectus ſupernaturales producere queat: Ita cum ſacramento tribuatur vis ſpiritualis & diuina, neceſſe eſt, vt elemento externo ſacramentaliter vnita ſit *materia cœleſtis*, vi cuius cœleſtia ἐνεργήματα producat, ceu medium, diuina vi inſtructum. Conf. D. CALOVII *tom. IX. ſyſtem. p. 175.*

5) Probatur idem ex fine ſacramentorum, quæ cum ſint ſigna ſenſibilia, requirunt aliquod ſignatum intelligibile. Eſt enim ſignum, definiente AVGVSTINO, *L. II. de doctrin. Chriſt. c. 2.*

 res,

Digitized by Google

res, quæ præter ſpeciem, quam ſenſibus ingerit, aliud aliquid ex ſe facit in cogitationem venire. Quia porro ſacramenta ſunt organa efficacia ad actus ſupernaturales: Ergo requirunt aliquem, vt ſic dicam, nucleum internum & cœleſtem, a quo tanta per externum elementum efficacia prodire queat. Confer. DANNHAV. *in hodoſ. p. 1006.*

Dicis: Materia ſacramentalis debet eſſe præſens in actu ſacramentali. Sed Meſſias naſcendus & immolandus non fuit actionibus ſacramentalibus V. T. præſens. Ergo Meſſias naſcendus & immolandus non fuit materia cœleſtis ſacramentorum V. T. Reſp. ὁ λόγος, quia æternus & omnipræſens eſt, vtique realiter præſens fuit in actionibus ſacramentalibus V. T., qua incarnandus & immolandus præſto fuit *moraliter*, quoad præuiſionem & decretum, nec non quoad promiſſionem euangelicam & efficaciam, vt fide apprehendi & applicari poſſet. Eſt enim Chriſtus heri & hodie, & idem in ſæcula, Hebr. XIII, 8. & agnus Dei occiſus eſt ab origine mundi, Apoc. XIII, 8.

### Quæſt. XI. *Daturne rei terreſtris & cœleſtis vnio in ſacramentis?*

*Vnio rei terreſtris & cœleſtis.*

Datur rei *terreſtris* & *cœleſtis* in ſacramentis *vnio* a), non quidem eſſentialis, neque perſonalis, neque ratione terminorum vnibilium accidentalis b), ſed *inuſitata*, *myſtica*, *ſymbolica*, & *ſacramentalis* c).

Prob. a. Quia e re *terrena* & *cœleſti* omnium confeſſione *vnum* fit ſacramentum, non poteſt id fieri, niſi intercedente aliqua *vnione*; quippe quæ eſt principium formale vnius compoſiti.

Prob. b. Vnio ſacramentalis *non* eſt *vnio eſſentialis*, qualis eſt duarum ſubſtantiarum incompletarum coniunctio ad vnum per ſe conſtituendum; neque enim Meſſias naſcendus & occidendus, neque Spiritus S. eſt ens incompletum, neque coaleſcunt ad vnam eſſentiam compoſitam conſtituendam: *Neque* eſt *perſonalis*, cuius terminus eſt vnum ſuppoſitum intelligens, ſiue vna perſona σύνθετος. Ecquis dicere auſit, Spiritum S. cum aqua baptiſmali coaleſcere in vnam perſonam? *Neque* eſt *vnio* ratione extremorum vnibilium *accidentalis*, ideo, quod in ſacramentis ſubſtantia terrena cum ſubſtantia cœleſti vnitur. Concedimus interim, quod ad vnionem *accidentalem*, ratione *termini ad quem*, ſic dictam, referri queat. Conf. D. CALOVII *metaphyſ. diu. p. 317.*

Prob. c. Vnio ſacramentalis dicitur *inuſitata*, ratione *materiæ vnitæ*; quia vnionis ſacramentalis conſimilis ratio non inuenitur in vniuerſa natura, adeoque e lumine ſupernaturalis reuelationis vnice innoteſcit: Dicitur *myſtica*, ratione *modi* arcani & imperueſtigabilis: *Sacramentalis* autem & *ſymbolica* appellatur, ratione *finis*; propterea, quod efficit, vt ſymbolum externum rem cœleſtem ſignet, ſignatam exhibeat. Vi huius vnionis myſticæ & ſymbolicæ ſacramentum eſt myſterium, conſtans ex putamine & nucleo, ſcrinio & clinodio, concha excipula & aqua pretioſa, ſiue (vt clarius loquar) *re externa* & *interna*, *terreſtri* & *cœleſti*.

### Quæſt. XII. *Quæ eſt forma ſacramenti?*

*Forma ſacramenti.*

*Forma* ſacramenti eſt externa actio, eaque integre circa rem terreſtrem & cœleſtem cuiuslibet ſacramenti occupata, quam conſtituunt actus formales, ſibi indiſtricte ſuccedentes, qui ſunt tres: I. Recitatio verborum inſtitutionis: II. Δόσις, ſiue diſpenſatio ſacramentalis: III. Λῆψις, ſiue ſacramenti receptio.

Probatur aſſertum per inductionem. Δόσις in circumciſione eſt, amputare præputium: λῆψις eſt amputationem præputii ſuſtinere. In paſchate δόσις eſt, agnum paſchale n mactare, aſſare & ad manducandum offerre: λῆψις eſt, agnum mactatum & aſſatum manducare. In baptiſmo

Digitized by Google

ptiſmo δόσις eſt, aquam affundere homini, vel in aquam immergere in nomine Patris, Filii & Spiritus S.: λῆψις eſt, admittere affuſionem vel immerſionem. In S. cœna δόσις eſt, panem benedictum, qui eſt κοινωνία corporis Chriſti, & vinum benedictum, quod eſt κοινωνία ſanguinis Chriſti, ad manducandum & bibendum diſtribuere: λῆψις eſt, corpus Chriſti cum pane euchariſtico edere, & ſanguinem ipſius cum vino benedicto bibere. Accedit vbique *verbum inſtitutionis*, ſiue ordinationis, quod etiam conſecreatorium vocatur, quo elementa, ſiue ſymbola externa ab vſu profano ſegregantur, & ad vſum ſacrum efficaciter dedicantur, vt cum illis res cœleſtes diſtribuantur, exhibeantur & ſumantur. Sic ſingula ſacramenta habent ſuum *verbum inſtitutionis*, Gen. XVII, 10. Exod. XII, 3. Matth. XXVIII, 19. Matth. XXVI, 26. De quo AVGVSTIN. *tractat. XXC.* in *Ioannem: Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.*

Obſ. I. In adminiſtratione cuiuslibet ſacramenti confluunt *actus antecedentes, formales & conſequentes. Antecedentes* dicuntur etiam præparatorii & pædagogici, v. gr. exhortatio, precatio, fidei confeſſio: *Formales* ſunt, qui ſacramenta conſtituunt, & ab aliis actionibus diſtinguunt: *Conſequentes & finales* ſunt gratiæ euangelicæ applicatio & obſignatio.

Obſ. II. Ad actum ſacramentalem triplex concurrit verbum: a) *Verbum mandati*, quo ad vſum ſacramenti diuinitus adſtringimur: b) *Verbum inſtitutionis*, ſiue conſecratorium, quod actioni ſacramentali decenter applicatur, vt ſymbola terrena ad vſum myſticum & ſacrum transferantur ac dedicentur: c) *Verbum promiſſionis*, quo ſalutaris effectus promittitur. Addi poteſt *verbum inuocationis*, quod haud parum facit ad ſolemnem ſacramenti ſignificationem.

Quæſt. XIII. *Quibus hominibus ſacramenta ſunt diſpenſanda?*

Sacramenta diſpenſanda ſunt *omnibus* & *ſolis* hominibus, *vſus* formalis & finalis *capacibus*. *Subiectum ſacrum.*

Prob. *Soli* homines *viuentes*, recipiunt *actus formales* ſacramentorum, vt patet ex reſponſione ad quæſtionem præcedentem. *Soli* homines *viuentes* capaces ſunt *finis* ſacramentorum, nempe regenerationis, iuſtificationis & renouationis. Diſpenſantur autem ſacramenta *initiationis* tam *infantibus*, quam *adultis*, ſacramenta *confirmationis ſolis adultis.*

Quæſt. XIV. *An ad integritatem ſacramenti etiam fides pertinet?*

*Fides* quidem *neceſſario* exigitur ad capiendum *ſalutarem* ſacramenti *fructum*, a) Sed *non* requiritur ad *ſubſtantialem* ſacramenti *integritatem* b).

Prob. a. 1) *Sine fide nemo poteſt Deo placere*, Hebr. XI, 6.

2) *Promiſſio*, ſacramentis annexa, *fide recipitur*, Rom. IV, 26. c. III, 14.

Prob. b. 1) Sacramentum pendet a *voluntate & inſtitutione Dei*, quæ *incredulitate hominum non fit irrita*, Rom. III, 3.

2) Si *fides* ingrederetur *ſubſtantiam* ſacramenti; circumciſio & baptiſmus infantum non forent ſacramenta integra, propterea, quod infantes ante collatum ſacramentum fide carent, Eph. II, 3. Io. III, 6. Adultorum fides quidem ſacramentis confirmatur: Differunt autem confirmans & confirmandum.

3) Sicut verum Dei eſt verbum, quod audiunt hypocritæ: Ita verum eſt ſacramentum, quod accipiunt adulti hypocritæ, fide deſtituti.

Dicis: I. Quidquid extra vſum non eſt verum ſalutis medium, ad illius integritatem conſtituendam pertinet fides: Atqui ſacramentum extra vſum &c. E. *Maior* patet: quia deficiente fide deficit ſalutaris ſacramenti vſus. *Minor* liquet; quia totum eſſe ſacramenti conſiſtit in vſu. Reſp. Diſt. inter *vſum* ſacramenti *externum*, ſiue formalem, & *internum*,



Digitized by Google

ſiue finalem ac ſalutarem. Non ad illum, ſed ad hunc requiritur fides. Hunc ſalutarem ſacramenti vſum, vel fructum reſpexit etiam AVGVSTINVS, *tract. 80. in Ioannem* ſic fatus: *Accedat verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Vnde autem tanta virtus aquæ, vt cor abluat? Niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur.*

Dicis II.: Paullus inquit, 1 Cor. X, 21. *Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum,* quibus verbis indicat, infideles non poſſe accipere ſacramentum cœnæ. Vnde naſcitur argumentum: Sine quo non poteſt bibi poculum Domini, ſine illo non poteſt accipi verum ſacramentum: Sine fide &c. E. Reſp. Sermo eſt Apoſtolo de *impoſſibilitate morali,* hoc ſenſu: non eſt decorum, non eſt conueniens, vt, qui poculum Domini bibunt, interſint conuiuiis, apparatis de ſacrificiis, quæ idolis immolata erant.

Quæſt. XV. *Quis eſt finis primarius ſacramentorum?*

*Finis ſacramentorum primarius.*

*Finis primarius* ſacramentorum eſt oblatio, collatio, applicatio & obſignatio gratiæ euangelicæ.

Obſ. I. Per *gratiam euangelicam* intelligitur gratia Spiritus S. applicatrix, merito Chriſti parta, & in euangelio promiſſa, nempe gratia vocans, illuminans, regenerans, iuſtificans, inhabitans, renouans, glorificans.

Obſ. II. Per ſacramenta gratia euangelica omnibus vtentibus *offertur,* digne vtentibus *confertur, applicatur,* & adultis credentibus *obſignatur.*

Prob. 1) Circumciſioni annexa eſt promiſſio: *Ero Deus tuus, & ſeminis tui,* Gen. XVII, 7. Qua promiſſione offertur gratia regenerans, iuſtificans, inhabitans, renouans, glorificans. Idcirco vocatur σφραγὶς δικαιοσύνης, ſigillum iuſtitiæ, Rom. IV, 11.

2) Agnus paſchalis confirmabat fidem in Chriſtum, qui dicitur *paſcha pro nobis immolatum,* 1 Cor. V, 7.

3) Baptiſmus eſt *lauacrum regenerationis & renouationis,* Tit. III, 5.

4) In S. cœna *accipimus corpus pro nobis traditum, & ſanguinem T. N. qui pro nobis effunditur in remiſſionem peccatorum,* Matth. XXVI, 26. 27. 28. E. per ſacramentum cœnæ *gratia euangelica* de *remiſſione peccatorum* confirmatur & obſignatur.

Quæſt. XVI. *Quinam ſunt fines ſacramentorum ſecundarii?*

*Secundarii.*

*Fines* ſacramentorum *ſecundarii* ſunt: a) Vt ſint notæ eccleſiæ, quibus a populo infideli diſtinguitur: b) Vt ſint monumenta beneficiorum Chriſti: c) Vt ſint vincula caritatis & nerui publicorum congreſſuum: d) Vt ſint incitamenta ad virtutum exercitia.

Prob. a. Eccleſia Iſraëlitica circumciſione & agno paſchali, velut notis ac teſſeris, a cœtu infidelium diſcernebatur. Baptiſmo & euchariſtia rite adminiſtratis eccleſia Chriſtiana tum a ſynagoga iudaica, tum ab ethnicis & ſectariis diſtinguitur.

Prob. b. Agnus paſchalis miraculoſam eductionem Iſraëlitarum ex Ægypto, Exod. XII, 14. Cœna dominica mortem Chriſti Chriſtianis in memoriam reuocat, Luc. XXII, 19.

Prob. c. Vnum baptiſma eſſe vinculum caritatis & pacis, oſtendit Paullus. Eph. IV, 5. Pari ratione S. cœna eſt medium coniunctionis noſtræ cum Chriſto capite & membris eius myſticis. *Vnus enim panis, vnum corpus multi ſumus,* 1 Cor. X, 17.

Prob. d. Circumciſio admonebat Iſraëlitas circumciſionis ſpiritualis, Deut. X, 16. agnus paſchalis gratitudinis erga Deum, Exod. XII, 26. Pſ. CXI, 4. Baptiſmus ſignificat ſub-

Digitized by Google

ſubmerſionem veteris Adami, quæ fit per pœnitentiam & quotidianam renouationem, Rom. VI, 4. S. cœna excitat nos ad gratam mortis Chriſti memoriam, 1 Cor. XI, 26.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, *Arminianorum*, *Anabaptiſtarum*, *Schwenckfeldianorum & Weigelianorum*, finem *primarium* ſacramentorum negantium. *Pontificii* autem efficaciæ ſacramentorum V. T. haud parum derogant. Nituntur ſequentibus argumentis:

I. Deus confert gratiam euangelicam: E. non ſacramenta. Reſp. Deus confert gratiam *principaliter*, ſacramenta (ſumta pro ſymbolis externis) *inſtrumentaliter*. Sacramenta ſunt media vel organa, per quæ Deus Pater ſuam gratiam vult exhibere, donare & applicare, Filius Dei meritum ſuum communicare, Spiritus S. ſuam efficaciam exſerere ad ſalutem omni credenti.

II. Quocunque inſtrumentaliter iuſtificamur, illud eſt fides, Rom. III, 28. Sacramenta non ſunt fides: E. ſacramentis non iuſtificamur. Reſp. Fide iuſtificamur, vt *inſtrumento receptiuo*; ſacramentis, vt *inſtrumentis exhibitiuis & obſignatiuis*. *Fides eſt quaſi manus noſtra*, qua beneficia euangelii propria apprehendimus & accipimus: *Verbum & ſacramenta ſunt quaſi manus Dei*, qua nobis offeruntur, applicantur & obſignantur beneficia Chriſti.

III. Inſtrumenti nulla eſt efficacia: Sacramentum eſt inſtrumentum: E. Reſp. Diſt. inter efficaciam inſtrumenti *ſeparati*, & *coniuncti*. Inſtrumenti *ſeparati a cauſſa principali* nulla eſt efficacia. At ſacramenta ſunt inſtrumenta *coniuncta cum re cœleſti*, a qua tanta per elementum externum prodit efficacia.

IV. Nulla res externa poteſt penetrare in animam, & motus ſpirituales in ea producere: Sacramentum eſt res externa: E. Reſp. Nulla res *mere externa & naturalis* poteſt penetrare in animam; concedo. Sed ſacramentum non eſt res mere naturalis aut externa; ſed eſt cum re cœleſti & verbo inſtitutionis coniuncta. Pendet eius efficacia a re cœleſti, cum qua coniungitur, & ordinatione diuina.

V. Quidquid eſt ſignum, nullam niſi vim ſignandi habet: Atqui ſacramenta ſunt ſigna: E. Reſp. Quidquid eſt ſignum *theoreticum & nude ſignans*, illud habet tantum vim ſignandi; concedo. At ſacramenta ſunt ſigna *practica & exhibitiua*, quæ rem ſignatam exhibendo aliquid efficiunt ex pacto, inſtituto & promiſſione Dei.

VI. Sacramenta vet. teſtam non fuerunt ſigna exhibentia, quia non exhibuerunt corpus Chriſti: E. fuerunt ſigna nude ſignantia. Reſp. Sacramenta vet. teſtam. *diuerſo reſpectu* ſunt *ſignantia & exhibentia*. *Signantia* ſunt, quatenus *venturum* & paſſurum Meſſiam præfigurarunt: *Exhibentia* ſunt, quatenus Meſſiam *in efficaci promiſſione diuina præſentem* ſtiterunt.

VII. Vmbræ nulla eſt efficacia: Sacramenta V. T. ſunt vmbræ: E. ſacramentorum V. T. nulla eſt efficacia. Reſp. Sacramenta V. T. *partim* ſunt *vmbræ*, *partim media gratiæ*. Sunt *vmbræ*, reſpectu futuræ incarnationis, paſſionis & mortis Chriſti, quam eminus adumbrarunt. Sunt *media gratiæ*, quatenus externa elementa, accedente verbo inſtitutionis, cum re cœleſti coniuncta, regenerarunt, iuſtificarunt, ſanctificarunt, ſaluarunt, vi fœderalis promiſſionis diuinæ.

VIII. Si ſacramenta, exterius adhibita, interius purgant, introducetur in eccleſiam Iudaiſmus. Sed Iudaiſmus non eſt in eccleſiam introducendus. E. Sacramenta interius non purgant. Conſequentia *maioris* probatur: quia Iudæi credebant, ſe variis victimis & oblationibus poſſe ſcelera ſua expiare, & velut redimere, Pſ. XL, 7. Pſ. LI, 8. Eſ. XI, 11. Amos V, 22. Reſp. 1) Dicta citata agunt de *ſacrificiis* Iudæorum, quæ maxime differunt a *ſacramentis*. Illa ſunt populi ad Deum, hæc ſunt Dei ad populum. In *ſacramentis* homines aliquid a Deo accipiunt: In *ſacrificiis* homines Deo aliquid offerunt. Ceterum 2) Iudæi ſine pœnitentia

& fide,

Digitized by Google

& fide, ritibus externis & ſacrificiis gratiam Dei eſſe comparabilem, ſibi ex vano perſuaſerunt: nos pœnitentiam & fidem ad percipiendum ſalutarem ſacramentorum fructum requirimus.

IX. Quidquid eſt certiſſimum, illud non indiget ſacramentali confirmatione: Atqui promiſſiones diuinæ &c. E. Reſp. *Promiſſiones diuinæ conſiderantur vel abſolute & in ſe, vel reſpectu noſtri. Abſolute*, & *in ſe* conſideratæ, non indigent confirmatione, ſed *reſpectu noſtri*, vt nobis efficaciter applicentur, & a nobis ſolido aſſenſu comprobentur.

X. Quidquid excludit omnem dubitationem, illud non indiget confirmatione: Atqui fides ex mente Lutheranorum &c. E. Reſp. Fides excludit dubitationem incredulitatis, non infirmitatis, eo, quod fides non ſemper ex æquo robuſta eſt, ſed interdum infirma & languida, inſtar calami contuſi, aut ligni fumigantis, Eſ. XLII, 3.

Quæſt. XVII. *Conferuntne ſacramenta gratiam diuinam ex opere operato, ſine fide vtentis?*

Sacramenta *nullam gratiam conferunt adultis*, *niſi* eam oblatam *vera fide*, quæ in cordibus eorum præexſiſtit, *recipiant* a). In *infantibus* Spiritus S. per ſacramenta initiationis fidem accendit, qua infantes gratiam fœderalem acceptant b). Dogma vero de *opere operato* ὑποτυπώσει ſanorum verborum non eſt conforme c).

Prob. a. 1) Quia ſacramenta annexam habent *promiſſionem gratiæ*, Marc. XVI, 16. Luc. XXII, 19. 20. Sed promiſſio gratiæ *fide* recipienda eſt; quia *promiſſio & fides* ſunt relata.

2) Quia ſicut *verbum* ἀκουστὸν, ſiue *audibile*, non prodeſt, niſi ſit *mixtum fide*, Hebr. IV, 2: ita nec ſacramentum, quod dicitur verbum ὁρατὸν, ſiue *viſibile*, ſine fide vtentis prodeſt.

3) In ſacramentis fœdus cum Deo ſancitur: Sed ad ſanctionem fœderis duæ exiguntur manus, ſe inuicem complectentes. In ſanctione fœderis diuini manus Dei eſt verbum & ſacramentum: manus, ex parte noſtri, eſt fides.

4) Homini adulto neceſſaria eſt δοκιμασία, ſiue probatio ſui, vt tentet ſeipſum, an ſit in fide, 1 Cor. XIII, 5.

Prob. b. Quia, antequam infantes baptizantur, fide carent; ſiquidem *caro de carne nati ſunt*, Ioann. III, 6. *renaſcuntur* autem *ex aqua & ſpiritu*, Io. III, 5. per quam regenerationem *fides accenditur & Chriſtus induitur*, Gal. III, 27. Ex quo conficitur, quod baptiſmus ſit tum efficax medium, per quod Spiritus Sanctus fidem in infantibus excitat, tum ſalutare organon, per quod gratia iuſtifica offertur, quæ fide in baptiſmo accenſa acceptatur. Egregie inquit DANNHAV. in *hodoſ. phænom. X. p.* 1007. *Fides eſt & effectus ſacramentorum, & eorundem organum recipiens. In eodem momento temporis, quo fides datur, etiam recipit; momenta tamen naturæ diſtinguenda ſunt. Prius datur fides, quam vt illa gratiam amplectatur; vterque tamen actus dationis & amplexus eodem quaſi momento temporis fit.*

Prob. c). 1) Quia vox illa, *opus operatum*, eſt barbara; quoniam contra regulam grammaticæ *operatum* paſſiue accipitur, perinde ac ſi dicas opus perpetratum, peractum, perfectum.

2) Quia opinio de opere operato in ſacramentis N. T. fingit manum dantem, ſine accipiente, relatum ſine correlato, promiſſionem ſine fide ſalutarem.

3) Quia

Digitized by Google

3) Quia hoc commento confunduntur digne & indigne vtentes; cum tamen, teſte S. Paullo, indigne manducantes ſibi manducent iudicium, 1 Cor. XI, 29.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, quorum *nonnulli* ſtatuunt, ſacramenta N. T. conferre gratiam euangelicam *ex opere operato*, ſine bono motu vtentis; *nonnulli* concedunt, in adultis requiri præuias diſpoſitiones, quibus diſpoſitionibus annumerant fidem, ſacramenta autem N. T. conferre gratiam *ex opere operantis*, vt operans, ſiue vtens ſacramentis ſit præparatus, beneque diſpoſitus, & neceſſariis qualitatibus inſtructus. *Euangelici* opus operatum reiiciunt ex rationibus ſupra adductis, nec opus operantis ad conſequendam iuſtitiam & ſalutem admittunt, propterea, quod non ex operibus, ſed ex fide iuſtificamur. Argumenta adverſariorum ſunt:

I. Quidquid vi intrinſeca, diuinitus indita, iuſtificat & ſaluat, illud ex opere operato gratiam iuſtificantem & ſaluantem confert: Atqui ſacramenta &c. *Maior* probatur: quia ex opere operato gratia Dei per ſacramentum obtingere dicitur, cum ea non propter inhærentes nobis qualitates, vel præuias diſpoſitiones, ſed ſolum ex vi & efficacia ſacramentis indita nobis confertur. Reſp. 1) Diſt. *inter vim abſolutam*, & *ordinatam*. Iuſtificant & ſaluant ſacramenta *non vi abſoluta*, ſed *ordinata*, atque adeo requirunt ſubiectum, ordini diuino ſe ſubiiciens atque digne vtens. 2) Diſt. *inter oblationem* & *collationem gratiæ diuinæ*. Omnibus etiam indigne vtentibus gratia diuina per ſacramenta *offertur*; ſed indignis *non confertur*, quia deſtituuntur fide.

II. Quicunque fide deſtituti per baptiſmum regenerantur, illis ſacramentum baptiſmi ex opere operato gratiam euangelicam confert: Atqui infantes &c. E. Reſp. Diſt. *inter gratiam regenerantem*, & *iuſtificantem*. Prima gratia regenerans infantibus confertur per baptiſmum, quoniam operationi Spiritus S. malitioſum non ponunt obicem; ſed dum regenerantur, fide donantur, vt eadem iuſtitiam Chriſti induant, & ſibi applicent.

III. Cuius legitimus vſus eſſe poteſt ſine fide, ad illius vſum non requiritur fides: Sed ſacramentorum &c. E. *Minor* conſtat: quia adultus hypocrita, baptizatus aqua in nomine SS. Trinitatis, recte vtitur ſacramento. Reſp. Diſt. *inter vſum ſacramentorum formalem*, & *finalem*, *ſiue ſalutarem*. Hypocrita adultus eſt quidem capax *vſus* ſacramentorum *formalis*, ſed *non finalis*.

IV. Quidquid non dat efficaciam ſacramento, ſine eo poteſt illud efficaciter operari. Fides non dat &c. E Reſp. Neg. *maiorem*, & pari ratione argumentando: Quidquid non dat efficaciam præſenti medicamento, ſine eo poteſt illud efficaciter mederi: Os ægroti non dat: E. Quamobrem, vt ſacramentum actu ſecundo efficaciam ſuam exſerat, requiritur fides, vt organum recipiens.

V. Si fides vt medium receptiuum requiritur ad efficaciam ſacramenti, ſacramentum non iuſtificabit, aut ſaluabit immediate, ſed per aliud medium: Sed abſurdum eſt, vnum iuſtificandi medium iuſtificare per aliud medium: E. fides, vt medium receptiuum, non requiritur ad efficaciam ſacramenti. Reſp. *Medium offerens* male opponitur *medio recipienti*. Medicus ſanat per medicamentum, neque tamen os recipiens ægroti vult excluſum.

### Quæſt. XVIII. *Suntne ſacramenta neceſſaria?*

*Neceſſaria* ſunt ſacramenta *neceſſitate præcepti* a), & *medii* b). *Non* ſunt eadem *neceſſaria* neceſſitate *abſoluta*, ſed *ordinata*, ſiue conditionata c); *magis* tamen *neceſſaria* ſunt ſacramenta *initiationis*, quam confirmationis d). *Neceſſitas ſacramentorum.*

Prob. a. Neceſſaria ſunt ſacramenta neceſſitate *præcepti;* quia a Deo inſtituta, & eorum ſymbola externa, mandato diuino expreſſo determinata ſunt. Vid. ſupra, quæſt. IV.

Prob. b. Neceſſitate *medii* neceſſaria ſunt ſacramenta; ideo, quod ſunt media ſalutis offerentia, conferentia & obſignantia. Vid. ſupra, quæſt. XV.

Prob. c. Sacramenta *non* ſunt *abſolute neceſſaria* ad obtinendam *ſalutem;* quia fieri poteſt, vt vſum ſacramenti non contemtus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludat, dicente AVGVSTINO, *libr. IV. contra Donatiſt. c.* 22. Vnde non *defectus, ſed contemtus ſacramentorum damnat*, cenſente BERNHARDO *ep.* 77. Neque enim Deus ſuam potentiam ſacramentis alligavit. Gratia quidem Dei, meritum Chriſti & fides abſolute & ſimpliciter neceſſaria ſunt ad iuſtificationem & ſalutem; ſed quando & vbi ſacramenta haberi nequeunt, Deus ex mera gratia, propter Chriſtum, modo extraordinario fidem iuſtificantem producit. Ingreſſus eſt paradiſum latro conuerſus, ſed ἀβάπτιστος. Catechumeni, quos inter fuit imperator Valentinianus, ante baptiſmum defuncti, ſunt ſaluati. Neque in V. T. ſalute excluſi ſunt infantes non circumciſi, Io. V, 2. Matth. II, 16. 1 Maccab. I, 51.

Prob. d. De ſacramento *initiationis* inquit Chriſtus, Io. III, 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* De ſacramento *confirmationis* idem non dicitur. Sacramentum initiationis confertur infantibus & adultis, ſacramentum confirmationis tantum adultis credentibus.

Quæſt. XIX. *Quotuplicia ſunt ſacramenta?*

*Diuiſio ſacramentorum.* Sacramenta ſunt *duplicia*, alia ſunt *veteris*, alia *noui teſtamenti*. *Illa* ſunt, quæ, ante aduentum Chriſti inſtituta, eundem per externa elementa incarnandum, & occidendum adumbrarunt: *Hæc* ſunt, quæ teſtantur, Chriſtum in carne eſſe manifeſtatum, paſſum & mortuum, eundemque realiter præſentem exhibent.

Obſ. I. *Sacramenta vtriusque teſtamenti conueniunt:* 1) *auctore;* omnia enim ſacramenta a Deo ſunt inſtituta: 2) *materia communi;* omnia quippe ſacramenta conſtant *re terreſtri*, quæ eſt elementum externum, corporeum, viſibile & tractabile, & *cæleſti*, a qua, vt cauſſa, fluit effectus ſacramenti: 3) *forma generica;* quæ eſt actio, ſecundum verbum inſtitutionis ſuſcepta: 4) *cauſſa finali;* quæ eſt vtrobique oblatio, collatio & obſignatio gratiæ euangelicæ: 5) *identitate applicationis;* quæ fit per fidem, tanquam ὄργανον ληπτικὸν, ſeu medium receptiuum.

Obſ. II. *Differunt ſacramenta veteris & noui teſtamenti:* 1) *duratione.* Sacramenta V. T. fuerunt tandem abroganda, duratura μέχρι καιρῦ διορθώσεως, *vsque ad tempus correctionis*, Hebr. IX, 20. Sacramenta N. T. eundem cum mundo terminum habebunt. 2) *extenſione locorum & obiectorum.* Sacramenta V. T. intra pomœria Iudaica ad Iſraelitas pertinuerunt, Gen. XVII, 7. Exod. XII, 2. Sacramenta autem N. T. ſunt catholica, omnibus nationibus communia, Matth. XXVIII, 19. 1 Cor. XI, 16. 3) *materia & forma propria*, quæ alia eſt in ſacramentis V. T. alia in ſacramentis N. T. 4) *modi exhibendi rem cæleſtem* Nam ſacramenta priſca Chriſtum θεάνθρωπον adumbrarunt, & non niſi moraliter præſentem exhibuerunt, Io. VIII, 6. Apoc. XIII, 8. Noſtra vero ſacramenta Chriſtum ipſa carnis aſſumtæ ſubſtantia præſentem ſiſtunt & exhibent. Præclare inquit AVGVSTINVS in *Pſ. LXXIII. Sacramenta V. T. fuerunt prænuntiatiua Chriſti venturi: ſacramenta vero N. T. ſunt annuntiatiua Chriſti, in carne exhibiti.* Nec male noſter D. DANNHAV. in *hodoſ. p.* 1030. *In V. T. fuit agnus typicus: In N. T.* θεάνθρωπος. *Latuit illic in vmbraculo, hic in corpore ſe ſiſtit* Coll. II, 17. Hebr. X, 1. *Fuit ibi ſignum ſine corporis præſentia, hic ſignum corporis* προσφερομενον.

DE

Digitized by Google

# DE CIRCVMCISIONE, PRIORI V. T. SACRAMENTO.

### Quæſt. XX. *Quid eſt circumciſio?*

*Circumciſio* eſt ſacramentum V. T. prius, quo Deus, ordinarie per eccleſiæ miniſtrum, homini maſculo, eccleſiæ iudaicæ inſerendo, præputii cruenta reſectione, futuram ſanguinis Meſſiæ in aſſumta carne effuſionem præfigurante, atque verbo inſtitutionis accedente, gratiam fœderalem contulit & obſignauit, ad diuinæ bonitatis laudem, & hominis circumciſi ſalutem. *Definitio circumciſionis.*

Obſ. I. *Circumciſio* dicitur a *circumcidendo;* quia præputium, quod eſt pellicula extremitatem membri genitalis tegens, præcidebatur.

Obſ. II. Nomen *circumciſionis* ſumitur trifariam: a) *metonymice*, b) *metaphorice*, c) *proprie*. *Metonymice* notat populum circumciſum, Rom. XV, 8. *Metaphorice* ſignificat internam cordis circumciſionem, Rom. II, 29. Deut. X, 16. *Proprie* ſumitur vel μερικῶς, ſiue partialiter, pro ſola externa pelliculæ amputatione, Rom. II, 28. vel ὁλικῶς, pro toto actu ſacramentalis circumciſionis, conſtante ex ſigno externo, rem cœleſtem typice repræſentante, atque verbo mandati & promiſſi, de quo videndus locus claſſicus & propria ſedes huius ſacramenti, Gen. XVII, 7. ſeqq.

### Quæſt. XXI. *Quis inſtituit ſacramentum circumciſionis?*

Sacramentum circumciſionis *inſtituit Deus triunus*, gratiæ fœderalis ſalutisque auctor. *Cauſſa efficiens circumciſionis.*

Prob. Ex Gen. XVII. vbi *Deus* circumciſionem mandauit, v. 10. 11. 12. promiſſionem annexuit, v. 7. formam verbo inſtitutionis præſcripſit, v. 11. & ſeqq. faſtidientibus hoc ſacramentum exitium interminatus eſt, v. 14.

### Quæſt. XXII. *Cuius miniſterio circumciſio peracta eſt?*

*Cauſſa miniſterialis* circumciſionis primum fuit Abraham: deinde patriarchæ ſuccedentes a): poſtea, conſtituta politia Moſaica, ſacerdotes Leuitici b). *Extraordinarie* vero, & in caſu *neceſſitatis*, etiam priuata eccleſiæ membra circumciſionis ritum peregerunt c). *Cauſſa miniſterialis.*

Prob. a. Ex Gen. XVII, 7. & ſeqq. vbi legimus, Deum cum *Abrahamo* pepigiſſe fœdus, cuius ſignum eſſe debebat circumciſio, v. 11. Vnde & Abrahamus mandatum circumcidendi accepit, v. 10. & exſecutus eſt, v. 25. Spectandus autem eſt Abraham non præciſe vt paterfamilias, ſed vt miniſter ſacrorum in eccleſia domus ſuæ. Ipſe tamen Abraham non ſeipſum circumcidiſſe, ſed ab Elieſere, præfecto domus ſuæ & ſacrorum vicario, circumciſus eſſe videtur. Sic & patriarchæ ſuccedentes non tam vt capita familiarum, quam vt miniſtri ſacrorum ac doctores eccleſiæ conſiderandi ſunt.

Prob. b. Non exſtat quidem expreſſa lex, quæ diſerte alliget munus circumciſionis ordini ſacerdotali: Attamen quoniam conſtituta politia Moſaica cultus diuinus, a patriarchis obiri ſolitus, commiſſus eſt ſacerdotibus Leuiticis, haud difficulter colligitur, ritum circum-



Digitized by Google

circumciſionis fuiſſe penes ſacerdotes & Leuitas, per omnes tribus Iſraëliticas diſtributos Certe Matthias ſacerdos liberos eorum, qui ad ethnicas ſuperſtitiones defecerant, circum cidit, 1 Macab. II, 46. domeſticos autem cuiuslibet familiæ, quantum licitum fuit, ſuppe tias miniſtro publico tuliſſe, coniicitur ex Abrahami exemplo, Geneſ. XVII, 23. & ex cir cumciſione Ioannis, Io. I, 59.

Prob. c. Ioſua, princeps populi Iſraëlitici, ex ſpeciali mandato diuino filios Iſraël in colle Arolath circumcidit, Ioſ. V, 3. Zippora circumcidit filium ſuum, Exod. IV, 29. Fœminæ Iſraëliticæ, tempore perſecutionis Antiochenæ, infantes circumciderunt, 1 Mac. I, 63. 2 Mac. VI, 10.

Quæſt. XXIII. *Quo inſtrumento circumciſio peracta eſt?*

*Inſtrumentum.* *Inſtrumentum* circumciſorium fuit culter acutus, petrinus, vel etiam ferreus, aut chalybeus.

Prob. Phraſi ſcripturæ inſtrumentum circumciſionis dicitur *petra*, Exod. IV, 25. & *culter petrarum*, Ioſ. V, 3. i.e. petrinus, vel lapideus. Hodie Iudæi vtuntur cultro chalybeo acutiſſimo.

Quæſt. XXIV. *Quinam circumciſi ſunt?*

*Subiectum circumciſ.* Circumcidebantur *maſculi Iſraëlitici*, & Iſraëliticarum *domeſtici* a), ac *proſelyti* b): & *infantes* quidem, cum *octauum agerent diem*, ſacris Iudæorum initiandi erant c).

Prob. a. Ex Gen. XVII, 12. *Quum filius fuerit octo dierum, circumcidetur vobis omnis maſculus in generationes veſtras* (i.e. omnis filius, a vobis genitus), *natus domus* (verna, ſeu ſeruus in domo natus) *& emtus argento* (qui non natiuitatis, ſed emtionis iure, ſeruus factus) *de omni filio alienigenæ, qui non de ſemine tuo*, i. e. ſeruus, qui in poteſtatem tuam venerit, licet non a populo Iſraëlitico, ſed ab alienigena emtus fuerit. Neque tamen ſerui cogebantur ad circumciſionem, ſed inuitabantur, & ſi recuſarent circumcidi, dimittebantur, aut iterum vendebantur.

Prob. b. Exod. XII. 48. *Quodſi peregrinabitur tecum peregrinus, & voluerit facere paſcha Iehouæ, circumcidetur etiam maſculus & tunc accedet ad faciendum illud, eritque ſicut incola terræ: ſed vllus præputiatus non comedet de eo* Ex quo apparet, neminem admiſſum eſſe ad ſacra Iſraëlitica, in primis ad eſum agni paſchalis, niſi circumciſionis ſacramento conſecratus eſſet.

Prob. c. *Tempus* adminiſtrationis in pueris fuit *dies a natiuitate octauus*, Gen. XVII, 12. Vsque ad octauum diem dilata fuit circumciſio infantum, vt tenellis corporibus recens natorum conſuleretur; neque tamen vlterius differebatur, vt in fœdus gratiæ quamprimum reciperentur, ingenti parentum ſolatio: quamuis propter morbum periculoſum atque itinera differri potuerit actus circumciſionis; ſicut paſſus eſt Deus circumciſionem omitti per annos 40., cum populus Iſraëliticus iter faceret in terram Canaan, Ioſ. V, 5. 6. 7.

Quæſt. XXV. *An etiam fœmellæ circumciſæ ſunt?*

*Fœmellæ* Iſraëlitarum non quidem circumciſæ, gratiæ tamen fœderalis participes, certæque fuerunt non ex inciſo ſtigmate, ſed ex λογισμῷ, ſiue imputatione diuina.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Fœminæ Iſraëlitarum, ex patribus circumciſis natæ, cum circumciſis opportuno tempore maritatæ, & ad pariendum filios circumcidendos deſtinatæ fuerunt. Quam ob rem fœminæ Iſraëliticæ quidem a *ſigno fœderis*, non autem a *gratia fœderis*, cum Abrahamo initi, excluſæ fuerunt. Promittit enim Deus, ſe futurum Deum Abrahami & ſeminis eius, Gen. XVII, 7. ſub quo *ſemine* vtique & *fœmina* comprehenduntur, 1 Petr. III, 6. 7. Vnde & *paſcha* illis celebrare licuit, quod alias incircumciſis integrum non erat.

Quæſt. XXVI. *Quæ fuit materia circumciſionis?*

Circumciſionis *materia terreſtris* atque elementum externum erat *præputium* a). Materia, ſiue res *cœleſtis* erat *Meſſias* ex ſemine Abrahami naſcendus, cum *ſanguinis effuſione* exſcindendus, & inſtar præputii amputati abiiciendus b). *Materia.*

Prob. a. Ex Gen. XVII, 11. *Circumcidetis carnem præputii veſtri.* Eſt autem *præputium* cuticula, qua extrema membri virilis pars, ſiue glans obtegitur. ARISTOTELES vocat ἀκροποσθίαν, quaſi ἄκρον τῆς πόσθης, i. e. pelliculam extremam membri genitalis. Paulus inflexa nonnihil voce appellat ἀκροβυστίαν, Rom. II, 25. Hebræis dicitur ערלה, qua voce, ſecundum Rabbi DAVID KIMCHI, ſignificatur omnis res ſuperflua & grauis, quam amouere & abiicere par eſt. Cauſſas, ob quas circumciſio in *membro genitali* facta ſit, tres adducit THOMAS *P. III. qu.* 70. *art.* 3. *Fiebat circumciſio in membro generationis propterea: 1) Quia erat ſignum fidei, qua Abraham credidit, Chriſtum ex ſemine ſuo naſciturum: 2) Quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur: 3) Quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiſcentiæ, quæ præcipue in membris illis viget.*

Prob. b. Circumciſionis *res cœleſtis* fuit *Chriſtus*, *e ſemine Abrahami* oriundus, & cum *ſanguinis effuſione* excidendus: De cuius exciſione vid. Dan. IX, 26. Eſ. LIII, 8. vbi de *Chriſto* eadem habentur verba, quæ de *circumciſione* adhibentur. Fuit autem Chriſtus cum materia terrena compræſens, vt perſona diuina *realiter*, vt incarnandus *typice* & *relatiue*, in quantum præputium amputatum, velut typus, reſpectum habuit ad Chriſtum antitypum, a quo efficacia circumciſionis fluit. Nam in Chriſto cumulamur omni benedictione, Eph. I, 3.

Quæſt. XXVII. *Quæ fuit forma circumciſionis?*

*Forma* circumciſionis eſt cruenta & doloroſa præputii amputatio cum verbo inſtitutionis applicato coniuncta. *Forma.*

Prob. Ex Gen. XVII, 11. vbi habetur verbum *inſtitutionis*, cui præceſſit verbum *promiſſionis*, v. 7. Acceſſit etiam procul dubio verbum *ordinationis*, ſiue *applicationis*, & *inuocationis*, quod ſaltim quoad veſtigia apud Rabbinos exſtat, & recenſetur a D. SEB. SCHMID. in *tract. de circumciſ. p.* 423. *Benedictus tu, Domine Deus noſter, Rex mundi, qui ſanctificaſti nos præceptis tuis, & præcepiſti, vt initiemus eum fœderi Abrahami, patris noſtri.*

Quæſt. XXVIII. *Qualis fuit vnio rei terreſtris & cœleſtis in ſacramento circumciſionis?*

*Vnio* rei *terreſtris* & *cœleſtis* in actu circumciſionis, iuxta naturam V. T. fuit, σχετικὴ, *relatiua & typica* a), quatenus præputium amputatum præfigurauit Meſſiam incarnandum, & in acerbiſſima paſſione ſanguine ſuo conſpergendum, quem non exhibuit ſecundum vtramque naturam ſubſtantialiter præſentem, ſed ſtitit *præſentem moraliter* b).

 Prob.

Prob. a. Sicut ſacramenta V. T. fuerunt *prænuntiatiua* Meſſiæ *venturi*, non annuntiatiua Meſſiæ exhibiti: Ita vnio rei terreſtris & cœleſtis in ſacramento circumciſionis non fuit exhibitiua ſanguinis Chriſti ſubſtantialiter præſentis, ſed *typica* & *præfiguratiua* ſanguinis Chriſti, diuinitus ſtatuto tempore effundendi.

Prob. b. In ſacramento circumciſionis oblata & efficaciter collata fuit gratia fœderalis & remiſſio peccatorum, Gen. XVII. 7. At Chriſtus eſt vnica cauſſa meritoria gratiæ & remiſſionis peccatorum, Act. X, 43. Ergo licet Chriſtus in circumciſione non fuerit præſens ſecundum ſubſtantiam carnis aſſumendæ, & ſanguinis aliquando effundendi; adfuit tamen, quoad perſonam & ſecundum efficaciam præſtandi a ſe meriti, quod retrorſum & antrorſum valet, atque profuit, antequam fuit. Id enim commune eſt omnibus *cauſſis meritoriis*, vt pro re nata etiam prius, quam exſiſtant, valore meriti præcogniti ſuam cauſſandi vim exſerere, & voluntatem cauſſæ efficientis ad agendum mouere poſſunt. Idcirco fructus circumciſionis non aliunde deriuandus eſt, quam ex vnione rei terreſtris cum cœleſti, i. e. ſanguine Chriſti præcognito & prænuntiato.

Quæſt. XXIX. *Quis eſt finis circumciſionis?*

*Finis.* *Finis primarius* circumciſionis eſt vel *organicus*, ſecundum quem circumciſio fuit efficax medium offerendæ & conferendæ gratiæ fœderalis a); vel *ſigillaris*, ſecundum quem circumciſio eſt ſigillum iuſtitiæ fidei b). *Fines intermedii* ſunt, ſegregatio Iſraëlitarum ab aliis populis c), admonitio de peccato originis d), & circumciſio ſpiritualis e).

Prob. a. Ex Gen. XVII, 7. *Erigam fœdus meum inter me & inter te, & inter ſemen tuum poſt te, in generationes ipſorum, in fœdus æternum, vt ſim tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te.* E quibus verbis colligimus, circumciſionem fuiſſe actum fœderalem, Deo vniti-vum & regeneratiuum. Nam *eſſe alicui in Deum*, ſignificat, Deum hominis eſſe patrem clementiſſimum. Sed vbi eſt paternitas, ibi non poteſt abeſſe regeneratio & peccatorum remiſſio, Ier. XXI, 33. Oſ. II. 23.

Prob. b. Ex Rom. IV, 11. *Abraham accepit ſignum circumciſionis, ſigillum iuſtitiæ fidei.*

Prob. c. Ex Gal. II, 7. *Cum viderent, quod concreditum mihi eſſet euangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis.* S. Paullus gentiles a Iudæis diſcernit, illos *præputii*, hos *circumciſionis* nomine inſigniens. Poſuit autem *abſtractum pro concreto*, præputium pro præputiatis, circumciſionem pro circumciſis.

Prob. d. Facta eſt circumciſio in membro genitali, quia peccatum originis per carnalem generationem propagatur, Pſ. LI, 7.

Prob. e. Circumciſi Iudæi admonentur circumciſionis internæ, Ier. IV, 4. *Circumcidite vos Iehouæ, & remouete præputia cordis veſtri, o viri Iudæ, & habitatores Hieroſolymæ*, q. d. non ſufficit, præputium carnis nobis eſſe reſectum, præcidite etiam præputium cordis, ad humillimum obſequium Deo præſtandum.

Quæſt. XXX. *Fuitne circumciſio neceſſaria?*

*Neceſſitas.* *Neceſſaria* quidem fuit circumciſio *neceſſitate præcepti* & *medii* a); *non* tamen neceſſitate *abſoluta*, ſed *ordinata* & *conditionata* b).

Prob. a. Ex Gen. XVII, 14. *Maſculus, cuius præputii caro non fuerit circumciſa, excidetur anima illa de populo ſuo, quia irritum fecit pactum meum.* E quibus verbis concludere

Digitized by Google

dere licet: Si neglecta circumciſio damnauit, aſſumta ſaluauit: Si intermittentes circumciſionem fregerunt pactum diuinum, eam ſuſcipientes in fœdus diuinum cooptati ſunt. Fuit itaque circumciſio neceſſaria non ſolum neceſſitate *præcepti*, quia eam Deus præcepit; ſed & neceſſitate *medii*, quia fuit medium gratiæ fœderalis & æternæ ſalutis conferendæ.

Prob. b. Deus circumciſionem ordinauit, ſed ſuam potentiam huic ordinario medio non præciſe alligauit: *Ordinauit*, inquam, illam ſub *conditione* poſſibilitatis, ſi infans tamdiu vixerit, vt octauo die poſſet circumcidi. Neque tamen ideo deſperandum eſt de ſalute infantum ante octauum diem exſtinctorum: 1) Quia promiſſio facta eſt Abrahamo: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te: 2) Quia infantes illi legem non transgreſſi ſunt; eo, quod ante tempus lege diuina circumciſioni deſtinatum viuere deſierunt; Sed vbi nulla lex, ibi nulla transgreſſio, Rom. IV, 15. 3) Si omnes infantes incircumciſi periiſſent, vtique damnati eſſent infantes, qui a Pharaone ante octauum diem in profluentem abiecti; qui in deſerto 40. annorum decurſu nati & denati; qui ab Antiocho ante ſuſceptam circumciſionem occiſi; qui in vicinia Bethlehemi a ſatellitibus Herodis nondum circumciſi obtruncati ſunt. Vid. Exod. I, 22. 1 Maccab. I, 51. Matth. II, 16. At nimis crudele foret, hos æternæ damnationi adiudicare.

Quæſt. XXXI. *Quamdiu durare debuit circumciſio?*

*Terminus* durationis circumciſionis fuit *tempus Chriſti, in carne manifeſtati & cruci affixi* a): Tolerata tamen eſt vsque ad exidium vrbis Hieroſolymæ, & ſufficientem euangelii promulgationem b), quo paſſim diſſeminato, non ſine diſpendio ſalutis ſuſcipi potuit c). **Duratio.**

Obſ. *Circumciſioni diuerſa aſſignantur tempora. Viua* enim fuit in V. T. *mortalis* in N. T. Chriſto in carne exhibito & crucifixo: *mortua & ſepelienda*, excidio Hieroſolymitano: *lugenda*, vsque ad plene diuulgatum euangelium: *mortifera*, euangelio inter gentes paſſim prædicato.

Prob a. Chriſtus morte ſua V.T. antiquauit, Hebr. VIII, 13. Hinc clamauit in cruce: *Conſummatum eſt.*

Prob. b. Paullus circumcidit Timotheum ſummouendi ſcandali cauſſa, Act. XVI, 3. Suſcepit itaque Timotheus circumciſionem, vt rem adiaphoram.

Prob. c. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit*, Gal. V, 2. Eleganter ait RVPERTVS *l. V in Gen. c. 31 Quisquis adhuc circumciditur, veniſſe negat eum, quem tali ſigno venturum ſe exſpectare pronuntiat, & proinde illum, qui iam venit, Chriſtum eſſe negat.*

*Antitheſis* eſt *Iudæorum* quibus adſtipulantur *Turcæ*, neceſſitatem circumciſionis adhuc præfracte vrgentium. Quorum argumenta ſunt:

I Circumciſio inſtituta dicitur לברית לעולם, *in fœdus æternum.* Reſp. עולם *non* ſemper notat *æternitatem abſolutam*, ſed *periodicam & limitatam*, i. e. diuturnum tempus.

II. Prædixit Eſaias, c. LII, 1. temporibus Meſſiæ in vrbem, i. e. eccleſiam, non ingreſſurum eſſe præputiatum & immundum. Reſp. Intelligitur l. c. *circumciſio interna* animi, non externa carnis.

Inſtantia: Ezech. XLV, 8. coniungitur vtraque circumciſio *carnis* & *cordis. Nullus filius alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne, ingredietur ſanctuarium meum.* Reſp. Iunguntur circumciſio *ſpiritualis & carnalis*, non quod debeant eſſe paris durationis, ſed quod

Digitized by Google

quod illa huius figura ſit. Deſcribit namque propheta phraſibus V. T. res N. T. Ita mentionem faciens circumciſionis *carnis*, vocabulo *typi* deſignat antitypum, nempe baptiſmum, vbi circumcidimur exuendo corpus peccatorum carnis per circumciſionem Chriſti, conſepulti ſimul cum illo per baptiſmum, Col. II, 11. vt ſenſus ſit prophetæ Ezechielis: neminem eccleſiæ Chriſti membrum fore, niſi baptizatus & renatus fuerit; plane vt Chriſtus Io. III, 5. de neceſſitate baptiſmi regenerantis inquit: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire regnum cælorum.*

III. Si Deus abrogauerit circumciſionem, erit mutabilis: ſed non eſt mutabilis: Ergo. Reſp. Si Deus circumciſionem hoc fine inſtituiſſet, vt eſſet perpetuum eccleſiæ ſacramentum, & nihilo tamen minus abrogaſſet eandem, vtique eſſet mutabilis; ſed inſtituta fuit ad certum tempus pædagogiæ & pupillatus Iudæorum, quo transacto ceſſare debuit. E. Deus non mutabilis, ſed conſtans eſt in ſuis conſiliis.

# DE AGNO PASCHALI.

Quæſt. XXXII. *Quid eſt agnus paſchalis?*

*Definitio agni paſchalis.*

*Agnus paſchalis* fuit ſacramentum veteris teſtamenti poſterius, quo Deus per agnum integrum & anniculum, verbo inſtitutionis conſecratum, mactatum, aſſatum, & ab Iſraëlitis atque proſelytis legaliter mundis, manducatum, Meſſiam, pro peccatis humani generis occidendum, præfigurauit, ad fidem in hunc excitandam & confirmandam, remiſſionemque peccati & plagæ exitialis impetrandam.

Obſ. I. *Paſcha*, & *agnus paſchalis* dicitur a voce Hebræa פסח, quæ notat præteritionem, *tranſitum*, aut tranſultum, a *tranſitione angeli vaſtatoris*, qui nocte illa, proxime inſtitutionem agni paſchalis ſecuta, Ægyptiorum primogenita percuſſit, Iſraëlitarum vero domos tranſiliuit, iisque pepercit, conſpecto in limine ſanguine agni paſchalis, Exod. XII, 13.

Obſ. II. *Paſcha* in vſu biblico ſignificat 1) *agnum paſchalem*, Exod. XII, 21. 2 Paral. XXXV, 16. Marc. XIV, 12. cuius antitypus eſt Chriſtus, 1 Cor. V, 7. *Paſcha noſtrum, pro nobis immolatum, eſt Chriſtus*, vbi Chriſtus vocatur *paſcha* metaphorice; 2) *feſtum paſchale*, vna cum ſacrificiis, cum agno paſchali connexis, Exod. XXXIV, 25. Leu. XXIII, 5.; 3) *actionem ſacram*, qua hoc ſacramentum vet. teſtam. adminiſtrabatur, Exod. XII, 43.

Quæſt. XXXIII. *Quis ſacramentum agni paſchalis inſtituit?*

*Cauſſa efficiens principalis.*

Actionem ſacramentalem circa agnum paſchalem, rite tractandum & manducandum, auctoritate ſua *inſtituit* & *ordinauit Deus.*

Prob. Deum ipſum agnum paſchalem certis ritibus tractandum comedendumque ordinaſſe, diſcimus ex Exod. XII, 1. ſeqq. vbi propria huius doctrinæ ſedes eſt.

Quæſt. XXXIV. *Quinam fuerunt adminiſtri huius ſacramenti?*

*Cauſſa miniſterialis.*

*Miniſtri promulgandæ inſtitutionis* diuinæ huius ſacramenti fuerunt *Moſes* & *Aaron* a). *Miniſtri* autem *mactationis & aſſationis* agni paſchalis partim *patresfamilias* gentis Iſraëliticæ b), partim *Leuitæ* c) fuerunt.

Prob.

Digitized by Google

Prob. a. Ex Exod. XII, 21. Vbi Moſes dicit: *Accipite vobis pecora per familias veſtras, & immolate paſcha.* Subiungitur populi obſequium, v. 28. *Et abierunt filii Iſraël, & quemadmodum praceperunt Moſe & Aaron, ſic fecerunt.*

Prob. b. 1) Ex Exod. XII, 6. *Mactabunt agnum omnis cœtus Iſraëlis inter veſperas.* E. quiuis paterfamilias in Ægypto, vbi ſacerdotium Leuiticum nondum ordinatum erat, agnum paſchalem mactare potuit.

2) Deut. XVI, 2. Deus vniuerſum populum Iſraëliticum alloquitur: *Mactabis Peſach Iehouæ Deo tuo.* Ex quo colligimus, ius mactandi & aſſandi agnum paſchalem ſtetiſſe penes quemuis patrem familias gentis Iſraëliticæ non ante ſolum, ſed & poſt conſtitutam politiam Moſaicam.

Prob. c. 1) Ex 2 Paral. XXX, 1. *Leuitæ erant ſuper mactatione agnorum paſchalium.* Conf. c. XXXV, 6. 11. *Leuitæ immolarunt paſcha, & detraxerunt pelles.*

2) Ex Esdr. VI, 18. *Sacerdotes & Leuitæ purificarunt ſe, ad faciendum paſcha.* Vbi notamus: a) Quod *paſcha* non notet tantum agnum paſchalem, ſed & alia ſacrificia, quæ diebus azymorum fiebant, & cum agno paſchali connexa erant: b) Patresfamilias, immunditia legali laborantes, ius ſuum reſignarunt ſacerdotibus & Leuitis: c) Patresfamilias ad maiorem lætitiæ publicæ ſolemnitatem coadhibuerunt ſacerdotes & Leuitas, velut ſacrorum laborum comites.

Quæſt. XXXV. *Quænam fuit materia terrena & cœleſtis huius ſacramenti?*

*Materia terrena* erat *agnus* integer & perfectus, maſculus, vnius anni, ex communi grege ouium, & interdum etiam caprarum ſumtus a). *Materia cœleſtis* fuit *Chriſtus*, pro peccatis totius mundi immolandus b). **Materia.**

Prob. a. Ex Exod. XII, 5. *Pecus integra, maſcula, filia anni erit vobis: De agnis, vel de hœdis ſumetis.* Vbi obſ. 1) Quod Iſraëlitæ vt plurimum mactauerint *agnum;* quippe qui luculentius adumbrabat Chriſtum, agnum innocentiſſimum, tollentem peccata mundi, Io. I, 29. At deficiente agno adhibebatur *hœdus:* dicitur enim nomine generico שה, pecus, quod notat *paruam pecudem*, & potuit ſumi ex diuerſis minorum pecudum ſpeciebus, de grege *ouium*, aut *caprarum.* 2) Quod *agnus* adhibitus ſit *integer & perfectus*, i. e. vitio carens, non claudicans, non ſcabioſus &c. 3) Quod debuerit eſſe *anniculus*, qui annum ætatis primum vel mox impleturus erat, vel impleuerat, non tamen ita exceſſerat, vt pro bimo haberi potuerit. Ceterum non vſurpabatur agnus, qui infra octauum ab ortu ſuo diem erat.

Prob. b. *Materia cœleſtis* fuit *Chriſtus*, immolandus pro peccatis vniuerſi generis humani in peccatum prolapſi, de quo Paullus, 1 Cor. V, 7. *Paſcha noſtrum pro nobis oblatum eſt Chriſtus.*

Quæſt. XXXVI. *Qualis erat vnio materiæ cœleſtis & terreſtris?*

*Vnio* agni *terreſtris* & *cœleſtis*, iuxta naturam veteris teſtamenti, erat σχετικὴ, *relatiua & typica*, qualis eſt typi ad antitypum; quippe qua Chriſtus crucifigendus & occidendus præfigurabatur, & ſiſtebatur patribus *præſens moraliter*, *non* exhibebatur, quoad *vtramque* naturam, *ſubſtantialiter.*

Prob. Agno paſchali *typice* repræſentabatur Chriſtus *agnus* cœleſtis, *tollens peccata mundi*, Io. I, 19. cum omni ipſius merito, ad ſalutarem participantium fruitionem. Erat igitur *præſens* Meſſias *perſonaliter*, vt æternus *Dei filius;* qua *carnem* autem *præſens* erat in



Digitized by Google

ſacramento Peſach *non ſubſtantialiter*, ſed *moraliter*, ratione diuini decreti, promiſſionis & efficaciæ meriti, a ſe præſtandi. *Cauſſa* quippe *meritoria*, antequam realiter exſiſtat, valore meriti ſui præcogniti voluntatem cauſſæ efficientis mouere poteſt: Quo reſpectu *agnus ab origine mundi occiſus dicitur*, Apoc. XIII, 8.

Quæſt. XXXVII. *Quæ fuit forma huius ſacramenti?*

*Forma.* *Forma* huius ſacramenti conſiſtebat a) in tempeſtiua agni perfecti ſelectione, b) cruenta mactatione, c) aſſatione, d) totali manducatione, e) verborum inſtitutionis repetitione.

Prob. a. Sumebatur agnus *de communi grege*, die *decimo* menſis *Niſan*, & *cuſtodiebatur* vsque in diem *decimum quartum* huius menſis, Exod. XII, 3. 6. Fiebat itaque *ſegregatio* quatriduo, antequam agnus mactaretur, 1) vt patresfamilias eo ſollicitius in perfectionem & requiſita agni illius inquirere, & obſeruare poſſent, num defectu quodam laboraret: 2) vt ex quotidiano illius agni aſpectu (vel etiam clamore) anſam caperent, inter ſe colloquendi de admiranda liberatione ſua ex Ægypto, & futura redemtione per Meſſiam.

Prob. b. Mactabatur agnus *inter duas veſperas*, Exod. XII, 6. quarum *prima* incepit ab exacta hora tertia pomeridiana, quæ Hebræis nona dicebatur; quando ſol, decurſa magna diei parte, ad occaſum vergit, *altera* veſpera eſt hora vndecima exacta. Totum illud interuallum phraſi ſcripturæ dicitur inter *duas veſperas*. Eodem temporis articulo mori voluit Chriſtus, agnus antitypicus. Non fiebat mactatio ſine αἱματεκχυσίας, quia *ſine illa non fit peccati remiſſio*, Hebr. IX, 22. Quare *mactatio agni* præfigurauit *effuſionem ſanguinis Chriſti*.

Prob. c. Comedebatur agnus non crudus, non coctus aqua, ſed *aſſatus igne*, Exod. XII, 9. Præfigurabatur Chriſtus aſſandus, partim *igne iræ* diuinæ erga peccata, quæ in ſe ſuſcepit, partim *igne amoris* ſui erga nos redimendos.

Prob. d. *Totum agnum* fuiſſe *comedendum*, docet Moſes, Exod. XII, 9. Significabatur, *totum Meſſiam* tum ſpiritualiter, tum ſacramentaliter *edendum* eſſe.

Prob. e. Deus *verbo inſtitutionis* hoc ſacramentum ſanciuit, Exod. XII, 11. *Paſcha hoc erit Iehouæ*, ac iuſſit his verbis etiam progreſſu temporis vti, vt diſtingueretur ritus hic ab aliis ſimilibus actibus non ſacramentalibus, Exod. XII, 27.

Quæſt. XXXVIII. *Quinam admittebantur ad comeſtionem agni paſchalis?*

*Subiectum cui.* *Admittebantur Iſraëlitæ*, tam *mares*, quam *fœminæ* a), *impuritatis expertes* b), *vſu rationis* pollentes c), *ſerui* quoque, & *proſelyti circumciſi* d).

Prob. a. *Omnis cœtus Iſraëlis facient illud* (paſcha) Exod. XII, 47. Non igitur excludebantur *fœminæ*, quæ, licet circumciſæ non eſſent, fœderis tamen gratiæ erant conſortes.

Prob. b. Ex Num. IX, 11. *Loquere ad filios Iſraëlis dicendo: Quum vir quis fuerit immundus ob animam, aut in via longinqua, vobis aut generationibus veſtris; faciet tamen Peſach Iehouæ. Sed in menſe ſecundo in quarto decimo die inter veſperas facient.* Ex quo colligimus, fœminas, ſanguine menſtruo laborantes, non fuiſſe admiſſas ad epulum agni paſchalis. Quod autem rex Ezechias admiſit *immundos* ad celebrationem paſchatis (contra legem, Num. IX, 10.) id factum eſt ſingulari Dei diſpenſatione, 2 Paral. XXX, 20.

Prob. c. *Liberi*, in quibus *vſus rationis* ſe exſerebat, vt dicere poſſent: *Quid* (ſibi vult) *cultus hic vobis?* Exod. XII, 26. intererant celebrationi paſchatis, reliqui arcebantur.

Prob. d.

Digitized by Google

Prob. d. 1) Ex Exod. XII, 43. 44. *Omnis filius alienigenæ non comedet de eo; quantum autem ad omnem ſeruum viri, emtionem argenti, ſi circumcideris eum, tum comedet de eo.*

2) Ex Exod. XII, 48. 49. *Quod ſi peregrinabitur tecum peregrinus, & voluerit facere Peſach Iehouæ, circumcidetur ei omnis maſculus; & tunc accedet ad faciendum illud, eritque ſicut incola terræ; ſed vllus præputiatus non comedet de eo.*

Quæſt. XXXIX. *Quis fuit finis agni paſchalis?*

*Finis primarius* fuit gratiæ fœderalis & fidei in venturum Meſſiam confirmatio a). *Secundarii* fines fuerunt: liberatio corporalis ab angelo percuſſore b), miraculoſæ eductionis ex ſeruitute Ægyptiaca commemoratio c), futuræ defenſionis ac protectionis certificatio d). *Finis*

Prob. a. Ex Hebr. XI, 28. *Moſes fide fecit paſcha, & effuſionem ſanguinis. Mactatio* agni paſchalis erat inſignis agni Dei pro nobis mactandi figura, Io. I, 29. 1 Cor. V, 7. Apoc. XIII, 8. & *profuſio ſanguinis* adumbrabat effuſionem ſanguinis Chriſti, cuius virtute effugimus angeli vaſtatoris cædem, conſequentes per Chriſti ſanguinem remiſſionem peccatorum, Eph. I, 7. Ita ergo per fidem celebrauit Moſes paſcha cum populo Dei, vt fidem in Meſſiam, agnum Dei immaculatum, magis magisque excitaret & confirmaret.

Prob. b. Ex Exod. XII, 22. *Tranſibit Iehouah ad percutiendum Ægyptum, cumque viderit ſanguinem ſuper ſuperliminari, & ſuper duobus poſtibus, præteribit Iehouah præter oſtium, & non permittet percuſſori, venire ad domos veſtras ad vos percutiendum.*

Prob. c. Ex Exod. XII, 14. *Erit iſte dies vobis in memoriam.* Hic erat finis paſchatis, vt Iſraëlitæ, edentes agnum paſchalem, ruminarentur incomparabile beneficium admirandæ liberationis ex Ægypto, vbi ſeruitutis iugo premebantur.

Prob. d. Quicunque Deus opt. max. opem præſtiterat Iſraëlitis turbulentiſſimis in Ægypto temporibus, illius ſubſidium in omni aduerſitate ſerio implorandum & certo exſpectandum eſt.

Quæſt. XL. *Fuitne agnus paſchalis ſacrificium?*

Agnus paſchalis *non* fuit *ſacrificium*, *proprie* dictum; *analogice* tamen ita dici poteſt.

Obſ. I. *Aliud eſt ſacramentum, aliud ſacrificium.* In ſacramento *Deus offert & confert* gratiam *hominibus:* In *ſacrificiis offerunt homines* munus *Deo*, ad conſequendam eius gratiam.

Obſ. II. Agnus paſchalis, cum ſacrificiis paſchalibus non eſt confundendus: 1) Quia Peſach tantum agnus erat; at ſacrificia paſchalia oues & boues, Deut. XVI, 1: 2) Peſach erat obiectum mactationis veſpertinæ, ſeu inter duas veſperas die 14. menſis Niſan ab hora nona ad vndecimam exactam; oues autem & boues pro ſacrificiis paſchalibus vſurpabantur in diebus azymorum: 3) agnus paſchalis mactabatur a patrefamilias in ſingulis domibus; at victimæ illæ paſchales non, niſi a ſacerdotibus, excoriantibus pecora ſacrificialia Leuitis, mactabantur.

Prob. 1) Nullum ſacrificium, *proprie* dictum, potuit fieri in Ægypto, propter abominationes Ægyptiorum, Exod. VIII, 26.

2) Omne ſacrificium, *proprie* dictum, peractum eſt a ſacerdote in altari, ritu ſacrificiali, quem leuitici ſacerdotii delineatio præſcribit: Agnus paſchalis ordinarie non a ſacerdote, ſed patrefamilias eſt mactatus, Exod. XII, 4. neque in altari ſolemni, ſed in priuatis ædibus.



Digitized by Google

3) Si agnus paſchalis fuit ſacrificium *proprie* dictum, vel fuit מנחה, vel זבח. *Non mincha*, quia illud erat ſacrificium dapale, conſtans ex farina munda, & placentis & frugibus cum ſale, vino & oleo, partim combuſtum, partim ſacerdoti deſtinatum, Leuit. II. Num. XV. Sed tale non fuit agnus, animal viuum. *Neque* etiam *ſebach* ſtricte dictum; quia neque holocauſtum, neque ſacrificium pro peccato & delicto, neque hoſtia pacifica erat: *Non* erat *holocauſtum*; quia totus agnus non comburebatur; *neque ſacrificium pro peccato*, quia peccata populi illi non imponebantur; *neque hoſtia pacifica*, quia non a ſacerdotibus in ipſo atrio ſancto comedebatur. E. non eſt זבח, ſub notione *ſpeciali* ſacrificii, licet poſſit appellari זבח ſub notione mactationis.

*Antitheſis* eſt plerorumque *Pontificiorum*, aſſerentium, agnum paſchalem fuiſſe ſacrificium *proprie* dictum. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Quidquid fuit typus ſacrificii Chriſti, illud fuit ſacrificium proprie dictum: Paſcha fuit &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia neceſſe eſt; vt *antitypus* reſpondeat *typo*, ſiue cum eo conueniat. Reſp. Diſt. *inter conuenientiam omnimodam*, *ſiue abſolutam*, *& accommodam*, *ſiue reſpectiuam*. Non neceſſe eſt typum antitypo in *ſpecialibus* requiſitis reſpondere, ſiquidem ille cum hoc conuenit non abſolute & ſimpliciter, ſed certo reſpectu, adeoque typus ſacrificii non neceſſario eſt ſacrificium. Nam & mactatio vaccæ rufæ, Num. XIX. 2. figurat cruentam Chriſti mactationem, Hebr. IX, 3. neque tamen fuit ſacrificium.

II. Agnus paſchalis dicitur זבח. Exod. XII, 27. E. Eſt *ſacrificium*. Reſp. Dicitur זבח פסח non quod fuerit ſacrificium proprie dictum, ſed voce זבח *generalius* ſumta, vt ſenſus ſit: *Mactatio tranſitus* eſt, quia mactatio hæc inſtituebatur, cum tranſiret Dominus, & vt tranſiret. Atque ita vocem זבח vſurpat Spiritus S. 1 Sam. XVIII, 24. cap. XVI, 3. 1 Reg. I, 9. pro *mactatione*; vnde etiam de cæde hominum vſurpatur, Eſ. XXXIV, 6. Idem reſpondetur ad illud Marc. XIV, 12. πάσχα ἔθυον. Neque enim θύειν ſemper notat mactationem ſacrificialem: vt Matth. XXII, 4. Luc. XV, 23 27. Act. X, 13.; in quibus locis τὸ θύειν vſurpatur de actibus præparatoriis ad conuiuium, aut cibum, extra omnem reſpectum ſacrificialem.

Inſtantia: Licet verbum זבח late ſignificet quamlibet *mactationem*, non tamen facile reperias זבח aliter, quam de *ſacrificio* vſurpatum, præſertim h. l. vbi ſpecialis ad Deum relatio inſinuatur, ליהוה, Exod. XII, 27. Reſp. Licet famoſior ſit in ſcripturis applicatio זבח ad victimam; id tamen non fit neceſſario, ratione radicis, quæ notat *mactationem*, vel ad *epulum*, vel ad *ſacrificium*; ſed ratione poſitus materialis. In illa igitur ampliatione intelligimus verba Moſis, Exod. XII, 27. quamuis fateamur, epulum agni paſchalis fuiſſe ſanctiſſimum & ſingulariſſimum, quod *analogice ſacrificium dici poſſe*, concedimus, ob *ſolemnem mactationem*, *& ſanguinis effuſionem*.

III. Omnis actus externus, verbo Dei definitus, in quo ſoli Deo res aliqua ſenſibilis & permanens conſecratur, & actu offertur in odorem quietis, eſt ſacrificium: Atqui agnus paſchalis &c. Ergo. Reſp. *Conſecratur* aliquid *Deo*, vel vt termino *formali*, vel vt *termino finali*. Agnus paſchalis *totus* cædebatur *in vſum hominis*, qui huius ſacramenti *terminus formalis ad quem* eſt.

Quæſt. XLI. *Fuitne actio ſacramentalis occupata circa agnum paſchalem neceſſaria?*

*Neceſſitas.* Sacramentum agni paſchalis fuit *neceſſarium*, neceſſitate *præcepti* & *medii*.

Prob. Deus manducationem agni paſchalis inſtituit & mandauit, Exod. XII. E. illa neceſſaria eſt neceſſitate *præcepti*. Neglecta manducatio agni paſchalis damnauit.

Exod.

Exod. XI, 15. E. obſeruata ſaluauit atque adeo neceſſaria fuit neceſſitate non tantum præcepti, ſed & *medii.*

Quæſt. XLII. *Quæ circumſtantiæ obſeruandæ ſunt ad plenius cognoſcendum ſacramentum agni paſchalis?*

Vt plenius intelligamus hoc ſacramentum, obſeruandæ ſunt *circumſtantiæ loci* a), & *temporis* b).

Prob. a. *Locus* celebrati paſchatis fuit *vel extraordinarius, vel ordinarius. Extraordinarius primus* erat Ægyptus, & in ſpecie domus cuiusque patrisfamilias, Exod. XII, 46. *alter* deſertum Sina, Num. IX, 2. *Tertius* Gilgal, Ioſ. V, 10. *Ordinarius* erat Hieroſolyma; quippe quæ erat locus ille, quem delegerat Deus ad collocandum ibi nomen ſuum, Deut. XVI, 5. 6. Expreſſa illa loci denominatione 1) obuiam ibatur cultibus electitiis, 2) concordia inter confeſſores vnius veræ religionis alebatur, 3) ſacrificium Meſſiæ, in vrbe Hieroſolyma offerendum, præfigurabatur. Extra hunc locum vero Hebræi extorres & diſperſi *paſcha* quidem *mnemoneuticum, non* autem *panegyricum* & ſolemne celebrarunt.

Prob. b. *Tempus* huius ſacramenti aliud eſt *inſtitutionis,* aliud *adminiſtrationis,* aliud *abrogationis.* Tempus *inſtitutionis* incidit in annum mundi 2513. iuxta calculum D. CALOVII. *Vid. ipſius chronicon biblicum fol. 80.* Tempus *adminiſtrationis* variat, iuxta diuerſos actus: nam ſegregatio fiebat die decimo menſis Niſan, mactatio vero die decimo quarto, aſſatio vero & manducatio nocte, diem decimum quartum inſecuta, & quidem vigilia prima, Exod. XII, 8. *Abrogatum* autem ſacramentum agni paſchalis eſt inſtitutione cœnæ dominicæ: præſente enim corpore ceſſat vmbra, Col. II, 17. Accedit, quod celebratio ſolemnis paſchatis adſtricta fuerit ad *templum Hieroſolymitanum,* quo collapſo, ipſius ſolemnitas exſpirauit.

*SVSPIRIVM.*

Humani intellectus imbecillitas tibi, o Deus omniſcie, conſtat liquidiſſime. Non acquieſcit ille promiſſionibus vel veriſſimis, ſed ſigna & pignora, in oculos incurrentia, poſtulat. Conſulturus tu, Pater clementiſſime, infirmitati humani intellectus, ſigna viſibilia inuiſibilis gratiæ tuæ ordinaſti ſapientiſſime. Id quod grata animi memoria recolens, precor humillime, vt ſacramentorum ſalutari vſu me infirmum confirmes, languentem excites, vacillantem ſuſtentes, quo ſtem immotus in doctrina fidei & pietate vitæ, iuxta atque ſtrenuus pugnem aduerſus diabolum, mundum & carnem! Diſpenſa tandem ex gratia, æterne Deus, mihi, ſub ſole tibi ſoli militanti, coronam iuſtitiæ & gloriæ!

## THEOL. PART. III. SECT. II.
## CAPVT IV.
# DE SACRAMENTIS NOVI TESTAMENTI, NOMINATIM DE BAPTISMO, PRIORI N. T. SACRAMENTO.

Quæſt. I. *Quot ſunt ſacramenta noui teſtamenti?*

Sacramenta N. T. ſunt *duo*, baptiſmus & cœna dominica, ſiue euchariſtia. *Numerus ſacramentorum nov. teſtam.*

Prob. 1) a requiſitis ſacramentorum N. T. Quot ſunt actiones ſacræ & ſolemnes, a Chriſto inſtitutæ, N. T. propriæ, externo viſibili elemento, a Chriſto ipſo definito, conſtantes, & cum eodem diſpenſantes rem cœleſtem, itidem a Chriſto in verbis inſtitutionis determinatam, ad conferendam & obſignandam gratiam, verbo promiſſionis comprehenſam,



Digitized by Google

tot ſunt ſacramenta N. T: Atqui *duæ tantum* ſunt eiusmodi actiones ſacræ & ſolemnes, nimirum baptiſmus & euchariſtia: Ergo.

2) Si præter Spiritum, noſtræ ſalutis teſtem, *duo tantum* ſunt in N. T. *teſtes terreſtres* de gratia diuina & ſalute noſtra, ſcilicet *aqua* & *ſanguis*, plura non ſunt ſtatuenda ſacramenta N. T., quam duo: Atqui prius eſt verum, teſte Ioanne, 1 ep. c. V, 6. Ergo & poſterius.

3) Primitiua eccleſia duo tantum habuit ſacramenta, de quibus Paullus 1 Cor. XII, 13. *Omnes*, inquit, *vno ſpiritu baptizati, & ad vnum ſpiritum potati ſumus.*

4) Illa ſunt tantum ſacramenta N. T. quorum materia e latere Chriſti pendentis in cruce fluxit. At baptiſmi & euchariſtiæ materia &c. E. *Maior* liquet e collatione loci Ioannæi 1 ep. c. V, 6. & gloſſa ordin. quæ ex AVGVSTINO hanc laudat ſententiam: *Sicut dormiente Adamo fit Eua de latere: Sic mortuo Chriſto lancea percutitur latus, vt profluant ſacramenta, quibus formetur eccleſia. Minor* patet ex Io. XIX, 34.

5) Quemadmodum in V. T. duo tantum, non plura fuere *proprie* dicta ſacramenta, circumciſio & agnus paſchalis: ita & in N. T. ſacramenta, *proprie* & *ſtricte* dicta, non, niſi duo illa ſunt, quæ in iſtorum locum ſurrogata ſunt, baptiſmus, qui & περιτομὴ ἀπερίμητος inde dicitur, Coll. II, 11. & S. euchariſtia, quæ ideo poſt agni paſchalis comeſtionem in ipſa nocte, qua Chriſtus traditus eſt, in eadem menſa inſtituta eſt, Matth. XXVI, 18.

6) Quia hæc duo ſacramenta ad vitam ſpiritualem ſufficiunt. Quatuor ſunt, quibus homo ad vitæ conſtitutionem & conſeruationem eget. Natiuitas, veſtimentum, alimentum & medicamentum. Natiuitatem & veſtimentum vitæ ſpiritualis accipit homo in baptiſmo, alimentum & medicamentum in S. cœna. Quid eſt, quod porro deſiderare queat?

7) Sacramenta reliqua, quæ ab aduerſariis finguntur, non ſunt proprie dicta ſacramenta N. T. Nam *matrimonium* non eſt proprium N. T. quia iamdudum in paradiſo inſtitutum erat. *Pœnitentia* viguit tam temporibus veteris, quam nou. teſt., neque habet elementum viſibile, a Chriſto ipſo definitum. *Extrema vnctio* non eſt a Chriſto inſtituta, ſed ex mente LOMBARDI ea debetur S. Iacobo; neque ſemper durauit in nou. teſt. *Ordo* habet quidem efficaciæ miniſterii promiſſionem, ſed illa non eſt connexa cum externo elemento viſibili. *Confirmatio* a Chriſto non eſt inſtituta, ſiue eius materiam, ſiue formam ſpectes.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, quorum ſententia *ſeptem* ſunt ſacramenta: baptiſmus, cœna dominica, confirmatio, pœnitentia, vnctio, ordo miniſtrorum eccleſiæ, matrimonium*). Quorum argumenta cum infirma ſint, nos pauca ſaltem ex iisdem attingemus:

I. Quot

*) In hac diſputatione aduerſus *Romano-Catholicos* ſufficit *generalis* argumentatio, ab iis ducenda rebus, quæ ad ſacramentum N. T. neceſſario requiruntur, quarum ſi vel vna abſit, non poteſt eſſe proprie ſic dictum N. T. ſacramentum. Primum tollenda eſt, quæ in voce latet, ambiguitas. Cum dicitur *ſacramentum noui teſtamenti*, intelligi debet ſacra, ac diuina auctoritate a Chriſto ad hominum ſalutem offerendam, aut confirmandam, inſtituta actio eiusmodi, quæ in *nouo* teſtamento non ſolum *fieri debet*, verum etiam *fieri cœpit*, nec vnquam fuit ante hanc ætatem. Neceſſe eſt igitur, in *ſacramento noui* Teſtamenti, proprie ita nominato, coniuncta adeſſe hæc quatuor: 1) *Verbum Dei*, ſigillatim *Chriſti*, vtpote N. F. Sponſoris; verbum, inquam, & *inſtitutionis*, & *promiſſionis*: 2) *rem quandam terreſtrem*, ab ipſo Chriſto præceptam ſeu, vt dici ſolet, elementum, oculis vſurpandum: 3) vim offerendi & conferendi *ſalutem animi*, noua generatione, peccatorum remiſſione, animi renouatione, certaque exſpectatione perfectæ beatitatis: 4) actionem ipſam *noui teſtamenti propriam* eſſe, nec ante vnquam vſitatam fuiſſe. Quæ quum ita ſint, concluſio erit ex neceſſaria conſequutione: quinque illa ſacramenta, quibus aduerſarii eorum numerum augere auſi ſunt, primum quidem plane non *ſacramenta* eſſe, deinde vero ſi quodam modo eſſent ſacramenta, non *noui* Teſtamenti ſacramenta eſſe. E. Sacramentum noui Teſtamenti non eſt 1) *confirmatio*, præſertim eo modo, quem

Digitized by Google

I. Quot ſunt vitæ ſpiritualis neceſſaria adminicula, tot ſunt ſacramenta. Atqui ſeptem ſunt &c. E. *Maior* conſtat: quia ſacramenta diuinitus inſtituta ſunt, vt vitam ſpiritualem conferant, roborent, augeant, a morbis præſeruent. *Minor* probatur; quia per baptiſmum fit generatio ſpiritualis, per confirmationem augmentatio, per euchariſtiam nutritio, per pœnitentiam remedium contra peccatum, per vnctionem extremam remedium contra reliquias peccati, per matrimonium propagantur homines, ad cultum Dei deputandi, per ordinem ſacrum reguntur ac ordinantur. Reſp. 1) Si ſic argumentari liceat, *plura* erunt ſacramenta, quam ſeptem, nempe ſanguis Chriſti, prædicatio verbi diuina, & quotidiana oratio, quæ ad vitam ſpiritualem multum conferunt momenti. 2) Nec extrema vnctio, nec coniugium vitam ſpiritualem generat, aut generatam conſeruat.

II. *Coniugium* dicitur *ſacramentum magnum*, Eph. V, 32. & eſt efficax gratiæ diuinæ medium; ſiquidem *mulier ſaluatur per filiorum generationem, ſi manſerit in fide*, 1 Tim. II, 15. Reſp. 1) In textu habetur μυϛήριον, quod latius patet, quam ſacramentum. 2) Spirituale coniugium Chriſti & eccleſiæ adumbratum per coniugium mariti & vxoris dicitur μυϛήριον. 3) Τεκνογονία neque ſalutis cauſſa, neque ſalutis impedimentum eſt.

III. *Extrema vnctio* eſt ſacramentum: habet enim verbum mandati & promiſſionis, atque elementum viſibile, Iac. V, 14. Reſp. Diſt. inter vnctionem corporalem & ſpiritualem. L. c. de vnctione corporali, eaque miraculoſa, quæ in eccleſia primitiua locum habebat, agitur. At ſacramenta ſtricte dicta conſerunt & obſignant gratiam euangelicam de remiſſione peccatorum, & beneficiis connexis ſpiritualibus.

IV. *Pœnitentia* eſt ſacramentum proprie dictum, quatenus *cum abſolutione* coniuncta eſt: habet enim mandatum diuinum, annexam promiſſionem gratiæ, Io. XX, 23. atque ſymbolum externum, ſcil. χειροθετίαν, ſiue impoſitionem manuum. Id quod obſeruauit *Apologia A. C.* p. 200. *Vere ſunt ſacramenta baptiſmus, cœna domini & abſolutio, quæ eſt ſacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei & promiſſionem gratiæ, quæ eſt propria N. T.* Reſp. Pœnitentia, cum abſolutione coniuncta, proxime ad naturam ſacramentorum proprie dictorum accedit; per illam enim pœnitentibus iuxta mandatum Dei diſpenſantur beneficia Chriſti, promiſſiones euangelicæ in ſpecie applicantur, & gratuita peccatorum remiſſio annuntiatur: at non habet externum & viſibile, elementum in verbo inſtitutionis expreſſe determinatum; de quo AVGVSTIN. *tract. 80. in Io. Accedat verbum ad*

quem illi ſeruant, & multis cum ſuperſtitioſis ritibus peragi ſolita (deeſt enim requiſ. 1. 2. 3.): Non eſt 2) *Ordo* & conſecratio miniſtrorum eccleſiæ (deeſt enim requiſ. 2. 3. 4.): Nec 3) *matrimonium* (deeſt enim itidem requiſ. 2. 3. 4.) & en! miram repugnantiam, eamque geminatam: quo pacto, quæſumus, hæc illorum ſententia de *ſacramento matrimonii* poterit conciliari cum alio quodam illorum decreto de *cœlibatu*, quaſi eius maior ſit dignitas ac præſtantia, quam coniugii? Num quid eſſe queat *ſacramento* ſanctius ac præſtabilius? Quam inique etiam cum *ſacerdotibus* agitur! An fas & æquum eſt, homines, *ſacro* negotio conſecratos, ſacramenti gratia priuare? Quid porro? ſi quis, illorum quidem vſitato more, ita argumentetur: quod quis non habet, alteri dare non poteſt?): Neque 4) *abſolutio peccatorum* (deeſt enim requiſ. 2. & 4.): Omnium tandem minime 5) *extrema vnctio*, velut extrema ſuperſtitio (deſunt enim omnia quatuor numerata). Quod Apoſtoli fecerunt, Marc. VI, 13. & quod ſub auſpicium eccleſiæ N. T. aliquo tempore moris fuit, Iac. V, 14. 15. id 1) erat aliquid ſingulare atque *extraordinarium* quem ad modum miracula; præſtent igitur hodieque, ſi quid valeant vires, etiam illa, primis Chriſti Legatis tributa, Marc. XVI, 17. 18.: 2) ad *ſanandos* ægrotos pertinebat: ergo nihil minus erat, quam *extrema* vnctio, mortis cauſſa, prout patet in vtroque loco citato: 3) ne quidquam ſecum ferebat ex tot, tamque ſuperſtitioſis *ritibus*, qui in cœtu Romano ad hanc actionem neceſſarii putantur.

Digitized by Google

*ad elementum, & ſit ſacramentum.* Χειροθεσία non eſt verbo inſtitutionis (quæ ex mente Pontificiorum habetur Io. XX, 23.) expreſſe definita, neque pœnitentiæ & abſolutioni eſſentialis. Adiice, quod pœnitentia etiam fuerit in V. T. E. non eſt ſacramentum N. T. ſtricte dictum.

Quæſt. II. *Quid eſt baptiſmus?*

*Definitio baptiſmi.* *Baptiſmus* eſt ſacra & ſolemnis actio, diuinitus inſtituta, qua homo peccator, viuus & natus, ſine diſcrimine ſexus & ætatis, abluitur aqua, in nomine Patris, Filii & Spiritus S., vt per hoc lauacrum aquæ gratia diuina, verbo euangelii promiſſa, ipſi applicetur, conferatur & obſignetur.

Obſ. I. *Baptiſmus*, deriuatur a verbo βαπτίζειν, quod proprie ſignificat *lauare*, aut *immergendo*, aut *aſpergendo*. *Immerſionem* quidem ſæpius, *aſperſionem* autem rarius ſignificat. Occurrit *aſperſionis* ſignificatus Marc. VII, 34. vbi Iudæi dicuntur non comediſſe, *niſi baptizarentur*, i. e. manus abluerent aqua, & Luc. XI, 38. Phariſæi dicuntur mirati, accubuiſſe Chriſtum non baptizatum, i. e. manibus non ablutis *).

Obſ. II. *Vox baptiſmi ſumitur vel improprie, vel proprie. Improprie* notat a) *baptiſmum ſanguinis*, i. e. crucem, calamitatem, cruentam & acerbam mortem. Quo ſenſu inquit Saluator, Luc. XII, 50. *Baptiſmo opus habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur!* Conf. Matth. XX, 22. Exinde factum, vt in primitiua eccleſia martyrium *baptiſmus ſanguinis* diceretur, quando catechumeni cruenta rapiebantur morte prius, quam aqua baptiſmali tingerentur: Cui tamen remiſſio peccatorum male a *Pontificiis* tribuitur; ſiquidem hanc Chriſtus ſanguine ſuo peperit, quam credentibus per ſacramenta confert & applicat. b) *Baptiſmum flaminis, ſiue ignis*, hoc eſt miraculoſam effuſionem donorum Spiritus S. de qua Ioannes Matth. III, 12. inquit: *Ego baptizo vos aqua, Chriſtus autem baptizabit vos Spiritu & igne;* quibus verbis indigitantur dona linguarum, in Apoſtolos mirifice collata, & ignitis linguis repræſentata, Act. II, 16. c) *Baptiſmum itineris*, per mare rubrum, & nubem, 1 Cor. X, 2. *Patres noſtri in Moſen baptizati ſunt in nube & mari*, i. e. tranſiuerunt Iſraëlitæ mare rubrum, duce Moſe & nube lucida. Sicut enim Iſraëlitæ per hunc tranſitum ex Ægyptiaca ſeruitute liberati ſunt: ita nos beneficio baptiſmi a ſeruitute ſtygii Pharaonis aſſerimur. Et vt Pharao cum vniuerſo exercitu fluctibus maris Erythræi hauſtus eſt: ita vetus Adam, exercitu vitiorum ſtipatus, in baptiſmo ſubmergitur. *Proprie* notat a) *generatim* omnem lotionem, vel ſordium ablutionem. b) *Speciatim* deſignat *lauacra legalia & Leuitica*, Iſraëlis lege Moſis tradita, quæ Hebr. IX, 10. dicuntur διάφοροι βαπτισμοί. c) *Specialiſſime deſignat baptiſmum euangelicum*, noui teſtamenti proprium, & dicitur communiter *baptiſmus fluminis*.

Obſ. III. Addunt nonnulli *baptiſmum luminis*, i. e. doctrinam. Sed dicta ſcripturæ, quæ citantur, Matth. XXI, 25. Act. XVIII, 25. Act. XIX, 3. de baptiſmo fluminis intelligenda ſunt.

Quæſt.

*) Quod ad *vocem* attinet, hæc duo nomina, βαπτισμὸς & βάπτισμα, vulgari quidem conſuetudine rem vnam eamdemque denotant; ſed ſacris in litteris dicendi ratione, non vſitata ſolum, verum etiam perpetua, inter ſe differunt, & ita quidem, vt vox, *baptiſmus*, nunquam de hoc N. T. ſacramento adhibeatur, ſemper de aliis lauationibus, *aut* ſanctis ac ritualibus, in V. T. diuina lege imperatis, Hebr. VI, 2. IX, 10. *aut* phariſaicis ac ſuperſtitionem olentibus, humano arbitrio excogitatis, Marc. VII, 4. & 8. *Baptiſma* autem eſt nomen, quo aut Chriſti perpeſſio malorum, Matth. XX, 10. Luc. XII, 50. aut pleriſque in locis ſacramentum N. T. ſignificatur.

Digitized by Google

Quæſt. III. *Quis baptiſmum inſtituit ?*

Sacramentum baptiſmi *inſtituit Deus triunus* a). *Chriſtus* θεάνθρωπος, redi- viuus ex mortuis, mandatum baptizandi repetiuit, & ad omnes gentes extendit b): ipſe tamen manibus propriis neminem baptizauit c). *Cauſſa efficiens.*

Prob. a. *Deus miſit Ioannem, vt baptizaret aqua*, Io. I, 33. Cui mandato hic promtiſſime obtemperauit. *Nam ad Ioannem factum eſt verbum Domini, & venit* (mandato diuino pariturus) *prædicans baptiſmum*, Luc. III, 2.

Prob. b. Chriſtus *poſt reſurrectionem* ſacramentum baptiſmi *non* primum *inſtituit*, ſed inſtitutionem *repetuit*, mandatum baptizandi ad omnes nationes & homines *extendit*, & vniverſalem perpetuamque adminiſtrandi baptiſmi *normam* ac *formulam* Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus præſcripſit, inquiens: *Mihi data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra.* Ex quo conficitur, Chriſto competere auctoritatem inſtituendi baptiſmum, *etiam ſecundum humanam naturam*, ſecundum quam *ipſi omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra*, Matth. XXVIII, 18.

Prob. c. Io. IV, 2. *Ieſus ipſe non baptizauit, ſed diſcipuli eius.* Quando autem Io. III, 22. & 26. Chriſtus baptizaſſe dicitur, id intelligendum eſt de miniſterio Apoſtolorum, per quos Chriſtus baptizauit; ſicut rex Salomo ædificaſſe dicitur templum, Act. VII, 21. non immediate, ſed mediantibus architectis. Cauſſam, cur Chriſtus αὐτοχειρὶ non baptizauit, quia ſcriptura non reuelauit, liquido non cognoſcimus. Veteres tamen ſequentes adduxerunt rationes: 1) Vt Chriſtus falſam amoliretur perſuaſionem baptizandorum, ne illi, qui a Chriſto immediate baptizati eſſent, maius accepiſſe viderentur beneficium, quam qui a diſcipulis baptizati erant: 2) Vt oſtenderet Chriſtus diſcrimen inter ſe & miniſtros, quod miniſtri tantum aqua, ipſe autem Spiritu baptizaret: 3) Vt indigitaret, baptiſmum non eſſe æſtimandum ex miniſtri dignitate.

Quæſt. IV. *Quis ordinarie baptiſmum adminiſtrat ?*

*Ordinarie* baptiſmum adminiſtrant miniſtri, eccleſiæ legitime vocati & ordinati a), orthodoxi & vita inculpati b). *Extraordinarie* vero, & in caſu neceſſitatis, quiuis Chriſtianus pius & rituum ſacrorum gnarus, ſiue ſit mas, ſiue fœmina, baptiſmum adminiſtrare poteſt c). *Cauſſa miniſterialis.*

Prob. a. Soli miniſtri eccleſiæ ſunt ordinarii *diſpenſatores myſteriorum Dei*, 1 Cor. IV, 1. Sunt iidem *legati Dei*, miſſi ad miniſterium reconciliationis, 2 Cor. V, 18. 20. quod in prædicatione verbi, & adminiſtratione ſacramentorum conſiſtit.

Prob. b. Ex 2 Tim. II, 15. *Diligens eſto, vt teipſum ſiſtas probatum Deo operarium, non pudendum, qui recte ſecet verbum veritatis.* Vbi notes, quod pietas vitæ ratione decori a miniſtro eccleſiæ requiratur, efficacia autem baptiſmi a probitate eius non dependeat; quippe quæ ab auctore Deo manat. Vnde de valore baptiſmi, ab impuro miniſtro diſpenſati, minime dubitandum eſt.

Prob. c. 1) Laici *in caſu neceſſitatis* poſſunt prædicare verbum Dei (quod conſtat exemplo Aquilæ & Priſcillæ, Act. XVIII, 26. Rom. XVI, 3.) Sed cuius eſt, *docere*; illius etiam eſt, baptizare.

2) Omnis Chriſtianus eſt ſpiritualis ſacerdos coram Deo, Apoc. I, 6. Quo circa vi ſpiritualis ſacerdotii baptizare poteſt, ſi rituum ſacrorum ſit gnarus.

3) Laici circumciſionem, in cuius locum baptiſmus ſucceſſit, adminiſtrarunt. Zippora



Digitized by Google

circumcidit filium, Exod. IV, 24. 25. quod etiam mulieres Maccabææ in caſu neceſſitatis fecerunt, 1 Maccab. I, 36. libr. II. c. VI, 10. Quam circumciſionem ipſe Deus approbauit.

Dicis: I. Cui non permittitur docere in eccleſia, illi non permittitur baptizare quia munus docendi & baptizandi eſt paris dignitatis): Sed mulieri non permittitur docere in eccleſia, 1 Tim. II, 12. E. Reſp. Vti mulieribus non competit docere *ſolemniter & publice;* ita vſus baptizandi *ſolemnis* ipſis non conuenit. Sed ſicut vrgente neceſſitate poſſunt docere *priuatim*, ita & baptizare.

Dicis: II. Mulieres ad docendum & baptizandum non ſunt vocatæ. Reſp. Non ſunt vocatæ vocatione *ſpeciali & œconomica;* ſunt tamen vocatæ vocatione *generali* ad ſpirituale ſacerdotium, & vocatione *caritatis*, in caſu *neceſſitatis* exercendæ.

Dicis: III. Quibus non licet diſpenſare S. cœnam, illis non licet adminiſtrare baptiſmum: Atqui mulieribus non licet diſpenſare S. cœnam. E. *Maior* conſtat: quia par eſt vtilitas & neceſſitas baptiſmi & cœnæ dominicæ. Reſp. Neg. *maior.* Ad probationem dicimus, quod *neceſſitas* baptiſmi *maior* ſit, quam cœnæ dominicæ. Nam de baptiſmo inquit Saluator: *Niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum cælorum,* Io. III, 5. At non idem dicit de cœna dominica. Confirmatio fidei habetur e S. cœna, ſed non ſola, verum etiam ex pia baptiſmi recordatione, annuntiatione abſolutionis, & promiſſione euangelica obtineri & haberi poteſt.

Quæſt. V. *Fuitne idem baptiſmus Ioannis, & Chriſti, ab Apoſtolis adminiſtratus?*

*Vnus idemque* fuit baptiſmus *Ioannis* & *Chriſti*, ratione *originis* a), & *efficaciæ* b), licet *accidentaliter* ille ab hoc *differat* c).

Prob. a. Quia baptiſmus Ioannis æque, ac Apoſtolorum *a Deo fuit inſtitutus,* Io. I, 33. Luc. III, 2.

Prob. b. 1) Quia Ioannes baptizauit baptiſmum pœnitentiæ & fidei in Chriſtum. Id quod Paullus diſcipulis Epheſinis inculcat, Act. XIX, 4. *Ioannes baptizauit quidem baptiſmum pœnitentiæ, ſed dixit populo, vt crederent in eum, qui venturus erat, nempe in Ieſum Chriſtum.*

2) *Ioannes* baptizauit *in remiſſionem peccatorum.* At illa non contingit, niſi per fidem in nomine Ieſu Chriſti, Act. X, 43.

Prob. c. 1) Ioannes baptizauit *in Chriſtum ἐρχόμενον, venturum,* i. e. natum quidem, ſed nondum paſſum & mortuum, nec dum glorificatum, totique mundo annuntiatum, Matth. III, 11. Act. XIX, 4. Io. I, 29. Apoſtoli vero licet baptizauerint initio in Chriſtum nondum paſſum aut mortuum; poſtea tamen adminiſtrauerunt baptiſmum *in Chriſtum paſſum, mortuum, glorificatum, & toti mundo notum,* Act. II, 36. Rom. VI, 3.

2) Per baptiſmum Ioannæum non ſunt collata vlli homini viſibilia Spiritus S. dona. Ioannes enim ſignum non edidit vllum, Io. X, 41. Apoſtoli vero poſt aſcenſionem Chriſti in cœlum, non ſemper quidem, ſæpiſſime tamen per baptiſmum contulerunt dona Spiritus S. viſibilia, ſicut legere eſt Act. XIX, 2. 3.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum & Socinianorum,* identitatem baptiſmi Ioannis & Apoſtolorum negantium. Qui obiiciunt nobis:

I. Ioannes ipſe baptiſmum ſuum diſtinguit a baptiſmo Chriſti, quando dicit, *ſe baptizare aqua, Chriſtum vero baptizaturum eſſe Spiritu & igne,* Matth. III, 11. Reſp. *Baptiſmus Chriſti* dupliciter accipitur: a) Pro *ſacramento initiationis*, quod alias *baptiſmus fluminis* dicitur: b) Pro *viſibili effuſione Spiritus S.*, & dicitur *baptiſmus flaminis.* Cum quæritur: an

Digitized by Google

an baptiſmus Ioannis eiusdem efficaciæ ſit cum baptiſmo Chriſti? accipitur *priori* modo, quatenus eſt *ſacramentum initiationis*; qua ratione *idem* eſt cum baptiſmo Ioannis, quippe quo etiam facta eſt initiatio ad Chriſtianiſmum.

II. Diſcipuli quidam baptizati a Ioanne iterum baptizati ſunt a Paullo, nempe baptiſmo Chriſti, Act. XIX, 3. ſeqq. Reſp. Diſcipuli illi non bis, ſed ſemel tincti ſunt a Ioanne protobaptiſta, v. 3. Cum autem verſu 5. dicitur: *His auditis baptizati ſunt in nomine Ieſu*, verba hæc non ſunt Lucæ hiſtorici, qui acta apoſtolica conſcripſit, ſed ſunt verba Paulli doctoris adhuc loquentis, & baptiſmum Ioannis explicantis. Nimirum cum diſcipuli v. 3. dixiſſent, ſe baptiſmo Ioannis baptizatos eſſe, Paullus incipit explicare, quomodo & quo ordine Ioannes baptizauerit, & oſtendit, quod baptiſmus Ioannis fuerit baptiſmus pœnitentiæ, & quod Ioannes locutus ſit de venturo Chriſto, vt crederent in eum. Pergit Apoſtolus docendo, v. 5. *His auditis baptizati ſunt* (ſcilicet a *Ioanne*, non a Paullo) *auditores Ioannis in nomine Domini Ieſu*. Ratio eſt in promtu: quia eſt continuata oratio Paulli, & in textu græco (ἀκούσαντες δὲ) particula δὲ reſpondet præcedenti particulæ μὲν (Ἰωάννης μὲν). Ex qua ſerie textus perſpicuum eſt, Paullum hos non rebaptizaſſe, ſed tantum impoſuiſſe manus, vt viſibili ſpecie, de qua nihil audiuerant antea, dona Spiritus S. acciperent. Per *Spiritum S.* enim intelligitur ſpiritus mirificus, ſiue *miraculoſa donorum Spiritus S. effuſio*. Vid. Act. X, 44. 45. 46.

III. Quicunque non dicitur baptizaſſe in nomine Chriſti, illius baptiſma non eſt idem cum baptiſmo Apoſtolorum: quia Apoſtoli dicuntur baptizaſſe in nomine Chriſti: Atqui Ioannes &c. E. Reſp. Neg. *minor:* nam teſte Paullo Act. XIX, 4. *Ioannes* baptizauit baptiſmum *pœnitentiæ*, & dixit populo, vt crederent in eum, qui venturus erat, nempe *in Ieſum Chriſtum*.

IV. Ioannes non dicitur baptizaſſe in nomine SS. Trinitatis. Reſp. Licet non αὐτολεξεὶ dicatur, ſiue κατὰ τὸ γράμμα inueniatur, Ioannem baptizaſſe in nomine SS. Trinitatis; quia tamen Ioannes a Deo ad baptizandum miſſus eſt, Io. I, 33. valide colligitur, eum in nomine SS. Trinitatis baptizaſſe; quippe quæ baptizandi formula a Chriſto traditur, Matth. XXVIII, 19. Neque enim probabile eſt, Deum alia atque alia forma baptiſmum inſtituiſſe. Et quomodo non baptizaret in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus S., cui baptizanti ſub ſignis viſibilibus tota SS. Trinitas apparuit?

V. Baptiſmus Ioannis ad ſolos pertinuit Iudæos: neque enim legimus, Ioannem alias nationes, quam Iudæos baptizaſſe: Baptiſmus Chriſti non ad ſolos Iudæos pertinuit: E. baptiſmus Ioannis non eſt idem, qui Chriſti. Reſp. a) Ioannes *non ſolos* baptizauit Iudæos: quia *tota Iudæa & vniuerſa regio, circa Iordanem ſita*, Matth. III, 5. baptizata eſt a Ioanne, in quo tractu multi erant gentiles. Conf. Matth. IV, 15. b) Prædicauit Ioannes *baptiſmum pœnitentiæ*, Act. XIX, 4. E. quicunque pœnitentia indiguerunt, ad illos baptiſmus Ioannis pertinuit. Sed indigent pœnitentia non tantum Iudæi, verum etiam gentiles.

VI. Quicunque baptizando præparauit viam Chriſto, illius baptiſmus non conuenit cum baptiſmo Chriſti: Atqui Ioannes &c. Luc. I, 76. Io. I, 23. E. Reſp. Præparatio illa nihil derogat efficaciæ miniſterii Ioannis. Verum ſicut doctrina & prædicatio eius fuit *efficax ad conuertendum homines*, Luc. I, 16. *& dandam ſcientiam ſalutis, quæ eſt in remiſſione peccatorum*, Luc. I, 77: ita baptiſmus quoque ipſius virtute & efficacia ſpirituali non caruit.

VII. Baptiſmus Chriſti eſt baptiſmus regenerationis, Tit. III, 6. At baptiſmus Ioannis non fuit baptiſmus regenerationis: E. *Minor* probatur: quia baptiſmus Ioannis dicitur *tantum baptiſmus pœnitentiæ*, Matth. III, 11. Reſp. Eo ipſo, quod baptiſmus Ioannis eſt baptiſmus *pœnitentiæ*, eſt baptiſmus *regenerationis*. Nam regeneratio formaliter conſiſtit in donatione *fidei*, quam, velut *partem præcipuam*, *ſalutaris pœnitentiæ* in ſe complectitur.

 Inſtantia:

Digitized by Google

Inſtantia: Sed eo ipſo, quod dicitur *baptiſmus Ioannis*, differt a *baptiſmo Chriſti*. Reſp. Dicitur baptiſmus *Ioannis*, ceu *miniſtri*, cuius auctor & magiſter Deus eſt. Baptizauit Ioannes διακονικῶς, αὐτοκρατορία eſt penes Chriſtum. Vid. Io. I, 6. III, 27.

Quæſt. VI. *Eſtne baptiſmus efficax & validus ab hæretico collatus?*

Si baptiſmus ab *hæretico*, *ſubſtantialia* baptiſmi retinente, collatus ſit, de eius *efficacia* non eſt dubitandum a). Sin conferendus eſt in eccleſia *florente*, vbi *orthodoxus* haberi poteſt miniſter, ſine grandi peccato ab heterodoxo peti non poteſt b). In eccleſia autem *preſſa*, vrgente neceſſitate, ab hæretico conſuetam formulam baptiſmi obſeruante, ſine vitio petitur & aſſumitur; modo adiiciatur *proteſtatio*, infantem hoc baptiſmo ad ſuſcipiendam falſam doctrinam non adſtringi c).

Prob. a. Quia *efficacia* baptiſmi rite peracti *non* pendet a *cauſſa miniſteriali*, ſed a *principali*, 1 Cor. III, 7.

Prob. b. Quia prohibemur *trahere iugum cum infidelibus*, 2 Cor. IV, 14. Contra iubemur *exire ex eccleſia maligna*, *ne de plagis cœtus maligni participemus*, Apoc. XVIII, 4.

Prob. c. Quia Chriſtus *audire iuſſit Phariſæos*, *ſedentes in cathedra Moſis*, quatenus doctrinam Moſis propoſuerunt (intelligitur enim *cathedra Moſis* vocalis, *non localis*; ſiquidem Moſes Iordanem nunquam eſt transgreſſus, neque vnquam Hieroſolymis vixit), Matth. XXIII, 2. Quod ſi itaque heterodoxorum Phariſæorum circumciſio non eſt habita inualida, vtique hæreticorum baptiſmus non eſt inefficax.

Quæſt. VII. *Quænam eſt materia baptiſmi?*

*Materia baptiſmi.*

*Materia* baptiſmi eſt *duplex*, terreſtris & cœleſtis. Materia *terreſtris* eſt aqua naturalis, pura, paſſim obuia, in vſu legitimo conſtituta.

Obſ. I. *Per aquam naturalem* artificialis, deſtillata, medicata, roſacea &c.; *per aquam puram* mixta, lutoſa & feculenta, qualis eſt lixiuium, iuſculum cum partibus panis & carnis mixtum, aqua ſalſa, ſimiliſque excluditur. *Puritas* autem *non* intelligitur *exacta* & omnimoda, cui nihil alieni elementi adhæreat, ſed intelligitur puritas *communis*, ſiue *naturalis*. Vnde tanta diligentia a fecibus ſegreganda eſt aqua baptiſmalis, quanta diligentia ſolent homines vitare aquas feculentas, ablutioni & potui inſeruientes. Per aquam *paſſim obuiam* indicatur aqua *vulgaris*, qualiscunque illa fuerit. *Nulla diſtinctio eſt*, inquit TERTVLLIANVS *L. de baptiſmo c. VI.*, *mari quis*, *an ſtagno*, *flumine*, *an fonte*, *lacu*, *an alueo diluatur. Neque quidquam differt inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

Obſ. II. Materia *proxima* baptiſmi eſt aqua in vſu poſita legitimo, quippe quæ corpus baptizandi tangit. Si quæ guttulæ aquæ in baptizando præterfluunt corpus infantis baptizandi, non ſunt materia proxima baptiſmi.

Obſ. III. Cauſſa, cur Deus ſacramento baptiſmi aquam deſtinauerit, verbo Dei ſcripto reuelata non eſt. Certum tamen eſt: a) Quod aqua ſit medium πολύκοινον, omnibus nationibus obuium. Vbiuis gentium tantum datur aquæ, quantum baptiſmo ſufficit. b) Quod nullum ſit clarius ſymbolum Spiritus S. & efficaciæ baptiſmi, quam aqua. Deus Pater

Digitized by Google

Pater eſt fons, fontis os Filius Dei, fluuius cryſtallinus ex vtroque profluens eſt Spiritus Sanctus. Aqua emundat corpus: baptiſmus, vehiculum Spiritus Sancti, purgat animam. Aqua recreat ſitientem, viuificat plantas flaccidas arboresque fœcundat: baptiſmus in memoriam reuocatus ſedat ſitim animæ, quam triſtem viuificat, & fructus pœnitentiæ parit. Aqua refrigerat: baptiſmus præſtat refrigerium contra concupiſcentiæ ardorem.

Prob. Aſſertio noſtra 1) Quia Chriſtus aqua baptizatus eſt, & aqua baptizare iuſſit, Matth. III, 11. Matth. XXVIII, 19.

2) Quia baptiſmus vocatur *lauacrum aquæ in verbo*, Eph. V, 26.

3) Quia *ex aqua & ſpiritu renaſcimur*, Io. III, 5.

4) Quia Apoſtoli *aqua baptizarunt*, Act. VIII, 36. c. X, 47.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum & Socinianorum*, ſtatuentium, alium liquorem, quam aquam ad baptizandum poſſe adhiberi. Qui obiiciunt:

I. Tanta poteſt dari neceſſitas, vt alius liquor, abſente aqua, ad baptizandum neceſſario ſit adhibendus: neceſſitas autem non habet legem. Reſp. Non fingenda eſt neceſſitas tanta, qua ſubſtantia baptiſmi mutetur.

II. *Lutherani* non reiiciunt baptiſmum *Pontificiorum*, qui baptiſmo aquæ de chriſmate ſacerdotum, & oleo catechumenorum nonnihil affundunt. Quidni igitur lixiuium, aqua roſacea, aut alius liquor adhiberi queat? Reſp. Vtique vitio vertimus *Pontificiis* illam mixturam. Quoniam tamen *aqua præponderat* in illo actu baptiſmali pontificio, ſtatuimus, infantem a Pontificiis baptizatum, ob mixtionem illam, ſalutari effectu non priuari.

Quæſt. VIII. *Quænam eſt materia cæleſtis baptiſmi?*

Materia *cæleſtis* baptiſmi *analogice* dicta eſt tota SS. Trinitas a); *peculiariter* & terminatiue Spiritus Sanctus b).

Obſ. *Materiæ cæleſtis* nomen h. l. non in ἀκριβείᾳ Philoſophorum, ſed in latitudine quadam pro *re cæleſti* accipimus. *Stricte* loquendo neque Spiritus Sanctus, neque venerabilis Trinitas *cauſſa materialis* eſt, aut dici poteſt. Igitur per *materiam* nihil aliud, quam *rem* intelligimus. Vid. D. SCHERZER in *breuiar. Hulſem. p.* 588.

Prob. a. 1) Ex inſtitutione diuina, Matth. XXVIII, 19. Quidquid, vi inſtitutionis divinæ aquæ baptiſmali præſentiſſime vnitum, confertur infanti baptizando, illud eſt *materia*, ſiue *res cæleſtis* baptiſmi: Atqui nomen Dei Patris, Filii & Spiritus ſancti &c. Ergo. Vbi notes, quod, interprete GERHARDO, per *nomen Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti* intelligatur infinita maieſtas, ineffabilis ſanctitas, inenarrabilis bonitas, admiranda virtus & gratia totius SS. Trinitatis, quæ cum omni virtute ſua & beneficiis adeſt, & per quam, verbo vnitam & ſanctificatam, efficaciter operatur.

2) Ex Gal. III, 27. *Quem in baptiſmo induimus*, ille eſt *materia cæleſtis* cum *materia terreſtri* vnita: Atqui Chriſtum &c. Ergo.

Prob. b. 1) Quidquid in baptiſmo in nos effunditur, illud eſt materia baptiſmi: Atqui *aqua & Spiritus S.* in baptiſmo in nos effunditur: Ergo ſunt materia baptiſmi; illa quidem terrena, *hic* cœleſtis. *Maior* conſtat: quia baptiſmus eſt *ſpirituale lauacrum*, cuius materia eſt id, quod in lauandum effunditur.

2) Quocunque abluimur in ſacramento baptiſmi, illud eſt eius materia: Atqui Spiritu S. in ſacramento baptiſmi abluimur, 1 Cor. VI, 11. Ergo.

3) Ex quo regeneramur, illud eſt materia baptiſmi: Ex *aqua & Spiritu S.* regeneramur, Io. III, 5. Vbi notes, quod ſicut particula, *ex*, iuncta *aquæ*, notat *materiam*, ſiue *rem terrenam*; ita eadem numero particula, *ex*, iuncta *Spiritui*, notet *materiam*, ſiue *rem*



Digitized by Google

*cœleſtem* baptiſmi. Neque enim vlla idonea ratio opponi poteſt in contrarium, cur ſcil. τὸ *renaſci ex aqua* viſibilem quidem rem baptiſmi ſignificet; *renaſci* vero *ex Spiritu* (eadem phraſi, eodem commate) inuiſibilem rem baptiſmi non denotet.

Dicis: Locus citatus non poteſt de cauſſa materiali intelligi; quia, licet aqua baptiſmi ſit cauſſa materialis; non tamen materialis cauſſa eſt regenerationis, ſed inſtrumentalis: quia regeneratio non eſt aliquid ex aqua & Spiritu, velut ex materia, conſtans, ſed actio & mutatio hominis ſpiritualis, a Spiritu ſancto & aqua efficienter dependens; a *Spiritu S.* quidem, vt *efficiente principali*, ab *aqua* vero, vt a *cauſſa inſtrumentali.* Reſp. 1) Per *regenerationem* l. c. intelligitur baptiſmus, qui eſt medium efficax regenerationis. 2) Quum baptiſmus ſit actio diuina æque, ac regeneratio; materiam *ex qua, proprie* dictam, non habet, ſed *materia* eius dicitur *res* illa, *circa quam* occupatur, & *a qua* eius efficacia fluit.

4) Soli aquæ, tanquam materiæ terreſtri, effectus ſpirituales & vere diuini (quales ſunt regeneratio, iuſtificatio, renouatio, ſaluatio) citra idololatriam tribui nequeunt, vti nec ſoli ſono verbi ἀκȣςῷ, niſi vnitus eidem eſſet Spiritus Sanctus, qui facit, vt verbum, ſiue ἀκȣςὸν, ſiue ὁρατὸν, ſpiritus & vita ſit.

*Antitheſis* eſt 1) *Socinianorum*, rem cœleſtem baptiſmi negantium, 2) *quorundam noſtratium*, qui quidem non negant præſentem aquæ baptiſmali eſſe Spiritum S. aut ſacroſanctam Trinitatem, ſed dubitantium, an ideo *materia* baptiſmi vocari queat. Quorum argumenta ſunt:

I. Spiritus puriſſimus non poteſt vocari *materia:* Spiritus S. eſt ſpiritus puriſſimus: Ergo. Reſp. Spiritus puriſſimus non poteſt vocari materia *vniuoce;* concedo. Vocatur autem *analogice*, & intelligitur per *materiam cœleſtem* ea *res ſupernaturalis*, quæ *cum aqua vnita* baptizando confertur, & quæ baptiſmo *efficaciam largitur.*

II. *Cauſſa efficiens* baptiſmi male habetur eius *materia:* Atqui Deus triunus &c. Ergo. Reſp. Deus triunus eſt *cauſſa efficiens* baptiſmi, ratione *inſtitutionis;* eſt tamen *materia* baptiſmi, ratione *ſacramentalis vnionis* & communicationis, qua Deus triunus ſeſe præſentiſſime vnit aquæ baptiſmi, & hac mediante ſeſe nobis, vt præſentiſſimum noſtrum bonum, cum omnibus beneficiis ſpiritualibus communicat.

III. Quæcunque doctrina a doctoribus euangelicis diuerſimode explicatur, de ea nil certi eſt aſſerendum: Doctrina de materia cœleſti baptiſmi &c. Ergo. *Minor* probatur: quia D. LVTHERVS docet, rem cœleſtem eſſe verbum Dei, quem ſequitur D. BALDVINVS: D. HVTTERVS cenſet, rem cœleſtem baptiſmi eſſe ſanguinem Chriſti; D. DANNHAV. Spiritum ſanctum, D. AFFELMANNVS, totam ſacroſanctam Trinitatem. Reſp. Hæc diuerſa loquendi ratio haud difficulter conciliatur a D. CALOVIO, præclare docente, *tom. IX. ſyſtem. p. 166. Materia baptiſmi cœleſtis, ſi integre definienda ſit, eſt SS. Trinitas, Deus Pater, Filius Dei, Chriſtus* θεάνθρωπος, *ad cuius integritatem non diuina tantum, ſed etiam humana natura ſpectat, quemadmodum ad hanc omnino pertinet etiam ſanguis, cuius particeps factus eſt noſtri cauſſa, nec non Spiritus Sanctus: Quæ res cœleſtis vniuoce dicitur verbum & nomen Dei, hoc eſt ipſe Deus trinus & vnus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.*

Inſtantia I. Verbum inſtitutionis non eſt Deus ipſe. Reſp. Verbum inſtitutionis, cum baptiſmi res cœleſtis dicitur, accipiendum eſt non ἄνευ συμπλοκῆς, *incomplexe*, ſimpliciter & nude, veluti ſolum externum eſt verbum, ſed μετὰ συμπλοκῆς, *complexe* cum nomine, i. e. cum ipſa re, nomine illo ſanctiſſimo expreſſa: Patre, Filio, & Spiritu ſancto, ſeu ἡνωμένως & *coniunctim:* quia vti non nudum verbum, abſque Spiritu S. eſt potentia Dei; ſic verbum Dei ſemper vnitum ſibi habet Spiritum S. & totam Trinitatem, Io. VI, 63. 68.

Vnde

Digitized by Google

Vnde eius eſt efficacia, quam etiam in baptiſmo, qui eſt lauacrum in verbo, exſerit, ad noſtri regenerationem & ſalutem, Eph. V, 26.

Inſtantia II. *Sanguis* Chriſti eſt *cauſſa meritoria* baptiſmi. E. *non* eſt eius *cauſſa materialis.* Reſp. *Sanguis Chriſti adeſt in ſacramento baptiſmi*, 1) *ratione meriti;* quia fructus baptiſmi partus eſt ſanguine Chriſti, in ara crucis pro noſtris peccatis effuſo, Hebr. IX, 28. 2) *ratione ſubſtantiæ;* quia Filius Dei carnem & ſanguinem in vnitatem perſonæ ſuæ aſſumſit, iamque poſt factam vnionem in, cum, & per naturam humanam omnia opera mediatoris perficit; ideo totus Chriſtus θεάνθρωπος huic ſacramento adeſt: 3) *ratione efficaciæ;* quia in baptiſmo per ſanguinem Chriſti a peccatis noſtris mundamur, 1 Io. I, 7. Et S. Petrus 1 ep. I, 2. docet, quod non minus *ſanguine Chriſti*, quam *aqua* conſpergamur, dum ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ commemorat. Mens itaque noſtra eſt, quod Chriſtus οὐκ ἀναίματος (non ſine ſanguine) præſentia ſubſtantiali, eaque efficaci, baptiſmo adſit, & partam ſanguine efficaciam, mediante lauacro aquæ, homini baptizando communicet. Qua ratione *materia* baptiſmi *cæleſtis* dicitur. Ceterum quando nonnulli ex noſtratibus negant, ſanguinem Chriſti eſſe materiam cœleſtem baptiſmi, ſumunt vocabulum, *ſanguis, diſtincte* & cum differentia ſpecifica a corpore & diuinitate Chriſti, quemadmodum in euchariſtia fit; concedunt tamen, ſanguinem Chriſti eſſe rem cœleſtem, ſi ſumatur *coniunctim*, vt ſanguis eſt pars interna corporis Chriſti.

Inſtantia III. Sed cur *Spiritus S.* peculiariter dicitur res cœleſtis baptiſmi, cum tamen actus baptiſmalis ſit *opus ad extra*, adeoque opus *commune* omnibus tribus deitatis, perſonis? Reſp. Quamuis *opera* Trinitatis *ad extra* ſint *indiuiſa;* ſeruandus tamen eſt *ordo & diſcrimen perſonarum.* Ipſa ſcriptura effectum baptiſmi, nempe *regenerationem & renouationem* peculiari ratione tribuit *Spiritui S.* Tit. III, 6. Ideoque *Spiritus S. dicitur res cæleſtis baptiſmi appropriatiue*, eo, quod Spiritus S. baptiſmo, iuxta inſtitutionem Chriſti adminiſtrato, adeſt, 1) *ratione eſſentiæ*, ſicut etiam reliquæ Trinitatis perſonæ adſunt; 2) *qua oblationem & collationem* gratiæ euangelicæ; 3) *qua obſignationem fœderis* inter Deum & baptizatum initi, quouis tempore rati.

Quæſt. IX. *Qualis eſt vnio rei terreſtris & cæleſtis in ſacramento baptiſmi?*

*Vnio ſacramentalis* aquæ in legitimo baptiſmi vſu conſtitutæ, & verbi inſtitutionis, glorioſum SS. Trinitatis nomen complectentis, *non* eſt *typica*, aut *relatiua* a); ſed, *realis & exhibitiua*, tum ſubſtantialem Dei triunius præſentiam, tum communicationem efficaciæ ſupernaturalis inferens b).

Obſ. Ex præcedente quæſtione liquet, baptiſmum conſtare non tantum ex materia terreſtri, ſed etiam ex materia cœleſti, analogice dicta (quæ etiam *conſtituens intrinſecum ſacramenti alterum dici poteſt)*, quæ materia cœleſtis a quibusdam verbum inſtitutionis, ab aliis nomen SS. Trinitatis, ab aliis Spiritus S. dicitur. *Verbum inſtitutionis* autem hic ſumitur *non abſtractiue*, ſed *complexe*, prout nomen glorioſum SS. Trinitatis complectitur: *Nomen Dei* vero in præſenti maieſtatem, bonitatem, ſapientiam, potentiam & ſanctitatem Dei notat. *Spiritus S.* peculiari & ſingulari ratione dicitur res cœleſtis ſacramenti baptiſmi, ideo, quod effectus baptiſmi, Spiritui S. appropriantur. Quod ſi itaque aſſerueris, aquam in actu baptiſmali eſſe vnitam cum verbo inſtitutionis, vel cum nomine SS. Trinitatis, vel cum Spiritu S., non erraueris, ideo, quod illæ loquendi formulæ reapſe conueniunt.

Prob. a. In ſacramentis V. T. res terreſtris cœleſtem tantum præfigurabat, typice adumbrabat & moraliter præſentem ſiſtebat: At in ſacramentis N. T. res terreſtris cœleſtem ſubſtanti-

Digitized by Google

ſubſtantialiter præſentem exhibet. Proinde vnio rei terreſtris & cœleſtis in ſacramento baptiſmi *non* eſt *typica*, aut *relatiua*, ſed *realis & exhibitiua.*

Prob. b. 1) Medium purificationis & ſanctificationis noſtræ dicitur *lauacrum aquæ* non ſimpliciter, ſed *in verbo*, Eph. V, 26. Ergo lauacrum aquæ *myſtice vnitum* eſt *cum verbo inſtitutionis*.

2) Vnus eſt baptiſmus, qui fit aqua in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus S. E. in actu baptiſmali aqua cum Deo Patre, Filio & Spiritu S. ſacramentaliter vnita eſt.

3) Vnum ἀποτέλεσμα regenerationis proficiſcitur *ab aqua & ſpiritu*, Io. III, 5. *Aqua* igitur poſita in vſu legitimo *myſtice coniuncta* eſt *cum Spiritu S.*, a quo vis regenerandi principaliter prodit.

Quæſt. X. *Quæ eſt forma baptiſmi?*

*Forma baptiſmi.*

*Forma* baptiſmi tum ablutionem per aquam, quæ fit vel per *immerſionem* totius corporis in aquam a), vel per *aſperſionem* continuam, ſiue affuſionem aquæ in potiorem corporis partem b), tum *verborum inſtitutionis pronuntiationem* c), ita, vt diſtincta fiat mentio, confeſſio & inuocatio Dei Patris, Filii & Spiritus S. d) complectitur.

Prob. a. Βαπτίζειν in genere *lotionem*, vel *ablutionem* ſignificat, ſiue ea fiat *affuſione* aquæ, ſiue fiat *immerſione.* Initio primitiuæ eccleſiæ baptiſmus peragebatur immerſione. Baptizandus, depoſitis veſtimentis, in flumen deſcendebat, & nudus aquæ immergebatur: Qua ratione Chriſtus Matth. III, 13. 26. dicitur protinus aſcendiſſe ex Iordane. E. prius deſcenderat, & probabile eſt, totum corpus Chriſti fuiſſe ſubmerſum, vt *ſua purificatione vndas ſanctificaret*, cenſente GREGOR. NAZIANZENO *Orat.* 34. Sic etiam Philippus & Eunuchus deſcenderunt ambo in aquam, baptizauitque ille hunc, Act. VIII, 38. Quo ſpectant verba Paulli, Rom. VI, 4. *Per baptiſmum cum Chriſto ſepulti ſumus in mortem*, & Col. II, 12. *conſepulti cum Chriſto ſumus.* His quippe phraſibus reſpicitur ad hunc ritum primitiuæ eccleſiæ, vbi baptizandi, *toti aquæ immerſi*, quaſi *ſepeliebantur.* Quem morem baptizandi diu coluit & vſurpauit eccleſia. Nam quod nondum obſoleuerit ſæculo III. a nato Chriſto, teſtis eſt CYPRIANVS, qui *L. IV. epiſt.* 7. mouet quæſtionem de iis, qui in infirmitate gratiam conſequuntur, hoc eſt, regenerantur, nec tamen per valetudinem aduerſam aquæ penitus immergi, ſed tantum aqua conſpergi poſſunt; an habendi ſint veri Chriſtiani? Ex quo collectu procliue eſt, ſæculo III. ſuperſtite CYPRIANO, baptiſmum *immergendo* toto corpore peractum fuiſſe; ſtimulante tamen *neceſſitate*, ob infirmitatem corporis, baptiſmum, peragi conſueuiſſe *aſperſione* aquæ. Et refert ibidem CYPRIANVS, quoſdam noluiſſe tales, aqua tantum aſperſos, veris Chriſtianis accenſere, ſed vocaſſe eos *Clinicos*, quod lecto decumbentes aqua conſperſi ſint. Quibus ille reſpondet in citata epiſtola, decumbentibus nil obeſſe, quod neceſſitate excluſi non potuerint ritu conſueto, nempe immerſione baptizari, ſed ſufficere, quod aqua perfuſi ſint in nomine SS. Trinitatis.

Prob. b. 1) Ablutio manuum & calcium, quæ ſola etiam aſperſione fit, dicitur βαπτισμὸς, Marc. VII, 4. Luc. XI, 38. Ergo ſignificationi verbi, βαπτίζειν, ſatisfit etiam ſola *aſperſione;* ſicuti nubis ac maris βαπτισμὸς 1 Cor. X, 2. leuiter factam aſperſionem notat.

2) *Vna die* intra vrbem Hieroſolymam *tria millia baptizata* leguntur, Act. II, 38. At quis credat, *tot* homines *eo loco*, quo *in vrbe* confluxerant, a *ſolo* Petro *totius* corporis in aquam *immerſione* ablutos fuiſſe?

3) Quis

Digitized by Google

3) Quis ſibi perſuadeat, tantam virorum mulierumque multitudinem, Matth. III, 5. totam nudam, ac veſtibus (cum omni pudore) depoſitis in oculis tot empæctarum, claro die, Iordani a Ioanne immerſam fuiſſe?

4) Baptiſmus clinicorum manifeſtum præbet exemplum baptiſmalis aſperſionis. Inualuit autem mos baptizandi per *aſperſionem* in eccleſia occidentali poſt ætatem GREGORII circa annum 875., & paullatim per vniuerſum pene occidentem ritus *immerſionis* exſoleuit: a) Ob infantum *tenella corpora*, quæ aëri frigido exponi, & tota immergi in regionibus ad ſeptentrionem ſitis, præſertim tempore hyberno, ſine præſente valetudinis periculo non poſſunt: b) Propter *honeſtatem & verecundiam*, propter quam decentius eſt, hodie adultos, præſertim fœminas aſpergere, vel perfundere, quam coram viris nudatas toto corpore immergere,

Prob. c. Forma baptiſmi non tantum in *faciendis*, ſed *& dicendis* conſiſtit. Pertinet ad baptiſmum τὸ μαθητεῦον, & τὸ βαπτιςέον, propter verba inſtitutionis: μαθητεύσατε βαπτίζοντες, Matth. XXVIII, 19. E. Forma baptiſmi tum in *actione*, tum in *dictione* conſiſtit. *Dictionem* infert imperatiuus: μαθητεύσατε. Quod verbum quidem generaliter *diſcipulos facere* ſignificat, ſed ſimul τὸ *dicere* connotat. Diſcipuli enim fiunt tum verbis, ſiue informatione, tum rituali initiatione; quæ initiatio tamen per ritum verba peculiaris inſtitutionis correquirit. Non enim eſt ritus quaſi mutus, & ſolis geſtibus, aut mutis actionibus peragendus. *Actio* vero patet ex imperatiuo: *baptizate*, qui innuitur participio. Verba enim, *docete baptizantes*, ita reſoluenda ſunt: *Docete & baptizate*. Conf. HVLSEM. *breu. cap. X. p. 595.*

Prob. d. Retinendam eſſe conſuetam baptizandi formulam *in nomine Patris, Filii & Spiritus S.*, valide colligitur: 1) Quia Chriſtus ipſe hanc formulam præſcripſit, Matth. XXVIII, 19. A præſcripto Chriſti Chriſtianis temere non eſt recedendum.

2) Quia hac baptizandi formula tum Dei Patris, Filii & Spiritus S. ὁμοουσία, ſiue eadem eſſentia, tum perſonalis diſtinctio indigitatur. Baptizamur enim non in nomina, ſed in *nomen* Patris, Filii & Spiritus S., quia eorum vnum eſt nomen, i. e. vna auctoritas, maieſtas & eſſentia. Ceterum Filius a Patre in verbis inſtitutionis diſtinguitur *perſonaliter*: Ergo eodem modo Spiritus S. a Patre & Filio diſtinguitur.

3) Hac baptizandi formula comprehenditur confeſſio & inuocatio SS. Trinitatis. In *illius nomen* baptizamur, in quem *credere*, & quem *inuocare* tenemur: nam ſacramento baptiſmi ad fidem, profeſſionem, cultum & obſequium illius, qui auctor eſt baptiſmi, adſtringimur. Ideo *baptiſmus* dicitur *interrogatio bonæ conſcientiæ ad Deum*, 1 Petr. III, 21. *Oportet nos credere, vt baptizati ſumus, adorare, vt credimus*, ait BASILIVS M. *ep. LXXXIIX.*

4) Hac baptizandi formula indicantur beneficia, quæ omnes & ſingulæ tres diuinitatis perſonæ per baptiſmum diſpenſant in baptizatum. Deus Pater ipſum recipit in filium, Filius in fratrem, Spiritus S. in templum, vel habitaculum. Quam ob rem in baptiſmo diſtincta trium perſonarum Diuinitatis mentio facienda eſt.

Obſ. Licet *ſufficiens* ſit *Græcorum* formula paſſiua: *Baptizetur ſeruus (ſerua) Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.:* Latinorum tamen formula actiua: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* planior & magis emphatica eſt; quippe qua comprehenditur ſimul cauſſa princeps & organica, Spiritus S. & miniſter. Adiice, quod naturali ſenſu deprehendatur, imperatiuum formulæ practicum, *baptizate*, in praxi mutandum eſſe in indicatiuum: *Ego baptizo.* Hoc enim modo mandati & exſecutionis conformitas fit euidentior.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, negantium a) baptiſmum rite peragi *aſperſione*, b) *formulam baptiſmi* in nomine trium deitatis perſonarum rigide obſeruandum eſſe. Pro *immerſione* dimicant ſequentibus argumentis:

I. Adducunt exempla Chriſti & aliorum, ſubmerſione totius corporis baptizatorum, Matth. III, 16. Act. VIII, 36. Reſp. Exempla illa oſtendunt, immerſionem illam eſſe licitam, & antiquitus, in locis præſertim calidioribus, vſurpatam, ſed non euincunt, eam eſſe abſolute & vbique neceſſariam.

II. Βαπτίζειν, ſignificat *immergere*. E. βαπτισμὸς notat immerſionem. Reſp. Βαπτίζειν ſignicat *abluere*, vel per *immerſionem* in aquam, vel per aquæ *affuſionem*.

III. Gentium Apoſtolus inſtituit comparationem inter baptiſmum, & inter mortem ac reſurrectionem Chriſti, Rom. VI, 3. 4. ſiue quod per *immerſionem Chriſto conſepeliamur*, per *emerſionem vero conſurgamus*. Quæ adumbratio nullo modo per aſperſionem, quæ paucula fit aqua, haberi poteſt. Reſp. 1) Significationes & adumbrationes pertinent ad finem baptiſmi ſecundarium, non primarium. Hic enim eſt regeneratio & renouatio, Tit. III, 5. 2) Analogia ſepulturæ Chriſti locum habere poteſt, etiamſi ſolum caput vnda perfundatur. Cuius enim *caput* aquis *aſpergitur*, vel *perfunditur*, is aquis iſtis quaſi ſepelitur. 3) Licet *aſperſio* non adeo manifeſto ſignificet ſpiritualem noſtram cum Chriſto *conſepulturam*, ſignificat tamen ῥαντισμὸν αἵματος, *aſperſionem ſanguinis Chriſti*, 1 Petr. I, 2. & formam pangendi fœderis, quæ ſanguinis aſperſione peragebatur, Exod. XXIV, 8. Hebr. IX. 19.

Contra *rigidam obſeruationem* vſitatæ baptizandi *formulæ* argumentantur:

I. Apoſtoli baptizarunt *in nomine Chriſti*, Act. II, 38. c. X. 48. c. XIX, 5. E. non neceſſario obligamur ad baptizandum in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Reſp. 1) Nonnulli Patres ſtatuunt, quod, qui baptizantur in nomine Chriſti, implicite baptizentur quoque in nomine Patris, Filii & Spiritus S., iuxta illud BASILII, *libro de Spiritu S. c. XII. Chriſti appellatio eſt totius SS. Trinitatis profeſſio; quia ſimul & declarat Patrem, qui vnxit, & Filium, qui vnctus eſt, & Spiritum S., qui eſt vnctio.* Et IRENÆVS *libr. IV. contra Valentin.* inquit: *In nomine Chriſti tres perſonæ intelliguntur, vnctus, vngens & vnctio.* Qua de cauſſa nonnulli ſtatuunt, non eſſe reprobandam formulam hanc: *in nomine Ieſu Chriſti*; modo *non excluſiue* intelligatur: Quem baptiſmum ritum agnoſcunt HVGO & LOMBARDVS apud D. CALOV. *tom. X. ſyſtem p.* 288. 2) Quando Apoſtoli dicuntur baptizaſſe *in nomine Chriſti*, *non* indigitatur baptiſmi *formula* ſed *cauſſa efficiens*, vel *auctor* baptiſmum *inſtituens*, vt ſenſus ſit: Apoſtoli baptizarunt auctoritate, voluntate, & iuſſu Chriſti. Nullo enim modo probabile eſt, Apoſtolos contra inſtitutionem Chriſti, quæ ſtrictæ obſeruationis eſt, quidquam feciſſe.

II. Baptizamur etiam *in mortem Chriſti*, Rom. VI, 5. At mors non eſt nomen Dei: E. non in ſolo nomine Dei baptizamur. Reſp. Baptizamur *in mortem Chriſti* non formaliter, ſed *finaliter*; quia per baptiſmum participes reddimur efficaciæ mortis Chriſti, qua libertatem a reatu & dominio peccati, quam Chriſtus morte ſua nobis peperit.

III. *Iſraëlitæ in Moſen baptizati ſunt*, 1 Cor. X, 2. E. non in ſolo nomine Dei homines baptizantur. Reſp. a) Loquitur Moſes *de baptiſmo typico*, *non proprio*. b) Iſraëlitæ baptizati ſunt *non in nomen*, ſiue perſonam *Moſis*, ſed *in Moſen*, hoc eſt, in profeſſionem & ratihabitionem doctrinæ, quam Moſes profeſſus erat: Quæ doctrina non tam Moſis, quam Dei erat. Si *in nomen Moſis* quis baptizari potuit, cur non etiam *in nomen Paulli?* Sed hoc reiicit Apoſtolus, 1 Cor. I, 13.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XI. *Quis baptizandus eſt?*

*Baptizandus* eſt verus homo a), carnaliter genitus b), & in lucem editus c), ſiue fuerit maſculus, ſiue fœmina d), ſiue adultior, non repugnans e), ſiue infans f). *Subiectum baptizandi.*

Prob. a. Ex Matth. XXVIII, 19. E. baptizandus eſt *verus homo*, non campana, non monſtrum, regenerationis incapax.

Prob. b. Ex Io. III, 5. 6. *Niſi quis generatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum cælorum. Quod natum eſt e carne, caro eſt.* Cauſſa, cur homines indigent baptiſmo, eſt, quia ſunt *caro de carne*, i. e. in peccato originali concepti.

Dicis: Chriſtus baptizatus eſt, qui tamen non fuit caro de carne peccaminoſa. Reſp. Chriſtus eadem œconomia, ſiue peculiari diſpenſatione baptizatus eſt, qua circumciſus eſt; nimirum vt contactu corporis ſui aquas baptiſmales ſanctificaret, & iuſtitiam, ſanguine ſuo partam, per baptiſmum aquæ nobis applicaret, Matth. III, 16.

Prob. c. Nemo poteſt *renaſci*, niſi ſit *natus*. Hinc embryo baptiſmi minime capax eſt,

Prob. d. Lydiam *fœminam* baptizatam eſſe, legimus Act. XVI, 15. *Non eſt hic mas, neque fœmina: Omnes enim vnus ſumus in Chriſto*, Gal. III, 17.

Prob. e. Sub exordium naſcentis eccleſiæ multos *adultos* ſacra vnda tinctos eſſe, docet hiſtoria. Id diſcriminis eſt inter *infantes*, & *adultos*, quod *infantes* quidem non poſſunt ante inſtitui, *adulti* autem prius docendi, & poſtea baptizandi ſint, vt ex auditu verbi tum odium peccati, tum fidem in Chriſtum concipiant, Matth. XXVIII, 19. Matth. III, 6. Act. VIII, 27 Quocirca per baptiſmum fides, & quæ hanc ſequitur, iuſtificatio & renovatio *non* primum *adultis confertur*, ſed *obſignatur & adaugetur.*

Prob. f. *Infantes* capaces eſſe baptiſmi, patet 1) ex vniuerſali neceſſitate. Quidquid de carne caro natum eſt, illud ſub periculo ſalutis ex aqua & Spiritu regenerandum eſt, Io. III, 5. 6. Atqui infantes caro de carne nati ſunt. E.

2) Ex vniuerſali mandato Chriſti, Matth. XXVIII, 19. Vbi Chriſtus *omnes gentes baptizare iubet*. Sub *omnibus gentibus* etiam *infantes* comprehenduntur.

3) Ex promiſſione vniuerſali, Act. II, 38. 39. coll. cum Gen. XVII, 7. ex qua colligimus: Quibus facta eſt promiſſio gratiæ & fœderis euangelici, illi ſunt baptizandi, vt per baptiſmum conſtituantur heredes ſalutis æternæ: Atqui *infantibus* etiam facta eſt promiſſio. E.

4) Ex circumciſionis paritate. Ad quos pertinuit circumciſio veteris teſtamenti, ad eos etiam ſpectat baptiſmus noui teſtamenti (quia hic in illius locum ſucceſſit, Col. II, 11. Neque enim amplior gratia vet. teſtam. quam noui teſtamenti): Atqui etiam ad infantes pertinuit circumciſio: E.

5) Ex aptitudine ad regnum cœlorum. Quorum eſt regnum cœlorum, ad illos pertinet baptiſmus tanquam medium perueniendi in illud regnum. *Infantum eſt regnum cælorum*, Marc. X, 14. E.

6) Ex praxi primitiuæ eccleſiæ; ſiquidem Apoſtoli *integras domos & familias* (ad quas etiam pertinent infantes) *baptizarunt*, Act. XVI, 15. c. XVIII, 8. 1 Cor. I, 16.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum & Socinianorum*, pædobaptiſmum impugnantium ſequentibus argumentis:

I. Non habemus mandatum explicitum diuinum, baptizandi infantes: E. non obligamur ad pædobaptiſmum. Reſp. Sufficit nobis mandatum *vniuerſale*, quod deſcenſum ad infantes admittit. Ceteroqui eadem ratione concludimus: Non datur explicitum mandatum

 diuinum

Digitized by Google

diuinum baptizandi Tranſyluanos: E. nullus Tranſyluanus eſt baptizandus. Non datur mandatum explicitum, fœminis porrigendam eſſe euchariſtiam. Ergone illis porrigenda non eſt? Sicut autem ex vocibus: *bibite omnes*, ad fœminas recte colligimus: Ita ad infantes propter voces: *baptizate omnes gentes*, inuicte argumentamur.

II. Chriſtus *trigeſimo ætatis anno* baptizatus eſt: E. vsque ad trigeſimum ætatis annum hodienum baptiſmus differendus eſt. Reſp. Chriſtus *circumciſus* eſt in ætate *infantili*; quo tempore baptiſmus nondum erat inſtitutus; ſiquidem Ioannes baptiſta anno Chriſti 29. primum baptiſmum adminiſtrauit. Adde, quod ſanctiſſimi Ieſu baptiſmus (quem ille ex libera œconomia ſuſcepit) ſine periculo potuit differri: noſtri autem infantes, in peccato concepti, variis periculis ſubiacent.

III. Si infantes apti ſunt ad recipiendum baptiſmum, apti etiam erunt ad recipiendam prædicationem verbi diuini (quia & baptiſmus & prædicatio verbi eſt medium regenerationis): Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Reſp. Neg. *conſequentiam maioris*; quia ad prædicationem verbi cum fructu recipiendam requiritur auſcultatio & meditatio, cuius infantes ob defectum pleni vſus rationis non ſunt capaces. Nihil autem impedit, quo minus baptizentur.

IV. Si infantes capaces ſunt baptiſmi, capaces etiam erunt cœnæ dominicæ (vtrumque enim eſt ſacramentum N. T.): Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. Reſp. Neg. *conſequentiam maioris*; quia aditurus cœnam dominicam, *δοκιμαζέτω ἑαυτὸν*, *probet ſeipſum*, 1 Cor. XI, 28. At in infantes eiusmodi *δοκιμασία* non cadit, neque a baptizandis exigitur.

V. Quicunque baptiſmus non eſt voluntarius, ille non eſt legitimus: Baptiſmus infantum non eſt voluntarius: E. *Maior* conſtat: quia tota religio chriſtiana eſt voluntaria. E. & baptiſmus, inſignis pars religionis chriſtianæ. *Minor* probatur: quia in infantes nondum cadit *προαίρεσις*, ſiue propoſitum voluntatis. Reſp. *Voluntarium* aliquid dicitur, vel quod *a voluntate* eſt *elicitum*, vel quod *a voluntate non repugnante admiſſum*. Licet infantes *non* actiue *eligant* baptiſmum, *non tamen repugnant*; ſed ipſum ſponte admittunt.

VI. Quicunque cum Deo non poſſunt fœdus inire, illi non ſunt admittendi ad baptiſmum: Nam in baptiſmo initur pactum, vel fœdus cum Deo: Infantes non poſſunt inire fœdus cum Deo: E. *Minor* claret: quia fœdus initur inter illos, qui vſu rationis pollent, quo infantes deſtituuntur. Reſp. Ex parte eius, qui cum altero fœdus pangit, non ſemper neceſſarius eſt plenus vſus rationis, quod liquet exemplo infantum circumciſorum. Haud raro inter homines fœdera ſanciuntur, in quibus infantum loco parentes ſpondent, adeoque fœdus complectitur etiam infantes, vſu rationis nondum pollentes. Idem contingit in baptiſmo, vbi cum in fœdus recipiuntur infantes, alii pro ipſis ſpondent, qui ſcilicet ipſos ad baptiſmum offerunt.

VII. Infantes non ſunt capaces fidei: E. nec apti ſunt ad recipiendum baptiſmum. Reſp. Quod infantes regenerationis, fideique ſint capaces, ſect. ſuperiori c. IV. *de regeneratione* probatum dedimus.

Quæſt. XII. *Num infantes Iudæorum & gentilium lauacro ſacro tingendi ſunt?*

Infantes *Iudæorum & gentilium reluctantium*, violento auſu ad baptiſmum rapiendi non ſunt a). Si tamen per *legitima* media *in noſtram* venerint *poteſtatem*, baptiſmus ipſis non eſt denegandus b).

Prob. a,

Digitized by Google

Prob. a. 1) Quia baptizare paruulum, contradicentibus parentibus, eſt iniuria in poteſtatem patriam. Eſt & manet penes parentes omnes, facultas diſponendi de religione liberorum, Eph. VI, 4.

2) Quia Apoſtolus inquit: *Quid ad me, iudicare de his, qui foris ſunt?* 1 Cor. V, 13. q. d. nullum mihi in hos ius competit.

3) Raptus liberorum violentus e manu parentum infidelium iuri diuino ac naturali, tanquam plagium, Exod. XXI, 16. Deut. XXIV, 7. ſeuere prohibitum, repugnat: Euangelium autem ius & æquitatem non tollit.

4) Eiusmodi baptiſmus cum manifeſto periculo apoſtaſiæ & profanationis baptiſmi coniunctus eſt.

Prob. b. Infantes Iudæorum & gentilium, *per legitima media* v. gr. per victoriam, per liberationem e naufragio &c. *in noſtram poteſtatem peruenientes*, e cenſu bonorum noſtrorum ſunt, adeoque noſtro imperio & diſpoſitioni ſubiecti. Quam ob rem, ſi illis immineat vitæ periculum, ſtatim baptizandi ſunt. A ſit Deus ipſis proroget vitam, differendus eſt baptiſmus, vsque dum catechumeni fiant, ita vt ipſi fidei ſuæ antequam baptizentur, rationem reddant.

Quæſt. XIII. *An baptizandi ſunt liberi meretricum, & aliorum hominum ab eccleſia excommunicatorum?*

*Meretricum*, & aliorum hominum, ab eccleſia *excommunicatorum*, infantes, *conſentientibus parentibus*, recte baptizantur.

Prob. 1) Quia filius non portabit delictum patris, Ezech. XVIII, 20.

2) Quia ſeria Dei voluntas eſt, *ne vnus ex infantibus pereat*, Math. XVIII, 14. Hinc Chriſtus *omnes infantes* ad ſe inuitat, Marc. X, 14.

3) Spurii ſunt capaces ſalutis: Ergo & mediorem ſalutis. Iephta ſpurius fuit, non tamen incircumciſus, Iudic. XI, 1. quem inſerere catalogo ſanctorum dignatur Apoſtolus, Hebr. XI, 32.

Dicis: Auctor libri Sapientiæ damnat ſpurios, c. III, 16. 17. Reſp. a) Liber ille apocryphus eſt. b) Intelliguntur illi ſpurii, qui impiorum parentum premunt veſtigia, Exod. XX, 5.

Inſtantia: Sed prohibetur ſpurius ingredi eccleſiam Domini, etiam decima generatione, Deut. XXII, 2. Reſp. *Ingredi eccleſiam Domini* l. c. ſignificat *officio eccleſiaſtico* fungi, a quo arcentur ſpurii, ne auctoritas officii eccleſiaſtici euileſcat.

Quæſt. XIV. *An etiam infantes* χαμεύρετοι, *ſiue expoſititii, baptizandi ſunt?*

Infantibus *expoſitiis non* eſt *denegandus* baptiſmus.

Prob. 1) A voluntate Dei vniuerſali; quia *non vult, vt vllus ex paruulis pereat*, Matth. XVIII, 14.

2) Ex ſumma neceſſitate; quia niſi renaſcantur ex aqua & Spiritu, non poſſunt ingredi regnum cœlorum, Io. III, 6. Salutem autem aliorum procurandam eſſe, docet Paullus Col. III, 16.

Dicis: Si ille infans expoſititius antea fuiſſet baptizatus, fieret ἀναβαπτισμός. Reſp. Non poteſt dici *iteratum*, quod *neſcitur factum*.

Inſtantia I. Sed ſi ſchedula infanti expoſito affixa ſit, teſtificans, ipſum baptizatum eſſe, num tunc iterandus eſt? Reſp. Schedula illa non meretur fidem, vtpote quæ oritur a fœmina, peiore beſtiis, ſuos fœtus fouentibus.



Digitized by Google

Inſtantia II. Sed poſſet conditionate baptizari, hoc modo: Si baptizatus es, ego te non baptizo; ſed ſi non baptizatus, ego te baptizo in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus S. Reſp. *Hypotheticus* ille *Pontificiorum baptiſmus* parit perpetuam dubitationem tum in eo, qui baptiſmum adminiſtrat, tum in eo, qui percipit conditionaliter hoc ſacramentum; ſemel, an bis, recte, an male, collatus ſit baptiſmus. Quam ob rem *conditionalis* ille *baptiſmus* non eſt tolerandus in eccleſia.

Quæſt. XV. *Suntne infantes chriſtianorum ante perceptum baptiſmum ſancti, & in fœdere diuino?*

Infantes *chriſtianorum*, ante perceptum baptiſmum, ſunt *ſancti* ſanctitate *externa*, ſiue *eccleſiæ* a), ſed *non* ſunt ſancti ſanctitate *interna*, ſiue *fidei* b). *Competit* illis *promiſſio fœderis*, ſed *nondum* ſunt *in fœdere exhibito* c).

Prob. a. Ex 1 Cor. VII, 14. *Nunc autem liberi veſtri ſancti ſunt.* Intelligitur *ſanctitas externa*, ſeu *eccleſiaſtica*, quæ conſiſtit in hoc, quod infantes fidelium proximum aditum habent ad gratiam diuinam. atque adeo ad participationem mediorum, per quæ ex ordinatione diuina confertur ſalus æterna. Sunt enim intra caſtra eccleſiæ nati, & habent *ius ad rem*, licet nondum habeant *ius in re*, i. e. habent *immediatum aditum* ad gratiam diuinam fœderalem; ſed actu nondum ſunt participes gratiæ diuinæ fœderalis. Dicitur *ſanctitas eccleſiaſtica*, non quaſi infantes Chriſtianorum ἀβάπτιστοι ſint ciues, aut membra eccleſiæ, ſed quia habent ius & poteſtatem conſequendi priuilegia ciuium eccleſiæ, quæ aliis, qui foris ſunt, non tam facile conceduntur. Dicitur hæc *ſanctitas externa* a D. CALOV. in *bibl. illuſtr. in* 1 *Cor. VII. f.* 317. *ſanctitas mere relatiua, & ſecundum extrinſecam denominationem talis.* A D. BALDVINO appellatur *leuitica & legalis*, a D. DANNHAV. *leuiticæ puritati reſpondens*, in *hodoſ. p.* 1093.

Prob. b. 1) Quia infantes ante ſuſceptum baptiſmum ſunt *caro de carne*, Io. III, 6. *filii iræ*, Eph. II, 3. *immundi, de immundo ſemine concepti*, Iobi XIV, 4. Pſ. LI, 7.

2) Quia *per baptiſmum emundamur a peccatis*, Eph. V, 26. E. ante baptiſmum fuimus immundi & non ſancti.

3) Quia per baptiſmum nobis patet primus additus in regnum cœlorum, Io. III, 5. vnde omnium confeſſione baptiſmus eſt ſacramentum initiationis. Hinc TERTVLLIANVS inquit: *Non naſcuntur, ſed fiunt Chriſtiani.*

Prob. c. *Infantibus fidelium fœdus diuinum quidem eſt promiſſum, ſed nondum exhibitum ſiue applicatum*, Gen. XVII, 10. Act. II, 39. 41. Cum enim promiſſio fœderis ſit conditionata, ſiue determinata conditione ſuſcipiendæ circumciſionis, aut baptiſmi: Infantes ante acceptum initiationis ſacramentum fœderi diuino actu non ſunt inſiti.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum*, aſſerentium, infantes fidelium ante ſuſceptum baptiſmum eſſe ſanctos, & in fœdus diuinum cooptatos. Quorum argumenta ſunt:

I. *Infantes fidelium* diſerte dicuntur *ſancti*, Rom. II, 16. 1 Cor. VII, 14. Reſp. Infantes fidelium ante ſuſceptum baptiſmum ſunt *ſancti, ſanctitate externa, ſiue eccleſiæ, ſed nondum ſunt ſancti ſanctitate interna, ſiue fidei.*

II. Ad quos pertinet fœdus diuinum, illi ſunt ſancti: Sed ad infantes fidelium &c. E. *Minor* patet ex Gen. XVII, 19. Act. II, 38. Reſp. Ad quos pertinet fœdus divinum *per media gratiæ* (circumciſionem & baptiſmum) *exhibitum & applicatum*, illi ſunt ſancti ſanctitate *interna & ſpirituali*; at vero ad infantes fidelium *nondum circumciſos*, aut *baptiza-*

Digitized by Google

*baptizatos*, pertinet tantum *promiſſio fœderis*, determinata conditione ſuſcipiendæ circumciſionis, aut baptiſmi.

III. Multi non baptizati crediderunt, v. gr. Cornelius, Act. X, 47. Eunuchus, Act. VIII, 37. E. ante ſuſceptum baptiſmum fuerunt ſancti ſanctitate fidei. Reſp. Diſt. *inter infantes*, & *adultos catechumenos*. In infantibus, interueniente baptiſmo, fides accenditur, in adultis catechumenis, mediante baptiſmo, fides augetur & confirmatur.

IV. Si nati ex Iudæis dicuntur *natura Iudæi*, etiam nati ex Chriſtianis, *natura* erunt *Chriſtiani*. Antecedens eſt verum, teſte Paullo, Gal. II, 5. E. & conſequens. Reſp. Diſt. *inter Iudæos ſecundum carnem*, & *ſecundum ſpiritum*. Iudæi ſecundum carnem ſunt, qui ex Iſraëlitis nati ſunt, & opponuntur ethnicis, ſicut Germani Gallis, Hiſpanis &c. contradiſtinguuntur. Eiusmodi nomen gentilitium non eſt Chriſtianus, ſed qui oleo Spiritus S. vnctus eſt, ille dicitur vere Chriſtianus, qui non naſcitur talis, ſed fit per baptismnm; ſicut Iudæus ſecundum ſpiritum eſt, qui per circumciſionem fœdere diuino eſt inſitus, & in eodem fœdere per veram fidem manet.

Inſtantia: Si infantes Chriſtianorum non ſunt natura Chriſtiani, inter infantes gentilium & Chriſtianorum nullum erit diſcrimen; quoniam tam illi, quam hi, ſunt ſanctitatis expertes. Reſp. Vtique datur diſcrimen. Nam infantes Chriſtianorum gaudent *ſanctitate externa & eccleſiaſtica;* quoniam in eccleſia ex fidelibus parentibus ſunt prognati & habent *ius immediatum*, ſiue *proximum* ad media gratiæ, vt ipſis competat prærogatiua quædam præ his, qui foris ſunt, 1 Cor. V, 12. Itaque male dicuntur a vulgo, junge Heyden.

## Quæſt. XVI. *Quis eſt finis baptiſmi?*

*Finis* baptiſmi *primarius* eſt gratiæ euangelicæ oblatio, applicatio, collatio & obſignatio a). Fines *ſecundarii* ſunt: diſcretio Chriſtianorum a gentilibus, & adunitio ad corpus eccleſiæ b), obligatio ad veram fidem & pietatem vitæ c). *Finis Baptiſmi.*

Prob. a. *Gratia euangelica* hoc loco eſt gratia Spiritus S. *applicatrix*. Applicat nobis hanc gratiam Spiritus S. tanquam cauſſa principalis per baptiſmum, velut organon, aut medium diuinitus ordinatum. Etenim per baptiſmum nobis applicatur 1) *gratia vocans*, ideo per baptiſmum velut ianuam in regnum gratiæ, ſiue eccleſiam ingredimur, Io. III, 5. 2) *Gratia illuminans;* quia per baptiſmum ea cognitionis luce imbuimur, vt Chriſtum induamus, Gal. III, 27. Ex quo Patres græci baptiſmum vocarunt φωτισμὸν, *illuminationem*, ex Hebr. VI, 4. Vid. GREGOR. NAZIANZ *orat. 40. in baptiſm.* 3) *Gratia regenerans*, qua fide donamur; eſt enim baptiſmus *lauacrum regenerationis*, Tit. III, 5. Infantes gratiam regenerantem per baptiſmum accipiunt ſine præcedente fide, quippe quæ per efficaciam baptiſmo diuinitus inditam excitatur & accenditur. 4) *Gratia iuſtificans*: propterea, quod baptizamur *in remiſſionem peccatorum*, Act. II, 38. 5) *Gratia inhabitans;* quoniam per baptiſmum *Chriſtum induimus*, Gal. III, 27. & *corpori ipſius myſtico inſerimur*, 1 Cor. XII, 13. 6) *Gratia renouans;* eſt quippe baptiſmus lauacrum renouationis, Tit. III, 5. 7) *Gratia conſeruans & obſignans*. Sicut Abrahamo circumciſio erat *ſigillum iuſtitiæ fidei*, Rom. IV, 11.: ita baptiſmus, qui in locum circumciſionis ſucceſſit, hodie adultis, qui per prædicationem euangelii renati ſunt, eſt ſigillum, quo tum fides, tum iuſtitia fidei confirmatur & obſignatur. 8) *Gratia glorificans*. Deus enim nos ſaluat per lauacrum regenerationis, teſte Paullo, Tit. III, 5. cui ſuffragatur Petrus, 1 ep. III, 22. Baptismi aqua ſaluos nos reddit, ſicut aqua diluuii ſeruauit Noachum.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. *Per vnum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus*, 1 Cor. XII, 13. Per Spiritum S. tanquam cauſſam principalem, & per baptiſmum, tanquam medium diuinitus ordinatum, vnimur & coaleſcimus in vnum corpus myſticum, quod eſt eccleſia. Huius membra ſunt homines, per baptiſmum renati, Chriſtus autem ipſius caput eſt, Eph. I, 22. Sicut igitur eo fine baptizamur, vt vni corpori inſeramur: ita per baptiſmum, velut notam ac teſſeram, ab hominibus non baptizatis diſcernimur.

Prob. c. Ex 1 Petr. III, 21. Baptiſmus eſt συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν, *bonæ conſcientiæ interrogatio erga Deum.* Quod oraculum apoſtolicum ſcite enucleat D. DANNHAV. in *hodoſ. p.* 1107. Vox, ἐπερώτημα 1) immediate ac formaliter notat interrogationem, in baptiſmo olim vſitatam: Credis? Credo: Renuntias? Renuntio. Conf. Act. VIII, 37. ac ideo baptiſmus *ſtipulatio* vocatur. Eſt autem *ſtipulatio*, auctore POMPONIO, verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumque ſe, quod interrogatus eſt, reſpondet. Quam ſequitur alia baptizati interrogatio παῤῥησιαστική, reſpondens certæ aſſeuerationi: Abba pater! num ego ſum filius tuus? 2) Notat μεταληπτικῶς certam ἀπόδειξιν ac demonſtrationem. Quo ſenſu verbum Dei ἐρώτημα δῆλον, eine klare Rede, appellatur, Sir. XXXIII, 4. 3) Deſignat complexe actum ſtipulatorum fœderalem, ex mutuis interrogationibus & reſponſionibus natum. Paciſcitur itaque Deus in baptiſmo cum baptizato, eique ex pacto dat bonam conſcientiam, puta, remiſſionem peccatorum, iuſtitiam & vitam æternam; inſuper promittit, ſe ei fore Deum, patrem, prouiſorem & protectorem. Vice verſa promittit baptizatus, ſe Deo fore fidelem famulum & filium, & nouam vitam initurum, bonam conſcientiam ab eo acceptam conſeruaturum, vsque ad extremum vitæ ſpiritum, eiusque legi & mandatis in omnibus obediturum. Hac de cauſſa olim in baptiſmo fidem chriſtianam publice profeſſuri in cœlum ſuſpiciebant, ac manus dextras in altum erigebant, adhibito iureiurando coram teſtibus; ac iusiurandum manu baptizati ſubſcriptum, eiusque annulo obſignatum, in tabulas referebatur. Vid. D. CALOV. in *bibl. illuſtratis in* 1 *Petr. III. fol.* 1508.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum, Arminianorum, Anabaptiſtarum & Weigelianorum;* negantium, baptiſmum eſſe efficax gratiæ conferendæ & obſignandæ medium, quorum argumenta confutata vide ſectione ſuperiori cap. IV. de *regeneratione.*

### Quæſt. XVII. *An radix peccati per baptiſmum deletur?*

Tollitur per baptiſmum *reatus* & *dominium* peccati, *non radix*, aut fomes peccati.

Prob. 1) Ex prauæ concupiſcentiæ præſentia in renatis. Paullus baptizatus & renatus conqueritur, Rom. VII, 14. *Ego carnalis ſum, venundatus ſub peccatum. Perpetro malum propter inhabitans peccatum.* Similes querelas S. Ioannes effundit, 1 ep. I, 8. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis.*

2) Ex peccati originalis propagatione. Sancti enim peccatum in liberos propagant, Pſ. LI, 7. E. peccatum ipſis adhuc ineſt.

3) Ex peccatis actualibus, quæ renati poſt baptiſmum patrant. Neque enim eſt homo, qui non peccet. 1 Reg. VIII, 46.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, peccatum per baptiſmum deleri, vt non amplius adſit. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Quidquid abluitur, non amplius adeſt. In baptiſmo *peccatum abluitur*, Act. XX, 11. E. Reſp. Neg. *maiorem.* Abluitur peccatum in baptiſmo, *non vt non ſit*, ſed vt *non imputetur*, neque *dominetur.*

II. Qui-

II. Quicunque per lauacrum aquæ in verbo mundat eccleſiam, ille omne peccatum tollit. Atqui Chriſtus &c. Eph. V, 26. E. Reſp. Mundat Chriſtus eccleſiam peccata remittendo & maculas abſtergendo, quæ tamen abſterſio, ob incapacitatem ſubiecti, imperfecta eſt.

Inſtantia: Sed Chriſtus ita ſanctificat eccleſiam, *vt non habeat maculam*, *aut rugam.* Reſp. Non dicit Apoſtolus, quod eccleſia *iam ſit* ſine macula aut ruga, ſed quod *ſit ſiſtenda* ſine macula, aut ruga, glorioſa. Id quod fiet in futura vita, vbi eccleſia triumphans ab omni inquinamento libera erit.

III. Per baptiſmum *morimur peccato*, Rom. VI, 4. E. in nobis baptizatis nihil peccati reliquum eſt. Reſp. Morimur peccato, *non vt* illud per baptiſmum *exſtirpetur*, ſed ne *dominetur*.

Quæſt. XVIII. *Num efficacia baptiſmi ſe etiam ad peccata futura extendit?*

Tam inſigni efficacia pollet baptiſmus ex ordinatione diuina, vt tum Deus *intuitu fœderis baptiſmalis* peccatorem ad ſe reuocet, & ipſi reſipiſcenti peccatum remittat a), tum peccator contritus & gratiam Dei anhelans *recordatione baptiſmi ſe erigere* poſſit b).

Prob. a. Baptiſmus eſt *peccatum ac fœdus diuinum*, 1 Petr. III, 21. At fœdus diuinum, ex parte *Dei*, eſt *æternum*, Eſ. LIV, 10. eſt ἀμεταμέλητον, Rom. XI, 29. ſiquidem *infidelitas hominum non irritam facit fidem Dei*, Rom. III, 3. Inde fit, vt Deus peccatorem ad ſe, & *ad fœdus cum ipſo initum* reuocet, Ier. III, 22.

Prob. b. Quemadmodum in veteri teſtamento Ionathan, 1 Sam. XIV, 6. Dauid, 1 Sam. XVII, 26. ex circumciſione efficaciſſimas hauſerunt conſolationes: ita triſtiſſimi peccatores e baptiſmo, in memoriam reuocato, ſolida capiunt ſolatia. Petrus certe, poſt grauiſſimum lapſum, ſe recordatione baptiſmi ſuſtentat, inquiens: *Baptiſmus nos ſaluat*, 1 ep. III, 21. Corinthii haud leuiter peccauerant, quorum animis Apoſtolus baptiſmum ſubiicit, 1 Cor. VI, 11.: *Abluti eſtis*, nimirum in baptiſmo, & 1 Cor. XII, 13. *In vno ſpiritu in vnum corpus baptizati ſumus.* Lapſos Galatas S. Paullus erigit, Gal. III, 27. *Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, efficaciam baptiſmi ad futura peccata ſe extendere. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Quicunque baptizantur in remiſſionem peccatorum futurorum, illorum peccata ſunt remiſſa prius, quam commiſſa: Sed nulla peccata ſunt remiſſa prius, quam commiſſa. Ergo. Reſp. Diſt. inter *peccatum remiſſum*, *& remiſſibile.* Vi fœderis baptiſmalis peccatum futurum eſt *remiſſibile*, *non* actu *remiſſum.* Neque enim baptiſmus delet peccata futura *actu* completo, ſed *virtute*, cum peccator per pœnitentiam ad fœdus baptiſmale, velut ad nauem, renatat.

Inſtantia: Sed nauis fœderis baptiſmalis per peccatum proæreticum frangitur: ideo *pœnitentia* vocatur *ſecunda poſt naufragium tabula*, a TERTVLLIANO, *lib. de pœnitentia fol.* 553. & HIERONYMO, *ep.* VIII. Reſp. 1) *Pœnitentia* appellatur *ſecunda poſt naufragium tabula*, non quaſi per peccatum nauis baptiſmi plane diſſiliat, ſeu *fœdus*, quod Deus nobiſcum in baptiſmo iniuit, fragile atque temporarium ſit (quod eſt contra Hoſ. II, 13. Rom. XI, 29.); ſed quod ſit ſecunda tabula poſt *naufragium fidei & bonæ conſcientiæ*, 1 Tim. I, 19. 2) A *naufragio*

*fragio fidei*, ex parte *hominis*, ad naufragium *fœderis* baptiſmalis ex parte *Dei*, N. V. C. quia infidelitas hominum non irritam facit fidem Dei, Rom. III, 3.

II. Circumciſio non valuit in futurum: E. nec baptiſmus. *Antecedens* conſtat: quia Iſraëlitæ, poſt circumciſionem in peccatum prolapſi, non per circumciſionem, ſed per pœnitentiam remiſſionem peccatorum conſecuti ſunt. Reſp. 1) Iſraëlitas ex circumciſione perquam dulcia petiiſſe ſolatia, ex ſupra adductis exemplis Ionathanis & Dauidis liquet. 2) Pœnitentiam a circumciſione & baptiſmo non ſeiungimus, ſed cum hoc ſacramento coniungimus. 3) Promittit Deus, ſe circumciſurum eſſe cor Iſraëlitarum, cum reſipuerint de peccatis poſt circumciſionem commiſſis, Deut. XXX, 6. Quæ promiſſio fœdere circumciſionis in futurum valente nititur.

III. Relapſi poſt baptiſmum non poſſunt reuocari per baptiſmum, Hebr. VI, 6. 1) Non aſſerimus, peccatorem relapſum poſt baptiſmum per *repetitum baptiſmum* reuocari, ſed Deum *intuitu fœderis baptiſmalis* peccatorem ad ſe reuocare, & ipſi peccatum remittere. 2) L. c. loquitur Apoſtolus de peccato in Spiritum S.; quod eſt irremiſſibile, non ex parte *Dei* abſolute reprobantis, aut media gratiæ ſimpliciter denegantis; ſed ex parte *hominis*, oblata ſalutis media præfracte & perſeueranter repudiantis.

Quæſt. XIX. *Eſtne baptiſmus neceſſarius?*

*De neceſſitate baptiſmi.*

Baptiſmus *neceſſarius* eſt neceſſitate *præcepti* a), & *medii* b), & quidem neceſſitate *ordinata*, *non abſoluta*; ſiquidem infantes Chriſtianorum ſine baptiſmo decedentes ſaluari credimus c).

Prob. a. Præceptum Chriſti exſtat, Matth. XXVIII, 19. *Docete omnes gentes, & baptizate eas.* Conf. Act. II, 38.

Prob. b. 1) Ex Io. III, 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi regnum cœlorum.* Quæ exceptiua in hanc exponentem reſoluitur: Nullus ἀβάπτιςος introibit in regnum cœlorum; ſed baptiſmus eſt ordinarium medium, & quaſi via, qua regnum Dei intramus.

2) Ex Marc. XVI, 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluabitur: Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Vt fides eſt neceſſarium medium, ſalutem oblatam recipiens: ita baptiſmus eſt organon ſalutem offerens, & credentibus conferens, vi ordinationis diuinæ.

Prob. c. 1) Quia ad infantes Chriſtianorum pertinet promiſſio fœderis diuini, licet nondum ſint in fœdere exhibito, aut applicato, Gen. XVII, 7. Act. II, 39. Quare dubio procul Deus, recordatus ſuæ promiſſionis, propitius eſt infantibus Chriſtianorum, ſine baptiſmo ex hac vita egreſſis.

2) Quia *Deus non vult, vt vnus e paruulis pereat*, Matth. XVIII, 14.

3) Quia ſicut durum & crudele eſt damnare infantes, qui aut in deſerto intra quadraginta peregrinationis annos nati & denati prius, quam circumciſi ſunt, Ioſ. V, 4. aut in perſecutione Pharaonis exſtincti, præputio nondum reſecto, Exod. I, 22. aut a ſatellitibus Herodis ſunt occiſi ante ſuſceptum circumciſionis ſacramentum, Matth. II. 16.: ita iuſto durior eſt ſententia, qua infantes fidelium ἀβάπτιςοι æternæ damnationi adiudicantur.

4) Deus non alligauit gratiam ſuam ſacramentis, cenſente THOMA, P. III. *qu.* 64. Nos quidem ad mediorum vſum adſtricti ſumus, ſed Deus extraordinarie agere poteſt, ſicut ordinarie vtimur cibo in fame, & medicamentis in morbis: at Deus ſine cibo alere, ſine medicamine ſanitatem reſtituere poteſt modo extraordinario.

5) *Non priuatio, ſed contemtus baptiſmi damnat*, dicente AVGVSTINO L. IV. *contra Donatiſt.* c. 32.

*Antitheſis*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt 1) *Socinianorum*, ſtatuentium, baptiſmum eſſe ritum mere arbitrarium, vſurpatum ab Apoſtolis circa primordia eccleſiæ, hodie non amplius neceſſarium. 2) *Pontificiorum* plerorumque, ſtatuentium, infantes non baptizatos excluſos eſſe regno cœlorum, & pati pœnam damni, non ſenſus.

*Sociniani* argumentantur: I. Quidquid non annumeratur rudimentis doctrinæ cœleſtis, illud Chriſtianis non eſt neceſſarium: Baptiſmus aquæ non annumeratur &c. E. *Minor* prob. ex Hebr. VI, 2. vbi mentio fit βαπτισμῶν διδαχῆς, non τοῦ ὕδατος. Reſp. Apoſtolus intelligit baptiſmum proprie dictum, de quo catechumeni erant informandi *). Loquitur autem in plurali, vt indicet, doctrinam de baptiſmis ita poſſe inſtitui, vt inculcetur catechumenis, magnam eſſe differentiam inter baptiſmos cærimoniales veteris teſtamenti, & inter baptiſmum ſacramentalem noui teſtamenti. Iudæos namque varia habuiſſe baptiſmata ſacramentalia, diſcimus ex Hebr. IX, 10.

II. Si Ioannes baptizauit aqua, Chriſtus autem Spiritu & igne, ſequitur, quod in hodierna eccleſia Chriſti nemo neceſſario baptizandus ſit aqua. Antecedens eſt verum, teſte Ioanne, Luc. III, 17. E. & conſequens. Reſp. L. c. intelligitur baptiſmus flaminis, qui non tollit baptiſmum fluminis.

III. Apoſtoli non leguntur baptizati: E. Baptiſmus non eſt neceſſarius. Reſp. In hiſtoricis ab argumento negatiuo, ſiue potius a ſilentio, non firma ducitur conſequentia. Neque enim ſequitur: Non legimus, Apoſtolos eſſe baptizatos: E. non fuerunt baptizati. Si omnia ſcripta fuiſſent, mundus molem librorum capere non potuiſſet, Io. XXI, 25.

IV. Quæcunque doctrina tota ſpiritualis eſt, & interiorem reſpicit hominem, illa non præſcribit ritum externum baptiſmi neceſſario obſeruandum: Atqui doctrina euangelica noui teſtamenti &c. Ergo. *Minor* probatur ex 2 Cor. III, 6. Deus *nos idoneos fecit miniſtros noui teſtamenti*, *non litteræ*, *ſed ſpiritus*, vbi doctrina *noui teſt.* vocatur *ſpiritus*, i. e. *ſpiritualis*. Reſp. 1) Neg. *mai.* Nam doctrina ſpiritualis non ſimpliciter excludit *externos ritus*, ceteroqui excluderet etiam ritum externum cœnæ domini, quod eſt abſurdum. 2) Baptiſmus *non* eſt ritus *mere externus*, ſed eſt *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. qui in nos opulenter effunditur*, Tit. III, 5.

*Pontificii* argumentantur: I. *Quicunque non eſt renatus ex aqua & Spiritu, is non introibit in regnum cœlorum*, Io. III, 5. Infantes ἀβάπτιστοι &c. Ergo. Reſp. Lim. *maiorem*, Quicunque *contemtor* baptiſmi non eſt renatus ex aqua & Spiritu, ille non introibit in regnum cœlorum; concedo: At infantes fidelium, vel exſtincti in vtero materno, vel ſubita morte rapti ante baptiſmum, *non* ſunt *contemtores* baptiſmi. Sunt quidem ἀβάπτιστοι *negatiue*, ſed *non priuatiue* tales. Mortui in vtero matris non debuerunt baptizari: ſubito autem fato ante ſuſceptum baptiſmum defuncti non potuerunt ſacro lauacro tingi. E. non ſunt ἀβάπτιστοι priuatiue tales, adeoque ab ingreſſu in cœlum non excluſi.

II. Qui non credunt, damnantur: Infantes ἀβάπτιστοι non credunt: Ergo. *Minor* probatur: quia in infantibus non-baptizatis neque per ſacramentum baptiſmi, neque per

 prædica-

*) Hoc in loco Legatus Chriſti loquitur de variis typis V. T., vtpote qui erant λόγος τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ, quos Chriſtiani homines nunc mittere debeant (ἀφέντες), ac totos ſe ad perfectionem N. T. in antitypo conſummato conferre. Id quod luculenter adparet ex ſcopo vniuerſæ huius epiſtolæ. Significat igitur nomine βαπτισμῶν crebras ac varias lauationes, lege Leuitici cultus imperatas, add. c. IX, 10. eaſdemque adpellat βαπτισμοὺς διδαχῆς propterea, quod doctrina ac interpretatione opus eſſet, quorſum ſpectarent illi ritus, & quid arcani in eorum inuolucris lateret. Vid. Leuit. X, 10. 11. In N. T. non eſt, niſi ἓν βάπτισμα, Eph. IV, 5. idque nunquam βαπτισμὸς dicitur, ſemper βάπτισμα. Vid. notata ad pag. 1080.

Digitized by Google

prædicationem euangelii fides eſt accenſa. Reſp. Deus in infantibus fidelium modo extraordinario fidem accendit.

III. Infantes fidelium ἀβάπτιστοι ſunt in peccato originali concepti, cuius remiſſionem non ſunt conſecuti: E. non ſunt conſortes æternæ ſalutis. Reſp. Remiſſionem peccatorum infantibus non baptizatis Chriſtus merito ſuo acquiſiuit, quam fide extraordinarie accenſa ſibi applicant.

Quæſt. XX. *Eſtne baptiſmus iterandus?*

Baptiſmus *rite* peractus *non debet repeti.*

Prob. 1) Quia in baptiſmo Deus nobiſcum ſancit *fœdus*, 1 Petr. III, 21. quod non eſt momentaneum aut temporarium, ſed *æternum* Eſ. LIV, 10. & ἀμεταμέλητον, Rom. XI, 29.

2) Sicut circumciſio non potuit repeti: ita nec baptiſmus.

3) Vt generatio naturalis, ita ſpiritualis regeneratio vna eſt, Eph. IV, 4. 5.

4) Baptiſmus eſt ſacramentum *initiationis* & ſpiritualis inueſtitura. Iam vero ſemel tantum opus eſt initiatione, & ingreſſu in eccleſiam.

Quæſt. XXI. *Eſtne baptiſmus duplex, internus & externus?*

*Quotuplex baptiſmus.*

*Non* datur *actu* ipſo & *tempore* baptiſmus *duplex*, baptiſmus, *internus* & *externus*, ſed baptiſmus eſt *vnus*, vnaque ac indiuiſa actione diſpenſat in baptiſmo & SS. Trinitas, ceu cauſſa principalis, & miniſter eccleſiæ, ceu miniſterialis cauſſa, mediante exteriori lauacro aquæ, illis, qui diuinæ non reſiſtunt operationi, remiſſionem peccatorum, & renouationem vi inſtitutionis diuinæ.

Prob. 1) Ex Eph. IV, 5. *Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Quam vere vnus tantum eſt Dominus & vna fides, tam vere vnus tantum eſt baptiſmus: Sed illa ſunt monadica, vt non poſſint geminari: Ergo nec baptiſmus geminari poteſt.

2) Ex natura baptiſmi, quippe qui conſtat *ex aqua & Spiritu* Io. III, 3. Quicunque baptiſmus eſt verus & integer, ille conſtat ex aqua & Spiritu: Sed baptiſmus *externus ſeparatus ab interno*, non conſtat ex aqua & Spiritu: E. baptiſmus externus, ſeparatus ab interno, non eſt verus & integer baptiſmus.

3) A ſubordinatione miniſtri. Baptiſmus diſpenſatur a Deo ceu cauſſa principali, cui ſubordinatur miniſter baptizans: Proinde vnus & indiuiduus actus eſt, quem diſpenſat Deus per miniſtrum.

Dicis I. Quicunque baptiſmum, abluentem ſordes corporis, a baptiſmo conſcientiæ diſtinguit, ille ſtatuit duplicem baptiſmum, alium *externum*, alium *internum.* Atqui S. Petrus &c. 1 ep. c. III, 21. Ergo. Reſp. S. Petrus negat, depoſitionem ſordium carnis eſſe baptiſmum; contra affirmat, baptiſmum eſſe interrogationem bonæ conſcientiæ, eo, quod abluit ſordes animæ, ſiue confert remiſſionem peccatorum, ex qua oritur bona & tranquilla conſcientia.

Dicis II. Si baptiſmus externus & internus non poſſent ſeparari, omnes baptizati regenerarentur: Sed non omnes baptizati regenerantur, quod conſtat exemplo Simonis Magi, Act. IX, 10. Ergo. Reſp. Diſt. *inter gratiæ regenerantis oblationem, & collationem.* Deus gratiam regenerantem, qua fides accenditur, *omnibus offert*, Act. XVII, 3. ſolis autem *non reſiſtentibus confert:* ratio eſt, quia regeneratio non eſt actio irreſiſtibilis, ſed reſiſtibilis. Quamuis itaque Deus intendat, omnes baptizatos regenerare, ob malitioſam tamen repugnantiam

gnantiam hominum adultorum euenit, vt non omnes actu regenerentur; infantes autem, cum non ponant Spiritui S. malitioſum obicem, omnes per baptiſmum vere regenerantur.

Quæſt. XXII. *Poteſtne exorciſmus, qui baptiſmo præmitti ſolet, in eccleſia tolerari?*

*Exorciſmus*, qui in eccleſiis noſtris baptiſmo præmitti ſolet, eſt chriſtianus & *indifferens*, atque adeo *ad adumbrandum ſpirituale diaboli in non-renatos dominium*, & *ſalutarem* baptiſmi, quo ab eodem liberantur, *effectum*, haud ex vano retinetur. *Exorciſmus.*

Obſ. I. Non eſt nobis in præſenti ſermo de *exorciſmo miraculoſo*, quo circa primordia eccleſiæ apoſtolicæ nonnulli ex obſeſſis diabolos eiiciebant, ſed de *exorciſmo adumbratiuo* efficaciæ baptiſmi.

Obſ. II. Diſtinguendum eſt inter exorciſmum σημαντικὸν, *ſiue ſignificatiuum*, & ἐνεϱγητικὸν, *ſiue effectiuum*. *Pontificii* adſcribunt exorciſmo *vim expellendi* diabolum a *corporaliter* obſeſſis: Nos autem aſſerimus, exorciſmo *tantum ſignificari*, vel *adumbrari* tyrannidem & dominium diaboli, quod ille exercet in non-renatos: quod dominium diaboli in non-renatos a nonnullis auctoribus *ſenſu latiori dicitur obſeſſio ſpiritualis*, qui tamen fatentur, *ſpiritualis obſeſſionis*, *ſtricte & proprie* dictæ, ſubiectum eſſe hominem præfracte & *contumaciter impium*. Ex quo conſequitur, *infantes* fidelium, *ſtricte & proprie* loquendo, *non* eſſe *ſpiritualiter obſeſſos*. Vid. KOENIGIVS in *theol. poſitiu. pag.* 52.

Obſ. III. Retinetur a nobis exorciſmus *non* ex *neceſſitate præcepti*, aut *medii*; ſiquidem exorciſmus neque diuinitus mandatus eſt, neque medium ſalutis, neque pars cultus religioſi; ſed ex *libertate chriſtiana:* quia eſt quoddam *adiaphoron*, & libera cærimonia, neque præcepta, neque prohibita.

Obſ. IV. Ἐξοϱκίζειν, & ὁϱκίζειν ſignificat a) iuramentum ab aliquo exigere; vid. LXX viral. verſ. Gen. XXIV, 3. c. L. 5. Exod. XIII, 19.: b) præcipere, imperare, vel imponere alicui aliquid, auctoritate Dei ſummi iudicis, vel comminatione iudicii diuini, v. gr. 1 Sam. XIV, 24. Saul dicitur adiuraſſe populum, ne quis ante veſperam cibum capiat, priusquam de hoſtibus vindictam ſumſerit, i. e. ſub grauiſſima comminatione iudicii diuini populo præcepiſſe. Sic Paullus ſcribit, 1 Theſſ. V, 27. ὁϱκίζω ὑμᾶς τὸν Κύϱιον, *adiuro vos per Dominum, legi hanc epiſtolam, omnibus ſanctis fratribus*, i. e. præcipio vobis auctoritate Domini. *Poſteriori* ſenſu in præſenti accipitur, adeoque miniſter verbi diuini diabolum *adiurat*, i. e. *præcipit* diabolo, auctoritate Dei triunius, & ſub comminatione iuſtiſſimi iudicii diuini, vt miſſum faciat baptizandum, neque vllum ius aut poteſtatem in ipſum ſibi vindicet, ſed locum relinquat operationi diuinæ.

Probatur aſſertum: 1) *Exorciſmus ſignificatiuus*, qui in noſtris eccleſiis baptiſmo præmittitur, *ſignificat & adumbrat:* a) *Statum peccati*, in quo conſtituti ſumus extra ſtatum regenerationis, quæ fit per baptiſmum; quod ſimus natura filii iræ, & ſub poteſtate, captiuitate & dominio diaboli, vid. Epheſ. II, 2. 3: b) *Efficaciam baptiſmi*, quod iam talis, qui Chriſto offerendus eſt in baptiſmo, vi inſtitutionis Chriſti & promiſſionis diuinæ, ſit liberandus ex poteſtate tenebrarum & transferendus in regnum Chriſti redemtoris: c) *Stipulationem*, quod hæc ſoli Deo præſtanda, & renuntiandum ſit ex aduerſo diabolo, eiusque operibus. E quibus naſcitur argumentum: Qui ritus adumbrat tum ſtatum peccati, in quo concipiuntur & naſcuntur infantes, tum efficaciam baptiſmi, tum ſtipulationem, Deo præſtandam, ille ex libertate chriſtiana in eccleſia vtiliter retinetur: Atqui exorciſmus, qui in eccleſiis noſtris baptiſmo præmittitur, eſt eiusmodi ritus, &c. Ergo.

 2) Exor-

Digitized by Google

2) Exorciſmus eſt ritus chriſtianus antiquiſſimus, temporibus CYPRIANI, qui vixit ſæculo III. in eccleſia vſitatus, vti patet ex ipſius *L. IV. Ep. VII.*

Dubia ſequentia moueri poſſunt aduerſus hanc cærimoniam:

I. Quicunque a diabolo exigunt iuramentum, perperam faciunt: Atqui *Lutherani* &c. Ergo *Maior* eſt euidens; quia a diabolo impoſtore mendaciſſimo non eſt exigendum iuramentum. *Minor* eſt manifeſta: quoniam paſtores Lutherani diabolum adiurant. Reſp. Antiſtites eccleſiæ Lutheranæ non exigunt iuramentum a diabolo, ſed ipſi præcipiunt auctoritate & ſub comminatione iudicii diuini, vt miſſum faciat baptizandum, & locum relinquat Spiritui S. per baptiſmum operanti.

II. Quicunque a diabolo non ſunt obſeſſi, neque corporaliter, neque ſpiritualiter, ex illis diabolus non eſt eiiciendus: Atqui infantes fidelium &c. E. Reſp. Argumentum hoc nos non ferit; propterea, quod a) negamus, infantes fidelium a diabolo eſſe corporaliter obſeſſos. b) *Obſeſſio* autem *ſpiritualis* dicitur vel *late*, vel *ſtricte*. Senſu *ſtrictiori* notat inhabitationem & operationem diaboli in homine *præfracte & contumaciter* impio: Quo ſenſu negamus, infantes fidelium eſſe a diabolo ſpiritualiter obſeſſos. Senſu autem *latiori* obſeſſio ſpiritualis notat poteſtatem & dominium in hominem irregenitum: Quo ſenſu latiori a nonnullis auctoribus infantes fidelium, per baptiſmum nondum renati, a diabolo ſpiritualiter obſideri dicuntur. c) *Lutherani* per exorciſmum diabolum non eiiciunt ex infantibus; ſiquidem *illorum exorciſmus non* eſt *effectiuus*, ſed *ſignificatiuus & adumbratiuus* peccati, poteſtatis diaboli, & efficaciæ baptiſmi.

Inſtantia. Quare igitur baptiſtæ dicunt: Daß du ausfahreſt und weicheſt? Reſp. Hæc verba intelliguntur de abſtinentia a dominio, quaſi dicant baptiſtæ: Satana, non vindices tibi poteſtatem, aut dominium in hunc infantem; quippe qui per baptiſmum iamiam tuo regno tenebrarum eripietur, & regno Chriſti inſeretur.

III. Quicunque dicitur ſeruus Chriſti, non indiget exorciſmo: Infans baptizandus a baptiſta dicitur ſeruus Chriſti: E. Reſp. Dicitur *ſeruus Chriſti* non in ſtatu, ſed *ampliatione*, ſicut cingendus habetur pro cincto.

IV. Quicunque ab vtero materno ſunt ſancti in fœdere diuino, illi non indigent exorciſmo: Infantes chriſtianorum &c. Ergo. *Minor* claret teſtimonio Paulli, 1 Cor. VII, 14. Confer. Act. II, 39. Reſp. 1) Infantes chriſtianorum ante ſuſceptum baptiſmum ſunt *ſancti* ſanctitate *externa*, ſiue *eccleſiæ:* at *non* ſunt ſancti ſanctitate *interna*, ſiue *fidei;* quoniam nondum ſunt renati. 2) Pertinet ad infantes fidelium non-baptizatos promiſſio fœderis, ſed nondum ſunt in fœdere exhibito & applicato; applicatio enim fit per baptiſmum.

V. Quidquid ſoli competit Chriſto, illud neque exorciſmo poteſt tribui: Liberare a poteſtate Satanæ &c. 1 Io. III, 8. Ergo. Reſp. Diſt. *inter liberationis ſpiritualis acquiſitionem, & applicationem.* Chriſtus merito ſuo nobis libertatem ab hoſtibus acquiſiuit, quam per verbum & ſacramenta nobis applicat; per exorciſmum eadem ſignificatur & adumbratur.

VI. Exorciſtæ male audiunt, Act. XIX, 14. 15. Reſp. *Exorciſtæ infideles*, qui conantur in nomine Ieſu vti exorciſmo *effectiuo*, eoque *miraculoſo*, male audiunt: At doctores euangelici in Chriſtum vere credunt, eorumque exorciſmus non ἐνεϱγητικὸς eſt, ſed σημαντικός.

VII. Exorciſmus neque habet mandatum, neque promiſſionem diuinam: Ergo non eſt tolerandus in eccleſia. Reſp. Si haberet exorciſmus mandatum & promiſſionem diuinam, non eſſet ritus *indifferens*, ſed eſſet pars cultus religioſi neceſſaria. Nos vtimur exorciſmo, tanquam adiaphoro, ex libertate chriſtiana.

VIII. Quid-

Digitized by Google

VIII. Quidquid vergit in contemtum matrimonii, illud ab eccleſia eſt remouendum: Exorciſmus &c. Ergo. *Minor* probatur; quia cedit in contemtum matrimonii, ſi dicantur coniuges gignere liberos, a diabolo obſeſſos. Reſp. Non ſtatuimus, infantes Chriſtianorum a diabolo corporaliter eſſe obſeſſos. Quod vero ſpirituale dominium Satanæ in irregenitos concernit, illud non minus, quam ipſa peccati propagatio a chriſtianis parentibus, negari nequit. Sunt infantes Chriſtianorum dona Dei, ſed antequam per baptiſmum fœderi diuino inſeruntur, ſunt in ſtatu peccati & ſub poteſtate ſatanæ.

X. Negari non poteſt, ſonum verborum exorciſmi eſſe aſperiorem: ideoque abrogandus eſt hic ritus. Reſp. *Senſus* verborum eſt *commodior*, licet *ſonus* ſit *aſperior.* Ritus hic, cum ſit adiaphorus, *abrogari* poteſt *conſentiente eccleſia*, modo fiat *citra præiudicium doctrinæ* cœleſtis, de ſtatu peccati & efficacia baptiſmi. Poteſt etiam *conuerti* in formulam precationis, vel etiam *verbis ſcripturæ magis conſentaneis proponi & explicari.* Confer. D. CHEMNITII *loc. theol. P. III. fol.* 161. & D. CALOVII *ſynopſ. controu. p.* 785.

### *SVSPIRIVM.*

Quod ſi, o Deus, ſanctitate optime, virtute maxime, vita beatiſſime, beneficia tua, e baptiſmo ſapientiſſime inſtituto, & mihi collato, in me redundantia, obliuione ſepelirem, aut diſſimularem, profligatiſſime impius forem. Quin potius & grata mente veneror & pleno ore collaudo miſericordiam tuam in me propenſiſſimam, quod me, congeniti peccati labe infectum, ſacro latice perfundere, abluere, regenerare, renouare dignatus ſis. Interuentu ſalutaris huius lauacri factus ſum, o Pater indulgentiſſime, conſors fœderis tui, filius gratiæ, frater Chriſti, templum Spiritus S. ciuis eccleſiæ, heres cœli. In omni lapſu, in omni tentatione, in ipſo mortis articulo, nulla conſolatio recordatione baptiſmi mihi erit præſentior, dulcior, ſolidior. Validis, quæſo, me viribus inſtrue, vt fœdus meum baptiſmale ſubinde recogitem, nihil ipſo indignum committam, veteris Adami concupiſcentias crucifigam, & in nouitate vitæ ambulem!

## THEOL. PART. III. SECT. II.
## CAPVT V.
# DE EVCHARISTIA, SIVE COENA DOMINI.

Quæſt. I. *Quid eſt euchariſtia, ſiue cœna domini?*

*Euchariſtia* eſt ſacramentum N. T., ſiue ſacra & ſolemnis actio, a Chriſto θεανθρώπῳ inſtituta, in qua verum & ſubſtantiale corpus Chriſti, cum pane benedicto manducandum, verusque & ſubſtantialis ipſius ſanguis, cum vino benedicto bibendus, datur communicantibus Chriſtianis, & vtrumque ab his accipitur, modoque ſupernaturali editur & bibitur, in commemorationem mortis Chriſti, & gratiæ euangelicæ confirmationem. *Definitio cœnæ domini.*

Obſ. I. Sicut *baptiſmus* eſt ſacramentum *initiationis*, & quaſi porta gratiæ, per quam in regnum Dei intramus; ita *cœna Domini* eſt ſacramentum *confirmationis*, & quaſi alimentum & pharmacum, quo fidelis anima reficitur, & in fide atque ſpe æternæ vitæ confirmatur.

Obſ. II. Hoc ſacramentum confirmationis variis inſignitur nominibus. 1) Eccleſia antiquiſſima, & inprimis græca, vocauit εὐχαριστίαν, i. e. *gratiarum actionem;* quia Chriſtus εὐχαρι-

Digitized by Google

ἐυχαϱιςήσας, Matth. XXVI, 37. hoc ſacramentum inſtituit, & nos mortem Domini, 1 Cor. XI, 26. cum gratiarum actione annunciare debemus. Sicut enim beneficiorum omnium maximum eſt redemtio noſtra & ſaluatio, per paſſionem & mortem Chriſti: Sic gratiæ etiam maximæ Deo & Saluatori noſtro agendæ ſunt, quando in ſumtione corporis & ſanguinis Chriſti ſolemnem eius memoriam celebramus. 2) Appellatur ἐυλογία, ſiue *benedictio*, itidem ex verbis inſtitutionis, Matth. XXVI, 26. Accepit Ieſus panem, καὶ ἐυλογήσας, & cum benedixiſſet, fregit, deditque diſcipulis &c. Vnde etiam calix τῆς ἐυλογίας dicitur, 1 Cor. X, 16. quia ſymbola externa (panis & vinum) benedicuntur, i. e. conſecrantur, & niſi benedicantur, corporis & ſanguinis dominici exhibitiua non ſunt. 3) Nominatur κυϱιακὸν δεῖπνον, *cœna dominica*, 1 Cor. XI, 20. Græcum, δεῖπνον, priſcis Græcis denotabat conuiuium, ſiue meridiano, ſiue veſpertino tempore inſtitueretur. Vid. HOMER. *Iliad. B.* Vnde a TERTVLLIANO vocatur *conuiuium dominicum*, *libr. I. ad vxor.* Interpretes reddiderunt *cœnam*; Germani, des HErrn Nachtmahl, des HErrn Abendmahl, quia D. N. I. C. in ea nocte, qua tradebatur, accepit panem, & calicem ſimiliter, poſtquam cœnauit, cum ſacrum hoc conuiuium inſtitueret. Nos licet *mane & ieiuni* euchariſtiam ordinarie celebremus, communiter tamen *S. cœnam* vocamus, vel in honorem primæ inſtitutionis, veſperi ſub noctis initium peractæ; vel quod ſit κοινὴ, vnde *cœna* latinis dicta, quia veteres ſoli prandebant, cœnam cum conuiuis κοινὴν, h. e. *communem* habebant: Sic euchariſtia in ſacris publicis, licet *mane* peragatur, eſt tamen *cœna*, h. e. multis κοινὴ, *communis*. 4) Dicitur τϱάπεζα τῦ Κυϱίυ, *menſa Domini*, 1 Cor. X, 21. quia tempore Apoſtolorum *in menſa* celebrabatur. *Græci* in euchariſtia *duas* adhibebant *menſas*, alteram vocabant menſam πϱοθέσεως, *propoſitionis*, in qua panis & vinum repoſita erant ante conſecrationem; alteram appellabant ἱεϱατεῖον, *ſacrarium*, vbi fiebat conſecratio. Conf. METROPHANIS *confeſſ. orient. eccleſ.* c. IX. *de cœna domini.* 5) Vocatur ἀϱτοκλασία, *panifragium*, quia Chriſtus benedicens, panem fregit, Matth. XXVII, 26. Conf. 1 Cor. X, 16. 6) Appellatur ἡ κοινωνία, *communio*; quia 1) panis benedictus eſt communio corporis, & calix benedictus eſt communio ſanguinis Chriſti, & 2) mediante hac communione nos cum Chriſto inter nos arctiori fide & amore coniungimur. Hinc qui ad ſacramentum accedunt, adhuc *communicantes* audiunt, ex 1 Cor. X, 17. 7) Καινὴ διαθήκη, *nouum teſtamentum*; quia Chriſtus porrigens calicem benedictum aiebat: *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, Luc. XXII, 20. i. e. hoc, quod eſt in calice, fundamentum & firmamentum eſt noui gratiæ fœderis in ſanguine meo ſanciti. Eſt itaque *teſtator*, Chriſtus, morte ſua teſtamentum obſignans; *heredes*, omnes credentes; *teſtes*, Apoſtoli; *notarii*, Euangeliſtæ & Paullus; *bonum legatum*, clauis aurea ad regnum cœlorum & theſauros cœleſtes; *ſigillum*, corpus Chriſti in pane, ſanguis in vino. 8) Dicitur σύναξις, *conuentus vel congregatio*, habito reſpectu ad *conuentus ſacros*, in quibus celebrari ſolet. Conf. 1 Cor. XI, 20. 9) Λειτȣϱγία, quæ vox, *generatim* ſumta, notat *adminiſtrationem muneris publici*; *ſpeciatim* accepta deſignat *ſacram & ſolemnem actionem*, qua *corpus Chriſti* mediante pane manducandum, & *ſanguis Chriſti* mediante vino bibendus diſpenſatur. 10) Αγάπη, *caritas*. Opulentiores enim in primitiua eccleſia ad menſam Domini panem & vinum afferebant, vt pars adhiberetur ad ſacramentum, & quidquid reſiduum erat, miniſtris eccleſiæ & pauperibus cederet. Hoc fuit indicium caritatis; inde S. cœna ἀγάπη, *caritas* dicta eſt. 11) Θυσία καὶ πϱοσφοϱά, *ſacrificium & oblatio*, non ratione *actus ſacrificialis*, quaſi ſacerdos ſacrificet: ſed partim *ratione materiæ*, quia diſtribuitur id, quod in cruce ſemel ſacrificatum fuit; partim *ratione finis*, quia ſacramentum cœnæ diſpenſatur & accipitur in commemorationem ſacrificii, in cruce ſemel peracti. 12) Μυςήϱιον, & cum adiectione φϱικτὸν, φϱικῶδες, φϱικωδέστατον μυςήϱιον, *tremendum*

Digitized by Google

*tremendum myſterium.* IVSTINVS *apol. II. pro Chriſtianis.* CHRYSOST. *homil.* 38. *in Matth.* Eſt enim euchariſtia *myſterium* admirandum: a) quia a *ſolo Deo eſt reuelatum*, 1 Cor. XI, 23. b) propter *modum vnionis* inter rem cœleſtem & terreſtrem, qui non tantum eſt ſignificatiuus, ſeu, quod res terrena ſignificet cœleſtem, ſed realis exhibitiuus, per quem res cœleſtis non minus communicatur edentibus & comedentibus, quam res terrena: c) propter *modum præſentiæ* corporis & ſanguinis Chriſti, qui eſt ſubſtantialis & realis, non virtualis, non obiectiuus, aut intentionalis: d) propter *modum vnionis nobiſcum*, quo res cœleſtes, corpus & ſanguis Chriſti, propius vniuntur cum communicantibus fidelibus in ſacramento, quam extra ſacramentum. Conf. HVLSEM. *breu. c. XIII. p.* 819. 13) *Miſſa*, cuius vocis abuſus in *papatu* creberrimus eſt, vbi in audienda miſſa ſacrorum ſuorum proram & puppim conſtituunt; & quid notius *ſacrificio miſſæ?* Habet vox, *miſſa*, originem latinam, & ita dicitur a *dimiſſione populi.* Fuit autem, explicante CASAVBONO, duplex ἄφεσις, *dimiſſio*, vel *miſſa: prior*, cum finitis lectionibus S. ſcripturæ & precibus illis, quibus catechumeni, energumeni & alii, non initiati, intereſſe poterant, diaconus clamaret: Ite catechumeni in pace; *miſſa eſt!* h. e. dimiſſionem habebitis (his enim ſacram liturgiam ſpectare fas non erat): *poſterior*, dum ſacris peractis, & euchariſtiæ celebratione finita, poſt εὐχὴν ἀπολυτικήν, h. e. precationem dimiſſoriam, diaconus ſub finem ſacrorum omnium denuo clamaſſet: *Ite fideles in pace! miſſa eſt!* h. e. iam & vos dimiſſi eſtis, vt cuilibet diſcedendi libera ſit poteſtas. 14) Hodie dicitur *ſacramentum altaris.* Exſtructis quippe chriſtianorum templis ſub Conſtantino M., erectæ ſunt menſæ lapideæ & dictæ *altaria*, qualibus in publica euchariſtiæ adminiſtratione adhuc libere vtimur.

### Quæſt. II. *Quis euchariſtiam inſtituit?*

*Cauſſa efficiens* Sacramenti cœnæ *principalis* eſt ſolus Deus, vnus in eſſentia & trinus in perſonis a). *Speciali* autem *ratione* Dominus noſter, Ieſus Chriſtus, ſacræ cœnæ auctor & inſtitutor eſt b). *Auctor cœnæ.*

Prob. a. Sacramentum cœnæ eſt efficax medium ſalutis & ſigillum gratiæ: E. inſtitutio ſacræ cœnæ dependet ab auctoritate & poteſtate Dei triunius, qui auctor ſalutis & fons gratiæ eſt.

Prob. b. *Speciali ratione* inſtitutor ſacræ cœnæ ex vnanimi teſtimonio euangeliſtarum, Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19. & Apoſtoli Paulli, 1 Cor. XI, 23. eſt Dominus noſter, Ieſus Chriſtus, tanquam μεσίτης noſter, ſecundum *vtramque* naturam, tam diuinam, quam humanam. Nam ſecundum quam naturam Chriſtus dicere potuit: *hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus,* ſecundum eam quoque corpus ſuum manducandum, & ſanguinem ſuum bibendum ordinauit. Iam vero certiſſimum eſt, Chriſtum non tantum ſecundum *diuinam*, ſed omnino ſecundum *humanam* etiam naturam dicere potuiſſe: *hoc eſt corpus meum*, *hoc eſt ſanguis meus.* Quare ab inſtitutione euchariſtiæ humana Chriſti natura nullo modo excludenda eſt. Auctor & fundator huius ſacramenti 1 Cor. XI, 23. dicitur *Dominus Ieſus.* Eſt enim *Dominus dominorum, & Rex Regum*, Apoc. XIX, 6. ſecundum *vtramque* naturam, qua *Deus*, ab æterno *natus*, qua *homo*, in plenitudine temporis *factus*, ex vnionis perſonalis gratia. In inſtitutione ſacræ cœnæ ſe *Ieſum*, h. e. ſaluatorem, extra quem ſalus nulla eſt, opere ipſo oſtendit. Euchariſtia quippe ab ipſo condita eſt *ſacramentum ſalutis*, dicente GREGORIO M. in *homil. paſchal.* Deſcribitur hoc ſacramentum per *communicationem corporis & ſanguinis Chriſti*, 1 Cor. X, 6. Chriſtus notat *Sacerdotem, Regem & prophetam.* Conditor ſacramenti cœnæ eſt *Sacerdos* noſtri amantiſſimus, qui corpus &



Digitized by Google

ſanguinem ſuum in ara crucis ſacrificatum nobis edendum & bibendum exhibet: Eſt *Propheta* πάνσοφος, ſeu *ſapientiſſimus*, qui rectiſſime nouit, quid & quomodo loqui debeat, & qua ratione ſuas promiſſiones implere poſſit, cum plura facere ſciat, quam nos intelligimus, Eph. III, 20: Eſt Propheta *veraciſſimus*, & ipſa veritas, adeoque nos non fallet: Eſt *Rex omnipotens*, adeoque præſtabit, quod promiſit: Eſt *Rex omnipræſens*, qui nunc omnibus quoque συνάξεσι, ſiue ſacris conuentibus præſto adeſt, Matth. XVIII, 20.: Eſt *Rex opulentiſſimus*, qui ſubditos ſeipſo ac ſigillatim corpore & ſanguine ſuo paſcit, adeoque & hoſpes conuiuii. Fuit quidem tunc, cum condidit hoc ſacramentum, in *ſtatu*, *non* tamen *actu* exinanitionis, ſed maieſtatis ſuæ ſplendorem, ſi vſpiam, luculentiſſime exſeruit.

Quæſt. III. *Quinam hodie ſacramentum cœnæ diſpenſant?*

*Miniſtri.* *Hodierni* ſacramenti cœnæ *diſpenſatores* ſunt ordinati eccleſiæ miniſtri a), qui elementa externa, fuſis ad Deum precibus, & verbis inſtitutionis nomine Chriſti pronuntiatis, conſecrant b), & communicantibus diſtribuunt c).

Prob. a. 1) Licet Chriſtus ipſe αὐτοπροσώπως ſuis diſcipulis primam cœnam diſtribuerit; nobis tamen hodie non, niſi mediantibus miniſtris eccleſiæ, hoc ſacramentum diſpenſat. His enim, per collationem ſacri ordinis, publica & ordinaria poteſtas docendi verbum Dei in eccleſia, atque adeo adminiſtrandi etiam ſacramenta, baptiſmum & ſacram cœnam, collata eſt. Verbum enim & ſacramenta ita ſunt connexa, vt verum & formale ſine verbo Dei ſacramentum eſſe nullum poſſit.

2) Miniſtri eccleſiæ ſunt *œconomi* vel diſpenſatores *myſteriorum Dei*, 1 Cor. IV, 1. inter quæ myſteria eminet ſacramentum cœnæ Domini.

3) Ne in caſu quidem neceſſitatis homini laico, ſiue priuato, committenda eſt ſacræ cœnæ adminiſtratio; quia hac in parte diſcrimen eſt inter baptiſmum, qui eſt ſacramentum initiationis, & inter euchariſtiam, quæ eſt ſacramentum confirmationis. De baptiſmi neceſſitate Chriſtus teſtatur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi regnum cœlorum*, Io. III, 5. Sed vſus ſacræ cœnæ non eſt in pari neceſſitate conſtitutus; ideoque quando non eſt copia ordinarii miniſtri, tunc locum habet illud AVGVSTINI: *Crede, & manducaſti.* Præſtat enim, homini anxie deſideranti ſacramentum cœnæ, deficiente miniſtro, quomodocunque perſuadere ſufficientiam manducationis ſpiritualis, & oſtendere periculum aliarum tentationum, quæ naſci poſſent, ſi ſacramentum ab alio, citra vocationem legitimam, adeoque dubia mente incertoque euentu adminiſtretur.

Prob. b. Miniſtrorum eccleſiæ eſt, conſecrare elementa panem & vinum. Nemo quippe euchariſtia rite frui poteſt, niſi conſecratio panis & vini præceſſerit, ob mandatum Chriſti in inſtitutione: *Hoc facite:* nimirum, quod *me in diſtributione facere vidiſtis*, dum *pani & vino benedixi, & benedicta vobis dedi*, & quod *vos comedendo & bibendo feciſtis*, idem vobis, eadem hæc ſymbola diſtribuentibus, vel accipientibus, in poſterum faciendum iniungo. Eſt autem *conſecratio alia totalis*, *alia partialis.* Hæc duplex eſt, ſcilicet *deſtinationis*, *& vnitionis;* quæ *duæ, ſimul iunctæ*, conſecratio *totalis* appellantur. Conſecratio *deſtinationis* ſymbola ad ſacrum vſum deſtinat: *Vnitionis* conſecratio, per verba teſtamentaria & diſpoſitiua, non vt nude hiſtorica, nec ratione litterarum & ſyllabarum, ſed vt operatiua ſunt, ratione ſenſus diuini (*hoc eſt corpus meum*, quæ vox efficaciam ſuam retinet, ſicut illa: *creſcite & multiplicamini*) peragitur. *Vtriusque* huius *conſecrationis* mentio fit in his verbis: Chriſtus *accepit*, (i. e. a profano vſu ſeparauit) *panem*, *gratias egit* (ad ſacrum vſum deſtinauit),

Digitized by Google

deſtinauit), *& dixit: hoc eſt corpus meum* (i. e. corpori ſuo ſacramentaliter vniuit). Matth. XXVI, 26. Vnde poculum conſecratum, κοινωνία τοῦ αἵματος, 1 Cor. X, 16. dicitur. Conf. SCHERZERI *ſyſtem. theol. p.* 380.

Prob. c. Miniſtri eccleſiæ communicantibus diſtribuunt panem & ſanguinem, per quorum miniſterium Chriſtus, auctor cœnæ, corpus ſuum manducandum, & ſanguinem ſuum bibendum præbet. Quæ exhibitio corporis & ſanguinis non fit actu diſtincto & ſeparato, ſed coniuncto; ideo, quod Chriſtus non immediate, ſed per miniſterium verbi, corpus & ſanguinem ſuum in S. cœna realiter præſentia ſiſtit ad veram cum ſymbolis terrenis manducationem & bibitionem,

Quæſt. IV. *An miniſter eccleſiæ ſibi ipſi eucharistiam licite diſpenſare poteſt?*

Miniſter eccleſiæ a *vicino ſymmyſta* ſacramentum cœnæ *ordinarie* accipiat a): at in caſu *neceſſitatis*, vbi alius miniſter peregre abeſt, vel tam ſubito haberi nequit, & periculum in mora eſt, *licite porrigit ſibi* ſacramentum b).

Prob. a. 1) Quo propius diſpenſatio ſacramenti ad primam ipſius inſtitutionem accedit: eo melior illa eſt, ac tutior. At in prima inſtitutione perſona *diſpenſans*, quæ erat Chriſtus, & perſonæ *ſumentes*, quæ erant diſcipuli, *diſtinctæ* erant.

2) Sicut nemo ordinarie ſeipſum a peccatis abſoluit; ita nemo ſibi ipſi dat ſacramentum.

3) Sacramentum cœnæ eſt caritatis & φιλαδελφίας ſymbolum: Quare teſtem fidei & caritatis expetat & adhibeat vicinum ſymmyſtam.

Prob. b. 1) Neceſſitati cedunt omnia, quæ diuinitus non ſunt præcepta, vel prohibita. Nuſpiam autem præceptum eſt, vt diſtinctæ perſonæ ſemper obeant partes communicantis & accipientis ſacramentum cœnæ: nec vllibi interdictum eſt, ne paſtor tempore neceſſitatis cœnam ſacram ſibi porrigat.

2) Sicut miniſter verbi diuini ſeipſum e verbo diuino conſolari poteſt & debet; ita nil impedit, quo minus ſeipſum ſumtione ſacramenti, quod ipſe diſpenſat, reficiat.

Quæſt. V. *Quæ eſt norma totius doctrinæ de ſacramento cœnæ?*

*Norma* totius doctrinæ de ſacramento euchariſtiæ ſunt verba inſtitutionis S. cœnæ, quæ leguntur, Matth. XXVI, 26. ſeqq. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 23. a); nequaquam vero norma, aut fundamentum cognoſcendæ & confirmandæ huius doctrinæ eſt concio Chriſti Capernaitica, quæ legitur Io. VI, 26. ſeq. b). *Norma S. cœnæ.*

Prob. a. 1) Ex cuiuslibet ſacramenti inſtitutione, tanquam ſede propria, vbi non incidenter, aut obiter, ſed directe & accurate proponitur atque explicatur, de eius natura iudicandum eſt.

2) Ipſe gentium Apoſtolus, Paullus, 1 Cor. XI, 23. in aſſerenda orthodoxia de S. cœna ad verba inſtitutionis, tanquam ſedem propriam huius doctrinæ, prouocauit.

3) Sacramentum cœnæ dicitur teſtamentum, Luc. XXII, 20. E. ipſius norma & fundamentum eſt voluntas & ordinatio teſtatoris.

Prob. b. Concio Capernaitica, Io. VI. formaliter non complectitur manducationem corporis Chriſti ſacramentalem. Nam 1) manducatio ſacramentalis tantum in vltima nocte Chriſti, vt inſtituta, ita requiſita fuit; ſed manducatio illa, de qua Ioann. VI. cap. agitur, diu ante



Digitized by Google

ante requiſita eſt, ideo, quod concio Capernaitica integro anno prius habita, quam ſacra cœna a Domino Ieſu inſtituta eſt.

2) Manducatio *ſacramentalis* fit mediantibus ſymbolis, pane & vino: *ſpiritualis*, quæ Io. VI. cap. præcipitur, nullum eiusmodi ſymbolum per ſe poſtulat; quia ſpiritualiter percipi poteſt Chriſtus per fidem, citra vllum ſymbolum.

3) *Illa* eſt manducatio proprie dicta, & diſtincta a bibitione; neque enim præbetur nobis ſanguis cum vino edendus, neque corpus cum pane bibendum: *hæc* eſt metaphorica, neque ſecundum rem diſtincta a bibitione.

4) *Illa* fit ore corporis; *hæc* ore fidei.

5) *Illa* poteſt fieri ad iudicium & mortem, 1 Cor. XI, 29.; *hæc* ſemper fit ad vitam, Io. VI, 50.

6) *Illa* non eſt abſolute ad ſalutem neceſſaria: *hæc* abſolute neceſſaria, etiam infantibus, v. 53. Non ergo Io. VI. agitur de ſubſtantia ſacræ cœnæ, quamuis fructus ex omni ſpirituali manducatione, ſiue ſymbolica ſit, ſiue aſymbolica, eodem capite exponatur.

Quæſt. VI. *Quis eſt ſenſus litteralis verborum inſtitutionis: Hoc eſt corpus meum: Hoc eſt ſanguis meus?*

In *priori* propoſitione pronomen demonſtratiuum, HOC, denotat totum complexum ſacramentale, conſtans ex pane & corpore Chriſti: In *poſteriori* propoſitione itidem notat totum complexum, conſtans ex vino & ſanguine Chriſti, myſtice vnitis a). Verbum ſubſtantiuum, EST, connectit prædicatum cum ſubiecto, & denotat, id, quod in ſacra cœna porrigitur, vere & realiter eſſe non tantum panem, ſed etiam corpus Chriſti b). CORPVS & SANGVIS CHRISTI verum & ſubſtantiale Chriſti corpus, verum & ſubſtantialem Chriſti ſanguinem notant c).

Obſ. Τὸ ῥητὸν, *littera*, *litteralis ſenſus*, bifariam dicuntur: 1) in collatione diuerſarum interpretationum ſcripturæ; eſt namque interpretatio ſcripturæ *alia litteralis*, *alia myſtica*. *Litteralis* ſenſus eſt, quem verba ipſa immediate, conſideratis omnibus circumſtantiis, reddunt, & diſtinguitur in ſenſum litteralem *proprium*, *& figuratum*. Senſus *proprius* eſt, quem verbis ſumtis in natiua ſignificatione Spiritus S. intendit, v. gr. Deus eſt ſpiritus. Senſus *figuratus* eſt, qui proxime intenditur a Spiritu S. verbis tropo aliquo affectis, v. gr. Deus eſt clypeus noſter. Senſus *myſticus* dicitur, qui non ſignificatur proxime per *verba* θεόπνευςα, ſed qui ex *re*, verbis θεοπνεύςοις ſignificata, fluit atque deducitur. 2) Τὸ ῥητὸν, *littera*, *litteralis ſenſus* dicitur reſpectu diuerſi vſus vocabulorum, *proprii & tropici*. Vbi *littera* eſt, quando verba *proprie*, & ſine vllo tropo vſurpata ſtant: *litteralis* vero *ſenſus* eſt, qui ex verbis proprie & extra omnem tropum acceptis gignitur. *Poſteriori* hac ſignificatione τὸ ῥητὸν, *littera*, *& litteralis ſenſus* in præſenti accipitur.

Prob. a. 1) Pronomen τȣ͂το, HOC, denotare totum complexum ſacramentale, diſcimus ex conſtructione græca. Ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, λαβὼν ὁ Ἰησȣ͂ς τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας, ἔκλασε, καὶ ἐδίδȣ τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε· λάβετε, φάγετε, τȣ͂τό ἐςι τὸ σῶμά μȣ, Matth. XXVI, 26. Vbi pronomen demonſtratiuum, τȣ͂το, non præciſe aut ſolum notat τὸν ἄρτον, ſiue panem; quia obſtat conſtructio græca: neque præciſe aut ſolum corpus; quia propoſitio foret identica & tautologica. Ergo notat totum complexum ſacramentale. Colligimus: Pronomen, *HOC*, aut notat præciſe corpus Chriſti, aut panem, aut totum

Digitized by Google

totum ſacramentale, ex re terrena & cœleſti conſtans. At non denotat præciſe corpus Chriſti; quia ſic eſſet prædicatio identica & tautologica: Neque denotat præciſe panem; quia obſtat conſtructio græca, quæ non admittit, vt dicamus ἄρτον τȣ̃το. E. demonſtratiuum *HOC* notat totum complexum ſacramentale.

2) Ex ipſo contextu. Quid pronomen demonſtratiuum, *HOC*, demonſtret, docet contextus verborum inſtitutionis. *Accipiens Ieſus panem, & benedicens, fregit & dedit diſcipulis, & dixit: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum.* Ex quibus verbis concludimus: 1) Quidquid Chriſtus, cœnam ſuam ſacroſanctam inſtituens, de menſa ſumſit, fregit, diſcipuliſque ſuis dedit, illud pronomine demonſtratiuo, *hoc*, demonſtratur. Atqui panem &c. E. 2) Addidit Dominus Ieſus, cum panem ſumſit, fregit, diſcipuliſque dedit: τȣ̃τό ἐςι τὸ σῶμά μȣ, *hoc eſt corpus meum*, vt demonſtraret, ſe porrecto pane, porrigere etiam corpus ſuum. Si dixiſſet: *Hic eſt panis;* pronomen demonſtratiuum præciſe & vnice demonſtraret panem: Sed dixit Chriſtus, τȣ̃το, *hoc eſt corpus meum*, vt indigitaret, ſe comedendum dare non ſolum panem, ſed etiam corpus ſuum. 3) Pronomen, *HOC*, quod ſingularis numeri eſt, complectitur duo, nimirum panem & corpus Chriſti. Oportet itaque hæc duo in vnionem quandam venire, vt vno ſingulari ſignificari, dicique poſſit, *hoc*, non, *hæc*. 4) Panis demonſtratur non tantum vt præſens, ſed etiam vt viſibilis. Atque hæc eſt ratio, quare panis in prædicato poſitus non ſit; nec dictum: Hoc eſt panis & corpus meum; aut: hoc eſt panis cum corpore meo. Nam id, quod ad oculum demonſtratur & exhibetur, non opus habet expoſitione, quæ per prædicatum fieri ſolet. Corpus autem demonſtratur, vt inuiſibiliter præſens; ideoque expreſſe nominatur, vt innoteſcat.

3) Exhibitiuarum propoſitionum ratio communis eſt, vt, oſtenſis, rebus diuerſis inter ſe vnitis, in *ſubiecto* demonſtretur totum complexum, in *prædicato* autem exprimatur id, quod dignius, minusque ſenſui obuium eſt v. gr. Si ſponſus ſponſæ, affabre facta pixide in ſignum amoris ſui oblata, diceret: *Accipe, hoc eſt gemma;* particula demonſtratiua, *HOC*, & pixidem & gemmam demonſtraret. Cum tibi in conuiuio hoſpes, porrecto cantharo, dicit: *Accipe, hoc eſt vinum,* demonſtratiuum, *HOC*, & cantharum & vinum notat. Si medicus in vaſculo offerret ægroto nobile pharmacum, & ipſi diceret: *Accipe, hoc eſt nobile alexipharmacum;* pronomine demonſtratiuo & vaſculum & alexipharmacum comprehenditur. Pari ratione cum animarum medicus Chriſtus, porrecto pane, dicit: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum,* vocula δεικτικὴ, & panem euchariſticum, & corpus Chriſti notat.

4) In propoſitionibus exhibitiuis demonſtratiuum, *HOC*, non ſumitur adiectiue, ſed ſubſtantiue, inuoluendo nomen ſubſtantiuum, idemque ſignificando, quod *hæc res*. Habet itaque ſignificationem generalem, & ad omne ens demonſtrandum aptum eſt, ideoque quidquid ſignificat, non diſtincte & iuxta rationem ſuam ſpecificam, ſed confuſe & generaliter, ſub conceptu huius rei ſignificat. Quam rem autem τὸ *hoc* ſubiecti loco poſitum deſignet, ex prædicato deſumendum eſt. Talia enim ſunt ſubiecta, qualia permittuntur eſſe a ſuis prædicatis. Inde fit, vt res nobilior, minusque obuia ſenſibus, notetur præcipue & in caſu recto, res ignobilior connotetur in obliquo, v. gr. Cum ſponſus ſponſæ tradit pixidem, & dixit: *Accipe, hoc eſt gemma;* pronomen *HOC* in caſu recto, quamuis confuſe & ſub conceptu huius rei, notat gemmam, in caſu obliquo connotat pixidem, & exponi poteſt: *Hæc res*, quam tibi in & cum pixide trado, vel exhibeo, eſt gemma. Ita propoſitio ſacramentalis, qua Chriſtus diſcipulis ſuis, porrecto pane, dicit: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum;* hunc ſenſum habet: *Accipite, commedite, hæc res, quam cum pane comedendam vobis trado, eſt corpus meum.* Conf. D. DANNH. in *hodoſ. phænom.* X. *p.* 1178. & D. MVSAEVS in *controu. theol. p.* 365.



Digitized by Google

5) Propoſitiones ſacramentales: *hoc eſt corpus meum*, *hoc eſt ſanguis meus*, particulis exegeticis, *in*, *cum*, & *ſub* recte exponuntur. Id quod patet: a) Quia pronomen, *hoc*, inuoluit totum complexum ſacramentale, conſtans ex re terrena & cœleſti, & hanc quidem in caſu recto notat, illam in caſu obliquo connotat; caſus autem obliquus commode per particulas, *in*, *cum*, & *ſub* exponitur. b) Pia antiquitas illis particulis vſa eſt. AVGVSTINVS in *ſermone ad neophytos* inquit: *Hoc accipite IN pane, quod pependit in cruce.* AMBROS. *de myſt. c.* 9: *Quod videmus, ſpecies eſt panis & vini: Quod SVB illa ſpecie credimus, verum corpus & verus ſanguis Chriſti eſt.* Et CHRYSOST. *l.* 3. *de ſacerdot.* inquit: *CVM illis rebus, quæ videntur, ſimul adeſſe creditur corpus & ſanguis Domini.* *). c) Vnio & communio *ſacramentalis* illis particulis explicatur, ſicut propoſitiones *perſonales* de vnione perſonali conceptæ in S. ſcriptura per eiusmodi particulas exponuntur. Propoſitionem perſonalem, quam habet Ioannes c. I, 14. *Verbum caro factum eſt*, Paullus 1 Tim. III, 16. ſic explanat: *Deus manifeſtatus eſt IN carne.* Propoſitionem, qua vtitur Apoſtolus Rom. IX, 5. *Chriſtus eſt Deus*, idem 2 Cor. V, 19. per hanc propoſitionem: *Deus erat in Chriſto*, & Petrus Act. X, 38. per hanc: *Deus erat CVM Chriſto*, exponit. Poſſunt tamen propoſitiones *ſacramentales* etiam aliis particulis explicari, v. gr. Hæc propoſitio: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*, declaratur: *hæc res*, quam vobis comedendam exhibeo, *non eſt tantum panis, ſed etiam corpus meum*; vel: *hoc*, quod *mediante pane* vobis exhibeo, *eſt corpus meum*.

Prob. b. Verbum ſubſtantiuum, EST, ſecundum litteram ſuam, propriumque vſum, notat rei exſiſtentiam, naturam, ſtatum, ſiue quod res ſit, & cuiusmodi ſit. Quare verbum, EST, proprie ſumtum, vt copula, prædicatum cum ſubiecto connectit, & indicat, id, quod in S. cœna comedendum datur, vere & realiter *non tantum panem*, *ſed etiam corpus Chriſti* eſſe.

Prob. c. CORPVS litteraliter ſignificat corpus eſſentiale, ſeu ipſam corporis ſubſtantiam, diſerte enim additur: *quod pro vobis datur*, Luc. XXII, 19. *quod pro vobis frangitur*, 1 Cor. XI, 24. SANGVIS Chriſti eſt verus & ſubſtantialis ſanguis, quo nouum teſtamentum ſancitum & confirmatum eſt: nouum teſtamentum autem non typos aut vmbras habet: ergo *ſanguis non typicus*, ſed *verus* & ſubſtantialis *Chriſti ſanguis* in ſacra cœna adeſt, *qui pro nobis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum*, Matth. XXVI, 28.

Dicis: I. Quod Chriſtus ſacram cœnam inſtituens, de menſa ſumſit, fregit, diſcipuliſque ſuis diſtribuit, id ſolum demonſtratur particula pronominali, *HOC*, cum dicit porrigens: *hoc eſt corpus meum.* Atqui *panem*, Chriſtus ſacram cœnam inſtituens, de menſa ſumſit, fregit diſcipuliſque ſuis diſtribuit. E. Reſp. Negamus 1) *maiorem*, ſumtam in ſenſu *excluſiuo.* Neque enim plus ſequitur, quam hoc: id demonſtratur particula pronominali, *HOC*; quod verum eſt. Nam reuera pronomen demonſtrat panem, ſed *non ſolum*, nec præciſe, ſed in complexo, cuius pars, eaque ignobilior eſt. 2) Quæ res in ſacramenti diſpenſatione per voculam, *HOC*, in propoſitione, *hoc eſt corpus meum*, *a Chriſto* deſignata ſit, in caſu recto non ex antecedentibus verbis, quibus, quid fecerit Chriſtus, antequam accipere & comedere iuſſit diſcipulos, deſcribitur, ſed ex prædicato eſt deſumendum: nam talia ſunt prædicata, qualia permittuntur eſſe a ſuis ſubiectis. Cum ergo huius propoſitionis prædicatum ſit corpus Chriſti: patet, *τὸ HOC* in caſu recto ſignificare corpus Chriſti, ſiue conceptum huius rei, quæ cum pane comedenda porrigebatur diſcipulis, ſic ſimul connotato pane in obliquo.

Dicis:

*) Plura exſtant veterrimorum ac præſtantiſſimorum Doctorum teſtimonia, præſertim in ſcriptis TERTVLLIANI, & CYRILLI Hieroſolymitani.

Digitized by Google

Dicis: II. Paullus particulam, *HOC*, de *pane* explicat, dicens: *Panis, quem frangimus, eſt κοινωνία corporis Chriſti*, 1 Cor. X, 16 Reſp. Propoſitio Paulli: *Panis eſt communicatio corporis Chriſti*, diuerſa eſt ab hac: *Hoc eſt corpus meum.* In hac enim prædicatur corpus Chriſti in caſu recto: in illa connotatur ſaltem in prædicato, in caſu obliquo. Vnde non neceſſe eſt, vtrobique eadem ſint ſubiecta, ſiue vt eadem res per ſubiectum vtrobique denotetur. Paullus ſuam propoſitionem ex propoſitione Chriſti elicit. Si namque id, quod diſcipulis ſuis dedit, fuit corpus Chriſti: ſequitur, quod panis ſit communio corporis Chriſti, ſeu propterea a Chriſto vſurpatus, vt ſit medium, per quod corporis Chriſti redderemur participes, non vt ventrem impleremus.

III. Si pronomen, *HOC*, notat corpus Chriſti; propoſitio Chriſti erit tautologica, perinde ac ſi dixiſſet: *Corpus meum eſt corpus meum.* Reſp. Aſſerimus, pronomen, *HOC*, notare complexum ſacramentalem, cuius pars præcipua eſt corpus Chriſti, quod pronomine, *HOC*, confuſo ſub conceptu huius denotatur. Vnde nulla infertur ταυτολογία.

IV. Si per δεικτικὸν, τοῦτο, Chriſtus intellexiſſet complexum ex pane & corpore Chriſti, myſtice vnitis, ſenſus verborum Chriſti hic eſſet: *Panis vna cum corpore meo eſt corpus meum;* ſeu: *panis & corpus meum ſunt corpus meum, vel communio corporis mei:* Quod quam ſit abſonum, nemo non intelligit. Reſp. Intelligimus quidem per τὸ *HOC* complexum ex pane & corpore Chriſti; ſed ſtatuimus ſimul, in ſignificandis duabus complexi partibus inæqualitatem aliquam intercedere; quod corpus Chriſti principaliter, ſiue in caſu recto, ſub ratione generaliſſima huius rei, at panis minus principaliter, ſiue in obliquo deſignetur, vt ſenſus ſit: Hæc res, quæ cum pane comedenda traditur, eſt corpus meum.

V. Doctores eccleſiaſtici hac propoſitione vſi ſunt: *Panis euchariſticus eſt corpus Chriſti.* Reſp. Propoſitio illa non eſt ἔγγραφος, aut biblica, ſed ἄγραφος, & eccleſiaſtica. Nos inueſtigamus in præſenti ſenſum propoſitionis biblicæ, qua ipſe Chriſtus vſus eſt.

Quæſt. VII. *Eſtne τὸ ῥητὸν, ſiue ſenſus litteralis verborum ſacræ cœnæ retinendus?*

A proprietate verborum ſacræ cœnæ recedendum non eſt, ſed ſunt illa, vt iacent & ſonant, *ſimpliciſſime ad litteram intelligenda.*

Obſ. I. Non eſt nobis in præſenti ſermo de omnibus omnino inſtitutionis ſacræ cœnæ verbis, ſed de verbis συστατικοῖς καὶ διαθετικοῖς, ſubſtantialibus & diſpoſitiuis: *hoc eſt corpus meum: hoc eſt ſanguis meus.*

Obſ. II. Tropus eſt mutatio ſignificationis proprie ac natiuæ in alienam, in voce reſolubili ad locum topicum ab intellectu libere facta, vel neceſſitatis, vel perſpicuitatis, vel honeſtatis gratia. Ex quo diſpaleſcit, periphraſin non eſſe tropum, cum eadem ſignificatio vocis non mutetur, ſed tantum illuſtretur.

Probatur aſſertio noſtra: 1) In expoſitionæ & conſideratione cuiuscunque loci ſcripturæ a littera non eſt recedendum, vbi litteræ ſenſus bonus eſt, nec rationes grauiſſimæ & perſpicuæ contrarium ſuadent: Atqui huius noſtræ ſcripturæ, h. e. verborum ſacræ cœnæ, littera bonum ſenſum habet, nec rationes graues adſunt, quæ tropum vrgeant: E. in expoſitione verborum cœnæ a littera recedendum non eſt. *Maior* eſt regula hermeneutica & per ſe euidens. Habet enim ſenſus litteralis naturalem quandam prærogatiuam, a qua non, niſi magno aliquo iure, depelli poteſt. Eſt ille *prior natura*, qua ſimplex compoſito, rectum obliquo, nudum colorato anteſtat. Eſt etiam *prior cognitione;* cum audio: *Herodes eſt vulpes*, primum occurrit conceptui vulpis imago, altera demum mentis negotiatione e conſideratione abſurditatis feror in cognitionem tropi. Eſt *prior doctrina*, adeoque ſemper clarior & notior natura, etſi tempore aliquando poſterior. *Minor* ex infra dicendis conſtabit luculentius.

2) Auctor

Digitized by Google

2) Auctor & inſtitutor ſacræ cœnæ eſt Dominus noſter, Ieſus, doctor veraciſſimus, beneuolentiſſimus, & auctoritate validiſſimus. *Veraciſſimus* eſt, adeoque neminem fallit, ſeu veritatem eicit tam aperte, vt ab hominibus agnoſci queat. Non ergo obſcuro tropo vſus eſt. *Beneuolentiſſimus* eſt, quia ex amore & beneuolentia erga genus humanum ſacramentum cœnæ inſtituit, & in vltima cœna, ſi vnquam, erga diſcipulos ſuam beneuolentiam conteſtatus eſt. Qui ergo negabimus, quin perſpicue cum illis egerit? Eſt *auctoritate validiſſimus.* Huius itaque ſummi doctoris verba ita reuereri omnes debent, vt in interpretatione eorum a littera temere nullo modo diſcedatur, ſed eadem ſollicite retineatur. *)

3) Inſtitutio cœnæ dominicæ, poſt aſcenſionem Chriſti ad cœlos, a diuerſis ſcriptoribus in locis diuerſis repetita & in litteras redacta eſt. Quem ad modum autem alias ſacri ſcriptores has mutuas operas in ſe ſuſceperunt, vt quod alius forte minus plene, vel verbis minus propriis ſcripſiſſet, alius plenius, vel verbis magis propriis exprimeret: ita ſi his verbis: *Hoc eſt corpus meum: Hoc eſt ſanguis meus*, non id, quod *proprie* accepta important, ſed hoc ſignificare Dominus voluiſſet, *panem eſſe ſignum corporis ſui, & vinum eſſe ſignum ſanguinis ſui;* credibile non eſt, ſcriptores ſacros, qui hiſtoriam inſtitutionis omni adhibita cura deſcripſerunt, omnes id tacuiſſe. Tacuerunt autem de eo omnes, nec quisquam illorum non ipſum corpus & ſanguinem Chriſti, ſed ſigna illorum tantum eſſe, quæ ad edendum & bibendum porriguntur, vel verbo indicauit.

4) Verba cœnæ locutus eſt Dominus Ieſus, cum morti vicinus eſſet, & multa amplius cum diſcipulis ſuis non locuturus: Atque adeo reuera teſtatorem egit, qui eccleſiæ ſuæ corpus & ſanguinem ſuum legauit. Iſthoc vero tempore, quo morti quisque vicinus eſt, maxime perſpicue & clare loquitur. Vnusquisque enim prudenter vitat lites heredum, quæ neceſſario conſequuntur, vbi teſtamentum obſcuritate per tropos laborat. Quod cum ita ſe habeat, vtique heredes verbis teſtatoris inhærere debent, quantum fieri poteſt. Nam ſi a proprietate ſermonis recedendum foret, teſtator ſine dubio id manifeſte indicaſſet. Ea cum apud homines inueniatur prudentia: quanto magis in Saluatore!

5) Cœna dominica eſt ſacrum conuiuium: At *verba conuiualia* nunquam metonymiam ſigni pro ſignato patiuntur. Quia nemo exhibens *ſignum* panis, carnis, vini, absque ludibrio dicit: *Accipe, ede, hoc eſt panis, caro: Bibe, hoc eſt vinum.*

6) A littera verborum temere recedere, periculoſum eſſe, didicit experimento Eua, Gen. III, 6. Contra litteræ conſtanter inhæſit magno cum fructu Abrahamus, Geneſ. XXII, 2.

7) Singula verba inſtitutionis adeo clara ſunt, vt tropum reſpuant. Nam particula demonſtratiua, *HOC*, demonſtrat quidem totum complexum, nempe panem benedictum & ſimul corpus Chriſti, ita tamen, vt corpus Chriſti in caſu recto, panis vero in caſu obliquo denotetur; quod in omnibus *propoſitionibus exhibitiuis,* in quibus duo coniuncta exhibemus alicui, vſu venire ſolet. Copula verbalis, *EST*, non eſt capax tropi. Si enim copula, *EST*, amiſerit ſuam ſignificationem copulandi, vel vniendi prædicatum cum ſubiecto, ac induerit aliam; tum ipſam quoque propoſitionem deſtruxerit, ne amplius ſit propoſitio. Si autem verbum *EST* idem valet, quod *ſignificat*, non erit copula, ſed pars prædicati. Nam ſi reſoluatur verbum, *ſignificat,* idem eſt, ac ſi dixeris: *Eſt ſignificans;* vnde quod ex reſolutione

*) Eſt etiam rerum ac futurorum euentuum *omnium ſcientiſſimus.* Omnino præuidit, quales & quantæ diſſenſiones eccleſiam aliquando in partes diſſecturæ eſſent. Ipſe igitur, aut mentem ſuam aliis declaraſſet verbis, aut hiſce verbis interpretationem adiunxiſſet, niſi ea voluiſſet ita proprie dicta, vt littera fert, ab vno quoque intelligi.

Digitized by Google

ſolutione prouenit, verbum, *EST*, demum copula erit; participium vero *ſignificans* non alio, quam ad prædicatum referri poteſt. Neque cadit tropus in *corpus* aut *ſanguinem*, propter προσδιορισμὸν, *quod pro nobis traditum.* Nam id deſignatur nomine *corporis* & *ſanguinis*, quod *pro nobis in mortem eſt traditum*, *& in remiſſionem peccatorum pro nobis effuſum eſt.* Iam vero *non ſignum* corporis, non tropicum, non figuratum, ſed *verum & proprium Chriſti corpus* pro nobis in mortem eſt traditum, & non tropicus, *non figuratus*, ſed *verus & proprius Chriſti ſanguis* pro nobis in peccatorum remiſſionem eſt effuſus: Ergo.

8) Teſtamentum *nouum* in eo differt a *veteri*, quod illic *vmbra*, hic *corpus* exhibeatur; in illo *ſigna*, in hoc *ſignata* proponantur. Idcirco mere metonymica & ſignificatiua theologia hic locum non habet. Nam ſi Dominus figuras rerum inſtituere voluiſſet, agnum paſchalem retinuiſſet, longe euidentius mortem & promiſſionem Chriſti figurantem, ac in conuiuio paſchali ſic dixiſſet, *Edite*, *hoc*, notando *agnum*, *eſt corpus meum*, i. e. *ſignificat* corpus *meum* pro vobis, vt olim tradendum, ita nunc traditum.

Dubia quædam aduerſus noſtram aſſertionem mouentur. *).

I. Senſus verborum Chriſti eſt: *Hic panis eſt corpus meum, hoc vinum eſt ſanguis meus:* Sed panis non dicitur proprie corpus Chriſti, ſequeretur enim, panem pro nobis crucifixum eſſe: E. panis metonymice & ſacramentaliter dicitur corpus Chriſti, quia eſt ſymbolum & ſigillum corporis Chriſti. Reſp. Senſus verborum Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, *hoc eſt ſanguis meus*, non eſt: *Hic panis* eſt corpus meum, *hoc vinum* eſt ſanguis meus; ſed hic eſt ſenſus litteralis: *Hoc*, quod vobis porrigo, quod vos accepturi & comeſturi eſtis, *non eſt tantum panis*, ſed *eſt inſuper corpus meum: Hoc*, quod vobis porrigo, & vos accepturi bibiturique eſtis, *non eſt ſolum vinum*, *ſed eſt inſuper ſanguis meus.*

II. In verbis S. cœnæ recenſitis e Luca, c. XXII, 20. & Paullo, 1 Cor. XI, 25. *Hoc poculum eſt N. T. in meo ſanguine*, neceſſario admittenda eſt figurata dictio. Nam *poculum* per metonymiam, qua continens ponitur pro contento, ſumitur pro vino, & *teſtamentum* pro ſigno vel ſigillo teſtamenti. Reſp. 1) Diſt. inter id, quod *non incommodum*, & quod *neceſſarium* eſt. Non incommodus ſenſus eſſet: *Id*, *quod in hoc poculo continetur*, *eſt teſtamentum in meo ſanguine;* qui tropus præſentiam Chriſti non deſtrueret, ſed adſtrueret. Sed illum tropum conſtituere non eſt neceſſe, quia poculum ſumitur complexe, & notat poculum vino impletum; ſiquidem Chriſtus non vacuo benedixit vaſi. Conſideratur hic poculum non ἐξ ἀφαιρέσεως, ſed ἐκ προσθέσεως, quatenus in ordine, officio & vnione myſtica conſtitutum eſt. Idem dicitur *pro nobis effuſum*, 1 Cor. X, 21. & capax εὐλογίας, 1 Cor. X, 16. 2) Neque incommode dixeris, *teſtamentum* per metonymiam effecti pro cauſſa notare *cauſſam teſtamenti*, vt ſenſus ſit: *Id*, *quod ex poculo bibitur*, *nimirum ſanguis meus*, *eſt fundamentum & cauſſa N. T.* Neque tamen neceſſe eſt, per tropum illum verba S. cœnæ explicare. Nam διαθήκη non ſolum ſignificat *pactum*, ſed etiam, peræque ac vox Hebræa ברית, *medium*,

*) *Antitheſis* eſt *Reformatorum*, qui, quamuis in re ipſa conſentiant, de modo tamen, quo explicanda ſint verba inſtitutionis, inter ſe diſſentiunt, quæ ſententiarum varietas, vbi tanta res agitur, eſt profecto malæ cauſæ indicium. Quot voces ſunt, tot ſunt eorum opiniones. Nonnulli hærent in vocabulo, τῦτο, quod interpretantur, τοιῦτο. Alii, & fere plerique, verbum, ἐςὶ, volunt idem valere, ac σημαίνει. Quidam denique putant, σῶμά μυ, αἷμά μυ, haut aliter eſſe intelligendum, ac ſi dictum fuiſſet, σημεῖον, ſignum corporis mei, ſignum ſanguinis mei. Nec recentiore demum ætate exorta inter illos ſunt hæc diſſidia, ſed inde ab ipſis velut incunabulis huius ſectæ, CAROLOSTADIVS, ZWINGLIVS, OECOLAMPADIVS, & ſingulorum adſeclæ, ita in partes abierunt.



Digitized by Google

*medium, quo fœdus & pactum erigitur*, & gratia atque pax conceditur: cuiuſmodi media præcipue ſunt ſacramenta diuinitus inſtituta. *Proprie* itaque *poculum* ſumtum complexe pro continente & contento dicitur *nouum medium gratiæ & pacis* diuinæ in ſanguine Chriſti, hoc eſt, reſpectu ſanguinis Chriſti. 3) Si quidquam obſcuritatis ſit in verbis Lucæ & Paulli, Matthæus tamen & Marcus verba Chriſti clare exprimunt: *Hic eſt ſanguis meus N. T.*, quæ pro ipſis Saluatoris verbis quilibet agnoſcet, qui modo contulerit verba prioris partis: *Hoc eſt corpus meum*, quæ ſummo conſenſu omnes Euangeliſtæ cum Paullo retinent.

III. *Corpus Chriſti* dicitur *fractum metaphorice*, 1 Cor. XI, 24. E. datur *tropus* in verbis S. cœnæ. Reſp. Diſt. inter verba S. cœnæ συςατικὰ, ſiue *ſubſtantialia*, & περιςατικὰ, ſiue *circumſtantialia*. Fractio corporis Chriſti notat *circumſtantiam*, & ſumitur improprie; quia hiſtoria paſſionis clare docet, quod os nullum Chriſti fractum ſit, Io. XIV, 33. Grauiſſima itaque ratio vrget, vt a ſenſu litterali diſcedamus.

IV. Verbum ſubſtantiuum, *EST*, exponendum eſt per *ſignificat*; quia panis non proprie, aut ſubſtantialiter eſt corpus Chriſti, ſed eius memoriale, ſignum & ſigillum. Reſp. 1) Nulla nos vrget grauis ratio, quare *EST* exponamus per *ſignificat*, cum ſecundum litteram propriumque vſum notet eſſentiam & exiſtentiam rei. 2) Verba S. cœnæ: *Hoc eſt corpus meum*, non idem valent, ac hæc: *Panis eſt corpus meum.*

V. Propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, ſacramentaliter eſt intelligenda. Eſt autem phraſis *ſacramentalis*, qua externis ſymbolis tribuuntur nomina rerum ſignatarum, quia ſignant & obſignant res ſignatas. Eiusmodi propoſitiones *ſacramentales* ſunt: 1) *Circumciſio eſt fœdus Dei*, Gen. XVIII, 10. 13. quia eſt *ſignum & ſigillum* fœderis, v. 11. 2) *Agnus eſt paſcha*, ſeu tranſitus, Exod. XII, 11. i. e. *ſignificat* tranſitum Domini. Reſp. 1) Sicut ſacramenta formaliter *non* ſunt *ſigna*, ſed *media*, & eiusmodi actiones ſacræ, quibus Deus per rem terreſtrem, cum verbo inſtitutionis coniunctam, rem cœleſtem exhibet, ad offerendam, conferendam & obſignandam gratiam euangelicam: Ita propoſitiones ſacramentales *non* ſunt *mere ſignificatiuæ*, ſed exprimunt *vnionem myſticam*, quæ datur *inter rem terrenam & cœleſtem*, & oſtendunt, per rem terreſtrem, tanquam ſymbolum & medium, rem cœleſtem vere & realiter exhiberi. 2) Circumciſio ὁλικῶς conſiderata, prout totam actionem ſacramentalem notat, proprie & ſine vllo tropo eſt ברית, i. e. medium gratiæ & pacis: ſiquidem vox hebræa tum *fœdus*, tum *medium*, quo fœdus gratiæ ſancitur, notat: At circumciſio ſpectata μερικῶς, ratione externæ amputationis præputii, eſt ſignum fœderis. 3) Nuſpiam in ſcriptura legitur. *Agnus eſt tranſitus Domini*; ſed ſcriptum eſt: פסח הוא ליהוה, quæ verba nonnulli latine reddunt: *Tranſitus eſt Iehouæ.* Iubentur enim Iſraëlitæ comedere agnum paſchalem feſtinanter. Et additur pro ratione: *Tranſitus Iehouæ* eſt, nempe in proximo, ſeu præ manibus iamiam erit, inſtat, imminet tranſitus Domini. Alii autem intelligunt *agnum paſchalem*, a tranſitu Domini nomen ſortitum, vnde D. VARENIVS in *comm. ad Exod.* vertit: *Agnus tranſilitionis coram Domino*, das iſt und heiſſt alsdenn ein recht Spring- oder Oſter-Lamm vor dem HErrn, adeoque ſenſus eſt: Agnus ſegregatus, ſtato tempore mactandus & comedendus, eſt agnus paſchalis Deo conſecratus & in ſacrificium analogice dictum deſtinatus. Ex quo D. SEB. SCHMIDIVS *Peſach* latine vertit *ſacrificium præteriſicum*: Quæ omnia ſine vllo tropo dicuntur.

VI. Verbum ſubſtantiuum, *EST*, etiam in aliis ſcripturæ locis pro *ſignificat* accipitur, v. gr. *Petra erat Chriſtus*, 1 Cor. X, 4, Loquitur Apoſtolus de petra, ex qua in deſerto fluxit aqua, quæ non erat Chriſtus, niſi σημαντικῶς, *ſignificatiue*, quia ſignificauit Chriſtum. *Septem vaccæ ſunt ſeptem anni*, Gen. XLI, 26. Reſp. 1) Loquitur Apoſtolus de petra,

comitante

Digitized by Google

comitante Iſraëlitas in deſerto: Qualis non erat naturalis illa & proprie dicta, ex qua fluxit aqua; ſed metaphorica & ſpiritualis, nempe Chriſtus, vt Deus, quem etiam a quibusdam e populo tentatum legimus v. 9. *Petra* autem *ſpiritualis*, vbique Iſraëlitas comitans, *non ſignificabat* Chriſtum, ſed reuera *erat ipſe Chriſtus.* Non ergo ſumitur ibi verbum, *EST*, σημαντικῶς, ſed ὑπαρκτικῶς. 2) *Septem vaccæ* non ſunt vaccæ proprie dictæ, ſed *viſæ* in ſomnio; & *anni* pari ratione ſunt anni non reales, ſed *viſionales.* Eſt igitur ſenſus: Septem vaccæ *ſomniatæ* ſunt ſeptem anni in ſomnio præfigurati. 3) Sunt propoſitiones illæ *extraſacramentales*, quarum ſenſum ſollicite indagare, parum aut nihil facit ad noſtrum inſtitutum.

VII. Qualis eſt Paulli locutio: Panis eſt κοινωνία, vel *communio corporis Chriſti;* talis quoque eſt locutio Chriſti: *panis eſt corpus meum*, Atqui illa eſt ſacramentalis, cuius hic eſt ſenſus: panis eſt ſacramentum, vel ſacrum ſignum communionis corporis Chriſti: Ergo & hæc talis eſt. Reſp. 1) Non dicit Chriſtus: *Panis eſt corpus meum.* 2) Locutio Paulli non eſt ſimilis locutioni Chriſti, ſed differt ab hac, ſubiecto & prædicato. 3) Panis non eſt ſignum, ſed medium communicans corpus Chriſti, ſiue medium, quo ſumto & manducato ſumimus & manducamus corpus Chriſti.

VIII. Quicunque verba S. cœnæ longe aliter explicant, quam prolata ſunt a Chriſto, illi explicant eadem per tropum: Atqui doctores *Lutherani* &c. Ergo. *Minor* probatur: quia Chriſtus dixit: *Hoc eſt corpus meum*, quod *Lutherani* exponunt: *In, cum & ſub pane eſt corpus meum.* Sed hæc explicatio multum differt a locutione Chriſti. Reſp. 1) Inter explicationem periphraſticam, & tropicam. Periphraſis non eſt tropus, ſed tantum copioſior rei deſcriptio, aut vberior explicatio. 2) Quando in propoſitionibus exhibitiuis pronomen demonſtratiuum, *HOC*, duas res coniunctas demonſtrat, particulæ exegeticæ, *in, cum* & *ſub*, ad luculentiorem periphraſin commode adhibentur, neque tamen ſimpliciter ſunt neceſſariæ, vti ſupra oſtenſum eſt.

IX. LVTHERVS verba Chriſti expoſuit per *ſynecdochen*, quæ vtique tropus eſt. Reſp. Diſt. inter ſynecdochen *rhetoricam*, & *grammaticam. Non illam*, ſed *hanc* intelligit LVTHERVS, & quidem *non figuram* illam, quæ in *grammatica* vocatur *ſynecdoche;* ſed quia ſynecdoche, vi vocis, *complexionem* denotat, recte ſtatuit LVTHERVS, vocabulum τοῦτο, ſiue *HOC*, *complexe* intelligendum eſſe, vt corpus Chriſti in caſu recto notet, panem autem in caſu obliquo connotet.

Inſtantia: Hac ratione propoſitio eccleſiaſtica: *Panis eſt corpus Chriſti*, plane reiicietur. Reſp. Propoſitio illa eccleſiaſtica recte expoſita non prorſus reiicitur, ſed toleratur; quia panis intelligitur conſecratus & in vnione ſacramentali cum corpore Chriſti conſtitutus, adeoque ſenſus eſt: *Panis eſt corpus Chriſti ſacramentaliter*, hoc eſt, panis eſt ſymbolum, ſeu medium, cum quo exhibetur corpus Chriſti. Vnio enim ſacramentalis intimior & arctior eſt, licet myſtica ſit, quam vt nos ſenſibus noſtris eam aſſequamur. Iſta vnio arctiſſima vt ſignificaretur, dicitur: *Panis eſt corpus Chriſti*, q. d. Vnio panis & corporis Chriſti adeo arcta eſt, vt, vbi eſt panis ſacramentalis, ibi ſit corpus Chriſti, & ſi ego panem ſacramentalem accipiam, reuera etiam accipiam corpus Chriſti. Confer. SEB. SCHMIDII *tractat. de fundamentis præſentiæ corp. & ſang. Chr. in S. cœna p.* 24.

### Quæſt. VIII. *Quotuplex eſt materia cœnæ dominicæ?*

*Materia* ſacræ cœnæ eſt duplex, *terrena*, & *cœleſtis*. *Materia cœnæ.*

Prob. 1) Ex natura omnium ſacramentorum, quæ requirunt aliquod elementum *externum*, viſibile, tractabile, ſuo ſignato analogum, expreſſo verbo inſtitutionis determinatum, & ordinatum ad hoc, vt ſit rei cœleſtis ὄχημα, vehiculum & medium exhibitiuum: Requi-



Digitized by Google

runt inſuper etiam rem *cæleſtem*, & intelligibilem, re terrena viſibili tanquam medio diuinitus ordinato exhibitam, a qua fructus alicuius ſacramenti principaliter dependet & fluit.

2) Res cœleſtis in nullo ſacramento clarius, quam in ſacramento cœnæ verbis inſtitutionis proponitur. Quocirca conſiderate inquit IRENAEVS *L. IV. aduerſ. hæreſ. c 34. Qui eſt a terra panis, percipiens inuocationem Dei, tam non communis panis eſt, ſed euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti.*

Quæſt. IX. *Quæ eſt materia terrena ſacræ cœnæ?*

*Et quidem terrena.* Materia *terreſtris* ſacræ cœnæ eſt *partim panis*, ratione ſubſtantiæ *verus* a), qui ratione *quantitatis*, maior, an minor, rotundus, an oblongus; ratione *qualitatis*, azymus, an fermentatus; ratione *farinæ*, triticeus, ſiligineus, an hordeaceus fuerit, nihil refert b): *Partim vinum* ratione ſubſtantiæ *verum* c), quod rubrum, an album, merum, an aqua paulliſper dilutum ſit, nil intereſt d). Habent autem panis & vinum rationem materiæ in S. cœna, quatenus diſpenſantur & accipiuntur, manducantur & bibuntur e).

Prob. a. Chriſtus inſtituens S. cœnam *accepit panem*, benedixit, fregit, & dedit diſcipulis, Matth. XXVI, 26. Qui panis per conſecrationem *non aboletur*, ſed retinet ſubſtantiam ſuam. Sic enim 1 Cor. X, 16. *communicantes* dicuntur *edere panem* adeoque *iam benedictum*, aut conſecratum.

Prob. b. *In ſacra cœna deſcriptione panis fit mentio, ſine quantitatis, aut qualitatis deſcriptione.* Eſt igitur *quantitas panis* eucharistici *arbitraria:* minor tamen præfertur maiori, quo 1) homines commonefiant, panem illum non inſeruire paſcendo ventri, ſed ſanctificandæ animæ ac corpori: 2) vt eo commodius inter plures poſſet diſtribui, & 3) ob praxin antiquiſſimam eccleſiæ. Panes orbiculares, ſeu placentulæ, quas *hoſtias* & *oblatas* appellarunt, in noſtris eccleſiis recte adhibentur. Sunt enim, quoad materiam & formam, adeoque quoad ſubſtantiam, *verus panis;* quia conſtant ex farina triticea puriore, aqua permixta, & calore ignis cocti ſunt Adiice, quod vltra 1000. annos vſitati fuerint in eccleſia. Etenim ab EPIPHANIO, qui vixit ſub finem ſæculi IV. in *Ancorato* panis euchariſticus ϛρογγυλοειδὴς *rotundam figuram habens* appellatur. Quin etiam ad diſtributionem & ſumtionem præſertim ſenum, edentulorum & ægrotorum, videntur aptiores, quam panis vulgaris & cibarius. *Arbitraria* etiam eſt *qualitas panis* euchariſtici, & perinde eſt, ſiue adhibeatur ad diſtributionem ſacræ cœnæ panis *fermentatus*, ſiue *azymus*. Chriſtus quidem in prima ſacra coena vſus eſt pane azymo; quia celebrauit coenam in diebus τῶν ἀζύμων, & poſt manducatum agnum paſchalem, quo tempore, iuxta legem Dei, apud Iudæos non alius panis, quam azymus in vſu fuit. Vid. Exod. XII, 18. Leu. XXIII, 6. Non tamen inſtituit, vt vel azymus, vel fermentatus panis adhibeatur, ſed ſimpliciter inſtituit panem, qualiſcunque ille ſit, modo veram naturam panis habeat. Vnde licet Chriſtus pane azymo vſus ſit, vero tamen ſimile eſt, primitiuam eccleſiam, ipſo Apoſtolorum quoque tempore, fermentato pane vſam eſſe. Legimus quippe Act. XX, 6. Paullum poſt dies azymorum abnauigauiſſe Philippis, & intra quinque dies Troadem veniſſe, vno autem ſabbathorum die conueniſſe diſcipulos ad frangendum panem. Præterlapſis autem diebus azymorum apud Iudæos in vſu erat panis fermentatus. Ex quo probabiliter colligimus, eo vſum etiam eſſe Apoſtolum in celebratione ſacræ coenæ.

Prob.

Digitized by Google

Prob. c. Alterum ſymbolum & elementum viſibile eſt *vinum.* Cum enim Chriſtus porrecto poculo dixiſſet: *Bibite ex hoc omnes*, Matth. XXVI, 27. ſubiungit v. 29. ſe poſthac non bibiturum ἐκ τȣ̃ γεννήματος τῆς ἀμπέλȣ, *ex hoc germine vitis;* quæ eſt elegans periphraſis vini.

Prob. d. *Subſtantiam*, non *qualitatem* vini Chriſtus determinauit. Vero quidem fit ſimile, Dominum vſum eſſe vino aqua temperato, quod in calidiſſimis regionibus (in quibus eſt Palæſtina) vina naſcantur generoſiora, aut fortiora, quam quæ ſine aquæ temperamento commode bibantur. Sed in his ſeptentrionalibus regionibus, vbi vina adeo fortia non ſunt, nulla aquæ affundendæ eſt neceſſitas. Diſtinguimus inter *mixturam leuem*, ſiue affuſionem aquæ in exigua copia, & inter *mixtionem grauem*, ſiue affuſionem aquæ in magna copia. *Priorem* eſſe *licitam*, concedimus; *poſteriorem* autem *ne quidem licitam* eſſe dicimus. Ita iudicandum eſt de *mixtura*, vt odor, color & ſapor præualeat.

Prob. e. *Panis & vinum*, generatim & *per ſe* conſiderata, ſunt *materia remota* S. cœnæ: At eadem ſpectata *in vſu ſacramentali*, quatenus conſecrantur & diſpenſantur inter communicantes, & ab his accipiuntur, manducantur & bibuntur, ſunt *materia proxima* euchariſtiæ.

Obſ. Cauſſæ, cur Chriſtus his inprimis ſymbolis vti voluerit, ſunt: 1) Quia fere communiſſima, & omni tempore ac vbique parabilia ſunt: 2) Præcipua hæc fere ſunt in omni genere cibi & potus nutritiua, Pſ. CIV, 25: 3) Vnio cibi & potus cum corporibus noſtris ſymbolum eſt arctiſſimæ noſtræ cum Chriſto vnionis: 4) Commonefactio caritatis, 1 Cor. X, 17.

*Antitheſis* eſt 1) *Græcorum*, qui acriter contendunt, in diſpenſatione S. cœnæ adhibendum eſſe *panem fermentatum;* qui *Latinos* ob vſum panis azymi in euchariſtia *azymitas* vocant, ipſi autem a Latinis *fermentarii* appellantur. 2) *Socinianorum*, negantium, in euchariſtia vſurpandos eſſe panes orbiculares, quos *hoſtias*, vel *oblatas* communiter nominamus. 3) *Pontificiorum*, aſſerentium, *crama*, ſiue *vinum aqua mixtum*, *neceſſario adhibendum* eſſe.

*Græcorum* præcipuum argumentum eſt, quod Chriſtus non eodem, quo Iudæi, tempore paſcha celebrauerit, ſed anticipauerit. Vnde fermentato pane vſum eſſe, colligunt. Reſp. Concedimus, Chriſtum cum Iudæis non eodem tempore paſcha celebraſſe; quia eodem die, quo Chriſtus paſcha comederat, ipſum occiderunt, & prætorium, ne comeſturi paſcha inquinarentur, intrare noluerunt, Io. XVIII, 28. Sed Chriſtus ſecundum diuinam inſtitutionem, Iudæi ſecundum traditionem humanam, tempus paſchatis obſeruarunt. Erat apud eosdem traditio, vt, ſi paſcha incideret in προσάββατον, vel diem παρασκευῆς, in proximum ſabbathum reiiceretur. Quam ob cauſſam *dies ſabbathi* (propter *concurſum* ſcilicet *feſtorum*) *magnus tunc temporis* dicitur, Io. XIX, 31. Chriſtum ſecundum inſtitutionem diuinam paſcha 14. die primi menſis comediſſe, probamus ex eo, quod alias tenaciſſimus fuerit mandatorum diuinorum, δευτερώσεις autem Iudæorum ſusque deque habuerit; *partim*, quod Luc. XXII, 7. Chriſtus, cum veniſſet dies azymorum, *in quo*, ἔδει, i. e. *oportebat* mactare paſcha, Petrum & Ioannem miſerit, vt paſcha pararent; *partim* ex propria Iudæorum de translatione illa confeſſione, de qua videantur Chronologi.

*Sociniani* obiiciunt I. Ille panis adhibendus eſt in adminiſtratione ſacræ cœnæ, qui habet vim nutriendi & corpus corroborandi: Atqui hoſtiæ non habent vim nutriendi &c. E. Reſp. 1) Habent panes orbiculares vim nutriendi: 2) Sumti in maiori copia actu nutriunt: 3) Non ſumimus multum, ſed parum, vt agnoſcamus, hæc ſumi ȣ̓κ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ᾽ ἁγιασμὸν (vt Patres *Concil. Nicæn.* loquuntur).

II. Inter quem panem non datur analogia cum corpore Chriſti, ille in euchariſtia non eſt adhibendus: Sed inter hoſtias & corpus Chriſti &c. E. Reſp. 1) Sacramentum cœnæ non primario ob analogiam panis cum corpore Chriſti inſtitutum eſt, ſed vt panis euchariſticus & κοινωνία, i. e. medium exhibitiuum corporis Chriſti, 1 Cor. X, 16. 2) Maior datur analogia tenuium & ſubtilium panium cum corpore Chriſti glorificato, quam panium craſſiorum.

III. Chriſtus vſus eſt pane grandiore; E. eodem & nos vtamur. Reſp. Diſt. inter *quod licitum, & quod neceſſarium eſt.* Licite vtimur pane grandiore, ſed non neceſſario; ceteroqui eadem ratione quispiam forte colligeret: Chriſtus vſus eſt pane azymo: E. panis azymus neceſſario adhibendus eſt in diſpenſatione cœnæ.

IV. *Vnus* adhibendus eſt *panis*, de quo plures participare queant, 1 Cor. X, 17. Sed hoſtiæ non ſunt panis vnus &c. E. Reſp. Diſt. inter *vnitatem panis ratione vnius maſſæ, aut ſubſtantiæ, & vnitatem panis ratione officii ſacramentalis. Vnus* eſt panis euchariſticus, iuxta Paulum l. c. in toto chriſtiano orbe, ratione *muneris ſacramentalis*, non ratione *maſſæ & ſubſtantiæ.* Vnus eſt *non numero*, ſed *ſpecie*, in omnibus eccleſiis.

V. Verus panis adhibendus eſt in euchariſtia: Hoſtiæ non ſunt &c. E. *Minor* probatur: Verus panis habet corticem exteriorem & medullam interiorem: Quod de hoſtiis dici nequit. Reſp. 1) Hoſtiæ habent corticem exteriorem & medullam, interiorem, ſed ſubtilem: 2) Anus edentula medullam edens verum comedit panem.

VI. Hoſtiæ e papatu trahunt originem. Reſp. Neg. Fuerunt in vſu tempore EPIPHANII.

*Pontificii* argumentantur: I. Chriſtus in inſtitutione ſacræ cœnæ vſus eſt cramate, ſiue vino aqua temperato: E. illud hodie in diſpenſatione ſacræ cœnæ vſurpandum eſt. Reſp. Probabile quidem eſt, Chriſtum ex more regionis vſum eſſe vino aqua temperato, ſed non infallibiliter certum eſt. Exemplum Chriſti oſtendere poteſt, crama eſſe *licitum; ſed neceſſitas* ex eo non infertur, cum *deſit præceptum*, & Chriſtus tantum mentionem faciat *germinis vitis.*

II. Quidquid adumbratum eſt fluxu ſanguinis & aquæ e latere Chriſti, illud adhibendum eſt in adminiſtratione S. cœnæ: Sed vinum aqua temperatum &c: Ergo. Reſp. 1) Sermo nobis eſt de mixtione aquæ & vini, non de confluxu aquæ & ſanguinis. 3) *Fluxu ſanguinis & aquæ* adumbrata ſunt *duo ſacramenta* noui teſtamenti, baptiſmus & cœna dominica.

III. Miſtio vini & aquæ in euchariſtia multas bonas habet ſignificationes, v. gr. vnionis duarum naturarum in Chriſto, vnionis Chriſti cum eccleſia. Reſp. Non propter ſignificationem, ſed propter κοινωνίαν & exhibitionem, ſymbola externa a Chriſto ſunt inſtituta.

### Quæſt. X. *Quæ eſt materia cæleſtis ſacræ cœnæ?*

*Cæleſtis.* Materia *cæleſtis* cœnæ dominicæ eſt *verum* & ſubſtantiale *Chriſti corpus* a), *verus* item & ſubſtantialis *Chriſti ſanguis* b).

Prob. a. *Verum & ſubſtantiale Chriſti corpus* in S. cœna nobis cum pane benedicto manducandum dari, luculentiſſime patet ex vnanimi & inuariata S. cœnæ deſcriptione facta a tribus Euangeliſtis, Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19. Paullique repetitione, 1 Cor. XI, 24.: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Cum autem *verum* Chriſti *corpus* pro nobis *in mortem traditum ſit;* collectu procliue eſt, quod in euchariſtia cum pane conſecrato manducandum detur non *corpus typicum, aut figuratiuum,* quale erat *corpus agni paſchalis*, quatenus adumbrabat, aut præfigurabat corpus Chriſti; non *corpus myſticum*, quod eſt eccleſia, Eph. I, 23., non *ſignum corporis*, quippe quod pro nobis non eſt crucifixum:

Digitized by Google

crucifixum: ſed corpus Chriſti *verum & perſonale*, Filii Dei proprium, adeoque Deo *plenum & maieſtaticum*, *in quo plenitudo diuinitatis, velut in proprio templo, habitat*, Col. II, 3. Ex quo conſequitur, quod hoc corpus ſit *vere viuiſicum*, Io. VI, 51. Eſt corpus Chriſti nunc *glorificatum & glorioſiſſimum*. Etſi enim corpore Chriſti crucifixo ac mortuo ſemper fruamur, quoad meritum; non tamen nunc eſt amplius in illo ſtatu, ſed in quo ſtatu nunc eſt, in eo fruimur ipſo. Non ergo circumſcribendum eſt naturæ regulis. Potuit caro Chriſti eſſe ſine propria ὑποςάσει; quidni etiam ſine extenſione quantitatiua? Afficiuntur corpora glorioſa duratione angelica æui; quidni etiam *vbi* angelico? Confer. DANNHAV. in *hodoſoph. phænom. X. pag.* 1197.

Prob. b. Altera pars materiæ cœleſtis in S. cœna eſt *verus & ſubſtantialis Chriſti ſanguis*. Etenim teſtibus Euangeliſtis, Matth. XXVI, 27. 28. & Marc. XIV, 23. 24. Chriſtus accepto, conſecrato & exhibito ad bibendum poculo, dixit: *Hoc eſt ſanguis meus ille noui teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Quare cum verus Chriſti ſanguis pro nobis effuſus ſit, ex facili patet, quod in euchariſtia cum vino conſecrato bibendus detur *non ſanguis typicus, aut figuratiuus, non ſignum ſanguinis, non efficacia ſanguinis, ſed verus Chriſti ſanguis*, in venis ipſius contentus, in paſſione effuſus, ſed a reſurgente iterum aſſumtus; *ſanguis Filii Dei proprius*, Act. XX, 28. ideoque pretioſiſſimus, ἱλαςικὸς & λυτρωτικὸς, *ſacrificialis & redemtorius*, 1 Petr. I, 19. Hebr. IX, 12. *ſanguis fœderalis*, Zach. IX, 11. quo nouum teſtamentum ſancitum & confirmatum eſt; ſanguis *aſperſione mundans*, 1 Io. I, 7. Ex quibus colligimus: Quidquid cum pane benedicto comedendum, & cum vino conſecrato bibendum in S. cœna exhibetur, illud eſt materia cœleſtis ſancti huius conuiuii: Atqui corpus Chriſti verum & ſubſtantiale, cum pane benedicto comedendum, & ſanguis Chriſti verus & ſubſtantialis, cum vino conſecrato bibendus, in S. cœna exhibetur: E. *Maior* eſt per ſe euidens: quidquid enim in conuiuio exhibetur, aut porrigitur comedendum & bibendum, illud eſt *materia* conuiuii. Eſt autem corpus & ſanguis Chriſti materia *cœleſtis;* quia eſt corpus & ſanguis Filii Dei proprius, & diſtinguitur a materia *terrena*, ſcilicet pane & vino.

Dicis: I. Cum Chriſtus dixit: *Hoc eſt corpus meum*, non voluit corpus ſuum deſignare, tanquam materiam cœleſtem in hoc ſacramento, ſub ratione exhibitionis; quia 1) ipſe aſſedit menſæ, & 2) cum ipſe ederit de pane hoc, ſemetipſum comediſſet, nec non 3) cum locutus fuerit, ſimul fuerit mutus & loquens; quod contradictorium & abſurdum eſt. Reſp. Ad I. Chriſtus aſſedit menſæ modo naturali: ſed corpus ſuum manducandum dedit *ſacramentaliter*. Ad II. Chriſtus comedit quidem *panem paſchalem*, ſed non *panem euchariſticum;* ſicut etiam non bibit vinum euchariſticum. Teſtatur enim Marcus c. XIV, 23. bibiſſe ex poculo benedicto omnes, ſed Apoſtolos, ad quos mandatum edendi cum pane corpus Chriſti, & bibendi cum vino ſanguinem ipſius ſpectabat. Ad III. Chriſtus *loquebatur*, ſecundum conditionem *naturalem*, & ſimul *non loquebatur*, ſecundum conditionem *ſupernaturalem;* quæ non ſunt contradictoria.

Dicis: II. Sanguis Chriſti non eſt materia cœleſtis ſacræ cœnæ, ideo, quod referente Luca XXII, 20. & Paullo, 1 Cor. XI, 25. Chriſtus euchariſtiam inſtituens dixit: *Hoc poculum eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine.* Reſp. Diſt. *inter propoſitionem realem, & vſualem.* In *illa* res de re, in *hac* vſus de re prædicatur. Lucas & Paulus verbis citatis reſpiciunt *vſum* cœnæ dominicæ: cuiusmodi *vſualis propoſitio* etiam eſt, cum *baptiſmus* dicitur *ſtipulatio bonæ conſcientiæ*, 1 Petr. III, 21.

Quæſt. XI.

Digitized by Google

Quæſt. XI. *Qualis eſt vnio materiæ terrenæ & cæleſtis in vſu S. cœnæ?*

*Vnio ſacramentalis.* *Vnio* ſacramentalis in vſu S. cœnæ eſt *vera & realis* materiæ terrenæ & cœleſtis coniunctio, qua, ex voluntate & virtute Chriſti inſtituentis, externa elementa, panis & vinum, conſecrata, cum re cœleſti, verbo inſtitutionis expreſſa, corpore videlicet & ſanguine Chriſti, ad vnum ſacramentum vniuntur, vt propter hanc vnionem, in ipſo ſacramenti huius vſu, corpus & ſanguis Chriſti cum pane & vino oraliter manducanda & bibenda exhibeantur omnibus communicantibus, in commemorationem mortis Chriſti.

Obſ. I. Non eſt nobis in præſenti ſermo de *vnione perſonali* diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto ϑεανϑρώπῳ, neque de *vnione ſpirituali* animarum fidelium cum Chriſto; ſed de *vnione ſacramentali*, quæ non eſt mere σημαντικὴ, *aut ſignificatiua*, neque τυπικὴ, *præfiguratiua*, neque *tantum* ἐνεργητικὴ, ſeu *operatiua*, neque σχετικὴ, ſeu *relatiua*, φυσικὴ *naturalis aut localis;* ſed eſt *ſubſtantialis*, ratione extremorum, etſi *ſacramentalis* ſit ratione *modi*, per veram & realem coniunctionem, & ſimultaneam exhibitionem corporis Chriſti cum pane benedicto, & ſanguinis Chriſti cum vino benedicto, in ſacramenti cœnæ vſu.

Obſ. II. Punctum temporis mathematicum, quando præciſe vniantur res terrena ac cœleſtis in euchariſtia, definiri nequit; propterea, quod non ad vnius, ſed plurium correquiſitarum actionum exſecutionem, quæ aliquam temporis latitudinem requirit, & inter quas actiones vltimæ ſunt comeſtio ac bibitio, Dominus præſentiam corporis & ſanguinis ſui promiſit. Dixit enim: *Accipite, edite, hoc eſt corpus meum,* Matth. XXVI, 26. *Accipere* igitur panem, *benedicere, diſtribuere, edere, ſimul correquiruntur,* vt exiſtat corpus Chriſti vnitum cum pane. Eumdem ad modum de vino, cum ſanguine Chriſti coniungendo, ſentiendum eſt. Conf. HVLSEM. *breu. c. XIII. p.* 858.

Obſ. III. Vnio ſacramentalis rei terrenæ & cœleſtis infert mutuam præſentiam & communicationem panis & corporis, vini itidem & ſanguinis Chriſti, vt panis benedictus ſit vehiculum corporis, & vinum benedictum ſit vehiculum ſanguinis Chriſti.

Probatur aſſertum: 1) Quidquid Chriſtus cum pane benedicto manducandum, & cum vino benedicto bibendum in ſacra cœna nobis porrigit, illud in vſu huius ſacramenti oportet eſſe cum pane & vino euchariſtico coniunctum atque vnitum: Atqui corpus & ſanguinem ſuum &c: Ergo.

2) Ex teſtimonio Apoſtolico. Paullus diſerte dicit: *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne* (eſt) *communicatio ſanguinis Chriſti? Quem panem frangimus, nonne is communicatio corporis Chriſti eſt?* 1 Cor. X, 16. Vbi vera & realis datur *communicatio*, ibi vera & realis datur *vnio*, neque κοινωνία locum vllum habere poteſt ſine vnione; quia *communicatio eſt effectus vnionis.*

3) Quia *e re terrena & cæleſti* fit *vnum ſacramentum*, non poteſt fieri ſine intercedente aliqua *vnione.*

Quæſt. XII. *An ſubſtantiale Chriſti corpus, & ſubſtantialis Chriſti ſanguis vere præſentia ſunt in ſacramento cœnæ?*

*Verum & ſubſtantiale Chriſti corpus* atque *ſanguis* in *vſu* S. cœnæ *realiter* præſto eſt.

Obſ. I. Diſtingue inter præſentiam *phyſicam, & hyperphyſicam.* Præſentia *phyſica eſt* localis & circumſcriptiua, corporum naturaliter ſe habentium propria. Præſentiæ *hyperphyſicæ*, ſiue ſupernaturalis (h. e. quem nos naturali perceptione adſequi non poſſumus), *modus* eſt *duplex*, definitiuus, & repletiuus. *Definitiue* præſens eſt ens finitum, quod citra localem

Digitized by Google

localem ſpatii occupationem in certo *vbi* eſt. Hoc modo præſentes ſunt angeli, qui cum ſint eſſentiæ ſpirituales, loci intercapedine menſurari nequeunt. Hic modus adeſſendi definitiuus noſtris etiam corporibus in vita æterna erit communis. Hoc modo Chriſtus quoque vſus eſt, quando per lapidem ſepulcralem egreſſus eſt ex monumento, quando per clauſas ianuas introiuit ad diſcipulos. Quo modo corpus Chriſti etiam pani elementari in vſu ſacræ cœnæ adeſſe haud incommode ſtatuitur; licet inſuper etiam accedat *vnio ſacramentalis* panis cum corpore Chriſti, quæ non ex modo iſto præſentiæ definitiuo præciſe, aut ſimpliciter, ſed ex peculiari promiſſione diuina dependet. Præſentia *repletiua* eſt omnipræſentia, quæ *ſoli Deo* competit *per ſe & eſſentialiter*, humanæ Chriſti naturæ *per vnionem* cum diuina, & *perſonaliter*.

Obſ. II. Diſt. inter præſentiam *obiectiuam*, ſiue intentionalem, & præſentiam *veram atque realem*. *Obiectiue* præſens aliquid dicitur per hoc, quod actu eſt obiectum noſtræ cognitionis, ſiue quod a potentia cognoſcente, veluti ab intellectu noſtro, cognoſcitur. Quod vero tantum per hoc præſens eſt, quod ab intellectu cognoſcitur, id realiter præſens non eſt: Nam quod præſens eſt *realiter*, id præſens eſt citra hoc, quod ab intellectu cognoſcitur. Ergo quod tantum obiectiue præſens eſt, tantum per ſui ſpeciem, non in ſeipſo præſens eſt. Quod autem non in ſeipſo præſens eſt, ſed tantum per ſpeciem impreſſam intellectui, quomodo id *vere & realiter* præſens eſſe dici queat? Si in conuiuio vulgari ſermo incidat de rege Galliæ, deque ciborum potusque exquiſitis deliciis, quibus menſa regia inſtruitur; recte dicitur, regem Galliæ eiusque dapes ibidem præſentes eſſe *obiectiue*, dum per ſpecies eorum, intellectui impreſſas, cognoſcuntur: Sed quis ferat dicentem, regem Galliæ dapesque regias in conuiuio iſto *vere & realiter* præſentes eſſe? Præterea conſtat, etiam illis entibus rationis, quæ finguntur eſſe, cum nec ſint, nec eſſe poſſint, ſuam eſſe præſentiam obiectiuam: veluti cum chimæram concipio, aut hircoceruum, quæ tamen concipienti vere & realiter præſentia non ſunt. Quod alicui præſens eſt vere & realiter, ſecundum eſſe ſuum verum & reale præſens eſt: Qui ergo vere & realiter præſens ſit alicui, quod eſſe ſuum verum & reale nec habet, nec habere poteſt, ſed totum fictione conſtat?

Obſ. III. *Diſtincte adeſt* corpus Chriſti pani euchariſtico, & ſanguis Chriſti vino benedicto; quia per *diſtincta ſymbola* diſtributionem fieri voluit Chriſtus. Illa autem diſcreta exhibitio *non* infert *ſeparationem*, vt corpus realiter ſeparetur a ſanguine. Vnde diſtinguimus inter *præſentiam materialem*, *perſonalem*, *& ſacramentalem*; quo vltimo tantum modo corpus Chriſti pani, & ſanguis eius vino adeſt in S. cœnæ vſu. Ita, etſi ſanguis a corpore Chriſti, qua præſentiam *naturalem & perſonalem*, inſeparabilis ſit, *ſacramentali* tamen præſentia diſtincte adeſſe & exhiberi poſſunt; quia hoc ſacramentum non redundat e natura, vi cuius corpus Chriſti non eſt ſine ſanguine; nec ex vnione perſonali, iuxta quam æque ſanguis, ac corpus in hypoſtaſin Filii Dei aſſumtus eſt; ſed vnice ex ordinatione & inſtitutione Chriſti, qua hæc ordinata ſunt ad diſtinctam diſtributionem, & manducationem corporis Chriſti cum pane benedicto, & bibitionem ſanguinis Chriſti cum vino benedicto.

Obſ. IV. Non eſt quæſtio de præſentia Chriſti *virtuali*, aut *operatiua*, h. e. an Chriſtus adſit in S. cœna per effectum, vel operationem, quomodo ſol nobis præſens eſt per lumen & calorem; nec de præſentia *ſignificatiua*, aut *præfiguratiua*, quomodo corpus agni paſchalis in V. T. adumbrat corpus Chriſti; ſed de præſentia *ſacramentali*, *reali & ſubſtantiali* corporis & ſanguinis Chriſti in actione S. cœnæ.

Probatur aſſertio noſtra: 1) Ex verbis inſtitutionis. Quidquid in ſacra cœna exhibetur ore corporis manducandum & bibendum, illud in S. cœna communicantibus ſubſtantialiter & indiſtanter præſens eſt: Atqui corpus & ſanguis Chriſti eſt illud, quod in S. cœna exhibetur

ore corporis manducandum & bibendum: E. corpus & ſanguis Chriſti in S. cœna communicantibus ſubſtantialiter & inſtanter præſens eſt. *Maior* ex ſe eſt euidens, niſi dicere velis, non manducari bibique a communicantibus in S. cœna, quod manducandum & bibendum illis exhibetur. Nam manducari aliquid aut bibi ore corporis, quod manducanti & bibenti non ſubſtantialiter & indiſtanter præſens ſit, contradictionem implicat. *Minor* quoque manifeſta eſt ex verbis inſtitutionis. Nam, exhibito pane benedicto, ait Seruator diſcipulis ſuis: *Accipite*, *comedite*, *hoc eſt corpus meum.* Similiter, exhibito poculo benedicto: *Bibite ex eo omnes. Hoc enim eſt ſanguis meus*, *ſanguis ille noui teſtamenti*, *qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*, Matth. XXVI, 26. 27. 28. Vbi verba mandati: *comedite*, *bibite*, de manducatione & bibitione *orali*, quæ ſola *proprie* dicta manducatio & bibitio eſt, haud dubie ſunt accipienda: Quam bibitionem etiam ſtatim ad mandatum Domini peractam commemorat Marcus, c. XIV, 23. *Et biberunt ex eo omnes.* Verbum, *biberunt*, externum actum deſignat, de quo teſtimonium perhiberi poterat. Iam *ipſum corpus & ſanguinem* Chriſti eſſe illud, quod *ore corporis* manducandum & bibendum exhibetur in S. cœna, perinde ex verbis inſtitutionis perſpicuum eſt. Nam cum Chriſtus diſcipulos iuſſit comedere, ſtatim addit, exponens obiectum, quod comedi debet: *Hoc eſt corpus meum.* Et cum iuſſiſſet ipſos bibere, addit, exponens obiectum, quod bibi debet: *Hoc eſt ſanguis meus.* Quod ipſum quid aliud eſt, quam Chriſtum corpus ſuum comedendum, & ſanguinem ſuum bibendum præcipere?

2) Ex periphraſi ſanguinis Chriſti. Referente enim Matthæo, c. XXVI, 28. Chriſtus obiectum bibitionis ſic deſcripſit: *Hoc eſt ſanguis meus ille noui teſtamenti*, *qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Nempe quemadmodum, cum lex eſſet promulgata, eiusque religione ſe obſtrinxiſſet populus, Moſes illum ſanguine victimarum aſpergens, ſic allocutus eſt: *Ecce ſanguis fœderis*, *quod pepigit Iehouah vobiscum ſuper omnibus verbis his*, Exod. XXIV, 8.: ita Chriſtus, proprium ſanguinem ſuum, quo nihil pretioſius, mox in ara crucis fundendum, inſtituto nouo ſacramento exhibens, inquit: *Hoc eſt ſanguis meus* &c. Ex quibus colligimus: Quo ſenſu ſanguis taurorum ſparſus dicitur ſanguis V. T. eo ſenſu ſanguis Chriſti dicitur ſanguis N. T. Atqui ſanguis taurorum dicitur ſanguis V. T. non ſignificatiue, ſed effectiue & conſtitutiue, per realem præſentiam: E. Inprimis verba Lucæ, c. XXII, 20. *Hoc poculum eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine*, *quod pro vobis effunditur*, virtutem ſanguinis Chriſti, in calice præſentis, clariſſime demonſtrant. Nihil enim certius eſt, quam *poculum non* ratione *materiæ*, *nec* ratione *vini* contenti, ſed *ſolius ſanguinis* Chriſti reſpectu, *pro nobis effuſum eſſe.* Aut enim in poculo præſens eſt vinum ſine ſanguine, aut ſanguis Chriſti cum vino, Non illud; quia *id* præſens eſt, *quod eſt baſis ſanciti noui teſtamenti*, quodque *pro nobis effunditur. Vinum* autem tantum *non* eſt *baſis noui teſtamenti*, *nec* vinum *pro nobis effuſum eſt. Sanguis* igitur *cum vino* præſto eſt.

3) E vera & reali κοινωνίᾳ, quæ eſt inter panem euchariſticum, & corpus Chriſti, inter vinum itidem, & ſanguinem Chriſti, teſte Paullo, 1 Cor. X, 16. Vbi eſt vera & realis communicatio panis diſtributi cum corpore, & vini conſecrati cum ſanguine Chriſti, ibi eſt vera & realis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti cum pane & vino benedicto: Atqui in euchariſtia &c. E.

4) E corporis & ſanguinis Domini reatu, de quo Paullus 1 Cor. XI, 27. Qui reatum incurrunt corporis & ſanguinis Domini, indigne illud manducando & bibendo, illis corpus & ſanguinem Domini realiter adeſſe oportet: At impœnitentes peccatores &c. E.

5) Ex

5) Ex neceſſaria corporis Domini diſcretione, de qua Paullus 1 Cor. XI, 29. Si enim diſcernendum eſt corpus Chriſti in euchariſtia, a cibo vulgari, oportet vtique id vere & realiter adeſſe: Atqui verum eſt antecedens: E. & conſequens.

6) Ex teſtimonio ſanguinis Chriſti de noſtra ſalute in his terris, de quo Ioannes 1 ep. c. V, 8. *Tres ſunt, qui teſtantur in terra, Spiritus, aqua & ſanguis.* Qui teſtatur in terra, illum in terra oportet eſſe præſentem: Atqui ſanguis Chriſti &c. E.

7) Ex abſurdis, quæ contrariam ſententiam ſequuntur. Si corpus & ſanguis Chriſti vere & realiter non adſunt in ſacra cœna, ſequitur: 1) nuda tantum relinqui ſymbola ſacramentalia: 2) ſigna ſacramentalia N. T. eſſe obſcuriora ſignis V. T.; clarius quippe agnus paſchalis mortem Chriſti repræſentabat, quam panis euchariſticus: 3) Chriſtum non magis eſſe præſentem in euchariſtia, quam fuit præſens patribus V. T.

8) Chriſtus, qui vnigenitus Filius Dei eſt, & ipſe verus Deus atque omnipotens, per omnipotentem ſuam virtutem præſtare hoc facile poteſt, vt corpus & ſanguinem ſuum, diuina ſubſiſtentia prædita, in iſta diuina ſubſiſtentia ſiſtat præſentia in S. cœna, vbicunque illa & quandocunque celebratur. Si quis hoc negauerit, opponimus illi omnipotentiam diuinam, per quam quondam angelus Gabriel Mariam virginem confirmauit, dicens, Luc. II, 37: *Non impoſſibile eſt apud Deum quodcunque verbum.*

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum*, *Arminianorum*, *Socinianorum & Schwenkfeldianorum*, veram & realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam in S. cœna negantium. Quorum argumenta ſunt:

I. Omne corpus naturale eſt in certo & determinato loco, adeoque non in multis locis, vbi ſacramentum cœnæ adminiſtratur: Atqui corpus Chriſti &c. E. Reſp. 1) Diſt. *inter corpus, naturale dictum ratione ſubſtantiæ, & ratione affectionum, ſeu qualitatum.* Corpus Chriſti eſt *verum & naturale* corpus ratione *ſubſtantiæ*, ſed ratione *affectionum* eſt *glorificatum & maieſtaticum*, adeoque *ſupernaturale.* 2) Nullum corpus naturale *per vires naturæ* poteſt eſſe in pluribus locis, poteſt tamen per omnipotentiam Dei alicuius corporis præſentia multiplicari, non multiplicata eius eſſentia. Quæ impoſſibilia ſunt *naturæ*, poſſibilia ſunt *Deo*. Demus igitur, Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur, intelligere non poſſe. 3) Fac, *nullum corpus, finita & creata ſubſiſtentia ſubſiſtens*, in pluribus locis eſſe poſſe; aliter tamen comparatum eſt cum *corpore Chriſti, quod in infinitam ὑπόςασιν τȣ̃ λόγȣ euectum eſt:* Hoc Filius Dei per omnipotentem ſuam virtutem præſens ſiſtere poteſt & vult, vbicunque & quandocunque ſacra cœna celebratur.

Inſtantia: Aſſumſit Chriſtus corpus humanum, ſpecie idem cum noſtro corpore, Hebr. II, 14. E. iisdem gaudet affectionibus. Reſp. Quam prope accedit corpus Chriſti ϑεανθρώπȣ ad conditionem corporis ψιλȣ̃ ἀνθρώπȣ, *qua eſſentiam*, tam longo interuallo ab eodem differt, *qua ſubſiſtentiam* & huius conſequens, maieſtatis diuinæ participationem, *vt omnis plenitudo diuinitatis in eo ipſo habitet* σωματικῶς, Col. II, 9.

II. Quacunque doctrina euertitur veritas humanæ Chriſti naturæ, illa non eſt aſſerenda: Atqui doctrina de ſubſtantiali præſentia corporis Chriſti in ſacra cœna euertitur &c. E. *Minor* probatur: quia omne verum corpus humanum eſt viſibile, palpabile, & certo loco circumſcriptum; quale corpus non eſt, quod ſub hoſtiis in pluribus locis eſſe dicitur. Reſp. Omne corpus eſt viſibile, palpabile, & certo loco circumſcriptum *ſecundum naturalem ſuam conditionem;* concedo. At per *omnipotentiam diuinam* fit inuiſibile, impalpabile & actu non circumſcriptum loco, ſi diuinitus conſtituatur *in ſtatu ſupernaturali.* Nam corpora *glorificata*, ſpiritualibus qualitatibus prædita, non videntur, *palpantur*, & loco phyſico circumſcribuntur.



Digitized by Google

III. Si corpus Chriſti compræſens eſt cum pane euchariſtico, tot erunt corpora Chriſti, quot hoſtiæ diſtribuuntur: Conſequens eſt abſurdum: Ergo & antecedens. Reſp. negando *conſequentiam.* Nam eadem ratione quispiam forte colligeret: Si Deus myſtice vnitus eſt cum omnibus fidelibus chriſtianis, tot erunt Dii, quot ſunt fideles chriſtiani. Hoc igitur tantum ſequitur, corpus Chriſti eſſe ſub tot panibus, quot in ſacra cœna diſtribuuntur. Deinde omnes panes in S. cœna pro *vno pane* ſunt, docente Apoſtolo, 1 Cor. X, 17. *de vno pane multi participamus.* Concludendum itaque potius: Licet *multi panes* ſint, cum tamen *pro vno* ſint, erit & *vnum corpus.*

IV. Si corpus Chriſti diſtincte adeſſet in S. cœna ſub pane, & ſanguis ſub vino; corpus Chriſti ab ipſius ſanguine ſepararetur: Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. Reſp. Diſt. inter *vnionem atque præſentiam ſacramentalem, & vnionem atque præſentiam naturalem. Corpus* Chriſti *ſub pane* eſt *ſacramentaliter;* quia corpus ſub pane eſt, tanquam ſub ſuo ſymbolo ſacramentali, & *ſanguis ſub vino* eſt, tanquam ſub ſuo ſymbolo ſacramentali: Nam panis in ſacramento inſtitutus eſt a Chriſto, vt eſſet ſymbolum corporis ſui; & vinum inſtitutum eſt, vt eſſet ſymbolum & vehiculum ſanguinis ſui. Hoc ipſo non rumpitur vnio naturalis corporis & ſanguinis Chriſti; cum Filius Dei per omnipotentiam ſuam variis modis præſens ſiſtere queat corpus & ſanguinem ſuum, ſalua manente ipſius natura.

V. Si corpus Chriſti eſſet in, cum, & ſub pane; vtique in, cum, & ſub pane eſſet adorandum. Conſequens eſt falſum: E. & antecedens. *Conſequentia* eſt euidens: quia Chriſtus ibi eſt adorandus, vbi ſuam præſentiam gratioſam nobis exhibet. *Conſequentis* falſitas eſt manifeſta, quia adorantes Chriſtum in, aut ſub pane, ipſum panem ſimul adorant. Reſp. 1) Non id ſemper, cum quo Chriſtus vnitus eſt, adorandum eſt. Nam vnitus eſt cum fidelibus: ergone fideles adorandi ſunt? 2) Aliud eſt *obiectum* adorationis, aliud *locus* adorationis. Vbi diſtribuitur panis euchariſticus, ibi Chriſtus eſt adorandus; at panis euchariſticus non eſt obiectum adorationis.

VI. Quicunque nolunt aſſerere conſubſtantiationem in S. cœna, illos non oportet aſſerere, corpus Chriſti eſſe in, cum, & ſub pane: Atqui *Lutherani* nolunt aſſerere conſubſtantiationem: E. *Maior* claret; quia qui dicit, in, cum & ſub pane, corpus Chriſti eſſe, hoc ipſo indicat, corpus Chriſti *commixtum* eſſe cum pane, vel *impanatum.* Reſp. Particulæ illæ explicatiuæ *non* præſentiam *phyſicam,* ſed *hyperphyſicam;* non localem incluſionem, ſed ſingularem vnionem; non carnalem impanationem, aut conſubſtantiationem, ſed præſentiam mutuam & *ſacramentalem communionem* panis benedicti & corporis Chriſti, vini benedicti & ſanguinis Chriſti inferunt.

VII. Quodcunque corpus ſubuectum eſt in cœlos, illud non eſt præſens in terra: Atqui corpus Chriſti &c: Ergo. Reſp. 1) Aſcendit Chriſtus in cœlum, *vt omnia impleret,* Eph. IV. 10. h. e. *vt eſſet omnipræſens,* Ier. XXIII, 23. *Exaltatus eſt ad dextram Dei omnipræſentem,* quæ omnia loca immeat, ambit & excedit: E. vi huius exaltationis corpus ſuum ſpeciali ratione præſens ſiſtere poteſt, vbi & quando vult. Poſt aſcenſionem Chriſtus aliquoties viſus eſt a Paullo, Act. IX. XXII. XXIII. XXVI. 2) Per aſcenſionem quidem ſublatus eſt *modus* præſentiæ *viſibilis; non* vero *inuiſibilis & ſacramentalis.*

VIII. Præſentia ſubſtantialis in euchariſtia pugnat cum fine inſtitutæ cœnæ, quem Paullus ait eſſe, vt *recordemur Chriſti,* & *mortem eius annuntiemus,* dum venerit ad iudicium. Quod ſi vero iam adeſt ſuo corpore, ceſſabit annuntiatio mortis eius; *commemoratio* enim eſt rerum *non præſentium,* ſed *abſentium.* Reſp. Negatur pugnare. Nam 1) *recordamur* eius, qui *non videtur,* etiamſi *præſens* fuerit: 2) Immo *recordamur* eius, qui *viſibiliter* ſe nobis

*præſentem*

Digitized by Google

*præſentem* ſiſtit; ſi *prius* eius *obliti* fuimus. 3) Adeſt, venitque Chriſtus corpore ſuo in ſacra cœna, ſed non venit ad iudicium. Vnde non ceſſat *annuntiatio mortis eius*, ante tot ſæcula oppetitæ, adeoque iam minime præſentis, etſi iam adſit corpus Chriſti, ſed inuiſibiliter. In altera vita non ceſſabit annuntiatio mortis Chriſti inter electos, quando corpus Chriſti præſens conſpicient in gloria, Apoc. V, 9.

IX. Subſtantialis præſentia corporis Chriſti in, cum, & ſub pane pugnat cum prima cœnæ inſtitutione & adminiſtratione. Cum enim Chriſtus de menſa panem ſumeret, frangeret & diſtribueret, aſſedit vna cum diſcipulis menſæ: Non autem fuit in, cum, & ſub pane, nec ſeipſum fregit in, cum, & ſub pane, nec manibus geſtauit. Reſp. Non pugnat cum prima cœnæ inſtitutione & adminiſtratione. Cum Chriſtus de menſa panem ſumeret, frangeret & diſtribueret, aſſedit *naturaliter* menſæ vna cum diſcipulis; & cum diſtribueret panem, fecit ſimul, vt corpus ſuum eſſet in, cum, vel ſub pane *ſacramentaliter*, non ſublata aſſeſſione ad menſam, ſed multiplicata per omnipotentiam diuinam corporis ſui præſentia.

X. Subſtantialis præſentia corporis Chriſti in, cum, & ſub pane pugnat cum ſcopo & intentione Chriſti. Voluit enim Chriſtus a fidelibus principaliter manducari corpus ſuum, quatenus pro nobis eſt traditum & crucifixum. Vnde ait: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur.* Qui vero præſentiam ſubſtantialem in pane adſtruunt, ii manducandum exhibent *tantum corpus glorioſum & impatibile.* Reſp. Non pugnat cum ſcopo & intentione Chriſti. Voluit namque manducari corpus ſuum, *quod* pro nobis traderetur, & crucifigeretur: Non *quatenus* pro nobis traditum & crucifixum eſt. Chriſtus in prima cœna exhibuit corpus mox tradendum, nondum traditum: Nunc traditum nobis ipſe exhibet.

XI. Quodcunque corpus eſt omnipræſens, illud non tantum ſub pane benedicto; ſed ſub pane omni manducandum exhibetur: Atqui ſententia *Lutheranorum* corpus Chriſti eſt omnipræſens. E. Reſp. Diſt. inter præſentiam *generalem, & ſpecialem.* Non ſunt oppoſita, *omnipræſentem* eſſe, & nihilominus *certo* præſentiæ *modo ſpeciali* alicui exhiberi: Sic enim omnipræſentem Spiritum S. deſcendiſſe ſuper Chriſtum in ſpecie columbæ, Matth. III, 6. flatu externo datum diſcipulis, Io. XX. ſpecie ignitarum linguarum Apoſtolis communicatum, Act. II, 3. in corporibus piorum vere & per gratioſam præſentiam habitare, 1 Cor. III, 6. legimus. Quamuis itaque per vnionis perſonalis gratiam aſſumtæ carni Chriſti communicata ſit omnipræſentia generalis, non illa tamen præſentia corporis Chriſti ſpecialem & ſacramentalem tollit, aut deſtruit.

XII. Subſtantialis præſentia corporis Chriſti in euchariſtia pugnat cum expreſſis ſcripturæ teſtimoniis, quæ negant, Chriſtum ſemper corpore ſuo in hiſce terris eſſe, qualia ſunt: 1) *Veni in mundum, iterum relinquo mundum*, i. e. terram, Io. XVI, 28. 2) *Me non ſemper habetis vobiſcum*, Io. XII, 8. 3) Angelus de Chriſto, qui reſurrexerat, dixit: *Surrexit, non eſt hic*, Matth. XXVIII, 6. 4) *Si adhuc in terris eſſet, Sacerdos non eſſet*, Hebr. VIII, 4. Reſp. Hæc & ſimilia loca ſcripturæ non *ſimpliciter negant præſentiam* corporis Chriſti in hiſce terris, ſed *certum præſentiæ modum.* Nam 1) cum Dominus ait: *Relinquo mundum*, intelligenda eſt relictio mundi ſecundum *ordinariam & viſibilem* conuerſationem, ſecundum quam Verbum caro factum hucusque habitauerat inter homines. At nil obſtat, quo minus Chriſtus ſecundum viſibilem illam præſentiam, relicto mundo, tamen ex promiſſione alio modo, nempe inuiſibiliter, corpore ſuo adſit in S. cœna. 2) Sic certum duntaxat præſentiæ modum negat Seruator, Io. XII, 8, *Me non ſemper habetis*

 *vobiſcum*,

Digitized by Google

*vobiſcum*, nempe *tali modo*, vt benefacere mihi, ſicut pauperibus, queatis. 3) Similiter cum angelus, Matth. XXVIII, 6. inquit: *Non eſt hic*; nempe *mortuus*, in ſepulcro iacens, quem vngere queatis, *qualem vos quæritis*. 4) Hebr. VIII. de Pontifice noſtro, Chriſto, ſcriptum eſt: *Si eſſet in terra*, ſcilicet *eo modo*, quo alii pontifices, qui ſecundum legem offerunt dona, & vmbræ ſeruiunt rerum cœleſtium, *ne eſſet quidem ſacerdos ille verus, per ſacerdotes Leuiticos in V. T. præfiguratus*; ideoque non oportuit ipſum in terra manere ad morem ſacerdotum, vmbræ ſeruientium, ſed in ipſum cœlum penetrare & ad dextram Dei ſedere. At *aſcenſio Chriſti in cœlum*, & *ſeſſio ad dextram Dei Patris*, non deſtruunt præſentiam Chriſti *inuiſibilem* in ſacra cœna, licet tollant præſentiam *viſibilem, ordinariam, humilem & localem*.

XIII. Qualis eſt vnio membrorum, h. e. fidelium, cum Chriſto capite, talis quoque eſt præſentia: Atqui vnio fidelium cum Chriſto non eſt, niſi ſpiritualis: E. & præſentia non eſt, niſi ſpiritualis. *Maior* conſtat: quia præſentia Chriſti in cœna eſt propter vnionem noſtri cum Chriſto. *Minor* probatur: quia *vnio fit per fidem*, Eph. III, 7. Reſp. *Vnio fidelium cum Chriſto in S. cœna duplex eſt, vna corporalis, altera ſpiritualis. Corporalis* dicitur ratione *ſubſtantiæ vnitæ*, non ratione modi vniendi; qua nimirum non corporali quidem, naturali & ſenſibili modo, ſed vere tamen ipſa corporis Chriſti ſubſtantia propinquitate ſubſtantiali, in, cum, vel ſub pane præſens vnitur, ſeu coniungitur fidelibus. *Spiritualis* vnio fit per fidem, de qua Io. VI, 36. Infideles in S. cœna vnionem ſpiritualem cum Chriſto non habent, ſed tantum vnionem corporalem: Quæ tamen ipſis non prodeſt, ſed obeſt potius, & cedit in maiorem condemnationem, 1 Cor. XI, 29.

Inſtantia: Si præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. coena non eſt ſpiritualis, erit corporalis, & fiet per contactum corporis Chriſti phyſicum, quod eſt abſurdum. Reſp. Præſentia corporis Chriſti in S. coena *non* eſt *mere ſpiritualis*, quæ per ſolam fidei repræſentationem fiat, *neque* eſt *corporalis* ratione *modi*, ſiue *phyſica*; ſed eſt vera, realis & ſubſtantialis quidem, attamen *ſupernaturalis*, incomprehenſibilis, ſolique Deo cognita.

Quæſt. XIII. *Quæ eſt forma euchariſtiæ?*

*Forma cœnæ.* *Formam* euchariſtiæ abſoluunt actus formales huius ſacramenti, indiſtracte ſe inuicem ſubſequentes: a) εὐλογία, *benedictio*, ſiue conſecratio ſymbolorum: b) δόσις, ſiue ſymbolorum conſecratorum *diſtributio*; c) λῆψις, ſymbolorum diſtributorum *acceptio*, conſiſtens in manducatione corporis Chriſti cum pane benedicto, & bibitione ſanguinis Chriſti cum vino benedicto.

Prob. a. *Primum actum formalem* huius ſacramenti eſſe εὐλογίαν, diſcimus ex verbis inſtitutionis. Etenim, teſte Matthæo, c. XXVI, 26. *accepit Ieſus panem*, καὶ εὐλογήσας, *benedicens, fregit, deditque diſcipulis*, & v. 27. & *accipiens calicem*, καὶ εὐχαριστήσας, *& gratias agens dedit illis*. Differt εὐλογία, ſeu *benedictio* ab εὐχαριστία, ſi non realiter, tamen obiectiue formaliter; eo, quod illa ad ſymbola externa, panem & vinum; hæc ad patrem coeleſtem directa fuit. Confer. 1 Cor. X, 16. vbi Paullus mentionem facit *poculi benedictionis*. Fit autem benedictio, ſeu conſecratio, a) *precatione*, b) *repetitione verborum inſtitutionis*. Quidquid enim ſanctificatur, *per verbum Dei & preces ſanctificatur*, 1 Tim. IV, 5. Certam *precum formulam* in conſecranda euchariſtia, a Chriſto, vel ab Apoſtolis deſcriptam, in ſacro codice non inuenimus. Cum igitur non conſtet, quali precatione Chriſtus ſymbolis benedicens vſus ſit, colligimus, Saluatorem precationis formam in arbitrio eccleſiæ reliquiſſe, vt proinde ne oratio quidem dominica ad hunc actum ſimpliciter iure diuino ſit neceſſaria, modo eiuſmodi

Digitized by Google

eiusmodi precum formulæ adhibeantur, quæ deuotionis plenæ, & actui conſecratorio præ ceteris ſint accommodatæ. Interim cum Chriſtus hanc orandi formulam: *Pater noſter, qui es in cœlis*, alibi præſcripſerit, immo ſic orare nos iuſſerit, nec oratio melior detur, eccleſia ab initio hanc precationem in conſecranda euchariſtia recte & pie ſanxit. Ceterum *conſecratio per orationem dominicam quidem fit in genere, ſed acceſſu verborum inſtitutionis generica illa conſecratio ad hunc in ſpecie actum*, qui eſt euchariſtiæ proprius, *determinatur*, vt non ſit qualiscunque, ſed *in ſpecie euchariſtia conſecratio*. Repetitio autem verborum inſtitutionis non eſt nude hiſtorica recitatio verborum inſtitutionis, aut recenſio doctrinalis, ad populum informandum directa; ſed eſt a) ἁγιαστική, ſiue *ſeparatiua* ſymbolorum ab vſu naturali & profano; b) *efficaciter eleuatiua & deſtinatiua*, ad vſum ſanctum & ſupernaturalem, vt conſecratus panis, vinumque benedictum ſit materia adæquata huius ſacramenti; c) *exhibitiua* corporis Chriſti in multis πȣ̃, ac eiusdem cum pane & vino *vnitiua*, quatenus cum δόσει καὶ λήψει eſt coniuncta: ſola namque εὐλογία non eſt cauſſa vnionis ſacramentalis; ſiquidem *Chriſtus dedit*, & dixit: *Accipite*, & tum demum hæc verba protulit: *HOC EST CORPVS MEVM.* Ergo niſi porrigatur & accipiatur ſimul panis euchariſticus, non poteſt dici: *hoc eſt corpus Chriſti.* Conf. D. HVLSEM. *breu. cap. XIII, p.* 675. Probe hic obſeruandum eſt, quod triplex hic effectus conſecrationis non dependeat a *magica quadam incantatione*, quæ verbis conſecratoriis ſecundum apices litterarum, vel iuxta corticem ſyllabarum inſit, vel a virtute creata, quæ data ſit ſacerdoti per indelebilem characterem. Abſit, vt de venerabili hoc ſacramento iſta cogitemus! Sed diſtinguimus *inter cauſſam efficientem, & impulſiuam vnionis ſacramentalis. Efficiens* eſt ſola omnipotens virtus Chriſti, per quam corpus & ſanguinem ſuum præſentia ſiſtit, & ſacramentaliter cum pane & vino vnit, quandocunque & vbicunque coena Domini rite celebratur. *Impulſiua* eſt beneuola Chriſti voluntas, qua placuit ipſi, & promiſit etiam corpus & ſanguinem ſuum præſentia ſiſtere, & cum pane & vino vnire, vbicunque coena eius recte celebratur. Hanc voluntatem & promiſſionem Chriſti continent verba inſtitutionis, quarum recitatio propterea neceſſaria eſt, & requiritur per modum cauſſæ impulſiuæ. Quod non diffitetur *ſolida declarat. Form. Concord. p.* 747. *Credimus, docemus & confitemur, quod veram præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in cœna non efficiat vllius hominis vel verbum, vel opus, dignitas, ſeu meritum. ſiue pronuntiatio miniſtri; ſeu manducatio, ſeu fides communicantium: Horum nullum nobis corpus & ſanguinem Chriſti præſentia fecit. Sed hoc totum, quod in cœna Chriſti corpus præſens habemus, ſimpliciter & in ſolidum omnipotentis Dei virtuti & verbo, inſtitutioni atque ordinationi Domini Ieſu Chriſti eſt adſcribendum.*

Prob. b. *Secundus actus formalis* huius ſacramenti eſt δόσις, ſeu *diſtributio* S. cœnæ, qua conſecrata ſymbola iuxta inſtitutionem dominicam inter communicantes diſtribuuntur. Perinde autem eſt, ſiue ſacra hæc ſymbola in manus accipientium dentur, ſiue ab eccleſiæ miniſtro ori eorum immediate admoueantur. Cum enim modus diſtributionis in S. ſcriptura non ſit expreſſus, in arbitrio eccleſiæ relictus eſt.

Prob. c. *Tertius actus formalis* huius ſacramenti eſt λῆψις, ſeu *acceptio*, qua cum conſecrato pane accipitur & comeditur corpus Chriſti, cum vino conſecrato accipitur & bibitur ſanguis Chriſti, iuxta inſtitutionem dominicam, Matth. XXVI, 26. 27.

Quæſt. XIV. *An fractio panis in S. cœna adminiſtratione neceſſaria eſt?*

*Fractio panis* in adminiſtratione cœnæ *libera* quidem & *licita* eſt, in iis locis, in quibus obtinuit a), ſed *non* eſt *ſimpliciter neceſſaria* b).

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. I. *Fractionis* vocabulum interdum ſumitur *late* pro diſtributione, Eſ. LVIII, 7. interdum *ſtricte* pro comminutione in partes.

Obſ. II. Non quæritur: an frangendus ſit panis *ante diſtributionem?* ſed: an *neceſſario* frangendus ſit *in ipſo diſtributionis actu?* Frangitur apud nos maſſa panis ante diſtributionem; at panifragium in ipſo diſtributionis actu eſt adiaphorum, ſiue indifferens.

Prob. a. Panifragium liberum licitumque eſſe in diſtributionis actu, docet exemplum Chriſti, Matth. XXVI, 26.

Prob. b. 1) Fractio panis euchariſtici accidentalis fuit primæ cœnæ, occaſione panium grandiorum, & vt apud Hebræos in vſu erant fragilium. Fuit itaque fractio panis actio *παρασκευαστική*, & miniſtra actionis principalis, i. e. diſtributionis.

2) Si fractio panis neceſſaria eſt; aut propter diſtributionem, aut propter repræſentationem fracti corporis Chriſti neceſſario fieri debet. Si propter *diſtributionem;* erit actus miniſterialis principali inſeruiens, adeoque in arbitrio eccleſiæ relictus. Si propter *repræſentationem;* analogia quædam inter ſignum & ſignatum intercedat, neceſſe eſt. Sed corpus Chriſti proprie loquendo fractum non eſt, Io. XIX, 36.

Dicis: I. Quidquid Chriſtus ipſe fecit, & fieri nobis præcepit, illud neceſſario nobis faciendum eſt: Atqui Chriſtus ipſe panem fregit, & fractionem panis nobis præcepit: E.

Reſp. 1) Diſt. Inter *actus formales, & miniſteriales, ſiue concomitantes.* In actibus *formalibus* S. cœnæ ſemper imitemur Chriſtum auctorem S. cœnæ. Actus autem *concomitantes* poſſunt eſſe quodammodo diuerſi ratione circumſtantiarum. Nam Chriſtus diſtribuit ſacramentum cœnæ a) Hieroſolymis, b) tempore veſpertino, c) poſt cœnam vulgarem, d) in contignatione ſuperiori ædium, e) inter diſcipulos accumbentes. Sicut his circumſtantiis Chriſtum neceſſario non imitamur: ita nec in fractione panis. Iudæi enim tempore eo, quo Chriſtus cœnam inſtituebat, non ita ſpiſſis vt nos, ſed latis, & minus craſſis panibus, vel placentis vtebantur, quæ manu commodius frangi, quam cultro ſcindi poterant. 2) Quid Chriſtus præceperit, patet e verbis inſtitutionis: *Accipite, edite: Hoc eſt corpus meum. Hoc facite in mei commemorationem.* Ibi nulla ſit mentio *fractionis.*

II. Apoſtoli fregerunt panem, Act. II, 24. Act. XX, 7. E. & nos neceſſario panem frangamus. Reſp. 1) Non quæritur: an fractio panis *vſitata* fuerit in eccleſia apoſtolica? ſed: an ſub opinione *mandati* ſit peracta? 2) Apoſtoli more Iudæorum, etiam extra euchariſtiam cibaturi, panem, quem nos ſcindimus, fregiſſe leguntur.

III. Quæcunque actio ſolatii eſt pleniſſima, illa eſt neceſſaria: Atqui fractio panis &c. Ergo. *Minor* probatur; quia *ἀρτοκλασία* oſtendit & repræſentat Chriſtum pro nobis fractum, 1 Cor. XI, 24. Reſp. 1) Chriſtus *proprie* loquendo *fractus non eſt*, Io. XIX, 36. 2) Paullus l. c. intelligit fractionem *metaphoricam*, h. e. paſſionem vel crucifixionem Chriſti; quam ſi fractio panis in euchariſtia referret, hæc non metaphorica, ſed vera & proprie dicta fractio eſſe debebat, cum omnis typus antitypo ſuo ſit obſcurior; quod h. l. non ſit, cum fractio panis ſit propria, ſed eius, qui ſtatuitur antitypus, fractio corporis Chriſti ſit metaphorica.

Quæſt. XV. *An per conſecrationem panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti eſſentialiter mutantur, ſiue transſubſtantiantur?*

Per conſecrationem panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti *eſſentialiter non mutantur.*

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. Diſt. *inter mutationem eſſentialem & accidentalem.* Quando ſancti Patres ſcripſerunt, quod panis & vinum in euchariſtia per conſecrationem *mutentur*, aut transelemententur, *non* intellexerunt *mutationem eſſentialem*, ſed *accidentalem*, nempe ratione officii & *vſus* myſtici, i. e. euectionem elementorum in nobiliorem ſtatum, ita, vt panis ſit & maneat ratione eſſentiæ idem, qui ante conſecrationem fuit, ſed iuxta inſtitutionem atque promiſſionem Chriſti omnipotente ipſius virtute fiat ſymbolum corporis Chriſti communicatiuum, cum ante conſecrationem eſſet panis vulgaris.

Prob. 1) Quia *tranſubſtantiatio*, aut *eſſentialis mutatio* panis & vini benedicti e verbis inſtitutionis S. cœnæ demonſtrari nequit; ſiquidem in verbis Chriſti eſt locutio exhibitiua, qua duæ res accidentaliter vnitæ exhibentur, quarum vna nobilior, ſenſibusque minus obvia in prædicato exprimitur, altera non expreſſa, ſine omni mutatione vnius rei in alteram. Vide ſupra, qu. 5.

2) Quidquid Chriſtus in inſtitutione cœnæ accepit, conſecrauit, fregit ac diſtribuit, hoc ipſum manducare iuſſit: At ſubſtantiam panis, non accidentia nuda accepit, conſecravit, fregit atque diſtribuit. Ergo.

3) Panis euchariſticus a Paullo vocatur κοινωνία, *communio corporis Chriſti*, 1 Cor. X, 16. quæ tolleretur, altero eorum ſublato & deſinente, inter quæ κοινωνία, eſſe debet.

4) Panis *conſecratus* diſerte vocatur *panis*, 1 Cor. X, 16. cap. XI, 26. 27.

5) Omne ſacramentum, & in ſpecie euchariſtia, docente IRENAEO *L. III. c. 34.* conſtat duabus rebus, terrena & cœleſti.

6) Si mus comederet panem conſecratum, ipſum corpus Chriſti comediſſet; quod eſt abſurdiſſimum.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, per conſecrationem ſubſtantiam panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti mutari atque conuerti, vt poſt benedictionem tantum externæ ſpecies & accidentia panis & vini remaneant. Quorum præcipua argumenta ſunt:

I. Verba inſtitutionis: *Accipite, edite: Hoc eſt corpus meum,* aut notant tantum ſignificatiuam repræſentationem corporis Chriſti, aut eſſentialem mutationem panis benedicti in corpus Chriſti; At non notant tantum ſignificatiuam repræſentationem: E. inferunt eſſentialem mutationem. Reſp. Datur tertium. Verba Chriſti notant ſacramentalem vnionem, ſiue duas res ſacramentaliter vnitas.

II. Si panis euchariſticus non mutatur eſſentialiter in corpus Chriſti, ſequitur, quod illa propoſitio: *Panis eſt corpus Chriſti*, ſit falſa. At illa propoſitio eſt vera & vſurpata a ſanctis Patribus & LVTHERO. Ergo. Reſp. Diſt. inter *propoſitionem biblicam & eccleſiaſticam.* Propoſitio illa: *Panis eſt corpus Chriſti*, non eſt biblica, ſed eccleſiaſtica, ratione vnionis ſacramentalis intelligenda.

Inſtantia: Propter vnionem diſparatum vnum de altero in caſu recto prædicari nequit. Reſp. In prædicatione inuſitata vnum diſparatum de altero in caſu recto prædicari poteſt, quod conſtat ex prædicatione perſonali: *Homo eſt Deus*, ſcil. propter vnionem perſonalem.

III. Quicunque non poſſunt ſimul accipere cibum mentis & ventris, illos oportet verba inſtitutionis explicare non per ſacramentalem vnionem, ſed per transſubſtantiationem: Atqui communicantes &c: Ergo. *Maior* conſtat: quia vnio ſacramentalis coniungit cibum ventris, ſcil. panem, & cibum mentis, nempe corpus Chriſti. Reſp. Diſt. Inter

*vſum vel finem corporis Chriſti primarium, & ſecundarium. Primario* quidem corpus Chriſti confirmat fidem & reficit animam: *ſecundarius* vſus conſiſtit in hoc, quod viuifica caro Chriſti corporibus noſtris beatam confert reſurrectionem.

Quæſt. XVI. *An manducamus & bibimus corpus, ſanguinemque Chriſti non tantum ore fidei, ſed etiam ore corporis?*

Corpus & ſanguis Chriſti in legitimo ſacræ cœnæ vſu a communicantibus *non tantum* ore *fidei*, ſed etiam ore *corporis* accipiuntur, eduntur & bibuntur.

Obſ. I. *Comeſtio formaliter eſt rei, ſub ratione cibi oblatæ, per os intra corpus receptio, ad hominis alimoniam.*

Obſ. II. *Manducatio triplex* eſt: Alia eſt *naturalis*, alia *ſpiritualis*, alia *ſacramentalis*. *Illa* fit ore corporeo, & inſtituta eſt ad nutritionem & refectionem virium naturalium: *iſta* fit ore fidei, & guſtat Chriſtum cum omnibus meritis & beneficiis ipſius, in euangelio oblatis, ad refectionem animæ & conſcientiæ: *hæc* fieri poteſt ore corporis, ſed modo ſupernaturali, ad ſpiritualem refectionem.

Obſ. III. Differunt manducatio *ſpiritualis*, & *ſacramentalis*. *Illa* eſt omnium temporum; *hæc* eſt N. T. propria. *Illa* etiam extra cœnam; *hæc* tantum in ipſa cœna locum habet. *Illa* etiam fieri poteſt abſque ſymbolis; *hæc* duntaxat mediantibus ſymbolis externis peragitur. *Illa* prodeſt ſemper ad ſalutem; *hæc* interdum fit etiam ad iudicium. *Illa* apprehendit totum Chriſtum cum omnibus ipſius beneficiis; hæc tantum corpus Chriſti in & ſub pane. *Illa* eſt metaphorica; *hæc* propria proprietate grammatica, licet non proprietate phyſica.

Obſ. IV. Diſt. inter manducationem *oralem phyſicam*, ſiue naturalem, & *hyperphyſicam*, ſiue ſupernaturalem. *Illa* eſt, qua cibus ore ſumtus demittitur in aluum, concoquitur & eiicitur: *Hæc* eſt, qua cibus oblatus quidem per os intra corpus recipitur, ſed non modo naturali concoquitur & eiicitur. Comederunt angeli, Gen. XVIII, 8. & Chriſtus poſt reſurrectionem, Luc. XXIV, 42. quæ tamen manducatio non fuit ordinis naturalis, neque modo naturali cibus fuit concoctus. Sed ſicut aliter terra abſumit aquam, aliter ſol: ita quoque non phyſica ratione cibus ille eſt concoctus. Manducationem propriam ſupernaturalem in *œconomicam*, & *ſacramentalem* ſubdiſtinguit D. DANNHAVER in *hodoſ. phænom. X. p.* 1233.

Obſ. V. Sacramentalis manducatio & bibitio eſt vna & indiuiſa actio, qua ſimul eodem momento & panem euchariſticum, eique ſacramentaliter vnitum corpus Chriſti comedimus, idemque vinum & cum eo ſacramentaliter vnitum ſanguinem Domini ex calice euchariſtico haurimus. Sed vnius illius manducationis & bibitionis illius *duplex* eſt *modus*. Nam licet vno & eodem organo ſumatur res terrena & cœleſtis, non tamen eodem modo. *Panis & vinum ore accipiuntur immediate & naturaliter, corpus & ſanguis Chriſti mediate & ſupernaturaliter.* Declarari poteſt per ſimilia. In infantem baptizandum immediate effunditur aqua, mediate Spiritus S. Immediate acceperunt diſcipuli halitum oris Chriſti, quo illos afflauit, mediate Spiritum S. Filium Mariæ virginis immediate viderunt Apoſtoli oculis corporeis, manibusque contrectarunt; mediate viderunt & contrectarunt Verbum vitæ, 1 Io. I, 1. ob vnionem perſonalem. Immediate deglutiuit balæna corpus Ionæ, mediate animam ob vnionem naturalem. Ita in legitimo euchariſtiæ vſu immediate edimus & bibimus panem & vinum benedictum, mediate corpus & ſanguinem Chriſti ob vnionem ſacramentalem.

Probatur aſſertum: 1) Quidquid eadem comeſtione cum pane benedicto editur, illud ore corporis comeditur: Atqui corpus Chriſti &c. E. Minor probatur: quia vnicum numero verbum,

verbum, *EDITE*, de pane & corpore ſimul prædicatur. E. vna tantum ſignificatione gaudebit in eadem propoſitione. Aut igitur *ſolam* comeſtionem *oralem*, aut *ſolam ſpiritualem*, aut *vtramque* ſimul ſignificabit. Si *illam:* E. & panis & corpus Chriſti ſimul ore comedetur, quod volumus. Si *iſtam:* Igitur in panem ſimul credemus, quod eſt idololatricum. Si *vtramque* ſimul: E. vna vox, eodem loco, eodemque propoſitionis membro duplicem habebit ſenſum litteralem, quod eſt falſum.

2) Verbum, *EDITE*, coniunctum cum τῷ *ACCIPITE*, in propoſitione conuiuali ſignificat proprie. Atqui τὸ *EDITE* hoc loco coniunctum eſt cum τῷ *ACCIPITE*, propoſitione conuiuali. E. τὸ *EDITE* hoc loco ſumitur proprie. Sed omnis comeſtio propria eſt oralis.

3) Quæcunque in eodem ſacramento, eademque in actione ſunt vnita ſacramentaliter, illa eodem quoque organo accipiuntur. Iam vero in vſu S. cœnæ panis & corpus Chriſti, vinum & ſanguis Chriſti vnita ſunt ſacramentaliter. E. eodem quoque organo in vſu ſacramenti panis & corpus, vinum & ſanguis Chriſti accipiuntur. Maior conſtat: quia vna & indiuiſa actio non poteſt duplici inſtrumento fieri.

4) Omnis manducatio, bibitioni contradiſtincta, eſt manducatio oralis: Atqui manducatio ſacramentalis bibitioni eſt contradiſtincta. E. *Maior* conſtat: quia manducatio ſpiritualis, quæ fit ore fidei, a bibitione ſpirituali non differt.

5) Quicunque diſtincte edunt corpus Chriſti cum pane benedicto, & diſtincte bibunt ſanguinem Chriſti cum vino benedicto, illi edunt corpus, & bibunt ſanguinem Chriſti ore corporis: Atqui communicantes &c. E. *Maior* conſtat; quia manducatio & bibitio ſpiritualis reſpicit totum Chriſtum cum omnibus ipſius beneficiis. E. illa manducatio, qua diſtincte corpus Chriſti cum pane benedicto comeditur, & bibitio, qua diſtincte ſanguis Chriſti cum vino benedicto bibitur, non eſt manducatio & bibitio mere ſpiritualis, quæ fiat ore fidei.

6) Quicunque edunt corpus Chriſti ſine ore fidei, illi edunt corpus Chriſti ore corporis: Atqui communicantes indigni &c. 1 Cor. XI, 26. E. *Minor* conſtat; quia indigni os fidei non habent.

7) Contra quod, tanquam obiectum, eſu & potu, qui fit ore corporis, peccatur, illud etiam ore corporis comeditur atque bibitur: Atqui contra corpus & ſanguinem Chriſti, tanquam obiectum, eſu & potu, qui fit ore corporis, peccatur! Ergo.

8) Oralem manducationem corporis & bibitionem ſanguinis Chriſti pia credidit antiquitas. Tertvll. *de reſurrect. carn. c.* 8. inquit: *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.* Chrysost. *hom. XXIX.* in *2. Corinth. Non vulgarem honorem conſecutum eſt os noſtrum, accipiens corpus dominicum.* Et nota ſunt verba Ambrosii *ad Theodoſium: Qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis pretioſi percipies, quando furore verborum tuorum iniuſte effuſus eſt ſanguis.*

Dicis: I. Quæcunque manducatio ſacramentalis a Chriſto non eſt inſtituta, illa non eſt aſſerenda: Atqui manducatio ſacramentalis oralis &c. Ergo. *Minor* probatur: quia manducatio corporis & ſanguinis, quæ fit ore, eſt Capernaitica laniena carnis humanæ, Io. VI, 52. 63. & cyclopica ἀνθρωποφαγία. Reſp. 1) Diſtinguendum inter manducationem *oralem phyſicam*, ſiue naturalem, & *hyperphyſicam*, ſiue ſupernaturalem. Manducatio *phyſica* carnis humanæ eſt cyclopica ἀνθρωποφαγία, quam nos non aſſerimus; ſed credimus, ſacramentalem manducationem eſſe quidem oralem, quia fit ore, velut organo, ſed ſupernaturalem, myſticam, incomprehenſibilem, ſolique Deo cognitam; quippe quæ fit ſine læſione corporis Chriſti, inextenſe & indiuiſibiliter exiſtentis in S. cœna. 2) Capernaitæ putabant, a) Chriſtum eſſe *nudum hominem*; nos autem paſcimur carne Chriſti θεανθρώπου. b) Putabant,



Digitized by Google

tabant, carnem Chriſti comedendam eſſe *immediate* & *naturaliter:* nos autem aſſerimus, carnem Chriſti in vſu S. cœnæ vere & realiter quidem comedi ore corporis, ſed *mediate*, mediante pane benedicto, & *ſupernaturaliter*, ſiquidem de hoc ſummo myſterio non naturalia, non vulgaria, non Capernaitica ſentimus.

Inſtantia: Non datur comeſtio propria, vera & realis, quæ non ſit phyſica. Reſp. Sicvt datur propria, vera & realis generatio Filii Dei ex ſubſtantia Patris, quæ tamen non eſt phyſica: ita datur comeſtio corporis Chriſti propria, vera & realis, quæ tamen non eſt naturalis.

II. Quodcunque corpus comeditur ore, illud tandem abſumitur: Atqui corpus Chriſti non abſumitur, quia eſt incorruptibile: E. non comeditur ore. Reſp. 1) Quodcunque corpus *phyſice* comeditur, illud abſumitur; concedo: At corpus Chriſti in S. cœna comeditur *ſupernaturaliter.* 2) Balæna deuorauit Ionam, neque tamen abſumſit eundem.

III. Si corpus Chriſti proprie & oraliter comederetur, vtique dentibus comminueretur, & in ſtomachum deiiceretur: Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. Reſp. 1) Neg. *conſequentiam*, quia corpus Chriſti non *modo naturali*, aut vulgari, ſed *ſupernaturali* & myſtico editur. 2) Diſt. inter requiſitum manducationis *vniuerſale*, & *particulare.* Si omnis cibus dentibus eſſet comminuendus, anus edentulæ & infantes non vere comederent. 3) Si quis cibum ore receperit, & deglutiuerit, nauſea tamen, vel virium imbecillitate cum in ventriculum demittere impediatur, ſed antequam eo peruenerit, per vomitum cogatur effundere; vere cibum comedit, licet in ventriculum non traiecerit. 4) Corpus Chriſti *non* eſt *cibus naturalis*, deſtinatus ad concoctionem & nutritionem hominis naturalem, ad quam vnice directa eſt cibi in ventriculum traiectio; ſed eſt *cibus ſupernaturalis*, cœleſtis, & certo reſpectu ſpiritualis.

IV. Quicunque cibus eſt cœleſtis & ſpiritualis, ille non comeditur ore corporis: Atqui corpus Chriſti: E. Reſp. 1) Neg. *Mai.* Nam verbum euangelii eſt etiam cibus ſpiritualis, & tamen percipitur auribus corporeis. 2) Cibus cœleſtis & ſpiritualis non comeditur ore corporis *modo naturali* & vulgari, attamen modo *ſupernaturali.* 3) Corpus & ſanguis Chriſti eſt cibus & potus *ſpiritualis*, *non ſimpliciter* ratione eſſentiæ, quaſi corpus Chriſti mutatum ſit in ſpiritum; id enim pugnat cum veritate humanæ naturæ; ſed *comparate* & certo reſpectu: a) In *oppoſitione* ad cibum vulgarem & *naturalem;* quia cibus ſacramentalis non eſt craſſus & phyſicus, ſed myſticus & ſupernaturalis: b) Ratione *qualitatum;* quia corpus Chriſti eſt glorificatum & maieſtaticum, adeoque ſpiritualibus dotibus præditum: c) Ratione *effectus;* quia nos alit ad vitam ſpiritualem, & confert beneficia ſpiritualia cœleſtia.

V. Si manducatio corporis Chriſti, quæ fit in S. cœna, eſt realis & propria; aut corporalis erit, aut ſpiritualis: Sed *non* eſt *corporalis;* quia non fit modo corporali, i. e. naturali & vulgari. E. eſt *ſpiritualis*, & fit ore fidei. Reſp. Datur tertium, ſcil. *ſupernaturalis*, myſtica & incomprehenſibilis. Sicut enim conceptio Chriſti in vtero Mariæ eſt vera & propria, neque tamen ratione modi eſt naturalis & vulgaris, neque etiam mere ſpiritualis, quæ fit per fidem: ita manducatio corporis Chriſti in cœna, ratione modi, non eſt corporalis, i. e. vulgaris & naturalis, neque mere ſpiritualis, quæ fit per fidem; quamuis certo reſpectu dici poſſit *corporalis*, ratione *organi*, quia fit *ore corporis;* & *ſpiritualis*, quatenus *ſpirituale* opponitur *naturali* & craſſo. Conf. D. DANNHAV. *in hodoſ. p.* 1242.

VI. Quicunque viuus aſſedit menſæ, illius corpus a diſcipulis comedi non potuit: Atqui Chriſtus &c: E. Reſp. Chriſtus aſſedit menſæ naturaliter, & tamen per omnipotentem ſuam virtutem multiplicata corporis ſui præſentia diſcipulis corpus ſuum comedendum dedit ſacramentaliter.

VII. Si

Digitized by Google

VII. Si ore corporis bibitur ſanguis Chriſti, etiam eodem bibetur nouum teſtamentum Chriſti: Conſequens eſt abſurdum: E. & antecedens. *Conſequentia* probatur ex Luc. XXII, 20. vbi Chriſtus, cœnam inſtituens, dicit: *Hoc poculum eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine.* E. ſi ore bibitur ſanguis Chriſti, eodem bibetur N. T. Reſp. Diſt. *inter prædicationem realem, & vſualem.* Matthæus & Marcus adhibent prædicationem *realem*, cum alteram huius ſacramenti ſpeciem deſcribunt: *Hoc eſt ſanguis meus N. T.* Lucas & Paullus vtuntur prædicatione *vſuali: Hoc poculum eſt N. T. in meo ſanguine, quod pro vobis effunditur.* Chriſtus bibere iubet poculum benedictum, complectens vinum & ſanguinem, de quo prædicat hunc *vſum*, quod ſit *N. T. in ſanguine ſuo*, i. e. medium gratiæ & pacis, non ratione vini, ſed reſpectu ſanguinis.

VIII. Quæcunque manducatio corporis Chriſti eſt inutilis, illa non eſt aſſerenda: Atqui oralis manducatio corporis Chriſti &c. E. *Minor* probatur ex Io. VI, 63. *Caro nil prodeſt.* Reſpondeo verbis CYRILLI *libr. IV.* in *Io. c.* 23. *Caro quidem ceterorum hominum* (ψιλῶν) *quidquam vere non prodeſt: Caro autem Chriſti, quia in ipſa vnigenitus Dei Filius habitat, ſola viuificare poteſt.* Ideo præmittuntur hæc verba: *Spiritus eſt, qui viuificat*, h. e. principium, fons & origo viuificationis eſt ſpiritus, ſeu ſpiritualis illa in Chriſto natura. Vnde caro meri hominis, naturaliter manducata, aut capernaitice dilaniata, nil prodeſt. Sunt, qui per *carnem* l. c. denotari cenſent *carnalem intellectum*, vel prudentiam carnis, Rom. VIII, 6. vt hic ſit ſenſus: *cogitationes carnales de hoc tanto myſterio nil proſunt.*

IX. Si oralis manducatio corporis Chriſti prodeſſet, etiam indignis eſſet ſalutaris. Reſp. 1) Etiam verbum euangelii, immo ipſa mors & effuſio ſanguinis Chriſti, infidelibus non proſunt; nunquam igitur ſimpliciter non proſunt? 2) Spiritualis manducatio corporis Chriſti, coniuncta cum orali manducatione, plus prodeſt, quam ſine illa: Prodeſt, inquam, ad arctiorem noſtri cum Chriſto coniunctionem.

Quæſt. XVII. *Quibus conuiuis porrigenda eſt S. cœna?*

Porrigenda eſt S. cœna *hominibus chriſtianis* a), qui *edere & bibere* b), & cibum hunc myſticum *diiudicare, ſeque* ipſos *probare*, ac mortem Domini *annuntiare volunt & poſſunt* c). **Conuiuæ.**

Prob. a. Conuiuæ primæ cœnæ fuere Apoſtoli, qui repræſentarunt *fideles Chriſtianos adultos.* Non ergo conuiuæ myſtici huius populi ſunt Pagani, Turcæ, Iudæi, ac ne catechumeni quidem nondum baptizati; quia baptiſmus eſt velut ianua ad eccleſiam, cuius propria bona ſunt ſacramenta.

Prob. b. Non ſunt conuiuæ, qui edendi, bibendique facultate ſunt deſtituti. Non igitur porrigenda eſt S. cœna hominibus *mortuis*, nec illis *abſtemiis*, qui ne guttulam vini deguſtare poſſunt; ſed illi de ſpirituali manducatione & bibitione bene erudiendi ſunt, de qua AVGVSTINVS inquit: *crede & manducaſti.*

Prob. c. Grati conuiuæ, quos penes eſt tum *voluntas*, tum *poteſtas*, auguſtiſſimi huius conuiuii dignitatem agnoſcendi & a cibo vulgari diſcernendi, iuxta legem & euangelium ſe ipſos probandi, & mortem Domini grato animo annuntiandi. Excluduntur igitur 1) *peccatores notorii*, quorum crimina, v. gr. adulteria, ſcortationes, furta, blaſphemiæ & data ſcandala ſunt manifeſta, quamdiu peccatis indulgent, nec ſeriam pœnitentiam agunt. De *occultis* autem non iudicat eccleſia, ſed Dei omniſcii iudicio eos committit. Hinc *hypocritæ*, licet S. cœna ſint indigni, adeoque excludi mereantur, non tamen excluduntur *ab eccleſia*, quia per hypocriſin, qua pietatem præ ſe ferunt, eccleſiæ non conſtant. *Notorii* autem

 pecca-

Digitized by Google

peccatores arceantur, ideo, quod ſe rite probare nolunt. 2) *Hæretici*, in *fundamento fidei* errantes & ſubſtantialia huius ſacramenti euertentes, qui craſſo errore impliciti ſeipſos probare nec volunt, nec poſſunt. 3) *Infantes*, qui per ætatem mortem Domini annuntiare & ſeipſos probare nequeunt. 4) *Obſeſſi* a diabolo, qui perpetuo ab hoc hoſte infeſtantur. 5) *Furioſi*, ſiue ex morbo delirantes, qui perpetuo concitantur furore. At, ſi *obſeſſi* aliquando immunes ſint ab impetu diaboli, & *furioſi* lucida quædam habeant amentiæ interualla, admittendi ſunt ad ſacrum hoc epulum, vt diuiniſſimis bonis, quæ in ſacra cœna conferuntur, reficiantur. Quod attinet ad *ſurdos & mutos*, ſequimur conſilium LVTHERI; *Si adſunt ſigna deſiderii & pœnitentiæ, mutus & ſurdus non arceatur ab altari.* Neque enim digni cenſentur communicantes, niſi pœnitentes & fideles, qui fundamenta fidei ſaluificæ, quantum ſaluti conſequendæ ſufficit, poſuere. Nec probatæ tantum fidei, ſed & probatæ vitæ, decet eſſe communicantes. Hinc diaconus in primitiua eccleſia eos acclamabat: *Sancta ſanctis!*

Quæſt. XVIII. *An hypocritæ & indigni communicantes in vſu S. cœnæ corpus & ſanguinem Chriſti accipiunt?*

*Hypocritæ* omnesque *indigni*, in vſu S. cœnæ *verum corpus & ſanguinem Chriſti ſumunt:* Ita tamen, vt nec conſolationem, nec vitam inde percipiant, ſed potius vt illa ſumtio *ipſis ad iudicium & condemnationem cedat*, ſi non conuertantur & pœnitentiam agant.

Obſ. *Indigni* conuiuæ *non* ſunt *infirmi in fide*, puſillanimes, aut perturbati Chriſtiani. Cœna enim Domini in primis propter infirmos in fide, pœnitentes tamen, inſtituta eſt, vt ex ea veram conſolationem & imbecillis fidei ſuæ confirmationem percipiant; ſed *indigni* ſunt, qui *ſine vera pœnitentia*, & contritione, & vera fide, & absque propoſito vitam emendandi ad cœnam Domini accedunt. Confer. *ſolid. declar. Form concord.* p. 745.

Prob. 1) Ex 1 Cor. XI, 27. 29. *Quisquis comederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indigne: Reus erit corporis & ſanguinis Domini. Qui enim comedit & bibit indigne, iudicium ſibi ipſi comedit & bibit, eo, quod non diſcernit corpus Domini.* E quibus verbis apoſtolicis colligimus: Quicunque indigne manducando panem benedictum, & bibendo poculum Domini, *rei fiunt* ipſius corporis & ſanguinis Chriſti; illi in S. cœna vere & *realiter accipiunt* corpus & ſanguinem Chriſti: Atqui indigni communicantes &c. Ergo.

Dicis: Reatus ab indignis contrahitur, non ipſum corpus Chriſti indigne manducando, aut ſanguinem indigne bibendo; ſed ad S. cœnam accedendo, ſymbola ſacra profanando, & irreuerenter tractando, quatenus indigni profana cordis impietate ne ſymbola quidem condigne æſtimant; prout læſæ maieſtatis reus cenſetur, qui diploma regium proſcindit & conculcat, etſi regem ſubſtantialiter non attingat. Reſp. 1) Indigni *non* fiunt rei alicuius *actus*, ſed *obiecti*, nempe corporis & ſanguinis Chriſti; non accedendo indigne, ſed manducando & bibendo indigne, quod fieri nequit, niſi præſupponatur obiectum manducandum, & bibendum, in quod peccant. Fiunt indigni, *non diſcernendo dominicum corpus;* ergo hoc illis manducandum exhibetur. 2) Simile eſt diſſimile. Nam panis & vinum *non* eſt *nudum ſignum* corporis & ſanguinis, prout diploma regis abſentis; ſed vna *organum* & vehiculum, quo corpus Domini nobis confertur. Nec proſcindens diploma regis ipſam ſubſtantiam regis attingit; ſed ſolum maieſtatem, officium & auctoritatem illius. Hinc etiam nunquam dicitur reus ipſius regis fieri, ſed maieſtatis regiæ. At indigne communicans dicitur reus ſubſtantiæ fieri, reus corporis & ſanguinis dominici.

2) Ex

Digitized by Google

2) Ex 1 Cor. X, 16. Quicunque panem benedictum, quo communicatur corpus Chriſti, accipiunt, & calicem Domini participant, illi etiam corporis & ſanguinis Domini participes fiunt: Atqui conuiuæ indigni in S. cœna &c. E.

3) Ex integri ſacramenti perceptione. Quicunque integrum ſacramentum euchariſtiæ accipiunt, illi non tantum rem terrenam, ſed & cœleſtem accipiunt. Atqui indigni conuiuæ &c. Minor probatur: quia fides non conſtituit eſſentiam ſacramenti, nec ad eius integritatem facit, ſed dependet integritas ſacramenti ab inſtitutione Chriſti.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum & Schwenckfeldianorum*, negantium, indignos conuiuas corpus & ſanguinem Chriſti in S. cœna accipere. Quorum argumenta ſunt:

I. Quicunque comedunt corpus Chriſti, illi *ſpiritualiter viuificantur*, Io. VI, 54: Hypocritæ ſpiritualiter non viuificantur: deſtituuntur enim fide, ſine qua non eſt vita ſpiritualis: Ergo. Reſp. Corpus Chriſti ſemper eſt *viuificum actu primo; actu ſecundo* autem ab eodem non viuificantur hypocritæ; quia operationem corporis Chriſti malitioſa ſua hypocriſi impediunt.

II. Si Chriſtiani non poſſunt ſimul bibere calicem Domini & dæmoniorum, ſequitur, quod hypocritæ non poſſint accipere corpus & ſanguinem Chriſti: Antecedens eſt verum, teſte Paullo 1 Cor. X, 20: Ergo & conſequens. *Conſequentia* probatur; quia hypocritæ ſibi perſuadent, ſe poſſe adire ſacram ſynaxin, & tamen ſimul intereſſe conuiuiis, quæ parauerunt gentiles ex cibis, quos diis ſuis ſacrificauerunt, ſiue ex idolothytis. Reſp. Apoſtolus loquitur de *iure, non* de *facto;* iam autem quæritur de *re ipſa.*

III. Chriſtus & Belial non poſſunt ſimul in eodem eſſe homine, teſte Paullo 2 Cor. VI, 15. E. corpus Chriſti non poteſt recipi ab infidelibus. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia in infidelibus habitat & operatur diabolus. Reſp. Diſt. inter *participationem corporis & ſanguinis* Chriſti, & *gratioſam inhabitationem.* Hypocritæ redduntur quidem *participes corporis & ſanguinis* Chriſti, ſed ad iudicium, ob defectum fidei: Ideoque Chriſtus *gratioſe* in ipſis *non habitat.*

IV. Quicunque non recte vtuntur ſacramento cœnæ, illi corpus ſanguinemque Chriſti non accipiunt: Hypocritæ non recte vtuntur ſacramento cœnæ: E. *Maior* conſtat: quia extra vſum ſacramentalem non datur ſacramentum. Reſp. Diſt. inter *vſum* ſacramenti *formalem, & finalem*, ſiue ſalutarem. Extra *vſum formalem* non datur ſacramentum; ſed *ſalutarem finem* & fructum non obtinent hypocritæ, quia ad hunc obtinendum præter manducationem ſacramentalem, quæ fit ore corporis, requiritur etiam manducatio ſpiritualis, quæ fit ore fidei.

V. Infideles reiiciunt Chriſtum: Ergo corpus ipſius in S. cœna non accipiunt. Reſp. Sicut infideles verbum Dei auribus corporeis accipiunt, quod tamen corde reiiciunt: ita iidem vtentes externe S. cœna, corpus Chriſti accipiunt ad iudicium, quia vera fide Chriſtum non recipiunt. Ore accipiunt, quod corde reſpuunt; quia *non oraliter*, ſed *moraliter* Chriſtum reiiciunt.

VI. Impii ſunt canes & porci, adeoque non digni, quibus corpus & ſanguis Chriſti porrigatur, Matth. VII, 6. Reſp. 1) *Notorie* impii ab vſu cœnæ plane arcendi ſunt; ſed *hypocritæ* pietatem ſimulant, haud ſecus ac Iudas Iſchariotes, qui a Chriſto ad S. cœnam admiſſus eſt. Id quod clare memorat Lucas. Cum recitaſſet verba inſtitutionis, addit c. XXII, 21. *Veruntamen ecce! manus prodentis me mecum eſt in menſa.* 2) Impii non ſunt digni ſole & pane quotidiano, in quos tamen Pater cœleſtis multa beneficia confert.

VII. Vnus panis & vnum corpus multi ſumus, quoniam de vno pane omnes participamus: Infideles non ſunt vnum corpus cum fidelibus: E. non de corpore Chriſti cum illis partici-

participant. Reſp. 1) Infideles de vno pane euchariſtico, qui eſt *κοινωνία* corporis Chriſti, participare, certum eſt. 2) *Maior* loquitur de *corpore myſtico*, quod eſt eccleſia, quæ vel eſt *viſibilis*, cœtus Chriſtianorum, in quo hypocritæ fidelibus ſunt mixti, vel eſt *inuiſibilis*, ratione fidei & electionis. Ad corpus eccleſiæ *viſibile* pertinent *hypocritæ*.

Quæſt. XIX. *Eſtne laicis ſacramentum cœnæ ſub vtraque ſpecie porrigendum?*

*Non tantum clericis*, ſed etiam *laicis* ſacramentum cœnæ *ſub vtraque ſpecie* porrigendum eſt.

Prob. 1) Quicunque a Chriſto in inſtitutione euchariſtiæ iuſſi ſunt edere panem benedictum, iidem etiam iuſſi ſunt bibere vinum benedictum: Atqui Apoſtoli *omnes*, & ſub eorum nomine fideles adulti *omnes*, a Chriſto in inſtitutione euchariſtiæ iuſſi ſunt edere panem benedictum. E. Apoſtoli omnes, & ſub eorum nomine fideles adulti omnes, iuſſi ſunt bibere vinum benedictum. Maior claret: iisdem enim, quibus Chriſtus dixit: *Edite*, ſimiliter dixit: *Bibite*. Quin expreſſe etiam adiecit: *Bibite ex hoc omnes*! Matth. XXVI, 27. Veritas *minoris* de Apoſtolis patet: His enim omnibus Dominus ait: Accipite, bibite. Addit Marcus c. XIV, 23. *biberunt ex hoc omnes*. Patet etiam de *fidelibus adultis omnibus*. Apoſtoli, quos Chriſtus iuſſit edere & bibere, repræſentarunt vel tantum clericos, vel tam clericos, quam laicos. At non tantum clericos; quia ſic nullus laicus chriſtianus accipere debet ſacramentum cœnæ, vel ſub *vna*, vel ſub *vtraque* ſpecie: E. repræſentarunt *fideles adultos* omnes, quos Chriſtus ſub nomine Apoſtolorum iuſſit edere panem conſecratum & bibere vinum conſecratum *).

Dicis: I. Communio ſub vtraque ſpecie a Chriſto quidem eſt *inſtituta*, ſed *non præcepta*. Non omnia, quæ Deus inſtituit, omnibus mandauit. Matrimonium Deus per verba imperantia inſtituit, neque tamen omnibus mandauit. Reſp. Licet *inſtitutio & mandatum* diuinum differant; ſi tamen *addantur perſonæ*, ob quas inſtitutio facta eſt, inſtitutio mandato par eſt, in primis ſi fiat per *verba imperantia*, qualia hic ſunt, *edite! bibite!* Nam & matrimonium a Deo non tantum inſtitutum, ſed etiam mandatum eſt omnibus perſonis, quæ ad coniugium ſunt aptæ, & continentiæ donum non habent ad vitandum ſcortationem, & omnem impuritatem.

II. Apoſtoli iuſſi *edere*, *fideles omnes*, ſed iuſſi *bibere*, *ſolos ſacerdotes* repræſentarunt. Reſp. a) Si Chriſtus alio reſpectu Apoſtolos intuitus eſſet, cum diceret: *Edite:* quam cum dixit: *Bibite:* vtique ipſe, vel Paullus, inſtitutionem dominicam repetens, 1 Cor. XI. *ſaltem leue duplicis* illius reſpectus *indicium* feciſſet. b) Chriſtus in prima euchariſtia Apoſtolos *non* reſpexit vt *ſacerdotes*, ſed vt *communicantes*.

Prob. 2) Paullus repetiit verba inſtitutionis, 1 Cor. XI, 23. vbi omnes, qui ſe probare poſſunt, adhortatur, vt edant ex hoc pane, & bibant ex hoc poculo, v. 28.

Prob. 3) Idem Apoſtolus 1 Cor. X, 14. ait: *Quapropter, dilecti mei, fugite ab idololatria. Tanquam prudentibus dico: Iudicate vos, quod dico. Poculum benedictionis, cui benedicamus,*

*) Magnum etiam pondus habet hæc conſideratio: ſanguinem Chriſti non *quamdam* ſolum *partem* huius ſacræ actionis, ſed & *præcipuam* eſſe, efficitur ex hoc principio: *Sine ſanguinis effuſione nulla fieri poteſt remiſſio peccatorum*, Hebr. IX, 22. *Mors* igitur, quam Chriſtus pro nobis oppetiit, niſi *cruenta* fuiſſet, non fuiſſet valida ad expiandum hominum delicta. Ergo, ſi quis veſcatur *corpore* Chriſti, pro nobis ad mortem tradito, non item bibat *ſanguinem* eiusdem, pro nobis effuſum, recordationem habebit dumtaxat generalem *mortis* Chriſti, nec vero ſpecialem *cruentæ* mortis, in qua maxima ineſt vis conſolationis.

Digitized by Google

*nedicimus, nonne eſt communicatio ſanguinis Chriſti?* Vbi obſ. 1) Quod Paullus compellet *omnes* Corinthios fideles, tam docentes, quam diſcentes, eosque dehortetur argumento (inter alia) ſumto ab integræ cœnæ communione. 2) Quod ipſe diſtinguat poculum benedictum a pane fracto, illud ſanguinis, hunc corporis Chriſti *κοινωνίαν* vocans.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, laicis poculum benedictum non eſſe porrigendum. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Quicunque ſub pane conſecrato ſanguinem Chriſti accipiunt, illis vinum benedictum non eſt porrigendum; Atqui laici &c. E. *Maior* probatur: quia, qui ſub pane benedicto ſanguinem Chriſti acceperunt, non opus habent, vt ſub alio ſymbolo ſanguinem Chriſti accipiant. *Minor* conſtat: quoniam Chriſti corpus non eſt exſangue. Reſp. 1) Si hoc argumentum validum eſt, inferri poteſt, *ne clericis quidem* vinum benedictum eſſe porrigendum, cum etiam illi ſub pane benedicto corpus Chriſti ſanguinis plenum accipiant. 2) Diſt. *inter vnionem naturalem corporis & ſanguinis Chriſti*, *& inter vnionem ſacramentalem corporis & ſanguinis Chriſti ſub diſtinctis ſymbolis*, a Chriſto inſtitutis. Si ſpectes *vnionem naturalem;* corpus Chriſti nunquam eſt ſine ſanguine, & ſanguis nunquam eſt ſine corpore Chriſti; attamen ſi conſideres *vnionem ſacramentalem*, placuit Saluatori, ſub diſtincto ſymbolo corpus ſuum, & ſub diſtincto ſymbolo ſanguinem ſuum, illud ad edendum, hunc ad bibendum nobis dare & diſtribuere. Non debemus autem ſapere vltra id, quod ſcriptum & a Chriſto inſtitutum eſt, 1 Cor. IV, 7.

II. Quicunque & verbis, & factis approbauit celebrationem S. cœnæ, ſub vna ſpecie, ille noluit eandem neceſſario ſub vtraque ſpecie eſſe celebrandam: Atqui Chriſtus &c. E. *Minor* prob. Chriſtus celebrationem S. cœnæ ſub *vna* ſpecie 1) *verbis* approbauit, Io. VI, 50. ſeq. vbi quater promittit vitam æternam carnem ſuam manducantibus, nulla facta potationis mentione. 2) *Facto* autem approbauit celebrationem S. cœnæ ſub *vna* ſpecie, Luc. XXIV, 30. vbi Chriſtus duobus diſcipulis in hoſpitio Emauntico *ſub ſola ſpecie panis* ſacramentum porrexit. Reſp. Io. VI. agitur de manducatione *ſpirituali:* Luc. XXIV. agitur de fractione panis *vulgari*, aut refectione caritatiua, *non euchariſtica.* Eadem quippe verba leguntur de cibatione populi, Matth. XIV, 19. Marc. VI, 41. Fac, Luc. XXIV. intelligendam eſſe celebrationem S. cœnæ; vnius tamen poſitio non erit alterius excluſio. Fractio panis non excludit diſtributionem vini.

III. Dantur abſtemii, qui ne vnam quidem guttulam vini guſtare poſſunt. His ſacramentum cœnæ ſub *vna* ſpecie exhibendum eſt. Reſp. 1) Abſtemii illi ſunt pauci & rari, quorum intuitu non *omnibus laicis* ſurripiendum eſt vinum benedictum. 2) Abſtemii bene erudiendi ſunt, vt vera fide ſpiritualiter edant, bibantque Chriſtum, cum omnibus ipſius beneficiis.

IV. Eccleſia catholica non ſine grauibus cauſſis communionem ſub vna ſpecie approbavit; ſc. a) quia non in omnibus locis datur copia vini: b) quia metuenda eſt irreuerentia ſacramenti, ſi vna guttula in barbam, veſtem aut terram decideret: c) conceſſit tamen interim poculum abſterſorium. Reſp. a) Vbiuis locorum *tanta* habetur *copia vini*, quanta ad celebrationem S. cœnæ requiritur. b) Poculum benedictum, extra *vſum* bibitionis, non eſt *κοινωνία* ſanguinis Chriſti. c) *Poculum abſterſorium* eſt poculum vulgare, non poculum benedictum.

### Quæſt. XX. *Quis eſt finis euchariſtiæ?*

*Finis* euchariſtiæ eſt: a) recordatio & annuntiatio paſſionis & mortis Chriſti, quæ fide & gratiarum actione peragitur: b) gratiæ euangelicæ obſignatio: c) mutua communicantium dilectio. *Finis S. cœnæ.*



Digitized by Google

Prob. a. Chriſtus, inſtitutor S. cœnæ, apud Lucam c. XXII, 19. inquit: *Hoc facite in mei recordationem.* Quæ verba repetens Paullus, 1 Cor. XI, 24. 25. addit, v. 26. *Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & ex hoc poculo biberitis, mortem domini annuntiate, donec venerit.* Fit *recordatio & annuntiatio mortis Chriſti* 1) vera fide, qua expendimus & credimus, quod corpus, ſuum quod cum pane benedicto in S. cœna nobis comedendum porrigit, victimam pro nobis obtulerit in ara crucis, & quod ſanguinem ſuum, quem in benedicto poculo nobis bibendum exhibet, pro nobis obtulerit, vt gratiam Dei & remiſſionem peccatorum nobis impetraret. Atque ita applicatio fidei, quatenus fertur in corpus Chriſti, pro nobis in mortem traditum, dicitur *manducatio ſpiritualis corporis Chriſti*, & quatenus fertur in ſanguinem Chriſti pro nobis effuſum, dicitur *ſpiritualis bibitio ſanguinis Chriſti*, de qua vtraque vid. Io. VI, 35. ſeqq. Sine hac *ſpirituali* manducatione *oralis* manducatio ſalutarem euchariſtiæ fructum non capit; quia omnia *beneficia ſpiritualia* recipiuntur *fide.* Interim tamen *oralis* manducatio corporis Chriſti eſt *medium promouens ſpiritualem* manducationem & fruitionem Chriſti: ſicut corporalis receptio verbi diuini intra aures eſt medium promouens cognitionem mentis ſpiritualem, conf. D. CHRIST. FRANCKII E. AW. p. 562.

Prob. b. Eum in *finem* nobis Chriſtus corpus ſuum comedendum, & ſanguinem ſuum bibendum porrigit, vt *gratia euangelica*, ſiue gratia diuina in euangelio nobis promiſſa & oblata, applicetur nobis in indiuiduo & obſignetur: Id quod peniſitantibus nobis actus gratiæ applicatricis innoteſcit vberius. Promiſit Deus, per *gratiam regenerantem omnibus dare fidem*, Act. XVII, 31. Quam gratiam regenerantem, eiusque effectum, ſcil. fidem, Deus confirmat, roborat, auget per ſacramentum euchariſticum Etenim qui accipit corpus & ſanguinem Domini, ille firmiſſime ſtatuere poteſt, promiſſionem euangelicam ad ſe in indiuiduo pertinere. Accipit quippe hic & nunc corpus Chriſti, *ſibi* in indiuiduo porrectum, ipſo Domino dicente: *Accipe, ede, hoc eſt corpus meum pro te traditum.* Deinde per *gratiam iuſtificantem* Deus *renatis peccata remittit, & iuſtitiam Chriſti imputat:* Quæ gratia iuſtificans & remiſſio peccatorum ſacramento cœnæ obſignatur. Nam quando illud ipſum corpus Chriſti, quod pro nobis in mortem traditum eſt, & illum ipſum ſanguinem, qui pro nobis fuſus eſt in remiſſionem peccatorum, accipimus in ſacramento cœnæ, inde tanquam ſigillo N. T. maxime certi reddimur, remiſſionem peccatorum traditione corporis & effuſione ſanguinis Chriſti partam nobis, qui in Chriſtum credimus, donatam & applicatam eſſe. *Per gratiam inhabitantem* Deus *ſe nobiscum gratioſe vnit*, quæ vnio myſtica per manducationem corporis & bibitionem ſanguinis Chriſti arctior & firmior redditur. *Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in ipſo*, ait Chriſtus, Io. VI, 56. Profecto ineffabilis caritatis indicium eſt, quod Chriſtus, non contentus habitaſſe in nobis ſpiritualiter per fidem, inſuper corpore & ſanguine ſuo per ſpecialem approximationem ad nos veniat, & ſic corpori pariter, ac animæ noſtræ ſe coniungat. Per *gratiam renouantem* conferuntur nobis *vires ſpirituales, vt feramus fructus iuſtitiæ.* In S. cœna arctius vnimur Chriſto, veluti viti, vt in eo, tanquam palmites, fructum copioſiorem feramus, Io. XV, 5. Per *gratiam conſeruantem* a peccatis *præſeruamur, & conſolatione reficimur.* Sacramentum cœnæ eſt *medicina contra peccata quotidiana*, iudice AMBROSIO *L. V. de Sacram. c.* 4. *Et quemadmodum integra refectio, ſeu nutritio corporum cibo, qui eſt alimentum ſiccum, & potu, qui eſt alimentum humidum, conſtat: Ita in euchariſtia proponitur nobis Chriſtus, vt eſca & vt potus, ne deeſſe nobis quidquam putemus ad integram alimoniam noſtram, ſiue nutritionem ſpiritualem*, cenſente AVGVSTINO *tract. XXVI.* in *Ioann.* Per *gratiam glorificantem beata* nobis confertur *immortalitas*, cuius ſymbola aut pignora ſunt corpus & ſanguis Domini,

Digitized by Google

mini, ſumta in S. cœna. *Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, viuit in aeternum*, ait Saluator Io. VI, 54. *Corpus Domini nos hic habemus, tanquam radicem reſurrectionis*, inquit ATHANASIVS *apud Theodor. L. I. c. 22.*

Prob. ς. Per ſacram cœnam capiti Chriſto vniti, etiam inter ſe, velut membra corporis myſtici, vniuntur, adeoque euchariſtia eſt fundamentum caritatis inter nos & proximum noſtrum. Hunc finem S. cœnæ attingit Paullus, cum 1Cor. X, 17. ait: *Quia vnus panis, vnum corpus multi ſumus: Omnes enim ex vno pane participamus.* Vnde etiam eſt nota communionis eccleſiaſticæ, & teſſera illius eccleſiæ, cum qua in fide communicamus.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum, Arminianorum, & Anabaptiſtarum*, negantium, fidem per euchariſtiam confirmari, ſed ſtatuentium, ipſam *tantum* eſſe *cærimoniam*, inſtitutam in commemorationem mortis Domini. Quorum argumenta ſunt:

I. Eſus panis & potus vini in animo hominis nihil operari poteſt: E. non poteſt in animo confirmare fidem. Reſp. Eſus & potus *vulgaris* in animo hominis nihil operari poteſt; at eſus *corporis Chriſti*, & potus *ſanguinis Chriſti* eſt nutrimentum animæ, & firmamentum fidei.

II. Inſtituta eſt S. cœna propter commemorationem mortis Chriſti; E. non propter confirmationem fidei. Reſp. *Commemoratio* illa *non* eſt *nuda*, ſed ἐνεργητικὴ, cum fiduciali applicatione coniuncta.

III. Fieri poteſt, vt quis firma fide accedat ad S. cœnam: E. illius fides per S. cœnam non confirmatur. Reſp. Nulla fides tam firma eſt, quæ non incrementa capiat, aut quæ non aliquando vacillet. Apoſtoli, in fide confirmati, vberiorem expetebant confirmationem, Luc. XVII, 5. Et Abrahamo, credentium patri, circumciſio erat ſigillum iuſtitiæ fidei, Rom. IV, 11.

Quæſt. XXI. *Eſtne miſſa ſacrificium proprie dictum?*

Miſſa *non* eſt *ſacrificium*, *proprie* dictum, *propitiatorium*, pro peccatis viventium & mortuorum.

Obſ. I. Diſt. eſt *inter miſſam chriſtianam, & ſuperſtitioſam*, ſiue idololatricam. *Illa* eſt legitima S. cœnæ celebratio: *Hæc* a *Pontificiis* definitur, quod ſit *ſacrificium incruentum* N. T. *propitiatorium & ſatisfactorium, in quo ſacerdos proprie dictus & ſolus communicans, ſuper altari proprie dicto, Patri cœleſti eundem Chriſtum, eandemque hoſtiam, quæ in cruce fuit oblata, ſub ſpecie panis & vini, pro viuorum ac mortuorum, purgatorio nondum plene purgatorum, peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, aliisque neceſſitatibus, offert.*

Obſ. II. Nomen *ſacrificii* accipitur vel *improprie*, vel *proprie*. *Improprie* accipitur 1) pro omni opere, quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relato ad illum finem, quo vere beati eſſe poſſumus, vt AVGVSTINVS loquitur, *L. X. de C. D. c. 6.* 2) pro cultu N. T. & prædicatione euangelii, Rom. XV, 16. Phil. II, 17. 3) pro beneficentia & officiis caritatis erga proximum, Phil. IV, 8. Hebr. XIII, 16. 4) pro precibus & gratiarum actionibus ad Deum directis, Hebr. XIII, 16. Apoc. V, 8. *Proprie* dictum ſacrificium eſt vel מִנְחָה, *oblatio* ex rebus inanimatis, cum ſolidis, verb. gr. ex pane, ſale, thure, tum liquidis, quæ libamenta dicebantur: vel eſt זֶבַח, *ſacrificium ſanguineum*, quo ex mandato diuino res animatæ in honorem Dei immolantur. *Miſſam*, ſiue celebrationem euchariſtiæ, *improprie* poſſe *ſacrificium* dici, non negamus; quia 1) eſt opus, quod agitur, vt ſancta ſocietate Deo inhæreamus: 2) eſt pars cultus N. T. non vltima: 3) olim cum celebraretur euchariſtia, offerri ſolebant dona, quæ cederent in vſum miniſtrorum eccleſiæ & pauperum: 4) coniuncta eſt S.



Digitized by Google

cœnæ adminiſtratio cum precibus & gratiarum actionibus: 5) eſt inſtituta in memoriam ſacrificii Chriſti in ara crucis oblati.

Obſ. III. Diſtinguendum eſt *inter ſacrificium materialiter, & formaliter ſumtum.* Si *materialiter* ſumamus, in euchariſtia idem numero ſacrificium eſt, quod fuit in cruce, ſiue res & ſubſtantia prorſus eadem; eadem, inquam, victima, ſiue hoſtia. Si vero ſacrificium, accipiamus *formaliter*, ſiue pro actu ſacrificandi, tum, etiamſi ſit *victima vna & eadem* numero, *non* tamen eadem actio, ſiue immolatio eſt, quæ fit in *euchariſtia*, cum immolatione, quæ in *cruce* peracta fuit. Nam in *cruce* facta eſt oblatio per veram rei viuæ immolatæ paſſionem & mortem, absque qua ſacrificium proprie dictum nullo modo eſſe poteſt; in *euchariſtia* vero fit oblatio per preces, & per commemorationem mortis, ſiue ſacrificii in cruce oblati.

Prob. Aſſertio noſtra: 1) Quæ res animata proprie ſacrificatur, ea occiditur & per mortem deſtruitur: Corpus Chriſti animatum in miſſa non occiditur, neque per mortem deſtruitur: E. corpus Chriſti in miſſa proprie non ſacrificatur. *Maior* liquet ex natura ſacrificii proprie dicti. *Minor* claret teſtimonio Paulli, Rom. VI, 9.

2) Quod ſacrificium repeti debet, illud eſt imperfectum & arguit ſacerdotium imperfectum: Chriſti ſacrificium nec eſt imperfectum, nec ſacerdotium arguit imperfectum: E. repeti non debet. *Maior & minor* patet ex Hebr. VII, 27. c. IX, 25. 26.

3) Si miſſa eſſet ſacrificium proprie dictum, eſſet inſtitutum a Chriſto in vltima cœna. Sed in ea inſtitutum non eſt. E. Non eſt ſacrificium proprie dictum. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia iuxta *Pontificios* miſſa ab euchariſtia non differt, quoad rem: euchariſtia autem in vltima cœna demum fuit inſtituta. *Conſequens* probatur: quia inſtitutio ſacrificii proprie dicti, quo res animata offertur, importat mandatum de mactando eo, quod offerendum eſt. De Chriſto autem mactando nullum in inſtitutione cœnæ mandatum, neque explicite neque implicite continetur.

4) Ex mente aduerſariorum miſſa eſt ſacrificium *incruentum.* Ex quo colligimus: *Nullum ſacrificium propitiatorium, proprie dictum, ſit ſine ſanguine.* Hebr. IX, 22. At ſacrificium miſſaticum fit *ſine ſanguine.* E. *non* eſt ſacrificium *propitiatorium, proprie* dictum.

5) Nullum *ſacramentum* poteſt eſſe *ſacrificium:* Euchariſtia eſt ſacramentum. Ergo. *Maior* probatur: quia in *ſacramentis* Deus gratiam ſuam hominibus offert & confert; in *ſacrificiis* autem homines quædam munera Deo offerunt *).

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, Chriſtum in miſſa *proprie*, ſed *modo incruento* ſacrificari. Quorum argumenta potiora ſunt:

I. Si ſacrificium noui teſtamenti debet eſſe quotidianum & vniuerſale, ſequitur, quod ſacrificium miſſaticum in dubium non ſit vocandum (nam hoc eſt quotidianum & vniuerſale): Antecedens eſt verum, teſte Malachia c. I, 11. Ergo & conſequens. Reſp. L. c. *non* intelligitur ſacrificium *expiatorium, proprie* dictum, ſed ſacrificium *ſpirituale,* nempe

*) Eſt etiam in ſacrificio miſſatico magnus cumulus errorum, falſorumque principiorum, quorum peſſima hæc ſunt: quod Chriſtus vicarias pœnas dumtaxat æternas ſubierit: quod pro temporalibus homo ipſe ſatisfacere debeat: quod igne purgatorio, neſcio quo, expianda ſint peccata, ac pœnæ temporales perferendæ, niſi aut ante diſceſſum ex hac vita ſatisfactio pro iis præſtita ſit, aut indulgentiarum beneficio liberatio facta: quod eorum, qui adhuc in viuis ſunt, opera, in primiſque Sacerdotum officio, quo Chriſtus quotidie immoletur, cruciatus mortuorum in illo igne commentitio & tolerabilior, & breuior effici queat.

Digitized by Google

nempe prædicatio euangelii in toto terrarum orbe, Rom. XV, 16. ſacrificium caritatis, ſiue beneficentiæ, ſacrificium precum & hoſtia laudis.

II. Quicunque eſt ſacerdos in morem Melchiſedechi, illius officium offerendo panem & ſanguinem eſt peragendum: Atqui Chriſtus &c. Hebr. V, 6. Ergo. *Maior* probatur: quia Melchiſedechus dicitur *ſacrificaſſe & obtuliſſe Abrahamo panem & vinum.* Gen. XIV, 18. Reſp. 1) Melchiſedechus non ſacrificauit, ſed attulit panem & vinum *ad reficiendum Abrahamum & ipſius milites.* 2) Chriſtus ſemel ſacrificauit, & immolauit ſeipſum in ara crucis, Hebr. IX, 12.

Inſtantia: Sed ſacrificium Chriſti debet eſſe æternum; quia eſt ſacerdos in morem Melchiſedechi æternum. Reſp. Sacrificium Chriſti in ara crucis peractum, eſt *æternum, non* ob perennem *reiterationem,* ſed ob perpetuum *valorem,* Hebr. X, 10.

III. Nulla vera religio poteſt eſſe ſine ſacrificio conſtanti & perenni. Atqui Chriſtiana religio eſt vera religio. E. *Maior* prob. quia religio Iſraëlitica non erat ſine ſacrificiis quotidianis: Quin immo gentiles ſacrificarunt. Reſp. 1) Religio Chriſtiana nititur ſacrificio Chriſti, quod, qua valorem, æternum eſt, Hebr. X, 14. 2) Religio Chriſtiana exercetur *quotidianis* ſacrificiis *euchariſticis,* ſiue hoſtiis laudis & precum.

### *SVSPIRIVM.*

Te, Ieſu Chriſte, omnipotens Domine, fons vitæ & immortalitatis, quam deuotiſſime fieri poteſt, precor & obteſtor, vt Spiritu tuo ſanctiſſimo mentem meam, connatis tenebris oppletam, illuſtres, quo de ſublimi ſacræ tuæ cœnæ myſterio nil cogitem, ſentiam, loquar, aut ſcribam, quod vel a maieſtate tua ſit alienum, vel a vero abhorreat, vel a verbis teſtamenti tui deflectat! Et quotiescunque ad ſanctam tuam menſam ſum acceſſurus, animæ meæ reficiendæ cauſſa, indignum me, obſecro, per gratiam tuam fac dignum, me impurum repurga, me nudum veſti, vt corpus tuum virtute diuina plenum, & ſanguis tuus pretioſiſſimus mihi, ſeruo tuo infimo, non cedat in iudicium, aut pœnam, ſed in monumentum mortis tuæ, pro me oppetitæ, in firmamentum fidei meæ, in pignus remiſſionis peccatorum meorum, in vinculum arctioris tecum vnionis, in incrementum ſanctitatis, in radicem beatæ reſurrectionis, in arrhabonem vitæ æternæ!

THEOL. PART. III. SECT. II.

CAPVT VI.

# DE POENITENTIA PECCATORIS GENERATIM, ET DE CONTRITIONE SPECIATIM.

Quæſt. I. *Quid eſt pœnitentia?*

*Pœnitentia* eſt motus animi, per gratiam Spiritus S. conuertentem & regenerantem excitatus, quo homo peccator agnita ex lege diuina peccata ſua ſerio cum dolore deteſtatur, ſimul vero ſatisfactionem & meritum mediatoris Chriſti, eoque partam miſericordiam Dei, in euangelio promiſſam, vera fide appre- *Definitio pœnitentiæ.*



Digitized by Google

apprehendit, ſibique applicat, vt impetrata gratuita peccatorum remiſſione æternum ſaluus fiat.

Obſ. I. Succincte deſcribi poteſt *pœnitentia*, quod ſit motus animi, peccata ſua ſerio cum dolore deteſtantis, & gratiam Dei, in merito Chriſti fundatam, vera fide apprehendentis.

Obſ. II. *Pœnitentia* eſt *ἀποτέλεσμα*, ſeu *communis effectus gratiæ* diuinæ *conuertentis*, & *regenerantis;* propterea, quod per *conuerſionem ſtrictiſſime* dictam *contritio*, per *regenerationem*, *fides in Chriſtum* diuinitus excitatur: Quod cum ſuperiori ſectione c. III. & IV. demonſtratum ſit, de cauſſa efficiente pœnitentiæ hic agere, nil attinet.

Obſ. III. *Pœnitentia* vocatur etiam *conuerſio intranſitiua*, qua peccator, a Spiritu S. præuentus, & ſupernaturalibus viribus inſtructus, *ſe conuertere* dicitur; item *reſipiſcentia*, qua peccator ad meliorem mentem redit. Græce appellatur *μετάνοια*, *μεταμέλεια*. *Illa* notat mutationem mentis, qua malum, quod antea probauimus, improbamus, & oppoſitum bonum approbamus: *hæc* notat mutationem voluntatis, qua ob memoriam mali perpetrati dolemus, & de obtinendo bono ſolliciti ſumus. Illa germanice die Nachwitz; hæc die Nachſorge reddi poteſt. Hebraice dicitur תשובה, quæ vox generatim *reditum*, ſpeciatim *reditum peccatoris ad Deum* deſignat: Idem נחם, quod notat *diſplicentiam*.

Quæſt. II. *Quot modis ſumitur nomen pœnitentiæ?*

*Homonymia pœnitentiæ.*

Nomen *pœnitentiæ* vſurpatur ſignificatu vel *generali*, vel *ſpeciali*. Significatu *generali* pœnitentia denotat mutationem animi, qua quæ egimus, poſt diſplicere, animumque noſtrum mœrore afficere & angere incipiunt a). Significatu *ſpeciali* & *proprio* notat pœnitentia internam hominis peccatoris mutationem, qua ipſi peccata, quibus pollutus eſt, diſplicent, animumque ipſius mœrore afficiunt, vt ſatisfactionem Deo, quem læſit, offerre meditetur ad impetrandam peccatorum remiſſionem; quo ſenſu *ſpeciali* pœnitentia ſumitur vel *μερικῶς*, *partialiter*, pro contritione, quæ eſt mutatio animi *ad dolorem* b), vel *ὁλικῶς*, *totaliter*, pro tota conuerſione intranſitiua, quæ eſt mutatio animi *ad dolorem & fiduciam ſimul* c). Significatu *improprio* deſignat mutationem *externam*, ſiue *externis ſignis declaratam* d).

Prob. a. *Pœnitentia formaliter eſt diſplicentia facti cum dolore coniuncta*, adeoque quamlibet mutationem animi, qua factum diſplicet, animumque dolore afficit, denotat. Quo ſenſu ſumitur, nomen *pœnitentiæ*, Hebr. XI, 17. *Vbi Eſauus dicitur non inueniſſe locum pœnitentiæ*, *quantumuis quæſitæ*, h. e. Eſauus lacrymis ſuis non potuit permouere *Iſaacum patrem*, *vt animum mutaret*, & benedictionem, qua ius primogenituræ in Iacobum transtulerat, reuocaret, retractaret, irritamque redderet.

Prob. b. Quando *pœnitentiæ* annectitur *fides*, aut cognatum verbum, *credere*, tunc in S. ſcriptura per *pœnitentiam* non intelligitur tota conuerſio intranſitiua, ſed *tantum contritio*. Patet hoc ex Marc. I, 15. *μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν εὐαγγελίῳ*, *pœnitentiam agite*, *& credite euangelio*. Vbi per *pœnitentiam* non poteſt tota conuerſio hominis intranſitiua intelligi; quia pœnitentiæ expreſſe annectitur *τὸ πιστεύειν*.

Prob. c. Quando pœnitentiæ *non* additur expreſſa *fidei* denominatio, & nihilo tamen minus *ſalutaris* tribuitur *effectus*, per pœnitentiam *tota hominis conuerſio intranſitiua* denotatur: Id quod conſtat ex Luc. XXIV, 47. vbi Seruator noſter inquit: *Oportebat Chriſtum pati,*

*pati, & reſurgere a mortuis, tertia die, & prædicari in nomine eius pænitentiam & remiſſionem peccatorum.* Hic *pænitentiæ* annectitur *ſalutaris effectus*, nempe *remiſſio peccatorum*, quæ ſine *fide in Chriſtum* non impetratur, Act. X, 43. E. per *pænitentiam* l. c. intelligitur *tota conuerſio intranſitiua*, quæ *contritione ac fide*, tanquam partibus eſſentialibus, abſoluitur.

Prob. d. *Pænitentia externa* dicitur etiam *eccleſiaſtica*. Quia peccatores pœnitentes interiorem ſuum dolorem, ex agnitis peccatis in animo obortum, planctu, ieiuniis, veſtibus ſordidis, cinere capiti iniecto, aliisque geſtibus & actionibus ſolent conteſtari, iisque, ceu ſignis, palam prodere; ideo *pænitentiæ* nomen ad illas quoque actiones & externa ſigna conſueuit transferri, per metonymiam *ſigni pro ſignato*. Quo referri poteſt oraculum Chriſti, Matth. XI, 21. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in ſacco & cinere pænitentiam egiſſent.*

### Quæſt. III. *Quotuplex eſt pænitentia?*

*Pænitentia* ratione *ſubiecti*, ſiue hominis pœnitentis, eſt duplex, *lapſorum*, & *ſtantium* a). *Lapſi* ſunt *vel* infideles, qui per baptiſmum vel circumciſionem nunquam ſunt renati, & gratia tamen Spiritus S. conuertuntur ab idolis ad verum Deum b); *vel* peccatores malitioſi, qui per baptiſmum, aut in V. T. per circumciſionem quidem renati fuerunt, ſed in proæretica peccata prolapſi fulmine legis & luce euangelii illuminantur, vt reſipiſcant c). Pœnitentia *ſtantium* eſt quotidianus dolor de peccatis infirmitatis, & quotidianus amplexus fiducialis gratiæ diuinæ, merito Chriſti partæ d). *Diuiſio pænitentiæ.*

Prob. a. Paullus *ſtantium & lapſorum* mentionem facit, 1 Cor. X, 12. *Qui ſibi videtur ſtare, videat, ne cadat. Stantes* ſunt, qui per fidem in fœdere gratiæ perſiſtunt: *Cadentes*, qui per voluntaria peccata gratia excidunt.

Prob. b. Ex 1 Theſſ. I, 9. *Conuerſi eſtis ad Deum ab idolis, ad ſeruiendum Deo viuo & vero.* Theſſalonicenſes, a cultu idolorum ad cultum veri Dei conuerſi, primam egerunt *pænitentiam.*

Prob. c. Ex Apoc. II, 5. *Recordare, vnde excideris & pænitentiam age.* Quibus verbis Chriſtus epiſcopum Epheſinum, cuius ardor conuertendi Epheſios intepuerat, ob pertinacem Iudæorum & gentilium reluctationem, compellat. Cum autem maledictus ſit, qui opus Domini negligenter facit, Ier. XLVIII, 10. ad agendam pœnitentiam hic Epiſcopus *grauiter lapſus* exſtimulatur.

Prob. d. *Stantes* per fidem Chriſtiani quotidie ſuſpirant, Matth. VI, 12. *Pater, dimitte nobis debita noſtra. Neque enim eſt homo, qui non peccet,* 1 Reg. VIII, 46. Stantes chriſtiani non peccant quidem ex deliberato propoſito; ex infirmitate tamen & ignorantia. *).

*Anti-*

*) Omnino duæ res ſunt, quæ ad *quotidianam* pœnitentiam requiruntur: 1) *continua recordatio* tum priſtini *doloris* de peccatis *voluntariis*, ante reuerſionem animi ad Deum perpetratis, tum vero *nuntii euangelici de gratia condonante*, ſalutari *fiducia* percepti, Pſ. LI, 5. 1 Cor. XV, 9. 1 Tim. I, 13. 14.; 2) *continua* partim *percontatio, cognitio* ac *deteſtatio* peccatorum *infirmitatis*, qua reuerſus ad Deum homo ſe adhuc laborare ſentit, partim *imploratio gratiæ*, & *confirmatio fiduciæ* ſalutaris, in Chriſto poſitæ. Doctrina noſtra de hac *quotidiana* pœnitentia, eiusque *neceſſitate*, nititur hoc fundamento ac principio: quod conditio hominis denuo nati ac renouati *bona* quidem ſit, ſemper tamen *imperfecta*; quod nullum quidem ab eo committatur peccatum voluntarium, multa tamen ex inſcientia ac feſtinatione animi, 1 Cor, IV, 4.

Iac.

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, ſtatuentium, Chriſtianos *perfectos*, quos vocant, pœnitentia non indigere. Qui ſequentibus argumentis ſuam opinionem muniunt:

I. Chriſtus diſerte dicit: *Iuſti non indigent pœnitentia*, Luc. XV, 7. Reſp. AVGVSTINVS in Pſ. LXI. verba Chriſti intelligit de iuſtis *κατὰ δόξαν*, *ſecundum opinionem*, quales erant Phariſæi. Sed accuratius diſtinguitur inter *pœnitentiam ſtantium*, & *lapſorum*, hoc ſenſu: *iuſtis non opus* eſt *tali* pœnitentia, *quali* indigent abrepti in deuia peccatorum mortalium. *).

II. Matth. IX, 13. Saluator inquit: *Veni ad pœnitentiam vocatum peccatores*, & *non iuſtos*. Reſp. Homines *omnes* ſunt *peccatores*, 1 Reg. VIII, 46. At *iuſti opinione*, i. e. perſuaſione propriæ iuſtitiæ tumidi, exiſtimant, ſe vocatione Chriſti ad pœnitentiam non indigere.

III. Quidam homines dicuntur perfecti, vt Ioſias, 2 Paral. XXXIV, 2. Sed qui perfecti ſunt, non prolabuntur in peccata, adeoque pœnitentia non indigent. Reſp. Diſtingu. *inter perfectionem comparatam*, & *abſolutam*, *non tantum partium*, *ſed* & *graduum*. Ioſias non fuit omnibus numeris perfectus, quod patet ex bello inutili, quod ſuo ſuorumque damno Pharaoni Necho, 2 Paral. XXXV, 3. intulit. *Egit* etiam *pœnitentiam*; nam *toto corde ad Deum conuerſus* dicitur 2 Reg XXIII, 25. Ceterum iubentur *omnes* homines *reſipiſcere*, Act XVII, 30.

Obſerues hic diſcrimen inter *homines viatores*, & *angelos*. *Angeli boni* non indigent pœnitentia: *angeli mali* nec ad pœnitentiam vocantur, nec gratiam conuerſionis ſperare poſſunt: *at homines viatores omnes* poenitentiæ ſunt indigi, & ad eam a Deo vocantur.

Quæſt.

Iac. III. 2.; quod peccatum ipſe habeat, eiusque illecebras maxime inuitus in ſe ſentiat, licet peccatum nullum ipſe faciat ſciens & conſentiens, Rom. VII, 15. ſeq. coll. cum VIII, 1. 1 Io. I, 8. 9. III, 9. Eſt igitur magna huius rei *neceſſitas conſequentiæ*. Nec minor eſt *neceſſitas præcepti*, vt dici ſolet. *Nomen* pœnitentiæ *ſtantium* ſcriptum exſtat Apoc. II, 16.: *μετανόησον*. Id Chriſtus imperat homini denuo nato, atque etiam in fide perſiſtenti, ſed quadam in re ex ignorantia ac ſine propoſito peccanti, v. 13. 14. 15. Quod ad *rem* ipſam attinet, argumentum nobis validiſſimum præbet formula precationis, a Chriſto nobis præcepta. Ipſe nos docuit, immo iuſſit, ita Deum, vt Patrem nobis reconciliatum ac benignum, precari: *Remitte nobis debita noſtra, quem ad modum noſtris nos debitoribus remittimus!* Ad quosnam vero hoc pertinet? Certe non ad impios, quos male factorum nondum pœnituit, qui nec volunt, nec poſſunt preces Deo gratas fundere, quorum etiam in animis nullum vitium tenacius infixum hærere ſolet, quam implacabile odium, vt nolint fratribus debita condonare atque iniuriarum obliuiſci. Diſciplinæ ſuæ addictos homines Chriſtus ita affatus eſt. Conſideremus etiam verborum rerumque & copulationem, & ordinem. Quæ precationem quintam præcedunt, ea vniuerſa indicant *bonam* indolem renouati animi. Quæ eam ſequuntur, hæc bina ſignificant *imperfectam* eiusdem conditionem, non prius, quam beato tranſitu ex hac vita diſceſſerimus, perficiendam. Ex hoc orationis vinculo duplex efficitur argumentatio. *Vna: Quando* ea ſumus conditione, vt nomen Dei ſancte colamus, regnum Dei perpetuo exoptemus, voluntatem Dei pie veneremur, panem noſtrum grato animo accipiamus (petit. I. II. III. IV); *tunc* noſtri eſt officii, vt veniam peccatorum a Deo petamus. *Altera* hæc eſt: *Quam diu* multis ac variis vexationibus ac malorum irritamentis obnoxii ſumus, nondumque omni malo liberati (petit. VI. & VII.); *tam diu* continuanda eſt hæc deprecatio: Pater propitie! remitte nobis debita noſtra!

Aduerſarios in hac cauſſa habemus non *Socinianos* ſolum, ſed etiam *Pſeudomyſticos* ac *fanaticos* homines, omnesque eos, qui homini renouato, & quaſi adulto, *perfectionem legalem*, & *partium*, & *graduum*, temeraria audacia adſertum eunt.

*) Id ita eſſe, adparet 1) ex ipſa *verborum ſententia:* Quos Chriſtus *ouibus ſuis* adnumerat, hi certe non ſunt ex numero Phariſæorum, ſed ſunt vere Chriſto addicti vereque iuſti. Elucet etiam 2) ex *verborum cohærentia*, occaſione ac ſcopo, dum modo huncce verſum 7. cum v. 1. conferamus. Acceſſerant ad Chriſtum *ἁμαρτωλοί*, inſigniter facinoroſi hactenus homines. Eius igitur *μετανοίας*, qua illi indigebant, & quæ eſt hominis impii a peccatis ad Deum reverſio, non indigentes ſunt iuſti, iam Deo reconciliati, multiplices tamen defectus ſuos quotidie adcurate explorantes, dolenter ſentientes, ſtudioſe corrigentes.

Digitized by Google

Quæſt. IV. *Quot ſunt partes pœnitentiæ?*

*Partes* pœnitentiæ ſunt duæ, *contritio* & *fides*.

*Partes pœnitentiæ.*

Probatur hæc bipartitio: 1) Ex natura pœnitentiæ. Cum enim pœnitentia ſit intranſitiua peccatoris conuerſio, inter *duos* verſatur *terminos*; nempe inter terminum *a quo*, & *ad quem*. Terminus *a quo* eſt *peccatum* admiſſum, ex cuius agnitione naſcitur contritio: Terminus *ad quem* eſt *Deus*, ad cuius miſericordiam propter Chriſtum peccator fide confugit, Act. XIV, 15.

2) A cauſſa efficiente principali. *Duas* eſſe pœnitentiæ *partes*, oſtendit *iuſtitia* & *miſericordia* Dei. Ex conſideratione *iuſtitiæ* ſuboritur *contritio*, e meditatione *miſericordiæ* ſuppullulat *fiducia*, Dan. IX, 15. *Peccauimus*, *inique egimus*, *impii fuimus*, v. 18. *Tua vero*, *Domine*, *eſt miſericordia & remiſſio.*

3) A duplici pœnitentiæ cauſſa intermedia. Cum *duplex* ſit *doctrinæ genus*, quo Deus in nobis pœnitentiam efficit, *lex & euangelium*; & *legis* quidem ſit, peccatores *conterere*; *euangelii* autem, *viuam fidem* accendere: conſtat liquido, *contritionem & fidem* eſſe *duas* pœnitentiæ *partes*.

4) Ab effectu. Pœnitentia eſt motus ſpiritualis, quo peccata abolentur, Deoque peccatis offenſo reconciliamur. Ad *abolitionem* vero *peccatorum* requiritur 1) *peccatorum moralis retractatio*, quæ *contritione* peragitur, & 2) *oblatio ſatisfactionis* pro iniuria & offenſa Deo illata, qua a debito ſubeundi pœnam, ſiue a reatu pœnæ liberamur, quæ *non*, *niſi fide*, *ſatisfactionem Chriſti apprehendente*, nobisque applicante & Deo offerente, peragitur.

5) In S. ſcriptura *pœnitentia* deſcribitur, quod ſit *conuerſio ad Deum viuum*, Actor. XIV, 14. *in Deum*, c. XX, 21. *pœnitentia ad vitam*, c. XI, 18. *reſipiſcentia & conuerſio* εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι τὰς ἁμαρτίας, *vt deleantur peccata*, c. III, 19. *conuerſio a tenebris ad lucem*, c. XXVI, 18. Sed abſque fide in Chriſtum pœnitentiam, ſeu conuerſionem *ad Deum*, *ad vitam*, *ad lucem*, *ad remiſſionem peccatorum* dari, impoſſibile eſt. Per *fidem* in Chriſtum impetramus *remiſſionem peccatorum*, Act. X, 43. per *fidem* pœnitentia *ſalutaris* ab *exitioſa* diſtinguitur, vt oſtendit exemplum Petri & Iudæ. Si *fides* eſſentiam pœnitentiæ non ingrederetur, *tota* pœnitentia eſſet *opus legis*; e qua nulla conſolatio, nulla iuſtificatio eſt: Quin pœnitentia etiam *termino ad quem* deſtitueretur.

6) Ab exemplis vere pœnitentium, primorum parentum, Dauidis, auditorum Ioannis baptiſtæ, mulieris peccatricis, filii prodigi, latronis in cruce, in quorum pœnitentia cernuntur duo, *contritio* & *fides*.

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, quorum ſententia *tres* ſunt pœnitentiæ *partes* contritio cordis, confeſſio oris, & ſatisfactio operis. 2) *Arminianorum*, aſſerentium, pœnitentiam eſſe correctionem vitæ. 3) *Socinianorum*, ex quorum mente noua obedienria fere ſola eſt pars pœnitentiæ. Quorum argumenta ſunt;

I. Fides pœnitentiæ contradiſtinguitur, Marc. I, 15: *Pœnitentiam agite, & credite euangelio.* Reſp. Tunc intelligitur pœnitentia μερικῶς, ſiue *partialiter* dicta, & notat *contritionem*. *Fides* ad *totum* pœnitentiæ *ſalutaris ambitum* pertinet.

II. Fides pœnitentiam antecedit: E. non eſt pars pœnitentiæ. *Antecedens* patet ex Ion. III, 5. *Crediderunt Niniuitæ in Deum*, *& prædicauerunt ieiunium*, *& induti ſunt cilicio.* Reſp. *Fides hiſtorica* præcedit pœnitentiam; quia nemo ſerio de peccatis dolet, niſi credat, Deum eſſe peccatorum ſeuerum oſorem & vltorem: *Fides* autem *ſaluifica* poenitentiam conſtituit.



Digitized by Google

III. Fides, quæ ad pœnitentiam requiritur, non poteſt eſſe certa fiducia remiſſionis peccatorum; quia Niniuitæ crediderunt in Deum, & tamen de remiſſione peccatorum dubitarunt; quod conſtat ex eorum verbis, Ion. III, 9. *Quis ſcit? Reuertetur & pœnitentia ducetur Deus, vt reuertatur ab ardore iræ ſuæ, ne percamus?* Reſp. 1) Non dubitarunt Niniuitæ *de remiſſione culpæ, ſed de condonatione pœnæ temporalis & afflictionis;* quum etiam pœnitentibus vere fidelibus, & certis de gratuita peccatorum remiſſione, afflictiones temporales Deus quandoque immittat. Exemplo nobis ſunt Dauid, Iobus, & alii. 2) Particula, *quis ſcit,* non eſt ſemper dubitantis, ſed quandoque etiam bene ſperantis. Vid. 1 Sam. XIV, 6. 2 Sam. XII, 22.

IV. Pœnitentia, ſiue contritio, eſt virtus moralis, fides virtus theologica, quæ non poſſunt concurrere ad vnum eſſentiale conſtituendum. Reſp. Contritio non eſt virtus actiua, ſed dolor & paſſio animi: Neque h. l. fides conſideratur, vt virtus theologica, ſed vt *ὄργανον*, vel *medium* gratiæ diuinæ & meriti Chriſti *receptiuum.*

V. *Pœnitentia*, vi *vocis*, notat diſplicentiam alicuius facti cum dolore coniunctam, non autem ſignificat fidem aut fiduciam: Ergo fides non eſt pars pœnitentiæ. Reſp. Quamuis apud auctores latinæ linguæ profanos *pœnitentia* denotet diſplicentiam cum dolore coniunctam; apud auctores tamen ſacros & eccleſiaſticos ea latitudine accipitur, vt deſignet totam conuerſionem ad Deum, & abolitionem peccatorum.

VI. Pœnitentia deducitur a *pœna*, & *pœnitet* ſignificat idem, quod *pœna me tenet.* E. pœnitentia denotat quandam peccatorum *pœnam externam*, quam auctores eccleſiaſtici *ſatisfactionem* vulgo vocant. Reſp. ERASMO *pœnitere* idem eſt, quod *pone tenere;* ideo, quod *cogitationes poſteriores ſunt meliores;* nobis autem videtur verbum *pœnitere* eſſe primitiuum non deriuatiuum. Quid autem *pœnitere* ex vſu latinæ linguæ ſignificet, docent GALLVS ASINIVS & LARGIVS LICINIVS, ſcriptores veteres, apud A. GELLIVM, *libr. XVII. Noct. Att. c. I.* quando *pœnitere*, inquiunt, *tum dicere ſolemus, cum, quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtra voluntate, noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis poſt diſplicere incipiunt, ſententiamque in iis noſtram demutamus.*

Inſtantia: Si *pœnitentiæ* nomen in ſuo ſignificatu includit dolorem de vita præterita, ſequitur vtique, quod pœnam quandam includat. Reſp. *Pœna* ſumitur bifariam: 1) in ſignificatu *generali* & *improprio,* quo notat malum, ſiue damnum naturæ intelligenti diſconueniens ob culpam contractum. 2) In ſignificatu *ſpeciali* & maxime *proprio*, quo deſignat malum, ſiue damnum, quo vindicatur culpa, & iniuria cuipiam illata compenſatur. Senſu *generali & improprio* pœnitentia reſpectu prioris partis, ſiue *contritionis* dici poteſt *pœna:* eſt enim quoddam malum, hominis naturæ & voluntati diſconueniens, idque ob culpam contractum, nempe malum poſitum in carentia delectationis, & tranquillitatis animi, quod etiam vulgo inſtar *pœnæ* haberi ſolet. Senſu autem *ſpeciali* contritio *non* eſt *pœna*, ſed tantum *diſpoſitio quædam ad fidem*, voce euangelii accendendam; neque enim per contritionem homo compenſat iniuriam Deo illatam, ſed diſponitur tantum ad concipiendam fidem in Chriſtum. Confer. MVSAEI *diſp. II. de conuerſ p.* 78. *ſeqq.*

VII. Veræ partes pœnitentiæ homini ſunt ſalutares: Contritio non eſt homini ſalutaris. E. *Maior* liquet; quia pœnitentia datur ad vitam, Act. XI, 18. *Minor* probatur ex 2 Cor. VII, 10. & exemplo Iudæ, cuius contritio non erat ſalutaris. Reſp. 1) In *genere. Salutare* aliquid dicitur *vel* remotiue, *vel* poſitiue. Contritio eſt ſalutaris partim *remotiue,* quatenus peccandi propoſitum, quod eſt obſtaculum fidei & remiſſionis peccatorum, remouet

Digitized by Google

mouet atque exterminat; partim *poſitiue, non* quidem *effectiue*, quaſi per ſe ſalutem efficiat, at tamen *pædagogice*, quatenus per eam præparatur & complanatur via Domino, vera fide recipiendo, Matth. III, 3. 2) In *ſpecie*, ad 2 Cor. VII, 10. *Dolor mundi*, conceptus ex impatientia pœnarum & iactura bonorum terreſtrium mortem operatur, non autem dolor ſecundum Deum excitatus a Spiritu S. per legem moralem, & conceptus ex offenſa Numinis optimi & iactura gratiæ diuinæ. 3) Pœnitentia *Iudæ* non erat cum fide in Chriſtum coniuncta, qua temperata eſſe debet, vt ſit non ſolum *pædagogice*, ſed etiam *effectiue* adeoque *complete ſalutaris*.

VIII. Quidquid pœnitentiam operatur, illud non eſt pars pœnitentiæ. Atqui contritio &c. E. *Maior* claret; quia nihil ſeipſum operatur. Quod ſi itaque contritio eſſet pœnitentia, aut pars pœnitentiæ, non poſſet pœnitentiam operari. *Minor* probatur ex 2 Cor. VII, 10. *Triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam ad ſalutem non pœnitendam operatur.* Reſp. Triſtitia ſecundum Deum eſt, quam Deus non ſolum iubet aut approbat, ſed etiam verbo legis excitat, cor hominis contriſtando, adeoque operatur pœnitentiam ad ſalutem, quatenus per contritionem cor hominis durum emollit, præparat & diſponit ad fidem ſaluificam ex euangelio ſuſcipiendam, quo pœnitentia fit ſalutaris.

IX. Contritio pœnitentiam antecedit: E. non eſt pars pœnitentiæ. *Antecedens* liquet ex Act. II, 37. 38. vbi S. Petrus illis, qui iam compuncti corde erant, inculcat, agendam eſſe pœnitentiam; adeoque compunctio cordis præcedit pœnitentiam. Reſp. 1) Negando *conſequentiam*; quia partes natura totum præcedunt. 2) Plus requiritur ad contritionem, quam compunctio cordis, nimirum deteſtatio peccati & fides in Chriſtum.

Quæſt. V. *Eſtne noua obedientia pars pœnitentiæ?*

## *Noua obedientia non* eſt *pars*, ſed *effectus* pœnitentiæ.

Obſ. *Noua obedientia* eſt ſtudium bonorum operum, ſiue ſerium & indefeſſum ſtudium ſeruandi præcepta Dei, & ſobrie, iuſte pieque viuendi, & diſtinguitur in nouam obedientiam *internam*, & *externam*. *Illa* eſt internum mentis voluntatiſque propoſitum præceptis diuinis promte obediendi; *hæc* eſt externa interni propoſiti exſecutio. Confer. D. HVLSEM. *breuiar. c. IX. p.* 526.

Prob. 1) Ex Matth. III, 18. vbi ſtudium bonorum operum dicitur *fructus pœnitentiæ.* Quem ad modum igitur fructus arboris non eſt eius pars: ita noua obedientia non eſt pars pœnitentiæ.

2) Scriptura deſcribit ſtudium bonorum operum, tanquam conſequens conuerſionis. Chriſtus monet epiſcopum Epheſinum: *Age pœnitentiam, & fac priora opera,* Apoc. II, 5. vbi bona opera a pœnitentia diſtinguuntur, & ei poſtponuntur.

3) Pœnitentia diuinitus ordinata eſt ad remiſſionem peccatorum, Actor. III, 18. Luc. XXIV, 47. At noua obedientia eſt *fructus remiſſionis peccatorum.* Grauiter gentium Apoſtolus inquit: *Iam vero liberi facti a peccato, & Dei ſerui, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem autem vitam æternam,* Rom. VI, 22.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, opinantium, nouam obedientiam eſſe partem pœnitentiæ maxime eſſentialem. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Pœnitentia græce dicitur *μετάνοια*, i. e. *mutatio mentis* & omnium inde manantium actionum, adeoque *μετάνοια* totam hominis reformationem denotat. Reſp. *Μετάνοια* eſt *mutatio mentis vel* tantum ad *dolorem* de admiſſis peccatis, & dicitur *contritio*, eſtque pœnitentia



Digitized by Google

nitentia μερικῶς dicta; *vel* ad *dolorem, & ſimul fiduciam in Chriſto* recumbentem, & eſt pœnitentia ὁλικῶς intellecta. Sed μετάνοια in S. ſcriptura *non* vſurpatur pro *ſanctificatione*, quæ eſt *fructus* remiſſionis peccatorum. Rom. VI, 22.

II. S. ſcriptura pœnitentiam per ſtudium bonorum operum deſcribit. E. noua obedientia eſt pars pœnitentiæ. *Antecedens* liquet ex Pſ. XXXIV, 15. *Recedite a malo, & facite bonum.* Ezech. XVIII, 27. *Reuertimini ab impietate & exercete iuſtitiam.* Reſp. Locis citatis non deſcribitur conuerſio peccatoris ſecundum partes ipſius eſſentiales, ſed renouatio, quæ conuerſionem conſequitur, eamque a poſteriori notificat & declarat.

III. *Apologia Auguſt. confeſſ. art. XII.* nouam obedientiam partibus pœnitentiæ accenſet. *Videtis, hic duas partes coniungi, contritionem, cum arguuntur peccata, & fidem, cum dicitur: Credite euangelio. Si quis hic dicat, Chriſtum complecti etiam fructus pœnitentiæ, non diſſentiemus. Nam hoc nobis ſufficit, quod hæ partes præcipuæ nominantur, contritio & fides.* Reſp. 1) Apolog. Auguſt. confeſſ. diſerte nouam obedientiam vocat *fructum pœnitentiæ:* non igitur *pars* pœnitentiæ præcipua eſt. 2) Si *pœnitentia* ſumatur *late*, prout immediatum ſuum *effectum includit*, neque nos diſſentiemus.

Quæſt. VI. *Eſtne noua obedientia neceſſarium & inſeparabile conſequens pœnitentiæ?*

Noua obedientia *indiuulſo nexu* pœnitentiam ſequitur, & ab ea *ne in agonizantibus quidem ſeparari poteſt.*

Prob. 1) Pœnitentia, ſiue noua obedientia, eſt ſimilis arbori, bonos fructus non ferenti, & in ignem proiiciendæ, Matth. III, 10.

2) *Fides ſine bonis operibus* (ſaltim internis) *eſt mortua*, Iac. II, 20. Quam ob rem qui in agone mortis non ſerio ſibi proponunt, ſe velle nouæ obedienriæ ſtudere, de illis non poteſt dici, quod vere reſipiſcant.

Quæſt. VII. *Suntne mortificatio & viuificatio veræ partes pœnitentiæ?*

Si per *mortificationem* intelligatur mortificatio *paſſiua*, qua corda noſtra a Deo per legem conteruntur & mortificantur: per *viuificationem* autem *viua fides*, qua corda noſtra eriguntur & ſuſtentantur, hæc bipartitio orthodoxiæ eſt conformis a). Sin per *mortificationem* intelligatur *actiua* depoſitio veteris hominis, & per *viuificationem* induitio *noui hominis*, hæc διχοτομία *non* ad *conuerſionem*, ſed ad *renouationem* referenda eſt b).

Prob. a. *Apologia Auguſt. confeſſ. p.* 160. admittit *has pœnitentiæ partes, mortificationem* ſcilicet *& viuificationem;* ſed per *mortificationem* intelligit ſerium cordis conſcientiæque dolorem, e legalibus concionibus ob admiſſa peccata virtute Spiritus S. excitatum; per *viuificationem* autem intelligit immotam cordis fiduciam, qua de remiſſione peccatorum per & propter Chriſtum plane certi ſumus.

Prob. b. *Actiua mortificatio & viuificatio* eſt hominis renati & iuſtificati: Id quod diſcimus ex Rom. VIII, 12. 13. *Quare, fratres, debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus; ſi enim ſecundum carnem viuimus, moriemini: Si vero Spiritu actiones carnis mortificatis, viuetis* Compellat Apoſtolus *fratres*, qui *a Spiritu S. inhabitantur*, v. 11. Fratres autem ſpirituales ſunt homines renati & iuſtificati, qui in continuata renouatione carnem mortificant, eius cupiditates ſubigendo.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VIII. *Quis eſt finis pœnitentiæ?*

*Finis* pœnitentiæ ſimpliciter *vltimus* eſt gloria *Dei* a), reſpectu *hominis* finis *vltimus* eſt vita æterna b). Finis *intermedius & proximus* eſt remiſſio peccatorum c). *Finis pœnitentiæ.*

Prob a. Pœnitentes dant Deo honorem omniſcientiæ, iuſtitiæ, miſericordiæ. Vid. exemplum Achanis, Ioſ. VII, 19.

Prob. b. Deus gentibus dedit *pœnitentiam ad vitam*, Act. XI, 18.

Prob. c. Ex Act. III, 19. *Agite pœnitentiam, & conuertite vos, vt deleantur vobis peccata veſtra.* Eſt autem *remiſſio peccatorum finis & effectus pœnitentiæ, non* ratione *contritionis*, ſed ratione *fidei*, quæ velut anima pœnitentiæ eſt.

# DE CONTRITIONE.

Quæſt. IX. *Quid eſt contritio?*

*Contritio* eſt ſerius & ſanctus dolor cordis, quo peccator agnita ex lege diuina peccata ſua deteſtatur. *Definitio contritionis.*

Obſ. *Non* dolor *ſimulatus*, aut fucatus, qualis eſt hypocritarum, & Phariſæorum, Matth. VI, 18. *neque* dolor *mundanus*, conceptus ex impatientia pœnarum, aut iactura rerum terreſtrium, qualis erat Pharaonis & Ægyptiorum, Exod. XII, 30. ſed *ſerius* & *ſanctus*, i. e. a Spiritu ſanctiſſimo *per legem diuinam, euangelii iubare colluſtratam*, excitatus, eſt *vera contritio.*

Quæſt. X. *Eſtne contritio cauſſa ſalutis meritoria, aut ſaltim medium ſalutis cauſſale?*

Contritio *neque* eſt *cauſſa* ſalutis *meritoria* a), *neque medium* ſalutis *cauſſale & poſitiuum* b). Sed eſt tantum *medium ordinis*, idque *priuatiuum*, remouens impedimenta remiſſionis peccatorum æternæque ſalutis c).

Prob. a. 1) *Meritum* eſt opus indebitum, perfectum, ex propriis viribus profectum, mercedi ſuæ æquale & proportionatum. At contritio peccatoris eſt debita, imperfecta, profecta ex viribus ſupernaturalibus a Spiritu S. collatis, minimeque æqualis aut proportionata promerendæ vitæ æternæ. E. contritio non eſt meritoria ſalutis cauſſa.

2) *Vna & ſola cauſſa meritoria* remiſſionis peccatorum eſt ſatisfactio & meritum Chriſti. *Nam impoſſibile legis* (e qua eſt contritio), *dum infirmatum eſt per carnem, Deus, qui ſui ipſius filium miſit in ſimilitudine carnis peccati, & pro peccato, condemnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis*, docente Paullo, Rom. VIII, 3. 4.

Prob. b. *Media* ſalutis *cauſſalia exhibitiua* verbum Dei & ſacramenta ſunt: *Medium* ſalutis *apprehenſiuum*, ſeu *receptiuum*, eſt fides merito Chriſti innixa. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, Io. III, 36. Contritio autem deſtituitur facultate apprehendendi Chriſtum mediatorem.

Prob. c. Quamuis *contritio non ſit medium obtinendæ ſalutis cauſſale & poſitiuum: Eſt tamen medium ordinis*, a Deo conſtituti: Sicut tranſitus per viam eſt medium ordinale, non autem cauſſa itineris. Sic enim dixit Iehouah: *Reſpicio ad miſerum, & afflictum ſpiritu, & timentem ſibi ſuper verbo meo, Eſ. LXVI, 2.* Nimirum hunc *ordinem* ſanciuit Deus, vt

 peccator

Digitized by Google

peccator ſtatum ſuum miſerum agnoſcat, Dei iudicis iram pœnasque expaueſcat, peccata ſua acerbe doleat, totoque pectore deteſtetur; propterea, quod non vult remittere peccata, niſi agnitio & deteſtatio eorum in ſubiecto iuſtificando & ſaluando antecedat. Nullibi vero in ſacro codice dicitur, quod agnitio & deteſtatio peccatorum *mereatur* remiſſionem. Quam ob rem contritio non eſt cauſſa meritoria, aut medium remiſſionis peccatorum, æternæque ſalutis cauſſale & poſitiuum, ſed *tantum medium ordinis*, idque *priuatiuum*, remouens, prohibens, vt in medicina chirurgica puris remotio præcedit; eo, quod vulnus ſanari, aut coire nequit, quamdiu pus non remouetur. At ſicut remotio puris non eſt cauſſa *poſitiua* curationis, ſed tantum *medium priuatiuum & remotiuum obſtaculi*, quo non remoto curatio ſequi non poſſet: Ita dolor de peccato non eſt cauſſa remiſſionis, ſed tantum *medium remouens obſtacula*, quæ alias impedirent, ne ſequeretur remiſſio; remouet enim opinionem non indigentiæ, & propoſitum pergendi in peccatis. Conf. D. HVLSEMANNI *breuiar. cap. IX. pag.* 503. & D. DANNHAV. *hodoſ. phænom. XI. p.* 120.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, aſſerentium, contritionem ad remiſſionem peccatorum & ſalutem conſequendam neceſſariam eſſe, eamque ſuo modo mereri remiſſionem peccatorum. Quorum argumenta ſunt:

I. *Triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, operatur pœnitentiam ad ſalutem*, 2 Cor. VII, 10. Triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, *eſt contritio:* Ergo. Reſp. Triſtitia ſecundum Deum eſt, quam *ipſe Deus excitat,* vt *præparatio & diſpoſitio* fiat ad concipiendam fidem, cum qua coniuncta pœnitentia fit ſalutaris.

II. Si contritio non mereretur remiſſionem peccatorum, Deus oculis propitiis non reſpiceret peccatorem contritum: Sed reſpicit &c. Ergo. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia homo ob merita ſua fronte ſerena reſpicitur. *Conſequentis* veritas patet ex Eſ. LXVI, 2. Reſp. Deus *non* reſpicit *ipſam contritionem*, vt meritum remiſſionis, ſed *hominem contritum*, qui ſuam miſeriam agnoſcit, & ad miſericordiam Dei *vera fide confugit:* eſt enim in corde pœnitente contritio, fide temperata.

III. Cui tribuitur viuificatio ſpiritualis, illud habet vim iuſtificandi (quia iuſtificatio eſt ſpiritualis viuificatio): Atqui contritioni &c. Ergo. *Minor* conſtat ex Ezech. XVIII, 27. Quando conuertitur impius ab impietate ſua, quam fecerat, facitque iudicium & iuſtitiam, ille animam ſuam iuſtificabit. Reſp. Per *conuerſionem* intelligitur *non tantum contritio,* ſed & *fides,* ex quibus tota conuerſio intranſitiua conſtat. *Viuificat fides non ἐνεργητικῶς, effectiue,* vitam ſpiritualem *producendo*, ſed *ληπτικῶς, vitam* gratiæ & gloriæ *recipiendo:* Contritio autem obſtacula vitæ ſpiritualis remouet.

IV. Quidquid eſt ſacrificium, illud Deum placat, & cauſſa meritoria eſt remiſſionis peccatorum: Atqui contritio eſt ſacrificium, Pſ. LI, 19: Ergo. Reſp. 1) Quidquid eſt ſacrificium ἱλαστικὸν, illud Deum placat; concedo. At contritio ſtantium eſt ſacrificium εὐχαριστικὸν. 2) Dictum citatum de *ſubiecto*, quod Deo placet, *non* vero de *cauſſa*, vnde fauor ille nobis obtingat, loquitur. 3) Contritio eſt gratum Deo ſacrificium, non quatenus ſeiuncta eſt a fide, ſed *quatenus temperatur fide* in meritum Chriſti recumbente, 2 Cor. VII, 10.

Quæſt. XI. *Eſtne contritio bonum opus?*

## Contritio lapſorum *non* eſt *bonum opus*, proprie dictum.

Obſ. 1) *Contritio alia eſt lapſorum*, qui viuunt in ſtatu iræ: Alia eſt *ſtantium*, qui per regenerationem & iuſtificationem in ſtatum gratiæ ſunt translati. Quæſtio intelligitur de contritione hominum *lapſorum.* Nam contritionem *ſtantium*, quæ fidem ſequitur, & peccati reliquias

Digitized by Google

reliquias concernit, in cenſum bonorum operum venire poſſe, non illibenter damus, cenſente D. KROMAYERO in *theol. poſitiuo-polem. p.* 382 *).

2) *Bona opera* accipi ſolent dupliciter: 1) *generaliter;* & ſic bona opera dicuntur omnes motus animi, qui in verbo Dei præcipiuntur, ſiue ſint interni, ſiue externi actus, & ſiue ſint formaliter actiones liberæ, ſiue ſint paſſiones & motus a Spiritu S. excitati, absque hominis conſenſu libero. 2) *Specialiter & proprie:* Sic bona opera ſunt *actiones hominis liberæ, quas ipſe tanquam noua creatura per vires a Spiritu Sancto donatas exercet.* Confer. D. MVSÆI *prælect. in Form. Concord. p.* 177.

Probatur aſſertio noſtra: 1) Omne *bonum opus* proficiſcitur *ex fide iuſtificante*, Phil. I, 11. Rom. XIV, 23. At *contritio fidem antecedit.*

Prob. 2) Omne *bonum opus* eſt *actio* hominis *renati & iuſtificati libera, per gratiam renouationis iuxta legis diuinæ præſcriptum præſtita.* Sed *contritio* lapſorum a) *non* eſt *actio*, ſed partim *motus animi paſſiuus*, quatenus eſt *dolor* de peccatis, partim *motus priuatiuus*, in quantum eſt *diſplicentia* peccatorum. b) *Non* eſt *libera*; ideo, quod homo lapſus, antequam in ſtatum gratiæ transferatur, in rebus ſpiritualibus nulla gaudet libertate, vnde dolor de peccatis, qui eſt λύπη κατὰ θεὸν, non eſt in arbitrio pœnitentis poſita, ſed eſt ex parte ipſius paſſio animi inuoluntaria, ſiue diſconueniens naturæ & voluntati hominis, quippe qui per contritionem ſua delectatione & tranquillitate animi priuatur. c) *Contritio antecedit regenerationem, iuſtificationem & renouationem.* E. contritio non eſt bonum opus.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, contritionem eſſe e cenſu bonorum operum. Qui ſuam opinionem ſequentibus argumentis firmatum eunt:

I. Quidquid eſt *opus Spiritus S.* quod ille per verbum legis in nobis operatur, illud eſt bonum opus: Atqui contritio &c. Ier. XXIII, 23. Ergo. Reſp. Quidquid eſt opus Spiritus S. *in nobis habitantis*, illud eſt bonum opus, *proprie* dictum; concedo. At contritio eſt effectus gratiæ Spiritus S. *externe aſſiſtentis*, cor per malleum legis pulſantis & conterentis: adeoque non eſt bonum opus proprie dictum.

II. Omnis actio, in verbo Dei præcepta, eſt bonum opus: Contritio eſt actio &c: Ergo. Reſp. 1) Ad *bonum opus* non ſufficit *mandatum Dei*, ſed requiritur ad illud *etiam gratia*

*) Si bonum opus *ſtricte proprieque* dictum intelligatur, hoc nomen non ſatis conuenit *quotidianæ* quoque ſtantium pœnitentiæ, cuius *effectus* eſt in dies ardentius ſtudium bonorum operum, vt etiam atque etiam proficiamus. Rem ita demonſtro: *Stricte proprieque* nominatum *bonum opus* eſt actio legi diuinæ conſentanea, qua quis *promto animo ſuum facit officium, libenter id agens ex fiducia in Chriſto, & amore in Deum ſibi reconciliatum.* 1 Io. V, 3. 4. At enim *quotidianæ* pœnitentiæ *pars prior* pertinet ad dolendam *neglectionem officii*, non quidem voluntariam, at legi tamen diuinæ atque officii religioni contrariam: *Altera* pars omnino ſpectat ad ſummum *beneficium gratiæ* ſalutaris, clarius certiusque cognoſcendum ac percipiendum. Quo magis autem homo probus cognoſcit defectus ſui officii præſtandi, omni die ſe ipſe reprehendens, & quo magis augetur ſalutaris cognitio beneficiorum gratiæ Dei in Chriſto: eo fit alacrior ad faciendum officium, in quo multum ſe deficere adhuc experitur. Virtus vniuerſa, quæ eſt generalis habilitas alacritasque animi propenſi ad omnes bonos animi motus, bonosque actus, diuinis legibus imperatos, virtus, inquam, a fiducia ſalutari proficiſcitur, adeoque illa ab hac, vt effectus a ſua cauſa, diſtinguitur, & *ſtantes* ſunt, ad quos pertinet iſta cohortatio, 2 Petr. I, 3. 4. & 5. Vt igitur *initium fidei*, in pœnitentia *lapſorum*, ipſum quidem *non* eſt *bonum opus, ſtricte* ita dictum, ſed eſt *cauſſa* omnium: ſic *incrementum eiusdem fidei*, in pœnitentia *ſtantium*, ipſum quidem *non* eſt *bonum opus*, ſed eſt *cauſſa aucti* atque in dies corroborati ſtudii omnium, quæcunque vere bona ſunt opera

Digitized by Google

*tia Spiritus S. inhabitans*, *& fides*, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, Hebr. XI, 6. 2) Si ſenſu *generali & improprio* bonum opus dicatur, quod in verbo diuino præceptum eſt, faciles largimur, *contritionem* poſſe *bonum opus* vocari. 3) Contritio non eſt actio, ſed paſſio animi inuoluntaria. Deus enim actiue peccatorem conterit, peccator *paſſiue conteritur*.

Inſtantia I. Ad contritionem plenam pertinet agnitio peccati, meditatio legis diuinæ, deteſtatio peccatorum, quæ ſunt *veræ actiones*. Reſp. Agnitio peccati & meditatio legis concurrunt ad contritionem non formaliter aut conſtitutiue, ſed antecedenter & efficienter. Deteſtatio autem peccatorum eſt efficax diſplicentia, quæ eſt *motus priuatiuus*.

Inſtantia II. Si contritio non eſt voluntaria, erit *coacta;* Conſequens eſt abſurdum; ſiquidem Deus hominem reluctantem ad pœnitentiam non cogit. E. eſt *voluntaria*. Reſp. Contritio, ratione *cauſſæ*, *non* eſt *voluntaria;* quia non proficiſcitur a viribus naturalibus liberi arbitrii: *neque coacta* eſt; quoniam Deus hominem vi irreſiſtibili non conuertit: ſed eſt *excitata* per legem, a *cauſſa ſupernaturaliter agente*, nempe a Spiritu Sancto, cuius gratia flectit hominis animum, tandemque vincit eius repugnantiam.

III. Contritio aut eſt bona, aut eſt mala. Si eſt *bona;* cur non dici poſſit *bonum opus*? Si eſt *mala;* prohibita eſt verbo diuino, quod eſt falſum. Reſp. Contritio lapſorum eſt quidem *pædagogice bona;* quia per eandem homo diuinitus præparatur ad fidem in Chriſtum; ſed *non* eſt *actio hominis renati & iuſtificati libera*, *per gratiam renouationis præſtita*.

Quæſt. XII. *Quænam ſunt requiſita veræ contritionis?*

*Requiſita veræ contritionis.*

Ad *veram* contritionem, tanquam *priorem partem* pœnitentiæ, qua peccata moraliter retractantur, *antecedenter* pertinet & requiritur agnitio peccati a), non tantum theoretica, ſed etiam practica b): *Formaliter* eam conſtituit efficax diſplicentia, ſeu deteſtatio peccatorum, cum ſerio dolore coniuncta c).

Prob. a. Fertur pœnitentia, ſeu conuerſio intranſitiua, in peccata præterita abolenda, *ne moraliter maneant*. Habent autem, vt *moraliter* maneant, *partim* ex eo, quod, poſtquam patrata ſunt, *habentur rata*, vel certe quod *non retractantur; partim* ex eo, quod offenſio & iniuria Deo illata, & hinc nata *obligatio ad ſatisfaciendum Deo pro illa, non eſt per præſtitam ſatisfactionem ſublata*, neque ira Dei aduerſus peccata placata. Vnde pœnitentia, ſiue conuerſio intranſitiua, etiam fertur in illa ratione duplici: *vna*, qua faciat, *ne amplius habeantur rata; altera*, qua *ſatisfactionem Deo pro offenſa & iniuria ipſi illata exhibet*, Deumque offenſum per illam placat. Vt *non rata habeantur* peccata, poſtquam patrata ſunt, efficit conuerſio per ipſorum retractationem, ratihabitioni oppoſitam, quæ a ſcriptoribus eccleſiaſticis communiter vocatur CONTRITIO; ad quam diuerſi actus pertinent, quorum alii ad hominis conuertendi *intellectum*, alii ad eius *voluntatem* ſpectant. Ad *intellectum* pertinet

*AGNITIO PECCATORVM*, quæ tanquam conditio neceſſaria, & ſine qua peccatorum retractatio locum haud inuenit, prærequiritur; cum voluntas, ad quam formaliter pertinet, *retractare*, quod ſemel placuit, ſit potentia cæca, & in actibus ſuis a præuia intellectus cognitione ita dependeat, vt nihil *irritum* reddere poſſit, niſi prius ab intellectu fuerit *cognitum*. Quod & ſcripturarum praxis euincit, in quibus, cum per miniſterium verbi peccatores ſecuri ad conuerſionem ſui perducendi fuerunt, ſemper a peccatorum manifeſtatione, qua in illorum agnitionem deducerentur, initium factum eſſe, deprehendimus. Vide exemplum Dauidis, 2 Sam. XII, 7. ſeq. Pſ. LI, 5. Fit hæc agnitio peccatorum a) *iudicio intellectus ſpeculatiuo*, quo peccata *ſiue per ſe* animo obuerſantia (quando grauiora ſunt), *ſiue*

Digitized by Google

*ſiue inito diligentiore examine*, aut excuſſione vitæ ante actæ, & *collatione accuratiore cum norma legis diuinæ* inſtituta, cognoſcuntur eſſe aduerſa legi diuinæ, Deo exoſa, & pœnis temporalibus atque æternis digna; prout Rom. III, 20. *agnitio peccati per legem eſſe* dicitur: b) *iudicio intellectus practico*, quod dictitat, non pergendum, aut perſeuerandum eſſe peccatori in ſuis peccatis, ſed in illorum abolitionem ſedulo incumbendum, & ſollicite diſpiciendum, quomodo & quibus mediis aboleri poſſint. Conſtat autem exemplis pœnitentium in ſcriptura, quomodo, cognitis peccatis, ſollicite quæſiuerint, quo pacto poſſent peccata ſua aboleri, v. gr. Ioſiæ, 2 Reg. XXII, 11. ſeq. Iudæorum quorundam tempore Ioannis baptiſtæ, Matth. III, 6. Marc. I, 5.

Prob. b. *Ex parte voluntatis* requiritur ad contritionem, ſeu peccatorum retractationem,

*DISPLICENTIA* ac deteſtatio illorum. Nam ſi maxime intellectus peccata vel omnia cognoſceret, & in iis non perſiſtendum eſſe dictitaret; non tamen ea retractarentur, niſi voluntati diſplicuerint. Eſt autem *diſplicentia duplex: vna ſimplex*, qua peccata ſecundum aliquam rationem mali cognita, voluntati diſplicent, ſine intentione illa fugiendi; *altera efficax*, qua res cognita tanquam mala, ita diſplicet, vt ſimul illam fugere intendat voluntas, & dicitur alias *DETESTATIO*. Ad *contritionem*, ſiue peccatorum retractationem, *non ſufficit* diſplicentia *ſimplex*, qualis eſt etiam in impœnitentibus, qui meliora vident probantque, deteriora ſequuntur; ſed *requiritur* diſplicentia *efficax*, ſiue *deteſtatio*, qua peccata prorſus auerſamur, quippe ea, ſi fieri poſſet, infecta reddere volentes, & a ſimilibus patrandis abhorrentes.

Prob. c. Per diſplicentiam *efficacem*, ſeu *deteſtationem*, deſinunt peccata eſſe voluntaria, & inuitarum actionum naturam induunt. Inuitas autem actiones nexu indiuiduo comitatur *DOLOR*, qui eſt paſſio, perturbatio & inquietudo animi, oborta ex apprehenſione peccati, tanquam mali præſentis, & cauſſæ malorum plurium, in vita hac & altera luendorum. Atque hic quidem dolor tanto grauior eſt, quanto penitius peccator fœditatem peccatorum, offenſam Dei, pœnas huius & futuræ vitæ promeritas conſiderat. Vnde patet, *conſcientiæ morſus & pauores* ſub iſto dolore contineri. Conf. D. MVSÆVS. *diſp. III. de conuerſione, p.* 131. *ſeqq.* D. SCHERZERI *ſyſtem. LXI. p.* 297. D. BAYERI *comp. theol. p.* 687.

Obſ. Hæc requiſita veræ contritionis aliter ab aliis auctoribus recenſentur & exponuntur. D. MART. CHEMNIT. in *Exam. Conc. Trid. Fol.* 38. ſequenti ratione ea proponit: Pertinet ad contritionem: 1) Vt mens peccatoris ex iudicio legis intelligat, agnoſcat, & ſerio conſideret multiplicem immunditiem & abominationem peccati coram Deo: 2) Ex doctrina de ira, indignatione & iudicio aduerſus peccata, conſcientia intelligens, quam ſerio & horribiliter Deus peccatis iraſcatur, & ea punire velit, agnoſcit, ſe propter peccata irretitam teneri nexibus iræ & iudicii Dei ad æternam condemnationem: 3) Inde oritur in conſcientia *timor, terror, pauor* iræ & iudicii Dei aduerſus peccata: 4) Hinc ſequitur *dolor* conſcientiæ grauiter dolentis, ſe peccaſſe, & peccatis offendiſſe Deum: Incipit igitur peccatum *odiſſe & deteſtari*, atque eius propoſitum abiicere: 5) Hæc vero agnitio, hic pauor & dolor excitat & vrget conſcientiam, vt cogitet & quærat, an, & quomodo effugere poſſit iram Dei, & iudicium condemnationis, ſicut Baptiſta inquit: *Quis monſtrauit vobis effugere venturam iram?*

D. GERHARDVS in *confeſſ. cathol. f. m.* 1262. de requiſitis veræ contritionis ſcribit: Quamuis *quinque* in contritione occurrant: 1) *In memoria* peccatorum recordatio, 2) *in mente* offenſæ diuinæ conſideratio, 3) *in voluntate* peccatorum agnitorum deteſtatio, 4) *in corde* timor vindictæ, & futuri iudicii: 5) *In conſcientia* legis aculeo vulnerata horror, dolor,



Digitized by Google

morſus & compunctio: tamen in *prioribus duobus* gradibus, qui ſunt actus interni, non conſiſtit ὀυσία contritionis, ſed potius in *tribus poſterioribus*. Illi enim contritionem non tam conſtituunt, quam efficiunt: Habent ſe ad eam προκαταρκτικῶς magis, quam ὀυσιωδῶς. Sunt cauſſa efficiens non formalis contritionis; quippe quæ eſt proprie cordis paſſio.

D. DANNHAVERVS in *hodoſ. phan. XI. p.* 1281. de requiſitis contritionis ita iudicat: *Contritio formalis conſiſtit* 1) *in triſtitia* ob bonum omiſſum, ac dolore ob malum commiſſum tanto, quantus eſſe ſolet in iactura amicorum ac prolis per mortem. *Triſtitia* iſthæc *non* eſt *mundana*, quæ fluit ex conſideratione iacturæ rerum temporalium, ex impatientia, a Satana excitata melancholia, conſcientiæ morſibus, cuiusmodi fuit Iudæ triſtitia, qualis etiam fuit in Caino, in Achabo ob vineam Nabothi, in Ammone inceſtuoſo; ſed *diuina*, ex iactura boni ſpiritualis & peccati, qua talis, fœditate: *triſtitia ſeria ac ſincera*, non ad ἰσόῤῥοπον pondus perfectiſſima, vt Deus nihil in ea deſideret. Nam *delicta quis intelligit?* Pſ. XIX, 13. nedum vt exacta de omnibus doleat. Peccatum cibo ſimile indigeſtibili, cruciatus in ſtomacho creat longe acerbiores, & diuturniores, quam mora voluptatis fuit in comeſtione. 2) *Odio*, auerſatione ac deteſtatione, 2 Sam. XIII, 15. odio autem *non tantum actus*, ſed & *affectus* peccandi, & abnegatione ſui, Luc. IX, 23. 3) *Timore ac terrore*, qui tametſi per ſe auertat a Deo, per accidens tamen operatur in bonum, & alia via ad Deum ducit, ac ex intentione Dei eſt ſalutaris, Ier. XXXI, 19. 4) *Pudore*, ob Deum offenſum. Denique 5) *reali peccati deſertione.* Haſſen und Laſſen gehören zuſammen. Ex his requiſitis veræ contritionis vberior eiusdem definitio deduci poteſt:

*Contritio* eſt motus animi paſſiuus a Spiritu S. per gratiam conuertentem excitatus, quo homo peccator, agnitis ex lege diuina peccatis, iram Dei ſentit, ipſius pœnas temporales & æternas expaueſcit, ob fœditatem peccati, offenſam Dei, & iacturam gratiæ diuinæ graui dolore angitur, pudore afficitur, & tum malum originale, tum actualia peccata adeo deteſtatur, vt peccandi propoſitum abiiciat, & ex corde exterminet.

Quæſt. XIII. *An etiam terrores conſcientiæ per legem immiſſi pertinent ad contritionem?*

*Terrores*, per *legem diuinam conſcientiæ* incuſſi, *pertinent ad eſſentiam contritionis.*

Prob. 1) Omnis *dolor* animo iniectus, propter *offenſam ſummi Domini & Iudicis*, cum *terrore ac pauore* in *conſcientia* eſt coniunctus. Atqui contritio eſt eiusmodi dolor. E. *Minorem* explicat *Apol. Aug. confeſſ.* p. 165. *Dicimus: contritionem eſſe veros terrores conſcientiæ, quæ Deum ſentit iraſci peccato; & dolet, ſe peccaſſe.*

2) Docent hoc exempla pœnitentium peccatorum. Rex Dauid reſipiſcens inquit, Pſ. XXXVIII, 9. *Debilitatus ſum vsque valde, rugiui præ rugitu cordis mei.* Conf. Pſ. VI, 3.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, terrores per legem conſcientiæ incuſſos eſſentialem contritionis conſtitutionem ingredi. Quorum argumenta ſunt:

I. Terrores animo incuſſi ſunt affectiones naturales, quæ & in pueris, & in beſtiis, pœnitentiæ haud capacibus, deprehenduntur. Reſp. Contritio *non* dicitur *ſimpliciter terror*, ſed *terror ex agnitione peccatorum, & intuitu iræ diuinæ ortus*, qui eſt motus animi per Spiritum S. excitatus, adeoque non eſt per naturam in pueris & beſtiis.

II. Terrores dantur etiam in diabolis, Iac. II, 19. qui tamen non reſipiſcunt. Reſp. Terrores cacodæmonum neque cum efficaci diſplicentia peccatorum, neque cum ſpe veniæ ſunt coniuncti, adeoque non ſunt pœnitentiales.

III. Pœni-

Digitized by Google

III. Pœnitentia ex amore, non ex terrore fluit, ſicut oſtendit exemplum meretricis, Luc. VII, 47. *Remiſſa ſunt ei peccata multa; quia amauit multum.* Reſp. 1) Non loquitur Chriſtus l. c. de pœnitentia, ſed de remiſſione peccatorum, quæ eſt effectus pœnitentiæ. 2) Particula, *quia*, non ſumitur αἰτιολογικῶς, cauſſaliter, perinde ac ſi amor eſſet *cauſſa* remiſſionis peccatorum, ſed συλλογιστικῶς, ratiocinatiue, vt indicetur ratio *conſequentiæ* a poſteriori. Id abunde patet ex comparatione verſus huius 47. cum illis, 42. 43. 3) Peccatricem illam terrores ac dolores conſcientiæ ſenſiſſe, abunde teſtantur ipſius *lacrymæ*.

Quæſt. XIV. *Vtrum tantum peccata actualia, an etiam habitualia per contritionem retractantur?*

Per contritionem *proxime & immediate* retractantur peccata *actualia* a). *Conſequenter* & mediantibus actibus peccandi *etiam habitualia* b).

Prob. a. Peccata *actualia*, vbi patrata ſunt, peccatoris animo per ſe ipſa & immediate obuerſantur, eiusque conſcientiam onerant & angunt: ideoque conuerſio intranſitiua ad eorum abolitionem *primo*, *proxime & immediate* tendit.

Prob. b. Rex Dauid, poſt patrata adulterii & homicidii ſcelera, reſipiſcens, præter peccata actu commiſſa & iam præterita, improbauit etiam, ac multo cum dolore deteſtatus eſt ſuam connatam malitiam, tanquam patratorum ſcelerum cauſſam & fontem, Pſ. LI, 7. Et quamuis peccatum originale in hac vita penitus exſtirpari nequeat, motus tamen inordinati, ex eo præter voluntatem erumpentes, compeſci & cohiberi poſſunt a renatis, ne gignat peccatum voluntarium, & actu mortiferum.

Quæſt. XV. *Quænam ſunt rationes impellentes peccatorem lapſum ad contritionem?*

Dantur *plurimæ* atque *grauiſſimæ cauſſæ*, quæ peccatorem lapſum ad contritionem ſinceram *permoueant*. *Cauſſæ contritionis.*

Prob. Peccatorem, extra ſtatum gratiæ conſtitutum, ad ſeriam contritionem impellunt 1) offenſa maieſtatis diuinæ: 2) ruptura fœderis baptiſmalis, ex parte malitioſi peccatoris: 3) peccati proæretici fœditas: 4) naufragium fidei cum peccatis proæreticis inconſiſtibilis: 5) defectus ſolatii Spiritus S: 6) pœnarum temporalium & æternarum grauitas: 7) ſcandalum infirmis datum: 8) carentia præſidii angelici: 9) iudicii diuini rigor: 10) vitæ æternæ iactura.

Quæſt. XVI. *Quis eſt finis contritionis?*

*Finis* veræ contritionis eſt *præparatio ad fidem in Chriſtum*, ex euangelio concipiendam. *Finis contritionis.*

Prob. 1) Sicut *lex eſt pædagogus ad Chriſtum*, Gal. III, 24: ita contritio, quæ eſt *ex lege*, eſt medium pædagogicum *ad fidem in Chriſtum* verbo euangelii accendendam.

2) Contritione complanatur via Domino, Matth. III, 3. quatenus ea remouentur obſtacula, quæ alias impedirent, ne fides in Chriſtum generaretur. Vnde *Form. Concord.* p. 688. *Vera ac ſaluans fides in iis non eſt, qui contritione carent & propoſitum in peccatis pergendi & perſeuerandi habent.*

Quæſt. XVII. *Quæ ſunt indicia veræ contritionis?*

*Indicia* veræ contritionis alia ſunt *interna & certa*, alia *externa & probabilia*. *Interna* ſunt: a) abnegatio mali propoſiti, & omiſſio peccati proæretici: b) de- *Indicia contritionis & quidem internæ.*

 ſiderium

Digitized by Google

ſiderium legale & pædagogicum medici probatiſſimi, ſiue liberatoris benigniſſimi & potentiſſimi.

Prob. a. Contritio formaliter eſt ſerius dolor de peccatis admiſſis, cum efficaci diſplicentia, ſiue deteſtatione peccatorum coniunctus. Fieri autem nequit, vt ſerio alicui diſpliceant peccata, aut vt quis ſerio deteſtetur peccata, & tamen habeat propoſitum peccandi. Accurate autem hic diſtinguendum eſt inter *propoſitum emendandæ vitæ*, *& abnegationem mali propoſiti*. *Illud* tanquam opus internum fidem iuſtificantem ſequitur: *Hæc* fidem antecedit, neque bonum opus eſt; quia non conſiſtit in poſitiua factione, aut commiſſione, ſed tantum in omiſſione mali operis, ceſſatione moroſæ repugnantiæ, & remotione actuum regenerationem impedientium. Conf. D. HVLSEMANN. *breu. p.* 523.

Prob. b. Ex Act. II, 37. *Cum autem audirent* (Iudæi), *compuncti ſunt corde, dixeruntque ad Petrum & reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres?* Auditores Petri prædicatione verbi diuini corde erant compuncti haud aliter, ac ſi gladiis acutis corda ipſorum puncta, aut perfoſſa eſſent. Quæ compunctio cordis excitauit deſiderium generale & confuſum, quod exprimunt quæſtione: *Quid faciemus?* Diſtinguendum hic eſt *inter deſiderium legale, & euangelicum. Illud* ſupponit cognitionem morbi, *hoc* cognitionem medici. *Illud* pædagogicum, *hoc* actu ſalutare eſt: *Illud* contritionis conſequens & teſtimonium. *hoc* eſt actus fidei, in vulneribus Chriſti efficacem medicinam quærens.

Quæſt. XVIII. *Quæ ſunt indicia contritionis externa & probabilia?*

Indicia contritionis *externa* & *probabilia* deprehenduntur in peccatoris *ore*, in *facie & habitu* ipſius, & in *opere externo*.

Quæſt. XIX. *Quodnam indicium externum contritionis animaduertitur in ore peccatoris pœnitentis?*

*Externa in ore.* Indicium veræ contritionis *externum & probabile*, quod in *ore* peccatoris animaduertitur, eſt *confeſſio peccatorum*, quæ vel eſt *totius eccleſiæ*, quippe quæ tum ordinarie in publicis precibus, tum extraordinarie in publicis calamitatibus peccata ſua confitetur a); vel eſt *hominis priuati*, qui ſua peccata confitetur, immediate coram Deo b), coram eccleſia c), coram eccleſiæ miniſtro d), coram proximo e).

Prob. a. *Confeſſionem peccatorum* generalem *totius eccleſiæ* eſſe neceſſariam & vtilem, inter alia patet ex Leu. XVI, 21. *Imponet Aaron ambas manus ſuas ſuper caput hirci viui, & confitebitur ſuper illum omnes iniquitates filiorum Iſraëlis, ac omnes præuaricationes eorum quoad omnia peccata eorum: Dabit illa ſuper caput hirci immittetque per manum viri deſtinati in deſertum.* Obſeruamus hic: 1) Confeſſionem *publicam totius eccleſiæ* fieri, præeunte voce *miniſtri Dei*, qualis olim erat ſacerdos Aaron. Conf. 1 Sam. VII, 5. Neh. IX, 1. Iud. X, 10. 2) Confeſſionem publicam coniunctam eſſe cum fide in Chriſtum, cuius typus olim erat hircus ἀποπομπαῖος, ſiue emiſſarius: Chriſtus enim eſt agnus Dei, tollens peccata mundi, Io. I, 29. cui manum fidei imponimus.

Prob. b. Ex Pſ. LI, 6. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Confitetur rex Dauid peccatum ſuum Deo, tanquam ſummo legislatori, iudici & καρδιογνώστῃ, vtpote cuius legem violauerat. Peccauerat quidem etiam *in proximum*, ſed *principaliter & vltimo in Deum legislatorem.* Hæc confeſſio, quæ immediate fit Deo, a LVTHERO vocatur *confeſſio fidei.*

Prob. c.

Prob. c. Achan coram facie totius eccleſiæ Iſraëliticæ furtum ſuum confeſſus eſt, Ioſ. VII, 19. Quæ confeſſio coram eccleſia olim dicebatur ἐξομολόγησις, & erat vel *voluntaria*, qua peccator vltro delictum ſuum publicabat, vel *inuoluntaria*, ad quam edendam ab eccleſia compellebatur.

Prob. d. Ex Matth. III, 6. *Et baptizati ſunt in Iordane ab ipſo* (Ioanne), *confitentes peccata ſua.* Auditores Ioannis coram hoc præcone ſacro internam cordis contritionem externa oris confeſſione teſtati, baptiſmum tanquam efficax medium regenerationis & iuſtificationis accipiebant.

Prob. e. Ex Iac. V, 16. Vbi Apoſtolus: *Confitemini*, inquit, *alter alteri lapſus, & precamini alter pro altero, vt ſanemini.* Non eſt Apoſtolo Iacobo ſermo de confeſſione edenda ſacerdoti; quia hæc non eſt mutua. S. Iacobus inquit: ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις, i. e. *mutuo & inuicem.* Confitetur autem proximus proximo culpam, *vel* reconciliationis cauſſa, cum proximum iniuria affecit, vid. Matth. V, 23.; *vel* petendi conſilii cauſſa, cum delictum occultum conſcientiam vulnerauit; *vel* etiam mutuarum precum cauſſa, vt alter pro alterius incolumitate & ſalute pias ad Deum fundat preces. Hæc confeſſio, quæ fit proximo, communiter vocatur *confeſſio caritatis.*

Quæſt. XX. *Quæ indicia contritionis deprehenduntur in facie & externo habitu peccatoris?*

In *facie* & *habitu* peccatoris animaduertuntur quædam *externa* contritionis *ſigna*: a) lacrymæ: b) cilicium & ſaccus: c) cineris aſperſio: d) percuſſio pectoris & femoris: e) ſciſſio veſtium: f) humicubatio ſqualida. *In facie & habitu.*

Prob. a. *Lacrymæ*, ſine hypocriſi effuſæ, ſunt legati doloris, & vulnerati cordis ſanguis. Fuderunt lacrymas pœnitentes Iſraëlitæ, Exod. XXXIII, 4. Dauid, Pſ. VI, 7. Petrus, Math. XXVI, 75. peccatrix, Luc. VII, 38.

Prob. b. Rex Niniues, pœnitentiam ſuam externis ſignis declaraturus, *ſurrexit de throno ſuo, & depoſuit chlamidem ſuam deſuper ſe, obduxitque ſaccum*, Ion. III, 6. *Saccus* dicitur etiam *cilicium*, eſtque veſtis lugubris, vilis, hirta, ex pilis ferarum contexta, anguſta, cutim pungens & lacerans, index animi lugentis, humiliati, ſupplicis.

Prob. c. *Cinere* ſe conſperſerunt Iſraëlitæ reſipiſcentes, 2 Sam. XIII, 19. Neh. IX, 1. quo ipſo tum teſtatum iuerunt, ſe nil, niſi cinerem & puluerem eſſe, tum inuitaturi fuerunt Deum, ad commiſerationem erga opus ſuum fragile, ex puluere conflatum.

Prob. d. *Percuſſit pœnitens publicanus pectus ſuum dicens*: *Domine, propitius eſto mihi peccatori*, Luc. XVIII, 13. *Tundere pectus, eſt, euidenti pulſu occultum caſtigare peccatum*, ait AVGVSTINVS *ſerm.* 8. *de verbis dom.*

Prob. e. Hebræi *veſtes ſuas lacerabant* in ſummo luctu, & in vehementioribus animi commotionibus, Vid. Gen. XXXVII, 34. 2 Sam. III, 31. *Sciſſionem veſtium* eſſe *pœnitentiæ indicium*, patet ex Ioël II, 13.

Prob. f. Rex Dauid, graui dolore perculſus, iacuit ſuper terram, 2 Sam. XII, 16. quæ χαμευνία ſiue *humicubatio*, eſt animi *ſubmiſſi ſignum.*

Quæſt. XXI. *Quæ externa contritionis indicia deprehenduntur in opere ipſo?*

De interna contritione *externe* teſtantur a) *ieiunium*, b) *ſatisfactio.* *In ipſo opere.*

Prob. a. *Ieiunium* eſt voluntaria abſtinentia cibi, vt caro coërceatur, & animus humilietur. Cum Esdra ſuſcepiſſet iter e Babylonia Hieroſolymam, confeſtim proclamauit

 ieiunium

Digitized by Google

ieiunium eum in finem, vt caro affligeretur, & Iſraëlitæ aptiores eſſent ad petendum viam rectam a Domino. Vid. Eſdræ VIII, 21. Sic ieiunarunt Niniuitæ, Ion. III, 5. Ioſaphat, 2 Paral. XX, 3. Nehemias, c. I, 4. Daniel, c. X, 3.

Prob. b. *Satisfactio* hic intelligitur ea, quæ præſtatur *proximo læſo*, vel *eccleſiæ*, publico ſcandalo offenſæ. Ita Zachæus pœnitens dicebat, Luc. XIX, 8. *Si quem de aliquo defraudaui, reddo quadruplum.* Satisfecit igitur Zachæus *non Deo*, ſed *proximo* defraudato *). Inceſtuoſus ille, cuius meminit Apoſtolus, 1 Cor. V, 1. tradebatur Satanæ in perditionem carnis, vt ſpiritus ſaluaretur. De hoc ſcribit Apoſtolus 2 Cor. II, 6. *Sufficit tali ἐπιτιμία, reprehenſio illa, quæ a pluribus facta eſt. Eccleſia* Corinthiaca, monita a S. Paullo, grauiter increpauerat (*ἐπιτιμία* enim notat increpationem cum infamia coniunctam) inceſtuoſum, & eius conſortium declinauerat; poſtea, ex voluntate Apoſtoli, huic peccatori reſipiſcenti condonabat crimen, eumque ſolabatur, ne in deſperationem præceps rueret, nullam autem mulctam imponebat, qua pro pœna temporali Deo ſatisfaceret. Conf. CHEMNITII *ex. concil. Trident. fol.* 711. vbi etiam hic auctor grauiſſimus oſtendit, græcorum *ἐπιτιμίαν* rectius conuenire *eccleſiæ*, quam *ſatisfactionem* latinorum; quippe quæ vox eſt incommodior & arrogantior.

Quæſt. XXII. *Suntne commemorata indicia contritionis infallibilia?*

Sunt *probabilia*, ſed non infallibilia.

Prob. Externa illa contritionis ſigna interdum non ex ſerio dolore proficiſcuntur, ſed ex arte aſſumuntur, & hac ratione Deo ſunt exoſa. Vid. Eſ. LVIII, 5. Luc. XVIII, 12.

Quæſt. XXIII. *Eſtne ſpecialis omnium & ſingulorum peccatorum enumeratio in confeſſione exigenda?*

*De enumeratione ſingulorum peccatorum*

*Specialis omnium* & ſingulorum peccatorum ſecundum *circumſtantias enumeratio* in confeſſione *coram miniſtro* eccleſiæ *non* eſt *neceſſaria.*

Prob. 1) Enumeratio *omnium & ſingulorum* peccatorum *ſecundum circumſtantias* eſt *impoſſibilis. Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me, Domine,* ait Rex Dauid, Pſ. XIX, 13. Erat hic Rex perſpicaciſſimi ingenii, neque tamen omnia ſua שגיאות, errata, cognita habebat. Idcirco expetebat purgationem a *peccatis occultis*, memoriam fugientibus.

2) Confeſſio illa *articularis, ſpecialis & circumſtantialis* eſt carnificina conſcientiarum, & proxima ad deſperationem via. Deterrentur enim peccatores pudore, aut metu pœnæ, quo minus omnia & ſingula peccata detegant; quin obliuione etiam pleraque ſunt oblitterata, cum confeſſio editur. Nectitur vero conſcientiis laqueus, quod peccatorum in confeſſione non expreſſorum nulla ſit remiſſio.

3) Confeſſio illa *ſpecialis* eſt *ſuperſtitioſa*; cenſetur enim eſſe *meritoria*, a qua abſolutio ſit ſuſpendenda.

4) Eſt

*) *Neceſſitas* huius ſatisfactionis efficitur ex ipſa natura veræ mutationis animi. Ad hanc enim requiritur etiam *cura ac ſolicitudo*, partim de *abolenda iniuria alteri illata*, partim de *remouendis rebus*, in quibus peccatum fuit. Seria peccati deteſtatio vtique tantum valet, vt homo vehementer exoptet, *factum fieri poſſe infectum.* Id vero poteſt, quoad peccatum eſt iuris humani violatio, poteſt igitur duobus fieri modis: 1) in verbis, *reuocatione;* 2) in factis, *reſtitutione*, ſi res ablata adhuc integra ſit in manu ac poteſtate iniuſti poſſeſſoris, & viribus ipſe ſatis polleat, ad reſarciendum damnum; aut, ſi reſtitutio fieri non queat, *compenſatione.* Vid. Ex. XXII, 3. Dan. IV, 24. Leu. VI, 4. 5. XVIII, 31. Et hæc verba, Iac. IV, 8. *καθαρίσατε τὰς χεῖρας*, videntur mihi præſertim ita intelligenda eſſe: ſi quid, male partum, manu teneatis, exemplo Zachæi, Luc. XIX, 8.

Digitized by Google

4) Eſt *honeſtati & pudori inimica*, arcanis conſiliis Principum & priuatorum *pernicioſa*, & *auaritiæ machina*. *).

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, exigentium ſpecialem enumerationem omnium & ſingulorum peccatorum in confeſſione coram ſacerdote. Qui ſequentibus nituntur argumentis:

I. Quidquid a Deo nobis eſt iniunctum, illud vi mandati diuini eſt neceſſarium: Atqui ſpecialis peccatorum confeſſio eſt &c: E. *Minor* probatur ex Iac. V, 16. *Confitemini alter alteri lapſus*. Reſp. Apoſtolus Iacobus loquitur de confeſſione caritatis *fraterna*, non de confeſſione *eccleſiaſtica*.

Inſtantia: Chriſtus mandabat leproſo, vt ſe oſtenderet ſacerdotibus, Matth. VIII, 4. Ergo ſpecialis peccatorum confeſſio eſt neceſſaria vi mandati diuini. Reſp. Cauſſa ablegationis ad ſacerdotes leuiticos non erat ſpecialis confeſſio peccatorum, ſed mundationis iam factæ oſtenſio.

II. Quidquid habet annexam promiſſionem diuinam, illud Chriſtianis eſt neceſſarium: Specialis peccatorum confeſſio &c. E. *Minor* probatur ex 1 Io. I, 9. Reſp. Agit S. Ioannes l. c. de confeſſione edenda coram Deo, non coram ſacerdote.

III. Quicunque peccata debent remittere, illis peccata ſunt recenſenda: Atqui ſacerdotes &c. E. *Maior* conſtat: quia remittere & confiteri peccata ſunt relata. Sed poſito vno relatorum ponitur etiam alterum. *Minor* prob. ex Matth. XVI, 19. Matth. XVIII, 18. Io. XX, 22. Reſp. Sufficit confeſſio *generalis*, *non* neceſſario requiritur confesſio *ſpecialis*, *& circumſtantialis*.

Inſtantia: Clauis ſoluendi & ligandi notat poteſtatem iudicandi: Iudici autem factum cum omnibus circumſtantiis eſt recenſendum: Reſp. Clauis ſoluendi & ligandi *non* infert poteſtatem *iudicandi*, ſed peccatores *diſcernendi*, & decenter *applicandi promisſiones & comminationes* ad certa indiuidua. *Deus* eſt *iudex* omniſcius, *ſacerdotes ſunt miniſtri & nuntii*. *Ille* αὐτοκρατορικῶς, ſiue principaliter, *hi* διακονικῶς, miniſterialiter peccata remittunt.

IV. Quomodo in eccleſia Apoſtolica Chriſtiani peccata ſua confeſſi ſunt, eodem modo & nos peccata confiteamur: Sed in eccleſia Apoſtolica Chriſtiani peccata ſua ſpeciatim & ſigillatim confeſſi ſunt. E. *Minor* probatur ex Act. XIX, 18. *Multi etiam eorum, qui crediderunt, veniebant, confitebantur ac annuntiabant facta ſua*. Reſp. 1) CHRYSOSTOMVS hunc locum accipit de miraculis; quia verbum ἀναγγέλλειν nunquam de peccatorum confeſſione vſurpatur. 2) Eſto, intelligi facta mala, *non* tamen illa confeſſio erat *priuata & auricularis*, ſed *publica*, coram vniuerſo credentium cœtu. 3) *Non* recenſebant peccata *omnia & ſingula* cum ſingulis *circumſtantiis*, ſed atrociora, in primis actus curioſæ vanitatis & artis magicæ. Vid. verſum ſequ. 19.

Quæſt.

*) Hoc argumentum non vnum eſt, ex quo adparet, quam ſit *pernicioſa*. Augetur malum alio quodam malo conſilio, quo confeſſio ſpecialiſſima ab vno quoque exigitur, vt confeſſo irrogetur *ſatisfactio*, pro varietate rerum circumſtantium modo grauior, modo leuior, quæ etiam coram *Deo* multum valeat, & quam Romanocatholici putant *tertiam partem* eſſe *pœnitentiæ*, immo *præcipuam*, vt vere dici poſſit *pœnitentia*, quo quidem nomine vix digna eſſet ea, vt aiunt, niſi *pœna* quadam adficeretur, qui delictum fuerit confeſſus.

Digitized by Google

Quæſt. XXIV. *An confeſſio priuata coram miniſtro eccleſiæ recte retinetur in eccleſia orthodoxa?*

*De confeſſione priuata.*

*Confeſſio priuata*, qua recenſentur *coram miniſtro eccleſiæ* peccata *in genere* ac *in ſpecie atrociora* & conſcientiam pungentia, *recte retinetur* in orthodoxa eccleſia, *non* ſub conditione *abſolutæ neceſſitatis* ad ſalutem, ſed ob *vtilitatem* vberrimam.

Prob. 1) Ex mandato Dei generali, Leu. V, 5. *Confiteatur, in quo peccauit*, & Num. V, 7. *Confitebuntur peccatum ſuum.* Vnusquisque Iſraëlita, qui peccauerat, adducebat ſacrificia, & confitebatur ſacerdoti priuatim delicta ſua ante mactationem & oblationem ſacrificiorum, præſertim atrociora; quod ex Leu. c. IV. V. & VI. colligitur.

2) Ex ritu abſolutionis priuatæ. Diuinitus conceſſa eſt miniſtro eccleſiæ poteſtas privatim abſoluendi, Matth. XVI, 19. XVIII, 18. Io. XX, 22. Ergo eidem conceſſa eſt poteſtas priuatim audiendi confeſſionem peccatorum.

3) Exemplis Dauidis, 2 Sam. XII, 13. peccatricis, Luc. VII, 38. baptizatorum a Ioanne, Matth. III, 5.

4) Quia confeſſio & abſolutio plurimum facit, a) ad iuniorum informationem, b) ad diſſolutiorum correctionem, c) ad probationem & præparationem conuiuarum, qui cœna dominica ſunt fruituri, d) ad ſpecialem remiſſionis peccatorum applicationem, e) ad conſcientiarum afflictarum conſolationem.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, *Anabaptiſtarum & Weigelianorum*, confeſſionem & abſolutionem priuatam abominantium. Qui ſequentibus noſtram aſſertionem argumentis impugnant:

I. Quæcunque confeſſio diſciplinam eccleſiaſticam eneruat & euertit, illa eſt abroganda: Confeſſio peccatorum priuata coram miniſtro eccleſiæ &c. Ergo. *Minor* probatur: quia olim malitioſi peccatores, quando ſemel a grauibus peccatis auerſi reſipuerant, & ad vomitum redibant, e complexu eccleſiæ exterminabantur. Reſp. Non tollitur per confeſſionem peccatorum priuatam diſciplina eccleſiaſtica, ſed *gradus* tantum *cenſuræ eccleſiaſticæ obſeruantur*, iuxta monitum Chriſti, Matth. XVIII, 15. *Publica cenſura eccleſiaſtica*, qua peccatores ab vſu ſacrorum arcentur, *modeſte* & *prudenter* vſurpanda eſt.

II. Quidquid pertinet ad reliquias papatus, illud eſt abrogandum: Confeſſio peccatorum priuata &c. Ergo. Reſp. Ingens datur diſcrimen inter confeſſionem vſitatam apud *Pontificios*, & *Euangelicos*. *Illa* eſt confeſſio peccatorum, ſpecialis & circumſtantialis; *hæc* eſt generalis omnium peccatorum & reſpectiue tantum ſpecialis, ſcil. reſpectu peccati conſcientiam pungentis. *Illa* cenſetur abſolute neceſſaria; *hæc* ratione ordinis decora, ratione ſolatii vtilis, ratione proximi ſcandalizati iuſta eſt. *Illa* habetur meritoria; *hæc* declaratiua internæ pœnitentiæ. *Illa* eſt via ad deſperationem; *hæc* ad conſolationem & conſcientiæ δοκιμασίαν.

III. Quæcunque confeſſio plurima ſecum trahit incommoda, illa eſt abroganda: Confeſſio priuata &c. Ergo. *Minor* probatur: quia atrocioris peccati ſpecialis confeſſio hominem a) conicit in præſentiſſimum famæ vitæque diſcrimen; b) ſtabilit miniſtrorum eccleſiæ, nummos pœnitentiales auide accipientium, auaritiam; c) inuidiam inter eos conflat, dum vni minor, alteri maior eſt confitentium numerus. Reſp. a) *Confeſſio ſpecialis* enormis delicti a nobis *non* habetur *ſimpliciter*, ſed tantum *hypothetice neceſſaria*, ad pleniorem exonerationem & informationem conſcientiæ, confeſſionarius autem ſigillum ſilentii ori imprimat.

Digitized by Google

imprimat. b) *Nummi pœnitentiales*, in quibusdam eccleſiis orthodoxis ſunt abrogati, in quibusdam offeruntur miniſtris verbi diuini, tanquam dona gratuita, non tanquam pretia, quibus remiſſio peccatorum ſit venalis. c) *Inuidia* canum, non miniſtrorum eccleſiæ eſt; quod ſi ea *per accidens* ſuboriatur, confeſſioni ipſi nil derogatur.

Quæſt. XXV. *Manetne pœna temporalis poſt remiſſam culpam, per proprias ſatisfactiones redimenda?*

*Poſt remiſſam culpam nulla* τιμωρία, ſiue *pœna*, *proprie* dicta, peccatoribus conuerſis & iuſtificatis imminet a): manet tamen interdum παιδεία, ſiue *paterna caſtigatio & afflictio medicinalis* b).

Prob. a. 1) E perfecta culpæ remiſſione: Quibuscunque culpa omnis remittitur, in illis nullus remanet pœnæ reatus. At omnibus credentibus remittitur culpa, Act. X, 43. Ergo. *Maior* confirmatur e relatione culpæ & pœnæ. Vbi nulla eſt *culpa*, ibi nec locum habet *pœna*: quippe quæ eſt vindicta culpæ.

2) A diſerta Apoſtoli teſtificatione, inquientis, Rom. VIII, 1. *Nihil condemnationis iis eſt, qui in Chriſto Ieſu ſunt.* Vbi nulla eſt condemnatio, ibi nullus eſt reatus pœnæ.

3) E parabolica illuſtratione. Rex cœleſtis ſeruo, debitis maximis onerato, non tantum remittit *debita*, ſed etiam *pœnas*, Matth. XVIII, 32.

4) Chriſtus pleniſſime ſatisfecit iuſtitiæ diuinæ, non tantum peccata noſtra, ſed & peccatorum pœnas in ſe deriuando, Eſ. LIII, 5. Quam ob rem cumulatiſſimæ Chriſti ſatisfactioni perſuaſione propriæ ſatisfactionis plurimum derogatur.

5) A defectu virium noſtrarum ad ſatisfaciendum Deo. Ad ſatisfactionem Deo præſtandam requiritur infinita virtus, qua nullus homo merus pollet. Quam ob cauſſam redemtorem noſtrum oportuit eſſe Deum, vt λύτρον ἰσόῤῥοπον, pretium redemtionis ſufficientiſſimum, iuſtitiæ diuinæ perſoluere poſſet.

Prob. b. *Quem Dominus diligit*, παιδεύει, *corrigit*, Hebr. XII, 6. & 1 Cor. XI, 32. *A Domino* παιδευόμεθα, *caſtigamur, ne cum mundo condemnemur.* Imponitur itaque fidelibus παιδεία, *caſtigatio*, quæ oritur non a Deo irato, ſed *placato*, neque cedit in condemnationem, ſed caſtigati *emendationem*.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, pœnitentibus varias ſatisfactiones pro pœnis temporalibus imponentium. *). Ceterum tria aſſignant operum ſatisfactoriorum genera: *Orationem, ieiunium,*

*) Dici vix poteſt, quanta cum hoc errore caterua plurium arcte copulata ſit. 1) Quod potiſſimum πρῶτον ψεῦδος eſt, exiſtimant, Chriſtum peccatorum noſtrorum *culpam* quidem *vniuerſam* in ſe recepiſſe, *pœnas* autem vicarias pertuliſſe non omnes, ſed dumtaxat *æternas*. 2) Sentiunt igitur, pro *pœnis temporalibus* ſatis adhuc facere quemque oportere, aut *poſt mortem*, in igne, quem finxerunt, purgatorio, aut *ante diem ſupremum*. 3) Satisfactio *in hac vita*, illorum opinione, variis præſtatur modis, præſertim vero hiſce tribus: *ieiunio*, ad quod ſeueriorem diſciplinam omnem referunt; liberalitate erga pauperes, ſeu, vt vulgo loquuntur, *eleemoſyna*, vt & *precatione*. 4) In his ſingulis *definitione* explicandis, vehementer multumque errant. 5) Repugnantiam rerum manifeſtam admittunt; nec vnam: Etenim α) officium ſemper debitum nunquam fieri poteſt ſatisfactio pro alio & neglecto officio: β) Omnis ſatisfactio pro *pœna* ſubeunda non poteſt non eſſe *perpeſſio mali*, triſti animo ſentienda; illorum autem officiorum exercitationes ſunt profecto *actiones bonæ*, hilari animo ſuſcipiendæ, vid. e. g. Rom. XII, 8. 6) Mirum in modum irrogant pœnitenti *pœnam*, quam *ſibi ipſe inferre* debeat. 7) Subtiliter fecerunt diſtinctionem *ſatispaſſionis*, quæ purgatorio igni adſignatur,



Digitized by Google

*ieiunium*, *& eleemoſynas.* Ad *orationem* reuocant ea, quæ Deo immediate exhibentur, vt laudes, gratiarum actiones, contritionis & confeſſionis actus: Ad *ieiunium*, quæ corpus affligunt, & concupiſcentiæ carnis repugnant, vt ſunt cilicia, cineres, flagellationes: Ad *eleemoſynas* omnia opera miſericordiæ, quæ repugnant auaritiæ, & cedunt in proximi vtilitatem. Nituntur ſequentibus argumentis:

I. Regi Dauidi poſt remiſſam culpam pœna denuntiabatur, 2 Sam. XII, 14. Reſp. Diſt. inter τιμωρίαν, ſiue *pœnam*, inflictam a Deo *irato*, & inter παιδείαν, ſiue *caſtigationem* immiſſam a Deo *placato*. Non illa, ſed hæc Dauidi denuntiabatur, vt eſſet tum memoriale præteriti lapſus grauiſſimi, tum medicina προφυλακτική, præſeruans a peccatis. Eleganter inquit AVGVSTINVS: *Calamitates ante remiſſionem ſunt ſupplicia, poſt remiſſionem ſunt certamina, exercitationesque piorum.*

II. Propheta Daniel regi Nabuchodonoſari dabat conſilium: *Peccata tua redime eleemoſynis*, Dan. IV, 24. Reſp. In textu originali habetur verbum פרק, quod ſignificat, *abrupit.* Vnde in fonte ſic fluunt verba. *Quare, rex, conſilium meum placeat tibi, vt peccata tua in iuſtitiam abrumpas* (mutes), *& iniquitates tuas in miſerationem afflictorum.* Ex his patet, quod l. c. non intelligatur redemtio ſatisfactoria, ſed *mutatio emendatoria.*

III. Tob. XII, 9. Angelus Gabriel infit: *Eleemoſyna a morte liberat, & ipſa eſt, qua purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam.* Reſp. 1) Liber Tobiæ eſt apocryphus. b) Intelligitur liberatio a morte immatura, quam ſæpe Deus auertit ab iis, qui ex vera caritate erga pauperes ſunt benefici, Pſ. XLI, 1. non quaſi beneficentia ſit ſatisfactoria pro pœna, ſed quia Deus eandem ex gratia compenſat. c) Eleemoſyna purgat peccata non præterita, ſed futura, habitum priori oppoſitum inducendo. Dum enim homo ſtudet beneficentiæ, auaritiam, rapacitatem, inhumanitatem & ſimilia vitia vitat. d) Vltima verba in fonte ſic ſonant: Qui faciunt eleemoſynas & iuſtitias, implebuntur vita longa & diuturna.

IV. Pœ-

gnatur, & *ſatisfactionis*, pro illa auertenda. Sed videri etiam cupiunt admodum liberales ac miſericordes. Scilicet 8) dicunt, non ita ſimpliciter neceſſe eſſe, vt pro ſe quisque ſatis faciat; ſed licere miſero, cuius forſitan tenerrima caro & cutis ſit, licere igitur hoc onus, ſibi impoſitum, *pretio quodam redimere.* Quæris, quo pacto? 9) Reſpondent: beneficio *indulgentiarum.* Cuiusnam auctoritate? Quippe 10) *Pontificis Romani*, tanquam is vere Chriſti vicarius ſit. Vndenam illæ? 11) Ex *theſauro eccleſiæ*, & quidem *Romanæ.* Ecquis vero theſaurus ille? 12) Is nimirum, in quo *merita ſanctorum hominum*, inde a multis ſæculis collecta, & quotannis cumulatius aucta, cum cura maxima adſeruantur. Quinam ſunt illi *homines ſancti*? 13) Non omnes beate defuncti, ſed illi tantum, quos Præſul Romanus dignos iudicauit, quos ipſe, rationibus politicis motus, in numerum ſanctorum referret, qui barbare vocantur *canoniſati*, & quibus inferiores putantur alii, quos ſolent *beatificatos* adpellare. De illis quidem beatis & ſanctis res valde incerta eſt, vtrum diuino etiam iudicio beati ſint, & ſancti, immo quosdam eorum ne homines quidem vnquam fuiſſe, hodie inter omnes conſtat. Quæ tandem illorum *promerita*? Nempe, 14) vt aiunt, opera prorſus eximia atque abundantia, ſeu, vt barbare loqui amant, *opera ſupererogationis*, quæ totum numerum præceptorum ſuperent, & quæ non ipſis ſolum ſanctis putatis ſufficiant, ſed multis etiam aliis veniam peccatorum, ſalutemque adferre poſſint. Taceo plura. Quid *antiqui Doctores* eo tempore, quo ſeuerior diſciplina eccleſiaſtica viguit, nomine & *ſatisfactionum* & *indulgentiarum* ſignificare ſoliti ſint, & quam longe illorum mens a ſenſu *Romano-Catholicorum* abfuerit, id hodie præterit neminem, niſi eum, qui ex ſacræ hiſtoriæ monumentis prorſus hoſpitem retulit animum.

Digitized by Google

IV. Pœnitentes Niniuitæ *ieiunarunt, cilicio ſe induerunt, cinere ſe conſperſerunt* &c. vt pro pœnis temporalibus ſatisfacerent. Ionæ III, 5. Reſp. Non fuerunt illa opera ſatisfactoria, ſed *externa ſigna & teſtimonia internæ pœnitentiæ.*

Inſtantia: In primitiua eccleſia vſu receptæ fuerunt *ſatisfactiones canonicæ*. Reſp. Imponebantur illæ peccatoribus, in grauiora prolapſis crimina, *non ad ſatisfaciendum Deo* pro *pœna*, ſed a) *ob ſeriæ pœnitentiæ exercitium & probationem:* b) ob aliorum exemplum & terrorem: c) ob eccleſiæ ſcandalo offenſæ auctoritatem & reconciliationem, cui externa pœnitentiæ declaratione ſatisfaciendum erat.

### *SVSPIRIVM.*

Viribus gratiæ, o Deus ſanctiſſime, inſtrue & robora me, peccatorem miſerrimum, vt motus animi mei vitioſos compeſcam & cohibeam, ne in grauia ſcelera erumpant! Da mihi, Pater cœleſtis, veram & ſinceram pœnitentiam, da cor contritum, da capiti meo aquam, & fontem lacrymarum oculis meis, vt fletu temporali præueniam fletum & ſtridorem dentium! Iugula, quæſo, carnem meam ad mala procliuem, frange & contere cor meum durum, vt, remoto obice, ſpiritus fidei in me habitet, viuat, regnet!

## THEOL. PART. III. SECT. II.
## CAPVT VII.
# DE FIDE IN CHRISTVM.

### Quæſt. I. *Quid eſt fides in Chriſtum?*

*Fides in Chriſtum* eſt donum Spiritus S., quo peccator conuerſus & renatus promiſſionem euangelicam de gratia Dei & remiſſione peccatorum æternaque ſalute, propter ſatisfactionem & meritum Chriſti impetranda, ſalutariter agnoſcit, ſolido aſſenſu comprobat, & ſingulari fiducia ſibi applicat, vt iuſtificetur, & æternum ſaluetur. *Definitio fidei.*

Obſ. *Fides dicitur a fidendo,* adeoque, vi *vocis,* eſt *fiducia.* Cicero quidem *L. 1. de Offic. c. 7.* aliam adducit etymologiam *fidei,* inquiens: *Credimus, quia fiat, quod dictum eſt, appellatam eſſe fidem.* Sed hæc *alluſiua*, non genuina deriuatio eſt. *Etymologia.*

### Quæſt. II. *Qualis fides hic intelligitur?*

*Non* intelligitur hic fides *obiectiua*, ſiue quæ creditur; ſed *ſubiectiua*, qua creditur a): *non falſa*, *aut mortua*, ſed *vera & viua* b): *non aliena*, ſed *propria* c): *non hiſtorica*, ſiue dogmatica, *neque miraculoſa*, ſed *iuſtificans* d): *non generalis*, ſed *ſpecialis* e): *non abſolute*, ſed *relate* ſpectata f). *Homonymia.*

Prob. a. *Fides obiectiua*, ſeu quæ creditur, eſt *doctrina fidei;* quæ *improprie* dicitur fides, quia eſt obiectum fidei. Conf. Act. VI, 7. c. XIII, 8. cap. XVI, 5. Rom. XII, 6. Fides autem *ſubiectiua*, ſeu qua creditur, eſt *fides proprie* dicta, quæ ineſt homini credenti, tanquam ſubiecto.

Prob. b. *Fides falſa*, ſiue *vana ac mortua* æquiuoce dicitur *fides*, cum tantum ſit inanis perſuaſio ac iactantia fidei, aut temeraria præſumtio de Dei miſericordia & gratia, propter meritum Chriſti, in homine impœnitente, peccatisque, ſuis indulgente, de qua Iacobus epiſt. cap. II, 20.

*Viſne vero ſcire, o homo vane, quod fides ſine operibus mortua ſit* & non ſaluifica? Nobis hic ſermo eſt de fide *vera & viua* *), quæ vitam ſuam accepit a Chriſto, & cum iuſtificauit peccatorem conuerſum, per caritatem & ſtudium bonorum operum ſe viuam exſerit & oſtendit.

Prob. c. Non agimus in præſenti de *fide aliena*, qua neceſſitates proximi Deo commendantur, & ipſi bona temporalia & ſpiritualia impetrantur, Matth. IX, 2. ſed de *fide propria*, de qua Propheta Habacuc, c. II, 4. & cum eo Paullus, Gal. III, 11. *Iuſtus ſua fide viuet.* Vt quilibet naturaliter propria viuit anima: ita quilibet propria fide ſpiritualiter viuit. Obſerues, quod per *fidem propriam* hic non intelligatur fides propria noſtrorum dictorum & factorum, quæ *fidelitas*, integritas animi & candor appellatur; ſed fides *verbum euangelii, meritumque Chriſti recipiens.*

Prob. d. *Fides hiſtorica, qua etiam dogmatica* appellatur, eſt duplex; *vna* auctoritati humanæ; *altera* reuelationi diuinæ innititur. *Illam* a fide iuſtificante eſſe diuerſam, extra dubium eſt; *hanc* fides ſaluifica complectitur; ſicut anima rationalis complectitur animam vegetatiuam & ſenſitiuam. At vero quem ad modum anima vegetatiua in plantis, & ſenſitiua in brutis ſine anima rationali exſiſtit: ita fides hiſtorica eſt ſine ſaluifica in hypocritis. Etenim hi documenta gratiæ diuinæ & geſta Chriſti externe & hiſtorice cognoſcunt, vt fiduciam in Chriſto, auctore ſalutis, non collocent. *Fiducia* autem eſt fidei in Chriſtum complementum, anima & vita. *Fides hiſtorica* deprehenditur etiam in diabolis, Iac. II, 19. Ceterum differt *fides hiſtorica hominum impiorum* a fide *dæmonum*; non quidem eſſentialiter, ſed *accidentaliter:* 1) In principio cognitionis, quod in hominibus impiis ſola eſt ſcriptura, in dæmonibus inſuper αὐτοψία. 2) In obiecti crediti applicabilitate, qua carent dæmones, non item homines. *Fides miraculorum, ſiue miraculoſa eſt*, qua firmiter ſtatuimus, euenturum ex infinita & abſoluta Dei potentia, quod Deus vel prædixit, vel fieri voluit, aut a nobis, aut ab aliis, in noſtrum aliorumue commodum; Matth. XVII, 20. Subdiſtinguitur *in actiuam, & paſſiuam. Illa* eſt, qua quis peculiari dono *miracula faciendi* diuinitus præditus eſt, Matth. XVI, 17. *Hæc* eſt, qua homo certo ſtatuit, *ſe fore participem* ſingularium beneficiorum, quæ *per miracula contingunt*, Matth. IX, 27. Differt autem *fides miraculorum* a fide *iuſtificante. Illa* eſt donum extraordinarium, & periodicum; *hæc* ordinarium & perpetuum. Sine *illa* multi ſunt ſaluati; ſine *hac* nemo. *Illa* datur in hypocritis & impiis, Matth. VII, 22. *hanc* habent tantum vere conuerſi & renati. *Illius* obiectum eſt omnipotentia Dei; *huius*, miſericordia. Eſt tamen fides *miraculoſa* 1) quædam quaſi imago fidei ſaluificæ. Etenim Chriſtus in miraculis viſibilibus inuiſibilem ſuam gratiam adumbrauit, in ſanatione *ſaluificam*, in reſuſcitatione *viuificam*, quam ſanatus, & exſuſcitatus accepit, nulla ſua cum cooperatione boni operis. 2) Eiusdem fidei miraculoſæ *finis* eſt fides *ſaluifica*, quæ ſi adſit, ſaluum facit, non quia miraculoſa eſt, ſed quia per miraculum excitata eſt ea fides, quæ ſaluifica eſt. Confer. D. DANNHAV. in *hodoſ. phænom. XI p.* 1302.

Prob. e. *Fides generalis eſt*, qua homo ſaluandus credit, omnia vera eſſe, quæ verbo diuino reuelata ſunt; de qua fide generali iam nobis ſermo non eſt, propterea, quod fidem conſideramus

*) Nihil ſuperuacaneum dixit b. Auctor, ſed data opera vtrumque hoc ἐπίθετον adhibuit: *vera & viua.* Ambo neceſſaria ſunt, atque oppoſita terribili *Romano-Catholicorum* errori, quem illi in ſuo *Concil. Trident. Seſſ.* VI. *cap.* 15. & *can.* 28. aperte profeſſi ſunt: *fides poteſt eſſe vera, quamuis non ſit viua: ſi quis aliter ſentiat, ἀνάθεμα ſit!* Principium falſum, ex quo enatum eſt tam exitioſum decretum, eſt falſa definitio fidei, de qua deinceps videbimus

Digitized by Google

ſideramus vt *medium ſalutis*, adeoque in ordine ad *ſpeciale*, ſeu peculiare *obiectum*, quod habet *vim recuperandi ſalutem*, per peccatum amiſſam, & cuius intuitu fides inter media ſalutis recenſeri poteſt. Eſt igitur *fides ſpecialis*, qua peccator conuerſus & renatus promiſſiones vniuerſales de Chriſto mediatore & gratia Dei, per ipſum impetranda, ſibi in indiuiduo applicat, & credit, Deum velle ſibi etiam propitium eſſe, & peccata remittere propter Chriſti ſatisfactionem, pro ſuis & omnium hominum peccatis præſtitam. Dicitur itaque *fides ſpecialis*, non quod ſpecialem aliquam promiſſionem pro obiecto habeat, quæ credenti peculiariter ſit facta, ſed ob *applicationem*, per quam ſub promiſſione vniuerſali de gratia Dei & merito Chriſti ad ſe in indiuiduo deſcendit. Sic Iobus, profeſſionem fidei ſuæ edens, dixit: *Scio, quod redemtor meus viuit*, Iob. XIX, 25. & Paullus, Gal. II, 20. *Filius Dei dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

Prob. f. Fides impræſentiarum non ſpectatur *abſolute*, prout eſt bonum opus, ad primum decalogi præceptum pertinens; ſed *relate*, quatenus Chriſtum aſpicit, eiusque meritum apprehendit. *Relatiue iuſtificare*, nihil aliud eſt, quam *vi ſui correlati* iuſtificare. Fides itaque iuſtificat *relate*, i. e. res credita, *meritum Chriſti fide apprehenſum*, iuſtificat. *Fides, QVÆ iuſtificat, eſt notitia, aſſenſus & fiducia &c. ſed fides, QVATENVS iuſtificat, eſt nuda receptio beneficiorum Meſſiæ paſſiua, admiſſiua motuum Spiritus ſancti, recubitoria, requietoria in meritis Chriſti.* Conf. D. DANNHAV. *l. c. p.* 1305.

### Quæſt. III. *Quot modis ſumitur verbum, credere?*

Verbum, *credere*, ſumitur *tribus* modis.

Prob. Aliud enim eſt, credere *Deum*; aliud, credere *Deo*; aliud, credere *in Deum*. Credimus *eſſe Deum*, per *notitiam*; credimus *Deo*, per *aſſenſum*; credimus *in Deum* per *fiduciam* *).

### Quæſt. IV. *Quæ ſunt cauſſæ fidei?*

*Cauſſa & media* accendendæ fidei, eadem ſunt, quæ regenerationis. *Cauſſa fidei.*

Prob. *Regeneratio formaliter* eſt *collatio virium credendi, & ipſius fidei donatio.* Proinde de cauſſis & mediis fidei accendendæ hic agere nil attinet.

### Quæſt. V. *Quis credit in Chriſtum?*

In Chriſtum credunt *homines* a) *peccatores* b), tum *adulti conuerſi & renati* c), tum *infantes* per *baptiſmum* regeniti d). *Fidei ſubiectum quod.*

Prob. a. Fidei in Chriſtum capaces ſunt *ſoli homines*, quorum is mediator eſt, 1 Tim. II, 5. Diaboli credunt, Chriſtum eſſe Filium Dei & ſummum iudicem (vid. Matth. VIII, 29); ſed contremiſcunt, Iac. II, 19. Non ergo fiduciam collocant in Chriſto, tanquam ſuo mediatore & auctore ſalutis ſuæ.

Prob. b. Quemadmodum Chriſtus non integris, ſed *lapſis hominibus* datus eſt mediator, Matth. I, 21: ita fides in Chriſtum non fuit in homine integro, ſed *tantum* in homine *peccatore* datur.

 Prob. c.

*) Locus plane eximius, in quo coniunctæ ſunt tres illæ propoſitiones, exſtat Ioann. XIV, 10. credis ne, *me in Patre eſſe, & Patrem in me?* v. 11: credite *mihi*, & v. 12: qui credit *in me*. Verbo, *credere*, in hoc loco vtimur, non prout in Latio, ſed vti in ſcriptura vſitatum eſt.

Digitized by Google

Prob. c. *Vera ac ſaluans fides in iis non eſt, qui contritione carent, & propoſitum in peccatis pergendi & perſeuerandi habent*, ait *Form. concord.* p. 688. Quare neceſſe eſt, vt peccator, deſideriis carnis indulgens, conuertatur a tenebris peccati ad lucem fidei, Actor. XXVI, 16. Accenditur autem lux fidei per gratiam regenerationis: Nam *omnis, qui credit, quod Ieſus ſit Chriſtus, ex Deo natus eſt*, 1 Io. V, 1.

Prob. d. Infantes *baptizati Chriſtum induunt*, Gal. III, 27. E. in Chriſtum credunt. Sed de *fide infantum* ſectione ſuperiori c. IV. fuſius egimus.

Quæſt. VI. *Eſtne fides in intellectu, an in voluntate hominis?*

*Subiectum quo.* Fides eſt in *intellectu*, ratione *notitiæ & aſſenſus*; in *voluntate*, ratione *fiduciæ*.

Prob. 1) Peccator conuerſus & renatus non tantum credit, *Ieſum eſſe Chriſtum*, 1 Io. V, 1. actu *notitiæ & aſſenſus*, qui eſt in *intellectu*; ſed etiam credit *in Chriſtum* Io. III, 36. actu *fiduciæ*, quæ eſt in *voluntate.*

2) Promiſſio euangelica, quæ eſt obiectum fidei, non proficiſcitur tantum a ſcientia, ſed & a voluntate Dei: E. acceptio promiſſionis non eſt tantum actus intellectus, ſed & voluntatis.

3) Peccator conuerſus & renatus recipit promiſſionem euangelicam, vt *veram*, intellectu; vt *ſibi bonam*, voluntate. Intellectu *cognoſcit & approbat* promiſſionis veritatem; voluntate *amplectitur*, & ſingulari fiducia *ſibi appropriat* eius bonitatem.

*Antitheſis* eſt *Bellarmini*, ſtatuentis, *libr. I. de iuſtificat. c.* 6. fidem non poſſe ſimul in intellectu & voluntate exiſtere, eo, quod vna virtus in duabus potentiis, genere diſtinctis, eſſe nequeat. Sed hypotheſis *Bellarmini*, quod vna virtus non poſſit eſſe in duabus potentiis, fallit in vnitate compoſita, per collectionem & ſubordinationem. SVAREZ. *tom. II. diſput.* 44. *ſect.* 4. *num.* 4. inquit: *Vna virtus fidei conflatur ex habitu intellectus & piæ effectionis in voluntate.* THOMAS AQVINAS, citante D. GERHARDO in *confeſſ. cathol. f. m.* 1459. ait: *Dicitur aliquid eſſe in duobus principiis primo ſic, quod ex æquo ſit in vtroque: Sic impoſſibile eſt, vnam virtutem eſſe in duabus potentiis. Secundo, ordine quodam; & ſic vna virtus poteſt pertinere ad plures potentias, ita, vt in vna ſit principaliter & ſe extendat ad alias per modum diffuſionis, aut diſpoſitionis.* Sic *imago* Dei conſiſtit in concreata ſapientia intellectus, & integritate voluntatis. *Liberum arbitrium* eſt in *intellectu*, ratione *arbitrii*, in *voluntate*, ratione *liberi*. *Hæreſis* reſpicit in parte *intellectum*, in parte *affectum*, inquit ALEXANDER ab ALES, citante D. SCHERZERO in *ſyſtem. p. m.* 300. *Prudentia* eſt in *intellectu*, ratione conſultationis; in *voluntate*, ratione electionis. *Oratio*, definiente THOMA in 2. *quæſt.* 83. *art.* 1. *eſt actus rationis practicæ, voluntatis deſiderium explicantis, & ab alio aliquid poſtulantis.* Quod ipſe BELLARMINVS *lib. I. de bonis operibus c.* 1. ita explicat: *Intellectus & affectus ad orandum concurrunt. Affectus* concurrit deſiderando id bonum, quo caret: *intellectus* vero, id deſiderium explicando & proponendo. Ex quibus diſpaleſcit, diſtinguendum eſſe inter *habitum ſimplicem*, qui in diuerſis potentiis eſſe nequit, & inter *habitum aggregatum, ſiue compoſitum* ex diuerſis actibus ad idem obiectum terminatis, & ordinem quidem inter ſe ad vnum idemque obiectum habentibus, qui in diſtinctis facultatibus reſidere poteſt.

Quæſt. VII. *Quodnam eſt obiectum fidei, quod ipſa reſpicit?*

*Obiectum fidei.* *Obiectum* fidei *generalis*, ſiue *dogmaticæ*, eſt omne verbum Dei reuelatum a). *Obiectum* fidei *ſpecialis*, ſiue *ſaluificæ*, eſt Chriſtus mediator, quatenus vt cauſſa meritoria Dei & remiſſionis peccatorum nobis euangelica promiſſione offertur b); vel,

Digitized by Google

vel, quod idem eſt, gratia Dei, propter ſatisfactionem Chriſti peccata remittens, & in euangelio promiſſa c); vel, quod eodem recidit, promiſſio euangelica de gratia Dei & peccatorum remiſſione, propter ſatisfactionem Chriſti impetranda d).

Obſ. *Vnum*, quoad *rem*, ſignificatur *obiectum* fiduciæ, ſiue in Chriſto mediatore, ſiue in gratia Dei, ſiue in promiſſione gratiæ, propter Chriſtum mediatorem facta, id conſiſtere dicas. Tantum in *modo concipiendi & loquendi* eſt diuerſitas. Per *primum* enim modum loquendi conſtituitur ratio obiecti in Chriſto mediatore, vt reparatæ & promiſſæ nobis gratiæ cauſſa meritoria, & gratia Dei per ipſum nobis reparata connotetur. Per *ſecundum* autem conſtituitur obiecti ratio in reparata per Chriſtum gratia Dei, peccata remittentis, tanquam in cauſſa impulſiua Dei interna, Chriſtus autem, tanquam eius cauſſa meritoria, ſi non ſimul verbis exprimitur, tacite tamen ſubintelligitur. Per *tertium* denique modum loquendi conſtituitur obiecti ratio in promiſſionibus de peccatorum remiſſione propter Chriſtum, quæ a Chriſti ſatisfactione & gratia Dei proficiſcitur, & qua vtrumque, ſcilicet meritum mediatoris & miſericordia Dei, nobis offertur. Quocunque igitur modo loquaris, hominis apud Deum remiſſionem peccatorum impetraturi fiducia ſemper ad *vnum & idem* redibit *obiectum*, *Chriſtum* mediatorem ſcilicet, *quatenus* reparatæ nobis miſericordiæ Dei, & impetrandæ apud Deum remiſſionis peccatorum cauſſa eſt. Vid. D. MVSÆI *diſp. III. de conu. p.* 179.

Prob. a. *Fides dogmatica*, ſiue *generalis*, fertur in omne verbum Dei, *quatenus Dei eſt*, 1 Theſſ. II, 13. cui propter auctoritatem Dei reuelantis indubitatus aſſenſus præbendus eſt.

Prob. b. *Fides ſpecialis*, ſiue *iuſtifica*, fertur in Chriſtum, vt cauſſam meritoriam remiſſionis peccatorum, æternæque ſalutis: de quo Ioannes, 1 ep. II, 2: *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, & Paullus, Rom. III, 25. *Deus Chriſtum propoſuit* ἱλαςήριον, *propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius*, q. d. Quia Chriſtus ſatisfactione pro noſtris peccatis Deum nobis reddidit propitium, fiduciam impetrandæ remiſſionis peccatorum in ſanguine Chriſti defigamus. Hoc obiectum fidei ita ſe habet, vt, eo poſito & applicato, ponatur ipſa iuſtificatio & ſatisfiat quæſtioni: propter quid iuſtificemur & ſaluemur? Id quod patet ex Act. XVI, 31. vbi legimus, quod ad quæſtionem cuſtodis vinctorum apud Philippenſes: *Quid me oportet facere, vt ſaluus fiam?* rotunde reſponderint Apoſtoli: *Crede in Dominum Ieſum Chriſtum, & ſaluus eris tu, & domus tua.* Vnde argumentamur: In quem nos oportet credere, ideo, quod eſt *cauſſa remiſſionis peccatorum æternæque ſalutis*, ille eſt obiectum *fidei ſaluificæ*, quod ipſa reſpicit. Atqui in Dominum Ieſum Chriſtum &c. E.

Prob. c. Ex Rom. III, 24. *Iuſtificamur gratis gratia ipſius* (Dei), *per redemtionem in Chriſto Ieſu.* Vnde arguimus: Quocunque iuſtificamur, in illud, tanquam obiectum, fertur fides iuſtificans: Atqui gratia Dei, redemtione Chriſti nobis conciliata, iuſtificamur: E.

Prob. d. 1) Ex Rom. IV, 16. *Propterea iuſtitia eſt ex fide, vt ſit ex gratia, vt firma ſit promiſſio.* Cui fides firmiter innititur, illud eſt eius obiectum: Promiſſioni gratiæ diuinæ fides firmiter innititur: E.

2) Ex Gal. III, 22. *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, vt promiſſio ex fide daretur credentibus.* Intelligit Apoſtolus *promiſſionem fœderalem*, ſiue *teſtamentariam* de ſemine Abrahæ, quod eſt Chriſtus, v. 16. & 19. Sicut hæc promiſſio data eſt credentibus: ita vera fide recipienda eſt ad ſalutem, quod docet Apoſtolus, 1 Tim. I, 15. *Fidelis eſt ſermo, & omni acceptatione dignus, quod Ieſus Chriſtus venit in mundum, vt peccatores ſaluet.* Colligitur

Digitized by Google

ligitur ex his, quod ideo data ſit promiſſio de Chriſto, ſalutis auctore, vt a credentibus ad æternam ſalutem acceptetur. Quidquid autem datur credenti, vt ſalutem fide apprehendat, illud eſt obiectum fidei ſaluificæ.

*Antitheſis* eſt *Pontiſiciorum*, ſtatuentium, tam late patere obiectum fidei, quam late patet verbum Dei. Qui obiiciunt nobis:

I. Quidquid propter auctoritatem Dei reuelantis credendum eſt, illud eſt obiectum fidei iuſtificantis: Sed omne verbum Dei &c: E. Reſp. Diſt. inter fidem *generalem*, ſiue dogmaticam, & *ſpecialem*, ſiue ſaluificam. Illius obiectum eſt omne verbum Dei, etiam verbum legis, ex quo tamen non eſt iuſtificatio, Gal. III, 11. Huius obiectum eſt promiſſio euangelica, Gal. III, 22.

II. Obiectum fidei, ſymbolo apoſtolico comprehenſæ, eſt obiectum fidei iuſtificantis: Obiectum fidei, ſymbolo apoſtolico comprehenſæ, non eſt tantum miſericordia in Chriſto: E. Reſp. Diſt. inter *obiectum fidei iuſtificantis commune*, & *proprium*. Fides iuſtificans non excludit obiectum *commune*, nempe doctrinam fidei de SS. Trinitate, creatione, conſeruatione & gubernatione; ſed illud ſupponit, aut includit. At ſicut ſumma, ſcopus, finis & meta totius ſcripturæ eſt Chriſtus in officio mediatorio, Io. XX, 31: ita fides *ſaluifica*, quamvis *generatim* vniuerſo Dei verbo aſſentiatur, *ſpeciali* tamen ratione reſpicit ad ſcopum totius ſcripturæ, & omnes alios articulos refert ad promiſſionem gratiæ, propter Chriſtum mediatorem. Sicut AVGVSTIN. *libr. II. de trinit.* fidem chriſtianorum diſcernit a fide dæmonum per vltimos articulos: *Credo remiſſionem peccatorum, corporum reſurrectionem, & vitam æternam.* Et *fruſtra fides circa reliqua obiecta ſcripturæ verſatur, ſi non caput ſcripturæ teneat, Chriſtum*, Col. II, 19. dicente CHEMNITIO, in *loc. theol. de iuſtific. f. m.* 268.

Inſtantia: In ſymbolo apoſtolico ne verbum quidem habetur de *ſpeciali miſericordia Dei.* Reſp. Nomen *Patris, Seruatoris, ſanctificatoris, remiſſionis peccatorum*, meram *gratiam & miſericordiam* ſpirat. Quando confiteor: *Ego credo remiſſionem peccatorum*, miſericordiam Dei vniuerſalem, fundatam in *merito Chriſti*, *mihi* in indiuiduo applico. Neque enim hic eſt ſenſus: *Credo, remiſſionis donum eſſe in eccleſia*; ſiquidem etiam dæmones hoc credunt; ſed hic eſt ſenſus: *Credo, velle Deum mihi peccata remittere.*

III. Quæcunque fides reſpicit potentiam Chriſti, illius obiectum adæquatum non eſt miſericordia Dei, in Chriſto nobis propoſita: Atqui hominum pœnitentium fides &c. E. *Maior* conſtat: quia potentia Chriſti & miſericordia Dei maxime differunt. Potentiam ſuam Chriſtus etiam exſerit in impios, quorum Deus non miſeretur. *Minor* conſtat exemplo cæcorum, Matth. IX, 28. *Creditis, quod hoc poſſim facere?* Reſponderunt cæci: *Vtique.* Reſp. 1) L. c. ſermo eſt de fide *mirifica*, non *iuſtifica.* 2) *Fides, quæ iuſtificat*, reſpicit potentiam Chriſti tanquam obiectum commune: at *quatenus iuſtificat*, ſpeciali ratione fertur in miſericordiam Dei, propter ſatisfactionem Chriſti peccata remittentis. In multos Chriſtus potentiam ſuam exercet, qui non iuſtificantur.

IV. Quæcunque fides fertur in diuinitatem Chriſti, illius obiectum non eſt ſpecialis Dei miſericordia: Atqui fides iuſtificans &c: E. *Minor* probatur exemplo Simonis Petri, Matth. XVI, 18. dicentis: *Tu es Chriſtus, Filius Dei viuentis.* Vbi fides Petri non reſpiciebat miſericordiam Dei, ſed diuinitatem Chriſti. Reſp. Diuinitas Chriſti θεανθρώπȣ miſericordiæ Dei non eſt opponenda, quia hæc in merito Chriſti eſt fundata, ſed coniungenda. Non reparata eſſet gratia Dei, niſi Chriſtus Deus & homo eam nobis merito ſuo peperiſſet.

V. Luc. XVIII, 11. Phariſæus confitebatur, ſe eſſe iuſtum, ideoque orans dicebat: *Gratias tibi ago, Domine, quia non ſum, ſicut ceteri homines.* Hic fiduciam ſuam locabat in miſericordia Dei, & tamen non iuſtificabatur. Reſp. Fiducia Phariſæi erat hypocritica & merce-

Digitized by Google

mercenaria, propriis operibus, non merito Chriſti innixa. Stabat enim in templo, quaſi ſuperbe & arroganter de propria iuſtitia cum Deo differens; non autem perinde, atque publicanus, corde contrito ad miſericordiam Dei merito Chriſti reparatam confugiebat.

*Inſtantia*: Publicanus in voto ſuo pœnitentiali Chriſti mentionem non iniicit. Reſp. Publicanus precatur: Deus ἱλάσθητί μοι, quaſi dicat: *propter* ἱλαστήριον, quod eſt Chriſtus, in quo confido, *mei miſerearis.*

VI. Obiectum fidei iuſtificantis eſt reſurrectio Chriſti, docente Paullo, Rom. X, 9: Ergo non miſericordia Dei. Reſp. Ludunt *Pontificii* elencho oppoſitorum; neque enim *reſurrectio Chriſti* excludit *miſericordiam Dei.* Reſurrexit Chriſtus, vt ſponſor noſter, quo e carcere mortis dimiſſo, clariſſime patuit, gratiam Dei nobis eſſe conciliatam. Vid. Rom. IV, 25.

VII. Quodcunque obiectum non fuit fidei Abrahamicæ, illud non eſt obiectum fidei noſtræ iuſtificantis (eſt enim Abraham pater credentium, Rom. IV, 11.): Sed miſericordia Dei, merito Chriſti parta, non fuit obiectum fidei Abrahamicæ. E. *Minor* conſtat: quia Abraham credebat, ſe futurum e fœmina nonagenaria & ſterili patrem multarum gentium, Rom. IV, 11. Reſp. Diſt. *inter obiectum fidei Abrahamicæ primarium, & ſecundarium. Illud* fuit promiſſio miſericordiæ, propter Chriſtum, *ſemen illud benedictum*, Gal. III, 16.; *hoc* fuit promiſſio de corporali fœcunditate Saræ. Cum enim *omnes* ceterorum bonorum *promiſſiones in Chriſto ſint ratæ & firmæ*, iuxta 2 Cor. I, 20. non potuiſſet Abraham promiſſi ex Sara filii, & aliorum bonorum corporalium ſe compotem futurum credere, niſi prius fidem in Meſſiam, ſiue Chriſtum mediatorem habuiſſet, ſeque propter eius ſatisfactionem, pro peccatis ſuis in plenitudine temporis præſtandam, Deum propitium habere, credidiſſet.

Quæſt. VIII. *Eſtne Chriſtus mediator obiectum fidei primarium, an ſecundarium?*

Chriſtus eſt verus Deus a), & omnibus in ipſum credentibus cauſſa remiſſionis peccatorum b) vitæque æternæ c), adeoque *non* eſt *obiectum* fidei iuſtificæ *ſecundarium*, ſed *primarium.*

Prob. a. Ex 1 Io. V, 20. *Hic (Ieſus Chriſtus) eſt verus Deus & vita æterna.*

Prob. b. Ex Act. X, 43. *Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, quod remiſſionem peccatorum accipiat per nomen ipſius omnis, qui credit in ipſum.*

Prob. c. Ex Io. III, 16. *Qui credit in ipſum, non perit, ſed habet vitam æternam.*

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, ſtatuentium, collocandam eſſe fiduciam in *Deo*, vt obiecto *primario*, in *Chriſto* autem, tanquam obiecto *ſecundario* *). Qui argumentantur:

I. Qui

*) *Sociniani*, quibus cum hac in cauſa, vt in plerisque omnibus conſentiunt *Remonſtrantes*, partes fidei duas conſtituunt, nimirum *fiduciam*, & *obedientiam.* Vid. *Cat. Racov. Sect.* VI. c. 9. At enim vero falſa eſt 1) hæc *diuiſio*, ſi quidem Scriptura S. obedientiam diſcernit ab ipſa fide, tamquam effectum neceſſarium a ſua cauſſa, 2 Pet. I, 5. 1 Io. II, 3. 6. Effectus autem rei non eſt pars eiusdem. Falſa eſt etiam 2) huius diuiſionis *explicatio.* Etenim per *fiduciam* nihil intelligunt amplius, quam certam exſpectationem bonorum, quæ Deus nobis, per Chriſtum, diuinæ voluntatis interpretem, promiſit. Dicunt, fiduciam animi omnem collocandam eſſe in Chriſto, non promerente, ſed promittente, nec ſua auctoritate, ſed nomine Patris. Itaque primum negant Chriſti ſatisfactionem ac meritum; deinde manifeſto inter ſe confundunt 1) hæc duo, *fidem* in *Deum, & fidem* in *Chriſtum*, quæ diſerte dicitur poſita in *ſanguine eius*, quippe in quo habemus victimam piacularem, Rom. III, 25: 2) *fidem & ſpem*, quæ tamen inter ſe differunt, ſicut antecedens & conſequens, velut cauſſa & effe-

 ctus,

Digitized by Google

I. Qui non eſt ſcopus fidei vltimus, ille non eſt obiectum fiduciæ primarium: Atqui Chriſtus &c: E. *Minorem* probare conantur ex Io. XII, 44. *Qui credit in me, non credit in me; ſed in eum, qui miſit me.* Reſp. Verba citata intelligenda ſunt non in ſenſu oppoſito, aut excluſiuo; ſed compoſito & incluſiuo hoc ſenſu: Qui credit in me, non credit in me *tantum; ſed etiam* in eum, qui miſit me.

II. Per quem credimus in Deum, ille non eſt obiectum fidei primarium: Atqui per Chriſtum &c: E. *Maior* patet: quia per quem in Deum credimus, in illo fiducia noſtra non conquieſcit, ſed per ipſum ad vltimum finem, ſcilicet Deum tendit. *Minor* probatur ex 1 Petr. I, 21. *Per Chriſtum creditis in Deum, qui ſuſcitauit ipſum ex mortuis.* Reſp. Petrus l. c. conſiderat Chriſtum ratione officii prophetici, & eius intuitu dicit, quod per eum, de voluntate Dei nos informantem, credamus in Deum. Quo non obſtante, recte etiam dicitur, quod credamus in Chriſtum, verum Deum, 1 Io. V, 20. auctorem ſalutis, Act. IV, 12. fidei ducem & conſummatorem, Hebr. XII, 2. æque honorandum, ac Patrem, Io. V, 23.

Quæſt. IX. *Verſaturne fides iuſtificans circa promiſſiones vniuerſales, an ſpeciales aut ſingulares?*

Fidei iuſtificæ, *ante actum iuſtificationis*, obuerſantur promiſſiones *vniuerſales* de miſericordia Dei, propter Chriſtum peccata remittentis a), quas peccator conuerſus & renatus *in ipſo actu iuſtificationis* ſibi in indiuiduo *ſigillatim* applicat, iisque firma fiducia innititur b). Quam applicationem perficiunt & roborant clauis ſoluens miniſterii c), ſacramentum baptiſmi d), & cœnæ dominicæ e).

Prob. a. Promiſſiones diuinæ de gratia Dei & remiſſione peccatorum, propter Chriſtum impetranda, ſunt vniuerſales, & pollicentur omnibus, qui eas vera fide acceptant, æternam ſalutem, v. gr. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed vitam æternam habeat*, Io. III, 16. *Omnis, qui credit in eum, non pudefiet*, Rom. X, 11. *Chriſto omnes prophetæ teſtimonium perhibent, quod remiſſionem peccatorum accipiat per nomen ipſius omnis, qui credit in ipſum.* Hæ promiſſiones *vniuerſales* fidei iuſtificanti, ſolidi inſtar fundamenti, ſubſternuntur, vt iis valide inniti queat.

Prob. b. Peccator conuerſus, remiſſionem peccatorum æternamque ſalutem adepturus, ſub *vniuerſalibus* propoſitionibus ad *ſe in indiuiduo* deſcendat, & certo credat, ſibi quoque in particulari reparatam eſſe per Chriſtum gratiam Dei & remiſſionem peccatorum, & Deum velle nunc *ſibi* quoque peccata remittere. Hæc enim ſignorum vniuerſalium vis eſt, vt termino alicui communi addita, quæ de termino communi dicuntur, omnibus ſub eo contentis ſingularibus conuenire ſignificent: Quæ etiam in præſenti materia, eo fine in ſcripturis toties adiecta & inculcata leguntur, vt peccatores, de ſuis peccatis anxii & ſolliciti, vniuerſalitate ſatisfactionis, pro omnibus peccatis a Chriſto præſtitæ, & hinc reparatæ gratiæ ac remiſſionis peccatorum ſeſe erigere, eaque ad ſe etiam in indiuiduo pertinere, tuto ac firmiter credere poſſint & debeant. Sic inquit Propheta regius: *Deus mihi omnia peccata remittit*, Pſ. CIII, 3. & Paullus: *Chriſtus me dilexit, & ſeipſum pro me tradidit*, Gal. II, 20. *propterea ego miſericordiam conſecutus ſum*, 1 Tim. I, 16.

Prob. c.

ctus, Rom. V, 1. 2. 3. vt plures differentiæ modos nunc ſilentio tranſeam. Quod ad *obedientiam* attinet, eam referunt ad imperata Dei, non ſolum antiqua, & a Chriſto non abrogata, ſed & noua, quibus legem moralem a Chriſto auctam fuiſſe ſomniant.

Digitized by Google

Prob. c. Ad applicationem indiuidualem plurimum confert clauis ſoluens miniſterii. Cum enim miniſter verbi peccatorem pœnitentem compellat ſolemni verborum formula: Ego te abſoluo a peccatis tuis in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus ſancti; peccator contritus hanc abſolutionem fide ſpeciali recipit: Ego nunc abſoluor a peccatis meis in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus ſancti.

Prob. d. Ex Gal. III, 27. *Baptizati Chriſtum induerunt.* In baptiſmo iuſtitiam Chriſti quilibet, qui baptizatur, vt veſtem pulcerrimam, manu fidei apprehendit, & ſibi induit.

Prob. e. In diſpenſatione S. cœnæ ſinguli communicantes edunt corpus Chriſti, & bibunt eius ſanguinem in remiſſionem peccatorum. Ex quo colligit & credit peccator pœnitens: Quam vere edo corpus Chriſti & bibo ipſius ſanguinem, tam vere accipio remiſſionem peccatorum.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* ſtatuentium, neminem credere poſſe, vi promiſſionum divinarum, Deum velle *ſibi* etiam in particulari eſſe propitium & peccata remittere propter Chriſtum *). Quorum argumenta ſunt:

I. Quidquid a Deo non eſt reuelatum, illud non eſt obiectum fidei iuſtificantis: Promiſſio *ſpecialis*, Deum, *mihi*, *tibi*, CHRISTOPHORO, MARTINO, &c. peccata velle remittere, non eſt diuinitus reuelata: Ergo illa promiſſio ſpecialis non eſt obiectum fidei iuſtificantis. Reſp. 1) Diſt. inter *fidei obiectum, & ipſius actum.* Fides in Chriſtum, quæ etiam dicitur fides ſpecialis, *pro obiecto proprio* habet *promiſſiones de gratia Dei, & remiſſione peccatorum propter Chriſtum, easque non peculiares, & vnicuique ſingulatim, ſed vniuerſales, omnibus vniuerſe factas.* Actus fidei proprius ex parte intellectus eſt *aſſenſus ſpecialis*, quo peccator pœnitens ita fertur in promiſſiones vniuerſales, vt ſub illarum vniuerſalitate ad ſe deſcendat, easque ſibi in indiuiduo applicet, & in iis ſibi in particulari quoque gratiam Dei & remiſſionem peccatorum propter Chriſtum offerri & promitti credat. Id quod præclare docet noſter D. CHEMNITIVS in *exam. conc. Trid. fol. m.* 163. *Notitiæ oportet coniunctam eſſe aſſenſionem, non quidem generalem tantum, ſed qua firma perſuaſione quisque credens ſtatuat, vniverſalem promiſſionem priuatim (ſingulatim) ad ſe quoque pertinere, ſe quoque includi, & comprehendi in vniuerſali illa promiſſione.* 2) Promiſſionem vniuerſalem Deus ipſe mihi applicat: *Ego, ego ipſe deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordor,* Eſ. XLIII, 25. quam promiſſionem diuinam auide accepto, & ad me pertinere credo. 3) Deus promiſſionem gratiæ indeterminatam mihi determinate & in indiuiduo offert & exhibet per clauem ſoluentem, & per ſacramenta, vt intrepide dicere queam: Ego credo remiſſionem peccatorum meorum.

II. Cui diuinitus reuelatum non eſt, quod veram fidem habeat in Chriſtum, ille ſub promiſſionibus gratiæ vniuerſalibus aſſenſu fidei ad ſe deſcendere & credere nequit, Deum velle ſibi eſſe propitium, & propter Chriſtum peccata remittere. Nulli peccatori diuinitus reuelatum eſt &c. E. *Maior* conſtat: quia promiſſiones de gratia Dei & remiſſione peccatorum



*) Si quis certo credat, ſibi remiſſa eſſe peccata, & ſe cum Deo in gratiam rediiſſe, id illi opinantur non ex vniuerſitate promiſſionis euangelicæ, ſed ex ſpeciali quadam reuelatione ipſi cognitum eſſe. Id quod vocare ſolent *fidem priuilegiatam.* Noſtræ doctrinæ aduerſantur etiam *Reformati*, quando quidem negant, gratiam ſalutarem eſſe *communem* omnium ac ſingulorum hominum, ſingulis certe partam atque oblatam, ſeu, vt moris eſt loqui, *vniverſalem.*

Digitized by Google

rum ipſam fidem includunt, Io. III, 16. Act. X, 43. Reſp. 1) Neg. *mai.* quia licet nemini diuinitus reuelatum ſit, quod veram fidem habeat, certus tamen eſt peccator conuerſus & renatus ſuæ fidei, a) ex συμμαρτυρία ſpiritus diuini cum ſpiritu noſtro, Rom. IIX, 16. b) Ex δοκιμασία, 2 Cor. XIII, 5. 2) Ad fidem *ſpecialem* ſufficit, quod peccator pœnitens credit in Chriſtum mediatorem ſuum, qui ſibi in particulari gratiam Dei & remiſſionem peccatorum ſatisfactione ſua promeruit, neque requiritur, vt credat, ſe credere aſſenſu, diuinæ revelationi innixo. Nam fides, quæ in promiſſionibus illis includitur, non habet ſe ſe ad fidem ſpecialem per modum obiecti credendi, ſed eſt ipſa fides ſpecialis.

III. Fides iuſtifica remiſſionem peccatorum antecedit; fides ſpecialis, qua quis credit, peccata ſibi propter Chriſtum eſſe remiſſa, non antecedit peccatorum remiſſionem: E. *Maior* probatur: quia fides iuſtifica eſt cauſſa remiſſionis peccatorum. Cauſſa autem prior eſt effectu. *Minor* eſt clara: quia, cum quis credit, peccata ſibi eſſe remiſſa, iam iuſtificatus eſt, adeoque hic actus fidei poſterior eſt iuſtificatione. Reſp. Fides ſpecialis non recte explicatur. Nam fides *ſpecialis* eſt, qua quis ſub promiſſione gratiæ vniuerſali ad ſe in indiuiduo deſcendit & credit, Deum velle ſibi in particulari etiam eſſe propitium, & peccata ſua nunc remittere, propter Chriſti ſatisfactionem, pro ſuis & totius mundi peccatis præſtitam. At ille *actus fidei*, quo quis credit, peccata ſibi eſſe remiſſa, *non* eſt fides formaliter *iuſtificans*, ſed actus fidei, quæ *iuſtificauit*.

Quæſt. X. *Quotuplex eſt ἐνέργεια, vis & officium fidei in Chriſtum?*

*Officium fidei.*

Vis & ἐνέργεια fidei duplex eſt: *receptiua*, ſiue apprehenſiua, & *operatiua*. *Illa* eſt, qua fides Chriſtum, & omnia merito ipſius parta beneficia paſſiue recipit a). *Hæc* eſt, qua fides per opera caritatis & reliquarum virtutum actiue ſe exſerit b).

Prob. a. De λήψει, ſiue apprehenſione Chriſti, & beneficiorum ipſius teſtantur loca ſcripturæ, Ioann. I, 12. c. XVII, 8. Col. II, 6. 1 Tim. I, 15. Rom. V, 17. Act. X, 43. Iac. I, 12. Gal. III, 14.

Prob. b. Ex Gal. V, 6. *Fides per caritatem operatur.* Quæ verba ſcite enucleat D. HVLSEMANNVS, citante CALOVIO in *bibliis illuſtrat. in h. l. fol.* 624. Epitheton illud, *operari per caritatem*, attributum eſt fidei, *quæ iuſtificauit*, *non* attributum fidei, *quæ adhuc iuſtificatura eſt*, multo minus *forma*, aut eſſentia fidei iuſtificantis, *quatenus* iuſtificat. Neque enim deſcribit Apoſtolus officium fidei iuſtificantis, *quatenus* iuſtificat, ſed aliud fidei officium, nempe *operari per caritatem*, ad laudem Dei & vtilitatem proximi.

Obſ. I. Diſtinctio duplicis fidei ἐνεργείας haud leuis momenti eſt; quoniam eadem geminum fidei officium, & hinc redundans geminus effectus exprimitur. D. BRENTIVS in *apol. conf. Wurtenberg. p.* 319. hanc diſtinctionem ita exponit: *Fides, vt ita dicam, duplices habet manus: Vnam, quam extendit ſurſum; & apprehendit Chriſtum cum omnibus ipſius beneficiis, & hac parte nos dicimur iuſtificari: Alteram, quam protendit deorſum ad exercenda opera caritatis & reliquarum virtutum, & hac parte teſtificamur quidem veritatem fidei, ſed non iuſtificamur.* D. CALOVIVS in *ſyſtemat. theol. tom. X. p.* 326. inquit: *Geminum actum fidei ſaluificæ tribuunt S. litteræ: 1) formalem*, vt in ſcholis dicitur, qui eſt apprehenſio gratiæ diuinæ in merito Chriſti fundatæ, vel, quod idem eſt, meriti Chriſti, quatenus eo gratia diuina nobis conciliata eſt: 2) *effectiuum* dicunt, quo ſe extendit iam non ad Chriſtum mediatorem, ſed ad Deum & proximum, eosque caritate complectitur.

Obſ. II.

Digitized by Google

Obſ. II. Quamuis ratione *duplicis* ἐνεργείας & *effectus*, fides diſtingui poſſit *in iuſtificantem, & operantem, ſiue ſanctificantem:* eſſentialiter tamen *vna* eſt *fides;* ſicut in homine anima rationalis, ſenſitiua & vegetatiua per ſe vna eſt.

Quæſt. XI. *In quo formaliter conſiſtit fides iuſtificans?*

*Forma* fidei, *quæ* iuſtificat, conſiſtit in λήψει, apprehenſione, receptione & ſpeciali applicatione obiecti iuſtifici, quod eſt ſatisfactio Chriſti, & ea parta gratia Dei, peccata remittentis, in euangelio promiſſa. Recipit enim fides iuſtificans promiſſionem euangelicam a), in promiſſione Chriſtum b), in Chriſto gratiam diuinam c), ex gratia Dei remiſſionem peccatorum d), & vitam æternam e). *Forma fidei iuſtificantis.*

Obſ. I. Intelligitur hic *apprehenſio*, vel receptio, *non corporalis*, *ſed ſpiritualis*, quæ fit intellectu & voluntate peccatoris conuerſi, adeoque *metaphorica*, ſimilitudine arceſſita a *manu*, amicum, aut rem aliam, v. gr. eleemoſynam, apprehendente. Eſt enim fides iuſtificans organon receptiuum, & quaſi manus miſeri peccatoris, qua ſibi applicat, & ad ſe recipit, complectitur & poſſidet ea, quæ in gratuita promiſſione euangelii offeruntur. Deus, Rex ſummus, e cœlo manum gratiæ, merito Chriſti partæ, & in ea ſalutem porrigit & offert: peccator, in abyſſo miſeriæ conſtitutus, manu fidei mendica accipit, quod offertur. Oblatio & receptio ſunt correlata. Quare manui gratiæ, quæ theſaurum iuſtitiæ & ſalutis offert, reſpondeat manus fidei, quæ theſaurum oblatum apprehendit & recipit.

Obſ. II. Apprehenſio intellectualis apud Philoſophos, ſenſu ſtrictiori vſurpata, ad primam mentis operationem refertur, ac vere cum appoſito *apprehenſio ſimplex*, aut *ſimplicium* dicitur. Sed hoc loco *apprehendere* idem eſt, atque, ex parte *intellectus*, cognoſcendo rem ad ſe transferre, ex parte *voluntatis* autem, in rem cognitam, tanquam ſibi bonam, ferri, eamque acceptare, & velut manu concluſam tenere, ne eripiatur, v. gr. Rex Dauid. promittebat, Mephiboſetho alimenta vitæ e regia menſa quotidie capienda, 2 Sam. IX, 7. Mephiboſethus promiſſionem apprehendebat *intellectu*, vt *veram; voluntate*, vt *bonam. Intellectu* eam apprehendebat *cognoſcendo; voluntate, appetendo* & ei adhærendo.

Obſ. III. Vocatur *receptio Chriſti* per *fidem* in ſacris litteris etiam *induitio Chriſti*. Gal. III, 27. *ſpiritualis guſtus, manducatio & bibitio Chriſti,* Pſal. XXXIV, 9. Io. VI, 50. quin & κόλλησις, ſeu *agglutinatio cum Chriſto in vnum ſpiritum*, 1 Cor. VI, 17. adeoque infert vnionem quandam, qualis eſt inter manum apprehendentem, & theſaurum apprehenſum, & dicitur vnio fidei formalis, diſtincta ab vnione myſtica, ceu illius effectu. *Receptioni Chriſti* per *fidem* opponitur *reiectio Chriſti*, gratiæ, euangelii.

Prob. a. Ex Gal. III, 13. 14. vbi Paullus docet, Chriſtum nos redemiſſe a maledictione legis, *vt promiſſionem Spiritus per fidem accipiamus* (λάβωμεν.) Nimirum promiſſio Spiritus S. de remiſſione peccatorum, propter redemtionem Chriſti impetranda, non, niſi fide, acceptatur.

Prob. b. Ex Io. I, 12. *Quotquot vero* (ἔλαβον) *receperunt eum, dedit illis poteſtatem, vt filii Dei eſſent, credentibus in nomen eius.* Quo effato Ioanneo, *credere in nomen Chriſti*, per *recipere ipſum*, vt hoſpitem exoptatiſſimum & Regem maximum exponitur. Conſentit Paullus, Col. II, 6. *Quemadmodum itaque* (παρελάβετε) *accepiſtis Chriſtum: ita in eo ambulate.*

Prob c. Ex Rom. V, 17. *Si namque vnius peccato mors regnauit per vnum: multo magis ii, qui abundantiam gratiæ, & doni iuſtitiæ* (λαμβάνοντες) *accipiunt, in vita regnabunt.* S. Paullus egregie deſcribit fidem, quod abundantiam gratiæ & doni iuſtitiæ accipiat, ideoque monet, Hebr. IV, 16. *Accedamus cum fiducia throno gratiæ, vt miſericordiam accipiamus.*



Digitized by Google

Prob. d. Ex Act. X, 43. *Huic* (Chriſto) *omnes prophetæ teſtimonium perhibent, quod remiſſionem peccatorum accipiat per nomen ipſius omnis, qui credit in ipſum.*

Prob. e. Ex Apoc. II, 10. *Eſto fidelis vsque ad mortem: Tum dabo tibi coronam vitæ.* Corona vitæ datur fidelibus, vt eam accipiant & reportent, tanquam *finem fidei*, 1 Petr. I, 9.

Quæſt. XII. *Quotuplex eſt apprehenſio vel receptio meriti Chriſti & in eo fundatæ miſericordiæ Dei?*

*Apprehenſio ſiue receptio meriti Chriſti quotuplex.*

*Apprehenſio*, vel *receptio meriti Chriſti*, & in eo fundatæ miſericordiæ Dei, eſt *triplex*: *cognoſcitiua*, quæ fit per *notitiam*: *approbatiua*, quæ fit per *aſſenſum*: *appropriatiua*, vel adhæſiua, per *fiduciam*.

Prob. Apprehendimus Chriſtum mediatorem, meritum ipſius vniuerſale cognoſcendo, ſpeciali aſſenſu nobis applicando, & ſingulari fiducia illud amplectendo, eidemque firmiter inhærendo.

*Antitheſis* eſt BELLARMINI, qui *lib. I. de iuſtific. c. XVI.* negat, apprehenſionem formaliter competere fidei, motus ſequentibus ratiunculis:

I. Quidquid non pertinet ad primam mentis operationem, illi non competit apprehenſio intellectualis: Fides non &c: Ergo. *Maior* conſtat: quia apprehenſio communiter refertur ad primam mentis operationem. *Minor*: quia fides eſt aſſenſus, qui eſt in iudicio, quod rem non apprehendit, ſed diſcernit, verane, an falſa ſit? Reſp. 1) Fides non aſſenſus tantum, ſed etiam notitia & fiducia eſt. 2) Omnis cognitio intellectus eſt apprehenſio, licet non ſit apprehenſio *ſimplex*, ſed diiudicatiua, aut diſcurſiua. Iudicio cognoſcimus & apprehendimus vnionem rei vnius cum altera, vel eius ab altera diuiſionem. 3) *Apprehendere* hic ſignificat, ex parte intellectus, rem aliquam cognoſcendo ad ſe transferre, vel cognoſcere rem cum applicatione eius ad cognoſcentem, quod fit per aſſenſum ſpecialem.

II. *Confidere* non eſt apprehendere, ſed firmiter adhærere: Ergo fiduciæ *non* competit *apprehenſio*, ſed *firma adhæſio*. Reſp. Apprehenſio & firma adhæſio non ſunt oppoſita, Ioab 1 Reg. II, 28. cornua altaris *apprehendebat*, & ita fortiter *illis adhærebat*, vt ab illis auelli non poſſet.

III. Si Chriſtus per fiduciam non ſiſtitur obiectiue præſens, per eam non apprehenditur: Antecedens eſt verum: Ergo & conſequens. Ratio *conſequentiæ* eſt; quia intellectus Chriſtum quidem apprehendit, dum cognoſcendo illum ſibi obiectiue præſentem ſiſtit; fiducia autem in Chriſto præſente acquieſcit. Sed acquieſcere in aliquo, non ſignificat, aliquem apprehendere. Reſp. Diſt. inter *apprehenſionem intellectus* & *voluntatis*. *Intellectus* apprehendit Chriſtum mediatorem, cum non tantum cognoſcendo eum obiectiue præſentem ſiſtit, ſed etiam eius vniuerſale meritum peccatori conuerſo applicat; *voluntas* autem Chriſtum mediatorem iam præſentem ſingulari fiducia amplectitur, & ipſi firmiter adhæret.

IV. Quidquid apprehendit Chriſtum, illud *Lutheranorum* ſententia eſt fides: Atqui dilectio & gaudium apprehendit Chriſtum: E. dilectio & gaudium, ſi vera eſt *Lutheranorum* ſententia, eſt fides. *Minorem* probat Cardinalis ex AVGVSTINO *L. VIII. confeſſ. c.* 2. Volebant eum omnes rapere intra in cor ſuum, & rapiebant amando & gaudendo. Hæ rapientium manus erant. Reſp. 1) *Fiducia* amplectitur Chriſtum, vt bonum præſens, per modum cauſſæ relatum ad impetrandum nobis aliud bonum arduum & difficile, gratiam Dei ſcilicet & remiſſionem peccatorum. *Amor* autem non apprehendit Chriſtum ſub relatione cauſſæ

Digitized by Google

cauſſæ ad impetrandam nobis gratiam & remiſſionem peccatorum, ſed abſolute vt ſummum bonum. Neque amor eſt actus concupiſcentiæ, quo Chriſtum vt bonum nobis conueniens, & in eo bona alia nobis velimus, quod ad fiducialem apprehenſionem requiritur; ſed eſt actus beneuolentiæ erga Chriſtum, quo ipſi Chriſto bene cupimus, ipſiusque beneficiorum fructu excitamur ad grati animi ſignificationem, rectosque vſus gratiæ acceptæ. 2) *Gaudium* non habet pro obiecto Chriſtum mediatorem, vt cauſſam impetrandæ adhuc gratiæ ac remiſſionis peccatorum: ſed vt alias omne gaudium eſt de *bono obtento, & poſſeſſo*; ita gaudium de Chriſto habet pro obiecto Chriſtum mediatorem, vt cauſſam gratiæ ac remiſſionis peccatorum *actu impetratæ, iam apprehenſum & poſſeſſum*, eſtque complacentia, ſiue delectatio quædam ſpiritualis in Chriſto mediatore, iam fiducialiter apprehenſo, & in impetranda per ipſum remiſſione peccatorum.

Quæſt. XIII. *Quot ſunt actus, gradus aut partes fidei iuſtificantis?*

*Actus*, gradus, aut *partes fidei iuſtificæ*, quibus hæc obiectum iuſtificum apprehendit, ſunt tres: *Notitia, aſſenſus, & fiducia.* *). *Actus ſunt partes fidei.*

Obſ. Theologi Auguſtanæ confeſſioni addicti in recenſendis actibus fidei differunt. Quibusdam placet *bipartitio*, quos inter eſt D. IO. MVSAEVS in *prælect. in Formul. Concord. p. m.* 168. *Fides iuſtificans conſiſtit in aſſenſu ſpeciali, tum ratione obiecti, tum ratione ſubiecti; & hic aſſenſus ſemper coniunctam habet fiduciam voluntatis, vt recte dici poſſit aſſenſus fiducialis:* Qui auctor notitiam Chriſti & deſiderium gratiæ refert inter *præſuppoſita fidei iuſtificantis*, quatenus iuſtificat. Hunc ſequitur D. FRIDEM. BECMANN. in *inſtitut. p.* 417. Neque ab hoc diſſentire videtur D. BAIER. in *compend. p.* 642. a quo fides dicitur *fiducia aſſenſualis.* Aliis commodior videtur *quadripartitio*, quos inter eminet D. CHEMNITIVS. qui gradus, vel actus fidei iuſtificantis ita delineat: *Quibus motibus fides apprehendat & accipiat promiſſionem euangelii, in veris fidei iuſtificantis exercitiis intellegitur. Ibi enim animaduertuntur tales motus & gradus, ſicut in ſcriptura deſcribuntur.* I. *Notitia, ſeu ſcientia, cogitatio & meditatio promiſſionis Dei de beneficiis Chriſti mediatoris, de miſericordia Dei, de gratuita reconciliatione &c.* II. *Huic notitiæ oportet coniunctam eſſe aſſenſionem, non quidem generalem tantum, ſed qua firma perſuaſione quisquis credens ſtatuat, vniuerſalem promiſſionem priuatim ad ſe quoque pertinere, ſe quoque includi & comprehendi in vniuerſali illa promiſſione,* Rom. IV. *Scriptum eſt non propter Abrahamum tantum, ſed & propter nos, quibus imputabitur credentibus.* III. *Ex illa notitia, ſeu aſſenſione, cor, ſeu voluntas, per operationem Spiritus S. concipit deſiderium, vt, quia ſerio ſentit, ſe oneratum peccatis & ira Dei, expetat, velit, quærat, petat ſibi donari & communicari beneficium iuſtificationis, quod in promiſſione euangelii proponitur, & illud fide apprehendit, vt ad ſe recipiat.* IV. *Quando hoc modo a ſententia damnationis, quæ per legem propter peccata nobis denuntiatur, fides confugit ad thronum gratiæ & ad propitiatorium, quod Pater cœleſtis propoſuit in ſanguine Chriſti, accedit fiducia,* Eph. III. *quæ ex promiſſione ſtatuit, Deum tunc ſibi donare, communicare & applicare beneficia promiſſionis: Et ſe hoc modo vere accipere ea quæ gratuita euangelii promiſſio offert, iuſtitiam, ſalutem & vitam æternam. Ex hac fiducia ſequitur* παῤῥησία, *quæ habet acceſſum ad De-*

*) Omnia hæc tria coniuncta exſtant 1 Tim. I, 15. 16. nimirum 1) *notitia*; ὅτι Χριςὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον, ἁμαρτωλοὺς σῶσαι: 2) *adſenſio:* πιςὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος 3) *fiducia:* ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ. Atque iterum: ἐν ἐμοὶ πρώτῳ.

*ad Deum*, Eph. III. *pax conſcientiæ*, Rom. V. *gaudium Spiritus*, Rom. XIX. *vt cor acquieſcat in promiſſione miſericordiæ, etiam in cruce, in tentatione, ipſa denique morte, retinens ſpem gloriæ Dei*, Rom. V. *in exam. concil. Trid. fol.* 163. & *loc. theolog. part. II fol.* 270. Suffragantur D. GERHARD. in *diſput. acad. P. I. pag.* 289. D. HOEPFNER. in *tract. de actibus fidei iuſtif. p* 140. D. DANNHAV. in *hodoſ p.* 1317. D. BREITHAVPT. in *inſtitut. theol. p.* 338.

Plerique Theologi *tres* commemorant fidei actus, vel *partes*, notitiam, aſſenſum & fiduciam; qui ſub *fiducia deſiderium* gratiæ complectuntur. Teſtes adduco D. CALOVIVM, & D. QVENSTEDIVM. *Ille tom. X. ſyſtem. p.* 303. inquit: *Fiducia eſt Chriſtum quaerere*, Eſ. LV, 6. *auide appetere*, Pſ. LXXIII, 28 *anhelare ipſum*, Pſ. XLII, 2. 3. *attractionem eius deſiderare*. Cant. I, 3. Io. IV, 44. *Hic in ſyſtem. Part. IV. p.* 291. ſcribit: *Fiducia notat deſiderium & acceſſum ad Chriſtum, eiusque meriti applicationem & appropriationem.*

Quæſt. XIV. *Quid eſt notitia fidei?*

*Notitia fidei.* *Notitia fidei* eſt notitia ſupernaturalis, euangelica, explicita, a Spiritu S. per gratiam illuminantem accenſa, de omnibus credendis, in primis de Chriſto, eiusque merito & gratia Dei, de remiſſione peccatorum & ſalute æterna, per mediatorem Chriſtum obtinenda.

Prob. 1) Notitia fidei *non* eſt *naturalis* *); quia Chriſtus & gratia Dei, in merito Chriſti fundata, ex lumine naturæ non innoteſcit: Accenſa itaque eſt a Spiritu S. per *ſupernaturalis illuminationis* gratiam.

2) Notitia hæc iuſtificans *non* eſt *legalis*; quia ex lege nulla eſt iuſtificatio, Gal. II, 11. ſed *euangelica*, cuius ſcopus, & nucleus eſt Chriſtus. Vnde vocatur *fides Chriſti*, ſeu cuius obiectum eſt Chriſtus, Gal. II, 16. In merito Chriſti autem fundatur gratia Dei, peccata remittens, ſiue iuſtificans & ſaluans, Rom. III, 24.

3) Quod *non* ſufficiat notitia *implicita* qua quis dicit, ſe credere id, quod eccleſia credit, ad impetrandam remiſſionem peccatorum & æternam ſalutem, patet, quia fidelium eſt, *ſcrutari ſcripturas*, Io. V, 39 *meditari in lege Domini*, Pſ. I, 2. ſolius Chriſti ἀρχιποιμένος *vocem ſequi*, Io. X, 4. *cauere ſibi a pſeudoprophetis*, Matth. VII, 15. *probare ſpiritus*, 1 Io. IV, 10. *omnia probare, &, quod bonum eſt, tenere*, 1 Theſſ. V, 21. Quæ officia fidelium notitia *implicita* præſtari nequeunt. Ceterum, quamuis notitia renatorum de impetranda remiſſione peccatorum æternaque ſalute ſit *explicita*; *non* tamen eſt *perfecta*, 1 Cor. XIII, 9. neque in omnibus æqualis, ſed in quibusdam plenior, in quibusdam tenuior eſt.

4) No-

*) *Naturaliſtæ*, qui dicuntur, plerique quidem comminiſcuntur *fidem* quamdam *naturalem*; in ea autem definienda Naturaliſmus *philoſophicus* diuerſus eſt a *fanatico*. Illi nimirum *philoſophorum*, qui putant *naturalem* Dei cognitionem ac venerationem ſufficere ad recuperandam hominis ſalutem, illi igitur non aliam requirunt, quam fiduciam in Dei benignitate poſitam, quod remiſſurus ipſe ſit peccata, ſi quem eorum pœniteat. Quod ad *Chriſtum* ſponſorem attinet, aut ipſum totum reiiciunt, aut, ſi moderatiores ſint, ipſius cognitionem, ex reuelatione percipiendam, non cuique homini ſimpliciter neceſſariam eſſe arbitrantur. *Fanatici Naturaliſtæ* ideo ſic nominantur, quoniam *fidem in Chriſtum* dicunt eſſe illuminationem mentis per *verbum* quoddam *internum*, quod & *Chriſtum in nobis* adpellare ſoliti ſunt, atque hoc verbum internum ab externo, litteris conſignato, ſeiungunt ac diuellunt, immo etiam fingunt, *naturaliter* hominibus omnibus iam quodam modo inſitum eſſe. Ita vero aperte contrarii ſunt PAVLLO, quo teſte ampliſſimo *fides eſt ex auditu*, Rom. X, 17. & omnino quidem ita, vt *ne poſſit quidem vlla eſſe*, ſine auditu, ibid. v. 14. nimirum auditu *Euangelii*, per nuntios diuinos omnibus terræ incolis traditi, v. 15. 16. 18. *Fides* autem *in Chriſtum* eſt, de qua Vir diuus loquitur, v. 8. ſeqq.

Digitized by Google

4) Notitiam Chriſti accenſendam eſſe *actibus*, *partibusque fidei*, conſtat: a) Quia *credere* per *cognoſcere* exponitur, Io. VI, 69. *Nos credidimus & cognouimus, quod tu ſis Chriſtus, Filius Dei.* b) Quia incredulitas; *fidei oppoſita*, vocatur *ignorantia*, Act. XVIII, 23. 30. Ergo fides eſt notitia. c) Quocunque, ex parte noſtri, iuſtificamur & ſaluamur, id eſt fides iuſtifica & ſaluifica: Atqui ex parte noſtri iuſtificamur & ſaluamur cognitione Chriſti: Ergo cognitio Chriſti eſt fides iuſtifica. *Minor* probatur ex Eſ. LIII, 11. *Scientia ſui iuſtificabit ſeruus meus multos.* Vbi *ſcientia iuſti ſerui non* eſt *actiua*, qua ille *noſcit*, 2 Tim. II, 19. ſed *paſſiua*, qua ille *cognoſcitur;* eſt enim notitia de acerbiſſimis Meſſiæ paſſionibus atque cruenta paſſione, c. LIII. Eſ. expoſitis. Huic oraculo prophetico addimus illud effatum Chriſti, Io. XVII, 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum illum verum Deum, &, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Vnde non incongrue fides ſaluifica deſcribitur per *cognitionem ſalutis*, Luc. I, 77.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, notitiam eſſe actum, aut partem fidei. *) Qui obiiciunt;

I. Quidquid eſt ſupra captum rationis, illud non cognoſcitur, ſed creditur: Atqui myſteria fidei &c. 1 Cor. II, 13. E. *Maior* conſtat: quia illa tantum cognoſcimus, quæ captum rationis non excedunt. Reſp. 1) Quidquid eſt *ſupra captum rationis*, illud *non* cognoſcitur cognitione *naturali;* concedo, at idem cognoſci poteſt cognitione *ſupernaturali*, per gratiam illuminationis, a Spiritu S. per verbum ſcriptum, lectum & auditum, accenſa. 2) Diſt. inter *rationem ſibi relictam*, & lumine *verbi diuini illuſtratam.* Excedunt myſteria fidei captum rationis *ſibi relictæ;* ratio tamen *illuſtrata* illa recipit, vt inſtrumentum & ſubiectum, quamuis non ſit iudex aut norma articulorum fidei.

II. Quidquid eſt gradus ad intelligentiam, non eſt ipſa intelligentia: Atqui fides eſt &c. E. *Maior* probatur: quia præuia diſpoſitio rem antecedit, non conſtituit. *Minor* probatur ex Eſ. VII, 9. *Si non credideritis, non intelligetis.* Reſp. a) Verſio vulgata textum originalem male reddidit. Fons ita fluit: *Si non credideritis; certe non ſtabiles eritis.* b) Nulla eſt conſequentia: *Si non credideritis, non intelligetis.* Ergo fides eſt gradus ad intelligentiam; ſicut non ſequitur: Si non eſt animal rationale, non eſt homo: E. animal rationale eſt gradus ad hominem: Si non habet principium motus, non habet animam: E. principium motus eſt gradus ad animam. Nugæ!

III. Si intellectus captiuandus eſt ſub obſequium fidei; fides non eſt notitia: Antecedens eſt verum: E. & conſequens. *Conſequentiæ* ratio eſt: quia, vbi notitia veritatis fulget in intellectu, ibi intellectus non eſt captiuandus. *Antecedentis* veritas liquet ex 2 Cor. X, 5. Reſp.

*) *Notitiam* quidem ad *fidem* referunt, ſed ſufficientem eſſe putant *implicitam*, quæ re vera eſt ignorantia. Requirunt etiam *adſenſum*, eum vero non diuinum, ſed *humanum*, qui totus nititur auctoritate eccleſiæ, & Romanæ quidem eccleſiæ. Eiusmodi & notitia, & adſenſio, poteſt ſane in homine ſceleratiſſimo eſſe. Vides igitur, ex quo fonte manarit deteſtabile illud decretum, in *Concil. Trident. ſeſſ. VI. cap. 15.* grauiſſima crimina non tollere *veram fidem*, licet non ſit *viua*, atque adeo multos eſſe FIDELES *fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, auaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata.* Horrendum dictu! quaſi PAVLLVS homines, omnibus vitiis inquinatiſſimos, nomine *fidelium* dignos iudicarit, 1 Timoth. I, 8. 9. quem ad locum impudenter prouocare auſi ſunt.



Digitized by Google

Reſp. Intellectus *naturalis ferociens & rebellis* eſt captiuandus: Intellectus *illuminatus* obſequio ſuaui & promto ſe ſubmittit præſcripto verbi diuini.

IV. Quidquid cadit in homines impios & diabolos, illud non eſt actus fidei iuſtificantis: Atqui notitia de Chriſto &c: E. *Maior* probatur: quia actu iuſtifico homines conuerſi iuſtificantur. Sed impii & diaboli non ſunt conuerſi, adeoque ſua notitia non iuſtificantur. *Minor* liquet ex Iac. II, 19. & quotidiana experientia. Reſp. Notitia *theoretica* de Chriſto cadit in impios & cacodæmones, *non practica,* cum fiducia in Chriſtum coniuncta.

V. Paullus ſcientiam a fide diſtinguit, 1 Cor. XII, 8. 9. 1 Cor. XIII, 2. E. ſcientia non eſt fides. Reſp. Vtroque loco citato intelligitur *fides miraculoſa*, quæ a γνώσει iuſtifica ſi non ſpecie, certe gradu diſtincta eſt.

Quæſt. XV. *Quid eſt aſſenſus fidei?*

*Aſſenſus fidei.*

*Aſſenſus fidei* eſt iudicium intellectus approbans, quo ea, quæ de Chriſto mediatore, & per eum reparata gratia diuina, nec non impetranda remiſſione peccatorum & æterna ſalute ſacra ſcriptura tradit, vera eſſe iudicantur. *Diſtinguitur* aſſenſus fidei in *generalem, & ſpecialem.* Aſſenſu *generali* promiſſiones *vniuerſales* de gratia Dei & merito Chriſti veræ eſſe iudicantur. Aſſenſu *ſpeciali* ſtatuit peccator conuerſus & renatus, illas promiſſiones generales *ad ſe in indiuiduo* pertinere.

Prob. Ex 1 Tim. I, 15. *Fidelis eſt ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venerit in mundum, vt peccatores ſaluaret, quorum primus ſum ego. Sed propterea miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo demonſtraret Ieſus Chriſtus omnem longanimitatem ad exemplar eorum, qui credituri erant in ipſum in vitam æternam.* In hoc effato Paullino coniungitur *aſſenſus* fidei *generalis, & ſpecialis.* Aſſenſu *generali* comprobanda eſt hæc ſententia, *quod Ieſus Chriſtus venerit in mundum, vt omnes peccatores ſaluaret.* Ab hac propoſitione *vniuerſali* deſcendit Apoſtolus *ad ſe* in indiuiduo, & credit, propter Chriſtum ſe ad ſalutem conſecutum eſſe miſericordiam Dei. Ex quo patet, meritum Chriſti eſſe vniverſale, & promiſſiones indeterminatas de gratuita remiſſione peccatorum propter Chriſtum impetranda. Quando autem huic aut illi homini actu prodeſſe debent, neceſſe eſt, vt meritum Chriſti vniuerſale & promiſſiones indeterminatæ per aſſenſum ſpecialem, applicentur ac determinentur ad hunc illumue peccatorem pœnitentem.

Obſ. Aſſenſus *ſpecialis duplici* dicitur *reſpectu.* 1) Reſpectu *obiecti,* quod ſunt meritum Chriſti, & promiſſiones diuinæ de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum. Hæ promiſſiones, quæ meritum Chriſti includunt, ſunt proprium fidei iuſtificantis obiectum. 2) Ratione *Subiecti;* atque ſic ſpecialis fidei aſſenſus dicitur, quo peccator conuerſus credit, Chriſti meritum *etiam ad ſe* pertinere in indiuiduo, & ſe habere Deum in cœlis ſibi propitium, & remiſſionem peccatorum propter Chriſtum.

Quæſt, XVI. *Quid eſt fiducia defixa in Chriſto?*

*Fiducia.*

*Fiducia* eſt actus voluntatis, quo peccator, conuerſus & renatus, auide expetit & quærit miſericordiam Dei, partam merito Chriſti, & hunc, tum vt

præſens

Digitized by Google

præſens ſuum bonum, tum vt cauſſam remiſſionis peccatorum, æternæque ſalutis amplectitur, aduerſus omnes terrores ipſi innititur, atque in eodem ſecure recumbit & acquieſcit.

Obſ. I. *Fiduciam in Chriſto* defixam, ſenſu *latiori*, quo deſiderium gratiæ diuinæ includit, deſcripſimus; quoniam fiducia eſt actus concupiſcentiæ, quo bonum nobis conueniens, & in eo bona alia nobis volumus & expetimus. Expreſſa autem mentio *deſiderii gratiæ* in recenſendis actibus fidei fieri debet: a) *ob teſtimonium Chriſti*, quo *deſiderio huic euangelico* (de *deſiderio legali* capite præcedenti egimus) tribuitur *iuſtitia & beatitudo*, Matth. V, 6. *Beati, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; hi enim ipſi ſaturabuntur.* Vbi *fames & ſitis iuſtitiæ* eſt deſiderium iuſtitiæ Chriſti imputatiuæ; quippe qua plene ſatiantur peccatores, ſpiritualis cibi potusque indigi & auidi. b) *Propter hypocritas*, ſtatuentes, Deum ſibi eſſe propitium; quorum vaniſſimum ſomnium valide refutatur eo, quod nec gratiam Dei, nec remiſſionem peccatorum, nec vitam æternam vere deſiderant: Ceteroqui obſtacula ſalutis opinionem non indigentiæ & propoſitum pergendi in peccatis remouerent, mediisque ſalutis rite vterentur. c) *Propter tentatos*, quos vrget fames ſitisque hoc maior, quo minor in ipſis deprehenditur fiducia. Infirmi illi fratres haud raro ſuſpirant: Vtinam nobis eſſet credendi facultas! Da Deus fidem! Subleua infirmitatem credendi! Quod *deſiderium* fidei eſt *vera fides*, licet firma fiducia ſe non exſerat. Recte inquit D. CHEMNITIVS: *Quando obiectum verum eſt in verbo, & ſequuntur motus prædicti, vel ſaltem conatus & deſiderium, tunc vera fides eſt*, in *loc. theol. part. II. de iuſtific. fol.* 271. Poteſt tamen *ad fiduciam* referri, quia & hæc actus quidam *concupiſcentiæ* eſt, prout ſupra diximus.

Obſ. II. Quid ſit *fiducia*, patebit nobis generatim conſiderando tum *obiectum*, tum *formam* fiduciæ. Fiducia pro *obiecto* habet a) *bonum præſens.* Non enim vt futura ſperare, ita in futuris confidere dicimur. Impii confidunt in diuitiis, quas poſſident, vel in hominibus, illorumque potentia: pii vero confidunt in præſente Deo, eiusque bonitate, veracitate, potentia. Per *bonum præſens* autem intelligitur, quod vel *realiter & phyſice, vel tantum moraliter, ratione promiſſionis, meriti & valoris, præſens eſt*, aut *vt præſens* apprehenditur. Ita pii in V. T. recte confidebant in venturo Meſſia, & in ſatisfactione pro peccatis, ab ipſo aliquando præſtanda; & nos confidimus in eadem ſatisfactione olim per eius paſſionem & mortem præſtita. Chriſtus enim, eiusque paſſio & mors, extendit ſeſe *moraliter*, & ratione ſui *meriti*, ad omnia retro ſæcula, præſentia item & futura, fuitque omni tempore credentibus remiſſionis peccatorum & ſalutis obtinendæ cauſſa. Eſt enim Ieſus Chriſtus *heri & hodie, idem & in ſæcula*, Hebr. XIII, 8. b) *Bonum noſtrum*, aut quod *ad nos* quodammodo *pertinet.* Nam quia confidimus in iis bonis, quæ ad obtinendum aliquem effectum nobis adiumento ſunt, neceſſe eſt, vt illa ſint *noſtra*, vel ſaltim ob amicitiam, aut pactum, quod cum eo, cuius ſunt, nobis intercedit, ad nos quodammodo pertineant, & hoc intuitu tanquam noſtra æſtimentur. Vnde in Chriſti merito & ſatisfactione recte confidimus, tanquam in *noſtro* quodam *bono*; quia *pro nobis & noſtro loco* præſtita eſt. Ex quo etiam Theologi apprehenſionem fiducialem vocant *appropriatiuam.* c) *Bonum relatum, per modum cauſſæ ad obtinendum aliud bonum, idque arduum & difficile*, ſiue quod cognoſcitur vt cauſſa alterius boni impetrandi, v. gr. Imperator fiduciam collocat in exercitu, quatenus eſt cauſſa impetrandæ victoriæ: Confidit auarus pecunia, in quantum concipitur ab ipſo, vt cauſſa obtinendi auxilii temporibus aſperis: Confidit ſtudioſus eruditione, tanquam cauſſa conſequendæ promotionis. Ita renati fiduciam defigunt in Chriſto mediatore,

tamquam cauſſa impetrandæ apud Deum gratiæ, remiſſionis peccatorum, æternæque ſalutis. *Forma fiduciæ* conſiſtit *in amplexu, adhæſione & acquieſcentia voluntatis.* Fiducia enim bonum præſens, quod eſt cognitum vt cauſſa alterius obtinendi, cupide amplectitur & tenet, eidem adhæret, & aduerſus omnes terrores innititur, atque adeo in eodem ſecure recumbit & acquieſcit. V. gr. Auarus ſingulari fiducia ſuam amplectitur pecuniam, vt cauſſam præſtandi auxilii, eidem aduerſus aſperos caſus innititur, & in ipſa ſecure acquieſcit. Eſt itaque *fiducia formaliter, acquieſcentia voluntatis in bono aliquo præſente, quod per modum cauſſæ refertur ad aliud bonum obtinendum*, & includit proinde *ſecuritatem* quandam de aſſequendo bono futuro, *formidini oppoſitam*, quippe quæ eſt quies a perturbatione timoris. Confer. D. MVSAEI *diſput. III. de conuerſ. p. 172.* Quo ſenſu MELANCHTHON in *loc. theol.* deſcribit *fiduciam, quod ea voluntas acquieſcat in promiſſione miſericordiæ, propter mediatorem donatæ. Fiducia aſſenſui addit quietem voluntatis acquieſcentis in promiſſo*, ait D. DANNHAVER. in *hodoſ. p. 1322.* qui fidem iuſtificantem ſic delineat: *Fides, QVAE iuſtificat, eſt notitia, aſſenſus, fiducia & πληροφορία: Fides, QVA, vel QVATENVS iuſtificat, eſt nuda apprehenſio beneficiorum Meſſiæ paſſiua, admiſſiua motuum Spiritus Sancti, recubitoria, requietoria in meritis Chriſti*, in *hodoſ. p. 1305.* Et KOENIG. in *theol. poſit.* §. *899. Dum apprehenſionem dicimus fiduciam iuſtificantem, intelligimus apprehenſionem non theoreticam, nude aſſenſitiuam, cum quis in intellectu ſuo pro indubitato habet, Chriſtum non tantum pro omnibus, ſed etiam pro ſe in indiuiduo eſſe mortuum, (ita enim vel ipſi impii, qui non deſiderant, vt propter Chriſti meritum ſibi obtingat ſalus, inferre poſſunt): Sed practicam, quæ totius cordis & voluntatis in merito Chriſti recumbentiam inuoluit.*

Obſ. III. *Manifeſtum eſt diſcrimen inter fiduciam, ſpem, & dilectionem.* 1) *Fiducia* verſatur circa bonum præſens; *ſpes* circa bonum futurum. *Illa* acquieſcit in bono noſtro, aut ad nos pertinente: *hæc* tendit ad bonum futurum, vt noſtrum fiat. *Fiducia* eſt de bono præſente, per modum cauſſæ relato ad aliud bonum obtinendum: *ſpes* ſimpliciter eſt de bono obtinendo, & naſcitur ex fiducia. Vnde *hæc* prior, *illa* poſterior eſt: *Illa* cauſſæ, *hæc* effectus rationem habet. 2) *Dilectio* amplectitur Chriſtum abſolute, vt bonum: *fiducia* amplectitur Chriſtum, cum relatione ad aliud bonum, tanquam cauſſam, cognitum. *Illa* ad actum beneuolentiæ, quo Chriſto optima quæque volumus *): *hæc* ad actum concupiſcentiæ, quo Chriſtum, vt bonum nobis conueniens, & in eo alia bona nobis cupimus. **).

Probatur, fidem in Chriſtum *formaliter & intrinſece* includere *fiduciam merito Chriſti innixam.* 1) Quia fides in Chriſtum non eſt tantum actus intellectus, ſiue notitia & aſſenſus;

*) Quo promti & parati ſumus ad omnia libenter & peragenda, & perferenda, quæcunque gratus in Chriſtum animus, tantorumque beneficiorum conſcientia poſtulat. Ioann. XV, 10. Phil. I, 29.

**) *Illa* eſt conſequens & effectus neceſſarius; *hæc* eſt antecedens ac neceſſaria illius cauſſa Luc. VII, 42. 43. 47. Mens enim hominis, niſi credat Deum ſibi reconciliatum eſſe, ſemper Deo inimica eſt. Præclare Maiores noſtri, in *Apol. Aug. Conf. cap. III. pag. 83. ſeq. Non igitur*, inquiunt, *diligitur Deus, niſi poſtquam adprehendimus fide miſericordiam: Ita demum fit obiectum amabile.* De cætero, quod leue quidem putaueris, rectius dicitur *amor* in Chriſtum, quam *dilectio*, quoniam illud nomen & magis latinum eſt, & magis ſignificans. Verbum enim illud, *amare*, multo plus valet, quam hoc, *diligere.*

Digitized by Google

ſus; ſed etiam actus voluntatis. Id quod confirmatur a) *ex ipſa phraſi: CREDERE IN CHRISTVM;* quæ vi præpoſitionis, IN, cum caſu quarto conſtructæ, inſinuat actum quendam credentis, in Chriſtum tendentem, quo homo credens quaſi extra ſe in Chriſtum feratur, aut ipſi adhæreat: b) *ex conſuetudine loquendi*, quam recte vrget AVGVSTINVS, *tract. XXIX. in Ioannem.* Nam dæmones dicuntur *credere Chriſto*, vt & *Chriſtum; nec* tamen credere dicuntur *in Chriſtum.* Et nos credere dicimur *Paullo*, credere *Petro;* credimus etiam *Paullum & Petrum eſſe;* nec tamen *in Paullum & Petrum* credere dicimur. Ergo credere *in aliquem*, præter actum credendi, ſiue *aſſentiendi*, importat actum aliquem circa obiectum creditum, qui nec in dæmones cadit, nec Petrum, Paullum, aut vllam creaturam habeat pro obiecto: Nempe actum, quo credens *in obiectum*, ſub certa quadam & peculiari ratione, quæ in nullam cadat creaturam, cognitum & creditum tendit. Quem certe *voluntatis* actum eſſe oportet. *Voluntatis* enim eſt, *extra ſe ferri in obiectum;* ſicut contra *intellectus* eſt, obiectum per ſpecies ſibi impreſſas *in ſe cognoſcere*. c) Idem euincit *obiecti conditio.* Chriſtus enim non proponitur in ſcripturis prolapſo in peccata mortalium generi cognoſcendus ſpeculationis cauſſa, ſed tanquam mediator & cauſſa remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ. Vid. 1 Tim. II, 5. Io. I, 29. c. III, 16. Quæ bona noſtra, ex Chriſto in nos redundantia, proponuntur in ſcripturis cognoſcenda & credenda, non vt in illorum cognitione & aſſenſu intellectus ſiſtat, ſed vt cognita & credita voluntati repræſententur & exhibeantur, vt voluntas in illa feratur, in iis recumbat, & illorum fiducia peccator aduerſus iram Dei & conſcientiæ pauores ſeſe erigat ac conſoletur. Colligimus: Omnes actus voluntatis, circa bonum præſens, ad obtinendum aliud bonum arduum & difficile, per modum cauſſæ relatum, eſt *formaliter fiducia:* Atqui actus ille, quem ex parte *voluntatis* fides in Chriſtum includit, eſt actus voluntatis circa bonum præſens, ad obtinenda alia bona ardua & difficilia, per modum cauſſæ relatum: Ergo.

2) A *nominibus, fidei* in S. ſcriptura tributis. Deſcribitur enim a Paullo a) per ὑπόςασιν, Hebr. XI, 1. quæ vox ſignificat *fiduciam, confidentiam*, vel (vt ERASM. SCHMIDIVS vertit) imperterritam animi *conſiſtentiam*, nullis periculis cedentem. Dicitur ab ὑφίςασθαι, quod ſignificat *ſtare, ſubſiſtere, conſiſtere;* quia fides non fugit a conſpectu Dei, non cadit, ſed immota in promiſſis diuinis ſtat, conſiſtit, & acquieſcit inſtar rei, per ſe ſubſiſtentis. Tam nomen ὑπόςασις, quam ὑφίςασθαι militare eſt. Vid. CRAVSERI *phosph. p.* 310. b) Per πληροφορίαν, Rom. IV, 21. Col. II, 2. Hebr. VI, 11. Πληροφορία dicitur ἀπὸ τȣ͂ πλήρεος, plenus, & φέρεσθαι, ferri, quod per eam animus credentis plene feratur in obiectum, ſicut nauis plenis velis in portum inuehitur. Tunc autem plene animus in obiectum fertur, cum ſecundum omnem rationem, ſecundum quam ei obiicitur, in illud fertur; *intellectu* quidem, in quantum ſub ratione *veri; voluntate* autem, in quantum ſub ratione *boni* & appetibilis obiicitur. Non igitur πληροφορία ſolius eſt intellectus, ſed vel *maxime voluntatis*, & fiduciæ, quæ fertur in obiectum bonum toto impetu, repræſentatum ab intellectu, diuina reuelatione illuminato. c) Per πεποίθησιν, Rom. VIII, 38. 2 Tim. I, 12. Πεποίθησις originem ducit, a verbo πείθω, *perſuadeo.* Eſt igitur πεποίθησις perſuaſio mentis & voluntatis. Illa eſt certus aſſenſus; hæc immota fiducia. Sic Paullus inquit: Πέποιθα δὲ ἐν κυρίῳ, *confido autem in Domino*, Phil. II, 24. d) per παῤῥησίαν, Hebr. IV, 16. quæ vox *ſtricte* ſumta notat libertatem dicendi, aliquando latius accepta notat fiduciam cordis, connotata alacritate & firmitate credendi *).



*) Παῤῥησία ſpeciatim denotat tam dicendi libertatem, qua Deum rogamus, quidquid vere bonum in nos conferri queat, 1 Io. V, 14. Diſcernuntur hæc duo, παῤῥησία, & προσαγωγὴ, a certiſſima

Digitized by Google

3) A collatione locorum veteris & noui teſtamenti. Quæ in V. T. confidentibus & fiduciæ, ea in N. T. credentibus & fidei tribuuntur. Quod Pſ. II, 12. dicitur: *Beati, qui confidunt in eo*, id Marc. XVI, 16. dicitur: *Qui crediderit, ſaluus erit.*

4) Ab exegetica declaratione. Spiritus S. enim *fidem* per *fiduciam* exponit 1 Io. V, 13. *Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei: Et hæc fiducia eſt, quam habemus apud illum.*

5) Ab obiecto; quod Paullus ſic explicat, Rom. III, 25. Chriſtum Deus *propoſuit ἱλαςήριον, propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine*, i. e. mediatorem & placatorem iræ diuinæ, ratione ſatisfactionis & meriti ſui, *effuſo ſanguine ſuo* pro peccatis noſtris præſtiti, fide apprehendendi. Ex quibus concludimus: Quicunque voluntatis actus pro obiecto habet Chriſtum, vt cauſſam meritoriam placandæ iræ diuinæ, ille *formaliter & intrinſece* eſt fiducia: Atqui actus ille, quem fides in ſanguine Chriſti ex parte voluntatis includit, eſt actus voluntatis, qui pro obiecto habet Chriſtum, vt cauſſam meritoriam placandæ iræ diuinæ: Ergo.

6) Ab oppoſito. Fidei opponitur cordis timor: E. fides eſt fiducia. Ratio conſequentiæ eſt; quia, fiducia timori obluctatur. *Antecedens* probatur ex Luc. VIII, 50. *Ne timeto, crede modo.*

7) A iuſtificatione hominis impii. Quicunque impius fide iuſtificatur, ille iuſtificatur, fiducia poſita in ſatisfactione mediatoris: Atqui impius pœnitens &c. Rom. IV, 5. Ergo. *Maior* eſt immotæ veritatis: quia Deus, iuſtiſſimus & ſeueriſſimus ſcelerum vindex, impium ſine præſtita ſatisfactione (propria, aut vicaria) iuſtificare non poteſt, Prou. XVII, 15. Sed impius ipſe non eſt par ſatisfaciendo: E. neceſſe eſt, vt fiduciam ſuam defigat in ſatisfactione vicaria Chriſti, qui pro impiis mortuus eſt, Rom. V, 6.

8) Ab effectis fidei. Quicunque fide ſua reſiſtunt diabolo, vincunt mundum, obtinent pacem, ſalutari cum fructu precantur, illorum fides eſt fiducia: Atqui peccatores conuerſi & renati &c. *Maior* conſtat: quia effecta illa proficiſcuntur a fiducia. Nam viri fortes fiducia virium armorumque ſuorum reſiſtunt hoſtibus, iisque victoriam & pacem extorquent. Filius fiducia paternæ beneuolentiæ implorat patris opem. *Minor* claret teſtimoniis ſcripturæ, 1 Petr. V, 9. *Diabolo reſiſtite, ſtabiles fide*, 1 Io. V, 4. *Hæc eſt victoria, quæ vicit mundum, fides noſtra*, Rom. V, 1. *Iuſtificati fide pacem habemus erga Deum*, Iac. I, 6. *Petito in fide, nil addubitans!*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, fidem iuſtificantem eſſe *fiduciam.* Qui obiiciunt:

I. Effectus fidei non eſt fides ipſa: Atqui fiducia eſt effectus fidei: Ergo. *Minor* prob. ex Eph. III, 12. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem illius.* Vbi Paullus *fiduciam contradiſtinguit fidei,* & docet, nos habere *fiduciam per fidem,* adeoque fiduciam in ordine ad fidem ſe habere, vt effectum ad cauſſam. Reſp. 1) Verba in fonte ita fluunt: In *quo habemus παῤῥησίαν, loquendi fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem eius. Fiducia loquendi* vtique eſt *effectus* fidei, ſecundum Pſ. CXVI, 10. *Credidi, ideo loquor.* 2) *Fiducia eſt effectus fidei, ſumta pro notitia aſſenſitiua;* quippe quæ cognoſcendo, Chriſtum mediatorem eſſe nobis cauſſam impetrandæ apud Deum gratiæ & remiſſionis peccatorum, repræſentat

certiſſima perſuaſione, quæ eſt πεποίθησις, tamquam duplex effectus a ſua cauſſa. Eph. III, 12. Ex hac enim efficitur primum προσαγωγὴ, acceſſus ad Deum placatum, ac θρόνον τῆς χάριτος, ſine vllo tremore, Hebr. IV, 16; deinde παῤῥησία, precatio ſine vlla dubitatione.

Digitized by Google

præſentat voluntati Chriſtum mediatorem, vt cauſſam obtinendi cuiusdam boni difficilis & ardui, & quantum in ipſa eſt, dirigit eam per repræſentationem Obiecti ad eliciendum fiduciæ actum; at fiducia non eſt effectus fidei in Chriſtum; nam *fides in Chriſtum*, ſiue *credere in Chriſtum*, in conceptu ſuo *formali* includit & complectitur notitiam, aſſenſum, & fiduciam. 3) Diſt. inter *fiduciam hominis iuſtificandi, & iuſtificati. Illa* figitur in merito Chriſti, vt cauſſa *impetrandæ* gratiæ & remiſſionis peccatorum: *Hæc* collocatur in gatia Dei *impetrata*, vt cauſſa pacis & conſcientiæ, & ſpiritualis lætitiæ, quæ fiducia vtique eſt *effectus fidei in Chriſtum.* Senſus effati Paullini eſt: Nos cum Deo reconciliati habemus libertatem loquendi cum Deo, & aditum ad ipſum coniunctum non cum tremore, ſed fiducia poſita in gratia Dei, quam per fidem in Chriſtum accepimus.

II. Quidquid coniunctum eſt cum metu, id non eſt fiducia (quia fiducia metui opponitur): Atqui fides &c: E. *Minor* patet ex Hebr. XI, 7. *Fide Noë metuens aptauit arcam.* Reſp. Metus Noachi *non* erat ſeruilis, ſed *filialis;* non fugæ, qualis erat Adami commiſſo peccato; ſed cautelæ, qualis erat Ioſephi, ab adulterio ſibi cauentis. *Filialis metus* cum *fiducia* bene conſiſtit *).

III. Fiduciæ obiectum non eſt omne verbum Dei: Fidei obiectum eſt omne verbum Dei: E. fides non eſt fiducia. *Maior* eſt clara: quoniam obiectum fiduciæ eſt promiſſio gratiæ de impetranda propter meritum Chriſti remiſſione peccatorum & vita æterna. At promiſſio gratiæ non eſt omne verbum Dei. *Minor* liquet: quia omne verbum Dei ob auctoritatem dicentis firma fide recipiendum eſt. Reſp. Diſt. inter fidem *generalem*, ſiue dogmaticam, & *ſpecialem*, ſiue iuſtificam. *Illius* obiectum eſt *omne Dei verbum; huius* obiectum eſt *verbum promiſſionis* de *gratuita peccatorum remiſſione æternaque ſalute*, propter meritum *Chriſti* obtinenda.

IV. Fiducia eſt ſpes roborata, definiente THOMA *Aquinate II. III. q.* 129. *a. VI.* Fides non eſt ſpes roborata (quia a ſpe diſtinguitur, 1 Cor. XIII, 13): E. fides non eſt fiducia. Reſp. Improbamus definitionem THOMÆ; nam *fiducia* in bono præſenti acquieſcit; *ſpes* autem ad bonum futurum tendit. Vid. Obſ. III.

Inſtantia: Etiam fiducia verſatur circa bonum futurum. Nam patriarchæ V. T. fiduciam ſuam locarunt in Chriſto venturo. Reſp. Chriſtus Mediator patriarchis fuit *præſens moraliter*, ratione promiſſionis, meriti & valoris, licet, qua humanam naturam, *non* fuerit præſens *phyſice aut realiter.*

V. Si fides eſſet fiducia; actus eius in S. litteris non per *credere*, ſed per *fidere* exprimeretur: At non exprimitur per *fidere:* E. Fides non eſt fiducia. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia coniugata ſe mutuo explicant. Reſp. 1) Neg. *antecedens:* quia in V. T. actus fidei plerumque exprimitur per *confidere.* Vid. Pſ. II, 12. Quod in N. T. plerumque exponatur per *credere*, ratio eſt; quia præter fiduciam etiam aſſenſum complectitur. 2) Diſt. inter credere *alicui, & in aliquem. Illud* aſſenſum, *hoc* fiduciam cum aſſenſu coniunctam denotat. At *fiducia* eſt *fidei quaſi anima* & complementum, vt, ſi ea abſit, aſſenſus nudus non ſit completa, non viua & efficax, ſed mortua fides.

VI. Fides iuſtificans remiſſionem peccatorum antecedit: Fiducia remiſſi propter Chriſtum peccati non antecedit remiſſionem peccatorum: E. fiducia remiſſi propter Chriſtum peccati

*) Verbum, *εὐλαβοῦμαι*, proprie non timorem notat, ſed reuerentiam ac pietatem in Deum; atque ea eſt natura eius timoris, qui vulgo filialis nominari ſolet. Ipſi Chriſto, qui profecto ſumma ac perfectiſſima *fiducia* æternum Patrem ſuum perpetuo complexus eſt, tribuitur *εὐλάβεια*, Hebr. V, 7.

Digitized by Google

peccati non eſt fides iuſtificans. Reſp. Concedimus totum argumentum. Nam nos ſtatuimus, *fidem iuſtificantem* eſſe *fiduciam* defixam in merito Chriſti, vt cauſſa *impetrandæ* apud Deum gratiæ & remiſſionis peccatorum: at fiducia *impetratæ* propter Chriſtum remiſſionis peccatorum eſt *effectus fidei iuſtificantis.*

Quæſt. XVII. *Eſtne fides definienda per obedientiam?*

*Obedientia* eſt duplex, *euangelica*, *&* *legalis* a). Obedientia *euangelii* b) & doctrinæ fidei c) eſt ipſa fides, qua peccator reſipiſcens doctrinam euangelicam haud inuitus admittit, approbat, ſibique applicat. Obedientia autem *legis*, ſiue operum, eſt virtus, legi diuinæ conformis, fidem eſſentialiter non conſtituens d), ſed eandem tanquam fructus & effectus conſequens e).

Prob. a. Ex 1 Io. III, 23. *Hoc eſt mandatum illius, vt credamus nomini Filii eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos inuicem.* S. Ioannes coniungit mandatum *euangelicum* de fide in Chriſtum, & *legale* de caritate; prout etiam voluntas Dei euangelica deſcribitur, Io. VI, 40. *Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in ipſum, habeat vitam æternam. Legalis* autem Dei voluntas eſt noſtra ſanctificatio, 1 Theſſ. IV, 3. *Vtrique* mandato diuino *obedientia* noſtra reſpondere debet.

Prob. b. Ex 2 Theſſ. I, 8. *Deus dabit vindictam iis, qui non norunt Deum, & qui non obediuerunt euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti*, 2 Theſſ. I, 8. *Euangelio obedire* ſignificat, ipſi aſſenſum fiducialem præbere. Nam & S. Petrus *aſſenſum* vocat *obedientiam veritatis*, 1 Petr. I, 22. Contra, *veritati non obedire*, Gal. III, 1. idem eſt, quod *non credere.*

Prob. c. Ex Rom. I, 5. *Per Chriſtum accepimus gratiam & Apoſtolatum in obedientiam fidei inter omnes gentes ſuper nomine ipſius.* Per fidem Apoſtolus intelligit fidem *obiectiuam*, ſiue *quæ* creditur. Accepit igitur S. Paullus munus apoſtolicum, vt *doctrinam fidei* prædicaret & gentes eandem aſſenſu fiduciali acceptarent.

Prob. d. Ex Rom. III, 28. *Concludimus ergo, hominem iuſtificari fide, ſine operibus.* Quidquid officio & naturæ fidei iuſtificantis opponitur, illud eius eſſentiam non ingreditur. Sed obedientia legis officio & naturæ fidei iuſtificantis opponitur. E.

Prob. e. Ex Matth. III, 8. *Facite fructus dignos pœnitentia.* Fructus pœnitentiæ ſunt *bona opera*, Act. XXVI, 20. e quorum cenſu eſt *obedientia* *).

*Antitheſis* eſt *Socinianorum & Arminianorum*, fidem per *obedientiam ſub ſpe conſequendæ vitæ æternæ* definientium. Quorum potiora ſunt argumenta:

I. Beati ſunt obedientes, Hebr. V, 9. Beati ſunt credentes. E. Credentes ſunt obedientes, & conſequenter fides & obedientia ſunt vnum idemque. Reſp. 1) In *maiori* intelligitur vel obedientia *euangelii*, vel obedientia *legis*. *Illa* eſt ipſa fides; *hæc* eſt ſignum fidei, a quo ſubiectum ſaluandum ſpecificatur, neque tamen cauſſalis ratio ſalutis redditur. Beati ſunt *obedientes*, ſed *non per obedientiam*. 2) Diſt. inter identitatem ſubiectiuam & formalem. Fides & obedientia *conueniunt* in vno *ſubiecto*, vt credentes dicantur obedientes; ſed *non* conueniunt *formaliter*. Quamuis igitur credentes ſint obedientes; fides tamen non eſt obedientia: Sicut quidam philoſophus eſt theologus, neque tamen philoſophia eſt theologia.

II. Nini-

*) Immo *obedientia* eſt vniuerſum *genus*, quod omnes & virtutes & bonas actiones ſuo ambitu continet. Omnes enim ſunt conuenientia virium animi atque actionum cum norma a Deo præſcripta. Omnium vera ratio poſita eſt in eo: Deo ſemper eſt obtemperandum, imperata ſunt facienda vetita ſunt fugienda.

Digitized by Google

II. Niniuitarum fides erat obedientia, Ion. III, 5. *Crediderunt Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis.* Reſp. Ex verbis Ionæ fruſtra colliges, fidem eſſe obedientiam. Nam Niniuitarum *fides ab obedientia operum diſtinguitur.*

III. Danielis fides erat obedientia, Dan. VI, 23. collat. cum v. 21. Reſp. Male colligis: Daniel Deo ſeruiuit obedienter: Daniel credidit Deo: E. *credere* Deo, & ipſi *obedire*, eſt *ταυτό*. Alias eadem ratione argumentor: Dauid credidit: Dauid locutus eſt, Pſ. CXVI, 10. E. loqui, & credere eſt *ταυτό*. Quæ coniuncta ſunt, conueniunt in vno *ſubiecto*, ſed *formaliter* eadem non ſunt.

IV. Si incredulitas eſt inobedientia, fides erit obedientia. Prius eſt verum: Ergo & poſterius. *Conſequentia* eſt manifeſta: quia oppoſitorum oppoſita eſt ratio. *Antecedens* patet ex Pſalm. LXXVIII, 22. in quo Iſraëlitæ arguuntur incredulitatis, quod debitam Deo obedientiam non præſtiterint. Reſp. Arguuntur Iſraëlitæ incredulitatis a poſteriori, ſiue colligendo ab effectu ad cauſſam; quia inobedientia incredulitatis *effectus & indicium* eſt.

V. Paullus 1 Theſſ. I, 9. duas partes religionis chriſtianæ, adeoque & fidei facit, quarum vna eſt *obedire* Deo, altera *Filium eius exſpectare e cælo.* Quod quid aliud eſt, quam ſub ſpe immortalis vitæ conſequendæ Deo & Chriſto obedire? Reſp. *Religio & fides iuſtificans*, non ſunt ſynonyma; ſiquidem religio præter fidem in Chriſtum requirit totum virtutum Chriſtiano dignarum chorum, vel concentum.

VI. Sine quo fides eſt mortua, illud eſt eius forma interna; Sine obedientia & ſtudio bonorum operum fides eſt mortua: Ergo. *Maior* probatur: Sicut corpus mortuum eſt ſine anima, tanquam forma interna: ita mortua eſt fides ſine obedientia. *Minor* patet ex Iac. II, 21. 26. Reſp. *Maior* non eſt vniuerſaliter vera. Nam ſicut corpus ſine reſpiratione mortuum eſt, reſpiratio tamen non eſt forma interna corporis: ita fides ſine ſtudio bonorum operum eſt mortua, neque tamen ſtudium bonorum operum eſt forma interna fidei ſaluificæ.

Quæſt. XIIX. *Quis eſt finis fidei?*

*Finis* fidei *intermedius* eſt iuſtificatio a) & renouatio b). Finis *vltimus*, ex parte *hominis*, eſt vita æterna c); ex parte *Dei*, eſt gloria miſericordiæ diuinæ d). *Finis fidei.*

Prob. a. Ex Gal. II, 16. *Nos in Chriſtum Ieſum credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.* Iuſtificamur autem ex *fide Chriſti*, i. e. in Chriſtum ὀργανικῶς; quia fides eſt *inſtrumentum*, vel *medium*, meritum Chriſti, & eo partam gratiam Dei, peccata remittentis, promiſſione euangelica oblatam, *recipiens*, perinde, ac manus eleemoſynam, os cibum, oculus lucem recipit. *Neque* enim fides hic ſpectatur, vt *bonum opus*, quo iuſtitia coram Deo valens acquiritur, ſed vt *organon* mendici, quo meritum Chriſti apprehenditur. Id ipſum inculcat gentium Apoſtolus, Rom. IX, 30. 31. 32. *Gentes, quæ perſequebantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam; iuſtitiam vero, quæ ex fide: Iſraël vero perſequens legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? Quod non ex fide, ſed quaſi ex operibus legis.*

Prob. b. Fides *per caritatem operatur*, Gal. V, 6. Et qui per fidem in Chriſto manet, hic *fert fructum multum*, Io. XV, 5. Influit vero fides in productionem bonorum operum tanquam cauſſa efficiens emanatiua, vti capite ſequenti luculentius oſtendemus.

Prob. c. *Finis* fidei eſt *ſalus animarum*, 1 Petr. I, 9. Eſt itaque fides ſalutis medium.



Digitized by Google

Prob. d. *Abraham confirmatus eſt fide, dans gloriam Deo*, Rom. IV, 20. Abraham fide confirmatus dedit Deo gloriam gratiæ, veritatis & potentiæ: quia plane perſuaſus erat, quod, quidquid Deus promiſit, facere poſſit. Tantum abeſt, vt homo fidelis ſuam aucupetur gloriam, vt ſeipſum abneget, & diuitias miſericordiæ diuinæ, ſatisfactione Chriſti partæ, qua iuſtificatur & ſaluatur, celebret.

Quæſt. XIX. *Quotuplex eſt fides iuſtificans?*

*Diuiſiones fidei iuſtificantis.*

*Fides iuſtificans*, *eſſentialiter* & *abſolute* conſiderata, eſt *vna*: *Accidentaliter & reſpectiue* diſtinguitur: a) ratione *gradus*, in paruam & magnam: b) ratione *durationis*, in temporariam & finalem: c) ratione *modi cognoſcendi*, in directam, & reflexam: d) ratione *exercitii*, in habitualem & actualem.

Prob. a. *Fides parua, vel infirma* (græce ὀλιγοπιςία) eſt, cum vel tenuis lux notitiæ Chriſti in intellectu gliſcit, vel aſſenſu debili & languido recipitur promiſſio gratiæ, vel fiducia cum pauore conſcientiæ luctatur. Sic pater lunatici dicebat, Marc. IX, 24. *Credo, Domine; iuua meam incredulitatem.* Eſt tamen fides *infirma* etiam *vera:* ſicut ſcintilla ſub cinere latens eſt verus ignis, & tenellus infans verus homo eſt. *Fides magna, vel firma*, (græce πληροφορία) eſt clara notitia miſericordiæ diuinæ, in Chriſto propoſitæ, aſſenſus ſolidus, fiducia intrepida & omnes terrores vincens. Comparatur fides *firma* pulſui arteriæ in homine ſano, *infirma* motui arteriæ debilis in ægro. De πληροφορίᾳ Abrahami vid. Rom. IV, 18. ſeqq.

Prob. b. *Fides temporaria* eſt, qua homo ad certum tempus credit, at poſtea vel faſcinatus falſis opinionibus, vel victus deſideriis carnis, aut mundi aduerſitatibus, a vera fide deſciſcit. Vocatur græce fides πρόσκαιρος, ex Luc. VIII, 13. *Fides finalis* eſt, quæ vsque ad nouiſſimum vitæ halitum integra perſeuerat, Matth. X, 22.

Prob. c. *Fides ſimplex & directa eſt*, quæ recta fertur in Chriſtum, & eo conciliatam gratiam Dei, v. gr. infantes credunt, Matth. XIIX, 6. ſed nondum fidem ſuam propter defectum pleni iudicii explorare queunt. *Fides reflexa & diſcurſiua eſt*, qua homo renatus credit & ſentit, ſe credere, vt cum Paullo dicere poſſit, ex 2 Tim. I, 12. *Scio, cui crediderim.*

Prob. d. *Fides actualis* eſt actus intellectus & voluntatis humanæ, quo homo doctrinam de Chriſto mediatore, deque gratia Dei, remiſſione peccatorum, per illius meritum a Deo impetranda, ita cognoſcit, vt virtute diuina, doctrinæ illi coniuncta, non ſolum plene perſuaſus iudicet, eam eſſe veram, & Chriſtum ſibi promeruiſſe gratiam apud Deum; verum etiam in Chriſto, tanquam cauſſa impetrandæ gratiæ apud Deum, acquieſcat; conſequendæ iuſtitiæ & ſalutis cauſſa. *Fides habitualis* eſt habitus intellectus & voluntatis cognoſcendi ea, quæ diuinitus reuelata & credenda ſunt, præſertim de Chriſto mediatore & gratia Dei ac ſalute, per Chriſtum impetranda, eidemque per & propter reuelationem diuinam aſſentiendi, & fiducialiter in Chriſto acquieſcendi, diuinitus collatus, conſequendæ iuſtitiæ & ſalutis cauſſa.

Quæſt. XX. *Eſtne diſtinctio fidei in informem & formatam admittenda?*

*Diſtinctio* fidei in *informem*, & *formatam* ſolido deſtituitur fundamento, adeoque reiicienda eſt.

Prob. 1) Fides *vere iuſtificans* ſemper eſt *formata;* quia per formam ſuam (quæ eſt ſpecialis applicatio miſericordiæ Dei peccata remittentis, fundatæ in merito Chriſti, & in euangelio promiſſæ) eſt id, quod eſt.

2) Fides

Digitized by Google

2) Fides *informis* eſt *vana*, non vera: *mortua*, non viua, adeoque *non iuſtifica*. Nam ex mente aduerſariorum fides informis cum peccatis proæreticis conſiſtere poteſt: At vera fides non conſiſtit cum peccatis voluntariis. Nam *qui ex Deo natus* (h. e. vera in Deum fide donatus) *eſt*, *peccatum non facit*, 1 Io. III, 9.

3) Abſurdum eſt, fidem moueri per caritatem, tanquam principium ſuperius directiuum, cum *caritas* ſit *effectus fidei*, & *fides* potius *per caritatem operoſa ſit*, teſte Paullo, Gal. V, 6.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, *fidei formam* eſſe *caritatem*; contra, *informem* fidem *caritatis expertem*, & cum peccatis mortalibus coniunctam eſſe *veram*. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Fides per caritatem agitur & mouetur, teſte Paullo, Gal. V, 6. Ergo caritas eſt fidei forma eſſentialis. Reſp. Verba textus ſunt: Πίςις δι' ἀγάπης ἐνεργȣμένη, *fides per caritatem operans*. Participium, ἐνεργȣμένη, eſt mediæ vocis, & habet ſignificationem *actiuam*. Confer. Rom. VII, 5. 2 Cor. IV, 12. Eph. III, 20. Senſus eſt: Fides operatur per *caritatem*, tanquam aliquod *conſequens*, & velut per formam accidentalem, vt ignis per calorem agere dicitur.

II. Iacobus dicit c. II, 15. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera vero non habeat? Num poteſt eum hæc fides ſeruare?* Reſp. S. Iacobus loquitur *non* de fide *vera*, ſed de *hypocritica*, aut vana fidei iactantia.

III. Paullus inquit 1 Cor. XIII, 2. *Si habuero omnem fidem, adeo, vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum.* Reſp. Sermo eſt Apoſtolo de *fide miraculoſa*, quam aliquando ſine caritate eſſe poſſe conſtat ex Matth. VII, 22.

IV. Io, XII, 42. *Multi ex principibus crediderunt in eum: Sed propter Phariſæos non confitebantur, ne ſynagoga mouerentur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.* Reſp. Principes illi habuerunt *fidem hiſtoricam*, ſed *non ſaluificam*: Quod patet a) e defectu confeſſionis, tanquam veræ fidei neceſſarii fructus: b) e gloriæ humanæ aucupio, cui gloria diuina eſt poſthabita,

Quæſt. XXI. *Quænam ſunt affectiones, aut proprietates veræ fidei?*

*Affectiones* fidei ſunt: a) *certitudo*, b) *fœcunditas*, qua bona parit opera. *Affectiones fidei.*

Prob. a. Competit fidei in Chriſtum *certitudo*: a) *Ex parte obiecti*, quod creditur, cui falſum ſubeſſe repugnat. Verbum quippe Dei, quod fidei aſſenſu recipitur, eſt certiſſimum, ob auctoritatem Dei reuelantis. b) *Ex parte ſubiecti*, ſiue eius, qui credit, & promiſſionibus diuinis tenaciſſime adhæret atque innititur. Etenim fides eſt ἔλεγχος πραγμάτων ȣ̓ βλεπομένων, i. e. *demonſtratio & conuictio de his, quæ non videntur*, Hebr. XI, 1. Conuincitur etiam animus tum auctoritate Dei promittentis, tum efficacia euangelii ad indubitatum aſſenſum. Fides eſt ὑπόςασις, imperterrita animi confidentia, ibid.; eſt πληροφορία, certioratio (quæ vox VLPIANO frequens), certa aſſenſio & plena fiducia, Rom. IV, 21. Col. II, 2. Hebr. VI, 11.; eſt πεποίθησις, firma perſuaſio, vel immota animi ad diuinas promiſſiones adhæſio, Eph. III, 12. qua credens Domino agglutinatur, 1 Cor. VI, 17. quæ omnia *certitudinem* fidei in *ſubiecto* deſignant.

Prob. b. Fides eſt *bona arbor faciens bonos fructus*, Matth. VII, 7. & *ferens fructus iuſtitiæ*, Phil. I, 11. Qui generoſi fructus ſunt vel *immanentes*, vt puritas cordis & corporis, Act. XV, 9. 2 Cor. VII, 1. pax conſcientiæ, Rom. V, 1. lætitia ſpiritualis, Eſ. LXI, 10. vel *tranſeuntes*, quales ſunt caritas in Deum & proximum, ſpes bonorum cœleſtium, acceſſus ad

 Deum

Digitized by Google

Deum per ſuſpiria & preces, patientia malorum victrix &c. Quibus fructibus destituta fides mortua eſt, Iac. II, 7.

Quæſt. XXII. *Poteſtne peccator conuerſus fidei ſuæ certus eſſe?*

*Certitudo fidei.* Poſſunt & ſolent homines conuerſi & renati *certitudine infallibili* cognoſcere, quod vere credant, *tum* e *συμμαρτυρία*, ſine conteſtatione Spiritus S. cum teſtimonio ſpiritus ſui, ſiue animæ ſuæ illuminatæ & renatæ a); *tum* e *δοκιμασία* examine aut probatione fidei b).

Prob. a. De *συμμαρτυρία* Spiritus S. cum ſpiritu noſtro inquit Paullus, Rom. VIII, 16. *Ipſe Spiritus* (*συμμαρτυρεῖ*) *teſtatur cum ſpiritu noſtro, quod ſimus filii Dei:* & Ioannes, 1 ep. V, 9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt: Quia hoc eſt teſtimonium Dei, quod teſtificatus eſt de filio ſuo: Qui vero credit in filium Dei, habet teſtimonium in ſeipſo.* Concurrit hic teſtimonium *Spiritus Sancti* : *& ſpiritus noſtri.* Teſtimonium *Spiritus S.* eſt *reuelatum, applicatum & obſignatum*, atque *efficax* in cordibus noſtris. *Reuelatum* eſt verbo euangelii: *Qui credit in Chriſtum, eſt Filius Dei*, Gal. III, 26. *habet remiſſionem peccatorum*, Act. X, 23. *vitam æternam*, Io. III, 16. *Applicatur & obſignatur* hoc teſtimonium Spiritus S. per indiuidualem abſolutionem & ſacramentorum diſpenſationem. Eſt *efficax* per ſpirituales motus. Teſtimonium *ſpiritus noſtri*, ſiue animæ illuminatæ & renatæ, eſt hoc: *Ego cognoſco & credo, quod Spiritus S. per fidem in me habitet.* Ita enim ait Ioannes, 1 ep. IV, 13. *In hoc cognoſcimus, quod in ipſo maneamus, & ipſe in nobis, quia ex ſpiritu ſuo dedit nobis.* Eſt hoc teſtimonium ſpiritus noſtri *experimentale*, de quo AVGVSTINVS *libr. XIII. de trinit. c. 1. Suam quisque fidem in ſe videt, eamque tenet certiſſima ſcientia.*

Prob. b. De *δοκιμασία*, ſiue examine & probatione fidei inquit Apoſtolus, 2 Cor. XIII, 5. *Tentate vos ipſos, num ſitis in fide: Vos ipſos probate: Aut non cognoſcitis, quod Ieſus Chriſtus in vobis ſit? Niſi reprobi eſtis*, q. d. Virtutem Chriſti, qui in cordibus fidelium habitat, in vobis ipſis ſentire & experiri poteſtis. Is enim fidem in vobis operatur; quam ex motibus Spiritus S., ex amore Dei, ex precibus, ex conſolatione efficaci, e ſpe viua, ex pace conſcientiæ, & lætitia ſpirituali animaduertere & probare poteſtis: niſi prorſus reprobi facti eſtis, i. e. niſi per impœnitentiam veſtram fidem & Spiritum S. amiſiſtis; in his enim Chriſtus quoque operari deſiit. Poteſt hæc *δοκιμασία* fidei inſtitui *ex antecedentibus, conſtituentibus & conſequentibus fidei.*

Probamus fidem noſtram 1) *ex antecedentibus fidei.* Quicunque peccata ſua admiſſa ſerio cum dolore deteſtatus eſt, vt peccandi propoſitum abiecerit iuxta, atque verbum euangelii attente auſcultauit, legit & meditatus eſt, illum Spiritus S. regenerauit, veraque fide donauit: Atqui ego peccata mea ſerio cum dolore deteſtatus &c. E. *Maior* patet ex 1 Petr. I, 23. vbi verbum euangelii dicitur *ſemen regenerationis;* quod vtique regenerat corda contrita, in quibus moroſa ceſſauit repugnantia. *Minor* conſtat e teſtimonio ſpiritus mei, ſeu e ſenſu cordis mei.

Probamus fidem noſtram 2) *ex conſtituentibus fidei.* Ego promiſſionem euangelicam de impetranda propter ſatisfactionem Chriſti gratia Dei agnoſco, eamque conſenſu meo approbo, vt veriſſimam, atque ideo oblatam gratiam ardenti deſiderio, ſingularique fiducia accepto: Ergo ego habeo veram fidem. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia actus fidei ſunt notitia, aſſenſus & fiducia. Intellectus noſter, reflectens ſe ſuper actus ſuos, cognoſcit, ſe cognoſcere, aſſentiri, & voluntatem ad fiduciam inclinare; e qua reflexione mentis oritur experimentum fidei.

Proba-

Digitized by Google

Probamus fidem noſtram 3) *e conſequentibus fidei.* Quicunque Deum & proximum ſuum diligit, Ieſum ſuum confitetur, in nomine ipſius Patrem adorat, carnem ſuam crucifigit, peccatum proæreticum non committit, ſed legem diuinam, quantum in hac vitæ infirmitate fieri poteſt, ſincere ſeruat, is fidei ſuæ certus eſt: Atqui ego Deum & proximum meum diligo &c. E. *Maiorem* confirmant dicta biblica veriſſima, Gal. V, 6. 1 Io. IV, 13. Io. XVI, 23. collat. cum Iac. I, 6. Gal. V, 24. 1 Io. III, 9. 1 Io. II, 3. *Minor* conſtat e teſtimonio ſpiritus mei, ſiue e ſenſu & experimento cordis mei, a Spiritu S. in me habitante excitato, vt vere dicere poſſim cum cæcis illis, Matth. IX, 28. cum patre lunatici, Marc. IX, 24. cum diſcipulis Chriſti, Io. VI, 69. cum eunucho, Act. VIII, 37. EGO CREDO; quin etiam cum Paullo: SCIO, CVI CREDIDERIM, 2 Tim. I, 12. nec non cum Ioanne: *Cognouimus & credimus dilectionem, quam habet Deus erga nos*, 1 ep. IV, 16. Quæ exempla *virtualiter vniuerſalia* ſunt, iuxta illud Paulli, Rom. XV, 4.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, vllum hominem fidei ſuæ infallibiliter certum eſſe, niſi noua reuelatione, fidem, quam *priuilegiatam & ſpecialem* vocant, a Deo ipſi manifeſtetur. Qui obiiciunt:

I. Quidquid in ſacris litteris non eſt reuelatum, illud nemo infallibiliter credere poteſt: Atqui nulli homini in S. litteris reuelatum eſt, quod vere credat: E. *Maior* patet: quia reuelatio diuina eſt obiectum formale fidei. Reſp. *Reuelatum* dicitur duobus modis: a) *explicite, & formaliter*: b) *implicite & virtualiter.* Si *maior* intelligatur hoc modo, quod nihil infallibiliter credendum ſit, quod *expreſſe formaliter* & totidem litteris non reuelatum eſt, eadem falſa eſt; quia, cum Deus aliquid *vniuerſaliter* reuelauit, *virtualiter* complexus eſt *ſingularia.* Vnde enuntiatio *ſingularis*, quæ ex propoſitione *vniuerſali, formaliter & explicite reuelata*, per bonam & *pronam conſequentiam* elicitur, eſt *virtualiter reuelata.* Colligo: Omnem hominem, aſſenſu fiduciali recipientem Chriſtum mediatorem, vere credere, diuinitus reuelatum eſt, Io. I, 12. Ego aſſenſu fiduciali recipio Chriſtum mediatorem: Ergo *me vere credere*, diuinitus *reuelatum* eſt, *non* reuelatione *formali & explicita*, ſed *virtuali & implicita.*

Dicis: I. *Minor* non eſt reuelata, ſed pendet a ſenſu humano. Reſp. Non pendet a ſenſu humano, *ſed a ſenſu cordis renati per gratiam inhabitationis excitato. Nam qui credit in Filium, habet teſtimonium Spiritus S. in ſeipſo*, 1 Io. V, 10. *Concluſio* eius eſt naturæ, cuius eſt propoſitio *maior*, quæ continet principium credendi.

Dicis: II. Etiam hypocrita poſſet prouocare ad ſenſum cordis ſui, & dicere: Ego credo. Reſp. Subiectum fidei *non* eſt *hypocrita*, ſed peccator conuerſus, ſerio cum dolore peccata ſua deteſtans, & peccandi propoſitum abiiciens. Cum hypocrita dicit, ſe credere, mentitur, & ſimilis eſt homini ſomnianti aureos montes, qui cum ſurgit, mendicus eſt.

II. Quicunque fidem non ſentit, non credit: Homo tentatus fidem non ſentit: Ergo homo tentatus non credit. Concluſio eſt abſurda, cuius abſurditas fluit a maiori. Etenim *Euangelici* præſentiam fidei e ſenſu cordis cognoſcere volunt. Reſp. A *fidei ſenſu* ad *fidem ipſam*, prælucente S. Scriptura, recte concluditur *affirmatiue*, *non* item *negatiue*, cum in graui *tentationum* æſtu fides quaſi in deliquio lateat. Quam ob rem licet homo tentatus *non* ſentiat *fiduciam aſſenſualem*, ſentit tamen *famem & ſitim iuſtitiæ, & deſiderium fidei atque gratiæ*: Quod deſiderium in corde tentato *fides* eſt, licet ſit *parua & infirma*, qualis erat illa patris afflicti: *Credo, Domine: Iuua meam incredulitatem!* Marc. IX, 24. qui dubitabat non de fidei ſuæ ſinceritate, ſed perfectione. Luctatur igitur fides in anima tentata cum incredulitate.



Digitized by Google

*SVSPIRIVM.*

Ad te, Domine Ieſu, throne gratiæ & fons ſalutis, filiali fiducia accedo, vt accipiam miſericordiam, & inueniam gratiam in auxilium opportunum, dum patet ianua ſalutis! Ego peccator mœſtiſſimus intueor te, qui es agnus Dei, tollens peccata mundi: Venio ad te, pauper, quia es theſaurus meus pretioſiſſimus: Confugio ad te, quia meum es aſylum tutiſſimum: Recumbo in te, vt petra ſalutis firmiſſima: Acquieſco in te, vt portu tranquilliſſimo. Fides mea te quærit, expetit & anhelat, tanquam mediatorem meum, cauſſamque reparatæ gratiæ diuinæ, & impetrandæ remiſſionis peccatorum meorum! Remitte mihi, Deus miſericordiſſime, peccata mea propter Ieſum meum, & dona me æterna ſalute, quæ eſt fidei meæ finis!

THEOL. PART. III. SECT. II.

CAPVT VIII.

# DE FIDEI EFFECTIS, SIVE BONIS OPERIBVS, ET EORVM EXERCITIO.

Quæſt. I. *Quid ſunt bona opera?*

*B. O. Definitio.* *Bona opera* ſunt actus hominum iuſtificatorum liberi, per gratiam Spiritus S. renouantem, ad præſcriptum legis diuinæ, prælucente vera in Chriſtum fide, præſtiti, in honorem Dei & hominum ædificationem.

Obſ. I. *Opera* hominum *renatorum & iuſtificatorum* dicuntur *bona*, non abſolute, quaſi perfecte bona ſint; ſed in ſuo genere, quia a) originem ducunt a *bono Dei Spiritu*, Pſ. CXLIII, 10.; b) ex *corde bono* proueniunt, Matth. XII, 35.; c) *bonæ Dei voluntati*, lege expreſſæ, quadantenus ſunt conformia, Rom. XII, 2. & d) *bonum* intendunt *finem*, gloriam Dei.

*B. O. Externa & interna.* Obſ. II. Per *opera* hic intelliguntur non tantum *externæ in oculos incurrentes actiones*, ſed *interni affectus* cordis, motusque voluntatis, adeoque tota renatorum obedientia & iuſtitia inhærens. Diſtinguendum igitur eſt *inter bona opera interna*, & *externa*. *Illa* ſolius Dei oculis ſunt obuia, & interiores mentis cogitationes, voluntatis motus, cordisque affectus bonos complectuntur: *Hæc* ſunt, quæ non ſolum Dei, ſed hominum etiam oculis conſpicua, per exteriores geſtus, verba ac actiones externas ſe exſerunt.

Quæſt. II. *Quæ eſt cauſſa efficiens bonorum operum?*

*B. O. Cauſſa efficiens.* *Cauſſa efficiens* bonorum operum *principalis* eſt *Deus* a), Pater b), *Filius* c), & peculiari ratione, ſeu *appropriatiue*, *Spiritus S.* d). Cauſſa ſubordinata *ſecundaria*, & ſubiectum denominationis eſt *homo renatus*, *iuſtificatus & renouatus*, qui bona opera producit *non* per *vires naturales*, ſed per *ſupernaturales*, in regeneratione & renouatione a Spiritu Sancto acceptas e).

Prob. a. Ex Phil. II, 13. *Deus eſt, qui operatur in vobis tam velle, quam perficere:* Quæ verba præclare explicat AVGVSTINVS, *libr. de gratia & lib. arb c.* 17. *Vt velimus, Deus ſine nobis operatur: Cum autem volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur: Tamen ſine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Deus *Pater vſque adhuc operatur*, non tantum in regno potentiæ, ſed etiam in regno gratiæ & gloriæ, Io. XV, 17. Ille *palmites in Chriſto purgat, vt plures fructus ferant* Io. XV, 2. *Illius factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in iis ambulemus*, Eph. II, 10.

Prob. c. Chriſtus ait, Io. XV, 5. *Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructum multum: Quia ſine me non poteſtis facere quidquid.* Chriſtus influit in hominem renouatum, *vt vitis in palmitem.* Vnde quæ ſpecies operum non proficiſcitur a Chriſto, tanquam vite, per gratioſum influxum in palmitem, boni operis nomine non cenſetur.

Prob. d. Bona opera ſunt *fructus Spiritus*, Gal. V, 22. qui in renatis, *tanquam in templo habitat*, 1 Cor. III, 16. *agit eos, vt agant*, Rom. VIII, 14. *auxiliatur infirmitatibus eorum*, ibid. v. 26.

Prob. e. Cauſſa *ſecundaria* bonorum operum eſt *homo renatus, iuſtificatus & renouatus.* Etenim homo *renatus in Chriſto Ieſu creatus eſt ad bona opera*, Eph. II, 10. Loquitur Apoſtolus de *regeneratione*, quæ noua quaſi creatio eſt. Homo *iuſtificatus fidem* ſuam *bonis operibus oſtendit*, Iac. II, 19. *Homo renouatus crucifigit carnem ſuam cum paſſionibus & concupiſcentiis. Vnde ſpiritu viuens ſpiritu ambulat*, Gal. V, 25. *Spiritu ambulare* ſignificat opera vitæ ſpiritualis exercere, iisque gratiam inhabitantis Spiritus teſtari. Eſt autem homo renouatus cauſſa *ſecundaria* bonorum operum; quia *Deo ſubordinatur*, & gratia Dei prius mouet hominem, quam is per gratiam motus agat. Docet hoc AVGVSTIN. in *libr. de corrept. & grat. c. 2. Intelligant, ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, vt, quod agendum eſt, agant, &, cum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant.* Interim tamen *συνεργία* illa renatorum in operibus bonis nequaquam excludit, ſed requirit *perpetuum Spiritus S. auxilium.*

Quæſt. III. *Quo interueniente principio homo renouatus bona opera producit?*

*Principium*, quo homo renouatus bona opera patrat, eſt *vera & viua in Chriſtum fides* a), quæ bonorum operum *cauſſa per emanationem* dicitur b).

Obſ. Notari hic merentur verba D. SEB. SCHMIDII in *colleg. bibl. poſter. p.* 258. *Homo renatus, ſiue fidelis, eſt principium Quod bonorum operum: Fides autem ipſius eſt principium Quo primum Dico principium Quo primum, vt diſtinguam a principio Quo ſecundo & proximo, quod ſunt virtutes Chriſtianæ, v. gr caritas, reſpectu actuum caritatis. Nam fides actus caritatis non producit immediate, ſed mediate per caritatem; iuxta illud Apoſtoli: In Chriſto Ieſu valet fides, quæ per caritatem operatur.*

Prob. a. Ex Gal. V, 6. *Fides per caritatem operatur.* Vbi accurate obſeruandum eſt, quod *fides*, in ordine ad productionem *bonorum operum*, *duplici* munere fungatur. *Vno* quidem, quod *intellectum* determinat ad aſſentiendum, tum in genere omnibus, quæ in ſcripturis ſacris reuelata ſunt, tum in ſpecie promiſſionibus de gratuita remiſſione peccatorum propter Chriſtum: Sic enim deductis concluſionibus practicis præſcribit, quæ agenda, quæque fugienda ſunt, additis rationibus ac motiuis, quibus voluntas ad ſectandum pietatis ſtudium impellitur. *Altero* modo fides *voluntatem* ipſam, cui itidem ſubiectiue ineſt, inclinat ad reſiſtendum prauæ concupiſcentiæ carnis, & agendum id, quod intellectus circa quodlibet obiectum ſpirituale, iam creditum, per modum iudicii practici præſcribit. Vid. BAYER in *Compend. p.* 780.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Ex Matth. V, 16. *Luceto lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Sicut ſol radios, anima facultates, arbor fructus, vltro & citra laborioſum conatum ex ſe ſpargit, fundit, profert: ita ſol fidei ſponte ſua radios bonorum operum ex ſe emittit. *Fides enim eſt quidquam viuum, efficax, potens, ita vt fieri non poſſit, quin ſemper bene operetur. Neque fides quærit demum, an bona opera ſint facienda; ſed priusquam ea de re inquiratur, iam multa opera effecit, & ſemper in agendo eſt occupata*, prout verba LVTHERI *præfat. in epiſt. ad Rom.* latine reddita leguntur in *Form. Concord.* p. 701. Proinde fidem AMBROSIVS, citante *Auguſtana conf. artic. XX.* vocat *bonæ voluntatis & iuſtæ actionis genitricem*: & AVGVSTINVS eam appellat *bonorum operum radicem & matrem*, epiſt. 143. Neruoſe inquit D. KOENIG in *theol. poſit.* de *fide.* §. 908. *Quoad influxum in productionem bonorum operum, habet ſe fides ad analogiam formæ ad ſua propria, quorum cauſſa per emanationem eſt.*

Quæſt. IV. *Quæ eſt norma bonorum operum?*

*Norma B. O.*

*Norma* bonorum operum *adæquata*, eaque *infallibilis* eſt *lex diuina*, decalogo comprehenſa, quæ perfecte & ſufficienter præcipit *facienda*, & prohibet *fugienda*.

Prob. Ex Deut. XIII, 1. *Omne verbum, quod ego ſum præcipiens vobis, hoc cuſtodietis faciendo: Non addes ſuper illud, neque diminues de eo.* In faciendis bonis operibus perpetuo aſpicienda eſt lex diuina, velut voluntatis diuinæ ſpeculum & expreſſa iuſtitiæ diuinæ imago.

Quæſt. V. *Eſtne conſcientia norma bonorum operum?*

*Conſcientia* hominis renouati *non* eſt quidem *norma* bonorum operum *primaria & ſimpliciter infallibilis* a). Poteſt tamen dici *norma ſecundaria* bonorum operum, quatenus legem diuinam actioni particulari, aut ſingulari applicat, & oſtendit, quid hic & nunc agendum ſit b).

Prob. a. Conſcientia *non* eſt *norma normans*, quia normatur a lege diuina: *neque* eſt norma *infallibilis*, quia a peccato originali & lapſibus infirmitatis etiam in renatis iudicium conſcientiæ hebetatur. Idcirco inquit Apoſtolus 1 Cor. IV, 4. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed in hoc non ſum iuſtificatus*, q. d. Iudex cœleſtis adeo oculatus, aut perſpicax eſt, vt multos in nobis cernat defectus, qui conſcientiæ oculum fugiunt. *Normam* autem faciendorum & fugiendorum oportet eſſe *infallibilem*.

Prob. b. *Finis præcepti eſt caritas ex puro corde, ex conſcientia bona, & fide non hypocritica*, 1 Tim. I, 5. Naſcitur caritas ex *corde puro*, i. e. iuſtificato & renouato; ex *conſcientia bona*, quæ, notante POLO in h. l., haud male deſcribitur, quod ſit conformitas inter legem mentis & legem Dei; ex *fide non hypocritica*, ſed vera, quæ bonæ voluntatis & iuſtæ actionis genitrix eſt.

Quæſt. VI. *Eſtne euangelium norma bonorum operum?*

*Euangelium non* eſt *norma*, aut *principium directiuum* bonorum operum, ſed eſt *principium collatiuum*, & *productiuum*: *Collatiuum*; quia confert Spiritum

ritum Sanctum, quo impellente, vires largiente & cooperante bene operamur: *Productiuum*; quia producit fidem, omnis bonæ actionis fundamentum.

Probationem aſſertionis peto e *ſolida declarat. Ferm. Concord. p. 720. Diſtincte explicandum eſt, quid euangelium ad nouam obedientiam credentium faciat, & quodnam (quoad opera credentium) ſit legis officium. Lex enim inculcat quidem, eſſe voluntatem & mandatum Dei, vt in noua vita ambulemus: At vires & facultatem non donat, quibus nouam obedientiam inchoare & præſtare poſſumus. Spiritus S. autem, qui non per legis, ſed euangelii prædicationem datur & accipitur,* Gal. III, 5. *cor hominis renouat. Deinde idem Spiritus miniſterio legis vtitur, vt per eam renatos doceat, atque in decalogo ipſis monſtret, quæ ſit voluntas Dei bona & ipſi placens,* Rom. XII, 2. *vt nouerint, quibus operibus opera danda ſit, quæ Deus præparauit, vt in ipſis ambulemus,* Eph. II, 10.

Quæſt. VII. *Quæ eſt forma bonorum operum?*

*Forma*, ſeu *formalis ratio* bonorum operum, quando *abſolute & in ſe* conſiderantur, eſt ἐννομία, ſeu conformitas cum lege Dei a): quando autem *relate* ad ſpecialem complacentiam Dei ſpectantur, quatenus, licet legi exacte non conueniant, Deo tamen placent, forma eorum eſt fides in Chriſtum b). *Forma B. O.*

Prob. a. *Bonitas* omnis *operis*, ad præſcriptum certæ normæ faciendi, in *conuenientia ipſius cum ſua norma* conſiſtit.

Prob. b. Eo ipſo quod bona opera *non exacte conueniunt cum lege*, non poſſunt Deo, velut ob conuenientiam cum norma, ſimpliciter & abſolute placere: Adeoque forma, cuius intuitu *Deo placent*, non eſt ἐννομία illa *imperfecta*, ſed *fides in Chriſtum.* Nam 1) fideles placent Deo, & *non* ſunt *ſub lege*, ſed *ſub gratia*, Rom. VI, 14. Vnde 2) bona opera ipſorum, tanquam ſpiritualia ſacrificia, accepta ſunt per fidem in Chriſtum, *ſine qua Deo nemo placere poteſt*, Hebr. XI, 6. Et licet 3) opera illa ſint imperfecta & impura, Deo tamen grata ſunt; quia maculæ eorum velamine perfectiſſimæ Chriſti obedientiæ, quam renati per fidem ſibi applicant, ſuamque faciunt, obteguntur, & iidem 4) non ex coactione legis, ſed ex renouatione Spiritus S. ex animo promte & ſponte ea faciunt, Pſ. CX, 3. 2 Cor. IX, 5.

Quæſt. VIII. *An opera irregenitorum honeſta vere bona ſunt & Deo placent?*

*Honeſta* hominum *irregenitorum* opera, quæ ad externam diſciplinam & tuendam generis humani ſocietatem faciunt, *ciuiliter & moraliter aliquo modo bona* ſunt, a): *non* tamen *theologice & ſpiritualiter bona ſunt*, *neque Deo placent* b), atque adeo, quatenus requiſitis operum vere bonorum deſtituuntur, *ſplendida peccata* recte appellantur c).

Obſ. Virtutes & facta excellentia gentilium, v. gr. liberalitas Cimonis, fortitudo Alexandri, continentia Scipionis, iuſtitia Ariſtidis &c. coram *foro humano bona* cenſentur; at coram *foro diuino non* ſunt *vere bona, neque Deo placent.*

Prob. a Ex Rom. II, 14. *Gentes, quæ legem non habent*, τὰ τȣ̃ νόμȣ, *ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Habent gentes legem non præſcriptam diuinitus, ſed natura inſcriptam. Quare natura duce τὰ τȣ̃ νόμȣ, *quædam* (non omnia) *quæ legis ſunt*, facere potuerunt. Quæ non renouatorum opera, etſi, quoad ſubſtantiam actus, importent aliqualem conformitatem cum lege & ratione recta; in *circumſtantiis* tamen a regula rectitudinis multis modis deficiunt.



Digitized by Google

ciunt. *Poteſt enim humana voluntas* (non-renatorum) *aliquo modo efficere iuſtitiam ciuilem, ſeu operum: Poteſt loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire magiſtratibus, parentibus, in opere externo eligendo, poteſt continere manus a cade, ab adulterio, a furto*, docente *Apol. Aug. Conf. p.* 218.

Prob. b. Opera *ſpiritualiter bona*, & *Deo accepta* ſunt 1) fructus Spiritus Sancti, Gal. V, 22. cuius gratia inhabitante irregeniti deſtituuntur.

2) Fiunt *ab amicis Dei*, ſiue a perſonis, *per Chriſtum Deo reconciliatis*, Io. XV, 14. Rom. V, 10. At *irregeniti* ſunt *hoſtes Dei*, Col. I, 21.

3) Bona opera proficiſcuntur ex *corde puro*, *conſcientia bona*, *& fide non hypocritica*, 1 Tim. I, 5. *At pollutis & incredulis nihil mundum eſt, ſed polluta ſunt illorum mens & conſcientia*, Tit. I, 15. Infidelium *mens* eſt *polluta*, quia verum Deum ſalutariter non agnoſcunt. *Polluta* eſt eorum *conſcientia*, eo, quod normam legis diuinæ rebus agendis non recte applicant, neque de rebus actis incorrupte iudicant. Expertes denique ſunt fidei ſalvificæ, *ſine qua Deo nihil placet*, Hebr. XI, 6.

4) Bona opera ſunt actiones ſpontaneæ & *liberæ*, 2 Cor. IX, 5. At honeſta gentilium & irregenitorum opera, aut *pœnæ formidine* extorquentur, aut *amore & ſpe mercedis* eliciuntur.

5) Opera vere bona diriguntur *ad gloriam Dei*, Math. V, 16. irregeniti honeſtis factis ſuam aucupantur gloriam: ſunt enim *ſuperbi & glorioſi*, Rom. I, 30.

Prob. c. Honeſta irregenitorum opera dicuntur *peccata*, quia requiſitis operum vere bonorum deſtituuntur. Atque hic quidem defectus actionum non ſuppletur per imputationem iuſtitiæ alienæ; cum irregeniti obedientiam Chriſti vicariam non acceptent, ſibique applicent fide, ſed ἀπιςίᾳ ſua repudient. Iam vero, *quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum & Arminianorum*, aſſerentium, homines infideles opera *vere bona* præſtare poſſe. Qui argumentantur:

I. Quicunque faciunt τὰ τȣ̃ νόμȣ, illi faciunt bona opera (quia ὁ νόμος, ſiue *lex* eſt *norma bonorum operum*): Atqui gentiles &c. Rom. II, 14. Ergo. Reſp. a) Quicunque faciunt *perfecte omnia*, quæ legis ſunt, illi faciunt opera *vere bona* *): At gentiles a regula legis

*) Id quidem non vincet illam oppoſitionem, quando quidem poteſt aliquid *vere bonum* eſſe, licet non ſit *perfecte bonum*, & b. Auctor paullo ante adcurate docuit, denuo natos homines, quorum *vere bona* ſunt opera, nunquam id adſequi poſſe, vt *perfecte omnia* præſtent officia. Sed hæc erunt præcipue notanda. 1) Arcte tenendum eſt, *legem diuinam* omnino dupliciter conſiderandam eſſe, primum *materialiter* (vt vulgari dicendi ratione vtar): quatenus ea homini præcipit actiones, humanæ naturæ conuenientes, vtiles, immo neceſſarias, nulla enim lex eſt, quæ aliam nobis imperet actionem, niſi eam, quæ ſit medium quoddam ad hominum felicitatem, ad bene beateque viuendum: deinde *formaliter*, quatenus eſt Dei ſanctio & præceptio, ſuamque vim obligandi habet ex decreto ſummi Legislatoris. Non poſteriori, ſed priori dumtaxat ratione τὰ τȣ̃ νόμȣ ποιεῖ, immo νόμον τελȣ̃σα dicitur Rom. II, 14. & 27. hominis non renouati mens, ſemper Deo inimica, ideoque voluntati Dei minime obtemperans, Rom. VIII, 7. quo circa homo vim conſcientiæ ſentit quidem, Rom. II, 15. ſed maxime inuitus, nec ſine vehementiſſima cupiditatum repugnantia, quam diu ipſe non eſt Deo reconciliatus: ſibi autem, ſuiſque commodis vnice inſeruit. Non quia Deus id facere ipſum iuſſit, ſed quoniam id e re ſua, ſuiſque vſibus aptum eſſe intelligit, facit τὰ τȣ̃ νόμȣ. Eadem eſt ratio *pœnitentiæ naturalis.* Pœnitet hominem male facti, piget eum, pudetque. Quare autem? Non quod iniuſte fecit, ac legem diuinam violauit; ſed quod inſipienter atque incaute rem ſuam egit, ſibique ipſe nocuit. 2) Probe obſeruanda eſt differentia, quæ profecto intereſt maxima α) inter *virtutem*, eiusque exercitationem, quæ ſemper ad rationis rectæ normam dirigitur; & *propenſionem animi naturalem*, quæ ab hominis temperamento, quod

legis enormiter deflexerunt. b) Diſt. inter opus *ciuiliter*, ſiue *moraliter aliquo modo* bonum, & opus *theologice*, *ſpiritualiter & euangelice* bonum, quod eſt fructus Spiritus Sancti & fit prælucente vera in Chriſtum fide. Honeſta gentilium opera coram *foro poli* non ſunt bona, ſed peccatis contaminata, licet coram *foro ſoli* moraliter bona æſtimentur.

II. Si opera honeſta gentilium non ſunt bona ideo, quod ſunt *imperfecta*, neque *Chriſtianorum* opera bona erunt, quia *itidem imperfecta* ſunt: Sed opera Chriſtianorum ſunt bona, non obſtante imperfectione: Ergo & gentilium opera bona ſunt, licet ſint imperfecta. Reſp. Neg. *conſequentiam:* quia Chriſtianorum opera *bona* dicuntur *non* ob *perfectionem*, ſed quia ad præſcriptum legis ductu Spiritus S. *a perſonis Deo per fidem in Chriſtum reconciliatis*, ex animo *libero*, *in gloriam Dei ſincere* fiunt: Quibus requiſitis carent opera irregenitorum.

III. Virtuoſa irregenitornm opera aut ſunt bona, aut mala: Non ſunt mala; quia legi naturæ non ſunt diſformia: Ergo ſunt bona. Reſp. Concedo totum argumentum, quod ſint bona 1) *moraliter quadantenus*, 2) quoad *ſubſtantiam* actus legi *quadantenus* conformis *), 3) coram iudicio *humano*. Sed mala ſunt 1) ſpiritualiter, 2) quoad circumſtantias, 3) coram iudicio diuino.

Mmm mmm m 2 IV. Quid-

quod dici ſolet, proficiſcitur, velut ſanguineus, quamuis nec de Deo, nec de legibus diuinis cogitet, natura ſua procliuis ac pronus eſt ad miſerationem ac liberalitatem: β) inter *virtutem moralem*, quæ eſt ſummum ſtudium obedientiæ erga Deum, ex ratione conſcientiæ, verbo Dei illuminatæ (quia Deus hoc præcepit, illud vetuit), & *virtutem ciuilem*, ex ratione haud alia, quam politica, qua homo prudens quidem, at non religioſus Deique amans, reſpicit homines, & humanæ vinculum ſocietatis. 3) Caue, inter ſe confundas hæc duo: Aliud eſt, *νόμον*, *legem* facere; aliud, *νομίμως*, *legitimo modo* facere, 1 Tim I, 8. 2 Tim. II, 5. Scilicet in omni *actione*, legi conueniente, coniunctæ ſunt plures *res circumſtantes*, legibus determinatæ, quarum ſi vel vnam neglexeris, actio *non* eſt *ea ipſa*, quam Legislator tibi imperauit. E. *non* eſt *vere bona*, ſed quæ videtur bona, mala eſt, adeoque ſpecioſa cauſſa & ſplendidum peccatum. V. g. diligenter laborandum eſt; ſed ſi modum exceſſeris, ſi arrogantia, aut auaritia animum tuum ſtudio laboris adſidui incenderit, ſi tempus ſanctum, cultuique Dei publico, ac tui animi tranquillati diſtinatum, labore conſumſeris, multum ſane deliquiſti. Hæc diſtinctio *actionis* in ſe ſpectatæ, &, quæ ad eam, vt vere bona ſit, pertinent, *rerum circumſtantium*, declarat veritatem certiſſimi huius enuntiati: *Cum duo faciunt idem, non eſt idem.* Earum vero *rerum circumſtantium* præcipuæ ſunt: recta *principia*, nimirum fiducia in Dei reconciliati gratia per Chriſtum, & amor in Deum, 1 Io. V, 3.: *modus* agendi, iuſti denique *fines.* Atqui *principium* actionis cuiusque, ſi ea vel maxime bona eſſe videatur, quam homo nondum renouatus ſuſcipit ac perficit, ſemper eſt *falſum: Falſam* igitur totam *actionem* eſſe, neceſſe eſt. Agit ſemper, quidquid agit, φιλαυτίᾳ impulſus, quæ ipſi eſt *primum*, immo *vnicum* agendi *principium*, ideoque peruerſa φιλαυτία. Ex quo 1) agit id ſolum, quod ſuæ propenſioni naturali, aut rationi politicæ eſt conueniens, 2) id dumtaxat, quod ipſi gratum ac fructuoſum videtur. In aliis rebus deflectit a lege ſciens volensque, & nondum Deo reconciliati φρόνημα non poteſt non eſſe ἔχθρα εἰς Θεόν. Rom. VIII, 7.

*) Ac ne illud quidem ita ſimpliciter adfirmandum eſt. Ad *ſubſtantiam* enim integram actionis *duæ* partes requiruntur: Vna eſt *interna* animi, ad eam rem adplicati, magna cum voluptate occupatio: Altera deinde *externa* operis conſummatio. Hominis nondum renouati animus omnino vacuus eſt motibus vere bonis ac ſanctis. Nunquam in eo eſt amor in Deum, niſi falſus & mercenarius, nunquam timor Dei filialis, qualem vtique eſſe oportet, nunquam ſtudium veræ, perpetuæ, & communis ſalutis, ſemper falſa & corrupta φιλαυτία, vbique regnans. Rectiſſime igitur *Auguſtana confeſſ. art. 18.* animaduertit in eos, qui docent, *quod ſine Spiritu S. ſolis naturæ viribus poſſimus præcepta Dei facere, quoad* SVBSTANTIAM ACTVVM ( nimirum *totam*, ratione vtriusque illius partis): *Quamquam enim* EXTERNA *opera* ALIQVO MODO *efficere natura poſſit, poteſt enim manus continere a furto, a cæde*; *tamen* INTERIORES MOTVS *non poteſt efficere.*

Digitized by Google

IV. Quidquid præmiis a Deo afficitur, illud eſt bonum: Atqui honeſta gentilium opera &c. Ergo. *Maior* eſt euidens: quia Deus nunquam id, quod malum eſt, præmiis afficit. *Minor* probatur exemplo obſtetricum in Ægypto, Exod. I, 20. Reſp. 1) Obſtetrices illæ vel fuerunt Hebrææ, cenſentibus plerisque Rabbinis, vel Ægyptiacæ origine, conuerſæ tamen ad fidem Iſraëlitarum; alias mulieres Hebrææ illis ſe non ita facile credidiſſent. 2) Virtutes gentilium ad honeſtatem directas Deus *præmiis temporalibus* afficit, non autem dignatur illas *præmiis æternis*.

V. Cornelius gentilis bona patrauit opera. *Erat enim religioſus & timens Deum cum tota domo ſua, faciensque eleemoſynas multas populo, & orans ad Deum ſemper*, Act. X, 2. Reſp. Cornelius erat proſelytus, qui reiecta idololatria conuerſus & iuſtificatus erat. *Credebat in Meſſiam* fide ſaluifica, ſed fide hac dogmatica, ſiue hiſtorica, quod *Ieſus Nazarenus eſſet Meſſias*, deſtituebatur, euangelio de Chriſto *exhibito* nondum late propagato *).

Quæſt. IX. *An opera electitia ſunt opera vere bona, Deo accepta?*

Opera *electitia*, quæ quisque bona intentione ipſemet excogitat, aut quæ ſecundum traditiones humanas fiunt, *non* ſunt opera *vere bona*, Deo grata & probata.

Prob. 1) Quia *adæquata norma* bonorum operum eſt *lex diuina*, Pſ. XIX, 9. Deut. IV, 2. Ergo quidquid lege diuina neque immediate & *formaliter*, neque mediate & *virtualiter* iubetur, id non eſt bonum opus, Deo placens.

2) Quia *opera electitia* ſunt *vana*, & omnis frugis expertia. *Fruſtra me colunt mandatis hominum*, Matth. XV, 9. *Quis requiſiuit hæc de manibus veſtris?* Eſ. I, 12.

3) Diſerte prohibentur & reiiciuntur. *Omnis planta, quam non plantauit Pater cæleſtis, eradicabitur*, Matth. XV, 13. Per *plantam a Deo non plantatam* intelligit Chriſtus opus a Deo non mandatum. Confer. Ezech. XX, 18.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, Deo placere cultum pro arbitratu electum: vnde tot electitia opera apud illos vigent, ieiunia, vota, fraternitates, cultus ſanctorum, monachatus. Qui ſequentibus nituntur argumentis:

I. Patriarchæ, Abel, Gen. IV, 4. Noachus, Gen. VIII, 20. & alii obtulerunt Deo ſacrificia, ad quæ nullo mandato diuino adſtricti fuerunt. E. Lex diuina non omnia bona opera præcipit. Reſp. a) Verbis BELLARMINI *ex L. I. de miſſa cap. 2. Deus primum ſine dubio inſpirauit Abeli, & aliis ſanctis viris vſum ſacrificiorum.* Inſpiratio diuina eſt mandatum internum. b) Sacrificia oblata fuerunt *fide*, Hebr. XI, 4. E. placuerunt Deo. Sacrificia autem, quæ Deus non requiſiuit, ipſi non placent, Eſ. I, 22. Ex quo colligimus, ſacrificia fuiſſe requiſita a Deo & mandata.

II. Ordinationes eccleſiæ, conciliorum & epiſcoporum rite ſunt obſeruandæ; quamuis expreſſum Dei mandatum non habeant. *Qui vos audit*, inquit Chriſtus, *me audit*, Luc. X, 16. Obedite præpoſitis veſtris, Hebr. XIII, 16. Reſp. Chriſtus eccleſiæ, conciliis, ipſisque Apoſtolis conceſſit poteſtatem non abſolutam, ſed mandatorum, finibus circumſcriptam, Matth. XXVIII, 10. Et S. Paullus neque ſibi, neque ceteris Apoſtolis fas eſſe, *præter euangelium* a Chriſto acceptum quidquid proponere, expreſſe teſtatur, Gal. I, 8. Obſeruantur

*) Fac, eum non fuiſſe in numero proſelytorum iuſtitiæ. Hoc certum eſt, imbutum eum iam fuiſſe notitia *Chriſti*, immo & *Ieſu Nazareni*, nati & conſummati: Id enim diſerte teſtatur Petrus, Act. X, 36. 37. Vid. *artic. Smalcald.* p. 332.

Digitized by Google

tur nihilominus ea, quæ vel a ſinceris & antiquioribus conciliis, vel a piis eccleſiarum præpoſitis ſapienti conſilio ſancita & tradita ſunt; non ſub opinione cultus, ſed εὐχημοσύνης ergo: Obſeruantur tanquam *adiaphora*, *non* tanquam *neceſſaria cultus diuini* requiſita.

III. Quæcunque bona intentione ad bonum diriguntur finem, illa ſunt vere bona & Deo placentia. Actus electitii bona intentione ad bonum diriguntur finem: Ergo. *Maior* ſua luce radiat: quia bonitas actionis ex bonitate finis diiudicatur. *Minor* probatur exemplo: Si quis peregrinationem ad ſepulcrum Chriſti pie meditaretur, illud opus non eſſet diuinitus mandatum, & tamen bonum. Reſp. 1) *Bona intentio*, bonum reſpiciens finem, in ſpiritualibus *non ſufficit*, niſi per media a Deo ordinata ille finis intendatur. 2) Peregrinatio ad ſepulcrum Chriſti per ſe non eſt mala, modo non accedat *opinio cultus* per ſe Deo grati, aut fiducia alicuius *meriti*, quo gratia Dei & iuſtitia coram Deo valens acquiratur.

IV. Quidquid fecerunt viri ſancti, illud eſt imitabile (quia ſuppeditant exempla virtutum): Opera electitia fecerunt ſancti: Ergo. *Minor* probatur a) exemplo Rechabitarum, Ier. XXXV, 5. quibus pater Ionadabus præceperat abſtinentiam a vino, ab agricultura, ab inhabitatione domuum. b) Apoſtoli iuſſerunt gentiles abſtinere a ſuffocato & ſanguine, Act. XV, 20. quod Chriſtus tamen nunquam præceperat. Reſp. Quodcunque bonum opus fecerunt viri ſancti ad verbi diuini præſcriptum, illud eſt imitabile. Sic limitata maiore negatur minor. Nam a) abſtinentia a vino, ab agricultura, a domuum inhabitatione non ſunt proprie loquendo opera bona, quia nullibi in lege præſcripta; ſed ſaltim *adminicula* ſecundaria, quibus filii Ionadabi ab ebrietate, auaritia, & ſuperbia auocarentur. Interim tamen quarto decalogi præcepto Rechabitæ ad obſequium obſtringebantur. Non erat itaque eorum obedientia ἐθελοθρησκεία. Neque b) abſtinentia a ſanguine & ſuffocato eſt bonum opus morale, ſed ſancita eſt ab Apoſtolis, vt conuerſi gentiles eo melius in vnum corpus coaleſcerent: Iudæi enim eſu ſanguinis & ſuffocati valde offendebantur.

Quæſt. X. *Quomodo diſtinguenda ſunt bona opera?*

Bona opera *diſtinguenda* ſunt ratione *obiecti*, quod eſt Deus, proximus, & ipſe homo operans. *Diuiſio B. O.*

Prob. Alia opera immediate pertinent ad dilectionem Dei, alia ad dilectionem proximi, alia ad dilectionem noſtri, quæ diſtincte conſideranda ſunt iuxta ſingula præcepta vtriusque tabulæ decalogi. Vid. ſupra ſect. huius caput I. Qv. XXVII. ſeqq. Apoſtolus Paullus habito reſpectu ad triplex bonorum operum obiectum, grauiter monet, vt viuamus εὐσεβῶς *pie & ſancte erga Deum:* δικαίως, *iuſte erga proximum:* σωφρόνως, *pudice, caſte, ſobrie erga nos ipſos*, Tit. II, 12. His enim tribus aduerbiis Apoſtolus omnia vitæ chriſtianæ officia complexus eſt. Ceterum bona opera, quæ ſingulis decalogi præceptis comprehenduntur, ſunt *vel interna, vel externa*. Vid. qu. I.

Quæſt. XI. *Suntne opera alia legis, alia gratiæ, vel ſpiritus?*

Senſu *generali* omnia bona opera renatorum & irregenitorum, ratione *normæ ſuæ* conſiderata, ſunt opera *legis*; ſed eadem ſpectata ratione *cauſſæ efficientis* differunt. Sic enim opera regenitorum *fructus ſpiritus*; opera autem irregenitorum *abſolute opera legis* dicuntur.

Probationem aſſertionis denuo peto e *ſolid. decl. Form. Conc. p. 721. Eſt diſcrimen in operibus propter differentiam hominum, qui ſecundum legem & voluntatem Dei viuere ſtudent. Homo enim nondum renatus vtcunque ſecundum legem Dei viuit, & opera legis ideo facit, quia*

Mmm mmm m 3 *ad*

*ad eum modum ſunt mandata: Eamque obedientiam formidine pœnæ, aut ſpe præmii alicuius præſtat: Is adhuc ſub lege eſt, tanquam ſeruus, & opera eius proprie a* D. PAVLLO *legis opera vocantur; quia talia opera a lege extorta ſunt: Et hi ſunt Cainici ſanctuli* (h. e. *hypocritæ*). *Cum autem homo per Spiritum S. renatus, atque a lege,* h. e. *a coactione legis liberatus eſt, iamque a Spiritu Dei agitur; tum ſecundum immutabilem Dei voluntatem in lege reuelatam viuit; & omnia, quatenus renatus eſt, libero & promto ſpiritu agit,* 1 Tim. I, 8. *Et talia opera proprie non ſunt opera legis, ſed opera & fructus ſpiritus: Aut vt Paullus ea vocat, dicuntur lex mentis & lex Chriſti,* Rom. VI, 8. 14. *Hi enim homines non amplius ſub lege ſunt, ſed ſub gratia. Et quamuis in lege ſint, & ſecundum legem Dei viuant & ambulent, non tamen ſub lege ſunt,* hoc eſt, *bona opera ex coactione legis faciunt.*

Quæſt. XII. *Eſtne bonum propoſitum etiam e cenſu bonorum operum?*

*Bonum propoſitum* accenſendum eſt *bonis operibus internis.*

Prob. 1) Bonum propoſitum eſt intentio voluntatis, legi diuinæ conformis; ſiquidem lex non tantum actus externos, ſed etiam maxime actus mentis & voluntatis internos legi diuinæ conformis eſt *bonum opus non* quidem *externum*, ſed *internum.*

2) Sicut malum propoſitum, ortum e praua cupiditate, eſt peccatum: Ita bonum propoſitum eſt bonum opus.

Quæſt. XIII. *Propter quos fines bona opera facimus?*

*Finis B. O.* Cum bona opera noſtra verſentur circa Deum, proximum & nosmet ipſos, reſpectu triplicis huius obiecti bona opera variant. *Finis vltimus & principalis* noſtrorum bonorum operum eſt gloria Dei a). Finis *ſecundarius* eſt proximi b) & noſtri c) ædificatio.

Prob. a. Ex Matth. V, 16. *Luceto lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.* Glorificamus Deum, a) promtam obedientiam ipſius voluntati ac mandato præſtando, 1 Theſſ. IV, 3. b) gratitudinem noſtram declarando, Col. III, 17. c) ſanctitatem Dei, quoad eius in hac via vitæ fieri poteſt, imitando, Leuit. XIX, 2. 1 Petr. I, 15.

Prob. b. Propter *proximum* facimus bona opera, vt eum 1) *diligamus*, Leuit. XIX, 18. & diligendo afflictum *ſubleuemus*, Matth. XXV, 23. 2) *neminem ſcandalizemus*, 1 Cor. X, 32. 3) *impios* benefactis aut *lucrifaciamus*, aut, ſi obſtinati fuerint, *pudefaciamus*, 1 Petr. III, 16. Tit. II, 8. 4) *pios* magis magisque *confirmemus & ædificemus*, 1 Theſſ. V, 11.

Prob. c. Propter nos ipſos bona opera faciamus: 1) Vt *fidem noſtram per bona opera declaremus*, Iac. II, 18. 2) Vt *vocationem & electionem noſtram* (quoad cognoſci, & a poſteriori) *firmam faciamus*, 2 Petr. I, 10. 3) Vt *dignam Chriſtianis* illuminatis, conuerſis, renatis, iuſtificatis, cum Deo myſtice vnitis & renouatis *vitam agamus*, Eph. IV, 1 Phil. I, 27. Col. I, 10. 4) Vt *præmia gratuita*, ſpiritualia, corporalia & æterna a Deo benigniſſimo *impetremus.* Nam *pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ præſentis & futuræ.* Exercitiis pietatis promiſſa ſunt bona præſentis huius vitæ corporalia, Deut. XXVIII, 1. ſeqq. ſpiritualia augmenta & firmamenta gratiæ atque iuſtitiæ, Eph. IV, 15. Phil. I, 6. Æterna præmia ſunt gradus gloriæ cœleſtis, non ipſa gloria communis & eſſentialis, quæ χάρισμα Rom. VI, 23. dicitur. 5) Ne omiſſione bonorum operum male operemur, & temporales atque æternas pœnas nobis accerſamus, Matth. III, 6. Rom. VIII, 15.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XIV. *Quæ ſunt affectiones bonorum operum?*

Bona opera ſunt, quotquot ſunt, a) actiones *imperfectæ*: b) *liberæ* & ſpontaneæ: c) *neceſſariæ ſaluandis.* *Affectiones B. O.*

Quæſt. XV. *Suntne opera hominum renatorum & renouatorum imperfecta?*

Bona opera hominum renatorum & renouatorum *neque eo perfectionis gradu* aſſurgunt, quin poſſint creſcere a); *neque ex aſſe normæ* legis diuinæ *reſpondent* b); *neque* adeo *conſummata* ſunt, vt *rigidum iuſtitiæ diuinæ examen* ſuſtineant c); ſed *imperfecta* ſunt d). *Imperfectio B. O.*

Prob. a. Ex Eph. IV, 15. *Sine fuco exiſtentes in dilectione, creſcamus in ipſum (quoad) omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Scopus inſtitutionis apoſtolicæ Paullinæ eſt vberior in animis auditorum, aut lectorum profectus non tantum cognitionis, ſed & dilectionis, atque bonorum operum, vt ſub capite Chriſto, cui per fidem iuncti ſunt, membrorum inſtar, creſcant, & ad perfectionem adſpirent. Quamdiu autem membrum creſcit, tamdiu *ſummum perfectionis gradum* nondum attigit.

Prob. b. Ex Rom. VII, 14. *Scimus namque, quod lex ſpiritualis ſit; ego vero carnalis ſum.* Homines renouati ex parte carnales obedientiam *omnibus numeris perfectam* non præſtant legi, ſpirituale i. e. internum & plenum cordis obſequium exigenti, eo quod lex per carnem infirmatur, Rom. VIII, 3.

Prob. c. Ex Pſ. CXLIII, 2. *Ne intra in iudicium cum ſeruo tuo; quia non eſt iuſtus coram te vllus viuens.* Piiſſimi regis Dauidis opera non ea fulgebant puritate, vt examen cenſorii iudicii diuini ſuſtinerent.

Prob. d. Ex Iac. III, 2. *In multis labimur omnes.* Concinne ait LACTANTIVS *libr. IV. inſtit. c. 13. Mortalis conditio non patitur eſſe hominem ab omni macula purum.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum, Socinianorum, Schwenckfeldianorum & Anabaptiſtarum,* perfectionem bonorum operum aſſerentium. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Quæcunque opera non ſunt perfecta, illa non poſſunt vocari bona: Atqui renatorum opera dicuntur bona, Tit. III, 8. E. Maior ſua luce radiat; quia bonum iudicatur ex integra cauſſa, malum e quouis defectu. Reſp. Quæcunque opera *non* ſunt *perfecta*, illa *non* poſſunt *abſolute & ſimpliciter bona* vocari; concedo. Renatorum autem opera dicuntur *bona non abſolute, aut ſimpliciter*, ſed ſecundum quid & certo reſpectu, nempe κατὰ τὸ ἐπικρατοῦν, a potiori, ſiue a præualente qualitate. Si enim opus ſit ſuo genere bonum, & *præualeat ſpiritus*; erit *bonum* opus: Si autem ſit opus ſuo genere bonum, & *præualeat* tamen *caro* (vt ſi quis eleemoſynam eroget pauperi, aut preces fundat, tantum vt ab hominibus videatur, & inde laudem reportet); erit *malum* opus. Nihilominus etiam in illo primo opere, ſi rigide Deus agere vellet, & diſtricte iudicare, reperietur imperfectio & infectio nonnulla; quæ dum renato, in Chriſtum credenti, non imputatur, opus acceptum eſt Deo, tanquam *bonum propter Chriſtum*, cuius beneficio tegitur, quidquid maculæ in eo reliquum eſt. Conf. DANNHAVER. in *hodom. Pap. phantaſm. IX. p.* 175.

II. Nulla bona arbor poteſt facere malos fructus, ait Chriſtus, Matth. VII, 18. Atqui homo renatus eſt bona arbor, Pſ. I, 13. E. Reſp. 1) Nulla arbor *perfecte bona* poteſt facere malos fructus; concedo: At homo renatus non eſt perfecte bonus. 2) *Maior* accipienda eſt in *ſenſu compoſito*, ſiue formaliter & *reduplicatiue*, hoc modo: Nulla arbor bona, *in quantum bona eſt*, poteſt facere malos fructus; alias ſi in *ſenſu diuiſo* & materialiter accipiatur,

Digitized by Google

atur, ea eſt falſa. Iuſti enim, qui ſunt arbores bonæ, poſſunt *peccare venialiter*, fatentibus aduerſariis. Peccata venialia autem non ſunt fructus boni, ſed mali. Præterea iuſti *nondum* ſunt *in bono* adeo *confirmati*, vt a carne *victi mortaliter peccare nequeant*.

Inſtantia: Si renatorum opera ſunt fructus mali, *non* erunt *bona opera*, ſed peccata, ſordes & inquinamenta. Reſp. *Non* dicimus, *bona opera* renatorum eſſe fructus malos, aut *peccata*, *per ſe* & formaliter, ſed eſſe opera *imperfecte bona*, quibus aliqua peccati labes adhæreat.

III. Omnis palmes Chriſto inſitus fert fructum perfectum, ſiue opus perfecte bonum: Atqui renati ſunt &c. Io. XV, 2. E. *Maior* probatur ex requiſitis perfectorum fructuum. Nam ſpirituales palmites ſunt in vite Chriſto, Io. XV, 4. trahunt ab illo ſuccum gratiæ, Io. IV, 14. habent ſufficientem calorem, Luc. XXIV, 32. Nullum adeſt impedimentum, neque internum, Rom. VIII, 1. neque externum, Rom. VIII, 38. E. nihil deeſt hominibus renatis, quo minus poſſint ferre fructus *perfecte bonos*. Reſp. Vtique adeſt *impedimentum internum*, nempe concupiſcentia praua originalis; quæ licet renatum actu non damnet, tentat tamen ad peccandum. Trahunt ex illa ſpirituales palmites ſuccum quemdam vitioſum, vnde *non* ferunt fructus *perfecte bonos*.

IV. Quæcunque opera ſunt ſimilia auro, argento & lapidibus pretioſis in igne manentibus, & mercedem accipientibus, illa ſunt perfecta: Sed quorundam renatorum opera &c. 1 Cor. III, 12. 13. E. *Maior* claret; quia aurum, argentum & lapides pretioſi præ ligno, fœno & ſtipula inſignem habent perfectionem: Probantur igne; quia ignem iudicii diuini ſuſtinent: Accipiunt mercedem; quia ſufficientem mercedi proportionem habent. Reſp. Apoſtolus l. c. non agit de vita & operibus renatorum, ſed de *doctoribus*, eorumque *doctrina*; quæ ſi pura eſt & incorrupta, verboque Dei, vt fundamento dogmatico, conſentanea, propter puritatem, pretioſitatem & durabilitatem auro comparatur.

V. Quodcunque opus a Deo præceptum bona fit intentione, illud eſt perfectum: Atqui hominis renati opus (v. gr. eleemoſyna) eſt opus a Deo præceptum, & bona fit intentione, nimirum ad ſubleuandum proximum afflictum: Ergo. *Maior* conſtat ex Matth. VI, 22. *Si oculus tuus fuerit ſimplex; totum tuum corpus erit lucidum*, i. e. ſi intentio tua ſit bona, totum opus tuum erit bonum. Reſp. a) *Intentio* facit opus quadantenus laudabile, ſed non perfectum; quia ad perfectionem requiritur exacta conformitas cum lege diuina. d) Per *oculum ſimplicem non* intelligitur *intentio recta*, ſed mentis lumen a Spiritu S. per verbum accenſum *); cuius ductum ſi ſequatur cor in appetendo, manus in faciendo, lingua in dicendo, *totum*

*) Adparet quidem ex verborum cohærentia ac ſcopo, ſimilitudine ab *oculo* arceſſita, hoc in loco, ſignificari conſilium ac propoſitum rectum, ſiue, vt vulgo dicitur, *intentionem rectam*; ea enim opponitur *falſæ*, vt moris erat Phariſæorum, v. 1. 2. 5. 16. Sed 1) veriſſimum eſt, *rectam* illam eſſe velut *oculum mentis illuminatæ*; *falſam* contra, tamquam *oculum mentis*, errorum tenebris *obſcuratæ*. 2) Si *vere* ſit *recta* ac voluntati diuinæ conſentanea, fiet profecto, vt homo renouatus *mediis* vtatur haud aliis, quam *iuſtis*, atque etiam *modum* agendi, diuinitus præſcriptum, quanta poteſt adcuratione obſeruet. Ad *iuſtos* enim *fines* obtinendos *media* adhibenda *ſatis apta* non poſſunt eſſe, niſi *iuſta*; quando quidem hominis ſapientia nihil vnquam reperire poterit melius atque aptius eo, quod ſapientiſſimus legiſlator præſcripſit: Nec poſſunt *vlla* eſſe *iuſta media*, niſi ad quærendum & conſequendum *iuſtum* aliquem *finem*, aut plures, a Deo deſtinata. Ergo copulatio comparatioque *finium* ac *mediorum* adeo neceſſaria eſt, vt, ſi *fines* propoſiti *vere iuſti* ſint, non poſſint non *iuſta*, illisque omnino conuenientia, vſurpari *media*, quæ ſi iniuſta fuerint, *finis videtur bonus*, nec eſt. Vt rem exemplo vno atque altero illuſtrem: Si quis ſibi videatur actionem quamdam ſuſcepiſſe

Digitized by Google

***totum opus eſt lucidum***, ſed non ſtatim *totaliter*; ſicut luna in plenilunio dicitur lucida, nihilo tamen minus coniuncta cum maculis, opaco, parallaxi.

VI. Quæcunque opera imperfecte bona ſunt, propter adhærentem peccati labem, illa Deo non placent: Sed renatorum opera Deo placent: E. non ſunt imperfecta propter adhærentem peccati labem. *Maior* conſtat: quia labes peccati Deo non placet, adeoque nec opera illa labe infecta. Reſp. Bona opera renatorum conſiderantur vel νομικῶς & *legaliter*, in quantum ad legem, velut *normam*, exiguntur; vel ἐυαγγελικῶς, in quantum conſiderantur, vt opera *renatorum in Chriſtum credentium*. *Legaliter* ſpectata, *non* placent Deo *abſolute & ſimpliciter*; ſed ſecundum quid, & *in tantum*, in quantum legi conformia & bona ſunt: *euangelice* autem conſiderata placent Deo *abſolute & ſimpliciter*. Quamuis enim *in ſe* imperfecta ſint, & imperfectiones adhærentes Deo placere nequeant; quia tamen *ex fide in Chriſtum procedunt*, & ab iis fiunt, *qui ſunt in Chriſto Ieſu, & in quibus non eſt κατάκριμα*, Rom. VIII, 1: imperfectiones adhærentes condonantur operantibus gratis, propter Chriſti meritum, fide apprehenſum, & proinde opera illorum Deo placent ſimpliciter, ac ſi prorſus & omnibus modis perfecta eſſent, *propter meritum Chriſti, fide apprehenſum.*

VII. Si

piſſe eo conſilio, vt Deum ſingulari quadam ratione colat, ea vero actio non congruat cum lege diuina, *falſum* ipſe *medium*, ſuo ingenio indulgens, reperit; quod certe non reperiſſet, niſi *falſa* ipſum fefelliſſet *opinio finis* ſibi conſtituti, nimirum cultus diuini, quis & qualis eſſe debeat. Ad *veram* enim *Deum colendi rationem* non poſſunt eſſe alia *media*, præter ea, quæ diuina auctoritate ad huncce *finem* deſtinata ſunt; quod ſi aliter eſſet, conſequens foret hoc abſurdum, vt defectus quidam eſſet in legibus diuinis, quantum ad *media* nobis præcepta, illumque defectum ſua homo ſapientia ſupplere valeret. Ita pariter, ſi quis ea mente, vt liberalis ipſe ſit & munificus erga pauperes, diuiti homini magnam opum vim furto ſurripiat, quum ampliſſimum illud *medium* omnino *iniuſtum* ſit, etiam *finis non* eſt *vere bonus*. Nihil enim minus eſt, quam *vera* liberalitas, de alieno liberalem eſſe. Præter ea eſt aliquid, accurate ponderandum, quod breuiter explanabo. Ad *hominis intentionem*, quæ dici ſolet, vt *vere bona* ſit ea, *duo* requiruntur. Non ſufficit, 1) *eum finem*, quem ſibi ipſe propoſitum intuetur, *a Deo præceptum* eſſe; ſed neceſſe eſt etiam, 2) hanc eius *præceptionem* ab homine *cognitam* eſſe, eiusque finis hominem ſtudioſum eſſe *ob eam ipſam cauſſam*, quoniam diuina conſtitutio id ita poſtulat. Nulla enim poteſt eſſe legis obſeruantia & conuenientia actionis cum lege, ſine recta ac ſufficiente eius cognitione & conſcientia. Atqui, cui animus eſt, Deo *in vna re* obtemperandi, atque id faciendi, quod a Deo imperatum eſt, & propterea faciendi, quia Deus id ita imperauit; is certe non minori ardebit ſtudio, in *omnibus* etiam aliis rebus Deo obtemperandi, eadem ratione ductus, quoniam Deus eas actiones omnes pariter imperauit; vi huius axiomatis: *Vbi par ratio eſt, ibi non poteſt non eſſe par quoque conſequutio.* Vid. Iac. II, 10. 11. Perficiam argumentationem: *Finis* eſt id, ad quod tota actio cum omnibus rebus circumſtantibus pertinet, neque eſſet illa actio præcepta, niſi fines eſſent propoſiti: Ergo, qui *finem vere bonum*, vereque *cognitum*, ideo, quod Deus eum conſtituit, ſummo ſtudio conſectatur, ac prouidet, ne quid in *eo fine* quærendo ſit, voluntati diuinæ non conſentaneum: is profecto, ob eamdem rationem, æque cauebit, ne quid in *tota actione* a ſe committatur, quod cum voluntate diuina non congruat. Hanc puto verborum Chriſti *ſententiam*, atque hanc eius *rationem* eſſe; vt aliud quidem ſit, cum dicimus: ſi *finem* tibi *vere bonum*, prout iam explicauimus, propoſueris, *toti actioni bonæ* ſtudebis; multo autem aliud, quod *Romanocatbolici*, in primis ex *ſocietate Ieſu* Doctores, præ ſe ferunt: *bonam intentionem* (quæ, ſi ſeparata ſit a reliquis, ad actionem pertinentibus, atque a Deo præceptis, nunquam poteſt eſſe *vere bona*) *ad bonam actionem totam ſufficere.* Quod quam ſit abſonum, omnique rationi aduerſarium, vel vna quemque docere poteſt neceſſitas copulationis finium ac mediorum, omniumque, quæ actionem integram conſtituunt, rerum circumſtantium.



Digitized by Google

VII. Si bona opera iuſtorum eſſent peccata, Deus ipſe peccaret: Conſequens eſt dictu blaſphemum: E. & antecedens. *Conſequentia* probatur: quia *Deus ipſe in nobis operatur tam velle, quam perficere*, Phil. II, 13. Reſp. 1) Non aſſerimus, bona iuſtorum opera *per ſe & formaliter* eſſe peccata, ſed eſſe quidem bona, *circumſtantiis* tamen quibusdam vitiari. 2) *Defectus*, bonis renatorum operibus adhærens, *non* eſt tribuendus *cauſſæ primæ*, perfecte influenti & operanti; ſed *cauſſæ ſecundæ*, ſiue *homini*, influxum Dei & operationem perfecte non recipienti: Sicut ſoli animalium generatio, non illorum vitium, aut defectus attribuitur.

Quæſt. XVI. *Danturne opera ſupererogationis?*

*Opera ſupererogationis.*

Cum renati opera, ad quæ præſtanda lege diuina adſtringuntur, non obeant *perfecte*; multo minus *ea*, *quæ facere non tenentur*, *perfecte* *exequentur*.

Prob. Quia lex diuina ſummam a nobis exigit perfectionem, Deut. VI, 5. Matth. XXII, 37. Marc. XII, 30. Rom. VII, 14. nemo autem mortalium in hac vitæ infirmitate illum perfectionis apicem attingit; cum non ſit homo, qui non peccet, 1 Reg. VIII, 46: coniectare facile eſt, quod gradum perfectionis altiorem, tranſcendentem præcepta Dei, nos viatores aſſequi nequeamus *).

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, opera *ſupererogationis* ſomniantium; quibus opera ſupererogationis ſunt opera *indebita*, ad quæ homo præcepto diuino non obligatur. Obiiciunt Pontificii:

I. Paullus teſtatur 1 Cor. IX, 15. ſe gratis euangelium prædicaſſe, qui tamen iure æquiſſimo laborum compenſationem poſcere potuit: E. prædicatio euangelii, facta gratis a Paullo, fuit opus ſupererogationis. Reſp. Pro ratione circumſtantiarum non ſemper conducit, vt faciamus id, quod conceſſum eſt. Interdum fratrum infirmorum, quin & obtrectatorum habenda eſt ratio, ne quisquam offendatur. Paullus refutaturus opinionem eorum, qui exiſtimabant, ipſum temporalibus inhiare bonis, euangelium gratis prædicabat. Sed infirmorum offendicula, aut ſcandala declinare verbo diuino *iubemur*, Matth. XVIII, 7. 1 Cor. VIII, 13.

II. Samaritanus dicit hoſpiti, Luc. X, 35. *Si quid ſupererogaueris, reddam tibi.* Reſp. a) Theologia allegorica non eſt argumentatiua. b) Fons græcus ita fluit: *Quodcunque præterea inſumſeris, ego, quando reuerſus fuero, reſtituam tibi.* Samaritanus eſt exemplum hominis beneficii & miſericordis; quidquid boni is confert in afflictum & ægrotum, facit *ad præſcriptum legis diuinæ*, Leu. XIX, 18. Hoſpes etiam non ſupergreditur perfectionem mandati. Nam dum ait Samaritanus: Curam illius age; certe præcipit hoſpiti, vt det operam, ne quid ægro deſit. Si hoſpes conſumtis duobus denariis, poſtea neglexiſſet ægrum, nec quid amplius pro eo expoſuiſſet, nonne palam transgreſſus fuiſſet mandatum: *Curam illius habe* **)?

Quæſt.

*) Ac ne poteſt quidem vllus vnquam eſſe gradus perfectionis maior lege diuina vniuerſa, quacunque homo eſſet conditione. *Semper* enim ipſe *totus* ex Dei pendet arbitrio, ac ne quidquam ipſi eſt *virium agendi*, niſi Dei beneuolentia ipſi datum: E. & nihil ab ipſo fieri vnquam poteſt, niſi Dei voluntate ac legis latione determinatum.

**) Quum aduerſarii peſſimæ ſuæ cauſſæ præſidium maxime quærant partim in *ſacrificiis* V. T. quæ quis *ſua ſponte* Deo obtulit, partim in *votis* ſingularibus *Naſiræorum ac Rechabitarum:* Primum

Digitized by Google

Quæſt. XVII. *Suntne bona renatorum opera actiones liberæ?*

Bona opera *non* ſunt actiones *liberæ* a neceſſitate *obligationis* vel *debiti* a); ſed dicuntur actiones *liberæ* a neceſſitate *coactionis* b) & *immutabilitatis* c), & fiunt a renatis, per Spiritum S. *a ſeruitute peccati liberatis* d). *Libertas ſiue ſpontaneitas B. O.*

Prob. a. Cum omnes homines, tum præcipue ii, qui per Spiritum S. regenerati ſunt & renouati, ad bona opera facienda debitores ſunt, docente *Epit. Form. Concord. p* 589. Etenim bona opera, quæ in decalogo ſunt præcepta, non ſunt cenſenda arbitraria, aut indifferentia; vt absque peccato poſſint fieri, vel omitti, vel eorum oppoſita fieri; ſed quæ agenda, vel omittenda lex præcipit, ad ea agenda, vel omittenda omnes obligantur, & qui ſecus faciunt, grauiter peccant. Ratione huius *obligationis* bona opera, quæ in decalogo ſunt præcepta, recte dicuntur *neceſſaria* in renatis; id quod in ſequenti quæſtione clarius oſtendemus.

Prob. b. Sunt bona opera renatorum actiones *liberæ;* quia *non* ſunt *coacta*, aut comminationibus pœnarum extortæ, vel externe, & quidem in ſpeciem contra voluntatem factæ *). Talia enim hypocritica opera Deus non probat: Sed vult, vt populus *noui* teſtamenti

Nnn nnnn n 2

Primum eximie docuerunt beati Maiores noſtri in *Apol. Aug. Conf. cap.* XIII. quanto intervallo diſtent *monachorum* vota ab illis & *Naſiræorum, & Rechabitarum:* Deinde perſpicuum eſt, in illis tum ſacrificiis ſponte offerendis, tum votis ſponte ſuſcipiendis, nemini vnquam licuiſſe, offerre Deo, aut vouere, quodcunque & quomodocunque collibitum ipſi fuerit; nihil eorum fuit, niſi legibus diuinis determinatum: Denique ſacris illis inſtitutis, vt plerisque omnibus V. T. cæremoniis, ratio quædam ſubfuit arcana ac *typica*, vt his vmbris ſignificarentur ſacrificia ſpiritualia N. T. voluntaria quidem ea, minime vero arbitraria, Pſ. CX, 3. *Voluntaria* actio dicitur ea, quam quis ſuo officio conuenienter promto animo, ſine vllo coactu, minimeque inuitus ſuſcipit, animo amore in Deum & Ieſum ſuum incenſo. *Arbitraria*, ſeu, vt barbare vocari ſolet, *electitia*, actio eſt, quam homo ſuo ingenio atque arbitrio excogitauit, nullo modo a Deo præcepta, ἐθελοθρησκεία, quam Deus damnavit, tantum abeſt, vt Deo grata atque accepta fieri vnquam queat. Col. II, 23. Matth. XV, 9.

*) *Libera* dicitur actio, vel *arbitraria*, ſine præceptione (talis vero longe a nobis abſit! vid. not. antec.): vel *voluntaria*, ſine vi & coactu, ſine metu, ſine repugnantia, cum magna animi voluptate in rebus præceptis occupatio. Eiusmodi actio vna quæque decet hominem renouatum, Pſ. CX, 3. Rom. XII, 8. 2 Corinth. VIII, 12. IX, 7. quo in loco voluntas *libenter* agens aperte opponitur *coactui* ac repugnantiæ voluntatis. Præter hæc teſtimonia, ſane firmiſsima, argumentationem ducimus ab hoc principio: O. actio, vere bona, proficiſcitur a fide in Chriſtum, atque amore in Deum nobis reconciliatum, Io. XV, 5. 2 Petr. 1. 3. 5: Amor vero ſemper promtum atque alacrem efficit animum, ad imperata libenter facienda. Ex eo Ioannes ipſe 1 ep. V, 3. ita concluſit: leges eius βαρεῖαι οὐκ εἰσίν. Probe notetur differentia verborum ac rerum. Aliud eſt, *difficile*; aliud, *graue*, oneroſum, moleſtum atque iniucundum, quo etiam modo inter ſe differunt, tametſi vulgari ſermonis conſuetudine ſæpe numero confundantur, germanicæ voces: *ſchwer & beſchwerlich.* Scilicet *difficile* dicitur illud, quod multum ſtudii ac laboris poſtulat, at iucundum tamen ſtudium, ſi quis libenter animum ad eam rem adplicuerit, velut is, qui diſcendi cupiditate flagrat, ideoque iam diu multa tulit, fecitque, ſudauit & alſit. Ecquis eat infitias, in exercitatione bonorum operum perpetuo maximum ſtudium & laborem collocandum eſſe, σπουδὴν πᾶσαν, 2 Pet. I, 5.? *Graue* autem id demum nominatur, quod quis inuitus ſuſcipit, & ægre fert, tamquam moleſtum onus ſibi impoſitum. E. *graue* ac moleſtum nihil eſt, niſi *odioſum.* Odiſſe bonum, lege imperatum, eſt, legem ipſam auerſari: E. & legislatorem. Atqui ea eſt improbæ mentis proprietas, Rom. VIII, 7. E. actio vna quæque, diuinis legibus conueniens, grauis atque oneroſa eſſe poteſt nemini, niſi improbo.

Digitized by Google

menti ſit *populus ſpontaneus*, Pſ. CX, 3 *). & vt ſpontanea ſacrificia offerat, Pſ. LIV, 8. atque obedientiam non inuitus, aut coactus, ſed ex animo præſtet. *Hilarem enim datorem diligit Dominus*, 2 Cor. IX, 7.

Prob. c. Poſt conuerſionem & regenerationem homo *liber eſt a neceſſitate immutabilitatis;* cum ipſius voluntas non amplius ſit determinata ad malum ſemper cogitandum & agendum, ſicut ante conuerſionem; ſed poteſt libere eligere & facere bona opera per vires ſupernaturales, a Spititu S. acceptas; poteſt etiam mala opera eligere per carnis reliquias adhuc in ipſo hærentes, cum ad bonum non perinde, atque angeli, determinatus ſit.

Prob. d. Poſt conuerſionem & regenerationem eſt in homine *libertas a ſeruitute peccati;* quia non amplius eſt ſeruus peccati, ſed a captiuitate & ſeruitute illa per Spiritum S. *liberatus*, Io. VIII, 36. Rom. VI, 18. 2 Cor. III, 17. Poteſt itaque per vires ſpirituales, in renouatione acceptas, Spiritui S. libere cooperari, Rom. VIII, 14. 1 Cor. XV, 10.

Quæſt. XVIII. *Suntne bona opera neceſſaria?*

*Neceſſitas B. O.*

Bona opera in renatis ſunt *neceſſaria* neceſſitate a) *mandati*, b) *debiti*, c) *ordinis*, d) *præſentiæ*, e) & *conſequentiæ* poſt fidem & iuſtificationem **).

Prob. a. Ex Eſ. I, 17. vbi Iehouah inquit: *Diſcite bonum facere*, Leu. XIX, 2. *Sancti eritis: Nam ſanctus* (ſum) *ego Iehouah, Deus veſter.* Proinde mandatum Dei nobis neceſſitatem faciendi bona opera imponit.

Prob. b. Cum omnis creatura Creatori ſuo *debet* obſequium & gratitudinem, tum *in primis homo* rationis particeps ingentibus plurimorum beneficiorum, ſcilicet creationis, Act. XVII, 24. redemtionis, Luc. I, 72. vocationis, 1 Theſſ. IV, 7. regenerationis, Eph. II, 10. iuſtificationis, Rom. VIII, 1. nominibus, ad ſtudium bonorum operum, quibus Deus glorificatur, obſtrictus eſt.

Prob. c. Ex Rom. VIII, 13. *Si ſpiritu actiones corporis mortificaueritis, viuetis.* Hunc *ordinem* Deus ſanciuit, vt æternum victuri concurrente Spiritu S. actiones carnis mortificent. Mortificare carnem inſigne eſt opus.

Prob. d.

*) Id vero ne ita interpreteris, vt exiſtimes, homines probos ſub œconomia V. T. prorſus caruiſſe huius Spiritus beneficio. Perpende dictum hoc euidentiſſimum, Pſ. LI, 14. & quæ plura ſunt huiusmodi. *Maior* autem *gradus*, vt gaudii, ſic alacritatis animi, ſubſequutus eſt in N. T., abrogata lege rituali, tamquam iugo quodam ſeruitutis, quo nos omnino *liberati* ſumus. Gal. IV, 1. ſeqq. V, 1.

**) Quintuplex illa neceſſitas, ſemper grata & iucunda, longe multumque differt a *neceſſitate coactionis*, ſemper moleſta atque iniucunda. Itaque facile inter ſe conferenda & conciliandа ſunt ea dicta, quibus prædicatur *ſumma* Chriſti *voluptas*, qua ipſe egit tulitque omnia, Io. IV, 34. Pſ. XL, 9 & illa, quæ teſtantur, *ſumma neceſſitate* omnia a Chriſto peragenda ac perferenda fuiſſe, Luc. II, 49. XXIV, 26. Et ea quidem *neceſſitas* erat plane ſingularis, eaque duplex 1) *neceſſitas medii* ad placandam Dei iram ac recuperandam hominum ſalutem, 2) *neceſſitas complementi omnium vaticinationum* V. T. ibid. v. 27. Locus ille in primis, Io. IV, 34. rem egregie illuminat. *Cibum* capere, eſt profecto *neceſſarium medium* ad vitam alendam & conſeruandam: at nihil tamen *libentius* agit homo ſanus, in quo eſt magna cibi appetitio. *Generatim* dicam: Quidquid homo cognoſcit, vt *bonum*, vt *ſibi* bonum, & propoſito conueniens, vt *maius* atque aliis *anteferendum* bonum, quacunque demum ratione *neceſſarium*, id ipſe vehementer *adpetit*, &, ſi *agendum* ſit illud, *libentiſſime* agit. Quæ lites inter Noſtrates quondam agitatæ fuerint de his vocibus, *neceſſarium*, & *liberum*, conſtat ex *Form. Conc. cap. IV*.

Digitized by Google

Prob. d. Bona opera in renatis & ſaluandis ſunt neceſſaria ratione *præſentiæ*, ne gratiam Dei, & fidem amittant, & ſpe hæreditatis excidant, licet non ratione efficaciæ ad conſequendam iuſtitiam & ſalutem.

Prob. e. Fidem iuſtificantem *neceſſario & indiuulſo nexu ſequitur* ſtudium bonorum operum. Hoc ipſum inculcat Paullus, Tit. III, 8. *Fidelis hic eſt ſermo, circa hæc volo te confirmari, vt curent bonis operibus praire ii, qui crediderunt Deo.* Mens Apoſtoli eſt: Qui gratia Spiritus S. donati ſunt vera fide, eaque iuſtificati, iis neceſſario ambulandum eſt in via bonorum operum, vt aliis exemplo pietatis præluceant.

Quæſt. XIX. *Suntne bona opera neceſſaria ad iuſtificationem?*

Bona opera *ad iuſtificationem non* ſunt *neceſſaria* a), quia eiusdem ſunt effecta b).

Prob. a. Ex Rom. III, 28. *Concludimus ergo, fide iuſtificari hominem ſine operibus legis.*

Prob. b. Bona opera ſunt *fructus iuſtitiæ*, Phil. I, 11. Fructus naturam arboris nec efficit, nec conſtituit, ſed ſequitur. Scite inquit AVGVSTIN. *libr. de fide & oper. c.* 4. *Bona opera non præcedunt iuſtificandos, ſed ſequuntur iuſtificatos.*

Quæſt. XX. *An bona opera hominibus ſaluandis ſunt neceſſaria?*

Bona opera *neceſſaria* ſunt *hominibus ſaluandis*, hoc eſt, *iis, qui* ſaluandi ſunt, tanquam *adiuncta propria* hæredum ſalutis æternæ a): *non* ſunt *neceſſaria ſalvandis, quatenus* ſunt ſaluandi, vt *cauſſæ & media ſalutis* b).

Obſ. Propoſitio illa: *Hominibus ſaluandis neceſſaria ſunt bona opera*, vera eſt in ſenſu *ſpecificatiuo*, ſeu materiali, quo notatur qualitas ſubiecti; *non* in ſenſu *reduplicatiuo*, ſiue formali, quo cauſſa, propter quam prædicatum ſubiecto attribuitur, indigitatur.

Prob. a. *Beati miſericordes; quia hi ipſi miſericordiam accipient*, Matth. V, 7. 8. Deſcribitur his verbis ſubiectum beatitudinis ab *adiuncto proprio*, quod eſt miſericordia, *non* a *cauſſa*, propter quam miſericordiam accipimus, aut Deum videbimus; adeoque verba Salvatoris intelligenda ſunt in ſenſu *ſpecificatiuo*, ſeu materiali, *non reduplicatiuo*, aut formali.

Prob. b. Ex Rom. IV, 6. *Beatitudo eſt hominis, cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus.* Paullus excludit bona opera non tantum a *iuſtificatione* peccatoris, ſed etiam ἀπὸ τȣ̃ μακαρισμȣ̃, a *beatificatione*. Rationem addit v. 16. *vt firma ſit promiſſio.* Neque enim firma, quoad nos, foret promiſſio beatitudinis, ſi hæc vlla ratione ab operum conditione penderet.

Quæſt. XXI. *Suntne bona opera ad ſalutem neceſſaria?*

Bona opera *neque* neceſſitate *medii* ad acquirendam a), *neque* neceſſitate *meriti* ad promerendam b), *neque* neceſſitate *conditionis ſine qua non*, ad conſequendam æternam ſalutem ſunt neceſſaria c). Ideoque phraſis illa: *Bona opera ad ſalutem ſunt neceſſaria*, neque vſurpanda, neque defendenda eſt d).

Obſ. Accurate diſtinguendum eſt inter *requiſitum ſubiecti neceſſarium abſolutum*, & *reſpectiuum. Illud* eſt, quod cum ſubiecto non reſpectu cauſſalis efficientiæ, ſed tantum ratione exſiſtentiæ neceſſario connexum eſt, v. gr. Pomo deguſtando neceſſarius eſt color, ſed non ad deguſtationem pomi. Pictori, tanquam homini integro, aures ſunt neceſſariæ, ſed non ad pingendum. Ita homini *ſaluando* B. O. ſunt neceſſaria, ſed *non ad ſalutem. Hoc* eſt, quod cum ſubiecto neceſſario connexum proxime & per ſe reſpectum infert ad peculiare



Digitized by Google

liare munus, propriumque effectum, v. gr. Diligentia tironi & *diſcenti*, *& ad diſcendum* eſt neceſſaria. Fortitudo militi & *victuro*, *& ad victoriam* conſequendam eſt neceſſaria. Sic obedientia Chriſti actiua & paſſiua tam homini *ſaluando*, quam *ad conſecutionem ſalutis* eſt neceſſaria, *neceſſitate meriti*. Vera in Chriſtum fides & *ſaluando*, *& ad ſalutem* neceſſaria eſt, *neceſſitate medii*.

Prob. a. Quia ſola fides eſt medium ad accipiendam ſalutem neceſſarium, Io. III, 15. *Qui credit in Filium Dei, non perit, ſed habet vitam æternam*. Conf. Marc. XVI, 16.

Prob. b. Vita æterna eſt χάρισμα, Rom. VI, 23. Χάρισμα eſt *donum gratuitum*, nullo merito partum. Vita æterna eſt hæreditas promiſſa, non operibus legis promerita, docente Paullo, Gal. III, 18.: *Si ex lege eſt hæreditas, non amplius eſt ex promiſſione. Atqui Deus Abrahamo per promiſſionem gratificatus eſt*, ex gratia donauit. Vbi obſeruanda eſt vocum emphaſis. Nam *hæreditas* non obtinetur meritis, ſed gratis obtingit. *Promiſſio* non apprehenditur meritis, ſed fide. Et quod Deus κεχάρισαι, *ex gratia donauit*, ad id nil contulere opera, Rom. XI, 6.

Prob. c. Ex Eph. II, 8. *Gratia ſaluati eſtis per fidem: Et hoc non ex vobis, Dei donum eſt: Non ex operibus, ne quis glorietur*. Vnde naſcitur argumentum: Quicunque ſaluantur per fidem ex liberalitate Dei donantis (tam fidem, quam ſalutem), non vero ex operibus, illorum ſalus a conditione operum ſuſpenſa non eſt; Atqui renati &c; Ergo.

Prob. d. Phraſis illa: *Bona opera ſunt ad ſalutem neceſſaria*, eſt 1) ἄγραφος, nullibi in ſacris litteris expreſſa. 2) Alias conſtituit cauſſas ſaluationis, quam iuſtificationis, atque adeo pugnat cum tota doctrina apoſtolica, quia B. O. a negotio tam beatificationis, quam iuſtificationis excluduntur, Rom. IV, 6. Eph. II, 8. Tit. III, 5. 3) Perturbatis & afflictis conſcientiis veram euangelii conſolationem eripit, occaſionemque præbet dubitationi de gratia Dei. Neque enim imperfectis noſtris operibus fides valide inniti poteſt. 4) Præſumtionem & falſam opinionem de propria iuſtitia, & fiduciam propriæ dignitatis confirmat. Quantum enim tribuimus operibus in negotio ſalutis, tantum adſcribimus propriæ iuſtitiæ & dignitati. 5) Diſcrimen legis & euangelii conuellit: Quod pateſcit ex Gal. III, 21. *Si data eſſet lex, quo poſſet viuificare, reuera ex lege eſſet iuſtitia. Atqui concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus*. 6) Merito Chriſti abſolutæ perfectionis laudem derogat. Si enim in ſolo Chriſto noſtra ſalus, neque in alio quopiam conſiſtit, Act. IV, 12. vtique fruſtra merito Chriſti noſtra aſſociantur opera. 7) Hoſtes veritatis auctores habet, eorumque heterodoxæ opinioni fauet. 8) Obſcura, ambigua, lubrica & fallax eſt.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, *Socinianorum*, *Arminianorum & Anabaptiſtarum*, neceſſitatem bonorum operum ad obtinendam æternam ſalutem aſſerentium *). Qui ſequentibus argumentis nobiscum confligunt.

I. Quicunque *ſine ſanctimonia non videbit Dominum*, illi ſanctimonia ad videndum Dominum eſt neceſſaria. Atqui homo renatus &c. Hebr. XII, 14. Ergo Reſp. a) In textu originali non habetur vox ἁγιοσύνη, quæ notat opus noſtrum, ſed ἁγιασμός, quæ vox ſignificat operationem Spiritus S., & interdum notat *donationem ſanctitatis*, Rom. VI, 19. interdum

*) Hac dicendi ratione quondam vſi ſunt, inter Theologos Auguſtanæ Confeſſioni addictos, *Maioriſtæ*, quibus nomen hæſit ab eorum duce, GEORGIO MAIORE. His oppoſitum eſt in noſtra *Form. Concord. cap. IV.* in quo prorſus reiecta eſt, nec iniuria, hæc loquutio.

Digitized by Google

dum *applicationem meriti Chriſti* per Spiritum S. in verbo euangelii, 2 Theſſ. II, 13. 1 Petr. I, 2. Hebr. X, 10. Vtraque ſignificatio huic loco noſtro optime quadrat. Nam proſequi debemus tum ſanctificationem Spiritus S., quæ eſt meriti Chriſti per euangelium, per quod fides non tantum excitatur, ſed & confirmatur, applicatio; tum eam, quæ eſt ſanctitatis donatio & augmentatio, quando in *ordine ſalutis* nos ita gerimus, vt Spiritus S. opus ſanctificationis ſuæ in nobis rite peragere poſſit, nec impediatur. Non itaque concludere licet: *Sine ſanctificatione, qua Deus nos ſanctificat, nemo videbit Dominum: E. noſtra bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem.* Nam ſi *ſanctificatio* ſumitur de *applicatione meriti Chriſti;* ſenſus hic erit: quod nemo viſurus ſit Dominum, niſi applicatio meriti Chriſti per Spiritum S. & euangelium, quo fides accenditur, fiat. Si autem *ſanctificatio* ſumatur de *donatione ſanctitatis;* nonne dicere poſſumus, Apoſtolum hoc velle, quod nemo in vitam æternam & ad beatificam viſionem ingreſſurus ſit, niſi *in reſurrectione perfecta ſit indutus ſanctitate?* Nonne liceat nobis ſic argumentari: *Sine quo in altera vita nemo viſurus eſt Dominum, id nos hac quoque in vita proſequi debemus: Atqui ſine ſanctificatione &c. Ergo.* Vnde ſane non ſequitur, ſanctitatem *huius vitæ* eſſe *ad ſalutem neceſſariam*, eſſe *conditionem ſine qua non.* Conf. D. SEB. SCHMID. in *commentar. in h. l. p.* 1349. b) Fac, per ἁγιασμὸν, intelligi *opus noſtrum;* nulla tamen vis probandi ineſt argumento. Nam quicunque ſine ſanctimonia, tanquam *requiſito hominis ſaluandi reſpectiuo*, Deum non videbit, illi ſanctimonia, ad videndum Deum eſt neceſſaria; concedo. Sed quicunque ſine ſanctimonia, vt *requiſito hominis ſaluandi abſoluto*, Deum non videbit, illi ſanctimonia ad videndum Deum eſt neceſſaria; nego. Alias eadem ratione argumentor: Sine riſibilitate nemo diſputabit: E. riſibilitas ad diſputandum eſt neceſſaria: Sine connata grauitate aqua baptiſmalis non regenerabit: E. grauitas aquæ ad regenerationem eſt neceſſaria. Nugæ! Verba: *Sine ſanctimonia*, pertinent ad deſcriptionem *ſubiecti*, *non* ad modificationem *prædicati* hoc ſenſu: *Qui non eſt ſanctus, non videbit Dominum;* quia Deus hunc conſtituit ordinem, vt homo renatus, conſecuturus per fidem viſionem Dei beatificam, ſanctitati vitæ ſtudeat.

II. Patientia neceſſaria eſt ad reportandam promiſſionem ſalutis, Hebr. X, 36. Patientia eſt bonum opus: E. quoddam bonum opus ad reportandam promiſſionem ſalutis eſt neceſſarium. Reſp. In fonte eſt vox, ὑπομονή. Intelligit Apoſtolus l. c. ὑπομονὴν lucis, h. e. *perſeuerantem fidem*, ſeu perſeuerantiam fidei: quod liquet a) ex verbo coniugato, ὑπομένειν, Matth. X, 22. ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, *quisquis perſeuerauerit in finem, hic ſeruabitur:* b) E contextu. Nam illam ὑπομονὴν intelligit Apoſtolus, quam v. 35. παῤῥησίαν, & v. 38. πίστιν appellat, & cui ὑποστολὴν, ſubductionem, vel *defectionem a fide* opponit: c) E ſcopo Apoſtoli, qui ſic argumentatur: Ὑπομονὴ vobis eſt neceſſaria. E. nolite abiicere confidentiam fidei. Quod quomodo procedit commodius, quam ſi ὑπομονὴ ſit *perſeuerantia fidei?* Sed eſto, quod intelligatur ὑπομονὴ *crucis*, ſiue *patientia*, adhibita accurata analyſi duæ emergent enuntiationes. Prior eſt: *Renatis opus eſt patientia, vt voluntatem Dei faciant.* Poſterior eſt: *Facientes voluntatem Dei euangelicam*, i. e. credentes in Chriſtum Io. VI, 28. *promiſſionem reportant.*

III. Quicunque mortificando carnem æternum viuent, illis bona opera ad vitam æternam ſunt neceſſaria: Atqui homines iuſtificati &c. Rom. VIII, 13.: Ergo. *Maior* conſtat: quia Paullus promiſſionem vitæ æternæ a conditione mortificationis carnis vult ſuſpenſam eſſe. Reſp. Neg mai. quia iuſtificatorum & æternum victurorum requiſitum abſolutum quidem eſt mortificatio carnis, ſed non reſpectiuum, h. e. inferens cauſſalem relationem ad vitam æternam, tanquam proprium effectum.

Inſtan-

Digitized by Google

Inſtantia I. Conditionalis particula, SI, notat *conditionem*, *ſine qua non.* Reſp. Particula, SI, l. c. notat *conditionem ſubiecti*, & connectit mortificationem carnis cum vita æterna, *non* ratione *influxus*, *meriti*, *aut medii*, ſed ratione *ordinis*, a Deo conſtituti, vt propoſito intelligatur in ſenſu ſpecificatiuo, materiali, vel ſubiectiuo, non reduplicatiuo, formali aut cauſſali.

Inſtantia II. Quia bona opera æternam ſalutem antecedunt, anteceſſu ordinis, poſſunt dici *neceſſaria ad ſalutem*, tanquam *conditio ſine qua non*, quæ non eſt cauſſa proprie dicta. Reſp. a) Non datur *conditio poſitiua & actiua ſine qua non*, quæ *cauſſa non* ſit. b) Actio moralis virtuoſa, qualis eſt bonum opus, *ad obtinendum effectum neceſſaria*, non eſt tantum conditio ſine qua non, ſed *cauſſa meritoria*.

IV. *Confeſſio ore fit ad vitam*, Rom. X, 10. Confeſſio, quæ ore fit, eſt bonum opus: E. quoddam bonum opus fit ad vitam. Reſp. a) Committitur ignoratio elenchi. Nam aliud eſt, *fieri ad ſalutem*; aliud, eſſe *neceſſarium ad ſalutem*. *Hoc* infert *meritum & medium*: *illud* infert qualemcunque *anteceſſum*. Sic ad exiſtimationem viri docti facit titulus Doctoris, ſed non eſt ſimpliciter neceſſarius. b) Per *confeſſionem* intelligitur aut *fides ore declarata*, aut adiunctum fidei, & *opus*, ad ſecundum decalogi præceptum pertinens. Si *prior* ſententia aſſumatur, ſenſus erit: Fides in corde accenſa recipit iuſtitiam merito Chriſti partam, & poſtea ore ſalutem, a Saluatore acceptam, celebrat, & de eadem gloriatur. Sin *poſterior* placeat, mens Apoſtoli eſt: Ore fit confeſſio ad ſalutem, quæ in Chriſto eſt, conteſtandam & declarandam *).

V. Quicunque *operantur ſuam ſalutem cum timore & tremore*, illis bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem: Atqui renati &c: Ergo. *Maior* conſtat: quia nemo ſalutem ſuam poteſt operari, niſi opus ipſius ſit cauſſa ſalutis. *Minor* probatur ex Phil. II, 12. *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini.* Reſp. Quicunque ſalutem ſuam operatur *poſitiuo & efficaci influxu*, illi bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem; concedo. At renati ſuam ſalutem operantur *tantum ſedula mediorum ſalutis vſurpatione*; ſicut ægrotus operatur ſanitatem ſuam non efficienter, ſed admittendo, aut recipiendo remedia. Græcum verbum, ἐργάζεσθαι, non ſemper ſignificat idem, quod *efficere*. Vid. Apoc. XVIII, 17. Io. VI, 27. vbi idem notat, quod *ſedulam nauare operam*, vel re aliqua occupatum eſſe. Monet igitur Apoſtolus, vt Philippenſes & omnes renati occupentur, in cauſſis ſalutis, verbo & ſacramentis, recipiendis & retinendis, non ſine timore cautelæ, vt ſcil. caueant & fugiant peccata proæretica, quibus exſtinguitur fides, & ſalus amittitur.

VI. Ad quod requiritur fides, ad id requiruntur bona opera. Sed fides ſaluifica requiritur ad ſalutem conſequendam: Ergo. *Maior* patet; quia quæ coniuncta ſunt, ea eundem effectum reſpiciunt. Reſp. a) Negando *maiorem*, & ſimili ratione argumentando: Ad quod requiruntur oculi, ad id requiruntur aures cum oculis coniunctæ: Sed oculi requiruntur ad videndum: Ergo & aures. b) Diſt. inter *requiſitum ſubiecti abſolutum*, & *reſpectiuum*. Non omnia, quæ cum ſubiecto abſolute, qua *exſiſtentiam*, ſunt coniuncta, eundem

*) Profeſſio fidei, præſertim eo tempore, quo vexationes multæ magnæque, propter veritatem doctrinæ Chriſti ſubeundæ ſunt, ac ſuſtinendæ, profeſſio igitur eſt ſignum *firmæ & conſtantis* fidei. Atqui ad *iuſtitiam* quidem ſufficit *vera fides*; ad *ſalutem* vero æternam neceſſaria eſt non *vera* ſolum, ſed etiam *conſtans* fides. Hæc mihi ratio eſſe videtur, quam ob rem Vir diuus *iuſtitiam* tribuerit *fidei* in Chriſtum, *ſalutem* æternam adſignarit eiusdem *profeſſioni*.

Digitized by Google

dem reſpiciunt *finem*. Intellectus cum voluntate eſt coniunctus. Ille cognitionem veri, at hic appetitionem boni reſpicit & intendit.

VII. Bona opera ad ſalutem conſequendam aut ſunt neceſſaria, aut arbitraria: Sed non ſunt arbitraria, quia iis omiſſis homo ſalute excidit: E. ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria. Reſp. Datur *tertium*. Bona opera neque ſunt neceſſaria, neque arbitraria ad ſalutem conſequendam, quia ad conſecutionem ſalutis nullum reſpectum *cauſſalem* inferunt; ſunt tamen neceſſaria *neceſſitate mandati*, *debiti*, *ordinis*, *præſentiæ & conſequentiæ*.

VIII. Si ſtudii bonorum operum finis eſt vita æterna, vtique bona opera hunc finem reſpiciunt: Antecedens eſt verum. E. & conſequens. *Conſequentia maioris* eſt clara: quia finis eſt, cuius gratia cauſſa efficiens mediis finem reſpicientibus vtitur. *Antecedentis* veritas liquet ex Rom. VI, 22. Reſp. τὸ τέλος, *finis*, ambigue dicitur. Interdum notat *finem intentionis*, quem media reſpiciunt. Interdum *finem terminationis*, ſiue exitum. Docere voluit Apoſtolus, quod, quem ad modum peccatorum exitus & clauſula finalis eſt mors atque interitus; ita bona opera ſequatur vita æterna, tanquam exoptata clauſula, quoniam opera pietatis vitam æternam ordine, non cauſſali influxu antecedunt.

IX. Si bona opera vitam æternam antecedunt neceſſario, neceſſitate ordinis, inſtar viæ, vtique bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem: Antecedens eſt verum: E. & conſequens. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia via, per quam metam attingimus, hanc metam neceſſario reſpicit. Veritas *antecedentis* patet: quia ſtudium bonorum operum eſt *ſemita mandatorum diuinorum*, Pſ. CXIX, 35. *Eſt via Domini, qua renatis ambulandum eſt*, Pſ. CXLIII, 8. BERNHARD. *l. de grat. & arbitr.* inquit: *Bona opera ſunt via regni, non cauſſa regnandi.* Reſp. a) Diſt. inter viam *in regno*, & *ad regnum Dei.* Via *ad regnum* eſt *Chriſtus*, Io. XIV, 6. Per Chriſtum, qui eſt via efficax doctrina, exemplo & merito, attingimus metam, ſcil. vitam æternam. *Bona opera* ſunt via *in regno gratiæ*, per ſe, proxime & cauſſaliter metam non reſpiciens. b) Licet hæc phraſis: *Bona opera ad ſalutem ſunt neceſſaria neceſſitate ordinis*, aliqua ex parte excuſari poſſit, vt verba, *ad ſalutem*, non *effectum* producendum per opera, ſed tantum *terminum* viæ notent: eſt tamen phraſis ambigua, obſcura & vix eruditis peruia. Nam in tota rerum vniuerſitate non datur actio moralis virtuoſa ad conſequendum effectum ratione ordinis neceſſaria, quæ non ſimul ſit cauſſa meritoria, aut moralis illius effectus. Idcirco a phraſi ambigua merito abſtinemus, & dicimus: *Bona opera*, *ratione ordinis*, *neceſſaria ſunt homini ſaluando*, ſiue æternam ſalutem adepturo.

Inſtantia: Quidquid neceſſarium eſt homini ſaluando, id etiam neceſſarium eſt ad ſalutem. Reſp. Quidquid neceſſarium eſt homini *ſaluando*, *quatenus tali*, in ſenſu *reduplicatiuo*, id neceſſarium eſt ad ſalutem. At bona opera neceſſaria ſunt homini *ſaluando*, non quatenus, ſed *qui* adepturus eſt ſalutem, in ſenſu *ſpecificatiuo*.

X. Neceſſe eſt, vt habeas fidem, te habere bona opera; quia vera fides non eſt ſine bonis operibus: Neceſſe eſt, vt iuſtificeris, vel ſalutem adipiſcaris, te veram fidem habere: E. neceſſe eſt, vt iuſtificeris, vel ſalutem adipiſcaris, te habere bona opera. Reſp. Neg. *mai.* quia illa perinde inepta eſt, ac ſi diceres. Neceſſe eſt, vt habeam bonam arborem, me habere fructus. *Maior* inuerti poteſt: Neceſſe eſt, vt habeas bona opera, te habere veram fidem. Interim bona opera non ſunt neceſſaria ad fidem habendam, ſed ad declarandam & oſtendendam, vt ea innoteſcat, Iac. II, 8.



Digitized by Google

Quæſt. XXII. *Suntne bona opera ad iuſtitiam ſalutemque conſeruandam neceſſaria?*

*Conſeruatur* iuſtitia & ſalus noſtra *non bonis operibus*, ſed *gratia Dei*, *per verbum & ſacramenta* confirmante fidem noſtram, quæ iuſtitiam & ſalutem apprehendit, apprehenſam retinet.

Prob. 1) Ex 1 Petr. I, 5. *Virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem.* Deus gratioſa ſua virtute nos cuſtodit (φρουρεῖ, *præſidio nos munit*) per fidem, quæ media gratiæ reſpicit ad ſalutem, vt ne illa per vim, aut fraudem hoſtium nobis intercipiatur.

2) Ex Rom. V, 1. 2. *Iuſtificati itaque fide pacem habemus cum Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: Per quem & aditum habuimus in gratiam hanc, in qua ſtamus & gloriamur ſuper ſpe gloriæ Dei.* Chriſtiani per fidem non tantum aditum habent ad gratiam, ſed etiam in fide, ex gratia regenerationis collata, ſtant ſtrenuorum ritu militum, qui in acie immoti perſiſtunt, vt ne latum quidem vnguem cedant.

Quæſt. XXIII. *Suntne bona opera meritoria vitæ æternæ?*

Bona opera hominum renatorum, *proprie* loquendo, *non merentur* vitam æternam; quia Deus hanc vi decreti prædeſtinationis a), ratione tam iuris b), quam plenæ poſſeſſionis, *ex gratia in merito Chriſti fundata* c), donat renatis d), quorum operibus etiam omnia & ſingula meritorum requiſita non competunt e).

Obſ. *Nomen meriti* ſumitur *vel proprie, vel improprie.* Meritum *proprie* dictum eſt opus indebitum, quod operarius propriis viribus in alterius commodum facit, vt par labori præmium reſpondeat. *Improprie* meritum ſignificat, quod per modum nudi antecedentis & ratione ordinis, non operis dignitate aliquid impetrat, aut conſequitur. Hoc ſenſu *mereri* dicitur, qui aliquid ab aliquo impetrat, ſeu *conſequitur*, etiamſi id ex gratia, aut liberalitate, ſimiliue modo obtineat, v. gr. mendicus precibus eleemoſynas *meretur*, i. e. *impetrat.* Quo laxiori ſenſu ſcriptores eccleſiaſtici ſæpe vſi ſunt verbo hoc, *meriti.* AVGVSTINVS *l.* I. *de grat. & libero arbitr.* inquit: *Aquæ ſupra firmamentum tam ſublimem locum meruerunt.* Nos in præſentia nomine *meriti* in *propria* ſignificatione vtimur.

Prob. a. Deus *prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ſeipſum, iuxta beneplacitum voluntatis ſuæ*, Eph. I, 5. *Beneplacitum voluntatis diuinæ* eſt miſericordiſſima & gratioſiſſima Dei voluntas. Vnde naſcitur argumentum: Quicunque miſericordiſſima & gratioſiſſima Dei voluntate ad vitam æternam ſunt prædeſtinati, illis *ex gratia*, ſine operum meritis, vita æterna donatur: Atqui renati &c: Ergo. *Maior* claret: quia decreti & ipſius exſecutionis exactiſſimus eſt conſenſus & harmonia.

Prob. b. *Iuſtificamur gratis gratia ipſius*, Rom. III, 24. In iuſtificatione confertur nobis ius ad vitam æternam. Argumentor: Quicunque *gratia diuina*, nullis ſuorum operum meritis prouocata, iuſtificantur, illi ſine vllis operum meritis ſaluantur. Atqui renati &c. Ergo. Maior eſt liquida: quia quibus de cauſſis *ius ad vitam æternam* nobis confertur, iisdem de cauſſis *poſſeſſio vitæ æternæ* nobis conceditur.

Prob. c. 2 Tim. I, 9. *Saluos fecit nos, & vocauit nos vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed iuxta proprium propoſitum, & gratiam datam nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia.* His verbis vult Apoſtolus omnem meriti noſtri reſpectum a ſalute & vocatione noſtra excludi, & *ſolum* cogitari *propoſitum & gratiam Dei.*

Prob.

Digitized by Google

Prob. d. Vita æterna dicitur *χάρισμα*, *donum gratuitum*, Rom. VI, 23. Vocatur etiam *hæreditas*, Gal. III, 18. Sed hæreditas datur citra intuitum meritorum.

Prob. e. *Meritum proprie dictum eſt opus indebitum, quod operarius propriis viribus in alterius commodum facit, vt par labori præmium reportet.* Sed opera noſtra 1) *ſunt debita*, ad quæ iure creationis, redemtionis, vocationis, regenerationis, iuſtificationis & renouationis obligamur. Luc. XVII, 10. *Cum feceritis omnia, quæ mandata ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus; quia, quod debebamus facere, fecimus.* 2) *Non tam ſunt noſtra, quam opera Dei, in nobis operantis.* Chriſtus inquit, Io. XV, 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* 3) *Nihil vtilitatis Deo conciliant*, Iob XXXV, 1. *Si iuſtus ſis, quid dabis illi? Aut quid e manu tua accipiet?* 4) *Sunt imparia regno cæleſti*, perinde, ac hauſtus aquæ impar eſt promerendo regno Galliæ, aut Hiſpaniæ. Accedit, quod quo *minor perfectio bonorum operum noſtrorum* eſt, eo *minor* ſit *συμμετρία* & *proportio impurorum noſtrorum operum ad conſummatiſſimam cæli gloriam*. Rom. VIII, 18. *Arbitror, quod non digna ſint paſſiones præſentis temporis, gloria, quæ reuelabitur in nobis.*

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, ſtatuentium, hominem *nondum iuſtificatum*, naturalibus viribus liberi arbitrii, *merito de congruo* iuſtificationem poſſe promereri; *iuſtificatum* autem bonis operibus, tamquam *merito de condigno*, vitam æternam promereri. Dicitur autem *meritum congrui*, vel *de congruo*: quia congruum ſit, Deumque deceat, homini operanti ſecundum virtutem ſuam naturalem primam gratiam iuſtificationis conferre. *Recentiores nonnulli Pontificii* meritum *congrui* reiiciunt. STAPLETONVS *tom. II. oper. libr. II. de iuſtif. c. 16, p. 265.* ait: *Meritum de congruo, reſpectu primæ gratiæ, iam ex ſcholis catholicis exploſum eſt.* Meritum *condigni* vocant opus procedens ex gratia Spiritus Sancti, qua *iuſtificatus* meretur vitam æternam. Dicitur *de condigno*, quia dignum ſit, huic vitam æternam rependere. 2) *Arminianorum*, ſtatuentium, bona opera quidem non habere proportionem cum vita æterna, ſi ex ſe conſiderentur; habere tamen, ſi ex gratia a Deo acceptentur, & ſecundum moderationem euangelicam conſiderentur. Qui opinionem ſuam tueri nituntur ſequentibus argumentis:

I. Sacræ paginæ teſtantur, opera miſericordiæ aliquam retributionem promereri. Siracides inquit, c. XVI, 14. *Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* Et Apoſtolus Hebr. XIII, 16. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Reſp. Vulgata verſio non fluit pure ex fonte græco. Siracides inquit: Πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποίησον τόπον, ἕκαςος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτȣ̃ εὑρήσει. *Omni eleemoſynæ fac locum: Vnusquisque enim ſecundum opera ſua inueniet.* Nulla hic fit mentio *meriti*. Εὑρίσκειν *non* ſignificat *mereri*, ſed *inuenire*.

Dicis: Aſſerit tamen Siracides: Sed vnusquisque inueniet *ſecundum opera ſua*. Reſp. Aliud eſt, inuenire præmium *ſecundum opera*; aliud eſt, inuenire *propter opera*. Conſequimur præmia *ſecundum* qualitates operum, *non propter* merita.

Locus Apoſtolicus itidem male verſus eſt. Textus originalis ita ſonat: Τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεςεῖται ὁ Θεός, *talibus enim ſacrificiis delectatur Deus.* Vulgata barbare reddidit: *promeretur Deus*, ſenſu paſſiuo, cum tamen verbum *promereor* ſit deponens, quod non habet ſignificationem paſſiuam.

II. Quicunque ſunt digni vita æterna, illam merentur: Atqui homines iuſtificati &c. E. *Maior* conſtat ex Luc. X, 7. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, i. e. meretur ſuam mercedem. *Minor* liquet ex Luc. XX, 35. 2 Theſſ. I, 5. Apoc. III, 4. Reſp. *Dignitas* alia eſt

 *legalis*

Digitized by Google

*legalis*, alia *euangelica*. *Legaliter* nemo dignus eſt regno cœlorum, qui non numeris omnibus perfectam obedientiam legi diuinæ præſtitit; quam tamen in hac infirmitate naturæ nemo præſtare poteſt, Rom. VIII, 3. *Euangelice* digni ſunt, non qui ſe meritis ſuis actiue reddiderunt dignos regno gloriæ, ſed qui paſſiue æſtimantur digni ex gratia ob meritum Chriſti, vera fide apprehenſum.

III. Omnis merces acquiritur meritis operum: nam merces eſt præmium labori æquale: Vita æterna eſt merces, Matth. V, 12. c. X, 42. Reſp. a) Diſt. inter vitam æternam *eſſentialiter* conſideratam, prout conſiſtit in *viſione Dei beatifica*, & conſideratam *accidentaliter*, prout præmia accidentalia vitæ æternæ, ſeu *maiores gradus gloriæ* cœleſtis notat. Vita æterna *omnibus beatis communis* nusquam dicitur *merces*, ſed χάρισμα, Rom. VI, 23. Indicat hoc Saluator, Matth. V, 12. dum non dicit: *Cœlum erit merces*; ſed: *In cœlo merces copioſa erit*. b) Diſt. inter *mercedem ex debito adquiſitam*, & *ex gratia imputatam*, Rom. IV, 4. Vita æterna, *accidentaliter* conſiderata, dicitur *merces ex gratia promiſſa, non ex debito annumerata*. Phraſi ſcripturæ *merces* notat *præmium*, interdum meritis operum reſpondens, interdum gratuitum & liberaliter promiſſum. Sic *liberi dicuntur merces*, Pſ. CXXVII, 3. Ipſe *Deus vocatur Abrahami merces*, Gen. XV, 1.

Inſtantia I. Vita æterna, tanquam merces, ob præſtitum laborem redditur, Matth. XX, 9. *Voca operarios, & redde illis mercedem:* Vbi per *mercedem* intelligitur vita æterna. Reſp. *Denarius & merces*, Matth. XX. *non* notat *vitam æternam*; quia datur etiam *murmurantibus & inuidis*, qui non ſunt hæredes vitæ æternæ. Datur quoque *nouiſſimis*, qui vnam tantum horam laborauerant: Ergo *non ex condigno*. Nam ſi ex rigore legis labori proportionatam annumerare voluiſſet dominus mercedem, vtique ſecundum menſuram exhauſti laboris vni plus, alteri minus diſtribuere debuiſſet. Reddit ergo mercedem ex pacto promiſſam, non ex rigore iuſtitiæ debitam.

Inſtantia II. Omne promiſſum cadit in debitum: E. vita æterna ex debito nobis competit. Reſp. a) *Debitum, ſtricte & proprie* dictum, oritur ex dignitate operis, ad quod perſoluendum aliquis iure quodam ex regula proportionis & lege iuſtitiæ commutatiuæ obligatur: *Late & improprie* dictum debitum naſcitur ex gratuita promiſſione. Indicat hanc diſtinctionem AVGVSTINVS *libr. II. confeſſ. c.* 4. *Deus reddit debita nulli debens*. b) Monent Moraliſtæ, non omnem promiſſionem alteri ius conferre ad rem, velut debitam exigendam. Nam viri potentes & gratioſi interdum ſerio promittunt ſuam commendationem, interceſſionem, promotionem, aut ſuffragium; quæ tamen nolunt iure quodam abs ſe exigi, ſed in ſolidum volunt humanitati ac veracitati ſuæ imputari. Quod attinet ad *promiſſa diuina*, impoſſibile quidem eſt, Deum immutabilem & veraciſſimum ea reuocare; nimis tamen ſuperbum videtur dicere, mortalem ſibi *ex promiſſo* aduerſus *Deum ius quærere*, cenſente SAM. PVFFENDORF. *libr. III. de I. N. & G. c.* 5. §. 6. & 7. Ac ne filius quidem conuenire poteſt patrem, ſi non ſeruetur promiſſum, iudice DANNHAVERO, *hodom. Pap. poſt. p.* 201.

IV. Quicunque reddet vnicuique ſecundum opera, ille in diſtribuendis præmiis dignitatem operum reſpicit: Atqui Deus &c. Rom. II, 5. Matth. XVI, 27. *Maior* conſtat: quia *reddere ſecundum opera*, pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, vi cuius præmium ſecundum proportionem laboris redditur. Reſp. a) Reddet Deus vnicuique *ſecundum opera, non propter* operum *merita*. *Secundum* operum qualitates reddet, ſed *non propter* opera, tanquam *cauſſas meritorias* vitæ æternæ. b) Ex qualitate operum naſcitur eorundem differentia. Si itaque fideles comparentur cum fidelibus, Deus reddet ſecundum opera puriora & plura, maiora præmia: Sin comparentur cum infidelibus, his, vt merentur, pœnas, illis, vt ex gratia digni reputantur, præmia diſtribuet accidentalia, non ipſam vitam æternam.

c) Quando

Digitized by Google

c) Quando particula, SECVNDVM, rationem *cauſſæ* induit, expreſſe negat Paullus, nos *ſecundum opera noſtra ſaluari*, 2 Tim. I, 9.

V. Bona opera ſunt cauſſa vitæ æternæ: E. eam promerentur. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia omnis actio moralis virtuoſa, quæ eſt cauſſa effectus, meritoria eſt. *Antecedens* probatur ex Matth. XXV, 34. 35. vbi Chriſtus dicit: *Tanquam hæreditatem poſſidete regnum: Nam eſuriui, & dediſtis mihi, quod ederem.* Reſp. 1) *Hæreditas non* acquiritur operum *meritis.* 2) Particula, γάρ, h. l. *non* eſt *cauſſalis*, ſeu non denotat cauſſam rei, ſed *ratiocinatiua & euentualis*, deſignans rationem conſequentiæ, vel illationis a poſteriori, ab operibus, *velut fructibus & teſtimoniis fidei*, quæ vera conſequendæ vitæ cauſſa eſt, petitam.

Inſtantia: Adhibetur etiam particula, PER, quæ cauſſalis eſt, 1 Tim. II, 15. *Mulier ſaluabitur per generationem liberorum, ſi manſerit in fide & caritate,* Act. XIV, 22. *Per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum Dei.* Reſp. a) Particula, PER, locis citatis *non* eſt deſignatiua *cauſſæ*, ſed *ordinis* diuinitus conſtituti, vt ſenſus ſit: Mulier *per generationem*, i. e. *in ſtatu* diuinitus ordinato, quo generat liberos, *ſaluabitur:* Oportet nos inter afflictiones a Deo immiſſas ingredi in regnum cœlorum. b) Generatio liberorum eſt opus naturale, adeoque non meritorium vitæ æternæ: Et afflictiones non ſunt bona opera.

VI. Quidquid Deus homini reddit ex iuſtitia, illud reddit ipſi propter merita operum: Vitam æternam &c: E. *Maior* probatur: quia præmia, ex iuſtitia reddita, præſupponunt merita, & his æquantur. *Minor* liquet ex 2 Theſſ. I, 6. 7. *Iuſtum eſt apud Deum, retribuere affligentibus vos, afflictionem; at vobis, qui affligimini, recreationem nobiſcum.* Porro 2 Tim. IV, 8. *vita æterna* dicitur *corona iuſtitiæ*, *quam Deus iuſtus iudex dat diligentibus ſe.* Reſp. 2 Theſſ. I, 7. intelligitur *iuſtitia Dei non commutatiua*, fundata in meritis hominum, ſed *remuneratiua*, fundata in amore Dei & promiſſionibus diuinis gratuitis. Vita æterna dicitur *corona iuſtitiæ*, *partim imputatæ propter meritum Chriſti*, *partim iuſtitiæ*, *veracitatis & conſtantiæ*, qua *Deus promiſſa ſua implet.* Hæc corona datur diligentibus Chriſtum, non quod dilectio ſit cauſſa meritoria ſalutis, ſed quia dilectio eſt *nota & teſtimonium fidei ſaluificæ.*

VII. Quicunque præmia diſtribuit citra intuitum meritorum, ille eſt προσωπολήπτης. Deus non eſt προσωπολήπτης (perſonarum acceptor): E. non diſtribuit præmia citra intuitum meritorum. *Maior* probatur: quia ille eſt προσωπολήπτης, qui reſpicit in diſtribuendis præmiis perſonam, cui fauet, non obſeruatis meritis. *Minor* conſtat ex Act. X, 34. Reſp. Qui præmia, quæ reddere *ex iure debet*, diſtribuit *citra intuitum meritorum*, ille eſt προσωπολήπτης. At *Deus homini nihil debet:* Reſpicit *merita* non noſtra; quippe quæ nulla ſunt, ſed *Chriſti.*

VIII. Quicunque *Domino fœneratur*, ille fœnus iure ſuo repetere poteſt. Atqui homo miſericors &c. Prou. XIX, 17. E. Reſp. Diſt. inter *fœnus proprie*, *& analogice* dictum. *Proprie* loquendo *homo Deo nihil fœnerari* poteſt. Compenſatio diuina *gratuita analogice* dicitur *fœnus.* Sicut enim homo fœnus, ad quod obligatus eſt, ſoluit ex iure: ita Deus eleemoſynas repenſat ex gratia.

IX. Quicunque per obſeruationem mandatorum diuinorum vitam æternam ingreditur, illius bona opera ſunt vitæ æternæ meritoria: Atqui homo renatus &c. Matth. XIX, 17. E. *Maior* probatur: quia obſeruatio mandatorum diuinorum eſt ſtudium bonorum operum, per quod nemo poteſt vitam æternam ingredi, niſi eam mereatur. Reſp. Neg. *mai.* Nam omne *meritum* eſt *indebitum & par mercedi.* At obſeruatio mandatorum diuinorum eſt *debita* ingreſſuris vitam æternam, & *impar regno cœleſti.* Loco citato quæſtio a iuuene propone-

 batur

Digitized by Google

batur *legalis*. Idcirco ſoluitur a Chriſto non ex euangelio, ſed ex hypotheſi legali. Mens Saluatoris eſt: Si bona faciendo vis vitam æternam ingredi, ſerua perfecte mandata diuina; cuius perfectionis δοκιμασία erit venditio bonorum, quæ pauperibus eroganda ſunt. Abiit iuuenis contriſtatus, imperfectionis ſuæ conuictus. Quam ob rem admonitio Chriſti *non confirmatoria*, ſed *refutatoria & correctoria* fuit.

X. Mala opera merentur æternam condemnationem: E, bona opera merentur æternam ſalutem. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia oppoſitorum oppoſita eſt ratio. Reſp. *Conſequentiam* Paullus negat, Rom. VI, 23. *Stipendia peccati mors; donum autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu, Domino noſtro.* Gentiles propter iniuſtitiam ex Palæſtina eiiciebantur, neque tamen Iſraëlitæ propter iuſtitiam ſuam in eam introducebantur, Deut. IX, 4. Inualidum igitur eſt argumentum ab oppoſitis; quia mala opera in gradu perfecto, vel intenſo mala, bona opera imperfecte bona ſunt.

Quæſt. XXIV. *Suntne bona opera pernicioſa ad ſalutem?*

*Tantum abeſt*, vt bona opera credentibus *pernicioſa* ſint, vt potius *per ſe* conſiderata ſint *vtiliſſima* a); *fiducia* autem *ſalutis*, in *meritis* operum collocata, eſt *noxia* b).

Prob. a. Ex 1 Tim. IV, 8. *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ præſentis & futuræ* Neque hæc, neque futura vita pietati debetur, ſed præmia præſentis & futuræ vitæ accidentalia ex beneuola Dei diſpoſitione promiſſa ſunt hominibus piis. Præclare inquit LVTHERVS in *c. III Gal. Extra cauſſam iuſtificationis nemo poteſt vera bona opera ſatis magnifice commendare. Quis vel vnius boni operis, quod Chriſtianus ex fide & in fide facit, vtilitatem & fructum ſatis prædicare poteſt? Eſt enim pretioſius, quam cœlum & terra.*

Prob. b. Ex *ſolid. declarat. Form. concord. p.* 708. *Si quis bona opera articulo iuſtificationis immiſcere, iuſtitiam ſuam, aut fiduciam ſalutis ſuæ in ea reponere, gratiam Dei iis promereri, & per ea ſalutem conſequi velit; reſpondemus non quidem nos, ſed S. Paullus ipſe, idque tertio repetit* (Phil. III, 7.), *quod tali homini opera ſua non tantum ſint inutilia, atque ad ſalutem impedimento; verum etiam pernitioſa: Cuius tamen rei culpa non eſt bonorum operum per ſe, ſed vanæ illius fiduciæ, quæ contra expreſſum Dei verbum in iis collocatur.*

Quæſt. XXV. *Eſtne fiducia iuſtitiæ & ſalutis in bonis operibus collocanda?*

*Fiducia* noſtra *conſequendi iuſtitiam* & *ſalutem non* nititur *noſtris bonis operibus* a), ſed *ſola Dei miſericordia* b), in *Chriſto* mediatore nobis propoſita c).

Prob. a. Ex Rom. IV, 6. *Beatitudo eſt hominis, cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus.*

Prob. b. Ex Dan. IX, 18. *Non ſuper iuſtitiis noſtris deponimus nos preces noſtras coram te, ſed ſuper miſerationibus tuis multis.* Expoſitionis inſtar eſſe poteſt teſtimonium BELLARMINI *libr. V de iuſtific. c.* 7 *Propter incertitudinem propriæ iuſtitiæ, & periculum inanis gloriæ tutiſſimum eſt, fiduciam totam in ſola Dei miſericordia & benignitate reponere.*

Prob. c. Ex 1 Io. II, 1. 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Quod ſi quis peccauerit, paracletum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum, iuſtum. Et ille eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Quæ verba eleganter explicat GREGOR. M. *homil.* 7. *in Ezech. Iuſtus aduocatus noſter iuſtos non defendet in iudicio; quia & nos ipſos cognoſcimus & accuſamus iniuſtos. Non ergo fletibus noſtris, non in actibus noſtris, ſed in aduocati noſtri allegatione confidamus.*

*Antithe-*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, meritis operum ſuorum confidentium. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. Rex Dauid confidebat propriæ iuſtitiæ, ad quam prouocat, Pſ. VII, 9. *Iudica me, Domine, ſecundum iuſtitiam meam.* Reſp. Diſt. *inter iuſtitiam cauſſæ, & perſonæ.* Dauid in *illa cauſſa*, quam aduerſus regem Saulem habebat, & in qua ſeditionis & affectati regni accuſabatur, coram Deo innocens erat: Ceteroqui grandia *ſua peccata* agnoſcit, Pſ. CXXX, 3.

II. Rex Hiskias nitebatur operibus ſuis, ea coram Deo commemorando, Eſ. XXXVIII, 3. Reſp. 1) Commemorat Hiskias opera ſua, *vt fidei ſinceræ effecta* & teſtimonia, non vt fiduciæ ſuæ fundamenta. 2) Hiskias, commemorando, opera ſua, expetit *beneficium corporale*, nempe liberationem ex præſenti morbo & periculo mortis. Iam vero non negatur, quod Deus in huiusmodi bonis reſpiciat etiam vitæ innocentiam. Vid. Pſ. XLI, 1. ſeqq. Neque tamen ex eo ſequitur, fiduciam conſequendi *iuſtitiam & ſalutem* niti operum meritis.

Quæſt. XXVI. *Num intuitu mercedis bona opera facere licet?*

Renati in exercitio bonorum operum *primario gloriam Dei* reſpiciunt a), *ſecundario* autem & filiali affectu *præmia* huius & futuræ vitæ, non vt mercedem debitam, aut herilia ſalaria, ſed *vt dona gratuita* & beneficia diuina, *ad gloriam Dei vltimate terminanda*, reſpicere poſſunt b).

Prob. a. *Omnia ad gloriam Dei facite*, 1 Cor. X, 31.

Prob. b. Quia *pietas ad omnia vtilis eſt, & habet promiſſionem huius & futuræ vitæ*, 1 Tim. IV, 8. danda eſt opera, vt promiſſa piis præmia conſequamur. Conf. Hebr. XI, 26.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, aſſerentium, *mercedis debitæ intuitu* bona opera eſſe facienda. Qui obiiciunt:

I. Promiſſiones retributionum non eſſe fruſtra factas a Deo, & conſignatas in S. ſcriptura, ſed vt renati in praxi pietatis ea reſpiciant. Vid. Gal. VI, 8. 9. 1 Cor. IX, 24. Matth. VI, 33. Reſp. Renatis bene operantibus *primario* ob oculos verſatur gloria Dei, *ſecundario* reſpiciunt promiſſa præmia, quæ *non* poſcunt *ex iure*, ſed exſpectant a *gratia Dei.*

II. Obiiciunt exempla: a) Moſis, qui reſpexit μισθαποδοσίαν, Hebr. XI, 26. b) Paulli, ſummo ſtudio contendentis ob brabeum, Phil. III, 14. Reſp. ad a): Moſes reſpexit *non mercedem debiti, ſed gratiæ.* Etenim *Deus, qui in futura vita beatis eſt omnia in omnibus*, 1 Cor. XV, 28. *merces ipſius erat*, Gen. XV, 1. Ad b): Paullus reſpexit brabeum, *non* vt ſalarium *ex debito* imputandum, ſed *vt donum* & beneficium Dei, ex gratia promiſſum: Reſpexit illud affectu *non ſeruili*, aut mercenario, ſed *filiali.*

Quæſt. XXVII. *In quo opere potiſſimum conſpicitur exercitium fidei & praxis pietatis?*

*Opus Deo gratiſſimum*, quo hominum renatorum vera fides & cultus Dei interior potiſſimum exſeritur & exercetur eſt *oratio*, ſiue *precatio.*

Prob. Ex Gal. IV, 6. *Quia eſtis filii, emiſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem, Abba! Pater!* Renati ſunt *filii Dei per fidem in Chriſtum*, Gal. III, 26. Hanc ſuam fidem exſerunt *clamore filiali, a Spiritu S. excitato: clamat* enim *Spiritus S. cum nos clamare facit.* Renati Deum inclamant & compellant: *Abba! Pater!* Quo ipſo *filialem* ſuam *fiduciam* in paterna Dei beneuolentia defixam teſtantur. Agimus itaque hic de *oratione*, vt

inſigni

Digitized by Google

inſigni *fructu fidei* *), & opere tum interno, tum externo, de quo haud male iudicat D. W. LYSERVS: *Fidelis oratio eſt reale exercitium atque praxis omnis cultus interioris, ex prima tabula æterno Numini conuenientis*, in *ſyſtem. theol. p.* 463.

Quæſt.

*) Generatim mihi diſſerendum adhuc erit de eo: quod, & qua ratione, bona opera omnia, nullo demto, ſint neceſſarii fructus atque effectus fiduciæ ſalutaris & haud fucatæ. *Neceſſarium effectum* dico eum, qui a certa quadam cauſſa & *ſola*, & *ſemper* profertur, vt is nunquam poſſit eſſe ſine hac cauſſa, ſemper non poſſit non eſſe per hanc cauſſam. Neceſſariam hanc conſequutionis rationem, quod, & quo modo, bona opera ex vera in Chriſtum fide efficiantur, perſpicuis argumentis explicari ac probari vnquam poſſe, nimium confidenter negauit perſonatus ille MELODIVS, qui ſimul acerbe perſtrinxit verba b. LVTHERI noſtri, in aurea ipſius præfatione, litteris ad Romanos præmiſſa, quæ ipſa verba merito adprobata ſunt in noſtra *Declar. Form. Conc. c. IV. p. 701.* Demonſtrationem a priori, quam ille quidem fieri nunquam poſſe ratus eſt, perficiam vi trium principiorum. Nec noui aliquid proferam. Theologi noſtrates dudum argumentati ſunt ex ipſa natura fiduciæ ſalutaris.

*Principium* I. Fiducia ſalutaris in Chriſti promeritis poſita, & ea quidem vna, viribus nos inſtruit omnibus, bono operi cuique ſufficientibus. 2 Petr. I, 3.

*Explicatio.* In omni actione morali, quatenus eſt moralis, *vires* ad agendum ſat idoneæ ſunt *principia* atque *argumenta*, & intellectum *docentia*, & voluntatem *mouentia*, ſatis *cognita* ac *percepta.* Principia *officiorum* hominis erga Deum *omnium* ſunt *beneficia*, diuinitus in nos collata, eorumque recta atque integra *cognitio.* Gratia Dei nobis reconciliati, ac ſalus noſtra per Chriſtum recuperata, eſt profecto *beneficium* omnium *maximum*, tam dignitate, quam amplitudine. E. cognitio veritatum ſalutarium, quæ ad fidem in Chriſtum pertinent, ſi ea ſit vera, certa atque integra, continet in ſe cognitionem etiam noſtræ erga Deum & Chriſtum *obligationis maximæ*, Rom. VIII, 12. præſertim quum hæc obligatio ſit *finis* quidam beneficiorum Dei per Chriſtum, Luc. I, 74. 75. atque adeo *conditio neceſſaria*, cum tantis beneficiis bene locatis coniuncta, 2 Petr. I, 4.

*Explicato* huic principio theologico adiungenda ſunt duo *axiomata* philoſophica:

1) Intellectus, cognitione principiorum atque argumentorum, ad actiones ſpectantium, vera, certa atque integra præditus, vt nullus intercedat error, nulla dubitatio, nulla præiudicata opinio, is igitur *neceſſitate morali* voluntatem ad agendum determinat. Nil poteſt fieri ſine ratione: Rationes ſunt in intellectu: Nulla igitur vnquam eſſe poteſt voluntatis ad agendum determinatio, nulla igitur actio, ſine cognitione ac iudicatione intellectus, aut vera, aut falſa, ſiue omnino, ſiue aliqua ex parte. Nec aliter fieri poteſt actio, quam cognitioni principiorum atque argumentorum conuenienter. Qualis & quanta cognitio in intellectu eſt, talis ac tanta non poteſt non eſſe voluntatis ad agendum determinatio.

2) Quicunque vehementer adpetit ſummum quoddam beneficium, immo etiam eo iam ſibi impertito gaudet, is libenter quoque ac ſummo ſtudio obſeruat conditiones adiunctas, ordinem conſtitutum, ſuumque officium ex beneficii fructu exortum. Et quicunque ardenter cupit optatque finem, is non minus ardenter adpetit auideque arripit ea omnia, quæ ad illum finem pertinent, arcteque cum eo copulata ſunt.

*Adſumtio*: Atqui, vt fruamur ſummo Dei beneficio, fiducia ſalutari accipiendo, quod Ieſus noſter liberaliter nobis pollicetur: *δεῦτε πρός με πάντες*, hic nobis ordo præſcriptus eſt: quid debeat præcedere, nimirum vt ſimus *κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι*· quid debeat ſubſequi: *ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς καὶ μάθετε ἀπ' ἐμοῦ.*

*Conſequutio*: Ergo tanti beneficii cognitio vera, certa atque integra, *neceſſitate morali* animum efficit promtum paratumque ad omnia officia libentiſſime præſtanda.

*Principium* II. Cognitio vera, firma atque integra beneficii, quo Deus nos auxit, omnium maximi, non poteſt non animum incendere ardentiſſimo in Deum amore, 1 Io. IV, 19. Ea vero eſt natura huius in Deum amoris, vt is valeat ſummum excitare atque augere ſtudium, Deo placendi, ac rem noſtram ſemper diuinæ voluntati congruenter peragendi; vt promtum etiam hilaremque efficiat animum, quo imperata haud inuiti faciamus, 1 Io. V, 3.

*Principium* III. Vera in Chriſto fiducia vincit omnia impedimenta virtutum, atque irritamenta malorum, 1 Io. V, 4.

*Expli-*

Digitized by Google

Quæſt. XXVIII. *Quid eſt oratio generatim conſiderata?*

*Oratio* eſt actus religioſus, quo homo conuerſus & renatus, ductu Spiritus S. Deum vnitrinum vera cordis fiducia, Chriſti mediatoris merito & interceſſione innixa, ſupplex compellat, ad Dei gloriam & ſuammet ac aliorum ſalutem. *Orationis definitio.*

Quæſt. XXIX. *Quomodo diuiditur oratio?*

Oratio diuiditur a S. Paullo in δέησιν, ſiue deprecationem, προσευχὴν precationem, ἔντευξιν, interpellationem, & εὐχαριστίαν, ſiue gratiarum actionem. *Orationis diuiſio.*

Prob. Ex 1 Tim. II, 1. *Hortor igitur primo omnium fieri* δεήσεις, *deprecationes*, προσευχὰς, *obſecrationes*, ἐντεύξεις, *interpellationes*, εὐχαριστίας, *gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Δέησις, ſiue *deprecatio* eſt, qua petimus auerſionem alicuius mali, quod aut nos premit, aut nobis imminet: Προσευχὴ, ſiue *precatio* eſt, qua petimus nobis conferri bona corporalia & ſpiritualia: Ἔντευξις, *interpellatio*, *ſiue interceſſio* eſt, qua pro aliis intercedimus, vt Deus ipſis vel bonum aliquod impertiat, vel malum aliquod ab ipſis auertat: Ευχαριστία, ſiue *gratiarum actio* eſt, qua Deo pro beneficiis, in nos vel alios collatis, gratias agimus.

Quæſt. XXX. *In quo formaliter conſiſtit oratio?*

Oratio *formaliter* conſiſtit in *fiduciali compellatione Dei.*

Prob. Forma orationis complectitur 1) *fiduciam*, *in merito Chriſti*, & eo parta miſericordia Dei defixam, iuxta illud Iacobi I, 6. *Petito in fide*, *nihil addubitans:* 2) venerandam *æterni Numinis compellationem*, non quidem quod ſemper verba ex ore emittenda, & profe- *Orat. forma.*

*Explicatio:* Κόσμος, hoc in loco, eſt libido peccandi, atque adeo vniuerſum genus prauarum cupiditatum (per loc. parall. 1 Io. II, 16.). Ratio nominis ſita eſt in eo: quod in omni illecebra peccandi, cui homo indulget atque obtemperat, mens ipſius tota a Creatore deflectit, eiusque turpiter oblita, omnem animi voluptatem in rebus creatis, immo in peruerſo earum vſu, fruſtra quærit. Atqui vetita cupiditas ſemper eſt cauſſa conſummati peccati cuiusque voluntarii, Iac. I, 14. E. vi ſalutaris fiduciæ, quæ peccandi libidinem longe omnem multumque ſuperat, non poteſt non effici virtutis ſtudium, ac bonorum operum omnium exercitatio.

*Illuſtratio* ex hoc *axiomate*: Bonum quoddam *maius*, ſimul *certius*, ſatis *cognitum*, atque adeo *firma fiducia* acceptum, ſemper iudicamus *anteferendum minori*, valdeque *incerto*.

*Adſumtio:* Atqui ſalutaris cognitio Chriſti nobis adfert *bonum ſummum*, omnibus terrenis voluptatibus & *multo maius* ac præſtabilius (Rom. VIII, 32.) & longe *certius* (ibid. v. 38. 39. add. 1 Io. II, 17. 2 Tim. IV, 8. & 18.). Id eſt, quod PAVLLVS dicit, ὑπερέχον τῆς γνώσεως (Phil. III, 8.), ideoque concludit: ὑπερνικῶμεν ἐν τούτοις πᾶσιν (Rom. VIII, 37).

*Conſequutio:* Ergo ſalutaris cognitio Chriſti, modo vera ſit ea, certa, atque integra, voluptates terrenas ac peccandi illecebras omnes ita ſuperat, vt nulla vsquam reportata ſit excellentior victoria.

*Argumentationis conſummatio*: Cum adſunt omnia, ad agendum requiſita, *actio* nunc eſt *moraliter neceſſaria.* Omnino *tria* ſunt, quæ ad actionem vnam quamque requiruntur: 1) vires ſufficientes: 2) ſtudium ac voluntatis inclinatio: 3) impedimentorum omnium deſtructio. Atqui ſalutaris fiducia in Chriſti promeritis collocata, & ſola quidem ea, 1) vires in nos confert omnes, bonis operibus vniuerſis ſufficientes (per *princip. I.*): 2) ſtudium ſummum ac voluntatem promtiſſimam ad præſtandum Deo obedientiam incitat, in diesque cumulatius auget (per *princip. II.*): 3) impedimenta bonorum operum vincit omnia (per *princip. III.*): E. fiduciæ ſalutaris, ſeu *fidei in Chriſtum*, *neceſſarii effectus* ſunt bona opera ad vnum omnia.



Digitized by Google

proferenda ſint, ſed & verbum in corde credentis formatum per ſola quandoque *ſuſpiria* ſufficit. Precatio enim præcipue in *eleuatione cordis ad Deum* conſiſtit: quod tamen non eſt excluſiue accipiendum, ſed cum lingua a Deo vt organum tum laudum, tum etiam querelarum conceſſa ſit, & illa ratione aſſignati finis ad Deum referenda eſt. Confer. LYSER. *l. c.*

Quæſt. XXXI. *Quæ eſt cauſſa efficiens orationis?*

*Orat. cauſſa efficiens.*

*Cauſſa efficiens principalis* orationis eſt Spiritus S. a). Cauſſa *ſubordinata & ſubiectum denominationis* eſt homo conuerſus & renatus *non* per vires *naturales* ſed *ſupernaturales*, a Spiritu S. in regeneratione acceptas, preces Deo gratas fundens b).

Prob. a. Spiritus S. eſt *ſpiritus precum*, Zach. XII, 11. non ſolum, quia nos recte orare docet & compellit, ſed etiam quia ipſas preces in nobis excitat & format. *Per Spiritum S. enim clamamus: Abba! Pater!* Rom. VIII, 15.

Prob. b. Cauſſa *ſubordinata*, ſiue *ſecundaria* orationis, & *ſubiectum denominationis*, ſiue *adorator*, eſt homo conuerſus & renatus, qui peccata ſerio cum dolore deteſtatur, & vera fide Chriſto adhæret. Eiusmodi *verus adorator Deum in ſpiritu & veritate adorat*, Io. IV, 24. vbi Saluator ſpiritum hypocriſi, veritatem vmbris & cærimoniis Leuiticis opponit. In *Spiritu* fieri debet cultus Dei, ita vt a Spiritu S. mandatus, & in verbo Spiritus definitus ſit, neque in externis moribus, aut ſpecie ac ſimulatione exteriore conſiſtat; ſed in veris internis, a Spiritu S. excitatis, fidelis cordis motibus, quos caro, aut ratio hominis non poteſt efficere, aut elicere, ſed oportet eſſe *fructus Spiritus*, qui mentem illuminat, cor mundum creat, & in nobis interiores motus cordis, deuotionem, gemitus, preces operatur. Confer. D. CALOVIUS in *bibl. illuſtrat.* in *h. l. fol.* 716.

Quæſt. XXXII. *Quis eſt inuocandus & adorandus?*

*Obiectum orationis ſiue inuocationis.*

*Inuocandus & adorandus* eſt *ſolus Deus triunus* a), Pater b), Filius Dei, qui eſt Chriſtus θεάνθρωπος c) & Spiritus S. d).

Prob. a. Ex Matth. IV, 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Confer. Deut. VI, 13. Eſ. XLII, 8.

Prob. b. Ex Io. XVI, 23. *Amen, Amen dico vobis: Quæcunque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis.*

Prob. c. Ex Io. V, 23. *Omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem.* A cultu adorationis non excluditur *humana Chriſti natura*, ſed eadem, *in vnione perſonali* cum ipſa natura diuina τοῦ λόγου, *vna eademque adoratione* colenda & adoranda eſt, Phil. II, 9. Apoc. V, 12.

Prob. d. Ex 2 Cor. XIII, 13. *Communicatio Spiritus S ſit vobiſcum!*

Quæſt. XXXIII. *An etiam ſancti demortui ſunt inuocandi?*

*De inuocatione ſanctorum demortuorum.*

*Sancti demortui non* ſunt *inuocandi.*

Obſ. Debitum *honorem* non detrahimus ſanctis defunctis, neque eos contumelia afficimus, ſed eosdem *religioſe colendos*, inuocandos & adorandos eſſe, negamus. Alius enim *cultus* eſt *religioſus*, qui competit *ſoli Deo*, ob eſſentiam independentem, omnipotentem, omnipræſentem, omniſciam, miſericordiſſimam: Alius eſt *non-religioſus*, competens creaturis

Digitized by Google

turis a Deo dependentibus, quibus ob *maiorem* quidem *excellentiam* maior competit honos, at non-religioſus. *Auguſtana* noſtra *confeſſio artic*. XXI. debitum ſanctis in Domino demortuis honorem defert: *de cultu ſanctorum docent* (eccleſiæ noſtræ), *quod memoria ſanctorum proponi poſſit, vt imitemur fidem eorum, & bona opera iuxta vocationem.* Approbamus igitur illud AVGVSTINI *libr. de vera relig. c. 55. Honorandi ſunt ſancti propter imitationem, non adorandi propter religionem.*

Prob. 1) *Solus Deus religioſe inuocandus eſt*, Deut. VI, 3. Matth. IV, 10. Exod. XX, 3. Eſ. XLII, 8. E. ſancti defuncti religioſe inuocandi non ſunt.

Excipiunt *Pontificii*, & dicunt, diſtinguendum eſſe inter λατρείαν & δουλείαν. Illam ſoli Deo; hanc etiam ſanctis demortuis competere. Addunt etiam ὑπερδουλείαν, quam humanæ Chriſti naturæ aſſignant & B. virgini Mariæ. Sed reſpondemus, quod δουλεία *primæ tabulæ* nihil aliud ſit, quam λατρεία, qua Deo ſeruiendum eſt, Matth. IV, 10. At δουλεία ad *ſecundam tabulam* decalogi pertinens eſt vel *officioſa*, quæ exhibetur ſuperſtitibus, vel *memorialis*, quam defunctis ſanctis non detrahimus. Ὑπερδουλεία autem eſt monſtrum vocabuli & rei, a Scholaſticis excogitatum.

2) Is, qui *religioſe* inuocatur, debet eſſe a) omniſcius & καρδιογνώστης, vt preces noſtras & gemitus exaudire queat, Pſ. XIIX, 20. & b) omnipotens, vt afflictis opem ferre queat, Exod. XV, 2. Pſ. LXII, 9. At ſancti non ſunt omniſcii & καρδιογνῶσται, 1 Reg. VIII, 39. Eſ. LXIII, 16. neque omnipotentes, Gen. XVII, 1. Ergo ſancti demortui non ſunt religioſe inuocandi.

Excipiunt *Pontificii:* a) Quod ſancti in eſſentia Dei, velut ſpeculo, videant clare atque diſtincte creaturas, atque adeo noſtras preces. b) Quod Deus noſtros gemitus illis reuelet. Reſp. ad a): Sancti, vi beatificæ viſionis, id, quod in Deo eſt, actu & formaliter vident, non autem cognoſcunt id, quod in Deo eſt virtualiter & eminenter. Ad b): Si Deus preces & gemitus noſtros ſanctis reuelat, quomodo ſancti demortui preces noſtras ad Deum perferunt?

3) In quem non credimus, illum non debemus religioſe inuocare, docente Paullo, Rom. X, 14. Atqui in ſanctos demortuos non credimus: credimus enim in ſolum Deum: Ergo.

4) Inuocatio ſanctorum in verbo Dei non præcepta, ſed potius præcepto primo prohibita eſt: E. eſt ἐθελοθρησκεία, a Deo damnata, Coll. II, 23. Matth. XV, 13.

5) *Solus Chriſtus* inuocandus eſt, vt *mediator & interceſſor* noſter apud Deum, 1 Tim. II, 5. 1 Io. II, 1.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, ſanctos defunctos vtiliter inuocari poſſe. Qui argumentantur:

I. Si compellamus ſanctos viuos, vt pro nobis orent, compellare etiam poſſumus ſanctos demortuos, vt pro nobis intercedant: Antecedens eſt verum: E. & conſequens. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia ſancti demortui Deo ſunt propiores, atque adeo melius pro nobis intercedere poſſunt, quam homines viui. Reſp. Diſt. *inter compellationem viuentium officioſam, & inuocationem ſanctorum defunctorum religioſam.* Compellatio viuentium non procedit ex religioſo adorationis cultu, ſed ex fraterno affectu. *Sancti viuentes* norunt noſtras neceſſitates, ſed *defuncti* eas in ſpecie non norunt. Compellatio *viuentium* in S. Scriptura habet fundamentum, ſcil. mandatum & exemplum. Vid. 1 Theſſ. V, 25. Iac. V, 16. Vtroque deſtituitur *religioſa* ſanctorum *demortuorum* inuocatio.



Digitized by Google

II. Nullum Principem, aut Regem audemus adire, ſine ſecretario, aut alio interceſſore: Ergo multo minus conemur adire Deum, ſine interceſſore quodam ſancto. Reſp. Diſt. *inter regnum Chriſti myſticum, ſiue ſpirituale, & regnum aliquod politicum, ſiue temporale.* In regno *politico* vſitatum eſt, non ſtatim adire regem, vel principem. Sed vti alicuius interceſſione, nempe conſiliarii aut ſecretarii. Sed in regno Chriſti *myſtico* vnusquisque apparere poteſt coram Patre cœleſti, ſine interceſſione ſanctorum: nitimur enim *interceſſione Chriſti*, vnici noſtri mediatoris.

III. Quicunque pro nobis intercedunt, illi tanquam interceſſores poſſunt a nobis inuocari: Atqui ſancti demortui &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia boni interceſſoris auxilium vtiliter implorari poteſt. *Minorem* concedit *Apolog. Auguſt. Confeſſ.* p. 224. & poteſt confirmari ex Ier. XV, 1. Apoc. V, 8. Reſp. 1) Diſt. inter *interceſſionem generalem, & ſpecialem.* Apol. Aug. Confeſſ. concedit, quod ſancti defuncti orent in genere pro *vniuerſa* eccleſia: ſed ſicut ſingulorum ignorant gemitus; ita pro *ſingulis in ſpecie* non intercedunt. 2) Etiamſi beati in cœlo orent pro eccleſia; non tamen ideo inuocandi ſunt. Nam & Chriſtiani viuentes in Aſia, aut Africa pro eccleſia Chriſti orant: neque tamen fas eſt inuocando eos compellare.

Quæſt. XXXIV. *Suntne imagines Chriſti & ſanctorum religioſo cultu venerandæ?*

*De veneratione imaginum.*

*Imagines Chriſti & ſanctorum* neque cultu *religioſo directo & terminatiuo* a), neque cultu *religioſo analogico & reductiuo* venerandæ ſunt b).

Prob. a. Cultus *religioſus directus* competit *ſoli* Deo omnipræſenti, omniſcio, omnipotenti & infinite miſericordi.

Prob. b. 1) Cultus imaginum *analogicus & reductiuus* (qui redundare, vltimate referri & terminari debet non ad imaginem, ſed ad ipſum prototypum) nullum habet mandatum diuinum, neque vllum exemplum in ſacris litteris. E. eſt ἐθελοθρησκεία, cultus electitius.

2) Dei omnipræſentis & omniſcii cultus imagini, aut ſtatuæ non eſt alligandus, cum in omnibus locis citra intuitum imaginum eundem venerari poſſimus.

3) Cultus imaginum *reductiuus* ſapit gentiliſmum. Nam teſte LACTANTIO *lib. II. inſtitut. c. II.* gentiles idololatriam hoc prætextu excuſauerunt, quod non adorent ipſa idola, ſed per illa Deum: Quibus reſpondet LACTANTIVS: *Cur igitur oculos in cœlum non tollitis?* Cum Iſraëlitæ aureum vitulum ſibi formarent, vitulo cultum directe non tribuebant, ſed volebant hunc eſſe typum permouentem in deuotiorem Dei cultum.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, cultum imaginum *analogicum & reductiuum* defendentium, quorum argumenta leuicula in ſummam contrahemus. Obiiciunt: I) Iſraëlitæ adorarunt arcam, ſuper quam erant Cherubim, Exod. XXV, 22. II) Iidem aſpexerunt ſerpentem æneum, vt ſanarentur, Num. XXI, 8. E. & nobis licet in cultu noſtro aſpicere imagines. III) Per imagines miracula facta ſunt, teſte EVSEBIO *libr. VII. hiſtor. Eccleſiaſt. c.* 14. IV) Principum imagines honorantur: E. honorandæ ſunt imagines Chriſti & ſanctorum. Reſp. ad I): Iſraëlitæ non adorarunt *arcam* fœderis, ſed *ad arcam.* Fuit arca *non obiectum* adorationis, ſed *locus* manifeſtationis gratioſæ præſentiæ diuinæ. Ad II): Non omne, quod in ſublimi poſitum adorantes aſpiciunt, eſt adorationis obiectum. Nam adorantes plerumque cœlum intuentur: Ergone cœlum adorant? Ad III): Non omne, per quod miracula fiunt, adorandum eſt: ceteroqui etiam baculus Moſis fuiſſet adorandus, per quem multa ſunt facta miracula. Ad IV): Imagines principum honorantur ciuiliter: At cultum ciuilem, ſiue *externum*, neque nos imaginibus Chriſti & ſanctorum detrahimus.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXXV. *Quæ cauſſæ mouent & impellunt homines ad orandum?*

*Cauſſæ impulſiuæ* orationis ſunt: a) *voluntas Dei* declarata *mandato* & *promiſſo* diuino: b) *noſtra indigentia* & neceſſitas: c) *precum vtilitas.* *Cauſſæ impulſiuæ orat.*

Prob. a. *Tergeminum mandatum* Chriſti legimus, Matth. VII, 7. *Petite, quærite, pulſate.* *Tergeminum* etiam additur *promiſſum*: *Accipietis, inuenietis, aperietur.*

Prob. b. Ex Eſ. XXVI, 16. *Jehouah, in anguſtia quæſiuerunt te.*

Prob. c. Ex Io. XVI. 23. *Amen, Amen dico vobis, quod, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Quæſt. XXXVI. *Quænam petenda ſunt a Deo?*

*Petenda* ſunt a Deo *bona corporalia* & *ſpiritualia.* Bona *corporalia* a Deo petenda & exſpectanda ſunt *cum conditione* diuinæ voluntatis, & ſine præſcriptione modi, aut temporis a). Bona autem *ſpiritualia* & cœleſtia ſimpliciter & *ſine conditione* expetenda ſunt b). *Obiectum.*

Prob. a. Ex Io. V, 14. Hæc eſt παῤῥησία, *fiducia, quam habemus apud Deum, quod, ſi quid petamus ſecundum voluntatem eius, audiat nos.* Quare ſemper reſpicienda eſt voluntas Dei in petitione bonorum corporalium; quia Deus melius nouit, quid proſit nobis, quam nos ipſi. Sic voluntati diuinæ ſe totum permiſit Dauid, 2 Sam. XV, 25. leproſus ille, Matth. VIII, 2. quin & ipſe Chriſtus in ſtatu profundiſſimæ exinanitionis, Matth. XXVI, 39.

Prob. b. Bona ſpiritualia & cœleſtia ſimpliciter, abſolute & abſque conditione in verbo diuino nobis promiſſa ſunt. 1 Tim. II, 4. Luc. XI, 13. E. eadem ſine conditione expetenda ſunt.

Quæſt. XXXVII. *Pro quibus orandum eſt?*

Orandum nobis eſt tum *pro nobis* ipſis a), tum *pro aliis hominibus*, & quidem *in genere* pro omnibus b), *in ſpecie* pro fidelibus c). *Subiectum.*

Prob. a Ex Pſ. L, 15. *Inuoca me in die anguſtiæ: Eripiam te & honorabis me.*

Prob. b. Ex 1 Tim. II, 1 *Adhortor, vt ante omnia fiant deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus.* Pro infidelibus & inimicis precamur, vt Deus illos illuminet & conuertat.

Prob. c. Spirituales fratres *pro ſe inuicem* orant, 1 Theſſ. V, 25. vt in fide perſeuerent.

Quæſt. XXXVIII. *Eſtne orandum pro defunctis?*

Pro hominibus *pie defunctis non* ſunt fundendæ *preces meritoriæ*, aut *ſatisfactoriæ*, neque *impetratoriæ*, propter quas Deus pœnæ, poſt culpam remiſſam reſiduæ, gratiam faciat poſt hanc vitam.

Obſ. *Non omnes preces* pro *defunctis* cum AERIO improbamus. Nos (verba ſunt *Apologiæ Aug. Confeſſ. p.* 274.) *orationes pro mortuis non prohibemus, nec Aërio patrocinamur.* Nimirum non reiicimus, ſed retinemus *commemorationem pie defunctorum encomiaſticam*, nec non *preces euchariſticas* pro beato deceſſu ex hac vita, & *votiuas*, quibus animæ a corpore ſolutæ requiem in cœlis beatam, corpori tranquillam in terræ gremio cubationem, & vtrique

vt ique in extremo die redunitionem glorioſam apprecamur. Vouemus autem animæ requiem beatam, non quia eam nondum adepta eſt, ſed quia dulcem requiem animæ piæ ſincere cupimus, & gaudiorum perpetuitatem ipſi optamus. Sunt ergo *preces eucharisticæ* & *votiuæ* caritatis noſtræ erga defunctos luculenta ſymbola.

Prob. 1) A mandati promiſſique diuini & approbati exempli defectu. In tota quippe ſcriptura canonica V. & N. T. nullum *mandatum*, nullum *promiſſum* diuinum, nullum *exemplum* de oratione pro mortuis inuenimus. Quidquid autem ſacri cultus exhibendi cauſſa ſine mandato promiſſoque diuino ſuſcipitur, illud eſt ἐθελοθρησκεία.

2) Ab analogia fidei. Defuncti enim vel ſunt *beati*, & ſic precibus noſtris non indigent; vel *damnati*, & ſic precibus noſtris iuuari non poſſunt: *Manet enim ira Dei ſuper ipſos*, Io. III, 36.

3) Sola Chriſti interceſſio eſt meritoria & ſatisfactoria: Preces noſtræ merendi & ſatisfaciendi vim non habent.

4) Qui in fide Chriſti decedunt, abſoluuntur tam a culpa, quam a pœna; remiſſa culpa, nulla metuenda eſt pœna.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, aſſerentium, orandum eſſe pro defunctis, vt a pœna poſt remiſſam culpam temporali reſidua liberentur. Vrgent potiſſimum exemplum Iudæ Maccabæi, qui miſiſſe dicitur 2000 drachmas argenti pro mortuis expendendas, & mandaſſe, vt pro defunctis oraretur, 2 Maccab. XII, 42. ſeq. Reſp. 1) Libri Maccabæorum non ſunt in canone. 2) Iudas Maccabæus ſacrificare & orare iuſſit ὑπὲρ νεκρῶν, *propter mortuos*, vt vocula ὑπὲρ denotet *cauſſam precum*, ne ſcil. peccatum mortuorum populo ſuperſtiti imputaretur. Optime enim nouerat, quod enormia quædam peccata interdum toti populo imputentur; quomodo Deus olim temporibus Ioſuæ propter peccatum Achanis totum populum puniuit, Ioſ. VII, 11. 3) Si vel maxime Iudas pro mortuis ſacrificaſſet, & orare iuſſiſſet; hoc tamen exemplum nihil probaret, quia deſtituitur mandato diuino.

### Quæſt. XXXIX. *Quis eſt finis orationis?*

*Finis orationis.* *Finis* orationis eſt tum *gloria Dei* a), tum *noſtra & aliorum ſalus temporalis & æterna* b).

Prob. a. Veri adoratores tribuunt *ſoli Deo* gloriam omnipotentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ, infinitæ miſericordiæ, Eſ. XLII, 8.

Prob. b. Ex parte *noſtri*, fines & effectus precum ſunt varii: Spiritus S. & donorum ſpiritualium impetratio, auxilii temporalis conſecutio, & æterna præmia.

### *SVSPIRIVM.*

Sine ductu & auſpiciis tuis, Deus ſanctiſſime, nihil boni cogito, molior, expedio. Tu iubes, quod vis, & das, quod iubes. Ex gratia das velle, das operari, & quidquid in nobis, ac per nos operaris, coronas. Da, quæſo, mihi Spiritum tuum, ſanctitatis auctorem. Da bene operandi facultatem, vt mala opera deteſtando, & virtutes Chriſtiano dignas excolendo tibi ſeruiam, tibi adhæream, tuæ gloriæ velificer!

THEOL.

Digitized by Google

THEOL. PART. III. SECT. II.

CAPVT IX.

# DE MEDIIS SALVTIS ISAGOGICIS, SIVE EXSECVTIVIS,

## IN SPECIE, DE MORTE ET RESVRRECTIONE MORTVORVM.

Quæſt. I. *Quid ſunt media ſalutis exſecutiua & iſagogica?*

*Media* ſalutis *exſecutiua* & *iſagogica* ſunt media diuinitus ordinata, ſine quorum anteceſſu Deus glorificationis ſententiam non exſequitur, & quorum interuentu proximo homines, perſeueranter fideles, in ſummam beatitudinem introducuntur, quæ ſunt: *mors* a), *reſurrectio mortuorum* b), *extremum iudicium* c), & *conſummatio ſæculi* d). *Media ſalutis exſecutiua & iſagogica.*

Obſ. I. *Media ſalutis* in ſenſu *ſtrictiori* dicuntur *media cauſſalia*, qualia ſunt tum *exhibentia*, verbum Dei & ſacramenta, tum medium *recipiens*, quod eſt fides in Chriſtum. At mors, reſurrectio mortuorum, extremum iudicium & conſummatio ſæculi, dicuntur *media ſalutis* in ſenſu *latiori*; quia ſunt *media ordinis*, diuinitus conſtituti, ſine quorum anteceſſu nemo in æternam gloriam immittitur. Vt enim *via* eſt aliquid *intermedium* inter *terminum* motus *a quo*, & terminum *ad quem*; ita mors reſurrectio mortuorum, extremum iudicium & conſummatio ſæculi ſunt intermedia inter hanc vitam temporalem, & æternam. Quam ob rem vita æterna ad mortem &c. ſe *non* habet vt *effectus* ad cauſſas, ſed vt *terminus* ad antecedentia media ordinis.

Obſ. II. *Fidelibus* mors, reſurrectio mortuorum, extremum iudicium & conſummatio ſæculi ſunt *media exſecutiua glorificationis; infidelibus media exſecutiua condemnationis.*

Obſ. III. Inter *media* ſalutis *iſagogica* datur nonnihil diſcriminis, propterea, quod quædam *remotius*, quædam *propius* glorificationem electorum antecedant. In primis notandum, quod *conſummatio ſæculi* non ea neceſſitate, qua mors, reſurrectio & iudicium, ad exſecutionem ſententiæ glorificationis requiratur. Poſſet enim Deus glorificare pios, ac damnare impios, etſi mundus non conflagraret. Non poſſet tamen, ſaluis decretis & iuſtitia ſua, glorificare pios, condemnare impios, niſi *mors* (vel proprie, vel ἀναλόγως dicta), & *reſurrectio*, iudicium præcederent. Quare *conſummationem ſæculi* ideo *medium exſecutiuum* dicimus, quia Deus ſententiam vltimam non niſi conſummato hoc ſæculo *exſequi libere decreuit.* Confer. D. HVLSEM. *breuiar. cap.* 16. *p.* 1127. & D. OSIANDRI *colleg. ſyſtem part. VI. p.* 278.

Prob. a. Fideles ingemiſcunt & volunt per diſſolutionem fieri præſentiores Domino, 2 Cor. V, 4. Ergo *mors* fidelibus eſt medium ad vitam ducens. *Conſequentia* probatur: Niſi glorificatio eſſet conſequens ad mortem, ex inſtituto diuino tanquam ad medium antecedaneum; non eſſet apud fideles *deſiderium diſſolutionis*, ſed potius continuandæ vnionis.

Prob. b.

Digitized by Google

Prob. b. Ex Dan. XII, 2. *Multi de dormientibus in puluere terræ euigilabunt: Hi* (quidem) *ad vitam æternam, reliqui vero in opprobria, in ignomiam æternam.* Ergo *reſuſcitatio corporum fidelium* eſt medium promouendæ *gloriæ; infidelium* vero, medium euocandi *ad ſupplicium.*

Prob. c. In die extremi iudicii Rex laudabit eos, qui a dextris collocabuntur, & dicet: *Venite benedicti &c.* Illis autem, qui a ſiniſtris ſtabunt, dicet: *Diſcedite, maledicti &c.* Matth. XXV, 34. 41. Ergo *extremum iudicium* eſt medium commendandi & immittendi *fideles* in *beatitudinem; infideles* autem conuincendi, & publice condemnandi ad æternum *ſupplicium.*

Prob. d. *Conſummatio ſæculi* ſeruit accelerationi fidelium ad gloriam: nam *niſi abbreuiarentur dies iſti* (vltimæ tribulationis), *non conſeruaretur vlla caro: Sed propter electos abbreuiabuntur,* Matth. XXIV, 22.

Obſ. Quamuis hæc verba immediate reſpiciant excidium Hieroſolymitanum, quia tamen excidium Hieroſolymitanum eſt typus excidii mundani, recte ad conſummationem ſæculi referuntur.

# DE MORTE.

Quæſt. II. *Quid eſt mors temporalis?*

*Definitio mortis.*

*Mors temporalis* eſt priuatio vitæ naturalis hominum, ex diſſolutione animæ & corporis proueniens.

*Plenius definitur:*

*Homonymia.*

*Mors temporalis* eſt priuatio vitæ naturalis, ex diſſolutione animæ & corporis, per peccatum ab hominibus protoplaſtis, inſtigante diabolo, commiſſum, proueniens, omnibus hominibus peccatoribus, decernente Deo, iuſtiſſimo iudice, ordinarie obeunda in iuſtitiæ diuinæ gloriam.

Obſ. Nomen *mortis* vſurpatur in ſacris litteris tum *in ſenſu proprio*, *tum in ſenſu improprio. Proprie* dictam mortem, quam etiam *mortem corporis* vocant, iam deſcripſimus. *Improprie mors ſumitur vel metonymice, vel metaphorice. Metonymice* mors notat *rem mortiferam*, 2 Reg. IV, 40. Exod. X, 17. *Metaphorice* ſignificat *mortem ſpiritualem, quæ vel eſt infidelium, vel fidelium.* Mors *ſpiritualis infidelium* eſt priuatio vitæ ſpiritualis, ex ſeparatione animæ impœnitentis & infidelis a Deo proueniens, eſtque *tum huius, tum futuri ſæculi.* Mors *ſpiritualis infidelium* in *hoc ſæculo* eſt priuatio *vitæ gratiæ.* Sic vidua laſciua & procax dicitur in peccatis mortua, 1 Tim. V, 6. i. e. deſtituta vita gratiæ, quoniam Chriſtus vita animæ in ea per fidem non viuit. Mors *ſpiritualis infidelium* in *futuro ſæculo* eſt priuatio *vitæ gloriæ*, orta ex carentia viſionis & fruitionis Dei beatificæ, coniuncta cum perpeſſione immaniſſimorum cruciatuum in inferno. Dicitur *mors ſecunda*, Apocal. XX, 14.

*Fideles mortui ſunt 1) peccato, partim per iuſtificationem,* quatenus peccatum propter meritum Chriſti, fide apprehenſum, a Deo ex gratia ipſis non imputatur, Rom. VI, 7. *partim per renouationem*, qua homo renatus & iuſtificatus liberatur a dominio peccati, vt huic non indulgeat, aut ſe mancipet, ſed eidem nuntium remittat, 1 Petr. II, 24. 2) *Fideles mortui ſunt mundo*, in quantum voluptatibus huius mundi renuntiant, Gal. VI, 14. 3) *Fideles mortui ſunt legi, & cærimoniali, & morali*, ab illius quidem obligatione penitus liberati, ab huius autem coactione, accuſatione & condemnatione immunes; quippe qui donati ſunt ſpiritu ſpontaneo, & a condemnatione legis gratia iuſtificationis liberati, Rom. VII, 1. 2.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. III. *In quo formaliter conſiſtit mors corporis?*

Mors corporis *formaliter conſiſtit* in priuatione vitæ naturalis. *Forma.*

Prob. Quia mors priuatiue opponitur vitæ, adeoque notat abſentiam vitæ animalis a ſubiecto, ad eam habendam apto.

Dicis: Mors corporalis formaliter conſiſtit in diſſolutione animæ & corporis, ſiue in ſeparatione animæ a corpore. Reſp. Mortis ratio formalis conſiſtit in priuatione vitæ, quam diſſolutio animæ & corporis antecedit; ſicut vita naturalis non eſt ipſa vnio corporis & animæ, ſed eandem conſequitur.

Quæſt. IV. *Quæ ſunt cauſſæ mortis temporalis efficientes?*

Mors temporalis, conſiderata *formaliter*, vt priuatio vitæ naturalis, *proprie* *Cauſſæ.* loquendo *non* habet *cauſſam efficientem* a): at ſpectata μεταληπτικῶς, prout eſt diſſolutio animæ & corporis, eiusdem *cauſſæ efficientes* aliæ ſunt *morales*, quibus ſolutio corporis & animæ imputatur; aliæ ſunt *phyſicæ*, quæ vinculum vnionis, qua corpus & anima coniunguntur, realiter deſtruunt. Cauſſæ *morales* ſunt: diabolus, inſtigando ad peccatum mortem hominis directe intendens b), & homo, diaboli inſtinctui parendo, mortem peccato ſuo promerens c). At mors, conſiderata vt *malum pœnæ*, oritur a *cauſſa decernente & infligente*, ſcilicet a Deo, iudice iuſtiſſimo d).

Prob. a. Cum mors formaliter ſit priuatio, aut *defectus*, non poteſt eſſe *effectus* a cauſſa poſitiue agente productus.

Prob. b. *Diabolus eſt cauſſa moralis mortis;* quia dato vaferrimo conſilio de comedendo fructu vetito mortem hominis temporalem, ſpiritualem & æternam directe intendit. Idcirco dicitur *homicida ab initio*, Io. VIII, 44.

Prob. c. *Eua* conſilium dæmonis amplectens, atque Adamum in ſocietatem peccati pelliciens, & *Adamus*, vxoris blanditiis auſcultans, legemque diuinam violans, ſibi ipſis reatum culpæ & pœnæ attraxerunt, & non ſe tantum, ſed poſteros etiam moriendi neceſſitati ſubiecerunt, Rom. V, 12.

Prob. d. *Non fecit* quidem *Deus mortem*, Sap. I, 13. atque adeo *voluntate antecedente* mortem hominis *non* voluit: *voluntate* tamen *conſequente*, ob antegreſſum peccatum, mortem, *vt pœnam*, homini infligere decreuit, & decretum ſuum exſequitur. Ideo pœnam mortis comminatur, Gen. II, 17. vitæ mortisque terminum definit, Iob. XIV, 5. & tandem hominem ex hac ſtatione mortali decedere iubet, Pſ. XC, 3.

Quæſt. V. *Quæ ſunt cauſſæ phyſicæ mortis temporalis?*

Cauſſæ *phyſicæ* mortis aliæ ſunt *naturales*, aliæ *præternaturales*, aliæ *violentæ*. Cauſſa *naturalis* eſt humidi radicalis abſumtio, & calidi natiui exſtinctio a). Cauſſæ *præternaturales* ſunt morbi grauiores b). Cauſſæ *violentæ* ſunt res externæ, tantam vim corpori inferentes, vt vinculum vnionis naturalis, qua corpus & anima iunguntur, rumpatur c).

Prob. a. Cum enim calidum innatum, humidumque radicale (quod, qua ſubſtantiam, coincidere, ſed qua qualitates differre ſtatuimus) proxime iungatur animæ, eo depaſto mortem inuadere hominem, ex facili colligitur. Defunguntur ergo morte naturali, quorum



Digitized by Google

calidum innatum ſenſim debilitatur, & humidum radicale progreſſu temporis citra grauiorem morbum magis magisque inareſcit.

Prob. b. Morbi vehementiores v. gr. febres malignæ, hydrops, phthiſis, peſtis, vires calidi natiui peſſundant, vt non ſucceſſiua abſumtione, ſed iuſto vehementiore concusſione euertatur.

Prob. c. Qui cor hominis gladio transfodit, eundem adhibita vi externa e vita eiicit *).

### Quæſt. VI. *Quibus hominibus mors obeunda eſt?*

***Subiectiua.*** Mors temporalis *ordinarie* obeunda eſt *omnibus* hominibus *peccatoribus* a), qui autem hac ordinaria moriendi lege, Deo *extraordinarie* diſpenſante, eximuntur, mutationem tamen, morti analogam, ſubeunt b).

Prob. a. *Mors per peccatum in omnes homines pertranſiit*, Rom. V, 12.

Prob. b. *Enochus* & *Elias*, Deo *extraordinarie* diſpenſante, moriendi neceſſitate exemti ſunt. Et homines illi, quos dies nouiſſimus viuos deprehendet, non morientur quidem; *attamen immutabuntur in momento, in ictu oculi*, 1 Cor. XV, 52. Intelligitur ab Apoſtolo non *mutatio ſubſtantialis, ſed accidentalis, conſiſtens non in paſſione moleſta, aut doloroſa alicuius rei aduerſæ, quæ ſolutioni animæ & corporis ſit ſimilis*, ſed tum in *fine vitæ animalis*, tum in *tranſitu in ſtatum ſupernaturalem*, vt corpora illorum hominum non ſeparata ab animabus, ſed iis coniuncta, e ſtatu *mortalitatis* in ſtatum *immortalitatis* ſubito transferantur.

### Quæſt. VII. *Quis eſt finis mortis?*

***Finis.*** *Finis* mortis, ex parte *diaboli*, eſt manifeſtatio odii inuidiæque erga Deum atque homines a): ex parte *Dei*, finis mortis, *per ſe* ſpectatæ, eſt peccatorum vindicatio, & iuſtitiæ diuinæ declaratio b); *per accidens* autem fit, vt fidelibus mors ſit finis malorum, & tranſitus ad vitam glorioſam c).

Prob. a. Diabolus omne virus inuidiæ odiique in Deum hominemque euomuit, hunc per ſollicitationem ad peccandum immortalitate concreata priuando. Quo reſpectu *finali*, & *homicida* Io. VIII, 44. & *inuidus*, Sap. II, 24. appellatur.

Prob. b. Mors per ſe *eſt ſtipendium peccati*, Rom. VI, 23.

Prob. c. Per œconomiam gratiæ diuinæ factum eſt, vt a credentibus in Chriſtum reatus pœnæ ſit ablatus, & mors facta ianua ad vitam, & ingreſſus in requiem, Apoc. XIV, 13. **).

Quæſt.

*) *Violentæ* cauſſæ generali ambitu *præternaturalium*, vulgo ita dictarum, continentur, nec ſolum *externæ* ſunt, ſed interdum etiam *internæ*, atque adeo *moralibus* adnumerandæ, vt, ſi quis perturbato animo, extrema improbitate, aut deſperatione propter conſcientiam ſcelerum, mortem ſibi voluntariam conſciſcit.

**) Mors etiam ipſa dicitur quies, ac ſæpe numero cum *ſomno* confertur. Opera danda eſt indagandæ *rationi* huius nominis, quæ alia quidem *falſa* eſt, alia autem *vera*.

I. *Falſam* comminiſcuntur, qui vim huius vocis ſacræ ad *animum* referunt, tamquam is ſimul, atque ex corpore diſceſſerit, ſomno ſit captus, omnique cogitatione ac ſenſu vacuus, vsque ad eum diem, quo ſeparatus ipſe cum ſuo corpore iterum coniungetur. In hunc errorem delapſi ſunt multi, tum veterum, tum recentiorum, vnde nomen illis hæſit, *Pſychopannychitæ*. Ita aperte aduerſantur 1) *rationi*, ſi conſideremus naturam animi, qui eſt Spiritus, ſemper cogitando ac decernendo occupatus, 2) *reuelationi*; mortui enim dicuntur dormire in *terra*, Dan. XII, 2. in *cubilibus* ſuis, Ieſ. LVII, 2. At enim in terra ſepultum iacet

Digitized by Google

Quæſt. VIII. *Quomodo mors reſpectu hominum ex hac vita emigrantium diſtinguitur?*

Mors eſt vel *piorum* & fidelium, vel *impiorum* & infidelium. Mors *piorum* eſt ſeparatio animæ a corpore localis, inſtar medii, ex parte Dei, hominem ad glorificationem ducens. Mors *impiorum* eſt ſeparatio animæ a corpore localis, inſtar medii, ex parte Dei, diſponens hominem ad ſubeundam pœnam promeritam. *Diſtinctio mortis.*

# DE STATV ANIMARVM POST MORTEM.

Quæſt. IX. *Eſtne anima immortalis, vereque viuens poſt ſeparationem a corpore?*

Anima eſt *immortalis*; & ſoluta a corpore actionibus ſuis ſeorſim fungitur. *Immortalitas animæ poſt mortem.*

Prob. 1) E teſtimonio Chriſti, Matth. X, 28. *Ne timete vobis ab iis, qui occidere corpus poſſunt; animam vero occidere nequeunt.* Quod a nemine poteſt occidi, illud eſt immortale: Atqui anima &c: E.

2) E teſtimonio Salomonis, Eccl. XII, 7. *Spiritus reuertetur ad Deum, qui dedit eum.* Quicunque ſpiritus a corpore ſeparatus redit ad Deum, ille poſt ſeparationem a corpore viuit: Atqui anima humana eſt ſpiritus &c. E.

3) E teſtimonio Ioannis, Apoc. VI, 9. *Vidi ſub altari animas occiſorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant, quæ clamarunt voce magna.* Quæ animæ clamant, illæ viuunt: Animæ occiſorum clamant: E.

4) E lumine rationis: Nullus ſpiritus eſt mortalis: Atqui anima eſt ſpiritus: E. *Minorem* probo ex operationibus animæ ſpiritualibus, quales ſunt: contemplari Deum & res æternas, abſtrahere vniuerſalia a ſingularibus, colligere futura ex præteritis, deſiderare felicitatem æternam, &c. Quæ actiones ſunt independentes a materia, & ſine vlla corporis organici cooperatione producibiles, ideoque ſpirituales. At quæ anima ſpirituales edit operationes, illa eſt ſpiritus; effectus quippe nunquam præſtantior eſt ſua cauſſa.

Qqq qqq q 2 *Anti-*

iacet *còrpus*, a quo ſeiunctus animus in aliud domicilium tranſiit, Cohel. XII, 7. Luc. XVI, 22. 23. E. euidens eſt, mortis ac ſomni comparationem *neutiquam* ad *animum* pertinere.

II. *Vera* omnino eſt duplex, quæ vtraque ad *corpus* ſpectat. Scilicet in *ſomno*, proprie ita nominato, *duo* ſunt potiſſimum conſideranda, quorum quidem alterum *naturam* ſomni conſtituit, alterum ei accidit, tamquam conſequens atque euentus. 1) Somnus eſt quies corporis, ceſſante ſenſuum externorum operatione, motuumque animi, quatenus is quidem ratione vtitur, cum corpore communicatione. Id reſpiciens Ieſaias, LVII, 2. nomen hoc, *ſomnus*, ad ſignificandum *mortis* ſtatum transtulit. 2) In ſomno eſt exſpectatio temporis, quo dormiens homo euigilabit. Nos vero morientes firmiſſima nitimur ſpe expergefaciendi corporis. Ita Chriſtus *mortem* cum *ſomno* contulit, Io. XI, 11.

*Conſectar:* Quum requies iucunda non poſſit eſſe ſine conſcientia bene actorum negotiorum, eaque beate defunctorum *propria* ſit; corporis autem exanimati futura in vitam reuocatio *communis* ſit omnium hominum: efficitur, vt *priore* ratione *mors* dumtaxat *beatorum* hominum, *poſteriore* autem ratione *mors omnium* cum *ſomno* comparetur. De *illa*, vid. Ieſ. LVII, 2. De *hac*, Dan. XII, 2. quem ad modum de *impiis* Regibus memoriæ proditum eſt; *eos obdormiuiſſe*, e. g. 1 Reg. XIV, 20. 31.

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Socinianorum*, aſſerentium, animam quidem incorruptibilem, at non proprie immortalem, aut viuentem poſt ſolutionem a corpore eſſe *). Quorum argumenta ſunt:

I. Quæcunque anima vere viuit, illa cum corpore eſt vnita: Atqui anima ſeparata non eſt cum corpore vnita: E. *Maior* probatur: quia ad *vitam* requiritur vnio corporis & animæ. Reſp. 1) Hic ſyllogiſmus primo intuitu videtur eſſe in ſecunda figura; at reuera eſt in prima figura ob terminos transpoſitos, atque tunc minor vitioſe negans eſt. 2) Diſt. *inter vitam compoſiti, & partis, quæ per ſe & originaliter viuit.* Ad vitam *hominis*, ſiue *totius compoſiti*, requiritur vnio corporis & animæ. At *anima* eſt pars nobilior hominis, *per ſe* & originaliter *viuens*, a qua corpus vitam habet communicatam. Inde fit, vt anima a corpore ſeparata vere viuat.

II. Anima in operando indiget membris corporeis velut organis: E. extra corpus nullis operationibus fungitur, & conſequenter non viuit. *Antecedens* patet; quia anima ad videndum oculis, ad audiendum auribus indiget. Reſp. Diſt. *inter actiones humanas materiales, & immateriales.* Videre & audire ſunt actiones *materiales*, a cooperatione corporis organici dependentes. At dantur aliæ actiones *immateriales* & ſpirituales, ad quas non requiritur concurſus membrorum corporeorum, v. gr. intelligere, contemplari, diſcurrere, velle, eligere, confidere, amare &c. His operationibus, vere vitalibus, fungitur anima a corpore ſoluta.

III. Rex Salomo dicit: *Sicut moritur beſtia; ita & moritur homo. Ac ſpiritus vnus omnibus, nec prærogatiua hominis eſt præ beſtiis; eo quod omnia vanitas. Omnia abeunt ad locum vnum.* Eccl. III, 19. 20. Ex quo effato Salomonis colligere licet, animam hominis æque, ac beſtiarum animas interire. Reſp. 1) Sunt, qui ſibi perſuadent, Salomonem induiſſe perſonam alicuius Epicuræi, aut profani hominis, de interitu hominis craſſe philoſophantis, & cum interitu beſtiarum comparantis. 2) Rectius alii reſpondent cum b. LVTHERO, Salomonem de homine & beſtiis *diſcurrere ex principiis rationis, reſpectu habito ad euentus externos, homini & beſtiis communes*, quorum reſpectu hominis ingreſſus in hunc mundum & egreſſus non videtur differre ab ingreſſu & egreſſu beſtiarum. At vero ſana ratio immortalitatem animæ humanæ colligit ex alio principio, ſcilicet ex operationibus ſpiritualibus animæ; quod expreſſe affirmat Salomo eodem libello, c. XII, 7. *Spiritus reuertitur ad Deum.*

Quæſt. X. *Qualis eſt ſtatus animarum ſeparatarum a corpore?*

*Qualitas huius ſtatus.*

Animarum *perſeueranter fidelium*, & a corpore *ſeparatarum*, *ſtatus* eſt *beatus* in cœlo a). Animarum *infidelium*, a corpore *ſolutarum*, *ſtatus* eſt *damnatus* in inferno b).

Prob. a. & b. Dilucide oſtendimus ſectione ſuperiori c. IX; nolumus hic actum agere.

Quæſt. XI. *Daturne inter ſtatum beatum & damnatum quarundam animarum ſeparatarum ſtatus intermedius in purgatorio?*

*De ſtatu intermedio.*

*Non* datur poſt hanc vitam *ſtatus intermedius* inter ſtatum æternæ beatitudinis, & æternæ condemnationis a). Proinde *purgatorium* vaniſſimum hominum commentum eſt b).

Prob. a. 1) S. ſcriptura omnes homines diuidit in credentes, & non credentes, ſiue in fideles & infideles. Quicunque morientes vere credunt, ſaluantur: qui non credunt, condemnantur,

*) Fingunt illi, non *mortuum* quidem animum eſſe, at *dormientem* tamen. Sunt igitur *Pſychopannychitis* adnumerandi, de quibus iam dictum eſt.

Digitized by Google

demnantur, Marc. XVI, 16. E. inter ſtatum beatum & damnatum poſt hanc vitam non datur ſtatus medius.

2) Salutis auctor, Ieſus, Matth. VII, 13. 14. duas oſtendit vias, quas decurrunt homines in hac vita ad duo loca poſt hanc vitam; tertiæ viæ ad tertium locum non meminit. Verba Saluatoris ſunt: *Intrate per anguſtam portam; quia lata porta & ſpatioſa via, quæ abducit ad interitum; & multi ſunt, qui intrant per eam. Quia anguſta & ſtricta via; quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam:* Quotquot igitur homines decurrunt viam ſpatioſam, tritam, cum peccatoribus pœnitere & credere neſciis, illi ruunt in interitum æternum: qui anguſta incedunt via fidei, eunt in vitam æternam.

3) Quicunque a primo momento deceſſus ex hoc mundo ſunt beati, illi non detruduntur in purgatorium: Atqui omnes & ſinguli in Domino pie defuncti &c. Apoc. XIV, 13. E. *Maior* probatur: quia ex mente *Pontificiorum* in purgatorio dantur flammæ æſtuantes & cruciatus intenſiſſimi, qui cum beatitudine conſiſtere nequeunt *).

Qqq qqqq 3 Prob.

*) His argumentis adiungenda ſunt plura, in quibus plurimum ſane ponderis ineſt:

1. In ſanctiſſima Chriſti adſeueratione, Ioann. V, 24. triplex eſt neruus probationis: 1) *Ne quidquam intercedit medium*, inter mortem temporalem, vitamque ſempiternam: μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν. 2) Beata hæc ſors *communis* eſt *omnium*, quicunque morientes Chriſto vera fiducia adhæreſcunt: ὁ ἀκούων, ὁ πιστεύων, i. e. vnus quisque. 3) *Cauſſa* huius tranſitus ex morte in vitam, nulla interiecta mora, cauſſa, inquam, *non alia* eſſe dicitur, quam fiducia ſalutaris: ὁ τὸν λόγον μου (Chriſti propriam vocem, quæ eſt euangelica) ἀκούων, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με. Atqui præſente cauſſa efficaci, & ea quidem vnica, nihil eſt reliquum, quare effectus differendus ſit, ac retardandus.

2. Dictum hoc, 2 Corinth. V, 8. toto ſuo ambitu has continet propoſitiones: 1) *Animus*, a corpore ſeparatus, *manet ſuperſtes*: 2) Is ad *beatitudinem* tranſit: 3) Tranſitus ille fit, *ſine vlla mora*, poſt diſceſſionem ex hoc mortali corpore, atque ex hac vita, tamquam ex hoſpitio, vt nihil interſit medium, v. 1. 6. 8. vt nullum quoque ſit melioris ſortis deſiderium, nulla eius exſpectatio, vtpote quam habemus, dum in corpore ſumus, v. 4. & 6: 4) Iſta igitur beatitas, *continuo poſt obitum* impetranda, eſt *æterna*, v. 1: 5) Eſt etiam *perfecta*, quod ad *animum* attinet, nimirum intima cum Deo coniunctio, v. 8. atque adeo Dei contemplatio, vt *nihil* ſit medium inter πίστιν, & εἶδος, v. 7: 6) Hoc beneficium eſt *commune omnium*, neque vllam ſibi excellentiam Paullus arrogat, v. 1. 7. 10. Interrogati *Romanocatholici*: vtrum putent etiam Paullum vim ignis purgatorii ſenſiſſe? reſpondebunt negando: Martyres enim, in primisque Apoſtolos, exceptos eſſe volunt; excipiunt etiam duo alia hominum genera, quorum vero apud neminem, niſi apud ipſos, tanta, tamque ſingularis eſt exiſtimatio. Atqui, quod Paullus de ſe profitetur, id idem omnibus vere chriſtianis promittit. Add. 2 Tim. IV, 8. 7) Eſt etiam *magnum ſolatium*: θαῤῥοῦμεν, v. 8. Vides igitur, quantum ſit *momentum* cauſſæ, de qua diſputamus.

3. Ex illa oratione Chriſti, Luc. XVI, 22. ſeqq. tres elucent veritates: 1) *Animos* defunctorum, ſiue beatorum, ſiue damnatorum, *non interire*: 2) Eosdem ſemper *ſui conſcios* eſſe, cogitantes ac ſentientes (E. non iacent *ſomno* conſopiti, vt ſomniant *Pſychopannychitæ*): 3) Continuo poſt, quam ex ſuis corporibus emigrarunt, *ſine mora*, *in eo collocari ſtatu*, in quo perpetuo ſunt permanſuri (E. *medius ſtatus* omnino *nullus* eſt). Dicis: Id vero eſt parabola. Sit ita; quamuis probabile ſit, rem vere geſtam a Chriſto commemorari. At, inquis, ex parabolis non poteſt effici firma argumentatio. Hoc equidem probe ſcio. An tu neſcis, etiam in ſimilitudine nihil vnquam proferendum eſſe, quod vel cum ſcopo eius, vel cum vlla parte doctrinæ ſacræ non conueniat?

4. Magnam quoque vim ad probationem habere hoc promiſſum Chriſti, Luc. XXIII, 43. vel ex eo adparet, quod latro ille, in cruce pendens, tam breui tempore non valuit ſatis facere pro peccatis expiandis, nec fuit ex eorum numero, quibus, vt aiunt, non metuendus eſt ignis purgatorius. Nec Martyr fuit; nec Doctor, de Romana eccleſia præclare meritus;

Digitized by Google

Prob. b. Conditores *purgatorii* loco fundamenti poſuerunt multarum animarum fidelium *peccata venialia*, quibus contaminatæ ex hac vita emigrarunt. Cum autem *nihil inquinatum ingreſſurum ſit in cœlum*, Apoc. XXI, 27. colligunt, animas fideles, ita impuras, igne purgatorio ad certum tempus eſſe purificandas, vt deinceps in gloriam cœleſtem intrent. Sed hoc fundamentum ruinoſum eſt. *Purgantur enim homines fideles partim in hac vita, partim poſt hanc vitam*, vt tamen *purgatorium*, quale *Pontificii* fingunt, non detur. In *hac vita* quidem purgantur, *quoad formale peccati, reatum ſcilicet culpæ & pœnæ, per iuſtificationem. In iis* enim, *qui ſunt per fidem in Chriſto Ieſu, non eſt κατάκριμα,* ſiue aliquid, quod imputetur ad condemnationem, Rom. VIII, 1. Purgantur *per renouationem*, quoad *dominium peccati,* vt ſint ſancti in Chriſto, Phil. I, 1. Adhærens autem inchoatæ ſanctitati imperfectio tegitur velamine obedientiæ Chriſti, quam renati per fidem ſibi applicant, ſuamque faciunt. *Poſt hanc vitam autem purgantur, quoad materiale peccati, in ipſa morte*, & poſt mortem ea perfectione diuinitus ornantur, vt ſint omnis maculæ expertes. *In morte* enim deſtruitur cum corpore praua concupiſcentia, quæ ex parte appetitus ſenſitiui adhærebat. *Poſt mortem purgantur 1) ex parte animæ, per infuſum lumen gloriæ*, quo *intellectus* ad Deum intuitiue cognoſcendum eleuatus, purgatur ab omni ignorantia, cœcitate, errore, & *voluntas* per intuitiuam Dei cognitionem eleuatur & dirigitur in Dei amorem intenſiſſimum, vt nihil, niſi in ordine ad Deum, & propter Deum, amet, inordinati amoris & concupiſcentiæ prauæ expers. 2) *Ex parte corporis autem, in mortuorum reſurrectione omnino purgantur.* Corpora enim hominum, in fide Chriſti decedentium, reſuſcitabuntur, & animabus reduniantur ſpiritualia & glorioſa, 1 Cor. XV, 42. ſeqq. atque glorioſo corpori Chriſti conformia, Phil. III, 21. vt absque vlla inordinata concupiſcentia animæ glorificatæ perfectæ ſubiiciantur ad actiones perfecte ſanctas obeundas. E. non opus eſt purgatorio, neque illud ſolido nititur fundamento.

*Antithe-*

ritus; nec monachus, aliusve vir ſanctus, operum ſupererogationis ſcilicet forma conſpicuus.

5. Ex voluminibus *veteris Teſtamenti*, inter plura documenta vna eminet hæc dilucida ſignificansque deſcriptio, crebro vſitata: *Congregatio defunctorum, coniunctioque cum ſuo populo.* Præmittam definitionem: *Populus eſt multitudo eorum hominum, qui in vna ſocietate viuunt.* Tria igitur ſunt, quæ ad notionem populi requiruntur: 1) *multitudo* hominum, 2) *viuentium*, 3) in quadam *ſocietate coniunctorum.* Et populus *noſter* eſt multitudo ſocietasque non peregrinorum ac hoſpitum, ſed *ciuium*, quibus cum ſemper verſari conſueuimus. Hi ſunt *ciues cœleſtis patriæ*, interprete Paullo, Hebr. XI, 13.--16. Noſtrum enim πολίτευμα eſt in cœlo, Phil. III, 23. quando quidem in hac mortalitate non tam ciues ſumus, quam hoſpites, 2 Cor. V, 6. 1 Petr. II, 11. Illa igitur *morientium congregatio cum populo ſuo* opponitur 1) *eiectioni* ex numero ciuium, 2) *peregrinationi*, quæ dicitur commoratio *in terra*, Hebr. XI, 9. 10. 13. 14. 1 Chron. XXX, 15. Immo Paullus manifeſto ad illam dicendi rationem V. T. reſpexit, 2 Corinth. V, 6. ἐκδημοῦμεν, hoc eſt, *a populo noſtro peregre abſumus*, nec, niſi eo tempore, quo ſumus in his incluſi compagibus mortalis corporis; cui contrarium eſt v. 8. ἐνδημῆσαι πρὸς Κύριον, id eſt, *verſari cum populo noſtro*, & quidem *apud Dominum.* Ergo 1) *congregatio beate morientium cum populo ſuo* nihil eſt aliud, quam acceſſio ad perpetuam habitationem in cœleſti patria: 2) *Ea fit, quam primum animus e corpore emigrauit;* quam ob rem loquutio hæc, *congregatus eſt cum gente ſua*, arcte copulatur cum *mortis* commemoratione: 3) *Nihil* intercedit *medium* inter *mortem*, ſanctique *animi beatitatem* æternam. Si putaueris, ſacra illa dicendi ratione *ſepulturam* deſignari; ſi id confirmare auſis dictis huiusmodi, 2 Reg. XXII, 20: argumenta iam prolata te docebunt, binis illis loquutionibus non vnam eamdemque rem, ſed diſtinctas res ſignificari, quarum altera ad *animum* diſcedentem, altera ad *corpus* pertineat.

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum* *), fingentium *purgatorium*, in quo animæ iuſtorum, quæ in hac vita ſufficienter purgatæ non ſunt, purgentur poſt hanc vitam, antequam ad cœlum & claram Dei viſionem admittantur. Quorum expendemus argumenta:

I. Qui-

*) *Generatim* noſtræ doctrinæ de *nullo prorſus medio ſtatu animorum a corpore ſeparatorum* permulti, variis ſectis addicti, aduerſantur, qui omnes quidem in eo conſentiunt, *quod* animorum ſtatus non ſit eiusmodi, quem nos ſcripturæ teſtimoniis declarauimus; ſed in explicando ac definiendo, *quæ & qualis* ſit animorum conditio, multum inter ſe diſſentiunt, ſuo igitur iure in varias claſſes diſtribuendi. CLASSIS I. eſt eorum, qui, aut negantes, quod animus hominis ſit ſpiritus, aut neſcientes, quid ſit ſpiritus, haud verentur dicere, *animum mortalem* eſſe. Horum alii quidem *craſſiores* nugantur, prorſus interire animum, neque vllam ſupereſſe ſpem reſtitutionis; aduerſus quos diſputat Salomon in libro Coheleth, præſertim cap. III, 19. 20. 21. XII, 7. Alii autem *ſubtiliores* ſibi perſuadent, animum vna cum corpore exſtingui quidem, eumdem tamen cum corpore tandem aliquando in vitam reuocatum iri. Hoc ingenii monſtrum excluſerunt ſæc. III. obſcuri quidam homines, quibus a loco commorationis impoſitum fuit nomen *Arabicorum*, & qui propter errorem ſuum adpellati ſunt θνητοψυχῖται. Recentiore ætate COWARDVS, Medicus quidam in Anglia, nihil noui attulit. CLASSIS II. eos continet, qui errorem amplectuntur antiquiſſimum non diſſerentium Philoſophorum quorumdam, ſed ſomniantium, cum μετεμψύχωσιν, ſiue potius μετενσωμάτωσιν, *migrationem animorum* ex vno corpore in aliud multiplicem comminiſcuntur. In CLASSE III. illi ſunt, quorum opinione *animi* ſemper quidem ſuperſtites ſunt, nec cum aliis corporibus conſociati, nunquam tamen ſui conſcii, *perpetuo dormientes*, & cogitationis ſenſusque omnis expertes: vnde dicuntur ψυχοπαννυχῖται. Quod ad hæc attinet dicta, Pſ. VI, 6. LXXXVIII, 12. 13. & quæ ſunt huiusmodi; haud difficilis eſt interpretatio. 1) In vtroque loco diſſeritur de *irato* Deo, & vindicante eius iuſtitia. *Mors* igitur conſideratur, quatenus eſt *pœna*, effectus iuſtitiæ vindicis, atque adeo *initium æternæ damnationis*. Neque ita ſcriptum exſtat: animos defunctorum *nihil meminiſſe*. Sed hoc modo: eos laudibus non celebrare *beneficiorum* diuinorum *recordationem*. Hæc vtique eſt miſerrima conditio *damnatorum*, qui ex hac vita diſcedentes iram Dei æternam experiuntur. Hanc Dei iram, hanc damnationem, hanc damnati conditionem Dauid ab ſeſe deprecatur. 2) *Beatorum* animi ab eo tempore, quo ex corpore emigrarunt, diuinorum operum *non eo* recordantur *modo*, quo in hac vita ſoliti ſunt, nimirum ita, vt partim alios mortalium animos ad Dei cognitionem ac venerationem ſuo exemplo excitent, Pſ. LXXI, 18. partim ipſi in nouis quotidie documentis virtutis Dei admirabilis in regno & naturæ, & gratiæ, delectentur, Pſ. LXXXVIII, 11. Eadem ſententia eſt verborum, Pſ. CXV, 17. quæ ſi ita ſimpliciter eſſent intelligenda, plus efficeretur, quam volunt ipſi aduerſarii. Conſequens foret abſurdiſſimum, atque ampliſſimis ſcripturæ teſtimoniis apertiſſime contrarium: ſalutem omnino nullam poſt obitum vnquam exſpectandam eſſe. CLASSEM IV. iis adſignamus, qui adfirmant quidem, animos a corpore ſeiunctos ſemper cogitare ac ſentire; negant autem, eos ante iudicium poſtremum ac reſtitutionem corporis ad æternam ſiue beatitudinem, ſiue damnationem peruenire, exiſtimantes igitur, interea eos in *loco ac ſtatu quodam medio* adſeruari. Non eſt quidem diſſimulandum, in hac ſententia fuiſſe veterrimos quosdam Doctores ſæc. II. III. IV. qui, cum vel de *inferno*, de *carcere*, vel de *paradiſo*, de *ſinu Abrahami*, de *cœlo*, de *manu Dei*, loquuntur, multo aliud quidquam intelligunt, quam quod diuini ſcriptores iisdem nominibus ſignificarunt. Sunt vero etiam tria conſideranda: 1) Patres illi, quamuis medium quemdam ſtatum ſtatuerint, ignem tamen purgatorium prorſus ignorarunt, vsque ad ſæc. IV. quo AVGVSTINVS aliique dubitanter de hac re loqui cœperunt; vid. *art. Smalcald. pag.* 308: 2) Si qui illorum, vt ORIGINES eiusque adſeclæ, de quadam hominis poſt mortem purgatione multum diſſeruerunt, eam illi putarunt non ad beatos, ſed ad damnatos pertinere, atque hos, rati ſunt, purgandos eſſe non in ſtatu quodam medio, ſed in ipſa damnatione. 3) Non omnes opinati ſunt, ſtatum aliquem medium eſſe. Satis habebo vnum adpellaſſe CYPRIANVM, qui in libello eximio *de mortalitate*, diſerte *paradiſum* nominat noſtram *patriam*, & paullo poſt, *cœleſtium regnorum voluptatem*, *perpetuamque felicitatem*. Propterea dicit mortem exoptandam eſſe, vt *cito* in paradiſum, *cito ad Chriſtum* veniamus. Eodem in loco profitetur

Digitized by Google

I. Quicunque iuſti cum peccatis venialibus moriuntur, illorum animæ poſt deceſſum ex hac vita per ignem purgatorium ſunt purificandæ, alias non intrabunt in regnum gloriæ, Apoc.

fitetur ipſe, ad beatam mortem nihil requiri amplius, quam hoc vnum, vt *in Chriſtum credamus.* Altum ibi eſt ſilentium de ſatisfactione, ab homine ipſo præſtanda, de purgatione poſt mortem, de ſacrificio pro defunctis. CLASSIS V. eſt eorum, qui dicunt, animos ſimul, atque e ſuis corporibus egrediuntur, in *eum* quidem tranſire *ſtatum*, in quo *æternum* ſunt permanſuri, *nondum tamen perfectum*, neque ante diem ſupremi iudicii conſummandum. Notanda eſt vocis ambiguitas. *Perfecta* cum dicitur beatitudo, aut ei oppoſita damnatio, id poteſt dupliciter intelligi: Aut *ſubiectiue*, vt moris eſt loqui, quod ad *totum hominem* attinet; qua quidem ratione non eſt dubium, quin imperfecta ſit, vſque ad reuerſionem animi in ſuum corpus, ex cineribus excitatum; vid. 2 Timoth. IV, 8. Aut *formaliter*, in qua *nihil deeſt*, quantum ad *animum*, præſertim vero pars præcipua beatitatis, nimirum perfecta Dei cognitio & contemplatio; hoc ſenſu negamus ac pernegamus, imperfectam eſſe animi prius, quam cum corpore rediuiuo coniunctus fuerit, beatitatem. Quam primum πίστις eſſe deſiit, εἶδος incipit, 2 Cor. V, 7. Denique in CLASSE VI. illos numeramus, qui concedunt quidem, *animos damnatorum* hominum *omnes*, ſine vlla mora, in æternum exitium amandari, *quosdam* etiam *beatorum* protinus admitti ad æterni gaudii perceptionem; *reliquos* autem, *nondum ſatis purgatos*, aiunt, in *ſtatu* quodam *medio* detineri, vt magnis in eo *cruciatibus* adficiantur, *vſque ad conſummatam* ipſorum *purgationem*. Sed & illi in partes abeunt, & quamuis in eo conueniant omnes, quod *purgationem aliquam* animorum ſeparatorum neceſſariam eſſe fabulantur, in *modo* tamen definitione explicando multum inter ſe differunt. Aliter rem finxerunt *Iudæi*, &, inter gentes profanas, *Platonici* Philoſophi, a quibus prope abſunt *Pſeudomyſtici & fanatici* homines; aliter de ea ſentiunt *Græci*, aliter *Romanocatbolici*, quorum animis penitus infixa hæret opinio *ignis* cuiusdam *purgatorii*, *ab inferno diſtincti*. Huius falſa principia hæc ſunt: 1) Quod Chriſtus pro pœnis dumtaxat æternis ſatis fecerit, non item pro temporalibus, pro quibus ſatis facere quilibet ipſe debeat, aut in vita, aut poſt mortem. 2) Quod ſatisfactio ſit pars quædam pœnitentiæ, immo præcipua. Ex quo debet intelligi, qua ratione ignem ſuum purgatorium conentur efficere ex hoc præcepto: μετανοεῖτε. Quam argumentationem, tanquam abſurdiſſimam, exagitat, nec immerito, noſtra *Apol. Aug. Conſ. cap.* VI, p. 186. Vide, quo modo rationes colligant: Pœnitentia eſt ſumme neceſſaria (recte!): Ea vero ex tribus conſtat partibus, contritione cordis, confeſſione oris, ſatisfactione operis (falſo!): E. ſatisfactionem præſtare oportet vnum quemque, quem peccatorum pœnitet: E. ſi viuus non ſatis ex aſſe fecerit, debebit defectum hunc ſupplere mortuus in purgatorio. 3) Quod pœna non omnino remittatur, tametſi culpa omnis condonata ſit. 4) Quod fides in Chriſtum non ſit vnica ac perfecta ſalutis cauſſa, ſed bonorum etiam operum magna ſit ad ſalutem neceſſitas. Taceo plura. Sed en! manifeſtam *repugnantiam*. Repugnat hic *Romano-Catholicorum* error intolerabilis 1) *alii* cuidam *errori*, in quo illi verſantur, nimirum de *extrema vnctione*, quam dicunt ſacramentum eſſe *pœnitentiæ conſummatiuum*, cui tantam illi vim aſſerunt, vt delicta, *ſi qua ſint adhuc expianda, omnesque peccati reliquias abſtergat.* Vid. *Concil. Trident. Seſſ.* XIV. Atqui omnes, cum animam agunt, debent extremæ vnctionis participes fieri. Quinam igitur ſunt deinceps purgandi? aut quidnam in iis remanet, poſt fata expiandum, purgandum, abſtergendum? Quid igitur opus eſt igne purgatorio? aut, ſi opus ſit, quid valet extrema vnctio? Repugnat 2) *veritati*, quam nobiſcum profitentur, de *iudicio ſupremo, & continuo ſubſequente introitu beatorum* in æternum domicilium, iis paratum, Matth. XXV, 46. 1 Theſſal. IV, 17. quo in loco multum ſane ponderis ſecum fert vocabulum, ἅμα, vna cum eis, nullo interiecto temporis intervallo. Quid vero, quæſumus, fiet de illis, qui ipſo iudicii die adhuc in viuis erunt? Qua demum ratione illi purgabuntur, aut pro pœnis in igne purgatorio perferendis ſatisfacere valebunt? An eſt credibile, eos ad vnum omnes ita fore perfectos, vt nulla purgatione, aut ſatisfactione indigeant?

Sed reſtat quædam difficultas. Quæritur de *bis mortuis*? de quibus quidem non conſtat, eos iterum mortem oppetiiſſe, quum fieri potuerit, vt viui deinceps in ſedem beatam adſumerentur. Quidquid ſit; hoc vnum in diſceptatione verſatur: vbi locorum commorati fuerint

Digitized by Google

Apoc. XXI, 27. Sed multi iuſti &c. E. *Minor* patet: quia in multis labimur omnes, Iac. III, 2. Reſp. Neg. *minor*. Nam peccata venialia ita dicuntur, quia actu non imputantur ad condemnationem, propter ſatisfactionem Chriſti pro peccatis præſtitam, & vera fide a peccatore reſipiſcente apprehenſam. Quidquid autem non imputatur, moraliter habetur pro non facto. Vnde ſcripturæ docent, Deum *ita remittere* peccata, vt *eorum nolit amplius recordari*, Ezech. XVIII, 22. vt *demergat ea in profundum maris*, Mich. VII, 19. vt *deleat ea inſtar nubis*, Eſ. XLIV, 22. Proinde iuſti non moriuntur cum peccatis venialibus.

Inſtantia: Remiſſa culpa interdum remanet pœna temporalis. Reſp. Id aperte pugnat cum formali ratione remiſſionis peccatorum. Nam *remittere peccatum* ſignificat, peccatum *non imputare ad pœnam*: Quidquid ad pœnam non imputatur, propter illud nulla pœna ſubeunda eſt. *Caſtigationes paternas* Deus ſibi aliquando reſeruat, culpa remiſſa; at *non pœnas*, quas a iudice adhuc irato proficiſci neceſſe eſt; caſtigantur autem pœnitentes *in hac vita*.

II. Quorum opera probantur *igne*, eadem probantur *igne purgatorio*. Atqui opera mortuorum &c. 1 Cor. III, 13. E. *Maior* conſtat: quia ignis purgatorius ordinatus eſt ad probanda opera hominum. Reſp. 1) Totus contextus Paulli allegoricus eſt, & proinde intelligitur ignis *non materialis*, aut *proprie* ſic dictus, qualis cenſetur eſſe ignis purgatorius; ſed *metaphoricus*, & per ſimilitudinem ſic dictus, quod *& vocula ὡς, quaſi*, innuit. Non autem deſignatur *ignis repurgationis*, *vel expiationis peccati*, *ſed probationis*, *examinis*, *vel explorationis doctrinæ*, virtute Spiritus S. ſeſe exſerens per verbum Dei ſcriptum, non ſine *igne crucis & tentationis*, vel in perſecutionum & vitæ periculo, vel in extremo agonis articulo, quo vera doctrina probatur & perficitur, vt aurum, erronea conſumitur, vt fœnum. Nam & *ſcriptura*, Ier. XXIII, 29. Luc. XXIV, 32. & *tentatio crucis*, 1 Petr. I, 7. *igni* comparatur. Probatur autem veritas doctrinæ *in hoc*, non futuro *ſæculo*, ad quod purgatorium a *Pontificiis refertur*. 2) Phraſis illa, *σώζεσθαι ὡς διὰ πυρός*, eſt prouerbialis, & ſignificat ſummum periculum, cenſente GROTIO in *h. l.* vt ſenſus ſit: Ille doctor, qui fœnum & ſtipulas ſuperædificat fundamento fidei, *in ſummo ſalutis periculo verſabitur*, *& fiet ſaluus*, *quaſi per ignem*, tanquam ex periculoſo incendio, conflagratis etiam errorum ſtipulis, ereptus. Confer. ep. Iudæ v. 23.

III. Quos Chriſtus purgaturus igne quaſi conflatorio eſt, illos mittet in ignem purgatorium: At multos peccatores &c. Mal. III, 2. E. Reſp. Loquitur propheta de *purgatione* quæ fit *in hac vita* per *ignem* non proprium, ſed *metaphoricum*, qualis eſt *verbum Dei*, cum *cruce*, ſeu afflictione, coniunctum.

Inſtantia: Peccatores dicuntur *intrare in ignem & aquas*, *& educi tamen in latitudinem*, Pſ. LXVI, 12. quibus verbis indicatur detruſio in ignem purgatorium, & peracta purifi-

erint animi per illud tempus, quo a ſuo quisque corpore disiunctus fuit? Vtrum in *cœlo?* Durum nobis videtur, ac Dei benignitate indignum, neque ordini ſalutis conſummato conveniens, animos, perfecte iam beatos, denuo in calamitoſam hancce vitam detrudere. An in *inferno?* Ex inferno nulla redemtio. Ecquid igitur erit exiſtimandum? *Tertius* ne quidam locus ac ſtatus eſt, inter vtrumque medius? Eum vero omnino nullum eſſe, ad liquidum perduximus. Inter tot, tamque diſcrepantes ſententias, hanc intelligo, & magis tutam eſſe, & magis probabilem: fuiſſe eos in *cœlo* quidem, ſed tamquam *hoſpites*, nondum velut ciues, vt in ſingulari atque eximio *prægustu* æternæ beatitatis delectarentur. Illuſtrationi huius rei ſeruit, quod Paullus adhuc viuus, ſed extra ſe raptus, aliquid, huic ſimillimum, eſt expertus. 2 Corinth. XII, 2. 3. 4.



Digitized by Google

purificatione futura liberatio. Reſp. Intelligitur l. c. *ignis crucis*, ſiue tentationis. Id quod patet e præcedente v. 10. 11. *Probaſti Deus, purgaſti nos, ſicut purgatur argentum; induxiſti nos in rete; poſuiſti oppreſſionem ſuper lumbos noſtros.*

IV. Quæcunque peccata hominibus in futuro ſæculo remittuntur, ab illis igne purgatorio ſunt repurgandi: Atqui quædam peccata &c. Ergo. *Maior* claret: quia Deus impuris, quatenus perſeueranter ſectantur impuritatem, peccata non remittit. *Minor* prob. ex Matth. XII, 32. *Peccatum in Spiritum S. neque in hoc, neque in futuro ſæculo remittitur.* Reſp. Verba Chriſti *abſolutam negationem* important, vt ſenſus ſit: peccatum in Spiritum S. non remittitur εἰς αἰῶνας, *in æternum*, interprete Marco, c. III, 29. Quod autem Chriſtus diſtributiua locutione vtitur, & dicit: *neque in hoc, neque in futuro ſæculo*, id fit ad exaggerandum peccatum in Spiritum S., quaſi dicat: Si poſſibile eſſet, vt aliquod peccatum etiam poſt hanc vitam remitteretur, tamen peccatum in Spiritum S. tantum eſt, vt ne quidem poſt hanc vitam remitti queat.

V. Quicunque *educuntur ex lacu, in quo non eſt aqua*, illi educuntur ex purgatorio: Atqui quidam peccatores &c. Zach. IX, 11. Ergo. *Maior* patet; quia lacus ſine aqua non datur in hoc mundo: neque ex inferno educimur, quia ex illo non eſt liberatio. Ergo educimur e purgatorio. Reſp. L. c. intelligitur *lacus extremæ miſeriæ*, qualis in primis eſt miſeria *infernalis*. *Educti ſumus* e lacu extremæ miſeriæ, in quo ne guttula quidem ſolatii eſt, per liberationem factam *ſanguine & morte Chriſti*, non ideo, quod actu fuerimus proiecti in lacum infernalem, aut damnati, ſed quoniam fuimus damnabiles & rei æterni ſupplicii.

# DE SEPVLTVRA CORPORIS.

Quæſt. XII. *Suntne corpora Chriſtianorum ſepelienda?*

*Sepultura corporis.*

Exanimata corpora *piorum*, qui in communione cum eccleſia ex hac vita deceſſerunt, *honeſte*, ſed *ſine luxu* & pompa immoderata, in terram recondenda ſunt.

Prob. 1) Exemplis: Prima ſepulturæ mentio fit in hiſtoria Abrahami, de quo Moſes ſcriptorum omnium antiquiſſimus, refert, quod ab Hethitis agrum emerit cum ſpelunca, in qua defunctam coniugem Saram ſepeliuit, Gen. XXIII, 4. Corpus Moſis Deus ipſe ſepultura honeſtauit in terra Moabi, Deut. XXXIV, 6. Viri Iabes laudantur, quod corpora Saulis & Ionathanis terræ mandauerint, 2 Sam. II, 4. 5. Chriſtus ipſe, in cruce exanimatus, a Ioſepho Arimathæo in honorificum monumentum illatus eſt.

2) Inhumatio eſt typus pulcherrimus noſtræ futuræ reſurrectionis. Corpus enim noſtrum *ſeminatur*, ſiue ſeminis inſtar *terræ committitur*, 1 Cor. XV, 37. vt in die vniuerſalis iudicii reuireſcat; *dormit in puluere terræ*, Dan. XII, 2. *voce Chriſti excitandum*, Io. V, 28. Proinde exanimata Chriſtianorum corpora *non* ſunt igne *cremanda, non beſtiis obiicienda, non in aquam mittenda.*

Quæſt. XIII. *An infantes chriſtianorum, non baptizati, ſolemnibus ritibus humandi ſunt?*

Corpora *infantum*, ex *parentibus chriſtianis* natorum, qui *ante ſuſceptum baptiſmum ſubita morte rapiuntur*, ſolemnibus ritibus contumulanda ſunt.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Sunt enim nati in gremio eccleſiæ, precibusque parentum Deo commendati, atque adeo ſancti (ſanctitate externa), 1 Cor. VII, 14. quippe quos repentinum fatum, non contemtus, baptiſmo priuauit.

Quæſt. XIV. *An pertinacibus hæreticis & hominibus extreme flagitioſis honeſta concedenda eſt ſepultura?*

*Neque pertinacibus hæreticis*, alios ab orthodoxia abducentibus, *neque* hominibus *præfracte malitioſis*, honorifica concedenda eſt ſepultura.

Prob. Sacræ litteræ oſtendunt nobis exempla Ieroboami, 1 Reg. XIV, 11. Achabi & Iezabelis, 1 Reg. XXI, 23. Ioiakimi, Ier. XXII, 19. qui cum aliis vel introducta heterodoxia, vel malo exemplo nocuiſſent, vel canibus obiecti, vel vt aſini ſepulti ſunt.

Quæſt. XV. *Num deſperandum eſt de ſalute eorum, qui non ſunt ſepulti?*

*Si in vera fide moriuntur*, de illorum ſalute *non* eſt *dubitandum*.

Prob. Sepultura eſt de honeſtate, ſi haberi poſſit, non de neceſſitate ſalutis; alioqui de plurimorum martyrum ſalute deſperandum fuerit: de quibus AVGVSTINVS ſcribit, *L. I. de C. D. c. 12. Multa corpora Chriſtianorum terra non texit, ſed nullum eorum quiſquam a cœlo & terra ſeparauit: quam totam implet præſentia ſui, qui nouit, vnde reſuſcitet, quod creauit.*

# DE RESVSCITATIONE ET RESVRRECTIONE MORTVORVM.

Quæſt. XVI. *Quid eſt reſuſcitatio mortuorum?*

*Reſuſcitatio mortuorum* eſt actio Dei triunius, qua is, vi iuſtitiæ ſuæ, omnium defunctorum corpora reproducet, & cum animabus vniet ad participationem æternæ beatitudinis, aut æternæ damnationis. *Reſuſcitatio mortuorum.*

Obſ. *Reſuſcitatio, & reſurrectio* differunt, vt cauſſa, & effectus. *Illa huius* cauſſa eſt, cum non, niſi reſuſcitati, reſurgant. *Reſuſcitatio* eſt *actio Dei, reſurrectio* eſt *terminus* illius actionis, adeoque *opus diuinum.*

Quæſt. XVII. *Quid eſt reſurrectio mortuorum?*

*Reſurrectio* mortuorum eſt opus Dei triunius, quo defuncti homines omnes eadem numero corpora, quæ in hac vita habuerunt, e morte excitata, & cum animabus ſuis redunita recipient, ad plenam beatitudinis, aut damnationis æternæ participationem, & ad manifeſtationem iuſtitiæ diuinæ remuneratoriæ & vindicatiuæ. *Reſurrectio mortuorum.*

Obſ. *Reſurrectio mortuorum ſumitur vel in ſenſu proprio, vel in ſenſu improprio. Proprie* notat reſurrectionem corporum a morte naturali. *Improprie* ſumitur vel *metonymice;* ſic Chriſtus dicitur reſurrectio, i. e. cauſſa reſurrectionis, Io. XI, 25. vel *metaphorice*, tum pro liberatione ex aduerſitatibus, Pſ. XLI, 9. tum pro conuerſione peccatoris, quæ alias dicitur *reſurrectio prima*, Apoc. XX, 5. Confer. Eph. V, 14.



Digitized by Google

Quæſt. XVIII. *Vtrum e lumine naturæ, an e lumine ſcripturæ reſurrectio mortuorum probanda eſt?*

*An ex lumine naturæ nota?*

Quamuis *poſſibilitas* reſurrectionis mortuorum e lumine naturæ *probabiliter* oſtendi queat a) *): illius tamen *certitudo* ex *ſolis* ſcriptis propheticis *veteris* b) & apoſtolicis *noui* Teſtamenti c) valide demonſtratur.

Prob. a. Si ratio humana quadantenus inueſtigare poteſt hominis *creationem*: quidni etiam hominum *reſurrectionem*? Sic enim colligit probabiliter ſana hominis ratio: qui e nihilo condere *potuit* cœlum, terram, & quæcunque in illis ſunt, is poteſt etiam hominum demortua & in cineres verſa corpora reproducere, & cum animabus vnire: inprimis quia anima immortalis eſt, & naturaliter corpus appetit, cui vnita fuit. Quod naturale deſiderium fruſtraneum eſſe, & nunquam a Deo impleri, haud veriſimile eſt; ſiquidem ita relinqueretur anima in ſtatu imperfecto & præternaturali. Accedit, quod diuina prouidentia & iuſtitia requirat, vt bonis bene, malis male ſit. Quod cum ſæpe in hac vita non eueniat: colligit ratio, id in altera vita *euenturum eſſe*, vt quod corpus animæ in operibus bonis & malis fuit organon, præmiorum quoque ac pœnarum *fiat particeps*. Vnde vero conſentaneum videtur, corpus mortuum aliquando reſuſcitatum iri.

Prob. b. E. Dan. XII, 2. *Multi de dormientibus in puluere terræ euigilabunt: hi ad vitam æternam: reliqui vero in opprobria, in ignominiam æternam.* Ex hoc oraculo prophetico diſcimus, *certo futuram* eſſe aliquam reſurrectionem non tantum *piorum*, ſed & *impiorum*: *illis* reſurrectionem eſſe viam ad vitam glorioſam; *his* tranſitum in ignominiam.

Prob. c.

*) Mihi hæc placet aliorum ex noſtratibus ſententia: rem *poſſe* quidem *fieri*, id ex principiis naturalibus *certo* effici; *vere* autem eam *euenturam eſſe*, hoc non, niſi *probabiliter*, naturali perceptione adſequi quemquam poſſe. Vtrumque paullo vberius declarabo.

I. *Poſſe* id *fieri*, homo recta ratione vtens *certo* efficit 1) ex hoc principio *Theologiæ naturalis*: Immenſa in Deo eſt & ſcientia, & potentia, & poteſtas, eaque pertinet ad omnia, quæcunque ſunt ex genere poſſibilium. Simpliciter impoſſibile nihil eſt, niſi quod apertam in ſe continet repugnantiam. In hac re nulla eſt, non quæ videatur, ſed quæ ſit, repugnantia, nihil, quod vel ſibi, vel vlli aliarum veritatum repugnet. E. infinita Dei potentia hoc valet, ſi ipſe velit, quamuis finitæ mentis ratio modum, quo fieri poſſit, capere non queat. 2) Ex *duobus* principiis *ſcientiæ naturalis*, quorum quidem *vnum* eſt: In quod quid *tandem* diſſoluitur, ex eo id ſuam originem *primum* accepiſſe, neceſſe eſt: Corpus tandem reſoluitur in terram: Ex terra igitur corpus hominis primum fuiſſe ortum, neceſſaria ratione concluditur. Quonam autem modo corpus animatum, tamque adfabre compoſitum, primam ſuam a terra originem ducere potuiſſet, ſine infinita atque immenſa potentia ſapientiſſimi cuiusdam, rerumque omnium ſcientiſſimi Creatoris? Quidni igitur valeat idem Creator, in quem nulla cadit mutatio ac defectio, corpus ex terra creatum, in eamque reverſum, rurſus nullo negotio ex ea excitare, ſingulas eiusdem particulas, vtcumque, & quo vsque diſſipatæ fuerint, coniungere, cum aliis corporibus commixtas ab eisdem ſeiungere, longeque illuſtrius ſuum cuique corpus reddere? Idcirco Chriſtus, aduerſus *Sadducæos* diſputans, turpem illis ignorationem non *ſcripturæ* ſolum, ſed etiam *potentiæ diuinæ*, naturaliter cognitæ, exprobrat, Matth. XXII, 29. & Paullus *reſtitutionem* corporis, quod *iam fuit*, arcte copulat cum prima *creatione* eius, quod *non fuit*, Rom. IV, 17. *Alterum* hoc eſt: Naturaliter fieri non poteſt, vt materia quædam, ac vel minima eius pars, prorſus intereat, aut in aliam naturam conuertatur. Quod aliquando fuit, id omnino ad nihilum redigere, æque diuinum & poteſtatis immenſæ proprium eſt, ac efficere, vt id, quod nihil eſt, exſiſtat. Ita pariter Deo vni omnium rerum effectori conuenit, rerum naturam penitus immutare. Deſtruet ne igitur Deus corpus humanum, quem ad modum per immenſam potentiam

Digitized by Google

Prob. c. Ex Io. V, 28. 29 *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & exibunt; qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui mala fecerunt, in reſurrectionem iudicii.* Quæ verba Chriſti *non* intelligenda ſunt de reſurrectione *ſpirituali* per pœnitentiam. Nam qui ſpiritualiter reſurgunt, non exeunt de ſepulcris peccatorum ad reſurrectionem iudicii condemnatorii, quod aſſeritur de quibusdam, qui ad auditam vocem Chriſti e monumentis prodeunt. Ergo intelligitur reſurrectio *corporum vniuerſalis.* Loquitur quippe Saluator de *omnibus iacentibus in ſepulcris*, eosque in *ſaluandos & damnandos* diuidit *).

*Antitheſis* eſt *Atheorum, Sadducæorum & Epicuræorum* **), reſurrectionem corporum vniuerſalem negantium. Qui obiiciunt: Rrr rrr r 3 I. *Gigan-*

tentiam tandem deſtructurus ipſe eſt corpora brutorum animantium, immo omnia, in quibus nil eſt, niſi materia? Si illud ſuperius opineris, oportet te ingens ſtatuere miraculum, quum tibi miraculum hoc, diuinæ patefactionis auctoritate confirmatum, tantum propter ea, quod ſit miraculum, prorſus incredibile videatur. Ex hoc rationis *principio* enata eſt *diſtinctio* duplicis materiæ, quæ pertinet ad hoc corpus mortale, quo nunc induti ſumus. *Alia* quidem eſt *conſtans*, ſeu, vt vulgo dicitur, eſſentialis, nimirum *neceſſaria* ad corporis naturam & conſtitutionem, vt vere ſit *humanum* corpus, ex membris ſuis, inter ſe connexis atque aptis, compoſitum: *Alia* vero eſt *mutabilis*, quæ adpellari ſolet accidentalis, atque hæc ad alimentum & conſeruationem corporis ſpectat, quoad *mortale* eſt corpus. Fac ergo, corpus hominis exanime ab animantibus, ſiue brutis, ſiue immanitate efferatis, deuorartum conſumi. Non conſtans & naturalis eius materia conſumitur, ac ne poteſt quidem (per hoc *principium:* Nullius rei natura, ac partes naturales, poſſunt, niſi vnius Creatoris voluntate potentia ac poteſtate, prorſus in aliam naturam conuerti). Quotidie quidem homini accidit continua corporis mutatio, particularum aliarum deceſſione, aliarum acceſſione. At ipſa tamen corporis natura ſemper vna eſt eademque, nec aucta vnquam, nec imminuta. Adhibita hac diſtinctione, ſpecioſum aduerſariorum præſidium, quo vno freti ſunt, totum corruit.

II. *Vere rem futuram eſſe*, non quidem cum certa rei ratione homo, naturam ſolum ducem ſequutus, cognoſcere vnquam poterit, præſertim hanc ob cauſſam, quod nemo, niſi prælucente reuelatione, corruptionem naturæ humanæ intimam, atque eius in integrum reſtitutionem, an, & qualis ſit ea, perſpicere valeat. At *probabili* tamen argumentatione concludit ex eo, quod 1) corpus hominis eſt *pars altera naturæ* humanæ, ideoque animus, niſi plane efferatus ſit, ardentiſſimo flagrat *deſiderio perpetuæ* cum corpore ſuo coniunctionis; id vero, quum non ad deſtructionem, ſed ad perfectionem tendat, non corruptioni, ſed conſtitutioni naturæ humanæ tribuendum eſt; nec eſt credibile, illud fruſtra, ac ſine ſapientiſſimo conſilio, illi conueniente, naturaliter homini cuique inſitum eſſe: 2) quod *homo totus*, nec animus ſolum, aut *virtuti*, aut *vitioſitati* deditus fuit, quam ob rem iuſtitiæ conſentaneum videtur, vt *totus* etiam *homo* aut *præmiis*, aut *pœnis* adficiatur: in primis ſi cogitemus 3) *remunerationem* virtutis in *hac vita* ſæpe multumque *deficere*, vbi cum bonis male, cum malis bene agitur, Cohel. VIII, 14. IX, 2. immo 4) *vniuerſam hancce vitam* non tam ad *perficiendum remunerationem*, quam ad *conſummandum laborem* deſtinatam eſſe; etenim *perfectum præmium* cuique tribuitur, *laboribus omnino peractis:* atqui quoad in *terra* commorabimur, *continuo laborandum* eſt, & partes terreſtris felicitatis ad vnum omnes ſunt *media* ad plus laborandum, & maioris ſtudii *incitamenta*. Teſtis eſt etiam *experientia*, cum relatum legimus, Act. XVII, 32. non nullos quidem ciuium Athenienſium Paulli adſeuerationem de mortuis in vitam reuocandis ludibrio habuiſſe, reliquos autem eam, vtpote non improbabilem, non reieciſſe, vehementer cupidos, plus de hoc argumento audiendi, nec cupiditate nouitatis (quod forſitan ſuſpiceris ex v 21.), ſed ſtudio veritatis, certo cognoſcendæ, v. 34.

*) Longe plura quidem exſtant teſtimonia, ex vtroque teſtamento depromenda, quæ vero b. Auctor videtur hanc ob cauſſam prætermiſiſſe, quoniam ea non *ipſam* ſolum reuocationem corporis in vitam, ſed eius etiam *modum* & glorioſam corporis rediuiui formam nos edocent, de qua deinceps erit dicendum.

**) Et *hæreticorum* quorumdam inter chriſtianos, prima ætate eccleſiæ N. T. Aduerſus illos diſputat Paullus, 1 Cor. XV, 12. Nominatim huius erroris *Hymenæum* & *Philetum*, qui vterque

Digitized by Google

I. *Gigantes non reſurgent*, Eſ. XXVI, 14. Reſp. Gigantes non reſurgent ad *hanc* vitam *temporalem*, non aſſurgent, ad *prioris potentiæ faſtigium.* Addit enim propheta: *Diſſipaſti eos, & perdidiſti omnem eorum memoriam.*

II. Qui, cum dormiuit, non reuiuiſcit, ille non reſurgit: Sed homo &c: Iob. XIV, 12. Ergo. Reſp. Iobus *non* negat reſurrectionem *abſolute*, ſed *limitate.* Addit enim hanc limitationem: *donec atteratur cœlum.* Differetur enim reſurrectio vniuerſalis vsque ad diem extremi iudicii, quo ipſum cœlum atteretur, LI, 6.

III. Quoscunque Deus reſuſcitat, illorum recordatur: Sed multorum hominum non recordatur, Pſ. LXXXVIII, 6. Ergo. Reſp. Diſt. inter *memoriam ſimplicem*, *& beneuolam.* Deus nullius hominis obliuiſcitur, ſed *impiorum*, poſt mortem, *non* recordatur *beneuole*, vt beneficiis æternis illos afficiat.

IV. Quorum exitus ſimilis eſt egreſſui iumentorum, illi non reſurgent: Sed quorundam hominum exitus &c. Eccl. III, 19. Ergo. Reſp. Loquitur Rex Salomo de *moriendi neceſſitate*, qua tam iumenta, quam homines obſtringuntur, *non* de *ſtatu poſt mortem.*

Inſtantia: Sed addit Rex Salomo: *Quis ſcit, an ſpiritus hominis aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deorſum?* Reſp. Ex euentibus externis, qui tam iumentis, quam hominibus obtingunt, ratio ſibi relicta beatam animarum immortalitatem certo non cognoſcit: at ex verbo Dei nouit Salomo, & quilibet homo renatus, ſpiritum redire ad Deum, Eccl. XII, 7.

V. *Impii in iudicio non ſtabunt*, Pſ. I, 5.: E. non reſurgent. Reſp. Impii in iudicio non bene ſtabunt, non conſiſtent, ſed bonitate cauſſæ deſtituti ruent in interitum.

VI. Quicunque ad vitam æternam reſurgunt, Deum laudant: Mortui Deum non laudant, Pſ. VI, 6. E. ad vitam æternam non reſurgunt. Reſp. Mortui, quatenus & *quamdiu mortui ſunt*, Deum *non* laudant *membris corporeis*, licet eorum anima Deum celebret: at cum corpora piorum reſuſcitabuntur, eorum & corpora & animæ laudes Dei canent.

Quæſt. XIX. *Quis mortuos reſuſcitabit?*

*Reſuſcitator.* Mortuos *reſuſcitabit Deus triunus*, Pater a), Filius Dei b), & Spiritus Sanctus c). *Singulari* tamen *ratione* reſuſcitatio mortuorum appropriatur *Chriſto*, θεανθρώπῳ d).

Prob. a. Ex 2 Cor. IV, 14. *Qui ſuſcitauit Ieſum, idem & nos ſuſcitabit per Ieſum.* At Deus Pater Ieſum ſuſcitauit, Act. III, 26.

Prob. b. Ex Iob. V, 25. *Mortui audient vocem Filii Dei, & qui audient, viuent.*

Prob. c. Ex Rom. VIII, 11. *Si Spiritus eius, qui reſuſcitauit Ieſum ex mortuis, habitat in vobis: is, qui reſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit etiam mortua corpora veſtra propter inhabitantem ſuum Spiritum in vobis.* Spiritus S. conſeruat in nobis vitam ſpiritualem,

que mortuorum in vitam reuocationem *non omnem*, ſed aliquando *futuram* infitiari auſi ſunt. Non liquet, quid ſibi voluerint ambo, hoc præ ſe ferentes: eam *omnino iam factam eſſe.* Cauſſam erroris putant plerique hanc fuiſſe: quod ἀνάςασιν νεκρῶν illi *omnem improprie* ſint interpretati, vel de *ſpirituali* hominum, ad Chriſtum conuerſorum, vel de *ciuili* rei publicæ iudaicæ, ſolutis vinculis captiuitatis Babylonicæ, in priſtinam integritatem reſtitutæ, Ezech. XXXVII, 12. 13. 14. Sed mihi videntur illi hæretici reuocationem mortuorum in vitam *proprie* quidem ita dictam intellexiſſe, eam vero *omnem* Chriſto *vni* adſerendam putaſſe, nolentes perſpicere conſequutionis vim ac neceſſitatem. Producam illud ipſum teſtimonium, 1 Cor. XV, 12. quibus ex verbis adparet, de Chriſti corpore in vitam reuocato, Chriſtianorum neminem dubitaſſe, hoc tantum multos negatum iuiſſe, conſequens fore, vt noſtra quoque corpora ab inferis excitentur.

Digitized by Google

lem, & ſi ductum eius conſtanter ſequimur, cuſtodit nos ad obtinendam vitam æternam, in quam per reſurrectionem ingredimur.

Prob. d. *Singulari modo* reſurrectio mortuorum *Chriſto* θεανθρώπῳ appropriatur; quia 1) ſicut Deus Pater Chriſto dedit poteſtatem *iudicii faciendi*, *quia filius hominis eſt*, Io. V, 27. ita & Chriſto, *qua homini*, commiſit poteſtatem *mortuos reſuſcitandi.* 2) Fructus glorioſæ reſurrectionis Chriſti eſt, vt mortuis & viuentibus dominetur, Rom. XIV, 9. Quod dominium vniuerſale Rex Ieſus in mortuorum reſuſcitatione exſeret. 3) Chriſtus ſenſibili voce & in nubibus conſpicuus mortuos e tumulis euocabit ad iudicium. Matth. XXV, 31. 1 Theſſ. IV, 16. 4) Quia Chriſtus eſt *cauſſa* reſurrectionis non tantum *efficiens*, ſed etiam *meritoria*, reſpectu glorioſæ reſurrectionis fidelium. Id quod ipſe auctor vitæ innuit Io. XI, 25. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etſi moriatur, viuet: omnis vero, qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.*

### Quæſt. XX. *An omnes homines reſurgent?*

Reſurgent *omnes* homines a), qui fuerunt mortui b), tam *pii* c), quam *impii* d). *Reſuſcitandi.*

Prob. a. Reſurrectio mortuorum *vniuerſalis* conſtat e Dan. XII, 2. & Io. V, 29. quæ dicta claſſica adduximus ſupra, qu. XVIII.

Prob. b. Ex Eſ. XXVI, 19. *Viuent mortui tui, & cum corporibus reſurgent.* Ex quo eloquio prophetico colligimus duo: 1) *Subiectum quod* reſurrectionis eſſe homines mortuos; quare Enoch & Elias, qui *nunquam ſunt mortui*, & homines illi, quos extremus mundi dies, apparente iudice Chriſto, viuos deprehendet, *non reſurgent* a morte naturali; quia anima eorum a corpore non fuit ſeparata, *immutabuntur* tamen a iudice cœleſti: de qua immutatione nos informat Paullus, 1 Cor. XV, 51. *Ecce! myſterium vobis dico: omnes quidem non obdormiemus, omnes tamen immutabimur in momento, in ictu oculi, in extrema tuba.* Paullus doctrinam de iſta *immutatione* vocat *myſterium;* quoniam illa ἀλλαγὴ, ſiue mutatio, erit ſingularis, miraculoſa, imperueſtigabilis & ineffabilis; dicit idem, quod non futurum ſit, vt omnes obdormiamus. Ergo mutatio hæc miraculoſa *non* erit *ſubſtantialis*, inferens vel diſſolutionem animæ & corporis, vel aliam ſubſtantiam corporis; ſed *accidentalis*, quoad ſtatum & qualitates, vt corpus viuentium corruptibile in extremo die ſubito induat incorruptibilitatem, quo nec corpora impiorum flammis annihilentur, nec corpora piorum coram throno Dei vllam ſubeant alterationem. 2) Colligimus, *ſubiectum quo* reſurrectionis *non* eſſe *animam*, ſed *corpus* hominis defuncti; dicit enim propheta: *cum corporibus reſurgent. Anima*, cum ſit immortalis, vt *non moritur*, ita *non reſurgit.* Reſurrectio enim formaliter eſt *eiusdem, quod cecidit, iterata ſtatio:* Solum corpus, non anima, cecidit: Ergo ſolum corpus, non anima reſurget.

Prob. c. Ex teſtimonio Chriſti dicentis, Io. XI, 25. *Qui credit in me, etſi moriatur, viuet.* Ex quo Paullus, 1 Theſſ. IV, 14. inquit: *Deus eos, qui obdormiuerunt per Ieſum, reducet cum ipſo.*

Prob. d. 1) Ex Act. XXIV, 15. *Spem habeo erga Deum, quam etiam hi ipſi exſpectant, reſurrectionem futuram eſſe mortuorum, iuſtorum & iniuſtorum.*

Dicis: Reſurrectio *iniuſtorum*, cum non ſit bona, *ſperari* nequit. Reſp. *Sperari* poteſt *ſecundario*, in quantum innocentia hominis iuſti ab iniuſtis accuſati & calumniis oppreſſi, qualis erat Paullus, in reſurrectione & iudicio iniuſtorum clariſſime innoteſcit.

2) Ex

Digitized by Google

2) Ex 2 Cor. V, 10. *Oportet nos omnes manifeſtari coram tribunali Chriſti, vt reportet quilibet ea, quæ per corpus* (facta), *prout ea fecit, ſiue bonum, ſiue malum* quodlibet fuerit. Quicunque ſcelerum architecti in corpore ſupplicium luent, eorum corpus etiam ad ſupplicium reſurget. Nam poſito conſequente, ſcil. iudicio in corpus diuinitus exercendo, ponenda eſt antecedens corporis reſurrectio.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum* *), impiorum reſurrectionem infitiantium. Qui obiiciunt:

I. Impii *æternum moriuntur*, 2 Theſſ. I, 9: E. non reſurgunt. Reſp. Impii *æternum moriuntur*, quia priuati erunt *vita glorioſa* electorum, æternum tamen viuent *vitam ignominioſam* reproborum; quæ vita *mors* dicitur, quia omni felicitate, omni ſolatio orbata eſt.

II. *Impii non reſurgent in iudicio*, Pſ. I, 5. Reſp. Verbum קוּם non tantum *reſurgere* ſed & *ſtare* ſignificat. Impii non conſiſtent in iudicio, non poterunt ſuſtinere rigorem examinis diuini. Conf. Eſ. VII, 12.

III. Reſurrectio eſt ingens beneficium, Phil. III, 9. quo indigni ſunt impii. Reſp. Reſurrectio *ad vitam æternam* eſt ingens *beneficium:* at reſurrectio ad *condemnationem æternam* eſt ingens *ſupplicium.*

IV. Deus *eos, qui obdormiuerunt per Ieſum, reducet cum ipſo*, 1 Theſſ. IV, 14. E. ſoli Chriſtiani finaliter credentes reſurgent. Reſp. Paullus l. c. agit de reſurrectione *glorioſa iuſtorum; non* autem loquitur *excluſiue*, non excludit reſurrectionem *iniuſtorum*, cuius mentionem iniicit, Act. XXIV, 15.

Quæſt. XXI. *An impii reſurrecturi ſunt vi meriti Chriſti?*

Chriſtus *iniuſtos* ad æternam condemnationem *non* reſuſcitabit *vt gratioſus mediator*, ſed vt omnipotens & ſeuerus *iudex*; adeoque impii *non* reſurgent *vi meriti Chriſti* a), ſed vi *decreti diuini*, & *iuſtitiæ vindicatiuæ* b).

Obſ. Accurate hic diſtinguendum eſt inter *meritum Chriſti* conſideratum ratione *acquiſitionis*, & *applicationis*. Chriſtus *vniuerſali* ſuo *merito* omnibus, atque adeo *etiam impiis* reſurrectionem ad vitam æternam promeruit & *acquiſiuit:* at impii, propter *defectum applicationis*, acquiſita & promerita illa reſurrectione ad vitam non potiuntur. Inde fit, vt *ad æternam condemnationem non* reſurgant *vi meriti Chriſti*, ſed *vi iuſtitiæ diuinæ.*

Prob. a. 1) Ex 1 Cor. XV, 23. vbi illi, qui reſurrecturi ſunt *vi meriti Chriſti*, dicuntur eſſe *ipſius membra.* Hinc oritur argumentum: Ad quos pertinet reſurrectio, *virtute meriti Chriſti* futura, illi ſunt *membra Chriſti: Impii* autem *non* ſunt *membra Chriſti:* Ergo *ad impios non pertinet* reſurrectio futura *virtute meriti Chriſti.*

Dicis: Impii non ſunt membra Chriſti ſpiritualia, ſed naturalia: ſunt enim os de oſſibus eius & caro de carne eius, Eph. V, 30. Reſp. *Chriſtus* dicitur *caput noſtrum* non naturaliter, ſed *ſpiritualiter*; ergo *membra* ipſius *non* ſunt *naturalia*, ſed *ſpiritualia*, ob ſpiritualem *vnionem per fidem*, Gal. II, 20. Eph. III, 17. Vnde *membra Satanæ non* poſſunt eſſe *membra Chriſti*; qui enim *Spiritum Chriſti non habet, non eſt ipſius*, Rom. VIII, 9.

Prob.

*) Non omnibus tamen peræque id tribuendum eſt. Vid. b. IO. AD. SCHERZERI *Colleg. Anti-Socin.* Quosdam eorum, qui aliter ſe ſentire profeſſi ſunt, nominat PHIL. A LIMBORCH, Remonſtrantium Doctor quondam inſignis, in ſua *Theol. Chriſt.* L. VI. c. 11. §. 11. 12.

Digitized by Google

Prob. b. 2) Reſurrectio, quæ fit *propter meritum Chriſti*, eſt ingens *beneficium* (ordinatur enim ad vitam æternam, Io. XI, 25. Io. XIV, 19.): At reſurrectio *impiorum* non beneficium eſt, ſed ingens *ſupplicium:* E. reſurrectio *impiorum non* fit *propter meritum Chriſti. Minor* probatur: quia reſurrectio impiorum ordinatur *ad æternam condemnationem*, adeoque non eſt beneficium, ſed ingens ſupplicium. Ex hoc argumento fluit alterum illud: *Nullus fructus* meriti Chriſti *ſine fide in Chriſtum homini* obtingit: At reſurrectio impiis, *ſine fide in Chriſtum hominibus*, obtingit: E. reſurrectio impiorum non eſt fructus meriti Chriſti.

Prob. c. Quod impii *vi decreti & iuſtitiæ diuinæ* reſurgant, patet ex oraculo diuino, Gen. II, 17. *Quacunque die de fructu illius arboris comedes*, *morte morieris.* Quo oraculo continetur decretum Dei iuſtiſſimi iudicis, complectens *mortem temporalem* & *æternam*, atque adeo pœnam huius & futuri ſæculi. Non autem poteſt corpus, peccatorum ſocium, æternam luere pœnam, niſi e puluere terræ excitetur ad ſuſtinendum perpetuos in inferno cruciatus. Quare, etiamſi Chriſtus nunquam veniſſet in carnem, nec vnquam hominibus quidquam boni meruiſſet; tamen hominibus peccatoribus fuiſſet reſurgendum, vt luerent pœnam peccatorum æternam, vi iuſtitiæ diuinæ vindicatiuæ. Colligimus: Quidquid *ſine interuentu meriti Chriſti hominibus eueniſſet*, illud *non* eſt fructus *meriti Chriſti:* Atqui *reſurrectio ad pœnam æternam impiis* ſine interuentu meriti Chriſti eueniſſet. Ergo.

Dicis: Reſurrectio *ad pœnam* non quidem eſt effectus meriti Chriſti; at reſurrectio *γενικῶς* & *formaliter* ſpectata, prout præſcindit a reſurrectione *ad gloriam* & *ignominiam*, eſt effectus meriti Chriſti. Vnde impii vi meriti Chriſti quidem reſurgent, ſed non ad pœnam. Reſp. Meritum Chriſti *per ſe* reſpicit *finem* homini *ſalutarem.* Ideoque reſuſcitatio abſtracte & formaliter conſiderata eſt actio omnipotentiæ diuinæ, reſurrectio autem ad ſalutem eſt fructus meriti Chriſti.

*Antitheſis* eſt *Benedicti Aretii, Henrici Boëthii & aliorum*, ſtatuentium, etiam impios vi meriti Chriſti reſurgere. Qui argumentantur:

I. Piorum ac impiorum reſurrectionem pendere a reſurrectione Chriſti, non obſcure monſtrat Paullus, 1 Cor. XV, 12. vsque ad v. 34. Iſthic enim loci ex profeſſo vrget, ideo reſurrecturos homines, quia Chriſtus reſurrexit. Non autem ſufficeret illatio Paullina motæ quæſtioni ſoluendæ, niſi reſurrectio Chriſti cauſſa ſit, cur pii & impii reſurgant. *Non* enim quærebatur de *piorum tantum reſurrectione*, ſed generatim mouebatur quæſtio de *omnium* mortuorum reſurrectione. Reſp. 1) Apoſtoli illatio non tendit ad demonſtrandam neceſſitatem reſurrectionis vniuerſalis, quaſi ea dependeat a merito Chriſti; ſed ad refutandam prætenſam impoſſibilitatem & defendendam eius veritatem, ſumto argumento a veritate reſurrectionis Chriſti, & reſurgentis potentia, 1 Cor. XV, a. v. 3. ad 12. nec non deductione ad abſurdum, a v. 12. ad 20. & a v. 29. ad 33. 2) Quamuis Apoſtolus l. c. directe & immediate probet duntaxat piorum reſurrectionem, ex ea tamen indirecte & mediate poſtea impiorum reſurrectio deducitur ob neceſſariam piorum & impiorum reſurrectionis connexionem, a diuino decreto dependentem.

II. Paullus inquit, 1 Cor. XV, 2. *Quem ad modum per Adamum omnes moriuntur: Ita per Chriſtum omnes viuificantur.* E quibus colligunt: Quicunque in Adamo moriuntur, per Chriſtum viuificantur: Atqui omnes homines &c. Ergo. Reſp. Signum vniuerſale in poſteriori parte propoſitionis Paullinæ reſtricte accipiendum eſt, vt ſcilicet referatur ad illos, qui ſunt *membra Chriſti*, v. 23. & reſurgunt ad vitam æternam. Non autem

 ſequitur

Digitized by Google

ſequitur: Omnes ad vitam æternam reſurgentes reſurgunt vi meriti Chriſti: E. etiam reprobi. Nam hi non reſurgunt ad vitam æternam. Perinde enim eſt, ac ſi inferres; Rom. V, 18. Sicut per *vnius hominis peccatum in omnes homines* in *condemnationem* (res ceſſit): *ita per vnius hominis iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Ergo omnes homines, electi & reprobi ſimul *actu* ſaluantur. Non abſolute neceſſarium eſt, vt partes oppoſitionis ſint æqualis latitudinis.

III. Meritum Chriſti eſt vniuerſale, 1 Tim. II, 6. E. ſpectat etiam ad impios. Reſp. Meritum Chriſti in ſe eſt vniuerſale, qua *acquiſitionem* beneficiorum; ſed vt iis quispiam *actu* potiatur, requiritur *applicatio* per fidem, qua impii carent. Vnde reſurrectio illorum non eſt beneficium, ſed ſupplicium.

IV. Quicunque voce Chriſti mediatoris a morte reſuſcitantur, illi vi meriti Chriſti reſurgunt: Atqui impii etiam voce Chriſti mediatoris a morte excitantur, Io, V, 28. Ergo. Reſp. Quicunque voce Chriſti reſuſcitantur *ad vitam æternam*, illi virtute meriti Chriſti reſurgunt; concedo: At *impii* reſurgunt *ad æternam ignominiam*, quæ non deſcendit ex merito Chriſti. Reſuſcitantur igitur impii voce Chriſti, tanquam *iudicis* irati, *non* vt *mediatoris*, aut capitis gratioſi, cum huic nunquam per fidem fuerint iuncti & incorporati.

Quæſt. XX. *An eadem numero corpora, quæ ceciderunt, reſurgent?*

*Eadem numero corpora*, quæ homines in hac vita mortali circumtulerunt, in die extremo *reſurrectura* ſunt a), ſed *nouis qualitatibus* veſtita b).

Prob. a. 1) Reſurrectio *formaliter* eſt *eiusdem, quod per mortem cecidit, iterata ſtatio.* Quare, qui negant eiusdem numero corporis reſurrectionem, veram reſurrectionem penitus inficiantur.

2) Paullus 1 Cor. XV, 53. *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptibilitatem.* Non ſine cauſſa Apoſtolus adhibet pronomem demonſtratiuum, τȣ̃το, *hoc*, ſed vt oſtendat, *hoc corpus*, quod in hac vita corruptibile eſt, in reſurrectione a Deo redditum iri incorruptibile *).

3) *Vnusquisque reportabit, quæ in corpore ſuo geſſit, bonum, aut malum*; 2 Cor. V, 10. Idem igitur corpus, quod ſocium fuit certaminis in hoc ſæculo, coronabitur in ſæculo futuro, & quod fuit malorum particeps, non erit expers ignominiæ vi iuſtitiæ diuinæ vindicatiuæ.

4) *Is*

*) In hoc dicto *quatuor* inſunt nerui probationis: 1) Vis duplicata, & articuli, & pronominis: τὸ φθαρτὸν τȣ̃το, τὸ θνητὸν τȣ̃το. 2) Hæc deſcriptio, φθαρτὸν, cui opponitur ἀφθαρσία, & θνητὸν, cui contraria eſt ἀθανασία. Vnum eorum quodque non ipſam rei naturam conſtituit, ſed ei accidit, atque in qualitatibus numeratur. E. non erit alia natura corporis, erunt vero aliæ eiusdem proprietates. 3) Prædicatum, ἐνδύσηται, non naturæ, ſed accidentium mutationem in eodem ſubiecto denotat. Id enim, quod aliqua re, velut veſtitu ornatuque, induitur, iam adeſt, nec deſinit eſſe, quod fuit hactenus. 4) Cohærentia verborum. Paullus id interpretatur, quod translate dictum erat, ſimilitudine ducta a grano ſeminato, quod profecto non perit, nec in aliam naturam abit, ſed idem cumulatius auctum & copioſe exornatum ex terra prodit, v. 42. 43. 44.

Digitized by Google

4) *Is, qui reſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit etiam corpora noſtra, propter inhabitantem ſuum Spiritum, in nobis*, teſte Paullo, Rom. VIII, 10. Quæcunque corpora fuerunt *domicilia Spiritus S.* in hac vita, *illa* a Deo viuificabantur: Atqui eadem corpora quæ pii gerunt in hac vita, fuerunt domicilia Spiritus S. E.

5) Iobus ſe plurimis fractum malis erigit ſpe *corporis ſui plane eneruati*, diuinitus *reſuſcitandi*, c. XIX, 26. *Poſt cutem meam circumdabuntur hæc; & ex carne mea videbo Deum.* Senſus eſt: poſt cutem meam in puluerem redactam hæc mea oſſa cute circumdabuntur, & his meis oculis corporeis Deum incarnatum videbo.

Prob. b. 1) *Corpora fidelium glorificata in reſurrectione ſimilia erunt clarificato corpori Chriſti*, Phil. III, 21. At hoc nouis qualitatibus erat exornatum. E. & illa nouis ornamentis refulgebunt *).

2) Paullus accidentalem, quæ beneficio reſurrectionis contingit, mutationem deſcripturus ait: 1 Cor. XV, 42. *Seminatur in corruptibilitate, reſuſcitatur in incorruptibilitate: Seminatur in ignominia, reſuſcitabitur in gloria: Seminatur corpus animale, reſuſcitabitur ſpirituale.* Differunt itaque corpora, quæ in hac vita circumferimus, a corporibus reſuſcitatis non ratione ſubſtantiæ, ſed 1) *ratione durationis:* illa corrumpuntur, & intereunt, hæc immunia a corruptione ſemper durant. 2) *Ratione formæ externæ.* Illa fiunt cadauera deformia, pallida, fœtida: Hæc erunt gratioſa, fulgida, pulcerrima: 3) *Ratione roboris.* Hæc ſeminantur in terram flaccida, ſenſu motuque deſtituta: Illa erunt vegeta, robuſta, ſenſibus eximiis pollentia, nulli defectui obnoxia. 4) *Ratione operationis & paſſionis.* Illa ſubiecta ſunt generationi, nutritioni, augmentationi, progreſſui locali, indigent potu, cibo, matrimonio: Hæc tota vacabunt actionibus ſpiritualibus, nec egebunt nutrimento, aut ſocietate coniugali.

*Antitheſis* eſt *Socinianorum* negantium **), corpora numero eadem reſurrectura eſſe. Quorum argumenta ſunt:

I. Corpus reſuſcitatum vocatur *ſpirituale*, 1 Cor. XV, 44. E. *eſſentialiter* differt ab *hoc corpore animali.* Reſp. Dicitur *ſpirituale*, ratione *qualitatum & operationum*, non ratione ſubſtantiæ.

Sss sss s 2

*) Ampliſſimo hocce teſtimonio non ſolum hoc alterum, verum etiam illud ſuperius confirmatur, itidem *quadruplici* neruo probandi: 1) articulo, qui demonſtrandi vim habet, τὸ σῶμα, 2) adiectione determinante, τῆς ταπεινώσεως, 3) prædicato, μετασχηματίσει, quo verbo nunquam naturæ ipſius, ſemper accidentium & qualitatum commutatio ſignificari ſolet, 4) comparatione corporis Chriſti & corporum noſtrorum. Eſt autem veriſſimum, corpus Chriſti poſt, quam ipſe reuixerat, id idem fuiſſe, quod paullo ante fuerat exanimatum atque humatum Ioan. II, 19. Luc. XXIV, 39. *Socinianorum* fabula, de Chriſti corpore, cum dicunt, illud poſt ἀνάστασιν quidem fuiſſe vnum idemque, deinde vero, poſt ἀνάληψιν, ſubito euanuiſſe, atque in aliam prorſus naturam fuiſſe conuerſum, hæc fabula, inquam, & ἄγραφος eſt, & ἀντίγραφος, Act I, 11.

**) Nec ſine manifeſta repugnantia. Concedunt, *naturam ſpiritus*, aliam eſſe, ac diuerſam a *natura corporis*, etiam ſubtiliſſimi. Materia non eſt ſpiritus, nec ſpiritus eſt materia. At nihilo tamen minus fingunt, *corporis* glorioſi *naturam totam* fore *ſpiritum*, omnis materiæ expertem. Opinantur, hoc corpus, quod nunc habemus, penitus abolendum ac deſtruendum eſſe, & prorſus aliud in eius locum ſubſtituendum (quod ne nomine quidem ἀναστάσεως dignum putandum eſſet); ob eamque cauſſam corruptionem aiunt eſſe annihilationem. Vides igitur contradictionem, vt dicitur, in adiecto, cum illi *corpus ſpirituale* hoc modo definiunt: *corpus, cuius tota natura eſt ſpiritus.* Quod ſi autem, præeunte Paullo, *corpus ſpirituale* ita interpretemur: *corpus*, ratione *naturæ* ſuæ, *ſpiritualibus qualitatibus* ac perfectionibus præditum; nihil in eo eſt, quod ſibi repugnet.

Digitized by Google

ſtantiæ. Neque enim in ſpiritum per reſurrectionem conuertitur. Galatæ ſunt πνευματικοὶ, Gal. VI, 1. neque tamen ſpiritus.

II. Futuri ſumus poſt reſurrectionem ἰσάγγελοι Luc. XX, 36. Angeli autem ſunt ſpiritus. E. & nos beati ſpiritus erimus. Reſp. Futuri ſumus *angelis ſimiles* ſimilitudine non abſoluta, ſed *reſpectiua*. Non erimus cum angelis iidem, ſed iis ſimiles, *non* per eſſentiam *naturæ*, ſed per conuenientiam *qualitatum & gloriæ*.

III. Deus ventrem & eſcas deſtruet, 1 Cor. VI, 13. E. idem numero corpus non reſurget. Reſp. Deſtruetur venter ratione vſus, in quantum nec cibus, nec appetitus aut vſus cibi erit: ita venter qua vſum ciborum deſtruetur. Neque tamen ideo ſubſtantia ventris abolebitur. Chriſtus reſuſcitatus ex mortuis, cui corpus noſtrum erit σύμμορφον, Phil. III, 19. ventre non caruit, Luc. XXIV, 43.

IV. *Caro & ſanguis non poſſidebunt hæreditate regnum Dei*, 1 Cor. XV, 50. E. idem numero corpus qua ſubſtantiam non reſurget. Reſp. *Caro & ſanguis animalis*, in quantum pollet tantum qualitatibus naturalibus, excluſis axiomatibus ſupernaturalibus, aut etiam peccatis obnoxius eſt, regnum Dei hæreditate non poſſidebit. Neceſſe quippe eſt, vt exutis qualitatibus & infirmitatibus naturalibus atque vitioſis veſtiatur *qualitatibus ſpiritualibus*, vt neque vſum ciborum, neque procreationem ſobolis requirat, neque peccato, aut vlli infirmitati ſit ſubiectus *).

Inſtan-

*) In ſcriptura diuina, vbi de corpore adhuc mortali ſit mentio, vox quidem vtraque, tum σάρξ, tum σῶμα, adhibetur, nec vero prorſus æqua & pari poteſtate. Σῶμα enim ipſam corporis naturam denotat, quatenus eſt *corpus*; σάρξ ſignificat eiusdem infirmitatem, quoad eſt *mortale* corpus. Ex quo intelligitur, quæ ſit differentia horum verborum, Col. I. 22.: Ἐν σώματι τῆς σαρκὸς, & quod in illo, σώματι, non ſupercauaneum ſit hoc adpoſitum, quaſi inanis repetitio: τῆς σαρκός. Sententia hæc eſt: in *eo corpore*, quod erat malorum *perpeſſioni*, ad *mortem* vsque, obnoxium. Quem ad modum dicitur, πόλις τῆς σαμαρείας, vrbs, quæ eſt Samaria: ita σῶμα τῆς σαρκὸς, dicitur corpus, quod eſt caro, fragile & mortale corpus. Mortalitate autem ſuperata, idem illud corpus, vita recuperata atque immortalitate præditum, vbique adpellatur σῶμα, nusquam σάρξ nominatur, ſi ab vno diſceſſeris loco, Luc. XXIV, 39. cum in eo eſſet rediuiuus Dominus noſter, vt ſuæ diſciplinæ alumnos de rei veritate certiores prius faceret, quam ſuam iniret gloriam. Atque in eo ipſo loco σάρξ non τῷ σώματι opponitur, ſed τῷ πνεύματι. Vniuerſum autem illud vitæ ante actæ ſpatium, quo imbecillitatem humanæ naturæ Chriſtus omnem pertulit, deſignatur iſta dicendi ratione: Ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, Hebr. V, 7. Probe hoc intellexerunt, inter antiquiſſimos Doctores, GREGORIVS Nazianzenus, & THEOPHANES, cum faſſi ſunt, Chriſtum in ſtatu glorioſo ἄσαρκον quidem eſſe, minime vero ἀσώματον. Quod Iobus confidenter profitetur, ac præ ſe fert: מִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ, id ad miſeram, quæ eum tunc adfligebat corporis debilitatem, in poſterum tollendam atque immutandam, referri æque debet, atque illud Paulli dictum, Phil. III, 21. Ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, non quatenus adiunctam ſibi ταπείνωσιν circumfert, ideoque vt σάρξ, ſiue σῶμα τῆς σαρκὸς, conſideratur; ſed quoad eſt σῶμα, perpetuo duraturum, ex cineribus excitandum, & compoſitis omnibus ſuis partibus, forma ſplendidiſſima illuſtrandum ac perficiendum. Ex his iam explicatis adparet, Paullum hoc loco, 1 Cor XV. 50 nomine σαρκὸς καὶ αἵματος indicare *mortale corpus*, quatenus eſt *mortale*, quod, niſi gloria atque immortalitate induatur, non poteſt æternæ beatitatis particeps fieri. Hæc interpretatio non ſolum vſui vocis perpetuo in ſacris litteris, ſed huic etiam contextui omnino eſt conueniens. Non enim de ipſa corporis natura Paullus loquitur, ſed de eius infirmitatibus, θνητοῦ, & φθαρτοῦ, quibus abolendis opponitur futura ἀθανασία & ἀφθαρσία.

Digitized by Google

Inſtantia: Carnis & ſanguinis ſubſtantia ex elementis inter ſe natura contrariis conſtat. Hæc vero omnia ſunt corruptibilia. Caro poteſt contundi, ſanguis diffluere, ac aliis violentis modis corrumpi. Reſp. a) Elementorum pugna in corpus animale, non ſpirituale cadit. b) Etiam in Adamo integro pugna elementorum, quatenus illa infert interitum, locum non habuit.

Quæſt. XXIII. *An in reſurrectione futurum eſt ſexus diſcrimen?*

Homines e puluere terræ excitati prodibunt *diuerſo ſexu*, virili & muliebri.

Prob. 1) Eadem reſurrectura ſunt corpora, quæ ceciderunt. At ſi loco mulieris prodeat vir, non idem reſurgit corpus, quod per mortem cecidit.

2) Chriſtus interrogatus a Sadducæis, Matth. XXII, 16. cuius vxor futura eſſet mulier, non reſpondit, ſublatum iri in altera vita diſcrimen ſexus, ſed nuptiis ibi non futurum locum, eo, quod ſancti futuri ſint ἰσάγγελοι. Immo dum Chriſtus dixit, quod homines in altera vita *neque ducant* vxores, *neque nubant*, diſcrimen ſexus clare adſtruit; nam *ducere*, virorum, *nubere*, autem mulierum eſt.

*Antitheſis* eſt quorundam *Patrum, & doctorum ſcholaſticorum*, ſexus diſcrimen in reſurrectione futurum negantium. Quorum argumenta ſunt:

I. Homines in reſurrectione erunt *angelis ſimiles*, Luc. XX, 36. At in angelis non eſt ſexus. Reſp. Erunt angelis ſimiles *non abſolute*, ſed certo reſpectu, nempe reſpectu ſpiritualium qualitatum, non reſpectu ſubſtantialium corporis membrorum.

II. Quilibet homo fidelis in reſurrectione mortuorum erit vir perfectus ad menſuram ſtaturæ Chriſti, Eph. IV, 13. E. in altera vita nullæ erunt fœminæ. Reſp. Paullus l. c. non agit de reſurrectione mortuorum, ſed de renatorum profectu in hac vita.

III. Fœmineus ſexus eſt imperfectio hominis: At omnis imperfectio a glorioſe reſurgentibus exulabit. Reſp. Condita eſt fœmina in ſtatu integritatis, in quo omnia erant perfectiſſima.

Quæſt. XXIV. *In quo formaliter conſiſtit reſurrectio mortuorum?*

Reſurrectio mortuorum *formaliter* conſiſtit a) in reproductione, ſeu reparatione eiuſdem, quod per mortem cecidit, corporis, ex atomis, ſeu particulis illius corporis, hinc inde disiectis atque diſſipatis; b) in redunitione eiuſdem cum anima. *Forma reſurrectionis.*

Prob. a. Differt *reſurrectio a creatione:* quoniam *creatio* fit ex nihilo, aut materia inhabili, ex qua nunquam emerſit corpus, quale primum producitur; at *reſurrectio* præſupponit materiam, ex qua per infinitam Dei potentiam reproducitur.

Prob. b. Non poteſt fieri corpus viuum, niſi vnitur cum anima, vitæ ſpiraculo. Quare, vt corpus vitam reſumat, requiritur, vt 1) e priſtina materia reproducatur, 2) vt cum anima vniatur.

Quæſt. XXV. *Quis eſt finis reſurrectionis?*

*Finis* reſurrectionis, reſpectu *Dei* reſuſcitantis, eſt *gloria iuſtitiæ* diuinæ remuneratoriæ & vindicatiuæ a). At *finis* reſurrectionis reſpectu *hominum* reſuſcitandorum, eſt vel *communis*, vel *proprius*. Finis *communis* omnibus reſuſcitandis eſt apparitio coram tribunali Chriſti iudicis b): Finis *proprius*, reſpectu *Finis reſurrectionis.*

 *fidelium,*

Digitized by Google

*fidelium*, eſt conſummata æternæ beatitudinis participatio c); reſpectu *infidelium*, æternæ damnationis conſummatio d).

Prob. a. Quem ad modum enim Deus ad reſuſcitandum homines mouetur per iuſtitiam ſuam partim remuneratoriam, qua bonos remuneratur, partim vindicatiuam, qua malos punit, vt vnusquisque accipiat *τὰ διὰ τȣ̃ σώματος, quæ per corpus ipſius facta*, 2 Cor. V, 10.: ita gloriam vtriusque iuſtitiæ mortuos reſuſcitando intendere recte dicitur.

Prob. b. Eum in finem reſuſcitabuntur omnes homines, *vt ſtatuantur ante tribunal Chriſti*, Rom. XIV, 10. Id quod innuit Apoſtolus, Hebr. IX, 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori; poſt hoc, iudicium*, h. e. poſtquam ex mortuis fuerunt reſuſcitati, ſiſtentur ad iudicium.

Prob. c. & d. Ex Actor. XXIV, 15. *Futura eſt reſurrectio iuſtorum & iniuſtorum*: illorum quidem ad vitam æternam, horum ad ignominiam æternam, Dan. XII, 2. Proinde, ratione *finis*, diſtingui poteſt *reſurrectio* in *glorioſam* iuſtorum, & *ignominioſam* iniuſtorum.

### *SVSPIRIVM.*

Te, Domine Ieſu, Seruator orbis, Victor mortis, Dux vitæ, quam deuotiſſime fieri poteſt oro, veneror, obteſtor, me per Spiritum tuum ſanctiſſimum conſortem facias reſurrectionis primæ, ne ſecunda mors vllam in me poteſtatem habeat! Torpentem meum animum excita ad crebram & piam reſurrectionis futuræ meditationem, vt, ſiue bibam, ſiue comedam, ſiue aliud quid agam, ſemper in auribus meis vox tua diuina perſonet: Surgite mortui, venite ad iudicium! Da mihi, obſecro, obitum placidum, reſurrectionem glorioſam, vitam æternam!

## THEOL. PART. III. SECT. II.
## CAPVT X.
# DE IVDICIO EXTREMO ET CONSVMMATIONE SAECVLI.

Quæſt. I. *Quid eſt extremum iudicium vniuerſale?*

*Definitio iudicii extremi.*

*Extremum iudicium vniuerſale* eſt actus ſolemnis, quo Deus vnitrinus, per Dominum Ieſum Chriſtum, in viſibili forma ſummaque gloria apparentem, angelos, omnesque homines ad tribunal ſiſtet, & cogitata, dicta, factaque omnia, piorum quidem ad normam euangelii, impiorum autem ad præſcriptum legis diiudicando, illis æterna gaudia, his æternos cruciatus aſſignabit & conferet, ad miſericordiæ atque iuſtitiæ ſuæ remuneratoriæ & vindicatiuæ gloriam.

Obſ. *Iudicium extremum* eſt *duplex:* aliud *particulare, & quaſi priuatum*, quo in hora mortis vnicuique homini ſtatus gloriæ, aut ignominiæ adiudicatur: aliud eſt *vniuerſale & œcumenicum*, quo in nouiſſimo mundi die omnibus hominibus ſententia abſolutoria, aut condemnatoria pronuntiabitur & ſolemniter promulgabitur. De *poſteriori* nobis in præſenti ſermo eſt.

Quæſt. II. *An certo conſtat, futurum eſſe iudicium vniuerſale?*

*Certitudo eiusdem.*

*Futurum eſſe* iudicium vniuerſale, in quo, tempore diuinitus ſtatuto, omnes homines ſiſtentur ad tribunal Chriſti, e *ſcripturis veteris & noui* teſtamenti

*certo*

Digitized by Google

*certo* conſtat a). Certum etiam eſt, *vno & eodem die* ſimul & reſurrectionem mortuorum & iudicium extremum fore b), *Quando* autem dies magni iudicii venturus ſit, nemini mortalium liquet c).

Prob. a. Prophetica ſcripta *veteris* teſtamenti teſtantur, *Deum ad iudicium præparaſſe thronum ſuum, & eundem iudicaturum eſſe orbem in iuſtitia*, Pſ. IX, 8. 9. *Summam verbi omnes audiamus! Deum time, & præcepta eius cuſtodi; hoc namque omnis hominis eſt. Nam omnis opus Deus producet in iudicium, etiam omne occultum, ſiue bonum, ſiue malum*, Eccleſ. XII, 13. 14.

In *nouo* teſtamento adducitur prophetia Enochi ſeptimi ab Adamo, qui dixit: *Ecce venit Dominus cum myriadibus ſanctis ſuis, ad faciendum iudicium contra omnes & ad redarguendum omnes impios illorum, de omnibus operibus impietatis illorum, quibus impie egerunt & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra ipſum peccatores impii*, ep. Iud. v. 15. Paullus, conſtitutus in medio Areopagi, dixit: *Deus conſtituit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in iuſtitia per virum, quem deſtinauit*, Act. XVII, 31. Quin & proceſſus extremi iudicii deſcribitur Matth. XXV, 31.

Prob. b. Aduentus Chriſti ad iudicium cum vltimo mundi die coniungitur, 1 Theſſ. IV, 16. *Ipſe Dominus cum celeuſmate, in voce archangeli, & tuba Dei deſcenſurus eſt de cœlo, & mortui in Chriſto reſurrecturi primo.* Nouiſſimus itaque orbis conditi dies erit magnus dies iudicii, epiſt. Iud. v. 6.

Prob. c. Quis vltimus mundi dies futurus ſit, non liquido conſtat, ac proinde quo anno, die & hora Chriſtus ad iudicium ſit venturus, nemo mortalium exacte & præciſe ſcire poteſt. Sic enim ait Saluator Marc. XIII, 31. ſeqq. *Cœlum & terra tranſibunt: Verba autem mea non tranſibunt. De die tamen iſta & hora nemo ſcit, neque angeli, qui in cœlo, neque Filius, ſed Pater* (ſolus). *Videte itaque, vigilate, & orate: non enim ſcitis, quando tempus futurum ſit.*

*Antitheſis* eſt *Epicuræorum & Empæctarum*, aduentum Chriſti ad iudicium negantium. Quorum argumenta ſunt:

I. Si mundus per tot ſæcula immotus & inuariabilis perſtitit, vero conſentaneum eſt, quod etiam in poſterum talis duraturus, neque Chriſtus ad mundum iudicandum & deſtruendum venturus ſit: Antecedens eſt verum. Ergo & conſequens. vid. 2 Pet. III, 4. Reſp. *Quod differtur, non aufertur.* Diuturnus temporum tractus non tollit veriſſimam Dei promiſſionem & comminationem, ſed teſtatur de *longanimitate Dei;* quippe qui ſat temporis concedit impiis ad reſipiſcendum, quorum erat conceſſo tempore gratiæ ad pœnitentiam recte vti. Vid. ibid. v. 9.

II. *Nunc eſt iudicium mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, teſte Chriſto, Io. XII, 31. Ergo non habebitur iudicium in vltimo mundi die. Reſp. L. c. *Iudicium* ſumitur *metonymice*, per metonymiam *cauſſæ* pro effectu, & notat vindicationem ab iniuſto poſſeſſore diabolo. Fructus quippe paſſionis Chriſti eſt, vt animæ hominum ab iniuſto poſſeſſore diabolo in libertatem vindicentur, eo, quod Chriſtus paſſione & morte ſua hunc tyrannum vicit, victum ex cordibus hominum per verbum euangelii eiecit. At nos hic agimus de iudicio *proprie* ſic dicto.

III. Si in extremo mundi die iudicandi ſunt omnes homines, aut credentes, aut infideles ſunt iudicandi: *Non infideles;* nam illi *iam ſunt iudicati*, Io. III, 18: *Neque credentes;* quia *qui credit, non iudicatur*, Io. III, 18. E. nulli homines in extremo die ſunt iudicandi.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. *Infideles dicuntur iudicari ratione decreti & iudicii in verbo diuino* de ipſis manifeſtati; at *huius iudicii ſolemnis promulgatio & exſecutio* differtur in diem mundi vltimum. *Credentes non veniunt in iudicium condemnationis*, licet iudicio *comparitionis & diſcuſſionis* non ſint exemti.

IV. Cui promulgatur ſententia definitiua in hora mortis, ille non eſt promulganda in die mundi nouiſſimo, neque enim probabile eſt eandem ſententiam bis a iudice cœleſti latum iri): Atqui ſententia definitiua abſolutoria, aut condemnatoria promulgatur in hora mortis; Ergo. *Minor* patet: quia animæ a corpore ſolutæ e veſtigio aſſignatur paradiſus cœleſtis aut infernus, Luc. XVI. Reſp. Diſt. *inter iudicium particulare, & vniuerſale. Illud* cuiuis ſeorſim in hora mortis ſubeundum eſt: *hoc* publicabitur in extremo mundi die, vt tum iuſtitia Dei ab omnibus palam agnoſcatur & celebretur, tum totus homo, conſtans ex anima & corpore, iudicetur & reportet, *prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum*, 1 Cor. IV, 5.

Quæſt. III. *An aduentum Domini ſigna quædam antecedent, e quibus cognoſci poteſt, quando dies nouiſſimus venturus ſit?*

*Signa antecedentia.* Ex voluntate & ordinatione Dei antecedent diem ſupremum *ſigna* diuinitus *reuelata*, e quibus magnum illum diem appropinquare, cognoſcere licet.

Obſ. Diſtinguuntur *ſigna prognoſtica diei nouiſſimi in remota, ſiue communia, & propinqua, ſiue propria. Illa* ſæculo non vno contingunt, ac ſæpe recurrunt aut continuantur. *Hæc* ſunt, quæ propius demum accedente iudicio, non autem æque prioribus ſæculis conſpicienda ſunt. Signa *communia & remotiora*, licet tempus iudicii non ſignificare videantur, tamen ex inſtituto & intentione Dei ſignificant & Chriſtianos monere debent, quod iudicium aliquod ſolemne ſit exſpectandum, ex vi iuſtitiæ diuinæ ac veritate prædictionum. *Propinquiorum* vero, ſeu *propriorum* ſignorum ea differentia eſt, vt aliqua *longiore* interuallo, aliqua *breuiore*, antecedant iudicium: quæ proinde nec ipſa certum tempus determinate ſignificant.

Prob. Signa, quæ diem extremum vel *longiore*, vel breuiore interuallo antecedunt, ſunt: 1) *Securitas & nefanda impietas*, Matth. XXIV, 37. 38. Conf. 2 Petr. III, 3. 4. 2) *Hæreſium multiplicatio*, Matth. XXIV, 11. 2 Petr. III, 4. 3) *Totius orbis per bella, ſeditiones, peſtiferos morbos, terræ motus conturbatio*, Luc. XXI, 9. 10. 4) *Inſignis Romanæ monarchiæ inclinatio*, Dan. II, 31. ſeqq. 5) *Anti-Chriſti reuelatio*, 2 Theſſ. II, 3. 6) *Prodigioſæ ecclipſes, lapſus ſtellarum de cœlo, & horrendæ tempeſtates*, Matth. XXIV, 29. Sunt, qui verba Chriſti exponunt *myſtice* de inſigni mutatione eccleſiæ, de obfuſcatione doctrinæ cœleſtis, & ἀποςασία doctorum eccleſiæ. Vid. D. IO. ADAMI OSIANDRI *colleg. ſyſtemat. P. VI. pag.* 278. Alii ſuadent, non deſerendum eſſe ſenſum litteralem. Vid. CALOVII *bibl. illuſtrat.* in *h. l. fol.* 420 *).

Quæſt.

*) Hæc ſigna ſunt ex genere eorum, quæ dicuntur προφητικά. Eiusmodi ſignorum triplex vis & ratio eſt. Pertinent ea vel ad *confirmandum* euentum *certo* exſpectandum, vel ad *declarandum* rei futuræ *proprietates*, vel ad *determinandam temporis*, quo res ita euentura eſt, *adpropinquationem*. Signa iudicii ſupremi: 1) ea, quæ *certum euentum* confirmant, ſunt in primis exitium terræ iudaicæ, & reuelatio Antichriſti, quæ nos dubitare non ſinunt, tam vere certoque futurum eſſe diem, iudicio ſupremo & communi dictum, quam vere certoque ſcimus, illas res geſtas fuiſſe, in iisque euentum prædictioni omnino reſpondiſſe. 2) Ea, quæ eius diei *proprietates* indicant, Chriſtus prænuntiat, Matth. XXV, 31. ad fin. 3) Ea, quæ apta ſunt ad ſignificandam *temporis adpropinquationem*, ſunt infirmatio deſtru-

Digitized by Google

Quæſt. IV. *Quis erit iudex œcumenicus, ſiue vniuerſalis?*

Iudicium vniuerſale in omnes homines, angeloſque, ratione *maieſtatis*, *au-Ɛtoritatis*, *poteſtatis & decreti*, toti SS. *Trinitati* competit a). Per *œconomi-am* tamen, ſiue diſpenſationem Dei *ſingularem*, *Chriſtus viſibilis* in aſſumta humanitate, & *immediatus* iudex erit b), atque adeo functurus eſt officio iudicis *non tantum* ſecundum *diuinam*, ſed & *humanam* naturam c). *Iudex vniverſalis.*

Prob. a. 1) Functio iudicii vniuerſalis eſt actio ad extra, toti SS. Trinitati communis. Ex quo Hieropſaltes inquit, Pſ. IX, 8. *Iehouah ad iudicium præparauit thronum ſuum.*

2) *Deus Pater, vt antiquus dierum, ſedet ad iudicandum,* Dan. VII, 9. *Qui deſtinauit per vnum virum orbem in iuſtitia iudicare,* Act. XVII, 31. qui etiam *iudicium filio hominis dedit,* Io. V, 22.

3) Spiritus S. audit *Spiritus iudicii,* Eſ. IV, 4. qui ſicut in hac vita cum hominibus contendit, Gen. VI, 3. & peccata eorum arguit, Io. XIV, 8: ita poteſtas iudicandi in nouiſſimo die, & intus conuincendi corda hominum ei competit.

Prob. b. Iudicium œcumenicum erit actus viſibilis, cuius iudex omnium hominum oculis obuius & expoſitus erit. Quamuis autem corpus Chriſti, vi ſtatus glorificati, ſit inviſibile; per œconomiam tamen, ſeu ſingularem Dei diſpoſitionem fiet, vt iudex Chriſtus viſibiliter in corpore ſuo glorificato appariturus ſit. Viſibilem Chriſti aduentum ad iudicium indigitatum iuerunt angeli, duorum virorum forma conſpicui, Act. I, 11. *Viri Galilæi, quid ſtatis ſuſpicientes in cœlum? Hic Ieſus, qui ſublatus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis ipſum euntem in cœlum.* *Clarius* ipſe Seruator inquit, Matth. XXIV, 30. *Tunc apparebit ſignum filii hominis: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis, venientem in nubibus cæli, cum virtute & gloria.* Deus Pater in forma viſibili non iudicaturus eſt orbem terrarum; ſed Chriſtus in forma humana aperte conſpiciendus ſententiam definitiuam Dei omnipotentis & omniſcii de omnibus hominibus ſonora voce promulgabit, promulgatam confeſtim exſecutioni mandabit.

Prob. c. Ex Io. V, 22. 27. *Neque enim Pater iudicat quenquam, ſed iudicium omne dedit Filio; quia filius hominis eſt.* Diſcimus ex hoc oraculo, quod ἐξουσία, ſiue poteſtas iudiciaria non competat naturæ humanæ Chriſti *per ſe*, ſed *communicatiue.* Neque enim particula ὅτι, *quia*, eſt αἰτιολογική, ſiue *cauſſalis*, ſiquidem humana natura non eſt cauſſa, a qua poteſtas iudiciaria dependeat; ſed eſt ὁριστικὴ καὶ δεικτική, *monſtrans & determinans* naturam, cui poteſtas iudiciaria vi vnionis perſonalis eſt communicata. Dicis: Chriſtus inquit, Io. XII, 47. *Et ſi quis mea audiuerit verba, non tamen crediderit: Ego non iudico ipſum: non enim veni, vt iudicem mundum, ſed vt ſaluem mundum.* Reſp. Verba hæc Chriſti intelligenda ſunt de primo Chriſti aduentu humili, quo Chriſtus veniebat vt ſacerdos, pro peccatis mundi ſe oblaturus, & vt doctor, euangelium prædicaturus: alter autem aduentus Chriſti erit maieſtate ſplendidiſſimus, quo, vt Rex vniuerſalis, omnes homines iudicaturus eſt.

Quæſt. V. *Qualis erit aduentus Chriſti ad iudicium?*

Aduentus Chriſti iudicis erit *publicus* & longe *glorioſiſſimus*, impiis *terribilis*, piis *exoptatiſſimus*. *Qualitas aduentus iudicis.*

Prob.

deſtructioque Antichriſti, 2 Theſſ. II, 8. mirabiles mutationes corporum cœleſtium, Matth. XXIV, 29. Luc. XXI, 25.



Digitized by Google

Prob. Ex Matth. XXIV, 30. *Tunc apparebit ſignum filii hominis: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria.* Glorioſus erit aduentus Chriſti, quia veniet *cum virtute & gloria*, ſcil. cum gloria omnipotentiæ, omniſcientiæ, iuſtitiæ & omnipræſentiæ. Ideoque videbunt *ſignum filii hominis*, per quod ſplendorem corporis Chriſti coniunctum cum luce nubis intelligimus. Hic ſplendor impiis erit terribilis: proinde plangent, i. e. ferient pectora, trement artubus, querelas lacrymis mixtas fundent. Piis aduentus Chriſti erit exoptatiſſimus: nam videbunt filium hominis, fratrem, Goelem, & caput ſuum myſticum, cui per fidem, velut membra ſpiritualia, fuerunt inſiti.

Quæſt. VI. *Quinam erunt iudicis œcumenici miniſtri?*

*Miniſtri iudicis.* Iudicis cœleſtis in nubibus cœli apparentis *miniſtri* erunt partim *angeli*, tanquam comites, buccinatores & exſecutores ipſius ſententiæ a), partim *apoſtoli*, aliique ſancti homines, tanquam aſſeſſores, teſtes & comprobatores iudicii a Chriſto lati b).

Prob. a. Angelorum officium in nouiſſimo die erit: 1) *aduenientem iudicem honorifice comitari*, Matth. XXIV, 31. & XXV, 31. 2) *alta voce & inflatis tubis aduentum Chriſti manifeſtare*, ib. conf. 1 Theſſ. IV, 16. 3) *voluntatem Chriſti exſequi, homines congregando & ſegregando*, Matth. XXIV, 31. Matth. XIII, 41.

Prob. b. In vniuerſo aſſeſſorum choro præeminebunt *apoſtoli*, Matth. XIX, 28. Deinde aſſidebunt omnes electi *patriarchæ, prophetæ, martyres & reliqui ſancti*, 1 Cor. III, 2. 3. qui iudicabunt mundum, non definitiuam ſententiam promulgando, ſed aſſidendo, teſtificando, approbando, & ſe ipſos velut exempla pœnitentiæ & fidei ſiſtendo. Obſ. Omnes homines, adeoque etiam ſancti, coram tribunali Chriſti ſunt ſiſtendi, ſed mox in occurſum Chriſti rapiendi in aërem, ac vna cum Chriſto & apoſtolis, qui velut primores & præcipui aſſeſſores Chriſto iudici erunt proximi, mundum ſunt iudicaturi. Vid. GERHARD. *loc. de extremo iudicio ʃ. 43. fol. 75.*

Quæſt. VII. *Quæ cauſſa impulit Deum ad iudicium vniuerſale?*

*Cauſſa impulſiua.* *Cauſſa impulſiua interna* eſt iuſtitia remuneratoria & vindicatiua a). Cauſſa impulſiua *externa* ſunt *partim* meritum Chriſti fide apprehenſum b), *partim* peccata c), & in primis finalis impœnitentia d) hominum iudicandorum.

Prob. a. Ex 2 Theſſ. I, 6. *Iuſtum eſt apud Deum, retribuere affligentibus vos afflictionem; at vobis, qui affligimini, recreationem nobiſcum, in reuelatione Domini Ieſu de cœlo cum angelis potentiæ ipſius.*

Prob. b. Meritum Chriſti, fide apprehenſum, *mouet* Deum ad *iudicium abſolutionis*, quia eodem Deo reconciliati ſumus, Rom. V, 10.

Prob. c. *Omnes nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, vt reportet quilibet ea, quæ per corpus facta, prout ea fecit, ſiue bonum, ſiue malum*, 2 Cor. V, 10. Mala, quæ quisque geſſit in corpore, mouent Deum, vt velit eum manifeſtari coram tribunali Chriſti, ad reportandas iuſtas in corpore pœnas.

Prob. d. Ex Io. XII, 48. vbi Chriſtus dicit: *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet ipſum: Verbum, quod locutus ſum, illud iudicabit illum in extremo die.* Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, ἀπιςίαν, qua contemnitur euangelium Chriſti, mouere iudicem cœleſtem ad condemnandum in iudicio extremo pertinacem euangelii contemtorem.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VIII. *Quinam ſunt iudicandi?*

Iudicandi ſunt *omnes homines*, pii & mali a), viui & mortui b), & præter hos *angeli mali* c). *Subiectum iudicii.*

Prob. a. 1) Ex Rom. XIV, 10. *Omnes ſiſtemur coram tribunali Chriſti.*

2) Ex 2 Cor. V, 10. *Omnes manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti.*

Prob. b. Ex 2 Tim. IV, 1. *Chriſtus iudicaturus eſt viuos & mortuos.* Phraſi ſcripturæ omnes homines iudicandi diuiduntur in *viuos & mortuos.* Per *viuos* deſignantur illi homines, quos extremus dies viuos deprehendet, per *mortuos* intelliguntur, qui antea vita functi, nouiſſimo mundi die reſuſcitantur, vt ad tribunal ſiſtantur.

Prob. c. Ex 2 Petr. II, 4. *Deus angelis, qui peccarunt, non pepercit, ſed eos catenis tenebrarum in tartarum detrudens, tradidit in iudicium aſſeruatos,* Confer. Epiſt. Iud. v. 6. Dæmones quidem ſtatim a lapſu pœnis æternis ſunt adiudicati: at complementum iisdem addetur in die pantocritico, quo arctius conſtringentur catenæ tenebrarum, quæ, permittente Deo illis adhuc interdum laxantur, at poſt diem vniuerſalis iudicii nulla ipſis poteſtas ex inferno euagandi a Deo concedetur.

Quæſt. IX. *Quid iudicabitur in hominibus & angelis lapſis?*

Iudicabuntur in *hominibus* tum *fides & infidelitas* a), tum effecta fidei & infidelitatis, ſcilicet *opera bona & mala*, interna & externa b), in *angelis malis* ἀποςασία c). *Obiectum iudicii.*

Prob. a. Immediate iudicabuntur homines ex fide & infidelitate. Nam Io. III, 18. inquit Chriſtus: *Qui credit in ipſum, non iudicatur* (iudicio condemnationis); *qui autem non credit, iam iudicatus eſt* (vi decreti diuini).

Prob. b. Cum bona opera ſint fructus & τεκμήρια fidei, mala opera autem effectus & teſtimonia infidelitatis, diiudicabuntur etiam hominum opera, Matth. XXV, 35 *). quo referenda etiam ſunt hominum verba, Matth. XII, 36. cogitata & cordium ſecreta, Rom. II, 16. 1 Cor. IV, 5.



*) Hoc in loco *tria* ſunt potiſſimum, adcurate perpendenda, vt omnes animis iniectos ſcrupulos euellamus. Quæritur: 1) Cur fiduciæ ſalutaris nulla facta ſit mentio? 2) Quare bona opera non omnia prædicentur, ſed ea dumtaxat, quæ ad amorem ac miſerationem pertinent? 3) Quam ob cauſſam ne illa quidem omnia commemorentur, ſed ſolum liberalitas erga pauperes? multo enim plura ſunt, quæ ab amore ac miſericordia proficiſcuntur, præſertim vero cura animorum, ac ſtudium corrigendi errantesque in rectam viam ducendi? Haud difficilis erit ad ſingula reſponſio.

Ad quæſt. I. 1) Effectus teſtatur de ſua cauſſa. Bona opera ſunt neceſſarii effectus fiduciæ ſalutaris, ac ſigna eius certiſſima. Nec dicit Chriſtus: eſurientibus ac ſitientibus cibum potionemque præbuiſtis. Sed ita: *mihi* eſurienti, *mihi* ſitienti. In *me* igitur intuentes, id feciſtis, ducti argumentis mouentibus, chriſtianæ doctrinæ propriis, vid Marc. IX, 41. 2) Fides etiam ipſa haud obſcure indicatur, & duplici quidem argumento: α). cum Chriſtus beatos homines nomine *ouium ſuarum* compellat, v. 33. Cum ouibus autem comparantur, non ſolum propterea, quod voci paſtoris optimi obſequuntur, ſed etiam præcipue hanc ob cauſſam, quia Chriſtum cognoſcunt eum, qui ſuo ipſos ſanguine Deo reconciliauit, omnique malo liberauit, Ioann. X, 12. & 14. β) cum electi vocantur *benedicti*, iidemque *hæredes* diuinæ beatitatis, v. 34. Ex quo argumentor: Quicunque ſunt *hæredes* Dei, illi ſunt *filii* Dei; namque hæreditas eſt neceſſarium quoddam conſectarium nouæ generationis, & adoptionis, Rom. VIII, 17. In numerum autem *filiorum Dei* cooptamur non aliter, quam per *fidem in Chriſtum*, Io. I, 12. Gal. III, 26. E. cum *hæredes* Dei adpellantur, eo ipſo aperte palamque ſignificatur eorum *fides in Chriſtum.*

Prob. c. Ex ep. Iud. v. 6. *Iudicabuntur angeli mali, quia non tenuerunt ſuam originem* (originalem iuſtitiam) *ſed reliquerunt proprium domicilium* (amiſerunt ſua culpa ſtatum glorioſum). Quibus verbis eorum ἀποςασία graphice deſcribitur.

Quæſt. X. *Iuxta quam normam pronuntiabitur in extremo die?*

*Norma iudicii.* Iudicabuntur fideles & infideles *ſecundum regulam verbi diuini* a). *Fidelibus* atque *piis* hominibus decernetur æternum gaudium iuxta gratioſam *euangelii* normam b). *Infidelibus* decernetur æterna mors iuxta *legem*, lumine euangelii colluſtratam c).

Prob. a. Generatim loquendo *norma iudicii* extremi eſt verbum Dei. *Sermo, quem locutus ſum, ille iudicabit eum in die nouiſſimo*, ait Chriſtus, Io. XII, 48.

Prob. b. Qui ex *euangelio* tantum ſaluantur, illis ex *euangelio* ſalus in die nouiſſimo adiudicabitur: Atqui fideles tantum ex euangelio ſaluantur (non ex lege, ex qua non eſt benedictio & iuſtificatio, Gal. III, 11. 19.) Ergo.

Prob. c. Ex Rom. II, 12. *Quotquot in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Cum autem lex ſola & per ſe conſiderata ignoret Chriſtum, nec incredulitatem in Chriſtum formaliter arguat, neceſſe eſt, vt lumine euangelii colluſtretur.

Dicis: I. Omnes homines videntur iudicandi ſecundum euangelium. Nam Paullus inquit, Rom. II, 16. *In die, quando iudicabit occulta hominum Deus, iuxta euangelium meum, per Ieſum Chriſtum.* Reſp. Iudicium *ſecundum euangelium* futurum dicitur *non ſimpliciter*, quaſi ad euangelium pertineant comminationes etiam atque ſupplicia, ſed *ſecundum quid:* 1) quia electis adiudicabitur vita æterna, ſecundum euangelium: 2) quia incredulitas, quæ in Chriſtum fertur, in euangelio declaratur, quatenus in eodem monſtratur obiectum, Chriſti iuſtitia & meritum, quod infideles reſpuunt, etſi ἀπιςία, generice conſiderata, arguatur in lege, vt peccatum contra primum præceptum, atque adeo ex lege damnatio redundet: 3) quia iudicium inſtituendum eſſe a Chriſto, non per legem, ſed per euangelium docemur.

Dicis: II. Quicunque ſunt peccatores, ſecundum normam legis, ſunt iudicandi: Atqui omnes homines &c. 1 Reg. VIII, 46. E. Reſp. Quicunque ſunt peccatores *non iuſtificati*, ſecundum normam legis ſunt iudicandi. At fideles ſunt *iuſtificati*, atque abſoluti a culpa & pœna, eo, quod ſatisfactionem Chriſti, in euangelio oblatam, acceptarunt, & hunc vadem pro ſe interpoſuerunt.

Dicis:

Ad quæſt. II. Ratio in eo ſita eſt: quoniam amor in alios homines, immo infimæ ſortis, eſt primum omnium virtutum, quæ tabula II. continentur, ac legis vniuerſæ complementum, Rom. XIII, 10. Et amor in homines non fucatus eſt documentum amoris in Deum, 1 Io. IV, 20. 21.

Ad quæſt. III. 1) Nimis profecto longum fuiſſet, ſi Chriſtus ſingulas officii partes voluiſſet numerando percenſere. Satis erat, vnam inſtar omnium nominaſſe, & eam quidem, quæ omnium maxime erat tempori adcommodata. Erant difficillima tempora, quæ in primis miſerationem ac liberalitatem neceſſariam poſtulabant, propter copiam eorum, qui, nomen Chriſti profeſſi, omnium rerum indigentes erant. 2) Chriſtus ab exemplis ſpecialioribus ad regulam generalem progreditur, v. 40. 3) Quæ exempli cauſſa proferuntur, in iis magna vis eſt argumentationis, non modo a ſpecie ad genus, verum etiam a minori ad maius: Si Iudex tam ſeuere animaduertet in eos, qui miſeris opem non tulerunt; quid non metuendum erit illis, qui nec profuerunt aliis, & crudeli ſæuitia multis nocuerunt!

Digitized by Google

Dicis: III. Quicunque iudicantur ſecundum opera, illi iudicantur ſecundum legem (quia non euangelium, ſed lex eſt doctrina operum): Atqui pii &c. Matth. XXV, 34. 35. E. Reſp. Quicunque *proxime & immediate* iudicantur ſecundum opera, illi iudicantur ſecundum legem; concedo: At *pii* proxime & immediate iudicantur ſecundum *fidem*, cuius fructus ſunt bona opera, quorum principium *directiuum* eſt lex, *productiuum* eſt euangelium.

Quæſt. XI. *In quo formaliter conſiſtit iudicium extremum?*

Proceſſus extremi iudicii *formaliter*, conſiſtit a) in accuratiſſima cauſſæ cognitione, ſecundum legem & euangelium: b) in ſententiæ pronuntiatione: c) in ſententiæ latæ exſecutione. *Forma iudicii.*

Prob. a. Ex Rom. XIV, 10. 12. *Omnes ſiſtemur coram tribunali Chriſti. Et quilibet noſtrum de ſeipſo rationem reddet Deo*, adeoque iudex cœleſtis cuiuslibet cauſſam cognoſcet, & quidem hominis fidelis cauſſam, ſecundum euangelium; infidelis cauſſam, ſecundum legem.

Prob. b. Chriſtus ſententiam decretoriam promulgabit compellando primum electos: *Venite!* deinde reprobos: *Ite!* &c. Matth. XXV, 34. 41.

Prob. c. Sententiam promulgatam e veſtigio ſequetur exſecutio: *Et ibunt* (iniuſti) *in pœnam æternam, iuſti vero, in vitam æternam*, Matth. XXV, 46.

Quæſt. XII. *Quomodo ratione formæ, aut proceſſus, iudicium Chriſti diſtinguitur?*

Iudicium Chriſti, ratione *proceſſus*, diſtinguitur in iudicium *diſcuſſionis*, & *retributionis*. Iudicio *diſcuſſionis* omnium hominum, tam iuſtorum, quam iniuſtorum cognoſcetur cauſſa, & iniuſtorum mala opera accurate examinata publicabuntur. Iudicio *retributionis* pronuntiabitur ſententia cuique conueniens, quod erit duplex: *approbationis*, ſiue *abſolutionis*, quo electis aſſignabitur & conferetur vita æterna, & *reprobationis*, ſeu *condemnationis*, quo reprobi ablegabuntur in ignem æternum. *Diſtinctio iudicii.*

Quæſt. XIII. *An etiam fidelium peccata in die iudicii extremi examinabuntur & publicabuntur?*

Singula *fidelium peccata* in die nouiſſimo ſpeciatim a Chriſto examinatum & publicatum iri, *non* eſt *probabile*.

Prob. 1) A promiſſione diuina. Promiſit Deus, ſe velle *peccata noſtra delere, vt nebulas*, Eſ. XLIV, 22. *proiicere poſt tergum*, Eſ. XXXVIII, 17. *demergere in profundum maris*, Mich. VII, 19. *vt eorum non amplius recordetur*, Eſ. XLIII, 17. Sed quorum Deus non vult recordari, ea non publicat. 2) Ab immutabilitate Dei. Voluntas Dei eſt immutabilis, Mal III, 6. Quoniam itaque Deus in hac vita fidelibus peccata remiſit, improbabile eſt, eundem peccata remiſſa in altera vita ad rigidum examen reuocaturum eſſe. 3) Ab affectu iudicis. Veniet Chriſtus ad iudicium, vt *noſter redemtor*, Luc. XXI, 28. Qui ſiſtit ſibi *eccleſiam ſplendidam non habentem maculam, aut rugam, aut quidquam talium*, Eph. V, 27. maculas [illegible] non propalabit.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, iudicio diſcuſſionis peccata electorum a Chriſto examinatum & publicatum iri. Qui obiiciunt:

I. *Dies manifeſtabit. quia per ignem reuelabitur; & opus vnius cuiusque manifeſtum fiet*, 1 Cor. III, 12. Reſp. L. c. non intelligitur dies nouiſſimus, ſed *dies tentationis*, quo

doctor eccleſiæ, qui ſuper fundamentum fidei, fœnum & ſtipulas, ſeu dogmata inutilia & erronea ſuperſtruxit, conſtitutus in ſummo periculo, aut agone vitæ, velut per ignem, examinatur, probatur & tandem ſaluatur. *Dies nouiſſimus non* eſt dies *probationis*, ſed *retributionis*.

II. Quicunque *omnia opera bona & mala adducet in iudicium*, ille mala opera piorum examinabit & publicabit: Atqui iudex cœleſtis &c. Eccl. XII, 14. 1 Cor. IV, 5. 2 Cor. V, 10. Reſp. Omnia hominum cogitata, verba & opera dicuntur manifeſtari *non collectiue*, prorſus ac ſi omnia tam *piorum*, quam *impiorum* peccata ſint reuelanda; ſed *diſtributiue*, quod piorum bona opera, impiorum mala opera, ſine teſtibus & arbitris clam perpetrata, in claram lucem protrahenda ſint, vti colligere licet e proceſſu iudiciali, Matth. XXV, 34. ſeqq.

III. Quicunque locuti ſunt *verba otioſa, de illis reddent rationem*, Matth. XII, 36. Atqui renati &c. Iac. III, 2. E. Reſp. Quicunque locuti ſunt verba otioſa & eorum *non acceperunt remiſſionem*, de illis reddent rationem. At electis peccata in hac vita ſunt remiſſa.

IV. *Omnes homines ſiſtentur coram tribunali Chriſti, & reddent rationem de ſeipſis*, Rom. XIV, 10. 12. E. omnium hominum peccata examinabuntur & publicabuntur. Reſp. Neg. conſequ. Nam omnes homines reddent rationem de ſeipſis vel ſecundum ἐπιείκειαν euangelicam, vel ſecundum rigorem legis. *Electi* iudicabuntur ſecundum *euangelium*, adeoque *non venient in iudicium*, neque diſcuſſionis legalis, neque condemnationis.

V. Si *aperiendi ſunt in die nouiſſimo omnes libri, & ex iis homines iudicandi;* vtique & liber conſcientiæ ad examen ſuſtinendum aperietur: Antecedens eſt verum, Apoc. XX, 12. E. & conſequens. Reſp. Aperientur in die nouiſſimo libri vitæ, ſiue *euangelii*, & libri mortis, ſiue *legis*, atque iudicabuntur, *fideles* ex libro *euangelii*, *infideles* ex libro *legis*.

VI. Quorum peccata Chriſtus in die pantocritico non examinabit, illos iudicabit inaudita cauſſa: At neminem iudicabit inaudita cauſſa. E. *Maior* patet: quoniam iudicis eſt, ſine προσωποληψία, bona & mala opera omnium diſcutere & examinare. Reſp. Iudicis *terreſtris* eſt, omnium opera ſecundum acta & probata diſcutere & examinare; at iudex *cœleſtis* neque actis, neque probatis indiget, ſed omnia penitiſſime inſpicit, adeoque *nouit, qui ſint ſui*, 2 Tim. II, 19.

VII. Lapſus piorum in ſacras litteras ſunt relati: E. & in nouiſſimo die publicabuntur. Reſp. Sunt in ſacras litteras relati, propter viuentes tempore gratiæ, tum vt peccata ſollicite declinent, tum vt ipſi lapſi conuertantur, & ſpem remiſſionis animis concipiant. At in nouiſſimo die non eſt tempus gratiæ, ſed tempus iudicii, neque ad ſalutarem pœnitentiam tum patet reditus.

Quæſt. XIV. *Quis eſt finis iudicii extremi?*

*Finis iudicii extremi.* *Finis* iudicii extremi *principalis* eſt gloria iudicis cœleſtis a). Finis *minus principalis* eſt electorum introductio in regnum gloriæ, & reproborum abiectio actualis in ignem æternum b).

Prob. a. Ex 2 Theſſ. I, 10. *Veniet Dominus, vt glorificetur in ſanctis ſuis.* Glorificabitur Chriſtus in ſanctis: 1) quia ipſis, tanquam ſuis membris, perennem gloriam communicabit: 2) quia ab ipſis non ſine ſumma admiratione glorificabitur. Etenim magno illo die clariſſime emicabit admiranda iudicis cœleſtis iuſtitia remuneratoria & vindicatiua, cum ineffabili miſericordia, ſapientia & potentia coniuncta.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Extremum iudicium eſt medium iſagogicum immittendi pios in beatitudinem, & detrudendi impios in æternos cruciatus.

**Quæſt. XV.** *An regnum Chriſti millenarium, eximia myſteriorum diuinorum cognitione, ſanctitate, terrenaque felicitate eorum, qui in eodem victuri eſſe cenſentur, conſpicuum ante aduentum Chriſti ad iudicium extremum exſpectandum eſt?*

*Regnum Chriſti millenarium*, eximia myſteriorum diuinorum cognitione, ſanctitate vitæ, terrenaque felicitate eorum, qui in eodem victuri eſſe cenſentur, maxime conſpicuum, florentiſſimumque, *filiis Dei in his terris non eſt exſpectandum.* *De regno Chriſti millenario.*

*Antitheſis* eſt 1) *Iudæorum*, qui ſanctorum prophetarum vaticinia de ampliſſimo Meſſiæ regno ita deprauarunt, vt illud pompa quadam, & terrena gloria ſplendidum futurum, religionem iudaicam longe lateque propagandam, gentes autem ei aduerſas deſtruendas crederent. Quo pertinet, quod Luc. XVII, 20. Phariſæi ex Chriſto quæſiuerunt: *quando futurum eſſet regnum Dei?* De hodiernorum Iudæorum ſomniis BVXTORF. in *ſynagog. iudaic. c. XXXVI. p. 645. ſeqq.* 2) *Cerinthi*, ipſis Apoſtolis, aut ſaltem Ioanni, coæui, Iudaiſmo ex parte addicti, & circumciſi, qui, cum eſſet abdomini natus, regnum Chriſti millenarium voluptatibus carnis metiri auſus eſt, teſte DIONYSIO ALEXANDRINO apud Euſebium, *libr. III. hiſt. eccl. c. XXXVIII.* 3) *Papiæ*, Hieropolitani præſulis, σφόδρα μικρȣ̃ τὸν νȣ̃ν, i. e. iudicii non admodum exaſciati, & traditionum non ſcriptarum amatoris, qui regnum millenarium tum ſanctis animæ deliciis, tum oblectamentis corporis, ſed licitis, definiuit. Secuti ipſum ſunt TERTVLLIANVS, LACTANTIVS, APOLLINARIVS, CORACION, & in primis NEPOS Ægyptius. Conf. GERHARD. *LL. theol. de conſummat. ſæculi* §. 67. At vero fabulam de eiusmodi regno Chriſti millenario confutarunt patres doctiſſimi, DIONYSIVS Alexandrinus, HIERONYMVS, AVGVSTINVS & alii. Vid. PHILASTR. *hæreſ. LIX.* EPIPH. *hæreſ. LXXVII.* 4) Inualeſcente papatu regnum millenarium defenderunt IOACHIMVS, Abbas Florenſis, VBERTINVS DE CASALI, & Epiſcopus Chemenſis, auctor libri, qui vocatur *onus eccleſiæ*, de quo vid. FLACIVS in *catal. teſtium veritatis, libr. XVIII. p. 1795.* 5) *Fanaticorum & Anabaptiſtarum*, de quorum furoribus PHIL. MELANCHTHON *tom. I. Opp.* ſcripſit: *Anabaptiſtæ affirmant, oportere ante nouiſſimum diem in terris regnum Chriſti tale exſiſtere, in quo pii dominentur, & omnes reges impios opprimant & deleant.* 6) CASP. SCHWENCKFELDII, qui nouum quoddam Chriſti regnum præſtolatus, edito libro *de triplici hominum vita*, c. XLIII. ſententiam ſuam a *Cerinthiana & Anabaptiſtica* diſtincturus, ita diſſerit: Unſere Meynung, iſt alſo, daß wir hoffen, daß der Herr und das Haupt der Kirchen, Chriſtus Jeſus, werde noch ſein himmliſches Reich mit Kraft, Geiſt und Seegen über uns Arme ausbreiten, die zerſtreueten Kinder Gottes im heiligen Geiſt verſammlen, ja derer viel durch das Wort der Wahrheit erzeugen, und ſeine Erkänntniß und Herrlichkeit heller herfür laſſen dringen, daß er mit mehr Gnade, Licht und Verſtand, und reichern geiſtlichen Gaben die Kirche und derſelben Glieder werde begaben, daß auch die Menſchen eifriger, geiſtlicher, frömmer und gottſeliger ſeyn werden. Huic pollicem preſſit PHILIPPVS AVREOLVS THEOPHRASTVS BOMBAST ab HOHENHEIM, ex Eremo Heluetiorum, nobili familia oriundus, vulgo dictus PARACELSVS, qui aſſeruit, inſtare adhuc *aureum ſæculum*, quod etiam vocauit *ſæculum Spiritus S.* Schwenckfeldium & Theophraſtum ſecutus eſt VALENTINVS WEIGELIVS, paſtor Tzſchopenſis prope Freibergam in Miſnia, qui aſſumto nomine Vdalrici Wegweiſers Vtopienſis, & edito libro *de opere mirabili, tria conſtituit ſæcula: I. Patris,* qui hoſtes ſuos ſubmerſit *diluuio aqueo: II. Filii,* qui inimicos

Digitized by Google

micos ſuos perdidit *diluuio ſanguineo:* *III. Spiritus S.*, qui aduerſarios ſuos delebit *diluuio igneo*. Ceterum ſomnia de regno Chriſti millenario approbarunt HEINRICVS NICOLAI, ESAIAS STIFELIVS, ÆGIDIVS GVTMANN, EZECHIEL METH, DAVID GEORGIVS, IACOB BOEHME, ſutor Gœrlicenſis, *fratres roſeæ crucis*, QVIRINVS KVHLMANN, CHRISTIANVS HOBVRGIVS, IO. GVIL. PETERSENIVS, *Quackeri* & alii longe plurimi. Conf. D. PFEIFERI *antichiliaſmum*, & D. NEVMANNI *diſput. antichiliaſt.*

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Falſum de regno Chriſti dogma vulgo appellatur *chiliaſmus*, ex græca voce χίλια, vel χιλιάς, *mille*, Chiliaſtas AVGVSTINVS *de hæreſ. ad Quod vult Deum*, c. 8. vertit *Milliaſtas* alibi L. XX. de C. D. *Millarios*, PHILASTRIVS *hæreſ. LIX. Chilionetitas. Millenarii* dicuntur ab ISIDORO L. VIII. *de etymol.*

Obſ. II. Chiliaſtæ de beato in his terris millennio non vnam fouent ſententiam. Qua de cauſſa B. AFFELMANNVS in *heptad. quæſt.* Chiliaſtas ad *quinque claſſes* reduxit. I. Eorum eſt, qui Chriſtum *corporaliter ante diem nouiſſimum rediturum* ſcribunt, & *in hac terra* tale regnum inſtituturum. II. Qui ſpecialius *ad terram Canaan* reſtringunt, *in quam Iudæos reducendos* dicunt. III. Qui *ſolis martyribus* ante extremum diem reſuſcitandis millenarii alicuius felicitatem vindicant. IV. Qui *ſpiritualem felicitatem* intelligunt, eamque ad *deletum Anti-Chriſtum*, *exſtinctum Turcam*, *euerſos hæreticos*, *ceſſantes perſecutiones* & eccleſiam catholice euangelicam referunt. V. Qui *& ſpiritualiter & corporaliter* felicitatem eam interpretantur, illamque tantam nobis, quanta ante lapſum in paradiſo fuit, ante extremum iudicium pollicentur.

Obſ. III. Nonnulli Theologi *Chiliaſmum in craſſum*, *ſiue Cerinthiacum*, *& ſubtilem*, *ſiue Papienſem* diſtinguunt. *Ille* beatum millennium *voluptatibus carnis illicitis*; *hic* deliciis tam *corporis*, quam *animi licitis & honeſtis* metitur. Vid. D. HANNEKEN. *de moribus regni Chriſti* §. 6. Aliis autem placet τριχοτομία, qui diſtinguunt inter *Chiliaſmum craſſum*, *ſubtilem*, *& ſubtiliſſimum*. *Craſſus* eſt Cerinthianus, *ſubtilis* Papienſis, *ſubtiliſſimus* Schwenkfeldianus, & Weigelianus; quamuis neque hic per omnia conſentiat. In hoc tamen Chiliaſtæ conſpirant: a) quod magno conſenſu ſtatuunt, maiorem Spiritus S. illuminationem, & excellentiorem myſteriorum diuinorum cognitionem fore in regno millenario, quam in hoc ſpirituali gratiæ regno: b) Membra regni chiliaſtici fore perfecte ſancta: c) Ceſſantibus afflictionibus, pacem & felicitatem terrenam in perbeato iſto millennio iucundiſſimam, vberrimamque futuram eſſe; ideoque reſurrecturos eſſe martyres, vt, cum in his terris tam diros ſuſtinuerint cruciatus, illius terreſtris proſperitatis reddantur compotes: d) Conuerſionem Iudæorum in proſperrimo millennio adeo ſolemnem, luculentam & illuſtrem fore, vt vniuerſalis dici mereatur: e) Anti-Chriſti Romani interitum, & exciſionem totalem indubitato futuram. Quæ ſingula æqua animi æſtimatione penſitaturi ſumus.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Probamus aſſertum. I. Regnum Chriſti triplex eſſe, e verbo θεοπνεύςῳ diſcimus. Etenim *regnum Chriſti* eſt vel *regnum potentiæ*, *vel gratiæ*, *vel gloriæ*. Regnum *millenarium* neque regnum potentiæ, neque gratiæ, neque gloriæ eſt. *Non* eſt regnum *potentiæ*; quia in illo ſubditi Chriſti ſunt cum omnes creaturæ, tum cuncti homines, tam pii, quam impii, quin ipſi etiam cacodæmones. At hi non dicuntur eſſe in regno millenario. *Neque* hoc eſſe poteſt regnum *gratiæ*. Nam a) regnum *gratiæ* iam *præſens* eſt; at regnum *chiliaſticum* vt *fu-*

Digitized by Google

vt *futurum* exſpectatur. b) Regnum *gratiæ* eſt *ſpirituale*, non ſæculare, atque adeo terrena felicitate non æſtimandum, Io. XVIII, 36. quippe quod non venit *μετὰ παρατηρήσεως*, cum obſeruatione i. e. *μετὰ πολλῆς φαντασίας*, cum regio ſplendore, diuitiis, triumphis, qualia exſpectabant Phariſæi, & nunc quoque Iudæi exſpectant, exponente GROTIO, ſed eſt *iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu S.* Rom. XIV, 17. At regnum *millenarium*, Chiliaſtarum ſententia, eſt *externo* ſplendore *terrenæ* felicitatis conſpicuum. *Neque* eſt regnum *gloriæ:* quia hoc eſt *æternum, non* ſpatio *mille annorum* definiendum. Colligimus: Quodcunque regnum *neque* eſt regnum *potentiæ*, *neque* regnum *gratiæ*, *neque* regnum *gloriæ*, illud non eſt verum Chriſti regnum, ſed eſt ens rationis, & ſomnium hominum vigilantium: Atqui regnum chiliaſticum neque eſt &c. E.

II. In regno millenario non poteſt eſſe maior Spiritus S. illuminatio, quam fuit in regno gratiæ temporibus Apoſtolorum: Atqui *θεογνωσία* in regno gratiæ temporibus Apoſtolorum fuit imperfecta. E. *Maior* conſtat; quia Apoſtoli fuerunt viri *θεόπνευστοι*, 2 Petr. I, 21. qui viam ad cœlum ſapientiſſime expoſuerunt. *Minor* patet ex 1 Cor. XIII, 9. 10. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: quando vero venerit perfectum, tunc, quod ex parte eſt, abrogabitur. Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc vero a facie ad faciem.* Rationem imperfectæ de Deo notitiæ reddit Apoſtolus 2 Cor. V, 6. 7. *Dum habitamus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem* (conſpectum). Qua de cauſſa Paullus dicit, ſe non eſſe *conſummatum*, Phil. III, 12.

III. Ciues regni millenarii non poſſunt perfectiori eminere ſanctitate, quam qua præditi fuerunt Apoſtoli: At hi præditi fuerunt ſanctitate imperfecta; de qua imperfectione ipſimet Apoſtoli conqueruntur. Paullus, Rom. VII, 18. *Noui, quod non habitet in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Velle enim, adiacet mihi; ſed operari bonum, non inuenio.* Ioannes, 1 ep. I, 8. *Si dixerimus, quod peccatum, non habeamus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis.* Iacobus, epiſt. c. III, 2. *Sæpe labimur omnes.* Quamdiu in his terris homines hanc lucem intuebuntur, precaturi ſunt: *Domine, remitte nobis debita noſtra!* Matth. VI. Ergo in hac terra, vsque ad diem extremi iudicii, non viuent homines perfecte ſancti.

IV. Docet Chriſtus, Matth. XIII, 30. futurum eſſe, *vt zizania vna cum tritico creſcant, vsque ad meſſem,* & intelligit per *zizania* filios *τοῦ πονηροῦ*, i. e. diaboli, per *triticum*, ſiue bonum ſemen, filios regni, per *meſſem* conſummationem ſeculi, atque aſſerit, *meſſores*, ſiue angelos, *demum in meſſe collecturos eſſe zizania, atque igne combuſturos.* E. Ager eccleſiæ ante conflagrationem mundi non erit expers zizaniorum, ſed ſegregatio malorum hircorum a ſanctis ouibus fiet demum in die extremi iudicii, Matth. XXV, 32.

V. Quicunque in hoc mundo plurimis afflictionibus & perſecutionibus ſubiacent, illi perpetua in his terris halcyonia ſibi promittere nequeunt: Atqui omnes dilecti filii Dei, &c. *Minor* prob. ex Io. XVI, 33. *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis; in mundo afflictionem habetis.* His afflictionibus omnes pii caſtigantur prius in hac vita, quam in gloriam cœleſtem transferuntur. Perſpicua ſunt verba Spiritus S. Hebr. XII, 6. *Quem diligit Dominus, corrigit: caſtigat autem omnem filium, quem ſuſcipit*, 2 Tim. III, 12. *Omnes, qui volunt pie viuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patientur*, Act. XIV, 22. *Per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum cælorum.*

VI. Status eccleſiæ, ſiue regni Chriſti ſub finem mundi propter mores impiorum corruptiſſimos, & afflictiones piorum acerbiſſimas, erit turbulentiſſimus atque triſtiſſimus. Ergo regnum Chriſti ſub finem mundi eximia ſanctitate, terrenaque felicitate non florebit, aut eminebit. *Antecedens* confirmant Apoſtoli; Paullus, 2 Tim. III, 1. *Hoc vero ſcito, quod in extremis diebus inſtabunt tempora difficilia. Erunt enim homines ſui amantes, auari, faſtuoſi,*

*ſtuoſi, ſuperbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, profani, caritatis expertes, fœdifragi, calumniatores, intemperantes, immites, bonum non amantes, proditores, præcipites, inflati, voluptatum magis, quam Dei amantes, habentes ſpeciem pietatis, virtutem vero eius abnegantes: & hos auerſare!* Petrus, 2 ep. III, 3. *Hoc primo agnoſcentes, quod venturi ſint in extremitate dierum empæctæ, qui ſecundum proprias concupiſcentias ambulaturi, & dicturi ſunt: Vbi eſt promiſſio aduentus ipſius?* Iudas v. 17. *Vos vero, dilecti, mementote verborum, quæ pridem dicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri, Ieſu Chriſti: dixerunt enim vobis, quod in extremo tempore futuri ſint illuſores, qui iuxta ſuas ipſorum concupiſcentias ambulaturi impietatum.* Quod ſi vltimorum temporum tam tetra, tamque triſtis erit facies, vtique regnum Chriſti eo temporum tractu nec plurimorum hominum ſanctitate, nec paucorum electorum terrena felicitate florebit.

VII. Aduentum Chriſti ſolemnem quotidiano gratiæ aduentui contradiſtinctum, eſſe tantum geminum, & quidem priorem humilem, poſteriorem ſublimem & maieſtaticum, e ſacris litteris, & antiquioribus ſymbolis pateſcit. Paullus diſerte dicit Hebr. IX, 28. *Chriſtus ſemel oblatus ad perferendum multorum peccata, ἐκ δευτέρȣ, ſecunda vice ſine peccato videbitur ipſum exſpectantibus in ſalutem.* Secundum illum aduentum fore viſibilem & conſpicuum in nubibus, liquet ex Act. I, 11. Matth. XXIV, 30. immediate coniunctum cum mortuorum reſurrectione, extremo iudicio, & conſummatione ſæculi, Matth. XXIV, 27. c. XXV, 31. 2 Theſſ. I, 7. De quo teſtatur ſymbolum Apoſtolicum verbis clariſſimis: *Vnde venturus eſt, iudicare viuos & mortuos.* Si Chriſtus eo fine aduentu ſuo *ſecundo* maieſtatico in nubibus apparebit, vt mortuos reſuſcitet, iudicet, & hunc mundum conſummet; non venit ad conſtituendum in hoc mundo regnum millenarium: Antecedens eſt verum: E. & conſequens.

VIII. Quo tempore omnes homines impii, iniuſti & reprobi reſurgent, eodem tempore ſimul omnes pii, iuſti & electi, adeoque etiam omnes pii martyres reſurrecturi ſunt: Atqui in die nouiſſimo omnes homines impii &c. Ergo. *Minor* claret: quia ſimultaneam piorum & impiorum reſurrectionem Chriſtus apertiſſime docet, Io. V, 28. *Venit hora* (æque certo veniet, ac ſi in præſenti adeſſet) *in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt, in reſurrectionem iudicii.* Conf. Dan. XII, 2. Quod hæc reſurrectio vniuerſalis & ſimultanea futura ſit in die nouiſſimo, affirmat Saluator Io. VI, 4. *Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, vt omnis, qui videt Filium, & credit in ipſum, habeat vitam æternam, & reſuſcitabo illum in nouiſſimo die.* Conf. Io. XI, 24. c. XII, 48. Actor. XVII, 31.

IX. Quæ animæ retributionem præmii ſplendidiſſimi pro temporali afflictione accipiunt in cœlo, illas e cœlo ad conſortium terrenæ felicitatis a Deo corporibus denuo immitti, incredibile eſt: Atqui animæ renatæ, a corporibus ſolutæ, cum omnium hominum piorum, tum inprimis martyrum &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia felicitas terrena multis partibus minor eſt præmiis cœleſtibus. Quod ſi Deus animas fruentes præmiis cœleſtibus, denuo immitteret corporibus in his terris degentibus, beatus earum ſtatus non proueheretur in maius, ſed immane quantum imminueretur. *Minor* claret verbis Chriſti, Matth. V, 12. *gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa erit in cœlis:* ibi eſt *corona iuſtitiæ*, 2 Tim. IV, 8.

X. Veri Chriſtiani quouis momento in ſalutem ſuam vigilant, propterea, quod ſubitaneum, & ſibi ignotum aduentum Chriſti ad iudicium exſpectant: E. veri Chriſtiani beatum millennium, quod extremum iudicium antecedat, non exſpectant. *Antecedens* probatur e perſpicuis Saluatoris verbis, Marc. XIII, 31. *Cœlum & terra tranſibunt: verba autem*

mea

*mea non tranſibunt. De die tamen iſta, & hora nemo ſcit, neque angeli, qui in cælo, neque Filius, ſed Pater. Videte, vigilate & orate, non enim ſcitis, quando tempus futurum ſit.* Quod ſi poſt millennium demum venturus eſt Chriſtus ad iudicium: quid opus eſt tam gravi adhortatione ad iudicium Chriſti extremum conſiderandum, & nullo prætermiſſo die penſitandum? Ex mente Saluatoris dies extremi iudicii nobis ignotus eſto. At, ſi poſt millennium, quod hodie nondum cœpiſſe putatur, iudicium vniuerſale habebitur, exactiſſime nobis conſtat, intra decurſum plurimorum annorum Chriſtum ad iudicium non eſſe venturum.

XI. Hypotheſis de regno Chriſti millenario pietatem non accendit, ſed exſtinguit, aut certe curſum eius ſufflaminat. Nam a) per hypotheſin Chiliaſticam homines auertuntur a deſiderio bonorum cœleſtium & ſpiritualium, quod deſiderium tamen eſt verorum Chriſtianorum, Rom. VIII, 23. Phil. III, 20. b) Alit opinio Chiliaſtica ſecuritatem hominum, de extremo iudicio aut nihil, aut parum cogitantium. Subleſta quippe hac opinione faſcinati, ſibi perſuadent, aduentum Chriſti longisſime abeſſe, adeoque in diem eſſe viuendum. c) Per opinionem Chiliaſticam hominibus nouitatis auidis, & rebus turbandis, quam gerendis, aptioribus ſubminiſtratur occaſio ad rebellionem concitandam aduerſus ordinarium magiſtratum. Hæc peruerſa opinio ſuperiori ſæculo animos ruſticorum ad detrectandum magiſtratus imperium excitauit & erexit.

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiiciunt Chiliaſtæ. I. Apoſtolum Ioannem regnum Chriſti millenarium apertiſſime docere, Apoc. XX, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. cuius verba memoratu ſunt digniſſima. *Poſtea vidi angelum deſcendentem e cælo, qui habebat clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Hic comprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas: vinxitque eum mille annos: coniecitque eum in abyſſum, & concluſit eum, & ſuper eo obſignauit, vt non ſeduceret gentes amplius, vsque dum conſummarentur mille anni. Poſtea vero oportet illum ſolui exiguum tempus. Vidi porro thronos, conſederuntque ſuper iis, & iudicium datum eſt illis: animas etiam ſecuri percuſſorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius, & regnarunt cum Chriſto mille annos. Reliqui vero mortuorum non reuixerunt, donec conſummarentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus & ſanctus eſt, qui habet partem in reſurrectione prima. Super hos enim mors altera non habet poteſtatem: ſed erunt ſacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annos. Quando autem conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas e cuſtodia ſua, & exibit ad ſeducendum gentes.* Reſp. 1) Quia liber apocalypticus eſt propheticus, tum abſtruſiſſimis viſionibus propheticis, tum allegoricis, & quaſi ænigmaticis loquendi formulis plenus, intellectu difficilis, ideo ſecundum analogiam fidei, claris & perſpicuis ſcripturæ locis ſuperſtructam, exponendus eſt *). 2) Non poſſunt Chiliaſtæ e loco citato luculenter

Vvv vvv v 2

*) Vtique Chiliaſtas ſcire oportebat binas haſce leges, in Theologia partim hermeneutica, partim elenchtica, arcte tenendas. I. Diuinorum Vatum antiquiorum interpretes ſunt Vates recentiores & ſcripta N. T. Ioannis autem patefactio eſt liber diuinorum omnium poſtremus, & horum verborum interpretatio, quam b. Auctor copioſe tradidit, & cui Noſtratium plerique ac præſtantiores ſuffragantur, eſt multo commodior, quam peruerſa illa Chiliaſtarum expoſitio, tot tamque perſpicuis ſcripturæ teſtimoniis aduerſaria. II. Ex verbis intellectu difficilibus, *ne vlla quidem* depromenda eſt *firma probatio*, nedum *præcipua*. Obſcuriora dicta clarioribus, non hæc illis, ſunt illuſtranda. In hoc autem loco Chiliaſmi defenſores

Digitized by Google

culenter oſtendere ſolemnem Chriſti aduentum ad conſtituendum regnum millenarium, in quo a) viuant homines *perfecta* θεογνωσία prædití, *conſummata ſanctitate* eminentes, *terrenaque felicitate* gaudentes, b) *reſurgant martyres*, c) *conuertantur omnes Iudæi*, & d) *ſub cuius primordium Anti-Chriſtus euertatur.* Ceterum, vt mentem Apoſtoli penitius perſpiciamus, primum ſuccinctam verborum adductorum dabimus paraphraſin, deinde ad ea, quæ obiiciuntur, breuiter reſpondebimus. Verba Ioannis ſunt: Καὶ εἶδον, *& vidi,* (indicat Apoſtolus ordinem *viſionum*, *non* ordinem *euentuum*) *angelum* (ſcil. increatum, Chriſtum, qui ſolus Satanam conterit, ligat, abolet, iuxta Geneſ. III, 15. Luc. XI, 22. Hebr. II, 14) *deſcendentem de cœlo* (ſingulari ſe ratione manifeſtantem, & opere quodam miraculoſo ſuam vim exerentem: Nam deſcendere de cœlo frequenter in S. litteris κατ' ἀνθρωποπάθειαν de Deo omnipræſentiſſimo dicitur, cum præſentiam potentiæ & gratiæ ſingulari quodam opere manifeſtat; vid. Gen. XI, 5. c. XVIII, 21.) *qui habebat clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua* (*clauis* eſt ſymbolum imperii, Apoc. I, 18. *abyſſus* notat infernum: *catena* autem *magna* ſymbolice deſignat tum præualidam Chriſti potentiam, tum diaboli ſubiectionem & pœnam. Conf. 2 Petr. II, 4. Iud. v. 6.): *Hic comprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas* (Gradatim procedit Ioannes, & docet, a) Satanam eſſe *comprehenſum*, qui tum per paganiſmum & idololatriam, tum per multiplices hæreſes, tam ethnicos, quam Iudæos ſeducebat. Id propter Chriſtus tum immediate, tum per Apoſtolos magno impetu eum inuaſit & vicit) *vinxitque illum* (Docet b) *ligationem Satanæ*, ſiue eius coërcitionem, qua ab horrenda gentilium ſeductione retractus, cohibitusque fuit, ne adeo libere, & pro arbitratu deſæuiret. Intelligitur autem *ligatio non abſoluta*, ſed *limitata*; nam & cani ligato datur aliquod ſpatium, intra quod furere, lædere & mordere poteſt), *coniecitque eum in abyſſum* (Docet Apoſtolus c) *præcipitationem Satanæ in abyſſum.* Dicitur autem Satanas in abyſſum coniici, cum illi publicum dominium adimitur. Quod contigit eo tempore, quo delubra paganorum ſunt deſtructa, altaria diruta, & libri magici combuſti), *& concluſit eum, & ſuper eo obſignauit* (Docet iam d) *obſeruationem & obſignationem* Satanæ, (qua ipſi adempta eſt licentia exeundi, vagandi & nocendi) *ne ſeducat gentes* (*ſeductione violenta & tyrannica,* per reges & imperatores gentiles, idololatriæ deditos, qui bellica oppugnatione eccleſiam perſecuti erant, & publicam euangelii prædicationem impediuerant) *vsque dum conſummarentur mille anni* (Sunt, qui hunc numerum *indefinite* ſumunt, pro magno temporis interuallo; alii *definite* millenarium quoddam tempus expreſſum volunt; cum non videatur veriſimile, Ioannem ſexies dicturum χίλια ἔτη *mille annos*, & quater quidem cum articulo, τὰ χίλια ἔτη. Neque tamen epocham mille annorum puncto quodam mathematico definire licet. Quod ſi itaque non præciſe annum, quo Satanas ligatus eſt, poſſumus determinare, ſufficit nobis, ligationis & ſolutionis ſatanicæ ſæculum commonſtraſſe. Quocirca ligationis ſatanicæ primordium ſæculo IV. rerum potiunte Conſtantino M., ſolutionis autem diabolicæ initium ſæculo XIV. quo Ottomannicum regnum erigi

fenſores acerrimi putant ſe reperiſſe præſidium longe *firmiſſimum*, immo fere *vnicum*, quo tota nititur ipſorum opinio. Si quod eſſet millennium, 1) adhuc exſpectandum, 2) tale futurum, quale illi ſomniantes iam viderunt, 3) tam momentoſum, tantique faciendum, vt in dogmatibus Chriſtianæ fidei haud infimo loco habendum eſſet (quando quidem PETERSENIVS, plures alii, pro hac cauſa, tanquam pro aris & focis propugnarunt): longe profecto ab omni veri ſimilitudine remotum eſt, alios ſcriptores ſacros, in primisque Ieſum noſtrum, eius etiam Legatos, rem adeo fructuoſam, immo prorſus ſcitu neceſſariam, ſilentio tranſiiſſe, ac ne vnum quidem eorum apertiſſime planiſſimeque de ea ſcriptum aliquid reliquiſſe.

Digitized by Google

erigi cœpit, contigiſſe perſuaſi ſumus). *Poſtea vero oportet eum ſolui exiguum tempus* (ſicut comprehenſio, ligatio, præcipitatio & obſeruatio Satanæ gradatim facta eſt: ita & ſolutio eiusdem ſuos habet gradus. Quamuis enim initium ſolutionis incidat in ſæculum XIV. maxime tamen euagari & furere cœpit diabolus ſæculo XV. quo Conſtantinopolis ſedes imperatorum orientalium occupata eſt a Mahomete II. qui crudelitatis pluſquam ſtygiæ exemplum dedit). *Vidi porro thronos, conſederuntque ſuper iis* (Conſpexerat Ioannes ſtatum athletarum Chriſti turbulentum, iam videt ſtatum eorum beatiorem: videt ſedentes ſuper thronos, i. e. regnantes & pace fruentes), *& iudicium datum eſt illis* (quo iudicium Chriſti approbando gentilem idolomaniam improbant & condemnant, Matth. XIX, 28.), *& animas ſecuri percuſſorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerant beſtiam, neque imaginem eius, & non acceperant characterem eius ſuper frontem ſuam, & ſuper manum ſuam: qui vixerunt & regnarunt cum Chriſto mille annos* (Coniecit Apoſtolus oculos mentis in cœlum gloriæ, ibique in ſpiritu vidit martyres & confeſſores euangelii Chriſti. De *animabus martyrum* dicit: ἔζησαν, *vixerunt*, non ἀνέζησαν, *reuixerunt*; cum enim immortales ſint, ſemper viuunt, non autem a morte reſurgunt, aut reuiuiſcunt. Confeſſores non adorauerunt beſtiam & imaginem eius, non Anti-Chriſtum venerati ſunt, ac ne in imagine quidem eum coluerunt. *Character ſuper frontem* notat profeſſionem Anti-Chriſtianiſmi apertam, *character ſuper manum* notat promtum in operibus carnis obſequium. *Hi vixerunt & regnarunt* in regno *gloriæ*, nunquam deceſſuri e ſtatu gloriæ, intra hanc chiliada, & dum illa in regno gratiæ decurrit. Vid. Apoc. III, 12. *Regnare* ſignificat feliciſſime agere, & bene beateque viuere, neque amplius ſeruituti illi probroſæ peccati & mundi ſubeſſe. *Reliqui vero mortuorum non reuixerunt, donec conſummarentur mille anni* (*Reliqui mortuorum* ſunt *ſpiritualiter* mortui, qui non reuixerunt per conuerſionem ad Chriſtum, quamdiu illud ſalutare millennium durat). *Hæc eſt reſurrectio prima* (e morte peccati). *Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima* (qui ad Chriſtum conuerſus per veram fidem in ſtatu gratiæ ad finem perſiſtit). *Super hos enim mors altera non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annos* (*Mors prima* eſt priuatio *vitæ gratiæ*, mors *ſecunda* eſt priuatio *vitæ gloriæ*, ſiue æterna condemnatio: *Sacerdotes ſpirituales* ſunt homines renati, iuſtificati & renouati, qui Deo ſacrificia euchariſtica offerunt: *Reges ſpirituales* ſunt, qui per fidem vincunt mundum, diabolum & carnem, atque dominantur peccato). *Et cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, vt ſeducat gentes* (Vti ligatus fuit ſatanas, in filiis & organis ſuis; ita nunc ſolutus viciſſim gentibus debellauit eccleſiam Chriſti, fœdiſſima idololatria reuocata).

Epocham millennii ſequentem notamus. Conſtantinus M. anno Chriſti CCCXII. ſigno crucis in cœlo conſpecto, cum epigraphe: ἐν τότῳ νίκη, victoriam ab hoſtibus reportauit, & conuerſus ad chriſtianiſmum, pacem eccleſiæ dedit; quem proinde annum eccleſiæ feliciſſimum patres appellant: contra, anno Chriſti MCCCVII. Michaël IX. Græcorum Imperator, victus & debellatus eſt, vt annum infauſtum & fatalem totius orientis dicere poſſis. Conf. D. NEVMANNI *diſput. II. Antichiliaſt.* §. 9. Obſeruatio & obſignatio eius facta eſt ſæculo V. quo œcumenicum illud Chalcedonenſe concilium celebratum eſt, nempe anno CCCCLIII. quo paganiſmus non tantum exterminatus eſt, ſed & hæreſes reprobatæ ſunt.

Dicis: 1) *Animæ decollatorum vixerunt & regnauerunt cum Chriſto mille annos:* Ergo Chriſtus cum ſanctis ſuis in his terris regnum milenarium conſtituet. Reſp. a) Animæ *vixerunt*, non reuixerunt, *non in his terris*, ſed in cœlo. b) Τὸ *regnare* non notat regnum terreſtre, viſibile & corporale; ſed cœleſte, inuiſibile & ſpirituale, quod non in felicitate temporali, ſed in æterna beatitudine conſiſtit. Nam *regnare* apud Ioannem ſignificat,

 ſupera-

Digitized by Google

ſuperatis hoſtibus beatiſſime agere, quo ſenſu etiam a Paullo hæc vox vſurpatur 1 Tim. II, 12.

Dicis: 2) In millennio illo, quod incipit ſæculo IV. & terminatur ſæc. XIV. *non ligatus fuit Satanas;* quia a) Iulianus apoſtata thronum imperatorium conſcendit, eodem ſæculo, & b) variæ hæreſes (Ariana, Pelagiana, Photiniana, plures aliæ) zizaniorum more, quæ Satanas ſeminat, creuerunt. Reſp. a) Sæculo IV. *ligatus* eſt Satanas, ſæc. V. *obſeratus.* Deus iuſtiſſimis motus cauſſis Satanæ *catenam*, cui illigatus erat, *ad tempus laxauit*, vt eius mancipium, Iulianus, thronum conſcenderet; at nubecula fuit, facile tranſiens. Eo defuncto, nullus ethnicus Imperator corona redimitus fuit, intra decurſum illius millennii. *Ligatio* Satanæ eſt limitata, *non abſoluta.* Ligatus eſt Satanas, *ne ſeducat gentes*, ſeductione *violenta & tyrannica; hæreticorum* ſeductio non tam *violenta*, quam *fraudulenta* eſt. Vſus eſt hac diſtinctione AVGVSTINVS, *enarrat. in Pſ. IX. Prima perſecutio eccleſiæ violenta fuit, cum proſcriptionibus, tormentis, cædibus, Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur. Altera perſecutio fraudulenta eſt, quæ per hæreticos & falſos fratres agitur. Tertia, Antichriſti tempore, & violenta, & fraudulenta eſt, vim habens in imperio, dolum in miraculis.* De *prima* loquitur Ioannes, non de ſecunda. Deinde aliæ ſunt *perſecutiones eccleſiæ generales*, ab ethnicis motæ, aliæ *ſpeciales quædam turbæ*, quas cum *verbo*, per hæreticos, tum *ferro*, per tyrannos, dat diabolus. De illis iterum loquitur textus in Apocalypſi, ipſumque complementum id confirmauit; *neque* ἁπλῶς & ὁλικῶς, *ſimpliciter & abſolute ligatus* dicitur Satanas, ſed κατὰ τὶ & προσδιοριστικῶς, *ſecundum quid*, & certo reſpectu, nimirum reſpectu *ſeductionis gentium.* Sic enim habet textus: Et *coniecit eum in abyſſum, concluſit eum, & ſuper eo obſignauit, ne ſeducat gentes* (ad perſequendum ſcil. atrociter Chriſtianos, more priſtino). Id quod vel inde patet, quia mox dicitur, v. gr. quod Satan, poſt annos illos mille ſuæ ligationis ex ſuo carcere ſolutus, *iterum ſeducturus ſit gentes*, ſeu populos, συναγαγεῖν αὐτοὺς εἰς πόλεμον, ad congregandum eos in prælium, vbi manifeſtiſſimum eſt, quæ poſt ſolutionem moliturus dicitur Satanas, ea tempore ſolutionis illum intermittere debuiſſe. Conuenientiſſima ſimilitudine rem illuſtrat B. HVNNIVS, in *diſp. de regno Chriſti* §. 75. *Quemadmodum, quando Iudic. III. legitur, poſt Eglonem, Moabitarum Regem, ab Ehud occiſum, ſecutam eſſe pacem* 80. *annorum, non id ſimpliciter, reſpectu omnium pariter hoſtium gentis Iſraëliticæ intelligitur; ſed ratione Moabitarum, de quibus illic ſpecifice diſſeritur; ſic quoque, cum Satanas ligatus eſſe ſcribitur, id non ſimpliciter, ſed ſecundum quid intelligendum eſt, videlicet reſpectu gentium, ſub imperio prius ethnico, atque ſic reſpectu impreſſionis gentium in eccleſiam Chriſti: Sic vt manifeſte vaticinium ſuum explicat Ioannes, addens: vt non ſeducat amplius gentes. Nam vt exſpectetur in hoc mundo tempus, quo plane non amplius tumultuetur aduerſus Chriſtianos Satanas, abſurdum eſt, & ſacrarum litterarum prædictioni contrarium.*

Dicis: 3) Millennium, quod incipit ſæc. IV. & terminatur ſæc. XIV. non caruit ſeductione *violenta.* Nam Oſtogothi, Hunni, Vandali, & alii populi, decurrente illo millennio, ſe effuderunt in Italiam, & in veræ doctrinæ chriſtianæ ſectatores crudeliter ſæuierunt. Reſp. *Pax perpetua non* hominum *viatorum*, ſed *beatorum* eximium bonum eſt. *Barbaræ gentes* vel catholicam amplexæ ſunt fidem, vel Arianiſmo adhæſerunt, *Paganiſmo reiecto.*

Dicis: 4) *Solutio Satanæ* durat *modico tempore.* Vid. Apoc. XX, 3. Solutio ſatanæ a fundatione regni Ottomannici non durat modico tempore: durauit enim iam trium ſæculorum decurſu, & hoc amplius. E. illa in Apocalypſi Ioannæa non intelligitur. Reſp. *Modicum & exiguum tempus* Satanæ relictum eſt, ſiue conferatur cum *annis mille* præteritis, ſiue cum *omni tempore* præterito, quo inde ab origine mundi inter gentiles varie tumultuatus eſt

Sata-

Digitized by Google

Satanas, ſiue denique *cum ipſa æternitate*, cuius intuitu *chilias vna*, non ſecus, ac *vna dies* eſt, Pſ. XC, 5.

II. Chiliaſtæ in ſubſidium vocant Dan. II, 44. ſqq. collat. cum 35. vbi Daniel ſomnium Nebucadnezaris expoſiturus, inquit: *Sed in diebus regnum horum ſurgere faciet Deus, cælorum regnum, quod in ſæcula non perdetur, & regnum eius populo alii non permittetur: conteret & conſumet omnia iſta regna, ipſum autem ſtabit in ſæcula. Propterea, quod vidiſti, quod de petra exciſus eſt lapis, non per manus, & contriuit ferrum, æs, argillam, argentum & aurum*, v. 35. *Et lapis, qui percuſſit ſtatuam, effectus eſt in montem magnum, & impleuit omnem terram.* Ex hoc oraculo prophetico Chiliaſtæ argumentantur: Quodcunque regnum eſt ſpirituale, *implens omnem terram & comminuens reliqua regna*, illud *neque* regnum *gratiæ*, *neque* regnum *gloriæ* eſt, ſed *intermedium aliquod regnum*, ſc. regnum Chriſti *millenarium*: Atqui regnum Chriſti, a Daniele prædictum &c. *Maior* conſtat: quia 1) regnum *gratiæ* quidem implet omnem terram, ſed *non comminuit*, aut conſumit *reliqua regna*: 2) Regnum *gloriæ* implet cœlum, *non terram*: Reſp. ad 1) Omnino intelligitur a Daniele regnum *gratiæ*, quod prædicatione euangelii *implet omnem terram*, Col. I, 23. Hoc *conterit* & conſumit *reliqua regna*, non per *deſolationem corporalem*, *ſed ſubiugationem ſpiritualem:* non abolet politias, ſed *Reges & ciues* Chriſto ſubiicit, vt *hunc Filium Dei oſculentur*, Phil. II, 12. 2) Regnum a Daniele prædictum non poteſt eſſe regnum millenarium. Nam *illud* eſt *æternum; hoc*, elapſis *mille annis*, *finitur: illud* omnia reliqua regna conterit & conſumit; regnum autem *millenarium* regnum *Gogi & Magogi non comminuet*, Apoc. XX, 8.

Dicis: Regnum Chriſti ſpirituale non eſt æternum. Nam terminatur conſummatione ſæculi, vbi Chriſtus Patri tradet regnum. Reſp. Conſummatio ſæculi *non* terminabit *ſubſtantiam* regni Chriſti, ſed *modum* regiminis per verbum & ſacramenta.

III. Regnum Chriſti millenarium Chiliaſtæ ſtabilire nituntur ex Dan. VII, 26. 27. *Poſt iudicium ſedebit, & dominium eius auferent ad perdendum & euertendum, vsque ad finem. Regnum vero & dominium, & maieſtas regnorum ſub omnibus cælis dabitur populo ſanctiſſimorum: Cuius regnum eſt regnum ſæculi, & omnia dominia colent eum, & obedient ei.* Arguunt Chiliaſtæ: Quodcunque regnum *populo ſanctiſſimo ſub cœlo* dabitur, *deſtructa monarchia quarta*, illud *neque* regnum *gratiæ*, *neque* regnum *gloriæ* eſt, ſed regnum Chriſti millenarium. At regnum apud Danielem, ab angelo promiſſum, dabitur populo ſanctiſſimo, & quidem ſub cœlo, monarchia Romana deſtructa: E. *Maior* conſtat: quia regnum illud, quod populo ſanctiſſimo dabitur ſub cœlo, *non* poteſt eſſe regnum *gloriæ*, quia hoc *non ſub* cœlo, ſed *in* cœlo datur: *neque* regnum *gratiæ;* quoniam hoc datur, *monarchia Romana vigente & florente.* E. Regnum aliquod *intermedium* (ſcil. millenarium) apud Danielem intelligitur. Reſp. Intelligitur apud Danielem regnum *gloriæ*, quod populo ſanctiſſimo *ſub cœlo conferetur* quidem, *in cœleſti* autem patria *conſummabitur.* Nam regnum Chriſti *ſpirituale* eſt *iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu S.* Rom. XIV, 17; quod *ſub cœlo* inchoatur, *in cœlo* autem conſummatur. Regnum vero *millenarium* apud Danielem intelligi nequit. Nam regnum, cuius apud Danielem fit mentio, *conſummatiue* ſpectatum, dabitur *poſt extremum iudicium*, deſtructis omnibus regnis terrenis, & *durabit in æternum*: quæ certe prædicata regno millenario minime conueniunt.

Quæſt. XVI. *Eſtne Iudæorum vniuerſalis, aut certe illuſtris & notabilis conuerſio ſub finem mundi exſpectanda?*

Quamuis *Iudæis* aditus ad pœnitentiam & fidem in Chriſtum *abſoluto Dei decreto non* ſit *præcluſus* a), *multique* eorum inde ab æuo apoſtolico *ſucceſſu temporis* *De vniuerſali Iudæorum conuerſione.*

Digitized by Google

*poris* cum Deo in gratiam redierint b): *vniuerſalis* tamen eorum, aut certe *illuſtris & ſolemnis* conuerſio *ſub finem mundi* non eſt exſpectanda c).

*Antitheſis* eſt 1) multorum *Patrum*, 2) plerorumque *Pontificiorum*, 3) quorundam *Reformatorum*, 4) *nonnullorum ex noſtratibus Theologis*, 5) *Chiliaſtarum*, quorum omnium prolixa adducere verba, ſuperuacuum eſt. Sufficiat in præſenti, vnum citaſſe HOBVRGIVM, in *poſtillis myſticis, Dom. Iudic. p.* 456. ſcribentem: Jch fürchte, daß kein Volk unter der Sonnen dich mehr unehre, als eben deine Chriſten: Daher du ſie auch endlich wieder unehren, und die blinden Jüden, welche vorzeiten aus blinder Unwiſſenheit und unzeitigem Eifer dich verunehret haben, wirſt wieder anſehen, erbarmen und annehmen. In *Apologia Prætoriana* idem Myſticus inquit p. 282. Wir halten dafür, daß für dem jüngſten Tage die Jüden werden bekehret, die Heyden zur Gemeinſchaft der Kirchen kommen, und daß zuvor der Chriſten ihr ſectiriſch Babel-Weſen fallen werde, und ehe dieſes nicht geſchicht, iſt kein jüngſter Tag zu hoffen.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Diſtinguendum eſt inter iudæorum *conuerſionem vniuerſalem & ſimultaneam*, & eorundem *conuerſionem particularem ac ſucceſſiuam*. *Vniuerſalitas* illa viciſſim vel ἁπλῶς, *& ſimpliciter* ſpectatur, & omnes omnino Iudæos complectitur; qui ſunt, fuerunt aut erunt; vel κατά τι, *& ſecundum quid* conſideratur; quo ſenſu maximam Iudæorum partem notat, *ſimul ac ſemel* in cœtum Chriſti introeuntem.

Obſ. II. *Succeſſiua* ac *particularis Iudæorum conuerſio* aliquando eſt *ſolemnis*, *notabilis ac luculenta:* aliquando eſt *minus ſolemnis*, *priuata*, adeoque velut oblitterata. *Illa* rarius contigit, *hæc* quotidie exſpectari poteſt.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Prob. a. Ex Rom. XI, 1. 2. *Num reprobauit Deus populum ſuum? Abſit. Nam etiam ego ſum Iſraëlita, ex ſemine Abrahami, tribus Beniaminis. Non reprobauit Deus populum ſuum, quem præſciuit.* Docet Apoſtolus, Iudæos *non* ex *abſoluto* Dei *decreto*, aut odio irreconciliabili, eſſe a gratia reiectos, ſed cauſſam reprobationis eſſe multorum Iudæorum finalem impœnitentiam & ἀπιςίαν. *Illos* autem *Iudæos*, quos Deus præſciuit, in Chriſtum eſſe credituros, *non reiecit*. Quare gens iudaica non ex mero Dei odio, aut abſoluto decreto reiecta eſt.

Prob. b. Inde ab æuo apoſtolico Iudæos longe plurimos conuerſos eſſe, tum ſacræ litteræ, tum hiſtoriæ eccleſiaſticæ loquuntur. Apoſtolo Petro euangelium Chriſti prædicante, *ter mille Iudæi conuerſi ſunt*, Act. II, 41. Alio tempore millia fere innumera Chriſti cultum amplexa ſunt, Act. XXI, 20. Procedentibus temporibus hæc credentium Iudæorum multitudo aucta eſt. Conf. *Hiſtoriam Magdeb. Centur. VI.* OSIANDRI *Centur. V. libr. I. c.* 34. *Centur. VI. libr. IV. c.* 4. *Centur. VII. libr. II. c.* 7.

Prob. c. *Vniuerſalem* Iudæorum conuerſionem *non* eſſe *exſpectandam*, demonſtramus.

I. E clariſſimo Apoſtoli Paulli teſtimonio, quod legimus 1 Theſſ. II, 15. 16. *Iudæi Dominum Ieſum occiderunt, & proprios Prophetas, & nos* (Apoſtolos) *perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, qui obſiſtunt nobis, ne loquamur gentibus, quo ſalui fiant, vt expleant peccata ſua ſemper; vnde peruenit in illos ira* εἰς τέλος, *vsque ad finem.* De voce, εἰς τέλος, THEOPHYLACTVS: *Non datur*, inquit, *vt quondam ex captiuitate reditus, & ad terram promiſſionis peruentus ſit ſperandus, ſed in finem vsque in hos ira Dei peruenit, id eſt, ſemper in hos permanſura eſt Dei ira.* Naſcitur nobis ex effato Paullino argu-

Digitized by Google

argumentum validiſſimum: Quicunque ob Dominum Ieſum crudeliſſime occiſum, & ſuos Prophetas atque Apoſtolos aſperrime tractatos, iram & maledictionem in ſe perpetuam concitarunt, illorum conuerſio vniuerſalis exſpectanda non eſt: Atqui Iudæi &c. E.

Dicis: Si hoc argumentum validum eſt, *ne vnus quidem* Iudæus eccleſiam Chriſti ingredietur. Reſp. Quod ex natione Iſraëlitarum, qui Dominum Ieſum crucifixerunt, vnus & alter conuertitur, hoc vocat Apoſtolus μυϛήριον, Rom. XI, 25.

II. Non eſt nobis certa ſpes vniuerſalis Iudæorum conuerſionis; quia illos *triplex premit maledictio;* a) *generalis*, Deut. XXVII, 26. *Maledictus, qui non ſtabiliuerit verba legis huius, ad faciendum illa; dicetque omnis populus: Amen!* Quia Iudæi non faciunt omnia verba legis, maledictioni Moſaicæ ſunt ſubiecti. Ab hac maledictione poſſent liberari, ſi crederent in Chriſtum redemtorem, de quo Paullus ait: *Chriſtus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictio: Scriptum namque eſt: Maledictus omnis, qui pependerit ſuper ligno; vt in gentes benedictio Abrahami fieret in Chriſto Ieſu; vt promiſſionem Spiritus acciperemus per fidem*, Gal. III, 13. Atqui occæcati Iudæi Chriſtum liberatorem repudiant: Ergo maledictioni Moſaicæ ſubiecti manent. b) *Maledictio ſpecialis & propria*, ſponte attracta verbis illis: *Sit ſanguis eius ſuper nos & filios noſtros*, Matth. XXVII, 25. Commiſerunt Iudæi peccatum omnium grauiſſimum, Dominum gloriæ crucifigendo, & huic peccato tam horrendam maledictionem adiecerunt: Ecquis igitur adduci poteſt, vt credat, omnium, aut certe plurimorum Iudæorum futuram conuerſionem? Premit Iudæos c) *maledictio Chriſti* per os Dauidis prolata, Pſ. LXIX, 24. ſeqq. *Obſcurentur oculi eorum, vt non videant; & lumbos eorum iugiter concute. Effunde iram tuam ſuper eos, & excandeſcentia indignationis tuæ aſſequatur eos. Sit habitatio eorum deuaſtata. In tentoriis eorum ne ſit habitans. Quia quem tu percuſſiſti, illi perſecuti ſunt; & ſuper dolore confeſſorum tuorum nugantur. Da iniquitatem ſuper iniquitatem illorum, & ne perueniant ad iuſtitiam tuam. Deleantur e libro vitarum*, & *cum iuſtis ne ſcribantur.* Hæc maledictio Meſſiæ non eſt fulmen e pelvi, ſed Iudæis perennem pœnam ex vero denuntiat. Conf. Pſ. CIX, 17.

III. Quicunque *media gratiæ & ſalutis proterue & peruicaciter reiiciunt*, illorum *vniuerſalis*, aut certe *notabilis* conuerſio *non* eſt *ſperanda:* Atqui Iudæi &c. E. *Maior* nemini non aperta eſt. *Nam cum homo profanus inſtrumenta, ſeu media Spiritus S. contemnit, neque verbum Dei audire vult, non fit illi iniuria, ſi a Spiritu S. non illuminetur, ſed in tenebris infidelitatis ſuæ relinquatur, ac pereat. De hac re ſic ſcriptum extat: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti!* Matth. XXIII, 37. ait *Form. Concord.* p. 627. *Minor* etiam omni vacat dubio. Iudæi quippe a multis retro lapſis ſæculis, vsque in hunc, quo viuimus, diem, renuunt legere ſcripta Euangeliſtarum & Apoſtolorum, raro etiam euoluunt monumenta Prophetarum, contenti notitia Pentateuchi, fabulas Talmudicas maximi æſtimant, retinent circumciſionem, & deteſtantur baptiſmum, rident ſacramentum cœnæ, prædicationem euangelii adeo faſtidiunt, vt templa Chriſtianorum ipſis ſordeant, liberis ſuis in primo tenerrimæ ætatis flore odium Chriſtianorum inſtillant & imprimunt, vt cum liberis Chriſtianorum familiariter verſari recuſent. Conf. BVXTORFFII *ſynagog. iudaic. cap. III. p.* 152. Quam ob rem ſpes de vniuerſali Iudæorum conuerſione decollat.

IV. Quicunque tam immani odio aduerſus Ieſum, ſalutis auctorem, ardent, vt diras in ipſum blaſphemias ore profano euomant, illorum inſignis conuerſio minime ſperanda eſt: Atqui Iudæi &c. Ergo. *Maiorem* confirmat S. Paullus, 1 Cor. XVI, 22. *Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, ſit Anathema, Maran Atha! Minorem* ſtabilit ipſa experientia. Conſueuerunt quippe Iudæi in ſynagogis ſuis Ieſum noſtrum vocare *Thalui*, & facta nominis



Digitized by Google

ipſius mentione, ſubiicere: *deleatur nomen & memoria eius* *)! & in terram exſpuere, teſte BVXTORFFIO *l. c. p* 167. Ecquis autem ſibi perſuadeat, nationem illam præfracte impiam, quæ ſanctiſſimum Ieſu nomen nefandis conuiciis proſcindit, gratia Spiritus S. illuminatum & conuerſum iri?

V. Quicunque iuſtiſſimo iudicio diuino ob pertinacem ἀπιϛίαν regno Dei eiiciuntur & a cœna cœleſti excluduntur, illorum ſolemnis conuerſio non eſt exſpectanda: Atqui Iudæi &c. *Minor* conſtat e verbis Chriſti Matth. VIII, 11. 12. *Multi ab oriente & occidente venient, & accumbent cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo in regno cœlorum. Filii vero regni eiicientur in tenebras exteriores.* Et Luc. XIV, 24. *Dico vobis, quod nemo virorum iſtorum* (Iudæorum) *qui vocati fuerunt, guſtaturus ſit meam cœnam.*

VI. Quod generatio Iudæorum circumciſorum non ſit tranſitura, donec omnia fiant, Chriſtus ipſe ſignis extremi iudicii annumerauit, Luc. XXI, 32 **). E. tanta multitudo Iudæorum ante extremum iudicii diem chriſtianæ eccleſiæ non aggregabitur, vt *omnis Iſraël conuerſus* eſſe dicatur. Sermo eſt Saluatori l. c. de hac ipſa generatione, quæ a gentibus præputiatis ritu circumciſionis diſcernitur. At, ſi aut omnes, aut plerique Iudæi, circumciſione abrogata, baptizarentur, non maneret hæc natio iudaica, ſed euaderet chriſtiana, atque adeo non foret eius exſiſtentia ſignum prognoſticum imminentis extremi diei. Aliud autem Saluator verbis citatis nos condocefacere voluit.

VII. Populus iudaicus *vſque ad finem mundi relinquetur extorris regno Iſraëlitico, profugus perpetuo & vagabundus:* E. illius conuerſio catholica & ſimultanea non eſt ſperanda. *Conſequentia* eſt ſolida: quia natio iudaica per ampliſſimas orbis partes Europam, Aſiam & Africam diſperſa eſt, adeoque per ordinaria gratiæ media, verbum & ſacramenta, *ſimul & ſemel* conuerti nequeunt tot Iudæorum myriades, ſed multa ſæcula præterfluent, priusquam omnes ad eccleſiam vocentur, illuminentur & conuertantur. *Antecedens* liquet ex vaticinio Prophetæ Danielis, c. IX, 27. *Vſque ad conſummationem & deciſum ſtillabit ſuper deuaſtationem* (ira Dei), & prædictione Chriſti, Matth. XXIII, 38. *Ecce relinquetur vobis domus deſolata:* & Luc. XXI, 24. *Cadent namque ore gladii* (qui in Iudæa ſunt) *& captiuabuntur inter omnes gentes; tandemque Hieroſolyma erit conculcata a gentibus, vſque dum implebuntur tempora gentium,* At *impletio temporum gentium* recte a CHRYSOSTOMO ad conſummationem ſæculi extenditur, iudice b. CALOVIO in *bibl. illuſtr. in h. l. fol.* 637. & Matth. XXI, 43. *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

VIII. In quacunque natione *occæcatio perpetuo duratura* eſt, illius *conuerſio non, niſi particularis, ſperanda eſt:* Atqui in natione iudaica &c. E. *Minor* probatur verbis Chriſti, Matth. XXIII, 14. 15 Completur in Iudæis prophetia Eſaiæ, qui dicit: *Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non cernetis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audiuerunt, & oculos ſuos occluſerunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertant ſe, & ſanem illos.* Suffragatur Paullus, inquiens, Rom. XI, 25. ἡ πώρωσις, *obduratio ex parte Iſraëli contigit, donec plenitudo gentium ingrediatur.* At *introitus gentilium* in eccleſiam chriſtianam durabit *vſque ad conſummationem ſæculi;* quia a) Chriſtus promulgationem euangelii inter gentes cum conſummatione ſæculi

*) Dira hæc imprecatio latet in contumelioſo nomine, ישו, Cabbaliſtica ratione ita intelligendo, vt litera vocis vna quæque indicet ſententiam totidem verborum, quorum prima eſt illarum vna: ימח שמו וזכרונו.

**) Tantum igitur abeſt, vt Chriſtus ſolemnem quamdam, aut plane communem Iudæorum conuerſionem inter ſigna iudicii ſupremi retulerit.

Digitized by Google

ſæculi coniungit, Matth. XXVIII, 19. 20. & b) *πλήρωμα καιρῶν τῶν ἐθνῶν*, impletionem temporum gentium cum extremo die connectit, Luc. XXI, 24. E. & induratio quorundam Iudæorum, & quorundam conuerſio eo vsque conſiſtet.

IX. Quemcunque populum *Deus præſciuit crediturum in Chriſtum, illum non repulit, ſed conuertit & elegit*, Rom. XI, 2. At *aliquos* præſciuit *credituros* in Chriſtum: Ergo. *Minor* liquet: quia electio fit *κατὰ πρόγνωσιν* fidei, 1 Petr. I, 2. 2 Theſſ. I, 13. Sed fides non eſt omnium, 1 Theſſ. III, 2. & *electio eſt paucorum*, Matth. XX, 16.

X. Quicunque Iudæi *non permanent in incredulitate, illi recipiuntur in regnum gratiæ*, Rom. XI, 23. At *pauci* Iudæi ſunt, qui non permanent in incredulitate. E. *Minor* claret: quia *non omnes credunt euangelio*, Rom. X, 16. *nec omnes, qui ſunt ex Iſraël, ſunt Iſraël*, Rom. IX, 36.

XI. *Iudæi conuertendi* deſcribuntur vt *λείμματα, reliquiæ*, Rom. XI, 5. vt *λοιποὶ, reliqui*, v. 7. vt *τινὲς ἐξ αὐτῶν, nonnulli ex illis*, v. 14. Hebraice dicuntur יתר, פליט, שאר, שארית, שריד, Eſ. X, 20. c. XI, 11. Mich. II, 12. c. V, 2. 3. Emphatice delineantur vt *decima ex frugibus delecta*, Eſ. VI, 13. Erunt vt *grana tritici, a paleis ſegregata*, Amos IX, 9. Quinimo velut *auricula ouis alicuius diſcerptæ, quæ ex ore leonis eripiuntur*, c. III, 12. Ergo iudæorum conuerſio *non* eſt *vniuerſalis, non notabilis*, & inſignis, ſed *particularis*.

XII. Scriptura Sacra delineat nobis *tempora vltima, vt horrenda, vt hypocritarum & hæreticorum plena*, 2 Tim. III, 1. Matth. XXIV, 24. Luc. XVIII, 8. Ergo vltimis mundi temporibus ne illuſtris quidem, aut notabilis Iudæorum conuerſio ſperanda eſt.

XIII. Quemadmodum *πλήρωμα τῶν ἐθνῶν, plenitudo gentium* eccleſiam Chriſti ingreditur *non ſimul & ſemel*, ſed ſucceſſiue, ſparſim & pedetentim: Ita & *πᾶς Ισραὴλ, omnis Iſraël*, ſiue vniuerſus electorum Iudæorum cœtus *non ſimul & ſemel*, ſed ſparſim & ſucceſſive eccleſiæ Chriſtianæ aggregatur. Dicit enim Apoſtolus Paullus, Rom. XI, 25. 26. *Obduratio ex parte Iſraëli contigit, donec plenitudo gentium ingrediatur; & ſic totus Iſraël ſaluabitur.*

XIV. Quæcunque conuerſio & iuſtificatio fit per meritum Chriſti, vera fide apprehenſum, illa eſt *omnium temporum, nec ad finem ſæculi reſtringenda:* Atqui conuerſio Iudæorum &c. Ergo. *Minor* probatur ex Rom. XI, 26. vbi Apoſtolus inquit: *Totus Iſraël ſaluabitur, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion liberator, & auertet impietatem a Iacobo.* Verba hæc ſumta ſunt ex Eſ. LIX, 20. vbi propheta loquitur de *aduentu Chriſti in carnem*, ſiquidem *ex Sion*, id eſt, ex afflicta Iudæorum eccleſia *venire dicitur, ad redimendum Iacobum*, id eſt, Iſraëlitas, *a peccato.* Sicut igitur redemtio Chriſti *omnibus temporibus* eſt valida: Ita & Iſraëlitis nullo non tempore aditus ad hunc liberatorem patet.

XV. Quidquid pugnat cum natura teſtamenti & fœderis diuini, illud, ſalua iuſtitia Dei, aſſeri nequit: At populum Dei per tot temporum interualla deſeri, & ſub finem mundi demum conuerti, pugnat cum fœdere diuino. Nam *hoc eſt teſtamentum Dei, quod peccata ipſorum auferre velit*, Rom. XI, 27. Ier. XXXI, 31. Venit autem ablatio peccatorum per fidem Ieſu Chriſti *in omnes, qui credunt*, Rom. III, 22. Iam quomodo fœdus diuinum conſtabit cum toto populo Dei, quod *tam ſero*, ſcilicet *ſub finem mundi*, toti populo ſalutare erit?

XVI. Quamcunque conuerſionem Paullus ad Rom. XI, 25. adducit, ad ſupprimendam gentilium ſuperbiam, illam *non de tempore extremum diem proxime anteceſſuro*, ſed de *præſenti imprimis, & ſubſequente* temporum interuallo intellexit: At conuerſionem Iudæorum &c. Ergo. *Maiorem* DANNHAVERVS ſolide confirmat: Non ſequitur: Vos Romani debetis ponere criſtas, & Iudæos non opprimere: quia poſt ſeptendecim ſæculorum decurſum illi



Digitized by Google

adhuc magno numero conuertentur. Regeſturi fuiſſent: illis hæc dicantur Romanis, qui tunc victuri ſunt: quid ad nos nouiſſimi hominum? quos vt non nouimus, ita nec contemnere poſſumus. Apocal. Myſter. Apoſtol. pag. 97.

XVII. Hypotheſis aduerſariorum, ſtatuentium, Iudæorum conuerſionem *circa finem mundi demum* futuram eſſe, obſcurat & euertit doctrinam de vniuerſali Dei gratia. Nam cor Dei paternum in omnes vniuerſaliter & ex æquo miſericors denudatur, Rom. XI, 32. *Concluſit Deus omnes ſub incredulitatem, vt omnium miſereatur.* At quomodo catholice, quomodo ex æquo, ſi gratiæ diuinæ imber ſerotinus tantum, & in veſpera mundi largus, in priore ſæculorum orbe rores parce deſtillat in paucos aliquot, aliis abſoluto decreto excluſis?

ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiiciunt diſſidentes: I. ex Zachar. XIV, 6. 7. *Erit vero in die illo: non erit lux; ſed ſplendores & condenſatio. Eritque dies vnus, qui notus erit Iehouæ, non dies, nec nox; quia circa tempus etiam veſperæ erit lux. Si circa tempus veſperæ lux erit, in Iudæa*, (de qua Propheta Zacharias loquitur) haud dubie Iudæi ſub finem mundi illuminabuntur & conuertentur: Antecedens eſt verum: E. & conſequens. Reſp. 1) D. SEBASTIANVS SCHMIDIVS in *latinis bibliis*, quæ edidit, ſummam capitis XIV. Zachar. eiusque partes oſtenſurus, ſcribit: *Habet hoc caput inſignem rerum ſub nouo teſtamento mutationem.* Partes eius quatuor. *I. Eſt Hieroſolymæ per gentes deuaſtatio. a. v. 1. II. Euangelii poſt aſcenſionem Chriſti in Iudæa prædicatio, a. v. 12. etiam gentilium per prædicationem conuerſio, a. v. 9. III. Pœna hoſtium Hieroſolymæ, ſeu eccleſiæ, a. v. 12. IV. Hieroſolymæ & eccleſiæ gentium ſtatus, a. v. 16.* Ex his pateſcit, *non* eſſe ſermonem Prophetæ de *temporibus ſimpliciter vltimis*, finem mundi proxime antegreſſuris, ſed de tempore aſcenſionem Chriſti inſequente, (v. 4.) & gentilium per prædicationem euangelii conuerſionem antecedente (v. 9.). Senſus itaque verborum Prophetæ eſt: Chriſto in cœlum euecto, in Iudæa (vbi exigua lux fidei erit), prædicabitur ab Apoſtolis euangelium, vt etiam circa veſperam, i. e. tempore N. T. Iudæis vberior ſalutiferæ cognitionis lux affulgeat. *Veſpera*, phyſice loquendo, eſt hora vltima diei, vel huius terminus. Proinde ἀλληγορικῶς loquendo, tempus N. T. eſt veſpera. Apoſtolus quippe Ioannes aiebat: *Cognoſcimus, quod extrema hora ſit* (etiam nunc cœperit), 1 ep. II, 18. & Paulus, 1 Cor. X, 11. *In nos fines ſæculorum occurrerunt.* 2) D. CALOVIVS in *bibl. illuſtr. fol.* 1031. hunc locum propheticum aliquanto generalius explicat, dicens: *Alii in genere vices eccleſiæ hic deſignari cenſent, nullum vero in ſpecie tempus reſpici: quales viciſſitudines trinæ potiores in hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti reperiuntur. Prima, cum tenebræ fuere ſub decem perſecutionibus tyrannorum, ſub veſperam autem calamitatum illarum tempore Conſtantini M. lux orta eſt. Altera, cum tenebræ viciſſim ingruerunt a factione Arianorum, & aliorum hæreticorum, quæ tamen diſcuſſæ, exorta luce in eccleſia, vsque dum tertio ſub Anti-Chriſto tenebræ factæ ſint denuo: vbi tamen dies fuit, quæ neque dies, neque nox: quia aliquid lucis habuit, ob relictam aliquam partem catecheſeos, & ſolide emicantem per teſtium veritatis confeſſionem lucem euangelicam: donec ſub mundi veſperam lux plenior effulſerit tempore reformationis euangelicæ.*

II. Ex Hoſ. III, 4. 5. *Dies multos ſedebunt filii Iſraëlis; non Rex, & non Princeps, & non ſacrificium, & non ſtatua, & non ephodum, & non theraphim. Dein reuertentur filii Iſraëlis, & quærent Iehouam Deum ſuum, & cum timore venient ad Iehouam, & ad bonum eius in extremitate dierum.* Naſcitur e verbis Hoſeæ argumentum: Quicunque *in extremitate dierum reuertentur ad Iehouam*, illorum *vniuerſalis conuerſio ſub finem mundi* ſperanda eſt: Atqui Iſraelitæ &c. Ergo. *Maior* eſt euidens: quia *extremitas dierum* eſt tempus mundi

mundi

mundi finem proxime antecedens. Reſp. negando *mai.* Nam 1) *non* loquitur Propheta de *omnibus* Iſraëlitis, ſed tantum de *decem tribubus Iſraëlis*, qui tempore Ieroboami ſe a Iudæis ſegregauerant, & longo temporum tractu in ſtatu afflictiſſimo absque rege, & cultu diuinitus inſtituto vixerant. Horum reditus ad Iehouam non eſt vniuerſalis totius populi Iſraëlitici conuerſio. 2) *Extremitas dierum* phraſi in ſcripturis vſitata deſignat aut *tempus* ipſum *aduentus Meſſiæ*, aut *vniuerſum tempus poſt exhibitum Chriſtum*, vsque ad conſummationem ſæculi. Conf. Eſ. II, 2. Ioel. II, 28. Mich. IV, 1. Act. II, 17. Hebr. I, 2. Vide, ſis, B. CALOVII *biblia illuſtrata part. II.* V. T. fol. 720. idem part. II. N. T. fol. 1107. Quidquid igitur Hoſeas futurum dicit באחרית הימים, *in extremitate dierum*, illud *aut* ſub ipſum Chriſti in carnem aduentum, *aut* toto noui teſtamenti tempore euenturum eſſe, ſignificauit. Quam ob rem ex prophetia Hoſeæ recte colligitur Iſraëlitarum *conuerſio particularis & ſucceſſiua*, non autem vniuerſalis & ſimultanea. Præcipua autem ſucceſſiuæ Iſraëlitarum conuerſionis gloria æuo apoſtolico relinquenda eſt; quamuis non diffiteamur, poſt obitum Apoſtolorum Iſraëlitas haud paucos ad Chriſtum ſparſim & ſucceſſiue conuerſos eſſe.

III. Ex Rom. XI, 26. Καὶ οὕτω πᾶς Ισραὴλ σωθήσεται, *& ſic omnis Iſraël ſaluabitur*, ſcil. *donec plenitudo gentium introiuerit*, verſ. 25. E quibus verbis Apoſtoli formari poteſt argumentum: Qui dicit, *omnes Iſraëlitas poſt impletam gentium conuerſionem ſaluatum iri*, is hoc ipſo aſſerit, omnes Iudæos *ſub finem mundi* ad Chriſtum conuerſum iri: Atqui Paullus &c. Ergo. Reſp. Neg. *min.* Nam 1) ſi, ex mente multorum interpretum, *omnem Iſraëlem* accipias de cœtu Iſraëlis *ſpirituali*, ex Iudæis & gentilibus collecto, iuxta phraſin Paullinam, Rom. II, 28. c. IX, 6. Gal. VI, 16. & συνάφειαν huius capitis, quod de vtriusque populi in ſaluando contentione agit, v. 11. 12. 13. 14. 21. 23. diſſidentes e loco citato vniuerſalem Iudæorum conuerſionem nunquam probabunt. Sin autem intelligas Iſraëlem *ſecundum carnem* (quia id tum illius vocis vſus in antecedentibus, tum oppoſitio πληρώματος gentium poſtulare videtur): non tamen omnis Iſraël ſecundum carnem in *ſenſu reduplicatiuo*, quatenus carnali generatione gaudet, ſed *ſpecificatiuo*, qui ſimul vere eſt Iſraël per fidem, ſiue qui a Spiritu S. renatus, & electus eſt, intelligendus eſt. Quare propoſitio Paullina eſt *vniuerſalis*, non abſolute, ſed *limitate.* Limitatio habetur in hoc ipſo capite XI. Rom. v. 2. *Non reprobauit Deus populum ſuum, quem præſciuit*, it. v. 5. *Si ergo etiam in præſenti tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ ſunt;* nec non v. 23. *Illi vero etiam* (Iſraëlitæ) *ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur.* Quare *limitatione* adiecta, hic emergit ſenſus: *Omnis Iſraël, quem Deus præſciuit crediturum eſſe in Chriſtum, ſaluabitur:* vel, *omnis Iſraël, ad vitam æternam electus, ſaluabitur;* vel, *omnes Iſraëlitæ qui non permanent in incredulitate, ſaluabuntur.* At exinde concludere non licet: *vniuerſa Iſraëlitarum natio*, vel *maxima pars Iudæorum*, conuertetur; cum conſtet, nec fidem omnium, nec electionem multorum eſſe. 2) Particula ἄχρις οὗ, *donec*, ſiue *vsque*, non ſemper deſitionem aut finem alicuius rei, ſed frequenter in propoſitionibus affirmatiuis continuationem, vt æquipolleat τῷ *ſemper*, denotat. Confer. Pſ. CX, 1. Pſ. CXXIII, 2. Matth. XXVIII, 20. 1 Cor. XV, 25. 1 Tim. IV, 13. Quocirca mens Apoſtoli eſt: Quamdiu continuabitur conuerſio gentilium, & horum introitus in eccleſiam: tamdiu ſucceſſiue conuertentur Iudæi. At gentilium conuerſio continuabitur toto noui teſtamenti tempore: Ergo & Iudæorum.

Dicis: Nullum erit myſterium, ſi quidam Iſraëlitæ, qui euangelio credunt, ſaluentur, cum tamen Apoſtolus diſerte *myſterium* appellet, Rom. XI, 25. *Succeſſiua & particularis* Iudæorum conuerſio, cum ſit res notiſſima, nomine *myſterii* inſigniri non meretur. Reſp. *Myſterium*, ſcriptura indice, eſt dogma reconditum & adeo ſublime, vt captum rationis

tionis tranſcendat, nec, niſi ex reuelatione diuina, intelligatur. Iam vero captum rationis noſtræ tranſcendit, quod Iudæis, qui Chriſtum ſalutis auctorem occiderunt, & media ſalutis deſpicatui habuerunt, fores gratiæ diuinæ vsque ad conſummationem ſæculi pateant. Id quod perſpectum non haberemus, niſi Deus nobis id reuelaſſet. Manet ergo *myſterium*, licet nobis *ex reuelatione innotuerit*.

Quæſt. XVII. *An Anti-Chriſtus magnus, aduentu quodam Chriſti maieſtatico, ſic debellabitur, vt euertatur prius, quam regnum Chriſti millenarium conſtituatur?*

*De euerſione Anti-Chriſti.*

*Antitheſis* eſt *Chiliaſtarum*, ſtatuentium, Anti-Chriſtum maieſtatico quodam Chriſti aduentu deletum iri prius, quam millenarium Chriſti regnum conſtituatur, vt eccleſia, intra beatum illud millennium, iucundiſſima tranquillitate perfruatur. Aſſerit hoc ipſum CHRISTIAN HOBVRG. in *apol. Prætoriana*, *p*. 287. Der Groß-Fürſt Michael wird ſich aufmachen und ſein Volk erretten, den Anti-Chriſt ſtürzen, den Satan binden, ſein Reich in der Welt eine kurze Zeit ihm bekannt herrlich machen. Da ſoll alsdenn nach Verſtörung der vierten Monarchie die fünfte durch des Herrn Chriſti Ankunft angerichtet werden, da alle Könige, Fürſten und Gewaltigen ihre Herrſchaft und Aemter niederlegen, und keine ſich mehr Herren nennen laſſen ſollen. Et QVIRINVS KVHLMANNVS, in libro, quem inſcripſit: Neubegeiſterter Böhm, cap. XIV. Die allerletzte Zeit wird bald anbrechen, und eröffnen alle Verborgenheiten, weil die Wiederbringung aller Dinge herzu nahet. Alle Welt-Reiche werden fallen, ſo bald es in Mitternacht taget. Das Pabſtthum, Türkenthum, nebſt allen Secten und Religionen erlangen alsdenn ihre gewiſſe Endſchaft. Darnach ſoll wieder erſcheinen mit Noah, Moſes und Elias, und wird Elias Feuer-Zeichen in der Welt zum Zeichen geben. Die Zerbrechung der groſſen Stadt Babel, der verwirrten Chriſtenheit, ſtehet vor der Thür, alle Secten ſollen bald entſectet werden. Es wird in kurzem der Anti-Chriſt ſamt dem Thiere, der Huren und falſchen Propheten von einem Jünglinge entdecket und erſtecket werden. Ein groſſer König und Beherrſcher des Erdreichs wird ein wenig über den Mittag des ſechſten Tages gebohren, groſſe Helden ſind um ihn, Propheten weiſſagen von ihm, und ſein Glanz gehet auf, vom Aufgang bis zum Niedergang. Der Türken, Jüden und Heyden Bekehrung iſt ſtracks zu erwarten. Ein Hirte wird die Völker in eine Heerde verſammlen. Das Geheimniß der Jeſus-Monarchie oder Reiches Gottes wird werden vollendet um ſieben und zehen Uhr, und wird ſeyn hernach eine Hütte Gottes bey den Menſchen.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Obſ. I. Vox, *Anti-Chriſtus*, in ſacro codice bifariam accipitur: a) *Generatim*, pro quibusuis hæreticis, qui falſas, & doctrinæ Chriſti aduerſantes doctrinas diſſeminant, easque pertinaciter propugnant. De quibus S. Ioannes: *Etiam nunc*, inquit, *Anti-Chriſti multi ſunt*. 1 ep. c. II, 18. qui vulgo dicuntur *Anti-Chriſti parui*: b) *Speciatim* & κατ' ἐξοχὴν pro inſigni illo *Chriſti aduerſario*, 2 Theſſ. 3. ſqq. deſcripto, quem differentiæ cauſſa, *Anti-Chriſtum magnum* vocamus.

Obſ. II. Diſtinguendum eſt inter *Anti-Chriſtum orientalem*, ſiue Mahometum, qui, *ſedens extra templum Dei*, hoc plane vult conuulſum: & inter *Anti-Chriſtum occidentalem*, ſiue Pontificem Romanum, qui *ſedet in templo Dei*, 2 Theſſal. II, 4. h. e. in media eccleſia dominatur, quam non vult penitus deſtructam, vt Mahometus, ſed a ſe poteſtate monarchica gubernatam. In præſenti agimus de ruina *Anti-Chriſti occidentalis*, *ſedentis in templo Dei*.

Obſ. III.

Digitized by Google

Obſ. III. *Non* eſt nobis ſermo de ruina, vel *lapſu* Anti-Chriſti *partiali*, ſed de *totali.* Cecidit quidem multis locis auctoritas & poteſtas Anti-Chriſti; aliquod tamen dominium, quod in eccleſiam Chriſti ſibi arrogauit & ſumſit, retinebit vsque ad diem extremi iudicii, quamuis illud fractum & imminutum ſit.

## ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

Aſſertionem noſtram probamus I. ex dicto claſſico 2 Theſſ. II, 8. *Tunc reuelabitur* (ἀποκαλυφθήσεται) *iniquus, quem Dominus conſumet* (ἀναλώσει) *ſpiritu oris ſui, & abolebit* (καταργήσει) *apparitione aduentus ſui* (τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρȣσίας αὐτȣ̃). Quibus verbis Apoſtolus de tribus Anti-Chriſto obtingentibus caſibus loquitur. a) Deſcribit Anti-Chriſti ἀποκάλυψιν, ſiue *reuelationem*, quæ contigit multis retro lapſis ſæculis per teſtes veritatis, in primis per LVTHERVM, & eius paraſtatas, qui inualeſcentem Romani Epiſcopi dominatum obſeruarunt, eiusque machinamenta callida detexerunt. b) Ἀνάλωσιν, *conſumtionem* gradatim factam, per verbum Dei, & miniſterium Lutheri, aliorumque fidelium doctorum, qui auctoritatem Pontificis Romani attriuerunt, vel imminuerunt, non vno momento, ſed paullatim & ſucceſſiue, ſicut Anti-Chriſtus non vno momento, ſed paullatim ad tantam dignitatem euectus eſt. c) Κατάργησιν, *abolitionem:* Κατάργησις, h. l. ἀναλώσει oppoſita, deſignat *totale* Anti-Chriſti excidium. Abolebit Chriſtus magnum ſuum aduerſarium τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρȣσίας αὐτȣ̃, apparitione aduentus ſui, durch die Erſcheinung ſeiner Zukunſt. Vox, ἐπιφάνεια, quoties de Chriſto adhibetur, toties vel priorem, vel poſteriorem eius aduentum ſolemnem atque viſibilem denotat. Confer. 1 Timoth. VI, 14. 2 Tim. IV, 1. Παρȣσία autem, cum de *aduentu Chriſti* vſurpatur, non, niſi *glorioſum*, denotat, dicente DANNHAVERO, *hodoſ. p.* 804. Notamus inſuper, Apoſtolum Paullum in vtraque epiſtola ad Theſſalonicenſes ſcripta, agere de *aduentu Chriſti ad iudicium.* Conf. 1 Theſſal. I, 10. cap. II, 19. cap. III, 13 cap. IV, 4. cap. V, 1. 2 Theſſ. I, 7. c. II, 1. 2. 8. E quibus naſcitur hoc argumentum. Quem Chriſtus ſolemni, *viſibili & glorioſo aduentu ſuo ad iudicium* deſtruet illius deſtructio *integrum millennium non antecedet* aduentum Chriſti: Atqui Anti-Chriſtum magnum Chriſtus &c. Ergo.

II. Quo tempore diabolus coniicietur in ſtagnum ignis & ſulphuris, eodem Anti-Chriſtus, & adiutores eius in ignem infernalem præcipites ruent: Atqui diabolus coniicitur in ſtagnum ignis & ſulphuris in die extremi iudicii: Ergo. *Maior* probatur, quia, vt in ſeductione, ita & in pœna coniunguntur diabolus, beſtia & pſeudo-propheta, Apoc. XX, 10. Καὶ ὁ διάβολος, ὁ πλανῶν αὐτȣ̀ς, ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τȣ̃ πυρὸς καὶ θείȣ, ὅπȣ τὸ θηρίον καὶ ὁ ψευδοπροφήτης, καὶ βασανισθήσονται ἡμέρας καὶ νυκτὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Diabolus autem, qui ſeducebat eos, coniectus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi beſtia & propheta, & cruciabuntur dies & noctes in ſæcula ſæculorum.* Notamus in præſenti, verbis Apoſtoli, dicentis: ὅπȣ τὸ θηρίον καὶ ὁ ψευδοπροφήτης, *vbi* (*quo*) *beſtia & propheta*, nullum adiectum eſſe verbum, adeoque e præcedenti commate repetendum ἐβλήθη, *quo beſtia & propheta coniectus eſt.* Nam & τὸ ὅπȣ interdum *motum ad locum* ſignificat. Quod ſi autem intelligendum ſit verbum ſubſtantiuum, commode adiici poteſt, εἰσὶ, *ſunt*, vt ſenſus ſit: *vbi beſtia & propheta ſimul ſunt*, & vna æternos cruciatus ſubeunt. Plurimi duas huius textus propoſitiones in vnam contraxerunt, hoc modo: *vbi & beſtia & pſeudo-propheta cruciabuntur.* Sic Vulgatus, Belga, VATABLVS, ERASMVS, PAGNINVS, MARLORATVS, ERASMVS SCHMIDIVS.

Dicis:

Digitized by Google

Dicis: Subintelligi poteſt verbum: ἦσαν, *erant*. Nam ſic vertit LVTHERVS: Da das Thier und der falſche Prophet war. Nititur hæc expoſitio certo fundamento; quia c. XIX. Apocal. agitur de excidio Anti-Chriſti, capite autem XX. de regno millenario. Ergo ruina Anti-Chriſti regnum millenarium antecedit. Reſp. Melius ſubintelligitur εἰσί *ſunt*, quam ἦσαν, *erant*, quia diabolus & beſtia in pœna coniunguntur. Commodiſſime autem verbum ἐβλήθη repetitur. Quam ob rem verba Apoſtoli non neceſſario inferunt præcedaneam Anti Chriſti coniectionem in infernum, ſed notant ſimultaneam condemnationem publicam, vt eodem tempore, quo diabolus a Chriſto iudice in infernum præcipitatus eſt, etiam Anti Chriſtus in illud barathrum coniectus ſit. Iniecta quidem eſt etiam capite XIX. mentio præcipitationis beſtiæ, ſiue Anti Chriſti in infernum, ſed illa hoc capite repetitur, & cum pœna diaboli coniungitur, vt indicetur, diabolum & Anti-Chriſtum vno eodemque tempore a Chriſto iudice in nouiſſimo die publice condemnatum iri.

*III.* Quamdiu exſiſtent zizania in agro eccleſiæ, tam diu durabit Anti-Chriſtus. At zizania exſiſtent in agro eccleſiæ vsque ad meſſem, ſiue ad conſummationem ſæculi. Ergo. *Maior* conſtat: quia Anti-Chriſtus eſt zizaniorum pernicioſiſſimum, eſt υἱὸς τȣ̃ πονηρȣ̃, filius illius mali. *Minor* liquet ex Matth. XXIII, 30. 39.

IV. Conſentiunt nobiſcum Theologi γνησίως orthodoxi. D. LVTHERVS ait, in *Pſ. CX. tom. Ien.* Allein der jüngſte Tag ſoll das Pabſtthum zerſtören. D. GERHARDVS, in *Anti-Chiliaſmo pag.* 304. *Anti Chriſti ἀνάλωσις & κατάργησις temporis & organi ratione diſtinguuntur: Illam enim futuram prædicit Apoſtolus ſpiritu oris Chriſti ante diem nouiſſimum, hanc vero claritate glorioſi aduentus Chriſti in die iudicii.* D. CALOVIVS, in *bibliis illuſtr. in Apocal. fol.* 1911. *Nullum hactenus ſæculum ſine hæreſi fuit, nec futurum eſt, quum Anti-Chriſtus hæreticorum peſſimus vsque ad finem mundi duraturus ſit.* D. CLVVERVS, *Commentar. in Apocal. p.* 314. *Quod Anti-Chriſtus & pſeudo propheta eius viui apprehenduntur, & ad ſupplicium rapiuntur, luculentum ſatis indicium eſt, non perituram tyrannidem Pontificis omnino, donec ipſe dominus eam deſtruat glorioſa illuſtratione aduentus ſui, ſicut Paullus loquitur,* 2 Theſſ. II, 8. & *Ioannes conſentit; quia apparitio & illuſtratio aduentus Domini ſemper accipitur de eius aduentu poſtremo.* D. KROMAYERVS, *Comment. in Apocal. p.* 433. *Regna defecerunt ab obedientia ſedis Romanæ, pluraque deficient, donec Filius Dei aduentu ſuo vltimo τὸν ἄνομον prorſus aboleat.* D. DANNHAVERVS, in *Anti-Chriſtoſophia pag.* 253. *Durationis terminus Anti-Chriſti attingit nouiſſimum iudicium.*

Dicis: D. DANNHAVERVS ſcribit, in *Anti-Chriſtoſoph p.* 421. *Nihil mirum, aut ſingulare, ſi Romana ſynagoga in nouiſſimo die peſſum eat, quo totus mundus in nihilum redibit.* Reſp. Loquitur ibidem Theologus conſummatiſſimus præciſe de *vrbe Roma*, eiusque interitu, *non* de excidio *totius regni Anti-Chriſtiani.*

## ΔΙΑΛΥΣΙΣ.

Obiiciunt *οἱ ἐξ ἐναντίας*: I. Apoſtolus Ioannes præcipitationem Anti-Chriſti in ſtagnum ignis vidit prius, Apoc. XIX. quam beatum millennium, quo Satanas ligatus fuit, Apoc. XX. E. Anti-Chriſtus peſſum ibit prius, quam regnum millenarium conſtituatur. Reſp. Diſt. *inter ordinem viſionum, & euentum.* Solemne eſt prophetis, vt non ſemper poſteriori tempore eueniat, quod poſteriori loco enarrant. Eſaias c. VII, 14. cap. IX, 6. de Chriſti natalibus agit, & c. XLV, 1. demum de Cyro, qui longo temporum interuallo natales Chriſti anteceſſit.

II. Dudum

Digitized by Google

II. Dudum ante exortum beatum millennium angelus e cœlo virtute & voce magna clamauit: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitaculum dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis auis immundæ, & exoſæ*, Apoc. XVIII, 2. E. ruina Anti-Chriſti beatum millennium antecedit. Reſp. 1) Per Babylonem magnam denotatur Roma ob ſimilem tyrannidem, & ſimilem exitum. Nonnulli interpretes corporalem interitum vrbis Romæ indigitatum volunt. HVGO GROTIVS ait: *Ille angelus conſequentia, incendium Romæ* (de quo Apoc. XVII, 16.) *nuntiat, cum quadam ante dictorum explicatione. Sicut Babylonis veteris deuaſtatio non ſemel, ſed ſæpius prædicitur apud Eſaiam & Ieremiam.* 2) Alii intellectum volunt ſpiritualem Babylonis, ſiue *regni Anti-Chriſtiani ruinam, eamque non totalem, ſed partialem*, quam præcedere aduentum Chriſti vltimum ad ſolemne iudicium, nullum eſt dubium. Auſcultemus CALOVIVM noſtrum in h. l. ita commentantem: *Cecidit Babylon, quoad manifeſtationem ruinæ publicam, & occaſum auctoritatis apud Fridericum II. Imperatorem, qui Anti Chriſtos multos Romanenſibus ineſſe declarauit. Cecidit penes Philippum regem Galliarum, qui ad Bonifacium VIII. hunc in modum ſcripſit: Philippus, Dei gratia, Galliarum rex, Bonifacio, gerenti ſe pro ſummo pontifice ſalutem modicam, ſiue nullam! Sicut tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, eccleſiarum & praebendarum collationem ad nos iure regio pertinere &c. ſecus autem credentes fatuos & inſipientes reputamus. Cecidit apud Ludouicum IV. Imperatorem, qui Pontificem Romanum pro Anti-Chriſto publice declarauit. Cecidit apud eccleſias orientales, quæ Pontifici Romano obedientientiam exigenti ſic reſponderunt: Potentiam tuam ſummam erga ſubditos tuos firmiter credimus, ſuperbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus, auaritiam tuam ſummam ſatiare non valemus, diabolus tecum, quia Dominus nobiſcum. Quid? quod hodieque eccleſia græca, dominica quadrageſima, Pontificem Romanum ceu hæreticum quotannis publice excommunicet. Cecidit ſpiritualibus armis* B. MARTINI LVTHERI, *fortiſſimi athletæ Chriſti, oppugnata, quaſſata, & imminuta, vt plurimæ eccleſiæ Pontificis Romani doctrinam Anti-Chriſtianam deteſtentur.*

III. Sancto Dei populo traditur regnum poſt condemnatum Anti-Chriſtum, Dan. VII, 26. E. regnum Chriſti millennarium ruinam Pontificis Romani antecedit. Reſp. L. c. non agitur 1) de *regno millennario*, ſed de regno *gloriæ*. Dicitur enim *æternum*, Dan. VII, 27. quale non eſt regnum Chiliaſticum. 2) Non de *Anti-Chriſto occidentali*, ſed de *orientali*, quem poſt beatum millennium ſuperſtitem eſſe docet S. Ioannes, Apoc. XX, 8.

# DE CONSVMMATIONE MVNDI.

Quæſt. XVIII. *Quid eſt conſummatio mundi?*

*Conſummatio mundi* eſt actio Dei trinunius, qua is totam machinam cœli terræque, & omnes res conditas, creaturis intelligentibus exceptis, igne deſtruet & annihilabit, in veritatis, potentiæ & iuſtitiæ ſuæ gloriam, & electorum hominum liberationem. *Definitio conſummationis mundi.*

Obſ. I. Per *mundum* hic denotatur compages cœli & terræ, rerumque omnium creatarum, ſolis creaturis intellectu præditis, nempe angelis & hominibus, exceptis.

Obſ. II. *Conſummatio mundi* alias vocatur *conſummatio ſæculi*, Matth. XXVIII, 20. *Ecce! ego vobiſcum ſum vsque ad conſummationem ſæculi*, vbi αἰών, *ſæculum*, per metonymiam



Digitized by Google

miam adiuncti pro ſubiecto notat mundum *). Deſtructo quippe mundo tempus vna finietur. Dicitur etiam *conflagratio mundi*, ex 2 Petr. III, 10. *finis omnium*, 1 Petr. IV, 7.

Quæſt. XIX. *Num conflagratio mundi iudicium œcumenicum antecedit?*

Conflagratio mundi extremum iudicium vniuerſale *non antecedit*, ſed *ſequitur*.

Prob. 1) Quia iudex cœleſtis *veniet in nubibus*, Matth. XXIV, 30.

2) Quia, poſt pronuntiatam ſententiam, *pii rapientur in nubes*, in occurſum Domini *in aëre*, 1 Theſſ. IV, 17.

Quæſt. XX. *An certo futura eſt conſummatio huius mundi?*

*Certitudo.* Conſummatio huius vniuerſi *certo futura* eſt.

Prob. 1) Ex V. T. & quidem ex Eſ. LI, 6. *Tollite in cælum oculos veſtros, & ſpectate ad terram deſubter, nam cælum ſicut fumus euaneſcet, & terra ſicut veſtis inueteraſcet.* Vid. etiam Pſ. CII, 26. 27.

2) Ex N. T. *Cælum & terra* παρελεύσονται, *tranſibunt*, Matth. XXIV, 35. Vt verbum Dei qua effectum ſuum perennabit; ita cœlum & terra tranſibunt, & omnem ſuam efficaciam perdent.

*Antitheſis* eſt *nonnullorum Philoſophorum, Iudæorum & Empæctarum*, ſtatuentium, mundum eſſe æternum. Qui obiiciunt:

I. Quidquid eſt Dei domicilium, & ſcabellum pedum eius, illud nunquam interibit (alias Deus non haberet domicilium): Atqui cœlum & terra eſt &c: Ergo. *Minor* conſtat ex Eſ. LXIV, 15. Reſp. *Cælum & terra* dicuntur quidem Dei *domicilium & ſcabellum* pedum eius, poſtquam ſunt condita, ideo, quod in iisdem ſuam præſentiam manifeſtat; ceteroqui Deus, Spiritus independens & infinitus, *nec* domicilio *indiget*, *nec* ſcabello *indiget*, cum habitet ſuauiſſime in ſeipſo.

II. Promiſit Deus, *ſementem & meſſem, æſtatem ac frigus nunquam peritura eſſe*, Gen. VIII, 22. Si nunquam ceſſabunt ſemen & meſſis, frigus & æſtas, mundus nunquam periturus eſt. Reſp. Non ceſſabunt viciſſitudines ſementis & meſſis, frigoris & æſtatis, *quamdiu ſtabit terra;* at hac deſtructa, mobiles illæ rerum vices ceſſabunt.

III. Si colles durabunt לְעוֹלָם *in æternum*, & mundus in æternum durabit: Atqui colles durabunt in æternum, teſte Moſe, Deut. XXXIII. 15. E. Reſp. Diſt. inter עוֹלָם *periodicum*, & *abſolutum*. Interdum עוֹלָם notat *tempus longum*, non æternitatem finis expertem.

IV. Mundus tot ſæculorum decurſu ſtetit inuariabilis: E. nunquam interibit. Reſp. Sicut mundus ex voluntate Creatoris tot ſæculorum decurſu ſtetit inuariatus; ita & ex voluntate Creatoris interibit.

Quæſt. XXI. *Quis mundum deſtruet?*

*Deſtructor.* *Deus triunus* compagem cœli terræque diſſoluet.

Prob. 1) Conſummatio mundi eſt actio ad extra, adeoque toti SS. Trinitati communis.

2) Ex Pſ. CII, 26. 27. *Deus mi, antea terram fundaſti; & opus manuum tuarum ſunt cæli. Illi peribunt; ſed tu perſtabis; & omnes ſicut veſtis veteraſcent, ſicut veſtem mutabis eos, & mutabuntur.*

Quæſt.

*) Interdum vero hæc dicendi ratio, συντέλεια τῶν αἰώνων, denotat conſummationem variarum ætatum veteris teſtamenti, vt Hebr. IX, 26.

Digitized by Google

Quæſt. XXII. *Quo medio Deus mundum deſtruet?*

Deſtruet Deus mundum *igne vero & proprio* a), ſed cuius vis & indoles nulli *Medium.* mortalium eſt perueſtigabilis b).

Prob. a. Ex 2 Petr. III, 12. *Cæli igne accenſi diſſoluentur, & elementa combuſta liqueſcent.* Qui ignis accenditur, vt elementa eodem comburantur haud tantum, ſed etiam liqueſcant, illum oportet eſſe verum ignem.

Prob. b. Proprietates & vires illius ignis, qui totam cœli terræque machinam abſumet, aciem humani ingenii fugiunt. Nam non poteſt ignis ille eſſe elementaris, qui omnia annihilabit, & ſeipſum conſumet.

Quæſt. XXIII. *In quo formaliter conſiſtit conſummatio mundi?*

Conſummatio mundi *formaliter* conſiſtit *non* in *qualitatum* huius mundi *Forma conſummationis mundi.* *mutatione*, aut alteratione, ſed in *totali ſubſtantiæ mundi abolitione*, aut *annihilatione*.

Prob. 1) Cœlum & terra ita peribunt, *vt non amplius ſint*, Apoc. XXI, 1. E. penitus annihilabuntur. Nam quidquid *tantum* ſecundum *qualitates* mutatur, adhuc ſupereſt.

2) Ex 2 Petr. III, 12. Igne combuſta *elementa liqueſcent*. Ex quo colligo: Quodcunque compoſitum ex elementis ita conſiſtit, vt ſine elementis exſiſtere nequeat, illud elementis abolitis in nihilum redigetur: Atqui mundus &c: E.

3) Ex Apoc. XX, 11. *A conſpectu eius, qui throno inſidebat, fugit cœlum & terra, & locus non eſt inuentus eis.* Cuius corporis naturalis non datur locus, illud, quoad ſubſtantiam, non adeſt: Atqui cœli & terræ pereuntis non amplius datur locus. E.

4) E Pſ. CII, 26. 27. *Cæli peribunt, tu autem perſtabis.* Quo pacto Deus permanet, eo pacto cœlum & terra non permanent: Atqui Deus permanet ſecundum ſubſtantiam: E. cœlum & terra non permanent ſecundum ſubſtantiam.

*Antitheſis* eſt quorundam *Patrum & Scholaſticorum*, ex quorum ſententia mundus mutabitur, quoad *qualitates*, vt in meliorem proueharur ſtatum, ſed eius ſubſtantia non annihilabitur. Qui obiiciunt:

I. *Mundus ſtabit in æternum*, Pſ. CIV, 5. E. non annihilabitur. Reſp. L. c. עולם notat *diuturnum* tempus.

II. *Schema mundi tranſit*, 1 Cor. VII, 31. E. non mundus ipſe. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia σχῆμα eſt tantum *externa figura*. Reſp. L. c. per σχῆμα non externa figura mundi, ſed *externus ſplendor* rerum mundanarum intelligitur, qualis in cibo, potu, veſtitu, comitatu & ædificiis conſpicitur, qui non mutabitur in melius, ſed inſtar nubeculæ penitus tranſibit.

III. Quidquid mutatur, *vt veſtimentum*, illius ſubſtantia non perit: Atqui mundus &c. Pſ. CII, 28. Ergo. Maior patet; quia veſtimentum ſic mutatur, vt latus interius fiat exterius. Reſp. Verba Dauidis hæc ſunt: *Omnes ſicut veſtis veteraſcent; ſicut veſtem mutabis eos.* Veſtimentum *veteraſcens deteritur* tandem, vt nullibi conſpiciatur.

IV. Quidquid *renouatur*, non annihilatur: Atqui mundus &c: E. *Minor* probatur ex Pſ. CIV, 30. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Reſp. Hieropſaltes loquitur de *annua renouatione*, quæ in primis contingit tempore verno, *non* de renouatione, quæ fiet *in fine ſæculi*.

Quæſt. XXIV. *Quis eſt finis conflagrationis mundi?*

*Finis primarius* conflagrationis mundi eſt gloria Dei a). *Secundarius* finis eſt *Finis eiusdem.* liberatio piorum b).

Yyy yyy y 2 Prob.

Prob. a. Annihilatio mundi teſtatur de potentia Dei, perinde, ac creatio, & conflagratio rerum conditarum eſt iuſtitiæ atque iræ diuinæ aduerſus peccata manifeſtatio. Vid. Deut. IV, 24.

Prob. b. Ex Luc. XXI, 28. *Quando hæc omnia incipiunt fieri, ſuſpicite & attollite capita veſtra; quia appropinquat liberatio veſtra. Conſummatio huius vniuerſi piis eſt conſummatio omnis temporalis calamitatis.*

### *SVSPIRIVM.*

Compareo coram tribunali tuo, o Deus iuſtiſſime, ſerio cum dolore & timore. Timeo, quod te, Deum ſanctiſſimum, peccatis meis offendi! Doleo, quod legem tuam violaui deſideriis carnis obſecutus! Quod ſi cogitata, dicta, facta mea omnia & ſingula ad calculos rigide reuocare velis, perii miſer, nec vlla mihi ſpes ſalutis relicta eſt. Sed confugio ſupplex a tribunali iuſtitiæ ad thronum gratiæ. Parce, o clementia diuina, homini crimina ſua confitenti! O miſericordia, reſpice me miſerum! O Ieſu, iudex cœleſtis, ſis mihi propitius in hora iudicii! Memento amoris in me tui ardentiſſimi! Memento ſanguinis tui pro me fuſi! Cuius intuitu abſolue me a meis peccatis, & fac, vt in die nouiſſimo audiam lætam illam ſententiam: Veni, benedicte!

# PARTIS IV. THEOLOGIÆ
## CAPVT I.
# DE ECCLESIA.

Quæſt. I. *An homines viatores æternam ſalutem adepturi in vnum coaleſcunt corpus?*

*Ratio methodi.* Homines *viatores*, ordinariis ſalutis mediis vtentes, ex gratuito Dei fauore, propter meritum Chriſti, *colliguntur* per Spiritum S. *in vnum cœtum ſacrum*, ſiue *corpus myſticum*, quod vocatur *eccleſia ſynthetica*, quam vt nunc demum conſideremus, certa exigit methodi ratio.

Prob. Lex accuratæ methodi poſtulat, 1) vt in theologia dogmatica de hominibus ſaluandis *ſingulatim* penſitatis agatur prius, quam iidem conſiderentur *collectiue*, quia collectio ſingulos præſupponit: 2) Expendimus hactenus dogmata theologica generalia, quibus tum communis hominum lapſorum corruptio, tum vniuerſalia principia & media ſalutis explicantur. Nunc deſcendimus ad dogmata ſpecialia, quibus officia peculiaria miniſtrorum eccleſiæ & auditorum, magiſtratus & ſubditorum, maritorum & vxorum, dominorum & ſeruorum exponuntur. Vnde nonnulli auctores theologiam æque, ac alias diſciplinas practicas, in *partem communem*, & *propriam* diſpeſcunt. Parte *communi* homines indifferenter omnes media conſequendæ ſalutis docentur: In parte *propria*, quæ ſacræ politiæ inſtar habet, de eccleſia & ſtatibus hierarchicis agitur. Confer. D. HILDEBRAND. in *theol. dogmat. p. 25.*

Obſ. I. *Eccleſia* eſt vox, origine græca, & deſcendit ἀπὸ τȣ̃ ἐκκαλεῖν, ab *euocando*, vt ſit quædam quaſi *euocatio*, aut cœtus euocatorum e promiſcua hominum multitudine. Quam ob rem nomen *eccleſia* tum *ſeparationem*, vi particulæ, ἐκ, ratione *termini a quo*, tum *collectionem*, vi verbi, καλεῖν, ratione *termini ad quem* notat. Natales ſuos nomen *eccleſia* debet Athenienſibus, apud quos ἡ ἐκκλησία erat cœtus ciuium, præconis voce, reipublicæ cauſſa,

cauſſa, ad audiendam ſenatus ſententiam e reliqua turba ſelectus & euocatus; hæc antiquiſſima eſt nominis *eccleſiæ* acceptio. Vnde ſacri ſcriptores eam tranſtulerunt ad cœtum hominum, qui voce præconum verbi diuini ad audiendam Dei ſententiam de conſequenda per Chriſtum ſalute ſelecti, & ex profana hominum impiorum turba euocati ſunt. Proinde *terminus* eccleſiæ *a quo* eſt tum hominum impiorum colluuies, tum ſtatus peccati & iræ; *terminus ad quem* eſt regnum Dei & ſtatus gratiæ.

Obſ. II. Vocabulum, *eccleſia*, ambiguum eſt. 1) Eccleſia *generaliter quemuis conuocatum cœtum* denotat. Vide Pſ. XXVI, 4. 5. Act. XIX, 32. 39. *Specialiter notat congregationem fidelium*, qui religionis cauſſa conuocantur, & ad differentiam cœtus profani vocari ſolet *eccleſia Dei*, Actor. XX, 28. *eccleſia Chriſti*, Matth. XVI, 18. *eccleſia ſanctorum*, 1 Cor. XIV, 33. 2) Scriptores nonnulli eccleſiaſtici & Canoniſtæ nomine eccleſiæ inſigniunt *locum ſacrorum conuentum, vel templum*, quemadmodum Germani vocem Kirche (q. d. ædes *κυριακή*) pro loco ſacrorum conuentuum accipiunt. At vero in ſacris litteris hæc ſignificatio *eccleſiæ* pro *loco congregationis* non occurrit. Vnde ISIDORVS PELVSIOTA *libr. II. epiſt.* 246. inquit: *ἄλλο ἐςὶν ἐκκλησία, καὶ ἄλλο ἐκκλησιαςήριον.* Obiicitur quidem dictum Paulli, 1 Cor. XI, 18. *Cum conuenitis in eccleſiam*, i. e. in templum. Reſp. Eccleſia l. c. non ædificium, ſed populi congregationem denotat. Nam id temporis Chriſtianis templa publica non fuerunt.

Quæſt. II. *Quare eccleſia dicitur ſynthetica?*

Eccleſia *ſynthetica* eſt eccleſia collectiue ſumta conſtans ex doctoribus & auditoribus, eiusdem fidei vinculo coniunctis a), & appellatur eccleſia *ſynthetica*, ad differentiam eccleſiæ *repræſentatiuæ*, quæ eſt cœtus doctorum, ad decidendum quæſtiones de doctrina fidei & moribus chriſtianorum ſolemniter congregatorum b). *Eccleſia ſynthetica.*

Prob. a. Eccleſia *ſynthetica* dicitur *ἀπὸ τῆς συνθέσεως*, a *collectione*, vel *compoſitione* omnium viuorum eccleſiæ membrorum, quæ faciunt vnum corpus myſticum, quod non conſtat ex meris oculis, ſiue doctoribus, ſed etiam manibus & pedibus, ſiue auditoribus.

Prob. b. Vox, *eccleſia*, in ſacro codice interdum per ſynecdochen totius pro parte ſumitur pro cœtu doctorum & legatorum eccleſiæ, qui eccleſiam ſyntheticam repræſentant, & quidquid iidem nomine publico ex poteſtate conceſſa gerunt, id a ceteris eccleſiæ membris ratum habetur, atque ab omnibus geri, vel geſtum æſtimatur. Ita ſumitur vocabulum, *eccleſia*, Matth. XIIX, 16. vbi Chriſtus inquit: *Dic eccleſiæ*, intelligens cœtum repræſentatiuum cuiusque eccleſiæ ſyntheticæ in concilio, ſynodo aut conſiſtorio. Ex quo tamen Pontificii colligere nequeunt, vnum indiuiduum v. gr. Pontificem Romanum poſſe eccleſiam repræſentare, cum nomen eccleſia ſit collectiuum, & *collectio* ſit *plurium*.

Obſ. Vox, *eccleſia*, *proprie* & exquiſite ſumta, denotat cœtum vere credentium & ſanctorum. Cum autem ſignificatio vocis, *eccleſia*, reſtringitur ad cœtum doctorum, reſtrictio illa fit per *ſynecdochen totius pro parte*; contra cum ſignificatio vocis, *eccleſia*, ita ampliatur, vt denotet cœtum vocatorum promiſcuum, conſtantem ex vere credentibus & admixtis hypocritis, illa ampliatio fit per *ſynecdochen partis pro toto*, qua toti aggregato tribuitur, quod parti potiori proprie competit, v. gr. aceruus conſtans ex granis tritici & admixta palea, populari ſermone vocatur aceruus tritici, denominatione per ſynecdochen, a parte potiori ſumta.



Digitized by Google

Quæſt. III. *Quot modis accipitur vox, eccleſia ſynthetica?*

*Varia acceptio eccleſ. ſynthet.*

Eccleſia ſynthetica *bifariam* accipitur: a) κυρίως, *ſtricte*, *proprie & præciſe*, pro cœtu hominum vere credentium & ſanctorum, Chriſto capiti per fidem coniunctorum, vnumque myſticum & viuum corpus conſtituentium: b) παχυλῶς, *late & improprie*, atque per ſynecdochen pro cœtu vocatorum ex vere credentibus ſanctisque, & admixtis hypocritis, ac malis, eandem tamen fidem profitentibus, aggregato.

Obſ. I. Alii auctores docent, vocem, *eccleſia*, bifariam ſumi: a) pro cœtu τῶν κλητῶν, *vocatorum*, eandem doctrinam fidei profitentium, & ſacramentis a Chriſto inſtitutis vtentium: b) pro cœtu τῶν ἐκλεκτῶν, *electorum*, qui vera fide in Chriſtum credunt. Pro electis *Auguſtana Confeſſio artic. VIII. vere credentes & ſanctos* ſubſtituit; quia præter electos alii, non electi ad vitam æternam, viua eccleſiæ membra ſunt, nimirum πρόσκαιροι, qui vere in Chriſtum credunt, vereque ſancti ſunt, adeoque eccleſiæ genuina in eo ſtatu membra, licet electi ad gloriam non ſint. Diſtinguunt igitur nonnulli inter *electos ad gratiam, & ad gloriam*. Per electos ad *gratiam* intelligunt renatos omnes, qui vel ad tempus tantum credunt, vel in fide vſque ad finem vitæ perſeuerant. Nos propter ambiguitatem vocis, *electio*, eccleſiam ſtricte, proprie & principaliter dictam, cum *Auguſt. Conf.* vocamus cœtum hominum vere credentium & ſanctorum, vel *cœtum renatorum*.

Obſ. II. *Cœtus renatorum* dicitur ratione *formæ internæ* (quæ fundatur in fide iuſtifica, qua Chriſto capiti membra iunguntur) *inuiſibilis*; *cœtus* autem *vocatorum* promiſcuus ratione *formæ externæ* (quæ conſiſtit in publica ſocietate profeſſionis eiusdem fidei) *viſibilis*.

Prob. a. Eccleſiam κυρίως, *ſtricte, proprie & exquiſite* dictam, eſſe cœtum *vere credentium & ſanctorum*, euincitur:

1) Quia expreſſe dicitur *eccleſia ſanctorum*, 1 Cor. XIV, 33. *genus electum*, *regium ſacerdotium*, *gens ſancta*, *populus in peculium*, 1 Petr. II, 9. In *ſymbolo apoſt.* vocatur *communio ſanctorum:* item *vna ſancta, catholica* eccleſia, quæ epitheta & honorifica encomia primo, per ſe & proprie conueniunt eccleſiæ præciſe acceptæ, pro congregatione vere credentium & ſanctorum.

2) Eccleſia eſt *virgo pura & ſponſa* Chriſti, 2 Cor. XI, 2. *Deſponſata* Chriſto *per fidem*, Hoſ. II, 20. Quare homo, expers fidei, non eſt vera pars eccleſiæ. Appellatur etiam *mater filiorum Dei*, Gal. IV, 26. Sumus autem filii Dei, per *fidem in Chriſto Ieſu*, Gal. III, 26. Ergo eccleſia eſt *mater fidelium*, non hypocritarum, non impiorum, non hæreticorum; eſt *mater viuorum*, non mortuorum.

3) Eph. IV, 16. deſcribitur eccleſia, tanquam *corpus ſpirituale*, quod totum ſecundum omnes iuncturas (quibus coagmentatum in ratione vnius corporis conſtituitur) dependet a Chriſto velut a capite, h. e. per influxum, qualis in membra a capite redundat, ab hoc vt incrementum capiant corpori conueniens, idque per *caritatem*. Vnde colligitur, eos *omnes & ſolos* eſſe vera membra eccleſiæ *proprie* dictæ, qui viuunt ex ſupernaturali gratia, & influxu Chriſti capitis, & Spiritus eius, adeoque vera fide, cum caritate coniuncta, pollent.

4) Eccleſia eſt *regnum Dei ſpirituale*, *quod intra nos eſt*, Luc. XVII, 21. eſt *regnum Chriſti*, *quod non eſt de hoc mundo*, Io. XVIII, 39. Proinde eccleſia eſt regnum a *regno diaboli* diſtinctum. Certum eſt autem, impios in poteſtate diaboli, & membra regni diaboli eſſe, ſicut docet Paullus, Eph. II, 2. cum ait: *diabolum efficacem eſſe in incredulis*. Quare cum eccleſia

Digitized by Google

eccleſia vere ſit regnum Chriſti, proprie eſt congregatio ſanctorum. Nam impii reguntur a diabolo, & ſunt captiui diaboli, non reguntur ſpiritu Chriſti. Conf. *Apol. Aug. Conf.* pag. 147.

Prob. b. *Late, improprie, minusque exquiſite* eccleſia dicitur cœtus vocatorum promiſcuus ex vere credentibus, ſanctisque, & admixtis hypocritis ac malis, eandem tamen fidem profitentibus, aggregatus, qui conſtituunt vnum Chriſti corpus, & vnam eccleſiam eum in modum, quo aceruus tritici & admixtæ paleæ dicuntur vnum aceruum tritici conſtituere, denominatione per *ſynecdochen* a potiori deſumta. Etenim hoc ſenſu *latiori* ſumta eccleſia a Ioanne Baptiſta comparatur areæ, paleas ſimul & triticum continenti, Matth. III, 12 *).

Quæſt. IV. *Quid eſt eccleſia ſtricte & proprie dicta?*

Eccleſia *ſtricte, proprie & exquiſite* dicta, eſt cœtus vere credentium & ſanctorum, quos Deus, motus miſericordia, intuitu meriti Chriſti, ex impia mundi colluuie, ſtatuque peccati ad regnum ſuum, ſtatumque gratiæ miniſterio verbi diuini euocauit, regenerauit, iuſtificauit, & Chriſto redemtori inſeuit, eosque vna cum aliis renatis ſanctificat & conſeruat, ad corporis totius, ſingulorumque membrorum mutuam ædificationem & ſalutem. *Definitio eccleſiæ ſtricte & proprie dictæ.*

Obſ. I. Poteſt eccleſia, κυρίως & *proprie* dicta, iuxta receptam allegoriam deſcribi, quod ſit *corpus myſticum, ſiue ſpirituale, ex vere credentibus & ſanctis in Chriſto, vt capite, per fidem aggregatum atque vnitum, a quo, mediante miniſterio verbi & ſacramentorum, influxum impertiente, vitam, ſenſum & motum trahit, & genitis ſubinde nouis membris, incrementum capit ſibi conueniens, ad ſui ipſius conſeruationem & ſalutem.*

Obſ. II. Iuxta *propriam* & principalem vocis, *eccleſia*, ſignificationem deſcripſimus eccleſiam ex PHILIPPI MELANCHTHONIS conſilio, quod is dedit in *Apol. Aug. Conf.* p. 146. Quamquam hypocritæ & mali *ſint ſocii huius veræ eccleſiæ, ſecundum externos ritus: tamen cum definitur eccleſia, neceſſe eſt eam definiri, quæ eſt viuum corpus Chriſti, item quæ eſt nomine & re eccleſia. Et multæ ſunt cauſſæ. Neceſſe eſt enim intelligi, quæ res principaliter efficiat nos viua membra eccleſiæ. Si eccleſiam tantum definiemus, externam politiam eſſe bonorum & malorum, non intelligent homines, regnum Chriſti eſſe iuſtitiam cordis, & donationem ſpiritus S., ſed iudicabunt, tantum externam obſeruationem eſſe certorum cultuum ac rituum.*

Quæſt. V. *Quomodo diuiditur eccleſia ſtricte & proprie dicta?*

Eccleſia, *ſtricte & proprie* dicta, *diuiditur* in *militantem, & triumphantem. Illa* eſt, in qua homines renati, ſub Chriſti ductu & velut vexillo, contra Satanam, mundum & carnalem concupiſcentiam conſtituti, in hac vita pugnant a). *Hæc* eſt, in qua beati, militia ſua defuncti, & victoriam de hoſtibus nacti, cum Chriſto in vita æterna gaudent & triumphant b). *Diuiſio eccleſiæ ſtricte & proprie dictæ.*

Prob. a. Eccleſia *militans* dicitur a ſpirituali militia, vel pugna aduerſus diabolum, mundum & carnem; de qua pugna aduerſus ſatanam, Eph. VI, 11. 1 Petr. V, 8. 9. aduerſus mundum, 1 Io. V, 4. aduerſus carnem, Rom. VII, 14. Gal. V, 17. agitur.

Prob.

*) Eumdem ad modum comparatione vna atque altera Chriſtus ipſe vſus eſt, Matth. XIII, 41. & 47.

Digitized by Google

Prob. b. Eccleſia *triumphans* obtinuit nomen a ſpirituali triumpho, vel victoria ab hoſtibus reportata, de qua vide Apoc. II, 10. c. IV, 4. VI, 5.

Obſ. Eccleſia *militans & triumphans* differunt, quia in *illa* viatores, in *hac* beati viuunt: *illorum* eſt ius *ad* rem, horum ius *in* re: *vtrorumque* tamen in eodem iure ſuauis communio ſub vno eodemque capite Chriſto, Epheſ. I, 22. Hebr. XII, 23. *Pontificii* addunt eccleſiam *laborantem* in purgatorio, ſed ſine ſolido fundamento.

Quæſt. VI. *Quotuplex eſt eccleſia militans?*

*Eccleſia militans eiusque diuiſio.*

Eccleſia *militans diuiditur* in eccleſiam *veteris, & noui* teſtamenti. *Illa* anguſtis Iudæe limitibus fuit incluſa, & quotquot verum Dei cultum, & viam conſequendæ ſalutis æternæ diſcere voluerunt ante Chriſtum natum, illos oportuit populo Iſraëlitico accedere & coniungi a): *hæc* ex omnibus linguis & gentibus, voce euangelii vbique ſonante, Chriſto colligitur. *Illa* non perpetuo durare, ſed aduentu Chriſti terminari debuit: *hæc* duratura eſt, quoad mundi machina ſtabit *). *Illa* Iſraëlitica, *hæc* chriſtiana cognominatur. *Illa* frequentius *ſynagoga*, *hæc* ſæpius *eccleſia* appellatur b).

Prob a. Cœtus fidelium ante Chriſtum natum dicitur ἐκκλησία Ἰσραὴλ, Sirac. I, 15. Moſes fuit ἐν ἐκκλησίᾳ, teſte Stephano, Actor. VII, 37. Eccleſiam iſthanc Iſraëliticam ad populum iudaicum reſtrictam fuiſſe, docet Moſes, Deut. IV, 8.

Prob. b. Quamuis fidelium Iſraelitarum congregatio, religionis cauſſa facta, frequentius apud LXX. interpretes, & in N. T. συναγωγῆς nomine veniat, hoc tamen non eſt perpetuum. Nam S. Iacobus epiſt. II, 2. nomen *ſynagogæ* pro cœtu Chriſtianorum vſurpauit, inquiens: Si quis ingrediatur εἰς συναγωγὴν ὑμῶν. Conf. Hebr. X, 25.

Quæſt. VII. *Quomodo eccleſia ſynthetica militans vet. & nou. teſt. ſubdiſtinguitur?*

Eccleſia ſynthetica *militans vtriusque teſtamenti diſtinguitur* in *vniuerſalem, & particularem.* Eccleſia *vniuerſalis* eſt, vel *abſolute*, vel *reſpectiue* vniuerſalis. Eccleſia *abſolute vniuerſalis* eſt cœtus conſtans ex fidelibus omnium locorum & temporum, quos Deus ad actualem ſpiritualium bonorum communionem, inde a mundi initio, per verbi ſui præconium vocauit, atque hodienum vocat, & vsque ad conſummationem ſæculi vocabit a). Secundum quid & *reſpectiue vniverſalis* eccleſia eſt cœtus omnium fidelium eodem tempore, vbiuis terrarum in vna eademque fidei & caritatis communione interna perſiſtentium b). Eccleſia *particularis* eſt cœtus non omnium, ſed quorundam fidelium in loco certo ad ſalutem participandam vocatorum, & in communione ſpirituali interna perſiſtentium c).

Prob.

*) Ratio hæc eſt: quoniam eccleſia V. T. profitebatur Chriſtum venturum, *quatenus* erat *venturus*, vaticinationibus tam litteralibus, quam typicis ſignificatur, cuius exſpectatio erat temporaria, vsque ad ipſius aduentum: eccleſia N. T. profitetur Chriſtum, in carne manifeſtatum & conſummatum, *quatenus* eſt *talis*, quæ eius conſummatio eſt perpetua. Neque enim alia, quam hæc, eſt differentia *vtriusque eccleſiæ*, vt adparet ex iis, quæ de diſtinctione *vtriusque teſtamenti* diſputauimus.

Digitized by Google

Prob. a. Eccleſia *abſolute vniuerſalis*, tam ratione *loci*, quam ratione *temporis* vniverſalis eſt, & deſcribitur a D. HVLSEMANNO in *breuiar. c.* 17. §. 9. quod ſit *eccleſia collectiue ſumta, conſtans ex vniuerſitate fidelium, tam doctorum, quam auditorum, præſentis, futuri & præteriti temporis.* Etenim eccleſia vet. & nou. teſtam. vnum habet caput Chriſtum. Exinde per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & patres veteris teſtamenti, Actor. XV, 11.

Prob. b. Eccleſia apoſtolica erat *ſecundum quid* & ratione *locorum* vniuerſalis, propterea, quod *in omnem terram exiit ſonus apoſtolorum, & in fines orbis terrarum verba illorum*, Rom. X, 18. Et hodienum cœtus omnium hominum in Chriſtum vere credentium & ſanctorum *ſecundum quid & reſpectiue* vniuerſalis eſt.

Prob. c. Eccleſia Chriſti, per terrarum orbem diffuſa, plures continet cœtus *particulares*, qui & ipſi nomen ac definitionem eccleſiæ ſibi vendicant. Vnde in numero *plurali* dicuntur *eccleſiæ*, Actor. XV, 41. 1 Cor. XVI, 19. Sunt itaque plures eccleſiæ particulares inter ſe diſtinctæ. Quin etiam in numero *ſingulari*, particularis quædam eccleſia cum adiecta aliqua *reſtrictione* dicitur, v. gr. eccleſia, quæ eſt *Hieroſolymis.* Actor. VIII, 1. eccleſia Dei, quæ eſt *Corinthi*, 1 Cor. I, 2. eccleſia *Theſſalonicenſium*, 1 Theſſ. I, 1.

Quæſt. VIII. *Quomodo diuiditur eccleſia particularis?*

Eccleſia *particularis diuiditur* in *compoſitam*, *&* *ſimplicem.* *Illa* eſt, quæ ex aliis conſtat eccleſiis: *hæc* eſt, quæ ex aliis eccleſiis non componitur. *Eccleſia particularis.*

Obſ. Eccleſia quædam *particularis* dicitur *ſimplex*, *non abſolute*, quod omnis compoſitionis ſit expers (ſic enim, non eſſet eccleſia, quippe quæ formaliter eſt cœtus plurium hominum fidelium); ſed *ſecundum quid*, & in certo genere: quoniam ex pluribus minoribus non conſtat eccleſiis.

Prob. Eccleſia *particularis compoſita*, diſtinguitur 1) *ratione regiminis ſæcularis.* Sic cum olim imperium ſummum in orientale & occidentale diuideretur, ipſa quoque eccleſia in *orientalem*, *& occidentalem*, vel quod eodem recidit, in *græcam*, *& latinam* fuit bipartita. 2) *Ratione regiminis eccleſiaſtici.* Sic vna eſt eccleſia, quæ ſub vno regimine eccleſiaſtico eſt conſtituta: plures, quarum diuerſum eſt regimen, vel vt hodie loquuntur, quarum diuerſa ſunt conſiſtoria. Olim in veteri eccleſia in maiori prouinciæ vrbe Epiſcopus reſidebat, cui in circumiacentes eccleſias erat inſpectio, & hæc erat *eccleſia diœceſana.* Epiſcopus, qui in prouinciæ metropoli ſacris præerat, Metropolitanus dictus, totius prouinciæ eccleſias curabat, ipſosque epiſcopos inſpectioni ſuæ ac fidei habebat commiſſos, atque hæc eccleſia erat *prouincialis*, ſicut eſt eccleſia Saxonica, Pomeranica &c. 3) *Ratione nationis.* Sic olim alia eccleſia erat Aſiatica, alia Africana &c. Hodie alia eſt Germanica, alia Suecica, alia Danica &c. 4) *Ratione vnitatis doctrinæ*, quam eccleſiæ alias diſtinctæ profitentur. Eccleſia *ſimplex* non conſtat ex aliis eccleſiis minoribus; qualis erat Paradiſiaca, Noachica, &c. Hodie omnes eccleſiæ minores, quæ ex aliis non componuntur, ſunt *ſimplices*, ad quas referendæ ſunt etiam *eccleſiæ domeſticæ.*

Quæſt. IX. *An eccleſia recte diuiditur in viſibilem, & inuiſibilem?*

Eccleſia Chriſti, quæ in terris eſt, *ſtricte* & *proprie* ſumta, pro cœtu vere credentium & ſanctorum, per terrarum orbem longe lateque diffuſo, *non* eſt *viſibilis* & conſpicua *diſtincte* a), ſed tantum *confuſe* b). At ſumta *late & im-* *Eccleſia viſibilis & inuiſibilis.*

*proprie*, pro cœtu vocatorum promiſcuo, *ita viſibilis* eſt, vt tanquam vera, & quoad membra ſua diſtincte agnoſci, & ab aliis eccleſiis falſis, ſeu corruptis diſcerni queat c). Fieri tamen poteſt, permittente Deo, vt eccleſia vera *nulla ſui parte* ſit *viſibilis*, deficiente cœtu hominum conſpicuo & illuſtri, veram doctrinam publice profitente, & vbique locorum hæreticis atque ſchiſmaticis prædominantibus d).

Obſ. I. Non aſſerimus, eccleſiam *viſibilem*, *& inuiſibilem*, eſſe *duas* eccleſias *ſpecie diverſas*, aut contrarie *oppoſitas;* ſed *vnam eandemque* eccleſiam *diuerſo reſpectu* dicimus viſibilem, & inuiſibilem: *viſibilem*, reſpectu *vocatorum*, *inuiſibilem*, reſpectu *renatorum & electorum; viſibilem*, reſpectu *ſtatus florentis & liberi*, *inuiſibilem*, reſpectu *ſtatus preſſi & corrupti;* qui diuerſi conſiderandi modi & reſpectus, nec conſtituunt diuerſas ſpecies, nec inferunt oppoſitionem contrariam, aut contradictoriam; quia cœtus inuiſibilis renatorum ſub viſibili cœtu vocatorum continetur, & tempore perſecutionis delitescit.

Obſ. II. *Viſibile* hic idem eſt, quod cognitioni noſtræ ſenſuali & intellectuali ſubeſt, ſiue quod *oculis corporis & mentis obuium* eſt. Cum autem *cognitio noſtra duplex*, aut *confuſa*, aut *diſtincta ſit*, poteſt *eccleſia* etiam *viſibilis*, ſeu cognoſcibilis denominari, vel in ordine ad *confuſam*, vel in ordine ad *diſtinctam* noſtram notitiam. Quare quæſtio duplici ſenſu intelligi poteſt. Vno: an eccleſia Chriſti ſit inuiſibilis, ſiue cognoſcibilis *confuſe?* altero: an viſibilis, ſiue cognoſcibilis ſit a nobis *diſtincte?*

Obſ. III. Diſtinguitur inter *formam eccleſiæ externam*, *& internam*. *Illa* conſiſtit in harmonia, ſiue ſocietate publica eiusdem doctrinæ fidei: *hæc* conſiſtit in vnione hominum vocatorum, & communione ſpirituali cum Chriſto per fidem. Ratione formæ *internæ* eccleſia eſt *inuiſibilis;* ratione autem formæ *externæ* eadem eſt *viſibilis*.

Obſ. IV. *Membra eccleſiæ conſiderantur vel materialiter*, *vel formaliter*. *Materialiter* conſiderata membra eccleſiæ ſunt homines vocati, doctrinam cœleſtem profitentes, & ſacramentis vtentes, qui vtique ſunt *viſibiles*. *Formaliter* ſpectata eccleſiæ membra ſunt homines renati, ſancti & electi; hi ratione fidei, ſanctitatis internæ & electionis, ſunt *inuiſibiles*.

Obſ. V. Diſtinguitur inter *ſtatum eccleſiæ liberum florentemque*, *& ſtatum corruptum atque preſſum*. *Florens & liber* eſt ſtatus eccleſiæ, cum publico verbi miniſterio & veræ religionis exercitio nullum obiicitur impedimentum. *Status* autem *coruptus & preſſus* variat, pro diuerſis preſſuræ & corruptionis gradibus. Interdum enim eminent & prædominantur hæretici, & vera eccleſia a tyrannis tantopere premitur, vt vix inueniatur cœtus conſpicuus eorum, qui veram doctrinam cœleſtem externe profitentur.

Obſ. VI. Eccleſia dicitur *inuiſibilis*, *partim negatiue*, *partim comparatiue*. *Negatiue inuiſibilis* dicitur eccleſia *ratione formæ internæ*, i. e. ratione ſpiritualis vnionis cum Chriſto per fidem. *Comparatiue inuiſibilis dicitur*, *ratione externi ſplendoris;* quem vt eccleſia florens habet in publico verbi miniſterio, & externa fidei profeſſione, ita eccleſia preſſa amittit in ſtatu corrupto, vbi præualentibus hæreticis & ſchiſmaticis eccleſia ita premitur, vt non detur cœtus conſpicuus, illuſtris, & in oculos humanos incurrens eorum, qui veram doctrinam cœleſtem externe profitentur, ſed vt vera doctrina eiusque confeſſores preſſi lateant.

Prob. 2. 1) Ex claris ſcripturæ dictis: *Solus Deus nouit corda hominum*, 1 Reg. IIX, 39. & eos *qui ſui ſunt*, 2 Tim. II, 19. & *ſolus Chriſtus*, paſtor ſupremus, infallibiliter *nouit ſuas oues*, Io. X, 14. Ergo *nos diſtincte non* cognoſcimus corda ſancta, homines electos & animas fideles

Digitized by Google

fideles. 2) Ex ſymbolo apoſtolico, in quo profitemur: *Credo eccleſiam.* Vnde argumentamur: Quidquid *credimus*, illud *non videmus:* Atqui eccleſiam, &c. Ergo. *Maior* conſtat ex Hebr. XI, 1. 3) Ex forma interna eccleſiæ, quæ eſt interna vnio cum capite Chriſto, per fidem. At illam nemo videt, quia non eſt *καρδιογνώστης*. Colligimus: Cuius forma eſſentialis eſt inuiſibilis, illud ipſum eſt ratione formæ eſſentialis inuiſibile: Atqui eccleſiæ forma eſſentialis eſt inuiſibilis. Ergo. 4) Sicut Iudas proditor Chriſti *materialiter*, quoad eſſe *hominis*, erat viſibilis, *non* vero *formaliter*, quoad eſſe *proditoris* (quærebant enim diſcipuli, *Domine, quis eſt?* Io. XIII, 2): Ita credentes *materialiter*, quoad exſiſtentiam & præſentiam *humanam* videntur, *formaliter* autem, quoad *fidem* cordibus infixam, infallibiliter cognoſci & diſcerni ab hypocritis nequeunt.

Prob. b. Eccleſia Chriſti, quæ in terris eſt, proprie & principaliter ſumta pro cœtu renatorum & electorum, dici poteſt *conſpicua & viſibilis eſſe confuſe tantum.* Vbicunque enim dantur congregationes, in quibus verbum Dei docetur & ſacramenta adminiſtrantur, ibi dari aliquos vere credentes & ſanctos, qui eccleſiæ partem conſtituant, colligimus ex promiſſionibus diuinis, Eſ. LV, 10. Matth. XIII, 8. quamuis quinam illi vere credentes & ſancti ſint, *certo & diſtincte* cognoſcere nequeamus. Nam a certitudine coëxiſtentiæ fidelium cum infidelibus in aliquo cœtu, ad diſcretionem indiuiduorum fidelium ab infidelibus non valet conſequentia.

Prob. c. *Viſibilis* eſt eccleſia, *latius* accepta pro cœtu vocatorum promiſcuo, *cum* ratione *hominum*, fidem catholicam internam & incorruptam exterius profitentium, *tum* ratione *mediorum*, per quæ in his terris colligitur eccleſia: Vti etiam reſpectu externorum religionis exercitiorum, quæ ſunt profeſſio doctrinæ, vſus ſacramentorum ac diſciplina eccleſiaſtica, prædicatio verbi & adminiſtratio ſacramentorum, nec non reliqua externa religionis exercitia, quæ in oculos & aures incurrunt. Horum igitur reſpectu eccleſia eſt *viſibilis.*

Prob. d. Fieri poteſt, vt vbique locorum, eminentibus & præualentibus doctoribus falſas doctrinas profitentibus, vera eccleſia preſſa & velut nubibus tecta lateat, adeoque *comparatiue inuiſibilis* & inconſpicua ſit. Nam

1) Elias, Propheta oculatiſſimus, maximis donis diuinis inſtructus, eccleſiam preſſam videre non potuit, 1 Reg. XIX, 14. Ergo eccleſia preſſa & ſplendore externo, qui conſiſtit in publico veræ religionis exercitio, orbata, *comparatiue inuiſibilis* eſt.

2) Quæcunque eccleſia delitescit in *ſolitudinibus, montibus, ſpeluncis & cauernis terræ*, illa *comparatiue* eſt *inuiſibilis:* Atqui eccleſia *preſſa*, &c. Hebr. XI, 38. Ergo.

3) Tempore paſſionis & reſurrectionis Chriſti eccleſia chriſtiana erat inuiſibilis. Nam apoſtoli, Iudæorum vim & minas reformidantes, conſpectum hominum fugiebant, Io. XX, 19.

*Antitheſis* eſt a) *Pontificiorum*, ſtatuentium, *non* dari eccleſiam *inuiſibilem.* b) *Weigelianorum*, negantium, *veram* dari eccleſiam *viſibilem.* Obiiciunt *Pontificii:*

I. Quæcunque ſententia inuoluit contradictionem, illa eſt reiicienda: Atqui ſententia *Lutheranorum* de eccleſia viſibili & inuiſibili, &c. Ergo. *Minor* eſt euidens: quia contradictionem inuoluit, eſſe ſimul viſibile, & inuiſibile. Reſp. Diſting. inter *contradictionem veram, & apparentem.* Contradictio, quæ ab aduerſariis nobis obiicitur, eſt tantum apparens, quia *non* fit *ſecundum idem.* Nam eccleſia *florens*, ſecundum formam *externam*, eſt *viſibilis*, ſecundum formam *internam* eadem eſt *inuiſibilis.*

II. Quæcunque eccleſia eſt vna, illa non poteſt eſſe duplex: Viſibilis & inuiſibilis Eccleſia Chriſti eſt vna. Ergo. Reſp. Eccleſia *eſſentialiter* eſt *vna;* at pro diuerſo conſiderandi modo, in viſibilem & inuiſibilem diſtinguitur: Qui diuerſi conſiderandi modi, aut *reſpectus*,

 non

Digitized by Google

non conſtitunut ſpecie diuerſas eccleſias; ſicut luna conſpicua, & inconſpicua non eſt eſſentialiter duplex.

III. Cœtus hominum poteſt videri: Eccleſia eſt cœtus hominum: Ergo. Reſp. Eccleſia eſt cœtus *hominum fidelium*, qui poſſunt videri *materialiter*, vt *homines*, *non formaliter*, quatenus ſunt *fideles*; ſicut Iudas Chriſti proditor apoſtolis viſibilis erat, vt *homo*, inuiſibilis, vt *proditor*.

IV. Vrbs, in monte conſtituta, non poteſt eſſe occulta: Eccleſia Chriſti eſt *vrbs in monte conſtituta*, Matth. V, 14. Ergo. Reſp. L. c. non de eccleſia, ſed de munere apoſtolico agitur & docetur, apoſtolos, ratione muneris, quo funguntur, non debere latere, ſicut ciuitas in monte conſtituta latere nequit; cum ſumma libertate prædicare debeant euangelium. Ceterum fieri poteſt, vt vrbs, vel denſa nebula, vel caligine nocturna obtecta, non videatur.

V. Quidquid in ſole poſitum eſt, illud abſolute eſt viſibile: Atqui eccleſia &c. Ergo. *Minor* probatur ex Pſ. XIX, 5. *In ſole*, i. e. loco conſpicuo, *poſuit tabernaculum ſuum*, h. e. eccleſiam ſuam. Quæ verba AVGVSTINVS ſic exponit: *In manifeſto poſuit eccleſiam ſuam, vt ſicut ſol non poteſt omnino latere, ita nec eccleſia poſſit abſcondi.* Reſp. 1) Sol eſt maxime viſibilis; poteſt tamen etiam dici inuiſibilis, cum ob interpoſitionem lunæ, vt fit eclipſibus, tum ob receſſum ex noſtro horizonte, vt fit tempore nocturno. 2) In textu originali verba aliter ſe habent, nempe hoc modo: *Soli poſuit tabernaculum in illis*, ſcil. cœlis. Oſtendit Pſalmiſta, quomodo etiam ductu luminis naturæ, ex creaturis, inprimis autem ex cœlo & corporibus cœleſtibus Deus, eiusque gloria cognoſci poſſit. Dicitur itaque, Deum ſoli in cœlis parauiſſe tabernaculum, i. e. certum ſpatium, intra quod curſum abſoluit, vt etiam ex ſole diuina gloria & maieſtas naturaliter innoteſcat. De eccleſia, eiusque abſoluta viſibilitate Pſalmiſta l. c. non agit, ſed Chriſtum, in cœlo gratiæ habitantem, ſoli confert.

VI. Si eccleſia eſſet inuiſibilis, nemini ad eam pateret aditus: Sed omnibus hominibus ad eccleſiam patet aditus (quia vocatio ad eccleſiam eſt vniuerſalis, Matth. XXVIII, 19.): Ergo eccleſia non eſt inuiſibilis. Reſp. Si eccleſia ſemper eſſet preſſa, vt nunquam videretur; ſi eſſet inuiſibilis tam ratione formæ *externæ*, quam *internæ*; nunquam ad eam pateret aditus. Ita conceditur quidem totum argumentum, ſed non ferit noſtram theſin: quia nos ſtatuimus, eccleſiam aliquando florere, aliquando preſſam latere; videri eandem ratione formæ externæ, non ratione formæ internæ.

Inſtantia I. Eccleſia, quæ hæreſi & perſecutione externa premitur, vtique viſibilis eſt; quia perſecutio requirit obiectum viſibile, in ſenſus hæreticorum & tyrannorum incurrens. Reſp. Aliud eſt, tyrannos perſequi eccleſiam, vt obiectum viſibile; aliud, perſecutionem ita inualeſcere, vt non detur cœtus conſpicuus eorum, qui veram doctrinam publice profitentur.

Inſtantia II. Repugnat miſericordiæ diuinæ, ſi vel exiguum temporis permittat, vt eccleſia fiat inuiſibilis. Poſito enim tali ſtatu, gentilis non habebit, vnde conuertatur; peribit non ſua, ſed Dei culpa; quod a miſericordia Dei eſt alienum. Reſp. 1) Nunquam eccleſia in illum ſtatum inuiſibilitatis ex permiſſione & voluntate Dei conſequente deducetur, vt via ſalutis præcluſa ſit gentilibus: Nam gentilis accedens eccleſiæ, vbi miniſterium verbi eſt corruptum, ille regeneratur vi verbi prædicari, & baptiſmi adminiſtrati. 2) Gentilis miniſterio verbi & baptiſmo regeneratus, donatur ſpiritu diſcretionis, & fit ouis Chriſti. Qui autem ſpiritu diſcretionis præditus eſt, ille diſcernere poteſt prophetam a deceptore, & qui ouis Chriſti eſt, vocem Chriſti audit, non peregrini, Io. X, 27. Quodſi itaque gen-

tilis

Digitized by Google

tilis pereat, imbibito ſemel errorum veneno, non is culpa Dei, qui verbo ſuo efficaciter operatur, ſed ſuo perit vitio, quatenus mauult attendere ſpiritus errorum, quam vi ſemel collatæ regenerationis lucem ſectari.

VII. Quemadmodum tria ſpectari poſſunt in republ. ciuili, 1) hominum multitudo, 2) externum regimen, 3) interna ciuium affectio, qua ciues inter ſe vniuntur: Ita eadem ſpectari poſſunt in eccleſia, 1) hominum multitudo, 2) externum regimen eccleſiaſticum, 3) interna fides & caritas chriſtianorum, qua inter ſe vniuntur. Duo priora cum in republ. ciuili, tum in eccleſia ſunt viſibilia. Tertium vtrobique eſt inuiſibile. Sicut autem reſpubl. abſolute viſibilis eſt, licet ciuium affectio non ſit viſibilis: Ita viſibilis eſt eccleſia, licet viſibilis non ſit interna fides & caritas. Reſp. A republ. ciuili ad eccleſiam non licet argumentari, quia ingens inter vtramque eſt diſcrimen. Nam *tota* reſpubl. eſt *ſocietas externa*, in imperantium & ſubditorum ordine conſpicuo poſita, quæ proinde ſecundum ſe tota in ſenſus cadit, ita, vt ciues eius noti ſint omnibus, digitoque oſtendi poſſint. Licet vero etiam interno ac mutuo affectu, qui hominum oculis peruius non eſt, ſe complecti ciues ſoleant: ille tamen affectus internus *non* eſt de ratione *formali* ciuium, & ſi quis non bene affectus ſit erga ſuos conciues, per hoc non deſinit eſſe ciuis. At *eccleſia*, *ſtricte* & proprie ſumta, *formaliter* & per eſſentiam eſt vere credentium & ſanctorum *ſocietas interna*, fidei vinculo Chriſto capiti, & caritatis vinculo inter ſe coniuncta, quæ ſecundum ſe ſub ſenſus non cadit, ſed fide creditur.

VIII. *Fides* chriſtianorum *videtur & cognoſcitur ex operibus ipſorum*, Iac. II, 18. Ergo eccleſia chriſtiana, ratione *formæ internæ*, quæ fundatur in *fide*, *non* eſt *inuiſibilis*. Reſp. Innoteſcit quidem quadantenus fides chriſtianorum ex bonis operibus, ſed illa cognitio non eſt *certa & infallibilis*; verum incerta, probabilis & coniecturalis, cui falſum ſubeſſe poteſt; ſiquidem hypocritæ etiam bona opera externa patrant, ſicut olim Phariſæi ſtudio bonorum operum clari eſſe videbantur *).

Quæſt. X. *Quæ eſt cauſſa efficiens principalis eccleſiæ?*

*Cauſſa efficiens principalis* eccleſiæ eſt *Deus* a) *triunus* b). *Cauſſa efficiens eccleſiæ.*

Prob. a. *Eccleſia eſt populus Dei, quem is vocauit in admirabilem ſuam lucem*, 2 Petr. II, 9. 10. Vocauit Deus genus humanum e ſtatu peccati & iræ in regnum gratiæ, quod eſt eccleſia.

Prob. b. Vocatio, collectio & gubernatio eccleſiæ, cum ſit actio diuina ad extra, omnibus tribus diuinitatis Perſonis communis eſt. *Deus Pater* eccleſiam, vt ſponſam, filio ſuo adducit, ac nuptias ipſi apparat, Matth. XXII, 2. *Filius Dei* eſt ſponſus, cui eccleſia deſpondetur, 2 Cor. XI, 2. *Spiritus* S. per miniſterium verbi & ſacramentorum eccleſiam

Zzz zzz z 3 mundat

*) Miraberis forſitan, quod b. Auctor oppoſitiones prætermiſerit *Weigelianorum*, quorum tamen mentionem ipſe fecerat. Ego vero arbitror, non prætermiſſas eſſe eas, ſed conſulto relictas, quando quidem non opus erat refutatione. Argumentorum enim, quibus fanatici homines pugnant, omnium tota vis in eo poſita eſt, quod illi de externa vſurpatione verbi & ſacramentorum abiecte ſentiunt. Falſo hoc principio deſtructo (deſtructum eſt autem in aliis locis), conſectaria omnia nihil valebunt.

Digitized by Google

mundat & ornat, tanquam ſponſam viro ſuo, Eph. V, 27. *Deus Pater* eſt architectus eccleſiæ, tanquam ſpiritualis domus, 1 Tim. III, 15. *Filius Dei* eſt lapis angularis & fundamentum huius domus, quo ſuſtentatur, 1 Petr. II, 7. 1 Cor. III, 11. *Spiritus S.* eſt diſpenſator ac œconomus principalis, in hac domo per miniſtros verbi recludens & diſtribuens theſauros, Chriſti paſſione & morte promeritos, & in eam repoſitos, Act. XX, 18. 1 Cor. IV, 1. *Deus Pater* curam prouidam vereque paternam gerit eccleſiæ, tanquam filiæ ſuæ, Pſ. XLV, 14. *Filius Dei* per modum capitis in eccleſiam gratioſe influit, eamque vt Dominus regit, Eph. I, 22. 23. *Spiritus S.* per modum animæ hoc corpus myſticum agitat, informat & perficit, Eph. IV, 3. 4.

### Quæſt. XI. *Quæ cauſſa impulit Deum ad colligendam ſibi eccleſiam?*

*Cauſſa impulſiua.*

Vt Deus ex genere humano ſibi colligeret eccleſiam, ipſum *interne mouit* fauor gratuitus a), *externe* ipſum *impulit* meritum Chriſti mediatoris b). Miſeria autem hominum, in peccata prolapſorum, præbuit Deo *occaſionem* commiſereſcendi c).

Prob. a. Deum ex *mera gratia* humanum genus ad regnum ſuum vocaſſe, perſpicue docet Paullus, 2 Tim. I, 9. *Deus vocauit nos vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed iuxta proprium propoſitum, & gratiam, datam nobis in Chriſto Ieſu.* Vocatos etiam ex miſericordia regenerauit, & fide donauit, per quam homines fiunt vera eccleſiæ membra. Vid. 1 Petr. I, 3. Iac. I, 18.

Prob. b. *Meritum Chriſti* eſt cauſſa impulſiua externa, quæ Deum mouit ad colligendam eccleſiam. Sicut enim vi & valore meriti Chriſti nobis omnia gratiæ dona ſuperne obueniunt, iuxta illud Paulli; *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti; qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in cœlis, in Chriſto Ieſu*, Eph. I, 3.; Ita Chriſtus ſua obedientia ſatisfactoria, tam *actiua*, quam *paſſiua*, meruit apud Deum Patrem, vt ſibi ex omnibus gentibus colligeret eccleſiam, & beneficia redemtoris ipſis offerret; qua ratione *Chriſtus proprio ſanguine eccleſiam ſibi acquiſiuiſſe dicitur*, Act. XX. 28.

Prob. c. Ad colligendam eccleſiam miſeria humana Deum cauſſaliter mouere non potuit, quippe quæ propria hominis culpa eſt contracta, adeoque niſi ſatisfactio & meritum Chriſti interueniſſet, Deus, peccatorum vindex iuſtiſſimus, homines in peccata prolapſos, perinde, atque angelos apoſtatas, auerſatus damnaſſet. Non igitur per ſe, ſed per accidens fit, vt ex miſeria hominis oriatur commiſeratio Dei, qui e profunda miſeria, ex qua homo propriis viribus emergere non poterat, commiſereſcendi & benefaciendi occaſionem ipſe ſibi ſumſit.

### Quæſt. XII. *Quibus miniſtris Deus in colligenda eccleſia vtitur?*

*Cauſſa miniſterialis.*

Deus in colligenda eccleſia vtitur *præconibus verbi diuini*, tanquam *cooperariis* a), quales in V. T. fuerunt Patriarchæ & Prophetæ b), in N. T. Apoſtoli c), & hodienum ſunt omnes rite vocati & ordinati doctores atque paſtores d).

Prob a. Præcones verbi diuini ſunt συνεργοὶ, ſeu *cooperarii Dei* in collectione eccleſiæ; quippe quorum eſt plantare & irrigare, ſed Deus facit creſcere, 1 Cor. III, 6. 9. Neque enim Deus ſemper & vbique *immediate* homines vocat, ſed plerumque *mediate* per ſuos miniſtros, per quos etiam vocati credunt, 1 Cor. III, 5. quatenus illorum opera euangelium auditoribus ex auctoritate & mandato Chriſti applicatur.

Prob. b. Ex Hebr. I, 1. *Multis vicibus, multiſque modis Deus locutus eſt patribus in Prophetis.*

Prob.

Prob. c. Chriſtus collecturus eccleſiam N. T. compellauit Apoſtolos, Matth. XXVIII, 19. 20. '*Euntes facite diſcipulos* (mihi) *omnes gentes*, *baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, *docentes eos ſeruare omnia*, *quæcunque mandaui vobis: Et ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus vsque ad conſummationem ſæculi.* Ex hoc mandato & promiſſo Chriſti colligimus: 1) Apoſtolos fuiſſe plantatores eccleſiæ: 2) Chriſtum in plantationem Apoſtolorum gratioſum & efficacem præbuiſſe influxum: 1) præſentiam & influentiam Chriſti promiſſam eſſe omnibus doctoribus eccleſiæ, vsque ad finem mundi.

Prob. d. Ex Eph. IV, 2. *Chriſtus dedit alios quidem Apoſtolos*, *alios vero Prophetas*, *alios vero Euangeliſtas*, *alios vero Paſtores & Doctores*, *in inſtaurationem ſanctorum*, *in opus miniſterii*, *in ædificationem corporis Chriſti*, *vsque dum perueniamus omnes in vnitatem fidei & cognitionis Filii Dei.* Ex hoc oraculo apoſtolico diſcimus, eccleſiam non eſſe confuſum hominum confluxum (quod volunt *Arminiani*), ſed congregationem ordinatam; quia deſcribitur ab Apoſtolo, tanquam corpus, ex membris diſtinctis, riteque coordinatis & ſubordinatis conſtans.

Quæſt. XIII. *Quo medio Deus eccleſiam colligit?*

Deus eccleſiam ſibi colligit, vitamque fidei donat *per verbum euangelii* a), & *baptiſmum* b). *Cauſſa intermedia.*

Prob. a. 1) Ex 2 Theſſ. II, 14. *Deus vocauit nos per euangelium ad poſſeſſionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Deus ad regnum gratiæ & gloriæ nos vocauit per verbum *euangelii*, tanquam per *verbum reconciliationis*, 2 Cor. V, 19. *Lex* poſt lapſum eſt *verbum iræ*, Rom. IV, 15. adeoque *non* eſt medium *gratiæ vocantis* ad eccleſiam.

2) Verbo *euangelii* eccleſia non colligitur tantum, ſed etiam viuificatur, ſeu vita fidei donatur. Cœtus namque vocatorum *non ex ſemine corruptibili*, *ſed incorruptibili per verbum viuens Dei & manens in æternum regeneratur*, 1 Petr. I, 25. In Chriſto Ieſu *per euangelium ego vos generaui*, ait Paullus 2 Cor. IV, 15.

Prob. b. *Qui non generatur ex aqua & Spiritu, non ingreditur in regnum Dei*, Io III, 5. *Fiunt* enim *diſcipuli Chriſti per baptiſmum*, Matth. XXVIII, 19. quo homines vocati *regenerantur & renouantur*, Tit. III, 5.

Quæſt. XIV. *Quænam ſunt partes & membra eccleſiæ?*

*Partes* eccleſiæ *conſtitutiuæ*, & vera atque *ſpiritualiter viua* ipſius *membra* ſunt homines a) vere credentes & ſancti b), quamdiu tales ſunt c). *Eccleſia materia.*

Prob. a. Vera eccleſiæ membra ſunt *homines*, non angeli; quia eccleſia eſt ſocietas eorum, quos *Deus proprio ſuo ſanguine acquiſiuit*, Act. XX, 28. At *ſolos homines*, non autem angelos ſanguine ſuo acquiſiuit.

Prob. b. Quod homines *vere credentes & ſancti* ſint viua & proprie dicta membra eccleſiæ, patet: 1) quia eccleſia eſt *congregatio ſanctorum*, *virgo pura & ſponſa Chriſti*, *mater filiorum Dei*, atque *regnum Dei*, ad quod non pertinent homines veræ fidei ſanctitatisque expertes. Vide quæſt III. 2) Ex Roman. VIII, 9. *Qui ſpiritum Chriſti non habet, non eſt ipſius.* Quæ verba ſcite exponit THOMAS Aquinas *commentar.* in *c. IIX. Rom.* *Sicut non eſt membrum corporis*, *quod per ſpiritum corporis non viuificatur: Ita non eſt membrum Chriſti, qui ſpiritum Chriſti non habet.* E quibus argumentamur: Quicunque non habet ſpiritum Chriſti, non eſt membrum verum & viuum eccleſiæ: Atqui homo hypocrita & non ſanctus non habet ſpiritum Chriſti: Ergo. *Maior* conſtat: quia qui non eſt verum membrum Chriſti capitis, ille etiam non eſt verum

Digitized by Google

rum membrum eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti myſticum. 3) Quicunque non vere credit in Chriſtum, is non poteſt eſſe viuum eccleſiæ membrum: Atqui hypocrita non vere credit in Chriſtum: Ergo. *Maior* probatur ex Habac. II, 4. Gal. III. 11.

Prob. c. Vere credentes & ſancti, *quatenus & quamdiu tales* ſunt, viua membra eccleſiæ ſunt. Si peccatis proæreticis Spiritum ſanctum excutiant, *ex membris Chriſti* fiunt *membra ſcorti*, 1 Cor. VI, 15. *nec manent in vite*, Io. XV, 4. ſeqq. ſed ſunt membra mortua; quem ad modum Dauid ex viro ſecundum cor Dei, ſeu vero ac viuo membro, factus eſt filius mortis, ſeu membrum mortuum, 2 Sam. XII, 5. & vrbs fidelis ſcortum facta eſt, Eſai. I, 21. *).

*Antitheſis* eſt *Pontiſiciorum*, qui pro veris eccleſiæ membris agnoſcunt omnes in vniverſum, qui in viſibili eius communione verſantur, quamuis ſint magni peccatores & infideles occulti. Quorum argumenta potiora ſunt:

I. Quicunque æque, ac credentes, verbum Dei audiunt & ſacramentis vtuntur, illi ſunt vera membra eccleſiæ: Atqui hypocritæ & non ſancti &c. Ergo. *Maior* probatur: quia hypocritæ audientes verbum, & ſacramentis vtentes, aut ſunt in eccleſia, aut ſunt extra eccleſiam. Extra eccleſiam non ſunt. Ergo ſunt in eccleſia & conſequenter eius membra. Reſp. Negatur maior. Ad probationem dicimus, quod hypocritæ ſint *in* eccleſia, ſed non *de* eccleſia **). Sunt enim *in* eccleſia nomine, non re ipſa. Sunt *in cœtu* illo, *in quo eſt eccleſia*, ſed *non* ſunt *cœtus ille*, *qui eſt eccleſia*, ideo, quod per fidem cum capite Chriſto non ſunt vniti, licet *externe* doctrinam Chriſti profiteantur. Sunt igitur in eccleſia vt praui humores, non vt veræ corporis partes.

Inſtantia: Qui externa profeſſione eiusdem doctrinæ fidei coniuncti ſunt fidelibus, ſunt veræ partes exteriores, atque adeo etiam membra, licet arida & mortua corporis eccleſiæ. Reſp. Sicut membra, licet arida & mortua, non, niſi *æquiuoce*, membra corporis viui dicuntur, ideo, quod ab anima non informantur, aut reguntur: ita hypocritæ ad eccleſiam pertinent, *non* vere & *vniuoce*, ratione *ſpiritualis* cum Chriſto coniunctionis, ſed *æquiuoce* & putatiue, reſpectu *externæ* profeſſionis & ſocietatis cum fidelibus, quibus per accidens, & præter intentionem Chriſti adhærent.

II. Eccleſia comparatur areæ, in qua datur triticum & palea, Matth. III, 12. reti, vel ſagenæ, qua capiuntur piſces non tantum boni, ſed etiam putres, Matth. XIII, 47. Quibus ſimilibus indicatur, vere credentibus & ſanctis admixtos eſſe hypocritas & non ſanctos in eccleſia. Reſp. Hypocritæ admixti ſunt vere credentibus, *ſicut palea adhæret tritico*. Quem ad modum vero *palea* ob hanc admixtionem *non* dicitur *pars tritici*: ita per hoc, quod non ſancti *admixti* ſunt eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti myſticum, non ſunt viua veræ partes, aut membra eccleſiæ. Et ſicut piſces mali, licet admixti ſint bonis, foras proiiciuntur: ita futurum eſt, vt increduli foras proiiciantur & e regno Dei excludantur. Sed ſi excludendi ſunt e regno Dei, ſequitur, quod non ſint viua eccleſiæ membra.

III. Omnes

*) In primis vero ex duabus loquutionibus ſacris firmiſſima efficitur conſequutio, cum eccleſia dicitur 1) *corpus Chriſti*, & 2) *regnum Dei*. Vtramque argumentationem in luce poſuit *Apol. Auguſt. Confeſſ. cap. IV.* Vnam, pag. 145. his verbis: *Hæc eccleſia ſola dicitur corpus Chriſti. - Quare illi, in quibus nihil agit Chriſtus, non ſunt membra Chriſti. Itaque fatentur aduerſarii, malos eſſe* mortua *membra eccleſiæ*. Alteram, pag. 147: *Si eccleſia, quæ vere eſt regnum Chriſti, diſtinguitur a regno diaboli; neceſſe eſt, impios, cum ſint in regno diaboli, non eſſe eccleſiam.*

**) Huius diſtinctionis diuina auctoritas eſt, 1 Io. II, 19.

Digitized by Google

III. Omnes doctores & paſtores ſunt vera eccleſiæ membra: Quidam doctores & paſtores ſunt hypocritæ: Ergo quidam hypocritæ ſunt vera eccleſiæ membra. *Maior* probatur: quia doctores & paſtores a Chriſto ſunt conſtituti, teſte Paullo, 1 Cor. XII, 27. 28. *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte. Et hos quidem poſuit Deus in eccleſia, primo Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio doctores*, Eph. IV, 11. Ecquis autem credat, Chriſtum conſtituiſſe doctores & paſtores in eccleſia, tanquam membra falſa? Reſp. Chriſtus conſtituit doctores & paſtores in eccleſia vt *organa*, ad ſacram functionem & operationem ordinata, & hunc in finem ipſis conceſſit dona miniſtrantia: Voluit etiam, & ſerio intendit, vt eſſent doctores vera & viua eccleſiæ membra, per fidem & dona ſanctificantia. Quando autem doctores eccleſiæ a carne ſe vinci patiuntur, vt peccatis proæreticis indulgendo Spiritum S. excutiant & fidem exſtinguant, non ſunt membra eccleſiæ vera, viua & vniuoca, ſed putida, mortua & æquiuoca, quamuis eſſe queant *organa operatiua*. Confer. D. GERHARDI *confeſſ. cathol. libr. II. art. V. c. 1. fol.* 712.

IV. Homo impius poteſt eſſe frater credentium & ſanctorum: Ergo homo impius poteſt eſſe verum & viuum eccleſiæ membrum: Antecedens probatur ex Matth. XIII, 18. *Si peccauerit in te frater tuus, abi & argue eum inter te & ipſum ſolum.* Qui ita peccat, vt arguendus ſit, is vtique homo impius eſt: Sed quidam frater ita peccat: E. quidam frater impius eſt &c. *Conſequentia* probatur: quia frater credentium eſt Filius Dei, adeoque verum eccleſiæ membrum. Reſp. Impius dicitur, qui peccatis indulget, & in iisdem perſeuerat. Frater credentium & ſanctorum poteſt a carne vinci, & in peccata prolabi, ſed non pergit, aut perſeuerat in peccatis; verum reſurgit per pœnitentiam. Quam ob rem tamdiu habetur frater, quamdiu ſpes vlla emendationis affulget; hac euaneſcente, tanquam ethnicus extra ſocietatem ſanctam eiiciendus eſt.

V. Omnis baptizatus eſt membrum eccleſiæ: Quidam homines impii ſunt baptizati: E. Reſp. Omnis baptizatus eſt verum membrum eccleſiæ, quamdiu vitam baptiſmo dignam agit. Quod cum non faciat impius, fit membrum mortuum.

VI. Quicunque ſtatuunt, vera eccleſiæ membra eſſe tantum homines ſanctos, illi in hæreſin *Donatiſtarum & Anabaptiſtarum* præcipites feruntur: Atqui *Lutherani* &c. Ergo. Reſp. *Donatiſtæ & Anabaptiſtæ* aſſerunt, vera eccleſiæ membra eſſe homines *perfecte ſanctos*, nullaque macula notatos; nos autem ſanctitatis humanæ in via huius vitæ *imperfectionem* agnoſcimus & ſtatuimus, credentibus, prolapſis in peccata mortifera, reditum patere ad pœnitentiam & ſtatum gratiæ.

Quæſt. XV. *Suntne catechumeni ante ſuſceptum baptiſmum vera eccleſiæ membra?*

*Catechumeni*, notitia Chriſtianæ religionis imbuti, *etiam ante perceptum baptiſmum*, ſunt vera & viua membra eccleſiæ. *Catechumeni.*

Prob. 1) Quia catechumeni doctrina Chriſtiana informati, *ex prædicatione euangelii fidem acceperunt*, Rom. X, 17. per fidem autem ſunt filii Dei, atque adeo etiam filii eccleſiæ. Nam qui ſpiritualiter regenerantur, eorum Pater eſt Deus, eccleſia mater, Gal. IV, 26.

2) Item participes ſunt bonorum eccleſiæ, ſcilicet remiſſionis peccatorum & renovationis Spiritus S.

3) Latro in cruce, Valentinianus Imperator, & martyres ante ſuſceptum baptiſmum ad tormenta rapti, facti ſunt ciues eccleſiæ triumphantis. Ergo etiam fuerunt ciues eccleſiæ militantis.



Digitized by Google

Quæſt. XVI. *Suntne homines excommunicati membra eccleſiæ?*

*Excommunicati.* Homines *iuſtis de cauſſis* excommunicati, *non* ſunt *membra* eccleſiæ a). At vero *iniuſte* excommunicati non deſinunt eſſe *membra catholicæ eccleſiæ*, etiamſi ex *viſibili & particulari* eccleſia eiiciantur b).

Prob. a. 1) Homo *iuſtis de cauſſis* excommunicatus eſt impœnitens, caretque fide, tanquam ratione formali membrorum eccleſiæ. Quocirca, iudice Chriſto, habendus eſt pro ethnico, Matth. XVIII, 17. & monitore Paullo, tollendus eſt de medio eccleſiæ, 1 Cor. V, 13.

2) Eſt itaque excommunicatio nihil aliud, quam eiectio extra eccleſiam, ſimilis morti, per quam homines plane ſeparantur a tota republica. *).

Prob. b. *Illicita* excommunicatio non lædit notatum, ſed contemnat excommunicantem. Neque enim hominum iudicio ab eccleſia catholica ſeparari poteſt, qui per impœnitentiam & incredulitatem ab ipſa ſe non ſeparauit. Prædixit Chriſtus Apoſtolis: Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, *a ſynagogis alienos vos facient*, Io. XVI, 2. Apoſtoli autem per illicitam Iudæorum excommunicationem non deſierunt eſſe membra eccleſiæ; quippe quos Chriſtus efficaciſſimo ſolatio erexit, inquiens: *Beati eſtis, quando homines odio habebunt, & ſeparabunt vos*, Luc. VI, 22.

Quæſt. XVII. *Suntne ſchiſmatici vera eccleſiæ membra?*

*Schiſmatici* Qui *ſcientes & volentes* ex mera malitia contra conſcientiam, propriarum virtutum admiratione, ac aliis ægre faciendi animo inſtigati, turbas in eccleſia excitant, illi *non* ſunt *vera* eccleſiæ *membra* a). Sed qui ab aliqua eccleſia iniuſte excommunicati diſcedunt, & cum ea communicare deſinunt, illis ſicut culpa ſchiſmatis imputari nequit, ita non deſinunt eſſe vera eccleſiæ membra b).

Obſ. I. Per *ſchiſma* hic denotatur diuiſio eccleſiæ in partes, ſublata mutua caritate & pace, quoad actualem communicationem eccleſiaſticam, quæ inter ſpirituales fratres & domeſticos fidei eſſe debet **).

Obſ. II. Oritur ſchiſma a) *ex diſſenſu doctrinæ in fundamento fidei.* Nam deficiente vnione fidei per diſparitatem profeſſionis fidei externæ, deficit actualis communio eccleſiaſtica, & pertinax defenſio erroris cum fundamento fidei pugnantis, neceſſario etiam infert reatum ſchiſmatis: prout etiam olim hæretici ab eccleſia orthodoxa excommunicati fuerunt, qui turbam ſectatorum nacti, peculiares cœtus religionis cauſſa conſtituerunt. b) *Ex diſſenſu in partibus doctrinæ minus neceſſariis.* Tale fuit ſchiſma inter eccleſiam Romanam & Africanam, tempore STEPHANI, Epiſcopi Romani, & CYPRIANI, Epiſcopi Africani. CY-

PRIANVS

*) At illa tamen ſeparatio a ſacra ſocietate nunquam fieri debet ſine vlla ſpe recuperandæ communionis. Homines maxime ſcelerati non prorſus excluduntur beneficiis gratiæ ſalutaris. Semper illis, ſi reſipuerint, reditus ad eccleſiam patebit. 1 Corinth. V, 3. 4. 5. add. 2 Cor. II, 6. 7. 8.

**) Nomen hoc, *ſchiſma*, interdum latius patet, vt quamuis diſſenſionem ac diſceſſionem, cum contumacia coniunctam, denotet, adeoque etiam *hæreſin* ſuo ambitu contineat. Ampliſſima hac ſignificatione hanc vocem nunc vſurpat Vir beatus. Plerumque vero *ſchiſma* ab *hæreſi* diſcernitur. Inter σχίσμα & αἵρεσιν hoc maxime intereſt, quod *illud* quidem eſt ſingularis quædam & contumax opinio, quæ aduerſatur rebus externis ac ritibus, communi eccleſiæ conſenſione comprobatis; *hæc* autem eſt error capitalis, momentoſæ cuidam, aut pluribus doctrinæ partibus contrarius, animoque obſtinato defenſus. Conueniunt tamen in eo: quod vtrinque eſt 1) arrogantia & contumacia, 2) diſceſſio a recta & communi ſententia.

Digitized by Google

PRIANVS enim hæreticos, & ab hæreticis baptizatos, ſi ad eccleſiæ gremium redire vellent, rebaptizandos eſſe ſtatuit: STEPHANVS contra tantum impoſitione manuum recipiendos eſſe aſſeruit. Vid. EVSEB. *libr. VI. hiſt. eccleſ. c* I. c) *Ex diſſenſu in cærimoniis.* Sic VICTOR, Epiſcopus Romanus, cauſſam ſchiſmati dedit inter eccleſiam Romanam, & Aſiaticas, de die paſchatis diſſentientes. Vid. EVSEB. *libr. V. hiſt. eccleſ. c.* I. d) *Ex diſſenſu in iis, quæ ad regimen eccleſiaſticum pertinent.* Quale ſchiſma vel diſſidium exortum eſt inter Epiſcopos orientales, & IVLIVM, Papam Romanum; hoc dominatum in illos affectante, illis autem libertatem ſuam maſcule tuentibus. Vid. SOZOM. *libr. III. c XIII.*

Prob. a. *Proprie* dicti *ſchiſmatici* ſunt, qui ſuapte ſponte & deſtinata opera ſe diuellunt ab eccleſia, & in ea temere turbas excitantes, nihil aliud vniuerſo ſuo conatu ſpectant, quam vt vnitatem eccleſiæ ſcindant. In quo ſchiſmaticorum genere cenſeri poteſt MARCION; quippe qui apud EPIPHANIVM, *hæreſi XLIII.* dixiſſe fertur: Σχίσω τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βάλω Χίσμα ἐν ἀυτῇ ἐις τὸν ἀιῶνα: *Ego ſcindam veſtram eccleſiam, & ſchiſma mittam in eam in æternum.* Quod genus ſchiſmaticorum iure iuſtiſſimo negatur eſſe pars eccleſiæ. Verorum enim eccleſiæ membrorum eſt, & cum capite Chriſto arcte coniungi, & vinculo caritatis connecti, Eph. IV, 16. Quin immo vel ex pœna, qua in hoc genus ſchiſmaticorum quondam animaduertit Deus, manifeſtum eſt, indignos eſſe hos ſchiſmaticos, qui inter membra eccleſiæ numerentur. Etenim ſchiſma Dathanis, Corachi & Abirami hiatu terræ vindicatum eſt, ſectatoribus igne cœleſti abſumtis, Num. XVI, 32. ſeqq.

Prob. b. Qui *iniuſte* excommunicantur, quod errores pro articulis fidei obtruſos recipere nolunt, conſcientia reclamante, illis culpa ſchiſmatis non eſt imputanda, propterea, quod non ex malitia ab eccleſia ſe auertunt, ſed per vim maiorem expelluntur. Sic *Proteſtantes* Auguſtanæ Confeſſ. addicti, non ſunt e cenſu ſchismaticorum; quia ſchiſma non fecerunt, ſed paſſi ſunt: Non ſuapte ſponte ab eccleſia Romana ſe diuulſerunt, ſed per iniquam excommunicationem Pontificum Romanorum, & per fraudes atque ſæuitiam doctorum falſam doctrinam profitentium, ex eadem eiecti ſunt. Quamuis itaque ab eccleſia particulari diſcedere coacti ſint, manent tamen vera membra eccleſiæ catholicæ.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, Proteſtantes hæreſeos & ſchiſmatis inſimulantium, & negantium, eos eſſe vera eccleſiæ membra. Quorum argumenta ſunt:

I. A communione ſedis apoſtolicæ Romanæ nemo diſcedere poteſt abſque hæreſeos, aut ſchiſmatis crimine, cum eccleſia Romana ob veram & catholicam fidem commendetur, Rom. I, 8.*) Reſp. 1) Diſt. inter *eccleſiam Romanam puram*, qualis erat tempore Paulli, & *eccleſiam Romanam corruptam*, qualis noſtris eſt temporibus. Non ab illa, ſed ab hac diſceſſerunt Proteſtantes. Non omnes, qui a communione ſedis Romanæ diuelluntur, ſunt hæretici, aut ſchiſmatici. Nam VICTOR, Epiſcopus Romanus excommunicauerat eccleſias Aſiaticas, quod paſcha decima quarta luna celebrarent, referente EVSEBIO *libr. V. hiſt. eccleſ. c. 25.* neque tamen Patres ſancti, qui id temporis curam animarum gerebant, iisdem crimen hæreſeos aut ſchiſmatis impegerunt. Papa STEPHANVS CYPRIANVM, & omnes, qui cum ipſo faciebant, fraterna communione excluſit, teſte DIONYSIO, Epiſcopo Alexandrino, apud Euſebium *libr. VII. hiſt. eccleſ. c.* I. quos tamen alii epiſcopi hæreſeos aut ſchiſmatis non damnarunt.

 II. Qui-

*) Ea vero nec vnice, nec præcipue: namque alii etiam cœtus, Chriſto conſecrati, eamdem ob cauſſam commendantur, multoque ſignificantius dictum eſt illud, 1 Theſſ. I, 7. 8.

Digitized by Google

II. Quicunque diſſoluit vnitatem eccleſiæ, is eſt ſchiſmaticus: LVTHERVS, & qui ab eo ſtant, diſſoluerunt &c. Ergo. Reſp. Non LVTHERVS, & qui ab eo ſtant, ſed Pontifices Romani & eorum paraſiti, vnitatem eccleſiæ diſſoluerunt, Proteſtantes Aug. Confeſſ. addictos, chriſtiana & fraterna communione excludendo, iuxta atque igne & ferro perſequendo.

Quæſt. XVIII. *Quis eſt caput eccleſiæ?*

*Caput eccleſiæ.*

*Caput* eccleſiæ eſt *Chriſtus* θεάνθρωπος a), non ſolum ob *eminentiam* & perfectionem præ membris, verum etiam *præcipue* ob *influxum* moralem & phyſicum, ſiue realem b), quem is ſecundum vtramque naturam c) in membra ſui corporis myſtici præbet.

Obſ. Eccleſia eſt ens per aggregationem cum ordine, vbi aliquis ſummus eſt, a quo cæteri dependent. Is, a quo eccleſia dependet, dicitur *caput*, metaphorice & per ſimilitudinem a capite corporis humani deſumtam, & hic quidem non quoad *materialem conceptum capitis*, prout eſt *pars* corporis integralis, atque eandem cum cæteris membris relationem ad totum corpus habet (non enim ſatis commode Chriſtus *membrum* eccleſiæ dici poteſt, cum ab hac nullatenus dependeat,); ſed *formaliter*, *in quantum caput principium directiuum corporis eſt*, & influxu ſuo corpus totum & omnia ipſius membra regit, fouet & adiuuat.

Prob. a. Chriſtus diſerte dicitur *caput corporis eccleſiæ*, Col. I, 18. quippe quem Deus *dedit caput ſuper omnia eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus implet*, Eph. I, 22. 23. *Chriſtus eſt caput: ex quo totum corpus probe coagmentatum, & cohærens per omnes iuncturas ſubminiſtrationis, iuxta efficaciam in menſura vnius cuiusque partis augmentum corporis facit in ædificationem ſui ipſius in dilectione*, Eph. IV, 16.

Prob. b. *Influxus*, quem Chriſtus præſtat in membra eccleſiæ, eſt duplex: 1) *Moralis*, qui in eo conſiſtit, quod Chriſtus virtute meriti ſui acquiſiuit omnia bona ſpiritualia. Hoc ſignificat Apoſtolus, Eph. I, 3. vbi ait: Deum *benedixiſſe nobis omni benedictione ſpirituali in ſupracæleſtibus in Chriſto.* 2) *Phyſicus*, in oppoſitione ad moralem ſic dictus, ſiue *realis* eſt, quem Chriſtus præbet in membra eccleſiæ *effectiue*, per actiones in ipſis terminatas, fidem, caritatem & alias virtutes chriſtianas accendendo, augendo, confirmando, mentes anxias ſolando, titubantes ſuſtentando, errantes reducendo, omnes ac ſingulos in vitæ curſu gubernando. Qui influxus in ſubſtantia ſua ſupernaturalis eſt, nec niſi ab eo, qui infinita pollet potentia, & verus Deus eſt, tanquam a capite & cauſſa principali dependere poteſt.

Prob. c. Chriſtus eſt *caput eccleſiæ ſecundum vtramque naturam.* 1) *Secundum humanam naturam;* quia ſicut in corpore humano caput *conforme* eſt membris, ita in Chriſti corpore myſtico caput membris in natura conforme & verus homo eſſe debuit. Et ſicut in corpore humano *caput pars prima eſt*, & ſupremum locum obtinuit, ita Chriſtus non tantum qua *Deus*, ſed etiam qua *homo*, in eccleſia ſua dignitate præ aliis eminet & primarium obtinet locum, quod innuit Apoſtolus, Col. I, 18. inquiens: *Chriſtus eſt caput corporis eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt fieret in omnibus ipſe primatum habens.* His accedit, quod ſicut in corpore humano caput eſt *perfectius* aliis partibus, quia in eo omnes ſenſus ſunt, & ſeſe exſerunt; ita Chriſtus etiam ſecundum *humanam* naturam perfectione ſuperat omnia corporis myſtici membra, ideo, quod *omnis plenitudo diuinitatis in eo habitat* σωματικῶς, Col. II, 9. 2) *Secundum diuinam naturam* vero; quia influxus, quem velut caput in membra præbet, virtutis infinitæ eſt, quæ diuinæ naturæ competit formaliter, aſſumtæ humanæ communicatiue. Præſtat autem Chriſtus hunc influxum in membra corporis myſtici

Digitized by Google

myſtici per ordinaria media, ſcilicet *per verbum & ſacramenta.* Per hæc enim ſub initio eccleſia eſt plantata, & poſtea longe lateque propagata, & in hunc vſque diem conſeruata, adeoque etiam per illa media gratiæ & ſalutis illuminabitur, ſanctificabitur & conſeruabitur vſque ad finem mundi. Per eadem media a capite Chriſto in eccleſiam redundant dona vberrima, cum *miniſtrantia*, tum *ſanctificantia*, quibus exornantur cum omnes fideles, tum in primis antiſtites eccleſiæ, Apoſtoli, Prophetæ, Paſtores & Doctores, quorum miniſterio Chriſtus vtitur in diffundendo gratioſo ſuo influxu, Eph. IV, 11.

Quæſt. XIX. *Daturne præter Chriſtum aliud, idque viſibile caput, quod loco Chriſti vniuerſam eccleſiam viſibiliter gubernet?*

*Præter Chriſtum* aliud quoddam eccleſiæ caput, quod *vice Chriſti* vniuerſam eccleſiam *viſibiliter* gubernet, *neque* ex neceſſitate a), *neque* ex libera Chriſti voluntate & inſtitutione b) *agnoſcendum eſt.* ***Caput eccleſiæ viſibile negatur.***

Obſ. Non quæritur: An detur præter Chriſtum aliud caput eccleſiæ, quod in hanc præbeat *internum influxum*, a quo vitam ſpiritualem habeat: agnoſcunt enim *ſaniores Pontificii*, quoad *influxum interiorem*, præter Chriſtum non dari aliud eccleſiæ caput. Sed quæritur: An ratione *externi ordinis & gubernationis* detur aliquod viſibile eccleſiæ caput, quod Chriſti vices in terris gerat, ſupremam auctoritatem & poteſtatem in vniuerſam per totum terrarum orbem diffuſam eccleſiam obtineat, vt eius decreta ac deciſiones in rebus eccleſiæ fideles omnes audire, in iisque citra hæſitationem acquieſcere teneantur.

Prob. a. 1) Non ex neceſſitate requiritur viſibile eccleſiæ caput, a quo velut ſacra quædam monarchia regatur. Quemadmodum enim rerumpublicarum formæ ſimplices, eæque rectæ, tres ſunt, monarchia, ariſtocratia & democratia, & vnaquæque reſpublica convenienter ad ſalutem publicam gubernari & conſeruari poteſt: Ita & eccleſia, ex parte regiminis externi ſpectata, non ſolum per caput vnum, ſed etiam per plures epiſcopos poteſtate inter ſe pares, per modum regiminis ariſtocratici gubernari & conſeruari poteſt, vt de neceſſitate non ſit, eam gubernari viſibiliter per vnum caput viſibile.

2) Chriſtus ſecundum vtramque naturam eſt caput eccleſiæ omnipotens, omniſapiens, omnipræſens, adeoque vicario non indiget.

3) Quas functiones habet caput, vnus homo mortalis eccleſiæ vniuerſæ præſtare nequit. Neque enim recte vnus φιλάνθρωπος dominari omnibus poteſt, nec inſtituere ſacramenta, nec condere articulos fidei, nec χαρίσματα Spiritus S. erogare, nec motum ſenſumque abſens dare, nec defendere omnia eccleſiæ membra, nec ſpirituali nexu vnire, nec ab omnibus infallibilitate diuina audiri poteſt.

Prob. b. 1) Si Chriſtus in cœlum aſcenſurus eccleſiam Apoſtolis ita plantandam & gubernandam commiſit, vt æqualem omnibus dederit poteſtatem: ſequitur, quod nullum conſtituerit eccleſiæ caput viſibile, cui præ aliis ſingularis aliqua poteſtas fuerit conceſſa: Antecedens eſt verum: Ergo & conſequens. *Conſequentia* clara eſt; qui enim eandem & prorſus æqualem poteſtatem a Chriſto acceperunt, eorum nullus præ aliis ſingularem accepit poteſtatem, per quam viſibile caput eccleſiæ ſit conſtitutus. *Antecedens* probatur ex Matth. XXVIII, 19. *Euntes docete omnes gentes &c.* Hic Saluator breui ante aſcenſionem in cœlum inſtruit Apoſtolos de iis, quæ poſt aſcenſionem in eccleſia plantanda & gubernanda obſeruare debeant, & omnibus æqualiter mandat, vt doceant gentes, vt baptizent, vt moneant homines ſeruare omnia, quæ præceperat ipſis. Nullius hic mentio fit ſingularis poteſtatis vni ex Apoſtolis præ aliis conceſſæ, per quam viſibile caput eccleſiæ conſtitutus fuerit. Deinde

Aaa aaa aa 3 antecedens

Digitized by Google

antecedens probatur ex Io. XX, 21. vbi Chriſtus in genere alloquitur Apoſtolos: *Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos.* Æqualiter hic mittit Apoſtolos ad plantandam & gubernandam eccleſiam; neque dicit, quod vnum ex illis digniori modo mittat, quam alios, qui ſcilicet viſibile caput eccleſiæ eſſe debeat. V. 23. dicit Chriſtus: *quorumcunque peccata remiſeritis, remittuntur eis.* Hic rurſus æqualiter Chriſtus Apoſtolis poteſtatem clauium committit, nec vni maiorem, quam alteri poteſtatem concedit, per quam eccleſiæ caput viſibile eſſe debeat.

2) Paullus 1 Cor. XII, 28. & Eph. IV, 11. totum a Chriſto inſtitutum ordinem hierarchicum recenſet; neutrubi tamen capitis viſibilis, cui in vniuerſam eccleſiam ſuprema conueniat poteſtas, vllam facit mentionem, ſed in ordine hierarchico primum locum tribuit Apoſtolis poteſtate & officio paribus.

3) Idem Apoſtolus, quando corpus eccleſiæ a Chriſto capite diſtinguit, fideles omnes, cuiuscunque ſint ſtatus & conditionis, non ſolum in ordine ad Chriſtum membra vocat, ſed etiam inter ſe comparatos dicit eſſe *ἀλλήλων μέλη*, hoc eſt, ſibi inuicem membra, Rom. XII, 5. E. nullus ex iis, qui ſub Chriſto ſunt, aliorum caput eſt.

4) Quamuis laudatus Apoſtolus ſæpius agat de capite eccleſiæ, Col. I, 18. Eph. I, 21. c. IV, 15. nuſpiam tamen aliud caput præter Chriſtum nominat. Sane in eccleſia daretur caput aliquod viſibile, Apoſtolus dixiſſet, illud a Deo vel Chriſto poſitum eſſe. At nusquam dicit, caput vicarium eccleſiæ locum habere.

5) Nec Apoſtolorum tempore, nec poſtea, aliquot ſæculis, quiſquam inuentus fuit, qui ſuperioritatem & partes capitis viſibilis in eccleſiam vniuerſam ſibi ſumeret, aut ſibi de iure diuino competere diceret. Haud ex vano ſcripſit GREGORIVS M. *libr. 6. epiſt.* 30. *Quicunque ſe vniuerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſto præcurrit.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, præter Chriſtum aliud caput eccleſiæ, idque viſibile dari. Quorum argumenta ſunt:

I. Omne corpus viſibile debet habere caput viſibile: Eccleſia eſt &c. Ergo. Reſpond. 1) Eccleſia vera & ſincera eſt *inuiſibilis;* quia eſt *corpus* myſticum & *ſpirituale*, vinculo fidei capiti Chriſto coniunctum, quod formaliter conſideratum non cadit ſub ſenſus, ſed fide creditur. Eccleſia quælibet particularis, prout conſtat ex vere credentibus, & admixtis hypocritis, viſibilis eſt quidem; ſed eccleſia vniuerſa videri nequit, adeoque caput vniuerſale viſibile non requirit. 2) Quamuis Chriſtus vsque ad extremum mundi diem eccleſiæ militanti præſentiam viſibilem ſubtraxerit, præſentiſſime tamen eandem regit per paſtores & doctores velut organa & miniſtros ſuos. 3) Non neceſſe eſt, vt caput ſocietatis ſemper videatur. Carolus V. multis annis non viſus eſt in Hiſpania, quam tamen proſpere gubernauit.

Inſtantia. Cum Rex non videtur, pro-rege opus eſt. Reſp. 1) Quod regna ſæcularia pro-reges requirant, cauſſa eſt regis impotentia, ignorantia & abſentia. At Chriſtus eſt caput ſui corporis myſtici & rex regni ſui ſpiritualis omnipotens, omniſcius, omnipræſens. Proinde non indiget capite vicario aut pro-rege. 2) Regna ſæcularia non neceſſario exigunt pro-regem, a quo omnes miniſtri regis dependeant.

II. Quodcunque regimen eſt optimum & perfectiſſimum, illud ex voluntate Dei optimi & perfectiſſimi competit eccleſiæ: Atqui regimen monarchicum eſt optimum & perfectiſſimum: Ergo. Reſp. 1) Concedi poteſt totum argumentum; quia Chriſtus eſt hieromonarcha per certa organa & miniſtros eccleſiam gubernans. 2) *Conſequentia* eſt inualida. Si enim firmiter concludis: forma regiminis monarchica ſemper & vbique eſt optima & perfectiſſima: E. eadem debetur eccleſiæ catholicæ; eadem ratione colligam: Ergo eadem debetur reipubli-

Digitized by Google

reipublicæ Venetæ, Helueticæ, Batauæ. Sane non videndum eſt hic, quæ forma ſit perfectior, aut præſtantior, ſed quam ſubiecta materia ferre poſſit. Forma calcei viris robuſtis æqua, eſt perfectiſſima, neque tamen apta pueris, aut puellis.

Quæſt. XX. *An Apoſtolus Petrus fuit caput eccleſiæ viſibile, & primatum poteſtatis ac iurisdictionis in vniuerſum Chriſti eccleſiam habuit?*

Chriſtus *nunquam conſtituit Apoſtolum Petrum caput vniuerſum* ſuæ eccleſiæ, *neque primatum poteſtatis ac iurisdictionis* in eccleſiam catholicam ipſi conceſſit. ***Nec fuit Petrus.***

Prob. 1) Chriſtus in cœlum aſcenſurus eccleſiam plantandam & gubernandam commiſit non ſoli Petro, ſed omnibus Apoſtolis, iisque parem tribuit poteſtatem, Io. XX, 21. 23. Matth. XXVIII, 19.

2) Tantum abeſt, vt Chriſtus primatum poteſtatis Petro conceſſerit, vt Apoſtolis altercantibus inter ſe, & de primatu contendentibus dixerit: *Scitis, quod principes gentium dominentur illis, & magnates poteſtatem habeant in eas. Verum non ita erit inter vos; ſed quisquis voluerit inter vos magnus fieri, eſſe debebit veſter miniſter: & quisquis voluerit eſſe primus, eſſe debet veſter ſeruus*, Matth. XX, 25.

3) Si licuit diſcipulis, Petrum non tantum mittere in Samariam, ſed etiam cum ipſo contendere, vt ipſe in propria perſona obnoxius fuerit eorum accuſationi & examini, vtique non fuit ſummus eccleſiæ monarcha: At verum eſt antecedens. Vid. Act. VIII, 14. Gal. II, 11. E. & conſequens. Præterea nemo œcumenicum eccleſiæ Epiſcopum reprehendere & dicere poteſt: Papa, quid facis? At Paullus Petrum reprehendit, eique in faciem reſtitit, Gal. II, 11. ſeqq. Denique œcumenicus Pontifex errare non poteſt, ſi *Pontificiis* credere fas eſt. At Petrus errauit, & ideo reprehenſionem Paulli incurrit *).

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, aſſerentium, Petrum a Chriſto conſtitutum fuiſſe caput eccleſiæ viſibile, & Epiſcopum œcumenicum. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Super quem vniuerſa eccleſia tam ſolide ædificata eſt, vt portæ inferorum ipſi prævalere nequeant, is eſt caput & monarcha eccleſiæ: Atqui ſuper Petrum &c. Matth. XVI, 18. Ergo. Reſp. Verba textus ſunt: *Quinimmo vere ego tibi dico: tu es Petrus, & ſuper hanc eandem petram ædificabo eccleſiam meam.* E quibus verbis patet, quod *Petrus* non ſit *petra*, ſed quod *confeſſio*, quam Petrus edidit, & Chriſtus adhuc laudat, ſit illa petra, a qua Petrus denominatur. Neque enim dicit Chriſtus: *Tu es petra, & ſuper hac petra ædificabo*; ſed: *Tu es Petrus*, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω, *& ſuper hac eadem petra ædificabo.* Commendauerat Chriſtus v. 17. confeſſionem Petri, quam ediderat de Chriſto: *Tu es Chriſtus, ille Filius Dei viuentis.* Dixerat Chriſtus, hanc confeſſionem eſſe diuinæ reuelationis: addere voluit, quod eadem ſit fundamentum Petri & eccleſiæ. Senſus ergo verborum eſt: *Tu es* πέτρος *vir ſaxeus. ſtans ſuper confeſſione tua velut ſuper ſaxo*, aut *petra* firmiſſima: *& ſuper hac petra ædificabo eccleſiam meam*, vt ſit ſaxea, immobilis & inexpugnabilis, quamdiu ſuper hac confeſſione vel doctrina (*quod ego ſim Chriſtus, filius Dei viuentis*) ſtabit, velut ſuper petra immobili **).

II. *Petro*

*) Petrus ipſe non ita arroganter de ſe ſentit, vt tantam ſibi excellentiam præſtantiamque tribuerit. Συμπρεσβύτερον ſe ipſe nominat, eoque ipſo æquali ſe conditione eſſe profitetur, in prior. litteris V, 1.

**) Prorſus eo modo veterum Doctorum & plurimi, & principes, præſertim ORIGENES, CYPRIANVS, CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS, HILARIVS, BEDA, verba Chriſti interpretati ſunt, quos commemorant Maiores noſtri in *articulis Smalcald. tract. de poteſt. & prim. Papæ*, pag. 345.

Magna

Digitized by Google

II. *Petro concreditæ ſunt claues regni cœlorum*, Matth. XVI, 19. Ergo ipſi commiſſus eſt principatus eccleſiaſticus. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia, quando vrbes deduntur alicui principi, offeruntur ipſi claues in ſignum ſubiectionis. Reſp. 1) Chriſtus dedit claues Petro, *non vt principi*, ſed vt *miniſtro* & œconomo. Iam vero non ſolus Petrus, ſed *etiam reliqui Apoſtoli* œconomi a Chriſto fuere conſtituti, 1 Cor. IV, 1. Ergo etiam reliquis Apoſtolis claues Petro hic promiſſæ fuere datæ. Præterea poteſtas œconomi non eſt αὐτοκρατορικὴ, monarchica & abſoluta, ſed διακονικὴ, miniſterialis & reſtricta. 2) Per claues deſignatur ordinaria miniſterii poteſtas ſoluendi & ligandi, ſiue remittendi & retinendi peccata, quæ omnibus Apoſtolis pariter cum promiſſa, tum collata eſt, non autem ſumma poteſtas eccleſiaſtica. Nempe ſicut omnibus interrogatis, vnus Petrus reſpondit, Matth. XVI, 15. 16: Ita in vno omnibus claues ſunt commiſſæ, & ab omnibus pariter geſtæ, teſte ſcriptura Matth. XVIII, 18. Io. XX, 23.

III. Chriſtus vni Petro, tanquam œcumenico Paſtori & capiti, poſt reſurrectionem non aliquot, ſed omnes agnos & oues, repetitis tribus vicibus paſcendas commiſit, Io. XXI, 15. 16. 17. Ergo Chriſtus conſtituit Petrum vniuerſæ eccleſiæ caput & monarcham. Reſp. 1) Ter vocatur Petrus ad paſcendas oues, vt maculam ternæ abnegationis trina confeſſione quaſi elueret, atque adeo edita trina amoris Chriſti profeſſione in ſacrum munus reſtitueretur. 2) *Paſcendi* munus Petro commiſſum eſt, *non imperium*. Paſcunt antiſtites eccleſiæ præconio verbi & ſacramentorum diſpenſatione, dominatus autem illis interdictus eſt, Matth. XX, 25. 3) Chriſtus non vniuerſaliter oues aut agnos omnes commendauit Petro, ſed indefinite, *paſce*, inquit, *oues meas;* quod *omnibus paſtoribus* pariter iniungitur, Act. XX, 28. 1 Petr. V, 2.

IV. Luc. XXII, 31. dicit Chriſtus ad Petrum: *Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Tu autem conuerſus confirma fratres tuos.* Ergo Chriſtus primatum dedit Petro. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia dum Dominus ſingulariter Petro loquitur, ac pro illo ſe peculiariter rogaſſe dicit, ſatis indicat, hunc futurum reliquorum Apoſtolorum caput. Et *confirmare fratres* conuenit homini, vt eſt caput & princeps aliorum; ſpectat enim confirmatio ad eum, qui maioris munere fungitur. Reſp. 1) Chriſtus pro omnibus Apoſtolis rogauit, ne eorum fides deficeret, Ioan. XVII, 20. Quod autem ſingulariter orauit pro Petro, non arguit monarchicam Petri eminentiam, ſed imminens Petro periculum maius, & lapſum ipſius graviorem. Præſeruatus autem eſt Petrus precibus Chriſti a defectione fidei finali. 2) *Confirmatio fratrum* infirmiorum non infert *principatum* eccleſiaſticum. Nam & Paullus dicit 1 Theſſ. III, 2. ſe miſiſſe Timotheum ad confirmandos Theſſalonicenſes, nec tamen propterea monarchicus primatus Timotheo tribuendus eſt.

V. Apoſtolus Petrus ſemper habitus eſt princeps apoſtolorum ob ſingulares prærogatiuas, quibus eminet. Propterea Euangeliſtæ recenſentes Apoſtolos Petrum primo loco ponunt, Matth. X. Marc. III. Luc. VI. Act. I. Reſp. 1) Petrum prioritate ætatis, aut vocationis, aut zeli, aut ordinis primum dici poſſe, concedimus; ſed ratione poteſtatis, aut iuriſdictionis, in reliquos Apoſtolos primum dici, negamus. Vocat enim ſe συμπρεσβύτερον, 1 ep. V, 1. 2) Galat. II. nominantur columnæ eccleſiæ, primusque locus tribuitur Iacobo

Magna conſideratione etiam hoc digniſſimum eſt, quod Paullus, cum prædicat *ædificatos ſuper fundamento* (hoc eſt, doctrina) *Apoſtolorum* & Prophetarum, nihil ſingulare ac præcipuum Petro adſignat. Eph. II, 20.

Digitized by Google

Iacobo. 3) Paullus multa priuilegia præ Petro habuit. Nam Paullus ſolus a Chriſto de cœlo eſt vocatus, Act. IX, 6. ſolus in tertium cœlum raptus, 2 Cor. XII, 2. ſolus ad gentes miſſus, Act. IX, 15. plura ceteris Apoſtolis ſcripſit, plures eccleſias plantauit, plus ceteris laborauit, 1 Cor. XV, 10. 2 Cor. XI, 23. Curam pro omnibus eccleſiis geſſit, 2 Cor. XI, 28. Vnde Paullus eccleſiæ Chriſtianæ plus profuit, quam Petrus, fatente BELLARMINO *L. I. de Rom. Pontif. c.* 2.

Quæſt, XXI. *Eſtne Pontifex Romanus ſucceſſor Petri, & caput viſibile atque Monarcha catholicæ eccleſiæ?*

*Pontifex Romanus neque* eſt *ſucceſſor Petri* in Epiſcopatu a), *neque eccleſiæ catholicæ caput*, aut Monarcha b). *Nec eſt pontifex Romanus.*

Prob. a. 1) Petrum Romæ fuiſſe, e ſacris litteris euidenter oſtendi nequit. Nam a) Paullus ad Romanos ſcribens, atque ſibi notos ſalutans, c. XVI. nullam plane iniicit mentionem Petri: quem ſane haud præteriiſſet, ſi Romæ fuiſſet. b) Paullus Romam iam adueniens, & a fratribus honorifice exceptus, atque Romæ in ſuo conducto biennium viuens, ne vllo quidem apice teſtatur, Petrum Romæ ſibi viſum eſſe, Act. XXVIII, v. 14. 15. c) Scripſit Paullus ex carcere Romano epiſtolas quaſdam, ſcilicet ad Coloſſenſes, ad Philemonem & poſteriorem ad Timotheum. At in nulla iſtarum epiſtolarum mentionem facit Petri; quinimmo 2 Tim. IV, 16. diſerte ſcribit: *In prima defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt.* Petrus haud dubie adſtitiſſet Paullo, neque eum deſeruiſſet, ſi id temporis fuiſſet Romæ.

2) Quamuis non penitus negemus, Petrum Romæ fuiſſe & docuiſſe, cum id teſtentur Patres, IRENÆVS, EVSEBIVS, ATHANASIVS, TERTVLLIANVS, LEO M., CYPRIANVS, AVGVSTINVS, LACTANTIVS, quos citatos vide in *hiſt. eccleſ.* D. HORNEI *p.* 32. *ſeqq.* infitiamur tamen, Apoſtolum Petrum *proprium* fuiſſe vrbis Romanæ *Epiſcopum*, & in illa vrbe *ſedem papalem* erexiſſe. Nam a) S. Petrus ſe quidem nominat Apoſtolum Ieſu Chriſti, 1 ep. I, 1. & compresbyterum, c. V, 1. nuſquam autem Epiſcopum eccleſiæ Romanæ. Differt autem *Apoſtolus* ab *Epiſcopo*, vt docet CHRYSOSTOMVS in *Matth. Homil.* 19. Nam Apoſtoli erant omnium gentium doctores, & curam omnium eccleſiarum, quas plantarunt, gerebant: At Epiſcopi certis affixi ſunt locis, & curam peculiariter gerunt eccleſiarum particularium. Vnde Epiſcopo Romano tantum cura eccleſiarum ſuburbicarum ab œcumenico concilio Nicæno aſſignata eſt. Apoſtolus Petrus immediate vocatus eſt a Chriſto. Pontifex Romanus immediata vocatione deſtituitur. Petrus Alexandriæ & Antiochiæ epiſcopos ordinauit: id quod Pontifici Romano non permittitur. b) Si Petrus fuit Epiſcopus Romæ, multo magis Paullus Epiſcopus Romanus fuit. Paullus namque fuit Apoſtolus gentium, adeoque etiam Epiſcopus vrbis gentilis Romæ. Petrus vero fuit Apoſtolus circumciſionis, Gal. II, 7. Paullus epiſtola præſtantiſſima Romanos docuit: Petrus ſcripſit epiſtolas ſuas diſperſis fratribus (Iudæis) in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia. Ecquis igitur credat, S. Petrum Romæ erexiſſe cathedram docendi, in qua ipſi Epiſcopus Romanus ſuccedat? Fac, Petrum Romæ cathedram habuiſſe; illam tamen Pontifex Rom. nunquam aſcendit. Nam Petrus fuit præco euangelii: Pontifex Rom. docendi officium in aliorum humeros reiicit. Ergo pontifex Rom. non eſt *ſucceſſor Petri in cathedra docendi.*

3) Pontifex Romanus non eſt ſucceſſor Petri *in doctrina. Petrus* namque S. ſcripturam propter perſpicuitatem commendat, & ad ipſius lectionem adhortatur, 2 Petr. I, 19. *Papa* ſcripturam obſcuritatis accuſat, & laicos ab ipſius lectione arcet. *Petrus* fiduciam



Digitized by Google

ſalutis in vno & ſolo Chriſto collocat, Act. IV, 12. *Papa* docet, ſalutem quærendam eſſe non in ſolo Chriſti merito, ſed etiam in meritis ſanctorum, in meritis ac ſatisfactionibus propriis, in votis monaſticis, in papalibus indulgentiis. *Petrus* docet, remiſſionem peccatorum accipi fide in Chriſtum, Actor. X, 43. *Papa* docet, peccata poſt baptiſmum commiſſa redimi operibus bonis, nec ſola obtineri fide, ſed & ſatisfactionibus propriis. *Petrus* docet, ſolum Chriſtum eſſe eccleſiæ fundamentum & lapidem angularem, 1 ep. II, 6. & vniuerſalem Epiſcopum, v. 25. *Papa* ſeipſum vocat fundamentum eccleſiæ, & vniuerſalem Epiſcopum. *Petrus* docet, Chriſtum ſemel moriendo oblationem pro peccatis huius mundi perfeciſſe, 1 ep. III, 18. *Papa* docet, quod Chriſtus quotidie in ſacrificio miſſæ modo incruento pro peccatis noſtris immoletur. *Petrus* docet, vocationem & electionem noſtram poſſe fieri firmam, 2 ep. I, 10. *Papa* docet, de gratia Dei ac peccatorum remiſſione, adeoque etiam de electione eſſe dubitandum. *Petrus* obedientiam poſtulat erga magiſtratus, 1 ep. II, 13. *Papa* Clericos ſuos ab obedientia magiſtratus eximit iuxta, atque docet, Chriſtianos non poſſe tolerare magiſtratum infidelem, vel hæreticum.

4) Pontifex Rom. non eſt *ſucceſſor Petri in vita & moribus.* *Petrus* dicit: *aurum & argentum non habeo*, Act. III, 6. cuius *Papa* eſt cupidiſſimus. *Petrus* non perinde, ac *Papa* fuit gemmis ornatus, auro tectus, vectus equo albo, ſtipatus milite, circumſtrepentibus ſeptus miniſtris, dicente BERNHARDO *ad Eugenium.* *Petrus* vixit in coniugio, Matth. VIII, 14. 1 Cor. IX, 5. *Papa* vero damnat coniugium Clericorum. *Petrus* fuit pius, ſanctus, caſtus, honeſtus. At quot *Pontifices* fuere impii, ſcortatores, cædium & bellorum auctores?

Prob. b. 1) Pontificem Romanum non eſſe caput eccleſiæ catholicæ patet: quia præter Chriſtum, non datur aliud, idque viſibile, eccleſiæ caput. Vid. ſupra quæſtio XIX.

2) Si eccleſia, quæ eſt corpus myſticum, haberet duo capita, videlicet Chriſtum tanquam caput inuiſibile, & pontificem Rom. tanquam caput viſibile, eccleſia foret corpus biceps, adeoque monſtroſum.

Excipiunt *Pontificii:* Non omne corpus πολυκέφαλον eſſe monſtroſum. Nam vnus homo poteſt habere plura capita, v. g. myſticum, quod eſt Chriſtus; politicum, quod eſt Rex, Princeps vel Magiſtratus; maritale, ſi ſit fœmina: vnde nulla monſtroſitas exſurgit. Reſp. Nullus homo, nullumque corpus poteſt habere plura capita *eiusdem ordinis & reſpectus* ſine monſtroſitate. Sic v. g. quamuis fœmina poſſit habere tria iam commemorata capita, quæ ſunt diuerſi ordinis & reſpectus, in vno tamen eodemque ordine non poteſt habere duo capita, v. g. duo capita maritalia, quin deſinat eſſe legitima vxor, & degeneret in adulteram monſtroſam.

3) Quod nemo Apoſtolorum habuit vel exercuit, id Papa Rom. ſibi arrogare nequit. At principatum eccleſiæ ſibi nunquam, ne titulotenus quidem, arrogarunt, multo minus facto vſurparunt.

4) Quidquid pugnat cum conditione miniſterii eccleſiaſtici, illud quoque Pontifex Romanus a ſe alienum iudicare debet: Atqui principatus pugnat cum conditione miniſterii eccleſiaſtici: Ergo. Minor probatur ex Luc. XXII, 25. & 1 Petr. V, 3.

5) Verum caput eccleſiæ, huic tanquam corpori myſtico oportet eſſe vnitum perpetuoque præſens, vitam, motum ſenſumque largiri, membrorum ſpiritualium ordinem ſancire & tueri, eorum neceſſitates cognoſcere, preces exaudire, difficultatibus conſulere. Eiusmodi verum eccleſiæ caput eſt ſolus Chriſtus, non Pontifex Romanus, *Papa* non ſem-

per

Digitized by Google

per eſt eccleſiæ vnitus, ſed ab ea poteſt auferri; quinimmo ſæpe ſedes Romana vacat Epiſcopo: quo quidem caſu eccleſia orbata capite foret, ſi is veri nominis caput eſſet.

6) Poſt tempora Apoſtolorum vsque ad CONSTANTINVM M. in hiſt. eccleſiaſtica nihil reperitur de viſibili capite eccleſiæ, quod tale fuerit conſtitutum & ab eccleſia agnitum: prioribus tribus ſæculis, vbi eccleſia graues perpeſſa eſt perſecutiones, Epiſcopi ſe pro æqualibus agnouerunt. A tempore autem CONSTANTINI M. vbi tranquillus eccleſiæ ſtatus fuit, eccleſia gubernata eſt per Patriarchas, Metropolitanos & Epiſcopos. Metropolitani ſacris præerant in prouinciæ metropoli, & erant quinque: Romanus, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hieroſolymitanus. *Primatus honoris* conceſſus eſt Epiſcopo Romano, ob eminentiam vrbis Romæ, in qua epiſcopatum gerebat: Roma quippe imperii Romani ſedes & mater erat. At *primatus poteſtatis ac iurisdictionis Epiſcopo Romano de iure non conuenit.* Diſcimus hoc ex *concilii Nicani Can.* VI. cuius verba ſunt: *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolin, ita vt Alexandrinus epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo hoc conſuetum eſt. Similiter in Antiochia & cæteris prouinciis ſua priuilegia & dignitates eccleſiis ſeruentur.*

7) Cum ZOSIMVS, Pontifex Romanus, eiusque ſucceſſores, BONIFACIVS I. & COELESTINVS dominatum in eccleſias Africanas affectarent, & ſub prætextu cuiusdam canonis, quem concilii Nicæni eſſe fingebant, ius quoddam de appellando ab Africanorum iudiciis ad ſedem Romanam prætenderent, Patres Africani repugnabant, ſuaque iura & libertatem ita maſcule defendebant, vt Pontifices ob faſtum ipſorum palam increparent, & quod ad ſtabiliendum dominatum ſuum auctoritate concilii Nicæni abuſi eſſent, acerbe exprobrarent. Epiſtola illorum ad COELESTINVM Papam extat apud ZONARAM & BALSAMONEM in *commentario in canones conciliorum.*

8) Ab eo tempore autem Epiſcopi Romani non deſtiterunt affectare ſupremam poteſtatem in vniuerſam eccleſiam, ſed alii Epiſcopi fortiter reſtiterunt, maxime vero *Conſtantinopolitanus.* Tandem tempore Imperatoris PHOCÆ, hominis ſceleratiſſimi, BONIFACIVS III. Epiſcopus Rom. a PHOCA Imperatore petiit, ſibi confirmari primatum poteſtatis in vniuerſam eccleſiam, quod contigit ſub initium ſæculi VII. Subdole autem hac in re egit BONIFACIVS III. cui notum erat, PHOCAM ob cædem MAVRITII Imperatoris acriter fuiſſe correptum ab Epiſcopo Conſtantinopolitano, & huic PHOCAM eo nomine eſſe infenſum. Quare BONIFACIVS facinus PHOCÆ approbauit, primatusque confirmationem obtinuit. Ex his patet, quod Papa non a Chriſto, ſed a parricida caput & Monarcha eccleſiæ ſit conſtitutus.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, pro principatu eccleſiaſtico Papæ acerrime dimicantium. Quorum argumenta ſunt:

1) Pontifex Romanus eſt ſucceſſor in cathedra Petri, qui a Chriſto conſtitutus eſt viſibile eccleſiæ caput. Reſp. 1) Papa *neque* in *cathedra*, *neque* in *doctrina*, *neque* in *vita & moribus* eſt ſucceſſor Petri. 2) Apoſtolus Petrus principatum eccleſiaſticum nec habuit, nec exercuit vnquam.

2) A temporibus CONSTANTINI M. Epiſcopo Romano ſemper primatus conceſſus eſt: Ergo non poteſt illi principatus eccleſiaſticus derogari. Reſp. Non iure diuino, ſed eccleſiaſtica conſtitutione Epiſcopo Romano primatus conceſſus eſt. Id quod inculcat *Ius canonicum diſt.* 22. ex concilio Conſtantinopolitano: *Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum oportet habere primatus honorem poſt Romanum epiſcopum, propterea, quod eſt noua Roma. Ergo*

 *non*

Digitized by Google

*non ex iure diuino, ſed ex conſtitutione eccleſiaſtica.* Epiſcopus Romanus primatum obtinuit, & quidem non *primatum monarchiæ, poteſtatis, aut iurisdictionis,* ſed duntaxat *honoris,* ac *ſedis.* Quod ſi enim Epiſcopo Conſtantinopol. ſecundus tribuitur locus propter *nouam Romam*, h. e. propter imperium Romanum Conſtantinopolim delatum, ſequitur, Romano Epiſcopo primum honoris locum eſſe datum, quia ibi eſt *vetus Roma,* hoc eſt vetus imperii ſedes. Vnde etiam in *concilio Conſtantinopolitano II. can* 3. conſtitutum eſt, *vt Epiſcopus Conſtantinopolitanus æqualia priuilegia, & parem dignitatis gradum cum Romano habeat.*

3) Qua ratione gubernata eſt eccleſia veteris teſtam. eadem gubernanda eſt eccleſia noui teſtamenti: Atqui illa gubernata eſt ab vno ſacerdote ſummo, tanquam viſibili capite: E. & hæc ita gubernanda eſt. Reſp. Neg. *maior.* Quæ enim conſequentia eſt: Synagoga Iſraëlitica, anguſtis pomœriis definita, gubernata eſt ab vno viſibili capite. E. catholica eccleſia per totum orbem diffuſa, itidem ab vno viſibili capite gubernanda eſt? Perinde, ac ſi colligas: Sculteus pagi (cum DANNHAVERO loquor) poteſt toti pago regendo par eſſe: ergo etiam toti ciuitati, ergo toti regno. Sane populus Iudaicus, tanquam populus vnus, ab vno rectore commodius & facilius regi potuit, quam eccleſia catholica per totum orbem, omneſque populos longe lateque propagata. Ceterum Pontifex V. T. monarchicam poteſtatem non habuit, licet ceterorum ſacerdotum fuerit inſpector, & negotiorum eccleſiaſticorum director: neque fuit typus Pontificis Romani, ſed *ſolius Chriſti,* quamuis hic illo ſit longe maior, nullum admittens ſucceſſorem.

Quæſt. XXII. *Quæ eſt forma interna, per quam cœtus hominum in eſſe eccleſiæ proprie dictæ conſtituitur?*

*Forma interna eccl.* *Forma* eccleſiæ *interna* & eſſentialis conſiſtit in vnione ſpirituali a) vere credentium & ſanctorum, qui cum Chriſto capite per fidem veram ac viuam b), quam conſequitur communio mutuæ caritatis, vt membra eccleſiæ, inter ſe deuinciuntur c).

Obſ. I. D. HVLSEM. in *breuiar. c. XVII. §. 13. p.* 124. formam eccleſiæ eſſentialem ita exprimit: *Forma interna eccleſiæ eſt communio omnium fidelium, de gratia Chriſti iuſtificante & ſanctificante per eadem media, communio eiusdem fidei & profeſſionis circa vtramque illam Chriſti gratiam, & denique communio mutua caritatis. Atque his præcipue de cauſſis dicitur eccleſia vna, ſancta, catholica.*

Obſ. II. Per *vnionem* hic non intelligitur *externa & localis corporum, ſed interna ac ſpiritualis animorum coniunctio.* Quanquam enim fideles etiam locales congreſſus ſacros habeant; illi tamen non ſunt de eſſentia eccleſiæ *).

Prob. a. Eccleſia eſt ens per aggregationem cum ordine, vbi vnus ſupremo loco conſtitutus, alios inferiores regit, &, tanquam caput, reliquum corpus vegetat & gu-

*) Id puto eximie confirmari poſſe his verbis, Matth. XVIII, 20. quorum ſententiam non ſolum de congregatione hominum in vno loco, ſed etiam de conſenſione animorum in vnam rem conſpirantium intelligendam eſſe, planiſſime adparet 1) ex arcta copulatione, v. 19. & 20; hoc enim, συνηγμένοι εἰσί, Chriſtus ipſe ita interpretatur: συμφωνήσωσιν. 2) ex alio dicto, 1 Cor. V, 3. 4 Paullus, corpore quidem abſens, ſpiritu tamen præſens, Corinthiis ſpondet ac pollicetur: συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος.

Digitized by Google

& gubernat. Proinde neceſſe eſt, vt corpus hoc cum capite ſuo firmo vinculo coniunctum ſit.

Prob. b. Per fidem Chriſtus caput cum corpore ſuo myſtico, & ipſius membris vnitur. Nam homines conuerſi & renati Chriſtum recipiunt, Io. I, 12. induunt, Gal. III, 27. & ipſi tam arcte adhærent & quaſi agglutinantur, vt ſint cum ipſo vnus ſpiritus, 1 Cor. VI, 17. Intelligitur autem in præſenti *non fides generalis*, *aut hiſtorica*, *ſed ſpecialis & ſaluifica*, quæ præter notitiam & aſſenſum ex parte *intellectus*, includit etiam ex parte *voluntatis* fiduciam: ſeu actum eiusmodi, quo voluntas acquieſcit in Chriſto mediatore, tamquam bono præſente atque noſtro, & cauſſa alterius boni, nempe remiſſionis peccatorum, & vitæ æternæ conſequendæ.

Prob. c. Sicut fides natura prior eſt caritate: ita neceſſe eſt, vt membra eccleſiæ prius in capite ſuo Chriſto habeant vnionem per fidem, & vnum corpus eccleſiæ conſtituant; deinde autem mutuo amore ſe inuicem complectantur. Sicut autem caritas neceſſario ſequitur fidem: ita omnino requiritur, vt viua eccleſiæ membra ſe mutuo amore proſequantur. Eſt itaque amor mutuus character viui eccleſiæ membri. *In hoc cognoſcent omnes, quod mei diſcipuli ſitis, ſi dilectionem habeatis inuicem*, ait Chriſtus, Io. XIII, 35.

### Quæſt. XXIII. *Quis eſt finis eccleſiæ?*

*Finis* eccleſiæ *proximus* eſt ædificatio, cum corporis totius, tum ſingulorum membrorum a). Finis *vltimus*, ex parte *eccleſiæ*, eſt æterna ſalus b), ex parte *Dei*, lausglorioſæ gratiæ diuinæ c). ***Finis eccleſiæ.***

Prob. a. Deus miſericordiſſimus eo fine eccleſiam colligit & conſeruat, vt membra illius ſe mutuo ædificent docendo, exhortando, corrigendo, conſolando. Dedit quippe *paſtores & doctores in inſtaurationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*, Eph. IV, 12. Quare par eſt, vt vnus Chriſtianus alterum hortetur verbis, & ædificet exemplo, 1 Theſſ. V, 11.

Prob. b. *Chriſtus dilexit eccleſiam & ſeipſum tradidit pro illa, vt ſanctificaret illam, & mundaret lauacro aquæ in verbo, ita vt ſiſteret eam ſibi ipſi ſplendidam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quidquam talium; ſed vt ſit ſancta & irreprehenſibilis.* Abſolute ſancta, irreprehenſibilis & expers rugæ atque maculæ eccleſia erit in futuro ſtatu gloriæ, vbi non tantum interne, ſed etiam externe ſplendida erit, Eph. V, 27.

Prob. c. Sicut Deus finaliter in Chriſtum credentes *elegit*, *vt laudetur gloria gratiæ ſuæ*, Eph. I. 5. 6. ita eccleſiam, ſiue cœtum credentium conuocauit & conſeruat, vt glorioſiſſima gratia ipſius paſſim locorum celebretur.

### Quæſt. XXIV. *Quænam ſunt affectiones, vel attributa eccleſiæ proprie dictæ?*

*Attributa* eccleſiæ, *proprie* dictæ vulgo conſtituuntur quatuor: *Vnitas* a), *ſanctitas* b), *catholiciſmus* c), *apoſtoliciſmus* d). ***Attributa eccleſiæ.***

Prob. a. *Vna eſt eccleſia*, *partim abſolute & in ſe*, *partim excluſiue*, ſiue in oppoſitione ad plures eiusdem ſpeciei cœtus. Notandum enim hic eſt, quod *vnum* dupliciter accipiatur. *Vnum* 1) *idem eſt, ac indiuiſum*: 2) *idem eſt, ac vnicum.* Vtroque modo eccleſia vna dici poteſt. Etenim 1) *eccleſia eſt indiuiſa*; propterea, quod omnia membra eccleſiæ in Chriſto, tanquam capite, vniuntur per fidem in Chriſtum, quæ cum dilectione non ſolum Dei, ſed & proximi, nexu indiuiduo coniuncta eſt. Intelligitur autem dilectio fraterna

terna & reciproca, ita quidem, vt vnio per caritatem *in actu primo*, ſeu φιλαδελφία, inter omnes Chriſtianos locum habeat, tanquam omnino neceſſaria. Quod autem *actum ſecundum* dilectionis attinet, is non ſemper coniunctus eſt fidei, nec abſolute neceſſe eſt, vt eccleſiæ membra ſibi ſemper caritatis opera mutuo exhibeant. Exercitium quippe caritatis per nimiam locorum diſtantiam, ignorantiam, aut infirmitatem impediri poteſt. 2) *Eccleſia etiam* eſt *vnica*: a) quia *non* agnoſcit plures *eiuſdem ſpeciei cœtus* ſimul exſiſtentes; ſiquidem eccleſia catholica eſt cœtus omnium credentium, Chriſto capiti per fidem vnitorum. Si ergo eccleſia, omnes includit credentes, vtique ei non coëxſiſtit alia eccleſia, ſeu alius cœtus credentium, alias eccleſia vniuerſalis non foret cœtus, omnes credentes includens. b) Vna etiam eſt eccleſia catholica; quia *non* agnoſcit *eccleſiam ſuccedentem*; ſiquidem nunquam tota periit, nunquam tota peribit; ſed a primo ſui initio, perpetua credentium ſucceſſione, vsque ad hæc tempora durauit, ſemperque durabit, vsque ad conſummationem ſæculi.

Prob. b. *Sancta eſt eccleſia*: 1) *propter caput ſanctiſſimum*, quod eſt Chriſtus. *Talis enim debebat eſſe noſter Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, a peccatoribus ſegregatus*, Hebr. VII, 27. qui ſanctitatis ſuæ eccleſiam facit participem. *Pro eis ſanctifico me ipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati*, Io. XVII, 19. 2) *Reſpectu membrorum*, quæ ſunt ſancta; a) *Sanctitate imputata*, poſita in remiſſione peccatorum & iuſtitia Chriſti, ob meritum Chriſti fide apprehenſum, in membra eccleſiæ deriuata: b) *Sanctitate inhærente*, quæ in caritate & reliquis virtutibus chriſtianis conſiſtit. Quæ quidem inhærens ſanctitas *imperfecta* eſt in *hac* vita: Sufficit autem, quod *nulla condemnatio ſit iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum*, Rom. VIII, 1. 3) Sancta dicitur eccleſia *ob verbum & ſacramenta*, per quæ media a Spiritu diuino ſanctificatur, iuxta, atque *ob cultum ſanctum*, cui addicta eſt.

Prob. c. Eccleſia dicitur *catholica*: quæ vox habetur in ſymbolo Apoſtolico, ſed non eſt θεόπνευστος. Valet autem καθολικὸν idem, quod καθ' ὅλον, *ſecundum totum*, vel vniuerſum, & dicitur eccleſia catholica, *vel ratione qualitatis, vel ratione quantitatis*. Ratione *qualitatis*; propter doctrinam & fidem, quatenus eam fidem profitetur, quam ſemper vniuerſitas credentium eſt profeſſa: ratione *quantitatis*; ob diffuſionem per vniuerſum terrarum orbem; quatenus non perinde, atque eccleſia vet. teſt. ex peculiari quadam gente, vel natione, ſed ex omnibus gentibus in vniuerſo orbe colligitur. Quam notabilem diſtinctionem enucleatius expoſituri auctores, alii diſtinguunt inter *catholiciſmum internum*, qui eſt fidei ſeu doctrinæ, & *externum*, qui eſt loci, temporis ac perſonarum. Doctrina vero & fides catholica dicitur, quæ ab omnibus omnino ſaluandis requiritur. Confer. D. SCHERZERI *ſyſtem. pag.* 708. Alii obſeruant, quod eccleſia interdum vocetur καθολικὴ prout opponitur hæreſi, h. e. *heterodoxis* eccleſiis: interdum dicatur καθολικὴ in reſpectu & oppoſitione ad *particulares* eccleſias. *Priori* modo, quando eccleſia vocatur καθολικὴ, non idem eſt, ac vniuerſalis; ſed idem eſt, ac *eccleſia vera & orthodoxa*, & appellatur ita a doctrina catholica, i. e. orthodoxa Chriſti & Apoſtolorum doctrina, quæ, cum hæreſes in eccleſia paſſim inualeſcerent, dicta eſt catholica, quatenus a Chriſto & Apoſtolis profecta, omnibus fidelibus commendata, atque vnanimi eorum conſenſu recepta & credita fuit. Hoc ſenſu etiam eccleſia *particularis* doctrinam catholicam, ſiue orthodoxam amplectens, dicitur *catholica*. Sic CONSTANTIVS Imperator eccleſiam *Alexandrinam* vocat *catholicam*, apud SOCRATEM *Libr. II. c.* 18. SOZOMENVS Callinicum appellat Epiſcopum *catholicæ* eccleſiæ, quæ in Peluſio eſt, *Lib. II. c.* 24. *Poſteriori* modo, quando eccleſia dicitur καθολικὴ, nempe in ordine ad particulares eccleſias, idem eſt, quod *vniuerſalis eccleſia*, & hoc modo ad eccleſiam catholicam non ſufficit, quod Chriſti & Apoſtolornm doctrinam amplectatur, quia

hanc

Digitized by Google

hanc etiam particularis eccleſia recipit, ſed requiritur inſuper ad catholicam eccleſiam, vt omnes credentes omnium locorum & temporum ambitu ſuo includat. Conf. D. HVLSEM. *manuale* in *A. C. p.* 258. & D. BECHMANNI *inſtit. theol. p.* 575. Alii annotant, quod eccleſiæ catholiciſmus *primario* & per ſe æſtimandus ſit ex conſenſu cum doctrina Prophetarum & Apoſtolorum, nec non conſpiratione illa fidei, quam Deus vniformiter operatur in omnibus, qui eccleſiæ adhærent: *Secundario* ex amplitudine locorum, & diffuſione per omnes populos. Conf. D. IO. ADAMI OSIANDRI *colleg. ſyſtem. P. VII. p.* 30. Nam ratione actualis diffuſionis per omnia loca & populos, ne apoſtolica quidem & primitiua eccleſia fuit catholica, quamuis per omnes populos fuerit diffundenda, atque adeo parata omnes in ſinum ſuum recipere, ſine diſcrimine nationis, ſexus aut ſtatus.

Ceterum *catholiciſmus locorum*, *perſonarum ac temporum* eccleſiæ *noui* teſt. proprietas eſt, & quidem *totius*, per quam differt ab eccleſia *veteris* teſt. quæ ad populum Iudaicum erat reſtricta, & a particularibus cœtibus quibuſuis.

Prob. d. *Apoſtolica* dicitur eccleſia, *partim* quod plantata ſit ab Apoſtolis, *partim* quod traditam ab Apoſtolis doctrinam ſalutis amplexa & *ſuperſtructa* ſit *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, immo, angulari lapide exſiſtente, Ieſu Chriſto*, Eph. II, 20.

Quæſt. XXV. *Quid eſt eccleſia late, improprie & ſynecdochice dicta?*

Eccleſia *late*, *improprie & ſynecdochice* accepta, eſt cœtus promiſcuus hominum, ad regnum Dei & ſpiritualium ac cœleſtium bonorum participationem, mediante verbi miniſterio vocatorum, atque in externa eiusdem doctrinæ profeſſione conſentientium in Dei laudem & ipſorummet vocatorum ſalutem æternam. *Definitio eccleſiæ late & improprie dictæ.*

Obſ. I. PHIL. MELANCHTHON *Part. III. Loc. theol. pag.* 116. deſcribit eccleſiam *late* acceptam, quod ſit *cœtus viſibilis amplectentium euangelium Chriſti & recte vtentium ſacramentis, in quo Deus per miniſterium euangelii eſt efficax, & multos ad vitam æternam regenerat, in quo cœtu tamen multi ſunt non renati, ſed de eadem doctrina conſentientes.*

Obſ. II. Promiſcuus vocatorum cœtus *eccleſia* Chriſtiana *improprie* dicitur, ideo, quod intra ſocietatem ſuam admittit hypocritas & non ſanctos, qui ſunt membra eccleſiæ putida, emortua & æquiuoca. Dicitur eccleſia *ſynecdochice* talis, quia cœtui promiſcuo, conſtanti ex renatis, & admixtis non-renatis, nomen *eccleſiæ* tribuitur per *ſynecdochen* partis pro toto, qua toti cœtui, ex bonis & malis conflato, tribuitur id, quod *veræ parti* conuenit. Sane cœtus hominum conſtans ex meris hypocritis & non ſanctis eſt *ſynagoga Satanæ*, & non eccleſia Chriſti. Promiſcuus itaque cœtus vocatur *eccleſia Chriſti*, ob *renatos & electos*, qui ſunt *pars dignior* & nobilior eccleſiæ.

Obſ. III. Promiſcuus vocatorum cœtus dicitur eccleſia viſibilis: a) ratione *mediorum externorum*, quibus colligitur, ſuntque verbum & ſacramenta: b) ratione *hominum, in illa verſantium*: c) ratione *externæ formæ & ſocietatis*, quæ in vſu mediorum & externa profeſſione conſiſtit.

Quæſt. XXVI. *Quæ eſt forma eccleſiæ late ſumtæ?*

*Forma* eccleſiæ *late* ſumtæ, conſiſtit in conſenſu externæ profeſſionis eiusdem doctrinæ, & participatione de iisdem ſacramentis. *Forma eiusdem.*

Obſ.

Digitized by Google

Obſ. Conſentiens profeſſio eiusdem doctrinæ fidei, dicitur *forma* eccleſiæ *externa*, & docente D. HVLSEM. in *breuiar. c XVII. p.* 1271. conſiſtit in publica ſocietate profeſſionis eiusdem fidei, eiusque publici exercitii in prædicando verbum Dei authenticum, & adminiſtrando ſola illa ſacramenta, quæ a Chriſto inſtituta ſunt.

Prob. Quamuis in eccleſia, late dicta, ſanctis admixti ſint non ſancti; in externa tamen doctrinæ profeſſione, & eorundem ſacramentorum participatione conſentire debent. Id quod docet S. Ioannes, 2 ep. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc* (euangelicam) *doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum* (priuatam: ergo multo minus in domum Dei, eccleſiam, ad communionem ſacramentorum, quæ ſunt teſſeræ fidei), *nec aue* (ergo multo minus fratrem in Chriſto appelletis) *ei dixeritis. Qui enim illi dicit aue, communicat eius operibus* (heterodoxiæ).

Quæſt. XXVII. *Ex quibus membris conſtat eccleſia late ſumta?*

*Membra.* Eccleſia, *late* accepta, conſtat e *membris viuis & mortuis*, ſeu hominibus ſanctis & hypocritis a), quos inter non tantum eſt *ſocietas ciuilis*, ſed etiam *eccleſiaſtica* b).

Prob. a. 1) Eccleſiæ columnæ, quas inter fuit Petrus, aliquando labuntur, Gal. II, 14. Ergo eccleſia vocatorum non conſtat ex meris ſanctis.

2) Eccleſia viſibilis inde ab orbe condito non caruit hypocritis. In eccleſia Adami erat Cain hypocrita, & tandem fratricida. In eccleſia Noachi erat impius Chamus. Abrahamus Iſmaëlem, Iſaaci illuſorem, Iſaacus Eſauum, hominem profanum, Iacobus Rubenum & Iudam, inceſtuoſos, Simeonem & Leui, homicidas, Dinam impudicam, in ſua eccleſia habuit. Chriſtus habuit in conſorio diſcipulorum ſuorum Iudam auarum, furem & proditorem. In eccleſiis ab Apoſtolis plantatis malos bonis admixtos fuiſſe, docent acta apoſtolica, epiſtolæ Paullinæ & apocalypſis Ioannis.

3) Idem colligitur ex parabolis & ſimilibus, in quibus eccleſia comparatur areæ, paleas & triticum ſimul continenti, &c. Vid. ſupra Quæſt. III. Pr. b. Quibus adde, quod eccleſia ſit *hortus Dei*, Cant. IV, 12. In hoc horto ſunt non ſolum *arbores frugiferæ*, ſed etiam *ſteriles*, Matth. III, 10. Luc. XIII, 7. Quin immo vt vna arbor alios ramos habet virides & fructum ferentes, alios vero aridos: Sic eccleſia aliqua membra habet viridia, ferentia fructum bonorum operum, aliqua vero putrida, & emortua, verborum foliis duntaxat luxuriantia. Eccleſia eſt *vinea*, faciens non tantum *vuas*, ſed etiam *labruſcas*, Eſ. V, 4.

4) In eccleſia dantur homines, dicentes: *Domine, Domine, ſed non facientes voluntatem Patris cœleſtis*, Matth. VII, 21. habentes ſpeciem pietatis, virtutem vero eius abnegantes, 2 Tim. III, 5: confitentes, ſe noſſe Deum, operibus vero abnegantes, Tit. I, 16. Ergo in eccleſia dantur hypocritæ.

Prob. b. Quia hypocritæ eandem fidem ore profitentur, iisdemque ſacramentis vtuntur.

*Antitheſis* eſt *Nouatianorum, Donatiſtarum, & Anabaptiſtarum*, negantium, illum cœtum eſſe *veram eccleſiam*, cui *admixti* ſunt *non ſancti*. Quorum argumenta ſunt:

I. Eccleſia eſt congregatio ſanctorum. Ergo in illa minime dantur non ſancti. Reſpondeo verbis *Auguſt. confeſſionis artic. VIII. Quanquam eccleſia proprie ſit congregatio ſanctorum, tamen in hac vita multi hypocritæ & mali admixti ſunt.* Nimirum mali ſunt in eccleſia *vocatorum*, licet *non* ſint in eccleſia *renatorum & electorum*.

II. In quo cœtu homines ſe non conformant ad regulam Chriſti, ille cœtus non eſt eccleſia Chriſtiana: Atqui in illo cœtu, in quo dantur hypocritæ, homines ſe non conformant

mant

Digitized by Google

mant &c: Ergo. Reſp. 1) In quo cœtu *nulli* homines ſe conformant ad regulam Chriſti, ille cœtus non eſt eccleſia Chriſtiana; concedo. At nos aſſerimus, quod promiſcuus vocatorum cœtus dicatur eccleſia Chriſtiana ſynecdochice, quia præcipua eius pars ad regulam Chriſti ſe conformat. Quæ ſynecdoche ſcriptoribus ſacris vſitata eſt. Nam Paullus in initiis diuerſarum epiſtolarum totum cœtum, v. g. Romanum, Corinthiacum, Epheſinum &c. compellans, *ſanctos* appellat. De hac ſynecdoche AVGVSTIN. *ep. ad Paullinum* ſic ſcribit: *Mos eſt ſcripturæ, ita loqui de parte, tanquam de toto, ſicut Corinthios in primis epiſtolæ ſuæ partibus ita laudat Apoſtolus, tanquam omnes tales ſint, cum eſſent laudabiles quidam eorum.*

III. *Chriſtus ſanctificauit & mundauit eccleſiam lauacro aquæ in verbo, ita, vt ſiſteret eam ſibi ſplendidam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam,* i. e. carentem vitiis & defectibus: Eph. V, 26. 27. At cœtus ille, in quo mali bonis admixti ſunt, non caret vitiis: E. cœtus ille non eſt eccleſia Chriſti. Reſp. Eccleſia *militans* in hac vita *mundatur*, ſiue regeneratur & iuſtificatur iuxta, atque ſanctificatur *inchoatiue & continuatiue*; eadem autem in *futura vita*, *ſuperatis hoſtibus tanquam triumphans ſiſtetur ſplendida interne & externe*, non habens maculam aut rugam, h. e. *conſummatiue ſancta*, immunis ab omni peccato, & reliquiis peccati. In hac vita eccleſia cum omnibus ſuis membris ſuam agnoſcit imperfectionem, ex oratione dominica quotidie precans: *remitte nobis debita noſtra!* *).

IV. Quæcunque eccleſia tota pulcra eſt, in illa non ſunt mali: Atqui eccleſia Chriſti &c. Cant. IV, 7. Ergo. Reſp. Quando eccleſia dicitur *ſponſa Chriſti*, *tota pulcra*, tunc præciſe intelligitur *cœtus renatorum & electorum*, qui eſt pulcer cum *pulcritudine imputata*, quia coruſcat radiis ſponſi Chriſti, tum *pulcritudine inhærente*, quæ *tota perfecta* dicitur, non *ratione graduum*, ſiquidem eius membra ſæpe ex infirmitate labuntur, ſed *ratione partium*, quia eo annititur, ne vllum præceptum diuinum deſtinata malitia violet. Nos autem hic agimus de *eccleſia late ſumta*, prout eſt *cœtus vocatorum*, prædicatione verbi & ſacramentis vtentium.

V. Quicunque ſunt in eccleſia Chriſtiana, ſunt eius membra & habent ſpiritum Chriſti, 1 Cor. X, 17. Rom. VIII, 9. Hypocritæ non ſunt membra eccleſiæ, nec habent ſpiritum Chriſti. Reſp. Quicunque ſunt in *eccleſia inuiſibili*, ſiue cœtu *renatorum & electorum*, illi ſunt vera & viua eccleſiæ membra, ſpiritu Chriſti informata. At in *eccleſia viſibili*, ſeu cœtu *vocatorum*, dantur hypocritæ & non ſancti, qui ſunt *membra mortua*, & dicuntur *membra* ratione *externæ* fidei profeſſionis, *non* ratione *internæ* vnionis per fidem cum Chriſto.

Inſtantia: Hypocritæ nullam habent communionem cum renatis. *Quæ enim eſt communio lucis cum tenebris?* 2 Cor. VI, 15. Ergo nulla ratione pertinent ad eccleſiam. Reſp. Hypocritæ cum renatis nullam habent *communionem internam*; quia vinculo fidei ſaluificæ cum capite Chriſto non ſunt coniuncti; habent tamen cum iisdem in eccleſia vocatorum *communionem externam*, eamque non tantum *ciuilem*, qualis eſt in imperio Turcico inter Muhammedanos & Chriſtianos, ſed etiam *eccleſiaſticam*, ob conſenſum in externa eiusdem fidei profeſſione, & participationem de iisdem ſacramentis.

VI. A quibus vere credentes & ſancti iubentur ſe ſeparare, cum iis non vnam poſſunt conſtituere eccleſiam: Atqui ab hypocritis non ſanctis iubentur &c. 2 Cor. VI, 17. Ergo. Reſp.

*) Quodam tamen modo eccleſia adhuc *militans* digna eſt, quæ dicatur *perfecte ſancta*, ſine vlla labe ac macula, nimirum ratione *iuſtificationis*, & vnicuique vere membro tributæ Chriſti obedientiæ vicariæ. 1 Io. I, 7. Quantum vero ad *renouationem*, ſemper imperfecta eſt eccleſiæ, quoad ea militans eſt, ſingulorumque membrorum ſanctitas.



Digitized by Google

Reſp. 1) Diſtinguitur inter *ſeparationem mentalem*, *& localem*. Vere credentes & ſancti iubentur ſe ſeparare *mente & animo* ab impiis, ne eorum impuritatem, aut impietatem ſectentur: poſſunt tamen impii *in eccleſia* eſſe, vt paleæ in aceruo tritici. 2) *Non* dicimus, hypocritas *cum vere credentibus vnam eccleſiam conſtituere*, ſed *illos his* per accidens & præter intentionem Chriſti *adhærere*, ſicut *paleæ adhærent tritico*, *neque tamen cum hoc vnum aceruum triticeum conſtituunt*.

Quæſt. XXVIII. *Quotuplex eſt eccleſia late ſumta, pro viſibili cœtu vocatorum?*

*Diuiſio eccleſiæ huius.*

Eccleſia *vocatorum viſibilis* eſt vel *vera*, ſiue pura, vel *falſa*, ſeu impura.

Prob. Quem ad modum fieri aſſolet, vt, cum vere credentibus & ſanctis admiſcentur in vno cœtu hypocritæ & non ſancti, aliquando illi, alias autem hi emineant aut præualeant (ac *ſancti* quidem *præualere* cenſentur, *cum* ratione *doctrinæ*, quando ea expulſis erroribus noxiis pura publice prædicatur, *tum* quoad integritatem *morum*, quando exempla bona virtutum Chriſtianarum vigent, ſuppreſſis vitiis; *non ſancti* autem *præualent* & eminent, ratione *morum* quidem, quando vitia impune graſſantur, aut regnant, ratione *doctrinæ* autem, quando falſa dogmata publice ſparguntur, ac vera doctrina eiusque confeſſores opprimuntur): Ita tunc demum promiſcuus vocatorum cœtus *ſimpliciter* & abſolute *eccleſia Chriſti*, vel cum addito encomio, *eccleſia vera & pura* dicitur, quando *ſancti*, ratione doctrinæ & morum *præualent*; quando autem *non ſancti*, præſertim ratione *doctrinæ & profeſſionis publicæ* in eccleſia *eminent*, tunc promiſcuus ille cœtus, ex ſanctis & non ſanctis aggregatus, *non* dicitur eccleſia *abſolute*, ſed ſecundum quid, aut cum addito, *eccleſia falſa, impura, corrupta*. Confer. D. BAYER in *comp. theol. part. III. c. 13. p. 1006.*

Quæſt. XXIX. *Quid eſt eccleſia vera?*

*Eccleſia vera.*

Eccleſia *vera*, ſeu *pura* *), eſt cœtus hominum, in quo omnia, quæ ad ſalutem creditu, & ad vitæ ſanctimoniam factu ſunt neceſſaria, citra admixtos errores noxios, ex verbo Dei perſpicue docentur, & ſacramenta iuxta inſtitutionem Chriſti rite adminiſtrantur, & ſic filii ſpirituales gignuntur, qui per veram fidem Chriſto capiti coniunguntur, & in ipſo vnum corpus fiunt.

Quæſt. XXX. *Eſtne eccleſia vocatorum vera dicenda vna, ſancta, apoſtolica & catholica?*

Eccleſia *viſibilis vera* certo reſpectu eſt *vna, ſancta, apoſtolica, & catholica.*

Prob. Eccleſia *viſibilis vera* ex renatis electisque, & admixtis hypocritis aggregata, eſt 1) *vna, vnitate externa*, propter profeſſionem eiusdem doctrinæ fidei, atque ob concordiam

& pacem

*) Horum vocabulorum non vna eademque eſt poteſtas. Eccleſia, in qua media gratiæ ac *veræ* doctrinæ *Chriſtianæ* partes quædam *principales*, grauiſſimis erroribus admixtis, publica profeſſione conſeruantur, quantum ad errores, *corrupta* eſt, quod ad veritates attinet, *vera* eſt; ſicut triticum, palea permixtum, *verum* quidem eſt, quamuis *non* ſit *purum*. Alias fieri non poſſet, vt in eccleſia corrupta filii Dei gignerentur, id quod tamen b. Auctor, quæſt. ſeq. verbis ſupremis recte docuit. Et nullo modo vera eccleſia omnino *nulla* eſt. Vid obſ. ad quæſt. XXXII. add. quæſt. XXXIV. & cap. ſeq quæſt. X antith. II. Eccleſia vero, quæ mediorum gratiæ vſurpationem, ſine vllo aut defectu, aut additamento, ac veram Chriſti doctrinam integram, nulliſque erroribus commaculatam, profitetur, ea demum *vera & pura* eccleſia eſt.

Digitized by Google

& pacem eccleſiaſticam: *vnitate autem interna*, ſeu fidei ſaluificæ ſinceræque caritatis, coniuncti ſunt renati & electi, qui in viſibili vocatorum cœtu, veram doctrinam profitente, continentur. 2) *Sancta dicitur; per ſynecdochen partis pro toto:* quia pars *potior*, ſiue vere credentes & ſancti, eminent atque præualent in eccleſia vera. 3) *Apoſtolica* eſt: quia doctrina, quæ in ea publice ſonat, Apoſtolorum fundamento eſt ſuperſtructa. 4) *Catholica eſt*, *ratione catholiciſmi interni:* quia doctrinam catholicam integram & incorruptam profitetur: non autem eſt catholica, ſi ſpectes *catholiciſmum externum*, propterea, quod non omnes vere credentes & ſanctos complectitur, cum filii Dei etiam in eccleſia corrupta gignantur.

Quæſt. XXXI. *Danturne etiam hæretici in eccleſia vera?*

*Manifeſti hæretici* in eccleſia *vera non eminent*, aut præualent a). *Occulti* tamen *hæretici* in eccleſia orthodoxa *exſiſtere poſſunt* b). At iidem *non* ſunt *de* eccleſia *vera* c).

Prob. a. Eccleſia, in qua dominantur hæretici, & præponderant errores, fundamentum fidei euertentes, non eſt vera, pura & orthodoxa, ſed falſa, impura, & corrupta.

Prob. b. 1) Ex 1 Cor. XI, 19. *Oportet hæreſes inter vos eſſe, vt qui probati, manifeſti fiant inter vos.* Non abſolute, ſed *hypothetice neceſſarium* eſt, in eccleſia eſſe hæreſes, ſuppoſita ſcil. cœcitate intellectus & malitia voluntatis humanæ, iuxta atque verſutia diaboli, quas Deus permittit, vt fideles probentur, probati omnibus innoteſcant. 2) Ex Act. XX. 20. *Ex vobis ipſis ſurgent viri, qui loquentur peruerſa, vt abſtrahant diſcipulos poſt ſe.* Qui hæretici ex eccleſia vera exſurgunt, vtique in ea exſiſtunt, licet ad tempus lateant.

Prob. c. Hæretici *non* ſunt *de* eccleſia *vera*, ideo, quod non ſunt viua ipſius membra. Carent quippe fide ſaluifica, tanquam *ratione formali* membrorum eccleſiæ.

Quæſt. XXXII. *Quæ eſt eccleſia falſa, ſiue impura?*

Eccleſia *falſa*, ſiue *impura*, eſt cœtus hominum, in quo doctrina fidei ex verbo Dei, admixtis erroribus & corruptelis, publice proponitur, & ſacramenta quidem adminiſtrantur, ſed non eo modo & fine, quo a Chriſto inſtituta ſunt, diſpenſantur. *Eccleſia falſa.*

Obſ. Eccleſia *vera* & *falſa* hic ſibi opponuntur non *contradictorie*; quo ſenſu *falſa* eſt eccleſia, quæ plane *non* eſt *eccleſia*, v. g. cœtus Muhammedanorum, totam religionem veram peſſundans; ſed *priuatiue*, vt eccleſia *falſa* ſit *falſata*, *vitiata*, *corrupta*, *impura*.

Quæſt. XXXIII. *Quænam ſunt notæ veræ eccleſiæ viſibilis propriæ & infallibiles?*

*Notæ propriæ* eccleſiæ *viſibilis veræ*, e quibus illa homini Chriſtiano, ſacrarum litterarum perito, infallibiliter innoteſcit, ſunt pura verbi diuini prædicatio, & legitima ſacramentorum adminiſtratio. *Notæ veræ eccleſiæ.*

Obſ. I. Non eſt nobis ſermo de *notis* eccleſiæ *veræ & falſæ communibus*, ſed de notis & ſignis *veræ* eccleſiæ *propriis*, e quibus eius veritas ita cognoſcitur, vt a qualibet eccleſia falſa diſcerni queat. Notæ eccleſiæ veræ & falſæ *communes*, ſunt prædicatio verbi diuini, & adminiſtratio ſacramentorum. At notæ eccleſiæ *veræ propriæ* ſunt *pura* verbi prædicatio & *legitima* ſacramentorum adminiſtratio.



Digitized by Google

Obſ. II. *Propriiſſima veræ* eccleſiæ *nota* eſt *purum* verbi præconium, cui *legitima* ſacramentorum diſpenſatio communiter adiungitur, tanquam virtualiter in profeſſione veritatis incluſa, nota quidem propria, *ſoli* veræ eccleſiæ, ſed *non omni*, nec *ſemper* competens. Fuit enim aliquando eccleſia ante Abrahamum ſine choragio ſacramentorum ordinario, ac per XL. annos in deſerto vacauit eccleſia circumciſione. Confer. DANNH. in *hod. phæn. II. p.* 130. Quam ob rem pura verbi prædicatio eſt nota eccleſiæ πρώτως, ſiue *primario;* legitima ſacramentorum diſpenſatio, tanquam verbi prædicati appendix, eſt nota eiusdem δευτέρως, & *ſecundario.* Hinc ſacramentorum vſus, v. gr. euchariſtiæ, quandoque intermittitur, tempore videlicet perſecutionis, eccleſia nihilominus manente.

Obſ. III. Notæ veræ eccleſiæ iam memoratæ ſunt *notæ eccleſiæ viſibilis*, ſiue eccleſiæ ſumtæ pro cœtu, ex vere credentibus & admixtis hypocritis aggregato. Si contingat Dei permiſſu, vt eccleſia perſecutorum tyrannide oppreſſa, nullum habeat publicum religionis exercitium, nullum miniſterium publicum, cuius opera fidem, quam cordibus infixam habent fideles, publice doceat & profiteatur, tum ipſa *latebit*, & hoc ipſo, quod latet, *notas ſenſibiles nullas* habebit. Competunt itaque hæ notæ veræ eccleſiæ in ſtatu florente & libero, non corrupto & preſſo.

Obſ. IV. Poſtquam eccleſiæ per ſchiſma diſtractæ ſunt in partes, *qualibet eccleſia viſibilis particularis eſt.* Cum autem qualibet eccleſia particularis ſibi nomen *veræ* eccleſiæ vindicet, quæri cœpit: quænam eccleſia particularis ſit *vera & pura* a corruptelis? *Eccleſia vniuerſalis*, omnes omnium locorum vere credentes & ſanctos complectens, vt *inuiſibilis* eſt, ita ex certis ſignis & notis diſtincte cognoſci nequit.

Obſ. V. Per prædicationem verbi intelligitur *publica fidei doctrina*, in verbo Dei reuelata, quæ vtrum pura, an impura ſit, cognoſci debet ex *ſymbolis* & confeſſionibus *publicis*, totius eccleſiæ nomine editis, vel a tota eccleſia approbatis, non ex opinionibus, aut ſcriptis huius, aut illius doctoris. Ceterum *pura* dicitur prædicatio verbi, quæ non inuoluit corruptelas & errores fundamentum fidei directe, aut indirecte euertentes. Quæ corruptelæ ſunt circa fidem, & fundamentum fidei ſaluum relinquunt, non faciunt eccleſiam falſam & impuram; ſunt autem diuerſi puritatis gradus. Quo *purior* & ſincerior eſt *doctrina*, eo *purior* & ſincerior eſt *eccleſia.*

Obſ. VI. Quando pura verbi prædicatio, & legitima ſacramentorum adminiſtratio dicuntur notæ veræ eccleſiæ, accipiendum id eſt de notis, ex quibus homini Chriſtiano, cui infallibilitas S. ſcripturæ conſtat, eccleſiæ veritas innoteſcere poſſit & debeat. Homini infideli autem & pagano prius ſcripturarum diuinitas & infallibilitas oſtendenda eſt, quam quæ inter eccleſias, ſchiſmate diſtractas, vera eccleſia ſit, certis quibusdam notis demonſtrari poſſit. Oſtendenda autem ea eſt ex κριτηρίοις quibusdam externis, de quibus egimus prolegomeno III. quæſt. XXIX.

Obſ. VII. Quando pura verbi prædicatio *nota veræ eccleſiæ* ſtatuitur, tum prædicationis nomen *generaliter* accipitur pro doctrinæ profeſſione, omnibus eccleſiæ membris, paſtoribus & auditoribus communi, ac pro publica textuum biblicorum lectione, quæ eſt inſtar prædicationis, Act. XV, 21. Prædicatio *ſtricte* accepta eſt paſtorum potius actio propria quam totius eccleſiæ, nec ſimpliciter & abſolute ad eccleſiam neceſſaria, vt oſtendunt tempora grauiſſimarum perſecutionum in quibus per ſolam ſcripturæ lectionem, absque publica puræ doctrinæ prædicatione eccleſia conſeruari potuit.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Aſſertio noſtra: 1) Quibus mediis eccleſia colligitur & conſeruatur, ex iisdem cognoſcitur: Atqui prædicatione verbi & diſpenſatione ſacramentorum &c. Ergo. *Maior* patet, quia principium eſſendi eſt etiam principium cognoſcendi. *Minorem* ſupra probauimus Quæſt. XIII.

2) Quidquid eſt notius, quam eccleſia, ipſique *ſoli* ac *ſemper* competit, illud eſt genuina eccleſiæ nota: Atqui purum verbi præconium notius eſt, quam eccleſia, ipſique ſoli ac ſemper competit. Ergo. *Maior* liquet: quia omnis nota eſt notior notato. *Minor* claret: quia non poſſum iudicare, quæ ſit eccleſia vera, niſi prius iudicem, an publica ipſius doctrina verbo Dei reuelata ſit conformis.

3) Quidquid eſt nota cum verorum Chriſtianorum, tum verorum doctorum eccleſiæ, illud ipſum eſt nota totius veræ eccleſiæ: Atqui verbi diuini purum præconium & ſedula obſeruatio eſt nota, cum verorum *Chriſtianorum*, tum verorum *doctorum* eccleſiæ: Ergo. *Maior* per ſe manifeſta eſt. Quod enim facit verum eccleſiæ membrum, illud etiam facit eccleſiam veram; quæ eſt congregatio verorum Chriſtianorum. *Minor* probatur ex verbis Chriſti Io. VIII, 31. *Si vos manſeritis in ſermone meo, vere mei diſcipuli eſtis:* & Io. X, 27. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Et ſicut ex praua doctrina pſeudoprophetæ cognoſcuntur; ita ex pura doctrina veri doctores cognoſcendi ſunt.

4) Quæ fuerunt notæ verarum eccleſiarum tempore Apoſtolorum, illæ adhuc ſunt notæ veræ eccleſiæ: Atqui receptio doctrinæ apoſtolicæ, ſiue euangelicæ, baptiſmi & S. cœnæ recta adminiſtratio, eccleſiarum tempore Apoſtolorum notæ fuerunt: Ergo adhuc ſunt notæ eccleſiæ. *Minor* patet ex Act. II, 40. 41. 42. vbi Petrus dixit: *Saluamini a generatione praua hac. Qui quidem igitur libenter acceptabant ſermonem illius, baptizati ſunt, ita vt additæ ſint die hac animæ quaſi ter mille. Erant vero adhærentes doctrinæ Apoſtolorum, & communioni & fractioni panis & orationibus.* Hic ſi quis interrogauerit: vnde tempore Apoſtolorum cognitum fuerit, eccleſiam eſſe veram & puram? vi huius loci reſpondendum erit: hoc cognitum fuiſſe ex eo, quod *adhæſit doctrinæ Apoſtolorum*, quæ pura fuit, & ſine corruptelis, item quod *recepit ſacramentum* baptiſmi & S. cœnæ ſine corruptelis, prout ab Apoſtolis ipſis adminiſtrata ſunt ſacramenta.

5) Per quæ diſcernitur eccleſia vera ab eccleſia malignantium, illa ſunt notæ veræ eccleſiæ: Atqui per ſinceram verbi prædicationem & legitimam ſacramentorum adminiſtrationem diſcernitur &c. Ergo. *Maior* per ſe patet: quia per notas proprias & eſſentiales vna res ab altera diſcernitur. *Minor* probatur: Hæc duo enim a) olim in V. T. eccleſiam Iſraëliticam diſcernebant a paganis, Deut. IV. 6. Pſ. CXLVII, 19. 20. Gen. XVII, 10. 11. Exod. XII, 48. b) Ariani ab orthodoxis non aliter quondam diſcernebantur, quam doctrina. Quocirca præclare inquit TERTVLLIANVS, *libr. de præſcript. aduerſus hæreſ. cap. 21. Illæ ſunt veræ eccleſiæ, quæ tenent, quod ab Apoſtolis acceperunt, & quod Apoſtoli a Chriſto, & Chriſtus a Deo. Aliæ vero eccleſiæ, quæ non ſunt inſtitutæ ab Apoſtolis, tamen, ſi in eadem fide conſpirent, non minus apoſtolicæ reputandæ ſunt, propter conſanguinitatem doctrinæ.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, puram verbi prædicationem & legitimam ſacramentorum adminiſtrationem eſſe proprias veræ eccleſiæ notas, aliaque eius τεκμήρια ſubſtituentium. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. Notæ veræ eccleſiæ ab hac ſunt inſeparabiles: Pura verbi prædicatio non eſt inſeparabilis a vera eccleſia: Ergo. *Maior* patet: quia veræ eccleſiæ notæ tales eſſe debent, vt ex illis ſemper cognoſci poſſit vera eccleſia. *Minor* conſtat ex exemplis Corinthiorum & Galatarum. In eccleſia Corinthiorum negabatur reſurrectio, 1 Cor. XV, 12. In eccleſia Galatarum inculcabatur obſeruatio legis Moſaicæ, & iuſtificatio per opera legis, Gal. III. Erant hæ



Digitized by Google

veræ eccleſiæ, ſed ex pura verbi prædicatione non poterant cognoſci, quia hæc ceſſauerat in illis. Reſp. Puritas doctrinæ diiudicanda eſt ex publica confeſſione *totius* eccleſiæ. At vero tota eccleſia Corinthiaca non negauit reſurrectionem mortuorum. Paullus enim expreſſe inquit: *Quomodo dicunt quidam inter vos, non eſſe reſurrectionem mortuorum?* De Galatis inquit idem Apoſtolus: *Sunt aliqui, qui vos conturbant*, Gal. I, 7. Ceterum ſunt diſtincti *gradus puritatis*; aliquando *magis*, aliquando *minus pure* verbum prædicatur.

II. Omnis vera nota debet eſſe notior notato: Pura verbi prædicatio non eſt notior eccleſia: Ergo. *Minor* probatur: quia, quæ ſit vera & pura verbi prædicatio, ab eccleſia diſcendum eſt. Ergo prius eccleſia eſt cognoſcenda, quam prædicatio verbi cognoſcatur, adeoque pura verbi prædicatio non eſt notior eccleſia. Reſp. 1) Neg. *minorem.* Nam *pura verbi prædicatio cum natura, tum nobis notior eſt, quam vera eccleſia. Nobis* quidem; quia ſenſibus eſt propinquior. Poteſt enim prædicatio verbi auditu, & ſacramentorum adminiſtratio legitima partim auditu, partim viſu percipi. Eccleſia autem ſecundum ſe, & vt fidelium congregatio eſt, nullo ſenſu percipi poteſt. Quod autem ſenſibus eſt propinquius, *nobis notius* eſt. *Natura autem notior eſt;* quia prædicatio verbi pura, & ſacramentorum adminiſtratio legitima eſt principium & cauſſa, per quam eccleſia colligitur, alitur & conſeruatur. Quod ex cauſſis generantibus & conſeruantibus cognoſcitur, illius notitia e notioribus natura proficiſcitur. Nulla autem cognitio eſt certior & ſolidior, quam quæ fit e cauſſis. 2) Quamuis homo paganus & conuertendus, ab eccleſia teſtificante & commendante accipiat notitiam ſcripturæ probabilem; homo tamen chriſtianus ex publica doctrina ſcripturæ conformi aſſequitur notitiam veræ eccleſiæ infallibilem. Diſtinguendum igitur hic eſt inter *hominem conuertendum*, & *conuerſum, nec non* inter *notitiam probabilem*, & *infallibilem.*

III. Quæcunque notæ non diſtincte & certo notificant, quinam homines vere credentes & ſancti ſint, illæ non pariunt notitiam veræ eccleſiæ infallibilem: Atqui pura verbi prædicatio, & legitima ſacramentorum adminiſtratio non diſtincte & certo notificant &c. Ergo. *Maior* liquet: quia eccleſia proprie dicta, eſt cœtus vere credentium & ſanctorum. *Minor* euidens eſt: quia etiam hypocritæ prædicant verbum diuinum, & adminiſtrant ſacramenta; qui tamen non ſunt vere credentes & ſancti *). Reſp. Pura verbi prædicatio & legitima ſacramentorum adminiſtratio ſunt notæ *eccleſiæ viſibilis*, h. e. ſumtæ pro cœtu promiſcuo, ex vere credentibus & malis admixtis aggregato, & hanc oſtendunt vtique *diſtincte, certo* & *infallibiliter.* Si vero referantur *ad vere credentes ſolos*, qui proprie eccleſiam Chriſti conſtituunt, tum non niſi *confuſe* eos oſtendere poſſunt ac debent. Eccleſiæ, enim pro vere credentibus & ſanctis *præciſe* ſumtæ, *nullæ* dantur *notæ*, quæ eam diſtincte, *certo* & infallibiliter oſtendant. Quam ob rem nonnulli auctores oppido notant, quod hic non quæratur de notis vere credentium *definite, ſeu per diſcretionem ſecundum indiuidua* (quæ ſolus Deus nouit, 2 Tim. II, 19. 1 Reg. VIII, 19.); ſed de notis vere credentium *indefinite, ratione veri cœtus*, ſeu in quonam cœtu præ aliis vere fideles quærendi ſint, quibusue notis cœtus ille a falſis eccleſiis dignoſci queat. Conf. D. SCHERZ. in *ſyſtem. loc. XXV. p.* 710.

IV. Quidquid omnibus ſectis eſt commune, illud non eſt nota eccleſiæ veræ & puræ: Atqui prædicatio verbi omnibus ſectis eſt communis: Ergo. *Maior* clara eſt: quia nota adæquata & infallibilis veræ eccleſiæ eam diſcernere debet a qualibet ſectaria & falſa eccleſia. *Minor*

*) Si quis *Romanocatholicorum* ita argumentetur, is ſuæ ſectæ repugnat, nihilque aduerſus nos valet, niſi fortaſſe κατ' ἄνθρωπον diſputans. Illi enim eccleſiam omnem volunt eſſe *viſibilem*, eam vero, quæ dicitur *inuiſibilis*, negant eſſe *eccleſiam*, multoque minus concedunt, *proprie* ſic dictam eſſe Vid. quæſt. IX. & antith.

Digitized by Google

*Minor* probatur: quia omnes ſectæ & eccleſiæ, etiam falſæ, gloriantur de puritate doctrinæ. Reſp. Neg. minor. Nam etſi omnis ſecta, omnis eccleſia, etiam falſa, glorietur de puritate doctrinæ; aliud tamen eſt vana *gloriatio* aut inanis iactantia, aliud puritatis doctrinæ per ipſam praxin *demonſtratio.* Eo ipſo autem, quod *omnes ſectæ ad puritatem doctrinæ prouocant*, oſtendunt, eam eſſe *genuinam veræ eccleſiæ notam.*

V. Forma eccleſiæ veræ non eſt eius nota: Prædicatio pura verbi diuini &c. Ergo. Reſp. Pura prædicatio verbi *non* eſt *cauſſa formalis*, ſed *efficiens*, eaque *inſtrumentalis* eccleſiæ veræ; conſenſus autem de externa profeſſione eiusdem puræ doctrinæ eſt *forma* eccleſiæ *viſibilis.* Cum autem ſincera verbi prædicatio eccleſiam fundet, ſeruetque, & in ea operoſa refulgeat, vtique eandem certo notificat, quia ſcientia eſt cognitio rei per cauſſam.

Inſtantia: Prædicatio verbi pura eſt nota miniſtrorum eccleſiæ, non autem totius eccleſiæ. Reſp. Prædicationis nomen heic generaliter accipitur pro cœleſtis doctrinæ profeſſione omnibus eccleſiæ membris paſtoribus & auditoribus communi.

VI. Dantur notæ certiores & euidentiores veræ eccleſiæ, quam pura verbi prædicatio & legitima ſacramentorum adminiſtratio, ſcilicet: 1) *Nomen catholicum:* 2) *Antiquitas:* 3) *Duratio diuturna:* 4) *Amplitudo, ſiue multitudo credentium:* 5) *Succeſſio Epiſcoporum in Romana eccleſia, inde ab Apoſtolis ad nos deducta:* 6) *Conſpiratio in doctrina cum eccleſia antiqua:* 7) *Vnio membrorum inter ſe, & cum capite, ſcilicet cum Pontifice Romano:* 8) *Sanctitas doctrinæ:* 9) *Efficacia doctrinæ:* 10) *Sanctitas vitæ auctorum, ſiue primorum Patrum veræ religionis:* 11) *Gloria miraculorum:* 12) *Lumen propheticum:* 13) *Confeſſio aduerſariorum:* 14) *Infelix exitus hoſtium:* 15) *Felicitas temporalis collata iis, qui eccleſiam defenderunt.* Reſp. a) *generatim.* Memoratæ notæ veræ eccleſiæ, remota puritate doctrinæ, & legitimo ſacramentorum vſu, ſunt dubiæ & fallaces. b) *Speciatim* reſp. ad 1) *Nomen catholicum* non ſemper adhibitum fuit in eccleſia. *Chriſtianorum* nomen in primitiua eccleſia vſitatum fuit, Act. XI, 26. De *catholico* altum eſt ſilentium. Huc accedit, quod etiam *hæretici* falſis ſuis eccleſiis nomen *catholicum* tribuerint. De *Nouatianis* teſtatur CYPRIANVS *epiſt.* 37. quod *ſimiarum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur, eccleſiæ catholicæ nomen ſibi tribuerint.* Sic de *Arianis* refert SIXTVS *Sen. bibl S.* quod ſe *catholicos*, alios vero Athanaſianos & Homouſianos appellarint. *Donatiſtæ* ſuum cœtum vocarunt eccleſiam catholicam, teſte AVGVSTINO *tom. V. in collat.* 3. *diei cum Donatiſtico.* Ad 2): *Sine diuina litteratura nullius momenti eſt antiquitas; antiquior quippe omnibus veritas*, iudice TERTVLL. in *apolog. c.* 19. Ad 3): *Duratio diuturna*, reſpectu temporis *præteriti*, coincidit cum *antiquitate*, duratio reſpectu temporis *futuri* nec præſens, nec nobis certa eſt. Promiſſio de perpetua duratione eccleſiæ non pertinet ad hanc, illamue particularem & viſibilem, ſed ad catholicam & inuiſibilem electorum eccleſiam in Chriſto, velut petra fundatam. Duratio diuturna non eſt propria veræ eccleſiæ viſibili, ſed communis ſectæ Muhammedanæ & ſynagogæ iudaicæ. Ad 4): *Amplitudo* non eſt propria & perpetua nota veræ eccleſiæ. Sane temporibus Adami, Noachi, Chriſti patientis vera eccleſia *grex puſillus erat*, Luc. XII, 32. Eccleſia Satanæ ſemper amplior eſt, quam eccleſia Chriſti; quia *pauci anguſta ſalutis via ingrediuntur*, Matth. VII, 14. Ad 5): *Succeſſio in vera doctrina & fide* magni facienda eſt: At *ſucceſſio epiſcoporum localis & perſonalis* non eſt propria & adæquata nota puræ eccleſiæ, quia a) illi non competit *perpetuo ac ſemper.* Sane eccleſia primitiua, in qua Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, fuit flos eccleſiæ, ea tamen caruit *locali & perſonali Epiſcoporum ſucceſſione;* nec b) competit *ſoli* eccleſiæ veræ. Synagoga iudaica tempore Chriſti habebat ſacerdotum ſucceſſionem. Eccleſia *græca* Epiſcoporum ſucceſſionem vſque ad

Apoſtolo-

Digitized by Google

Apoſtolorum tempora producit *); quinimo in eccleſia *Arianorum* fuit ſucceſſio Epiſcoporum. Quod ſi *hæreſis* filum ſucceſſionis abrumpit, pridem ſucceſſio cathedræ Romanæ intercidit, quam inſederunt tot hæretici & impii Pontifices. Ad 6): Per *eccleſiam antiquam* intelligitur vel ea, quæ *ante plura ſæcula* exſtitit quidem, ſed valde corrupta: vel eccleſia *apoſtolica*. Si *prius*; eccleſia vera ex eccleſia antiqua corrupta cognoſci nequit: ſin *poſterius*; nota illa quidem ſe recte habet, ſed redit ad noſtram ſententiam. Conſentire enim cum *antiqua* eccleſia *apoſtolica* ſignificat doctrinam puram, quam illa habuit, amplecti **). Ad 7): Per *vnionem membrorum inter ſe cum capite*, vel intelligitur *vnio interna*, quæ fit per fidem, qua membra *Chriſto capiti* ſunt coniuncta, & membra per caritatem ſibi inuicem vnita ſunt; vel *externa*, ratione doctrinæ. Si *prius*; vnio membrorum cum capite & inter ſe, ideo non poteſt eſſe nota, quia fides & caritas interna nobis non eſt certo cognita. Si *poſterius*; nota hæc ideo locum non inuenit, quia communis eſt etiam eccleſiæ falſæ & impuræ. Sane in eccleſia *Ariana* erat vnio quoad doctrinam, ſed inde non poterat colligi, Arianam eccleſiam eſſe veram & puram eccleſiam. Ad 8): *Doctrina ſancta* eſſe non poteſt, niſi ſit vera & pura. Ad 9): *Efficacia doctrinæ* dupliciter intelligi poteſt: a) vt efficax ſit doctrina, quæ *a multis recipitur*, b) qua homines efficaciter *ad Deum conuertentur*. *Priori* modo non poteſt eſſe nota veræ eccleſiæ, quia competit etiam eccleſiæ falſæ, nempe Anti Chriſti, teſte Paullo, 2 Theſſ. II, 9. 11 Verſu 9. dicit Apoſtolus, aduentum Anti-Chriſti fore ſecundum ἐνέργειαν, *efficaciam ſatanæ*, & v. 11. dicit: Deum ob non receptam veritatem miſſurum eſſe *efficaciam erroris*, *vt homines infideles credant mendacio.* Sane in eccleſia *falſa* doctrina hæreticorum multos efficaciter mouet & decipit. *Poſteriori* ſenſu efficax doctrina nihil aliud eſt, quam vera ac pura doctrina. Ad 10): *Sanctitas vitæ eſt vel interna*, *vel externa.* Neutra poteſt eſſe nota veræ eccleſiæ: Non *interna*; hæc enim conſiſtit in fide & iuſtitia inhærente, quæ ſicut nobis non eſt cognita, ita non poteſt eſſe nota, per quam deducamur in notitiam veræ eccleſiæ: neque *externa*; quippe quæ communis eſt etiam eccleſiæ falſæ. *Nouatiani* ſe appellarunt *catharos*, ob externam vitæ ſanctitatem. *Donatiſtæ* externam ſanctitatem adeo profeſſi ſunt, vt eccleſiam eſſe negarent, vbi malorum communione boni commacularentur. Ad 11): *Gloria miraculorum* etiam non eſt nota veræ eccleſiæ: teſtatur enim S. Paullus, 2 Theſſ. II, 9. *aduentum Anti-Chriſti fore iuxta operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & miraculis mendacii.* Gloria miraculorum in eccleſia N. T. ad tempus tantum durare debuit, & multa fluxerunt ſæcula, quibus vera eccleſia nulla habuit miracula. Conciliant eccleſiæ auctoritatem miracula a Chriſto & Apoſtolis edita. Ad 12): *Lumen propheticum*

*) Eccleſia etiam *Anglicana* Epiſcopalis vehementer cum Romana contendit de ſucceſſione Epiſcoporum. Quod vero in primis notandum eſt, multum ab antiqua inſtitutione deflexerunt *Romanocatholici*, quando quidem illorum ſententia, tum de *ordine* ac dignitate Epiſcoporum, tum de eorum *munere*, minime congruit cum eo, quod de origine chriſtianæ eccleſiæ relatum legimus. Apoſtolorum ætate *Epiſcopi* nec ſuperiores erant *Preſbyteris*, nec ab iis diverſi, Act. XX, 17. coll. cum v. 28. 1 Pet. V, 1. & 2. Fungebantur officio docendi, ideoque Eph. IV, 11. nulla fit mentio de ſingulari quodam ordine *Epiſcoporum*; hi enim erant iidem, qui *paſtores ac doctores*, vt plane adparet ex duobus locis, iam indicatis. In Romana autem eccleſia *nec ſunt*, *nec eſſe volunt veri Epiſcopi*, *ſed politici Dynaſtæ & Principes*, *qui nec concionantur & docent*, *nec baptizant*, *nec cœnam adminiſtrant*, *nec vllum opus & officium eccleſiæ præſtant.* Ita veriſſime ſcriptum exſtat in *articulis Smalcald.* P. III. c. 10.

**) Et eſt profecto luce clarius, *Romanocatholicos* ab antiqua doctrina deſciuiſſe. Indicio ſunt, vt omnes eorum errores, ſic potiſſimum interdictum de lectione ſacrarum litterarum, vt & de vſu calicis conſecrati, a quo Laici, quos vocant, prohibentur. Maximopere omnibus commendandus eſt b. HVNNII liber *de apoſtaſia eccleſiæ Romanæ.*

Digitized by Google

*ticum* non eſt donum eccleſiæ orthodoxæ perpetuum, ſed primordiis eccleſiæ peculiare. Pſeudoprophetæ interdum etiam iactaunt donum propheticum, v. gr. Bileam, Num. XXIII. Sauli exitium præſagiit perſonatus Samuel, i. e. dæmon. Ad 13): *Confeſſio aduerſariorum* non eſt genuina nota veræ eccleſiæ. Quomodo enim teſtimonium illius erit certum & infallibile, qui & veræ doctrinæ & eccleſiæ naturam non perſpexit, vel, ſi eam perſpexit, tamen doctrinam illam amplecti, & eccleſiæ illi ſeſe aſſociare nolit? Manet vera eccleſia, ſi vel maxime confeſſione aduerſariorum deſtituatur. Ad 14): *Infelix exitus hoſtium* eccleſiæ non eſt nota veræ eccleſiæ; quia ſæpe hoſtes, v. gr. TRAIANVS, AVRELIVS, ANTONIVS VERVS, SEPTIMIVS SEVERVS &c. placide obierunt; contra, Apoſtoli, martyres, multique pii miſerabiliter perierunt. Ad 15): *Felicitas temporalis* non eſt nota veræ eccleſiæ. Nam teſte ſcriptura: *Omnes, qui volunt pie viuere in Chriſtô Ieſu, perſecutiones patientur*, 2 Tim. III, 12. Vera fuit eccleſia tempore Apoſtolorum, felicitate temporali deſtituta.

### Quæſt. XXXIV. *An in eccleſia falſa etiam gignuntur Deo filii ſpirituales?*

Eccleſia falſa, *quatenus falſa* eſt, non parit Deo filios ſpirituales. a) In eccleſia tamen *corrupta*, ſiue falſa, naſci poſſunt, & naſcuntur Deo filii ſpirituales per verbum Dei, quod ibi adhuc prædicatur, & per baptiſmum in ſubſtantialibus integrum b).

Prob. a. Eccleſia *falſa* eſt, in qua *veris dogmatibus falſa iunguntur.* Sicut autem ex dogmatibus falſis & erroneis non generatur vera fides: ita in eccleſia falſa, *quatenus falſa* & erroribus contaminata eſt, nulli gignuntur Deo filii ſpirituales, aut vere fideles. Vnde liquet, non eſſe filium Dei, qui erroribus falſæ eccleſiæ pertinaciter adhæret, eosque defendere nititur.

Prob. b. 1) In qua eccleſia verbum Dei publice prælegitur & prædicatur iuxta, atque baptiſmus in ſubſtantialibus integer adminiſtratur, in illa naſci poſſunt, & naſcuntur Deo filii ſpirituales, & hæredes vitæ æternæ: Atqui in quadam eccleſia corrupta (Romana, græca &c.) E. *Maior* propoſitio patet ex efficacia verbi & ſacramentorum, Eſ. LV, 16 Tit. III, 5. 1 Petr. III, 21. Eph. V, 26. *Minor* autem per experientiam conſtat. 2) Si in eccleſia corrupta nulla ſalus daretur, omnes infantes a Pontificiis baptizati, in gremium noſtræ eccleſiæ tranſlati, eſſent rebaptizandi. Conſequens eſt falſum. E. & antecedens.

Dicis: In eccleſia falſa veritas opprimitur, & errores præualent: E. in eccleſia falſa non datur vera fides. Reſp. Quemadmodum iuxta parabolam Chriſti Matth. XIII. in eo agro, in quo paterfamilias bonum ſemen, inimicus zizania ſeminauit, tamen ex bono ſemine triticum naſci poteſt: ita in cœtibus illis, vbi *errores cum veris dogmatibus iunguntur*, poteſt tamen ex *verbo Dei* fides concipi, erroribus non æque ad animos penetrantibus, aut iterum eiectis, prout ſane fideles per Dei gratiam inter pretioſum & vile diſcernere poſſunt.

### Quæſt. XXXV. *Eſtne vera eccleſia homini ſaluando ſedulo quærenda?*

*Inquiſitio veræ eccleſiæ* homini, æternam ſalutem adepturo, *perquam vtilis*, & aliqua ratione *neceſſaria* eſt, *Neceſſitas inquirendæ eccleſiæ veræ.*

Obſ. Fatemur, non eſſe ἁπλῶς, ac præciſe ad ſalutem neceſſarium, noſſe, quænam, & vbi ſit vera eccleſia viſibilis. Docemus enim ipſimet contra *Papiſtas*, id ordinaria tantum, non abſoluta neceſſitate eſſe neceſſarium, hominemque poſſe ſaluari, etiamſi id ignoret, modo eccleſiæ inuiſibilis membrum exſiſtat. Fieri enim poteſt, vt beate quis moriatur, etiam



Digitized by Google

etiam adultus, qui nondum nouit, quid ſit eccleſia. Conf. D. HVLSEM. in *breuiar. c. XVII. p.* 1209. & D. SCHERZERI *colleg. Antiſocinian. p.* 1041.

Prob. 1) Eccleſia eſt *corpus Chriſti*, Eph. I, 23. *regnum cœlorum*, Matth. III, 2. *ciuitas Dei*, Apoc. III, 12. *domus Dei*, 1 Tim. III, 15. *ouile Chriſti*, Io. X, 16. *mater noſtra*, Gal. IV, 26. & communio, cui bona ſpiritualia (verbum, ſacramenta, regeneratio &c.) ordinarie concredita ſunt, Eph. IV, 11. & promiſſio gratioſæ præſentiæ facta eſt, Matth. XVIII, 28. *Vnde extra eccleſiam viſibilem non eſt ſalus: Et qui non habet in his terris eccleſiam matrem, non habet Deum in cœlis patrem*, cenſente CYPRIANO, *lib. de vnit. eccleſ.* Ergo *perquam vtile & neceſſarium* eſt, ſedulo quærere cœtum, in quo Deus ordinarie ſalutis media diſpenſat, & gratioſam ſuam præſentiam exhibet, atque adeo corpori Chriſti myſtico, ciuibus regni cœlorum, domeſticis Dei, ouibus Chriſti, matri ſpirituali, & animo, & corpore ſe aſſociare.

2) Chriſtus *vitare* iubet *falſos prophetas*, Matth. VII, 15. & ab iis deflectere, Rom. XVI, 17. Quapropter *tam ſimus ab hæreticis ſeparati, quam illi ab eccleſia profugi:* auctore CYPRIANO, *L. I. ep. 5. ad Cornel.*

Dicis: Datur ſalus in eccleſia falſa: E. non neceſſe eſt, veram eccleſiam inquirere. Reſp. In eccleſia falſa, *reduplicatiue* conſiderata, ſiue *quatenus* eſt *falſa*, & erroribus contaminata, nulla datur ſalus. In eccleſia falſa, *ſpecificatiue* ſpectata, *quatenus* in eadem *verbum Dei* publice prælegitur, & *baptiſmus* in ſubſtantialibus integer adminiſtratur, datur regeneratio & ſalus: at non ſine ingenti periculo animarum: quippe quæ dogmatibus falſis ſic obtenebrari poſſunt, vt vel non accendatur lux fidei, vel in baptiſmo accenſa, erroribus obruatur & exſtinguatur: ſicut vir robuſtus in ædibus, peſtifera lue infectis, ſeruari poteſt incolumis; at non ſine præſenti vitæ diſcrimine.

Quæſt. XXXVI. *Eſtne eccleſia Romana vera & catholica?*

*Veritas & cathol. eccl. pontif. negatur.*

Eccleſia *Romana*, ſiue Pontificia, *neque vera* a), *neque catholica* eſt b).

Obſ. Per eccleſiam *Romanam* non ea tantum intelligitur, quæ eſt in vrbe Roma, ſed omnes eccleſiæ particulares, Pontifici Romano addictæ, vbicunque locorum continentur.

Prob. a. *Vera eccleſia* vnum habet caput Chriſtum, Eph. I, 22. vnum habet principium fidei adæquatum, ſcil. S. ſcripturam, 2 Tim. III, 16. verbum Dei tanquam claram lucem, omnibus ad lectionem & meditationem impertitur, Io. V, 39. ſolum Deum religioſe veneratur, Matth. IV, 10. defectum liberi arbitrii in rebus ſpiritualibus ingenue fatetur, 1 Cor. II, 14. exactam impletionem legis reſpectu carnis, qua infirmatur, impoſſibilem in hac vita eſſe agnoſcit, Rom. VIII, 3. iuſtitiam & vitam æternam tantum in vniuerſali Chriſti ſatisfactione atque merito quærit & inuenit, Rom. III, 28. c. IV, 2. ſq. Phil. III, 9. fidei certitudinem aſſerit, Rom. VIII, 38. coniugium omnibus perſonis idoneis decorum eſſe iudicat, Hebr. XIII, 4. ſacramenta ſecundum inſtitutionem Chriſti rite adminiſtrat, Matth. XXVI, 27. c. XXVIII, 19. finaliter credentes ſaluari, perſeueranter infideles condemnari docet, neque ſtatum intermedium inter ſtatum gloriæ & æternæ ignominiæ agnoſcit, Io. III, 16. ſq. Marc. XVI, 16. At eccleſia *Romana*, ſiue *Pontificia*, duo habet capita. Chriſtum & Pontificem Romanum; S. ſcripturæ addit conſenſum Patrum, traditiones eccleſiæ & decreta Pontificu, mtanquam principia fidei; lectionem S. ſcripturæ rudi populo interdicit; cultum religioſum ſoli Deo debitum in ſanctos demortuos transfert; iuſtitiam & vitam æternam propriorum operum meritis ſuperſtruit; vires liberi arbitrii in rebus ſpiritualibus vane iactat; plenam legis impletionem in hac mortalitate poſſibilem eſſe, impudenter contendit; fidei certitudinem improbat,

Digitized by Google

bat, dubitationem autem de gratia diuina propugnat; coniugium clericis indecorum eſſe affirmat, eoque nomine prohibet; Sacramentum cœnæ mutilat, demto laicis calice benedicto, idque in ſacrificium miſſaticum transmutat; ſtatum intermedium inter ſtatum gloriæ & æternæ ignominiæ aſſerit: E. eccleſia Romana non eſt vera, ſed falſa, impura & corrupta eccleſia.

Prob. b. Eccleſia Romana *non* eſt *catholica*, ſiue ſpectes catholiciſmum internum fidei & doctrinæ; ſiue conſideres catholiciſmum externum locorum, perſonarum & temporum. Neque enim profitetur doctrinam fidei catholicam, quam Prophetæ atque Apoſtoli docuerunt & propagarunt: id quod iam probatum dedimus: neque ambitu ſuo omnes eccleſias particulares omnesque vere credentes, ſanctos & electos complectitur. Neque enim negare poſſunt Pontificii, extra Romanam eccleſiam Deo naſci ſpirituales filios & hæredes vitæ æternæ, videlicet in eccleſia græca, Lutherana & Reformata. Cum itaque eccleſia Romana neque orthodoxa, neque vniuerſalis ſit, non eſt vere catholica, ſed *particularis*, eaque *impura & corrupta* eccleſia.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, eccleſiam Romanam eſſe *veram & catholicam*. Quorum argumenta potiora ſunt:

I. Eccleſiæ Romanæ fides annuntiatur in toto mundo, Rom. I, 8. E. eccleſia Romana eſt vera & catholica. Reſp. 1) Diſt. inter eccleſiam *Romanam antiquam*, qualis erat tempore Paulli, ſcil. pura & orthodoxa; & *hodiernam*, quæ eſt impura adeoque deformata, vt epiſtola Paulli non ad Romanos, ſed contra Romanos hodiernos ſcripta videatur. 2) Nulla argumento ineſt vis conſequentiæ. Neque enim ideo eccleſia antiqua Romana fuit catholica, quoniam eius fides in toto mundo eſt annuntiata; ſed fuit particularis, qualis erat Hieroſolymitana, Antiochena &c. Quin Theſſalonicenſi eccleſiæ antiquæ eadem laus, quæ Romanæ tribuitur, 1 Theſſ. I, 8. *A vobis non ſolum perſonuit ſermo domini in Macedonia & Achaia, verum etiam in omnem locum fides veſtra, quæ eſt in Deum, exiit.* Neque tamen eccleſia Theſſalonicenſis eſt catholica.

II. *Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eccleſiam*, teſte Chriſto, Matth. XVI, 18. E. Romana eccleſia non potuit in errores prolabi. Reſp. Aduerſus *eccleſiam vniuerſalem* non præualebunt portæ inferorum, vt penitus deficiat: eccleſiæ autem *particulares* multæ defecerunt, v. gr. Corinthiorum.

III. *Lutherani*, qui pontificiam eccleſiam accuſant, quod a veritate doctrinæ fidei defecerit: non poſſunt indicare tempus, quando defecerit. E. iniuſte eam arguunt defectionis. Reſp. 1) *Lutherani* non obligati ſunt, vt Pontificiis tempus indicent, quo eorum eccleſia defecerit; ſufficit enim, quod in ea falſa inueniantur dogmata, quæ teſtantur, quod eccleſia Romana ſit impura. Hortulanus zizania in horto deprehendit, nemo autem ab eo poſtulat, vt tempus, quo naſci cœperunt, indicet. Medicus indicat ægroto, quod phtiſi laboret, neque tamen opus eſt, vt indicet tempus, quo ægrotus morbo hoc laborare cœperit. 2) Errores, quibus fœdata eſt hodierna eccleſia Romana, non vno & eodem tempore cœperunt: ideoque vnum eorum tempus indicari nequit. Alio tempore inualuit opinio de iuſtitia habituali, qua coram Deo iuſti ſumus: alio tempore dogma de cœlibatu ſacerdotum, alio dogma de transſubſtantiatione, alio doctrina erronea de communione ſub vna tantum ſpecie &c.

IV. Multi *Lutherani* hodienum eccleſiam Romanam vocant *catholicam*; quod luculento indicio eſt, eam eſſe vere catholicam. Reſp. 1) Eccleſia Romana in contradictorio, ſiue in ſtatu confeſſionis debitæ, cum errantibus contradicimus, non eſt dicenda catholica, argumento loci, 2 Cor. XI, 12. 2) *Lutherani*, extra ſtatum confeſſionis poſiti, eccleſiam



Digitized by Google

*Romanam* vocant *catholicam* eodem ſenſu & libertate, qua Iudæos appellamus Iudæos, qui tamen ſunt ſynagoga Satanæ, Apoc. II, 9 *).

Quæſt. XXXVII. *Eſtne eccleſia Lutherana vera & catholica?*

*Veritas & catholiciſmus eccl. Lutheranæ.* Eccleſia chriſtiana, *Auguſtanæ confeſſioni non variatæ addicta, eſt vera* a), & *catholicam* amplectitur *doctrinam*, b); at ratione quantitatis vel amplitudinis *non* eſt *catholica*, ſiue vniuerſalis, ſed particularis b).

Prob. a. Eccleſia Auguſtanæ confeſſioni addicta, quæ a miniſterio LVTHERI communiter *Lutherana* appellatur, eſt *vera* **): quia amplectitur & docet veritatem in ſacra ſcriptura reuelatam, Io. XVII, 17. Etenim habet eccleſia Lutherana vnum caput myſticum, Chriſtum; nec admittit aliud verbum, tanquam aptam fidei & morum normam, quam quod Prophetæ & Apoſtoli reliquerunt; nec aliud agnoſcit ſalutis fundamentum, quam Ieſum Chriſtum; nec alia vſurpat ſacramenta, quam quæ ipſe Chriſtus inſtituit, videlicet baptiſmum & cœnam dominicam; nec vllis ſuis qualitatibus, diſpoſitionibus ac operibus, ſed ſoli gratiæ diuinæ & merito Chriſti iuſtitiam & ſalutem ſuam acceptam refert; operibus interim bonis, a Deo præſcriptis, operam ſedulo dandam eſſe, feruide contendit: Ergo *Lutherana* eccleſia eſt *vera* eccleſia.

Prob. b. *Doctrina catholica* eſt, quæ a Chriſto & Apoſtolis pofecta, omnibus fidelibus ſemper & vbique commendata, atque vnanimi eorum conſenſu recepta & credita eſt: Eccleſia Auguſtanæ confeſſioni addicta, catholicam illam doctrinam recipit, credit & profitetur. E. ratione *doctrinæ* vere *catholica* eſt.

Prob. c. Ratione *quantitatis*, vel *amplitudinis* eccleſia *Lutherana non* eſt *catholica*, ſiue vniuerſalis; propterea, quod non omnes renatos & electos omnium locorum & temporum ambitu ſuo complectitur. Proinde eccleſia Lutherana eſt orthodoxa quidem, ſed *particularis.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, eccleſiam Lutheranam eſſe *veram & catholicam.* Qui obiiciunt:

I. Eccleſia *Lutherana* non eſt diffuſa per totum terrarum orbem: E. *non* eſt *catholica.* Reſp. Eccleſia *Lutherana* dicitur *catholica non* ratione *amplitudinis*, aut diffuſionis per totum terrarum orbem (fatemur enim, eam eſſe *particularem*): ſed ratione *doctrinæ catholicæ*; quia eſt *orthodoxa.*

II. Quæcunque eccleſia ſuperiori demum ſæculo cœpit, ea eſt noua, adeoque non vera eccleſia (veritas enim eſt antiquiſſima): Atqui eccleſia *Lutheranorum* &c. Ergo. Reſp. 1) Neg. *mai.* Simili modo potuiſſet quiſquam ſec. II. a nato Chriſto argumentari: Quæ eccleſia cœpit demum ſæculo ſuperiori, nempe primo, ea eſt noua, adeoque non vera eccleſia:

*) Non *Catholicos* dicimus, ſed *Romano-Catholicos*, vtpote quod nomen Præſul Romanus ipſe poſtulauit eo tempore, quo lites *Crypto-Ianſeniſticæ* in Gallia vehementiſſimis animorum motibus agitatæ ſunt. *Catholiciſmi* autem *Romani* tota vis ac ratio in eo poſita eſt: quod omnes, quicunque Romanæ eccleſiæ vere addicti aut ſunt, aut videri cupiunt, cunctis ſuffragiis oportet ſingularem poteſtatem Pontificis Romani profiteri, neque ab eorum ſtare partibus, qui eum Concilio inferiorem eſſe arbitrantur.

**) *Vera & pura* (vid. notata ad pag. 1298): Non enim *veritatem* ſolum, ſed *integram* quoque veritatem profitetur. Vt *integra* ſit doctrina, adeoque *pura* eccleſia, duo requiruntur: 1) ne quid veritatis demtum ſit, 2) ne quid erroris additum ſit. Deut. XII, 32. Matth. XXVIII, 20. Gal. I, 8.

Digitized by Google

eccleſia; Atqui eccleſia Chriſti &c. Ergo. Quæ argumentatio inepta eſt. Sciendum ergo, quod *nouitas*, quæ a diſſidentibus obiicitur, veritati doctrinæ & eccleſiæ non obſtet. Etenim de Chriſti doctrina dicitur Marc. I, 27. *Quæ eſt noua hæc doctrina?* Conf. Act. XVII, 19. 2) Eccleſia *Lutherana* (non quidem ſub hoc *nomine*, ſed ratione *doctrinæ*) dudum fuit ante Papatum, cum exacte conſentiat cum doctrina & eccleſia apoſtolica, adeoque papatu prior ſit.

III. In eccleſia Lutheranorum non datur vnio, nec conſenſio; ſed ſunt in ea variæ diſſenſiones & ſectæ: E. non eſt vera eccleſia. Ratio *conſequentiæ* eſt; quia membra veræ eccleſiæ vinculo caritatis coniuncta ſunt. Reſp. 1) In eccleſia *Romana* non minores dantur diſſenſiones, quam in eccleſia *Lutherana*. 2) Qui in dogmatibus fidei fundamentalibus ab Auguſtana confeſſione & reliquis libris ſymbolicis diſſentiunt, ex eccleſia A. C. addicta exierunt. Qui autem diſſentiunt in quæſtionibus extra fundamentalibus, conueniunt in fundamento, atque adeo veritatem eccleſiæ non conuellunt.

Quæſt. XXXVIII. *An eccleſiæ particulares ſimul ſumtæ conſtituunt vnam eccleſiam catholicam?*

Eccleſiæ *particulares & viſibiles*, quæ hodie in oriente & occidente exſiſtunt, *non* conſtituunt vnam eccleſiam *catholicam*.

Prob. Si omnes vocatorum cœtus, per vniuerſum terrarum orbem, catholicam fidem *pure & incorrupte* profiterentur, & caritatis ac pacis vinculo inter ſe eſſent coniuncti, aſſerere haud dubitaremus, eos *ſimul ſumtos* conſtituere eccleſiam *catholicam*, ſeu vniuerſalem, per ſynecdochen ſic dictam, cuius ambitu vniuerſa credentium multitudo contineatur, & extra quam nulla ſit ſalus. At vero poſtquam eccleſiæ particulares per *ſchiſmata* ita diſtractæ ſunt, vt neque eandem doctrinam fidei profiteantur, neque mutuo amore ſe proſequantur, non conſtituunt vnam eccleſiam catholicam.

Quæſt. XXXIX. *Eſtne eccleſia adeo infallibilis, vt non poſſit errare, & indeficibilis, vt non poſſit exſcindi?*

Eccleſia *catholica & inuiſibilis*, quæ omnes ſingulosque renatos & electos complectitur, in fundamento fidei errare, penituſque deficere nequit, ſed durabit vsque ad conſummationem ſæculi a). Quælibet autem eccleſia *particularis & viſibilis* fundamentalibus erroribus adeo contaminari poteſt, vt præualeant, publicumque miniſterium conſtituant doctores falſam doctrinam profitentes, paucitate vere credentium ſub multitudine errantium latente b). *De eccleſiæ infallibilitate.*

Obſ. 1) Aſſertionis noſtræ ſenſus eſt: *eccleſiam catholicam totam* nunquam ita errare, vt non ſuperſint aliqui, qui ſimplicem verbi ductum ſequentes, Spiritus S. directione in veritate & fide ſanctificentur, ac conſeruentur, vt retento ſalutis fundamento virtute Dei per fidem cuſtodiantur ad ſalutem, licet illi quandoque pauci ſint, & perturbatiſſimis eccleſiæ temporibus lateant, vt vere credentium cœtus non ſit illuſtris & diſtincte conſpicuus: *Eccleſiam* autem *particularem & viſibilem* vnam quamque *in fide poſſe errare & de facto aliquando erraſſe, ſi a regula verbi cæleſtis abeat, a quo errandi periculo nec Romanam eccleſiam a qua ſola tantopere illud amoliri conantur, excipimus*, vt ait. b. D. GERHARDVS, in *loc. de eccleſia*, §. 107.

Obſ. 2) *Indeficibilis* dicitur eccleſia *indeficibilitate* a) *conditionata*, quoad ſuo capiti Chriſto adhæret, a quo illam nihil, niſi peccatum, ſeparare poteſt (*hæc* indeficibilitas ec-



Digitized by Google

cleſiæ inuiſibili cum viſibili communis eſt): b) *catholica*, quoad τὸ σύνολον, ſinguli fideles excidere poſſunt, non item vniuerſalis eccleſia, quæ indeficibilitas eccleſiæ *inuiſibili* eſt propria: c) *finali*, quoad eccleſiam *electorum*.

Prob. a. 1) Contra eccleſiam catholicam *non ſunt præualituræ portæ inferorum*, Matth. XVI, 18. E. Eccleſia catholica eſt indeficibilis a veritate cœleſti, & inexpugnabilis. Etenim πύλαι, *portæ*, locum conſiliorum & iudiciorum, vbi vis ac potentia ciuitatis ſita erat, ſignificant. Quare *portæ inferorum* nil aliud ſunt, quam conſilia, molimina, potentia, vis ac robur diaboli & tyrannorum.

2) *Regnum Chriſti ſpirituale* (eccleſia) in his terris *perenne eſt*, Luc. I, 33. Ex quo etiam Chriſtus veris huius ſpiritualis regni membris gratioſam ſuam præſentiam promiſit vsque ad conſummationem ſæculi, Matth. XXVIII, 20. E. eccleſia Chriſti vsque ad finem mundi duratura eſt.

3) Eccleſia eſt *domus Dei, columna & repoſitorium veritatis*, 1 Tim. III, 15. E. tamdiu ſtabit inexpugnabilis, quamdiu ſupererit veritas cœleſtis, ſeu *verbum Dei, quod ſemper manet*, 1 Petr. I, 25.

4) Semper prædicabitur verbum Dei, Eſ. LIX, 21. Ier. XXX, 23. (licet non ſemper *pure*) & conuiuæ euchariſtiæ *mortem Domini annuntiabunt*, *donec veniat* (ad iudicium), 1 Cor. XI, 26. E. ſemper erunt renati & electi. Vbicunque enim prædicatur verbum Domini, ſemper in quibusdam fructificat, Eſ. LV, 10. Matth. III, 24.

Prob. b. 1) Ex monito Paullino, Rom. IX, 20. 21. 22. *Nec altum ſape, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte etiam tibi non parcat. Vide ergo benignitatem ac ſeueritatem Dei: in iis quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem; in te vero benignitatem, ſi manſeris in benignitate: alioqui etiam exſcinderis.* Vnde argumentum inexpugnabile: Quæ eccleſia ſibi a) cauere debet a lapſu; cui b) fieri poteſt, vt Deus non parcat; quæ c) ſi non permanſerit in fide, exſcindenda eſt, illa eſt *deficibilis*. Atqui eccleſia *particularis* ac *viſibilis* ſic ſe habet.

2) Immunitas ab errandi periculo non eſt promiſſa diuinitus, niſi vero & viuo Chriſti corpori, quod non ſemper conſtituunt, qui externe præualent in eccleſia & miniſterio publico funguntur, ſed quandoque conſtituunt, qui ſub errantium multitudine preſſi latent & gemunt, quorum non eſt externus ſplendor, ſed ſunt inſtar *tugurioli in vineis*, aut in cucumerariis hortis, & ficut *vrbs vaſtata*, Eſ. I, 8. inſtar *ſeminis relicti*, c. VI, 13. vt *populus pauper & egenus*, Zeph. III, 12. vt *grex puſillus*, Luc. XI, 32.

3) Experientia docet, eccleſiam *particularem & viſibilem* ſæpe defeciſſe a veritate cœleſti. Defecit quippe eccleſia Iſraëlitica, coætanea Moſi, quæ, præeunte Aarone, vitulum adorauit, Exod. XXXII. Defecit eccleſia coætanea Eliæ, qui ſe ſolum eſſe opinabatur vere credentem, cum tamen ſupereſſent, gratia Dei, ſeptem millia vere credentium, qui ſub improborum multitudine latebant, & genua ſua Baali non flexerant, 1 Reg. XIX, 10. Defecit eccleſia coætanea Chriſto, quæ ignara erat fundamenti fidei, ſcil. Meſſiæ regis cœleſtis, non mundani, ſacerdotis, ſanctiſſimo ſacrificio pro peccatis offerendi, hoſtis, & perſecutrix Ieſu Nazareni, veri Meſſiæ, tot luminibus patefacti. Defecerunt eccleſiæ plantatæ a Paullo, Epheſina, Philippenſis, Colloſſenſis, Corinthiaca, Galatica. Prædominante hæreſi *Ariana* non in parietibus, non in tectis & ædificiis quærenda erat eccleſia, ſed in montibus, in ſylvis, in lacubus, carceribus, voraginibus. Conf. AVGVSTIN. *ep. XLVIII.* SOZOM. *lib. III. hiſt. eccleſ. c. XIII.* Tempore Anti-Chriſti vbique improbos & Anti-Chriſti mendacibus doctrinis addictos, & eccleſiam Chriſti ſub Anti-Chriſti ſatellitum ingenti caterua latituram eſſe, prædictum eſt in ſcripturis, Apoc. XII, 14. 2 Theſſ. II, 3.

*Antitheſis*

Digitized by Google

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, negantium, eccleſiam *Romanam* poſſe in fide errare. 2) *Socinianorum & Arminianorum*, ſtatuentium, eccleſiam *catholicam* penitus deficere poſſe. *Pontificii* obiiciunt:

I. Contra quam eccleſiam *portæ inferorum non præualent*, illa non poteſt errare aut deficere: Contra eccleſiam Chriſti &c. Matth. XVI, 18. Ergo. Reſp. Contra *catholicam*, ſiue vniuerſalem eccleſiam non præualent portæ inferorum; eccleſias autem *particulares* multas defeciſſe, demonſtrauimus.

II. *Columna & firmamentum veritatis non labitur.* Atqui *eccleſia* eſt &c. 1 Tim. III, 15. E. *) Reſp. *Eccleſia catholica & inuiſibilis*, quæ eſt cœtus renatorum & electorum, primo, per ſe & proprie dicitur *columna veritatis*, quod firma, conſtans, & inſtar immobilis columnæ ſtabilis ſit in cuſtodienda & prædicanda veritate, ſibi concredita neque vnquam ab ea defectura ſit. Non quod abſolute & in ſe ſpectata deficere a veritate prorſus nequeat (conſtat enim ex hominibus, multiplici adhuc infirmitati expoſitis, & qui falli ſinguli, ac fallere poſſunt); ſed quod per gratiam & aſſiſtentiam Chriſti fieri non poſſit, vt in creditu neceſſariis ab ea deficiat. Secundario, improprie & per ſynecdochen partis pro toto eccleſia *particularis & viſibilis* dicitur *columna & firmamentum veritatis*, propter renatos & electos, qui in ea continentur. Quando autem admixti mali in ea dominium conſequuntur, & profeſſionem fidei publicam corrumpunt, *viſibilis* cœtus, cuius profeſſio publica *corrupta* eſt, non eſt & dicitur *columna veritatis;* quamuis pauci, in ea latentes, vere credentes, cuſtodes & teſtes veritatis cœleſtis ſint: ſit enim denominatio a præſtantiori.

III. Quæcunque eccleſia gubernatur a Chriſto, tanquam ſummo capite, illa non poteſt errare, aut deficere; Atqui eccleſia Chriſtiana &c. Eph. I, 22. Ergo. Reſp. Diſt. inter gubernationem Chriſti *abſolutam, & ordinatam.* Hæc fit per ordinaria media. Qui cœtus vocatorum illa media deſerit, deſeritur & labitur in errores.

IV. Eccleſia *a Spiritu S. ducitur in omnem veritatem*, Io. XVI, 13. Ergo eſt infallibilis. Reſp. Ex intentione Chriſti loquentis promiſſio illa *primario* & proxime reſpicit inſtructionem Apoſtolorum ad functionem muneris Apoſtolici, quo omnibus gentibus prædicando verbum veritatis inſeruire debuerunt. *Secundario* illa promiſſio accommodari poteſt ad eccleſiam vniuerſam: quæ eſt *infallibilis conditionate*, ſi ductum Spiritus S. ſequatur.

V. Chriſtus *precatur pro eccleſia*, Io. XVII, 17. Ergo non poteſt deficere. Reſp. Interceſſio Chriſti auertit ab eccleſia defectionem totalem, non partialem. Quod cœtus vere credentium & ſanctorum non penitus deſinat eſſe, tribuendum eſt gratiæ & interceſſioni Chriſti: Plurimos tamen vocatorum cœtus fidem in Chriſtum excuſſiſſe, conſtat.

VI. Eccleſia ſub anathematis pœna audienda eſt, Matth. XVIII, 17. Ergo non poteſt errare. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia nunquam ſub tanta pœna audienda eſſet eccleſia, ſi erroribus eſſet obnoxia. Reſp. 1) L. c. non agitur de articulis fidei; ſed de diſciplina eccleſiaſtica, quam etiam eccleſia corrupta obſeruat. 2) Audienda eſt eccleſia, quamdiu ipſa audit vocem paſtoris Chriſti, & verbo diuino inhæret.

VII. Singulæ eccleſiæ particulares poſſunt deficere: Ergo etiam eccleſia vniuerſalis. *Conſequentia* probatur: quia eccleſia vniuerſalis nihil aliud eſt, quam complexus eccleſiarum

*) Horum verborum duplex interpretatio eſt, ab aliis atque aliis viris doctiſſimis explicata. Vtra alteri anteferenda ſit, haud difficile erit iudicatu. Eccleſia cum *domo* comparatur. Domus non eſt columna & firmamentum. Ergo, cum dicitur στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, illud debet intelligi, quo totum nititur ædificium nimirum doctrina Chriſtiana, eiusque pars principalis, ex qua reliquæ omnes pendent. Illud igitur non ad ἐκκλησίαν referendum eſt, ſed ad τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, v. 16.

Digitized by Google

rum particularum. Reſp. Singulæ eccleſiæ particulares poſſunt deficere *diuiſim*, *non coniunctim*, aut collectiue; ſicut ſinguli homines moriuntur, non autem tota ſpecies humana. Indeficibilis eſt eccleſia vniuerſalis *non abſolute* & in ſe, ſed ob gratiam, aſſiſtentiam & gubernationem Chriſti, ſpiritualis capitis & regis, qui non eſt ſine corpore & regno ſpirituali. *).

# DE ECCLESIA REPRAESENTATIVA.

Quæſt. XL. *Quid eſt eccleſia repræſentatiua?*

*Definitio eccleſiæ repræſentatiuæ.* *Eccleſia repræſentatiua* eſt congregatio *doctorum*, eccleſiam ſyntheticam ſuo modo repræſentans.

Prob. *Repræſentatur* enim *eccleſia ſynthetica*, cum per *miniſterium eccleſiaſticum*, tum per *concilium*, ſiue ſynodum. Profeſſio fidei, quæ editur voce *paſtorum*, cum doctrinam Chriſti in conuentibus publicis inculcant, & ad auditorum captum declarant, communis confeſſio eccleſiæ totius & ſingulorum membrorum cenſetur. In *conciliis* autem congregantur doctores & delegati eccleſiæ, quibus a tota credentium communione commiſſa eſt poteſtas cognoſcendi & iudicandi de publica interpretatione doctrinæ in capitibus dubiis & controuerſis, de cærimoniis ad bonum ordinem in eccleſia facientibus, vt & de poteſtate corrigendi publica delicta.

Quæſt. XLI. *Quid eſt concilium eccleſiaſticum?*

*Definitio concilii eccleſiaſticum* *Concilium eccleſiaſticum* eſt ſolemnis conuentus doctorum & delegatorum eccleſiæ, inſtigante ac moderante Deo congregatorum, publicaque auctoritate conuocatorum, ad rite expendendum & diiudicandum quæſtiones exortas de dogmatibus fidei, moribus Chriſtianorum & ritibus eccleſiæ, vt gloria Dei propagetur, concordia in vna fide ſtabiliatur, ſchiſmata, hæreſes & delicta publica auertantur.

Obſ. I. *Concilium* non dicitur a *conſulendo*, vel ipſa ſcriptione teſte, neque a *conciliandis* diſcrepantibus ſententiis, quæ deriuatio eſt inadæquata, ſed a *concalando*, i. e. *conuocando*. Eſt enim concilium, cœtus virorum ad conſultandum *conuocatus:* vnde etiam *concilium* FESTO eſt quaſi *concalium* (quod eſt ἀπὸ τȣ̃ καλεῖν). Græce dicitur σύνοδος, ſiue congreſſus plurium.

Obſ. II. Quanquam nomen *concilii*, natiua ſignificatione & vi notationis, deſignet quemuis cœtum, ſiue eccleſiaſticum, ſiue politicum, conſultationis cauſſa congregatum: hic tamen vſurpatur ſignificatu *ſtrictiori*, vt notet congregationem *doctorum & delegatorum eccleſiæ*.

Quæſt. XLII. *Quæ eſt cauſſa efficiens principalis conciliorum?*

*Cauſſa efficiens.* Conciliorum *cauſſa* & auctor *principalis* eſt *Deus*.

Prob. Conciliorum origo diuina eſt. Id quod patet 1) e conciliis vet. teſtam. quæ iubente & moderante Deo ſunt conuocata, Exod. XX, 20. Num. XI, 16. Deut. XVII, 9. Pſ. CXXII, 5.

*) *Socinianorum & Arminianorum* argumenta ſilentio tranſiit Vir beatus, quem defectum facile ſupplebis ex libris Theologorum, qui ex inſtituto aduerſus vtramque, vel alterutram ſectam diſputarunt.

Digitized by Google

Pſ. CXXII, 5. 2) Ex concilio apoſtolico Hieroſolymis habito, in quo, ceu clariſſimo ſpeculo, concilii legitimi forma genuina, & hypotypoſis nobis exhibetur, cuius præſes fuit Spiritus S. Act. XV, 28. Dicunt enim Apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* 3) Ipſe Chriſtus nos remittit ad eccleſiam repræſentatiuam, inquiens: *Dic eccleſiæ*, Matth. XVIII, 17. Vbi per eccleſiam intelligitur *cœtus iudicans*; multitudo autem promiſcua non iudicat: Ergo eccleſia repræſentatiua innuitur, quæ eſt congregatio doctorum. Non autem remiſiſſet Chriſtus ad eccleſiam, niſi diuinitus tribunal in ea eſſet conſtitutum.

Quæſt. XLIII. *Penes quem eſt poteſtas conuocandi concilia?*

*Poteſtas* indicendi & *conuocandi* concilia eſt penes *Magiſtratum* politicum *orthodoxum* a); quo deficiente, poſſunt *ipſi fideles*, citra iniuriam in dominos territoriorum heterodoxos, congregationem eccleſiaſticam inſtituere b). *Poteſtas conuocandi concilia.*

Obſ. I. Non quæritur: an *conſenſus aliqualis* Magiſtratus politici ad cogenda concilia requiratur? ſed ventilatur quæſtio de *poteſtate indicendi & cogendi concilia.* Non derogant *Pontificii* conſenſum magiſtratui; ſed concedunt, quod hic concilium petere & deinceps conſulere poſſit: negant autem, ipſi competere ius & auctoritatem cogendi concilium.

Obſ. II. Etiamſi Magiſtratus Theologis quandoque ius ſuum deferat, indicendi concilia in ſua diœceſi; eo tamen iure vtuntur non vt domini, ſed vt poteſtatis ſuperioris miniſtri, adeoque poteſtas illa non propria, ſed delegata eſt.

Prob. a. 1) A magiſtratus auctoritate. Conuocatio concilii eſt actus iuriſdictionis, ſuperioritatem aliquam importans, adeoque ſemper inſtituenda ab illo, qui habet aliquam iuriſdictionem, vel auctoritatem, vel ſuperioritatem in cauſſis, ob quas fit conuocatio. Eiusmodi autem iuriſdictio non eſt penes Epiſcopos aut Presbyteros, 1 Petr. V, 3. ſed penes magiſtratum, Rom. XIII, 1.

2) A diuina ſanctione. Quibus ſancitur & præcipitur, vt *Filium Dei oſculentur, eidem portas in mundo aperiant, regnum eiusdem, & incrementum eccleſiæ promoueant*, illorum eſt, ſi eccleſiæ expedit, concilia cogere: At magiſtratui, ceu cuſtodi vtriusque tabulæ, hoc ſancitur & præcipitur, Pſ. II, 10. XXIV, 7. Eſ. XLIX, 18. Ergo.

3) Ab eccleſiæ Iſraëliticæ conſuetudine, in qua ſynodos conuocarunt Moſes, Exod. XIX, Ioſua, c. XIX. Dauid, 1 Par. XIII. Salomo, 1 Reg. VIII. Ioſaphat, 2 Par. XX. Ezechias, c. XXX. Ioſias, c. XXXIV.

4) Ex praxi eccleſiæ primitiuæ noui teſtamenti. Concilium Nicænum coactum eſt a CONSTANTINO MAGNO: Conſtantinopolitanum I. a THEODOSIO ſeniore: Epheſinum a THEODOSIO iuniore: Chalcedonenſe a MARCIANO Imperatore.

Prob. b. Si magiſtratus ſit heterodoxus & infidelis, non tamen exſpirat ius & poteſtas conuocandi concilia, ſi id ipſum orthodoxi efflagitent. Quod ſi is petito non annuerit, poſſunt ipſi Epiſcopi exemplo Apoſtolorum quaſi precario congregare concilia. Sic Act. XV, 2. cum diſceptatio excitata eſſet in eccleſia Antiochena de circumciſionis legisque neceſſitate ad ſalutem, concilium congregabant Apoſtoli & ſeniores ad diſcutiendam hanc controuerſiam.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, poteſtatem conuocandi concilia, inprimis generalia, eſſe penes *Pontificem Romanum.* Qui obiiciunt:

I. Quodcunque concilium non congregatur in nomine Chriſti, illud non eſt legitimum: Quodcunque concilium congregatur a magiſtratu politico, id non congregatur in



Digitized by Google

nomine Chriſti: Ergo. *Minor* probatur, quia Magiſtratus in nomine Chriſti non præeſt eccleſiæ, ſed Pontifex Romanus, qui eſt Chriſti vicarius & viſibile eccleſiæ caput. Reſp. 1) Illud concilium congregatur in nomine Chriſti, quod propter doctrinam & gloriam Chriſti conuocatur: id quod etiam fit a Magiſtratu orthodoxo. 2) Pontificem Romanum eſſe œcumenicum Chriſti vicarium, & caput eccleſiæ viſibile, negamus.

II. Quicunque in ouili Chriſti non ſunt paſtores, ſed oues, illi non habent poteſtatem cogendi concilia: Atqui Magiſtratus politici &c. Ergo. *Maior* probatur: Sicut ouium non eſt, congregare paſtores: Ita Regum & Magiſtratuum ſæcularium non eſt, conuocare Epiſcopos, tanquam paſtores, ad concilium. Reſp. Magiſtratus duplici modo conſiderantur: a) quatenus interne illuminantur, conuertuntur, & ſanctificantur per media ſalutis: b) quatenus externe defendunt, conſeruant & inſtaurant religionem Chriſtianam. *Priori* modo conſiderandi ſunt vt oues; *poſteriori* modo ſunt cuſtodes & defenſores ouilis Chriſti.

III. Quicunque non omnia membra vniuerſæ eccleſiæ ſubiecta habet, is non poteſt indicere concilium *generale:* Atqui Imperator non omnia membra &c. Ergo. Reſp. 1) neque Pontifex Romanus omnia membra eccleſiæ ſubiecta habet. 2) Imperator ſubiectos ſibi Epiſcopos ad concilium cogit imperio, qui extra ipſius territorium ſunt, illos inuitat comitate. Sufficit, quod decreta concilii aliis tranſmittantur, & ab illis approbentur.

### Quæſt. XLIV. *Quis eſt præſes concilii?*

*Præſes concilii.*

*Præſes* concilii *inuiſibilis* eſt Spiritus S. a). Præſes *viſibilis* eſt vel politicus, vel eccleſiaſticus. Præſes *politicus* eſt Imperator, Rex, aut Princeps Chriſtianus, aut aliquis ab illo delegatus b). Præſes *eccleſiaſticus* eſt vnus vel plures Epiſcopi, ab Imperatore, Rege, aut Principe, vel communi totius concilii ſuffragio electi c).

Prob. a. Spiritus S. eſt ſummus & infallibilis præſes concilii, Act. XV, 28. qui mediante verbo in ſacris litteris comprehenſo loquitur, docet, illuminat & dirigit mentes aſſeſſorum concilii.

Prob. b. Præſes *politicus* ordinem concilii *externum* moderatur, colloquentibus ſecuritatem a vi externa præſtat, impedit tumultus, coërcet rixantes, decreta maioris & melioris partis approbat, publico edicto ſancit, & exſecutioni tradit. Sic concilium Nicænum, quoad *externa* gubernauit CONSTANTINVS MAGNVS, Conſtantinopolitanum THEODOSIVS ſenior, Epheſinum THEDOSIVS iunior, per legatos, Chalcedonenſe MARCIANVS Imperator, per viros conſulares, quos iudices ipſe conſtituerat, teſte EVAGRIO, *libr. II. c. 4.*

Prob. c. Præſes *eccleſiaſticus τὰ ἐσώτερα τῆς ἐκκλησίας, interna* eccleſiæ, ſeu ipſas actiones eccleſiaſticas, quæ circa doctrinam fidei ſunt, moderatur, non cum auctoritate coactiua, ſed ordinatiua, quæſtiones, de quibus deliberandum eſt, accurate proponit, candide explicat, ſuffragia & ſententias rogat & colligit, definitiuam ſententiam pronunciat, acta ſynodica concipit, eaque toti congregationi recenſenda & confirmanda tradit. Interdum plures præſides epiſcopales electi ſunt, qui vel per vices, vel communi auctoritate ſynodo præfuerunt: In concilio Nicæno Epiſcopus Cordubenſis, in concilio Conſtantinopolitano TIMOTHEVS Alexandrinus, MELETIVS Antiochenus, NECTARIVS Conſtantinopolitanus & CYRILLVS Hieroſolymitanus Epiſcopus: In Chalcedonenſi ANATOLIVS Conſtantinopolitanus, MAXIMVS Antiochenus, & IVVENALIS Hieroſolymitanus, Epiſcopi præſides fuerunt.

Digitized by Google

fuerunt. Quare non neceſſe eſt, vt Pontifex Romanus ſit præſes omnium conciliorum, etiam generalium.

Quæſt. XLV. *Quinam ſunt aſſeſſores & iudices in conciliis?*

*Aſſeſſores & iudices* in conciliis, præter præſides, ſunt non tantum Epiſcopi, Doctores & Paſtores, ſed etiam laici, litterarum ſacrarum periti, pii, veritatis & pacis amantes, ab eccleſiis delegati, vt de rebus propoſitis ſententiam ferant. *Aſſeſſores & iudices.*

Prob. 1) Ex ſolemni concilii Hieroſolymitani celebratione deſcripta, Act. XV. in quo non tantum Apoſtoli, ſed etiam presbyteri & populus conuenerunt, auditaque ſunt vniuerſæ eccleſiæ conſtantis ex clericis & laicis ſuffragia. Quare etiam decretum ſynodi his conceptum eſt verbis, Act. XV, 22. *Viſum eſt Apoſtolis & ſenioribus cum vniuerſa eccleſia*, it. v. 25. *Viſum eſt nobis vnanimiter congregatis.*

2) E perſpicuis dictis ſcripturæ. *Fidelibus omnibus dictum eſt, vt probent ſpiritus, an ſint ex Deo*, 1 Io. IV, 1. Paullus compellat Corinthios: *Iudicate vos, quæ dico*, 1 Cor. X, 15. Conf. Rom. XIV, 12. Concedimus quidem doctoribus eccleſiæ partes potiores decidendi quæſtiones dubias & controuerſas; ſed negamus, illorum eſſe, ſententiam obligatoriam ferre & publicare, citra laicorum ab eccleſiis delegatorum conſenſum, quippe quorum eſt, vna conſultare, ſententias dicere, definire.

Quæſt. XLVI. *Circa quam materiam verſantur concilia?*

In conciliis expenduntur quæſtiones de *dogmatibus* fidei, *moribus & cærimoniis* eccleſiæ Chriſtianæ. *Materia conciliorum.*

Prob. Ex Act. XV, 19. In concilio apoſtolico (quod legitimi concilii ideam exhibet) erat quæſtio de fide: *An ſalus æterna obtineri nequeat citra ſuſceptionem circumciſionis & obſeruationem vniuerſæ legis?* Quæſtio de moribus & cærimoniis eccleſiæ erat: *An oporteat abſtinere ad tempus a fruitione rerum lege cærimoniali prohibitarum, vt eo facilius coaleſceret eccleſia ex Iudæis & gentibus colligenda?*

Quæſt. XLVII. *Quæ eſt norma decidendarum quæſtionum in concilio?*

*Vnicum principium & norma* decidendi quæſtiones controuerſas de dogmatibus & moribus eſt ſcriptura canonica. *Norma concilii.*

Prob. Deciſiones conciliorum concernunt fidem & officia Chriſtianorum; quæ ſicut pendent a ſcriptura S. tanquam vnico principio cognoſcendi & operandi: Ita quoque deciſiones, iſta concernentes, habent *vnice ſcripturam*, vt *principium & normam* decidendi *perfectam & adæquatam*. Confer. dicta ſcripturæ, Deut. IV, 12. Eſ. VIII, 20. 2 Tim. III, 15. Gal. I, 8. c. VI, 16.

In conciliis primis codex euangeliorum in excelſo throno collocabatur, vt omnium oculis eſſet expoſitus.

Quæſt. XLVIII. *Quæ eſt forma conciliorum?*

*Forma* eſt decens *ordo* concilii, ſeu *legitimus proceſſus*, quoad ſingula partium congregatarum munia. *Forma conciliorum.*



Digitized by Google

Prob. Eſt enim concilium ens per aggregationem cum ordine, qui ſine legitimo proceſſu partium eſſe nequit. Hunc obſeruant præſides recte *dirigendo*, aſſeſſores *deliberando*, *opponendo*, *reſpondendo*, *decidendo*.

Quæſt. XLIX. *Quis eſt finis conciliorum?*

*Finis conciliorum.* *Finis* conciliorum eſt propagatio gloriæ diuinæ a), concordia eccleſiæ b) ſchiſmatum, hæreſium & ſcandalorum declinatio c).

Prob. a. Concilia congregantur *in nomine Chriſti*, Matth. XVIII, 10. i. e. propter gloriam Chriſti.

Prob. b. Concordia eccleſia ſtabilitur conſenſu profeſſionis fidei, quæ ne heterodoxia dirumpatur, concilium conuocatur. Sic in concilio apoſtolico, Act. XV. doctrina Chriſtiana de conſecutione æternæ ſalutis citra ſuſceptionem circumciſionis propugnata eſt.

Prob. c. Concilio apoſtolico, Act. XV. vera ſententia de lege Moſaica ſic explicata eſt, vt pſeudo-apoſtolorum opinio de neceſſitate obſeruationis rituum Moſaicorum ſolide confutata ſit, & penitus exſtirpata; quin & ſcortatio in perpetuum, & fruitio ſanguinis atque idolothytorum ad tempus prohibita eſt.

Quæſt. L. *Quomodo diuiduntur concilia?*

*Conciliorum diuiſio.* Concilia *diuiduntur* in *vniuerſalia*, ſiue generalia (quæ græce dicuntur οἰκουμενικά) & *particularia* (græce μερικά, ἢ τοπικά). *Vniuerſalia* ſunt, ad quæ vel ex omnibus, vel ex plurimis orbis Chriſtiani partibus viri docti & pii vocantur a). *Particularia* vel ſunt *nationalia*, ad quæ viri docti & pii vnius nationis euocantur: vel *prouincialia*, in quibus doctores vnius prouinciæ conueniunt; vel *diœceſana*, quæ ex viris religioſis vnius diœceſeos conſtant b).

Prob. a. Nunquam quidem in toto orbe exſtitit concilium *abſolute vniuerſale*, in quo conuenerint vniuerſæ eccleſiæ militantis Epiſcopi & delegati: dicuntur itaque concilia *vniuerſalia*, ſiue œcumenica συγκριτικῶς, ſiue *reſpectiue*, in reſpectu ad concilia nationalia, prouincilia & diœceſana. Quamuis igitur non ſint *ſimpliciter* vniuerſalia; habentur tamen talia ob ſubſecutam ratihabitionem omnium eccleſiarum particularium, a quibus approbata ſunt. Maxime æſtimantur priora IV. concilia œcumenica: *Nicænum*, conuocatum ab Imperatore CONSTANTINO M. An. 325. in quo præſentibus 318 Epiſcopis damnata eſt hæreſis ARII, diuinitatem Chriſti negantis: Concilium *Conſtantinopolitanum* I. indictum a THEODOSIO ſeniore, An. 381. in quo MACEDONIVS, & qui cum ipſo faciebant, pneumatomachi, ab Epiſcopis 150. condemnati ſunt: *Epheſinum* I. coactum a THEODOSIO iuniore, in quo conuenerunt Epiſcopi plusquam 220. An. 432 qui damnarunt NESTORIVM, communicationem idiomatum negantem: *Chalcedonenſe* habitum ſub MARCIANO Imperatore, An. 451. contra EVTYCHEN & DIOSCORVM, duas in Chriſto naturas confundentes, qui damnati ſunt ab Epiſcopis 630.

Prob. b. Concilium *nationale* habitum eſt Carthagine in Africa, præſide CYPRIANO. Contra CORNELIVS, Epiſcopus Romanus, inſtituit concilium nationale, in quo conuenerunt Epiſcopi totius Italiæ, teſte EVSEBIO *hiſt. eccl. Libr. II c.* 2. Concilia *prouincialia* fuerunt Moguntinum, Colonienſe, Aquisgranenſe, aliaque plura habita, in Germania & deſcripta Tom. IV. Conciliorum. Concilia *diœceſana* ſunt ſynodi, ſiue conuentus vnius diœceſeos ſub vno Epiſcopo, adeoque minoris auctoritatis.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. LI. *Quæ eſt auctoritas conciliorum?*

Concilia pollent *auctoritate magna*, eaque *decretoria* a), & *deciſiua* b), quam non habent inde, quod eccleſiam vniuerſalem exacte repræſentent c), ſed habent eandem dependenter a ſcriptura ſacra & conuenientia decretorum ſuorum cum eadem d): quamuis a poſteriori ex conſenſu eccleſiarum per terrarum orbem exiſtentium illis quædam accedat auctoritas e), quæ tamen *non* eſt *infallibilis*, aut immunis ab errandi periculo f). *Concil. auctoritas.*

Prob. a. Haud exiguam auctoritatem ſibi conciliat Doctor eccleſiæ publicus pietate, eruditione & amore veritatis, vt ipſius iudicium magni fiat: ideoque longe maior eſt auctoritas plurium Doctorum piorum & eruditione præſtantium, qui, collatis examinatisque rerum ſententiis, vnanimiter decernunt. Plurimi autem æſtimatur auctoritas conciliorum decretoria in conſtituendo *bono ordine*, *& ſanciendis ritibus* atque corrigendis *moribus* eccleſiæ, vt omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, decenter & ſecundum ordinem, 1 Cor. XIV, 40.

Prob. b. In *dogmatibus fidei*, de quibus exortum eſt dubium & controuerſia, haud parum valet auctoritas conciliorum deciſiua; cuius tamen deciſio *non ſimpliciter iudicialis*, ſed diaconica & *miniſterialis* eſt, adſtricta ad methodum ordinariam interpretandi dicta ſcripturæ, & eliciendi ex illis concluſiones theologicas.

Prob. c. Auctoritas conciliorum non naſcitur ex perfecta repræſentatione eccleſiæ catholicæ; ſiquidem nullum datur concilium, quod eccleſiam vniuerſam *exacte* repræſentet, adeoque nullum datur concilium *abſolute vniuerſale* & œcumenicum. In concilio Nicæno I. ex occidente ſolum fuerunt duo presbyteri miſſi ex Italia, vnus Epiſcopus ex Gallia, vnus ex Hiſpania, vnus ex Africa. In Concilio II. & III. nulli fuerunt ex occidente; Pontifices tamen DAMASCVS & COELESTINVS concilia illa confirmarunt, nomine ſuo & aliorum Epiſcoporum occidentis, quos ipſi Romæ collegerant. In concilio IV. ſolum fuerunt legati LEONIS, & præterea miſit ipſe conſenſum aliorum Epiſcoporum Hiſpaniæ, Galliæ & Italiæ, qui in ſuis prouinciis celebratis conciliis ad Leonem ſcripſerunt, ſe in omnibus eius ſententiam ſequi. Vid. BELLARM. *L. I. de concil. XVI.*

Prob. d. Conciliorum *norma vnica* eſt S. *ſcriptura*, a qua omnem certitudinem nanciſcuntur. Quare concilia, quæ dictum Dei ſequuntur, fidem catholicam ſincere declarant.

Prob. e. Quæ concilia a pluribus eccleſiis recipiuntur, illa tantæ auctoritatis eſſe cenſentur, vt ex illis veræ eccleſiæ doctrina haud inualide colligatur.

Prob. f. Decreta conciliorum, etiamſi a Romano Pontifice ſint confirmata, non ſunt abſolutæ infallibilitatis. Nam 1) qui extra concilium errori ſunt obnoxii, in ipſo concilio congregati tales manent: Sed eccleſiæ doctores extra concilium errori ſunt obnoxii, niſi ſcripturam velut ducem & lucem vnice ſequantur: E. 2) Ex ſacris litteris certum eſt, concilium eccleſ. Iudaicæ grauiſſime erraſſe, in quo licet ſummus præſideret Pontifex, aſſidente tota ſynagoga, & vniuerſo ſynedrio, tamen Saluator Chriſtus, vt ſeductor, blaſpheme condemnatus eſt, Matth. XXVI, 65. Qui error non tantum fuit facti, ſed etiam fidei. Ideo enim Chriſtus condemnatus eſt, quia dixit, ſe eſſe Filium Dei, adeoque impegit ſynedrium in articulum fidei fundamentalem. 3) Concilia *particularia*, ſiue nationalia, ſiue prouincialia fuerint, haud leuiter erraſſe, liquido conſtat. tria enim concilia nationalia in Africa inſtituit CYPRIANVS, in quibus dogma de rebaptizandis, qui ab hæreticis baptizati erant, confirmatum eſt, teſte AVGVSTINO *L. III. de bapt. contra Donatiſtas.* At, inquies: Concilia particularia, confirmata a Pontifice Romano, non errant. Reſp. Pontifex Rom. nullum habet priuilegium infallibilitatis. Multos Papas fuiſſe hæreticos, dilucide oſtendit

D. GERHARD, in *confeſſ. catholica. lib. I. part. II. cap. 2. fol. 77* *). 4) Concilia *generalia* non eſſe immunia ab errore, vel ſolum concilium *Epheſinum* II. ſuo docet exemplo, quod generale fuit **), & tamen hæreſin *Eutychianam* confirmauit, teſte BELLARMINO *L. I. de conciliis c. 6. fol.* 10.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, concilia vniuerſalia a Pontifice Romano confirmata, poſſe errare. Qui obiiciunt:

I. Quidquid vniuerſam repræſentat eccleſiam, illud eſt infallibile: Atqui concilium vniuerſale, a Papa conuocatum & confirmatum, &c. Ergo. *Maior* conſtat: quia vniuerſa eccleſia, quæ eſt firmamentum veritatis, in fundamento fidei errare nequit. Reſp. Nullum vnquam fuit concilium abſolute vniuerſale, quod vniuerſam eccleſiam militantem perfecte repræſentauerit.

II. Summum Chriſtianorum iudicium debet eſſe infallibile: Atqui concilium legitimum eſt ſummum Chriſtianorum iudicium, Matth. XVIII, 17. E. Reſp. Summum chriſtianorum iudicium eſt infallibile, quamdiu conſentaneum eſt normæ ſuæ, ſiue verbo diuino. At fieri poteſt, vt chriſtiani iudices verbum Dei vel non recte interpretentur, vel ex eo concluſiones non accurate eliciant, & conſequenter in errorem incidant.

III. Chriſtus eſt in medio Epiſcoporum in nomine ipſius congregatorum, qui illis dat lumen ſapientiæ, quam expetunt, vt errare nequeant, Matth. XVIII, 20. Reſp. In verbis Chriſti habetur promiſſio, omnibus vere chriſtianis data, de gratioſa ipſius præſentia & exauditione precum. Quod ſi ex hac promiſſione inferri poſſet priuilegium *infallibilitatis*, illud commune foret *omnibus fidelibus in nomine Chriſti congregatis.*

Quæſt. LII. *Suntne concilia neceſſaria?*

*Conciliorum neceſſitas.*

Concilia ſunt *neceſſaria* non abſolute a), ſed *hypothetice* b).

Prob. a. 1) Scriptura S. citra numeroſam hominum congregationem ſufficit, cum ad ἔλεγχον, ſeu falſorum dogmatum ſolidam refutationem, tum ad ἐπανόρθωσιν, ſeu morum vitioſorum emendationem, 2 Tim. III, 17. 2) Deus cuique etiam particulari eccleſiæ dedit paſtores & doctores, Eph. IV, 12. vt illorum informatione imbuti auditores in fide & pietate creſcant. 3) Etiam per litteras, abſentibus presbyteris, componi poteſt controuerſia, vel ſchiſma, 1 Cor. V, 3. E. concilia non ſunt abſolute neceſſaria.

Prob. b. Neceſſaria ſunt concilia ad bene eſſe, vt *maiori auctoritate* reprimantur hæreſes, & *cenſura publica* ſcandala amoueantur, & diſciplina eccleſiaſtica *ſolemniter ſanciatur.*

# DE ANTI-CHRISTO VERAE ECCLESIAE HOSTE.

Quæſt. LIII. *Quis eſt præcipuus veræ eccleſiæ hoſtis?*

*Præcipuus* eccleſiæ *hoſtis inuiſibilis* eſt *diabolus* a), *viſibilis* eſt *Antichriſtus* b).

Prob.

*) Immo vero in multis magniſque erroribus verſatur Præſul Romanus vnus quisque, tamquam corruptæ eccleſiæ caput.

**) *Generalia* concilia, *proprie* ſtricteque ita nominata, ſunt ea, quorum decreta communi totius eccleſiæ conſenſione comprobata ſunt. Hac igitur ratione Theologi noſtrates non plura, quam quatuor, numerant concilia œcumenica, omniumque minime Epheſinum II. in quo impie res geſtæ fuerunt, dignum putant, quod in illorum cenſu habeatur. *Latiore* quidem ſignificatione nomen *generalium* conuentuum interdum etiam iis tributum eſt, qui Imperatorum auctoritate inſtituti fuerunt. At ne ita quidem hoc ei nomen conuenit.

Digitized by Google

Prob. a. Ex 1 Petr. V. 8. Præcipuus vere credentium & ſanctorum aduerſarius eſt *diabolus*, *ſicut leo rugiens circumiens*, *& quærens*, *quem ex illis abſorbeat*. Conf. Eph. VI, 12.

Prob. b. Ex 2 Theſſ. II, 3. vbi *Antichriſtus* dicitur *homo peccati*, *filius perditionis & adverſarius* (ἀντικείμενος) ideo, quod eſt mancipium & auctor peccati, reus perditionis, quam ſibi aliisque accerſit, & hoſtis Chriſti; quippe qui ſine illius auctoritate & iuſſu caput, regem & monarcham eccleſiæ ſe conſtituit.

Quæſt. LIV. *Quis eſt Antichriſtus?*

*Antichriſtus* eſt *magnus Chriſti aduerſarius*, vniuerſale regimen in eccleſiam Chriſti ſibi arrogans a), ſupra Cæſarem, Reges, Principesque ſe extollens b), ſedem ſuam præcipue in vrbe Roma habens c), ſub ſpecie ſingularis ſanctitatis varias doctrinæ & ſacrorum publicorum corruptelas inuehens d), easque, fraude & violentia oppreſſis veræ fidei confeſſoribus, propagans e), tempore diuinitus ſtatuto manifeſtandus f), & ſpiritu oris diuini deſtruendus, atque a Chriſto, ad extremum iudicium veniente, penitus abolendus g). *Definitio Antichriſti.*

Obſ. I. Nomen *Antichriſti* in ſcripturis bifariam accipitur: a) *Generatim*, pro quibusvis hæreticis, qui falſas & doctrinæ Chriſti aduerſantes doctrinas diſſeminant, easque pertinaciter propugnant. De quibus Ioannes: *etiam nunc*, inquit, *Anti-Chriſti multi ſunt*, 1 ep. II, 18. qui communiter dicuntur *Anti-Chriſti parui*. b) *Speciatim* & κατ' ἐξοχὴν pro *inſigni* illo *Chriſti aduerſario*, 2 Theſſ. II. deſcripto, quem differentiæ cauſſa *Anti-Chriſtum magnum* vocamus.

Obſ. II. Diſtinguunt nonnulli auctores inter *Anti-Chriſtum orientalem*, *& occidentalem*. Illum ſtatuunt eſſe *Mahometum*, hunc *Pontificem Romanum*. Fatemur, *quasdam* proprietates Anti-Chriſti competere Mahometo, ſed *non omnes coniunctim*, ſiue complexe ſumtas. Nam Anti-Chriſtus magnus *ſedet in templo Dei*, 2 Theſſ. II, 4. hoc eſt, in media eccleſia dominatur, quam non plane vult conuulſam, vt Mahometus, ſed conſeruatam, & a ſe poteſtate monarchica gubernatam. Anti-Chriſtum illum magnum ſecundum omnes characteres & proprietates, quæ in ſacris litteris ipſi tribuuntur, deſcripſimus.

Prob. a. Anti-Chriſtus eſt ἀντικείμενος, id eſt: *magnus aduerſarius*, qui non tantum vita & praxi, ſed etiam doctrina publica Chriſto aduerſatur, 2 Theſſ. II, 4. *& ſedet in templo Dei*. *Sedere*, phraſi ſacra, idem eſt, quod *regnare*. *Templum Dei* autem eſt *eccleſia*, Eph. II, 20. in qua Anti Chriſtus ſedet non quoad ſitum corporis, ſed quoad arrogationem & vſurpationem regiminis in eccleſiam. Sedet enim, *& oſtentat ſe*, *quaſi ſit Deus*, arrogando ſibi potentiam diuinam, ſiue ſupremam ac monarchicam poteſtatem ſuper vniuerſam eccleſiam, poteſtatem ferendi leges, quibus Chriſtianorum conſcientiæ per totam eccleſiam obligentur.

Prob. b. Anti-Chriſtus deſcribitur 2 Theſſ. II, 4. quod ſit ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, *extollens ſe ſuper omnem*, *qui dicitur Deus & cultus*. Θεοὶ λεγόμενοι ſunt dii terreſtres, ſiue magiſtratus, Pſ. LXXXII, 1. Σέβασμα, interprete ERASMO, proprie dicitur id, quod adoramus, & ſumma reuerentia veneramur, & quod maieſtate præcellit, latineque verti poteſt *Numen*. Eo ſuperbiæ procedit Anti-Chriſtus, vt ſe ſuper omnes magiſtratus, ſuper omnes venerandos efferat.

Prob. c. *Sedes* Anti-Chriſti *generalis* eſt *eccleſia*. *ſpecialis* vrbs *Roma*. Nam *mulier* (*meretrix illa magna*) Apoc. XVII, 3. dicitur *ſedere ſuper beſtiam habentem capita ſeptem; quibus*

*bus ſeptem montes denotantur*, iuxta v. 9. quæ eſt manifeſta deſcriptio Romæ ſepticollis. Et ſic 2 Theſſ. II, 6. 7. docet Paullus, eſſe aliquod κατέχον, ſeu aliquem κατέχοντα, i. e. *obſtantem*, vel *detinentem*, quo impediente regnum Anti-Chriſti nondum poſſit erigi, nempe imperium (Romanum non hodiernum, ſed vetus illud, cui ſuberat Roma), ſiue Imperatores, qui Romæ cum poteſtate præerant: His autem ſublatis, venturum eſſe ἄνομον illum, qui hactenus in eadem ſede, quam Imperatores actu tenerent, thronum ſuum habere non potuerit.

Prob. d. Tribuitur Antichriſto ἀποϛασία, ſiue *defectio a veritate cæleſti*, & fide orthodoxa, 2 Theſſ. II, 7. vbi *apoſtaſia* non *vulgaris*, *ſed reſpectu qualitatis horrenda*, *reſpectu quantitatis maxima*, intelligitur. Hanc apoſtaſiam Anti-Chriſtus non vult denudari, ſed occultari, ideoque ipſius *myſterium iniquitatis efficax* eſſe perhibetur, 2 Theſſ. II, 7. Myſterium autem iniquitatis eſt impietas, ſpecie pietatis palliata. Ad quam impietatem fucandam haud parum facit iactantia miraculorum. *Aduentus enim Anti-Chriſti eſt iuxta operationem Satanæ, in omni virtute* (mirifica) *& ſignis, & prodigiis mendacii*, 2 Theſſ. II, 9.

Prob. e. *Meretrix Babylonica*, quæ eſt Anti-Chriſtus, *effundit ſanguinem ſanctorum, & prophetarum* (ipſi contradicentium) Apoc. XVI, 6. vt *ebria ſit de ſanguine ſanctorum & martyrum Ieſu*, Apoc. XVII, 6.

Prob. f. *Reuelabitur ὁ ἄνομος ſuo tempore*, 2 Theſſ. II, 8. Anti-Chriſtus eſt ἄνομος, ſiue *exlex*, qui nullis legum vinculis vult coërceri, cuius ſuperbia, affectata monarchia, vis & fraudes tempore diuinitus conſtituto detegentur & arguentur.

Prob. g. Dominus Anti-Chriſtum *deſtruet ſpiritu oris ſui*, *& abolebit apparitione aduentus ſui*, 2 Theſſ. II, 8. Chriſtus Anti-Chriſtum debellat *ſpiritu oris ſui*; eo, quod nequitia illius ſpiritualis eſt, adeoque non corporalibus, ſed ſpiritualibus armis deſtruenda, donec glorioſiſſimo aduentu Chriſti ad iudicium vniuerſale penitus aboleatur.

Quæſt. LV. *Eſtne Anti-Chriſtus determinatum indiuiduum humanum?*

Per Anti-Chriſtum in ſacris litteris *non* intelligitur determinatum *indiuiduum* humanum, aut vnicus homo carens ſucceſſore, & intra ſpatium paucorum annorum omnem ſuam malitiam complens.

Prob. 1) Anti-Chriſtus, docente Paullo, 2 Theſſ. II, 6. 7. tum erat venturus, cum id, quod obſtabat eius regno erigendo, imperium Romanum, occidentale ſcilicet, ſublatum fuerit, & duraturus vsque ad glorioſum Chriſti aduentum, ibid. v. 8. ſed vnum hominis indiuiduum tot ſæculis, quæ a deſtructo imperio Romano occidentali ad Chriſti aduentum glorioſum vsque intercedunt, ſupereſſe non poteſt. E. per Anti-Chriſtum non intelligitur determinatum indiuiduum humanum.

2) Vnius hominis ætate nec plantari potuit regnum Anti-Chriſti, nec peragi poſſunt res, quas in eo peractum iri in ſcripturis prædictum eſt. Ergo Anti-Chriſtus non eſt vnum hominis indiuiduum. *Conſequentia* eſt euidens. *Antecedens* autem probatur: quia a) regnum Anti Chriſti plantandum erat non vi aperta & armis, ſed doctrinis falſis, ſpecioſe tamen fraude multiplici incruſtatis, nec non ſignis & prodigiis mendacibus, Satana cooperante in ſpeciem confirmatis, 2 Theſſal. II, 9. 10. b) Fraus Anti-Chriſti peruagatura erat longe lateque per orbem, vt populi & gentes vbique ad ἀποϛασίαν, ſiue ad defectionem a veritate inducerentur, Apoc. XVII, 1. quæ omnia vnius hominis ætate fieri nequeunt.

Quæſt. LVI. *Eſtne Pontifex Romanus Anti-Chriſtus?*

*Pontifex Romanus eſt Anti-Chriſtus magnus.*

Prob.

Digitized by Google

**Prob.** Quicunque eſt ἀντικείμενος, ſiue magnus Chriſti aduerſarius, 1) vniuerſale regimen in eccleſiam ſibi arrogans, 2) ſupra Reges, Principes & ipſum Imperatorem Rom. ſe extollens, 3) ſedem ſuam præcipue in vrbe Roma habens, 4) ſub ſpecie ſingularis ſanctitatis varias doctrinæ & ſacrorum publicorum corruptelas inuehens, 5) easque, fraude & violentia oppreſſis veræ fidei confeſſoribus, propagans, 6) tempore diuinitus ſtatuto manifeſtatus, 7) ſpiritu oris diuini deſtruendus, & a Chriſto, ad extremum iudicium veniente, penitus abolendus, ille eſt Anti-Chriſtus magnus. Atqui *Pontifex Romanus* eſt ἀντικείμενος &c. Ergo. *Maioris* veritatem demonſtrauimus Quæſt. LIV. *Minoris* membra ſingula valide probantur. Nam:

1) Pontifex Romanus eſt ἀντικείμενος; quia ſine iuſſu & auctoritate Chriſti vult eſſe Epiſcopus œcumenicus, isque infallibilis, caput, monarcha, & ſponſus eccleſiæ: adeoque arrogat ſibi honorem Chriſto proprium. *Sedet* igitur *in templo Dei*, *& oſtentat ſe*, *quaſi ſit Deus.*

2) Didicerunt Pontifices Romani a BONIFACIO VIII. tantum ſe efferre ſupra Imperatorem Rom. τὸν σεβαςὸν (vt vocatur, Act. XXV, 21. 25.), quantum ſol præfertur lunæ. Vnde Cæſares, Reges, Principes de throno deiicere, imperia, regna & principatus ad alios transferre, ſubditos a iuramento fidelitatis abſoluere, atque adeo reapſe *aduerſus omne*, quod *Deus*, aut *Numen* dicitur, *ſe extollere* plus vice ſimplici auſi ſunt.

3) Papa *ſedem ſuam* habet in vrbe *ſepticolli Roma*, ſublato τῷ κατέχοντι, imperio Romano.

4) Apoſtaſia Pontificis Rom. a veritate cœleſti ſupra oſtenſa eſt qu. XXXVI.

5) Quantum ſanguinis chriſtiani inſtinctu pontificis Rom. effuſum ſit, multis experimentis didicit Germania, Gallia, Hiſpania, Belgium &c.

6) *Myſterium impietatis* papalis reuelatum eſt per LVTHERVM, & eius aſſeclas.

7) Chriſtus aduerſarium ſuum, ſcil. Papam, ſucceſſiue debellat armis ſpiritualibus, quem claritate aduentus ſui ad vniuerſale iudicium ſic abolebit, vt ipſius monarchiæ eccleſiaſticæ finis imponatur.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, Papam eſſe Anti-Chriſtum. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. Anti-Chriſtus eſt *vnus*, 2 Theſſ. II. 4. Papa non eſt vnus; quia multi Pontifices Romani conſtituuntur. Ergo Papa non eſt Anti-Chriſtus. Reſp. Anti-Chriſtus eſt *vnus, non vnitate numerica, aut monadica*, ad eum modum, quo ſol vnus eſt, ſed *ſucceſſiua* ad eum modum, quo vnus eſt rex Galliæ, qui ſuos habet ſucceſſores.

II. Anti-Chriſtus deficit a Chriſto, 2 Theſſ. II, 3. Pontifex Romanus non deficit a Chriſto. Ergo. Reſp. Diſtingu. inter *defectionem totalem*, *& partialem.* Defectio pontificis Rom. a doctrina Chriſti non eſt *totalis*, cum in templo Dei ſedere dicatur; ſed *partialis*, eaque ratione *qualitatis* notabilis & horrenda, ratione *quantitatis*, ſeu complicum, locorum & temporum, maxima.

III. Anti-Chriſtus abnegat Chriſtum, 1 Io. IV, 3. Pontifex Rom. non &c. Ergo. Reſp. Pontifex Rom. Chriſtum *abnegat non aperte*, *ſed conſequenter*, dum labefactat officium Chriſti mediatorium, & docet, meritum Chriſti non ſufficere pro noſtris peccatis, ſed eidem addenda eſſe merita ſanctorum, & indulgentias peccatorum certa ſoluta pecunia eſſe emendas.

IV. Euerſo imperio Rom. venit Anti-Chriſtus. At his noſtris temporibus imperium Rom. nondum eſt euerſum. Ergo his noſtris temporibus nondum venit Anti-Chriſtus.



Digitized by Google

*Maior* probatur ex 2 Theſſ. II, 6. Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, *& nunc quid detineat, ſcitis; vt reueletur ille ſuo tempore. Nam myſterium iam efficax eſt iniquitatis: dummodo, qui detinet nunc, e medio ſit (ſublatus).* Conſentiunt Patres antiqui, per τὸ κατέχον intelligi imperium Romanum, quod erigendo regno Anti-Chriſti obſtat. Reſp. Diſting. inter *imperium Romanum occidentale vetus, & hodiernum imperium Romano-Germanicum.* Non hoc, ſed illud regno Anti-Chriſti obſtabat. Cum enim ſedes Anti-Chriſti figenda eſſet in vrbe Roma, & hæc imperio Romano veteri ſubiecta, eiusque primaria ſedes eſſet, fieri non poterat, vt Anti-Chriſtus ſedem ſuam Romæ defixam haberet. Neque enim duo imperia ſumma, quale fuit Romanum vetus, & quale Anti-Chriſti regnum ſuo tempore futurum erat, ſimul in vna Roma ſubſiſtere poterant.

V. *Duo teſtes venturi ſunt* eodem tempore, quo Anti-Chriſtus veniet, Apoc. XI, 3. At hi duo teſtes (quicunque tandem illi ſint) nondum venerunt: Ergo nec Anti Chriſtus venit. Reſp. Omnes veritatis confeſſores & Anti-Chriſti dicuntur duo teſtes, cum propter paucitatem, tum quod iuxta legem Dei in ore duorum, aut trium teſtium conſiſtit omne verum.

VI. Anti-Chriſtus ignem de cœlo in terram deiecturus eſt: Pontifex Rom. non deiicit de cœlo ignem in terram. Ergo. *Maior* patet ex Apoc. XIII, 13. Reſp. Diſt. inter *ignem proprium, & metaphoricum.* Licet Papa ignem *proprium* non deiiciat in terras, deiicit tamen ignem *metaphoricum*, nempe *fulmen excommunicationis*, in omnes ſuperſtitioni ipſius obſiſtentes.

VII. Anti-Chriſtus regnabit menſibus 42. Apoc. XI, 2. Papa multis ſæculis regnauit. Ergo. &c. Reſp. Diſt. *inter menſes lunares, & myſticos.* Locus citatus de menſibus *lunaribus* proprie dictis intelligi nequit; quia infelicia illa opera, quæ præſtabit Anti-Chriſtus, non poſſunt tempore adeo breui expediri. Ideoque notantur menſes *myſtici.* Menſis autem myſticus complectitur 30. annos, vid. Ezech. IV, 5. 6. Proinde menſes myſtici 42. ſunt anni 1260. Cum autem annus initii Anti-Chriſti nobis haud liquido conſtet, ex hoc termino annus mundi finalis certo colligi nequit.

### *SVSPIRIVM.*

Tibi, Deus Pater, Pater miſericordiæ, fons ſolatii, conſeruator operum, quæ condidiſti, ſit laus & gloria immortalis, quod me, pretioſiſſimo Filii tui vnigeniti ſanguine redemtum, ad veræ eccleſiæ tuæ conſortium vocaſti. Grato animo agnoſco, quod te duce & auſpice, factus ſim membrum corporis illius myſtici, cuius caput eſt Ieſus meus, cum quo perpetuo vinculo fidei iungi, curæ mihi cordique eſt. Serua me quæſo! in regno gratiæ, & tandem me transfer in regnum gloriæ, vt in eccleſia triumphante plenus lætitiæ triumphem, tuasque laudes æternum canam.

PAR-

Digitized by Google

## PARTIS IV. THEOLOGIAE CAPVT II.

# DE TRIPLICI STATV HIERARCHICO, ET IN SPECIE DE STATV SIVE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Quæſt. I. *Quot ſunt ſtatus, ſiue ordines in eccleſia diuinitus inſtituti?*

*Status*, ſiue ordines in *eccleſia* diuinitus inſtituti ſunt *tres*: Status *eccleſiaſticus, politicus & œcumenicus.*

Prob. Status *eccleſiaſticus* inſeruit eccleſiæ *collectioni & informationi*, atque opponitur hæreſibus & doctrinæ corruptelis: Status *politicus* inſeruit eccleſiæ *defenſioni, & externæ gubernationi*, atque opponitur tyrannidi & latrociniis: Status *œcumenicus* inſeruit eccleſiæ *propagationi*, atque opponitur vagis libidinibus. Triplex hic ſtatus dicitur etiam *triplex hierarchia.*

Quæſt. II. *Quid eſt miniſterium eccleſiaſticum;*

*Definitio miniſterii eccleſiaſtici.*

*Miniſterium eccleſiaſticum* eſt officium ſacrum & publicum, diuinitus inſtitutum, & certis atque idoneis hominibus per legitimam vocationem commendatum, vt peculiari poteſtate inſtructi verbum Dei doceant, ſacramenta adminiſtrent, & diſciplinam eccleſiaſticam conſeruent, ad gloriam Dei, hominumque ſalutem promouendam.

Quæſt. III. *Quæ eſt cauſſa efficiens principalis miniſterii eccleſiaſtici?*

*Cauſſa efficiens principalis.*

*Cauſſa efficiens principalis* miniſterii eccleſiaſtici eſt *Deus* a), *Pater* b), *Filius* c) *& Spiritus ſanctus* d).

Prob. a. Quemadmodum *Deus* eſt auctor gratiæ: ita penes eundem vis & poteſtas eſt, inſtituendi & conſeruandi officium, quo media gratiæ hominibus applicentur. Eſt autem Deus auctor miniſterii eccleſiaſtici: 1) doctores eccleſiæ *promittendo, promiſſos ad officium ſacrum vocando*, Ier. III, 15. 1 Cor. XII, 28: 2) *reuelando*, quæ ad miniſterium ſacrum recte gerendum ſpectant, v. gr. quæ doctrina prædicanda ſit, Gal. I, 8. quæ ad docendum, arguendum, cohortandum pertineant, 2 Tim. III, 14. quæ ſacramenta, & quomodo adminiſtranda ſint, 1 Cor. XI, 23: 3) doctores eccleſiæ *neceſſariis donis inſtruendo*, 2 Cor. III, 5. c. IV, 6. 4) *cum actionibus miniſtrorum concurrendo, & ſucceſſum ſalutarem largiendo*, Matth. X, 20. 1 Cor. III, 6.

Prob. b. Conſtitutio miniſterii eccleſiaſtici, & vocatio certarum perſonarum ad officium ſacrum, eſt actio diuina ad extra, tribus diuinitatis perſonis communis. De *Deo Patre* inquit Paullus Gal. I, 16. *Deus vocauit me, vt reuelaret filium ſuum in me.*

Prob. c. *Chriſtus dedit Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Doctores & Paſtores,* Eph. IV, 11, 12. qui diſerte inquit: Io. XX, 21. *Sicut me miſit Pater, ita ego mitto vos.*

Prob. d. *Spiritus S. conſtituit Epiſcopos ad paſcendum eccleſiam,* Act. XX, 28.

Quæſt. IV. *Quid hic per vocationem diuinam intelligitur?*

*Vocatio.* Per *vocationem diuinam* hic intelligitur deputatio certæ & idoneæ perſonæ ad miniſterium ecleſiaſticum cum poteſtate publice docendi, ſacramenta adminiſtrandi, & diſciplinam eccleſiaſticam exercendi, facta a Deo vel ſolo, vel interueniente hominum opera arbitraria.

Obſ. Proinde obſeruanda eſt diſtinctio inter *vocationem* omnium hominum *ad eccleſiam,* & *vocationem* certarum perſonarum *ad peculiarem ſtatum eccleſiaſticum.* Illa *generalis,* hæc *perſonalis* vocatur.

Quæſt. V. *Quotuplex eſt vocatio diuina ad miniſterium eccleſiaſticum?*

*Vocationis diuiſio.* Vocatio ad miniſterium eccleſiaſticum eſt *duplex,* alia *immediata,* ſiue extraordinaria, alia *mediata,* ſiue ordinaria *). Vocatio *immediata,* ſiue *extraordinaria* eſt **), qua ſolus Deus vocat, vel immediate alloquendo certam perſonam, eamque ad docendum mittendo, vel immediate præcipiendo aliis, vt hunc vel illum doctorem deſignent, vel ſigno externo, quem ipſe elegerit, oſtendendo a). Vocatio *mediata,* ſiue *ordinaria* eſt, qua Deus certam perſonam ad miniſterium eccleſiaſticum vocat, interueniente opera arbitraria illorum hominum, qui ſunt membra eccleſiæ b).

Prob. a. *Immediate* vocat Deus *triplici* modo ***): 1) Immediate *præcipiendo certæ perſonæ,* vt doceat. Sic Deus immediate & ἀυτοπροσώπως allocutus eſt Moſen: *Mittam te*

*) Haud obſcure Paullus ipſe hanc ipſam diſtinctionem indicat, ad Gal. I, 1. Ἀπόστολος ἀπ' ἀνθρώπων eſt falſus Apoſtolus, qui ſuæ libidinis impetu cucurrit, nunquam a Deo ire iuſſus: δι' ἀνθρώπων, eſt mediate a Deo legatus, quem ad modum Matthias, cuius ad electionem inſtituendam Deus quidem voluntatem ſuam ſigno quodam declarauit; Apoſtoli tamen, huic voluntati obtemperantes, hoc ipſi munus Dei nomine mandarunt, ipſum continuo in ſuum collegium cooptantes (*ſtricte* enim dicta *immediata* legatio eſt ea, in qua Deus neminem prorſus miniſtrum ac voluntatis ſuæ interpretem adhibet): διὰ (quæ vocula hac in loquutione idem valet, ac ἀπὸ, vid. Rom. I, 7.) Ἰησῦ Χριςῦ καὶ Θεῦ πατρὸς, eſt ille, quem Deus & Chriſtus, nemine vllo modo voluntatis diuinæ interprete, legarunt.

**) Intereſt aliquid inter hæc duo. *Immediatum* quidem omne eſt *extraordinarium;* at non viciſſim. Accidit interdum, vt, quæ *mediata* dicitur, legatio iuſto quidem modo, at ſingulari tamen, peragatur, ratione quarumdam rerum circumſtantium, diuina prouidentia ſecus, ac plerumque fieri ſolet, inter ſe connexarum. Omne autem rarum, ſingulare atque eximium, eſt aliquid extraordinarium.

***) Si *latiore* ſignificatu nomen legationis *immediatæ* vſurpatur, vt ſit ea, qua Deus *ipſe* voluntatem ſuam patefacit, ſiue *mittendo* homini, ſiue *miniſtro,* illum de voluntate Dei certiorem facturo.

Digitized by Google

*te ad Pharaonem*, Exod. III, 10. Ieremiam: *Conſtitui te Prophetam ipſis gentibus*, Ier. I, 5. Et Christus αὐτοπροσώπως vocauit Apoſtolos, Matth. X, 1. 2) Immediate *præcipiendo aliis*, vt hunc vel illum doctorem deſignent. Ita Deus immediate præcepit Moſi, vt Aaronem ſacerdotem; Eliæ, vt Eliſæum Prophetam Domini declararet, Exod. XXVIII, 1. 1 Reg. XIX, 16. 3) *Signo externo*, quem ipſe Deus elegerit, *oſtendendo*. Hoc pacto Matthiam Apoſtolum vocatum & electum eſſe legimus, Actor. I, 14. ſeq. vbi Apoſtoli precati dixerunt: *Tu, Domine*, *cardiognoſta omnium*, *demonſtra* (per ſignum externum, quod fuit ſors), *quem elegeris*. Deus itaque per ſortem, velut ſignum externum oſtendit, quod elegerit ipſe Matthiam v. 26. adeoque & hæc vocatio fuit immediata, alias Matthias non potuiſſet haberi verus Apoſtolus, cum ad Apoſtolatum requiratur vel maxime diuina, eaque immediata vocatio *).

Prob. b. Quamuis vocatio *mediata*, quæ moderante Deo fit per eccleſiam, aut membra eccleſiæ, non parem cum immediata dignitatis gradum obtineat, eius tamen cauſſa princeps eſt Deus, vt etiam vocatio mediata cenſenda ſit diuina. Nam 1) *Dominus meſſis mittit operarios in meſſem*, Matth. IX, 38. Ergo mittit, quamdiu meſſis durat: durat autem vsque ad conſummationem ſæculi. Non autem ſemper mittit immediate, ſed mediate: Ergo qui mediantibus hominibus mittuntur, etiam a Deo mittuntur. 2) *Mediate* vocati Epheſini presbyteri *ab ipſo Spiritu S.* ad paſcendum eccleſiam Dei *conſtituti* dicuntur, Act. XX, 28. Syluanus ac Timotheus probati ſunt *a Deo*, *vt ipſis* (mediate) *crederetur euangelium*, 1 Theſſ. II, 4. col. c. I. 1. Archippus, non immediate tamen vocatus, miniſterium ſuum *a Domino* (ſcil. *mediantibus* hominibus) accepit, Col. IV, 17. 3) Vocatio mediata fit ſecundum ordinem diuinitus præſcriptum, 2 Tim. II, 2. Tit. I, 5.-9. E. eſt diuina. 4) Deus mediate vocatos excellentibus donis exornat. Exemplo ſit Stephanus, mediate electus ac vocatus, quem Deus inſtruxit donis mirificis, *vt nemo potuerit reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui*, *quo loquebatur*, Act. VI, 10. 5) Deus miniſtris, mediate vocatis, ſalutarem largitur ſucceſſum. Nam Timotheus, ἐμμέσως vocatus, poterat tam *ſeipſum ſaluum facere*, quam *eos*, *qui audiebant ipſum*, 1 Tim. IV, 16.

Dicis: I. Præter vocationem *immediatam & mediatam*, datur *mixta*, qualis fuit LVTHERI ad repurgandam doctrinam fidei a corruptelis Pontificiorum, quæ fuit *extraordinaria*, & tamen *mediata*. Reſp. Vocatio LVTHERI ad opus reformationis fuit *mediata*, quamquam in ipſo reformationis opere *extraordinaria* gratia & ſucceſſu a Deo fuerit beatus.

Dicis: II. Deus non comitatur ſpeciali gratia vocationem mediatam: quia in illa multæ artes, multique abuſus interueniunt. Reſp. Vt non deſinit Deus cooperari rebus creatis *concurſu generali*, quamquam contra intentionem ipſius actioni multa interueniant: ita *ſpeciali concurſu* Deus influit in vocationem mediatam, etſi artes, aut abuſus interueniant. Semper enim diſtinguendum eſt inter opus humanum, & diuinum. Cum eligendus eſt Rex, interueniunt artes plurimæ, nec tamen ceſſat ordinatio diuina, Rom. XIII, 4.

Quæſt. VI. *Eſtne hodie vocatio immediata exſpectanda?*

Vocatio *immediate hodie* in eccleſia *exſpectanda non eſt*. *Vocatio immediata non eſt exſpectanda.*

Prob. 1. Qui poſt Apoſtolos publice in eccleſia docturi ſunt, hos oportet eſſe idoneos, & fideles, commiſſionem docendi ab aliis hominibus nactos. Sic enim alloquitur Paullus



*) Neceſſariæ Apoſtoli proprietates, præter hanc, erant duæ: 1) vt Chriſtum ſuis oculis vidiſſet, 2) vt eſſet communis Doctor vniuerſæ eccleſiæ. 1 Cor. IX, 1.

Digitized by Google

Paullus Timotheum: *Quæ audiuiſti a me per plures teſtes, hæc appone fidis hominibus, qui apti fuerint etiam alios docere*, 2 Tim. II, 2. Vbi ſupponitur idoneitas ſubiecti & commiſſio muneris ex parte aliorum vocantium; ibi vocatio mediata, ſollicite attendens ad qualitates hominis, ab hominibus facta locum habet. 2) Titus debuit conſtituere presbyteros in Creta; & quidem tales, qui *bono teſtimonio doctrinæ & vitæ ornati erant*, Tit. I, 5. Ergo vocatio immediata poſt Apoſtolorum tempora non amplius eſt exſpectanda. Ratio *conſequentiæ* eſt; quia 1) Titus vocauit mediate: 2) Paullus præſcribit Tito certas prudentiæ leges, ne per errorem hominem indignum præficiat eccleſiæ. At Deo immediate vocanti, vel vocaturo, non poſſunt præſcribi prudentiæ, aut cautionis leges, ne in vocando erret, indignum digno præferat, aut flagitioſum eccleſiæ cum ſcandalo obtrudat. Ergo hæc omnia præſcribuntur hominibus, qui in vocando errare poſſent, & per quos Deus vocat mediate.

Quæſt. VII. *Quæ eſt cauſſa efficiens minus principalis miniſterii eccleſiaſtici?*

*Cauſſa minus principalis.* Cauſſa *minus principalis* miniſterium conſtituens eſt *eccleſia*, cui a Deo eſt ius conceſſum eligendi, ordinandi & vocandi idoneos verbi diuini miniſtros a), ſeruato tamen in iuris huius exercitio ordine decente b).

Obſ. I. Diſt. inter *ius vocandi* miniſtros verbi diuini *ſummum*, & *delegatum*. *Illud* eſt penes *Deum*, tanquam cauſſam *principalem*, auctoritate propria mediate, vel immediate vocantem, hoc eſt penes *eccleſiam*, tanquam cauſſam *minus principalem*, non auctoritate propria, ſed nomine Dei vocantem. Vnde preces cum actu vocationis olim coniunctas nouimus, Act. VI, 6.

Obſ. II. Diſt. inter *ius vocandi miniſtros*, & *iuris exercitium*. *Ius vocandi* eſt penes *vniuerſam eccleſiam*, & omnes eius ordines atque membra: *exercitium* autem *iuris* variat, pro diuerſa *conuentione & conſuetudine eccleſiæ particularis*, cuius tamen eſt, ſeruare ordinem decentem, & vitare confuſionem.

Prob. a. 1) Quidquid omnes tangit, maxime in re ſalutari, illud omnium ſuffragiis peragi debet: Atqui vocatio miniſtrorum &c. Ergo. 2) Quicunque ſunt miniſtri eccleſiæ, a tota eccleſia ſunt vocandi: Atqui præcones verbi diuini &c. 1 Cor. I, 22. 2 Cor. IV, 5. Col. I, 25. Ergo. *Maior* conſtat: quia eccleſia, tanquam materfamilias, iure conducendi miniſtros priuari nequit. 3) Eccleſia habet ſibi, velut ſponſæ, datas a ſponſo Chriſto claues regni cœlorum, Matth. XVI, 18. c. XVIII, 17. ideoque ſicut ipſius eſt, aperire & claudere regnum cœlorum: ita ipſius eſt, conſtituere miniſtros, per quos claudat & aperiat. 4) Quorum eſt, *ſibi cauere a pſeudo-prophetis*, & *probare ſpiritus*, *an ex Deo ſint*, citra illorum conſenſum non eſt vocandus paſtor eccleſiæ: Atqui omnium membrorum eccleſiæ, etiam laicorum, eſt, cauere ſibi &c. Ergo. *Minor* patet ex Matth. VII, 15. 1 Io. IV, 1. 5) Hæc fuit praxis primitiuæ eccleſiæ, inde ab Apoſtolorum tempore, vt conſentientibus omnibus eccleſiæ membris miniſtri publici conſtituerentur. Sic dixerunt Apoſtoli ad multitudinem diſcipulorum, ſiue fidelium: *Circumſpicite, fratres, viros ex vobis, teſtimonio ornatos, ſeptem, plenos Spiritu S. & ſapientia, quos conſtituamus ſuper neceſſitate hac*, Act. VI, 3. Fuerunt illi quidem diaconi, curæ fiſci eccleſiaſtici peculiariter deſtinati, non tamen ab officio docendi alieni, ſed potius ob peritiam doctrinæ ſacræ præ aliis eligendi, vt docere poſſent. Conf. c. XIV, 23. vbi dicuntur Paullus & Barnabas, collectis fidelium ſuffragiis (*χειροτονήσαντες*, ita vt porrectis manibus ſinguli ſuffragia ferrent), conſtituiſſe presbyteros in ſingulis eccleſiis. Atque ita poſt Apoſtolorum tempora multorum ſæculorum decurſu, miniſtros eccleſiæ conſtitui conſueuiſſe, prolixe oſtendit D. GERHARDVS *loc. de miniſt. qu. 94. ſqq.*

Prob. b.

Digitized by Google

Prob. b. Vocatio miniſtrorum, generatim & complexe ſumta, prout complectitur electionem, ordinationem & vocationem ſpeciatim dictam a tota eccleſia, & omnibus tribus ſtatibus, ita peragenda eſt, vt ſeruetur debitus ordo, & vitetur confuſio. Deus enim non eſt Deus confuſionis, ſed ordinis, 1 Cor. XIV, 33. Competit itaque *presbyterio examen, ordinatio & inauguratio; magiſtratui Chriſtiano nominatio, præſentatio, confirmatio per litteras vocationis; populo conſenſus, ſuffragium, approbatio.*

*Antitheſis* eſt 1) *Pontificiorum*, qui *ſoli presbyterio*; 2) *Arminianorum*, qui *ſoli magiſtratui*; 3) *Anabaptiſtarum*, qui *ſoli plebi* ius vocandi miniſtros verbi diuini competere aſſerunt. Quorum potiora argumenta ſunt *):

I. Quomodo olim vocati ſunt Aaron & Apoſtoli, eodem modo hodienum vocandi ſunt præcones verbi diuini: Sed illi vocati ſunt ſine ſuffragio magiſtratus & populi. Ergo. *Maior* probatur: 1) E diſertis verbis Paulli, Hebr. V, 4. 2) Quia præcones ſacri ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. *Minor* probatur: 1) quia Aaron vocatus eſt per Moſen, Exod. XXVIII. 2) Apoſtoli vocati ſunt per Chriſtum, citra conſenſum magiſtratus & populi, Io. I, 21. Reſp. 1) Diſt. *inter conuenientiam generalem, & ſpecialem.* Noſtra vocatio conuenire debet cum vocatione Aaronis & Apoſtolorum *in genere*, vt ſit *diuina & legitima* vocatio: *non* autem *in ſpecie;* quia vocatio Aaronis & Apoſtolorum fuit *immediata*, noſtra eſt mediata. *Conuenit* vocatio *immediata & mediata*, quoad *rem ipſam*, ſeu officium docendi: *Modus* vocationis autem *diuerſus* eſt. 2) Moſes non fuit Sacerdos ſummus, ſed Princeps & Propheta inſignis: Nec Aaron a Moſe vocatus, ſed ab ipſo Deo immediate vocatus, & a Moſe tantum declaratus fuit.

II. Apoſtoli ſine ſuffragio magiſtratus & populi conſtituerunt Epiſcopos, v. gr. Paullus Titum conſtituit Epiſcopum in Creta, Tit. I, 5. Ergo hodienum epiſcopi & paſtores ſine ſuffragio populi vocandi ſunt. Reſp. Diſt. *inter eccleſiam plantandam, ſiue primum conſtituendam, & plantatam, ſiue conſtitutam.* Quando inter gentes infideles primum plantanda & conſtituenda eſt eccleſia, non exſpectandum eſt populi ſuffragium, aut magiſtratus infidelis auctoritas reſpicienda eſt. Apoſtoli miſerunt Epiſcopos & paſtores ad populos infideles adhuc conuertendos, non requiſito auditorum conſenſu. At vbi eccleſia fuit plantata & conſtituta, non præfecerunt miniſtros eccleſiis abſque populi conſenſu, Act. I, 24. c. VI, 3. c. XIV, 23.

III. Quicunque ſunt ouibus ſimiles, non poſſunt paſtorem vocare: Atqui auditores &c. Io. XXI, 17. *Maior* probatur: quia vocatio paſtoris pertinet ad regimen & gubernationem eccleſiæ. At ſicut oues non regunt, ſed reguntur: ita auditores paſtorem vocare non poſſunt. Reſp. 1) Diſtinguenda ſunt diuerſa tempora. Cum membra eccleſiæ paſtorem eligunt, nondum ſunt oues; neque eligendus ad miniſterium ſacrum actu paſtor eſt. 2) Ab ouibus irrationalibus ad rationales male concluditur. Nam ideo, quod non ſunt oues brutæ, ſed rationales, ratione e verbo Dei illuminata bene vtantur, ne pro paſtore eligant mercenarium, aut lupum.

IV. Quicunque non poſſunt de doctrina paſtoris iudicare, illi non poſſunt paſtorem vocare: Atqui laici &c. Ergo Reſp. 1) Negando *maiorem.* Quamuis laici non exacte iudicari queant de doctrina, quippe quod eſt presbyterii; iudicare tamen poſſunt de donis externis & vita perſonæ eligendæ, & iudicium presbyterii de doctrina ratihabere. 2) Iudicium de ὀρθοδοξίᾳ προφητικὸν, ſiue exactum & ſolidum, eſt quidem penes presbyterium; at iudicium

*) Priora ſex ſunt *Romanocatholicorum.* Septimum eſt *Anabaptiſtarum. Arminianorum* oppoſitionem nullam video, niſi huc retuleris quintam, quæ vero omnium trium ſectarum communis eſt.

Digitized by Google

iudicium δοκιμαςικὸν, ſiue diſcretiuum, non eſt denegandum laicis. Paullus enim generatim omnes Corinthios compellat: *Iudicate vos*, *quod dico*, 1 Cor. X, 15.

V. Quicunque vocandi modus diſſenſionibus & tumultibus eſt obnoxius, ille non eſt legitimus: Atqui modus vocandi, qui toti competat eccleſiæ, eſt &c. Ergo. *Minor* probatur; quia haud raro vſu venit, vt presbyterium a magiſtratu, & hic a populo diſſentiat, cum miniſter vocandus eſt. Reſp. Diſt. inter id, quo fit *per ſe*, & quod fit *per accidens*. Per accidens poteſt oriri diſſenſio de vocatione miniſtri; attamen bonis modis illa diſſenſionis ſemina elidi poſſunt.

VI. Poteſtas eccleſiaſtica non competit magiſtratui politico: Poteſtas vocandi miniſtros verbi diuini eſt eccleſiaſtica: Ergo. *Maior* conſtat: quia magiſtratus politicus verſatur circa ciuilia, non circa ſacra, aut eccleſiaſtica. Reſp. Magiſtratus verſatur non tantum circa ciuilia, ſed etiam circa *eccleſiaſtica exteriora*, ſiue externam diſpoſitionem de rebus ſacris. Eccleſiaſtica interiora, ſiue interna & proxima ſacrorum adminiſtratio eſt penes presbyterium.

VII. Potior pars eccleſiæ eſt plebs: Ergo huic potiſſimum competit vocatio miniſtrorum. Reſp. *Potior pars* eccleſiæ *plebs* eſt, ratione *multitudinis: magiſtratus*, ratione *gubernationis externæ: presbyterium*, ratione *interioris adminiſtrationis ſacrorum*, & iudicii de orthodoxia. Competit itaque ius vocandi toti eccleſiæ, ſed exercitium iuris debito ordine fieri debet. Dicis: Ius vocandi eſt penes patronum. Reſp. Nos vocationem hic ſumimus ſenſu generali, prout electionem, ordinationem & vocationem ſpecialiter acceptam complectitur.

Quæſt. VIII. *Eſtne legitima vocatio cuilibet miniſtro eccleſiæ neceſſaria?*

*Vocationis mediate neceſſitas.* *Cuilibet* miniſtro, in eccleſia conſtituta *publice & ordinarie* docenti, vel docturo, non tantum ratione εὐταξίας, ſiue *decori* a), ſed etiam ratione *mandati diuini*, *neceſſaria eſt* vocatio *legitima*, eaque *hodie mediata* b).

Obſ. I. Non eſt quæſtio de quibuscunque docentibus, ſed de iis, qui in *publicis eccleſiæ conuentibus* docentium officio funguntur; *priuatim* vero fideles ſe inuicem docere, admonere, errantes in viam reuocare, non ſolum licitum eſſe, ſed etiam caritatis operibus recte accenſeri, vltro largimur.

Obſ. II. Sermo nobis eſt de eccleſia rite *plantata*, *ſiue conſtituta*, non de *eccleſia plantanda*, *aut conſtituenda*. In eccleſia colligenda & conſtituenda, vbi non adſunt, qui ordinarie vocati doceant, nec præſto ſunt, qui vocent, in hoc extremo neceſſitatis caſu, vbi gloria Dei, proximique ſalus vnice ſpectanda, quemuis Chriſtianorum teneri, vt imperitis ſermonis iuſtitiæ lac catecheticum inſtillet, haud inuiti concedimus.

Obſ. III. Non quæritur de vocatione immediata, quæ hodie in eccleſia non eſt exſpectanda, ſed de *mediata*.

Prob. a. Neceſſaria eſt vocatio legitima iis, qui publice in eccleſiæ conuentibus officium docendi obire volunt, *ordinis* ſeruandi cauſſa, vt omnia fiant in eccleſia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, *decenter & ordine*, 1 Cor. XIV, 40. Neque enim eccleſia eſt congregatio ἄτακτος, ſiue cœtus confuſus, ſed rite ordinatus. Eſt enim hierarchia eccleſiaſtica inſtituta ab ipſo Chriſto, qui *dedit alios Apoſtolos*, *alios Prophetas*, *alios Euangeliſtas*, *alios Paſtores & Doctores*, *in inſtaurationem ſanctorum*, *in opus miniſterii*, *in ædificationem corporis Chriſti*, Eph. IV, 11. nimirum, vt ſint in eccleſia, qui ad curam animarum, & ad docendum

Digitized by Google

dum ſtatis temporibus obligati ſint, ad quos recurrere liceat omnibus, qui doctrina & ſolatio egent, quippe poteſtate polleant corripiendi & arguendi peccatores ſecuros, peccata remittendi ac retinendi &c. quæ partes vocatis eccleſiæ miniſtris paſſim in ſcripturis demandantur.

Prob. b. 1) A diſerto mandato Spiritus S. per Paullum loquentis, Tit. I, 5. *Reliqui te in Creta, vt reliqua coordinares, & conſtitueres per vrbes presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui.* Vid. ſupra quæſt. VI.

2) Ab axiomate Spiritus S. vniuerſali, Hebr. V, 4. *Non ſibi ipſi quis ſumit honorem, ſed qui vocatus a Deo, quomodo & Aaron.* Obſ. I. Loquitur Apoſtolus non de facto, ſed de *iure.* Obſ. II. Non tantum de ſacerdotio Aaronico, ſermo ipſi eſt, ſed generatim etiam de miniſterio ſacro. Textus enim generalis eſt: *Nemo ſibi ſumit honorem,* ſcilicet miniſterii ſacri, quod tum honore dignum, tum laborioſum eſt perinde, atque ſacerdotium Aaronis.

Dicis: Is *ſumit* aliquid, qui id, quod ei non debetur, ſibi arrogat: At ei, qui eſt ad docendum aptus, & vitæ inculpatæ eſt, debetur munus eccleſiaſticum: Ergo dici iure non poteſt, eum, qui aptus ad docendum alios, & vitæ inculpatæ eſt, *ſumere ſibi* munus docendi, vel honorem illum, qui eſt in munere docendi. Reſp. Debetur hæc dignitas digno, ſed ordinate, i. e. ordine vocationis ſeruato. Hanc qui non exſpectat, ſumit & arrogat ſibi id, quod hoc pacto ei non debetur. Ad *perſonam* enim *idoneitas*, vitæque *integritas*, ad *officium* vero *miſſio* requiritur. Alias quicunque politicam prudentiam apud ſe deprehendit, in munus ſenatorium, immo & regium licite irruere poſſet. Sane Aaron, imo Chriſtus ipſe, munere digniſſimi, vocationem exſpectarunt; multo magis igitur miniſtri hodie vocationem exſpectare debent.

3) Ab auctoritate apoſtolica, Rom. X, 15. *Quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint?* Ex quo oraculo Apoſtolico concludimus: Ad prædicationem verbi diuini neceſſaria eſt vocatio: Ergo etiam ad obeundum munus eccleſiaſticum. *Conſequentia* probatur: Prædicatio eſt pars miniſterii, cum qua legitimam miſſionem ita coniungit Apoſtolus, vt ex defectu miſſionis ad illicitam operam miniſterii concludat. Obſerues hic gradationem apoſtolicam: *Inuocatio* prærequirit *fidem*, *fides auditum verbi, auditus prædicationem euangelii, prædicatio diuinam miſſionem;* quia abſque hac nemo iure prædicabit. Loquitur enim Apoſtolus de *impoſſibilitate morali, non de phyſica.* Etenim *phyſice* quidem poſſibile eſt, vt quis prædicet ſine vocatione, at non *moraliter*, id eſt non recte, non decore, non modo in ſcripturis expreſſo.

Dicis: Apoſtolus 1) agit de vocatione immediata ad apoſtolatum, non de vocatione mediata. Duplex quippe eſt conſtituendi modus: *alter*, qui fit per miſſionem, *alter* per acquiſitionem eorum, quæ Paullus requirit in epiſcopo, 1 Tim. III, 2. Qui *poſterior* hic ſufficit, & *vocatio interna* dici poteſt. 2) Agit Apoſtolus de miſſione ad prædicationem rei nouæ, quæ requirit aliquam vocationem & miſſionem externam, non autem doctrinæ diuulgatæ in eccleſia plantata, ad quam ſufficit vocatio interna. Reſp. Ad 1) *Vocatio interna* fruſtra fingitur *). Paullus enim 1 Tim. III. non agit de vocatione, ſed de qualitatibus & adiunctis epiſcopi iam conſtituti, quibus habilitas vel aptitudo ipſius declaratur. Aliud autem

*) Nimirum his Paulli verbis denotata. Quod enim ad rem attinet, *internam* legationem, ſiue voluntatis diuinæ de munere ſuſcipiendo ſignificationem, quæ eſt incitatio animi ad hoc munus libenter obeundum, & largitio neceſſariorum donorum tum naturæ, tum gratiæ, eam vere ita eſſe, nemo ibit infitias.



Digitized by Google

autem eſt *aptitudo* ſubiecti ad miniſterium, aliud *vocatio* proprie ſic dicta. Illa conſiſtit in quibusdam qualitatibus, ſed non eſt vocatio ipſa, vt actus diuinus, quippe quem aptitudo ſubiecti antecedit. Plurimi apti ſunt ad magiſtratum, nec tamen, niſi vocatione ſubſequente, magiſtratus dignitatem capeſſunt. Ad 2) Non ob nouitatem doctrinæ requiritur miſſionis neceſſitas, ſed ob rationem peculiaris *ſtatus & ordinis;* quia miniſterium eſt ſtatus & ordo a Deo conſtitutus, in quo nemo poteſt eſſe, niſi præſuppoſita voluntate diuina, per miſſionem ſignificata. Neque enim Apoſtolus neceſſitatem miſſionis connectit cum doctrina, ſub ratione nouitatis conſiderata, ſed cum prædicatione, præſcindendo a qualitate doctrinæ, ſiue ſit noua, ſiue antiqua. Adiice, quod Apoſtoli non prædicauerint doctrinam ratione eſſentiæ nouam, Act. XXVI, 22. Paullus diſerte teſtatur, ſe præter id, quod in prophetis contentum eſt, nihil dixiſſe, Act. XXVIII, 23. Neque *κηρύσσειν* ſemper ſignificat *rem nouam* prædicare. Nam & Iudæus eſt *κηρύσσων, μὴ κλέπτειν,* Rom. II, 21. quod tamen *antiquiſſimum* eſt.

4) A conditione miniſterii. Miniſtri eccleſiæ ſunt *legati Dei*, 2 Cor. V, 20. At nemo fungitur munere legati, niſi ſit a principe miſſus. Sunt *œconomi myſteriorum Dei*, 1 Cor. IV, 1. *Oeconomus* non, niſi ab hero domus, conſtitutus eſſe poteſt. Ergo absque legitima vocatione nemo verbum Dei prædicare & ſacramenta diſpenſare debet. Iehouah enim deteſtatur currentes, non miſſos, Ier. XXIII, 21.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum*, *Socinianorum & Weigelianorum*, negantium, vocationem mediatam miniſtro eccleſiæ ratione *mandati diuini* eſſe *neceſſariam*. Quorum præcipua ſunt argumenta:

I. Quidquid eſt bonum opus, ad illius præſtationem non requiritur ſpecialis vocatio: Atqui *deſiderare Epiſcopatum eſt bonum opus*, 1 Tim. III. 1. Ergo. Reſp. Diſt. *inter deſiderium ordinatum & curſum inordinatum. Deſiderare* Epiſcopatum omnino eſt bonum opus; ſed ſignificat, modeſte & decenter operam ſuam eccleſiæ deferre ad legitimam vocationem: *Currere* autem ſignificat, in officium ſacrum ſine peculiari vocatione ſe ingerere. Hoc turpe dicitur, Ier. XXIII, 12. His adde, quod *quædam bona opera* ſint *ſpecialia*, ad quorum præſtationem *peculiaris requiritur vocatio & ordinatio Dei*, v. gr. bene gubernare rempublicam, honeſte educare liberos &c. quibus accenſenda eſt publica euangelii prædicatio.

II. Quidquid eſt opus caritatis, illud omnibus competit, quia opera caritatis ab omnibus ſunt exercenda: Sed docere alios eſt opus caritatis: Ergo. *Minor* probatur ex Iac. V, 19. Reſp. Diſt. *inter opera caritatis omnibus communia, & certis quibusdam perſonis propria.* In conventibus publicis docere, eſt quidem opus caritatis, ſed certis quibusdam perſonis ad publicum officium vocatis proprium: Sicut legatione fungi, eſt bonum opus, ſi reipublicæ ſalutem concernat; interim tamen nemo debet legati nomen & partes ſibi ſumere, niſi a legante ipſi imponatur. Ceterum priuatim informare proximum, quilibet pius Chriſtianus ſine peculiari vocatione poteſt.

III. Quicunque ſunt Sacerdotes coram Deo, illi poſſunt alios docere & informare ſine peculiari vocatione, nam docere alios, eſt ſacerdotum: *Omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes coram Deo*, 1 Petr. II, 2. Apoc. I, 6. Ergo. Reſp. 1) Diſtinguendo inter *Sacerdotes* ita dictos, ratione *muneris eccleſiaſtici*, & ratione *ſacrificiorum ſpiritualium. Omnes Chriſtiani* ſunt *Sacerdotes*, ratione *ſacrificiorum ſpiritualium*, qualia ſunt: preces, laudes, eleemoſynæ, mortificatio corporis; ſed non ſunt omnes Sacerdotes, ratione muneris eccleſiaſtici publici. Nam & fœminis competit Sacerdotium, reſpectu ſacrificiorum ſpiritualium; non autem ratione muneris eccleſiaſtici, 1 Tim. II, 12. 2) Chriſtiani non tantum dicuntur *Sacerdotes;* ſed etiam

Digitized by Google

etiam *Reges* coram Deo. Si itaque Chriſtianis, propter *ſacerdotium ſpirituale*, extra caſum neceſſitatis, licet exſequi actus ſacerdotio eccleſiaſtico competentes; ſequitur, iisdem propter *regnum ſpirituale*, pariter extra cauſſam neceſſitatis, licitum eſſe exſequi actus regno politico competentes. Ex quo *Anarchia* nefanda pullulabit.

IV. Si in primitiua eccleſia quidam docuerunt ſine peculiari vocatione, hodienum Chriſtiani ſine illa publice docere poſſunt: Antecedens eſt verum: Ergo & conſequens. *Conſequentia* patet: quia eccleſia primitiua fuit puriſſima, & maxime orthodoxa. *Antecedens* probatur: quia Chriſtiani diſperſi a morte Stephani, Act. IV, 4. Philippus, Act. VIII, 5. Apollo, Act. XIV, 4. ſine peculiari vocatione paſſim locorum euangelium docuerunt. Reſp. 1) In hiſtoricis e S. ſcriptura negatiue argumentari non ſemper licet. 2) Diſperſi illi vtique vocati fuere. Fuit enim inter illos Philippus euangeliſta, Act. XXI, 8. Euangeliſta autem eſſe nequit ſine vocatione. Nulli itaque dubitamus, quin & Apollo legitime vocatus fuerit.

Inſtantia: Patres primitiuæ eccleſiæ, nominatim ORIGENES, *homil. II. in c.* 18. *Numer.* & AMBROSIUS, *in comment. in cap. IV. ad Eph.* teſtantur, laicos prædicaſſe euangelium inter gentes fidei Chriſtianæ ignaras. Reſp. Diſt. *inter eccleſiam conſtituendam, & conſtitutam.* Quando homo Chriſtianus verſatur inter gentiles fidei Chriſtianæ ignaros, tunc pro parte virili alios docere, & doctrinam Chriſti propagare poteſt, vrgente *caritate & neceſſitate*; at vbi eccleſia eſt *conſtituta*, citra vocationem ordinariam nemo in officium publicum ſe ingerat.

V. 1 Cor. XVI, 15. De illis, qui erant ex familia Stephanæ, dicitur, quod ſe ipſos in miniſterium ſanctis ordinauerint. Reſp. Familiares Stephanæ non ſe ipſos in miniſterium eccleſiaſticum ingeſſiſſe, quod eſſet contra Hebr. V, 4. ſed ad miniſtrandum ſanctis in iis, quæ ad τὰ βιωτικὰ ſpectant, vltronea caritate ſe addixiſſe, Apoſtolus innuit. Ordinarunt ſe ipſos *in miniſterium hoſpitalitatis, non prædicationis.*

VI. Studioſi academici abſque peculiari vocatione admittuntur ad habendas conciones ſacras: Ergo ordinaria vocatio ad munus eccleſiaſticum non eſt neceſſaria. Reſp. Diſt. *inter exercitia concionandi, & ſolemne concionandi officium.* Studioſorum conciones ſunt *exercitia*, quibus eccleſiæ operam ſuam in poſterum præſtandam modeſte offerunt, non autem ſolemne concionandi *officium* ſibi arrogant.

Quæſt. IX. *Quid eſt ordinatio miniſtri eccleſiæ?*

*Ordinatio* eſt actus ſolemnis, quo perſona idonea in conſpectu Dei & eccleſiæ declaratur eſſe examinata & legitime vocata a), a negotiis profanis ſegregatur, certumque in eccleſia obeundum munus ipſi commendatur b), ad quod ab Epiſcopo, vel Presbytero, per χειροθεσίαν & ſolemnes preces inauguratur c), atque officii ſui rite faciendi grauiter admonetur d). *Ordinatio.*

Prob. a. *Ordinatio nihil aliud eſt, quam publica teſtificatio, qua vocatio perſonæ ad miniſterium idoneæ, in conſpectu Dei, & ipſius nomine declaratur eſſe legitima & diuina*, dicente CHEMNIT. *part. III. loc. fol.* 137. Licet ergo ordinatio non faciat electionem & vocationem, ſed eam præſupponat: ſi tamen quis legitime vocatus ſit, ritus ille eccleſiaſticus declarat & publice confirmat, vocationem illam, quæ præceſſit, eſſe legitimam. Sic Paullus licet immediate vocatus eſſet, tamen Ananias mittitur, qui ipſi imponat manus, vt eccleſiæ de eius vocatione conſtet, Act. IX, 17. Cum autem *manus nemini cito imponendæ ſint*, monente Paullo, 1 Tim. V, 22. idoneitas ſubiecti exploranda eſt per *examen*, *quod eſt diligens inquiſitio & probatio, an perſona, quam eccleſia vocat, apta ſit, cui arduum munus eccleſiaſticum committatur. Probentur prius, deinde miniſtrent, ſi fuerint irreprehenſibiles*, inquit Paullus 1 Tim. III, 10. *Examen.*

Prob. b. Ordinatio *formaliter* conſiſtit in ſegregatione perſonæ vocatæ a profanis negotiis, & deſtinatione ad publicum munus eccleſiaſticum. Id quod diſcimus ex 2 Tim. II, 4. *Tu ſuſtine mala, tanquam bonus miles Ieſu Chriſti. Nemo, qui militat, ſe implicat huius vitæ negotiis, vt ei, qui ipſum elegit, placeat.* Quod ſi milites huius ſæculi non occupantur mercatura, agricultura, aut opificiis ciuilibus: multo minus decet milites Chriſti negotiis ciuilibus immergi. Id propter requirit Spiritus S. in piis miniſtris ἀφορισμὸν, ſiue *ſegregationem* a curis profanis, inquiens: *Separate mihi tam Barnabam, quam Saulum ad opus, ad quod vocaui illos. Tunc poſtquam ieiunauerunt, & orarunt, impoſuerunt illis manus, & dimiſerunt eos*, Actor. XXII, 3.

Prob. c. *Ordinationis cauſſam miniſtram tam Presbyterum, quam Epiſcopum* eſſe poſſe, patet 1) ex 1 Tim. IV, 14. *Ne neglige, quod in te eſt, donum, quod datum eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* E quibus colligimus: Timotheo collata eſt gratia per *impoſitionem manuum presbyterii.* E. per Epiſcopum excluſiue non debet fieri neceſſario ordinatio, ſed poteſt etiam fieri per presbyteros. *Conſequentia* prob. a) Quæ fuit ratio ordinandi Timothei, poteſt adhuc obtinere in eccleſia. b) Presbyterium eſt nomen collectiuum, & dicit multitudinem ſeniorum concurrentium ad impoſitionem manuum; Epiſcopus autem eſt vnum & ſingulare indiuiduum. 2) De *iure diuino* Epiſcopus & Presbyter non differunt, niſi ſolis nominibus, & proinde de iure diuino vtrique competit poteſtas ordinandi. Cui noſtræ aſſertioni fidem facimus, a) ex Act. XX, 17. 18. vbi Paullus accerſitis *presbyteris* dixit: *Attendite vobis ipſis, & toti gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos.* Ergo in eccleſia apoſtolica *iidem* fuere *Epiſcopi & Presbyteri.* b) Ex Phil. I, 1. vbi Paullus & Timotheus precantur gratiam & pacem omnibus ſanctis, vna cum Epiſcopis & Diaconis. Non autem prætermiſiſſent Presbyteros, ſi æuo apoſtolico ab Epiſcopis fuiſſent diſtincti. c) Ex Tit. I, 5. vbi Titus relictus dicitur in Creta, vt oppidatim conſtituat *Presbyteros*, & ſubiicitur, v. 7. *Oportet enim Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem.* Quæ minus cohærerent, niſi Epiſcopi & Presbyteri de iure diuino iidem eſſent. d) Apoſtolus Petrus, *Pontificiorum* ſententia, eſt *Epiſcopus ſummus.* At is ſe vocat συμπρεσβύτερον 1 Petr. V, 1. & *Presbyteros* alloquitur: *Paſcite gregem, qui inter vos* ἐπισκοποῦντες, inſpicientes, vel (interprete HIERONYMO) *ſuperintendentes.* At quorum eſt ἐπισκοπεῖν, illi ſunt *Epiſcopi.* Conſuetudine *eccleſiaſtica*, εὐταξίας & alendæ concordiæ cauſſa, introductum eſt *diſcrimen* inter *Epiſcopos, & Presbyteros.* Docet hoc HIERONYMVS in *comment. c. 1. ep. ad Tit. Olim idem erat Presbyter, qui & Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu ſtudia vel ſchiſmata in religione fierent, & diceretur in populis: Ego ſum Paulli, ego ſum Apollinis, ego ſum Cephæ, communi Presbyterorum conſilio eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam autem vnusquiſque eos, quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti: in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris ſuperponeretur omnibus, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Conf. *ep.* HIERON. XXCV. *ad Euagrium.* Eſt itaque Epiſcopus presbytero ſuperior *non iure diuino*, ſed iure *eccleſiaſtico*; quam ſub-

*Impoſitio manuum.*

ordinationem hierarchici ordinis non tollimus, ſed retinemus. Fit ordinatio ab epiſcopo per χειροθεσίαν, ſiue *manuum impoſitionem:* a) Vt ſit ſolemnis teſtificatio, perſonam præſentem eſſe idoneam, rite electam & legitime vocatam: b) Vt ſit ſignum benedictionis diuinæ, quam ſacra perſona in officio ſuo a Deo exſpectare debeat. Priſci quippe moris erat, impoſita manu benedicere. Vid. Gen. XLVIII, 14. Matth. XIX, 15. c) Vt admoneatur miniſter vocatus, ſe Deo eſſe conſecratum, & quaſi mancipatum. Nam victimis olim imponebantur manus, Leu. I, 4. d) Vt preces publicæ pro miniſtro in conſpectum Dei & eccleſiæ adducto ſint ardentiores.

Prob. d.

Digitized by Google

Prob. d. In ipſo ordinationis actu miniſter deſignatus fidelitatis in munere commiſſo admonetur, præeunte Paullo, 1 Tim. IV, 14. *Ne neglige, quod in te eſt, donum, quod datum eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii! Hæc meditare, in his eſto, vt tuus profectus manifeſtus ſit in omnibus? Attende tibi ipſi, & doctrinæ!*

Quæſt. X. *An Lutherus, & miniſtri Lutherani legitime vocati & rite ordinati ſunt?*

Tam *Lutherus* a), quam *Miniſtri Lutherani* b) legitime vocati & rite ordinati ſunt.

Prob. a. B. LVTHERVS ad munus eccleſiaſticum vocatus & ordinatus eſt ab Epiſcopo ſuo Presbyter, A. C. 1507. ætatis 24. accepta poteſtate docendi verbum Dei. An. 1508. vocatus eſt a IOANNE STAVPITIO, Auguſtinianorum Generali, accedente confirmatione & conſenſu FRIDERICI Electoris ad presbyterium & profeſſionem theologicam in eccleſia & Academia Wittebergenſi: in qua vocatione ipſi dictum eſt, vi ſtatutorum Academicorum: *Veſtrum eſt, legem diuinam interpretari, & librum vitæ docere.* Vocatio eius per litteras ſenatus Witteberg. ad presbyterium exſtat tom. IX. Witteb. fol. 102. An. 1512. die 18. Octobr. renuntiatus eſt licentiatus theologiæ; die ſequenti 19. Oct. creatus eſt Doctor in conuentu Erfurtenſi, vbi conſenſu totius conuentus Auguſtiniani poteſtatem accepit, veritatem doctrinæ cœleſtis viua voce propagandi, & contra quosvis aduerſarios propugnandi.

Prob. b. Quicunque ritu apoſtolico vocantur & ordinantur, atque veritatem doctrinæ cœleſtis fideliter propagant, illi gaudent legitima vocatione, & ſunt veri eccleſiæ miniſtri: Atqui *miniſtri Lutherani* Auguſt. conf. addicti &c. Ergo. *Minor* probatur: quia miniſtri Lutherani per χειροτονίαν (collectionem ſuffragiorum) eccleſiarum particularium, ſalvo manente cuiuslibet ſtatus iure, ſunt vocati, & ab Epiſcopo, vel Superintendente, per χειροθεσίαν presbyterii ſunt ordinati.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, nec LVTHERVM, nec *Lutheranos miniſtros* legitime vocatos & rite ordinatos eſſe. Quorum argumenta ſunt:

I. LVTHERVS nec mediate, nec immediate a Deo vocatus eſt. *Non mediate*; quia ab eccleſia non eſt vocatus, nec ab Epiſcopo ordinatus ad reformandam religionem, & oppugnandam doctrinam catholicorum: *nec immediate*, vel extraordinarie; quia vocationem immediatam ſigillo miraculorum confirmare nequiuit. Reſp. LVTHERVS vocatus eſt *mediate ad presbyterium*, ſiue miniſterium eccleſiaſticum & *profeſſionem theologicam.* At veri *miniſtri eccleſiæ* eſt, verbum Dei recte docere, & contradicentibus os obſtruere, Tit. I, 11. *Profeſſoris Theologiæ* eſt, veritatem cœleſtem aſſerere, & errores ei aduerſantes refutare. Non tamen negamus, aliquid *extraordinarii* cum B. LVTHERI miniſterio, quod ad impugnationem Papatus attinet, coniunctum fuiſſe non quidem *ex parte vocationis*, quæ ordinaria & *mediata* fuit, ſed *ex parte donorum*, ipſi diuinitus conceſſorum. Eius enim ſpiritus heroicus ad impugnandum Papatum, extraordinariam & ſpecialem Dei aſſiſtentiam indicat.

Inſtantia: Ad propagandam doctrinam nouam, qualis fuit LVTHERI, requiritur vocatio *immediata* & extraordinaria, ſigillo *miraculorum* confirmanda. Reſp. a) Doctrina LVTHERI *non* fuit *noua*, ſed *renouata*, & a fermento Pontificiorum repurgata, Chriſti & Apoſtolorum miraculis dudum confirmata. b) Ioannes baptiſta non fecit miracula, cum tamen vocatio ipſius fuerit immediata & extraordinaria. c) Non miraculorum gloria, ſed doctrinæ cum verbo diuino conſenſus certum diuinæ vocationis documentum eſt.



Digitized by Google

II. Epiſcopus, qui LVTHERVM ordinauit, aut verus paſtor, aut lupus fuit. Si verus paſtor fuit; LVTHERVS ab eo ſecedendo turpiſſimus factus eſt apoſtata. Si lupus fuit; LVTHERVS ab eo, vt verus paſtor, non potuit inaugurari. Reſp. 1) *Generatim:* Hoc argumentum obiici poſſet omnibus, qui ab hæreticis ordinati ad eccleſiæ gremium redeunt. Iam vero iura pontificia aſſerunt, etiam ab hæreticis ordinatos vere eſſe ordinatos, nec denuo ordinandos. 2) *Speciatim:* Epiſcopus, qui LVTHERVM ordinauit, diuerſo reſpectu verus epiſcopus, & falſus epiſcopus, ſiue lupus fuit. *Verus* Epiſcopus fuit, quatenus in officio epiſcopali quædam verbo diuino conſentanea docebat, baptizabat, & per ritum ordinationis miniſterium idoneis perſonis commendabat. *Falſus* Epiſcopus fuit, quatenus ſinceritatem doctrinæ cœleſtis admixto fermento traditionum humanarum corrupit, ſacrificium miſſæ loco cœnæ dominicæ celebrauit &c. Quare eſſentiale ab accidentali, diuinum ab humano accurate diſcernendum eſt.

Inſtantia: LVTHERVS non accepit ab Epiſcopo ordinante poteſtatem oppugnandi eccleſiam pontificiam. Reſp. LVTHERVS a Deo per Epiſcopum ordinantem accepit poteſtatem omnes errores doctrinæ oppugnandi. E. nactus eſt poteſtatem oppugnandi errores eccleſiæ pontificiæ.

III. Quicunque non ſunt ordinati ab Epiſcopo, illi non ſunt veri eccleſiæ miniſtri: Atqui miniſtri Lutherani &c. Ergo. *Minor* patet: quia LVTHERVS ordinauit miniſtros Auguſtanæ confeſſioni addictos, qui tamen non fuit Epiſcopus, ſed tantum Presbyter. Reſp. a) *Iure diuino* non differt Epiſcopus a Presbytero, adeoque etiam iure diuino competit Presbytero poteſtas ordinandi. b) Hodie ordinantur miniſtri Lutherani a Superintendente, & proinde ab Epiſcopo. Docet enim *ius canonicum*, Superintendentem nomine & officio eſſe Epiſcopum, in *cap. Cleric. Diſt.* 21. *Epiſcopatus vocabulum inde deductum, quod ille, qui efficitur Epiſcopus, ſuperintendat.* Idem inculcat AVGVSTIN. *L. XIX. de Ciu. Dei c.* 19. *Græcum eſt ἐπισκοπεῖν, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, ſuperintendit. Epiſcopos, ſi volumus, latine Superintendentes poſſumus dicere.* Conf. HVLSEMANN. *Manuale diſp. XII. pag.* 524.

Quæſt. XI. *Eſtne ordinatio miniſtro vocato neceſſaria?*

*Neceſſitas ordinationis.* *Neceſſitas* ordinationis eſt ordinata ob εὐταξίαν, ſiue *decorum* a), & *præceptum diuinum* b), quamuis *ritualium* numerus & forma pro arbitrio eccleſiæ varient c); *non abſoluta* tamen eſt *neceſſitas* d).

Prob. *Neceſſaria* eſt ordinatio, ob εὐταξίαν, ſiue *decorum*, ſcil. ob publicam declarationem capacitatis ex parte perſonæ vocatæ, eiusque ſegregationem ſolemnem a negotiis ſæculi ad munus eccleſiaſticum, nec non commendationem apud Deum & coram eccleſia.

Prob. b. *Præceptum diuinum* clare innuit imperatiuus: ἀφορίσατε, *ſeparate mihi tam Barnabam, quam Saulum, ad opus, ad quod vocaui illos*, Actor. XIII, 2. Separatio itaque in genere, quocunque ritu fiat, eſt de neceſſitate præcepti diuini.

Prob. c. *Ritualium* numerum & formam pro arbitrio eccleſiæ variare, ex collatione Act. VI, 6. c. XIII, 3. 1 Tim. IV, 14. c. V, 22. patet. Nam orationis & χειροθεσίας, Actor. VI, 6. orationis, χειροθεσίας & ieiunii, c. XIII, 3. ſolius vero χειροθεσίας, 1 Tim. IV, 14. V, 22. mentio fit. *Pontificii* etiam addunt ſacrificium miſſæ: ſed fruſtra, qui præter ſacrificium, ſemel in cruce peractum, nullum in N. T. datur. Vid. Hebr. VII, 27. c. X, 14. Iidem vngunt etiam ſacerdotes. At cærimonia vnctionis non deſcendit ab inſtitutione, vel exemplo

Digitized by Google

exemplo Apoſtolorum, ſed ex *κακοζηλία* cultus Leuitici, & elapſis aliquot ſæculis poſt Chriſtum natum in eccleſiam introducta eſt.

Prob. d. Ordinatio *non* eſt ſimpliciter & *abſolute neceſſaria*. Nam absque ritu ordinationis, tempore obſidionis, peſtis &c. vbi presbyterii ordinantis copia fieri nequit, legitime ab eccleſia vocatus miniſterio ſuo, etiam antequam ordinetur & conſecretur, fungi poteſt. Interim extra eiusmodi caſum omitti non debet.

Quæſt. XII. *Quæ eſt materia in qua, ſiue ſubiectum miniſterii eccleſiaſtici?*

*Subiectum*, cui munus eccleſiaſticum committitur, non eſt angelus a), ſed *homo idoneus*, habilis & legitime vocatus b); ratione *ſexus*, non fœmina, ſed maſculus c); ratione *doctrinæ*, eruditus, orthodoxus & docendi donis inſtructus d); ratione *vitæ*, irreprehenſibilis e). *Subiectum miniſterii eccleſiaſtici.*

Prob. a. Quamuis Deus, manifeſtaturus voluntatem ſuam, *extraordinarie* vſus ſit aliquando opera *angelorum*; ordinarium tamen munus eccleſiaſticum ipſis non commiſit. Rationem reddit CHRYSOSTOMVS, in *orat. de Elia: quia angeli, cum natura ſua ſint a peccato immunes, peccata populi repentinis fulminibus eſſent vlturi.* Habita igitur eſt ratio infirmitatis, & commiſſum eſt ſacerdotium hominibus, qui, proprio exemplo humanæ fragilitatis admoniti, maiori lenitate erga infirmos in fide, & lapſu aliquo præoccupatos vtuntur. Ex quo agnoſcimus cum *φιλανθρωπίαν* Dei, qui tanto dignatus eſt homines honore, vt per ora & linguas eorum vocem ſuam audire cupiat, tum potentiam Dei, qui diabolo opponit non angelos virtute potentes, ſed miſellos homines, per quos regnum Satanæ aggreditur, & in multorum cordibus deſtruit.

Prob. b. Homines *idonei* & habiles ſunt, qui perſpicaci ingenio, maturo iudicio, viribusque corporis pollent, vt neque ob hebetudinem intellectus, neque ob immaturitatem ætatis, neque ob defectum corporis, aliis ſint contemtui: quibus exſpectandam eſſe vocationem diuinam, eamque hodie mediatam, ſupra oſtendimus.

Prob. c. Publicum & ordinarium docendi munus in eccleſia a *ſexu fœmineo* diſertis verbis remouet Paullus, 1 Cor. XIV. 34. *Mulieres veſtræ in eccleſiis tacento: Non enim conceſſum eſt illis loqui, ſed dicto audientibus eſſe; ſicut etiam lex dicit. Si vero quid diſcere voluerint, in domo proprios maritos interroganto: Turpe enim eſt mulieribus, in eccleſia loqui.* Confer. 1 Tim. II, 12.

Accurate hic diſtinguendum eſt: 1) *Inter officia eccleſiaſtica in genere, & officium docendi in ſpecie:* 2) *Inter informationem publicam, ſiue eccleſiaſticam, & priuatam, ſeu domeſticam.* 3) *Inter regulam ordinariam, & caſum neceſſitatis extraordinarium*, Rom. XVI. 1. Phœbe vocatur eccleſiæ Cenchreenſis *διάκονος*, ſiue *miniſtra*, ob curam ægrotorum & pauperum. Priſcillam vocat Paullus *ſuam in Domino adiutricem*, Rom. XVI, 3. ob informationem priuatam & domeſticam.

Prob d. Miniſtrum eccleſiæ oportet eſſe *διδακτικὸν*, *aptum ad docendum*, 1 Tim. III, 2. *ἀντεχόμενον τȣ̃ κατὰ τὴν διδαχὴν πιςȣ̃ λόγȣ*, *tenacem fidelis illius ſermonis, qui ad doctrinam facit*, Tit. I, 9. *ὑγιαίνοντα τῇ πίςει*, *ſanum fide*, Tit. II, 2.

Prob. e. Quod ad *vitam* miniſtri eccleſiæ attinet, exigitur: 1) In *genere*, vt ſit *ἀνεπίληπτος*, *irreprehenſibilis*, 1 Tim. III, 2. & *ἀνέγκλητος*, *inaccuſabilis*, Tit. I, 7. Non quidem ab omni peccato immunis eſt miniſter; eum tamen ſe præbet, vt iure accuſari & conuinci nequeat peccati proæretici & atrocis, quo officium ſacrum dehoneſtatur. 2) In *ſpecie*, a) *reſpectu Dei*, ſit *ὅσιος*, *pius & ſanctus*, Tit. I, 8. b) *Erga ſeipſum*, *σώφρων*, *ſobrius*, moderate

moderate & circumſpecte omnia agens, Tit. I, 7. νηφάλιος, *vigilans*, quaſi in ſpecula conſtitutus, & imminentia mala præuidens, 1 Tim. III, 2. μὴ πάροινος, *non ſectator vini*, ſed oſor ebrietatis, v. 3. ἐγκρατής, *abſtinens a libidine & omnibus* animi *illicitis motibus* atque perturbationibus, Tit. I, 8. κόσμιος, *compoſitus*, omnia *ornate & decenter* gerens, in inceſſu & decoro habitu, 1 Tim. III, 2. μὴ αὐθάδης *non pertinax*, aut *ſibi nimium placens*, Tit. I, 7. μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, *non polygamus*, ſed vnius vxoris vir, 1 Tim. III, 2. 2 *Reſpectu ſuorum*, ſit bonus paterfamilias, qui *ſuæ domui bene præſit*, 1 Tim. III, 4. 5. *& liberos habeat ſubditos in omni honeſtate*, Tit. I, 6. d) *Reſpectu aliorum*, ſit iuſtus & æquus, non iracundus, non percuſſor, ſed alienus a pugnis, non turpe lucrum faciens, non auarus, aut amans pecuniæ. Sit denique *hoſpitalis & bonorum amans*. Vid. 1 Tim. III, 2. ſeq. Tit. I, 7.

Quæſt. XIII. *Quæ eſt materia circa quam, ſiue obiectum miniſterii eccleſiaſtici?*

*Obiectum perſonale miniſterii eccleſiaſtici.*

*Obiectum* miniſterii eſt vel *perſonale*, vel *reale*. Obiectum *perſonale* eſt grex Domini, ſiue cœtus illorum hominum, qui publice docentes audiunt, eorumque miniſterio & diſpenſatione ſacramentorum redduntur participes.

Prob. 1) Ex Act. XX, 28. *Attendite vobis ipſis, & toti gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, ad paſcendum eccleſiam Dei.* Cœtus itaque auditorum vocatur grex Domini, paſtorum fidei ac curæ commiſſus.

2) Ex 1 Petr. V, 2. 3. 4. *Paſcite gregem Dei, qui inter vos inſpicientes non coacte, ſed libenter, neque cum cupidine lucri, ſed promte; neque vt dominantes in ſortes, ſed vt exempla ſitis gregis.* Regimen miniſtrorum eccleſiæ eſt non regium, ſed paſtorale, & requirit vigilantiam & attentam curam commiſſi gregis, vt auditores tractent non duriter, vt ſeruos, ſed comiter, vt ouiculas.

Quæſt. XIV. *Quæ ſunt officia auditorum?*

*Officia auditorum.*

Officia *auditorum* conſiſtunt in reuerentia, quam debent miniſtris, tanquam legatis Dei a), & beneficentia, qua præconibus ſacris ſubſidia vitæ honeſte agendæ largiuntur b).

Prob. a. Ex 1 Tim. V, 17. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni æſtimantor; maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Honorantur presbyteri docentes, cum, velut legati Dei, magni æſtimantur, verbum eorum acceptatur, tanquam verbum Dei, & actiones eorum in officio ſacro a Spiritu S. dirigi cenſentur.

Prob. b. 1) Quia *operarius dignus eſt mercede ſua*, Luc. X, 7.

2) Qui *euangelium annuntiant, ex euangelio viuant*, 2 Cor. IX, 9.

3) *Communicato is, qui informatur in ſermone, cum eo, qui informat, in omnibus bonis.* Gal. VI, 6.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum*, ſtatuentium, miniſtris eccleſiæ non licere ſalaria accipere. Qui obiiciunt:

I. *Gratis accepiſtis, gratis date*, Matth. X, 18. Reſp. Chriſtus non loquitur de ſalariis docentium, ſed de quæſtu non faciendo ex miraculis, docente contextu.

II. Apoſtoli labore manuum ſuarum victum quæſiuerunt, quod patet exemplo Paulli, qui fuit σκηνοποιός, tentoriorum confector, Act. XVIII, 3. Reſp. Apoſtoli immediate erant vocati, & ſine præuio labore tantam ſapientiam a Spiritu S. nacti, vt extemporales haberent conciones: Succeſſores eorum a teneris vnguiculis ſtudio linguarum, diſciplinis inſtrumentalibus, & ipſi theologiæ, non ſine magno ſumtuum impendio dant operam, ad

ſpartam

Digitized by Google

ſpartam eccleſiæ promoti omnibus animi neruis eam ornant, nec aliis rebus vacare poſſunt. Quid? quod Paullus a Philippenſibus transmiſſa ſuſcipere non recuſauerit, Phil. IV, 18. licet ſuo ductus conſilio a Corinthiis non acceperit.

Quæſt. XV. *An miniſter eccleſiæ honorarium, a confitente oblatum, bona conſcientia acceptare poteſt?*

Miniſter eccleſiæ *honorarium, a confitente bono animo oblatum illæſa conſcientia acceptare poteſt* a). Sicubi autem mos offerendi & accipiendi eiusmodi honorarium varia incommoda ſecum trahat, conſentiente eccleſia abrogari, & ſtipendia miniſtrorum verbi diuini commodiori ratione augeri poſſunt b). *De nummo confeſſionario.*

Prob. a. 1) In quibusdam eccleſiis honorarium, quod poſt abſolutionem confeſſionario datur a confitente, & vulgo *nummus confeſſionis* (der Beicht-Pfennig) vocatur, eſt pars ſalarii. Cum enim interdum ſalarium ſit exiguum, per nummum confeſſionis ſuppletur. De honorifico autem ſtipendio proſpiciendum eſſe miniſtris verbi diuini, docet Chriſtus Luc. X, 7. & Paullus 1 Tim. V, 18.

2) *Qui verbo inſtituitur, inſtituenti,* quocunque loco & tempore, *licite communicato de bonis ſuis,* Gal. VI, 6. At confitens a confeſſionario verbo diuino inſtituitur. Ergo eidem etiam in loco confeſſionis licite communicato de bonis ſuis.

3) In vet. teſtam. iubebatur, *ne quis vacuus coram Sacerdote compareret,* Deut. XVI, 16, 17. Ergo nec in nouo teſtam. illicitum eſt, cum nummo confeſſionali comparere coram miniſtro Dei.

4) In primitiua eccleſia *ἀγάπαι,* ſeu donaria ex pane & vino afferebantur, e quibus ſumebatur aliquid ad S. cœnam, pars vero in loco ſacro offerebatur miniſtris verbi. Cur igitur nummus confeſſionis, tanquam gratitudinis ſignum, non poteſt in templo tradi & accipi?

Prob. b. Sicubi oriantur ſimultates inter miniſtros eccleſiæ, ob nummum confeſſionis, indignante vno collega, quod alter plures habeat confitentes; ſi pauperiores absterreantur a confeſſione priuata ob defectum pecuniæ; ſi ditiorum peccata mollius tractentur ob dona largiora: mos dandi nummum confeſſionis abrogari, & alia ratione ſtipendia paſtorum, quæ plurimis in locis ſunt exigua, augeri poſſunt. Vnde pie & prudenter cautum eſt in Dania, ne paſtores vllum abſolutionis pretium a confitente accipiant, teſte D. BROCHMANDO, *Tom. II. ſyſtem. p.* 1021.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum,* ſtatuentium, nummum confeſſionis a confeſſionario ſalua conſcientia accipi non poſſe. Qui obiiciunt:

I. Quicunque vendunt donum ſpirituale abſolutionis, illi committunt crimen Simoniæ: Atqui miniſtri Lutherani &c. Ergo. Reſp. Neg. *min.* Simonia eſt, qua perſoluitur pretium pro bono ſpirituali acquirendo: Nummus confeſſionis autem non ſoluitur pro abſolutione acquirenda; quippe quæ obtingit etiam non ſoluentibus, ſed datur gratitudinis ergo.

II. Gehaſi, miniſtro Eliſæ, male ceſſit, quod poſt emundationem Naamani Syri a lepra argentum acceperat, 2 Reg. V, 26: ita omnibus, nummum confeſſionis accipientibus, triſte fatum exſpectandum eſt. Reſp. Gehaſi miniſter, inuito ſuo Domino, poſtulauit argentum: At miniſtri eccleſiæ, Chriſto Domino ſuo inuito, non poſtulant, aut exigunt nummum confeſſionis. Vid. Luc. X, 7.

III. Qui nummum confeſſionis accipiunt, ſcandalum dant confitentibus, perſuaſis, abſolutionem vendi pro nummo illo. Reſp. Nullum metuendum eſt ſcandalum: ſciunt enim



Digitized by Google

confitentes, ſe non emere abſolutionem, ſed nummum confeſſionis dare tanquam grati animi ſignum.

IV. Nummus confeſſionalis parit varia incommoda: Alit enim ſimultates inter miniſtros; ipſius defectus arcet pauperes a confeſſione; contra, non arguuntur peccata diuitum, honorarium maius offerentium. Reſp. a) Abuſus poteſt prudenter aboleri, vt retineatur vſus. b) Ob hæc incommoda, ſicubi contingant, nummus confeſſionis abrogari poteſt, ita tamen, vt alia ratione exigua ſtipendia paſtorum augeantur.

Quæſt. XVI. *Quodnam eſt obiectum miniſterii eccleſiaſtici reale?*

*Obiectum reale.*

*Obiectum* miniſterii *reale* ſunt tum myſteria diuina a), tum diſciplina eccleſiaſtica b).

Prob. a. *Myſteria diuina* ſunt verbum Dei reuelatum, & ſacramenta, quæ offerunt & diſpenſant miniſtri eccleſiæ. Id propter vocantur οἰκονόμοι μυςηρίων Θεȣ̃, 1 Cor. IV, 1.

Prob. b. *Diſciplinam eccleſiaſticam* ſic exercent Paſtores, vt gradus admonitionum adhibeant, Matth. XVIII, 15. 16. & regulas a S. Paullo præſcriptas obſeruent, 1 Tim. V, 1. ſeq.

Quæſt. XVII. *Quæ eſt forma miniſterii?*

*Forma.*

*Forma* miniſterii eſt debita, decens & publica commiſſæ poteſtatis & officii exſecutio. Commiſſa autem eſt miniſtris eccleſiæ poteſtas, & officium publice docendi a), & ſacramenta ordinarie diſpenſandi b), iuxta atque poteſtas & munus remittendi & retinendi peccata c).

Obſ. Vulgo *poteſtas*, per vocationem & ordinationem Paſtoribus commiſſa, diuiditur in *poteſtatem ordinis, & iurisdictionis*, quam diſtinctionem explicat *Apologia Auguſt. Conf. pag.* 294. *Placet nobis vetus partitio poteſtatis in poteſtatem ordinis, & poteſtatem iurisdictionis Habet Epiſcopus poteſtatem ordinis, hoc eſt, miniſterium verbi, & ſacramentorum: habet & poteſtatem iurisdictionis, hoc eſt, auctoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rurſus abſoluendi eos, ſi conuerſi petant abſolutionem. Neque vero habet poteſtatem tyrannicam, hoc eſt, ſine certa lege; neque regiam, hoc eſt, ſupra legem, ſed habent certum mandatum, certum verbum Dei, quod docere, iuxta quod exercere ſuam iurisdictionem debent.* Quæ tamen diſtinctio minus accurata eſt; quia illa, quæ poteſtas iurisdictionis dicitur, non eſt iudicialis *proprie*, ex parte *miniſtri*, qui non tanquam iudex abſoluit, nec vllam fert ſententiam, ſed a ſuperiori latam diſpenſat. Confer. D. SCHERZER. in *breuiar Hulſem. cap. XIX. fol.* 1506.

Prob. a. Nemo, niſi *miſſus a Deo*, in conuentibus publicis licite prædicare poteſt, Rom. X, 15.

Prob. b. Qui ſunt *œconomi myſteriorum Dei*, 1 Cor. IV, 1. illis competit poteſtas ſacramenta ordinarie diſpenſandi.

Prob. c. *Poteſtatem clauium, ſoluentem & ligantem*, Chriſtus commiſit *Apoſtolis, & omnibus rite vocatis & ordinatis* eccleſiæ *miniſtris*, Matth. XVI, 19. Io. XX, 23.

Quæſt. XVIII. *Quomodo miniſter eccleſiæ officio docendi recte fungitur?*

Miniſter eccleſiæ *officio docendi recte fungitur:* a) Genuinum verbi diuini ſenſum, per legitima interpretandi media, accurate inueſtigando, certo eruendo & perſpicue explicando: b) verbum explicatum ad vſum didaſcalicum, & elenchti-

Digitized by Google

elenchticum, pædeuticum, epanorthoticum & paracleticum decenter applicando *).

Prob. a. Miniſter eccleſiæ eſt Hermeneuta ſacer, cuius eſt: 1) Vocum ſingularum, quæ ſunt in textu originali, vim ſignificandi atque emphaſin ponderare, & phraſium coniunctarum conſtructionem iuxta conſuetudinem linguæ ſanctæ diligenter conſiderare: 2) Ex antecedentibus & conſequentibus, ex occaſione, ſcopo, cauſſa impulſiua, & circumſtantiis mentem loquentis per Prophetas & Apoſtolos Spiritus Sancti inueſtigare & explicare.

Prob. b. Ex 2 Tim. III, 16. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt, & vtilis* πρὸς διδασκαλίαν, ad *doctrinam*, qua dogmata fidei perſpicue proponuntur, ſolideque firmantur: πρὸς ἔλεγχον *ad redargutionem*; qua errores, doctrinæ fidei aduerſantes, deteguntur & refutantur: πρὸς ἐπανόρθωσιν, *ad correctionem*, qua vitiorum turpitudo & reatus pœnæ oſtenditur, & ab iisdem animi auocantur atque emendantur: πρὸς παιδείαν, *ad diſciplinam*, qua officia Chriſtianorum in quouis ſtatu diſerte docentur, & ad ea præſtanda adductis ſolidis, & ad perſuadendum idoneis argumentis excitantur. His adde παράκλησιν, ſiue *conſolationem* **): *Quæcunque præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*, Rom. XV, 4. Idcirco ex fonte ſcripturæ mentibus anxiis efficax inſtillandum eſt ſolatium.

Quæſt. XIX. *Quomodo miniſter eccleſiæ poteſtate diſpenſandi ſacramenta rite vtitur?*

Miniſter eccleſiæ *poteſtate ſacramenta diſpenſandi recte vtitur*, iuxta verba inſtitutionis ea adminiſtrando a), hominibus ſacramentorum indigis, neque tamen ipſis indignis, tempeſtiue ea conferendo b), indignos a ſacramentorum vſu arcendo c).

Prob. a. Ad formam ſacramenti pertinet *verbum inſtitutionis*, quo ſymbolum externum conſecratur, ſiue ab vſu communi ad vſum ſacrum ſegregatur. Hinc AVGVSTIN. *tract.* 80. in *Ioann. Accedat verbum ad elementum, & fit ſacramentum.*

Prob. b. Paſtor pius, ſuique officii memor, non patitur, ſua culpa infantem absque baptiſmo, aut adultum pœnitentem, & euchariſtiæ cupidum, ſine participatione corporis & ſanguinis dominici ex hac vita decedere.

Prob. c. *Indigni* ſunt peccatores contumaces & pœnitere neſcii. His non diſpenſantur ſacramenta, *ne, quod ſanctum eſt, detur canibus, & margaritæ ante porcos proiiciantur.* Matth. VII, 6.



*) Eſt etiam fidelis Paſtoris, 3) curam habere ſingularum ouium, ſibi creditarum, & paratum ſemper eſſe, ſi quis ipſius aut inſtitutione, aut correctione, aut conſolatione indigeat; non enim ſolum δημοσίᾳ, ſed etiam κατ' οἴκους, ea tamen, qua par eſt, prudentia, docendæ ſunt veritates ſalutares, Act. XX, 20. Decet eum etiam 4) vitæ morumque exemplo non minus, quam doctrinæ integritate, auditoribus prodeſſe, 1 Tim. IV, 12. 16. Tit. II, 7. 8.

**) Eam vero Paullus videtur complexus eſſe ambitu tum διδασκαλίας, tum παιδείας. Etenim omnis *conſolatio chriſtiana* eſt confirmatio adflicti animi & cohortatio ad conſtantiam in vera fide ſeruanda, ad mortem vsque, inter quæuis rerum diſcrimina. Conſtantia eſt virtus vna ex præcipuis. Omnes autem virtutes, omniaque officia, genere τῆς παιδείας continentur. *Argumenta* ſolatii, *Chriſtianorum* hominum proprii, non aliunde manare debent, quam ex fonte doctrinæ ſalutaris, ſiue dogmatum fidei; quæ omnino ad genus τῆς διδασκαλίας ſunt referenda.

Digitized by Google

Quæſt. XX. *Qualis poteſtas remittendi peccata miniſtris eccleſiæ commiſſa eſt?*

Miniſtri eccleſiæ habent *poteſtatem remittendi peccata*, non αὐτοκρατορικὴν, ſiue *principalem* & independentem a), ſed διακονικὴν, ſiue *miniſterialem* & delegatam b), qua peccatoribus contritis & pœnitentibus non tantum ἱςορικῶς, ſiue *ſignificatiue & declaratiue*, ſed etiam *effectiue & realiter*, ὀργανικῶς tamen c), omnia peccata, ſine vlla culpæ vel pœnæ reſeruatione, remittunt d).

Prob. a. Solus Deus αὐτοκρατορικῶς καὶ αὐτεξουσίως, poteſtate *principali*, magiſteriali & independente peccata remittit. *Ego, ego ipſe deleo iniquitates tuas propter me*, inquit Iehouah, Eſ. XLIII, 25. Hinc AMBROSIVS in 2 Cor. XII. *Peccata dimittere, & Spiritum ſanctum dare, ſolius Dei eſt, interim vero Deus in hac ſua abſolutione magiſteriali ordinarie vtitur miniſterio hominum.*

Prob. b. Chriſtus dixit Petro: *Dabo tibi claues regni cœlorum, & quidquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis, & quidquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis.* Matth. XVI, 19. Idem dixit quoque omnibus Apoſtolis: *Quæcunque ligaueritis in terra, ligata erunt in cœlo; quæcunque ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cœlo*, Io. XX, 20. *Dependet* itaque poteſtas remittendi peccata a Chriſto (non excluſo Deo Patre & Spiritu S. quia eſt opus ad extra) ratione *formæ, normæ, exercitii*, ac *efficaciæ*. 1) Ratione *formæ*; quia eſt poteſtas delegata, adeoque talis ac tanta ſolum, qualem, quantamque Deus delegauit. 2) Ratione *normæ;* cum miniſter eccleſiæ non ad proprium arbitrium (quod eſſet abuti poteſtate), ſed iuxta normam iudicii diuini pœnitentes peccatores abſoluere poſſit. 3) Ratione *exercitii*, quia Deus in actu abſolutionis cum miniſtris concurrit, & per eos abſoluit. 4) Ratione *efficaciæ;* quia non, niſi delegata, adeoque cauſſæ principali ſubordinata vi ac poteſtate, miniſter abſoluere poteſt. Quæ omnia ſatis aperte docent, miniſtrum natura poſterius abſoluere in his terris, quam Deus abſoluit in cœlis. Nam quando principalis & inſtrumentalis cauſſa ad idem ἀποτέλεσμα tempore ſimul concurrunt, principalis cauſſa, quia inſtrumentalem eleuat, ſemper natura prius agere intelligitur.

Prob. c. 1) Miniſtri eccleſiæ habent *claues cœli*, vt, *quidquid ligant ac ſoluunt in terris, etiam ligatum ac ſolutum ſit in cœlis*, Matth. XVI, 16. Io. XX, 23. E. realiter *ligant* ac *ſoluunt*, *non* vero ligationem ac ſolutionem in cœlis factam *tantum annuntiant.* Ratio *conſequentiæ* eſt: quia qui clauem accipit, vt ſoluat & aperiat, ille non ſignificat ab alio aperiri, ſed ipſe aperit. Neque enim *clauis* idem eſt, quod annuntiatio aperturæ, & *ſoluere* non eſt idem, atque ſolutionem ab alio factam duntaxat declarare.

2) Qualis eſt ſolutio peccatorum, quæ fit a Deo in cœlis, talis eſt ſolutio, quæ fit a miniſtris in terris: At ſolutio in *cœlis* eſt *realis & effectiua.* E. etiam ſolutio in *terris* eſt *realis & effectiua. Maior* patet: quia ex identitate reali obiectorum (*quidquid ſolueritis*) & ſubiectorum (*quorumcunque ſolueritis*) etiam identitas realis ſolutionis indubitato colligitur.

3) Miniſtri non ſuo, ſed *Dei nomine* peccata ſoluunt. E. hæc ſolutio non eſt nuda declaratio, aut humana actio; ſed plane diuina, *vna numero* ac indiuiſa, ſicut vna numero poteſtas eſt, nempe diuina, qua peccata ſoluunt. Eſt enim vna clauis cœli, per quam ſoluunt. Non aliam clauem miniſter, aliam clauem Deus habet. Vnde, *qui miniſtros abſoluentes audit, ipſum Chriſtum audit:* At qui Chriſtum audit (abſoluentem) effectiue, non ſolum declaratiue abſoluitur: Ergo.

4) Miniſtri per verbum Dei peccatores *realiter & effectiue conuertunt*, Luc. I, 16. regenerant, 1 Cor. IV, 15. ſaluant, 1 Tim. IV, 16. Ergo etiam *realiter & effectiue peccata remittunt.*

Prob.

Digitized by Google

Prob. d. Miniſtros eccleſiæ omnia peccata remittere, liquet: 1) ex illimitata vniuerſalitate cum obiecti: *Quaecunque ſolueritis in terra*, Matth. XIX, 18. tum ſubiecti: *Quorumcunque remiſeritis*, Io. XX, 23. 2) Quam late ſe extendit meritum Chriſti, tam late ſe extendit remiſſio peccatorum merito Chriſti parta: Atqui meritum Chriſti ſe extendit ad omnia peccata, ſine vlla reſtrictione: E.

Quæſt. XXI. *Qualis poteſtas retinendi peccata miniſtris eccleſiæ conceſſa eſt?*

Miniſtri eccleſiæ habent *poteſtatem retinendi peccata non principalem*, aut independentem, ſed *miniſterialem* & delegatam a), qua peccatoribus enormibus, publice flagitioſis & notoriis, peccatorum remiſſionem denegant b), eosque vel ab vſu S. cœnæ tantum arcent c), vel ex conſenſu ſenatus eccleſiaſtici e ſocietate eccleſiæ realiter eiiciunt, & efficaci declaratione Satanæ tradunt d), vt veram pœnitentiam agant, & Deo atque eccleſiæ reconcilientur e).

Prob. a. Ius clauis *ligantis* Chriſtus delegauit eccleſiæ, ſpirituali matrifamilias. Exercitium huius iuris commiſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, Matth. XIIX, 18. Io. XX, 22. Cum itaque *poteſtas* clauis *ligantis* ſit *delegata;* miniſtri eccleſiæ non ad proprium arbitrium, ſed iuxta normam iudicii diuini peccatores impœnitentes ligare poſſunt.

Prob. b. Denegatur remiſſio peccatorum non peccatoribus ex ignorantia, vel infirmitate labentibus (quippe quibus ſufficit blanda admonitio cum exhortatione ad cauendos futuros lapſus), ſed manifeſtis & obſtinatis, qui aliis dant ſcandalum. Qui cum noceant exemplo, *coram omnibus ſunt arguendi, vt etiam reliqui timorem habent*, 1 Tim. V, 20.

Prob. c. Ligatio eſt denegatio abſolutionis, diciturque vulgo *excommunicatio*, quæ in *minorem, & maiorem* diſtingui ſolet. *Excommunicatio minor eſt, qua peccator publice flagitioſus ab vſu S. cœnæ arcetur;* cuius fundamentum eſt effatum Chriſti: *ne ſanctum detis canibus*, Matth. VII, 6. *Excommunicatio maior eſt, qua peccator manifeſtus & obſtinatus non tantum a participatione ſacramentorum arcetur, ſed etiam velut membrum putridum ab eccleſia reſcinditur, & Satanæ traditur, vſque dum reſipiſcat:* cuius fundamentum eſt: *Si eccleſiam non audiuerit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus*, Math. XVIII, 17.

Prob. d. *Excommunicatio maior* non fit a paſtore, abſque conſenſu ſenatus eccleſiaſtici, ſiue Conſiſtorii, quod eſt eccleſia repræſentatiua. Habet enim *cenſura eccleſiaſtica certos gradus*, inſinuatos a Chriſto, Matth. XVIII, 15. *Prima cenſura eſt ſingularis*, ſecreta, fraterneque manſueta. *Altera eſt collegialis*, vel arbitrio partium electa, vel iuxta ordinem, inter collegia conſtitutum. *Tertia eſt eccleſiaſtica*, eaque vel coram Conſiſtorio, vel, ſi malum fuerit epidemicum, coram plurium eccleſiarum concilio. Quæ cenſura eccleſiaſtica non eſt tantum *declaratiua*, ſed etiam *efficaciter ligatiua & incluſiua* in compedes reatus; id enim *eſt ligare*, Matth. XXII, 13. *traditiua in poteſtatem Satanæ*, 1 Cor. V, 3. 4. 5. *excluſiua* a ſocietate fidelium, non neceſſaria, aut communi omnibus hominibus, ſed libera & propria, vnde contagium, vel irritatio timeri poſſet, 2 Theſſ. III, 14.

Prob. e. Finis excommunicationis non eſt perditio animæ, ſed conuerſio. Traditur enim peccator enormis & notorius *Satanæ in perditionem carnis, vt ſpiritus ſaluetur in die Domini Ieſu*, 1 Cor. V, 5. Per excommunicationem libidinoſa caro crucifigitur & mortificatur, anima vero a peccato ad reſipiſcentiam & vitam æternam reducitur. Infert itaque excommunicatio *non mortalem excluſionem*, qualis erat Ananiæ & Sapphiræ, Act. V; *non priuationem bonorum*, poſſeſſionum & dominii; neque *capitale ſupplicium*, cum ſit pœna non politica, ſed eccleſiaſtica: adeoque importat *ſuſpenſionem & priuationem beneficiorum eccleſiæ*, atque tum anxietatem



Digitized by Google

etatem animæ, qua exagitantur a Satana, qui in ipſius ſunt poteſtate, tum afflictionem quandoque corporis.

*Antitheſis* eſt 1) *Socinianorum*, ſtatuentium, miniſtros eccleſiæ non realiter, aut effectiue, ſed *tantum declaratiue* peccata remittere. 2) *Thomæ Eraſti*, Doctoris Medici, negantis, peccatores enormes & notorios ab vſu S. cœnæ arcendos eſſe. Quorum argumenta ſunt:

I. Solus Deus peccata remittit, Eſ. XLIII, 25. Ergo non miniſter eccleſiæ. Reſp. *Solus Deus* peccata remittit αὐτοκρατορικῶς, poteſtate *principali* & independente; Miniſter eccleſiæ remittit διακονικῶς, vel ὀργανικῶς, poteſtate ſubordinata & *delegata*.

II. Chriſtus delegauit Apoſtolis poteſtatem remittendi & retinendi peccata: At illa poteſtas cum Apoſtolis exſpirauit. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia nulli dantur Apoſtolorum ſucceſſores. Nam Apoſtoli erant immediate vocati, priuilegio infallibilitatis & poteſtate docendi in toto orbe inſtructi. Tales Apoſtoli hodie non dantur. Reſp. 1) Competiuerunt Apoſtolis quædam ſpecialia axiomata, priuilegia extraordinaria, quorum reſpectu nullos habent ſucceſſores: competiuit illis etiam generatim conſiderando poteſtas docendi, ſacramenta diſpenſandi, & peccata remittendi atque retinendi, quorum reſpectu omnes fideles eccleſiæ miniſtri illorum ſucceſſores ſunt. 2) Datur hodienum eccleſia; E. etiam dantur claues regni cœlorum toti eccleſiæ datæ. Datur euangelium: E. etiam abſolutio a peccatis. Dantur ſacramenta: Ergo & remiſſio peccatorum. Timotheus poterat ſeipſum, & qui ipſum audiebant, ſaluos facere, 1 Tim. IV, 16. E. Timotheus, qui non erat Apoſtolus, poterat peccata remittere.

III. Quicunque non pollet dono infallibilitatis, is non poteſt peccata remittere. Miniſtri mediate vocati non pollent dono infallibilitatis. E. *Maior* patet; quia abſoluendi ſunt peccatores, quorum pœnitentia & fides certo conſtat. Reſp. Ad poteſtatem abſoluendi non requiritur infallibilitas apoſtolica, ſed ordinata ſufficit ſcientia, ex verbo θεοπνεύςῳ hauſta. Et quamuis miniſtri eccleſiæ non ſint ſcrutatores cordium, tamen ex ſignis externis internam cordis pœnitentiam colligunt.

IV. Iudas proditor a Chriſto ad cœnam admiſſus eſt, etiam patefacto proditionis crimine: E. Peccator enormis & notorius ab vſu S. cœnæ non eſt repellendus. Reſp. Iudam non arcuit Chriſtus a cœna, ideo, quod proditio, quam machinabatur Iudas, nondum completa erat. Nemo ergo a ſacris arcetur, ob facinus futurum, & ſoli Deo notum, ſed ob facinus commiſſum.

Quæſt. XXII. *Quis eſt finis miniſterii eccleſiaſtici?*

*Finis miniſterii eccleſiaſtici.* *Finis vltimus* miniſterii eccleſiaſtici, ex parte *Dei*, eſt gloria nominis diuini a), ex parte *hominis* finis *vltimus* eſt æterna ſalus b), fines *intermedii* ſunt illuminatio & conuerſio c), regeneratio d), reconciliatio cum Deo e).

Prob. a. *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus*, 1 Cor. III, 4. Præcones fideles ſucceſſum muneris ſui non tribuunt ſibi, ſed virtuti Dei, *cuius gratia ſunt, quod ſunt*, 1 Cor. XV, 10.

Prob. b. Ex 1 Tim. IV, 16. *Teipſum ſaluum facies, & qui te audiunt.*

Prob. c. Ex Act. XXVI, 18. *Mitto te ad aperiendum oculos eorum, vt conuertant ſe a tenebris in lucem.*

Prob. d. Ex 1 Cor. IV, 15. In Chriſto Ieſu *per euangelium ego vos generaui.*

Prob. e. Miniſterium eccleſiaſticum eſt *miniſterium reconciliationis*, 2 Cor. V, 19.

Obſ. Ex his finibus inſimul neceſſitas & vtilitas miniſterii eccleſiaſtici diſpaleſcit.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XXIII. *Poteſtne miniſter impius cum fructu in eccleſia docere?*

Miniſtrum eccleſiæ decet pietatem toto pectore colere a), &, ſi impietas eius ſit notoria, cenſura eccleſiaſtica in eundem adhibenda eſt b). Impietas tamen ipſius non derogat efficaciæ doctrinæ, quam e verbo Dei proponit c).

Prob. a. *Oportet Epiſcopum* & quemlibet antiſtitem eccleſiæ eſſe *irreprehenſibilem*, 1 Tim. III, 2. & ὅσιον, *ſanctum*, Tit. I, 8. & *exemplum fidelium in verbo, in conuerſatione, in caritate, in ſpiritu, in fide, in caſtitate*, 1 Tim. IV, 12.

Prob. b. Publice flagitioſus *coram omnibus arguendus eſt*, 1 Tim. V, 20. Quare notoria impietas miniſtri eccleſiæ punienda eſt, pro ratione delictorum.

Prob. c. 1) Efficacia doctrinæ non pendet a miniſtro, ſed a Spiritu S. qui cum verbo Dei indiuulſe coniunctus eſt. Proinde eſt & manet verbum diuinum *potentia Dei ad ſalutem omni credenti*, Rom. I, 16. a quocunque prædicetur. Id quod eleganti ſimili illuſtrat AVGVSTINVS *libr. III. contr. Creſc. c.* 8. *Nihil refert ad efficaciam ſementis & plantationis, an lotis manibus, an ſordidis id fiat, modo bonum ſit ſemen, & terra fertilis, nec deſit calor ſolis, & pluuia de cœlo.* 2) Chriſtus Matth. XXIII, 3 iubet *audire ſcribas & Phariſæos, in cathedra Moſis ſedentes*, quos tamen grauiſſimorum criminum peragit reos. 3) Grauiter inquit *Auguſtana confeſſio, artic. VIII. p.* 12. *Sacramenta & verbum, propter ordinationem & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.*

*Antitheſis* eſt *Donatiſtarum*, *Anabaptiſtarum & Schwenckfeldianorum*, ſtatuentium, quod is eccleſiæ miniſter alios homines cum fructu docere, aut vera ſacramenta diſpenſare non poſſit, qui ipſe non ſit vere renouatus, renatus & vere iuſtus. Quorum argumenta ſunt:

I. Quicunque ipſe conuerſus & renatus non eſt, alios homines conuertere & regenerare nequit: Atqui miniſter impius &c. Ergo. *Maior* eſt euidens: quia nihil poteſt eſſe in effectu, quin prius fuerit in cauſſa, & quod quis non habet, alteri dare nequit. Reſp. 1) Negando *maiorem* & ſimili ratione argumentando: Quicunque deformis eſt, formoſam imaginem pingere nequit: Atqui Apelles deformis eſt. Ergo. 2) Diſtinguendo inter *cauſſam principalem, & inſtrumentalem.* Efficacia doctrinæ non pendet ab eccleſiæ miniſtro, tanquam cauſſa inſtrumentali, ſed a Spiritu S. tanquam cauſſa principali.

II. Omnes pſeudo prophetæ ſunt fugiendi: Atqui miniſtri impii &c. Ergo. *Maior* conſtat ex Matth. VII, 16. *Minor* prob. quia pſeudo-prophetæ e fructibus ſunt cognoſcendi, ad quos pertinet impietas vitæ. Reſp. Pſeudo-prophetæ ſunt doctores, *falſam doctrinam* profitentes, nobis eſt ſermo de doctoribus, quorum *doctrina* eſt *vera, vita impia.* Pſeudo-prophetæ cognoſcendi ſunt e fructibus doctrinæ. Quod ſi doctrina eorum per ſe generet deſperationem, Phariſaiſmum, aut Epicureiſmum, vitandi & deſerendi ſunt.

Quæſt. XXIV. *Danturne diuerſi dignitatis & auctoritatis gradus inter miniſtros eccleſiæ?*

Ob εὐταξίαν, ſiue bonum ordinem, pariter, atque donorum diſparitatem *vtile* & conſultum eſt, *diſtinctos* eſſe *gradus dignitatis & auctoritatis* inter miniſtros eccleſiæ.

Prob. 1) Deus vult, omnia in eccleſia fieri εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, *decore & ſecundum ordinem*, 1 Cor. XIV, 40. Iam vero, veluti in republica turbantur omnia, niſi ſit,

Digitized by Google

niſi ſit, qui imperet, & qui pareant; Ita inordinatum erit corpus eccleſiaſtici miniſterii, niſi ordinum & graduum diſpar dignitas admittatur. 2) Fuerunt diſtincti gradus miniſtrorum in eccleſia V. T. ſcilicet ſummus ſacerdos, Exod. XXVIII, 29. ſacerdotes ſecundi ordinis, Leu. XXI, 10. Leuitæ, Num. VIII, 6. In N. T. recenſentur miniſtri diſparis dignitatis & auctoritatis. *Dedit enim Chriſtus alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios vero Paſtores & Doctores*, Eph. IV, 11.

*Antitheſis* eſt *Puritanorum* in Anglia, & *Anabaptiſtarum*, diſtinctos gradus dignitatis inter miniſtros eccleſiæ non admittentium. Qui obiiciunt:

I. Aſſertio de diſparitate dignitatis inter miniſtros verbi ſternit viam ad tyrannidem pontificiam, quam eccleſiæ reformatæ dudum eiurarunt. Reſp. Tyrannidem pontificiam non poſtliminio in eccleſias reformatas reducimus, quia aſſerimus a) miniſtris inferioris ordinis audiendum quidem eſſe ſacrorum præſulem, ſed quamdiu is orthodoxiæ & bonis moribus nil aduerſum præcipit, Mal. II, 7. b) Eundem ſubeſſe directioni & cenſuræ ſupremi magiſtratus, 1 Petr. II, 13.

II. Chriſtus diſerte improbat hanc inter miniſtros ὑπεροχήν, ſiue eminentiam, Matth. XXIII, 8. Luc. XXII, 25. Reſp. *Abſolutum* in eccleſia *dominium* cum Chriſto improbamus; *diſparitatem* tamen *graduum* εὐταξίας cauſſa ſeruamus.

### SVSPIRIVM.

Te, Deus, Pater omnis boni ordinis, auctor miniſterii ſacri, ſinceris humillimisque precibus obteſtor, vt hierarchiam tuam eccleſiaſticam, quam mortalium commodo ſapientiſſime inſtituiſti, aduerſus fremitum orbis & orci integram & incorruptam conſerues! Da miniſtris tuis plantantibus & rigantibus incrementum vberrimum! Da etiam mihi, miniſtro tuo infirmo & infimo, os & ſapientiam! Confer dona ſanctificantia! adde animum imperterritum! largire proſperos officii ſucceſſus! vt ad præſcriptum verbi tui recte doceam, ſacramenta rite diſpenſem, pie viuam, & ex hac vita, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo, te iubente, placide diſcedam.

## PARTIS IV. THEOLOGIAE CAPVT III.

# DE MAGISTRATV POLITICO.

Quæſt. I. *Vnde dicitur magiſtratus politicus?*

*Magiſtratus* dicitur a *magiſtro* a); *politicus* a *politia*, quam gubernat b).

Prob. a. A *magiſtro* dicitur *magiſtratus*; quia, teſte COELIO RHODIGINO, *L. VII. antiq. lect. c. 17.* apud Romanos is, qui Dictator erat, ac ſupremam poteſtatem gerebat, magiſter appellari ſolebat: Sicut hodie in ciuitate conſules magiſtri ciuium, Bürgermeiſter, Rathsmeiſter, Stadtmeiſter, Amtmeiſter appellantur.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. *Politicus* dicitur magiſtratus non a negotiis politicis, quatenus illa eccleſiaſticis & ſacris opponuntur; ſiquidem & hæc directioni magiſtratus ſubſunt: ſed a *politia*, quæ, *ἀπὸ τῆς πόλεως* dicta, notat vel ipſam rempublicam, vel regimen, ſiue adminiſtrationem reipublicæ, in qua, cum Chriſtiana eſt, datur eccleſia, cuius reſpectu magiſtratus politicus tanquam peculiaris ſtatus hierarchicus hic conſideratur.

Quæſt. II. *Quot modis ſumitur nomen magiſtratus?*

Nomen *magiſtratus* ſumitur bifariam: a) *abſtracte*, pro ipſa poteſtate & auctoritate, qua pollent ii, quibus regimen eſt commiſſum: b) *concretiue*, pro perſonis, quæ poteſtate imperandi ſunt inſtructæ.

Prob. a. Ex Rom. XIII, 1. *Omnis anima ſubdita ſit ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, poteſtatibus ſupereminentibus.*

Prob. b. Magiſtratus *concretiue* ſumtos Chriſtus *ἐξουσιάζοντας* poteſtatem habentes, Luc. XXII, 25. appellat.

Quæſt. III. *Quid eſt magiſtratus politicus abſtractiue ſumtus?*

Magiſtratus politicus, *abſtractiue* acceptus, eſt *officium publicum*, a Deo ordinatum, in quo certæ perſonæ, legitime vocatæ, & poteſtate circa res ciuiles atque ſacras inſtructæ, in republica leges ferunt, iudicia exercent, & transgreſſores puniunt, eamque aduerſus hoſtes externos defendunt, ad propagandam gloriam Dei, & ſubditorum ſalutem temporalem atque æternam promouendam. *Definitio magiſtratus.*

Quæſt. IV. *Quid eſt magiſtratus politicus concretiue ſumtus?*

Magiſtratus politicus *concretiue* acceptus eſt *perſona, vel multitudo perſonarum*, diuinitus vocata, & poteſtate circa res ciuiles atque ſacras inſtructa, ad ferendum leges & exercendum iudicia, ad puniendum transgreſſores & defendendum rempublicam ab externis hoſtibus, quo Deus glorificetur, eccleſia cum republica tranquille floreat, & ſubditorum temporalis atque æterna ſalus promoueatur.

Quæſt. V. *Quæ eſt cauſſa efficiens magiſtratus?*

*Cauſſa efficiens principalis* magiſtratus, tum *abſtractiue* a), tum *concretiue* b) ſpectati, eſt *Deus trinunus* c), qui certis perſonis officium magiſtratus committit, vel immediate d), vel mediate e). *Cauſſa efficiens.*

Prob. a. 1) Magiſtratus in *abſtracto* ſpectatus, ratione *officii*, ſiue ratione poteſtatis legislatoriæ, iudiciariæ & vindicatiuæ, *immediate* a Deo eſt. Docet hoc Paullus Rom. XIII, 1. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſto: Non enim eſt poteſtas, niſi a Deo; ſed quæ ſunt poteſtates, a Deo ordinatæ ſunt.* Vnde argumentamur: Quæcunque poteſtas non eſt, niſi a Deo, illa immediate eſt a Deo ordinata: Atqui poteſtas politica &c. Ergo. *Maior* eſt clara: Quidquid *non eſt, niſi a Deo*, illud dicitur *immediate* eſſe a Deo, cum excluſione omnis alterius cauſſæ concurrentis, & ſocialiter agentis; quem ad modum ſi quis diceret: Apoſtoli non fuerunt, niſi a Deo ſiue Chriſto conſtituti, facile intelligeretur,



Digitized by Google

ipſos a Chriſto immediate eſſe conſtitutos. 2) Ioſaphatus dixit ad iudices: *Cauete vobis, & facite; non enim hominis exercetis iudicium, ſed Dei,* 2. Chron. XIX, 6. E quibus colligimus: Quicunque exercent iudicium non hominis, ſed Dei, illorum poteſtas iudiciaria immediate eſt a Deo: Atqui magiſtratus &c. Ergo. 3) Eiusdem ſententiæ eſt *Auguſt. Confeſſ. art. XVI. De rebus ciuilibus docent, quod legitimæ ordinationes ciuiles ſint bona opera Dei.* Ac ne quis modum inſtitutionis ad mediationem humani ingenii traheret, declarat *Apolog.* modum *ad Art. VIII. p.* 156. *Vt hæc rerum natura, & hi ſiderum motus vere ſunt ordinatio Dei & conſeruantur a Deo: ita legitimæ politiæ vere ſunt ordinatio Dei, & retinentur ac defenduntur a Deo aduerſus diabolum.* Vnde arguimus: Qua cauſſalitate produxit Deus naturam & ſiderum motus, ea etiam ordinauit politias: Atqui cauſſalitate immediata &c. Ergo.

Prob. b. Magiſtratus, in *concreto* ſpectatus, etiam eſt a Deo. Sic enim inquit ſapientia increata & hypoſtatica, ſiue Filius Dei: *Per me reges regnant, & dominatores decernunt iuſtitiam: Per me principes principatum gerunt, & omnes iudices terræ ſunt magnates,* Prou. VIII, 15. 16. Si per ſapientiam increatam regnant reges, non regnant per homines, contradiſtinctos ſapientiæ increatæ. Ex Rom. XIII, 4. 5. *Magiſtratus Dei miniſter eſt, vindex in iram malum facienti. Ideo neceſſe eſt, ſubditum eſſe non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Omnis miniſter Dei, cui propter conſcientiam parendum eſt, ad officium ſuum a Deo electus & vocatus eſt: Atqui magiſtratus ciuilis &c. Ergo.

Prob. c. Magiſtratum inſtituit & ordinauit *Deus triunus,* Pater, Filius & Spiritus Sanctus: eſt quippe inſtitutio magiſtratus opus ad extra, ab auctoritate, potentia, bonitate atque ſapientia diuina originem trahens, adeoque communis omnibus tribus diuinitatis perſonis.

Prob. d. *Immediate,* & nulla hominum opera arbitraria interueniente, Deus magiſtratus officium commiſit Moſi, Exod. III, 10. Ioſuæ, Num. XXVII, 18. Sauli, 1 Sam. IX, 15. Dauidi, 1 Sam. XVI, 12. Dicis: Dauid ad imperium *mediate* vocatus eſt, interueniente opera Samuelis. Reſp. Deus immediate præceperat Samueli, vt Dauidem, & non alium vngeret regem, 1 Sam. XVI, 12. Ergo illius vocatio ad officium magiſtratus immediata fuit.

Prob. e. Hodie Deus officium magiſtratus certis perſonis *mediate,* ſiue interuenientibus hominum conſiliis & opera voluntaria committit. Quod patet: 1) quia *omnes poteſtates a Deo ſunt,* Rom. XIII, 2. At vero hodie non ſunt ordinatæ diuinitus immediate: Ergo *mediate.* 2) Ex 1 Petr. II, 13. 14. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ* (ſeu ab hominibus, vt cauſſa inſtrumentali, electæ) *propter Dominum* (qui per homines conſtituit) *ſiue regi, ſiue præſidibus.* 3) Chriſtus agnouit, etiam Pilati poteſtatem eſſe certe mediate a Deo: *Non haberes,* inquiens, *poteſtatem aduerſus me vllam, niſi eſſet tibi data deſuper,* Io. XIX, 11. 4) Nabuchodonoſari *Deus cæli regnum & poteſtatem* & *imperium, & maieſtatem dederat mediate,* teſte Daniele, c. II, 37.

Quæſt. VI. *Quibus mediis & modis homines pertingunt ad officium magiſtratus?*

***Media ad officium magiſtratus.***

Hodie ad officium magiſtratus *perſonæ habiles,* moderante Deo, legitime perueniunt vel per *electionem* a), vel per *ſucceſſionem* b), vel per *iuſtam occupationem* c).

Obſ. Non eſt nobis ſermo impræſentiarum de modis & mediis illicitis, quibus nonnulli imperium rapiunt, qualia ſunt: *occupatio violenta* per bellum illegitimum & tyrannicam aliorum oppreſſionem, *inuaſio fraudulenta* per technas & ſollicitationes animorum, & *acquiſitio per largitionem,* ſiue per pecuniam & munera.

Prob. a.

Digitized by Google

Prob. a. Per *electionem* obtinetur magiſtratus, quando illi, quibus poteſtas eligendi aut lege, aut conſuetudine competit, magiſtratum deſignant. Sic ſeniores Gilead Iephtam ſibi elegerunt & conſtituerunt ducem, Iud. XI, 5. Huc pertinet electio inferiorum magiſtratuum a ſuperioribus.

Prob. b. Per *ſucceſſionem* obtinetur officium magiſtratus, quando iure hereditario a parentibus liberi, aut ab agnatis conſanguinei imperium accipiunt. Sic Dauidi iure hereditario Salomo, Salomoni Rechabeam, Rechabeamo Abiam ſucceſſit.

Prob. c. Per *occupationem legitimam obtinetur magiſtratus*, quando bello iuſto deuicti hoſtes ſubiiciuntur victori, a quo conſeruantur. Eſt enim iuris naturalis, vt quodcunque, ex hoſtibus captum, dominio victoris ſubiiciatur.

*Antitheſis* eſt 1) *Anabaptiſtarum & Weigelianorum* negantium, magiſtratum a Deo eſſe ordinatum: 2) nonnullorum *Pontificiorum*, negantium, magiſtratum, abſtractiue conſideratum; immediatam originem ducere a Deo. Qui ſequentibus innituntur argumentis:

I. Quidquid a violenta & tyrannica hominum oppreſſione trahit originem, illud non poteſt a Deo eſſe conſtitutum: Atqui imperium monarchicum &c. Ergo. *Maior* liquet: quia id non poteſt eſſe a Deo, quod eſt a malo principio. *Minor* probatur: quia imperium monarchicum trahit originem a Nimrodo, qui dicitur fuiſſe fortis venator coram Domino, Gen. X, 9. quæ phraſis infert tyrannicum Nimrodi imperium in homines ſui temporis, quod Dei præſentiam minime reueritus exercuit. Reſp. 1) In Nimrodo quidem cœpit imperium Aſſyricum, ſed non magiſtratus abſolute talis; quippe cui Deus commiſit ius gladii dudum ante Nimrodum, Gen. IX, 6. 2) Diſt. *inter poteſtatem imperandi licitam, & illicitum modum imperii acquirendi.* Illa eſt a Deo, hic a Nimrodo, qui violenta & tyrannica hominum oppreſſione magiſtratum, primitus occupauit. Sane aliud eſt *poteſtas*, aliud *poteſtatis acquiſitio & vſurpatio.* Ipſa *poteſtas* ſemper eſt a Deo, Rom. XIII, 1. ſeq. ſed poteſtatis *acquiſitio & vſurpatio illegitima* eſt tyrannis, quæ conſideratur, 1) quatenus eſt malum *culpæ*, 2) quatenus eſt malum *pœnæ. Priori* modo non eſt a Deo, vtpote qui *malum non vult*, Pſ. V, 5. *Poſteriori* modo eſt a Deo, *non* tanquam *auctore*, ſed tanquam irato *iudice*, Amos III, 6. Id quod agnouit AVGVSTINVS, *libr. V. de C. D. cap.* 21. *Qui dedit imperium Conſtantino Chriſtiano, ipſe etiam dedit apoſtatæ Iuliano.*

II. Magiſtratus dicitur *κτίσις ἀνθρωπίνη*, ſiue *ordinatio humana*, 1 Petr. II, 13. Ergo non eſt a Deo. Reſp. Magiſtratus dicitur quidem *κτίσις ἀνθρωπίνη*, ſed cui *propter Dominum* debetur obedientia. Eſt igitur ordinatio *humana*, propter cauſſam *inſtrumentalem*; eſt etiam ordinatio *diuina*, propter cauſſam *principalem*; propterea, quod Deus per homines ſanciuit magiſtratum, vt huius officium ſuſtineant homines, & hominibus imperent.

III. Si *diabolus eſt princeps mundi, & dat regna mundi, cui vult*, vtique imperium ſæculare non poteſt eſſe a Deo: Antecedens eſt verum. Vid. Io. XII, 31. c. XVI, 11. Matth. IV, 8. Reſp. Diabolus dicitur princeps mundi & omnium in mundo regnorum, non ſecundum veritatem, ratione creationis, conſeruationis, gubernationis & legitimæ poſſeſſionis, ſed ſecundum opinionem, a) ex parte *diaboli*, ratione tum falſæ gloriationis, tum iniuſtæ vſurpationis, b) ex parte hominum, tum ex parte peruerſæ imaginationis, tum ratione vitioſæ & inordinatæ ſubiectionis.

IV. Tyrannus non eſt a Deo: Quidam magiſtratus eſt tyrannus: Ergo. Reſp. 1) Diſtinguitur inter tyrannum *titulo & exercitio.* Tyrannus *titulo* ne nomen quidem magiſtratus meretur. 2) Tyrannus, *quatenus tyrannus*, ſiue quatenus poteſtate ſua abutitur ad ſæuitiam, proprium commodum & alia vitia, *non* eſt *a Deo.* Interim tamen tyrannus ratione *poteſtatis legislatiuæ, iudiciariæ & punitiuæ*, quam per *electionem, ſucceſſionem*, aut *occupationem legitimam* accepit, *eſt a Deo.* Diſtinguendum itaque eſt inter *poteſtatem, & poteſtatis abuſum.*



Digitized by Google

V. Populus Iſraëliticus, Regem poſtulando, Deum ad iram prouocauit, 1 Sam. VIII, 7. E. non omnes magiſtratus a Deo ſunt conſtituti. Reſp. Deus *non ſimpliciter* & abſolute improbauit, quod Iſraëlitæ magiſtratum haberent, vel expeterent, ſed quod formam regiminis ab ipſo Deo inſtitutam proprio arbitrio, & quidem ex κακοζηλίᾳ gentilium mutatam vellent. Vid. v. 5. & 20.

VI. Quosdam Reges Principesque non eſſe conſtitutos a Deo, ipſe teſtatur Deus, Hoſ. VIII, 4. *Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes exſtiterunt, & non cognoui eos.* Reſp. Verba citata ſecundum textum Hebræum ita reddenda ſunt: *Illi Regem fecerunt, & non a me: Principes fecerunt, & non noui* (approbaui). Taxat Propheta populi diffidentiam, quod ex præpoſtero periculorum metu reges gentilium in tutores & patronos eligat, Deo non conſulto, an ipſi hoc placeat. Modo enim Aſſyriorum, modo Ægyptiorum opem & auxilium implorabant. Vnde inferre non licet, quod magiſtratus non ſit ordinatio Dei.

Quæſt. VII. *Poteſtne Chriſtianus in nouo teſtamento ſalua conſcientia magiſtratus officio fungi?*

Magiſtratus eſt ſtatus Deo, *etiam in nouo teſtamento, gratus*, probatusque, cuius officium *Chriſtianus illibata conſcientia* adminiſtrare poteſt.

Prob. 1) *Magiſtratus* eſt *ordinatio Dei*, Rom. XIII, 1. quam euangelium non abolet, ſed confirmat. 2) Ipſius Dei voluntas eſt, vt humanæ ordinationi etiam in nouo teſtamento ſubiecti ſimus, 1 Petr. II, 13. Rom. XIII, 1. 3) Ipſe Chriſtus magiſtratum in nouo teſtamento approbat, dum iubet dare Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, Matth. XXII, 21. & tributum ipſe ſoluit, Matth. XVII, 27. 4) Officio magiſtratus multi pii & fideles in nouo teſtamento functi ſunt. Ioſephus Arimathæus, licet amicus Chriſti eſſet, exſpectans regnum Dei; ſenatoris tamen munus obiuit, Marc. XV, 43. Chriſtus officialis regii fidem laudans, Io. IV, 46. non iuſſit eum magiſtratum deponere. Pietatis laude floruerunt CONSTANTINVS M. vterque THEODOSIVS, MARCIANVS, CAROLVS MAGNVS, & alii.

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum & Weigelianorum*, quorum ſententia officium magiſtratus Chriſtianum in nouo teſtamento dedecet. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. Quidquid pugnat cum libertate chriſtiana, id Deo non poteſt placere: Atqui officium magiſtratus &c: Ergo. Reſp. Diſt. *inter libertatem ſpiritualem, & libertatem vel licentiam politicam.* Liberi ſunt Chriſtiani *libertate ſpirituali* a peccato, Io. VIII, 34. quæ interna animi libertas *exteriorem ſubiectionem* magiſtratui debitam minime tollit, ſed potius ſtabilit, 1 Petr. II, 16.

II. Officium gentile Chriſtianum dedecet: Magiſtratus officium eſt gentile. Ergo. *Minor* probatur ex Matth. XX, 25. *Scitis, quod Principes gentium dominentur illis, & magnates poteſtatem habeant in eas: non ſic erit inter vos.* Reſp. Chriſtus l. c. Apoſtolis & miniſtris eccleſiæ, non autem omnibus Chriſtianis, regimen politicum denegat.

III. In ſtatu innocentiæ non erat magiſtratus: Ergo nec idem eſſe debet in ſtatu gratiæ. *Conſequentia* probatur: quia in ſtatu gratiæ renouamur in cognitionem ſecundum eandem imaginem Dei, qua homo in ſtatu innocentiæ præditus erat. Reſp. 1) Si in ſtatu innocentiæ propagata fuiſſet hominum multitudo, non fuiſſet ſine ordine & regimine, quamuis illud regimen non δεσποτικὸν, ſiue herile, ſed πατρικὸν, paternum, & ſubiectio non ſeruilis, ſed filialis fuiſſet. 2) Renouamur quidem in ſtatu gratiæ ad imaginem Dei, ſed renouatio noſtri eſt imperfecta, propter reliquias peccati: ob quam infirmitatem Deus etiam in ſtatu gratiæ hominem chriſtianum voluit regere, & in decenti ordine continere per magiſtratum

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VIII. *Quænam perſonæ eligendæ ſunt ad obeundum officium magiſtratus?*

Ad officium magiſtratus eligendæ ſunt *perſonæ habiles* iuxta *requiſita in verbo diuino* præſcripta. **Materia.**

Obſ. I. Sermo nobis eſt de eo reipublicæ ſtatu, in quo optimates, vel populus libera habent ſuffragia magiſtratum eligendi, non autem de eo ſtatu, in quo Princeps iure hereditario ſuccedit.

Obſ. II. Diuiduntur *requiſita* boni magiſtratus in *primaria*, & *ſecundaria*. *Primaria* ſunt bona animi interna; ſiue virtutes magiſtratu dignæ, quales ſunt: a) erga Deum pietas, b) erga ciues & ſubditos iuſtitia atque clementia, c) erga ſeipſum temperantia & caſtitas, moderatio in cultu corporis, & cetero aulico apparatu, animi magnitudo, & temperata per rationem in vtraque fortuna conſtantia. *Secundaria* ſunt bona corporis & fortunæ externa, vtpote: genus, ætas, forma, diuitiæ. Quæ latius exſequuntur politici; nos ductum ſcripturæ ſequimur.

Prob. 1) Quales eligendi ſint magiſtratus, Iethro Moſen docet, Exod. XIIX, 21. *Tu circumſpicies ex omni populo viros cordatos, timentes Dei, viros veracitatis, odientes lucri: poneſque ſuper eos in Principes millium, Principes centenorum, Principes quinquagenorum, & Principes decadum, vt iudicent populum omni tempore.*

2) Moſes requiſita boni magiſtratus exponit, Deut. I, 13. *Date vobis viros ſapientes & intelligentes, & notos iuxta tribus veſtras, vt ponam eos in capita veſtra.*

3) Deus ipſe in Rege requirit, Deut. XVII, 15. a) vt ſit indigena, non alienigena, b) non confiſus, aut elatus multitudine equorum, c) non mulieroſus, aut libidinoſus, d) non φιλάργυρος, aut ſitiens pecuniæ, e) ſit cultor legis diuinæ, f) non ſuperbus contemtor ciuium, ſed manſuetus, clemens, & acceſſu facilis.

Quæſt. IX. *In quo formaliter conſiſtit officium magiſtratus?*

Officium magiſtratus *formaliter* conſiſtit in poteſtatis diuinitus conceſſæ debita & decenti exſecutione. Conceſſa autem eſt magiſtratui *poteſtas* a) συμβουλευτική, *conſultatoria*, b) νομοθετική, *legislatoria*, c) δικαστική, *iudiciaria*, d) κολαστική, *vindicatiua*. **Forma.**

Prob. a. Conceſſit Deus magiſtratui poteſtatem *bene conſulendi* reipublicæ, omniaque ſollicite prouidendi, vt ſubditorum, quantum fieri poteſt, inopiæ & calamitati ſuccurratur, ipſique contra vim externam protegantur. Eſt quippe magiſtratus *oculus cæcis, pes claudis, pater pauperibus,* Iob. XXIX, 15. 16.

Prob. b. Poteſtas *legislatoria* magiſtratui competit, quia ipſius eſt, *iuſtitiam decernere* Prov. VIII, 15. Decernit iuſtitiam per legem, vtpote quæ eſt decretum obligatorium, factum a Principe, ad ſalutem totius communitatis.

Prob. c. Quod poteſtas *iudiciaria* competat magiſtratui, patet a) ex nomine. Vocantur Reges *iudices terræ*, Pſ CXLVIII, 11. ſeqq. b) Expreſſe Deus præcepit: Deut. XVI, 18. *Iudices & moderatores dabis tibi in omnibus portis tuis, quas Iehouah Deus tuus daturus eſt tibi, iuxta tribus tuas: qui iudicabunt populum iudicio iuſtitiæ.*

Prob. d. Conceſſa eſt magiſtratui poteſtas *vindicandi* iniurias, & puniendi transgreſſores legum. Quem in finem magiſtratus armatus eſt gladio *non metaphorico* (ſicut miniſterium eccleſiaſticum), ſed *proprie dicto*, eoque tum *iudiciario*, quo flagitioſos ad necem vsque ferire, ſeu capitali ſupplicio afficere poteſt, tum *bellico*, quo iniuſtam vim hoſtium a



Digitized by Google

republica propulſare, religionemque, & libertatem, atque bona tueri poteſt. *Gladium iudiciarium* competere magiſtratui, probamus 1) ex Geneſ. IX, 6. *Quisquis effuderit ſanguinem hominis, per hominem* (vindicem legitimum) *ſanguis eius effundatur.* Vindex legitimus eſt magiſtratus; quippe qui non *fruſtra gladium gerit: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram, malum facienti*, Rom. XIII, 4. 2) Ex Exod. XXI, 12. *Qui percuſſerit virum, vt moriatur, moriendo morietur.* 3) Ex Matth. XXVI, 52. *Omnes accipientes gladium* (priuata temeritate) *per gladium perire debent. Gladium bellicum* magiſtratui competere, tum ex veteri, tum ex nouo teſtamento diſcimus. In V. T. ius belli ſancitum eſt, a) *mandato* diuino, Num. XXXI, 2. Ioſ. I, 6. & alibi paſſim, b) *legibus bellicis*, a Deo præſcriptis, Num. X, 9. Deut. XX, 19. c) luculentis *victoriis* a Deo conceſſis, Exod. XVII, 11. Iudic. III, 10. Prou. XXI, 31. Vnde etiam ſancti viri, Abraham, Moſes, Ioſua, Dauid, Ezechias, Ioſaphat, bella licite geſſerunt. In N. T. bellum nullibi eſt prohibitum. Nam 1) Ioannes ſerio interrogatus a militibus: quid ſibi faciendum eſſet, vt iram Dei effugerent? non eos militia abire (quod facere omnino debebant, ſi ea fuiſſet voluntas Domini) iuſſit, ſed dixit ad eosdem: *Neminem concutite, neque doloſe quemquam circumuenite, contentique eſtote ſtipendiis veſtris*, Luc. III, 14. Ioannes, alter Elias, & magnus reformator eccleſiæ, vtique ſtatum militarem, ſi non poſſet conſiſtere cum conſecutione ſalutis, ſimpliciter improbaſſet; at dehortatus eſt non a belli ſubſtantia; neque enim dicit: arma abiicite, militiam deſerite &c. ſed a vitioſis circumſtantiis, cum bello per accidens connexis, ſc. a violentia, a fraudulentia, & a rapina. 2) Chriſtus, Matth. VIII, 9. 10. & Lucas, Act. X, 1. ſqq. fidem militum laudant, eosque, non obſtante militari ſtatu, Deo gratos pronuntiant. Ergo neque Chriſtus, neque Apoſtoli bellum in N. T. interdixerunt.

Obſ. Diſt. eſt 1) inter *bellum iuſtum, & iniuſtum. Illud* eſt, quod vrgentibus grauiſſimis cauſſis ſuſcipitur: *hoc* eſt, quod leuiculis vaniſque de cauſſis (ob vanam gloriam, finium amplitudinem, impletionem libidinis &c.) geritur. 2) Inter *bellum defenſiuum, & offenſiuum. Illud* ſemper eſt licitum, quia defenſio eſt iuris naturalis: *hoc* non eſt gerendum, niſi extrema neceſſitate ſtimulante, a) cum atroces iniuriæ ſunt vindicandæ, b) cum bona iniuſte erepta ſunt repetenda *). 3) Inter *armorum vſum, & abuſum. Ille* conſiſtit in hoc, vt pax honeſta reducatur: *hic* ſine termino graſſatur. 4) Inter *ipſam belli ſubſtantiam, & vitioſa eius accidentia*, qualia ſunt: fraudes, rapinæ, ſcortationes, adulteria &c. Loquimur de bello *iuſto*, de bello *defenſiuo & offenſiuo neceſſario*, de *recto armorum vſu*, & ipſa *belli ſubſtantia.*

*Antitheſis* eſt *Anabaptiſtarum, Weigelianorum & Socinianorum*, qui negant, magiſtratui poteſtatem *iudiciariam & vindicatiuam* competere.

Poteſtatem *iudiciariam* impugnant ſequentibus argumentis:

I. Chriſtus prohibet iudicia humana, Matth. VII, 1. inquiens: *ne iudicate.* Reſp. Chriſtus prohibet iudicia *priuata & temeraria*, non publica & neceſſaria. Conf. Matth. V, 22. Inſtantia

*) Omnis offenſio eſt iniuria quædam alteri illata. *Offenſiuum* igitur bellum, ſi adcurate loqui velimus, nullum eſſe poteſt iuſtum. Sed bellum indictum, vrgente *neceſſitate*, ſemper eſt iuſta ſui *defenſio.* Qui enim ab altero iniuria prouocatus eſt, ideoque cogitat de vindicanda ac propulſanda iniuria, ac præcauendis grauioribus malis, is non illum offendit, ſed ſe ipſe defendit. Ergo bellum, quod *defenſiuum* dicitur, omnino duplex eſt: aut iniuſte indicenti, immo iam incipienti hoſti *oppoſitum*; aut violanti iuſte *indictum* atque inceptum; atque hoc eſt, quod b. Auctor ſignificare voluit nomine *offenſiui neceſſarii.*

Digitized by Google

Inſtantia I. *Caritas tegit omnia delicta*, Prou. X, 12. Ergo nulla iudicia ſunt neceſſaria. Reſp. Caritas tegit delicta leuiora, non atrociora & cum ſcandalo aliorum coniuncta, quæ ſalua honeſtate & tranquillitate publica tolerari nequeunt.

Inſtantia II. Scortatores & adulteros *iudicabit Deus*, Hebr. XIII, 4. E. non ſunt iudicandi a magiſtratu. Reſp. Scortatores & adulteros iudicabit Deus, tanquam iudex *ſummus* & independens, eosdem iudicat magiſtratus tanquam iudex *miniſterialis* & ſubordinatus. Eſt enim *miniſter Dei*, *vindex in iram malum facienti*, Rom. XIII, 4.

II. Quicunque litigaturo coram iudicio, & *ablaturo tunicam*, *etiam pallium relinquat*, illius non eſt contendere coram iudicio humano: Sed verus Chriſtianus &c. Ergo. *Maior* prob. quia ceteroqui contendere quis poſſit coram iudice, vt tunicam retineat. *Minor.* prob. ex Matth. V, 40. Reſp. Verba Chriſti accipienda ſunt non ἁπλῶς, *abſolute*, ſed συγκριτικῶς, *comparate*, vt ſenſus ſit: Si quis acerbius tecum contendere velit in iudicio, vt expleat petulantiam & libidinem ſuam, tibique iniqua magiſtratus ſententia læſo tunicam auferat, tunc ne feras malum pro malo, ſed ſis paratior ad iniuriam moderate perferendam, quam vindicandam, aut alteri inferendam. Satius eſt iniuriam pati, quam inferre.

III. Quidquid refertur inter defectus eccleſiæ, illud eſt remouendum: Exercitium iudiciorum politicorum refertur inter defectus eccleſiæ: Ergo. *Minor* prob. ex 1 Cor. VI, 7. *Defectus inter vos eſt, quod iudicia habetis, vobiscum ipſis. Quare non potius iniuriam patimini?* Reſp. Apoſtolus l. c. non reiicit iudicium magiſtratus, neque hoc vult, quod plane illicitum ſit Chriſtianis, coram magiſtratu contendere cum aduerſario; ſed in Corinthiis reprehendit tantum immoderatam contendendi libidinem, quod crebrius *leuiſſima de cauſſa* coram *magiſtratu ethnico* cum aliis contenderent, vnde eccleſiæ & Chriſtianis macula aſpergebatur, & multi a religione chriſtiana amplectenda deterrebantur.

IV. Chriſtus dicit Matth. V, 39. *Ne reſiſtatis malo.* Reſp. Chriſtus his verbis non *publicum officium* magiſtratus, ſed *vindictam priuatam* reiicit.

Poteſtatem *vindicatiuam*, qua *flagitioſi capite plectuntur*, ſequentibus impetunt argumentis:

I. Quicunque occidit, peccat contra quintum præceptum: Magiſtratus pius non peccat contra quintum præceptum. Ergo. Reſp. Quicunque priuatus ex proæreſi nocendi occidit, is peccat contra quintum præceptum. At magiſtratus non eſt homo priuatus, neque ex proæreſi hominem occidit, ſed diuinitus armatus eſt gladio in vindictam, Rom. XIII, 4.

II. Quidquid pugnat cum caritate chriſtiana, illud non eſt tolerandum in eccleſia chriſtiana: Supplicia capitalia pugnant cum caritate chriſtiana: E. *Maior* conſtat: quia *etiam inimici ſunt diligendi*, Matth. V, 44. Reſp. 1) Punire facinoroſos etiam opus caritatis eſt: membrum quippe putridum reſecandum eſt, ne pars ſincera trahatur. 2) Diligendi ſunt inimici, vt homines, non vt latrones, aut facinoroſi.

III. Quidquid pugnat cum fœdere nouo, illud eſt abrogandum: Capitalia ſupplicia &c. Ergo. *Minor* prob. ex Io. I, 17. *Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Reſp. Diſt. inter nomen *gratiæ*, theologice & politice ſumtum. *Theologice* notat gratuitum fauorem Dei, qui propter Chriſtum, vera fide apprehenſum, peccata nobis remittit, ne imputentur ad condemnationem æternam. Quæ gratia obtingit

etiam

Digitized by Google

etiam maleficis, qui capite plectuntur, modo veram agant pœnitentiam. *Politice* gratia notat veniam delictorum, ne imputentur ad pœnam temporalem. *Priori* ſenſu dicitur fœdus gratiæ, *non poſteriori.*

IV. Quicunque non eſt priuandus vita æterna, is capite non eſt plectendus: Atqui homo chriſtianus &c. Ergo. *Minor* claret: quia maxime pugnat cum caritate chriſtiana, hominem vita æterna priuare. Neque *maior* obſcura eſt, ſiquidem homini, qui capitis pœnam ſubit, tempus reſipiſcendi præciditur. Vera namque pœnitentia per bona opera declaranda eſt. Vid. Matth. III, 8. Iac. II, 18. Reſp. Neg. *min.* Ad probationem dicimus, quod pœnitentia declarari queat per bona opera vel interna, vel externa. Licet maleficus, qui capitali ſupplicio afficitur, ante clauſulam vitæ ſuam pœnitentiam declarare ſemper nequeat per bona opera externa, exſerere tamen eam poteſt per bona opera interna, per amorem Dei & proximi, per patientiam & ſpem, per obſequium erga magiſtratum, per pias preces, per internum propoſitum emendandæ vitæ, ſi illa longior ſuperfutura eſſet.

V. Si Chriſtus non condemnauit hominem facinoroſum, neque magiſtratus chriſtianus eum condemnet: Antecedens eſt verum: Vid. Io. VIII, 11. E. & conſequens. Reſp. Diſt. inter *officium magiſtratus politicum, & officium Chriſti ſpirituale.* Saluator noſter in diebus carnis nolebat officio iudicis politico perfungi; hinc neque cauſſas ciuiles decidere, neque ad pœnam temporalem quendam condemnare volebat: ſed venerat in mundum, vt Propheta, euangelium docturus, vt Sacerdos, peccata expiaturus, vt Rex ſpiritualis, regnum gratiæ erecturus.

Poteſtatem *belligerandi* labefactatum eunt ſequentibus argumentis:

I. Quicunque ſanguinem humanum effundit, grauiter peccat: Magiſtratus belligerans &c. Ergo. *Maior* prob. ex Gen. IX, 6. Reſp. Quicunque vel cæde priuata, vel in bello iniuſto ſanguinem humanum effundit, is grauiter peccat; concedo. At nos loquimur de bello iuſto, & cæde publica.

II. Quisquis *fratri ſuo iraſcitur, reus eſt iudicio diuino:* Quicunque bella gerit, fratri ſuo iraſcitur. E. *Maior* liquet ex Matth. V, 22. Reſp. Diſt. *inter iram temerariam, & iuſtam indignationem.* Quisquis fratri ſuo iraſcitur εἰκῆ, *temere*, is reus eſt iudicio diuino. At quisquis hoſtem, qui vel libertatem ciuium, vel religionem labefactare audet, a finibus patriæ propulſat, is iuſta indignatione exardeſcit.

III. Chriſtianorum *arma* ſunt *ſpiritualia:* E. abſtineant ab armis corporalibus. Antecedens patet ex 2 Cor. X, 4. Reſp. Chriſtiani ſtringunt arma ſpiritualia aduerſus hoſtes ſpirituales, Satanam, mundum & carnem: ſtringunt iidem arma corporalia aduerſus hoſtes corporales, qui in viſcera patriæ graſſantur.

IV. Quorum eſt, *diligere inimicos,* illorum non eſt bella gerere: Atqui *Chriſtianorum* eſt, *inimicos diligere*, Matth. V, 44. E. Reſp. Chriſtus l. c. priuatos in dilectione informat, non magiſtratum exarmat. Priuatos inimicos diligimus, quia vindicta priuata eſt prohibita: hoſtem externum, qui manifeſta vi rempublicam aggreditur, magiſtratus gladio diuinitus conceſſo repellit. Inimicos, vt nos ipſos, non ſupra nos ipſos, diligere debemus.

V. Quicunque ſunt vnum corpus, bella non gerant: Atqui Chriſtiani &c. 1 Cor. XII, 12. E. Reſp. Hoſtes patriæ, qui vel libertatem ciuium, vel religionem peſſundare conantur, non ſunt vera membra corporis myſtici, ſiue eccleſiæ, quia veram fidem, quæ per caritatem operatur, cordibus infixam non habent, licet doctrinam fidei ore profiteantur.

VI. Tem-

Digitized by Google

VI. Temporibus Meſſiæ exoptatiſſima pax vigebit: *Lupi enim cum agnis habitabunt*, Eſ. XI, 6. Reſp. L. c. intelligitur pax ſpiritualis & publica ſocietas fidei, qua Iudæi & gentiles conuerſi in vnum corpus myſticum coaleſcent.

VII. Dauid Domini templum ædificare nequiuit, quia bellator fuit, & ſanguinem humanum effudit, qui tamen non, niſi Domini, bella geſſerat, 1 Paral. XXIX, 3. Quomodo igitur illi audebunt manus ſuas ſanguine cruentare, qui ſanctum Dei templum eſſe debent. Reſp. 1) Etiam Dauid fuit ſanctum Dei templum, & tamen iuſſu diuino bella licite geſſit. 2) Nequiuit templum Domini ædificare, a) quia bellis concatenatis impediebatur; b) quia bella parum conuenientia erant typo; ſiquidem templi conditor typum gerere debuit Meſſiæ pacifici.

VIII. Bellum eſt ſententia omnium malorum: E. eſt fugiendum. *Antecedens* liquet: quia bellum comitantur rapinæ, ſtupra, adulteria, homicidia. Reſp. Hæc pertinent ad belli abuſum, & vitioſa accidentia, non ad genuinum armorum vſum, & ipſam belli iuſti ſubſtantiam.

Quæſt. X. *Quotuplex eſt obiectum, circa quod magiſtratus verſatur?*

*Obiectum*, in quo dirigendo occupatur magiſtratus, eſt vel *reale*, vel *perſonale*. Obiectum *reale* ſunt res ciuiles & ſacræ, circa quas magiſtratus verſatur non æqualiter, ſed diuerſo modo. Circa *res ſacras* occupatur magiſtratus: ſollicite obſeruando & exercendo, quæ omnibus hominibus ſaluandis ſunt credenda & agenda a); *externa* gubernatione eccleſiam & religionem chriſtianam dirigendo b); *internam* vero ſacrorum gubernationem ſibi non vindicando, ſed miniſtris eccleſiæ relinquendo c); & in externo ſacrorum regimine ſincerorum eccleſiæ doctorum conſilio vtendo d). *Obiectum reale.*

Prob. a. Ex Pſ. II, 10. 11. 12. *Nunc ergo, Reges, intelligite! erudimini, Iudices terræ! ſeruite Iehouæ in timore, & exſultate in tremore! oſculamini Filium, ne iraſcatur, & pereatis in via.* Magiſtratus tenetur, ratione ſui ipſius, verum Deum cognoſcere, Chriſtum oſculo fidei amoris & ſubiectionis venerari, atque in timore Domino ſeruire.

Prob. b. *Externa gubernatione* magiſtratus eccleſiam dirigit: a) *Generatim, portam Domino aperiendo*, Pſ. XXIV, 7. i. e. ad introductionem, conſtitutionem & conſeruationem veri cultus diuini poſitiue cooperando, vt *ſub ipſius regimine vitam quietam agant in omni non ſolum honeſtate, ſed & pietate*, 1 Tim. II, 2. 2) *Speciatim*, 1) *idoneos miniſtros eccleſiæ conſtituendo.* Vocatio namque miniſtrorum ſacrorum eccleſiæ etiam pertinet ad *magiſtratum*, tum ratione *perſonæ*, quia eſt membrum eccleſiæ & quidem præcipuum, tum ratione *officii*, quia eſt eccleſiæ nutritius & vtriusque tabulæ decalogi cuſtos, diuinitus conſtitutus: caueat tamen, ne, excluſo presbyterio & populo, paſtores inuitis auditoribus obtrudat. 2) *Templa & ſcholas erigendo:* hæc enim ad exercitium cultus diuini in publicis conuentibus ſeruiunt. 3) *Doctoribus in eccleſia & ſcholis publicum munus obeuntibus, de honeſta ſuſtentatione proſpiciendo.* Sunt enim Reges *nutritii eccleſiæ*, Eſ. XLIV, 23. qui ſubinde ſecum reputent, quod Dominus ita ordinauerit, vt, *qui euangelium annuntiant* (cum non poſſint manuarias artes exercere), *ex euangelio viuant*, 1 Cor. IX, 14. 4) *Ordines inter eccleſiæ miniſtros inſtituendo*, exemplo Dauidis 1 Chron. XXIV. 5) *Miniſtros eccleſiæ flagitioſos ab officio ſuſpendendo, aut remouendo:* quemadmodum Salomo Abiatharem, ſummum ſacerdotem, ſubſtituto in eius locum Sadoco, remouit, 1 Reg. I. 27. 6) *Leges eccleſiaſticas de externo cultus diuini exercitio ad* ἐυσχημοσύνην καὶ τάξιν *facientes ferendo*, exemplo Dauidis, promulgantis legem de



Digitized by Google

reducenda arca, 1 Paral. XII, 5. de officiis Leuitarum, cap. XXII, 6. Ioſaphati, ieiunium indicentis, 2 Paral. XX, 3. 7) *Bona eccleſiaſtica legitime diſpenſando.* Sed rex Aſa, quæ pater ſanctificauerat, templo intulit, 1 Reg. XV, 15. Ezechias ſacerdotibus ſalarium conſtituens, ærarium ſacrum in templo erexit, 2 Paral. XXXI, 11. 8) *Viſitationes & concilia inſtituendo*, ad exemplum piorum Regum in vet. teſt. Ioſaphati, 2 Reg. XVI, 7. Ezechiæ, cap. XXIX, 4. 9) *Religionem per hæreſin, ſuperſtitionem & idololatriam contaminatam, reformando, atque adeo in hæreticos & ſeductores inquirendo & animaduertendo*, exemplo Iehu, 2 Reg. X, 19. & CONSTANTINI M. apud EVSEBIVM, *Libr. I. de vita Conſtantini cap. XI.* iuxta, atque *cultus idololatricos abolendo*, exemplo Aſæ, 1 Reg. XV, 12. Ioſaphati, 2 Paral. XVII, 7. & Imperatorum chriſtianorum.

Prob. c. *Interna* ſacrorum œconomia & gubernatio, conſiſtens in doctrina verbi, abſolutione a peccatis, & legitima ſacramentorum adminiſtratione, *propria* eſt *miniſtrorum eccleſiæ.* Hanc ſine piaculo ſibi vindicare nequit magiſtratus: quam cum ſibi arrogaret Vſia, alias pius, ingreſſus in templum Iehouæ ad ſuffiendum ſuper altari ſuffitus, lepra in fronte ipſius exorta grauiter punitus eſt. Vid. 2 Paral. XXVI, 16. ſeqq.

Prob. d. Debet magiſtratus in ipſis ſacris, quæ poteſtati ipſius eccleſiaſticæ ſubſunt, vti conſilio ſincerorum eccleſiæ doctorum ac paſtorum, iuxta mandatum diuinum, Deut. XVII, 18, Ioſ. I, 7. & exempla laudatorum Regum, Dauidis, 1 Paral. XVI. Aſæ, 1 Paral. XIV. Ioſaphati, cap. XVII. Ezechiæ, c. XXIX. Ioſiæ, c. XXXIV. Eo fine in noſtris eccleſiis Reges, Principesque conſtituerunt ſenatum eccleſiaſticum, ſiue Conſiſtorium, ex perſonis non ſolum politicis, verum etiam eccleſiaſticis conſtans.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, curam religionis magiſtratui competere. Quorum palmarium argumentum eſt:

Quicunque curam religionis tribuunt magiſtratui, illi muneris eccleſiaſtici & politici confuſionem introducunt: Atqui doctores proteſtantes &c. E. Reſp. Diſt. inter *gubernationem religionis externam*, & *œconomiam ſacrorum internam* (quæ diſtinctio colligitur ex verbis CONSTANTINI, apud EVSEBIVM, L. IV. *de vita Conſtantini*, c. 24. inquientis: *Vos Epiſcopi in eccleſia, ego extra eccleſiam, ſiue templum, Epiſcopus a Deo conſtitutus ſum*). *Illa* magiſtratus eſt, *hæc* miniſtrorum eccleſiæ. Diſtinguunt alii inter *poteſtatem eccleſiaſticam*, & *formaliter ſpiritualem*. Poteſtas *eccleſiaſtica* conſiſtit in externa ſacrorum cura & diſpoſitione, hæc competit magiſtratui: Poteſtas autem *formaliter ſpiritualis*, quæ ſalutem animæ ex officio publico, & proxime ex parte cauſſæ inſtrumentalis viuæ producit, ſolis ordinatis paſtoribus propria eſt.

### Quæſt. XI. *An magiſtratui poteſtas architectonica per miniſtros agendi & operandi in ſacris æque ac in ſæcularibus competit?*

Magiſtratus politicus *non* habet *poteſtatem architectonicam* circa *ſacra æqualiter* & indifferenter, *vt circa ciuilia.*

Obſ. Poteſtas *architectonica* dicitur, quæ vno habitu, vnaque facultate influit per cauſſas medias, eiusdem ſecum generis & ordinis, in effectum communem principio quod, & quo. Ita enim deſcribitur poteſtas architectonica ab ARISTOTELE, L. I. *magnorum moral. c. vlt.* Quemadmodum architectus, etſi ſub ſe habeat ædificatorem domus, & hic rurſus alios miniſtros fabrosque cæmentarios, lignarios, ferrarios &c. qui propius influunt in ipſam ſtructuram; tamen etiam architectus influit, quia in his omnibus modum præſcribit.

Prob. 1) Magiſtratus politicus non influit per cauſſas medias, eiusdem ſecum generis & ordinis, in effectum communem principio quod, & quo: E. non habet poteſtatem architecto-



Digitized by Google

tectonicam circa ſacra, æque vt ciuilia. *Antecedens* prob. quia poteſtas magiſtratus non eſt formaliter ſpiritualis; neque miniſtri ſunt eiusdem ordinis & generis cum magiſtratu politico; neque tandem ſalus eſt effectus communis miniſtris eccleſiæ, tanquam principio *quo*, & magiſtratui, tanquam principio *quod*. 2) Si magiſtratui poteſtas architectonica in ſacris competit; ſequetur, a) eundem per miniſtros eccleſiæ efficienter influere in conuerſionem, regenerationem, iuſtificationem, ſanctificationem, & glorificationem Chriſtianorum; b) licere magiſtratui verbum prædicare, ſacramenta adminiſtrare, confeſſionem audire, confitentes abſoluere, ſicut architecto, ſi manum admouere velit, omne illud, quod ædificatorum, fabrorumque eſt, facere licet; c) magiſtratui ſummum in terris ſacerdotium ſubordinatum competere, adeoque Reges eſſe paſtores eccleſiæ, & presbyteros eſſe oues. Qua hypotheſi *καισαροπαπια* validiſſime confirmatur.

*Antitheſis* eſt *Parai*, *Vedelii* & aliorum, ſtatuentium, magiſtratui circa res *ſacras æque, ac ciuiles,* poteſtatem architectonicam competere. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. Poteſtas legislatiua circa ſacra, aut in presbyterio, aut in magiſtratu politico eſt. Non eſt in presbyterio; quia illius eſt, leges accipere, non dare. E. eſt in magiſtratu politico: qui autem leges dat, architectonica gaudet poteſtate. Reſp. Circa ſacra *interiora* leges dare, neque penes presbyterium, neque penes magiſtratum politicum eſt, ſed penes Deum, ſummum legiſlatorem. Eſt quidem magiſtratus, ferre leges de *externo* ordine cultus diuini, de cærimoniis & ritibus non tamen abſolute, ſed vocato in conſilium presbyterio.

II. Si maieſtati Regum tam poteſtas eccleſiaſtica, quam politica ſubordinata eſt, penes reges erit poteſtas architectonica circa ſacra non minus, quam circa politica: *Antecedens* eſt verum: E. & conſequens. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia Regum poteſtas architectonica circa res politicas manifeſta eſt. Proinde ſi res ſacræ eadem ratione ſubiecta ſunt maieſtati regum, qua ſubiacent eidem res ciuiles, haud dubie poteſtate architectonica circa res ſacras eminet. Minor prob. ex Rom. XIII, 1. 1 Petr. II, 13. Reſp. Regum maieſtati ſubordinantur poteſtas politica & eccleſiaſtica, ſed diuerſo modo, non autem gradu æquali. Nam poteſtas ciuilis ſubordinata eſt maieſtati regum ſimpliciter, poteſtas autem eccleſiaſtica ſecundum quid tantum, & ratione externi exercitii religionis.

### Quæſt. XII. *Quomodo magiſtratus verſatur circa res ciuiles?*

Circa res *ciuiles* magiſtratus ſummus poteſtatem ſuam *conſultatoriam*, *legislatiuam*, *iudiciariam*, *&* *vindicatiuam* pro lubitu exercere poteſt a), modo nil præcipiat, aut diſponat, quod iuri naturali ac diuino repugnet b).

Prob. a. Circa res ciuiles magiſtratus pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, propterea, quod legibus humanis poſitiuis, mereque ciuilibus ſolutus eſt, niſi iuramento ſe adſtrinxerit & promiſerit, ſe leges reipubl. fundamentales ſancte ſeruaturum eſſe. Loquimur de magiſtratu ſupremo, cuius maieſtas in terris ſuperiorem non agnoſcit. Huius eſt, leges ab hominibus non accipere, ſed iisdem dare.

Prob. b. Lege naturali & diuina non ſolutus eſt magiſtratus ſupremus, ſed potius cum ex ratione materiæ ſubiectæ, tum ex voluntate Dei, velut ſummi Domini, obligatus proxime quidem ad obſequium, deficiente autem obſequio ad pœnam, ſi non in hac vita, certe poſt hanc, luendam, niſi ſeria pœnitentia interuenerit.



Digitized by Google

Quæſt. XIII. *Quodnam eſt obiectum perſonale magiſtratus?*

*Obiectum perſonale.* Obiectum *perſonale* ſunt omnes perſonæ, poteſtati & regimini magiſtratus ſubiectæ, & vulgo dicuntur ſubditi, aut ciues, quorum alii ſunt *laici*, ſiue ſæculares a), alii *clerici*, ſiue eccleſiaſtici b).

Obſ. Diſtinctio ſubditorum in *laicos & clericos* eccleſiaſtica quidem, non autem biblica eſt. Nam Petrus 1 ep. V, 3. κλήρȣς vocat eccleſiam. *Dedit* enim *Deus Pater Meſſiæ gentes in hæreditatem*, Pſ. II, 8. Fuit tamen iam olim in primitiua eccleſia vſitatum, miniſtros appellare *clericos*, quia τὸν κλῆρον τῆς διακονίας, *ſortem miniſterii* acceperunt. ISIODORVS, *libr. VII. etymol. c.* 2. cenſet, *cleros & clericos* hinc appellatos eſſe, quia Matthias ſorte electus eſt, quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum. Conf. D. GERHARD, *libr. de miniſt. eccleſ. §.* 38.

Prob. a. *Laici*, qui in ſphæra reipublicæ continentur, haud inuiti fatentur, ſe eſſe ſubditos; quia *ſub imperio & tutela magiſtratus tranquillam & quietam vitam tranſigere poſſunt in omni pietate & honeſtate*, 1 Tim. II, 2.

Prob. b. *Clericos*, quatenus ſpectantur vt membra reipublicæ, poteſtati & regimini, tam quoad *perſonas*, quam quoad *bona*, ſubiectos eſſe magiſtratui ciuili, probatur:

a) *Generatim*: Quicunque membra & partes reipublicæ ſunt, illos oportet vel ad magiſtratus, vel ad ſubditorum ordinem referri: Iam vero clerici ciuilem magiſtratum nec gerunt, nec gerere debent: Ergo hoc reſpectu, quo membra reipublicæ ſunt, ad ſubditorum ordinem referri debent.

b) *Speciatim* 1) Ex *veteri* teſtamento: *Moſes Aaroni præfectus fuit in Deum*, Exod. IV, 15. & eundem in peccatum prolapſum correxit, Exod. XXXII, 21. Salomo & Ezechias Sacerdotibus atque Leuitis ius dixerunt, 1 Paral. XXIX, 15. Ergo Sacerdotes vet. teſtamenti poteſtati magiſtratus politici ſubiecti fuerunt.

2) Ex *nouo* teſtamento: a) Paullus diſerte dicit: Rom. XIII, 1. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſto.* Argumentamur: Omnis anima humana, quæ continetur in republica, poteſtati ὑπερεχȣ́σῃ ſubdita eſto: Atqui anima clericalis eſt anima humana, quæ continetur in republica: Ergo. b) Chriſtus, ſummus Epiſcopus tum in perſonalibus, tum in realibus, obedientiam præſtitit magiſtratui ciuili: Ergo miniſtri eandem præſtare debent. *Prius* membrum aſſumtionis confirmatur ex Io. XIX, 11. vbi Chriſtus ad Pilatum dicit: *Non haberes poteſtatem ſuper me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Poſterius* probatur ex Matth. XVIII, 17. vbi Chriſtus pro ſe & pro Petro cenſum ſoluit, addita ratione, ne ſcandalum præberet. c) Paullus Act. XXV, 10. a ſynedrio Hieroſolymitano ac tribunali Feſti appellauit ad Cæſarem: *Sub tribunali Cæſaris ſto, vbi me oportet iudicari.* Colligimus: Ad cuius tribunal aliquis appellat, eius poteſtati ſe ſubmittit: Paullus appellat ad tribunal Cæſaris: Ergo.

Obſ. I. Conſiderantur miniſtri eccleſiæ vel quoad *vinculum politicum*, quo reipublicæ ſunt obſtricti; vel quoad *officium in actionibus formaliter ſpiritualibus*, v. gr. in doctrina verbi, abſolutione a peccatis, & adminiſtratione ſacramentorum. Subiecti ſunt magiſtratui ciuili, reſpectu *priori*, non poſteriori.

Obſ. II. Diſt. *inter magiſtratum ciuilem ſummum, & inferiorem.* Subiecti ſunt antiſtites eccleſiæ magiſtratui politico *ſummo*, non ſemper inferiori. Præfecit enim magiſtratus ſummus Paſtoribus Superintendentes, & inſtituit Conſiſtoria eccleſiaſtica, in quibus & eccleſiaſticæ & politicæ perſonæ præſident, quibus in clericos certo ordine ac modo iuriſdictio eſt attributa.

Obſ. III

Digitized by Google

Obſ. III. Exemti ſunt clerici ab *oneribus perſonalibus*, ne eorum auctoritas euileſcat, & officii adminiſtratio impediatur. Ab *oneribus realibus* immunia ſunt bona eccleſiæ conſecrata, quibus Clerici fruuntur, non bona propria, etſi ex piorum Principum beneficio & priuilegio Clericis collata.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, Clericos poteſtati & iurisdictioni ciuili eſſe ſubiectos: qui ſuam opinionem ſequentibus muniunt argumentis:

I. Abſurdum eſt, vt ouis paſtorem ſuum iudicare præſumat: Iam vero Clerici ſunt paſtores; Princeps & magiſtratus ſunt oues: Ergo. Reſp. Magiſtratus diuerſo reſpectu eſt ouis, & paſtor. In *ſpiritualibus* magiſtratus eſt *ouis*, ſed in *politicis* eſt *paſtor*, Pſ. LXXVIII, 71. 72. Eſ. XLIV, 28. Vt ergo in *ſpiritualibus magiſtratus* debet *obedire paſtoribus*, quia *illorum* reſpectu eſt *ouis*; ita in *politicis miniſtri eccleſiæ* debent *obedire magiſtratui*, quia *illorum* reſpectu ſunt *oues*.

II. In ea, quæ Deo ſunt conſecrata, principes huius ſæculi nullum ius habent: Clerici ſunt Deo conſecrati: Ergo. Reſp. Clerici, ratione *officii*, Deo ſunt conſecrati, ratione *perſonæ*, manent partes reipublicæ & poſſident terrena bona, quorum reſpectu terrenis Principibus ſubiecti manent.

III. Caro ſubiecta eſt ſpiritui, non contra: Ergo ſæcularis poteſtas ſubiecta eſt ſpirituali, non contra. Reſp. Neg. *conſequentiam*; quia nec poteſtas eccleſiaſtica eſt mere ſpiritualis; multum enim habet carnis; nec poteſtas ſæcularis mere carnalis eſt; multum enim habet ſpiritus.

IV. Principes chriſtiani ſunt filii eccleſiæ, & doctores ſunt paſtores: Ergo illi his ſunt inferiores & ſubiecti. Reſp. 1) *Patris* nomen non eximit a poteſtate alicuius ordinis; cum & pater naturalis priuatus ſubeſſe debeat filio conſuli. Etiam magiſtratus dicuntur patres: an ideo exemti ſunt a poteſtate eccleſiaſtica? Principes dicuntur filii eccleſiæ, qua ſubmiſſionem erga religionem & dogmata eccleſiæ, non quoad priuationem poteſtatis. Reuerentiam matri exhibuit Salomo, ſed ſuperior fuit maieſtate & iurisdictione.

V. Fundi Hierophantarum exemti fuerunt a Pharaone a tributis: Ergo alimenta, fundique hominum ſacrorum exemta ſunt a ſolutione tributorum. Geneſ. XLVII, 22. Reſp. Fundi ſacerdotum non erant proprii, ſed a Pharaone ex liberalitate ipſis ad tuendam vitam aſſignati *): Ideoque moleſtia tributorum onerari non potuerunt. Nam ex iure diuino, naturæ & gentium, *operarius mercede ſua dignus eſt*, Matth. X, 20.

### Quæſt. XIV. *Quo fine magiſtratus a Deo ſancitus eſt?*

*Finis* magiſtratus *vltimus* & principalis eſt gloria Dei a); *intermedius* & minus principalis eſt bonum publicum b). *Finis.*

Prob. a. Cum magiſtratus politicus ſit *ordinatio diuina*, Rom. XIII, 1. iure meritoque in toto regimine *gloriam* Dei reſpicit, & ciues magiſtratui obediunt διὰ τὸν Κύριον, 1 Petr. II, 13.

 Prob. b.

*) Valde quidem dubium atque incertum eſt, an illud de Sacerdotibus dictum exiſtimari debeat. Vt plura non attingam, vnum hoc ſufficiat: quod nomen כהן latius patet, & generatim *miniſtrum* denotat, ſiue qui ſacris operatur, ſiue qui Principi a conſiliis eſt. Multi igitur, nec ſine probatione, illud de miniſtris aulæ interpretantur,

Prob. b. Magiſtratus ciuilis ordinatus eſt *ob bonum publicum*, idque quadruplex: 1) *eccleſiaſticum*, ſunt enim Reges nutritii eccleſiæ, & Epiſcopi extra templum; 2) *ciuile*, dum ciuium commoda tuetur, & hoſtes externos a finibus patriæ propulſat: 3) *morale*, quatenus honeſtas præſcribit leges, quibus ſubditi in officio continentur, vt vitam tranquillam agant in pietate & honeſtate, 1 Tim. II, 2. 4) *naturale*, quo Imperantes proſpiciunt ſubditis de commeatu, & aliis neceſſariis, inſtar Pharaonis, Gen. XLI, 34.

Quæſt. XV. *Quæ ſunt officia ſubditorum?*

*Officia ſubditorum.*

*Officia ſubditorum* ſunt: a) magiſtratui obedire in omnibus, quæ verbo diuino & legi naturali non repugnant: b) magiſtratum reuereri: c) tributa ſoluere: d) preces pro incolumitate magiſtratus fundere.

Prob. a. Ex Rom. XIII, 1. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſto; non enim eſt poteſtas, niſi a Deo*, v. 5. *Ideo neceſſe eſt, ſubditum eſſe, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Excipiuntur mandata magiſtratus, quæ verbo Dei, & legi morali aduerſantur. Obedire namque *oportet Deo magis, quam hominibus*, Act. V, 29.

Prob. b. Ex Rom. XIII, 7. *Reddite ei, cui timorem debetis, timorem; ei, cui honorem debetis, honorem.*

Prob. c. Ex Rom. XIII, 7. *Reddite ei, cui tributum debetis, tributum; ei, cui vectigal debetis, vectigal.*

Prob. d. Ex 1 Tim. II, 1. 2. *Hortor primo omnium, fieri ſupplicationes, precationes, interceſſiones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in ſupereminentia ſunt, vt tranqillam & quietam vitam tranſigamus in omni pietate & grauitate.*

*SVSPIRIVM.*

Tuere, Deus immortalis, Rex Regum, Domine Dominorum, omnes Magiſtratus, te auctore, ad id faſtigium dignitatis prouectos, vt ciuibus dare iura queant! Tuere Regem noſtrum, vt diutiſſime nobis conſulat! Tuere Dominum noſtrum, vt clementiſſime nos protegat! Tuere communem omnium Patrem, vt benigniſſime foueat omnes! Adſpira ipſi ſalutaria conſilia, conſiliis largire proſperos ſucceſſus, ſucceſſus confirma, auge, prouehe, vt ſint ſtabiles & perpetui! Tua gratia ſuffultus pius imperet! Felix imperet! Et hoc dum præſtat, nos ciues ſuos pios, iuſtos, felices efficiat! O beatum Regem noſtrum, ciuibus morigeris! O beatos ciues, Rege virtute optimo, poteſtate maximo! Cuius beatitatis fontem te, Numen ſanctiſſimum, æternum veneramur.

PARTIS IV. THEOLOGIAE
CAPVT IV.

# DE STATV OECONOMICO,
ET SPECIATIM
DE
## STATV CONIVGALI, PATERNO ATQVE HERILI.

Quæſt. I. *Quis eſt ſtatus œconomicus?*

*Status œconomicus* eſt ſocietas hominum, vnam domum, vel familiam conſtituentium, & diuiditur in ſocietatem *coniugalem*, *paternam*, & *herilem*.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. II. *Quid eſt coniugium?*

*Coniugium* eſt vnius maris & vnius fœminæ coniunctio indiſſolubilis, iuxta inſtitutionem diuinam, ex mutuo vtriusque conſenſu facta, ad generationem ſobolis, & mutuum vitæ adiutorium. *Definitio coniugii.*

Obſ. I. *Coniugium* dicitur a *communi iugo*, quo maritus & vxor inter ſe copulantur.

Obſ. II. Vocatur etiam *matrimonium*, a fine coniugii, ſiue generatione ſobolis, per quam *mulier* ſit *mater:* Item *connubium*, a ritu ſponſæ, quæ, ducenda in domum, ſponſi velamine, velut *nube* quadam, obtegebatur.

Obſ. III. Coniugium ſumitur a) *abſtractiue, in ſe & natura ſua*, prout eſt ſocietas indiuidua vnius maris & vnius fœminæ, non attendendo, an ſit coniunctio *huius* maris, *huius* fœminæ: b) *concretiue & in particulari*, quatenus inter certas quasdam perſonas, *hanc* marem, *hanc* fœminam contrahitur. Poteſt præterea matrimonium conſiderari, 1) vt eſt *inchoatum*, per ſponſalia, 2) vt eſt *conſummatum*, per nuptias & carnalem copulam.

Obſ. IV. Definitur coniugium per *coniunctionem*, quæ hic non tantum notat *actum tranſeuntem*, quo mas & fœmina coniunguntur, ſed etiam *ſtatum permanentem*, ſiue ſocietatem coniugalem, in qua maritus & vxor fœdere inſeparabili iuncti permanent.

Quæſt. III. *Quæ eſt cauſſa efficiens coniugii principalis?*

*Cauſſa efficiens* matrimonii *prima & ſumma* eſt *Deus vnitrinus*, Pater, Filius & Spiritus ſanctus a), quippe qui coniugium *abſtractiue*, & in natura ſua generatim conſideratum *immediate* inſtituit b). Ad coniugium *concretiue* & in particulari ſpectatum, Deus quandoque *effectiue* c), quandoque *permiſſiue* d) concurrit. *Cauſſa efficiens principalis.*

Prob. a. Ex Gen. I, 27. *Creauit* אלהים Deus triunus; eſt enim tam creatio, quam inſtitutio matrimonii actio diuina ad extra, omnibus tribus diuinitatis perſonis communis, *hominem maſculum & fœminam, benedixitque illis, dicens: Creſcite, & multiplicamini, & implete terram.*

Prob. b. Deum coniugium, *abſtractiue* & in natura ſua conſideratum, *immediate* inſtituiſſe, liquido conſtat: quia Deus 1) coniuges creauit, Gen. I, 27. 2) mulierem formavit ad præſtandum viro auxilium, Gen. II, 18. 3) primos parentes copulauit, Gen. II, 22. ſeqq. 4) leges matrimoniales promulgauit, v. g. *de vinculi coniugalis conſtantia*, Gen. II, 24. *Derelinquet vir patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam* (verba illa quidem *Adamus*, tanquam *propheta ſpiritu prophetico illuſtratus*, vereque θεόπνευςος, elocutus eſt, tribuuntur tamen ipſi Deo, Matth. XIX, 5. quia Deus ſumma auctoritate illa verba per Adamum dixit); item leges de *gradibus conſanguinitatis* coniugium impedientibus, Leu. XVIII, 7. de *pœna adulterii*, Leu. XX, 10. 5) coniugibus benedixit, Gen. I, 28. Ergo coniugium eſt ſtatus a Deo *immediate* ſancitus.

Prob. c. Ad coniugium piorum coniugum Deus concurrit *influxu generali & ſpeciali:* Influxu *generali;* quia omnes hominum actiones, adeoque etiam contractus matrimonii a Deo pendent, tanquam cauſſa prima: Influxu *ſpeciali*, quatenus prouidentia gratioſa

Digitized by Google

tioſa ordinat & diſponit, quæ fœmina, cui viro nubere debeat, flectendo & mouendo corda eorum ad mutuum conſenſum. Sic Iſaaco dat coniugem Rebeccam, Gen. XXIV, 2.

Prob. d. Ad coniugium impiorum illicitum Deus non concurrit influxu ſpeciali, quia coniugium illegitimum Deus non approbat, ſed deteſtatur; *permittit* tamen. V. g. Eſauus duas duxit vxores, inuitis parentibus, Gen. XXVI, 34. quod matrimonium non approbauit, ſed permiſit tantum Deus.

Quæſt. IV. *Quæ ſunt cauſſæ ſecundæ & ſubordinatæ coniugii?*

*Cauſſæ ſubordinatæ.* Coniugii contrahendi *cauſſæ ſecundæ* & ſubordinatæ ſunt ipſi coniuges a), eorumque parentes, in quorum poteſtate ipſi ſunt, in matrimonium conſentientes b).

Obſ. I. Sicut cingendus habetur pro cincto: ita *coniuges* hic dicuntur, qui matrimonium inter ſe adhuc contracturi ſunt.

Obſ. II. Mas & fœmina fœdere connubiali iungendi dupliciter conſiderantur: 1) *vt contrahentes:* 2) *vt obiectum, de quo contrahitur. Poſteriori* modo ad *materiam*, *priori* ſenſu ad *cauſſam efficientem* coniugii pertinent. Cauſſalitas eorum, quatenus in genere cauſſæ efficientis ſpectantur, eſt mutuus contrahentium conſenſus, qui, coniunctus cum conſenſu parentum, cauſſam adæquatam & completam coniugii conſtituit.

Prob. a. Requiri ad legitimum coniugium *perſonarum contrahentium conſenſum*, colligitur 1) *ex indole & natura matrimonii.* Ad ſocietatem vitæ arctiſſimam, eamque voluntariam, contrahendam, requiritur conſenſus partium contrahentium: Coniugium eſt arctiſſima, eaque voluntaria vitæ ſocietas: Ergo. *Minor* patet ex Gen. II, 24. 2) *Ex prima inſtitutione coniugii.* Deus, Euam Adamo adducens, non violenter eam ipſi obtrudit, ſed caſti amoris flamma interius cor ipſius erga Euam accendit, vt libere coniugem ipſam eligat, & ouans exclamet: *Hæc, vice hac* (adducta) *eſt os de oſſibus meis, & caro de carne mea. Vocabitur vira; quia de viro ſumta eſt*, Gen. II, 23. 3) *Ex probatis exemplis.* Cum pater & frater Rebeccæ cum Eleazaro, procuratore Abrahami, qui eam Iſaaco in vxorem petebat, tractarent, dicebant: *Vocemus puellam, & interrogemus os eius,* Gen. XXIV, 57. Confer. Tob. VII, 8. 4) *Ex incommodorum conſecutione.* Matrimonia, quæ inuitis perſonis contrahentibus conciliantur, multa ſecum trahunt incommoda. Quod quis non diligit, facile contemnit; & triſte eſt coniugium, ad quod ineundum mas aut fœmina cogitur.

Prob. b. *Parentum*, ſana ratione vtentium, nec nimia auaritia, aut moroſitate erga liberos laborantium, *conſenſum antecedentem*, vbi haberi poteſt, *aut ſaltim conſequentem*, ad legitimum firmumque liberorum matrimonium, non ſolum de *honeſtate*, ſed etiam de *neceſſitate* requiri, probatur: 1) *Ex præcepto quarto*, eiusque explicatione, quam Apoſtolus tradit, Col. III, 20. *Liberi, obedite parentibus, iuxta omnia.* Si liberi obedire debent parentibus in *omnibus licitis*, ſequitur, quod iis obedire etiam debeant in contrahendo matrimonio, vt ſine voluntate eorum matrimonium non contrahant. 2) *Ex mandato diuino*, quo iubentur liberos matrimonio elocare, Ierem. XXIX, 6. *Accipite filiis veſtris vxores; & filias veſtras date viris, vt pariant filios & filias;* & Deut. VII, 3. *Filiam tuam non dabis filio alicui ex gentilibus, & filiam gentilis non accipies filio tuo.* Huc pertinet mandatum diuinum de libere elocanda filia deflorata, Exod XXII, 16. 17. *Si perſuaſerit vir virgini, quæ non deſponſata, vt cubet cum ea; dote dotabit eam ſibi in vxorem. Si renuendo renuet pater eius dare eam illi: argentum pendet, quantum eſt dos virginum.* 3) *Ex collatione exemplorum,* & perpetua praxi in populo Dei. Agar accepit Iſmaëli filio ſuo vxorem, Gen. XXI, 21.

Abraham

Digitized by Google

Abraham ablegat Eleazarum ad conciliandas filio ſuo nuptias, Gen. XXIV, 3. Bethuel Iſaaco filiam Rebeccam deſpondet, v. 51. Iſaac Iacobum, vt vxorem de filiabus Laban ducat, in Meſopotamiam mittit, Gen. XXVIII, 1. & Laban dedit Iacobo filiam, cap. XXIX, 19. Simſon ad parentes: *vidi*, inquit, *mulierem in Thimnat*, *de filiabus Philiſtaorum, itaque accipite mihi iſtam in vxorem*, Iudic. XIV, 2. 4) *Ex lege naturali.* Quæcunque ſoboles non eſt ſui iuris, ſed in poteſtate parentum, illa ſine conſenſu parentum, matrimonium contrahere nequit: Atqui ſoboles nondum emancipata &c. Ergo. 5) *Ex abſurdis conſequentibus.* Matrimoniis ſine conſenſu parentum contractis, a) auctoritas parentum labefactatur, b) patri inuito heres adnaſcitur, c) lex diuina, naturalis & ciuilis violatur.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium, coniugium poſſe ratum validumque eſſe, licet non accedat conſenſus parentum. Qui obiiciunt:

I. Si Eſauus ſine conſenſu parentum duas potuit ducere vxores, ſequitur, quod hodienum matrimonium validum ſit ſine conſenſu parentum: Antecedens eſt verum. Vid. Gen. XXVI, 34. E. & conſequens. Reſp. 1) Exemplum Eſaui, hominis profani & obſtinati, cum ſit legi diuinæ difforme, nil probat. 2) Potuiſſet Iſaacus diſſenſu ſuo matrimonium Eſaui impedire, vel irritum facere; tolerauit tamen ex indulgentia paterna, licet non approbauerit.

II. Iacobus vnam vxorem duxit parentibus conſentientibus, plures tamen poſtea duxit, parentibus plane inſciis, Gen. XXIX, 30. c. XXX, 4. 9. Reſp. 1) Coniugium Iacobi non poteſt eſſe norma, quam pii coniuges tuto ſequantur, fuit enim Iacob πολύγαμος, & a Labano circumuentus. 2) Cum duas ancillas ſibi iungi paſſus eſt, iam dudum e patria poteſtate fuit emancipatus.

III. Tobias in terra peregrina duxit vxorem, parentibus ignorantibus. Reſp. Tobias angeli ſuaſu duxit Raguelis filiam; vterque certus fuit de *conſenſu* parentum *conſequente*. Vid. Tob. VI, 17.

IV. Sine quo perfectum eſt coniugium, illud ad eius perfectionem neceſſario non requiritur: Iam vero ſine conſenſu parentum &c. Ergo. *Minor* prob. Quia deficiente conſenſu parentum, tamen 1) adeſt materia coniugii, ſiue perſonæ ſociabiles, 2) forma, i. e. conſenſus perſonarum contrahentium, 3) finis, i. e. ſobolis procreatio. Reſp. Forma coniugii conſiſtit in vinculo coniugum indiſſolubili, orto ex legitimo, pleno, & ſufficienti conſenſu. Conſenſus autem eorum, qui nondum ſui ſunt iuris, non eſt legitimus, plenus & ſufficiens, niſi accedat conſenſus eorum, in quorum ſunt poteſtate.

V. Coniugium ſeruorum, inuitis dominis, firmum & ratum eſt: Ergo multo magis coniugium filiorum, inuitis parentibus erit ratum. Reſp. Nego *conſequentiam:* quia diverſiſſimus eſt reſpectus patris ad liberos, & reſpectus domini ad ſeruum. Patris ius in liberos multo maius & ſanctius eſt, quam domini in ſeruos, niſi ſint mancipia, quibus certe non integrum eſt, inſciis atque inuitis dominis vxorem ducere. Per coniugium ſerui, vbi deeſt conſenſus domini, huic inuito non adnaſcitur heres: hoc autem fit in matrimonio liberorum ſine conſenſu parentum contracto, quo inuito patri, aut auo, heres gignitur.

VI. Quidquid honeſto matrimonio impedimentum obiicere poteſt, illud non neceſſario requiritur ad ineundum fœdus coniugale: Atqui conſenſus parentum &c. E. *Minor* prob. quia facile fieri poteſt, vt parentes conſenſum ſuum, nulla graui cauſſa permoti, moroſe denegent, vel inter ſe diſcordent. Reſp. 1) Si parentes ex moroſitate, vel auaritia, nolint conſentire, liberi rem primo deferant ad proximos agnatos, vt patri perſuadeant, ne poteſtate patria abutatur. Si nihil obtineant, eccleſiæ miniſtris res ſignificanda eſt, cuius admonitioni ſi pater locum non relinquat; res ad Conſiſtorium deferenda eſt, quod

loco parentum conſentire poteſt. 2) Si parentes inter ſe diſcordent, prævalet pater, tum quia patria poteſtas magis penes patrem eſt, tum quia ſolidiori pollet iudicio.

Quæſt. V. *Qualis conſenſus perſonarum matrimonium contrahentium eſſe debet?*

*Conſenſus.* *Conſenſus perſonarum* matrimonium contrahentium eſſe debet a) *verus* & purus ab errore, b) *liber*, c) *iuſtus*, d) externis *verbis* ſignificantibus, aliisue *ſignis & actibus* manifeſtatus, quibus conſtituuntur & declarantur *ſponſalia*, quæ ſunt promiſſio mutua futurarum nuptiarum.

Prob. a. *Verus* conſenſus eſt quaſi anima coniugalis contractus, adeoque *purus* eſſe debet *ab errore*. Ceterum *error*, pleno conſenſui repugnans, non eiusdem rationis eſt: datur enim *error perſonæ*, *fortunæ*, *qualitatis*, *& ſtatus*. *Error perſonæ* eſt, cum quis putat, ſe contrahere cum iſthac perſona, quam animo concepit, cum tamen ex errore contrahat cum alia, vel cum alia ipſi adiungitur loco eius, cum qua contraxerat: quo errore perſonæ coniugium impediri poteſt, niſi per conſenſum conſequentem ratihabeatur. Sic Iacob contraxerat cum Rahele, cui autem, cum tempus concumbendi eſſet, loco Rahelis Lea adducta fuit. *Error fortunæ* dicitur, cum quis putat, ſe ducere opulentam, quam poſtea inopem deprehendit: quo errore non impeditur coniugium; cum ad huius ſubſtantiam divitiæ non pertineant. *Error qualitatis*, eſt vel error qualitatis *ſimplicis*, vel error qualitatis *ſubſtantialis*. Error *qualitatis ſimplicis* non concernit ſubſtantiam, & finem matrimonii, v. g. cum quis putat, ſe ducturum eſſe bene moratam & formoſam, cum tamen ſit moroſa, rixoſa, ebrioſa. Ceterum neque error qualitatis ſimplicis matrimonium impedit. Error *qualitatis ſubſtantialis* eſt, qui omittitur circa qualitatem, quæ ſpectat ad ſubſtantiam, vel finem matrimonii, verbi gratia: Cum quis putat, ſe ducere virginem, quam tamen comperit eſſe compreſſam & grauidam: vel cum putat, ſe ducere habilem ad procreationem ſobolis, cum tamen deprehendat, eam prorſus inhabilem eſſe: quo errore matrimonium impeditur. *Error ſtatus* eſt, cum liber, vel ingenuus putat, ſe ducere liberam, & ducit ſeruam; vel cum ingenua nubit ſeruo, quem ingenuum eſſe putauit: quo errore olim, cum ſerui eſſent mancipia, conſenſus fiebat irritus, hodie autem aliter iudicandum eſt de ſeruis mercede conductis, qui pro ingenuis habentur, cum ex ingenuis nati ſint.

Quocirca ad cauendos errores requiritur iudicii integritas: deſtituitur vero ſano & incorrupto iudicio homo profunde ebrius, fatuus, & perpetuo furioſus, adeoque in matrimonium vere conſentire nequit.

Prob. b. *Conſenſus ab vtraque parte liber* eſſe debet. Nam conſenſus vi, aut metu extortus, reuera non eſt conſenſus, quia non eſt actus voluntatis elicitus. Diſtinguendum hic eſt inter *metum iuſtum*, *& vanum*. *Ille* oritur ex comminatione eorum, quæ homo prudens merito exhorreſcit; *hic* oritur ex cauſſis leuiculis. Soluuntur ſponſalia metu *iuſto*, non vano.

Prob. c. Conſenſus iuſtus debet eſſe *mutuus*, ex promiſſione & repromiſſione natus, cum conſenſu eorum, in quorum poteſtate vel vterque contrahentium, vel alteruter eſt, coniunctus.

Prob. d. Quamuis formaliter conſiſtat in internis actibus voluntatis, atque denotat duorum aut plurium voluntatem, ad eandem rem æque terminatam: fatendum tamen eſt, ſolos actus internos, ſine externa declaratione, non ſufficere ad contrahendum coniugium, vt valida & rata ſint ſponſalia.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VI. *Quomodo diſtinguuntur ſponſalia?*

*Sponſalia* diſtinguuntur: a) In ſponſalia de *præſenti*, & de *futuro*. *Illa* fiunt per verba de præſenti; *hæc* fiunt per verba de futuro: b) In ſponſalia pura, ſiue *abſoluta*, & *conditionata*. *Illa* fiunt ſine expreſſa mentione alicuius conditionis; *hæc* fiunt ſub certa conditione. *Diuiſio ſponſalium.*

Prob. a. Si ſponſus promiſſionem ſuam concipiat his verbis: *Accipiam te in vxorem*, contrahit ſponſalia de *futuro:* Sin dicat: *Duco te vxorem*, ſponſalia contrahit de *præſenti*. Probe hic obſerues, quod *proprie ſponſalia* dicantur, quæ fiunt per verba *de futuro*: promiſſio autem matrimonii, per verba de præſenti conſtituit ipſum matrimonium, adeoque *ſponſalia de præſenti* a *matrimonio non diſtincta* ſunt.

Prob. b. Sponſalia diſtinguenda eſſe in *abſoluta*, & *conditionata*, e ſcriptura diſcimus. Nam Rebecca Iſaaco deſponſata eſt abſolute & citra annexam conditionem. Vid. Gen. XXIV. At Iacobo Rahel deſponſata eſt ſub conditione ſeptennalis ſeruitii, Gen XXIX. Ex ſponſalibus abſolutis tam efficax naſcitur obligatio, vt pars vna contrahentium, ad petitionem alterius partis, compelli poſſit ad conſummandum matrimonium. Sponſalia ſub conditione contracta, non habent effectum de præſenti, ſed ſuſpenduntur, donec conditiones adiectæ impleantur. Sunt autem annexæ *conditiones* aliæ *honeſtæ*, aliæ *turpes*, aliæ *impoſſibiles*. De quibus vid. GERHARD. in *loc. de coniug.* §. 132.

Quæſt. VII. *An ad cauſſam efficientem coniugii pertinet etiam benedictio ſacerdotalis?*

*Solemnis benedictio*, ſiue copulatio, quæ ritu conſueto fit a *Sacerdote*, non ad contrahendum a), ſed ad *conſummandum* coniugium *Chriſtianum* b), pertinet. *Benedictio ſacerdotalis.*

Prob. a. Coniugium *contrahi* per mutuum iuſtumque *conſenſum*, luculenter oſtendimus.

Prob. b. Ad *conſummandum* coniugium Chriſtianum requiritur benedictio ſacerdotalis: a) Vt de legitimo contrahentium coniugio publice conſtet: b) vt de ſancto & indiſſolubili vinculo matrimonii, de diuina benedictione, de officiis coniugalibus, de ærumnarum tolerantia contrahentes admoneantur: c) vt noui coniuges per ſolemnes preces commendentur Deo, coniugii auctori.

Quæſt. VIII. *Quæ eſt materia coniugii?*

*Materia*, ſiue *ſubiectum* coniugii ſunt perſonæ, quæ coniugio copulantur a), numero duæ, mas *vnus* & *vna* fœmina b), habiles ad obtinendas coniugii fines c), atque extra prohibitos conſanguinitatis & affinitatis gradus conſtitutæ d). *Materia.*

Prob. a. Perſonæ in coniugio ſociabiles, quatenus ſpectantur vt *conſentientes* & *contrahentes* matrimonium, ſunt *cauſſæ efficientes ſecundariæ* matrimonii: at quatenus conſiderantur vt *partes* & *membra ſocietatis coniugalis*, coniugii *materia* ſunt.

Prob. b. 1) *Ex primæua inſtitutione diuina.* Deus enim duos tantum homines creauit, & *duos* tantum *in vnam carnem* coniunxit, Gen. II, 24. Argumentamur: Coniugium iuxta inſtitutionem diuinam eſt *duorum* hominum, *maris* & *fœminæ*, *in vnam carnem coniunctio:* At polygamia ſimultanea non eſt duorum, ſed plurium in vnam carnem coniunctio. E. polygamia non eſt coniugium, iuxta inſtitutionem diuinam contractum. *).

LII III II 2 Dicis:

*) Hæc argumentatio, per ſe quidem ſatis valida, multum illuſtratur contemplatione optimi conſilii, quo Deus matrimonium inſtituit. Id nimirum fuit hominum non modo propagatio, פְּרוּ, ſed & multiplicatio cum occupatione totius terræ, וּרְבוּ וּמִלְאוּ אֶת־הָאָרֶץ, Gen.

Digitized by Google

Dicis: Moſes in textu hebræo non expreſſe poſuit vocem, dualem numerum exprimentem; Reſp. Ea nil refert, quia tunc temporis non exſtabant plures homines, quam duo. Quod vero ex duabus tantum perſonis coniugium conſtare debeat, patet:

2) *Ex primæua inſtitutionis repetitione facta a Chriſto*, Matth. XIX, 4. 5. *Annon legiſtis, quod is, qui fecit, ab initio maſculum & fœminam fecit eos. Et dixit: Propterea deſeret homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam.* Obſ. 1) Si Deus voluiſſet vnum virum plures habere vxores, non vnam tantum, ſed plures fœminas feciſſet. 2) Dixit Deus: homo adhærebit *vxori ſuæ*, non *vxoribus ſuis.* 3) Chriſtus expreſſe poſuit vocem, *dualem numerum* exprimentem. Dixit enim: *& erunt duo in carnem vnam.*

Dicis: In ſcortatione duo fiunt vna caro, etſi ſcortator ſit cum alia muliere coniunctus, 1 Cor. VI, 16. Ergo etſi quis plures vxores habeat, tamen manet illud, quod duo ſint in vnam carnem, quia cum ſingulis fit vna caro. Reſp. 1) Qui ſcorto adhæret, fit vna caro cum illa, *non legitime*, ſed de facto. 2) Qui ſcorto adhæret, non fit vna caro cum illa ſub hypotheſi vnitatis perdurantis in *legitimo coniugio*; ſed ſub actu rumpentis primum vinculum, & vnitatem tollentis cum legitima vxore. Ergo eo ipſo, quo aliquis cum ſcorto fit vna caro, deſinit eſſe caro vna cum coniuge legitima; committit enim adulterium, coniugio directe oppoſitum.

3) *Ex apoſtolica inſtructione: Propter ſcortationes* (vitandas) *quilibet ſuam ipſius vxorem habeto; & qualibet proprium virum habeto. Vxor proprii corporis poteſtatem non habet, ſed maritus: Similiter vero etiam maritus proprii corporis poteſtatem non habet, ſed vxor*, 1 Cor. VII, 2. 4. Naſcitur ex his geminum argumentum. a) Vbi vnaquæque mulier non habet proprium maritum, ibi non eſt legitimum Deo placens coniugium: Atqui in polygamia non habet &c: Ergo. b) Quæ poteſtas iam translata eſt in vxorem, eique iure conuenit, ac propria eſt, eam maritus non poteſt alteri concedere ac communem facere: Sed poteſtas corporis mariti iam per coniugium translata eſt in vxorem &c: Ergo.

4) *Ex primitiuæ eccleſiæ conſuetudine.* Orbis Chriſtianus inde a primis incunabulis nullum habuit polygamum, ſed legem primæuam monogamicam, quam Saluator renouauit, Chriſtiani conſtanter ſeruarunt.

Prob. c. Coniugium eſt generandæ prolis medium, Gen. I, 28. & reſtinguendæ libidinis remedium, 1 Cor. VII, 9. Arguimus: Qui naturaliter inepti ſunt ad procreandum liberos, & ad reſtinguendum alteri parti contrahenti flammas vſtionum, illi etiam naturaliter inepti ſunt ad matrimonium: Atqui impuberes, eunuchi, ſpadones, frigidi &c. naturaliter inepti ſunt &c. Ergo.

Prob. d. Ex Leuit. XVIII, 7. *Quisquis virorum fuerit, ad vllas reliquias carnis ſuæ non appropinquabitis, ad reuelandam nuditatem: Ego* (enim ſum) *IEHOVAH.* *) Vbi prohi-

Gen. I, 28. Ad multiplicandum autem hominum genus plures fœminæ, humano quidem ingenio, videntur nunquam plus conferre potuiſſe, immo nunquam magis neceſſariæ fuiſſe, quam eo tempore, quo maxime fuit hominum paucitas. Certe igitur Deus in rerum origine perficienda plures creaſſet fœminas, cum vno mare conſociandas, ſi polygamia, ſiue potius πολυγυνία (nam πολυανδρία rationi penitus aduerſatur), quæ dicitur ſimultanea, ſancto ipſius decreto vnquam eſſet conueniens. Ergo ſumma Dei ſapientia iudicauit, coniunctionem vnius mariti cum vna vxore ad hoc quidem propoſitum, tam ad propagationem, quam ad multiplicationem ſufficere, immo aptiorem fore; conſeruando autem vinculo amoris ac ſocietatis, quæ coniuges decet, πολυγυνίαν magis obfuturam eſſe, quam profuturam.

*) Opera danda eſt intelligendæ huic regulæ generali, cui conuenienter ſpeciales caſus, tametſi diu multumque controuerſi, nullo negotio cognoſcendi ſunt, ac diiudicandi. בשר car-

Digitized by Google

prohibemur, perſonam *carne propinquam* matrimonio nobis iungere, ſcilicet ob pudorem & reuerentiam in propinquitate carnis ex generatione aut nuptiis reſultante fundatam. Quinam autem gradus conſanguinitatis aut affinitatis prohibiti ſint, l. c. edocemur.

*Antitheſis* eſt 1) *Muhammedanorum & Chinenſium*, quorum polygamia nota eſt. 2) *Anabaptiſtarum*, quorum nonnullis πολυγαμία placuit. 3) *Socinianorum*, ſomniantium, polygamiam quidem in nouo, ſed non in vet. teſtamento prohibitam fuiſſe. 4) *Bernhardini Ochini, perſonati Sinceri de Warenberg, M. Ioan. Lyſeri*, & aliorum, polygamiam licitam eſſe etiam in nouo teſtamento feruide contendentium. Quorum *) potiora argumenta ſunt:

I. Quicunque imitantur patriarchas & pios reges veteris teſtamenti, illi non peccant: Atqui polygami &c. Ergo. Reſp. Polygamia patriarcharum *tolerata* eſt a Deo, tanquam næuus & peccatum infirmitatis, ortum tum ex ignorantia genuini ſenſus primæuæ inſtitutionis diuinæ, quod duo tantum & non plures debeant eſſe in carne vna, tum ex zelo maturandæ natiuitatis Meſſiæ.

Inſtantia: Si polygamia patriarcharum fuit peccatum, patriarchæ in peccato mortali deceſſerunt; cum non dicantur in S. Scriptura ob polygamiam pœnitentiam egiſſe. Reſp. Diſt. *inter peccatum actu mortiferum, & veniale.* Polygamia patriarcharum fuit peccatum *non actu mortiferum*, ſed *veniale*, quod Deus ad condemnationem actu ſecundo non imputauit; quia oculis miſericordiæ aſpexit illorum pœnitentiam generalem, fidem heroicam, & ardens deſiderium Meſſiæ.

II. De quacunque re Deus ſanciuit legem, illam approbat: De polygamia &c. Ergo. *Maior* patet: quia lex eſt ſpeculum voluntatis diuinæ. *Minor* probatur: quia Deus ſanciuit legem 1) de vxore exoſa & dilecta, & vtriusque liberis; quis eorum ipſe primogenituræ frui debeat, Deut. XXI, 15. Reſp. Neg. *maior:* quia Deus legem fert non tantum de illis rebus, quas approbat, ſed etiam, quas permittit & tolerat, ſicut diuortium, Matth. XIX, 7. 8. Vid. & Ex. XXII, 16. In illo igitur loco, Deut. XXI, 15. agitur de *facto* humano & quidem illegitimo, ſiue contra regulam diuinam commiſſo (quod Deus ad tempus tolerauit), non de *iure* diuino, aut voluntate Dei adprobante. Vid. Exod. XXII, 16. 2) Dedit Deus

 legem,

*caro hominis* hic, vt alibi, eum denotat, qui cum ipſo velut vna caro putandus eſt. Vna autem caro duo pluresue homines dicuntur, quadruplici ratione: 1) a quorum carne homo ſuam originem duxit, nimirum Parentes & Maiores, 2) qui ab ipſius carne orti ſunt, liberi ac poſteri, 3) quibu cum ipſe vnam & communem habet originem, hi ſunt fratres & ſorores, Geneſ. XXXVII, 27. 4) qui arctiſſimo coniugii vinculo in vnam carnem coierunt, Geneſ. II, 24. Matth XIX, 5. 6. שאר בשרך, *caro carnis tuæ*, eſt is, qui tamquam vna caro eſt cum eo, qui tecum vna caro eſt. Rem exempla declarant, in hoc cap XVIII. Leuit. ſigillatim propoſita. Scilicet 1. Parentes & Maiores tui ſunt *tua caro* (num 1): Illorum aut coniuges, v. 8. aut fratres & ſorores, v. 12. 13. 14. ſunt *illorum caro* (num. 4. & 3): E. ſunt *caro tuæ carnis.* 2. Liberi, ex te generati, ſunt *tua caro* (num. 2.): Illorum coniuges, v. 15. ſunt *illorum caro* (num. 4.): E. ſunt *caro tuæ carnis.* 3. Fratres tui & ſorores tuæ, ſunt *tua caro* (num. 3.): Fratris tui vxor, & ſororis tuæ maritus, v. 16. itemque fratris, aut ſororis proles, ſunt *fratris tui, tuæque ſororis caro* (num. 4. & 2.): E. ſunt *caro tuæ carnis.* 4. Vxor tua, aut maritus tuus, eſt *tua caro* (num. 4.): Illorum progenies, ex alio matrimonio nata, ſiue priuignus & priuigna, v. 17. ſunt *illorum caro* (num. 1.): E. ſunt *caro tuæ carnis.*

*) Omnia hæc eorum ſunt, qui πολυγυνίαν ſimpliciter in actionibus licitis ponunt.

Digitized by Google

legem, de ſemine excitando fratri, quando eius relicta vidua prole caret. Deut. XXV, 5. Reſp. De *vidua* Deus loquitur; ergo de polygamia *ſucceſſiua*, non de ſimultanea. *Frater cœlebs* intelligendus eſſe videtur. At ſi intelligendum eſſe fratrem *vxoratum* vrgeas, reſpondemus, Deum reſpexiſſe hac lege polygamiam hactenus a ſe *toleratam*, eamque in finem aliquem bonum in certo caſu direxiſſe, nempe ad hæreditatem, ſiue poſſeſſionem Iudæorum, ne illa diuellieretur. Hoc vero defenſores polygamiæ non iuuat; quippe quibus in primis probandum incumbit, polygamiam non eſſe prohibitam, & primæ matrimonii inſtitutioni conſentaneam.

III. Per quod homo intentionem Dei, nempe multiplicationem generis humani aſſequitur, illud non eſt prohibitum, ſed licitum: Atqui per polygamiam &c. Ergo. Reſp. Deus non intendit multiplicationem generis humani contra primæuam coniugii inſtitutionem, cui polygamia aduerſatur.

IV. Quod Deus nec per legem, nec per inflictas pœnas propoſuit vt peccatum, id non eſt peccatum: Atqui polygamiam &c. Ergo. Reſp. Negatur *minor*. Dum enim Deus promulgauit *primæuam* coniugii *inſtitutionem*, quod mas & fœmina debeant eſſe in vnam carnem, hoc ipſo legem tulit, quod non aliter matrimonium debeat contrahi.

V. Quicunque *vxores Saulis dedit in ſinum Dauidis*, is polygamiam approbauit: Atqui Deus &c. Ergo. *Maior* conſtat: quoniam vxores, quæ dantur in ſinum noſtrum, dantur nobis in matrimonium. *Minor* patet ex 2 Sam. XII, 8. Reſp. *Dare in ſinum alterius*, ſumitur vel generaliter, vel ſpecialiter. *Generali* ſenſu dicitur aliquid dari in ſinum alterius, quod *poteſtati* eius committitur. Confer. 1 Reg. I, 20. Pſ. XXXV, 13. *Specialiter* in ſinum datur, quod *in matrimonium* traditur. Quando vxores Saulis dicuntur datæ in ſinum Dauidis, non ſenſu ſpeciali, ſed *generali* datæ dicuntur. Nam in matrimonium eas licite aſſumere nequiuit, quia Dauidis ſocer erat Saul, vxores itaque Saulis, quas inter erat Michalis, *coniugis Dauidis mater*, in matrimonium ipſi tradi non poterant. Fac, intelligi *matrimonium*; non tamen ſequitur, Deum illud factum approbaſſe. Nam verbum נתן ſæpe *permiſſionem & tolerantiam* tantum notat. Vid. Gen. XX, 6. Num. XXI, 23. Iud. XI, 9.

VI. Quidquid tantum interdicitur Epiſcopo, reliquis hominibus non prohibetur: Polygamia &c. 1 Tim. III, 2. Ergo. Reſp. *Epiſcopus* dicitur *vnius vxoris vir*, non ſenſu excluſiuo, quaſi ille ſolus monogamus eſſe debeat, ſed ſenſu incluſiuo *).

Quæſt. IX. *An miniſtris eccleſiæ matrimonium inire licet?*

*Matrimonium miniſtr. eccleſiæ.*

*Miniſtris eccleſiæ* matrimonium inire, & in eo viuere *licet*.

Obſ. I. Non quæritur: an *omnes*, qui in munere eccleſiaſtico conſtituti ſunt, vxorati eſſe *debeant?* ſi quidem a nobis non vituperantur eccleſiæ miniſtri, qui dono continentiæ præditi

*) Explanatores huius dicti multum inter ſe diſſident ac diſcordant. Qui, vt b. Auctor, de πολυγυνίᾳ ſimultanea interpretantur, illis hoc maxime obſtat, quod cap. V, 9. ratione mulieris viduæ eumdem ad modum obſeruare Paullus Timotheum iuſſit: at enim a ſimultanea πολυανδρίᾳ gentes bene moratæ omnes abhorruerunt. Alii id intelligunt de polygamia ſucceſſiua, quam ſententiam Græcæ eccleſiæ Doctores cunctis ſuffragiis, nec vero idonea probatione, amplectuntur, vtpote qui Epiſcopo non ſatis dignum putant, de iteratis nuptiis cogitare. Mihi quidem rectiſſime ſentire videntur, qui exiſtimant, Paullum hoc cauere voluiſſe, ne quis conſtitueretur Epiſcopus, qui eſſet a coniuge ſua diuortio ſeparatus. Quamuis enim non iniuſtum illud fuerit; ſuſpicio tamen vix vnquam erit delenda, ſemper aliquid hæret.

Digitized by Google

præditi in cœlibatu ſancte caſteque viuunt, cum cœlibes curis huius ſæculi non valde diſtracti, officio eccleſiaſtico expedite perfungi queant, 1 Cor. VII, 1.

Obſ. II. Non quæritur: an vita *cælebs* ſit *bona & vtilis*, præſertim tempore perſecutionis? ſed: an ſit *neceſſaria?*

Prob. a. 1) Apoſtoli Clericis, ſiue eccleſiæ miniſtris, matrimonium conceſſerunt. Ergo illis non eſt prohibitum, neque conſtitutione eccleſiaſtica illis prohiberi poteſt. *Antecedens* probatur ex 1 Tim. III, 2. *Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, vnius mulieris maritum.* Vbi per *mulierem* non intelligitur eccleſia, cuius ſponſus non eſt miniſter, ſed ipſe Chriſtus; verum *vxor*, in propria domo *gignens liberos honeſte educandos*, v. 4. Conf. Tit. I, 5. 6. Ratio *conſequentiæ* eſt: quia eccleſiæ non conuenit leges ferre, aut aliquid conſtituere contra doctrinam apoſtolorum.

2) Apoſtoli coniugium ſibi licitum eſſe putarunt, quorum nonnulli in eodem vixerunt. Ergo illud eccleſiæ miniſtris perperam prohibetur. *Antecedens* probatur ex 1 Cor. IX, 5. *Nonne habemus poteſtatem ſororem vxorem circumducendi? ſicut etiam reliqui Apoſtoli, & fratres domini, etiamque kephas.*

3) *Coniugium in omnibus honorabile eſt*, Hebr. XIII, 4. Ergo in *Clericis* non poteſt reprehendi, multo minus iisdem prohiberi.

4) Qui dono continentiæ non pollent, ab Apoſtolo iubentur matrimonium contrahere: Atqui multi miniſtri eccleſiæ &c. Ergo. *Maior* probatur ex 1 Cor. VII, 2. *Propter ſcortationes* (vitandas) *habeat quisque vxorem. Minor* clara eſt, Matth. XIX, 11. *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.*

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, licere miniſtris eccleſiæ vxores ducere. Qui obiiciunt:

I. Omnis de iure ἐγκρατής, ſiue continens, ab vxoris amplexibus abſtineat. Omnis Epiſcopus eſt de iure ἐγκρατής, ſiue continens, Tit. I, 8. Ergo. Reſp. Ἐγκράτεια, ſiue *continentia*, notat temperantiam in cibo, potu, & re venerea, & competit etiam hominibus in coniugio viuentibus. Datur enim præter caſtitatem virgineam & cœlibem, *caſtitas* etiam *coniugalis*.

II. Nemo militans Deo implicat ſe huius vitæ negotiis, 2 Tim. II, 4. Omnis Clericus militat Deo. Ergo. Reſp. 1) Loco cit. in genere agitur de milite, cum quo *quilibet Chriſtianus* ſub vexillo Chriſti militans comparatur. 2) Diſt. *inter curam rerum ſæcularium moderatam, & immoderatam.* Apoſtolus *non* prohibet *moderatam* rerum ſæcularium curam; alias nullus *Epiſcopus domui ſuæ bene præeſſe poſſet*, contra 1 Tim. III, 4. ſed prohibet immoderatam & nimiam ſollicitudinem, qua quis ἐμπλέκεται, *implicatur & immergitur* negotiis huius vitæ, vt ad amorem Dei, & rerum diuinarum animum erigere nequeat. Immoderata eiusmodi cura huius ſæculi militem Chriſti dedecet.

III. Quorum eſt, ſemper orare, illorum eſt, a coniugio abſtinere: Atqui Clericorum eſt, ſemper orare: Ergo. *Maior* probatur ex 1 Cor. VII, 5. vbi Apoſtolus ſuadet, vt homines pii, propter preces, ab vſu coniugali abſtineant. *Minor* probatur: quia Clerici preces fundere debent pro eccleſia, pro magiſtratu, pro ſalute auditorum, 1 Tim. II, 2. Reſp. 1) *Omnium Chriſtianorum* eſt, *indeſinenter orare*, 1 Theſſ. V, 17. Ergo, ſi hoc argumentum valide concludit, omnium Chriſtianorum eſt, a coniugio abſtinere. 2) Diſt. eſt *inter preces communes, ſiue quotidianas, & ſolemnes, ſiue publicas.* Suadet Apoſtolus l. c. abſtinere ab vſu coniugali, tempore precum ſolemnium, quæ funduntur ob publicam calamitatem, vel grauiſſimum aliquod periculum. Hoc conſilium (neque enim præceptum eſt) omnibus datur, non ſolis eccleſiæ miniſtris. Suaſionis ratio non eſt precum pollutio per

vſum

vſum coniugalem, ſed maior quies & vacatio a rebus temporalibus, vt tota mens conuertatur ad Deum, & eius opem imploret ad ſubleuandam neceſſitatem publicam.

IV. Quidquid non eſt bonum, ab eo Clerici abſtineant: *Mulierem tangere, non eſt bonum*, 1 Cor. VII, 1. Ergo. Reſp. Diſt. *inter bonum morale, & vtile* *). Quando Paullus l. c. inquit: *Bonum eſt homini, mulierem non tangere;* tunc intelligitur bonum *vtile in ſtatu perſecutionis*, quam facilius ſuſtinere poteſt, qui non habet vxorem, aut liberos; non autem intelligitur bonum *morale*, cui peccatum opponitur.

V. Illi miniſtri eccleſiæ laudantur a Chriſto, *qui ſe caſtrarunt propter regnum cœlorum*; Miniſtri eccleſiæ vxorati ſe non caſtrarunt propter regnum cœlorum: Ergo. *Maior* patet ex Matth. XIX, 12. Reſp. 1) Laudatur a Chriſto non tantum cœlibatus, ſed etiam coniugium, tanquam ſtatus a Deo ordinatus v. 5. 6. Quare tam cœlibes, quam vxorati Deo placent. 2) *Illi ſeipſos caſtrarunt propter regnum Dei*, qui ſpeciali continentiæ dono prædit, libero firmoque propoſito a coniugio abſtinent, vt expeditius vacare queant eccleſiæ, quæ eſt regnum Dei, propagandæ. At exinde non eſt conſtituenda regula generalis, iuxta quam omnes Clerici a coniugio arceantur, cum non omnes ſint continentes, & *melius ſit nubere, quam vri.*

VI. Per coniugium impediuntur munera eccleſiaſtica: Impedit enim coniugium a) ardorem precandi, eo, quod animam deprimit ad terrena: b) efficaciam prædicationis; quomodo enim efficaciter viduas & virgines hortabitur, qui liberis perpetuo dat operam? c) curam pauperum; quoniam coniugati propriis liberis tantum proſpiciunt: d) Sacramentorum diſpenſationem; quia inter laicos & Clericos vxoratos non datur diſcrimen. Reſp. a) Quæ obtenduntur impedimenta, commentitia ſunt. Nam & Sacerdotes veteris teſtamenti vxorati erant, & tamen fundebant preces, gerebant curam pauperum, diſpenſabant ſacramenta. b) Diſcrimen inter laicos & Clericos non conſiſtit in coniugio & cœlibatu, ſed in diuerſo officio.

### Quæſt. X. *Quid eſt conſanguinitas, cuius gradus propiores matrimonium impediunt?*

*Conſanguinitas.* *Conſanguinitas* eſt vinculum perſonarum, ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum, cuius diſtinctæ ſunt lineæ, diuerſique gradus.

### Quæſt. XI. *Quid eſt linea? Quid gradus?*

*Linea.* *Linea* eſt ſeries perſonarum ab inuicem deſcendentium, gradus continens, numeroſque diſtinguens: Diuiditur in *lineam rectam, &* *collateralem*, ſiue tranſverſam. *Recta* eſt inter perſonas, quarum vna ab altera deſcendit, eaque nunc *aſcendens*, nunc *deſcendens* vocatur. In *aſcendente* fit progreſſus a genitis ad generantes, in *deſcendente* a generantibus ad genitos. *Collateralis* eſt inter perſonas e latere poſitas, quæ non ab inuicem generatæ, in vno tamen ſtipite concurrunt: Diuiditur in *æqualem*, quæ eſt inter perſonas æqualiter diſtantes a communi ſtipite, & *inæqualem*, quæ eſt inter perſonas cognatas, quarum vna propius,

*) Omne *bonum* non poteſt non eſſe *vtile*, nec *morale* bonum aliquid eſſe poteſt, ſine vſu, aut fructu. Sed *vtilitas* alia *maior* eſt, alia *minor*, pro varietate rerum circumſtantium, inprimisque temporum.

Digitized by Google

pius, altera remotius a communi ſtipite diſtat. *Gradus* eſt diſtantia vnius perſonæ ab alia, *per generationem* facta. *Gradus.*

Quæſt. XII. *Qua ratione numerantur gradus?*

*Ratio numerandi gradus* fit vel ſecundum ius *ciuile*, vel ſecundum ius *canonicum.* Iuris *ciuilis* regula vnica & perpetua eſt: *Quot ſunt generationes, tot ſunt gradus* a). Iuris vero *canonici* tres ſunt regulæ. *Prima regula* pro linea *recta* hæc eſt: *Quot ſunt perſonæ* (in ſerie generationis), *tot ſunt gradus, vna demta* b). *Altera regula* pro linea *collaterali æquali* hæc eſt: *Quot gradibus diſtant perſonæ a communi ſtipite, tot gradibus inter ſe diſtant* c). *Tertia regula* pro linea *collaterali inæquali* hæc eſt: *In linea transuerſa inæquali tot gradibus perſonæ inter ſe diſtant, quot gradibus diſtat illa, quæ a ſtipite eſt remotior* d). *Computatio graduum.*

Prob. a. Secundum *ius ciuile* breuis & accurata eſt computandi ratio in *linea recta*, in qua concordat cum iure *canonico:* in linea vero *collaterali* accuratior eſt ſupputatio iuris *canonici*, quia ius ciuile in linea transuerſa ponit gradum ſecundum ſine primo. Notari hic merentur triti verſus:

*Per filum rectum concordant vtraque iura:*
*At per transuerſum ſuperant legalia iura.*

Illuſtratur exemplo

Tharæ:

| | |
|---|---|
| Abraham. | Nahor. |
| Iſaac. | Bethuel. |
| Iacob. | Rebecca. |

Secundum ius *ciuile* Rebecca a Thara diſtat *tertio gradu*, ſed Iacob & Rebecca diſtant ſexto gradu.

Prob. b. Secundum ius *canonicum* in linea *recta* numerantur gradus iuxta perſonas conſideratas non ſimpliciter, ſed reſpectu generationis. Suppoſito enim ſtipite, quot per generationem ipſi perſonæ accedunt, tot ſunt gradus. Idem vult regula iuris *ciuilis: quot ſunt generationes, tot ſunt gradus.*

Dicis: Monſtro ſimile eſt, in ſupputatione *canonica* demi communem ſtipitem, ſine quo generationes eſſe nequeant. Reſp. In numeratione graduum communis ſtipes demitur, quia gradus eſt diſtantia vnius perſonæ ab alia. Secunda autem perſona primo incipit diſtare, adeoque etiam primum gradum facit. Quare inter duas primas perſonas eſt primus & vnus tantum gradus.

Prob. c. Secundum *ius canonicum* Iacob & Rebecca differunt tertio gradu, quia in numeratione graduum non conſiderandæ ſunt perſonæ inter ſe & per ſe (ſicut fit in ſupputatione *ciuili*), ſed in ordine ad communem ſtipitem, in quo cognatio fundatur.

Prob. d. Secundum computationem *canonicam* Rebecca & Abraham diſtant tertio gradu in linea collaterali inæquali. Ratio eſt: quia fieri non poteſt, vt vlla perſona ſit propinquior ſuo conſanguineo, quam ſuo ſtipiti: id quod tamen fieret, niſi a remotiore fieret denominatio.

Quæſt. XIII. *Quid eſt affinitas & quæ ſunt eius genera atque gradus?*

*Affinitas.* *Affinitas* eſt coniunctio diuerſarum cognationum proueniens *ex nuptiis*, per quas conſanguinei mariti fiunt affines vxoris, & conſanguinei vxoris fiunt affines mariti. *Genera affinitatis* ſunt tria: *Primi* generis affinitas eſt, quæ mediante vna perſona per copulam carnalem iuncta contrahitur; *ſecundi* generis, quæ mediantibus duabus perſonis, per totidem nuptias; *tertii* generis, quæ mediantibus tribus perſonis, totidemque nuptiis contrahitur a). *Gradus* in *affinitate*, per ſe & proprie, *nulli* ſunt b); ſed tantum *quaſi gradus*, de quibus eſt regula: *Quoto gradu cognationis conſanguinei iunguntur marito, toto gradu iunguntur ipſius vxori, & vice verſa* c).

Prob. a. Sororius meus, i. e. ſororis meæ maritus, eſt mihi *affinis* in *primo* genere. At ſi ſororius meus, poſt ſororem meam defunctam, aliam ducat vxorem, ea mihi fit *affinis* in *ſecundo* genere. Quod ſi altera vxor ſororii mei, defuncto hoc marito (qui primis nuptiis ſibi copulauerat ſororem meam), alteri nubat, is mihi euadet *affinis* in *tertio* genere.

Prob. b. Affinium vnus ab altero non deſcendit: Ergo in affinitate proprie loquendo non dantur gradus.

Prob. c. Maritus & vxor per nuptias fiunt vna caro: Ergo qui mariti ſunt conſanguinei, ipſius etiam vxoris fiunt quaſi conſanguinei, i. e. affines: & qui conſanguinei ſunt vxoris, illi etiam marito fiunt affines, ſeu quaſi conſanguinei. Quare non alia eſt computatio graduum in arbore *affinitatis*, quam *conſanguinitatis*. Qui iunctus eſt marito in primo gradu conſanguinitatis, is eſt vxoris affinis in primo gradu affinitatis, & contra.

Quæſt. XIV. *Quinam gradus conſanguinitatis prohibiti ſunt, nuptiasque impediunt?*

*Conſanguinitatis gradus prohibiti.* Inter *conſanguineos* in linea *recta* matrimonia in infinitum prohibita ſunt iure diuino & naturali a). In linea *collaterali æquali* tam iure *diuino*, quam naturali, prohibita ſunt matrimonia in *primo gradu* b). Iure *eccleſiaſtico* poſitiuo prohibentur etiam in *ſecundo* gradu c). In linea *collaterali inæquali* prohibita ſunt matrimonia in gradu *ſecundo*, iure *diuino* & naturali d). Sed iure *eccleſiaſtico* prohibentur etiam *tertio* gradu: quin etiam in *quarto* gradu, ſi perſona altera vno tantum gradu e) a communi ſtipite diſtet.

Prob. a. In linea *recta* conſanguinei ſe habent, vt parentes & liberi, licet non omnes ſint parentes, a quibus immediate liberi deſcendunt. Inter parentes autem & liberos matrimonium conſiſtere non poſſe, docet tum ius diuinum, Leuit. XIIX, 7. tum ius naturæ, quod dictat, liberos parentibus debere reuerentiam filialem, quæ inter liberos & parentes exſpirat, ſi inter eos matrimonium contrahatur. Quin ipſe inſtinctus naturæ etiam a tali coniunctione abhorret. Vnde apud omnes gentiles tales nuptiæ pro illicitis ſemper habitæ fuerunt. E quibus colligimus, Adamum, ſi in hanc vitam reuocetur, nullam fœminam e poſteris ſuis ducere poſſe.

Prob.

Digitized by Google

Prob. b. Coniugium inter fratres & ſorores iure diuino prohibitum eſſe, liquet ex Leuit. XVIII, 9. Hic ipſe gradus etiam iure naturæ prohibitus eſt. Sunt enim liberi aliquid parentum & *pars carnis eorum*, adeoque ſicut *cum parentibus* ſunt *vna caro* adæquate; ita ipſi *inter ſe* ſunt *vna caro*, licet non immediate, ſed mediate. Hinc gentes ductu luminis naturæ a tali coniugio abſtinuerunt.

Prob. c. Coniugium inter conſobrinos non prohibetur iure diuino; quia inter illos *vnitas carnis* in vno generante non inuenitur; niſi remote. Prohibet tamen eccleſia hunc gradum, vt homines a coniugiis, iure diuino & naturali prohibitis, magis arceantur.

Prob. d. Gradus *ſecundus* conſanguinitatis prohibetur iure diuino, Leu. XIIX, 12. cap. XX, 19. & naturali: quia eiusmodi perſonæ *cum communi ſtipite ſunt caro*, licet inadæquate. Valet autem prohibitio illa non tantum quoad perſonas nominatim expreſſas, ſed etiam alias æque diſtantes.

Prob. e. Quando vna ex perſonis iungendis immediate ſtipiti ſubeſt, *reſpectus paternus* coniugium impedit. Nam perſona illa, ſicut *cum fratre, aut ſorore vna caro eſt* propter vnum parentem; ita deſcendentibus ex fratre, vel ſorore patris, aut matris loco eſt.

Quæſt. XV. *Quinam gradus affinitatis prohibiti ſunt, nuptiasque impediunt?*

*Quo gradu conſanguinitatis prohibitæ ſunt nuptiæ, eo etiam gradu affinitatis prohibitæ cenſentur.* Prohibentur itaque in linea *recta* affinitatis ſimpliciter & in infinitum, a) in linea *collaterali æquali* affines in *primo* gradu a nuptiis arceantur. b) In linea *collaterali inæquali* coniugia affinium in *ſecundo* gradu prohibita ſunt. *Affinitatis gradus prohibiti.*

Prob. a. Deus per Moſen Leuit. XIIX, 18. coniugium cum nouerca v. 15. cum nuru v. 17. cum priuigna filia ſerio prohibuit. In reliquis gradibus lineæ *rectæ* idem valet interdictum, ob reſpectum parentelæ.

Prob. b. Leuit. XIIX, 16. coniugium cum defuncti fratris vidua prohibetur. Ergo etiam coniugium cum defunctæ ſororis marito ob identitatem fundamenti, ne quis ad vllam perſonam carne propinquam accedat, interdictum eſt.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, negantium, gradus conſanguinitatis iure naturali eſſe prohibitos. Quorum palmarium argumentum eſt: Lex naturalis eſt indiſpenſabilis: Lex de gradibus conſanguinitatis matrimonium impedientibus non eſt indiſpenſabilis: E. non eſt lex naturalis. *Minor* prob. quia Deus in primordio mundi diſpenſauit circa matrimonium filiorum & filiarum Adami, qui fuerunt fratres & ſorores. Reſp. 1) Sicut Adam non ſolum, ſed etiam filii eius mandatum diuinum acceperant de multiplicando genere humano: ita mandato huic obtemperaturi non poterant alias fœminas, quam proprias ſorores ducere vxores, ob extremum neceſſitatis caſum, quo ceſſante, ceſſauit etiam diſpenſatio, aut permiſſio diuina. 2) Gradus conſanguinitatis ſunt inæquales, & inæqualiter contra ius naturæ. Quorquot ſunt in linea aſcendente & deſcendente, illi proxime ſpectant ad ius naturæ, ceteri autem remote. 3) Indiſpenſabilis eſt lex naturæ, quoad prima principia & concluſiones primis principiis propiores: in concluſionibus autem remotioribus, ob certas quasdam circumſtantias, Deum diſpenſare poſſe, nullum eſt dubium *).

Mmm mmm mm 2 Quæſt.

*) Leges naturales præcipiunt eas actiones, quæ ad conſeruationem hominum naturæ ſocietatisque, & ad conſequutionem finium neceſſariæ ſunt, vetantque contrarias. In his igitur Deus

Digitized by Google

Quæſt. XVI. *In quo conſiſtit ratio formalis coniugii?*

*Forma.* Forma ſeu *ratio formalis* coniugii conſiſtit in vinculo coniugali, quod eſt mutua mariti & vxoris obligatio ad fidem & officia coniugalia *).

Prob. *Forma* alicuius rei eſt, qua poſita ponitur res ipſa, & ſublata, tollitur res ipſa: Iam vero poſita obligatione mutua mariti & vxoris ad fidem & officia coniugalia, ponitur coniugium, & ea ſublata, tollitur coniugium: Ergo mutua illa obligatio eſt forma coniugii.

Dicis: 1) *Conſenſus* facit coniugium: E. conſenſus eſt illius forma. Reſp. Ceſſante forma, ceſſat res, cuius eſt forma: At ceſſante conſenſu, non ceſſat coniugium. Sæpe enim vſu venit, vt coniuges non amplius conſentiant in mutuam cohabitationem, & ſegregari optent, nec tamen coniugium diſſoluatur. Pertinet itaque conſenſus ad cauſſam efficientem matrimonii, cuius cauſſalitas eſt.

Dicis: 2) *Copula carnalis* conſummat matrimonium: E. eſt eius forma. Reſp. Copula carnalis eſt conſequens matrimonii. *Vinculum* autem *coniugale* eſt forma, cum illud *perduret*, ceſſante etiam copula carnali.

Quæſt. XVII. *Eſtne vinculum coniugale indiſſolubile?*

*Diuortium.* *Vinculum coniugale* mariti & vxoris, quamdiu ſuperſtites ſunt a), *in ſe* eſt indiſſolubile, cum ob mutuum conſenſum b), tum inprimis ob inſtitutionem diuinam c). *Per accidens* autem, & ob ſuperueniens vitium, quandoque fit *diuortium*, quod eſt ſeparatio coniugum viuentium, ex diſſolutione coniugii legitimi & validi, quoad vinculum coniugale, proueniens. *Cauſſæ iuſtæ* diuortii ſunt adulterium d) & malitioſa deſertio e).

Obſ. I *Diuortium* dicitur a *diuertendo*, quia per diuortium coniuges diuertunt, hoc eſt in diuerſas partes eunt.

Obſ. II. Diſtinguendum eſt inter *repudium*, *& diuortium*. *Repudium* eſt nomen generale, & notat dimiſſionem cum ſponſæ, tum vxoris: *diuortium* vero eſt nomen ſpeciale, ſignificat tantum dimiſſionem *vxoris*.

Obſ. III.

Deus neminem vnquam lege ſoluit. Quæ autem ad vberiorem vtilitatem, ad inſignem hominum præſtantiam, ad bene conſtitutum ordinem vniuerſæ hominum ſocietatis ſpectant, ea determinata ſunt legibus reuelatis (quas vulgo poſitiuas nominant) ſed, moralibus & communibus, ſiue vniuerſalibus, quibus omnes homines ſemper obligati ſunt, & quarum notitia, inde a Noachi ætate, antiqua & continua traditione ad omnes gentes perlata eſt. Ad eiusmodi leges quod attinet, ſingularis quædam ratio eſſe poteſt, quam ob rem Legislator ſua poteſtate diſpenſandi, vt dicitur, præter eum nemini adſerenda, vtatur.

*) Incredibili modo, ac prorſus inaudito, Illuſtr. Comes ZINZENDORFIVS, eiusque ſectatores hoc, velut dogma maxime ſalutare, ac momentoſum, præ ſe ferunt: Chriſtum proprie dicendum eſſe maritum vxoris, qui prolem gignat, & marem procuratoris dumtaxat partibus fungi. Cum hoc errore, maxime pernicioſo ac deteſtabili, plures arcte copulati ſunt, a ſummis & præclare merentibus Theologis abunde refutati, quorum iam vnum attigiſſe ſatis erit. Scilicet ob eam ipſam cauſſam Chriſtum dicunt eſſe Deum Patrem; primam vero SS. Diuinitatis perſonam inſtar Aui, aut, ſi mauis, Soceri, habendam. Ita apertiſſime diſceſſerunt a *tribus ſymbolis œcumenicis*; tantum abeſt, vt *Auguſtanæ Confeſſioni*, in qua illa fundamenta ante poſita ſunt, vere addicti eſſe queant.

Digitized by Google

Obſ. III. Diſt. inter *diuortium proprie*, *&* *improprie* dictum. Diuortium *proprie* loquendo eſt ſeparatio coniugum viuentium, ex diſſolutione coniugii legitimi & validi, quoad vinculum coniugale proueniens. Quam ob rem a) TERTVLLIANVS mortem improprie vocat *animæ & corporis diuortium.* Mors *diſſolutionem* matrimonii, non autem *diuortium* facit. b) *Separatio* coniugum *quoad torum & menſam*, ob inimicitias grauiores, *improprie* vocatur diuortium, cum ſit tantum *ſuſpenſio* actuum cohabitationis & officii coniugalis, vinculo coniugali ſaluo manente, vt neuter coniux aliud matrimonium inire queat. c) *Non* eſt *proprie diuortium* ſeparatio perſonarum, quarum *nuptiæ ob gradus propinquos conſanguinitatis prohibitæ* ſunt, aut vbi error perſonæ, aut alterius coniugis impotentia interceſſit, ſed tantum *declaratio* nullitatis, quod *non recte contractum ſit coniugium*, non ratum, validum & legitimum.

Obſ. IV. Diſt. inter *diuortium actiuum*, *&* *paſſiuum.* *Illud* eſt, quando perſona læſa & innocens facit diuortium, ſiue voluntaria ſeparatione a coniuge viuente diſcedit. Hoc eſt, quando perſona læſa & innocens diuortium patitur inuita, & derelinquitur a coniuge, cui cohabitare diutius volebat. Diuortii *actiui vnica cauſſa* eſt adulterium, *paſſiui cauſſa* eſt malitioſa deſertio.

Prob. a. *Morte diſſolui* vinculum coniugale, conſtat ex Rom. VII, 2, 3. *Lex dominatur homini, per quantum tempus viuit: quæ namque ſub viro mulier eſt, viuenti viro obligata eſt lege; quod ſi moriatur vir, abſoluta eſt a lege viri. Quare viuente viro, mœcha appellatur, ſi ſiat vxor alterius viri: quod ſi mortuus fuerit vir, libera eſt a lege, ita vt non ſit mœcha, etiamſi facta fuerit alteri viro* (vxor.) Ex hoc effato apoſtolico diſcimus, *polygamiam ſucceſſiuam*, qua ad ſecundas nuptias tranſitur, eſſe licitam.

Prob. b. Contractum eſt coniugium per mutuum conſenſum de perpetuo & per omnem vitam continuando vitæ conſortio: qui contractus ob procreationem ſobolis, & mutuum vitæ adiutorium ſancte & inuiolate ſeruandus eſt.

Prob. c. Indiſſolubile eſt matrimonium, non tantum ob mutuum coniugum conſenſum; ſi namque ſolo conſenſu contractum fuiſſet, mutuo vtriusque diſſenſu ſolui poſſet: ſed præcipue ob auctoritatem & inſtitutionem Dei, qui dixit: *Derelinquet vir patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt in carnem vnam*, Gen. II, 24. *Quidquid igitur Deus copulauit, homo ne ſeparet*, Matth. XIX, 6.

Prob. d. 1) Ex ſententia Chriſti, quæ habetur Matth. V, 32. *Quisquis dimiſerit vxorem ſuam extra cauſſam ſcortationis, facit eam mœchari, & quisquis repudiatam duxerit, mœchatur. Et* Matth. XIX, 9. *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, adulterium committit: & quicunque dimiſſam duxerit, adulterium committit.* Vbi, vi propoſitionis exceptiuæ, duo dicuntur: 1) Qui repudiat vxorem non adulterantem, & ducit aliam, mœchatur. 2) Qui repudiat vxorem adulterantem, & ducit aliam, non mœchatur. E. ex ſententia Chriſti *vinculum matrimonii* inter *viuentes*, vt pars læſa lædentem iuſte repudiare queat, *adulterio ſoluitur.*

2) Ex natura coniugii adulterium per ſe & directe repugnat vnitati carnis, adeoque etiam ſubſtantiæ coniugii, per quod *duo in vnam carnem* fiunt (non plures in plures carnes): Gen. II, 24. *Qui enim adhæret ſcorto, etiam cum ſcorto vna caro ſit.* 1 Cor. VI, 16. adeoque non amplius eſt vna caro cum coniuge. Vbi tamen diſtinguendum eſt inter *cauſſam*

*diuortii iuſtam, & neceſſariam, ſiue obligatricem. Quidni enim, exemplo Numinis, pars læſa poſſit lædenti conciliari, & hæc in gratiæ ſinum receptari?* inquit DANNHAVER. in *theol. conſcient. p.* 808.

Prob. e. Quod malitioſa deſertio partem innocentem a vinculo ſoluat, probatur 1) ex teſtimonio Apoſtoli, 1 Cor. VII, 15. *Quod ſi infidelis, ſeparet ſe. Non ſeruituti addictus eſt frater, aut ſoror in talibus*, vt non liceat ei aliam ducere, aut alteri nubere; ſed liber, aut libera fit a vinculo atque obligatione ad conſortium coniugale cum deſertore, aut deſertrice.

2) Ex natura diuortii. Quidquid fidem coniugalem ipſam, & vſum tori immediate lædit, ſoluit vinculum coniugale, adeoque parti innocenti fores ſecundi matrimonii iure ipſo aperit: Atqui malitioſa & incorrigibilis deſertio &c. Ergo.

3) Ex abſurdo. Niſi deſertæ perſonæ concedatur poteſtas noui matrimonii, iure ſuo abſque omni culpa ſua priuabitur, & perpetuis vſtionibus, ſcortationis ac pollutionis periculo exponetur, quod æquitati & iuri diuino repugnat. Nam *propter ſcortationes vitandas quilibet vxorem ſuam habeto*, 1 Cor. VII, 2.

*Antitheſis* eſt *Pontificiorum*, ſtatuentium: 1) Verum & *proprie* dictum diuortium inter fideles noui teſtamenti locum non habere: 2) Diuortii *improprie* dicti, ſiue ſeparationis qua torum & menſam, plurimas dari cauſſas. Quorum potiora argumenta ſunt:

I. Quidquid eſt vnius maris & vnius fœminæ coniunctio indiſſolubilis, illius vinculum diuidi non poteſt: Atqui coniugium &c. Ergo. Reſp. Coniugium eſt coniunctio, *in ſe* indiſſolubilis, vi inſtitutionis diuinæ; eſt autem *per accidens* diſſolubilis, per adulterium & malitioſam deſertionem.

Inſtantia I. *Solum adulterium* eſt *cauſſa diuortii*, docente Chriſto, Matth. XIX, 9. Reſp. *Solum adulterium* eſt cauſſa diuortii *actiui, malitioſa deſertio* eſt cauſſa diuortii *paſſiui.*

Inſtantia II. Pertinax debiti coniugalis abnegatio eſt etiam cauſſa diuortii. Ergo plures ſunt cauſſæ, quam adulterium & malitioſa deſertio. Reſp. Pertinax debiti coniugalis abnegatio *æquipollet malitioſæ deſertioni;* quia coniux immediate lædit fidem coniugalem, vſumque tori & perſonam læſam exponit periculo ſcortationis.

II. Quodcunque matrimonium rite contrahitur & conſummatur, illud citra notam adulterii diſſolui nequit: Atqui matrimonium fidelium &c. Ergo. *Minor* probatur ex Marc. X, 11. *Qui dimittit vxorem, & aliam ducit, adulterium committit.* Reſp. Verba Chriſti non intelligenda ſunt abſolute, ſed reſtricte; ideo, quod reſtrictio vel limitatio apertiſſime exprimitur, Matth. XIX, 9. *Qui dimittit vxorem, quæ fornicatione fœdus coniugii non fregit, is adulterium committit.*

Quæſt. XVIII. *Quis eſt finis coniugii?*

**Finis.** *Finis* coniugii *vltimus* eſt gloria Dei a). Finis *intermedius* eſt vel *proprius*, vel *acceſſorius*. *Proprius* eſt, qui cum ipſo ſtatim coniugio cœpit, eſtque tum ſobolis

ſobolis procreatio, e qua oritur familiæ propagatio, & eccleſiæ atque reipublicæ conſeruatio b), tum mutuum vitæ adiutorium c). *Acceſſorius* eſt remedium aduerſus vagas libidines d).

Prob. a. Sicut *omnium ordinationum Dei*, ita quoque coniugalis ordinationis *finis vltimus* eſt *gloria Dei*. Huc ſpectat generalis admonitio Apoſtoli, 1 Cor. X, 31. *Omnia in gloriam Dei facite.*

Prob. b. Finem matrimonii *proprium* eſſe *procreationem ſobolis*, ipſe auctor coniugii indicat, Gen. I, 28. *Creſcite & multiplicamini.* Ratione huius finis eſt coniugium ſeminarium eccleſiæ & reipublicæ.

Prob. c. Finem coniugii etiam eſſe *mutuum vitæ adiutorium*, liquet ex Gen. II, 18. *Non eſt bonum homini, eſſe ſolum: Faciam ei adiutorium.*

Prob. d. *Remedium aduerſus vagas libidines* eſt finis *acceſſorius*, qui *per accidens* tantum coniugio acceſſit, ſcilicet *in ſtatu poſt lapſum*, de quo Apoſtolus inquit, 1 Cor. VIII, 2. *Propter ſcortationes* (vitandas) *quilibet ſuam ipſius vxorem habeto: & quælibet proprium virum habeto.*

Quæſt. XIX. *Quæ ſunt officia coniugum?*

*Officia* coniugum *communia* ſunt: animos, corpora & facultates coniungere a). Officia *mariti* ſunt: vxorem amare b), gubernare c), alere d), & protegere e). Officia *vxoris propria* ſunt: virum reuereri, ipſi obedire & benefacere f). *Officia coniugum.*

Prob. a. Ex ordinatione diuina intercedit inter coniuges *communio animorum, corporum & facultatum*, de qua vide 1 Cor. VII, 3. Eph. V, 28. ſeqq.

Prob. b. Vxores ſunt cum viris *vna caro*, adeoque ſincere amandæ. Eph. V, 28.

Prob. c. Quia maritus eſt *caput vxoris*, eandem gubernet in ſpiritualibus & temporalibus. Eph. V, 23.

Prob. d. Maritus vxorem, tanquam carnem ſuam, nutriat & foueat, Eph. V, 29.

Prob. e. Mulier eſt vas infirmum & corpore & animo, 1 Petr. III, 7. ideoque nititur præſidio viri.

Prob. f. Officia *vxorum* deſcripta vide Eph. V, 22. 1 Petr. III, 1.

Quæſt. XX. *Quæ eſt ſocietas paterna?*

*Societas paterna* eſt naturalis parentum cum liberis coniunctio, diuinitus inſtituta ad ſobolis educationem & totius familiæ ſalutem.

Quæſt. XXI. *Quæ ſunt officia parentum & liberorum?*

Officia *parentum* conſiſtunt in ſuppeditatione victus & amictus a) iuxta, atque in honeſta educatione b). *Liberorum* officia conſiſtunt in amore, honore & obſequio c).

Prob,

Digitized by Google

Prob. a. *Parentum* eſt, *curam gerere liberorum*, 1 Tim. V, 8. iisque *bona dare dona*. Matth. VII, 11.

Prob. b. Educandi ſunt liberi *in diſciplina & admonitione Domini*, Eph. VI, 4.

Prob. c. Officia *liberorum* e præcepto IV. decalogi innoteſcunt.

Quæſt. XXII. *Quæ eſt ſocietas herilis?*

*Societas herilis* eſt legitima dominorum & ſeruorum coniunctio, diuinitus inſtituta, ob mutuam vtilitatem.

Quæſt. XXIII. *Quæ ſunt officia dominorum & ſeruorum?*

*Dominorum* eſt, ſeruos regere, ipſis alimenta neceſſaria ſuppeditare, & promiſſam mercedem ſoluere: *Seruorum* eſt, dominos honorare, ipſis obedire, atque fideliter ſeruire.

Prob. Officia *dominorum & ſeruorum* graphice deſcripſit Paullus, Col. III, 22. ſeqq. c. IV, 1. Conf. Eph. VI, 5.

*SVSPIRIVM.*

Deo Patri ingenito, Deo Filio vnigenito, Deo Spiritui S. ab vtroque procedenti, ſit pro incolumitate, pro viribus corporis, pro donis animi, pro felici laborum meorum ſucceſſu, laus & gloria æterna!

A. C. S.

I. INDEX

Digitized by Google

# I. INDEX
## DICTORVM SCRIPTVRAE IN HOC OPERE EXPLICATORVM.

NOT. ASTERISCVS, NVMERIS ADIECTVS, B. TELLERI ANNOTATIONES INDICAT.


### Geneſ.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 1 | 225. ſeq. |
| | 1. 2. 3 | 297. ſeq. |
| | 3 | 361. |
| | 6. 7. 8 | 367. |
| | 9 | 368. |
| | 11 | ibid. |
| | 14. 15 | 370 |
| | 20 | 366 372 |
| | 24 | 372 |
| | 26 | 225. 288. 407 463.ſeq. 464 *) |
| | 27 | 466. 467. 468 469. 1367 |
| | 28 | 1371 *) |
| | 31 | 472. 475 |
| II. | 2 | 424 |
| | 7 | 408. 409 |
| | 17 | 979. 1241 |
| | 24 | 471 *). 1367 1371 ſeq. |
| III. | 14 | 510 *) |
| | 21. 22 | 289. 408 |
| V. | 7 | 472 |
| VI. | 3 | 519 |
| | 5 | 519 |
| | 6 | 252. 258 |
| | 9 | 961 |
| VIII. | 21 | 540 |
| IX. | 6 | 466. 478. 1360 |
| XI. | 7 | 289 |
| XIV. | 18 | 734 *). 1141 |
| XVI. | 8. 9. | 221 |
| XVII. | 1 | 273 |
| | 7 | 1067. 1070 ſeq. |
| | 11 | 1069 |
| XVII. | 12 | 1068 |
| | 14 | 1070 |
| XVIII. | 21 | 258 |
| XXII. | 8 | 421 |
| | 12 | 258 |
| XLI. | 22 | 1365 *) |
| | 26 | 1114 ſeq. |
| XLVII. | 31 | 139 |
| XLIX. | 10 | 653 *). 673. 677 |
| L. | 20 | 450 |

### Exod.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 20 | 1196 |
| II. | 22 | 137 |
| III. | 2 | 221 |
| | 14 | 223. 230. 234 |
| VII. | 3 | 492. 555 |
| IX. | 15. 16 | 492. 648 ſeq. |
| X. | 1 | 865 *) |
| XI. | 2 | 493 |
| XII. | 5 | 1073 |
| | 6 | 1074 |
| | 11 | 1114 |
| | 27 | 1076 |
| | 48 | 1068 |
| XIV. | 19 | 298 |
| XX. | 2 ſeq. | 1011 |
| | 7 | 1012 |
| | 8 | 1013 |
| | 12 | 1014 |
| | 13 | 1015. 1016. 1017 |
| | 14 | 1018 |
| | 17 | 1009 |
| | 18 | 111 |
| XXXI. | 18 | 1008 |
| XXXII. | 5 | 221 |

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| | **Exod.** | |
| XXXII. | 32 | 606. 642 |
| XXXIII. | 20 | 254 |
| XXXIV. | 27. 28 | 86. 1008. |
| | **Leuit.** | |
| XVI. | 21 | 1156 |
| XVIII. | 5 | 1008 |
| | 7 | 1372 *) |
| | 15 | 1051 |
| XXVI. | 11. 12 | 938. 1052 |
| | 44 | 678 |
| | **Numer.** | |
| VI. | 24 | 299 |
| IX. | 11 | 1074 |
| XIV. | 23 | 258 |
| XVI. | 33 | 985 |
| XXIII. | 19 | 272 |
| | **Deuter.** | |
| IV. | 2 | 174. 950 |
| V. | 18 | 1018 |
| VI. | 6 ſeq. | 99 |
| VII. | 6 | 607 |
| XIII. | 1 | 1192 |
| XVII. | 8 | 147 |
| XVIII. | 15 | 756 ſeq. **) |
| XXII. | 2 | 1093 |
| XXV. | 5 | 1374. |
| XXVII. | 26 | 501 |
| XXX. | 6 | 1025 |
| | 11 | 582. 1025 |
| | 13. 14 | 150 |
| XXXII. | 1 | 95 |
| XXXIII. | 2 | 1004 |
| | 15 | 1274 |
| XXXIV. | 10. 11 | 757 **) |
| | **1. Sam.** | |
| II. | 25 | 868 |
| XV. | 11 | 252 |
| XXVIII. | 6 | 868 |
| | **2. Sam.** | |
| VII. | 14 | 94 |
| | 8 | 1374 |
| XII. | 14 | 1162 |

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| | **2. Sam.** | |
| XXIII. | 2 | 75 |
| XXIV. | 1 | 493 |
| | **1. Reg.** | |
| V. | 5 | 95 |
| VIII. | 17 | ibid. |
| | 27 | 251 |
| XI. | 41 | 135 *) |
| XV. | 5 | 888 |
| | **1. Paral.** | |
| XXII. | 9 | 95 |
| | 11 | ibid. |
| XXIX. | 3 | 1361 |
| | **2. Paral.** | |
| VI. | 7 | 95 |
| XII. | 5 | 866 |
| XV. | 2 | ibid. |
| XXIV. | 2 | 1144 |
| | **Eſdr.** | |
| VI. | 18 | 1073 |
| IX. | 4 | 850 |
| | **Nehem.** | |
| IX. | 20 | 66 |
| | 30 | ibid. |
| | **Iob.** | |
| II. | 13 | 850 |
| IV. | 19 | 386 |
| V. | 1 | 393 |
| IX. | 20 | 931 |
| X. | 8. 9 ſeq. | 427 |
| XIV. | 4 | 523 |
| | 5 | 427 |
| | 2 | 238 |
| XV. | 15 | 386 |
| XIX. | 26. 27 | 458. 1243 |
| XXII. | 6 | 111 |
| XXXIII. | 23 | 386 |
| XXXVIII. | 4. 7 | 361 |
| | 7 | 469 |
| | **Pſalm.** | |
| I. | 2. 3 | 966 |
| | 5 | 1238. 1240 |


Pſalm.

Pſalm.

| Pſ. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| II. | 7 | 94. 322. 323 |
| | 10. 11. 12 | 96. 1361 |
| V. | 5. 6. 7. | 491 |
| VI. | 6 | 1231 *). 1238 |
| VII. | 9 | 926. 1215 |
| IX. | 8. 9 | 1247 |
| XIV. | 1 | 60. 194 |
| XVI. | 10 | 779 |
| XVII. | 15 | 12. 459 |
| XIX. | 2 | 191. 360 |
| | 5 | 1284. 126. 137 |
| | 6 | 369 |
| | 13 | 931. 1158 |
| XXII. | 17 | 137 |
| XXIII. | 6 | 864 |
| XXV. | 8 | 842. |
| XXXII. | 1 | 928 *). |
| | 12 | 921 |
| XXXIII. | 5 | 267 |
| | 6 | 352. 380 |
| XXXIV. | 9 | 216 |
| XXXVI. | 10 | 457 |
| XXXVII. | 24 | 640 |
| XXXIX. | 14 | 986 |
| XL. | 7 | 1063. |
| XLV. | 3 | 650 *) |
| L. | 16 | 1013 |
| LI. | 3 | 928 *) |
| | 6 | 1156 |
| | 7 | 518 |
| | 8 | 1063 |
| | 11. 12 | 883. 928 *) |
| LXVI. | 12 | 1233 |
| LXIX. | 5 | 735 *) |
| LXXIII. | 23 | 640. 945. |
| LXXVII. | 9 | 988 |
| LXXVIII. | 22 | 1185 |
| LXXXV. | 9 | 218 |
| LXXXVI. | 2 | 956 |
| LXXXVIII. | 12. 13 | 1231 *) |
| XCII. | 16 | 269 |
| XCIV. | 9 | 192 |
| CII. | 13 | 651 *) |

Pſalm.

| Pſ. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| CII. | 26. 27. 28 | 1274. 1275 |
| CIV. | 4 | 377 |
| | 5 | 369. 1275 |
| | 30 | 1275. |
| CVI. | 38 | 521. 542 |
| CX. | 2 | 787 |
| | 3. 4 | 42. 733. *) 1204 *) |
| CXV. | 3 | 431 |
| | 17 | 975. 1231 *) |
| CXVI. | 7 | 413 |
| CXIX. | 18 | 103. 153. 157 |
| | 35 | 1209 |
| | 71 | 844 |
| | 89. 90. 91 | 441 |
| | 130 | 827. 829. 850 |
| CXXXIX. | 7. 8 | 276 |
| | 16 | 427 |
| CXLII. | 8 | 413 |
| CXLIII. | 3 | 926 |
| | 8 | 1209 |
| CXLV. | 3 | 246. |
| CXLVII. | 19 | 811 |

Prouerb.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 28 | 866 |
| VII. | 23 | 672 |
| VIII. | 22. 24. | 324 |
| XVI. | 4 | 261. 494. 649 |
| XIX. | 17 | 1213 |
| XX. | 9 | 931 |
| XXI. | 1 | 875 |
| XXVIII. | 14 | 931 |

Eccleſ.

| | | |
|---|---|---|
| III. | 19. 20 | 1228. 1238 |
| VII. | 29 | 471 **). 473 |
| IX. | 1. 2. | 931 |
| | 11 | 425 |
| XII. | 13. 14 | 1247 |

Cant.

| | | |
|---|---|---|
| IV. | 7 | 524. 1305 |

Ieſ.

| | | |
|---|---|---|
| VI. | 3 | 300 |
| | 6 | 492 |

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| **Ieſaias.** | | |
| VI. | 10 | 865 |
| VII. | 9 | 1177 |
| | 14 | 662. 650. *) 677 |
| VIII. | 1 | 89 |
| | 19. 20 | 141 |
| IX. | 6 | 137 |
| XI. | 2. 3. 4 | 676 *) |
| | 6 | 1361 |
| | 11 | 1063 |
| XXVI. | 14 | 1238 |
| | 19 | 1239 |
| XXXIII. | 22 | 676 *). 1019 |
| XXXIV. | 16 | 100 |
| XXXVIII. | 3 | 926. 1215 |
| XLII. | 8 | 721 |
| XLVI. | 8 | 846 |
| XLVIII. | 16 | 299 |
| LII. | 1 | 1071 |
| LIII. | 1 | 812 |
| | 4 | 738 |
| | 5 | 746 |
| | 11 | 721. 896 |
| LVII. | 2 | 946 |
| | 15 | 945 |
| LIX. | 21 | 66 |
| LXV. | 2. 3 | 864. 873 |
| | 16 | 314 *) |
| LXVI. | 2 | 1150 |
| | 24 | 983 |
| **Ierem.** | | |
| III. | 1 | 864 |
| VII. | 16 | 867 |
| IX. | 22. 23 | 187 |
| X. | 10 | 244 |
| XI. | 14 | 867 |
| XIV. | 11 | ibid. |
| XV. | 1 | 1220 |
| | 6 | 867 |
| XXIII. | 6 | 137. 730 |
| | 23. 24 | 276. 1151 |
| XXXI. | 3 | 936 |
| | 12 | 855 |
| | 15 | 95. 986 |

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| **Ierem.** | | |
| XXXI. | 31-34 | 1044 |
| | 33 | 65 |
| XXXII. | 33 | 865 |
| XXXIII. | 16 | 222 |
| XXXV. | 5 | 1197 |
| **Thren.** | | |
| III. | 21 | 864 |
| | 26 | 849 |
| **Ezech.** | | |
| XVI. | 5. 6 | 807 |
| XVIII. | 20 | 520. 741. 814 |
| | 21. 22 | 862. 928 *) |
| | 31 | 949 |
| XXXIII. | 11 | 593. 862 |
| XLIV. | 2 | 524 |
| XLV. | 8 | 1071 |
| **Dan.** | | |
| II. | 44 | 1263 |
| IV. | 24 | 931. 1162 |
| VII. | 26. 27 | 1263. 1273 |
| IX. | 24 | 200. 674 |
| XII | 1 | 606 |
| | 2 | 979. 1236 |
| | 3 | 895. 910. 976 |
| | 4 | 153 |
| **Hoſ.** | | |
| II. | 14 | 218 |
| | 19 | 934 |
| III. | 4. 5 | 1268 |
| VIII. | 4 | 1356 |
| XI. | 1 | 93. 94 |
| **Ioel.** | | |
| II. | 4 | 926 |
| | 12. 13 | 855 |
| | 28 | 64 |
| **Amos.** | | |
| III. | 6 | 494 |
| V. | 22 | 1063 |


Micha.

Digitized by Google

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| **Micha.** | | |
| V. | 2 | 324 |
| VII. | 19 | 928 *) |
| **Habac.** | | |
| II. | 1 | 111 |
| **Hagg.** | | |
| II. | 9 | 675 |
| **Zachar.** | | |
| IX. | 9 | 654 |
| | 11 | 1234 |
| XII. | 11 | 1218 |
| XIV. | 6. 7 | 1268 |
| **Maleach.** | | |
| I. | 3 | 596 |
| | 11 | 1140 |
| III. | 1 | 221 |
| | 2 | 1233 |
| **Sap.** | | |
| I. | 4 | 839 |
| IX. | 15 | 414 |
| XII. | 3 | 431 |
| | 18 | 432 |
| **Tob.** | | |
| XII. | 9 | 1162 |
| **Sirac.** | | |
| I. | 25. 26 | 909 |
| XV. | 14. 15 | 582 |
| XVI. | 14 | 1211 |
| XVIII. | 1 | 357 |
| XLIII. | 25 | 133 |
| **2. Macc.** | | |
| XII. | 42 | 1212 |
| **Matth.** | | |
| I. | 21 | 654 |
| III. | 11 | 1082 |
| | 16 | 291. 1157 |
| IV. | 17 | 806 |
| V. | 7. 8 | 1205 |
| | 14 | 1284 |
| | 16 | 955. 1192. 1198 |
| | 17. 18 | 135. 139. 758 **) 1020 **) |
| **Matth.** | | |
| V. | 21. 22 | 552. 1020. 1360. |
| | 22 | 983 *) |
| | 39. 40. | 1359 |
| | 48 | 959 |
| VI. | 13 | 138 |
| | 22 | 1200 *) |
| VII. | 13. 14 | 1229 |
| | 18 | 541 |
| IX. | 28 | 1168 |
| X. | 5 | 812 |
| | 19. 20 | 97 |
| | 28 | 1227 |
| | 42 | 1212 |
| XI. | 21 | 818. 1143 |
| | 23 | 985 |
| | 25 | 603. 828 |
| | 27 | 11. 336. |
| | 30 | 1025 |
| XII. | 31. 32 | 558. 560. 563. 566. 567 *) |
| | 32 | 1234 |
| | 40 | 773 |
| | 48 | 660 |
| XIII. | 11 | 828 |
| | 18 | 205. 1289 |
| | 30 | 42. 43 |
| | 43 | 977 |
| XV. | 24 | 747 |
| XVI. | 18. 19 | 148. 1168. 1295. 1296 |
| | 17 | 1319. 1321. 1349. |
| | 24 | 846. 1020 |
| XVIII. | 20 | 716. 1300 *) |
| | 21 | 887 |
| XIX. | 4. 5 | 1372 |
| | 12 | 1376 |
| | 16. 17 | 245. 311 *) |
| | 17 | 320. 1213 |
| XX. | 9 | 1212 |
| | 10 | 977 |
| | 16 | 634. 811 |
| | 23 | 320 |
| | 25 | 1356 |




Digitized by Google

Matth.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| XX. | 28 | 746. 753 |
| XXII. | 14 | 634. 811 |
| XXIII. | 8 | 1352. |
| | 37 | 865. 874 |
| XXIV. | 24 | 640 |
| | 30 | 1249. 1250. |
| | 36 | 711 |
| XXV. | 20 | 867 |
| | 28 | 866 |
| | 34. 35 | 613. 1213. 1251 *) |
| | 41 | 404. 646 |
| XXVI. | 11 | 718 |
| | 26 | 1108. 1122 |
| | 39 | 270 *) |
| XXVII. | 9 | 89 |
| XXVIII. | 6 | 1126 |
| | 18 | 708 |
| | 19 | 81. 290. 1293 |
| | 20 | 200. 716 |

Marc.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 15 | 1142 |
| II. | 8 | 896 |
| III. | 22-29 | 558 |
| VI. | 5 | 275 |
| IX. | 44 | 983 *) |
| X. | 11 | 1382 |
| XIII. | 31 | 1247 |
| | 32 | 317. 711 |
| XIV. | 23 | 1122 |

Luc.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 3 | 85 |
| | 28 | 524 |
| | 35 | 292. 327. 660. 661 |
| | 36 | 663 |
| | 70 | 75 |
| II. | 29 | 333 *) |
| | 53 | 711 |
| III. | 10 | 1036 |
| | 14 | 1358 |
| | 22 | 291 |
| | 36 | 88 |
| VI. | 46 | 623 |
| VII. | 47 | 908. 1155 |

Luc.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| VIII. | 13 | 647 |
| | 18 | 851 |
| X. | 28 | 1042 |
| | 35 | 1202 |
| XI. | 13 | 330. 335 |
| | 24 | 889 |
| XII. | 47. 48 | 835 |
| XIV. | 23 | 42 |
| XV. | 7 | 1144 *) |
| XVI. | 22 | 1229 *) |
| | 24 | 983 *) |
| XVII. | 21 | 207 |
| XVIII. | 11 | 1168 |
| | 14 | 895 |
| XX. | 35 | 476. 111 |
| | 36 | 1245 |
| XXII. | 20 | 1113. 119. 1133 |
| | 25 | 1352 |
| | 26 | 98 |
| | 31 | 1296 |
| | 32 | 148. 647 |
| XXIII. | 43 | 1229 *) |
| XXIV. | 6 | 718 |
| | 30 | 1137 |
| | 47 | 1142 |
| | 49 | 330. 336 |

Ioann.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 1 | 309. 341 |
| | 2 | 309. 318 |
| | 3 | 312 *) 352 |
| | 9 | 206. 820. 827. 841 |
| | 12 | 877. 910 |
| | 13 | 882 |
| | 14 | 308 *) 665. 669. 682 |
| | 17 | 897. 995. 1035. 1036. 1369 |
| | 18 | 78. 308 |
| | 22 | 1173 |
| | 29 | 652 *) |
| II. | 24 ſeq. | 711 |


Ioann.

Digitized by Google

Ioann.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| III. | 3 | 877. 889 |
| | 5 | 807. 878. 1085. 1098 |
| | 5.6 | 877. 519. 523. 530 |
| | 8 | 813 |
| | 13 | 660. 714. 761 |
| | 16 | 585. 591 |
| | 17 | 304. 319 |
| | 18 | 867. 981. 1247 |
| | 34. 35 | 321. 701 |
| IV. | 2 | 1081 |
| | 24 | 1218 |
| | 34 | 1204 **) |
| V. | 14 | 889 |
| | 17 | 308. 425 |
| | 19 | 312. 318. 352. 759 *) |
| | 22. 23 | 321. 720 |
| | 24 | 904 *) 1229 *) |
| | 26 | 234 *) |
| | 27 | 701. 711. 1249. 726 |
| | 28. 29 | 1237 |
| | 39 | 27. 146 183. 201 |
| VI. | 27 | 640 |
| | 38 | 761 |
| | 44 | 875 |
| | 45 | 827 |
| | 50 | 95. 964. 1137 |
| | 56 | 967 |
| | 63 | 1133 |
| VII. | 16. 17 | 320. 583. 839 |
| | 28 | 319 |
| | 39 | 334. 335 |
| VIII. | 25 | 111 |
| | 42 | 319 |
| | 44 | 507. 385. 397. 398 *) |
| | 50 | 320 |
| | 58 | 716 |
| IX. | 41 | 555 |
| X. | 26 | 603. 624 |
| | 27 | 963 |
| | 28 | 639 |

Ioann.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| X. | 34-36 | 327 |
| XI. | 8 | 718 |
| XII. | 8 | 1126 |
| | 15 | 391 *) |
| | 31 | 1247 |
| | 35 | 206 |
| | 42 | 1187 |
| | 44 | 320. 1170 |
| | 47 | 1249 |
| | 48 | 141. 1250. |
| XIII. | 34 | 1020 |
| XIV. | 2 | 786 |
| | 16. 17 | 65. 205. 293. 335. 343 |
| | 17 | 838 |
| | 21 | 802 |
| | 23 | 293. 933. 935. 1025 |
| | 24 | 936 |
| | 26 | 85. 293. 334. 942. |
| | 28 | 320 |
| XV. | 2 | 948. 1200 |
| | 5 | 935. 942. 945 948. 949 *) 1191 |
| | 16 | 334 |
| | 19 | 611. 631 |
| | 26 | 293. 304. 328. 334. 337. 339. |
| XVI. | 9 | 858. 1040 *) |
| | 12 | 88. 176 |
| | 13 | 65. 124. 335. 338. 1319 |
| | 24 | 348 |
| | 28 | 718. 1125 |
| | 26. 27 | 750 |
| | 30 | 710 |
| XVII. | 2 | 315 |
| | 5 | 701. 768. |
| | 9 | 747. 750 |
| | 17 | 103. 1319 |
| | 20. 21 | 941. 945 |
| XIX. | 35 | 85 |
| XX. | 21 | 1294 |
| | 22 | 339 |
| | 28 | 306 |




Digitized by Google

Ioann.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| XX. | 31 | 62. 103. 183 |
| | 40 | 828 |
| XXI. | 15. 16. 17 | 149. 1296 |
| | 25 | 181. 182 *) |

Acta Apoſt.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 4 | 849 |
| II. | 1 | 849 |
| | 23 | 493. 772 |
| | 37. 38 | 119. 1147. 1156 |
| III. | 19 | 860. 909 |
| | 21 | 719. 786. 988. 989 *) |
| IV. | 11. 12 | 673 |
| | 13 | 97 |
| | 17. 18 | 608 |
| | 28 | 493 |
| V. | 3 | 331 |
| | 32 | 335 |
| VII. | 14 | 89 |
| | 16 | ibid. |
| | 51 | 873 |
| | 53 | 1004 |
| VIII. | 22 | 931 |
| IX. | 10 | 1100 |
| X. | 2 | 38. 1196. ibid. *) |
| | 34 | 38. 1213 |
| | 43 | 40 |
| XIII. | 32. 33 | 94. 327. 1037 |
| | 38 | 912 |
| | 46. 47. 48 | 602. 624. 880. |
| XIV. | 16 | 811 |
| | 17 | 191 ſq. |
| | 22 | 1213 |
| XV. | 10 | 1024 |
| | 10. 11 | 34 *) 40 |
| | 29 | 1028 *) 1197 |
| XVI. | 3 | 1028 |
| | 7 | 812 |
| XVII. | 22. 23. 24. 25 | 192 |
| | 25. 26. 27 | 424. 803 ſeq. |
| | 28 | 419. 933 |
| | 30 | 592. 812. 857 |
| | 31 | 600. 1247 |

Actor.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| XIX. | 2 | 334 |
| | 3 ſeq. | 1083 |
| | 18 | 1159 |
| XX. | 28 | 726. 1344 |
| XXII. | 17 | 823 |
| XXVI. | 17. 18 | 795. 801 |
| | 18 | 852. 855 |

Ep. ad Roman.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 1 | 1036 |
| | 2. 3. 4. | 327. 634 |
| | 5 | 1184 |
| | 8 | 1291. 805 |
| | 17 | 1039 |
| | 18. 19 | 811. 1034 |
| | 19. 20. | 191. 207 |
| | 20 | 194 *) 1001 |
| | 28 | 864. 866 |
| II. | 4 | 804. 864 |
| | 14 | 1193 1194 *) |
| | 14. 15 | 188. 203 |
| | 15 | 999. 1000 |
| | 16 | 1252 |
| III. | 2 | 136 |
| | 20 | 906 |
| | 23 | 524 |
| | 24 | 899. ſq. 896. 907 |
| | 25 | 269. 271. 751. 910 *). 1167 |
| | 25. 26 | 898. 902 *) |
| | 27 | 1035 |
| | 28 | 906. 1184 |
| IV. | 4 | 901. 914 |
| | 5 | 904 *). 906. 922. 913. 917 |
| | 6 | 901. *) 913. 915 922. 929. 1205 |
| | 7 | 911. 921. 927 |
| | 11 | 1169 |
| | 15 | 79. 856. 858 |
| | 20 | 1186 |
| | 21 | 1181 |
| | 24 | 904 *). |
| | 25 | 784 |
| V. | 1. 2 | 930. 965. 1210. |


Rom.

Digitized by Google

Ep. ad Rom.

| Cap. | Verſ. | pag. |
|---|---|---|
| V. | 5 | 341. 897 |
| | 8 | 747. 751. 898 |
| | 12 | 513. 515. 523 |
| | 15 | 897. 917 |
| | 17 | 961. 1173 |
| | 18.19.20 | 516. 514. 756. 899 912. 594.*) 746*) 917. 922. 983 |
| VI. | 3. 4. 5 | 1090 |
| | 6 | 530. 955 |
| | 12 | 525. 536 |
| | 14 | 536. 1023 |
| | 15 | 961 |
| | 22 | 1209 |
| VII. | 7 | 532. 824. 1009 (1018 |
| | 8. 9 | 555 |
| | 14. ſeq. | 533. 958. 1025 |
| | 24 | 414 |
| VIII. | 1 | 535. 548 |
| | 3 | 659. 959. 1025 |
| | 4 | 1025 |
| | 7 | 580. 602 |
| | 9 | 957. 1287 |
| | 10 | 1243 |
| | 11 | 775. *) |
| | 12 | 1148 |
| | 13 | 538. 548. 930. 1043 |
| | 16 | 66 1208) |
| | 26. 27 | 332 *) |
| | 29 | 629 |
| | 30 | 468. 970 |
| | 32 | 601: 688. 930 |
| | 33 | 894. *) 890 |
| | 34 | 751. 788. 964 |
| | 38 | 640. 886. 1181 |
| IX. | 5 | 306 |
| | 11. 12 | 541. 595 |
| | 17. 18 | 492. *) 594. 617 |
| | 19 | 594. 874 |
| | 21. 22 | 493. 597. 646. 647 |
| | 32 | 497. 649 |
| X. | 4 | 737 |
| | 8 | 207 |
| | 10 | 1028 |
| | 14 | 899. 923. 1025 |

Ep. ad Rom.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| X. | 15 | 1337 |
| | 21 | 873 |
| XI. | 1. 2 | 1264 |
| | 5 | 651 *). 666 |
| | 25. 26 | 1267. 1269 |
| | 29 | 640 |
| | 32 | 141. 592. 589 |
| XII. | 1 | 33. 70 |
| | 1. 2 | 947. 954 |
| | 6 | 161 *). |
| | 11 | 138 |
| XIII. | 1 | 1363 |
| XIV. | 7. 8. 9 | 311 *). |
| XV. | 4 | 63. 214 |
| | 16 | 344 |
| XVI. | 25 | 812. 1036 |

Ep. I. ad Cor.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 1 | 956 |
| | 9 | 806 |
| | 26 | 813 |
| II. | 12. 13 | 79. 86 |
| | 13. 14 | 156 |
| | 14 | 19. 69. 193 531. 579 |
| | 15 | 146 |
| | 16 | 77 |
| III. | 1. 2 | 958 |
| | 4 | 35 |
| | 9 | 859 |
| | 11 | 46. 47 |
| | 12 | 1200. 1253 |
| | 13 | 1233 |
| | 16 | 847. 936. 938 |
| | 23 | 320 |
| IV. | 4 | 926. 931. 1192 |
| | 6 | 63. 201. 215 |
| | 7 | 817 |
| | 15 | 878. 879 |
| VI. | 7 | 1359. 865 |
| | 9 | 865 |
| | 11 | 531. 895. *) 896 |
| | 13 | 1244 |
| | 15. 16. 17 | 934. 940. 942. 1372 |




Digitized by Google

Ep. I. ad Cor.

| Cap. | Verſ. | pag. |
|---|---|---|
| VI. | 19. 20 | 752 |
| VII. | 1 | 1376 |
| | 2.4 | 1372 |
| | 5 | 1359. 1375 |
| | 12 | 84 |
| | 14 | 1094 |
| | 15 | 1382 |
| | 31 | 1275 |
| VIII. | 6 | 316. 352 |
| IX. | 15 | 1202 |
| | 27 | 642 |
| X. | 2 | 1080. 1090 |
| | 4 | 1114. ſq. |
| | 12 | 1143 |
| | 14 | 1136 |
| | 15 | 70 |
| | 16 | 1111 |
| | 16.17 | 936 |
| | 21 | 1062 |
| XI. | 7 | 469. 487 |
| | 10 | 335 |
| | 19 | 32. 1307 |
| | 20 | 1104 |
| | 23 | 181 |
| | 24 | 1113. 1128 |
| | 25 | 1113. 1119 |
| | 26 | 1138 |
| | 27-29 | 1134 |
| | 32 | 1161 |
| XII. | 3. 4. 5. 6 | 294. 295. *) |
| | 6 | 317 |
| | 7 | 206 |
| | 8. 9 | 1178 |
| | 11 | 332. *) 943 |
| | 13 | 1096 |
| | 28 | 64. 1294. 1289 |
| XIII. | 2 | 1178. 1187 |
| | 12 | 5. 153. 212. 458 |
| XIV. | 6. 14 | 171 |
| | 14 | 411 |
| | 20 | 70 |
| | 34 | 1343 |
| XV. | 1 | 965 |
| | 2 | 1241 |
| | 12 | 1241. 1237. **) |

Ep. I. ad Cor.

| Cap. | Verſ. | pag. |
|---|---|---|
| XV. | 22 | 988 |
| | 24 | 321. 763. 989 |
| | 25 | 764 |
| | 28 | 763. 977 |
| | 41 | 976 |
| | 42 | 1243 |
| | 44 | 973. 1243 |
| | 47 | 138. 476. 659 |
| | 50 | 1244. *) |
| | 51 | 1239. |
| | 52 | 1226 |
| | 53 | 1242 |
| XVI. | 15 | 1339 |

Ep. II. ad Corinth.

| Cap. | Verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 21.22 | 945. 966 |
| II. | 6 | 1158 |
| | 15 | 497. 1035 |
| | 16 | 818 |
| III. | 3 | 826 |
| | 5 | 580 |
| | 6 | 79. 858. 879. 1099 |
| | 6. 7. 8. 9 | 825 |
| | 15 | 219 |
| | 28 | 955 |
| IV. | 3. 4 | 158. 825. 827. 842 |
| | 16 | 955 |
| V. | 3. ſeq. | 412 |
| | 6. 7. 8 | 5. 1229 *) 1230 *) |
| | 10 | 1242. 1240 |
| | 13 | 824 |
| | 17 | 884 |
| | 19.20 | 729. 807. 912. 921 |
| | 21 | 658. 738. 913. 916 |
| VI. | 16 | 938*) 941 (922 |
| VII. | 1 | 949. 954 |
| | 10 | 1034. 1147. 1150 |
| X. | 5 | 1177. ſeq. |
| XI. | 2 | 937 |
| | 6 | 98 |
| XII. | 2. 3 | 411. 823 |
| | 7 | 951 |
| XIII. | 5 | 51. 846. 944 |
| | 12 | 5 |
| | 13 | 295. 944 |


Ep. ad

Digitized by Google

**Ep. ad Galat.**

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 8 | 180 |
| II. | 7 | 1070 |
| | 14 | 88 |
| | 15 | 786 |
| | 16 | 906. 1185 |
| | 18.19 | 929 |
| | 20 | 840.882.883.891. |
| III. | 6 | 913.922 (939 |
| | 13 | 738.746 |
| | 18 | 1206 |
| | 19 | 1004 |
| | 20 | 757 |
| | 22 | 141. 1167 |
| | 23 | 348 |
| | 24 | 808.825.858.936. 1021 **) |
| IV. | 4 | 729.929 |
| | 4.5 | 737 |
| | 6 | 343. 940. 945. |
| | 8 | 721 (1215 |
| | 19 | 879.891 |
| | 21.ſeq. | 1046 |
| V. | 6 | 13. 18. 951. 1172. |
| | 19.20.21 | 645. (1187.1191 |
| | 24 | 958 |
| | 25 | 1191 |
| VI. | 1 | 957 |
| | 16 | 141 |

**Ep. ad Epheſ.**

| Cap. | Verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 3.4.ſeq. | 611.614.ſeq. |
| | 4 | 611.607 |
| | 5.6 | 612.617.1210 |
| | 6 | 616 |
| | 7 | 899.921 |
| | 9 | 79 |
| | 10 | 748 |
| | 11 | 431 |
| | 11.12 | 447 |
| | 13 | 641.878 |
| | 17 | 157.935 |
| | 19.20 | 874.885 |
| | 20.21 | 709 **) 788 |
| II. | 1 | 111. 203 |
| | 3 | 519 |
| | 5 | 840.883 |
| | 8 | 586.897 |
| | 10 | 1191 |
| | 12 | 194.203 |
| | 20 | 47 |
| | 20.21 | 936 |
| | 22 | 47 |
| III. | 5 | 1035 |
| | 8.9 | 826.850 |
| | 9 | 842 |
| | 12 | 1181.*) 1182 |
| | 17 | 937 |
| IV. | 2 | 1287 |
| | 5 | 36 |
| | 6 | 316 |
| | 7 | 897 |
| | 9 | 985 |
| | 10 | 309.**) 715 |
| | 11 | 1294 |
| | 13 | 1245 |
| | 18 | 203 |
| | 24 | 473.884.952 |
| V. | 2 | 744 |
| | 8 | 203.839 |
| | 11 | 538 |
| | 14 | 802. 881. |
| | 23 | 935 |
| | 26.27 | 535.1305 |
| | 30 | 938.942 |
| | 32 | 934.935.1079 |

**Ep. ad Philipp.**

| Cap. | Verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 6 | 963 |
| | 9 | 216 |
| II. | 1 | 205 |
| | 5. 6. 7.8. | 766 |
| | 8 | 659 |
| | 9 | 701.720.748 |
| | 9.10 | 775.985 |
| | 12.13.14 | 931. 1190. 1202 1208 |
| III. | 9 | 913.922.1240 |
| | 12 | 5 |
| | 14 | 1215 |
| | 21 | 709.**) 1243*) 1244*) |

### Ep. ad Phil.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| IV. | 13 | 1025 |

### Ep. ad Coloſſ.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 12 | 852 |
| | 15 | 672 |
| | 17 | 309. 1292 |
| | 22 | 1244 *). |
| | 27 | 207 |
| II. | 2 | 1181 |
| | 3 | 710 |
| | 8 | 29 |
| | 9 | 682. 701 |
| | 12 | 874 |
| | 14 | 893 *). |
| | 15 | 778 |
| III. | 10 | 884. 952. 954. 955 |
| | 16 | 171. 207 |

### Ep. I. ad Theſſ.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 3 | 623 |
| | 5. 6 | 118 |
| | 9 | 1143 |
| | 10 | 754 |
| II. | 13 | 75. 118 |
| IV. | 14 | 1240 |
| | 16 | 1247 |
| V. | 15. 16 | 1264. 361 |
| | 19. 20 | 64. 331 |
| | 23 | 410. 948. 963. 965 |
| | 27 | 1101 |

### Ep. II. ad Theſſ.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 6. 7 | 1213. 1250 |
| | 7. 8. 9 | 979 |
| | 8 | 1184 |
| | 9 | 989. 1240 |
| | 10 | 1254 |
| II. | 3 | 1327 |
| | 4 ſq. | 1327. 1328. 1330 |
| | 8 | 1271. 1328 |
| | 11 | 492 |
| | 13 | 607. 611. 622 |
| | 15 | 181. 1252 |
| III. | 3 | 965 |

### Ep. I. ad Timoth.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 5 | 1191 |
| | 9 | 1022 |
| | 15 ſq. | 1175 *) 1178 |
| | 17 | 974 *) |
| | 17. 18 | 638 |
| | 19 | 886. 969 |
| II. | 1 | 1217 |
| | 4 | 592. 869 |
| | 4. 5. 6 | 753. 809 |
| | 5 | 317 |
| | 11. 12 | 849 |
| | 14 | 511 |
| | 15 | 1213 |
| III. | 1 | 1338 |
| | 2 | 1374 *) |
| | 15 | 73. 123. 1319 |
| | 16 | 666 |
| IV. | 1 | 969 |
| | 8 | 33. 1214 |
| | 10 | 594 *) 988 |
| | 14 | 1340 |
| V. | 21 | 634 |
| VI. | 20 | 181 |

### Ep. II. ad Timoth.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 9 | 806. 1210 |
| | 10 | 1052 |
| | 12 | 1181 |
| | 13 | 214 |
| II. | 4 | 1340. 1375 |
| | 10 | 630 |
| | 15 | 146. 1081 |
| | 17 | 36 |
| | 21 | 613 |
| | 25. 26 | 754 |
| III. | 14. 15 | 62. 202 |
| | 15. 16 | 150. 175 |
| | 16 | 56. 63. 75. 81. 83. 85 174 *). 179 *) 1347 |
| IV. | 1 | 1251 |
| | 8 | 971. 975 |
| | 18 | 315 * |


Ep. ad

Digitized by Google

### Ep. ad Tit.


| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 2 | 381 |
| II. | 11. 12 | 592. 827. 828. 1197 |
| | 14 | 950 |
| III. | 3 | 586 |
| | 5 | 890. 950. 951. 971 |
| | 8 | 1199. 1205 |


### Ep. ad Philem.


| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| | 17. 18. 19 | 914 ſq. |


### Ep. I. Petr.


| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 3 | 302. 877. 878. 881 |
| | 5 | 1210 |
| | 9 | 972 |
| | 18 | 753 |
| | 20 | 618. 634 |
| | 21 | 1170 |
| | 23 | 205. 878. 886 |
| II. | 4 | 634 |
| | 8 | 818 |
| | 13 | 306. 1355. 1363 |
| | 24 | 738. 744 |
| III. | 18. 19 | 778 |
| | 19 | 778 |
| | 19. 20 | 986. 988. |
| | 21 | 1096. 1100. |
| IV. | 1. 2 | 951 |
| | 14 | 971 |
| V. | 1 | 1295*). |
| | 2. ſeq. | 1344 |
| | 10 | 964 |


### Ep. II. Petr.


| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 4 | 802**). 884. 937. 940. 942. 977 |
| | 19 | 88. 75. 150. 202. 820. 834. 842 |
| | 21 | 6. 78. 79. 80. 81. 86. 162 |
| II. | 2 | 1338 |
| | 4 | 397. 403. 1251 |
| | 20 | 889 |
| III. | 1 | 458 |
| | 4 | 1247 |
| | 9 | 593. 863 |
| | 16 | 153 |
| | 17. 18 | 967 |


### Ep. I. Ioan.


| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 4 | 80 |
| | 8 | 927. 957 |
| II. | 1 | 1214 |
| | 2 | 743*). 745 |
| | 4 | 839 |
| | 9. 10. 11 | 838 |
| | 20 | 206 |
| | 27 | 64. 820. 826 |
| III. | 2 | 212 |
| | 4 | 488 |
| | 7 | 926 |
| | 9 | 541. 884. 886. 888. (ib.* |
| | 14 | 908 |
| | 22 | 973 |
| | 23 | 1184 |
| IV. | 4 | 945 |
| | 6 | 341 |
| | 8 | 839 |
| | 12 | 961 |
| | 14 | 731**) |
| V. | 4 | 958 |
| | 3 | 1025. 1203*) |
| | 6 | 117 |
| | 7 | 138. 295 ſq. |
| | 10 | 120 |
| | 16 | 548*) 565. 566*). |
| | 18 | 887 |
| | 20. ſeq. | 244. 306 |


### Ep. II. Ioan.


| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| II. | 10 | 1304 |
| | 12. 13 | 182 |


### Ep. III. Ioan.


| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| | 13. 14 | 182 |


### Ep. ad Ebr.


| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 1. 2 | 64. 78. 1035. |
| | 3 | 285. 313. 323. 328*) 426. 441. 745 |
| | 5 | 94. 308 |
| | 6 | ibid. |
| II. | 8 | 776 |
| | 9 | 748 |
| | 14 | 659. 666. 682. |
| | 16 | 666 |




Digitized by Google

## Ep. ad Ebr.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| III. | 2 | 757**) |
| | 5.6 | 1019 |
| | 11. 12 | 867. 969 |
| IV. | 2 | 816 |
| | 3 | 975 |
| | 14 | 745 |
| | 16 | 910. 1181 |
| V. | 4 | 1337 |
| | 5 | 94. 321. 328 |
| | 9 | 1184 |
| | 13. 14 | 964 |
| VI. | 1. 2 | 49. 538 |
| | 2 | 1099. ib.*) |
| | 4. 5. 6 | 559. 560. 561. 562ſq. |
| | 5 | 217. 824 |
| | 6 | 868. 947. 1098 |
| | 11 | 1181 |
| VII. | 1. 2. 3. ſqq. | 733*) |
| | 3 | 407*) |
| | 19 | 1052 |
| VIII. | 1 | 787 |
| | 4 | 745. 1125 ſq. |
| | 6 | 185. 1052 |
| | 7 | 1030 |
| IX. | 10 | 1024*) |
| | 12 | 745. 755 |
| | 28 | 731*) |
| X. | 26 | 559. 565. 868. |
| | 27 | 989 |
| | 28. 29 | 557. 559. 560 |
| | 36 | 1207 |
| XI. | 1 | 1181 |
| | 3 | 356 |
| | 6 | 45 |
| | 7 | 1183 |
| | 21 | 89 |
| | 22 | 1136*) |
| | 26 | 1215 |
| | 39 | 975 |
| | 40 | 975 |
| XII. | 2 | 787. 902. *) |
| | 11 | 951 |
| | 12. 13 | 964 |
| | 14 | 1206 |
| | 16 | 868 |
| | 17 | 597. 1142 |
| | 22 | 978*) |
| XIII. | 8 | 309 |
| | 16 | 1211 |

## Ep. Iacob.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 5 | 27 |
| | 13 | 491 |
| | 14. 15 | 501. 502*). 534. 538. |
| | 17 | II. 252 (539*) |

## Ep. Iacob.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 18 | 877. 878. 888*). |
| | 21 | 206 |
| | 27 | 33 |
| II. | 5 | 622 |
| | 15 | 1187 |
| | 18 | 907 |
| | 19 | 1178 |
| | 21 | 907. 1185 |
| | 22 | 967 |
| III. | 2 | 540 |
| | 8 | 1158*) |
| | 9 | 466 |
| IV. | 16. 17 | 552 |
| V. | 14. 15 | 1079*) |
| | 16 | 1157 |
| | 19 | 1338 |

## Ep. Iud.

| verſ. | pag. |
|---|---|
| 3 | 888 |
| 4 | 644 |
| 5 | 888 |
| 6 | 397. 1252 |
| 15 | 538. 1247 |
| 24 | 541 |

## Apoc. Ioann.

| Cap. | verſ. | pag. |
|---|---|---|
| I. | 4 | 394 |
| | 8 | 309. 651*) |
| | 18 | 778 |
| II. | 23 | 311*) |
| | 5 | 1143 |
| | 16 | 1144*) |
| III. | 3 | 836. 840 |
| | 5 | 606. 642 |
| | 7 | 786 |
| | 11 | 638 |
| | 20 | 796. 830 |
| V. | 8 | 1220 |
| | 12 | 709*) |
| | 13. 14 | 315*) |
| VI. | 9 | 975 |
| XI. | 2. 3 | 1330 |
| XII. | 5 | 891 |
| XIII. | 8 | 41. 606 |
| XVII. | 8 | 606 |
| | 9 | 1328 |
| XVIII. | 2 | 1273 |
| XIX. | 10 | 89 |
| XX. | 1-8 | 1259 ſq. |
| | 10 | 1271 |
| XXII. | 1 | 338 |
| | 4. 5 | 852 |
| | 11 | 895. 928 |
| | 19 | 606. 642 |




Digitized by Google

# II. INDEX
## RERVM PRAECIPVARVM.


A. pag.

ABAELARDVS (Petr.) ſatisfactionem Chriſti negauit. 739

Abſolutio peccatorum ab eccleſiæ miniſtro facta, qualis ſit. 1348. non eſt ſacramentum N. T. 1079 *).

Abſtractum, quo ſenſu propoſitionum idiomaticarum ſecundi generis ſubiectum ſit 722 *). lites de vſu *abſtracti*, eiusque termini neceſſitas. ibid.

Abſtractum naturae quid? 685

— perſonæ. 685 *)

Accommodatio rectius dicitur, quod vulgo ſenſum myſticum vocant. 91 falſa eſt, quam Sociniani & Remonſtrantes ſcriptoribus ſacris N. T. adfingunt, accomodatio. ib. 91 *)

innata quid? 92 illata. ibid.

Actiones diuinæ quid? 350

— ad intra quid! 350. earum diſtinctio ibid.

— ad extra. 350

— eſſentiales ſunt indiuiſae. 351

— perſonales quotuplici modo conſiderandae ſint. 351

Actiones morales creaturarum qua ratione a Deo & a creaturis ſimul pendeant 442. legi diuinae contrariae iam per ſe malae ſunt. 500. quomodo actionis malæ formale & materiale differant. 443. 498

— inuitæ quænam? 544

— ſpontaneæ ſeu voluntariae, 544. quommodo voluntaria actio ab arbitraria differat 1203 *)

— mixtæ 544

Actiones θεανδρικαὶ quænam? 726

Actiones typicæ. 92

Actus perſonales quid? 286. actus perſonales Dei Patris 303. Filii Dei. 328

ADAMVS, primus homo, 406. non minus, quam Heua a diabolo ſeductus eſt, 511. caput morale generis humani fuit, v. *Homo primus.* 515

אֲדֹנָי · אָדוֹן, nomina DEI 220. explicantur. 224

Aeternitas: vocis homonymia, 248. quid in Scr. S. ſignificet. 248 *)

Aeternitas Dei quid ſit 248. excludit omnem ſucceſſionem 248. Deo ſoli competit ibid. vtrumque negant Sociniani. ibid.

Aetherem mundum ambientem cryſtalli inſtar durum et ſolidum fingunt ſcholaſtici. 366

Affinitas quid 1378. eius genera ibid gradus affinitatis prohibiti. 1379

Agenda, alterum doctrinæ caput. 59. 60

pag.

Agnitio peccati, quomodo fiat. 1152 ſeq.

Agnus Dei, nomen CHRISTI 652 *). ſenſus nominis, eiusque vſus. ibid.

Agnus paſchalis quid 1072. an fuerit ſacrificium 1053 *). 1075 ſeq. non confundendus eſt cum ſacrificiis paſchalibus 1075. eius inſtitutio 1072. cauſſæ miniſteriales ibid. materia terrena 1073. cœleſtis ibid. vtriusque vnio qualis fuerit ibid. forma ſ. eſſentialia eius 1074. quibus imperata fuerit eius comeſtio ibid. finis cuius gratia inſtitutus ſit 1075. neceſſitas huius inſtituti 1076. locus & tempus comeſtionis 1077. qua ratione Chriſtus in ſacro hoc epulo præſens fuerit 1073. quo tempore Chriſtus vltimum paſcha comederit. 1117

Αἴρειν ſignificat facta imputatione aliquid *perferre.* 738 *)

Ἀλλοίωσις, nomen primi generis communicationis idiomatum, caute adhibendum eſt. 694

Alloquium, ſingularis reuelationis diuinæ modus. 62

עַלְמָה ſemper ſignificat virginem illibatam. 662

Ἀμὴν, adſeuerationis formula: cur Chriſtus ea toties vſus ſit. 314 *).

Amor, attributum Dei. 267

*Anabaptiſtæ*, nouas reuelationes iactant 64. corruptionem textus originalis Scr. S. ſomniant 137 ſeq. eorum de peccato originali errores 520. peccatis actualibus omnes homines laborare negant 540. ὁμοουσίαν carnis Chriſti impugnant 659. immediatæ illuminationis neceſſitatem fingunt 826. regeneratione ſubſtantiam hominis immutari nugantur 883. 884 infantes capaces eſſe regenerationis negant 880. falſa eorum iuſtificationis notio 895. fide iuſtificari hominem infitiantur 907. ſemel iuſtificatos gratia diuina prorſus excidere poſſe negant 639. renatos iam in hac vita perfectos fieri ſomniant 959. ſeq. 1025 1199. neceſſitatem bonorum operum ad ſalutem æternam obtinendam ſtatuunt 1206. chiliaſmum amplectuntur 1255. animos a corpore ſeparatos nihil agere aut pati fingunt 974. pœnas infernales finem habituras perhibent 958. diabolos ſaluatum iri nugantur 404. legem Moſaicam nulla ratione ad Chriſtianos pertinere, Chriſtum vero nouas leges condidiſſe docent 1019 ſeq. 1022. legem de ſabbatho ſanctificando


in

Digitized by Google

in N. T. prorſus abrogatam eſſe ſtatuunt 1014. patres V. T. euangelium & fidem in Chriſtum ignoraſſe opinantur 40. 1036. in V. T. bona tantum terrena promiſſa fuiſſe perhibent 1052. ſacramenta externa tantum religionis Chriſtianæ ſigna eſſe cauillantur 1055. 1063. efficaciam ſacramentorum a pietate miniſtri diſpenſantis pendere fingunt 1058. 1351. paedobaptiſmum impugnant 1091. de ſanctitate infantum Chriſtianorum ante baptiſmum peruerſe ſentiunt 1094. veram & realem corporis & ſanguinis Chriſti in cœna S. præſentiam negant 1123. 1135. fidem ſacramento euchariſtiæ confirmari infitiantur 1139. confeſſionem & abſolutionem priuatam reiiciunt 1160. cœtum nullum, cui impii admixti ſint, veram eccleſiam eſſe, audacter negant 1304. ſoli plebi ius vocandi miniſtros eccleſiæ aſſerere audent 1335. vocationis mediatæ neceſſitatem, prorſus negant 1338. non licere miniſtris V. T. ſalaria & nummum confeſſionarium accipere ſtatuunt 1344. 1345. irregenitorum miniſterium tanquam penitus inutile, reiiciunt 1351. diſtinctos inter miniſtros eccleſiæ dignitatis gradus non admittunt 1352. magiſtratum a Deo eſſe infitiantur 1355. 1356. licere magiſtratui iudicia exercere & ſceleſtos ſupplicio adficere negant 1358 non licere Chriſtianis bella gerere ſtatuunt 1360. nonnullis eorum polygamia placuit. 1373

Analogia fidei quid 161. ibid. *). eſt vnicum interpretationis Scr. S. principium 161 *). quomodo ab analogia ſcripturæ differat. 162 *)

Angeli, vocis etymologia 374. homonymia ibid. angelorum definitio ibid exſiſtentia ibid. quibus argumentis ratio angelorum exſiſtentiam doceat. 374 *). ſpiritus eos eſſe probatur 377. confutantur, qui ſubtiliſſimo eos corpore veſtitos volunt. ibid. quomodo a Deo, mente humana & reliquis rebus creatis diſtent 378. cauſſa eorum efficiens 380. an ad imaginem Dei conditi fuerint 469. quo die ſint creati 361. 380. cur Moſes nullam creationis eorum mentionem fecerit 363 *). eorum proprietates & attributa 381. ſeq. vera miracula facere nequeunt 383. eorum numerus 384. ſtatus. ibid.

Angeli boni: eorum deſcriptio 386. an in electis ſint numerandi 633. an confirmationem in bono, quæ ipſis facta eſt, meritis ſuis conſecuti ſint 387. bona, quibus in virtute confirmati, potiti ſunt 388. ſeq. ſcientia eorum qualis 388. opera & officia eorum 390. ordo 392. non ſunt religioſe inuocandi 392. ſeq. illorum miniſterio Deus in promulgatione legis ſinaiticæ vſus eſt 1003. euangelium quoque ſæpe numero hominibus annunciarunt. 1036

Angeli mali: cur ita nominentur 395. eorum deſcriptio ibid. exſiſtentiam eorum iam ex principiis rationis probabili ratione colligimus 375 *) ſeq. quomodo labi potuerint 397. quo tempore lapſi ſint 399. 398 *). quodnam & quale primum eorum peccatum fuerit 397. ſeq. qualis eorum ſcientia ſit 399. qualis libertas et potentia ibid. operationes eorum quales 400 403. v. *Obſeſſio.* ſpectris illudunt hominibus 402. eorum pœna æterna 403. 404. cur Deus eorum miſereri nolit 590. ſeq. tortores damnatorum fore, non eſt probabile. 755 *). 984

Angeli tutelares an ſint 391. opinionis huius vetuſtas. ibid. *)

Angelus, in V. T. Iehouah dictus, fuit Filius Dei 395

Anima humana: quomodo primo homini a Deo inſpirata ſit 409. eius προΰπαρξιν adfirmarunt Pythagoræi & Platonici 412. an in corpore tanquam in carcere detineatur 412 ſeq. per traducem propagatur 414. de eius emanatione & in eſſentiam Dei refluxu Pſeudomyſticorum ſomnia profligantur 417. ſeq. immortalitas eius ex principiis rationis demonſtratur 454 *). 1228. mortalem eſſe animam quinam commenti ſint 1231 *). quæ et qualis conditio eius poſt mortem futura ſit 1227. ſeq. errantium circa hanc animæ conditionem claſſes. 1231. ſeq. *)

Annihilatio quid 441. annihilationem damnatorum Socini aſſeclæ ſtatuunt 988

Ἀνομία quomodo latina voce reddi poſſit. 488 ſeq.

*Anthropomorphitæ*, ſ. Audæani, Deo corpus humanum tribuunt. 230

Antichriſtus: eius deſcriptio 1327. nominis huius duplex poteſtas ibid. an Muhammedes pro Antichriſto haberi poſſit ibid. verus, isque magnus Antichriſtus eſt Pontifex Romanus 1328. ſeq. aduentu Chriſti ad extremum iudicium abolebitur. 1270

Ἀντίδοσις quid. 694

Ἀντίλυτρον quid. 753

*Antinomi*, confutati 1022. ſeq. varia eorum genera ibid. *) in illis quoque Herrnhuthiani numerandi. ibid.

Ἀνυποστασία humanæ Chriſti naturæ. 657. ſeq.

Ἀπιστία: an poſſit aberratio a lege dici 501. 1034. non ſtricte, ſed late dicitur peccatum 858 *) 1040 *)

— finalis eſt cauſſa proxima æternæ damnationis. 980 *)

Apographorum Script. S. auctoritas. 145

Apoſtaſia, quid & quotuplex. 969

Apoſtoli quo ſenſu idiotæ & indocti dici poſſint 97. ſeq. an omnibus gentibus euangelium ipſi

Digitized by Google

ipſi prædicauerint? 813. proprietates eorum 1:33 *)
Ἀποθέωσις, myſticorum commentum 801. 802 **)
Ἀποτέλεσμα quid ſignificet 724 *). 726. quomodo ἀποτέλεσμα et ἐνέργημα differant 724. *) 726. quotuplicis ordinis ſint ἀποτελέσματα Chriſti. 728
Appetitus ſenſitiuus primi hominis. 474
Apprehenſio, quæ fidem ſaluificam efficit 1173. quotuplex ſit. 1174
Aqua baptiſmalis qualis eſſe debeat 1084. an eius loco alius liquor adhiberi poſſit? 1085
Aquæ ſupracœleſtes. 366. ſeq.
*Arabici*, hæretici veteres, ab errore ſuo θνητοψυχῖται appellati. 1231. ſeq.
Ἀρχίτυποι quid ſignificet. 3
ARETIVS (Bened.) impios vi meriti Chriſti reſurgere cenſuit. 1241
*Arminiani*, indifferentiſmo fauent 37. eorum de θεοπνευστίᾳ Scr. S. errores 84. 88. quid per accomodationem vaticiniorum V. T. intelligant 91 *). de argumento pro diuina Script. S. origine ex teſtimonio Spiritus S. interno deſumto exiliter ſentiunt 119. corruptionem textus originalis Script. S. fingunt 137. ſeq. poteſtatem iudicandi Scripturæ S. nimis anguſtis terminis circumſcribunt 143. Spir. S. gratiam illuminatricem ad intelligendam Script. S. non neceſſariam eſſe exiſtimant, 158. error eorum de cognitione Dei 16. infinitatem Dei ægre admittunt 246. myſterium Trinitatis omnibus ſaluandis creditu neceſſarium eſſe infitiantur 348. Filium Dei eſſe αὐτόθεον negant 315. angelos multa ſæcula ante viſibilem mundum conditos eſſe ſtatuunt 362. 381. quidam eorum angelos corpore veſtiunt 377. confirmationem bonorum angelorum firmo argumento probari poſſe negant 386. concurſum Dei ad actiones hominum in dubium vocant 444. imaginem Dei meritorie tantum, non naturaliter amiſſam eſſe docent 486. eorum de peccato originali & imputatione peccati primi errores 515. 520. 527. peccata infirmitatis admodum extenuant 550. liberum arbitrium in ſpiritualibus non eſſe deperditum ſibi perſuadent 581. voluntati humanæ vim actiuam ſe ad Deum conuertendi tribuunt 860. ex electis fieri poſſe reprobatos docent 683. Chriſtum filium Dei adoptiuum nuncupant 683. attributa diuina carni Chriſti communicata eſſe penitus negant 707. 709. 711. 717. 789. cultum ſummum Chriſto homini denegant 721 ſimpliciter impeccabilem vocari poſſe Chriſtum infitiantur 734. infernales dolores ipſum ſuſtinuiſſe admittere nolunt 771. iuſtificationis per fidem veram rationem euertunt 904. 907. 915-918. 926. fidei partem præcipuam obedientiam faciunt 1169 *). 1184. vnionis myſticæ veram indolem impugnant 941. renouatos iam in hac vita perfectos fieri poſſe perhibent 959. ſeq. 1025. 1199. bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria ſciſcunt. 1206. ea a Deo vt meritoria ex gratia acceptari fingunt 1211. ab irregenitis etiam opera vere bona proficiſci poſſe contendunt 1194. falſam Euangelii definitionem proferunt 1033. a Chriſto nouas leges ſcriptas eſſe docent 1019. ſeq. ſacramentis gratiam diuinam conferri negant 1063. veram et realem corporis & ſanguinis Chriſti in cœna S. præſentiam infitiantur 1123. ſeq. euchariſtiæ efficaciam vehementer imminuunt 1139. pœnitentiam correctionem vitæ definiunt 1145. eccleſiam catholicam penitus deficere poſſe ſtatuunt 1319. ius vocandi miniſtros V. D. ſoli magiſtratui aſſerunt. 1335
Arrogantia quid 398 *). primum fuit cacodæmonis peccatum. ibid.
Articuli fidei quid 43. vocis homonymia 44. articulorum fidei requiſita ibid. obiectum eorum ibid. eorum diuiſio 45. eorum neceſſitas, eiusdemque varii gradus. 53. 54
— fundamentales 46. vel ῥητῶς, vel διανοητικῶς in Script. S. continentur 52. eorum diuiſio in primarios & ſecundarios 48. 51. primariorum diſcrimen 48. eorum, qui fidem conſtituunt, breuis ſumma. 49.
— mixti 45. vera nominis huius ratio ibid. ex principiis philoſophiæ aliquo tantum modo innoteſcunt. 68. 69.
— non-fundamentales. 53.
— puri 45. vnice ex Script. S. cognoſcuntur 68. 69
Aſcenſio Chriſti in cœlum 784. 785. ſecundum quam naturam & qua virtute facta ſit ibid. locus, in quem, aſcenſione facta, Chriſtus peruenerit 785. finis eius. 786
Aſſenſus, pars fidei ſaluificae 1178. humanum ſufficere Romanocatholici ſibi perſuadent. 1177 *)
Aſtrologi notantur. 371
Aſtrorum vſus. 371
Atheiſmus, atheus 60. duo eorum genera 194 *) vtrum ſint athei theoretici 194. athei negant prouidentiam Dei, 424. & reſurrectionem mortuorum. 1233
Attributa Dei quid 234. non ſunt accidentia 235. quomodo de Deo prædicentur 235. quomodo inter ſe & ab eſſentia diuina diſtinguantur ibid. fundamentum huius diſtinctionis 236. eorum diuiſio 237. Filio Dei in Script. S. ad vnum omnia tribuuntur 309 ſeq. itemque Spir. S. 331. ſq. humanæ Chriſti naturæ, nullo eorum demto, communicata ſunt 704. modus huius communicationis. 705
— negatiua quid. 237
— operantia ſ. ἐνεργητικά. 237. 255 ſeq.



Digitized by Google

Attributa Dei poſitiua. 237
— quieſcentia ſ. ἀνενέργητα 237. 238 ſeq. qua' ratione Chriſto homini communicata ſint 704
Auctoritas quid 104. eius requiſita. ib.
— conciliorum qualis ſit. 1325
— Dei in quonam conſiſtat. 104
— ſcripturæ S. quid & quotuplex 104 ſeq. origo eius 105. criteria eius originis 106. interna 110. non pendet ab auctoritate eccleſiæ 120 ſeq.
— canonica 104. 125. quomodo diſtet ab ea, quæ cauſſatiua dicitur 125. vnde innoteſcat 126 ſq. quoad ab eccleſiæ teſtimonio pendeat. ib.
Avgvstinvs explicatus 124. prædeſtinationis voce ἀκύρως vſus eſt. 608
Auxilium gratiæ quid ſit 949 *). in ſtatu, non vero actu renouationis locum inuenit. ib.
Αὐθεντία Scripturæ S. quid? 104
Αὐτόθεος quotuplici ſenſu poſſit exponi 318. an ſoli Deo Patri conueniat? ib.

B.

Bailivs (Petr.) notatus 239 **). ſophiſma eius, quo incarnationis myſterium impugnat, exploſum. 670 *).
Baptiſmus quid 1080. vocis etymologia. ib. eius homonymia ib. quomodo βαπτισμὸς & βάπτισμα ex vſu biblico differant 1080 *). cur a Patribus græcis vocatus ſit φωτισμὸς 1095. cauſſa efficiens principalis baptiſmi 1081. eius cauſſa miniſterialis ib. qua ratione Ioannis & Chriſti baptiſmus differant 1082. an ab hæretico collatus efficax ſit 1084. eius materia terrena 1084. cœleſtis 1085. quo ſenſu verbum Dei vel ſanguis Chriſti materia cœleſtis baptiſmi vocari poſſint 1086. 1087. variæ theologorum ſententiae de cœleſti baptiſmi materia conciliantur 1086. ſeq. vtriusque materiæ vnio qualis 1087. forma baptiſmi 1088 aſperſione non minus quam immerſione legitimus ſit baptiſmus 1088. ſeq. diſtincta verborum inſtitutionis pronuntiatio ad integritatem baptiſmi neceſſario requiritur 1088. ſeq. quinam baptiſmo initiandi ſint 1091 infantum baptiſmus eſt legitimus ib. ſeq. finis baptiſmi 1095. medium eſt vocationis diuinæ 807. itemque regenerationis 878. radix peccati non tollitur per baptiſmum 1096. efficacia baptiſmi reſpectu peccatorum futurorum 1097. eius neceſſitas 1098. non debet iterari 1100. an diuiſio eius in externum & internum ſit admittenda. ibidem.
Barbariſmus quid 97. nulli in Script. S. comparent. ibidem.
Beati cur comprehenſores nuncupentur 5. 457. eorum perfectiones 972. ſeq. bona externa 973. ea tantum quae in Deo actu & formaliter ſunt, videbunt 457. an oculis corporeis Deum viſuri ſint 458. 973 *) eſſentialis Dei beatitudinis et gloriæ non erunt participes. 460
Beatitudo Dei. 254
Beatitudo hominis quid 451. vocis huius varii & apud profanos & ſacros ſcriptores ſignificatus ib. *) vnde æterna hominis beatitudo innoteſcat 452. in perfecta Dei viſione & fruitione conſiſtit 456. reſtitutionem perfectiſſimam imaginis diuinae complectitur 973. nunquam poteſt amitti 976. an æqualis futura ſit omnium beatitudo ib. quando & vbi particeps eius fiat homo renatus 974. 978. in quonam beatitudo corporis conſiſtat. 972
Beckervs (Balth.) notatus. 400
Bellarminvs (Rob.) abſoluti decreti patronus 648. communionem perichoriſticam impugnat 683. 727. vocationis diuinae vniuerſalitatem inficiatur 811. fidei ſaluificae falſam notionem affert. 1166. 1174
Bellum licet magiſtratui Chriſtiano gerere 1357. 1360
— defenſiuum quid 1358. quotuplex ſit. ib. *)
— iuſtum quid 1358 iniuſtum. ibid.
— offenſiuum 1358. nullum adcurate loquendo eſſe poteſt iuſtum. ib. *)
Benedictio ſacerdotalis an efficiat matrimonium 1371
Beneuolentia Dei vniuerſalis quid 586. ſynonyma eius ib. actus, 589 obiectum, omnes & ſinguli homines lapſi 590. ſeq. 600. decem dictorum Scr. S. claſſes, quibus ea confirmatur 593. ſeq. *) eius adfectiones 599. quo ſenſu conditionata dicatur. 600
Beza (Theod.) Eius circa θεοπνευστίαν error 87. voluntatem ſigni et beneplaciti in Deo conſpirare negat 266. vniuerſalem Dei vocationem inficiatur. 811
Boethivs (Henr.) ſtatuit, impios vi meriti Chriſti reſurrecturos eſſe. 1341
Bona opera quid 1190. eorum cauſſa efficiens principalis, Deus ib. cauſſa efficiens ſecundaria, homo renatus, ib. principium, vnde in renato proficiſcantur 1191. eorum norma 1192. ratio formalis 1193. diuiſio 1197. finis 1198. ad vnum omnia ſunt imperfecta 1199. qua ratione Deo placeant 1193. ſponte fiunt et liberali animo 1203. ib. *) electitia ſ. arbitraria non ſunt opera vere bona 1196. 1202 **). eorum neceſſitas 1204. ſeq. neceſſaria ſunt ſaluando, non vero ad ſalutem 1205. ſq. non ſunt meritoria vitæ æternæ 1210. non ſunt mercedis cauſſa ſuſcipienda 1215. qua ratione neceſſarii ſint fiduciæ ſalutaris effectus. 1216 *)
Bonitas Dei. 245



Digitized by Google

Bvrgersdicivs (Franc.) Batauus Deum non omnis compoſitionis expertem eſſe pronunciavit. 241. 243

C.

Caietanvs (Octau.) Deum omnia vno momento creaſſe opinatur. 397

Campſores (*Wechſelbælge*) an dentur? 333

Canon Scripturae Sacrae: nominis huius ratio 125. 126. canonis huius integritas 134. ſeq. incorrupti ad noſtra tempora conſeruatio 135. ſeq Iudaicum a Chriſtianorum canone diſcrepare Pontificii perhibent. 132 *). 134

Caput eccleſiæ eſt Chriſtus 1292. viſibile hodie nullum datur. 1293

Caro Chriſti nobis eſt ὁμοούσιος 659. duplicatam Chriſti carnem, coeleſtem aliam, aliam terreſtrem Fanatici quidam commenti ſunt. 659 *)

*Carteſiani* Script. S. ſecundum opinionem erroneam vulgi loqui opinantur 88. ſeq. ideam aliquam innatam, eſſentiam Dei in animo hominis exprimentem, fingunt 192. propterea confutati 195

Caſtigatio iudiciaria quid, & quomodo a pœna & caſtigatione paterna differat. 503 *)

Catechumeni ſunt vera eccleſiæ membra. 1289

Catholiciſmus eccleſiæ in quonam conſiſtat, et quotuplex ſit 1302. ſeq. temere hunc iactat Romana eccleſia 1314. potiori iure eccleſiæ Lutheranæ A. C. addictæ competit. 1316

Cauſſæ ſociae quid 353 *). an tres diuinitatis perſonæ ſint cauſſae ſociae creationis 353. an prædeſtinationis. 610

Cauſſa peccati, efficiens, an deficiens ſit appellanda. 490

Cauſſa per accidens quot modis definiatur 495 *). Deus non poteſt cauſſa per accidens peccati dici 494 ne improprie quidem. 495 *)

Celsvs, quo potiſſimum argumento reſurrectionem Chriſti impugnauerit. 782 **)

Cenſuræ eccleſiaſticæ diuerſi gradus. 1349

*Cerdoniani* alium V. T. alium N. T. Deum ſomniarunt 239. humanæ Chriſti naturae veritatem negarunt. 659

*Cerinthiani* Chiliaſmum commenti ſunt. 1255

Chaldaicæ V. T. pericopæ. 97

Character hypoſtaticus quid 285. 286. quot ſint characteres hypoſtatici perſonarum S. S. Trinitatis 285. character hypoſtaticus Dei patris 303. Dei Filii, 324 Spiritu S. 337

de Cherbvry (Eduard Herbert) religionem naturalem ſufficere homini ad ſalutem conſequendam arbitratur 197. quinque, quibus omnia complecti voluit, religionis naturalis capita ib. quid per illuminationem naturalem intelligat. 831 *)

Chiliaſmus quid 1255. quotuplex 1256. eius patroni 1255. commentum hoc confutatur 1256. ſq. 1259 *) fabulam de euerſione Antichriſti ante iudicium extremum plerumque comitem habet 1270

Christvs, Filius Dei: nominis huius ratio 655. reliqua eius nomina 650. ſq *). perſona Chriſti 656. 663. ſq. eius natura 655. verus eſt et æternus Deus 306. ſq v. *Filius Dei*. eum eſſe Deum Patrem nugantur Zinzendorfiani 1330 *) idem verus eſt homo 656. ſq. nobis ὁμοούσιος 659. an propterea creatura dici poſſit 660. infirmitates naturales aſſumſit, & quas 657. humanam naturam totam ex virgine Maria aſſumſit 662. an ſecundum humanam naturam poſſit filius Dei naturalis appellari 687. officium eius mediatorium quid 728. ſecundum vtramque naturam eſt mediator noſter 729. reconciliationem inter Deum et homines *mutuam* efficere ipſum oportuit ib *). ſacerdos qualis ſit 731. 744. cur μέγας ἀρχιερεὺς vocetur 731 **) quibus modis ſacerdotium eius Leuiticum V. T. ſacerdotium praeſtiterit 732 *). qua ratione ſacerdos fuerit ex ordine Melchiſedeci 733 *). ſacrificium verum obtulit 744. pro omnibus omnium hominum peccatis et omnibus peccatorum poenis Deo ſatisfecit 736. 745. ſibi ipſi nihil meruit 748. interceſſio eius qualis et pro quibus fiat 749. qualis propheta fuerit 756. quomodo ab aliis θαυματουργοῖς diſtet 725. fuiſſe prophetam omnium maximum ex comparatione inter ipſum et Moſen inſtituta colligitur 756. ſq. **). eius doctrina 760. non fuit nouus legislator 1019. ſq. qualis ipſe rex ſit 762. regnum eius triplex 762. an finem habiturum ſit 763. ſtatus eius exinanitionis 765. ſq. exinanitus non omni vſu, ſed plenario tantum diuinæ maieſtatis ſe abdicauit 767. ſq. eius conceptio 769. natiuitas ib. circumciſio ib. educatio 770. viſibilis inter homines conuerſatio, ibidem. paſſio magna ib. qua ratione infernales dolores ſenſerit 771. mors eius eaque vera, vicaria, &c. 772. an per tridum mortis verus homo fuerit 773. eius ſepultura 774. an in ſtatu exinanitionis rex fuerit 764. ſtatus eius exaltationis 774. ſq. viuificatio ib. deſcenſus ad inferos 777. reſurrectio a mortuis 779. qua virtute reſurrexerit 780. cur rediuiuus tantum amicis ſuis ſe conſpiciendum præbuerit 782 **). an idem corpus, quod mortuum erat, ex ſepulcro retulerit 783. quo ſenſu quidam Patrum Chriſtum exaltatum ἄσαρκον dixerint 1244 *). aſcenſio eius in cœlum 784. ſeſſio ad dextram Dei Patris 786. ſecundum quam naturam et qua virtute ad dextram Dei exaltatus ſit 788. exaltato ad dextram Dei dominium vere diuinum competit ib ſq. quomodo dextra Chriſti a dextra Dei Patris differat 787 an per regenerationem in nobis generetur 890. ſq. non ſecundarium, ſed primarium fidei ſaluificæ obie-

 ctum

Digitized by Google

ctum eſt 1169. qua ratione in ſacramentis V. T. præſens fuerit 1069. 1073. an baptiſmum primus inſtituerit 1081. an eius baptiſmus a baptiſmo Ioannis differat 1082. cur ipſe non baptizauerit? 1081. cœnam S. ſecundum vtramque naturam inſtituit 1105. corpus eius & ſanguis in S. cœna vere & realiter diſtribuuntur 1120. ſq. an ſe ipſe comederit, cum ſacrum epulum inſtitueret 1119. iudex erit vniuerſalis isque viſibilis totius generis humani 1249. aduentus eius ad iudicium qualis futurus ſit ibid. ſolus ille eſt caput eccleſiæ 1292 ſq. duplex eius in membra eccleſiæ influxus ib. maritum eum & proprium quidem vxorum ſuarum eſſe, Herrnhuthiani ſomniant. 1380 *)

Chriſtus in nobis, luminis interni, quod Fanatici comminiſcuntur, adpellatio 200. 831 *). ignorat eam Scriptura S. 205 his ſimilibusque loquendi modis doctrina de regeneratione et iuſtificatione corrumpitur. 890 ſeq.

Circulus ſophiſticus quomodo a regreſſu demonſtratiuo differat. 120

Circumciſio Chriſti. 769

Circumciſio, ſacramentum V. T. quid 1067. eius inſtitutio ib. cauſſa miniſterialis ib inſtrumentum 1068. ſubiectum ib. materia terrena 1096, cœleſtis ib. vtriusque vnio qualis ib forma circumciſionis ib. eius finis 1070. neceſſitas ibid. duratio 1071. qua ratione Chriſtus in circumciſione præſens fuerit. 1069

Clerici qui 1364. ſubiecti ſunt magiſtratui politico ib. ſq. matrimonium eorum iuſtum eſt 1374. ſq. diſtinctionis ciuium in laicos et clericos vetuſtas. 1364

*Cocceiani* Chriſtum in V. T. fideiuſſorem tantum, non vero expromiſſorem fuiſſe contendunt 772 *). 902 *). inter ἄφεσιν & πάρεσιν falſa ratione diſtinguunt. 902 *)

Cœlum quo die creatum ſit 363 an cœlum aliquod empyreum primo creationis die conditum fuerit. 363. 364. in quodnam cœlum Chriſtus aſcenſione ſua peruenerit 785. quonam ſenſu Deus *in cœlo eſſe*, *habitare*, dicatur. 277 *)

Cœna ſacra quid 1103. variæ eius adpellationes 1104. cauſſa efficiens principalis 1105. cauſſa miniſterialis 1106. norma doctrinæ de S. cœna 1107. verba inſtitutionis S. cœnæ ſenſu litterali ſunt accipienda 1108. ſq. materia eius terrena 1116. cœleſtis 1118. vnio vtriusque vera eſt et realis 1120. ſq. eius forma 1126. quibusnam porrigenda ſit 1133. ſub vtraque ſpecie etiam laicis exhibenda eſt 1136 ſq. finis eius 1137. eſt medium conſeruationis credentium. 964

Cognitio Dei abſtractiua quid. 456

— — intuitiua 457. hac beati Deum cognoſcent, & quomodo. 457

Comenivs (Io. Amos) tres eſſentiales hominis partes ſtatuit. 410

Communicatio hypoſtaſeos a Filio Dei humanæ naturæ adſumtæ facta. 668

— idiomatum quid 690. qualis ib. ſq. tria eius ſunt genera. 693 ſq.

Communicationis idiomatum primum genus 693. variæ eius adpellationes ib. ſq. eius fundamentum 694. ſpecies ib propoſitionum primi generis indoles 696 particularum diſcretiuarum in hoc genere vſus. 697

— — ſecundum genus 699. eius nomina ib. cauſſa 700. fundamentum ib. ſubiectum 701. prædicata, dona ſc. vere diuina et infinita 702. communicationis modus 705. tempus 706. finis ib. propoſitionum huius generis indoles. 721

— — tertium genus 723. eius nomina ib. qua ratione exponendum ſit 724 ſq. modus communicationis 726. eius fundamentum 726. propoſitionum huius generis indoles. 728

Communio naturarum in Chriſto quid 680. qualis 681. vocatur a Patribus græcis περιχώρησις ib. conſequentia eius. 684

Compoſitio omnis, etiam metaphyſica, a Deo eſt remouenda. 241 ſq.

Comprehenſores, cœlitum beatorum nomen. 5. 457

Computatio graduum conſanguinitatis 1377. iuris ciuilis alia eſt, alia iuris canonici. ib.

Conceptio Chriſti 662 ſq. 769

Concilia eccleſiaſtica. Eorum definitio 1320. origo diuina ib. penes quem ſit poteſtas conuocandi concilia 1321. legitima eorum ratio explicatur 1322. eorum auctoritas. 1325

— oecumenica quæ & quot. 1324. 1326 *)

— particularia 1324. eorum diuiſio. ib.

Concretum naturæ quid. 685

— perſonæ. ib.

Concupiſcentia, vox ambigua 526. quo ſenſu formam peccati originalis ingrediatur. 525 ſq.

— actualis quid. 532

— originalis 532. an in renatis veri nominis peccatum ſit. 532

Concurſus Dei quid 442. vnde innoteſcat ib. quomodo Deus ad actiones hominum ſupernaturales et naturales bonas malasue concurrat 443. non præuio id, aut prædeterminante concurſu fit. 445

Confeſſio peccatorum quotuplex 156. priuata confeſſio in cœtu noſtro recte retinetur 1160 enumeratio ſingulorum peccatorum in confeſſione coram miniſtro eccleſiæ non eſt neceſſaria 1158. immo plurimum damni adfert. 1159 *)

Confirmatio, fictum Pontificiorum ſacramentum. 1078. 1159 *)



Digitized by Google

Coniuges, quales eſſe debeant 1371. eorum conſenſus requiritur vt firmum & ſtabile ſit matrimonium 1368. qualis hic conſenſus eſſe debeat 1370. coniugum officia. 1383
Coniugium quid 1367. non eſt ſacramentum N. T. 1079 *). eius cauſſa efficiens principalis ib cauſſæ ſecundæ 1368. an benedictio ſacerdotalis efficiat matrimonium 1371. eius forma 1380. finis, cuius gratia inſtitutum ſit 1382. qua ratione diſſolvi poſſit 1380. miniſtris eccleſiæ non eſt prohibendum 1374. deteſtabilis Herrnhuthianorum de coniugio error. 1380 *)
Conſanguinitas quid 1376. lineæ conſanguinitatis ib. gradus, eorumque computatio ib. ſq. gradus conſanguinitatis prohibiti. 1378
Conſcientia quatenus ſit norma bonorum operum 1192. an terrores conſcientiæ ex peccati agnitione orti ad contritionis eſſentiam pertineant 1154. quotuplici modo peccata contra conſcientiam committantur. 542 ſq.
Conſecratio euchariſtica quotuplex 1106. quomodo fiat 1126. effectus eius. 1127
Conſenſus coniugum neceſſario ad matrimonium requiritur 1368. qualis eſſe debeat 1370. qua ratione parentum conſenſus ratum efficiat matrimonium. 1368
Conſenſus Patrum primitiuæ eccleſiæ non eſt principium theologiæ 71. 72. 73. quale ſit Script. S. interpretandi medium. 169
Conſeruatio mundi, prouidentiæ diuinæ actus quid 441. quomodo a creatione differat ib. vnde innoteſcat 441. ſq. v. *Prouidentia diuina.*
Conſeruatio renatorum 963 eius cauſſæ ib. ſq. media 964. ſubiectum 965. forma ib. finis 967. officia eorum, qui conſeruationis participes fieri cupiunt. 966
CONSTANTINI Imp. laudabile dictum 42
Conſummatio mundi quid 1273. eius certitudo 1274. finis 1275. v. *Mundus*
Contemplatio Dei, quam Myſtici comminiſcuntur (*die Beſchaulichkeit*) 208. diſtinguitur ipſis a meditatione 208. a ſpeculatione 211. variæ eius deſcriptiones et ſpecies 208. ſq confutatur. 211 ſq.
Contritio quid 1149. 1154. non eſt bonum opus, proprie ſic dictum 1150. ſq. eius requiſita 1152 ſq. non ſolum circa actualia, ſed etiam circa habitualia peccata verſatur 1155. eius cauſſæ impulſiuæ ib. finis eius ib. criteria eius interna 1155. ſigna externa 1156. ſq. quo reſpectu in homine iuſtificando ſit neceſſaria. 90. 1149
Controuerſiarum theologicarum ſtudium quibusnam neceſſarium ſit. 31
Conuerſio intranſitiua quid 853. ſignificantius & aptius dicitur *reuerſio* 853 *). eadem eſt quæ pœnitentia ὁλικῶς accepta. 1142
Conuerſio tranſitiua 852. ſenſu generali accepta quid denotet 854. quid ſenſu ſpeciali ſit ib. quomodo differat a regeneratione 855. quid ſenſu ſpecialiſſimo ſignificet 855. alia ordinaria eſt, alia extraordinaria 856. an extraordinariæ reſiſtere poſſit homo 872. alia prima eſt, alia ſecunda 857. eius medium 858. cauſſa miniſterialis 859. ſubiectum ib. terminus a quo & ad quem 868. 871 *) forma 871. finis ibid. peccator ipſi reſiſtere poteſt 872 ſq. quo ſenſu eam in inſtanti fieri dici poſſit. 837
— vniuerſalis Iudæorum non eſt exſpectanda. 1264
*Copernicani* Scripturam S. ſecundum erroneam vulgi opinionem loqui opinantur 88. ſq. terram moveri circa ſolem ſtatuunt 369. eorum de motu terræ ſententia diuinæ auctoritati Script. S. nil detrahit. 370 *)
Corpus ab Anthropomorphitis Deo tribuitur 230. Patrum nonnulli hac voce ſenſu catachreſtico vſi ſunt 231. ſubtiliſſimum angelis adfingunt Socini ſectatores aliique 377. vera eſt et eſſentialis hominis pars 411. non pro carcere animi habendum eſt 412. corporis humani materia duplex 1237 *) idem numero corpus aliquando reſurget 1242. primi hominis corpus immortale fuit 475. & quidem natura. 481
— Chriſti verum & ſubſtantiale in S. cœna præſens eſt 1120. ore corporis accipitur & editur 1130. etiam ab indignis. 1134
— glorificatum quibus perfectionibus exornatum ſit. 972 ſq.
Corruptio naturæ humanæ alia phyſica eſt, alia theologica 529. vnde ratio colligat homini inſitam eſſe 520 *). v. *Peccatum originis.*
COWARDVS (William), Anglus, notatur. 1231 *)
Creatio quid 351. homonymia vocis exponitur 351. quatenus ex lumine naturæ innoteſcat 355. ſeq. cauſſa eius efficiens 351 appropriatiue Deo Patri tribuitur 304. 352. materia creationis 354. eius forma 356. alia mediata eſt, alia immediata 354. eius tempus 357. 361. ſq. cur ſex dierum intervallo peracta ſit 358 *). quid vnoquoque creationis die productum fuerit 361. ſq. finis creationis. 360
— Adami & Euæ deſcribitur. 408 ſq.
— noua, regenerationis ſynonymum. 876
Credenda quæ, & quotuplici ſenſu ita dicantur 43. ſunt obiectum articulorum fidei 44. & Scripturæ S. 82. præter credenda & agenda nil amplius ad religionem Chriſtianam pertinet. 43
CRELLIVS (Sam.) falſam de ſpirituali Dei natura fouet ſententiam. 230
Criteria, ex quibus diuina Scripturæ S. auctoritas colligitur 106 ſq. externa, quæ fidem humanam



Digitized by Google

ſaltem gignunt 106 ſq. 114. interna, quibus fides diuina paritur 110 ſq 114. quomodo criteria hæc ab ipſa Script. S. differant 114. eadem canonicam quoque Script. S. auctoritatem extra omnem dubitationem ponunt. 116. ſq.

Crux Chriſtianorum beneficium eſt, non pœna 1010 *)

Culpa quid 502. quomodo a pœna differat ib. reatus culpæ ib.

Cultus religioſus quis 314 *). a Pontificiis præter rationem in λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν diſpeſcitur 393. 1219. omnes eius partes Filio Dei deferri præcipit Script. S. 313 ſq. 314 *). itemque Spiritui S. 333. competit etiam humanæ Chriſti naturæ per vnionis perſonalis gratiam 720. non debetur angelis 392. nec ſanctis cœlitibus 1218. ſq. nec Chriſti & ſanctorum imaginibus. 1220

CVRCELLAEVS (Steph.) notitiam Dei naturalem ad ſalutem homini ſufficere arbitratur. 197

## D.

Damnati: an Chriſtus pro iis mortuus ſit 747. mala, quæ ipſos adfligent tum priuatiua tum poſitiua 982. 984. num ignis, quo cruciabuntur, materialis futurus ſit. 983 *)

Damnatio æterna, quid 978. finaliter ἄπιστοι a iudice Deo illi adiudicantur 979. 981. ſq. cauſſæ eam promerentes 980. eius forma 982. locus 984. initium 986. æternitas 987. ib. *) ſq. gradus 990. finis, cur immittatur 991. v. *Pœnæ infernales.*

DANAEVS (Lamb.) mutuam naturarum Chriſti in agendo communionem negat. 727

Decalogus quid 1008. eius diuiſio ibid. argumenta pro diuiſione decalogi Auguſtiniana 1009 *) qua ratione explicatio eius ſit inſtituenda 1010. ſingula eius præcepta 1011 ſq.

Decretum Dei quid 431. 605. variæ eius diſtinctiones 431. decreta Dei ſunt ipſa eſſentia diuina 242. pertinent ad actiones Dei ad extra immanentes 351. decretorum, quae ſalutem hominum concernunt, ordo 609. de vitæ humanæ termino quale ſit. 427 ſq.

— abſolutum 431 ſitne abſolutum decretum electionis & reprobationis, an conditionatum. 431. 647

— conditionatum, ordinatum & reſpectiuum idem decretorum genus, diuerſo tamen reſpectu notant 431. decreti conditionati nomen non omnibus noſtratium theologorum probatur. 432

— præteritionis, Bellarmini commentum. 647

Deificatio, putidum Pſeudomyſticorum commentum 801. 802 **)

DEMOCRITVS (Chriſt.) impudentiſſimus doctrinæ de imputatione meriti Chriſti hoſtis. 924 *)

Deſcenſus Chriſti ad inferos quid 777. vocis homonymia ibid. deſcenſus ille non phyſicus aut localis, ſed ſupernaturalis motus fuit ib. ſecundum quam naturam factus ſit ib. locus in quem Chriſtus deſcendit 778. finis huius deſcenſus ib.

Deſponſatio Dei cum credentibus, elegans vnionis myſticae periphraſis, explicatur 934

Δεσπότης, nomen Dei 227. & Chriſti 653 *). vis eius explicatur 229 *).

Deteſtatio peccati qua ratione fiat. 1153

DEVS. Eius definitio nominalis 187. 229 vnde cognoſcendus ſit 188. v. *Notitia Dei.* Eius exſiſtentia 220. nomina Dei hebraica 220 ſq. græca 227 ſq. eſt ipſa eſſentia 230. 284. eſt ſpiritus 231. isque puriſſimus & ſimpliciſſimus 231. qua ratione prædicata illi & creaturis communia ipſi conueniant ib. independentia conceptum eius, vt vocant, differentialem conſtituit 232 ſq. quomodo perfectiones & proprietates eius differant 234 **). attributa eius 234 ſq. eorum diuiſio 237. eius vnitas 238. ſimplicitas 240. veritas 243. bonitas 245. ſanctitas ib. ſq. infinitas 246. æternitas 248 ſq. immenſitas 251. immutabilitas 252. immortalitas 254. incomprehenſibilitas ib. inuiſibilitas ib. beatitudo ib. maieſtas 255. vita ib. intellectus ib. omniſcientia 256. ſapientia 260. voluntas 261. 586. libertas ſumma 263. gratia 266. iuſtitia 268. veracitas 271. omnipotentia 272 ſq. omnipræſentia 275. reſeruata Dei 281 ſq *). plures in Deo ſunt perſonæ 288. & quidem numero tres 289 ſq Deus vim creandi creaturae communicare nequit 353. non ex eſſentia ſua mundum creauit 356. cur ſex dierum ſpatium condendo mundo impenderit 358 *). ex] qua materia & quomodo protoplaſtos creauerit 308. omnibus rebus creatis prouidet 425. eius beneuolentia erga homines lapſos 586. non eſt cauſſa peccati 490. nec cauſſa eius per accidens dici poteſt 494. 495 *) neque eſt cauſſa indurationis 555. 865 *). vult omnes homines etiam induratos, conuertere 861 qua ratione Pharaonem induraſſe dicatur 865 *) ſq. eſt auctor legis naturæ 997. fœdus duplex operum & gratiæ cum vniuerſo hominum genere ſanciuit 1045 *) ſq. v. *Deus trinunus.*

Deus Filius. v. *Filius Dei.*

Deus Pater. Eius deſcriptio 301. quo ſenſu & quare ita dicatur 301. 302. vnde diuinitas eius probetur 302. vnde perſonalitas 302. eius proprietas perſonalis 303. notiones perſonales ib. actus perſonales ib. creatio ipſi appropriatiue tribuitur 304. 352. quo ſenſu dici poſſit αὐτόθεος 303. 317 ſq. an ratione perſonæ ſit dignior & eminentior Filio 317. quo ſenſu

Digitized by Google

ſenſu dicatur σωτὴρ 594 *). non pro Patre, ſed Auo aut Socero habendum eſſe Herrnhuthiani ſomniant 1380 *)

Deus Spiritus Sanctus v. *Spiritus Sanctus.*

Deus trinunus eſt cauſſa efficiens creationis 352. itemque electionis & reprobationis hominum 610. 644. carnem Chriſti produxit 660. ei Chriſtus ſatisfecit 736. homines ad regnum Chriſti vocat 806. illuminat 820. conuertit 857 regenerat 877. iuſtificat 896. cum credentibus ſpiritualiter vnitur 935. & quomodo 937. 939 ſq. eos renouat 948. adeoque auctor eſt bonorum operum 1190. renovatos conſeruat 963. & glorificat 970. eſt auctor legis moralis 1003. euangelii 1035. baptiſmi 1081. eccleſiæ 1285. conciliorum 1320 miniſterii eccleſiaſtici 1331. magiſtratus politici 1353. matrimonii 1367

Dextra Dei quid 786. cur dextra throni vocetur 787. quomodo dextra Dei Patris a dextra Chriſti differat ib. quid ſedere ad dextram Dei ſignificet ib.

Diabolus 396. eſt cauſſa peccati primi 507. itemque peccatorum actualium 529. & indurationis 555. vtrum vero, an perſonato ſerpente vſus, protoplaſtos ſeduxerit 50*). homines impios captiuos detinet 755. an poſſit propterea miniſter carceris appellari ib *). tortorem damnatorum fore non eſt probabile ib. 984. obſeſſio eius quotuplex 400 ſq. v. *Angeli mali.*

Δικαιῶν, δικαιῶσθαι. variæ harum vocum ſignificationes 893. nusquam infuſionem nouarum qualitatum indicant ib. forenſis earum ſignificatio frequentiſſima. & ſi de peccatore iuſtificando ſermo ſit. perpetua 893 ſeq. 894 *)

Δικαίωμα, ſatisfactionis ſynonymum 735 *)

Diſpenſatio a legibus diuinis qua ratione locum inueniat 1379 *)

Diſplicentia peccati contritionis formam conſtituit 1152. qua ratione fiat 1153

Diuinitatem in carne paſſam eſſe dixerunt nonnulli, haud facile imitandi 697

Diuortium quid 1380. quotuplex 1381. cauſſæ eius iuſtæ 1380 ſq. quomodo differat a repudio 1380

Dodwellvs, (Henr) Anglus, notatus 108 *)

Dolor ex peccatorum deteſtatione oriundus ad contritionis eſſentiam pertinet 1153

*Dominicani* voluntatem hominis a Deo ad agendum prædeterminari docent 446

Dona Spiritus S. quotuplicia 342. ſanctificantia quid ib 792 *). miniſtrantia ib 792 *). an ſolum qua dona mittatur Spiritus Sanctus? 343

*Donatiſtæ* pietatem diſpenſantis miniſtri ad ſacramentorum efficaciam neceſſario requiri ſtatuunt 1058. cœtum illum, cui admixti ſunt impii, veram eccleſiam eſſe prorſus negant 1304. irregenitorum miniſterium tanquam prorſus inutile reiiciunt 1351

Dvrandvs (Iac. Honor.) concurſum Dei ad actiones creaturarum negauit. 444

E.

Eccleſia quid 1277. 1303. vocis etymologia 1276. homonymia 1277. cauſſa efficiens principalis eccleſiae 1285. eius cauſſa impulſiua 1286 cauſſa miniſterialis ibid. media colligendi eccleſiam 1287. membra verae eccleſiæ ib. membrorum eccleſiæ in viua & mortua diſtinctio 1304. eius caput verum 1292. caput fictum a Pontificiis 1293 ſq. forma eius interna 1300. finis, cuius gratia condita ſit a Deo eccleſia 1301 eius teſtimonium conſentiens, firmum pro Scr. S. diuina auctoritate argumentum 105. 107. eius proprietates 1301 ſq. quo ſenſu dicatur catholica 1302. eccleſia Romanocatholica non eſt catholica 1314. quatenus eccleſia Lutherana A. C. addicta ſit eccleſia catholica 1316. eccleſia catholica tota in fundamento fidei errare nequit 1317. ſtatus in eccleſia diuinitus conſtituti 1331 ſq. ius habet idoneos verbi diuini miniſtros vocandi 1334

— falſa 1307. an in falſa eccleſia vere renati eſſe poſſint 1313. talis eſt eccleſia Romanocatholica 1314

— inuiſibilis 1281. non eſt abſolute inuiſibilis 37. in fundamento fidei errare nequit 1317

— militans 1279. eſt vel veteris, vel noui teſtamenti 1280

— particularis 1280. 1281. quæuis in fide errare poteſt 1317

— repræſentatiua 1277. 1320 ſq.

— ſynthetica quid 1277. nominis huius varia acceptio 1279. 1303

— triumphans. 1279

— vera 1306. quomodo differat ab eccleſia pura ibid. *) eius proprietates ibid. an hæretici in eccleſia vera eſſe poſſint 1307. notæ ex quibus certo agnoſcatur 1307. ſq. falſa Pontificiorum criteria 1311 ſq neceſſitas inquirendæ eccleſiæ veræ 1313. talis eſt Lutherana eccleſia A.C. addicta 1316

— viſibilis. 1281 ſq. eius diuiſio 1306

— vniuerſalis. 1280

Ecſtaſis quid 821. ſingularis reuelationis diuinæ modus 62. quomodo a raptu differat 821 eſt vel ſupernaturalis, vel præternaturalis ib. diſtinguitur a myſticis in ecſtaſin intellectus & voluntatis 821. illuminatio per ecſtaſin non eſt exſpectanda 821. ecſtaſes variis illuſionibus ſunt oportunæ 822

Edelmannvs (Io. Chriſt.) reſurrectionem Chriſti

Digitized by Google

ſti armis a Spinoza arreptis impugnat 782**). de imputata Chriſti iuſtitia contumelioſe loquitur 924*). nihil peccati in renatis ſupereſſe nugatur. 888*)

Efficacitas, effectus & euentus quomodo differant 995*)

אהיה nomen Dei 220. explicatur. 223

אל nomen Dei 220. explicatur. 223

Electio & prædeſtinatio ad ſalutem quomodo partim conueniant, partim differant 605. falſa Socinianorum diſtinctio 605*). vocis homonymia 607. cauſſa efficiens electionis hominum ad ſalutem 610. cauſſæ impulſiuæ 612. 613. facta eſt intuitu fidei finalis 619. hanc eſſe conſentientem theologorum A. C. ſententiam, quamuis iidem terminis nonnunquam diſcrepent, probatur 619. ſeq. 626. electionis normæ ſeu principia 628 ſq. reſp. obiecti eſt indiuidualis 630 eius forma ib. decretum 631. obiectum 632 ſq. finis 643. non eſt vniverſalis 635. eſt immutabilis 641

Electi quinam 632 ſq quomodo differant a renatis 636. 968. an fidem amittere poſſint 636 ſq. an futurum ſit, vt ſingula ipſorum peccata in iudicio extremo palam exponantur. 1252

Eleemoſynæ fictum a Pontificiis ſatisfactionis genus 1161*) 1162

Elias Leuita punctorum vocalium θεοπνευςίαν negauit. 139

Elipandus Toletanus Epiſcopus, Chriſtum ſecundum humanam naturam filium Dei per adoptionem eſſe docuit. 658

אלה, אלהים, nomina Dei 220. explicantur 224. nomine אלהים pluralitas perſonarum in Deo ſignificatur. 225

*Encratitæ* fœminas naturali aliqua ipſisque propria impuritate contaminatas naſci ſomniarunt. 469

Ἐνέργημα quid 724*). 726. quomodo differant ἐνέργημα & ἀποτέλεσμα. 724*). 726

Ens, quomodo de Deo & creaturis ſimul prædicetur. 231

*Enthuſiaſtæ*, v. *Fanatici.*

Ἐπέλευσις Spiritus S. ſuper Mariam virginem. 661

Epiſcopi & presbyteri iure diuino non differunt. 1340

Episcopius (Sim.): eius circa θεοπνευςίαν Scr. S. error 87. terminum vitæ humanæ fatalem ſtatuit. 429

Erasmus (Deſid.) nimis abiecte de ſtilo Scr. S. ſentit 97. eius error circa θεοπνευςίαν Script. S. 87

Erpenius (Thom.) puncta Hebræorum vocalia conſonantibus litteris coæna eſſe negat. 139 ſq.

Eſſentia quid 234. 284. quomodo de Deo & rebus creatis ſimul prædicetur. 231

Eſſentia Dei quid 284. Deus eſt ipſa ſui eſſentia. 230. quomodo eam beati noſcituri ſint. 457

Euangelium quid 1032. vocis homonymia. ib. cauſſa eius efficiens principalis 1035. cauſſa miniſterialis 1036. medium, quo recipiatur 1037. ſubiectum, cui annunciandum ſit. ib. obiectum eius 1038. partes præcipuæ ibid. *). forma 1038 finis 1039. quomodo a lege differat 1039. ſq. 1040 *) quomodo cum lege conueniat 1041. vtriusque nexus indiſſolubilis. ib. eſt medium vocationis hominum ad ſalutem 807. qua ratione peccatorem illuminet 825. regenerationis, iuſtificationis, vnionis myſticæ & renouationis medium eſt 878. 902. 936. 950. non eſt norma bonorum operum 1192. eſt tamen eorum principium ib.

Euchariſtia quid 1103. v. *Cœna Sacra.*

Euidens quid 44*).

*Eutychiani* confuſionem naturarum in Chriſto ſomniant. 692

Exaltatio Chriſti ſenſu biblico quid 775. quid ſenſu eccleſiaſtico ib. eius ſynonyma ib. ſecundum quam naturam facta ſit ib. in quonam præcipue conſiſtat. ib. v. *Status exaltationis.*

Excommunicatio quid, & quotuplex 1349. eius finis ib. excommunicati iuſtis de cauſſis non ſunt vera eccleſiæ membra 1290. infantibus ipſorum baptiſmus non eſt denegandus. 1093

Exinanitio Chriſti in quonam proprie & ex vſu Scripturae S. conſiſtat 765. ſecundum quam naturam facta ſit 767. a Patribus incarnatio Chriſti ita adpellatur, 765. v. *ſtatus exinanitionis.*

Exorciſmus baptiſmo præmitti ſolitus in eccleſiis noſtris recte retinetur 1101 ſq. Pontificiorum qualis. ib.

Expiatio: quid hac voce intelligant Sociniani 739*)

Expromiſſor quid & quomodo a fideiuſſore differat 772*). Chriſtum in V. T. expromiſſoris partibus functum eſſe Cocceiani negant ib.

Εὐσέβεια Græcis dicitur religio. 33

F.

Facierum humanarum diſtinctio prouidentiae diuinae argumentum. 423*)

*Fanatici* nouas reuelationes iactant 64 ſq. 165. ſq. eorum lumen internum confutatum 200 ſq. falſa eorum de notitia theologiæ ſpirituali opinio 15 quidam eorum duplicatam Chriſti carnem comminiſcuntur 659*). immediate a Spiritu S. hominem illuminari fingunt 826. regeneratione naturam hominis in diuinam conuerti ſomniant 888*). doctrinam de imputata Chriſti iuſtitia peſſime traducunt 924. perfectionem legalem & partium & graduum renatis adſerunt, eamque

ob

Digitized by Google

ob cauſſam pœnitentiæ quotidianæ neceſſitatem negant 1144 *). plerique fere omnes chiliaſmi ſuaui ſomnio delectantur 1255 ſeq. v. *Anabaptiſtæ*, *Myſtici*, *Quackeri*, *Schwenckfeldiani*, *Weigeliani* cet.

Fatum 437. quotuplex ſit ib. num admittendum ſit in gubernatione rerum creatarum ib. doctrinæ de fato vtilitas 439
— aſtrologicum quid. 438
— Chriſtianum 438. in abſolutum & conditionatum, ordinarium & extraordinarium recte diſtinguitur. 438 ſq.
— phyſicum. 437
— Stoicum. 438

Felix, Vrgelitanus epiſcopus, Chriſtum ſecundum humanam naturam per adoptionem ſaltem filium Dei eſſe docuit. 688

Fideiuſſor quis, & quomodo ab expromiſſore differat 772 *). Chriſtum in V. T. fideiuſſorem tantum fuiſſe Cocceiani ſtatuunt ib. 902 *)

Fideles multos eſſe fornicarios, adulteros cet. horrendum Romanocatholicæ eccleſiæ decretum. 1177 *)

Fideles V. T. per fidem in Chriſtum iuſtificati & ſaluati ſunt 34 *) 40. 901 *). eos fructum meriti Chriſti ante ipſius mortem percepiſſe Romanocatholici negant. 902 *)

Fides: etymologia vocis 1163. homonymia ib. ſq. fides in Deum & Patrem Chriſti non ſemper generalem ſed & ſpecialem fidem deſignat. 904 *)
— actualis et habitualis quomodo differant 1186
— finalis. 1186
— generalis 1164. eius obiectum 1166. quomodo partim conueniat cum theologia, partim ab ea differat. 31
— hiſtorica quid. 1164
— magna ſ. firma. 1186
— miraculoſa 1164. eſt vel actiua, vel paſſiua ib. quomodo a fide ſaluifica differat. ib.
— naturalis Naturaliſtarum & Fanaticorum 1176 *)
— parua ſiue infirma. 1186
— priuilegiata Pontificiorum quid 1171 *). 1189
— radicata vel ſeminalis Reformatorum 888 *)
— reflexa & diſcurſiua, quomodo a ſimplici & directa diſtet. 1186
— ſaluifica ſiue ſpecialis: eius definitio 1163. 1165. falſa Socinianorum notis 904 *) eius cauſſæ 1165. ſubiectum ibid. neque in intellectu ſolo neque in ſola voluntate quærenda eſt 1166. infantum fides qualis 880. Deus eam omnibus hominibus dare vult 600. qua ratione decretum prædeſtinationis ingrediatur 600 ſq. eius obiectum 1166 ſq. non ſolum amplectitur promiſſiones euangelicas vniuerſales, ſed vel maxime circa ſingularum applicationem verſatur 1170. vis eius duplex 1172. eius donatio regenerationis formam conſtituit 882. fides ſola, eaque complete & perfecte iuſtificat 903. 905 ſq. 910. eſt medium vnionis myſticæ, renouationis & glorificationis 936. 950 971. forma eius 1173. partes fidei 1175 ſq. falſa Socinianorum partitio 1169 *) finis eius 1185. adfectiones 1187. an ab electis amitti poſſit 636. vnde renati eius certi eſſe poſſint 1188 ſq. examen eius quomodo inſtituendum ſit ib. fidem veram peccatis grauiſſimis non exſtingui Pontificii ſciſcunt 1177 *). effectus fidei 1190 ſq. geneſis eorum explicatur 1216 *) an per bona opera conſeruetur 967. diſtinctio Pontificiorum in informem & formatam nulla eſt 1186 ſq. an alia fuerit veteris, alia ſit noui fœderis fides. 901 *)
— temporaria. 1186

Fiducia quid 1179. Socinianorum definitio 1169. quomodo a ſpe & amore differat 1180. in meritum Chriſti defixa partem fidei, eamque præcipuam conſtituit 1178. non eſt in bonis operibus collocanda 1214 ſq. qua ratione eam bona opera ad vnum omnia tanquam neceſſarii eius effectus ſequantur. 1216 *) ſq.

Filius Dei. Eius deſcriptio 305. quo ſenſu ita dicatur 305. vera eius & æterna diuinitas probatur 1) ex nominibus diuinis 306. imprimis ex nomine יהוה 307 *) ex adpellatione υἱὸς μονογενὴς 308. *) 2) ex attributis diuinis, 309 ſq. in primis ex reſeruatis diuinis, nullo eorum excepto, ipſi attributis. 310 ſq *). 3) ex actibus diuinis, tum perſonalibus 311. tum eſſentialibus 312. ſiue operibus, vi diuina perpetratis 312 *) 4) ex cultu diuino, quem ipſi defert Scriptura S. 313 ſq. 314 *.) 5) ex accurata collatione dictorum V. & N. T. 315. an poſſit αὐτόθεος dici 317 ſq. vnde vera & diſtincta eius perſonalitas innoteſcat 321. character eius hypoſtaticus ib. 322. generatio eius paſſiua quid & qualis ib. actus eius perſonalis quis 328. redemtio generis humani appropriatiue ipſi tribuitur, 329. & quomodo 321. patribus V. T. ſub viſibili forma ſæpius adparuit 395. hypoſtaſin ſuam aſſumtæ humanæ naturæ vere & realiter communicauit 668 ſq. an proprie & realiter crucifixus, paſſus & mortuus ſit 698. v. *Chriſtus*.

Filius hominis, nomen Chriſti 651 *). præcipua eius ratio 652 *). peccatum in filium hominis quid. 566. 567 *).

Flacius (Matth.) imaginem Dei ipſam hominis primi ſubſtantiam rationalem fuiſſe contendit 465. peccatum originis ipſam hominis ſubſtantiam

tiam eſſe adfirmauit 529. errores eius de generatione hominis. 883
Fœdus, quomodo a pacto & teſtamento differat. 1043
Fœdus Dei cum hominibus quale 1045 *). aliud eſt legale ſ. operum, aliud euangelicum ſ. gratiæ ib. vtriusque conuenientia 1046 *). & differentia ib. ſq.
- - gratiæ ſucceſſit continuo in locum fœderis operum 1045 *). V. T. non minus quam N. T. ſub ſe complectitur 1047 *). ſacramenta fœderi gratiæ propria ſunt. 1053 *)
- - operum & V. T. prorſus inter ſe differunt 1047 *). a Socinianis inter ſe confunduntur. ib.
Formula baptizandi legitima 1089. Græcis vſitata ib. an præſtet a Latinis receptam ib. quid de formula: baptizo te in nomine Chriſti, ſentiendum. 1090
Fortuna quo ſenſu admitti poſſit. 440
Fractio panis in S. cœna non eſt neceſſaria. 1127
Fruitio Dei quid 459. eius adiuncta. 460
Fundamentum fidei & ſalutis duplex, ſubſtantiale & dogmaticum 46. differunt idea, non re. 47

G.

Genera communicationis idiomatum 693. ſq. quonam ordine ſint proponenda ib. v. *Communicatio idiomatum.*
Generatio actiua Dei Patris deſcribitur 303. eius conſequens. 304
- - paſſiua Dei Filii quid & qualis 322. ſq. æternam eſſe negant Sociniani 324. eius conſequens 328. non fit per intellectum diuinum. 341
*Gichtelianorum* de ſacerdotio Melchiſedeci intolerabilis error. 733 *)
Glorificatio credentium quid 970. eius cauſſa efficiens ib. cauſa impulſiua 971. media ib. finis & effectus 972. ſubiectum ib. forma ib. v. *Beatitudo.*
Gradus conſanguinitatis quid 1376. varia eos computandi ratio 1377. gradus conſanguinitatis & affinitatis prohibiti. 1378 ſq.
Græci recentiores Spiritum S. a Filio Dei procedere negant 339. panem azymum in S. cœna adhiberi vetant 1117. purgationem aliquam animorum poſt mortem fingunt 1232 *). epiſcopos ab iteratis nuptiis prohibent. 1374 *)
Gratia Dei quid 266. ſynonyma eius biblica 267. nominis huius homonymia 791 *). vniuerſalis eſt 586. v. *Beneuolentia Dei vniuerſalis.* gratia primi articuli quid 791 *). ſecundi & tertii articuli ib. tertii articuli in ſpecie. ib.
- - creans & conſeruans quid. 791 *)
Gratiæ auxilium quid 949 *). in ſtatu, non actu renouationis locum inuenit. ib.
Gratia ſalutaris 791 *). eſt vel acquiſitionis vel applicationis 792 *)
Gratia Spiritus S. adplicatrix quid 791. qualis 793 eius actus 795. ſpecies eius, in quas diſtinguitur 792 *). 795. quid de diſtinctione eius in ſufficientem & efficacem ſentiendum ſit 794 *). quomodo ipſi reſiſti poſſit. 795 *)
- - aſſiſtens & inhabitans. 796
- - confirmans, præſeruans, conſolans, locupletans. 965
- - illuminans ſ. præparans 155. ad perſpicientiam veri ſenſus Scripturæ S. eſt neceſſaria. ib. ſq.
- - præueniens, operans, cooperans, conſeruans 795
GROTIVS (Hugo) puncta Hebræorum vocalia conſonantibus litteris coæua eſſe negat 139. corporibus ſubtiliſſimis angelos veſtitos eſſe perhibet. 377
Gubernatio Dei quid. 447

H.

Habitus quotuplici ſenſu accipiatur. 193
Hæreſis quid. 30
Hæreticus differt ab infideli 30. an baptiſmus ab hæretico collatus efficax ſit. 1084
Hebdomades LXX. Danielis a quonam termino ſint computandæ. 674
Hebraiſmi N. T. non vitio vertendi ſunt ſcriptoribus ſacris. 98
Hermeneutica media, quibus interpres Scripturæ S. inſtructus eſſe debet 164. ſq. falſa aliorum. 167
*Herrnhuthiani* ſociis Aug. conf. annumerari nequeunt 1022 *). a tribus ſymbolis œcumenicis palam diſcedunt 1380 *). obedientiam Chriſti actiuam ſilentio prætereunt 743 **). in Antinomorum erroribus aperte verſantur 1022 *). pernicioſus eorum ac deteſtabilis de matrimonio error. 1380 *)
Hiſtoriæ in theologia vtilitas. 28
הצדיק quid ſignificet. 893
HOBBESIVS (Thom.) notatus. 400 *)
Homo: eius deſcriptio 406. quot partibus conſtet. 410. triplici natura gaudet. 520 *)
- - primus quis fuerit 406. eius auctor 407. materia 408. perfectiones, quibus fuerit exornatus 470. ſq. non conditus eſt ad exemplar humanæ Chriſti naturæ 467. an labilis fuerit creatus 473. peccatum eius primum ſ. lapſus 507. iure is imputatur eius poſteris 513. ſq. pro capite morali totius humani generis recte habetur. 515
- - vetus & nouus 952. vetus homo non prorſus nec vno actu in renouatione tollitur. ib.
Ὁμοούσιος quid ſignificet 287. cur Patres hanc vocem adoptarint 287. ὁμοούσιοι & ὁμοιούσιος quomodo differant, ib. caro Chriſti nobis eſt ὁμοούσιος 659. ὁμουσία alia eſt ſpecifica, alia numerica. 660



Digitized by Google

**Hvbervs** (Sam.) electionem vniuerſalem ſtatuit. 635
Hypoſtaſis quid 285. vox ἔγγραφος. ib.

I.

יה nomen Dei 220. explicatur. 222
*Ianſeniſtæ* decretum electionis ac reprobationis abſolutum cum Reformatis defendunt 648 *). vniuerſalitatem ſatisfactionis & meriti Chriſti negant 746. vocationis vniuerſalitatem inſitiantur 811. error eorum de gratia inefficaci error confutatur 595 *). 794 *). gratiæ Dei efficaci non poſſe reſiſti ſtatuunt. 874
Idea Dei innata, Carteſianorum commentum. 192. 195
Idioma quid 690. 697. idiomatum vtriusque naturæ in Chriſto communicatio ib. ſq. v. *Communicatio idiomatum.*
ἰδιοποίησις quid. 694
יהוה nomen Dei incommunicabile 220. ratio huius nominis 220. 651 *). Chriſto tribuitur. 651 *)
Ieiunium, ſignum contritionis 1157. ſatisfactionis Pontificiæ genus. 1161 *). 1162
ישו maledica Iudæorum vox. 1266 *)
Iesvm Nazarenum eſſe verum patribus V. T. promiſſum Meſſiam demonſtratur. 674 *)
Iesvs: nominis huius origo & ſignificatio 651 ſq. eius excellentia. 651 ſq.
Iesvs christvs quis 650. v. christvs.
Ignatii epiſtolæ aut ſuppoſititiæ ſunt, aut corruptæ & mutilæ. 72
Ignis infernalis an materialis ſit & proprius ignis 982. 983 *). non punientem, ſed purgantem ignem comminiſcuntur ἀποκαταστάσεως patroni. 990 *)
Ignorantia quotuplex 545. irregeniti qualis 850
Illuminatio quid 819. falſa pſeudomyſticorum definitio 799 *). 844. eius ſynonyma 819. eius cauſſa efficiens principalis 820. vtrum ad præparantem an inhabitantem gratiam pertineat ib. eius medium ib. illuminatio per ecſtaſin non eſt exſpectanda 821. reſpectu medii eſt vel legalis, vel euangelica 824. vtriusque diſcrimen 825. cauſſa eius miniſterialis 826. ſubiectum 827. reſp. ſubiecti eſt vel litteralis & pædagogica, vel ſpiritualis & complete ſalutaris 840. diſtinctio in litteralem & ſpiritualem caute adhibenda eſt ib. *). vtrum ad intellectum ſolum, an ſimul ad voluntatem pertineat 828. an poſſit in intellectu hominis absque ſanctificatione voluntatis eſſe 829. recte diſtinguitur in imperfectam & perfectam 830. vtraque tamen eſt ſupernaturalis 831. illuminatio irregeniti eſt vera, nondum vero perfecta 843 *). illuminationis obtinendæ adminicula 844. terminus eius a quo et ad quem 850. forma ib. quomodo differat a reuelatione diuina 831. a regeneratione & ſanctificatione 832. eſt ſucceſſiua 851. finis eius. 852
Imagines Chriſti & ſanctorum religioſo cultu non ſunt venerandæ. 1220
Imago Dei quid 462. vtrum a ſimilitudine Dei differat 486. vel ὁλικῶς vel μερικῶς ſumitur 464. fuit accidentalis primi hominis perfectio ib. exemplar eius 466. 467. qua re Deus permotus hominem imagine ſua exornatum voluerit 468. ſubiectum imaginis diuinæ 469. eius forma 470. requiſita 462 *). perfectiones eius primariæ 470. ſq. ſecundariæ 475. an perfecta fuerit in primo homine 462 **). fuit primo homini naturalis 477. ſupernaturale donum minus recte a Pontificiis dicitur 478. non tamen excludit aliorum ſupernaturalium donorum in homine præſentiam 484. coniuncta fuit cum pluribus & corporalibus & temporalibus bonis ib. finis, cuius gratia conceſſa fuit protoplaſtis 485. eius iactura 485. perfectiſſima eius reſtitutio beatos olim cœlites manet. 973
Imago in genere. 462 *)
*Immanuel* idem eſt ac θεάνθρωπος. 650 *)
Immenſitas Dei quid 251. quomodo differat ab eius omnipræſentia. ib.
Immortalitas animi humani ex principiis rationis demonſtrata. 454 *). 1227
- - corporis Chriſti. 658
- - Dei quid. 254
Immutabilitas Dei quid. 252
Impoſitio manuum in ſacrificiis V. T. piacularibus quid ſignificauerit 738 *). cur ordinatio miniſtri eccleſiæ per eam fiat. 1340
Impoſſibilia naturæ quid 273. quomodo ab impoſſibilibus natura differunt. ib.
Imputatio in genere quid 913. eius fundamentum 914. eſt vel propriæ vel alienæ actionis ib. alia fit ex debito, alia ex gratia 913. 919. imputatio alieni criminis inſonti facta quando ſit iuſta. 741 *)
- - meriti Chriſti iuſtificationis formam ingreditur 911. 919. ratio eius vera explicatur 920 ſq. concipienda eſt partim vt priuatiua, partim vt poſitiua 921. ad vitæ ſanctitatem & veram pietatem promouendam doctrina de imputata Chriſti iuſtitia eſt vtiliſſima. 928. 923 ſq.
Incarnatio Chriſti quid 665. vocis homonymia ib. eius forma 668. non repugnat ſanæ rationi 670 *). eius finis 671. neceſſitas 673. iampridem facta fuit 673. non fuiſſet facta, ſi homo non peccaſſet. 671 ſq.
Incomprehenſibilitas Dei. 254
Incredulitas v. Ἀπιστία.
Independentia, conceptus Dei differentialis. 232 ſq.

 Indiffe-

Digitized by Google

Indifferentia voluntatis in quonam conſiſtat 575. formam liberi arbitrii conſtituit. ib.
*Indifferentiſtarum* error palmarius confutatur. 37
Induratio quid 555. eius cauſſa ib. indurati ſua culpa pereunt 861. quæ gratia eis ſubtrahatur. 861 ſq.
Ineuidens quid. 44 *)
Infantes non ſunt immunes a peccato actuali 540. regenerationes capaces ſunt 879. fides eorum qualis 880. ſunt baptizandi 1091. an Iudæorum & aliorum infidelium infantes lauacro ſacro abluendi ſint 1092. ſq. neque expoſititiis infantibus neque meretricum aut parentum excommunicatorum infantibus baptiſmus denegandus eſt 1093. an infantes Chriſtianorum iam ante baptiſmum ſancti & fœdere cum Deo coniuncti ſint 1094. infantes Chriſtianorum ante baptiſmum decedentes ſaluantur 1098. immitis Pontificiorum de eis opinio 1099. an infantes eorum, qui extra eccleſiam viuunt, præmatura morte exſtincti, damnentur. 814 *)
Infernus quid 984. locus, in quo ſit, ignoratur ib. Pontificii eum in centro terræ collocant. 985
Infinitas Dei 246. non eſt conceptus Dei differentialis. 233
Inhabitatio Dei in homine, vnionis myſticæ ſynonymum 934. in primo homine naturalisne fuerit an ſupernaturalis. 484
Inſcriptio in librum vitæ, prædeſtinationis ſynonymum. 606 ſq.
Inſpiratio diuina Scripturæ S. a gubernatione diuina, quæ ſcriptoribus ſacris obtigit, differt 83. itemque a reuelatione diuina 87. non ſolum ad conceptus omnium rerum, ſed & ad ſingula eius verba ſe extendit 83. 85. diuinam auctoritatem Script. S. conciliat. 105
Intellectus non eſt liber in agendo 574. quomodo ad liberum arbitrium concurrat ib. 575 *). 576. voluntatem ad agendum determinat 576 *). Dei qualis 255. primi hominis qualis fuerit 471. intellectus practicus quid. 576
Intentionis vere bonæ requiſita 1201 *). Ieſuitarum pernicioſa de bona intentione doctrina. ib.
Interceſſio Chriſti quid 749. quotuplex ibid. etiam in cœlis ſit 750. eſt cauſſa impulſiua conſeruationis & glorificationis fidelium. 963. 971
Interpres Scripturæ S. authenticus quis. 160. 163
Interpretatio Script. S. quid 160. fit per ſcripturam & quomodo ib. eius media quid & quænam. 164 ſq.
Inuiſibilitas Dei. 254
IOANNES apoſtolus, κατ' ἐξοχὴν Theologus audit 2. notabilis in ſcriptis eius ſtili varietas. 87
IOANNES baptiſta: baptiſmus eius accidentaliter tantum a Chriſti baptiſmo differt. 1082
IRENAEI libri minus ſcite tranſlati ſunt. 72
Irregenitus eſt vel negatiue, vel priuatiue talis. 14 17. imperfecte illuminatus eſſe poteſt 16. ſq. abſque Spiritus S. gratia illuminante verum ſcripturæ ſenſum capere nequit 155. notitia eius theologica qualis 16. ſq. nullum infirmitatis peccatum in irregenitum cadit 548 *). opera irregeniti honeſta non ſunt ſpiritualiter bona, neque Deo placent 1193. 1194 *). imo nunquam vere bonæ ſunt eius actiones, ſed ad vnam omnes ex peruerſa φιλαυτίᾳ proficiſcuntur 1194. ſq. *). 1195 *). cum fructu in eccleſia docere poteſt. 1351
Iudæi Ieſum Nazarenum verum eſſe Meſſiam negant 677. falſa eorum Chriſti cum Moſe comparatio refellitur 757 *). legem cærimonialem abrogatam eſſe negant 1028. circumciſionis neceſſitatem vrgent 1071. purgationem aliquam animi poſt mortem fingunt 1232 *). regnum terrenum Meſſiæ præſtolantur 1255. eorum conuerſio vniuerſalis, aut illuſtris quædam & ſingularis non eſt exſpectanda 1264. ſq. gentis ipſorum terræque Iudaicæ exitium ſingulare exhibet prouidentiæ diuinæ argumentum. 423 *)
Iudex: homonymia vocis 140. diuiſio iudicis theologis vſitata 141. quotuplici ſenſu Script. S. iudicis notio conueniat. ib.
- - viſibilis controuerſiarum fidei quotuplici ſenſu dicatur 146. vtrum ſit talis in eccleſia 146. infallibilem eiusmodi iudicem Papam Romanum eſſe fingunt Pontificii. 147
- - vniuerſalis credendorum & agendorum atque controuerſiarum fidei eſt Script. S. 141. 142
- - humani generis quis 1249. eius miniſtri. 1250
Iudicium extremum vniuerſale quid 1246. eius certitudo ib. ſigna antecedentia 1248. cauſſæ impulſiuæ 1250. ſubiectum 1251. obiectum ib. norma 1252. forma 1253. diſtinctio ib. finis 1254. conflagrationem mundi proxime antecedet. 1274
Iusiurandum: maxima eius religio 314 *). Chriſtus per ſe ipſe iurat & quare. ibid.
Iuſtificatio quid 892. huius vocis non alia quam forenſis obtinet ſignificatio 893. 894 *). eius cauſſa efficiens principalis 896. cauſſa impulſiua interna ibid. quid in iuſtificatione peccatoris gratiæ, quid iuſtitiæ diuinæ tribuendum 900. cauſſa eius impulſiua externa ſ. meritoria 897. ſubiectum 900. eius media δοτικὰ 902. medium ληπτικὸν, 903. iuſtificationis per ſolam fidem ex principiis firmis & inter ſe connexis deducta demonſtratio 909. ſeq. *). eius cauſſa miniſterialis 910. forma 911. non fit per inhærentem homini iuſtitiam 926. qua ratione perfecta ſit iuſtificatio 927 *). terminus eius a quo & ad quem 927. reatus peccati in iuſtificatione, non ſtirps & radix peccati tollitur ibid. finis eius 929. effectus ibid. certi-


Digitized by Google

certitudo 930. præcipua doctrinæ de iuſtificatione ſedes. 926 *).
— prima 928. continuata ibid. falſa Romano-catholicorum iuſtificationis in primam & ſecundam diuiſio. 928 *).
IVSTINI Martyris ſcripta pleraque ſpuria ſunt 72
Iuſtitia Dei quid 268. variæ eius diſtinctiones ibid. an commutatiua & diſtributiua inter Deum & homines intercedere poſſit ibid. vindicatiua Deo aſſeritur 269. ſeq. hæc eſt cauſſa impulſiua reprobationis finaliter ἀπίστων. 644
— inhærens homini non poteſt eum iuſtum reddere. 926
Ius vocandi miniſtros V.D. quotuplex ſit 1334. eſt penes totam eccleſiam ibid. probe diſcernendum eſt ab ipſo iuris exercitio. ibid.

K.

קָו, varia huius vocis ſignificatio. 126
KECKERMANNVS (Barthol.) notatus. 19. 344 1039
Κένωσις quid vſu Script. S. ſignificet, & quomodo latine reddi poſſit 765 *). quomodo a ταπεινώσει differat. 766 *)
Κοινωνία τῶν θείων quid. 694
Κύριος nomen Dei 227. explicatur 228. nomen Chriſti, tum diuinitatis eius, tum ſtatus glorioſi index 651 *). 653 *).

L.

Laici qui 1364. a lectione Script. S. non ſunt arcendi 101. ſeq. in caſu neceſſitatis baptizare poſſunt 1081. non vero cœnam S. diſpenſare 1106. calice benedicto non ſunt defraudandi. 1136. ſeq.
LAMI (Bernh.) notatus 400 *).
a LAPIDE (Cornel.) notatus. 544
Lapſis poſt baptiſmum reditum ad pœnitentiam denegant Nouatiani. 865
Lapſus angelorum 397. eius poſſibilitas ibid. grauitas 398. tempus. 399
- - hominum 507. non fatali aliqua neceſſitate euenit 517. v. *Peccatum hominis primum.*
Λατρεία Græcis dicitur religio 33. Pontificiorum inter λατρείαν & δουλείαν diſtinctio. 393
Leges humanæ qua ratione conſcientiam obligent. 1007
Legis in genere definitio. 996
Legum adfirmatiuarum & negatiuarum olim vſitatæ ſed minus accuratæ definitiones examinantur 1006 *).
Lex cærimonialis 1026. in quibus verſata fuit ibid. finis, cuius gratia data ſit 1027. quatenus ad fœdus operum ſpectauerit, & quatenus ad fœdus gratiæ ſit referenda 1047 *). vſus eius pædagogicus 1021 **). abrogatio. 1027
- - forenſis 1030. eius præcepta ibid. finis 1031. abrogatio. ibid.
- - diuina quid 996. vocis homonymia ibid.
- - moralis 1002. eſt vel primordialis vel Sinaitica 1003. auctor eius ibid. ex gratia eam Deus dedit 79. non promulgata eſt ad fœderis operum renouationem 1045 *). cur ſolenni ratione promulgata ſit 1004. quibus id miniſtris factum fuerit 1003. obligat omnes homines 1005. obedientiam conſummatiſſimam exigit 1006. ad pœnam æternam ſuſtinendam tranſgreſſores obligat 1007. finis, cuius gratia data ſit ibid. 1045 *). vſus eius quadruplex 1021. quale ſalutis medium ſit 996. quid ad vocationem peccatoris conferat 807. qua ratione peccatorem illuminet 825. eſt medium conuerſionis & renouationis 858. 950. perfectam faciendorum & fugiendorum normam exhibet 1019. 1192. non fuit a Chriſto nouis acceſſionibus aucta ibid. ſeq. neque ab ipſo abrogata 1023. qua ratione ab euangelio differat 1039. 1040 *). vtriusque conuenientia 1041. & nexus indiſſolubilis. ibid.
- - naturæ quid 997. ratio nominis 500 *). quomodo a lege reuelata differat 1004 *). eius exiſtentia 999. neceſſitas 999 *). 500 *). principia legum naturalium earumque genera 997 ſeq. *). cauſſæ eius 999. ſeq. proprietates 1001. eſt perfecta, ſed eius cognitio in homine vehementer imperfecta eſt 1004 *). etiam internos animi motus dirigit 1002 *) indiſpenſabilis eſt. 1379 *)
- - particularis & temporaria 997. in cærimonialem & forenſem diuiditur. ibid.
- - poſitiua 1379 *). a legibus poſitiuis Deus diſpenſare poteſt. ibid.
- - reuelata ſ. patefacta 1005 *). non ſupplet, accurate loquendo, defectum legis naturæ 1004 *).
- - vniuerſalis & perpetua 997. vocatur etiam ſenſu latiori moralis ibid. eius diuiſio. ibid.
Libertas vera quid 263 *). 435 *). vocis homonymia 569. ſeq. non excludit omnem neceſſitatem 263 *). eius diuiſio 570. oppoſita ibid. in Deo ſumma datur libertas 263 *). angelorum bonorum qualis 389. malorum qualis. 399. 400
Libertini profligantur. 37
Liber vitæ quid 606. eius diſtinctio. 607
Liberum arbitrium quid 569. 576. quotuplici ſenſu accipiatur 571. vox ἄγραφος 572. quid Patres hac voce ſignificauerint 572. eius ſynonyma ibid. ſubiectum 573. ſedes propria ibid. forma 575. obiecta, eorumque diuerſa genera 577. diuerſum in homine pro ſtatus quadruplicis diuerſitate 578. 577. defectus eius in homine lapſo in ſpiritua-



Digitized by Google

ritualibus tantum, non in rebus rationi ſubiectis cernitur. 579. 583

Libri biblici eorumque variæ diuiſiones 129. quid de diuiſione eorum in canonicos, eccleſiaſticos & apocryphos ſentiendum. 129 *).

- - apocryphi quid & quinam 131. ratio nominis 131. a Pontificiis canonicis accenſentur. 133

- - canonici quid 129. eorum diuiſio 129. veteris & noui teſtamenti quomodo conueniant & differant 129. quosdam periiſſe Pontificii ſtatuunt 134. laxiori ſenſu hoc nomine vtitur concilium Carthaginienſe. 111. 145

- - noui teſtamenti quinam 130. a quibusdam in πρωτοκανονικοὺς & δευτεροκανονικοὺς diuiduntur. 131

- - veteris teſtamenti 130. a Iudæis in legem, prophetas & hagiographa diſpeſcuntur 131. an tempore Chriſti hæc partitio iam cognita fuerit. 132 *).

Libri ſymbolici quid. 54

Libri ſymbolici eccleſiæ noſtræ 56. quomodo a Scriptura S. differant ibid. ſeq. quo ſenſu θεόπνευστοι a quibusdam dicti ſint 58. rectius diuina ſcripta vocantur, quam humana ibid. ad ſubſcriptionem eorum quis obligari poſſit 59. eorum neceſſitas hypothetica. ibid.

Linea conſanguinitatis quid & quotuplex 1376. quomodo ſecundum illas gradus conſanguinitatis ſint computandi. 1377

Loci mutatio quo ſenſu Deo in Scr. S. tribuatur 278 *).

Logicæ in theologia exegetica vſus. 28 *).

Lumen gloriæ quid. 457

- - internum Fanaticorum quid 198. ſynonymicæ eius appellationes 200. quomodo a lumine naturæ, fidei & illuminatione Spiritus S. diſtet. 199. confutatur. 200. ſeq. 206.

Lumen naturæ quid. 188

LVTHERVS (Mart.) formulæ loquendi, quibus de peccato originali vſus eſt, explicantur 530. quo ſenſu dixerit, fidem noſtram ex electione fluere 624. ſeq. quo ſenſu hanc loquendi formulam vſurpauerit: Ego ſum Chriſtus 943. ſeq. an verba inſtitutionis cœnæ S. tropice interpretatus ſit 1115. vocatio eius ad opus reformationis qualis fuerit 1333. legitime vocatus & rite ordinatus fuit. 1344

Lux primæua quid 361. ſidera ex ea condita eſſe vero ſimile eſt. 370

Λυκάνθρωποι an ſint. 383

LYSERVS, (Io.) polygamiam ſimultaneam licitam eſſe contendit. 1373.

Λύτρον quid ſignificet. 753

## M.

*Macedoniani* Spiritus S. diuinitatem negarunt. 333

Magi Aegyptii: an baculi ipſorum in ſerpentes veros fuerint conuerſi. 383

Magiſtratus quid 1353. nominis etymologia 1352. homonymia 1353. eius cauſſa efficiens ibid. media, quibus ad magiſtratum perueniatur, legitima 1354. Chriſtiano non licitum eſſe magiſtratum gerere, fanaticorum plerique ſomniant 1356. quinam eligendi ſint magiſtratus 1357. poteſtas magiſtratus qualis ibid. magiſtratui bellum gerere licet 1357. 1360. officium magiſtratus circa res ſacras 1361. poteſtas eius in clericos 1364. ius vocandi eccleſiæ miniſtros ſoli magiſtratui Armini ſectatores vindicant 1335. officium eius circa res ciuiles 1363. quo fine inſtitutus ſit. 1365

Maieſtas Dei quid. 255

*Maioriſtæ* bona opera ad ſalutem neceſſaria dicenda eſſe contenderunt. 1206 *).

MALDONATVS, (Petr.) notatus. 544

Manducatio oralis corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna non eſt capernaitica, vt dicitur, comeſtio 1131. ſeq. manducationis oralis phyſicæ & hyperphyſicæ diſcrimen. 1131. ſeq.

- - ſacramentalis & ſpiritualis quomodo differant 1130. manducationis ſacramentalis vera ratio exponitur ibid.

*Manichæi* duo principia omnium prima coæterna ſtatuunt 239. eorum veſtigia premit BAILIVS 239 **). angelos quosdam malos ab initio fuiſſe fingunt 385. Deum peccati cauſſam faciunt 492. eorum de peccato originali errores 529. Chriſtum verum fuiſſe hominem negant 659. veterum Antinomorum omnium ſunt peſſimi. 1022 *).

*Marcionitæ* alium V. T. alium N. T. Deum ſomniant. 239. Deum peccati cauſſam faciunt 492. Chriſtum verum hominem eſſe negant. 659

MARIA, mater Saluatoris, peccato originali fuit infecta 524. eius genealogia 662. illibata eius virginitas probatur ibid. recte adpellatur θεοτόκος 689. cultum religioſum Pontificii ipſi decreuerunt. 1219

Martyr quis, & quibus a pſeudomartyre diſtinguatur 108 *). teſtimonium martyrum Scripturæ S. originem diuinam confirmat 106. 107. nec nimis augendus nec minuendus nimis eorum numerus 108 *).

Maſora quid 136. argumento eſt, textum hebraicum Script. non eſſe corruptum ibid. puncta vocalia conſonantibus coæua eſſe innuit. 139

Matæologia, theologiæ falſæ verum nomen 29. matæologia ethnica 29. hæretica 30. iudaica 29. ſamaritana 30. ſceptica ibid. ſchiſmaticai bid. ſyncretiſtica ibid. turcica ſ. muhammedana. 29



Digitized by Google

Materia corporis humani alia conſtans eſt alia mutabilis. 1237 *).
Materiale peccati quid & quotuplex. 498
*Materiarii* quinam. 355
Mathematicarum diſciplinarum in theologia vſus. 28
Matrimonium. v. *Coniugium.*
MATTHAEVS an euangelicum ſuum hebraice ſcripſerit. 128
Media ſalutis quid & quotuplicis generis. 991
- - exſecutiua & iſagogica quid. 1223
Mediator quis 729 *). nomen Chriſti 653 *). Chriſtus ſecundum vtramque naturam eſt mediator noſter 729. non qua ſolum ſacerdotale officium mediatoris perſonam Chriſtus ſuſtinuit ibid. *). v. *Officium Chriſti mediatorium.*
Meditatio, illuminationis adminiculum 844. neceſſarium theologo res diuinas cognoſcendi medium 27. meditationis theologicæ adminicula. ibid.
MELCHISEDECVS, Chriſtusne ipſe an alius fuerit 733 *). ſacerdotii eius & Aharonici differentia. ibid.
Mendacium quid. 1017
Merces: an vita æterna merces appellari poſſit 977 *). bona opera mercedis cauſſa facienda eſſe Romanocatholici præcipiunt. 1215
Mereri idem interdum Patribus eccleſiæ ſignificat ac conſequi. 977 *)
Meritum Chriſti quomodo ab eius ſatisfactione differat 736. 898. eſt vniuerſale reſpectu hominum 745. non pertinet ad angelos 248. nec ipſe ſibi aliquid promeruit ibid. valet antrorſum non minus quam retrorſum 902 *). patres V. T. fructum eius poſt mortem demum Chriſti percepiſſe Romanocatholici ſtatuunt ibid. eſt cauſſa impulſiua electionis hominum 613. nec non regenerationis 877. iuſtificationis 897. ſeq. vnionis myſticæ 936. renouationis 950. conſeruationis 963. & glorificationis. 971
Meritum de congruo & condigno, Pontificiorum diſtinctio. 1211
MESSIAS idem qui CHRISTVS 653 *). Ieſum Nazarenum verum patribus V. T. promiſſum Meſſiam eſſe demonſtratur. 674. ſeq. *).
Μετανοεῖν, μετάνοια quid ſignificent 853 *) 1142. 1147. ſeq. quid inter μετάνοιαν & μεταμέλειαν diſcriminis interſit. 853 *).
Μετεμψύχωσις, quorundam philoſophorum error antiquiſſimus. 1231 *).
Miniſterium eccleſiaſticum quid 1331. auctor eius ibid. cauſſa efficiens minus principalis 1334. ſubiectum 1343. obiectum perſonale 1344. obiectum reale 1346. forma ibid. finis. 1350
Miniſtri eccleſiaſtici qui 1343. vocatio legitima ipſis neceſſaria eſt 1336. ordinatio eorum, eiusque neceſſitas 1339. ſeq. examen eorum ibid. officia 1346. poteſtas eorum remittendi & retinendi peccata 1348. 1349. diuerſi illorum dignitatis & auctoritatis gradus prudenti conſilio ſanciti ſunt 1351. ſalaria & nummum confeſſionarium iuſte accipiunt 1344. 1345. etiam impii eccleſiæ miniſtri cum fructu docere poſſunt 1351. an poſſint ſibi ipſi porrigere S. coenam 1107. matrimonium ipſis inire licet. 1374
Miracula quomodo a ſignis & prodigiis differant 107 angeli non poſſunt vera miracula facere 383. miracula facere eximium aliquid & proprium prophetarum fuit 756 *). quot concipi poſſint miraculorum genera 759 *). originem diuinam Scr. S. confirmant 10[illegible]. 107
- - Chriſti: eius probant diuinitatem 313. quid in illis diuina, quid humana natura egerit 759 *). quibus omnium aliorum θαυματουργῶν miracula ſuperauerint. ibid.
Miſericordia Dei 267. attributum Dei eſſentiale eſſe Sociniani infitiantur ibid. v. *Beneuolentia Dei.*
Miſſa euchariſtiæ ſynonymum. 1105
- - Pontificiorum quid 1139. non eſt ſacrificium proprie dictum ibid. ſeq. errores cum miſſatico Pontificiorum ſacrificio arcte connexi. 1140
Miſſio Spiritus S. proceſſionis eius æternæ a Patre & Filio conſequens 342. quotuplex ſit ibid. fiatne ſolum qua dona, an etiam qua perſonam. 343.
Momentum aliud fluxum eſt, aliud fixum 249. vtrumque æternitas Dei, diuerſo tamen reſpectu, dici poteſt. ibid.
Mors: tripartita mortis in corporalem, ſpiritualem & æternam diuiſio minus accurata eſt. 504 *).
- - æterna, quid 504 *). 979. 1224. v. *damnatio æterna.*
- - Chriſti 772. qualis fuerit ibid. eius duratio 773. conſequentia ibid. non ſoluit vnionis hypoſtaticæ vinculum ibid. an Chriſtus in triduo mortis verus homo fuerit. ibid.
- - corporalis ſ. temporalis quid 504 *). 1224. cur comparetur cum ſomno 1226 *). eius forma 1225. cauſſæ ibid. quibus ſit moriendum 1226. finis mortis ibid. mortis corporalis diſtinctio 1227. ſtatus poſt mortem qualis 1227. ſeq. quid de illis ſtatuendum ſit, qui mortem bis experti creduntur. 1332. ſeq. *).
- - ſpiritualis 504 *). quotuplex ſit 1224. quo ſenſu ſit terminus a quo regenerationis, 883
Mortificatio & viuificatio an ſint veræ pœnitentiæ partes. 1148
Mortui certo reſurgent 1236. ſeq. 1237 *). v. *Reſurrectio mortuorum.* quid de bis mortuis ſtatuendum ſit. 1232. ſeq. *).
MOSES, V. T. propheta vnus omnium maximus 756. **). comparatio eius vera cum Chriſto ibid. fictæ Iudæorum, Socinianorum & Romanocatholicorum refelluntur ibid. non prophetam ſolum,

ſed

Digitized by Google

ſed ſacerdotem etiam & regem eum fuiſſe Romanocatholicorum quidam ſibi perſuadent. 757 **).
Motus primi boni in irregenitis quid 873. qua ratione oriantur 799 **). ſeq. ſunt ineuitabiles. 873.
- - inordinati in renatis an ſint peccata. 532. ſq.
*Muhammedani*, ad religionem amplectendam vi cogunt 42. polygamiam in actionibus licitis ponunt 1373. eorum matæologia. 29
MVHAMMEDES quis 29. eius paraſtatæ in conficiendo Corano ibid. an pro Antichriſto magno habendus ſit. 1327
Multi interdum dicuntur *omnes*, 746 *). 811 *).
Mundus a Deo conditus eſt 352. conditus eſt partim ex nihilo, partim ex materia inhabili 354. non ab æterno potuit creari 358. v. *Creatio*. non extitit in tempore, ſed cum tempore 359 *) eius conſeruatio 441. ſeq. v. *Prouidentia*. eius conſummatio 1273. igne vero & proprio conflagrabit 1275. totius mundi ſubſtantia annihilabitur. ibid.
Mutatio quotuplex 252. nulla in Deum cadit ibid. voluntatis diuinæ mutationem Sociniani ſtatuunt. ibid.
Myſterium quid ſenſu Script. S. ſignificet 46. vocis huius apud profanos auctores poteſtas 45. apud Patres eccleſiæ 46. ſublimitas myſteriorum ſcripturæ S. diuinam eius originem probat. 112
Myſterium Trinitatis quomodo omnium ſimpliciſſima ratione tradi poſſit 282. cur in eo explicando vocibus ἀγράφοις vtatur eccleſia 283. ex principiis rationis neque probari neque confutari poteſt 344. ſq. omnibus ſaluandis creditu neceſſarium eſt 347. ſeq. an homo integer eius cognitionem habuerit. 483
*Myſtici*: eorum de notitia rerum diuinarum & lumine aliquo interno errores 16. 198. ſeq. contemplationem Dei a meditatione & ſpeculatione ſeiunctam commendant 208. ſeq. abiecte de corpore humano ſentiunt 412. animæ ex Deo emanationem reditumque in eius eſſentiam ſomniant 417. viæ ipſorum tres ad beatitudinem perueniendi 796. quantis erroribus hæc ipſorum doctrina ſcateat 798. deificatio ipſorum commentum 801. 802. **). illuminationis, quam ſibi fingunt, falſa notio 844. per ἔκςασιν eam fieri ſomniant 821. imperfectam illuminationem prorſus negant 829. ſilentium, quod præcipiunt 847. purgationem aliquam poſt mortem comminiſcuntur. 1232 *).

N.

נָשָׁא quid ſignificet. 738 **).
Natura Chriſti diuina 656. in actionibus θεανδρικαῖς agit quod ſuum eſt 725. v. *Filius Dei*.
- - - - humana 656. proprietates quibus excelluit 657. nobis eſt ὁμοούσιος 956. vnitatem eius nonnulli fanaticorum negant ibid. *). eius origo 660. principium materiale conceptionis & productionis eius 662. communicata ei ſunt omnia attributa diuina, & qua ratione 704. ſeq. quem in finem ei naturæ diuinæ hypoſtaſis communicata fuerit. 669. 670. *). quomodo ſit adoranda 720. in actionibus θεανδρικαῖς agit, quod ſuum eſt 725. qua ratione harum actionum inſtrumentum vocari poſſit ibid. an ad Trinitatem pertineat 349. non eſt exemplar, ad quod primus homo fuit conditus 467. eius ſubſtantia cum renatorum ſubſtantia myſtice vnitur. 937
Natura hominis triplex 520 *). 996. ſeq. *). quibus indiciis ratio colligat, eam penitus corruptam eſſe 520 *). ſeq. per regenerationem non in nouam immutatur naturam. 884
Naturale: quotuplici ſenſu aliquid ita vocari poſſit. 477
Naturaliſmus fanaticus quid 799 *). 832 *). philoſophicus quid 832 *). vtriusque patroni illuminationem aliquam naturalem, Scriptura S. præſtantiorem, fingunt ibid. fidem quoque vtrique naturalem comminiſcuntur, in qua tamen definienda toto cœlo inter ſe diſcedunt. 1170 *).
Neceſſitas abſoluta quid 434. 570. nulla inducitur rebus creatis a præſcientia diuina. 435
- - externa coactionis 570. obligationis. 571
- - hypothetica. 434. 570
- - interna moralis 569 *). eſt vel bona, vel mala 263 *). 569 *). quomodo conſiſtat cum libertate. 263 *). 435 *). 570 *).
- - naturalis. 569 *).
*Neſtoriani* Spiritum S. a Filio Dei procedere negant 339. communicationem idiomatum in Chriſto infitiantur. 692
Nihilum, ex quo mundus conditus eſt. 354
Nomina Chriſti ſingula. 650. ſeq.
Nomina Dei hebraica 220. ſeq. græca 227. incommunicabilia quænam 220. Filio Dei ad vnum omnia tribuuntur 306. itemque Spiritui Sancto 331
Non-reſiſtentia hominis alia eſt pædagogica, alia ſpiritualis. 873
Norma quid 125. v. *Canon*.
Notiones perſonales quid 286. Dei Patris. 303
Notitia Dei vnde & quotuplex 188. eius neceſſitas 187
- - naturalis quid & quotuplex 188. eius veritas 196. vtilitas ibid. imperfectio 197. variorum de ea errores. 192 ſeq.
- - - - adquiſita quid 188. triplex ad eam perueniendi via. 190
- - - - inſita 188. varie definitur 189. habitui eſt analoga 189. 193. eius exſiſtentia probatur 188 ſeq. a calumnia quorundam vindicatur. 192 ſeq.
reue-

Digitized by Google

Notitia Dei reuelata 208. quænam complectatur. 220
Notitia fidei, qualis eſſe debeat 1176. ad fidem tanquam partem requiri negant Pontificii 1177. implicitam notitiam ſufficere ſaluando homini ſibi perſuadent. ib. *)
Notitia rerum diuinarum alia litteralis eſt, alia ſpiritualis 15. diſtinctio hæc orthodoxis viris probatur 17. de notitia rerum diuinarum Fanaticorum aliorumque errores 16. 21 ſq.
- - litteralis quæ 17. eſt ſpiritualis non abſolute, ſed ſecundum quid 20. alia eſt externa, alia interna 17. interna non eſt naturalis ſed ſupernaturalis 18. diſtinctio eius in ſimplicem et approbatiuam. ib.
- - ſpiritualis quæ 17. cur ſic dicatur 15. falſa Fanaticorum de ea opinio. 15
*Nouatiani*, lapſis poſt baptiſmum reditum ad pœnitentiam denegunt 865. eccleſiam, cui impii admixti ſint, veram eſſe prorſus negant. 1304
Nummus confeſſionarius an licitus ſit 1345

O.

Obedientia Chriſti actiua quid 737. negauit eam Io. Piſcator. 743. ſilentio tranſeunt Zinzendorfii adſeclæ. ib. **)
- - paſſiua 737. non ſola, ſed cum actiua coniuncta cauſſam iuſtificationis noſtræ meritoriam conſtituit 897. ſq. voluntaria fuit & cum voluptate coniuncta 1204 **). duplex eius neceſſitas. ib.
Obedientia euangelica quid 1184. eſt ipſa fides. ib.
- - legalis 1184. ex Socinianorum mente præcipuam fidei partem vel formam eius conſtituit 1169 *). 1184. perfectiſſima in quonam conſiſtat. 1006
- - noua non eſt pars pœnitentiæ 1147. ſed neceſſarium eius conſequens. 1149
Obſcurum quomodo a difficili differat 151 *). an Script. S. ſit obſcura. ib.
Obſeſſio corporalis quid 400. veritas eius adſtruitur ib. *). eius cauſſæ 401. ſigna 402. remedia. ib.
- - ſpiritualis. 400
OCHINVS (Bernh.) polygamiam ſimultaneam defendit. 1373
Officia coniugum 1383 dominorum & ſeruorum 1384. parentum & liberorum 1383. magiſtratus 1361 ſq. miniſtrorum eccleſiæ. 1346
Officium Chriſti mediatorium quid 728. quotuplex. 729
- - propheticum quid 756. eius excellentia & cum officio Moſis prophetico inſtituta comparatio 756 **). quot modis Chriſtus hoc officio fungatur. 760
- - regium quid 762. v. *Regnum Chriſti.*
- - ſacerdotale quid 731. excellentia eius præ ſacerdotio V. T. Leuitico 732. ſq. *). quot partibus abſoluatur 735. benedictio illis recte adnumeratur 731. *). finis eius 751. v. *Satisfactio Chriſti.*
Οἰκονομία: hoc nomine plerique Græcorum incarnationem Filii Dei appellarunt. 665
Omnipotentia Dei quid 272. eius obiectum ib. *). diſtinctio in abſolutam & ordinatam 273. infinitam eius vim negant Sociniani 274. humanæ Chriſti naturæ per vnionis perſonalis gratiam vere competit. 708
Omnipræſentia Dei 275. non minus ſubſtantialem Dei adeſſentiam quam eius operationem efficacem complectitur 276. ſq. humanæ Chriſti naturæ vere et realiter communicata eſt 712. quomodo omnipræſentia τοῦ λόγου & carnis Chriſti differant. 713
Omniſcientia Dei 256. eius obiectum duplex ib. ad futura contingentia etiam pertinet ib. humanæ Chriſti naturæ vere & realiter communicata eſt 710. v. *Scientia Dei.*
Opera bona v. *Bona opera.*
Opera diuina 350. ad vnum omnia Filio Dei in Scr. S. tribuuntur 312 *). itemque Spiritui S. 332 ſq.
Opera electitia ſ. arbitraria non ſunt opera vere bona. 1196. 1202 **)
Opera irregenitorum. v. *Irregenitus.*
Opera ſupererogationis Pontificiorum quid. 1202
Opus operatum Pontificiorum quorundam figmentum. 1064 ſq.
Oratio quid 1217. eius genera ib. forma ib. cauſſa efficiens principalis 1218. ad quem orandum ſit ib. cauſſæ impulſiuæ orationis ib. obiectum orationis 1221. pro quibus orandum ſit ib. finis orationis 1222. neceſſarium Theologo medium res diuinas cognoſcendi 27. illuminationis adminiculum 844. quatenus pro defunctis orandum ſit 1221. a Pontificiis ſatisfactionis genus eſſe fingitur 1161. ib. *).
Ordinatio miniſtri eccleſiæ quid 1339. eius neceſſitas 1342. cur impoſitione manuum fiat 1340. ordinatio miniſtrorum V. D. in eccleſiis A. C. addictis legitima eſt. 1341
Ordo decretorum diuinorum de ſalute æterna hominum lapſorum. 609
Ordo miniſtrorum eccleſiæ, fictum Pontificiorum ſacramentum. 1078. 1079 *)
ORIGENES æternam fore diabolorum & damnatorum hominum pœnam negaſſe vulgo creditur 404. 988. corpus animæ carcerem dixiſſe fertur. 412
Origo diuina Scripturæ S. 78. 83. 85. criteria eius externa 106. ſq. interna 110. externa fidem humanam, interna diuinam gignunt 114. principalis & vltima



Digitized by Google

vltima ratio eam cognoſcendi eſt teſtimonium Spiritus S. internum. 116 ſq.

Ὁρκίζειν & ἐξορκίζειν quid ſignificet. 1101

Osiander (Andr.): eius de imagine Dei, ad quam primus homo conditus fuit error 467. de incarnationis Chriſti neceſſitate falſa opinio 672. Chriſtum mediatorem noſtrum ſecundum diuinam ſolum naturam eſſe cenſuit 730. per iuſtitiam Dei eſſentialem nos iuſtificari docuit. 519

Oues Chriſti quinam dicantur. 595 *). 639 *)

P.

Pactum quomodo a fœdere & teſtamento differat. 1043

Pædobaptiſmus vindicatur. 1091

Παλιγγενεσία quid ſignificet. 876

Panis euchariſticus qualis eſſe debeat 1116. quantitas eius et qualitas arbitrariæ ſunt ib. panes orbiculares in eccleſiis noſtris recte adhibentur ib. non alium niſi fermentatum panem adhibendum eſſe contendunt Græci 1117. fractio eius non neceſſaria eſt 1127. ſq. non mutatur in corpus Chriſti. 1128 ſq.

Paracelsus (Theophr.) tres hominis partes eſſentiales ſtatuit 410. in præcipuis chiliaſmi patronis numerandus eſt. 1255

Parentes: conſenſus eorum ad legitimum liberorum matrimonium neceſſarius eſt 1368. eorum officia. 1383

Πάρεσις eadem eſt quæ ἄφεσις, quod Cocceiani negant. 902 *)

Parevs (Dau.) legem moſaicam prorſus abrogatam eſſe ſtatuit 1023. magiſtratui politico poteſtatem architectonicam in ſacris æque ac ciuilibus competere cenſuit. 1363

Paſcha quid vſu biblico ſignificet, 1072. v. *Agnus paſchalis.*

Paſſio Chriſti magna, 707. ſq. fuit acerbiſſima ib. quatenus cum ſenſu dolorum infernalium coniuncta fuerit 771. neceſſaria fuit, neque minus tamen voluntaria 1204 **). ſitne ad legem an ad euangelium referenda. 1034. 1040*)

Pater, prima deitatis perſona v. *Deus Pater.*

Patres: diuiſio Theologiæ in Theologiam & œconomiam ipſis familiaris 3. conſenſus patrum eſt principium topicum, non apodicticum Theologiæ 71. 72. nonnunquam durius de ſtilo Scripturæ S. locuti excuſantur 98. quidam eorum catachreſtice Deo corpus tribuerunt 231. angelos vero corpore, licet ſubtiliſſimo, veſtitos dixerunt 377. quid voce liberi arbitrii ſignificarint 572. *mereri* idem ipſis interdum ſignificat, quod *conſequi* 977 *). quo ſenſu panem & vinum benedictum in corpus & ſanguinem mutari dixerint 1029. veterrimi quidam ſec. II. III. & IV. patres minus accurate de ſtatu animi poſt mortem locuti ſunt 1231 *). quidam eorum ſexus diſcrimen in reſurrecturis hominibus fore negant 1245. mundum in conſummatione ſeculi non in nihilum redactum, ſed in meliorem ſtatum perductum iri nonnullorum fuit ſententia. 1275

Pavlvs, apoſtolus: eloquentiam eius laudat Chryſoſtomus. 99

Pax conſcientiæ quid. 930
- hominis cum Deo quid ibid. vtriusque huius pacis effectus. ib.

Peccator quis 497. ipſe eſt cauſa indurationis. 555

Peccatum quid 488. vocis etymologia 489. homonymia, ibid. cauſa peccati phyſica, 490. moralis ib. neutra Deus eſt, ibid. neque etiam peccati cauſa per accidens vllo modo dicendus eſt 494. 495 *). quomodo prouidentia diuina circa hominum peccata verſetur 448. ſq. num in bruta cadat peccatum, 497. norma, a qua deflectat peccatum, 498. 499. peccata ſunt actiones per ſe malæ 500. forma peccati 501. an detur eius aliquis finis 502. conſequens eius ibidem. an Deus peccata peccatis puniat 505 *). vnde grauiora alia ſint, alia leuiora 553. ſq. quatenus peccata ſint cauſſa impulſiua reprobationis 645. pro omnibus peccatis Chriſtus ſatisfecit 745. reatus eorum, non ſtirps & radix, in iuſtificatione tollitur 997. reliquiæ peccati ſunt in renatis, qui eas pœnitentia quotidiana opprimere tendant 953. an radix peccati per baptiſmum tollatur 1096. an electorum peccata in iudicio extremo publicatum iri, ſtatuendum ſit 1253. qua ratione a miniſtro eccleſiæ remitti & retineri poſſint peccata 1348 ſq.
- - actuale quid, 537. nominis etymologia ib. homonymia ib. ſynonymia 538. peccati actualis cauſa efficiens ibid. eius cauſæ impulſiuæ ib. origo eius ibid. in omnes homines, etiam in infantes, cadit, 540. quomodo poſſit irritum reddi 869. quid ad eius retractationem, requiratur. 870. 1152 ſq.
- - alienum, 552. noſtrum. ib.
- - clamans quid. 353
- - commiſſionis & omiſſionis. 552
- - cordis, oris, operis. 552
- - ignorantiæ. 545
- - in filium hominis quid. 566. 567 *)
- - infirmitatis, 546. quomodo differat a peccato malitiæ 546. ſq. *). non cadit in irregenitum. 548 *)
- - in Spiritum S. quid 556. indoles eius ex principiis certis demonſtrata, 556. ſq. *). inuoluit abnegationem veritatis potiſſimum euangelicæ 557. imo repugnantiam aduerſus media gratiæ omnia, tum ordinaria tum extraordinaria atque abundantia, 558 *). eius requiſita ib. *) 559. a


quo

Digitized by Google

quo committatur 561. an a nunquam renatis poſſit committi 561. ſq. cauſſæ eius impulſiuæ 562. adiuncta, ib. rat. cur ſit irremiſſibile 558 *) 564 ſq. num finalis impœnitentia ad eſſentiam eius pertineat 558 *) 563. an pro peccatore in Spiritum S. orandum ſit. 565
Peccatum inuoluntarium 542. 545. vel ex ignorantia, vel infirmitate proficiſcitur. 545
- - mortale 547. eius effectus. 551
- - mortuum quid 555. viuens. ibid.
- - originale quid 518. ſynonyma eius ibid. eſt veri nominis peccatum ibid. ſq. 532. cauſæ eius efficientes 523. omnibus hominibus naturaliter procreatis inhæret ib. aliquam eius notitiam iam recta ratio ſuppeditat, ſed originem eius veram ignorat 519. ſq. *). 521 *). forma eius 525. quo ſenſu habitus dici poſſit 528. non eſt de ſubſtantia hominis 529. eius effectus 531. proprietates ib. in aliis hominibus regnat, in aliis minus 535. per baptiſmum non aboletur. 1096
- - primum angelorum, quod & quale, 397. ſq. 398 *)
- - primum hominis 507. eius cauſa, ibid. forma 510. finis 512. conſequentia, ib. lex tota moralis peccato primo fuit violata, 509. vere & iuſte imputatur poſteris. 513
- - regnans quid. 536
- - remiſſibile & irremiſſibile. 556
- - veniale 547. fundamentum diſtinctionis peccati in mortale & veniale, ibid. ſq. melius fit diuiſio, in peccatum ad mortem & peccatum non ad mortem, 548. ſq. *). peccatum nullum per ſe veniale eſt, 549. cauſæ, quæ efficiant, vt peccata renatorum ſint venialia. 551
- - voluntarium ſiue proæreticum 542. quotuplici modo contra conſcientiam committatur ibid. ſq. a voluntate, vel plane libera, vel vi metuue inclinata, proficiſcitur 543. ſq. eius effectus. 551
*Pelagiani*, theologiæ naturalis ad ſalutem ſufficientiam tuentur 197. concurſum Dei ad actiones hominis negant 444. hominem ſe propriis viribus ad Deum conuertere poſſe cenſent 581. 860. homines ante Moſen ſola lege naturæ, poſt Moſen ſola lege Moſis iuſtificatos & ſaluatos eſſe ſtatuunt. 1036
Perfectio euangelica 961 *). renato vnicuique propter meritum Chriſti conceſſa eſt ib. falſæ notiones perfectionis euangelicæ, quas Romano-catholici & Sociniani tradunt. 961 ſq.
- - legalis 960 *). alia partium eſt, alia graduum ib. perfectio partium vnicuique renato competit ib. perfectionem graduum nemo mortalium aſſequitur ibid. an poſſit renatus in hac vita ad gradum perfectionis legalis a ſummo proximum peruenire. ibid.
Perfectiones diuinæ 235. ab eius proprietatibus diſtinguendæ ſunt 234 **) in perfectionibus diuinis eius reſeruata eminent. 281 *)
Περιχώρησις quid ſignificet 287. quotuplex ſit ib. cur Patres hac voce communionem duarum in Chriſto naturarum expreſſerint 681. actiua a paſſiua probe diſtinguenda eſt. 707
PERKINSIVS (Guil.) vniuerſalitatem ſatisfactionis & meriti Chriſti negauit. 746
Permiſſio diuina in quo conſiſtat 449. quotuplici ſenſu actionem aliquis permittere dicatur 495 *). qua ratione Deus peccata permittat. 495 *)
Perſeuerantia fidelium quid 968. alia eſt temporaria, alia finalis ib. finalis vel continua eſt vel interrupta ib. eius oppoſitum 969. qua ratione renati perſeuerantiæ in fide & pietate certi eſſe poſſint. 969 ſq.
Perſona quid 284. perſonarum in vna eſſentia diuina pluralitas 288 ſq. earum trinitas 289 ſqq. Spiritum S. perſonam eſſe diuinam probatur 329 ſq. vtrum perſona diuina dici poſſit eſſentia diuina. 345
- - Chriſti vna eſt eaque σύνθετος. 663
PETRVS non fuit a Chriſto caput eccleſiæ conſtitutus 1295 ſq. eum vrbis Romæ epiſcopum fuiſſe, Romanenſium fabula. 1297
PEYRERIVS (Iſaac.), Præadamitarum faber. 406
Philautia peruerſa ſemper primum eſt & vnicum irregenito principium agendi. 1194 ſq. *)
PHILO, Iudæus, Deum omnia vno momento creaſſe opinatur 357
Philoſophia non aduerſatur theologiæ reuelatæ 29. inſignis eius in theologia vſus. 28
PHOTINVS ſatisfactionem Chriſti negauit. 739
Phylacteria Iudæorum ex male intellecta lege diuina orta. 99
PISCATOR. (Io.) voluntatem ſigni & beneplaciti in Deo inter ſe conſpirare negat 266. obedientiam Chriſti actiuam infitiatur 743. vniuerſalitatem ſatisfactionis & meriti Chriſti negat 746. Origenianam, minus accuratam eam decalogi diuiſionem, tuetur 1009
PLATO hominis ſummum bonum in contemplatione Dei poſuit 208. corpus animi carcerem vocauit 412. animum ex eſſentia Dei emanaſſe ſomniauit 417. v. *Platonici*.
*Platonici* infuſum a Deo mentibus conditis lumen aliquod fingunt 198. prædicata Deo & creaturis communia æquiuoca eſſe ſtatuunt 231. an trinitatem in Deo agnouerint 345. de corpore humano eorum errores 411. quibus mediis ex mente ipſorum ad veram ſapientiam perueniatur 798. 844. finis philoſophiæ eorum ὁμοίωσις Θεῦ ib. de ecſtaſi eorum ſomnia 821. purgationem animi poſt mortem fingunt. 1232 *).



Digitized by Google

Poculum abſterſorium a Pontificiis laicis conceſſum quid. 1137
Pœnæ infernales quænam 982 ſq. earum initium 986. æternitas 986. 987 *). gradus 990. eas aliquando, diabolorum & damnatorum hominum reſtitutione facta, finem habiturum Peterſenius aliique ex recentioribus fingunt 988 *). erroris huius principia 990 *). eas damni ſolum, non ſenſus fore Sociniani cenſent 988 *). infantes Chriſtianorum ante baptiſmum decedentes iisdem pœnis damni ſubiiciunt Romanenſes. 1099
Pœna quid 503. quomodo differat a caſtigatione paterna, ibid. et caſtigatione iudiciaria ib. *). pœna peccati proprie ſic dicta in hac vita non datur, ibid. *). pœna peccati quotuplex. 504
Pœnitentia quid 1741. vocis homonymia 1142. cur a patribus quibusdam ſecunda poſt naufragium tabula fuerit dicta 1098. notio falſa pœnitentiæ, quæ Arminianis placet 1145. partes eius veræ 1145. falſæ ex mente Pontificiorum ibid. alia eſt lapſorum, alia ſtantium ſeu quotidiana 1143. noua obedientia non eſt pars pœnitentiæ 1147. ſed eius neceſſarium conſequens 1148. quo ſenſu mortificatio & viuificatio poſſint partes pœnitentiæ ſtatui 1148. eius finis 1149. an pœnitentiæ notio pœnam includat 1146. quo ſenſu Deo in ſcriptura ſacra tribuatur. 253. 258
– – ſtantium ſeu quotidiana quid 1143. eius requiſita & neceſſitas ib. ſq. *). ſtricte proprieque non poteſt bonum opus nominari. 1151 *)
Ποιμὴν, nomen Chriſti, omnibus eius tribus muneribus aptum. 653 *)
POIRETVS (Pet.) quid illuminationis naturalis nomine ſignificare voluerit. 831 *)
Polygamia nunquam fuit licita 1371. 1373. quid de patriarcharum polygamia ſtatuendum ſit. 1173
Pontifex Romanus neque ſucceſſor Petri neque caput viſibile eccleſiæ eſt 1297. quo tempore imperium in reliquas eccleſias affectare cœperit 1299. non habet poteſtatem concilia œcumenica conuocandi 1321. non eſt iudex controuerſiarum fidei 147. eſt Antichriſtus magnus. 1328
*Pontificii:* eorum circa definitionem Theologiæ lapſus 8. vi cogendos homines ad religionem amplectendam docent 42. conſenſum patrum primitiuæ eccleſiæ pro infallibili fidei principio habent 73. Scripturæ Sacræ neceſſitatem extenuant 184. eorum circa θεοπνευστίαν Scripturæ Sacræ errores 81. 84. criteria, quæ diuinam originem Scripturæ Sacræ probant, non niſi humanam fidem gignere ſibi perſuadent 113 ſq. dogma de interno Spiritus Sancti teſtimonio rident 119 ſq. laicos legere Scripturam Sacram prohibent 100. auctoritati eccleſiæ Scripturæ Sacræ auctoritatem ſubiiciunt 122 ſq. 128 ſq. canonem Iudaicum a Chriſtiano diſtinguunt 132 *). apocryphos libros canonicis annumerant 133. corruptionem textus originalis Scripturæ Sacræ fingunt 137. punctorum vocalium θεοπνευστίαν in dubium vocant 139 ſeq. Scripturam Sacram iudicem controuerſiarum eſſe, negant 143. perſpicuitatem Scripturæ Sacræ infitiantur 151. falſa eorum media henneneutica 167. vni dicto biblico plures affingunt litterales ſenſus 93. ſenſus myſtici in allegoricum, tropologicum & anagogicum diuiſio, ipſis familiaris 91. verſiones Scripturæ præter vulgatam ſuam improbant 172. traditionum neceſſitatem vrgent 176 ſq. 180 ſeq. myſterium trinitatis omnibus creditu neceſſarium eſſe, eorum nonnulli negare videntur 348. humanam Chriſti naturam in conſortium trinitatis euectam eſſe, negant 549. Filium Dei patribus V. T. viſibili forma apparuiſſe inficiantur 395. Deum primo omnium rudem atque indigeſtam molem creaſſe negant 362. quidam mundum ab æterno creatum eſſe cenſent 358. eorum de ſtatu angelorum originali error 385. confirmationem angelorum in bono merito vel Chriſti, vel ipſorum angelorum adſcribunt 386. eorum de angelis tutelaribus opiniones 391. de nouem angelorum ordinibus ſomnium 392. angelos religioſe colendos præcipiunt 393. illorum de origine animæ opiniones 415. de imagine Dei protoplaſtis concreatæ errores 465. 474. 478. 486. ſtatum aliquem purorum naturalium in protoplaſtis comminiſcuntur 482. concreatum fuiſſe primo homini appetitum ſenſitiuum, rectæ rationi repugnantem perhibent 474. omne peccatum voluntarium eſſe dicunt 501. de immaculata Mariæ conceptione lites ipſorum domeſticæ 524. peccatum originale in mera priuatione iuſtitiæ originalis conſiſtere ſtatuunt 527. concupiſcentiam originalem atque motus primos inordinatos in renatis reſiduos peccata eſſe negant 534 ſq. infantes liberos prorſus eſſe a peccatis actualibus contendunt 540. peccata per ſe venialia fingunt 550. eorum de peccato in Spiritum Sanctum error 564. liberum arbitrium hominis in ſpiritualibus debilitatum quidem per lapſum, non vero prorſus amiſſum eſſe docent 581. eorum de obiecto electionis falſa ſententia 634. electionem bonorum operum, non vero fidei finalis intuitu factam eſſe, quorundam in illis eſt ſententia 613. 623 ſq. in doctrina de communicatione idiomatum etiam cum veteribus hæreticis tibiam ſæpius inflant 692. attributa diuina carni Chriſti vere communicata eſſe prorſus inficiantur 707. 709. 711. 717. 789. Chriſto, vt homini, cultum religioſum quidem, inferiorem tamen ſummo exhibent 721. Chriſtum ſolum ſecundum humanam naturam mediatorem noſtrum eſſe adfirmant 730. eum vnicum eſſe N. T. ſacerdotem negant 732 **).

734. falſum ſacerdotii Melchiſedeciani & Aharonici diſcrimen comminiſcuntur 733 ſq.*). Chriſtum ſibi aliquid promeruiſſe adfirmant 748. nouum fuiſſe legislatorem ſtatuunt 757*). infernales dolores eum ſuſtinuiſſe negant 771. eorumde deſcenſu Chriſti ad inferos & ſeſſione ad dextram Dei errores 779. ib. *). 788. humanæ voluntati vim actiuam ſe ad Deum conuertendi tribuunt 860. falſa eorum iuſtificationis notio 895. 897. neque ſola fide, neque fide, quatenus meritum Chriſti apprehendit, ſed per infuſum iuſtitiæ habitum nos iuſtificari docent 902 907. 910. 915. 926. iuſtitiam Chriſti nobis imputari negant 918. patres V. T. fructum meriti Chriſti ante mortem ipſius percepiſſe infitiantur 902*). nonnulli eorum fidei ſaluificæ in V. T. neceſſitatem negant 40. vnione myſtica ſubſtantiam Dei cum ſubſtantia hominis coniungi infitiantur 941 ſq. renouatos in hac vita perfectos poſſe fieri cenſent 959. 1025. falſæ ipſorum euangelii & perfectionis euangelicæ definitiones 960*) 1033. promiſſiones euangelicas a conditione operum ſuſpenſas eſſe docent 1042. præcipui eorum in doctrina de fœderibus diuinis errores 1045 *) ſeq. Sacramenta V.T. nuda ſigna fuiſſe docent 1055. 1063. ſacramentorum efficaciam ab intentione miniſtri ſuſpendunt 1058. ſacramenta alii ex opere operato, alii ex opere operantis conferre gratiam Dei ſtatuunt 1065. plerique eorum agnum paſchalem pro ſacrificio proprie ſic dicto habent 1076. numerum ſacramentorum N. T. præter rationem augent 1077. ſeq*). baptiſmo peccatum prorſus tolli, eius tamen efficaciam reſpectu futurorum peccatorum nullam eſſe ſtatuunt 1096. 1097. infantes ante baptiſmum decedentes, pœnam, quam damni vocant, pati contendunt 1099. vinum aqua mixtum in S. cœna neceſſario adhibendum eſſe præcipiunt 1117. panis & vini ſubſtantiam in S. cœna in ſubſtantiam carnis et ſanguinis Chriſti immutari docent 1129. laicos poculo benedicto defraudant 1137. Chriſtum quotidie in miſſa immolari affirmant 1140. contritionem cordis, confeſſionem oris & ſatisfactionem operis tres pœnitentiæ partes conſtituunt 1145. contritionem mereri remiſſionem peccatorum tradunt 1150. bonis operibus eam annumerant 1151. terrores conſcientiæ non neceſſario contritionem comitari perhibent 1154. in confeſſione coram miniſtro eccleſiæ ſingulorum peccatorum enumerationem poſtulant 1159. pœnitentibus varias ſatisfactiones pro pœnis, vt aiunt, temporalibus iniungunt 1061. obiectum fidei generalis & ſpecialis confundunt 1168. neminem vi promiſſionum euangelicarum & ſine noua reuelatione remiſſionis peccatorum ſibi factæ aut fidei ſuæ certum eſſe poſſe ſciſcunt 931. 1171. 1189. notitiam vel non eſſe fidei partem, vel implicitam ſaltem ſufficere ſaluando cenſent 1177. ib. *) fiduciam partem fidei eſſe negant 1182. falſa eorum fidei in informem & formatam diuiſio 1186. ſq. veram fidem cum peccatis mortalibus ſimul ſtare adfirmant 1177*). 1187. irregenitos opera vere bona facere poſſe ſtatuunt 1194*) ἐθελοθρησκείᾳ Deo placere ſibi perſuadent 1196. 1202 **) perfectionem bonorum operum eorumque neceſſitatem ad æternam ſalutem conſequendam aſſerunt 1199 1206. opera ſupererogationis fingunt 1202. de merito bonorum operum falſa ipſorum ſententia 976. 1211. ſanctis, ipſorumque & Chriſti imaginibus religioſum cultum decernunt 1219. 1220. purgatorium aliquem ignem comminiſcuntur 1228 ſq. in iudicio extremo ſingula electorum peccata publicatum iri credunt 1253. eccleſiam inuiſibilem exſiſtere negant 1283. flagitioſos in eccleſia viuentes veræ eccleſiæ membris annumerant 1284. Pontificem ſuum ſucceſſorem Petri & viſibile caput eccleſiæ iudicemque controuerſiarum eſſe iactant 1294 ſq. reiectis eccleſiæ veræ criteriis, falſa & fallacia afferunt 1309. 1311 ſq. eccleſiam in fide errare poſſe negant 1319. Romano-catholicorum nomen ſibi ipſi dari poſtulant 1316*). Pontifici ſuo poteſtatem concilia generalia conuocandi arrogant, eaque errare non poſſe iactant 1321. 1326. verum Antichriſtum ignorant 1329. ſoli presbyterio ius miniſtros eccleſiæ vocandi adſertum eunt 1335. quidam eorum imperiorum & magiſtratus diuinam originem in dubium vocant 1355. magiſtratui politico poteſtatem in clericos & res ſacras denegant 1362. 1363. matrimonia abſque conſenſu parentum inita rata eſſe & firma ſtatuunt 1369. miniſtros eccleſiæ vxores ducere vetant 1375. gradus conſanguinitatis iure naturali prohibitos eſſe negant 1379. falſa eorum de diuortio ſententia 1382.

Poſitiuum quotuplici ſenſu accipiatur 525

Potentia angelorum 382. bonorum 390. malorum 399. 400

- - - Dei v. Omnipotentia

Poteſtas architectonica quid 1362. an magiſtratui politico circa res ſacras æque ac ciuiles competat. ib ſq.

- - clauium qua ratione miniſtris eccleſiæ competat. 1348 ſq.

- - magiſtratus quotuplex ſit 1357. poteſtatem iudicandi & ſceleſtos ſuppliciis adficiendi magiſtratui fanatici denegant. 1358. ſq.

Præadamitæ, Iſ Peyrerii figmentum. 406

Præcepta decalogi 1011 ſq. primum 1011. ſecundum 1012. tertium 1013. quidnam morale eius, quid cæri-

cærimoniale ib. quartum 1014. quintum 1015. ſextum 1016. ſeptimum ib. octauum 1017. nonum & decimum 1018
Prædeſtinatio : vocis etymologia 605. eius ſynonyma ib. quomodo ab electione differat ib. quid ſenſu laxiore Patrum nonnulli hac voce indicaverint 607. quid ſenſu ſtrictiore ſit prædeſtinatio 608. 604. 609. homonymia vocis ſenſu ſtrictiore acceptæ 606 *). 608. ordo decretorum prædeſtinationis 609. v. *Electio.*
Præguſtus vitæ æternæ. 218
Præſcientia Dei nullam rebus creatis aut voluntati humanæ imponit neceſſitatem 258. 434 ſeq. v. *Scientia Dei.* Socinus eam ab actibus diuinæ prouidentiæ excludit 430. decreta diuina noſtro concipiendi modo antecedit 432. infallibilem eius rationem a decreto diuino pendere Scholaſticorum quidam aliique ſtatuunt 433. qua ratione ſit norma electionis & reprobationis hominum. 629. 645
Præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna vera & realis eſt. 1120 ſq.
- - Dei quotuplex 275. 1120 ſeq. gradus eius 276. v. *Omnipræſentia.*
Preces. v. *Oratio.*
Principia cognoſcendi theologica quænam 61. ratio non eſt principium cognoſcendi theologiam 68. neque conſenſus patrum primitiuæ eccleſiæ. 71. 72
- - - rationis quotuplicis generis 68. eorum vſus in theologia ib. ſq. 71. ſunt vel organica, vel philoſophica. 68
- - - - - abſolute vniuerſalia 68. ſunt terminis quibusdam circumſcripti. 68*)
- - - - - - vniuerſalia ſecundum quid 68. audiunt etiam particularia 68**). ratio eorum applicatur ib. quot modis confutandi ſint, qui theologiam iis impugnant. 69**)
- - - ſalutis quid & quot. 585
Principium cognoſcendi apodicticum quid 72. quid topicum ib. fontes principiorum apodicticorum. 61
- - - - - - - - incomplexum quid 61. complexum ibid. principiorum complexorum diuiſio. ibid.
Priuatio quotuplex 525. iuſtitiæ originalis priuatio ad formam peccati originalis pertinet 525. non tamen ſola eam efficit. 527
*Priſcillianiſtæ* Deum peccati cauſſam faciunt. 492
Proceſſio Spiritus S. deſcribitur 337. non fit a ſolo Patre, ib. nec per voluntatem diuinam 341. eius conſequens 342
Πρόγνωσις Dei quid 629. quatenus ſit electionis & reprobationis hominum norma. 629. 645
Promiſſiones euangelicæ non dependent a conditione operum 1042. vera earum indoles 1040. 1042. ſunt vniuerſales 1170. qua ratione cum illis, tum ipſarum adplicationi ſingulari fides ſaluifica innitatur ib. peccatorem eas ſibi in indiuiduo certa ratione adplicare poſſe, Romano-catholici negant. 1171
Πρόνοια vox ἄγραφος, 421
Propenſionum humanarum ad varia vitæ genera diuerſitas illuſtre prouidentiæ diuinæ argumentum 422*)
Propheta qualis Chriſtus fuerit 756. (v. *Officium Chriſti propheticum.*) miracula facere eximium aliquid & proprium prophetarum fuit. 756*)
Propoſitiones exhibitiuæ quid 1109. vera earum indoles exponitur ib. 1110
- - - - idiomaticæ primi generis quomodo ſint explicandæ 696. propoſitio : Diuinitas in carne paſſa eſt, excuſari poteſt, tutius tamen ab ea abſtinetur ib.
- - - - - - - ſecundi generis 722
- - - - - - - tertii generis. 728
- - - perſonales quænam 678. 684. earum fundamentum 685. analyſis 686. ſunt reales & ſine exemplo 656. an ſint paronymicæ 687. tria earum genera. 685*)
- - - quæ ex vnione myſtica credentium cum Chriſto fluunt, quales ſint. 946
Propoſitum bonum eſt bonum opus. 1198
Proprietas perſonalis quid 287. 286. quot ſint perſonarum in diuinitate proprietates perſonales 285. Dei Patris 303. Dei Filii, 322. Dei Spirit. S. 337
Proprietates diuinæ ab eius perfectionibus diſtinguendæ ſunt. 234**)
Πρόθεσις Dei quid 629. norma electionis & reprobationis hominum. ib. 645
Prouerbia Salomonis : eorum methodus vindicatur. 111
Prouidentia Dei quid 421. vocis etymologia ibid. homonymia ibid. dicitur in Script. S. viſio Dei ib. vnde innoteſcat 422. demonſtratur ex ſingulis mundi proprietatibus ib. ſq *). eius obiectum quotuplex 426. quomodo circa vitam hominis eiusque terminum verſetur 427. ſq. actus, quos complectitur prouidentia diuina, latius ſic dicta 430. an prouidentia Dei admittat fatum 437 ſq. an fortunam 440. actus prouidentiæ diuinæ ſtricte dictæ 440. eius finis 447. eſt vel generalis, vel ſpecialis ; vel ordinaria, vel extraordinaria 448. quomodo prouidentia diuina circa peccata hominum verſetur ib. ſq.
*Pſychopannychitæ* quinam. 974. 1231*)
PVCCIVS (Franc.) notitiam Dei naturalem ad ſalutem conſequendam ſufficere opinatur 197. indifferentiſmus eius confutatur. 37



Digitized by Google

Purgationem animi poſt mortem plures quidem ſomniant, qui tamen in explicando eius modo diſſentiunt. 1332 *)
Purgatorium, Pontificiorum commentum 1228. 1230. ſq 1232 *)
*Puritani* in Anglia diſtinctos dignitatis eccleſiaſticæ gradus non admittunt. 1352
Puncta vocalia Hebræorum conſonantibus ſunt coæua 138 ſq. Critici, qui illud negant, confutati 139. ſq.

Q.

*Quackeri* nouas reuelationes iactant 64. 165. ſeq. error eorum de notitia rerum diuinarum 16. Scripturam S. litteram mortuam eſſe nugantur 75. ſq. Scripturam S. eſſe normam fidei morumque præcipuam & vniuerſalem negant 143. lumen aliquod internum comminiſcuntur 202 ſq. multos Chriſtum abſque verbo externo cognouiſſe perhibent 204. beatos eſſentialis Dei beatitudinis & gloriæ participes fore ſibi perſuadent 461. illuminationem hominis per ecſtaſin fieri ſomniant 821. ſilentium homini, vt luminis ſuſupernaturalis particeps fiat, præcipiunt 847. Chriſtum in nobis per regenerationem naſci tradunt 890. nos imputata Chriſti iuſtitia iuſtos reddi negant. 918

R.

רָקִיעַ quid ſignificet. 365
Raptus Chriſti in cœlum Socinianorum fabula 757 **). 761. natales eius. 757**)
Raptus ecſtaticus quomodo ab ecſtaſi differat. 821
Ratio humana, quotuplici ſenſu ſumatur 86. an ſit principium theologiæ ib. principiorum eius in theologia vſus ibid. quot modis errant, qui reuelationem rationi contrariam eſſe cenſent 69**) Sociniani myſteria ratione metiuntur. 70
Reatus culpæ 502. pœnæ 503. vterque tollitur in iuſtificatione. 927
Reconciliatio inter Deum & homines *mutua* fuit neceſſaria 729 *). 743*). ex mutua hac reconciliatione vtriusque in Chriſto naturæ neceſſitas recte colligitur. 730**)
Redemtio corporalis quid. 751
- - - generis humani quid 752. qualis ſit 751. Filio Dei appropriatiue tribuitur 329. & quomodo 321. eſt vniuerſalis 754. eius medium 755. finis. 756
- - iudicialis quid 752. extraiudicialis. ib.
- - pretioſa & ſatisfactoria. 752
- - ſimplex & abſoluta. ib.
Redemtor hominum quis 650. 755. nomina eius ib.*). v. *CHRISTVS*.
Redimere quid proprie ſignificet. 752
*Reformati* ſcientiam Dei mediam inficiantur, 257. voluntatem ſigni & beneplaciti in Deo inter ſe temere committunt 265*), diſtinctionem voluntatis diuinæ in antecedentem & conſequentem impugnant 588. ſq. abſolutum Dei electionis & reprobrationis hominum decretum ſtatuant 617. 648 *). nos intuitu perſeuerantis fidei electos eſſe, negant 623 ſq. eorum de obiecto electionis error, 634. ſolos electos vere credentes eſſe putant 636*). eorum diſtinctio gratiæ diuinæ in efficacem & inefficacem confutatur 595*). quo ſenſu affirment, gratiæ Dei non poſſe reſiſti 795*). gratiam ſalutarem vniuerſalem eſſe negant 1171*). regenerationem iterum fieri poſſe infitiantur 888 *). fidem veram non poſſe amitti ſibi perſuadent ibid. certam fidei ſaluificæ rationem debilitant 1171*). Auguſtinianam decalogi diuiſionem quando reiiciunt, argumentis maxime logicis profligari poſſunt 1009*) præcipui eorum in doctrina de fœderibus diuinis errores 1045 ſq. *). nonnulli eorum ſacramenta quædam in paradiſo fuiſſe inſtituta opinantur 1053*) verba inſtitutionis cœnæ ſacræ improprie accipienda eſſe, omnes contendunt, de modo tamen explicationis inter ſe diſſentiunt. 1113 *)
Regeneratio, quid 876. falſa Socinianorum definitio 858. vocis homonymia 876. ſynonymia ibid. cauſa eius efficiens principalis 877. cauſa impulſiua ibid. media 878. cauſa miniſterialis 879. ſubiectum, ibid. tum intellectum tum voluntatem peccatoris afficit 880. in V. T. non minus quam in N. locum obtinuit 881. eius forma, 882. terminus a quo & ad quem, ibid. non ſubſtantialem hominis mutationem efficit, 883. neque in collatione nouæ naturæ conſiſtit, 884. fit ſucceſſiue 885. eſt efficax & ſufficiens ad fidem producendam, ibid. an perfecta ſit, 886. poteſt amitti, ſed & iterum iterumque recuperari, ibid. ſeq. eius neceſſitas 889. finis, ibid. quomodo a iuſtificatione & renouatione differat 892
Regnum Chriſti quotuplex 762. an finem habiturum ſit. 763
- - millenarium. vid. *Chiliaſmus*.
Religio: etymologia vocis 32. 33. quomodo græcis vocetur 33. quotuplici ſenſu accipiatur. ibid.
- - chriſtiana quid 32. nominis homonymia 33. eſt vera religio ibid. complectitur credenda & agenda. 43
- - euangelica ſeu Lutherana eſt religio vera 35
- - falſa quid. 60
- - vera, quæ 34. eſt antiquiſſima ibid. talis eſt euangelico-lutherana 35. non eſt niſi vna 36. non ex ſanctitate hominum externa diiudicanda eſt, 39. nemo ad eam vi externa cogendus eſt 41. 42. eius oppoſita. 60



Digitized by Google

Religio V. T. eadem quæ N. T. 34. ibid. *). 40
Remiſſio peccatorum ad iuſtificationis formam pertinet 911. vera eius ratio explicatur 912. 915. quatenus ſit perfecta 927 *) a miniſtro eccleſiæ facta, qualis ſit, 1348
*Remonſtrantes*, v. *Arminiani.*
Renatus, quomodo differat ab electo 636. 968. an electionis ſuæ & iuſtificationis certus eſſe poſſit 642. 930. eius tota ſubſtantia cum totius trinitatis & humanæ Chriſti naturæ ſubſtantia in vnione myſtica coniungitur 937. & quomodo 939. ſq. qua ratione vna cum Deo in negotio ſanctificationis operetur 949. reliquias peccati quotidiana pœnitentia abolere tentat 953. quomodo ſanctus ſit 956. ex parte ſpiritualis, ex parte carnalis eſt 957. duplici ſenſu dicitur σαρκικός, ſeu carnalis 957. renatos iam in hac vita perfectos fieri poſſe, Fanatici aliique iactant 957. ſeq. (*v. Perfectio*). eius officia 966. vſus legis diuinæ etiam ad renatos pertinet 1022. non poſſunt in hac vita legem Dei perfecte implere, 1199. ſeq. 1024. ſeq. actiones renatorum voluntariæ ſunt non arbitrariæ 1203 *). v. *Bona opera.*
Renouatio quid 946. 947. variæ huius vocis ſignificationes 947. dicitur quoque ſanctificatio 948. diſcrimen inter actum & ſtatum renouationis 429 *) cauſſa eius efficiens principalis ibid. cauſa minus principalis ſeu ſecundaria 949. cauſſa impulſiva 950. media ibid. adminicula 951. terminus a quo & ad quem 952. 953. ſubiectum 953. forma 954. non vno actu ſed ſucceſſiue fit 955. finis eius 956. in hac vita ſemper eſt imperfecta. 959
- - inchoata quid 956. continuata, & conſummata ibid.
Renouatus 953. v. *Renatus.*
Reprobatio quid 643. vocis homonymia 644. ſynonymia ibid. eius cauſſa efficiens ibid. cauſſæ impulſiuæ ibid. principia eius ſ. normæ 645. forma 646. ſubiectum ibid. finis ibid. decretum eius eſt immutabile 647. non vero abſolutum. ibid.
Reprobati quinam 646. an poſſint eſſe in ſtatu regenerationis. 647
Repudium quid 1380. quomodo a diuortio differat. ibid.
Repugnantia peccatoris alia naturalis eſt, alia malitioſa. 672
Reſeruata diuina quid & quænam 281 *). omnia, nullo excepto, Filio Dei in Script. S. tribuuntur 310 ſeq. *) itemque Spiritui S. 332 *)
Reſurrectio Chriſti 779. 780. qua virtute facta fit 780. veritas eius, certiſſimis teſtimoniis confirmata 780. ſeq. **) non modo humana, ſed divina etiam fide credenda eſt 751 **). ſecundum quam naturam, quando & quo fine facta ſit 782 ſeq.
Reſurrectio mortuorum quid 1235. poſſibilitas eius ex principiis certis rationis demonſtrata 1236 *). quomodo veritas rei ex ratione poſſit cognoſci 1237 *) erit vniuerſalis 1239. impiorum non fit vi meriti Chriſti 1240. ſeq. reſurgent eadem numero corpora 1242. eius forma 1245. finis. ibid.
Reſuſcitatio mortuorum quid 1235. eius cauſſa efficiens 1238. v. *Reſurrectio mortuorum.*
Retractatio peccati quibusnam actibus abſoluatur 870
Reuelatio diuina: vocis homonymia 61. 62. eius varii modi 62. diſcrimen inter reuelationem & inſpirationem 87. rationi non eſt contraria 69 *) reuelationes nouæ non ſunt exſpectandæ 63. 64. an homini in ſtatu innocentiæ reuelatio diuina facta ſit. 484
Rex: qualis Chriſtus ſit 762. an in ſtatu exinanitionis rex fuerit. 764
RIVETVS (Andr.) legem Moſaicam prorſus abrogatam eſſe cenſet, 1023

## S.

Sabbathum: ſanctificatio eius qualis præcepta ſit 1014. quo reſpectu abrogatum ſit ibid. 1023. ſeq. an pro ſacramento paradiſiaco habendum ſit. 1053 *)
Sacerdos: qualis Chriſtus fuerit 731. 744. cur ille ſacerdos ſummus isque *magnus* dicatur 732 **) ſacerdotes N. T. præter Chriſtum nulli ſunt 732 **)
Sacerdotium Chriſti quibus modis ſacerdotium V. T. præſtet 732 *). v. *Officium Chriſti ſacerdotale.*
- - Melchiſedecianum & Aharonicum quomodo differant. 733 *). Gichtelianorum de ſacerdotio Melchiſedeciano error. 733 *)
Sacramenta quid 1053. qua ratione a ſacrificiis differant 1053 *). vocis homonymia 1054. ſacramentorum eſſentialia ibid. ſeq. cuius generis ſigna ſint 1055 ibid. *). cauſſa eorum efficiens principalis ibid. cauſſa impulſiua 1056. quibuſnam ius competat ſacramenta diſpenſandi ibid. efficacia eorum neque a vita, neque ab intentione miniſtri dependet 1057. ſeq. materia ſacramenti quid & quotuplex 1059. vtriusque vnio qualis 1060. forma ſacramenti ibid. an ad integritatem eius fides pertineat 1061. finis ſacramentorum 1062. media iuſtificationis, vnionis myſticae et renouationis ſunt 902 936. 950. efficaciam eorum cum Fanaticis Sociniani & Arminiani negant 1063. gratiam diuinam vel ex opere operato, vel ex opere operantis conferre cenſent Pontificii 1064. 1065. eorum neceſſitas 1065. alia ſunt veteris, alia noui teſtamenti 1066. vtriusque generis ſacramentorum conuenientia & differentia. ibid.

Sacra-

Digitized by Google

Sacramenta N. T. 1077. ſeq. eorum numerus ibid. requiſita neceſſaria 1078 *). ſeptem Pontificiorum ſacramenta. 1078
- - V. T. 1067. ſeq. nuda ſigna fuiſſe Pontificii docent. 1055. 1063

Sacrificium quid 1026. qua ratione a ſacramento differat 1053 *). impropriæ huius vocis ſignificationes 1139. ſacrificiorum genera 1026. vim habuerunt peccata tum voluntaria, tum inuoluntaria typice expiandi 1028. ſeq. vſus eorum partim legalis, partim euangelicus 1029. ratio ignorat ſacrificia 1030. ſacrificium quod Chriſtus obtulit, eſt verum ſacrificium 744. miſſam ſuam ſacrificium proprie dictum eſſe contendunt Pontificii. 1140
- - ſpontaneum V. T. quantum diſtet a Romanocatholicorum ἐθελοθρησκεία. 1202 **)

SALMASIVS (Claud.) Scripturæ S. ſtilum carpit 97. auctoritatem Patrum ſententiæ ſuæ prætexit. 98. 99

Saluatoris nomen qua ratione Chriſto tribuatur 654. Deo Patri & Spiritui S. qua ratione conueniat. ibid.

Sancti demortui non ſunt inuocandi. 1218. ſeq.

Sanctificatio Spiritui S. in Script. S. appropriatur 343. variæ huius vocis ſignificationes 948. quatenus eadem ſit cum renouatione ibid. partes eius 954. v. *Renouatio*.

Sanctitas in genere quid 245 *). ſanctitas Dei 245. 246 *). primi hominis. 472

Sanguis Chriſti an pro materia cœleſti baptiſmi haberi poſſit 1086. 1087. verus & ſubſtantialis in S. cœna realiter præſens eſt 1120. ſeq. ore corporis accipitur & bibitur 1130. etiam ab indignis 1134

Sapientia quid 7 *). quomodo differat a ſcientia ibid. 260 *). quot mentis actus ad eam requirantur. 260 *).
- - Dei quid 260. quomodo differat ab eius ſcientia ibid. eius affectiones. ibid. *).
- - primi hominis. 471

Σάρξ & σῶμα quomodo differant. 1244 *).

Satisfactio Chriſti quid 735. ſynonyma eius biblica ibid. quomodo a merito Chriſti differat 736. 898. cui præſtita fuerit ibid. neceſſaria eius requiſita 736 *). ſq. medium eius ſc. obedientia Chriſti tum actiua tum paſſiua 737. a nemine niſi θεανθρώπῳ præſtari potuit 736 *) non tollit gratuitam peccatorum remiſſionem 742. pro omnibus omnium hominum peccatis omniumque peccatorum pœnis fuit præſtita. 745. 754. non ad angelos pertinet 748. eſt cauſſa impulſiua noſtræ regenerationis & iuſtificationis. 877. 897
- - operis, ficta a Pontif. pars pœnitentiæ 1145 1161. errores cum doctrina hac pernicioſa arcte coniuncti. ibid. *)
- - pœnalis vicaria: eius requiſita 737 *). falſa Socinianorum huius vocis interpretatio. 739 *)
- - quæ proximo læſo fit, contritionis ſignum 1157. ſeq. eius neceſſitas. 1158 *)

Scandalum quid et quotuplex. 554

שַׁדַּי, nomen Dei 220. explicatur. 223

שְׁאוֹל quid ſignificet. 955

שִׁילֹה, nomen Chriſti, quid ſignificet. 653 *)

Schiſma quid 30. 1290 **). quomodo ab hæreſi differat. 1290 **)

Schiſmatici non ſunt vera eccleſiæ membra 1290. Proteſtantes a Pontificiis Schiſmaticorum nomine traducuntur. 1291

*Scholaſtici:* eorum circa definitionem theologiæ lapſus 8. quidam eorum inſitam Dei notitiam infitiantur 192. notitiam Dei naturalem ad ſalutem conſequendam ſufficere nonnulli eorum opinantur 197. notiones entis, ſubſtantiæ, cet de Deo & creaturis æquiuoce prædicari ſtatuunt 231. reale attributorum diſcrimen tuentur 236. præſcientiam Dei in decreto eius fundari docent. 433. quomodo voluntatem ſigni & beneplaciti in Deo definiant 265. Filium Dei per intellectum Patris generari, Spiritum S. autem per voluntatem Patris & Filii ſpirari affirmant 341. myſterium Trinitatis ex principiis rationis demonſtrare audent 344. Deum vim creandi creaturæ communicari poſſe opinantur 353. mundum ab æterno creari potuiſſe; imo rationem ignorare creationis veritatem ſtatuunt 356. 358. cœlum aliquod empyreum comminiſcuntur 364. varii eorum de angelis errores 377. 379 de origine animæ humanæ plerique eorum peruerſe ſentiunt 415. actiones legi diuinæ contrarias non per ſe malas eſſe ſibi dari poſtulant 500. liberum arbitrium in rebus ſpiritualibus per lapſum non eſſe amiſſum ſibi perſuadent 581. eorum de obiecto electionis falſa opinio 634. Chriſtum in carnem venturum fuiſſe, licet homo non peccaſſet, ſtatuunt 672. gratiæ Dei reſiſti non poſſe fingunt 874. reſurrecturos olim homines ſexu diſtinctos fore negant 1245. totalem mundi annihilationem in dubium vocant 1275

*Schwenkfeldiani* nouas reuelationes iactant 64. ſeq. eorum de notitia rerum diuinarum errores 16. 184. Scripturam S. verbum Dei, & extra vſum efficacem eſſe negant 77. 993. ὁμουσίαν carnis Chriſti impugnant 659. ſatisfactionem Chriſti infitiantur 739. homines hodienum immediate a Spiritu S. illuminari nugantur 826. 859. 878. regeneratione ſubſtantiam hominis immutari, ſomniant 883. 884. falſa eorum iuſtificationis & vnionis myſticæ notio 895. 941. ſq. fidei in V. T. neceſſitatem negant 490. perfectionem renouatorum



in hac

in hac vita ſtatuunt 959 ſeq. 1199. ſacramenta externa tantum gratiæ ſigna eſſe cauillantur 1055. 1063. veram & realem corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna præſentiam negant 1123 ſq. 1135. chiliaſmum tuentur 1255. irregenitorum miniſterium, vtpote inutile, prorſus reiiciunt. 1351

Scientia quid 7 *). quomodo differat a ſapientia. ib.
- - angelorum bonorum 388. malorum. 399
- - Dei 256. variæ eius diſtinctiones 256 ſq. ſcientia naturalis ſ. ſimplicis intelligentiæ 257. ſcientia viſionis ſ. libera. ib.
- - - media, quid 257. eam a naturali & liberam diſtinctam eſſe Reformatorum quidam inſitiantur 257. 259. certam eius rationem Socini fautores in dubium vocant. 257
- - primi hominis qualis. 471

*Scotiſtæ* prædicata Deo & creaturis communia vniuoca eſſe falſo opinantur 231. attributa Dei inter ſe & ab eius eſſentia realiter differre ſtatuunt 236. præſcientiæ diuinæ infallibilem rationem ex decreto diuino repetunt 433. omnia ſecundum eam neceſſitate abſoluta fieri temere cenſent 435. voluntatem hominis a Deo ad agendum prædeterminari docent. 446

Scriptores ſacri ex mandato diuino ſcripſerunt 80 ſq. ab omni errore inter ſcribendum immunes fuerunt 88. vulgi erroribus illos ſe accommodaſſe Copernicani & Carteſiani cenſent 88. eorum ἀξιοπιστία. 106
- - - N. T. non adæquate in euangeliſtas & apoſtolos diuiduntur. 50

Scriptura Sacra 74. nominis etymologia 74. homonymia 74. 75. ſynonymia 74. cur norma ſ. κανων vocetur 57. eius cauſſa efficiens principalis 78. cauſſa minus principalis 80. cauſſæ impulſiuæ 79. 80. ſq. materia vt dicitur, ex qua 82 obiectum ib. forma interna 83. eſt verum & viuum verbum Dei 74 ſq. 77. etiam extra vſum actu primo efficax eſt 992. litteram mortuam eſſe nugantur Quackeri 75 ſq. forma eius externa 96. deſtinata eſt omnibus hominibus 99 laicos ab eius lectione iniuſte arcent Pontificii 100 ſq. finis cuius gratia data eſt Scr. S. isque multiplex 102 ſq. vſus eius paracleticus non ſolum ad διδασκαλίαν, ſed & ad παιδείαν & ἐπανόρθωσιν referendus eſt 103 *). quo fine actiones turpes in ea exponantur 101 eius auctoritas ſ. αὐθεντία 104 quotuplex hæc ſit 104. (v. *Auctoritas Scr. S. Origo diuina Scr. S.*) antiquitas Scripturæ S. 106. eſt θεόπνευστος & quoad res & quoad verba 83. 85. (v. *Inſpiratio diuina*) librorum quos complectitur diuiſio 129 ſq. eius integritas 134. incorruptæ conſeruatio 136 poteſtas eius iudicandi quotuplex 140. (v. *Index.*) eius perſpicuitas 140 15 ſq. 155. vera huius perſpicuitatis ratio exponitur 151 *). veri eius ſenſus perſpicientia ſine Spiritus S gratia obtineri nequit 155. ſe ipſa explicat 160. eius interpretatio quomodo inſtituenda 160. falſa Pontificiorum, Socinianorum & Fanaticorum interpretandi ſcripturam ratio notatur 167. quod verſionibus eius ſtatuendum ſit pretium 170 ſq. Pontificii iniquos earum æſtimatores ſe præbent 172 ſq perfectio eius quotuplex 173 ib. *) perfectio eius finalis ſ. ſufficientia 173 ſq. in quonam hæc præcipue conſiſtat 174 *). eius neceſſitas 183 ſq. efficacia eius qualis 992 ſq. quomodo efficacitas, effectus & euentus Script. S. differant 995 *). regulæ lecturis eam obſeruandæ. 186
- - noui teſtamenti cur lingua græca conſignata ſit. 97
- - veteris teſtamenti, cur hebræo idiomate conſcripta ſit 96. chaldaica quædam quibus locis inſerta ſint. 97

*Semipelagiani* libero hominis arbitrio in eius conuerſione locum faciunt. 581

Senſus Scripturæ ſacræ formalis quis 91. vnius dicti biblici vnus tantum eſt 90 ſq. an irregenitus eum aſſequi poſſit. 155
- - litteralis quis & quotuplex 90. 91. litteralis grammaticus rectius dicitur ſenſus litteræ. ib.
- - myſticus quis 91. improprie dicitur ſenſus ſcripturæ ib. quo ſenſu accommodatio poſſit vocari ib. *). Pontificiorum minus adcurata ſenſus myſtici in allegoricum, tropologicum & anagogicum diuiſio ib. ſq. melius in typicum, allegoricum & parabolicum diſpeſcitur. 92
- - typicus alius eſt propheticus, alius hiſtoricus. 92
- - virtualis quis. 91

Sepultura: eius neceſſitas 1235. honeſta quibus deneganda ſit. 1236

Sepultura Chriſti. 774

Serpens, ſeductor protoplaſtorum, non verus fuit, ſed perſonatus ſerpens. 508 *)

Serui, ſeruitus: honeſta quid 571. quid probroſa ib. officia ſeruorum. 1384

Seſſio Chriſti ad dextram Dei 786. eius finis 790. v. *Dextra Dei.*

Signa προφητικά: vis eorum & ratio explicatur 1248 *). iudicii extremi quænam. ib.

Silentium Pſeudomyſticorum & Fanaticorum quale. 847 ſq.

SIMON, Magus, Deum peccati cauſſam eſſe ſtatuit. 492

Simplicitas Dei 239. omnis generis compoſitionem excludit. 24 ſq.

Societas coniugalis 1366. herilis 1384. paterna. 1383

*Sociniani* reuelationem contrariam eſſe rationi opinantur 79 *). eorum de notitia rerum diuinarum errores 16. 192 ſq. myſteria ratione metiuntur 70. 167. Scripturæ S. neceſſitatem non agnoſcunt 184. de θεοπνευστίᾳ eius minus recte ſentiunt 84. 88. teſtimo-

Digitized by Google

teſtimonium Spiritus S. internum præcipuum divinitatis Scripturæ S. argumentum, ſilentio prætereunt 119. corruptionem textus originalis Scripturæ S. fingunt 137 ſq. eam eſſe vnicam vitæ regulam negant 143. ſine gratia illuminante Spiritus S. intelligi eam poſſe iactant 158. obſcuram eſſe cauillantur 151. vni dicto biblico plures aſſingunt ſenſus litterales 93. nomen Dei יהוה creaturis quoque in Script. S. tribui ſciſcunt 221. inter Deum ſummum & ſubordinatum diſtinguunt 239 ſq. Deum non omnis compoſitionis expertem eſſe cenſent 241. de infinitate & immenſitate Dei dubitanter loquuntur 246. 252. æternitatem pluribus præter Deum rebus tribuunt 248. ſucceſſivam eam fingunt ib. mutabilem eſſe voluntatem diuinam ſibi perſuadent 252 ſq. certam futurorum contingentium cognitionem Deo denegant 257. miſericordiam & iuſtitiam Dei vindicatiuam attributa Dei eſſentialia eſſe infitiantur 267. 270. 739 *) infinitam eſſe potentiam Dei dubitant 274. ſubſtantialem Dei omnipræſentiam negant 277. myſterium Trinitatis principiis rationis impugnant 345 ſq. diuinitatem Filii Dei eiusque æternam generationem pertinaciter negant 315. 325 ſq. patribus V. T. eum adparuiſſe inficiantur 397. Spiritum S. non perſonam, ſed virtutem tantum diuinam interpretantur 330 333 ſq. proceſſione Spiritus S. miſſionem eius temporalem innui contendunt 339. Deum Patrem ſolum mundum creaſſe ſtatuunt 352. quidam eorum materiam Deo coæternam aſſumunt 355. angelorum creationem multis ſeculis viſibilis mundi productionem anteceſſiſſe fingunt 362. 381. nonnulli eorum angelos corporibus veſtitos eſſe volunt 377. diabolos aliquando penitus abolitum iri ſtatuunt 404. præſcientiam Dei ab actibus prouidentiæ diuinæ excludunt 430. eorum de imagine diuina errores 472. 473. 474. 476. 486. Deum peccati cauſſam faciunt 492. delictum Adami poſteris imputari negant 515. de peccato originis peruerſe ſentiunt 520. peccatis actualibus omnes in vniuerſum homines contaminatos eſſe negant 540. peccata infirmitatis admodum extenuant 550. eorum de peccato in Spiritum S. errores 564. liberum arbitrium in ſpiritualibus non eſſe deperditum contendunt 581. prædeſtinationis & electionis falſam differentiam comminiſcuntur 605 *). electionem noſtram intuitu bonorum operum factam eſſe docent 613 decretum electionis reſpectu indiuiduorum factum eſſe infitiantur 630. ex electis reprobatos fieri poſſe cenſent 641. ὁμουσίαν carnis Chriſti negant 659. negant Chriſtum eſſe perſonam σύνθετον 663. myſterium incarnationis impugnant 666 ſq. Chriſtum venturum fuiſſe in carnem, licet non peccaſſet homo, opinantur 672. filium Dei adoptiuum eſſe perhibent 688. attributa diuina realiter ipſi communicata eſſe, penitus negant 707. 709. 711. 717. 789. cultum ſummum Chriſto denegant 721. mutuam inter Deum & homines reconciliationem neceſſariam fuiſſe infitiantur 729 **). 743 **). ſatisfactionem Chriſti eiusque æternum ſacerdotium negant 617. 734. 739. 753. 899. ſacrificium Chriſti in cœlis demum peragi contendunt 745. Chriſtum ſibi gratiam ſingularem promeruiſſe cenſent 748. eorum de raptu Chriſti in cœlum fabula 757 **). 761. Chriſtum noui legislatoris partibus functum eſſe fingunt 757 **). 1019 ſq. regnum Chriſti in fine mundi abolitum iri ſtatuunt 763. Chriſtum infernales dolores ſuſtinuiſſe negant 771. deſcenſum eius ad inferos de ſtatu mortis in ſepulchro explicant 779. eum ſua vi in vitam rediiſſe negant 780. humanæ voluntati vim conuertendi actiuam tribuunt 860. relapſos, ſi habitum peccandi contraxerint, non poſſe converti opinantur 865. falſa eorum regenerationis definitio aliique errores 880. 881. 884. 888. falſa fidei in Chriſtum definitio 904 *). 1184. 1169. falſa fidei in duas partes, fiduciam & obedientiam diuiſio 1169 *). iuſtificationem per fidem & imputatam iuſtitiam reiiciunt 904. 907. 915. 918. 924 *). 926. ſubſtantiam Dei cum renati ſubſtantia myſtice vniri negant 941 ſq. luctam carnis cum ſpiritu in omnibus renatis ſupereſſe infitiantur 958. renouatos iam in hac vita perfectos fieri poſſe cenſent 959 ſq. 1025. falſa ipſorum perfectionis euangelicæ definitio 960 *). Pſychopannychitarum errori fauent 974. 986. 1229 *). gradus præmiorum in futura vita negant 976. damnatos tandem deſtructum & in nihilum redactum iri putant 988. Auguſtinianam decalogi diviſionem reiiciunt 1009. præceptum de ſabbatho ſanctificando a Chriſto prorſus abrogatum eſſe exiſtimant 1044. ſacrificia V. T. ne typice quidem peccata expiaſſe tradunt 1029. euangelium N. T. ſolius propriam doctrinam eſſe ſtatuunt 1036. præcipui eorum in doctrina de fœderibus diuinis errores 1045 *) ſq. fideles V. T. fide in Chriſtum ſaluatos eſſe negant 40. 901. illis bona tantum corporalia & temporalia promiſſa fuiſſe perhibent 1052. ſacramentis gratiam Dei conferri negant 1063. baptiſmum ritum mere arbitrarium eſſe tradunt 1099. rem cœleſtem baptiſmi infitiantur 1086. eum aſperſione rite peragi negant 1090. quid de formula baptiſmi ſentiant ib. pædobaptiſmum impugnant 1091. S. cœnam meram cærimoniam in memoriam mortis Chriſti inſtitutam interpretantur 1139. veram & realem corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna præſentiam negant 1123 ſq. vſum panum orbicularium reprehendunt 1117. pœnitentia perfectos, quos fingunt, Chriſtianos, non indigere ſciſcunt 1144. nouam obedientiam fere ſolam pœnitentiam efficere cenſent



Digitized by Google

1145. 1147 ſq. confeſſionem & abſolutionem privatam reiiciunt 1160. irregenitos opera vere bona præſtare poſſe perhibent 1194. bonorum operum ad ſalutem conſequendam neceſſitatem tuentur 1206. quidam eorum impiorum reſurrectionem infitiantur 1240 eadem numero corpora reſurrectura eſſe negant 1243. eccleſiam catholicam prorſus deficere poſſe ſtatuunt 1319. vocationem ad munus eccleſiaſticum V. D. miniſtro neceſſariam eſſe infitiantur 1338. remiſſionem peccatorum quæa miniſtro eccleſiæ fit, declarativam tantum eſſe ſtatuunt 1350. polygamiam in V. T. prohibitam fuiſſe negant. 1373

SOHNERVS (Ern.) angelos corporibus eſſe veſtitos ſtatuit 377

Solœciſmus quid 97. immunis ab illis eſt Script. S. ſtilus. ibid.

Σῶμα & σάρξ quomodo differant. 1244 *)

Somnium, ſingularis reuelationis diuinæ modus 62, viſiones typicæ per ſomnium nonnunquam oblatæ. 92

Σωτήρ, nomen Chriſti 653 *). quo ſenſu Deus Pater hoc nomine compelletur 594 *)

Spectra quid 402. exiſtentiam eorum Scriptura S. confirmat. ibid.

Spiratio actiua Dei Patris & Filii 304. 328. eius conſequens. ibid.

- - paſſiua Spiritus Sancti 337. v. *Proceſſio Spiritus Sancti.*

Spiritus: quomodo de Deo & creaturis prædicetur 231 Deum ſpiritum eſſe probatur 229 ſq. angeli ſunt ſpiritus 377

Spiritus completus quis 378. tales ſunt angeli. ib.

Spiritus priuatus, Pontificiorum dicterium. 119

Spir. Sanct.: eius deſcriptio 329. ratio nominis ib. vnde vera eius & diſtincta perſonalitas innoteſcat ib. ſq. diuinitas eius demonſtratur 1) ex nominibus diuinis 331 iisque inprimis, quæ ſummi Dei propria ſunt ib. *) 2) ex attributis diuinis 331 ſq. in primis ex reſeruatis diuinis, iisque vniuerſis ib *). 3) ex operibus diuinis 332 ſq. 4) ex cultu religioſo 333. & omnibus eius partibus ib. *) 5) ex accurata collatione dictorum V. & N. T. 333. character eius hypoſtaticus 337. proceſſio eius ibid. etiam a Filio procedit ib. ſq. quid de phraſi ſentiendum: Spir. S. procedere a Patre per Filium 340. non ſolum qua dona, ſed & qua perſonam mittitur 343. ſanctificatio hominis ipſi in Scriptura Sacra appropriatur 343. nec non productio carnis Chriſti 660. gratia eius adplicatrix quid 791. nomina quæ ipſi propter hanc gratiam tribuuntur 792 ſq omnes homines ad eccleſiam vocat 806 ſq vocationem admittentes illuminat 820. conuertit 857. regenerat 877. renouat 948. conſeruat 963. bona opera in renatis efficit 1190. eſt cauſſa efficiens principalis precum 1218. peculiari ratione materiam baptiſmi cœleſtem conſtituit. 1085

SPINOZAE (Bened.) calumnia qua reſurrectionis Chriſti veritatem impugnat, repreſſa. 782 **)

Sponſalia quotuplicis generis ſint. 371

STANCARVS (Franc.) Chriſtum ſolum ſecundum humanam naturam mediatorem noſtrum eſſe ſtatuit 730

Status animorum poſt mortem qualis 1227 ſq. errantium de eo claſſes 1231 ſq. *) ſtatus intermedius confutatur. 12 8 ſq. 1229 ſq. *). 1231 ſq *)

Status Chriſti quotuplex. 764 ſq.

- - exaltationis 774. eius forma 775. actus vel gradus 776. an ζωοποίησις ad gradus hosce referenda ſit. 776

- - exinanitionis quis 767. eius forma 765. duratio 768. finis cur fuerit ſuſceptus ib. actus eius 769 ſq ſecundum quam naturam exinanitus fuerit Chriſtus. 767

Status eccleſiaſticus 1331 ſq. huic ſoli Romanenſes ius miniſtros eccleſiæ vocandi adſertum eunt 1335. v. *Miniſterium eccleſiaſticum.*

- - gratiæ angelorum 384. 385. hominum. 420

- - hierarchicus triplex. 1331 ſq.

- - hominis quotuplex. 420

- - integritatis quis 461. ſacramenta proprie dicta non admittit. 1053 *)

- - miſeriæ angelorum 384. hominum 420

- - œconomicus. 1331. 1366 ſq.

- - politicus 1331. 1352 ſq. v. *Magiſtratus.*

- - purorum naturalium, Pontificiorum commentum. 482

Stilus idioticus quis. 97

Stilus ſcripturæ ſacræ neque eſt idioticus neque barbariſmis & ſolœciſmis refertus 97 ſq. a ſimplicitate ſua & grauitate commendabilis eſt 110. varietas eius diuinæ ſcripturæ inſpirationi nil derogat 87. eius maieſtas. 110

SVAREZII (Franc.) de θεοπνευστίᾳ Scr. S. error 87

Subditi qui 1364. diſtinctionis ſubditorum in laicos & clericos vetuſtas ib. eorum officia. 1366

Subſtantia, quomodo de Deo & rebus creatis prædicetur 231. peccatum originis de ſubſtantia hominis eſſe, Flacii fuit error 528. cum renati ſubſtantia, tota Trinitatis & humanæ Chriſti naturæ ſubſtantia myſtice vnitur. 937

Succeſſio nulla in æternitate Dei eſt. 248. 250 *)

Syllogiſmus prædeſtinatorius 630 reprobatorius. 646

Symbolum quid ſignificet 54. ſymbola fidei 54. antiquiora ib. recentiora 56. v. *Libri ſymbolici.*

Syncretiſmus quid 30

Syſtemata theologica eccleſiæ veteris. 26

## T.

TANNERVS (Adam.) mutuam naturarum Chriſti in agendo communionem negauit. 727



Digitized by Google

Ταπείνωσις Chriſti quid. 767*)
Tempus quid 359 *). non in tempore, ſed cum tempore exſtitit mundus. ib.
Tentatio, res neceſſaria theologo 27. illuminationis adminiculum. 844
Terra ordinarie non mouetur. 369
Terminus vitæ humanæ quomodo a Deo præfixus ſit 427 ſq. quo ſenſu immutabilis ac immobilis dici poſſit 429. an ſit fatalis. 429. 430
TERTVLLIANVS ſæpe a fidei analogia diſcedit 72
Teſtamentum: quomodo a pacto & fœdere differat 1043. diuinum quid ibid. aliud vetus eſt aliud nouum 1044. vtriusque differentia 1047 *). 1049. ſeq. & conuenientia. 1049
- - nouum 1048. vocis homonymia 1049. aliud eſt inchoatum, aliud conſummatum 1051. eius ſacramenta 1077. magiſtratus poteſtatem in N. T. abrogatam eſſe fanatici ſomniant. 1356
- - vetus 1048. prorſus differt a fœdere operum 1047 *). ad fœdus gratiæ ſpectat 1047 *). credentes V. T. eadem fide, qua N. T. fideles iuſtificati & ſaluati ſunt 40. 34 *) 901. ſeq. bona ſpiritualia & æterna etiam in V. T. promiſſa fuerunt 1051. ſeq. eius ſacramenta. 1066 ſeq.
Teſtimonium eccleſiæ conſentiens firmum pro diuinitate Scripturæ S. ſuppeditat argumentum 105. 107. illud tamen neque vnicum, neque abſolute neceſſarium eſt 122. ſeq. idem probat auctoritatem canonicam textus authentici Scripturæ S. 126. ſeq.
- - martyrum diuinam Script. S. originem luculenter confirmat. 107 ſeq
- - Spiritus S. internum in quo conſiſtat 116. eſt principalis & vltima ratio diuinam Scripturæ S. originem cognoſcendi 116. ſeq 119. idem eſt quod efficacia Scripturæ in actu ſecundo ſpectata 117. probat canonicam Scripturæ S auctoritatem 126 127. renatos fidei ſuæ certos reddit. 1188
Θεάνθρωπος, non eſt duntaxat eccleſiaſticum Chriſti nomen. 650 *)
Theologia quid 1. vocis etymologia 2. homonymia 3 etiam ethnici hac voce vſi ſunt 2. rectius dicitur cognitio practica, quam ſapientia practica 1*). 7*. eius cum fide conuenientia, & vtriusque diſcrepantia 31. variæ eius diuiſiones. 3 ſeq.
- - ἀρχέτυπος quid 3. quomodo Chriſto competat 4
- - caſualis. 25
- - catechetica. ibid.
- - didactica. ibid.
- - ἔκτυπος 3. eſt vel viatorum vel comprehenſorum 5. vtriusque comparatio. ibid.
- - exegetica. 25
- - falſa veræ oppoſita 29. rectius dicitur mataeologia. ibid.
- - hiſtorica. 25
- - homiletica. 25
- - moralis. ibid.
- - myſtica alia eſt pura, alia impura 26. iſtius vtilitas. ibid.
- - naturalis 6. v. *Notitia Dei naturalis.*
- - polemica, cui neceſſaria ſit. 31
- - politico-eccleſiaſtica. 25
- - poſitiua. 25
- - reuelata 6. ratio nominis ibid. auctor eius 11. eius principia cognoſcendi 60. ſeq. materia ex qua & circa quam 11. finis eius vltimus obiectiuus 12. finis formalis ibid. 541 fines reliqui 12. ſeq notitia eius litteralis & ſpiritualis quomodo differant 15. v. *Notitia rerum diuinarum.*
- - ſcholaſtica 25. eius naeui 26. vſus. 27
- - ſyſtematica 7. ab habituali differt. 7
- - vnionis quæ. 4
Theologus quis & quotuplici ſenſu aliquis ita dicatur 13. neceſſarium eius requiſitum pietas 14. media ipſi neceſſaria 27. quoad ipſi ſtudium controuerſiarum theologicarum necaſſarium ſit 31. Ioannes κατ ἐξοχὴν ita vocatur. 2
- - irregenitus 13. eſt vel negatiue, vel priuatiue talis 14. eius notitia qualis. 15. ſeq.
- - renatus 13. eius notitia. 15. ſeq.
Θεοποίησις, nomen ſecundi generis communicationes idiomatum, a Patribus nonnunquam adhiberi ſolitum. 700
Θεοπνευστία v. *Inſpiratio diuina.*
Θεὸς vnde deriuetur 227. Socinianorum ψευδερμηνεία ibid. 651*). vocis huius variæ ſignificationes 227
Θρησκεία Græcis dicitur religio. 33
Thronus Dei quid. 787
Traditio quid 177. vocis homonymia ibid. traditionum diuiſio ex mente noſtratium 78. ex mente Pontificiorum ibid ſeq. traditiones non-ſcriptæ-dogmaticæ Scripturæ S. non ſunt addendæ. 179 182 **)
Tradux quid & quotuplex 414 ſeq. animæ humanæ per traducem propagantur. ibid.
Tranſſubſtantiatio, Pontificiorum commentum 1129 ſeq.
Trinitas: vocis huius ſignificatio 283. trinitas Dei luculentis Script. S. dictis probatur 288. an humana Chriſti natura ad Trinitatem pertineat 349. tota SS. Trinitas pro re cœleſti baptiſmi recte habetur 1085. v. *Myſterium trinitatis.*
*Tubingenſes Theologi* omnipræſentiam Dei operationem eius efficacem inuoluere negarunt 277. quo ſenſu electionem mutabilem eſſe dixerint. 641
Typus hiſtoricus quis. 92



Digitized by Google

Typus propheticus 92. tum in actionibus, tum in viſionibus conſiſtit. ibid.

V.

*Valentiniani* Deos generantes, naſcentes nubenteſque commenti ſunt 239. Deum peccati cauſſam faciunt. 492

Vaticinia: eorum complementum diuinam Script. S. originem probat 112 ſq. ſingularia in vaticiniis Chriſti, excellentiæ eorum documenta. 760 *)

VEDELIVS (Nic.) magiſtratui politico architectonicam poteſtatem in ſacris æque ac ciuilibus competere ſtatuit. 1363

Veracitas Dei quid. 271

Verba inſtitutionis S. cœnæ: eorum ſenſus litteralis exponitur 1108. ſq. iſque ſine tropo retinendus eſſe demonſtratur. 1111 ſq.

Verbum Dei quid 77. verum & viuum eſt Script. S. 74. 77. eſt medium δοτικὸν idque efficaciſſimum ſalutis noſtræ 992. 993. (v. *Script. Sacra.*) quo ſenſu materia cœleſtis baptiſmi dici poſſit. 1086

- - - ἐνδιάθετον quid. 77

- - - euangelii. v. *Euangelium.*

- - - legis. v. *Lex diuina.*

- - - προφορικόν. 77

Veritas quid & quotuplex 243 *). quotuplici ſenſu Deo tribuatur. ibid.

- - - Dei eſſentialis quid. 243. 244

- - - Scripturæ S. vnde poſſit cognoſci 112. ſq. probat diuinam eius originem. ib.

Verſionum Scripturæ S. vtilitas 171. Pontificii iniquos earum æſtimatores ſe præbent. 172

Viæ myſticorum ad Deum perueniendi, purgatiua, illuminatiua & vnitiua 796. quamplurimos errores includunt 798 ſq. qua ratione melius ſint diſponendæ & explicandæ. 801. ſq.

Via triplex notitiam Dei naturalem conſequendi, cauſſalitatis, eminentiæ & negationis 190. ſq. via eminentiæ iuſtis limitibus circumſcribitur. 190*)

Vinum euchariſticum quale eſſe debeat 1116. ſq. vinum aqua mixtum neceſſario adhibendum eſſe Pontificii præcipiunt 1117. non mutatur in ſanguinem Chriſti 1128 ſq. etiam laicis eſt porrigendum 1136

Viſio Dei beatifica quid 456. requiſita eius 478. adiuncta. 460

Viſiones typicæ quid & quotuplices. 92

Vita æterna quid 451. v. *Beatitudo.*

- Dei in quonam conſiſtat. 255

- hominis ſpeciale prouidentiæ diuinæ obiectum 427. terminus eius quomodo vnicuique a Deo præfixus ſit. ib. ſq.

- intellectualis an ſit conceptus Dei differentialis. 233

Vita ſpiritualis per regenerationem confertur. 881

Viuificatio Chriſti quid 776. an id gradibus exaltationis ſit ponenda ib.

Vnctio Chriſti, qua ratione ſacerdotum, prophetarum & regum V. T. vnctionem præſtet. 655

Vnctio extrema, fictum a Romanocatholicis N. T. ſacramentum, 1078. 1079*), errori alio, ſc. de purgatorio, aperte repugnat. 1232 **)

Vnio Dei cum hominibus quotuplex. 933

- - myſtica quid 932 nominis ratio 934. homonymia ib. ſynonymia ib. quomodo ab vnione credentium cum Chriſto per fidem iuſtificantem differat 920 ſq. 933. prior eſt renouatione 933. cauſſa eius efficiens principalis 935. cauſſæ impulſiuæ 936. media ib. cauſſa miniſterialis 937. extrema, quæ vnione myſtica coniunguntur ib. eius forma 938. qualis proprie ſit 939. quatenus ſit ſubſtantialis ib. quomodo ab vnione perſonali differat. ib. quatenus ſit accidentalis & περιχωρητικὴ 939. 940. eſſentialem & corporalem fingunt Fanatici 941. eius finis verus 944. falſus Pſeudomyſticorum finis 801. quibus diſſoluatur 946. propoſitionum, quæ ex vnione myſtica fluunt, indoles. ib.

- - perſonalis diuinæ & humanæ naturæ Chriſti 664. 679. qua ratione differat ab vnitione perſonali 664. qualis ſit 679. quibus vocibus Patres eccleſiæ modum eius expreſſerint 680. finis eius 684 conſequentia eius. ib. quomodo ab vnione myſtica fidelium cum Chriſto diſtet. 939

- - ſacramentalis qualis. 1060

Vnitas Dei quid 238. demonſtratur ib. 239*). vindicatur. 239. ſq.

Vnitio perſonalis naturarum Chriſti, quomodo ab vnione perſonali differat 664. v. *Incarnatio.*

Vocatio hominum ad ſalutem extraordinaria quid 815

- - - - - - - generalis. 805

- - - - - - - ordinaria 805. eius diuiſio ibid. cauſſa efficiens 806. cauſſæ impulſiuæ ib. eius media 807. cauſſa miniſterialis 808. terminus a quo & ad quem ib. eius forma 809. eſt vniuerſalis ib. ad ſalutem ſufficiens 814. ſeria et efficax 815. quatenus æqualis ſit, & quatenus inæqualis 816. diſtinctio vocationis in externam & internam haud admittenda eſt 815. ſq. finis eius. 818

- - - ſpecialis 803. quotuplex ſit. 805

Vocatio miniſtrorum eccleſiæ 1332. interna quo ſenſu poſſit admitti. 1337 *)

- - - - - - - - - immediata quid & quotuplici modo fiat 1332. quomodo ab extraordinaria ſit diſtinguenda ib. **). hodie non amplius eſt exſpectanda. 1333

Vocatio

Digitized by Google

Vocatio mediata 1332. cui nam ius eius competat 1334. eius neceſſitas 1336. miniſtrorum in eccleſiis, Auguſt. confeſſioni addictis vocatio eſt legitima. 1341

Voetivs (Giſb.) terminum vitæ humanæ fatalem ſtatuit. 429

Voluntarium: an definitionem peccati ingrediatur. 501

Voluntas Dei quid 261. quomodo ab actu volendi differat ib. obiectum eius quod & quotuplex 261. eſt liberrima 263*) variæ voluntatis diuinæ diſtinctiones. 262

- - - - antecedens & conſequens quid 586. certa huius diſtinctionis ratio, & neceſſitas 587. conſequens non tollit antecedentem. 863

- - - - conditionata 264. quomodo differat ab ordinata. 265. ib.*)

- - - - naturalis. 263

- - - - ſigni & beneplaciti ex mente noſtratium 265. ib.**). ex mente Scholaſticorum ib. vtraque perpetuo conſpirat. 265. ſq.

Voluntas humana: eſt propria ſedes liberi arbitrii 573. an poſt lapſum indifferens ſit ad bonum & malum 570. indifferentiæ eius ratio 575. nil ſine ratione aut vera aut falſa eligit 574*). ab intellectu determinatur 576*). an ad eam quoque illuminatio pertineat 828 ſq. voluntatis actus alii eliciti ſunt, alii imperati 570. voluntas primi hominis qualis fuerit. 472

Vorstivs (Io.) eius de θεοπνευστίᾳ Script. Sacr. error 87. nimis abiecte de ſtilo Script. Sacr. ſentit 97. ſpiritualem Dei naturam falſa ratione ſibi concipit 230. Deo compoſitionem tribuit 241. ſubſtantialem Dei præſentiam negat. 277

Vota Naſiræorum & Rechabitarum qua ratione a votis monachorum diſtent. 1202. ſq.*)

Vrim & Thummim quid. 62

Vſus Scripturæ S. multiplex 102 ſq. 185. ſq. paracleticus non ſolum ad διδασκαλίαν, ſed etiam ad παιδείαν & ἐπανόρθωσιν pertinet. 103*)

W.

Waltonvs (Brian.) puncta vocalia Hebræorum litteris conſonantibus coæua eſſe negat 139 ſq.

*Weigeliani* Indifferentiſmo fauent 37. nouas reuelationes iactant 64. eorum de notitia rerum diuinarum error 16. Scripturam S. litteram mortuam eſſe nugantur 75. ſq 184. 993. eius perſpicuitatem negant 151. Spiritum S. non ſemper a Filio proceſſiſſe fingunt 339. tres hominis partes eſſentiales ſtatuunt 410. de peccato originali eorum errores 520. duplicatam Chriſti carnem comminiſcuntur 659*). ſatisfactionem eius negant 739. 746. homines a Spiritu S. immediate illuminandos eſſe contendunt 826. ſilentium Pſeudomyſticorum commendant 847. regeneratione ipſam hominis ſubſtantiam immutari ſibi perſuadent 883 884. Chriſtum in nobis per regenerationem generari docent 890. falſa eorum iuſtificationis notio 895. per imitationem Chriſti nos iuſtos fieri pronunciant 915. 918. doctrinam de imputata Chriſti iuſtitia peſſime traducunt 924. ſq. renatos cum Chriſto eſſentialiter & corporaliter vnitos eſſe nugantur 941. ſq. perfectionem renatorum in hac vita ſomniant 959. ſeq. ſacramenta externa tantum religionis ſigna eſſe cauillantur 1055. 1063. confeſſionem & abſolutionem priuatam abominantur 1060. chiliaſmum profitentur 1255. veram dari eccleſiam viſibilem negant 1338. magiſtratum a Deo eſſe infitiantur 1355. 1356. denegant magiſtratui politico poteſtatem iudicandi & malos ciues pœnis coërcendi. 1358

Z.

Zanchivs (Hieron.) harmoniam voluntatis ſigni & bene placiti in Deo negat. 266

Zinzendorfivs, Comes, notatus 743**). 1380.*) v. *Herrnbuthiani.*

Zwinglivs (Vlr.) notitiam Dei naturalem ad ſalutem ſufficere opinatur. 197

# Errata operarum præcipua.

pag. 5. lin. 26. poſt vocem *hauſtam*, adde : *conſequimur.*
- 33 - 24. poſt v. λατρεία, adde : Rom. XII, 1.
- 108 - 34. poſt v. *cognitam*, dele : *ac.*
- 208. - 21. dele notam numeri 1.).
- 249. - 23. poſt v. *momentum*, adde : *fluxum.*
- 308. - 23. pro *XV.* repone : *V.*
- 644. - 3. pro *quo*, lege : *quæ.*
- 646. - 36. poſt v. *dicuntur*, adde : *Rom. IX*, 22.
- 657. - 33. pro *Hac*, lege : *Hæ.*
- 694. - 5. pro *enim*, lege : *etiam.*
- 724. - 26. poſt v. ἀποτέλεσμα deleatur punctum.
- 738. - 31. pro ὤιρω, lege : ἄιρω.
- 763. - 37. pro ὑποταχὴ, lege : ὑποταγὴ.
- 860. - penult. pro *cognitione*, lege : *coniunctione.*
- 929. - 37. dele v. *Pſalm.*
- ead. - 38. pro *quoties*, lege : *qualis.*
- 930. - 4. poſt v. *Chriſtum*, adde : *Rom. V*, 1.
- 938. - antep. pro *6.* repone : *16.*
- 1093. - 14. pro *A ſit*, lege : *At ſi.*
- ead. - 24. pro *mediorem*, lege : *mediorum.*
- 1099. - 1. poſt voces : *Per vnum*, adde : *Spiritum.*
- 1152. - 24. pro *intranſitiua*, lege : *tranſitiua.*
- 1157. - 1. pro *facire*, lege ; *facie.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google